BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XXX
G
9
NAPOLI

Digitized by Google

XXX.
G.
9.

Digitized by Google

ALEXANDRI

MASSARIÆ

OPERA MEDICA

Digitized by Google

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI, ANTIQ. ET CELEB. GYMNASII Patauini Doctoris Primarij;

OPERA MEDICA

QVIBVS METHODVS AC RATIO COGNOSCENDI,
Et curandi totius humani corporis morbos, ad natiuam genuinámque Hipp. & Gal. mentem verè optiméque inſtituitur.

SVBIICIVNTVR TRACTATVS QVATVOR VTILISSIMI,
De Peſte, de Affectibus Renum & Veſicæ, de Pulſibus, & de Vrinis: Conſilium pro febre catarrhali cum totius macie, ventriculi imbecillitate, meſenterij obſtructione mœſtitia & vigiliis: Liber Reſponſorum & Conſultationum Medicinalium.

ACCEDVNT POSTREMO DISPVTATIONES DVÆ, VNA DE SCOPIS Mittendi Sanguinem, Altera de Purgatione in principio morborum, quàm excipit Addittamentum Apologeticum ad priorem.

OMNIA ACCVRATE RECOGNITA, ET INDICIBVS
tum Tractatuum, tum Rerum notabiliorum illuſtrata.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS EXPVRGATA.



LVGDVNI,
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

INDEX

LIBRORVM, CAPITVM

TRACTATVVM AC DISPVTATIONVM, *quæ hiſce Operibus diſcutiuntur.*

LIBER PRIMVS.

De affectibus capitis, partiúmque ei adnatarum.

Cap. 1. De Alopecia ſeu imminutione pilorum. 1
2 De capillorum defluuio. 5
3 De furfuribus. 6
4 De pediculis 7
5 De áchoribus. 8
6 De dolore in genere. 9
7 De dolore capitis 11. ex bile 19. ex pituita 20. ex melancholia. 22
8 De cephalæa. 24
9 De hemicrania. 25
10 De vertigine. ibid.
11 De phrenitide. 36
12 De lethargo. 39
13 De apoplexia. 39
14 De Sopore. 43
15 De cacocho & catalepſi. 44
16 De paraliſi. 45
17 Da tortura otis. 50
18 De conuulſione. 52
19 De epilepſia. 55
20 De incubo. 57
21 De melancholia. 65
22 De mania. 73
23 De inſania lupina. 74
24 De catarrho. ibid.
25 De ophthalmia. 77
26 De vlceribus oculorum. 80
27 De ſuffuſione. 81
28 De aurium dolore. 83
29 De ſurditate. 86
30 De parotide. 87
31 De narium hemorrhagia. 89
32 De dolore dentium. 92
33 De mobilitate dentium. 92
34 De nigredine dentium. 92
35 De inflammatione otis. 92
36 De cruſtis otis. 93
37 De affectibus Columellæ. 93
38 De Apthis. 94
39 De angina. 95

LIBER SECVNDVS.

De thoracis eiuſque partium affectibus.

Cap. 1. De tuſſi. 99
2 De aſthmate. 102
3 De pleuritide. 105
4 De peripneumonia. 113
5 De empyemate. 115
6 De ſputo ſanguinis. 117
7 De phthiſi. 123
8 De tremore cordis. 127
9 De ſyncope. 130

LIBER TERTIVS.

De affectibus ventriculi, hepatis, inteſtinorum, & quæ in inferiore ventre continentur aliorum.

Cap. 1. De Cholera. 134
2 De imbecillitate ventriculi. 138
3 De dolore ventriculi. 150
4 De ſingultu. 155
5 De læſo appetitu. 156
6 De abolita & immunita appetentia. 157
7 De appetitu canino. 159
8 De bulimo 161. De pica. 162
9 De ſiti. 163
10 De morbis hepatis in genere. 165
11 De doloribus hepatis. 167
12 De obſtructione hepatis. 174
13 De inflammatione iecoris. 178
14 De ſcirrho hepatis. 183
15 De Ictero. 186
16 De hydrope. 190
17 De ſcirrho lienis. 201
18 De dolore colico. 207
19 De Ileo. 219
20 De Diarrhæa. 222
21 De lienteria. 224
22 De dyſenteria. 226
23 De teneſmo. 238
24 De hæmorrhoidibus. 239

LIBER QVARTVS.

De morbis mulierum.

Cap. 1. De menſtruis. 247
2 De menſium ſuppreſſione. 249
3 De immoderato fluxu menſtruorum. 258
4 De vteri profluuio ſeu menſtruis albis 263
5 De conceptu ſecundum naturam. 268
6 De ſterilitate. 269
7 De monſtris. 283
8 De mola. ibid.
9 De inflammatione vteri. 286
10 De hydrope vteri. 288
11 De abortu. 290
12 De partu difficili. 296
13 De puerperio. 297

LIBER QVINTVS.

De Febribus.

Cap. 1. De definitione febris. 303
2 De corporibus ad febrim diſpoſitis. 312
3 De temporibus febrium. 317
4 De cognoſcendis temporibus morborum. 321
5 De febre ephemera. 325
6 De ſignis ephemeræ. 327
7 De curatione febris ephemeræ. 328
8 De febribus putridis. 330

Index Librorum, Capitum &c.

9 De ſignis febrium putridarum. 331
10 De ſignis febrium continuarum. 343
11 De ſignis indicantibus differentias febrium putridarum. ibid
12 De ſignificationibus febrium. 345
13 De intentione ad curationem febrium putridarum. 348
14 De cibatione febricitantium in genere. 367
15 De aqua hordei & ſyrupo acetoſo. 372
16 De curatione febrium acutarum. 375
17 De febribus bilioſis. 378
18 De tertiana notha. 385
19 De febre ardente. 390
20 De febre ſanguinea. 393
21 De febre phlegmatica. 398
22 De febre quartana. 404
23 De hectica febre. 408
24 De febribus peſtilentibus. 415
25 De exanthematibus ſeu particulis. 427
26 De ſymptomatibus febrium in genere. 431
27 De rigore. 432
28 De ſudore ſuperfluo. 435
29 De narium fluxu ſanguinis ſuperfluo. 436
30 De vomitu. 441
31 De ſyncope. 442

LIBER SEXTVS.
De morbo Gallico.

Capitibus non interſtinguitur. 443

LIBER SEPTIMVS.
De medicamentis purgantibus.

Cap. 1 De ordine docendorum in hoc libro. 458
2 De Caſſia. 459
3 De Manna. 460
4 De Thamarindis. 461
5 De Myrobolanis. ibid.
6 De Aloë. ibid.
7 De compoſitis aluum lenientibus, & primùm de hiera. 462
8 De ſyrupo roſaceo ſolutiuo. 463
9 De ſyrupo violaceo ſolutiuo. ibid.
10 De electuario lenitiuo. ibid.
11 De elect. Diacathol. Diacaſſia, Diaſena. 464
12 De electuario Diaſebeſten. ibid.
13 De elect. Diaprunis ſimpl. ibid.
14 De Syrupis. 465
15 De Syrupis concoquentibus bilem. ibid.
16 De Syrupis concoquentibus pituitam. 466
17 De Syrupis melancholiam concoquentibus. ibid.
18 De recto vſu ſyruporum. ibid.
19 De Rhabarbaro. 467
20 De Agarico. 468
21 De Sena. 469
22 De Epithymo & polypodio. 470
23 De Iride. ibid.
24 De Elaterio. 471
25 De Scammonio. ibid.
26 De Colocynthide. 472
27 De Turpetho. 473
28 De Hermodactylis. ibid.
29 De Helleboro. 474
30 De Antimonio. 475
31 De compoſitis medicamentis purgantibus. 476
32 De electuariis purgantibus bilem. ibid.
33 De pilulis purgantibus bilem. 477
34 De electuariis purgantibus pituitam. ibid.
35 De pilulis purgantibus pituitam. 478
36 De electuariis purgantibus melancholiam. 479
37 De pilulis purgantibus melancholiam. ibid.
38 De Syrupis purgantibus melanch. 480
39 De medicamentis compoſitis ſeroſum humorem purgantibus. ibid.
40 De medicamentis omnes humores purgantibus. ibid

LIBER OCTAVVS.

De collegiandi ſeu conſultandi ratione Caput vnum. 481. 482. & ſeqq.

TRACTATVS PRIMVS.

De peſte Libri duo, primus 485. ſecundus. 510

TRACTATVS SECVNDVS.

De affectibus Renum & Veſicæ. 537

TRACTATVS TERTIVS.

Cap. 1. De pulſibus. 546
2 De differentiis pulſuum. 548
3 De cauſis pulſuum. 552
4 De præſagitione ex pulſibus. 555

TRACTATVS QVARTVS.

Cap. 1. De generatione & eſſentia vrinæ. 559
2 De differentiis vrinarum. 561
3 De cauſis differentiarum vrinarum. 563
4 De prædictionibus ex vrinis. 565

Conſilium in febre catarrhali, totius maciē, ventriculi imbecillitate, meſenterij obſtructione, mœſtitia & vigiliis, pro quodam illuſtriſſimo Antiſtite. 568.

LIBER RESPONSORVM & Conſultationum medicinalium; ſiue, Conſilia medica.

Conſ. 1. De aqua inter cutem. 572
2 De malè affecto ventriculo. 575
3 De retentione menſtruorum. 582
4 De dolore ſtomachi, cum ventris ſtipticitate. 587
5 De ſputo ſanguinis. 588
6 De fluxu ſanguinis narium. 590
7 De ſputione ſanguinis ex ruptura venæ. 591
8 De diſpoſitione pectorali præter naturam. 592
9 De difficultate vrinæ & aliis ſymptomatibus. 595
10 De morbo Gallico. 596
11 De dolore humeri, tumore cruris, & aliis ſymptomatibus. 597
12 De frigida ventriculi intemperie, morbo Regio, &c. 599
13 De Epilepſia. ibid.
14 De retentione menſtruorum. 607
15 De muliere ſympt. patiente. 610
16 De caſu ex ſcala mulieris iuuenis, & eius accidentia. 613
17 De muliere prægnante vulnerata. 614
18 De ſcroti & tibiarum dolore in homine. 616
19 De partis dextræ, capitis item, ac crurum doloribus, ac in teſtibus tumore. 618
20 De alui fluxu. 619
21 De fiſtula in oculo dextro producente lacrymam. 623

DISPVTATIONES DVÆ,

Vna de ſcopis mittendi ſanguinem, altera de purgatione in principio morborum 611 & ſeqq.

ADDITAMENTVM apologeticum ad Diſputationem de ſcopis mittendi ſanguinem, continens Libros XI. Diſputationes eiuſdem.

PRÆFATIO. 717

Capita libri primi, Diſputationis prima.

Cap. 1 DE cauſis variarum opinionũ de miſſione ſanguinis. 721
2 Quæſtionis propoſitio. 723
3 De ſcopis mittendi ſanguinis ex Galeno. ibid.
4 Notantur ſex Aduerſarij errores. 725
5 De indicatione à magnitudine morbi, in qua Aduerſarius ſecum pugnat. 726
6 Collatio doctrinæ Hipp. & Aduerſarij. 727
7 8 9. 10 Loci Gal. & Auic de ſanguinis vitio: Aduerſarij inconſtantia. 729
11 Hiſtoria pythionis. 733
12. 13. 14. 15. De actu & vſu remediorum collatio doctrinæ Aduerſarij, & Galeni. 734

Capita ſecundi libri, Diſputationis ſecundæ.

Cap. 1 Hippocratis & Galeni ſententiam cæteris præferendam. 736
2 De abſtracto & concreto: de indicatione ſecundæ venæ in morbis. 737
3 Morbi magnitudo duplex: Aduerſarij error, & contradictio. 738
4 Triplex morbi magnitudo an indicet ſectionem venæ, 739
5 De loco ex Gal 4. Meth. cap. 6. 740
6 Morbi magni ſcopus princeps ex Aduerſario. 741
7 De argumento ſumpto ex curatione lethargi. 742
8 Galeni locus 2. Medic. per genera de dolore capitis ex vulnere &c. 744
9 De duplici vlceris magnitudine. 746
10 De indicationibus in febre ardente. 747
11 De quatuor exemplis, febris ardentis, vehementiſſimorum dolorum, inflammationis, hydropis. 748
12 Indicationis à magnitudine morbi præſtantia, atque natura. 749
13 De natura morbi magni, & eius contrarietate. 714

Capita tertij libri, Diſputationis tertia.

Cap. 1. 2. 3. Authoris excuſatio atque propoſitũ. 756
4 Galenici loci interpretatio, 4 Meth. Med. cap. 6. ibid.
5. 6. 7. Duplex indicatio miſſionis ſanguinis & purgationis, verba Galeni, ac noſtræ rationes examinantur. 758
8 Galenici loci interpretatio lib. de Sang. Miſſ. c. 9. 760
9 An venæ ſectio remedium ſit præſeruatiuum, an curatiuum. 762
10 De ſitura, & particulari plenitudine: locus Hipp. 2. Acut. 10. & 11. 765
11 De plenitudine ex Aduerſario, de optimis authoribus eligendis. 770

Capita libri quarti, Diſputationis quarta.

Cap. 1 Aduerſarij, ac noſtrum iudicium de vniuerſa diſputatione. 770
2 Rationes Aduerſarij ante decimum quartum annum ſanguinem mitti poſſe. 772
3 An pueris venam ſecandam experientia comprobet. 774
4 An pueris conueniat ſanguinis miſſio ex Gal. ibid
5 Loci Galenici, qui Aduerſarij opinionem deſtruunt. 778
6 Galeni ratio examinatur. 779
7 Cur Galenus ſcribat ante annum xiiii. non eſſe mittendum ſanguinem. ibid

Capita libri quinti, Diſputationis quinta.

Cap. 1 Quæ aduerſus ſcopum roboris virium dubitationem afferant 780
2 An ſit abſtinendum à ſanguinis detractione in omni imbecillitate virium. ibid
3 Indicia virtutis imbecillæ per oppreſſionem, & per diſſolutionem. 781
4 Vires varia ratione validæ, & imbecillæ. 783
5 De repetita ſanguinis miſſione. 784
6 Sanguinis detractionem vtilem nunquam fieri viribus exiſtentibus imbecillis. 785

Capita libri ſexti, Diſputationis ſextæ.

Cap. 1 Propoſitum Diſputationis. 786
2 An ſententia lib. quarti Acut. xix. ſit Hippocrate digna. ibid
3 An ſententia dictione ſit indigna Hippocrate, ac de morbi vehementia, & magnitudine. 787
4 Rationes pro ſententia Hippocratis. 788
5 Nomen florentis ætatis an proprium. 789
6 Scopos varios eſſe, & vario modo à Galeno tractari. 790
7 An ſententia Aut. lib. 4 de Rat. Vict. ſignificatione duntaxat ſit digna Hippocrate. idid
8 An Hippocrates in legitimis ſuis operibus præcepti de tribus principibus ſcopis meminerit. 792

Capita libri ſeptimi, Diſputationis ſeptima

Cap. 1. Explanatio Aduerſarij, &c. 792
2 & 3. Aduerſarij defenſio pro ſua explanatione: ibid
4 An Aduerſarius rectè ſoluat noſtra argumenta, 794

Capita octaui libri, Diſputationis octauæ.

Cap. 1 An in febribus putridis mittendus ſanguis: 795
2 & 3 Solutio trium Aduerſarij rationum. 796
4 Solutio quartæ rationis de indicatione quæ à febre & quæ à putredine. 798
5 & 6 De loco Galeni, libro Aduerſus Eraſiſtratæos. 804
7. & 8 De venæ ſectione in humoribus à ſanguine alienis: de præceptis tuendæ ſanitatis ibid

9 Summa ſententiæ Aduerſarij. 806.
10 Autoritas Galeni xi Meth. cap. xv. 807.
11 Quem locum Galenus citet de miſſione ſanguinis in febribus. 808.
12 An humores putridi educantur venæ ſectione ex c. 89 Art. Medicæ. 811.
13 De venæ ſectione eradicatiua. 812.
14 De venæ ſectione in gratiam reuulſionis in febribus putridis. ibid.
15. Venæ ſectio an refrigerandi cauſa fiat. 813.

Capita noni libri, Diſputationis nona.

Cap. 1. Propoſitum authoris. 814.
2 Cur venæ ſectio prætermiſſa in tertiana exquiſita ex Aduerſario. ibid.
3 Cur Galenus venæ ſectionem prætermiſerit in tertiana ex propria ſententia. 815.
4 De miſſione ſanguinis in tertiana notha & quartana. 816.
5 De venæ ſectione in febribus continuis. 817.

Capita libri decimi Diſputationis decima.

Cap. 1 De venæ ſectione in diaria ex obſtructione 817.
2 & 3 Locus Gal. 8. Meth. cap. 4. Aduerſarij argumenta confutata. 818.
4 & 5 Expoſitio cap. 4. libri 8. Methodi Med. 819.
6. 7. & 8 Venam ſecandam etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint ex Gal. 7. Meth. 4. 822
9 & 10. Altera Aduerſarij explanatio examinatur. 823.
11 De variis lectionibus loci Galenici 8. Methodi cap. 4. ibid
12 Ad autoritates ab Aduerſario poſitas. 824
13 An codex Galeni ex Aduerſario corrigendus. 825
14 Refutatio rationum Aduerſarij. 826

Capita undecimi libri, Diſputationis undecima.

Cap. 1. An in cacochymia conueniat ſectio venæ. 827
2 & 3 Rationes noſtræ vna cum Aduerſarij ſolutionibus conſiderandæ. 828
4 Rationes Aduerſarij ibid
5 Primæ & ſecundæ noſtræ rationis examen, de virium conſtantia, in cacochymia de ſanguine vitioſo: 830
6 Tertia, & quarta ratio de morbo maligno 831.
7 De vena ſecanda per epictaſin, & in vlcere pulmonum ex cacochymia: ibid
8 In muliere cacochyma Galenum ſanguinem miſiſſe. 833
9. De natura ſanguinis. 834
10 & 11 Rationes aduerſarij refutatæ, noſtræ confirmatæ. 835
12 Morbis ex cacochymia pituitoſa conuenire venæ ſectionem. 840
13 An in cacochymia ex bile liceat ſanguinem mittere. 843
14 Cacochymiam non prohibere venæ ſectionem niſi virium ratione. 845
15 An argumenta oppoſita ſint ritè ſoluta. 848

ALEXANDRI

MASSARIÆ VICENTINI· PRACTICÆ MEDICÆ, LIBER PRIMVS.

De affectibus Capitis partiúmque ei adnatarum.

CAPVT · I.

De Alopecia ſeu imminutione pilorum.

AFFECTVS cutis capitis cum ſint Alopecia & Ophiaſis, hæ ex Gal. 1. de comp. med. ſecundum locos, non aliter quam forma & figura differunt: ſiquidem in Alopecia remanent quædam cutis partes nudatæ, quæ longe vel late, ſed recta procedunt. Ita omnibus appellatur, ducta ſimilitudine à vulpe, quæ ἀλώπηξ Græce dicitur, quam affirmat ſæpè hoc morbo laborare. In Ophiaſi iſtæ partes non recta vt in Alopecia, ſed oblique inſtar ſerpentis procedunt, vnde hæc affectio nomen ducit, ὄφις enim Græcè ſerpens dicitur. Auic. & alij Ophiaſin Tyriam dicunt, qui nomine Tyri ſerpẽtes & viperas potiſſimum intelligunt. Hinc colligitis deſcriptionem Alopeciæ & Ophiaſis ab Alex. in principio 1. l. poſitam, nempe quod fiat nudum caput, mancam eſſe, ſiquidem in caluitium, & forte magis quam in Ophiaſin cadat. Colligitur ſecundo, Auic. male ſentire 7.4. tr. t. 5. qui ponens differentiam inter Alopeciam & Tyriam, ſtatuit in Tyria non ſolum cadere capillos, ſed etiam cutem excoriari, vt euenit ſerpentibus. Forma igitur & figura tantum iſti affectus differunt.

Error Auicennæ.

Quæritur, cum hi duo affectus ſint res præter naturam, & hæ triplices ſint, Morbus, Cauſa morbi, & Symptoma, ſub quo genere ſint collocandi? Ego cenſeo, huiuſmodi affectus, ſi diuerſa ratione conſiderentur, ad omnes affectus præter naturam poſſe referri. Cauſa autem iſtius dubitationis præcipuè videtur ex Gal. oriri: namq; in 14. meth. 18. hos duos affectus reponit inter morbos numeri, quaſi deficiat in corpore, quod deeſſe non debuerat. At verò in lib. de diff. ſymp. 4. videtur referre hos affectus inter ſymptomata. Et ſanè ſi conſiderentur vt decidunt capilli, poſſunt eſſe morbus in numero: ſi quatenus humores vitioſi ſunt in cauſa vt pili cadant, tunc cauſa morbi eſſe poſſunt: ſi conſiderentur, tanquam ea pars ſit denudata capillis, ſymptomata ad qualitatem mutatã dicuntur.

Differentiæ variæ ſunt. Deſumuntur enim à magnitudine: ſic alia eſt magna, alia leuior. A tempore: alia recens, alia longius progreſſa, alia iam confirmata & reducta ad habitum.

Sunt etiam ab ætate, à ſexu, & aliæ id genus. Sed inter cæteras illæ quæ ex cauſis, ptimum locũ obtinent, de quib. præclare Gal. ſic ratiocinabatur 1. de comp. med. ſecundum locos 2. 14 meth. 18. Sicuti nonnullæ plantæ propter defectum & vitium humoris ſiccantur, & ſiccatæ corrumpuntur, pariter & capilli, aut propter inopiam alimenti quo nutriuntur, aut propter eiuſdem vitium contingit vt corrumpantur: ꝓpter defectum prouenit caluities, propter vitium Alopecia & Ophiaſis. Quia vero Gal. docet huiuſmodi viriatos humores eſſe triplices, pituitam, melancholiam & flauã bilem: itáq; apud Gal. tres tantum ſunt differentiæ horũ duorum affectuum pro tribus humorib. ex quib. oriuntur. Sed Auic. 7.4.1.5. addit quartã cauſam à ſanguine, cuius neque Gal neque alij Græci quidquam meminerunt, vnde Auic. ſententia mihi eſt dubia. Etenim cum cæteri vitioſi humores non aliter hos affectus generent, niſi cum tam acres redduntur, vt poſſint radices capillorũ erodere: nulla ratione fieri poteſt, vt ſanguis, ſi modo ſub forma ſanguinis remaneat, illud ipſum poſſit efficere: ſiquidem dicit Gal. 2. de diff. feb. 7. 2. de criſibus 12. ſanguinem, ſi ſupra modũ aſſerut, pro leuiori parte in flauam bilẽ, pro craſſiore in melancholiam degenerare. Itaq; apud Gal. tres tantũ ſunt humores, ex quib. generantur. Sed animaduertendum huiuſmodi humores poſſe corrumpi, vel laborante cerebro, & cute capitis, propter aliquam intẽperiem, indéq; vitiato alimento quod attrahunt; vel laborantibus aliqua intemperie partibus inferioribus, iecore, ventriculo & liene à quibus partibus humores iſti ad cutem capitis propelluntur; vel etiam propter malam victus rationem.

Cauſa, tres humores non quatuor.

Auic. error.

Signa pathognomonica huius affectus ſunt maniſeſtiſſima. Signa differentiarum à tempore, à

magnitudine, ſexu, & aliis, vel ægrotis referentibus, vel aliter facile intelliguntur. Differentiæ à cauſis, præcipuè ſumuntur ex colore cutis, de quibus agit Galen. loco citato. Etenim ſi cutis albidior fuerit copiam pituitæ, ſi liuidior, vel nigrior, copiam melancholiæ, ſi flauior, copiam flauæ bilis demonſtrat: quib. addit Gal præcedentem victus rationem ex qua facile vnoſquiſque, ille præſertim qui nouit, ex quibus alimentis humores ſinguli generentur, intelliget, vnde ortum duxerint illi affectus. Notandus eſt error Alex. Tralliani, qui agens de huiuſmodi ſignis dicit, animaduertendum eſſe colorem non cutis, ſed capillorum: quod à Gal. & ratione eſt alienum. Color enim rei non exiſtentis notari nullo modo poteſt.

Error Tralliani.

De eſſentia, ſignis & differentiis Alopeciæ & Ophiaſis ſatis; digrediamur iam ad curationem.

Methodus curandi.

Qui cum ratione curare vult, is debet ante omnia curandi indicationes elicere: ſecundo conſiderare an liceat iis ſatisfacere: tertio deliberare de remediis, de ordine, quantitate, & aliis. Hoc traditur à Gal. in lib. de conſtit. artis med. 13. & 14. Quatenus ad primum caput, indicationes nimirum curandi, eæ ſi ſummatim conſiderentur, ex tribus ſumuntur, ex morbo, corporis temperamento, & ambiente nos aëre; namque ad hæc tria cætera facile referuntur. Ad morbum videlicet cauſæ morbi, & differentiæ: Ad corporis temperamentum, natura, ætas, conſuetudo: Ad aërem, ſtatus cœli, tempus anni, regio & ſimilia, quæ doctrina eſt Gal. 9. meth. 14. In Alopecia igitur deficiunt capilli, iſti ſunt reſtituendi: ſed hoc eſt opus naturæ, itaque ad medicum pertinet naturam iuuare, & omnia impedimenta auferre, quæ generationem pilorum poſſunt impedire. Proxima autem huius morbi cauſa ſtatuta eſt vitioſitas humorum, qui infixi cuti, ſunt in cauſa vt capilli nequeant prorumpere, & iuxta naturæ inſtitutum in ſuis locis exiſtere: itaque huiuſmodi humores omnium primo euacuandi ſunt. At quoniam omnia medicamenta, quæ diſcutiendi vim habent, calida ſunt, & conſequenter trahendi facultatem obtinent, ſi totum caput vitioſis eſſet plenum excrementis periculum eſſet, ne longe maior eorum fieret attractio, quam diſſolutio: itaque primum ipſum caput purgandum eſt. Sed quoniam hac ipſa ratione non licet vel capitis, vel alterius partis purgationem aggredi, niſi primo habeatur prouidentia vniuerſi corporis: propterea duabus primis indicationibus tertia ſuccedit, quæ ad communem totius corporis vacuationem pertinet.

Galenus aduerſus ſeipſum & propoſitas indicationes curandi Alopeciam & Ophiaſin, dubitationem mouet, quaſi ita legitima medendi methodus peruertatur, quæ in omnibus ex fluxione humorum affectionibus iubet humores refrigerantibus repellendos, minimè calidis trahendos eſſe. Cui dubitationi reſpondet, id certiſſimum eſſe, probatque incipientib. iis affectib. vſum medicamentorum repellentium, ne affectus augeantur. Sed illud addit, principium harum affectionum minimè alopeciam & ophiaſin poſſe appellari, ſicuti neque ſcabies, neque lepra, ſcabies & lepra dici debent, priuſquam vtriuſque affectus formam retineant. Ex qua quidem Galeni reſponſione noua lis apud medicos orta eſt, cum plane abſurdum videatur, principiū alopeciæ & ophiaſis, alopeciā & ophiaſin non poſſe appellari: ſiquidē in iis quæ ſunt homogenea, principiū, progreſſus & ſtatus eandem rationem & nomen debent habere; & omnes fatentur omnes morbos ex quatuor partibus conſtare, principio, augmento, ſtatu & declinatione; quæ omnes partes vno eodem nomine debent curari. Ego vero puto Galenum non voluiſſe innuere principium Alopeciæ & Ophiaſis, ſed potius alteram affectionem, quæ principium Ophiaſis & Alopeciæ præcedit, nimirum quando incipiunt cadere capilli, alopeciam & ophiaſin non poſſe appellari: id quod exemplum lepræ & ſcabiei demonſtrat. Nam ſicuti neque lepra, neque ſcabies, quæ ex impetigine originem habent, ſcabies & lepra dici poſſunt, antequam propriam formam lepræ obtineant, ita neque alopecia dici debet, antequam incipiant cadere capilli, ſed ſolum quando propriam eius affectionis formam eſt conſequuta.

An principium morbi morbus dici debeat.

Elicitis indicationibus ſecundo loco videndum eſt an in iis ſatisfieri poſſit. Itaque dicit Galenus à nonnullis veteribus medicis varia medicamenta fuiſſe tradita, per quæ integram Alopeciæ & Ophiaſis ſanationem pollicebantur; nonnullos quoque fuiſſe qui promitterent, ſicuti Alopeciam & Ophiaſin, ita quoque caluitium ſe eſſe prohibituros: etſi alij contra hoc impoſſibile eſſe voluerunt. Quam ambiguitatem diſſoluit Gal. 6. Aphor. 34. aſſeuerans, caluitium paſſionem eſſe, quæ nulla ratione poſſit ſanari, propterea quia ſequitur ariditatem cutis, adeo vt prorſus ea materia deficiat, ex qua capilli generantur, vt euenit in terra arida, vnde idem Gal. exponens eundem Aphor. 34. 6. in quo ſcriptum eſt, *Caluis quibus varices ſuperuenerint, capillos denuo renaſci:* hanc ſententiam tanquam mendacium manifeſtum repudiat, atque Hipp. interpretatur, quaſi caluitium minus proprie acceperit, & vere capillorum defluuium voluerit intelligere, in quo capillorum defluuio, vitioſis decumbentibus humoribus ad crura, & varices efficientibus, capilli rurſus oriri poſſunt. Igitur ſicuti caluities nullam curationem recipit: ita hæ affectiones poſſunt ſanari.

Prognoſticū.

Sed monendi eſtis, vt intelligatis, an huiuſmodi affectus facilè vel difficulter, citò an tardè ſanari poſſint: Gal. id quodam experimento docet, qui dicit, primum quidem capillos prorſus auferendos eſſe: deinde affectam cutem per linteolum, neque aſperum, neque molle fricandam, & diligenter animaduertendum, ad quantum ruborem huiuſmodi pars fricata perueniat. Nam ſi per exiguas frictiones caleſiat & rubefiat, moderata affectio cenſenda eſt: ſi vero non niſi per multas frictiones & tardè rubeſcat, ſciendum eſt, affectum eſſe grauiorem, præſertim cum quædam cuticulæ, etſi valenter, & diu fricentur, nunquam tamen rubefiant. Cuius quidem experimenti non difficile eſt rationem reddere: etenim vbicumque adhibita frictione color cutis, aut difficulter, aut nullo modo mutatur, argumento eſt rebellem multamque materiam retineri, ac valde impactam eſſe, adeo, vt non ſine magno labore ac tempore diſſolui poſſit: vbicumque autem color facilè & citò mutatur, contrà argumento eſt, materiam contineri & pauciorem & benigniorem, neque altiùs impactam eſſe, ac propterea facile poſſe diſſolui, & totam cutem ad ſtatum naturalem deduci.

Experimentum.

Sed quod tertio loco reſtat, ad particularia præſidia veniamus, quæ ad ſingulas indicationes ſint accommodata. Et licet, quod ſpectat ad primam, quæ in vacuatione vniuerſi corporis verſatur, exercitationes, frictiones, & alia id genus conferant: tamen inter cætera omnia duo ſunt remedia, ſectio venæ & purgans medicamentum, quæ huic indicationi præclariſſimè ſatisfaciunt. Cum autem fateantur omnes, medicamenta purgantia conuenire in curandis his affectibus, dubium eſt

Curatio.

Dubitatio de vena ſectione.

de

de ſectione venæ, de qua neque Galenus, neque cæteri Græci, neque aliquis probatus author, vno excepto Auic. mentionem facit: cum potiſſimum accedat ratio, & iam ſtatutum ſit, huiuſmodi affectus non aliunde quam ex cacochymia originem habere. Dico, & in iis, & in omnibus morbis, perpetuo principes huius remedij ſcopos eſſe animaduertẽdos, ſi nimirum vel propter corporis inſignem plenitudinem, vel alias cauſas, videantur vel adeſſe, vel imminere morbi magnitudo; ſi præterea vires & ætas hoc remedium ferre poſſint, illud non modo vtile, ſed neceſſarium quandoq; fore.

Quod verò nec Galenus, nec alij probati authores illius meminerint, id factum eſt, mea ſententia, quod illi cenſuerint, vel vnum, vel plures ſcopos deeſſe, ac præcipuè morbi magnitudinem, cum re vera hi morbi ſint leuiſſimi. Secanda autem eſt vena, ſi ita ferat occaſio, vel cephalica, ſi caput imprimis male afficiatur, vel communis aut baſilica, ſi totum corpus euacuatione indigeat, ſanguiſque parcè detrahendus eſt. Venio ad purgantia.

De purgantibus. 1. Gal. narrat hiſtoriam cuiuſdam adoleſcentis alopecia laborantis, ex qua licet colligere veluti exemplum quoddam eorum medicamentorum, quæ accommodata ſunt. Huic adoleſcenti primum exhibuit duas pilulas ex aloë, quæ ciceris magnitudinem habebant: deinde ſola hiera ex colocynthide adoleſcentem purgauit bis in quinque dieb. in prima quidem purgatione drachmis iiij in ſecunda ʒ. v. exhibitis. Huius hieræ diacolocynthidos. Gal. meminit hoc loco, & in poſteriore lib. 8. cap. 2. vbi inquit, ſimpliciter appellatione hieræ, intelligi hanc hieram diacolocynthidos: et ſi medici illo priores, Romæ facientes medicinam, dilucidioris doctrinæ gratia addebant, hieræ diacolocynthidos. Quale autem fuerit hoc medicamentum, nullibi apud Galenum reperitur, niſi forte illud deſcripſit in lib. de purg. med. qui ad nos non peruenit. Aëtius lib. 3. cap. 113. deſcribit hanc hieram: Sic Ruffus Paulus, Aëtius, Meſuë, ſex varias omnino pilulas deſcribunt, ſed inter cæteras præclariſſima eſt compoſitio ad Scribonium Largum, quam ille deſcribit ex lib. Pachij Antiocheni, ad Tiberium Cæſarem, & vulgo hiera Pachij appellatur.

1. *Reprehenſio Galeni.* In curatione illius adoleſcentis Gal. à nonnullis reprehenditur, de ſuis pilulis ex aloë. Primo quod in eis deſcribendis non ſatis ſibi conſtet: qui hoc loco & ad finem lib. 1. & 14. meth. 18. illas præparat ex aloë, colocynthide & ſcammonio: 5. autem meth. 14. illis addit agaricum, bdellium, gummi arabicum. 2. Secundo reprehenditur, quod ea compoſitio ſit vitioſa, quia ſimul permiſcentur medicamenta, quorum nonnulla cito, nonnulla tarde ſoluunt; cito ſicuti ſcammonium & colocynthis; tarde, ſicuti aloë, quæ tardiſſime ſuam perficit operationem: quæ compoſitionis ratio paſſim reprehenditur à Galen. præcipuè in lib. *quos & quomodo purg. oport.* nec non 2. de ratione victus. 3. Tertio reprehenditur, quoniam nihil eſt quod valentia medicamenta, ſcammonium & colocynthida corrigat, quæ alioqui ſunt quodammodo venenata, & principibus partibus, maximè ori ventriculi inimica; quæ quidem ipſemet docet eſſe corrigenda 2. de ratione victus 12. Et ſi quis velit malitiam huiuſmodi medicamentorum corrigi propter mixtionem abſinthij, & aloes, is fallitur. Namque apud Meſuen, c. de abſinthio, ſuccus abſinthij propter nidoroſum quendam ſaporem lædit ventriculum: & apud Gal. 8. de med. ſecundum locos cap. de hiera, neque aloë caret ſua vi medicamentaria, adeo vt illa quoque correctione indigeat: vnde certe mirum videtur, quamobrem Gal. detraxerit bdellium & maſtichem, quæ duo medicamenta Quintus illius præceptor addebat, quæque præclare poterant horum medicamentorum malitiam corrigere. 4. Demum Galenum reprehendunt de tota hac purgatione, ſiquidem in principio Alopeciæ & Ophiaſis, ſine vlla humorum & corporis præparatione validiſſimis vtitur medicamentis, & paucis admodum diebus triplicem facit vehementiſſimam purgationem.

Solutio. Etſi autem huiuſmodi obiectiones videntur ſatis apparentes: tamen non deſunt rationes, quibus Galenus poſſit defendi. Et primum quatenus pertinet ad variam compoſitionem pilularum, reſpondearis medicos non teneri ſingulorum medicamentorum vnam atque eandem perpetuo compoſitionem ſeruare, ſiquidem pro varietate morborum, pro varietate ægrotantium, & aliarum rerum, non ſolum licet, ſed etiam eſt neceſſarium vnum medicamentũ variis modis præparari, ſicuti pluribus exemplis & hieræ, & aliorum medicamẽtorum facile poteſt confirmari. Secundo negandũ non eſt, quod mixtio medicamentorum, quorum nonnulla tarde, nonnulla cito operantur, & à Gal. & ab omnibus probatis medicis improbetur: ſed hæc ratio tantummodo valet in iis medicamentis quæ ex tempore ſolent parari. Exempli gratia, ſi quis nunc præparet pilulas ex aloë, ſcammonio & colocynthide, atque illas protinus velit exhibere; hunc certum eſt aduerſus Galeni decretum & omnem rationem agere. At vero non item valet ratio in iis medicamentis, quæ ante eorum vſum certo quodam tempore cuſtodiuntur, in quib. ſingula ſimplicia medicamenta propriã formam non retinent, ſed eſt lege contrariorũ facta inuicem actione & reactione, & aliqua veluti omnium fermentatione, quædam forma reſultat, quæ à ſingulis medicamentis diſtincta eſt. Exempli gratia, in theriaca ingrediuntur multa medicamenta, partim calidiſſima, partim frigidiſſima, vnde ſi ante fermentationem theriaca exhibeatur, & antequam ex mutua actione & paſſione propria quædam reſultet temperies, quod patet experimento, tunc ſimul calefacit & refrigerat, adeo vt ſtupefaciendi quoque vim habeat: at vero poſt illius fermentationem ſuperueniente noua forma, iam non amplius refrigerat, ſed tantummodo calefacit, & quidem inſigniter: atque ita de reliquis compoſitis medicamentis ſtatuendum eſt: quæ doctrina eſt Gal. de theriaca ad Piſonem 10. Quare decretum Gal. & medicorum, de non miſcendis medicamentis, quæ vario tempore operantur, intelligendum eſt de iis, quæ ex tempore parantur, minime de reliquis compoſitis. Tertia obiecta ratio, quod nimirum pilulæ careant commoda correctione, ſane mihi videtur difficillima, & ego quidem libẽter rationem intelligerem, propter quam Gal præter Quinti inſtitutum, ex illis detraxerit bdellium & maſtichen quæ ad hanc rem valde erant accommodata. Neque aliud pro Galeno mihi ſuccurrit, niſi quod dicamus, aloën & ſuccum abſinthij, etſi illa quoque vi medicamẽtaria ſunt prædita, & correctione indigent, tamen hoc incommodum leue eſſe, atque hæc leniora illa vehementiora poſſe corrigere: forte autem Gal. prætermiſit bdelliũ & maſtichen, vt medicamentum efficacius euaderet, & maiorem purgandi vim retineret. Quatenus ad poſtremã reprehenſionem, & primo, quod in principio morbi purgantib. medicamentis vſus fuerit, nemo eſt qui fidem faciat, cum adoleſcentem non antè ſumpſiſſe medicamenta, quàm ſaltem opportunam ſeruaſſet victus rationem, vnde humores & totum corpus ad purgationem

gationem paratum fuerit : ad quem modum ſcribit Aëtx. humorem vitioſum, ſi copioſus fuerit, purgandum eſſe, bona prius ſeruata victus ratione.

Poſtremo quod Gal. minùs frequenter purgantibus medicamentis vſus fuerit, reſpondendum eſt, nullas extare leges, quæ frequentes purgationes prohibeant, ac prudentes medicos ex qualitate & quantitate humorũ, ex habitu corporis, ex viribus ægroti, & aliis id genus, opportunas purgationes modo frequentes, modo raras inſtituere. Imo vero

Documentũ notandum. ex hoc Gal. loco, atque illius imitatione licet nobis documentum colligere, noxios humores, ſi multi fuerint, difficiles & contumaces, non modo ſemel, ſed ſæpius ac validis medicamentis purgandos fore, id quod ipſe facit, tum aliis locis, tum maxime 1. ad Glauc. in cura feb. quartanæ. Quoniam vero & pilulæ, & hiera diacolocynthidos Gal. ferè hoc tempore ſunt inuſitata, in eorum locum alia nunc

Medicamenta purgantia diuerſos humores. ſucceſsêre medicamenta, quibus Medici noſtrorum temporum familiariter vtuntur: Exempli gratia, ad purgandam pituitã, pilulæ cocbiæ, electuarium diaphœn. hiera Pachij. Ad purgandã flauã bilẽ pilulæ aureæ, electuarium roſatum Meſuæ, electuarium de ſucco roſarum. Ad purgandam melancholiam, pilulæ de fumo terræ, confectio Hamech & ſimilia.

II. Indicatio. Euacuantia caput. Purgato corpore vniuerſo, ſecunda ſuccedit indicatio, quæ pertinet ad vacuationem capitis, ad quam plurima præſidia ſunt accommodata, quæ omnia, vt teſtatur Gal. 2. de med. ſecundum loc. 2. apophlegmatiſmi appellantur, quaſi pituitã detrahentes: etſi idem Gal. 5. de ſimp. med. facul. 20. ita illa diſtinguit, vt medicamenta quæ naribus quas Græci ῥῖνας dicunt; infunduntur capitis purgandi gratia errhina; quæ autem ore ſumuntur, aut dentibus manduntur, vna communi appellatione apophlegmatiſmi appellẽtur. Ex quo colligatis aduerſus vulgares medicos huiuſmodi medicamenta illis præcipue morbis conuenire, qui ſuapte natura ſunt frigidiores, & à pituita excitantur, quales ſunt epilepſia, apoplexia, lethargus, & ſimiles : namque in cæteris morbis, qui ex tenuioribus & calidioribus humoribus oriuntur qualis eſt phrenitis, minime huiuſmodi medicamentis locus eſt, quod tunc noxij humores ſolis topicis medicamentis commode repelli & diſcuti poſſint. Oportet autẽ iſthæc omnia habere vim calefaciendi, attenuandi, & detergendi, ſi pituitã debẽt è capite educere.

Caput purgantia per nares. Quæ per nares hauriũtur, & errhina appellãtur, varia ſunt, ac varia ſubſtantia conſtãt. Nam quædã ſunt liquida; vt ſuccus betæ, hederæ cucumeris agreſtis decoctum maioranæ, hyſſopi, pulegij, calamenthi, & ſimilium, quæ attracto per nares ſpiritu, ſimul quoq; attrahuntur. Quædã ſunt tenuia: vt pulueres ex pipere, pyrethro, ſinapi, & ſimilibus, quæ in nares inſufflantur, & plerumque ſolent ſternutamenta excitare. Quædam ſolida conſtant ſubſtantia, veluti cortices arantij, radix betæ, radix hellebori, colocynthis; ex quibus omnibus addito melle vel oleo aliquo, ſolida fiunt medicamenta, quæ in nares imponuntur.

Per os. Quę ore detinentur ferè ſunt duorum generum, quædam liquida, quibus os & fauces proluũtur, & gargariſmata dicuntur, vt ſunt decoctum origani, pulegij calamenthi, quædam ſunt ſolida, quæ dentibus mandũtur, & longiori tempore ore detinentur, & propriè apophlegmatiſmi, vulgo maſticatoria appellantur, inter quæ facilia & vulgaria ſunt maſtiche, radix pyrethri, ſtaphyſagria, piper, & alia id genus. Eorum quædam ſunt vehemẽtiora, quædam leuiora. Iis autem vel modicum ceræ, vel quid ſimile permiſcetur, vt medicamentum molle magis reddatur, quod diutiùs ore detentum & maſticatum, præclarè de capite pituitam detrahit.

III. Indicatio. Purgato capite & corpore ſi ita occaſio ferat, poſtrema ſuccedit indicatio, quæ pertinet ad diſcutiendam materiam, quæ in cute capitis detinetur, fouens depilationem. Si quis autem voluerit medicamenta inuenire ad hanc indicationem accommodata, nec non probam eorum adminiſtrationem, is adeat Gal. qui hæc omnia nos docet præclariſſime. Itaque nos ex Galeni methodo videbimus, primùm qualianam eſſe debeant hæc medicamenta. 2. quiſnam debeat eſſe commodus eorum vſus. 3. quantum, & poſtremo quando ſit diſcutiendum.

Quo metho do qualitas remedij inueſtigatur. Porro qualia conueniant medicamenta, ex duobus licet intelligere; altero ex ſpecie morbi; altero, ex natura partis laborantis: quod Gal. docet 1. & 2. de comp. med. ſecundum locos vtrobique 1. & 2. de medicamẽtis ſecundũ genera 2. ex quibus duobus præcipuis ſcopis & fontibus licet cuique intelligere rationem probe componendi & adminiſtrandi medicamenta, quæ ad ſingulos morbos & ad ſingulas corporis partes ſiut accommodata.

In Alopecia & Ophiaſi ſunt excrementa acria, quæ erodunt radices pilorũ, & ſunt in cauſa, ne illi poſſint erumpere & excreſcere : huiuſmodi excrementa tollenda & diſcutiẽda ſunt, quod potiſſimũ fit per medicamenta calida. Sed quoniã omnia huiuſmodi medicamenta vehementer quoq; exſiccant, propterea ſumpta indicatione à natura partis quæ ſicca eſt, eadem debent ita temperari, vt maiorem ſiccitatem nequeant afferre, neque pars ſicca ſiccior & ineptior ad gignendos capillos reddatur. Præterea quoniam hæc noxia materia altius inhæret cuti: quæ alioqui craſſiſſima eſt; idcirco tertia debet accedere conditio, vt hæc medicamenta ſint tenuiũ partium, vt penetrare alte poſſint, neq; ſolum externam, ſed etiam internam materiam diſcutere. Rurſũ autem quia non ſolum vitioſa materia eſt diſcutienda, ſed etiam noua eſt attrahenda, quæ laudabilis ſit, & ad gignendos capillos idonea, propterea quarta requiritur conditio, nempe vt hæc medicamenta ſint ex alto euocantia, quæ valeant ex profundis partibus ad externam cutem probum alimentum educere. Poſtremo quoniam pars male affecta cutis ſcil. capitis habet ſenſum valde hebetem & obtuſum, hinc fit vt Medico liceat vti non ſolùm leuibus, ſed etiam vehementibus medicamentis. Vt itaque omnia colligamus in vnum, medicamenta ad curandam Alopeciam & Ophiaſin 1. calefaciant. 2. non vehementer ſiccent. 3. ſint tenuium partium. 4. ſint metaſyncritica vltimo, non ſolùm ſint leuiora, ſed etiam vehementiora.

Vidimus indicationes, iam quænam iſthæc medicamenta ſint, videndum etiam eſt. Galenus ea tripliciter diuidebat, iubens nimirum ad mediocres Alopecias mediocribus præſidiis vti, ad fortiores fortioribus, veluti etiam ad eas, quæ fortiſſimæ ſunt, fortiſſima remedia adhiberi. Quem remediorum catalogum apud illum habetis, non ſolum ex propria, ſed etiam ex aliorum ſententia diffuſum : & quod de ſimplicibus dicitur medicamentis, idem de compoſitis eſt ſtatuendum. Sit exemplum medicamenti validiſſimi: *Validiſ.*

℞. *Euphorbij,*
Thapſiæ,
Olei laurini, ana. ℥. ij.
Sulphuris viui,
Vtriuſque hellebori, ana ℥. j.
Ceræ ℥. vj.
Cum oleo laurino, aut oleo vetere miſce.

Quod ſi bona thapſia & bonum euphorbiũ deſint, ſicuti reuera ſæpe apud noſtros aromatarios deſunt

ſup-

ſunt, licet pro illis ſubſtituere, quod Gal. mouet, naſturtium,ſemina erucæ, & ſimilia. Pariter ſi cateamus bono oleo laurino, licet ſubſtituere picem liquidam,quæ non multo infetior exiſtit.Sit exemplum medicamenti leuioris:

Leniora. ℞ *Radicum arundinum vſtarum,*
Amydalarum amararum cum corticibus ana ʒ. *ij.*
Olei chamæmelini completi ℥.*ſ.*
Ceræ parum. M. pro linimento.

Exemplum medicamenti mediocris:

Mediocria. ℞ *Puluetis amygdal amar.vſtar.* ʒ.*ij*
Seminis erucæ ʒ.*ſ.*
Ellebori ʒ.*ß.*
Adipis vrſini,anſerini,ana ℥.*ſ.*
Ceræ parum.M.pro linimento.

Verum ſi malum diutius progrediatur,neque cedat propoſitis remediis, quandoque ad medicamenta rubrificantia & vlcerantia,ad ranunculum, ad cantharidas, & tandem ad cutis ſcatificationem deueniendum eſt. Auicenna ſanguiſugas quoque probat,vt hac ratione materia noxia facilius educi, & bona ad cutim trahi poſſit.

Dubitatio aduerſus Galen. Sed hoc demum loco eſt dubitatio ex Galeno: etiam ille dixerat *cap.* 2. medicamenta opportuna in curatione Alopeciæ & Ophiaſis illa fore, quæ non ſint admodum calida, ſiquidem ea fere cutem exuunt, quæ deinde progreſſu temporis nimiam ſiccitatem cōtrahat,qualis in cicatricibus apparet,in qua capilli nullo modo poſſunt erumpere: verumtamen omnes probant thapſiam,euphorbium,& alia id genus, quæ certum eſt inſigniter calefacere & ſiccare. Reſpondeatis vnico verbo,calida hæc medicamenta minime ſola fore adminiſtranda,ſed cum aliis permixta.Exempli gratia oleo,aqua,& ſimilibus, quæ nimiam eorum caliditatem & ſiccitatem poſſunt remittere.Sic Auicenna inquit, *Si medicina fuerit calida, fortis, ſicuti thapſia, à qua non eſt excuſatio, frāgatur caliditas eius cum oleis temperalis ſuper eam, & cum aquis conuenientibus in ea.* Atque hactenus de qualitate,& num. med. iam de eorum vſu videndum eſt.

De vſu. Primum igitur docet Galenus,capillos nouacula tollendos:deinde cutim male affectam linteolo neque molli, neque aſpero fricandam; tum medicamentum miniſtrandum eſſe, quod quidem ille iubet apponere in aëre calido,ac maxime ſi fieri poſſit,in loco Soli expoſito: poſt primam vero medicamenti adminiſtrationem diligenter oportet obſeruate,quomodo res ſuccedat, & qualis nam alteratio in parte male affecta facta fuerit, ita vt poſſimus medicamenti facultatem, & vim aut augere, aut minuere. Sed illud hoc loco notandum eſt, quod etiam ſuprà diximus,ſub cute,capitis pericranium contineri,quod quidem duæ membranæ cerebrum veſtienti maxime conſentit, vt docet 8.*de vſu partium* 9. Quare ſedulo cauendum eſt ne validiſſima medicamenta ad ſuturas,ac præcipue coronalem apponantur, ſiquidem periculum imminet, ne ducto cerebro in conſenſum, maiora forte ſuperueniant pericula.

Quando ad miniſtranda medicamenta. Quamdiu medicamentis vti oporteat, id potiſſimum ex colore cutis licebit intelligere: etenim qua primùm illa proprium & naturalem colorem videbitur eſſe conſecuta, ab omni medicamentorum vſu abſtinendum eſt: quod quidem breuiori aut longiori tempore euenit,prout affectio curatu vel facilior,vel difficilior exiſtit.

Poſtremo quando debeat medicus iis vti medicamentis iam diximus, nimirum poſt totius capitis & corporis euacuationem: ſed illud addo ex Gal. 1. *de comp. med. ſecundum locos* 8. *initio.*

Si parua fuerit affectio, neque corpus mul is ſcateat excrementis, tunc ſola localia & particularia medicamenta, ſine totius corporis & capitis euacuatione, fore ſatis,atque illa primo quoque tempore poſſe adminiſtrari. Etſi etenim in curanda Alopecia & Ophiaſi inſtitutæ ſunt tres præcipuè indicationes,prouidentia totius corporis, purgatio capitis,diſſolutio materiæ, quæ in cute continetur; tamen ſciendum eſt ex Gal.quandoque vnam,quandoque duas ſatis eſſe, neque omnes perpetuo eſſe neceſſarias.

Summa curationis eſt:

1 Sicut caluitium nullam recipit curationem, ita Alopecia & Ophiaſis poſſunt curari.
2 Tres ſunt indicationes, ſed quandoque vna, quandoque duæ ad curationem ſufficiunt.
3 Vniuerſum corpus raro per ſectionem venæ vacuatur,ſæpe per medicamēta purgātia,quæ ad noxiū humorē ſint accōmodata,ac ſæpius repetantur.
4 Caput ſpeciatim oaribus & clyſteribus purgetur, per ſternutatoria, gargariſmata,apophlegmatiſmos.
5 Materia contenta in cute diſſoluatur per medicamenta diſcutientia, quæ ſint moderata calida, non vehementer ſiccantia, tenuium partium, metaſyncritica,quandoque & valentiora.
6 Hæc adminiſtrantor raſo capite, fricata cute, actu calida,in loco calido, donec cutis ſuum naturalem colorem ſuſcipiat.

CAPVT II.

De defluuio capillorum.

Capilli dupliciter cadunt: etenim vel relinquunt areas; & nonnullas capitis partes denudatas, vt dictum ſuprà eſt:vel tantummodo fiūt rariores, ac nullam partem capitis denudatam relinquunt,quod defluuium capillorum dicitur.

Cauſa huius affectus duplex ſtatuitur à Galeno: altera cutis raritas: altera defectus ſubſtantiæ pilos generantis.Et ſi quis quærat,quamobrem cutis rarior fiat,nec non quamobrem alimentum deficiat: Huic reſpondet Gal. huiuſmodi affectionem frequenter iis contingere, qui grauiter ægrotarunt & conualeſcunt:vt concludendum ſit,vtrumque euenire propter imbecillitatem caloris naturalis, vnde idoneum pilorum nutrimentum non poteſt generari, & cutis redditur imbecillior & rarior, quàm vt valeat debitam materiam continere.

Sed hic eſt difficultas, quoniam Alex. iis duabus cauſis non contentus,tertiam addit, nimirum cutis denſitatem,propter quam pili non poſſint retineri; imo addit & quartam, prauos humores, qui rodentes radices pilorum, ſunt in cauſa vt illi defluant. Verum fallitur Alex. & quatenus pertinet ad primam ſuam cauſam, non eſt rationi conſentaneum,neque videtur fieri poſſe,vt propter nimiam cutis denſitatem capilli decidant, imo vero contra,tunc potiùs firmata ipſa cute,& conſtrictis poris, veriſimile eſt illos magis contineri,neque fluere poſſe. Pariter altera cauſa abſorda & falſa eſt, namque ſi adſint vitioſi humores erodentes radices pilorum, tune non eſt defluuium capillorum, ſed Alopecia & Ophiaſis generatur. *Alexandri reprehenſio.*

Indicationes. Virium parcendum. Signa ſunt manifeſtiſſima, itaque venio ad curationem. In defluuio capillorum, inquit Gal. nos eundem ſcopum habemus, quem in Alopecia. Summa autem intentio & præcipuus ſcopus in Alopecia eſt, vt viriati humores conſumantur. In defluuio autem,vt capitis habitum roboremus, & boni ſucci delationemad cutem procuremus, cutemque ad denſitatem & raritatem moderatam deducamus.

deducamus. Sed hoc loco quæritur antequam Medicus ad hæc particularia & localia medicamenta deueniat, vtrum neceſſe ſit totum corpus euacuare, quod millies Gal. docet faciendum eſſe. Verum tamen in hoc ipſo caſu nulla, neque apud Gal. neque apud cæteros Medicos communis vacuationis mentio fit: ac ſanè ſi duæ proximæ cauſæ huius mali conſiderentur, defectus alimenti, & cutis raritas, nulla neque communis, neque particularis indicatio vacuandi ſeſe offert: imo vero omnis adhibita euacuatio forte adhuc magis poſſet alimentum pilis ſubtrahere, & cutim rariorem reddere: ideò ab omni prorſus vacuatione abſtinendum eſt.

Qualia medicamenta conueniant.

Si quis quærat, qualiànam medicamenta conueniant in defluuio capillorum: Huic reſpondet Gal. humectantia conuenire, quibus aliquid moderatè adſtringens oportet permiſcere, quale eſt, exempli gratia, ladanum. Hæc tamen ſententia nonnullis ſuſpecta eſt, qui aſſerunt medicamenta humectantia potiùs cutim laxare, quam roborare, neque talia medicamenta quidnam ad propoſitas indicationes facere: vnde literam corrigendam eſſe dicunt, vt pro verbo humectantia, legendum ſit calefacientia; cuius correctionis eam rationem afferunt, quod Gal. laudans vſum ladani, ſtatim hæc habet verba: *Ladanum vtraque in ſe moderatè complectitur, quæ ad hoc ſymptoma conueniunt, caliditatem mediocrem & adſtringendi vim iuxta eandem proportionem*: adeo vt Gal. minimè humiditatis, ſed caliditatis mentionem faciat. Hæc obiectio multis moleſtiam attulit. Sed tamen ſi integer Gal. ſenſus intelligatur, nempe humectantia medicamenta conuenire, quæ ſimul aliqua adſtrictione ſint prædita, equidem puto vulgarem lectionem poſſe retineri, neque vllam abſurditatem habere. Conueniunt ergo medicamenta calida & adſtringentia, quæ poſſint & probum alimentum allicere, & cuti firmitatem afferre. Sed Gal. monet, huiuſmodi medicamenta fore opportuna, ſi moderate calefaciant, & moderate adſtringant: namque ſi vtraq; vis excederet, periculum foret ne trahentia medicamenta præter attractionem, ſimul quoq; capillorum fomentum digererent & diſſiparent: pariter medicamenta adſtringentia meatus cogerent & vias occluderent vaporibus & alimento, quod ad generandos pilos neceſſarium eſt. Cæterum inter hæc apud Gal. Dioſcor. & omnes Medicos, ladanum principem locum obtinet, quod quoniam non eſt admodum molle, ſed ſimilem ceræ ſubſtantiam obtinet, propterea debet cum aliquo conuenienti liquore permiſceri, vt rectè ad caput poſſit accommodari; quod ſi huiuſmodi liquor, ſicuti ladanum ipſum, contrariis facultatib. nempe trahendi & cogendi præditus fuerit, certum eſt tale medicamentũ cæteris longe anteferendum eſſe. Itaque neque oleũ Sabinum, neque oliua verus, neque aliud ſimile ad hanc rem eſt accommodatum, ſed id quod quidpiam habeat adſtrictionis, quale potiſſimum eſt oleum ex lentiſco quod quidem cum ladano permixtum, tam efficax medicamentum euadit, vt Gal. fateatur ad capillorum defluuium ſe nullum præſtantius, neq; eſſe expertum, neq; concipere animo potuiſſe. Quod ſi large capilli defluant, vnde liceat conjicere multam cutis capitis raritatem factam fuiſſe, tunc opportunũ fuerit, pro oleo lentiſcino, oleum myrthinum cum ladano permiſcere.

Ladanum omnium celeberrimum

Verum neque illud prætermittendum eſt, huiuſmodi medicamenta pro ratione ætatis ac temporis anni immutanda eſſe, vt in ætate ſenili & hyeme liceat vti verbi gratia, oleo nardino: in ætate iuuenili & æſtate, oleo roſaceo, maſtichino & ſimilibus Dioſc. cap. de Myrrha, ſimul cum ladano myrrham permiſcet, quæ ſimiliter moderate calefacit & adſtringit. Alij laudant capillum veneris.

℞. *Ladani optimi* ℥ ß.
Olei ex lentiſco ℥ j. *M.*

Hoc apud Gal. & ſimpliciſſimum & efficaciſſ. eſt medicamentum, huic licebit addere

Myrrhæ electæ ʒ j.
Puluer is capillorum veneris,
Verbenacæ rectæ, ana ℈ j. *M. & fiat linimentũ.*

Alij præparant olea adſtringentia, in quibus imponuntur ladanum, myrtha, & alia. Eſto exemplum:

℞. *Roſarum ſiccarum*
Balauſtiorum
Corticum granatorum, ana ʒ j.
Olei communis ℥ iiij.
Vini nigri adſtringentis ℥ j ß.
Bulliant omnia ad conſumptionem vini: deinde

℞. *Prædicti olei* ℥ j ß.
Ladani,
Myrrhæ ana ʒ iij.
Pulueris capillorum veneris ℥ j. *M. & fiat linimentum.*

Cæterum quod pertinet ad eorum administrationem, manifeſtum eſt, capillos primo vel radendos, vel tondendos eſſe, deinde cutim fricandam, tum medicamenta apponenda, vt facilius poſſint penetrare.

Ad hoc defluuium capillorum nonnulli referunt eam depilationem, quæ propter morbum gallicum frequenter ſolet contingere. Sed mea ſententia iſti male ſentiunt, quoniam hæc gallica depilatio minime pertinet ad vnã cutim capitis, ſed ad omnes partes quæ pilis teguntur. Præterquam quod iis gallicis non cadunt capilli propter defectum alimenti, aut raritatem cutis, ſed propter vitium humorum, quod manifeſtè varia curatio oſtendit: ex quo forte hæc depilatio magis commodè ad Alopeciam & Ophiaſiu, quam ad defluuium capillorum poteſt referri.

CAPVT III.

De furfuribus.

POſt ſecundum caput Galenus 3. cap. tractat de tincturis capillorum. 4. de medicamentis pilos corrumpentibus. 5. de iis, quæ pilos attenuant: quæ capita in præſentia prætermittimus, ad illud de furfuribus properantes.

Quid ſint furfures, ex communi hominum notione conſtat. *Quibuſdam*, inquit Gal. *ſe ſcalpentibus, furfuribus ſimilia decidunt, & propterea medici hoc ſymptoma furfurationem appellant*: Celſus & Latini porriginem vocat Gal. conſentiunt Paulus, Aëtius, Alex. & omnes: ſed nonnulli addunt, huiuſmodi furfures cadere non ſolum ex cute capitis, ſed etiã ex reliqua corporis ſuperficie: præterea vero & iſtud fieri quandoque non ſine cutis exulceratione: quod & rationi & experientiæ plane conuenit.

Cauſa huius ſymptomatis vnica ponitur à Gal. nempe vitioſi humores, ſeu ichores, qui erodentes cutem tenuiorem, quaſdam veluti ſquamulas & furfures, tum in aliis partibus, tum maxime in capite ſolent excitare. De ichoribus autem in præſentia dico, ichorem nihil aliud eſſe, quam ſeroſam partem ſanguinis, non ſimpliciter tenuem, aquam, neque morſu carentem, ſed mordacem atque erodentem; ichoreſque tot eſſe, quot ſunt ſinguli humores, ex quibus tota ſanguinis maſſa conſtituitur: quæ doctrina eſt Gal. 6. *epid* 2. 37. Scio Ariſt de ichorib. aliter ſentire 3. *de hiſt. anim.* 19. & 2. *de partibus anim.* 4. Sed hæc diſputatio neque ad hũc locũ, neq; ad noſtrũ pertinet inſtitutum. Itaque furfures ex vitioſis humorib. generantur. *Cauſa.*

Paulus

Paulus & Alex. dicunt hoc vitium fieri ex prauis humorib. caput petentibus, ac ſpeciatim docent huiuſmodi humores eſſe ſalſam pituitam, flauam bilem, & melancholiam. Iſti ſi videantur diuerſum quid à Gal. ſtatuere, facillime tamen eidem conciliantur, ſi dicamus, furfures quidem ex prauis humorib. generari, ſed tantummodo ex tenuiore & ſeroſiore eorum parte, quæ proprie ad ichores pertinet. Ratio autem propter quam nulla fit mentio ichoris ſanguinis, illa eſt quoniam cum neceſſariũ ſit ichorem ſeruare naturam humoris cuius eſt ichor, certum eſt ichorem ſanguinis dulcem eſſe, neque tam acrem reddi poſſe, vt erodendi vim acquirat, vt propterea ex ichore ſanguinis furfures nullo modo poſſint generari. Gal. *loco citato epidem.* dicit, huiuſmodi excrementa ſeroſa inter ſe differre, ſecundum naturam eorum humorum quorum ſunt ichores; itaque ſtatuit ſerum atræ bilis acerbiſſimum eſſe, minus acerbum flauæ, adhuc minus acerbum pituitæ, ichorem vero & ſerum ſanguinis omnium mitiſſimum eſſe.

Porro illud hoc loco eſt animaduertendum, tales vitiatos ichores furfures efficientes duplicẽ originem habere poſſe: Alteram ob propriam cutis capitis affectionem, quæ delatum alimentum non cõcoquit, ſed corrumpit; Alteram, quia vel propter malam victus rationem, vel propter aliam cauſam, aliis in partibus generantur, ac deinceps ad caput tranſmittuntur; quod notauit Auic. per hæc verba: *Et quandoque eſt propter malitiam complexionis in capite, quare corrumpitur*, &c. Quã ſententiã accepit ex Gal. *6. epid.* 3. 13. qui ſcribit hoc ſymptoma, furfures creare, ad propriã cutis capitis intẽperiẽ pertinere, etſi humores naturaliter ſe habeant;

Summa eſſentia morbi. Itaque furfuratio eſt ſymptoma, in quo furfurib. ſimilia nonnullis ſe ſcalpentibus decidunt, partim ac maximè in capite, partim ex reliqua corporis ſuperficie, quandoque ſine vlcere, quandoque cum vlcere. Prouenit ex vitioſis ichoribus vel vtriuſque bilis, vel pituitæ, qui vel male affecta cute, vel conſentientibus aliis partibus, aliquando ex toto corpore generantur. Signa ſunt oculis manifeſta.

Indicationes. Vtrum vero furfures generentur tantum vitio cutis, an magis aliis partibus conſentientibus, pariter qualis ichor redundet, poteſt intelligi, ſi conſideretur quomodo reliquæ principes partes ſe habeãt. Namque ſi corpus fuerit cacochymum, veroſimile eſt caput conſentire: ſi autem boni habitus, tunc licebit affirmare, malum propter vnam cutis capitis intemperiem calidam & ſiccam generari. De ſignis redundantis ichoris vel pituitæ, vel melancholiæ, vel flauæ bilis pendentibus ex redundantia ipſorum humorum, alias diximus.

Indicationes. Si quis, inquit Galenus, voluerit furfures ſanare, is debet vitioſos ichores conſumere, ex quibus furfures generantur: itaque manifeſtũ eſt, diſcuſſoria & abſterſoria medicamenta fore adhibenda, præparato tamen prius toto corpore, ſi illud vitioſis humoribus refertum fuerit. Admiſcuerunt nonnulli prædictis medicamẽtis quædam adſtringentia, vt per ea affectum membrum roboretur, ne facile in ſeipſo recipiat noxia excrementa. Ergo materia, quæ cuti adhæret, diſcutienda & abſtergenda eſt. Sed quoniam calidis medicamentis non licet vti, quæ diſcutiendi & abſtergendi vim habeant, ſi totum corpus vitioſis ſcateat excrementis, illud primum generaliter deinde & caput ſpeciatim purgandum eſt, tum affecta pars roboranda, ne in poſterum noxia excrementa recipiat.

Huiuſmodi indicationibus licet ſatisfacere, cum ſine dubio morbus ſit ſanabilis.

Medicamenta diſcutientia, & abſtergentia cum adſtrictione. Quod itaque attinet ad primam indicationem, quæ pertinet ad purgationem vniuerſi corporis, ſi id ferat occaſio, pro redundantia variorum humorum, varia quoque medicamenta ſunt inſtituenda: pro pituita ſalſa, confectio Hamech, pilulæ cochiæ: Pro bile flaua, electuarium de ſucco roſarum, pilulæ aureæ: Pro melancholia, cortices radicum ellebori nigri ſunt præſtantiſſimi. Purgato corpore, caput ſpeciatim purgandum per gargariſmata, errhina, &c.

Purgato corpore & capite, vel ſi nulla fuerit neceſſitas purgationis, ad localia veniendũ, quæ diſcutiant, & abſtergant, neque aliqua careant adſtrictione, vt ſunt fœnugræcum, ſuccus betæ, malua ſylueſtris, folia & radices oxylapathi, amygdalæ amaræ: quæ ſatis leuia, ſed tamen optima ſunt. His vehementiora ſunt atramentum ſutorium, quod eſt noſtrum vitriolum, nitrum, vel naturale, quod fortaſſe ad nos hoc tempore non affertur, vel id quoque artificioſum, quo ad tormentorum bellicorum pulueres vtuntur, ſalnitrum nempe, ſal ammoniacum, ſulphur.

℞. *Atramenti ſutorij,*
Nitri, ana partes æquales,
Succi betarum q. ſuff. M. ad craſſitudinem mellis pro linimento.

℞. *Chalcanthi* ℥. ß.
Salis communis ʒ. ij.
Olei amygdalarum amararum q. ſuff. Miſce vt ſupra.

Apud Archigenẽ medicamentũ eſt ex ſpuma nitri, & atramento ſutorio, æquis partibus cum vino mixtũ, quod quidẽ, teſtatur eſſe tã efficax, vt ſi quis ter aut quater in menſe illo vtatur, non permittat hoc malũ iterũ reuerti. Victus ſit boni ſucci, facilis coctionis, &c. Atque hactenus de furfuratione.

AD CAPVT IV.

De pediculis.

PEdiculi ſunt morbus in numero, ſicut lumbrici, qui præter naturæ inſtitutum redundant. Generantur ſecundum Gal. ex multis humoribus calidis quidem, ſed non ad tantam caliditatẽ progreſſis, ad quantam acres ichores perueniunt. Quare manifeſtum eſt, affectionem morbi pedicularis in profundo cutis fieri, vbi hæc animalcula generantur, non in ſuperficie cutis, in qua furfures procreãtur. Hoc loco notandum, etſi apud Gal. Paulum, & cæteros tantummodo fiat mentio pediculorum qui generantur in capite, tamen illos reliquo etiam in corpore quandoque generari, vt fuit ſententia Ariſt. 5. hiſtor. animal. 31.

Pediculorum ſũt duo genera, vt eidẽ placet Ariſt. *Differentia.* Nãq; alij ſũt domeſtici & vulgares, alij ſylueſtres & feri appellantur, & ſunt qui difficulter ex cute euelluntur. Italis *piattole* dicũtur. Pediculi domeſtici ex humidiori materia, feri ex ſicciori & terreſtri magis generantur. De quib quidẽ pediculis ex eodẽ loco Ariſt. multa haberis notatione digna. Raro quidẽ opus eſt, in abigendis pediculis ad curationẽ totius corporis deuenire: Interim tamen ſi malum fuerit adeo graue, vt illi ex toto corpore erumpãt, neque purgatio eſt prætermittenda. Ad quam indicationẽ ſunt accommoda, quę refrigerant, attenuãt, & vitioſos humores poſſunt educere, vt Rhabarbarũ principaliter. Quatenus ad localia, illa inquit Gal. neceſſario exſiccantia ſint, & quæ ex alto trahere & vacuare poſſint, magis tamen etiam ea quæ furfurib. cõueniãt. Et quoniã, vt dicit Gal. iis maxime fidẽdũ eſt, quib. experiẽtia teſtimoniũ præbet,

paucis contenti erimus,partim ſimplicibus,partim compoſitis, quæ cæteris ſunt frequentiora. Talia ſunt herba pedicularis, quæ ſtaphys agria dicitur, nitrum,elleborus,radix oxyllapathi, & aloë & ſimilia.Sed inter cætera omnia confirmat experientia argentum viuum principem locum obtinere, adeo vt tanquam ſingulare antidotum iſtius mali ſit cenſendum.

> ℞. *Staphydis agriæ puluerisatæ,*
> *Sandarachæ Græcorum, ana*
> *Salis communis,*
> *Aceti,ana q. ſuff.M.*

> ℞. *Staphydis agriæ puluerisatæ,*
> *Nitri,*
> *Ellebori albi,ana partes æquales.*
> *Olei amygdalarum amararum q. ſuff.*
> *Miſc.*

Ex iis lotiones,linimenta, & aliæ medicamentorum formæ parari poſſunt,de quibus ſatis. Argentum viuum multis modis præparatur, ſed vulgo cum pomo cocto optime permiſcetur, & ſic præparatum optimum eſt medicamentum. Cuius tamen vſum nonnulli neque in pueris, neque in mollioribus naturis probant, verum aliis vtendum eſſe ſuadent.

Caput V.

De Achoribus.

QVi achores Græcè dicuntur, Latinis manantia capitis vlcera,Italis *la tegna*, appellantur. Sunt autem ex Gal. tumores præter naturam in cute capitis excitati, valde tenuibus foraminibus eam exulcerantes, qui tenuem in ſe humorem, & viſcidum complectuntur. Itaque eſt morbus intemperiei cum materia.

Differentiæ.

Differentiæ ſunt plurimæ, & primum à forma, ſecundum quam variatam varia quoque nomina ſortiuntur:namque vel cerei,vel faui,vel ficus,vel tumores ſimiles papillis mammarum,de quib. loquitur Aëtius *lib.6.cap.70.* vel aliter appellantur, prout huiuſmodi vlcera vel faui mellis, vel ficus, vel alterius rei ſimilitudinem repræſentant.Deinde aliæ ſunt à magnitudine, tempore ætate,ſexu. bono vel malo more, &c. à coniunctis ſiquidem huiuſmodi tumores ſunt magni vel parui, recentes, vel antiqui,in viro vel muliere, puero aut adulto, benigni vel κακοήθεις, cum dolore vel ſine dolore, cum inflammatione,vel ſine eadem.

Cauſa.

Verum præcipuæ differentiæ ſumuntur ex cauſis & generatione,quæ apud Gal.ex mixto humore conſtat, qui & partem tenuem ſeroſamque,& mordacem, & partem craſſam ſiccamque in ſe contineat. Itaque ſinguli quatuor humores ſi tam reddantur acres, vt erodendi vim habeant,achores poſſunt efficere. Id quod hoc modo contingit. Namque primum propter huiuſmodi humorem mordacem homines incitantur ad ſcalpendum, progreſſione temporis ad ſcalpturam tum tumor augetur, tum foramina in capite erumpunt.

Signa.

Signa tum communia, tum differentiarum ſunt manifeſtiſſima, itaque veniamus ad curationem.

Curatio.

Ante omnia itaq; eſt animaduertendum, verum affectio magna an parua fuerit,recens, an antiqua, benigna,an maligna. Quod ſi parua,recẽs & benigna fuerit, neque corporis purgatione, neque vehementioribus medicamentis opus eſt, ſed primo quoque tempore ad localia,& quidem leuiora medicamenta deueniendum eſt.Altera autẽ ex parte,ſi affectio fuerit magna,antiqua, mali moris, vt neceſſario arguendum ſit, à communi humorum vitio hoc malum foueri, tunc primum ad purgationem vniuerſi corporis, quandoque ad ſectionem venæ, deinde ad validiſſima localia medicamenta deueniendum eſt. Purgatio inſtituatur pro redundantia vnius vel alterius humoris.

Medicamenta ad curandos achores accõmodata tres debent habere conditiones.Primum ad tollendos tumores,& quæcũque excrementa cuti adhærẽt,digerendi & diſcutiendi vim habeant.Secundũ propter craſſitiẽ excrementi,valeant quoq; incidere & attenuare.Tertium,quia cutis redditur debilior, vt non facile poſſit totius corporis excremẽta recipere,repellendi quoque facultate prædita ſint:duas quidem facultates ſimul coniunctas inter cætera acetum continet.Natura aceti declarata eſt *in 1. de ſimp.med.facul* Acetum maiori ex parte frigidũ eſt, vnde repellendi vim poſſidet: neque caret nonnullis partibus calidioribus,ex quib.digerendi vim acquirit:& demum propter tenuitatem partiũ inſigni incidendi facultate præditum eſt:quare tanquã præclarum medicamentum ab omnibus recipitur. *Aceti præſtantia.* Præcipuus verò aceti vſus ille eſt apud Gal.vt medicamenta metallica appellata,modo vnum,modo alterum,illo imbuantur,lauentur, præparentur, & ita medicamenta ad curandos achores accommodata conficiantur, quod de cæteris medicamentis eſt ſtatuendum.Sed illud primum generaliter ſciẽdum eſt, huiuſmodi remedia topica diſtinguenda eſſe, prout morbus eſt magnus vel exiguus,recens vel confirmatus,ſuperficialis vel profundus benignus vel malignus:nec non prout æger ratione ætatis,ſexus,habitus corporis,vel aliter,aut molliorem,aut duriorem naturam obtinet:attamen ita,vt ſemper à leuiorib.incipiamus. *Topica diſtinguenda ſunt.* Etenim ſicut in principio aut difficulter, aut nullo modo licet certã remediorum menſuram intelligere,quæ proportione poſſit morbo reſpondere:ita poſt adminiſtrationẽ leuioris medicamenti longe facilius eſt illius vim augere, aut minuere, ſi ita ferat occaſio, & ita ad exactam remediorum menſurã peruenire.Itaq;inter leuiora medicamenta numerantur ſpecies quædam terræ;Critica,Lemnia,Samia, Cimolia, quæ quidẽ etſi antiquis notiſſimæ fuerint, & in vſu medico frequentiſſimæ,vt autores ſunt Dioſc.lib.5.Gal.9. de ſimpl.med. facul. tamen hoc tempore ſunt fere nobis incognitæ, adeo vt vel nullæ, vel paucæ ex illis ad nos afferantur.Deinde ſunt nonnulla medicamenta,metallica aut mineralia appellata, vt Põpholix,quæ vulgo Thutia dicitur,Spodiũ, Lithargyriũ,Cadmia,quę itidem aceto pręparata,& mordacitatem deponunt,& vtiliſſima redduntur.

> ℞. *Pompholygos præparatæ* ℥. ß.
> *Spodij,*
> *Thuris, ana* ʒ.ij.
> *Aceti exquiſitè acidi,in quo nulla penitus vini qualitas appareat, q.ſuff. M.pro linimento.*

His ſunt efficaciora fæx vini vſta,chalcitis,ſandaracha,calx viua,vterque elleborus, & ſimilia.

> ℞. *Sulphuris vini,*
> *Ellebori albi, ana* ʒ.ij.
> *Nigri,*
> *Fæcis vini vſtæ,*
> *Calcis aceto maceratæ,ana* ʒ.j.
> *Olei veteris q.ſuff. M.*

Charta Græcorum.

Verum ante vſum horum medicamentorũ optimum fuerit caput lauari lixiuio ex cinere lignorum ficus,ex malua, lapathio, beta, lupinis & reliquis huiuſmodi. Quod ſi is medicamentis malum non quieſcat,Gal.inter cætera omnia præſidia tanquã præſtantiſſimũ probat medicamentum ex charta cuius deſcriptionẽ habetis 5.de comp.med.

ſecund.

ſecund.genera 14.Ad finem:apud Paulum lib.7.13. Quo loco ſciendum,chartam, qua nos hoc tempore vtimur, à charta antiquorum longe diuerſam eſſe: namque illa ex papyro, quæ in Ægypro tantummodo quibuſdam locis prope Nilum naſcitur, conficiebatur, idq; duplici ratione, vel cum aqua Nili,vel ex glutino,vt docet Plin.lib.13.cap.11.& 12. Verum quoniam huiuſmodi charta, & medicamentum ea ea confectum admodum acre eſt, propterea ad remittendam illios acredinem Gal.iubet cum illo argenti ſpumam permiſceri,aut pari copia, aut maiori,aut minori,prout propoſitum eſt medicamentum vel efficacius,vel minus efficax reddere. Tantum vero Gal.ſuæ chartæ ad curandos achores tribuit, vt fateatur, ſe aliquando dum ruri degeret atq;illi medicamentum ex charta deficeret, vſta charta inutili, & aceto diluta,ægrotum quẽdam ab achoribus vna vel altera die liberaſſe.Cum autem deficiente hoc tempore charta antiquorum,vix liceat celebre illud medicamentum præparare,quæritur vtrum aliud reperiatur medicamentum,quod iiſdem polleat facultatibus,& pro illo poſſit vſurpari:Scio,nonnullos pro papyro antiquorum,quandoque vulgarem papyrum ſeu iuncos maiores ſumpſiſſe, ex quibus conficiuntur ſtoreæ: ſcio etiam, nonnullos noſtræ vulgaris chartæ vſum non improbare: etenim cum ea conficiatur ex veteribus cõtritis linteis & glutino,conſtetque & linteum & glutinum ſiccare: hinc colligunt, noſtratem chartam,ſicut apud multos antiquam nomen retinet,& papyrus nominatur,ita iiſdem pollere facultatibus, quibus antiqua commendabatur,& ita ad achores & alios ſimiles morbos curandos poſſe accommodari.Etſi vero negandum non eſt,quin vtraque,& papyrus noſtra volgaris, & noſtra charta ſiccandi vim habeat,ac propterea in morbis qui ſiccitatem deſiderant non ſine vtilitate poſſit adminiſtrari: tamen altera ex parte fatendum quoque eſt, hæc longe eſſe imbecilliora, neque excellentem vim obtinere, quam Galen. de ſua antiqua tantopere extollit.

Cæterum ſi achoribus coniungantur vel dolor, vel inflammatio, ab iis abſtinendum ac dolori, & inflammationi proſpiciendum eſt, quod communis medendi methodus iubet. Vnde ſi inflammatio & dolor leuis fuerit, leui quoque præſidio, verbi gratia, perfuſione olei roſacei, ſeri caprini, aut ſimili poterit leniri. Sin autem inflammatio & dolor fuerint maioris momenti, tunc Gal. ea maxime probat medicamenta, quæ humida ſint,molliant,& ſine acrimonia concoquant,quale inter cætera præſtantiſſimum eſt quod deſcribitur ab eodem 7. de medicamentis ſecundum genera 2. & Patygiron à veteribus appellabatur, Demum ſublata inflammatione & dolore, ad localia veniendum,de quibus diximus.

Quoniam vero Galenus in curatione achorum, pro ſuo inſtituto poſtremo loco examinat dicta & remedia, antiquorum, de iis quædam dicam. Primum itaque examinat dicta Archigenis, qui ab illo reprehenditur, quod doctrinam confuſam tradiderit, quandoquidem plurima proponit medicamenta & leniora & vehementiora & repellentia, & diſcutientia, & quæ plane varias & diſſentientes inter ſe facultates obtinet, neque ſatis docet in quibus achoribus, & quando illis vti oporteat. Exempli gratia, ille ſæpius mentionem facit vini, neque declarat quale vinum intelligat,cum tamen vina ſint in multiplici differentia acerba, auſtera,dulcia,acria,recentia,vetera,craſſa,tenuia,fulua, alba, nigra: aliqua etiam plures qualitates ſimul complectantur, de quibus vini differentiis tractat

De differentiis vini.

Galenus non ſolum hoc loco, ſed etiam tertio de med.ſecundum locos 2. 2. metho.3.de ratione victus circa principium,quinto de tuenda val.5.Quã eandem reprehenſionem de confuſis & indefinitis medicamentis Galenus repetit aduerſus Apollunium & alios medicos, 2. de med.ſecundũ locos 1.In qua quidem confuſione doctrinæ, ac manifeſto errore verſantur practici noſtrorum temporũ prope omnes, qui ingentem ſyluam remediorum nobis perpetuo inculcant, neque eorum accommodatum vſum, ſicut conuenit, diſtincte docent. Secundo Galenus examinat dicta Apollonij, quẽ pariter reprehendit, quod multa medicamenta ſine vllo delectu proferat, quod nonnullis curioſis & ſuperuacaneis medicamentis vtatur,qualis eſt ſanguis teſtudinis: quæ ſuperſtitioſa medicamenta non ſolum hoc loco improbantur à Gal.ſed etiam 3.de med.ſecũdum locos 2.hoc enim inquit, maximam argueret rei medicamentariæ egeſtatem: quod poſtremo deſcribat nonnulla medicamenta turpia, & quæ homo ingenuus vix poteſt perferre,qualis eſt vrina tauri & cameli capiti affuſa,quæ item turpia medicamenta ab illo improbantur 10. de ſimp. med. facul. de vrina humana. Tertiò Galenus examinat dicta Critonis,qui de achoribus x. ſermones compoſuit, & diligentius quam cæteri videtur huius morbi curationem tradidiſſe. Demum examinat dicta Cleopatri & Sorani, &c. vt videre eſt.

Error practicorum.

AD CAPVT VI.

De dolore in genere.

ANtequam incipio de dolore capitis, mihi libet de dolore generaliter breuibus tractare: ac primum cùm dolor ſit res præter naturam,hæc autem apud Medicos triplex ſit, Morbus, Cauſa morbi,Symptoma:id quæritur,ſub quo genere dolor contineatur; & cum fateantur omnes dolorem non eſſe cauſam morbi,dubium videtur,vtrũ morbus,an ſymptoma dici debeat, præſertim cum medici,& præcipuè Gal.modo inter morbos,modo inter ſymptomata videantur illum reponere.

Dolor duplicitèr accipitur.

Sed dicatis dolorem bifariam accipi apud Hip. & Gal. vno modo pro affectu qui efficit dolorem,in quo ſignificatu ab Hip. 2. apho.6.nec non 6.epid. 1.2.*Veteres in Cranone dolores frigidi*.&c,atque hac quidem ratione dolor eſt perpetuo morbus, quoniam ſignificat affectum inferentem dolorem: ad quem modum Galen 2.metho. 2.numerat Cephalalgiam inter morbos,qui à parte læſa & ſymptomate nomen recipiunt. Altero autem modo accipitur pro moleſto ac triſti ſenſu,qui apud Galenum 1.de ſymp.cauſis,5.in ſeparatione ac diuiſione vniti corporis conſiſtit: in qua ſignificatione à Galeno, & omnibus medicis vſurpatur frequentiſſime, & tunc perpetuo eſt ſymptoma actionis læſæ, quod morbum ſequitur.

Secundo quæritur quidnam ſit dolor? de qua doloris eſſentia non conuenit inter Medicos Apud Galenum 2.de locis affectis, cap.1. dolor eſt ſenſus quidam moleſtus: veluti voluptas eſt ſenſus ſuauis; neque refert ſiue triſtantem, ſiue cruciantem, ſiue laborioſum, ſiue dolorificum ſenſum appelles, cum hæc omnia ex Galeno 1. de ſymptom. cauſis 6. vnum atque idem ſignificent. Quam quidem doloris definitionem ille manifeſtius declarat 2. de ratione victus acutorum, 1. vbi docet dolorem fieri in ſenſibilibus corporibus,cum ea ipſa corpora,in id quod præter naturam eſt, ſubito ſimulque tranſmutantur. Itaque Galen.

Quid ſit dolor.

Quomodo fiat.

ſtatuit

ſtatuit dolorem ſub genere ſenſus. Ariſtotel. 10. ethicorum docet quoque dolorem non eſſe ſenſum actu, ſed affectum quendam ſequentẽ triſtem illam ſenſationem: quam opinionem, vt puto, ſequuti ſunt Argenterius & alij, qui nimis acute docent, dolorem non eſſe triſtem ſenſum, ſed triſtitiam quæ ſenſum comitatur. Ego vero de hac logica ſubtilitate nihil laboro, ſicut neque Galenus: qui ſatis habuit docuiſſe, dolorem tunc fieri, cum aliquid ſentitur affatim ac repente corrumpens naturam. Vnde ſuperuacaneum putauit inueſtigare, an triſtitia ſenſus differat ab ipſo ſenſu triſti, & ſi differant, in quonam doloris natura & eſſentia reponi debeat: ſiquidem talis ſcrupuloſa deciſio nihil pertinet ad curandos dolores: quem ſolum finem curationis medici debent perpetuo ſibi ante oculos ponere.

Neſcio autem quid ſibi voluerit Ariſtoteles, dũ dicit ſectione 11. Prob. 13. dolorem pectoris refrigerationem eſſe: niſi forte cenſuit, in dolore ſpiritus prope cor contineri & quieſcere, adeóque partes illas reddi frigidiores. Sic Alexand. Aphrodiſæus lib. 4. quæſt. naturalium 6. ſcribit dolorem non eſſe triſtem ſenſum, ſed contradictionem animæ, ſicut voluptatem einſdem animæ diſſolutionem. Sed ille manifeſte fallitur. Etenim etſi fortaſſe verum eſt, in dolore animam contrahi ad partes internas: tamen huiuſmodi contractio non eſt dolor, ſed dolorem ſequitur.

Vtrum in ſolo tactu ſit dolor.

Itaque tenendum eſt cum Galeno, dolorem eſſe triſtem ſenſum actu, non potentia, & tunc fieri, cum aliquid naturam, vel vt Plato loquitur, harmoniam ſeu ſymmetriam noſtram ſubito, ac ſimul poteſt corrumpere: De qua re ſi quis plura cupiat is videat Platonem in Timæo & Philebõ, ex quibus locis 1. de ſympt. cauſis 6. Galenus fatetur ſe hanc totam diſciplinam collegiſſe.

Tertio quæritur, vtrum dolor in ſolo ſenſu tactus, vel in cæteris quoque ſenſibus reperiatur? Cui quæſito reſpondent nobiliores Medici & Philoſophi cum Ariſtotele & Galeno, dolorem non in ſolo tactu, ſed etiam in quolibet ſenſu reperiri. Ac primum eſt Ariſt. qui *loco citato 10. ethicorum* tanquam omnibus manifeſtum recipit, voluptatem in viſione, auditione, & vnoquoque ſenſu contingere: quod ſi voluptas omnibus ſenſibus contingit, vt de dolore, illius contrario, idem fateamur neceſſe eſt. Præterea ille generaliter docet 2. de anima 123. ſenſibilia intenſa corrumpere omnia omnium ſenſuum inſtrumenta, rationem reddens, propterea quia tunc diſſoluitur ratio ſiue intenſio ſenſorij, nempe ipſemet ſenſus, ſicuti diſſoluitur conſonantia & tonus chordarum, cùm illæ vehementius percutiuntur.

Speciatim vero demonſtrat Philoſophus *in tex.* 143 in ſingulis quatuor ſenſibus, auditu, guſtu, viſu, odoratu, id contingere: ſiquidem ab intenſis & exuperantibus obiectis, ſonis, ſaporibus, coloribus odoribus illi manifeſte alterantur & dolent: quam eandem ſententiam repetit Philoſophus 3. *de anima* 7. Deinde eſt Galen. qui tam plane docet omnes ſenſus dolore affici, vt nihil planius eſſe poſſit Dicit enim 1. *de ſympt. cauſis 6. Delectatione & dolore omnes ſenſus afficiuntur, non tamen æque euidenter, ſed in ſenſu quidem viſus minimum, in tactu vero & in guſtu maxime, ab iis deinceps in olfactu, & poſt hos in auditu.* Quo loco diffuſe monſtrat, quænam & quomodo ſingulos ſenſus contriſtent & dolore afficiant. Et iterum hæc habet de ſymp. diff. 3.

Eſt igitur in oculis ob lucis ſplendorem dolorificum pathema, in auribus ex magno & aſpero ſono, in olfactu quoque & guſtu alia quædam moleſta exiſtunt pathemata. Ac ne quis putet, ſenſus dolore affici, quatenus ſunt præditi ſenſu tactus, qui eſt omnibus ſenſoriis communis: Galenus hoc ipſo loco docet, illos vtraque ratione, & propria, & communi, laborare. Et differentiam ponit inter dolorem tactus & reliquorum ſenſuum, quod nimirum dolores ſenſui tactus maximi eueniant. Neque ſolum ab externis, ſed multò magis ab internis corporis affectibus contingant: idque interdum adeo vehementer, vt nonnulli nimio dolore ſuperati, ſibi ipſis mortem conſciuerint. Cæterorum autem ſenſuum omnino dolores eſſe leuiores, & ab externis tantummodo cauſis atque ex propria fieri. Ac reuera nemo eſt, qui non quotidie percipiat in ſingulis ſenſibus dolorem & voluptatem, prout res moleſtæ vel gratæ illis obiiciuntur.

Cæterum non deſunt, qui acutius hanc rem conſiderantes, dolorem aiunt ſolius ſenſus tactus ſymptoma eſſe, reliquos autem ſenſus dolere dupliciter. Vno modo quatenus ſenſoria prædita ſunt tactu, ad quem modum ſi propter phlegmonem, aut alium affectum aures vel oculi doleant, vt dicit Galenus libro de ſympt. differ. 11. dolores non auditus aut viſus, ſed proprij tactus ſunt. Altero autem modo dolent ab iis, quæ ſingulis propriis ſenſibus obiiciuntur, nimirum ſonis, coloribus, ſaporibus quæ tamen obiecta non dolorem afferunt, niſi quatenus tactum huiuſmodi partim male afficiunt, id quod hac euidenti ratione conantur confirmare.

Quæcunque obiecta ſunt quatuor ſenſibus, & illis dolorem afferunt, id non aliter faciunt quam inferendo paſſiones, quæ tactus propriæ ſunt, Namque vt videbimus, ſolutio continui vel ſola, vel principalis eſt cauſa doloris, quæ ſine dubio ad tactum pertinet. Quod autem ita hæc ſe res habeat, facile vnuſquiſque intelliget & fatebitur, quicunque rationem voluerit conſiderare, qua ſingula obiecta ſingulis ſenſibus moleſta ſunt, & dolorem afferunt; quandoquidem album & ſplendidum non aliter quam diſpergendo, nigrum conſtipando: ſonus acutus incidendo, grauis contundendo, oculis & aurib. moleſta ſunt. Sic de ſaporibus, quibus odores proportione reſpondent, Galenus agit diffuſe 4. de ſimpl. med. facul quo loco de ſententia Platonis omnes ſenſus ſaporum tactus alterationibus tribuit, adeo, vt acida incidant, ſalſa abſtergant, amara corrodant, acerba conſtringant. Cum igitur qualitates inferentes dolorem ſingulis quatuor ſenſibus, quæcunque illæ fuerint, propria tactus ratione videantur id facere; hinc colligunt, omnes dolores ſolius ſenſus tactus proprios eſſe, reliquis autem ſenſibus per accidens contingere, nempe ratione tactus, quo omnes ſenſus præditi ſunt. Ex quo fortaſſe factum eſt, vt neceſſarium fuerit, ſenſum tactus per inſtrumenta reliquorum ſenſuum diſperſum eſſe, vt illi moleſtiam & pericula rerum, quæ illis obiiciuntur, poſſent diſcernere, quæ alioqui nulla ratione potuiſſent. Ac ſane huic opinioni vehementer fauet Galenus. Nam lib. de ſympt. diff. 3. docet, ſenſum tactus in ſua actione, præter reliquos ſenſus, proprium atque egregium ſymptoma dolorem obtinere: quod ſi dolor tactus proprium ſymptoma eſt; quomodo reliquis ſenſibus poteſt eſſe communis? Sed hac de re ſatis.

De cauſis doloris

Vltimo quæritur de cauſis doloris. Galenus ſæpenumero plures cauſas, quandoque vnicam videtur ſtatuiſſe. Lib. de inæquali intemperie manifeſte docet, duas eſſe cauſas doloris: alterationem

Digitized by Google

rationem & ſolutionem continui : quemadmodum mims dicit Hip. *Ex quibus alteratur & corrumpitur natura, dolores fiunt.* Alteratur autem & corrumpitur cuiuſque natura, cum calefit vel frigeſit, vel ſiccatur, vel humectatur, vel vnitas eius diſſoluitur. Et ſi quis veſtrum cupit habere alia teſtimonia, videat 2. de locis aff. 5. 4. de locis aff. 8. in arte med. 80. 2. de ratione victus 5. & 12. metho. 7. altera ea parte de inæquali intemperie 8. 3. de fracturis 34. 4. de ſimp. med. facult. 2. qui locus maxime eſt dignus conſideratione. Galenus ex propoſito ſtatuit ſolutionem continui eſſe vnicam cauſam doloris: vnde Auic. 1. canone fen 2. doctr. 2. cap. 19. exiſtimauit, Galenum docuiſſe hanc vnam tantummodo eſſe cauſam doloris, ſolutionem continui : quam opinionem ipſe reprobat. Ego autem cenſeo vnam duntaxat proximam & immediatam eſſe cauſam doloris, ſolutionem continui. Hanc vero ſolutionem poſſe fieri dupliciter. Vno modo à propriis cauſis, quæ continuum poſſunt ſoluere, quæ etſi à Galeno variis locis varie commemorantur, tamen eo modo poſſunt referri ad fontes cauſarum, quos ille ponit in arte med. 80. qui quidem fontes late patent. & ad quamlibet ſolutionem continui poſſunt accommodari; ſunt quatuor, ſectio, eroſio, contuſio, tenſio. Altero autem modo ſoluitur continuum ex magna & violenta alteratione, ac potiſſimum calida & frigida, quæ ſane nulla ratione ſine ſolutione continui poſſent dolorem inferre, ſicut ipſemet Galen. diffuſe & cum demonſtratione probat, 4. de ſimp. med. facult. ad quem locum tanquam præcipuum perpetuo lectorem ſolet remittere, vbicunque de cauſis doloris ſermonem habet Cum Galeno videtur conſentire Ariſtoteles, qui 9. Top. 5. loco 14. à ſubiecto docet, cauſam efficientem doloris non aliam eſſe, quam naturalium partium ſeparationem. Quæ forte Ariſt. ſententia ex eo quoque poteſt confirmari, quoniam ille docet ſenſibilia intenſa corrumpere inſtrumenta ſenſuum, ſiquidem corruptio ſine ſolutione continui via videtur fieri poſſe. Quod ſi quis demum quærat, cur Gal. in aſſignandis cauſis doloris tam inconſtans videatur; id mea ſententia propterea factũ eſt, quod ille in hac inquiſitione diuerſas perſonas ſuſtinuerit. Quando enim accurate & exquiſitè rem contemplatus eſt, adeóque induit perſonam philoſophi, qui omnia ſubtiliter perpendit, tunc ſtatuit vnam ſolutionem continui doloris cauſam eſſe, eamque immediatam; ſine qua dolor non poteſt excitari. Quando vero noluit hanc rem ita ſubtiliter tractare, ſed medicam perſonam induit, libenter euidentia ſectatus, neque fere ſenſuum cognitionem tranſcendens, ac vnam curationem conſiderans, alterationem etiam proponit : ſiquidem ſenſus confirmat, non minùs à ſolutione continui, quam ab intemperie dolorem fieri. Præterquam quod conſideratio huius duplicis cauſæ maxime ad curationem facit, cum plane alia curatio conueniat ſolutioni continui, quæ à ſimplici alteratione prouenit, nimirum per contraria alterationem, & alia ei quæ è re ſecante, erodente, &c. gignitur : de quibus tractabimus.

Quatuor cauſæ ſoluentes continuum.

Gal. inconſtantia in cauſis doloris.

CAPVT VII.

De dolore capitis.

Cephalalgia dupliciter accipitur.

APud Galenum & Græcos tria ſunt præcipua nomina, quæ ſignificant dolorem capitis, Cephalalgia, Cephalæa, Hemicrania. Cephalalgia dupliciter accipitur. Vno modo tanquam genus, quod omnes dolores capitis comprehendit, vt placet Galen. 2. metho. 3. de diff. ſymp. 5. 6. epid. 1. 2. Altero modo tanquam ſpecies, & eſt dolor capitis remiſſus & leuior, in quo neque acceſſiones ſunt admodum frequentes & periculoſæ, neque caput admodum debile redditur. Quo loco arguendus eſt Altimarus, qui c. 10. de dolore capitis dicit, Cephalalgiam eſſe dolorem capitis recentem, atque ac potiſſimum ratione illam differre à Cephalæa; quod aduerſatur Gal 2. de med. ſecund. locos circa principium, qui tractat de inueterato capitis dolore, quem Cephalalgiam appellat, cum poſteriori ſequenti cap. de Cephalæa ſermonem habeat. Namque hæc duo nomina inter ſe non aliter differunt, quam ratione acceſſionum & debilitatis capitis. De Cephalæa, & quomodo à Cephalalgia differat, præclare tractat Gal. 3. de locis aff. 9. 2. de med. ſecund. locos, 2. qui ſcribit ad hunc modum. *Cephalæa eſt capitis dolor diuturnus & difficulter ſolubilis, qui à leui occaſiones habet : vt neque ſtrepitum, neque vehementiorem vocem, neque ſplendidam lucem, neque motum æger poſſis tolerare; ſed tranquillitatem, propterque doloris vehementiam obſcurum cubiculum requirit : nonnulli vero veluti malleo arbitrantur ſe percuti : alij ea quæ in capite ſunt, contundi ſentiunt, neque paucis ad radices oculorum dolor extenditur : quinimo huiuſmodi acceſſiones, veluti iis qui morbo comitiali laborant, intermittunt aliquando. Conſtat igitur quod in hoc morbo, veluti in Cephalalgia, caput facile patitur, verum per Cephalæam partes debiliores multo redduntur.* Hæc Galen. Ex quibus facile eſt intelligere quantum hallucinetur Arculanus, & qui opinantur Cephalæam, & Cephalalgiam eſſe ſynonyma.

Error Altimari.

Cephalalgia à Cephalæa quomodo differat.

Cephalæa quid ſit.

Error Arculani.

Tertium nomen eſt Hemicrania, quæ apud Galen. 2. de comp. med. ſecund. locos 3. eſt affectio doloroſa circa dimidiam capitis partem; vel dexteram, vel ſiniſtram, quæ iuxta ſuturam, quæ ſagittalis dicitur, ſecundum longitudinem capitis terminatur, atque vt plurimum per circuitum exacerbatur, influxu humorum aut vaporum, ſiue multorum, ſiue calidorum, vel frigidorum, cauſam affectui ſuggerente.

Hemicrania quid ſit.

Præter hæc tria nomina apud nonnullos eſt vox Omonopagia, quæ ſignificat dolorem in quarta capitis parte, quod ego neque obſeruaui, neque audiui, neque puto fieri poſſe, quoniam caput in quatuor partes diuiſum non eſt : ita vt omnino videatur alienum à ratione, dolorem in quarta capitis parte determinate poſſe reperiri. Auicenna, Meſue, & nonnulli Arabes dolorem capitis Sodam appellant. Apud Barbaros ſunt aliæ plurimæ voces, Ouum, Galea, Clauus & ſimiles, quas ego puto apud illos varias ſpecies doloris ſignificare.

Omonopagia quid.

Varia capitis doloris nomina.

Ex iis quæ hactenus diximus ſatis conſtat, quid ſit dolor capitis. Is itaque ſi proprie accipiatur, non eſt cauſa morbi, nec morbus, ſed ſymptoma, actio deprauata facultatis animalis ſentientis, vnde hæc pars triſti & moleſto ſenſu laborat.

Dolor quid.

Differentiæ doloris capitis ſunt quamplurimæ. Sed inter cæteras, quæ ſumuntur à cauſis principẽ locum obtinent, de quibus propterea accuratè agendum eſt. Primum ergo cauſæ doloris capitis ſunt duplices, aliæ externæ, aliæ internæ. Externæ quædam ſunt neceſſariæ, quæ vitari non poſſunt : quædam fortuitæ, quæ hominibus non neceſſariò eueniunt. Neceſſariæ ſunt cibus & potus, aër nos ambiens, ſomnus & vigilia, & res cæteræ non naturales. Vnde qui nimio cibo obruuntur, qui diutius ſub ſole morantur, qui longiori indulgent ſomno, dolore capitis corripiuntur.

Differ. 1.

Cauſæ doloris.

Cauſæ

Cauſæ fortuitæ ſunt incidentia, contundentia, morſus feræ venenatæ, & ſimiles: de quibus vtriſque cauſis tractat Galen. in atre med. c. 85. Cauſæ autem internæ pariter ſunt duplices: quædam ſine materia, quædam cum materia. Cauſæ internæ ſine materia ſunt intemperies, vel ſimplices, vel ex iis compoſitæ: cauſæ internæ cum materia quoſcunque humores complectuntur, ſiquidem vnuſquiſque humor, ſanguis, flaua bilis, pituita, melancholia, vel ſua mala qualitate, vel nimia copia, facile poteſt ſoluere continuum, & capitis dolorem efficere. Nonnulli iis addunt & vermes, qui reperiuntur vel in radicibus narium, vel in alia capitis parte, à quibus dolores capitis afferunt fieri poſſe: alii contra id negant, de quibus Auicenna dicit hunc in modum, r. 3. tract. 2. cap. 3. Quidam medici indixerunt, quod quandoque ſunt in cauſa Sodæ, vermes geniti in capitis partibus, motu ſuo lædentes, tenſione & corroſione ſua: & quidam remouerunt hoc, ſed non eſt neceſſarium vt remoueatur: nam vermes multoties naſcuntur in anteriori capite.

An vermes ſint doloris cauſa.

Galeni repugnantia.

Quoniam vero diximus, dolorem capitis ex qualibet intemperie fieri, quæritur vtrum omnes qualitates dolores efficiant? Cui dubitationi Galen. anſam dedit, qui videtur modo in hac, modo in illa ſententia fuiſſe: namque non ſemel docet manifeſtè, omnes qualitates dolores facere, vt lib. de inæquali intemperie 4. & 80. artis medic. 1. de natura humana 6. 2. de ratione victus 1. Altera autem ex parte, cum Galen. diſputaret ex propoſito de cauſis doloris, quatenus pertinet ad alterationes, caloris & frigoris tantummodo meminit 12. metho. 7. Cuius quidem decreti rationem videtur reddidiſſe 1. de ſympt. cauſis 6. qui ex Hippocr. ſcribit hunc in modum. Iis quibus natura alteratur, & corrumpitur, dolorea fiunt. Hac enim voce, *corrumpitur*, & celeritatem, & vehementiam alterationis indicat.

Porro magnæ in tactu à natura eueniunt mutationes, à calidis & frigidi violento occurſu, præterea ab iis quæ contundere, ſecare, extendere, atque erodere poſſunt. Nam humidum & ſiccum ſine calore & frigore, occurſum violentia carentem obtinent. Itaque ratio propter quam ex vna parte calor & frigus dolorem inferunt, ex altera humidum & ſiccum dolorem non inferunt, illa eſt apud Galenum, quoniam calor & frigus tactui violenter occurruntur, ſiccum & humidum omni violento occurſu carent. Neque vero hac ſolum ratione Galenus videtur ſibi ipſi repugnare, dum ſcribit, omnes qualitates alterare ac dolorem efficere, poſtea vero iſtud effert de ſolo calore & frigore, atq; negat de humiditate & ſiccitate: ſed & tertiam quoque repugnantiam inducit, docens à calido & frigido vehementiſſimos dolores fieri, à ſiccitate moderatos, ab humiditate, nullum dolorem procreari. Verba illius hæc ſunt 2. de med. ſecundum locos: 1. circa principium: Vehementiſſimi capitis dolores fiunt iuxta caliditatem & frigiditatem, moderati iuxta ſiccitatem, ad humiditatem vero nullus dolor conſequitur.

Solutio nonnullorum.

Nonnulli ad hanc difficultatem reſpondent, quamlibet intemperiem poſſe dolorem efficere, ſed plane diuerſa ratione: Namque ex caliditate & frigiditate manifeſtos & inſignes, ex ſiccitate obſcuros & leues, ex humiditate obſcuriſſimos & leuiſſimos dolores fieri: ex quo ita conantur Galenum ſibi ipſi conciliare. Etenim quando ille ſcribit, omnes intemperies dolorem facere, dolorem obſcurum & leuem interpretantur; quando autem docet ex ſola caliditate vel frigiditate dolores fieri, dolores manifeſtos & vehementiſſimos intelligunt.

Refutatio.

Verum hæc reſponſio Galeni ſententiæ non videtur conuenire: namque ille manifeſtiſſime aſſerit, ex humore nullum dolorem fieri, cum dicat neque humidum, neque ſiccum poſſe aliquem violentum occurſum habere, ſine quo violento & confeſtim facto occurſu certum eſt apud eundem Galenum nullum dolorẽ poſſe excitari. Quod ſi ſiccitas & humiditas nullum dolorem efficiunt, vt neque obſcurum, neque leuem dolorem efficiant, fateantur neceſſe eſt.

Solutio auctoris.

Ego vero puto ita eſſe reſpondendum, calorem & frigus conſenſu omnium dolorem efficere, quod huiuſmodi qualitates ſint longe efficaciſſimæ, & ad agendum maximæ idoneæ, quas propterea actiuas vocant, itaque confeſtim violenterque alterant ac naturam corrumpunt, vnde per ſe & ſine vlla materia poſſunt dolorem facere: ex quo factum eſt, vt Galen. 12. metho. & alibi harum duarum duntaxat qualitatum mentionem fecerit: altera autem ex parte ſiccitatem, & humiditatem per ſe, ac niſi calori & frigori coniungantur, vel alicui materiæ copulentur, nunquam dolorem procreare, quod huiuſmodi duæ qualitates ſint minus efficaces, & minus ad agendum idoneæ; quas propterea vulgo paſſiuas appellant: id expreſſe notauit Galenus. 1. de ſympt. cauſis 6. per hæc verba: Quippe humidum & ſiccum, ſi abſint calefactio & refrigeratio, ſine violentia corpus attingunt. Quamobrem ſimplex caliditas & ſimplex frigiditas per ſe ſiccitas vero & humiditas per accidens, nimirum ſi caliditati & frigiditati coniungantur, dolorem afferunt.

Huiuſmodi reſponſio omnem difficultatem tollit, & omnes Galeni locos conciliat. Namque vbi Galen. ſcribit, caliditatem & frigiditatem tantum dolorem efficere, tunc efficaciſſimas & nudas qualitates intelligit, quæ per ſe & ſine vlla materia dolorem generant: vbi vero inquit omnes quatuor qualitates alterare aut corrumpere, intelligit id facere ſiccitatem & humiditatem, ſi actiuis qualitatibus frigidæ, aut calidæ, aut alieno humori coniungantur: vbi propterea docet tres qualitates dolorem facere, tunc nudas & ſimplices qualitates intelligit, ſiue per ſe, vt caliditas & frigiditas, ſiue per accidens, ſicut ſiccitas, dolorem efficiant. Vbi demum ſcribit Gal. ex humiditate nullum plane dolorem excitari, nudam & ſimplicem qualitatem intelligit, quæ nullo pacto occurſum violentum poteſt obtinere: namq; ſi humiditati humorum fluxio coniungatur, tunc non per ſe & ratione qualitatis, ſed per accidens & ratione copiæ, nempe implendo, diſtendendo, & inflammando dolorem poteſt excitare. Cæterum Paulus ait lib. 34. Grauiſſimi capitis cruciatus ex actiuis qualitatibus proficiſcuntur, maxime vero ex calidæ: atqui ſiccitatem ſequuntur, non tanta violentia ſæuiunt, humida vero qualitas ſui ipſius reſpectu plane omni dolore caret, niſi calori aut frigori, aut humoris plenitudini coniuncta ſit: & ſic quod nos diximus, ipſe confirmat.

II. Differ.

Secundò ſumuntur differentiæ doloris iuxta affectarum partium naturam; quæ differentiæ plane multiplices eſſe poſſunt: etenim Galen. auctore 2. de med. ſecundum locos circa principium, quandoque extra, quandoque intra caluariam affectio eſt: aliquando omnes internæ, aliquando omnes externæ partes: interdum non omnes, ſed nonnullæ tantum, arteriæ videlicet, aut venæ, aut nerui, aut membranæ, aut cutis, aut ipſum denique cerebrum laborat, adeo vt plane difficillimum

mum ſit affectum locum, & an ſint plures, vel vnus, cognoſcere. Quoniam diximus cum Galeno cerebrum ſicut reliquas partes capitis dolere, hoc loco mouetur quæſtio, vtrum cerebrum ſentiat,nec ne?De qua cum multa poſſint in vtramque partem diſputari, illud vnum mihi ſatis in præſentia eſt, ſententia Ariſtotelis & Galeni cerebrum aut nullo, aut admodum exiguo ſenſu præditum eſſe. Ariſtotelis verba hæc ſunt, 2. *de Hiſt. animalium* 19. *Quia etiam cerebrum & medulla tactum non ſentiunt*: quæ eadem verba repetit *ſecundo de partibus animalium* 7. Sic Galenus docet *primo de ſympt. cauſis* 8. cerebrum fuiſſe à natura inſtitutum, non vt foret inſtrumentum ſentiens, ſed vt reliquis ſenſibus ſentiendi facultatem tribueret. Quem locum, nequeo me continere quin vos moneam, turpiter fuiſſe declaratum ab Archangelo Piccolomineo, *in prælectionibus anatomicis, lectione 6.* de rebus ad cerebrum ſpectantibus, qui hanc rem tractans, pro parte affirmatiua, quam ille ſuſtinet, hunc locum Galenus producit per hæc verba. *Ipſum namque cerebrum ſentiens organum à natura conditum non eſt, ſed quod ea quæ ſentiunt, ſentire poſſit.* Hæc poſtrema verba referens, minime ad reliquos ſenſus, ſed ad ipſum cerebrum; quod quidem tam alienum eſt à veritate & à mente Galeni quam quod alieniſſimum. Etenim Galenus, Linacro interprete, ita loquitur; *Ipſum namque cerebrum ſentiens organum à natura conditum non eſt, ſed vt ea quæ ſentiunt, ſentire poſſint*: Vel aliter longe apertius ex Fuchſij interpretatione: *Ipſum namque cerebrum non vt ſit ſentiendi inſtrumentum, ſed vt iis quæ ſentiunt, vim ſentiendi præſtet, à natura inſtitutum.* Quæ vtraque interpretatio non ſolum reſpondet Græcæ literæ, ſed etiam rei naturæ ac veritati maxime conuenit. Hanc doctrinam Galenus confirmat 7. *de plac. Hipp. & Pla.* diffuſè: Ariſtotelis & Galeni ſententiam confirmat experientia, ſiquidem ſæpe euenit in vulneribus capitis, vt ſine dolore inſignis portio cerebri extrahatur, quod niſi eſſet ſenſus expers, nulla ratione fieri poſſet. Itaque per Ariſtotelem, Galenum & experientiam cerebrum non ſentit. Quod autem è contra Galenus hoc ipſo loco. 2. *med. ſecundum locos*, inquit, cerebrum dolere; nec non *in libro de plenitudine* 4.cerebrum & ſpinam reponit inter ea quæ ſenſum obtinent: ego quidem puto Galenum iis locis cerebrum intelligere non ſeperatim, ſed ſimul cum membranis illud continentibus, quæ proculdubio ſentiunt. Et hac de re ſatis.

Vtrum cerebrum ſentiat.

Error Archangeli Piccolominei.

Solutio.

III. Differ. Tertio loco ſunt differentiæ doloris capitis à qualitate doloris: namque alius eſt acutus, alius grauis, alius in quo ſentitur extenſio, alius in quo ſentiuntur pulſationes, vulgo dolorem pungitiuum, grauatiuum, extenſiuum, & pulſatorium vocant. Dolor acutus propriè videtur ad membranas pertinere, ſed,præterea qualitatem materiæ demonſtrat, quæ vt plurimum tenuis & penetrans exiſtit. Dolor grauis fere ex multa materia prouenit, ſicut in plenitudine contingit. Dolor extenſiuus ſine grauitate, à flatibus propriè generatur. Dolor pulſatiuus pertinet ad inflammationes, ac ſit in partibus ſenſu exquiſito præditis, vt membranæ, arteriæ, &c. De quibus variis diff. & modis doloris diffusè tractat *Gal.* 2. *de locis affect.* 1. & *ſequentibus.*

IV. Differ. Quartò ſunt differentiæ ab intenſo & remiſſo, quippe dolor capitis alius eſt vehemens, alius debilis, alius moderatus; imo dolor quandoque eſt tam vehemens, vt exempli gratia, quod ait Auicennæ prima 3. tra. 2. c. vt ſi occurrat ſyncipiti infantis, habentis oſſa tenuia, ſeparet, & rumpat commiſſuram. Dolor debilis, contingit, ſicut in lethargo, ſic dolores moderati in febribus & aliis morbis occurrunt frequentiſſime.

V. Differ. Quintò ſunt differentiæ à tempore. Alius enim recens, alius antiquus: quæ differentiæ ſpeciatim pertinent ad cognoſcendam naturam doloris: ſiquidem dolor antiquus frigiditatem, recens vero caliditatem vt plurimum ſolet indicare: ſic dolores alij ſunt continui, alij ſunt interpolati: de quibus agit Galen. *in* 2. *de diff feb vltimo.*

VI. Differ. Sexto à coninnctis ſunt differentiæ: etenim dolor capitis rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam coniungi poteſt: itaque ſunt animaduertenda ætas, ſexus, corporis habitus, aër ambiens, victus ratio & ſimilia. Sed omnium maxime eſt animaduertendum, vtrum dolor capitis ſit ſolus, vel ſimul cum alio affectu præter naturam, quod non parum facit ad curationem. Exempli gratia: ſi fuerit capitis dolor ſimul cum diſtillatione, tunc non licet vti medicamentis repellentibus, quoniam periculum immineret, ne humores facto impetu ad partes ſubiectas ruerent, & hominem ſuffocarent, vel aliud malum afferrent.

VII Differ. Cæterum præter omnes huiuſmodi differentia minime eſt prætermittenda, quæ fere omnibus morbis eſt communis. Namque caput quandoque ex proprio affectu; quandoque ex conſenſu aliarum partium laborat. Cuius quidem differentiæ vtilitatem Galen. inquit manifeſtam eſſe 1. *de locis aff.* 6. ſiquidem ad curationem omnium primum expedit cognoſcere, cuinam parti remedia ſint apponenda: quippe læſo cerebro ſolum per conſenſum, ſi id quod primum laborat curatum fuerit, priuſquam in cerebro proprius aliquis affectus excitetur, nullum in ipſo relinquitur ſymptoma, quod ſi vero ex conſenſu aliquis in ipſo permanens affectus fuerit, tunc non ſolum ei parti quæ primum laborat, ſed etiam ipſi cerebro prouidendum eſt.

Morbus per primo & per conſenſum. Quid ſit morbus proprius, & quid morbus per conſenſum, communi quadam coniectura nempe durationis & permanentiæ declarat Galenus 2. *de locis aff cap.* 1. *poſtremis verbis.* Etenim ſi malum ſtabile in aliqua parte aut permanens fuerit, tunc eam partem proprio affectu laborare cenſendum eſt: ſin autem pars aliqua ſimul cum alia afficiatur vt irritata quidem vna, altera vehementius affligatur, remiſſa vero irritatione quieſcat, tunc eam partem per conſenſum affici putandum eſt. Sed magis accuratè Galenus hanc rem explicat 2. *de locis aff.* 6. vbi ſcribit ad hunc modum. Pathemata quæ propriis ſymptomatibus exactè cognoſcuntur, & perpetua ſunt, neque aliis præcedentibus facta propria exiſtunt: quæ vero neque propriis ſymptomatibus exactè cognoſcuntur, neque perpetuo permanent & aliis ſuccedunt, per conſenſum accidunt. Quo loco notandum eſt, morbos minime ea ratione diſtinguendos eſſe, vt alij ſint proprij, id eſt primarij, alij per conſenſum, id eſt ſecundarij, ſicuti nonnulli veteres Medici, & multi hoc tempore faciunt: quem errorem arguit Gal. 1. *de locis aff.* 3. qui ita ſtatuit, propriè loquendo primario affectui ſecundarium aut poſteriorem, ei vero qui per conſenſum ſit, proprium affectum opponendum eſſe. Proprius affectus, & qui vere aliquam partem occupat, *ἰδιοπάθεια*:qui vero eſt per conſenſum,adeo vt pars ſimul cum alia,vel potius ab alia laboret, *συμπάθεια* dicitur.

Tribus modis partes Sed notandum ex Galen. 1. *de locis aff.* 3 & 6. 3. *de locis aff.* partes tribus modis ſympathiam, id eſt

ſum laborant.

Materia intercepta.

morbum per conſenſum incurrere. Primo, quando intercipitur materia quę ad perficiendas actiones illius partis eſt neceſſaria, verbi gratia, quod eſt Galeni, vt vox emittatur, vehementem ſpiritus efflationem ad guttur efferri neceſſe eſt, hæc autem fit in expiratione, cum muſculi intercoſtales thoracem comprimunt & conſtringunt: itaque ſi huiuſmodi muſculi perforentur, vehemens illa ſpiritus emiſſio deficiet, ex quo neque guttur valebit vocem formare; vnde hæc pars à propria actione ceſſabit, non quòd guttur proprio morbo laboret, ſed quia neceſſaria materia priuatur, vt propterea morbus ſit per conſenſum, & proprius morbus occupet muſculos intercoſtales, quod proprio morbo ſublato, guttur quoque propriam actionem, nempe, vocem, recuperabit.

Facultas intercepta.

Secundo, fit morbus per conſenſum, cum facultas ſine materia intercipitur, neque ad partem tranſmittitur, ſicut euenit illi iuueni, cuius hiſtoriam narrat Galen. 1. *de locis aff.* qui cecidit ex alto, ita vt dorſi ictum ad terram affligeretur, vnde tertia die exiguam admodum vocem reddidit, quarta autem protſus obmutuit, & ſimul crura ſunt reſoluta, ex quo factum eſt, cum Medici temere fatigarentur circa crura, vt pote reſoluta, & circa guttur propter defectum vocis, vt Gal. prohibuerit, ne id amplius facerent, ipſe vero altera ex parte loco laboranti, ſpinæ nimirum curatione adhibita, eaque à phlegmone liberata, effecit vt à ſeptima die vox iuueni fuerit reſtituta, & crura motus facultatem recuperauerint. Huic iuueni crura ſenſu & motu priuata fuerunt, non quod ipſa aliquo morbo laborarint, ſed quoniam ſpinæ dorſi inflammatio adfuerit, & inde erat impedimentum quod minus facultas animalis ad ea per neruos ſine materia deferri potuerit.

Tranſmiſſa materia noxia.

Tertius eſt modus, quando tranſmittitur aliqua materia noxia ad aliquam partem, cuius actionem lædit, veluti cum ex ventriculo vapores & humores vitioſi ad oculos & cerebrum aſcendunt, ex quibus debilitas viuendi, deliria, & alia capitis mala proueniunt, etſi neque oculi, neque cerebrum quicquam laborent.

Ex tribus hiſce morbis per conſenſum Galen. 1. *de locis aff.* 6. cum magis vere & proprie talem inquit appellari, quando vel materia, vel facultas ſine materia intercipitur, magis improprie vero, quando materia vitioſa ad aliquam partem confluit. Nam etſi huiuſmodi pars proprio morbo non laboret: tamen vix fieri poteſt, quin, exempli gratia, humor tranſmiſſus illi parti aliquod incommodum afferat, id quod de impedita materia, vel facultate ſine materia dici non poteſt.

Verùm quærat aliquis, quomodo huiuſmodi conſenſus in corporibus contingat? Huic reſpondet Galenus de ſententia latini interpretis *lib. Hip.* 3. *epid.* t. 4. iſtud fieri tribus modis: aut propter communicantiam, vel generis, vel operis. Per conſenſum ratione vicinitatis, pulmo & ſuccingens membrana, & omnes propremodum vicinæ partes afficiuntur. Ratione familiaritatis generis neruoſo neruoſum, venoſo venoſum, arterioſum arterioſo generi conſentit: ſic propter familiaritatem operis, mammæ & thorax partibus genitalibus conſentiunt. Apud Auicennam 1.3. *tracta.* 2. *cap.* 6. duplex tantummodo eſt conſenſus quos ille communitates vocat, alteram abſolutā, alterā non abſolutam. Communitas abſoluta eſt, quando ex mēbro communicante ad partem cerebri nulla materia, ſed tantummodo mala qualitas pertingit: communitas autem non abſoluta eſt, quando ex ipſo membro conſentiente aliquis humor aut vapor ad cerebri ſubſtantiam peruenit: huius vtriuſque conſenſus multa poſtea exempla ponit.

Itaque rediens ad rem, caput vel proprio affectu laborat, intemperie vel ſimplici, vel compoſita, vel cum materia, vel ſine materia: vel laborat ex conſenſu: atque hic conſenſus poteſt eſſe duplex: vnus totius corporis, ſicut in febri contingit: alter determinatæ partis, exempli gratia iecoris, ventriculi, &c. Ac licet nulla ſit pars noſtri corporis, quæ non cum cerebro conuenientiam habeat, propter rationem neruorum: tamen ſciendum eſt, duas partes præ cæteris hac in re principem locum obtinere, illæ vero ſunt ventriculus & vterus; quæ quidem duæ partes ſicut validiſſimè ad cerebrum alligantur, ita ſolent frequentiſſime illud in conſenſum trahere, vnde qui habent ventriculum debiliorem, & quibus vel menſtrua, vel lochia detinentur, in dolorem capitis incidunt frequentiſſime. Hactenus de differentiis.

Signa indicantia dolorem capitis, nonnulla imminentem & futurum, nonnulla præſentem dolorem produnt, de quibus omnes tractant. Ac primum de primis nos agemus: namque ſi pręuideas imminentem dolorem capitis, ille præcauendus eſt, remouendo cauſas ex quibus originem habituros eſt. Huiuſmodi ſigna ex tribus capiuntur: ex propria diſpoſitione, cum agens non agat in agens niſi bene diſpoſitum. 2. ex quibuſdam præſentibus cauſis. 3. ex iis quę præceſſerunt. Corpora cum primis pręparata ad dolorem capitis, illa ſunt ex Galen. 30. *de locis aff.* 9. & Auicen. 13. *tract.* 2. 1. quæ habent caput imbecillum & exquiſiti ſenſus, quales ſunt qui nullum calidum dolorem poſſunt perferre, & ab omnibus propemodum cauſis, tam internis, quàm externis facile offenduntur: pręterea quæ habēt inferiores partes debiles & male affectas, exempli gratia, in quibus vaporoſus calidus ſpiritus generatur, aut quibus biliosa excrementa in ore ventriculi coaceruantur, hęc enim facile capiti communicantur, & dolorem per conſenſum inferunt. Secundo licet pręſagire de imminente capitis dolore, ſi adſint cauſę quędam morboſæ, verbi gratia; ſi corpus plenitudine vel cacochymia laboret: ſi conſueta aliqua vacuatio retenta fuerit: ſi multę & frequentes cruditates in ventriculo generentur. Tertiò quę pręceſſerunt dolorem capitis, poſſunt indicare veluti magnę vigilię, diuturni ſomni, profundę cogitationes & ſtudia, & alia id genus, quę fere pręludia quędam doloris capitis dici poſſunt.

Vtrum ſignorum inquiſitio ſit certa

Porro in ſignis pręſentem dolorem ſignificantibus 1. quęritur, vtrum huiuſmodi ſignorum inquiſitio ſit ſcientifica an coniecturalis? Nam Gal. 2. *de med. ſecun. locos.* 1 *ad finem*, apertè fatetur, eam medicinę partem, quę in affectuum cognitione verſatur, eſſe maximè coniecturalem, alteram quę ad curationem pertinet, ſcientificam & certam eſſe. Idē docet 8. *de med. ſecundum locos* t. 2. *de ratione victus vero.* 5. *de tuēda val.* 11. ſed apertiſſime *in lib. de plenitudine ad finem.* Contra vero ide Gal. 12 *metho.* 7. docet, cognitionem quorundam affectuū quales ſunt pleuritis & dyſenteria, minime coniecturalem, ſed certam & ſcientificam eſſe: etenim gratia exempli, quotieſcumque hęc ſigna, febris acuta, difficultas anhelitus, dolor lateris pungitiuus, tuſſis, pulſus ſerratus, ſimul conueniunt, tūc certam pleuritidis cognitionem præbent.

Ad hanc difficultatem, quæ tantummodo in morbis internis locum habet, reſpondet Galeo. *in lib. de plenit. poſtremis verbis.* ſigna indicantia morbos eſſe triplicia, quædā ſcientifica, quædā iis inferiora,

Signa triplicia.

tiora, & quædam adhuc minus certa. Signa ſcientifica illa ſunt, quæ accipiuntur à ſymptomatibus, quæ ſunt triplicia, actiones læſæ, excreta & retenta immoderata, qualitates corporis immutatæ. Exempli gratia: Sit dolor capitis ex plenitudine vniuerſi corporis, primum erunt actiones læſæ, extenſio, grauitas, pigritia ad motum: ſecundo excrementa immutata, lotia rubra, craſſiora, copioſa capitis excrementa. Tertiò qualitates mutatæ, color circa oculos, & facies mutata, turgentia venarum, & alia id genus, quæ ſi ſimul coniunguntur, certam capitis & totius corporis plenitudinem poſſunt demonſtrare. Signa ſecundi ordinis numerantur à Galeno, vita otioſa, copioſiora alimenta & potiones, excretionum ſuppreſſio, balnea poſt alimenta adminiſtrata, & ſimilia: quæ tamen, vt ille inquit, à ſcientificis non longe diſtant, ſi vniuerſa conueniant. Tertium poſt hæc ordinem habent conſuetudo, vt homo plethoricis morbis familiariter corripiatur, regiones, tempora anni, temperamenta, habitus corporis, & ſimilia: ex quibus facile eſt intelligere, quænam corpora magis vel minus ad colligendam plenitudinẽ ſint accõmodata.

Sed redeuntes ad ſigna indicantia præſentem dolorem capitis, non eſt quod amplius verba faciamus, cum plane ſint manifeſta; & ægro referente intelligantur. Ergo ad ſigna differentiarum veniendum eſt.

Signa differentiarum.

Quoniam vero nonnullæ quoque ex iis differentiis, veluti quæ ſumuntur à qualitate doloris, ab intentione & remiſſione, à tempore, à coniunctis, ex narratione ægroti fiunt manifeſtiſſimæ: iis omnibus prætermiſſis, de ſignis duarum priorum differentiarum, quæ ſumuntur à natura partis laborantis, & à cauſis quæ non ita patent, agendum eſt: vtrum videlicet dolor capitis vel intra, vel extra caluariam conſiſtat, hoc eſt, vtrum membranæ cerebrum ambientes, an magis pericranium doleat. Illud à Galeno diſcrimen ponitur 3. *de locis aff.* 9. quod dolor ad oculorum radices vel perueniat, vel non perueniat: etenim conſentaneum eſt, vt quibus intra caluariam affectus eſt, iis dolor vſque ad fundamenta oculorum pertingat, & quod à cerebro, & ab vtraque membrana, craſſa inquam & tenui, atque à vaſis quæ ſunt in ipſis ad ipſa fundamenta oculorum proceſſus quidam proueniunt. Nam qui viderint anatomen, in memoriam reuocent, neruos opticos vocatos, necnon tunicam quæ rectiformis dicitur, à cerebro; vueam tunicam à tenui membrana, corneam tunicam à dura membrana originem habere, adeo vt nihil mirum ſit, ſi circa oculorum radices, ad quas iam dicti perueniunt proceſſus, ſentiuntur dolores, vbi intra caluariam fuerit affectus: extra caluariam autem eſſe affectum ſi ad radices oculorum dolor non perueniat omnibus conſtare poteſt. Namque ſi affectus in cerebro conſiſteret, neceſſario propter cauſas modo explicatas dolor ad radices oculorum penetraret. Sed præterea cum Galenus doceat, non ſolùm diſtinguendum eſſe, vtrum dolor partem internam vel externam occupet, ſed etiam qualeſnam partes, an arteriæ, an venæ, an membranæ, an cutis & totum cerebrum doleat, de huiuſmodi diſtinctione dubium eſt, cum plane videatur difficile, aut nullo modo fieri poſſe, vt hæc certa & determinata ſingularum partium notitia exactè habeatur. Ego vero cenſeo hãc Galeni inquiſitionẽ & doctrinam ſuperuacaneam non eſſe, ſed dolores huiuſmodi partium certo ac diſtincte poſſe intelligi.

Dolor membranarum. qualis Dolor neruorum.

Namq; ſi dolor fuerit in mẽbranis, tunc eſt acutus, ad quẽ modum dolor in pleuritide eſt pungitiuus: ſi fuerit in neruis, dolor eſt acutiſſim. cum nerui inter omnes partes noſtri corporis ſenſu acutiſſimo præditi ſint: ſi dolor fuerit in arteriis, eſt dolor pulſatorius, vt docet Galen. *lib. 2. de locis aff.* 2. quod item de cæteris partibus ſtatuendum eſt.

Dolor arteriarum.

Sed venio ad ſigna differentiarum, quæ ſumuntur à cauſis internis, efficientibus dolorem capitis, quæ præ cæteris omnibus ſunt maximi momenti, ac maxime pertinent ad curationem: ſunt autem eæ ſpecies partim ſimplices, partim compoſitæ, partim cum materia, partim ſine materia. Verum quoniã Rhaſes de iis fere omnibus tractat, nos hac in parte illius ordinẽ imitabimur, qui initiũ facit de dolore capitis ex ſanguine.

Signa ſanguinis.

Sãguinis autem plenitudo poteſt capitis dolorem efficere duas ob cauſas, & propter nimiam copiam, & propter nimiam caliditatem: vnde copia venas & arterias diſtẽdẽdo, caliditas ſuccos fundendo ſolet continuum ſoluere. Quo loco ſciendũ eſt, ex Galen. 2. *de med ſec. loca*, 1. plenitudinem eſſe quotieſcumque in corpore humores æquabiliter augentur: atque hanc duplicem eſſe, alteram quam plenitudinẽ ad vaſa appellant, quãdo videlicet tanta eſt humorum exuperantia, vt ipſa vaſa diſtendantur: alteram quãdo humores ita creſcunt, vt vaſa quidem non tẽdãtur, at vires grauẽtur quã propterea plenitudinẽ ad vires appellãt: quod ſi alius humor, vt flaua bilis, abundet; hæc non plenitudo ſed cachochymia, & humorũ vitiũ dicitur.

Ex triplici ordine ſignorũ, de quibus diximus cũ Galeno *in lib. de plen. ad finem*, Rhaſes ea tantummodo videtur ponere, quæ ad primum ordinem ſpectant, & ſunt quinque. 1. rubedo in facie & oculis. 2. tenſio vel venarum, vel arteriarum, vel cæterarum partiũ dolẽtium, 3. grauitas & pigritia ad motum, vt ægri capite libenter quieſcant 4. caliditas manifeſta ad tactum, quæ non ſolum ab ipſo ægro, ſed etiã à Medico percipiatur 5. eſt pulſus magnus, quod quidem puto intelligendum eſſe non ſolũ de pulſu arteriarũ capitis, ſed etiã de arteriis vniuerſi corporis: ſiquidẽ vix videtur fieri poſſe vt oriatur dolor capitis ex plenitudine, ſine plenitudine vniuerſi corporis Quorum omniũ ſignorũ facile eſt certã rationẽ reddere, & vnũquodq; in ſuã cauſã, nempe ſanguinis plenitudinem, referre.

Alia etiam ſigna adſunt, quamuis incertiora, attamen & aliquam fidem facere poſſunt: ſic conſideranda eſt victus ratio, an æger pluribus alimentis & potionibus plurimum nutrientibus ſit vſus, an vixerit otioſe & ſine tempeſtiuis exercitationibus; an multo ſomno vſus fuerit; an conſueta aliqua vacuatio omiſſa fuerit: hæc enim ac maxime ſi ſimul coniungantur, ſaltem probabiliter poſſunt copiam ſanguinis indicare. Si demum & tertij ordinis ſigna animaduertenda, conſuetudo habitus corporis, ætas, temperamentum, aër ambiens, regio & ſimilia. Namque certiſſimum eſt, hominem qui frequenter morbis plenitudinis ſolet corripi, qui denſum corporis habitum obtinent, temperamento, regione &c. ad calidum & humidum declinantibus, longe facilius plenitudinem poſſe concipere, quam alium qui contraria ſigna habeat. Hora etiam acceſſionis eſt animaduertenda: nam ſi ex ſanguine pendet dolor, mane acceſſiones habet, meridie ſi ex bile, veſperi ex melancholia, noctu ex pituita. Videatur Hip. 6. *epid.* 1. 15 ex quo loco licet habere ſignum doloris capitis ex morbo gallico, quod experientia confirmat veriſſimum eſſe: ſiquidem hic ſolet præcipue veſperi exacerbari forte quod humor maiori ex parte ſit melancholicos.

Dolor gallicus cur veſpere exacerbatur.

An doloris conueniat curatio.

Iam aduertenda nonnulla de curatione doloris generaliter, & primo cum ſecundum Gal. 12. *metho.* 1. ſymptomata vt ſymptomata, nullam indicet curationem, ſtatutumque ſit dolorem proprie loquendo ſymptoma eſſe quæritur, quomodo

Symptomata quando exposcat curationem.

liceat curationem inſtituere doloris capitis? Verum iis reſpondet Galen. qui hoc ipſo loco docet nullum quidem ſymptoma verè & per ſe curandi indicationem afferre, quam conſtat ex morbis præcipuè deſumi, ſedtamen ex accidenti ipſis quoque ſymptomatibus curationem conuenire, & id fieri tripliciter: vno modo ſi ſymptomata obtineant rationem cauſæ; ſecundo ſi morbum augeant; tertio ſi vires lædant & proſternant. Cum igitur dolores & capitis & reliquarum partium, inter ea numerentur, quæ maxime vires proſternere ſolent, non ſine ratione cogimur illorum curam tractare.

Tripliciter auferuntur dolores.

Deinde ſcribit Galenns dolores capitis, ſicut reliquos omnes dolores noſtri corporis, poſſe tripliciter aufertì, vt colligitur ex Galeno 12. *metho.* 8. 5. *de ſimp. med. facul.* 19. vno modo per ea præſidia, quæ reſpiciant ad cauſam doloris, quæ cauſa non alia eſt quàm morbus. Secundò per illa medicamenta, quæ reuera & proprie ſunt anodyna, & ſunt ea, Galeno auctore, quæ habent moderatam quandam caliditatem, adeo vt primum calefaciendi ordinem non excedant: præterea quæ ſunt partium tenuium, & omni carent adſtrictione, proptereaque vacuant digerunt, rarefaciunt, extenuant, concoquunt, & æquabile reddunt quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut craſſorum, aut multorum tenuibus ſpiramentis infarctorum, aut etiam vaporoſi aut craſſi, aut admodum frigidis ſpiritus, exitum commodum non inuenientis, adhæſit & incluſum eſt, qualia ſunt oleum anethinum, chamæmelinum, amygdalarum, &c. Tertiò auferuntur dolores per medicamenta ſtupefacientia, quæ ſua inſigni frigiditate quendam ſtuporem ſenſibus inferunt, adeo vt pars deinceps quaſi ligato ſenſu dolorem non percipiat.

Ex iis tribus igitur curandi rationibus vera illa eſt, quæ reſpicit morbum, ex quo illi oriuntur, nec non cauſam morbi, ſi adſit, cùm altera ex parte medicamenta anodyna leniant tantum, & faciant ad mitigationem doloris, ſtupefacientia vero niſi maxima vrgente neceſſitate, non ſint opportuna, tantumque abſit, vt morbum iuuent, vt illum ſæpenumero reddant deteriorem.

Ergo ſi quis quærat, quanam ratione, & via curandi dolorem capitis ex ſanguine incedere oporteat: quatenus pertinet ad medicamenta ſtupefacientia reſpondet Galenus qui aduerſus Apollonium, vtentem huiuſmodi medicamentis, hoc medicis conſilium præbet, vt illa nedum ſæpius, ſed neque ſemel, gratia experiundi, debeant exhiberi, atque hoc generale tradit præceptum, raro medicos debere vti medicamentis ex opio, cum nimirum præ doloris vehementia homo de vita periclitetur: at vero inquit porro, propter capitis vehementem dolorem nemo vnquam animi deliquio comprehenſus mortuus eſt, neque ſe ipſum interfecit, quod nonnulli coli dolore laborantes fecerunt. Ex quo loco licet arguere, non ſolum Auicennam, Meſuem & alios Arabes, ſed etiam Paulum, Vetium, Oribaſium hallucinari, qui in dolore capitis ex humore bilioſo, aduerſus hoc Galeni præceptum, vtuntur trochiſco croceo vel trigono appellato, & ſimilibus quæ recipiunt opium, & ſtupefaciendi vim habent. Quos ego puto fuiſſe deceptos, propterea quod apud Galenum paulo poſt hæc legerint, illinendam frontem paſtilio croceo aut trigono appellato; aut aliquo alio iis ſimili: quæ ſanè verba illi acceperunt tanquam ipſius ſint Galeni, cum tamen tenera hæc ſententia ſit Archigenis, quam Gal. iam noluit confutare, quoniam ſuperiori loco aduerſus Apollonium ſuam ſententiam de hac re ſatis dixerat.

Opio in dolore cap. non vtendum.

Error Auicennæ, Meſuæ & aliorum.

Quod pertinet ad medicamenta anodyna, quorum quoque vſus multum efficax non eſt, cum quemadmodum dictum eſt, id tantummodo præſtent, vt dolorem leniant, non tollant, ac præſertim in delicatis corporibus, qualia ſunt virorum principum. Itaque ſola remanet vera ratio quæ ad cauſam doloris pertinet de qua nunc agendum eſt: in qua curatione primò indicationes eliciam. 2. videbo an iis poſſit ſatisfieri. 3. de ſingulis accõmodatis præſidiis & opportuna eorum adminiſtratione.

Quod ad primum attinet, nimia copia ſanguinis in capite detinetur qui partim diſtendendo, partim calefaciendo continuum ſoluit & dolorem efficit: ergo ſanatio huiuſmodi affectus primam indicationem habet vacuationem, ſiquidem morbus eſt immoderata partis repletio: neceſſarium autem eſt vt huiuſmodi humorum copia aut retrocedat, aut per ipſam patientem partem vacuetur: retrocedet vel impulſa, vel intracta, vel tranſmiſſa, vno aliquo ex iis modis, vel omnibus. Per locum patientem vacuabitur partim quidem manifeſtè & ſenſibiliter, partim vero inſenſibiliter: Verum neutram huiuſmodi vacuationem licet aggredi, niſi primum præcedat vniuerſi corporis vacuatio. Namque ſi ſcarificationibus vel ſectionibus per laborantem locum velimus vacuare, tunc ratione doloris plus attrahemus: ſi o autem præſidiis calefacientibus velimus talem copiam inſenſibiliter diſpergere, plus erit quod vi caloris attrahetur, quam quod diſpergetur: quod ſi tandem in eo velimus laborare, vt quod iam fluxit retrocedat, ad corpus plenum non patitur. Itaque omnium prima indicatio ſeſe offert, vacuatio vniuerſi corporis; ſecunda reuellendi id quod parti laboranti influxit; tertia repellendi quod iam in fluxu eſt: quarta diſſoluendi ſi quid in capite reliquum fuerit. Hæc doctrina eſt Galen. *in cap. 95. artis medicæ*, quæ non ſolum ad dolorem, ſed ad cæteros omnes affectus, qui cunque ex fluxione originem habent, poteſt ac debet accommodari.

Indicationes.

Methodus ſeruanda in quolibet morbo ex fluxu orto.

Porro videndum, an hiſce indicationibus liceat ſatisfacere. Et ſi ſint nonnulli dolores capitis antiquiores, qui propemodum à materia frigida & craſſa oriuntur, proptereaque aut difficulter, aut nulla ratione curantur: tamen dolor quem tractamus in præſentia, nobis omnem ſalutem promittit. Itaque ad rem aggrediamur, & quatenus pertinet ad primam indicationem, nempe ad communem corporis vacuationem, omnes probant ſectionem venæ, quoniam inquiunt ſanguis abundat: ego vero id confirmo, ſi morbus fuerit magnus, ſi vires fuerint robuſtæ, ſi ætas concedat.

Prognoſtic.

Venæ ſectio.

Verum hic quæras aliquis, ſi propter ætatem vel aliam cauſam non liceat venam ſecare, quidnam agendum Huic reſpondet Galenus. 2. *medic. ſecundum locos.* 1. aluum clyſtere acri ducendam eſſe, partim vt ſuperflua excrementa extrahantur, partim vt humores qui inde ad locum læſum ſolent ferri, reuellantur. Medici autem noſtrorum temporum ſtatim confugiunt ad ſuas ſcarificatas cucurbitulas: de quo vſu vel potius abuſo, diximus in noſtra diſputationes. Illud vnum dico cum Galeno. 13. *metho.* 19. & *lib. de ſcarificatione*, cucurbitulas purgatis prius corporibus vtiles quidem eſſe, ſed in plethoricis omnino prætermittendas. Et ſi quis ſit quis putet, Galenum cucurbitulas tantummodo non ſcarificatas intelligere, is eundem audiat apertè docentem, cucurbitulas & ſcarificatas, & non ſcarificatas nunquam principio morbi neque ſine

Quando non licet venam ſecare quid agendum. De cucurbitul. non mod. uſu.

præce

præcedente totius corporis euacuatione admini ſtrandas eſſe. Illius verba hæc ſunt *de ſang. miſſ.* 19. *Incipientes & vigentes capitis grauitates, & dolores ex plenitudine, reuulſio per cucurbitulam in occipitio poſitam, vel ſola, vel cum ſcarificatione iuuat, verum totum corpus antea vacuatam eſſe oportet.* Itaque ſi contingat vt propter aliquod impedimentum non liceat venam ſecare, ego puto cum Gal. aut clyſteribus acrioribus agendum, aut ſectioni venæ ſcarificationem malleolorum ſubſtituendam eſſe.

Quæ vena ſecanda.

Sed quænam vena ſecanda eſt? Auic. probat ſectionem venæ ſaphenæ in crure, aut venoſarionem in cruribus, qui tunc ſine dubio vnius reuulſionis videtur rationem habuiſſe. Gal. autem perpetuò ſecat venas ſuperiores, ac maxime cephalicam, ſeruata rectitudine partis capitis dolentis, propterea quia æger non ſolum reuulſione, ſed etiã vacuatione indiget: quam determinationem omnes laudant.

Quantitas ſanguinis.

De quantitate ſanguinis nil certi ſtatui poteſt, ſiquidem ille vel copioſius, vel parcius mittendus, pro ratione plenitudinis, habitus corporis, temperamenti, regionis, temporis anni, & ſimilium. Verum ſi plenitudo fuerit inſignis, & communis toti corpori, ne timeatis copioſe ſanguinem mittere ad 12. 50 & plures vncias, exemplo Galeni, quem legimus *in lib. de ſang. miſſ.* 17. vnica die quatuor ſanguinis libras detraxiſſe. Præterea ſemelne an partite ſanguis ſit detrahendus, ad hoc Gal *cap. præcedente* 26. generale tradit præceptum, nempe in omnibus morbis vtile eſſe, vt poſt moderatam ſanguinis detractionem iterum ſanguis auferatur, aliquando quidem eodem die, aliquando poſtridie, niſi quando nobis propoſitum fuerit, vſque ad animi deliquium ſanguinem mittere: namque ita partita vacuatione, natura minus patitur. Et quatenus pertinet ad reuulſionem, idem Galenus docet *cap. 12. & 4. de tuenda val.* 8: hanc reuulſionem eo fieri efficaciorem, quo maiorem in numerum detractiones auctæ fuerint: ſiquidem natura toties irritata, ea quæ ad partes laborantes confluunt, maiori cum impetu aſſueſcit in contrariam partem depellere.

An ſemel. an ſæpius.

Vtrum alias à cubito liceat ſecare venas.

Sed rurſus quærat aliquis, vtrum præter venas in cubito, liceat alias quoque venas ſecare? Cui reſpondet Gal. ex Archigene 5. *de med. ſecand. locos* 2. ſi dolor capitis perſeueret, venas quoque naſi & frontis incidendas eſſe, quarum quidem venarum ſectione omnes præclari Medici tum in dolore capitis ex ſanguine, tum in aliis morbis cerebri, phrenitide, &c. familiariter & feliciter vtuntur: quibus præterea addi poſſunt & venæ aurium, ex quibus vel cum hirudinibus, vel aliter, multi hoc tempore ſolent, & non ſine magna vtilitate ſanguinem mittere. Verum id memoria tenendum, non licere ad huiuſmodi particulares venas deuenire, niſi primum vena cubiti & totum corpus vacuatum fuerit.

Vtrum debeat aluus lenitio præcedere.

Vltimo quæritur, vtrum ante miſſionem ſanguinis ſit neceſſe aluum lenire, vt ſolet fieri? Ad hoc reſpondeatis ſi aluus non fuerit adſtricta, iſtud non fore neceſſe; at ſi aluus adſtricta fuerit; vel coniiciamus in ventriculo & inteſtinis excrementa contineri tunc optimum fore, ante miſſionem ſanguinis eam vel clyſtere, vel leniente etiam medicamento lenire. Cuius exemplum ſit.

℞. *Flor. caſſia* ℥ *ij.*
Specierum hiera ſimpl. ℈. *ij. Miſc.*

Sed neque importuna forent, ſyrupus roſatus, & violatus ſolutiu, thamarindi, pruna, myrobalani, quorum Rhaſes in præſenti cap. mentionem facit. Et ſi quis obiiciat, nullum reperiri medicamentum, quod ſanguinem purget: reſpondeatis, hæc medicamenta purgare acria quædam excrementa, permiſta ſanguini, adeo vt hac ratione ſanguinis copia minuatur, & ille hoc modo purior reddatur.

II. Indic.

Secunda fuerit indicatio. reuellendi humores & vapores fluentes ad caput. Et quanquam inter omnia præſidia reuellentia, ſectio venæ principem locum obtineat: tamen neque alia deſunt. Humores igitur poſſunt ad aliquam partem ferri, vel ab aliis partibus ad illam compulſi, vel ab ipſa attracti. Aliæ partes propria vi expellunt, quæcunque aut quantitate, aut qualitate, aut vtroque modo illis noxia ſunt: aliæ ex propriã imbecillitate recipiunt. Attractio vel ratione ſimilitudinis à tota ſubſtantia, ſicut faciunt purgantia medicamenta: vel ratione vacui, quod in qualibet partis vacuatione contingit: vel ratione caloris & doloris. Quod enim ad partem calefactam vicini ſucci vel trahantur, vt placet Galeno, vel confluant, vt Archigenes cenſuit, illud euidenter cernitur. At vero quæ dolent, etſi ea quoque conſpiciuntur ex dolore phlegmonem pati, non tamen ita facile eſt huius rei cauſam inuenire. Sententia autem Galeni eſt huiuſmodi, eam naturæ facultatem, quæ excretrix dicitur, tunc fungi ſuo munere, cum triſte aliquid perſentit, vnde cum dolor inter cætera potiſſimum naturam contriſtet, hinc fit, vt particulæ proximæ verſus dolentem particulam ſeſe comprimant, humoreſque ad illam tranſmittant, ex quibus deinde phlegmone excitatur.

Quatuor modis fit attractio.

Dolor quomodo attrahat.

Hæc diffuſe declarantur à Galeno *in lib. de naturalibus facult.* 2. *de diff. feb. vltimo.* 13. *meth. med.*

Nobis autem hæc ſint ſatis. Iam ad particularia præſidia veniamus.

Præmiſſa igitur ſectione venæ, primum occurrunt medicamenta, de quibus iam diximus: ſecundo ſunt acria clyſteria, quæ conficiuntur ex decocto furfurum, centaurio minore, colocynthide, & ſimilibus.

Clyſterium acre.

℞. *Foliorum betarum.*
Furfurum, ana M j.
Centaurij minoris M. ß.
Palpa colocynthidos ʒ j. ß.
Decoquantur.
℞. *Huius decoctionis lib.* j.
Hiera compoſita ℥. j.
Mellis roſati,
Olei chamameliui completi, ana ℥. j. ß. *Miſ.*

Glandes acres.

Glandium acriorum ſit hoc exemplum,

℞. *Specierum hiera ſimpl.* ℈. ij.
Palpa colocynthidos ℈ j.
Salis gemma ℈ ß.
Mellis q. ſaſ. Miſce.

Tertio ſunt cucurbiculæ & ſcarificatæ, & non ſcarificatæ. Poſtremo ſunt balnea & lotiones extremarum partium, cum aqua calidiore. Ex quibus variis modis reuellendi quandoque vno quandoque pluribus, quandoque omnibus Medici vti conſueuerunt: quæ quidem omnia partim ratione vacui, partim ratione caloris & doloris reuellendi facultatem habent.

III. Indicatio

Hoc ipſo tempore tertia ſeſe offert indicatio, repellendi influentes humores à capite, id quod faciunt medicamenta frigida actu & potentia, & quæ ſimul adſtringendi vim habeant, vt docet Gal. 5. de ſimp. med. facul. 17 Hæc autem plurima ſunt ſed principale eſt oxyrhodinum, quod ex oleo roſaceo & aceto conficitur, adeo vt Medici in affectibus capitis, reliquis omnibus repellentibus prætermiſſis, ſolo fere oxyrhodino contenti ſint, De quo quidem tam inſigni ac frequenti remedio neceſſe eſt nonnulla vos intelligere, quæ ad illius exactam compoſitionem & adminiſtrationem pertinent,

De oxyrhodino.

Rhaſes, Meſuë & recentiores prope omnes, illud

ſolent conficere ex aqua roſacea, oleo roſaceo, & aceto: Nam vulgo accipiunt

Aquæ roſatæ ℥. iiij.
Olei roſati ℥. ij.
Aceti ℥ j.

In qua mixtione nonnulli minus probant aquam roſaceam, propterea quod non careat adſtrictione, & valeat medicamenti penetrationem impedire. Gal. autem & Græci oxyrhodinum conficiunt ex oleo roſato & aceto, hoc modo vt quatuor partibus olei vna pars aceti permiſceatur, ſicut docet liber Galeno adſcriptus, *de medicam, facile parabilibus*: quæ tamen mixtionis ratio, mea ſententia, perpetuo ſeruanda non eſt, ſiquidem pro diuerſitate ætatis, ſexus, temperamenti, habitus corporis, nec non morborum & humorum peccantium, expedit acetum nunc imminuere, nunc augere. Verum neque illud oportet ignorare ex Gal. 2. *de medicamentis ſecundum locos* 1. oleum roſaceum, pro conficiendo oxyrhodino, non ex communi oleo, ſed omphacino, id eſt non perfectè maturo ac recenti, vel eo ipſo anno confecto, præparandum eſſe, roſis quamplurimis ad illius perfuſionem præparatis: quas quidem roſas nonnulli aromatarij hoc tẽpore non perfectè maturas ſolent accipere, vt hoc oleum omni ex parte maiorem repellendi vim habeat: ſicut contra oleum roſaceum, quod vulgo completum appellant, ex oleo maturo, nec non roſis, quæ ad integram maturitatem peruenerunt, ſolent præparare. Sic acetum, quod propter eam tantummodo cauſam adhibetur, vt oleo roſaceo faciliorem tranſitum & penetrationem præbeat, admodum acre eſſe non debet, ſiquidem inſignis acrimonia ſine alicuius caliditatis participatione non poteſt conſiſtere. Quod ſi tandem velitis adhuc magis refrigerare, licet cum Gal. oleo & aceto permiſcere ſuccum ſemperuiui, portulacæ, lactucæ, & ſimilium, quod ego frequenter facio.

℞ *Olei roſati omphacini* ℥. iiij.
Succi lactucæ,
Aceti roſati, ana ℥. j. *Miſc.*

Hæc autem accuratè oportet inter ſe miſcere & agitare, donec omnia vnum fiant, vt Rhaſes notauit, in qua tamen mixtione vulgares Med. deficiũt.

Applicatio oxyrhodini. Sed dubium eſt, cuinam parti debeat apponi, Paulus id apponit fronti & temporibus, quem nonnulli hoc tempore imitantur. Galenus autem docet, regionem capitis iuxta ſinciput, propter laxitatem coarticulationis, iuxta ſuturam coronalem, nec non propter oſſium tenuitatem & raritatem, tum caliditatem, tum frigiditatem medicamentorum facile intro recipere. Imo vero 13. *meth.* 22. inquit, non ſolum qualitates, ſed etiam ſubſtantiam medicamenti, ſi tenuis fuerit, intra cranium facile tranſmitti, quod in ſeipſo teſtatur expertum fuiſſe, quare illorum Medicorum inſtitutum probat, qui ſiue caliditatem refrigerare, ſiue frigiditatem calefacere oporteat, ad hanc maxime capitis partem, accepta quaſi per manus à primis inuentoribus ratione: medicamenta ſolent accommodare.

Altimari error. Quo loco non poſſum diſſimulare turpem & dignum riſu errorem Altimari, qui *cap.* 10. de dolore capitis ex calore dixit, oxyrhodinum perfundendum eſſe iuxta frontem, vbi piloſa pars deficit, & iuxta vtrumque eius latus, vbi pili ad aures nectuntur: quæ quidem verba ille accepit, ac more ſuo, ad verbum tranſcripſit ex Galen. ſed ſenſu plane deprauato; & à Galeni mente alieno. Namque Galenus, cuius diligentiam vbique licet admirari; volens excellentem quendam modum perfuſionis roſacei nos docere, nẽpe ſi illud ex altiori loco in caput delabatur, & quaſi guttam vel ſtillicidium recipiat, vult vt fiat quædam veluti corona ex laneo faſciculo in orbem circumpoſito, quæ ad caput accommodatur; illudque circumdet ex parte anteriore, vbi deſinit pars capillata, ex lateribus ſupra aures, in parte autem poſteriore verſus occiput: quo quidem artificio primum oleum perfuſũ longiori tempore loco adhæret, deinde reliquæ partes, quæ non indigent huiuſmodi perfuſione, defenduntur, ne ab occurſu medicamenti frigidi lædantur, præterquam quod partes quoque inferiores, facies, oculi, & reliquæ, ita ab omni inquinamento immunes ſeruabuntur. Quæ Gal. ſententia eſt adeo plana & aperta, vt planior eſſe nequeat: bonus autem Altimarus, quæ Gal ait de frõte aurib & occipite, quib. lana debeat circũponi interpretatur quaſi ea oxyrhodino debeant perfundi, quod neq; Galen neque alius quiſpiam ſomniauit.

Demum de oxyrhodino id quæritur, verum actu frigidum, vel aliter debeat adminiſtrari? Ac ſanè Galenus docet apertiſſime, illud non ſolum actu frigidum, ſed etiam aqua frigidiſſima, niue, & omnibus modis refrigeratum, adminiſtrandum eſſe cui Rhaſes, Auicenna & alij quamplurimi conſentiunt. Altera autem ex parte neque deſunt, qui aliter ſentiant, ex quibus eſt Aetius, qui *libro ſexto* 2. in phrenitide oxyrhodinum tepidum apponit, additque rationem, quod neque frigiditas, neque caliditas periculo careat: ſiquidem frigidum denſat meatus & ſuperfluitates in capite non permittit diſcuti: quod vero eſt valde calidum, feruorem duplicat: quare ita ſtatuit, roſaceum cum modico aceto æſtate quidem exactè tepidum, hyeme vero moderate calidum adhibendum eſſe. Ego autem magis probo determinationem Galeni, qui ſumpta indicatione ab humoribus cap. 15. 1. *ad Glauc.* 15. docet in copia frigidiorum & crudiorum humorum, veluti in lethargo, tepidis, in calidioribus & bilioſioribus, veluti in phrenitide, frigidis capitis perfuſionibus, vtendum eſſe. Atque hæc de oxyrhodino. *Verum actu frigidum ſit adminiſtrandum.*

Poſt hæc omnia, ſi capitis dolor longius protrahatur, poſtrema reſtat indicatio, nẽpe diſcutiendi reliquias humorũ, & corroborandi ipſum cerebrũ. Ad quam indicationem ſunt accommodata medicamenta externa, oleum chamæmelinum, laurinum, liliorum alborum, lotiones ex decocto betonicæ, chamomillæ ſtæchados Interna autem, aromaticum roſatum, diambra, mithridatium, & ſimilia. *Indicatio vltima.*

Sed ſtatim quis obiciat, iſthæc eſſe calidiora, & propterea in dolore capitis calido non ſatis conuenire: Cui reſpondeatis cum Galeno 13. *metho.* 21. hæc medicamenta nonniſi in contumaci dolore conuenire, quo tempore iam diſſolutis partibus tenuioribus remanent partes craſſiores & frigidiores, pro quarum diſſolutione calida medicamenta requiruntur. Ad quem modum Galenus, in phrenitide caſtoreo, & alijs id genus calidis medicamentis vtitur.

Victus vnico verbo ſit refrigerans, qui parum nutriat, & paucum ſanguinem generet; itaque æger abſtineat a carnibus, vino, ouis: vtatur ptiſana, herbis refrigerantibus, præcipue lactucis fructibus item refrigerantibus & ſimilibus; quieſcat corpore & animo Somnus maxime confert ad tollendos dolores: itaque ſi vrgeant vigiliæ, ſomnus concilietur; quotidie aluus, ſiue ſponte, ſiue arte, excrementa deponat. Caueat ab animi pathematis, maximè ab ira. Et hæc de dolore capitis ex ſanguine. *Victus ratio.*

Rhaſes in curatione huiuſmodi doloris primum ſecat venam cephalicam, ſeruata rectitudine partis dolentis: deinde inſtituit oxyrhodinum ex aqua

Digitized by Google

ex aqua roſacea, oleo roſaceo & aceto, quæ iuber diligenter permiſceri: ac demum illud niue refrigeratum capiti imponit: in quibus non deuiat à doctrina Galeni, præterquam in aqua roſacea. *Error Rhaſis in victu.* Poſtea Rhaſes inſtituit victum, ex iis quæ diximus. Præterea addit lentes & crocum, quæ non ita videntur conuenire. Namque apud Galenu. 2. *de alim. facultat.* necnon 6. *Epid.* 5. 33. lentes quidem parum nutriunt, ſed non ſunt alimentum frigidum: præterea tarde coquuntur, craſſumque & melancholicum ſuccum generant, habentque facultates contrarias, alteram mouendi, alteram cohibendi aluum. Sic crocus inſigni ſuo odore, vt ſcribit Galenus 2. *de med. ſecundum locos, cap. de iis qui ex ſtomacho capite dolent*, ſolet multis caput replere & offendere: itaque non conuenit. Demum inſtituit medicamentum ex thamarindi, myrobalanis, prunis: & ſit exemplum ad mentem Rhaſis.

℞ *Pulpa thamarindorum* ʒ. iij.
Myrobalanorum citrin. ʒ. ij.
Prunorum num. XV. Fiat decoctum.
℞ *Prædicti decocti* ℥. v.
Syrupi roſati ſol. ℥ j. ß. *M.*

Quod quidem medicamentum ab omnibus Medicis Arabibus pro mundificando ſanguine maxime probatur.

De dolore capitis ex bile.

Signa. IN cognitione & curatione doloris cap. ex bile, eandem methodum ſeruabimus, quam ſuperiori capite. Igitur ſigna ex ſymptomatibus illa ſunt, à qualitate doloris, qui eſt actio læſa: ille non eſt cum grauitate, ſed cum mordicatione, quoniam materia eſt acris & mordax, dolorque eſt admodum inſignis, cum bilis inter omnes humores ſit calidiſſima, ac vehementiſſimos dolores efficiat. Quod ſi materia cerebri membranas occupauerit, dolor erit pungitiuus, adeiunt vigiliæ, oris amaritudo, ſitis & ſimilia, quæ omnia copiam bilioſi humoris ſolent indicare.

Secundo à colore, qui eſt qualitas corporis mutata: color enim eſt pallidus, & quoquo modo ad flauitiem tendit.

Tertio ab excuntibus mutatis, quæ exeunt ex narib ex ore, veſica, cætera omnia quæ bilem demonſtrant.

Deinde ſunt ſigna ſecundi ordinis, quæ potiſſimum ſumuntur ex cauſis præcedentibus ſi æger vſus fuerit alimentis acribus, calidis, vinis dulcibus, vinoſis, &c. ex quibus facile copia bilis potuit generari: ſi æger diu vigilauerit: ſi plurimum ſe exercuerit: ſi conſueta bilis vacuatio, aut per vomitum, aut per aliam partem fuerit retenta.

Tertio diſcurratis per alia quoque ſigna tertij ordinis, quæ tamen minus certa exiſtunt, & colliguntur ex Gal. 2. *de med. ſecundum loco* 1. ex regione, tempore anni, temperie, corporis habitu, ætate, conſuetudine, tempore acceſſionis.

Curatio. Venio ad curationem, in qua quatuor illæ indicationes ſeſe offerunt; generalis vacuationis, reuellendi, repellendi & diſſoluendi materiam noxiam, quæ dolorem efficit.

I. Indicatio. Quatenus ad primam pertinet, etſi plurimæ ſint rationes vacuandi totius corporis: inedia, exercitationes, frictiones, &c. tamen hæc omnia ſunt leuiora, neque niſi longiori tempore id præſtant: quare omnino inſigni aliquo remedio opus eſt, quod & velociter & efficaciter id præſtare poſſit. *Vtrum conueniat vena ſectio.* Inter cætera autem eſt dubium, vtrum conueniat ſectio venæ, in qua quam plurimi oſtendunt, ve neque in cæteris morbis bilioſis tale remedium conuenire, quod ex vna parte humor à natura ſanguinis ſit alienus, ex altera ſanguis ſit moderator, ac veluti frænum bilis, vt propterea redundante huiuſmodi humore ſanguinis miſſio non ſolum inutilis, ſed ſæpenumero pernicioſa cenſenda ſit. Ex quo Auicenna & recentiores prope omnes ſtatuunt, ſanguinis miſſionem in morbis bilioſis tunc opportune adminiſtrari, quando ſimul cum bile ſanguis redundat, aliter ſanguinem importune mitti. Ego vero qui alias hoc tractaui, id vnum dico, tres duntaxat eſſe principes ſcopos mittendi ſanguinem, qui & ad omnes humores, & ad omnes morbos pertinent. Imo vero illud addo, ſi dolor fuerit vehementiſſimus; quales potiſſimum ſolent eſſe dolores bilioſi, nullum præſtantius remedium inueniri ſectione venæ, & ea quidem copioſa, quandoque vſque ad animi deliquium: quæ doctrina ex Galen. comm. 1. *aphor.* 23. deſumpta eſt. Itaque etſi redundat bilis, dummodo coniiciatis, ægrum id remedium poſſe perferre, non timeatis primo quoque tempore venam incidere, vel baſilicam, ratione iecoris, vel cephalicam ratione capitis, vel mediam, quæ vtriuſque partis rationem habet. *Qua vena ſecanda.*

Si velitis aluum lenire, caueatis à manna, & cæteris id genus dulcioribus medicamentis: quæ facile vertuntur in bilem, niſi illis permiſceatis vel acetum, vel thamarindos, vel quid ſimile. Sic caſſia foret præſtantiſſima. *Lenient. medicam.*

℞ *Flor. caſſia nouiter extr.* ℥ j.
Pulpa thamarindorum ℥ ß.
Specierum diarhodon ℈ ij. *Miſc.*

Secta vena & lenita aluo protinus ad reuellentia confugiendum eſt, de quibus ſatis dictum. Sed tamen notandum, Auicennam non probare clyſteria acria, ſed leuiora, ne iecur & totum corpus magis calefiat: contra autem Gal. 1. *ad Glau.* 15. in dolore capitis, in quo propter magnitudinem febris plurimi vapores & humores diffuſi ac veluti efferueſcentes in caput aſcendunt, clyſteribus acrioribus vtitur; ſiquidem clyſteria leuia nihil reuellunt. Veruntamen cautè, mea ſententia, incedendum, adeo vt clyſteria neque ſint acerrima, neque frequentiſſima: quia adhibita moderatione nullum videtur periculum imminere, & ita neque Auicenna abſtineret ab iis. Sed præ cæteris reuulſionibus apud nonnullos ſunt familiares hirudines, ad venas hæmorrhoidales appoſitæ, qui ſine vlla diſtinctione in quolibet dolore capitis, & quolibet capitis morbo, & à quocunque humore ille pendeat, huiuſmodi vacuatione familiariter vtuntur: qui quidem præter Galeni diſciplinam, & malè agere mihi videntur. *II. Indicatio.* *An hæmorrhoides aperienda.* Namque Galenus exponens aphor. Hippocr. 21. 6. *Inſanientibus ſi varices vel hæmorrhoides ſuperueniant. &c.* hæc habet in commēt. *Hic Hip. inſaniam illam intelligit, quæ propriè melancholia dicitur, non illum qui ſit ex bile furorem; namque ſi quis propter copiam bilis inſaniat, vel aliter laboret, huic neque varices, neque hæmorrhoides ſuperuenientes poſſunt aliquam vtilitatem afferre.* Quod ſi fluentes hæmorrhoides inſaniam ex bile nequeunt iuuare, quanta cum ratione & vtilitate in dolore capitis, in phrenitide, & aliis morbis ex bile oriundis, plerique omnes hoc tempore illas aperiant, ipſi videriut.

Ex tertia indicatione ad medicamenta repellentia deueniendum eſt, inter quæ oxyrhodinum præſtantiſſimum eſt, illud quidem valde frigidum: vnde præparetur oxyrhodinum, vel illud ſimplex ex oleo roſaceo omphanico & aceto, vel præterea additis ſuccis portulacæ, lactucæ, quibus frigidius adhuc redditur. Quoniam vero hu- *III. Indicatio.*

Digitized by Google

mor calidiſſimus & ſicciſſimus eſt, ac plerunque vigiliæ vrgent, aceto admodum parce vtendum eſt, cum facultate & ſiccandi, & nonnihil etiam calefaciendi prœditum ſit: quare exempli gratia ℥.v. olei & ſuccorum ſatis fuerit ℥. ß aceti permiſcuiſſe.

IV. Indic. Secta vena, adhibitis reuulſionibus, medicamentiſque repellentibus, ſi dolor procedat longius, ex poſtrema indicatione diſcutienda eſt materia quæ reſtat, quod calida perficiunt medicamenta, neque præter rationem, tametſi humor noxius ſit calidus: quo quidem tempore ſi caput, forſitan etiam corpus totum bile ſcateret, poſt apparentem coctionem de illius purgatione foret cogitandum, per ſyrupos concoquentes & purgantes.

Præparatio bilis.

℞. *Syrupi roſati recentis* ℥ j. ß.
Decoctionis florum neuupharis,
Acetoſæ,
Cichorei ℥ *IV.* M. *pro ſyrupo.*

Exemplum medicamenti.

Purgatio bilis.

℞. *Electuary de ſucco roſar.*
Vel electuary roſati Meſue ℥ ß.
Syrupi roſati ſol. ℥. *iij.*
Decoctionis ſupraſcripta q. ſuff. M.

Victus ratio De victu non eſt vt longius agamus; ſiquidem vna fere & eadem victus ratio conuenit in vtroque dolore, tam ex ſanguine, quam ex bile, nimirum humidior, cum certum ſit flauam bilem ſanguine ipſo multo ſicciorem eſſe.

Textus Rhaſis poteſt diuidi in duas partes. In nobis duo ſunt humores calidi, ſanguinis & flauæ bilis. Itaque ſi calidus humor redundat, neque apparent ſigna ſanguinis, reſtat vt ſi flaua bilis: & quoniam redundante huiuſmodi humore, adeſt neceſſitas euentandi calorem naturalem, ideo ſimul pulſus fiunt velociores In ſecunda particula inſtituitur curatio, quæ in plures partes poteſt diuidi, vt varia remedia continet. Sic inſtituit primũ ſolutionẽ ventris, & quib. in principio morborum, ſuis minoratiuis vtitur: deinde vult ea fieri, quæ paulo ante dixerat, de oxyrhodino nempe: rum varia medicamenta inſtituit, oleum violatum, cucurbitæ, &c. quæ refrigerata cum niue, ægri naribus iniiciantur: ac poſtremo, ſi dolor multum inualeſcat, inſtituit linimentum ex opio & camphora, quæ diſſoluta in oleo de ſalicibus, in nares & aures iniicienda ſunt.

De dolore capitis ex pituita.

De dolore ex pituita. Signa. IN dolore capitis ex pituita ſigna ſumpta à ſymptomatibus ac reliquis. Certiora illa ſunt: primum dolor eſt cum grauitate ſine mordicatione, neque ſolet eſſe admodum vehemens, niſi forte pituitæ coniungantur flatus, tũc enim membranæ diſtenduntur & ſequuntur dolores vehementiſſimi, ſicut frequenter euenit in doloribus colicis, ſenſus omnes ſunt perturbati, æger ad ſomnum eſt procliuis, non ſitit. Secundo ex qualitate corporis mutata, color faciei pallidus eſt, & ad albedinem declinat, frigiditas ad tactum perſentitur, ſicut in dolore ex ſanguine & flaua bile calor perſentiebatur. Tertio ab exeuntibus immutatis; excrementa omnia quæ exeunt per os, per lotiũ, &c. alba ſunt & cruda, quãdoq; frigida actu, quæ pituitæ redundantiam ſignificant. Iis ſuccedunt ſigna ſecunda ordinis minus certa, ex cauſis præcedentibus: æger otioſe vixerit, nimio ſomno indulſerit, alimentis frigidis & craſſis vſus fuerit, ſi conſueta aliqua pituitæ vacuatio, aut per vomitum, aut per aliam partem retenta fuerit. Ad ſigna tertij ordinis pertinent aër, cœli & anni conſtitutio, regio, temperies, ætas, conſuetudo, quæ ſi declinent ad frigidum & humidum, copiam pituitæ valent indicare: quibus demum addatis & horam acceſſionis: cum dolor noctu intendatur, quo tempore potiſſimum mouetur pituita. Sed præter hæc omnia ſigna Rhaſes aliud adiungit, nempe dolorem antiquum eſſe: & ratio eſt manifeſta, quoniam frigidior & craſſior materia non niſi difficile & longo tempore à natura ſuperatur; quæ eadem videtur fuiſſe ſententia Galeni 2. *apho.* 39. qui generaliter affirmat, morbos frigidos omnes diuturnos eſſe: cui conſentit Auicenna 1. 3. tract. 2. cap. 38. per hæc verba. *Ægritudo cuius tempus prolongatum eſt, frigida eſt ſecundum omnem diſpoſitionem, & indiget reſolutione, & quod calefaciat cum fortitudine.* Ac forte idem voluit Hip. 6. *epid.* 8. Contra vero Galen. 2. *de med. ſecundum locos*, tractans cephalæam, inueteratum & contumacem capitis dolorem, ex facili occaſione habentem maximas exacerbationes, ita inquit: *Vbi frigidior & crudior fuerit humorum multitudo, remedia tepida: vbi autem calidior fuerit & bilioſior, remedia frigida adhibenda eſſe.* Itaque per Galenum reperitur morbus antiquus, qui ab humore calido & bilioſo originem habet: id quod experientia confirmat, cum videamus aliquando, exempli gratia, ex fluxione bilis ad aliquam partem dolores vehementiſſimos fieri, & quotidie exacerbati. Ad hanc difficultatem reſpondeatis, morbos, ſicut ſupra diximus, eſſe duplices; vel proprios alicui parti: vel per conſenſum tales eſſe. Itaque morbi proprij ſi fuerint antiqui, neceſſario fiunt à cauſa frigida, atque de iis Hip. Gal. & Auicenna intelligunt: ſin autem fuerint per conſenſum alicuius partis, tunc non ſolum à cauſa frigida, ſed etiam à cauſa calida poſſunt prouenire, ſicut propoſito exemplo fluentis bilis à iecore calidiore, manifeſte comprobatur: vnde cum Rhaſes tractet de dolore capitis proprio, neque illius ſignum vetuſtatis reiiciendum eſt. Hactenus de ſignis, venio ad curationem.

Indicationes ſunt illæ quatuor iam dictæ, 1. vacuandi totius corporis. 2. reuellendi. 3. repellendi. 4. diſcutiendi materiam noxiam. Quatenus ad 1. pertinet, hic non conueniunt exercitationes, non balnea, non frictiones, quod hæc leuiora ſint & tardiora, præterquam quod in copia crudorum humorum magis obſunt, quàm proſunt: bene conuenit inedia, quæ in dolore bilioſo vituperatur, quod inedia ad coctionem pituitæ vehementer faciat. Deinde omnium conſenſu conuenit purgans medicamentum: ſed mea ſententia, non niſi apparente humorum coctione. *1. Indicatio.*

Ad coctionem ſunt optima mel roſaceum, oxymel ſimplex, ſyrupus de betonica, de ſtœchade: decocta betonicæ, ſaluiæ, hyſſopi, &c.

℞. *Mell. roſati colati,*
Oxymellis ſimp.
Syrupi de betonica, ana ℥ ß.
Decoctionis ſaluiæ,
Hyſſopi ℥. *iiij. Miſc.*

Purgantia medicamenta ſunt plurima, & ſimplicia & compoſita: agaricus, turbith, trochiſci alhandal, id eſt, colocynthis præparata, electuarium diaphœnicon, hiera diacolocynthidos, ſed inter cætera pilulæ cochiæ, quæ hoc loco à Rhaſe deſcribuntur.

Purgans potus.

℞. *Electuary diaphœnicon.*
Hiera diacolocynthidos, ana. ʒ. *ij.* ß.
Mellis roſati ſol. ℥. *ij.*
Decoctionis ſupraſcripta. q. ſuff. M.

Si quis cupit habere exemplum medicamenti lenientis, quod ſtatim in principio licet exhibere; in bolo caſſia cum hiera, in potione manna

cum melle roſaceo ſunt optima.

℞. *Flo. caſſiæ nouiter extracta ʒ. vj.*
Specierum hiera ſimplicis ʒ. iij. miſc.
In potionem.

Lenient.

℞. *Manna electa,*
Mellis roſati ſol ana ℥. ij.
Decoctionis ſupra ſcripta. q. ſuff. M.

Vtrum conueniat venæ ſectio. Verùm hoc loco nonnulli quærunt, vtrum liceat venam incidere, nec ne? quibus ea reſponſio danda eſt, quam ſuprà dedimus de ſectione venæ in humoribus billioſis, quæ pariter ad hunc humorem debet accommodari.

II Indicatio. Secunda ſequitur indicatio, quæ ad reuulſionem pertinet, in qua principem locum obtinent clyſteria & glandes acriores, ex ruta, centaurio minore, colocynthide, &c. Apud nonnullos maximè probantur & adminiſtrantur veſicatoria, quæ fortaſſe in hoc caſu minimè ſunt reiicienda ipſo tempore.

III. Indicatio. Ad repellentia & oxyrrhodinum veniendum eſt: etſi vulgares Medici hanc indicationem negligant; quod omnia repellentia ſint frigida & adſtringentia, quæ propterea dolorem & cauſam doloris, humorem frigidum, videntur poſſe augere: tamen iſti deuiant a doctrina Gal. 1. *ad Glauc.* 15. qui oxyrrhodino & repellentibus vti non veretur, & ſane propria ſunt illius verba: *In multitudine quidem crudiore & frigidiore tepidis, in calidiore autem & biliosiore, frigidis.* Quam eandem ſententiam repetit 2. *de med. ſecundum locos* 2. *ad principium*, ad quem modum in lethargo, qui pariter oritur ab humore pituitoſo, oxyrrhodino vtitur, 13. *metho.* 21. ſiquidem ille inquit, *humor quiſquis ille fuerit, repellendus eſt.* Sed in præſentia oxyrrhodino oleum quoque chamæmelinum poſſet permiſceri, vt frigiditas medicamenti quoquo modo remitteretur.

Euacuatio capitis. Demum ex poſtrema & quarta indicatione, quæ remanet materia diſcutienda eſt. Verum antequam ad hæc diſcutientia veniatis, optimum foret ipſum caput ſpeciatim euacuare, quod potiſſimum præſtant caput-purgia, quæ ex Galeno 5. *de ſimmed. facul.* 20. trahendi proprij humoris facultatem habent, & ſunt duplicia: nonnulla quæ naribus infunduntur & errhina appellantur; nonnulla quæ in ore agitantur & gargariſmata; aut dentibus manduntur, quæ apophlegmatiſmi dicuntur, & ſunt huiuſmodi: Radix pyrethri, gingiberis, folia rutæ, pulegium: gummata, inter quæ vſus obtinuit, vt maſtiche principem locum teneat, ex quibus varia fiunt medicamenta.

Maſticatorium.

℞. *Pyrethri ʒ. ij.*
Origani,
Pulegij, ana. ʒ. j.
Staphyd. agria,
Piperis, ana ʒ. ß miſc.

Hæc vel paſſulis, vel maſtiche ſolent excipi, & fit medicamentum tenax, quod ore maſticatum magnam copiam pituitæ detrahit.

Secundo loco ſunt medicamenta, quibus os proluitur vel gargariſatur, in quem vſum præparantur decocta ex herbis calidoribus, quibus poſtea permiſcentur, quæ incidēdi vim habeant. Vt,

Gargariſmus.

℞. *Origani,*
Pulegij,
Calamenthi,
Hyſſopi,
Fol. laurl. ana. M. ß.
Fiat decoctio.

R. *Prædictæ decoctionis lib. ij.*
Oxymellis ſimp. ℥. iiij. M. pro gargariſmate.

Tertio loco ſunt errhina, quæ item multiplicia ſunt, atque illa primum, ex quibus nares liniuntur, quale eſt modicum elaterij ad vnum vel alterum granum, cum oleo nardino, vel lacte muliebris, quod medicamentum validum eſt, & aliquando ſanguinem ducit: deinde ſunt quædam ſolidiora, quæ intra nares imponuntur, qualia ſunt radix betarum, cortex arantiorum, quæ ſunt leuiora: nonnulli vtuntur vehementioribus, prout res poſtulat, & ſit exemplum.

Errhinum.

℞. Ruta,
Origani,
Pulegij, ana ʒ. ß.
Elaterij, ℈. j.
Succi betarum q. ſuf. M. fiat & veluti quoddam ſuppoſitorium.

Circa vſum remediorum, quæ ad propriam capitis vacuationem pertinent, illud vnum reſtat maxima narratione dignum, minimè per vnam atque eandem partem perpetuo vacuationem faciendam eſſe, ſed quandoque vnam, quandoque alteram partem fore opportuniorem: ita quandoque apophlegmatiſmis, quandoque errhinis agendum ſit: quod quidem iudicium, vtrum hæc vel illa conueniant, ex ſitu partis laborantis faciendum eſt; ad quam ex communi præcepto nunquam trahere oportet, ſicut diffuſe docet Gal. 13. *meth.* 11. Ideoque ſi laborent fauces, palatum, lingua & reliquæ partes quæ ore continentur, præterea ſi purganda materia eſſet tenuis aut ſalſa, vel periculum immineret de ſputo ſanguinis, vel vlcere pulmonis, tunc errhina opportuna forent, apophlegmatiſmi autem non carerent periculo: contra vero ſi laborent oculi, tunc errhina importune, apophlegmatiſmi opportune adminiſtrarentur. *Delectus in caput purgiis neceſſarius.*

IV Indicatio, Vtrum calida & odorata conueniant. Poſtrema indicatio pertinet ad diſſoluendam materiam, ſi quæ reſtat in capite, in quem finem optima ſunt medicamenta calida & odorata, tam interna quam externa. Sed ſtatim quis obiiciat Hip. 5. *apho.* 28. Aromata capitis grauitatem efficere; quod Gal. auctore in Com. & ratio & experientia confirmat veriſſimum eſſe. Cui reſpondeatis, id quidem contingere, ſi quis ante vniuerſi corporis & capitis vacuationem illis vtatur: at vere poſt generalem corporis & propriam capitis vacuationem, hæc eadem materiam diſſoluere, & nullum capitis dolorem facere. Itaque in internis conueniunt diacyminum, diambra, diamoſchum, conſerua betonicæ; dianthos: ſed præ omnibus mithridatium & theriaca ſunt præſtantiſſima. Externa autem ſunt quampluima; moſchus, ambra, zibetum: 2. olea calidiora, laurinum, liliorum alborum: ſed reliquis ſunt præſtantiora, oleum de euphorbio & de caſtoreo: quod ſi bono euphorbio careatis, ſicut reuera noſtri Seplaſiarij carent, licet pro illo vti ſtercore columbino, ſicut vtebatur Galenus 3. *de compoſ. med. ſecundum gen.* 5. Antiqui vtebantur medicamentis compoſitis.

℞. *Origani,*
Pulegij,
Calamenthi, ana. ʒ. ß.
Caſtorei,
Stercoris columbin, ana. ʒ. j.
Cum oleo liliorum alborum cum aromatibus M. & fiant trochiſci, qui tempore vſus cum aceto vel oleo diſſoluantur,

Sic conueniunt decocta herbarum calefacientium, chamæmeli, ſtœchados, ſaluiæ cum ſeminibus aniſorum, &c. ex quibus caput lauetur & perfricetur. Hoc tempore ſunt nobis familiares aquæ thermarum calidiores, quales ſunt Aponitanæ.

Demum

Digitized by Google

Demum vero, quoniam meatus aurium pertingunt vſque ad membranas cerebri, ſolebant antiqui in ipſa quoque nonnulla acria medicamenta iniicere.

℞ *Euphorbij,*
Caſtorei,
Stercoris columbini, ana. ʒ j.
Cum oleo liliorum arborum ℳ.

Victus ratio. Victus ratio ſit calidior, alimenta ſint boni ſucci, facilis coctionis, quæ vtiliter condiuntur atomatibus: ægri præcipue abſtineant à vino, pro quo accipiant decoctum cinamomi, vel quid ſimile.

In litera Rhaſis ſigna ea ſunt: nulla rubedo, nullum indicium humoris calidioris, ægritudo antiqua. In curatione primo ſoluit ventrem cum pilulis cochiis, deinde inſtituit nonnulla olea, & alia medicamenta calidiora, quæ capiti affundantur, atque in nares & aures iniiciantur.

De dolore ex melancholia.

Signa. Signa à ſymptomatibus: ægri vigilant, & ſi dormierint, habent ſomnos confuſos & perturbatos, habent colorem nigrum vel liuidum, excrementa liuida: Et ſigna conſpiciuntur à præcedentibus cauſis, æger multis cogitationibus, curis, mœrore confectus eſt, frequenter comedit legumina, braſſicas, carnes ſalitas, vina craſſa, noua, &c. conſueta aliqua vacuatio melancholiæ ſuppreſſa eſt, quibus demum licet addere temperiem, ætatem, corporis habitum, &c.

Vena ſectio. Pro curatione ſuperiores indicatiooes etiam ſeſe offerunt: Quatenus itaque ad primam, ſi dolor vehemens & contumax, & cætera conſentiant, vena ſecanda vel cephalica, vel aperiendæ hæmorrhoides, ſi modo conſueuerint fluere. Sic materia prius coquenda, tum medicamento purganda eſt. *Coquentia melancholiam.* *Purgantia.* Ad coctionem faciunt Syrupus de fumo terræ ſimplex de borragine; decoctum buglosſæ cichorei, borraginis. Ad purgationem Syrupus de fumo terræ compoſitus de polypodio, confectio hamech: ſed intercætera pilulæ cochiæ, ac maxime ſi præparentur cum radicibus ellebori nigri, vt in præſentia preparentur.

℞ *Syrupi de fumo terræ ſimp.*
de bugloſſa,
roſati recentis, ana ℥ ß.
Decocti meliſſæ
boraginis ℥ iiij. Miſc.

℞ *Pilularum cochiarum cum elleboro. ℈. iiij*
Fiant pilulæ, & deaurentur.

Interea ex reliquis indicationibus adminiſtranda ſunt omnia genera reuulſionum, nec non repellentia & diſcutientia medicamenta, de quibus ſatis diximus.

Victus. Victus ſit alimentorum boni ſucci, & ad ſummam, calefaciendi & humectandi vim habeat.

De dolorib. ſine materia. Poſt abſolutos dolores capitis cum materia, id reliquum eſſet, vt de aliis ſine materia tractaremus. Verum quoniam in hiſce doloribus vnica ſeſe offert indicatio, per contraria cuiuſque intemperiei: ideo breuitati ſtudendo ſatis fuerit de nonnullis præceptis generaliter agere: quæ nos docet Galenus *in arte medica.* 39. *Præcepta.* Itaque pro exemplo intemperiem capitis calidam accipiamus, huic cauſa frigida contraria exiſtit: ergo primo ſciendum eſt, imprimenda eſſe medicamenta, quæ ſecundum potentiam, hoc eſt, re vera, minime ſecundum imaginationem poſſunt refrigerare.

Secundo, pro magnitudine intemperiei de conuenienti remedio ſtatuendum eſſe, adeo vt remedium æquali gradu morbo reſpondeat. Exempli gratia, ſi caput decem numeris maiori caliditate laboret, quam naturæ conueniat, cauſam pariter decem numeris refrigerantem oportet adhibere.

Tertio, ſi interna capitis pars doleat, proſpiciendum eſt vt remedij vis in itinere non ſoluatur: vnde frigidatis non ſolum debet tanta eſſe, quantam morbus requirit, ſed præterea quanta ex ſitu neceſſaria eſt, vt commode ad locum dolentem poſſit penetrare. In qua re non modo frigidatem ſed etiam materiam oportet animaduertere. Etenim ſi materia fuerit craſſarum partium, non admodum poterit intus penetrare imo contrarium præſtabit effectum; denſando ſuperficiem, ſibi præcludendo viam. Quod ſi ex tenuioribus conſter partibus, ſine dubio poterit ad profundas partes peruenire. De qua quidem indicatione à ſitu partium ac medicamentorum ad partes internas, diffuſe Gal. 2. *ad Glau.* 2 *Gradus medicamentorũ diuerſi.* Si quis cupit intelligere, quomodo huiuſmodi receſſus à ſtatu naturali, nec non varij gradus medicamenti poſſint cognoſci, is ad Gal. confugiat. 5. *de ſimpl. med. facul. ad finem*, qui ſingula medicamenta per quatuor gradus, ratione diſtinguit: vt calidum nominet primi ordinis id quod nos calefacit, non tamen euidenter, vt chamæmelum; quod autem manifeſte poteſt calefacere, ſecundi, vt abſinthium: at quod vehementer quidem, non tamen in ſummo calefacit, tertij, vt hyſſopus: ac demum quod ita calefacit vt vrat, quarti ordinis eſſe velit, vt euphorbium. Verùm præterea ſciendum eſt, ſingulos quatuor gradus in tres adhuc ordines diſtingui, prout medicamentum vnius ordinis, exempli gratia ſecundi quod manifeſte calefacit, magis vel minus calefaciendo, vel ad primum, vel ad tertium ordinem propius accedat vel quodammodo medium ſit. Quod de medicamentis diximus, idem de intemperaturis dicendum eſt. Exempli gratia: inprimo ordine calidus eſt, qui non euidenter eſt calidus; ſecundo, qui manifeſte eſt calidus, & ita deinceps.

Intemperies itaque calida ſine materia curabitur refrigerantib. Oxythodinum inter cætera optimum eſt, quod refrigerandi vim habet & propter partium tenuitatem facile poteſt penetrare; ſunt præterea odores frigidi violarum, roſatum, nenupharis: ſunt inunctiones ad tempora, ad nares, cum oleo roſato; violato, cum ſucco lactucæ, plantaginis, & ſimilium

Porro hic Rhaſes tractat de dolore capitis per conſenſum ventriculi, ſed admodum ieiune qui id tantum iubet vt per horam ante acceſſionem doloris æger aſſumat bucellam panis intinctam in vino granatorum, agreſte, aut ſimilum Quod loco ſciendum eſt, dolorem capitis per conſenſum fieri, vel à toto corpore, ſicut in febribus contingit, vel à parte aliqua determinata, præcipue vero à ventriculo, quem propterea veriſimile eſt, Rhaſem ex cæteris omnibus partibus elegiſſe. *De dolore ex frigore.* Vtcunque hæc ſe res habeat, ſiquidem legitoma curandi ratio potiſſimum conſiſtit in curatione partis conſentientis, ob id hæc prætermitto, Galenus *libro 2. de med. ſec. loca*, inter alia tetiam de *Plenitudo quid.* dolore capitis ex ardore agit & primo loco varia ponit Apollonij medicamenta, & ſimplicia, & compoſita: mox declarans qualiſnam ſit huiuſmodi ardor, inquit quandoque ſolam calidam intemperiem conſiſtere, quandoque humorum & vaporum multitudinem in caput ferri quam multitudinem docet fieri, aut ſolo ſanguine redundante, aut omnib. humoribus æque auctis. Pro quo ſciendum eſt ex Galeno *in lib. de plenitudine*

dine

dine, etiam 13. *meth.* 6. ſi vel ſolus ſanguis in corpore creſcat, vel omnes humores æquè augeantur, huiuſmodi augmentum plenitudinem diciſiu autem non ſimul omnes, ſed ſeparatim ſinguli humores creſcant, hinc altera conſurgit ſpecies plenitudinis, quam non abſolute vt priorem, ſed cum additamento vocant plenitudinem ſanguinis, vel bilis, &c. Verùm inter hos quatuor humores illud eſt diſcrimen, quòd cæteri tres aucti nullam poſſunt efficere plenitudinem, niſi ſimul cum illis ſanguis quoque augeatur: vnicus vero auctus ſanguis non ſolum facit plenitudinem cum additamento, ſed etiam quam Gal. abſolutè plenitudinem vocat: quod ſi altera ex parte alius humor à ſanguine, neque ſimul cum ſanguine creſcat., vt flaua bilis in regio morbo, huiuſmodi affectus non plenitudo nec ſimpliciter, nec cum additamento, ſed cacochymia, hoc eſt humoris vitium, dicitur. Poſt eſſentiam & cauſas doloris capitis ex ardore Gal. ponit ſigna: nam cutis aridior ad primum tactum apparet, ægri oculos rubeos habent, frigidiſque perfuſionibus gaudent. Tandem venit ad curationem iſthic loci videndam.

De dolore ex ardore.

Signa doloris capitis ex frigore contraria ſunt eis, quæ ex ardore: namque facies eſt decolorata, minimè contracta & arida, neque gaudent frigidis, neque ab illis iuuantur Hic dolor ex aëre frigidiore contractus, ſi recens fuerit, ſine multo labore curatur, ac ſolum oleum calidum, verbi gratia, rutaceum, ſyncipiti affuſum, quandoque hominem liberat: quod ſi vehementiori calefactione opus fuerit, accipiatur oleum euphorbicum, aliaque nonnulla medicamenta.

De inueteratis capitis affectionibus, calidis & frigidis, Gal. vnico verbo curationem inſtituit per pharmaca ad cutim capitis accommodata: quod vt commodè fiat, iubet pilos aut radendos, aut vſque ad cutim præcidendos eſſe: quæ quidem vtraque medicamenta & calida, & frigida, cum varia & multiplicia ſint, ait frigida eſſe deligenda ex iis, quæ eryſipelata curant, quale eſt ceratum roſaceum: calefacientia autem ex medicamentis calefacientibus componenda, inter quæ ſimpliciſſimum eſſe inquit, quod ex euphorbio præparatur, cuius deſcriptionem habetis *& hoc loco, & 3. de comp. med. ſecundum genera cap.* 3. Generaliter autem Gal. ad haſce affectiones probat ea medicamenta, quæ Methodici *μετασυγκριτικὰ*, hoc eſt, ex alto euocantia appellabant: de quibus & *priori lib.* & frequenter, ſed accurate *lib. 7. de comp. ſecundum genera*, tractatur.

Dolor capitis ex vino meraciori prouenit propterea quia ipſum caput vaporibus, quandoque etiam humoribus calida intemperie præditis repletur, idque potiſſimum euenit, ſi caput natura calidum fuerit: namque & ſine vini potione vapores iſti & humores ad caput facile & prompte ſolent ferri. Inſtituitur curatio ex duplici indicatione: altera vacuandi; ſi adhuc crudum vinum contineatur in ventriculo: quod præcipue fit per vomitum excitatum, aut aqua tepida, aut hydrelæo, altera refrigerandi & repellendi, qualia multa ſunt medicamenta, roſaceum per ſe, & cum aceto, aut bedetæ vel braſſicæ ſucco.

Duplex indicatio.

Braſſica.

Imo vero Galenus teſtatur folia braſſicæ calida macerata & capiti circumpoſita naturaliter & occulta quadam proprietate ebrietati reſiſtere: de qua contrarietate videatis Plinium *lib.* 17. *cap.* 24. & *lib.* 20. 9. Poſtea Galenus monet, in hoc dolore maxime ſtudendum victus rationi, qui ſit boni ſucci, facilis coctionis, &c. Inter quæ alimenta non prætermittenda neſciò quæ apparens repugnantia de palmulis: ſiquidem Galenus hoc loco iubet à palmulis abſtinere, cum dolorem capitis poſſint afferre: paulo autem poſt, nimirum *cap de iis, qui ex ſtomacho capite dolent*, palmulas, oliuas, vuas cum pane concedit. Nonnulli hanc repugnantiam ſoluunt ex Galeno *cap. 2. de aliment. facult. cap.* 26. qui ſcribit, palmulas eſſe duplices, quaſdam ſiccas, quaſdam recentes, & inter eas non paruam differentiam extare: quare contendunt recentes, minime ſiccas capitis dolorem facere. Sed fortaſſe hæc ſolutio nulla eſt ſcribente Galeno, omnes palmulas in vniuerſum capitis dolorem facere. Ideo ego alia ratione reſponderem, in dolore capitis ex ebrietate, in quo plurimi calidi humores & vapores ad illud deferuntur, iure Galenum palmulas prohibuiſſe, quod illæ reuera, conſenſu omnium Medicorum, capiti aduerſentur: in dolore autem capitis conſentiente ventriculo eaſdem concedere, quod ſicut capiti ſunt inimicæ, ita conſtet apud omnes eas ventriculo conferre, & illum roborare: cuius quidem ventriculi veriſimile eſt Galenum imprimis rationem habuiſſe.

Repugnantia Galeni.

Sequitur de dolore capitis ex plaga aut caſu. Galenus huius affectionis nullam aliam ſtatuit cauſam, quam inflammationem, quæ quidem non ſolum ex plaga & caſu, ſed etiam ſine manifeſta cauſa, ex fluxione humorum fieri conſueuit. Si igitur dolor capitis proueniat ex vulnere aut contuſione, plures offeruntur ſcopi curationis: primus in vulnere: alter in contuſione: tertius in doloribus qui quandoque conſiſtunt in ipſis ſolis percuſſis partibus, quandoque etiam ad vicinas partes extenduntur.

De dolore ex plaga.

Scopi.

In curatione autem cum nullum capitis vulnus careat periculo, quod Hippocrates primis verbis docet *in lib de vulneribus capitis* Galeno auctore principium curationis facere oportet à ſectione venæ, niſi ætas id remedium prohibeat, & virtus vitalis debilis appareat. Quod ſi propter aliquod impedimentum non liceat venam incidere, clyſtere acriori vtendum eſt, partim vt vacuentur excrementa in inteſtinis contenta, partim vt fluentes humores ad caput reuellantur. Deinde de præſidiis ad inflammationem accommodatis agendum eſt, quæ plurima ex Apollonio proponuntur. In quibus ille arguitur à Galeno, ac primo quòd ſingulorum medicamentorum doſin prætermiſerit, qui exempli gratia, acetum roſaceum iubet permiſceri, ſed vtriuſque menſuram non explicat. Quod loco habetis notabile Galeni præceptum, nempe affectionem indicare auxilia, qualitatem autem & propriam cuiuſque auxilij differentiam indicari à parte laborante, ab ætate, temperie, facultate vitali, &c. Verùm cæteris prætermiſſis vnicam partem laborantem conſideremus. Si craſſa cerebri membrana fuerit denudata, vt exciſo oſſe frequenter euenit, ſolum roſaceum leuiter tepefactum vtiliter adhibetur, acetum autem contrarium eſt. Contra autem ſi ſana & integra exiſtente caluaria, velimus roſaceum ad membranam peruenire, tunc commode acetum permiſcetur, ſiquidem aceti vis in itinere ad profundam partem remittitur. Deinde reprehendit Apollonium, quod neque tempus vſus ſingulorum remediorum appoſuerit. Etenim quædam conueniunt medicamenta principio inflammationis; quædam in ſtatu, quædam in declinatione, quæ ſine maximo periculo confundi non poſſunt, vt docet Galenus *hoc loco*, & *6. de comp. med. ſecundum locos.*

Regula practica.

Sequitur de dolore capitis ſine manifeſtis cauſis. Tota autem hæc pars non aliud continet,

De dolore ſine manifeſtis cauſis.

quam

quam varia Apollotij medicamenta, quæ ſigillatim à Galeno examinantur: qui illum reprehendit generaliter, quod varia & indeſtituta medicamenta proferat, adeo vt confundat calida frigidis, & quæ facultatibus vehementer inter ſe differunt. Deinde illum quoque particulatim arguit de nonnullis medicamentis: hæc autem omnia ſunt manifeſta. Poſtremo illum damnat de *Opium.* vſu opij, quod in doloribus capitis confirmat apertiſſime nunquam conuenire.

Poſtea Galenus incipit examinare dicta & remedia Archigenis, quem non vulgatem medicum appellat, aſſeritque omnia diligenter didiciſſe, quæ ad medicam ſpeculationem pertineant: ſed tamen addit, neque illum omni ex parte irreprehenſibilem eſſe. Quod loco notanda eſt præclariſſima ſententia Galeni, de hominis imbecillitate: difficile enim eſt, vt qui homo ſit, non in multis peccet quandoque: quædam penitus ignorando, quædam male iudicando, &c.

De dolore capitis ex ventriculo. Deinde Galenus examinat Archigenem de dolore capitis conſentiente ventriculo, & ſumma eſt; hunc dolorem euenire, ſiquando humor quiſpiam acris in ventriculo, & potiſſimum illius ore contineantur, quibus doloribus, ſi æger diutius famem tolerat, adhuc magis cruciatur, ſiquidem per inediam talis humorum malitia poteſt augeri. Pro curatione imprimis diſtinguendum eſt, vtrum humor vel in cauitate, vel in tunicis ventriculi contineatur: vtroque autem modo ægros oportet ſanari, nullis capiti adhibitis præſidiis, quandoquidem hic affectus capitis proprius non eſt, ſed ab humoribus malignos vapores excitantibus prouenit. Itaque ſi humores contineantur in cauitate ventriculi, vomitu prorinus purgandi ſunt, aut aqua tepida, aut hydrelæo, vel quo ſimili. Si autem iſti humores contineantur in tunicis, hiera optime purgantur, cuius deſcriptionem proponit: de qua hiera cum alias tractauerim, id nunc ſit ſatis vos monere Galenum hic *Doſis hiera* affirmate, ſummā doſin hieræ eſſe ad ʒ. j. minimā ad ʒ. ß. quod manifeſte repugnat ipſi Galeno 8. *de med. ſecundum locos. & 2. metho 5* qui longe maiorē doſin conſtituit, vſque ad ʒ. vj Repugnat etiam experientiæ, quoniam frequentiſſime huc tempore hiera exhibetur ad ʒ. iiij. & plures: vnde cum res ſit plane abſurda, repugnetque rei naturæ & ſenſibus, equidem cenſeo hunc locum eſſe deprauatum; quod ſpeciatim antiquus interpres confirmat, qui ſcribit perfectam doſim huius medicamenti eſſe ad ʒ. viij. minimam ad ʒ. iiij neque ſane aliter repugnantia tolli poteſt.

Calida intemperies cum flatu. Poſt hæc Galenus examinat dicta Archigenis de dolore capitis ex calida intemperie, cui ventoſus flatus coniungatur; quo maiorem Archigenis diligentiam requirit qui non explicat, an huiuſmodi flatus ex aliis partibus in caput deriuentur, an in ipſo cerebro generentur, id quod Galenus conatur ſupplere. Igitur in huiuſmodi affectione plurima ex Archigene afferuntur, ſed ſatis confuſe. Galenus autem ex ſua methodo elicitis indicationibus docet, principio ſola repellentia conuenire: deinde repellentibus lenientia & concoquentia miſcenda eſſe: ac demum ad diſcutientia deueniendum eſſe, ita vt tranſacto principio paulatim repellentia detrahantur, donec medicamentum ad contrariam mixtionem deueniat illi, quam primam habuit, hoc eſt, vt plurimum quidem diſcuſſorium ſit, & attenuatorium, minus vero leniens & concoctoriuo, minimum autem repulſorium.

Quibus poſitis indicationibus non facile eſt ſingula præſidia ad illas accommodata inuenire. Poſt hæc Galenus tria Archigenis communia præcepta conſiderat, ea vero ſunt: ſi malum augeatur integra cibi abſtinentia, ſectio venæ ex cubito, alui purgatio per validum clyſterem: de quibus hoc iudicium facit; in cauſis biliosis ſamen quam maxime noxiam eſſe: ſectionem venæ in pueris & ſenibus, & debilitatis prætermittendam eſſe: clyſteria fore quam maximè opportuna, non ſolum ad vacuationem, ſed etiam ad reuulſionem, ſi quidem hæc non ſolum vacuant quæ in inteſtinis & meſaræo, ſed infima etiam parte iecoris continentur.

Capvt VIII.

De Cephalæa.

Galenus mirabili methodo agit de Cephalæa, primum de eſſentia, ſecundo de differentia, tertio de ſignis, quarto de curatione. Cephalæa eſt antiquus & rebellis dolor capitis, qui ex facili occaſione maximas habet exacerbationes, adeo vt æger neque ſtrepitum neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum, neque alia id genus poſſit perferre.

Differentiæ Quidam ſentiunt veluti contuſionem & diſtenſionem eorum, quæ circa caput ſunt: nonnullis vſque ad radices oculorum dolor progreditur. Dolores aliquando continui ſunt, nonnunquam habent exacerbationes & interualla, ſiue ordinatā, ſiue inordinata, vt in morbo comitiali contingit. Dolores quandoque membranas internas, quandoque membranam caluariam ambientem occupant.

Signa. Signa ea ſunt: dolores cum grauitate humorum multitudinem ſignificant: cum mordacitate, aut vaporum, aut humorum acredinem: cum pulſu, inflammationem: cum tenſione autem, ſiquidem tenſio fuerit ſine grauitate & pulſatione tenuis & ventoſi flatus multitudinem ſignificāt. Si vero tenſio fuerit cum grauitate, humorum copiam inter membranas contentam, ſicut ſi fuerit cum pulſu, membranoſi corporis inflammationem ſignificant.

Demum dolores in ſurperficie capitis, membranæ os caluariæ ambientis affectionem, qui autem ſunt in profundu internarum membranarum, laborem ſignificant: etenim quotieſcumque affectio intra caluariam conſiſtit, tunc vſque ad oculorum radices dolores procedunt, propterea quod tunicæ oculorum ex cerebri membranis oriuntur, vt docet Galenus 11. *de vſu partium.*

Poſt hæc Galenus inſtituit curationem: Namque ſi dolor capitis proueniat propter humorum aut vaporum multitudinem, ſimulque totius corporis plenitudo coniungatur, ante omnia corpus vniuerſum vacuandum eſt: ſi vero veluti debile exiſtens caput, ad ſe eleuatos vapores & humores recipiat, oportet materiam in totum corpus reuellere, atque ita capiti mederi. Reuulſio multis modis fieri poteſt per clyſteres, per frictiones, ligaturas, & ſimilia: interdum etiam ſanguinis detractione ex cubito. Hoc tempore irrigationibus repellentibus vtendum eſt: deinde præparatis humoribus & apparente coctione, corpus per hieram exacutam (inquit Galenus) purgandum eſt, quam quidam hieram exacutam ego interpretor, quotieſcumque validum aliquod medicamentum illi permiſcetur, quemad

admodum Galenus teſtatur 1. *lib. cap.* 20. *de Alopecia*, ſi atra bilis ſit purganda elleborum nigrum: ſi flaua bilis redundet, ſcammonium ſe aliquando permiſcuiſſe. Cæterum poſt totius corporis vacuationem, iam decet ad particularem vacuationem, & poſtremo ad roborationem capitis deuenire, ne in poſterum ipſum cerebrum tam facile repleatur, & ooxios humores recipiat. *Caput quot modis vacuatur.* Caput ſpeciatim vacuatur aperta vena ex naribus, in fronte, poſt aures, per apophlegmatiſmos, per errhina: corroboratur autem per medicamenta diſcutientia, quorum multa exempla ſubiiciuntur à Galeno. Quo loco ootandum, quod tractans de apophlegmatiſmis, ita inquit: *Nunc autem id tantum oſtendere commodum fuerit, quod hoc auxilium pituita infeſtantis eſt remedium, quemadmodum nomen apud Græcos indicat.* Ex quibus verbis colligitor huiuſmodi medicamenta, ad illos tantum capitis affectus eſſe accommodata, quæ à pituita excitantur, & ſuapte natura ſunt frigidiores. *Error practicantium.* Vnde multi Medici arguendi ſunt, qui in quolibet capitis morbo, tametſi ille ex bile & calidiore ſanguine ortum habet, iodifferenter apophlegmatiſmis vtuntur, vbi tamen Galenus nunquam eorum meminit.

Perſea arbor. Secundo tractans de cataplaſmatis, mentionem facit arboris Perſeæ, quam ſcire vos conuenit plurimum ab illa arbore differre, quæ apud nos malus Perſica dicitur, vt mirum ſit, fuiſſe Marcellum Virgilium Florentinum interpretem Dioſcoridis, & alios, qui aliter ſentiaot: quibus ſaltem Dioſcoridis & Galeni teſtimonium debuit ſatis eſſe, qui de vtraque arbore, & Perſea, & Perſica, ſub diuerſis particulis tradiderint. De Perſea Galenus & *hoc loco*, & 1. *de alimentis*, 36. *In ſola* inquit, *Alexandria arborem Perſeam vidi, quæ & ipſa magnis arboribus eſt annumeranda. Tradunt autem fructus apud Perſas adeo noxios eſſe, vt edentes interimant: qui tamen fructus in Ægyptum tranſlati, commode & tuto comeduntur, ſicut poma & pyra.*

Synapiſmi. Tertio, Archigenes ad dolores vehementer inueteratos probat ſinapiſmos, & vſtionem: quo loco inquit Galenus, Medicos fere omnes in omnibus plurimum inueteratis affectionibus ad huiuſmodi medicameota tanquam ad ſacram anchoram confugere conſueuiſſe *Ego vero*, inquit ille, *cum intemperies, quæpiam frigida & humida fuerit, aut per ſeipſam in partibus adſit, aut propter humorum frigiditatem orta ſit, ex ſinapi, ex thapſia, & ſimilibus medicamentis adhibeo, calidis verè & ſiccis non adhibeo.* Quam eandem ſeotentiam repetit 6. *de tuenda valetudine* 9. Ac ſaoe hæc Galeni admonitio mihi videtur ad multos Medicos hoc tempore pertinere, qui in diſtillationibus & reliquis morbis capitis, qoaliſcunque ſit intemperies, qualiſcunque ſit materia noxia, vel frigida, vel calida, ad cauteria familiariſſime ac reuera, vt ad ſacram anchoram confugiunt: quod mea ſententia ſine diligenti iudicio facieodom non eſt: quandoquidem ſi intemperies vel materia oo- *De cauteriis.* xia fuerit calida docet Galeous, perſuadet ratio, & coofirmat experientia, & cauteria & omnia calida medicamenta non ſolum eſſe inutilia, ſed etiam perniciosa.

Amuleta. Poſtremò Archigenes quorundam medicamentorum mentionem facit, quæ per ſolam experientiam cognoſcuntur, & ſecundum quandam contrarietatem occultam efficacia ſunt, & vulgo amuleta dicuntur: quorum vſus etſi à Galeno non improbatur, tamen neque magnopere probatur, qui perpetuo remediis ſecundum medicam rationem traditis, magis fidere conſueuit. Alexander inter cæteros, huiuſmodi præſidiis mirabiliter delectatur.

Capvt IX.

De Hemicrania.

Galenus in hoc capite tractat curationem Hemicraniæ, eadem fere methodo, qua vſus eſt, cùm de Cephalæa Namque primo declarat eſſentiam. Secundù, differentias & cauſas. Tertio ſigna. Poſtremo indicationem. De quo morbo nihil dicam, partim quod omoia ſunt manifeſta ex Galeno: partim quod puto Cephalæam & Hemicraniam minime diuerſos affectus eſſe, ſed tantummodo in vna parte laborante differre: vnde certum eſt, quod Galenus quoque confirmat, eadem remedia vtrique affectui, & Cephalææ & Hemicraniæ conuenire. Ex quo factum eſt, vt neque Archigenes, neque Aſclepiades, neque quiſpiam alius, voluerit ſeparatim de huiuſmodi medicamentis hemicranicis quippiam conſcribere.

Capvt X.

De Vertigine.

Plura ſunt nomina apud Græcos, quæ ſecundum nonnullos vnam atque eandem vertiginis affectionem ſignificant, ex quibus eſt Herodianus in ſuo Onomaſtico Hip. qui mea ſententia decipiuntur. Namque vt illis concedatur, tria priora nomina idem ſignificare, vt patet 3. *aphor.* 13. 23. 31. 5. *de locis aff.* 8. 6 *de tuenda val* 12. tamen vertigo apud Galeoum dicitur, cum omnia circumagi videntur: quod ſi prætetea tenebræ accedant, ita vt æger viſu priuetur, tunc compoſito nomine tenebricoſa vertigo dicitur. Latini vertiginem, barbari ſcotomiam appellant, quæ nomina ex propriis ſymptomatibus, nempe circumverſione & tenebris, quæ per ea ſignificantur, originem habuere. *Vertigo quid.* Itaque vertigo ex communi omoium conſenſu, ſicut etiam definitur ab Auicenna, eſt, cum quis imaginatur quod omnia ſimul cum ſuo capite & corpore vniuerſo circumuolantur.

Cæterum cum vertigo ſit res præter naturam, hæ autem triplicea ſint, morbus, cauſa morbi, ſymptoma: quæritur ſub quo genere reponatur? Primum vero non eſt morbus, quia non eſt intemperies, non ſolutio continui, noo mala compoſitio. Secundò, neque eſt cauſa morbi, cum oullus ab ea morbus efficiatur: itaque reſtat vt ſit ſymptoma. At verò cum ſymptomata ſint trium generum, actiones læſæ, excrementa immutata, & qualitates immutatæ: maoifeſtum eſt non eſſe exieos immutatum, oeque qualitatem: itaque erit ãctio læſa. Sed rurſum cum actiones ſint triplices: naturales, vitales, animales, neque in preſentia lædantur actiones vel vitales, vel naturales, neceſſario ſequitur actionem animalem læſam eſſe. Verum cum huiuſmodi actiones ſint triplices, quippe aliæ ad ſenſum, aliæ ad motum, aliæ ad facultates principes pertinent, dubium eſt, qualeſnam actiones animales in vertigine lædantur? Reſpoodent nonnulli, omnes animales actiooes lædi, & cum nemo dubitet de facultate principe imaginatiua, aiunt præterea etiam lædi ſenſum viſionis & motua: quæ quidem actiones

Digitized by Google

quandoque ſunt debiles; vt in ſimplici vertigine: quandoque abolitæ, vt in tenebricoſa contingit: in qua ægroti neque vident, neque pedibus conſiſtere poſſunt.

Sed iſti male ſentiunt, quoniam ad conſtituendam eſſentiam vertiginis non concurrit neceſſario læſio ſenſus & motus, ſed tantum imaginatio, quod omnia circumuoluantur, cui deinceps imaginationi læſio ſenſus & motus quandoque ſuccedit: quare huiuſmodi actiones potius ad nonnullas differentias vertiginis, quam generaliter ad vertiginem pertinet. Ad quem modum Galenus 3. *de criſ. ad finem*, tradens indicia, quibus futuram criſim per vomitum poſſimus præcognoſcere, inter alia ſigna hæc duo tanquam diuerſa nominat, abortas vertigines & ea quæ oculis tenebroſis obiiciuntur: quod quidem diſcrimen habetur etiam in libro introductorio, Galeno adſcripto 13. in quo legitur, caligines oculis offuſas, & vertigines, cognata eſſe vitia morbo comitiali, ab eiſdem cauſis pendere, & eaſdem ſedes occupare.

Cum igitur in vertigine, mea ſententia, neque ſenſus lædatur, neque motus, reſtat læſionem eſſe in principe facultate: quæ cum ſit triplex, imaginatio, ratio, memoria, neque vlla appareat læſio vel rationis, vel memoriæ, concludendum eſt, læſionem eſſe in imaginatione. Poſtremo autem cum omnis actio triplex lædatur, vel ablate, vel imminute, vel deprauate, hic ſine dubio imaginatio non eſt abolita, non eſt immutata, itaque erit deprauata.

An vertigo ſit delirium. Sed hic ſtatim quærat aliquis; Deprauata imaginatio apud Galenum de *ſympt. differ. cap.* 2. eſt delirium: Vertigo ſi eſt actio imaginationis deprauatæ delirium eſt: ſi delirium, vel phrenitis, vel melancholia: quod vtrumque ab omni ratione & communi medicorum conſenſu videtur alienum: ex quo videretur concludendum, in vertigine imaginationem non lædi. Ego ad hanc difficultatem reſponderem, non quamlibet deprauatam imaginationem delirium eſſe, ſed tantummodo cum æger huic deprauatæ imaginationi aſſentitur. Exempli gratia, in ſuffuſione æger imaginatur muſcas, culices & alia id genus, ſibi ante oculos circumferri: veruntamen quia ille huic deprauatæ imaginationi non aſſentitur, ſed intelligit id falſum eſſe, & hæc ſymptomata ex interna morbifica cauſa prouenire, propterea nemo vnquam dixit, ſuffuſionem delirium eſſe: etſi vero in vertigine omnia videntur circumuolui, cum æger ſciat hanc viſionem falſam eſſe, ita habendum eſt, minime hanc actionem deprauatam ad delirium pertinere.

Error Altimari. Sed aduerſus hanc reſponſionem eſt Altimarus, qui *capite proprio* 17. ſcribit, hanc cognitionem vtrum imaginatio ſit vera, an falſa, minime ad imaginationem, ſed ad rationem pertinere, ac propterea ſatis eſſe, ſi imaginatio fuerit deprauata, quanquam æger ſuum aſſenſum non præbeat, cum doceat Galenus & omnes fateantur, ſingulas facultates principes ſeparatim poſſe lædi. Ego vero puto hanc rem ſe aliter habere, neque hominem, vtcumque deprauatam imaginationem habeat, delirare, niſi illi conſentiat, cenſeóque minime eſſe alienum à doctrina Ariſtotelis & Galeni, imaginationem ex iis, quæ illi offeruntur, nonnulla apprehendere, vel non apprehendere, varia componere, etiam impoſſibilia, vt aureos montes, &c. atque illis, vel aſſentiri, vel non aſſentiri. Verum quoniam ad accuratam tractationem huius rei opus foret de propriis facultatum principum operationibus ſermonem habere, quæ diſputatio à noſtro inſtituto nos auerteret, vnico exemplo Theophili Medici ero contentus, quod eſt apud Galenum *de ſymptomat. different.* 3. qui cum alioqui prudenter ſe gereret, & interrogaret, & ad interrogata reſponderet, præſentesque exactè cognoſceret, tamen quoſdam tibicines angulum cubiculi in quo decumbebat, occupaſſe, & aſſiduè canere & pulſare arbitrabatur, & putabat ſe illos videre, alios quidem ſtantes, alios verò ſedentes, qui neque interdiu, neque noctu vnquam quieſcerent, vnde aſſiduè clamabat, illos debere eiici. Cum Galenus hac in parte doceret, delirium vel in ſola imaginatione, vel in ſola ratiocinatione, vel in vtriſque conſiſtere, hoc Theophili exemplum proponit, tanquam delirij quod ad ſolam imaginationem pertineat. Quæro igitur, vtrum Theophilus huic deprauatæ imaginationi aſſenſum præbuerit, nec-ne? atque illud nulla ratione poteſt negari: alioquin enim non clamaſſet illos eſſe eiiciendos: præterquam quod Galenus ſcribit, Theophilum poſtquam perfectè conualuit cætera omnia nouiſſe, quæcunque ſinguli eorum, qui eum viſitauerant, aut dixiſſent, aut feciſſent, atque ſpeciatim imaginationis de tædio tibicinum meminiſſe. Quod ſi Theophilus, licet huic deprauatæ imaginationi aſſenſus fuerit, vnam tantummodo habuit deprauatam imaginationem, incolumi permanente ratiocinatione, plane Altimari opinio videtur imbecilla, qui contendit huiuſmodi aſſenſum ad rationem pertinere.

Quoniam vero diximus vertiginem ſymptoma eſſe, &c. atque omnia ſymptomata pendeant à ſuis morbis, quæritur poſtremo loco, qualiſquam ſit morbus à quo vertigo originem habeat? de qua dubitatione paulo poſt verba faciam. *Quæſtio.*

Differentia. *I.* Differentiæ vertiginis ſunt plurimæ, & prima à modo affectus: namque nonnullis omnia videntur titubare & tremere, nonnullis circumuolui, nonnulli tenebris offunduntur, & viſionem perdunt, nonnulli nequeunt pedibus inſiſtere, ac niſi ſuffulciantur, cadunt.

II. Secunda eſt differentia à modo generationis: namque vertigo alia ab internis, alia ab externis cauſis generatur: alia capite primum laborante, alia ventriculi ore conſentiente fieri ſolet: cuius differentiæ, referente Galeno, 3. *de locis affect.* 8. Archigenes quoque mentionem facit.

III. Tertia eſt differentia à tempore: ſiquidem vertigo alia eſt continua, atque hæc vt plurimum fit capite primum laborante: alia eſt interpolata quæ ex conſenſu aliarum partium plerunque prouenit; Galenus 3. *aphoriſm.* 17. Alia eſt recens, alia antiqua: atque hæc antiqua ſolet frequenter homines ad epilepſiam & apoplexiam deducere.

Cauſa vertiginis. Quarto ſunt differentiæ à cauſis, de quibus accuratè agendum eſt. Ac ſanè ſicut ex vna parte conuenit inter omnes, proximam & immediatam cauſam non aliam eſſe, quam inæqualem, turbulentum, & inordinatum motum, cum humorum, tum ſpiritus, qui in cerebro continentur, quam vnicam cauſam Galenus præclare explicat *tertio de locis affect.* 8. ita altera ex parte, de cæteris cauſis quæ huiuſmodi motum poſſunt excitare, plerique vehementer diſſentiunt. Galenus has cauſas videtur referre in materiam calidam, nempe vaporoſum calidumque elatum ſpiritum. Contra Paulus *libr. tertio*, 12. in frigidum & glutinoſum humorem, occupantem cerebrum. Hippocrates

quoque

quoque in materiam frigidam videtur inclinare, dum ſcribit 3. *libr. aphor.* hunc morbum & ſenilis ætatis, & hyemis proprium eſſe. Rhaſes vtramque cauſam, & calidam & frigidam attingit: Demum Auicenna inquit, materiam vertiginis quandoque eſſe choleram, quandoque phlegma: melancholiæ & ſanguinis non meminit: quos tamen duos quoque humores non prætermiſit capite ſequenti, vbi non ſolum choleræ & pituitæ, ſed etiam ſanguinis & melancholiæ ſigna recenſet. Ego verò cenſeo, quoſcunque morbos, quoſcunque humores quaſcunque cauſas, ſiue internas ſiue externas, vnde multi vapores ſpirituſque flatuoſi poſſunt vel in capite generari, vel ex aliis partibus ad illud tranſmitti, atque id præſtare, vt in circuitu, aut alio ſimili inordinato motu moueantur, hæc omnia vertiginis cauſas, vel proximiores, vel remotiores ſtatuendas eſſe.

Primum igitur cauſæ externæ quæ poſſunt cerebrum conturbare, humores exagitare, ſpiritus inordinatè mouere, ſunt: ictus capitis, ictus dorſi, calor ſolis, aſpectus rerum inferiorum ex loco ſublimi, res quæcunque circumuoluuntur, & alia id genus.

Quod autem ad cauſas internas, ſi loquamur de capite primò laborante, hæc ex omni intemperie, vna excepta ſicca, ex qua forte nulli vapores poſſunt eleuari, ſiue ſimplici, ſiue compoſita, ſiue cum materia poteſt originem habere. Intemperies calida facilè poteſt vapores & ſpiritus mouere. Frigida conſtringit neque permittit vapores exhalare, vnde cum per obſtructos meatus cerebri illis non pateat exitus, tunc mouentur in gyrum: intemperies humida membrum maximè labefactat, & conſenſu omnium plurima generat excrementa, ex quibus plurimi quoque vapores eleuantur: ſic ſinguli humores hoc ipſum præſtant, vt placet Auicennæ.

Vertigo per conſenſum.

Sin autem loquamur de vertigine per conſenſum aliarum partium, huiuſmodi humores & vapores, vel tranſmittuntur à toto corpore; ſicut euenit in criſi futura per fluxum ſanguinis narium: hoc enim tempore illi impetuosè in caput efferuntur, mouentque ſpiritus, & vertiginem efficiunt: vel illi tranſmittuntur à determinata parte. Licet autem nulla propemodum ſit pars noſtri corporis, quæ non in conſenſum poſſit caput adducere, & vertiginem facere, tamen præ cæteris duæ ſunt, ventriculus, & vterus in mulieribus: ſiquidem ex vtriſque facillime & frequentiſſime noxij fumi & vapores eleuantur & aſcendunt in caput, vnde ſpiritus in gyrum vertuntur, mouentur, & vertigines fiunt: quo quidem malo mulieres ſpeciatim ſolent laborare, ſi illis menſtroa purgatio, vel longe magis & deterius, ſi ſemen detineatur. Veruntamen de hac vertigine ex conſenſu vnum notandum eſt ex Galeno 3. *de locis affect.* 8. etſi caput per conſenſum alterius partis laboret, tamen mala quæ fiunt, ipſius capitis propria cenſenda eſſe, & hæc de differentiis vertiginis.

Reſponſio ad ſuperiorem quæſtionem.

Ex iis vero quæ diximus de cauſis, facilis eſt reſponſio ad eam dubitationem, de qua ſupra, qualiſnam morbus cauſa vertiginis, quam ſymptoma eſſe diximus, ſtatuenda ſit. Namque teſpondeatis, proximam cauſam huius ſymptomatis eſſe morbum in mala compoſitione, nempe obſtructionem, quæ ex flatuoſis vaporibus & ſpiritibus efficitur. Sed neque deeſſe alios morbos, ex quibus huiuſmodi vertigines oriuntur, capite primùm quidem laborante, inæqualem cerebri intemperiem: per conſenſum autem, intemperiem ventriculi, vteri, & aliarum partium, ex quibus noxij illi vapores & humores eleuantur, & ad ipſum caput tranſmittuntur.

Signa.

Signa pathognomonica quæ in vniuerſum vertiginem indicant, non ſunt longius inquirenda, cum ægris referentibus & ſenſibus fiant manifeſtiſſima. Pariter ſigna differentiarum, ex modo affectus, ex tempore, ex ægris & accidentibus facile intelliguntur: omnia circumagi & rotari videntur, ægri non poſſunt inſpicere ea quæ velociter mouentur in gyrum, quandoque oculis tenebræ offeruntur, interdum illi cadunt, & ſimilia fiunt; quorum omnium facile eſt rationem reddere: etenim cum facultas animalis ſimul cum ſpiritibus per neruos ad inſtrumenta ſenſuum, & cæteras partes tranſmittatur, neceſſariò ſequitur ex turbulenta & inordinata motione ſpirituum talem facultatem animalem, quæ ad ſenſum & motum pertinet, vitiati & labefactari. Poſtremo neque ſigna ex cauſis habent difficilem inquiſitionem. Cauſæ quidem externæ ſunt manifeſtiſſimæ. Quatenus vero pertinet ad cauſas internas, ſi fuerit intemperies calida, caliditas ad tactum percipitur, ægri faciem & oculos rubeos habent, iuuantur & gaudent rebus refrigerantibus: præceſſere quæ potuerunt & corpus & caput calefacere. Si fuerit intemperies frigida, contraria ſigna apparent: frigiditas ad tactum percipitur, ægri colorem albidiorem habent, iuuantur à calidis, præceſſere refrigerantia, victus ratio, aër & cætera id genus: quod item de intemperie humida ſtatuendum eſt. Si intemperies fuerit ſimplex ac ſine materia, in capite nulla erit grauitas, atque per os, per nares, vel alias partes nulla aut pauca exibunt excrementa. Si vero intemperies fuerit cum materia, quæ ſigna traduntur ab Auicenn. cum ſanguine: adeſt tenſio venenarum, caliditas & rubedo oculorum, totius corporis grauitas, ſomnus, laſſitudo, pulſatio: cum bile erit caliditas capitis ſine grauitate, vigiliæ, excrementa bilioſa: cum pituita, capitis grauitas, difficultas motus, ſomni profundi; facies albidior, excrementa alba, pituitoſa: cum melancholia, ſiunt vigiliæ, ſomni perturbati, cogitationes melancholicæ, excrementa ſubnigra.

Intemperies calida.

Intemperies frigida.

Signa intemperiei cum materia.

Signa vertiginis per ſe.

Verùm ante omnia intelligenda ſunt indicia, diſtinguentia vtrum vertigo fiat capite primum laborante, an per conſenſum aliarum partium. Signa capitis primum laborantis tradita ſunt à Galeno ex Archigene 3. *de locis affect.* 8. etenim tunc præceſſit dolor capitis, grauitas, læſio olfactus, guſtus, auditus ſonitus, ac tandem neque ventriculi, neque alterius inferioris partis vitia apparent. Quod ſi contra nulla capitis affectio, nullæ ſen ſuum querelæ præceſſerint, appareant autem læſiones, vel ventriculi, vel aliarum partium inferiorum, tunc vertiginem per conſenſum fieri putandum eſt.

Per conſenſum.

Signa autem conſentientis ventriculi ex eodem Galeno & Archigene tradita ſunt, præcedens nauſea, ſtomachi morſus, poſtrata appetentia, debilis tardaque concoctio, & ſimilia.

Signa conſentientis vteri ſunt, præcedentes peculiares illius morbi cauſæ, abortus, præfocatio, retentio menſtruorum & ſeminis.

Demum conſenſus cordis, iecoris, ac forte aliarum partium, facile poſſunt intelligi ex ſignis, quæ affectus omnium earum partium ſolent comitari.

Curatio.

In curatione, memoria ſunt repetenda quæ diximus ex Galeno in arte medica in

qualibet ægritudine, quæ ex fluxione humorum originem habet, quatuor nobis ſeſe offerte indicationes: vacuationem totius corporis: revulſionem, repulſionem, & diſſolutionem materiæ quæ remaoet, ac corroborationem partis: quæ omnes indicatioues ad noſtram vertiginem debeot accommodari.

Prognoſtica.

Sed primo ſciendum, hunc morbum diuturnum ac difficilem eſſe, de quo ſcribit Galenus 3. *aphor.* 17. quod proximus ſit epilepſiæ & apoplexiæ, & vtrumque hunc morbum præcedat. Præ cæteris autem in ſenibus difficilior & periculoſior exiſtit.

Vena ſectio an conueniat.

Cæterùm ex prima indicatione id primo quæritur, vtrum liceat venam ſecare, nec-ne? Plerique omnes ab hoc remedio abhorreot, partim quod ſectio venæ commouet humores & ſpiritus, quos altera ex parte expedit quieſcere; partim quod redundat materia pituitoſa, quæ à natura ſanguinis eſt aliena. Ego vero aliter cenſeo, putóque hoc remedium non ſolum vtile, ſed etiam neceſſarium eſſe; quod inter cæteros confirmat Auicenna per hæc verba: *Phlebotomia eſt optima in curatione omnium ſpecierum vertiginum materialium.* Et quatenus ad primam eorum rationem, ego illam noo ſatis intelligo: etſi enim ſecta vena mouentur humores & ſpiritus, tamen vtrique, & ſpiritus & humores ducuntur ex parte laborante, adeo vt veriſimile & neceſſarium ſit, illos qui remanent in capite, facilius quieſcere, minimè agitati & moueri, & ad naturalem ſtatum redire. De altera autem ratiooe iam ſæpe diximus, ac ni fallimur, demonſtrauimus, indicationem mittendi ſanguinem ſimpliciter nunquam ſumi ab humoribus: quare ſi vertigo fuerit magna, conſentientibus cæteris, perpetuò vena ſecanda eſt, ſicut ſecat Galenus in lethargo & aliis morbis id genus, quicumque ab humore frigidiore oriuntur.

Quæ vena ſecanda.

Sed quænam vena ſecanda eſt? Reſpondent omnes ſecandas eſſe venas ſuperiores, vel cephalicam, vel baſilicam, vel medicam. Ego autem cenſeo cum Galeno diſtinguendum eſſe, vtrum æger reuera in præſentia laboret vertigine, & curatione indigeat: quo tempore venæ ſuperiores in brachio, quæ velociter & copioſè ex toto corpore & capite ſanguinem detrahunt, videotur inferioribus anteponendæ: an potius æger vertigini aliquando obnoxius eſſe ſoleat, ita vt potius præcautione, quam curatione indigeat: tunc enim ſecta vena in cruribus, vt quæ fluentes humores reuellere, & ad partes contrarias trahere poteſt, venis ſuperioribus anteponenda eſt. Sic enim dicit Galenus *in lib. de ſang. miſſ.* 19. Podagricos ex cubito, comitiali morbo, & vertigini obnoxios potius ex cruribus vacuandos eſſe. Pariter ſi hæmorrhoides vel menſes in mulieribus retenti fuerint, propter quam cauſam plurimi in vertiginem incidunt, venæ inferiores ſecandæ ſunt.

Quantitas.

Quantitas ſanguinis, ſumpta indicatione à redundante humore frigido; ſit moderata, neque ille ſemel & copioſe, ſed per interualla & congrua menſura mittendus eſt, cum ægri ex facili occaſione concidant, quod ex Archigene & Poſidonio notauit Aëtius *lib.* 6. *cap.* 7.

Verùm præter has præcipuas venas, neque alienum fuerit à ratione venas quoque particulares, aut frontes, aut narium, aut poſt aures, vel cum ferro vel cum hirudinibus aperire: etſi hæc potiùs ad deriuationem & propriam capitis vacuationem pertinent, ad quam non licet ſine generali præcedente vacuatione deuenire. Deinde Galenus 3. *de locis affect.* 8. ſectionis quoque arteriarum poſt

Sectio arteriarum.

aures mentionem facit, de quibus pariter Aëtius, Paulus, Auicenna, & omnes loquuntur. Pro quo ſciendum eſt, veteres admodum familiariter arteriarum ſectione vti conſueuiſſe, quæ operatio hoc tempore non fit, quod fortaſſe euenit ea cauſa, quod illi habuerint chirurgos & miniſtros periciores. Modus autem inciſionis debet eſſe, vt totæ per tranſuerſum incidantur, vt docet Galenus *in lib. de ſang. miſſ. ad finem.*

Cum enim alioquin aperta arteria, vel difficulter, vel nulla ratione poſſit ſanari, nec ſanguinis fluxio cohiberi, vt diffusè monſtat Galenus 5. *meth.* 7. ſi tota arteria tranſuerſim incidatur, revulſis vtrinque ambabus partibus diſſectis, vna ſurſum, altera deorſum, quieſcit, ac ſanguinis fluxio ſiſtitur, vulnuſque obducta carne & cicatrice curatur. Vnde Medici, eodem Galeno auctore *de ſang. miſſ.* 13. *meth. ad finem*, in fluxionibus oculorum, in diuturnis doloribus, in aliis rebellibus malis capitis, arterias quæ ſunt io fronte, temporibus, & poſt aures ſolebaot ſecare: imò verò Galenus vbique diligentiſſimus nos rationem docet, qua poſſimus intelligere, qualesnam arteriæ in caput noxios humores & vapores deferant, ac propterea inciſionem requirant, qui ſcribit: *Oportet autem deraſo capite*, &c.

Ad noſtram vertiginem redeundo ſciendum eſt ex Galeno 2. *de locis affect.* minimè in omni vertigine arteriarum ſectionem iuuare, ſed tantummodo in ea ſpecie, in qua vaporoſus calidusque ſpiritus in capite per ipſas defertur, quanquam neque etiam omnes ij ægroti huius ſectionis beneficio ſanantur: & reddit rationem, propterea, quia per alias internas arterias, longe maiores, quam ſint arteriæ aurium, ſæpenumero vapores aſcendunt & caput replent: quare in cæteris ſpeciebus vertiginis, quæ vel propter intemperiem cerebri, vel aliter contingunt, hoc remedium reiiciendum eſt.

Leniens.

Quod ſi propter aliquod impedimentum non liceat venam ſecare, tunc ad ſcarificationes malleolorum, ad clyſteria acria, & ad alia revulſoria præſidia veniendum eſt. Ante ſectionem venæ, ſi id ferat occaſio, aluus lenienda eſt vel clyſtere, vel leuiore aliquo medicamento, inter quæ optima forent, mel roſaceum ſolutiuum, caſſia cum hiera, &c. Vt:

℞ *Mel. roſ. ſol.* ℥. iiij.
Decoctionis betoniæ parum. M. & fiat potio.
In bolo.

℞ *Flor. caſſiæ.* ʒ. vj.
Specierum hieræ ſimplicis. ʒ. iij. *M.*

An repellentia conueniant.

Hinc aliæ duæ ſuccedunt indicatioos, repellendi & reuellendi fluentem materiam ad caput. De revulſione nemo dubitat, atque de iis ſæpe diximus: verum de vſu medicamentorum repellentium dubium eſt. Namque in materia frigida ea non videntur conuenire, præterquam quod videtur periculum imminere, ne talia medicamenta adhuc magis humores & vapores in capite commoueant. Sed reſpondeatis, quamlibet materiam omnino repellendam eſſe; quæ clara eſt ſententia Galeni 13. *method.* Et quanquam huiuſmodi præſidia repellentia aliquò incommodo non careant: tamen longè maiorem vtilitatem afferunt. Et ita Rhaſes & Aëtius vtuntur oxyrrhodino, quo tamen in vertigine pituitoſa, non ita frigidum mihi probaretur. Sit exemplum.

℞ *Olei roſati completi,*
Olei chamamelini completi, ana. ℥. ij.
Aceti ℥. ß. *Miſce.*

Poſt hæc de purgatione totius corporis cogitandum

dum eſt: ſed ante purgationem illa medicamenta ſunt exhibenda, quæ materiam noxiam attenuare, incidere, & coquere poſſint: ſic enim purgatio feliciter procedit.

℞. *Mellis roſ. colati* ℥. j.
Oxymellis ſimp. ℥. ß.
Decoctionis betonicæ,
Hyſſopi. ℥. iiij. *Miſc.*

Purgans. Purgantis exemplum.

℞. *Electuarij diaphenicon.* ℥. ß.
Mellis roſ. ſolut. ℥. iiij.
Decoctionis ſupraſcriptæ q. ſuf. M.

Et quoniam in frigido atque frequenter rebelli humore vnica purgatio non ſufficit, conuenit à leuioribus ad valentiora progredi. Exempli gratia, pro concoquentibus, ad ſyrupum de ſtœchade, de betonica compoſitum, ad decocta origani pulegij, chamædryos: ad hieram diacolocynthidos, ad pilulas cochias, &c. Purgato corpore vniuerſo, ad propriam purgationem capitis deueniendum eſt, quoniam iam ſupra diximus, caput potiſſimum dupliciter purgari; per os & nares quæ duæ partes, vt docet Galenus 9. *de vſu partium.* 1. quaſi duo ampli riui & canales à natura ſunt inſtituti, quibus multa & ſenſibilia excrementa purgarentur: idcirco medicamentis ad vtramque rationem accommodatis vtendum eſt. *Maſticatoria. Gargariſmi. An errhina conueniant.* De iis quæ purgant per os, & duplicia ſunt, maſticata & gargariſata, nemo dubitat: & parari poſſunt maſticatoria ex pipere, gingibere, pyrethro, maſtiche: gargariſmata ex decocto origani, hyſſopi, calamenthi, vt ſupra diximus. Errhina nonnullis ſunt ſuſpecta, quoniam timent, ne ea motione humores & ſpiritus contenti in cerebro, adhuc magis moueantur. Sed tamen reſpondeatis, hæc quoque medicamenta, ſi opportunè adhibeantur, nempe poſt communem & propriam capitis vacuationem, conferre, neque vllum periculum afferre. Et ita nec Aretinus medicus vetuſtiſſimus, neque Paulus, nec Aëtius, ab vſu eorundem prorſus abſtinuerunt.

Vacuato vniuerſo corpore & capite, reuulſa & repulſa materia, ex poſtrema indicatione ad illa medicamenta deueniendum eſt, quæ pertinent ad diſcutiendam materiam in capite, atque *Roborantia caput.* illud roborant. Hæc medicamenta ſunt duplicia: partim interna, vt conſerua roriſmarini, betonicæ, ſaluiæ, ſtœchados: diambra, diacyminum, diacalamenthum, theriaca, mithridatium, & ſimilia: partim ſunt externa, vt odoramenta ex nigella, maiorana, ex caſtoreo: inunctiones ex oleo rutaceo, laurino, liliorum alborum. Lotiones ex decocto pulegij, hyſſopi, calamenthi, ſerpilli, radicis ireos, &c. Multi in hoc caſu non audent vti embrochis & ſtillicidiis, quia timent ne ita cerebrum magis concitatur, & ſpiritus in eo contenti magis perturbentur, atque inordinate moueantur: ſed tamen ſicut proxime diximus de errhinis, ſi tempore opportuno adhibeantur, puto hæc quoque præſidia conuenire, & magis poſſe prodeſſe quam obeſſe.

At vero inter cætera præſidia duo ſunt principalia pro hac indicatione, quæ hoc tempore nobis ſunt familiaria: alterum ſunt aquæ thermarum, quarum vſum iam experientia eſt confirmatum, eſſe ſaluberrimum; quæ quidem aquæ adminiſtrantur, & pro potione, & pro capitis lo- *... ſtillicidia conueniant.* tione & ſtillicidio. Quod ſi huiuſmodi aquis naturalibus careamus, nos docet Galenus *primo de ſimpl. med. facul.* a. illas poſſe artificio præparari, in communi aqua decoquendo ſal, ſulphur, alumen, & ſimilia, quæ in aquis naturalibus immiſceri conſpiciuntur.

Quoad alterum præſidium; licet fuerint apud antiquos nonnulla medicamenta, quæ vehementer calefaciendi, atque ſiccandi vim habent, ea dropaces, acopa, & ſynapiſmos appellebant, quibus familiariter vtebantur, cum ad alias corporis partes, tum maxime ad ipſum caput, vt dicit Galenus 5. *metho.* 13. 14. 6. *de tuenda val.* 9. eorum tamen medicamentorum vſus apud nos fere *De cauteriis.* abolitus eſt, pro quibus Medici noſtri vtuntur cauteriis, de quorum opportuno vſu iam ſupra diximus tractantes cephalæam, vbi eorum inſtitutum improbauimus, qui ſine vlla diſtinctione, & indiſcriminatim in qualibet intemperie & materia illis vtuntur. Hæc medicamenta, ſeu cauteria, ſeu qualiacunque fuerint, id præſtant, vt materiam in capite contentam ad partes externas trahant, & diſcutiant, necnon caput calefaciant, ſiccent, & roborent: familiariſſime autem ad commiſſuram coronalem, quandoque etiam ad occiput ſolent apponi.

Victus ratio. Victus ratio ſit moderatè calefaciens, atque extenuandi & incidendi vim habeat: itaque ſalſa, acria, aceto condita, cappares, oliuæ, carnes auium ſicciorum, & ſimilia conueniunt. Potus ſit mulſa, ex modico cinnamomo vel ſaluia præparata: vinum non conuenit, niſi in declinatione. Caueant ægri à vehementioribus motibus, à vigiliis & omnibus perturbationibus animi.

Expoſitio Rhaſis. Rhaſes primum ponit ſigna vertiginis ex ſanguine: circularem motum rerum externarum, tenebras oculorum, intenſum faciei & oculorum ruborem, venas quæ ſunt poſt aures tumeſcentes. Deinde illius curationem inſtituit per ſectionem venarum poſt aures; per cucurbitulas collo & tibiis applicatas: quod ſi prædictæ venæ non ita apparuerint, & facies rubra fuerit, tunc iubet ſanguinem ex cephalica vel baſilica mittendum eſſe. Præterea inſtituit oxyrhodinum ex oleo roſato & aceto, ac poſtremo purgationem per myrobalanos citrinas. &c.

Hæc ſumma eſt curationis qua vtitur Rhaſes in vertigine ex ſanguine. In qua nonnulla notanda, ac primum quatenus ad ſigna hæc, non vertiginem communiter, ſed vertiginem tenebricoſam demonſtrant. Quatenus ad curationem, primum nonnulli putant Rhaſem voluiſſe, venas poſt aures in ipſa acceſſione ſecandas eſſe, quod præceptum cum plane abſurdum videatur, conantur ea ratione tueri, ſi acceſſio diuturna fuerit. Verum mea quidem ſententia id ex Rhaſe non videtur colligi poſſe; ſed vtcumque ſit, ego puto, in acceſſione vertiginis, ſiue ea breuis, ſiue diuturna fuerit, nullo modo ſectionem venæ conuenire, præterquam in declinatione: cuius quidem decreti illa mihi ratio ſufficiat, quod ægroti illo tempore, etiam Galeni teſtimonio 2. *prorrhet.* 38. habeant vires debiliores, quam vt ſectionem venæ, purgationem, vel aliud forte medicamentum ferre poſſint. Sed in eo Rhaſes defendi *In Rhaſem animaduerſio.* non poteſt, cũ velit primũ venas poſt aures ſecandas eſſe quæ, ex decreto Galeni & omniũ rationalium Medicorum, non niſi poſt generalem corporis vacuationẽ ſecari debent. Nonnulli eum quoque arguunt eo, quòd ex eiuſmodi venis ſanguinem detrahat, quas nemo in vertigine ex veteribus aut recentioribus vnquam ſecuit; cum omnes arterias tantùm eſſe ſecandas velint. Sic cucurbitulæ ad collum poſitæ minime ſtatim in principio, ſed poſt communem vacuationem cõueniunt: ad crura autem appoſitæ, quouis tempore videntur conuenire, cum habeant inſignem vim reuellendi, & ad *Vſus partis* ſectionem venæ proximè accedant.

Sed neque illud prætermittendum eſt, quod

ſi vertigo prouenìat ex vapore, qui ab àliqua determinata parte eleuetur, in caput feratur, eam partem fore adurendam: quod maxime rationi conuenit, & ſimile eſt iis quæ à Galen. tradita ſunt 3. *de locis aff. 7. de puero epileptico*, qui dicebat veluti auram frigidam ſe ſentire, quæ ex tibiis initium faceret, atque ſimul ad ceruicem & caput aſcenderet.

Secundo loco Rhaſes tractat de vertigine per conſenſum oris ventriculi, non ex flaua bile, ſed ex cruditate & pituita. Signa ſunt: nulla rubedo in facie, ſubuerſio ſtomachi, & nauſea. Curatio perficitur primo per vomitum, qui optimus eſt, dummodo ſine magna violentia poſſit prouocari, ex Gal. 11. *meth.* 9. Deinde exhibet pilulas cochias, quæ tamen laboranti ventriculo non ita videntur conuenire: ſiquidem eſt periculum ne maior excrementorum copia ad ventriculum trahatur: quare ſatius fuerit more Galeni, ſolam hieram exhibere.

Poſtremo Rhaſes tractat de curatione vertiginis ex pituita, capite primario laborante. Signa ſunt, nulla indicia caliditatis, nulla ventriculi ſubuerſio, neque nauſea. Curatio fit per pilulas cochias, caputpurgia, &c.

Capvt XI.

De Phrenitide.

PHrenitis inter eos numeratur affectus, qui, vt ſcribit Galen. 2. *metho.* à. & confirmat Auic. à ſymptomate, nimirum delirio nomen accipiunt: ſiquidem in phrenitide mens perpetuò læditur: ex quo factum eſt, ſicut docet Galenus 5. *de locis aff.* 3. vt veteres Medici inferiorem thoracis partem phrenas, hoc eſt, mentem nominauerint, propterea quòd hac parte phlegmone laborante, ægroti intelligentia lædatur. Auicennę in ſua lingua *Carabetus* & *Sirſen* calidum dicitur.

Quid ſit phrenitis.

Quid ſit phrenitis, declarat Galenus ex communi hominum notione 1. *prorhet* 4 ſiquidem omnes mortales phrenitim eam affectionem appellant, in qua phrenas, id eſt, mentem vident læſam eſſe, quam etiam aliter & νῦν & διάνοιαν appellant. Ex huiuſmodi autem notione facile eſt exactam phrenitidis eſſentiam inuenire: etenim cum phrenitici delirent, vt caput laboret neceſſe eſt, in quo ſatis conſtat principes animæ facultates, ad quas delirium pertinet, ſedem ſuam habere facultates principes apud Galenum tres ſunt, imaginatio, ratio, & memoria, &c. Ariſtoteles aliter ſentit: itaque delirium vel in vna, vel in altera, vel in omnibus poteſt conſiſtere. Sciendum autem ex Galeno *de ſympt. diff.* actiones principum facultatum, ſicuti reliquas, tripliciter lædi: ſic imaginatio funditus tollitur in caro & catalepſi: imminuitur in comate & lethargo: deprauatur in delirio. Ratiocinatio tollitur in dementia: deficit in ſtultitia & fatuitate; deprauatur in delirio: hæc eadem tria ſymptomata memoratrici actioni quoque contingunt: in phrenitide actiones principes non plane tolluntur, non minuuntur, igitur deprauantur. Et ſi quis quærat, quamobrem in phrenitide actiones principes deprauantur, Galenus *tertio de ſympt. cauſis* 1. communem tradit methodum inueniendi omnes cauſas, quæ facultatibus noxam inferunt: nempe cognitionem modi, quo per ſanitatem ſuas actiones perficiebant: vnde cum Galenus doceat, & principes & cæteras actiones ſuas perficere propter temperiem partium, quę ad ſingulas actiones ſunt accommodatæ, in phrenitide vt cerebrum

Facultatum principum noxa.

aliqua intemperie laboret neceſſe eſt. Intemperies autem eſt vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca: ſed cum tres poſteriores magis imminutas & torpidas reddant operationes, idcirco Galenus concludit deliria & omnes deprauatos motus principis facultatis à mordacibus & acribus humoribus qualis eſt flaua bilis: interdum à calidiori cerebri intemperie proficiſci, 2. *de ſympt. cauſis ad finem*: ex quibus tamen deprauatis motibus excipit melancholica deliria, quæ ſola frigidiorem humorem pro cauſa habent.

Quæſt. 1.

Verum cum iſti humores poſſint vel firmari in cerebro, & inflammatione efficere, vel non firmari, ſed tantummodo in cerebro redundare, quæritur, vtrum in phrenitide humores ſint firmati, & inflammationem efficiant, necne? Præterea cum intra cranium non ſolum ſubſtantia cerebri, ſed etiam membranæ illud circumdantes contineantur, ſecundo loco quæritur, vtrum ſubſtantia cerebri, ac membrana vna vel altera, vel ſimul omnes partes inflammatione laborent? Potiſſimum verò dubium eſt de ſubſtantia cerebri, quam nonnulli contendunt nullo modo poſſe inflammationem contrahere: de qua re haberis differentiam Conciliatoris 96. Iſti autem duplici ratione potiſſimum nituntur. Altera ex molli & laxa ſubſtantia cerebri: ſiquidem quæ vehementer ſunt vel dura, vel mollia, alienam ſubſtantiam non poſſunt in ſe recipere, quare neque poſſunt inflammari. Altera eſt ratio, quòd cerebrum nullis venis & arteriis præditum ſit, cum omnino videatur album, ac fere ſine ſanguine: quod ſi caret ſanguine, neque inflammationi obnoxium eſſe poteſt. Nam vt docet Gal. inflammatio fit ex ſanguine influente in venas & arterias, primùm quidem magnas, deinde paruas, ac poſtremo in exiguas cauitates: vbi vero venæ & arteriæ deſunt, ibi non poteſt eſſe inflammatio, vt docet Gal. *in lib. de curandi ratione ad Glaucon. &c.*

Quæſt 2. Vtrum cerebrum inflāmari poſſit.

Solutio.

Gal. duob. verbis hanc difficultatem diſſoluit, qui ſtatuit primum in phrenitide humòres firmari, atque inflammationem efficere: deinde huiuſmodi, inflammationem non ſolum in membranis, ſed etiam in ſubſtantia ipſius cerebri poſſe conſiſtere. Sunt hæc propria illius verba 2. *de ſympt. cauſis ad finem. Phrenitis non ſimpliciter ob calidos euenit humores, ſed cum eo phlegmonem quoque in cerebro & ipſius membranis parit.* Sic 11. *meth.* 18. in phlegmone cerebri atque illius membranarum, prohibet vſum cucurbitularum, niſi poſt generalē corporis vacuationem Galeno conſentit Aui. 1. 3. *tr.* 3. 1. qui aduerſas quoque rationes diſſoluit. Ac ſane aliter ſtatui non poteſt. Nam etſi ſubſtantia cerebri magnas venas & arterias non habet: tamen ſenſus demonſtrat, plures venulas per totam illius ſubſtantiam diſſeminari per quas illud nutritur, in quibus pariter excrementa poſſunt colligi, quæ ad gignendam inflammationem ſunt accommodata. Itaque in phrenitide cerebrum & vtraque membrana poteſt inflammationem recipere: imo verò ſcribit Galenus 4. *de præſag. ex pulſ.* 9. huiuſmodi partes, & maxime cerebrum & tenuem membranam, vſque adeo inter ſe eſſe connexas, vt neque ſine cerebro membrana, neque ſine membrana cerebrum poſſit laborare.

Hactenus vidimus phrenitidem eſſe inflammationem cerebri & membranarum, ex calidis & mordacibus humoribus, cum delirio. Sed ad perficiendam definitionem nonnulla deſunt, quæ tamen ex iis facile poſſunt colligi. Namque delirium vel eſt cum febre, vel ſine febre: vel continuum, vel interpolatum. Nemo autem poteſt

dubi

dubitare, quin ſimul cum inflammatione partis principalis adſit febris, & illa quidem acuta: nec non quin delirium ſit neceſſariò continuum: quod vtrumque docet Galenus, qui ſcribit 2. *de ſympt. cauſis ad finem*, deliria quæ cum febre ſunt, phrenitidas, quæ ſine febre, manias appellari: & rurſum 1. *pror.* 1. loquit, Hippocratem delirium continuum cum acuta febre phrenitidem appellare conſueuiſſe.

Definitio phrenitidis. Ex iis quæ hactenus diximus, integra definitio phrenitidis ad mentem Galeni colligi poteſt, ſi dicamus, Phrenitim eſſe inflammationem cerebri & membranarum, cum acuta febre & delirio continuo: quam eſſentiam Aërius videtur præclare expreſſiſſe *lib.6.cap.* 2.

Differentiæ phrenitidis ſunt plures, primum à *Differentia I.* quantitate & magnitudine affectus. Etſi enim quælibet phrenitis magnus eſt morbus: tamen quidam leuior, quidam vehementior exiſtit: vnde eſt *apho. Hip.* 6. 53. *Deliria quæ cum riſu fiunt.* Alia enim fiunt ex ſanguine, & ſunt leuiora: alia ex flaua bile, aut ſimpliciter, aut vehementer aſſata: ad quem modum ſcribit Galenus. 3. *de locis aff.* 7. eam phrenitim mitiorem eſſe, quæ à pallido oritur bile: vehementiorem quæ à flaua: Vehementiſſimam quæ à flaua bile exuſta generatur.

Secunda eſt differentia à qualitate affectus; *II.* namque alia phrenitis eſt in habitu, quæ hectica dicitur, alia eſt in affectu ſeu diſpoſitione, quæ ſimpliciter phrenitis nominatur. Cuius differentiæ meminit Galenus 1. *prorrhet.* 33 qui deſcribens naturam quorundam phreniticorum, qui quiete & pacate mouentur, breuiſſime loquuntur, ac vix videntur laborare, ſcribit virtutem horum languidam eſſe, atque hecticam quandam eſſe affectionem phrenitidis, veluti earum febrium, quæ ob id hecticæ appellantur. in quibus id euenit, vt biliosi humores altius in cerebro figantur, & omnes partes occupent, ſicut euenit in lanis quæ tincturam accipiunt: atque hæc quidem phrenetis hectica eſt veluti quædam cerebri tinctura, quæ primo quidem difficilime, deinceps vero nullo modo poteſt ſanari, ſicut neque lanarum colores poſſunt auferri: itaque iſti ſolis prognoſticis ſunt relinquendi. At forte Auicenna, qui ſcribit phreniticos nonnunquam cadere hecticam hanc phrenitidem intellexit, etſi expoſitores de febre hectica illam interpretatur.

III. Tertiò ſunt differentiæ phrenitidis ex læſione operationum principum, quæ apud Galenum 4. *de locis aff.* 2. ſunt tres: duæ ſimplices, & tertia quæ ex vtriſque componitur. Prima eſt in qua imaginatio permanet illæſa, ratio autem perturbatur: qua differentia phrenitidis ille laborauit, qui primum vaſa vitrea, deinde puerum per feneſtram proiecit. Secunda eſt, in qua ſalua ratiocinatione imaginatio duntaxat læditur: qua differentia ipſe Galenus laborabat, cum feſtucas in lecto, & floccos in veſtibus putaret eminere, & eoſdem tantaret colligere, colloquentes verò amicos intelligeret. Eadem differentia laborauit Theophilus ille medicus. Tertia eſt differentia, in qua ſimul & imaginatio & ratiocinatio læduntur.

IV. Quartò ſunt differentiæ plenitudinis a loco affecto: ſecundùm quas vel ſubſtantia cerebri, vel tenuis, vel craſſa membrana, vel dextra, vel ſiniſtra, vel anterior, vel poſterior, vel media pars cerebri laborat. Ex quibus differentiis nonnulli facile diſſoluunt illud problema, quomodo vna ex iis actionibus lædatur, altera illæſa. Namque ita reſpondent, ſingulas facultates in ſingulis ſeparatis cerebri ſedibus imaginationem in parte anteriore, rationem in media, memoriam in poſtrema reſidere.

Quintò ſunt differentiæ ſpeciei: alia vera & *V.* exquiſita eſt: alia non vera neque exquiſita. Exquiſita & vera phrenitis, definitore Galeno 1. *prorr.* 1. eſt, cum flaua bilis occupat locum, in quo princeps animæ ſedes reſidet; vt ſupra diximus. Phrenitis non exquiſita eſt talis vel ratione materiæ, vel ratione loci: ratione materiæ, ſi alius quiſpiam humor à flaua bile, vt ſalſa pituita inflammationem efficiat: ratione loci, ſi cerebrum non primario, ſed conſentiente aliqua inferiori parte laboret. Et quamuis multæ ſint partes, vt docet Gal. 5. *de locis aff.* 4. os ventriculi, cor, pulmo, membrana ſuccingens coſtas, & forte aliæ, quæ cerebrum in conſenſum ducere, & inflammationem facere poſſunt: tamen ſi vere loquamur, cum hæc deliria potius paraphrenitides quàm phrenitides debeant appellari, eo quod in declinationibus delirium remittitur, quod in declinatione phrenitidis veræ non contingit: ideo apud Galenum vnica eſt pars, ſeptum tranſuerſum, ex cuius inflammatione phrenitis excitatur, quæ tamen multum ab exquiſita phrenitide recedit. Et ſi quis obiiciat, hanc quoque phrenitidem veram, & legitimam eſſe, cum habeat notas exquiſitæ phrenitidis, nimirum febrem acutam & delirium continuum: huic reſpondet Gal. loco proxime citato, delirium ex ſepto tranſuerſo reuera non eſſe continuum, ſed prope fieri vt ſit continuum: quo loco multa ſigna traduntur quæ alterum ab altero delirium poſſunt ſeparare.

Sextò ſunt differentiæ à tempore: phrenitis *VI.* alia in principio, alia in augmento, alia in ſtatu & declinatione: quæ differentiæ maxime faciunt ad curationem, ſiquidem pro diuerſa ratione temporum varia remedia debent adminiſtrari.

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis, quæ poſ- *VII.* ſunt eſſe partim externæ, partim internæ Cauſæ externę ſunt veluti mora ſub ſole, aër inſigniter calidus, nimiæ exercitationes, alimenta, potiones, medicamenta calida, caſus, percuſſio & alia id genus. Cauſæ autem internæ, vt docet Gal. 2. *de* *Cauſa.* *ſymp cauſis*, ad finem, duæ ſunt: altera calidior cerebri intemperies: altera mordaces & calidi humores, qualis maxime eſt flaua bilis: ad quem modum ſcribit Gale. 1. *Epid.* 2. 73. eundem humorem pro vna loci diuerſitate, & febrem ardentem & phrenitidem facere Nam cum flaua bilis ſimul cum ſanguine contineatur magnis venis, contingit febres ardentes fieri, præcipue vero vbi in ventris, aut iecoris, aut pulmonis venis efferueſcat: ſin autem in cerebro atque illius membranis impacta fuerit, phrenitidas inducit. *Phrenitis ex ſanguine an fiat.* Quod ſi quis obiiciat, Galenum ſcripſiſſe, aliquando phrenitidem fieri ex ſanguine, atque huiuſmodi ægrotos inſanire cum riſu neque affectum eſſe tam periculoſum: facilis eſt reſponſio ex Galeno 2. *de diff. feb.* 9. 2. *de criſib.* 12. qui ſcribit, ſanguinem putreſcentem quoquo modo bileſcere, adeo vt ille quoque ſub nomine bilis poſſit contineri.

Signa phrenitidis ſunt duplicia: nonnulla *Signa.* quæ futuram, nonnulla quæ præſentem phrenitidem demonſtrant. Signa futuræ phrenitidis, quæ omnia phrenitica ſigna appellantur, accurate deſcribuntur à Gal. 5. *de locis aff.* 4. & ſunt huiuſmodi: præcedunt vigiliæ & turbulenta quædam ſomnia cum manifeſtis imaginibus, obliuio præter rationem, vt ægri petentes matulam obli-

uiſcantur mingere, aut poſtquàm minxerint, vaſculum reddere; laborantes turbulentius aut omnino audacius reſpondent, præſertim cum antea fuerint manſueti & modeſti: omnes exiguo potu vtuntur, ſpirationem quoque magnam & raram, pulſuſque minores & neruoſiores habent, quandoque occiput dolet: atque hæc ſigna plerumque phrenitidem præcedunt. Vbi vero ægri iam proxime ad phrenitidem accedunt, oculi eis admodum ſqualidi redduntur, aut ex altero ipſorum acris effunditur lachryma, & venæ ipſorum ſanguine plenæ ſunt, & ſanguis ex naribus fluit: quo ſane tempore nihil quod exacte prudentiam ſapiat, reſpondent, floccoſque auellunt, & feſtucas carpunt, & ſqualida febre infeſtantur, quæ non magnas mutationes obtinet, quemadmodum aliæ quædam febres, quæ vigores vehementiſſimos, declinationes verò mitiſſimas habent: demum lingua admodum aſpera conſpicitur: ſic illi quandoque audiendo falluntur, nonnunquam triſtes & mœſti decumbunt, vix reſpondentes; ac parte aliqua dolorifico affectu laborante, etiamſi quis hanc vehementer premat nequaquam ſentiunt. Hæc ergo ſigna laborante cerebro ſenſim conſueuerunt phrenitidem præcedere, quorum omnium ſignorum facile eſt rationem reddere, ſi memoria repetuntur, quæ hactenus de eſſentia & cauſis phrenitidis dicta ſunt.

Signa præſentem phrenitidem indicantia, quæ pathognomonica dicuntur, & certiſſima ſunt, docet Gal. illa eſſe, *1. pror.* 4. quæ perpetuo & ſolis phreniticis inſunt: minus certa quæ perpetuo quidem, ſed non ſolis conſueuerunt ineſſe: vnde ille reprehendit auctorem illius libri, qui petebat ſigna phrenitica ex vrinis deiectionibus, ſudoribus, ſputis, vomitibus, quæ neque perpetuo, neque ſolos phreniticos ſolent comitari.

Porro huiuſmodi certa & propria ſigna phrenitidis duo ſunt, alterum quod & perpetuo & ſoli phrenitidi ineſt, delirium continuum: alterum quod perpetuo quidem, ſed non ſoli ineſt, febris acuta; quæ duo ſola ſigna ad dignoſcendam phrenitidem ſufficiunt: quod ſi prætereà velimus adiungere duritiem pulſus, vigilias, ſomnos difficiles, ſitum inſignem, & alia id genus ſymptomata, adhuc certiorem morbi cognitionem habebimus.

Signa differentiarum. Venio ad ſigna differentiarum. Phrenitis vehemens habet multa & vehementia ſymptomata, & quò inflammatio eſt maior, ac maiorem cerebri partem occupat, eo ſymptomata ſunt plura, vehementiora & deteriora: contra phrenitis leuior ac remiſſior, pauciora quoque & leuiora habet ſymptomata.

Secundo ſigna phrenitidis hecticæ præclare deſcribuntur *1. pror* 33. namque ægri parum loquuntur, parum mouentur, ac fere videntur quieſcere & dormire: quod quidem propterea euenit, quoniam res ad quendam habitum venit, qui nullam fere affert moleſtiam.

Tertio qualesnam actiones principes, an vna, vel plures, an omnes lædantur, ex ratione delirij manifeſtum eſt, prout ægri vel imaginatione, vel ratiocinatione decipiuntur.

Quarto qualiſnam locus capitis particulatim laboret, ex quibuſdam coniecturis colligi poteſt, obſeruando quænam pars, dextra an ſiniſtra, anterior an poſterior, dolorem ſentiat, ac maiori moleſtia afficiatur; ſic vtrum ſubſtantia cerebri an membranæ afficiantur, colligi poteſt. Siquidem dolor membranarum dolore cerebri eſt longe intenſior, quod membranæ exquiſito, cerebrum autem aut nullo, aut leuiſſimo ſenſu ſit præditum. Pariter inflammato cerebro omnia ſunt deteriora, adeo vt ſcribat Auicen. 13. *tractat.* 3. aliquando ſuturas capitis ſeparari. Verum vt admonet Gal. 2. *de locis aff.* 9. huiuſmodi exquiſita inquiſitio, vtrùm cerebrum an membranæ primo laborent, non magnam vtilitatem habet, quod nulla ſit varietas curationis, & vtrobique capiti remedia adhibeantur.

Quintò ſigna quæ veram & exquiſitam phrenitidem à non vera & exquiſita diſtinguunt, explicantur à Galeno 5. *de locis aff* 4. Etenim ſi caput laboret per conſenſum, vel totius corporis, ſicut in febribus ardentibus contingit, vel per conſenſum peripneumoniæ, pleuritidis, vel alterius partis laborantis, tunc huius partis vel dolor, vel inflammatio, vel aliqua affectio præceſſit: verùm illud accedit, quod delirium de improuiſo & ſubito hominem inuadit, quod in vera phrenitide non contingit, in qua ſanguis non repente & confertim, ſed paulatim repit ad caput, & inflammationem facit, vnde varia ſymptomata ſolent illam præcedere, de quibus diximus.

Ex ſepto tranſuerſo autem quod oritur delirium, à vera phrenitide tribus rationibus diſcriminatur: primum ex ſymptomatibus oculorum; ſecundo ex ſtillationibus ſanguinis narium; tertio ex ſpecie reſpirationis: de quibus Gal. diffusè. *Septi transuerſi inflammationis ſigna.*

Sextò ſigna ex tempore inflammationis à ſymptomatibus potiſſimum deſumuntur, prout illa vel creſcunt, vel incipiunt, vel declinant, &c.

Poſtremo loco ſunt ſigna cauſarum: Externæ ex aliorum relatione fiunt manifeſtæ: neque vero internæ habent difficilem cognitionem, ſiquidem oculi, & facies, & totum caput calida & rubicunda apparent, vrgent vigiliæ, ſitis, & alia id genus, quæ calidam cerebri intemperiem, nec non mordaces & calidos humores ſolent demonſtrare.

Curatio. In curatione repetendum eſt, quod alias diximus ex doctrina Galeni, nimirum ſi quis voluerit cum ratione aliquem morbum curare, is debet 1. elicere indicationes curandi. 2. videre an iis ſatisfieri poſſit, 3. cum quibus præſidiis. Cum ergo indicationes potiſſimum eliciantur ex morbo, ita agendum eſt. *Indicationes.* Phrenitis eſt inflammatio cerebri & membranarum: itaque morbus in intemperie cum materia. Prima igitur & communis indicatio illa eſt, cum morbus ſit immoderata partis repletio, vt hæc materia præter naturam vacuetur, atque à parte laborante tollantur: hoc fieri non aliter poteſt, niſi quod ſuperfluum eſt aut retrocedat, aut per ipſam patientem particulam vacuetur: retrocedet quidem vel impulſum, vel attractum, vel tranſmiſſum, vel vno ex iis, vel omnibus modis. Per patientem vero locum vacuabitur, partim quidem manifeſte & ſenſibiliter, partim vero obſcure & inſenſibiliter. Quoniam autem non licet vti præſidiis repellentibus aut diſſoluentibus, ſine præcedente totius corporis vacuatione: idcirco omnium primum ea indicatio ſe offert, quæ ad generalem corporis prouidentiam ſpectat, quam deinceps reliquæ indicationes ordine ſequuntur, reuellendi, repellendi, ac demum diſſoluendi. Quam curandi methodum haberis apud Galenum *in arte med.* 9.

Elicitis indicationibus conſideret Medicus vtrum liceat illis ſatisfacere necne? etenim vbi nulla remanet ſpes ſalutis, ſuperuacaneum foret de remediis cogitare: hoc iudicium nos docet Galen 1. *ad Glaucon.* 8. nempe ex virium & morbi comparatione. Itaque ſi phrenitis maxima fuerit, multaque & difficilia habeat ſymptomata, æger autem habeat vires imbecilles, tunc neceſſarium erit ægrum ſuccumbere: ad quem modum Ga- *Prognoſtica.*

lenus

Digitized by Google

lenus generaliter docet 10. *method.* 5. in omnibus internis inflammationibus, in virium robore vnicam ſpem ſalutis eſſe. Neque vero ex iis quæ hactenus diximus, admodum difficile eſt phrenitidis magnitudinem & periculum intelligere: ſcribit Hip. 4. *apho.* 72. *Quibus vrina alba ſunt & perſpicua, mala: maximè vero vbi in phreniticis appareant.* Tales enim oſtendunt maximam humorum cruditatem, nec non flauam bilem ad caput aſcendere, adeo vt teſtetur Gal. *in comment.* ſe neminem ſaluatum vidiſſe, cui huiuſmodi vrina apparuiſſet. Sic ſcribit Galenus 3. *epid.* 3. 75. phrenitidem quæ prima ſtatim die, vna cum febre inuadit, accutiſſimam eſſe: qui fatetur huiuſmodi omnes phreniticos intra ſeptimam diem mortuos fuiſſe, perpaucos admodum & raros hunc terminum ſuperaſſe.

Sunt nonnulli, qui generaliter contendunt, phrenitidem confirmatam nulla ratione poſſe ſanari. Verum iſti decipiuntur, niſi forte intelligant phrenitidem hecticam, quæ reuera nullam recipit curationem, Namque econtra quamuis inflammatio fuerit abſoluta & confirmata, imo vero deuenerit ad ſuppurationem, ægri quandoque ſanantur: quæ doctrina eſt Hip. & Gal. 6. *apho.* 10. Quare phrenitis & primo & quolibet tempore poteſt ſanari, dummodo phrenitidem hecticam excipias.

An purgatio in principio conueniat.

In curanda phrenitide, quatenus ad primam indicationem, quæ ad communem corporis vacuationem pertinet, ea potiſſimum perficitur duplici ratione, aut miſſione ſanguinis, aut medicamentis. Quidam hodie protinus adminiſtrant medicamenta, quæ vel propter copiam materiæ, vel propter principatum loci laborantis, vel propter turgentes humores, vel propter alias cauſas contendunt conuenire. Vnde apud illos ſunt vulgares illi duo inepti verſiculi.

Synocha cum colica, phreneſis, ſquinantia, & anthrax,
Materias crudas euacuare iubent.

Sed quoniam aduerſus hanc opinionem aliàs quædam diximus, illud ſufficiat in præſentia, hanc methodum aperte aduerſus Hip. & Galeni decretum eſſe, 4. *de ratione victus in acutis* 22. *Quicunque ea qua inflammatur, ſtatim inter initia morborum medicamento ſoluere conantur, ij non ſolum ab inflammata parte nihil adimunt, cum non cedat, qua adhuc cruda eſt affectio*, &c. Cum igitur purgantia medicamenta nullo modo poſſint conuenire, vnde neque aliquis probatus Medicus reperitur, qui eorum adminiſtrationem probet, neceſſario

Vena ſecanda.

ſequitur totum corpus per miſſionem ſanguinis vacuandum eſſe: & ita Galenus. Paulus, Aëtius, Alex. Auicen. Rhaſes, & omnes in hoc remedio conueniunt. Quod diligenter ab illis eſt animaduertendum, qui in morbo bilioſo & in copia flauæ bilis, ſanguinis miſſionem repudiant Itaque in omni phrenitide, modo virtus valeat, adeo vt æger ſine noxa euacuationem ferre poſſit & cætera conſentiant, ſine mora ſanguinis detrahendus

Qua vena.

eſt: quo quidem remedio nullum magis efficax & ſalutare poteſt inueniri. Vena autem, cum Paulo ſecanda eſt in cubito, aut media, ſi tum capitis, tum corporis vniuerſi, aut cephalica, ſi vnius præcipue capitis rationem velimus habere: etſi non ignoro quoſdam magis ſectionem venarum inferiorum probare; qui mihi videntur male ſentire, cum morbus maximè vrgeat, nullas præbeat inducias, indigeatque remedio, quod celeriter

Quando vena in pede ſecanda.

poſſit non ſolum reuellere, ſed etiam totum corpus & caput vacuare. Ac ſane vnica eſt occaſio, quæ ſectionem venæ inferioris deſiderat, eaque eſt in mulieribus, ſi hoc tempore menſes erumpant, & parce procedant: quod quidem non ſolum in phrenitide, ſed etiam in pleuritide; & quouis alio morbo cenſeo non ſine ratione faciendum eſſe.

Hæmorrhoides improbantur.

Quamplurimi, ac fere omnes, magnopere probant hirudines ad venas hæmorrhoidales applicatas, & inter cęteros Meſuë ſcribit, in omni phrenitide prouocationem hæmorrhoïdum conuenire: qui mihi videntur male agere & ſentire. Sed præterea venas interdum ſuperiores ſecari expedit, nempe frontis, narium, ſub lingua, ſed in primis narium, cum natura per hanc partem ſoleat ſæpenumero ſanguinem profundere, & phrenitidem ſanare. Veruntamen id perpetuo memoria eſt tenendum, huiuſmodi venas proximiores cerebro nunquam fore incidendas, niſi antea ſecta vena in cubito, & poſt vniuerſi corporis vacuationem.

Cautela.

Quantitas ſanguinis.

De quantitate ſanguinis mittendi inter auctores non conuenit. Paulus, Alex. & fere cæteri inquiunt, ſanguinem copioſe pro viribus detrahendum eſſe. Auic. vſque ad proximam ſyncopem. Aëtius ex Poſſidonio iubet minorem ſanguinis copiam detrahere, propter plurimam diſſolutionem & laſſitudinem, quæ ipſis ex vehementi motione contingit, Sed forte de hac re nil certi ſtatui poteſt: etenim ſi æger ſe præbeat obedientem, mea ſententia, melius foret non ſemel copioſe, ſed bis ac ter moderate ſanguinem mittere: quam rationem mittendi ſanguinem certum eſt ægros facilius perferre, & ad reuulſionem magis facere.

Cucurbitula quando conueniant.

Clyſterum vſus.

Exempli gratia, primum ſecta vena media, deinde cephalica, tum ſcarificatis cucurbitulis, quæ quidem hoc tempore non ſolum ad partes inferiores, ſed etiam ad ſuperiores, & ad occiput poſſunt apponi. Sin autem, quod ſæpe contingit, æger inſolenter ſe agat, neque velit pręceptis medicis obedire, tunc præſtaret occaſionem arripere, ac ſemel ſanguinem mittere, prout vires corporis, habitus anni tempus, aëris conſtitutio, & ſimilia poſtulant; ſed tamen hac in re Aëtij conſilium, vt dictum eſt, non eſt negligendum. Cæterum ſi propter ætatem, vel aliud impedimentum non liceat venam ſecare, plerique omnes hoc tempore ſcarificatis vtuntur cucurbitulis: ſed nos docuimus alias ex Galeno, earum vſum morbi principio non conuenire. Galen. conſueuit clyſteribus agere, cui conſentit Auicen. 13. *tract.* 5. 2.. qui ſcriptum reliquit, ſolutionem ventris omni die ſemel aut bis, excuſare à phlebotomia.

Si quærat aliquis, an liceat ante miſſionem ſanguinis aluum lenire? Huic reſpondeatis, occaſionem eſſe præcipitem, ac propterea tam vtile ac neceſſarium pręſidium nulla ratione differendum, ſed quam primum, niſi aluus fluat, iniecto clyſtere ad miſſionem ſanguinis properandum eſſe: ſecta autem venena, ſi ita ferat occaſio, neque leniens aliquod medicamentum prætermittendum eſt, quod poſſit & prima excrementa purgare, & bilis feruorem remittere, inter quæ caſſia cum thamarindis præſtantiſſima.

Leniens.

Secunda indicatio.

Ex ſecunda indicatione ad medicamenta repellentia deueniendum eſt, quæ ex Galen *in arte medica* 85. ſunt frigida & adſtringentia, de quibus ſatis aliàs. Inter cætera eſt oxyrrhodinum: ſed dubium eſt, calidum-ne, an frigidum debeat adminiſtrari? Auicenna in præſentia vtitur oxyrrhodino non ſolum frigido; ſed etiam niue refrigerato, contra Aëtius docet frigiditatem roſacei inflammatis membranis minimè tutam eſſe, quare illud probat æſtate quidem tepidum, hyeme moderate calidum. In qua difficultate longe magis opinio Auicennæ quam Aëtij cogor conſentire.

Namque,

Namque cerebrum non eſt tam frigidum (quoniam Gal. 8. *de vſu partium* 2. aſſerit quouis aëre calidius inueniri) quin frigiditatem roſacei, non admodum inſignem, poſſit perferre: ac præſertim cum ſit neceſſe in tranſitu illius vim & facultatem remitti: quod ſi altera ex parte per Aëtium illud vel tepidum, vel moderate calidum adminiſtretur, neſcio quantam repellendi vim poſſit habere, & præſtare, quod fluxio humorum & inflammatio requirit. Antiqui conſueuerant oxyrrhodino caput perfundere, nec vt hac tempeſtate fit lintea oxyrrhodino madefacta ad ſuturam coronalem apponere: ac ſane optimum foret antiquum vſum reuocare, cum certum ſit, quod veteri illa ratione non ſolum vis medicamenti, ſed etiam ſubſtantia ad cerebrum poſſit penetrare. Sed non bis tantum, vel ter imponenda ſunt iſta lintea, quia exſiccantur, ſed ſine intermiſſione caput irrigandum eſt, ſi quidem volumus repellere fluxum humoris, & inflammationis caliditatem remittere, vt dicit Gal. 4. *de locis aff.* 2. Sic decocta ex rebus frigidioribus etiam conferunt.

Quid repetenda repullentia.

3. Indicatio.

Poſt duas indicationes generales, vid. vacuandi & repellendi, ex tertia indicatione ad omnia genera reuulſionis deueniendum eſt, frictiones, ligaturas, lotiones extremarum partium, cucurbitulas, clyſteria, & alia id genus, de quibus illud eſt notandum, quamplurimos vti clyſteriis acrioribus, quæ tamen non conueniunt, quia nimis calefaciunt exagitantque humores, vnde vapores facilius in caput efferuntur: ex quo Paul. Aëtius & omnes mollia & leuia clyſteria probant. Et ſi quis obiiciat, hæc leuia clyſteria nihil reuellere: Ei dicam, ea quodum quidem non eſſe acriora id multo magis aſſere, interim tamen neque hæc fore inutilia, dum materiam noxiam ad partes capiti oppoſitas educant, omni periculo careant.

Vigilia

Porro quoniam inter omnia ſymptomata nullum eſt maioris momenti & periculi, quam ſint vigiliæ, idcirco huic ſymptomati omnibus modis eſt occurrendum. Itaque Gal. ſcribit 13. *meth.* 21. non ſolum præſidiis leuioribus, verum etiam acrioribus eſſe agendum, qualia ſunt quæ cerebrum maligniter refrigerando poſſunt principem partem ſtupefacere: hæc verò duplicia ſunt, partim externa, partim interna: externa ſunt primum lotiones, & perfuſiones capitis, vel ex aqua ſimplici, vel ex decocto violarum, lactucarum, capitum papaueris, &c. Sit exemplum.

℞ *Maluarum, lactucarum ana M. ij.*
Solani M. ß.
Cap. papaueris. N. VIII.
Florum chamæmeli M j. ß.
Decoque ad conſumptionem tertia partis.

Vnde eſt illud Hip. de Metone. 1. *epid* 3. *ægroto ſeptimo*: *Caput lauit, dormiuit, mente conſtitit*, vbi Gal. in com. hæc habet: deinde inquit Hip. peruigilauit, delirauit. Huius te præſtantiſſ. remedium docuit, ait, caput laues: verum ſi quis non ſolùm caput perfundat, ſed etiam abluat & manus, & crura, id optimum foret, & ego partim ad reuulſionem, partim ad refrigerationem, & ad conciliationem ſomni facere ſoleo familiariter. Deinde ſunt odores, vt poma mandragoræ, flores roſarum, violarum, ſi fuerit æſtate, camphora, aqua roſarum, nenupharis. Poſtremo ſunt linimenta, ex quibus & tempora, & nares intra ſunt inungendæ: atque hæc pariter ſunt multiplicia: oleum violaceum, de nenuphare, de papauere, de mandragora, vnguentum diapopuleum, quod vulgare & optimum eſt: ſed opium inter cætera omnia principem locum obtinet. In quibus medicamentis id eſt notandum, vt perpetuo à malis

Cautela.

odoribus caueatis: quod fiet ſi illis aliquod odoratum, vt modicum moſchi, permiſceatur, quod & malum odorem emittere, & vim medicamenti facilius ad partes internas poteſt deducere. Exemplum.

℞ *Unguenti diapopuleon.* ℥. ß.
Olei violati,
De nenuphare anaparum M.

Exemplum opij.

Alterum.

℞ *Opij gr. iiij.*
Moſchi,
Croci ana gr. ij.
Olei de nenuphare. q. ſuff. M.

Medicamenta autem quæ per os aſſumuntur, ſunt item multiplicia, neque ſi malum vrgeat, eorum vſus timendus eſt, ſiquidem auctore Alex. non modò ſomnum conciliant, ſed etiam febri conueniunt, & caput tanquam igne exuſtum refrigerant; primum eſt ſyrupus de lactuca, de papauere, deinde eſt diacodium, quod eſt duplex, alterum cum melle, alterum cum ſapa, quod poſtremum ab auctoribus improbatur, propter ventoſitatem. Familiariter vtimur ſeminibus papaueris albi ad ʒ. vi vel ℥. I. ex quibus contuſis cum aqua flor. violarum vel lactucæ, exprimitur lac quod in ferculis permiſcetur, & optimum eſt. Demum ſunt antidota ſomnifera. Philonium Romanum vel Perſicum, Requies Nicolai, de quibus duo potiſſimum ſunt notanda. Primum vt à frequenti vſu huiuſmodi medicamentorum abſtineamus, quandoquidem periculum eſt, vt monet Aëtius, ne phrenitici qui nimium refrigerantur, fiant lethargici, adeo vt ſi incipiant dormire, poſtea non poſſunt ſuſcitari. Alterum eſt notandum, in quo vulgares Medici pernicioſe errant, ſcilicet, ſi vires fuerint imbecilles, plane à medicamentis ſtupefacientibus eſſe abſtinendum: quoniam tunc natiuum calorem extinguunt, atque vt inquit Alex. quandoque mortalium medicamentorum potionem comitantur. Imò verò Auic. non ſolum interna, ſed etiam externa medicamenta ſtupefacientia reiicit, qui ſcribit ad hunc modum *cap. 3. Et ſtude vt facias eum dormire, atque vt fiat hoc, aliquid opij duobus cornibus frontis ei appropinqua & naſo ipſius ſi virtus eſt fortis, & ſi nō ſit fortis, caue, quoniam illud eſt interimens.* Verum redeundo ad communem corporis vacuationem, dubium eſt, vtrum liceat phreniticis purgantia medicamenta exhibere nec ne? Nullus ex Græcis medicis mentionem facit, ſolus Auicen. plurimam ſolutionem probat., vt neque abſtineat ab vſu ſcammonij. In qua difficultate, quidquid ſibi voluerit. Auic ego cenſeo huiuſmodi medicamenta ante morbi declinationem nullo modo conuenire: quo fortaſſe tempore, apparente coctione, ad vacuationem eorum quæ aliquando reliquuntur in morbis, non ſine ratione medicamentum purgans bilem poſſit exhiberi: de quib. aliàs diximus.

Cautela I.

II.

Vtrum purgantia conueniant.

4. Indicatio.

Poſt hæc omnia, ex poſtrema indicatione ad medicamenta diſcutientia, & reſoluentia eſt veniendum, ad quæ tamen, quod eſt memoria tenendum, nonniſi in vera & perfecta declinatione licet deuenire: quoniam ſi ea priore tempore adminiſtrantur, facile poſſunt inflammationem febremque augere, & ægro extremam perniciem afferre. Hæc docuimus calefaciendi facultate eſſe prædita, qualia ſunt ſerpillum, thymus, melilotus, origanum, pulegium, ſtœchas, &c. ex quibus variæ medicamentorum formæ poſſunt parari, & primum ſuffumigia, quæ per nares recipiuntur, & ſit exemplum.

Suffumigia.

℞

Google

℞. *Origani,*
Pulegij,
Calamenthi ana M. ß. concoquantur in aceto pro ſuffumigio.

Viſcera animalium actu calida.

Secundo ſunt ſternutatoria, quæ à nonnullis vituperantur, quod nimis concutiant caput.

Inter cætera præſidia quæ ad poſtremam indicationem pertinent, recentiores medici quoddam remedium excogitarunt, cuius nullus antiquorum meminit, quo familiariter hoc tempore vtuntur, & partim ad diſſoluendam materiam contentam in capite, partim ad illius corroborationem affirmant eſſe efficaciſſimum, illud verò ſunt carnes & viſcera animalium recens interfectorum, quæ adhuc calida ac fere palpitantia ad capita phreniticorum apponunt; qualia ſunt pulmones agnini recens euulſi, catulus, pullus gallinaceus, columbus, per medium diſſecti, & ſimilia. Quod quidem remedium etſi mihi videtur turpe & inquinatum, à quibus ingenui homines debent abſtinere: tamen nolui ſilentio illud præterire, cum ſit admodum vulgare: & ſi in tempore veræ declinationis adminiſtretur, poterit qui voluerit eius periculum facere.

Victus ratio

Quod attinet ad victus rationem, quæ ſex rebus non naturalibus comprehenditur; primum aër ſit temperatus, neque inſigniter frigidus, qui naturalem euaporationem prohibet; neque inſigniter calidos, qui adhuc magis inflammat, ſed pro ratione temporis, exempli grátia, hyeme calidior, æſtate frigidior paretur. Sed dubium eſt. vtrum expediat phreniticos in luce an tenebris detineri; namque antiqui illos fere in tenebris tenebant, quia ad quietem animi iudicabant tenebras conferre: verum Aſclepiades, tanquam tenebris ipſos terrentibus, in lucem ponendos eſſe ſtatuit. Quam dubitationem ſoluit Cornelius Celſ. *lib.* 39. inquiens neutrum perpetuum eſſe: alium enim ægrotum lux, alium tenebræ magis perturbant, reperiunturque nonnulli in quibus nullum diſcrimen deprehendi hoc vel illo modo poteſt: itaque inquit Celſus optimum eſt vtrumque experiri, & habere eum qui tenebras horret, in luce, contra qui horret lucem, in tenebris: quod ſi nullum tale diſcrimen fuerit, æger ſi vires habeat robuſtas in loco lucido; ſi non habeat, in obſcuro detinendus eſt. Cibus ſit tenuiſſimus, cum morbus ſit acutiſſimus, & vno verbo, non aliud quàm ptiſana hordeacea, vel panis ex aqua præparatus: etſi nonnulli antiqui præterea endiuiam, lactucam, fructus & alia id genus ſolebant exhibere. à quibus, mea ſententia, eſt abſtinendum. Potus, aqua hordei bene præparata mihi probaretur vel ſola, vel ſimul cum modico iulepo vel roſaceo, vel violaceo. Ægri quieſcant quantum fieri poteſt; quod ſi fuerint diuites, detineantur à ſeruis, ſi pauperes à funibus. Somnus omni induſtria concilietur, ſiquidem phrenitici nullum vigiliis maiorem hoſtem habent. Excrementa per aluum, per lotium, & cætera purgentur quotidie. Ab animi perturbationibus, quatenus fieri poteſt, caueant.

Exemplum Phrenitici.

Socrates annum agens quadrageſimum, temperamenti calidioris & ſiccioris hoc tempore laboret phrenitide. In prima viſitatione, impoſito molli clyſtere ex decocto maluarum, violarum, lactucarum, melle violato, oleo violat, niſi aluus ſponte deiiciat protinus ſecate venam; & ſi ille ſeſe præbeat opportuna facientem, ſecate primam venam communem, deinde eadem die vel ſequenti cephalicam: at ſi idem nolit obedire, vt ſæpe fit, ſemel ſecate venam cephalicam mittendo ſanguinem copioſe, ad 12. & plures ℥. Et ſi quis hirudinarius velit Socrati apponere hirudines ad venas hæmorrhoidales, illum doceatis ex Galeno, huiuſmodi remedium in morbis bilioſis non conuenire. Eadem die ſecta vena capiti oxyrhodinum ad commiſſuram coronalem apponendum eſt, quod conficiatur ex oleo roſaceo & modico aceti, & illud quidem actu frigidum, quo ſane vel more Gal. & antiquorum caput perfundendum eſt, vel more noſtro linteis ex eo madidis caput aſſidue fouendum. Hoc ipſo tempore accedatis ad reuulſiones, ligaturas dolentes, frictiones: lotiones extremarum partium, cucurbitulas, clyſteria & ſimilia, in quibus mane & veſperi, & ante prandium, & ante cœnam longiore tempore inſiſtendum eſt: ſecunda vel tertia die, quoniam morbus non dat inducias, ad propriam capitis vacuationem veniendum eſt. Itaque Socrati feceris venam frontis, venas narium, ſub lingua, ponite hirudines poſt aures: quæ tamen remedia à vobis ita debent inſtitui, vt ſine vlla confuſione accommodate vnum poſt alterum adhibeatur. Interea arripiatis occaſionem, ſi fieri poteſt, leniendi aluum leniori aliquo medicamento, quale inter cætera præſtantiſſimum eſſet caſſia cum thamarindis. Poſt hæc ſtudeatis omni induſtria ſomnium conciliare, ac ſi opus fuerit, ne timeatis principes partes ſtupefacere: quare extra inungatis tempora & nares cum oleo violato, de nenuphare, de papauere: offeratis odores frigidos, roſas, violas, poma mandragoræ, aquam roſaceam, & ſimilia: Socrati perfundatis caput, nec non lauetis brachia & crura ex decocto maluarum, violarum, lactucarum, nenupharis, capitum papaueris: interius ſimul cum ferculis vtamini emulſione ſeminum papaueris albi, & ſi opus fuerit, philonio Romano, vel Perſico, requie Nicolai. Demum vero in morbi declinatione deueniatis ad medicamenta diſcutientia, ſuffumigia, ſternutatoria, & cætera de quibus diximus; ſed ratum eſt vt in phreniticis ad hanc poſtremam indicationem veniamus. Socrati victus tenuiſſ. inſtituatur, priſana inprimis: & quoniam ſitis ſolet maxime vrgere, illi exhibeatis vel decoctum acetoſæ, vel endiuiæ, ſeminum melonis, vel aqua hordei, vel ſola, vel cum modicô iulepi violacei: quæ quidem potiones aſſumendæ ſunt, quo tempore Socrates ſumit ſua alimenta, aut ſaltem ieiuno ventriculo, minime qualibet hora, ſicut imperiti faciunt Medici.

Sed quærat quis, cum generaliter vnica tantum phrenitis à nobis curata fuerit, quamobrem antea à nobis plurimæ phrenitidis differentiæ ſint propoſitæ, quæ propterea nullum vſum videntur habere; Ego ad hoc reſpondeo, omnes differentias vel ad prognoſticum, vel ad curationem, vel ad vtrumque conferre: ſic differentia ex magnitudine manifeſte facit ad prognoſticum, ſed neque ad curationem eſt inutilis. Namque exempli gratia, ſi phrenitis fuerit inſignis, protinus ſine mora aggrediemur ſectionem venæ: ſin autem fuerit leuior, ac ſimul ventriculus laboret cruditate, fortaſſe ſectioni venæ non verebimur alui lenitionem præmittere. Differentia ex qualitate conducit prognoſtico: namque phrenitis in habitu nullam recipit curationem; quod item de aliis differentiis poteſt colligi & demonſtrari. Quod autem diximus de differentiis phrenitidis, idem de cæteris quoque differentiis aliorum omnium morborum dicendum, & memoria tenendum eſt.

Caput XII.

De Lethargo.

DE eſſentia lethargi conuenit inter omnes; hunc affectum inducere quendam marcorem, & inexpugnabilem dormiendi neceſſitatem. ex quibus ſymptomatib. nomen accepit: λήθη enim Græcè obliuio eſt, ἀργία inertia, vt lethargus non aliud quàm inertem obliuionem ſignificet. Veternus quoque appellatur: etſi Plinius *lib.* 28. *cap.* 17. lethargum à veterno ſeparat. Auic. Sirſen frigidum vocat. Conſtat præterea in hoc affectu caput laborare, atque illius cauſam eſſe pituitam, quæ nimio frigore & humore cerebrum imbuit, & in ſomnum impellit: de iis nemo dubitat.

Nomen.

At verò dubium videtur vtrum lethargus ſit inflammatio necne, hoc eſt, vtrum pituita in cerebro tumorem præter naturam efficiat, vel tantummodo cerebrum refrigeret & humectet? nec non vtrum in lethargo lædantur facultates principes? & ſi lædantur, quales & quo modo lædantur? Quæ duæ dubitationes difficiles, nec forte hactenus bene explicatæ ſunt. Quo ad primam Aui. ſcribit manifeſte, lethargum eſſe apoſtema phlegmaticum, factum intra cranium, cui plurimi etiam doctiſſimi viri conſentiunt, qui conantur hanc ſententiam confirmare ex Gale. 13. *meth.* ar. vbi ſcribit lethargum contrarium quodammodo phrenitidi ſecundum ſpeciem eſſe: quod ſi lethargus & phrenitis ſecundum ſpeciem contraria ſunt, neceſſario genere conueniunt: vnde cum ſupra ſtatutum ſit, phrenitidem ſub inflammatione, vt ſub genere, contineri, vt lethargus quoque eodem genere comprehendatur, & inflammatio ſit, fateamur neceſſe eſt. Præterea cum Gal. docent, lethargicos laborare continua & lenta febre, iſtud inquiunt, ſine inflammatione non videtur poſſe fieri: ſiquidem in diſtillationibus & aliis huiuſmodi affectibus, in quib. multa in caput redundat pituita, nulla ſæpenumero febris coniungitur Altera autem ex parte, ni fallor, nunquam Gal. aſſerit lethargum eſſe inflammationem, qui ad conſtituendam illius naturam id ſatis habet, vt pituita cerebrum refrigeret & humectet, vt colligitur 1. *pror.* 1. 13. *met.* 2. 4. *locis aff.* 2.3. *de locis aff.* 4. 2. *aph.* 3 Imo vero Gal. tantum videtur abeſſe ab hac opinione, vt lethargis ſit inflammatio, vt docet 3. *de locis aff.* 7. illum poſſe fieri ex ſola intemperie frigidiore, contra quam eueniat in apoplexia, quæ propterea quod ſubitò fiat, frigidum humorem, aut craſſum, aut tenacem, principes cerebri ventriculos confertim replentem, non totius ſubſtantiæ eius intemperiem demonſtrat, Itaque ſicut mea ſententia negandum non eſt, quin lethargus ſequatur aliquando inflammationem cerebri ex pituita ortam, ita neque id perpetuo fieri cenſendum eſt, cum nihil obſtet quin ex eadem putreſcente pituita, ſine vlla inflammatione, homines perpetuo ſomno & perpetua lentaque febre corripiantur, quæ lethargi propria ſunt ſymptomata.

Vtrum lethargus ſit inflammatio.

Sententia authoris.

Neque aduerſus hanc concluſionem aduerſæ rationes quicquam demonſtrant: etenim dicit Gal. lethargum non ſimpliciter, ſed quodammodo ſecundum ſpeciem phrenitidi eſſe contrarium, quod ego interpretor potiſſimum vero eſſe propterea, quia lethargus ex contraria cauſa, omnium ex humore frigido, originem habet: vnde idem dicit Gal. vtriuſque morbi curationem, phrenitidis & lethargi, primo quidem eandem eſſe poſterius vero contrariam, cum in phrenitide, ad prohibendas vigilias, liceat vti medicamentis frigidis, & quæ principes facultates poſſunt ſtupefacere; in lethargo autem expediat vti medicamentis calidis, & quæ facultates principes poſſunt excitare. Deinde quod aiunt, ſine cerebri inflammatione, ex ſola pituita, febrem continuam non poſſe fieri, id ſane ab omni ratione videtur alienum: ſi enim multa pituita redundet in cerebro, & putreſcat, quid prohibet quin febris generetur? Certum enim eſt, pituitam etiam ſine inflammatione, ſicuti cæteri humores in venis, putreſcere, & ſine inflammatione febrem efficere.

De ſecunda autem dubitatione ſcribit Gal. 3. *de locis aff.* 5. 1. *de locis aff. vltimo*, generaliter in lethargo principes animi functiones lædi: ſpeciatim vero ſcribit 3. *de locis aff.* 5. rationem & memoriam aboleri: & *in lib. de ſympt. diff.* 3. dicit, in lethargo imaginationem deficere & imbecillam eſſe: ex quibus locis nonnulli exiſtimant, præter cætera ſymptomata lethargicos delirare. Ego vero etſi non ignoro in hac ſententia fuiſſe viros præclariſſimos, tamen ex Galen. cogor diſſentire: etenim Gal. *de ſympt. diff.* 3. explicans noxas quæ prodeunt à principe facultate, ſtatuit tres actiones principes trifariam poſſe lædi, aut ablatæ, aut imminutæ, aut deprauatæ, quorum omnium exempla profert: imaginationem aboleri in caro & catalepſi, deprauari in delirio, deficere in comate & lethargo: ratiocinationem aboleri in dementia, deficere in ſtultitia, deprauari in delirio, quæ ſymptomata etiam memoriæ contingunt. Cum igitur nulla vel abolita, vel imminuta actio, ſed tantummodo deprauata imaginationis, ratiocinationis, memoriæ, apud Galen. delirij nomine donetur, in lethargo autem nulla reperiatur actio deprauata, ſed tantummodo imminuta & abolita, mihi videor ſumma cum ratione poſſe affirmare, ex doctrina Gal. in lethargo nullum delirium contineri.

Quæ facultates lædantur in lethargo.

Ex his facile eſt lethargi eſſentiam, cauſam & ſymptomata intelligere; ſiquidem morbus eſt cerebri intemperies frigida & humida: cauſa morbi putreſcens pituita, quæ vel inflammationem efficiat, vel ſine inflammatione cerebrum refrigeret & humectet: ſymptomata ſunt abolita ratio & memoria, necnon deficiens imaginatio, quibus demum febris lenta & continua, atque inexpugnabilis dormiendi neceſſitas coniungitur.

Lethargi eſſentia.

Differentiæ ſunt plurimæ: lethargus alius verus, alius non verus. Verus ille eſt, qualis fuit deſcriptus: non verus & ſpurius eſt, quotieſcunque caput non primario, ſed per conſenſum laborat: ad quem modum laborante vel ſepto tranſuerſo, vel alia parte inferiore aliquo morbo pituitoſo, plurimi vapores crudi eleuantur, qui petentes ipſum cerebrum, ſpeciem quandam lethargi ſolent repræſentare: de qua differentia lethargi per conſenſum Galen. 17. *de vſu partium ad finem*, & Aëtius *lib.* 6. 3. mentionem facit.

Differentiæ. *I.*

Secundo ſunt differentiæ ex magnitudine & paruitate, quæ præcipue ex ſymptomatibus ſumuntur.

II.

Tertio ex qualitate: namque nonnulli ægroti habent colorem, tum corporis, tum maxime faciei plumbeum & quaſi mortiferum, alij eundem colorem habent non ita multum à colore naturali alienum.

III.

Quarto ſunt differentiæ à modo generationis: alius primo generatur, alius non primo, ſed alios morbos ſequitur, maxime phrenitidem, quod fieri contingit, vt docet Gal. duplici ratione: altera quod diſſolutis partibus tenuioribus & calidioribus

IV.

dioribus

dioribus, craſſiores & frigidiores remaneant: altera propter importunam ſtupefacientium medicamentorum adminiſtrationem; vnde cerebrum in contrarium vitium deducitur.

V. Quinto à loco affecto: lethargus alius membranas cerebri, alius cerebri ſubſtantiam occupat, etſi nonnulli de hac differentia temere dubitant, cum Gal. illam recipiat apertiſſime, qui ſcribit 4. *de cauſis pulſ.* 14. lethargum & phrenitidem poſſe vtraſque cerebri parte occupare, ſed tamen lethargum & ex ipſos potius cerebro, phrenitidem præcipue ex tenui membrana ac ſepto tranſuerſo originem habere.

VI. Sexto ſunt differentiæ ex temporibus morbi.

VII. *Cauſæ lethargi.* Poſtremo ex cauſis partim internis, partim externis. Cauſæ externæ ſunt aër frigidus, humidus, craſſus: conſtitutio auſtrina, longum otium, alimenta & vina craſſa, & vno verbo cum Auicen. quæcunque humorem pituitoſum in corpore poſſunt coacervare. Intemperies frigida & humida ipſius cerebri, ſimul cum putreſcente pituita, vnica interna lethargi cauſa ſtatuitur. Sed dubium eſt vtrùm poſſit fieri ex melancholia? Auicen. 1. 3. *tractat.* 3. *cap.* 7. hæc habet: *Et quamuis quidam Medici nominant lethargiam omne apoſtema frigidum in cerebro, ſiue ſit melancholicum, ſiue phlegmaticum, verumtamē plures antiquorum phlegmaticum hoc nomine appropriauerunt, & tuum eſt vt in ipſo vtrumque nomines*: & ita Auicen. ſequenti cap. ponit ſigna lethargi melancholici. Ego verò ſi rei naturam & Galeni doctrinam conſidero, puto ab humore frigido & ſicco, qualis eſt melancholia, nullo modo tam inſignem propenſionem in ſomnum fieri poſſe. Nam Galen. frequenter docet, & rei natura confirmat, huiuſmodi prolixos & profundos ſomnos ex frigiditate & humiditate fieri: contra autem ex humore frigido & ſicco non ſolùm non ſomnum, ſed etiam vigilias excitari: & 2. *apho. com.* 3. ſcribit, difficilem ſomnum fieri cerebro refrigerato, quæ refrigeratio ſi fuerit vehemens & mixta cū humiditate, ſomnos profundos, cum ſiccitate autem vigilantem ſenſus ſtuporem, catalepſim nempe efficere.

Signa. Signa lethargi ſunt duplicia, alia quæ futurum, alia quæ præſentem morbum ſignificant. Signa prognoſtica illa ſunt: capitis grauitas pigritia ad motum, inſignis propenſio ad ſomnum, debilitata memoria & ratio, temperies corporis, cœli conſtitutio, regio frigida & humida. ætas ſenilis, tempus hyemale, victus ratio, quæ ad gignendam pituitam eſt accommodata. Signa pathognomonica autem quamplurima ab omnibus afferuntur, ſed potiſſimum ab Auicenna, ex quibus hæc ſequentia mihi videntur magis propria: febris continua & lenta, ſomnus profundus, à quo æger vix, aut ne vix quidem poteſt excitari, læſio omnium facultatum principum: quæ quidem pauca ſigna ſi ſimul conueniant, perpetuo lethargum demonſtrabunt: quibus licet addere ſigna ex pulſibus & vrina: namque pulſus, vt dicit Gal. 4. *de cauſis pulſuum, cap. proprio* pulſui eorum qui laborant peripneumonia, magnitudine, imbecillitate, mollitie, ſimilis eſt, ſed illo pulſu eſt tardior rariorque, & minus inæqualis: ſic lotia ſunt veluti iumentorū craſſa turbata pallida, quorum omnium ex copia redundantis pituitæ facile eſt rationem reddere.

Diagnoſtica. Vtrum lethargus ſit verus, & capite primario laborante, vel non verus, & per conſenſum aliarum partium, duplici potiſſimum ratione deprehenditur. Altera ex præcedentibus morbis, vel totius, vel alicuius partis: totius, vt in febre pituitoſa; partis vt ſepti tranſuerſi, pulmonis, &c. Altera ex perpetuis vel intermittentibus ſymptomatibus: etenim ſi ſymptomata in eodem ſtatu perſeuerant, verum lethargum denunciant: ſi autem remittuntur vel augentur, remiſſo vel aucto morbo principali, tunc lethargum ſpurium & per conſenſum demonſtrant.

Signa magni vel parui lethargi accipiuntur ex magnitudine vel paruitate ſymptomatum, & præcipue eorum ſymptomatum, quæ magis propria & inſeparabilia ſtatuta ſunt. Signa ex loco affecto nulla poſſunt haberi, vt dicit Gal. 3. *de locis aff.* 4 quandoquidem neque tumor præter naturam neque dolor, neque calor à priore mutuatus neque excrementa, neque aliud quidquam eſt, quod peculiarem affectum vel cerebri, vel membranarum poſſit demonſtrare. Cætera omnia ſigna vel ægris referentibus, vel ipſis ſenſibus, vel iis quæ tradita ſunt, euadunt manifeſta.

In curatione lethargi eædem nobis ſeſe offerunt indicationes, quæ in curatione phrenitidis fuerunt inſtitutæ, & quæ omnibus morbis ſunt communes, quicunque ex fluxione humorum originem habent. *Indicationes.*

Itaque omnium primo totū corpus eſt vacuandū 2. reuellendum 3. repellendum: poſtremo reſoluendum & corroborandum eſt. De quibus omnib. indicationibus, & ſingulis præſidiis ad eas accōmodatis breuiter agendum, quandoquidem curatio lethargi, vt dictum eſt, eadem eſt cum curatione phrenitidis, præterquam quod, in lethargo, ſicut in phrenitide, non licet vti medicamentis frigidis, nec principes facultates ſtupefacere.

Quæritur vtrum liceat iis indicationibus ſatisfacere? Etſi Hip. & Gal. 1. *de ratione victus* 7. & 1. *epid.* 3. t. & omnes, reponunt lethargos inter morbos acutos, imo vero inter morbos perniciosos, de quo ſpeciatim ſcribit Celſus *lib.* 3. 21. morbum acutum eſſe, ac niſi ſuccurratur celeriter, hominem iugulare, veruntamen negandum non eſt quod experientia confirmat nonnullos quoque lethargicos aliquādo euadere: hoc autē iudiciū, vt aliàs diximus, nō aliter fit, quā ex morbi & virium cōparatione. Ergo quantumuis morbus fuerit magnus, dummodo habeatis vires conſtantes, ne deſpereretis ſalutem. *Prognoſtica.*

Quatenus itaque ad vacuationem totius corporis, ſunt clyſteria acria, quæ præterea reuellendi quoque à capite vim habent: hæc enim redundante humore frigidiore, ac veluti ſopita principe facultate, ſunt admodum accommodata. *Vacuatio corporis.*

℞ *Decoctionis betarum*,
Furfurum, ana lib. j. *Clyſter.*
Electuarij diaphœniconis ℥. j.
Mellis roſati,
Olei chamamelini completi ana. ℥. iij. *M. pro clyſtere.*

Acrius erit.

℞ *Centaurij minoris*,
Florum chamameli, ana M. j.
Pulpa colocynthidos,
Agarici, ana ʒ. j.ß. *Fiat decoctio.*

℞ *Dicta decoctionis lib.* j.
Hieracompoſita ʒ. vj.
Mellis roſati,
Olei chamamelini completi, ana ℥. iij. *M.*

Sed ſtatim deueniatis ad ſectionem venæ, ſicut Gal. Paulus, Alex. Auic. & omnes iubēt, ſolus Meſuë hoc remedium prætermittit. Quo loco omnes Medici noſtrorū tēporū, quicunq; non intelligunt, Indicationem mittendi ſanguinem ſumi ex magnitudine morbi, ſed vel ex copia, vel ex impetu ſanguinis, &c. omnes inquam mirum in modum ſe torquent, & varia quærunt perfugia, vt ſe hinc poſſint explicare. Trincauellius hoc loco, ex conſilio Aretæi & Aëtij ſtatuit, venam ſecandam eſſe, pri- *Venæ ſectio an conueniat.*

mum ſi lethargus ſtatim incipiat, neque alios morbos ſequatur: deinde ſi ſanguinis adſit plenitudo poſtremo etſi pituita in capite & cerebro redundat, cum ea tamen totum corpus ſanguine refertum fuerit. Contra verò à ſangnine abſtinendum eſſe, ſi lethargus aliis morbis ſuccedat, ſi deſit ſanguinis plenitudo, ſi poſtremo ſimul cum venis cerebri, reliquæ venæ quæ per ambitum corporis diſperſæ ſunt, pariter ſicut cerebrum, crudo humore refertæ ſint. Alij ſanguinis miſſionem probant tanquam remedium reuulſorium, minimè vacuatorium. Nonnulli vero ita ſtatuunt, in lethargo ſanguinis miſſionem conuenire, non habita ratione à morbo præſente, qui cum pendeat ex copia pituitæ, non ſectionem venæ, ſed purgationem indicat verùm babita indicatione ad morbum futurum. Et ſi quis illos interroget, qualiſnam ſit hic morbus imminens? reſpondent eſſe nouam fluxionem multi ſanguinis, ac potiſſimum tenuioris, qui propter caliditatem, propter dolorem, & propter imbecillitatem cerebri, facile ab illo recipitur, imo vero & attrahitur.

Cæterum etſi hæc & alia id genus, vt dixi. ſint dogmata doctiſſimorum hominum, tamen aliena à doctrina Galeni & delirantium ſomniis ſimilia ſunt. Itaq; noſtrum Galen. audiamus, qui hæc habet: *In talibus affectibus, phrenitide & lethargo, incidenda vena eſt ſtatim ab initio, ſi modo tam valens virtus fuerit, vt ſine noxa miſſionem ſanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de ſecanda vena diximus, ſicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas,*
Cautela. *vel anni tempus, vel regio.* 13. *metho.* 21. Primùm igitur ſumpta indicatione à magnitudine morbi, in phrenitide & lethargo ſecanda eſt vena: ſed præterea diligenter animaduertendum eſt, vtrum æger huiuſmodi remedium ferre poſſit, adeo vt nullum ſit impedimentum, quod illius adminiſtrationem poſſit prohibere: talia ſunt debilitas virium, ætas puerilis vel ſenilis, copia crudorum humorum, &c. quæ tamen omnia ille aliquando ad duos ſcopos refert, virium robur, & vrgentem ætatem. Vnde quicunque hæc intelligit, etſi non prætermitit conſiderationem cum Trincauellio, vtrum morbus incipiat, & vtrum in cerebro vel in toto corpore pituita aut ſanguis redundet, & reliqua, ſed omnia potiſſimum ad conſiderationem virium perpetuo refert, bene agit, nec tot ſcrupuloſis diſtinctionibus opus habet, quæ quidem multorum intelligentiam diſtrahunt, & ſæpenumero ſunt in cauſa, vt occaſio alioqui præceps, tanti præſidij omittatur. Et bac de re ſatis.

Quæ vena ſecanda. Secanda igitur vena cephalica, ſanguiſque moderate, neque ſæpius extrahendus eſt ſumpta indicatione ab humore noxio, qui quidem non præſidium, ſed præſidij quantitatem & modum debet determinare.

Porrò ad primam indicationem, quæ ad vni-
Præparātia pituitam. uerſi corporis vacuationem pertinet, quamplurimi hoc tempore purgantibus vtuntur, quæ non ſolùm importuna, ſed etiam pernicioſa ſunt: ſiquidem materia neque eſt concocta, neque turget; quamobrem antequam ad purgationem accedatis, illa ſunt exhibenda, quæ poſſint humores noxios attenuare, incidere, abſtergere, & præparare: qualia medicamenta ſunt noſtri vulgares ſyrupi, vel mel roſaceum colatum, ſyrupus de betonica, oxymel ſimplex, ſyrupus de ſtœchade: Decocta betonicæ, ſaluiæ, ſtœchados, hyſſopi, roriſmarini, &c. vt tandem apparente coctione medicamenta purgantia commode poſſint exhiberi.

℞ *Mellis roſati colati* ℥. j.
Oxymellis ſimp. ℥. ß.
Decocti hyſſopi,
Betonicæ. ℥. iiij. *M.*

Purgans.

Potio purgans. ℞. *Electuarij diaphænicon. vel*
Hiera Pachij ℥. ß.
Mellis roſati ſol. ℥. iij.
Decoctionis ſupraſcriptæ q. ſuf. M. & fiat. potio.

Alij aliis vtuntur, & inter cæteros Paulus & Alex. vtuntur ſcammonio ſimul cum caſtoreo, quod certe eſt mirum: ſiquidem conſtat inter omnes ſcammonium non pituitam, ſed bilem purgare, quæ in lethargo non peccat.

Quid agendum loco ſectionis venæ. Si propter ætatem vel aliud impedimentum non liceat venam ſecare, omnes vtuntur clyſteribus acrioribus, ſed neque importunum foret partes infernas & ipſa crura ſcarificare, quod non ſolum ad communem corporis vacuationem, ſed etiam ad reuulſionem quam maximè pertinet.

Reuellentia auxilia. Eodem tempore & die, ex ſecunda indicatione, materia petens caput omni reuulſionis genere debet reuelli, ligaturis, frictionibus, clyſteribus, cucurbitulis, & ſimilibus. Inter cætera autem genera reuulſionum familiare & optimum remedium eſt, ſi aceto vel ſimplici, vel quod efficacius eſt, ſcyllitico, ſimul cum ſale extremæ partes, ac maximè plantæ pedum confricentur. In quibus quidem reuulſionibus diutius ac fere aſſidue perſiſtendum eſt, adeo vt & mane & veſpere, vel iniiciantur clyſteria, vel adhibeantur cucurbitulæ, vel omnino aliquid fiat. Hac in re vi-
Veſicatoria dentur inſignem prærogatiuam habere veſicatoria, quorum maxime Paulus mentionem facit: ex quo vno loco licet illos arguere, qui ſe huius præſidij auctores faciunt. Verba Pauli hæc ſunt, *lib.* 3. 9. *Iam femora & crura medicamentis exulcerantibus rubicunda facta ſæpenumero iuuant.* Ac ſane ſi hoc remedium ad aliquem affectum eſt accommodatum, ad lethargum accommodatiſſimum eſt, in quo redundante pituita ex nimia medicamenti caliditate & ſiccitate, nullum videtur periculum imminere, ſicut contingit in febribus, & aliis pleriſque morbis calidioribus, in quibus ſæpe importune adminiſtrantur. Excitantur autem eiuſmodi vlcera non ſolum in brachiis extremiſque partibus, vt facere omnes conſueuerunt, ſed etiam in ſuperiore parte dorſi: prope occiput: etſi hoc loco magis ad deriuationem, quam ad reuulſionem pertineat. Nonnulli demum audent cadente ferro vlcera inurere ipſi occipi-
Cauterium actuale. tio, quo quidem remedio ego non ſemel vſus ſum; ac memini inter cæteros ægrum quendam lethargicum, qui nulla ratione potuit excitari, beneficio huius remedij fuiſſe excitatum & liberatum.

Repellentia. Interea ex tertia indicatione neque medicamenta repellentia ſunt prætermittenda: namque inquit Galen. repellendus eſt is humor à capite, quiſquis ille fuerit: itaque ne timeatis vti oxyrhodino, etſi illud multis alienum à ratione & abſurdum videtur, qui timentes nimiam medicamenti frigiditatem, cum illo permiſcent caſtoreum, peucedanum, & alia calidiora. Sed iſti falluntur, qui potuiſſent diſcere ex Galeno *lib.* 2. & 7. *de comp. med. ſecundum locos, vtrobique cap.* 1. ſecundum varia tempora inflammationis, & omnium morborum, varia quoque medicamenta conuenire: vnde principio, quo tempore ſola repellentia conueniunt, ſolo oxyrhodino, ex roſaceo & aceto, vtendum eſt, ſicuti illo vtitur Galen. 2. *de med. ſecundum locos. cap.* 1. Paulus, Aëtius, Auicen. & omnes: progrediente autem morbo licet repellentibus diſcutientia permiſcere: ac demum

præter

Cauteria. Prætermiſſis repellentibus, ad ſola diſcutientia deuenire. Veruntamen ex præcepto Galen. 1. *ad Glauc. cap.* 15. qui docet, in multitudine quidem crudiore & frigidiore, tepedis in calidiore autem & bilioſiore, frigidis repellentibus vtendum eſſe: ego in lethargo adminiſtrationem oxyrhodini potius tepidi, quam frigidi ſoleo probare. Si quis cupit habere exemplum oxyrhodini ſimul repellentis & diſcutientis, ſit huiuſmodi.

Oxyrhodinum.

℞ *Olei roſati completi* ℥. iiij.

Aceti ℥. ß.

Caſtorei ʒ ij. *M. optime in mortario*

Diſcutientia. Poſtremo ad diſcutientia & roborantia medicamenta deueniendum eſt, ad quam poſtremam indicationem ſunt accommodata, exterius, odores, ſuffumigia, inunctiones palati, lotiones, ſinapiſmi: Interius, theriaca, mithridatium, & cætera id genus, de quibus in phrenitide.

Et memoria tenendum eſt, in principio & declinatione lethargi & phrenitidis, eandem eſſe curationem, medio vero differre: in quo medio tempore conuenit in lethargo facultatem excitare, in phrenitide ſtupefacere.

Victus ratio. Quatenus ad victus rationem, aër ſit lucidus & ſplendens, cum palam ſit obſcuritatem ſomnum conciliare; ſit moderate calidus & ſiccus, accenſo igne ſi oporteat, ex lignis iuniperi, lauri & ſimilium. Alimenta & potiones extenuandi vim habeant, quales ſunt auiculæ montanæ, & ſimiles condiantur omnia modico cinnamomo, petroſolino, & ſimilibus. Pro potu ſit mulſa cum hyſſopo, thymo & ſimilibus. Somnus impediatur omni induſtria, odoribus ex ſulphure, caſtoreo, galbano, & ſimilibus, naribus aceto, acerrimo irritatis, ſtrepitu & tumultu excitato, vel in cubiculo, vel prope: & cetera fiant id genus, quæ ægrotum poſſint excitare. Localis motus & exercitationes, ligaturæ, & frictiones extremarum partium ſunt opportuniſſimæ; quotidie excrementa alui deiiciantur clyſteribus, glandibus: & quoniam ægri ſæpenumero obliuiſcuntur lotium

Vrinam prouocan in. emittere, frequenter admoneantur: & ſi opus fuerit, inferior venter foueatur decocto chamæmeli, parietariæ, oleo amygdalarum dulcium, ex ſcorpionibus & ſimilibus, quæ lotij emiſſionem poſſunt iuuare. Animi accidentia commoueantur, itaque ægri aut ira, aut aliqua alia perturbatione vehementer afficiantur, ex quibus & totum corpus calefieri, & humores diſcuti, & ſomnus abigi poſſit.

CAPVT XIII.

De Apoplexia.

Nomen. Apoplexia Græcè, à quibuſdam Latine ſtupor totius corporis mentiſque, à Theodoro Gaza ſtupor totius corporis, item ſtupor attonitus vertitur; apud alios percuſſionem ſignificat, qui hoc morbo laborantes percuſſos nominant, ſicuti percuſſa illa antiquiores nominabant, quæ ante aras mactata ſtatim corruebant. Nonnulli apoplecticos ſyderatos dicunt, propterea quod huiuſmodi malum cum repentino quodam impetu ſtatim & improuiſo inuadat, & quaſi vi quadā alicuius ſyderis ex cœlo videatur prouenire: quemadmodum apud Hipp. 1. *de ratione victus,* 35. antiqui exiſtimabant illos, pleuriticos eſſe ſyderatos, quicumque celeriter obiiſſent, & quibus mortuis latus liuidum ſimile plagis videretur. Cornelius Celſus tales ægrotos attonitos vocat, *lib* 3. 27. quod eorum corpus & mens ſtupeat, iaceantque ſine ſenſu & ſine motu, ſola reſpiratione à mortuis differentes.

Definitio. Apoplexia definitur à Gal. *de diff. ſympt.* 3. 3. *de locis aff.* 10. 2. *de ſym. cauſ.* 2. 2. *apo.* 42. reſolutio totius corporis, cum detentione principum actionum: cui Paulus, Aëtius & omnes ſubſcribunt. Quod ſi Hip. aliquando apoplexiam vocat reſolutionem non ſolum corporis vniuerſi, ſed etiam alicuius partis, ſicuti linguæ 7. *apho.* 40. reſpondeatis illum minus propriè tunc locutum fuiſſe, quod crimine Gal. non veretur quandoque illum notare, 1 *epid.* 1. 8. 6. *apho.* 26. Itaque apoplexia eſt priuatio ſenſus & motus totius corporis, cum læſione actionum principis facultatis. Cum autem manifeſtum ſit hæc eſſe ſymptomata, id primum inquirendum eſt, qualianam ſint: deinde qualeſnam morbi horum ſymptomatum cauſæ ſint: ac poſtremo qualeſnā morborum cauſę ſtatuendę ſint: ex quibus licebit facile indicationes curandi elicere, & de ſingulis propriis remediis determinare. *Qualia ſint ſymptomata.*

Dubitat. I. Priuatio ſenſus & motus ſine dubio eſt actio læſa, non vitalis, non naturalis, igitur eſt actio læſa animalis, & ad eas omnes pertinet, non deprauatas, non imminutas, ſed abolitas.

Primo dubitatur, quia vulgare eſt apud philoſophos, animal tale eſſe per ſenſum, ſi omnis ſenſus in apoplexia deperditur, igitur homo non amplius eſt animal, neque viuit. Ad hoc reſpondearis, ſenſus non plane neque ex toto aboleri, quin aliqua ſentiendi vis remaneat, quod ipſa experientia confirmat, ſed nobis ad ſenſum omnes ſenſus videntur eſſe perditi.

Dubit. II. Secundum ſtatuum eſt, in apoplexia omnem motum auferri; quod falſum videtur, cum ſeruetur reſpiratio. Ad hoc reſpondent nonnulli ex Gale 2. *apho.* 42. in forti apoplexia reſpirationem prorſus tolli, ſicuti mulieribus quoque vteri præfocatione laborantibus contingit. Sed reſponſio nulla eſt, quoniam Gal. auctore, 1. *de diffic. reſpirationis* 8. 6. *de locis aff.* 5. in confeſſo eſt apud omnes, reſpirationem à vita, & vitam à reſpiratione ſeparari non poſſe, adeo vt viuentem omnino reſpirare, & reſpirantem omnino viuere ſit neceſſe, quæ eadem eſt ſententia Philoſophi in *lib. de reſpiratione*; quamobrem ad mentem Galeni reſpondendum eſt. Cum maximus ſit vſus reſpirationis, vt inſitus calor refrigeratione veluti ventilatione ſeruetur, etſi ægri aliquando videntur omni reſpiratione priuari, adeo vt ad intelligendum an viuant necne, neceſſe ſit flocculos lanæ, aut nitidum ſpeculum ori & naribus admoueri, vt exactè deprehendatur, num ſpiritus aliquis inter reſpirandum tum intrò, tum foras deferatur; tamen neque in apoplexia, neque in præfocatione vteri, vnquam ſpirationem ex toto aboleri, ſed in iis caſibus eam minimam eſſe, ac ſenſum latere, certum eſt: quod quidem contingit, vt docet Galen. propter maximam reſpirationis neceſſitatem, in qua natura facit omnem conatum, & omnem impetum, ne reſpiratio deficiat: ſicuti iis contingit, qui cum nulla ratione poſſint moueri, tamen accenſo igne in cubiculo & mouentur & currunt.

III. Dubit. Tertio quæritur, vtrum apoplexiæ neceſſario febris coniungatur nec ne? 2. *apho.* 19. *apho.* 3. ſcribitur, apoplexiam eſſe morbum acutum ſine febre, ſed tamen nihil obſtat mea ſententia, quin illi quoque febris poſſit coniungi, imo vero ſi apoplexiæ febris coniungatur, ſcribit Galen. 6. *apho.* 81. tunc eam potius iuuare quam nocere, nempe calefaciendo, extenuando & diſſoluendo ſpiritum flatuoſum & pituitoſos humores.

IV. Dubit. Quarto dubitatur, vtrum ad conſtituendam eſſentiam apoplexię requiratur ea cōditio, vt malū repēte

Digitized by Google

incidat ; quam conditionem ponit Aëtius ex Gal. per hæc verba : Apoplexia eſt priuatio ſenſus & motus, vna cum læſione principum actionum de repente incidens. Quæ poſtrema verba leguntur quoque apud Galen. 2. apho. 42 ad principium, Ego vero puto hanc conditionem minime neceſſariam eſſe. Etſi enim apoplexia frequenter ſubito hominem inuadit, propter quam forte cauſam & ab Aëtio, & à Galen. ea verba ſunt poſita: tamen euenit aliquando, quod ego non ſemel obſeruaui, vt præcedant nonnulla præludia, torpidus quidam ſenſus & motus, veluti quædam vagantes formicæ, quæ in brachiis & aliis partibus ſentiuntur, & alia id genus, vt tandem ſenſim ac ſenſim non ſubito apoplexia ſuccedat.

Cauſa apoplexiæ quæ.

Cum eſſentia apoplexiæ ſit reſolutio totius corporis cum læſione principum actionum, quæritur hæc ſymptomata actionis abolitæ, ex quonam morbo originem habeant? Sicuti conuenit inter omnes, in apoplexia cerebrum laborare, quod illud omnium actionum animalium in toto corpore ſit auctor; ita altera ex parte qualiſnam ſit cerebri affectus, & qualiſnam cerebri pars laboret, dubitatio eſt? namque alij vniuerſum cerebri corpus, alij ventriculos tantum volunt male affici: alij ſimplicem intemperiem, alij intemperiem cum materia: alij obſtructionem, morbum conſtituunt. Neque Galen. vt cæteri prætermittantur, ſibi ipſi videtur hac in re omni ex parte conuenire, qui 4. *de locis aff.* 2. trium morborum, cari, apoplexiæ, epilepſiæ, craſſum, frigidum & lentum humorem cauſam eſſe docet; verùm in caro & epilepſia ventriculos magis, corpus autem cerebri minus, in apoplexia autem cerebri corpus magis laborare: quod ſi reuera in apoplexia ſubſtantia cerebri magis, ventriculi autem minus laborãt vt illud aliqua intẽperie vel ſimplici vel cum materia, & tumore aliquo præter naturam laboret, neceſſe eſt. Ex quibus quidem morbis nulli dubium eſſe debet, quin propriæ cerebri operationes lædantur, cum certiſſimum ſit, eaſdem operationes per propriam illius temperiem perfici: cuius doctrinæ Galen. minime videtur oblitus fuiſſe, dum inquirit 2. *aphor.* 41. apoplexiam fieri propter diſpoſitionem aliquam inflammationi ſimilem, quæ in ipſo cerebro ſit conſtituta.

An cerebri ſubſtantia, an vero ventriculi laborent.

Altera autem ex parte Galenus plane videtur aliter ſentire, imo contrariam ſententiam tenere, qui ſcribit ad hunc modum 3. *de locis aff.* 7. Apoplexia eo quòd ſubito fiat, frigidum humorem aut craſſum, aut tenacem, principes cerebri ventriculos confertim implentem, minime verò totius ſubſtantiæ eius intemperiem demonſtrat. Et x. de ſympt. cauſis vltimo hæc habet: Apoplexia & epilepſia ob pituitoſi humoris in ventriculis cerebri coaceruati copiam gigni videntur: proinde horum ſymptomatum tum generatio tum ſolutio ſubitanea eſt; id quod in corporum intemperie fieri nulla ratione poteſt.

Auctoris ſententia.

Ego verò ita cenſeo de hac controuerſia ſtatuendum, verum & proximum morbum, vnde omnia ſymptomata apoplectica oriuntur, non alium eſſe, quàm obſtructionem ventriculorum cerebri, quæ quidem obſtructio eſt impedimento, quo minus animalis vis ad partes corporis inferiores poſſit defluere. Etſi enim certum eſt, intemperiem cuiuſque partis actionem lædere: tamen vtcunque cerebrum inſigni intemperie laboret, vel etiam tumore præter naturam, niſi præterea ventriculi cerebri obſtruantur, nunquam fieri poterit, quin ſpiritus animalis ad partes ſentientes deferatur. Sed præter obſtructionem equidem cenſeo minime eſſe alienum à ratione & doctrina Galeni (qui ſcribit diff. de morborum. 6. morbum ſæpe ex morbo fieri) ſi quis velit, in apoplexia alium quoque morbum ad ſubſtantiam cerebri pertinentem, ſtatuendum eſſe: imo vero aut difficulter, aut nulla ratione poteſt fieri, quin ſimul cum obſtructione ventriculorum, ipſa quoque ſubſtantia cerebri laboret frigida & humida intemperie, vnde humor generatur, ex quo obſtructio & fieri & foueri ſolet. Itaque morbus verus & proximus, à quo omnia pendent ſymptomata, eſt obſtructio ventriculorum cerebri, ſed fieri poteſt, imo fit neceſſario, vt hic morbus ab alio morbo, vel potius ab aliis morbis originem habeat, ſiquidem præter intemperiem cerebri forte etiam neque deſunt intemperies ventriculi & aliarum partium, quæ ad faciendam obſtructionem ſunt accommodatæ: ex quibus facile eſt intelligere Galen. ſibi conſentire, neque quidquam abſurdum docuiſſe.

Vtrum Apoplexia ſit morbus.
Vtrum ſit morbus acutus.

Poſtremo ſunt duæ dubitationes de eſſentia apoplexiæ: altera, vtrum apoplexia ſit morbus, an ſymptoma; altera, vtrum ſit morbus acutus, an diuturnus; ſiquidem vtrique occaſionem præbet Galen. qui apoplexiam modo inter morbos, modo inter ſymptomata recenſet, & licet frequenter apoplexiam morbum acutum pronunciet, tamen aliquando inter morbos diuturnos illam reponit 6. *apho* 57. inquit: Eodem modo & ſanguinis ſpuitionem, morbum comitialem, & apoplexiam, & melancholiam, & alios id genus morbos diuturnos hac euacuatione ſanauimus, &c. quæ tandem ſententia habetur in lib. quos & quando.

Sed breuiter reſpondeatis ad primam, ſi conſiderentur actiones læſæ, priuatio ſenſus & motus, nec non detentio principum facultatum, apoplexiam inter ſymptomata reponendam eſſe: ſin autem conſideretur cauſa horum ſymptomatum, nimirum obſtructio ventriculorum cerebri, iure eam quoque inter morbos poſſe numerari. Ad ſecundam reſpondeatis. Galen. reponentem apoplexiam inter morbos diuturnos, conſideraſſe apoplexiam quæ hominem non interficit, hæc enim reuera cum maiori ex parte in paralyſim degeneret, longiſſima eſt affectio, & frequenter hominem vſque ad mortem comitatur: quæ reſponſio rei naturæ & experientiæ maxime conſentit: etſi non ignoro, Iulium Alexandrinum aliter hanc controuerſiam diſſoluere.

Differentiæ apoplexiæ ſunt variæ, ac primum eſt differentia tradita ab Hip. 2. *ap.* 42. Apoplexia alia fortis, alia debilis: quo loco Galen. quatuor apoplexiæ differentias, ac veluti gradus conſtituit, tres apoplexiæ fortis, vnam vero apoplexiæ debilis. Prima eſt, quando ſimul cum ſenſu & motu ipſa quoque perditur reſpiratio quæ omnium eſt acutiſſima, & maxime lethalis. Secunda eſt, quando æger reſpirat quidem, ſed magna vi, atque hæc pariter eſt valde pernicioſa ſed minus priore. Tertia differentia eſt, quando ægri facilius reſpirant, ſed tamen inæqualem inordinatamque & intermittentem reſpirationem habent, quæ item vehemens eſt, neque caret periculo, ſed minus quam duæ priores. Quarta eſt differentia apoplexiæ debilis, in qua reſpiratio aliquem ordinem ſeruat, quæ quidem, vt placet Galeno, curationem recipit, ſi omnia probe adminiſtrentur, quæ ad illius curationem pertinent, tametſi Hip. doceant, neque hanc facile curari.

Diff I.
Apoplexia fortis tres gradus

II. Differ.

Deinde ſunt differentiæ à cauſis, inter quas, conſenſu omnium, humor frigidus, craſſus & pituitoſus principem locum obtinet: ſecundo eſt melancholia, cuius item mentionem facit Gale. 6. *aphor.* 56. Apoplexiæ fiunt quidem propter humorem pituitoſum, ſed fiunt quoque propter humo-

rem

Digitized by Google

rem melancholicum, quoniam vtrique communis eſt craſſitudo: tertio eſt ſanguinis, qui pariter ſi confertim io ventriculos irruat, apoplexias ſolet efficere: de quo habetis teſtimonium Gal. de ſang. miſſ. 5. vt certe mirum ſit, quomodo Fernelius aduerſus tam aperta Hip. & Galen. teſtimonia, nec non rei naturam, audeat aſſeuerare, apoplexiam neque ex melancholia, neque ex ſanguine generari. Sed nonnulli quærunt, vtrum apoplexia ex flaua bile fieri poſſit? Quibus reſpondeatis, huiuſmodi humorem ſuapte natura tenuem & mobilem, addo & acrem eſſe, adeo vt perpetuo naturam ad ſui expulſionem ſtimulet, antequam toti ventriculi repleantur, proptereaque aut nunquam, aut raro apoplexiam efficere: itaque cum Galeno tres tantummodo humores frequentiſſime, pituita nonnunquam melancholia & ſanguis apoplexiæ cauſæ materiales ſtatuendæ ſunt. Cauſæ externæ ſunt illæ omnes, quæcunque ex temperamento, ætate, aëris conſtitutione, ſtudiis & alia ratione multos craſſos & lentos humores

Auicen. reprehenſio.

poſſunt gignere: verum præter humores Auicen. alias duas cauſas affert: alteram vaporem vel malam qualitatem petentem cerebrum: alteram intemperiem cerebri frigidam ſine materia, quæ cerebri ventriculos cogat, vel vt loquamur cum Auicen. cap. 1. & 3. 1. doc. 5. cap. 4. ſtipet & inſpiſſet ventriculos cerebri: ſed neutra poteſt conſiſtere. Ac primum quod inquit de mala qualitate, hæc potius conſtrationis quàm obſtructionis cauſa eſt, ad quam contractionem conuulſio vniuerſi corporis quæ epilepſia eſt, ſequitur: quare Auic. cauſas apoplexiæ cum cauſis epilepſiæ videtur confundere.

Deinde altera quoque cauſa manifeſtè eſt falſa, & contradicit Galeno, qui vt ſupra notauimus. 3. *de locis aff.* 7. expreſſe docet, apoplexiam ex humore craſſo fieri, minime ex intemperie: vnde idem ſcribit Galenus io libro de differ. morborum. 5. nonnullos ex nimio frigore quippiam ſimile apoplexiæ, non apoplexiam perpeſſos fuiſſe.

III. Differ.

Præterea Auicen. in fine capitis, cuiuſdam differentiæ mentiooem facit à tempore, vbi videtur affirmare, apoplexiam aliam periodicam, aliam non periodicam eſſe: qui tamen à pleriſque irridetur, cum reuera experientia demonſtret, apoplexiam frequentiſſime ſemel hominem inuadere, illumque aut interficere, aut ad paralyſim deducere. Sed videant iſti ne ſimul quoque Galenum cum Auic. irrideant, qui in lib de ſang. miſſ. 7. poſtremis verbis, exponens apho. Hip. Quibuſcunque ſectio venæ aut purgans medicamentum conuenit; iis vere aut ſanguinem mittere, aut purgans, &c. enumeranſque plures morbos, à quibus homines præſeruantur hac purgatione tempore veris, ita habet: Cæterum quæ de iſtis dixi, hæc tibi de omnibus, qui prædictis paulo ante morbis, nempe morbo comitiali, apoplexia & ſimilibus corripi apti ſunt, intelligenda. Et paulo ante dixerat: ſimiliter & iis qui facile in morbum comitialem & apoplexiam incidunt, &c.

IV. Differ.

Poſtrema reſtat differentia apoplexiæ: namque alia fit capite primò laborante, obſtructis ventriculis cerebri, qualis iam deſcripta eſt, alia fit per conſenſum partium inferiorum, ac maxime earum quæ ſpiritui animale alimentum ſuggerunt. Pro quo ſciendum eſt, ex Galeno de vſu partium 2. naturam in ventriculis cerebri animalem ſpiritum continere, atque illi à corde, mediantibus illis vaſis quæ inſignem plexum, rete mirabile vulgo dictum. conſtituunt, calorem & vitalem ſpiritum aſſidue ſubminiſtrari, quo ſpiritus animalis, alioqui admodum tenuis & facile ſolubilis, continue poſſit regenerari & conſeruari: quamobrem ſi contingit, vt arteriæ plexum illum conſtituentes, obſtruantur, & impediantur, quo minus ſpiritus vitalis ad ventriculos cerebri poſſit deferri, tunc neceſſario ſpiritus quoque animalis, deficiente illius alimento, deſtruitur ac deficit, quo deficiente neceſſario deficiunt actiones cerebri, homo priuatur ſenſu & motu, & apoplexiam incurrit: ex quo factum eſt, vt hæ venæ & arteriæ, ſpiritum vitalem in cerebrum deferentes, à Medicis iugulares, ab Arabibus guidez, à nonnullis apoplecticæ vocentur, quod illis apprehenſis, Ariſtot. Gal. cæteriqne philoſophi & medici doceant, experientiaque confirmet, homines velut attonitos ſtatim corruere. Hanc apoplexiæ differentiam, quam multi recentiores prætermittunt, noo prætermiſit Hip. 4. de ratione victus 23. vbi inquit: Quod autem quis repente obmuteſcat, id venarum interceptiones occluſioneſque faciunt: ſicut hæc ſententia explicatur à Galeno eo loco, & de cauſis morborum 3. Neque eam prætermiſit Auicenna, qui inquit, in apoplexia fieri obſtructionem aut in meatibus ſpiritus ex cerebro, aut in meatibus ſpiritus ad cerebrum. Itaque obſtructis huiuſdi vaſis fit apoplexia per conſenſum, atque eo quidem conſenſus genere, quando ad certam corporis partem noo tranſmittitur quod deberet tranſmitti.

Signa.

Signa nonnulla futuram apoplexiam demonſtrant, nonnulla præſentem indicant, nonnulla ſingulas differentias demonſtrant. Quod ſi quis ſimul cupiat intelligere ea quoque ſigna, quibus apoplexia, epilepſia, caros, catalepſis, catochos, ſyncope, vteri præfocatio, diſtingui inter ſe poſſunt, is conſulat Galen. 4. *de locis aff.* 2. qui illa omnia perſequitur accuratiſſime.

Cæterum etſi apoplexia nullis præcedentibus ſignis ſoleat ſubitio hominem inuadere: tamen quandoque nonnulla eam præcedunt ſigna, & ſunt huiuſmodi: capitis dolores. grauitates, ſomni profundi tinnitus aurium, vertigo, motus atque omnium ſenſuum pigritia, tremor vel totius corporis, vel partis, in ſomno ſtertor & ſtridor dentium, corporis vniuerſi, & in primis partium extremarum frigus inſolitum

Signa autem pathognomonica ſunt manifeſta, priuatio ſenſus & motus, cum detentione principum facultatum, adeo vt ægri tanquam mortui viuant. Sic ſigna differentiarum facile poſſunt intelligi, & primùm eam diximus differentiam ex magnitudine vel paruitate potiſſimùm ſumi ex maiori vel minore reſpirationis læſione, quæ ſententia eſt Gal. 3. *de locis aff.* 10. 2. *apho.* 42. Itaque in forti apoplexia reſpiratio videtur omni ex parte aboleri, vt opus ſit vel nitido ſpeculo, vel vaſe pleno aqua ori ventriculi impoſito, vel aliter experiri, ao æger viuat, nec ne? io qua ambiguitate vult Auicen. ægrus non eſſe ſepeliendos, ante horam 72. De hac re eſt differentia Conciliatoris 182. De ſignis pariter quæ accipiuntur ex cauſis, & quæ ſingulorum humorum, pituitæ melancholiæ & ſanguinis copiam poſſunt demonſtrare, in tractatione de dolore capitis actum eſt.

Signa apoplexiæ per conſenſum, obſtructis venis & arteriis ſpiritum vitalem in cerebrum deferentibus, ex præcedentibus morbis partium inferiorum facile colligi poſſunt, præterquam quod vaſa vtrinque in collo, qua parte recta vſque ad caluariæ baſim feruntur, longè turgidiora apparent.

Curatio.

In curatione apoplexiâ illæ nobis ſeſe offerunt indicationes, quæ generaliter offeruntur in quouis morbo, qui ex fluxione originem habet: itaque

Digitized by Google

prima indicatio ad totius corporis vacuationem, ſecunda reuulſionem, tertia ad repulſionem, quarta ad reſolutionem & corroborationem pertinet.

Vtrum repellentia conueniant.

Sed ſtatim oritur dubitatio, vtrùm in apoplexia conueniant repellentia medicamenta: ſiquidem & difficile, & periculoſum videtur, craſſum & frigidum humorem cerebri ventriculis adhærentem repellere: vnde Paulus, Auiceuna, & multi, hanc indicationem prætermittunt. At verò ſi Galeni doctrinam ſequamur, qui docet materiam, qualiſcunque ea fuerit, fluentem à capite, repellendam eſſe, vtique negandum non eſt omnino, quin repellentia quoque poſſint conuenire: quare inter cæteros Rhaſes, & Aëtius oxyrhodinum inſtituunt.

Prognoſticis.

Verùm iis indicationibus liceat ſatisfacere, memoria tenenda eſt ſententia Hip. fortem apoplexiam nulla ratione poſſe ſanari: vnde ex Galeni ſententia huiuſmodi ægroti ſolis prognoſticis ſunt relinquendi: & hinc eſt illud Meſue; *Caue ne malarum ægritudinum curationem ſuſcipias ne mali medici nomen adipiſcaris.* Auicenna tamen contrarium docet, qui ſcribit plurimos apoplecticos omni reſpiratione priuatos, neque quicquam à mortuis differentes ſe vidiſſe, qui ſanati ſunt & reuixerunt. Si autem apoplexia non fuerit adeo fortis, vt aliqua ſpes ſalutis ſuperſit, tunc licet purgationem aggredi: ac primum ad totius corporis vacuationem, occurrit ſectio venæ, quæ omnium conſenſu non ſolum recipitur, ſed etiam tantopere probatur, vt omnes fateantur, in hoc potiſſimum præſidio totum ſalutis momentum conſiſtere. Et ſi quis obiiciat in apoplexia pulſus languidos, atque hinc colligat, vires non tantum conſtare, vt poſſint ſectionem venæ perferre: huic reſpondet Gal. 4. *de cauſis pulſ.* 19. in apoplexia tantùm grauiſſima, in qua natura planè ſuccumbit, pulſus languidos, paruos, celereſque reddi: at verò in leuiori apoplexia, dum natura moderatè affligitur, neque eam multum ſuperauit morbus, nullam in pulſibus inſignem mutationem neque in magnitudine, neque in cæteris differentiis reperiri.

Venæ ſecãda.

Quæ venæ incidenda.

Itaque ſi principali ſcopo, morbi nimirum magnitudini, alteri duo ſcopi, ætatis & virium coniungantur, ſine mora impoſito clyſtere, ſtatim ſanguis detrahendus eſt. Sed quænam vena eſt incidenda? Rhaſes & cum eo nonnulli Arabes ſectionem venarum inferiorum probant, vt puto, gratia maioris reuulſionis: contra autem Hipp. 4. *de ratione victus* 24. iubet internam brachij dextri venam ſecare: de qua Galenus in com. hæc habet. *Velociſſimè & plurimum ex iis, quæ principes ſunt, partibus, ea vena corpus vacuat, ac ob id Hipp. in acutiſſimis morbis ad eam confugit.*

Quamobrem mea ſententia; venæ ſuperiores ſecandæ ſunt, aut cephalica, quæ capitis; aut baſilica, quæ iecoris, & corporis vniuerſi; aut communis, quæ vtriuſque rationem habet. Rhaſes iubet ſecari venas iugulares; ſed inciſio harum venarum hoc tempore ignoratur, tum propter alias rationes, tum maximè quod fluens ea illis ſanguis aut difficulter, aut nulla ratione poſſit cohiberi. Alij ſecant venas frontis, venulas naſi, aurium, ſub lingua: quæ omnes rationes mittendi ſanguinis non debent improbari, ſi modò opportunè & poſt generalem vacuationem fiant.

Quantitas ſanguinis.

De quantitate dubitatio eſt: ſiquidem Auicenna & Meſue, copioſam ſanguinis miſſionem; Aëtius verò parciorem requirit, quæ ſatis ſit humores commouere, minimè virtutem diſſoluere, & calorem naturalem extinguere. Ego verò cenſeo, hac in re nihil certi poſſe determinari, ſed ſanguinem vel parcè, vel copioſè mittendum eſſe, habita conſideratione plenitudinis, habitus corporis, ætatis, & aliarum ſimilium rerum. Cæterum ſi propter vires aut aliud impedimentum non liceat venam ſecare, quidnam agendum? Communiter practicantes alterutrum faciunt, vel apponunt hirudines ad hemorrhoïdas, vel ſcarificatis cucurbitulis vtuntur: de quibus duobus præſidijs, quoniam aliàs ſatis diximus, id vnico verbo repetendum eſt, ſi hæmorrhoïdes fuerint retentæ, ac maximè ſi apoplexia ex melancholia oriatur pariter ſi tantummodo crura ſcarificentur, neutram huiuſmodi vacuationem reiiciendam eſſe.

An in principio purgantia conueniant.

Ad indicationem pertinent vomitus, clyſteria, glandes acriores: ſed ante omnia purgantia medicamenta videntur conuenire, quæ quidem in hoc à morbo non ſolum à vulgaribus medicis minorantibus, ſed etiam ab aliis, qui minorantium dogmata oppugnant, recipiuntur: ex quibus eſt Fuchſius, qui cum multis in locis ex propoſito oppugnet ſententiam illorum, qui principio morborum purgantibus medicamentis vtuntur, tamen in ſuis commentariis in primum de criſibus 9 inter cæteros morbos excipit apoplexiam, in qua, ille inquit, cum morbus ſit acutiſſimus, ridiculum foret coctionem expectare: & ita omnes vtuntur medicamentis validiſſimis. Verùm de hac opinione, quæ nulla ratione poteſt mihi probari, aliàs agemus.

Si verò quis obiiciat Auicennam, qui vtitur pilulis de euphorbio, iam diximus aliàs, Auicennam frequenter in principio morborum vti purgantibus medicamentis: à quo tamen hac in parte cogimur diſſentire: attamen ille ſibi reſpondet in fine capitis, vbi inquit, apoplexiam & paralyſim conſtringere meatus ad ipſa peruenientes, neque medicamenta multum proficere.

Reuellentia.

Ad ſecundam indicationem pertinent omnia reuulſionum genera, ligaturæ validiſſimæ, frictiones extremarum partium cum rebus acerrimis, vt cum ſale, aceto, ſucco ſcillitico, & ſimilibus, cucurbitulæ, ac potiſſimùm ſcarificatæ de quibus inquit Meſues; *Crura & pedes ventoſari facias, & trahe quantum potes ad oppoſitas partes.* Sunt pariter veſicatoria, ſed inter cætera omnia, clyſteria & glandes acriores, inſignem prærogatiuam obtinent. Illud tamen non eſt prætermittendum, nonnullos familiariter vti conſueuiſſe clyſteribus ex vinis generoſis, romania, maluaſia, & ſimilibus, quæ quidem mihi nequeunt probari, quod eorum vapores facile ad caput, non ſine periculo inſigni poſſunt attolli.

Clyſteres ex vino improbantur.

Repellentia.

Ad tertiam indicationem Rhaſes & Aëtius oxyrhodinum inſtituunt, quod tamen mea ſententia non ex ſolo oleo roſato & aceto, ſed aliis magis temperatis medicamentis eſſet conficiendum: vt ex oleo chamæmelino, & modico caſtoreo.

℞. *Olei roſati completi* ℥. iij.
Chamæmelini ʒ. j.ß.
Aceti ℥. ß.
Caſtorei ʒ. j. *Miſc.*

Sed forte occaſio vtendi oxyrhodino in apoplexia admodum breuis eſt: ac momento temporis tranſit principium, quo tempore ſolum conuenit oxyrhodinum, auctore Galeno de totius morbi temporibus.

Repellens. Roborantia caput. & reſoluentia pituitam.

Poſtremò reſtat reſolutio materiæ, quæ in capite continetur, ad quam indicationem ſunt accommodata interùs, diambra. diaſmoſchum, diacalamenthum, conſerua betonicæ, ſaluiæ, dianthos, confectio anacardina, theriaca, mithridatium: ſed cæteris omnibus caſtoreum ab omnibus anteponitur.

nitur. Exteriùs ſunt odores, ſoffumigia ex galbano, caſtoreo, opopanaco: ſunt errhina, gargariſmata, ſternutatoria, inunctiones palati: quibus tamen non niſi in declinatione eſt vtendum. Præterea ſunt irrigationes capitis, fomenta, inunctiones, emplaſtra ex medicamentis calidioribus, oleo liliorum alborum, irino, nardino, rutaceo, ſpicæ, & tandem ex caſtoreo & pyrethro, quæ omnia raſo capite debent adminiſtrari. Rhaſes probat ſartaginem candentem à longe capiti impoſitam: ſi enim putat capiti calorem conciliari; humores craſſos minui, atque in ventriculis diſſolui. Poſtremò autem ad ſynapiſmos, cauteria & ferri candentis vſtionem licet deuenire, vt variis, multis & efficacibus præſidiis, ſi fieri poteſt, tam atrox morbus ſuperetur.

Victus ratio. Victus ratio ſit tenuiſſima cùm morbus ſit acutiſſimus, ac ſtatim extremos habeat labores: itaque apoplectico non alia ſunt exhibenda, quam mulſa, oxymel, mel roſaceum, ſyrupus de ſtœcade, & ſimilia, quæ quidem noo ſolum alendo, ſed etiam attenuando, abſternendo, incidendo humores craſſos poſſint prodeſſe. Poſt diem quartam, ſi morbus aliquod modo remittatur, conueniunt alimenta boni ſucci, facilis coctionis & diſtributionis, ſed tamen quæ ſuapte natura & præparatione extenuandi vim habeant.

Exemplum.

Caſus. SOcrates annorum 40. vel 50. corripiatur apoplexia, Medicus ad illius curationem accerſitus omnium primum debet eius reſpirationem animaduertere, quæ ſi fuerit aut abolita, aut difficilis, ſtatim rei difficultatem ſummam & periculum ſummum indicabit, & ita à generoſi remediis abſtinebit: ſi verò reſpiratio non multùm ſit aliena à naturali, ac morbus non videatur omni ex parte lethalis, ſine mora impoſito clyſtere acriore, alui lenitionem procurabit.

Clyſteris.
℞ *Flor. Chamomillæ,*
Rutæ,
Centaurij minoris, ana M. ß.
Pulpæ colocynthidos ʒ. j. ß.
Seminum aniſi, cari,
Cymini, ana ℥. j. Fiat decoct. ad conſomtionem mediet atis.
℞ *Prædictæ decoctionis lib. j.*
Mellis roſati,
Olei chamomillini completi, ana ℥ iij. M.

Quod ſi cupitis clyſtere acrius, additis vel electuarium diaphœnicon, vel hieræ diacolocynthidos ℥. j. Protinus reddito clyſtere, incidenda eſt vena baſilica dextri brachij, ſanguiſque moderatè mittendus ad ℥. vj. Eodem temporis momento ad præſidia reuellentia confugiendum eſt: itaque Socrati fiant frictiones validiſſimæ, ligaturæ extremorum partium, repetatur clyſtere, vel eius loco repetantur glandes acriores.

Suppoſitorium.
℞ *Specierum hieræ ſimplicis ʒ. j.*
Pulpæ colocynthidos,
Agarici, ana ʒ. ß.
Salis gemmæ ℈. ß.
Mellis q. ſuff. M. pro duabus glandibus.

Poſt paucas horas incidatur vena cephalica, ſanguiſque mittatur ad ℥. iiij. ac ſine intermiſſione modò vno, modò altero præſidio reuellente vtendum eſt; inter quæ veſicatoria nullo modo ſunt prætermittenda, quæ non ſolùm extremis partibus, pedibus & manibus, ſed etiam ſuperioribus apponenda ſunt: hoc tempore naribus admoueantur, quæ poſſint humores craſſos ventriculis cerebri impactos attenuare, diſſoluere, Socratémque excitare. Exempli gratia, caſtoreum, galbanum & ſimilia.

Interea tranſacta vna vel altera die, morbi conatus obſeruandus eſt: quod ſi liceat aliquam Socratis ſalutem ſperare, deinceps ad gargariſmata, maſticatoria, inunctiones palati, ad capitis inunctiones, lotiones, emplaſtra, cauteria deueniendum eſt: ſic per os danda ſunt magna antidota, confectio anacardina, theriaca, mithridatium.

Victus ratio vſque ad quartam non alia ſit, quàm mulſa, aut panis ex aqua, aut tenuiſſimo iure coctus: tranſacta quarta iam licet ad magis nutrientia alimenta deuenire, & illa perſequi, quæ totam curationem poſſunt abſoluere. *Victus ratio.*

CAPVT XIV.

De Sopore.

SOpor ab Arabibus *Subeth* appellatur, & definitur ab Auicenn. ſomnus longus, profundus, & à quo ægri difficulter poſſunt excitari. Et eſt *Subeth* Arabum idem malum, quod Græcis *caros*, ſiquidem eadem planè ratione atque iiſdem verbis, quibus Auicenna ſuum *Subeth*, Galenus *Caron* deſcribit 2. *pror.* 21. eſſe videlicet longiorem, profundiorem, ægreque excitabilem ſomnum. Sed qualiſnam eſt hic affectus præter naturam? Sine dubio eſt ſymptoma actionis læſæ.

Si verò quæras qualeſnam in caro actiones lædantur? Gal. reſpondet *in lib. de ſympt. diff.* ſolam imaginationem protſus auferri: *Imaginationis*, ille inquit, *hæc veluti quædam eſt reſolutio, quæ caros & detentio nominatur*. Veruntamen 4. *de locis affect.* 2. addit, caro laborantes ſenſus & motus expertes decumbere, nequaquam tamen reſpirationem lædi: ac rurſum 2. articulis 20. ſcribit, homines in caro neque ſentire, neque moueri, neque intelligere, ſed & rationem, & memoriam, & ſenſum, & motum, prorſus corrumpi. Ex quibus Gal. locis licet nobis cari definitionem colligere; quòd ſit ſomnus profundus, diuturnus, difficulter excitabilis, in quo vniuerſæ actiones animales, motrices, ſenſitiuæ principes, planè auferuntur, ſola ſeruata reſpiratione. *Quæ actiones lædantur. Definitio.*

Statim occurrit dubitatio, quonam modo caros à cæteris affectibus ſoporiſicis differat, ac maximè ab prolexia? Namque ſi memoria repetamus, quæ de apoplexia diximus, vtique fatendum videtur, cari & apoplexiæ vnam atque eandem definitionem eſſe. Vtcumque autem huiuſmodi affectus videantur ſimiles, tamen neque deſunt rationes, quibus commodè alter ab altero diſtingui poſſit: quales differentias explicat Gal. 4. *de locis aff.* 2.

Differentia cari ab apoplexia. Etenim primùm reſpiratio in caro nequaquam læditur, in apoplexia autem reſpiratio maximè ſuffocat, adeo vt ægri perpetuò, non ſine maximo conatu poſſint reſpirare. I.

Secundò ſolutæ & finitæ apoplexiæ frequentiſſime ſuccedit paralyſis. Caro autem finito ſanitas magna ex parte ſolet ſubſequi II.

Tertiò caros in malis muſculorum temporalium, & in morbis acutis fieri ſolet: apoplexia autem ferè ſine aliis morbis fiat. III.

Quartò in caro ventriculi cerebri magis corpus aut cerebrum laborare conſueuit: in apoplexia verò corpus magis laborat. IV.

Poſtremò in caro equidem anterior pars capitis magis, in apoplexia autem vtráque pars, an- V.

terior & poſterior, malè afficitur.

Quomodo autem caros differat à lethargo, epilepſia, catalepſi & aliis eiuſmodi morbis, ex natura ſingulorum huiuſmodi affectuum & potiſſimùm accedente Galen. 4. *de locis affect.* 2. fit manifeſtiſſimum.

Curatio. Cæterùm cum caros ex eiſdem fiat cauſis, frigida & humida cerebri intemperie, nec non frigido, craſſo, lento humore, ex quo iam diximus lethargum fieri, vterque affectus eadem ratione curandus erit, præterquam quod in caro ad maiorem inciſionem attenuationemque declinandum ſit.

Capvt XV.

De Catocho & Catalepſi.

Etſi hic morbus admodum rarò accidat, adeo vt Medici etiam ſeniores illum nunquam viderint, tamen de hoc aliquid dicemus. Multi opinantur has duas voces inter ſe differre; ſed mea ſententia vnum & eundem morbum ſignificant, neque quidquam differunt. Nam Galen. 3. *de locis aff.* 4. *&* 4. *de locis affect.* 3. Catochi & Catalepſis tanquam vnius morbi mentionem facit & *libr. de pul. ad tyrones ad finem*, & 4. *de cauſis pulſ.* 16. hæc habet: *Catochorum pulſus*, κατόχους enim & κατεχομένους Græci appellant, iuniores autem catochum & catalepſim nominent. Galeno ſubſcribit Paulus lib. 3. 10.

Quod ſi aliquando Galen. vocem catochi ad alios quoque affectus præter catalepſin videtur accommodare, de quo confuſionis genere Galen. ab Argenterio reprehenditur, id propterea fit, quòd veteres Medici huiuſmodi vocis proprietatem non ita exactè ſeruauerint, de quorum ſententia Galen. aliquando etiam loqui voluit; ſed propriè loquendo: iſtæ duæ voces: *Catochus*, & *Catalepſis*, vnum atque eundem affectum ab vna eadémque cauſa ortum, vnis atque iiſdem ſymptomatibus præditum ſignificant: ſicuti altera ex parte, ſi minus propriè accipiantur, varios affectus, à variis cauſis ortos, variiſque ſymptomatibus differentes, ſolent ſignificare; quod Galen. demonſtrat apertiſſimè, qui ſcribit ad hunc modum 2. *pror.* 86. Propriè vacatos catochos; Archigenes & Philippus ſciant eſſe eos, qui habent oculos apertos, non vt comatoſi & caraphorici clauſos: in iis enim humiditas cauſa eſt vitij, quæ robur neruorum diſſoluit: in illis autem catocho laborantibus, propter ſiccitatem læſio fit. Illa ergo affectio, quam Galenus & Græci propriè catochum & catalepſim vocat, occupatio, detentio, & deprehenſio Latinis dici poteſt. Medici vulgo congelationem vocant. — Defenſio Galeni.

Definitio. Hic affectus definitur ab omnibus prope hunc in modum: Catalepſis ſeu congelatio eſt ſubita quædam detentio tum animi, tum corporis, in qua ægroti eam partium corporis figuram ſeruant, quam habebant quo tempore correpti ſunt, motumque & ſenſum in toto corpore amittunt. Quæ definitio videtur poſſe colligi ex Paulo, Aëtio, & cæteris. Verùm ſi diligenter hæc res conſideretur, & ad Galeni doctrinam referatur, id quod nemo animaduertit, eſt falſa: etenim Galen. id tantum habet *de ſymp. diff.* 3. Catalepſim eſſe reſolutionem facultatis imaginatricis: prætereáque 2. *pror.* elegantem narrat hiſtoriam cuiuſdam adoleſcentis hoc morbo laborantis, ex qua colliguntur, quæ ad explicandam hanc ſententiam veriorem plurimum faciunt: ſeries eſt. *Quidam ex noſtris diſcipulis, cum aſſiduè ſe fatigaret, hoc malo eſt correptus: iacebat enim veluti lignum inflexus, rigidus, videbaturque oculis apertis nos intueri, ſed tamen nihil loquebatur: is quoque eodem tempore quo nos loqueremur, audire ſe dixit, quanquam non euidenter & clare; nonnulla item memoria tenens referebat, ſed omnes præſentes inſpicere dicebat, ita vt actiones quorundam recordatus exponeret: ſed neque loqui poſſe, neque membrum vllum mouere.* Hæc Galenus: ex quibus poteſt conſtare, in hoc ægroto motum quidem ſublatum fuiſſe, cum fuerit rigidus, neque aliquam corporis partem potuerit mouere, ſenſus autem minimè perditos, ſed tantum debiles atque imbecilles redditos fuiſſe, cum audiuerit videritque, ac nonnulla memoria tenuerit, quamuis debiliter, neque euidenter audiret & recordaretur.

Hic notanda eſt ſententia Aëtij, cui non videtur huiuſmodi ægrotis omnem motum auferri. Namque, inquit, illos quandoque eleuare manus ad caput, ac ſi aliquid moleſtum percipiant; Quæ ſententia repugnat Galeno, qui, vt diximus, ſcribit hoſce ægrotos eſſe rigidos, & omni motione deſtitutos.

Itaque ad mentem Galeni ita habendum eſt, catochum ſiue catalepſim propriè dictam, eſſe detentionem mentis & corporis, in qua motus tollitur, ſenſuſque hebetes & imbecilles redduntur.

Cauſa huius affectus ſtatuitur à Galeno intemperies frigida & ſicca cerebri, vel ſimplex, quæ ab externis potiſſimùm cauſis contrahitur, variis laboribus, cogitationibus, vigiliis, ſtudiis, & ſimilibus; vel intemperie cum materia iiſdem frigida & ſicca, qualis potiſſimùm eſt melancholia; quamobrem quæcumque ex temperamento, ætate, victus ratione, tempore anni, regione, & aliis id genus, poſſunt cerebrum refrigerare atque exſiccare, nec non frigidum & ſiccum humorem in corpore & capite coaceruare, catochi & catalepſis cauſæ ſtatuendæ ſunt. — Cauſa.

Sunt qui præter humorem melancholicum velint hoc malum à pituita quoque vitrea prouenire: ſed iſti aduerſantur Galeno, quem videmus 2. *pror.* per humiditatem comatis & cataphoræ, ſiccitatem verò detentionis cauſam aſſerere: & adhuc planius 2. *aph.* 3. inquit, ſomnum fieri refrigerato cerebro, atque huiuſmodi frigiditatem cum fortis fuerit, mixtam quidem humiditati, lethargicas paſſiones cum ſiccitate autem catalepſim & congelationes efficere.

Præterea Aëtius addit quoque copiam ſanguinis, occupantis cerebrum, quod narrat euenisſe cuidam adoleſcenti, multo ſanguine referto, qui facta criſi per fluxum ſanguinis narium confertim, liberatus eſt. Sed neque hæc ſententia poteſt conſiſtere. Nam ſanguis cum ſit calidus & humidus, multo minus quàm pituita, quæ ſaltem frigida eſt, poteſt congelationem efficere: niſi dicamus pro Aëtio illum fæcem ſanguinis intelligere, quam ſciris non aliam eſſe quàm ſuccum melancholicum. Itaque Catalepſis neque ex pituita, neque ex ſanguine, ſed ex vno humore melancholico frigido & ſicco originem habet.

Signa huius affectus ſunt manifeſtiſſima: ægri toti rigidi atque immobiles ſunt, ſenſuſque debiles & ſtupidos habent; prætcrea in eadem figura permanent, in qua erant quando hoc modo corripiebantur, adeo vt imperiti exiſtiment, illos altioribus cogitationibus eſſe occupatos. — Signa.

Morbus ſicut rariſſimus, ita acutiſſimus eſt, ac præcipuè in ſenibus; adeo vt vel difficillimam vel nullam curatiooem recipiat. — Prognoſtica.

In

Curatio. In curanda catalepſi, ſi fuerit intemperies cum materia frigida & ſicca, iam morbus pendet ex fluxione humorum: quamobrem nobis ſeſe efferunt illæ indicationes de quibus ſæpe diximus.

I. Indicatio. Ex prima igitur indicatione, quæ ad communem totius corporis vacuationem pertinet, conueniunt acria clyſteria: ſed ante omnia ſanguinis miſſio & vtilis & neceſſaria cenſenda eſt, dummodo per ætatem & vires, liceat ſanguinem mittere, etſi plerique in hoc & cæteris morbis frigidis ab hoc remedio abhorrent. *Vena ſecanda.* Secanda autem eſt vena cephalica, ſanguiſque moderatè detrahendus, niſi inſignis corporis plenitudo contrarium perſuadeat.

Purgantia improbantur. Purgantia medicamenta nullo modo conueniunt, quod materia non ſolum ſit cruda, ſed etiam quàm maximè rebellis, vt ſine multa violentia magnoque periculo trahi non poſſit.

II. Indic. Ex ſecunda indicatione omnia revulſionum genera conueniunt, ſed inter cætera in morbo melancholico apertio hæmorrhoidum, ac potiſſimùm ſi antea fuerint retentæ, magnam habet prærogatiuam.

III. Indic. Ex tertia indicatione conuenit oxyrhodinum, quod tamen Paulo auctore, æſtate frigidum, hyeme tepidum apponendum eſt: & præterea propter periculum ſiccitatis, parcè admodum acetum recipiat. Et ſi oleo roſaceo, exempli gratia permiſceretur oleum amygdalarum dulcium, id mea ſententia optimum foret.

Oxyrrhodinum.

℞ *Olei roſati completi* ℥. iij.
Amygdalarum dulcium recent. ℥. j.
Aceti ʒ. ij. *Miſc.*

IV. Indic. Poſtremò ad illa præſidia deueniendum eſt, quæ poſſunt diſſoluere reliquias materiæ, intemperiem emendare, & cerebrum corroborare: qualia ſunt interiùs, conſerua bortaginis, bugloſſæ diambra, lætificans Gal. theriaca, mithridatium, &c. Exteriùs inunctiones ex oleo liliorum, chamæmelino amygdalarum dulcium, lotiones ex radicibus altheæ, ſtœchade, ſerpillo: vnguenta, martiatum, dialthæa, & ſimilia: in quorum quidem medicamentorum adminiſtratione, tam interiùs, quàm exteriùs id diligenter cauendum eſt, ne maiorem capiti ſiccitatem introducamus.

Capvt XVI.

De Paralyſi.

Definitio. ΠΑράλυσις Græcè, Latinè reſolutio, eſt priuatio ſenſus & motus, in vna vel pluribus corporis partibus, adeo, vt quæ laborante corpore vniuerſo apoplexia dicitur, eadem laborante parte determinata paralyſis nominetur: quæ doctrina eſt Gal. 3. *de locis affect.* 7. etſi Cornelius Celſus *lib.* 3. 28. ſcribit, vtrumque huiuſmodi affectum, & particularem & communem, ſuo tempore nomine paralyſis appellatum fuiſſe. Nomen deductum eſt à ſymptomate, vt notat Galenus 2 *method.* 2. Medici ferè omnes Græcum nomen retinent, paralyſin vocant.

Definitionis explicatio. Iam ſingula in definitione poſita conſiderabimus. Et quod primò Paralyſis dicitur priuatio ſenſus, omnes & bene interpretantur ſenſum tactus, & propriè & per excellentiam ſenſus dicitur, quòd Ariſtoteles & Philoſophi doceant, illum cunctis animalibus neceſſariò ineſſe: ſiquidem certum eſt, ſimul reliquos ſenſus non aboleri. Quo loco notandum eſt ex Auerr. 3. *colliget.* 3. ſenſum tactum in toto corpore omni ex parte, ſine animalis interitu non poſſe auferri; eundem verò in vna tantum corporis particula poſſe aboleri, propterea quia conſeruato hoc ſenſu in cæteris partibus, adhuc animal integram animalis formam retinet.

Porrò dicitur priuatio ſenſus & motus, cum motus ſint duplices: quidam naturales, quales ſunt pulſus arteriarum: quidam voluntarij, quales per muſculos perficiuntur; nemo dubitat quin in paralyſi voluntarij motus auferantur. *Qui motus auferantur. Dubitatio.* Sed de motibus naturalibus dubium eſt. Namque ex vna parte, ea membra quæ motu naturæ tantummodo mouentur, cum motum illum non recipiant à cerebro & neruis, non videntur poſſe eundem perdere: ex altera autem partes experientia confirmat, quaſdam huiuſmodi partes, exempli gratia, veſicam & inteſtina, in paralyſin ſæpenumero incurriſſe, adeo vt neque lotium, neque alui excrementa deponi potuerint. Ego verò cenſeo, in paralyſi vnos motus voluntatis amitti. Nam cum motus animalis edatur & perficiatur abſque muſculis & neruis, ſine quorum læſione paralyſis non poteſt fieri, omnis ratio colligit, paralyſin propriè ad motus voluntarios pertinere.

Quatenus ad propoſita exempla pertinet, equidem reſponderem, motum veſicæ & inteſtinorum non ſimpliciter naturalem, ſed ex duplici motu, & naturali, & voluntario eſſe, & duplici inſtrumento vti: ſiquidem anatomici docent, ventris exonerationem fieri & à fibris tranſuerſis inteſtinorum, quarum motus eſt naturalis: & à muſculis abdominis: ſic mictionem fieri & à fibris, & à muſculo ceruicis veſicæ: vnde ſtatuendum eſt, mea ſententia, huiuſmodi partes paralyſi non laborare, niſi laborantibus muſculis & neruis, quos certum eſt ad motus voluntarios pertinere. Notandum autem ex Galen. 3. *de locis affect.* ad finem, paralyſin de motus potiſſimùm amiſſione dici, vt partes quidem, quæ ſenſum perdiderunt: ſenſus expertes ſint, reſolutæ verò nequaquam dici conſueuerint: quanquam ſunt nonnulli, qui etiam hoc malum ſenſus reſolutionem nominant.

Repetitio. Itaque concludendo hanc partem, paralyſi non eſt imminutio, non deprauatio, ſed priuatio, non omnium motuum, ſed ſenſus tactus; non omnium motuum, ſed motus voluntarij; non in toto corpore, ſed in vna vel pluribus corporis partibus.

Differentiæ. Differentiæ ſunt quamplurimæ: & primùm à loco, de quibus loquitur Galen. 3. *de locis aff.* 7. Paralyſis quædam in altera corporis parte, vel dextra, vel ſiniſtra contingit: quædam in aliquo determinato membro accidit: nam & tota manus, & totum crus nonnunquam reſoluitur, nec non ſolus in crure pes, & quæ ſub genu ſunt, quæque in toto manus membro reperiuntur, neque hæc quidem paralyſis illius partis dicitur. Si quis verò rationem quærat, propter quam vna pars magis quam cæteræ paralyſi laboret; is debet didiciſſe ex anatome, quod omnium animantis partium voluntario motu præditarum, quæ ſub ceruice ſunt, nerui motorij ex ſpinali medulla originem habeant: vnde pro varia origine & propagine neruorum, qui ad varias corporis partes feruntur, (de quibus tum cæteri anatomici, tum maximè Galenus 1. *de ſympt. cauſis* 5. 3. *de locis affect.* 2. tractat diffusè) ſumma cum ratione fit, vt modò vna, modò altera pars laboret. *Vnde dextra vel ſiniſtra paralyſin* Quamobrem verò totius corporis duntaxat pars dextra, ſiniſtra incolumi, vel contra pars ſiniſtra, dextra illæſa,

nonnun

nonnunquam paralyſi corripiatur, id ſanè admodum difficile videtur, cum nulla in ſpinali medulla appareat manifeſta diuiſio, vt vna pars magis quam altera lædi poſſit: vnde Auicenna hanc rem ad miraculum refert, qui ſcribit, naturam præcepto ſui creatoris eam partem diſcernere, & efficere quod homines ſaiis nequeant intelligere. At verò ſit nos memoriâ repêtamus, quantâ diligentiâ natura dextra à ſiniſtris ſeiunxerit, non ſolum in animalibus, ſed etiam in ſeminibus ita gèmina conſtituens omnia, vt membrana non ſeparentur ad vnitatem indiuidui, neque tamen facilè communicent & coſentiant ad durationem: vtique non tam difficile erit intelligere, tametſi ſpinalis medulla eam commodam diuiſionem non recipiebat, tamen ſingulas partes, dextraſque à ſiniſtris ſeparari, vt vna laborante, altera ſuperſtes & incolumis poſſit conſeruari. Ex quo Hippoc. & Galen. tantopere laudant criſes & vacuationes ſeruata rectitudine partis laborantis, quia hinc certum eſt naturam bene agere, noxioſque humores vtiliter euacuare.

II Differentia.

Secundò ſunt differentiæ à magnitudine paralyſis; alia eſt magna, in qua planè eſt perditus ſenſus & motus; alia eſt leuior, in qua ſenſus & motus non prorſus ſunt deperditi: etſi propriè loquendo, hæc poſtrema differentia potius ſtupor, quam paralyſis debeat dici. Nam ſicuti docet Galenus 1. *de ſympt. cauſis* 5. Paralyſis in eodem genere eſt, quo ſtupor, ac ſolùm magnitudine differt: ſiquidem eodem Galeno auctore 2. *de locis affect.* 1. ſtupor ſenſus & motus difficultatem affert, paralyſis autem ſenſum & motum omni ex parte ſolet auferre.

Stupor.

III. Differ.

Tertiò ſunt differentiæ à tempore, principio, augmento, ſtatu & declinatione. Præterea paralyſis alia eſt antiqua & confirmata, quæ nullam recipit curationem: alia recens eſt & nondum confirmata, quæ, etſi non facile, curationem tamen admittit.

V. Differ.

Quartò apud nonnullos ſunt differentiæ à modo affectus: paralyſis alia eſt, in qua amittitur ſenſus ſeruato motu: alia contrà, in qua amittitur motus ſeruato ſenſu: alia in qua amittitur vtrumque, & ſenſus & motus. De quibus differentiis atque earum cauſis tractat Galenus 1. *de ſympt. cauſis* 5. & 1. *de locis affect.* 6. Sed fortaſſe huiuſmodi differentiæ nullæ ſunt, neque paralyſi conueniant, in qua iam ſtatutum eſt, ſenſum & motum neceſſariò auferri, neque Galenus locis propoſitis de iis ſermonem habet, qui ſimpliciter eam quæſtionem mouet, cur interdum motus ſeruato ſenſu, interdum ſenſus ſeruato motu, aboleatur.

V. Differ.

Quintò ſunt differentiæ à modo generationis: paralyſis alia primò incipit, neque aliis ſuccedit morbis: quædam non primò incipit, ſed aliis ſuccedit morbis: quod euenit, quotieſcumque materia ad neruos tranſmittitur, vnde impedita facultate, quo minus poſſit in partem deferri, illius partis paralyſis generatur. Huiuſmodi autem morbi, in quibus paralyſis ſolet ſuccedere, ſunt plurimi, ſed apoplexia principem locum obtinet, quæ; vt diximus, frequentiſſimè ſolet in paralyſin terminari, & hæc quidem paralyſis, vt notat Galen. 4. *de ratione victus* 28. & 1. *epid.* 2. 59. ſpeciatim paraplegia nominatur: verùm paralyſis ad alios quoque morbos ac maximè diuturnos, qui ex frigidis & craſſis humoribus originem habent, quales ſunt vteri affectus, febres diuturnæ, & ſimiles; ſequi ſolet: quod ſine dubio non aliter, quàm refrigerato corpore vniuerſo, & materia ad neruos decumbente, fieri ſolet. Paul. *libr.* 3.

Paraplegia.

Paralyſis.

18. cuiuſdam paralyſeos mentionem facit, quæ ad colicum affectum ſua ætate vagantem ſucceſſit, in qua tamen ægri, ſenſu tactus incolumi, ſolo motu priuabantur.

Paralyſis ad Epilepſiam.

Porrò quæritur vtrùm paralyſis epilepſiam ſequatur nec ne? Galen. 4. *de locis affect.* 2. tradens differentiam inter apoplexiam & epilepſiam, manifeſtè docet, epilepſiam in paralyſin non finiri, quod tamen, vt nonnulli affirmant, experientia demonſtrat falſum eſſe: & Auic. inter cæteros c. 8. *ad finem*, ſcribit, multoties epilepſiæ paralyſin ſuperuenire. Ego cum multos epilepticos viderim, vere poſſum teſtari, me hactenus vidiſſe neminem, qui in paralyſin terminauerit. Quod ſi iſtud quoque eueniat aliquando, Galen. facile defendi poteſt, ſi dicamus, illum id aſſeueraſſe quod frequentiſſimè ac ferè ſemper contingit, id verò prætermiſiſſe, quod rariſſimè ac ferè nunquam apparet: ad quem modum ferè omnes regulæ medicorum dicuntur veritatem continere.

VI Differ. cauſa paralyſis.

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis, de quibus videatis Gal. 1. *de ſympt. cauſis* 5. Pro quo memoria eſt repetendum, neruos veluti quoſdam riuos fuiſſe à natura inſtitutos, per quos facultas animalis ex cerebro, tanquam principio & fonte, ad omnes corporis partes ſenſum & motum deferret: vnde quicquid huiuſmodi facultatem à principe parte miſſam poteſt impedire, (hoc apud Gal. cauſa continua vel continens, vel adhærens, vel quomodocunque velimus appellare) paralyſis cauſa ſtatuendum eſt. Quod ſi hæc res diligentiùs conſideretur, hoc impedimentum dupliciter poteſt contingere: ſiquidem illud neceſſario vel in facultatem, vel in neruos referendum eſt.

Ac primum quidem impedimentum poteſt fieri ratione facultatis, ſi illa in ſuo principio & fonte deficiat, vt propter aliquam cerebri intemperiem vel alios morbos poteſt contingere: aut ſi in ſeipſam contrahatur, quod in cerebri vulneribus & contuſionibus accidit, vt Gal. docet 7. *aph* 58. hac enim ratione facultas non poteſt ad alias partes diſtribui, in quibus partibus propterea ſenſus & motus neceſſariò perditur.

Deinde hoc impedimentum propter vitium neruorum poteſt euenire, quod quidem vitium in neruis propter plures cauſas poteſt oriri, quæ pro varia antiquorum opinione de natura neruorum à Gal. referuntur 1. *de ſymptom. cauſis* 5. Namque ſi velimus eorum ſententiæ aſtipulari, qui aſſerebant neruos eſſe perforatos, adeo vt per quanquam eorum cauitatem, vel meatum facultas animalis ad cæteras partes feratur qua cauitate nerui qui ad oculos perueniunt, manifeſte præditi ſunt; tunc nerui dupliciter impediuntur, aut propter obſtructionem, aut propter compreſſionem; quæ vtraque cauſa per ſe eſt manifeſta: ſiquidem cuiuis poteſt conſtare, ſi neruus aliquem meatum obtinet, veluti viam à principe parte extenſam illo obſtructo, vel compreſſo, facultatem animalium neceſſariò impediri.

Sin autem magis velimus eorum ſententiam probare, qui voluerunt neruos nullum meatum obtinere, ſed facultatem animalem per illos tranſire ſicuti radij Solis per aquam & aërem tranſeunt, tunc nerui tripliciter impediuntur, vel propter compreſſionem, vel propter frigus, vel propter conſtrictionem: ex quibus pariter cauſis nerui ad craſſiorem quendam habitum permutantur, adeo vt facile ſit intelligere, tunc quoque facultatem in tranſitu impediri, apud eum præſertim, qui memoria teneat, quæ in aqua & aëre ſolent accidere. Nam ſicuti fumus & nebula in aëre conſtituta, lutum verò in aqua, impediunt

Digitized by Google

ac prohibent, quo minus ſplendor Solis ſyncerus per ea deferatur; ad eundem modum, ſi neruus ſeipſo craſſior & durior redditus fuerit, facultatis tranſitum prohibebit. Fit autem neruus craſſior; ſi aut viſcidis craſſiſque ſuccis nutriatur, aut violento frigore conſtringatur, aut demum ſi ab aliquo corpore duro extrinſecùs adueniente comprimatur. Tales igitur ſunt cauſæ impedientes tranſitum facultatis animalis, ratione neruorum, ex vtraque antiquorum opinione, de quibus tamen longiùs laborandum non eſt, vtra ſit verior, ſicuti neque Galen. laborat. Namque vtcunque illi inter ſe differant de natura neruorum tamen in eo videntur conuenire, neruos impediri propter eas cauſas, ſiue internas, ſiue externas, quæcunque illos obſtruere, comprimere, refrigerare, & conſtringere poſſunt: quæ quidem etſi, vt diximus, ſint plures, tamen maiori ex parte in copiam craſſorum & frigidorum humorum poſſunt referri, quales ſunt poriſſimùm pituita & melancholia, quos propterea duos humores ſumma cum ratione omnes fatentur frequentiſſimè paralyſim efficere, & fouere; ſiquidem ſanguis & flaua bilis videntur tenuiores & calidiores, quàm vt poſſint neruos obſtruere, comprimere, refrigerare, conſtriogere, & vno verbo, impedire, quo minùs facultas animalis ad cæteras corporis partes poſſit deferri.

Signa. Signa in primis futuræ paralyſis ex tribus potiſſimùm deſumuntur capitibus. Primùm, ex præparatione corporum qualia ſunt frigida & humida, laxa, quæ habent neruos imbecilles; in ætate, regione, tempore anni, cœli conſtitutiooe frigida & humida, corpora quæ victus ratione, & ſtudiis vtuntur, ex quibus multi & craſſi ſucci poſſunt generari.

Secundò ex præſentibus cauſis morbificis: quales ſunt copia pituitæ, melancholicæ, ac potiſſimùm in capite, inciſio neruorum, contuſio & ſimilia.

Tertiò ex mediis quibuſdam diſpoſitionibus quales ſunt grauitas capitis, difficultas ſenſus & motus, ſtupor, & alia id genus.

Signa autem pathognomonica ferè ſunt manifeſta, cùm nemo poſſit ignorare, eam partem paralyſi laborare, quæ ſenſu & motu priuata eſt: ſed præterea pars laborans cum malè nutriatur, fit gracilis, coloremque & calorem naturalem amittit: ſana autem pars oppoſita, plerumque videtur calidior, & quodammodo inflammata, quòd omnes ſpiritus ad eam confluant: lotia vt plurimum alba & craſſiora ſunt: pulſus languidus eſt. paruus, tardus & rarus, quorum facile eſt cuique rationem reddere. Signa quoque differeotiarum, vel ægris referentibus ſi cauſæ fuerint externæ, vel propriis ſignis, pituitæ, & melancholiæ, nec non aliorum morborum, facilè poſſunt intelligi.

Indicationes. Cum paralyſis fiat ex fluxione materiæ, quæ vel obſtruat, vel quomodocumque neruos reddat craſſiores, prima ſeſe offert indicatio, auferendi & diſcutiendi huiuſmodi materiam. Sed quoniam omnia diſcutientia ſunt calidiora, vnde periculum eſt ne trahendo & dilatando ſint in cauſa, vt noxij humores adhuc magis fluant, altera ſuccedit indicatio, reuellendi fluentem materiam ad alias partes: & quia neque iſtud licet in corpore multis humoribus referto, tertia ſuccedit iodicatio, vacuandi vniuerſum corpus: quæ poſtrema cæteras antecedere debet. Hic nulla ſeſe offert indicatio repellendi, neque vllus eſt, qui huius indicationis mentionem faciat: & ratio eſt, quoniam materia frigida, craſſa & altiùs impacta in particula duriore, quales ſunt nerui, non ita facile poteſt repelli, præterquam quòd nerui neque habent proximam cauitatem, ad quam noxia materia poſſit commodè tranſmitti: quare in paralyſi tres tantummodo ſufficiunt indicationes.

Prognoſtica. Vtrùm verò iis indicationibus liceat ſatisfacere, ſcribit Cornel. Celſus *lib.* 3. *cap.* 27. paralyſim in partibus nunquam acutum, ſæpe diuturnum, ac ferè ſanabilem morbum eſſe. Paulus *lib.*3. 18. ſcribit, eam paralyſim quæ diſſectis neruis contingit, nullam curationem recipere: id quod, mea ſententia licet ſtatuere non ſolum de inciſione, ſed etiam de caſu, contuſione, luxatione, & ſimilibus. Eam verò paralyſim quæ ex intemperie, vel copia humorum gignitur, opportunis auxiliis poſſe ſanari.

Vtrùm ſi quis ſcire velit, an paralyſis ſanari poſſit nec ne, citò, an tardè, facilè, an difficulter? is memoria repetat & conſideret quæ diximus de differentiis: ſiquidem nulli dubium eſt, quin paralyſis vnius partis quæ eſt leuior; recens, atque in principio in corpore robuſto, vigentis ætatis, tempore anni, cœli conſtitutione, regione calidiore, citiùs & faciliùs poſſit ſanari, quam ſi contrariæ rationes fuerint.

Vtrùm conueniat venæ ſectio. De prima indicatiooe curandi paralyſim, quæ pertinet ad vacuationem totius corporis, primò quæritur, an ſectio venæ conueniat nec ne? Aëtius ex Archigene lib.6. 28. ſcribit, nullum commodius principium curationis ſectione venæ poſſe inueniri, dummodo ætas, habitus corporis, ſtudia vitæ, præcedens victus ratio, & ſimilia, id permittant: ſic Auicen.cap.2. poſtremis verbis hæc habet: *In illa autem paralyſi in qua eſt ſpes, oportet incipere à phlebotomia.* Contrà autem ſunt nonnullæ rationes, quæ videntur contrarium perſuadere: & primùm paralyſis eſt morbus frigidus, pendetque à cauſa frigida, vnde Galen. de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtratum, & de tremore vtrobique cap 5. in quadam ancilla, ex retenta partus purgatione tremore laborante, cui Hip. venam ſecuit, propter copiam retenti ſanguinis, Hip. coofilium probat; quaſi verò in huiuſmodi morbis frigidis aliter non liceat venam incidere.

Secundò in paralyſi vires non conſtant, ex Gal. 4. *de cauſis pul. cap. proprio*, qui ſcribit, pulſus paralyticorum paruos & languidos tardoſque eſſe, ac ſeipſum interpretatur, pulſum languidum eſſe, quòd facultas infirmior exiſtat. Ego verò qui aliàs hanc difficultatem tractaui, illud vnum dico, ſectionem venæ in paralyſi prætermitti ſæpenumero non ratione morbi, aut illius cauſæ, ſed ratione virium, quæ alioqui importunæ, ſecta vena in morbo difficili, contumaci & diuturno, non poſſent vſque ad ſtatum ſufficere: etenim ſicut ſcribit Aëtius, ſi colligamus ex temperamento, habitu corporis, copia humorum, præcedente victus ratione, & ſimilibus, vires noo ſolùm in præſentia, ſed etiam in poſterum poſſe conſtare, tunc non ſolum vtile, ſed etiam neceſſarium eſt venam incidere. Ad Galenum autem reſpondeatis, illum aſſeruiſſe in paralyſi pulſus eſſe languidos, non generaliter, ſed tantummodo in parte paralytica, quod rei naturæ conuenit: ſed robur facultatis vitalis non cognoſcitur ex pulſu partis laborantis, ſed partis ſanæ, in qua illi ſunt magni, vehementes & robuſti. Secunda autem eſt vena in parte oppoſita, quæ ſana eſt, ne fiat euacuatio per locum affectum, ſanguiſque moderatè eſt detrahendus, ne corpus nimiùm refrigeretur: quod vtrumque habetis apud Aëtium.

Aluus lenienda. Verùm ante ſectionem venæ expedit aluum lenire, ſiquidem morbus non eſt tam acutus, vt nos cogat quamprimùm remedium adhibere. Hic verò

cauendum

cauendum eſt à caſſia, quæ poteſt partes refrigerare, humectare & laxare: inter cætera autem aloë, & quæ ex aloë componuntur, hiera ſimplex, pilulæ alocphang & ſimilia, optima forent: mel roſaceum ſolutiuum non eſt importunum.

Purgantia quando conueniant.
Præparantia.

Lenita aluo, ſecta vena, ſi id ferat occaſio, purgantibus quoque medicamentis agendum eſt: verùm hæc principio morbi non ſunt exhibenda, quoniam materia neque eſt concocta, neque turget: quod inter cæteros Auic. teſtatur, inquiens: *Et non properes in vſu medicinarum fortium a principio.* Itaque primùm noxie materia eſt præparanda, meatus ſunt aperiendi, quod communiter efficiunt ſyrupi, quales optimi ſunt, de betonica ſimplex, de ſtœchade ſimplex, mel roſaceum, &c. Sed dubium eſt de oxymelite, vtrum conueniat nec ne? namque ex vna parte Hip. Gal. Auic. & omnes conſentiunt, acetum neruis quàm maximè aduerſari: cuius rationem habetis apud Gal. 3. *de ratione victus* 39. nempe quòd nerui ſint exangues, & ideo frigidi, vnde ab omnibus quidem frigidis offendantur, ſed maximè ab iis quæ ſunt tenuium partium, quæ in profundem eorum ſubſtantiam poſſint penetrare. Ex altera autem parte Galen. 3. *de med. ſecundum genera* 2. in neruorum inflammatione aceto vtitur, imo verò neque veretur illud ſupra ipſos neruos ponere: vnde neque deſunt Medici, qui malè affecto ventriculo, vtero, & partibus neruoſis, ab vſu oxymelitis & aceti non prorſus abſtinent. Ad hoc reſpondeatis, Galen. eo loco vti aceto non ſolo, ſed ſimul cum oleo & aliis medicamentis, quæ incolumi permanente attenuandi facultate, refrigerandi vim remitterent: quia ſanè & ſimili ratione equidem puto, in Paralyſi, & omnibus neruis malè affectis, oxymel aliis ſyrupis permixtum, & parcè adhibitum, poſſe adminiſtrari, & non leuem ægrotis vtilitatem afferre.

Purgantia fortia vſurpanda.

Concocta materia oportet illam purgare, & quidem per medicamenta non lenia, non lenientia, vt multi facere ſolent, ſed per medicamenta vehementiora, quæ ab intimis & remotis partibus poſſunt trahere, qualia ſunt agaricus, turbith, colocynthis, electuarium diaphænicon, hiera diacolocynthidos. Sed vulgo cæteris omnibus medicamentis anteponuntur pilulæ, quòd diutius manentes in ventriculo & inteſtinis, credantur efficaciorem purgandi vim obtinere, quales ſunt pilulæ cochiæ, fætidæ, de ſagapeno, de opopanaco, & ſimiles: ſed præ cæteris magnam videntur prærogatiuam habere pilulæ de hermodactylis. Etſi enim multi hoc tempore de hoc medicamento dubitant: tamen quicquid illi dicant, experientia confirmat, medicamentum hoc tutò & cum ſumma vtilitate adminiſtrari. Exemplum.

Pilula.

℞ *Specierum hiera ſimpl* ʒ. j.
Trochiſcorum albandal. ℈ j.
Cum ſucco porri fiant pilula.

℞ *Pilular. cochiarum* ʒ. j.
De hermodactylis ʒ. ß. *M. fiant pilula X. & aurentur.*

In potione.

Potio.

℞ *Seminis carthami,*
Polypody, ana ℥. ß.
Liquiritia,
Paſſular. ana ʒ. ij.
Seminum aniſor.
Fœniculi, ana ʒ j.
Fiat decoctio ſecundum artem.

℞ *Prædicta decoctionis.* ℥. iiij.
Hiera diacolocynth. ℥. ß.
Mellis roſati ſol. ℥. ij *Miſc. & fiat potio.*

Vomitus.

Ex ſecunda indicatione primùm conuenit vomitus, per quem vacuatur pituita, quæ in ventriculo & primis viis continetur, & quadam conſecutione, cum motus ſit admodum laborioſus, reuelluntur quoque humores, qui in penitioribus partibus corporis continentur. Quod ſi æger non ſit ita procliuis ad vomitum; vel dato agarico præparato ad ʒ. ij. vel alio ſimili medicamento licebit illum prouocare. Præterea conueniunt clyſteria & glandes acriores, frictiones, & ſimilia reuellentia. Et ſi quis obiiciat, partem paralyſi laborantem propter paucitatem ſanguinis & ſpiritus, eſſe refrigeratam, ac propemodum calore naturali deſtitutam, atque hinc colligat, facta reuulſione ad aliam partem, periculum eſſe, ne paruus ille calor adhuc minor reddatur, & magis diſpergatur: vnde concludat, ad partem potius affectam trahendum eſſe, vt ea magis calefiat, pluresque ſpiritus & ſanguis copioſior ad eam confluat. Huic reſpondeatis, reuulſionem morbi principio conuenire, quo tempore fluens materia neceſſariò eſt reuellenda: at verò tranſacto principio iam facta fluxione poſt communem corporis vacuationem, à reuulſionibus quieſcendum eſſe & ad frictionem, percuſſionem, & picationem partis affectæ veniendum, vt in ea parte affecta calor natiuus excitetur, & præſens noxia materia diſcutiatur.

Reuellentium vſus.

Diſcutientia.

Poſt hæc vltima reſtat indicatio, reſoluendi & diſcutiendi materiam, quæ quomodocunque neruis adhæret: huiuſmodi autem præſidia, partim interna, partim externa ſunt propemodum infinita. Interna igitur ſunt. conſerua ſaluiæ, betonicæ, florum ſtœchados, roriſmarini, acorus conditus, gingiber conditum, nux moſchata condita, radices eryngij, corticescitri conditi: ſed inter omnia ſimplicia medicamenta caſtoreum conſenſu omnium, principem locum obtinet: ſunt decocta chamædryos, chamæpityos, acori, ſtœchados hyſſopi: iis verò omnibus ſunt longè efficaciora magna antidora, theriaca & mithridatium præcipuè, quibus, ego præ cæteris vtor familiariter. Laudant nonnulli mirum in modum cerebrum leporis aſſatum, quod inquiunt ex occulta proprietate ad neruorum corroborationem multum facere. Cæterum ſi malum diutius protrahatur, neque prorſus cedat medicamentis recentiores tanquam ad ſacram anchoram, confugiunt ad aquas thermarum calidiores, quales ſunt Aquarianæ, noſtræ Aponianæ & ſimiles: nec non ad decocta ex ligno, ex ſalſa pariglia, radicis chinæ, ſaſſafras: ac ſanè mea ſententia vſus horum medicamentorum non eſt reiiciendus: etenim ſi opportunè adminiſtrentur, experientia confirmat illa ſæpenumero maximè prodeſſe.

Caſtoreum.

Cerebrum leporis.

Thermæ.

In curatione paralyſeos reſtabant medicamenta externa, quæ ſunt varia. inunctiones, fomenta, lotiones, cerata emplaſtra, & ſimilia. Quo primo loco duo præcepta ſunt memoria tenenda. Alterum in Paralyſi ſtupore, & cæteris affectibus neruorum, perpetuò capitis rationem habendam eſſe, cum manifeſtum ſit illud omnium neruorum primum principium eſſe, ac maiori ex parte ab eo tanquam fonte noxiam materiam ad partes laborantes tranſmitti. Alterū eſt præceptum: locum præcipuè laborantem & Paralyſis cauſam ſtudioſè cognoſcendam eſſe, quod non aliter quàm ſtudio anatomes poteſt fieri; ſiquidem, vt ſcribit Gal. 3. *de locis aff.* 10. ſine hac cognitione fieri non poteſt, vt partes, quarum ſenſus aut motus vitiatus eſt, rectè curentur. Itaque ex primo præcepto, poſt generalem corporis vacuationem caput quoque ipſum per gargariſmata, maſticatoria, errhina, purgandum eſt: deinde commodis præſidiis illi proſpiciendum, quæ poſſint illius materiam diſcutere intemperiem atque imbecillitatem auferre. Ex ſecundo autem præcepto, ad initium & originem neruorum, qui ad partes laborantes

I. Præceptum.

II. Præceptum.

laborantes diſſeminantur, remedia imponenda ſunt, ne nobis id contingat, quod iis Medicis euenit, qui curantes Pauſaniam Syrum Sophiſtam trium digitorum manus paralyſi laborantem, atque huic tantùm parti remedia imponentes, nihil profecerunt, quem poſtea Gal. medicamento ad partem ſpinæ laborantem impoſito, celeriter perſanauit: cuius hiſtoriam habemus apud Gal. 1. & 3. *de locis. aff.*

Lotio capitis. Sed ſingula externa remedia percurramus. Primum ſunt lotiones & fomenta, medicamentis calidis, abſynthio, calamentho, hyſſopo, chamædry, champity, & ſimilib.

℞ *Abſinthij,*
Stœchados,
Hyſſopi,
Saluiæ,
Maiorana,
Calamenthi, ana M. j.
Baccarum lauri M. ij.
Seminum aniſorum,
Fœniculi, ana ℥. j. ß.
Spicæ ʒ. ij. M. Fiat decoctum ex aqua, ex quo decocto & caput lauari & infuſa ſpongia poteſt foueri.

A lotione & fomento ſunt inunctiones, vel ſimplices ex oleo chamæmelino, liliorum alborum, coſtino, vulpino & ſimilibus: vel compoſitæ, ex caſtoreo, euphorbio, pyrethro, & ſimilibus.

Vnguentum. ℞. *Piperis albi,*
Pyrethri, ana ʒ. ij.
Caſtorei ʒ. j.
Euphorbij ʒ ß.
Olei chamæmelini completi,
Vulpini, ana ℥. j. M. contundantur omnia, & ad ignem optime permiſceantur.

Ol. lumbric. Apud communiter practicantes familiare eſt oleum de lumbricis, quod tamen ego non ſoleo magnifacere, qui nequeo intelligere, quomodo lumbrici tam inſignem roborandi neruos facultatem habeant; ſiquidem illi conſtant ex materia frigida & viſcida, neque vllam obtinent excellentem qualitatem, quæ reuera id poſſit præſtare, quod vulgo creditur. Dioſcor. *lib.* 2. *cap.* 61. ſcribit, terrenos vermes impoſitos, præciſos neruos glutinare: & Gal. eadem verba repetit, 11. *de ſimp. med. facult.* quod tamen potius de aliorum ſententia, quàm de propria loquitur: ſed vtcunque ſit, ſi modò lumbrici ad glutinandos præciſos neruos faciunt, id forte euenit, quod illi præditi ſint ſubſtantia viſcida, ſimili ſubſtantiæ neruorum: quòd autem poſſint neruos corroborare, nemo affirmat, neque vlla ratio id perſuadet. Præterea ſunt emplaſtra & cerata, quæ reſinam & picem recipiunt, & maximè ad diſſolutionem materiæ & roborationem faciunt.

Emplaſtrũ. ℞. *Piperis,*
Seminis rutæ ſylueſtris,
Radicis pyrethri, ana ʒ. j. ß.
Euphorbij,
Caſtorei, ana ʒ. j.
Reſinæ,
Picis, ana ℥. j. ß. Miſc & fiat emplaſtrum

Apud Aromatarios ſunt vnguenta ex bdellio, Agrippæ, Martiatum, diadicamnum, & alia id genus.

Aqua thermales. Poſtremò autem nullo modo ſunt prætermittendæ aquæ thermales, tam balnea ſicca, quàm humida, quæ in paralyſi magnas vtilitates afferunt: itaque ſi adſint balnea ſicca, ſicut apud nos in agro Patauino & Neapoli habentur, illa optima putantur: ſic balnea ex aquis calidioribus, quales præcipuè ſunt ſulphureæ, præſtantiſſima ſunt: quæ non ſolùm pro inſeſſione, ſed etiam pro ſtillicidio, præcipuè ad caput, vel ad partem laborantem vſurpari poſſunt: ſic lutum ex eiſdem balneis, qualia apud nos multa reperiuntur, non ſine magno ægrotorum beneficio ad partes laborantes apponuntur. Quod ſi hæc naturæ beneficio deſint, aliàs diximus cum Galeno 1. *de ſimpl. med.* 7. mixtione earum rerum quæ in illis vincere conſpiciuntur, licitum eſſe naturam imitari.

Victus ſit alimentorum boni ſucci, facilis coctionis, quæ natura & arte calefaciendi, ſiccandi, & attenuandi vim habeant. Contra ægri caueant à piſcibus & rebus omnibus quæ humores frigidos & craſſos gignere poſſunt. Potio ſit exigua, mulſa cum ſaluia aut quid ſimile: vinum ante declinationem conuenit. Aër ſit calidus & ſiccus: quare ſi tempus anni id requirat, talis comparetur igne, & ex lignis opportunis, lauro, iunipero, & ſimilibus. Si partes reſolutæ moderatè moueantur & exerceantur, vel frictionibus, vel cucurbitulis, vel aliter, id multum prodeſt. Somni ſint breues, notum enim eſt vigilias ſiccare. Ægri quotidie habeant beneficium omnium excrementorum. Atque hactenus de curatione paralíticos ex pituita. *Victus.*

Si autem fuerit paralyſis ex melancholia (quandoque enim melancholici paralytici euadunt) eadem planè eſt curatio, præterquam quod humor melancholicus diuerſa ratione præparatur & purgatur, pariter medicamenta cùm interna, tum externa, minorem calefaciendi & ſiccandi vim debent habere. *De paralyſi ex melancholia.*

Rhaſes ſuo more primùm ponit ſigna paralyſeos, deinde curationem aggreditur cum pilulis fœtidis. Quo loco notandum eſt, huiuſmodi pilulas diuerſas eſſe, & multo vehementiores quàm ſint noſtræ pilulæ fœtidæ, quibus vulgo vtimur: itaque Rhaſes illas in principio ſtatim exhibet ad ʒ. iij. ß. quem vos hortor, imitemini, neque in tempore, neque in doſi: etenim ſicut diximus, & bene notat Auicenna, in principio omnibus fortibus medicamentis abſtinendum eſt: ſic quoque doſis eſt nimia, cum ʒ. j aut ad ſummum ʒ. j. ß. ſit ſatis ſupérque. Deinde poſt tres dies iterum atque iterum idem medicamentum repetit, quod certè mirum eſt, quomodo hic vir tanta & tam frequentia medicamenta ſoleat exhibere. Præterea iubet membra reſoluta ex oleo coſtino inungere: nos verò id docuimus ex Galeno longè melius fore, ſi ad locum laborantem, atque neruorum originem medicamenta apponantur. Poſtremò Rhaſes quoddam præceptum nobis tradit, non ſolum in hoc morbo, ſed aliis pluribus maxima notatione dignum. Illud verò eſt ſi propoſitis remediis æger ad ſanitatem non redeat, decem dies quieſcendum, & ab omni curatione, præterquam congrua victus ratione, abſtinendum eſſe; deinde ruſum ad curationem redeundum: quod quidem ab Aetio quoque traditum, *lib.* 6. *cap.* 10. *de melancholia*, mea ſententia in omnibus morbis diuturnis ac difficilibus obſeruandum eſt, nempe aliquandiu à remediis quieſcendum, & naturæ aliquam remiſſionem dandam eſſe; ſiquidem natura ſine vlla intermiſſione exagitata, ſimul cum curationibus affligitur, in quiete autem vires aſſumit, vt deinceps facilius totum morbum poſſit ſuperare. *Expoſ. Rhaſis.* *Præceptum vtile.*

* *
*

CAPVT XVII.

De tortura oris.

Nomen. MOrbum quem Medici appellant torturam oris, nonnulli conuulſionem caninam, Græci *κυνικὸν σπασμὸν* appellant. Huius affectus Galen. non meminit, prætterquam in libro de ſectione muſculorum circa principium; ſi modò hic liber eſt Galen. legitimus, niſi forte hunc eundem affectum intellexit 2. *de differ. pulſus* 3. vbi inquit, canem eſſe morbum faciei. Cornelius Celſus *libr. quarto cap.* 2 oris diſtentionem nominat. *Deſcriptio.* Itaque canina conuulſio eſt, quotieſcunque os, naſus, oculus, & tota facies in alterum latus deflectit, & in obliquum contorquetur, ex quo nomen ſuſcepit à canibus, qui irati naſum & oculum in latus conuertunt, nudatos dentes demonſtrant, adeo vt veluti quandam conuulſionem videantur repræſentare. Auicenna præclarè hunc affectum deſcribit. 2. 3. cap. 15. *Conuulſio canina,* *Definitio Auicennæ.* inquit, *eſt morbus officialis in facie, propter quem trahitur pars faciei ad partem non naturalem, & alteratur forma eius, &c.* Pro quo iuniores ſtant apud Galenum in *lib. de diff morborum*, tria in vniuerſum eſſe prima morborum genera; *Tria morborum genera.* vnum, quod in ſimilaribus corporis partibus conſiſtit, & intemperies dicitur; ſecundum, quod in partibus inſtrumentariis reponitur, & mala compoſitio appellatur; tertium quod vtriſque partibus, & ſimilaribus, & inſtrumentariis eſt commune, & vnitatis ſolutio nominatur. Sed reliquis in præſentia prætermiſſis, morbi in compoſitione à nonnullis Græca voce *organici* à nonnullis Latina *inſtrumentales*, ab Arabibus & ſuis interpretib. *officiales* dicuntur: & iſti ſunt quatuor quorum vnus in conformatione, alter in magnitudine, tertius in numero, quartus in ſitu vel poſitu non conuenientibus conſiſtit. Nomine autem conformationis tria ſignificantur, figura, cauitas, aſperitas & leuitas: itaque tortura oris eſt morbus officialis in figura: quod ſi quis velit eſſe quoque morbum in ſitu, cum labia, oculus, & tota facies neque naturalem figuram, neque naturalem ſitum retineant, non multum laboro.

Differentia. I. Differentiæ huius affectus variæ ſunt Primo à magnitudine: alia tortura oris eſt vehementiſſima, omnibus nota: alia eſt leuiſſima, adeo vt niſi æger labia dimoueat, via deprehendatur. II. Secundo à tempore, alia eſt recens, alia antiqua: quæ differentia notanda eſt, propter ſententiam Auic. qui ſcribit, huiuſmodi malum poteſt ſex menſes curationem non recipere. III. Tertiò ſunt differentiæ à modo generationis: namque alia primo & ſua ſponte fit: alia varios morbos, apoplexiam, paralyſin, conuulſionem, & ſimiles ſequitur: ſic alia repente & ſubitò, alia paulatim, & in tempore generatur. Huius differentiæ mentionem facit Rhaſes poſtremis verbis. IV. Quartò ſunt differentiæ à loco: etenim quandoque pars ſiniſtra, quandoque pars dextra laborat, quandoque non tota, ſed vnica aliqua ſola pars faciei aut oculus aut maxilla, aut labrum, malè afficitur: quæ differentia habetur apud Gal. 3. *de locis aff.* 10. & maximè eſt vtilis ad curationem, cum non omnes huiuſmodi partes vnum locum veluti ſuum principium obtineant, ſed ex diuerſis cerebri partibus neruos recipiant.

Cauſa dua. Poſtremò ſunt differentiæ ex cauſis, quæ proximiores ſunt, duæ tantummodo, vel paralyſis, vel conuulſio: quæ doctrina eſt Gal. *lib. de cauſis morb.* 7. Cauſæ autem magis remotæ, ſunt illæ omnes quæcunque paralyſin vel conuulſionem poſſunt efficere.

Hoc loco interpretes multum laborant & diſputant de parte affecta, & quænam pars alteram contorqueat, an quæ contorta eſt & ægra videtur, an altera quæ contorta non eſt, & ſana apparet: quæ inquiſitio maximè facit ad curationem, vt intelligamus, ad quamnam partem remedia ſint apponenda. *Dubitatio.* Auicennæ & Aetio placet, partem contortam non contorqueri ab altera oppoſita, quæ ſana videtur, ſed à ſeipſa. Contrà Gal. 4. *de locis aff.* 2. & Paulus docent, alteram partem oppoſitam, quæ ſana apparet, neque contorta eſt, laborare, & contortionis alterius partis cauſam eſſe. Sed vt vno verbo ex hac difficultate vos eripiam, memoria repetendum eſt, quod modò diximus, cauſas huius affectus eſſe vel paralyſin, vel conuulſionem, ac pro varietate vnius vel alterius cauſæ, vnam quoque vel alteram partem magis laborare: quam totam rem manifeſtè & diffuſè explicat Gal. *l. de cauſis morborum* 7. Namque in iis qui altera parte reſoluti ſunt, exempli gratia, parte dextra, muſculi huius partis iam reſoluti, ac proptérea otioſi, à muſculis alterius partis bene valentibus & operantibus trahuntur, ex quo in ſiniſtra parte figuræ vitium deprehenditur: contrà verò eadem parte dextra non reſoluta, ſed conuulſa, tunc oppoſita pars ſiniſtra à conuulſis & laborantibus partis dextræ muſculis trahitur, & ita figuræ vitium in parte dextra apparebit: etenim contractis in ſeſe & conuulſis muſculis vnius partis, ad violentam eorum tractionem oppoſitæ ac ſanæ partis muſculos vnà trahi neceſſarium eſt, vt Gale. declarat 3. *de locis aff.* 10. Ex quo facile eſt intelligere, vtramque opinionem, tam Auicennæ & Aetij, quàm Galeni & Pauli, veritatem continere, ac poſſe inter ſe conciliari, dummodo rei naturam, diuerſas cauſas, atque eorum mentem intelligamus.

Signa. Signa, quæ conuulſionem caninam præſentem indicant, ſunt manifeſtiſſima, os diſtortum eſt, labia ſibi inuicem non reſpondent, ægri tardè & implicitè loquuntur. Sed ſigna differentiarum ex magnitudine, tempore, modo generationis, & reliquis, vel adſtantium relatione, vel aliter facilè poſſunt cognoſci.

Signa differentiarum ex cauſis, quæ non ita videntur eſſe manifeſta, ab Auic. tradita ſunt. Nam ſi tortura oris fiat ex paralyſi; pars reſoluta caret ſenſu & motu, facilè extenditur vel trahitur, & ad omnem motum & poſitionis differentiam facilè ducitur, multa humiditas ex ore profluit præter voluntatem. Sin autem tortura oris ex conuulſione fiat, tunc ad ſenſum pars rigida apparet, neque propter duritiem poteſt extendi, rurſumque ad naturalem poſitionem difficulter reducitur: ſenſus minùs turbantur, ſaliua oris minus profluit, & alia de quibus Auic. Verùm præter hæc ſunt quoque nonnulla ſigna ab Auic. poſita quæ futuram torturam oris denunciant, & ſunt huiuſmodi: dolor in oſſibus faciei, vel potius in membranis oſſa ambientibus cutis ſtupor & palpitatio: namque eadem materia, quæ dolorem, ſtuporem, & palpitationem poteſt efficere; ſi illa augeatur, paralyſin, conuulſionem ac demum torturam oris poteſt generare.

Quatenus pertinet ad curationem, cum illa eadem ſit cum curatione vel paralyſis, de qua ſatis diximus, vel conuulſionis, de qua ſermonem *Curatio.* habebimus, hoc loco nihil dicam.

Nomina.

CAP.

Capvt XVIII.

De Conuulſione.

Definitio. ΣΠΑΣΜΟΣ Græcè, *conuulſio* Latine, numeratur à Gal. 2. *met.* 2. ter eos morbos, qui à ſymptomate nomen recipiunt, à Corn. Celſo *lib.* 2. *c.* 1. neruorum diſtenſio nominatur; *eſt muſculi ad ſuum principium innoluntaria contractio*, vt definitur, à Gal. 6. *aph.* 39. *de ſymp. cauſis* 1. *de tremore c. vlt.* Namque per conuulſionem nerui & muſculi in eum ſitum ducuntur, in quem, ſi pro naturæ lege ſe haberent, à virtute animali ducerentur: id verò eſt in ſuum principium ſuamque originem contrahi, ad quam omnia ſuapte natura feruntur, niſi ad aliam partem per vim aut ex voluntate retrahantur. Itaque conuulſio eſt motus ſimilis quidem naturali, ſed qui præter voluntatem fit, atque in hoc morbus ipſe conſiſtit.

Motus deprauati triplices. Pro quo ſciendum eſt Gal. 2. *de ſimp. cauſis* 1. motus noſtri corporis deprauatos eſſe triplices: námque alij à ſola natura fiunt, quæ tamen morboſa aliqua cauſa violenter moueri coacta ſit: alij fiunt à ſolo morbo, natura ad ipſorum generationem nihil conferente: alij fiunt ab vtroque, vbi ambo, & morbus, & natura, ſimul operantur.

Ac primò fit motus deprauatus à ſola natura, quotieſcumque illa excitatur ad expellendum aliquid, quod aliqua in parte illi moleſtiam pariat, huiuſmodi enim motus eſt operatio ſolius naturæ, ſed eſt præter naturam & deprauatus, quoniam illa à morboſa violenter moueri cogitur: ſunt verò huiuſmodi naturæ opera apud Gal. ſternutatio, tuſſis, oſcitatio, pandiculatio, ſingultus.

Secundò inter motus deprauatos, qui ſolius morbi opera ſunt, Galenus palpitationem & conuulſionem recenſet; ſiquidem vtrumque hoc malum ſolos morbos comitatur, neque natura ad ipſarum generationem quidquam confert.

Tertio loco ſunt motus deprauati, in quibus natura & morbus ſimul operantur; quales ſunt omnes motus torpidi, & alij quoque eorum qui reſoluuntur, nondum tamen réſoluti ſunt; quippe tunc natura quidem membra mouet, ſed imbecilliter, nimirum quia à morbo impedita eſt: in quorum motuum numero tremor quoque debet reponi, vtpote in quo facultas ex vna parte membrum attollit, at morbus ex altera illud ad inferiora deprimit. Itaque apud Gal. conuulſio eſt motus deprauatus qui ſolum morbum conſequitur.

Dubitatio quomodo conuulſio ſit motus. Sed dubitatur primò, quomodo in conuulſione ſit motus, cum pars conuulſa ſit frigida, neque prorſus moueatur; Reſp. quamlibet operationem muſculorum motum eſſe, quod Gal. declarat & demonſtrat 1. *de motu muſculor.* 7. Fingamus enim quod Galeni exemplum eſt, manum ſurſum tenſam eſſe, atque in hac figura ſeruari: ſi quis quærat cur non hæc manus ſua grauitate deorſum feratur? aliter non poteſt reſponderi, niſi id fieri propter tenſionem muſculorum, qui ipſam eleuant: quo ſi reuera muſculi id agunt, vt manum tendant, abſurdum eſt, inquit Galenus, fateri eos agere ſecundùm innatam & propriam illorum actionem, negare autem eos moueri; quamobrem cum muſculi in conuulſione præter voluntatem trahantur ad ſuum principium, nulla ratione poteſt negari quin moueantur, etſi videntur quieſcere.

Quomodo conuulſio dicatur ſolutio continui. Secunda eſt dubitatio, quomodo Galenus ſicuti vidimus; reponit conuulſionem ſub genere motus deprauati, tamen quandoque illam reponit ſub ſolutione continui, qui ſcribit ad hunc modum, *de diff. mor.* 11. *Vocatur continui ſolutio, in oſſe quidem fractura, in carnoſis verò partibus vlcus, ruptio autem conuulſio ex eodem genere eſt: conſiſtit verò hoc quidem in neruoſis, illud autem in carnoſis partibus diuulſis in ipſis fibris &c.* Sic de conſtitutione artis med. 6. ita inquit: *Muſculorum fibr. cum ſimiliter tenſæ ſe ruperint, conuulſura affectus nominatur*: quam eamdem ſententiam habetis apud Gal. 3. *meth.* 1. 6. *meth.* 1. Argenterius *de gen. morb. c.* 13. Galenum acriter arguit, dum ita ſcribit: *Quantum Galenus in nominibus variet, vnicuique licet intelligere. Nam vt à conuulſione incipiamus, quam ſpaſma vocat, ſcribit* 4. *meth. in lib. de conſtit. artis de dif. morborum, & alibi ſæpius, hoc nomine ſolutionem continui ſignificari cum tamen* 2. *de cauſis ſymp. inter motus deprauatos, & reÐte quidem, conuulſionem ponat: aliud verò eſt motus deprauatus, aliud continui ſolutio.* Sic Franciſcus Valer. *in ſuo com. de conſti. artis med. cap.* 4. multum laborat, ac neſcit intelligere, quomodo Galenus velit, ad conuulſionem id requiri, vt filamenta muſculorum ſimul tendantur & rumpantur, cum affirmet aliis locis, ad conuulſionem ſatis eſſe ſi nerui tendantur, & in ſuam ipſorum originem contrahantur: qui tandem ad diſſoluendam hanc grauiſſimam repugnantiam quædam ſibi fingit, quæ à doctrina Gal. & ab omni ratione ſunt aliena: quod quidem ex vera reſponſione facile cuique licebit intelligere. Tota autem hæc res in vera nominum intelligentia conſiſtit. Namque apud Græcos ſunt duæ voces, altera σπάσμα altera σπασμὸς, ex quib. licet Hip. quandoque ſpaſma pro ſpaſmo videatur vſurpare, veruntamen apud Gal. ſpaſma ſemper ſolutio continui & morbus eſt, ſpaſmus autem perpetuò motum deprauatum & ſymptomata ſignificat vnde quotieſcunque id locis iam poſitis Galenus ſcribit conuulſionem ad continui ſolutionem pertinere, perpetuò voce ſpaſma vtitur; ſicuti altera ex parte cum docet conuulſionem motum deprauatum eſſe, altera voce ſpaſmos vti ſolet. Cauſa autem propter quam Argenterius, Valeriola, & cæteri prope omnes hallucinati ſunt ac cenſuerunt difficultatem maximam eſſe, quæ prorſus nulla eſt, non aliunde, quàm ex Latinis interpretibus originem habet, qui vtramque vocem vnico nomine conuulſionis interpretantur: quod ſi quemadmodum apud Galenum duo ſunt vocabula diſtincta, quæ duas res diuerſas ſignificant, ita illi quoque duo diuerſa Latina nomina inueniſſent, vtique neque ipſi erraſſent, neque aliis errandi occaſionem dediſſent.

Tertia & vltima dubitatio eſt quomodo Galenus doceat conuulſionem fieri à ſolo morbo, cum eadem natura quoque operante fieri videatur. Quis enim audeat affirmare, neruorum & muſculorum contractionem ad ſuum principium fieri ſine opera naturæ? Præterea ſicuti per Galenum tuſſis & ſternutatio ſunt motus deprauati, facti à natura irrita, ſicuti diximus: ita in conuulſione, exempli gratia, per conſenſum oris ventriculi, de qua loquitur Gal. 5. *aph.* 1: hoc idem videtur contingere: nempe naturam irritari, & cogi ad expellendam noxiam materiam: ſicuti ille adoleſcens euomuit illam æruginem. Ex quibus aduerſus Galeni ſententiam licet colligere, conuulſionem non ſolius morbi, ſed etiam naturæ operationem eſſe.

Ac ſanè multi opinantur hanc difficultatem admodum arduam eſſe: ego verò ita reſponderem, & primò naturæ motiones dupliciter poſſe conſiderari: vno modo, quatenus ex propoſito naturæ, & primaria ratione fiunt: altero quatenus non primaria ratione, ſed conſequutione quadam, & ſecundaria contingunt; quæ doctrina eſt Gal. 6. *de placitis Hip. & Plat.* 1. qui primos motus naturæ

actiones, ſecundos autem non actiones ſed affectus nominat. Exempli gratia, quod eſt eiuſdem Galeni, pulſus moderatus ac naturalis primaria ratione fit à natura, ac propterea actio naturæ iure dicitur: pulſus autem aut maior aut minor, aut tardior aut frequentior, aut alia ratione declinans à ſtatu naturali, potius affectus quam actionis nomen meretur, quam eandem doctrinam licet nobis colligere ex eodem Gal *l. de ſymp. diff.* 1. Quam obrem cum conuulſio minimè primaria naturæ ratione, ſed cogente morbo fiat, iure Galenus videtur ſtatuiſſe, hunc motum ſolius morbi operationem eſſe. At verò ſi communiter actio naturæ conſideretur, cum reuera facultas animalis ea ſit, quæ neruos & muſculos contrahit, vtique negandum non eſt, naturam quoque agere: verùm cum non primaria ratione, ſed tantummodo coacta agat, propterea hunc motum cum Galeno potiùs affectum quàm actionem nominabimus. Huiuſmodi agentis naturæ differentiam Auicenna præclare mihi videtur intellexiſſe, inquiens: *Et ſunt quædam quæ proueniunt ex operatione naturæ principaliter, vt ſingultus; & quædam quæ proueniunt ex operatione naturæ accidentaliter, ſicuti ſpaſmus & tremor, ſecunda primi, doct. 3. c. 1.*

Ad ſecundam rationem de conuulſione per conſenſum in præſentia dico, Galenum ſtatuentem conuulſionem fieri à ſolo morbo, veram conuulſionem intelligere, quæ fit ex repletione vel inanitione, ex ſententia Hip. 6. *aph.* 39. minimè verò alteram, quæ per conſenſum alicuius partis prouenit, nempe vbi aliquid à parte primò malè affecta ad cerebrum tranſmittitur, quod illud à ſe conatur expellere: quam conuulſionem barbari ſpaſmum non proportionatum ad materiam vocant.

Summa omnium. Concludo igitur: Conuulſio ad mentem Galeni, eſt non ſolutio continui & morbus, ſed motus deprauatus, & ſymptoma à ſolo morbo procedens, in quo nerui & muſculi ad ſuum naturale principium inuita natura deducuntur.

Differentia. Differentiæ ſumuntur primò à magnitudine: alia magna & doloroſa, alia leuior & ſine dolore eſt.

Secundò ſunt differentiæ à tempore. Conuulſio quædam recens, quædam antiqua eſt, atque hæc confirmata nullam recipit curationem.

Tertiò ſunt differentiæ à modo generationis, alia primò fit, neque alios morbos ſequitur; alia non primò, ſed alijs morbis ſuccedit, quales ſunt febres ardentes, inflammationes, deſtillationes & quicunque morbi alterutram conuulſionis cauſam poſſunt afferre.

Quartò ſunt differentiæ à loco affecto: conuulſio aut communis eſt toti corpori, aut propria partis determinatæ; in communi quidem conuulſione neceſſe eſt principium neruorum, cerebrum ſpinamque laborare: atque hæc eſt triplex. Prima cum totum corpus in propria curuatur, ſecunda cum in poſteriora: tertia cum in vtrumque latus æqualiter deflectit. Prima ἐμπροσθότονος: ſecunda ὀπισθότονος: tertia τέτανος Græcè dicitur. Quibus tribus communibus differentiis licet quoque epilepſiam addere, quæ totius corporis conuulſio eſt. Particulares autem conuulſionum differentiæ non aliunde quam ex particularium muſculorum laborantium differentia oriuntur: quarum particularium conuulſionum quædam alia etiam proprijs nominibus donatæ ſunt ſicuti στραβισμὸς in oculis: τρισμὸς in mandibula: κυνικὸς σπασμὸς in ore: σατυριασμὸς in pene. Sed de tribus communibus conuulſionum differentijs dubium eſt, ſiquidem non videntur toti corpori communes eſſe, vnde nonnulli recentiores contendunt, illas tantummodo ad principium ſpinæ & ceruicis pertinere: quæ ſententia, non ſolum eſt modernorum, ſed etiam fuit Pelopis vetuſti Medici ex Paulo lib. 3. 20. Etſi verò hæc dubitatio leuis eſt, neque quicquam ad curationem pertinet; tamen cum ego videam Galenum *in lib. de tremore* poſtremis verbis, & *de ſympt. differ.* 3. eas tres differentias tanquam toti corpori communes ſtatuiſſe, mihi libet magis Galeno quàm Pelopi fidem adhibere

Poſtremò ſunt differentiæ ex cauſis, quæ etſi plures ſunt, tamen Hipp. in duas contulit, inanitionem & repletionem, 6. *aphor.* 39. Ad inanitionem quidem reuocatur febris ardens, potio hellebori & omnium medicamentorum immodica ſanguinis profuſio, vigiliæ, inedia, & quæcunque corpus vehementer exiccant, vt declarat Gal. 3. *de locis aff.* 6. Ad repletionem verò pertinet ebrietas, crapula, ſuppreſſa vacuatio conſueta exercitatio intermiſſa, inflammatio & ſimilia. Hanc ſententiam paſſim amplectitur Gal. 5. *aph.* 3 *de tremore cap. vlt* 2. *de ſympt. cauſ.* 5. 8 *de med. ſecundum locos* 3. 3. *de locis aff.* 6. & affert chordarum ſimilitudinem: Namque ſicuti in muſicis inſtrumentis chordæ vel nimio humore imbutæ & repletæ, vel vehementiùs ſiccatæ & inanitæ, tenduntur & contrahuntur, vt quandoque etiam rumpantur; ſic nerui eadem ratione ex nimia vel repletione, vel ſiccitate tenduntur, vt propterea muſculi contrahantur, & conuulſio ſuccedat, adeò vt tandem Gal. hæc verba ſcripſerit 8. *de med. citato: Ego verò in conuulſione tertiam aliquam cauſam ſupra vacuationem & repletionem nondum reperi.*

Cauſa.

Sed aduerſus hanc Hipp. & Gal. ſententiam eſt Auic. cap. proprio de conuulſione, qui alterius cuiuſdam ſpaſmi mentionem facit, quem ille ſpaſmum non proportionatum ad materiam vocat, ac docet fieri, non ex repletione vel inanitione, ſed vel ex calido, acri humore, vel ex qualitate venenata, perueniente ad cerebrum & neruos, ſicuti in morſu ſcorpionis contingit: vel ex alijs qualitatibus non venenatis, quæcunque neruis moleſtiam inferunt, naturamque ad rei moleſtæ expulſionem irritant. Auicennam cæteri medici Arabes, atque hoc tempore propè omnes communiter practicantes ſequuntur. Sed neque Gal. ab hac tertia conuulſionis cauſa videtur abhorruiſſe, qui explicatis duabus cauſis repletione & inanitione, 5. *aph.* 1. hæc habet: *Fit autem, vt dixi, & propter conſenſum conuulſio* Ac forte idem voluit Galenus 12. *meth. vltim.* poſtremis verbis, cum docet, quattuor eſſe cauſas conuulſionis, repletionem, inanitionem, mordentem & tenuem humorem, qui neruoſa corpora rodat, atq; inſigne frigus quod tale quippiam, quale glacies, efficiat. Neque pro hac ſententia deſunt rationes: ac primũ ſingultus apud Hip. eſt conuulſio, aut ſaltem ex eiſdem cauſis generatur: ſed ſingultus ſine repletione vel inanitione, ex ſolo ſenſu rei acris, vt piperis, nec non ex qualibet qualitate, ori ventriculi moleſtiam inferente fit. Itaque & conuulſio ex ſola mala qualitate, cerebrum & neruos lædente, videtur fieri poſſe. Præterea conſtat inter omnes epilepſiã totius corporis conuulſionem eſſe, nihilominus inter cæteras illius differentias, de quibus Gal. in 3. *de locis aff.* vna eſt, cum affectus ex aliqua parte incipit, & ad cerebrum vſque ſenſibiliter aſcendit: ſicuti contingit illi puero, qui narrabat auram quandam frigidam ſibi ex tibia ad ſupernas partes aſcendere. Poſtremò ex ſola neruorum refrigeratione, ex inſigni dolore ex morſu feræ venenatæ: vt inquit Auicenna, & alijs huiuſmodi noxijs qualitatibus homines ſæpe conuulſione corripiuntur. Vnde licet concludere conuulſionem quandoque ſine repletione vel inanitione fieri.

Spaſmus nõ proportionatus ad materiam.

Cæterum ad diſſoluendam hanc difficultatem multi multa loquuntur. Nonnulli ſenten-

tiam

tiam Hippocratis & Galeni interpretantur de convulſionibus tantùm, quæ per propriam affectionem fiunt, minimè de iis, quæ ex conſenſu alicuius partis eueniunt: nonnulli huiuſmodi conſenſum ad repletionem: nonnulli ad ſiccitatem referunt.

Sed cum ego nolim ſingulas opiniones in medium proferre, eam afferam reſponſionem, quam cenſeo ad mentem Hippocratis, Galeni, & veritatem magis eſſe accommodatam. Ita igitur habendum eſt, quamlibet convulſionem, quæ verè convulſio ſit, ex alterutra cauſa, vel repletione, vel inanitione fieri, cæteras autem convulſionis differentias, quæ propter alias contingunt cauſas, potiùs motus ſimiles convulſioni & convulſorios, quàm veras convulſiones nominandas eſſe. Et quamobrem ita cenſeam, præcipuè facit Galenus, qui, vt diximus, nos docet, palpitationem & convulſionem ſolius morbi opera eſſe, cæteros autem motus qui fiunt à natura irrita, & conante expellere id, à quo grauatur, quales ſunt omnes motus qui ab aduerſariis proferuntur, reuera convulſiones non eſſe. Ac ne quis poſſet hæc noſtra figmenta eſſe, Galenus audiatur, qui vt pluribus locis manifeſtè convulſionem diſtinguit à motu convulſorio, qui peculiari quoque nomine *σπασμώδης πάθος*, *convulſiuus affectus* appellatur: nos verò vno aut altero loco contenti erimus. 1. *pror. com.* 3. 69. habet. *Conſtat convulſiuos affectus appellari, in quibus principio aut non multo poſt quam fieri inceperint, convulſiones perſeuerant, ex repletione ortum habentes.* Et rurſum 2. *de praſag. ex pulſ.* 4. *Affectum convulſiuum appello, qui ante mortem neceſſario aliquod convulſionis periculum inducit.* Hanc differentiam veræ convulſionis, & convulſiui affectus, Auerroes præclarè videtur aſſequutus eſſe. 3. *colliget.* 33. poſtremis verbis: *Aliquando fit in neruo vna ſpecies contractionis propter fortitudinem virtutis expulſiuæ, quæ eſt in neruo, &c.* & hæc ſpecies contractionis dicitur expanditio.

Auctoris ſententia de vera conuulſionis ſpecie.

Cauſæ igitur veræ convulſionis, quæ à ſolo morbo efficitur, duæ ſunt, repletio & inanitio, neque præterea poteſt tertia reperiri: cæteri autem motus, quicunque non à ſolo morbo, ſed à natura irritata originem habent, convulſionis ſpeciem repræſentant, ac potiùs motus convulſiui, quam convulſionis nomen merentur: id quod vnuſquiſque facile intelliget, qui voluerit Galeni orationem diligenter attendere. Etenim de ſingultu hæc habet: *Singultus igitur concedatur convulſio ſtomachi nominari, melius autem fortaſſe fuerit, non convulſionem dicere, ſed quendam motum, eiuſdem generis cum vomitibus.* Sic 6. *aphor.* 54. ſcribit, luctuoſa ſuſpiria fieri propter aliquam muſculorum pectoris diſpoſitionem, conuulſioni ſimilem. Sic 3. *de locis aff.* 7. docet, in malis epilepticis per conſenſum, veluti palpitantem quandam convulſionem potius, quàm perpetuam convulſionem fieri. Et rurſum 5. *de locis aff.* 6. recitans hiſtoriam illius Grammatici epileſia laborantis, per conſenſum oris ventriculi, inquit, illum convulſorio motu vniuerſi corporis correptum fuiſſe.

Conuulſio quomodo fiat.

Cum itaque duæ tantummodo ſint cauſæ convulſionis, repletio & inanitio, iam quæret quis quomodo vtraque contingat? Quatenus ad repletionem pertinet, huic reſpondet Galen. in *lib. de tremore, cap. vltimo*, hoc fieri dupliciter: vno modo, propter inflammationes partium neruoſarum, cum in principio neruorum, aut etiam prope ipſum principium generantur: altero ex copia ſuccorum, quæ ſine inflammatione eadem neruoſa corpora madefaciat & diſtendat.

Sed rurſus quærat aliquis, qualeſnam ſunt huiuſmodi humores? Scribit Gal. 2. *aph.* 26. 5. *aph.* 70. neruos repleri frigidis & glutinoſis humorib. ex quib. etiam nutriuntur; quos quidem humores ille planius explicauit 6. *aph.* 56. eſſe humorem pituitoſum & melancholicum, quos certum eſt frigidos & craſſos eſſe: ex quo ſunt aph. 2. *aph.* *Febrem convulſioni ſuperuenire melius eſt quam febri convulſionem.* 5. *aph.* 70 *A quartanis capti, non admodum convulſionibus capiuntur.* Quod ſi priùs capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur, propterea quod febris poſſit iſtos humores calefacere, extenuare & diſſoluere: ſiquidem alteri duo humores, ſanguis & flaua bilis, niſi inflammationem & tumorem efficiant, aut difficulter, aut nullo modo videntur poſſe facere convulſionem: vnde neque Gal. nec alius illorum mentionem facit.

Quod pertinet ad inanitionem, Gal. 3. *de locis aff.* 7. ait, propter hanc cauſam convulſionem poſſe fieri à laboribus, vigiliis, fame, nimia purgatione, & aliis id genus. quæcumque valent corpora nimis ſiccare & inanire. Et ſi quis obiciat, hecticos extrema conſumptos macie & ſiccitate, nulla convulſione correptos: Reſpondeatis, convulſionem minimè ex omni ſiccitate, ſed tantummodo ex ſiccitate partium neruoſarum fieri: hectici autem etſi propter ſiccitatem membrorum principalium, ac præcipuè cordis, maximè extenuati & ſiccati ſint, tamen ea ſiccitas neruos non adeo penetrat, vt poſſit convulſionem facere.

Signa futuræ convulſionis ſumuntur ex præparatione corporis, & ex cauſis: etenim illa corpora quæ ſuapte natura habent neruos imbecilles, & qui facilè noxiam materiam & offenſionem poſſunt ſuſcipere: pariter quæ otioſè viuunt, multis frigidis & craſſis alimentis nutriuntur, facilè in convulſionem incidunt. Ad quem modum dicit Ariſt. 7. *de hiſt. anim. vlt.* plurimos pueros convlſione laborare. ac præcipuè corpulentiores, & lacte veſcentes copioſiore & craſſiore, & nutricem lactentes ſucci plenam & corpulentam. Et Gal. hoc ipſum confirmat, qui docet 3 *progn.* 34. 3. *aph.* 15. 1. *epid.* 2. 24. & 57. ex tribus facultatibus quæ noſtrum corpus gubernant, pueros duabus quidem quam cæteros fortiores exiſtere, vna verò debiliores, ea nimirum quæ ad neruos pertinet: nec non illos plurimo importuno ac ſæpe craſſiori alimento vti, adeo vt propter vtramque cauſam convulſionibus quam maximè ſint obnoxij. Sic ſi aliæ præcedant cauſæ externæ, magna vulnera, contuſiones, punctura neruorum, & ſimilia, ex iis quoque licebit futuram convulſionem prædicere. *Signa.*

Signa quæ præſentem convulſionem demonſtrant, ſunt manifeſta i neruis muſculiſque verſus ſuam originem præter voluntatem convulſis, membrum adeo rigidum & contractum apparet, vt ad priſtinum ſtatum reduci non poſſit: plerunque dolor concurrit vehementiſſimus, qui ſi diutius perſeueret, ægri vires maximè poteſt conſumere. Quales ſint pulſus convulſorum, longa & perſpicua oratione explicatur à Galeno, *de pulſ. ad tyrones.* *Pulſus.*

Signa differentiarum à magnitudine, à modo generationis, à loco affecto, à tempore, vel ſenſibus, vel aliter, ſunt manifeſtiſſima.

De ſignis autem cauſarum, vtrum convulſio propter inanitionem, vel propter humorum plenitudinem contingat, videatis Gal. 3. *de locis aff.* 6. quippe cum vel à laboribus, vel vigiliis, vel ſicca & ardente febre, vel ſimili ratione convulſio fit, ſiccitatem & vacuationem cauſam eſſe putare oportet: ſi verò temulento homini atque otioſè viuenti convulſio eueniat, contrariam cauſam affectum hunc procreaſſe conſentaneum eſt.

Curatio conuulſionis ex repletione.

In conuulſione quæ ex repletione originem habet, ſiue vniuerſalis ſiue particularis ſit, eædem proponuntur indacationes, quæ in paralyſi propoſitæ fuerunt. Vnde ſcribit Rhaſes, huic conuulſioni & paralyſi eandem curationem conuenire: quib. tamen addenda eſt alia indicatio, emolliendi partem laborâtem quam diximus perpetuò rigidã eſſe.

Prognoſticum.

Maximum ſane omnium conſenſu, difficile & periculoſum malum conuulſio eſt, ſed tamen quandoque recipit curationem: vnde ſunt aphoriſmi Hip. 4. *aph.* 57. *Qui a conuulſione aut diſtenſione corripiuntur, febre ſuperueniente liberantur.* 5. *aphor.* & 6. *Si ebrius quiſpiam repente obmuteſcat, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur.* Sic Gal. lib. *de tremore*, poſtremis verbis videtur polliceri curationem conuulſionis, quæ ex humorum copia aut inflammatione generatur, nempe copiam vacuando, inflammationem verò propriis remedis tollendo: de quib. ſatis dicitur in meth.

Leniens.

Quatenus pertinet ad primam indicationem, ſi velitis aluum lenire, quod fieri poteſt ſi conuulſio particularis aut leuior fuerit, nihil hiera ſimplici eſt præſtantius, & quidem acria optima ſunt: ſin autem conuulſio fuerit inſignis, ac præcipuè ſi linguam, oculos & faciem occupet, adeo vt certum ſit cerebrum laborare, tunc ſemper ſecanda eſt vena, dummodo per vires & per ætatem liceat:

Venæ ſectio.

ſanguis iuxta Auicennam moderatè eſt detrahendus, vt vires poſſint perdurare, & motus conuulſorios perferre, qui in omni conuulſione ſunt laborioſi, & virtutem quam maximè diſſoluunt: vena autem ſecanda eſt cephalica, atque ea quidem in parte ſana. Exempli gratia, ſi laboret pars ſiniſtra, ex parte dextra, vel ſi laboret pars dextra, ex parte ſiniſtra ſanguis mittendus eſt, cum ex decreto Galeni & omnium, nunquam liceat per partem laborantem aliquam vacuationem moliri. Si conuulſio fuerit in partibus inferioribus & leuint, adeo vt nulla vel ſit præſens, vel immineat morbi magnitudino, à ſectione venæ abſtinendum eſt.

Præparantia medicamenta.

Hoc tempore noxia materia coquenda & præparanda eſt: redundante pituita ſunt ſyrupi de betonica, de ſtœchade, hyſſopo: mel roſaceum, decocta betonicæ, ſaluiæ, &c.

Purgantia validiſſima.

Poſt concoctionem debet purgari, & quidem validiſſimis medicamentis, qualia ſunt hiera diacolocynthidos, pilulæ de hermodactylis, de opopanaco, fœtidæ.

Redundante melancholia ſunt ſyrupi de fumo terræ ſimp. de borragine, de pomis: decocta bugloſſæ, ceterach, fumi terræ. Medicamenta ſunt pilulæ de fumo terræ, confectio hamech, &c.

Reuellentia.

Interea omnia reuulſionum genera conueniunt, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, quæ in partib. oppoſitis ſanis fieri debent: clyſteria & glandes acriores, optima ſunt: poſt hæc ipſum quoque caput per errhina, gargariſmata, maſticatoria, purgari oportet.

Reſoluentia.

Demum verò ad reſolutionem materiæ occupantis partes neruoſas, & roborationem deueniendum eſt: hoc fit interius conſerua betonicæ, ſaluiæ dianthos theriaca, mithridatio, confectione anacardina, caſtoreo, & ſimilib. exteriùs oleo vulpino liliorum arborum, de terebinthina, ex ligno guaiaco.

Emollientia.

Pro emollitione, vtendum oleo ſeminis lini, amygdalarum dulcium, pellib. vulpium luporum felium, & aliis, cum ſimplicib. tum compoſitis medicamentis, de quib. tractantes paralyſim diximus.

Sed inter cætera aquæ thermarum calidiores, quales ſunt ſulphureæ nitroſæ, bituminoſæ, & ſimiles, hac in re magnã habent prærogatiuam, neq; ſolùm ſi exteriùs adminiſtrentur pro balneo & inſeſſione, verùm etiam ſi interiùs aſſumantur: ſicut quoque lutum ex eiſdem balneis extractum atque illitum qualia apud nos D. Petri, D. Helenæ, D. Bartholomæi mirabilem ſæpenumero operam præſtant.

Hippocratis remedium.

Hipp. cuiuſdam remedij in hac conuulſione mentionem facit quod à plurib. tanquam abſurdum repudiatur: illud verò continetur aph. 21. 5. lib. vnde Paulus, lib. 3. *cap.* 20 hæc habet: *Frigida porrò ſuperfuſionem, quemadmodum Hip. aſſerit, cum ſit maximè temeraria, propterea vt arbitror, à recentioribus reprehenſa, & nos ipſi deuitamus.* Sic Cælius Aurel. *lib.* 3. *de morbis acutis* 8. miratur quomodo Hip. in tali paſſione exiſtimet frigida vtendum eſſe, cum ille ſcripſerit 5. *aph.* 18. frigidum eſſe inimicum dentib. neruis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum verò vtile. Sic auctor com. in aph. Hip qui ſub nomine Oribaſij circumferuntur, cum certum ſit Oribaſium minimè eorum auctorē fuiſſe, admiratione afficitur, quòd Hip. qui prius frigida damnauerat, nunc frigidam probet. Ego verò puto Hip cum ratione loqui, neque vllam reprehenſionem mereri: & ſicuti Cælius Aurelianus non potuit, quia fuit antiquior Galeno, ita Paulus, & quicunque aliter ſentiunt voluerunt, vt puto Galeni interpretationem legere, quæ mihi videtur omnem de hac re difficultatem tollere. Namque aduerſarij Hipp. perfuſionem aquæ frigidæ in morbo frigido ſimpliciter conſiderant, in quo certum eſt, illam non conuenire, quod ipſe quoque Hip. fatetur proximo 20. in quo docet, frigidum rigores febriles, conuulſiones & diſtenſiones creare. Hip autem alia ratione frigidæ perfuſionem probat, quod ex Galeni interpretatione & ex ſequentibus fiet manifeſtiſſimũ.

Primùm igitur ſumpta indicatione à natura morbi ſupponendum eſt, conuulſionem ſanari à calore, vel naturali, vel præter naturam: quo poſito fundamento, Hipp conuulſionis curationem, & curationis rationem iis conditionibus & hoc ordine inſtituit.

Prima conditio eſt, vt conuulſio ſit ſine vlcere, quoniam frigida vlceribus noxia eſt, quemadmodum copioſè demonſtrat Galenus 4. *de ſimp. med.* circa principium.

Secunda conditio eſt, vt æger ſit iuuenis, in qua ætate conſtat homines natura calidos eſſe.

Tertia, vt æger bono corporis habitu ſit præditus vt commodiùs aquæ frigidæ pericula poſſit perferre.

Quarta eſt, vt tempus anni ſit æſtas media, cum ſyrius . . det, vt ab aëre ambientem caliditas magis adiuuetur.

Vltima eſt conditio, vt copinsè aquæ frigidæ perfuſio fiat, propterea quia exigua aquæ portio non id præſtare poſſet, quod Hip. intendit.

His poſitis conditionibus, Gale. non ſolùm hoc remedium probat, ſed etiam, quod Hip. de vna tantùm ſpecie, nempe de tetano dixerat, ad omnem conuulſionem refert: & ratio eſt, quoniam frigidæ aquæ perfuſio cutem refrigerando calorem ad internas partes reuocat: ex quo facile eſt intelligere; frigidam non propria virtute, ſed ex accidenti hunc morbum ſanare, quandoquidem calor ille eſt, non frigus, qui reuera & per ſe conuulſionem ſanat, vt concludunt poſtrema verba apho.

Notandum autem hunc caſum Hip. ſingularem eſſe, & rarò admodum contingere, vt omnes propoſitæ conditiones ſimul conueniant: attamen ſi ita fiat, concludendum eſt perfuſionem aquæ frigidæ in omni conuulſione conuenientem eſſe, Hip. & Gal bene ſentire, Cælium, Paulum & cæteros omnes temere Hipp. reprehendiſſe.

Vtrùm ſit febris excitanda in conuulſione.

Quoniam verò ſupra diximus, cum Hip. & Gal. febrem conuulſioni ſuperuenientem quandoque prodeſſe, quærunt hoc loco nonnulli, vtrùm

Mdico

Medico liceat aliquando febrem excitare? Sed cum ego nolim de hac quæſtione longiùs agere, illud vnum dico, Hippocr & Galenl. tametſi inquiunt febrem ſuperuenientem iuuare aliquando, id tamen conſilium medicis non dare vt febrem ſtudeant excitare: neque id mea ſententia licitum eſt, cum minimè ſit in poteſtate Medici, talem & tantum febris gradum inducere, vt certi ſimus, illam non fore deinceps periculoſam, ac forte ab eadem magis, quàm, à convulſione timendum. Atque hactenus de convulſione ex humorum copia.

Convulſio ex inflammatione. Quod ſi convulſio ex inflammatione oriatur, quæ maximè ac frequenter neruorum puncturæ ac vulneri ſolet ſuccedere, tunc tota indicatio ad inflammationem eſt dirigenda, de qua agit Galen. *in 6. method. in arte medica. & 3. de med. ſecundum genera.*

Convulſio ex inanitione. Poſtremò autem quatenus pertinet ad curationem convolſionis, quæ ex inanitione & ſiccitate originem habet, ſcribit Galen. 2. *Apho.* 26. 5. *apho.* 5. & 4. hanc autem difficulter & raro, aut nulla ratione & nunquam curationem recipere. Et ſimpliciter ac abſolutè idem ſcribit Galenus de tremore vltimo, convulſionem ex ſiccitate nunquam ſanari: ſiquidem ita affecti protinus moriuntur, vt ne cogitandi quidem remedij tempus permittatur. Auicenna tamen ex hoc numero excipit infantes, quos inquit velociter liberari à ſpaſmo ſicco, propter humiditatem complexionum ſuarum, & humiditatem alimenti: quare non eſt vt de hac re longiùs agamus.

Quod ſi aliquid omnino agendum eſt, ſine dubio victus ratio principem locum obtinet. Cum enim ſumma huiuſmodi curationis tota in humectatione conſiſtat, certum eſt hanc potiùs cum alimentis quàm medicamentis fieri poſſe: de qua commoda victus ratione videatis Galen. . *metho.* 6. vbi agit de curanda quadruplici corporis ſiccitate, & de eligendis alimentis, quæ ad omnem ſiccitatem corporis poſſint conuenire.

Capvt XIX.

De Epilepſia.

Nomina. AGgredimur morbum qui frequentiſſimè homines adoritur, quippe multas tum cognitione, tum curatione arduas continet difficultates. Nullus eſt morbus qui pluribus nominibus à veteribus fuerit nominatus, quàm ipſe hic, qui primum dicitur ἐπιληψία quaſi *comprehenſio quadam*, quod, vt inquit Alex. ægri totum obliuiſcantur, atque eorum ſenſus detineantur.

Secundò dicitur *morbus ſacer*, vt inquit Cælius Aurelianus, vel quòd diuinitus putetur immitti, vel quòd animam contaminet, quæ ſacra eſt: vel quòd in capite ſuam ſedem habeat, quod multi philoſophi ſacrum animæ templum eſſe dixerunt: vel propter morbi magnitudinem: ſiquidem vulgus res magnas ſolet ſacras appellare, vt ſacrum mare, ſic Medici os ſacrum vocant, ſic Virgilius, Auri ſacra fames Plato in Timæo ad finem, hunc morbum dicit ſacrum appellari quòd ſacræ naturæ morbus exiſtat. Apud Aretæum ſacer dicitur, aut quòd humana ope tolli non poſſit, ſed diuina, aut quoniam homo dæmone correptus eſſe videtur. Sed Hippoc. huiuſmodi appellationem redarguit, in libr. de ſacro morbo, ſi modo hic liber eſt Hippoc. legitimus, qui inquit, hunc morbum cæteris neque diuiniorem, neque ſacratiorem ſibi videri, ſed eandem naturam cum reliquis morbis continere: vnde concludit, illos homines, qui primi hunc morbum ſacrum eſſe pronunciauerunt, fuiſſe quoſdam magos, expiatores, circulatores, arrogantes, qui cum eſſent conſilij & mentis inopes, & nihil haberent quod exhibitum prodeſſet, ne manifeſta fieret ipſorum ignorantia, hanc affectionem ſacram eſſe dixerunt. Quam Hippoc. ſententiam Galen. quoque probat 6. *epid.* 67.

Tertiò dicitur *morbus comitialis*, vel quòd in comitiis aliiſque hominum congregationibus laborantes maximè infeſtarentur, & frequenter detegerentur: vel quòd ea die, qua quis concidiſſet, comitia intermitterentur.

Quartò *morbus Herculeus* dicitur, vt placet Ariſt. 30. *ſect. prob.* 1. vel propterea quòd Hercules hoc morbo laborauerit, vel vt placet Galeno, quòd nonnulli hoc nomine voluerint illius ſæuitiem & magnitudinem exprimere, vnde etiam Hip. magnum morbum appellat.

Quintò *morbus puerilis*, vel *infantilis* dicitur ac Hipp. in lib. de aquis, aëre, & locis, & 4. *apho.* 29. quoniam pueritiæ tempore ſolet in primis negotium facere. Vnde etiam Ariſtoteles 2. *ae hiſtor. animalium vltimo*, ſcribit plurimos pueros ante diem ſeptimam hoc morbo interire; ex quo factum eſt, vt nomina illis ſeptima die imponerentur, tanquam tunc ſaluti infantis magis crederent,

Sextò *lunaticus* à nonnullis dicitur, vel, vt inquit Aretæus, quòd exiſtimaretur immitti à Luna flagitioſis hominibus tantùm; vel, vt inquit Philoſophus, quòd ægoti plenilunio periculoſiùs hoc malo ſoleant infeſtari; vel quòd hic morbus Lunæ circumactionem ſequatur, vel quòd illum, qui interlunio natus eſt, hoc morbo ferè affici creditum ſit.

Poſtremò & vulgo appellatur *morbus caducus*, à frequenti hominum caſu.

Cum autem ex communi hominum conſenſione conſtet neminem eſſe epilepticum ſine convulſione, certum cuique eſſe debet, hunc morbum ſub convulſione, tanquam ſub proprio genere contineri: quoniam verò plurimi conuelluntur, quos nemo epilepticos dixerit, huic generi addendæ ſunt differentiæ, magis propriæ, quæ hanc convulſionem à cæteris poſſint diſtinguere. Illæ autem apud Galenum ſunt tres: Prima vt convulſio totum corpus apprehendat. Secunda, vt non ſit aſſidua, ſed ex temporis internallis facta. Tertia, vt ſit cum mentis & ſenſuum læſione. Ex quibus quidem genere & differentiis nobis licet cum Galeno *de ſymptom. differ.* 4. 3. *de locis affect.* 5. integram epilepſiæ definitionem colligere, hunc in modum. *Epilepſia eſt convulſio omnium partium corporis, non perpetua, ſed qua per temporum interualla accidit, non detentione principum actionum.* Itaque Epilepſia eſt ſymptoma actionis læſæ, non vitalis, non naturalis, ſed animalis. Cum autem actiones animales ſint triplices, motiuæ, ſenſitiuæ, principes, Galenus docet omnes lædi, ſed non eadem ratione: etenim actio motrix ad convulſionem pertinens, non imminuta, non abolita, ſed deprauata eſt: ex altera autem parte cum æger neque videat, neque audiat, neque vllo ſenſu quidquam agat, præterea verò neque intelligat, neque recordetur, vtique fatendum eſt cum Galeno 3. *de locis affect.* actiones ſenſibiles & pincipes non imminutas, non deprauatas, ſed abolitas eſſe. Ex quibus pariter licet colligere cum Galeno, hoc malum in cerebro, rationis domicilio, ſenſiúmque omnium principio conſiſtere: quæ autem pars cerebri, & quomodo afficiatur in epilepſia, *Definitio.*

de quà re non conuenit inter omnes, paulò pòſt, tractantes de cauſis, explicabimus.

Differentia.

Differentiæ epilepſiæ plurimæ ſunt. Primò, à magnitudine: alia leuior, alia grauior: leuior eſt vbi ſymptomata ſunt leuiora & breuiora, adeo vt æger ſe contineat, neque cadat; ſed breui admodum ad ſe redeat: atque hæc, vt ſcribit Galenus lib. *de attenuante victus ratione*, à principio, ſola victus ratione penitus ſanatur. Grauior autem illa eſt, in qua acceſſiones ſunt longiſſimæ; ſymptomata ſunt ſæuiſſima, adeo vt nullus penè ſenſus relinquatur, & quandoque etiam, quod omnium eſt grauiſſimum, excrementa per aluum, & veſicam præter voluntatem deiiciantur.

Secundò, ſunt differentiæ à tempore: epilepſia alia recens, alia antiqua: alia habet acceſſiones & frequentes, & ferè continuas, alia rariores: alia noctu, alia die contingit: quæ differentiæ maximè pertinent ad curationem. Namque certum eſt epilepſiam recentem, in qua ſunt raræ acceſſiones, & quæ noctu inuadit, quod potius vaporibus, ex cœna eleuatis, quàm altiori cauſæ tribuendum videtur, longè faciliùs & citiùs, quàm contrarias differentias ſanari.

Tertiò, ſunt differentiæ ab ætate: namque epilepſia corripiuntur, vel infantes & pueri, vel adulti & ſeniores: quæ differentia facit maximè ad prognoſticam. Namque ſicuti pueris licet, ita in ſenioribus aut difficultet, aut nulla ratione licet ſalutem ſperare.

Quartò, ſunt differentiæ à loco affecto: etſi enim neceſſariò cerebrum perpetuò afficitur, id tamen, vel malo conſiſtente in ipſo capite, vel per conſenſum aliarum partium fieri poteſt: vnde Galenus ex hoc fonte tres epilepſiæ differentias conſtituit, 3. *de locis affect.* 7. Prima eſt, vbi in capite malum conſiſtit, quod pluribus epilepticis accidit. Secunda, vbi in ore ventriculi vitioſus humor continetur, à quo vapores ſurſum ad cerebrum aſcendunt, illudque in conſenſum trahunt. Tertia eſt, cùm ex certa aliqua parte corporis affectus incipit, qui deinceps ad cerebrum vſque ſenſibiliter aſcendit, quod rarò contingit. Vtrùm autem cerebrum, vel vt pars ſimilaris, vel vt pars inſtrumentalis lædatur, nec non; quales ventriculi, an anteriores, an medius, an poſtremus laboret, de qua re non conuenit inter omnes, explicabimus paulò pòſt.

Cauſa epilepſia.

Quintò, ſunt differentiæ ex cauſis, in quibus recentiores magnas lites mouent aduerſus Galenum & veteres medicos. Diximus de ſententia Hip. & Galen. convulſionem ex duabus tantummodo cauſis, repletione & inanitione, originem habere: vnde cum epilepſia ſub convulſione, tanquam ſub proprio genere, ſit conſtituta, vt ab iiſdem cauſis fiat neceſſe eſt.

Galenus autem ſtatuit, 3. *de locis affect.* 7. eam nullo modo & nunquam à ſiccitate & vacuatione fieri poſſe quod ex celeri illius generatione & ſolutione facile poteſt confirmari: ſiquidem vt cerebrum, vel tenuis ipſius membrana, ad tantam perueniat ſiccitatem, vt corio ſimile quippiam patiatur, & convulſionem efficiat, id non niſi longo tempore fieri poteſt: itaque concludit, epilepſiæ non aliam cauſam eſſe, quàm craſſum & lentum humorem, exitum ſpiritus in ventriculis cerebri obſtruentem, neruorum principio ſeipſum concutiente, vt ea quæ illi moleſta ſunt, expellat: illius verba hæc ſunt: *Verùm celeritas eius generationis ac ſolutionis, quod hoc malum nunquam a ſiccitate & vacuatione, ſed ſemper a craſſo humore fiat, oſtendit: etenim obſtructo meatu ex craſſo & lento humore, ſubitò fit.* Et iterum: *Ad rectè curandam epilepſiam ſatis eſt, noviſſe, laborantem locum cerebrum eſſe, humorem autem lentum & craſſum in eius ventriculis coacervatum fuiſſe.* Quam eandem ſententiam Gal. repetit 2. *de ſympt. cauſis* 7. 2. *aph.* 45.

Et ſi quis quærat adhuc, qualiſnam ſit huiuſmodi humor craſſus & lentus, qui cerebri ventriculos obſtruat? Huic reſpondet Galenus 3. *de locis affect.* 7. hunc duplicem eſſe, & pituitoſum, & melancholicum: *Ergo*, ille inquit, *ſicuti craſſus pituita ſuccus, ita melancholicus quoque, comitialem morbum ſolet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur.* *Quæſtio.*

Ex iis licet illud quoque intelligere, quod modo quærebamus, quonam modo cerebrum, & quænam illius pars laboret? Cum enim ex Galeni loco citato craſſi humores, qui in ſubſtantia cerebri redundant, illud offendant, quandoque vt partem inſtrumentalem, obſtruendo meatus, interdum vt partem ſimilarem, alterando temperiem, quod ille confirmat teſtimonio Hipp. in fine libri 6. *epid.* qui ſcribit melancholicos magna ex parte epilepticos, atque epilepticos melancholicos fieri, prout noxius humor hanc, vel illam cerebri partem occupat, ſi enim in ventriculis retineatur, epilepſiam: ſi verò in corpore cerebri redundauerit, melancholiam effici. Iam verò cùm ſtatutum ſit à nobis, in epilepſia ventriculos cerebri repleri atque obſtrui, ſatis cuique conſtare poteſt, cerebrum in epilepſia vti partem inſtrumentalem præcipuè laborare: dico autem præcipuè, ſiquidem neque negandum eſt corpus etiam quodammodo laborare, ſicuti Galen. docet 4. *de locis affect.* 2. qui ponens differentiam inter carum, apoplexiam, & epilepſiam, ſcribit, horum trium morborum frigidum, craſſum, aut omnino lentum humorem cauſam eſſe, verùm in caro & in epilepſia ventriculos magis, corpus autem cerebri minus laborare conſueuiſſe: quòd ſi corpus minus laborat, tamen quoquo modo laboret neceſſe eſt.

Quatenus pertinet ad alterum quæſitum; qualeſnam ventriculi in epilepſia laborent, id dubium eſt, neque Galenus plane videtur explicare: ſiquidem 3. *de locis affect.* 7. ſcribit, vtrumque humorem, pituitoſum & melancholicum epilepſiam facere, vbi in cerebri ventriculis retinetur ſiue is medius, ſiue poſtremus fuerit. Quibus verbis planè videtur demonſtrare, duos anteriores ventriculos non laborare. Altera ex parte 4. *de locis affect.* 2. vbi ponit differentiam locorum laborantium inter carum, apoplexiam, epilepſiam, catalepſim, ita ſtatuit: in caro quidem anteriorem partem magis, in apoplexia & epilepſia vtramque tam anteriorem, quàm poſteriorem, in catalepſi autem poſteriorem partem magis laborare.

Ego verò cenſeo, ventriculos quidem medium & poſtremum, in quibus Galen. docet, ſpiritum animalem præcipuè contineri in epilepſia potiſſimùm laborare: ſed neque negauerim, ventriculos quoque anteriores poſſe lædi: ex quo factum puto, vt Galenus illorum omnium voluerit meminiſſe.

Inter plurimos qui hoc tempore conati ſunt Galeni opinionem conuellere, de cauſis epilepſiæ principem locum obtinent Fernel. *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis* 15. *pathol.* 3. & Rondelet, in ſua methodo medendi, *cap. de Epilepſia*, ambo Galli, & celeberrimi nominis, qui ex vna parte contendunt epilepſiam ab obſtructione ventriculorum cerebri ex craſſis & lentis humoribus nulla ratione fieri poſſe; ex altera docent epilepſiam fieri, vel mala quadam & venenata qualitate, vel ex materia *Fernelius.* *Rondeletius.*

tia

ria tenui fumoſa, acri & mordicante, quæ poſſit cerebrum moleſtia afficere, quod ad rei moleſtæ expulſionem excitare. Ego quidem in ipſorum rationibus maioris momenti verſabor. Sed primum illud ſciendum eſt, haſce opiniones fuiſſe antiquiores, neque hoc noſtro tempore inuentas. Namque Ariſtot. *de ſomno & vigilia* ſcribit, morbum comitialem fieri ex magna vi ſpiritus delati ad partes ſuperiores, vnde inquit vinum nutricibus non conuenire, quod illud maximè ſpirituoſum ſit Auer. 3. *coll get.* vltimo, docet epilepſiam fieri, non propter obſtructionem ex craſſis humoribus, ſed propter ventoſitatem, fumoſam, quæ generatur in cerebro, vel in aliis membris eandem ad illud poſteà tranſmittentibus: quod item nititur probare, quoniam acceſſiones citò diſſoluuntur, ſiquidem humores craſſi nequeant citò diſſolui, ſicuti contra flatus facillimè diſſoluuntur. Verùm nos vnam atque alteram rationem aduerſariorum aggrediamur, quarum prima eſt huiuſmodi.

I. Ratio contra Gal. de cauſa Epilep. Si epilepſia fieret obſtructis ventriculis cerebri ex craſſis & lentis humoribus, epilepſia perpetuò apoplexiam antecederet & ſequeretur. Vis huius argumenti pendet ex doctrina Galen. qui ſcribit 2. *aphor.* 45. 3. *de locis affect.* 7. in apoplexia frigidum, craſſum & tenacem humorem principes cerebri ventriculos confertim & omni ex parte replere, in epilepſia autem hanc repletionem tam integram & abſolutam non fieri. Cum enim veriſimile ſit, obſtructionem ventriculorum momento temporis & in inſtanti neque fieri, neque diſſolui, ſed paulatim humorem fluere & paulatim diſſolui: hinc colligendum videtur; quo tempore obſtructio non eſt integra, tam ante, quam poſt epilepſiam, ſemper epilepſiam fieri debere: ſed hoc eſt falſum, cum experientia demonſtret, epilepſiam neque præcederet; neque ſequi apoplexiam.

II. Ratio. Secunda eſt ratio. Si epilepſia ex obſtructione originem haberet, poſt acceſſionem illi ſuccederet paralyſis, ſicuti ſuccedit apoplexiæ: etenim cum in vtroque morbo eadem ſit materia, pituita aut melancholia, idem locus, ventriculi cerebri obſtructione laborent, nulla probabilis ratio poteſt afferri. quamobrem apoplexia magis quàm epilepſia debeat in paralyſim terminari.

III. Ratio. Poſtremò ſi in epilepſia craſſus & frigidus humor ventriculos cerebri obſtrueret, qui vt ſcribit Gal. 3. *de locis affect.* 2. animalem ſpiritum impediret, quo minùs ad cæteras corporis partes poſſit penetrare, tunc ceſſaret motus, aut ſaltem minor fieret: verùm tantum abeſt vt in epilepſia motus ceſſet, vel minuatur, vt contrà omnes corporis partes præter voluntatem ad motum concitentur. Itaque ex iis primam partem concludunt, epilepſiam ab obſtructione ventriculorum cerebri ex craſſis humoribus fieri non poſſe.

Quòd Epilepſia à mala qualitate fiat. Alteram autem partem, nempe epilepſiam fieri à mala qualitate, vel materia tenui, non obſtruente, ſed vellicante & cerebrum ad expulſionem excitante, pluribus modis conantur probare. Primò id colligunt ex repentina epilepſiæ inuaſione & ſolutione: cum enim ſtatim de improuiſo ac minimo temporis momento illius acceſſiones ſuperueniant ac ſoluantur, tanta celeritas potius tenuitatem materiæ, quæ facillimè mouetur quàm craſſitiem, quæ mouetur difficillimè, videtur indicare: quo eodem argumento Galen. 2. *de ſymptom. cauſis* 2. probat palpitationem fieri à flatu, propterea quia citò generatur, & citò diſſoluitur.

Deinde ſuam ſententiam confirmant nonnullis exemplis, poſitis à Galen. in quibus ægri non aliter quàm mala aliqua qualitate, aut materia tenuiore & moleſta ad cerebrum eleuata correpti ſunt: quales fuerunt, iuuenis ille Grammaticus, quotieſcunque vehementiùs doceret, aut longiùs famem pateretur: nec non ille puer, qui ſentiebat à crure tanquam auram frigidam eleuatam: quorum Gal. mentionem facit 3. *de loc. aff.* 7. 5. *de locis aff.* 6. 6. *de locis aff.*

Reſponſio ad præcedentes rationes. I. Iam verò ni fallor non difficile eſt ad hæc reſpondere. & primùm experientia demonſtrat, tam repente atque inexplicabili temporis momento apoplexiam fieri, vt neceſſarium ſit fateri, totam ſimul ventriculorum obſtructionem fieri, vt nullo modo epileptica ſymptomata poſſint illam præcedere; quod ad alteram quoque argumenti partem licet reſpondere: ſiquidem aut perſeuerante obſtructione æger moritur, aut materia obſtructionis tota à natura ex ventriculis ad partes proximas protinus deponitur, ex qua depoſitione, vt ſuo loco diximus, alterius partis paralyſis ſolet ſuccedere, adeo vt nulla amplius neque integra, neque imperfecta obſtructio remaneat, quæ epilepſiam poſſit inferre.

Ad II. Ad ſecundam rationem, pariter negatur conſequentia; etſi enim id verum eſt in vtraque affectione, epilepſia & apoplexia, eandem materiam redundare, eundemque locum, ventriculos cerebri nempe, malè affici; tamen ratio vtriuſque morbi eſt diuerſa: ſiquidem, vt ſuprà diximus, in apoplexia confertim atque integrè fit obſtructio; ex quo cerebrum non poteſt ſe ipſum contrahere, & materiam obſtruentem eiicere, quare illam ad principium ſpinalis medullæ & ad alterum latus deponit & paralyſis ſequitur: at in epilepſia obſtructio eſt longè minor, neque integra, adeò vt cerebrum facilè poſſit circa obſtruentem materiam contrahi, illamque per amplas & apertas vias narium & palati expurgare, vt propterea nulla cogat neceſſitas, epilepſiam in paralyſim terminari: etſi multi ſimul cum Auicenna aſſerunt, id quandoque etiam contingere.

Ad tertiam rationem reſpondeo facilè fieri poſſe: vt ſpiritus animalis ad partes cerebro ſubiectas poſſit peruenire, quoniam obſtructio non eſt integra: vnde nemo debet mirari, ſi aperta via aliqua, ſaltem ex parte ſpiritus, pars noſtri corporis tenuiſſima poſſit ad alia membra deferri. Nam ſi in apoplexia, in qua longè maior & plenior eſt obſtructio, ſpiritus deſcendit ad muſculos thoracis, propter neceſſitatem reſpirationis, vt docetur 2. *aphor.* 42. iam nulli difficile debet videri, ſi in minore obſtructione, qualis eſt epilepſia, ſpiritus & ad thoracem, & totum corpus poſſit pertranſire. Sed illud addo, ſpiritus in epilepſia, ſicuti apoplexia, propter neceſſarium vſum reſpirationis, ad ſolos thoracis muſculos deferri, minimè ad reliquos, quibus nullum planè vſum poſſunt afferre: ii quidem motus epilepticorum, vt ſuprà diximus de conuulſione, non ſunt naturales & voluntarij, ſed præter naturam, & præter hominis voluntatem, cum à ſolo morbo fiant; vnde nihil ſpiritibus opus eſt.

Atque hactenus de iis qui contendunt epilepſiam ab obſtructione ex craſſioribus humoribus non fieri.

Reſp. ad argumẽta contra epilepſia qualitatem ſtatuẽtium. Videamus modò argumenta eorum, qui altera ea parte dicunt, epilepſiam ex mala qualitate, aut tenui & mordicante materia originem habere. Præcipuum argumentum eorum fuerat ex celeri epilepſiæ inuaſione & ſolutione: ac ſanè hinc licet hominum imbecillitatem iudicij intelligere, ſiquidem hoc ipſo argumento, vt ſuprà

declara

declarauimus. Galenus probat, epilepſiam ex craſſorum humorum obſtructione fieri. Sed quæſo cuiuſque argumentationis vim breuiter perpendamus. Galen. qui docuerat epilepſiam vniuerſi corporis eſſe convulſionem, illamque ex doctrina Hippocrat. vel ex repletione, vel inanitione fieri, probat vnam repletionem, minimè inanitionem epilepſiæ cauſam eſſe, & hoc argumento vtitur ſecundo de ſymptom. cauſis vltimo: quod ſubitò inuadit, & ſubitò ſoluitur apoplexia & epilepſia, ex pituitoſi ſucci multitudine, in cerebri ventriculis collecta, gigni videntur, & propterea fit ſubita eorum tum generatio, tum diſſlatio, quod accidere in corporum intemperie nullo modo poteſt: namque ſi epilepſia ex inanitione, id eſt, ex nimia ſiccitate fieret, ea ſine dubio non repente, ſed paulatim inuaderet, nec tam facilè & citò diſſolueretur: itaque vt ſubitò inuadat, neceſſariò ex craſſis humoribus prouenit: ſiquidem præter craſſos humores nihil eſt, quod tam ſubitò cerebri ventriculos poſſit replere.

De ſubita autem diſſolutione eſt dubium, quoniam Auer. 3. *colliget*, id negat, qui aſſerit humores craſſos minimè celeriter diſſolui, ſed longas ægritudines facere. At reuera ſi Auer. intelligit, vt videtur intelligere, diſſolutionem pro concoctione, verè loquitur; quandoquidem concoctio non ſubitò ſed interdum longiſſimo tempore perficitur. Verùm Galen. aliter ſentit, qui docet craſſos humores in epilepſia minimè concoqui, quod tam breui tempore fieri non poteſt, ſed cerebro ſe concutiente à ventriculis amoueri, ac per proximas partes ſcilicet per nares & palatum deriuari, ac ſenſibiliter vacuari: id quod experientia demonſtrat eſſe veriſſimum, ſiquidem aliquando videtis ex ore & naribus epilepticorum tantam pituitæ copiam exire, vt mirum videatur. Neque verò Galen. ſibi ipſi repugnat, cum ipſa argumentandi ratione contrarium colligit in palpitatione, quam ſtatuit fieri ex flatibus, minimè ex humoribus propterea quia illius origo & ſolutio velociter contingit. Namque primò argumenti ratio varia eſt, cum in palpatione addatur motus, ex quo non minus, forte etiam magis quàm ex ſubita origine & ſolutione copiam flatus licet colligere: at quod minus, inquit, ſuccus ſit, repugnat palpitationis tum motus, tum ſolutionis celeritas. Deinde magna eſt differentia inter materiam & locos vtriuſque. Etenim materia in palpitatione omni ex parte concluditur, neque vllum manifeſtum exitum habet, ex ſeipſa mouetur, atque exitum ex illis anguſtiis ſibi quærit: materia autem ex epilepſia, etſi habet proximas partes læſas, tamen ex ſe eſt immobilis, & ſpiritibus quoque eſt impedimento, quominus ad reliquas corporis partes poſſint referri: quamobrem rationi conuenit materiam palpitationis & flatuoſam eſſe, & tenuem; epilepſiæ autem craſſam & viſcidam: hæc aliqui ſi foret tenuis neque obſtrueret, neque eſſet impedimento, imò verò per proximos, amplos & apertos canales ſibi viam faceret. Atque hactenus de vi huius argumenti ex velocitate inuaſionis & ſolutionis.

Iam duobus verbis perpendamus, quamnam vim habeat hoc argumentum ad mentem aduerſariorum, qui cum arguunt ſubitam inuaſionem & ſolutionem humorem potius tenuem quàm craſſum indicare, ſi intelligunt de obſtructione, manifeſtè falluntur, intelligunt, vt veriſimile eſt, de occluſione ventriculorum, quæ fit dum cerebrum contrahitur, & conatur ſtimulantem materiam à ſeipſo eiicere, ad hoc licet reſpondere, materiam tenuem non perpetuò faciliùs & citiùs, ſed quandoque difficiliùs & tardiùs natura excerni; quippe quæ propter ſuam tenuitatem, in ſubſtantia partis læſæ facilè poteſt penetrare, ex qua deinceps non ita facilè & citò educitur. Ad hunc modum longè faciliùs & citiùs euacuantur humores craſſi, qui continentur in cauitate ventriculi, quàm ſingultu reiiciantur tenues, qui ad tunicas ventriculi penetrantur: ſic per tuſſim, Galen. auctore 1. *de ſympt. cauſis*; faciliùs purgantur humores craſſiuſculi, quàm nimiùm tenues. Verùm de hac re ſatis: & concludo, argumentum Galeni rei naturæ conſentire & demonſtrare, argumentum aduerſariorum multas abſurditates continere & nihil concludere.

Quatenus ad exempla pertinet, quæ illi afferunt ex Galen. & aliis, ac probant homines incurrere epilepſiam ex materia quæ minimè obſtruat, ſed vel ſua acredine, vel aliter cerebro moleſtiam inferat, reſpondendum eſt, epilepſiam fieri, vt ſupra diximus, aut propriè, vitio exiſtente in cerebro, aut per conſenſum aliarum partium: priorem cerebro primo laborante, non aliter fieri quàm obſtructis ventriculis cerebri, ex craſſis humoribus, frequenter pituitoſis, quandoque melancholicis: alteram verò per conſenſum, ex tenuibus humoribus, & vaporibus acribus maligniſque originem habere. Sed addo illud, primam ſpeciem epilepſiæ ex obſtructione oriundam veram & legitimam eſſe, ac frequenter contingere; cæteras per conſenſum minus veras ac illegitimas eſſe, rariùſque euenire: ſiquidem in illa fiunt veræ convulſiones, quæ ſolius morbi ſunt opera: in altera verò potius motus quidem convulſorij & palpitationi ſimiles, quæ veræ convulſiones fiunt, qui motus non à ſolo morbo, ſed à natura, conante ſeipſam à re moleſta ſubleuare, ſolent excitari, vt ſuprà diximus de convulſione. *Reſponſio ad exempla aduerſariorũ.*

Hanc rem præclarè Galen. explicat 3. *de locis affect.* 7. etenim cum iam docuiſſet, epilepſiam alteram ex obſtructione alteram ex conſenſu, ſpecie inter ſe differre, ac prioris certam cauſam & rationem ſtatuiſſet, hoc loco, inquit, reſtat, cauſam inueſtigare, quamobrem in huiuſmodi morbis per conſenſum, epilepticæ fiant convulſiones: namque Pelops ne quidem vllam ad hanc rem attulit perſuaſionem probabilem, qui ad ſummum nullam aliam potuit inuenire cauſam, quàm quòd cerebrum ſe contrahit, & conatur expellere quidquid illi ex parte inferiore primariò laborante ſurſum fertur: quam contractionem cerebri & conatum minimè vera convulſio, ſed potius palpitans quidam motus ſequi ſolet, adeo in huiuſmodi epilepticis ſimile aliquid cerebro contingat, quod in ſingultibus ventriculo euenit. Nam ſicuti ventriculus, vbi à multo cibo grauatur, vel depræuatur, mordicatur & ſtatim ſingultu corripitur: ita etiam cerebrum, quando aliquid quod illi eſt moleſtum, ab alia parte laborante tranſmittitur, ſimili motu commouetur. Vnde ſicuti ſingultus propriè loquendo non eſt convulſio, ita etiam ille motus, quo cerebrum in hac ſpecie epilepſiæ agitatur, veriùs motus palpitans, quàm convulſio dici debet.

Non eſt prætermittenda inſignis illa dubitatio, vtrùm epilepſia inter morbos acutos an diuturnos ſit reponenda: namque ex vna parte Galen. 1. *de criſ.* 4. & frequenter, reponit epilepſiam inter morbos diuturnos, & nonnulli eam quoque addunt rationem, quòd careat febre, quam inquiunt à morbis acutis non ſeparari: altera ex parte idem Galen. 4. *apho.* 30. manifeſtè illam ponit inter morbos acutos, per hæc verba: *Si aliquis morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus* *An epilepſia ſit morbus acutus.*

attonitus

attonitus, &c. Cui ſubſcribit Auicenn. *prima 4. tractat. 5. cap. 5.* qui expreſſè ſpaſmum ſicuti apoplexiam, epilepſiam, & ſquinantiam annumerat morbis acutis valde. Prætermiſſis aliorum reſponſionibus, Galen. reſpondet, epilepſiam ratione acceſſionum eſſe morbum acutum, quæ quidem nonnunquam tam ſunt frequentes & pernicioſæ, vt breui hominem interficiant. Verba Galen. ſunt 4. *de cauſis pulſuum* 51. *Diuturni morbi quem orthopnœam appellant, acutæ ſunt acceſſiones ſicuti morbi comitialis.* Quam reſponſionem confirmat Paulus *libr. 3. capite* 13. Quatenus ad illam rationem, quod morbis acutis neceſſariò febris coniungatur, ego aliter ſentio, & de hac re tractaui diffusè in meo libello de peſte aduerſus Mercurialem: cum mea ſententia, tam certum ſit quàm quod certiſſimum, plurimos eſſe morbos verè acutos, ſine vlla febre: ſed tamen ita hæc ſe res habet, vt ſi morbi acuti habeant febrem, neceſſe ſit illam eſſe continuam quæ manifeſtiſſima eſt doctrina Galen. 5. *aphor.* 30.

Signa epilepſiæ alia imminentem, alia præſentem demonſtrant, alia ſingulas differentias indicant: ac primùm maximè expedit imminentem epilepſiam præuidere, vt æger poſſit non ſolum à turpitudine liberari, ſed etiam à multis periculis ſibi cauere, ſiquidem in ignem & varias ruinas ſolet præcipitari. Hæc autem apud Paulum 3. *cap.* 13. apud Cælium Aurelianum de diuturnis paſſionibus 4. & apud alios, ferè ſunt huiuſmodi: capitis dolor & grauitas, obliuio, pallor faciei, inordinatus motus linguæ, hallucinatio oculorum, ſomni turbati, pigritia ad motum, ad alias actiones ſpiratio impedita, triſtitia quædam, &c. ex quibus facile eſt imminens malum colligere.

Signa. Signa præſentis epilepſiæ nedum Medicis, ſed vulgo ſunt manifeſtiſſima, neque vlla indigent explicatione: quoniam verò propter diſtantes inter ſe acceſſiones, & propter alias cauſas quandoque eſt dubium, quis ſit epilepticus, nec ne. Auicen. & alij nos docét, quomodo poſſimus de hac re certiores fieri, qui ſcribunt nonnulla eſſe, exempli gratia, ſuffumigia ex galbano, ex myrrha, ex cornu caprino, &c. quæ epilepſiam ſolent detegere. Poſtremò ſunt ſigna differentiarum. Magnitudo epilepſiæ ex multis deprehenditur. ac Primùm fuerat ſententia Galen. 3. *de locis affect.* 9. in omnibus affectibus ſoporoſis magnitudinem periculi ex noxa reſpirationis colligendam eſſe: itaque ſi æger difficilè & præter naturæ ordinem reſpiret, magna: ſi verò facilè reſpiret, parua ægritudo eſt cenſenda.

Secundò eſt vulgare ac peculiare, ſignum ſpumoris, ac maximè ſi fuerit copioſa, de cuius generatione & cauſis diffuſe Gal. 2. *aph.* 43.

Tertiò ſunt ex acceſſionibus ſigna, quæ ſi fuerint frequentes, diuturnæ & difficiles, adeo vt æger non niſi longiore tempore & magno labore poſſit reuelari, omnia magnam epilepſiam demonſtrant. Quartò in vehementi epilepſia, quod ex Galen. 4. *de vſu partium*, 10. quandoque ſemen præter voluntatem excernitur neque verò ſolum ſemen, vt alijs placet, ſed excrementa alui & lotia inuoluntariè profluunt, ex quibus & alijs id genus, licet de epilepſiæ magnitudine, vel paruitate iudicium facere.

Signa differentiarum ex tempore, ex ætate, omnibus patent.

Signa differentiarum ex loco affecto, atque ex cauſis, facilè poſſunt colligi ex Galeno. Namque ſi malum in cerebro primò conſiſtat, obſtructis ventriculis cerebri ex craſſis humoribus, tunc manifeſta & legitima apparebit conuulſio, omnia ſymptomata erunt grauiora, ventriculus & cæteræ partes bene habebunt, &c. Si verò cerebrum laboret per conſenſum oris ventriculi; vitioſis ab eo humoribus & vaporibus ſurſum aſcendentibus, tum aderunt querelæ de ventriculo, de illius dolore, de nauſea, de alijs ſymptomatibus, ſed præcipuè de coctione, & ipſum caput omnis proprij affectus erit immune. Quod ſi autem à parte aliqua determinata incipiat affectus, tunc æger manifeſtè & ſenſibiliter percipiet malum vſque ad cerebrum aſcendere, vt nonnullæ hiſtoriæ in Galeno paſſim declarant.

De eſſentia, differentia & ſignis ſatis. Iam nonnullos licet audire, qui conantur à curatione nos deterrere, adducta auctoritate Hippoc. 5. *aphor.* 7. *Prognoſtica. An epilepſia ſit ſanabilis.* Namque ſi hic morbus ante 25. annum mutatione ætatis ſanatur, poſt 25. autem, mutatione nullam recipit curationem, æquè ſuperuacaneum videtur, & prioris, quæ ſolius ætatis beneficio tollitur, ad poſterioris, quæ nulla ratione poteſt ſanari, curationem aggredi: itaque temerarium eſt epilepſiæ curam aggredi. Veruntamen altera ex parte nemo eſt, qui neſciat Medicos & præcipuè Galen. plurima præſidia ad hunc morbum afferre.

Nonnulli aphoriſmum interpretantur, quaſi Hippocr. ex pluribus mutationibus, ætatis locorum, temporum, alimentorum, de quibus alio loco dixerat, eam tantummodo mutationem intelligat, quæ ex ætate contingit, vt ſenſus ſit, epilepticos homines quicumque ex mutatione ætatis poſſunt liberari, id conſequi, ſi morbus ante pubertatem, minimè ſi poſt 25. annum inuadat: non quod illi generaliter tam ante quàm poſt 25. annum alijs remedijs præter mutationem ætatis nequeant ſanari: quam interpretationem ego cenſeo ad mentem Galeni eſſe veriſſimam. Paulus *libr. tertio*, 13. ſolis infantibus curationem interdicit. ac ſola victus ratione eſt contentus, per hæc verba: *Si ager etiam dum infans fuerit*, &c namque ætate in ſtatum biliosiorem & ſicciorem vergente, ſua ſponte plerumque affectio ceſſat. *Pueri bifariam epileptici fiunt.* Aëtius generaliter & pueris & cæteris omnibus curationem inſtituit, at vero Galen. longè accuratiùs mihi videtur hanc controuerſiam definire, qui ſtatuit epilepticos pueros fieri bifariam, aut ſtatim ab eorum ortu propter humidam cerebri intemperiem, qui tunc propriè morbus infantilis appellatur, atque hos aſſerit mutatione ætatis ſanari: aut ſecundo modo corripiuntur epilepſia progreſſu temporis propter varia errata: in quibus docet mutationem ætatis non fore expectandam: verba Galen. ſunt 6. *epid. ſect. 1. com. 5. morbus comitialis*, &c. quorum verborum ſumma illa eſt, infantes qui ex natiua intemperie ac ſtatim ab initio ſuæ ætatis ſunt epileptici, mutatione ætatis ad ſicciorem & calidam temperiem ſanari, cæteros autem quicumque propter errata hoc morbo corripiuntur, mutatione ætatis non ſanari, ſed præſidijs medicis curandos eſſe.

Veruntamen neque ego puto Galen. prohibere, quin ipſis infantibus liceat nonnulla remedia præſcribere, quæ calefaciendi & exſiccandi vim habent: quod vel ex hiſtoria pueri, qui geſtabat radicem pæoniæ, licet colligere. Et quis quæſo eſt, qui nos reddat certos, infantem epilepticum mutatione ætatis plenè liberum fore, ac non potius periculum imminere, ne morbus, potiſſimùm ſi negligatur, tantas acquirat vires vt neque tandem mutatione ætatis tolli poſſit? Præterea quis non id magis probet, & cupiat hunc, ſi fieri poteſt, infantem citò liberari, neque longioris ætatis aduentum expectari?

Com

Curatio epilepſia per conſenſum ventriculi.

Cum igitur de ſententia Hip. Galen. & omnium liceat & pueros, & cæteros omnes comitiali morbo laborantes curare, nos eius curationem aggredimur: quoniam autem triplex eſt illius differentia apud Gal. dicere incipiemus ab ea, quæ per conſenſum oris ventriculi generatur, cuius exemplum habetis 5. *de loc. affect.* 6. vbi Gal. recitat hiſtoriam iuuenis Grammatici; qui quoties vehementius doceret, aut longius famem pateretur, aut iraſceretur, epilepſia corripiebatur. Cum itaque Galen. in hoc iuuene deprehendiſſet, os ventriculi facili ſenſu eſſe præditum, ab illóque cerebrum in conſenſum trahi, ante omnia iuſſit, vt probæ coctionis exactam curam haberet, qui idcirco tertia vel quarta hora diei panem diligenter confectum ſumebat, vel ſolum, ſi non ſitiret, ex vino albo aqua diluto ac modicè diſtinguente: cuiuſmodi vinum ventriculum roborat, neque caput ſolet petere, ſicut cætera vina valentiora.

Verùm Gal præter probam victus rationem, hunc quoque iuuenem non modò ſemel, ſed etiam bis, ac nonnunquam ter ſingulis annis purgauit, qua ſimplici victus & purgationis ratione, ille annos pluſquam 20. quibus ſuperſtes poſtea permanſit, obtinuit optimam valetudinem.

Ex qua narratione licet nobis colligere, in hac ſpecie epilepſiæ, duas indicationes, quarum altera eſt purgatio ventriculi à biliosis & humoribus acribus ex quibus euaporatio ad cerebrum contingit: altera ventriculi roboratio, ne ille deinceps tam facilè vel à iecore, vel aliis partibus noxia excrementa recipiat. Quatenus ad primam indicationem, dignum eſt notatione, Galenum non alio vſum fuiſſe medicamento, quam hiera ſimplici, quæ, vt ille inquit, totum ventriculum ab excrementis purgat, & ad proprias actiones robuſtum facit. Quo loco arguendi ſunt practicantes ferè omnes, qui & in hoc morbo, & in aliis ſæpenumero laborantibus ventriculo, non ſolum hiera ſimplici, ſed etiam aliis valentioribus medicamentis audent vtique & alia excrementa attrahere & ipſum adhuc magis poſſunt labefactare: quorum abuſum nolim vos imitari, ſed vel hiera ſimplici, vel ſimilibus medicamentis, vt pilulis alephanginis, melle roſaceo, manna, &c. veſtros ægrotos purgare. Quo ad ſecundam indicationem, partim externis, oleo maſtichino, citoniorum, partim externis, ſaccharo roſaro, ſpeciebus diarrhodon abbat. & trium ſantalorum vtendum eſt.

Hiera commodum ventriculo medicamētum.

Curatio ſecunda ſpecies epilepſia.

Secunda ſpecies epilepſiæ apud Gal. erat, quando malum à parte determinata incipit, & ſurſum ſenſibiliter aſcendit. Huius curationem habetis 3. *de locis affect.* 7. quæ curatio ad tria capita poteſt referri. Primum pertinet ad vacuationem totius corporis, aut cum ſectione venæ, ſi principes ſcopi conueniant, aut cum purgatione. Secundum pertinet ad roborationem adſtrictionemque partium ſuperiorum, quod validis vinculis ligato in medio membro ſupra partem quæ primariò laborat, aut adſtringente aliquo medicamento, vulgo defenſiuum appellant, commodè fieri poteſt: hæc ſunt impedimento, quo minus illius veneni vis progredi, & ad altiores partes peruenire poſſit. Tertium caput partis laborãtis à qua primario malum naſcitur, peculiarem rationem habet, in qua conuenit vlcus excitare, & apertionem moliri, quod cum thapſia, ſynapi, flammula Iouis, cantharidibus, vel vulgaribus cauſticis medicamentis, aut tandem candente ferro fieri conſueuit: atque hoc vlcus longiori tempore debet conſeruari apertum.

Cauſtica medicamenta.

Epilepſia per conſenſum vteri.

De epilepſia per conſenſum vteri & aliarum partium, non eſt vt quidquam agamus: ſiquidem hæc propriam vteri, & cuiuſque partis laborantis curationem requirit. Itaque remanet principalis ſpecies epilepſiæ, in qua cerebrum primariò laborat: de qua, poſtquam duobus verbis, quomodo epileptici ab acceſſionibus debeant liberari dixerimus, agemus. Hoc autem primò fiet per inſignes vociferationes. Secundò per prouocationem vomitus, vi aperto ore, ac penna oleo intincta in ipſum poſita. Tertiò per graues odores naribus adhibitos, qualea ſunt galbanum, ſulphur, bitumen, &c.

Acceſſiones epilepticæ quomodo ſoluenda.

Dubitatio.

Et ſi quis quærat, quomodo hæc eadem medicamenta poſſint detegere morbum, atque ſimul ægrum ab acceſſione liberare? Reſpondeatis, talia medicamenta implendo cerebrum acceſſionem excitare; vbi verò iam cerebrum eſt repletum ac laborat, eadem medicamenta vim expultricem mouere, & ita ægrum excitare. Quartò, ſunt omnia genera reuulſionum, clyſteria, glandes, &c. Sic vulgares ſolent per vim ægri membra contracta diducere, atque ægri manibus clauem imponere, quod gratia reuulſionis faciunt. Quintò, ſunt nonnulli, qui ægri auribus nonnulla verba, vel incantamenta inſuſurrant, & profitentur hac ſe ratione epilepticos ſubleuare. Vicentiæ quidam medicus vtebatur aqua ceraſorum deſtillata; quod remedium clam habebat, nec vlli communicabat: de quo memini me legiſſe apud eruditum Medicum quendam Germanum hæc verba: *Aqua ceraſorum nigrorum dulcium recens deſtillata, cum primum in os epileptici paroxyſmo correpti infuſa fuerit, doſis eſt ad ℥. iv. aut amplius, illico ad ſe redit, neque vllo ampliùs ſpaſmo corripitur.* Sed ad veram epilepſiæ curationem accedamus.

Curatio epilepſia vera. Indicationes.

In curanda ergo epilepſia, in qua cerebrum primò laborat, quatuor occurrunt principes indicationes. Prima ad vacuationem totius corporis pertinet. Secunda ad reuulſionem. Tertia ad diſſolutionem materiæ quæ eſt in capite reliqua. Quarta ad cerebri curationem & intemperaturæ emendationem. Hic repellentia nullum habent locum, neque vllus eorum meminit: namque periculum immineret, ne materia retrocedens magis ad ventriculos præcipitaretur, quos tamen natura conatur expurgare, & ab omni excremento liberos facere.

Prognoſticū.

Vtrùm liceat iis ſatisfacere indicationibus, iam ſuprà diximus multa: & quanquam hic morbus generaliter non ſine magno labore & longo tempore poteſt ſanari; tamen ex ſuperioribus propoſitis differentiis verius vnnuſquo iudicium eſt faciendum. Namque ſi morbus fuerit acutiſſimus, crebraſque acceſſiones & grauiora ſymptomata ſecum attulerit, ſi fuerit longus ac ferè confirmatus, ſi æger pubertatem fuerit prætergreſſus, nulli dubium eſt, quin aut nulla ratione, aut longe tardiùs & difficiliùs ſanari poſſit, quàm ſi fuerit recentior, mitior, ſi acceſſione & ſymptomata fuerint leuiora, neque æger pubertatem tranſierit.

Leniens.

Sed ſingulas indicationes perpendamus; ac primùm quatenus ad corporis vacuationem pertinet, pro lenienda aluo nunquam eſt prætermittenda hiera ſimplex, vel ſola, vel ſimul cum caſſia, cum melle roſato ſolutiuo, &c. Sectionem venæ, cum hîc abundent humores frigidi, craſſi, pituitoſi aut melancholici, multi medici abhorrent: at verò certum eſt Gal. venæ ſectionem probare, qui ſcribit *lib. de ſanguinis miſſione* 7. & 10. iis qui facilè in morbum comitialem incidunt, initio veris ſanguinem mittendum eſſe: cui probati omnes auctores conſentiunt. Itaque ſi per ætatem & vires licet planè expedit, vel potius eſt neceſſarium ſanguinem mittere.

Vena ſectio.

Sed

Quæ vena ſecanda. Sed dubium eſſe poteſt de vena quam ſecare oporteat. Paulus & alij ſecant venas ſuperiores, Rhaſes & Auic. ſecant vtraſque: at verò Gal. *lib. de ſãguinis miſſione*. 19. docet iis qui comitiali morbo & vertigini ſunt obnoxij, potiùs ex cruribus, quàm aliis partibus eſſe educendum ſanguinem. In qua difficultate equidem puto, venas tum ſuperiores, tum inferiores cum ratione ſecari poſſe, pro diuerſis indicationibus quæ nobis offeruntur: namque ſi volumus totum corpus & caput copioſè euacuare, tunc ſine dubio venæ ſuperiores ſunt opportunæ; ſi autem magis volumus reuellere, & naturam docere vt addiſcat ad contrarias & longinquas partes noxias materias deportere, quod ſpeciatim puto Gal. animaduertiſſe, tunc longè præſtat venas inferiores incidere.

Quantitas ſanguinis. Quid loco venæ ſectionis agendum. Quantitas ſanguinis ſtatuatur ex modo plenitudinis, habitus corporis, temporis, anni &c. ſed tamen ita, vt ſumpta indicatione ab humoribus noxiis, perpetuò ſanguis parcè detrahatur. Quod ſi vel propter ætatem, vel propter aliud impedimentum non licet ſanguinem mittere, ad ſcarificationem malleorum, ad clyſteria acria eſt deueniendum.

Præparantia Poſt hæc de purgatione eſt cogitandum: primò præparandi ſunt humores, & viæ, per quas illos ducere oportet, quod præſtant decocta & ſyrupi, qui attenuandi, incidendi, & abſtergendi vim habent, quales ſunt mel roſaceum, ſyrupus de betonica, de ſtœchade decocta betonicæ, hiſſopi, ſaluiæ. Apparente coctione ad purgantia medicamenta eſt *Purgantia.* veniendum, neque ſolùm ad leuiora, ſed etiam ad valentiora, qualia ſunt electuarium diaphœnicum, hiera compoſita, hiera diacoloc ynthydos, pilulæ fœtidæ trochiſci alhãdal &c. Ac ſanè hinc puto fieri vt hoc tempore neq; epilepſia, neque alij magni mor ſanentur, quòd medici neſciunt ex iis medicamentis benedictis ſe explicare, & ad valentiora deuenire, quæ magnitudini morbi proportione reſpondeant vt antiquiores facere conſueuerunt. Itaque hîc eſt notandum, vnicam purgationem non fore ſatis, cum materia noxia ſit craſſa, & viſcida, neque ſemel poſſit expurgari; quare & ſemel & bis & ſæpius, ſi ferat occaſio oportet illam repetere.

Reuellentia. Purgato corpore ſecunda ſequitur indicatio: quæ ad reuulſionem pertinet: vnde conueniunt & clyſteria, & alia de quibus diximus, ſed præ cæteris cauteria habent inſignem prærogatiuam, quæ non ſolùm cruribus & brachiis: ſed etiam occipitis ac ſyncipiti inuruntur, & experientia confirmat, *Caput purgantia.* hæc vlcera maximam vtilitatem afferre. Hoc tempore ad particularem capitis purgationem eſt veniendum, per errhina maſticatoria, gargariſmata, de quibus ſæpe diximus.

Caput roborantia & materiam impactam diſſoluentia. Porrò ad duas poſtremas indicationes eſt deſcendendum, quarum ſunt remedia quæ poſſunt ſimul vtrumque præſtare, diſſoluere humores, caput roborare, & intemperiem auferre. Hæc ſunt multiplicia, partim ſimplicia, partim compoſita, partim interna, partim externa: ſiquidem nullus eſt morbus qui pluribus abundet remediis: inter quæ ſunt quamplurima quæ appellant ſecreta, pulueres, electuaria & alia id genus, quibus vnuſquiſque conatus hunc morbum curare. Ex hac inſigni copia ea conabor colligere, quæ antiquorum teſtimonio, *Interna.* & iam longiori vſu mihi ſunt cognita ceteris omnibus præſtare. Itaque interiùs ſimplica ſunt: caſtoreum, radix pyrethri, eringij, cortices citri ſaccharo conditi, cornu cerui vſtum, raſura eboris, vngula aſinina, caluariaque aſini, quod remedium Alexander maximè extollit & inquit ſe in Hiſpania didiciſſe. Sed præ ceteris omnibus duo hoc tempore quam maximè celebrantur: alterum eſt vngula illius animalis quod nonnulli Alcem vulgo magnũ animali, vel magnam beſtiam appellant: alterum eſt cranium humanum, quod maſculinum ad viros, fœmininũ ad mulieres eſt accommodatum: vtriuſque vſus eſt, vt ſingulis diebus ʒ i. pulueris, vel ſola, vel cum aliis medicamentis mane aſſumatur per plures dies. Gal. generaliter oſſa combuſta, ac potiſſimum humana probat, cranij nullam mentionem facit, qui 6. *de ſimp. med.* hæc habet: *Oſſa combuſta ad modum digerentem exſiccantemque vim obtinent. & id maximè, vt quidam aſſerunt, humana.* Noui autem quoſdam combuſta oſſa potui dediſſe non ſcientibus quid biberent, ne aduerſaretur, ac multorum tum epilepſiam, tum arthritidem ſanaſſe. Apud omnes celebris eſt vſus ſeminis & radicis pæoniæ, quæ & ſola & ſimul cum aliis medicamentis ſolent parari, etſi Gal. ſolius tantum ſuſpenſionis radicis mentionem faciat.

Diximus de internis medicamentis ſimplicib in epilepſia, nunc ſequuntur compoſita, qualia ſunt *Medicamenta cõpoſita.* ſyrupus de hyſſopo, de betonica, de ſtœchade, melroſ. oxymel ſimplex, oxymel compoſitum, oxymel ſcylliticum; ac poſtremò celebre medicamentum ex Scylla, cuius compoſitionem apud Gal. *lib. de puero epileptico* habetis. Sunt itẽ medicamenta, diacyminum diaſpoliticum, diacalamentum, conſerua betonicæ, roriſmarini, ſaluiæ, ſtœchados: verùm vt ſemel dicam, iis omnib. duo magna antidota, theriaca & mithridatium mihi videntur anteponẽda, & iis præ cæteris ſoleo familiarius vti. Quoniam verò nullus ferè eſt medicus qui non peculiare medicamentum aliquod habeat, ne vobis hîc deſim, licet exempla vnius vel alterius medicamenti communicare, quæ fortaſſe inter cætera non merentur poſtremum locum obtinere.

Electuarium epilepticum.

℞ *Radicũ pæoniæ decoctarum ſub prunis* ℥. iiij
Seminum pæoniæ. ʒ. j.
Radicis pyrethri puluerifati ʒ. j.
Caſtorei electi ʒ. ß.
Syrupi de betonica,
De Stœchade, ana q. ſuf. M. & fit electuariũ

Trag.

℞ *Cranii humani vſti puluerifati* ℥. ij.
Cinamomi electi ℥. j.
Spicæ nardi ℥. ß.
Saccari optimi ℥. iiij.
Omnibus in tenuiſſimũ puluerẽ redactis, & vnà mixtis, ʒ. mane ſingulis diebus ieiuno ventriculo accipiatur per dies 40.

Si quis plura huiuſmodi cupit, huic licet non ſolùm è noſtris recentioribus practicis, ſed etiam ex antiquis. Paulo Alex. &c. quantam voluerit horũ medicamentorum copiam colligere. Nonnulli præter hæc omnia in epilepſia probant decoctum ligni chinæ, ſalſæ pariglię, quæ reuera non poſſunt improbari, cum facultatem attenuandi, incidendi, & roborandi vim habeant cerebrum ipſum: ſed ego longo interuallo illis antepono potionem aquarum thermalium calidarum, quales ſunt noſtræ Aponitanæ, quæ experientia confirmat tam eſſe efficacia, vt ferè nullum efficacius remedium poſſit reperiri.

Externa. Ad medicamenta externa veniamus, qualia ſunt pulueres, lotiones ſtillicidia, ſacculi, cataplaſmata, quæ vno verbo conficiantur ex iis medicamentis, de quib. ſatis diximus. Sed nullo modo ſunt prętermittẽdæ lotiones & ſtillicidia ex aquis thermarum, quæ non ſolum intrà ſumptæ, ſed etiam exteriùs adminiſtratæ, præclariſſimam operã præſtãt.

Prætetea neq; prætermittẽdũ eſt remediũ ex peonia à Gal. tãtopere celebratũ 6. *de ſimp med.* qui aſſerit eã pueris ex collo ſuſpẽſã morbũ comitialem ſanare: ac narrat hiſt. pueri totis octo menſib. *Hiſtoria.* quib. pæoniã geſtabat incolumis permãſit ac forte

Digitized by Google

fortuna eum ea decidiſſet, protinus iterum conuulſione eſt correptus, rurſuſque remedio appoſito bene habuit: vnde Gal. certioris operationis gratia, voluit ſuſpenſum medicamentum auferre, quo ſublato puer iterum eſt conuulſus: quare tandem magnam recentis radicis partem ille ex collo ſuſpendi, ex quo puer integram ſanitatem eſt conſecutus. Hoc medicamentum Gal. docet epilepticos iuuare non occulta proprietate, vt multi opinantur, ſed manifeſta ratione, qui ſcribit rationi conſentaneum fuiſſe, aut partes quaſdam à radice defluentes, ac deinde per inſpirationem attractas, affectos ita loco iuuare, aut aërem à radice aſſiduè mutari & alterari. Ex qua hiſtoria eſt obſeruandum, Gal. radicem pæoniæ collo ſuſpenſam tantummodo probare, nihil de illius aut ſeminis, aut alterius partis interno vſu monuiſſe: vnde quis poſſet forte communem medicorum ſententiam improbare, qui pæoniæ ſuſpenſionem negligentes, & radicem, & ſemina, & omnes illius partes ſolent per os adminiſtrare. Sed illius temperamentum conſideretur, quod Galenus ſtatuit eſſe tum exſiccatorium, tum tenuium partium, idque aut temperatum, aut paulo calidius: equidem puto, omnes illius partes neq; interius inutiliter adminiſtrari, etſi hic vſus à Gal. fuit prætermiſſus.

Medicamenta occulta.

Poſtremò autem ſunt medicamenta quæ occulta quadam proprietate creduntur epilepticos iuuare, in quib. recenſendis nolo tempus perdere, partim quòd nonnulla vitioſa, nonnulla turpia, omnia certe vana & inutilia mihi videntur, partim quòd licèt vnicuique apud proprios auctores tam veteres quam recentes eorum notitiam ſibi comparare.

Victus ratio.

Pariter de victus ratione quæ ſola reſtat ad integrã epilepſiæ curationem, ſtatui nihil agere, quòd habeatis conſilium Galeni pro puero epileptico in quo potiſſimum fuit illi propoſitum, vt congruam viuendi rationem in hoc morbo inſtitueret.

Puerorum epilepticorum cura.

Cæterum quoniam epilepſia puerulis lactentib. eſt valde familiaris, qui ſumpta indicatione ab ætate diuerſam ab iis qui ſunt natu grandiores, curam requirunt: mihi liber nonnulla tradere, quæ ad peculiarem eorum curam ſunt accommadata. Totam autem hanc partem commodè mihi videor in duas partes poſſe partiri vnam quæ ad nutricem; alteram quæ ad infantem pertinet.

Nutricis regimen.

Et quatenus ad nutricem, ante omnia congrua victus ratio illi eſt inſtituenda, & cum puer ægrotat, inquit Auic. rectifica lac matris eius: quia victus ratione comprehenduntur non ſolùm alimenta & potiones, ſed etiam exercitia ſomnus, vigilia, & reliquæ res non naturales: inter cætera autem à vinis generoſis ac potentibus quàm maximè caueatis, de quibus eſt ſententia philoſophi, in lib. de ſomno & vigilia, nihil intereſſe nutrices an infantes illud bibant: ad ſummam, totis virib. eſt ſtudendum, vt lac probum & quomodo calidius & ſiccius euadat, in qua re certum eſt ſalutem bonum infantium potiſſimum conſiſtere: quod perfectè fiet non ſolùm proba inſtituta viuendi ratione, ſed etiam, ſi illud ferat occaſio, leuiori aliqua adhibita purgatione.

Infantium regula.

Quatenus ad infantes pertinet, id primum eſt ſtudendum, ne illi copioſius & frequentius lac aſſumant, quàm eorum ventriculus bene ferre & conficere poſſit, ſiquidem ex tam copioſa ac ferè aſſidua lactis ingurgitatione, vix aliter fieri poteſt, quin magna cruditas generetur, ex qua deinde nõ ſolùm morbo comitiali, ſed aliis quoque morbis redduntur obnoxij: ex quo inter cæteros Paulus l. 1. c. 10. non ſine ratione mihi videtur iubere, vt infans bis aut ter duntaxat per ſpatium vnius diei lac aſſumat. Deinde etſi hæc ætas abhorret à medicamentis, tamen, neque ſine opportunis medicamentis eſt relinquenda: ac 1. licet quandoque huiuſmodi infantes purgare, quæ fuit ſententia Hip. 6. *epid.* 5. 35. quem locum interpretans Galenus infantis purgationem confirmat, atque id fieri docet, ſi nutrix aut capra aliquod purgatorium medicamentum aſſumat.

Purgatio etiam pueris conuenit.

Ex his colligatis, nutrices duabus de cauſis eſſe purgandas: altera propter ſe ipſas, vt vitioſus aliquis earum ſuccus purgetur: quo tempore à lactatione infantis, donec purgatio deſierit, debent abſtinere: altera propter infantes, vt ipſi quoque vitioſis humoribus purgentur: & tunc eo ipſo tempore quo nutrix purgatur, à lactatione infantis non eſt abſtinendum. Sed præterea eum non liceât illis medicamenta exhibere ad mouendam aluum, nec non ad reuellendam fluxionem humorum ad caput, tuto poſſunt adminiſtrari glandes ex melle, hiera, agarico, ſale geminæ: clyſteria ex iure, melle roſaceo, ſaccharo, &c.

Glandes.

Alterantia medicamenta.

Quatenus ad medicamenta alterantia, multi multis agunt, adeo vt neque abſtineant ab vſu theriacæ & mithridatij: ego autem non ſolùm ab iis magnis antidotis quæ Gal. & huic primæ ætati, & omnibus pueris interdixit, libenter abſtineo, ſed etiam à cæteris omnibus medicamentis quæ ſunt alicuius momenti, ac potiùs quibuſdam, & leuibus tantummodo vti conſueui, qualia ſunt cornu cerui vſtum, puluis ex cranio humano, &c. portiuncula mellis roſ. ſyrup. de ſcordio, oxymel. ſimpl. quæ ſingula manè ante lactationem poſſunt non certè inutiliter adminiſtrari, ſiquidem Aëtius quoque iubet mel deſpumatum illis ad lambendum præbere. Exterius quoque capiti infantis licet nonnulla apponere, qualia ſunt puluis betonicæ, hyſſopi, ſtœchados, oleum anethinum, liliorum alborum, &c. quæ nonniſi præmiſſa aliqua purgatione mihi conuenire videntur.

Externa.

Cauterium.

Inter cætera externa præſidia quæ infantibus apponuntur, non modò recipiendum, ſed etiam prædicandum videtur remedium, quod eſt in vſu apud nos, ſcil. cauterium candente ferro in parte capitis poſteriore excitatum, quod non ſolum tutù, ſed etiam cum tanta vtilitate puerilis vel nupertimè naris adhibetur, vt ipſe verè poſſim teſtari, nonnullos perniciosè laborantes ac ſemimortuos, hoc præſidio conualuiſſe.

Terror infantibus exitialis.

Poſtremò in infantibus duo adhuc ſunt obſeruanda: alterum ne repentino aliquo timore perterreantur, qualem poſſunt excitare tonitrua, bombardæ &c. ex quibus pueri aliquando de improuiſo epilepſia corripiuntur, ſicut Matthæus de Gradi narrat hiſtoriam de proprio filio, qui ex magno turbarum ſonitu correptus eſt. Alterum autem eſt, ſi contingat, contingit autem frequentiſſimè, vt infantibus capite, auribus, vel aliis corporis partibus, puſtulæ vel vlcera erumpant, nulla ratione huiuc naturæ conatum atq; expurgationẽ impediẽdam aut retinendam eſſe, quandoquidem experientia confirmat illos infantes ex vna parte, quicunq; huiuſmodi naturali gaudent purgatione, ferè ab hoc morbo immunes conſeruari: ex altera autem, cæteros qui hoc naturæ beneficio priuantur, quàm maximè epilepſiæ eſſe obnoxios.

Ex dictis caſum propono.

Caſus.

SOcrates annum agens 10. temperaturæ frigidioris & humidioris iam biẽnium laboret epilepſia, malo in cap. 1. conſiſtente, ac tempore veris conſiliũ quærat à medico, quomodo ab hoc morbo poſſit curari. In hac conſultatione, ſi quis eſſet qui oſtenderet, Socratem non eſſe curandum,

quòd

quòd ſpes ſit motatione ætatis illum conualiturum; huic reſpondendum ex Gal. Socratem non initio ſui ortus, ex defectu propriæ intemperaturæ capitis, ſed potius propter errata, in hunc morbum incidiſſe, itaque non tantummodo mutatione ætatis ſanatum iri, verùm remediis medicis indigere. Itaque omnium primo principio veris Socrati aluus eſt lenienda leui clyſtere.

Clyſter. ℞. *Flor. chamæm. M. j.*
Rutæ,
Centaurij minoris, ana M. ß.
Seminum aniſo.
Cymini, ana. ℥. ß. F. decoctio.
℞. *Dictæ decoctionis ℥. x.*
Mellis roſ.
Sacchari rubei,
Olei chamamelini, ana. ℥. j. ß. Miſ.

Vel leniatur aluus hoc medicamento.

Leniens. ℞. *Specierum hieræ ſimp. ʒ. ij. ß. cum melle roſ. ſol. Fiat bolus.*

Sequenti die, cum per ætatem non liceat ſanguinem mittere, accedatis ad ſcarificationem malleolorum, maximè ad cucurbitelas dorſo applicatas, vt Medici vulgares faciunt. Deinde inſtituatis ſyrupos, ac primùm ſine decoctis.

Præparans. ℞. *Syrupi de betonica.*
De ſcordio, ana ℥. ij.
Oxymel. ſimp. q. ſ. M.

A quibus ſyrupis poſt. 4. aut 6. dies repetatur hiera, ſed aucta doſi ad ʒ. iij. forte etiam ad iiij. Tum hoc tempore Socrati inſtituatis ſyrupos vnà cum decoctis.

℞. *Mel. roſ. col. ℥. j.*
Oxymel. ſimp. ℥. ß.
Decocti betonicæ,
Hyſſopi,
Seminum pæoniæ, ℥. iij. Miſ.

Interea non prætermittantur omnia genera reuulſionum, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, ad partes extremas adminiſtratæ, ſed potiſſimùm clyſteria & glandes acriores frequentandæ ſunt. Demum apparente coctione humorum, Socrates tuto accipiet medicamentum ſequens.

Purgans. ℞. *Agarici troc. ℥. j. ß.*
Mel. roſ. ſol. ℥. ij.
Decoct. ſup. ſcripta. q. ſuf. M.

Quoniam eſt veriſimile in morbo qui iam duos annos perſeuerat, plurimam ac rebellem materiam contineri & redundare, quæ non ita facilè medicamentis leuioribus ſemel poſſit purgari, idcirco medicamenta tum præparantia, tum purgantia, & quidem prioribus efficaciora ſunt repetenda. Vt

Præparans. ℞. *Syrup. de betonica compoſit.*
De ſtœchade, ana, ℥. ß
Oxymellis ſcyllitici; ʒ. ij.
Decoctionis ſtœchados.
Hyſſopi,
Seminum pæoniæ, ℥. iij. M

Purgans. ℞. *Elect. diaphænic. ʒ. j. ß.*
Hieræ Pachij. ʒ. ß.
Mel. roſ. ſol. ℥. j. ß.
Decocti ſuper. q. ſ. M.

Purgato corpore vniuerſo & bis, & ter, vt occaſio poſtulat, id poſtremò eſt reliquum, in quo ſumma totius curationis conſiſtit, vt reliquiæ noxiorum humorum contentorum in capite diſcutiantur, nec non frigida & humida intemperies emendetur, adeo vt deinceps humores craſſi & frigidi nequeant generari: itaque inſtituatis Socrati medicamenta partim interna, partim externa, neque vno tantummodo ſitis contenti: nam ſi quis morbo diuturno voluerit non tantum medicamento vti, natura temporis progreſſione illi aſſueſcet, atque ita eius vim ſpernet: quare plura ſunt inſtituenda, ac primum,

℞. *Conſerua betonicæ ʒ. j.* *Alterans.*
Saluiæ,
Stœchados, ana ℥. ß.
Cum ſyrupo de hyſſopo, M. ʒ. ij. ſumantur ſingulo mane.
℞. *Radicum pæoniæ decoctarum ℥. j.*
Seminis pæoniæ,
Cranij humani vſti,
Caſtorei electi, ana, ʒ. j.
Cum ſyrupo de betonica, M. ſumatur ʒ. j.
℞. *Specierum diacymini,*
Cornucerui vſti,
Raſuræ eboris
Seminum pæoniæ, ana. ʒ. ß.
Saccari fini. ana. ℥ iij. cum aqua pæoniæ fiat confectio in rotulis. *Errhinum.*

Hoc tempore neque prætermittenda eſt capitis purgatio per errhina, maſticatoria, gargariſmata, qualia forent primum errhinum.

℞. *Nucis moſchatæ,*
Radicis pæoniæ, ana ʒ. j.
Hellebori nigri ℈. j.
Piperis,
Pyrethri, ana ℈. ß. M. fiat puluis ſternutatorius.

Maſticatorium.

℞. *Radicis acori,*
Pæoniæ,
Gingiberis, ana ʒ. ij.
Pyrethri, ʒ. j.
Maſtici ʒ. iij. M. f. trochiſci maſticatorij.

Gargariſma.

℞. *Betonicæ.*
Origani,
Calamenthi,
Hyſſopi, ana M. ß.
Seminum aniſorum ℥. ß.
Seminum pæoniæ ʒ. ij. M. bulliant ex aqua
Prædicta decotionis. lib 1.
Oxymellis ſcyllitici ℥. ij. M. pro gargariſ.

Poſt hæc omnia appropinquante menſe Maio, quod tempus inter cætera omnia eſt præſtantiſſimum Socratem mittatis ad aquas thermales calidiores, quales ſunt noſtræ Aponitanæ, quas bibat dies 12. & plures. Demum verò ad medicamenta externa deueniatis, pulueres, ſacculos, linimenta, ſtillicidia, lotiones, quæ conſtituuntur ex foliis betonicæ, hyſſopi, radicis iridis, pæoniæ, ſeminum aniſorum, &c. Sed forte nullum efficacius externum præſidium poteſt inueniri, quàm ſunt lotiones & ſtillicidia aquarum thermalium. Socrates aſſiduè geſtet coronam ex recenti radice pæoniæ compoſitam, ac tandem ſi ita ferat occaſio, tanquam ad ſacram anchoram ad cauterium in occipitio deueniatis. De epilepſia hactenus.

CAPVT XX.

De Incubo.

MOrbus qui Latinè *incubus* dicitur, Græcè ἐφιάλτης, eſt vbi quiſpiam per ſomnũ putat ſe ab aliquo inuadi, grandi aliqua mole opprimi, ac fere ſuffocari, adeo vt æger neque loqui, neque vlla ratione moueri poſſit: ex quo Auicen. non ineptè ſtrangulationem appellare videtur.

Inter cæteros omnes Virg. lib. 12. Æneidos admodum lepidè incubom deſcribit, his verbis,

At velut in ſomnis oculos vbi languida preſſit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba ſequuntur, &c.

Vulgares, ac præſertim mulieres inquiunt hoc malum non aliunde quàm à dæmone prouenire: vel ab eo dæmone ridiculo, non malefico, qui mulierum, ac præſertim pulchriorum, non ſolùm amicus, ſed amator creditur eſſe: vel ab altero dæmone, hoſte humani generis, qui propterea hominem dormientem inuadit, tanquam eum ſuffocaturus. Diuus Auguſt. *lib. 28. de Ciuit. Dei* 13. nec non D. Tho. 1. *parte Theologiæ, quæſtione* 51. *ad finem*, docent reperiri dæmones ſuccubos & incubos: ſuccubos quidem qui tanquam inutiles ſuccumbunt viris: incubos autem qui tanquam viri incumbunt mulieribus: ex quorum nefario concubitu naſcantur homines, qui tamen non filij dæmonis, ſed filij illius hominis ſunt cenſendi, cuius dæmon ſemen antea ſuſceperit. Atque hæc opinio non ſolùm apud vulgares, ſed apud Medicos etiam inualuit tam diu: aduerſus quos Aetius ex Poſſidonio ſcribit lib. 6. 12. incubum non eſſe dæmonem, ſed magis præludium ac procemium quoddam morbi comitialis, aut inſaniæ, aut apoplexiæ.

Qui morbi a Medicis curentur.

Etſi verò quæ de dæmonib. à Theologis dicuntur incubis & ſuccubis, apud quoſdam in dubium non reuocantur, quanquam à principiis naturalibus diſſentiant, tamen cum Medici non alios morbos conſiderent, neque eorum curationem doceant, niſi qui naturali ratione oriuntur, propterea nos quoque prætermiſſa omni dæmonum conſideratione, de incubo, tanquam affectu præter naturam, & à certis naturalib. cauſis oriente, tractationem aggredimur.

Definitio

Incubus ergo eſt affectus præter naturam, in quo, vt diximus, per ſomnum quædam ſuffocationis imago repræſentatur, neque æger poteſt reſpirare, vel vocem edere, vel alium voluntarium motum exercere.

Sed quærat quis, an homines per ſomnum motibus voluntariis moueantur. Hoc eſt manifeſtum, neque eſt aliquis qui poſſit id ignorare: namque dormientes non ſolum reſpiramus, ac frequenter variis partib. ac toto corpore mouemur, ſed etiam ſunt nonnulli, qui tanquam vigilantes ſe veſtiunt, loquuntur, ambulant, quos eſſe voluntarios motus nemo audet negare. Et Gal. ex propoſito 2. *de motu muſculorum* 4. probat in dormientibus multas eſſe muſculorum actiones, qui de ſe ipſo narrat hiſtoriam, ac fatetur ſe dormiendo integrum ſtadium confeciſſe, neque prius fuiſſe excitatum, quam in lapidem incidiſſet: & Ariſt. 5. *de gen. animal.* 1. ſcribit nonnullos dormientes ſurgere, ambulare, ac videre, vt vigilantes faciunt.

Vtrùm vigilantibus poſſit euenire.

De incubo nonnulli quærunt, vtrùm homini vigilanti poſſit contingere? quibus reſpondeatis, non poſſe fieri, quandoque homo vigilans non ita fallitur circa imaginationem docente Ariſt. *in lib. de ſomno & vigilia* paruas phantaſias dormientibus apparere, quæ vigilantibus magnæ non videntur. Præterea cum hoc malum, ſicuti mox videbimus, non alia cauſa fit, quàm propter craſſos vapores, impedientes tranſitu facultatis animalis, huiuſmodi vapores per vigilias facile erumpũt ac diſſoluũtur: quod ſi illi vapores tot & tanti fuerint, vt tempore vigiliarum non poſſint diſſolui, tunc potiùs epilepſiam aut apoplexiam, quàm incubum efficiunt.

Hoc loco eſt notanda ſententia cum Pauli, tum Aetij, qui ſcribunt, ephialticos eadem noctu per ſomnum pati, quæcunque epileptici interdiu in acceſſionibus: quæ ſententia eſt falſa, vt ex iis quæ diximus de epilepſia, vnuſquiſque poteſt intelligere.

Differentia I.

Incubi differentiæ ſunt plures. I. à magnitudine: namque alius eſt leuior, qualis vt puto, omnibus hominibus ferè aliquando contingit, qui ſubitò euaneſcit: alius eſt vehementior, in quo æger ita premitur, vt longiori tempore laboret, ac maximè etiam ſequenti die afflictus remaneat.

II. Differentiæ ſunt à tempore: alius eſt recens, qui recipit facilè curationem: alius antiquus, difficilis curatu, ac plerumque vel epilepſiam, vel apoplexiam, vel maniam ſolet denunciare. II.

III. Differentiæ ſunt ex cauſis, de quibus ferè omnes conſentiunt hoc malum ex vna tantum proxima ac immediata cauſa originem habere, ſcilicet ex vaporibus craſſis, qui incluſi in ventriculis, venis & arteriis cerebri ſunt impedimento, quo minus facultas animalis ad alias partes corporis poſſit deferri. III. *Cauſa.*

Sed vndenam huiuſmodi vapores eleuantur? Reſpondeatis eleuari ab omnibus humoribus, præterquam à flaua bile, quæ cum mordendi vim habeat, ad faciendam obſtructionem eſt parum accommodata: itaque vapores eleuantur ex ſanguine, pituita, melancholia. Et ſi quis obiiciat, melancholicum humorem eſſe ſiccum ex quo vapores nequeant eleuari: Reſpondeatis, humorem eſſe poteſtate ſiccum, ſed actu humidum, neque illum ſuis euaporationibus carere. Auicen. aliam præterea cauſam videtur addidiſſe, ſcil. ſolam intemperiem frigidam ſine materia; quæ ſententia videtur falſiſſima: etenim cum incubus ferè inuadat repente ac citò, & ſua ſponte ſoluatur, intemperies non tam breui tempore poteſt vel fieri, vel remoueri. *Auicen. error.*

IV. Sunt differentiæ à loco affecto: namque vel cerebrum primò laborat, adeo vt non probè concoquat alimentum proprium, ſed in eo plurimi flatus & vapores generentur: vel laborat per conſenſum aliarum partium, ſcil. aut corporis totius, aut quod frequentiſſimè contingit, per conſenſum ventriculi, vnde illi craſſi vapores in cerebrum attolluntur. Quo loco neſcio quid in mentem venerit Fernelio, ſcribenti craſſam pituitam & melancholiam non in cerebro, ſed circa præcordia contineri, ac diaphragmata, & pulmones premere: ſiquidem eſt manifeſtum, huiuſmodi materiam noxiam poſſe in ipſo quoque cerebro contineri, illamque tranſmitti non ſolùm à præcordiis, ſed etiam ab aliis partibus, ac potiſſimùm ventriculo, vt etiam toto corpore, quemadmodum diximus. IV. *Error Fernelij.*

Signa.

Signa præſentem incubum indicantia, ſunt manifeſta ex dictis. Sic ſigna differentiarum, vel ægris referentibus, vel aliter poſſunt facile intelligi.

Curatio.

Ad curam venio, quæ niſi morbus tam leuis fuerit, vt ſola victus ratione poſſit ſanari, nullo modo eſt negligenda, cum ſoleat pernicioſos morbos denunciare. Cæterùm cum curatio huius morbi ferè eadem cum curatione epilepſiæ ſit, mihi libet quàm breuiſſimè illam abſoluere. *Lenitio alui.* Primum igitur cum morbus id permittit, opportunè poteſt aluus leniri, ac potiſſimum cum hiera. Deinde quoniam morbus vel eſt in præſentia magnus, vel imminet magnus, conſentientibus cæteris, conuenit venam ſecare, ſicuti Paulus, Aetius, Auic. & omnes ſecant: *Venæ ſectio.* de quo præſidio atque illius vſu videatis Manardum, qui de hac re & tota morbi curatione duas doctiſſimas epiſtolas ſcripſit. *Properãtia.* Lenita aluo, ſecta vena, ad purgationem properetur, concoquatur materia mell. roſ. ac ſyrupo de betonica,

tonica,

Purgantia

betonica, oxymelite ſimp. cum decocto borraginis, fumi terræ, betonicæ, ſucco citri. Apparente coctione purgatione oportet adhibere. ſi fuerit ſanguis craſſior, cum ſyrupo roſ. ſol. & rhabarbaro: ſi pituita cum melle roſaceo ſol. & agarico: ſi melancholia cum pilulis cocchis, cum helleboro.

Reuellentia. Caput purgantia. Alterantia. Roborantia.

Sic omnia reuulſionum genera conueniunt, quæ inutiliter non ſunt repetenda. Poſt hæc ad capitis purgationem, alterationem & roborationem eſt veniendum, per medicamenta partim interna, partim externa. Exempla habetis in cap. de epilepſia.

Incubus per conſenſum.

Si morbos per conſenſum fuerit, ante omnia partibus cerebro conſentientibus eſt proſpiciendum: victus probè inſtituatur, qui eſt longè maximi momenti, ac plerunque niſi morbus fuerit grauiſſimus, ſolus ad curationem eſt ſatis. Inter cætera æger maximam ſomni rationem habeat, in quo duo oportet cauere: alterum ne æger ſtatim poſt cibum aſſumptum eat cubitum, ex quo non ita facilè ſubitæ & inſignes fiant ad cerebrum euaporationes: alterum ne ſupinus dormiat, quoniam hæc forma decubitus, vt Auicen. docet 3. 1. *cap. de ſomno*, eſt improba, atque homines ad malas ægritudines deducit. apoplexiem, paralyſin & incubum: & rationem reddit quoniam ſuperfluitates facit declinare ad poſteriora, quæ propterea retinentur, nec per ſuos incedunt canales naturales, qui ſunt à parte anteriore, vt palatum, os, nares.

CAPVT XXI.

De Melancholia.

Nomen.

MEdici omnes, tam Græci, quàm Latini & Arabes, hunc morbum melancholiam appellant: quod nomen à primis auctoribus illi impoſitum eſt à cauſa, nempe ab humore melancholico, vnde originẽ habet. ſicut Gal. docet 2. *meth.* 2. 3. *de locis aff.* 7. vt propterea certum ſit Cælium Aurelianum falli, qui hanc cauſam repudiat, quæ rei naturæ maximè conuenit; alteram autem commentus eſt, quæ ſæpenumero nulla eſt, ac nullum momentum habet, quòd nimirum per vomitum nigri humores deiiciantur.

Error Cælij Aureliani.

Definitio.

Quid ſit melancholia, traditum eſt à Galeno *de diff. ſympt.* 3. 2. *de cauſis ſymp. vltimo.* 3. *de locis aff.* 7. 6. *aphor.* 22. cui Paulus, Aetius & omnes conſentiunt, quòd nempe ſit delirium ſine febre, cum timore & mœſtitia. Itaque melancholia eſt ſymptoma non exiens immoderatum, non qualitas immutata, ſed actio læſa, non vitalis, non naturalis, ergo animalis, illáque non motiua, non ſenſitiua, ergo princeps. Pro quo memoria eſt repetendum ex Gal. *de ſympt. diff.* 1. actiones quæ à principe facultate prodeunt, ſicuti cæteris quoque actionibus contingit, tripliciter lædi, vel imminutè, vel ablatè, vel deprauatè: quæ quidem actiones cum ſint triplices imaginatio, ratio, memoria, ſingulæ ad hunc modum læduntur. Namque imaginatio primùm funditus tollitur, veluti in caro & catalepſi. Secundò deprauatur, quæ deprauatio delirium dicitur. Tertiò, imbecilla redditur, ſicuti in comate & lethargo: ſic in ratiocinatrice actione, quæ illius veluti reſolutio & priuatio eſt, Græcè *ἄνοια* Latinè *dementia* vel *amentia* dicitur; quæ verò illius veluti deficiens & imbecillus eſt motus, *ſtultitia* & *fatuitas* nominatur: quæ demum veluti errans & deprauatus eſt motus, delirium dicitur.

Quo loco notandum eſt, ſæpe in vtraque ſimul, imaginatione & ratione, nonnunquam in altera tantùm, delirium conſiſtere, adeo vt æger quandoque imaginationem ſimul & rationem deprauatam habeat, quandoque integra exiſtente ratione, ſola imaginatio laboret, vel contra, ſalua imaginatione ſola ratio lædatur; ſic demum in memoratrice facultate eadem contingunt ſymptomata. Hæc doctrina eſt Gal. de læſione actionum principis facultatis, quæ ferè eadem repetita eſt 2. *de ſymp. cauſis vltimo.*

Cum igitur in melancholia actiones principes non ſint abolitæ, non ſint imminutæ, ſed deprauatæ, ſumma cum ratione huiuſmodi affectus à Gal. & omnibus, ſub delirio, tanquam ſub proprio genere collocatur. Ex quo id primum colligatis, neminem ſine delirio melancholia poſſe laborare, ſiquidem vulgares ſunt regulæ Dialecticorum, de nullo definitum dici, de quo item non dicatur definitio: nec non à rebus omnibus definitionem amoueri, quibus genus in definitione poſitum non conuenit: quod quidem velim, vos maximè memoriam tenere, cum ſæpenumerò fiat in conſultationibus medicis vt multi non vereantur, affirmare, ſine vllo delirio multos melancholia potiſſimùm hypochondriaca laborare.

An in melancholia ſola imaginatio lædatur.

Sed cùm iam ſtatutum fuerit ex Galeno motum deprauatum vtriuſque actionis: tam imaginatricis, quam ratiocinatricis delirium eſſe, dubium eſt verùm in melancholia ſola imaginatio, an ſola ratiocinatio, an ſimul vtraque lædatur? Altimarus contendit ſolam imaginationem deprauari, perſuaſus auctoritate Gal. 2. *de ſymp. cauſis ad finem*, qui ſcribit, melancholica deliria multarum eſſe ſpecierum, propter varias particulatim apparentes vitiatas imaginationes, vbi nihil læſæ ratiocinationis meminit. Ego verò etſi puto neceſſariò deprauari imaginationem, quod externi ſenſus phantaſiæ multam & facilem errandi occaſionem afferant: ex quo fieri exiſtimo, vt variæ illius ſpecies maximam originem habeant, tamen neque negauerim quandoque etiam ſimul cum imaginatione ratiocinationem laborare; ſiquidem nihil id prohibet, imo verò id Galenus docet manifeſtè poſſe fieri. quod quidem Auicen. confirmat per hæc verba: *Melancholia eſt mutatio exiſtimationum & cogitationum a curſu naturali*, &c. Quod ſi vna tantùm deprauata imaginatio melancholia dicitur, quo nomine deprauatam rationem appellabimus? Præterea ſcribit Galen. 3. *de locis aff.* 7. & id confirmat experientia, quoſdam melancholicos ſibi mortem inferre, quos nemo puto audeat negare deprauatam rationem habere. Ergo melancholia eſt delirium, perpetuò quidem deprauata imaginatione, quandoque etiam deprauata ratiocinatione.

Sed præterea illud ſciendum eſt Galen. 3. *de locis aff.* 5. 2. *de ſymp. cauſis vltimo.* huiuſmodi deliria poſſe contingere vel cum febre, ſicuti in phrenitide & lethargo, vel ſine febre, ſicuti in mania & melacholia: itaque melancholia eſt delirium ſine febre. Quoniam verò ſunt alia quædam deliria, vt ebriorum, quæ melancholia non ſunt, idcirco poſtrema additur differentia, quæ comprehenditur *apho.* 23. Hip. *lib.* 6. *Si timor* &c. Concludendo igitur, *Melancholia eſt delirium ſine febre, cum timore & mæſtitia,*

Quomodo cerebrum lædatur.

Cæterum antequam ad vlteriora progrediamur, nonnullæ occurrunt difficultates, ac primùm fatentur omnes, in melancholia cerebrum laborare: vnde quæritur, nunquid illud tanquam pars ſimilaris, an verò tanquam pars inſtrumentalis laboret; Cui quæſito reſpondeatis,

Digitized by Google

cerebrum tanquam partem ſimilarem intemperie la borare. Quæ reſponſio eſt Galeni 3. *de locis aff.* 7. qui ſcribit humorem melancholicum, ſi in cerebri corpore redundauerit, melancholiam efficere: atque id confirmat ſententia Hip. in fine *lib. 6. de epid melancholici magna ex parte epileptici, & contra epileptici fiunt melancholici.* Namque ſicuti humor craſſus lædens cerebrum, vt partem inſtrumentalem, nempe obſtruendo ventriculos, facit epilepſiam: ita humor melancholicus offendens cerebrum tanquam partem ſimilarem, nempe alterando illius temperamentum, ſolet melancholiam efficere.

Quomodo timor & mæſtitia oriantur in melancholia.

Secundò cùm Hip. Galen. & omnes in eo conſentiant, timorem & mæſtitiam, tanquam duo propria ſigna, melancholiam comitari, atque id propter redundantiam humoris melancholici contingere: altera ex parte quomodo iſtud fiat, & quomodo excitetur hic timor & mæſtitia, non conuenit inter omnes. Gal. 3. *de locis aff* 7. 2. *de ſympt. cauſis vltimo*, aſſerit hanc cauſam eſſe referendam in atrum colorem humoris melancholici, qui quaſdam veluti tenebras cerebro offundat, ex quibus deinceps timor & mæſtitia oriantur. Nam ſicuti tenebræ externę omnibus propè hominibus timorem inducunt, niſi illi ſint magni animi, & bene in diſciplinis inſtituti; pariter color atræ bilis, ſedem rationis ſimiliter tenebris obſcuram reddens, mæſtitiam & timorem videtur afferre.

Auerrois opinio de mæſtitia.

Nonnulli hanc rationem noo ſatis intelligunt, ex quibus eſt Auer. 3. *colliget*. 4. qui Galenum & Medicos irridet, per hæc verba: *Et qui dicunt quòd anima terretur propter humorem melancholicū nigrum, ſicut terretur homo in obſcuro, dicunt verba cantionum.* Summa autem rationum Auerrois eſt huiuſmodi, colorem nihil poſſe efficere, niſi ſentiatur, cum pariter neque lumen agat quidquam niſi videatur: at verò colorem nulla ratione in cerebro ſentiri, ſiquidem color eſt proprium obiectum viſus, certumque eſt animam in corpore non videre: cum igitur nigrities humoris melancholici nullo modo poſſit ſentiri, hinc colligit Auer. nigrum colorem huiuſmodi ſymptomata, timorem & mæſtitiam, prouenire propter naturam humoris melancholici, ſicuti de natura ſanguinis eſt, vt ipſum ſequatur gaudium & lætitia, tametſi nemo affirmat, quod ſanguis det lumen animæ.

Refut opinio Auerrois.

Sed Auer. mihi videtur neque philoſophicam hanc difficultatem diſſoluere, neque ſatis Galeni & Medicorum ſententiam intelligere. Namque primùm confugere ad naturam & proprietatem rei alicuius, non eſt hominis philoſophi, ſed eorum qui nihil docent, vt Galen. monet 3. *de praeſ. ex pulſ.* 5. ita enim facile eſſet vnicuique ſe ab omni difficultate explicare. Deinde neque Auer. Galeni mentem eſt aſſequutus, ſiquidem Galenus non fuit tam philoſophiæ imperitus, & crederet colorem poſſe in cerebro per viſum, ſiue animæ ſiue oculorum videri, ſed id intellexit, quod Auerroes videtur ignoraſſe, nigrum melancholiæ colorem alia ratione nempe ſpiritus animales, atque eorum ſplendorem turbando & obſcurando, poſſe timorem & mæſtitiam efficere. Pro quo memoria eſt repetendum quod Galen. docet & in *lib. de plac.* Hip. & Plat. & ſæpiſſime, ſpiritus animales proprium inſtrumentum eſſe, quo anima ſuas perficit operationes: quos quidem ſpiritus animales idem ſcribit Galen. lib. *de vtilitate reſpirationis* 5. minimè obſcuros, turbidos & fumoſos, ſed præ cæteris lucidos, puriſſimos atque optimos eſſe oportere, ad hoc vt bonæ & naturales fiant operationes: namque ſi econtra illi fiant obſcuri & perturbari, vt actiones quoque improbæ ac præter naturam fiant, neceſſe eſt. Hinc inquit Galen. *vbi ſanguis melancholicus & bilioſus in vitioſos vapores ſoluuntur, alter ad melancholiam, alter ad phrenitidem hominem deducit.* Itaque ratio eſt, quamobrem timor & mæſtitia melancholiam ſequatur, quoniam nigrities humoris melancholici contaminat & obſcurat puritatem & ſplendorem ſpiritus animalis, ex quo animam, vitiato proprio inſtrumento deprauatè moueri & agere neceſſe eſt: vt ſatis poſſit conſtare, ad generanda hæc duo ſymptomata nullo propterea ſenſu opus eſſe, ſed vnam ſpiritus perturbationem ſufficere.

Quæſtio. Quomodo vna actio ſola cerebri lædi poſſit.

Tertia reſtat difficultas, quoniam diximus cum Gal. actiones principum facultatum & coniunctim & ſeparatim lædi poſſe, quæritur quomodo vna ſola actio, cæteris illæſis, lædi poſſit? Siquidem Galenus docet, ac ferè conuenit inter omnes facultates principes in cerebri temperie conſiſtere, illarúmque operationes non aliter quàm per cerebri temperiem fieri.

Ad hanc difficultatem plerique omnes reſpondens, & ſe vnico verbo, explicant, aſſerentes tres facultates principes tribus diuerſis cerebri locis contineri, facultatem quidem imaginandi in interiori parte, actionem ratiocinandi in media, memoriam in poſtrema: quæ doctrina in primis eſt Aetij lib. 6. 2. per hæc verba: *Anteriore cerebri parte læſa, imaginatio ſolùm læditur, medio verò cerebri ventriculo læſo, ratio peruertitur: poſteriore autem circa occipitium parte læſa, perit memoria.* Aetio conſentit Auicenn. 1. 1. *doc.* 1. *cap.* 5. nec non 1. 3. *tractat.* 1. *cap.* 2. quod item ſentit Auer. 4. *colliget.* 40. Ex quo quoque docent pro læſione ſingularum actionum, ad ſingulos quoque earum locos remedia eſſe apponenda.

An facultates principes ſedibus diſtinguantur.

De hac quæſtione multi multa diſputant: etſi verò periculoſum videtur diſcedere à communi opinione iam confirmata, tamen ego quidem puto Aetium, Auicennam, & quicunque illis conſentiunt, hac in re præter Galeni diſciplinam & malè ſentire. Namque niſi me prorſus fallit memoria, Galenus nunquam has tres diſtinctiones cerebri tribus facultatibus deſignauit, imò verò ex illius diſciplina mihi videor poſſe colligere quædam argumenta non leuia, quæ potiùs contrariam ſententiam poſſunt demonſtrare.

Ac primùm Galen. 8. *de vſu partium* 6. ſcribit, tres facultates principes, imaginationem, rationem & memoriam, in cerebro reſidere; neque verbo quidem huius triplicis diſtinctæ ſedis meminit, quod tamen hoc maximè loco eum facere oportuit, in quo de ſingularum huiuſmodi facultatum vſu ſermo fuerat inſtitutus: atque iſtud tanto magis faciendum erat, cum hoc eodem lib. cerebrum in tres partes diſtribuiſſet, nempe duos anteriores ventriculos cerebri, poſtremum, & medium, quibus varios quoque vſos tribuit, docétque anterioribus ventriculis odoratum fieri, nec non animales ſpiritus elaborari; ventriculum medium eſſe quendam veluti tranſitum ſpirituum: in poſtremo facultatem animalem quàm maximè maximè vigere & operari. Quòd ſi Galen. ea fuiſſet ſententia, tres facultates hoc triplici loco diſtinctas eſſe, omnis ratio colligit, nullo modo hanc tam neceſſariam diſtinctionem ab illo prætermitti potuiſſe.

Deinde certum eſt, Galenum ex hac locorum diſtinctione nullam vnquam indicationem accepiſſe, adeo vt pro diuerſitate principum actionum læſarum, ad diuerſas quoque cerebri partes remedia debeant apponi, qui perpetuo in phrenitide

tide

fide, quæcunque ea fuerit, ſumpta indicatione à ſtructura & qualitate partis, iubet remedia ad commiſſuram coronalem adhibere: quam quidem indicationem ille nunquam fuiſſet prætermiſſurus, ſi neceſſariò variis partibus remedia eſſent apponenda prout variæ facultates laborant.

Præterea Gal. *cap.* 12 *artis medicæ*, quo loco de principibus actionibus tractat, nuſquam iſtarum meminit ſedium ſeparatarũ, ſed magis cerebri ſubſtantiam. atque illius temperamentum conſiderat, ſcribitque ex robore ingenij ſubtilem cerebri ſubſtantiam, ex tarditate intellectus, craſſam; ex facilitate addiſcendi, formarum facilem ſuſceptionem, ea memoria ſtabilem & firmam: ea difficultate diſcendi, formam non facilè ſuſceptiuam: ex obliuione, fluidam: ex mobilitate in opinionibus, calidam: ex ſtabilitate, frigidam cerebri ſubſtantiam indicari.

Poſtremò Galen. hæc habet 2. *de motu muſculorum* 6. *Pars animæ imaginatiua, quæcunque ea fuerit, hæc eadem videtur recordari: ſi itaque inſignes impreſſiones rerum in imaginationibus acceperit, conſeruat perpetuo, atque id quidem eſt, memoria tenere: ſi verò obſcuras & penitus ſuperficiarias, non conſeruat, & hoc eſt obliuiſci.* Quod idem voluit Ariſt. in libro de memoria, qui docet memoriam non aliud eſſe, quàm habitum imaginationis, & tanquam imaginem illius rei, ex qua fit imaginatio. Quod ſi imaginatio & memoria diuerſas obtinent ſedes, non quidem video quomodo vna atque eadem pars animæ ſimul imaginari, & recordari poſſit.

Reſponſio ad quæſtionem. Cum igitur hæc ita ſe habeant, quidnam ad principalem quæſtionem reſpondendum erit, quomodo facultatum principum vna tantùm cæteris illæſis, lædi poſſit? Ego cenſeo reſpondendum facultates principes in cerebri corpore vna atque eadem ſede conſiſtere, ac ſingulas mediante cerebri temperie, ſuas actiones perficere: ſed illud addo. huiuſmodi varias actiones, imaginandi, ratiocinandi, memorandi, minimè vna atque eadem ratione, minimè vna atque eadem temperie, ſed planè diuerſa fieri: quod manifeſtè demonſtrat Galenus capite 12. artis medicæ, in quo, vt diximus, pro varia ſubſtantia cerebri, ſubtili vel craſſa, pro varia illius temperie. calida vel frigida, humida vel ſicca, minimè verò pro variis ſedibus, docet actiones principes augeri, minui, ac planè variari: & manifeſtiſſimè id confirmat 3. *de locis affect.* 5. vbi inquirens rationem inueniendi ſymptomata quæ in principe facultate contingunt, ſtatuit, pro variis cauſis morbificis, pro variis cerebri intemperaturis, modo vnam, modò alteram vitiari: quod quidem exemplo memoriæ & rationis luculenter declarat. Etenim quanquam vtraque hæc facultas, memoria & ratio, ab eadem cauſa & intemperie, nimirum frigida, lædatur, quæ intemperies, vt ille inquit, omnes actiones animales videtur ſtupefacere: tamen ita hæc ſe res habet, vt ſi intemperies fuerit remiſſa, ſola memoria lædatur: ſi verò illa vehementiùs intendatur, ſimul cum memoria ratio quoque deperdatur, quæ ſtultitia dicitur, imò verò Galenus hoc ipſo loco rationem docet, qua cuiuſque cerebri intemperiem, cuiuſque intemperiei gradum, vel remiſſiorem, vel intenſiorem liceat deprehendere, vt vnicuique affectui conuenientem curationem poſſimus inuenire.

Quod ſi quis iis non acquieſcit, is memoria repetat, hoc idem in naturalibus quoque facultatibus, atque in cæteris membris contingere: namque exempli gratia, in ventriculo vel iecore non ſimul omnes actiones trahendi, retinendi, alterandi, expellendi, ſed modò vna, modò altera ſæpenumero læditur: & ratio pariter ea eſt, quam tradit Galenus 5. *de locis affect.* 7. Cum enim certum ſit, eſſentiam omnium facultatum in propriis partium temperamentis conſiſtere, ſi ventriculus. vel iecur, ad aliquam octo intemperierum labatur, contingit vtriuſque actiones lædi, prout vnicuique intemperaturæ conuenit: ſicuti diffusè demonſtratur à Gal. 3. *de ſympt. cauſis cap.* 1. 2. *& ſequentibus.* Cùm igitur facultates principes pro varia cerebri ſubſtantia ac temperie, ſuas edant actiones, vtique iam facile eſt intelligere, & cauſam reddere, quomodo cerebri ſubſtantia reddita craſſiore, vel tenuiore ſtabili vel fluida, calida, vel frigida, humida vel ſicca, ſola vna actio, cæteris illæſis, lædi poſſit.

Differentia 1. Differentiæ melancholiæ ſunt plures, ſed quæ ſumuntur à cauſis, principem locum obtinent: at verò ſi Galeno credimus, melancholia ab vna tantùm cauſa, nempe ab humore melancholico prouenit, à quo etiam nomen recipit, ac duo illius præcipua ſymptomata, timor & mœſtitia, originem habent: ſin autem audiamus Auicenn. Alexandr. & alios, melancholia non ſolùm ab humore melancholico, ſed etiam ab atra & flaua bile, nec non à ſanguine fieri poteſt: quod item videtur ſentire Hipp. 6. *apho.* 53 *Deliria quæ cum riſu*, &c. *Error Auicennæ & Alexandri.* Verùm iſti malè ſentiunt, qui genera & ſpecies inter ſe confundunt: ſiquidem melancholia eſt ſpecies delirij, quæ non aliter quàm ab humore melancholico poteſt prouenire: cæteri autem humores ſi deliria efficiunt, talia non ſunt melancholia, ſed aliis nominibus debent appellari: ſicuti eſt mania, & ſimilia: ad quem modum Hippocrates quoque in aph. citato delirium intelligit, quatenus eſt genus, ac deliria in vniuerſum complectitur. Itaque vna eſt tantùm cauſa melancholiæ, humor melancholicus, qui, vt poſtea videbimus, vel generatur in capite, vel aliunde ad illud tranſmittitur.

Vtrùm melancholia ex ſola intemperie prouenire poſſit? Error Auic. Sed præterea quæritur, vtrum melãcholia ex ſola intemperie frigida & ſicca ſine materia fieri poſſit? quod inter cæteros Auicenna videntur affirmare. Huic quæſito reſpondeatis, id minimè fieri poſſe, & Auicennam malè ſentire. Namque ſi ſola intemperies poſſet melancholiam facere, ſenes, qui temperamento frigido & ſicco præditi ſunt, omnes melancholici euaderent, qui tamen plerunque ab hoc morbo ſunt liberi: vnde Galenus ſumma cum ratione humorem, minimè ſolam intemperiem cauſam melancholiæ conſtituit, qui, vt ſuprà vidimus, inquirens cauſam, propter quam timor & mœſtitia, duo propria & inſeparabilia melancholiæ ſymptomata contingant, nullam aliam reddit rationem, quàm nigram colorem ſucci melancholici, qui principio rationalis animæ quaſdam veluti tenebras offundat.

An ex ſola imaginatione quis fiat melancholicus. Sed rurſum quærunt nonnulli, vtrùm ex ſola diuturna & attentiſſima imaginatione quis poſſit melancholicus fieri? Quibus reſpondeatis, huiuſmodi intentas imaginationes non proximè & immediatè, ſed mediante generatione humoris melancholici, poſſe melancholiam efficere: ac ſanè inter cæteras externas cauſas, quæ an generationem huius humoris maximè conferunt, diuturnæ, profundæ ac fixæ imaginationes ſunt principales.

An melancholia à dæmone fieri poſſit? Poſtremò autem Auicenna quærit, vtrùm melancholia à dæmone fieri poſſit? Quam conſiderationem tanquam ſuperuacaneam reiicit, cum Medici, inquit, profiteantur phyſicam doctrinam, neque hos terminos tranſeant; & demum

concludit, dæmones, ſi modò id valent efficere, non alia ratione poſſe hominem melancholicum reddere, quàm mediante generatione humoris melancholici, ex quo tanquam proxima & immediata cauſa, hic morbus ſolet fieri & foueri. In qua quidem re Auicenna mihi videtur noſtris Theologis conſentire. Namque inter cæteros D. Thomas de ſententia etiam Diui Auguſtini, de poteſtate dæmonum ita ſtatuit, *1. parte Theologiæ quæſt. 114. articulo* 4. ad finem; *Omnes tranſmutationes rerum corporalium, quæ per aliquas virtutes naturales fieri poſſunt, dæmonum'que opera fieri poſſe.* Exempli gratia, cum alienæ res transmutantur in ſerpentes, vel ranas, quæ per putrefactionem poſſunt generari: reliquas verò tranſmutationes rerum corporalium, quæ virtute naturali fieri non poſſunt: nullo modo operatione dæmonum, ſecundum rei veritatem fieri poſſe: exempli gratia, quòd corpus humanum in corpus beſtiale tranſmutetur, aut quòd corpus mortuum reuiuiſcat: quod ſi aliquando tale quid operatione dæmonum fieri videatur, id non eſſe ſecundum rei veritatem, ſed ita ſenſibus apparere. Verùm prætermiſſa Theologica ſpeculatione, illud nobis ſit ſatis in præſentia, ſine dubitatione eſſe dæmones, eoſque ita permittente Deo, variis modis homines torquere.

Externa cauſa melancholiæ.

Quod ſi quis præterea externas quoque cauſas cupit intelligere, ad hunc locum debent referri, quæcunque ad generationem humoris melancholici pertinent: qualia ſunt victus ratio, ſtudia vitæ, & ſimilia.

Differentia. II.

Secundò ſunt differentiæ melancholiæ ab actionibus læſis: namque vt ſuprà diximus, quandoque ſola ratio læditur, cuius exemplum habetis apud Galenum *de ſympt. diff.* 3. 4. *de locis aff.* 1. de illo qui primùm vaſa vitrea, deinde & puerum per feneſtram proiecit: quandoque ſola imaginatio eſt deprauata: huius quidem à Galeno, Alexandro, & omnibus plurima exempla commemorantur, de quibus deprauatis imaginationibus illud vnum mihi ſufficiat in præſentia, tale plerunque cuique delirium, quale cuique fuerit vitæ ſtudium & conditio; ſic qui viuunt in aulis principum ſe Papas, Cardinales, Reges eſſe exiſtimant: viri Eccleſiaſtici perſonas Chriſti, aut ſanctorum hominum ſibi aſſumant: forenſes non niſi lites imaginantur: adeo vt quod aliquando à philoſopho traditum eſt, ſicut vinum potentius naturis, ita etiam melancholia ſe accommodet officiis & ſtudiis ægrotorum. Sunt autem nonnulli qui huiuſmodi deprauatarum imaginationum conantur cauſam reddere, inquirúntque, illum qui putabat ſe eſſe granum milij, natura ſicciſſimum fuiſſe: alterum qui negabat ſe caput habere, plurimas euaporationes ad caput habuiſſe: & ſic de cæteris, de quibus Aëtius *lib.* 6.

Varia deliria vnde proueniant.

III.

Tertiò ſunt differentiæ à magnitudine & paruitate: melancholia alia eſt leuior, in qua æger vnam tantùm deprauatam habet imaginationem: alia grauior, in qua plures facultates principes laborant.

IV.

Inter cæteras differentias melancholiæ illæ ſunt maximè notabiles, quæ ſumuntur à loco affecto. Nam ſicuti facultates principes non poſſunt lædi, non laborante cerebro, ita illud non perpetuò neceſſariò per ſe laborat, ſed aliquando à cæteris infernis partibus in conſenſum deducitur: itaque apud Galenum 3. *de locis affect.* 7. tres melancholiæ differentiæ ſtatuuntur. Prima, in qua ſanguine qui eſt in toto corpore, noxa vacante, ſolus ſanguis qui in cerebro eſt, vitioſus redditur. Secunda, in qua ſanguine vniuerſo, qui eſt in venis, reddito melancholico, cerebrum quoque in conſenſum ducitur. Tertia, in qua non à toto corpore, ſed à determinata parte, quæ pertineat ad hypochondria, vitioſæ quædam vaporationes in caput feruntur: vnde primam cerebro primùm laborante; ſecundam per conſenſum vniuerſi corporis; tertiam hypochondriacam & flatuoſam, Arabes mirachialem melancholiam appellant. Ex quibus quidem tribus melancholiæ differentiis cum de duabus primis conueniat inter omnes, de tertia multa in controuerſia ponuntur: ac primùm ſunt nonnulli, qui volunt hanc tertiam melancholiam hypochondriacam à melancholia ſeparare, aſſerentes huiuſmodi ægrotos nuſquam & nunquam delirare: quod ſi illi non conuenit genus ratione omnis melancholiæ, iure videntur colligere, hunc affectum ſub melancholia reponendum non eſſe.

Tres ſpecies melancholiæ.

An detur melancholia hypochondriaca.

Vnde multi & celebres Medici multas faciunt & conſcribunt conſultationes medicas, de melancholia hypochondriaca, in qua nullum delirij veſtigium apparet: verùm iſti à Galeni doctrina manifeſtè recedunt, quem certum eſt affectionem hypochondriacam tanquam tertiam ſpeciem, ſub melancholia conſtituiſſe: namque ſi hypochondriaci, ſunt melancholici, vt iidem quoque delirent, fateamur neceſſe eſt. Atque id quidem ex eo quoque fit manifeſtiſſimum, quòd Galenus Dioclem reprehendit, quaſi non expoſuerit, cur mens in melancholico hoc malo lædatur, verba illius hęc ſunt: *Verùm quæſtione non indignum eſt, quare Diocles, cum cauſas aliorum ſymptomatum redderet, cur mens læſa ſit, non ſcripſerit, quamobrem quicunque ſunt hypochondriaci, iidem neceſſariò melancholia & delirio laborent.*

Secundò, cum multæ in hypochondriis contineantur partes, ex Galeno tum aliis locis, tum maximè 2. *pror.* 21. ſeptum tranſuerſum, ventriculus, cuius duæ ſunt partes, altera ſuperior, altera inferior, inteſtina, meſenterium, iecur, lien, muſculi: quæritur quænam ex tot partibus in melancholia hypochondriaca laboret? Diocles qui referente Galeno, de hoc affectu librum compoſuit, illum numerat inter morbos ventriculi, ac ſeipſam explicando, inquit ſuſpicandum eſſe hoſce ægrotos plus iuſto habere caloris in iis venis, quæ alimentum ex ventriculo excipiunt; ſanguinémque in ipſis venis craſſiorem redditum fuiſſe. Deinde verò alteram quorundam Medicorum ſententiam refert, qui docebant, os ventriculi quod in inteſtinis continuatur, & vulgo *pylorus*, vel *portonarius* dicitur, inflammatione tentari, atque hinc hanc partem obſtrui, & prohiberi ne alimenta ſtatuto tempore ad inteſtina deſcendant. Itaque ex Diocle duæ habentur opiniones, prima propria, morbum in ventriculo fieri: altera aliorum, infernum os ventriculi inflammatione laborare: de quibus duabus opinionibus Galenus ſuum iudicium non interponit. Falsò autem Auic. hanc ſententiam de inflammatione pylori Galeno adſcribit, quam certum eſt neque Galeni, neque Dioclis fuiſſe. Theophilus apud eundem Auicennam voluit, iecur atque inteſtina malè affici. Nonnulli inquiunt venas meſaraïcas laborare Auer. demum 3. *colliget*. 4. ſtatuit, locum præcipuè malè affectam eſſe lienem, cui Gal. quoque videtur conſentire, qui ſcribit 5. *de locis affect*. 7. *de locis affect.* 1. lienem, quotieſcunque melancholicum ſuccum non purgat pro naturæ inſtituto, ſed illum tranſmittit ad ventriculum, triſtitias melancholicas efficere.

Quæ partes hypochondriorum laborent in melancholiâ hypochondriaca.

Tertiò non ſolùm de parte, ſed etiam quæritur de affectu, qualiſnam ſit affectus in melancholia

Melancholia hypochondriaca qualis affectus.

cholia

cholia hypochondriaca? Diocles ſicuti vidimus, cenſuit eſſe immoderatam caliditatem venarum, quæ ex ventriculo alimentum recipiunt: alij inflammationem pylori. Auicenn vehementem caliditatem iecoris & inteſtinorum: nonnulli obſtructionem venarum meſaraicarum, non ſine earum inflammatione. Nos autem Galenum audiamus, qui in hac ſententiarum ambiguitate profitetur manifeſta interpretatione hunc affectum enarrare, ſcribitque ad hunc modum: *Videtur, quidem in ventriculo eſſe aliqua phlegmone, ſanguis verò qui in parte phlegmone laborante continetur, & craſſior eſt, magis melancholicus.* Quemadmodum igitur eleuata ex ventriculo fuliginoſa & craſſa euaporatione ad oculos, ſimilia ſuffuſis fiunt ſymptomata, eadem ratione etiam nunc, melancholia vaporatione facta ad cerebrum, melancholica in mente eueniunt ſymptomata. Ex quo facile eſt intelligere, Galenum hac in re à Diocle & cæteris non multum diſſentire, qui fatetur aliquam in ventriculo reperiri inflammationem, ex qua reddito ſanguine craſſiore & melancholico, vitioſæ vaporationes in caput efferuntur. Cuius quidem immoderati caloris manifeſta indicia ſunt, partim æſtus quem ægri percipiunt; partim quæ illis offeruntur; quippe à frigidis alimentis videntur iuuari, quod ea valeant calorem hunc refrigerare & extinguere.

Obiectio I. Sed aduerſos hanc Galeni, Dioclis & cæterorum ſententiam, nonnulli arguunt, & primùm ſi hæc affectio eſſet inflammatio ventriculi, aut alterius partis proximæ, tunc melancholia hypochondriaca perpetuo foret cum febre: cum certum ſit, inflammatione partium internarum nunquam ſine febre poſſe conſiſtere: hic autem, nulla eſt febris: Ergo, &c.
II. Deinde non ſolùm febris, ſed etiam ſitis adeſſet neceſſariò, cuius tamen nulla fit mentio: imò verò ægroti multum atque humidum ſputum emittunt, ructus acidos percipiunt, acidámque pituitam euomunt, adeo vt dentes etiam torpore afficiantur: quæ quidem non videntur inflammationibus conuenire.

Solutio I. Ad primam rationem reſpondet Auer. loco citato, qui concedit argumentum, ac fatetur, fieri non poſſe vt hæc ægritudo ſit ſine febre: ſed vnum modò excipit, ſi melancholia fiat poſt declinationem apoſtematis, quo tempore, inquit, non remanet ex calore extraneo tantùm, vt ſit ſufficiens ad faciendam febrem, ſed tantus eſt vt ſufficiat ad faciendam læſionem ventriculo & cerebro, atque ad mouendam huiuſmodi paſſionem. Verùm hæc reſponſio nulla eſt, quoniam omnis ratio colligit, calidas vaporationes & melancholiam multò magis fieri vigente inflammatione, quàm in declinatione, quando iam calor præter naturam eſt imminutus, ac ferè extinctus: quare aliter & facilè reſpondendum eſt, Galenum hic accipere nomen inflammationis non propriè, ſed communiter, quatenus ſignificat partem incaleſcere, incendi, atque vri: in qua ſignificatione accipitur ab Hippoc. & Galeno 1. *progn* 27. Namque reuera videmus ſæpenumero nonnullas internas partes inſigniter calidas & æſtuantes, vt iecur, quibus nulla febris coniuncta eſt: itaque etſi in ventriculo, vel partibus illi proximis, reperitur inſignis caliditas, quæ poteſt ſanguinem vrere, tamen nulla eſt inflammatio, quam febris neceſſario debeat comitari.

Solutio II. Ad ſecundam rationem reſpondet probè Auer. qui inquit, non neceſſariò ad melancholiam ſequi ſymptomata calida, etſi illa ex inflammatione prouenit, quoniam calor præter naturam lædit & debilitat calorem naturalem, vt mirum non ſit, ſi tunc fiant ſymptomata frigida, qualia ſunt ſputa copioſa, ructus acidi, & ſimilia, ac tandem concludit Auer. ſecundùm Alexand. acetoſitatem tam per calidum, quàm per frigidum fieri: ſiquidem calor natiuus non fortificatur, niſi per calorem qui ei formaliter non repugnat: ad quem modum videmus, in aëre inſigniter calido vel frigido, aceſcere vina, quòd nimia caliditas diſſoluet, nimia frigiditas extinguat propriam & innatam vini caliditatem. Itaque etſi in melancholia hypochondriaca ſunt plurima ſputa, ructus acidi, tarda concoctio & alia id genus, quæ omnes fatentur ex frigiditate prouenire, non hinc propterea ſequitur, nullam in ventriculo aut vicinis partibus reperiri inflammationem: ſiquidem calor præter naturam, innatum calorem diſſoluit, vt ille deinceps nequeat ſuo munere fungi.

Ex his neque difficile eſt ſuperiorem difficultatem diſſoluere de parte laborante: etenim cum huiuſmodi affectio, conſenſu omnium, ex fumoſis & aduſtis euaporationibus originem habeat, ſtatuendum eſt, quamcumque partem in hypochondriis contentam, in qua ſanguis poteſt incaleſcere, aduri, atque huiuſmodi atras exhalationes facere, tanquam partem primariò laborantem conſtitui poſſe. Itaque ſicut cum Diocle & Galeno concedendum eſt, in melancholia hypochondriaca ventriculum potiſſimùm laborare, quam partem conſtat præ cæteris omnibus cerebro conſentire; ita minimè eſt negandum, reliquas etiam partes quæ ſub hypochondriorum nomine continentur, poſſe aliquando laborare, ſiquidem nihil prohibet quin ex iis partibus euaporationes eleuentur, & ſic melancholia fiat.

Signa melancholiæ ſunt triplicia: alia enim futurum, alia præſentem morbum demonſtrant; alia ſingulas differentias diſtinguunt: quæ omnia ſunt diligenter animaduertenda. *Signa diagnoſtica.* Ac primùm ſigna prognoſtica ex tribus præcipuè locis ſumuntur; 1. ex præparatione corporis. 2. ex præcedentibus cauſis. 3. ex mediis quibuſdam diſpoſitionibus.

Primò igitur corpora frigida & ſicca in decreſcente ætate, quando humiditas & caliditas incipiunt declinare frigiditáſque & ſiccitas ſuccedunt, autumnò, in regione & locis frigidis; & ſiccis, iſthæc, inquam corpora ad melancholiam ſunt admodum accommodata.

Secundò, ſi quis vſus fuerit alimentis melancholicis, de quibus diffuſè tractat Gal 3. *de locis affect* 7. ſi æger faſtidioſam victus rationem vixerit, vt adeo vt magnis diuturniſque exercitationibus, curis, cogitationibus, vigiliis, oppreſſus fuerit, & tandem ſi aliqua ſolita euacuatio, ac potiſſimum per hæmorrhoidas, vel in mulieribus per menſes, retenta fuerit: hæ omnes ſunt quædam antecedentes cauſæ, ex quibus licet futuram melancholiam prædicere.

Tertiò ſunt mediæ quædam diſpoſitiones, ac veluti præludia melancholiæ: ſomni parui, diuulſi, ſomnia perturbata, vertigines, dolores capitis, morum mutatio, & alia id genus, de quibus Auicenna, Aëtius, & cæteri loquuntur. Itaque ex iis licet imminentem melancholiam prædicere & præcauere.

Signa autem quæ præſentem melancholiam demonſtrant ex Hippocr. & Galeno 6. *aphor.* 23. *Signa prognoſtica.* duo ſunt: timor & mœſtitia ſine manifeſta cauſa. Et ſi quis quærat, vtrùm hæc duo ſola ſigna ſint ſatis, cum præcipuum ſignum, nempe delirium, deficiat? Reſpondeatis iſtis duobus ſignis delirium quoque contineri: etenim cum quia

timet

tinet impoſſibilia, & quæ nulla ratione debent timeri, verbi gratia, ne mundus corruat, nec non præter rationem mœret & mœſtus eſt, iſtud ſine deprauata imaginatione, vel ratione fieri non poteſt. Quo loco notandum ex Galen. *in comm.* hæc quidem duo ſymptomata melācholiam ſignificare, ſi abſque manifeſta cauſa fiant; eandem tamen etſi propter manifeſtam cauſam incipiunt, cum tamen diutius durant ac perſeuerant, omnino inſaniam pariter ſignificare. Itaque generaliter melancholici timidi ſunt, ſolitudines diligunt, ſeipſos negligunt, odio habent omnes homines, mortem pertimeſcunt etſi nonnulli, inquit Gal. monſtruoſo planè animo, & mortem metuant, & mortem ſibi inferant: quæ ſigna tradita ſunt à Gal. loco citato 3. *de locis aff. c.* 7.

Venio ad ſigna differentiarum, & quia nos ſtatuimus vnicam tantummodo eſſe cauſam melancholiæ, humorem melancholicum, ſigna hunc humorem demonſtrantia iam ſunt expoſita. Quod ſi quis cum Auicen. & Alexandr. qui ad melancholiam omne genus delirij referunt, velit præterea cæterorum quoque humorum ſigna cognoſcere, de iis pariter ſæpius diximus.

Si quis fuerit melancholicus ex Dæmone, duo præcipua ſigna proferuntur: alterum quòd æger, etiamſi ruſticus vel idiota fuerit, Græcè & Latinè loquitur: alterum quòd futura prædicit: quandoque etiam nonnulla arcana patefacit, quæ quidem ſigna multi confirmant eſſe veriſſima: ſed ego reuera hæc miracula nondum vidi. Veruntamen Ariſt. qui dæmones non credit, hoc ſignum in cauſam naturalem nempe humorem melancholicum refert, ſcribitque 30. *ſect. prob.* 1. ex qualitate & vi huius humoris, & Sybillas, & Bacchides, & omnes tales redditos fuiſſe, quicunque diuina inſpiratione inſpirati creduntur.

Signa partem laborantem oſtendentia.

Signa differentiarum ab actionibus læſis, à magnitudine & paruitate, à tempore, aliis referentibus ſunt manifeſtiſſima: itaque ſola reſtant indicia differentiarum ex parte laborante, quæ accuratè ſunt animaduertenda: etenim ſi quis probè velit melancholiam curare, vt locum primariò laborantem intelligat, neceſſe eſt: tota autem pars diligenter à Gal. tradita eſt 3. *de locis aff.* 7. Namque vtrùm vniuerſum corpus melancholicum contineat humorem an in ſolo cerebro ille ſit coaceruatus, hac ratione licet deprehendere. In primis corporis habitus eſt animaduertendus: ſiquidem molles, albi, pingues, nequaquam humorem melancholicum habent, quos certum eſt potius pituitoſos humores coaceruare: contrà graciles, nigriores, hirſuti, & qui habent latas venas, aptiſſimi ſunt ad generandum humorem melancholicum, quod potiſſimùm contingit, quando vigiliis, curis, exercitatione, & huiuſmodi animi perturbationibus ſunt oppreſſi. Secundo loco eſt animaduertendum, num hæmorrhoides, vel alia quæpiam ſanguinis ſolita vacuatio retenta fuerit: ſi enim illud contingat, nihil mirum ſi totum corpus hoc humore redundet. Tertiò expendendum eſt quibuſnam alimentis æger per bonam valetudinem vſus fuerit; etenim ſi ea talia fuerint, ex quibus facilè ſanguis melancholicus generatur, licebit colligere vniuerſum corpus hoc ſanguine refertum eſſe: ſin contrà alimenta optima fuerint, tunc potius contrarium indicant. Ad hæc oportet animaduertere exercitationes, vigilias, ſolicitudines, & ſimilia nec non morbos præcedentes: namque nonnulli per morbos febriles humorem melancholicum ſolent colligere.

Ad firmiorem verò huius rei notitiam, Gal. addit facile quoddam experimentum, quo certiſſimum huius rei iudicium facere poſſimus illud verò eſt ſectio venæ in cubito, quam mediam appellant; etenim ſecta vena, ſi ſanguis effluens fuerit melancholicus, iam euidentiſſimum eſt hunc in toto corpore redundare; quod ſi contrà ſanguis non fuerit melancholicus, ille per Galenum ſtatim ſupprimendus eſt: etſi Auicenna aliter ſenſit.

Signa melācholia hypochondriacæ.

Sin autem melancholia fuerit per conſenſum non à toto corpore, ſed ab hypochondriis, plurima à Galeno ex Diocle ponuntur ſigna, quæ hunc affectum ſolent indicare, & ſunt huiuſmodi: primùm ægri circa hypochondria maximum æſtum percipiunt, cibiſque refrigerantibus videntur iuuari: deinde aſſumpto cibo, eoque concoctu difficili, multa ſymptomata ſequuntur, ſputum humidum & multum, ructus acidus, flatus, fluctuatio, non illico, ſed cum aliquandiu retentus fuerit, interdum vehementes ventriculi dolores qui nonnullis vſque ad dorſum progrediuntur; poſt verò quàm alimenta concocta fuerint, omnia mitigantur; rurſus poſt comeſtionem, eadem reuertuntur ſymptomata, quæ interdum homines ieiunos, interdum etiam poſt cœnam moleſtant, atque crudos cibos euomunt, & pituitam acidam, vt dentes quoque torpedine afficiantur. Hæc quidem à Galeno ex Diocle ponuntur, ſed iis omnibus Galenus duo illa ſymptomata adiungit, à Diocle prætermiſſa, timorem & mœſtitiam, quæ tum generaliter omnem melancholiam, tum ſpeciatim hypochondriacam ſignificant. Atque hæc pariter huius ſecundæ differentiæ indicia ſunt, ex quibus facile eſt intelligere, quantum vulgares Medici decipiantur, qui ſtatim vt audiunt ægros conqueri de flatibus hypochondriorum, aſſerunt illos melancholia hypochondriaca laborare, tametſi nullum adeſt neque delirium, neque aliud ex tot ſymptomatibus, quæ illius propria ſunt.

Error vulgarium Medicorum.

Quod ſi melancholia fuerit per conſenſum, non ventriculi, ſed aliarum partium, quæ in hypochondriis continentur, vt exempli gratia, ratione inflammati iecoris, ægri ea parte inſignem caliditatem percipiunt, quæ nonnunquam manibus & pedibus communicatur, lotia ſunt colorata & ignea; quod item de liene, venis meſaraïcis, & reliquis partibus ſtatuendum eſt.

Signa melācholia per eſſentiam in capite.

Demum verò ſi melancholia per eſſentiam fuerit in capite, tunc ſymptomata omnia magna erunt, in ventriculo aut nullæ, aut exiguæ erunt querelæ; pariter neque vlla erunt indicia, quæ demonſtrent ſanguinem totius corporis eſſe melancholicum: ad ſummam, nullo apparente indicio, quod vel vniuerſi corporis, vel alicuius partis hypochondriorum læſionem demonſtret, facile eſt colligere ægrotum capite primùm laborante melancholia laborare.

Cum triplex fuerit ſtatuta differentia melancholiæ, pro variis partibus laborantibus, vel ſolo capite, vel toto corpore, vel hypochondriis: quicunque hoc argumentum tractant, cuiuſque differentiæ propriam curationem inſtituunt, & ſumma cum ratione: ſiquidem iam ſæpius diximus, indicationem quæ ſumitur à natura partis, non poſtremum locum obtinere; quare nos quoque ſeparatim de ſingulis pertractabimus. Itaque ſi cerebrum primariò laboret, Paulus & Aëtius diſtinguunt: namque ſi morbus fuerit recens, docent illum frequentibus balneis, bona victus ratione & humectante, ſine ope aliorum præſidiorum poſſe curari, ſin autem morbus antiquus fuerit, tunc multis & validioribus præſidiis opus fore.

Curatio melancholia primariò cerebro laborante.

fore. Quam quidem diſtinctionnem illi videntur accepiſſe à Galen. 3. *de locis affect.* 7. qui hæc ſcribit: *Admonendi mihi ſunt amici, qui me frequentibus balneis, & victus ratione humida & boni ſucci hunc morbum curantem viderunt, ſine aliis præſidiis, vbi noxius humor ob longum temporis tractum nondum vacuationi reſiſteret, cum enim iam diuturnus factus eſt, tunc fortioribus auxiliis indiget.* Quo loco notandum eſt, Galen. indiſtinctè hanc ſententiam proferre, neque illam magis ad vnam, quàm ad alteram differentiam accommodare, quàm tamen ſicuti dixi, Paulus & Aëtius ad vnam tantummodo ſpeciem melancholiæ, capite primùm laborante, referunt. Alij verò de altera quoque differentia, toto corpore conſentire, eam interpretatur, neque, vt mihi quidem videtur, ſine ratione: imo verò ſi hæc res diligenter conſideretur, non minùs huic ſecundæ differentiæ, quàm alteri, balnea & proba victus ratio videntur poſſe vtilitatem afferre. Alij demum hunc locum interpretantur de melancholia hypochondriaca, qui mea quidem ſententia falluntur, ſiquidem Hip. & Gal. 3. *de ratione victus*, & 10. *metho.* docent laborantibus hypochondriis balnea non conuenire, imò verò ea multa pericula ſecum afferre.

Si igitur hæc melancholia capite primùm laborante, recens fuerit, proba victus ratione, balneis & opportuna animi oblectatione poteſt curari: at verò ſi fuerit antiquior, fortioribus præſidiis opus eſt. Tota autem ſumma huius curationis conſiſtit in tollenda cerebri intemperie frigida & ſicca, quæ generandi humoris melancholici cauſa eſt: ſed quoniam id non licet facere, niſi primùm totum corpus generaliter, deinde ſpeciatim caput vacuetur, idcirco neceſſe eſt, ante omnia totum corpus euacuare: & cum huiuſmodi communis vacuatio ad omnes differentias pertineat, ne idem ſæpius repetatur, ſatis fuerit ſemel eam tractare.

Indicationes.

Veruntamen hoc loco non eſt prætermittendus locus magni momenti, qui pertinet ad ſectionem venæ: namque Gal. ſermonem habens de hac ſpecie melancholiæ, ita inquit: *Vbi ſolum cerebrum melancholicum continet ſanguinem, quod ad hunc locum pertinet, ægro non expedit ſanguinem mittere: etſi propter aliam cauſam ſanguis illi mitti poſſit.* Quem quidem locum nonnulli, tanquam inſigne exemplum, nobis obiiciunt, qui aduerſus vetus decretum contendunt, tres principes ſcopos ad ſanguinis miſſionem non ſufficere: Ecce inquiunt, morbus eſt magnus cum cerebrum primariò laboret, neque hic poteſt afferri impedimentum, vel ætatis, vel virium, itaque tres ſcopi non ſufficiunt: vnde concludunt, quartum ſcopum neceſſariò requiri, nempe copiam ſanguinis, quam fore inſinuauit Gal. cum inquit, propter aliam cauſam ſanguinem illi mitti poſſe.

De ſectione venæ altercatio.

An tres ſcopi in ſang. miſſione ſufficiant.

Ego verò mihi videor dupliciter poſſe ad hanc difficultatem reſpondere. Primùm, ſi dixero, Galenum miſſionem ſanguinis hîc prætermiſiſſe, propterea quia morbus non ſit magnus: quæſo enim quomodo magnus eſt morbus, qui ſola victus ratione, & ſolis balneis poteſt curari? Cauſam autem propter quam Galen. docet ſanguinem hiſce melancholicis mitti poſſe, ego quoque ſimul cum aduerſariis interpretor, eſſe copiam ſanguinis: ſed illud addo, huiuſmodi plenitudinem non per ſe & primò, ſed quatenus morbi magnitudinem vel facit, vel facere poteſt, ſanguinis miſſionem poſſe indicare.

Secundò poſſum reſpondere, Galenum hoc loco eam tantummodo indicationem ſibi ante oculos poſuiſſe, quam ſuggerit humorum copia, quæ quidem reuerá, ſi ſola conſideretur, ſectionem venæ, ſicuti cacochymia purgationem deſiderat: vnde cum in toto corpore nulla ſit humorum redundantia, propterea neque miſſio ſanguinis videtur conuenire. At verò ſi huic indicationi alteram indicationem adiungas, quam ſeparatim indicat morbi magnitudo, quamque Galen. manifeſtè per ea verba inſinuauit: cum enim iam diuturnus factus eſt morbus, hoc eſt, vt ego interpretor, magnus; iam & ſectione venæ, & aliis fortioribus remediis opus eſt.

Poſt communem totius corporis & particularem capitis vacuationem, illud vnum reliquum eſt, vt frigida & ſicca cerebri intemperies tollatur, quod medicamenta partim externa, partim interna ſolent præſtare, quæ quidem humectandi & moderatè calefaciendi vim habeant: interiùs optima ſunt, conſerua roſarum, violarum, borraginis, bugloſſæ, fumi terræ, meliſſæ, ſunt ſyrupi, ſunt decocta & alia id genus, quæ vel ſeparatim, vel ſimul cum ſpeciebus aromatici roſati, diambræ, lætificantis Galeni, & ſimilibus, poſſunt adminiſtrari. Nonnulli vtuntur aquis thermarum temperatis, ſed cum omnes ſiccandi vi præditæ ſint, mihi inutiles, forte enim pernicioſæ videntur. Ad quem modum reiicienda quoque ſunt decocta ex ligno, ex ſalſa pariglia china, & ſimilibus, quæ ſiccandi vim habent, etſi illis hoc tempore multi vtuntur familiariter. Ego aliquando lacte humano, vel aſinino non ſine magno fructu ſum vſus, dummodo & ventriculus, & cæteræ corporis partes id poſſint perferre, de quibus Hipp. & Gal. 4. *aph.* 64. quod item de ſero lactis ſtatuendum eſt. Exteriùs familiaris, idemque optimus eſt vſus olei maturi, vnde laquæ oleo imbutæ commodè ad caput opponũtur: nonnulli maximè probant linimentum ex luteis oui & oleo amygdalarum dulcium: alij vtuntur perfuſionibus & lotionibus, ex rebus humidis & moderatè calidis; vt radice altheæ, maluis, ex betonica, capite & pedibus caſtrati, pedibus vitulorum; & ſimilibus. Sed ego inter cætera omnia duobus præſidiis vti ſoleo; quorum alterum eſt ſtillicidium ex oleo bene maturo, vel oleo amygdalarum dulcium recenti: alterum eſt vſus lactis quod ſupra caput, vel ex ipſo vbere animalis emulgetur, vel aliter funditur & adminiſtratur. Atque hactenus de curatione melancholiæ capite primùm laborante.

Alterantia.

Thermæ reiiciuntur.

Sequitur melancholia curanda ex conſenſu hypochondriorum, quæ aut difficulter, aut nulla ratione curatur: namque ſicut diximus, ex vna parte adeſt inflammatio ventriculi, vel alterius partis, ex altera ventriculus eſt refrigeratus, multoſque humores crudos & flatus generat: vnde ſi velimus iuuare & calefacere ventriculum, ſimul caliditas hypochondriorum augetur: ſi velimus refrigerare hypochondria, id ſine refrigeratione ventriculi fieri non poteſt. Verùm vtcunque ſit, indicationes curandi ſunt huiuſmodi: vacuatio vniuerſi corporis & hypochondriorum, roboratio ventriculi, refrigeratio partis primùm laborantis, ac demum corroboratio capitis ne illud tam facilè noxios humores & vapores recipiat. Quatenus ad primam pertinet, tractaturus ſtatim de communi corporis purgatione, illud vnum vos moneo; in hac ſpecie melancholiæ à vehementioribus & validioribus medicamentis cauendum eſſe, qualia ſunt ſcammonium, helleborus, & ſimilia: ſiquidem laborantibus ventriculo & partibus illi proximis, talia non conueniunt medicamenta: itaque ſatis fuerit leuioribus agere, & quæ à proximis tantùm

Curatio melancholiæ hypochõdriacæ.

Indicationes.

partibus,

partibus in quibus noxia materia continetur, trahere poſſunt, qualia ſunt ſena, epithymum, rhabarbarum: & ſit exemplum.

Purgans.

℞ *Fol. ſenæ,*
Epithymi, ana ʒ. iij. fiat infuſio in decocto borraginis,
Fumi terræ q. ſuf. & facta leui ebullitione.

℞ *Prædictæ infuſionis ℥. iiij.*
Rhabarbari electi ℈. iiij.
Syrupi violati ſol. ℥. ij. M. & fiat potio.

Inter cætera, maximè conueniunt clyſteria, quæ tamen non ſint admodum acria, ſed potius temperata, quæ ſimul poſſint & flatus diſſoluere, & æſtuantes partes refrigerare.

Clyſter refrigerans.

℞ *Fol. maluarum,*
Violarum,
Chamomillæ ana. M. j.
Seminum aniſorum ℥. j. ß. M. fiat decoctio.

℞ *Prædictæ decoctionis lib. j.*
Sacchari rubei,
Olei Chamæmelini completi,
Violati, ana ℥. ij. M. pro clyſtere.

Poſt vacuationem corporis & hypochondriorum, pars primariò affecta refrigeranda eſt, ac ſpeciatim ventriculus, qui ſemper laborat, roborandus eſt: itaque exteriùs pro refrigeratione ſunt, ceratum roſaceum Galeni, vnguentum roſaceum Meſuæ, & ſimilia, quæ vel ad iecur, vel ad partes calidiores apponenda ſunt. Ad iuuandum ventriculum frigidiorem ſunt fomenta ex decocto chamæmeli, roſarum, calamenti, baccarum lauri, ſeminum aniſorum: ſunt inunctiones, ex oleo nardino, maſtichino, & ſimilibus. Interiùs ſunt medicamenta quædam temperata, quæ ex communi regula, quod remiſſum agit in intenſum, ſimul valeat ventriculum calefacere, flatus diſſoluere, & partes calidiores refrigerare: & ſit exemplum.

Refrigerãtia externa.

Fomenta calefacientia.

℞ *Conſeruæ florum borraginis,*
Roſarum. ana. ℥. iij.
Specierum diamoſchi dulc.
Diacymini. ana. ʒ. j.
Syrupi roſ. recentis. q. ſuf. M. & fiat electuarium.

Verùm inter cætera hoc tempore multi familiariter vtuntur aquis thermarum, modò calidioribus, modò frigidioribus: nonnulli quoquo vtuntur ſero lactis; de quibus mea ſententia nihil certi ſtatui poteſt. Itaque diligenter animaduertenda ſunt, morbi cauſæ, morborum ſymptomata, ægri temperies, corporis habitus, ætas, tempus, anni, & ſimilia, ex quibus colligendum eſt, quidnam magis vrgeat, an magis refrigeratione, an calefactione opus ſit, & ſimul determinandum, quodnam remedium faciliùs æger poſſit perferre: in qua re debet Medicus oraculum Hippocratis memoria tenere, 1. *epid.* a. 50. vt in morbis proſit, aut ſaltem non noceat: ſiquidem experientia confirmat, hæc præſidiat, ſi opportunè adminiſtrentur, magnam ſæpenumero vtilitatem; ſi importunè, magna incommoda afferre.

Curatio melancholiæ ex conſenſu à toto corpore.

Venio ad tertiam differentiam, in qua ſanguis melancholicus in toto corpore continetur: in qua quidem curatione & de communi purgatione tractabimus, ſicuti ſumus polliciti, & cætera omnia conabimur complecti, quæ ad omnes differentias videntur poſſe accommodari. Itaque nulli dubium eſt, ſicuti diximus de duabus primis differentiis, quin in hac quoque principalis indicatio afferatur, vacuandi vniuerſi corporis: & quamuis non eadem planè purgandi ratio ſingulis differentiis videatur poſſe conuenire, tamen neque adeo mihi videntur differre, vt non ſingulari quodam exemplo communem omnium rationem liceat intelligere. Sed ſingula perſequamur.

Leniens.

Ad leniendam aluum mihi inter cætera caſſia maximè probaretur, quæ præter purgationem poteſt quoque partium internarum calorem quoquomodo remittere, eáque vel ſola cum ſeminibus aniſorum, vel ſimul cum modica hiera, poſſet exhiberi.

Lenita aluo nemo eſt ferè, qui non probet ſectionem venæ, & Auicenna inter cæteros generaliter docet, hoc remedium in omni melancholia conuenire, etiamſi addit Aretæus 1. *de morbis diuturnis cap.* 5 ægri ſint graciles & ſanguinis inopes: veruntamen docet perpetuò vitium, non ſolum præſentium, ſed etiam futurorum rationem habere, ac potiſſimùm cum fiat ſæpenumero vt ægri nolint comedere, & præter modum fiant emaciati, ac ferè exanimati: conſtantibus autem viribus vena omnino ſecanda eſt, quod quidem remedium poteſt & totum corpus vacuare, & à capite reuellere, & iecur refrigerare, & alias vtilitates afferre. Sed quænam vena ſecanda eſt? Si alicui retentæ eſſent hæmorrhoïdes, quæ ſuperiori tempore conſueuiſſent ſanguinem melancholicum profundere, aut mulieri eſſent retenti menſes, vel imminuti, in hoc caſu, ex præcepto Galeni & antiquorum, forent ſecandæ venæ inferiores, alioqui expedit venas ſuperiores ſecare. Sed hoc tempore communiter practicantes hæmorrhoïdas ſolent cum hirudinibus frequentiſſimè aperire, ſiue illæ antea fluere conſuetæ fuerint, ſiue natura nunquam huiuſmodi purgationem tentauerit: quibus Meſue inter cæteros maximè fauet, qui generaliter docet, in omni ſpecie melancholiæ prouocationē hæmorrhoïdum quam maximè conferre. Sed Medicus ex præcepto Galen. 3. *de locis affect.* 7. huic ſectioni venæ debet intereſſe, & qualitatem ſanguinis fluentis diligenter obſeruare: namque ſi ille non videatur eſſe melancholicus ſtatim ſupprimendus eſt; ſi verò appareat melancholicus, tunc pro viribus atque habitu corporis ægrotantis licet detrahere quantum ſatis fuerit. Quo loco Auic. duo tradit præcepta, digna maxima notione; alterum, tametſi principio ſanguis exeat ſubtilis, non propterea illum ſtatim fore ſupprimendum, cum eueniat ſæpenumero, vt præcedat ſanguis ſubtilis, & deinceps craſſus ſuccedat. Alterum, incisionem venæ amplificandam eſſe, ne per anguſtam inciſionem exeat tantùm ſanguis tenuior, & quod groſſum eſt, retineatur, & augeatur illius malitia.

Quæ vena ſecanda.

Præcepta Auicennæ.

Præparãtia humoris melancholici.

Lenita aluo, ſecta vena, iam de purgatione cogitandum eſt, ſed ante omnia præ cæteris omnibus morbis, oportet integram coctionem attendere: ſiquidem noxij humores ſunt craſſi & difficiles, itaque primò ſunt exhibenda ea medicamenta, quæ incidendi atque attenuandi vim habeant, qualia ſunt ſyrupus de ſucco borraginis, bugloſſæ, de fumo terræ ſimplicis, de pomis ſimplex: de lupulis: decocta cichorei, ceterach, meliſſæ, borraginis, de fumo terræ, & ſimilium. Vulgares medici, ſi non principio, ſaltem progreſſione temporis, vtuntur quoque ſyrupis compoſitis de fumo terræ, de epithymo, de polypodo, & ſimilibus, qui conficiuntur ex ſena, polypodio, epithymo, caſſia, & aliis purgantibus medicamentis; qui quidem ſyrupi tantùm abeſt vt coctionem efficiant, vt illam magis perturbent & impediant: quare vos ab iſtis perpetuò caueatis.

Purgantia melancholiam.

Concocta materia purganda eſt, ad quam purgationem

gationem multa ſunt accommodata, ſena, epithymum, polypodium, helleborus, lapis lazuli, diacatholicum, diaſenæ ſolutiuum, confectio bamecb; ſed inter cætera omnia tum ſimplicia, tum compoſita, cortices radicum hellebori nigri, principem locum obtinent, quod vel ex communi prouerbio poteſt conſtare, quo illi helleboro opus habere dicuntur, qui noo ſuot ſano animo: & ſanè certum eſt, antiquiores medicos, ad leuanda *Exempla.* mentis & capitis vitia, plurimum & frequentiſſimè hoc medicamento vſos fuiſſe.

℞. *Corticum radicum hellebori nigri* ʒ. ij.
Seminis aniſor.
Fœniculi,
Citri, ana ʒ. ß.
Cinamomi,
Caryophyll. ana ʒ. ß.
℞. *Prædictæ decoctionis* ʒ. iiij.
Syrupi roſ ſol. ℥. j. ß. *M.*
℞. *Confectionis hamech.* ʒ. iiij.
Sirupi de fumo terræ compoſiti,
Roſati ſol. ana ℥. j. ß.
Decoctionis fumi terræ,
Meliſſa,
Cichorei, q. ſuf. M. & F. potio.
℞. *Pilularum cochiarum cum helleboro* ℈. iiij. *fiant pilulæ v. & deaurentur.*

Purgatio repetenda. De purgantibus medicamentis illud ſciendum eſt, vnam purgarionem plerunque non ſufficere: quare nonnuuqoam & bis, & ſæpius, oportet eam repetere: in quo caſu licet à leuioribus incipere, & ad valentiora progredi. Neque hac in parte mibi conueoit cum illis, qui melancholia, & aliis id genus morbis difficillimis non niſi leuioribus vtuntur medicamentis; cenſeo enim magnis morbis magna quoque remedia conuenire.

Quid agendum ſi æger accipere medicamenta nolit. Sed dicat aliquis, ſi contingat, ſicut contingit frequenter, vt ægri nolint hæc medicamenta accipere, quidnam agendom eſt? Duplici ratione licet hoc incommodum deuitare, primùm, vt ægri minis, quandoque verberibus, & omni ſtudio cogantur ad illa aſſumenda: cum enim perpetuo timore opprimantur, hac ratione obedientes fiunt, & omnia accipiunt. Deinde iſti ſunt fallendi, permiſcendo medicamenta in ferculis. Exempli gratia, in ptiſana, in lacte, ſicut Gal. aliquando facere conſueuit: io quo caſu licet & ad Alchimiſtas confugere, qui & helleborum, & omnia medicamenta deſtillant, quæ cum ſint minima doſi, facile vel ſola, vel cum aliis poſſunt exhiberi. Iis duabus rationib. poſtremò licet addere nonnulla me*Medicamenta vmbilicalia.*dicamenta externa, quæ vulgo vmbilicalia appellantur, & expurgantibus medicamentis conficiuntur, atque ad vmbilicum appoſita ſolcot aluum mouere, quale eſt apud aromatarios emplaſtrum de atthanita, cui in hoc caſo poſſemus permiſcere cortices radicum hellebori nigri.

Reuellentia. Porrò ex ſecunda indicatione ad reuulſiones venieodum eſt, quare conueniunt frictiones, ligaturæ, lotiooes extremarum partium, cucurbitulæ clyſteria, & alia de quibus ſæpe diximus, verùm inter cætera apud communiter practicantes ſunt *An cauteria conueniant.* in frequenti vſu cauteria, quæ à capite creduntur quam maximè reuellere, vnde non ſolùm in brachiis & cruribus, ſed etiam in ſyncipite & occipite ſolent inuri, adeo vt neque deſint, qui caluariam audeant perforare: & Gordonius, ſuo tẽpore medicus celebris, narrat hiſtoriam de quodam melancholico qui acceperat vulnus in capite, adeo vt cranium fractum eſſet, quo tempore ab omni melancholia ſanus euaſit, quamdiu vulnus apertum fuit: ſanato autem vulnere, turſus eodem morbo correptus eſt. In cauteriorũ adminiſtratione equidem cenſeo admodum cautè procedendum eſſe, cum experientia demonſtret, melancholicis ea ſæpenumero nihil prodeſſe, quandoque etiam non parum obeſſe, fortaſſe quod bic humor craſſior oequeat euacuari: præterquam quod & cerebrum, & totum corpus magis quàm deceat, ſolet exſiccari. Itaque vos moneo, ne tam facilè & promptè ad hæc præſidia deueniatis, ſicuti medici noſtrorum temporum facere ſolent.

Intemperies corrigenda. Poſt hæc omnia illud reliquum eſt, vt intemperies membrorum principalium corrigatur ac potiſſimùm iecoris & ventriculi: quæ duæ partes præ cæteris ad coctionem ſunt deſtinatæ, etſi neque cerebri cura eſt prætermittenda, partim vt illud quoqoe proprium alimentum propè concoquat, partim vt à membris ioferioribus non tam facilè noxios humores & vapores recipiat. Hæc autem poſſunt præſtare partim medicamenta, cum interna, tum externa, de quibus ſatis diximus, partim & maximè congrua victus ratio, de qua Auicenna, ac ferè omnes diffusè tractant, adeo vt ſuperuacaneum ſit de ea longiùs agere.

Præcepta ad melancholiam curandam.

PRimùm, quod pertinet ad accidentia animi, I. danda eſt omnis opera, vt ægri, quantum fieri poteſt, omois mœroris, moleſtiæ & perturbationis fiãt immunes: quare ſiut præſto amici, ludi, muſica, & alia quibus per ſanitatem ſolebant delectari, vt animi hilaritatem illis conciliemus. Secundò II. diligenter cauendum eſt, ne medici vel domeſtici de ægrorum inſania ac deprauatis imaginationibus pertinaciùs velint cum illis contendere, quin potius omnes debent ad eorum voluntatem omnia loqui, ocque eos adhuc magis irritare, potiſſimùm verò arguto aliquo ſtratagemate ſtudendum eſt illos decipere, atque à ſemel concepta opinione remouere; qua ratione multi aiunt multos fuiſſe ſanitati reſtitutos: ſic apud Alexandrum eſt exemplum de illa muliere, quæ putabat ſe comediſſe ſerpentem: Tertiò ex præcepto Aëtij, io tota III. curatione quandoque ab omni remedio oportet abſtioere, & naturæ aliquam remiſſionem concedere, quæ aliquando ab aſſiduis remediis videtur affligi, quieſcens verò recreatur, & validiùs morbum ſuperat. Poſtremò id memoria tenendum eſt, melancholicos, quicunque ſemel in hanc IV. ægritudinem inciderint, opportunè ſingulis annis, non ſolùm vere, ſed etiam quandoque autumno purgandos eſſe, vel vnius Gal. teſtimonio, qui in lib. *quos & quando*, nec non *6. aph.* 47. hac ratione gloriatur ſe multos melancholicos ab iſthac labe præſeruaſſe.

CAPVT II.

De Mania.

TRactantes de melancholia diximus delirium fieri dupliciter, vel cum frebre vel ſine febre: atque hoc ſine febre eſſe duplex: alterũ quod melancholia, alterũ quod mania dicitur: iure itaque de mania eſt etiam agendum. *Mania* igi- *Definitio.* tur quam Latini *furorem* interpretantur, *eſt delirium ſine febre*; quod ex Galeno 3. *de locis aff.* 7. 2. *de ſympt, cauſis ad finem*: originem babet vel ex ſola calida cerebri intemperie, vel præterea ex cali- *Cauſa.* dis mordacibuſque humoribus, qoalis potiſſimùm eſt atra bilis: quam ſcieodum eſt ex Galeno 4. *aphor.* 22. 2. *de criſibus* 12. duplicem habere generationem: alteram ex ſanguine craſſo, ac veluti fæce, vbi immodicè excalefactus fuerit: alterum

Signa. ex flaua bile vehementer aſſata : vnde ſicuti in melancholia, prouenienre à ſolo humore melancholico, ægri perpetuo timore & mærore opprimuntur, ita è contra maniaci inordinata corporis motione feruntur, temerarij, iracundi, crudeles fiunt, qui amicos aſtanteſque morſibus, verberibus, aliiſque iniuriis lædunt, vt verè ferinos mores exprimant, ex quo maiori ex parte vinculis detinendi ſunt.

Quo actiones lædantur. & quomodo. Si quis quærat, quonam modo actiones principes, & quales in mania lædantur? Primùm certũ eſt illas non aboleri, non minui, ſed deprauari. Secundò veriſimile eſt omnes facultates laborare: ſiquidem hi ægroti non ſolùm imaginantur quæ non ſunt, ſed etiam inter turpe & honeſtum, inter bonum & malum, inter amicos & inimicos nullam diſtinctionem faciunt quæ deprauatam imaginationem & rationem manifeſtè demonſtrant. Sic forte etiam memoria vitiatur, tametſi Aëtius ſcribit *libr.* 6. 8 memoriam ſeruari, veluti licet cooiicere ex fabulis & cantilenis quas habent familiares. Hæc igitur maniæ eſſentia, cauſæ & ſigna ſunt.

Curatio. Curatio eadem eſſe debet quæ melancholiæ, præterquam quod ſicuti in melancholia ſtudemus moderatè calefacere & homectare, ita in mania *Indicationes* commoda præſidia vi refrigerandi & humectandi prædita eſſe debent, quod ſpeciatim monet Alexand. qoi ſcribit, eos medicos qui calidioribus antidotis & purgationibus vtũtur præſertim hiera, ægros adhuc magis furioſos & inſanos reddere, dum ſanguinem ad ſiccius & acrius conuertunt. *Lenientia aluum.* Itaque pro lenienda aluo caſſia foret præſtantiſſima, clyſteria ex decocto violarum, maluarum, lactucarum ex ſucco ptiſanæ, oleo violato. *Preparãtia.* Pro humoris pręparatione, ſyrupus violatus, de ſucco borraginis, de nenophare, de fumo terræ *Purgantia.* ſimplex decocta cichorei, capillorũ Veneris, nenupharis, bugloſſę, & ſimilium. Optima ſuot pro expurgatione confectio hamech ſimul cum caſſia, ſerum lactis cum epithymo, polypodio, ſyrupo violaru ſolutiuo.

Exempla.

℞. *Flor. caſſia nouiter extr.* ℥ *xij. Fiat bolus.*

Præparans.

℞. *Syrupi de ſucco borrag.*
Violati ſimplicis,
De nenuphare, ana ℥ ß.
Decoctionis lactucarum,
Nenuphar.
Cichorei, ana ℥. j. ß. *M. pro ſyrupo.*

Purgatio.

℞. *Confectionis hamech.* ℥. ß.
Syrupi viol. ſol. ℥. *iiij.*
Decoctionis ſupra ſcripto,
vel ſeri lactis q. ſuff. M.

Vena ſectio. Nulli aotem dubium eſſe debet, quin ante omnia conueniat ſanguinis miſſio, ſicut de phrenitide diximus, vel ſectis venis ſuperioribus vel inferioribus, pręſertim ſi hęmorrhoïdes vel menſes in mulieribus retenti eſſent. *Localia.* Poſt purgationem corporis vniuerſi, caput poſtremo loco, nec non totum corpus, & interiùs & exteriùs refrigerandum & humectandum eſt, pręcipuè verò ſtudendum ſomno, ad caput apponendo linimeota, irrigationes ex oleo violato, roſato, de papauere, ex *Balneum.* decocto maluarum nenupharis, lactucę, ſemperuiui, capitum papaueris. Sed ad humectandum & refrigerandum corpus vniuerſum nihil balneo aquę dulcis pręſtaotius eſſe poteſt. Interiùs ſunt *Interna.* conſerua roſarum, borraginis. bugloſſę violarum, coofectio diamargariton frigid. electuarium de gemmis, confectio diarhodon, trium ſandalorum, &c.

Alimenta ſint boni ſucci, ſed quę refrigerandi & humectandi vim habeant, de quibus ſępe diximus. *Victus.*

CAPVT XXIII.

De Inſania Lupina.

LYCANTRÓPIA eſt delirium ſine febre, *Diffinitio.* in quo ęger imaginatur ſe in lupum conuerſum eſſe, vnde nomen ſuſcepit. Ægroti potiſ- *Signa.* ſimùm Februario menſe interdiu latitant, noctu autem egrediuntur, & lupos in omnibus rebus imitantur. Atq; hinc ego puto originem habuiſſe antiquam & vulgarem opinionem, homines reuera in lupos conuerti, ac rurſus humanam formam recipere : ad quem modum ſcribit Pauſanias in deſcriptione Græciæ *lib.6.* olim memoriæ proditum fuiſſe, pugilem quendam Parrhaſium ex Arcadia, nomine Demænetum in ſacris Iouis Lycæi ſe in lupum vertiſſe, ac decimo rurſus anno priſtinam formam recuperaſſe, de quo exemplo & mirabili metamorphoſi Plinius *lib.* 8. *cap.* 22. Plato in 8. *de republica.* Hic morbus à Paulo Aëtio ex recentioribus verò ab Altimaro & reliquis, qui ferè omnia ad verbum tranſcribunt, reponitur inter ſpecies melancholiæ : ſed mea ſententia præter omnem rationem; cum potius ſub mania debeat collocari : etenim ſi diligenter ſingula eorum ſymptomata conſiderentur, oculi caui, lingua arida, totum corpus durum, areſactum, vlcere crurum inſanabilia, & alia id genus, quæ accuratè à Paulo & Aëtio commemorantur, facile eſt intelligere. hæc omnia non aliunde, quàm à redundante atra bile prouenire, atq; huiuſmodi ægrotos iure eſſe maniacos.

Ex quo id quoq; licet colligere, vnã atq; eãdẽ *Curatio.* curandi indicationem huic morbo & maniæ conuenire, adeo vt quæ de mania diximus, ad lycan- *Vena ſectio.* thropiam iure poſſint accommodari. Sed inter cætera omnia præſidia omnes ſecant venam vſq; ad animi deliquium, quia, vt nonnullis placet, ægri eo tèmpore circa initia veris multo craſſiore ſanguine reduodant : ſed vt ego puto, quoniam maximus & extremus eſt morbus; ad quem modum Galenus quoq; in vehementiſſimis doloribus, in maximis inflammationib. ardentiſſimis febrib. tam copioſam ſanguinis miſſionem probat. Tota por- *Balnea.* rò ſumma huios curationis conſiſtit in alimentis *Lac.* boni ſucci, balneis aquæ dulcis, potione lactis & *Serum.* ſeri lactis, & aliis præſidiis id genus, cum internis tum externis, quæcumquę ſomnum conciliare, ac ſummam illam tum capitis tum corporis vniuerſi ariditatem poſſunt emendare.

GAPVT XXIV.

De Catharro.

CAtharrus vel deſtillatio eſt vox æquiuoca, *Nominis ratio.* quare ante omnia diſtinguenda eſt : ſcribit Plato 3. *de republica ad finem.* catharrum tempore Socratis nomen fuiſſe, quod generaliter exuperantium humorum fluxionem ad quaſcunque corporis partes ſignificabat, poſteriores autem medicos coactos fuiſſe noua nomina inuenire. Sic Galenus 3. *aph.* 12. *Seniores autem*, &c. interpretatur de iis deſtillationibus, quæ per venas à capite ad partes infernas feruntur : huiuſmodi autem deſtillationes, vt dicebat Plato, varia nomina ſortitæ ſunt, prout materia à capite fluens varias corporis partes occupat, & varias ægritudines facit.

Exempli

Exempli gratia, ſi deſtillatio petat pulmones, dicitur aſthma: ſi fauces, dicitur angina: ſi artus, arthritis: & ſic reliquæ variis nominibus appellantur, adeo vt non defuerint, qui velint omnes morbos eſſe catharrum.

Verùm præter hanc generalē catarrhi ſignificationem magis reſtrictè & propriè catarrhus dicitur, vbi excrementa ad proximas oris partes deſcendunt: in qua ſignificatione medici frequenter catarrhum ſolent accipere, qui quidem certas quaſdam habet appellationes, prout materia ad hanc vel illam partem defluit. Namque ſi à capite excrementum in os defluit, *κατάῤῥους* Græcè, Latinè *deſtillatio* dicitur: ſi verò ad nares deſcendat, *κόρυζα* Græcè, Latinè *grauedo* dicitur: vbi autem fauces humore imbuuntur, Græcè *βράγχος*, Latinè *raucedo* vocant: quæ doctrina eſt Gal. 3. *de ſympt. cauſis* 5. Ex quibus facile eſt intelligere catarrhum non eſſe morbum, non cauſam morbi, ſed ſymptoma excrens immutatum: nec non in catarrho cerebrum vel vt partem ſimilarem, vel vt partem inſtrumentalem, vel per ſe, vel conſenſum alterius partis perpetuò laborare, adeo vt ſine male affecto cerebro nulla vnquam deſtillatio fieri poſſit: quod pariter à Galeno traditum eſt. 1. *de ſympt. cauſis* 4.

Quid ſit.

An morbus thoracis.

Ex quo neque difficile eſt eam dubitationem diſſoluere, vtrùm catarrhus inter morbos capitis, aut thoracis debeat collocari, cum Medici modò vni, modò alteri parti illum adſcripant. Namque ſi ex vna parte catarrhus ſine laborante cerebro eſſe non poteſt, ex altera autem ille propriè non magis ad thoracem, quàm ad alias partes pertinet, ad quas contingit excrementum defluere, ſatis debet conſtare vniuem catarrhum ad cerebrum pertinere, Rhaſimque ſumma cum ratione de illo inter morbos capitis tractare, cæteros autē præter rationem inter morbos thoracis eundē reponere.

Quomodo catarrhi generentur.

Cæterùm ſi quis cupit intelligere, quonam modo generaliter catarrhi generentur, is memoria teneat, quod omnes fatentur Medici ac ſæpiſſime traditum eſt à Galeno, nempe ſingulas partes noſtri corporis aſſiduè ad ſe trahere ſanguinem, vt illo nutriantur: quod ſi huiuſmodi partes optimè ſe habeant, ac præterea ſanguis ſit probus, tunc optimam fieri coctionem, adeo vt totus ferè ſanguis in ſubſtantiam earum conuertatur, & pauca admodum excrementa generentur: contrà verò ſi aut partes ſint malè affectæ, aut ſanguis ſit improbus, aut ſimul vtrumque malum conueniat, tunc vitioſam fieri concoctionem, parumque ſanguinis in ſubſtantiam partium tranſire, multa autem excrementa generari. Namque hæc eadem planè eſt ratio, cur deſtillationes generentur, vt eleganter ſcribit Gal. 7. *de vſu partium*. 1. Etenim ſi cerebrum nullo vitio laboret, ſanguiſque ad illud fluens ſit laudabilis, tunc aliter fieri non poteſt, quin propterea fiat concoctio, & pauca admodum generentur excrementa, quæ facilè per opportunos & naturales meatus ſolent purgari, quandoquidem ex maximis & præcipuis naturæ curis illa eſt, vt omnia excrementa ex omnibus partibus corporis expurgentur, ac maximè ſi hæ partes fuerint principes, quale eſt cerebrum contrà verò ſi cerebrum malè affectum, aut ſanguis vitioſus fuerit, aut vtrumque vitium concurrat, tunc omnis ratio colligit alimentum fore exiguum, excrementa autem plurima: quæ quidem cum nimia copia, ſæpius etiam mala qualitate ſint naturæ moleſta, neque ab ea poſſint gubernari, ad partes cerebro ſubiectas, per vias alioqui latè patentes ſolent præcipitari; cum ita natura comparatum ſit quod Gal. docet. 2. *de diff. feb. vltimo, de cauſis morborum* 6. 3. *de facult. naturalibus*. 13. vt vnaquæque pars noſtri corporis ſemper ſtudeat ad alias partes propellere, quæcunque illi moleſta & noxia ſunt. Quamobrem Gal. appoſitè catarrhum diarrhææ aſſimilauit 3. *de ſympt. cauſis*. 2. Nam quemadmodum diarrhæa ob ventris cruditatem, ita certum eſt catarrhum prouenire, quod cerebrum improbè ſuam coctionem faciat.

Differentia.

Cauſa.

Sequuntur differentiæ catarrhi, inter quas illæ ſunt notandæ, quæ ſumuntur ex cauſis, de quibus cauſis non omnes conueniunt. Ariſtot. 2. *de part. animalium* 7. vnam tantummodo catarrhi cauſam videtur conſtituiſſe, intemperiem cerebri frigidiorem, qui docet excrementa ſanguinis ſurſum delati à cerebro refrigerari, concreſcere, atque ita pituitæ fluxiones fieri, ſicut in magno mundo de generatione imbrium contingit, quos conſtat non aliter fieri, quàm vaporibus vi caloris ex terra in ſublime eleuatis, qui vbi ſuperiorem aëris frigidiorem partem attingunt, refrigerantur, & in aquam vertuntur, quæ rurſum in terram cadit Philoſopho videtur conſentire Auic. 5. 3. *cap. proprio*, qui huius rei aliud exemplum affert, nimirum de alembico plumbeo in quo vapor rei deſtillandæ ſurſum aſcendit, à plumbi frigiditate concreſcit, & in aquam vertitur.

Sed Gal. magis appoſitè & verè mihi videtur catarrhi cauſas tractare, qui 3. *de ſympt. cauſis*. 4. docet, cerebrum deſtillationis cauſam eſſe dupliciter: vno modo tanquam partem ſimilarem, altero tanquam inſtrumentalem: itaque prima ratione illud laborat intemperie, ſecunda ratione laborat nimia repletione.

Et ſi quis quærat, qualiſnam cerebri intemperies catarrhum poſſit efficere, etſi Gale. & loco citato, & 3. *de locis aff.* 5. duas tantum, caliditatem & frigiditatem commemorat: tamen ego puto illum tanquam exempli vſum fuiſſe, neque cæteras duas, humidatem & ſiccitatem fore prætermittendas. Cum enim iam ſtatutum fuerit, catarrhum non aliter fieri quàm vitiata cerebri coctione, ſi quælibet cerebri intemperies, cum ſimplex, tum compoſita, poteſt coctionem vitiare, quod omnes fatentur, cui dubium eſſe poteſt, catarrhum ex qualibet cerebri intemperie fieri poſſe?

Prima igitur eſt frigiditas; quæ manifeſtiſſimè cerebri coctionem lædit ex quo multa generantur excrementa, quæ deinceps reddita craſſiora deſcendunt, & deſtillationem faciunt.

Secunda eſt caliditas, quæ etſi ad coquendum eſt maximè apta, tamen cum multum attrahat; & ſæpenumero pluſquam poſſit coquere, hac ratione excrementorum & deſtillationis cauſa ſtatui poteſt.

Tertia eſt humiditas, quam certum eſt partem laxiorem & debiliorem reddere, neque aſcendentes vapores ſatis poſſe exſiccare, coquere & diſſoluere.

Poſtrema eſt ſiccitas, quæ quidem etſi ad robur cerebri atque illius coctionem videtur facere, tamen ſi vehementer augeatur, ſicut in ſenibus contingit, nulli dubium eſſe debet, quin coctionem lædat, & excrementis deſtillationibuſque occaſionem præbeat.

Neque verò dubium eſt, quin huiuſmodi intemperies, non ſolùm ſimplices, ſed etiam compoſitæ poſſint deſtillationem efficere, inter quas calida & humida, frigida & humida, principem locum obtinent. Eſt præterea cerebrum tanquam pars inſtrumentalis, ſi nimiùm repleatur, deſtillat onis cauſa: ad quem modum ex crapula, ebrietate, & aliis erroribus, plurimi vapores

& humores ſurſum feruntur, qui cum nequeant concoqui, deiiciuntur à natura, & ita catarrhus efficitur.

Quod ſi quis præterea cupiat cauſas quoque externas intelligere, vno verbo ſunt illæ omnes quæcumque cerebro vel tanquam parti ſimilari, vel tanquam parti inſtrumentali poſſunt aliam noxam afferre, atque id efficere, vt cerebrum tot redundet excrementis, quot diſtillationem poſſunt facere.

A copia

Secundo loco ſunt differentiæ deſtillationis à copia & quantitate materiæ. Etenim quædam eſt pauca, quædam mediocris, quædam multa: adeo vt quandoque periculum immineat ſuffocationis.

A qualitate.

Tertiò, ſunt differentiæ ex qualitate deſtillantis materiæ, quæ multis modis poteſt conſiderari: nam alia eſt calida, alia frigida, alia tenuis, alia craſſa: ex colore, alba, flaua, liuida, nigra: ex odore, quædam fœt, quædam caret, odore: ex ſapore, alia eſt dulcis, alia amara, alia ſalſa, alia nullum refert ſaporem: ex forma, alia rotunda, alia liquida; & ſimiles, quæ omnes differentiæ ſub qualitate poſſunt comprehendi.

A modo eiiectionis.

Quartò, ſunt differentiæ ex modo quo materia eiicitur: namque alia cum tuſſi, alia cum vomitu, alia cum ſcreatu, alia cum ſimplici expuitione: qui quidem varius modus manifeſtè varios locos indicat, in quos cadit deſtillatio: ſiquidem quæcunque ore exeunt vomitione, ex gula & ventriculo; tuſſi ex partibus reſpirationi ſeruientibus: ſcreatu ex faucibus & gurgulione, ſimplici ſpuitione, ex ore ſolent deduci, vt docet Gal. 4. *de locis aff.* 7.

A modo generationis.

Quintò, ſunt differentiæ à modo generationis; deſtillatio alia fit cerebro primùm laborante, alia per conſenſum aliarum partium. Cerebrum primariò laborat intemperie ſicut diximus; per conſenſum autem vel totius corporis in quo ſanguis vniuerſus vitioſus continetur, vel per conſenſum determinatæ partis, ac potiſſimùm ventriculi, iecoris vteris in mulieribus, ex quibus frequenter plurimi humores & vapores in caput feruntur, & deſtillationes contingunt.

A tempore.

Sextò, ſunt differentiæ à tempore: catarrhus alius recens, alius antiquus.

Poſtremò, ſunt differentiæ à coniunctis; deſtillatio vel eſt cum febre, vel ſine febre; in corpore vel boni habitus & robuſto, vel extenuato & debili, in ſeniore, vel iuuene, & ſic de cæteris.

A coniunctis

Quo loco notandum eſt, quod ſupra diximus, huiuſmodi omnes differentias vel ad cognitionem, vel ad prognoſticum, vel ad curationem eſſe quàm maximè vtiles. Exempli gratia; ſi materia deſtillans fuerit tenuis & ſalſa, calidam cerebri intemperiem indicat, neque magno caret periculo; contrà ſi ea craſſa fuerit, inſipida, intemperiem frigidam & longè minus periculum ſignificat. Si catarrhus fuerit in valdè ſenibus, ex 2. *aph.* 40. nullam recipit curationem. Si fuerit cum febre, omnes ſecant venam; quod item de cæteris differentiis facile eſt colligere & demonſtrare.

Signa.

Signa præſentis deſtillationis ſunt manifeſtiſſima: ſunt etiam plurima ſigna differentiarum manifeſta ex ægrorum relatione. Cerebro primariò laborante, ſi intemperies calida fuerit, facies erit colorata, deſtillans materia erit denſior, quandòque actu calida, ſaporis amari, ſalſi, coloris flaui, viridis, aderunt vigiliæ, iuuabunt refrigerantia; præceſſere victus ratio, aër & ſimilia quæ potuerunt calefacere. Si verò intemperies frigidior fuerit, tunc apparebunt ſigna iis oppoſita, facies pallida, materia aquoſa, quandoque actu frigida, os alba, omni ſapore deſtitutum, ſomni longiores, calefacienta iuuabunt, præceſſerunt quæ refrigerandi vim habent: quod item de cæteris ſtatuendum eſt. Quod ſi altera ex parte cerebrum non primariò, ſed per conſenſum laboret, tunc nullum malè affecti capitis indicium apparebit: itaque oportet inueſtigare, qualiſnam ſit intemperies ventriculi & aliarum partium, quomodo vniuerſum corpus ſe habeat, qua ratione ſingulæ coctiones perficiantur: ex quibus facilè eſt locum conſentientem & laborantem inuenire.

Curatio intemperiei calidæ.

Aggrediamur nunc curationem deſtillationis eius quæ ex intemperie calida originem habet. Hîc autem memoria tenendum eſt, vbicunque eſt deſtillatio, ibi neceſſariò materiam in capite contineri: quare præcipuè ſeſe offert indicatio vacuandi capitis: verùm cum id non liceat ſine præcedente totius corporis vacuatione, idem omnium primùm totum corpus vacuandum eſt: deinde ad reuulſionem, ac poſtremò ad capitis alterationem per contraria deueniendum eſt. Verùm iis indicationibus liceat ſatisfacere, citò an tardè, facilè an difficulter, id potiſſimùm ex differentiis licet colligere. Namque deſtillatio per conſenſum partium inferiorum, & quæ recens adhuc eſt, ſine dubio faciliùs & citiùs curatur, quàm altera cerebro primariò laborante, & quæ antiquior fuerit. Sic pauca materia, frigida, dulcis vel inſipida, non fœtens, non rotunda ad nares vel os defluens, longè minus negotium & periculum affert, quàm ſi ea fuerit multa, calida, amara, ſalſa, fœtens, rotunda, & ad pulmones decumbat. Eadem ratione febris adiuncta, macies, ætas ſenilis, ſine dubio longiorem & difficiliorem curationem arguit. Sed rem aggrediamur, & primùm calidam cerebri intemperiem incipiamus.

Quod ad primam agitur pertinet indicationem, ſi morbus non vrgeat, aluus lenienda eſt, & inter cætera caſſia foret præſtantiſſima. Deinde ad ſectionem venæ deueniendum eſt, quod quidem remedium Meſues ſcribit in tribus caſibus conuenire. Primo, ſi catharrus fuerit calidus, in corpore calido, in quo ſit oculorum rubedo, & venarum plenitudo. Secundo, ſi catarrhus ſit calidus declinans ad oculos valde: aut qualiſcunque ſit, & terminetur in faucibus, in pulmone, aut coxis, aut diaphragmate. Tertio, ſi catharrus fuerit cum febre.

Venæ ſectio Leonicus.

Sed quæſo conſideretis quàm huiuſmodi doctrina ſit inepta & confuſa: etenim ſi debet medicus omnes huiuſmodi conditiones attendere, aut nunquam aut rarò in catarrho ſanguinem mittet: vos autem Hip. & Gal. audiatis: quare ſi catarrhus fuerit magnus, quod ex traditis differentiis licet intelligere, qualiſcunque ille fuerit, conſentientibus viribus & ætate, perpetuò accedatis ad venæ ſectionem, quæ ſit cephalica, ſanguiſque extrahatur pro ratione plenitudinis, habitus corporis, & rerum ſimilium. Deinde materia coquenda, & præparanda eſt cum ſyrupo roſato recenti, & ſucco endiuiæ, & ſi ea peteret pulmones cum ſyrupo de farfaria, violato, cum decoctione borraginis, capillorum veneris, cichorei, farfariæ, liquiritiæ. Quod ſi huiuſmodi materia foret admodum calida & acris, tunc licet deuenire ad ſyrupum de papauere, ad decoctionem lactucarum, & ſimilia. Apparente coctione purgationem adhibeatis cum rhabarbaro ſyrupo roſaceo ſolutiuo, pilulis aureis, electuario de ſucco roſarum & ſimilibus.

Præparantia.

Purgantia.

Reuellentia.

Poſt communem corporis vacuationem, ex ſecunda indicatione ad præſidia reuellentia veniedũ eſt, de quibus ſæpe diximus: ſed inter cætera hoc

tempore

tempore ſunt admodum familiaria cauteria, quæ partim cruribus & brachiis, partim ſyncipiti & occipiti imponantur: de quibus alias vos monui cum Gal. 6. *de tuenda val.* 9. 2. *de med. ſec. locos* 2. ea non ſine iudicio & indifferenter eſſe adminiſtranda, quandoquidem, ſi cerebrum calida intemperie laboret, longè magis nocent quàm proſint.

Caput purgantia. Interea ad propriam capitis purgationem veniendum eſt, quæ cum per duas præcipuè partes, nimirum per os & per nares poſſit fieri, in præſenti caſu altera quæ deducit materiam ad os, minus videtur conuenire, quòd hinc periculum immineat ne humores faciliùs ad ſubiectas & nobiliores partes præcipiuntur, quare altera per nares longè commodior cenſenda eſt.

Cerebrum roborantia & frigefacientia. Poſtremò autem ad cerebri prouidentiam oportet deuenire, ne id nobis contingat quod Galen. 6. *de tuenda ſanit.* 9. pleriſque ſui temporis medicis obiiciebat, quorum alij oris, alij narium, alij ventriculi, alij cæterarum partium ad quas deſtillatio decumbit, curam ſuſcipiebant, cum tamen magis neceſſarium fuiſſet cerebrum tanquam mali fontem curare. Multa autem ſunt quæ calidam cerebri intemperiem poſſunt emendare: inter cætera Galen. *loco citato de tuenda valetudine* maximè probat balneum aquæ dulcis, quod præſtantiſſimum eſt: ſic parari poſſunt lotiones & perfuſiones ex roſis, violis, myrtho, lactucis, maluis, capitibus papaueris albi, & quibus memoria perpetuò teneatis, nonnulla moderatè calida, chamæmelum, anethum, ſemina aniſorum, aut quid ſimile perpetuò permiſcendum eſſe: namque hæc medicamenta calida moderatè impoſita, ſunt tanquam vehiculum, vt medicamenta frigidiora faciliùs penetrent & ad partem affectam deducantur: ſic perfuſio cum oleo roſaceo, omphacino, violaceo, aut ſimili, optima foret. Interiùs ſunt conſerua roſarum, violarum, nenupharis, confectio diachodon, diacodium, & ſimilia.

Victus ratio. Alimenta ſint boni ſucci, & eadem cum medicamentis facultate prædita: de quibus illud notandum eſt, medicos generaliter in catarrho tenuem victus rationem inſtituere, vnde eſt vulgaris verſiculus: *Eſuriant, vigilent, ſitiant, qui rheumata curant.* Veruntamen ſciatis hanc tenuem victus rationem in catarrho calido haud prorſus conuenire, cum periculum immineat, ne ita humores adhuc magis incaleſcant & vrantur, ex quibus poſtea neceſſe eſt malum augeri.

Curatio frigida intemperiei Lenient. Si autem deſtillatio ea frigida intemperie oriatur iiſdem indicationibus agendum eſt: pro leniendа aluo hiera cum caſſia, mel roſa. ſol. cum manna forent optima. Si morbus fuerit magnus, vel immineat magnus, conſentientibus viribus & ætate, nullo modo venæ ſectio eſt prætermittenda,

Vena ſectio. Præparátia. quæ tamen ſumpta indicatione ab humore noxio, fiat moderatè. Pro coctione materiæ primùm quidem conueniunt leuiora qualia ſunt mel roſaceum, ſyrupus de betonica, oxymel ſimplex, decocta ſaluiæ, betonicæ, liquiritiæ. Deinde valentiora, ſyrupus de duabus vel quinque radicibus, de hyſſopo, de praſſio, de ſtœchade, oxymel compoſitum, decocta hyſſopi, origani, pulegij, calamenthi. Apparente coctione purgatio eſt inſtituenda

Purgantia. per medicamenta ſimplicia, agaricum, rhabarbarum, turbith: compoſita cum pilulis de hiera, cum agarico, cum pilulis cochiis, electuario diaphenicon, hiera Pachij, & ſimilibus: quæ quidem purgatio ſæpe vnica non ſufficit, ſed & bis & ter repetenda eſt, cum materia ſit frigida, & plerunque rebellis, vt non ita facilè & citò poſſit purgari.

Reuulſoria. Secundò, pro reuulſione omnia conueniunt, ſed inter cætera, glandes, & clyſteria acriora principè locum obtinent. Namque verò hic cauteria quoque ſunt prætermittenda, quæ in materia frigida vel ea Gal. ſententia 6. *de tuenda val.* 9. videntur conuenire.

Caput purgantia. Poſt hæc cerebrum ſpeciatum purgandum eſt, & cum ex hac frigidiore materia nullum ferè periculum partibus inferioribus videatur imminere, non ſolùm errhinis, ſed etiam apoplegmatiſmis licebit vti.

Caput calefacientia. Demum verò ipſum cerebrum calefaciendum & roborandum eſt, & multa ſanè ſunt quæ id præſtant:

Lotiones. Perfuſiones. exteriùs ſunt lotiones & perfuſiones capitis ex decocto abſynthij, betonicæ maioranæ, ſerpilli, hyſſopi, calamenthi, ſeminum odoratorum, agarici, & ſimilium:

Linimenta. Stillicidia. ſunt linimenta & ſtillicidia ex oleis, chamæmelino, nardino, liliorum alborum, rutaceo & ſimilibus. Nonnulli vtuntur lotione capitis ex vino generoſo aromatico, cui præterea addunt caryophilos, gingiber, piper & ſimilia: ſed recentiores familiariter vtuntur

Aqua thermales. aquis thermarum calidiorum, neque ſolùm pro ſtillicidio, ſed etiam pro potione: quod quidem præſidium experientia confirmat maximam ſæpenumero vtilitatem afferre. Interiùs conueniunt ſyrupi, decocta conſeruæ ea betonica, ſaluia, hyſſopo, roſmarino; ſunt diacyminum, diamoſchum, diachalamenthum, mithridatium, theriaca, & ſimilia.

Atque hactenus de capite primariò laborante: namque ex iis veluti exemplis facile eſt cuique cæterarum quoque intemperierum curationem conſtituere. Si autem deſtillatio proueniat ea conſenſu aliarum partium, vel vniuerſi corporis, vel alicuius partis, non eſt de iis hoc loco longiùs agendum, quoniam pertinet ad alias tractationes.

DE AFFECTIBVS OCVLORVM.

CAPVT XXV.

De Ophthalmia.

RHaſes poſt caput de catarrho agit de affectibus oculorum, quæ tractatio reſpondet 4. lib. Gal. *de comp. med. ſecundum locos* ex quo nonnulli cenſuerunt hunc quartum librum Galeni eſſe tertio præponendum; ſiquidem oculi ſunt nobiliores, proximiores & forte magis apti ad ſuſcipienda mala ex cerebro, quàm ſint aures, & nares, de quibus Gal. in *lib.* 3. ſermonem habet. Sic Ariſt. 2. *de anima*, primò de ſenſu viſus, tum de cæteris pertractat.

Plurimi morbi oculorum. Quoniam verò Rhaſes à præſenti cap. vſque ad cap. 54. de ſolis oculis agit, ac reuera morbi oculorum ſunt propemodum infiniti, adeo vt apud antiquos medici fuerint, qui non alios quàm oculorum morbos curarent, & propterea medici ocularij dicebantur, quorum meminit Gal. 6. *aph.* 31. cùm non poſſimus ſermonem habere de omnibus, mihi ſtatutum eſt tres oculorum morbos ſeligere: ophthalmiam, morbum in intemperie: ſuffuſionem, morbum in mala compoſitione: vlcera, morbum in ſoluta vnitate: ad quos cæteri omnes videntur quoquo modo poſſe referri.

De oculo tam admirando viſionis inſtrumento multa quidem forent dicenda, in primis autem illius anatome eſſet tradenda, ſine qua eius morbi neque cognoſci, neque curari poſſunt: ſed quoniam hæc alibi habentur, ſtatim aggredior ophthalmiam, quæ inter eos morbos numeratur à Galen. 1. *morb.* 2. qui à læſa particula nomen recipiunt. Celſus & cum eo Latini, lippitudinem appellant.

Ophthalmia Definitio. Quid ſit ophthalmia, declaratur à Gal. *de different. morb.* 13. 2. *ad Glaucum*, 2. nempe inflammatio illius

membranæ quæ corneæ tunicæ adhæret, quam propterea adnatam, adhærentem, Barbari coniunctiuam appellant, quòd totum oculum ferè contineat, & vicinis partibus committat.

Si quis obiiciat, Gal. aliter ſentire, qui 4. *de med. ſecun. locos cap. proprio*, ſcribit, ophthalmiam eſſe inflammationem tunicæ, os capitis & caluariam ambientis; facilis eſt reſponſio ex eodem Galen. quod Celſus confirmat nimirum adnatam tunicam ex pericranio originem habere, ab eo per mediam frontem, & tempora vaſa in oculos deferri, & vno verbo, membranam ambientem caluariam, & tunicam adnatam quæ oculos amplectitur, vnam & eandem eſſe.

Ophthalmia quomodo generetur. Si quis autem quærat, quomodo iſthæc inflammatio in oculo generetur? Reſpondeatis eam fieri ſicut reliquæ inflammationes fiunt: in quibus ſcribit Gal. *de inæquali intemperie* 3. fluentes humores primùm venas maiores occupare, deinde ad minores tum ad minimas, ac poſtremò ad inania ſpatia peruenire. Ex iis facile eſt intelligere, quod modò diximus, ophthalmiam eſſe morbum in intemperie cum materia; docente Galen. *de diff. morborum* 5. *de cauſis mor.* 6. huiuſmodi morbos ex intemperie, tam ſimplices, quàm compoſitos cum affluxu materiæ, non alios eſſe quam tumores præter naturam: etſi non ignoto Auic. 2. *primi*, & recentiores prope omnes qui Auicen. ſequuntur, ponere, omnia morborum genera, intemperiem, malam compoſitionem, ſolutionem continui, continere.

Differentiæ I. Differentiæ ophthalmiæ ſunt plurimæ, ac primùm ſunt differentiæ à loco affecto, quæ varia quoque nomina ſortitæ ſunt, de quibus cum plerique omnes admodum confusè tractent, ita habendum eſt. Namque ſi lenis quædam inflammatio, ac veluti inflammationis præludium ſine diſcrimine oculi partes inuadat, quæ cum rubore quidem ac dolore, ſed exiguo & miti fuerit, Græcè τάραξις Latinè *conturbatio* vel *perturbatio* dici poteſt. *Taraxis.* Nonnulli ſecuti Paulum, addunt à cauſa externa, ſole, fumo, puluere, & ſimilibus, hoc malum excitari: ſed nihil prohibet, meâ ſententiâ, quin à cauſa quoque interna fieri poſſit, vitio ventriculi poſt nimiam potationem, & alios errores id genus. Si verò palpebræ tantummodo inflammationem patiantur, quæ mutuem hæreant, vt oculus nequeat aperiri, Græcè φίμωσις dicitur, *Phimoſis.* Latinè *perclusio* quædam, & quaſi ligatio earum partium, quæ ſecundùm naturam apertæ eſſe debent: contra tamen ſi oculus apertus maneat, neque claudi poſſit albo nimirum oculi in tumorem ſublato, atque eminente, nigro verò ſubſidente, Græcè χήμωσις appellatur: *Chemoſis.* in quo affectu præter ruborem & inflammationem, vt inquit Paulus, proprium ſignum eſt palpebrarum conuerſio, quæ ſimul iungi non poſſunt. Demum ſi adnata vel coniunctiua tunica inflammatione laboret, ophthalmiam eſſe certum eſt. *Ophthalmia.* Ergo vnico verbo τάραξις, quam multi ὀφθαλμίας non veram appellant, eſt affectio omnium oculi partium communis, φίμωσις palpebrarum, χήμωσις albi oculorum, ὀφθαλμία adnatæ membranæ.

II. Secundo ſunt differentiæ à cauſis, de quibus non conueuit inter omnes: ſed nos Galeno acquieſcamus qui 13. *meth.* 22. 2. *ad Glauc.* 1. docet, ophthalmias ab omnibus humoribus, ſanguine, bile, pituita, melancholia, ſed potiſſimùm à ſanguine & flaua bile fieri poſſe. Cauſæ autem externæ ſunt omnibus manifeſtæ, venti, calores, contuſiones, vulnera, & alia id genus, quæcunque humorum fluxionem ad oculos poſſunt excitare.

III. Tertiò ſunt differentiæ à temporibus morbi principio, augmento, ſtatu, declinatione: quæ maximè pertinent ad curationem: ſiquidem pro varia temporum ratione, varia quoque remedia debent adminiſtrari.

Quartò ſunt differentiæ à qualitate inflammationis: namque ſicuti apud Gal. 2. *ad Glauc.* 1. contingit omnes inflammationes eſſe duplices, alteram humidam, quæ ex calida fluxione membrum occupante euenit; alteram ſiccam, quando nullo humore influente calor natiuus igneus redditur: ita ophthalmia quædam eſt humida, qualis iam eſt definita; quædam eſt ſicca, quæ non ſimpliciter ὀφθαλμία ſed ξηροφθαλμία nuncupatur: de qua differentia ophthalmiæ ſiccæ, atque eius cauſis, loquitur Gal. 3 *aph.* 14. & 16. IV.

Quintò ſunt differentiæ à magnitudine & paruitate. V.

Sextò ſunt differentiæ à modo generationis: namque humores efficientes inflammationem ad oculos defluunt, vel à ſuperioribus, vel ab inferioribus partibus. VI.

Poſtremò ſunt differentiæ à coniunctis: ſic alia eſt cum febre, alia ſine febre: alia cum dolore capitis, alia ſine dolore. & ſic de cæteris. VII.

Signa ophthalmiam præſentem demonſtrantia, quamque ſingulæ differentiæ diſtinguunt, ex iis quæ diximus ſiunt ſatis manifeſta, præterquam quòd omnes, & veteres & recentiores illa diligentiſſimè deſcribunt, vt ſuperuacaneum mihi videatur in illis deſcribendis tempus conſumere: itaque venio ad curationem. *Signa.* Neque verò eſt vt repetamus hoc loco eam methodum curandi non ſolùm inflammationes, ſed etiam cæteros morbos quicunque ex fluxione humorum originem habent, cum manifeſtum ſit, hac ipſa ratione curari inflammationes oculorum, præter illam propriam indicationem, quam ſuggerit natura partis laborantis. *Curatio.* Ergo prima fuerit indicatio vacuandi vniuerſi corporis: pro qua cæteri ſentiant quidquid velint, dùmodo morbus ſit vel immineat magnus, conſentientibus viribus & ætate, ſiue adſit ſiue nõ adſit ſanguinis copia, quamprimum ad ſectionem venæ accedendum eſt: quod inter cæteros confirmat Auicen. 3. 3. 9. qui ſcribit ſectionem venæ omnibus ſpeciebus ophthalmiæ conuenire. *Vacuatio.* Vena autem ſit cephalica, aut baſilica, aut media prout vel capitis, vel vniuerſi corporis, vel vtriuſque rationẽ vultis habere. *Vena ſectio.* Si menſtrua purgatio in mulieribus, aut conſueta vacuatio per hæmorrhoidas eſſent reſtricta; in hoc caſu neceſſe eſſet venas inferiores aut ipſas hæmorrhoidas aperire. Sed dubium eſt, ſi vnus tantum oculus laboret ex quanam parte expediat ſanguinem mittere? Rhaſes docet ſecandam eſſe venam cephalicam ex manu partis contrariæ oculo laboranti. Galen. autem quamlibet ſanguinis miſſionem probat, ſiue natura, ſiue arte fiat, quotieſcunque ſecundùm rectitudinem vacuatio procedit: ad quem modum ſcribit *de ſang. miſſ.* 15 *& ad Glau.* 2. huiuſmodi ſanguinis excretiones è directo euidentiſſimam ſæpe ægrotis vtilitatem afferre: ex contraria autem parte non ſolùm non prodeſſe, ſed etiam nocere, quòd ſcilicet, abſque morbi ſubleuatione vires fiant imbecilliores; ſpeciatim verò teſtatur, nonnullos ægrotos vehementiſſimis oculorum doloribus laborantes, ex ſectione venę cephalicæ ſecundùm rectitudinem, intra vnius horæ ſpatium fuiſſe liberatos. Quamobrem cum Galeno, ſiue ex brachiis, ſiue ex cruribus velitis ſanguinem mittere, ex eadem parte cum laborante oculo illum perpetuo mittatis: ſin autem vterque oculus laboret, vtrinque ſanguis mittendus eſt. Sanguis copia vel maior vel minor, pro ratione plenitudinis, habitus corporis, &

rerum

ſerum ſimilium. Verùm niſi quid prohibeat expedit ſæpè copioſè ſanguinem mittere. Ante ſectionem venæ, ſi opus fuerit, aluus leniatur, per caſſiam, ſyrupos, roſ. & viol. ſol. & ſimilia.

Aluus lenienda. Purgandum. Verùm præter ſectionem venæ nemo dubitat quin purgatio quoque per medicamenta conueniat, vnde eſt aphoriſmus, *6. aphor. 17.* lippientem alui profluuio corripi, bonum: & in commentario Galenus admonet; vt hoc naturæ exemplo velint Medici quoque in lippitudine & clyſteribus & medicamentis aluum mouere: qui rurſum teſtatur *13. method* 2. nonnullos ophthalmia laborantes ſola purgatione per aluum vnica die ſanatos fuiſſe. Sed ante purgationem materia noxia concoquenda & præparanda eſt: bilis cum ſyrupo roſato recenti, de ſucco endiuiæ, de nenuphare, acetoſo ſimplici, decoct. cichorei, acetoſæ, capill. ven. *Præparantia.* Pituita, cum melle roſato, ſyrupo de betonica, oxymelle ſimpl. ſyrup. de ſeminibus fæniculi, cum decoctione betonicæ, ſtœchados, hyſſopi, &c. melancholia cum ſyrupo de fumaria ſimp. cum decoct. borraginis, &c. Communiter practicantes in affectibus oculorum nunquam prætermittunt fæniculum, quaſi id peculiarem oculorum rationem habeat: de quibus quidem medicamentis quę creduntur propria quædam membra reſpicere, aliàs tractabimus.

Purgatio. Apparente coctione, inſtituenda eſt purgatio, vno vel altero medicamento, prout hi vel illi humores peccant: ſed præ cæteris omnibus pilulæ ipſæ communi omnium conſenſu inſignem habent prærogatiuam, propterea quòd diutius maneant in ventriculo, vnde creduntur maiorem quoque purgandi vim obtinere: inter quas in affectibus occulorum duæ ſunt à medicis hoc tempore admodum vſitatæ: alteræ quæ ad Nicolaum auctorem referuntur, & pilulæ ſine quibus appellantur: *Pilulæ ſine quibus. Lucis.* alteræ quæ compoſitæ ſunt à Meſues, & pilulæ lucis dicuntur. Verùm priores ſine quibus ad purgandos tenuiores & calidiores humores, poſteriores lucis ad purgandos craſſiores & frigidiores ſunt magis accommodatæ: earum doſis eſt à 4 vſque ad 6. ſcrupulos.

Caput purganda. Cautelae. Purgato corpore vniuerſo ad propriam capitis purgationem accedendum eſt. Quo loco memoria eſt tenendum præceptum, de quo aliàs diximus, laborantibus oculis abſtinendum eſſe à ſternutamentis & aliis medicamentis, quæ per nares purgant, & errhina dicuntur, ne hac ratione maior fiat attractio ad partem laborantem: quamobrem medicamenta illa quæ per os purgant, ſunt longè commodiora.

Reuellentia. Interea ex ſecunda indicatione ad omnia reuulſionum genera veniendum eſt, inter quæ nolo ſilentio præterire genus quoddam remedij, quo ego familiariter vtor, & eſt ſcarificata cucurbitula ad occiput poſita, quæ quidem ſi opportunè adhibeatur, hoc eſt poſt generalem corporis vacuationem, admirabilem ſæpenumero vtilitatem affert, cuius quidem remedij Galen. quoque mentionem facit de *ſanguin. miſſ.* 19. *6. aphor.* 68 Si ophthalmia fuerit vehemens, difficilis, vel frequenter hominem aggrediatur, cuius meminit Galen. *de ſang. miſſ.* 10. nonnulli ad cauteria confugiunt.

Medicamenta localia. Iam verò id reſtat, vt de localibus medicamentis agamus, ſecundùm varia tempora inflammationis, quæ quidem ad poſtremas duas indicationes, repellendi & diſcutiendi, ſunt accommodata. *Principium morbi quæ requirat.* Primùm ergo adhuc fluentibus humoribus medicamenta repellentia ſunt adhibenda, quæ non ſint exaſperantia, hoc eſt, non vehementem habeant adſtrictionem, ſed quæ tum propria ſua ſubſtantia ſint moderata, tum lenitiui liquoris miſtione adhuc magis talia fiant. Lenitiuos autem liquores intellige candidum oui, decoctum fænugræci, lac: de quo lacte illud aduertendum eſt, vt ſit mulieris iuuenculæ & bonni ſucci: & Rhaſes poſcit lac mulieris puellam lactantis, idque ea puto ratione, quòd ſit magis temperatum, vel ad frigidius declinet: quæ etſi alicui videri poſſunt leuiora, tamen debent nos admonere, quanta cura & diligentia oporteat Medicos in iis verſari, quæ ad vitam hominis pertinent. Ego familiariter vti ſoleo candido oui diligenter conquaſſato, vel ſolo, vel ſimul cum aqua roſacea, aut ſucco roſatum, quod repellit moderatè ac ſine vlla mordicatione, vel aſperitate, adeo vt hoc ſolo medicamento plurimæ eiuſmodi oculorum inflammationes, præſertim verò in delicatis corporibus, inter initia remittantur & ſanentur. Si opus fuerit maiori refrigeratione & repulſione, nonnulli accipiunt aquas plantaginis, portulacæ quibus addunt Sief album ſine opio; & ſit exemplum.

Repellens.

℞ *Aquarum roſ.*
Plantaginis, ana ℥. iij.
Sief albi ſine opio ʒ. ij Miſ.

Monoemera. Sed meâ ſententiâ, iſtud Sief album non ſimpliciter habet vim repellendi, cum inter cætera ſarcocollam recipiat, quæ manifeſtè habet vim concoquendi & calefaciendi. Antiqui vtebantur variis collyriis, ac maximè quæ monoemera, hoc eſt, vnius diei appellabant: adeo enim inquit Galen. hæc medicamenta cum liquore albuminis oui, ſæpe magnas inflammationes mitigauerunt, vt ad veſperam homo balneo vteretur & ſanus eſſet. Neque verò eſt vt in iis deſcribendis longiores ſimus, cum de illis Paulus, Alexander & omnes tractent diffuſiſſimè.

Repellentia & digerentia. Vidimus medicamenta quæ conueniunt principio ophthalmiæ, tranſacto autem principio, medicamentis repellentibus moderatè digerentia miſcenda ſunt, quale eſt decoctum fænugræci præparatum, vt docet Galen. 13. *method. vltimo*, nempe vt primùm diligentiſſimè & multoties lauetur, quo ita omnem puluerem deponat, deinde ex ſimplici dulci aqua decoquatur, qua ratione omnem mordacitatem amittat, & ſit medicamentum, in quo maior quidem concoquendi & digerendi, ſed tamen aliqua etiam repellendi facultas contineatur. Hoc tempore vſus Sief albi ſine opio mihi videretur opportunus, ſed licet vti etiam thure, croco, pompolyge, & ſimilibus, quæ ea aqua roſacea vel ouo diſſoluto, digerendi & concoquendi vim habent, neque alia etiam repellendi facultate ſunt deſtituta.

℞ *Thuris ʒ. j.*
Pompolygis lota ʒ. ß.
Croci gr. x. M. cum aqua roſacea.

In ſtatu quid agendum. Aduentante ſtatu ſi dolores vrgeant, remediis anodynis & quæ eos lenire poſſent, agẽdum eſt, inter quæ lac præſtantiſſimum eſt: nam prǫterquam quòd lenitate ſuæ ſubſtantiæ poteſt dolorem remittere, præterea pingui ſuo lentore & vi quadam emplaſtica poteſt etiam partes laborantes ab acribus fluxionibus defendere, ac demum ſeroſa parte mordaces humores oculis hærentes detergere: ſic nonnulli accipiunt micam panis lacti infuſam, & partibus externis apponunt: alij, & eſt remedium vulgare, accipiunt pomum coctum ſimul cum ouo, & ita emplaſtrum conficiunt, quod optimum eſt.

Anodynum.

℞ *Pulpa pomi cocti ℥. j.*
Mica panis infuſæ ℥. ß.
Ouum. N. j.
Lactis muliebris. q. ſuf. M.

Digitized by Google

Præterea liceat quandoque vti fomentis ex decoctio chamæmeli, roſarum, fænugræci, ſeminis lini, & ſimilium: quo decocto molli ſpongia infuſa oculi fouentur.

Fomentum. ℞ *Flor. Chamam. M.* j.
Roſarum M. ß.
Seminis fænugreci,
Lini ana ℥. j. *M. pro fomento.*

Declinatio. Demum verò in declinatione ophthalmiæ ad medicamenta reſoluentia progrediendum eſt, quæ plurima ſunt, quale apud antiquos fuerat collyrium nardinum, quod recipit crocum, myrrham, nardum, & ſimilia, quæ & coquendi & reſoluendi vim habent: aut licet vobis componere medicamentum tale.

Collyrium ſoluens. ℞ *Pompolygis lota* ʒ. ij.
Thuris,
Myrrhæ,
Sarcocollæ. ana. ʒ. j.
Spicæ nardi. ʒ. ß.
Croci. ʒ. ß.

Quod ex decocto fænugræci vel fæniculi poteſt adminiſtrari. Sic parari poſſunt fomenta ex rebus diſcotientibus.

Decoctum diſcutiens. ℞ *Roſarum. M.* ß.
Fænugræci optimè loti. ℥. j. ß.
Seminis fæniculi. ℥. ß. *M. Fiat decoctum pro fomento.*

Neque verò ſolum medicamentis externis, ſed etiam internis licet materiam diſſoluere, de quibus ſæpe diximus.

Caput XVI.

De vlceribus Oculorum.

SI quis velit exactè pertractare rationem cognoſcendi & curandi vlcera oculorum, is debet memoria repetere quæcunque in vniuerſum à Galen. tradita ſunt, potiſſimùm *lib. 3. & 4. method.* Namque ſicuti ille ſcribit, vlcera oculorum eandem ſecundùm genus curationem requirunt, quæ reliqua vlcera: neque alia quàm partis laborantis natura & ratione differunt, cui certa quædam & propria remedia videntur conuenire, nos verò qui quaſi obiter hanc rem tractamus, ſummatim conabimur ea colligere quæ vtiliora videntur, & noſtro inſtituto ſatisfactura.

Quid ſit vlcus oculorum, manifeſtum eſt, quippe eſt morbus in ſoluta vnitate.

Differentia. Differentiæ ſunt quamplurimæ, ſicuti Paulus, Auicenn. & omnes docent, quæ potiſſimùm pro variis partibus vlceratis ac variis modis vlcerationis, varia quoque nomina ſortitæ ſunt. Verùm cæteris omnibus differentiis permiſſis, illæ videntur eſſe maioris momenti, ſecundùm quas diximus hæc vlcera eſſe cum intemperie, cum dolore, cum inflammatione, cum fluxione humorum, cum ſorditie: vel ſine intemperie, dolore, inflammatione, fluxione, ſorditie: namque ſingulæ hæ differentiæ propriam quandam curationem requirunt.

Signa. Signa quæ vlcera oculorum demonſtrant, ſicut peritis & exercitatis medicis facilè fiunt manifeſta ita imperitis ſunt admodum obſcura. Itaque primum ſignum ſumitur ex dolore; namque ſoluta partis continuitate, fieri non poteſt quin dolor percipiatur. Secundò, eſt pus: vbicunque enim eſt vlcus, ibi neceſſariò ſunt excrementa, etſi forte hoc verum pus dici non debet. Tertiò, ſunt lachrymæ tenues, quæ aſſiduè ex oculo deſtillant. Quartò, in aliqua parte oculi mutatio coloris apparet, exempli gratia, ſi vlcus fuerit in tunica adnata, apparet quædam veluti rubedo, propter multas venulas illius partis, neque non quia propter vim doloris multi ſpiritus & ſanguis ad locum confluunt: ſin autem vlcus fuerit in cornea, tunc potius quædam albedo apparet, quòd hæc tunica vlcerata proprium amittat diaphanum, & acquirat colorem diaphano proximum; qualis eſt albedo. Poſtremò præceſſere cauſæ exulcerantes vel internæ, vel externæ, quæ alioqui ſatis ſunt manifeſtæ.

Signa differentiarum ex iis quæ diximus, & ipſis ſenſibus ferè ſunt manifeſta, ab omnibus etiam accurate explicantur: itaque ſtatim venio ad curationem. *Curatio.* Vlcera oculorum in genere communem cum reliquis vlceribus curationem habent: debent enim expurgari, ſiccari, impleri, & cicatrices claudi: peculiariter tamen ſumpta indicatione à natura partis, hæc vlcera mitiora & clementiora præſidia poſtulant, ac multo magis, ſi oculi ex proprietate indiuidui, acerrimo ſenſu & puriſſimo ſpiritu præditi ſint, quales ferè oculi cærulei eſſe ſolent: quare ab iis cauendum eſt quæ exaſperando detergent, quæ mordicando ſiccant; & nimia adſtrictione exaſperant, etſi hæc vlceri, quatenus vlcus eſt, propriè conueniunt.

Sed antequam ad propria medicamenta localia veniamus, neceſſe eſt vniuerſi corporis prouidentiam habere, & ſectione venæ, & purgatione, & reuulſionibus, & reliquis, ſicuti de ophthalmia diximus: hæc enim etſi à Galeno prætermittuntur, ſub communi tamen methodo continentur: neque decet omnia repetere vbique.

Vlcus ſimplex. Ergo ſi oculus ſimplici vlcere laboret, cui præterea nullus morbus, nullum ſymptoma coniungetur, illa conueniunt medicamenta, quæ poſſint quidem abſtergere & ſiccare, ſicuti in omni vlcere facere expedit, ſed quæ, propter naturam partis admodum lentè & ſine vlla mordicatione id faciant, qualia præcipuè ſunt quædam mineralia, ceruſſa lota, plumbum vſtum & lotum, cadmia loto: ſed inter cætera omnia Galeni teſtimonia pompholyx preparata principem locum obtinet: ac ſanè ego verè poſſum vobis teſtari, me ſolo vſu iſtius medicamenti ſimul cum aliqua aqua moderatè abſtergente, vel cum lacte, quod & ipſum ratione ſeri quoquo modo abſtergit, vel cum albo oui, plurima vlcera oculi ſanaſſe. Quare vos hortor, dummodo veram & legitimam pompholygem habeatis, vt illius vſum cæteris medicamentis anteponatis.

Collyrium abſtergens & exſiccãs. ℞ *Aqua farfara* ℥. iiij.
Pompholygis preparata. ʒ. ij. *M.*

De quo tam nobiliori medicamento id vos moneo obiter, pleroſque hactenus non ſine magno errore, non aliam pompholygem quàm veram Tuthiam cognouiſſe, quorum tamen opinio iamdiu, vt puto, exploſa eſt, ſiquidem vera Pompholix, *Pompholix vera.* Dioſcoro & Galeno, auctoribus in fornace ex fauillis æris vel cadmiæ veluti quædam farina diſpergitur & colligitur, ſicuti eleganti hiſtoria narrat Galen. in Cypro ſe vidiſſe & collegiſſe. Ita ergo ſimpliciter tractandum eſt.

Vlcus ſordidum. Si verò vlcus non fuerit ſimplex, ſed cum ſorditie, tunc hæc primùm abſtergenda eſt. Habetur in communi vſu remedium quoddam vulgare, & eſt ſaccharum canditum, quod puriſſimum eſt, & permiſcetur cum iulepo, vel ſyrup. roſ. Huius medicamenti vna, vel altera guttula in oculum inſtillatur, quod, vt dixi, optimum eſt, ſiquidem moderatè abſtergit, & ſine mordacitate: ſunt verò

alia

alia plurima. Purgata ſordirie deinde vlcus carne replendum, & ad cicatricem deducendum eſt ad quam indicationem ſunt accommodata leuia quædam medicamenta, aloë, thus, &c.

Collyrium Sarcotitum.

℞ *Aquarum farfara* ℥. iij.
Pompholyg. præpar. ʒ. ij.
Thuris,
Aloës ana. ℈. ß. *M.*

Si demum vlcus fuerit cum fluxione humorum, cum intemperie, cum dolore & inflammatione, dubium eſt quin hiſce primum attendendum ſit, non tamen iis neglectis, quæ ad vlceris curationem pertinent: in quo caſu debent parari medicamenta ocularia, quæ miſta ſint & variis facultatibus, leniendi, repellendi, abſtergendi prædita, vt tandem ſublatis reliquis morbis & ſymptomatibus, liceat ipſum vlcus cicatricem deducere. In hac curatione ſuperuacaneum mihi videtur ſecundùm varias indicationes varia quoque & multa medicamenta deſcribere, vel ſimplicia, vel compoſita: ſiquidem non ſolum Paulus & omnes recentiores, ſed etiam Gal. de iis tractant copioſiſſimè, quos vnuſquiſque poteſt adire.

Capvt XXVII.

De Suffuſione.

Definitio. Svffuſio ab Auicenn. deſcenſus aquæ, vulgo *cataracta* dicitur. Quid ſit ſuffuſio, deſcribitur à Paulo & Aëtio, nimirum affuſio quædam & concretio humorum qui inter corneam tunicam & cryſtallinum humorem continentur, ac propterea viſionem impediunt. Quo loco notandum, quod à Galen. traditum eſt 10. *de vſu partium, & alibi*, humorem cryſtallinum eſſe præcipuum viſionis inſtrumentum, illúmque in medio oculi, tanquam in medio ſphæræ contineri, vide quotieſcumque inter hunc humorem & tunicam corneam reperiuntur humores craſſi & condenſati, iure viſio impeditur: atque hæc affectio ſuffuſio dicitur.

Dubatio I. Sed aduerſus hanc ſuffuſionis deſcriptionem dubium eſt, quoniam Galen.1. *de ſympt. cauſis* 8. tradens cauſam ſymptomatum, quæ in humore tenui & aqueo vocato contingunt, inter cætera ita ſtatuit, hunc humorem, ſi ſe ipſo craſſior fuerit, exactam videndi aciem adimere: ſi verò admodum craſſus fiat, veluti in ſuffuſionibus accidit, viſionem prohiberi: quare per Gal. in ſuffuſione non cæteri humores, atque vt inquit Auic. extranea humiditas, ſed ipſemet humor tenuis & aqueus conſiſtentia craſſior & denſior videntur fieri: quem locum alioquin difficilem, nemo quem ſciam, animaduertit. Ego verò cenſeo reſpondendum eſſe, hunc tenuem & aqueum naturalem humorem, quem alij oui humori comparantes, albugineum vocant, poſſe dupliciter craſſiorem & denſiorem fieri; vno modo, ſi ſolus per ſe propria ſubſtantia & ſine aliis humoribus talis fiat: qua ratione minimè poteſt ſuffuſionem efficere, ſiquidem fieri non poteſt, vt ille tantam craſſitiem & denſitatem acquirat, quanta viſioni impedimento eſſe poteſt. Altero autem modo, ſi præterea alij præter naturam humores ad eam partem confluant, & tunc iſti humores poſſunt craſſeſcere, denſari, & ſuffuſionem efficere: ſecundùm quem ſenſum, meâ ſententiâ, oportet Galenum intelligere.

Dubitat. II. Secundò, quoniam diximus talem craſſum & denſum humorem inter humorem cryſtallinum & tunicam corneam, è regione pupillæ contineri, contradicit Auicen. 3.3. *tract.* 4. 18. qui docet hunc humorem inter corneam & humorem albugineum contineri. De qua ſententia Auicenn. neſcio quid dicam, cum ſit planiſſimè falſa: namque Galen. docet 10. *de vſu partium*, 2. & 4. quòd ſenſus confirmet tunicam corneam, qua parte ab iride enaſcitur, humori cryſtallino proximam eſſe, atque omnes ſuffuſiones inter corneam tunicam & humorem cryſtallinum medio loco conſiſtere: ac forte Auicenn. non aliter poteſt defendi, niſi dicamus illius codicem eſſe deprauatum. *Locus affectus.* Itaque in ſuffuſione humores præter naturam craſſiores & denſiores redduntur, & inter humorem cryſtallinum & tunicam corneam continentur, iuxta pupillæ foramen, & ita viſionis actionem impediunt.

Quis morbus ſuffuſio. Iam verò ſi quærat aliquis, qualiſnam ſit hic morbus? Ei reſpondet Gal. *de diff. morb.* 8. ſuffuſionem eſſe morbum in numero, cuius quidem morbi cum duplices ſint primæ differentiæ, vna in qua aliqua pars deeſt, altera in qua redundat, certum cuique eſſe poteſt. in ſuffuſione quid præter naturam redundare; quæ redundantes partes cum ſint duplices; aliæ ex genere eorum quæ ſecundùm naturam ſe habent, vt ſi alicui ſextus digitus adnaſcatur: aliæ toto genere præter naturam, vt lumbrici, lapis in veſica. Galenus inter poſtremas ſuffuſionem reponit quæ ſunt toto genere præter naturam. *Summa.* Itaque ſuffuſio non eſt cauſa morbi, non ſymptoma, ſed morbus, non in intemperie, non in ſoluta vnitate, ſed in mala compoſitione; non magnitudine, non mala conformatione, non ſitu, ſed in numero: non partis deficientis, ſed redundantis; non partis ſecundùm naturam, ſed toto genere præter naturam.

Differentiæ. Differentiæ ſuffuſionis ſunt multæ, ac primùm ſuffuſio quædam eſt vera, qualis iam definita eſt; quædam non eſt vera, quotieſcunque nulli in oculis humores craſſi & denſi continentur, ſed quædam ſymptomata ſuffuſionis ſymptomatis ſimilia ante oculos repræſentantur: quod fit eleuatis quibuſdam vaporibus, qui à multis quidem partibus, præcipuè verò & frequenter à ventriculo & cerebro ſolent eleuari, de quibus Galenus ſermonem habet 2. *de locis aff.* 1. & 2.3. *de locis aff.* & 1.7. 8. *de locis aff.* 6. *de ſympt. cauſis* 4. 1. *pro.* 23. Ac ſanè hæc differentia eſt diligenter animaduertenda, cum maximè faciat ad curationem. Nam ſicuti in vera ſuffuſione eſt neceſſe præcipuam oculorum rationem habere, ita in altera non vera nihil de oculis cogitandum, ſed tantùm curationem ad partem laborantem & conſentientem dirigere oportet.

Signa diagnoſtica. Signa autem quæ ſuffuſionem veram, oculis propriè laborantibus, à non vera, conſentiente ventriculo aut cerebro, poſſunt diſtinguere, explicantur à Gal. 4. *de locis affect.* 2. admodum perſpicuè. Sed prætermiſſa in præſentia ſuffuſione non vera ex conſenſu aliarum partium, quæ ad præſens inſtitutum non pertinet, de altera vera oculis primariò laborantibus dicendum eſt.

Suffuſionis veræ differentiæ. Differentiæ ergo veræ ſuffuſionis variæ ſunt, & primùm ex quantitate ſuffuſæ materiæ. Nam quandoque tanta eſt materia, vt totam pupillam occu- 1.
pet, & tunc ægri nihil vident: quandoque materia eſt minor & paucior, vt ſolùm vna pupillæ pars impediatur, & tunc ægri non omni ex parte viſione priuati ſunt.

Secundo ſunt differentiæ ex qualitate materiæ: II
etenim ſinguli humores poſſunt ad oculos confluere & condenſari, qui potiſſimùm colore diſtinguuntur. Nam pituita colorem album, flaua bilis

bilis colorem flauum aut cæruleum, melancholia liuidum aut nigrum referunt colorem. Sunt qui plures adhuc ſuffuſionis ſpecies, ſecundùm vnumquemque humorem conſtituunt, provt, exempli gratia, in colore albo varij gradus & formæ albedinis, vel margarita, vel glaciales, vel gypſum, repręſentantur: & ſic de cæteris. Præter pituitam, flauam bilem & melancholiam, ſunt qui velint ſuffuſionem quoque fieri à ſanguine, quam rubeam appellant: ſed meâ ſententiâ iſtud rarò, nunquam contingit.

III. Tertiò ſunt differentiæ à tempore: Suffuſio alia eſt recens, alia antiqua: ſed præterea quæcunque ſuffuſio poteſt ſanari, ſicut cæteri omnes morbi, habet quatuor tempora, principium, augmentum, ſtatum, declinationem: quæ quidem præcipuè ex qualitate humoris ſuffuſi, nec non quibuſdam ſymptomatibus diſtinguuntur: nam que principio humores ſunt tenues & diuulſi, minimè in vnum coniuncti: ægri autem quaſi per nebulam ſibi videntur videre: quo tempore curatio non eſt admodum difficilis. In augmento humores magis denſantur & vniuntur, ægroti verò ſolam rerum quantitatem, & confuſè vident: In ſtatu humores, ad ſummam craſſitiem & denſitatem deueniunt: ægríque nihil præter exiguum neſcio quod lumen diſcernunt: quo à vera ſiccitate vera ſuffuſio ſeparatur. Ex quibus colligatis malè Auicen. imagines à ſuffuſione diſtinguere, ac de vtriſque diuerſis capitibus pertractare: ſiquidem imagines potius principium & alia tempora morbi, quàm aliam affectionem demonſtrant.

Auic error. *IV.* Poſtremò ſunt differentiæ à coniunctis: ſuffuſio alia cum dolore eſt, alia ſine dolore capitis: alia cum inflammatione, alia ſine inflammatione: quæ omnes differentiæ diligentiſſimè ſunt animaduertendæ, cùm maximè faciant ad curationem & prognoſticum.

Signa. Signa ſuffuſionis ſunt huiuſmodi: principio ſpiritus ac veluti fumi, deinde quædam veluti paruæ muſcæ vel pulices, vel alia ſimulacra videntur oculis obuerſari; viſus paulatim incipit hebeſcere, & oculi pupilla perturbari, quæ ſymptomata interpoſito tempore creſcunt, donec tandem materia, adhuc magis craſſeſcente, ac totum pupillæ foramen occupante, æger præter exiguum quoddam lumen videt nihil.

Signa differentiarum ſunt tradita: ſed inter cæteras duæ videntur affectiones oculorum ſuffuſioni ſimiles, quarum altera γλαυκώμα dicitur, eſtque vbi humor cryſtallinus ex natiuo in colorem glaucum mutatur: altera ἀμαύρωσις nominatur, quæ nihil aliud eſt quàm obſtructio nerui optici, in qua ſine vlla manifeſta cauſa circa oculum apparente, aut in vniuerſum, aut maxima ex parte viſus interceptio contingit: de quibus duabus affectionibus Paul. lib.3. *de aff. oculorum.*

Glaucoma. *Amaurosis.*

Curatio. Sed ad curam veniamus: quatenus ad indicationes pertinet, ſcribit Gal. 14. *meth.* 13. res omnes quæcunque toto genere præter naturam, reperiuntur in corpore, ſui ablationem indicare. Cùm iam ſtatutum ſit humores impedientes viſum toto genere eſſe præter naturam, prima nobis ſeſe offert indicatio, vt illi auferantur: verùm vt ſæpe diximus, non licet id facere ſine totius corporis & capitis purgatione. Itaque omnium primum corpus vniuerſum & ſectione venæ, ſi opus fuerit, & purgatione vacuandum eſt: deinde caput quoque opportunis præſidiis, vt apophlegmatiſmis, & errhinis eſt purgandum: tum ad omnium reuulſionum genera eſt veniendum, inter quæ id vos ſcire velim, cauteria inſignem prærogatiuam habere,

Indicationes. *Cauterium.*

cum reuera experientia confirmet, & in ſuffuſione, & in omnibus affectionibus oculorum, hoc præſidium, ſæpenumero mirabilem operam præſtare. Cum autem cauteria variis partibus ſoleant inuri, præ cæteris inuſta occipitio videntur conuenire quamobrem ſiue fiant veſicatoria, ſiue cauteria ſiue fontanæ, ſiue quandocunque illę partes exulcerentur & diutiùs illa vlcera aperta detineantur, pro comperto eſt habendum, ea perpetuò opportuniſſimè adminiſtrari. Demum verò oportet ipſum morbum aggredi, vel iis medicamentis quæ poſſunt noxios humores attenuare, digerere & diſſoluere, vel alia ratione, quæ ad locum minoris momenti transferantur: quæ doctrina eſt Gal. *loco citato* 14. *method.* Nos autem cæteris prætermiſſis indicationibus de quibus ſuprà ſatis diximus, ad poſtremam & propriam, ocularia nimirum medicamenta deueniamus.

Medicamenta localia.

I. Cautela. Sed antequam de iis agamus, id primum generaliter eſt ſciendum quod nos monet Galen. 4. *de med. ſecund. locos*, 4. *ad finem*, & experientia confirmat eſſe veriſſimum, omnia ocularia medicamenta promiſſiones magnas facere, re autem vera aut nullam, aut exiguam vtilitatem afferre. Deinde verò & illud oportet intelligere, hæc omnia medicamenta non alio tempore vtiliter adminiſtrari, *II* quàm principio, & antequam humores incipiant craſſeſcere & condenſari: etenim vbicunque morbus altiores iecerit radices, & humores ad notabilem craſſitiem & denſitatem deuenerint, tunc non eſt vt ſperemus medicamentis quidquam proficere, ſed id ſolum reſtat, vt manus opere curationem aggrediamur. Itaque ſi nobis ſeſe offerat recens ſuffuſio, in qua nonnullæ imagines incipiant ante oculos obuerſari, nondumque humores ſint admodum craſſi & denſi, poſt communem totius corporis & propriam capitis vacuationem; poſt adminiſtratas reuulſiones, iam licet ad localia medicamenta deuenire.

Antiqui in ſuffuſionibus pro materiæ diſſolutione validis & acerrimis vtebantur medicamentis, vt eſt videre apud Galen. 4. *de med. ſecundùm locos*, qualia fuerant ſuccus Cyrenaïcus, ſagapenum, euphorbium, pulpa colocynthidos, fel multorum animalium, & inter cætera viperę. Verùm hoc tempore medicamentis leuioribus contenti ſunt, vnde in officinis ſunt collyria, quæ etſi ſunt recentiorum, tamen ſine ratione, & antiquorum auctoritatibus ſunt compoſita. Alterum eſt collyrium de fœniculo, cuius Dioſc. & Gal. mentionem faciunt: quod ex ſucco fœniculi depurato & duplicato melle conficitur. Alterum eſt collyrium de anagallide, quæ habet florem cæruleum, & vulgo morſus gallinæ dicitur, quod eodem modo, quo collyrium de fœniculo, præparatur, & vtrumque eſt optimum. Sed quoniam, ſi hæc collyria ſola adminiſtrarentur, nimiùm mordicarent, nos conſueuimus illis vti ſimul cum aquis ſtillatitiis farfaræ, euphragiæ, &c.

Collyria antiquorum. *Collyria recentiorum.*

Collyrium.

℞ *Collyrij de fœniculo, vel anagallide* ℥. j.
Aquarum farfaræ,
Roſarum ana. ℥. j ß. *M.*

Impoſito huiuſmodi medicamento, ſi æger nullum perſentiat dolorem, tunc licebit collyrium augere, aquas minuere; ſicut contrà, ſi æger dolorem percipiat, licet aquas augere, collyrium minuere, & ita congruam medicamenti menſuram inuenire. Apud Arabes eſt collyrium de fellibus, de quibus atque eorum viribus ac differentiis Galen. *de ſimp. med. cap. proprio.* Hoc tempore multi familiariter vtuntur felle perdicis & gallinæ, quæ etiam teſtimonio Gal ad medicinæ vſum cæteris habentur probationes. Alij maximè probant

bant fel. Lucij piſcis, quo cum ſucco fœniculi, & melle deſpumato, vel alia ratione vtuntur. Eſt & aqua mellis deſtillata, eſt vrina pueri impuberis. eſt aqua ardens quam vitæ appellant, ſunt alia quàm plurima

Fomenta. Non ſolùm autem medicamenta intra oculos adlubentur, ſed etiam extra ſolent foueri molli ſpongia ex decocto chamæmeli, euphragiæ, ſeminis lini,&c. *Corroborantia caput.* Ad capitis corroborationem licet illud abluere; neque prætermittenda ſunt medicamenta ore aſſumpta, quæ valent humores craſſos attenuare, nec non ventriculum, cerebrum, & omnes principes partes roborare, ne deinceps vitioſi humores generentur, neque ad oculos confluant, qualia forent conſerua betonicæ dianthos ſaluiæ, ſtœchados,euphragiæ,diacyminum,diacalăga,theriaca, mithridatium. His præſidiis maiora ſunt decoctum ligni cum euphragia, fœniculo,ſtœchade, & rebus ſimilibus præparatum: ſunt aquæ thermarum calidiores, quæ partim ad potionem, partim ad ſtillicidium & lotionem inter cætera præſidia non poſtremum locum obtinent.

Curatio ſuffuſionis antiqua. Hactenus de cura ſuffuſionis recentis, quotieſcunque humores tam ſunt tenues, vt ſpes ſit per medicamenta illos diſſolui: cæterùm ſi ſuffuſio eò ſit progreſſa, vt humores ad inſignem craſſitiem & denſitatem peruenerint, tunc eſt ſciendum huiuſmodi ſuffuſione aut nulla ratione, aut ſola chirurgia poſſe ſanari: de qua manus operatione mihi videtur ſuperuacaneum longiùs agere; propter duas rationes? altera, quòd hoc munus hoc tempore ſolis chirurgis, atque illis præcipuè quos ocularios appellant, tribuatur: altera, quòd Auicen. Paulus, ac prope omnes hanc rem deſcribunt accuratiſſimè.

Veruntamen antequam ad ſuffuſionis diſpoſitionem veniamus,duo ſunt animaduertenda digna notatione. *Signum prognoſticum.* Alterum eſt ſignum quoddam,quod Gal. *de ſympt.cauſ.*2 nos docet,intelligere vtrùm illi qui ſuffuſione laborant, admota manu viſum ſint recepturi? Nam quibus altero oculorum clauſo pupillam contingit dilatari,hos compunctos ſpes eſt viſum recuperaturos: quibus autem pupilla non dilatatur, nemo vnquam viſionem recuperabit: & ratio eſt facilius. Cum enim ſpiritus animalis à cerebro per neruos viſorios ad oculos deferatur,atque ita fiat inſtituto naturæ, vt altero oculo clauſo pupilla alterius dilatetur,quòd tunc ſpiritus qui prius ambobus fuerat deſtinatus, ad vnum duntaxat deferatur,quotieſcunque altera pupilla non dilatatur: iam certum eſt ſpiritum animalem ad eum non deferri,vt propterea minimè liceat ſperare illum poſſe viſum recuperare.

Maturitas ſuffuſionis. Alterum eſt notandum, quòd non omnis ſuffuſio,neque omni tempore, tutò & feliciter deponatur, ſed tantummodo cum humores ad quandam maturitatem,vel potius mediocritatem deuenerint: namque ſi illi molliores & liquidiores fuerint, aut nequeunt firmari,aut detrahi, quin potius conturbantur ac dilacerantur, vt nulla deinceps ratione poſſint deponi: ſin autem iidem humores nimiùm craſſi ſint, tunc fruſtra operi manus admoueretur, ſiquidem talis ſuffuſio non poteſt detrahi,& quantumuis detraheretur,diutius deterſa non permaneret,ſed rurſum ad priſtinum locum rediret. *Tempus detrahēdæ ſuffuſionis.* Itaque oportet hanc operationem aggredi,cum ſuffuſi humores medio quodam modo ſe habent, vt neque denſiores & craſſiores quàm deceat,redditi ſint.

Sed quonam modo,dicat aliquis,liceat nobis huiuſmodi mediocritatem deprehendere? Id nos monet Paulus ex Gal. lib.6. 21. (equidem non memini hunc Galeni locum vidiſſe) qui ſcribit, oculum ſuffuſione laborante claudendum, & pollice comprehenſam palpebram ad oculum hac & illac eſſe impellendam, deinde oculum operiendum & diligenter inſpiciendum, vtrùm humores hac frictione aliquam mutationem fecerint; in quibus humores nondum exactè concreuerint. ſuffuſio quædam ex digiti impreſſione apparet, primù latior, ſed quæ deinde in ſuam figuram & magnitudinem redit; quæ ſuffuſio nondum ad maturitatem peruenit,& ad opus chirurgicum eſt inepta; at verò in quibus humores ad perfectam denſitatem & duritiem deuenerint,nulla neque latitudinis,neque figuræ ex digiti compreſſione immutatio apparet. Sed quoniam hæc nota eſt communis vtriſque humoribus, tam qui moderatè qui ſupra modum obduruerunt, colore demum licet vtramque ſuffuſionem diſtinguere, & intelligere qualiſnam apta, & qualis inepta ad chirurgiam exiſtat Nam quę ſuffuſio colorem ferri,vel cæruleum vel plumbi refert, hæc mediocriter coaluit, atque ad depoſitionem eſt accommodata: contra quæ gypſo aut grandini ſimilem colorem habet hęc vltra modum eſt indurata, neque poteſt vllam curationem recipere.Et hęc de affectibus oculorum ſint ſatis.

DE AFFECTIBVS AVRIVM.

CAPVT XXVIII.

De Aurium dolore.

Ordinis ratio. RHaſes poſt tractationem affectuum oculorum, de auribus agit: cui tractationi reſpondet lib.tertius *de comp.med.ſecund.locos.* Non verò multum de ordine eſt laborandum,ſiue enim quod ſenſus auditus loco & dignitate ſit propinquior ſenſui viſus, ſiue propter aliam rationem id fiat, iſtud ad rem nihil pertinet. Sic Galen. tractans de ſymptomatibus ſenſuum,2.*de ſympt.cauſ.*à viſu primum incipit,deinde ad auditum progreditur.adeo vt,ſicut iam dixi,nonnulli voluerint 4 librum Galeni de *comp. med. ſecundum locos*, in quo agitur de oculis, huic tertio eſſe præponendum.

Aurium partes. Partes aurium ſunt duplices,nonnullæ externæ, quæ oculis ſubiectæ ſunt; nonnullæ internæ, quæ ratione tantum deprehenduntur,vt docet Gal.4.*de locis aff*4.Externæ ſunt quæcunque totam auriculam conſtituunt, quam ſenſus demonſtrat ex cartilagine cute veſtitam ac tali forma conſtare, propter ſingulas ſuas cauſas,de quibus anatomici diffuſè. Partes autem internæ præcipuè ſunt tortuoſus ille anfractus neruus huic muneri deſtinatus,quem propterea auditorium vocant, & tenuiſſima illa membrana, quæ audiendi inſtrumentum comprehendit & amplexatur, quod inſtrumentum non aliud quàm interna meatus extremitas,vbi delatum neruum attingit,à Gal. ſtatutum eſt 1.*de ſymp.cauſ.*2.Sed prætermiſſa anatome ad rem veniamus.

Morbi aurium varij. Scribit Gal. citato loco,aures omni morborum genere poſſe laborare, intemperie, ſoluta vnitate, mala conformatione: ex quibus mihi ſtatutum eſt nonnullos morbos ſeligere, ſicuti de oculis eſt factum, qui ſunt maioris momenti, & frequentiùs contingunt.Itaque ſimul cum Gal.& Rhaſe de dolore aurium incipiamus.

Nomen. Aurium dolor,Græcè *ὠταλγία*, ſimul à læſa particula, & à ſymptomate nomen ſuſcipit, vt notat Gal.2.*meth.*2 Quid ſit dolor,aliàs diffuſè diximus.

Differentia 1. Cauſa. Differentiæ doloris aurium cum ſint multæ, quæ ſumuntur ex cauſis principem locum tenent, atque hæ plurimæ à Gal. numerantur, refrigeratio,calefactio, denſatio,obſtructio, ſpiritus flatuoſus, humor crudus, frigidus, viſcidus, illic concluſus, humor mordax, ſanies, acris inflammatio, ac

potiſſi

potiſſimùm nerui auditorij vlcus & forte aliæ, quæ omnes mihi videntur ad certa quędam capita poſſe referri. Namque aurium dolor, ſicuti cæteri omnes dolores, vel à ſolita vnitate, vel ab intemperie, poteſt prouenire: ſoluitur continuum, vel à rebus externis incidentibus, contũdentibus; vel ab internis, atque hæc vel erodunt ſicuti humor mordax, ſanies acris: vel diſtendunt ſicuti flatus. Fit autem dolor ex intemperie vel ſola, ſine materia, & primùm frigida, ſicut inquit Gal. iis contingit, qui in perfrigerationibus à ventis frigidis læduntur: deinde calida, ſi quis in locis calidioribus aut ſub ſole diutius moratus fuerit: humida & ſicca intemperies, ſicut aliàs dixi, cum aut exiguum aut nullum dolorem afferant, ferè à Medicis negliguntur. Vel hic dolor prouenit ex intemperie cum materia, vel cum tumore, vel ſine tumore præter naturam: ad quos communes locos facile eſt omnes cauſas, tam internas quam externas referre quæcunque aurium dolores poſſunt excitare.

II. Secundò, ſunt differentiæ à qualitate doloris; alius eſt grauis, qui ferè ſemper materiæ coniungitur: alius eſt pungitiuus, qui ſi fuerit ſimul cum grauitate, materiam pungentem, ex. gr, flauam bilem, aut ſalſam pituitam incidat: alius dolor eſt pruriginoſus qualis fit auribus vlceratis, aut non vlceratis, propter humores acriores qui pruritum efficiunt: alius eſt dolor extenſiuus, qui ſi fuerit cum grauitate, ſignificat inflammationem: ſin autem fuerit ſine grauitate, tunc flatus adeſſe eſt indicium. Sic aliæ ſunt differentię à qualitate doloris, de quibus videri eſt Gal. 2. *de locis affect.* 3.

III. Tertiò. ſunt differentiæ à parte aurium affecta, de quibus Gal. 3. *pror.* 13. meminit. Namque vel externæ partes dolent, in quibus nunquam vehemens dolor infeſtat, neque vllum periculum coniungitur: propterea quòd neque illa pars præcipua eſt, neque alicui parti præcipuè continEatur: vel dolent partes internæ, quod propriè antiqui aurium dolorem ſolebant appellare. Contingit etiam in profundo ex meatu auditorio doloris ſenſum vrgere, qui dolor eſt maximè periculoſus: cum enim tunc ipſe auditorius neruus malè aſſiciatur, qui proximè cerebro copulatur, per vehementes hoſce aurium dolores deducto cerebro in conſenſum, quidam ægrè dolent, & multi etiam repente moriuntur.

IV. Præterea ſunt differentiæ ab intenſo & remiſſo: dolor inflammatorius eſt vehementiſſimus, cæteri omnes ſunt leuiores.

V. A tempore, dolores alij ſunt continui, qui indicant aures primù laborare: ex conſenſu verò aliarum partium ſi ſunt intermittentes: alij ſunt antiqui, & ij difficilè curantur; alij ſunt recentes qui faciliorem curationem recipiunt.

VI. Demum ſunt aliæ differentiæ à coniunctis, à modo generationis, &c. de quibus ſæpe.

Signa pathognomonica doloris aurium ſunt nimiùm manifeſta: quòd ſi verò pueri doleant, qui neſciunt propria mala explicare, dolor ad tactum facilè deprehenditur, ſiquidem illi in parte dolente nequeunt tactum perferre: quam eandem explorationem in delirantibus licet adhibere: itaque ad ſigna differentiarum veniamus.

Signa frigidæ intemperiei.

Ergo ſi dolor fuerit ab intemperie frigida ſine materia, nulla erit grauitas, nulla extenſio, nulla punctio, nullus pruritus, facies decolorata: præceſſere cauſæ refrigerantes, venti frigidiores, læduntur à frigidis, iuuantur à calidis.

Signa calidæ intemperiei.

Contrà ſi fuerit intemperies calida, dolor erit intẽſior, pars calidior, facies colorata: pręceſſere cauſæ calefacientes, vt mora ſub ſole, in æſtuariis calidioribus, ęgri iuuantur à frigidis, lęduntur à calidis.

Frigida cum materia.

At verò ſi fuerit intemperies cum materia, & primum cum humoribus frigidis & craſſis, quos veriſimile eſt in meatu auditorio obſtructionem facere, tunc ægri & capitis & aurium grauitatem percipiunt, dolor non erit admodum inſignis, niſi ſimul flatus coniungantur, præceſſere alimenta, potiones frigidiores: ſic ætas, temperamentum, &c. ad generationem huiuſmodi humorum conferunt.

Calida cum materia.

Deinde ſi fuerit cum humoribus calidis, dolor eſt cum aliqua, ſed non magna grauitate, eſt vehementior, quandoque acutus & pungitiuus, ac potiſſimùm ſi fiat ex bile auris & tota facies rubedine ſuffunditur, venæ tumidæ apparent, concurrunt cauſæ præcedentes, alimenta, potiones, aër, ætas, tempus, &c. quæ ad gignendos huiuſmodi humores ſunt accommodata.

Dolor ex inflammatione.

Si fuerit dolor ex inflammatione; pręcipuè meatus & nerui auditorij, tunc neceſſariò adeſt febris, & quidem vehementiſſima, dolores ſunt acerbiſſimi, cum manifeſta caliditate grauitate, pulſatione, non ſine delirio quandoque, & aliis id genus ſæuiſſimis ſymptomatibus.

Ex flatibus.

Si dolor proueniat ex flatibus, quod ſæpe contingit, qui liberum tranſitum & exitum non habent, nulla neque in capite neque in auribus grauitas percipitur, dolor eſt extenſiuus, pręceſſere cauſæ quæ flatus poſſunt excitare.

Ab erosione.

Demum ſi aures doleant erodente aliqua materia, id ſenſus demonſtrat; ſiquidem neceſſarium eſt, vt ſanioſus aliquis humor, vel quid ſimile ex auribus procedat. Hæc de ſignis, ad curam accedamus.

Curatio.

Aliàs docuimus ex Gal. omnes dolores triplici ratione curari, aut per medicamenta anodyna & lenientia; aut per ſtupefacientia, aut per ea pręſidia quæ doloris cauſam reſpiciunt: hæc doctrina ad dolores quoque aurium debet accommodari. Quoniam verò medicamenta lenientia præter aliquam mitigationem doloris ferè nihil agunt, ſtupefacientia verò non niſi ſummo vrgente dolore debent adhiberi, ac ſæpenumero morbum potius augent, quàm iuuant, idcirco poſtremæ rationi eſt incumbendum, quæ cauſæ efficientis dolorem rationem habet, & quæ propriè ad veram curationem pertinet. Sed antequam particularia remedia aggrediamur, nonnulla ſunt animaduertenda, ac primum *1 Præceptum.* memoria eſt repetendum, aurem eſſe particulam admodum ſiccam, ac propterea indigere medicamentis quæ vehementiſſimè ſiccent, vt dicit Gal. 5. *meth.* 10. Secundò notandum cum Auic c. 8. ne *2.* medicamenta quę inſtillantur in aures, ſint vehementis caliditatis, ſed tepida. Namque partes ſuapte natura exangues & frigidæ, quales ſunt aures, ab immoderato frigore læduntur, vt dicit Gal. 4. *apho.* 18. ſic immoderata caliditas natiuam partis temperiem deſtrueret. Tertiò addunt nonnulli, hæc *3.* eadem medicamenta in auribus inſtillata parcè eſſe imponenda, ac modico tempore in auribus relinquenda. Cuius pręcepti rationem non ſatis intelligo; cum ſciam Gal. contrarium docere, qui ſcribit 3. *de med. ſecund. locos, circa principium*, pharmaca iterum atque iterum, ac ſæpius imponenda, idque ſine intermiſſione temporis eſſe faciendum: ac planè omnis ratio colligit medicamenta aſſiduè & tam diligenter adminiſtrata, minorem vtilitatem poſſe afferre. Quartò alij docent auribus non eſſe *4.* imponenda medicamenta quæ facilè corrumpantur: quod item pręceptum neſcio quanti ſit faciendum, cum Gal. non abhorreat ab vſu lactis, quod omnes fatentur facilè alterari & corrumpi. Poſtremò, ſunt qui velint dolentes aures per ſpecillum frequenter mundandas & abſtergendas eſſe. quod pariter non ita videtur recipiendum, cum hac ratione partim ſimul cum ſordibus medicamenta

auferat

Digitized by Google

tur, partim fortaſſe magis irritentur aures: ſed veniamus ad rem.

Curatio intemperiei frigidæ.

In intemperie frigida, vnica ſeſe offert indicatio calefaciendi, non tamen neglecta natura partis, formatione, ſitu &c. Itaque ſi dolor fuerit moderatus, moderata quoque medicamenta ſatis erunt, qualia ſunt oleum anethinum, chamæmelinum, amygdalarum dulcium &c. Sin autem dolor fuerit vehementior, vehementioribus quoque præſidiis eſt opus, & inter cætera Gal. laudat remedium vulgare quoddam, quod ruralibus hominibus ſui temporis familiare, ad noſtros vſque ruſticos peruenit. Illud eſt huiuſmodi: Accipiunt magnas cepas, quas excauant, oleo replent, & in fermenti cinere moderatè calefaciunt; atque ita auribus illud oleum infundunt: & Gal. non ſolum hoc, ſed alij quoque vſum probat, ſi nimirum in oleo contundatur & ferueſcat. Sed præ cæteris Galen. fuerat familiare medicamentum ex pauco euphorbio, vel pipere, in multo vetere oleo permixto, quod ille teſtatur dolores à frigiditate ortos magnopere iuuare.

℞ *Olei chamam. completi.* ℥ j
Euphorbij optimi. ʒ j. *M. f. linimentum.*

Sic ſunt optima: oleũ laurinũ, rutaceũ, nardinũ, de ſpica, & quæ tandẽ cęteris omnibus ſunt efficaciora, oleum de caſtoreo vel de euphorbio, quę variãda ſunt prout maior vel minor intẽperies maiorẽ vel minorem caliditatẽ requirat: ſed præterea medicamẽtũ efficax cõficitur ex aqua noſtra ardẽte, quę tamen non debet ebullire, quia ſtatim euaneſceret, ſed ſimpliciter cũ oleis debet permiſceri.

Linimentũ.

℞. *Olei liliorum alborum.*
Rutacei. ana ℥. j.
Euphorbij.
Caſtorei.
Piperis. ana. ʒ. ß.
Aquæ ardentis. ℥. ß *Miſ.*

Oleum reſolutiuum.

In hac ciuitate paratur oleum ex radice bryoniç, altheç & cucumeris agreſtis. Id oleum reſolutiuum vocant: & à Gal. 6. *de med. ſecundũ genera* 8. ponitur, vbi loquitur de oleo ſicyonio. Preterea, licet medicamẽtũ ſolidius conficere, quaſi emplaſtrum, ex farina lupinorum, orobi, ruta, caſtoreo.

Emplaſtrũ.

℞. *Farina lupinorum.*
Fœnugraci.
Orobi. ana. ℥. ß.
Caſtorei.
Euphorbij. ana. ʒ. ß.
Olei reſolutiui. q. ſuf. M.

Suffumigia calefacientia.

Præterea ſunt ſuffumigia ſiue vaporationes quæ ex rebus calidis præparantur.

℞ *Calamenthi.*
Stœchados.
Abſinthij.
Sampſuchi. ana. M ß.
Foliorum lauri.
Baccharũ lauri. an. P. ß. decoquãt. ex vino.

Sacculi.

Vſus autem vt aures ita accommodentur, vt poſſint fumum & vaporationem recipere. Sic demum conueniunt ſacculi ex eiſdem medicamentis calidioribus preparari, & alia id genus.

Curatio in temperiei calidæ.

Sin autẽ intemperies fuerit calida ſine materia, contrariis frigidis remediis eadem ratione debet curari, ſicut de intemperie frigida diximus. Auic. laudat camphoram cum oleo roſato: Gal. lac mulieris: ſunt ſucci frigidiores intybi, cichorei, lactucæ, & ſi maiori opus fuerit refrigeratione, mandragorę ſolani, & poſtremò ad opium licet deuenire; taceo alia quàm plurima, ex quibus varię medicamentorum formę poſſunt parari, vt diximus de intemperie frigida.

Intemperies frigida cum materia.

At verò ſi doleant aures ex intemperie cum materia, quæ vel intra corpus ſit genita, vel extra in aurem ſit delapſa; tunc ad communes indicationes, vacuationem totius corporis, ad reuulſionem, ac poſtremò ad diſſoluendam materiam deueniendum eſt: quas indicationes & ſingula præſidia pro varietate noxij humoris variare oportet, de qua re ſæpe diximus.

Dolor ex craſſis humoribus & flatibus.

Si dolor aurium originem habeat ex craſſis humoribus & flatibus, qui meatum auditorium obſtruant, neque exitum inueniant, primùm, ſi corpus aut copia, aut vitio humorum laboret, neceſſe eſt illud euacuare, alioqui humores & flatus auribus contenti non modò non diſſoluerentur, ſed & illi, & dolor, & omnia mala creſcerent. Si quis obiiciat Galenum de huiuſmodi generali purgatione nihil prodidiſſe: huic reſpondeatis quod ſæpe diximus, Galeni in lib. *de med. ſecundum locos*, propoſitum fuiſſe, tradere non exquiſitam curationem morborum, de quibus agit, ſed tantummodo rationem docere inueniendi medicamenta accommodata ad ſingulas corporis partes, prætetquam quòd hæc omnia præcepta ſub communi methodo medendi continentur. Poſt purgationem corporis licet tutò accedere ad localia medicamenta, quæ deobſtruendi & diſſoluendi flatus vim habeant, qualia ſunt medicamenta amara tenuium partium & quæ abſtergendi facultate ſunt prædita: inter quæ nitrum & ſpuma nitri maximè à Gal. probantur: de quo medicamento illud ſciendum eſt, apud antiquos maximè nitri vſum in medicamentis fuiſſe, noſtro autẽ tempore iam multos annos verum nitrum vel rariſſimè vel nunquam ad nos deferri: veruntamen ſunt nonnulli qui contendunt noſtrum vulgare & artificioſum nitrum, quo paſſim vtuntur in conficiendo puluere tormentario pro vero & legitimo nitro poſſe adminiſtrari, cum reuera negandum non ſit, quin vtrumque iiſdem prope qualitatib. conueniat. Prætet nitrum ex hoc genere ſunt vterque helleborus amygdalæ amaræ, ariſtolochia, & cętera quam plurima, quę diffuſè à Gal. numerantur & examinantur:

Deobſtruentia & flatus diſſoluentia.

Nitrum.

℞ *Ariſtolochia.*
Gentiana. ana ʒ. j.
Radicis hellebori nigri.
albi. ana ʒ. ß.
Olei amygdalarum amararum. ℥. j ß.
Aceti acerrimi. ℥. ß. *M.*

Inter cętera fel omnium eſt probariſſimum, quod cum aceto debet permiſceri.

℞. *Fel bouini.* ℥. ß.
Oxymellis ſymp. ℥. j. ß. *Miſ.*

Atque vt concludam. & ſuffumigia, & fomenta, & quęcunque de dolore aurium ex intemperie frigida dixi, ad hunc locum debent referri, vt pluribus non ſit opus.

Itaque poſtremo loco reſtat dolor aurium ex inflammatione, in cuius curatione ſunt memoria repetendę communes illę indicationes, vacuandi vniuerſi corporis, repellendi, reuellendi & diſſoluendi materiam, quę in inflãmatione cõtinetur.

Curatio doloris ex inflammatione.

Vtrum repellentia conueniant.

Sed ſtatim oritur difficultas de medicamẽtis repellentibus, quę nulla ratione videntur conuenire, propter vicinitatẽ cerebri, ad quod periculũ eſt ne materia deferatur: ad quę modũ Gal. in cura parotidũ; nõ ſolùm cauet à repellẽtibus ſed etiã medicamẽtis attrahẽtibus vtitur: quod ſi laborãte parte aurium externa repellentia non conueniunt, eadem multo minus laborante parte interna videntur conuenire. Contra verò Gal. 3 *de med. ſecundũ locos*, nec non 11. *de ſymp. med.* à repellentibus non abſtinet, qui ad inflammationem aurium vtitur non ſolùm candido oui, lacte, oleo roſato &c. ſed

etiam ſimul cum oleo & lacte non veretur opium adminiſtrare, cui Rhaſes, Auic. Aetius, Alexander, & omnes conſentiunt. Sunt qui reſpondent, diſtinguentes inter inflammationem, & ita ſtatuunt ſi ea fuerit maior doloreſque vehementiſſimi, tunc repellentia poſſe adminiſtrari: at verò ſi inflammatio fuerit minor, & dolores remiſſiores, tunc à repellentibus eſſe abſtinendum. Quæ reſponſio neſcio quanti ſit facienda; ſiquidem Gal. in moderatis quoque inflammationibus talia concedit medicamenta illius verba ſunt hæc: *Moderata inflammationes, & non pulſantes, per huiuſmodi pharmaca curantur, qualia ſunt oleum roſatum, acetum* &c. Quare mea ſententia potius contrario modo eſt reſpondendum, in maximis inflammationibus & vehementiſſimis doloribus à repellentibus eſſe abſtinendum: in moderatis autem illa poſſe adminiſtrari: quòd veriſimile ſit, in moderatis inflammationibus & doloribus materiam pauciorem eſſe adeo vt nullum periculum ab ea videatur imminere, ac maximè ſi leuioribus vtamur: ſed vt dixi, res mihi videtur difficilis, quoniam reuera in inflammatione aurium propoſitæ rationes ferè demonſtrant medicamenta repellentia nunquam conuenire. Iam ſingulas indicationes quam breuiſſimè perpendamus.

Ego verò reſponderem Gal non ratione repulſionis, ſed ratione doloris vſum eſſe frigidoris. medicamentis, quod licet intelligere ex lectione Gal., de comp. med ſecund. locos cap. proprio

Vena ſectio.

Pro vacuatione totius corporis ſi dolores ſunt vehemẽtiſſimi ſine vlla dilatione ad ſectionẽ venæ eſt veniendũ, quæ ſit cephalica eiuſdem lateris cum dolente; & ſanguis copioſè mittatur, cũ reuera experientia confirmet, in vehementiſſimis doloribus nullum ſectione venæ magis tutũ & præſentaneum reperiri remediũ.

Lenientia aluum. *Præparãtia.*

Secta vena leniatur aluus cum ſyrupo roſaceo, & viol. ſolutiuis: cũ caſſia, thamarindis: præparetur materia cũ ſyrupis quos capitales vocãt, roſaceo recẽti, de endiuia de nenuphare, cum decocto endiuiæ, cichorei &c.

Purgantia.

Apparente coctione ad purgantia licet deuenire, qua lia ſunt rhabarbarum cum ſyrupo roſ ſol. confectio hamech. pilulæ cochiæ, pilulæ ſine quibus.

Potio purgans bilem.

℞ *Rhabarbari electi puluerisati ℨ. ij.*
Syrupi violacei ſol. ℥. iij.
Decoctionis endiuiæ q. ſuf. M. f. potio.

Pilulæ.

℞ *Pilularum ſine quibus ℨ. j.*
Pilularum cochiarum cum helleboro ℨ. ß. M. f. pilulæ v. & aurentur.

Repellentia.

De medicamentis repellentibus dixi iam, quæ vel omnino prætermittenda, vel non niſi leuioribus eſt vtendum, quale foret, exempli gratia oleũ roſatum cum aceto: cum aureis ſit pars frigida & proxima cerebro, vt non ſolùm vis, ſed etiam ſubſtantia medicamenti poſſit ad illud peruenire. Si doloris vehementia nos cogat, Gal. auctore non modò licet, ſed etiam eſt neceſſarium ad ſtupefacientia deuenire, ſicuti faciendum eſt vbicunque æger vel colli vel renum, vel alterius partis vehementi dolore afficiatur.

Modus vtendi opio.

Quo loco Gal. vtendi opio rationem docet, ſcilicet vt illud vel lacti mulieris, vel candido oui, quæ etiam ſola ſine opio aurium inflammationibus proſunt, vel caſtoreo permiſceatur. Verùm hæc Gal. monet multo tempore ante vſum eſſe permiſcenda, quoniam, vt puto, hac ratione facta mutua actione & reactione, fit quædam veluti fermentatio, in qua vis vtriuſque remittitur, adeo vt non amplius caſtoreum calefaciat, neque opium refrigeret, ſed ex iis tertia forma reſultet, ſicuti contingit in theriaca, quæ recens tempore & calefacit & ſtupefacit, facta autem fermentatione, tantum calefaciendi vi prædita eſt. Sed quoniam poteſt euenire, vt in præſentia remedio indigeamus, neque licet expectare tempus huius mixtionis, philonium ſimul cum ſapa dulci, vel lacte mulieris poterit eius vicem ſupplere.

Linimentum ſtupefaciens.

℞ *Philonij Romani ℨ. ß.*
Sapæ dulcis vel.
Lactis mulieris. q. ſ. M. fiat linimentum.

Præceptum Pauli

Verumtamen de huiuſmodi medicamentis ſtupefacientibus non eſt negligendum præceptum Pauli & Alexand. qui docent non ſæpius ac frequenter, ſed ſemel duntaxat atque iterum illa opportunè adminiſtrari, cum hinc non leue periculum videatur imminere cerebro, quod auditorio meatui proximum eſt.

Reuellentia.

Hoc tempore omnium reuulſionum genera conueniunt, cucurbitulæ ſcarificatæ & non ſcarificatæ frictiones, ligaturę, clyſteria acria in quibus oportet perpetuò rationem habere febris, adeo vt ſi ea vehementiſſima fuerit, à clyſteribus acrioribus abſtinendum: idem ſtatuendum eſt de omnibus aliis præſidiis, quæ poſſunt adhuc magis calefacere, & febrem augere. Poſt hæc omnium poſtrema reſtat indicatio, diſſoluendi reliquias materię contentæ in inflammatione, pro quo antiqui habent pretioſa illa vnguenta, ſpicatum, foliatum, &c. quorum deſcriptionem habetis apud Aëtium:

Reſoluentia.

nos hoc tempore habemus nonnulla ferè ſimilia, qualia ſunt oleum de caryophyllis, balſamin. de ſpica, quibus cinnamomũ & alia aromata poſſunt imponi: demũ ſunt folia & baccæ lauri, calamenthum, ſaluia, betonica, &c. ex quibus fomenta, & emplaſtra, & aliæ medicamentorum formæ poſſunt parari,

---

Capvt XXIX.

De Surditate.

Poſt dolores aurium de ſurditate eſt agen dum quod item facit Gal. 3. *de med. ſecundum locos* 1. *ad finem*, qui ante omnia ſcribit, eos homines qui grauiter & difficulter audiunt, quos propterea ſubſurdos vocat, vt pote qui exiguas voces penitus non audiunt, magnas autem vix percipiant, verſari in maximo diſcrimine, ne ſymptoma paulatim augeſcens, in perfectam ſurditatem deueniat, cuius nullam tradit curationem, quaſi inſinuet eam prorſus eſſe inſanabilem.

Auditus læditur tripliciter.

Quo loco eſt memoria repetendum, quod ſæpe diximus, actionem quoque auditus, ſicut cæteris omnibus actionibus contingit, lædi tripliciter: ſiquidem aures audiunt vel deprauatè, ſicuti cum ſibilum vel aliũ ſtrepitum temere ſentiunt: vel imminutè, cum vt inquit Gal. ægri paruas voces non audiunt, magnas vix percipiunt: vel abolitè, quoniam nihil prorſus ſentiunt: ex quibus mihi ſtatutum eſt de ſolo imminuto ac debili auditu verba facere, cum ferè vna atque eadem ratione imbecillum deprauatumque auditum liceat curare: abſoluta autem ſurditas nullam curationem accipit.

Quid ſit.

Quid ſit huiuſmodi affectus, eſt manifeſtum, videlicet ſymptoma & actio læſa ſenſus auditus, in quo homines non niſi difficulter & grauiter audiunt.

Differentiæ. Cauſæ.

Differentiæ ſunt plurimæ, ſed ſunt principales quæ ſumuntur à cauſis: pro quo ſciendum eſt ex Gal. 1. *de ſym pt. cauſis.* 2. omnes omnium ſenſuum actiones triplici ratione poſſe lædi: prima cum primùm ſenſus inſtrumentum laborat: altera cum ſentiendi facultas; tertia cum aliquid eorum quæ primo ſenſus inſtrumento miniſtrant malè afficitur, quam doctrinam Gal. exemplo oculi demonſtrat luculentiſſimè. Hanc methodum inueniendi cauſas læſionis omnium ſenſitiuarum actionum vt iuniores probe intelligant, rurſus ſciendum eſt ex Gal. *de diff. morborũ* 6. 2. *meth.* 6. in vnoquoque inſtrumento vnam tantummodo eſſe principalem partem, atque eam quidẽ ſimilarẽ, per quam ſingulę actiones

perficiun

perficiuntur, qualis in oculo eſt humor cryſtallinus; reliquas autem partes vſum afferre, quales in eodem oculo ſunt tunica, humores, muſculi, &c. Deinde idẽ Gal *in lib. de conſtitutione artis med. 6.* docet actiones primò & per ſe eſſe partium ſimilarium, ſecundariò & per accidens partium inſtrumentalium. Itaque ſi quis hanc methodum adhibeat, is facilè poterit cauſas inuenire propter quas auditus debilis & imminutus reddatur. Namque vt ſcribit Gal. *1. de ſymp. cauſis 3.* huiuſmodi ſymptomata pariter poſſunt contingere propter læſionem vel principalis partis totius inſtrumenti, quæ apud Galen. non eſt alia, quàm internus finis meatus auditorij, vbi dilatatum neruum attingit: etſi non ignoro Ariſt. 2. *de anima* aliter ſentire: vel propter læſionem alterius partis ex iis quæ aliquẽ vſum audiendo præſtant: vel demum propter læſionem cerebri, ea parte vnde neruus auditorius originem habet.

Surditas quot modis fiat.

1. At primùm ſurditas poteſt contingere propter vitium principalis inſtrumenti, quod quolibet genere morbi poteſt laborare: primùm intemperie, quæ potiſſimùm frigida eſſe conſueuit ac ſemper; etſi non eſt negandum, cæteras quoque intemperies poſſe actionem labefactare: deinde ſolutione continui, vulnere, vlcere, aut ſimili ratione: poſtremò per obſtructionem, quæ fieri poteſt vel propter tumorem aliquem præter naturam, vtpote adiceſſum, phlegmonem, ſcirrhum & œdema: vel propter calloſum quoddam & carnoſum tuberculum huic parti adnatum: vel demum propter copiam ſordium quæ in auribus gigni ſolent.
2. Secundo loco ſurditas poteſt prouenire propter vitium facultatis, quæ cum in cerebro conſiſtat neceſſariò malam illius affectionem indicat: hæc autem potiſſimùm eſt intemperies ac maiori ex parte frigida, vt de meatu auditorio diximus. Sed præterea id quoque poteſt contingere ratione ſpirituum, qui vel deficiant, vel praua qualitate ſint affecti, ſicuti in ſuperfluis euacuationibus, in ſumma viriũ imbecillitate & morituris contingit, ſecundum Hip. & Galen. qui ſcribunt 4. *aph. 49.* 1. *prog. 32.* in morbis acutis auditum perditum lethale eſſe.
3. Tertiò ſurditas poteſt fieri propter læſionem alterius partis quæ principali inſtrumento ſeruiat, quæ ſunt interna cauitas auris, foramen illud anfractuoſum, & aliæ, de quibus Gal. 8. *de vſu partium:* quæ partes pariter lædi poſſunt vel intemperie, vel obſtructione ex tumoribus præter naturam, qui meatum auditorium obſtruunt: itaque hæ ſunt differentiæ ex cauſis.

Different. II. III. Verùm neque aliæ deſunt differentiæ ex tempore: alia recens, alia antiqua eſt ſurditas: ex modo generationis, alia febribus & cæteris morbis, ac potiſſimùm malignis ſuccedit, cum ſæpenumero conualeſcentes ſurdaſtri remaneant: aliæ ſine præcedentibus morbis, vel confertim, vel paulatim generantur; ex modo affectus, alia primùm laborante capite & auribus,
IV. alia per conſenſum, exempli gratia, ventriculi, vel alterius partis.

Signa. Indicia ſurditatis ſunt manifeſtiſſima, neque eſt difficile ſigna inuenire, quæ vnam vel alteram illius cauſam poſſunt indicare, de quibus Gal. 4. *de locis aff. 2.* etenim quæcunque ſymptomata ſiunt in cauitatibus aurium quæ apparent, rationali inueſtigatione non indigent; ſi verò illæſo apparente aurium meatu, audiendi facultas læditur, ſimili ratione poteſt intelligi: namque vbi præter auditum nulla in cęteris ſenſibus lęſio apparet, tunc licet conicere proprium neruum eſſe affectum: vbi autem reliquę faciei particulæ ſimul cum ipſa læduntur, tunc exiſtimandum eſt in cerebro eſſe affectum præter naturam, ipſo vel vt ſimilari, vel vt inſtrumentali parte laborante.

Curatio. Ad curam venio, & quoniam nimis foret longum ac inutile, de omni ſurditate & ſingulis cauſis pertractare, mihi licet, exemplo & imitatione Gal. vnius tantùm ſurditatis curam tradere, quæ ex frigidis, craſſis & viſcidis humoribus meatum auditorium obſtruentibus habet originem: quæ ſurditas ex dicta cauſa frequentiſſime ſolet contingere; ſiquidem cæteræ differentiæ vel ſunt leuiores, ac facilè curantur, vel ad hunc locum non pertinent. Hanc totam curam Gal. paucis indicationibus & remediis abſoluit, qui primò purgationem inſtituit per hieram ac pilulas ex colocynthide: deinde propriam capitis adhibet rationem, per apophlegmatiſmata; tunc ad exſiccandũ & roborandum caput accedit: ac poſtremò ad vſum localium medicamentorum deuenit, quæ craſſos & viſcidos humores attenuent & diſſoluant: quibus omnibus attenuatoriam victus rationem adiungit. *Methodus Galeni.*

Repellentia an conueniant. Sed quærat aliquis cum hîc quoque ſit fluxio materiæ, verùm principio ſurditatis conueniant repellentia? Cui reſpondeatis, nullo modo repellentia conuenire; nam præterquam quòd hæc materia eſt craſſa & tenax, iam extra vaſa in cauitatem auris eſt tranſpoſita, ita vt nullo modo poſſit retrocedere. Itaque poſitæ indicationes à Gal. ſunt ſatis, quas duobus verbis abſoluemus.

Lenientia. Præparantia. Exemplum purgantium. Ergò primò lenienda eſt aluus per hieram ſimplicem, pilulas aloëphanginas, mel. roſ. &c. Præparetur materia cum ſyrupo de betonica. Cocta materia purganda eſt, & inter cætera hiera diacolocynthidos eſt præſtantiſſima: trochiſci halhandal ſunt optimi.

Purgans potio.

℞ *Hiera diacolocynthidos ʒ. v.*
Mel. roſ. ſol. ℥. j. ß.
Decoctionis betonicæ.
Stœchados q. ſ. M.

Et quoniam materia altè adhæret parti, neque ita facilè cedit medicamentis, vnica purgatio non ſufficit interea ad omnia genera reuulſionum: poſt hæc demum ad caput purgantia eſt deueniendum, vnde & maſticatoria, & errhina optima ſunt. Demum hoc tempore tutò licet ad localia deſcendere, de quibus Gal. & veteres ac recentiores latiſſimè, ex quibus ſequentia mihi videntur faciliora ac efficaciora: caſtoreum vel helleborum aceto diſſolutum & mixtum oleo amygdalarum amararum: pulpa colocynthidos cum caricis & malo cocto permiſta, oleum petrolei nardinum, baccarum lauri, vel ſeparatim, vel permixta adhibita conferunt. *Localia*

Suffumigia. Suffumigia ſint ex decocto hellebori, origani, calamenthi, ſtœchados. Poſtremo loco ad corroborantia caput eſt deueniendum per medicamenta externa, pulueres, ſacculos, lotiones, ſtillicidia, ex abſynthio, ſaluia, ſtœchade, agarico, aquis calidioribus thermarum; nec non per interna medicamenta, vt ſunt diacyminum, diacalamentum, conſerua betonicæ, dianthos, ac poſtremò quæ cæteris omnibus ſunt efficaciora, theriaca, methridatium. *Corroborantia caput.*

CAPVT XXX.

De Parotide.

INter affectus aurium enumerantur *parotides*, quæ ſecundum Gal. 3. *de med. ſecun. locos cap. proprio.* ſub gnere inflãmationum continentur, ac ſiunt glanduli circa aures affectis, id quod nomen demonſtrat. Differentiæ parotidũ, vt inquit Alexander, ſunt plurimæ, ac primùm quædã fiunt ratione criſis, poſt apparentẽ humorũ coctionem, quæ vt Gal. ait, citra capitis affectionem oriuntur, *Differẽtia. I.*

Signa. natura ad eam partem ſuperfluos humores deponente, tantumque abeſt vt hæ parotides ſint malæ, vt potius ſint curatu faciles, ægroſque multis periculis liberent: quædam verò ex cruda materia contingunt, quæ naturæ magnum negotium faciunt, cum ſint admodum rebelles & mali humoris, adeo ve medicis multa præſtantibus, neque ad ſuppurationem neque ad coctionem perueniāt, frequenterque ægros in maxima pericula deducāt.

Secundò ſunt differentiæ à materia, nāque aliæ
II. ex copioſo humore calido & bilioſo, aliæ ex craſſiore & frigidiore generantur;& Auic. *cap.* 24. ſcribit, hæc apoſtemata omnino fieri à materia ſanguinea aut cholerica, & quaodoque melancholica aut phlegmatica. & quandoque ex materia ex iis
III. mixta. Tertiò ſunt differentiæ à modo generationis etenim, vt ſcribit Cornel. Celſus *lib.* 6. *cap.* 16. parotides ſolent oriri modò in ſecunda valetudine ibi inflammatione oborta, modò poſt longas febres; addo ego ex Gal. 4. *aph.* 71. per febres malignas ac peſtilentes ad aures impetu morbi conuerſo.

Quartò ſunt differentiæ à coniunctis; parotides
IV. aliæ ſunt cum dolore, aliæ ſine dolore: aliæ ſunt cum febre, aliæ ſine febre: aliæ cum vigiliis, delirio, & aliis ſæuis ſymptomatibus, aliæ ſine huiuſmodi ſymptomatibus: quod item de ætate, ſexu &c. ſtatuendum eſt. Poſtremò ſunt differentiæ ex tempore: principio, augmento, ſtatu, declinatione.

Parotides ex tumore poſt aures, ex colore mu-
V. tato, frequenter ex dolore, cuique patent. De ſignis futuræ parotidis: ſi quis ea quoque cupit intelligere, tractat Gal. 3. in 1. *prorrhet.* 65 Neque verò ſigna differentiarum habent difficilem cognitionem: ſic criticæ ex præcedente coctione, ex facili ægri tolerantia: ſymptomaticæ ex contrariis dignoſcuntur. De ſignis quæ ſingulorum humorū redundantiam demonſtrant, ſępius diximus, ac de iis hoc loco Alex. & Auic. agunt diligentiſſimè. Signa pariter cæterarum differentiarum vel ægris referentibus, vel aliter facilè ſunt manifeſta, itaque ad curationem veniamus.

Curatio. Præceptum Galeni. In cura parotidum ante omnia eſt maximè aduertendum præceptum Gal. videlicet nullum locum habere primam indicationem, quâ in cæteris inflammationibus Medici vti conſueuerunt, in quibus vt plurimum repellentibus vtuntur, atque id maximè cum nec malignum ſit, nec multum quod influit, nec corpus pluribus humoribus ſit refertum: in parotide enim tantum ab eſt vt repellentibus ſit vtendum, vt magis medicamenta attrahentia ſint adhibenda, & ſi occaſio ferat, ad fomenta calidiora & ad cucurbitulam liceat deuenire; quod præceptum non ſolum in parotidibus, ſed etiam in cunctis inflammationibus adenarum, quæ vulgo emunctoria appellantur, memoria eſt tenen-
Emunctoria. dum, cum hæ partes ſint tales à natura inſtitutæ, vt facile poſſint excrementa principium recipere & purgare. Sunt autem tres, vt ſunt principes partes noſtri corporis, aures ad quas cerebrum, axillæ ad quas cor, inguina ad quę iecur, ſolent quidquid illis moleſtum eſt, deponere & tranſmittere. Cauſa autem propter quam non licet in emunctoriis vti repellentibus medicamentis manifeſta eſt, & colligitur ex Hip. & Gal. *6. epid. 4. in principio*, qui ſcribunt inflammationes in iis partibus excitatas, ſi ſponte retrocelſerint & euaneſcant, recidiuas, & multa pericula ſecum afferre, quòd tunc praui humores à partibus extremis & ignobilibus ad interna viſcera & membra præcipua deferantur: vnde Medici quoque hoc naturæ exemplo inſtituti, debent ab omnibus præſidiis abſtinere, quæ cunque poſſunt huiuſmodi humores ad intimas partes repellere, atque iis vti, quæ magis valent eodem ab internis ad externas partes euocare: itaque in curatione parotidum perpetuò eſt cauendum à repellentibus.

Quando à repellentibus abſtinendum. Verùm circa hoc Gal. pręceptum, illud quoque eſt notatione dignum, quòd ille ſcribit in cęteris partibus inflammatis, medicos præſidia repellentia adminiſtrare, ſed non ſimpliciter ac perpetuò, & tres caſus videtur ponere, in quibus non ita licet ad illorum vſum deuenire: primùm ſi materia fluens fuerit maligna: ſecundò ſi materia fuerit multa; tertiò, ſi totū corpus ęqualiter humoribus redundet: quorum ſingulorum ratio eſt manifeſta: nam neque conuenit malignum ad partes nobiliores deponere & repellere; neque multum facilè poteſt repelli, medicamentis humorum multitudine impeditis; nec demum in corpore omni ex parte pleno vacat locus ad quem medicamenta poſſent humores propellere, de quibus pręceptis longè maximi momenti multa forent dicenda, cum vulgares medici hac in parte multos committant errores, ſed non licet omnia explicare; & ſatis mihi ſit locum vobis indicaſſe? redeo ad parotides. Primum Gal. præceptum in cura parotidum continet duas partes: primam, nunquam repellentibus vtendum eſſe, de qua ſatis: ſecundam, eſſe adminiſtranda medicamenta attrahentia, & fomenta calidiora, & ſi hęc nihil proficiant, ad cucurbitulam deueniendum, vt noxius humor ex profundo corpore ad cutem trahatur, de qua dicendum eſt, vt probè intelligatis quod pauci hoc tempore intelligunt. Quomodo & quando in parotide liceat trahentibus vti medicamentis, Gal. ita ſtatuit, ſi humores vehementi impetu fluant, à nobis nihil planè agendum, ſed naturæ omnia permittenda eſſe, quandoquidem ſiue cucurbitulam ſiue aliud trahens pharmacum velimus adhibere, vehemens dolor hominem apprehendit, vnde & vigilię fiunt, & febres ſuccedunt, & vires exoluuntur: itaque minimè licet hoc tempore humorum fluxionem iuuare, ſed tantummodo vni mitigationi doloris eſt attendendum, per cata-
Cataplaſma ſedans dolorem. plaſmatum maximè lenientium vſum, qualia ſunt quę ex farina frumenti, aut hordei, aut ſeminis lini, cum aqua mulſa aut decocto fænugræci, aut althęæ, aut chamęmeli, præparantur, & quęcunque prętet mitigationem doloris valent quoq; influentes humores coquere & ſuppurare. Quod ſi etiam ſanguis redūdare videatur, per ſectionem vénę cōuenit illū vacuare, ſi vires cōſentiant Ex quibus poſtremis verbis licet illos arguere, qui in huiuſmodi naturæ expulſionibus ad cutem nunquam audent venam ſecare, timentes ne materia ad partes internas retrocedat. Atq; hęc de ventriculi humorū fluxione.

Sed quærat aliquis, ſi humores ad aures non vehementer & impetuosè, ſed vel moderatè, vel parcè fluant, quod prætermiſit Gal. quidnam agēdum? Ego puto & moderatam & parcam humorum expulſionem factam à natura ad loca commoda, ex Gal. & Hip. 1 *aph.* 21. poſſe à Medico iuuari medicamentis vel leuioribus vel vehementioribus, & tandem cucurbitula, prout magis opportunum videbitur, dummodo id ſemper proſpiciamus ne inflammatio & dolor augeantur, quibus deinde, vt inquit Gal. vigiliæ & maiora pericula ſuccedant. Interea diligenter eſt animaduertendū quid moliatur natura. & vtrùm parotides ad ſuppurationem, vel magis ad ſolutionem tendant, ſiquidem alterutrum ſequitur neceſſariò: debet autem medicus naturæ hac vel illa ratione opem
Diſſolutio. ferre. Itaque ad diſſolutionem tendunt chamæmelum, fœnugræcum, caſtoreum, &c. Sin verò natura magis attendat ſuppurationi, quod præcipuè ad tactum licet diſcernere, medicus ad ſuppu-
Suppuratio. rantia debet accedere, ad quam facit emplaſtrum ex farina frumenti, axungia porcina, re-

centi

Digitized by Google

centi oleo, decocto caricarum, &c. Facta ſuppuratione Medici ſtatim vel cum ferro, vel alitèr abſceſſum aperiunt: antiqui autem prius conabantur ipſam ſaniem diſſoluere, & fomentis & emplaſtris, quæ diſcutiendi vim habent, de quibus Gal. 2. *de meth. ſecundùm locos.* Et ſi quis obiiciat hæc importunè fieri, nam facto abſceſſu fruſtra illius diſſolutionem quærimus; Reſpondeatis iſtud in magnis abſceſſibus verum eſſe, in paruis ſecus ſe habere. Quod ſi demum parotides indurentur, ad eorum emollitionem & diſſolutionem deueniendum eſt.

CAPVT XXXI.

De Hemorrhagia Narium.

GAlenus *lib. 3. de med. ſecundùm locos*, poſt aures tractat de affectibus narium non tamen de omnibus ſed tantummodo de tribus, nempe ozænis, polypo, & ſanguinis fluxione. Quòd ſi quis quærat. cum certum ſit hanc partem laborare omni genere morborum, quamobrem Galen. in prædicto libro non omnia fuerit perſecutus; huic reſpondeatis, non fuiſſe illi propoſitum docendi in hiſce libris rationem curandi omnes morbos de quibus agit, ſed tantummodo rationem componendi medicamenta ad ſingulas partes accommodata. Si quis rurſum obiiciat, illum ſaltem debuiſſe tractare de læſo odoratu; huic reſpondeatis, ea ſymptomata non pertinet ad nares, ſed ad partes naribus ſuperiores, videlicet anteriores ventriculos cerebri, qui à Gal. 8. *de vſu partium 6. & alibi*, pręcipuum inſtrumentum odoratus ſunt conſtituti. Itaque nobis quoque Galeni imitatione de iis tribus capitibus agendum fuerat: ſed cum duo prima, ozænæ quæ non aliud ſunt quam profunda & putrida narium vlcera, ex quibus planè fœtibus odor exhalat, & polypus, qui non eſt aliud quàm tumor præter naturam in naribus genitus; cum, inquam, ij duo affectus tarò eueniant, ac potiùs ad chirurgiam pertineant, illis prætermiſſis ſtatui tantummodo de fluxu ſanguinis verba facere.

Qualis ſit affectus. Ex tribus generibus ſymptomatum: vnum eſt quod excrementorum & retentorum immoderatione contingit quod rurſum in trea præcipuas differentias diuiditur: quæcunque enim immoderatè excernuntur aut retinentur, vel tota ſubſtantia, vel qualitate, vel quantitate à naturali habitu recedunt: itaque fluxio ſanguinis è naribus eſt ſymptoma exiens immutatum, & quidem toto excretorum ſubſtantiæ genere præter naturam: ſiquidem id excernitur quod corpori eſt maximè familiare, & naturæ multos poteſt vſus afferre.

Nomen. De nomine id eſt notandum apud Hip. cum ſimpliciter hæmorrhagia ſeu fluxio ſanguinis dicitur non adito nomine partis quæ ſanguinem fundit, exempli gratia, ore, ventriculo, inteſtinis, hæmorrhoïdibus, vnum ſangninis profluuium ſignificari, quod ex naribus emanat, ſicut notat Gal. *1. epid. ſect. 6. c. epid. 3. 25. 3. pror. com. 46.* ſed ad rem aggrediamur.

Tres modi fluxus ſanguinis. Apertio venarum. Sanguinis ex vena aut arteria triplici ratione fluere poteſt, aut aperto illarum ore, aut tunica diuiſa, aut ſanguine quodammodo tranſcolato, & ſudoris modo tranſmiſſo. Aperiuntur hæc vaſa tripliciter, primùm propter imbecillitatem partia, quæ à mediocri copia grauatur; ſecundo propter multitudinem ſanguinis, quotieſcunque ad ora vaſorum impetu fertur; tertiò propter aliquam acrem qualitatem: quam illæ vel ab alimentis, vel à medicamentia, quandoque ſolent contrahere. Tunicæ vaſorum diuiduntur quatuor modis, aut vulnere, aut contuſione, aut ruptione, aut eroſione. de quibus videatis Gal. 1. *de fracturis 9.* *Diuiſio vaſorum.* quæ vulnerant, ea ſunt acuta atque ad incidendum accommodata: quæ contundunt, ea grauia duraque ſunt; quæ rumpunt, omnia tenſionis interuentu id faciunt, hoc idem præſtat ſuccorum redundantia, caſus ab alto, & alia &c erodunt ſucci acres, cauſtica medicamenta &c. Demum ſanguinis tranſcolatio ex tunica rarefacta, ſanguine reddito tenuiore originem habet. *Tranſcolatio ſanguinis.* Hæc doctrina eſt Gal. *5. meth. 2. 4. de locis aff. 5. 7. apho. 17.* Sed tamen ſciendum eſt, tertiam rationem fluxionis ſanguinis, tunica rarefacta, à Gal. ex numero hæmorrhagiæ, quodammodo deletam fuiſſe *3. de ſymp. cauſis 6.* ſiquidem ſanguis hoc modo exiens reuera in alteram ſuperiorem rationem, ſcilicet apertionem exiguorum vaſorum videtur poſſe referri, vel certè inter cruentas excretiones non debet enumerari: etenim tunc ſanguis exit minimè verus & legitimus, ſed qui ſeri cuiuſdam ſpeciem repræſentat, quale potiſſimùm in iecoris & renum imbecillitate apparet: ad quem modum Philoſophus ſcribit *3. de hiſtor. animalium 19 3. de partibus animalium. 5.* nonnullis ſanguinem tam fieri ſeroſum, vt cruentum quendam ſudorem ſudent. Itaque ſanguinis profluuium ex naribus propter aliquam ex tribus cauſis procedat, eſt neceſſe, videlicet vel aperto ore, vel diuiſis, vel rarefactis tunicis eorum vaſorum, in quibus continetur: quoniam verò vel difficile, vel nulla ratione fieri poteſt, vt venæ narium rarefiant, vel diuidantur adeo, vt ſanguis immoderatè profluat, id reliquum eſt, vt huiuſmodi ſymptoma aut perpetuò, aut frequentiſſimè ex apertione venarum originem habeat.

Curatio. De ſignis autem quæ vel imbecillitatem partis, vel copiam, vel malam qualitatem ſanguinis poſſunt indicare, ſæpius dixi, eaque ex habitu corporis, colore ac potiſſimùm faciei, & ſimilibus, poſſunt facilè intelligi. Itaque ad curandi indicationes venio. de quibus Gal. diffusè. *5. meth. à cap. 2. vſque ad 7.*

Cuicunque ex corpore fluit ſanguinis, cohibetur ne amplius fluat, vel quoniam non fertur ad locum apertum, vel quia diuiſio vaſorum occluditur, vel propter vtrumque ſimul, quæ retinendi ſanguinis tutiſſima ratio eſt. Prohibetur ſanguis ne confluat ad partem apertam, inducto animi deliquio, reuulſione facta ad contraria, deriuatione ad partes proximas, refrigerando corpus vniuerſum, ac maximè partem affectam: clauditur diuiſio, ſi quod diuiſum eſt coniungatur vel obſtruatur: contrahitur pars diuiſa refrigeratione, vinculo vel aliis præſidiis quæ diuiſum corpus ſolent coniungere: obſtruitur pars vel intra vel extra: intra quidem, ſanguine concreto qui Græcè & vulgo thrombus dicitur; extra autem tum hoc ipſo ſanguine, tum linimentis, ſpongiis, atque iis demum medicamentis, quæ proprio lentore & craſſitie meatus obſtruunt & claudunt, ſi ad ea corpora quæ circumiacent, propiùs admoueatur.

Cæterum quæ de profundo corpore ſanguinis profluuia fiunt, quale eſt de quo agimus, quæ nec vinculo, neque alia ſimili ratione poſſunt ſanari, per reuulſionem ac deriuationem, nec non alimenta quæ emplaſticam vim habent & refrigerant, ſanari debent. Hæc generalis eſt doctrina ac methodus curandi quamlibet ſanguinis fluxionem, quam mihi libuit paulo longiùs explicare, quod ea non ſolùm ad hunc locum, ſed ad alios quoque poſſunt accommodari.

Sanguis ex naribus poteſt retineri, ſi ad ſupra

ſcriptam methodum reſpiciamos: etenim in hoc ſymptomate duo ſunt, locus apertus venæ narium, & locus ex quo ſanguis profluit, quæ vt plurimùm ſunt venæ circa cerebrum & membranas: tametſi non eſt negandum, hanc fluxionem per conſenſum aliarum partium & totius corporis poſſe excitari.

Indicationes. Itaque duæ ſunt præcipuæ indicationes; altera, vt ſanguis non feratur ad locum affectum; altera vt locus apertus claudatur. Ad primam pertinent præſidia primùm quæ reuellant. 2. quæ deriuent. 3. quæ animi deliquium inducant; ac poſtremò quæ refrigerent & adſtringant. Ad ſecundam ſunt accommodata remedia quæ obſtruendi & adſtringendi vim habeant, quæ non ſolùm ad locum laborantem, ſed ad partes etiam illi proximas debent imponi.

Reuellentia. Primùm omnia reuulſionum genera conueniunt. lotiones extremarum partium ex aqua calidiori non ita videntur conuenire, cum periculum immineat, ne elatis ex aqua vaporibus calidis, tum cæteræ partes, tum maximè caput calefiat, & ſanguis copioſiùs confluat.

Clyſteria leniora. Conueniunt etiam clyſteria, ſed leniora, & quæ ſimul poſſint humorem calidum & acrimoniam remittere, qualia forent ex decocto maluarum, lactucarum, hordei, ex caſſia, oleo violaceo, &c. Imò verò cum ſucci calidiores ſint tanquam vehiculum ſanguinis, ſi æger propter nimiam copiam bilis & illius acrimoniam hoc ſymptomate laboret, neque mea ſententia foret importunus vſus lenioris medicamenti, quale eſt caſſia cum thamarindis, quod poſſet humorem noxium partim purgare, partim alterare, & illius vitium remittere.

Cucurbitulæ. Præterea ſunt cucurbitulæ, quæ hac in re præclaram operam præſtant, vt Auicen. & omnes fatentur, & variis partibus corporis poſſunt adminiſtrari. Namque primùm affiguntur hypochondriis, de quibus ita Gal. ſcribit *de ſang. miſſ.* 15. 5. *metho.* 3. *Cum è naribus erumpit, eum retinet magna cucurbitula in hypochondriis affixa.* Auicen. autem probat cucurbitulas non ſolùm appoſitas hypochondriis, ſed etiam mammæ reſpondenti nari profluenti: neque fortè forent importunæ ſi affigerentur ad crura, vel ſcarificatæ, vel non ſcarificatæ. quæ reuellendi ratio eſt deorſum. Amplius vt placet Auicennæ *cap. proprio.* & Paulo *lib.* 3 *cap.* 14. licet illas apponere partibus poſterioribus, cum leui ſcarificatione, vt principio ceruicis & ſpatulis; quem modum reuellendi conſtat ad partes anteriores & poſteriores pertinere: quam reuulſionis rationem neque Gal. prætermiſit. 5. *method. med.*

Venæ ſectio. Inter cætera medicamenta reuellentia in fluxu ſanguinis narium, conſenſu omnium, ſectio venæ principem locum obtinet; ac propterea ſi profluuium vehemens fuerit, primo tempore ad hoc præſidium eſt veniendum, de quo Gal. hæc habet 5. *meth.* 3. *Si reſolutus æger adhuc non ſit, ſecta vena ex cubito quæ reſpondet nari, &c.* Et alio loco *com* 3. *in* 1. *pro. com.* 53. *Nos ſæpius experti ſumus ſectionem venæ immoderatum ſanguinis fluxum perſpicuè ſiſtere, &c.* Ex quibus locis licet vobis totam huius præſidij vim & adminiſtrationem intelligere.

Deriuantia. Secundo loco poſt reuulſionem ſanguinis quoque ad partes proximas eſt deriuandus, ac primùm occurrit ſectio venarum ſub lingua; deinde miſſio ſanguinis ex auribus, vel illis ſcarificatis, vel appoſitis hirudinibus. Tertiò cucurbitula pariter ſcarificata, quæ vt placet nonnullis, in capite ſupra cranium eſt apponenda; ſed meâ ſententiâ longè foret opportunius ad partem poſteriorem, nimirùm principio ſpinæ eam applicare, vt Auicen. & Paulus docent.

Animi deliquium inducentia. Tertia fuerat propoſita ratio, ne ſanguis apertas nares peteret, inducere animi deliquium: etenim cùm illud non aliter eueniat, quam patiente corde, vel primariò, vel aliis partibus conſentientibus, hinc fit, vt ſanguis confertim ad partes internas recurrat, ex quo ægri pallidi fiunt, & exteriùs refrigerantur: vnde ſumma cum ratione ſanguis ad alias partes conuerſus non amplius locum affectum & apertum & petere poteſt. Sed quonam modo animi deliquium inducitur? Minimè immoderata euacuatione, vt placet Auicennæ, ſed potius inducto vehementi dolore, ex magna aliqua animi perturbatione, ex timore &c.

Frigida inhibent fluxũ ſanguinis. Poſtremò autem prohibetur ſanguis ne feratur ad venas narium, medicamentis quæ partim ſanguinem fluentem, partim locum affectum, partim locos proximos, refrigerentent; ita enim ſanguis firmatur, & quodammodo redditur immobilis, vt neque ille fluat, neque nares eum recipiant: vnde eſt apho. Hipp. in 5. particula 23. *In iis frigida eſt vtendum, vnde fluit ſanguis, aut eſt fluxurus, non ad ipſa, ſed circa ipſa vnde inſtait, &c.* Huiuſmodi medicamenta ſunt quamplurima partim interna, partim externa: interna, decoctum endiuiæ, portulacæ, plantaginis, hepaticæ, nenupharis, ſyrupi de endiuia, roſaceus de agreſta, de portulaca, de ribis: conſerua roſarum, violarum, nenupharis: ac poſtremò ſi res vrgeat, ad medicamenta ſtupefacientia licet deuenire.

Externa autem medicamenta ſunt repellentia, id eſt, refrigerantia & adſtringentia, quæ ad varias partes imponuntur; ac primùm eſt maximus vſus aquæ frigidiſſimæ, vel ſimplicis, vel permixtæ portiuncula aceti ad penetrationem; hæc in ore contineatur, perque nares attrahatur, atque eadem frons & tota facies irrigetur. Alij magis probant aquas deſtillatas frigidiores, portulacæ, plantaginis. Auicen. probat embrochas & perfuſiones capitis, nec non inſeſſiones corporis in aqua, non ſolùm frigida, ſed etiam niue refrigerata: ex quo communiter practicantes ſolent in vehementi fluxu ſanguinis, & crura, & brachia, potiſſimùm autem teſtes aqua frigida fouere, quod remedium puto per antiperiſtaſim iuuare.

Cautela. Verùm hoc loco non eſt prætermittendum præceptum Galeni maxima dignum obſeruatione, qui ſcribit, ad huiuſmodi refrigerantia medicamenta non ſine iudicio eſſe veniendum, cum ſæpenumero importunè adhibita, ſoleant multa ac grauiſſima pericula afferre: de qua re ita Galenus ſcribit 11. *method.* 6. *Eorum quibus ſanguis ex naribus, aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerunt*, &c. ex quo loco certum eſt ad hæc frigida remedia non eſſe deueniendum, niſi primùm adminiſtratis omnibus generibus reuulſionum & deriuationum, de quibus ſæpe diximus.

Adſtringentia & obſtruentia. Hactenus de prima indicatione, ne ſanguis ad locum affectum feratur: ad alteram indicationem, ſcilicet vt nares claudantur, ſunt accommodata ea medicamenta quæcunque ſuo lentore & craſſitie poſſunt illas obſtruere, vel aliter occludere, quæ ſunt plurima, ac ferè omnibus manifeſta: aloe, thus, maſtiche, roſa, acacia, hypociſthis, balauſtia, cortices granatorum, plantago, portulaca, conſolida, &c. ex quibus ſucci, aquæ, olea, & aliæ medicamentorum formæ poſſunt parari: & ſit exemplum.

Linimentum ſiſtens ſanguinem.

℞. *Olei roſati omphacini* ℥ ij.
Succi plantaginis,
Lactucæ ana ℥. ß.
Hypociſtidis,

Balau

Balauſtiarum ana ℥. j.
Aceti parum M. f. linimentum, quod partim ad nares, partim ad cæteras partes proximas debet apponi. Item,

℞ *Succi polygoni,*
Semperuiui,
Portulacæ ana ℥. ß.
Boli armenæ,
Terræ lemniæ,
Lapidis hæmatitis ana ℨ. j.
Cum albumine oui & pauco aceto M. f. linimentum vt ſuprà.

Iſchæmum certiſſimum.

Sed inter cætera medicamenta apud Gal. admodum celebre eſt, quod conficitur ex myrrha, thure, aloë albo oui, & tenuiſſimis pilis leporis, quod ad retinẽdum ſanguinem creditur eſſe adeo efficax, vt nonnulli exiſtiment ſanguinem fluentem non modò ex venis, ſed etiam ex arteriis illius opera poſſe retineri; de quo medicamento, atque illius compoſitione & vſu videatis Galen. 5. *meth.* 3. Poſtremò ad retinendum ſanguinem ſunt multa quæ occulta quadam proprietate creduntur poſſe iuuare, neque ſolùm remedia externa vel interna, ſed etiam verba & incantamenta. Atque hactenus de fluxu ſanguinis.

Capvt XXXII.

De dolore dentium.

Galenus primis quatuor libris de *comp. med. ſec. locos*, ea omnia complectitur, quæ nos hactenus tractauimus de morbis capitis, in quinto autem lib. agit de morbis faciei & dentium. Dentes poſſunt omni morbo laborare: intemperie cum materia, & ſine materia, vnde inflammationes & dolores oriuntur: mala compoſitione, vnde redduntur minores, molliores ac deficiunt: ſoluta vnitate, dum corroduntur ac perforantur: ſed primum nos de dolore dentium tractabimus. Hiſtoriam dentium ſcribit Philoſophus 2. *de hiſtor. animalium*, c. 2. 3. & 4. *de vſu partium* 8. 9. Plin. *lib.* 11. *c.* 37. Cornelius Celſus *lib.* 8 *c.* 1.

Vtrùm dentes doleant.

Gal. primum dubium mouet, vtrum dentes ſentiant nec ne; qui inquit nonnullos aſſeruiſſe, dentes cum ſint oſſa, ſine dolore malè affici, quod illo argumento videtur poſſe confirmari, quoniam prominentiores vel longiores facti, aliquando per limulam atteruntur ſine dolore: quam dubitationem Galen. prætermiſſa ratione, proprio experimento & teſtimonio diſſoluit; cum enim ille aliquando dentibus doleret, qui aliàs audierat de hac re dubitare, diligentem ſuper ſeipſum animaduerſionem habuit, qui percepit manifeſtè dentem non modò dolentem, ſed etiam pulſantem, quemadmodum carnoſæ partes inflammatione laborantes, facere ſolent: verùm cum illi mirum, ac vix fieri poſſe videretur, vt in dente, qui duram & lapideam ſubſtantiam habet, inflammatio poſſet oriri, cum rurſus alio tempore dẽtibus doleret, diligentiùs mentem adhibuit, ac manifeſtè percepit, dolorem inflammationis & pulſationem non ad dentes, ſed ad gingiuas pertinere: vnde concludit per hęc verba. *Quapropter vtriuſque doloris ſenſum expertus, alium in gingiua, alium in ſubſtantia dentis eſſe clarè ſcio, & id aſſerentibus teſtimonium præbeo, quod ipſi aliquando dentes doleant.* De neruo autem qui ad radicem dentis ortus eſt an doleat nec ne, nemo dubitat, ipſeque Galen. pariter fatetur ſe aliquando in ſemetipſo huiuſmodi dolorem percepiſſe: itaque dentes non ſolùm ratione gingiuarum, aut neruorum, ſed etiam ratione propriæ ſubſtantiæ dolent.

Cauſa.

Cauſæ doloris dentium ſunt plurimæ, ſed tamen omnes ad proximã & immediatam cauſam vtriuſque doloris, ſolutionem continui, ſunt referendæ: præcipuè verò dolor dentium poteſt excitari à qualibet intemperie, tum ſimplici, tum compoſita, cum materia, & ſine materia. Sed quoniam ex ſola intemperie non valde inſignes dolores ſolent oriri, nos de eo tantùm dolore tractabimus, qui prouenit ex intemperie cum materia, quæ poteſt eſſe cuiuſcunque humoris, ſanguinis, pituitæ, bilis, melancholiæ, ac poſtremò flatus, de quibus omnibus ſæpiſſime diximus. Notandum verò, ſicuti diximus, dolorem vel neruum denti annexum, vel ſubſtantiam dentis, vel gingiuas occupare, quod maximè facit ad curationem: alia remedia vni parti, alia aliis conuenire: qui dolores cum admodum difficulter poſſint diſtingui, vt de ſe ipſo teſtatur Gal. hinc fortaſſe fit, vt medici in curatione doloris dentium parum proficiant. Sed curam aggrediamur.

Curatio.

Anodyna medicamenta.

Omnis dolor, vt aliàs dixi triplici ratione tollitur, vel per anodyna, vel per ſtupefacienta, vel per præſidia habentia rationem cauſæ. Medicamenta anodyna ſunt moderatè calida, & ſine aliqua acredine, vt decoctum chamæmeli, fænugræci, paſſularum, liquiritię, &c. quibus in quocunque dolore licet vti: ſin autem dolor fuerit acerbiſſimus, adeo vt æger prope ad deſperationem accedat, neque à ſtupefacientibus eſt abſtinendum, qualia ſunt ſuffumigia ex ſemine hyoſciani, mandragoræ, papaueris, &c quorum multa exempla habentur apud Galen. & veteres, qui multò frequentius, quàm nos faciamus, hiſce medicamentis delectabantur.

Stupefacienta

Sed vera & legitima curatio eſt, reſpicit cauſam doloris: quamobrem ſi quis velit probè dentium dolores curare, is primùm debet illorum cauſas exactè diſcernere.

Præceptũ I.

Sed antequam ad particularia præſidia veniamus, duo communia præcepta ſunt animaduertenda quæ à Galen. ſunt tradita: alterum, ſi contingat vt caput aut corpus vniuerſum multis humoribus ſit refertum, adeo vt periculum ſit, ne maiori facta eorum fluxione, dolor augeatur, ante omnia ad prouidentiam totius & capitis deueniendum eſſe.

Præceptum alterum.

Alterum eſt præceptum quòd ratione partis dolentis diuerſa quoque medicamenta ſint adminiſtranda: namque ex vna parte ſubſtantia dentis quæ eſt duriſſima, vehementiſſima & acerrima requirit medicamenta; ſiue repellere, ſiue digerere velimus, vt illa atque eorum vis ad internas dentium partes poſſit penetrare: ex altera autem parte gingiuæ longè magis remiſſa & moderata medicamenta poſtulant, cum ſint molliores & ſtatim medicamentis ſubjiciantur: quibus licet addere illud, non ſolùm pro ratione vnius vel alterius partis, ſed etiam pro ratione ægrotum, ætate, ſexu, temperie, &c medicamenta modò leuiora, modò vehementiora conuenire, vt aliàs diximus in omnibus morbis eſſe faciendum: ſed ſingula percurramus.

Ex humoribus calidis Repellentia.

Itaque ſi dolor proueniat ex humoribus calidis, ſanguine, aut flaua bile, illi primùm ſunt repellendi, pro quo Rhaſes vtitur lotione cum aceto & oleo roſaceo, aut ſolo roſaceo, quod bonum eſt, ſed admodum ingratum. Huius loco licet decoquere roſas, plantaginem, portulacam in aceto, &c. Deinde repellentibus diſcutientia permiſcenda ſunt, origanum, polygonum, hyſſopum, &c. poſtremò prætermiſſis repellentibus ad ſola diſcutientia eſt veniendum.

Ex frigidis humoribus

Si dolor fuerit ex humoribus frigidis, tunc præſidia contraria oportet adhibere, qualia forent decoctum calamenthi, pulegij, hyſſopi, pyrethri, corticum capparum, &c. Rhaſes ordinat quoddam

medicameorum quod propter illius præſtantiam appellat theriacam, ex caſtoreu, pipere, gingibere, &c.

A flatibus.

St dolor fuerit ex flatibus, ſunt decocta ex ſeminibus aniſorum fæniculi, cumini: nonnulli ex maſticatione pyrethri, gingiberis, & ſimilium, facilè ſanantur: in qualicunque autem dolore, ſi opus fuerit, revulſiones omnes non ſunt prætermittendæ.

Medicamenta occultè agentia

Poſttemò ſuot nonnulla quæ occulta quadam proprietate creduntur dolores dentium auferre: decoctio ranatum in aqua vel aceto, ſpolium ſerpentis, vel decoctum, vt placet Galeno, vel combuſtum cum oleo ex melle, vt placet Archigeni. Sunt alia multa, hæc ſufficiant.

Dentes eroſi.

Dentes, quatenus potui obſeruare, maiori ex parte propter eroſionem & perforationem dolent: nam cæteri omnes dolores ſunt leuiores vt plurimùm, & ſine multa difficultate ſanantur: pro ſanandis itaque perforatis dentibus ac eroſis, multi multa præſidia adminiſtrant, lotiones, ſuffumigia, maſticatoria, &c. nonnulli cauſtica quoque medicamenta. oleum, ſulphuris. oleum vitrioli, multi quoque ignitum ſtylum ſolent præbere: ſed ego in me ipſo & aliis longiori experientia didici, nullum tutius & efficacius eſſe remedium, quàm ſi dens perforatus euellatur: namque etſi medicamenta aliquid agunt, & aliquo tempore mitigant dolorem, tandem reuertitur dolor.

Caput XXXIII.

De mobilitate dentium.

Dentes quoque aliter malè afficiuntur, & fiunt mobiles, quod vitium maſticationi maximè obeſt. Hæc mobilitas, vt Galenus docet, duplici ratione poteſt contingere: aut propter defectum alimenti, ſicuti in ſenibus fit; quæ eo ſolo remedio quoquomodo poteſt iuuari, ſi gingiuæ aliquo adſtringente medicamento denſentur, vt poſſit tenaciùs dentes continere: in quem vſum familiariter vtimur aceto ſcyllitico, in quo permiſcentur roſæ, alumeo, maſtiche, &c.

Ad ſtabilendos dentes.

℞ *Aluminis ſciſſilis.* ʒ. j.
Gallarum.
Balauſtiorum.
Hypociſtides.
Roſarum.
Aceti ſcyllitici.q.ſuf. M.f.linimentum.

Ex hiſce poſſunt quoque parari decocta: idem præſtant aquæ thermarum aluminoſæ.

Altera autem ratione mouentur, quotieſcunque nerui, qui eorum radicibus inſeruntur, nimio humore imbuti relaxantur, qui maiori ex parte ex capite ſolet deſtillare, quod vitium medicamentis localibus ſiccantibus corrigendum eſt: priùs tamen, ſi occaſio ferat, habita ratione & capitis, & corporis totius.

Caput XXXIV.

De Nigredine dentium.

Cauſa.

Inter cæteras affectiones dentium, illi etiam denigrantur, quod ſymptoma non aliunde prouenit quàm ex vitioſis humoribus & vaporibus qui ex pluribus partibus, ſed potiſſimùm ventriculo & capite ſolent ad ipſos deferri: quæ quidem nigrities partim quia turpitudinem affert, partim quod progreſſione temporis cariem, dolorem, & alia mala affert, non debet prętermitti Ergo prætermiſſa ratione curandi huius ſymptomatis,

Curatio.

quæ circa illius cauſas conſiſtit, ſciendum eſt medicamenta quæ albos dentes conſeruant, & nigros dealbant, conſtare ex materia eorum, quæ ſiccandi & abſtergendi facultate ſunt prædita, & quæ vulgo *dentifricia* appellantur, qualia ſunt puluis parietariæ, menthæ, hyſſopi, origani, amygdalarum amararum, cornu cerui, raſuræ eboris, margaritarum, coralliorum, iridis marmoris, porcellanæ, oſſis ſepiæ, & ſimilium, quibus perpetuò aromata, roſæ, ſandali, cinamonum, lignum aloës, & ſimilia ſunt permiſcenda. Inter plurima apud Gal. 5. *de med. ſecundum locos ad ſiaem.* vnum eſt medicamentum. quo ille teſtatur dentes albos & odoratos reddi, & ab eroſione præſeruari.

Dentifricium.

℞ *Nitri.*
Teſta ſepia.
Myrrha ana. ℥. j. *M. Terantur & fiat puluis.*

Apud Auicennam eſt ſequens.

℞ *Cornu cerui vſti.*
Ariſtolochia rotunda.
Maſticis. ana. ʒ. j. ß.
Olei roſacei. ʒ ij. ß *M. Terantur vt ſuprà.*

Apud Auicen eſt aliud medicamentum.

℞ *Abrotani.*
Salis torrefacti.
Iridis. ana. ʒ. ij
Cyperi. ʒ. ij. ß.
Spica. ʒ. ß
Piperis. ʒ. iij. *M.* Hoc etiam habetur apud Paulum. Si quis velit habere magis efficax, quo ego vtor,

℞ *Mentha ſicca.*
Ariſtolochia rotunda.
Iridis.
Cornu cerui vſti.
Raſura eboris.
Coralliorum. ana. ℥. ij.
Salis communis vſti.
Aluminis ſciſſilis.
Porcellana.
Pumicis.
Teſta ſepia.
Nitri. ana. ʒ. j.
Piperis.
Pyrethri. ana. ʒ. iij.
Ligni aloës.
Cinamoni.
Myrrha.
Caryophyllorum. ana. ʒ. ß.
Moſchi.
Ambra. ana. g. xv.
Miſce fiat puluis.

DE AFFECTIBVS ORIS.

Caput XXXV.

De inflammatione Oris.

Galenus poſt affectus dentium & gingiuarum, de quibus agit in 5. *lib. de compoſ. med.* ſexto libro incipit tractare de medicamentis accommodatis ad affectus, qui in ore contingunt, de quibus nos quoque iam dicemus. Principio libri generalem tradit curationem curandi inflammationes oris, vbi nos docet præcipuas indicationes, nec non medicamenta quæ ſingulis morbi temporibus conueniunt, in qua re à propria ſua methodo non diſcedit; etenim cum indicatio remediorum præcipuè accipiatur ex natura morbi, ante omnia nobis in mentem reuocat, quod aliàs demonſtrauerat, inflammationem ex calidi ſanguinis fluxione fieri: vnde ſtatim licet colligere, huiuſmodi fluxionem reprimendam eſſe, præterquam, inquit Galen. ſi ad partem aliquam principalem

Repellentia quando fugienda.

recurſu

recurſura ſit, atque aliud quoddam grauius malum allatura. Sed cum non ſemel nos docuiſſet, laborante qualibet corporis parte, ad localia præſidia deueniendum non eſſe, ſine opportuna totius corporis purgatione, id præceptum repetit, nempe vtendum eſſe & ſectione venæ, & purgatione & clyſteribus, & inedia, vbi totum corpus apparuerit aut multitudine humorum, aut eorundem malitia refertum: ſi verè neque plenitudo, neque cacochymia adſit, ſtatim ad curationem per localia remedia poſſe perueniri.

Indicationes. Ex iis Galenus primùm nos deducit in cognitionem communis ſcopi, qui ab affectus indicatione inuentus eſt, nimirum prohibendi incipientem inflammationem, quod repellentia præſtant medicamenta. Deinde alterum quoque adſit ſcopum, à natura partis quæ curatur, cum certũ ſit, ſuperficiem tunicæ oris eſſe multo rariorem ac molliorẽ, quàm ſit cutis quæ totum corpus ambit. Prꝫterea tertium quoque ſcopum addit, huius partis propriũ, atque hic eſt duplex: vnus, quòd ægri ſentiunt inſuauitatem medicamentorum: alter, quòd hæc pars duos habet ſubditos meatus, per quos aliquid medicamenti in ventriculum & pulmones poteſt defluere, vnde ex iis quoque duplex oritur indicatio; altera vt medicamenti inſuauitatem fugiamus, quæ præterquam quòd vſus tempore moleſta eſt, cum per totam diem perſeueret, aliquando etiam accipiendis medicamentis ſolet maximum afferre incommodum: altera, vt medicamentis fortibus, & quæ venenoſam habent facultatem, perpetuò abſtineamus, ne forte aliqua illius portio ad ſubiectas partes deſcẽdat, & aliquod periculũ afferat. Quod quidem præceptum Galeni non ſolum in inflãmationibus, ſed etiam in cæteris omnibus affectibus oris obſeruandum eſt: ſiquidem minimè à natura morbi, ſed à natura partis inuentum fuerit. Iis porrò hunc in modum conſtitutis, Gal. cuiuſdam particularis medicamenti mentionem facit, quod ex ſucco mororum componitur, & diameron dicitur, in cuius multiplici compoſitione & vſu eſt prolixus.

Methodus curandi inflammationes. Hoc loco noneſt prætermittenda methodus, quę non ſolùm ad inflammationes oris, de quibus agitur, ſed etiam ad cæteras omnes inflammationes eſt accommodata. Illa verò eſt cuius idem meminit Gal. *2. de med. ſecundum locos, ad principium* nimirum pro vario tempore morbi varia quoque medicamenta conuenire, ſiquidem naſcentibus adhuc inflammationibus, ſola repellentia: tranſacto autem principio vſque ad finem, medicamenta ex miſtis repellendi & diſcutiendi facultatibus ſunt optima; quæ quidem miſtionis ratio talis eſſe debet, vt primo quidem tempore medicamenta adſtringentia, ad finem diſcutientia excellant, interpoſito autem tempore vtrorumque partes ſint æquales. Poſt diamoron Galenus agit de alio medicamento; cuius ſe inuentorem facit, ex ſucco nucum viridium, nec non de aliis ex ſucco mororum, rubi, malorum punicorum, & aliis quampluribus, quæ ab vnoquoque legi poſſunt. Ex iis quæ partim hoc loco, partim aliàs diximus, de ratione curandi inflammationes, neminẽm eſſe puto qui de curanda inflammatione oris plura ſcire cupiat.

Capvt XXXVI.

De cruſtis Oris.

Quid ſint. IN 2. *cap.* Galen. tractat de cruſtis in ore, quæ nihil aliud ſunt quàm puttida quædam vlcera, *Nominis ratio.* quæ in calidis & humidis corporis partibus, quale eſt os, citò facilè generantur. At ſi quis quærat, quáobrem hęc vlcera cruſtę oris dicãtur, cum nullæ in hac parte cruſtæ appareant? huic ex adhibita curatione facilè cauſam nominis licebit intelligere; cùm enim medicamenta ad curanda huiuſmodi vlcera accommodata, facilè à continua ſaliua eleuantur, adeo vt nullam vtilitatem poſſint afferre; idcirco docet Galenus fortia quædam medicamenta illis permiſcenda eſſe, quæ cruſtam vel eſcharam inducant, vnde nomen ſuſcepit.

Præcedente igitur, ſi opus fuerit, & totius corporis vacuatione, & reuulſionibus, aliis id genus indicationibus, de quibus ſæpe diximus, ad fortia & cauſtica medicamenta licet venire, qualia *Cauſtica.* ſunt, atramentum ſutorium, alumen, chalcitis vſta, & familia. Noſtri chirurgi hoc tempore aliis medicamentis vtuntur, exempli gratria, aqua erodente, quam vulgò vocant *l'acqua dea partir*, oleo ſulphuris, oleo vitrioli, & ſimilibus. Memini ego quendam feliciter vſum fuiſſe vnguento Ægyptiaco diſſoluto ex vino granatorum. Verùm circa *Dubitatio.* vſum horum medicamentorum, quæ inducendi eſcharam vim habent, dubium eſt, quoniam iam audiuimus Galenum, qui laborantibus internis partibus oris, ſumpta indicatione à natura partis cuiuſcunque, fortis & venenati medicamenti vſum prohibet, ne illa ſubiectis partibus, pulmoni & ventriculo aliquam iniuriam inferant: mirum videtur, quomodo ille in præſentia ſandaracham, auripigmentum miſy, ſory, & ſimilia medicamenta, vel potius venena, quæ ipſe fatetur, & conſtat inter omnes, cauſtica facultate eſſe prædita, dicat adhiberi. Ego verò ad hoc reſponderem, hoc loco Galenum, potiùs de aliorum, quàm de propria ſententia loqui, qui ſatis habuit ſuperiùs propriam de hac re ſententiam explicaſſe. Vel poſſumus etiam reſpondere, hæc medicamenta tam parcè & moderatè eſſe adminiſtranda, vt ab illis nullum periculum poſſit imminere.

Capvt XXXVII.

De affectibus Columellæ.

IN 3. *cap.* 6. *libr. de comp. medic. ſecundum locos,* Galen. tractat de medicamentis accommodatis ad gurgulionem ſeu columellam, quæ non aliud eſt quàm carnoſa illa pars, quæ in ſummo ore ad fauces propendet, ac manifeſtè conſpicitur, ſi quis aperto ore linguam deprimat. Hæc particula pluribus nominibus à veteribus & poſterioribus medicis appellata eſt, de quibus videatis Galen. qui etſi perſpicuè loquitur, tamen à multis non ſolùm vulgaribus hominibus, ſed etiam celeberrimis viris non intelligitur, inter quos eſt Veſalius, qui inter cætera nomina inquit *Veſalij error.* hanc partem vnam appellari, cum tamen Gal. ſcri- *Vna quid.* bat, non hanc partem, ſed huius partis morbum vnam appellari: illius verba hæc ſunt: *Nam qui vnam ipſam appellant, eorum neque præſtat meminiſſe, nos etiam non particulam ipſam, ſed aliquam eius affectionibus vnã dicimus: nos perpetuò Columellam nominabimus.* Vſus huiuſmodi partis à Galen. tri- *Columellæ vſus.* plex numeratur 2. *de vſu partium.* 2. Primus, vt hominem ad ſermonem & vocem plurimum iuuet? quod illo argumento poteſt ſatis confirmari: nam quicunque Columellam præciſam aut aliter eroſam habent, non niſi malè & deprauatè loquuntur. Secundus eſt vſus ad aëris attractionem, ne ille nimiùm frigidus in pulmones attrahatur. Tertius eſt, vt eſſet veluti quoddam operculum, & caueret ne exiguæ moles cineris, pulueris, &c.

oct

aſperam arteriam poſſint penetrare. Sed iis prætermiſſis : quæ magis ad anatomen pertinent, ad rem veniamus

Cum columella pluribus mobis poſſit laborare, nos de vnico tantum tractabimus, quando ea latior fit & elongatur, adeo vt radici lingua & faucibus propenſa incumbat, quod frequenter euenit, magnamque moleſtiam & multa incommoda ſolet afferre : quem morbum Græci laxatam columellam, barbari & vulgares caſum vuæ, vel vuulæ appellant.

Cauſa. Columella ſe ipſa latior & longior redditur propter duas cauſas : vna eſt propter inflammationem, de qua item nihil dicendum eſt, quòd hæc quoque ſub generali tractatione de inflammatione oris contineatur : altera eſt propter deſtillationem capitis, ac præcipuè pituitoſam, ſine inflammatione, vt placet Galen *6. de tuenda 9. & 6. de med. ſitato.* Neque difficile eſt alteram cauſam ab altera diſcernere : namque altera quæ ea nimio humore pituitoſo prouenit, non eum calorem, ruborem & dolorem habet, quæ in altera ex inflammatione manifeſtè conſpiciuntur.

Curatio. Curatio autem ante omnia ad originem & fontem fluxionis, nempe ad morbum dirigenda eſt; qui non alius eſſe poteſt quàm humida cerebri intemperies : itaque primùm vacuatione totius corporis, ſi id ferat occaſio, deinde etiam capitis, poſtea ſiccantibus & roborantibus medicamentis, partim internis, partim externis agendum eſt : de quibus olim tractantes morbos cerebri, ſatis diximus. Poſt hæc autem ad locum affectum & localia præſidia licet deuenire, & primùm ad repellentia, qualia ſunt roſæ, hypociſtis, cortices granatorum, gallæ, & ſimilia quibus permiſcetur diamoron.

Gargariſma repellens.
℞ *Roſarum. M. j.*
Balauſtiorum.
Corticum granat. ana. M. ß.
Gallar.
Hypociſtidos. ana. ʒ. ij. F. decoctio.
℞ *Prædictæ decoctionis. ℥. j. ß.*
Diamoron. ℥. ij. M. Pro gargariſmate.

Deinde ad ſiccantia & diſcutientia progrediendum eſt, quæ plurima ſunt, gargariſmata, pulueres, linimenta, & ſimilia : ſi malum fuerit leuius, ſolæ roſæ aridæ tritæ & appoſitæ quandoque ſunt ſatis : ſi autem malum fuerit difficilius, tunc valentiora quoque ſunt adhibenda.

Gargariſma diſcutiens.
℞ *Pulegij.*
Origani.
Hyſſopi.
Calamenthi. ana. M. ß.
Spicæ nardi.
Cinamomi. ana. ʒ. ß. M. f. decoctio.
℞ *Prædictæ decoctionis lib. 1.*
Myrrhæ ʒ. j.
Croci gr. v. Miſ.

Item.

Aliud.
℞ *Roſarum rubearum ſiccarum ʒ. ij.*
Gallarum.
Balauſtiorum ana ʒ. j.
Piperis.
Cinamomi.
Myrrhæ ana. ʒ. ß. M. contundantur & fiat puluis ſubtilis.

Quòd ſi demum pars remaneat indurata, neque poſſit diſſolui, tunc ad mollientia & diſcutientia, qualia in ſcirrho conueniunt, deueniendum eſt.

Gargariſma emolliens.
℞ *Caricarum.*
Paſſularum ana. ℥. ß.
Cinoris vitis ℥. ij. f. decoctio.
℞ *Prædictæ decoctionis. ℥. x.*
Aluminis ʒ. ij. M. pro gargariſmate.

Poſtremò autem ſi contingat, contingit autem aliquando, vt columella ex ſuperiori parte ita atteratur, & exanguis reddatur, vt natiuo calore priuetur, & periculum immineat, ne ex nimia irritatione tuſſis, vigiliæ, interim etiam ſtrangulatus & gangrena ſubſequantur, tunc Gal. docet, & omnes confirmant eam, vel ferro, vel vrente medicamento reſcindendam eſſe : de qua manus operatione videatis Paulum *lib. 6. 31.* nec non Aëtium 8. 41. Veruntamen illud ſciendum eſt, quod nos docet Hip. & Gal. *3. prog. 11. 14. meth 13.* minimè temere, neque ſine magna neceſſitate ad hanc partem reſcindendam accedendum eſſe, duplici de cauſa : vna, quoniam tanta aliquando excitatur ſanguinis profuſio, vt difficillimè, & quandoque nulla ratione poſſit cohiberi : altera quoniam abſciſſa columella partes ſpirituales plurimùm refrigerantur, deſtillationibúſque fiunt obnoxiæ, vox præcipuè læditur, & alia ſequuntur incommoda, quæ potiſſimùm illi experiuntur, quibus propter luem veneream columella eroditur, vel abſcinditur.

Capvt XXXVIII.

De Aphthis.

IN quarto & vltimo cap. Gal. tractat de medicamentis accommodatis ad illa vlcera oris, quæ aphthę nominantur, de quibus & nos tractabimus. Itaque aphthæ apud Gal. ſunt vlcera quædam orta in ſuperficie oris, quæ igneam habent caliditatem. *Definitio.*

Ex pluribus differentiis tres videntur dignæ maiori notatione. Prima, ea ætate : namque huiuſmodi vlceribus laborant, vel infantes lactentes. quod frequenter contingit, vel adultiores, quod rariùs euenit. Pueri aphthis corripiuntur propter vitium lactis, vel quia illud ſit improbum, nempe bilioſum, calidum, acre, culpa nutricis, quæ aut calidius temperamentum ſortita ſit, aut alimentis vtatur ad talem ſanguinem & lac gignendum accommodatis, vt aromatibus, vinis generoſis, &c. vel quia pueri imbecilliorem habent ventriculum, vt lac non probè poſſint concoquere : aut demum quia propter ingluuiem plus lactis aſſumunt, quàm ventriculi vires poſſint perferre : tot enim modis poteſt contingere, vt lac corrumpatur, & acredinem quandam contrahat, ex quo deinde eleuatis humoribus & vaporibus vitioſis. huiuſmodi vlcera in ore generantur. Adulti autem, & qui ad perfectam ætatem deuenerunt, aphthis corripiuntur, vt docet Aëtius *lib.* 8. 39. non ſolùm propter acrimoniam eorum quæ comeduntur & bibuntur, ſed etiam propter copiam vitioſorum humorum, qui ad os confluunt. *Different. I.*

Secunda eſt differentia quæ ex cauſa & humore defluente accipiunt, qui vno verbo qualiſcunque eſſe poteſt, dummodo tam calidam, acrem & erodentem vim acquirat, vt poſſit vlcera excitare. II.

Vltima eſt differentia ex qualitate & natura vlcerum : namque alia recentia ſunt & ſatis benigna, alia verò ſunt diuturna, & quæ progreſſione temporis quid putredinoſum acquirunt, & maligna euadunt, quæ à Medicis *Noma* hoc eſt depaſcentia vlcera nominantur, qualia febribus malignis & peſtilentibus ſolent ſuccedere, vt teſtantur Hipp. & Gal. *3. epid. 3. 12.* ab Arabibus *Alcola* nominatur, qualia etiam frequenter contingunt in morbo gallico, ac potiſſimùm ſi fuerint in extremo palato ad fauces, ſunt admodum periculoſa, & difficillimè ſanantur. III. *Noma.* *Alcola.*

Signa horum vlcerum & cuiuſlibet differentię ex magni *Signa.*

magnitudine, colore, odore, & aliis id genus ſymptomatibus quæ ſenſibus ſubiiciuntur, facilè poſſunt intelligi: itaque & breuiter de eorum curatione agendum eſt.

Curatio. Lactentes pueri, qui, vt diximus, frequenter hiſce vlceribus obnoxij ſunt, nutrici proba inſtituta victus ratione, & ſi opus fuerit, congrua purgatione, ac ſimul procurando vt ipſi quoque aſſumptum lac probè concoquant, facilibus & leuibus præſidiis ſolent curari, quæ tamen pro varia natura vlceris, varia quoque eſſe debent.

Ex ſanguine. Nam ſi vlcus proueniat ex ſanguine, vnde illud ſit rubrum & phlegmonoſum, medicamenta moderatè adſtringentia & refrigerantia conueniunt, qualia ſunt ſyrupus de roſis ſiccis, myrthinus, ex ſucco malorum punicorum, de agreſta, & ſimilia. Deinde ad ea, quæ ſine mordacitate & moderatè diſcutiunt, deueniendum eſt, vt ſyrupum roſatum recentem, mel roſatum, colatum, & ſimilia.

Ex bile flaua. Sin magis vlcus oriatur ex flaua bile, vnde colorem flauum referat, tunc adſtringentia quidem, ſed magis refrigerantia conueniant, vt ſyrupus de portulaca, de plantagine, ſuccus aut decoctum ſolani. & ſimilia.

Ex pituita. Ex melancholia. Sic vlcera pituitoſa & albicantia magis abſtergentia, melancholica & nigricantia, magis detergentia & ſigerentia poſtulant: ſed tamen ita, vt ſumpta indicatione ab ætate, omnia perpetuò ſint mitiora & leuiora, quàm illa pro maioribus natu, de quibus Gal. & omnes prolixè agunt.

Aphtha adultorum. At verò ſi adulti aphthis corripiuntur, duæ poſteriores differentiæ ſunt maxime animaduertendæ, à quonam humore vlcera generetur, & vtrùm illa recentia aut antiqua, benigna aut maligna exiſtant; ſiquidem vt videmus, pro varietate humoris noxij, variam quoque curationem oportet inſtituere: pariter, vt ſcribit Galenus, quæ vlcera leuiora ſunt, & nihil maligni habent, medicamenta moderata: quæ autem maligna ſunt & ſerpendo depaſcunt, vehementiſſima requirunt medicamenta.

Quo primùm loco id memoria tenendum eſt, vigente plenitudine aut cacochymia, ante omnia toti corpori, vel ſectione venæ, vel purgatione, vel vtraque ratione proſpiciendum eſſe. Deinde quatenus pertinet ad localia medicamenta, ea talia eſſe debent, qualia de infantibus diximus, ſed auctis eorum viribus, quæ ad grandiorem ætatem ſunt accommodata. In qua re etiam id nos monet Galenus, non æqualiter omnibus adultis eadem medicamenta eſſe adhibenda, ſed corporum naturas eſſe animaduertendas, num ſint molles & humidæ, veluti ſunt eunuchi & mulieres, an duræ & aridæ, veluti nautæ, piſcatores, ruſtici; ſiquidem certum eſt huiuſmodi corporibus præ cæteris valentiſſima medicamenta conuenire.

Aphtha maligna. Quod ſi demum aphthæ inſignem putredinem & malignitatem acquirant, vt non ampliùs aphthæ, ſed nomæ dici debeant, in hoc caſu cæteris non conferentibus, ad fortiſſima medicamenta, & quæ vrendi vim habeant, confugiendum eſt; qualia fuerant apud veteres miſy, ſory, chalcitis, atramentum ſutorium, ſquama æris: vel potius quæ hoc noſtro tempore ſunt familiaria, argentum viuum ſublimatum & præcipitatum, vt vocant, quæ noſtri chirurgi vel melle roſaceo, vel ſucco plantaginis, vel aliis permiſcent medicamentis, & non ſine maxima vtilitate ſolent adminiſtrare.

CAPVT XXXIX.

De Angina.

vbi ſit M ſua. ANtequam deſcenderemus ad morbos faucium & thoracis, operæ pretium fuiſſet tractare de morbis linguæ, quæ, vt ſcitis, duos præcipuè in corpore vſus obtinet: alterum ad ſermonem, alterum ad guſtum: qui ſanè morbi ſunt pluſimi, in intemperie & ſimplici & compoſita, & cum materia, & ſine materia: in conformatione, & in ſoluta vnitate: ſed cum multi morbi longè maximi momenti adhuc reſtent, neque liceat per anguſtiam temporis omnia perſequi, venio ad anginam, de qua pro noſtro inſtituto ordine agemus. Nomen *angina* dupliciter accipitur, vt notat Gal. 4. *de locis affect.* 3. vno modo apud Hip. qui hoc nomine conſueuit appellare omnia mala, quæcunque, vel in faucibus & gutture, vel in ceruice, quomodocunque accidant, & ſpirandi difficultatem inducant: altero magis propriè definitur à Galen. 1. *de locis affect.* 6. 4. *aph.* 34. quòd ſit inflammatio internarum partium gutturis, viam ſpiritus intercludens, vt propterea ſuffocationi proportione reſpondeat: in qua quidem veluti communi notione omnes homines videntur conuenire. Barbari *ſquinantiam* appellant. *Nominis ſignificatio. Quid ſit.*

Differentia. 1 Fauces quid. Differentiæ ſunt plurimæ, ac primùm à loco affecto in quo fluxio conſiſtit: ex quo fonte Galen. 4. *de locis aff.* 3. quatuor anginæ differentias conſtituit. Prima eſt, vbi fauces inflammatione laborant: fauces autem intelligimus ſicuti ipſe Galenus interpretatur, partem oris internam ad quam & gutturis & gulæ extrema contingunt. Altera eſt vbi cæteræ oris partes, neque fauces neque etiam vlla externarum partium apparet inflammatione laborare, tamen æger in gutture ſuffocationis ſenſum percipit. Tertia differentia eſt, quando externa faucium ſedes inflammatione laborat. Quarta, vbi partes gutturis externæ vnà cum internis affectæ ſunt.

Huiuſmodi autem differentias nonnulli Medici recentiores variis quoque nominibus voluerunt diſtinguere. qui primam *ſynanchen*, alteram *cynanchen*, tertiam *paraſynanchen*, quartam *paracynanchen* ſoliti ſunt appellare, vt notat Galen. *in* 4. *aphor.* 34 quam tamen inquiſitionem nominum veluti ſuperſtitioſam & ſuperuacaneam, reprehendit Galen. 4. *de ratione victus.* 30. 3. *prog.* 18 4. *de locis affect.* 3. qui inquit, hoc nimis curioſum nominum ſtudium rerum ipſarum negligentiam & contemptum peperiſſe, ſicuti iis euenit qui circa nomina nimiùm occupati, quæ vtilia ſunt prætermiſerunt: itaque modò rem ipſam intelligamus, de nominibus parum eſt laborandum.

Cæterum Galen. præter has quatuor differentias ex Hip. quintam commemorat, quæ contingit, vbi vertebræ ceruicis ad interiora diſtorquentur, de qua ſpecie anginæ Paulus quoque & Aëtius mentionem faciunt, atque illius ſigna ponunt: ſed vt idem ſcribit Galen. 1. *pror. com.* 2. poſtremis verbis, cum huiuſmodi affectio rarò admodum contingat, neque ſine inflammatione muſculorum gutturis fieri poſſit hinc fit, vt talis differentia minùs propria cenſenda ſit, & commodè ad priores differentias poſſit referri.

Secunda eſt differentia anginæ ex natura humoris noxij, & fluxionis, quæ poteſt eſſe duplex; altera ex glutinoſa & frigida materia, quam pituitoſum licet appellare; altera ex calida & acri materia, quam ſi bilioſam appelles, inquit Galen. non peccabis: de quibus humoribus, & quomodo vtraque fluxio contingat, diffusè tractat Gal. 3. *aph.* 22. 4. *de ratione* 30.

Et ſi quis quærat, an angina ex vtroque humore, tam calido ſanguine, & flaua bile, quàm frigida pituita & melancholia fieri poſſit? Reſpon. etſi Galenus videtur ſolius flauæ bilis & pituitæ mentionem facere, tamen nihil prohibet, mea

ſententia,

ſententia, quin illa quoque ex vtroque humore, calido & frigido fieri poſſit: ac ſanè de ſanguine, flaua bile & pituita nullum dubium eſſe debet, ſed Arabes dubitant de melancholia, cuius nullus Græcorum videtur meminiſſe. *An ex melancholia.* Auicenna inquit id rarò contingere, ſed tamen fatetur anginam ex melancholia quoque fieri aliquando poſſe. Itaque habendum eſt, anginam quidem ex fluxione cuiuſcunque humoris fieri poſſe, eam tamen, vt ſcribit Galenus 3. *aphor.* 18. magna ex parte biliosam eſſe, adeo vt eryſipelas aut inflammationem eryſipelati ſimilem committat: aliquando etiam ſanguinea eſt & pituitoſa, rariſſimè autem melancholica: quanquam fortè id verius poſſit affirmari, frequentiùs contingere, vt huiuſmodi fluxio ex variis humoribus vel omnibus inter ſe mixtis, conſtet, quæ quidem mixtionis ratio non ſolùm ad humores, ſed etiam ad ſuperiorem differentiam ex loco deſumptam, debet accommodari, ſiquidem nulli dubium eſſe debet, quin ſicuti varij humores inter ſe miſcentur, illi pariter varias quoque partes faucium & gutturis poſſint occupare.

III. Tertia eſt differentia anginæ à magnitudine; alia leuis, & illa eſt quæ vulgo dicitur *ſcagioni*; alia grauiſſima, in qua inflammatio eſt inſignis, & maximum imminet periculum inflammationis; media medio modo ſe habet.

IV. Quartò ſunt differentiæ à tempore, principio, augmento, ſtatu, declinatione: quæ varia tempora ſunt maximè animaduertenda, cum variam curandi rationem & præſidia requirant.

V. Quintò ſunt differentiæ à modo generationis: namque angina alia ſuccedit nonnullis morbis, veluti deſtillationi, pleuritidi, peripneumoniæ, & ſimilibus: alia primò & ſine aliis præcedentibus morbis generatur, quòd præcipuè ac maiori ex parte tranſmiſſa materia ex capite fieri conſueuit, ſicuti apertè & diffuſè demonſtrat Hip. & Gal 4. *de ratione victus*, & pluribus ſequentibus.

VI. Poſtremò ſunt differentiæ à coniunctis, quæ poſſunt eſſe res omnes naturales, non naturales, & præter naturam: ſed inter cætera, angina aut eſt cum febre, aut ſine febre. Neque aliquis miretur dari anginam ſine febre: ſiquidem, vt Galenus docet. 2 *de differ. feb.* 2. *de conſtitutione artis med.* 15. ad hoc vt febris fiat, neceſſariò requiruntur; vnum, vt læſa pars ſit prope cor; alterum, vt morbus pendeat ex materia calidiore: quorum ſi alterum deſit, inquit Galenus, tunc non ex neceſſitate febris conſequitur. *Ad febriam duo requiruntur.* Itaque ſi angina pendeat ex humore frigidiore, tunc nulla febris poteſt excitari: & inter cæteros Cælius Aurelianus lib. 3. *de morbis acutis cap.* 1. incipiens tractare de angina, hæc habet: *Hactenus expoſitis morbis acutis cum febre, nunc de iis tractabimus qui ſine febre eſſe noſcuntur.*

Signa. Sed veniamus ad ſigna, quæ quidem à Paulo, Auicenna & reliquis, plurima afferuntur, & ſunt huiuſmodi: difficilis reſpiratio, difficilis alimentorum & potionum deglutitio, vt pocula quandoque per nares reſiliant, dolor acutus, tumor, rubor, calor, febris: frigida aëris cupida attractio: quorum omnium ſignorum facile eſt cuique rationem reddere. Sed Galenus 5. *de locis affect.* 3. vnum tantummodo proprium, perpetuum & inſeparabile ſignum videtur poſuiſſe; nempe difficultatem reſpirationis, nihil laborante thorace, vel pulmone; cum cætera omnia ſigna non ſint perpetua, ſed modò vnum, modò alterum, modò omnia deſint.

Signa pathognomonica. Signa differentiarum, ſicuti etiam ſigna pathognomonica ſunt ſatis incerta; vtrùm inflammatio internas vel externas, hanc vel illam partem faucium occupet, poteſt intelligi ex tumore, dolore, calore, colore, ſed potiſſimùm ex periculo ſuffocationis: namque ſi laborant partes externæ, aliquis tumor, aliquis dolor, item calor & color mutatus apparebit, neque tantùm vrgebit periculum ſuffocationis: contrà ſi laborent partes internæ, extra nihil apparebit, ægérque omnino maiori ſuffocationis periculo premetur. De ſignis redundantiæ ſingulorum humorum iam ſæpe diximus. Signa magnitudinis, vel paruitatis ſumuntur ex ſymptomatibus, & de quibus in prognoſtico. Signa ex tempore, ex ſymptomatibus deſumuntur, & præcipuè ex iis, quæ exponuntur; ſiquidem in principio æger aut nihil, aut parum expuit, idque crudum & aquoſum; in augmento copioſius & craſſius, in ſtatu & declinatione concocta ſolent expui. Signa demum ex modo generationis, & à coniunctis, ſunt manifeſtiſſima: itaque venio ad curationem.

Curatio. Cùm angina ſit morbus ex fluxione humorum, quatuor communes illæ indicationes nobis ſeſe offerunt: vacuatio vniuerſi corporis, repulſio, reuulſio, reſolutio: quibus poſtremò, quoniam aliquando inflammatio deuenit ad ſuppurationem, & illa addenda eſt, quæ ad puris purgationem pertinet.

Vtrùm repellentia conueniant. Sed ſtatim occurrit dubitatio, vtrùm repellentia in angina conueniant nec ne. Siquidem noxia materia, non niſi ad partes principales videtur poſſe repelli, quales ſunt pulmones & cor: & aliàs diximus de ſententia Galen. 6. *de med. ſecundum locos*, initio fluxionem repellendam eſſe, præterquam ſi humores ad partem aliquam principem ſint recurſuri, & aliud maius periculum poſſint afferre; vnde etiam eſt apho. Hippoc 10. lib. 4. *Quicumque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt:* itaque repellentia non videntur conuenire. Altera autem ex parte nemo eſt qui neſciat, & Galenum & omnes rationales medicos in angina repellentibus vti medicamentis: imò verò Galen. non ſolùm principio, ſed etiam poſt principium, & vſque ad finem docet, nullo modo à repellentibus eſſe abſtinendum. Ad hanc difficultatem nonnulli reſpondent, maius periculum imminere ex præſenti morbo, & ex periculo ſuffocationis, quàm ex repulſione materiæ. Sed fortè hæc reſponſio non eſt generaliter vera, neque ſatis difficultatem diſſoluit; quotieſcunque enim hæc materia, exempli gratia, peteret pulmones, vel cor, tunc æger manifeſtiſſimum & certiſſimum vitæ periculum incurreret: quare aliter reſpondendum eſt, nimirum poſt communem corporis vacuationem tutò repellentia poſſe adminiſtrari: hoc enim tempore materia iam minorata paulatim deponitur ad partes proximas, ac meliùs regitur à natura, vt ab ea materia nullum proximis partibus periculum immineat: itaque in angina propoſitis indicationibus inſiſtendum eſt. Sed primùm videamus de prognoſticis: *Prognoſtic.* ſumma autem prognoſtici illa illa eſt, inflammationem eò deteriorem & periculoſiorem eſſe, quò magis internas partes occupat, eò leuiorem & ſecuriorem, quo magis exteriùs apparet: vnde eſt Hippocrat. 3. *progn.* 16. *Angina grauiſſima eſt ac celerrimè interimit, quæcunque neque in ceruice, neque in faucibus conſpicuum aliquid efficit, plurimum verò dolores infert, & difficultatem reſpirationis: hæc enim & eadem die, & ſecunda & tertia & quarta ſtrangulant. Tunc enim*, inquit Galen. in comm. *exiſtimandum eſt*

in

in gutture lateſcere inflammationem, ex qua ægri ſtrangulantur. Quam ferè eandem ſententiam habetis 2. *pror.* 34. ſic eſt apho. 34. lib. 4. *Si febrem habenti ſuffocatio repente ſuperuenerit, nullo in faucibus tumore apparente, lethale: Contra verò,* ſicut idem apho. 37. lib. 6. *angina correpto ſi tumor fuerit in collo, bonum.* & 7. apho 49. *Ab angina, &c.* Quam doctrinam Galen. non ſolum ad anginam, ſed etiam generaliter ad omnes morbos accommodat; qui ſcribit 6. *apho.* 25. quemlibet affectum ex profundis & principibus partibus ad cutem traduci, & bonum ſignum, & bonam cauſam exiſtimandum eſſe: contrà autem ad internas & principes partes tranſferri, malum.

Angina lethalis quæ.

Sed præterea alia quoque ſymptomata anginæ ſalubritatem, vel perniciem demonſtrant, & inter cætera duo ſunt quæ anginam planè lethalem eſſe ſignificant. Vnum eſt, ſi vehementiſſima fuerit febris, de qua Gal. hæc habet 4. apho. 34. *Tunc ineuitabilis & celerrima ſuccedit mors, vt ne quidem ſalus poſſit ſperari; quotieſcunque enim vehemens febris detinet ægrotantem, tunc ille indiget copioſa inſpiratione; quæ fieri non poteſt.* Alterum eſt debilitas virium, de qua item ſcribit Gal. 10. *meth.* 5. in pleuritide, in peripneumonia, in angina, & in omnibus internis inflammationibus vnicam ſalutis ſpem ſupereſſe in robore virium.

Curatio.

Cum hæc igitur ita ſe habeant, ſi liceat per vires & per cætera ad curationem aggrediamur, & quatenus ad primam indicationem pertinet, nonnulli à lenitione alui initium faciunt, ſed præposterè, & importunè, quoniam morbus eſt acutiſſimus, neque leuiorem præſidiorum vſum permittit, quemadmodum generaliter docet Galen. 3. *method.* 15. qui illos medicos grauiter arguit, quicunque opinantur à paruis auxiliis perpetuò incipiendum eſſe, quæ ſi nihil proficiant, aggredienda eſſe maiora. Nam in morbis in quibus periculum non impendet, vera ea opinio eſt; in reliquis autem alieniſſimum à ratione eſt à leuioribus inchoare. Quare cum angina ſit morbus magnus, ex decreto Hipp. magnis quoque præſidiis indiget, & ſtatim vel ad ſectionem venæ, vel ad purgationem accedendum eſt; quod vtrumque præſidium maximas continet difficultates, ac primum difficultatem facit ſententia Galeni, qui 6. *de med. ſec. locos ad principium* ſcribit, Medicos vti ſectione venæ & purgatione, vbi totum corpus apparuerit aut multitudine humorum refertum, aut eorundem malitia vitiatum, ſi verò neutrum adſit, ſtatim ad curationem per localia medicamenta illos deuenire: itaque illa videtur ex ſola copia & qualitate humorum, minimè ex magnitudine morbi; & ſectionis venæ, & purgationis indicationem elicere, cum tamen non ſolùm propter copiam, & propter vitium humorum, ſed etiam propter morbi magnitudinem. Galenus vtrumque præſidium probat 4. *method.* 6. Ego verò qui alias hunc locum tractaui diffusè, id vnum dico in præſentia, Galenum hoc loco eam tantummodo indicationem conſideraſſe: quæ ab humoribus deſumitur: quod ex eo manifeſtè licet intelligere, quoniam ſermonem habet non de angina, vt multi falsò opinantur, ſed de affectionibus oris, cum quibus affectionibus vix morbi magnitudo poteſt coniungi. Quod ſi quis etiam velit reſpondere, neque anginam, neque alium morbum cui cacochymia, vel plenitudo non coniungatur, in ſe magnitudinem continere, non aberrabit, mea ſententia. Itaque ſi angina fuerit magna, & immineat periculum ſuffocationis, protinus ad ſectionem venæ veniendum eſt, vt docet Hipp. qui hæc habet 4 de ratione victus 30.

Locus Galeni dilucidatur.

Eam ob cauſam citò ſuffocat, niſi citò aduerſus eam pugnaueris; ſanguinem igitur ex brachiis detrahes. Sed quænam vena ſecanda eſt? Cælius Aurelianus lib. 3. *de morbis acutis* 4. reprehendit Hippoc. quòd ſecet venas brachiorum, & ex tam copioſa vacuatione ſanguinis timet, ne ſubſequatur animi defectus: ſed reprehenſio eſt nulla, quoniam Hippoc. non de quantitate ſanguinis, ſed de loco vnde eum mittere oportet, loquitur. Sic perpetuò Galen. in angina ſecat venas in cubito, 13. *method.* 2. *de ſanguin. miſſ.* 9. quibus Paulus, Rhaſes & alij ſubſcribunt. Auicen. & Alexander, ſi menſes fuerint retenti, vel hæmorrhoïdes, ſecant venas inferiores, verùm ſi morbus & ſuffocationis periculum vrgeat, cum Hipp. & Galen. perpetuò venas ſuperiores oportet ſecare. Sed Hipp. præter venas brachiorum, venarum quoque ſub lingua ſectionem probat; quem pariter Cælius Aurelianus reprehendit, inquiens hoc remedium non ſolum inutile, ſed noxium eſſe, ſi quidem ex locis laborantibus ſanguinis detractio incongrua eſt, quòd fiat maior ad illos attractio.

Quæ vena ſecanda.

Vena ſub lingua quando ſecanda.

Verùm Cælius ſecta methodicus, non potuit Hippocratis methodum intelligere: namque ſectio venarum ſub lingua, principio, fluentibus adhuc humoribus, minimè conuenit, quo tempore ſine dubio fluxio augeretur, ſed tantummodo conuenit tranſacto principio, & quando ex parte laborante licet deriuare, quod apertè explicat & confirmat Galenus locis proximè citatis, nimirum primò venas in cubito, poſterius venas ſub lingua ſecandas eſſe: quod tamen præceptum non intelligentes vulgares medici, principio inflammationis frequenter haſce venulas ſecant, & ita fluxiones augent, & ægros in certiſſima pericula deducunt.

Error practicantium.

De quantitate ſanguinis, & modo euacuationis, Alexander, Paulus Aëtius conueniunt, non confertim, ſed pluribus interpoſitis vicibus vacuandum eſſe, adeo vt per hoc auctores, & ſecundò, & tertiò, & quartò liceat ſanguinem mittere, qua ratione & vires minùs laborant, & longè efficacior fit reuulſio. Veruntamen ſi æger fuerit boni habitus, & robuſtus, ego quidem copioſam venæ ſectionem quamprimum probarem, ſaltem ad ℥. xii. deinde neque à repetita ſectione, vel eiuſdem vel alterius venæ, pro rei opportunitate, abſtinerem.

Quantitas ſanguinis mittendi.

Neſcio quid hac in parte ſibi velit Auicenna, qui ſanguinis miſſionem modò nullam, modò paruam, modò vſque ad animi deliquium videtur probare.

Auicennæ inconſtantia.

An purgantia principio conueniant.

Ex duabus vacuandi totius corporis rationibus, reſtat altera, quæ fit per medicamentum purgans, vbi illud in primis dubium eſt, vtrùm medicamenta purgantia principio conueniant necne? Alexander veſpere exhibet ſcammonium cum priſana: Aëtius elaterium cum ſero lactis, hieram diacolocynthidos: ſic Auicen. inquit, oportet vt euacuetur in principio materia cum phlebotomia: & cum ſolutione ventris: ſed quod magis viget, eſt authoritas Hippocr. 4. *de ratione victus*, 3. qui præter ſectionem venarum ex brachiis & ſub lingua, nonnulla quoque medicamenta attractatio probat: vnde Trincauellius in morbo acuto & præcipiti, ſicuti in materia turgente, pro varietate humoris noxij vtitur electuario de ſucco roſarum Meſue, electuario diaphænicone, & ſimilibus. Sic plerique omnes communiter practicantes, vel quòd velint materiam eſſe turgentem, vel propter alias cauſas, quandoque ante ſectionem venæ ſuis purgantibus medicamentis vtuntur.

Altera autem ex parte opinio hæc refutatur non ſolùm ex communi decreto Hipp. Galen. & omnium rationalium medicorum, nunquam videl. purgandum eſſe niſi humores, vel turgeant, vel ſint concocti, ſed etiam refutatur proprio quodam decreto, vbi Hip. & Galen. principio inflammationum purgantia medicamenta prohibent & deteſtantur: & locus eſt 4. *de ratione victus* 22. Sed quoniam hanc totam difficultatem aliàs tractauimus diffusè, & ſpeciatim explicauimus locum Hippocr. de medic. attractoriis, illud vnum dico in præſentia, omnes huius loci interpretes Latinos fuiſſe hallucinatos, quicunque vertunt medicamenta attractoria, aut quid ſimile, ſi quidem Hipp. vtitur voce ἐκλικτοῖσι, quæ non aliud ſignificat quàm elemēta, à verbo ἐκλείχω, quod *lingere* ſignificat; vulgo *lambitiua* dicuntur, quæ ad leniendas & purgandas partes faucium & pectoris paulatim accipiuntur, & quæ vt dicit Galen. 7. *de med. ſecundum locos*, *initio*, nonnulli veteres *arteriaca* vocabant, quòd ad iuuandos affectus aſperæ arteriæ ſint admodum accommodata, adeo vt certiſſimum ſit, Hipp. hoc loco minimè de medicamentis purgantibus loqui. Quid autem ſentiant Alexander, Aetius & ſimiles, non ego multum laboro. Itaque medicamenta purgantia non niſi apparente humorum coctione, & in declinatione morbi poſſint conuenire.

Reuellentia. Poſt communem corporis euacuationem ex ſecunda indicatione, omnia reuellentia conueniunt, ligaturæ, frictiones extremarum partium, cucurbitulæ & ſcarificatæ & non ſcarificatæ, quæ non ſolùm remotis partibus, ſed etiam proximis ſicuti in parte poſteriore ceruicis, atque, vt placet nonnullis, in parte anteriore ſub mento, apponendæ ſunt. Sunt demum glandes, & clyſteria, de quibus dubium eſt, vtrùm acriora an leuiora eſſe debeant: quam dubitationem ſoluit Auicen. acria clyſteria conuenire cenſens, quæ non ſolùm ad inſignem reuulſionem, ſed ad corporis inanitionem pertinent, niſi vehementia febris illorum vſum prohibeat.

Repellentia. Iam verò tertia ſuccedit indicatio, repellendi, quæ, vt ſuprà videmus, non ſolùm principio, ſed etiam poſt principium, & vſque ad finem morbi, etſi diuerſa ratione, aliquam vtilitatem poſſunt afferre: de huiuſmodi autem medicamentis atque eorum natura, compoſitione & vſu, iamdiu diximus quod eſt ſatis, tractantes de affectibus oris. Sed illud hoc loco mihi licet addere, medicamenta repellentia modò leuiora, modò efficaciora, modò mediocria, paranda eſſe, pro varia natura inflammationis, pro varia natura fluxionis, pro varia ætate, habitu corporis, & ſimilibus. Vſus obtinuit, vt medici hoc tempore in angina ac cæteris morbis faucium, ſiue repellere, ſiue agere velint, non aliis medicamentis quàm lotionibus & gargariſmatibus vtuntur, quòd alia medicamenta difficulter ad eas partes poſſint accommodari. Quatenus igitur pertinet ad medicamenta repellentia, familiariter parantur decocta ex rebus quæ adſtringendi, & refrigerandi vim habent, qualia ſunt exempli gratia, ſatis lenia, roſæ, folia rubi, plantaginis, portulacæ: iis valentiora, folia & fructus myrthi, cortices granatorum, citonia acerba, pyra ſyluestria: valentiſſima gallæ, ſumach acacia, alumen, & ſimilia, quæ omnia vel ſeparatim, vel plura inter ſe commiſta, ex aqua decoquuntur: alij autem potius aquis ſtillatitiis ſolent delectari, ſed Galen. vt ſuprà diximus, duorum præcipuè medicamentorum mentionem facit, vnius quod leuius eſt, & ex ſucco mororum conficiunt, diamoron dictum: alterius, quod valentius eſt, atque ex ſucco corticum viridium nucum præparatur, quod *dianucum* vel *diocaryum* dicitur, de quorum compoſitione planè varia, & Galenus & omnes Medici agunt: hæc eadem medicamenta, quamuis diuerſa ratione, nunc præparantur, quorum vſus eſt vt aquis ſtillatitiis aut decoctis permiſceantur; & habeatis exempla.

Exempla repellentium.

℞ *Aquarum plantaginis.*
Portulacæ. ana. lib. ß.
Diamoron. ℥. *iij. M.* & hoc gargariſma eſt ſatis leue. Validius eſt ſequens.

℞ *Roſarum rubrarum. M.* j.
Corticum granatorum.
Balauſtiorum. ana. M. ß.
Sumach. ʒ. *iij. M. f. decoctio ex aqua.*

℞ *Prædictæ decoctionis lib.* j.
Dianucum. ℥. *iij. M. pro gargariſmate.*

Apud veteres, vt narrat Galen. alia quoque medicamenta conſueuerant præparari, vt ex ſucco mororum granatorum, ex ſucco citoniorum, pyrorum ſyluestrium, meſpilorum; ſed hoc tempore ex ſuccis horum fructuum parantur ſyrupi, quibus pariter licet etiam vti. Quoniam verò iam ſuprà ſtatutum eſt, pro vario tempore morbi varia quoque medicamenta conuenire, principio quidem ſola repellentia, & concoquentia, & diſcutientia ſimul mixta, Galen. variis modis & diamoron, & dianucum, & cætera medicamenta præparabat, qui illis permiſcebat crocum, myrrham, ſulphur, & ſimilia, quibus poſtea vti ſolebat, pro vt magis vel repellendum, vel diſcutiendum foret: noſtro autem tempore aromatarij non aliter conficiunt diamoron aut dianucum, quàm ex ſuccis & melle, neque præterea quicquam addunt; vnde neceſſe eſt medicum ex tempore conficere medicamenta, quæ, vt occaſio poſtulat, varias habeant vires: itaque tranſacto principio morbi quando non ſolùm repellendum, ſed etiam concoquendum & diſcutiendum eſt, licet quoque mixtum medicamentum componere, addendo paſſulas caricas, crocum, & ſimilia.

Gargariſma repellens & diſcutiens.

℞ *Roſarum rubrarum. M.* j.
Liquiritiæ.
Paſſularum ana. ʒ. *iij.*
Caricarum pinguium N. x. M. f. decoctio, & in fine decoctionis addantur.
Myrrhæ.
Croci ana. ʒ. j. Deinde.

Topica.

℞ *Huius decoctionis lib.* j.
Diamoron. ℥. *iij pro gargariſmate.*

Hoc tempore neque extra localia quædam medicamenta ſunt prætermittenda, quæ & concoquendi & diſcutiendi vim habeant, qualia ſunt, oleum amygdalarum dulcium, chamæmelinum, anethinum, adipes anſeris, gallinæ, lanæ ſordidæ atque illotæ, & ſimilia: nonnulli maximè probant linimentum ex flore caſſiæ ſimul cum oleo amygdalarum dulcium, aut violato.

Dolorem lenientia. In ſtatu, ſi morbus vrgeat & dolor, ad ea quæ dolorem leniunt veniendum eſt, qualia ſunt, lac tepidum, ſuccus ptiſanæ decoctum liquiritiæ paſſularum, &c. Sin autem neque morbus, neque dolor ſit tam vehemens, tunc licet paulatim ac veluti per quoſdam gradus ad valentiora medicamenta diſcutientia aſcendere, ac postremò in vltima declinatione ad valentiſſima deuenire. Exemplum gargariſmatis moderatè diſcutientis.

℞ *Origani.*
Pulegij.
Satureiæ.
Thymi.
Calamenthi ana. M. j. ß. M. f. decoctio.

℞ *Prædictæ decoctionis lib.* j.

Diamoron

Diameron. ℥. *iij.*
Ciuumomi.
Spicu.
Myrrha. ana. ℈. j. *M. pro gargariſmate.*

Verùm intet cætera medicamenta diſcutientia & anginam iuuantia, de quibus Galen. partim ex propria, partim ex aliorum ſententia ſermonem habet, duo videntur eſſe præcipua, maximè noratione digna, ſiue manifeſta, ſiue occulta proprietate.

Cinis hirundinum. Vnum eſt, cinis hirundinum vſtarum, de quibus Galen. hæc habet 2. *de ſympt. med. facul. Hirundinibus vſi ſunt multi, comburentes, & ad cinerem mel addentes quo deinceps ſquinanticos inungebant, & ad cæteros gutturis affectus accommodabant.* Sed cum veteres fuerint huius medicamenti inuentores, vt Galen. inquit, 6. *de med. ſecundum locos, cap.* 1. *ad finem*, non ſatis illi videntur eius præparationem docuiſſe, cum alij nidum hirundinum, alij ipſas hirundines, alij earum pullos velint comburenda eſſe. Verùm Galen. paulò pòſt ex Aſclepiade hanc rem clarè explicat, per hæc verba: *Pullos ſale conſperſos vnà cum pennis in fictile vas coniicimus*, &c. Ex quo Aſclepiadi gratiæ ſunt habeodæ: quòd tam diligenter docuerit modum arendi pullos hirundinaceos, & quod ipſa animalia, minimè eorum excrementa in medicamenti compoſitionem ſint recipienda. Variæ autem huius medicamenti mixtiones ſimul cum aliis à Galeno recenſentur, quæ ab omnibus legi poſſunt.

Stercus caninum. Alterum eſt, ſtercus caninum vbi oſſa comederint, de quo apud Galen. Muſa antiquus medicus hæc habet: *Ad anginam ſtercus caninum album accipito, & reſiccato, tritúmque cribro modico cribrato, & in potu habeto, vſus tempore melle diluto*, &c. & Galen. addit: *Hoc cum ſcribat Muſa, merito ei aſtipulamur: hoc enim pharmaco nullum fortius nouimus, neque in angina, neque in magna tonſillarum inflammatione, aut iis quibus ex glandulis ſuffocationis periculum imminet.* Sed præter caninum ſtercus nonnulli humano quoque vtuntur, quod ſimul cum Galeno ciuiles homines debent tanquam abominandum deteſtari: tametſi Galen. 10. *de ſimpl. med.* fatetur, de hoc quoque remedio ſe experimentum habuiſſe, qui narrat longam hiſtoriam de quodam, qui inflammatione gutturis aſſiduè vexebatur, adeo vt cogeretur ſanguinem mittere, qui ſine miſſione ſanguinis hoc remedio facilè ſanabatur, vbi huius ſtercoris præparandi & corrigendi rationem docent.

Diſcutientia. Poſtremò autem ad diſſoluendas reliquias materiæ contentæ in faucibus, nonnulli vtuntur ſuffumigio ex decocto herbarum calidarum, hyſſopo, calamentho, &c. cum modico aceto, cuius decocti vapor vel cannula, vel alio inſtrumento ori impoſito facilè recipitur. Verùm de quatuor primis indicationibus hæc ſint ſatis.

Suppuratio Angina. Quod ſi demum angina ad ſuppurationem veniat, quod ex eo potiſſimùm licet intelligere, quoniam ex aph. Hipp. 47 *lib.* 2. febres & dolores augentur, neque auxilia quidquam videotur prodeſſe, tunc omni induſtria procurandum eſt, vt pus quantum fieri poteſt, celeritet generetur, quod fiet naturæ inclinationem iuuando, interiùs cum decocto paſſularum, liquiritiæ, althææ: exteriùs farina hordei cum fermento, cum decocto caricarum, althææ & ſimilibus. *Pus generantia.* Confecto autem pure, quo tempore & febres, & dolores ſolent minui, abſceſſus quamprimum rumpendus & aperiendus eſt, qood fieri ſolet, vel medicamentis acrioribus, vel manibus, vel cerea impoſita caodela in faucibus, vel cruſta panis, aut alia re duriore denorata: ac demum rupto abſceſſu ad abſtergentia, mundificantia, & cicatricem inducentia veniendum.

Veruntamen id ſciendum eſt, anginam ſuppuratam eſſe quàm maximè periculoſam, ac frequenter in pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, & alios morbos tranſmutari, vt colligitur ex Galen. 6. *epid.* 2. 13 *&* 3. *prog.* 20.

Atque hæc generaliter de angina dicta ſufficiant. *Prognoſticum.* neque enim eſt vt particulatim de angina tractemus, quatenus illa ex vno vel altero humore originem habeat, cum ex iis quæ ſæpe diximus, facilè ſit curationis varietatem intelligere. Exempli gratia, redundante ſanguine, ille facta vena copioſiùs educendus eſt; redundante bile: conuenit illum parciùs mittere; hîc medicamenta repellentia ſint frigidiora, clyſteria minùs acria: redundante pituita, aut melancholia, parcè omnino ſanguis dettahatur, medicamenta repellentia ſiot minùs frigida, clyſteria acriora, & vno verbo, in rebus omnibus perpetuò noxij humoris rationem oportet habere. Victus ſit tenuiſſimus, & tres aut quatuor primos dies & vſque ad ſtatum, æger ſola mulſa aut aqua hordei contentus ſit, donec tandem liceat ad magis nutrientia deuenire.

DE AFFECTIBVS THORACIS EIVSQVE PARTIVM,

Liber Secundus.

CAPVT I.

De Tuſſi.

POST morbos capitis oris, & faucium, ſequitur tractatio morborum thoracis, ac primùm tuſſis, cuius ex noſtro ordine videbimus eſſentiam, differentias, ſigna, & curationem. *Tuſſis* definitore Galen. 2. de ſympt. cauſis 4. *Definitio.* *nihil aliud eſt quàm vehementiſſima exſufflatio, qua plurimus ſimul celerriméque foras latus ſpiritus, ſuo impetu extrudit atque explodit quacunque vias ſpiritus obſtruunt & impediunt.* Et ſi quis quærat: quidnam Gal. per exſufflationem intelligat: ille declarat 1. *de locis aff.* 6. ſe hac voce nihil aliud iotelligere, quàm confertam & vehementem reſpirationem, quæ fit cum plurimus ſpiritus confertim per guttur animalis foras defertur. Et ſi qois rurſum quærat, quomodo huiuſmodi exſufflatio fiat? huic reſpondet Galen. 4. *de locis aff.* 4. iſtud fieri intercoſtalium muſculorum actione interueniente. Ex iis licet colligere, tuſſim noo eſſe morbum, non cauſam morbi, ſed ſymptoma, non exiens immoderatum, non qualitatem mutatam, ſed actionem læſam, non vitalem, non naturalem, ſed animalem, non ſenſitiuam, non principem, ſed motiuam: eamque actionem non eſſe abolitam, non imminutam, ſed deprauatam. Itaque tuſſis ſub genere motus deprauari reponenda eſt, quod ſpeciatim docet Galen. 2. *de ſymp. cauſis* 1. poſtremis verbis, inquiens, conuulſionem, tremorem, palpitatioonem, tuſſim commune genus deprauatum motum obtinere. Cum autem motus deprauati ſint triplices, vt diffusè diximus tractantes conuulſionem, tuſſis iure inter eos debet numerari, qui fiunt à ſola natura, quæ

à morboſa cauſa violenter cogitur moueri. Quamobrem de ratione & eſſentia tuſſis ita habendum

Tuſſis quomodo fiat.

eſt, tuſſim fieri, quotieſcunque natura in thorace, & pulmone aliquid noxium & moleſtum percipit, vnde plurimo ſpiritu magna vi ſurſum foras elato, conatur illud expellere, quod ſi primo impetu ſiue prima expiratione quæ ei moleſta ſunt, nequit expellere, tunc bis, ter, & ſæpius non deſinit idem tentare, ac magna ex parte intentum finem conſequitur, vbi ſpiritus vehementer fertur, & ea quæ moleſtant ad propellendum idonea inueniuntur.

Pars affecta quæ.

Sed hoc loco quærunt nonnulli, quænam pars in tuſſi malè afficiatur? Auer. 5. *colliget.* 1. 52 tuſſim recenſet inter proprios affectus pulmonis, cui videtur conſentire Auicenn. 13. *tract.* 3. 1. inquiens: *Tuſſis eſt ex motibus quibus natura expellit nocumentum ex membro aliquo, & hoc membrum in tuſſi eſt pulmo.* Neque pro hac ſententia deſunt rationes, ac primum tuſſis propria paſſio illius partis cenſenda eſt, quæ eſt principium ſpiritus, qui in ea ſurſum & foras propellitur: ſed pulmones ſunt initium ſpiritus: ergo. Deinde gratia exempli. ſi ſit vlcus in thorace, neque pus communicetur pulmonibus, nulla ſequitur tuſſis: itaque pulmones in tuſſi neceſſariò videntur laborare. Alij verò aliter ſentiunt, qui ex Galen. & rei euidentia manifeſtè demonſtrant, ſine vllo pulmonis vitio quandoque

Tuſſis.

tuſſim fieri: namque Galenus docet 2. *de ſymptom. cauſis* 4. & 5. ex ſola refrigeratione muſculorum thoracis tuſſim fieri, quæ à ſola ſpiritus retentione quandoque non ſolùm prohibetur, ſed etiam planè ſanatur.

Præterea ſcribit Galen. 7 *de ſympt. med.* 17. & res ipſa confirmat, ſi parua mica panis aut alterius edulij, vel quidpiam potionis nobis inuitis in ſpiritus meatum cadat, nos protinos irritare, adeo vt nulli dubium ſit, quin ſine affectis pulmonibus contingat aliquando tuſſim excitari. Quamobrem reuera concludẽdum eſt tuſſim non eſſe propriam paſſionem pulmonum, neque os in tuſſi perpetuò laborare. Neque difficile eſt ad obiectas rationes reſpondere, ac primùm Auicenn. non ſolùm pulmonem læſum eſſe ait, ſed addit & membra quæ ei communicantur & continuantur. Auerr. aut idem ſentit cum Auic. aut malè ſentit. Neque poſitæ rationes quidquam valent; etſi enim tuſſi ſpiritus copioſè & cum impetu foras propellitur, tamen non hinc ſequitur pulmones perpetuò laborare, quoniam natura non intendit primùm huiuſmodi expirationem facere, ſed intendit, quodcunque illi moleſtum eſt, expellere, vnde ſecundariò & per accidens fit illa ſpiritus propulſio, per quam noxia & moleſta reiiciuntur: pariter falſum eſt, in vlcere thoracis non communicato pure pulmonibus nullam tuſſim excitari, quod manifeſtè confirmant empyici, vel ſuppurati, in quibus pus in cauitate thoracis continetur, qui nihilominus valida tuſſi torquentur. Itaque ſtatuendum eſt cum Galeno, tuſſim ad omnes partes & omnia inſtrumento reſpirationis pertinere, modò vnum, modò alterum, modò plura, videlicet pulmones, aſperam arteriam, muſculos thoracis, ſeptum tranſuerſum & reliqua, de quibus poſterius, tractantes de aſthmate, latè agemus.

Differ. I.

Differentiæ tuſſis ſunt plures, ac primùm à cauſis de quibus videatis Gal. 2. *de ſympt. cauſis* 4. & 5. 4. *de locis aff.* 7. ex quibus locis nobis licet colligere cauſas tuſſis: quæ ab omnibus admodum confusè tractantur. Cum ergo iam ſtatutum fuerit,

Cauſa tuſſis.

quæcunque inſtrumentis reſpirationis moleſtiam & impedimentum poſſunt afferre, generaliter tuſſim efficere, Galenus hæc omnia in duo capita videtur retuliſſe, vnum quod pertinet ad intemperiem, alterum quod materiam complectitur. Primum genus tuſſis, ortum ex intemperie

Medici pneumatici.

inſtrumentorum ſeruientium reſpirationis, cognouerunt omnes medici pneumatici, quaſi ſpirituales dicti, quòd omnia ſpiritibus tribuerent, quales fuerunt Athenæus, Archigenes, &c. de qua medicorum ſecta Galen. tum aliis locis, tum maximè *lib.* 3 *de diff. pulſ.* ſæpius agit: veruntamen illi cauſam non ſatis intellexerunt, propter quam tuſſis ex huiuſmodi intemperie poſſit fieri, quam tamen Galen. præclarè explicat, docens intemperiem eſſe duplicem, alteram æqualem quæ veluti quædam acquiſititia natura eſt, neque vllum dolorem aut moleſtiam infert, qualis febris hectica: alteram inæqualem, quotieſcunque in corpore ſentiendi vi prædito introducitur tanta pariter moleſtia, quanta magnitudini intemperaturæ reſpondet. Ex quo facile eſt intelligere, quomodo huiuſdi inæqualis intemperies occupans partes reſpirationi inſeruientes, atque earum natiuum temperamentum corrumpens, moleſtiam inducat ex qua deinceps natura ad expulſionem irritata tuſſim exciat. Hæc porrò intemperies eſt vel ſimplex, calida, frigida, ſicca, humida; vel ex iis compoſita: ſic igitur refrigeratis inſtrumentis reſpirationis generatur tuſſis, quæ tamen plerunque eſt exigua, & ſola ſpiritus cohibitione ſanatur; ſiquidem hac ratione calor augetur, ac ſimul cum ſpiritus partes intemperatas peruadit, atque eas ad naturale temperamentum deducit: ſic eadem inſtrumenta reddita calidiora, vt per calidiſſimas febres contingit, moleſtia afficiuntur, ex qua tuſſis excitatur, quod item de humida & ſicca, nec non de compoſita intemperie licet affirmare, vt manifeſtè colligitur ex Galen. 6. *epid.* 2. 24. Secundum caput materiam comprehẽdit, quotieſcunque illa inſtrumentis reſpirationis moleſtiam affert: quæ quidem materia vel externa, vel interna, & vtraque multiplex eſſe poteſt. Externa, ſicuti fumus, puluis, & ſimilia: ſicuti quæcunque inter edendum & bibendum in aſperam arteriam aſſatim illabuntur, ex quibus omnibus certum eſt, naturam ad expulſionem irritari, & tuſſim fieri. Interna materia eſt eorum, quæ intra corpus generatur, veluti ſunt non ſolùm omnes humores, ſed etiam quodcunque toto genere præter naturam eſt vt ſanies lapilli, &c. de quibus Alexand. ſpeciatim

Lapis tuſſi reiectus.

ſcribit *lib.* 5. *cap* 4. ſibi viſum fuiſſe aliquando lapidem non aſperum, ſed admodum leuem, durum, ac renitentem, vt reiectus in terram ſonum ederet: quem homo quidam tuſſiendo eiecerat: & Gal. 4. *de loc. aff. ad finẽ*, narrat hiſtoriam cuiuſdam ægroti, qui multo tempore tuſſi vexatus grandinem eiiciebat; quæ erui magnitudinem æquabat: ſic nonnulli aſſerunt, vermes aliquando per tuſſim fuiſſe eiectos; ſic manifeſtiſſimum eſt, in pleuritide, peripneumonia, & reliquis cordis & thoracis affectibus tuſſim excitari. Sed neque illud demum prætermittendum eſt, inſtrumenta reſpirationis in tuſſi non ſolùm per ſe laborare, ſed etiam per conſenſum aliarum partium: ad quem modum ventriculus vel flatibus, vel aliter, nimium diſtentus, comprimens ſeptum tranſuerſum, gibba pars iecoris inflammatione laborans, atque vt nonnullis placet, etiam lien, poſſunt partes ſpirationi deſtinatas in conſenſum trahere: ſed præ

Tuſſis per conſenſum.

cæteris, & ante cæteras omnes corporis partes, cerebrum ſolet id maximè præſtare, ex quo humores in thoracem deſtillant frequentiſſimè: neque verò ſolùm à ſingulis partibus, ſed quandoque etiam à toto corpore huiuſmodi noxiæ materiæ ad reſpirationis inſtrumenta tranſmittuntur,

Digitized by Google

tur, quod in febribus contingit ſæpenumero. Hæ ergo ſunt differentiæ ex cauſis.

II. Differ. Secundò ſunt differentiæ à modo tuſſis: namque alia ſicca eſt, alia humida. Sicca eſt in qua ægri nihil expuunt, humida in qua aliquid excernitur. Cauſas verò propter quas tuſſes aridæ fiunt, tractat Galen. 2. *de ſympt. cauſis* 4. 4 *apho.* 54. 4. *de locis affect.* 8 & *loco notabili* 1. *epid.* 1. 12. etenim tuſſes fiunt aridæ, quandoque exaſperatis faucibus & gutture, nullo humore pulmonem occupante: quandoque propter nudam intemperiem inſtrumentorum ſeruientium reſpirationi, in quibus pariter nihil eſt quod oporteat expelli: interdum quia humor noxius ſit ineptus ad expulſionem, quod contingit dupliciter, aut quòd ille ſit craſſior, aut quòd ſit tenuior, quàm conueniat: quandoquidem humor craſſus & lentus difficulter effertur, vtpote qui neque promptè è corporibus, quibus impactus eſt, abſtergi, neque à qualibet ſpiritus violentia poteſt impelli: tenuia autem & aquoſa propter tenuitatem potius deſſicantur à ſpiritu, quàm vltra ferantur: itaque propter has cauſas tuſſes fiunt aridæ. Contrà verò ſi humores fuerint neque valde liquidi & aquoſi, neque admodum craſſi & lenti, tunc facilè efferuntur, & maximè quando virtus valet, & tunc tuſſis humida generatur.

Præterea ſunt aliæ differentiæ tuſſis: alia recens, alia antiqua, atque hæc difficilem habet curationem. A tempore, principio, augmento, ſtatu, declinatione: Ab ætate, vt tuſſis in ſenibus aut difficulter, aut nulla ratione ſanatur: à coniunctis, alia cum febre, alia ſine febre: de quibus ſatis: ad ſigna veniamus.

Signa. Signa tuſſis ſunt manifeſtiſſima: ſigna item differentiarum facilè poſſunt intelligi: namque ſi inſtrumenta reſpirationis calida intemperie laborent, ſine fluxione humorum, ſcribit Galen. 4. *de locis affect.* 8. ſi ea vehemens fuerit, aëris & potionis frigidæ auiditatem inducit, ac progreſſione temporis in febrem deſinit: per frigidam autem intemperiem contraria accidunt, etenim ſi ea mediocris fuerit, calidi aëris & calidæ potionis deſiderium excitat: ſi verò vehemens fuerit, viſcera fluxionibus replentur. Intemperies ſicca & humida, vt inquit Alexand. cum ſint qualitates minus actiuæ, non tam manifeſta habent indicia: huiuſmodi autem omnibus intemperaturis, tam ſimplicibus quàm compoſitis, commune eſt, quod per tuſſim nihil reiicitur: quibus demum licet addere quæ præceſſerunt iuuantia & nocentia, & alia id genus: altera autem ex parte ſi fuerit aliqua externa materia; quæ fauces, aſperam arteriam, pulmones occupet, id ex præcedentibus, atque ipſo ægroto facilè intelligitur: ſi fuerint humores, ſinguli ex intemperamento, ætate, tempore, annis ex præcedente victus ratione, ſed ante omnia ex iis, quæ per tuſſim eiiciuntur, facilè poſſunt cognoſci: ſi fuerit grando, lapis, aut quid ſimile; hæc niſi poſtquam reiecta fuerint, cognoſci poſſunt, etſi forte ex tuſſis vehementia, ex contumacia, ex grauitate in thorace, & aliis id genus, liceret de iis quoque aliquam facere coniecturam. Demum ſi fuerit tuſſis per conſenſum capitis, pleuræ, iecoris, & aliarum partium, ex propriis ſignis cuiuſque partis laborantis licet illud intelligere.

Curatio. De tuſſis curatione pauca admodum habemus apud Galenum, cæteri quoque hanc rem ſatis confuſè tractant: nos verò ſigillatim, ſed breuiſſimè ſingularum differentiarum curationem explicabimus. Itaque ſi tuſſis fuerit ex ſola intemperie ſine materia, hic nulla vacuatione, reuulſione, nec cæteris indicationibus, ſed ſola alteratione opus eſt, quæ ſingulis intemperaturis contraria ratione opponatur. Si intemperies fuerit frigida, *Ex intemperie frigida.* hæc ſicuti diximus, à ſola ſpiritus retentione quandoque poteſt ſanari: namque vt ſuprà vidimus ex Galen. 2. *de ſymptomat. cauſis*, calor hac ratione augetur, ſpirituſque ad thoracem violenter compulſus, ad omnes meatus peruenit, ex quo omnes partes ad æqualitatem temperamenti deueniunt: ſi ægri ſint in aëre calidiore, vtantur alimentis & potionibus quæ calefaciendi vim habeant: ſi muſculi thoracis laborent, foueantur oleo anethino, chamæmelino, liliorum alborum, & ſimilibus.

Ex calida intemperie. Sin autem tuſſis ex calida intemperie generetur, ſicut in febribus contingit, æger contraria aëris & victus ratione vtatur, omniáque ad frigidum declinent. Inter alimenta ptiſana eſt præſtantiſſima, muſculi thoracis foueantur oleo violato & ſimilibus: ſic intemperiem ſiccam & humidam per contraria alterantia oportet curare. *Ex ſicca.* In ſicca interiùs exhibeatur lac, exteriùs inungatur thorax oleo amygdalarum dulcium, & ſimilibus.

Tuſſis ex materia. At verò ſi tuſſis ex materia noxia & excernenda oriatur, ſi exteriùs aduenit, abſtergenda eſt, partesque laborantes leniendæ ſunt: ad hanc rem optima forent diatragacanthum, ſaccharum canditum, penidia, ſyrupus violaceus, de iuiubis, decoctum liquiritiæ: ſin autem materia fuerit interna, & intra corpus generetur, iam diximus illam eſſe duorum generum, aut craſſiorem, aut tenuiorem: ſed ante omnia eſt animaduertendum, vtrùm hæc materia ab aliis partibus ac potiſſimùm à capite ad partes thoracis tranſmittatur, necne: etenim quotieſcunque materia aliunde deſtillat, certum eſt veram & legitimam curationem tuſſis in curatione partium laborantium conſiſtere, ne in poſterum huiuſmodi materia ampliùs generetur, & ad partes ſubiectas tranſmittatur: quæ tractatio potiſſimùm pertinet ad catharrum, de quo ſatis diximus.

Præmiſſa conſideratione adhuc fluentis materiæ, id vnum reſtat, vt quæ iam fluxa eſt materia, & in thorace continetur, debeat expurgari: atque illud primùm memoria eſt repetendum, quæ in thorace continentur, non alia ratione quàm per tuſſim purgari poſſe, vnde ad hanc rem ſunt præcipuè accommodata ea medicamenta, quæ Galenus 7. *de med. ſecundum locos*, inquit à veteri- *Arteriaca.* bus *arteriaca* fuiſſe appellata, & vulgo *lambitiua* dicuntur, quòd ſenſim & paulatim accipiantur, *Ad materiã tenuem.* & omnia inſtrumenta reſpirationis poſſint iuuare. Itaque ſi materia tenuis fuerit, ea conueniunt medicamenta, quæ poſſint quoquo modo eam craſſiorem reddere, qualia ſunt iuiubæ, vel ſimplices, vel ſaccharo conditæ, ſyrupus de endiuia, violatus, de papauere, decocta lactucæ, endiuiæ, portulacæ, diacodion, & ſimilia: ſi autem materia fuerit craſſior, tunc ea conueniunt, quæ attenuandi & incidendi vim habent, qualia ſunt *Ad materiã craſſam.* leuiora, mulſa, ſyrupus de farfara, oxymel ſimplex de liquiritia; efficaciora, ſyrupus de hyſſopo, de praſeo; efficaciſſima, oxymel compoſitum: acetum ſcylliticum, oxymel ſcylliticum, & ſimilia: quæ quidem medicamenta duplici ratione ſolent adminiſtrari; vnâ ſimul cum decoctis vel aquis ſtillatitiis pro ſyrupo, qui vtplurimum ſummo manè ſolet exhiberi; quo modo certum eſt materiam non ſolùm in thorace, ſed etiam in venis & ambitu vniuerſi corporis contentam ad faciliorem expurgationem præparari. Altera autem ratione hæc medicamenta exhibentur ſine

aquis vel decoctis, & tunc ſola ſenſim & paulatim accipiuntur, vnde *lābitiua* dicuntur, quo modo ſumpta tenuiores quædam partes ad proximam aſperam arteriam reſudant, atque eorum vis ad thoracem peruenit, vt docet Galenus 8. *de placitis Hipp. & Plat. ad finem*: qua quidem ratione longè maiorem vtilitatem afferunt, quàm ſi affatim & ſubitò in ventriculum deferantur, ſiquidem ex ventriculo non niſi per multos venarum anfractus, & viam longiſſimam medicamentá ad pulmones poſſunt penetrare, vt interea ſit neceſſe eorum vim non parum labefactari.

Quod ſi materia ſimpliciter neque tenuis neque craſſa fuerit, ſed quodammodo mixta, veluti ſæpe contingit; tunc varia quoque medicamenta debent inter ſe miſceri, quæ vtriuſque materiæ

Ad materiā mixtam. In plenitudine humorum.

rationem habeant. Si tuſſis foueatur à plenitudine, aut vitio humorum, nulli dubium eſt, quin ante omnia ſit neceſſe & ſectione venæ & purgatione illos minuere & purgare: pariter ſi tuſſis proueniat per conſenſum cerebri, ventriculi, aut alterius partis, certum cuique eſſe debet ſummam negotij in curatione partis primariò laborantis conſiſtere. Hæc de tuſſi.

CAPVT II.

De Aſthmate.

Deſcriptio.

QVid ſit aſthma, definitur à Galeno 7. *de med. ſecundum locos 6.3. apho.26.* hunc in modum: *Qui ſine febre lente reſpirant, ſicuti faciunt qui velociter currunt, ab huiuſmodi acceſſione Græci Medici aſthmatici nominantur.* Quo primo loco notandum eſt, quatuor eſſe præcipua nomina, quibus medici vitia reſpirationis ſolent ſignificare, apnœam, dïſnœam, orthopnœam, aſthma: de quibus nominibus non conuenit inter omnes. Cornelius Celſus

Diſpnœa. Aſthma. Orthopnœa.

libr. 4. cap 4. hæc habet: *Dum difficultas ſpirandi modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, dïſpnœa appellatur; cum vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſonitu & anhelatione reſpirationis non poſſit, aſthma; cum accidit id quoque, vt niſi recta ceruice ſpiritus trahatur, orthopnœa dicitur.* Quam Celſi doctrinam multi recentiores imitantur, alij verò aliter ſentiunt, & aliter haſce voces interpretantur, de quibus cum ego nolim agere, ad mentem Galeni ita cenſeo habendum eſſe, *apnœam* nihil aliud ſignificare, quàm

Apnœa.

abolitam reſpirationem, ſaltem quatenus aſpicientibus videtur, cum reuera fieri non poſſit, vt animal omni exquiſitè reſpiratione priuatum in vita ſeruari poſſit: quæ interpretatio eſt Galeni de

Diſpnœa.

ſympt. different. 3.4. de locis aff. li. 7. *Diſpnœa* dupliciter vſurpatur: vno modo tanquam commune quoddam genus, omnes læſas reſpirationes comprehendens, ſiue ea propter externam cauſam, ſiue propter internam, ſiue quomodocunque originem habeat: in qua ſignificatione hæc vox frequenter accipitur à Galeno 1. *de difficultate reſpirationis & alibi*: altero modo *diſpnœa* accipitur tanquam ſpecies quædam difficilis reſpirationis, quæ retinet nomen generis, in qua ſignificatione accipitur à Galeno 7. *de med. ſecundum locos ad finem*, vbi ſcribit, diſpnoïcos propriè à veteribus vocatos fuiſſe, quibus bronchia pulmonis craſſis, & viſcidis humoribus ſunt obſtructa, & in quibus medicamenta præterquam quod incidunt & attenuant, humectandi etiam facultate prædita eſſe oportet. *Aſthma* demum & *orthopnœam* vnum & eundem affectum ſignificare, qualem principio deſcripſimus, manifeſtiſſimè demonſtrat Galenus 7. *de med. ſecundùm locos 6.* vbi inquit, aſthmaticos ab alia acceſſione etiam orthopnoïcos vocari, propterea quod propter timorem ſuffocationis coguntur corpus thoracis penitus erectum habere: quam eandem ſententiam habetis apud eundem Gal. 3. *epid.* 2. 4. 6. *aphor.* 46. Verùm prætermiſſis cæteris vocibus & ſignificationibus, de vno tantùm aſthmate agimus in præſentia, quod ſicuti diximus, non aliud eſt, quàm denſa & crebra quædam reſpiratio ſine febre, qualis currentibus accidit. Ex iis facile eſt intelligere, huiuſmodi affectum inter ſymptomata reponendum eſſe, non excuntia immoderata, non qualitates mutatas, ſed actiones læſas, cum ſolum nomen ſatis declaret, actionem reſpirationis læſam eſſe.

Qualis affectus.

Sunt autem nonnulli, qui hoc loco quærunt, qualiſnam motus ſit reſpiratio, & ad quam facultatem pertineat? quippe alij contendunt eam ad naturæ actionem pertinere, quòd nemo videatur vllo tempore poſſe reſpirationem cohibere: alij verò affirmant, illam potius ad actiones voluntatis ſpectare, quòd huiuſmodi motus pro cuiuſque arbitrio & conſilio fieri & non fieri poſſit. Cæterum Gal. poſterioribus conſentiens, ex propoſito hanc litem præclarè diſſoluit 2. *de motu muſculorum cap. 5. & 6.* talemque affert demonſtrationem: *Si quæ fiunt, ſedare potes cum vis, & quæ non fiunt facere; ſi præterea citiùs aut tardius, celeriùs & rariùs ea faciendi poteſtatem habes, ſatis manifeſtum eſt huiuſmodi actiones ſeruire voluntati*: Arteriæ motum & cordis, neque cohibere, neque excitare, neque crebriorem: neque rariorem, neque tardiorem, neque velociorem voluntas poteſt efficere: idcirco nemo audeat dicere, hæc opera eſſe voluntatis, ſed naturæ, motum autem crurum & in iis omnibus voluntas regit: hæc eadem & in reſpirationis motu contingunt, quæ actio quidem eſt ſepti tranſuerſi, & muſculorum thoracis, vnde animæ, non naturæ eſt opus. ſiquidem muſculos mouere animæ officium eſt. Quod autem reuera totum opus reſpirationis voluntate & ſponte ab anima fiat, Galen. confirmat exemplo illius ſerui barbari, qui cum vehementiſſima ira correptus mortem ſibi inferre decreuiſſet, proſtratus humi ac reſpiratione cohibita, tandem mortuus eſt: quam tandem determinationem habetis apud Galen. 1. *de difficult. reſpirationis 7. de vſu partium, vtrobique cap. 9.*

Reſpiratio quis motus.

Nonnulli putant, reſpirationem motum eſſe partim voluntarium, partim naturalem, qui falluntur, quoniam reſpiratio ſolùm perficitur animalibus inſtrumentis, ſepto tranſuerſo & muſculis, cum reliqui motus compoſiti ex naturali, & voluntario, duplicibus quoque inſtrumentis vtantur. Hoc itaque ſymptoma eſt actio læſa, non abolita, non imminuta, ſed deprauata, facultatis animalis motricis, quæ efficit ipſam reſpirationem.

Differ. I.

Differentiæ aſthmatis ſunt plures, ſed quæ ſumuntur à cauſis ſunt maximè principales: namque vt ſcribit Galenus lib. de cauſis reſpirationis: *Quicunque has cauſas non ſatis intelligit, is nunquam poterit, vel controuerſias de hac excitatas diſſoluere, vel impeditam reſpirationem curare.* 3. de ſymptom. cauſis 1. Caput, & initium eſt cognoſcere modum, quo illa tempore ſanitatis ſuas perficiant operationes: propterea ſi velimus aſthmatis cauſas intelligere primùm cauſæ ſunt inquirendæ, propter quas ſani homines reſpirant: Gal. ait lib. *de cauſis reſpirationis*, non eſſe plures quam tres. 1. facultatem voluntariam. 2. inſtrumenta reſpirationi ſeruientia. 3. vſum propter quem duabus prioribus cauſis maximè opus habemus: etenim ſicut contingit animal iuxta naturæ inſtitutum reſpirare, quotieſcunque facultas, inſtrumenta,

Cauſa reſpirationis.

&

& vſus naturaliter ſe habent, ac ſimul conueniunt, ita contra, ſi aliqua ratione reſpiratio lædatur, vt id fiat propter aliquam cauſam ex iis tribus, vel vna, vel altera, vel omnibus, eſt neceſſe. In aſthmate reſpiratio eſt deprauata, itaque aut facultas, aut inſtrumenta, aut vſus, vel coniunctim, vel ſeparatim, præter naturam ſe habent: verùm cum neque febris, neque alia ſit cauſa, quæ maior inſpirandi & expirandi vſum & neceſſitatem afferat, pariter cum nullum facultatis vitium ſeſe offerat, ex quo reſpiratio deprauetur, concludendum reſtat, in aſthmate lædi reſpirationem, non ratione vſus, nō ratione facultatis, ſed duntaxat ratione inſtrumentorum.

Inſtrumenta reſpirationis. At verò cum inſtrumenta ſeruientia reſpirationi ſint plura, vt Galenus dicit lib. *de cauſis reſpirationis, & alibi*, vt pulmones in primis cum trachæa arteria, ſeptum tranſuerſum, muſculi tum pectoris, tum abdominis, illud inquirendum reſtat adhuc, qualianam inſtrumenta reſpirationis in aſthmate offendantur? Sed cum muſculi omnes tam ſuperiores, quàm inferiores nec non ſeptum tranſuerſum bene valeant, ac thoracem pro inſtituto naturæ moueant, cum pariter aſpera arteria, quæ collo adhæret, omnis mali immunis videatur, hinc licet colligere cum Gal. 4. *de locis affect.* 7. pulmones in aſthmate præcipuè laborare.

Structura pulmonum. Cæterum vt iuniores hæc intelligant nonnulla altiùs ſunt repetenda: etenim cum pulmones indigeant aſſiduo & multo aëre attracto & inſpirato, ad conſeruandam ſymmetriam & moderationem innati caloris, atque ad alios vſus, natura inter cætera inſtrumenta, ad hanc rem accommodata, aſperam arteriam fabricauit quæ quamprimum ex faucibus deorſum protenditur, ac mox in duos partes ramos bipartita, vnum dextris pulmonis bronchiis, alterum ſiniſtris porrigit, qui demum frequenti ſobole per pulmones diſtributi, patem cum pulmone ſedem occupant, quos aſperæ arteriæ ramulos ferè innumera ſerie in pulmones diſtributos, Medici bronchios appellant, ſicuti in vniuerſum vt ſcribit Galen. *princ. lib. de locis aff.* totum id aſperæ arteriæ corpus cartilagineum, quod à faucibus incipit & per collum ad pulmones vſque deſcendit, bronchium dicitur. Itaque aſpera arteria, præter cæteros vſus, ad aëris inſpirationem & expirationem à natura fuit in primis inſtituta, atque ex vna parte aër naribus & ore attractus à faucibus recto tramite per eam in pulmonem deuehitur, ac per vniuerſum corpus pulmonis ita diſtribuitur, vt hac ratione in pulmonis ſubſtantia præparatus, ad munera cordis reddatur idoneus: ex altera autem parte omnis aër cordi inutilis, & fuliginoſa illius excrementa inter expirandum per hanc eandem viam naribus & ore eiiciuntur, cum verò ita huiuſmodi opera perficiantur vt omnis inſpiratio ſiue aëris attractio dilatati pulmonis beneficio fiat, atque hæc vt pulmonis dilatatio nihil aliud ſit, quàm ſuorum vaſorum diſtentio, non quidem ſimpliciter omnium, ſed illarum, maximè aſperæ arteriæ, propaginum, quas bronchios diximus appellari: expiratio item fiat, quoties pulmo in ſe colligitur, eâque ratione aërem in ſua cauitate, ſcilicet in ramulis aſperæ arteriæ contentum foras propellit, iam ſatis cuique poteſt conſtare, eiuſmodi aſperæ arteriæ ramulos in pulmones diſſeminatos præcipua eſſe inſtrumenta, partim attractionis, partim expulſionis aëris, atque tandem omnis reſpirationis & inſpirationis.

Cum igitur hæc ita ſe habeant, vt ad cauſas aſthmatis deueniamus, facile eſt intelligere quæcunque poſſunt vias reſpirationi deſtitutas obſtruere, & eſſe impedimento, quo minùs pulmones neceſſario aëre repleantur, hæc omnia difficilem reſpirationem afferre: repleto enim loco quem aër inſpiratus ſolebat ingredi, ille paucus trahitur, & ægri huic defectui coguntur ſatisfacere crebra, frequenti, iterata, difficili ſpiratione, vt quod ſemel & facilè fieri non poteſt pluribus vicibus ac difficiliùs fiat. Etſi verò ab Auicen. & recentioribus multæ aliæ cauſæ aſthmatis connumerantur, intemperies ſine materia partium reſpirationi inſeruientium, tumores proximarum partium, vt ventriculi, iecoris, lienis, quæ pulmones comprimant, materia vel in cauitate thoracis, vel in pulmonibus contenta, & alia id genus: tamen Galenus duas tantummodo aſthmatis cauſas videtur ſtatuiſſe 7. *de met. ſecundum loco:* 6. 4. *de locis aff. c.* 6. 6. *ib. id.* 4. 4. vnam, multos craſſos & viſcidos humores, bronchios pulmonis obſtruentes, & impedientes quo minus aër liberè poſſit inſpirari: alteram, crudum aliquod tuberculum in pulmonibus excitatum, quod item impedimentum inſpirationi poſſit afferre: quos humores & tuberculum ſciendum eſt duplicem habere generationem: vnam, vitio ipſius pulmonis, qui propter aliquam intemperiem alimentum non bene concoquat: alteram, propter conſenſum aliarum partium, nonnunquam corporis vniuerſi, ſed frequentiſſimè capitis, quod præ cæteris omnibus partibus certum eſt plurimas deſtillationes ad thoracem ac pulmones tranſmittere. *Duæ aſthmatis cauſæ Gal.* Quod ad cæteras cauſas Auicennæ & recentiorum, illæ rei naturæ non conueniunt, nam quæ ſunt multæ & inſignes intemperies partium ſpiritualium, in febribus, in hydrope, ſic ſunt multi tumores ventriculi iecoris, lienis, ſic demum ſunt humores in cauitate thoracis, vt in ſuppuratis, in quibus ægri vero aſthmate nunquam laborant: itaque habendum eſt cum Galen. cauſam aſthmatis tantummodo eſſe duplicem: multos craſſos & viſcidos humores, bronchios pulmonis impedientes, aut crudum tuberculum in pulmone excitatum vt diximus. *Variæ cauſæ Auicen.*

II. Diff. Secundò ſunt differentiæ aſthmatis à magnitudine, à tempore, à modo generationis, à coniunctis, quæ, vt videbimus paulò poſt, maximè faciunt ad prognoſticum & curationem. *Error Auic.* Sed Auicenna inter cæteras differentias vnius meminit, à loco affecto, qui ſcribit, humores contineri quandoque in bronchiis aſperæ arteriæ: quandoque in ramulis leuium arteriarum: quarum pariter multæ propagines per pulmones diſſeminantur, in qua re ille manifeſtè fallitur, & contradicit Galeno. Etenim ſi in pulmone obſtruantur propagines, non aſperæ arteriæ, ſed leuium arteriarum, tunc cor laborat, pulſuſque facit inæquales, minimè aſthma, niſi ſimul bronchia quoque obſtruantur, ſicuti contingit Antipatro Medico Siculo, cuius hiſtoriam habetis apud Galen. 4. *de locis affect. ad finem.* *Hiſtoria.* Nam cum hic vir omnem inæqualitatem in motu arteriæ in ſe deprehendiſſet, valdeque eſſet perterritus, Galeno aliquando obuiam factus illi pulſum tangendum præbuit, qui cum omnis generis inæqualitatem animaduertiſſet, miratus eſt quomodo ille cum tali pulſu viueret: cúmque Antipater Galenum interrogaret, quiſnam huiuſmodi affectus illi videretur, & quomodo citra febrim pulſum talem poſſet efficere? ille reſpondit, vel propter obſtructionem liquidorum crudorúmque humorum, vel propter crudi tuberculi generationem, id factum fuiſſe: atqui Antipater reſpondit, ſi id verum eſſet, ſe oportuiſſe aſthmatica orthopnæa laborare: at verò Galen. dixit, illum probabiliter loqui, non tamen verè, ſiquidem contingit huiuſmodi orthopnæam fieri quotieſcunque non quidem in leuibus, ſed in aſperis arteriis craſſus & lentus humor cumulatur, &c.

Hoc loco nonnulli quærunt, vtrum aſth. ſit morbus

An aſthma ſit morbus acutus.

diuturnus, cum ſæpenumero perduret multos annos; an acutus, cum aliquando hominem protinos interficiat; Quam dubitationem ſoluunt cum Cornelio Celſo, ex ea nominum diſtinctione, quam principio dedimus, qui docet diſpnœam poſſe diutius perdurare, aſthma autem & orthopœam eſſe morbos acutos: ego autem magis probo reſponſionem Galen 4. *de cauſis pulſuum* 21. qui ſcribit, morbum quidem eſſe diuturnum, acceſſiones verò acutas, ſicuti morbum comitialem: quod experientia confirmat eſſe veriſſimum, cum ſæpenumero ægroti in acceſſionibus ſuffocentur & pereant.

Signa.

Signa aſthmatis pathognomonica sũt manifeſta: ægri ſine febre frequenter reſpirant, quemadmodum facere ſolent qui velociori curſu ac vehementi exercitatione ſunt fatigati. Pulſus pro variis morbi differentiis varij ſunt, de quibus videatis Galen. 4. *de cauſis pulſ.* 21. De ſignis vtriuſque cauſæ tractat Galen. 4. *de locis aff.* 7. Etenim ſi quis per bonam valetudinem & cum ſolitas adhuc operationes efficit, difficulter incipit ſpirare, ipſique hoc ſymptoma in dies augeatur, neque inter reſpirandum aliquem ſtertorem vel ſonitum faciat, tunc excitatum tuberculum fuiſſe oportet exiſtimare: ſed illud ego addo, hanc difficilem reſpirationem perpetuò grauem eſſe, ac ſine intermiſſione vexare, vt perpetuæ & permanenti cauſæ conuenit: ſin autem inter reſpirandum aliquis ſonitus vel ſtertor deprehendatur, tunc lentorum & craſſorum humorum pulmonis bronchiis impactorum copiam adeſſe ſignum eſt. Quod ſi præterea quis ſtatim & improuiſò difficulter ſpirauerit, hinc licet colligere huiuſmodi humores minime in pulmonibus generari, ſed fluxionem vel à cerebro vel à vicinis partibus in pulmonẽ decumbere. Dictis licet addere ea ſigna, quæ ſumuntur ex temperamento, ætate victus ratione, & ſimilibus, de quibus ſæpe diximus. Signa reliquarum differentiarum facilè poſſunt intelligi, itaque ad curationem aggrediamur.

Diagnoſtica.

Curatio.

Cùm duæ ſint cauſæ aſthmatis, ambarum curatio, inquit Galen. 7. *de med. ſecundùm locos*, aliquid commune habet, aliquid priuatum, & alteri tantùm proprium: commune vtriſque eſt, vt redundantia humoris morbum generantis conſumatur: proprium autem, craſſorum quidem humorum, vt illi per attenuantia & extergentia pharmaca conſumantur: alterius autem nimirum tuberculi, vt per attenuantia & reſiccantia eadem fiat conſumptio. Itaque vtrique eſt communis euacuatio vniuerſi corporis: deinde reuulſio, quæ neceſſariò particularem pulmonis purgationem debet præcedere, poſt quæ demum illud reliquum eſt vt partibus laborantibus proſpiciatur, quæcunque humores noxios vel generant, vel tranſmittunt, vel recipiunt. Ad ſummam, indicationes curandi aſthmatis ſunt huiuſmodi: prima, vacuatio vniuerſi corporis: ſecunda, reuulſio humoris fluentis ad pulmones: tertia, conſumptio materiæ contentæ in pulmonibus: poſtrema, in qua curatio potiſſimum conſiſtit, vt partes primariò laborantes ad ſuam naturalem temperiem & conſtitutionem deducantur, ne in poſterum noxios humores generent, tranſmittant recipiant.

Indicationes.

Prognoſticũ.

Vtrùm iis indicationibus liceat ſatisfacere necne, Auicen. paucis verbis mihi videtur comprehendere, qui ſcribit ad hunc modum 10. 3. tract. 1. 38. *Et hæc ægritudo cũ accidit decrepitis, non forſitã ſanatur, neque maturatur, cum ipſa in iuuenibus etiã difficilis ſit, & hæc quidẽ ægritudo eſt ex ægritudinib° longis habens cum hoc paroxyſmos acutos, ſecundùm ſimilitudinem paroxyſmorũ epilepſiæ & ſpaſmi.* Quas ſententias Auicen. accepit ex Gal. priorem de ſenibus ex 2. *apho.* 40. poſteriorem de morbo diuturno & acuto, 4. *de cauſis pulſuum* 21.

Lenit. aluo.

Sed ſingulas indicationes perpendamus, & quatenus ad primam pertinet, pro leuienda aluo facit hiera ſimplex cum caſſia, nec non mel violatum ſolutiuum cum manna:

℞ *Flor. caſſiæ nouiter extr.* ℥. j.
Specierum hieræ ſimp. ʒ. iij. *M. cum ſaccharo fiat bolus.*

In potione:

℞ *Mel. viol. ſol.* ℥. j. ß.
Manna Calabrenſis electæ ℥ j. ß.
Decoctionis hyſſopi, ſarſ q ſuf. M. pro potione.

Vena ſectio.

Lenita aluo, Paulus Auicenna & omnes probãt ſectionem venæ, de qua nonnulli dubitant, propterea quod ex Galen. 4. *de cauſis pulſ.* 21. aſthmatici videntur habere pulſus & vires imbecilliores: quibus reſpondeatis ex Galen. non neceſſariò in fluxionibus quæ ad pulmonem fiunt, aut peripneumonia, aut aſthmate virium robur proſterni; illius verba hæc ſunt 4. *de locis aff.* 7. In malis aſthmaticis, craſſis & viſcidis humoribus pulmoni impactis, vires fortes ac vigentes permanent. Quod ſi ille diuerſum docet aliquando, id ſine dubio de tempore acceſſionis intelligendum eſt, in quibus acceſſionibus reuera ægri vehementer laborant, habentque pulſus paruos & debiles, vt aliquando intereant. Ergo ſi conueniant principes ſcopi, ſectio venæ nullo modo eſt prætermittenda, ſecandaque eſt aut media, aut baſilica. ſanguiſque eſt detrahendus vel parcè, vel copioſè, pro ratione plenitudinis, habitus corporis temporis anni, & ſimilium. Neque verò ſolum ſectione venæ, ſed etiam purgantibus medicamentis hoſce ægros oportet vacuare, non tantùm lenioribus ac ferè lenientibus, vt multi facere ſolent, ſed etiam valentioribus, agarico, turbith, colocynthide, electuario diaphænicon, hiera diacolocynthidos, pilulis de hiera cum agarico, pilulis cochiis, & ſimilibus, quæ ad purgandos humores craſſos ſunt accommodata. Medici hoc tempore in aſthmate & omnibus affectibus thoracis familiariter vtuntur trochiſcis de violis, quos propterea pectorales appellant, quorum deſcriptionem habetis apud Meſuem cap. *de aſthmate*: ſed quicunque voluerit huius medicamenti compoſitionem conſiderare, is facilè deprehendet medicamentum ſine arte eſſe compoſitum, neque illud tam tutum & efficax eſſe, vt omnia purgantia medicamenta, ſuapte natura ſint homini inimica. ac propterea fuerit excogitata mixtio eorum medicamẽtorum, quæ illorũ malitiam poſſunt emendare, certum cuique eſſe debet, violas, liquiritiam, mannam, quæ hic à Meſue tanquam correctiua permiſcentur, minimè poſſe id præſtare: namque vt ſcribit Hip. & Gal. 1. *de ratione victus*. & 12. *in libr quos & quando*, & alibi nos diximus, aromata ſunt cum primis ad hanc rem accommodata, & præ cæteris præſtant nonnulla ſemina odorata, quæ ventriculum roborando, humores craſſiores incidendo & tenuando, ac demum vias per quas purgatio debet fieri, aperiendo, poſſunt medicamenti malitiam corrigere, neque illius operationem impedire.

Purgantia.

Trochiſci de violis improbantur.

Quomodo purgantia conueniant.

Cæterùm quærunt nonnulli hoc loco, cum noxij humores in aſthmate contineantur in pulmone, quos certum eſt non aliter quàm per tuſſim & per ſputa poſſe purgari, dubitant inquam, quomodo purgantia medicamenta poſſint aſthmati & talibus affectibus conuenire? Quibus licet reſpondere cum Galeno primùm 6. *de locis aff.* 4 pulmones & thoracem non ſolùm per tuſſim, ſed etiam per aluum poſſe expurgari, licet id rarò contingat; deinde purgantia medicamenta in aſthmate

ea

ea potiſſimùm ratione conuenire, quòd illa expurgent humores vniuerſi corporis, & à parte laborante reuellant, præterquã quod nulli dubium eſſe debet, quin partes noſtri corporis, ac maximè quæ proximè cohærent, ita conſentiant inter ſe, vt latente quadam ratione ſimul poſſint euacuari, ſicuti in curanda coxendice id ſæpenumero experientia confirmat veriſſimum eſſe: ad quem modum ſcribit
Præparantia. Hipp. *in lib. de alimento*, confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia. Ante verò quàm hæc purgantia medicamenta exhibeantur, neceſſe eſt humorum concoctionem, nec non viarum per quas purgatio debet fieri, apertionem attendere: ad quas indicationes ſunt accommodata ea medicamenta, quæcunque attenuandi, incidendi, abſtergendi, vim habent: in quorum quidem medicamentorum vſu & adminiſtratione, Galen. nonnulla tradit præcepta, quæ nullò modo ſunt prætermittenda.

1. Præceptũ. Primum eſt, cum dicta medicamenta neceſſariò quidem tuſſes moueant & abſtergant, ſed non facilè quod abſterſum eſt propter craſſitudinem, per ſputum reiiciatur, ob id iis perpetuò miſcenda ſunt quædam medicamenta humida, & lenientia, quæ
2. Præceptũ. faciliorem expurgationem reddant. Deinde hæc medicamenta eligenda ſunt calida quidem, ſed quæ ſine vehementi caliditate attenuandi atque incidendi facultate ſint prædita: ſiquidem medicamenta inſigniter calida, diſſolutis partibus tenuioribus craſſos & viſcidos humores adhuc craſſiores & viſcidiores reddunt, ac proinde magis læ-
3. Præceptũ. dunt quàm proſunt. Poſtremò ea quoque medicamenta vitanda ſunt, quæ vehementer refrigerant & adſtringunt, cum hæc omnia craſſefaciant, cogant, & augeant humores noxios, atque id cum primis malum efficiant, vt non niſi difficilimè per
Simplicia pulmonibus conferentia. ſputum expurgentur. Sed ad particularia præſidia veniamus, quæ plurima ſunt: ſymphyta, capillus veneris, farfara, hyſſopus, marrubium, radix iridis, ſemina vrticæ, ariſtolochia rotunda, betonica, & ſimilia: ex quibus ſyrupus de farfara, violatus, de capillo veneris, de liquiritia, de hyſſopo, de marrubio; conſeruæ & aliæ medicamentorum formæ ſolent parari: præ cæteris autem ſcylla, acetum & oxymel ſcylliticum, & quæcunque ex ſcylla parantur, magnam hac in re habent prærogatiuam, & cæteris omnibus medicamentis ſunt efficaciora.

Reuellentia. Hoc tempore ex ſecunda indicatione ad omnia reuulſionum genera veniendum eſt, ad lotiones, frictiones extremarum partium, ligaturas, cucurbitulas ſine & cum ſcarificatione: ad clyſteria &
Cauteria. glandes acriores, ac poſtremò ad cauteria, quæ non ſolùm cruribus, brachiis, & quandoque etiam capiti inuruntur, quod multi in præſentia faciunt, ſed etiam, vt placet Aëtio, malo inueterato, fruſtráque adhibita omni medicina, ad ipſum quoque thoracem poſſunt accommodari, qui docet *lib*. 8. 57. quod ſanè eſt maximè notandum, pluribus locis thoracis, ante, retro, ſurſum, deorſum, & omni ex parte vlcera circiter quindecim eſſe inurenda, quæ quidem longiore tempore aperta debent detineri. Poſt hæc particulatim craſſi humores in bronchiis pulmonis contenti, vel tuberculum in pulmone excitatum, diſſoluenda & conſumenda ſunt, humores quidem craſſi per medicamenta attenuantia & extergentia, tuberculum autem per attenuantia & reſiccantia, vt ſuprà monuimus: de medicamentis attenuantibus & extergentibus iam ſatis dictum, etenim quæ faciunt ad coctionem humorum & præparationem viarum, eadem valent pulmonem quoque expurgare.

Ad conſumptionem tuberculi. Ad conſumendum tuberculum exſiccantia medicamenta ſunt valde accommodata, qualia forent ammoniacum, ſulphur, theriaca, mithridatium, ſales theriaci, & ſimilia: neque verò ſolùm medicamentis internis, ſed etiam nonnullis externis Medici conantur materiam in pulmone contentam diſſoluere, quare ſuffumigiis & odoribus agunt, ex myrrha, ſtyrace, maſtice, iunipero, cinnamomo, & ſimilibus ad quem modum legimus Gal. iuſſiſſe ægrum quendam naribus aſſiduè odorari medicamentum hedychroum, cuius deſcriptionem habetis apud Aëtium *lib*. 13. 89. apud Paulum 7. 2. vel aliud ex pretioſis vnguentis, quæ Romæ foliata & ſpicata nominabant: locus Galeni eſt 4. *de locis aff. vltimo*. Sic ad thoracem apponunt linimenta, fomenta, cataplaſmata, ex oleo anethino, irino, rutaceo, ex farina hordei, lolij, ex caſtoreo, euphorbio, vt tandem deueniant ad ſynapiſmata & cauteria, quorum ſuprà mentio facta ex Aëtio.

Poſtremo autem loco ad alterandos & roboran- *Partes roborantia.*
dos locos principes & potiſſimùm pulmones, veniendum eſt, in qua poſtrema indicatione iam diximus reuera totam curationem conſiſtere, etſi illa à vulgaribus medicis negligitur & prætermittitur; cui quidem indicationi ſatisfacientia, multa ſuprà fuerant propoſita: verùm ſunt etiam alia quæ idem poſſunt præſtare, vt conſerua betonicæ, hyſſopi, enulæ campanæ, conſerua ſtœchados, diacyminum, diacalamenthum diatrion pipereon, ſed iis omnibus ſunt efficaciora theriaca & mithridatium: in quorum vſu neceſſarium eſt ægros longiore tempore perſeuerare: inter cætera autem præſidia Auicen. & Arabes probant ius galli veteris præparatum cum carthamo, hyſſopo, ittopachio, coula, ſeminibus aniſorum. fœniculi, &c. Sic recentiores familiariter vtuntur aquis thermarum calidioribus, quales ſunt noſtræ Aponitanæ, Aquarianæ, non ſolùm in potione, ſed etiam pro ſtillicidio & thoracis & capitis, ſi illud contingat laborare, & deſtillationem ad pulmones tranſmittere: ſic demum ſunt qui vtuntur decocto ligni, chinæ, & ſimilium: quæ quidem decocta, ſi cum ratione atque ex præceptis à Galeno traditis præparentur, mea ſententia non ſunt reiicienda.
Sunt quædam medicamenta demum, quæ occulta *Pulmo vulpis.*
quadam vi & proprietate credunt aſthmaticis prodeſſe, inter quæ vnum duntaxat mihi libet commemorare pulmonem vulpis exſiccatum, quem ſcribit Galenus 2. *de ſimpl. medicamentis* aſthmaticos iuuare; vnde hic puluis aut ſolus, aut ſimul cum aliis medicamentis, veluti conſerua hyſſopi, conſerua florum borraginis, frequenter adminiſtratur: ſic apud aromaricos eſt electuarium de pulmone vulpis, auctore Meſue *in cap. de phthyſi* quo Medici in aſthmate & reliquis affectibus pulmonis familiariter vtuntur. Victus ratio ſit alimento- *Victus.*
rum boni ſucci, facilis coctionis, & vno verbo, ſicuti & ipſa medicamenta, attenuandi vim habeant, de quibus alimentis ſæpe dictum eſt, & extat libellus Galeni, in quo omnia continentur: atque hactenus de aſthmate.

CAPVT III.

De Pleuritide.

NVllus eſt morbus magis celebris, & qui magis verſetur in ore Medicorum, quàm pleuritis, non ſolùm, vt puto, quòd illa contingat ſæpiſſimè, grauiáque ſymptomata & pericula ſecum afferat, ſed etiam quoniam omnes Medici omnia ferè artis dogmata & præcepta ad vnã pleuritidem libenter referunt. Sic Hipp. traditurus rationem inſtituendi victus in morbis acutis, tractaturuſque de

de morbis thoracis & plumonis, pleuritim tanquam exemplum aſſumit, vt notat Gale I. *de ratione victus* 6. ſic io aſſignandis omnibus ſignis medicis, docendaque tota medicæ artis conſtitutione, non alio quàm pleuritidis vtitur exemplo: idem facit in *libr. de criſibus*, & aliis locis. Sic demum recentiores nullius morbi magis exactam tractationem inſtituunt, quàm pleuritidis, qui de vna in primis ſectione venæ tam acriter inter ſe digladiantur, vt forte alius nullus locus diffuſius & maiori ſcholarum ſtrepitu ab omnibus tractatus fuerit. Itaque maxima atteotione opus eſt atque eo magis, quod nulla eſt pars huius tractationis, quæ non multas & arduas difficultates contineat.

Nominis ratio.

Pleuritis Græcè ex loco affecto, nimirum *pleura* nomen ſucepit, vt notat Galen. 5. *morb.* 5. 1. *ad Glauc.* 3. Latinis & vulgo morbus coſtalis ſeu lateralis dicitur Eſt autem inflammatio membranæ ſuccingentis coſtas, quæ *pleura* nominatur, vt definitur à Gale 5. *de locis aff.* 3. 5. *de locis aff* 7. 6. *apho.* 33. *de conſtitutione artis med* 15. 4. *de cauſis pulſ.* 8. Itaque pleuritis ſub inflammatione, tanquam ſub genere continetur.

Definitio.

Homonymia inflammationis.

Sed cum nomen inflammationis, auctore Galeno, apud veteres Medicos ſoleat accipi tripliciter, 2. *ad Glau.* 1. Voo modo, pro omni inſigni caliditate & feruore, ſine vllo tumore præter naturam, in qua ſignificatione accipitur 1. *prog* 27. 3. *de fracturis* 8. Altero modo accipitur, vt eſt commune genus, quod calidos quoſcunque tumores ex quibuſcunque humoribus originem habeant, complectitur, vt accipitur 5. *apho.* 23. 2. *ad Glauc.* 1. 2. *de criſibus* 12. Tertio modo, magis ſtrictè, pro tumore præter naturam, qui à ſolo ſanguine excitatur, in qua ſignificatione accipitur 13. *metho. a principio* 2. *de criſibus* 13. & alibi. Sciendum eſt inflammationem hoc loco accipiendam eſſe non pro ſimplici feruore, non pro vno tumore à ſanguine excitato, ſed tanquam commune genus quod omnes calidos tumores amplectatur, ſiue illi ex humoribus natura calidis, ſanguine & flaua bile: ſiue ex frigidis, pituita & melancholia, aliquo modo caliditatem contrahentibus, originem habeant, ſiquidem, vt paulò pòſt videbimus, pleuritis à quocunque humore fieri poteſt.

Itaque pleuritis eſt inflammatio: ſed cuius partis inflammatio eſt; Membranæ ſuccingentis coſtas. Quo loco notandum ex Gal. 7. *de vſu partium*, ſicuti in veotre inferiore eſt tunica: quæ omnes partes ſub ſepto contegit & complectitur, ita in medio veotre aliam tunicam fuiſſe à natura inſtitutam, quæ pariter omnes partes in eo conteotas veſtiret & complecteretur; alteram abdominis *peritonæum*, hanc thoracis *pleuram* Medici appellant quam vtriſque huius mẽbranæ ſimilitudinem præclarè explicat Gal. 2. *de adminiſtrationib. anatomicis.*

Differentia I

Differentiæ pleuritidis variæ ſunt, ſe primùm eſt cõmunis & vulgaris differentia: Pleuritis alia vera & exquiſita, alia non vera & ſpuria. Pleuritis ſpuria apud nonnullos, partim veteres, partim receotiores, fit dupliciter, vel ratione materiæ vel ratione loci. Pleuritis non exquiſita ratione materiæ fit, quotieſcunque ex plurimis cruditatibus alimẽtiſque craſſis & pituitoſis, crudi, craſſi ac lenti humores in corpore generantur, qui in vacuum ſpatium thoracis aut in pulmonem delati quandam pleuritidem videntur repræſentare: de qua tractat Aëtius latè *lib.* 8 68. Pleuritis autem noo exquiſita ratione loci fit, quotieſcunque vel membrana ſuccingens coſtas mendoſas, vel muſculi externi thoracis vel pericardium, vel ſeptum tranſuerſum, vel mediaſtinum, vel forte aliæ partes, inflammatione laborant, de quibus eum nolim ego longiùs agere, ſententia & doctrina Galeni conteoti erimus, qui de exquiſita & non exquiſita pleuritide aliter ſenſit & docet 5. *de locis aff.* 3 cuius doctrinæ ſumma eſt, propris mala thoracis eſſe duplicia, nempe alia in muſculis, alia in membrana ſuccingente coſtas conſiſtere: cum autem in thorace ſint duo genera muſculorum, quorum alij intercoſtalia vocata ſpatia replent, alij extrinſecus ipſis incumbunt, affectus dolorificos muſculorum externorũ, quales ſunt vlcera, contuſiones, abſceſſus, eriſypelata. phlegmones, manifeſtè à medicis manum adhibentibus cognoſci: Phlegmonem autem muſculorum intercoſtaliũ ad tactum diſcerni non poſſe, ſed tamen illos maiori dolore affici quàm alteros, qui in ſuperficie poſiti ſunt, ac præterea malum membranæ ſuccingenti coſtas communicare, cum duæ hæ partes, interni inquam muſculi intercoſtales, & membrana ſuccingens coſtas, vſque adeo inter ſe conſentiant, vt ſit neceſſe alterã alteri ſua mala cõmunicare; neque muſculos ſine mẽbrana, neque mẽbranam ſine muſculis poſſe laborare.

Pleuritis exquiſita.

At verò, inquit Gal. exquiſita pleuritis fit, vbi ſuccingens membrana primariò laborat, ideoque vſque ad claniculas, vel ad hypochondria deſcendit: hæc de vera & exquiſita pleuritide eſt doctrioa Galeni; quatenus autem ad alteram non veram neque exquiſitam pertinet, id tantummodo ſcriptum reliquit, alios præterea laterum cum febre dolores cõtingere, in quibus neceſſariò ſpiratio frequens & exigua fit, nihil autem expuitur, adeo vt hæc pleuritis exquiſitæ pleuritidi, in qua nihil expuitur, ſimilis videatur. Quomodo autem & quibus laborantibus partibus iſti laterum dolores fiant, nihil à Galen. expoſitum eſt; quod quidem ego puto propterea factum fuiſſe, vt nos doceat, præter dolorem lateris ex inflammata membrana ſuccingente coſtas, & muſculis internis, cæteros omnes dolores qualiumcumque partium & quomodocunque fiant ad non veram & ſpuriam pleuritidem poſſe referri. Cæterum reliquis omnibus laterum doloribus in præſentia prætermiſſis, ad veram & exquiſitam pleuritidem & differentias reuertamur.

II. Differ. veræ pleuritidis.

Differentiæ veræ pleuritidis ſunt plures ac primùm à loco affecto: namque alia partem thoracis ſuperiorẽ, alia inferiorẽ alia dextram, alia ſiniſtram occupat: ex quo orta eſt quæſtio propoſita ab Auic. vtra pleuritis ſit deterior, an illa quæ eſt io latere ſiniſtro vicina cordi, an illa quæ eſt in latere dextro? quã Ille ſoluit hunc in modum: Pleuritidẽ ſiniſtram partim eſſe deteriorem, quia inflammatio eſt proximior cordi; partim ſecuriorem, quia faciliùs maturatur & reſoluitur, propter maiorem partis caliditatem: pleuritidem autẽ dextri lateris contraria ratione partim eſſe tutiorem, quia inflammatio longius diſtat à corde, partim eſſe deteriorem, propterea quia difficiliùs maturatur & reſoluitur. Quę quidem quæſtio & quæſtionis ſolutio forte alicui videbitur inepta & ſuperuacanea; ſiquidem Auic. hac in parte cooſentiens vulgo, accipit tanquam manifeſtum, cor in ſiniſtra parte collocari, quod perſpicuè falſum eſt, & repugnat Galen. 6. *de vſu partium* 7. qui manifeſtè docet, cor in medio thorace conſiſtere.

An dextra pleuritis ſit deterior ſiniſtra.

Cordis ſitus

Quod ſi motus cordis videtur indicare, quaſi illud potius in parte ſiniſtra fuerit collocatum, Gal reſpõdet 7. de *adminiſt. anatom.* 7. hoc fieri duplici de cauſa; vna, propter ſiniſtrum cordis ventriculum, quem conſtat ſpiritum vitalem præcipuè conficere & continere; altera quoniam vertex ipſius cordis quoquo modo ad ſiniſtram regionem deflectit, vt propterea non ſit mirum, ſi illius motus magis in parte ſiniſtra quàm in dextra percipiatur: qui plura hac de re cupit, is videat Conciliatorem differentia 99.

III.

Ad hanc differentiam alia quoque poteſt referri,

ferri, quatenus membrana inflammatione laborat vel parte interna versùs pulmones, vel parte externa quæ coſtis adhæret: quæ differentia eſt Galeni *de conſt. artis med.* 15. tametſi nonnulli eam non recipiunt, qui aſſerunt, membranam ſuccingentem coſtas, teſte Gal. etiam *7. de adminiſtr. anato.* 2. tenuiſſimam eſſe ſicuti eſt tela araneæ, adeo vt nulla ratione videatur poſſe diſtinctionem & diuiſionem recipere. Sed reſpondendum, membranam, ſecundùm naturam ſe habentem, ac minimè laborantem, reuera ſimpliciſſimam & tenuiſſimam eſſe, neque poſſe aliquam diuiſionem recipere: at verò ſi eadem inflammatione laboret, rem ſe aliter habere: ſiquidem facta humorum fluxione, atque excitato tumore, non ſolùm hæc membrana ſed etiam cæteræ omnes, quantumuis ſint tenues & exiles, vſque adeo ſolent craſſeſcere, vt facilè in manifeſtas particulas diuidi poſſint, ſicuti apparet in membranis cerebri, in veſica, & aliis tenuibus partibus id genus.

IV Secundò, ſunt differentiæ à materia ex qua inflammatio, generatur: etſi enim nonnulli contendunt, pleuritidem tantummodo ex humoribus calidioribus, ſanguine & flaua bile, originem, habere; tamen vt ſuprà diximus, hîc nomen inflammationis communiter accipiendum eſt, quatenus fluxionem omnem complectitur: quæ expreſſa eſt ſententia Gal. *de conſtit. artis med.* 15. 2. *de criſibus* 10. 5. *de locis aff.* 3. qui manifeſtè docet, pleuritidem à quocunque humore fieri poſſe, quandoquidem licet hæc membrana ſatis duro & denſo corpore conſtet, vnde faciliùs & frequentiùs à tenuioribus & calidioribus humoribus malè afficiatur, tamen neque negandum eſt, eandem à craſſioribus quoque & frigidioribus humoribus pituita & melancholia laborare: namque ſi iſti humores putreſcant, & calorem præter naturam concipiant, nulli dubium eſſe debet, quin corpora etiam dura poſſint penetrare, & inflammationem efficere: quod eo magis probandum, quòd maiori ex parte humores non ſoli & ſimplices, ſed inter ſe mixti ſoleant inflammationem facere. Itaque pleuritis alia eſt ex ſanguine, alia ex bile, alia ex pituita & melancholia.

V. Tertiò, ſunt differentiæ à magnitudine & paruitate: à bono vel malo more, adeo vt non deſint qui affirment, pleuritidem peſtilentem dari, nec mihi quidem vt videtur, temere, ſicuti diximus tractantes febrem peſtilentem.

VI. Poſtremò, ſunt differentiæ pleuritidis ex tempore morbi; principio, augmento, ſtatu, declinatione: quæ maximè ſunt animaduertenda, cum pertineant ad curationem.

De ſignis pleuritidis agit Galen. multis in lo-
Signa. cis, 1. *de locis aff.* 8. 5. *de locis aff.* 3. 2. *de criſibus.* 10. *de conſtit. artis*, 15. 4. *de cauſis pulſ.* 8. Verùm id primùm ſciendum eſt, Galen. in *libr. de plenitudine, vltimo*, 2. *de med. ſecundum locos.* 1. 8. *de med. ſecundum locos.* 1. 2. *de ratione victus* 2. hanc partem artis medicæ quæ tractat de ſignis, minimè certam & demonſtratiuam, ſed admodum coniecturalem & indefinitam, eſſe nihilominus tamen ſigna pleuritidis tam certa & indubitata eſſe, vt certiſſimam huius morbi fidem facere poſſint: ſicuti confirmat Galen. 12. *metho.* 7. 5. *de tuenda.* 2. Et ſi quis obiiciat, quod veriſſimum eſt, medicos ſæpenumero in contentionem venire, vtrùm quis laboret pleuritide, nec ne: Reſpondeatis id prouenire, non quòd ſigna ſint incerta, & coniecturalia, ſed quoniam illi falluntur, neque conueniunt circa exactam eorum cognitionem: ſed ſin-
Febris continua. gula ſigna perpendamus. In pleuritide primum ſignum pathognomonicum eſt febris, quæ neceſſariò illam comitatur, propter duas cauſas: primò, propter affectum, nempe inflammationem: deinde, propter ſitum partis laborantis, quæ cordi proxima eſt: quæ quidem duæ cauſæ neceſſariæ ſunt, adeo vt ſi altera deſit, non neceſſariò febris conſequatur. Namque quod eſt Galeni exemplum, ſi digitus phlegmone doleat, quoniam à corde longè abeſt, pariter ſi ſuccingens membrana laboret ſcirrho vel œdemate, tunc non omnino contingit ægrum febricitare, *de conſt. art.* 15. Eſt itaque febris & ea quidem continua: cum enim pleuritis ſit morbus acutus, & cum febre, ex doctrina Gal. 8 *apho.* 30. vt ea ſit continua neceſſe eſt. Sed qualiſnam eſt huiuſmodi febris continua? Galen. in hoc non planè ſibi videtur conſtare, qui libro de *conſt. artis*, nec non 2. *de difficult. reſpirationis* 8. ſcribit, febrem ſimpliciter adeſſe, 1. autem *de criſibus* 5. & 4. *de cauſis pulſuum* 8. addit febrem acutam eſſe.

Secundum ſignum eſt, dolor lateris: cum enim *Dolor lateris.* membrana, pars neruoſa, inflammatione laboret, & continuum ſolui, & dolorem ſuccedere eſt neceſſe: & cum huiuſmodi membrana hæreat lateribus thoracis, hic dolor debet omnino alterutrum latus occupare: vnde ſi vel mediaſtinum, vel ſeptum tranſuerſum, vel pericardium, vel aliæ partes inflammatione laborent in thorace, vtique huiuſmodi affectio pleuritis dici non debet. Verùm qualiſnam eſt hic dolor lateris? neque in hoc ſigno Gal. ſibi ipſi prorſus videtur conſentire, qui ſcribit, modò dolorem ſimpliciter adeſſe, modò continuum modò pungitiuum, modò extenſiuum, vt ex locis iam propoſitis dilucidè conſpicitur. Verùm apparentem hanc Galeni inconſtantiam in iis duobus ſignis, febre & dolore, ipſe mihi videtur diſſoluere 2. de diffic. reſp. 8. quo in loco exponens hiſtoriam de Anaxione, deſcriptam ab Hipp. 3. epid. his verbis. In febrem acutam incidit, dextri lateris dolor aſſiduus eum irruebat: quærit quamobrem Hipp. ſi quis alius, cur grauiſſimus, & breuitatis ſtudioſus, cum vnico verbo ſe explicare potuiſſet, ſcribendo Anaxionem fuiſſe pleuriticum, tamen voluerit plura ſymptomata enumerare, atque ea ratione pleuritidem indicare? tandem hac ratione ſibi ipſi reſpondent hunc in modum: Cum ſingulis morbis nonnulla adſint ſymptomata, partim quidem neceſſario & perpetuo, partim contingenter, vel raro, vel vt plurimum, Hipp. conſuetudinem & inſtitutum tale fuiſſe, vbi neceſſaria tantum ſymptomata extiterint, ſolo communi nomine morbum explicare: vbi verò aliquid acciderit ex iis quæ raro fiunt, poſt communem morbi appellationem, ſtatim illius quoque mentionem facere: quod ſi plura fuerint ſymptomata, quæ præter conſuetam morbi naturam notatione digna videantur, tunc prætermiſſo communi nomine, ſingula eiuſmodi particularia ſympt. enumerare: id quod euenit Anaxioni: cum enim illi plura ſymptomata rariora superueniſſent, quæ nullo modo erant prætermittenda, ſuperuacaneum exiſtimauit communis morbi nominis meminiſſe: quod ex ea ſymptomatum narratione ſatis potuit manifeſtum fieri: *itaque*, ille inquit, *in febrem acutam incidit*, &c. Ex quibus non ſolum didiciſti quod febris adfuit, ſed etiam qualis: nimirum acuta, pariter quòd non æger non ſolum dolore cruciabatur, ſed etiam quali, nempe lateris dolore continuo. Cum ergo expoſitore Galeno febris acuta & dolor continuus ſint ex iis ſymptomatibus quæ in pleuritide rarò contingunt, ſatis cuique debet conſtare, febrem & dolorem ſimpliciter, minimè febrē acutā & dolorem continuū inter ſigna pathognomonica

reponenda

reponenda eſſe: id quod experientia confirmat eſſe veriſſimum, cum ſæpenumero vel putreſcente humore frigidiore, vel propter aliam cauſam, pleuritici neque febre acuta, neque dolore lateris continuò laborant.

Conciliatio Gal. locorum.

Sed quid reſpondendum eſt pro Galeno, qui & febrem acutam; & dolorem continuum inter ſigna pleuritidis pathognomonica ſolet aliquando reponere? Quatenus ad febrem pertinet, nonnulli reſpondent, quòd febris acuta frequenter pleuritidi coniungatur, cum illo auctore *6 apho.* 33. pleuritis ex humoribus billioſis frequentiſſimè originem habeat, cuius indicium eſt, vt idem monet Gal. 1. *aph.* 12. 1. *de criſ* 7. quòd pleuritis maiori ex parte ſolet per tertium acceſſiones habere. Et ſi quis illis obiiciat expoſitionem Galeni, quem vidimus febrem acutam inter ea recenſere quæ raro cõtingunt: Reſpondent, hanc ſententiam potiùs ad reliqua ſymptomata, tuſſim ſiccam, & ſimilia, rarò contingentia. quàm ad febrem acutam referendam eſſe. Alij verò reſpondent, febrem acutam accipi dupliciter; vno modo propriè, & tunc habere duas conditiones, vnam quòd celeriter moueatur, alteram quòd ſit cum periculo: ſecundo modo minùs propriè, & tunc vnam tantummodo conditionem continere, vt illa vel celeriter moueatur, vel ſit periculoſa: itaque inquiunt, in pleuritide febrem acutam eſſe quòd ea continua ſit, neque careat periculo, tametſi tardè moueatur. Quatenus autem pertinet ad dolorem continuum, reſpondendum eſt hoc nomen doloris apud Hip. & Gal. dupliciter accipi 2 *apho* 6. vno modo. pro eo modeſto & triſti ſenſu qui doloris formam conſtituit: altero, pro affectu qui dolorem efficit; vnde quãuis pleuritici continuum dolorem, hoc eſt, triſtem ſenſum non ſemper habeant, tamen perpetua eſt affectio & cauſa efficiens dolorem: quod ex eo licet confirmare, quoniam ſi ęgri cogãtur reſpirare vehementiùs, tunc perpetuò dolorem & moleſtiam percipiant Vtrùm verò hic dolor ſit pungitiuus, vel extenſiuus reſpondet Gal. *lib. de conſt. artis*, dolorem minimè eſſe extenſiuum, hoc eſt qui extenſionis ſenſum inferat, ſed neceſſariò pungitiuum, quòd affectæ partis ſubſtantia ſit membranoſa; ſed tamen hunc dolorem latiſſimè diffundi, quoniam ipſa quoque ſuccingens membrana ad plurimam ſpatij extenditur: ad quem modum dicit Hip. 2. *de ratione victus*, dolorem quandoque ad clauiculas, quãdoque ad hypochondria peruenire.

Febris acutæ conditiones

Æquinoctatio doloris.

Doloris qualitas in pleuritide.

Difficultas reſpirandi.

Tertium ſignum eſt difficultas ſpirandi: quam Galenus in 5. *de locis aff.* 3. interpretatur eſſe frequentem & exiguam ſpirationem: & ratio eſt manifeſta, quam ille tradit *lib. de conſt. artis* 15. quoniam pars inſtrumenti reſpiratorij laborat & dolet; prohibet enim dolor quo minus inſtrumenta reſpirationis plurimum attollantur, vnde, vt ſpiratio fiat pauca, & crebra, neceſſe eſt.

Tuſſis.

Quartum ſignum eſt tuſſis, quæ à pleuritide non poteſt ſeparari, & ratio eſt ex 2. *de criſibus ex lib. de conſt. artis*, quoniam ex pleura laborante inflammatione, quæ pars, vt diximus, admodum tenuis & rara eſt, neceſſariò aliquid humiditatis reſudat, quæ propter vicinitatem facilè pulmoni communicatur, præſertim cum ille ſit adeo mollis & rarus, vt omnem humidam ſubſtantiam facilè poſſit recipere: itaque homo tuſſiet confeſtim, non tamen ſtatim expuet, ſed ſi plurimum, & quod craſſius fuerit, ab inflammatione defluxerit, tunc tuſſiendo expuet: ſi verò parum & tenue fuerit, irritabit quidem neceſſariò, ita vt tuſſim moueat: non tamen expuet priùs quàm coaceruatum ſimul & concoctum, vel copioſum & craſſum factum fuerit.

Pulſus.

Quintum ſignum in pleuritide pertinet ad pulſum, qui propter febrem neceſſariò eſt celer, nec non, propter neruoſam partem malè affectam, inſignitur durus, ſed minor quàm febri conueniat, quoniam durities refragatur, & eſt impedimento, quo minus arteria dilatari atque extendi poſſit: quem pulſum aliquando Galenus ſerrinum vocat, in libro de pul. *ad tyrones* 2. 1. *de criſibus* 10. quaſi ille inæqualiter feriat manum, & vna pars arteriæ attolli videatur, altera minimè, non aliter ac ſi ſerra pluribus dentibus prædita, manui foret ſubiecta.

Contradictio Gale. diſſoluitur.

Ex quo loco licet apparentem quandam Galeni contradictionem diſſoluere, qui 1. *de criſibus*. 10. ſcribit, pulſus pleuriticorum eſſe magnos. 5. autem *de locis aff.* 3. ad finem, inquit: eſſe paruos: cũ enim manifeſtum ſit, magnum & paruum dici ad aliquid, pulſus quidem in pleuritide ratione febris magni ſunt, propter duritiem verò, & impedimentum arteriæ, minores quàm febri conueniat: vnde ſi hac diuerſa ratione conſiderentur, nihil prohibet quin ſimul magni & parui dici poſſint. Atque hæc ſunt ea ſigna pathognomonica quæ ſi ſimul conueniant, neceſſariò pleuritidem indicant: ſin autem vnum vel plura deficiant, ſignificant pleuritidem non adeſſe: febris continua, dolor lateris pungitiuus. difficultas ſpirationis, tuſſis, pulſus durus & ſerrinus: quibus demum Galenus ſextum addit 4. *de cauſis pulſ.* 8. dolorem capitis: nunquam enim ille, inquit, fit vt in pleuritide caput non lædatur, quòd illud fuliginem putrium humorum in inflammationibus excipiat: quòd ſi putridus humor fuerit billioſus. acri ſuo & mordente vapore cerebrum irritat, atque ad delirium perducit: ſi verò humor fuerit pituitoſus, craſſam caliginem, quaſi nubem quandam ad cerebrum attollens, grauat cerebrum, cogitque hominem in grauem ſomnum deferri. Atque hactenus de eſſentia, cũ differentiis & ſignis pleuritidis.

Dolor capitis

Dignotio pleuritidis ab aliis morbis.

Quoniam verò ex rerum ſimilitudine homines decipiuntur ſæpenumero, Hip & Galen. *com.* 1. *in* 1. de iis quæ fiunt in medicina, nos docent, ſimilia & diſſimilia diligenter eſſe animaduertenda, cum ſint nonnulli affectus pleuritidi admodum ſimiles; hoc loco neutiquam eſt prætermittendum, qua ratione alterum ab altero liceat diſcernere, & cuiuſquam naturam exactè intelligere. Namque pars hæc artis, quę pertinet ad ſigna, Galeno auctore hoc in loco, priuſquam altera quæ ad curationem pertinet, ab iis exercenda eſt, qui recte medicinam ſunt facturi. vt in ſingulis ægrotis ſingulas morborum differentias diſcernere exactè poſſint, vbi ſimilitudinem aliquam inter ſe habuerint. Inter cæteros autem morbos, qui videntur cum pleuritide aliquam ſimilitudinem habere, ſunt primùm pleuritides, quæ ſpuriæ nominantur, & tales ſunt vel ratione loci, vel ratione materiæ, ſicuti diximus: ſecundò ſunt inflammationes pulmonis: tertiò ac potiſſimùm ſunt inflammationes iecoris: de quibus breuiſſimè agendum.

Simiotica pars curationem præcedit.

Quomodo diſtinguatur vera pleuritis à ſpuria.

Pleuritides ſpuriæ contingunt multis modis, ſed tanquam exemplum liceat accipere, flatuoſum lateris dolorem, qui frequenter ſolet imaginem pleuritidis repræſentare: itaque in huiuſmodi flatuoſo dolore ſpiratio non erit tam difficilis, ſicut in vera pleuritide, quoniam nulla eſt materia, nulla inflammatio, quæ thoracis dilatationem prohibeat. Secundò, vel nulla aderit tuſſis, vel ſemper illa ſicca fuerit; quoniam flatus non eiiciuntur per tuſſim. Tertiò, dolor non erit pungitiuus, qui vt plurimum ſenſum extenſionis ſolet inferre. Quartò, iſti dolores nonnunquam

contingunt

Digitized by Google

contingunt ſine febre, quæ ſi quando adeſt, longè eſt remiſſior altera quæ apparet in vera inflammatione. Quintò, pulſus non eſt adeo durus & inæqoalis, & ſertinus, & eſt magnus cum nihil ſit qood poſſit arteriæ dilatationem impedire. Poſtremò, neque læſio capitis concurrit neceſſariò, cum deficiant humores qui facillime illud ſolent in conſenſum rrahere.

Diagnoſis peripneumoniæ à pleuritide.

In peripneumonia ſpiratio eſt difficillis, ſed longe difficilior quàm in pleuritide: quoniam inflammata ſubſtantia pulmonis, meatus redduntur multo anguſtiores, ex quo anhelitus quoque neceſſario velocior & frequentior euadit.

Secundò, dolor eſt potius grauatiuus, quàm pungitiuus, cum pulmones minimo ſenſu præditi ſint.

Tertio, tuſſis vt plurimum humida eſt, ſed perpetuo moleſtiſſima, cum pulmones ſint vel proprium, vel principale inſtrumentum tuſſis, vt ſuprà diximus.

Quartò febris ſemper eſt acutiſſima & vehementiſſima, parte tam præcipua & vicina cordi laborante.

Quintò, pulſus aliqua ex parte ſunt molles, de quibus agit Galen 4 *de cauſis pulſ.* 12. quibus omnibus ſi poſtremò addamus propria ſigna huius morbi, rubedinem malarum & faciei calidam reſpirationem, & ſimilia, non difficile erit peripneumoniam à pleuritide diſtinguere.

Quomodo ab inflammatione iecoris diſtinguatur.

Demum reſtat inflammatio iecoris, quæ quàm maxime pleuritidi eſt ſimilis, ac potiſſimùm ſi illius pars gibba malè afficiatur. Nam quemadmodum laborante parte caua, ducto in conſenſum ventriculo, contingunt nauſea, vomitus, & ſimiles affectus: ita contrà laborante parte gibba, intentis internis quibuſdam ventriculis. quibus iecur coſtis alligatur, contingit dolorem ad ſuccingentem membranam peruenire, & reliqua ſequi ſymptomata quæ pleuritidis imaginem repræſentant adeo vt Medici frequenter neſciant alteram ab altera inflammatione diſcernere, ſicut euenit Medico illi Siculo, quem Galenus vnà cum Glaucone Philoſopho viſitauit, qui cum inflammatione iecoris laboraret, ſe pleuritidem eſſe exiſtimabat, cuius hiſtoriam habetis apud Galenum 2. *de locis affect.* 9. Veruntamen neque deſunt certa indicia, quibus hæ qooque duæ inflammationes inter ſe diſtinguantur, de quibus indiciis agit Galeo. 2. *de locis affect.* 6. Namque vt ſummatim dicam, in iecoris inflammatione dolor non eſt pungitiuus, ſed æger potius qnandam grauitatem percipit, cum hæc pars vnum tantummodo, & quidem exiguum neruum recipiat, vt propterea admodum obtuſum ſenſum obtineat: præterea hæc grauitas non alias thoracis partes, quàm dextram ad ſpurias coſtas occupat, ſic febris non ſolum continua eſt: ſed etiam perpetuò vehementiſſima ac verè acuta: tuſſis ferè ſemper arida & ſicca eſt, reſpiratio eſt minus difficilis, ſed inter omnia ſigna, vt monet Galen. per omnia tempora morbi, nullum eſt firmius, & certius diſcernendi hoſce duos affectus, quàm ſit pulſus: ſiquidem io iecoris inflammatione ille non eſt adeo durus, neque ſertinus, vt dixi de pleuritide. Quamuis enim Gal. doceat, in omni inflammatione pulſum duriorem euadere, quòd tenſio partis inflammatæ ipſis quoque arteriis communicetur: tamen nulli dubium eſſe debet, quin partibus ſuapte oatura membranoſis & arterioſis pulſus duriores euadant, vt quæ ſua ſponte & natura ſunt ſatis tenſæ, ſicuti contingit in pleuritide. Ita ergo affectus ſimiles pleuritidis inter ſe diſtinguuntur.

Signa differentiarum pleuritidis exquiſitæ & non exquiſitæ ſatis diximus: pars affecta, vel dextra, vel ſiniſtra, vel ſuperior, vel inferior, per ſe eſt manifeſta. Vtrum verò pars membranę interna verſus pulmones, an altera, interna, verſus coſtas, magis laboret: hoc in primis argumento poteſt deprehendi, quod à Gal traditum eſt *de conſt. artis in med.* 15. Namque ſi pars interna fuerit inflammata, tunc æger difficiliùs in altera parte oppoſita, faciliùs in parte laborãte decumbit: contrà verò ſi pars externa verſus coſtas inflammetur tunc æger longè difficilius in latere malè affecto, quàm in altero oppoſito quieſcet: & ratio eſt quoniam exempli gratia ſiniſtra interoa parte inflammãtione laborante, ſi æger decumbat in latere dextro, tunc pars phlegmone laborans ſuſpenſa eſt, ac ferè dilaniatur: laborante autem eadem parte verſus coſtas, ſi æger eodem affecto latere decubuerit, tunc pars inflammata cõprimitur, & magis irritatur: ſio autem ambæ partes membranæ laborent, tunc æger ſuper vtroque latere ſimiliter decumbit. Secundò quatenus pertinet ad materiam inflammationis, etſi ex qualitate doloris, ex qualitate febris, nec non aliis ſymptomatibus quoquo modo poſſit cognoſci, tamen potiſſimùm per ea cognoſcitur, quæ per ſputa eiiciuntur: nam ſi bilis redundet, pallidum aut flauum: ſi atra bilis, nigrum; ſi pituita, ſpumoſum & albicans; demum ſi ſanguis, rubrum ſputum eiicitur, vt Gal. docet 5. *de loc. aff.* 3. *de criſib* 5.

Qua pars pleuræ laboret, quomodo cognoſcatur.

Materia peccans quomodo cognoſcatur.

Magnitudo & mos morbi differunt.

Tertiò fuerant differentiæ à magnitudine & paruitate, à bono vel malo more: quo primo loco ſciẽdum eſt magnitudinem & morem morbi inter ſe differre: ſiquidem fieri poteſt, ex. gr. vt ſit febris vehementiſſima, quæ prorſus careat omni malo more; ſicuti contrà, vt parua febris ſit, quandoque valdè maligna, quæ doctrina eſt Galeo. 1. *de criſib.* 3. Deinde neque illud ignorandum eſt ex eodem Galen. 3. *de criſ.* 4 de ſpecie quidem morbi ex propriis ſymptomatibus, de magnitudine ex eorum quantitate, de more demum ex ſuperuenientibus ſymptomatibus iudicium eſſe faciendum. Itaque ſi magnitudinem vel paruitatem pleuritidis velimus intelligere propria illius ſymptomata ſunt animaduertenda: etenim ſi ea fuerint inſignia, vehementem pleuritidem; ſi fuerint remiſſa, paruam demonſtrant. Sic ſi velimus morem pleuritidis cognoſcere, quem morem ego interpretor cum Gal. 3. *de criſ.* 4. vtrùm ea benigna an maligna fuerit, ſuperuenientia ſymptomata ſunt attendenda. Exempli gratia, ſi æger vel nihil, vel difficulter, vel nigra expuit; ſi in neutro latere poteſt decumbere, malignitas morbi proditur.

Species morbi.
Magnitudo.
Mos.

Mos morbi, quid.

Tempus morbi vt cognoſcantur.

Poſtremò erant differentiæ pleuritidis à tempore, principio, augmento, ſtatu, declinatione, de quibus atque eorum ſignis diffusè tractat Galen. 1. *de criſ.* 8. quæ quidem ſigna etſi multis modis poſſunt haberi, tamen præcipuè ac manifeſtè ex ſputis colliguntur. Namque vt docet Gal. in morbis laterum & pulmonis, ſputa idem pręſtãt, quod in reliquis morbis, ac potiſſimùm in febribus lotia ſolent præſtare: etenim ſputa aut planè nulla, aut humida & omnino cruda, morbi principium ſignificant, vbi æger pauca concocta incipit expuere, tum principium deſinit & augmentum accedit; quod tantum id tempus eſt, quando æger ſemper & magis plura & meliora & facilius expuit: quando verò quæ expuuntur, exquiſitè concocta ſunt, & multa facilè educuntur, tunc adeſt tempus vigoris: vbi autem exquiſitè concocta, & facilè educuntur; multitudo autem materiæ fuerit imminuta, tunc declarationem adeſſe arbitrari oportet. Quam doctrinam Gal. celebri exemplo Anaxionis longiſſima oratione ita illuſtrat, vt pluribus non ſit opus: itaque ſtatim ad curationem veniamus.

Curatio.

Sæpe diximus ex Galeno cap. 95. *artis med.* de indicationibus accommodatis ad curandas inflammationes, & omnis morbos quicunque ex fluxione humorum oriuntur, quæ ſunt quatuor, vacuatio vniuerſi corporis, repulſio, reuulſio, reſolutio: ex quibus id primum dubium eſt, vtrùm in pleuritide medicamenta repellentia conueniant, necne. Namque Meſue, Arculanus, & alij hanc indicationem non prætermittunt: quibus Galenus videtur quoquo modo fauere, qui ſcribit. 2. *metho.* 56. partes quaſdam eſſe quæ perpetuò ſint roborandæ, quales ſunt exempli gratia, hepar & ventriculus: nonnullas quæ nulla indigēt roboratione, quales ſunt inteſtina, peritoneum: nonnullas demū quæ medio mudo ſe habent, ſicuti renes, & pectus: quamobrem laborante pectore illud ſaltem aliquando roborandum videtur, quod repellentia præſtant medicamcnta. Sed vno verbo reſpondeatis cum Galeno capite ſequenti, in pleuritide nunquam medicamenta repellentia conuenire, propterea quia talia medicamenta humores inflammationem efficientes in pulmones, & cor nonnunquam repellunt, imo verò tantum abeſt, vt repellendum ſit, vt potius foras trahere oporteat. Ad quem modum paulo poſt videbimus Hip. ſtatim principio calidis fomentis vti: ſic Medici probant vſum cucurbitulæ, dummodo opportunè & poſt communem euacuationem adhibeatur. Ad Galenum verò reſpondendum eſt thoracem quandoque eſſe roborandum, ac potiſſimùm vbi ex eo aut pulmone pus oporteat educere, ſed tamen in pleuritide nunquam repellentibus vtendum eſſe.

Verùm repellentia conueniant.

Indicationes.

Itaque in pleuritide tres tantùm remanent curandi indicationes, vacuatio vniuerſi corporis, reuulſio, reſolutio, de quibus ſigillatim dicendum. Sed illud primùm notandum eſt, has indicationes non omnes perpetuò fore neceſſarias, ſed quādoque ſolam poſtremam, nimirum reſolutionem poſſe ſufficere: cum enim doceat Galen. de conſtitut. *artis medic.* 57. 13. *metho.* 6. *de inæquali intēperie* 3. indicationem primam curandæ inflammationis conſiſtere in vacuatione materiæ, quæ in parte inflammata continetur, hæc autem materia inter cæteras rationes per halitum, & inſenſibiliter poſſit euacuari, quandoque euenit, vt in pleuritide curanda ſola reſolutio materiæ contentæ in membrana ſuccingente coſtas, ſufficiat, adeo vt aliis indicationibus, & remediis non ſit opus: hoc autem licet facere: quotieſcunque pleuritis fuerit exigua ac mitis, neque in toto corpore vitioſi humores redundarint. Ad quem modum dicit Hippocrat. 2. *de ratione victus in principio*, tentandum eſſe laterum dolores calidis fomentis diſſoluere, ſiue is dolor fuerit per exordia ſiue poſtea fuerit exortus: namque fomenta calida, vt notat Galenus, in *com.* ſolent cutim ipſam ad perſpirationem rariorem efficere, materiamque inflammationis tum attenuare, tum per halitum diſſoluere. Quo loco potius ridendi quàm refellendi ſunt illi Medici, qui putant Hippocrat. ob id fomentorum vſum probare, vt hac ratione intelligeret, vtrùm adeſſet pleuritis necne: quaſi verò vir diuinus potuerit hæſitare in dignoſcendo morbo, quem vt ſuprà vidimus, manifeſta & certa indicia demonſtant, qui manifeſtè inquit, tentandum eſſe lateris dolorem diſſoluere, non experiri an ſit plenritis, necne.

Error quorundam.

Itaque ſi æger nulla humorum neque excrementorum copia refertus videatur, tunc ex Hipp. doctrina & imitatione, primùm calidis fomentis tentandum eſt dolorem mitigare & ſanare. Sed qualianam ſunt huiuſmodi fomenta? Galen. *com*, a triplicem eorum differentiam facit, qui ſcribit, alia eſſe humida, alia ſicca, alia ex vtriſque mixta: præterea alia mordentia, alia mordente facultate carentia, & alia ex iis commixta; adeo vt liceat cum Galeno fomenta in ſex ſpecies diſtinguere, quorum alia ſunt humida, exempli gratia, ex aqua: alia ſicca, ex furfure: alia mixta ex vtriſque aqua & furfure: rurſum alia mordentia, ex ſale: alia mordente facultate carentia, ex milio: alia ex iis mixta; quæ tanquam exempla ſint ſatis, cum alia ſint plurima genera fomentorum, de quibus omnes tractant. Sed quonam modo, & in quibus doloribus oportet huiuſmodi fomentis vti? Communiter practicantes habent ſuum quoddam vulgare fomentum, quo in omni lateris dolore ſemper vtuntur, & eſt tale:

Fomentum vulgare.

℞ *Chamameli.*
Anethi.
Radicum althaa ana M. j.
Seminum lini.
Fænugræci ana ʒ. j.
Seminum aniſorum.
Fæniculi.
Cymini ana ʒ. ß. M. bulliant pro fomento.

Sed hoc vulgare fomentum, mea ſententia, non ita generaliter & ſine diſtinctione adhibendum eſt: nam ſi materia efficiens inflammationem fuerit calidior, exempli gratia, flaua bilis, tunc id fomentum potiùs obeſſet quàm prodeſſet, cum facultate calefaciendi præditum ſit: ſin autem materia eſſet frigidior, vt pituita, illud forte poſſet connenire: vnde rationales Medici pro varia noxia materia, varia quoque fomenta debent adhibere, adeo vt, verbi gratia, redundante flaua bile, ſint accommodata fomenta humida & morſu carentia: redundante pituita, fomenta ſicca & mordentia adhibeantur, quorum exempla ex Hippocrate & Galeno 2. de ratione victus morborum acutorum, à text. 1. vſque ad 10. nec non ex Alexand. & aliis facilè haberi poſſunt.

Ad alteram indicationem pertinent olea, pinguedines, ex quibus ſolemus latus dolens inungere & fouere, & ſit exemplum.

Linimentum reſoluens.

℞ *Olei amygdalarum dulcium recentis ʒ. j.*
Adipis gallinæ.
Anatis.
Anſeris ana ʒ. ij.
Ceræ parum. M. f. linimentum.

Item.

℞ *Olei amygdalarum dulcium ʒ. ij.*
Chamæmelini completi ʒ. j. Miſ.

Ita ergo tentandum eſt calidis fomentis laterum dolorem diſſoluere, quod, vt dixi, licet facere, quotieſcunque conſtat humorem qui inflammationem peperit, non multum eſſe, neque in toto corpore redundare. Et ſi quis iunior quærat, quonam modo liceat cognoſcere, vtrùm æger mnlius humoribus & excrementis redundet? huic reſpondet Alexander tum alia multa, tum maxime fomentum quod lateri adhibetur, hanc copiam indicare. Namque ſi vſu fomenti dolor fiat moderatior, vt æger ipſe manifeſtè recreationem ſentiat, ſciendum eſt, tunc nullam copiam adeſſe: quod ſi contrà dolor præterquam quod nihil cedit, adhuc etiam valentior reddatur, tunc debet conſtare copiam exiſtere, quam particulæ incaleſcentes ad ſe attrahunt; quo tempore à fomentis deſiſtendū, & ad inſignem aliquam totius corporis vacuationem properandum eſt. Quam quidē medendi methodum Hip. obſeruauit in Anaxione, cui nihil proficientibus fomentis, ſed & dolore, & febre, & omnibus ſymptomatibus die ſeptima grauioribus

Quomodo deprehendatur humorum copia.

grauioribus redditis, octaua die venam ſecuit.

Vena ſectio purgationi praferenda,

Cæterùm cum vacuatio vniuerſi corporis venæ ſectione,& purgatione fiat,Hippocrates vtriuſque vſum ita diſtinguit, docétque dolore aſcendentes ad partes ſuperiores, venam cubiti internam ſecandam eſſe: dolore autem deſcendente ad hypochondria,medicamentum dandum eſſe:quam quidem Hippocratis ſententiam etſi Galenus videtur recipere, atque illius cauſam referre in motionem humorum, & naturæ inclinationem, quam Medicus debet imitari, tamen ita ſtatuit, pleuriticos, vtcunque dolor vel aſcendat vel deſcendat, longè opportuniùs ſectione venæ, quàm medicamento vacuandos eſſe,cum propter vehementiàm febris, quæ maiori ex parte huic morbo copulatur, tum propter variam ac planè diuerſam hominum conditionem, in aſſumendis medicamentis: quæ res cum ſit maximè coniecturalis, adeo vt vnum atque idem medicamentum aliquando vni homini copioſiſſimam purgationem efficiat, alteri ſit prorſus Inutile & nihil agat hinc ſolent maxima incommoda & pericula ſuperuenire.

Propter has igitur duas rationes, & vehementiam febris & diuerſam naturam hominum circa purgationes, ille aduersùs hyppocrat. ſententiam in vniuerſum, ſiue dolor aſcendat, ſiue deſcendat, magis ſectionem venæ probat, quàm medicatum.

Sententiam Hippocratis de adminiſtratione vel ſectionis venæ, vel purgantis medicamenti pro varia doloris inclinatione vel ad partes ſuperiores, vel ad interiores, ſequuntur Paulus, Alexander, Aetius, ac prope omnes: & inter cæteros Alexand. appellat vulgares medicos, quicunque cauent ne pharmacum aliquando exhibeant, ad ſectionem autem venæ tanquam inculpatam & tutiorem confugiunt. De quibus quidem locis ac diſſentientibus opinionibus Hippocratis & Galeni, necnon de variis & difficillimis controuerſiis, quæ hîc oriuntur nolo longiùs agere, qui id feci prolixè in meis diſputationibus: itaque illud vnum ſufficiat, me Galeni opinionem magis probare, ac longè tutius eſſe, quamuis dolor deſcendat ad hypochondria, venam ſecare, quàm exhibere medicamentum, tametſi teſtimonio quoque Galeni ex ſectione venæ minus auxilium ſit ſequuturum. Quamobrem concludendo, ita habendum eſt, in omni pleuritide, qualiſcunque ea fuerit, & à quocunque humore originem duxerit, perpetuò venam ſecandam eſſe, dummodo tres principes ſcopi ſimul conueniant; etenim ſi pleuritis fuerit initiis, & deſit morbi magnitudo, tunc à ſectione venæ abſtinendum eſt, cuius illuſtre exemplum habetis apud Galenum 6. *epid.* 3. 44 de quodam ægroto, pleuritide laborante, & cruenta expuente, quem ille viſitauit, in cuius curatione cenſuit à ſectione venæ abſtinendum eſſe,propter eam ſolam cauſam,quòd morbus foret leuis, & deeſſet princeps ſcopus, morbi magnitudo:de quo ægroto dixi in meis diſputationibus.

Quid agendum loco ſectionis venæ,

At verò ſi pleuritis magna fuerit, ætate & viribus conſentientibus, perpetuò ad ſectionem venæ veniendum eſt. Sed quæras aliquis iunior, ſi magna fuerit pleuritis, neque per vires aut per ætatem liceat venam incidere, quidnam agendum eſt? Communiter practicantes ad ſuas ſcarificatas cucurbitulas protinus accedunt, quæ ſi vnquam ſunt deteſtandæ, in hoc morbo maximè; ſiquidem appoſitæ ſuperioribus partibus, magis ad partem laborantem trahendo, maxima pericula poſſunt afferre. Paulus in hoc caſu docet, clyſteribus acrioribus agendum eſſe, cui conſentit Auicenna, qui ſcribit 13. *tract.* 5. *capit. de curatione pleuritidis* ſolutionem ventris omni die ſemel aut bis excuſare à phlebotomia.

Quo tempore ſecāda vena.

Hic prorſus ridiculè quærunt nonnulli, vtrùm liceat principio morbi, an poſt aliquot dies venam incidere? Quibus, vt puto negotium facit Hippoc. qui Anaxioni octaua die venam ſecuit: ſiquidem vulgaris eſt aphor. *Incipientibus morbis, &c.* 29. 2. *part.* Et omnis ratio confirmat, hoc remedium principio morborum ſemper eſſe opportuniſſimum. Quatenus autem pertinet ad Anaxionem, & quamobrem Hippocr. illi octaua die venam ſecuerit, multi multum laborant, & inter cæteros Montanus Veronenſis mirabiles fabulas docet, qui ſcribit Hippocr. non illi ſecuiſſe venā die tertia, quinta, ſeptima, quoniam illi dies fuerant maioris afflictionis, cum pleuritis die tertio in tertium habeat afflictionem, non die ſexta, quoniam eo die delirauit, & habuit ſæua ſymptomata, ac tandem concludit Hippocratem non cognouiſſe reuulſionem, quæ principio conuenit, vel eam non aduertiſſe, vel non ea vſum fuiſſe: quibus nihil magis ineptè aut falsò dici poteſt: quaſi verò Galenus non verè & perſpicue huius rei cauſam reddiderit, qui cum miraretur, quamobrem Hippocrates ex multis ægrotis deſcriptis libro 1. & 3. *epid.* in ſolo Anaxione miſſionis ſanguinis mentionem faciat? Reſpondet, id factum fuiſſe, non quòd illi ſoli ſanguinem miſerit, ſed propterea, quia tanquam raro exemplo ſanguis octaua die miſſus fuerit: ſiquidem veteres Medici, quaſi certa lege, vltra diem quartam non ſolebant venam ſecare:vnde colligit Galenus, ſi octaua die ſanguis fuit miſſus, alios multos ægrotos ſectionem venæ requirentes, ſecunda, tertia,quarta die hoc remedio vſos fuiſſe. Duplicem autem reddit rationem, quamobrem Hippocrates in cæteris ægrotis nullam de miſſione ſanguinis mentionem fecerit:vnam, quòd in libro *epid.* illi propoſitum fuerit conſcribere tractationem, non curationis, ſed tantùm præſagitionis, vnde & miſſionem ſanguinis & cætera omnia præſidia prætermittit: altera autem eſt ratio, quòd Hippocrat. nonnullos ægrotos principio morbi non viſitauit, quam eandem rationem repetit Galenus 1. *epid.* 3. 26.

Montanus perſtringitur.

Qua vena ſecanda.

Sed qualiſnam vena ſecanda eſt? Hic quæritur vtrùm in pleuritide & ceteris inflammationibus liceat ſanguinem mittere ex latere laborante, aut oppoſito, de quo iam quinquaginta annos tot viri doctiſſimi Hiſpani, Galli, Germani, Itali, diſputarunt tam diffusè & acriter, vt integra & quidem grandia commentaria extent; at cum temporis anguſtiæ non patiantur longiorem diſputationem, & ſupernacaneum videatur eadem repetere, & actum agere, mihi libet meam tantùm ſententiam vobis proferre, vnoquoque vel altero argumento, & vno vel altero Hippocr. & Galen. teſtimonio eam confirmare,quam puto cæteris eſſe veriorem, & quam ego quidem quamdiu medicinam facio, ſemper probaui & ſequutus ſum ea vero ſententia eſt, in pleuritide & qualibet interna inflammatione ſuper venam lateris laborantis ſecandam eſſe. Ac primùm eſt Hipp. 6.*epid.*6 5. qui generaliter docet, in doloribus proximam ventrem purgare, proximum ventrem incidere.

Venam lateris affecti ſecandam eſſe probatur.

Secundò,eſt idem Hip. 4. *de ratione victus* 75.qui expreſsè docet,ſecandam eſſe venam qua parte dolor affligit,qui locus vt placet Gal. *in com.*eſt interpretatio textus 10. Hip. in lib. 2. in quo ſimpliciter dixerat, internam cubiti venam ſecandam eſſe.

Tertiò, eſt Gal. qui tractans de miſſione ſang. gratia reuulſionis, perſpicuè docet rectitudinem

perpetuò ſeruandum eſſe, aſſeuerans huiuſmodi vacuationes conſpicuas vtilitates afferre: alteras autem quæ ex oppoſito fiunt latere, nihil iuuare: ſpeciatim verò de pleuritide hæc habet: *lib. de ſanguin. miſſ. 16. Pleuriticis quæ è directo laborantis lateris facta eſt venæ ſectio, euidentiſſimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex parte contraria, aut omnino nullam, aut longo poſt tempore.*

Neque pro hac opinione deſunt rationes, quarum prima poteſt colligi ex Galeno 3. *de criſibus vltimo de ſanguin. miſſ.* 15. qui eſt doctrina Hipp. & iis quæ quotidie in laborantibus hominibus maniſeſtè apparent, ita ſtatuit, quaſcunque ſanguinis eruptiones à natura factas Κατ' ἴξιν hoc eſt, ſecundùm cectitudinem, vel è directo, maximam ægrotis vtilitatem afferre; quæ autem contra ſanguinem excernunt, nihil iuuare, aut etiam nocere, quòd nimirum vacuato ſanguine bono, vitioſo inutili intus relicto, circa aliquam morbi alleuiationem vires deiiciantur: itaque ſi medicus eſt imitator naturæ, ac debet in ſuis euacuationibus illam rectè operantem perpetuò iuuare, hinc ſequitur neceſſariò Medicum quoque mittentem ſanguinem naturæ imitatione, illum perpetuò oportere ſecundùm rectitudinem educere.

Κατ' ἴξιν quid.

Secunda colligitur ratio ex natura morbi, ac vera methodo medendi, de qua ex Galeno ſæpe dixi: cum enim pleuritis ſit inflammatio, & illa quidem partim facta, quod illius ſymptomata demonſtrant, partim in fieri: ratione quidem factæ inflammationis conuenit vacuatio materiæ quæ in ea continetur: ratione autem fientis inflammationis conuenit reuulſio, quæ fluentes adhuc humores retrahat.

Itaque in pleuritide non ſolùm reuellendum, ſed etiam deriuandum, & à parte inflammata vacuandum eſt: ſectio autem venæ eiuſdem lateris vtrumque præſtat. Nam ſicuti ſi velimus ſimpliciter reuellere, ſecamus venas in partibus oppoſitis & diſtantibus: ita ſi velimus ſimul reuellere & deriuare, ſecamus venas ſuperiores. Si quis de hac quæſtione plura ſcire cupit, is inter cæteros videat Petrum Briſotum Gallum, Matthæum Curtium, viros præclariſſimos, qui ex propoſito & accuratè eam tractant, & ſoluunt omnes rationes, quæ multæ ſunt, pro aliis opinionibus. Ergo in pleuritide vena ex brachio laborantis lateris ſecanda eſt.

Quantitas ſanguinis.

Sed quantum ſanguinis oportet vacuare? Hippocrates hanc quantitatem determinat, donec ſanguis rubicundior flauiórque multo exiſtat, vel pro puro & rubicundo liuidus, vtrumque enim contingit; quæ quidem coloris mutatio, ſanguinis ex particula laborante & inflammatione obſeſſa tranſlationem ſatis demonſtrat. Ex quo id licet intelligere, quod modo dicebant, in pleuritide non ſolùm reuellendum, ſed etiam deriuandum & euacuandum eſſe.

Meſue & Auicenna arguuntur.

Quo loco arguendi ſunt Meſues, Auic. & cæteris illis conſentientes, qui etſi ſecant venas in oppoſitis, & diſtantibus partibus, tamen docent mutationem coloris expectandam eſſe, quod quidem ſine certo ægri diſcrimine non videtur fieri poſſe, & antequam vniuerſum ſanguis hauriatur.

Sanguinis mutatio non ſemper attendenda.

Veruntamen quod pertinet ad coloris mutationem, ſciendum eſt ex Galeno *de ſanguin. miſ.* 14. non eam perpetuò eſſe expectandam, cum accidat interdum, vt antequam illa fiat, ceſſandum ſit, & hoc duabus de cauſis: quòd videlicet aut virtus ſit imbecilla, aut phlegmone ſit maligna, in qua ſanguis vehementer impactus eſt, neque quidquam poteſt exire.

Poſtremò neque illud prætermittendum, Medicos noſtri temporis, qui admodum parce ſanguinē detrahunt in omnibus morbis, in pleuritide ferè nunquam hoc Hippocratis præceptum ſeruare, neque eam ſanguinis quantitatem educere, quam ille præcepit, ad mutationem coloris, vt fortaſſe propter hanc vnam præcipuè cauſam hic morbus videatur tam periculoſus, & tam difficilè curare.

Error prædicantium.

Propoſita eſt duplex ratio ab Hippocrate vacuandi vniuerſi corporis in pleuritide, altera per ſectionem venæ, de qua ſatis diximus, altera per medicamenta purgantia, de qua dicendum eſt. Et ſicuti nos cum Galeno & propter vehementiam febris, & propter alias cauſas cenſemus à validioribus purgantibus medicamentis abſtinendum eſſe; ita leuiorum & lenientium medicamentorum vſum principio maxime probamus, quòd ea purgando ventriculum, inteſtina, & primas vias, maximam ſæpenumero vtilitatem afferant, qualia forent caſſia, manna, ſed præcipuè mel violaceum ſolutiuum: quæ duo medicamenta in pleuritide & affectibus thoracis videntur habere inſignem prærogatiuam: nec demum, ſi ita ferat occaſio, in declinatione morbi, & poſt humorum concoctionem, purgantium quoque medicamentorum vſus prætermittendus eſt, qualia forent non dixerim peplium & helleborus: ſed agaricus, rhabarbarum, electuarium diaphœnicon, & alia id genus, quæ hoc tempore ſunt vſitata, de quibus iam diximus, & dicemus rurſum.

Quæ purgātia & quādo conueniant.

Cæterùm præter ſectionem venæ, quæ præcipuam reuellendi vim habet, ad cætera quoque genera reuulſionum veniendum eſt, frictiones, ligaturas, cucurbitulas, ſed clyſteria cæteris omnibus ſunt anteponenda, quæ pro varietate noxiæ materiæ, vel frigidioris, vel calidioris, vel leuiora, vel acria inſtituantur: ſiquidem huiuſmodi repetita, alui lenitio per clyſteria, vt ſuprà nouimus, cum Auicenna poteſt excuſare ſi phlebotomia: vnde in pueris, in ſenibus & cæteris, quibus non item licet venam incidere, mea ſententia longè præſtat vti quotidie clyſteribus, non modo ſemel, ſed etiam bis. quod ego ſæpius facere ſoleo, quàm ſcarificatis cucurbitulis: ſicut vulgares medici ſolent.

Reuulſentia.

Demum verò tertia & poſtrema reſtat indicatio, quæ pertinet ad diſſoluendam & vacuandam materiam quæ in parte inflammata continetur: pro qua indicatione primùm conueniunt fomenta & linimenta. de quibus iam ſatis diximus: antiqui præterea etiam cerata, emplaſtra, & alias medicamentorum formas conficiebant, ex decocto chamæmeli, radicis althææ, caricarum ireos, & ſimilium; de quibus Paulus, Aetius. Alexander & omnes tractant: ac poſtremò ad ſcarificationem loci affecti, & ad vſum cucurbitulæ deueniebant, quod quidem præſidij genus Alexander inter cæteros maximè probat, qui ſcribit Medicos priuatóſque homines longa experientia didiciſſe, hoc remedium eſſe vtiliſſimum, adeo vt mirum ſit, quomodo in dolore, qualiſcunque ille fuerit licet vehementiſſimus, ſtatim malum ceſſet, vt neque fomento, neque aliis præſidiis amplius indigeat. Ego verò ſicuti ex vna parte hoc præſidium non improbo, ita ex altera non alio tempore illud probarem, quàm declinationis, ac ferè lenito dolore: quaſi ſpeciatim notauit Paulus, qui ſcribit, poſt 14 diem ſi malum non ceſſarit, cucurbitulam eſſe imponendam.

Pro diſſolutione materiæ impactæ.

Verùm ad purgandam huiuſmodi materiam inflammationis, Medici familiariter vtūtur iis medicamētis, quæ vulgo *lambitiua* dicūtur, quæ ſæpius ac ſenſim deglutita, ad prouocationē ſputorum &

Medicamenta lambitiua.

pecto

pectoris expurgationem ſunt admodum accómodata: ea verò incidẽdi ac attenuandi præcipuè vim habent, qualia ſunt, leuiorà quidẽ, ſyrupus de farfara, de capillo Veneris, violatus, acetoſus, vel oxymel ſimplex valentiora ſyrupus de liquiria, de hyſſopo, de praſſio oxymel compoſitum, oxymel ſcylliticum, & ſimilia: quorum quidem pro varia materia inflammationis : modò vnum, modò alterum debet adminiſtrari. Exempli gratia, redundante flaua bile, ſyrupus de farfara violatus; redundante pituita, ſyrupus de hyſſopo, oxymel ſimplex. Apud Aromaticos duo præcipuè ſunt medicamenta, quæ vulgo *Lohoh* appellantur, alterum Lohoh ſanum & expertum, alterum Lohoh de pino : quę duo medicamenta ſi recens & probè conficiantur, optima ſunt. Galenus & veteres Medici familiariter vtebantur ſeminibus vrticæ, hyſſopi, & ſimilibus : & ſit exemplum.

Electuarium expectorans.

℞ *Seminum vrticæ ℥. iꝭ.*
Hiſſopi,
Origani ana ℥. j. M. redigantur in tenuiſſimum puluerem, & cum ſyrupo de farfara fiat electuarium.

Sunt alia quam plurima, partim ſimplicia, partim compoſita, de quibus omnes agunt & veteres, & moderni, vt ſuperuacaneum ſit aliquid dicere. Hæc verò medicamenta ex decreto Hippocratis & Galeni 3. *de ratione victus* 29. non frigida, non calida, ſed perquàm tepida, hoc eſt, inter calidum & frigidum exactè media ſunt adhibenda, cuius rationem tradit Galenus in commentar. De quibus demum medicamentis illud mihi monendi eſtis, quod velim vos memoria tenere, ne aſſiduè ac ferè tota die & qualibet hora, ſed tantummodo ieiunio ventriculo, longioréque tempore poſt aſſumpta alimenta illa exhibeatis, ſicut Hippocrates & Galenus docent 3. *de ratione victus*. Aduerſus quorum doctrinam & rei euidentiam, communiter practicantes, propè omnes non ſine turpi errore nunquam ceſſant hæc medicamenta exhibere, quæ præterquam quòd hac importuna ratione exhibita nihil iuuant, id ſpeciatim agunt, vt coctionem ventriculi magnopere lædant.

Quo tempore lambitiue adminiſtranda.

Poſtremò ſunt nonnulla medicamenta, quæ iſti *ſecreta* appellant, vel quòd manifeſta, vel latente proprietate credantur omnes pleuriticos iuuare, quale eſt puluis illius floris purpurei, qui paruæ roſæ formam repræſentat, ac ſua ſponte paſſim in ſegetibus naſcitur, & vulgo *Giero* dicitur; quale eſt puluis dentis apri, vterque ad ʒ. j. exhibitus : quale demum eſt oleum de ſemine lini, quod ad ℥. iiij. ſimul cum raſura dentis apri calidum præbetur :

Secreta.

℞ *Olei ſeminis lini ℥. iiij.*
Dentis apri pulueriſati ʒ. j. M. & calidum exhibeatur ſummo mane:

à quo iubent abſtinendum eſſe à cibo ſaltem per ſex horas. Neque pariter deſunt medicamenta ſecreta externa, quale eſt emplaſtrum lateri dolenti appoſitum, quod ex puluere cumini, ex ſucco caulium, & pinguedine porcina conficium: qualia forte ſunt alia multa id genus, quibus iſti prædicant mortuos reuiuiſcere.

Externa.

Quod ſi poſt hæc omnia materia inflammationis neque concoqui, neque purgari, neque diſſolui poſſit; tunc certum eſt, eam ad ſuppurationem permutari: neque ſententia eſt Hippo. 2. *prog.* 55. cui quidem permutationi ille in aphor. terminum ſtatuit 14. dierum 5 *apho.* 18. in quo cuſu fomentis, linimentis, inunctionibus, & cæteris præſidiis; quæ moderatam vim habeant calefaciendi, & humectandi, hanc naturæ inclinationem iuuare oportet. Exempli gratia, cum hydrelæo, cum radice althææ, paſſulis caricis, farina tritici, adipe ſuillo, vitulino, gallinacco, & ſimilibus, de quibus agemus in ſuppuratione. Facta ſuppuratione illius diſruptio quærenda eſt, quam præ cæteris modis, decubitus in latere ſano, inſignis corporis motus, clamor vehemẽs & violentus, ſolent iuuare : ſic demum rupto abſceſſu ad illa deueniendum eſt, quæ ſpeciatim ad puris excreationem, & pectoris mundificationem ſunt accommodata, qualia ſunt priſana cum melle vel ſaccharo, ſyrupus de hyſſopo, de marrubiu, decoctum iridis, pini, pulegij, &c. de quibus ſuo loco tractabimus.

Tranſitus ad ſuppurationem.

Pectus mundificantia.

Victus ratio ſit admodum tenuis, vel panis ex aqua aut iure tenuiſſimo decoctus, vel quæ longe eſt vtilior, priſana hordeacea; in qua tenui victus ratione vſque ad declinationem oportet conſiſtere, ſicuti Hip. & cæteri docent.

Victus.

Capvt IV.

De Peripneumonia.

Peripneumonia, quæ & *pulmonia* dicitur, inter eos morbos numeratur à Galeno 2. *metho.* 2. 1. *ad Glauc.* 3. qui à læſa parte nomen recipiunt. Namque eſt inflammatio pulmonis, vt traditum eſt Galeno 2. *de locis aff.* 9. 4. *de locis affect.* 8. 4. *de cauſis pulſ. cap. proprio*, cui Paulus, Aëtius, Auicen. & omnes conſentiunt: quo nomine inflammationis intelligimus omnem calidum tumorem præter naturam, ſicut dixi de pleuritide.

Quid ſit.

Differentiæ peripneumoniæ ſunt plures, ac primùm à cauſis : namque peripneumoniam contingit fieri è quocunque humore : quæ expreſſa eſt ſententia Gal 6. *apho.* 33 2. *de locis affect.* 9. 5. *de locis affect.* 3. Et ſi quis vobis obiiciat Galenum 4. *de cauſis pulſ.* qui aſſerit pulmonem propterea quia ſit laxus, mollis, & vndique vacuus, à ſanguine pituitoſiore & craſſiore inflammari, cum ſanguis ſubtilis & bilioſus ferè fluat, neque cum ipſo viſcere videatur poſſe cohærere : vnde is colligat, peripneumoniam minimè ex flaua bile fieri poſſe. Huic reſpondeatis, Galenum non ſimpliciter negare, peripneumoniam poſſe à bile fieri, qui ſcribit pulmonem minus ſæpe à bile, quam à pituita infeſtari : ad quem modum ille ſcribit quoque 2. *de locis affect.* 9. in pleuritide ſæpenumero magis bilioſum, contrà in peripneumonia magis pituitoſum ſputum apparere, adeo vt certum ſit, Galenum docentem peripneumoniam magis à pituita, contrà pleuritidem magis à bile, quàm à pituita fieri, non ſimpliciter & abſolutè, ſed comparatiuè loqui, poſſeque fieri, licet raro, vt peripneumonia ex bile, & pleuritis ex pituita oriatur. Sed Meſue quærit hoc loco, vtra peripneumonia ſit verior, an quæ, ſit ex bile, an quæ ſit ex pituita. Quæ dubitatio mihi videtur inepta, qui cenſeo vtramque pariter veram eſſe, cum vtrique vna atque eadem differentia pariter conueniat. Sic quærit Conciliator, *differentia* 100. vtra ſit deterior ? qui verè mea ſententia concludit peripneumoniam bilioſam altera pituitoſa eſſe deteriorem.

Differentia I.

Quæſtio otioſa.

Secundò, ſunt differentiæ à magnitudine & paruitate : etſi conſenſu omnium peripneumonia eſt morbus acutus, tamen alia eſt remiſſior, alia intenſior, vt quandoque æger ante diem quartum moriatur, quod potiſſimùm contingit, ſi inflammatio ex flaua oriatur bile, ac viſcus eriſypelate laborer, quod fieri aliquando ſcribit Gal. 4. *de locis affect.* 8.

II. Diff.

III. Differen. Tertiò ſunt differentiæ à tempore, principio, augmento, ſtatu, declinatione. *IV. Differen.* Ac poſtremò ſunt differentiæ à modo generationis: namque peripneumonia vel primum fluentibus humoribus ad pulmones generatus, vel aliis morbis ſuccedit, ſicuti pleuritidi & anginæ? de quibus agitur *apho.* 7.2. A pleuritide peripneumonia, malum: necnon 5. *apho.* 10.

Signa. Signa quæ generaliter peripneumoniam ſignificant, ſuprà ferè ſunt expoſita, quæ tamen breuiter repetu. Primum: febris continua & acuta eſt, etſi pro varia redundante materia, non eundem perpetuò tenorem & acutiem obtinet. Secundum, difficultas ſpirandi vehementiſſima, & longè maior quàm in pleuritide: ſiquidem vt ſcribit Gal. 2. *de locis aff.* 8. tanta inducitur ſpirandi difficultas, tantaque anguſtia, vt ægri videantur ſuffocari, ac cogantur erecti ſedere, quem affectum orthepnæam vocant. Tertium, dolor non eſt pungitius vt in pleuritide, ſed potiùs grauatiuus, imò verò ægri ſenſum cuiuſdã grauitatis thoraci incũbentis, potiùs quàm dolorem percipiunt cum pulmones admodum exiguo ſenſu ſint prædití. Quartum, pulſus ſunt molles, languidi inæquales, de quibus videatis Gal. 4. *de cauſis pulſ.* 11. *de pulſ. ad tyrones* 2. Quintum, adeſt tuſſis principio ſicca, temporis autem progreſſione multa & varia apparet: modò cruenta, modò flaua, modò alba & nigra, pro varietate humoris efficientis inflammationem: Sextum, in peripneumonia ſicut in pleuritide nunquã fit, quin lædatur caput 4. *de cauſis pulſ.* 8. Septimum, ſed præter hæc omnia eſt aliud proprium ſignum peripneumoniæ, ſcilicet rubedo maxillarum, & faciei, quòd ad partes ſuperiores quidam calidus ac veluti igneus feruor aſcendere videatur. Quorum omniũ ſignorum facile eſt rationem reddere, ſi quis voluerit naturam huius morbi ac partis laborantis memoria tenere.

Signa differentiarum. De ſignis differentiarum videatis Galen. 4. *de locis aff.* 8. 2. *de locis aff.* 6 Si peripneumonia prouenit ex bile, ægri calidiſſimum expirant; frigidiſſimæque tum aquæ tum aëris inſignem cupiditatem habent, & omnia ſymptomata ſunt deteriora: ſin autem fuerit ex aliis humoribus ſummus ille æſtus non apparet, neque reliqua ſymptomata ſunt adeo grauia & periculoſa. Signa magnæ & lethalis peripneumoniæ, quæ die quarta, aut ad ſummũ die ſeptima hominem interficit, deſcribuntur ab Aetio lib. 8. 66. Vigiliæ aut ſomni breues, ſtuporem ac delirium inducentes, extremitates frigidæ, vngues liuidi, & ſimilia. Signa differentiarũ ex temporibus morbi, cum aliis modis, tum maximè ex iis habentur, quæ per tuſſim reiiciuntur, ſicuti de pleuritide cum Galeno diximus.

Curatio. Scribit Auicen. curationem peripneumoniæ à curatione pleuritidis non niſi paucis differre: primùm, quia oportet vt in peripneumonia emplaſtra ſint fortiora, & vt ponantur in eis quæ ſunt profundantia: ſecundò vt ſit magis vehemens ſolicitudo ad mundificationem cum ſputo pulmonis & thoracis: tertiò in peripneumonia ægri reſupinati debent iacere, minime ſuper latus, vt pleuriticis conuenit: quare Auic. de curatione peripneumoniæ quàm breuiſſimè agit, cuius imitatione nos quoque eàm quàm breuiſſimè & ſummatim tractabimus.

Indicationes. Peripneumonia eſt inflammatio pulmois: ideò nobis ſeſe offerunt indicationes tres, vacuatio totius corporis, reuulſio, reſolutio. *Vena ſectio an conueniat.* Quatenus ad primam pertinet, dubium eſt, vtrùm ſectio venæ conueniat necne? Occaſio dubitationis eſt quoniam, ſicuti vidimus & monui, Gal. ſcribit, pulſus peripneumonicorum eſſe languidos: quod perinde eſt ac ſi dicamus vires non conſtare: quo ſcopo deficiente, certum eſt miſſionẽ ſanguinis non conuenire. Altera autem ex parte Gal. *de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtratum cap.* 6. & omnes in peripneumonia venam ſecãt. Ac ſanè dubitatio mihi ardua & difficilis videtur, quam miror neminẽ aduertiſſe: quid igitur dicendum eſt? Ego, vt liberè dicam, non habeo reſponſionem, in qua penitus acquieſcã, neque aliud mihi occurrit, niſi vt alterutrũ dicamus, aut Galenum intelligere de peripneumonia pernicioſa & lethali: aut in vniuerſum pulſus quidem eſſe languidos, ſed huiuſmodi languorem non tantum eſſe, quin ægri miſſionem ſanguinis poſſent perferre. Ergo ſi per vires & ætatem liceat, quamprimum ad venæ ſectionem veniendum. *Qua vena.* Vena autem ſit baſilica, brachij vel dextri, vel ſiniſtri, cum vtrobique ſint pulmones, vel fortè ſecetur vena vtriuſque lateris, quod vires non admodum robuſtæ, longè melius hanc partitam ſectionem poſſint perferre. *Lenitio alui.* Secta vena ſi id ferat occaſio: neque alui lenitio eſt prætermittenda; pro qua caſſia & ſyrupus violaceus ſolutiuus optima forent. *Concoquentia bilem.* Deinde ad noxij humoris coctionem veniendum; itaque ſi peripneumonia fiat ex bile, ſint ſyrupi, qui leniendi & refrigerandi vim habeant, violaceus, de farfara, de capillis veneris, de ſucco acetoſæ, decocta hordei, farfaræ. capillorum veneris, endiuiæ, qui ſyrupi actu frigidi & copioſè, ad libram integram debent exhiberi.

Concoquentia pituitam. Si peripneumonia fuerit ex pituita, ſint ſyrupi calidiores, mel violaceum, ſyrupus de liquiritia, de hyſſopo: decocta hyſſopi, origani, liquiritiæ. *Purgantia bilem Pituitam.* Demum tempore opportuno ad purgantia medicamenta accedendum eſt, quæ tamen ſint leuiora. Exempli gratia, redundante bile, modicum agarici & rhabarbari cum ſyrupo violato ſol. redundante pituita, electuarium diaphænicon cum melle violato ſol. pilulæ de hiera cum agarico: &c.

Reuellentia. Iam verò ex ſecunda indicatione omnia reuulſionum genera conueniunt, frictiones, ligaturæ, lotiones extremarum partium cucurbitulæ: *Cautela.* de quibus quidem cucurbitulis, notandum eſt, eas nunquam vel dorſo, vel lateribus & thoraci apponenda eſſe, niſi poſt generalem totius corporis vacuationem, & in morbi declinatione. *Error Altimari.* Quo periculoſo errore notandi ſunt Altimarus & alij, qui decepti autoritate Pauli docent, ſi quid venæ ſectionem prohibeat, ſtatim cucurbitulas thoraci & lateribus apponendas eſſe, quibus tantum ſanguinis detrahatur, quantum vires ferant. Quamobrem ſicuti gratia reuulſionis quocunque tempore licet cucurbitulas admouere partibus remotis, ita ad partes laborantes non alio tempore, quàm declinationis licet illis vti. inter cætera quoque genera reuulſionum clyſteria ſunt opportuniſſima, quæ redundantibus humoribus bilioſis ſint leuiora, redundantibus frigidis, acriora.

Sputum prouocantia. Poſtremò autem ad pulmonis expurgationem attendendum eſt: quam conſtat non aliter fieri, quàm per tuſſim, & per ea quæ per tuſſim reiiciuntur: vnde inter cætera ea conueniunt medicamenta, quæ lambitiua dicuntur, de quibus atque eorum vſu ſpeciatim dixi, in cap. tractans de pleuritide.

Externa. Sed nonnulla quoque externa medicamenta poſſunt poſtremam hanc indicationem iuuare & ſputa promouere: ac primùm eſt balneum aquæ dulcis, quod inter cæteras vires, vt ſcribit Galen. 3. *de ratione victus* 61. maximè confert ad expurgationem ſputorum, & eorum quæ in thorace & pulmonibus continentur. Deinde ſunt fomenta, quæ thoracem, neque ſolum partes externas illius, ſed etiam internas poſſint lenire,

qualia

qualia forent ex decocto maluatum, radice althææ, ſeminum lini fœnugræci, &c. Demum ſunt linimenta ex oleo chamæmelino, amygdalarum dulcium, liliorum alborum, adipibus gallinæ, anatis, anſeris, *Victus.* &c. de quibus ſæpe & ſatis diximus. Victus ſit tenuiſſimus, non aliud quàm cremor ptiſanæ vſque ad ſtatum, ſicuti dixi de pleuritide.

Capvt V.

De Empyemate.

Nominis explicatio. EMπύημα Græcè, *ſuppuratio* vel *purulentia* Latinè, apud Hip. & Gal. duplicem habet ſignificationem; vnam communem, quæ omnem conuerſionem ad pus ſignificat in quacunque corporis parte, & quomodocumque iſtud contigat fieri: alteram habet ſignificationem propriam, nempe collationem puris quod inter ſpatium thoracis & pulmonis coacervatum eſt: quod Hip. & Gal. do- *Quid ſit.* cent 5. *aph.* 8. & 15. 6. *aph.* 27. 7. *aph.* 44. 2. *prog.* 66 *de tumoribus præter naturam* 3. Nos autem prætermiſſa in præſentia priori ſignificatione, de poſteriore tantùm agemus, quæ verè & propriè ſuppuratio dicitur, & nihil aliud eſt quàm collectio puris inter thoracem & pulmones: namque vt pulmones poſſint commodè dilatari, thorax à natura vacuus eſt conſtructus, in qua vacuitate quotieſcunque pus colligitur, empyema & ſuppuratio dicitur. Et ſi quis quærat, qualiſnam ſit hic morbus? huic reſpondet Gal. *lib. de diff. morborum* 8. eſſe morbum in numero aucto toto genere præter naturam.

Differ. I. Differentiæ ſuppurationis ſunt plures, ac primùm alia eſt vera, qualis iam deſcripta eſt, nimirum quando pus colligitur in cauitate thoracis: alia non vera, quando alius quiſpiam humor ſeroſus aut pituitoſus in vacuo thoracis colligitur. Huius differentiæ meminit Gal. 4 *de locis aff.* 8. ad quem modum nos vidimus aliquando & audiuimus ab iis qui delectantur ſectione cadauerum, copioſam aquam in hac cauitate contineri, quem affectum vere hydropem thoracis licet appellare, cuius meminit auctor *lib.* 1. *de morbis*, qui adſcribitur Hip. nec non Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 15.

II. Differ. Cauſa. Secundò, ſunt differentiæ à cauſis, de quibus dubium eſt. Nam ſicuti Hip. & Gal. docent 5. *apho.* 8. 2. *prog.* 52. ac fatentur omnes ſuppurationē fieri potiſſimùm inflammatione membranæ ſuccingentis coſtas, aut pulmonis, in pus conuerſa & diſrupta: ita dubium videtur vtrum alia ratione, an minimè ex deſtillatione capitis ad thoracē deſcendente pus generari, & ſuppuratio fieri poſſit: quod Paulus videtur confirmare, nec à doctrina Hip. & Gal. alie- *An ex deſtillatione ſuppuratio fieri poſſit.* num videtur. *Deſtillationis*, inquit Hip. 7. *aphor.* 38. *in ventrem ſuperiorem intra dies* 20. *ſuppurantur*: altera autem ex parte, vt colligitur ex Gal. 4. *met.* 5. 5. *de ſympt. med.* 6. 1. *de diff. feb.* 6. cum pus aliam nullam habeat generationem, præterquam ex carne contuſa, aut præcedentibus inflammationibus, & tumoribus non diſſolutis, ſuppuratio nullo modo ex capitis deſtillatione videtur poſſe fieri: ac re vera ſi propriè & de vera ſuppuratione loquamur, illa ex deſcendente deſtillatione fieri non poteſt, niſi primùm in thorace aliquam inflammationem efficiat, ex qua deinceps contingat pus generari. Et quatenus pertinet ad ſententiam Hip. deſtillationes intra 20. dies ſuppurari, nos cum Gal. ita interpretamur 7. *apho.* 30. hanc non eſſe veram ſuppurationem, neque illud verum pus dici poſſe, ſiquidem, vt ille inquit, ex huiuſmodi fluxione in thorace quid puri ſimile, minimè verum pus generatur.

III. Differ. Tertiò, ſunt differentiæ à loco; cum enim thorax in duas medias partes diuidatur à duplicata membrana, quam propterea anatomici appellant intercipientem, vel mediaſtinum, pus quandoque vna, quandoque altera parte continetur, nempe, vel in dextera, vel ſiniſtra, in qua contingit inflammationem præceſſiſſe.

Præterea ſunt aliæ differentiæ à magnitudine & coniunctis, & ſimilibus, quæ cuique poſſunt conſtare. Accedamus ad ſigna.

Primùm ſunt nonnulla ſigna quæ futuram ſuppurationem demonſtrant, de quibus præclarè agunt Hip. & Gal. 2. *prog.* 52. *Quicunque dolor circa partes thoracis & pulmonis non deſinens, &c.* Exempli gratia; ſi quis laboret pleuritide, neque quidquam expuat, neque dolor opportunis adhibitis præſidiis deſinat, tunc decet ſuppurationem expectare, dummodo, inquit Gal. nulla præterea exitioſa adſint ſymptomata, quæ mortis periculum afferant. *Signa.*

De ſignis quæ præſentem ſuppurationem demonſtrant, Hip. & Gal. diffusè tractant 2. *prog.* à textu 52. vſque ad text. 70. & Galen 4. *de locis aff.* 8. & vnico verbo ſunt huiuſmodi: difficultas ſpirationis, tuſſis moleſta, quædam grauitas in profundo thoracis, ſi æger ab vno latere in aliud ſe transferat, puris tranſpoſitio, & non rarò fluctuatio ſenſibiliter percipitur, neceſſariò eſt febris, & illa quidem hectica, ægris oculi caui redduntur, maxillæ rubeſiunt, vngues manuum curuantur, tumores in pedibus conſiſtunt: quæ, vt dixi, ab Hip. & Gal. accuratè explicantur, atque omnium rationes exponuntur.

Demum reſtant ſigna differentiarum, ac primùm *Signa differentiarum.* ſi vera fuerit ſuppuratio, præceſſere inflammationes earum partium, ex quibus iam diximus verum pus originem habere, præterquàm quòd manifeſtè aderunt propria ſigna pathognomonica quæ modò diximus. Si verò non verum pus, ſed alia materia tranſmiſſa & collecta fuerit in thorace, neque ſit vera ſuppuratio; tunc nulla inflammatio partium pectoris præceſſit, neque ea apparebunt propria & & exquiſita ſigna, quæ in vera ſuppuratione & exquiſito pure ſolent deprehendi

Vtrùm pars dextra an ſiniſtra laboret, ex maiori vel minori caliditate vtriuſque partis, nec non ex faciliori & difficiliori decubitu, facile poteſt intelligi: etenim pars malè affecta à pure calidior redditur, vnde nonnulli vtrique parti thoracis apponunt filum madidum, atque eam partem in qua id citius exſiccatur, aiunt eſſe affectam: ſic æger faciliùs in partem laborantem, quàm in partem ſanam decumbit; quia ſi in partem ſanam decumbat, tunc à pure alterius partis laborantis, veluti quodam onere pulmo & mediaſtinum premitur & grauatur, adeo vt æger nullo modo poſſit quieſcere: quibus licet addere præcedentem inflammationem: etenim ſi pleuritis præceſſerit in latere ſiniſtro, certum eſſe poteſt ſuppurationem quoque in ea parte genitam fuiſſe.

Signa cauſarum ex præcedentibus inflammationibus membranæ ſuccingentis coſtas, vel pulmonis, ſunt manifeſta: ſic reliqua omnia ſigna ſatis cuique poſſunt conſtare. *Signa.*

Curatio. De curatione ſuppurationis Græci & propè omnes admodum parce & reſtricte tractant, qui vnam tantummodo expurgandi puris indicationem videntur proponere, in qua certum eſt ſummam totius curationis conſiſtere. Veruntamen ſi quærat *Indicationes.* aliquis, vtrùm aliæ quoque indicationes, nimirum vacuatio totius corporis, & reuulſio poſſint conuenire: ego reſponderem, fieri poſſe vt illæ quoque aliquam vtilitatem afferant, auctores autem de iis nil meminiſſe, propter duas rationes; alteram,

Digitized by Google

quod veriſimile ſit huiuſmodi præſidia tempore præcedentis inſlammationis fuiſſe adminiſtrata; alteram, quod ægri habeant vires imbecilliores; quam vt poſſint magnas vacuationes & magna præſidia perferre Vtcunque autem ſit ego ſanè neque à revulſionibus, neque ab aliqua ſaltem leui expurgatione abſtinerem, quæ fieret cum caſſia, cum manna, melle violato ſol. & ſimilibus: namque inter cæteros Alex. *lib.7. cap.2.* ad purgandos ſuppuratos lac aſininum, aut equinum, aut ſi ægri nolint accipere, lac bubulum aut caprinum, maximè probat. Verùm, vt diximus, totum momentum huius curationis conſiſtit in puris expurgatione, quam quidem medicamenta partim interna, partim externa poſſunt iuuare.

Pus curantia. Itaque medicamenta interna ad hanc indicationem accommodata ſunt, quæ moderatè calefaciendi & tenuandi vim habent, quæ quidem pus attenuando, diſſecando, abſtergendo, & vias aperiendo per quas illud ferri debet, faciliorem tuſſim & expurgationem efficiunt: de quibus agit Gal. *de ſymp.med.*11.13. *meth* 18. Vnde eodem Gal. authore medicamenta quæ propriè *diuretica* vocantur, ad hanc rem ſunt inepta *cap.*13. *de ſimpl. med.* 5. quòd nimis calefaciendo & exſiccando ſputa magis cogant & denſent, vt poſtea difficilius eiiciantur: hæc autem apud Gal ſunt loco citato 13. *meth* 18. leuiora quidem, cremor ptiſanæ, mulſa: valentiora, ſemina vrticæ, & mulſa, in qua exiguum quid alicuius medicamenti acris impoſitum ſit, qualia ſunt origanum, hyſſopus, calamenthum, pulegium, radix iridis Quòd ſi hæc ipſa copioſiùs permiſceantur, vel radix iridis in molliſſimum puluerem redacta in mulſa iniiciatur; tunc medicamentum maximè incidens & accommodatum euadet: ad quem modũ oxymel quoque, quod ex marrubio conficitur, atque alia id genus quamplurima, & pus & craſſiora omnia excrementa, quęcunque in pectore & pulmonibus continentur, probè poſſunt incidere. Sic nos hoc tempore vtimur leuioribus, melle violato ſyrupo de farfara, de liquiritia, oxymelle ſimplici: valentioribus, ſyrupo de hyſſopo de praſſio, de calamentho: valentiſſimis oxymelle ſyllitico, & cæteris, quæ ex ſcylla parantur. Quomodo autem pus ex thorace in pulmonem poſſit transferri, ac per tuſſim eiici, docet Gal. *5. de locis aff.* 3. Apud aromatarios demum parantur & conſeruantur nonnulla medicamenta, quæ & ad ſuppurationem, & ad omnia vitia thoracis frigida ſunt accommodata, qualia ſunt lohoh de pino. lohoh ſanum & expertum, lohoh de ſcylla, quod eſt Gal. *7. de med ſecundùm locos* 6. Lohoh de pulmone vulpis, & forte alia, quorum compoſitiones licet cuique videre. Alij propriis compoſitionibus delectantur, & inter cætera omnia maximè extollunt radicem helenij. quæ vulgo *enula campana* dicitur, quam quidem Gal. quoque teſtatur *6. de ſyrup. med.* miſcere elegmatis quæ faciunt ad educendum pus ex thorace & pulmone. Habeatis vnum aut alterum exemplum.

Electuarium pus educens.

℞ *Pulueris hyſſopi.* ʒ. ij.
Cinnamomi.
Succi liquiritiæ.
Radicis iridis. ana. ʒ. j.
Croci. ℈ ß.
Mellis cocti deſpumati. ℥. iij. *M. fiat electuarium.*

Item.

℞ *Radicis heleny cocta ſub cineribus.* ℥. iij.
pulueris hyſſopi.
Radicis iridis. ana. ʒ. j. ß.
Cinnamomi.
Myrrha. ana. ʒ. j.
Croci. ℈. j
Mellis. q. ſuff. M. & fiat electuarium.

Externa. Medicamenta autem externa ſunt quæ idem moderata caliditate & humiditate poſſint pus attenuare & abſtergere, viaſque thoracis laxare & aperire: qualia forent radices maluarum, althææ, fœnugræcum, melilotum, ſemen lini, olea amygdalarum dulcium, chamemælinum completum, liliorum alborum: ex quibus decocta fomenta, linimenta, emplaſtra; conficiuntur, de quibus omnibus agentes de aſthmate ſatis diximus.

Perforatio thoracis. Quoniam verò quandoque euenit, vt vel propter multitudinem, vel propter craſſitiem & viſciditatem puris, vel propter aliam cauſam illud per ſputum nequeat purgari, antiqui ad thoracis perforationem deuenire conſueuerunt, qua ratione conabantur collectum pus educere & expurgare: quam quidem operationẽ dupliciter, vel vſtione, vel ſectione perficiebant. Quia autem ratione & vſtio & ſectio fieri debeat in ſuppuratis, inter cæteros Paulus docet *lib.6.54.* & Cornelius Celſus 3.22 in quibus illud eſt maxima notatione dignum ab vtroque non vnico in loco vſtionem fieri, ſiquidem Paulus duodecim, Cornelius ſex exulcerationes variis in partibus volunt faciendas eſſe; quæ tamen exulcerationes, ni fallor, minimè ad cauitatem thoracis perueniebant.

1. Præcept. De hac operatione liceat nobis ex Hip. nonnulla præcepta colligere, quæ nullo modo ſunt prætermittenda, ac primùm, puris purgationem minimè longius tardandam eſſe: ſiquidem vt docet *aph.*15. *5.lib.* niſi ægri ſpatio 40. dierum expurgentur, ad tabem tranſeunt. progreſſione temporis pure putreſcente, ex quo deinde pulmonem vlcerari neceſſe eſt.

2. Præceptũ. Secundum præceptum continetur *6. aphor.*27. Si quando ſuppurati ſecantur vel vruntur, non confertim atque in vniuerſum pus ducendum eſſe, quòd tunc, Galeno ibidem interprete, maxima ſequatur virium imbecillitas, quæ poſtea remedium non habet.

3. Præceptũ. Tertium præceptum pertinet ad prognoſticum, & rationem docet qua nobis liceat cognoſcere, vtrùm ſuppurati, dum vruntur aut ſecantur, ex morbo ſint euaſuri, nec ne; Namque ſi pus fluxerit purum & album, liberantur: ſi verò ſubcruentum & fœtidum, pereunt, qui eſt aphoriſ. 44. *libr.7.* Sed hac de re ſatis, quandoquidem hoc tempore aut ta• ri aut nulli ſunt, qui audeant ſuppuratos ſecare aut vrere, & thoracem aperire. Ego ſemel iam multos annos vidi quendam fuiſſe qui poſt paucas horas expirauit, & de aliis etiam qui interfuerunt huic operationi, idem intellexi. Braſſauolus Medicus doctiſſimus, in ſuis com. *in apho lib.6.*27. teſtatur ſe quendam ſuppuratum viſiſſe, atque illum conualuiſſe.

Verùm & illud poſtremo loco ſciendum eſt, ſuppuratos generaliter difficulter admodum ſanari, quia, vt ſcribit Galen. *4. de locis aff.* 7. omnibus vires neceſſariò laborant, vnde vt idem ſcribit Galen. *de locis aff.* 3 cum non niſi validiſſima & celerrima conſtrictio thoracis poſſit tuſſim excitare, ſine qua nihil poteſt è thorace educi, imbecilla autem facultas neque validè, neque celeriter agere poſſit: hinc neceſſariò licet colligere, ſuppuratos maiori ex parte interire: ſed tamen idem Galenus teſtatur, ſe complures quoque ſanatos vidiſſe, quorum ſi quis ſingulis diebus per tuſſim reiectum pus collegiſſet, interdum ſex aut octo cotylas, interdum decem, ac nonnunquam plures cogere potuiſſe. Atque hactenus de ſuppuratione.

Capvt VI.

De Sputo ſanguinis.

AGgredimur morbum quo fortè non alius, vel cognitione vel curatione eſt difficilior & periculoſior, cum ſæpenumero phthiſis. ac deinde certa mors ſputo ſanguinis ſoleat ſuccedere.

Sputum quid. Etſi ſputum illud eſt, quod lingua & labiis ducitur, & apud Galenum 1. *de criſib.* 5. propriè ſputum appellatur quod coctum eſt, & omni alieno colore priuatur; quod autem cruentum, bilioſum, & ſpumoſum eſt, non ſputum, ſed verius excreatio dicitur, vnde Græci quoque duo nomina habent, qui primum πτύελον, alterum πτύσμα appellant: tamen nos præſentia communiori quodam ſignificatu ſputum accipimus, quodcunque cruentum eſt, & quomodocunque præterquam vomitu, ore ducitur.

Quid ſit. Quid ſit ſputum ſanguinis, manifeſtum eſt, quippe eſt quælibet in ore ſanguinis reiectio vel excretio, præterquàm ſi ille per vomitum reiiciatur: vnde & illud cuique poteſt conſtare, eſſe ſymptomata excretionis immoderatæ, toto genere præter naturam: quæ doctrina eſt Gal *de dif. ſympt.* 7. 3. *de ſym. 1. de criſis 6.*

Differ. I. Differentiæ huius ſymptomatis plurimæ ſunt, & ſtudioſè animaduertendæ, quandoquidem ſi quis eas negligat, vel non ſatis aſſequatur, vt is, & præſagiendo, & curando, multos, & quidem pernicioſos errores committat neceſſe eſt: principem verò locum obtinent, quæ ſumuntur à parte affecta, cum manifeſtum ſit ſanguinem per os ex multis partibus noſtri corporis poſſe exire, quandoquidem vt ſcribit Gal 4. *de locis aff.* 5. conuenit quodammodo inter Medicos, ſanguinem prodire, vel ex gula & ventriculo; vel ex partibus quæ reſpirationi ſeruiunt, aſpera arteria, pulmone, thorace: vel ex faucibus & gurgulione: vel ex ore, lingua, gingiuis, palato: vel demum ex capite: tot enim ſunt partes, ex quibus ſanguis ex ore poteſt emanare.

Differ. II. Secundò, ſunt differentiæ à cauſis, de quibus præclariſſimè tractat Gal. 5. *method.* 2. cum enim ſanguis neceſſariò vel ex vena, vel arteria prodeat, iſtud contingit fieri tripliciter, vel diuiſa earum tunica, vel aperto earum ore, vel ſanguine tranſcolato & ſudoris inſtar tranſmiſſo. *Diuiſio vaſorum.* Tunica vaſorum diuiditur; tum ex vulnere, tum ex contuſione, tum eroſione. *Apertio vaſorum.* Apertio oris contingit propter tum vaſis imbecillitatem, tum propter copiam ſanguinis, qui ad os illius impetu ruit, ac propterea propter aliquam acrem qualitatem, quæ illi extrinſecùs accedat. *Tranſcolatio ſanguinis.* Tranſcolatio demum prouenit ex tunica vaſorum rarefacta, ſanguine autem reddito tenuiore, ſed præterea quandoque etiam ex gracilibus vaſis, vel ex eorum gracilitate ore aperto poteſt contingere: de quibus omnibus quia diffuſè diximus in tractatione de fluxu ſanguinis narium, non eſt in præſentia longiùs agendum.

Differ. III. Tertiò, ſunt differentiæ à qualitate ſanguinis exeuntis: namque ille educitur vel ſpumoſus vel ſine ſpuma, tenuior, craſſior, flauior, rubicundior, niger, ſalſus, inſipidus, vel alia qualitate infectus.

Differ. IV. Quartò, ſunt differentiæ à copia & quantitate: ſanguis educitur vel parcè, vel tam profuſè; vt quandoque ſola copia hominem interficiat.

Different. V. à modo eductionis. Quintò, ſunt differentiæ à modo eductionis: etenim ſanguis ore educitur, vel vomitu, vel ſimplici expuitione, vel ſcreatu, vel demum tuſſi, atque ex quidem vel leui & facili, vel moleſta & difficili.

Differ. VI. Poſtremò, ſunt differentiæ à coniunctis; exempli gratia, deſtillatione, febre vel putrida, vel hectica, &c. Quas quidem differentias ſtudioſè debet animaduertere quicunque in cognitione & curatione tam difficilis morbi nullum vult errorem committere.

Signa. Signa pathognomonica, quæ generaliter ſanguinis ſputum ſignificat, vel ægris referentibus, vel ſenſibus ſunt manifeſtiſſima, quare ad ſigna differentiarum veniendum eſt, quo primùm loco memoria eſt repetenda ſententia Galeni in libro *de plenit.* ad finem, & alibi, partem artis medicæ quæ agit de ſignis, admodum eſſe coniecturalem: quam quidem ſententiam experientia confirmat, præ cæteris omnibus morbis in ſputo ſanguinis veriſſimam eſſe, quandoquidem videmus ſæpenumero non ſolùm vulgares, ſed etiam præſtantiſſimos Medicos vehementer falli, adeo vt nonnulli quandoque exiſtiment, ſputum ſanguinis difficillimum eſſe, quod deinceps ſine vllo negotio & periculo ſanatur: vel contrà, nonnulli cenſeant ſputum ſanguinis eſſe leuiſſimum, quod temporis progreſſione grauiſſima pericula, & ipſam mortem ſolet afferre.

In primis verò neceſſe eſt intelligere, ex quanam parte ſanguis exeat, de quibus ſignis Galen. tractat diligentiſſimè 4. *de locis affect.* 5. Namque ſi ſanguis educitur ſine tuſſi, ſi vno tépore ſimul exit ex naribus, ſi præceſſit capitis grauitas, dolor, calefactio, ſi ſolita è naribus ſanguinis vacuatio retenta fuerit, ſi facies rubet, ac venæ tumidæ ſunt, ſi aliqua perſentitur titillatio palati, ſi ſanguis non eſt ater & conglobatus, demum ſi excreto ſanguine æger meliùs habet; tunc licet colligere, ſanguinem non aliunde quàm ex capite prouenire. Attamen quatenus pertinet ad ſanguinem fluentem ex capite ſine tuſſi, non eſt prætermittendum, quod Galenus admonet 4. *de locis aff.* 5. nempe accidere interdum, vt ſanguis ex capite ad partes potiſſimùm gurgulionis confertim irruens, per tuſſim educatur: id quod diligenter oportet obſeruare, ne aliquando putemus huiuſmodi ſanguinem ex inſtrumentis reſpirationi ſeruientibus prouenire; ſicuti Galeni tempore contigit nonnullis ignaris medicis, qui falsò accuſarunt plurimos præſtantiſſimos medico, cum ipſi potiùs fuiſſent decepti, credentes ſanguinis talem eruptionem eſſe difficillimam, ac pulmones vehementer laborare. Ad quem modum diligenter etiam eſt animaduertendum, cum item fieri poſſit, vt idem ſanguis ex capite fluens ad thoracem deſcendat, ex quo deinceps non ſine tuſſi deiicitur, quamobrem ſi vel omnia, vel ſaltem nonnulla adſint ſigna, quæ indicant ſanguinem ex capite promanare, etſi tuſſis quoque iis coniungitur, tamen minimè aſſerendum eſt, ſanguinem ex partibus reſpirationi ſeruientibus aſcendere. Sed reliqua perſequamur, quæ explicantur à Galen. 4. *de locis affect.* 5. Sanguinem ex gula & ventriculo, vomitione reiici; ex partibus quæ reſpirationi ſeruiunt, tuſſi; ex faucibus & gurgulione, excreatu; ex ore, ſimplici expuitione. Sed præter dictas partes, ex quibus contingit ſanguinem fluere, Galen. inquit, eum quandoque ex meatu narium, ex ore & ventriculo, occaſio hirudinis quæ iis partibus adhæreat; de qua ſanguinis fluxione mihi dicendum non eſt, partim quòd apud nos vel rariſſimè, vel nunquam id contingat, partim quòd Galenus hanc totam rem perſpicuè & diffuſè explicet.

Cæterùm prætermiſſis reliquis partibus ex quibus fluxio ſanguinis procedit, quæ vt plurimùm nõ eſt admodũ periculoſa, ac facilem curationem admittit, ad ſputum ſanguinis ex thorace prodeuntis

reuce

Digitized by Google

reuertamur, quòd longè maximi eſt momenti. Atque illud primum pro comperto habendum eſt, ex iis partibus, quas Medici *ſpirituales* appellant, nulla ratione quidquam niſi cum tuſſi poſſe porgari, adeo vt verè liceat negariuè hunc in modum argumentari: Hic ſanguis ſine tuſſi ore educitur: Ergo hic ſanguis non prouenit à partibus ſpiritualibus. Sicuti contrà non licet affirmatiuè concludere: Hic ſanguis cum tuſſi eiicitur: ergo hic ſanguis à partibus ſpiritualibus prouenit: ſiquidem & interdum contingit, quod ego ſæpenumero obſeruaui eſſe veriſſimum, ſanguinem ex capite ad infernas partes conferrim irruentem tuſſim mouere, ac per tuſſim prodire. Verùm cum partes ſeruientes reſpirationi, ſpirituales dictæ, ſint plures, in primis verò aſpera arteria, pulmones, thorax, ex quibus ſanguis ſolet educi: illud reſtat inquirendum adhuc, vt intelligamus ex quanam parte ſpirituali ſanguis educatur; quæ quidem ſigna quatenus ex Galen. & ex rei natura colligi poſſunt, ſunt eiuſmodi.

Signa ſanguinis ab arteria.

Sanguis qui ab aſpera arteria prodit, minore cum tuſſi, quòd ſanguis non longè abſit ab ore, ſed maiori cum ſcreatu pellitur: ſanguis ex parte ferè exangui ductus, exiguus eſt, æger aliqua in parte ipſius arteriæ, quæ multo viget ſenſu, dolorem quendam percipit.

A thorace.

Si verò thorax primariò laborat, ſanguis exiens nec confertim reiicitur, neque multus, imò verò ſenſim educitur, atque exiguus eſt, quòd eius venæ ſint exiles, quæ inſignem copiam ſanguinis nequeant profundere: præterea ſanguis minùs eſt tum rubeus tùm calens, ſed potiùs nigricans & grumoſus, quaſi è longinquo veniens, ac diutius in itinere & exitu moratus: præterea non niſi cum multa ac vehementi tuſſi educitur, atque eo difficiliùs, quo malum eſt profundius, cum ſit neceſſe, vt primò ſanguis ipſos pulmones ingrediatur; demum ſanguine ducto ex thorace, ægri aliqua illius parte ſolent dolorem quendam percipere, quòd, vt Galen. 4. *de locis* 7. & anatomici docent, multi nerui cum ab internis, tum ab externis partibus ad eum perueniant, quibus affectus inferentes dolorem facillimè & crebberrimè ſentiunt. Sed quatenus pertinet ad qualitatem ſanguinis ex thorace fluentis, ſciant iuniores, minimè in vniuerſum eſſe verum, ſanguinem nigricantem & grumoſum tuſſi eiectum, ex thorace proficiſci, quandoquidem vt paulò antè dixi, ſanguis quoque in fauces & thoracem ex capite deſcendens, aliquando huiuſmodi ſanguinis formam repræſentet.

A pulmone.

Sanguis porrò ex pulmone exiens, vel ex vaſis, vel ex propria ſubſtantia pulmonis poteſt educi, quod pariter eſt diligenter animaduertendum. Itaque ſanguis exiens ex vaſis pulmonis, tenuis eſt, rubicundus ac floridus; plerunque multus quòd hæc vaſa ſint ampla, & frequenter copioſum ſanguinem profundant. Si verò ex propria pulmonis ſubſtantia educitur, ille alteri ſanguini ex vaſe fluenti ferè aſſimilatur, prætterquam quòd exiguè & parcè ducitur, ſed prætterea eſt ſpumoſus. vt docet Hippocr. 5. *aphor.* 13. Quo loco arguendi ſunt nonnulli, qui putant ſanguinem ex pulmone quomodocumque prodeuntem ſpumoſum eſſe, cùm reuerà ſanguis tantummodo ſpumoſus appareat, quando carnoſa pulmonis ſubſtantia, quæ verè illius ſubſtantia eſt, vlceribus laborat: quod Gal. confirmat apertiſſimè, non ſolùm in comment. *aph.* 13. ſed etiam alio loco planè notabili 7. *aph* 30. vbi hæc habet: *Sed neque ſemper ex pulmone ſanguinem ſpumoſum expuunt: videtur itaque cum ex ipſa viſceris ſubſtantia ſimul quidquam effertur, ſanguinem fieri ſpumoſum.* Et iterum 5. *aphor.* 39. *Ex hoc genere eſt ſpumoſus humor, qui in carne pulmonis continetur.* Vnde Paulus quoque docet, ſanguinem ex pulmone prodeuntem, non ſolùm ſpumoſum, ſed etiam ſubalbidum eſſe, ſiue autem ex ſubſtantia pulmonis, ſiue ex vaſis ſanguis educatur, ille ſemper minori cum tuſſi, quàm ex thorace eiicitur, quod per ſe eſt manifeſtiſſimum.

Præterea ægri nullum ferè dolorem percipiunt cum Galen. 4. *de locis aff.* 5. & cæteri anatomici doceant, pulmonem duos tantummodo minimos neruos ex ſexto pari neruorum, ex capite ortorum ſuſcipere, qui in exteriorem ipſius pulmonis membranam ſunt diſtribuiti, neque in viſceris profunditatem extenduntur, vt ille, propterea admodum exiguum ſenſum ſortitus fuerit. Itaque hæc ſigna indicant vel ex vaſis, vel ex ſubſtantia pulmonis ſanguinem profluxiſſe.

Quod ſi poſtremo loco, vel aliqua pars bronchij, vel portio tunicæ, venæ, aut arteriæ, vel propria ſubſtantia pulmonis efferatur, id iam firmiſſimum & demonſtratiuum eſt indicium, ſanguinis ſpuitionem ex pulmone factam fuiſſe, quandoquidem docet Gal. 1. *de locis aff.* 1 inter cætera quæ affectum locum demonſtrant, illa quæ excernuntur, non poſtremum locum obtinere.

Signa cauſarum.

Secundo loco occurrunt ſigna quæ reſpiciunt cauſam, propter quàm ſanguis expuitur: hanc diximus eſſe triplicem: vel diuiſa tunica vaſorum, vel aperto eorum ore, vel ſanguine tranſcolato. Tunica vaſorum diuiditur primùm vulnere, vel contuſione, quod à rebus acutis & grauibus contingit; vt ſi quis aliquod vulnus accipiat, ex alto cadat, vel aliter vulneretur aut contundatur; quæ cauſæ ſunt manifeſtæ: deinde ruptione, quæ quidem etſi iam ab externa cauſa poteſt prouenire, vt maximo acutiſſimoque clamore, ex graui onere, quod quis vel humeris imponere, vel manibus attollere conatus ſit; tamen ab internis quoque cauſis poteſt proficiſci, quas omnes Galen. ad vnam vaſorum erosionem refert: quæ quidem erosio maiori ex parte ex nimia ſanguinis plenitudine, ac potiſſimùm cum is flatulentus fuerit, poteſt excitari: huiuſmodi autem plenitudo facilè colligitur ex grauitate corporis, ex tumore venarum, & aliis, de quibus ſæpe dixi: vtcunque autem ſit, ſciendum eſt, rupto aliquo vaſe, plerunque multum ſanguinem profundi.

Ruptio vaſorum.

Eroſio vaſorum.

Demum tunicæ vaſorum diuiduntur eroſione, quæ ſine multo labore à reliquis diuiſionibus poteſt diſtingui. Namque eroſio nunquam fit ſubitò & improuiſò, imò verò vt primùm aliqua erodens cauſa illam præcedat neceſſe eſt: exempli gratia, deſtillatio ſalſa, amara, acris, ſanguis vitioſus, venenum: ſanguis primò non copioſè & confertim, ſed parcè educitur, deinde verò temporis progreſſu grandiore facta eroſione, in maiori copia profunditur.

Apertio vaſorum.

Vaſorum ora aperiuntur potiſſimùm, quotieſcunque ſanguis vel nimiùm copioſus, vel mala qualitate, ac maximè calida, acri, mordente, præditus eſt: ad quem modum aliàs dixi profluuia ſanguinis è naribus prouenire.

Tranſcolatio.

Signa autem indicantia ſanguinis tranſcolationem ſunt; primùm, hic multus eſſe non poteſt neque craſſior, ſed neceſſariò tenuior, & qui ſeri cuiuſdam ſpeciem repræſentat, qualis per iecoris imbecillitatem vel renum aliquando conſpicitur: deinde debent neceſſariò præceſſiſſe cauſæ, quæ potuerint rarefacere & attenuare ipſa vaſa, & ſanguinem, ſicuti morbus diuturnus, morbus malignus, exquiſita & longior inedia, & alia id genus. Signa aliarum differentiarum ſunt manifeſta,

nifeſta, & aliter facilè poſſint intelligi: atque hactenus de ſignis ſputi ſanguinis; quæ ſciendum eſt ſæpenumero eſſe admodum incerta & obſcura: vnde quicumque hac in re minus quàm cæteri in errorem duci velit, is non vno aut altero ſigno debet contentus eſſe, ſed ſingula perpendere & inter ſe contingere, vt ſi fieri poteſt, priora poſterioribus conueniant ſuperioribus ſequentia reſpondeant, ex quibus deinde liceat certius iudicium facere.

Exemplum cui ſanguis ex capite profluxit.

Si quis cupit, quæcunque de ſignis hactenus tradita ſunt, in vnum colligere, atque in certa quædam capita referre, is ad tres quaſdam præcedentes, præſentes & ſequentes, tanquam ad tres fontes commodè omnia videtur poſſe deducere: id quod ad veſtram exercitationem vno vel altero exemplo mihi liceat illuſtrare. Si cui vel propter aërem calidiorem, vel propter aliam cauſam caput calidius redditum eſt, ſi ille vel grauitatem, vel dolorem, vel aliud malum capitis iamdiu perpeſſus eſt, ſi illi ſanguis ex naribus profluere ſolet: hæc præcedunt. Si ſanguis ſine tuſſi efferatur, vno tempore ille quoque ex naribus probeat, ſi percipiatur aliqua gutturis titillario; ſi ſanguis non eſt ater, conglobatus, ſpumoſus, ſi ſubitò prouenit, ſi facies eſt rubicunda, ſi illius venæ timidæ ſunt: hæc ſunt præſentia. Si demum ſanguine educto æger meliùs habet, & quæcunque mala affectio capitis ceſſat, hæc ſequuntur; vtique ex iis quaſi certò licet affirmare, ſanguinem è capite profluxiſſe.

Exemplum eroſi vaſis pulmonum. Methodus inquirendi locum affectum.

Rurſum ſi cui præceſſit deſtillatio ſalſa, ſi ſanguis per interualla primùm quidem exiguus tuſſiendo reiicitur, deinde verò illi ſine caſu ab alto, ſine inſigni vociferatione, exercitatione, aut ſine violenta corporis motione; multi ſanguinis eruptio cum tuſſi ſuperuenerit, ſi hic ſanguinis tenuis fuerit & coloratus, ſi nullus percipiatur dolor, ſi ſequatur febris, macies vniuerſi corporis, ſputum puris: ex iis pariter certò licet affirmare, eroſo aliquo vaſe pulmonis ſanguinem prodiiſſe: ſic in cæteris differentiis facilè vnuſquiſque ſe poteſt exercere.

In huiuſmodi autem inquiſitione diuiniſſima illa methodus principem locum videtur obtinere, qua ſummi omnes philoſophi & medici, præcipuè verò Plato & Galen. tantopere ſolent delectari, nempe vt propoſitis variis locis ad hanc rem pertinentibus vnius vel alterius negatione colligamus, ſputum ſanguinis ex hac vel illa parte, hac vel illa ratione factum fuiſſe. Exempli gratia, ſi quis de hac re conſultationem habiturus eſt, cum Gal. ad hunc modũ loquatur: Conuenit inter medicos, ſanguinem ex gula & ventriculo vomitione reiici; ex partibus quæ reſpirationi famulantur, per tuſſim; ex faucibus & gurgulione, excreatione, ex ore, ſimplici expuitione: In noſtro ægroto ſanguis educitur non ſimplici expuitione, nnn raſcatione, non vomitione, ſed tuſſi: Ergo ſanguis non ex ore, non ex faucibus, non ex ventriculo, ſed ex partibus ſpiritualibus prouenit. Quod item de vna vel altera thoracis parte, nec non de cauſis vaſorum, diuiſione, apertione, ſanguinis tranſcolatione, ac reliquis differentiis ſtatuendum eſt.

Curatio.

Sed ad curationem aggrediamur: antè verò quàm incipio, id primum mihi monendi eſtis, ad hunc locum pertinere & referenda eſſe quęcunque olim dixi de ratione ſiſtendi ſanguinis generaliter, quacunque ex parte, & quomodocunque ex noſtro corpore procedat, ſiquidem & ex communi methodo licet multa præcepta & remedia colligere, quæ ad hanc tractationem ſunt admodum accommodata. Deindè quoniam nimis longum, forte etiam inutile foret, ſingulas ſputi ſanguinis differentias curare, mihi ſtatutum eſt nonnullas duntaxat differentias ſeligere, quæ præ cæteris ſunt maioris momenti, ex quibus, vt ſpero, cuique licebit rationem intelligere, vnde reliquæ omnes differentiæ facilè poſſint curari. Itaque nos curabimus primò ſputum ſanguinis ex naribus prodeuntis; ſecundò, ſputum ſanguinis rupta, vel aperta vena pulmonis; tertiò, ſputum ſanguinis ſimul cum deſtillatione.

Prognoſticum.

Etſi verò ſunt nonnullæ differentiæ ſputi ſanguinis, quæ ferè nullum periculum videntur afferre, tamen ſcribunt Hip. & Gal. ſanguinem ſupra fieri, hoc eſt, per os, qualiſcunque ille fuerit, eſſe malum; veruntamen conuenit inter omnes, ſanguinem ex pulmone prodeuntem longè eſſe periculoſiſſimum, quem propterea Gal. malignum appellat 7. *aphor.* 15. 16. cui, vt docent aphoriſmi, ſputum puris, phthiſis & interitus ſolent ſuccedere. Etſi enim fuere nonnulli expoſitores aphoriſmorum, qui cenſuerunt ſputum ſanguinis ex pulmone poſſe curari, quotieſcunque æger non febricitauerit: tamen Galen. eorum ſententiam reprobat, qui docet 7. *apho.* 37. quantumuis nulla adſit febris, omnino periculum imminere, ne illud ſanari poſſit; quod ſi diutius ſymptoma perſeueret, tunc neceſſariò febrem ſuccedere.

Curatio ſputi ex capite profluentis.

Sed ipſam curationem aggrediamur, ac primùm de ſputo ſanguinis ex capite fluentis agendum eſt, in qua curatione id primum animaduertendum eſt, ne temere huiuſmodi fluxus cobibeatur; ſiquidem frequenter contingit, vt ille capitis dolorem & grauitatem ſubleuet, & cum maxima ægri vtilitate profluat, adeo vt ſi quis longiori tempore adſtringentibus medicamentis vtatur, ægri quandoque ad malas capitis affectiones, ad malas febres, & ad mortem deducantur: Quod ſi ſanguis ex capite fluens tam fuerit immoderatus, vt vires imbecillæ reddantur, vel, quod nonnunquam contingit, ſi ad pulmones deſcendat, ac periculum ſit, ne eo putreſcente pulmones in conſenſum ducantur & vlcerentur; tunc licet illius curationem aggredi.

Indicationes.

Præcipuè verò indicationes quæ ex communi tradita methodo ad hunc locum debent referri, duę ſunt: altera, vt ſanguis non feratur ad locum affectum: altera, vt locus apertus, per quem ille fluit, claudatur. Ad primam indicationem pertinent præſidia primò quæ reuellunt; ſecundò, quæ deriuant; tertiò, quæ animi deliquiũ inducunt: vltimò, quę refrigerant & adſtringunt: de quibus ſigillatim quàm breuiſſimè dicendum eſt.

Reuulſiones.

Ergo primùm omnia revulſionum genera conueniunt, extremarum partium frictiones ligaturæ, clyſteria, cucurbitulæ, lotiones ex aqua calidiore, propter aſcenſum vaporum ad partes ſuperiores, ſuſpectæ videntur, vt aliàs dixi: ſed inter cætera, ſectio venæ principem locum obtinet, quæ ſit cephalica, neque ſolum ſemel, ſed etiam bis, ter, ac ſæpius repetatur, docente Gal. revulſionem tanto efficaciorem eſſe quãto maiorem in numerum particulares detractiones auctæ fuerint, *de ſang. miſſ.* 12.

Deriuatio.

Secundò, ſanguis ad proximas partes deriuandus eſt, apertis venis narium, adhibitis hirudinibus poſt aures, poſitis ſcarificatis cucurbitulis in occipitio.

Inductio animi deliquij.

Tertiò, prohibetur, ne ſanguis ad locos apertos feratur, inducto animi deliquio, quòd vehementiſſimi dolores corporis, nec non inopinatæ & inſignes perturbationes animi potiſſimùm ſolent afferre.

Adſtringentia & refrigerantia.

Poſtremò, ad hanc indicationem pertinent medicamenta quæ refrigerandi & adſtringendi, vim habent, qualia ſunt ſyrupi de roſis ſiccis, de portulaca, conſerua roſarum, nenupharum, quibus licet addere bolum armenam, hypociſtidem, acaciam, gummi tragacanthi, &c. & quandoque ſi res vigeat, licet quoque ad

ſtupe

Electuarium.

ſtupefacientia medicamenta deuenire. Sint Exẽpla.

℞ *Conſerua roſarum.* ʒ. *iij.*
Acacia,
Hypociſtidos ana. ʒ. *ij.*
Gummi tragacanthi
Boli armenæ, ana. ℥. j.
Syrupi de roſis ſiccis,
de portulaca, ana. q. ſuf. M. f. Electuariũ.

Exemplum ſtupefacientis.

℞ *Philonij Romani* ℈. *ij.*
Conſerua roſarum. ʒ. j. *M. f. El.*

Quòd ſi demum fluxus ſanguinis fuerit diuturnior & vehementior, ac pendeat ex morbis maioris momenti, ex. gr. intemperie cerebri, iecoris, adeo vt validioribus quoque præſidiis ſit opus, tunc mihi maximè probaretur, vel ſerum lactis, potiſſimùm verò ex chalybe præceptum, vel aquæ thermarum frigidiores, Villenſes, Beatæ Virginis, Calderianæ, quas certum eſt non ſolùm tollẽdis intemperaturis calidis, ſed etiam roborandi partibus planè mirabilem operam ſæpius præſtare.

Validiora.

Victus ratio inſtituatur quæ refrigerandi vim habeat, ptiſana, alica, endiuia, lactuca, &c.

Curatio ſputi ex pulmonis rupto vaſe.
Reuulſio.

Sed ad ſputum ſanguinis, vaſe pulmonis, vel rupto, vel aperto, progrediamur. Cum enim vtraque hęc cauſa, ruptura & apertio, vel vnam & eandem, vel parum diſcrepantem curandi rationem requirat, non ſine ratione videntur ſimul poſſe coniungi, & curari. Sanguis igitur omnium primum quacunque ratione reuellendus eſt, ſed potiſſimùm ſecta vena interna cubiti, quæ ſine vlla dilatione incidenda eſt, vt, ſi fieri poteſt, imminentis inflammationis periculum fugiamus: ſiquidem, vt ſcribit Galenus 5. *method* 8. ſi ea ſemel hominem inuaſerit, vel admodum exigua, vel potius nulla vlceris glutinandi ſpes ſupereſt. Cum enim ſoluta inflammatione vlceris ſanies neceſſariò expurganda ſit, hæc autem non aliter quàm per tuſſim poſſit expurgari, vtique facile eſt intelligere, quamobrem eiuſmodi vlcera vel difficillimè, vel nullo modo poſſint curari: ſiquidem ex vna parte foret neceſſe, ægrum prorſus quieſcere, in perpetuo ſilentio verſari, ac ſenſim reſpirare: ex altera autem fieri alteri non poteſt, quin per tuſſim pulmones moueantur, atque ægrè partes lacerẽtur. Quamobrem cum omnis procraſtinatio ſit valde periculoſa, ſtatim cum Galeno loco citato, à ſectione venæ curationem incipere oportet, & vna & eadem die bis, ter exempli gratia, bis manè, ſemel veſpere ſanguis detrahendus eſt: neque ſolùm prima die, ſed etiam altera, maximè vtile fuerit rurſum è vena inciſa parum ſanguinis detrahere, dummodo æger tot repetitas vacuationes bene poſſit perferre. Poſt hæc ad vnionem & conſolidationem vaſorum veniendum eſt, ſed primùm commodum aliquod medicamentum ægrotis oportet exhibere, vt ſi quis in viſcere thrombus, id eſt, ſanguis concretus lateat, diſſolutus exponatur, quale eſt poſca, tum diluta, tum tepida potui oblata, quam Gal. laudat bis terue ternis horis, offerendam eſſe.

Sanguinem concretum diſſoluentia.

Medicamenta conſolidantia.

Quatenus verò pertinet ad vaſorũ conſolidationem, ſiue illa aperta, ſiue rupta fuerint, etſi certum eſt, hoc potiſſimum naturæ munus eſſe, tamen neque negandum eſt, illam quoque à Medico iuuari, qui primum ſtudet omnia auferre, ex. gr. copiam, vitium, fluxionem humorum, & quæcunque ſunt naturæ impedimento, quo minus poſſit apertum vel ruptum vas conglutire: deinde commodis medicamentis illi ſuccurrit, quæ nimirum refrigerandi & adſtringendi facultate, præterea etiam quodam lentore prędita ſunt, quę propterea emplaſtica dicuntur, vnde valent naturæ cum primis beneficio omnem vaſorum apertionem, ruptionẽ, & diuiſionem contingere & conſolidare, qualia ſunt roſæ, bolus armena, terra Lemnia, lapis hæmatites, acacia, hypociſthis, gummi tragacanthum & alia id genus quamplurima, de quibus agit Gal. 5 *meth* nec non 4. & 5. *de ſimp. med.* Apud nos, & noſtros aromatarios vulgaria ſunt medicamenta compoſita, ſyrupus roſaceus, de roſis ſiccis, myrthinus, & de portulaca, troch. de ſpadio, de terra Lemnia, de ſuccino, &c. Sed inter cætera, conſerua roſatum videtur conſenſu omnium inſignem prærogatiuam habere.

Verùm circa compoſitionem & vſum horum medicamentorum minimè eſt prætermittendum Galeni præceptum, *de conſt. artis med.* 17. 7. *med. loc. cap.* 4. 4. *med.* 7. vt ſumpta indicatione à ſitu partis laborantis perpetuò illis miſceantur medicamenta tum calida, tum tenuium partium; tametſi hæc alioqui apertioni & ruptioni vaſorum ſunt infeſtiſſima, nimirum vt faciliùs in corpus ad thoracem poſſint diſtribui. Namque cum ex vna parte medicamenta frigida, adſtringentia ac viſcida ſibi ipſis vias præcludant, ex altera autem longo itinere opus ſit, antequam ex ventriculo ad thoracem perueniant; propterea neceſſaria eſt mixtio medicamenti calidioris & tenuioris, quod tanquam vehiculum poſſit illis viam ſternere & præparare. Inter cætera autem medicamenta calida & tenuium partium, quæ omnibus medicamentis, ad thoracis pulmoniſque vlcera deſtinatis, vtiliter miſcentur, Galenus 3. *method.* citato, vſum mellis maximè probat, quod inquit cæteris eſſe veluti vehiculum, neque vlceribus nocere. Etſi verò cum apud cæteros, tum maximè apud Galenum ſunt plurima exempla horum medicamentorum, quæ optimùm foret ad vſum reuocare, tamen & noſtra quoque exempla habetis.

Electuaria ſanguinem ſiſtentia.

℞ *Radicũ ſymphiti decoct. in aqua portulacæ,*
Saccari roſacei antiqui, ana. ℥. *ij.*
Coralliorum rubeorum, ana. ʒ. j.
Balauſtiarum,
Roſarum,
Gummi arab.
Tragacanthi,
Boli armenæ,
Terra ſigillata,
Syrupi roſati, q ſuff. M. Electuarium.

Si quis velit medicamentum compendioſius, ſit exemplum.

℞ *Conſerua roſarum antiqua.* ℥. *ij.*
Boli armenæ,
Coral. rub.
Seminum plantag. ana. ʒ. ß.
Syrupi myrthini,
De farfara, ana. q. ſuff. M. f. Electuarium.

Cæterum docet Gal. *meth.* 13. quandoque etiam ad medicamenta ſtupefacientia veniendum eſſe, tametſi illa alioqui nulla ratione videntur conuenire: ſiquidem, ille inquit, altiorem ſomnum ac ſoporem inducunt, & commodiſſima ſunt iis qui à tuſſi lancinantur, ſiſtentia nimirum ſanguinem, qui ad malè affectum vas defertur. Quo loco arguẽdi ſunt communiter practicantes, qui neglecta ſententia Gal. & veteri auctoritate omnibus ſanguinem ſpuentibus hyoſciamum, ſemina cicutæ, opium, & alia id genus ſtupefacientia tam frequenter ſolent exhibere: hoc tempore nunquam audent illis vti. Neque verò ſolùm per ea quæ ore accipiuntur, ſed etiam per ea quę extra adminiſtrantur, Gal. tentabat ſanguinem compeſcere: quare docet æſtate quidẽ oleo melino, vel roſaceo; hyeme verò nardino vnguẽto pectus vndiq; perfundendũ eſſe: ſicuti etiã probat medicamentum ex bitumine, aceto. &c. quod barbarum vocant, 2. *med. ſecund. genera:* vel in mobilibus corporibus medicamentũ ex chalcitide.

Error practicantium.

1. *med. ſecun. genera*: quod *diachaleitheos* dicitur, de quorum compoſitione & viribus videatis Gal. locis citatis. Atque hæc qoidem ſummarim eſt ratio tradita à Galeno curandi ſputum ſanguinis, quod à rupto vel aperto vaſe pulmonis originem habet, de qua ſunt nonnullæ dubitationes.

Quando poſca vtiliter prabeatur.

Primò nonnulli Galenum arguuot, quòd poſca vſus fuerit, quæ ratione aceti vlceratas pulmonis partes videtur magis poſſe exaſperare & irritare, quàm vllo modo iuuare. Sed iis facile eſt reſpondere, etenim cum ſanguis concretus, atque in thrombum coouerſus ſoleat grauiſſima ſymptomata, afferre, vt non immeritò inter venena reponatur, nulli dubium eſſe debet, quin ille ante omnia diſſoluendus, atque ex thorace purgandus ſit: ſed cum medicameota ad diſſoluendos huiuſmodi grumos & thrombos accommodata, neceſſariò ſint acria, incidentia, extenuantia, qualia ſunt byſſopos, ſatureia, coagulum hœdi vel leporis, & alia id genus, ſi diligenter ſingula conſiderentur, forte nullum facilius ac tutius poſca licet inuenire, ac potiſſimùm ſi ea diluta exhibentur, nempe vt plurimum aquæ, minimum aceti miſceatur, ac talis ſit miſtio vtriuſque, vt potui ſit iucunda, qualem ſani homines ſæpenumero bibere ſolent. Quod ſi cui poſca videatur omuino poſſe aliquod periculum afferre, is ſciat longè maiorem vtilitatem thrombo ſanguinis diſſoluto ſequuturam eſſe, ac memoria repetat quod ſcriptum reliquit Gal. 11. *metho.* 11. difficulter aliquod remedium inueniri, quod citra vllam noxam magnifice proſit.

An extrema refrigerantia proſint.

Deinde eſt dubitatio de adſtringentibus medicamentis, oleo roſaceo, melino & cæteris thoraci impoſitis, quæ pariter minùs videntur conuenire, cum periculum ſit, ne medicamenta repellendi facultate prædita, ſint iocauſa vt pulmones adhuc magis ſanguine repleantur; de qüo periculo Galenus ſcribit ad hunc modum 5. *meth.* 6. At verò quę extrinſecùs admouentur, tum aſtringentia, tum citra adſtrictionem frigida, hæc ipſe, veluti plerique medicorum, non vbique probo, ſed mihi omnino contra quàm res fieri poſtulat, ipſum ſanguinem intro compellere, ac venas, quæ io alto ſunt, implere videntur: vidimus enim quoſdam, qui ex pulmonibus reiecerent ſanguinem ex thorace refrigerato manifeſtè læſos fuiſſe. Quæ ferè eadem verba repetuntur de conſt. *artis med.* 17. Sed prætetea nonnulli contendunt, hæc medicamenta ad thoracem fruſtra adhiberi, quòd eorum vis ad pulmones, qui à thorace ſunt ſeparati, oequeat peruenire. Verùm breuiter reſpondeatis, & primùm Galen. noo ſimpliciter & abſolutè vſum externorum medicamentorum refrigerantium improbare, ſed tantummòdo ſi importunè exhibeantur: quod verba ſequentia planè demonſtrant. Ego neque omnino, oeque ſine diſcrimioe, neque omni tempore, loca quæ circa particulam poſita ſunt, vnde ſanguis profluit, refrigeranda ſuaſerim, imo poſteaquam ad alia ſit facta reuulſio: & quæ ſequiotur. At ſanè ſi quis talibus medicamentis opportuno tempore vtatur, hoc eſt, poſt generalem totius corporis vacuationem, reuulſionem & derinationem; tunc non ſolùm nullum periculum afferre, ſed etiam quoquo modo vlcera iuuare, & ſanguinem compeſcere poſſunt Itaque Gal. non refrigerantia & repellentia medicamenta, ſed importunum eorum vſum vituperat. Veruntameo id ſciendum eſt, & in ſputo ſanguinis, & in omnibus affectibus thoracis, à nimio & frequenti vſu refrigerantium, & adſtringentium medicamentorum perpetuò abſtinendum eſſe, quæ inter cætera pericula id valens efficere, vt muſculi pectoris admodum reddantur debiles, ex quo deinceps difficulter, quæ io thorace continentur, poſſunt expurgari. Quomodo autem medicamenta externa thoraci impoſita, poſſint pulmonibus ſuam vim communicare. Reſpoodeatis voo verbo id fieri mediis ligamentis, per quæ anatomini docent pulmones thoraci coniungi & copulari.

Curatio hæmoptyſis ex deſtillatione.

Iam verò ſputi ſanguinis, cui ſit coniuncta deſtillatio, curationem aggrediamur. Quo primo loco illud inquirendum eſt, quot modis deſtillatio ſputum ſanguinis poſſit inducere, quod neque a Galeno, neque à cæteris ſatis videtur explicari. Ego verò cenſeo duplici potiſſimùm ratione id fieri poſſe: vna propter copioſam deſtillationem, ac vehementiam tuſſis, vnde vaſa diſtenduntur & rumpuntur: altera, quòd deſtillatio ſit ſalſa, amara, vel alia qualitate infecta, quæ erodendi vim habeat. De prima tractat Gal. 5. *meth.* 13. vbi narrat hiſtoriam curationis adhibitæ cuidam ſplendidæ Romanæ mulieri, quæ ex catarrho cœpit ſanguinem ſpuere: etſi non ignoto, Alexand. Trallianum, & alios veteres, Altimarum, Triocauellium, & receotiores prope omnes hanc hiſtoriam interpretari, ac ſi hæc mulier ob ſalſam deſtillationem vena eroſa ſanguinem rejecerit; quæ quidem interpretatio mihi tam videtur abſurda, & à Galen mente aliena, quàm quæ abſurdiſſima & alieniſſima. Et quanquam facile vnuſquiſque (ni fallor) iſtud fatebitur, quicunque ad ſeriem illius narrationis vel parum voluerit animum adhibere, in qua nulla ſalſæ deſtillationis aut venæ eroſæ ſit mentio: tamen neque deſunt euidentiſſimæ rationes, quæ id poſſunt cuique non ſolùm confirmare ſed etiam perſuadere, vt certè mirum ſit, quomodo tot prudeotes & docti viri, in re alioqui perſpicua tam turpiter ſint hallucinati. Sed noa ſingulas huius narrationis & curationis capita breuiter perpendamus. *Mulier* (inquit Gal.) *ſiue ex catarrho, ſiue ex vehemente tuſſi paululum quiddam ſanguinis per noctem expuerat*. Hic nulla ſalſæ atquę erodentis deſtillationis ſit mentio quam certè rem tanti momenti vir, ſi quis alius, diligentiſſimus minimè prætermiſiſſet, qui multo leuiora nó prætermitti. Quæſo autem quomodo hæc deſtillatio potuit ſalſa eſſe, & tã breui venæ eroſionem efficere, cum mulier ferè improuiſo pòſt quatriduum cœpiſſet ſanguinem expuere? ſiquidem huiuſmodi deſtillatiooes minimè tã breui tẽpore, ſed poſt multos, non ſolùm dies, ſed etiam menſes, ſoleant ſputum ſanguinis præcedere. Hoc ipſum confirmat magnum Hippocratis argumeotum, curatio, quæ in ſumma eſt huiuſmodi. Namque Gal. qui huic mulieri non eſt auſus venam ſecare, propterea quod iam quatriduum propter catarrhum propemodum ſine cibo egiſſet, primùm iuſſit vt clyſtere acri vteretur, deinde & crura manuſque calefaciente pharmaco plurimũ fricaret & vinciret, mox caput raderet, atque illi medicamentum imponeret quod ex palumbiũ ſtercore conſtat: poſt hæc cum mulier eſſet dormitura, theriacam dedit, circiter quatuor menſes antè confectam, quo tempore propter prę-
ualentem ſuccum papaueris, medicamentum po-
teſt & ſonnum cõciliare, & fluxiones tum ſiccare, II.
tum leuiter craſſiores reddere. Finito autem prorſus catarrho, cum Gal. ex reſpiratione & certis indiciis deprehendiſſet, pulmonem purgatione indigere die ſecunda, ſeruata muliere in omni quiete
& ſilentio, repetitis frictionibus & vinculis, forte
etiam clyſtere, veſpere theriaca vſus eſt: die tertia III.
coctũ mel illi copioſè propinauit: die quarta manè IV.
theriacam dedit, poſt recentem, ſed quæ iam ſummum vigorem adepta fuerat, capiti mulieris idem pharmacum impoſuit, quod valenter tum calefaciendi, tũ ſiccãdi facultate præditum eſt: die quinta

r. valétius pulmonem purgare aggreſſus eſt, ac deinde rurſum ex interuallo eodem cerato quod thapſiam recipit, capiti impoſito vſus eſt: atque his præſidiis mulier rectè ſe habuit, neque opera lactis opus habuit. Hæc ſumma eſt curationis quam Gal. ſcribit, ſe Romanæ mulieri adhibuiſſe; quæ quidem mihi videtur tantum abeſſe à legitima ratione curandi ſputum ſanguinis quod propter falsã deſtillationem atque eroſioné venæ factum fuerit, vt & potius contrà videatur & morbos & ſymptomata, & omnia mala poſſe augere; id quod fiet adhuc manifeſtius. cũ paulò pòſt ex eodem Gal. de huiuſmodi ſputi ſanguinis curatione tractabitur? ſed rei euentus omni luce clariùs noſtram ſententiam confirmat, quandoquidem ex hac narratione manifeſtè & certò colligitur, catarrhum prima die prorſus finiiſſe, ac deinceps mulierem pauciſſimis diebus bene habuiſſe, & priſtinam ſalutem recuperaſſe. Namque puto conſtare inter omnes, ſalſam

6 epid 3 18 atque erodentem deſtillationé, quam Gal. quádoque malignam appellat, vix poſſe tam celeriter & vna die terminari, nec non ſputũ ſanguinis ex venæ eroſione ortum quod Gal. auctore, nullam recipit curationé poſſe tam facilè ac momento temporis curari. Sputum factum ex corroſione eſt prauæ curæ & difficilis, & eſt quaſi illud, de quo deſperatur: non enim ſanatur, niſi cum remotione malitiæ complexionis, & iſtud non fit in tempore, inquit Auicenna: de qua re, alioquin manifeſta, nõ eſt longiùs agendum Cæterum ex numero eorum, qui ſenſum huius hiſtoriæ, & Galen. mentem non ſunt aſſecuti Auicenna excipiendus eſt, qui tradẽs rationem curandi ſputi ſanguinis ſecundùm varias illius differentias, de ſputo ſanguinis ex deſtillatione hæc habet 10.3. *tract.3.cap.* 6. *Cum accidit ſputũ ſanguinis ex catarrho, & non eſt catarrhus acutus valde & cholericus, phlebotometur homo*, &c. Paulò pòſt: *Et cũ non valent ea, quæ diximus, non eſt excuſatio cura catarrhi & retentionis eius cum iis, quæ ſunt ſicut abraſio capitis, & adminiſtratio emplaſtri facti ex ſtercore columbino, &c.* Et Galenus quidem dixit, quòd mulieri ſputum ſanguinis aduenit ex catarrho. quam cliſterizauit clyſtere acuto, &c. qui hanc totam hiſtoriam & curationem accuratè deſcribit, ac demum concludit: *Et hoc regimen eſt bonum, &c.* Ex quibus facile vnuſquiſque poteſt intelligere, Auic. hac in re verum Gal. interpretem fuiſſe. Ex numero malorum interpretum Leonicenus quoque & Iacobus inter recentiores excipiendus eſt, qui docet, mulierem propter catarrhum minimè ſalſum & erodentem, ſed potius frigidum & humidum, ſanguinem expuiſſe.

Excuſatur Gal. aduerſus Trallianum. Quod ſi ita hæc ſe res habet, vt mea quidem ſententia certum eſt, illam ſe habere, ſatis cuique poteſt conſtare, quàm temere & nulla ratione Galen. à nonnullis & potiſſimum Alexandro reprehendatur, quaſi in curanda ea muliere præter methodum, & medicamento ex thapſia, & theriaca, & aliis præſidiis vſus fuerit, quæ tum corpus vniuerſum, tum ſpeciatim caput adhuc magis poſſunt calefacere, ſiccare, & deſtillationem augere: nec non quàm fruſtra & inutiliter Altimarus & alij operam perdant, vt Gal. tueantur, cum reuera nihil ſit reprehenſione dignum, & ſumma cum ratione dicta remedia fuerint inſtituta, ſicut euentus confirmauit. Sed redeamus ad rem.

Hæc hiſtoria, tanquam illuſtre quoddam exemplum, ſatis cuique eſſe poteſt pro curatione ſputi ſanguinis, quod ſimpliciter ex deſtillatione prouenіat, quæ in ſumma vacuationem totius corporis, ad reuulſionem, ad purgationem thoracis, ac poſtremò ad tollendos morbos partium ac potiſſimùm cerebri, poteſt referri: quæ quidem indicationes cum ex narratione Galeni manifeſtiſſimè poſſint colligi, non indigent longiori explicatione. Atque hactenus de ſputo ſanguinis ex nimia deſtillatione.

Si verò ſecundo modo ſputum ſanguinis propter erodentem deſtillationem contingat, de hoc pariter agit Galen. 5. *metho.* 14. & in hoc caſu præter communes indicationes, peculiaris ſeſe offert indicatio, regenerandi partem eroſam & deperditam: hoc autem præſtant, vt Galen. docet 7. *med. ſec. loc.* partim alimenta boni ſucci, qualia forent alica, ptiſana, lac, & quæ ex lacte conficiuntur, partim medicamenta carnem gignentia, quæ ob id ſarcotica dicuntur, qualia ſunt thus, maſtix, &c. *Curatio ſputi, ab erodente deſtillatione.*

℞ *Conſ. roſarum.* ℥. ij.
Radicum conſolidæ collar. ℥. j
Maſtichis,
Thuris, ana ʒ. ij.
Hypociſtidos.
Balauſtiorum ana. ʒ. j.
Syrupi de farfara q. ſuff, M. f. Electuarium. *Elect. conſolida.*

Sed hoc loco ſciendum eſt ex Galeno 5. *meth.* 14. cùm omnem eroſionem, qualiſcunque ea fuerit, difficile ſanari, tam maximè illos qui ex vitioſi ſucci eroſione vlcus in pulmone habent, quorum aliqui ſibi videntur veluti ſalſilaginem quandam ſputa ſua guſtare, prorſus inſanabiles eſſe. Cum enim ad corrigendum ſucci vitium multo omnino tempore opus ſit, interea vt duorum alterum eueniat, neceſſe eſt, nempe vel vt ſiccando vlcus, quidàm veluti callus fiat, atque ita illud planè euadat inſanabile: vel non ſiccando, vt tum ipſum putreſcat, tum quæ circa ſunt, depaſcat, atque ita temporis ſpatio pulmones putrefaciat.

Poſt hæc Galen. agit de iis, qui vitioſis humoribus referti, deſtillatione ac tuſſi laborant, ſed tamen nondum ſanguinem reiiciunt, quæ tractatio etſi reuera non videtur ad hunc locum pertinere, minimè eſt prætermittenda, cum ſit digna maxima notatione. *Præſeruatio à ſput ſang.*

Itaque Gal. docet ſummam huius curationis, aut veriùs prouidentiæ, in eo conſiſtere, vt ægri neque tuſſiant, nequè ex capite aliquid in pulmones defluat: hoc autem licet præcauere triplici præſidio; primo, purgatione; ſecundo, ſtupefaciente medicamento, quale eſt diaſpermatum; tertio, prouidendo ipſi capiti. Quatenus ad purgationem pertinet pluribus redundantibus vitioſis humoribus, medicamento quoque opus eſt, quod diuerſas facultates habeat, & ad purgandas plures excrementorum ſpecies ſit accommodatum, quales ſunt pilulæ quæ ex aloë, ſcammonio, colocynthide, agarico, bdello, gũmi Arabico cõficiuntur. Sed quid de ſectione venæ ſentiendum eſt? Multi cenſent, eam eſſe prætermittendam, quòd hæc corpora acrioribus humoribus redondent ſint calida & ſicca, gracilia, atque ad ſputum ſanguinis, febrem hecticam & phthiſin quàm maximè parata: Galenus verò aliter ſentit, qui ſcribit ad hunc modum, ad finem capitis. *Cæterum de mittendo iis ſanguine, ſcire illud licet, quicunque parũ habere ſanguinis videbuntur, iis ad ſuccum probiorem deductis, ſanguinem detrahere poteris, tum rurſum reficere, eoſdem etiã rurſũ purgare, ac rurſũ reficere, denuoque ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſſimùm quibus veluti limus vitioſus & craſſus totus eſt ſanguis: at qui validi ſunt multique ſanguinis, iis ſtatim principio eſt detrahendus.* Ex quo loco prorſus notabili, facile eſt intelligere, quàm doctrina Gal. ſit illuſtris atque ille perpetuò ſibi conſentiat: etenim cũ intelligeret, ſputum ſanguinis ac morbi

magnitu

magnitudinem imminere, qui ſcopus ab Hippocrate iam diu ſtatutus fuerat detrahendi ſanguinis, & adhibendæ purgationis, ſtatim ſe ad conſiderationem virium conuertit? vnde cum ex vna parte morbi magnitudo miſſionẽ ſanguinis indicaret, ex altera vires propter redundantiam vitioſi ſucci minus viderentur conſtare, ita ſtatuit, vt quicunque parum ſanguinis habere, atque adeo debiliores eſſe videntur, quàm vt id remedium ferre poſſint, primùm ad generationem probi ſanguinis deducantur, deinde illis ſanguis detrahatur, neque id ſolum ſemel fiat, ſed etiam bis, ter, ac ſæpius, nempe ea ratione quam per epicraſin vocat 12. *meth.* 8. at qui multo ſanguine redundant, validaſque habent vires, iis ſtatim à principio ſanguinem detrahendum eſſe.

Atque hinc pariter licet nobis argumentum colligere aduerſus illos, qui contendunt, ab vna ſanguinis copia miſſionem ſanguinis indicari: ſiquidem Galenus manifeſtè hiſce ęgrotis, qui habent parum ſanguinis, non veretur ſanguinem mittere.

Contradictio Galeni

Secundum fuerat præſidium præcauendi, vt neque ægri tuſſiant, neque aliquid ex capite in pulmonem defluat, per medicamenta ſtupefacientia. Cum enim ſi humores ſint tenuiores, calidiores, & acriores, vnde facile poſſunt ad ſubiectas partes fluere, & tuſſim excitare, nulli dubium eſt, quin hæc medicamenta valeant eorum tenuitatem, caliditatem, acredinem remittere, & fluxionem compeſcere. Poſtremò autem Galenus docet, capiti prouidendum eſſe vſu cerati, facti ex thapſia, quod quidem præſidium multas continet difficultates. Cum enim ſit veriſimile, vel potius neceſſarium eiuſmodi humores acres, ſalſos, erodentes, ex calida & ſicca intemperie capitis ortum ducere, facile eſt intelligere medicamentum calefaciendi & ſiccandi vi præditum, quale eſt quod ex thapſia conficitur, non ſolum non conuenire, ſed etiam morbũ poſſe augere, id quod ab ipſo quoque Galeno traditum eſt *6. de tuenda val.* 9. qui docet calidam & ſiccam capitis intemperiem remediis frigidis & humidis corrigendam eſſe, ac nominatim reprehendit medicos & quicunque medicamentum ex thapſia, & ſynapi, ad caput ſolent apponere, *quoniam*, inquit, *ſi ex calida intemperie caput male habet, talia medicamẽta nocent: expediat igitur hoc frequenter balneo potabilis aqua fouere, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, enocentur, & totũ capitis temperamentum melius reddamus*, &c. quæ ſententia habetur *2. de med. ſecundum locos, & lib. 7. cap.* 1. Vnde inter cæteros Alexander miratur, quomodo diuiniſſimus Gal. nullo humectante, & refrigerante medicamento vtatur, ſed contra ſtatim ab initio ad ſiccantia & calefacientia deueniat, quæ valent caput intemperatum adhuc intemperatius reddere, & ea quæ in thorace ſunt, acriora efficere. Hic nodus admodum videtur difficilis ad expediendum: nonnulli reſpondent, huiuſmodi vitioſos humores vel ab aliqua parte, vel ab vniuerſo corpore in caput deferri, neque illud calida intẽperie laborare: quod quidem vix, aut, ne vix quidem exiſtimo fieri poſſe. Alij aliter reſpondent. Ego verò cenſeo reſpondendum eſſe, Gal. *libr. de tuenda val.* vni corrigendæ intemperaturæ intentum fuiſſe, ac proterea ſumma cum ratione, ex vna parte medicamentum ex thapſia & omnia calidiora improbare, ex altera autem frigidiorib. vti, quæ, vt ille inquit, poſſunt totum capitis temperamentum melius reddere: at verò lib. *meth. med* capitis intemperiem propemodum neglexiſſe, atque ad vnum ſymptoma, nempe ad impediendam tuſſim, & fluxionem materiæ ad thoracem reſpexiſſe; quod quidem ipſo Gal. auctore 12. *meth.* 1. faciendum eſt, quotieſcunque ſymptomata valde vrgent, ſicut contingit in præſentia; vnde cum pluribus congeſtis humoribus vitioſis, ſalſis & erodendi vi præditis, grauiſſima ac ferè inſanabilia mala imminerent, ſputum ſanguinis, febris hectica, phthiſis, illi tuſſim efficerent, atque in thoracem defluerent. Galenus eam rationem complexus eſt, quæ non ſolùm præcipua, ſed forte etiam vnica reſtabat, vt tam certa pericula poſſent pręcaueri; ea verò eſt, vt eiuſmodi humores reuellantur, neque ad partes ſubiectas deſcendant, quod inter cætera medicamenta ex thapſia, vel quæ nobis ſunt familiaria, veſicatoria, ſynapiſmata, & cauteria, quam maximè ſolẽt pręſtare, etſi enim hæc calida medicamenta interea poſſunt calidã capitis intemperiem agere, tamen ſperandum eſt, longè maius commodum cohibita deſtillatione, quàm incommodum aucta intemperie ſequuturum eſſe, cum potiſſimum ægro ab imminente pernicie ſeruato, liceat deinde ipſam quoque intemperiem corrigere; ſicuti videmus Galenum feciſſe, qui poſt vſum calidioris medicamenti docet ægrum ſalubriter reficiendum eſſe alimentis boni ſucci, frictionibus, inambulatione, balneo, quaſi hac ratione deinceps velit ipſam quoque intemperiem corrigere. Itaque Galenus in morbo calido medicamento calido vtens, vnius ſymptomatis videtur rationem habuiſſe, quod Medici faciunt ſæpenumero, qui, exempli gratia, in dyſenteria ad leniendum dolorem infundunt ſeuum hircinum, oleum roſaceum, & ſimilia quæ vlceri ſunt inimica: ſic in dolore colico medicamentis ſtupefacientibus vtuntur, quæ pariter intemperiem inteſtinorum poſſunt augere, ſic alia multa non de ſunt exempla, de quibus longius agendum non eſt. Atque hactenus de ſputo.

Cur olea in dyſenteria adhibeantur.

Capvt VII.

De Phthiſi.

Nomen.

Qvoniam frequẽter, vt ſcribit Hipp. 7. *apho.* 15. 16. ſanguis ſputo puris ſputũ & phthiſis ſuccedunt, idcirco poſt ſputum ſanguinis de phthiſi agendum eſt. Hæc vox Græcis dupliter accipitur, vt notat Galenus 1. *epid.* 2 13. 3. *apho.* 10. 7. *apho.* 16. Vno modo pro omni corporis extenuatione & macie, quomodocunque contingat corpus extenuari & tabeſcere: altero magis propriè pro illo affectu, cum totius corporis extenuatio & macies fit, propter inſanabilia vlcera pulmonis, cui febris hectica neceſſariò coniungitur. Nos autẽ prætermiſſa priore & communi ſignificatione, de poſteriori tantùm ac propria agemus inpræſentia. Larini interpretes *φθίσιν tabem* conuertunt, ſed fortè præſtat Græcam vocem retinere; ſiquidem iam vidimus, tabem omnem corporis maciem comprehendere.

Verùm & illud ſciendũ eſt, vt idẽ notat Gal. 1. *epid.* 1. 18. 4. *apho.* 8. veteres medicos *phthiſicos* appellare cõſueuiſſe, non ſolum qui phthiſi laborabãt ſed etiam illos qui ad phthiſim parati ſunt, quales maximè ſunt, quicũque ſunt adeo anguſto & ſtricto thorace, vt à tergo inſtar alarum auium ſcapulę promineant, ſecundùm Auicen. 2. 3. 4. 20. deinde quibus caput facilè impletur, quódque inſtrumentis ſpiritus multas deſtillationes tranſmittit: quod ſi ambo, & figura thoracis, & imbecillitas capitis ſimul conueniant, eæ naturæ omnium maximè phthiſi obnoxiæ ſunt. Phthiſis apud Aëtium, Auicennam, & veteres prope omnes, exulceratio pulmonis: at verò Hippocrates & Galenus, ſi attẽtè eorum verba conſiderentur, videntur aliter

Digitized by Google

entire 7. *aph.* 15. 16 Nam Hippocrates ita docet à ſanguinis ſputo, puris ſputū, à puris ſputo phthiſis: quòd ſi phtiſis ſequitur ſputū puris, & hoc phthiſim præcedit, ſatis conſtat, phthiſim ab vlcere pulmonis diuerſam eſſe. Sic Gal. Hippocratem interpretatur, atque idem confirmat manifeſtiſſimè, qui ſcribit ad hunc modum *com. apho.* 16. *Quam peculiariter Græci, ac maximo Athenienſes phthoon appellant, eam nunc Hipp phthiſio nominauit, cum propter inſanabilia pulmonis vlcera totius corporis attenuatio fit & macies, cū debili febre coniuncta.* Itaque phthiſis non aliud eſt, quàm malus habitus, & ſumma extenuatio totius corporis cum febre hectica & reliquis ſymptomatibus, de quibus ſtatim ſermonem habebimus. Vnde qui docent, phthiſin eſſe vlcus pulmonis, potiùs cauſam phthiſis, quàm phthiſin videntur explicare.

Cauſa. Differentiæ phthiſis variæ poſſunt afferri, ſed illæ præcipuæ eſſe videntur, quæ ſumuntur à cauſis, neque ſolùm ab vlcere pulmonis, quod illud ſit vel paruum, vel magnum, vel corrodens, vel ſine corroſione, vel alterius conditionis, ſed etiam ab iis quæ vlcus in pulmone poſſunt excitare: namque id poteſt fieri, vel ex ſalſa capitis diſtillatione, vel ex vitioſis humoribus, qui in toto corpore cōtinentur, vel ex pure contento in thorace & ſuppuratione, vel ex ſumpto erodente veneno, vel demum maligno & latente iure hæreditario: ad quem modum ſæpe videmus totas familias miſerè phthiſicas fieri & mori. *Signa futuræ phthiſis.* Signa quæ futuram phthiſin denuntiant, diligentiſſime ſunt animaduertenda, vt ſi fieri poteſt, tam pernicioſus morbus præcaueatur. Primum ſumitur ex corporum præparatione, de qua ex Gal dictum eſt. Secundum ex ætate, de qua Hip. 5. *apho.* 9. Tabes fiunt maximè ab anno 18. vſque ad 35. huius rationem docet Gal. 5. *apho.* 29. qui loquit iſtud minimè ratione ætatis cōtingere, ſed potius propter multos & graues errores, quos in tali ætate conſtituti in victus ratione cōmittunt: ſiquidē homines huius ætatis ſaltant, currunt, venationē & alia immoderati laboris genera exercent, vnde accidit venas diſrūpi, ex quo poſtea & ſputū ſanguinis ſolet ſuccedere. Sed Philotheus auctor, Græcus, in *com. aph. Hip.* alias quoque rationes adiungit, quòd nimirum in adoleſcentibus ſanguis ſit copioſus, quo repleta vaſa tenduntur & rumpūtur: in iuuenib. verò ſit quòd ſit redundātia ſanguinis bilioſioris & acrioris, qui & ſanguinis ſputitionem & phthiſin valet excitare. Tertiò hæc ſigna colliguntur ex aëre & tempore anni, vnde in conſtitutione inæquali, ac potiſſimùm autumno phthiſis frequenter contingit, vt colligitur ex Hip. & Gal. 3. *aph* 10. & 22. quod ſine dubio in temporis & aëris inæqualitatem nec non imbecillitatē caloris naturalis referēdū eſt. Quartò colliguntur hæc ſigna ex quibuſdā cauſis præcedentib. exēpli gratia, ſi parentes, ſi fratres, phthiſi laborarunt, ſi diſtillatio acris & ſalſa diutius perſeueret, ſi præcedat ſputum ſanguinis, ſuppuratio: hæc omnia futuram phthiſin poſſunt denunciare. Poſtremò hæc ſigna accipiuntur ex mediis quibuſdam diſpoſitionib. & ſymptomatib. veluti ſi videamus rebelles quaſdam & moleſtiſſimas tuſſes. ſi ægri in regione thoracis nonnullos dolores pungitiuos percipiant, ſi difficilem habeant ſpirationem: hinc enim licet colligere, iam materiam petere tunicas pulmonis, & periculum imminere, ne ille erodatur. Apud Auic. eſt peculiare caput de præparatis ad phthiſin, 10. 3. *tract.* 4. 20.

Signa præſentis phthiſis. I. Signum. Secundò loco ſunt ſigna quæ præſentem phthiſin demonſtrant, quæ tria potiſſimum ſunt ex Gal. 7. *aph.* 16. Primum eſt vlcus pulmonis, cuius maniſeſtiſſimum & certiſſimum eſt ſignum, pus quod per tuſſim reiicitur. Sed quoniam pituita interdum craſſa eſt, admodum ſimilis puri, adeo vt medici frequenter in hoc iudicio diſſentiant, Auic. duo tradit indicia, quib. pus à pituita liceat diſcernere, 10. 3. tr. 4. 17. *Pus à pituita quomodo diſcernendū.* Primum eſt ex odore, nāque ſi vtrūque & pus & pituita proiiciantur in ignem, pus fœtidum reddit odorem, pituita minimè. Secundum eſt, quoniam ſi vtrumque ponatur in aqua, pus reſidet & deorſum deſcendit, pituita verò ſupra aquā natat, neque ad fundū tendit, quod tamē poſterius ſignū experientia confirmat, non eſſe perpetuò verum, cum ipſa quoque pituita, ſi admodū craſſa fuerit quandoque ad fundum deſcendat. Cælius Aurelian. lib. 2. *de morb. acutis* 14. aliter hanc diſtinctionē facit, qui inquit, pus à ſputis purulētis diſcerni colore, ſubſtantia, odore, calore; ſiquidem re vera pituita eſt albidior pure, quod ſēper ad liuidū videtur declinare: ſic vtriuſque ſubſtātia diuerſa eſt, cum pituita maiori ex parte ſit viſcida & tenax, quod non cōtingit in pure, niſi illud pituitę permiſtū fuerit. Quo loco notandū, Cæliū experimentum de aqua aliter interpretari, quam Auic. & practicantes faciant qui non conſiderat, vtrum pus & pituita deſcendāt nec ne, ſed inquit ſputa purulenta admixta aquæ facilè ſolui, pus autē difficilè: quod tamen neque perpetuò verū eſſe deprehenditur: vnde forte. ſignum tertium ex odore, reliquis certius habendum eſt: quandoque ſputa non ſolum igni impoſita, ſed etiam ſine igne, & ab ægro, & ab omnibus fœtida deprehenduntur.

II. Signum. Secundum ſignum phthiſis eſt febris hectica. & ratio eſt, cum enim ab vlcere pulmonis non ſolum fumi & vapores putridi, ſed ipſa quoque materia putrida facilè ad cor tranſmittantur, propter ſummā vtriuſque viſceris propinquitatē & cōiunctionem. hinc ſequitur neceſſariò, in phthiſi ſubſtantiā cordis poni in calefacto eſſe, ægrūque febre hectica laborare: de qua tamen febre notādū ex Gal. 1. *aph.* 12. eam quotidie, ac præcipuè ad noctem acceſſiones habere, quod mea ſententia de altera potius febre putrida, quàm de hectica intelligendum eſt; vt forte ex hoc Gal loco liceat colligere, phthiſicos non ſolùm febre hectica, ſed etiam putrida laborare. Itaque phthiſici habent pulſus paruos, imbecilles, poſt ſumpta alimenta incaleſcunt, ac cætera habent ſigna febrium hecticarum.

III. Signum. Tertium ſignum eſt macies vniuerſi corporis, quæ laborantibus duabus tam præcipuis partibus, pulmone & corde, propter debilitatem & defectum caloris naturalis contigit neceſſariò: vnde, vt ſcribit Gal. *in lib. de cauſis morborum* 7. in hiſce ægrotis apparet facies hippocratica, nares acutæ, collapſa tempora, oculi concaui, &c. de quibus Hipp. 1. *prog.* 6. 7. Atque hæc tria ſunt præcipua ſigna phthiſis ad quæ cætera omnia, quæcunque ab aliis afferuntur, poſſunt referri.

Signa differentiarum. De ſignis differentiarum, verùm vlcus pulmonis ſit magnum an paruum, præcipuè cognoſcitur ex materia quæ educitur: vtrùm illud ſit corrodens nec ne, ex præcedentib. cauſis, veluti diſtillatione ſalſa præcedēte poteſt deprehendi: ſic alia ſigna differētiarū ex modo generationis, tēpore, & reliquis, ægris referentibus, facilè poſſūt intelligi.

Curatio. In phthiſi præcipuè curanda, indicationes ab vlcere pulmonis tanquam à proxima cauſa, deſumūtur. Sunt autē vlceris abſterſio, regeneratio carnis deperditæ, vnio vel conſolidatio ac poſtremò vniuerſi corporis contritio & reſtauratio, quibus perpetuò cōiungendæ ſunt cōmunes indicationes & vacuādi vniuerſi corporis, & reuellēdi a partib. laborantib. *Prognoſticum.* Verùm liceat iis indicationib. ſatisfacere, nec ne, hoc opus hic labor: multa dicuntur & ſcribūtur à Medicis; ſed vno verbo, ego quidē cenſeo

Digitized by Google

neminem,qui verè ſit phthiſicus,vnquam ſanatum fuiſſe, neque poſſe deinceps ſanari, etſi Gal. neque omnem opem ſalutis videtur auferre,*4. de locis aff. 5.* vbi inquit vlcera pulmonis celerrimè quidem fieri, ſed curationem, vt quibuſdam videtur, non admittere,vel vt aliis placet, difficulter admodum ſanari: ac rurſum *5. meth. 8. in princ.* vbi docet vlcera pulmonis difficillima ad curandum eſſe: etſi enim difficillimè curantur, tamen ea quandoque videntur poſſe curationem recipere: de qua re idem ſcribit Gal. loco citato, veteres quoque medicos diſſentientes fuiſſe; ſiquidem nonnulli exiſtimabant. vlcera hæc non ſolùm difficulter, ſed nulla prorſus ratione poſſe ſanari, quod & ratione & experientia confirmabant: ratione, quia pulmo propter reſpirationem in continuo motu verſatur, cum quę debent ſanari, omnimodam quietem requirant: experientia autem, quòd neminem ita laborantem ſanatum viderint. Rationes autem propter quas vlcera pulmonis aut difficilem, aut nullam recipiunt curationem, præclarè explicantur à Gal. *5. method.* 8 & 11. & in ſumma ſunt huiuſmodi. Primùm, quòd pus ex pulmone nequeat ſatis expurgari, ſicuti, exempli gratia, fit laborante vtero & veſica, ex quibus partibus illud facile delabi atque elui poteſt, cum in phthiſi nulla alia purgationis ratio relinquatur, pręter eam quæ fit in tuſſi. Secundò, quòd non ſine multo labore, motione, & dilaniatione viſceris, tuſſis fieri poſſit; cum ſit alioqui neceſſarium, partes vlceratas quæ debent ſanari, in maxima quiete permanere, adeo vt ægri ſenſim reſpirent, neque quidquam loquantur: ex quo Galen. arguebat opinionem eorum, qui putabant curationem phthiſis eſſe deſperatam, quia pulmo propter reſpirationem in continuo ſit motu: in qua opinione multi etiam hoc tempore verſantur; cum potius iſtud contingat propter puris expurgationem: ſiquidem ex vna parte tuſſis adhuc magis vlceratas partes dilaniat, atque phlegmonem rurſus excitat, ex altera, perducta phlegmone ad ſuppurationem puris, expurgatio iterum eſt neceſſaria, adeo vt pernicioſus quidam fiat circulus, vt tuſſis phlegmonê augeat & phlegmone tuſſis operam requirat. Sed Gal poſtremò aliam quoque rationem adiungit *cap. 11 ad finem 5. meth.* quòd nempe remedia, quæ ad curanda vlcera pulmonis ſunt accommodata, nequeant vlcus contingere, ſicuti fieret in ventriculo, ſed neceſſe habeant per longiſſimum ſpatium ab ore ad partes affectas penetrare, vt in itinere eorũ vis in tanto itinere non ſolùm remittatur, ſed forte etiam amittatur. Propter has igitur rationes, vlcera pulmonis per Galenum aut difficulter, aut potius nullo modo poſſunt ſanari. Si quis plura de hac re cupit ſcire, is videat Conciliatorem *differ.* 194 Apud Hippocratem ſunt *aph.* 11. & 12. *lib.* 5. & 16 *lib.* 7. qui non ſolùm certiſſimum phthiſis periculum, ſed proximam quoque ægrorum mortem declarant. Cum igitur phthiſis vel difficillimè, vel potius nulla ratione poſſit curari, ſuperuacaneum videtur de illius curatione verba facere: ſed quoniam, vt Gal. ſcribit *5. meth.* 14. nonnulli ægroti qui accommodatis præſidiis vſi ſunt, id ſaltẽ lucrifecerunt vt vlcus non vltra progrederetur, neque maius fieret, ſed eo exiccato, & quodam veluti callo inducto, ipſi longiorem vitam viuerent, etſi vt idem ſcribit Gal. 4. *de locis aff.* 5. hæc vlcera calloſa progreſſione temporis & qualibet leui occaſione, promptè iterum exulcerẽtur, propterea nos breuiter illud vnum docebimus, quomodo phthiſici tractandi & regendi ſint, quandoquidem nequeunt perfectè curari vt ſaltem longiori vita, & minori cum incommodo frui poſſint.

De ratione præſeruandi illos qui potiſſimùm ex

deſtillatione ad phthiſim ſunt procliues, iam ſatis diximus cum Galeno: itaque non eſt, vt de illis iterum agamus. Summa igitur curationis phthiſis conſiſtit in ſiccatione vlceris pulmonis & nutritione vniuerſi corporis. Ratio præſidiorum quæ ad haſce indicationes ſunt accommodata à Gal. admodum paucis continetur: primùm, vſu lactis; ſecundò, mutatione aëris; tertiò, victus ratione; poſtremò nonnullis partim internis, partim externis medicamentis, de quibus ſigillatim dicendum eſt. Sed illud primum ſciendum, in hiſce ægrotis & propter debilitatem virium & propter alias manifeſtas rationes nullum vel miſſioni ſanguinis, vel purgantibus medicamentis, vel alicui inſigni vacuationi locum ſupereſſe, vnde non alia vacuandi ratio mihi probaretur. quàm per mollia quædam clyſteria, & nonnulla leuiſſima & lenientia medicamenta, quæ præter vacuationem communium excrementorum, poſſint quoque nimiam corporis caliditatem & ſiccitatem remittere.

Clyſter lenis.

℞ *Decoctionis foliorum maluarum,*
Violarum,
Lactucæ, ℔. j.
Olei amygdalarum dulcium,
Violati,
Sacchari rubei, ana. ℥. j. ß.
Oua duo integra. M. pro clyſtere.

℞ *Succi ptiſanæ diluti,* ℔. j.
Olei chamæmelini,
Sacchari rubei ana. ℥. j. ß.
Olei violati ℥. iij. *M. pro clyſtere.*

De medicamentis nullum occurrit præſtantius caſſia & ſyrupo violato ſolutiuo.

℞ *Florum caſſiæ nouiter extr.* ℥. j.
Pulueris hyſſopi. ℈. j *M. f. Bolus,*

℞ *Syrupi violati ſolutiui* ℥. iij.
Decoctionis borraginis,
Capillorum veneris q. ſuff M. f. Potio.

De vſu lactis.

De lacte & commodo illius vſu, præterito anno tractantes febrim hecticam, diximus diffusè, in præſentia ſatis fuerit præcipua & vtiliora capita in medium proferre. Primum verò illud ſciendum eſt ex Galeno 3. *de aliment. facult.* 16. *de ſuccorum bonitate & vitio.* 4. 5. *method.* 12. 7. *method.* 6. curandis phthiſicis lacte nullum præſtantius & congruentius remedium poſſe inueniri, adeo vt nonnulli fuerint in ea opinione, multos, quibus vlcus in pulmone fuerit, ſolo vſu lactis poſſe ſanari, dummodo illud exhibeatur, antequam id magnum & calloſum fiat: ſiquidem præterquam quod lac inter cætera omnia corpus opportunè nutrit, optimumque ſanguinem generat, & acrimoniam vitioſorum humorum corrigit, id quoque habet, vt interna vlcera poſſit abſtergere, & conſolidare, adeo vt omnes prope conditiones videatur obtinere, quæ ad hanc rem ſunt accommodatæ: de quo Meſue inter cæteros, hæc habet: *Phthiſicis lac eſt res alimentaris & dilecta nimis, & eſt ex rebus velocis conuerſionis in ſanguinem, & eſt medicina abſtergens vlcus, virtute ſeroſitatis eius, & conglutinans ipſum, virtute caſeitatis eius.*

Lactis virtus.

Cæterum inter omnia genera lactis, teſtimonio veterum medicorum & Galeni, *lib. de ſuccorum bonitate & vitio,* 4. *de marcore* 9 7. *meth.* 6. certum eſt lac humanum principem locum obtinere, ac maximè ſi quis ex mamma mulieris illud velit accipere, ſiquidem quamprimum ex ipſis mammis exit, propriã facultatem & præſtantiã amittit. In ſecũdo loco eſt lac aſininũ, quod omnium tenuiſſimum eſt, minimè coagulatur, & vndique facilè & velociter digeritur, quod pariter Gal. cupiebat, vt æger ex mãmis aſinæ aſſumeret, aut ſi id nequit fieri, vt ſal-

tem quàm minimo tempote in ambiente aëre moretur, atque ex mammellis adhuc calens protinus hauriatur. In tertio loco ab Auerroë *7. colliget. 15.* ponitur lac caprinum, quod ex Galeno *5. meth. 12.* inter lac vaccinum, quod craſſius eſt, & aſininum quod eſt tenue, medium exiſtit: quod qui lac caprinum ab Auicenna maximè probatur *10. 3. tractat. 5. cap. 5.* propter quandam adſtrictionem qua videtur præditum: quodcunque autem lac fuerit illud perpetuò eſt eligendum, quod optimum eſt: de cuius bonitate & præſtantia videatis Galenum *7. metho. 6.*

Lac humanum

Sed neque illud eſt prætermittendum, præter cæteras conditiones boni lactis id quoque futurũ vtiliſſimum & præſtantiſſimum ſi animal in congrois & accommodatis paſcuis nutriatur: ea verò ſunt quæ primò ſint in loco edito, neque prope ſtagnum aut paludem, ex quibus humidiores vapores efferentur, neque planè à ſole ſint auerſa deinde in quibus ſint herbæ & frutices, quæ ſalubre ſimul & adſtringens lac reddant, qualia ſunt ribes, arburus, hedera, lotus, polygonum, meliſſophyllon, &c. qualia paſcua ſingulari quadam prærogatiua celebrantur è Galeno quæ inter Neopolim & Surrentum ad Tabias conſpiciuntur, cuius loci diffuſam atque elegantem deſcriptionem, totamque hiſtoriam Galenus tradit *5. meth. 12. 10. metho. 11. 4. de ratione victus 29.* Lacti conſueuit Galenus permiſcere pauxillum mellis deſpumati tepidi, ne illud cogatur in ventriculo, quandoque & ſal, ſi velimus lac citius ad aluum deſcendere? quæ quidem maximè in phthiſi, in qua perpetuò vlceris ſiccationem intendimus, mihi viderentur opportunè permiſcere: ſed ego præter modicum ſalis loco mellis parum ſacchari, quod iucundius

Quantitas lactis.

eſt conſueui permiſcere. Quatenus ad lactis quantitatem pertinet, quam licet exhibere, illud potius quadam coniectura, quàm certa ratione poteſt ſciri: coniectura autem eſt, ſi lac non corrompatur, neque fluctuet in ventriculo, neque vires grauet. id quod potiſſimum licet intelligere, ſi motus arteriæ partim ante, & partim poſt ſumptum lac diligenter animaduertatur, & inter ſe comparetur: namque ſi illud corruptum fuerit, eiuſmodi fiunt pulſus, quales ventriculo malè affecto ſolent contingere: ſi verò id corruptum non fuerit, tunc pulſus & maiores & vehementiores euadunt. Gal. primum lactis aſinini non plus dabat vno cyatho, nempe ad ℥.j. & ß. quòd ſi ventriculus id bene ferret, alterum dimidium cyathum. ac deinde rurſum dimidium adiiciebat, ſicque ſenſim ad moderatam quandam lactis menſuram aſcendebat quam quidem ego puto quartam, quintam, vel ad ſummum ſextam vnciam continere.

Quibus lac noceat.

Veruntamen circa vſum lactis perpetuò memoria tenenda ſunt præcepta Hip. & Gal. *5. aph. 64.* nempe vt phthiſici & cæteri ægroti ab eo caueant, quicunque capite dolent, putrida febre laborant, plurimùm ſitiunt, & viſcera obſtructa ac flatulenta habeot: quibus Conciliator alias quaſdam magis proprias rationes adiungit, fluxionem catarrhi, nauſeam, cibi faſtidium, & ſimilia, quæ non carent ratione: *diff.* 194.

Aër phthiſicorum.

Secundum præſidium eſt permutatio aëris, & præcipuè ad aërem ſicciorem, quem certum eſt ſiccando vlcere pulmonis multum valere: vnde

Tabia.

Galenus conſueuit ſuos phthiſicos ad Tabias mittere, de quo loco atque illius ſalubritate paulo ante diximus. Sic Cornelius Celſus *3. lib.* 22. ſcribit, ſi vires patiantur, longa nauigatione & cœli mutatione opus eſſe, ideoque aptiſſimè ex Italia Alexandriam iri. Quod ſi aër talis natura haberi non poſſit, accenſo igne ex lauro, iunipero, & ſimilibus odoratis medicamentis, & omni ratione talis arte præparetur.

Tertio loco eſt victus ratio, quæ conſenſu omnium in curation phthiſis maximi eſt momenti, & vno verbo alimenta ſint optimi ſucci facilis co-

Victus phthiſicorum.

ctionis & diſtributionis, paucorum excrementorum, qualia ſunt exempli gratia, ptiſana hordeacea, alica panis ex optimo iure præparatus, oua recentia, teſtes pullorum non coëuntium, optimæ carnes pullorum, caponum, perdicum, turdorum, auium paruarum potiſſimùm in montibus degentium. Noſtri autem communiter practicantes quàm maximè extollunt carnem cancrorum, teſtudinum, cochlearum, ranarum, quæ vt illi inquiunt, propter

Carnes cochlearum & teſtudinum an conueniãt.

ſubſtantiam inſitam & tenacem poſſunt vlcera pulmonis conſolidare, & propter ſuam frigiditatem valent humorum acrimoniam remittere: itaque hiſce carnibus contuſis, & deſtillatis & variis rationibus præparatis, & pro alimento & pro potione, maximopere delectantur. Cæterum ſi quis velit huic rei vel parum animi adhibere, cum hæc omnia animalia nonniſi limo & rebus limoſis outriantur, cum ſint craſſiſſimæ & terreæ ſubſtantiæ, quiuis facilè, ni fallor, intelliget & fatebitur, illa non niſi ſanguinem craſſum, terreum, melancholicum, ac planè vitioſum generare, difficilè concoqui, & eſſe quàm maximè excrementoſa, adeo vt tantum abſit vt huiuſmodi alimenta poſſint phthiſicos iuuare, vt contrà magis valeant illos vehementiſſimè lædere, & tanto citiùs interficere.

Poſtremò ſunt nonnulla medicamenta, partim interna, partim externa, quæ omnia ad ſiccationẽ vlceris ſunt potiſſimùm accommodata: ac primùm ſunt medicamenta interna, exempli gratia, ſyrupus myrthinus. de roſis ſiccis, pulmõ vulpis exiccatus, bolus armena, terra Lemnia, lapis hæmatites, am-

Interna medicamenta.

moniacum, galbanum, myrrha, cynnamomum, ac tandem magna antidota, theriaca, mithridatum, ambroſia, athanaſia de quib. videatis Gal. 4. *de locis aff. ad finem.* Verùm inter cætera omnia communi omnium conſenſu ſaccharum roſaceum in hac tota curatione videtur principem locum obtinere, de

Saccharum roſaceum præſtantiſſimum.

quo quidem medicamẽto Auic. inter cæteros, præclariſſimum reddit teſtimonium, quãdo profitetur ſe in diuerſis corporibus & regionibus illud multoties expertum fuiſſe, nempe vt æger vtatur ſaccharo roſaceo recenti, toto anno, omni die, quantum poteſt, quamuis multum ſit, adeo vt etiam ad illud cum pane aſſumat: qui narrat hiſtoriam de quadam muliere phthiſica, quæ vltimum terminum mortis decurrerat, quam ille inquit rurſum & ſanatam & impinguatam eſſe. Deinde ſunt medicamenta externa, ac potiſſimùm bene

Externa.

odorata, ex quib. vapores eleuati & cum aëre permiſti & per inſpirationem attracti egregiè poſſunt vlcera pulmonis exciccare: talia fuerant apud Gal. hedychroum, ſpicata & foliata vnguenta, quorum mentionem facit 4. *locis aff. ad finem*, quæ ille iubebat ægrotos per integros dies odorari, aſſiduè narib. admouendo, nec non iubebat illa intra nares imponi, dum irent dormitum, vt ex tam frequenti vſu diu noctuque harum rerum bene olentium, pulmones tanto magis ſiccarentur & iuuarentur. Si quis cupit habere deſcriptionem horum medicamentorũ ſciat hedychroũ deſcribi ab Aëtio lib. 13. 89. à Paulo lib. 7. 11. Foliatum ab Aëtio lib. 16. 121. Spicatum ſequenti cap. 122. quorum imita-

Pilulæ pro phthiſi.

tione nobis nonnulla medicamenta odorata & quaſdam paruas pilulas conficere ex roſis, ſandalis, ligno aloes, cinnamomo, ladano, &c. quæ aſſiduè manibus geſtentur & naribus admoueantur. Auic. & Arabes prætetea vtuntur ſuffumigiis, qui deueniunt vſque ad ſulphur, arſenicum, &c. quæ

forte

forte ſuſpecta videri poſſint, cum periculum ſit, ne vlcus magis augeant, & fortaſſe magis obſint, quàm proſint: vnde Gal. nullam eorum mentionem facit.

Phthiſis contagioſa.

Hactenus de phthiſi, de qua monendi eſtis, hoc malum non ſolum eſſe pernitioſum, ac nullam curationem recipere, ſed etiam quàm maximè eſſe contagioſum. adeo vt non ſolum conuerſatio cum phthiſicis ſit periculoſa, quod à Gal. traditum eſt 1. *de diff. feb.* 3. ſed etiam illius contagium certè mirabili & inexplicabili ratione, ad parietes, ad trabes & ad vniuerſum cubiculum tranſeat: itaque cum phthiſicis & eorum rebus omnibus cautè admodum, non ſolùm tempore vitæ, ſed etiam poſt eorum mortem agendum eſt.

CAPVT VIII.

De tremore Cordis.

QVi ante nos medicinam practicam profeſſi, ſunt, ſoliti fuerant primo anno agere de morbis capitis, & thoracis, vſque ad affectus cordis, quos in proximum ſequentem annum reiiciebant, in quo de morbis ventriculi & reliquarum inferiorum partium agere ſolent: quod quidem conſilium mihi non ſatis probaretur, quoniam malè ea videntur diſiungi, quæ natura certis ſedibus coniunxit, ſtatim mihi liceat, pro noſtro inſtituto, ad affectus cordis deuenire. Ac primum id quæritur, quibuſnam & quot morbis cor poſſit laborare? De morbis in intemperie nemo dubitat, quin cor omni intemperie, & ſimplici & compoſita poſſit laborare; ſed dubium eſt, an illud præterea poſſit laborare morbis ex intemperie cum materia, quales ſunt inflammatio, & reliqui humores præter naturam: quin etiam dubium eſt, an cor poſſit laborare ſolutione continui: de qua controuerſia habetis apud Conciliatorē longam, & accuratiſſimam diſputationem 97. de qua cum nolim prolixius agere, mihi ſatis ſit in præſentia vnam Galeni determinationem afferre, quæ eſt huiuſmodi 5. *de locis aff.* 1. Si vulnus ad aliquem ventriculorum cordis penetret, confeſtim hominem cum copioſa ſanguinis profuſione mori, ac præſertim vbi ſiniſter ventriculus fuerit vulneratus: ſi verò vulnus vſque ad ventriculum non pertingat, ſed in cordis corpore conſiſtat, tunc aliquot ægrotos non ſolùm ea die, qua vulnerati fuerunt, ſed ſequenti etiam nocte vixiſſe, ſed tamen iis quoque mortem, phlegmonis ratione ſecutam eſſe: ex quibus id licet colligere, cor nullum vulnus diutius poſſe perferre: quod item Galenus confirmat 6. *aphoriſ.* 18. cum enim Hippocrates doceret vulnera veſicæ, cerebri, cordis, alicuius tenuioris inteſtini, ventriculi iecoris, lethalia eſſe, Galenus hanc ſententiam recipit, & interpretatur de ſolo corde veriſſimam eſſe, quo vulnerato, ille inquit, in confeſſo eſt apud omnes, mortem neceſſariò ſuccedere, de cæteris partibus ſententia tantummodo veritatem contineat, ſi vulnera magna & profunda fuerint.

Quibus affectibus corripi poſſit.

Quod autem de vulnere diximus, idem de inflammatione dicendum eſt, de qua item ſcribit Galenus 5. *de locis diff.* 10. ſe manifeſtè in gladiatoribus vidiſſe mortem ſequi ſimillimam iis, qui cardiaca ſyncope pereunt: quod item de abſceſſibus ac reliquis tumoribus ſtatuendum eſt. Ad quem modum legimus quoque apud Galenum 3. *de præſagit. ex puls.* 3. putreſcente ſubſtantia cordis, ſicuti contingit in febre hectica peſtilenti, nullum prorſus alicui medicinæ locum ſupereſſe: vnde Ariſtoteles quoque ſcriptum reliquit 3. *de partibus animalium, cap.* 4. *poſtremis verbis*, & 4 *de partibus* 2. *ad finem*, cor ſolum inter viſcera, & omnes partes noſtri corporis nullum pati vitium graue; idque recta ratione: *cum enim*, ille inquit, *principium corrumpitur, nihil eſt quod cæteris, quæ inde pendent, præbere auxilium poſſit, &c.*

De tertio genere morbi in mala compoſitione, cor neque morbo in numero, neque in ſitu, neque in reliquis videtur laborare; ſiquidem, vt dicit Ariſtoteles 3. *de partibus animalium* 6. & 4. *de generatione animal.* nonnulla animalia non ſolùm terreſtria, ſed etiam aquatica, reperta ſunt habere duo hepata, duos lienes, duo capita, nonnulla ſine liene, ſine iecore: at verò nullum vnquam animal repertum eſt ſine corde, vel quod duo corda habuerit, vel quod non vnum perpetuò locum obtinuerit.

Nomina.

Cæterùm iis prætermiſſis, inter reliquos morbos cordis palpitatio reperitur, de qua mihi propoſitum eſt in præſentiâ verba facere. Plerique omnes hunc morbum tremorem cordis appellant, ſed, vt ego puto, minùs propriè, ſi velimus exquiſitam nominis proprietatem obſeruare: namque tremor, vt Galenus docet 2. *de ſymptomat. cauſis* 2. *libr. de tremore* 5. eſt motus deprauatus ſurſum deorſum, compoſitus ex motu voluntario, facultate animali partem ſurſum attollente, atque ex motu inuoluntario, propter grauitatem membro deorſum tracto: vnde cum tremor, eodem Galeno auctore, fieri non poſſit ſine hominis voluntate, atque opera muſculorum, quos conſtat motus voluntarij inſtrumenta eſſe, cor autem non ſit muſculus, neque ex voluntate moueatur, id concludendum videtur, cor nullo modo tremore poſſe laborare: itaque alteri inſcribentes de palpitatione cordis, id magis appoſitè mihi videntur facere. Etenim tametſi neque fortaſſe in hoc motu cordis omnia quadrant, quæcunque in vera palpitatione neceſſariò concurrunt, tamen ſatis cuique eſſe debet Galen. auctoritas, qui inter cæteras partes, ventriculum, veſicam, vterum, iecur, lienem, &c. 2. illo *de ſympt. cauſis* 2. ipſas quoque arterias & cor enumerat. Verùm ſiue hoc, ſiue illo nomine vtatur aliquis, modo rem intelligamus, id nihil refert; nos perpetuò palpitationis nomen tenebimus.

Quid ſit.

Quid ſit cordis palpitatio, ex communi hominum nomine patet, nimirum motus in quo illud præter naturæ inſtitutum dilatatur & cōſtringitur, ſiue eleuatur & deprimitur: ex quo id quoque poteſt ſatis conſtare, huiuſmodi motum cordis ſymptomata eſſe, actionem læſam facultatis animalis, non abolitam, non imminutam, ſed deprauatam: quæ doctrina eſt Gal. *de ſympt. diff.* 3.

Differentiæ.

Differentiæ huius ſymptomatis variæ ſunt, ac primùm à quantitate & magnitudine. Palpitatio alia eſt inſignis, adeo vt cor ſaltare videatur. Hinc nonnulli tamen motum ſaltum cordis nominant, qui non ſolùm manibus percipitur, ſed etiam oculis manifeſtè perſpicitur: alius eſt tam paruus & remiſſus, vt vix ad tactum ſentiatur.

Secundò, ſunt differentiæ à qualitate motus: nam palpitatio aut ſola & ſimpliciter euenit, aut cum quadam ſignificatione, quod cor ipſum in humore moueatur: quæ differentia eſt Galen. 5. *de locis affect.*

Tertiò, ſunt differentiæ à tempore: palpitatio alia recens, alia antiqua eſt: tametſi ſcribit Galen. & confirmat experientia, neminem hoc morbo laborantem, longiorem vitam viuere, & ad ſenectutem peruenire. Præterea alia eſt periodica, vt ſuas quaſdam acceſſiones habeat; alia eſt conti-

Digitized by Google

nia, quæ nunquam intermittit, ſed continenter affligit.

Quartò, ſunt differentiæ à coniunctis: cordis palpitatio vel eſt cum febre, vel ſine febre quod item de ætate, tempore anni, ac reliquis dicendum eſt; de quibus ſæpiſſimè dixi.

Cauſa palpitationis.

Quintò & poſtremò, ſunt differentiæ à cauſis, de quibus ſunt maximæ controuerſiæ ac variæ auctorum opiniones, quas omnes propter anguſtias temporis mihi libet in præſētia prætermittere, atq; eam tantummodo ſententiam proferre, quam cenſeo magis Galenu conſentientem & veriorem eſſe; quoniam Galen. 4. *de ſympt. cauſis* 2. generaliter inquirens cauſas palpitationis, ab iis quæ manifeſtiſſimè apparent, nimirum palpitationibus quę in palpebris, ſuperciliis, & fronte eueniunt, hac methodo progreditur: etenim cum in iis partibus externis cutis videatur attolli & dilatari, ad eum modum quo attolluntur & dilatantur arteriæ, certum eſt huiumodi partes non à ſeipſis & propter inſitam earum facultatem attolli & dilatari, ſiquidem iſtud perpetuò facerent, & eo potiſſimum tempore quæ ſanæ eſſent, ſicut videmus arterias facere, quæ perpetuò attolluntur & dilatantur. Cum igitur palpebræ, ſupercilia & ſimiles externæ partes: neque ſemper, neque dum ſanę permanent, ſoleant, dilatari, perſpicuum eſſe poteſt, quòd à ſeipſis non dilatantur: quòd ſi à ſeipſis non dilatantur, vt omnino ab aliqua ſubſtantia quæ in ipſas partes influat dilatentur, neceſſe eſt.

Eſt autem vero conſentaneum talem ſubſtantiam duplicem eſſe poſſe, vel humorem, vel aëream ſubſtantiam: ſed illam non eſſe humorem, celeritas tum generationis, tum ſolutionis, quæ in palpitatione contingit, ſatis ſuperque demonſtrat. Namque palpitatio celeriter fiat, & ſtatim deſinit: nullus autem humor poteſt ita celeriter influere, ac multo minus recedere, potiſſimùm in partibus faciei vbi nudis propemodum oſſibus cutis ſupertenditur, in quibus partibus veriſimile eſt, humorem difficilem tranſitum habere, nempe ita facilè influere aut recedere; vnde Galen. concludit neceſſariò, quæ palpitationem efficit, non eſſe humorem, ſed aëream quandam ſubſtantiam, quam certum eſt facilè & expeditè omnes partes corporis permeare.

Et ſi quis rurſum quærat, qualiſnam ſit huiuſmodi aërea ſubſtantia? huic reſpondet Galen. eam non aliam eſſe, quàm vaporoſam, craſſam & quantitate multam, pro ratione ſpatij in quo continetur: namque ſi hæc materia tenuium partium & pauca foret, illico ex corpore deflueret, neque poſſet partem attollere, dilatare, & palpitationem efficere.

Ex iis tandem colligit Gal. palpitationes in illis fieri, in quibus particula quomodocunque eſt refrigerata: & ratio eſt manifeſta: nam quod animali ſecundum naturam ſe habenti, & tempore ſanitatis, per calidum innatum, attenuatum & exactè elaboratum quotidie ex corpore deſluebat, id nunc calore per frigus reddito debiliore non ita poteſt attenuari, ſed craſſios euadit, vnde non ita facile & promptè, vt antea, tranſpirat, ſed ſub cute detinetur, & in tranſitu, facta conſtipatione à frigore, moratur, impeditur & non egreditur; ex quo fit, vt idem ſcribit Gal *in lib. de tremore, pal. & c. c. 5.* vt ad palpitationem efficiendam maximè concurrant ætas frigidior, natura corporis frigida, regio frigida, tempus anni hybernum, vita otioſa, ſatietati & ebrietati dedita, alimenta frigida & flatulenta, & vno verbo, quæcũque corpus refrigerant, craſſumque flatuoſum & nebuloſum ſpiritum poſſunt generare; iis autem contraria, palpitationes ſtatim auferant: nam ea quæ calefaciunt, ſpiritum attenuant, & corpora rara, mollia, & tranſpirabilia efficiunt: quæ autem refrigerant, denſant, cogunt, meatus corporis occludunt, ſpiritumque turbidum & craſſum reddunt.

Quòd ſi de Gal. ſententia verè ſtatutum eſt, palpitationem generaliter à frigidiore cauſa perpetuò ortum habere, ego quidem neſcio quomodo nō idem liceat ſpeciatim de palpitatione cordis ſtatuere. Si quis verò eſt qui iis non acquieſcat, is rurſum Gal. audiat *5. de locis aff. 2.* qui primùm ex propoſito tractans cauſas palpitationis cordis, non alias quàm cauſas frigidas affert, copiam humoris contenti in pericardio, & alia id genus, de quibus ſtatim ſermonem habebimus; deinde ſummam totius curationis conſtituit in victus ratione, necnon medicamentis quæ calefaciendi & extenuandi vim habeant: quæ item omnia huiuſmodi alimenta & medicamenta certiſſimum eſt non aliis, quàm morbis & cauſis morborum frigidis conuenire.

Notatur Trincauellinus.

Neque verò ab hac opinione me poteſt dimouere argumentum Trincauellij & aliorum, qui putant palpitationem cordis ex cauſa calida ortum ducere, propter eam præcipuè rationem, quoniam Gal. affirmat, miſſionem ſanguinis omnibus hoc morbo laborantibus ſemper profuiſſe; quaſi verò indicatio huius præſidij non magnitudine morbi, ſed à copia & quantitate humorum, necnon à qualitate petenda ſit, neque liceat in morbis frigidis, & copia frigidorum humorum ſanguinem mittere: de qua abſurda opinione alias dictum eſt ſatis.

Verùm ad proprias cauſas palpitationis reuertamur quæ ex Galen. colligi poſſunt *5. de locis aff. 2* & ſunt huiuſmodi. Primùm nimius humor vrinæ ſimilis, contentus in membrana cor ambiente, quam pericardium vocant.

Hydatis quid.

Secundò, tumor, præter naturam, humorem in ſe continens, ſimilem ei qui in hydatide reperitur. Hydatis autem eſt pinguis quædam ſubſtantia ſuperioris palpebræ oculorum, ſic eam ſuo pondere grauans, vt vix permittat oculum attollere; adeo vt palpebræ in hoc malo quandam veluti ſpeciem hydropis repræſentent. Tertiò, eſt craſſus, nebuloſus, flatuoſuſque ſpiritus, qui pariter in pericardio & in corde detinetur; quos quidem humores & tumores Galen. obſeruauit in ſimia & gallo, vehementer emaciatis, & aſſerit hominibus quoque id poſſe euenire: hæc enim ſunt impedimento quominus cor ſecundùm naturam attollatur, dilatetur, & moueatur, ex quo contingit palpitationem fieri.

Sed præterea ſciendum eſt, cor in palpitatione aut primariò laborare, nimirum intemperie frigida, propter quam humor, tumor, flatus præter naturam generentur: aut per conſenſum aliarum partium, potiſſimùm verò vētriculi & vteri, ex quibus partibus experientia confirmat ſæpenumero eleuari vapores crudos & craſſos, qui petentes cor, neque facilè exitum inuenientes, ſolent huiuſmodi malum efficere.

Quomodo flatus in corde fiant.

Verùm hoc loco nonnulli quærunt, primùm quomodo palpitatio cordis ex flatibus fieri poſſit? Etenim cum flatus ex frigiditate generentur, non videtur fieri poſſe, vt cor, membrum principale, & fons caloris innati, tanta frigiditate laboret, vt in eo flatus generari poſſit. Sed iis facile eſt reſpondere, flatuoſa excrementa in animantibus generari, neque in ſumma caloris imbecillitate, neque quādo vehementer valet, ſed cùm ille medium locum obtinet: quod item de externis flatibus contingit, quos neque frigidiſſimis neque calidiſſimis conſtitutionibus generari certum eſt, ſed potius in conſtitutionibus mediis: quæ doctrina eſt Galen. 5

de

de ſympt. de cauſis 2. Sed illud quoque licet addere, non eſſe adeo abſurdum, cor frigida intemperie laborare cum in hydrope, ſiue conſenſu cordis frigiditas ad totum corpus non poſſet diffundi.

An humor in pericardio contineatur.

Secundò dubium eſt, vtrùm aqueus ille humor naturaliter in pericardio contineatur necne: namque ſi ille eſt in cauſa vt cor palpitatione laboret, non niſi præter naturam videtur in ea parte contineri: contra autem docent anatomici, de cuius multiplici generatione & vſu plurima diſputant. Ego autem reſponderem, humorem quidem naturaliter in pericardio contineri propter eum præcipuè vſum, vt probabile eſt, nec cor nimio calore & aſſiduo motu torrefiat, ſed illum humorem eſſe admodum exiguum; tunc verò præter naturam eſſe, palpitationem & alia mala efficere, quotieſcunque copioſior euadit, & naturæ terminos excedit.

Signa.

Signa quæ palpitationem cordis ſignificant, vel ægrotis referentibus, vel manu adhibita, vel quandoque ipſis oculis fiunt manifeſtiſſima: ſiquidem cuique ſatis eſt euidens, cor præter ſuum naturalem motum & pulſationem, alium motum præter naturam habere, quem palpitationem dicimus. Sic ſigna differentiarum pluribus in rationibus, de quibus ſæpe dixi, facilè poſſunt cognoſci, vt pluribus non ſit op[u]s.

Curatio.

In curanda palpitatione cordis nobis ſeſe offerunt communes indicationes, vacuatio vniuerſi corporis, reuulſio, diſſolutio ſiue humoris, ſiue tumoris, ſiue flatus quæcunque in pericardio & in corde continentur, ac demum roboratio partis laborantis, quæ potiſſimùm conſiſtit in ablatione morborum ne deinceps eiuſmodi materia noxia

Prognoſticũ.

generetur. Vtrùm liceat iis indicationibus ſatisfacere, nec ne, id ſciendum eſt ex Gal. *de locis affect.* hũc morbum planè difficilem & periculoſum eſſe: etenim quamuis nonnulli per ſectionem venæ, per alimenta & medicamenta extenuantia nonnũquam liberentur; nihilominus qui poſt annum vel plures menſes eodem malo rurſus corripiuntur, omnino breuiori vita fruuntur, neque ad ſenectutem perueniunt, quorum alij, vt inquit Galen per ſebres acutas, alij verò, cum ſani forent, ſyncope correpti extincti ſunt. Itaque ſi hoc malum longiore tempore hominem affigat, & crebrò repetat, certum periculum breuioris vitæ, ac repentinæ mortis ſolet impendere.

Sed nos ſingulas indicationes & ſingula remedia breuiter perpendamus: & quatenus ad communem vacuationem pertinet, illud in primis notandum eſt ex Gal. 7. *method. vltimo*, ſumpta indicatione à natura partis, quæ præ cæteris omnibus partibus neceſſariam toti animali operam præſtat, ſcilicet ex corde laborante nullam inſignem vacuationem conuenire: & ex ratione illius robur diſſoluatur, cuius perpetuò neceſſe eſt rationem haberi.

Sectio venæ.

Ergo cum ſectio venæ, conſenſu omnium, quàm maximè conueniat, præcipuè verò illuſtri teſtimonio Gal. inter cætera omnia præſidia non ſolùm curando, ſed etiam præſeruando principem locum obtineat, adeo vt nonnulli poſt miſſionem ſanguinis vtentes extenuante victus ratione & ſimilibus idoneis medicamentis, ab hoc ſymptomate perfectè fuerint liberati, ſtatim ſine vlla dilatione ad ſectionem venæ veniendum eſt: vena autem ſit baſilica, 13. *meth.* 11. qui docet, perpetuò laborante corde hanc venam incidendam eſſe.

Quantitas ſanguinis.

Quatenus verò pertinet ad quantitatem ſanguinis, nonnulli copioſè illum mittunt & vſque ad animi deliquium, ſed omnino præter rationem: námque ſicuti modò dixi ex Galeno, laborantibus partibus principibus, & quæ omnibus partibus animalis neceſſariam operam præſtant, quale maximè eſt cor, non licet ſemel magna vti vacuatione, & ita illius robur diſſoluere: itaque ſanguis parcè mittendus eſt, neque mea ſententia foret inutile venæ ſectionem partiri. Sed vel ante vel poſt ſectionem venæ, neque alui lenitio eſt prætermittenda & inter cætera omnia medicamenta vſus hieræ ſimplicis mihi maximè probaretur, quæ ſimul cum caſſia, vel cum melle roſ. ſol. commodè poſſet permiſceri: habeatis exempla.

Lenitio alui.

℞ *Florum caſſiæ nouiter extractæ.* ʒ. vi.
Specierum hieræ ſimplicis. ʒ. iij.
M. cum ſaccharo. f. Bolus.

vel.

℞ *Specierum hieræ ſimpl.* ℥. ß.
Cum mellis roſ. q. ſuf. fiant boli.

Item.

Mellis roſ. ſol. ℥. ij ß.
Decoctionis borraginis.
Meliſſæ q. ſuf. M. quod ſtatim poſt hieram exhibeatur.

Poſt ſectionem venæ ex doctrina Gal. ad medicamenta extenuantia procedendum eſt, quæ valeant partim humores in toto corpore contentos extenuare & ad purgationẽ præparare, partim humores & flatus in thorace contentos extenuare & diſſoluere, in quorum medicamentorum vſu duo præcepta ſunt vobis memoriâ tenenda. Alterum ſumpta indicatione à ſitu partis quæ in profundo & medio corpore conſtituta eſt, vt reliquis accõmodatis præſidiis perpetuò miſceantur medicamenta tenuium partium, quæ ſint tanquam vehiculum quoddam, & reliqua poſſint faciliùs ad ipſum cor deducere. Alterum eſt præceptum, nunquam eſſe prætermittenda ea medacamenta, quæ propriè & ſpeciatim cor reſpiciunt, propterea que à Medicis *cordialia* appellantur. Itaque ſi materia noxia fuerit pituitoſa, conueniunt mel roſ. ſol. ſyrupus de betonica, de corticib' citri, decocta betonicę, hyſſopi, origani, ſeminum citri. Pro purgatione præſtantiſſima ſunt inter ſimplicia, agaricus, inter compoſita electuarium diaphænicon. Sin autem materia fuerit melancholica, conueniunt ſyrupus de fumaria ſimplex, de pomis ſimplex, de ſucco borraginis; decocta meliſſæ, bugloſſæ. Pro purgatione ex ſimplicibus ſena, epithymus: ex compoſitis, electuarum diaſanæ, confectio hamech, &c. Hoc tempore omnia genera reuulſionum conueniunt, & inter cætera omnia ſunt maximè opportuna clyſteria, quæ diſcutiendi flatus vim habeant:

1 Præceptũ.

2. Præceptũ.

Purgantia.

Clyſter. flatus diſcutiẽs.

℞ *Florum chamameli. M. ij.*
Seminum aniſorum,
Cumini ana. ℥. j *facta decoctione.*

℞ *Prædictæ decoctionis* ℔. j.
Mel. roſ.
Olei chamamelini completi, ana. ℥. iiij.
Salis parum. M. pro clyſtere.

Ad poſtremas indicationes quod attinet, ad diſſoluendos humores, tumores & flatus, qui in pericardio & corde continentur, nec non ad tollendam frigidam cordis intemperiem, atque illius corroborationem, multa medicamenta partim interna, partim externa ſunt maximè accommodata. Interna ſunt aromaticum roſatum, diãbra, diamoſchum conſerua betonicæ, roriſmarini, flores, & cortices citri conditi, & ſimilia. Apud Gal, *lib. de tremore c.* 5. maximè probatur caſtoreum, quod non ſolum epotum, ſed etiam exteriùs appoſitum, ab illo appellatur generoſum medicamentum vtpote, quod calefacere, extenuare, & ſiccare abunde poteſt.

Interna.

Sed iis omnibus & cæteris internis medicamentis magna antidota, theriaca & mithridatum mihi

mihi videntur eſſe longè anteponenda: neque tandem mea ſententia, vſus aquarum thermalium eſt prætermittendus, quales forent noſtræ Aponitanæ, Aquatianæ & ſimiles, quarum pariter mentionem facit Gal. loco citato *de tremore* 5. qui ſcribit, veteres medicos inter cætera præſidia ad palpitationem accommodata, maximè probare aquas calidas è terra naſcentes, atque ex iis potiſſimùm nitroſas, ſulphuroſas, bituminoſas: ex quo loco inter reliqua id quoque licet intelligere, vſum aquarum thermalium fuiſſe antiquiorem, neque à noſtris recentioribus inuentum, vt multi opinantur.

Thermarum vſus antiquus.

Externa.

Externa autem medicamenta conueniunt odorata & calefacientia, ex. gratia, oleum nardinum, oleum liliorum alborum cum aromatibus, oleum aniſorum ſimul cum diambra: &c.

Linim. cordiale.

℞ *Olei liliorum alborum cum aromatibus,*
Olei nardini, ana. ℥. j. ß.
Specierum diamoſchi vel
diambra ʒ. iij. *cera parum. M. Fiat linimentum, quod regioni cordis & toti thoraci calidum imponendum eſt.*

Si quis cupit habere exemplum epithematis, illud ſit huiuſmodi.

Epithema cordis.

℞ *Aquarum meliſſa,*
Maiorana, ana ℔. ß.
Aqua florum citri.
Vini albi aromatici, ana. ʒ. j.
Specierum diambra, ʒ iij.
Croci ℈. j.
Moſch. ℈. ß. *M. pro epithemate cordis.*

Demum licet præparare emplaſtra, fomenta & alia id genus medicamenta ex rebus calidioribus, odoratis & cordialibus meliſſa origano, ſpica nardi, ſeminibus aniſorum, citri, & ſimilibus. Ipſa quoque magna antidota, theriaca & mithridatium exteriùs appoſita, quibus multi familiariter vtuntur, optima ſunt.

Ius.

Victus ratio, ſicuti de medicamentis diximus, extenuandi vim habeat, de qua habetis integrum Galeni commentarium de attenuante victus ratione, vt pluribus non ſit opus. Atque hactenus de palpitatione cordis primariò laborantis; quod ſi cor laboret per conſenſum ventriculi, vteri, vel alterius partis, ſatis conſtat totam curationem in curatione partis laborantis conſiſtere, quæ tractatio ad præſentem locum non pertinet.

CAPVT IX.

De ſyncope.

QVatuor ſunt Græca nomina, *λειποθυμία, λειποψυχία, ἔκλυσις, συγκοπὴ*, quæ apud Medicos variè vſurpantur: ſed reuera tria propria apud Galen. vnam atque eandem rem ſignificant, nempe animi defectum, vel defectionem, vel deliquium, vel quomodocunque velimus appellare, ſicuti manifeſtè colligitur apud illum 1. ad *Glauc.* 14. 2. *aph.* 8. & alibi: poſtremum autem nomen ſyncope aliam rem ſignificat, vt ſtatim videbimus, adeo vt certum ſit Aëtium *lib.* 5. *cap.* 103. nec non multos recentiores medicos, qui docent lipothymiam à ſyncope nihil differre, in manifeſto & pernicioſo errore verſari: de qua propria nominum ſignificatione ſi quis plura cupit intelligere, is videat noſtram diſputationem in principio morborum, vbi latè hæc res explicatur.

Syncope quid

Syncope eſt præceps virium lapſus, quod ante Gal. & ab aliis medicis traditum eſt, & ab ipſo confirmatur, 12. *method.* 5. Cæterum cum auctores & veteres & moderni, de hoc tam pernicioſo ſymptomate, atq; illius cauſis admodum confusè tractent, experiamur nos an eum Gal. ordine & perſpicuè de illo poſſimus agere: itaque videatis Gal. 11. *meth.* necnon 1. *ad Glauc.* 14. ex quibus locis mihi videor totam hanc de ſyncope diſciplinam poſſe colligere & in certa quædam capita referre.

In ſyncope vires labuntur, itaque ſi quis velit ſcire cauſam huius ſymptomatis, & quomodò vires labantur, is ante omnia ſciat oportet quomodo per ſanitatem vires valeant, & in quo earum robur & vis conſiſtat: hoc enim fuerat apud Gal. 3. *de ſympt. cauſis* 1. præcipuum caput inuentionis cauſarum, quæ facultati noxam inferunt, vt cognoſcamus quomodo illæ per ſanitatem ſuas efficiant operationes. Gal. ergo nos docet, eſſentiam virium quibus corpus regitur, tum in ſpiritu, tum in ſolidorũ temperamento conſiſtere, illaſque perpetuò fore robuſtas, ſi ſubſtantia ſpirituum, vna cum ſolidis corporibus, tum qualitate tum quantitate naturaliter ſe habeat. Ex quo facile eſt intelligere cum Galeno, quæcunque ſpiritus & membra ſolida valent præter naturam imminuere vel alterare, hæc omnia poſſe noxam viribus inferre, & ſyncopem inducere. Spiritus autem & partes ſolidæ noſtri corporis, ſi quis iunior id quoque cupiat intelligere, ſunt huiuſmodi: ſpiritus quidem primùm eſt animalis, qui in cerebro tanquam proprio fonte continetur: ſecundò ſpiritus vitales, quem probabile eſt in corpore & arteriis contineri: tertiò ſpiritus naturales, etſi Galen. de hoc dubitanter loquitur, quem veriſimile eſt, ſi datur, in iecore & venis reperiri. Partes autem ſolidæ ſunt potiſſimùm caput, cor, iecur, ventriculus, vterus, teſtes, pulmones, & reliquæ id genus, quæ facilè & frequenter ſolent prioribus partibus conſentire.

Virium eſſentia in quibus conſiſtat.

Syncope ratione ſolidorum membrorum.

Itaque ſyncope prouenit aut ratione membrorum ſolidorum, aut ratione ſpirituum. Ac primùm ratione membrorum ſolidorum dupliciter contingit ſyncopen fieri; vno modo, ſi illa nimiũ minuantur, quod in longiſſimis morbis frequenter euenit, homine ex defectu alimenti vehementer extenuato; vel præterea in febribus aut aliis morbis acutis & malignis, ex quibus corpora colliquantur & conſumuntur: altero autem modo, ſi membra ſolida propriam & naturalem mutent temperiẽ, quę poteſt eſſe non ſolũ ſimplex, calida, frigida, &c. ſed etiã ex iis cõpoſita, & cum materia & ſine materia.

Syncope ratione ſpirituum

Deinde quantum ad ſpiritus, contingit ſyncopen fieri duplici item ratione ſicuti de ſolidis diximus, nempe ſi ſpiritus præter naturæ inſtitutum, vel alterentur, vel minuantur. Ac primùm quidem ſpiritus alterantur à vitioſis humoribus: etenim cum ſpiritus non aliud ſint quàm tenuiſſima pars ſanguinis atque eandem naturam cum humoribus retineant vt quales ſunt humores, tales ſint ſpiritus, & alteratis humoribus, vt ſpiritus quoque alterentur, neceſſe eſt.

Alteratio ſpirituum ab humoribus vitioſis.

Secundò ſpiritus alterantur ex malitia aëris ambientis, ſiue manifeſtis qualitatibus ſimplicibus & compoſitis, ſiue tota ſubſtantia, ſiue aliter contingat illum vitioſum & improbum fieri: cum enim manifeſtum ſit ſpiritus ipſos ex inſpiratio aëre continuè nutriri, facile eſt intelligere quomodo ex alterato & improbo aëre ſpiritus quoque alterentur & improbi reddantur.

Ab aëris malitia.

Tertiò ſpiritus alterantur à venenis, quæ vel à pernicioſis animalibus iniecta ſint, vel aliter corpus ingrediantur: ad quem modum multi vel morſi à vipera, vel alia exitioſa fera, vel vtcunque venenati frequenter ſyncope corripiantur.

A venenis.

Secundo autem modo ſpiritus minuuntur multipliciter, ac primùm ex qualibet inſigni euacuatione, etiamſi praui humores atq; excrementa toto

Imminutio ſpirituum in vacuatione.

genere

genere præter naturam vacuentur, Galen.& Hipp. 6. *aph.* 27. quoniam ſimul cum excrementis plurimi quoque ſpiritus neceſſariò euacuantur, vnde vires redduntur imbecilliores, quę debilitas, vt inquit Gal. *in com.* poſtea remedium non habet. Sic igitur ex choleris, ex fluxione alui, ex ſuperfluo vomitu, ex fluxione ſanguinis per nares, per vulnera, per hæmorrhoïdas, per vterum, & ex omni immoderata vacuatione contingit ſyncopen fieri.

Ex defectu alimenti.

Deinde ſpiritus minuuntur ex defectu alimenti; quotieſcunque enim alimenta deficiunt, vt euenit in bulimo, in quo prorſus languente ventriculo, ac planè illius calore extincto, ægri nihil appetunt, & omni nutrimento deſtituuntur, tunc neceſſario primùm quidem ſpiritus, deinde membra ſolida minuuntur, & ſyncope ſuccedit.

Ex reſolutione.

Tertiò, quia ſpiritus reſoluuntur: & ſi quis quærat, in quonam differat reſolutio ab euacuatione? Dicendum, hanc ſubitò, illam, ſenſim fieri: reſoluuntur primò in magnis perturbationibus, vigiliis, ſtudiis cogitationibus, immoderatis exercitiis & laboribus, in ſumma meatus & corporis raritate, & humorum & ſpiritus tenuitate, vt ex venis & toto corpore effluant, ſicuti illis contingit, qui obtinent tenuiſſimos ſuccos, & facile exhalantes, de quorum curatione Gal. 12. *meth.* 6. Poſtremò minuuntur ex nimia ſuffocatione: etenim cum participent naturam igneam, nequeant verò per corpus liberè moueri, corrumpuntur & minuuntur, vt in timoribus & anguſtiis cordis in quibus ſpiritus ad cor refugiunt & ſuffocantur: ad quem modum in obſtructione circa cor proximus ſpiritus ſuffocatur, ſicuti euenit in illis febribus vbi ſumma humorum cruditas reperitur, quas ſyncopales humoroſas appellant, de quibus Gal. 12 *method.* 3.

An ſyncope oriri poſſit vitio membrorum.

Hic occurrit ardua difficultas, vtrùm vitio membrorum ſolidorum, ſiue illa minuantur, ſiue alterentur, ſyncope fieri poſſit. Nãque ſi ſyncope eſt præceps virium lapſus, vt cauſæ quoque ſyncopen efficientes ſint præcipites, & præcipitanter agant, neceſſe eſt. At verò ſi memoria reperamus ea quęcunque membra ſolida poſſunt, vel minuere, vel alterare, certè hæc omnia non niſi in tẽpore id videntur facere poſſe, adeo vt non ſine ratione videatur colligi, hanc cauſam quæ ad membra ſolida pertinet, non ſolũ ſupervacaneã, ſed etiã impoſſibilẽ eſſe. Et ſi verò ardua eſt difficultas, tamen ego cenſeo reſpondendum eſſe, ſi hęc res ſubtiliùs conſideretur, proximam & immediatã cauſam ſyncopes in ſolos ſpiritus vel deficiẽtes, vel alteratos, referendã eſſe, cum reuera propter hanc ſolã cauſam, defectus, vel alterationis ipſorum ſpirituũ, cõtingat vires præcipitari, & ſyncopen fieri: at verò Gal. & Medicos duplicem cauſam, non ſolùm ſpiritus, ſed etiam membrorum ſolidorum ſtatuiſſe, propterea quod illi, nõ vt philoſophi, in ſola rerũ cõtemplatione acquieſcunt, ſed omnẽ ſuam diſciplinã ad opera artis atq; vſum ſolent referre; ad quem modum Gal. quoque docet duplicẽ eſſe cauſam doloris, intemperiem & ſolutionem continui, etſi reuera, ſi exquiſitè loqui velimus, vnica ſit ſolutio continui; propterea quia medici curantes dolorem, vtrumq; hanc cauſam reſpiciunt. Quamobrem cum medici curantes ſyncopen, non ſolũ defectum vel alterationẽ ſpirituum, ſed etiam defectum, vel alterationem membrorum ſolidorum conſiderẽt, atque vtriſq; conentur proſpicere, hinc puto factũ eſſe, vt duplicẽ quoq; cauſam ſyncopes non ſine ratione videantur ſtatuiſſe.

Signa.

Signa ſyncopes ſunt manifeſtiſſima pulſus vel ſunt aboliti, vel certè admodum parui, obſcuri, & quos formicantes appellant; extremæ partes refrigerãtur, ſudores frigidi apparent, ægri ſenſu & motu priuantur, atque vno verbo, & facie & toto corpore imaginem mortis repræſentant. Quo loco notanda eſt ſententia Aëtij *lib.* c. 101. qui ponens diſcrimen inter ſyncopen & lipothymiam, inquit lipothymiam de repente incidere, ſenſu & motu hominem priuare, & ſudoribus carere: ſyncopen verò & vigilantes & dormientes inuadere, & omnino cum ſudoribus, qui ſyncopici nuncupantur. Quæ ſententia non eſt recipienda, ſiquidem res ipſa demonſtrat, non ſolùm lipothymiã, ſed ſyncopen etiã repente inuadere, & in vtraq; ſudores etiam apparere, præterquam quod perſpicuè falſum eſt, ægrotos lipothymia priuari ſẽſu & motu, cum id potius in ſyncope fieri ſoleat.

Aëtij error.

Differ. inter lipothymiam & ſyncopen.

Vera autem differentia inter vtrumq; affectum non alia eſt, quam ſecundum magis & minus: ſiquidem ex Gal. ita habendum eſt, vtrumque affectum ab iiſdem cauſis poſſe prouenire, ſed lipothymiam & mitiores cauſas, & leuiora ſymptomata quàm ſyncopen habere: & vnico verbo, lipothymiam omnino leuiorem eſſe affectum & facilè reparabilem, contra verò ſyncopen propemodum lethalem, ac ſine remedio.

Curatio.

Sed ad curationem venio, in ſyncope duæ nobis ſeſe offerunt præcipuè curandi indicationes: altera excitandi ægroti, & renouandi calorem naturalem ad partes extimas: altera nutriendi & regenerandi ſpiritus. Quatenus ad primam pertinet, calor naturalis ſimul cum ſpiritu, reuulſionibus, atque iis quæ hominem excitant, potiſſimùm ſolet reuocari vulgo & eſt remedium Gal. aqua frigida violenter proiicitur in faciem, quod & facile & optimum eſt remedium; ſic illis qui ſecta vena incidunt in lipothymiam, Gal. iubet nares conſtringere: ad quem modum conueniunt vociferationes, euulſiones capillorum, frictiones, ligaturæ, compreſſiones contentiones, & quæcunque ſolent extremis partibus dolorem inferre, ita enim concentratus calor naturalis & ſpiritus exteriùs reuocati, atque homines à ſyncope liberari ſolent.

1. Indicatio.

2. Indicatio.

Ex ſecunda autem indicatione nutriantur & regenerentur ſpiritus, primùm bonis & gratis odoribus, de quibus ſcribit Gal. ex Hip. in lib. de *alim.* 2. *aphor.* 11. quod inter cætera omnia odores celerrimè nutriant: itaque naribus appunantur flores odorati, aromata, vinum, acetum & alia id genus, quibus ægroti per ſanitatem delectantur.

Cautela.

Sed tamen id notandum eſt, ſi forte ſyncope contingat ex præfocatione vteri, quod frequenter contingit, tunc fœtida naribus, odorata vtero fore apponẽda, quod hac ratione ſpiritus ad vterum retrahantur, & ille recreetur. Secundò nutriuntur & recreantur ſpiritus per ea quæ ore aſſumuntur, vbi ex Hip. & Gal. 2 *aph.* 11. potiſſimùm conueniunt liquida, tenuia & odorata, vnde inter cætera omnia vinum principem locum obtinet, niſi, inquit Gal. 1. *ad Glauc.* ſit aliquid quod prohibeat, vt phrænitidis, mala capitis affectio, interna aliqua inflammatio, in quibus à vino abſtinendum eſt: quamobrem ſi liceat, exhibeatis modicum vini aromatici cum pane eo madefacto: pariter conueniunt oua, iura optima, & quæcunque facilè & citò nutrire poſſunt. Sed nos poſtremò hoc loco ſingulas cauſas, attamen quàm breuiſſimè & ſummatim perpendamus, & cuiuſque ſigillatim curationem afferamus.

Syncope ex extenuatione.

Itaque ſi fuerit ſyncope ratione membrorum ſolidorum, quæ fuerint imminuta in morbis quidem longis, illa ſunt inſtauranda commodâ in primis victus ratione, de qua videatis Gal. 7 *meth.* 6. quæ in frictionibus, balneis, inunctionibus, idoneis alimentis & potionibus cõſiſtit.

Ex alteratione ſolidorum.

In febribus autem & reliquis morbis acutis & malignis, certum eſt ſummam curationis ad curationẽ eorum morborũ pertinere, de quibus non pertinet ad hunc locũ lõgiùs agere. Sin autem membra ſolida fuerint alterata,

inquit

ioqnit Galen. 1. *ad Glauc.* 54. *ad finem*, cõtrariis ſingulas intemperies opotter curate, frigidas calefaciendo, calidas refrigerando. atq; in cæteris eadem ratione, de quibus item iam ſæpenumero dictũ eſt.

Ex ſpirituum alteratione. Cæterùm, ſi ſyncope proueniat ratione ſpirituũ, propterea quòd illi ſunt alterati, & primò ratione vitioſorum humotum, nonnulli hic omne genus vacuatioois abhorrent, quod maximũ viribus peſiculum videatur imminere: at verò ſi ægroti leuiotibus quibuſdam medicamentis, veluti hiera ſimplici, caſſia, ſyrupo roſaceo, & ſimilibus, expurgarentur, potiſſimùm quo tempore ab acceſſionibus eſſe immunes, ego quidem crederem id non inutiliter ac tutò fieri poſſe; atq; ea curandi ratio maximè videretur conuenire, in qua ægri ſenſim & ſenſim purgantur, ſenſim & ſenſim outriuntur, & ad meliorem ſanguinem deducuntur, quam Gaſ. vocat per epicraſim.

Ex aëris vitio. Si ſpiritus alterantur ratione veneni aëris, ægri ſalubriorem aërem quærant; aut ſi id nequeat fieri, aër ſecundùm contrarias qualitates, rebus potiſſimùm odoratis, lotionibus, ſuffumigiis, & omni ingenio corrigarur.

Ex venenis. Si demum ſpiritus ex venenis fuerint alterati, tunc curatio ad venenum dirigenda eſt, exempli gratia, aſſumptum venenum ſi fieri poteſt, quam primum ex ventriculo deducendum eſt: quod ſi ventriculum pertranſierit, & venas penetrauerit, tunc alterantia conueniunt medicamenta, quæ ſiue manifeſtis qualitatibus, ſiue tota ſubſtantia malitiam veneoi poſſunt emendare, de quibus videatis Gal. 5. *de ſymp. med.* 18. *de conſtit. artis med.* 19. Pro educendo autem veneno ex ventriculo nihil vomitu præſtantius eſt, vt aliàs de hoc remedio dictũ eſt. Pariter ſi quis morſus ſit à vipera, vel alia exitioſa fera, primùm per attrahentia medicamenta, per ſcarificationes, & omni induſtria venenum foras extrahendum, deinde propria antidota theriaca, mithridatum, & alia id genus exhibenda ſuot, quæ vel tota ſubſtantia, vel manifeſtis qualitatibus poſſunt prodeſſe.

Ex imminutione ſpirituum. Poſtremò ſi fuerit ſyncope rarlone ſpirituum qui minuantur, primò quælibet immoderata vacuatio reprimenda eſt: pro quo frictiones, ligaturę, & omnis reuellendi ratio conuenit: in quibus tamen reuulſionibus nos admonet Gal. 1. *ad Glauc.* ſitum partium perpetuò animaduertendum eſſe. adeo vt, exempli gratia, ad manus & partes ſuperiores fiat reuulſio, ſi per inferiores partes fiant euacuationes, vt ſi ſanguis per hæmorrhoidas & vterum fluar, ſi adſit fluxus alui: contrà verò ſi immoderatæ vacuationes fiant ſuperiùs, vt per fluxum ſanguinis nariũ, per vomitũ, tunc reuulſionẽ ad crura & partes inferiores faciendam eſſe. Secundò ſi ſpiritus minuantur propter defectũ alimenti, vt contingit in bulimo, tota curatio ad foucndũ & roborandum ventriculũ maximè pertinet. Tertiò ſi minuantur ſpiritus propter reſolutionẽ; tunc ad ſingulas cauſas reſpiciendũ eſt quæ, vt dixi, maiori ex parte ad moleſtias laboreſqoe. tum animi, tum corporis, pertinent. Si ægroti habitu corporis rariore ſint præditi ſpirituſq; & humores habeant tenuiores, ac facilè euolantes & diffluentes, vt propterea freqnenter corripiãtur ſyncope, de iis & corũ curatione diligenter tractat Gale. 12. *metho.* 6. & nos præterito anno, agentes de febribus. ſatis diximus.

Poſtremò ſi ſpiritus ſuffocantur, qui neq; liberè moueri neq; per corpus poſſint permeare, laborãte corpore, ac potiſſimum ex multis magniſq; obſtructionibus interioru partiũ, ipſæ accõmodatis præſidiis ſunt auferendæ, de quibus Galen. 12. *meth.* 3. Si quis verò eſt, qui magis accuratam & diſtinctam ſyncopes curationem deſideret, is videat Galen. 1. *ad Glau.* 14. in quo accuratiſſimè & copioſiſſimè hanc rem ſecuodùm vnamquamque cauſam tractat, & ſingula remedia affert, vt in præſentia pluribus non ſit opus.

DE AFFECTIBVS
VENTRICVLI, HEPATIS, Lienis, Inteſtinorum, & aliorum quæ in inferiori ventre continẽtur.
LIBER TERTIVS.

CAPVT I.
De Cholera.

ABSOLVTIS morbis capitis & pectoris, reſtat, vt naturæ ordioem ſequentes ad inferiorẽ ventrem deueniamus, eiuſq; morbos ea quã Rhaſes nobis mõſtrat, ſerie explicemus. *Morbi varij Ventriculi.* cum autem ventriculus primum ſeſe offerat, de eo ſermonẽ inſtitoemus. Ventriculus poteſt laborare omni genere morborum, & primùm morbis ex intemperie, ſecundò morbo in mala compoſitione, ad quẽm modũ refert Galenus cap. 75. artis medicæ, hiſtoriam illius hominis, qui habebat ventriculum vſq; adeo paruum rotundumq; ac pronum ſecundũ hypochondria, vt manifeſtè & tangentibus & videntibus appareret: qui quidẽ morbi in mala compoſitione propemodũ ſunt naturales, nec vllã recipiunt curationem. Tertiò ventriculus pati poteſt morbum in ſoluta vnitate, vnde eſt aphoriſmus Hippocratis 18. 6. *Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale:* quo loco dicit Galen. ventriculũ in ſumma parte vulneratum quandoq; ſanari, tota autem perforata ſubſtantia vſq; ad cauitatem, vel nullo modo ſanari, vel rariſſimè: que quidem difficultas ſanationis non proueoit ex illius ſubſtantia, ſed magis propterea quia ad eam partem nulla poſſunt adhiberi medicamenta: de quo item vẽtriculo dicit Gal. 6. *meth. c.* 4. inferiores illius partes, vtpote craſſiores & carnoſiores, ſanari poſſe, ſuperiores autem difficilè admodũ, & fortè nullo modo, tum propter exquiſitũ illius ſenſum, tũ quia nullã poteſt recipere vtilitatem à medicamentis, niſi in tranſitu; ſiquidẽ vt idẽ Gal. loco citato 6. *aph.* 18. *com.* nec nõ 4. *meth.* 7. 5. *meth.* 10. ad mentẽ auctoris de vulneribus pernicioſis ſiue fuerit Hipp. ſiue alius quiſpiã, ſcribit, vulnera ventriculi ſanari tantũ poſſunt per ea medicamenta, quæ aſſumuntur per os. Cum igitur ventriculus poſſit laborare omni genere morborũ, nos cæteris prætermiſſis in præſentia de vnis tantũ morbis in intemperie agemus. vt qui ſint maximi momẽti & cæteris morbis lõge freqoẽtiores.

Cum autem ventriculus duas habeat principes partes, quę nõ ſolũ ſitu, ſed etiam facultatibus inter ſe differũt, cũ pars ſuperior pręcipuè ad apparentiã pertineat, inferior ad coctionem, omois ratio videretur poſtulare, vt primò inciperemus de affectibus partis ſuperioris, & ita omnes propemodum practici procedunt: ſed cum demandatũ nobis ſit profiteri Rhaſim, qui agens de affectibus vẽtris inferioris, primo incipit de cholera, mihi libet illius ordinem ſeruare: quod eo libentius facio, quoniã ſiue hoc ſiue altero modo progrediamur, id nihil pertinet ad curationem. Quod ſi quis velit Rhaſis ordinem tueri, is facilè apparentem quandã rationem poteſt afferre, quòd nimirum cholera ſoleat deducere ſæpe homines ad ſyncopen, quæ eſt affectio cordis, ac propterea poſt explicationem

affectuum

affectuum cordis, ſtatim illum agere de cholera.

Ratio nominis.

Gal. 2. *method. cap.* 2. inquit, veteres medicos conſueuiſſe morbis nomina imponere variis modis, inter quos illum quoque recenſet, qui deducitur à cauſa putata ab illis: ad quem modū Medici omnes melancholiam appellant delirium ſine febre, propterea quia omnes opinantur, illam non ab alia fieri cauſa, quàm ab humore melancholico. Sic Gal. inquit, Medici Lydij, hunc affectum choleram nominauerunt, quòd eam illius cauſam fuerint arbitrati: Alex. Trallianus exiſtimauit hunc affectum tale nomen ſortitū eſſe, propterea quòd laborent inteſtina. Iacobus de partibus cenſuit hunc morbum dici choleram, quaſi cœliacam paſſionem: ſic alij forte aliter ſentiunt: ego autem puto ſolam Galeni rationem veram eſſe, quòd nempe primi illi veteres, qui nomina rebus impoſuerunt, hunc morbum choleram appellarint, quia putaueſint illam ex bile vnica potiſſimùm originem habere, quàuis tamen decepti fuerint. Etenim ratio Alex. videtur infirma, cum hæc affectio pertineat in primis ad ventriculum, neque eadem inteſtina laborent, niſi per cōſenſum aliarū partiū ſuperiorū. Pariter Iacob. malè ſentit, cum cōmiſceat & confundat choleram cum cœliaca paſſione, quas tamen conſtat inter ſe multum differre. Itaque nominatur hæc affectio & à Græcis, & à Latinis vnico nomine *cholera*. Medici vulgo *cholericā paſſionē vocant*.

Definitio.

Hanc affectionem Paulus, Aëtius, & alij omnes ita definiunt: quòd ſit immoderata ventris perturbatio, ſuperiùs per vomitum, inferiùs per ſedē, ex continua ciborum cruditate facta: quibus videtur conuenire Auctor definitionum medicarum, quæ falsò Galen. aſcribuntur, quòd cholera ſit morbus acutus, cum multis vomitibus & deiectionibus bilioſis, quam ſæua ſequuntur ſymptomata. Apud Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* 23. *de natura facult.* 13 Cholera nihil aliud eſt, quàm vacuatio excrementorū quæ quouis modo ventriculum contriſtant, facta per vtramque illius partem, & ſuperiorem & inferiorem. Quam Galeni definitionem equidem cenſeo veriorem eſſe altera illa quam tradunt Paulus. Aëtius, & plerique omnes, cum iſta careat accommodato genere & propriis differentiis: nec enim cholera eſt perturbatio ventriculi ſed euacuatio, ad quam deinceps ſequitur perturbatio ventriculi: neque item omnis cholera fit ex recenti cruditate, vt ſtatim demonſtrabimus, tractantes de illius differentiis & cauſis. Ex qua Galeni diſciplina debetis ſcire, in cholera in primis laborare ventriculum, non ſolùm ſecundùm vnam aut alteram partem, ſed etiam ſecundùm totum: laborant etiam inteſtina ipſa in hoc affectu, non tamen per ſe & primò, ſicuti falsò opinantur multi auctores, ſed tantùm per conſenſum ventriculi.

Qualis affectus.

Cum ergo cholera ſit euacuatio, iure eſt ſymptoma exiens immutatum, non toto genere præter naturam, ſed vel qualitate, vel quantitate, vel vtraque ratione. Cum autem ſcribat Gal. *lib. de differentiis ſymptomatum cap.* 4. neceſſe eſſe vt morbi omnem ſymptomatum naturam præcedant, quandoquidem conſtat morbos eſſe cauſas ſymptomatum, ſi quæras quiſnam ſit morbus, & quænam ſit cauſa huius ſymptomatis? vnus tibi reſpondebit Gal. cum cæteri omnes interpretes hanc rem conniuentibus oculis prætereant. Primum autē ſciendum eſt ex eodem Gal. loco citato, ſymptoma alterius ſymptomatis eſſe cauſam, & ſæpe alterum ab altero originem habere, ſed ita tamen vt perpetuò ad vnum morbum ſit perueniendum, ex quo tandem omnia ſymptomata dependeant: id quod euenit in præſentia: namque hoc ſymptoma ex alio pendet ſymptomate, nimirum ex læſione facultatis expultricis ventriculi, qui contriſtatus ab aliqua re, quæ vel ſui pondere & copia, vel ſua mala qualitate illi negotium faciat, cupit eam expellere: atque ſic primū ſymptoma eſt exiens immutatum, quod pendet ex actione læſa, triſti illo nimirum ſenſu, quem ſiue dolorem, ſiue moleſtiam ſiue anxietatem, ſiue aliter nomines, non multum laboro. Cum autem hæc triſtis ſenſatio pendeat apud Gal. vel ex ſoluta vnitate, vel ex intemperie, de qua re alioquin dubia & controuerſa apud medicos aliàs tractabimus, ſatis vnicuique poteſt cōſtare, morbum & cauſam huius ſymptomatis ſtatui poſſe cum Galeno vel ſolutā vnitatem, vel intēperiē partim ipſius vētriculi, partim aliarum partium, quę ad ventriculum ipſa tranſmittūt excrementa.

I. Different.

Choleræ differentiæ ſunt plures. Prima eſt ſumpta à materia quæ educitur, cuius mentionem facit Hip. 4. *de ratione victus* 103. namque alia eſt in qua educuntur humores acres, quam appellant *choleram humidam*: alia autem eſt in qua nihil humiditatis educitur, ſed tantùm flatus quidam acres & aridi, quam *choleram ſiccam* vocant.

II Different.

Alia eſt differentia, cuius meminit Gal. 7. *meth. cap.* 11. cum alia ſemel inuadat, & ſit continua, alia autem ſæpius, & ſit periodica.

III. Different

Tertiò ſunt differentiæ à coniunctis: namque hoc malum corripit vel virum vel mulierem, vel robuſtum, vel debilem, iuuenem, vel ſenem; vt enim ſcribit Gal. 3 *aph. com.* 30. hoc malum aggreditur omnes ætates: idem dicatis de anni tempore, & de cæteris, quę habent eandem rationem.

IV. Differen

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis: iam diximus ventriculum laborare non modò ſecundum ſuas partes, ſed etiam ſecundū totum hoc poteſt fieri, vt ordine procedamus, vel primò & per ſe, vel per conſenſum aliarum partiū, vel propter externos errores. Ventriculus laborat primò & per ſe, cū vſque adeo malè affectus eſt, vt corrumpat alimenta quātumis ſint laudata, quod potiſſimùm euenit quando calidior eſt & quodāmodo igneus, vt conuertat alimēta in acrē & nidoroſulentā qualitatē. Laborat vētriculus per cōſenſum, trāſmiſſa ad illū materia, atq; hoc dupliciter, vel à toto corpore, vel à parte aliqua, veluti capite, iecore, & aliis. Laborat demū ventriculus, etſi alioqui ſit ſanus, propter externos errores, quos poſſumus partiri bifariā vt nonnulli pertineant ad alimenta, alij autē ad medicamenta.

Errores in alimentis varij

Errores circa alimenta ſunt plures, & committuntur vel quantitate, vel qualitate, vel præparatione, vel tempore, vel ordine, vel ſtudiis & rebus externis, vt docet Gal. 3. *de ſymptomatum cauſis, cap.* 2 Primus error eſt in quantitate, vt ſi quis aſſumat copioſiorem cibi & potionis quantitatem quàm deceat; quæ quidem quantitas poteſt conſiderari vel ſimpliciter abſolutè, vel comparatiuè ad vires hominis laborantis. I.

II. Secundus eſt in qualitate, multa enim ſunt quæ ſuapte natura acria ſunt & facilè corrumpuntur, vt eruca, ſinapi, cucumeres, pepones, de quibus ſpeciatim dicit Gal. 2. *de alimentorum facult. cap.* 4. quòd reddant homines obnoxios huic morbo: ſunt & alia multa huius generis.

III. Tertius error eſt in præparatione: ſunt enim nō nulla alimenta tam malè præparata, vt ſtatim & facillimè corrumpantur, qualia exempli gratia, ſunt inteſtina ſuilla referta pinguedine, ſanguine, & aliis huiuſmodi rebus: ac fortaſſe noſtri didicerunt hoc edulium conficere imitatione veterum, qui vt dixit Gal. 4. *de ratione victus com.* 120. conſueuerunt comedere ventres caprarum ſanguine & pinguedine refertos: ſic ſcribit Hip. loco citato carnes porcorū prauas eſſe, cum malè præparētur vt nimirum vel ſint crudiores, vel nimium coctæ.

IV. Quartus eſt error in tempore, in quem errorem familiariter incidunt quàm plurimi, qui non concedunt tempus commodum prioribus alimentis concoquendis.

V. Quintus eſt in ordine, vt ſi quis in prima menſa aſſumat mala punica, in poſtrema fructus qui poſſunt mouere aluum.

VI. Poſtremò ſunt ſtudia & res externæ, ad quas Gal. refert omnem corporis exercitationem, venerem, venationem, ſtudia literarum, animi perturbationes, & alia huiuſmodi. *Errores in medicamentis.* Errores circa medicamenta contingunt ſi quis aſſumat helleborū; colocynthida, ſcammonium, aut alia vehementiora, & potiſſimùm excedente doſi, vt contingit quidē mihi videre Venetiis ignatum quendam medicum, qui aſſumpſit integram vnciam agarici, qui propterea incidit in hunc affectum ſæuiſſimū, vt vix à morbo potuerit liberari. Ad hunc eundem modū videtis ſpeciatim illos qui aſſumunt antimoniū, in tam confuſum vomitum & alui deiectionem incidere, vt nōnulli etiā à morte euadere non poſſint.

Duæ nouæ differentiæ reiiciuntur. Poſitis differentiis choleræ, quas credimus eſſe legitimas, & poſſe aliquid conferre ad cognitionē, ad prognoſticum, & ad curationem morbi, nonnulli recentiores alias duas adiungunt: altera ab intenſo & remiſſo, vt quædam ſit morbus acutus, quædam diuturnus leuior & periculoſior: alteram à bono vel malo iudicio, vt nimirum altera ſit critica, altera non critica. Sed vtrique mea ſententia falluntur: nam tametſi negandum non eſt, ſicuti cæteros omnes morbos ita cholerā fieri poſſe & maiorem & minorē, maioris vel minoris periculi, tamē non memini legiſſe probatum aliquem auctorem, qui nō velit cholerā perpetuò eſſe morbum acutū, imò verò peracutum, & ferè lethalem. Sic ſecunda differentia vana eſt: ſi enim memoria repetamus quæ ſcripta ſunt à Gal. variis in locis præcipuè verò in lib. de criſibus, inter cæteras cōditiones bonę criſis tres præcipuè numerantur: prima, quòd natura euacuat per vnam tantúmodo partem: ſecunda, quòd deiiciuntur & expelluntur tantummodo concocta; tertia, quòd ægri hanc vacuationem facilè & leuiter ferunt: hæ ſunt præcipuæ conditiones bonæ criſis, quæ nunquam apparent in cholera: quare propoſitæ differentiæ nobis ſufficiant.

Signa choleræ imminentis. Signa choleræ ſunt triplicia: alia futuri & imminentis morbi, alia præſentis, & alia differentiarum. Signa futuri morbi poſſunt deſumi ex tribus, ex præparatione corporis, ex cauſis præſentibus, & mediis quibuſdam diſpoſitionibus. Exempli gratia: ſi quis habeat ventriculum calidiorem ac prope igneum, ad modum exquiſiti ſenſus, delectetur alimentis acrioribus, & quæ facilè corrumpantur, committat errores in quantitate, in qualitate, & cæteris de quibus diximus, incidat in appetentiam, in ſitim, habeat ructus nidorulentos, in ventriculo & imo ventre incipiat perſentire dolores, punctiones, anxietates: hæ prope ſunt ſigna indicantia imminentem choleram: quibus licet addere & præcedentē victus rationem, forte etiam conſuetudinem incidendi in hoc malum.

Signa præſentis choleræ. Tempus anni & alia huiuſmodi ſigna pręſentis affectus ſunt manifeſtiſſima ex tradita definitione: quotieſcunque enim quis vno & eodem tempore, & per vomitum, & per ſedem deiicit excrementa acria, tunc verè patitur choleram: hæc enim ſunt ſigna pathognomonica & inſeparabilia quæ indicant præſentem affectum. His nobis licet & alia addere, quæ ſuperuenientia ſigna nuncupantur, de quorum differentia Gal. tum aliis in locis, tum potiſſimùm 1. *aphor. com.* 12. agit diffusè. Sunt autem huiuſmodi ſigna quæ non perpetuò ſuccedunt, ſed tantummodo aliquando, deliquia animi, ſudores exigui & frigidi, pulſus parui, celeres, vermiculantes, quorum ſpeciatim facit mentionem Galen. 3. *de cauſis pulſuum cap.* 17. 2. *de præſagio ex pulſibus cap.* 9. Eſt prætetea aliud ſymptoma valde ſæuum, muſculorum manuum, & pedum, maximè in cruribus contractio, cuius meminit ac rationem reddit Galen. in 5. *aphor. comm.* 1. Hippo. ſiue quiſquis fuerit auctor quinti lib. epidemiorum, ægroto 10. præclarè vtraque hæc ſigna mihi videtur explicare: *Athenis*, inquit, *virum illum cholera corripuit, vomebatque & deorſum deiiciebat, & dolebat, & neque vomitus, neque deiectio poterat ſiſti: iſta ſunt ſigna demonſtrantia affectum: quæ ſequuntur ſunt ſuperuenientia: & vox deficiebat, & moueri ex lecto non poterat, & oculi erant caliginoſi & caui, & conuulſiones tenebant.*

Signa differentiarum. Sequuntur ſigna differentiarum: primum, an ſit cholera ſicca vel humida, patet ad ipſum ſenſum. Quo loco illud interea eſt animaduertendum, quod Hippo. vel quiſquis ſit auctor partis illius lib. de ratione victus, ſcribit loco ſuperius citato 103. in cholera ſicca aluum ſiſti, nec quicquam deiicere: quam ſententiam Galen. in com. non recipit, & ſumma cum ratione: niſi enim vno & eodem tempore deiiciantur acria excrementa ſiue ſint humida, ſiue acria, per partem & ſuperiorem, & inferiorem, iam deficit proprium genus, ſub quo omnes illius differentiæ debent contineri: vnde ſi in cholera ſicca aluus retinetur, iam cholera dici non poteſt. Quod autem pertinet ad alia ſigna differentiarum, cum multa vel ex relatione ægroti, vel ad ſenſum, vel aliis modis facilè poſſint intelligi, quæ verò ſumuntur à cauſis, nulla certa ratione poſſint definiri, iſthæc omnia ex natura ægrotantis, ex præcedente victu, ex excrementis, & aliis quaſi locis communibus, debent intelligi: in qua quidem re plurimum elucet & apparet virtus, prudentia, & induſtria Medici.

Indicationes curatiuæ tres. Curandi indicationes in hoc affectu ſunt tres. Prima eſt excrementorum vacuatio: ſecunda remiſſio acredinis & malæ eorum qualitatis. Tertia eſt partium, & potiſſimùm ventriculi corroboratio.

Prognoſtica. Vtrùm iis indicationibus ſatisfacere poſſimus ſi quis ſcire deſiderat, is memoria teneat, hunc morbum eſſe acutum, imò verò peracutum, cuius duæ ſunt conditiones auctore Gal. in lib. de diebus decretoriis: altera, vt ſit celerrimi motus; altera, vt adiunctū habeat maximū diſcrimen: certius itaque iudicium faciendum eſt ex ætate, corporis habitu, temperamento ac potiſſimùm ex viribus ægrotantis ex qualitate excrementorum, ex magnitudine & numero ſymptomatum & ex aliis: perpetuò enim in prognoſtico debet medicus cōferre morbū cū viribus ægrotantis, ex qua comparatione præclarū poteſt de tota re iudiciū facere.

Vbi itaque ſupereſt aliqua ſpes ſalutis, iam de remediis cogitandum eſt: ſed quoniā vnaquæque morbi differentia propriam quodammodo requirit curandi rationē, & Medici qui indiſtinctè ſolēt iiſdem vti remediis in qualibet differentia, ſępenumero magis obſunt quàm proſunt: propterea de ſingulis agendum eſt, incipiendo à cholera humida, quæ certè eſt & frequentior, & manifeſtior ſicca.

Curatio choleræ humidæ. Primus ſcopus qui nobis ſeſe offert in curanda cholera humida, eſt, vt omnium primū detrahatur excrementum ventriculi, vt ita cōmodè deinceps poſſint adminiſtrari remedia corroborātia. Nam ſi quis audeat, (quod perpetuò alta mente tenendum) ante integrā vacuationē ventriculi, illis vti præſidiis, quæ poſſint illum corroborare, hic quāplurima &

grauiſſi

grauiſſima incommoda afferet ſuis ægrotantibus: quam rem habetis apud Galen. cum aliis in locis, tum maximè 1. *ad Glauc. cap.* 14. in quem tamen errorem videmus quamplurimos medicos, etiam celebres quandoque incidere. Gal. Auic. Paulus, Aëtius, maximè laudant vomitum:alij autem contrà laudant vacuationem per partem inferiorem, vnde magis probant clyſteria, & glandes;nonnulli etiã probant medicamenta ſoluentia. Ego verò ita cẽſeo hac in re ſtatuendum eſſe, vt diligenter obſerueris naturæ inſtitutum & conatum; quòd ſi illa ſatis & pro rei opportunitate videtur operationem perficere, tunc illi totum negotium eſſe permittendum, ne meidcus imprudenter aliam euacuationem addendo, naturam præcipitem agat in ruinã. Naturæ enim ſunt morborum medici, vt ſcribit Hip. *in epidemiis*. Quod ſi natura parcè & diminutè agat, tunc ſane expedit illam iuuare: ſed cum ea poſſit iuuari & per vomitum, & per ſedem, plerique omnes ſentiunt, illam iuuandam eſſe ſecundùm naturę propenſionem, ex regula Hip. *Quo maximè natura vergit, eò ducere oportet, per vias conuenientes.* Sed forte melius fuerit non ita ſimpliciter hanc determinationem recipere, ſed præterea nonnullas diſtinctiones & conſiderationes afferre.

Vomitus in cholera quãdo conueniat. Namque ſi coniiciamus in ventriculo reperiri adhuc reliquias & copiam ciborum, illæ longè commodius per vomitum, quàm per inteſtina deiiciuntur. Secundò conſideranda eſt facilitas vel difficultas ægroti ad vomendum: ſiquidem ex ſententia Hip 4 *aph.* 6 & 7. facilè vomentes per ſuperiora, difficulter per inferiora purgandi ſunt. Itaque ſi intelligatis veſtrum ægrum facilè vomere, & fortaſſe etiam id agere ea conſuetudine, audacter accedatis ad vomitum. Demum conſiderandum eſt vtrùm adſit ſyncope, ad quam frequenter homines deducuntur in hoc affectu: in quo caſo veriſimile eſt, materiam contineri in ore ventriculi, quæ propterea facilè ducitur per vomitum, quod facit Gal. *in ſyncope* 1. *ad Glauconem cap.* 14. quod ſi nulla adſit ſyncope, tunc commodiùs excrementa deiiciuntur per aluum: nam ita generaliter habendum eſt, vacuationem per partes inferiores eſſe tutiorem, minúſque deterere & turbare corpus, quam faciat illa per vomitum, quæ nonnunquam moleſta eſt, & multa incommoda affert.

Vomitum prouocantia. In vomitu prouocando vulgare eſt, aut digitum, aut pennam oleo tinctam iniicere in fauces: auctores verò varia proponunt medicamenta. Galenus familiariter vtitur hydreleo, id eſt, aqua cum oleo Alexander exhibet mulſam; alij ſyrupum acetoſum vel oxymel. Paulus & Aëtius aquã tepidam ſimpliciter qui non probant vſum hydrelei vel mulſæ, propterea quod illud laxet nimis ventriculum, mulſa autem poſſit augere acredinẽ & mordacitatem humorum. Alij vtuntur familiariter iure pulli tenuioris, vel ſimplici, vel ſimul cum oleo; alij pro oleo communi vtuntur oleo amygdalarum dulcium: quod quidem remedium ea iure pulli, vt eſt domeſticum, ita eſt valde accommodatum, vt quòd vel ſuapte natura poſſit humorum acrimoniam remittere, & alias etiam vtilitates afferre. Ego verò in hac opinionum diuerſitate cenſeo omnibus propoſitis remediis locum eſſe, dummodo prudenter adminiſtrentur, & potiſſimùm habeatur ratio materiæ quæ continetur in ventriculo: nam ſi ſint reliquiæ alimenti, omnia poſſunt exhiberi: ſi verò ſubeſſet aliqua portio pituitæ, nunc mulſa, ſyrupus acetoſus, oxymel, forent optima: ſi redundet bilis, nihil melius hydræleo, quo Galen. & 1 *ad Glauconem cap.* 14 & aliis locis vtitur frequentiſſimè, vbicunque bilis malè afficit ventriculum. Sunt nonnulli qui audent præterea vti medicamentis validioribus, nonnulli etiam longè audaciores, vtuntur medicamentis ſoluentibus; ſed vtrique ſentiunt abſurdiſſimè; cum enim laboret ventriculus, nunquam licet per partem affectam euacuare, quod perpetuò memoria tenendum; periculum enim eſt ne ex eiuſmodi validioribus medicamentis adhuc magis trahantur excrementa ad partem laborantem, atque adeo grauiſſima ſequantur incommoda: itaque abſtineatis perpetuò, vtcunque laborante ventriculo, à medicamentis validioribus, tam vomitoriis, quàm purgantibus per alluum. *A validioribus abſtinendum.*

Clyſteria. At verò ſi velimus naturam iuuare, aut propter illius propenſionem, aut propter alias cauſas, per partem inferiorem, tunc clyſteria ſunt opportuniſſima, quæ ſimul humorum acredinem remittant, qualia forent clyſteria ea aliquo iure pingui, pulli, vituli, aut ſicuti nonnulli conſueuerunt, inteſtinorum, capitis cum ſaccharo, ad abſtergendũ, & oleo, ſecundùm hanc formã pro iunioribus.

℞ *Iuris pinguis lib.* 1.
Sacchari rubei ℥ ij.
Olei roſati completi ℥. *iv. M pro Clyſt.*

Ego quidẽ familiariter vti conſueui clyſteribus ex oleo puro vel communi, vel amygdalarum dulcium, vel chamæmelini quæ aut ſimpliciter, aut inter ſe commixta imponuntur ad librã vnam cũ dimidia, circiter. Quod ſi coniiciã inteſtina irritari & morderi ex nimia bile, tunc conſueui vti clyſmate ex ptiſana hordacea cuius eſt auctor Aëtius, quod quidem non ſolùm in hoc affectu. ſed in febribus & vbicunque opus eſt moderatè abſtergere & refrigerare inteſtina, præclariſſimam operam præſtat.

Clyſter ex ptiſana.
℞ *Succi ptiſanæ diluti, vel tenuioris lib.* 1.
Olei roſati completi, vel ſi nolitis tantùm refrigerare.
Olei chamæmelini ℥. *iv.*
Ouum vnum integrum, Miſce pro clyſtere.

Vidimus hactenus quidnam agere oporteat, ſi natura agat diminutè: at verò ſi natura euacuet tam profusè & abundanter, vt vires incipiant labefactari, quidnam hoc tempore agendum eſt? Decet omnino hanc totam euacuationem firmare, quod fiet duplici potiſſimùm ratione, qua quidem perpetuò vtitur in cohibenda aliqua humorũ fluxione: altera pertinet ad reuulſiones, altera autem ad corroborationẽ partium. Reuellunt frictiones & ligaturæ extremarum partiũ, reuellũt cucurbitulæ, tũ aliis partibus tũ potiſſimùm tranſmittentibus affixæ: nã & eo dolore natura ab opere expellendi auertitur, & ad eas partes trahitur humorum copia; reuellunt balnea aquæ dulcis, quorũ meminit Gal. *ad Glauc. cap.* 14. in quibus quidem adminiſtrandis illud perpetuò obſeruandum eſt, quòd ſemper reuulſio fiat per partes oppoſitas: exempli gratia, ſi natura immoderatè euacuet per aluum, tunc reuulſiones faciendæ ſunt in manibus, brachiis, & partibus ſuperioribus; quod ſi contra illa euacuet per vomitum, reuellendum eſt ad coxas, ad crura, & partes inferiores. *Fluxio humorũ, quomodo cohibenda. Reuulſio quomodo inſtituenda.*

Roboratio partium. Roborantur partes vt nõ recipiant excrementa, rebus aſtringentibus, & intrà ſumptis, & extrà applicatis. In quo quidem ſcopo debetis conſiderare & naturam cauſarum, & qualitatem humorũ peccantium: nam ſi ventriculus ſit calidior, bilioſaque & æruginoſa euomantur, tunc frigida conueniunt medicamenta, quæ talia ſint nõ ſolum poteſtate, ſed etiã actu. Interius ſunt cõſerua roſarum, acetoſæ, margaritæ, corallia, ſyrupus roſatus de roſis ſiccis, de endiuia, de portulaca, de agreſta, ſuccus malorum punicorũ: & ſi tandem opus ſit medicamentis magis adſtringentibus, ſunt acacia, hypociſthis, terra

Lemnia, bolus armena, & alja id genus. Quod ſi neque his omnibus fluxio firmetur, omnes deueniunt ad medicamenta ſtupefacientia quæ poſſuot & conciliare ſomnum & impetum humorum cohibere. *Stupefacientia.* Sic Paulus exhibet diacodium: ſic Gal 8. *de medicamentis ſecundum locos cap.* 3. ea Aſclepiade laudat quoſdam trochiſcos, quos appellat Amazonũ: ſic in lib. *de theriaca ad Piſonem cap.* 15. exhibet theriacam recentem, quam ſcribit partim humores denſando, partim ſiſtendo, plurimum prodeſſe. *Cautela.* Sed omnino hac in re cautè agendum eſt, nam ſi vires ſint imbecilliores, nunquam licet vti medicamentis ſtupefacientibus, quæ illas poſſunt adhuc magis diſſoluere & ſuffocare: ſic Paulus exhibet diacodium ſi vires conſtent. Si igitur ita res poſtulet, vt omnino vtendum ſit ſtupefacientibus, illud ego conſilium do vobis, vt perpetuò incipiatis à leuioribus, nimirum ab his quæ infuoduntur per clyſteria, & quæ exteriùs applicantur: ſic Aëtius inſtituit clyſtere ex decocto capitum papaueris & amylo: & ſit exemplum pro iunioribus

Clyſter refrigerans. ℞. *Decocti capit. papaueris albi, lib.* j.
Farina amyli ℥. ij. *M. pro clyſtere.*

Præterea illinuntur tempora & nares oleo violato, de nenuphare, de papauere, de mandragora, atque vulgare eſt vnguentum diapopuleum, & alia huius generis. Quod ſi demum vos cogit neceſſitas, vt ad illã etiam deueniatis, quæ exhibentur per os, ſunt leniora, diacodium, ſyrupus de neouphare, de lactuca: ſunt valentiora, philonium Romanum, requies Nicolai, mithridatum, & theriaca recentia, quæ omnia vulgo exhibentur ad drachmam vnam circiter: *Roborantia ventriculum.* quod ſi non habeatis theriacam vel mithridatum recentia, poteſtis vti veteribus, illis permiſcendo granum vnum, ſiue vnum cum dimidio opij.

Si verò ventriculus non tantam caliditatem præ ſe ferat, his frigidioribus medicamentis licebit addere calidiora, & aromatica, mentham, abſinthium, betonicam, ſemina odorata aniſorum, fæniculi, cymini, quæ poterunt & augeri & minui, prout vnus ſcopus alterum videtur ſuperare. Roboratur ventriculus etiam rebus externis, qui ſi habeat inſignem æſtum, ſint remedia frigida & aſtringentia, roſæ, flores, labruſcæ, balauſtia; fructus & folia myrthi, cydonia, mala punica, hypociſthis, & alia, de quibus eorumque varia compoſitione tractabimus poſteriùs agentes de intemperie ventriculi calidiore. Vulgare eſt medicamentũ officinarum, quod appellatur emplaſtrum diaphœnicon, huius meminit Paulus, Alex. Meſue, & ſane impoſitum ventriculo & toti ventri interiori, habet inſignem prærogatiuam in firmanda alui fluxione. Sunt nonnulli antiquiores, ea quibus eſt Archigenes, qui in maximo æſtu ventriculi ipſi audent apponere aquam frigidam, imò verò niue refrigeratam, vel in linteo, vel in veſica, de quo itẽ remedio infrà iam dicto latiùs agemus.

De cholera ſicca. Satis diximus de cholera humida, iam de ſicca dicendum eſt: *Indicationes.* huius curationem habetis apud Hipp. & Galen. 4. *de rat. victus* à tex. 103. vſque tex. 110. qui etiam, ni fallor, omnium primi huius affectus mentionem fecerunt. Indicationes curandi ſunt illæ eædem quæ ſunt propoſitæ in altera differentia; ſolum differunt, quòd in hac abundant flatus acres & aridi, ſicuti in altera abundabant excrementa humidiora.

Prognoſtica. Videamus, vtrùm liceat his indicationibus ſatisfacere: omnis ratio videtur colligere hanc non eſſe ita periculoſam ſicuti alteram, cum humores maius negotium facere poſſint, quàm flatus & ſpiritus, ſed omnino hæc quoque moleſta eſt & periculoſa, de cuius maiori vel minori periculo faciendum eſt iudicium ex natura ægri, ex ſymptomatibus, & ex alijs, quæ iam ſunt propoſita.

Tota porrò ſumma curationis inſtituta ab Hip. *Methodus Hippocratis.* eſt huiuſmodi: primùm vomitum prohibet: ſecundò, ſubducit aluum oleo plurimo calido: tertiò, probat balneum ex aqua & oleo: quartò ſomnum conciliat: quintò, exhibet vinum meracum & generoſum: ſextò, perſeuerante malo exhibet per os oleum: ſeptimò, iubet abſtinere ab omni cibo & potione, ac poſtremò his omnibus non conferentibus, aggreditur purgationẽ corporis per lac aſinæ. Hanc ipſam rem habetis fere apud Gal. 8. *meth. cap.* 8. *Galeni methodus.* vbi agit de curatione febris ephemeræ, in qua cibi conuertuntur in nidurulentam qualitatẽ: qui quidem Gal. videtur magis determinatè procedere: nam primum ait diſtinguendum eſſe, an aluus fluat, nec ne; ſi non profluat, qui ferè eſt caſus choleræ ſiccæ, progreditur ad hunc modum: primùm inquit, conſiderandum eſſe, in qua parte ventris contineantur excrementa: quod quidem facile poteſt intelligi ſi manibus tractentur hypochondria & totus venter, ſi æger interrogetur in qua parte morſum vel grauitatem perſentiat, qualeſnam ructus habeat, & alia id genus: ſi excremẽta deſcenderint in ſuperiora tantum inteſtina, exhibet diatrion pipereon, & perfundit totum ventrem: ſi autem excrementa deſcẽderint ad partes inferiores, tunc illa conatur educere vel glandibus, vel clyſteribus, quæ quidem contineant medicamenta temperantia & mitigantia: propter flatus illa addit, quæ eos poſſint diſſoluere: quod ſi neutrum adſit, tunc imponit clyſtere ſimpliciter ex aqua, melle & oleo vacuata aluo iubet ægrorum nutriri cibo aliquo contemperante & leuiore, quales ſunt priſana, alica, teſtes pullorum gallinaceorum, piſces ſaxatiles, & alia id genus: his actis ceſſante febre probat vſum balnei, ſin febris perſeueret, hoc ipſo regimine rem peragit vnã vel alteram diem, & tandem deducit ægrum in balneum. Hæc pariter eſt ſumma curationis à Galeno inſtitutæ, quæ parum variat à curatione Hip.

Sed hæc omnia tam Hippocrat. quàm Galen à nonnullis reuocãtur in dubium: *Dubitatio. I.* & primum dubitant, quamobrem Hippocrates prohibeat vomitũ, cum veriſimile ſit in vẽtriculo contineri materiã, ex qua generantur flatus illi acres quæ nulla commodiore ratione videntur poſſe educi, quam per vomitum. Ad hoc reſpondeatis, Hipp. non cenſuiſſe contineri in ventriculo materiam humidam, ſed tantùm acrem, quæ nõ ita facilè poſſet per vomitũ educi, imò verò periculum eſſe, ne in tranſitu adhuc magis morderet, & affligeret os ventriculi.

Secundò non probant vſum balnei, cum ſit periculoſum, hoc vti remdio in corpore cacochymo & referto multis humoribus; *Dubitat. II.* periculum enim ſpeciatim immineret, ne humores traherentur intra venas. Reſpondeatis ad hoc, Hipp. & Gal. qui maximè laudant hoc remedium, quod poſſit & acrimoniam vaporum remittere, moderatè calefacere, conſolari partes laborantes, aluum mouere, & morbum ſæpenumero ex toto auferre, hi, inquam, viri tantas laudes huic remedio non dediſſent, ſi exiſtimaſſent corpus eſſe & cacochymũ, & refertum multis excrementis: vnde & Gal. loco citato, & Paulus, illud concedunt tantummodo in morbi declinatione.

Tertiò non probant ſomnum; ſiquidem, vt ſcribit Gal. *Dubitat. III.* in ſomno retinentur omnia excrementa præter ſudores quæ excrementa in præſentia potius debent deduci, quàm retineri. Sed dubitatio eſt friuola, quanquam enim verum eſt, in ipſo ſomno omnia retineri excrementa præter ſudores, tamen nulli dubium eſt quin ſomnus maximè

pertineat

Digitized by Google

pertineat ad coctionem, ſit remedium crudita-tum, & maximè pertineat ad inſtaurandas vires.

Dubit. IV. Quartò obiiciunt vinum antiquum & generoſum non conuenire, cum adſint flatus acres & calidiores. Hæc dubitatio procedit aduerſus Gal. qui exhibet diatrion pipereon quod adhuc poteſt magis calefacere. Reſpondeatis, vinum ab Hip. exhiberi ad iuuandam concoctionem, ad diſſoluendos flatus, & ante omnia, ad reſtaurandas vires, qui ſcopus cæteris omnibus perpetuò eſt anteponendus, & ſi moderatè aſſumatur, non poteſt tantum incendium afferre. Gal. verò exhibet quidem diatrion piperon, ſed illud admodum mite, non alterum medicamentoſum vt ipſe appellat, lib. *de tuenda valetudine*: quod quidem cum ſit admodum moderatum, poteſt diſſoluere flatus, iuuare concoctionem, neque inſigniter calefacere.

Dubitat V. Olei vtilitas. Poſtremò non probant vſum olei per os, quod illud poſſit inter cætera ventriculum ſubuertere, & eius robur deiicere. Gal. hoc remedium exponens, tres illius maximas affert vtilitates: primam, quòd remittat acrimoniam humorum: ſecundam, quòd ſiccitatem remoueat: tertiam, quòd aluum moueat, quibus nihil poteſt magis commodum excogitari. Huius remedij, nimirum olei per os aſſumpti, mentionem quoque facit Gal. 2 *de ſimplicium med. facultatib. cap.* 10. quare etſi quoquomodo poteſt laxare ventriculum, tamen longè maiora ſunt commoda: & memoria eſt repetenda inſignis ſententia Gal. 11. *meth. cap.* 11 nullum poſſe reperiri vſque adeò accommodatum præſidium, quin aliqua etiam ex parte noceat. *Notandum.* Huius imitatione noſtri medici conſueuerunt familiariter propinare oleum amygdalarum dulcium, amararum, ex ſemine lini, & alia, vt res poſtulat; quorum oleorum vſus certè non debet improbari, modò adminiſtrentur cum ratione & iudicio: & ego illis ſæpenumero vti ſoleo.

Abuſus oleorum. Altera autē ex parte minimè debet tolerari abuſus iſtius remedij, cum multi ſoleāt oleū exhibere indeterminatè, in morbis propè omnib. tā cum febre, quam ſine febre, tā in materia calida, quam frigida de quib. alias ſermonem habebimus: dantur vulgo hæc olea ad ℥.6. vel 7. circiter Noui eruditū quādā ſenē medicū, qui poſt exhibitum oleum, exempli gratia, amygdalarum dulcium, ſtatim conſueuit propinare 2. vel 3. ℥ ſucci pomi vel aurantij, vel granati, quæ adminiſtratio illi admodum feliciter ſuccedebat, quòd, vt puto, ſuccus eiuſmodi poſſit mitigare moleſtiam olei, & quoquo modo corroborare ventriculum.

Poſtremò his omnibus non conferentibus Hip. exhibet lac aſinæ, quod equidem puto antea concoquendum eſſe, propter flatus, vt Hip. & Gal. iubent, 5. *de ratione victus* 7. cui lacti vult Gal. ſerum ſubſtituendum eſſe: pro quo etiam ſi velimus vti noſtris medicamentis leuioribus, ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis, mea ſententia non eſſet alienum à ratione: inter quæ in hac acidorum flatuum copia caſſia mihi videretur præſtantiſſima, quòd ea poſſit & remittere acrimoniam vaporum, & leniter mouere aluum, cui ſi propter ventriculum, & propter flatus adiiceretur portiuncula hieræ, medicamentum foret præſtantiſſimum ſecundùm hanc formam.

Aluum leniens bolus.

℞. *Floris caſſiæ noniter extractæ.* ℥ x.

Specierum hieræ ſimplicis ℈.ij. *M. fiat Bolus*

Cholera per conſenſum. Iam reliquum eſſet, vt ageremus de aliis differentiis, quæ ſumuntur à cauſis per conſenſum à partibus tranſmittentibus, ſed nimis longum eſſet, omnia perſequi. Dixi duplicem ſcopum nobis ſeſe offerre: alterum, vt habeatur ratio partis tranſmittentis, exempli gratia, iecoris, à quo tranſmittuntur humores bilioſi ad ventriculum, quod fiet conſiderando illius morbos, & cauſas morborum, adhibitiſque illis remediis, de quibus ſuo loco agemus. Alter eſt ſcopus, vt habeatur ratio ventriculi, vt dictum eſt ſuperius.

Alimenta, iam inanito ventriculo, ſint boni ſucci, facilis coctionis, & quæ non facilè corrumpātur, *Victus ratio* qualia ſūt panis ex iure coctus, teſtes pullorum gallinaceorum piſces ſaxatiles, priſana alica, & alia id genus: neq; ex hoc numero excludenda ſunt oua ſorbilia, & potiſſimùm vitelli, quanquam non deſunt multi, ex quibus eſt Motanus Veronenſis, *de febribus, conſilio* 29. qui contendunt, oua facillimè corrumpi potiſſimùm in ventriculo calidiore ac proptereà in febribus & aliis morbis, calidis, ab illis abſtinendum eſſe, de qua re cum multa poſſint in medium proferri, videatis vos Gal. 11. *meth. c.* 6. vbi curat ſyncopen propter tenuitatem ſuccorum, atque inter cætera alimenta quæ difficilè corrumpuntur, enumerat oua ſorbilia: qui locus eſſe poteſt inſtar aliorum multorum. *Oua an facilè corrumpantur.* Ex herbis forent endiuia, lactuca: ex fructibus pyra, cydonia, & alia huius generis Paulus, Alex. Aëtius, exhibēt præterea vuas, pepones, & ſimilia, à quibus mea ſententia eſt abſtinēdū, cum facilè corrumpantur, & poſſint excitare flatus. Vinum conuenit tantùm in declinatione, niſi fortaſſe propter vires cogamur illud primo quoque tēpore concedere ante declinationē. Sed eſt neſcio quæ difficultas inter auctores de qualitate vini. Paulus præbet vinum auſterum, quod videtur conuenire cum doctrina Gal. in lib. *de cibis boni & mali ſucci, cap.* 11. qui vino auſtero hunc ſolum vſum tribuit, vt ad ventriculum reſolutum, ad ſiſtendas fluxiones, ac maximè in intemperie calida ſit accommodatum, *Vini auſteri vſus.* cum alioqui nec alimento diſtribuendo, nec gignendo ſanguini, nec ſucci bonitati, nec ad procurandum ſudores, lotia, nec aluum mouendam, ſit idoneum. Aëtius exhibet vinum dulce auſterum, quale equidem puto illud eſſe, quod vulgo vocatur racematum; hoc tamen genus vini non ita videtur conuenire, cum conſtet ex contrariis ſaporibus & qualitatibus, altera nempe auſtera, quæ facit ad retentionem, altera autem dulci, quæ magis facit ad fluxionem vel relaxationem, ex quibus quidem contrariis qualitatibus ventriculis ſolet lædi: hinc Gal. huiuſmodi vini vſum improbat 3. *de ratione victus, com.* 7. proptereà quia non facilè diſtribuatur, nec facilè deſcendat ad partes inferiores, imò verò diutius moretur & ventrem inflet. Ego quidem probarem vinum generoſum & antiquum, & quoquo modo leuiter ſubaſtringens, dummodo æger febre careat: & ingens vrgeat æſtus, neque abhorrerem à pane infuſo in ſucco vel vino granatorum, quod quidē alimētū maximè ſolet remittere calorem, & corroborare ventriculū: & hæc de victus ratione.

Supereſt vt accedamus ad Rhaſem, qui primum ponit ſigna choleræ, ſed admodum parcè & confusè prætermittitque proprium genus, & proprias differentias: & licet mentionem faciat, & vomitus, & fluxionis alui, tamen cum loquatur disiunctiuè, videtur indicare, alterutrum ſatis eſſe, quod tamen eſt falſum, vt intellexiſtis ex his quæ ſuprà dicta ſunt Secundò, ad prouocandum vomitum exhibet aquam calidam; cum longè opportunior ſit aqua tepida, quæ omnia ſuapte natura ventriculum ſubuertunt, vt placet Galeno 8. *method. cap.* 5. Ex quo eliciatis generale *N B.* præceptum, quod perpetuò obſeruetis: vbicunque imminet periculum vomitus, abſtinendum eſſe à rebus tepidis: cōtrà verò vbicumque intēditis prouocare vomitum, perpetuò vtēdum eſſe tepidis.

Tertiò Rhaſes proponit vſum balnei, nec non illorum remediorum, quæ ad ventriculū debēt apponi frigida, qualia ſunt aqua niue refrigerata, de quibus quidem duobus præſidiis agemus copioſè, tractantes de intemperie ventriculi calidiore.

Reſtat modò illud vnum, vt proponamus caſum, ad quem magis diſtinctè & ordinatè illa omnia referantur, quæ hactenus propoſita ſunt, quod ago quàm breuiſſimè: & cum non poſſint proponi omnes differentiæ, nobis ſuffecerit exemplum choleræ humidæ, quam certum eſt eſſe frequentiorem & manifeſtiorem. Si itaque caſus Hipp. illius nimirum viri, qui Athenis incidit in choleram, cuius hiſtoriam & ſeriem verborum ſuprà poſuimus: accedat quis veſtrûm ad huiuſmodi ægrotantem, aſſiduo vomitu, aſſidua alui deiectione afflictum, quidnam in prima viſitatione agendum? Ante omnia veſtræ partes erunt, morbi periculum indicare. quantum enim valeat prognoſticum ad vtilitatem, ad laudē, & exiſtimationem medici, demonſtrant Hip. & Gal. multis in locis, ſed potiſſimùm primo prognoſticorum, inter quæ illud eſt quodammodo præcipuum, quod Medicus præſagiens periculum & mortem ægrotantis, hac ratione ſe ab omni culpa & ignominia vindicat. Deinde conſideranda eſt diligēter naturę motio, an euacuet quod ſatis eſt, an debilitet & diminuè, an poſtremò ita profuſè, vt vires iacturam faciant: ſi primo modo natura euacuat quod ſatis eſt, ad vos pertinet totum illi negotium permittere, & nihil innouare: nec vos ab hoc inſtituto deterreat vulgaris quorundam opinio, qui Medicum exiſtimant ignarum & nihil faciunt, niſi in ſingulis viſitationibus nouis remediis vtatur, quæ quidem ſæpius nocent quàm iuuent: de qua re Gal. maximas facit querelas, qui tales medicos importunè operātes, naturæ hoſtes cōſueuit appellare: & memini, me apud Liuium legiſſe ſententiam grauiſſimam, quæ maximè pertinet & ad inſtitutionem & ad dignitatem medicorum, nēpe

Sententia. Imperatores & medicos ſæpenumero nihil agendo plurimum proficere, illoſque de hoſtibus, hos de morbis inſignes victorias reportare. Quod ſi natura parcè agit tunc illam docet adiuuare, itaque

Vomitorium lene. ad mouendum vomitum protinus exhibeatis iura pulli cum oleo, ſecundùm hanc formam.

℞. *Iuris pulli* ℥. *xv.*
Ol. Commun. ℥. *ij. Miſ. & exhib. tepidū*

Vt enim ſcribit Gal. 7. *meth. in fine cap.* 11. vomitoria debent in maxima quantitate exhiberi. Quod ſi vrgeant ſymptomata circa inteſtina, eodem die inciatur clyſter ex oleo, iure, & aliqua

Clyſter ſimplex. pinguedine: ſit exemplum.

℞. *Iuris pinguis lib.* j.
Olei ℥. *iiij.*
Pinguedinis gallinæ. ℥ *ij. M.*

Si velitis magis refrigerare, fiat clyſter ex priſana, de quo ſupra diximus. Hæc prima die ſunt agenda quo tempore inſtituatis quietē, ſomnū, & omnem cibi abſtinentiam. Altera viſitatione ſi perſeuerant mala, in eiſdem perſeuerandum eſt indicationibus, & omnino caueatis, ne ante exquiſitam vacuationem ventriculi ad illius corroborationem accedatis: periculum enim eſſet ne vel excrementa magis figantur in ventriculo, vel retrocedāt ad partes nobiliores. Si poſtremò natura agat profuſè, vt vires iam collabantur, tunc neceſſe eſt omni ingenio tantam fluxionem priuare, & ita in hoc caſu poſtpoſitis cæteris omnibus, accedatis ad medicamenta adſtringentia, tam intra quàm extra: intra exhiberi poſſunt conſerua roſarum, cydoniorum, margaritæ, corallia, & ſimilia: ſit exemplum.

Boli adſtringentes ventriculum.

℞. *Conſeruæ roſarum.* ℥. j.
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubeorum,
Acaciæ,
Hypociſtidos ana. ℥. j. *Miſc. fiant boli.*

Vel ſi æger nolit accipere in bolo, cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat electuarium. Extra inungatis ventriculum oleo roſacco, cydoniorum, maſtichino. Sit exemplum.

Linimētum.

℞. *Olei roſati* ℥. j.
Maſtichini,
Cydoniorum, ana. ℥. ß. *Miſc.*

Fomentum pro ventriculo. Si vultis quoque exemplum fomenti, ſit huiuſmodi.

℞. *Roſarum.*
Filiorum myrti,
Balauſtiorum, ana. M. ß.
Sandalorum omnium, ana ʒ. *ij. Miſc. & fiat decoctio in aqua pro fomēto, cum ſpongia.*

Quod ſi demum cupitis habere exemplum emplaſtri, ſit tale.

Emplaſtrum pro ventriculo.

℞. *Pulpæ thamarindorum,*
Cydoniorum, ana ℥. *ij.*
Roſarum,
Hypociſtidos,
Acaciæ ana ʒ. *ij.*
Farinæ hordei ℥ j.
Cum oleo roſato miſce, & fiat emplaſtrum.

Iam præterita altera, vel tertia die, decet vos conſiderare morbi progreſſionem, quæ ſi videatur polliceri ſalutem, hac methodo procedatis, inſtituta proba victus ratione & cæteris omnibus, vſque ad integram ſanitatem: ſi autem contrà morbus videatur minari perniciem, iam omnia ſunt tentanda ſaltem ad conſolationem & ægroti & aſſiſtentium: quòd ſi vires non ſint prorſus collapſæ, accedatis ad medicamenta ſtupefacientia, quę quidem in firmandis fluxionibus, & præcipuè calidis, inſignem habent prærogatiuam. Primò incipientes à leuioribus, qualia ſunt, quæ exteriùs applicantur ad tempora & nares. Sit exemplum. *Linimētum narcoticum.*

℞. *Olei de nenuphare,*
De papauere,
De mandragora, ana ℥. ß. *Miſc.*

Ad eandem intentionem inſtituatis ſemina papaueris albi, quæ permiſceantur cum ferculo, ſecundùm hanc formam.

℞. *Seminum papaueris albi* ℥. j.
Contundantur & cum aqua lactucæ extrahatur lac, quod ſolet permiſceri cū ferculis.

Quod ſi demum hæc non ſufficiant, accedatis ad valentiora, qualia ſunt Philonium Romanum, Requies Nicolai, & alia huius generis, quæ ſolent exhiberi ad ʒ. j.

CAPVT II.

De imbecillitate Ventriculi.

AGgredimor caput Rhaſis de imbecillitate vētriculi, ſub quo puto illum cōprehēdere voluiſſe omnes affectus, qui cunque pertinēt ad facultatē concoquendi. Qui itaq; voluerit curare imbecillitatē ventriculi, is neceſſe eſt, vt primum intelligat quid ea ſit, & quæ ſit eius cauſa. Nonnulli, vt ſcribit Gal. *lib. de diff. morborum cap* 5. ſi phlegmone vel vlcus, vel quid tale ventriculum infeſtat. aliam nullam cruditatis cauſam quærunt: ſin autem nihil horum adſit, tunc imbecillitatem nominant. Sed iſti irridentur à Gal. 2. *meth. c.* 4. Namque hæc vox. *Imbecillitas*, non quid proprium. ſed magis quid commune exprimit, & quod per ſe eſt euidentiſſimum, nec vllam remediorum inuentionem poteſt indicare, quippe roborare ventriculum

lum, eſt nomen nudum & inane, ac veluti quidam ſcopus, in quem medicus reſpicit, non curatio: neque enim iſti docent, qui agendo, his qui inualidi ſunt ad actiones, robur addas, in qua tamen re tota curatio conſiſtit, adeo vt niſi primum ventriculi affectum intelligas, nullo modo remedia ad illum curandum accõmodata poſſint inueniri. Quãobrem iſti qui ita loquebantur, nihil plus dicũt quàm plebeius quem ſæpenumero audimus conquerentem, quòd habeat ventriculum imbecillum nec alimenta poſſit cõcoquere. Ne igitur vos quoque in hunc errorem incidatis, ante omnia decet intelligere, quidnam ſit iſthæc Imbecillitas. Gal. in *li. de ſympt. diff. c.* 4. definit illud eſſe imbecillum, quod vix difficulter & multo tempore agit: quod quidem videtur conuenire cõmuni hominum notioni, qui communiter appellant oculũ imbecillũ, crus imbecillum, quotieſcunque oculus probè non videt, nec crus probè ambulat: quare ventriculum quoq; imbecillum nobis licebit appellare, cũ difficulter & multo tẽpore concoquit alimenta. Verũtamen hoc non eſt quod quæritur, ſed quænam ſit huius imbecillitatis cauſa. Medici antiqui methodici, vt dicit Gal. *in lib. de diff. morb. c.* 5. conſueuerãt appellare imbecillitates, intẽperies partiũ exiguas, & quæ multos latẽt, ſi enim eſſent inſignes & omnib. manifeſtæ, iam non imbecillitates, ſed proprio nomine morbos appellabant: contrà verò Gal. 4. *de præſagio ex pulſibus c.* 11. ad ſtatuendum futuri morbi præſagium, inquirens quonam modo robur vel imbecillitas partium & facultatum poſſit deprehendi hoc ipſum refert in commodam temperiem vel intemperiem corporum ſolidorũ, & hoc ipſo in loco imbecillitates facultatis animalis ſcribit inſignes cerebri intemperies comitari: ad quem modum lib. quoque 11. *metho cap.* 30. partem vocant imbecillam, quæcunque vel natura, vel præcedente aliquo morbo ſit intemperatior, adeo vt in Galeni diſciplina, ſicuti in cæteris partibus noſtri corporis, ita etiam in ventriculo nulla alia ſtatuenda ſit imbecillitas, quàm inſignis eius intemperies: quæ eſt morbus propter quem ille malè concoquit, & ſuo muneri malè ſatisfacit: & hæc quidem eſt actio læſa, nempe ſymptoma quod oritur ex ſuo morbo.

Imbecillum quid.

Cauſa imbecillitatis.

Hanc rem vnuſquiſque veſtrum facilè intelliget, qui memoria repetet, quidnam ſit concoctio, & quomodo illa perficiatur, cum caput & initium inueſtigationis cauſarum, quæ facultatibus noxam inferunt, ſit cognitio modi, quo facultates ſecundùm naturam ſuas perficiunt operationes: quæ eſt Gal. doctrina 3. *de ſympt. cauſis cap.* 1. Porrò ſcribit Galenus hoc ipſo in loco, concoctionem alterationem eſſe in qualitate, eamq; ab vno innato calore perfici, non certe quolibet vt ipſe teſtatur 2. *de ratione victus, com.* 22. non à calore ſicco, non ſqualido, qualis eſt febrilis, ſed ab humido vaporoſo, & temperato, qualis reperitur in animalibus ſecundùm naturam. Quare Ariſt. 4. *meteororum* ſcribit huiuſmodi concoctionem eſſe ſimilem elixationi. Cæterum cum ſubſtantia calidi innati, vt 3. *de ſymptomatum cauſis*, & alias ſæpe dicit Gal. reſultet & conſiſtat ex temperie quatuor elementorum; omnis ratio colligit, ventriculum bene temperatum, bene concoquere, & contrà, qui à bona temperie recedit, eum quoque recedere à bona concoctione. Sed aduerſus hæc ſunt nonnullæ difficultates, quæ non ſunt prætermittendæ. Nos ſtatuimus imbecillitatem ventriculi nullam eſſe præter eius intemperiem, & eam quidem inſignem: contra Galenus in libro de morborum differentiis, *cap.* 5. ſcribit imbecillitatem non ſolùm ventriculi, ſed etiam venæ, arteriæ, muſculi, ac generaliter omnis inſtrumenti, cum vitalis, tum animalis, ſequi neceſſariò vel ob meatuum immoderationem, vel ob intemperiem: ex quo loco noſtri nouatores, vt puto, nacti ſunt occaſionem, vt præter antiquam Galeni diſciplinam commenti ſint morbos partium ſimiliarium in materia, dum illa adſtricta aut laxa, mollis aut dura, craſſa aut tenuis euadit; quorum princeps eſt Fernelius in lib. *de abditis rerum cauſis, cap.* 9. Præterea idẽ Gal. variis in locis alias plures cauſas læſæ concoctionis videtur enumerare præter intemperiem, & ne longiùs recedamus in 3. *illo de ſymptomatum cauſis cap.* 1. dicit, id fieri vel propter læſionem facultatis, vel propter externos errores, de quibus iam diximus, tractantes de cholera: ac ſanè ſi res ipſa diligenter conſideretur, quis non videt quotidie labefactari concoctionem, non ſolùm propter ventriculi intemperiem, ſed etiam propter nimiam ciborum copiam, & propter alias cauſas: in quo genere argumenti Argenterius inſignis nouator mirabiliter ſibi placet, *lib.* 1. *de generibus morborum, cap.* 1.

Concoctio quid.

An omnis imbecillitas ex intẽperie.

Fernelius.

Argẽterius.

Primam difficultatem facilè diſſoluet, quicunque memoria repetat, Galenum inquirentem differentias morborum, duas medicorum ſectas ſibi ante oculos poſuiſſe, alteram quæ impatibilia, alteram quæ alterabilia ſtatuit humani corporis elementa, atq; de vtriuſq; ſententia morborum differentias inueſtigare: quare cum docet immoderationem meatuum imbecillitatis ventriculi, & aliarum partium cauſam eſſe, certum eſt, illum loqui de ſententia prioris ſectæ. Nam cum veteres illi Medici ſtatuiſſent prima elementa impatibilia, & aſſererent ex atomis incompactis corpuſculis & meatibus, hominis cõpoſitionem cõſtare, primũque ſimiliarium partium duo morborum genera, ipſis auctoribus, poſita fuiſſent, vnum latitudo meatuum, alterum anguſtia, non iniuria Gal. hunc doctrinæ ordinem ſecutus tradit, vnamquamquo partem imbecilliam eſſe, adeòque laborare, ſi illius meatus ſint immoderati, cùm ipſi reponerent ſanitatem in meatuum moderatione. Aduerſus nouatores quod attinet, ſi velimus hunc campum ingredi, plurima forent dicenda, quæ nos à principali inſtituto auerterent: quare illud vnum ſit vobis ſatis in præſentia, morbos quos illi vocant in materia, aut morbos eſſe ex veterib. à Gal. inſtitutis, aut non eſſe morbos, ſed ſymptomata: ac revera huiuſmodi omnes morbi ſi diligenter conſiderentur, maiori ex parte ſunt ſymptomata tactilium qualitatum, quæ omnia pendent ex morbis in intemperie, hoc fiet manifeſtum, ſi vnum aut alterũ ex iſtis morbis conſideremus. Accipiamus morbum in mollitie & duritia: ſi ergo pars aliqua fiat durior, vt propterea illius lædatur actio, ex quo iſti colligant eſſe morbum, & morbum materiæ, animaduertendum eſt, duritiem in noſtro corpore prouenire trib. de cauſis, quæ eſt præclara doctrina Gal. 5. *de ſimp. med. facul. c.* 4 nempe vel ob ſiccitatem, vel ob concretionem, vel ob plenitudinem, quarum vnaquæque propriam deſiderat curationem: namque quæ prouenit ob ſiccitatem, requirit remedia humectantia; quæ ob concretionem remedia calefacientia; quæ ob repletionem, remedia vacuantia. Quod ſi ita ſe res habet, facilè poteſtis intelligere, duritiem non eſſe morbum in materia, imò verò neque morbum ex intemperie, vt nonnulli opinantur ad mentem Gal. ſed potius eſſe ſymptomata in genere diſpoſitionum, quod poteſt oriri ex variis morbis: nam ſi fiat ob ſiccitatẽ, prouenit ex intẽperie ſicca: ſi ob cõcretionẽ ex intẽperie frigida: ſi ob repletione, eſt intẽperies cũ materia, ſicuti euenit in ſcirrhis. Hoc ipsũ de mollitie

Opinio Fernelij de morbis in materia refutatur.

Duritiem tribus ex cauſis.

Molel quid. ſtatuendum eſt,molle illud eſt apud Ariſt.2.*de gen. tex.*13. quod cedit in ſe ipſum , & loco non mouetur:vel ex 4.*meteor.*29. quod cedit & non circumfluit,verbi gratia,aqua & vinum, vel aliud eiuſmodi, cedunt quidem prementi digito , attamen & loco mouentur , & fluunt circa digitum , quare non ſunt mollia. Quamobrem cum molle prorſus pertineat ad humidum, ſicuti durum , ad ſiccum, vt docet Ariſt. dicto in loco , iure ſtatuendum eſt, mollitiem eſſe ſymptoma in genere tactilium qualitatum, & illius cauſam nempe morbum , eſſe intemperiem vel humidam, vel intemperiem cum materia , vt apparet in ædemate , quod eſt molle. Pariter ſi propter nimiam adſtrictionem vel relaxationem aliqua lædatur actio , cum in illa ſint meatus clauſi , in hac patentes , quis non videt huiuſmodi morbos eſſe in conformatione , & ad morbos inſtrumentales,minimè ad ſimilares pertinere?

Porrò quando pars aliqua noſtri corporis fit adeo tenuis aut craſſa,vt illius lædatur actio,tunc appellant morbum in materia , in tenuitate & craſſitie: at verò equidem nequeo ſatis mirari , quomodo iſtud audeant aſſeuerare;ſiquidem Gal.tam apertè, vt nihil apertius dici poſſit, huiuſmodi morbos reponit inter morbos magnitudinis: quis enim apud eum non legit,gracilitaté,atrophiã,tabé, eſſe morbos in magnitudine imminuta : quod ſi tenuitas eſt morbus imminutæ magnitudinis , vt contrà craſſities ſit morbus auctæ magnitudinis, neceſſe eſt.

An plures ſint cauſa laſa concoctionis prater intemperiem. Sed hac de re ſatis , venio ad alteram difficultatem eorum, qui præter intemperiem ponebant plures cauſas læſæ concoctionis : & quamuis negari non poſſit, propter externos errores , vt nimiam quantitatem alimenti , & alia vitia concoctionis , id quod experimur quotidie , negandum tamen eſt tunc lædi actionem facultatis concoctricis : nam vitium eſt in obiecto minimè apto ad recipiendam coctionem. Pro quo id memoria repetatis , quod docent philoſophi , & confirmat Gal.1. *de diff. febrium cap.*4. *lib. de cauſis morborum c.*2. nullam cauſam ſine patientis diſpoſitione poſſe agere. Quare ſi aut propter nimiam cibi copiam fruſtretur concoctio, vel propterea, quia alimenta ſuapte natura ſint talia , quæ concoqui nequeant , vel alia committantur errata , non propterea dicendum eſt læſam eſſe actionem facultatis alteratricis , etſi vitiata eſt concoctio.

Hæc doctrina eſt Gal.1. *de locis affectis cap.*3. *&* 4 qui locus planè illuſtris , miror , quomodo non fuerit animaduerſus ab iſtis nouatoribus , quorum machinæ complures ex eodem pulchræ deſtrui poſſunt : hortor itaque vos , vt eum adeatis , ac probè perlegatis.

Cauſe inconcoctionis. Prætermiſſa iam altera læſione concoctionis propter errores externos , de altera tantùm nobis agendum eſt , quæ pertinet ad læſionem facultatis concoctricis. Hæc læſio Gal. auctore 3. *de ſymptomatum cauſis, cap.* 1. fit dupliciter , aut propter eſſentiam , aut propter morbum inſtrumentalem. Noxæ quæ à propria facultatis eſſentia eueniunt, intemperies quædam ſunt effectricum qualitatum: noxæ autem quæ ab inſtrumentalibus morbis oriuntur, conſiſtunt in morbis partim ſimplicibus, partim compoſitis , qui eryſipelata , phlegmones, &c. appellantur.

Sed cum vtroque modo lædatur facultas , illud tamen eſt diſcrimimis , quòd ea læditur in propria eſſentia per intemperies. per alios verò morbos inſtrumentales facultas integra permanet nec læditur . ſed tantùm impeditur , quo minùs poſſit fungi ſuo munere : quod ſi vtrique morbi coniungantur,vtroque modo ſuccedit læſio : nam propter morbum in propria eſſentia læditur facultas , propter morbos inſtrumentales impeditur.

Itaque omnia colligendo in vnum , cum facultas ventriculi alteratrix multis modis lædi poſſit, nos hoc tempore de illis tantùm ſtatuimus agere, quæ lædunt facultatem in propria eſſentia , quæ ſunt intemperies , de quibus agit Galenus in toto lib. 7. *methodi medendi* , noſque cum illo tractabimus accuratiſſimè.

Differentia. Imbecillitatis ventriculi ſunt plurimæ differentiæ ; aliæ à quantitate vel magnitudine,vt alia imbecillitas ſit vehemens,alia debilis.Secunda eſt differentia à tempore : namque alia eſt antiqua , alia recens. Tertia eſt à coniunctis ratione ſexus,ratione ætatis,corporis habitus, & ſimilium. Quarta eſt differentia à modo generationis, namque alia imbecillitas prouenit ex nimia venere,(caueatis Domini ab hac) ex nimiis ſtudiis, quæ duæ res in reddendo ventriculũ imbecillũ inter cætera omnia habent inſignem prærogatiuam : ſic poſſunt hauriri differentiæ ab omnibus rebus non naturalibus.

Actio ventriculi tribus modis læditur. Demum verò ſunt differentiæ à qualitate imbecillitatis:pro quo ſciendum eſt huiuſmodi actionem ventriculi, quæ pertinet ad alterationem, tribus modis lædi poſſe,vt cæteræ omnes actiones lędi conſueuerunt , aut abolitæ , aut imminutæ , aut deprauatæ. Si actio ſit prorſus abolita,vt nulla fiat alteratio , tale ſymptoma Græc. ἀπεψία , Latinis *cruditas* dicitur, ſicuti euenit in licentia, in qua affectione deiiciuntur alimenta per aluum . quæ nihil prorſus ſunt permutata : ſi verò alteratio fiat, ſed non vt oportet, cruditas quidem & hoc ſymptoma vocatur , non tamen vt prius priuationem, ſed tantummodo vitium ſignificat,quod vitium eſt duplex : alterum , quando cibus tardè & conuenientem alterationem recipit, Latinis tarda & imbecilla concoctio dici poteſt , quod euenit in cœliaca paſſione : alterum eſt vitium , quando cibus corrumpitur & in alienam qualitatem permutatur , quod ſymptoma inquit Galenus apud Græcos nullum proprium nomen obtinet , ſed commodè δυσπεψία Latinis *deprauata concoctio* poteſt appellari , quod euenit in cholera.

Verùm quoniam cæteræ omnes differentiæ iam propoſitæ . vel ex narratione ægroti , vel excrementis, vel ſymptomatibus , vel aliter , ſine multo labore poſſunt intelligi , cæteris omnibus prætermiſſis. ſtatim venio ad differentias magis proprias & eſſentiales , quæ complectuntur intemperies ventriculi,ex quibus ſtatutum eſt omnem illius imbecillitatem oriri.

Intemperies ventriculi. 16. Ex his quæ diximus hactenus,agentes de morbis partium ſimilarium:ſatis conſtat ventriculum poſſe laborare omni genere intemperiei , quatuor ſimplicibus , quatuor compoſitis ſine materia , & totidem cum materia , vt in vniuerſum ſint ſexdecim , quæ poſtea differentiæ cum materia rurſus diuiduntur à Galeno , quatenus hæc materia vel continetur in cauitate ventriculi, vel illius tunicis adhæret, vel tranſmittitur aliunde, idque vel à toto corpore , vel ab aliqua determinata parte, de quibus omnibus agendum eſt , ſumpto principio ab intemperie ventriculi ſimplici calida.

An poſſit eſſe intemperies contraria. Sed antequam rem aggrediot , nequeo ſilentio prætetire ſubtilem quandam cogitationem quorundam , quos audio præter differentias à Gal. inſtitutas comminiſci non ſolùm in ventriculo , ſed in aliis quoque partibus , alias duas differentias ex contrariis qualitatibus , alteram quidem calidam & frigidam, alteram verò humidam & ſiccam argumentanturq; hunc in modum : Si vnum & idem corpus poteſt contrariis qualitatib. vno & eodem tempore malè affici cur non liceat hasce intemperies reponere inter morbos ex intẽperie cõpoſita?

Quod

Quod autem iſtud fieri poſſit, declarat Gal. in *lib. de morb. cauſ. cap. 6.* vbi ſcribit euenire interdũ, quamuis id non videatur poſſe fieri, vt idem corpus ſimul & calidius & frigidius, humidius & ſiccius quàm pro naturali habitu reddatur, quam quidem ille vocat intemperiem inæqualem, de qua integrum ſcripſit libellum, in quo nimirum cap. 1. & 8. ex propoſito oritur probare, duas contrarias qualitates vnum & idem corpus eodem tempore poſſe infeſtare, ſicuti euenit in febre epiala, lipiria, & nonnullis ardentibus malignis.

Epiala febris.

Inæqualis intemperies probatur.

Namque in febre epiala vno & eodem tempore perſentitur calor & frigus: in febre autem lipiria & nonnullis ardentibus malignis, exteriora frigent, interiora vruntur: ſic hydropicus ſi febriciter, laborat ſimul intemperie calida & frigida, calida, propter febrem; frigida propter hydropem. Verùm quoniam planè abſurdum videtur, & à rerum natura abhorrens, duo contraria ſimul in eodem ſubiecto reperiri, iſtud Gal. conatur probare, & in libello de inæquali intemperie, & in 3. de ſimplicium medicamentorum facultatib. cap. 16. Nam ſi ponas aliquem ſub ſole ardentiſſimo, eundemque inſpergas aqua frigidiſſima, tunc ſimul & ſemel & frigus & calor peruadent vniuerſum corpus: ſi alterum crus ponatur in aqua frigidiſſima, alterum in aqua calidiſſima, vtraque qualitas, & calida, & frigida, penetrabit vniuerſum corpus: ſi æqois portionibus miſceatur abſinthium & mel, vno & eodem tempore lingua perſentiet & dulcedinem, & amarorem: ſic alia multa non deſunt exempla, quæ poſſunt demonſtrare, corpora noſtra duobus ſimul contrariis poſſe affici, verùm hæc ſint ſatis.

Authoris ſententia de intemperie contraria.

Ego verò altera ex parte ſentio, hanc opinionem à rerum natura, ab omni philoſophia, addo etiam à Galeni mente eſſe longè abhorrentem: etenim eſt conſtans naturæ decretum, duo contraria ſimul non poſſe in eodem recipi ſubiecto, quod vſque adeo verum eſt, vt Ariſt. & Peripatetici velint, nulla contraria, nedum realia, ſed neque ſpiritalia, in eodem ſubiecto poſſe conſiſtere, quod ſpeciatim docet Philoſophus in 3. *de anima* 145. imò verò vt idem docet Philoſophus, 1. *phyſic.* 10. *metaph.* & in libello *de longitudine & breuitate vitæ*, ea eſt præcipua lex contrariorum, vt ſeſe mutuo interimant, adeo vt alterum ſemper dicatur ſecundùm priuationem: & ratio eſt, quam didiciſtis ex philoſophia, quòd nihil poteſt duobus contrariis motibus moueri: quare cum calidum habeat vim laxandi & fundendi, frigidum cogendi & adſtringendi, non poſſunt ſimul in eodem ſubiecto reperiri. Quod autem hæc opinio ſit aliena à mente Gal. ſatis ex eo poteſt confirmari, quod ille tractans lib. de differentiis morborum, omnes differentias pertinentes ad intemperiem, tam ſimplices quàm compoſitas, de his nullum verbum fecerit, cum tamen ex principali propoſito id agat, atque adeo accuratè & diligenter, vt non vereatur morbos quoq; aliarum ſectarum proponere, quas ipſe non probabat. Verùm iis addamus aliud Gal. teſtimonium præclariſſimum 1. *de temperamentis, cap.* 2. in quo tam apertè, vt nihil apertius dici poſſit, ex ſex coniugationib. quatuor qualitatum, aſſeuerat, eas non poſſe conſiſtere, quæ conſiſtant ex contrariis, calida & frigida, humida & ſicca. Nec profectò Galen. ſibiipſi aduerſatur, vt iſti opinantur: Nam ſi diligenter conſiderentur omnes loci, & omnia exempla, quæ ab illo ſolent afferri, facilè poteſt intelligi, tantum philoſophum & medicum nunquam aſſeruiſſe, duo contraria in

N. B.

vno præcisè ſubiecto poſſe reperiri. Locus eſt lib. de cauſis morborum, qui cæteris videtur difficilior, in quo ſcribit euenire, licet id fieri non poſſe videatur, vt idem corpus fiat ſimul & calidius & frigidius, & humidius & ſiccius, qui ſatis demonſtrat illum non intelligere has intemperies vnas & eaſdem partes occupare quandoquidem eas vocat intemperies inæquales: nam ſicuti dicimus viam eſſe inæqualem, quæ non eſt plana, ſed habet quaſdam partes aſcendentes, & quaſdam deſcendentes, ita etiam dicitur inæqualis intemperies, quæ non vno modo omnes partes corripit: ſicut altera ex parte illa dicitur æqualis, quæ æqualiter occupat vniuerſum corpus, quo euenit in febre hectica.

Atque hac quidem ratione facile eſt reſpondere, ne fruſtra ſim longior in refutandis ſingulis, ad exempla propoſita de febre lipiria, epiala, de hydropico febricitante, & cæteris, in quibus facilè admodum poteſt demonſtrari, huiuſmodi contrarias qualitates minimè eaſdem partes, ſed planè diuerſas occupare: atque de hac re ſatis.

In tractatione curandi intemperies ventriculi, ſi vellemus inſtitutum ordinem ſeruare, poſt differentias ſequeretur, vt ageremus de ſignis, ac demum de curatione: ſed ne cogamur ſæpius eadem repetere, & rerum ſeries ſit magis continuata, ſtatuimus in præſentia hunc ordinem peruertere. Itaq; poſitis ſignis, quæ vnamquamque intemperiem demonſtrant, ſtatim illius curationem ſubiiciemus: & cũ Gal. non ita definitè & diſtinctè ſingulas differentias perſequatur, ſed ex ſimplicib. de vna tantum intemperie ſicca, ex compoſitis de frigida & ſicca, nec non calida & ſicca, tractet copioſiùs, reliquas autem anguſta admodum & conciſa oratione perſequatur, fortaſſe quòd aliæ ſint curatu faciliores, quodq; ex his quæ hactenus ab illo tradita ſunt, poſſit vnuſquiſq; cæterarum intemperierũ curationẽ ſibi cõparare, nos ad veſtrã vtilitatẽ ordinatè de ſingulis, tam ſimplicibus, quàm cõpoſitis agere ſtatuimus, incipiendo ab intemperie calida.

De calida intemperie.

Prognoſtica.

Sed primum Gal. prognoſticum audiamus, quod ille facit cap. 6. *lib. 2. methodi*, quodque clarioris doctrinæ gratia mihi videor quatuor modis, ſiue concluſionibus poſſe colligere. I. Intemperies facillimæ ad curandum ſunt, quæ ex calido & frigido conſiſtunt, quoniam maximè actiuis qualitatibus corriguntur: nam calida frigidis, frigida calidis tollitur. Auic. lib. 3. *fen. 13. tract. 1. c.* 24 Gal. ſententiã hanc quoquo modo interpretatur; *Et ſcias*, ille inquit, *quod cura malitia complexionis, qua accidit ſtomacho, in vtriſq; qualitatibus actiuis, facillima eſt, quia inueniũtur remedia cõtraria vehemẽtis virtutis.*

Secunda concluſio. Intemperies difficilius curãtur, quæ ex humido & ſicco conſtant, quod imbecillis ac magis materialibus qualitatibus earum curatio perficiatur, ac potiſſimũ ſi indigeamus rebus humidis. Auicenna item hanc partem explicat: *Cura*, inquit, *qua accidit ex malitia complexionis in vtriſque qualitatibus paſſiuis eſt difficillima*, naturæ oppoſitio cuiuſque earum eſt cum virtute debilis impreſſionis, & propriæ complexionis ſiccæ. Non ingredior in præſentia eam diſputationem, an omnes qualitates ſint actiuæ, vt videtur ſentire Ariſt. 2. *de generatione & corrup. circa finem*, nec non Gal. 2. *de ratione victus, com.* 1. & aliàs frequenter: nam certò ſcio, vos non ignorare, qualitates, ſi abſolutè conſiderentur, omnes agere; ſi autem inter ſe comparentur, caliditatem & frigiditatẽ actiuas, humiditatem & ſiccitatem paſſiuas dici poſſe.

Tertia concluſio. Tempus caloris & frigoris reparandi par quodammodo eſt, ſecuritas tamen impar: niſi enim partes quæ ſunt proximæ ipſi ventriculo ſint admodum validæ, periculum imminet, ne ex vſu remediorum frigidorum noxam aliquam contrahat, vt ſcribit Gal. ſibi ipſi euenisse. 2.

meth.

Digitized by Google

*meth. cap.*8. qui curando hominem laborantem intemperie calida ventriculi, applicatis remediis frigidioribus, incidit in refrigerationem ſepti tranſuerſi, & in difficultatem anhelitus. Auicenna hanc quoq; partem explicat: *& ſciat, quòd ſpatium calefaciendi frigidũ eſt ſicuti ſpatium infrigidandi calidum, ſed timor in infrigidando eſt maior, præcipuè cum quadam membra vicinantia ſtomacho habent malitiam complexionis frigidæ.*

Quarta & vltima concluſio. In aliis duabus qualitatibus, nimirum humida & ſicca, ſecuritas eſt par, ſed tempus curationis in intemperie ſicca eſt longius: nam quod ſenium eſt in ſanis, id ſicca intemperies eſt in ægris: quare illa etiam intemperies ſicca eſt inſanabilis, ſi ſolida ſimilarium partium ſubſtantia ſit prorſus conſumpta. Pro quo ſciant iuniores, Gal ſtatuiſſe quatuor ſubſtantias partium noſtri corporis, quæ deperditæ quatuor ſiccitatis differentias procreant. Prima eſt modò poſita, quam ſubſtantiam ſolidam diximus. Gal. 5. *de diff. febrium* hanc appellat natiuam humiditatem partium ſimilarium, quæ illas inter ſe alligat, ab aliis vulgo radicalis humiditas appellatur. Secunda eſt ſubſtantia, quæ ex humore concreto conſtat, qualis eſt caro & adeps. Tertia eſt ille humor, qui in omnibus animantis partibus veluti ros quidam ſparſus continetur, ex quo rore illæ nutriuntur. Quarta eſt ſubſtantia. quæ in propriis & exilibus vniuſcuiuſq; particulæ, tum venis, tum arteriis continetur: quæ quidem omnes ſubſtantiæ aliquam recipiunt curationem, excepta prima, hoc eſt ſubſtantia partium ſimilarium quæ ſi prorſus ſit conſumpta, vt dixi omnino eſt inſanabilis.

4 Subſtantiæ noſtri corporis.

Quis morbus ſit curatu difficilior.

Ex ſignis prognoſticis à Gal. poſitis, facilè eſt intelligere qualeſnam ventriculi intemperies ſint curatu faciliores vel difficiliores, quæ citiùs vel tardiùs curari poſſint: his alia quædam magis communia ſunt coniungenda, quæ hac de re fidem certiorem nobis facere poſſunt, verbi gratia, ſi morbus fuerit diuturnior, ſi altas egerit radices, ſi ſuperiore tempore fuerint adminiſtrata commoda remedia, & morbus adhuc perſeueret, pro comperto habendum eſt, huiuſmodi morbum non niſi difficilè & longiore tempore poſſe curari.

Signa diagnoſtica.

Atque hactenus de prognoſtico: ſed antequam ad curationem accedo, duo ſunt in primis conſideranda: alterum, an viciata concoctione ventriculus laboret in propria eſſentia an magis propter externos errores: alterum, ſi ventriculus laborat aliqua intemperie, an illa ſit cum materia, vel ſine materia. Ne hac in re aliquis contingat error, qui eſſet grauiſſimus, ſi curaretis ventriculum laborantem propter externos errores, ac ſi laboraret in propria eſſentia: nec non ſi curaretis ventriculum laborantem intemperie ſine materia, ac ſi laboraret cum materia: vtrumq; vos docet Gal. Ac primùm vtrùm ventriculus laboret in propria eſſentia, vel propter externa, facilè poteſt intelligi, ſi conſideretur præcedens victus ratio, an æger deliquerit in quantitate, in qualitate, tempore, & aliis erroribus, qui ſolent committi circa alimenta: etenim ſi nullus error fuerit commiſſus, iam licebit culpam in ventriculum referre: ſi autem errores fuerint commiſſi, qui ſint alicuius momenti, tunc quidem ventriculus poterit omni culpa vacare: quo caſu, inſtituta proba viuendi ratione, iſti facilè ſolent priſtinæ ſanitati reſtitui. Sed tamen quandoque etiam euenit, vt tot & tanti támq; frequentes committantur errores, vt ventriculus propterea aliquam contrahat intemperiem, adeo vt improba fiat concoctio non minùs vitio ventriculi, quàm rerum externarum.

Alterum verò, an in ventriculo contineatur materia, quæ intemperiem efficiat aut foueat, Gal. pariter nos docet, cum aliis in locis, tum maximè 1. *de locis affectis. cap.*4. apertiſſimè, qui ſcribit, diſtinguendum eſſe, faciendumq; hoc experimentum, vt alimenta exhibeantur quæ ſuapte natura difficulter corrumpantur, exẽpli gratia, panis aut chondrum, illis qui in nidorulentam qualitatem ſolent conuertere alimenta: mel verò his qui acida ſolent perſentire. Deinde iubet Gal. conſideranda eſſe excrementa quę deiiciuntur, tam per vomitum, quàm per aluum; & contemplandum, an quiſpiam humor in primis quidem id eſt, qui ſentiunt nidorulenta, biliosus ſit & calidus, in ſecundis pituitoſus & frigidus, an potius nullo vacuato humore alimenta exiguam admodum habeant mutationem: nam ſi excrementa deiiciantur ſine vlla alterius humoris miſtione, vtiq; licebit coniicere intemperiem eſſe ſine materia: ſi enim paruus quiſpiam humor contineatur in ventriculo, vix aliter videtur poſſe fieri, quin ſimul deiiciantur cum excrementis veſtigia humoris noxij ex cuius permiſtione facilè res poteſt deprehendi Sed quoniam humores poſſunt contineri in ventriculo duobus modis, vno in cauitate, altero in tunicis, ſciendum eſt, propoſitum experimentum nullam certam fidem facere poſſe, niſi humor contineatur in cauitate, quando arteriæ tunicis adhærentes non ita facilè poſſunt ſeparari, vt ſimul cum excrementis deiiciantur: quare opus eſt, dicit Galenus, aliam facere obſeruationem: etenim qui habent humores contentos in tunicis, omnes nauſeabundi ſunt, & proni ad vomitum, etſi nihil euomant: quod ſi bilioſus & calidus ſit ſiccus, vehementem ſitim, ſi verò frigidus famem excitabat, in illiſq; ructus nidorulenti, in his verò acida apparebunt. Quod ſi demum certiores adhuc fieri velitis, vobis licet exemplo Galeni, alio facto experimento, ſumptoq; argumento à iuuantibus & nocentibus, & rei cognitionẽ aſſequi, & ſimul aliquid agere quod pertineat ad curationem; etenim ſi alicui habenti acidum ructum, dederis medicamentum diatrion piperon, nidoroſum autẽ eructanti, vel abſinthium, vel hierã, asq; obſeruaueris, quæ conferant vel noceãt, deprehendes, qualiſnam ſit affectus & quoquo modo etiã quid feceris, quod pertinet ad curationẽ.

Sed fortaſſe nimiùm digreſſi, ad intemperiem calidam ventriculi reuertamur. Calidior ventriculus malè appetit, meliùs concoquit, & multo magis quæcunque dura ſunt, & non facilè alterationem ſuſcipiunt; nam quæ facilè alterantur, in tali ventriculo corrumpuntur, bene habet à rebus frigidis, adſunt ructus nidorulenti, alui excrementa plerunque ſunt corrupta, acria, aduſta, præceſſere exercitationes, & in ſumma quæcunque potuerunt calefacere: quibus demum, & illud indicium licet addere, quòd intemperie calidiore laborantes, communicato calore cordi, ſolent incidere in febres paruas, lentas, ac veluti hecticas, cuius indicij meminit Galenus 7. *Methodi capite 9. nec non 3. de ſymptomatum cauſis cap.* 5.

De intemperie calida.

Poſt ſigna accedamus ad curationem, & cum ſcribat Galenus *cap.* 89. *artis medicæ*, curationem habere vnam præcipuam, & communiſſimam intentionem, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium, manifeſtum eſt huiuſmodi intemperiem auferri frigidis, tum alimentis, tum medicamentis, atque his partim internis, partim externis: ſic ergo conueniunt carnes optimæ, piſces præcipuè ſaxatiles, ptiſana, alica, lac, & quæ ex lacte conficiuntur, veluti eſt lac coagulatum, caſeus recens: & omnia quæ recens ex lacte conficiuntur; atque hæc quidem

Curatio intemperiis calidæ Victus.

non

non ſolum poteſtate, ſed etiam præparatione & actu debent eſſe talia, adeo vt Aſclepiades & veteres medici, in primis verò Galenus, non ſint veriti hæc omnia refrigerare non tantùm aqua; ſed etiam niue. 7. *methodi cap.* 4. nec non 8. *de medicamentis ſecundùm locos.* Galenus dicto loco mentionem facit duorum ciborum, alterius quem melcam, alterius quem aphrogala nominabant.

Melca. *Aphrogala.* Melca peculiaris erat cibus Romanorum, ac maximè laudatus, quem hodie neſcimus quid ſit: aphrogala autem mea ſententia erat cibus lactarius, & forte quem nos vulgo appellamus ſpumen lactis, qui familiariter ſolet exhiberi in poſtrema menſa. Mercurialis lib. 1. *variarum lectionum capite* 15. exiſtimat, hunc cibum eſſe illum quem vulgo appellamus caput lactis. In potu conuenit vinum aquoſius, & quod olygophorum dicitur, vel aqua, & illa quidem non modo actu frigida, ſed etiam niue refrigerata, vt Romani facere conſueuerant, qui primùm illam calefaciebant, & decoctam appellabant. Quo loco ſciatis, Galenum gloriari, ſe vnica die, vel potiùs hora nonnullos ſanaſſe calida intemperie ventriculi laborantes, frigidæ aquæ potione, quam exhibebat non modò recentem, ex fonte, ſed etiam inſigniter refrigeratam. Medicamenta pariter ſint frigida, roſa, viola, endiuia, lactuca, & alia huiuſmodi propemodum infinita; ex quibus poſſunt parari variæ formæ medicamentorum, ſyrupi, electuaria, conſeruæ, & alia huiuſmodi: in quibus tamen illud accuratè eſt animaduertendum, quod admonet Galenus, perpetuò abſtinendum eſſe à melle, & à rebus omnibus, quæ quouis modo poſſint calefacere.

Externa. Sic medicamenta externa ſint frigida, linimenta ex oleo roſaceo, omphacino, cydoniorum: ſint emplaſtra ex carne cydoniorum, thamarindis, foliis & fructib. myrthi, ſandalis, roſis, & aliis id genus: ſint epithemata ex aqua roſarum, endiuiæ, plantaginis, & ſimilia, quorum ingentem ſyluam vobis ſuppeditant veteres apud Gal. *in lib. de compoſitione medicamentorum*, & recentiores quoque

Valenter refrigerantia. paſſim. Quod demum magna vrgeat neceſſitas refrigerandi, & præcipuè in corporibus robuſtis, audeatis accedere ad valentiora præſidia, auctoritate atque exemplo Archigenis & Galeni, qui audent aliquando, (8. *de compoſitione med. ſecundùm locos*,) imponere ipſi ventriculo veſicam non ſolum aqua, ſed etiam niue plenam: ſiquidem ita generaliter habendum eſt; tantum alterandam eſſe particulam quantum receſſit à ſtatu naturali, adeo vt eadem ratione conſtent & lapſus ad id quod eſt præter naturam, & reditus ad id quod eſt ſecundùm naturam, quæ eſt ſententia Galeni 7. *method. cap. vltimo.*

Aqua thermales. Ad integram curationem calidioris intemperaturæ ventriculi, non eſt prætermittendum remedium, quod recentiores in vſum reuocarunt, & eſt potus aquarum thermalium frigidarum, quales apud nos ſunt in frequenti vſu Caldirianæ, Villenſes, & Patauinæ, quas appellant Beatæ Virginis, de quibus etſi antiquiores medici non agunt, tractabimus nos aliàs, & experientia ipſa confirmat, huiuſmodi aquas præclaram ſæpe operam

De frigida intemperie. præſtare. Iam ſequitur intemperies frigida. Qui frigidiori ſunt ventriculo, tardè, imminutè & difficulter concoquunt, alimenta appetunt, non ſitiunt quamplurimos generant flatus, habent ructus acidos, iuuantur à rebus calidis, læduntur à frigidis, læſa coctione facilè incidunt in diarrhæam, præceſſere victus ratio otioſa, vigiliæ, cogitationes, ſtudia litterarum, venus, & alia huiuſmodi, quæ generaliter vniuerſum corpus, & ſpeciatim ventriculum poſſunt refrigerare. Huius intemperaturæ curandæ ratio conſtat alimentis & medicamentis calefacientibus, quæ tutò poſſunt adminiſtrari cum nullum imminet periculum partibus proximis, ſicuti diximus imminere in intẽperie calida. Sint igitur alimenta calida, verbi gratia, panis præparatus cum ſeminibus aniſorum, fœniculi, carnes omnes laudatæ, inter quas habent neſcio quam prærogatiuam carnes pullorum columbinorum, radices eryngij, petroſelini, radicula, in ruſticis allia & cæpæ coctæ: inter herbas mentha, pulegium, ſaluia, aſparagi, quæ tamen moderatè debent aſſumi, & potiùs vt medicamenta, quàm vt alimenta. Conueniunt in hac intemperie mel, ſaccharum, & omnia, quæ ex iiſdem fiunt: conueniunt piper, cinnamomum, & aromata omnia: vina ſint generoſa, maximè acerba & auſtera, qualia in primis ſunt vina Græca & maritima, in quorum tamen vſu eſt illud animaduertendum, ne petant caput & efficiant vel conuulſionem, vel alia mala, de quibus dicit Gal. 2. *aphoriſmorũ com.* 20. iis euenire, qui huiuſmodi vinis vtuntur ieiuno ventriculo: ſunt qui vtantur vino ardente, vel aqua vitæ dicta, cuius moderatus vſus non debet prorſus improbari. Cauendum à ptiſana, à lacte, lactariis omnibus, & in ſumma ab his, quæ quouis modò poſſunt refrigerare. Conueniunt moderatæ exercitationes, quæ poſſint cùm alias partes, tum maximè ſuperiores calefacere, qualis eſt moderata vociferatio, clara lectio, qua exercetur & ſeptum & totus thorax, quæ partes proximæ adhærent vẽtriculo: inter cætera omnia caueant à venere, quæ ſi quid aliud, & vniuerſum corpus & præcipuè ventriculum ſolet refrigerare. Medicamenta pariter habeant vim calefaciendi, quorũ ſylua eſt ampliſſima ſiue intrà exhibeantur ſiue extrà apponantur; de quibus illud generaliter ſciendum eſt, ad hanc rem non eſſe accommodata, quæ calefaciendo laxant & molliunt, cum hæc ventriculi robur facilè diſſoluant: quare ad cuſtodiendũ robur partis nunquam prætermittenda ſunt quæ adſtringendi aliqua facultate ſint prædita, inter quæ hæc videntur eſſe præcipua, & longiore vſu recepta; abſinthium, betonica, mentha, ſpica nardi, piper, gingiber, cinnamomum, ſemina odorata citri, aniſorum, fœniculi, & in ſumma omne genus aromatum, ex quibus exteriùs parari poſſunt linimenta, fumenta, emplaſtra, cerata, & alia huiuſmodi de quibus poſtea. Interiùs pariter ſunt propemodum infinita, condita, gingiber, radix eryngij, cortex citri flores & conſerua betonicæ roriſmarini, ſaluiæ: ſyrupus de mentha, de abſinthio, de calamentho: confectiones quæ dicuntur aromaticum roſatum, caryophyllatum, diacyminum, diatrion pipereon, diacalamenthum, dioſpoliticum, & quæ cæteris omnibus ſunt efficaciora, magna antidota, theriaca & mithridatum: quibus demum licet addere potum aquarum thermalium, quæ ſint ſulphureæ, nitroſæ, aluminoſæ, quales ſunt noſtræ Patauinæ, Aponitanæ, quæ quidem calefaciendo & roborando ventriculo præclariſſimam ſæpe operam præſtant. Alex. inter cæteros probat etiam balneum externum harum aquarum, quod certè remedium nec à nobis fuerat prætermittendum, neq; à vobis negligendum eſt.

Poſt intemperiem calidam ſequitur humida: *De humida intemperie.*
qui igitur habent ventriculum humidiorem, non appetunt, non ſitiunt, plurimum expuunt, læduntur ab humidis, iuuantur à ſiccis, præceſſere aër, victus ratio, & in ſumma omnia humida; atq; in hac potiſſimùm intemperie accidit ventriculi ſubuerſio, vel vt Galeni verbo vtamur, 8. *de medicamentis ſecundùm locos cap.* 3. ſupinitas: ille enim irriguus per largam humectationem, ſimiliter vt ligamenta neruorum ſolet laxari. Accidit etiam

in

in hac intemperie quaſi quædam propria paſſio, diuturnum alui profluuium, cuius meminit Galen. *6. aphoriſmorum com.* 32. Galen. 7. *methodi cap.* 9. ait, hanc ventriculi intemperiem, ſiue ſola conſiſtat, ſiue coniungatur caliditati aut frigiditati, omnium facillimè curari: quam tamen ſententiam equidem non cenſeo veram eſſe abſolutè, ſed ſi ad alias referatur, cum doceat experientia, medicos in ea curanda plurimum ſæpe laborare, nec ita facilè illam auferri. Sed & illud addit hoc loco Galen. quod certè eſt dignum maxima notatione, nempe dictas tres intemperies ſæpe admodum & familiariter afficere ventriculum, ex quo factum eſt, vt quicunq; ſine methodo morbis mederi ſolent, harum duntaxat intemperierum curationem memoria teneant, planè ignorantes alias multas eſſe, & potiſſimùm compoſitas, quæ ſanè diuerſam curandi rationem poſtulant.

Alimenta. Humidioris ventriculi intemperaturæ, cùm ſola conſiſtit, apud Galen. præcipua ſunt remedia, alimenta quæ valentem calefactionem aut refrigerationem ſiccent, itaq; probè conueniunt incidentia, amara, acria, ſalita, quæ omnibus ſunt manifeſta: ſic moderata vel potius reſtricta potio prodeſt, *Medicamenta.* quæ quidem ſit vini generoſi, quod eandem poſſit ſiccandi operam præſtare. Eodem conſilio parari poſſunt medicamenta, exteriùs, oleum de abſinthio, rutaceum, liliorum alborum, vel quod eſt recentiorum inuentum, oleum ex cinnamomo, vel ſeminibus aniſorum; ſic conueniunt emplaſtra ex pice & aromatibus: interiùs conſerua betonicæ, abſinthij, ſyrupus de calamentho, de corticibus citri, diacyminum, diatrion, pipereon, & alia huiuſmodi: ſed inter cætera omnia ſunt præſtantiſſima magna antidota, Theriaca inquam & Mithridatum, quæ ſingulari quadam prærogatiua, tanquam ignis poſſunt omnem ſuperuacaneam humiditatem conſumere. Sequitur intemperies ſicca.

De intemperie ſicca. Qui ſicca ventriculi intemperie laborant, ſitiunt, nihil expuunt: malè ad ſicca, benè ad humida ſe habent: præceſſere nimiæ exercitationes vigiliæ, ſtudia, Venus, & vniuerſa victus ratio quæ potuerit exſiccare. Omnis ſcopus curandi hunc morbum conſiſtit in humectatione, auctore Gal. qui nullis aliis remediis hoc perfecit negotiũ, quam victu humectante; balneis, lacte & inunctionibus: hac enim ratione contracti meatus dilatantur, quod in internas particulas impulſum eſt reuellitur, & demũ vnaquæq; pars ſimilaris propria humiditate repletur; qui ſcopi nobis proponuntur à Gal. 7. *meth. med. c.* 6. vbi de vniuerſa curanda hac intẽperie longiſſimam inſtituit narrationem, refertq; exemplũ cuiuſdam ægroti, quẽ ab aliis medicis ſiccatum ipſe curauit; eum locum vt adeatis, indeq; petatis quæ ad veſtram vtilitatẽ non parũ factura ſunt moneo. Cum autẽ ſumma iſtius curationis conſiſtat in accõmodata victus ratione, in vſu lactis, in balneis & inunctionibus, hoc verò tempore ac potiſſimũ in Italia: deſint domus ad balnea accommodatæ, qui mos erat frequens apud antiquos, ac propterea adminiſtratio dictorũ remediorũ aut prorſus ſit ſuperflua, aut certè parũ frequens, ſtatui ad veſtrã vtilitatẽ eã vobis rationem explicare, qua ego vti conſueui in huiuſmodi caſibus, vt & vos, ſi quando ſeſe offerat occaſio vtendi balneis, lacte, & aliis id genus præſidiis, *Curatio ſiccæ intemperiei.* probè illa ſciatis adminiſtrare. Ægrotus itaq; primum ſi fieri poteſt, natura, ſin minus, arte exonerata aluo, manè ingreditur balneum aquæ temperatiſſimæ, in quo modò breuiore, modò longiore tẽpore moratur, maiori autẽ ex parte circiter horã dimidiã vſq; ad integram, poſtea deterſo ac molliter fricato corpore, illud totu inungatur oleo dulci, nonnunquam oleo amygdalarum dulcium, violato, vel ſeparatis, vel inter ſe mixtis, mox exhibeatur lac, ſi haberi poteſt, humanum, ſin minus, aſininũ, incipiendo à modica illius quantitate, exempli gratia, à ſecunda vel tertia vncia, ac ſenſim aſcendendo ad menſuram quinq; vel ſex vnciarum. Lacti ego quidem permiſcere conſueui ſaccharum, quod melle videtur eſſe commodius aliquando etiã ſal, pro affectus differentia, cuius vtriuſq; tantum inijcitur, quantũ res videtur poſtulare, ne ventriculo aut nauſeam, aut aliquam moleſtiam afferat: in quo quidem id potiſſimum debetis animaduertere, ne lac ſummo mane exhibeatis, antequam cœna præcedens fuerit exquiſitè concocta: in quem alioquin pernicioſum errorem incidunt vulgares medici. Aſſumpto lacte æger quieſcat; quo tempore ego quidem cenſeo ſomnum fugiendum eſſe, quanquam non ignoro, eſſe qui aliter ſentiant, ſiquidem hic ſomnus mihi videtur importunus, & non aliter quàm ſomnus pomeridianus, poſſe plurima incommoda ſecum afferre. Demum concocto lacte, quod quatuor aut quinq; horarum ſpatio fieri ſolet, cibus boni ſucci, & facilis concoctionis exhibeatur, vt ptiſana, ouum ſorbile, & alia id genus, ac poſtremò veſpere accommodata cœna eſt inſtituenda, de qua Gal. diffusè tractat.

Cæterùm ſunt nonnulli vulgares Medici, qui quotieſcunq; vel propter maciem vel propter alias cauſas ſtatuunt vti balneo, & exhibere lac, primum lac exhibent ſummo mane, deinde poſt vnam vel alteram horam ægrum deducunt in balneum in quo ſæpe herbas plurimas, caput caſtrati, & alia huiuſmodi ſolent incoquere ac poſtremò victu, vt putãt, accommodato totam perficiunt curationem, qua quidem in re primum locum tribuunt cancris fluuialibus, teſtudinibus, limacibus, ex quibus varia parant tum alimenta, tum medicamenta. Quæ alioqui vulgaris, & à multis recepta curandi ratio facile poteſt intelligi quantum differat à methodo Galeni, & quanta pericula ſecum poſſit afferre: namque importunè aſſumpto lacte, quo tempore forte ventriculus mole prioris cœnæ grauatus eſt, importunè etiam adminiſtrato balneo, lacte nondum concocto, inſtituta denium tam vitioſa & pernicioſa viuendi ratione, vt omnia corrumpantur & peruertantur neceſſe eſt.

Reſtant iam intemperies ventriculi compoſitæ: *De intemperiebus compoſitis.* quanquam enim ex his quæ diximus hactenus de curanda ſimplici intemperie, facilè vnuſquiſque poſſit intelligere etiam curationem intemperiei compoſitæ, tamen non prorſus inutile erit, ſi de cognoſcendis quoq; & curandis hiſce intemperaturis breuiter tractemus. Qui ventriculi intemperie laborant, *Signa calidæ & ſiccæ.* calida ſimul & ſicca non appetunt, ſitiunt, benè habent à frigidis & humidis, læduntur à contrariis, præceſſere calida & ſicca, ipſique maiori ex parte ſunt extenuati: namque hæ copulatæ intemperies quodammodo febri proportione videntur reſpondere, adeo vt ſicuti hæc totum corpus, ita illæ malè afficiant ventriculum.

Curatio. Curationem breuiſſimè perficit Gal. victus ratione & præſidiis frigidis & humidis, itaque abſtinet à melle ac vino antiquo & generoſo, quæ calidis & ſiccis naturis maximè aduerſantur: & ne ſingula recenſeam, decet nos abſtinere ab omnibus aromatibus, acribus, amaris, & quæ in ſumma, calefacere & exſiccare poſſunt. Quare opportunè exhibentur ptiſana, alica, ouum ſorbile, lac: ex oleribus lactuca eſt præſtantiſſima, ſic æſtate commodè exhibentur fructus, pepones cucurbitæ, vua, & alia id genus: imò verò Gal. cupit alimenta eſſe talia non ſolùm poteſtate, ſed etiam actu, docetq; illa eſſe exhibenda, 10. *meth. c.* 11. ſub lactis tepore

vel ſi æſtas fuerit, qualis eſt aqua fontana, quæ eodem interprete in 2. *de ſimplicium medicamentorũ facult. cap* 6. & frigoris quod ferit, & teporis, qui reſoluit, eſt in medio: vel aliter, quæ non eſt inſigniter calida, vel frigida. Similiter quæ extra ponuntur, ſint frigida & humida, ſed tamen decet illis moderatè vti, ne partes proximæ lædantur: quare ſatis fuerit oleo omphacio, vel melino ventriculum inungere.

Hiſtoria. Gal. hoc loco duas recitat hiſtorias, alteram cuiuſdam hominis agentis annum 40. laborantis intemperie calida & ſicca ventriculi, quam nec quiſpiam ex ſuis præceptoribus, nec etiam ipſe potuit cognoſcere: alterá alterius hominis, qui poſt multos annos incidit in hanc eandem intemperiem, quo tempore iam Gal. didicerat cum ratione cognoſcere, & curare omnes ventriculi intemperies. adeo vt auſus fuerit hunc inſigniter refrigerare, & humectare: quæ quidem hiſtoriæ ſunt dignæ diligenti obſeruatione, cum etiam hodie tales nobis ſeſe offerant.

De calida & humida intemperie. Iam ſequitur intemperies calida & humida: huiuſmodi ægrotantes non appetunt, propter vtramque qualitatem; ſiquidem caliditas fundit, humiditas laxat, quę quidem aduerſantur appetentiæ, vt poſtea videbimus: hi meliùs concoquunt, plurimum expuunt, iuuantur à frigidis & ſiccis læduntur à contrariis, præceſſere quæ potuerint calefacere & humectare.

Curatio. Curatio breuiter perficitur apud Gal. vſu tum ciborum, tum potionum aſtringentium, quæ ſint austera ſine calefactione; inter quæ potiſſimũ conueniunt vina auſtera, vt ipſe teſtatur Gal. in lib *de cibis boni & mali ſucci. c.* 11. quæ tamen ſumantur moderatiſſimè, cum in hac intemperie pauca potio ſit maximum remedium. Hoc ipſo conſilio vobis licebit parare etiam nonnulla medicamenta extrà, oleum roſaceum, oleum melinum, additis pro exſiccatione ſandalis, roſis, corallis, & aliis id genus: Sic intra ſunt ſyrupi de roſis ſiccis, de myrto, confectio trium ſandalorum, diarhodon, trochiſci de ſpodio, & alia huiuſmodi.

De frigida & ſicca intemperie. Qui laborant ventriculi intemperie frigida & ſicca, tardè & malè concoquunt, acidum ructum emittunt, ſitiunt appetunt calida & humida, à quibus non læduntur, frigus percipiunt ventriculo, & maiori ex parte ſunt extenuati. Copulata hæc intemperies omnium eſt peſſima, ſicuti inter ſimplices eſt ſicca, vt Galen. eſt auctor 7. *method. c.* 10. ſiquidem vtraque intemperies calido innato, & vitæ noſtræ maximè aduerſatur. Hic nobis duplex ſeſe offert curandi indicatio, nempe calefaciendi & humectandi, qua in re accuratè prouidédum eſt, ne imprudentes his quæ humectant adiungamus quæ nimium calefaciunt, quæ quidem certum eſt non modò calefacere, ſed etiam ſiccare: itaque firmo permanente propoſito vtendi illis rebus quæ ad tollendam ſiccitatem pertinent, de quibus ſatis diximus, cætera ſunt ita moderãda: vt tantum calefacientis materiæ permiſceamus ad quantam frigiditatem ventriculus declinauit: quare in præſentia lacti mel copioſius eſt permiſcendum, idque prius optimè decoctum & deſpumatum, vt & minus ſit excrementoſum, & magis nutriat.

Mel. Etenim mel ſi quid aliud frigido corpori vtile eſt & amicum, vt calido eſt aduerſiſſimum: ſic vinum cõuenit minus aquoſum & certè antiquius. Ad ſummã, cuncta alimenta exhibeantur calidiora, nõ ſolum poteſtate, ſed etiã actu, adeo vt ventriculus quidẽ calefiat, ſed quãtum ſiccitas permittit. Pariter quæ extra apponuntur, eadem vi polleant, qualia probãtur Gal. vnguẽtum nardinum: aliquãdo ſolum, aliquãdo diſſoluta in eo maſtiche quam pinguiſſima, vnguentum maſtichinum, ſuccus balſami, tum ſolus, tum reliquis permiſtus; quæ quidem, vel alia huiuſmodi medicamenta, quæ horum imitatione facilè vnuſquiſque ſibi poteſt comparare, aſſiduè & copioſè inungãtur ventriculo, vt nunquam ſiccescat. Neque verò eſt vt quis huiuſmodi aromatum nimiam ſiccitatem pertimeſcat, cum & propria pinguedine & humiditate, addo & olei miſtione, ab omni inſigni ſiccitate ſint aliena. Præterea inter ea quæ extra poſſunt adminiſtrari, Gal. non ſolùm hoc loco, ſed etiam 5. *de ſimpl. medicamentorum facultatibus, c.*6 tam in his qui ſicca tantùm, quàm in his qui ſimul ſicca & frigida intemperie laborant, maximè probat catellum pinguem, vel puellum boni habitus, quem æger ita ſibi aptet & accommodet, vt ſuo abdomini perpetuò hæreat, hac tamen adhibita cautione, ne puer ſit humida cute, nec ſudore perfundatur, quoniam tunc refrigerat potius, quam calefaciat. Imò verò ſcribit Gal. eſſe nonnullos, qui non ſolùm in aduerſa valetudine, ſed etiam in proſpera, ad adiuuandam concoctionem, vti hoc remedio conſueuerunt. *Catellus vel puer ventriculo applicandus.* Namque ex huiuſmodi calore humido, ſuaui, ac planè familiari, debilior calor natiuus fit maior & robuſtior, ita quidem vt illius ſubſtantia augeatur, minimè autem qualitas intendatur, quod alia præſidia & potiſſimùm fomenta præſtare ſolent. Auic. de hoc remediu plura ſcribit, *lib.* 3. *fen.* 13. *tract. c.* 16. & preter vſum pueri & canis, quem ſummopere probat, ſuadet etiã vſum cati maſculi. Veruntamen quod attinet ad puerum, ſuadet vt ſit boni habitus minimè humida cute, qui etiã non polluatur, ſed tamen ſit proximus pollutioni, & alienus ab omni luxurie.

Picatio. Demum verò Gal. aliud præſidium ponit; quod *picationem* vocat, & quo præteritis ſęculis nonnulli, quos propterea *picatores* appellabant, quotidie vti conſueuerant, eſtque medicamentum conſtans ex pice & modico oleo, quod vt ſcribit Galen. 14. *meth. cap.* 16. humectat, calefacit, & ſanguinis copiam allicit, cuius præcipuè eſt vſus ad renutriendas & carne reparandas partes extenuatas. Hoc igitur præſidio Gal. vtitur quod iubet apponendum eſſe ad totum ventrem, propterea quòd non modo ventriculum, ſed ipſa quoque inteſtina, conſenſu quodam reddita debiliora oporteat calefacere & corroborare.

Cautela. Sed tamen id ſedulò eſt animaduertendum, ex præcepto Galeni, ne hoc medicamentum perpetuo hæreat, cum magis expediat, priuſquam refrigeretur illud auellere, nec ſæpius in die, vel longiore tempore idem apponere: quandoquidem ſi quis hac in re nimium diligens hoc ipſum & ſæpius, & longiùs agat, hunc certum eſt non modò attrahendō, ſed etiam quod attractum eſt diſſipando, operam perdidiſſe. Quo quidem loco facile vnuſquiſque poteſt intelligere vulgatum alloquin errorem medicorum, qui ſua quædam cerata, ex pice, reſina, aromatibus, à veterum picatione parum aliena, conſueuerunt ad ventriculum applicare, ac ſine vlla intermiſſione dies noctéſque, plurium annorum ſpatio perpetuò geſtare: huiuſmodi enim medicamenta, importuna hac ratione adminiſtrata, innatum ventriculi calorem depaſcunt, natiuam eius humiditatem conſumunt, eúmque reddunt multo debiliorem, adeo, vt hæc pernicioſa medicamenti adminiſtratio potuerit nonnullis maraſmum & interitum afferre.

De frigida & humida. Iam reſtat intemperies frigida & humida. Qui laborant hac intemperie, tardè & difficulter cõcoquunt, nihil ſitiunt, plurimum expuunt, generant quamplurimos flatus, acidum eructant, calida appetunt & ſicca, à quibus bene habent, præceſſere

omnia quæ potuerunt refrigerare & humectare. Curatio, vnico verbo, conſtat rebus calefacientib. & exſiccantibus. Quo loco non eſt prætermittendum Galeni præceptum, qui 8. *de medicamentis ſecundum locos* nos docet, ſi humidior intemperies cum frigiditate coniungatur, ægrotos lædi quicunque per ſola curantur adſtringentia, quę frigidæ facultatis exiſtunt; quare iubet ad ea medicamenta confugere, quæ per experientiam inuenta ex miſta natura adſtringente & calefaciente componi ſolent: & quoniam mihi propoſitum eſt, poſt abſolutam tractationem intemperierum ventriculi vobis proponere exemplum ægroti laborantis hac poſtrema intemperie, quam certum eſt cæteris omnibus frequentius contingere, non eſt vt in præſentia ad magis propria remedia veniamus, quæ tunc accuratè & diffusè ſumus explicaturi.

Præceptum Galeni.

Atque hactenus de cognoſcendis & curandis omnibus intemperaturis ventriculi, tam ſimplicibus quàm compoſitis ſine materia; de quibus hoc demum ſilentio non eſt prætermittendum, quod alioqui eſt maximi momenti, in curandis huiuſmodi intemperaturis, quatenùs ad illas pertinet nulla prorſus vacuatione opus eſſe, cum ſumma iſtius curationis cõſiſtat in ſola alteratione. Quod quidem præceptum intelligunt pauci admodum noſtrorum temporum medici, qui nunquam faciũt quin ſua propinent medicamenta, non ſolùm lenientia, ſed etiam ſoluentia: quæ profectò importunè & præter rationem omnem exhibita; miſeros ægrotantes temere excruciant, illoſque in plurima, & ea quidem grauiſſima pericula ſolent deducere.

Vacuantia quãdo omittenda.

Poſt intemperies ſine materia. ſequuntur intemperies cum materia, quam quidem diſtinctionem ita Galen. interpretatur, 7. *methodi cap.* 11. vt priores dicat ſine materia, propterea quia abs materia non generantur: poſteriores autem cum materia, quod ab illa originem habeant. Etenim quanquam non modò veriſimile, ſed etiam neceſſarium ſit, ad quãlibet intemperiem, ſiue ſimplicem, ſiue compoſitã vitiata ventriculi coctione, omnino aliqua generari excrementa: tamen hæc non efficiunt morbum, imo verò efficiuntur a morbo: tametſi neque id negandum eſt, mea ſententia, vtramque intemperiem ſcilicet & materiam, mutuum ſibi inuicem maleficium præſtare, adeo vt intemperies quidem materiam generet, materia contra intemperiem ſaltem foueat aut augeat. Itaque ventriculi intemperiem cum materia intelligimus ſimul cum Gal. quotieſcunque hæc minimè intemperiem ſequitur, ſed magis intemperiem præcedit & generat, in quorum quidem morborum curatione ante omnia ſunt nonnulla diligenter animaduertenda. Primum, qualiſnam ſit materia noxia, tenuis an craſſa, biliosa an pituitoſa. Deinde an illa contineatur in cauitate, an magis adhæreat tunicis ventriculi. Poſtremò, an in ventriculo generetur, an aliunde in illum confluat: quandoquidem ſingula propriã quandam & diſtinctam curandi rationem videntur poſtulare. Namque vt de poſteriore cap. primũ dicamus, ſi materia ex aliis partibus confluit in ventriculum, ſedulò oportet inueſtigare, qualiſnam ſit ea pars vnde prouenit fluxio, cuius inprimis cura habenda eſt In quo caſu, quatenus pertinet ad ventriculum, illud proſpiciendum eſt, ne promptè recipiat quod in illum confluit, id quod perpetuò medici ſolent obſeruare in cunctis fluxionibus, in quibus ex aliis partibus in alias natura ſolita eſt tranſmittere, quicquid illi eſt ſuperuacaneũ & moleſtum: de quo quidem inſtituto naturæ Gal. aliis locis, tum maximè 2. *de differentiis febrium cap.* 14. loquitur diffusè Poteſt autem prouidentia partis recipientis duplici ratione fieri, vna omnibus fluxionibus communi, nempe vſu medicamentorum repellentium, quæ conſtat eſſe frigida & adſtringentia: altera ſimiliter omnibus partibus quæ ad bonum habitum deducuntur communi, nimirum ſi illæ ad moderatam temperiem deducantur.

De intemperiebus cum materia.

Notationes.

Ergo fluentibus humoribus ad ventriculum ex aliis partibus, primùm habenda eſt conſideratio vniuerſi corporis, an ſcilicet in plenitudine vel cacochymia laboret: huius vtriuſque ſymptomatis indicia ferè ſunt manifeſta, & à Galen. variis locis poſita 4. *de tuenda valetudine cap.* 4. *libello de plenitudine cap.* 6. 9. *meth. cap.* 5. 13. *meth. cap.* 6. Quod ſi totum corpus neque plenitudine humorum vitio laboret, tunc ſingulæ partes ſunt examinandæ, & illæ potiſſimùm quæ fluxionem facilè ſolent ventriculo communicare, qualia ſunt in primis iecur, cerebrum, lien, vterus in mulieribus. Præterea verò opportunè inquirendum eſt, an retenta fuerit conſueta aliqua euacuatio, hæmorrhoïdes, ſanguis ex naribus, vomitus, alui profluuia, in mulieribus menſes, & alia id genus. Ad hæc præcedentem victus rationem & ſtudia oportet animaduertere, an æger delitiis, ſatietati, ocio indulſerit, ac præcipuè præter conſuetudinem: demum an aliqua pars corporis per quoſdam circuitus, vt pleriſque accidit, ſolita fuerit vexari aliquo morbo podagra cephalæa, deſtillatione ad aliquam partem, in præſentia verò non ampliùs vexetur: namque huiuſmodi particularis & diſtincta inquiſitio, non ſolùm conditionem ſingularum partium & vniuerſi corporis, ſed etiam quoquomodo curandi indicationem videtur poſſe inſinuare: etenim ſatis conſtat plenitudinem miſſione ſanguinis cacochymiam purgatione, commodè auferri: ſic vnicuique particulæ tranſmittendi propriam curationem competere: quæ ſanè tractatio ad eum locum pertinet, in quo de illarum morbis cognoſcendis & curandis ſumus tractaturi.

Signa cacochymiæ & plenitudinis.

In huiuſmodi humorum fluxionibus illud eſt maxima dignum conſideratione, vt animaduertatur nobilitas vel ignobilitas partis tranſmittentis? nam ſi ex partibus ignobilioribus fiat fluxio in ventriculum, tunc ſine mora humores ſunt reuellendi, & trahendi ad partem mittentem. Sin autem contingat fluxio ex partibus nobilioribus, verbi gratia, ex cerebro, tunc vtrique parti ſimul eſt conſulendum, ſed tamen hac lege, vt eum ſemper affectum ſtudeas auferre, qui fluxionem excitat, naturales omnes expulſiones fluxiles reddas, ac generaliter omnes corporis partes ad bonam temperiem, & habitudinem reducas. Pòſt verò quàm vel toti corpori, vel alicui parti tranſmittenti proſpexeris, ventriculi quoque cura eſt ſuſcipienda ſiquidem vix fieri poteſt, in eum delatis iam plures dies noxiis humoribus, quin ex eorum malitia aliquod vitium contraxerit.

Cæterum ſi vitioſus humor non tranſmittitur aliunde, ſed generatur in ventriculo, vel continetur in illius cauitate, vel tunicis adhæret; prior affectus inquit Galen. ſi ſemel ventriculus fuerit per vomitum expurgatus, facile quieſcit. Si verò humor contineatur in tunicis, atque id quidem tenuis, ille quoque opportunè educitur iis medicamentis quæ facilè excitant vomitum, qualis eſt vel ptiſanæ cremor, vel mulſa: ſi verò non fuerit tenuis, ſed lenta pituita ventriculi tunicis infixa, tunc prius exhibenda ſunt quæcunque poſſint illam incidere, & attenuare, deinde aggredienda eſt purgatio: quod ſi neque iſti ſint prorſus ad vomitum inepti, non fuerit inutile, & in hoc caſu vomitum tentare. Vtrobique autem, ſiue humores tenuiores, ſiue craſſiores, quotieſcunque per aluum ſunt deiiciendi conueniunt medicamenta

Aliud membrum.

menta moderatè purgantia, adeo vt illorum vis ſupra ventriculi,& inteſtinorum loca non aſcendat, aut vaſa duntaxat in meſenterio contingant, qualia ſunt primis aloë, & quæ ex aloë componuntur, ac potiſsimùm hiera; de quo quidem medicamento, ac varia illius præparatione & doſi, cum nonnullæ circumferantur difficultates, quæ alioqui dignæ ſunt vt intelligantur, mihi libet hoc loco ſemel, ſed quam breuiſsimè vobiſcum agere.

De hiera. Galen. variis in locis ſermonem habet de ratione componendæ,& exhibendæ hieræ, ſed potiſsimùm tribus 2. *de compoſitione medicamētorum ſecūdum locos cap.* 18. *eiuſdem lib. ca.* 11. ex quibus illud primum vobis conſtet, Galen. minimè fuiſſe auctorem huius medicamenti, vt vulgò creditur, cum multis ante ipſum annis fuerit celebratum, atque ipſe auctorem faciat Andromachum. Deinde & illud facilè poteſt intelligi, & apud veteres, & apud Galen. varias prorſus fuiſſe medicamenti compoſitiones: namque Romæ & Galeni tempore ſic parabatur:

℞. *Cinnamomi,*
Xylobalſami,
Aſari,
Spicanardi,
Croci,
Maſtiches ana. ʒ. vi.

(ab aliquibus verò ʒ. vi. ſed ʒ. viii. permiſceri ſolebant, vt teſtatur Gal. 8. *de medicamentis ſecundū locos, cap* 2.) *aloës* ʒ. 100. *M.* Verùm 100. ʒ. aloës magna nimis menſura viſa eſt Galeno, aliorum reſpectu, qui præſtantius medicamentum exiſtimarunt, ſi minus aloës imponeretur, vt ʒ. 90. qua quidem præparatione tanquam optima, ſe vſum Galen. aſſerit: interdum verò tantùm ʒ 80. permiſcebat, cum medicamentum minùs ingratum ſed calidius volebat, & contra interdum etiam ʒ 120. cum illud magis purgatorium cupiebat. Adhæc crocum parcius miſceri voluit, vt ʒ. v. præſertim in quibus ſuo odore caput ferire conſueuit, quibus etiam ſatis fuerit ʒ. iiij. permiſcere: vj integras drachmas permiſcebat mulieribus malè per menſes purgatis, & aloës tantum ʒ. 80.

Aloë lota quid differat ab illota. Andromachus referente Gal. 8. *de medicamentis ſecundum locos* præparabat hieram ex aloë lota, & illota, cuius conſilium probat Galen. illud verò inter vtramque intereſt, quod aloë non lota valentiùs euacuat, lota purgat quidem minus, ſed roborat ventriculum magis, cum lotione deponat multum de ſua vi medicamentoſa, adeo vt poſsit exhiberi etiam febricitantibus, dummodo febris non ſit vehemens. Demum hiera apud Galenum præparabatur vel cum melle deſpumato, quæ ſimpliciter hiera dicitur, vel ſine melle, puluis nempe ſiccus vulgo ſpecies hieræ: quæ quidem inter ſe differunt, quod mellita craſsior, durabilior & purgantior euadit, ſed ventriculum minus roborat, & magis aluum ducit. Tot igitur modis hiera antiquitus parari conſueuerat, nam de aliis medicamentis quæ hoc ipſo nomine appellabantur, vt eſt hiera cui Gal. 1. *de compoſitione med. ſecūdum locos cap.* 2. addere ſolitus fuerat aut helleborum, ſi humores melancholici eſſent ducendi, aut ſcammonium, ſi flaua bilis, quam vocat hieram exacutam 1. *de cōpoſitione med. ſecūdum locos cap* 2. vel qualis eſt hiera diaculocynthidos, non eſt in præſenti longius agendum.

Vſus hieræ. Hoc medicamentum tempore Galeni aliqui *picram*, hoc eſt, *amaram*, aliqui *hieram*, hoc eſt, *ſacram*, ab operibus, vt puto, diuinis & mirabilibus, nominabant; apud nonnullos hiera dialoës dictum eſt: illius præcipuus eſt vſus ad purgandum, maximè ex ventriculo, inteſtinis & venis meſaraicis, bilem & pituitam, non modò tenuem ventriculi tunicis altiùs adhærentem, ſed faciliùs eam quæ continetur in cauitate. *Modus vtendi.* Antiqui conſueuerant vti hoc medicamento ex aqua vel potione, quod certè mirum eſt, quomodo tantum amarorem ferre potuerint, quos alioqui ſcimus elegantiſsimè interdum exhibuiſſe medicamenta, vt in diacytonite, & aliis videmus. Nos hoc tempore vtimur in bolo vel catapotiis, tametſi non ignoro nonnullos etiam hodie accipere ex aqua Galeni, & quidem ſatis feliciter.

Tempus exhibendi. Superſunt adhuc duæ difficultates; altera de tēpore exhibendi huius medicamenti, altera de illius doſi. Quod attinet ad primam, Galen. 7. *metho. cap.* 11. dicit hieram exhibendam eſſe ſolito tempore aliorum medicamentorum, quod conſtat inter omnes potiſsimùm fieri ſummo manè à quo ægroti dormiunt pauliſper, & tardant alimenta, vel ad multas horas, vel vt aliis placet, donec medicamentum ſuam integram operationem perfecerit: altera autem ex parte, cum hæc ratio dandi medicamenta, potiſſimùm pertineat ad ſoluentia, hiera autem omnium conſenſu reponatur inter lenientia, cum nihil recipiat quod poſſit aluum mouere præter aloen, videtur rationi conſentaneum & doctrinæ Galeni, vt parum ante cibum exhiberetur: tradit enim Galen. commune præceptum 2. *de alimentorum facultatibus, cap.* 13. exemplo prunorum, omnia quæ leuiter mouent aluum, ſumi debere modico ante prandium tempore interpoſito: ſicuti facere omnes conſueuimus, ſumpta caſſia vel aliis huiuſmodi medicamētis. Atque equidem cenſeo hieram inter lenientia medicamenta eſſe reponendam, adeóque parum ante cibos exhibendam, quod itidem ego perpetuò facere conſueui: neque fortaſſe Galeni teſtimonium à noſtra ſententia prorſus abhorret, qui ſcribit poſt ſumptum hoc medicamentum vbi æger modice ambulauerit,& ſe mouerit, de reliqua victus ratione nihil immutandum eſſe: quæ verba videntur inſinuare, modicum plane, temporis ſpatium inter medicamentum & alimentum fore interponendum.

Doſis hieræ. Sed altera difficultas eſt magis ardua,& maioris momenti, cum Gal. deprehendatur in manifeſtiſſima contradictione: nam 7. *methodi. cap.* 11. dicit, maximam & abſolutiſſimam hieræ doſim eſſe duorum magnorum cochlearium, minimam vnius cochlearis paruuli, moderatam duorum cochlearium paruorum. Nolo autem in præſentia docere fuſiùs qualiſnam apud veteres,& præcipuè Galenum fuerit menſura cochlearis magni vel parui, quod nimis longum eſſet, & ab inſtituto noſtro alienum: illud vobis ſufficiat, apud eruditos cochleare magnum continere circiter drachmam vnam, cochleare paruum circiter drachmam mediam: *lib.* autem 8. *de compoſitione medicamentorum* dicit, moderatam hieræ exhibitionem progredi ad ʒ iij. tametſi hæc menſura in Græcis codicibus, tam Baſilienſi quàm Aldino aliter legatur; doſeos nimirum Doſi ad ʒ vj. progredientes: & quamuis hi duo loci non omni ex parte conueniant, tamen res eſt parui momenti, & facilè poſſunt conciliari. Diſſenſio eſt inſignis & contradictio 2. *de med. ſecundum locos cap.* 2. vbi Galen. ſtatuit apertiſſimè ſummam hieræ doſim eſſe ʒ 1. ſcribens ad hunc modum: *Datur ad ſummum ex hoc medicamento* ʒ 1. *cum aqua calida non pluribus quàm tribus, minimum verò dimidium eius prabetur; datur & intra hos modos, quātitate iuxta ætatē corporis magnitudinem & conſuetudinē permutata.* Quæ quidē mēſura nullo modo poteſt cohærere cū his quæ dicta ſunt, vel 7. *methodi*, vel altero loco de cōpoſ. med.

Certe hæc eſt notabilis contradictio, quam equidem vellem potius doceri quàm docere: ſed tamen dicam quid mihi in mentem veniat. Scribit Gal. *6 aphoriſ com. 54. Si quando in libro alicuius viri ſapientis deprehenditur aliqua ſententia, quæ manifeſtũ videatur continere mendaciũ, tunc de nobis eſſe diffidendum, quaſi nõ intelligamus quæ alioqui ſunt manifeſta: deinde licere ſuſpicari aliquod falſũ fuiſſe interpoſitum:* nihil magis perſpicuè falſum & abſurdum dici poteſt, quam ſummã hieræ doſim eſſe drachmam vnam, cum id certum ſit non ſolùm aliis Galen. teſtimoniis, ſed etiam rei naturæ & ſenſibus repugnare. Itaque aut ipſe non intelligo quod alioqui manifeſtum eſt, aut ſubeſt aliquis error in littera: quam quidem ſuſpicionem non modò mihi confirmat, ſed etiam perſuadent duæ non inanes coniecturæ: altera, quod antiquus Galeni interpres pro ʒ i. legit ʒ viii. qui in ſua lingua ſcribit hoc modo Eſt *autem perfecta doſis huius medicamenti* ʒ viii. *cum cyathis aquæ non integris tribus, minor autẽ doſis eſt per medietatem, in medio autem ambarum ſunt alia ſecundum ætatem: &c.* Altera coniectura eſt, cum dicit Galen. ſummã doſim eſſe ʒ i. minimam ʒ. ß. & inter hos modos faciendam eſſe permutationem. Certum autem eſt aut nullam, aut leniſſimam inter vnam & dimidiam drachmam permutationem fieri poſſe. Dixi de hac apparente repugnantia, quid mihi in mentem venerit, gratiſſimum fuerit, vt & vos de ea cogitetis, & ab aliis viris doctis ſolutionem quæratis. Ego quidem familiariter exhibere ſoleo ſpecies hieræ à ʒ. iiij. vſque ad vi. quæ doſis ferè conuenit cum doſi Galeni, iuxta fidem Græcorum: alterius autem hieræ mellitæ, vel vt officinæ vocant, in forma electuarij, ſoleo exhibere ʒ. viii. vſque ad xii. ſed de hac re ſatis ſuperque.

Hactenus docuimus rationem curandi duos affectus ventriculi, ſolos & ſeparatim conſiſtentes: alterum, intemperiem tam ſimplicem quàm compoſitam, ſine materia; alterum, intemperiem cum materia, atque hunc poſteriorem diſtinximus bifariam, cum iſthæc materia poſſit, vel contineri in cauitate ventriculi, vel illius tunicis adhærere: illud vnum reſtat in præſentia, vt de his agamus, ſi inter ſe commiſceantur & confundantur. Namque fieri poteſt aliquando, vt ex his tribus mixtus quiſpiam conſurgat ventriculi affectus, adeo vt & ſolidæ partes intemperie laborent, & ventriculus noxiis humoribus non careat, quorum alij contineantur in cauitate, alij tunicis adhæreant, ita quidem, vt primus affectus cum ſecundo, ſecundus cum tertio, primus item cum tertio, ſæpe ſimul omnes commiſceantur. Qua in re omnino diligenti ſtudio & animaduerſione opus eſt: namque in huiuſmodi complicatis affectibus illud ante omnia æſtimandum eſt, à quonam maius periculum ægro videatur imminere: ſecundò, quid ex his rationem cauſæ vel effectus obtineat: tertiò, quæ ſanari ante alia poſſint, & quæ non poſſint; ea quidem lege & conditione, vt illud perpetuò plurimum aggrediamur, quod magis vrget, tenetque rationem cauſæ, ſine quo alia curari non poſſunt: hæc eſt doctrina Galeni *7. metho. cap. 12.* Quod magis vrget in primis cognoſcitur ex morbi magnitudine: hæc triplex ſtatuitur Galen. alia ex læſæ actionis præſtantia, alia quæ ex propria affectus eſſentia, & tertia quæ ex facultate quæ læſum corpus gubernat, debet æſtimari. Non ignoro Galen reprehendi à pleriſque, quòd in tradenda morbi magnitudine ſit varius & inconſtans, tum aliis in locis, tum præcipuè *4. method. cap. 6.* quo in loco ſcribit, triplicem eſſe morbi magnitudinem, vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd ille ſit κακοήθης, id eſt malignus: quam quidem apparentem repugnantiam conſulto prætereo in præſentia, quod propoſitum habeam in priuatis lectionibus, de ſcopis mittendi ſanguinem illam accuratè diſſoluere.

Quid cogitandum in complicatis affectibus.

Morbi magnitudo triplex.

Cauſam vel affectum manifeſtè deprehendes, ſi intelligas quidnam eorum quæ ſunt complicata gignere aut augere alia poſſit. Sic demum patefit ordo curationis, ſi inquiras quid ante quid, quid cum quo, & quid poſt quid, ſanari poteſt: exemplo res fiet manifeſtior.

Caſus.

Finge ægrotum quempiam, cui ex cerebro deſtillet in ventriculum ſuperuacaneus quidam humor frigidus, qui non modo illius cauitatem occupet, ſed etiam tunicis adhæreat; finge occaſionem huius fluxionis intemperiem quandam in ipſo ventriculo fuiſſe contractam ac demum his adde, hinc morſum aliquem ſenſúmque exquiſitum ventriculo ineſſe, vt propterea & lipothymia, ſudores frigidi, & syncope ſequantur. In huiuſmodi affectuum complicatione ſumendo conſilium agendi ab eo quod magis vrget ſatis conſtat omnium primùm curam habendam eſſe ſymptomatum, quæ vires diſſoluunt; deinde verò aggrediendam eſſe intemperiem, quæ propriæ eſſentiæ ratione eſt maximus affectus: at quoniam non licet intemperiei rationem habere niſi priùs ſuperuacaneus humor educatur, ſumentes indicationem cum ab eo quod obtinet vicem cauſæ, tum ab eo quod in primis debet curari, primùm tentabimus humorem in ventriculi cauitate contentum, deinde & alterum tunicis adhærentem detergere & vacuare, ac poſtremò ventriculi curationem ſuſcipiemus. Poſt hæc autem vbi nullum amplius viribus immineat periculum, neque adſit notabilis copia excrementorum, vel in cauitate, vel in tunicis ventriculi, adeóque ipſa ventriculi intemperies ſatis bene habet, tunc demum cerebri curatio eſt ſuſcipienda, quod quidam iam ſtatuimus omnium malorum fontem fuiſſe, quando ab illo orta eſt fluxio, & à fluxione intemperies ventriculi. Hactenus de ratione cognoſcendi & curandi intemperies ventriculi & ſimplices & cõpoſitas, & ſine materia, & cum materia, necnon omnes huiuſmodi affectus, tum ſeparatos, tum cõiunctos. Quæ quidem omnia fatemur nos ex vno Galen. deſumpſiſſe, quem nihil dubito in hoc tractando argumento cæteris omnibus anteponendum eſſe, adeo vt non ſatis mirari poſsim, quamobrem non omnes noſtrorum temporum Medici illius præcepta & veſtigia ſequantur, ſed plerique malint non ſolùm illius diſciplinam negligere, verùm etiam communem quãdam vulgatámque curandi ventriculi rationem amplecti. quam ille ſcribit, eſſe empyricorum, & ab omni ratione abhorrentem, *7. meth. ca. 4.* id quod facile vnuſquiſque deprehendet, qui vtramque inter ſe voluerit comparare. Iã caſum ponamus vel exemplum curationis.

Commendatio Galeni.

Socrates laboret ventriculo, tardè & difficulter concoquat alimenta, nihil ſitiat, plurimum expuat, generet quamplurimos flatus, habeat ructus acidos, appetat calida & ſicca, à quibus bene habeat; lædatur à contrariis, præceſſerit victus ratio quæ potuit refrigerare & humectare; ex quibus liceat vobis conicere ventriculum laborare intemperie frigida & humida, non ſimplici, ſed cum materia, quæ partim contineatur in cauitate, partim adhæreat tunicis ventriculi: ſuſcipiat quis veſtrum Socratis curationem, quoniam modo expedit hoc negotium aggredi & perficere? Ad hoc vt veſtræ curationes differãt à

Caſus.

curatio

Indicationũ neceſſitas

curationibus empyricorum, ante omnia vobis cogitandum eſt de eiiciendis indicationibus, qua vna re Medici rationales diſtinguuntur à cæteris omnibus. Cũ verò indicationes eliciantur potiſſimùm ex morbo & illius cauſa, neceſſe eſt vos omnium primum circa morborum & cauſarum intelligentiam verſari oportere. Morbus eſt intemperies frigida & humida: ergo calefaciendum eſt & exſiccandum: quoniam verò intemperies nullo pacto poteſt tolli, non purgato humore ſuperuacaneo ſumendo indicationem ab eo quod tenet rationem cauſæ, & ab eo quod in primis debet curari, vos decet curationem ordiri à vacuatione materiæ, & primùm illius quæ continetur in cauitate, deinde & alterius quæ adhæret tunicis, ac poſtremò accedere ad tollendam intemperiem. Elicitis indicationibus, ſecundò animaduertatis vtrùm vobis liceat illis ſatisfacere, necne? Id quod facile poteſt intelligi ex diuturnitate & magnitudine ſymptomatum, ex corporis habitu, ſexu, ætate, ex factis ſuperiore tempore remediis, & reliquis id genus. Vbi verò ſpes eſt poſſe indicationibus ſatisfieri, in quo tota conſiſtit ſumma prognoſtici, tertiò vobis ſtatuendum eſt de qualitate, quantitate, ordine, tempore, ac reliquis locis, qui pertinent ad accommodatam remediorum adminiſtrationem. Hæc breuiſſima eſt methodus curandi omnes morbos, perſpicua & rerum naturæ conſentiens, quam tradit Gal. quamque ille perpetuò ſequitur; hac ipſa vos quoque optimi adoleſcentes, diſcatis procedere, & veſtros ægrotos curate, pro comperto habentes cæteras omnes methodos, quas audio pluſquam mille à nouatoribus quotidie ſuſcitari, eſſe meras nugas, eò ſpectantes vt homines auertant à ſtudio Hipp. & Gal. & illis perpetuas tenebras offundant, à quibus nequeant ſeſe vnquam vindicare. Sed redeo ad rem meam: ad expurgandam materiam ventriculi ſi æger veſter ſit facilis, & procliuis ad vomitum, exhibeatis illa quæ poſſint eum prouocare, inter quæ oxymel eſt præſtantiſſimum. Sit exemplum.

Vomitorium.

℞. *Iuris pulli lib.* 1.
Oxymellis ſimplicis ℥.ij. *M. & exhibeatur tepidum.*

atque hoc quidem medicamentum vobis licebit ſemel atque iterum repetere.

Si verò Socrates difficulter euomat, exhibeatis medicamentum, ſed admodum leniter quæ hiera habet notabilem prærogatiuam. Et ſi quis vobis obiiceret, aloëm facultatem habere trahendi humoris billoſi: huic reſpondet Gal. 6 *de tuenda valetudine cap.* 10. id quidem verum eſſe: ſed hieram acrimonia caloreque eorum quæ in ſe habent, craſſos & lentos ſuccos diſſecare, detergere & euacuare. Sit exemplum.

Purgantia vẽtriculum

℞. *Specierum hiera ſimplicis* ʒ. iiij.
Mellis roſati quantum ſufficit. M. fiant boli, & aurentur.

Quòd ſi propter aliquam cauſam velitis medicamenti caliditatem remittere, illam permiſceatis cum caſſia, quæ permiſtio eſt optima, adeo vt hierra caſſiam & caſſia hieram pulchrè ſoleat emendare ſit exemplum.

Bolus.

℞. *Floris caſſia noniter extracta* ʒ. vj.
Specierum hiera ſimplicis. ʒ. iiij. *M. & fiant boli.*

Expurgato ventriculo, vt veriſimile eſt, ab ea materia quæ continetur in cauitate accedatis ad ea quæ ex præcepto Gal. 7. *meth. cap.* 11. poſſunt lentam pituitam tunicis adhærentem diſſecare: deinde ad illius purgationem. Multa ſunt, quæ commode poſſunt huiuſmodi humorem incidere, abſtergere, & præparare, ſunt decocta ex betonica, hyſſopo, calamentho, ſeminibus odoratis: ſed mea ſententia ſunt longè commodiora medicamenta minùs humida, vt ſunt conſeruæ, ſyrupi, & alia id genus. Sit exemplum.

Præparans pituitam.

℞. *Mellis roſati* ℥. iiij.
Oxymellis ſimplicis ℥. ij. *Miſ.*

& hoc medicamentum ſatis erit pro tribus vicibus. Porrò quod pertinet ad vacuationem ventriculi, Medici familiariter vti conſueuerunt agarico, rhabarbaro, turbith, electuario diaphænicon, hiera, diacolocinthidos pilulis de hiera cum agarico, & aliis huiuſmodi; à quorum ſententia equidem longè abſum, qui cenſeo laborante ventriculo iſthæc valida medicamenta importunè admodũ propinari: id quod vel vnius Gal. exemplo ſatis poteſt confirmari, quem legimus in purgando ventriculo hieram nunquam & nuſquam tranſcendiſſe: itaque vobis licebit huc ipſum medicamentum, non ſolum ſemel, ſed etiam bis & ſæpius replicare.

Error prædicantium.

Iam verò integrè expurgato vẽtriculo, illud vnũ reſtat, vt ad ea accedatis remedia, quæ intẽperiem poſſunt auferre: hæc ſunt partim externa, partim interna. Extra ſunt linimenta, fomenta, emplaſtra, cerata, ſtillicidia, & alia id genus, quorum commodam adminiſtrationem puto vos didiciſſe ex his quæ hactenus diximus, ſed pro iunioribus habeatis exempla, & primum linimenti.

Linimentum pro ventriculo.

℞. *Olei de abſinthio,*
Nardini,
De mentha, ana. ℥. j. *M.*

Exemplum fomenti.

Fomentum.

℞. *Abſinthy,*
Calamanthi,
Origani,
Pulegij, ana M. ß.
Seminum aniſorum,
Fæniculi ana ℥. ß.
Spica nardi ʒ.ij. *M. decoquantur in qua, interdum in vino, pro fomento ventriculi,*

quo ſolemus vti ad 20. & 30. dies.

Exemplum cerati:

Ceratum pro ventriculo.

℞. *Maſtiches* ℥. ß.
Macis,
Nucis moſchata,
Cariophyllorum,
Mentha ſicca ana ʒ.ij.
Abſinthij,
Reſina & cera quantum ſufficit. Miſce & fiat ceratum.

Ex his & aliis huiuſmodi medicamentis, quæ vim habeant calefaciendi, & exſiccandi, licet vnicuique componere emplaſtra, ſtillicidia, & alia. Quo loco neque id ſilentio prætermittendum, ſtillicidium aquarum calidarum, quales ſunt noſtrę Aponitanę, in intemperie frigida, & humida pręclaram omnino operam præſtare.

Intra ſunt quamplurima, ac propemodum infinità, partim ſimplicia, partim compoſita medicamenta, piper, cinnamomum, cariophylli, & omnia aromata, quæ hoc tempore habemus, non modò rudia, ſed etiam pro nobilibus & diuitibus ſaccharo condita: ſunt ſyrupi, ſunt conſeruæ, &c. Nolim tamen duo remedia poſtremo hoc loco prætermittere, quæ certè in tollenda hac intemperie ſunt efficaciſſima, & cæteris omnibus anteponenda. Alterũ pertinet ad magna antidota, theriacam & mithridatum quę ſolent exhiberi ad ʒ.j. circiter ſummo manè, quibus conſueui ego condere meis ægrotantibus duo cochlearia vini alicuius generoſi, quod mirabiliter videtur adiuuare vim medicamenti. Alterum eſt potus aquarum thermalium calidarum, atque in primis ſulphurearum; cuius quidem reme-

Vſus theriacæ.

dij adminiſtratio, etſi apud veteres & Galenum vel prorſus fuerit neglecta, vel certè parum frequens; experientia tamen confirmat aquas haſce mirabilem ſæpe operam præſtare. Præter hæc omnia inſtituatis Socrati commodam victus rationem, quæ ſolet eſſe longè maximi momenti, de qua non eſt vt longiùs agamus, cum facilè poſſit vnuſquiſque hanc ſibi ſcientiam comparare potiſſimùm ex lib. Galen. *de cibis boni & mali ſucci*; *de alimentorum facultatibus, & aliis*; dummodo illud tandem non prætermittatur, in hoc morbo vina medicata, confecta ex abſinthio, mentha, betonica, ſeminibus odoratis, quandoque etiam ligno Indico, ac præcipuè ſi adſit ſuſpicio luis venereæ, eſſe non ſolùm potum, ſed etiam medicamentum accommodatiſſimum.

Vina medicata.

CAPVT IV.

De dolore Ventriculi.

AGgredimur caput de dolore ventriculi: & ſi quis cupit inter hæc habere continuationem, illa manifeſta eſt: cum facilè homines ex imbecillitate incidant in dolores ventriculi, iure optimo factum eſt, vt Rhaſes poſt imbecillitatem tractauerit de dolore ventriculi.

Ex iis verò quæ de dolore in genere ſuprà *lib.* 1. *cap.* 6. à nobis dicta ſunt, id primum licet colligere, dolorem ventriculi propriè ſumpti, non eſſe cauſam morbi, non morbum, ſed ſymptoma, nempe actionem læſam facultatis animalis ſentientis: quod quidem ſymptoma proximè & immediatè dependet à ſuo morbo nimirum à ſolutione continui.

Differentiæ.

I. Differentiæ doloris ventriculi ſunt quamplurimæ: Prima ſumitur à quantitate, vel à magnitudine & paruitate doloris: ſic alius eſt remiſſus ac debilis alius intenſus ac vehemens, adeo vt diſſolutis ſpiritibus propter maximum conſenſum cordis, quandoque hominem interficiat.

II. Secunda à qualitate: alius eſt cum ſenſu grauitatis inſtar cuiuſdam oneris, vbi ægri ſibi videntur perſentire quaſi quoddam onus in ventriculo; alius eſt dolor extenſiuus, alius pungitiuus, alius mordicatiuus.

III. Tertia, à parte affecta: nam alius dolor occupat partem inferiorem, alius ſuperiorem, alius totum ventriculum.

IV. Quartò, ſunt differentiæ à tempore: alius eſt dolor nouus, alius antiquus: alius continuè affligit, nec vllam habet remiſſionem; alius eſt intermittens, & habet quaſdam veluti periodos. Noui ego quendam Vicentiæ, qui tempore autumni incidebat in ſæuiſſimos dolores ventriculi, reliquo anni tempore optimè ſe habebat.

V. Quintò, ſunt differentiæ à modo doloris: namque alij dolent ieiuno ventriculo, alij ſumpto cibo: quidam non liberantur niſi per vomitum, quidam deſcendente alimento ad partes inferiores, abſque vomitu liberantur.

VI. Sextò, ſunt differentiæ à coniunctis: nam dolores ventriculi, vel ſunt cum febre & aliis morbis, vel ſine aliis morbis: & ad hunc locum debent referri ſexus, ætas, corporis habitus & alia id genus.

VII. Poſtremò, ſunt differentiæ à cauſis, quæ ſunt illæ omnes partim internæ quæ poſſunt ſoluere cõtinuum, de quibus ſermonem habet Galen. 1. *de ſympt. cauſis cap.* 6. & nos quoque iam diximus.

Cauſæ differentiarum

Ventriculi dolores vel magni vel parui fiunt, quatenus cauſæ illos efficientes ſunt vel magnæ vel paruæ, & æger magis exquiſitum vel obtuſum ſenſum ventriculi habet. Secunda erat differentia à qualitate; alius dolor eſt grauatiuus, qui prouenit ex multa materia quæ non ſit acris, ac maiori ex parte eſt vel pituita, vel melancholia. Extenſiuus dolor fit aut propter multam materiæ copiam, aut propter flatus: vtraque enim ratione partes ipſæ ſolent extendi: Pungitiuus & mordicatiuus dolor perpetuò generatur ex materia acri, tenui, qualis eſt flaua bilis, quæ ſi ſpeciatim occupet os ventriculi, efficit illum dolorem qui propriè dicitur *cradialgia*, vt placet Galen. 1. *de ſymptomatum cauſis, cap.* 7. & 2. *de placitis Hippocr. & Platonis cap.* 8.

Cauſæ differentiarum à parte affecta, vel à tempore ſumuntur in primis ab ipſa materia, quæ eſt vel multa, vel pauca, vel generatur in ventriculo, vel aliunde ad illum tranſmittitur, hanc vel illam petit partem, vel eſt fixa vel mobilis, ex quibus varia omnino oriuntur ſymptomata. Sic in his qui incidunt in dolores ieiuno ventriculo, id euenit propter acres humores & vapores, exiſtentes in ventriculo, qui vel ab aliis partibus tranſmiſſi, vel in eo geniti, ſoluunt continuum, ſumptóque alimento quoquo modo quieſcunt: ſiquidem ex cibo & potu remittitur acredo & morſus excrementi, imo verò detergitur & deducitur ad fundum ventriculi, in quo non eſt ille exquiſitus ſenſus, vt poſsit tantam moleſtiam afferre: contrà verò dolores ventriculi inuadunt aliquando ſtatim aſſumpto cibo, quoniam mali quidam humores continentur in fundo ventriculi, qui antea quieſcentes, mox ſumpto cibo mouentur eleuanturque ad os ventriculi, ac dolores inferunt: ſic in quibus ſuccedunt dolores poſt alimenta, poſt tertiam, quartam vel plures horas, iſtud euenit, propterea quia ventriculus malè coquit, forte etiam corrumpit alimenta, conuertitque in flatus, vel in malam aliquam qualitatem. Ad ſummam, ne fruſtra ſim longior in recenſendis huiuſmodi cauſis, ex his quæ hactenus diximus, facile poterit vnuſquiſque illas omnes inuenire, & ad ſingulas differentias accommodare.

Expeditis differentiis eſſet reliquum, vt tractaremus de ſignis: verùm cum ferè ex ægrotorum relatione, ex variis excrementis, & variis ſymptomatibus, & aliis locis communibus poſſint ſatis intelligi, quæ autem demonſtrant intemperies ventriculi, ex proxima noſtra tractatione ſint ſatis manifeſta, ne maiorem temporis iacturam faciamus, mihi libet ſine mora ad ipſam curationem accedere.

Signa.

Sed antequam aggrediamur rationem curandi dolores ventriculi, quis nobis obiiciat Galenum qui ſcribit 12. *metho. cap.* 1. ſymptoma quatenus ſymptoma eſt, nullam rationem curandi indicare, atque hinc colligat, nos temere doloris, quem ſtatuimus eſſe ſymptoma, curationẽ aggredi. Huic reſpondet Gal. hoc in loco, nullum quidem ſymptoma verè & per ſe curandi indicationem afferre, quam conſtat ex morbo ipſo deſumi, ſed tamen ex accidente ipſis quoque ſymptomatibus curationem conuenire, idque fieri tripliciter: primum, ſi ſymptomata obtineant rationem cauſæ: ſecundò ſi ſymptomata augeant morbum: tertiò, ſi vires lædant & proſternant.

Obiectio.

Symptoma quando curã expoſtulet.

Cum igitur dolores inter ea numerentur, quæ maximè vires diſſoluunt, iure cogimur eorum curationem tentare. Pro quo ſciendum eſt, dolores ventriculi ſicuti cæteros omnes dolores noſtri corporis, poſſe tripliciter auferri, vt colligitur ex Gal. loco citato 12. *meth.* c. 1. nec non 5. *de ſimpl. med. facul. ca.* 19. Vno modo, per ea præſidia quæ reſpiciunt cauſam efficientem dolorem, quæ non eſt alia quàm ipſe morbus.

Dolores quomodo auferantur.

Secun

Anodyna. Secundo, per ea medicamenta quæ verè & propriè ſunt anodyna, quaſi dolorem tollentia, & ſunt ea quæ Galen. auctore habent moderatam quandam caliditatem, adeò vt primum calefacienti ordinem non excedant, præterea quæ ſunt tenuium partium, & omni prorſus carent adſtrictione: quæ quidem medicamenta anodyna propterea vacuant, digerunt, rarefaciunt, extenuant, concoquunt, & æquabile reddunt quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut craſſorum, aut multorum tenuibus ſpiramentis infartorum, aut etiam vaporoſi, aut craſſi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum commodum non inuenientis, adhæſit atque incluſum eſt: quam medicamentorum naturam vos docet Galen. & 5. *de ſimp. med. facul* & paſſim aliis in locis: huius generis ſunt oleum anethinum, chamæmelinum, amygdalinum, adipes gallinaceus, anſerinus, & alia id genus.

Tertio, auferuntur dolores per medicamenta ſtupefacientia, quæ ſua inſigni ac ſumma frigiditate quendam ſtuporem ſenſibus inferunt, adeò vt particula, *deinceps*, quaſi ligato ſenſu, nullum percipiat dolorem: ex quibus quidem tribus rationibus curandi dolores, vera ac legitima ratio illa eſt, quæ reſpicit cauſam dolorum, videlicet ipſum morbum, nec non quæ reſpicit cauſam morbi, ſi adeſt: cum altera ex parte medicamenta anodyna leniant tantùm, & faciant ad mitigationem doloris: ſtupefacientia verò medicamenta non niſi maxima vrgente neceſſitate cenſenda ſunt opportuna, cum tantum abſit vt morbum iuuent, vt illam ſæpenumero reddant deteriorem.

Indicationes. His poſitis, aggrediamur indicationes curandi dolores ventriculi, quæ ferè ſunt illæ eædem, quæ ſunt propoſitæ in curanda imbecillitate. In primis verò diſtinguere oportet, an ſit intemperies ſimplex ſine materia, vel intemperies cum materia: ſi ſit intemperies ſine materia, quod raro admodum, forte etiam nunquam ſolet euenire, eam ne actum agamus, iam ſicco pede tranſibimus. Si autem ſit intemperies cum materia, ante omnia eſt animaduertendum qualiſnam ea fuerit, an cruda & incocta alimenta, an humor biliosus, pituitoſus, melancholicus, de quibus pariter ſciendum eſt, an generentur in ventriculo, an aliunde ad illum tranſmittantur. Si propter alimenta vel non cocta, vel forte etiam corrupta, oriantur dolores, nihil opportunius vomitu, quem omni ingenio ſtudeatis prouocare, ſiquidem frequenter euenit vt hoc ſolo præſidio ægroti liberentur à doloribus. Si humores praui tranſmittantur ab aliis partibus, exempli gratia, flaua bilis à iecore melancholia à liene, pituita ex capite, iam didiciſtis rationem curandi huiuſmodi fluxiones: namque primùm expurgato ventriculo neceſſe eſt proſpicere parti laboranti ac tranſmittendi, deinde corroborare ventriculum, ne in poſterum tam facilè recipiat excrementa: quod item ſtatuendum eſt, ſi humores tranſmittantur à toto corpore, verbi gratia, pro iunioribus, ſi ex fluxione bilis tranſmiſſæ à iecore oriantur dolores ventriculi, primùm oportet materiam vacuare per vomitum, ſi fieri poteſt; ſin minus, leui aliquo medicamento, quod poſſit non ſolùm ventriculum expurgare, ſed etiam malam humoris qualitatem remittere: talia eſſent caſſia, & thamarindi quibus poſſet permiſceri portiuncula hieræ, ſecundùm hanc formam:

Bolus euacuans bilem à ſtomacho.

℞. *Floris caſſiæ noviter extractæ* ℥. j.
Pulpæ thamarindorum ʒ. j. ß.
Specierum hieræ ſimplicis. ℈. ij. *M. F. boli.*

Deinde habenda eſt ratio iecoris, quod ſi intemperie fuerit calidum, vt eſt veriſimile, oportet illud refrigerare & ſectione venæ, & remediis partim externis, partim internis, de quibus ſermonem habebimus ſuo loco.

Hiſtoria. Eſt hiſtoria apud Hipp. *Epid. ægroto 6.* de viro quodam, qui in vehementiſſimis doloribus ventriculi nullis aliis præſidiis quàm ducto ſanguine ex vtraque manu, & quidem copioſiſſimè ſanatus eſt: quem veriſimile eſt, & colligitur ex ea narratione, propter calidiorem & ſicciorem intemperiem, & iecoris & vniuerſi corporis, in id malum incidiſſe.

Poſtremò roborandus eſt ventriculus, ne tam facilè recipiat excrementa, exteriùs cùm oleo roſaceo, cydoniorum, emplaſtro aliquo ex carne cydoniorum, thamarindis, ſandalis, roſis & aliis huiuſmodi medicamentis: interiùs autem conſerua roſarum, conſerua ex floribus cichorij, confectione diarodon, trium ſandalorum & ſimilibus.

Corroborantia ventriculum. Si verò humores generantur in ventriculo, communiter practicantes diſtinguunt, & pro diuerſitate materiæ varia exhibent medicamenta: in copia flauæ bilis vtuntur rhabarbaro, electuario de ſucco roſarum: in copia pituitæ vtuntur agarico, electuario diaphænicon; in copia melancholiæ vtuntur ſeno, confectione hamech, &c. quibus medicamentis conſueuerunt nonnulli commiſcere medicamenta ſtupefacientia, vt ſimul & ſemel expurgent ventriculum, & peculiarem habeant rationem doloris.

Ventriculo laborante à purgantibus abſtinendum. Ego verò vt liberè dicam, nullo modo poſſum talem medendi rationem probare. & quatenus pertinet ad vſum medicamentorum ſoluentium, iam diu quod ſentio, illorum adminiſtrationem mihi importunam, forte etiam pernicioſam videri, cum illa vacuādo per partem laborantem, multis modis poſſint longe maiora pericula quam vtilitates afferre: id quod vel vnius Galen. auctoritate atque exemplo ſatis poteſt confirmari, qui laborante vētriculo nunquam audet vti validioribus & purgantibus medicamentis: quare equidem in hiſce caſibus perpetuò ſum contentus medicamentis leuioribus, caſſia, thamarindis, ſi redundet bilis; melle roſaceo ſolutiuo, hiera, ſi adſit pituita, electuario lenitiuo, manna, ſi fuerit copia melancholicæ, nec certe ad valentiora auderem aſcendere Quod verò pertinet ad mixtionem medicamentorum ſtupefacientium cum purgantibus, quæ à nonnullis medicis familiariter ſolet adminiſtrari, immò verò tanquam arcanum cuſtodiri, vt nemini id velint communicare, ex quibus eſt Arculanus, qui conſueuit permiſcere pilulas de cynogloſſa cum pilulis alephanginis, philonium cum electuario diaphænicon: certè hæc res non caret difficultate. quæ in primis videtur oriri ex Galen. Nam ille 8. *de med. ſecundum locos circa medium*, examinans quoddam medicamentum Aſclepiadis, ad ſtomachicos, quod recipit plura medicamenta, ſed inter cætera aloën & opium, reddenſque vtriuſque rationem, inquit, aloën vitiatos humores expurgare, & infernè per aluum euacuare, opium verò ſenſum ſtupefaciendo mitigare moleſtiam, ortam ex acrimonia humorum: quam componendi rationem non improbat. Contra verò eſt ratio; nam non licet permiſcere ea medicamenta inter ſe, quæ habeant contrarias facultates: ſed medicamenta ſtupefacientia & ſoluentia ſunt eiuſmodi. Ergo, &c. Minor eſt manifeſtiſſima, etenim medicamentum purgans excitat vires, mouet materias, & ducit ad aluum: opium verò ſtupefacit & conſopit ipſas vires, poteſtque omnem molem humorum cohibere. Ex qua quidem pugna facile poteſt intelligi, ægrotos in maximas perturbationes & pericula incidere poſſe. Maior item nullam habet difficultatem. Nam ſi Galenus damnat eam compoſi-

Stupefacientia neutiquā permiſcenda purgantibus.

tionem medicamentorum, quæ inter ſe non conueniunt tempore purgationis, quando alterum citiùs, alterum tardiùs ſuam perficit operationem, quod docet multis in locis, maximè autem 2. de ratione victus morborum acutorum, *com.* 11. nec non in bello, *quos & quando purgare oporteat, in fine*, omnis ratio colligit, multo magis fore damnandam illam compoſitionem, in qua miſcentur medicamenta, quæ habeant contrarias facultates, adeo vt alterum moueat, alterum detineat, alterum purget, alterum ſiſtat purgationem. Rationem confirmat experientia, & quatenus equidem potui obſeruare, verè teſtor, huiuſmodi repugnantia & contraria medicamenta ſæpenumero grauiſſima incommoda & pericula ſecum afferre. Hæc ſanè difficultas eſt ardua. Diſtinguunt nonnulli inter medicamenta, ſtatuuntque ſtupefacientia poſſe permiſceri medicamentis lenientibus, minimè ſoluentibus. Sed equidem nequeo ſatis intelligere, cur non eadem, forte etiam maiora ſequantur incommoda, ſi permiſceatur lenientibus: nam ratio adhuc perſiſtit in ſuo robore, ac forte magis concludit de medicamentis lenientibus, quàm de verè purgantibus, quoniam veriſimile eſt, medicamenta ſoluentia difficiliùs, quàm lenientia, poſſe impediri à ſua operatione. Ego autem ita cenſeo, medicamenta ſtupefacientia nullo modo permiſcenda eſſe medicamentis ſiue lenientibus, ſiue purgantibus, niſi id tam parcè & reſtrictè fiat, vt nequeant medicamentorum purgationem impedire. Atque iſtud puto fuiſſe conſilium & Aſclepiadis, & Galeni: id quod facile poteſt deprehendi, ſi conſideretur menſura opij impoſiti in eo medicamento: ſiquidem vnica illius drachma 24. drachmis aliorum medicamentorum permiſcetur: ex qua quidem leniſſima permixtione vix credendum eſt aliquam perturbationem ac moleſtiam ægro ſuccedere poſſe.

Ampliùs verò, eſt aliud præſidium, quo plerique omnes Medici familiariter vti ſolent in quouis dolore ventriculi, non modò ad purgationem, ſed etiam ad leniendum dolorem, & eſt opus olei amygdalarum dulcium vel amararum: quod quidem ſi cum iudicio & delectu exhibeatur (namque mea ſententia potiſſimum conuenit, cum redundant humores acres & bilioſi, quorum acrimoniam præclarè poteſt retundere, & ventrem lenire) nullo modo poteſt improbari: eſt enim remedium Hippoc. & Gal. vt vidimus in cholera: at verò ſi in quolibet dolore indifferenter exhibeatur, exempli gratia, in dolore flatuoſo, propter multos humores crudos, timerem ego ne lubricato ventriculo & inteſtinis potiùs obeſſet, quàm prodeſſet.

Caſus.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt de ratione cognoſcendi & curandi dolores ventriculi, puto neminem eſſe, qui de hac re plura deſideret. Veruntamen ad veſtram exercitationem, & vtilitatem & inſtituto noſtro ordine proferendus eſt caſus Socratis laborantis dolore ventriculi, propter quàmplurimos flatus: qui inter cæteros omnes frequentiſſimè ſolet contingere. Dolor erit extenſiuus, non perſiſtens in vna parte, ſed modò ſuperiorem, modò inferiorem partem occupabit, percipientur in ventre rugitus prodibunt flatus, à quibus Socrates bene habebit, præceſſere frigus, victus ratio & cætera, ex quibus facilè flatus poſſunt generari. Itaque præcipuus ſcopus ſeſe vobis offert, vt flatus diſcutiantur: iſtud poteſt fieri dupliciter, vno modo per ea quæ interiùs, altero per ea quæ exteriùs adminiſtrantur. Interna vel ſuperiùs per os poſſunt exhiberi, vel inferiùs per aluum poſſunt infundi: incipiatis vos a clyſteribus, quæ ſolent hac in re maximam vtilitatem afferre: conficiantur autẽ clyſteria ex medicamentis verè anodynis, & quæ poſſint flatus diſcutere & diſſoluere, ſecundùm hanc formam:

Clyſtere flatus diſcutiens.

℞. *Chamæmeli*;
Anethi ana. M. j.
Seminum lini,
Fænugræci,
Aniſorum,
Fæniculi ana. ℥. j.
Fiat decoctio in aqua communi ad conſumptionem medietatis.

℞. *Prædictæ decoctionis lib. j.*
Mellis roſati,
Olei chamæmelini completi, vel
Olei amygdalarum dulcium, ana. ℥. iiij.
Miſce pro clyſtere.

Atque hæc poſſunt non modò ſemel, ſed bis & ſæpius replicari, vel eadem, vel diuerſa, inter quæ clyſteria ex oleo puro, vel amygdalarum dulcium, vel chamæmelino, vel ex ſemine lini, vel alio ſimili, ſolent eſſe admodum opportuna, ac potiſſimùm ſi imponãtur poſt vnum aut alterum clyſtere, quod communia excrementa ex inteſtinis purgauerit. Hoc eodem tempore exhibeatis per os quæ habeant eaſdem vires, qualia forent leuiora, ſemina aniſorum, fæniculi, cinnamomum, aromaticum, roſaceum diacyminum: valentiora, diatrion pipereon, diacalamenthum: ſicuti omnium ſunt efficaciſſima mithridatum & theriaca. Vinum generoſum odoratum, moderatè ſumptum, vel etiam ſolo ore detentum, ſolet mirabiliter flatus diſſoluere. Quod ſi cum iis vel aliis huiuſmodi præſidiis dolores in Socrate perſeuerant, iam vos oportet cogitare de valentioribus præſidiis, qualia ſunt duo potiſſimùm accommodatiſſima: alterum eſt potus aquarum thermalium calidarum. de quo remedio diximus nonnihil, & dicemus aliàs commodiore tempore: alterum autem eſt decoctum ius galli veteris, de quo atque illius præparatione mihi libet in præſentia vos admonere.

Flatus diſcutientia.

Dioſcorides inter cæteros libro 12. *cap.* 4. & Meſues *lib.* 2. *capit.* 23. tractant de iure galli, quod Meſues ſcribit calidum eſſe, detergere, attenuare, & flatus diſſoluere. Dioſcoridi hoc ius præparatur, abiectis interaneis galli, atque addito ſale, ex multa aqua, nempe ſextariis 20. quæ ad minus continent libras 30. & iubet eo vſque fieri decoctionem, vt reducatur ad libras tantummodo tres: tametſi referente ipſo Dioſcoride alij braſſicam marinam, mercurialem, carthamum, polypodium, incoquere conſueuerunt, vt ita vacuet humores craſſos, lentos, crudos, & nigros, quorum imitatione in præparando hoc iure plerique omnes Medici noſtro tempore addere ſolent agaricum, rhabarbarum, turbith, trochiſcos alhandal, & alia id genus valentiſſima medicamenta.

Decoctum ius galli antiquus.

Meſuë expendit ad hanc rem gallos rufos, qui ad motum ſiot alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, medios inter obeſos & macros, quos aſſerit eo magis eſſe medicamentoſos, quo ſunt vetuſtiores: apud quẽ Menſuem ius præparatũ cum ſemine anethi vel dauci, polypodio, & ſale gẽmæ dolorẽ ventriculi, coli, renum, à flatibus oriundum, ſanare conſueuit. Ego verò nequeo probare huius præparationem ex ſoluentibus medicamẽtis, cum ea, ſicuti aliàs quoque diximus, ventriculo debili, afflicto & laboranti, multo maiora pericula, quàm emolumenta poſſint afferre. Ratio autem præparandi iſtius medicamenti, quæ mihi videtur accommodatior ad diſſoluendos flatus, & qua ego familiariter vti conſueui, eſt huiuſmodi: Accipiatur gallus qualis deſcribitur à Meſue, duorum, trium, aut plurium annorum: nam vt diximus, quo ille

eſt

eſt ſenior, eo eſt magis medicamentoſus: plurimum defatigetur pueris dimicantibus, interficiatur, extractiſque partibus internis medicamenta iniiciantur in ventrem ſecundùm hanc formam:

℞. *Chamomilla,*
Betonica,
Hyſſopi,
Calamenthi ana M. j.
Seminum aniſorum,
Fæniculi,
Anethi ana ℥. j.
Spicanardi ʒ. j. ß.
Aquæ communis lib. xx. Fiat decoctio ad conſumptionem duarum partium.

Ex hoc iure Socrates ſingulo mane aſſumat cyathum vnum ad ℥. x. circiter, imò verò ſi ex hoc decocto, additis accommodatis medicamentis, illi imponantur clyſteria, erunt ſanè vtiliſſima, & ſit exemplum pro iunioribus.

Clyſter ex iure galli.

℞. *Iuris galli veteris lib.* j.
Mellis roſati,
Olei Chamamelini completi. ana. ℥. *iij.*
Miſce pro clyſtero.

Externa.

Hoc ipſo tempore nec ſunt prætermittenda medicamenta externa. Primùm itaque foueatis ventriculum oleo maſtichino, chamomælino, æquis portionibus: deinde ſi vultis remedia efficaciora, adhibeatis fomenta, quæ in primis conficiantur ex medicamentis anodynis & diſcutientibus flatus, de quibus ſemel atque iterum diximus. Galenus 14. *method. cap.* 7. & 2. ad *Glauconem cap.* 6. maximè laudat oleum rutaceum, vel oleum, in quo ſint decocta ſemina odorata, vel id genus alia; cuius compoſitionis ſit exemplum.

℞. *Olei Chamamelini,*
De abſinthio ana. ℥. *iij.*
Seminum aniſorum,
Fæniculi,
Cymini,
Ammeos,
Dauci ana. ʒ. j.
Vini aromatici parum. Fiat decoctio ad conſumptionem vini, & coletur.

Sunt hæc olea admodum efficacia, & ſumma cum ratione maximè laudantur à Galeno. Ad hanc intentionem vobis licebit parare ſacculos, emplaſtra, ſtillicidia. vel ex aquis thermarum; vel ex decoctis plurium medicamentorum, vel ex oleis ſolis: vel alias formas medicamentorum; quorum materiam facile vnuſquiſque ſibi poteſt comparare, ex his quæ diximus, vt pluribus non ſit opus.

Cucurbitula magna.

Deinde Galenus 12. *method. cap. vltimo* nec non 14. *metho. cap.* 7. aſſerit, nullum magis præſentaneum remedium inueniri, quàm ſit magna cucurbitula, quæ ex copioſo igne, ſine cutis inciſione, ventri affigatur, & comprehendat vmbilicum, ita vt remedium videatur nonnunquam ſimile incantationi.

Quod ſi tandem iſthæc omnia fruſtra fiant, doloreſque adhuc perſeuerent, adeo vt immineat periculum de ſyncope, vel de iactura virium, tunc confugiatis ad tertiam rationem curandi dolores, quam diximus fieri per medicamenta ſtupefacientia, de quibus ſatis ſupérque. Verùm quæ hactenus à nobis fuere expoſita de curando dolore flatuoſo in Socrate, velim ſciatis fuiſſe ea ratione tradita, quaſi nulla vel admodum pauca materia contineatur in ventriculo, vt propterea non fuerit neceſſe antea cogitare de illius vacuatione: quod ſi aliter ſe res habeat, coniiciatiſque dolorem pendere ex copia materiæ, nulli dubium eſſe debet, quin ante omnia neceſſe fuerit illam euacuare, alioquin incideretis in illud periculum, cuius mentionem facit Galenus 12. *metho. cap. vltimo*, quandoquidem lenti omnes craſſique & frigidi humores, niſi antea attenuentur, incidantur, concoquantur, & tandem euacuentur, ab his quæ calefaciunt, ac præcipuè ſi inſigniter calefaciant, ſolent adhuc magis liquari, in flatus conuerti, ac dolores augere. Itaque ante vſum medicamentorum calidorum, ſi ita ferat occaſio, omnino primùm purgandi ſunt humores, quicunque continentur in ventriculo: de qua item re nolo agere longiùs, cum totum hoc negotium accuratiſſimè, ni fallor, fuerit abſolutum in tractatione de imbecillitate ventriculi, quæ omnia ad hunc locum & poſſunt & debent referri.

Poſt caput de dolore ventriculi, pro ordine Rhaſis ſequitur caput de apoſtemate & vlceribus ventriculi, quod equidem ſtatui prætermittere, partim quod huiuſmodi morbi eueniant rariſſimè, ita vt ſim neſcius, an totos ferè quadraginta annos quibus medicinam facio, vnum aut alterum viderim hoc morbo laborantem: partim quòd hæc tractatio quoquo modo videtur pertinere ad partem artis chirurgicæ, quam ſcio vos audire à clariſſimo Profeſſore Anatomes: partim demum quòd ex his quæ hactenus dicta ſunt de affectibus ventriculi, quædam ſemina colligi poſſunt, quæ ad hanc rem futura ſunt non inutilia. Quare properantes ad vtiliora, ſtatim aggredimur caput de ſingultu, & de læſa appetentia, quam vtramque materiam & dignam cognitione, & valde vtilem mihi propoſitum eſt breui abſoluere.

CAPVT IV.

De Singultu.

DE ſingultu videatis Hippocr. & Gal. 3. *de ſymptomat. cauſis cap.* 2. 8. *de medicamentis ſecundùm locos cap.* 3. 6. *aphoriſmorum* 13. & 39. 3. *de locis affectis cap.* 7. *in fine*, ac poſtremo 4. *de ratione victus morborum acutorum* 69. ex quibus locis ferè omnia colligemus, quæcunque ad hanc rem pertinent.

Definitio.

Singultus eſt vehemens quidam ac violentus motus ventriculi, qui conatur aliquid eorum expellere, quæ illi moleſta ſunt. Sed ſtatim quis nobis obiiciat Ariſt. qui 33. *ſectione problematum.* 1. & 17. quærens, quamobrem ſingultus ſternutamento ſedari poſſit, ructus non poſſit; Reſpondet id fieri, quoniam vtraque hęc affectio non eſt eiuſdem partis, ſiquidem ructus eſt affectio ventriculi, ſingultus verò pulmonum. Altera autem ex parte ſunt Hippocrates, Galenus, & omnes Medici, & rationes, quæ euidentiſſimè demonſtrant, in ſingultu ventriculum laborare. Nam quæ in illum ingeruntur, & adhærent illius corpori, efficiunt ſingultum, non autem ea quæ ingrediuntur pulmones, atque iſtud in primis magnum confirmat Hippocrat. argumentum, ſanatio: ſiquidem, vt ſtatim videbimus, ſingultus curatur per ea, quæ abſtergunt, & mundant ventriculum, minimè per ea quæ purgant pulmones. Nec ratio Ariſtotelis quicquam valet, nam ſternutamenta tollunt ſingultum, minimè ructum ſiue nauſeam, quoniam in ſingultu non eſt tanta copia materiæ, neque adeo fixa in ventriculo, ſicuti eſt in nauſea, quæ propterea ad hoc vt abſtergatur, & expurgetur, deſiderat & longiora & efficaciora præſidia. Subtiles vt tueantur Ariſt. plurima ſibi fingunt, quæ nedum ſunt refellenda, ſed neque referenda: quare illud vnum puto reſpondendum eſſe, librum illum, aut certè quamplurima problemata non eſſe Ariſtotelis, qui profectò nunquam dixiſſet huiuſmodi deliramenta. Eſt igitur ſingultus manifeſtè affectus ventriculi.

Sed

Quæ pars ventriculi a boret in ſingultu.

Sed eſt vtilior dubitatio, ad quam ventriculi partem pertineat, vel ſuperiorem vel inferiorem, vel ad totum ventriculum: Gal. *3. de locis affectis ca. 7. in fine*, nec non *libr. 5. cap* 6. manifeſtè reponit ſingultũ inter affectus oris ventriculi, proptera quòd hæc pars habeat ſenſum longè magis exquiſitum, quàm cæteræ omnes: aliis tamen locis, ac præcipuè *3. de ſymptomatum cauſis, c.* 2. ſtatuit ſingultum eſſe paſſionem totius ventriculi. Sed contradictio facilè ſoluitur: etenim Gal. ſeipſum interpretatur 7. *aph. com.* 3. quo in loco ſcribit in ſingultu humores infeſtare nonnunquam totum ventriculum, non nunquam partem ſuperiorem, imò verò inquit, huiuſmodi humores quandoque etiã infeſtare eam partem, quæ propriè ſtomachus, vulgo gula dicitur. Quamobrem cũ Gal. docet ſingultum pertinere ad os ventriculi, non propterea negat quin poſſit etiã pertinere ad alias partes. Sic Auicen. & bene, mea ſententia, ſoluit difficultatem, qui aſſerit, ſingultum maiori ex parte eſſe affectionem oris ventriculi, quandoque verò etiam aliarum partium.

Ergo ſingultus eſt affectio vel oris, vel totius ventriculi, qui infeſtantem & noxiam rem conatur expellere. Pro quo ſciendum eſt, ventriculum moueri diuerſis modis: prætereo motionem per partem infernam ad inteſtina, quæ ad rem præſentem non pertinet, & de motione ad partem ſupernam tantùm dicam: nam tametſi os ventriculi præcipuo inſtituto naturæ factum fuerit, vt cibum recipiat poſtea concoquendum, tamen aliquando contrà euenit, vt præpoſtero quodam motu, natura tentet euacuare, & frequenter vacuet per hãc partem, quę illi moleſta ſunt: id quod fit tripliciter: primò enim natura quandoque vellet inſurgere ad expellendum, ſed non poteſt, vt fit in nauſea, aliquando inſurgit & expellit, quod fit in vomitu: demum verò inſurgit, vt aliquid expellat, ſed non poteſt, quod euenit in ſingultu: atque iſti omnes ſunt motus vitioſi, cum fiant à natura irritata, & præter illius inſtitutum. Quo loco ſciendum eſt ex Galeno 2. *de ſymptomatum cauſis capite* 1. motus deprauatos eſſe triplices, quorum alij ſunt opera naturæ, ſed quæ à morboſa cauſa irritata & coacta eſt: alij morboſos ſequuntur affectus, natura ad ipſorum generationem nihil conferente: alij verò fiunt vbi ambo, nempe morbus & natura ſimul operantur: inter multa autem ſymptomata, quæ ſunt opera ſolius naturæ violenter irritatæ, ſingultus reponitur à Galeno. Fuere nonnulli, qui cenſuerunt ſingultum eſſe ſpeciem conuulſionis, quorum ſententiam non probat Galenus, etſi non negat eſſe quendam motum veluti conuulſorium: re enim vera ſingultus conuulſio dici non poteſt, cum hæc ſit ſymptoma ſolius cauſæ morbificæ, & ſolùm accidat ipſis muſculis: ventriculus autem nullo modo muſculus dici poteſt. Itaque ſingultus eſt motus ventriculi deprauatus; nempe actio læſa; commune quoddam ſymptoma, vt placet Galeno 3. *de ſymptomatũ cauſis cap.* 2. facultatis retentricis & excretricis: retentricis quidem propterea quia ventriculus cum ſingultit, prauè & non ſecundùm naturam cibos complectitur: expultricis autem cum principuus ſit illius motus deprauatus, dum aliquid eorum conatur propulſare, quæ ventriculo ſunt moleſta.

Motus depra uati triplices.

Quærunt demum nonnulli, quiſnam ventriculi motus ſit vehementior, vomitune an ſingultus? & plurima vtrinque afferunt argumenta. Sed nobis iam diu ſtatutum eſt ab huiuſmodi logicis & vanis quæſtionibus abſtinere, quæ nihil ad artem pertinent: quod ſi quis veſtrum cupit hanc quoque rem intelligere, is poteſt habere quæſtionis ſolutionem apud Galenum 6. *aphor.* 39. qui ſcribit, ſingultum eſſe quendam motum eiuſdem generis cum vomitu, ſed tamen fortiorem illo & vehementiorem: redditque hanc rationem, quia ventriculus in vomitu illa tantum appetit expellere, quæ in eius cauitate continentur, in ſingultu autem illa quæ altiùs ventriculi corpori adhærent. Sed veniamus ad differentias.

Differentiæ.

Differentiæ ſingultus ſunt plurimæ, primùm ab intenſo & remiſſo: alius ſingultus eſt magnus & vehemens, vt efficiat vigilias, diſſoluat vires, & quandoque mortem afferat: alius eſt leuiſſimus, qui nullum affert periculum, & facilè curatur: à tempore, alius eſt nouus, alius eſt antiquus; alius continuus, alius interpolatus. Memini iam annos quindecim me curaſſe quendam tabellarium Vicentiæ, qui 40. & plures dies laborauit ſingultu moleſtiſſimo, & admodum periculoſo, & tandem integrè ſanatus eſt potu aquarum thermalium. Verùm; cæteris prætermiſſis differentiis ad illas venio, quæ ſumuntur à cauſis, & maximè pertinent ad curationem. Cauſæ ſingultus ſunt duæ, aliæ internæ cauſæ ſunt, cum quis auidè maximos bolus deuorat, ita enim compreſſa aſpera arteria: primùm quidem fit ſenſus ſuffocationis, tum ſequitur ſingultus; præterea cum quis aſſumit potiones & alimenta admodum frigida, ſiquidem nimia frigiditas ſoluit continuum, prohibet vacuationem materiæ contentæ in ventriculo, & ità efficitur ſingultus. Eſt etiam externa cauſa ſingultus, cum quis aſſumit piper vel aliud acre: ac potiſſimùm ſi poſtea aſſumat vinum, quod ipſi det penetrationem: ex quibus vnus fuit Galenus, vt ipſe de ſe teſtatur 8. *de comp. med.* & alus in locis. Demum verò fit ſingultus propter cauſas externas, à re quapiam comprimente œſophagum, vt euenit cuidam qui cum cecidiſſet in dorſum, & vertebræ fuiſſent luxatæ, incidit in ſingultum, à quo nunquam potuit liberari, niſi in ſuum locum vertebris reſtitutis.

Cauſæ.

Cauſæ ſingultus internæ ab Hip. 6. *aphs.* 39. duæ ſtatuuntur, inanitio & repletio, ſicuti conuulſionis: quæ quidem duæ cauſæ à nonnullis reuocantur in dubium: etenim Gal 8. *de med ſecun. locos c.* 3. aſſerit, conuulſionem quidem fieri ex repletione, & inanitione, ac præterea nullam tertiam cauſam potuiſſe inueniri: ſingultum autem fatetur etiam ſine his duabus cauſis fieri poſſe, nimirum ex acribus, ſeroſis & medicatis humoribus ventriculum mordentibus, nec non propter inſignem illius frigiditatem: quam eandem ſententiam repetit 6. *apho. com.* 39. adeo vt apud Galenum quatuor ſtatui poſſint internæ cauſæ ſingultus, duæ poſitæ ab Hippocrate repletio & inanitio, tertiã humores acres ventriculum mordentes: ad quem modum apud eundem legimus, conuulſionem ſæpe fieri demorſo ore ventriculi ab acri humore, ab aura aſcendente, & aliis id genus prauis vaporibus: & quarta, ventriculi refrigeratio, ſicuti pariter fit tuſſis refrigeratis inſtrumentis anhelitus. At verò ſicuti hæ cauſæ cenſendæ ſunt legitimæ & veræ, ita forcaſſe ſi quis voluerit diligentiùs hanc rem examinare, ſine multo labore poterit demonſtrare, duas poſteriores cauſas à Galeno additas, ad duas priores Hippocratis commodè poſſe referri, vt verè liceat aſſeuerare, ſingultum quoque ſicuti & conuulſionem, fieri ex repletione & inanitione. Nam quod pertinet ad primam cauſam, cum humor quiſpiam vel quid tale, acri potius, vel alia mala qualitate, quam copia, ventriculo officit, illumque irritat, & ſingultum efficit, cur non iure nobis liceat iſtud quoque in cauſam repletionis referre? ſiquidem quicunque humor noxius eſt, idem & ſuperuacaneus quoquo modo dici poteſt:

id

id quod vel ex verbis Galeni facilè colligitur, qui ſcribit, hanc differentiam ſingultus facta acris & mordentis humoris vacuatione per vomitum ſtatim curari. Quod verò attinet ad alteram cauſam, nempe refrigerationem hanc ipſemet Gal videtur in repletionem retuliſſe 6. *aph.* 13. Nam planè & apertè docet, frigiditatem neruoſa omnia corpora lædere ac reddere ad difflandum difficilia, propterea que eſſe in cauſa, vt hæc repleantur, atque ſingultum ideo efficiant. Sed his cauſis à Gal. poſitis alia præterea cauſa additur ab Auic. nempe caliditas ventriculi, quæ non minùs quàm frigiditas videatur poſſe illum malè afficere, irritare ad expulſionem, & ſingultum efficere. Etſi autem nolo negare, quin iſtud quoque fieri poſſit tamen id puto contingere rariſſimè, cum longè magis frigiditas quàm caliditas partibus neruoſis moleſta ſit & inimica, & tunc opus foret, mea ſententia, vt caliditas eſſet coniuncta cum inſigni ſiccitate, vt accidit nonnunquã in febrib. adurẽtibus & malignis.

Singultus per conſenſũ. Sed hoc demum loco illud eſt accuratè conſiderandum, an ventriculus in ſingultu laboret primò & per ſe, an ſecundariò & per conſenſum aliarum partium, quod maximè pertinet ad curationem. De proprio ventriculi affectu iam diximus ſatis, quod autem pertinet ad conſenſum cæterarum partium, illud ſciatis, nullam ferè eſſe partem noſtri corporis, quæ non poſſit noxam ventriculo communicare; ſic in inflammationibus, fracturis & vulneribus cerebri & membranarum, ſuccedit ſingultus, qui planè eſt lethalis, vt teſtantur primi aphoriſmi quinti libri: ſic conſentiente iecore hoc ipſum contingit, atque id quidem dupliciter: vt docet Gal. 5. *aph.* 58. nec non 7. *aph.* 17 vno modo ſine communicatione alicuius materiæ, per communes neruos vtriuſque viſceris, quod tamen non euenit, niſi magna fuerit inflammatio: altero, tranſmiſſa materia bilioſa & valde calida, quæ facilè inflammationibus iecoris generatur, cõfluitque ad principium inteſtinorum, & ad ipſum ventriculum: ſic conſentiente illo inteſtino, factaque obſtructione in partibus inferuis. vt ad illas nihil deſcendat, facto impetu aſcendentibus excrementis in ventriculum, ſequitur ſingultus, qui planè eſt exitialis, ex ſententia Hip. & Gal. 7. *aph.* 10. Sic conſentiente liene ac tranſmittente ſuccum melãcholicum: ſic demum ſi ſupprimantur hæmorrhoides, vel menſes in mulieribus, ducto in conſenſum ventriculo, ſingultus poterit excitari: nec verò ſolum à certis quibuſdam & determinatis partibus iſtud fieri poteſt, ſed etiã à corpore vniuerſo, ſicuti accidit in febribus pernicioſis, in quibus eleuantur acres & maligni vapores, qui petentes ventriculum, & ſingultum & alia grauiſſima mala ſolent afferre, quas febres ſingultuoſas vocat Hip. 4. *de ratione victus morborum acutorum* 69. Atque hactenus de differentiis.

Signa. Signa pathognomonica, & quæ affectum demonſtrent, non ſunt longius inquirenda, cum ſint manifeſtiſſima: quatus verò pertinet ad ſigna differentiarum, & quæ potiſſimùm ſumuntur à cauſis, ſi illæ fuerint externæ, vel referente ægroto, vel aliter, facilè poſſunt intelligi; ſin autem fuerint internæ, accuratiùs debent inueſtigari, quod tamen ſine multo labore fieri poteſt. Nam ſi fuerit ſingultus ex repletione, aderunt ſigna plenitudinis, æger percipiet tenſionem & grauitatem ventriculi: huiuſmodi ſingultus ferè non fit pedetentim, ſed ſubito præceſſere cauſæ efficientes repletionem, otium, victus immoderatus, & alia id genus. Sin fuerit ſingultus ex inanitione, hic nulla ſentitur tenſio, nulla grauitas ventriculi, ſingultus non fit ſubitò, ſed temporis progreſſione, præceſſerunt quæ potuerint exſiccare, inſignes vacuationes, quæcunque illæ fuerint, febres ardentes, & alia id genus: ſi frigida adſit intemperies, ſimul aderit appetentia, nulla ſitis, ructus acidi, quamplurimi flatus, & alia huiuſmodi. Materia demum acris, & ſi liber, intemperies calida, poſita ab Auicenna, facilè poſſunt cognoſci, ſi memoria repetantur, quæ ſuprà de intemperaturis ventriculi fuere à nobis expoſita. Facilè item cognoſci poteſt an ventriculus primariò affectu, vel per conſenſum laboret, conſiderando an ſigna adſint alicuius vehementis affectus cerebri, lienis, iecoris, inteſtinorum & cæterarum partium, quæ ventriculum poſſunt in conſenſum trahere: quod ſi nihil tale deprehendatur, tunc licebit conijcere, ventriculum primò & per ſe laborare. Abſolutis ſignis accedamus ad curationẽ.

Curationem ſingultus equidem ſtatui breuiter abſoluere, cum iam cumulatè omnia fuerint pertractata, quæcunque pertinent ſiue ad vacuandum, ſiue ad alterandum ventriculum: quæ quidem ſi ad hunc locum, transferantur, ſatis ſuperque eſſe poſſunt. Itaque ſi fuerit ſingultus ratione plenitudinis, ante omnia vacuandus eſt ventriculus, ſi fieri poteſt excitato vomitu, de quo habetis apud Hip. 7. *apho.* 3. *A vomitu ſingultus & oculorũ rubor malus*: quo loco docet Gal. purgatis per vomitum noxiis humoribus hominem protinus à ſingultu liberari; quod ſi ſingultus hoc tempore non ceſſauerit, alterum duorum ſignificari. cerebrum nempe aut ventriculum pati non mediocrem inflammationem. At verò ſi propter aliquam cauſam non liceat vomitum prouocare, tunc exhibendum eſt leue aliquod medicamentum, quale inter cætera iam ſæpius diximus hieram principem locum obtinere: in quo caſu, ſicuti aliàs vos admonui, perpetuò caueatis à valentioribus, quæ trahendo noua excrementa ad partem laborãtem, & alia multis modis, longè magis poſſunt obeſſe quam prodeſſe. Singultum prouenientem ex plenitudine, ſuperueniẽs ſternutatio ſoluit 6. *aph.* 13. quod fit, Galeno interprete, propterea quia improuiſo illo & violento motu humores noxij difflantur & vacuantur, id quod fortaſſe pariter poſſent efficere reliqui motus. tum corporis, tum animi, ſicuti eſt inſignis iracundia, timor, & alia huiuſmodi: ad quem modum noſtræ mulierculæ ſuis puerulis ſingultientibus ſolent alicuius rei timorem inijcere. Eriſimachus medicus celebris apud Plat. in cõuiuio Ariſtophanem ſingultientem docet tria remedia, cohibere ſpiritum aliquandiu. aqua gargarizata fauces proluere, ac ſi ſingultus fuerit vehementiſſimus, nares ſtimulare & ſternutamentum irritare: quorũ trium præſidiorum non difficile eſt rationem reddere. *Curatio.* *Platonis remedia.*

Si fuerit ſingultus ex immoderata vacuatione & ſiccitate, habetis curationem traditam à Gal. 7. *meth. ca.* 6. quam non eſt, vt inutiliter repetamus, cum præſertim huiuſmodi ſingultus aut difficulter admodum, aut nullo modo curari poſſit ex ſententia Hip. & Gal. *apho.* 2 & 3. nec non 7. *apho.* 41.

Si demum ventriculus laboret intemperie frigida, vel etiam calida, iam audiſtis quomodo vtraque curari poſſit, vt pluribus non ſit opus. Verum nequeo ſilentio præterire celebre quoddã antiquorũ medicamentũ, quod vſque ad noſtra tẽpora tranſlatum omnino credendum eſt, in ſingultu eſſe remedium efficaciſſimũ, & eſt illud Aſclepiadis deſcriptũ à Gal. 8. *de medicamentis ſecundũ locos*, cuius ſupra in dolore ventriculi mentionem fecit; quod recepit & aloëm, & opium. Gal. accuratè examinans ſingula ſimplicia medicamenta, illud probat quaſi habeat omnes facultates diſcutiendi & vacuandi materiam noxiam per aluum & lotium roborandi ventriculum. ac poſtremò mitigandi acrimoniam humorum: quæ quidem indicationes in

hoc

hoc morbo videntur eſſe quàm maximè opportunæ. Compoſitio eſt talis:

℞. *Coſti*, (& quoniam nos caremus vero coſto, loco eius ſumitur galanga)
Galangæ,
Spicæ nardi,
Roſarum viridium,
Chryſobalani, pro quo ſumunt vel nucem moſcharam, vel caryophyllos.
Maſticis ana. ʒ. iiij.
Aloës ʒ. ij.
Aſari ʒ. ij.
Opij ʒ. j.

Excipiantur omnia ſucco filij, & fiant trochiſci. Poſtremo autẽ hoc loco, ſi in ſingultu ventriculus laboret per conſensũ aliarum partiũ, iam ſemel atque iterum diximus de ratione curãdi morbos per conſenſum, quæ in ſumma eò ſpectat, vt proſpiciatur primùm parti laboranti, deinde & ipſi ventriculo, ne tam facilè recipiat aliena excrementa.

Iam illud vnũ eſſet reliquũ, vt ex inſtituto noſtro ordine proponeremus caſum: ſed cum hic morbus non ſit valdè frequens, nec maiori ex parte magni momenti in maximis præſentis tẽpore anguſtiis ad vtiliora properans decreui illud prætermittere.

CAPVT V.

De læſo appetitu.

De appetitu canino. RHaſes poſt ſingultum agit de fame canina, quę eſt ſpecies quædam læſæ appetentiæ, nos verò ſtatuimus generaliter tractare de qualibet appetitus læſionem, cum morbus ſit maximi momenti, admodum frequens, & dignus accuratiſſima tractatione. Illud itaque primum in memoriã reuocãdũ eſt, quod ſupra diximus, nempe ventriculum habere duas præcipuas partes, alterã ſuperiorem, quę os dicitur; alterã inferiorem, quæ fundus appellatur: quæ quidẽ duæ partes non ſolùm loco, ſed etiã facultatibus ſunt inter ſe diſtinctæ: ſiquidem pręcipua facultas oris ventriculi eſt deſiderium vel appetentia cibi & potus, ſicuti præcipua facultas fundi eſt alimenti & potiones concoctio. *Appetitus cuius partis ſit.* Neque enim cenſeo ſubtiliùs diſputandum eſſe, an hæ facultates conueniant inter ſe, adeò vt pars ſuperior facultatẽ habeat non ſolũ appetendi, ſed etiã concoquendi, pariterque pars inferior valeat non ſolum concoquere, ſed etiam appetere. Nobis ſatis fuerit vnius Galeni auctoritas, qui ſcribit 2. *aph.com.*20. vim appetendi in ore ventriculi potiſſimùm conſiſtere: & iterũ confirmat. 1. *de ratione victus morborũ acutorũ com.*18 munus huius partis eſſe appetere, non concoquere Quare illud nobis cõſtet in præſentia, appetentiam cibi & potus, quam famem & ſitim dicimus, pertinere ad partẽ, imprimis ſuperiorem ventriculi. Quoniã verò non poteſt intelligi, vt ſæpius *Fames quid ſignificet.* indicauimus ex doctrina Gal. 4. *de ſympt.cauſis c.*1. quomodo appetentia lædatur, niſi primùm intelligatur, quomodo illa fiat ſecundùm naturam, propterea omnium primùm nos decet pertractare de naturalis famis & appetentiæ generatione. Sed ne verſemur in aliqua nominis ambiguitate antea notandũ eſt, famem apud Hip. bifariã accipi, vt docet Gal. 2. *aph.com* 16. vno modo pro externa eſuritione, quæ propter ciborum penuriã accidit; quod idẽ contingit dupliciter, aut quoniã homines ſumma annonæ penuria deſtituuntur alimẽtis, in qua ſignificatione accipitur 6. *epidemiorum ſect.*4. *tex.*9 vbi ſcribitur, Incolis oppidi Eno, qui ob famem leguminibus veſcebantur, crura eſſe debilitata: aut propterea, quia tametſi nulla cogat rerum penuria, homines vel propria voluntate, vel aliis intemperantibus, cibi abſtinentiã & ieiuniũ ſuſcipiunt, in quo ſignificatu accipitur ab Hip. 7. *aph.* 59. *Corporibus carnes habentibus humidas famem conuenit adhibere; fames enim corpora ſiccat*: nec non 2. aph. 16. *Vbi fames, laborandum non eſt*: ac demum 1. *prognoſticorum* 8. *Interrogare oportet num vigilauerit homo, vel aluus fuerit fortiter exinanita, vel fames tenuerit ipſum*. Altero autem modo accipitur fames, & quidẽ communiter apud omnes homines, pro deſiderio & appetentia alimentorum, de qua & illius naturali generatione nobis agendum eſt in præſentia.

In generatione famis naturalis licet animaduertere, vel potius admirari præclariſſimum naturæ inſtitutum, quod pulchrè explicatur à Gal. 1 *de ſymptomatum cauſis, c.*7 atque ita ſe habet. *Fames quomodo generetur.* Cum quodlibet animal in ambientem aërem per cutem digeratur & diſſipetur, principio partes quæ ſub cute ſunt contingit euacuari, quarum partium innata eſt facultas, vt docent commentarij de facultatibus naturalibus, vt alimentum ex aliis vicinis partibus attrahant, ad hoc vt reſarciatur quod perditum fuerat, quam quidem trahendi à proximis partibus rationem, partes iam inanitæ, continuo quodam ordine ſequuntur, donec celebri facta tranſlatione ad venas quæ ad ventriculum pertingunt, vacuatio peruenerit. quæ item venæ poſtremo loco & conſueuerunt, & poſſunt ex ventriculo ad ſe alimentum allicere, veluti faciunt ſtirpium radices in terram demiſſæ; ventriculus autem talem venarum ſectionem, & tractionem ægre ferens, triſti quodam afficitur ſenſu penuriæ, & tãquam diuulſus huius moleſtiæ remedium cibum deſiderat, quod deſiderium appetentia & fames vocantur, adeo vt colligendo ſingula in vnum, in naturali procreanda appetentia quinque ſeſe mutuo ordine quodam comitentur ſymptomata: primum eſt vacuatio & diſſipatio partium externarum: *Ad appetitũ 5 concurrunt.* alterum naturalis appetentia & attractio partium, quæ iã ſunt inanitæ: tertium ventriculi ſuctio, quæ fit à venis illi proximis iam inanitis & euacuatis: quartum ſenſus ſuctionis in ventriculo qui ſugentibus venis veluti diuellitur: quintum animalis appetentia omnium vltima. Neque vero eſt vt quis veſtrũ miretur, nos cum Galeno dixiſſe famem eſſe appetitũ animalem, cũ potius naturalis videantur: nã ſicuti docẽt Ariſtot. & Auerr. 1. *phyſ.* 71. nec non Galen. hoc ipſo in loco, & 6. *de locis aff.c.*3. duplex eſt appetitus: *Appetitus duplex.* alter verè & ſolùm naturalis, ſine vllo ſenſu & cognitione, qui nihil aliud eſt quàm naturalis quædam illius particulæ propenſio, ad trãbendum alimentũ cum illo opus habet, ſicuti graue ſuapte natura appetit ferri deorſum, & leue ſurſum: alter autẽ eſt appetitus animalis, qui à ſenſu & cognitione defectus ſolet concitari, eiuſmodi eſt appetitus oris ventriculi: illę enim percipiens defectum alimenti triſtatur, ex quo excitatur ad nouũ alimentũ appetendũ & quærendum; quod quidem ſumma naturæ prouidentia factũ eſt, quæ propterea hanc partem donauit exquiſitiſſimo ſenſu, vt ita magis promptè & facilè concitaretur ad conquirenda & aſſumenda alimenta quibus refici & diutius ſeruari poſſit. His porrò hunc in modũ conſtitutis ad principale inſtitutũ, nẽpe ad lęſam appetentiã redeamus. Hæc actio, ſicuti reliquis omnibus contingit operationibus, lædi tripliciter cõſueuit, vel ablatè, vel imminutè, vel deprauatè: prorſus tollitur appetentia, vt in febribus peſtilentibus de quibus loquuntur Hip. & Gal. 3. *Epid. ſect.*1. com. 51. nec non ſect. 2. ægtor. 6. ac potiſſimum in 3. epid. ſect. 3. 58. in quo poſtremo loco ſcribit Gal. in diuturna illa peſte, quæ ſua ætate viguit, omnes ægrotos in tale ac tantum cibi faſtidium incidiſſe, vt plurimi maluerint mori, quàm comedere. Minuitur autẽ appetentia,

quando

Digitized by Google

quando ægroti debiliter appetunt, quod accidit in cõualeſcentib. in febribus, ac morbis ferè omnib. Demũ verò appetentia deprauatur dupliciter: vno modo, quando ægri immoderatũ cibũ & potũ appetunt, vt in canina vocata appetentia ſolet euenire: altero vbi quis aliena appetit, ac naturæ aduerſa, exempli gratia, extinctos carbones, lutum, & alia id genus, vt frequenter euenit pueris, & non nullis mulieribus vtero gerentibus. Hæc tota eſt doctrina Gal. 1. *de ſymptomatum cauſis cap.* 5.

Dubitatio. Hoc loco illud nonnulli vocant in dubiũ, quomodo immoderata appetentia reponatur à Gal. inter actiones deprauatas: nam ſicuti nulla intenſa & exquiſita operatio, exempli gratia, videndi aut audiendi, dici poteſt deprauata, ita idem ſtatuendum videtur de intenſa ac ſumma appetentia. Preterea ſi appetitus remiſſus eſt actio læſa, imminutè, cur non liceat appetitum intenſum, cum nõ ſint contraria, ſub eodem genere collocare? Ea quo factum eſt, vt Arculanus inter cæteros talem eauperantiam appetitus repoſuerit ſub diminuta operatione: & altera ex parte Argenterius *lib. de generib. & differentiis ſymptomatum cap.* 3. Galenum reprehendat, quaſi malè actiones læſas diuiſerit in abolitas, imminutas & deprauatas: qui aſſeuerans omnia vitiatæ functionis genera, ac ſpectatim vehementiores & validiores operationes ſub ea diuiſione comprehendi non poſſe, nouã diuiſionẽ excogitauit, qua non tria, ſed quatuor prima genera vitiatæ actionis continentur: primum, quod actiones abolitas: alterum quod debiles vel auctas: tertium quod deprauatas: quartũ quod triſtes & voluptuoſas præter naturam functiones cõplectatur.

Ego verò qui propter anguſtias temporis accuratè nequeo hanc controuerſiam tractare, quæ lõgiorem omnino diſputationem expoſceret, illud vnum dicam in præſentia diuiſionem Galeni actionis abolitæ, imminutæ, deprauatæ, eſſe integram, atque ad hæc tria membra commodè poſſe referri, quæcunque vel ab Argenterio, vel ab aliis nouatoribus poſſunt excogitari: & quatenus pertinet ad imminutam appetentiam, de qua nunc agimus, iure eam inter deprauatas actiones fuiſſe repoſitam. Hoc autem vt probè intelligatur, ſciendum eſt Galenum in tradenda hac diſciplina ac diuiſione in primis reſpexiſſe facultatem ipſam, à qua proueniunt actiones: quamobrem ſicuti appetentia, quæ fit à facultate prorſus inualida, abolita dicitur; quæ fit à facultate debiliori, imminuta; ita quæ fit à deprauatione facultatis, iure deprauata appetentia debet vocari: vnde cum immoderata & ſumma appetentia, vt ſtatim demonſtrabimus, non aliunde proueniat quam ab irritata & deprauata facultate appetitrice oris ventriculi, ſumma cum ratione Galenus illã repoſuit ſub genere deprauatarum actionum. Nec altera ex parte poſtre rationes quidquã valent: cum enim facultates in diſciplina Galeni, aut ſint temperamenta, aut in temperamentis propriam eſſentiam obtineant, ſi illæ pro inſtituto naturæ bene habeant, tunc edunt ſuas actiones validas, prorſuſque inculpatas, in quibus nullus datur exceſſus, vt manifeſtè apparet in viſu & auditu: quod ſi quæ contingat excedens & immoderata actio, exempli gratia, nimia retentio vel expulſio, id nunquam fiet ſine deprauatione facultatis, ex quo actionem quoque deprauatam licebit appellare. Pariter reſpondeatis ad ſecundam rationem: nam quamuis appetentia intenſa & remiſſa quoquo modo ſint contraria, vt propterea debeant reponi ſub communi genere actionis imminutæ, vt voluerunt Arculanus & Argenterius: verumtamen ſi conſiderentur cauſæ vtriuſque ſymptomatis, hac certè ratione haud omnino ſunt contraria; ſicuti paulo poſt demonſtrabimus cum Galeno. Imminuta appetentia ab iiſdem prouenit cauſis, à quibus prouenit abolita: intenſa autem appetentia non aliter generatur, quã irritata facultate, vt manifeſtiſſimè demonſtrabimus. Iam itaque redeuntes ad rem noſtram, ſi quæ dicta ſunt, hactenus velimus colligere in vnum, ita habendum eſt. Symptomata pertinentia ad læſam appetentiam ſunt duplicia: alterum conſiſtit in defectu, alterum in deprauatione, & vtrumque adhuc diuiditur bifariam, nam defectus vel eſt integer, vt appetentia ſit tantummodo imminuta: pariter in deprauatione, ægri aut nimium appetunt, *famem caninam*, & vulgo *Bulimum* nominant qui tamen affectus inter ſe longè differunt; aut appetunt aliena, quod malum *pica* vel *Kitta* dicitur, de quibus omnibus ſymptomatibus ſequenti ordine tractabimus: primo de abolita & imminuta appetentia: ſecundo, de fame canina: tertio, de Bulimo: quarto, de Pica, & vltimo, de Siti, cum hæc nihil aliud ſit, quàm appetentia potus, ſicuti fames eſt appetentia alimenti, & in vtraque eadem eueniant ſymptomata.

(Margin: Α'νατροπὴ λαίμου.)

CAPVT IV.

De abolita & imminuta appetentia.

SI memoria repetantur, quæ ſuprà diximus de naturalis famis generatione ac ſymptomatibus, quæ illam præcedere ſolent facilè fuerit inuenire cauſas propter quas appetentia vel aboleatur, vel imminuatur. Etenim vt dicit Gal. *de ſymptomat. cauſ. cap.* 7. abolitio contingit huius actionis, vel quod ſuctionis ſenſus perierit, vel quod ſuctio non fiat, vel quod corpus non vacuetur: ad quem modum exigua quoque & imbecilla fit appetentia, vbi hæc ipſa, nempe ſenſus ſuctionis, ſuctio, & corporis vacuatio non fuerint abolita, ſed prope ad abolitionem accedant. Perit ſenſus oris ventriculi, vel primùm & per ſe, vel per conſenſum aliarum partium, & præcipuè cerebri. Per ſe amittitur ſenſus ſuctionis propter exceſſum cuiuſcunque intemperiei, ſed potiſſimùm calidæ & frigidæ, ſiue cum materia, ſiue ſine materia, ſcribente Galen. 3. *de ſymptomatum cauſis cap.* 1. necnon *aphor. com.* 20. quamlibet intemperiem, vbi fuerit immoderata, iunctas actiones impedire & diſſoluere: principem autem locum hac in re obtinet intemperies calida, quam Gal 1. *de ſymptomatum cauſis cap.* 7. enumerat inter præcipuas & continentes cauſas, quibus fames ſolet impediri; & reddit rationem, quia calor ex vna parte ſolida corpora relaxat, & ad munus attractionis reddit imbecilliora, ex altera colliquat & fundit humiditatem ventriculi, ex quo illius partes inanitæ ſupra modum extenduntur & replentur, vt meritò triſtis ille ſenſus ſuctionis non poſſit perſentiri. Ad quem modum idem quoque dicit Galen. 6. *epidemiorum ſect.* 4. *com.* 20. calefacientia, & fundentia humores delere & finire appetentias: ſic humores quicunque fuerint calidi, vel ſuapte natura, vt flaua bilis, vel ex accidente, vt ſalſa pituita, ſi potiſſimùm confluant ad os ventriculi, facilè ac maximè appetentiam tollere conſueuerunt. Sic experientia demonſtrat, tempore calidiore ferè tolli appetentiam frigidiore plurimum augeri.

(Margin: Cauſa abolita appetitus.)

(Margin: Calida intemperies.)

Poſt intemperiem calidam ſuccedit frigida. Sed ſtatim quis nobis obiiciat Galenum qui multis in locis manifeſtiſſimè aſſerit, frigiditatem quàm maximè conferre ad excitandam apppetentiam, quod profectò negari non poteſt nec debet: nam

(Margin: Frigida intemperies.)

O ſicuti

ſicuti calor laxat ventriculum, funditque humores, & illius partes replet, ita contrà frigus cogit denſatque os vẽtriculi,& exprimit humores ipſius, adeo vt ſimilis hinc ſequatur affectus illi, qui fit ex ſuctione venarum, ex quo idem quoque ſequitur affectus nempe deſiderium alimenti. At verò nos intelligimus appetentiam tolli vel minui immoderata ac ſumma frigiditate, quod nulli mirum debet videri Nam ſi omnis immodica intemperies quod paulo ante notauimus ex Galeno; poteſt actionem deiicere, cur non frigida quoque intemperies, ſi immoderatè occupet os ventriculi, poſſit appetentiam auferre? Sed iſtud apertiſſimè docet Gal. 2. *aphor. com.* 20 qui ſcribit, in ſenibus quandoque tantam augeri in ore ventriculi frigiditatem, vt omnem appetentiam deiiciat, ſiquidem per nimiam frigiditatem vis oris ventriculi ſentiẽs ſopitur, ac ferè proſternitur, vt nemo debeat mirari, ſi tunc ſuctionis ſenſus pereat, appetentiæ minus aboleatur: id quod poſtea videbimus veritatem habere in bulimo, in quo morbo prorſus deficit appetentia, ferè perdita facultate oris ventriculi propter nimiam frigiditatem. Ita ergo minime abſurdum eſt aſſeuerare, eandem cauſam, diuerſa tamen ratione, poſſe appetentiam iuuare & deſtruere: nam generaliter frigus conſueuit dolorem inferre, ſi verò illud ſit vehemens & immoderatum, dolorem tollit, quod apparet in medicamentis ſtupefacientibus. Quæ diximus de intemperie calida & frigida, vel cum materia, vel ſine materia, facilè item poſſunt demonſtrari de cæteris quoque intemperaturis, humida & ſicca, cum hæ quoque ſi modum excedant, ſine dubio poſſint ventriculi facultatem labefactare, & ſenſum ſuctionis atque appetentiam auferre.

Per conſenſũ quomodo perdatur appetitus.

Hactenus egimus de ſenſu ſuctionis oris ventriculi deperdito ex proprio affectu, ille autem perditur etiam per conſenſum aliarum partium, & præcipuè cerebri: hæc enim duo membra: vt alias diximus, mediis neruis mirabiliter inter ſe conſentiunt ad quem modum delirantes, ſtupidi, apoplectici, & alij id genus ægroti, nihil appetunt. Secundò hic ſenſus perditur per conſenſum cordis & vniuerſi corporis, fere extincta ac mortua facultate ſentiente ipſius ventriculi, de quo quidem conſenſu loquitur Gal. 1. *epid. ſect.* 1. 29. *ſect.* 2. *com.* 75. 3 *epid. ſect.* 1. *com.* 5. & 11. & aliis locis, qui aſſerit, hoc modo deperditam appetentiam eſſe certum indicium extinctionis virtutis, ac perpetuò lethale: ad quem modum videbitis frequentiſſimè eos qui laborant febre peſtilenti, vel aliis malignis morbis, nil prorſus appetere.

II. Iam vidimus primam cauſam abolitæ vel imminutæ appetentiæ, deperditum ſenſum ſuctionis oris ventriculi. Imminuitur ſecundò vel tollitur appetentia quando vel exigua, vel nulla fit ſuctio in ea parte, id quod contingit dupliciter: vno modo ex proprio ac primario affectu oris ventriculi, idq; præcipuè cum laborat aliqua intemperie, ac potiſſimùm calida quam ſuprà diximus fundendo humores replere hanc partem, & prohibere ipſam ſuctionem: altero autẽ modo non fit ſuctio, quotieſcunque cæteræ partes corporis pro inſtituto naturæ non trahunt neque efficiunt ſuctionem ex ventriculo, quod item propter varias cauſas ſolet vſu venire. Nam primùm id fieri poteſt propter imbecillitatem virtutis, vt accidit in conualeſcentibus in quibus & venę & cunctæ partes ſunt debiliores, quã vt poſſint deinceps trahere alimenta, donec attractio perueniat ad ipſum ventriculum. Secundò ceſſat attractio vel omnium, vel plurium partiũ quæ, vt diximus, ordine quodã ſolent præcedere famẽ naturalem, propterea quòd laborent proprio aliquo affectu, qui attractionem impediat, quales ſunt intẽperies, ac potiſſimũ calida; vel cũ materia, vel ſine materia, quæ quidem partim fundendo naturalẽ humorẽ particulæ, ex quo illa nequit inaniri partim diſſoluendo naturales eiuſdem vires, facilè poteſt illius attractionem impedire, quales ſunt quoque obſtructiones, quæ ſi fuerint inſignes, ſumma cum ratione poſſunt impedimẽto eſſe, quo minus partes poſſint propriũ alimentum trahere. Tertiò cõtingit ſuctionẽ non fieri in ventriculo, propter nimiã plenitudinẽ ſanguinis & humorum, ſicuti illis euenit, qui deliciis liberalis. & voluptuoſæ menſæ perpetuò delectãtur, cum enim partes ſint omni ex parte plenæ ac ſaturatæ, nec opus habent nouo alimento, illud non quærunt, nec trahunt ex aliis proximis partibus, ac tandem ex ipſo ventriculo: imò verò vt ſcribit Gal. 3. *de naturalibus facultatibus ad finem*, in tãta copia boni alimenti tantùm abeſt, vt iecur & venæ trahant ex vẽtriculo, vt cõtra potius ipſe ventriculus ſi opera natiui caloris inaniatur, nullũ appetat alimentum, ſed pręter naturæ inſtitutũ ſanguinẽ trahat quo nutrietur per eaſdem ipſas venas, per quas alioqui iecur ſuccum ex ventriculo trahere conſueuerat.

Tertia eſt, quotieſcunque corpus non vacuatur: hoc verò poteſt fieri tripliciter: aut propter copiam humorum crudorum & craſſorum, qui difficulter & tardè coquuntur, attenuantur & diſſoluuntur: aut propter denſiorem cutis & vniuerſi corporis habitum, ſiue id fiat propter frigiditatem aëris, balnea adſtringentia, nimias exercitationes, & alias huiuſmodi externas cauſas, ſiue ex interno alioqui affectu fieri cõtingat, aut demũ propter vitam ocioſam, & omnẽ exercitij intermiſſionem: hæc enim præcipuè videntur eſſe in cauſa, cur naturalis effluxus per cutem totius corporis poſſit impediri: atque hactenus de eſſentia, differentiis, & cauſis abolitæ & imminutæ appetentiæ. III.

Signa indicantia hunc affectum, ex relatione ægri ſunt manifeſta; quare accedamus ad ſigna differentiarum. Si pereat ſenſus ſuctionis in officio ventriculi propter aliquam intemperiem, vel cum materia, vel ſine materia, ea ex propriis ſuis ſignis eluceſcet, de quibus omnibus ſemel atque iterum diximus. Pariter ſi iſtud contingat propter conſenſum cerebri, cordis vel aliarum partiũ, manifeſta aderunt indicia, quæ morbos vniuſcuiuſq; partis laborantis poterunt demonſtrare. Secundò ſi exigua vel nulla fiat ſuctio in ore ventriculi, ex proprio illius affectu, ac potiſſimùm ex intemperie calida, illa aderunt ſigna, de quibus ſatis diximus. Quod ſi iſtud contingat propter conſensũ aliarum partium, quæ nequeant trahere ex ipſo ventriculo, hãc imbecillitatẽ demõſtrant cum alia ſigna, tum maximè pulſus. Obſtructiones demonſtrant lotia cruda, excremẽta alui liquidiora, color corporis vniuerſi immutatus, & alia eiuſmodi, de quib. in poſterũ tractãtes de obſtructionibus. Sic plenitudinẽ licet facilè intelligere ex propriis indiciis, de quibus partim diximus, partim dicemus aliàs. Tertiò appetentia aboleatur vel imminuatur propterea, quòd vniuerſũ corpus nõ vacuetur; copia crudorũ humorum cognoſcitur ex lotio crudo & craſſiore, quod pręcipuũ eſt indiciũ humorũ qui cõtinẽtur in venis, ex qualitate cutis, quę quodãmodo fuerit tumida, albicans, & ſine colore: ex præcedente victus ratione, quã veriſimile eſt talẽ fuiſſe, vt potuerit ſobolẽ humorũ crudorũ generare Dẽſitatẽ & cõſtipationẽ cutis demõſtrant inter cętera externę cauſæ, vt ſi æger ac potiſſimùm antea factus calidior, vel propter laborem, vel propter caliditatem loci, vel aliter ſe expoſuerit aëri frigidiori, ſi natauerit in aquis frigidis, ſi ſe lauerit

Obſtructionum ſigna.

io bal

in balneis, vel ſuapte natura, vel ab arte aſtringentibus, aut alia præceſſerint, quæ potuerint cutim exſiccare, denſare, & conſtipare, præterquam quod ſi hæc res diligenter animaduertatur, poterit & Medicus ipſis ſenſibus & aliis modis multa colligere argumenta, quæ hujuſmodi conſtipationem poſſunt demonſtrare, de quibus ſermonem habet Gal. cum aliis locis, tum maximè 3. *de tuenda valetudine, cap.* 10. Si demum æger vitam viuat otioſam & delitioſam, nullis indiciis opus eſt.

Curatio.

Itaque illud vnum iam reſtat, vt ad curationem accedamus, cum ſcribat Gal. appetentiam aboleri & imminui ab iiſdem cauſis, quæ tantummodo magnitudine & vehementia differant: nos curationem vtriuſque ſub vnica ratione comprehendemus. Si itaque ventriculus laboret proprio morbo, nempe aliqua intemperie, vel ſimplici, vel cõpoſita, vel cum materia vel ſine materia, iam didiciſtis rationem curandi huiuſmodi morbos: primùm vacuanda eſt materia, ſi adeſt, deinde tollenda eſt intẽperies præſidiis tum internis, tum externis, quæ non eſt vt ruſus ſine vtilitate repetatur. Sin autem ventriculus laboret per conſenſum cerebri, cordis, vel aliarum partium, vel corporis vniuerſi, tunc ante omnia habenda eſt ratio partis primùm laborantis, tanquam cauſæ, ſine qua morbus ventriculi curari non poteſt.

Quatenus verò ad illos pertinet qui nihil appetunt, extincta appetitrice facultate, vt accidit in febrib. vel aliis morbis malignis, ex præcepto Galeni, omni induſtria perſuadendi, imò verò cogẽdi ſunt vt comedant: *fortiores*, inquit Gal. 3. epid. ſect. 3 com. 58. *qui vim ſibipſis afferentes, cibum oblatũ aſſumpſerint; omnes fore ſuperſtites fuerunt*: quæ ſententia fuit repetita ab Auicen. *prima quarti cap. de febre peſtilenti.*

Obſtructionũ curatio.

Si adſint obſtructiones in iecore, venis, vel aliis partibus, quæ illarum attractionem impediant, conueniunt amara, abſtergentia, & quæ obſtructiones poſſint auferre, ſed ita tamen, ſi id res poſtulet, vt totum corpus antea vacuetur, & ſectione venæ & purgatione, & aliis modis, de quibus tractabimus ſuo loco.

Si perdatur appetentia propter nimiam abundãtiam humorũ & ſanguinis, quod euenit frequẽtiſſimè, ſiquidem non deſunt quàplurimi, qui totos dies & noctes potant & comedunt, guleque noua quærunt irritamenta, nullum eſt præſentaneum magis remedium, quàm ſit inedia & ieiunium: ad quem modũ teſtatur Gal. 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 17. ſe quoſdã de perdito ciborũ appetitu conquerentes, ad multum diem inedia macerando eſurientes reddidiſſe. Habetis lepidam illam fabellam opulenti illius Abbatis apud Boccarium qui laborans morbo ventriculi, & perdita appetentia, ac propterea accedens ad thermas captus à quodam latrone, diuque cuſtoditus ſine vllo propemodum alimento breui appetentiam & ſanitatem recuperauit.

Fabula.

Si fuerint humores crudi, craſſi & viſcidi, ex quibus denſata & cõſtipata cute prohibeatur naturalis digeſtio & vacuatio corporis, ſi fuerint in vaſis, primùm quæratis illos attenuare, incidere, abſtergere, cum melle roſaceo ſyrupo de betonica, de hyſſopo, oxymelle ſimplice, &c. ſecundùm hanc formam.

Syr præparãs pituitam.

℞ *Mellis roſati colati* ℥. ij.
Syrupi de betonica,
Oxymellis ſimplicis ana. ℥. j. *Miſ. pro duabus vicibus.*

Sic in victu vtamini capparibus aceto conditis, oliuis maria præparatis, piſcibus ſalitis. ouis piſciũ ſalitis, & aliis id genus, quæ ſimul ſunt grata & opportuna. Deinde iſti humores euacuentur leui aliquo medicamento. Si verò humores tales contineantur in ambitu vniuerſi corporis, ſi ita ferat occaſio, præcedente generali euacuatione, illi pariter diſcutiendi ſunt & vacuandi, minimè per aluũ, ſed per ipsã cutem ſudoribus, balneis, frictionibus, inunctionibus, de quibus diffusè tractat Gal. *in lib. de tuenda valetudine.* Demũ verò ſi propter nimiã cutis denſitatem & conſtipationẽ corpus nequeat dirigere & tranſpirare, præſidiis moderatè calefacientibus & humectantibus agendum eſt: itaque cõueniũt moderatæ corporis exercitationes, leues, faciles, & lõgiores frictiones, nõ linteis, ſed manu factæ, balnea aquæ dulcis calidiosis, inunctiones moderatæ calidæ, ex oleo dulci tenui, amygdalarũ dulcium, chamæmelino, & aliis id genus, quæ poſſunt externas corporis partes calefacere, humectare, mollire, & laxare, de quibus loquitur diffusè Galenus 8. *meth. cap.* 2. vbi agit de curanda febre ephemera propter meatuum conſtipationem.

CAPVT VII.

De canino appetitu.

Appetitus deprauatus quotuplex.

POſt abolitam & diminutam appetentiam ſequitur vt tractemus de deprauata quam diximus eſſe duplicem; alteram, quando ægri immoderatè & præter modum appetunt alimenta; alteram, quando appetunt res à natura abhorrentes, quam quidem materiam alioquin pulchram & vtilem cum plerique omnes interpretes, & veteres & recentes tracteot admodum perplexè & confusè, nos conabimur pro viribus perſpicuè & ordinatè tractare, incipientes à priori differentia, quæ pertinet ad immoderatum appetitum.

Tria ſunt nomina quib. auctores hoc ſymptomà ſolent vocare. Primum, eſt immoderata appetẽtia ſimpliciter. Secundum eſt appetentia, quã *caninam* appellant. Tertium eſt, quod dicitur *Bulimos*, quæ ferè conſueuerunt ſimul confundere, quaſi iſthæc tria nomina vnũ & idẽ ſignificent: cũ tamen, mea ſententiâ, inter ſe lõgè differant: quã quidẽ iſtorũ nominum diſtinctionem licet nobis colligere ex Gal. tum aliis locis, tum potiſſimũ 2. *aphor. com.* 21.

Namque immoderata appetentia ſimplicites eſt maximum cibi deſiderium, quale plerunque videmus fieri in athletis, in his qui vehementiſſimè laborant, vigilant, vel aliter inſignes patiuntur corporis diſſolutiones, quæ tamen appetentia ſumpto alimento quieſcit. Canina autem fames talis eſt ac tantus ciborum appetitus, vt ægri quãtumuis copiosè & frequenter comedant, nunquam ſatiari poſſint. Bulimos verò definitore Gal. in 2. *aphor. com* 21. nihil aliud eſt, quàm labefactatio facultatis à frigore externo, quæ quidem à fame inchoauit, ſed famem ampliùs non habet adiunctam. Hæc eſt proba declaratio iſtorum trium nominum, ex qua equidem puto hanc tractationem plurimum lucis accipere poſſe.

Definitio.

Itaque canina appetentia, de qua agimus in præſentia, eſt perpetua, maxima, atque inſaturabilis fames; plerique adduot cum vomitu & alui deiectione, quæ ſanè differentia non videtur fuiſſe prætermiſſa à Gal 6. *de loc. aff. c.* 3. vt ſcribit, hoſce ægros ſimul atq; affatim repleti fuerint, paulo poſt aut per vomitum, aut per aluũ graue id onus deponere, quod ferre nequeũt. Sed notandũ Gal. loqui diſiũctiuè, aut cum vomitu. aut cũ alui deiectione, ſicuti etiã deſiunctiuè loquitur Rhaſis, qui ita habet: *Cum quis famem aſſiduè patitur, & cibus poſt comeſtionẽ adeo grauat, vt aut vomere, aut per inferiorẽ partẽ ipſum eiicere cogatur, &c.* Quamobrẽ canina fames eſt aſſidua & inſaturabilis ciborum appetentia, vel cum vomitu, vel cum alui deiectione,

Itaque erit ſymptoma, actio læſa deprauata appetricis facultatis ventriculi.

Differentia. Differentiæ huius ſymptomatis præcipuè ſumuntur à cauſis, in quibus quidem etſi auctores maximè diſſentiunt, in eo tamen videntur omnes conuenire, huiuſmodi cauſas eſſe varias ac multiplices. *Cauſa.* Alexand. tres ponit, intemperiem frigidam, intemperiem calidam, & imbecilitatem facultatis retentricis. Auic. ponit longè plures primam: vacuationes & febres prolixas & reſoluentes corpora: ſecundam, debilitatem virtutis retentiuæ in corpore; tertiam, caliditatem ſuperfluam in orificio ſtomachi, reſoluentem & requirentem inſtaurationem: quartam, ſuperfluitatem caloris in toto corpore, & in extremitatibus eius, quæ reſoluat, & cogat venas vti ſuctione, quæ tandē perueniat ad vos ventriculi: quintā externā aëris caliditatem ac præcipuè ſi corpus fuerit rarum & reſolubile: ſextam, ſuperfluitatem raritatis propter calidiorem intemperiem digeſtionem & reſolutionem, ac maximè ſi externa accedat quoque caliditas: ſeptimam, catarrhum ex cerebro deſcendentem ad ventriculum: octauam, vermes & ſerpentes magnos, quæ animalia omnia deuorant, & dimittunt corpus & ventriculum inania: nonam, humorem acetoſum, melancholicum, aut pituitoſum, commouentem os ſtomachi: decimam & vltimam, ſuperfluas vigilias, quæ reſoluunt & extrahunt humiditates ad exteriora ſequentes dilatationem caliditatis. Has omnes cauſas ponit. Auicenna appetitus canini, ex quibus auctores deinceps, ac præcipuè expoſitores noſtrorum temporum, accipiunt quidam plures, quidam pauciores. Altera autem ex parte Galenus vnicam tantùm caninæ appetentię cauſam ponit, nempe intemperiem frigidā oris ventriculi, vel cum materia, vel ſine materia, qui dicit ad hunc modum 2. *aphor. com.* 21. *Canini appetitus fieri conſueuerunt vel propter ſolā intemperiem frigidā, vel propter humores acidos, quos exſorbuit os ventriculi.* Quid igitur ſtatuendum eſt? Ego quidem cenſeo. Alexand. Auic. ac cæteros illorū imitatores malè, Galenum autem bene ſentire. Nam cum fames canina ſit continua, & quæ cibis, quantumuis frequenter & copiosè exhibitis, ſatiari non poteſt, vt cauſa quoque adſit ſtabilis & continens & quæ perpetuò hunc ſenſum præbeat neceſſe eſt. Cæterum illi omnes mea ſentētia, ſunt hallucinati, propterea quia confundunt eas voces, de quibus diximus à principio, ac ſpeciatim neſciunt diſtinguere vehementem appetitum, ſimpliciter à canina appetentia. Sed quis hoc loco nobis obiiciat Gal. qui *de ſymptomatum cauſis* 7. *Obiectio.* non tantummodo vnam, ſed duas cauſas canini appetitus ponere videtur: alteram, cum acidus quiſpiam humor vitioſum ventriculum mordet: alteram, vbi totum corpus immodicè euacuatur, ſiue id fiat propter robur & violentiā caloris vniuerſi corporis, ſiue propter imbecillitatem facultatis retentricis. Ad hoc reſpondeatis, Gal. eo loco ſermonem habere de vehementi atque intenſo, minimè autem de canino appetitu: quam quidem Gal. mentem illius verba manifeſtè declarant: cum enim tractaſſet de abolita & imminuta appetentia, deinceps agit de deprauata, quæ ſola quantitate modum excedit, quæ certè non alia eſt quàm vehemens & intenſa appetentia, quam inquit à nonnullis famem vocari caninam, adeò vt certum ſit Gal. eo loco minus propriè loqui, atque ex ſententia aliorum: ſiquidem multi etiam hoc tempore & vulgo omnem vehementem appetitum famem caninam ſolent appellare: ſed præterea, ſi res ipſa conſideretur, nullo modo fieri poteſt, vt ex nimia totius corporis vacuatione, ac ſine peculiari & permanente morbo ventriculi, generetur fames, quæ neque momento temporis intermittat, neque vlla ciborum copia & frequentia ſatiari poſſit: ſiquidem quomodocunque tandem vniuerſum corpus digeratur ac diſſipetur, veriſimile eſt, vel potiùs neceſſarium, repleto ventriculo, aliquo, ſaltem breui, tempore comedendi appetitum remitti & quieſcere, donec rurſum generalis ea fiat diſſipatio, quam certum eſt in inſtanti fieri non poſſe. Quod ſi Galen. hoc modo intelligatur, vt certè debet intelligi, vtique fatebimur eum ſibi ipſi conſentire, & veras vtriuſque, & ingentis appetitus, & caninæ famis cauſas tradidiſſe. Nam reuera quatenus pertinet ad intenſum appetitum, ſi memoria repetantur quæ iam diximus de naturalis famis generatione, cum digeſtio & inanitio illarū partium quæ ſunt ſub cute, ſint in cauſa, cur illæ per venas à partibus proximis attrahant, vt rādem attrahant, vt tādem ad os ventriculi, nulli dubium eſſe poteſt, ſi talis digeſtio & diſſipatio fiat immoderatè, & ſupra naturæ inſtitutum, quin immoderata quoque attractio & ſuctio cæterarum partium, ac poſtremò ipſius vētriculi fiat, ex quo deinceps neceſſe eſt ingentem, atque immoderatam appetentiam excitari. Quamobrem ſumma cum ratione immodica totius corporis vacuatio, poſita à Galeno, & quæcunque huiuſmodi euacuationem poſſunt efficere, maximè exercitationes, vigiliæ, & alia id genus, de quibus prolixè Auic. ſtatuendæ cauſæ ſunt ingentis appetitus. *Vermes.* Inter quas certè digna eſt maxima animaduerſione cauſa vermium, quorū Gal. quoque mentionem habet in libello *de theriaca ad Piſonem ca.* 15. qui ſcribit theriacam potenter ſtrangulare eos lumbricos qui morantes inteſtinis, maximum alimenti deſiderium excitant, nec non mirabiliter eiicere ex inteſtinis latum illum vermem, qui ſuſceptum deuorat alimentum, atque ideo totū corpus extenuat. Sic Alexād. *lib. 7. cap.* 4. recitat hiſtoriam *Hiſtoria.* cuiuſdam mulieris, quæ cum multa & immodica alimenta acciperet, omniaque concoqueret, & nunquam ſaturari ſe diceret, tandem accepta hiera vermem proiecit, qui longitudine duodecim cubitus & plures habere putaretur, cum quo verme immoderata & violenta illa fames ſtatim conquieuit: in qua tamen re Alexand. fuit deceptus, cum cenſuerit hunc affectum fuiſſe bulimum, in quo nulla prorſus eſt fames, vt poſtea videbimus.

Statuebamus cum Gal. vnicam tantùm cauſam famis caninæ, nempe intemperiem oris ventriculi *An ab intemperie calida poſſit dependere.* frigidiorem, vel cum materia, vel ſine materia: verùm Alex. & Auic hic rurſum Galeno ſunt moleſti, qui contendunt famem caninam fieri poſſe ab intemperie, non ſolùm frigida, ſed etiā calida quæ diſſoluendo humores ventriculi, illum reddat inanem, efficiatque triſtem illum ſenſum ac famem: in qua quidem re illi mea ſententia decipiuntur. Nā ſicuti negandum non eſt, caliditatem vniuerſi habitus corporis, quæ raritatē cutis laxitatémque, & ingentem diſſolutionem efficiat, inanitis cunctis partibus, in cauſa eſſe vt fiat fames: ita nullo modo fieri poteſt, vt ex intemperie vētriculi calidiore itidē fames generetur, quę potius laxat os ventriculi, ac fundit humores, quibus illud poſſit repleri, vt ſuprà demōſtrauimus ex Gal. in 1 *de ſymp. cauſ. c.* 7.

Pręterea cū Gal. reponat inter cauſas intenſi appetitus *An melancholia poſſit producere famem.* acidorū humorum vitiū, iſti autē ſint duo tātūmodo, pituita & melancholia cū nemo dubitet de acida pituita, quęritur an acida melancholia vtcūque poſſit famē excitare? De qua re eſt inſignis, & diu agitata cōtrouerſia inter Auic. & quoſdā recentiores, quā cū nolim in preſętia lōgius agere, illud nobis fuerit ſatis ex Gal. ſentētia in libello de

plenitu

plenitudine, *cap.11. nec non 6.de locis affectis cap.*1. non ſolum pituitam, ſed etiam melancholiam, ſi acidæ fuerint, poſſe famē efficere, propterea quod vt dicit Gal. dicto *1.de ſymp.cauſ.cap.*7. quæ acida ſunt partium tenuitate vellicant, & quaſi mordent os ventriculi, ex quo eundem ferè ſenſum in ipſo excitant, quem ſuctio venarum ſolet excitare. Vtrùm autem fames excitata ab eiuſmodi humoribus, ſit ſecundùm vel præter naturæ inſtitutum de qua item diſputat Valerius Hiſpanus, & alij recentiores, aliàs fortaſſe à nobis quoq; tractabitur.

Signa. Signa caninæ appetentiæ ſunt manifeſtiſſima, ægri ſemper conqueruntur, alimenta poſtulant & comedunt, ventriculus perpetuò grauis eſt, contingit aliquando vomitus, nonnunquam copioſa alui deiectio, manifeſta apparent indicia frigidæ intemperaturæ oris ventriculi, de quibus alias diximus. Si adſit in ventriculo pituita, erunt ructus & vomitus acidi, plurima ſputa, alui excrementa humida. Si melancholia erunt perturbatæ imaginationes, lien erit affectus, præceſſere victus ratio, & omnia quæ potuerint hanc intemperiem, atque acidos humores generare. Itaque iam veniamus ad curationem.

Curatio. Si fuerit intemperies ſimplex ſine materia, ſimplicem præbet indicationem, vt nempe calefacientibus intemperiem tollamus, ac rebus pinguibus famen remittamus, quæ os ventriculi replere, laxare & mulcire poſſunt, qualem rationem curandi habetis à Gal. in 2. *aphor. comm.* 21 qui ex ſententia Hippoc. laudat cum primis potum vini meracioris, id eſt, potentis, quod valenter calefaciat, & illud quidem copioſum, qualia ſunt præcipuè vina græca, quæ equidem cenſeo cum Auic. exhibenda eſſe actu calida, cum actualis frigiditas quoquomodo poſſit intemperiem augere.

De hoc tamen vino dubium eſt, vtrùm debeat exhiberi ante vel poſt alimenta: Gal. loco citato videtur illud exhibere poſt ſumptum alimentum; Auicen. autem & alij magis illud probant ieiuno ventriculo: in qua re, ſi fuerit intemperies ſine materia, crederem cum Auic. illud exhibendum eſſe ante cibos, quo tempore certum eſt id multo magis poſſe intemperiem iuuare: ſi autem fuerit intemperies cum materia, ac præcipuè ſi ægri habeant caput minus robuſtum, quod ipſe quoque Gal. animaduertit, fortaſſe opportunius cum Gal. exhibendum foret poſt alimenta. Hoc ipſo alterandi conſilio poſſumus & alia adminiſtrare medicamenta, quæ calefaciant & intemperiem auferant: *Interna medicamenta.* interiùs eſt conſerua betonicæ, menthæ, hyſſopi, diacyminum, diacalamenthum, ac poſtremo mithridatum & theriaca, quam paulo ante vidimus apud Gal. hac in re habere magnam prærogatiuam. *Externa.* Exteriùs ſunt olea, chamæmelinum, amygdalarum dulcium, amaracum, & alia id genus: in quibus quidem cunctis præſidiis, tam intrà, quàm extrà, id perpetuò eſt animaduertendum, vt *Cautela.* ea declinemus, quæ adhuc magis poſſunt cogere & conſtringere orificium ventriculi, magis autem illis vtamur, quæ illud mollire & laxare poſſint. Deinde Gal. inſtituit commodam victus rationem, edulia pinguia, oleaginoſa, & quæcūque ex multo oleo parari ſolent, ac potiſſimùm adhibita cautione, ne quid permiſceatur auſteri vel acidi; ſorbent itaque opportuna alimenta, caro pinguis porcina, vitulina, gallinarum, coturnicum; iura item pinguia, ſicuti iura inteſtinorum, quæ etiam ipſa poſſunt exhiberi pro alimento, adeo vt iſti ſanari poſſint ſumma cum delectatione & voluptate. Auicenna probat oleum cum ſacchato: probarem ego oleum amygdalarum dulcium, hæc enim alimenta, & quæ horum imitatione facilè poſſunt parari, laxant & molliunt os ventriculi ipſamque famem inſigniter obtundunt: qua quidem victus ratione Galenus fatetur ſe nonnullos ſanaſſe, qui ingenti ac perpetua fame laborabant.

Si verò fuerit intemperies cum materia, hanc primùm decet abſtergere, incidere, attenuare, cum melle roſaro, oxymelle ſimplici, cum diacymino, diacalamentho, capparibus & oliuis præparatis; in ruſticis cum porris, alliis, cepis & ſimilibus. Deinde præparata materia niſi illa commodè poſſit educi per vomitum, purganda eſt leuiori aliquo medicamento: expurgato ventriculo deinceps alterantibus agendum eſt.

Atque hactenus de fame canina, vbi nec id poſtremo hoc loco prætermittendum eſt, quod pertinet ad prognoſticum, curationem eſſe maximè difficilem, cum frequenter huiuſmodi morbus deducat homines ad cœliacam paſſionem, lienteriam, hydropem, bulimum, ſyncopen, & tandem ad mortem. Sequitur de bulimo. *Prognoſtica.*

CAPVT VIII.

De Bulimo.

INter plurimos Scriptores de morbis, neſcio an ſit aliquis, vno excepto Gal. qui probè intelligat, naturam huius affectus: conuenit tamen inter omnes, hac voce ingentem prorſus famem ſignificari, ſicuti ipſa nominis ratio videtur perſuadere: nam hæc dictio græca βȣ̃ aliis adiuncta vocibus videtur habere vim augendi ſignificationes earum: ex quo factum eſt, vt quamplurimi cenſeant famem caninam & bolimon vnum & eundem affectum eſſe, ſimulque tractant de vtroque ſub vno capite: ſic Theodorus Gaza, optimus alioqui interpres, bulimum vbique vertit caninam appetentiam: alij confundunt bulimum cum pica, ex quibus eſt Alex. Aphrodiſæus in ſuis problematibus; alij aliter cenſent: quantum verò omnes fuerint hallucinati, ſatis demonſtrat Galenus, qui dicit apertiſſimè, bulimum longè differre à canina appetentia, imo verò in eo omne prorſus alimenti deſiderium auferri, ſcribit enim ad hunc modum: *Qui bulimum putant famis nomine dictum fuiſſe ab Hip. hi mihi videntur abſurdè eius verba audire, primùm quod pro generali oratione particularem faciunt; deinde quod falſum etiam dicunt ſiquidem bulimos eſt virtutis proſtratio ab externa frigiditate profecta, quæ à fame quidem principium ſumit, ſed famem amplius non habet adiunctam* Hæc vera eſt atque legitima deſcriptio iſtius affectus; ex quibus apparet, bulimum non illud eſſe quod nomen ipſum ſonat, ingentem ſcilicet famem, quæ quamuis principio fuerit, paulo tamen poſt nulla prorſus exiſtit, & in totum languente nimiùm ventriculo, ac pene extincta illius caliditate aboletur: imò verò idem Gal. teſtatur 1. *ad Glauc. cap.* 14. bulimum nihil aliud eſſe, propter imbecillitatem virium, quàm deliquium animi. Auic. 3. *canone fen.* 13. *tractatu* 2. *cap.* 15. ſatis commodè mihi videtur hunc affectum definire, quem ſimul cum Serapione appellat famem vaccinam.

Bulimus, inquit, *eſt fames membrorū, cum ſatietate ſtomachi. Sunt igitur mēbra famelica valde, & indigentia nutrimento, & ſtomachus reſpuens ipſum, & quādoque res peruenit in eo ad ſyncopen, & vena quidem ſunt vacua, ſed ſtomachus reſpuit cibū abhorrens ipſum.* Hæc Auic. de bulimo, qui fortaſſe melius quàm cæteri omnes, & ad mentem Galeni magis.

De cauſis huius affectus antiquiores Medici non conſentiunt. Alexand. vult illum fieri ex immoderato calore & imbecillitate oris ventriculi. *Cauſæ.*

Digitized by Google

Gal. ſtatuit eum fieri ex vna intemperi ventriculi frigidiore, & illa quidem quæ ab externa intenſa refrigeratione oriatur. Auicen. quaſi medio quodam modo cum Galeno aſſerit, bulimom fieri ex intemperie frigida, nec non cum Alex. ex intemperie calida. In qua diſſenſione etſi negandum nõ eſt facultatem oris ventriculi poſſe labefactari, non modo ex frigida, ſed etiam ex qualibet intẽperie, quod ſuprà notauimus ex Gal. tamen equidẽ puto hunc affectũ potiſſimùm ac maxima ex parte fieri ex intemperie frigidiore, & illa quæ habuerit maximam ac violentiſſimã occaſionẽ, qualis eſt diuturna mora in aëre frigidiſſimo; quãdo vix fieri poſſe videtur, vt ex intemperie orta propter leuiorem cauſam ægri deducantur in tantum vitæ periculum. Itaque tenenda eſt ſententia Galeni, bulimon fieri ex intemperie ventriculi frigidiore, quæ ſpeciatim ortum habeat ex frigiditate admodum vehementi ipſius aëris. Cum Galeno inter cæteros conſentit Plutarchus, qui in ſympoſiacis *lib.6.cap.8.* aſſerit eos potiſſimùm tentari bulimo, qui per altã niuem iter faciunt: quo morbo dicit laboraſſe Brutum, qui Dirrhachio Apolloniã tendens in magnum vitæ diſcrimen incidit ex hac affectione: nix enim alta erat & qui cõmeatus portabant, nemo ſequebatur: cum igitur ille animo deficeret & animam ageret, neceſſariò milites ad muros accurrerunt panem poſtulatum ab hoſtibus, quo ſtatim accepto Brutum refecerunt, qui illa vrbe potius propterea omnes clementer tractauit.

Signa. Signa ſunt propemodum manifeſta, ægri prorſus omni priuantur appetentia, torquentur ſtomacho, viribus deficiunt, animo linquuntur, refrigerantur corde & extremis partibus, habent pulſus raros, tardos, paruos, & imbecilles, quos ſæpenumero excipit ſyncope & mors: præceſſere fames, externa inſignis refrigeratio, & quæcunque ventriculum & corpus vniuerſum potuerint inſigniter refrigerare: Accedo ad curationem.

Curatio. Cum ſcribat Gal. *de ſymptomatum cauſis cap. 7.* in bulimo tria reperiri, refrigerationem ventriculi, indigentiam & imbecillitatem, tres pariter nobis ſeſe offerunt curandi indicationes, vt calefaciamus, vt expleamus, vt roboremus ventriculum: inter quæ etſi debilitas virium, quibus frequenter ſuccedere ſolet animi deliquium, veluti quoddam ſymptoma ad alia ſequatur, tamen eſt tanti momenti, vt ſumpta indicatione ab eo quod magis vrget, ex doctrina Gal. 7. *meth. cap.* 12. omnem ad ſe trahat curationem. Itaque omnium primum eſt animaduertendum, an æger deliquerit animo, ſicuti euenit Bruto, aut ſaltem prope ſit vt delinquat: in quo caſu cæteris omnibus neglectis, nos decet conari omni ſtudio, vt animus ad ſe redeat, id quod fiet, docente Gal. tum alijs in locis, tum maximè 1. *ad Glauc. cap.* 14. ſi primùm adhibeantur reuulſiones, quarum ſpeciatim mentionem facit ex Archigene 8. *de compoſ. med. ſecundùm locos cap.* 8. quales ſunt extremarum partium frictiones, ligaturæ lotiones cum aqua calidiore, pilorum euulſio, & aliarum ſenſibilium partium vellicatio: deinde ſi boni & grati odores naribus offerantur, ſicuti origani, pulegij, calamenthi, fructuum malorum citoniorum, carnium aſſatarum; inter cætera autem odores vini aromatici ac panis recentis videntur hac in re habere inſignem prærogatiuam: qui quidem odores non ſolùm proſunt ea ratione quòd ſuccurrant ſymptomati, ſed etiam quoniam nutriunt ſpiritus, & reſtaurant vires: namque, vt dicit Galen. 2. *aphor. com.* 1. ex auctoritate Hippo. in lib. de alimento: *qui ſunt genti cæteri alimenti appoſitione, his humidum ad recuperandas vires remedium optimum eſt: quod ſi adhuc multo celeriore indigeant, odoribus ſunt recreandi.*

Vbi verò æger fuerit immunis defectus animi, tunc cæteris indicationibus ſatisfaciendum eſt, quæ erant duæ; altera, vt corpus nutriatur propter defectum alimenti: altera, vt calefiat ventriculus propter frigidiorem illius intemperiem. Primæ indicationi ſatisfiet, ſi alimenta exhibeantur quæ citò & facilè poſſint vires inſtaurare, qualia ſunt panis ex vino, & illo quidem calido, vt citiùs penetret, oua ſorbilia, panis ex optimo iure præparatus, ferculum illud vulgare quod conficitur ex ſucco carnium contuſarum, & alia id genus, quibus haud fuerit inutiliter permiſcere aliquid cinnamomi, piperis, vel alterius aromatis. Quod ſi ægri nequeant cibos aſſumere, ore aperto & omni adhibita induſtria cogendi ſunt, vt illos aſſumant. Poſteriori autem indicationi ſatisfiet ea ratione, de qua ſatis diximus in curanda frigida intemperie ventriculi. Sequitur pica. *Alimenta cito nutrientia.*

De Pica.

IAm ſuprà diximus ex Galeni ſententia, deprauatam appetentiam eſſe duplicem: alteram quando homo immoderatè & præter modum appetit alimenta, de qua ſatis diximus: alteram, quando appetit quæ ſunt à natura aliena, de qua agendum eſt in præſentia. Hic affectus Græcis *κίττα*, Latinis *pica* vocatur, alij *picationem* interpretantur. Plinius *grauidarum malaciam* appellat, Lucretius *pelamiam*. Nomen autẽ huic malo impoſitũ eſt Ariſtotelis teſtimonio 3. *de hiſtoria animalium cap.* 5. à pica aue, nam vt hæc auis pictam in plumis varietatem oſtendit, ita in hoc malo grauidæ potiſſimùm mulieres omnis generis prauos appetunt cibos: alij verò vt dicit Plinius, hoc vitium ita dictum fuiſſe putant, quòd hæc ipſa auis eo ſæpe affectu tentari ſoleat. Huius affectus natura, differentiæ, ac ſymptomata copiosè atque accuratè deſcribuntur à Galeno. 1. *de ſymptomatum cauſis cap* 7. quorum ſumma eſt talis. Primùm quidem huiuſmodi ægroti praua & à natura abhorrentes qualitates appetunt, varia autem iſta ſunt pro varietate vitioſi excrementi, obſidentis os ventriculi; ex quorum excrementorum putredine & corruptione cum variæ prorſus ac multiplices qualitates & formæ gigni poſſint, facilè fit, vt varij quoque & multiplices deprauati appetitus contingant, quorum vix probabilis ratio reddi poteſt: plurimi appetunt acida & acerba, quandoque acria, terram, extinctos carbones, calcem, alia eiuſmodi abſurda: alii appetunt quædam obſceniora: ego olim domi habebam puellam, quæ auidiſſimè candelas cereas deuorabat.

An ſimilia appetant. Verùm autem iſti appetant ſimilia vel diſſimilia illi vitioſo excremento, quod continetur in ore ventriculi, non omni ex parte conueniunt auctores: ego quidem cenſeo, (nolo autem hanc rem ſubtiliùs diſputare, quæ nihil ad curationem pertinet) hoſce ægrotos appetere res contrarias, & quæ poſſint illius excrementi vitium corrigere: exempli gratia, ſi fuerit excrementum humidum, vt appetant carbones, & id genus exſiccantia, ſi fuerit calidum vt appetant acida, fructus immaturos, & ſimilia. Ratio quæ in primis mihi iſtud perſuadet, illa eſt, quia, vt dicit Gal. *in arte medica cap.* 67. malæ temperaturæ quæ morbi ratione vẽtriculum occupant, hoc differunt ab his quę naturales exiſtunt, quoniã contraria, non autem ſimilia appetunt, vt naturales. Quod ſi ex naturali appetitu illa appetimus, quę ſunt nobis ſimilia, & ex quibus nutriri poſſumus, cur non contrà nobis liceat

collige

Google

colligere, propter copiam prauorũ excrementorũ, quæ ſunt præter naturã, ægrotos contraria appetere, ſicuti euenit in intemperaturis præter naturam?

Quo tempore grauidas infeſtet. Deinde Gal. aſſerit, hoc morbo mulieres potiſſimùm viſcoſis refertas humoribus laborare conſueuiſſe, cum vteru gerunt, idq; vitium in complutibus earum perdurare vſq; ad ſecundum & tertium menſem, quo deinceps tempore, nempe quarto menſe malum quieſcit, tribus quidem de cauſis: primùm, quòd vitiati humores crebris vomitionibus, quibus grauidæ infeſtantur, ſint præcedentibus menſibus euacuati: ſecundò, quoniam vitioſus ille humor tempore fuerit concoctus, propterea, quia propter faſtidium quo grauidæ frequenter laborant, parum cibi planè ſumpſerint: tertiò, quòd plenitudo, aut veriùs cacochymia, vacuatione quæ per fœtum facta eſt, fuerit imminuta: nam primis duobus aut tribus menſibus, quibus prægnantes hoc vitio laborant, fœtus parum ſanguinis ad ſe trahit, eo quod adhuc minimus ſit, adeo vt hoc tempore ne fœtus quidem nominetur, ſed conceptus, quemadmodum Gal. docet lib. 1. *de ſemine*: vbi verò conceptus maior ſit, copioſioriq; indiget alimento, tunc non ſolùm quod in venis optimum eſt, ſicuti antea faciebat, ſed aliquid etiam vitioſi ſimul attrahit, ex quo ſit vt totum corpus plenitudine laborare deſinat, & nimis vitioſo ſucco infeſtetur.

Morbus etiã eſt virilis. Illud poſtremò addit Gal. viros quoq; perinde atque mulieres quandoq; huiuſmodi prauas qualitates appetere, cum ſcilicet ipſi in ventriculi orificium ſimilis aliquis vitioſus ſuccus procubuerit, inter quos experientia demonſtrat, pueros longè magis quàm adultos huic morbo obnoxios eſſe: cum enim illi plurimum ſint voraces & in omni victus ratione grauiſſimos errores ſoleant committere, vitiata prorſus coctione, vt multa generent excrementa neceſſe eſt, quæ deinceps praua acquiſita qualitate incidentia ori ventriculi, ſunt in cauſa, vt illa appetantur, quæ ſunt abſurda & à natura hominis abhorrentia.

Curatio. Signis quæ hoc vitium demonſtrent, nullis opus eſt, cum ſint manifeſtiſſima: itaq; accedamus ad curationem, quæ tota videtur duas præcipuè partes continere: alteram, quæ pertinet ad vacuandos vitioſos ſuccos, qui continentur in ore ventriculi: alteram, quæ proſpiciat ipſi ventriculo laboranti, ſi quam intemperiem contraxerit: ſed cum maiori ex parte laborent hoc morbo vterum gerentes mulieres, quas auctore Hip. in aphor. non licet purgare primis menſibus, nulla ratio magis tuta & ſalutaris curandi illas, mea ſententia poteſt inſtitui, quàm ſit proba & accommodata victus ratio: quòd ſi mulieres tamen ſint faciles & procliues ad vomitum, hic placidè ac ſine labore excitatus, ſine dubio poterit vehementer prodeſſe: ſed his præterea leuiora nonnulla tutò poſſunt offerri, quæ vitiatum vtcunq; humorem poſſint detergere & vacuare, exempli gratia mel roſaceum cum oxymelite ſimplici; ita extrà poterit ventriculus moderatè foueri oleo de abſinthio maſtichino, & ſimilibus. At verò ſi pueri ad eam ætatem peruenerint, in qua velint & poſſint aliquo ſaltem modo expurgari, vel adulti hoc morbo laborent, his primùm exhibeatis quæ poſſint vitioſum humorem incidere, detergere & præparare: deinde illos decet & ſemel & bis euacuare, ſed leuiore aliquo medicamento: quale in primis eſt aloë hiera, & quæ ex his componuntur. Demum verò habenda eſt ratio ventriculi laborantis, ea ratione, de qua iam diximus in curanda ventriculi imbecillitate. Et hactenus de deprauata appetentia, ſequitur de ſiti.

CAPVT IX.

De Siti.

Symptomata ſitis. Sitis, vt placet Ariſt. 2. *de anima*, eſt appetitus frigidi & humidi, ſicuti fames eſt appetitus calidi & ſicci. Illud verò primo loco eſt notandum, quod dicit Gal. 1. *de ſympto. cauſis cap.* 7. in appetentia potionis eadem contingere ſymptomata, quæ dicimus euenire in appetentia alimenti: namque ſitis vel prorſus tollitur, quando corpus nulla eget potione; vel minuitur, quando homo ſitit debiliter, & minus quàm conueniat inſtituto naturæ: vel deprauatur, quod ſit dupliciter; vno modo, quando immoderata appetitur potio: altero, quando appetuntur prauæ & alienæ qualitates. Sed nonnulli dubitant, vtrùm imminuta vel abolita appetentia potionis debeat reponi inter ſymptomata morbifica: ſiquidem nihil vel parum ſitire non videtur eſſe res præter naturam, imò verò contrà videtur deſiderabile, iucundum & ſalutare, vel non ſitire, vel debiliter. Ad hoc reſpondeatis, debilem & abolitam appetentiam potionis ſymptomata eſſe, atque omnino præter naturam: namq; vt dicit Gal. 4. *de vſu partium cap.* 5. Hipp. in lib. de alimento circa finem, potionem & humiditatem vocat ὄχημα τροφῆς, hoc eſt, vehiculum alimenti; *Vſus potus.* neq; enim ex ventriculo in venas commodè tranſſumi poterat chylus, iam factus ex alimentis, nec facilè pertranſire venas quæ ſunt in hepate & multæ, & anguſtæ, niſi tenuis quædam & aquoſa humiditas fuiſſet ei permiſta: quare ſi quis vel nihil, vel parum ſitiat, ac propterea non bibat, is deſtituetur hoc vehiculo alimenti, ex quo vt multa ſequantur incommoda neceſſe eſt: nam ſicuti cibus ad nutritionem, ita potus ad diſtributionem eſt neceſſarius. Sed præter hæc potus præſtat alium præclarum vſum ventriculo, nempe bonam & facilem concoctionem. Cum enim ſint multæ ſpecies concoctionis, de quibus alias tractabimus, iam didiciſtis ex Ariſt. & Gale. eam coctionem quæ perficitur in ventriculo, eſſe ſimilem elixationi; proinde illa non ſit rectè atq; vt conuenit, niſi in ventriculo ſit humor qui proportione reſpondeat alimentis, quæ alioqui potius vruntur, quàm coquantur: ſicuti accidit alimentis externis quæ coquuntur. In qua re tum alij, tum potiſſimùm Altimarus atq; etiam Trincauellius decepti ſunt, qui aduerſus Galeni doctrinam, & rei naturam aſſerunt, eam tantummodo ſitim inter morbifica ſymptomata eſſe reponendam, quæ creſcit, & naturalis cibi terminos excedit, &c.

Cauſæ. Cauſas trium ſymptomatum, abolitæ, imminutæ, & deprauatæ appetentiæ potionis præclare explicat Gal. 1. *de ſymptomatum cauſis ca.* 6. Nam quæ veluti priuatio potionis eſt, prouenit propter duas cauſas: alteram, frigoris & humoris exceſſum: alteram, quia ventriculus ſuum potionis deſiderium non ſentit. Deficiens verò ſiue imbecilla appetentia potius generatur; vbi iam dictæ duæ cauſæ adſint quidem, ſed minùs vehementes & debiliores. Deprauata autem potionis appetentia deprauato alimenti appetitui proportione reſpondet: immoderata enim appetitus potio, quotieſcunque in ipſis ventriculi tunicis vitioſus quiſpiam humor ſalſus aut bilioſus continetur: interdum verò cum natiua in ipſo humiditas veluti feruet. Prauæ demum & à natura alienæ potiones appetuntur pro ratione eius humoris, qui in ventriculo dominatur, vt ſuprà de pica diximus. Iis addit Galen. hæc ſymptomata his potiſſimùm

 euenire

euenire conſueuiſſe, qui longo tẽpore malo victu vtuntur atq; ex eo ſibi malorum humorũ copiam coacerpiant. Cæterum haſce cauſas à Gal. poſitas veras eſſe, facilè poteſt intelligi, ſi memoria repetantur, quæ ab ipſo ſtatutæ ſunt cauſæ ſitis, & hoc ipſo in loco 1. *de ſympt. cauſ. &* 1. *de ſimp. med. facul. cap.* 32. nec non 6. *de locis aff. cap.* 3. quæ non aliæ ſunt quàm vel defectus humoris, vel exceſſus caloris. Quod ſi ita ſe res habet, vt certè ſe habet, certum eſt hominẽ vel parùm, vel nihil ſitire, propter cõtrarias cauſas, nimirũ quando frigiditas & humiditas abundant in ventriculo: nam quàtenus pertinet ad alterã cauſam, quãdo ventriculus non ſentit propriam paſſionem, ſciatis illud poſſe euenire propter eaſdem cauſas propter quas diximus ventriculum non ſentire ſuctionem, quæ ipſa eſt appetentia alimenti: pariter fit deprauata appetentia potionis. ſi vitioſi humores biliosi, ſalſi, calidiores, adhærent ori ventriculi; nam ſicuti nimia fames generatur ex cauſa frigida, aut ex redundantia humoris acidi, ita nimia ſitis fit ex intemperie calida & ſicca, vel ex copia humoris ſalſi & calidioris. Ex quibus vno verbo licet colligere, illa omnia ſiue interna, ſiue externa quæcunq; illa fuerint alimenta, potiones, medicamenta, aër ambiens, immoderatæ exercitationes, vacuationes, & id genus alia, quæ poſſunt vel calefacere, vel ſiccare, vel ſimul calefacere & ſiccare, nec non gignere copiam flauæ bilis, ſalſæ pituitæ, vel alterius humoris calidioris. iſthæc omnia iure poſſe ſitim excitare: ex contrariis verò cauſis, quæ poſſunt vel humectare, & refrigerare, nec non eiuſdem rationis humores generare, vel nullam, vel minimam ſitim excitari.

Mortui ex ſiti. Gale. hoc loco recitat aliquot hiſtorias quorundam qui inexplebili ſiti mortui ſunt, vnius qui viperã comederat: quorundam meſſorum qui vinum biberant in quo vipera mortua fuerat: alterius qui ex veteri vino fuerat inebriatus, &c. quas vnuſquiſque legere apud ipſum poteſt. Neq; verò ſolùm in huiuſmodi ſymptomatibus ventriculus laborat proprio affectu, ſed etiã per conſenſum aliarum partium: ad quem modum dicit Gal 5. *de locis aff. &c.* & 6. *de locis affect. c.* 3. iecur ſitim efficere, ſi calida & ſicca intemperie laboret: hoc idem præſtant viſcera quæ in thorace continentur, vt cor & pulmo de quibus itidem dicit Galen. in arte medica, *cap.* 64. Sic cerebro tranſmittente ad os ventriculi ſalſam pituitam, vel alium quempiam humorem calidum, contingit ſitim ſuſcitari, ac demum ventriculus ſiti laborat aliquando conſentiente corpore vniuerſo, ſicuti accidit in febribus vel aliis huiuſmodi morbis.

Sitis per conſenſum.

Signa Signa ſitis vel abolitæ, vel imminutæ, vel deprauatæ, ſunt manifeſtiſſima, nec ſunt quærenda longiùs. Signa pariter quæ poſſint demonſtrare defectum vel exceſſum caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis, nec non copiam humorum, qui proportione reſpondent huiuſmodi intemperaturis, ex his quæ iam ſunt à nobis tradita, facilè poſſunt in memoriam reuocari.

Si demum laboret ventriculus per conſenſum cerebri, iecoris, & aliarum partium, non deerunt ſigna quæ morbos cerebri, iecoris, & vniuerſi corporis poterunt demonſtrare, quorum tractatio ad eum locum pertinet, in quo ex propoſito de cognoſcendis & curandis vniuſcuiuſque partis morbis agetur.

Signa alia ſitis. De indiciis diſtinguentibus ſitim prouenientem propter affectum ventriculi, ab altera quæ fit propter conſenſum viſcerum contentorum in thorace, loquitur Gale. loco citato in arte med. *cap.* 64. Nam illi qui ſitiunt propter caliditatem cordis & pulmonis, plus inſpirant, longiuſq; expirant, atque æſtum ſentiunt in thorace, & cum potauerint, non ſtatim ſedatur ſitis, vel magis ſedatur frigidi aëris inſpiratione: qui autem ſitiunt primùm laborante ventriculo, percipiunt caliditatem in hypochondriis non iuuantur à frigida inſpiratione, atque ex frigido potu ſtatim recreantur.

Curatio. Iam agendum eſt de curatione, in qua illud primum memoria repetatis, quod ſuprà diximus, ſitim propriè morbum non eſſe, ſed ſymptoma, & ideo illi non conuenire curationem, ſed magis morbo à quo illa prouenit: quamobrem vera & præcipua ratio tollendæ ſitis eſt, quæ reſpicit illius cauſam & morbum quem illa conſequitur: etenim ſi vni attendatur ſymptomati, cum ſitis maximè ſoleat potione ſedari, pro tollenda multa ſiti, neceſſe fuerit multam quoque potionem propinare: copioſa autem potio multa pericula ſæpenumero ſecum affert, quorum à Gal. quatuor enumerantur 6. *de locis affect. cap.* 3. primum eſt vomitus: alterum, velox per aluum deiectio, vt in diarrhæa & leuitate inteſtinorum: tertium, plurima in ventriculo mora: quartum, nimia fluxio vrinæ, quam diabeten appellant.

Incommoda multi potus.

Si quis obiiciat, in febre ardenti curari ſitim inſignem larga potione aquæ frigidioris, huic reſpondeatis, hoc remedium rationem habere non modò ſymptomatis, ſed etiam cauſæ, quandoquidem frigida liberaliter bibita non modò ſitim, ſed etiam febrem poteſt extinguere. Itaq; primum agemus de curando affectu, à quo ſitis originem habet; deinde verò cum ſitis ſit admodum moleſta, & hominem mirabiliter cruciet, nonnulla remedia proferemus, quæ illam ſaltem lenire & mitigare poſſint.

Si igitur imminuatur vel aboleatur ſitis propter frigidam & humidam ventriculi intemperiem, primùm inſtituatur victus ratio quæ poſſit calefacere & exſiccare, de qua diximus. Si hæc intemperies fuerit cum materia, illa primùm exhibeantur, quæ poſſint eam detergere & attenuare: deinde illa expurgetur per hieram, pilulas aloëphanginas, mel roſaceum ſolutiuum, & alia id genus: tum verò illa adminiſtrentur præſidia, cum interiùs, tum exteriùs, quæ intemperiem tollere poſſint.

Quòd ſi abolita vel imminuta fuerit ſitis, propter deperditum ſenſum oris ventriculi, cum id multis modis fieri poſſit, de quibus diximus tractantes de abolita & imminuta ciborũ appetentia, licet eã totam curationem ad hunc locum accommodare. Tandem ſi fuerit ſitis ita deprauata, vt ægri immoderatè ſitiant, & præter modũ, vel à natura abhorrentes appetant potiones, quales ſunt lixiuiũ, aqua marina lotiũ, & alia id genus, cum vtraq; hæc affectio proueniat ex intemperie vel calida, vel ſicca, vel vtraq; ſimul coniuncta, nec non propter vitioſos humores ſalſos, bilioſos, & calidiores, ex his quæ hactenus ſunt à nobis expoſita, ac ſæpius repetita, facile eſt vnicuiq; opportunã curandi rationem & accommodata medicamenta ſibi comparare, vt nolimus hac in re eſſe longiores. Igitur quod vnum reſtat poſtremo hoc in loco agendum eſt de nonnullis medicamentis, quæ ad remittendam moleſtiam ſitis ſunt valde accommodata.

Diuinus Hipp. breuiſſima ſententia, vt perpetuò ſolet, vniuerſam curandæ ſitis rationem videtur præclariſſimè explicare 6. *Epid. ſect.* 3. *text.* 33. quæ eſt hæc. *Sitim extinguunt os claudere, tacere, auram cum potu frigidam haurire.* Continet autem hęc ſententia quatuor præſidia, quorum primùm eſt os claudere, ſecundũ tacere: ſiquidem manifeſtum eſt oris apertionẽ, illiuſq; frequentẽ & aſſiduam commotionem, nec non multam loquutionem, oris humiditatem conſumere, illius partes calefacere, ſiccare

Digitized by Google

care, atq; adeo ſitim inferre: ad quæ duo præcepta referri poteſt quies in vniuerſum, quam pariter conſtat poſſe & os ipſum, & totum corpus refrigerare, humectare, adeoq; ſitim lenire & prohibere: ſicuti contra motus poteſt calefacere, ſiccare, & ſitim augere, prout demonſtrat altera Hipp. ſententia 6. *Epid ſect. 4. text. 15. In calida natura refrigeratio, aqua potio, & quies, conducunt.* Tertium præſidium eſt frigidæ auræ inſpiratio & attractio, quod quidem illius præcipuè ſitis medelam continet, quæ ex nimia caliditate cordis & pulmonis originem habet, ſicuti euenit in febribus & aliis huiuſmodi morbis: huic enim ſiti, vt vidimus ex Galen. aëre frigido ſuccurritur melius, quàm potione. Quartum eſt remedium, frigida potio, quam certè licebit haurire aut ſolam, aut ſimul cum aurora frigida: vtroq; enim modo debita, ſumma cum ratione poteſt ſitim extinguere. Ac ſanè ſicuti tertium præſidium reſpicit ſitim oriundam ex nimia caliditate per conſenſum viſcerum quæ in thorace continentur: ita hoc poſtremum cum primis pertinet ad alteram differentiam ſitis, quæ fieri ſolet laborante ventriculo aut calida, aut ſicca, aut vtraq; intemperie, vel cum materia, vel ſine materia, cui ſine dubio longe melius ſuccurritur potu, quàm aëre: inter quos quidem potus Galen. primum locum tribuit oxycrato. Latini *poſcam* dicunt, & eſt potio confecta ex multa aqua & modico admodũ aceto: huius rationem reddit Galen. 1. *de ſimpl. med. facult. cap.* 29. & 30. Nam tametſi nec aqua ſola poſſit ſitim mitigare, cum nequeat facile ad vniuerſas corporis partes penetrare, neq; acetum ſolum poſſit hoc idem efficere, cum nullam humectandi vim habeat: veruntamen ſi modicum aceti & multa aqua ſimul miſceantur, adeo vt acetum non poſſit quidam detrahere de vi humectandi ipſius aquæ, cum illud propria tenuitate poſſit ad exteroas vſque partes aquam deducere, iure hæc potio ad mitigandam & tollendam ſitim cenſenda eſt præſtantiſſima.

Oxycratum quid.

Sed præterea ſunt quædam partim ſimplicia, partim compoſita medicamenta, quorum meminere Medici antiquiores, quæ videntur in compeſcenda ſiti inſignem prærogatiuam habere. Dioſcorides probat ſuccum liquiritiæ, ſi cauenus in ore contineatur, donec liqueſiat: illius quoq; decoctum eſt optimum. Gale. laudat lactucam & cucurbitam manducatas, ptiſana quoq; fuerit præſtantiſſima: laudatur etiam quoddam Aſclepiadis medicamentum 8. *de med. ſecundam locos cap.* 3. ex ſeminibus cucumeris ſatiui, ex ſeminibus portulacæ & tragacantho diſſoluto ex albumine oui, ex quibos fiant pilulæ continendæ ſub ore & lingua, quod certè medicamentum eſt optimum, cuius quoque mentionem facit Aëtius *lib.* 9. *cap.* 4. & ſit exemplum.

Pilula ſitim extinguentes.

℞. *Seminum cucumeris ſatiui,*
Seminis portulacæ ana. ʒ. iiij.
Tragacanthi ʒ. ij.
Diſſoluto tragacantho cum albumine oui crudi fiant pilula.

Valde opportuna eſt decocta aqua ex ſeminibus lactucæ, cucumeris, liquiritiæ, ſecundùm hanc formam.

Potio contra ſitim.

℞. *Seminum lactuca,*
Cucumeris ana. ℥. ß.
Liquiritia recentis ʒ. j.
Aqua communis lib. vj.
Fiat decoctio & refrigerata bibatur vel ſola, vel cum modico admodum aceto.

Vulgatis & valde efficax eſt mucago pſyllij & cydoniorum, ſecundùm hanc formam.

℞. *Seminum pſyllij,*
Cydoniorum ana. ℥. j.
Macerentur in aqua lactuca, contundantur & extrahatur mucago, cui nonnulli addunt ſyrupum violatum, de endiuia, & in ore contineatur.

Sic familiariter continentur in ore pruna, ceraſa acerba, melones, anguriæ, & alij fructus huiuſmodi, qui concidantur in rotulas paruas, & aliquãdiu detinentur io aqua frigida: videatis Aëtium loco citato: apud alios quoque non deſunt & alia huiuſmodi remedia, quæ non ſunt inutilia. Atq; hactenus de læſa appetentia, & de omnibus morbis pertinentibus ad ventriculum.

CAPVT X.

De Morbis Hepatis in genere.

Iecur, ſi Galeno credimus, omnium viſcerum naturâ primum gignitur, etſi Ariſt. & Auer. aliter ſentiunt: à natura conſtitutum eſt ſedes facultatis appetitricis ſeu concupiſcibilis, primũ omnium venarum, ac generalis ſanguinis inſtrumentum, quod Galen. teſtatur cùm aliis locis tum maximè 4. *de vſu partium c.* 12. Sub ſepto ſtatim collocatur, maximam illius regionem occupans; ſiquidem totam dextrã ſeptimi partem cõtingit, nec non in ſiniſtram quoq; ſe exporrigit nimirum ad mediam vſque coſtarum partem. Iecoris forma varia eſt, & adiacentium membrorum formis reſpondet: nam & ſuperiori parte qua ſeptũ ſpectat, gibbum & leue admodum eſt, cauitati ipſius ſepti planè congruens: inferiori tamen non æquè leue eſt, vt in parte ſuperiore: dum enim ventriculo, duodeno inteſtino, veſicæ fellis, venæ portæ locum præbet: non parum efficitur inæquale. Sub ſtantia iecoris præcipuè conſtat ex carne & venis: nec multum laboro in præſentia, ſiue venas ex iecore, ſiue iecur ex venis oriri cum Veſalio velimus, modò illud vobis conſtet, iecur nil aliud eſſe quàm infinitam prope exilium venarum ſobolem, cui propria ipſius caro & ſubſtantia nuper concreto ſanguini quàm ſimillima, & propterea mollis & rubra adnaſcitur, & quaſi circumfunditur, vnde Eraſiſtratus primus eam παρέγχυμα propriè conſueuerat appellare.

Officium hepatis.

Situs.

Forma.

Subſtantia.

Inſignis eſt controuerſia inter philoſophos & medicos de ſanguinis generatione. Gal. & cum illo omnes medici ſtatuunt carnẽ iecoris primum inſtrumentum eſſe quo exchylo ſanguis generatur. Ariſtotel. opinatur in cauo cordis receptaculo ſanguinem generari: ac demum ſunt nonnulli qui arbitrantur venoſum genus, id eſt omnes venas ad ſanguinem generandum, à natura conſtitutũ eſſe: quorum opinionum mentionem facit Gal. *lib.* 6. *de placitis Hipp. & Platonis.* Sed cum hæc diſceptatio non pertineat ad noſtrum inſtitutum, equidem cenſeo, opinionem Galeni cæteris veriorem eſſe, nempe carnem ac ſubſtantiam iecoris primum ac proprium eſſe inſtrumentum generandi ſanguinis, idq; fieri proprio illius temperamento, vel ſi ita libet, ſua propria & ſpecifica forma, quam nonnulli appellant proprietatem temperamenti.

Sanguis vbi primò generetur.

Etſi multiplices ac propè infinitę ſunt venę, quę per vniuerſum iecoris corpus diffunduntur, duæ tamen ſunt maximè principes, ac veluti fontes quidam: altera, in humiliore illius ſede conſtituta, quam *portã* appellant: altera in ſuperiore parte poſita, quam *cauam* nominant: de quibus atque earum munere ſatis ſuperq; anatomici. Iecur demum alligatur ſepto tranſuerſo duobus ligamentis, ex peritonæo productis; altero in dextro latere, tenui quidem, ſed valde robuſto, *ſuſpenſorium* vulgo

Ligamenta iecoris.

vulgo appellant, propterea quod nobis ſtantibus erectis iecur ſuſpenſum teneat, ne in vehementib. motib. abrumpi aut deorſum delabi poſſit: altero in parte ſiniſtra, quod in acutũ deſinit angulũ: quibus tertiũ accedit ligamentum, quo anteriori parti peritonæi connectitur, olim vena vmbilicalis; hæc enim cum editus eſt fœtus, ſtatim exareſcit & validi ligamenti vicem ſupplet: ex quibus quidem ligamentis tenuis quædam naſcitur tunica, quæ huius viſceris proprium eſt tegumentum, in quam duo quoq; exigui nerui inſeruntur, producti à propaginibus ſextæ coniugationis neruorum cerebri, quorum beneficio iecur, ne ſtirpis modo non ſentiret, tenuem quendam ſenſum in ſuperficie adipiſcitur, quamobrem noxia ſolet percipere: ac poſtremò in cauam iecoris partem inſeritur arteria, quæ totius viſceris calorẽ ventilando fouet & contemperat. Hactenus ſummatim & pro inſtituti noſtri

Morbi iecoris. ratione de anatome iecoris: ex quibus illud primũ licet conſiderare, quibuſnã morbis hoc inſtrumentum poſſit laborare: namq; propter partes ſimilares ex quibus componitur, poteſt laborare qualibet intemperie, & ſimplici & compoſita, & cum materia & ſine materia: itaq; poteſt laborare tumoribus, inflãmatione, eryſipelate, œdemate & ſcirrho, qui tumores veniunt aliquando ad ſuppurationem: de quibus eſt aph. Hip. 7. *apho.* 43 Pariter iecur in externa tunica corripitur quibuſdam veſicis aqua

An œdemate laboret. plenis, de quibus item eſt Hip. 6. *apho* 55. Sed hic nobis ſeſe offert inſignis dubitatio: vtrum iecur poſſit laborare œdemate: nam Gal. vbicumq; ſermonem habet de affectibus iecoris ac potiſſimùm 5. *de locis aff. & cap.* 7. & 8. *de med. ſecund. locos*, nullã œdematis mentionem facit: quem ſequuntur Paul. Aetius. & cęteri illius imitatores: & eſt ratio, quamobrem iecur hoc morbo nequeat laborare, cum œdema generetur ex pituita, quæ ipſo iecore facile vertitur in ſanguinem: imò verò Gal. 4. *de præſagio ex pulſibus cap.* 4. videtur conceptis verbis negare poſſe iecur laborare œdemate: ſunt hæc illius propria verba: Nunquam autem neq; in thoracis, neq; in hepatis tumore, mollis fit pulſus, quia nec naſcitur aliquando his inſtrumẽtis œdema pituitoſum: cõpactior enim eſt thorax, quã qui eam fluxionem admittat: iecur autem non modò compactius, ſed & innata facultate alterat pituitam. Altera autem ex parte Auic. tractat de œdemate iecoris de illius ſignis, & curatione: ſed quod eſt maximi momenti, ipſemet Gal. eodem lib. 4. *de præſagio ex pulſibus cap.* 9. explicat, quales pulſus fieri ſoleant hepate laborante œdemate, qui ſcribit ad hunc modum, ex legitima textus Græci conuerſione, cui vulgaris verſio non conſentit: *Nullus autem pulſus eſt ita mollis, vt qui in cerebro & in pulmone, prope autem alio, eſt qui in ſplene & hepate per œdematoſas affectiones.* Franciſcus Valeſius Hiſpanus, vir profectò nunquam ſine præfatione laudis nominandus libellum confecit quatuor quartarum, de locis manifeſtè pugnantibus apud Galenum, in quo hãc ipſam ponit repugnantiam, quam fatetur nullo modo poſſe excuſari & defendi: itaq; aſſerit Gale. in lib. de pulſibus mente plurimum vagatum fuiſſe, neq; omni ex parte ſuis decretis obligaſſe, quæ re ipſa & experimentis comperiſſet, atq; hinc factum eſſe, vt ratiocinatione nunc huc, nunc illuc liberiùs diuagante, incautè in contrarias aſſertiones inciderit. Ego verò cenſeo hanc apparentem ſanè repugnantiam non eſſe vſq; adeo deſperandæ ſpei, quin propoſiti duo loci poſſint forte etiã ſine multo labore conciliari: pro quo illud ſciendum quod aliàs vulgare eſt apud medicos, & ſcribitur à Gal. principio 2. *lib. ad Glaucon.* nec non primis capitibus *lib.* 14. *de methodo medendi*, nimirũ tumores præter naturã fieri ex fluxione humorũ, qui ſi fuerint ſoli & ſynceri, efficiunt tumores exquiſitos, ſanguis inflammationem: bilis eryſipelas, pituita œdema, melancholia ſcirrhum: ſi verò fuerint permixti, vt ſi ſanguini permiſceatur humor bilioſus, pituitoſus, melãcholicus, tunc efficitur tumor mixtus, qui nomen à vincente humore, cognomen ab altero ſuſcipit: appellant enim inflammationẽ eryſipelatodem, eryſipelas œdematodes, & ſic de reliquis. Itaque ego cenſeo iecur laborare poſſe affectu aliquo œdematoſo, minimè tamen exquiſito œdemate: ſiue enim in iecore generetur ſanguis ſolus, diſtinctus à cæteris humoribus, ſiue vt comprehendit omnes quatuor humores, in qua duplici ſignificatione Medici & Gal. accipiunt nomen ſanguinis, 6 *Epi. ſect.* 2. 7. *ſect.* 4. 29 de qua re & generatione humorum in iecore, audio, nonnulli acriter digladiantur, id tamen conſtat inter omnes, pituitam ſiue ex ventriculo ductam, ſiue in iecore genitam, reperiri in hoc viſcere; ex quo nihil prohibet, mea ſententia, quin illa mixta aliis humoribus poſſit efficere affectum œdematoſum ſicuti contra aut difficultet, aut nullo modo videtur poſſe efficere œdema exquiſitum, cum portio pituitæ ſi cõparetur aliis humoribus contentis in iecore, ſit minima atq; ab eo facilè conuertatur in ſanguinem. Et hanc ſine dubio puto fuiſſe mentẽ Galeni, quam verba illius declarant manifeſtiſſimè Etenim vbi priore capite negat iecur laborare œdemate, vtitur voce propria, & appellãt œdema pituitoſum, quaſi dixerit œdema exquiſitum, quod efficitur ex ſola pituita; vbi verò poſteriore cap. aſſerit iecur laborare œdemate, vtitur voce communi, [illegible], &c. hoc eſt, per œdemotoſas affectiones: vbi manifeſtè concedit iecur poſſe laborare œdemate, non exquiſito. Sed redeo ad rem.

Præter morbos in intemperie, & ſimplici, & cõpoſita, & cum materia, & ſine materia, ſecundò iecur poteſt laborare morbis in compoſitione, ac potiſſimùm obſtructionibus: ſiquidem venę illæ iecoris, quas vocant *capillares*, cum ſint anguſtiſſimæ, ex plurima craſſa & viſcida materia facilè, & frequenter obſtruuntur: neq; enim videtur iecur laborare aliis morbis, in compoſitione, figura, numero, ſitu, tametſi nonnulli aſſerant ſomniantes fortaſſe, iecur aliquando in ſiniſtra parte repertum fuiſſe. Tertiò laborat iecur ſolutione continui, vulneribus, vlceribus, abſceſſibus, quos Auicen. appellat *Dubellati*, & aliis id genus.

Verùm præter hoſce morbos receptos à Gale- *Fernelius notatur.* no, & omnibus medicis rationalibus, Fernelius & cum eo nouatores noſtrorum temporum contendunt iecur laborare alio morbo, nẽpe corruptione ſubſtantiæ, de quo quidem genere morbi plurima eſſent dicenda, ſed cũ hæc diſputatio aliud tempus requirat, illud vnum dico, Fernelium hac in re mihi videri admodũ ieiunè & oſcitanter in artis operibus fuiſſe verſatum. Etenim quicquid tandem ille velit per corruptionem ſubſtantiæ, ſcribit, his qui ita affecti ſunt, virium robur diu infractum perſiſtere, adeo vt ægroti obire poſſint conſueta munia, febrem initio nullã, atq; etiã procedente malo admodum lentã ſuperuenire, ſitim quoq; non acrius vrgere: quæ quidem omnia mihi videntur aliena non ſolùm à vero, ſed etiã à ſimilitudine veri. Quæſo enim quomodo fieri poteſt vt quis habeat ſubſtantiam iecoris labefactatã & corruptã, nec ſimul habeat vires imbecillas, febrem notabilem, ſitim inſignem, & alia deteriora ſymptomata: Sunt hæc profectò neutiquam conſona rationi. Sed præterea Galen. audias, qui exponens aphor. Hip. 7. *aphor.* de iecore ſuppurato, ita ſtatuit; *Quibus in tunica iecoris pus continetur, nihil patiente illius ſubſtantia,*

omnes

omnes ſaluari: quibus verò vſque ad carnem iecoris corruptio pertingit, non abſque ratione omnes mori.

Signa quæ Fernelius ponit, indicantia corruptionem ſubſtantiæ iecoris, ſunt huiuſmodi: ſummum vini optimi ac meracioris deſiderium, eduliorũ ac maximè carnis ingens faſtidium, & alia id genus, quæ omnino ſunt admodum incerta, inconſtantia, & à reipſa aliena: quandoquidem laborante iecore & venis, non deſunt longè opportuniora & veriora indicia, ac potiſſimùm petita ex lotio & aliis excrementis, quæ ſolent conſiderari à Galeno, & ab omnibus probatis medicis, vbicunque de morbis iecoris loquuntur. Verùm de Fernelio ſatis.

CAPVT XI.

De Dolore Hepatis.

CVm igitur iecur poſſit laborare propè omni genere morborum, in primis occurrunt dolores, de quibus primo loco tractat Rhaſes: & ſumma cum ratione, quippe cum illi oriantur ex qualibet intemperie, & ſimplici & compoſita, & cum materia, & ſine materia, vel obſtruente, vel non obſtruente, vel efficiente, vel non efficiente tumores præter naturam, ſub hac tractatione Rhaſea quodamm do· idetur comprehendiſſe omnes ferè iecoris affectus: quare nos quoq; omnium primùm tractabimus de eſſentia doloris iecoris, de illius differentiis, de ſignis & curatione.

An iecur ſentiat. Sed hic eſt dubitatio vtrũ iecur ſentiat & patiatur dolores, etenim, vt ſuprà vidimus in anatome, cum ad illius corpus non perueniát nerui, eſt conſentaneũ rationi illud non ſentire, & conſequenter nullos pati dolores. Reſpondent nonnulli, iecur ſentire tandummodo per conſenſum membranę illud veſtientis, in quam diximus inſeri duos neruos, cũ tenera ſubſtantia iecoris nihil ſentiat. Verùm iſti falluntur: nam ſicut ſcribit Gale. 4. *de vſu partium c.* 13. niſi iecur haberet ſenſum inflammationis, vel alterius morbi, vtiq; non differret à planta: ſed tamẽ vult Galen. & hoc ipſo in loco, 2. *de locis affectis, c.* 3. *&* 4. iecur ſentire hoſce morbos obtusè quidem ac debiliter, propterea quia neruus qui in tunicam ambientem diſtribuitur, nun ſi paruus, aut non omnino in iecur aut certè non in totum ſeſe inſinuat. Veruntamen vtcunq; hæc ſe res habeat, ab hoc ipſo neruo, vt placet Gale. in proxima iecoris particulas quoquo modo vires diſtribuuntur, & communicantur, quæ ſatis ſunt ad efficiendum obſcurum illum ſenſum, qui fuerat neceſſarius: vt propterea ſuperuacaneũ fuerit, hunc neruum in totum corpus diſſeminari. Ex quo loco poteſtis colligere ſolutionẽ illius problematis, quod in anatome fuit propoſitum at non ſolutũ, vtrùm tota ſubſtantia muſculorũ ſentiat: quanquá enim non diſſeminãtor nerui ad omnes particulas noſtri corporis, tamen ex proximis neruis communicatur vis quædam, qua omnes partes veræ ſentiunt. Itaq. iecur doler, qui dolor nihil aliud eſt quàm triſtis ſenſus, ac naturæ moleſtus, qui prouenit ab eiſdem cauſis, à quibus proueniunt cæteri omnes dolores, de quibus diximus quod eſt ſatis, tractantes de dolore.

Cauſa. Cæterùm tametſi aliàs diximus cum Gale. vnicam & immediatam eſſe cauſam doloris, nempe ſolutionem continui: tamen quoniam medici perpetuò referunt & accommodant ſua præcepta ad opera artis, cum manifeſtè dolor inferatur, non ſolum à ſolutione continui, ſed etiam ab intemperie; fortaſſe non fuerit alienum à re noſtra, & à faciliori doctrina, vt placet Galen. 12. *meth. cap.* 7. ſtatuamus duas eſſe cauſas doloris; alteram, ſolutionem continui; alteram, intemperiem.

Primæ igitur ac principales differentiæ doloris iecoris illæ ſtatuendæ ſunt, quæ ſumuntur à cauſis, vt dicimus alium dolorem fieri à ſolutione vnitatis, alium ab intemperie. *I Differẽtia.* Vnitas ſoluitur vel ab externis, vulnere, contuſione: vel internis, aliquo abſceſſu, plurimo flatu exiſtente inter tunicam & ſubſtantiam iecoris: de quo eſt Hip. 7. *aph.* 32. ſecundò fit etiam dolor ab intemperie. Quo loco memoria repetendum eſt quod ſuprà diximus, agentes de cauſis doloris, nempe dolores fieri maximos & vehementiſſimos ab intemperie calida & frigida, longè remiſſiores & debiliores ab intemperie ſicca, nullos verò ab intemperie humida, niſi accedente humoris fluxione, quæ ex accidenti partem implendo ac diſtendendo poteſt dolorem concitare: quæ doctrina eſt Galeni 1. *de ſymptomatum cauſis c.* 6. nec non 2. *de compoſitione med. ſecundum locos c.* 1. Itaq; fiunt dolores iecoris ab intemperie calida, frigida, & ſicca, ſimplici & compoſita, ſine materia, & cum materia, & obſtructionibus, tumoribus præter naturam, inflammatione, eryſipelate, ſcirrho & affectu œdematoſo.

Secundò, ſunt differentiæ doloris iecoris ab intenſo & remiſſo: alius enim dolor eſt vehemens, vt in ſolutione continui, inflammatione, eryſipelate, multis flatibus: alius eſt debilis, in ſicca intemperie in obſtructione, in ſcirrho non exquiſito. II.

Tertiò, ſunt differentiæ à modo doloris; alius eſt grauatiuus, exempli gratia, in ſcirrho, œdemate, obſtructionibus: alius eſt extenſiuus, ſi originem habeat, ex flatibus, qui ſi altiùs figantur, & penetrent in membranam iecoris, efficiunt nonnunquam dolores pungitiuos. III.

Quartò, ſunt differentiæ à tempore dolorum: alij ſunt noui, alij antiqui. atque iſti antiqui maiori ex parte ſunt frigidi, noui autem fieri poſſunt ex qualibet materia. IV.

Quintò, ſunt differentiæ à loco: dolores alij occupant gibbam partem, alij cauam: addunt nonnulli vel propriam iecoris ſubſtantiam, vel venas, vel arteriam, vel membranam: quæ differentiæ mihi videntur venæ, cum vix fieri poſſit, quin venæ & cæteræ partes, & totum iecur laborent vno atque eodem affectu. V.

Poſtremò ſunt differentiæ à coniunctis: dolores alij ſunt cum febre, & tunc, præcipuè ſi fuerint febres inſignes, plerunq; adeſt inflãmatio: vel ſine febre, vt ſi oriantur ex flatibus, quibuſdam obſtructionibus; alius cum virtute robuſta, alius cum debili, in quo caſu ſi vires ſint debiles, res eſt admodum periculoſa: his addatis ætatem, ſexum, tempus anni, &c. quæ habent eandem rationem. VI.

Signa. Poſt differentias ſequuntur ſigna pathognomonica: inter quæ principale ſumitur à loco doloris, quoniam ille adeſt in parte dextra ſub coſtis, quod tamen non eſt ſatis: cum enim reperiantur in hac parte ſtatim ſub cute quatuor muſculorum differentiæ, intra quos iecur ſub peritonæo poſitum eſt, ac præterea colõ quoq; inteſtinum ſit illi proximũ, euenit quandoq; vt putemus iecur laborare, cũ potius laborent vel muſculi, vel aliæ vicinæ partes: quare opus eſt diſtinctione. Namq; ſi dolor fuerit in muſculis, ille facilè deprehenditur ad tactum, quem vix ægri ferre poſſunt, percipientes vel leni compreſſione maximũ dolorem. Si fuerit in colo, dolor non fuerit adeo circumſcriptus eiſdem terminis, & ſitu iecoris, ſiquidẽ colon eſt paulo infra iecur, & cum extenditur ad partes inferiores, facile fuerit vt dolor quoque declinet ad eas partes. Sed præterea ſunt adiungenda alia ſigna laborantis iecoris, magis propria, de quibus nonnulla Gal. 5. *de locis affectis ca.* 7. multo plura Auic. & illo poſteriores tradidere. Cæterum cum nos ſimus tra-

ctaturi

ſtatuti infra ſeparatim de obſtructionibus, inflammatione, ſcirrho, & aliis morbis huius viſceris quo loco ſtatuimus explicare ſigna propria vniuſcuiuſq; affectus, in præſentia illis ſaltem ſignis contenti erimus, quæ indicant ſingulas intemperies, tanquam præcipuas cauſas, à quibus oriuntur dolores. Vt verò hæc ſigna ordinatè & clarè intelligantur, mea quidem ſententia commodè poſſunt aſſumi ex tribus ſymptomatibus, tanquam præcipuis fontibus: primò, exeuntibus immutatis: ſecundò, actionibus læſis: tertiò, affectionibus corporis.

Signa calidæ intemperiei hepatis. Itaq; primum occurrit intemperies calida, quam immutata excrementa ſolent indicare, ac primò lotium, quod cum ſit ſerum ſanguinis, & humorum, certiſſimum eſt indicium eorum quæ continentur in venis. Ergo lotia quatenus pertinet ad quantitatem, erunt copioſa & ſupra mediocritatem, ſubſtantiâ tenuia, colore rufa, flaua, nonnunquam liuida. Rufum colorem citrinum, flauum croceum nominamus: qui quidem colores ita ſe habent, vt citrinus à minori, croceus ab intenſiori, liuidus ab intenſiſſimo calore generetur.

Secundò excrementa alui erunt varia: etenim quandoq; vt dicit Galen. 8. *de med. ſecundùm locos cap.* 6. fiunt colliquationes primùm humorum, deinde etiã carnis ipſius iecoris, & vacatur per ventrẽ bilis craſſa, grauco lens, & abunde colorata, ſicuti cõtingit frequenter in febribus peſtilẽtibus; quandoq; excremẽta sũt nigra, veluti ſanguis niger, atq; atrabilis. Si intẽperies eo procedat vt aſsẽtur & vrãtur humores, interdũ sũt dura admodũ atq; exſiccata, de quib. loquuntur Hip. & Gal. 8 *de r. n. vict.* 24.

Tertiò in intemperie calida quandoq; apparet vomitus flauæ bilis, vitellinæ, craſſæ, interdum æruginoſæ & acris quæ à iecore in ventriculum ſolẽt transmitti. Secundo loco ſunt ſigna demonſtrantia calidam iecoris intemperiem; petita ab actionibus læſis: etenim homines ferè nullam habent ciborum appetentiam, frequenter ac multum ſitiunt, habent pulſus veloces, frequentes, os amarum, ac facilè incidunt in febres.

Tertiò ſunt ſigna ex affectionibus corporis immutatis; plerunq; iſti habent linguam citrinam flauam quandoq; aduſtam & nigrã transmiſſa bile ad ventriculum, acribuſq; eleuatis vaporibus ad partes ſuperiores: prætcrea toto corpore ſunt malè colorati. Huius ſigni ſpeciatim mentionem facit Gal. 5. *de locis affectis cap.* 7. qui ſcribit vniuerſũ corpus herbis candenti pallore infectis aſſimilari, interdũ plumbeũ, aut etiam magis fuſcum referre colorẽ, interdũ alias quaſdã colorũ proprietates quæ nequeunt deſcribi; ex quo ſolo colore totius corporis gloriatur, ſe notaſſe quoſdã iecoris intemperie laborantes. Præter colorem adeſt etiam calor, ac ſæpe quibuſdam auctorib. vt Auicennæ & Alex. gracilitas atq; extenuatio corporis vniuerſi, quod maximè conuenit rationi. Præterea eſt aliud ſignũ vulgare, cuius non meminere Gal. & Auic. neque Medici antiquiores, & eſt caliditas maculæ & ſciſſuræ in volis manuũ, & pedũ plantis: & eſt ratio: cum enim partes hæ externæ ſint imbecilles, & calore indigeant, plurima ad illas perueniunt vaſa, proinde multi quoq; vapores & humores eò tranſmittunt, qui ſi fuerint acres & aduſti, eiuſmodi ſigna ſolent relinquere. Sed ſciatis, hoc ſignum non eſſe neceſſarium, cum videamus ſæpenumero multos inſigni etiã intẽperie calida laborantes, qui huiuſmodi maculis & ſiccitate carent: ſicuti etiam videmus nonnullos ita manibus & pedibus male affectos, potius propter caliditatem atq; æſtimationẽ ventriculi, quam calidiorẽ iecoris intemperiem. Ad hunc modum nonnulli interdum efflorescentias cutis patiuntur varias, vel in toto corpore, vel in parte aliqua, ac potiſſimùm dextri lateris: quod tamen ſignum pariter non eſt perpetuò neceſſariũ. His demum ſignis alia duo licet addere, alterum à iuuantibus & nocentibus: alterum à cauſis præcedentibus: etenim ſi alimenta, medicamenta, & omnia calida nocent contrà verò frigida conferunt, hoc manifeſtiſſimum eſt indicium calidioris intemperaturæ iecoris: ſimiliter ſi præceſſerint exercitationes, regio, tempus anni, conſtitutio aëris, ætas, ſi fuerit cohibita aliqua bilis vel ſanguinis vacuatiò, ad ſummã ſi præceſſerit eiuſmodi victus ratio, quæ potuerit hominẽ calefacere, ex his omnib licet colligere, hũc laborare calida iecoris intẽperie.

Signa frigidæ intemperiei. Sequitur frigida iecoris intemperies, quam demonſtrant ſigna contraria præcedentibus; ſic lotia ſunt alba, cruda pituitoſa, tenuia, aquea: excrementa alui ſunt liquidiora, decolorata, alba, cineritia: quod ſi prætcrea iungatur iecoris imbecillitas, apparent veluti lotura carnis: aliquando ſequitur vomitus materiæ pituitoſæ. generantur plurimi flatus nempe refrigerato ventriculo per conſenſum iecoris. Sic quatenus pertinet ad læſas actiones, bene appetunt alimenta, non vehementer ſitiunt, malè concoquunt, habent exilitatem, vel vt loquitur Auic. tepiditatem pulſus, nullam habent in ore amaritudinem, ſed potiùs acorem ſentiunt; corripiuntur morbis frigidis, cachexia, hydrope. affectu ædematoſo, & aliis id genus. Si ex qualitatibus corporis immutatis, huiuſmodi ægri habent linguam & labia albicantia, quandoque faciem & palpebras quoquo modo ſubtumidas, vaporibus frigidis ad eas partes eleuatis, vniuerſum corpus eſt pallens, minimè flauum, citrinum, rubeum. declinat ad frigidum quod ſentitur præcipuè in manibus ac pedibus; ac demum hæc corpora non ſunt gracilia & emaciata. Poſtremò autem his addenda ſunt duo illa ſigna à iuuantibus & nocentibus, & à præcedentibus cauſis, quæ potuerint hominem refrigerare, vt modo diximus de intemperie calida.

Signa ſiccæ intemperiei. Siccã intẽperiem eadẽ ſigna demonſtrant: lotia ſunt minus copioſa, etenim genito pauco ſanguine, paucum quoq; fuerit illius ſerum: ſunt tenuia & quandoq; color denigratur, vt placet Aui. Excrementa alui fiunt duriora, ſicciora, pauciora, nec admodum fœtentia. Ipſi vehementer ſitiunt, minus appetũt, habent pulſus duros, ac facilè ſiccis morbis corripiuntur, læduntur ab omnib. ſiccis pauca potione, exercitationib & vigiliis, &c. Demum præceſſere, quæ potuerint iecur & corpus exſiccare.

Signa humidi iecoris. Signa quoq; indicantia intemperiẽ iecoris humidã, etſi illa, vt diximus, nullũ dolorẽ poteſt efficere, ſunt hæc: lotia plurima, excrementa alui copioſa & humidiora, nulla ſitis nulla oris ſiccitas, corpus vniuerſum molle atq; humidum; corripiuntur morbis humidioribus iuuantur à reb. ſiccantibus, læduntur à contrariis præceſſere cauſæ, quæ potuerint hominem humectare.

Hactenus de ſignis indicantibus ſingulas intemperies iecoris, quæ ſi inter ſe commiſceantur, ſigna quoq; mixta fuerint, quæ facilè ex ſimplicib. colligi poſſunt: atq; illa quidem indicia poſſunt ac debent accõmodari ad quãlibet intẽperiẽ, nõ ſolũ cũ materia, ſed etiã ſine materia; cũ certũ ſit, vtramq; habere eãdẽ rationẽ, vt plurib. in præsẽtia nõ ſit opus.

Cæterũ hoc loco id nequeo diſſimulare in quo Auic. & pleriq; õnes practici illũ ſecuti, mihi vidẽtur malè sẽtire, qui primũ tractãtes de intẽperie iecoris & ſimplici & cõpoſita, & cũ materia & ſine materia, deinde tractãt ſeparatim de illius debilitate: quaſi verò debilitas iecoris ſit affectio diſtincta ab intemperie Gal. quidem 3. *de ſimpt. cauſ.* 8. *&* 5. *de loc. aff. c.* 7. ſcribit, eos laborare debilitate iecoris, quos alioqui hepaticos nominant, quicunq; citra inflamma

Digitized by Google

Hepatici qui. inflammationem, ſcitrhum, vel alios motbos manifeſtos habent iecur malè affectum, vt proprias operationes nequeant perficere: ad quem modum idem ſcribit Gal. in lib. *de diff. morb c.* 5. nonnullos ventriculi imbecillitatem appellate conſueuiſſe, quotieſcunque ille ſine inflammatione, vlcere, vel alio huiuſmodi morbo, deficit in coctione alimenti: attamen illud memoria tepetatis, quod diximus ſuprà de imbecillitate ventriculi, illud nomen imbecillitatis eſſe quid commune, inane & confuſũ, quod nullum motbum diſtinctum ac definitum ſignificat, cum potius debilitas alios motbos conſequatur. Quamobtem cum Gal. manifeſtè in pluribus locis, in primis verò. *de loc. aff. c.* 7. 8. *de med. ſecund. locos c.* 6. duceat imbecillitatem iecotis nihil aliud eſſe, quàm intemperiem, imò verò eſſe tot iecoris imbecillitates, quot ſunt intemperies, planè ſum neſcius, quomodo Auic. ac cæteri parti culatem, & ſeparatam faciant tractationem de iecoris debilitate: Itaque nos ad imitationem Galeni agentes de curanda intemperie iecoris, ſimul tractabimus de curanda illius debilitate. Sed rem aggrediamut. *Imbecillitas quid ſit.*

Curatio calida intemperies. Si fiant dolotes iecotis propter calidam intemperiem, quæ ſit cum materia, duæ nobis ſeſe offerunt curandi indicationes, altera, quæ pertinet ad vacuationem totius corporis & partis laborantis: altera quę cõſiſtit in alteratione, quæ fit per contraria. vnde ſumma cũ ratione quis admiretur, quomodo Anic. Ale. ac ferè omnes hanc totã curationem perficiant ſola victus ratione, & medicamentis alterantibus, prorſus prætermiſſa generali corporis vacuatione, cum tamen nihil ſit magis vulgare, & teceptum apud Galen. & omnes medicos rationales, quàm nunquam licitum eſſe accedete ad tollendam aliquam intempetiem, vel propriam, vel communem, niſi primùm præcedat generalis prouidentia vniuerſi corpotis. Quamobrem longè magis probanda eſt ſententia Archigenis, & Galen. 8. *de med. ſecun. locos ad finem*, qui ante omnia aggrediuntur vacuationem corporis & iecoris per ſectionẽ venæ, cucutbitulas, & medicamenta.

Prognoſtick. Vtrùm verò poſſitis ſatisfacere hiſce indicationib. licet colligere ex pluribus, ſed potiſſimùm ex differentiis poſitis ab intenſo & remiſſo, necnon à tempore. Namque iecoris intemperies ſi fuerit vehemens antiqua, ac propemodum confitmata, vt quodãmodo peruenerit ad quendã habitum, qualis illa eſt, quando ægri habent efflotecentias, & infectiones cutaneas, præcipuè in facie, in manib. & pedibus, vt diximus, aut difficillimè, aut nullo modo curari poſſunt: ac propterea caueatis domini, ne iſtorum curãm ſuſcipiatis, ex quibus vel exiguum, vel nullum honotem vobis licebit conſequi. Altera autẽ ex parte, ſi intẽperies fuerit leuior, nec prorſus confirmata, incipienda eſt curatio à priori indicatione, & communi corporis vacuatione.

Omnium igitur primùm leniatur aluus leuiori medicamento, quale inter cætera omnia præſtantiſſimum videtur caſſia, ſumpta vel in bolo, vel in canna: quæ commodè poteſt non ſolùm ventriculum, & primos ductus expurgare, ſed etiam refrigerare. Laudant alij thamarindos, qui pariter refrigerant & moderatè mouent aluum, ſed cum manifeſtè adſtringant, fortaſſe huc tempore non ita videntur conuenire, ſiquidem ex præcepto Hip. 2. *aph.* 10. corpora vbi quis purgare voluerit, oportet fluida facere; quod potiſſimũ fit reſeratis meatibus, quam apertionem impediunt adſtringentia medicamenta. Caueatis à manna, cum ſit ſpecies mellis: ſic à melle roſato ſolutiuo, à ſyrupo roſato ſolutiuo, & aliis huiuſmodi mellitis & ſaccharitis medicamẽtis, quæ quoquo modo poſſunt calefacere, vel ſaltem non ita refrigerare, vt caſſia præterquam quod omnia dulcia facilè admodum conuertuntur in bilem. Sit exemplum pro iunioribus.

℞ *Flor caſſia nouiter extracta* ℥. x.
Specierum diarhodon. ℈. ij. *M.*

Quod ſi velitis addete & thamarindos, illos addatis parcè ad ℥. j. vel ℥. j. ß. circiter, ſi velitis exhibere caſſiam in canna, detur ad ℥. iiij. circiter.

Lenita aluo, ſequenti vel altera die ſecanda eſt vena, ſi conueniant principes ſcopi, de quibus iam cœpimus tractare in priuatis lectionibus. Ac ſanè nequeo ſatis mirari, quamobrem Alexander, Paulus, Auicenna, ac cæteri propè omnes Græci & Arabes, hoc remedium prætermittant, cum tamen nulli dubium eſſe poſſit, quin illud & pro communi vacuatione, & pro refrigeratione corporis vniuerſi, & iecotis, & aliis nominibus, ſit non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſarium. Incidatur autem vena baſilica dextri brachij, eatrahatúrque ea quantitas ſanguinis, quæ videbitur congruens pro ratione copiæ & quantitatis ſanguinis, ætatis, temperamenti, habitus corporis & rerum ſimilium. Quod ſi non liceat propter aliquam rationem venam incidere, forte non fuerit inutile ſanguinem mittere alterutra ratione, vel apertis hæmorrhoidibus, vel ſcarificatis cruribus, quas Gal. ferè conſtituit vicarias ſectionis venæ, 4. *de tuenda val. cap.* 4. *Venæ ſectio*

Secta vena, vel vtcunq; miſſo ſanguine, mox ad ea medicamenta deueniẽdum eſt quę ſint accommodata, & ad refrigerationem iecotis, & ad concoctionem, & præparationem materiæ noxię. De quibus quidem medicamentis illud generaliter ſciendem eſt ſumpta iodicatione à natura partis, quæ præſtat officium commune, & neceſſarium toti corpori, nulla eſſe opportuna ſiue calefaciant ſiue refrigerent, ſiue humectent, ſiue ſiccent, quæ non ſimul aliquod robur viſceri poſſint afferre: robur autem præcipuè iecori afferunt, quæ adſtringunt. Sed cum altera ea parte medicamẽta adſtringentia facilè poſſint in hoc viſcere obſtructiones excitare, quæ & iecori, & illius operationib. aduerſãtur quàm maximè, omnino ab his cauendum eſt, quę vehementer adſtringunt: imò verò Gal. tantum abhorret periculum obſtructionũ iecoris, vt maximè probet ea medicamenta, quæ aliquam vim habent detergendi, aperiendi & præcauendi ipſas obſtructiones. Quare ad ſummam, in curanda calida iecotis intemperie ea medicamẽta cõducũt, quę refrigerent quidem, ſed tamen nõ ſint omnis amaritudinis, & adſtrictionis expertia, vt docet Gal. 8. *de med. ſecundum locos*: inter cætera autem omnia videntur magnam prærogatiuam habere cuncta cichoracea. endiuia, intubus, ſonchus, cichorium, & alia id genus. *Facultas*, inquit. Gal. *horum olerum ſubfrigida eſt, & ſubamara, ac moderatè adſtringens, & propter has qualitates optima pharmaca calidis intẽperaturis hepatis exiſtunt: etenim vltra hoc quod moderatè refrigerant, amplius & robur viſceri addunt, propter adſtrictoriam facultatem*, &c. quæ ſequuntur. Quare vos hortor, vt in curanda calida iecotis intemperie, ſiue cum febre, ſiue abſque febre, diſcatis familiariter vti huiuſmodi medicamentis, quæ præterea ex Galeni ſententia loco citato. ſunt vſque adeo temperata, vt neque cenſeat eſſe prorſus inepta ad curandam quoque frigidam huius viſceris intemperiem. De quibus quidem medicamentis neque illud eſt ſilentio prætereundum, quod idem habet Gal. 8. *de med. ſecund. locos cap* 8. veteres medicos variis modis illis vti conſueuiſſe, & decoctis ex aqua vel iure, & redditis in ſuccos, partim recentos, partim ſiccatos, ac demum *Cichoracea*

ſiccis oleribus, tritis & redactis in puluerem, porrò inſperſis: quæ ſanè multiplices rationes adminiſtrandi talia medicamenta, ſunt optimæ, & ad vſum reuocandæ.

Hoc tẽpore ſunt vulgares ſyrupi, vel ſimplices, qui ex ſucco endiuiæ cichorij, acetoſæ, & ſimiliũ: vel cõpoſiti, qui ex plurib. mixtis medicamẽtis, tũ melle vel ſaccharo conficiuntur, qui deinceps vel aquis ſtillatitiis, vt facere ſolẽt cõmuniter practicantes, vel decoctis earũdẽ herbarũ, quod ego perpetuo facere conſueui, diluutur & propinantur: qui quidẽ noſtri vulgares ſyrupi non lõgè diſtãt ab inſtituto Galeni & veterum, vt vel ex hoc vno loco poteſt intelligi, in quo Gal. de ſentẽtia Aſclepiadis, vel potius Antonij Muſę, talẽ probat cõpoſitionẽ.

℞. *Succi cichorij cyathum vnum,*
Aquæ calidæ cyathos tres, addito cochleario mellis Attici, prabeto.

Quæ ſanè eadem eſt ferè cum compoſitione ſyrupi de cichorio ſimplicis. Verùm de toto hoc negotio, pertinente ad commodam præparationem & adminiſtrationem ſyruporum, & omnium medicamentorum, quæ ſunt in communi vſu, mihi propoſitum eſt quamprimùm opportuni temporis occaſio nobis ſeſe offerat, in priuatis lectionibus vobiſcum agere.

Præterea Gal. laudat ſuccum filicis cum aqua mulſa, tanquam optimum medicamentum, quod citra manifeſtam caliditatem aut frigiditatem poſſit viſcus expurgare, & meatus aperire: vnde apud nonnullos, ac ſpeciatim in hac ciuitate, ſolet parari ſyrupus filice, qui ſanè minimè eſt negligendus: quod ſi vos quoque volueritis curare vt paretur, habeatis exemplum:

℞ *Succi filicis lib. j.*
Sacchari lib. iij.
Clarificetur ſaccharum, & fiat ſyrupus ſecundum artem.

Vel idem ſyrupus conficiatur ex decocto filicis & ſaccharo.

Etſi autem præter medicamenta iam propoſita, alia etiam proponuntur & probantur a Gal. tamen cum cichoraceo, vt diximus, omnino principem locum teneant, non eſt vt aliorum longiorem catalogum faciamus. Sit ergo exemplum pro iunioribus Syrupi, qui primùm poteſt exhiberi.

℞. *Syrupi de cichoreo ſimplicis* ℥. j. ß.
Decoctionis endiuiæ,
Filicis ℥. iiij. *Miſc.*

Si quis voluerit vti ſucco recenti endiuiæ, cichorij, & ſimilium, ille poteſt exhiberi ad ℥. iii. ſed cum hi ſucci liquidi ſint minus grati, frequentiùs vtimur condenſatis, vel ſolis, vel ſimul cum aliis opportunis medicamentis.

℞. *Succi cichorei denſati* ʒ j.
Specierum diarhodon ℈. ß. *Miſc. fiat bolus, & auretur*, qui commodè poteſt exhiberi ante ſyrupum. Sic licebit vti iis medicamentis redactis in puluerem, qui ſimiliter permiſcetur vel cum ſyrupo, vel cum aliquo decocto accommodato.

Sed neq; illud ignorandum eſt, præter tot vſus cichoraceorũ recẽtiores & alias rationes excogitaſſe, minimè inutiles & admodum gratas: etenim condiunt ex ſaccharo & radices, & folia, & flores cichorei, quã vulgo appellãt *cõſeruã foliorũ vel florum cichorei*, quod item medicamentum poteſt exhiberi vel cum aliis ſyrupis, decoctis, aquis ſtillatitiis aut ſolis, aut cum aliis medicamentis.

℞. *Conſeruæ florum cichorei* ʒ. ij.
Specierum triũ ſandalorũ ℈. ß. *M. fiãt boli.*

Boli refrigerantes iecine.

Sed redeundo ad curandam calidam iecoris intemperiem, illud poſtremò velim vos intelligere & memoria repetere, hoc in caſu vel prorſus abſtinendum, vel certè moderatè, vtendum melle, ſaccharo, ac rebus omnib. quę ex illis pręparantur. quod, vt paulò antè notauimus de manna, facilè cõuertantur in bilẽ, & poſſint intẽperiẽ parũ iuuare, fortè etiã augere: in quẽ aliquem abuſũ cõmuniter practicantes ſolent incidere frequentiſſimè.

Concocta materia, quam veriſimile eſt eſſe biliosam, vacuetur leuiori aliquo medicamento, quale inter cætera eſſet opportuniſſimum caſſia cum rhabarbaro ſecùndum hanc formam.

℞. *Floris caſſiæ nouiter extracti* ʒ. x.
Rhabarbari electi pulueriſati ℈. v. *M. F. boli.*

Purgans bilem.

Quod ſi æger magis cupiat medicamentum ex potione ſit exemplum:

Aliud.

℞. *Rharbarbari electi* ʒ. ij.
Fiat infuſio in decoctione cichorei quãtũ ſufficit & facta expreſſione, adde
Syrupi roſati ſolutiui ℥. j. ß. *Miſc. & fiat potio.*

Optimus quoque foret vſus ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro, qui eſt longè accommodatior ad purgationem, quam ad concoctionem.

℞. *Syrupi de cichoreo cum rhabarbaro* ʒ. iij.
Decoctionis acetoſæ,
Cichorei quantum ſufficit.
Miſce & fiat potio.

Aliud.

Quæ quidem leuia alioqui medicamenta, ſi ita ferat occaſio, non modò ſemel, ſed etiam ſæpius poſſunt replicari. Caueatis à medicamentis quæ recipiunt ſcammonium, & cætera id genus vehementiora, quæ & trahendo materiam ad partem laborantem & calefaciendo, poſſunt non leuiter obeſſe. Atque hactenus de purgatione totius corporis, qua certum eſt, ipſum quoque iecur particulatim vacuari, quod tamen non ita facile euenit aliis multis partibus noſtri corporis.

Poſt generalẽ prouidentiã altera ſuccedit indicatio, pertinens ad ea remedia, quæ poſsũt calidã iecoris intẽperiẽ auferre: hęc sũt duplicia partim interna, partim externa; de quorũ natura, viribus, & electione, iã diximus, quod eſt ſatis. Primùm dicamus de internis. Cichoracea omnia, ſecundùm omnẽ modũ adminiſtrationis, iure inter cętera omnia, vel vnius Galeni teſtimonio principem locũ obtinẽt: itaq; & ſucci, tã recẽtes, quàm denſati, & decocta, & herbæ comeſtæ, & medicamenta omnia quæcunque quouis modo ex illis cõponũtur, sũt admodũ opportuna. Vtuntur pleriq; aquis ſtillatitiis, quæ ſi conficiantur in duplici vaſe, ex balneo Mariæ, vt vocãt, mea ſentẽtia nõ sũt penitus reiiciẽdæ, etſi ego illis decocta herbarũ libenter antepono. Sunt alia multa medicamenta, quorũ communis & vulgaris eſt vſus, ſunt cõfectiones di rhodõ, abbatis (quæ tamen non valde refrigerant) trium ſandalorum, quæ conficiuntur in rotulis cum ſaccharo, & ſunt gratæ admodum: ſunt trochiſci de roſis, de ſpodio, de camphora, de berberis, quæ manè exhibentur ad ʒ. ß.

℞. *Trochiſcorum de roſis,*
De ſpodio ana ℈. j.
Miſce, fiant pilulæ duæ, & aurentur, quæ opportunè exhibentur ante ſyrupum, vel aliud huiuſmodi medicamentum.

Familiaris & optima eſt conſerua roſarũ, quam certum eſt refrigerare, etſi non deſint qui aliter ſentiat Auic. & alij pro refrigeratione iecoris probãt oleum roſaceum vel cytoneorum ore sũptum ad ℥ vj vel viij. nõ ſemel id exhibẽtes: quod quidẽ præſidii genus nõnulli hoc tẽpore putãt valde efficax, & tãquã arcanũ colũt vlis cõmunicare. Ego tamen neſcio quãti illud ſit faciendũ: etenim quãquã iecur ex eo poteſt quoquo modo refrigerari & roborari, tamẽ fortaſſe poteſt ſimul obſtrui pręterquã, quòd oleum ſolet quam maximè laxare &

labe

labefactare ventriculum, illiq; maximam nauſeā conciliare, cum aliquādo videamus decē & plures dies moleſtū illū odorē perſeuerare. Quare cū non deſint remedia & tutiora, & gratiora, forte melius fuerit ab iis ſuſpectis & minus gratis abſtinere.

Cæterùm præter hæc ſunt duo celebria atque efficacia præſidia ad tollendam calidam iecoris intemperiem. Alterum aquę thermales frigidiores, Villenſes, Calderianæ, & noſtræ Beatę Virginis in monte d'Ortono, quæ quidem hæc in re præclariſſimam ſæpe operam præſtant. Alterum eſt ſerum lactis, de quo quidē, cum maximus eius precipuus ſit vſus pro refrigeratione iecoris & corporis vniuerſi, mihi liber in præſentia vobiſcum agere & illa explicare, quæ cumque ad vires huius medicamenti, ad commodam præparationem, & adminiſtrationē pertinet. Primùm quatenus pertinet ad naturam & facultatem ſeri, antiqua & inſignis eſt controuerſia inter Medicos Arabes & Gal. Namque Meſue ſcribit lib. 2. c. 9. aquam lactis eſſe calidæ & ſiccæ complexionis in primo gradu vſque ad ſecundum. Auic. de lacte tractans *lib* 2. *cap.* 444. inquit, quod natura eius aquoſitatis eſt calida: quam quidem ſententiam res ipſa videtur confirmare, cum ſerum lactis omnium conſenſu habeat vim abſtergendi, tollendi obſtructiones, & mouendi aluum; quas ſanè operationes omnes tribuunt calidis medicamentis. Altera autem ex parte Gal 4. *de ſimp. med. facultatib. cap.* 16. manifeſtiſſimè ſtatuit, ſerum eſſe frigidum & humidum. Neque verò eſt vt quis illum arguat inconſtantiæ, quaſi *lib.* 3. *de alimentorum facul. cap.* 15. vel aliis locis id ſtatuerit eſſe calidum. cum Gal. hoc nullibi dixerit, qui aliquando aſſeruit tantummodo illud eſſe particeps caliditatis. Seri frigiditatem demonſtrat experientia, cum menſe Maio plerią; homines ad cōpeſcendū feruorē bilis, ac præcipuè ſi laborēt ſcabie, aliiſque id genus cutaneis puſtulis, quæ mala certū eſt oriri ea ſobole aduſtorum humorū eo vtāntur, ac plerunq; ea hoc remedio inſignē percipiant vtilitatem. Sed his licet addere auctoritatē, imò & rationē Philoſophi, qui docet 4. *meteor.* ſolum ea quæ frigida ſunt liquida, coagulari per frigus: at verò illa enumerans quæ frigore coagulantur, inquit, vt ſunt quædam vina, acetum, lixiuium, ſerum. Itaque ſerum frigidum eſt, teſtibus Ariſt. Gal. & ipſa experientia.

De ſero lactis.

Quid igitur ſtatuendum eſt in hac controuerſia; Nullo modo poſſum diſcedere à ſententia Gal. cū potiſſimùm cōſentiat cum re ipſa, & vſu quotidiano. Quare equidem cenſeo ſerum frigidæ eſſe atq; humidæ temperaturæ: id quo pręter ea quę iam diximus, rurſus mihi videor duabus rationibus poſſe cōfirmarę. Etenim cum lac ex tribus diuerſis partibus componatur, vt ſcribit Gal. 4. *de ſimp. med.* & 3. *de alimentorum facul.* butyro, caſeo, & ſero: butyrum autem ſit temperatum, pars caſeoſa à temperamento parum declinet ad latus frigoris, ſi ſerum calidum eſſet, vtiq; vniuerſa lactis ſubſtantia calida foret, potius quā frigida, quod à tota medicorum ſchola & cōmuni hominum conſenſu abhorret. Præterea ſi ſerum calidum eſſet, certè quo lac eſſet ſeroſus, eo eſſet calidius; nihilominus conſtat lac aſininum, quod maximè eſt ſeroſū, eſſe inſigniter frigidum, alioqui temere exhiberetur in febribus hecticis.

Reſpōdeamus autē etiā ad illa, quæ ab aduerſariis afferuntur: & facile iſtud quidē fiet, mea ſentētia, ſi dicamus, ſerū abſolutè, & ſimpliciter frigidū & humidum eſſe, ſed tamē non eſſe expers omnis caliditatis, ſicuti contingit multis reb. quæ ex variis conſtāt partib. à quib. quidē partib. calidis, tāetſi comparatæ frigidis ſunt exiguæ, moderata quædā acredo & vis attenuādi, abſtergēdi, & mouendi aluum originē habet. Neq; enim licet in vniuerſū colligere, medicamentum abſtergens, protinus eſſe calidum: ſiquidem abſtergentia medicamenta, vt ſcribit Gal. 7. *de ſimp med. facul c. de lilio*, habent varios ordines, adeò vt neque deſint medicamenta ſine vlla dubitatione frigida, quæ manifeſtò habent vim abſtergendi, qualis exempli gratia, eſt aqua hordei, quā nemo negat eſſe frigidā, & tamē manifeſtè abſtergit. Atq; hactenos de ſeri lactis temperie: ſequitur vt agamus de illius præparatione & vſu. Medici veteres ſero vti conſueuerant multis modis, & ad multos vſus, ſed tamen illa videtur fuiſſe præcipua ratio, quādo illud copioſè propinabāt. vt teſtatur Gal. *com. de ſalubri dieta* 18. nec non 3. *de alim. facul. c.* 15. quam copioſam menſuram Dioſcorides videtur determinaſſe ad libras quinque circiter, ad quam quidem menſuram ego ſanè familiariter vti ſero conſueui & ſcio multos hoc tempore familiariter & feliciter vti. Alius fuerat apud antiquos ſeri vſus, ad præparanda. iuuanda, & temperanda cætera validiora medicamenta: ad quē modū ſcribit Gal. 14. *met. c.* 17 pro purganda illuſtri quadam muliere hepate laborante in malleolo, ſe clam ſero miſcuiſſe ſcammonium, nec non pro purgando humore melancholico eidem miſcuiſſe epythimum: ad quem modum Gal. imitatione Meſue quoq; ſero vtitur, in quo macerentur rhabarbarum, agaricus, thamarindi, caſſia, & cætera tum lenientia, tum purgantia medicamenta: quem deinceps morem ſumma cum ratione recentiores medici imitantur quotidie: & pro iunioribus ſit exemplum accommodatum ad purgationem, de qua actum eſt paulo ante.

Quantitas ſeri lactis.

℞ *Rhabarbari electi* ʒ. ij.
Spica grana v.
Seri lactis quantum ſufficit. Fiat infuſio ſecundùm artem, & facta expreſſione, adde.
Syrupi roſati ſolutini ℥. ij. ß. *M. fiat potio.*

Neque verò antiqui ſolùm pro medicamento ſero vti ſolebant, ſed etiam pro alimento, cūiuſmodi ſeri vſus Gal. meminit in cancri curatione. 2. *ad Glauconem c.* 14. Sed iam dicamus de opportuna ſeri præparatione & adminiſtratione. Serum apud quamplurimos cōſueuit parari ex coagulo denſato lacte, qui nos apud vulgares eſt communiſſimus: ſed quoniam coagulum manifeſtiſſimè habet vim valde acrem & exſiccantem, quod etiam traditum eſt è Gal. 10. *de ſim. med. facul.* propterea iſthæc ſeri præparatio cenſenda eſt importuna, cum coagulum poſſit ſero communicare propriam facultatem, ex quo illud poſſit magis calefacere & exſiccare, quàm refrigerare & humectare. Itaquē veteres aliam longè opportuniorem ſeri præparandi rationem excogitarunt, inter quos Dioſcorides *lib.* 2. *cap.* 62. magis accuratè & diſtinctè quàm cæteri, totum hoc negotium, & præparandi & adminiſtrandi ſeri, videtur confeciſſe, qui ſcribit ad hanc modum: *Ex omni lacte fit, quod ſchiſtum*, id eſt, *ſciſſile dicitur: lac autem fictili nouo vaſe feruet, ramoque ficulneo recenti mouetur, inſperſis, poſtquam bis aut ter ebullierit, totidem accepti mulſi cyathis, quot ſunt heminæ lactis: ita enim ſeorſum liquidum ab eo diuiditur, quod in caſeum concreuit: ſed cum feruet ac ſuperfundatur, conuenit ſpongia ex frigida aqua continuo fictilis labrum detergere, ſextariumque argenteum frigida aqua plenum demittere: bibitur heminis per interualla ſingulis vſq; ad quinas, ita vt intercedentibus ſpatiis potātes deambulen.*

Seri præparatio.

Ex quo quidem Dioſcoridis loco, vt id quoque obiter vos moneam, fortaſſe videri poteſt, originē habuiſſe ratio bibendi aquas medicatas; quæ hoc tempore in communi vſu eſſe ſolent. Hæc ligitima

eſt ſeri præparatio quæ ad medicos vſus cæteris omnib. eſt anteponenda, quã Gal. quoq; commemorat & probat *4. de ratione victus in morbis acutis, cõ. 7.* nec non *de alimentorum facultatibus, c. 16.* Hac ipſa præparatione, vel certè quæ parũ diſtat à præparatione Dioſcoridis, ego iã multos annos vtor frequentiſſimè; quæ eſt huiuſmodi. Accipiantur lacti circiter libræ decẽ, quòd proximè emunctum atq; extractum fuerit ab vberibus animalis, quod quidẽ animal, vt neq; id prætermittatur, hoc tẽpore debet nutriri accommodatis alimentis, hordeo, ſalice, lactuca, endiuia, borragine, cichoreo, & ſimilibus, quæ lac poſſint reddere & humidus, & frigidus: lac imponitur in vas nouũ fictile, ac ſenſim permittitur aliquantiſper ebullire; recenti ramo ficulneo illud continenter miſcendo tũ proiicitur in ipſum vel acetũ roſaceum, vel oxymel ſimplex ad ℥. iij. ac multum facta leni ebullitione, demum phiala vitrea plena aquæ frigidæ tota demittitur in lac, cui protinus facta ſeparatione adhæret pars caſeoſa, & ita ſerũ cõficitur præclariſſimè: ex huiuſmodi menſura lactis ſolent ſupereſſe libræ quinque circiter ipſius ſeri, quod calidũ ægri protinus abſumunt, per quædam parua temporis interualla, ſine intermiſſione leuiter deambulantes. adeo vt hora dimidia, ad ſummum, in hac potione conſumatur. Sero pleriq; omnes cõmuniter practicantes ſolent permiſcere varia medicamenta, ſuccum fumariæ, borraginis, luporum, nonnulli ſenam, rhabarbarum, agaricum & alia id genus. Gal. conſueuit illi permiſcere modicum mellis & ſalis *5. aphor. com. 64.* nec non *3. de alim. facult. cap. 15.* qui ſcribit ad hunc modum: *Quantum ſerum ab alia lactis natura ſucci bonitate ſuperatur, tanto alia omnia quæ aluum deiiciunt, ſuperat: ob id veteres ad aluum ſubducendam hoc potu plurimum vſi eſſe videntur: tantum autem mellis optimi illi eſt iniiciendum, quantum ſuaue citra ſtomachi euerſionem ſentietur: pari modo & ſalem ea menſura iniicies, quoad guſtum non offendat; quod ſi ipſam magis ſubducere velis, ſalis quamplurimum iniicies.* Hæc Gal. cuius imitatione ego itidem & ſal, & mel, aut loco mellis ſaccharũ quod eſt melle iucundius, ſero ſoleo permiſcere, præterea nihil niſi fortaſſe ad iuuandam purgationem. ſi ita res ferat, illi permiſceatur leuis quædam portio ſyrupi roſacei ſolutiui, vel alterius leuioris medicamenti; qualis præcipuè mihi eſt familiaris pulpa thamarIndorum, qui cenſeo, ex tot medicamentorũ permixtione, ac præcipuè calidorũ & ſoluentium, ſeri operationẽ perturbari, fortè etiã impediri, & omni ex parte contaminari. Atq; hæc de ſero lactis. redeo ad rem.

Auctoris modus v. & di ſero lactis.

Poſtremo loco ſi morbus tam fuerit inſignis & contumax, vt iã poſita remedia non ſint ſatis, pro calida iecoris intemperie curanda Medici veteres deueniebant ad ſtupefacientia, de quibus ſermonem habet Gal. *8. de med. ſecundum locos, c. 7.* qui referens medicamenta Andromachi, teſtatur calidam iecoris intemperiem philonio ſemel exhibito ſanatam fuiſſe. Sed tamen cum vehementiſſima iecoris refrigeratio non poſſit ferè eſſe ſine magno periculo, ne quandoque ſimul cum externo calor quoque natiuus extinguatur, cautè admodum in eius vſu cenſeo agendum eſſe id quod inter cæteros Auic. mihi videtur præclariſſimè animaduertiſſe, qui ſcribit ad hunc modum: *Et oportet vt caueatur in ea ſtupefactio vltima, imo oportet vt infrigidãtia iecur aggregẽt ad infrigidationem, abſterſionẽ, & apertionem.* Quare mea quidem ſententia aut nunquam aut rariſſimè, ac tantummodo vehemẽtiſſima vrgente intemperie, atque vbi nullum immineat periculum extinctionis caloris natiui ac virtutis, talia medicamenta debent adminiſtrari.

Hactenus de internis medicamentis, quib. debet accedere accõmodata victus ratio, de qua nolo agere longiùs, cum pleriq; ac maximè Alex. hãc rem tractent ita diffusè, vt pluribus non ſit opus. Iam igitur de medicamentis externis agendum eſt, quæ multiplicia parari poſſunt, inunctiones, epithemata, fomenta, emplaſtra, & alia id genus; de quib. id generaliter habendum eſt, quòd requirãt eaſdẽ qualitates & cõditiones, quas ſuprà diximus cõuenire iis, quæ interiùs aſſumũtur, nẽpe vt refrigerẽt quidẽ ſed tamẽ moderatè. propter quã cauſã neq; actu frigida ſunt adminiſtrãda: pariter vt nõ careãt vi adſtringente & roborante, quæ nihilominus non ſit inſignis, ne in periculum obſtructionũ incidamus: imò verò ſi huiuſmodi medicamentis aliquid addatur quod leuiter calefaciat & aperiat, adeo vt quodammodo illa iuuare poſſit, & ad internas partes deducere, id non fuerit alienum à ratione: quo eodem conſilio & portiuncula aceti opportunè illis permiſceri ſolet. Itaque ſint inunctiones ex oleo roſato, cytoniorum, ſucco endiuiæ & ſimilibus, ſecundùm hanc formam.

Epithema frigidum.

℞ *Succi endiuiæ,*
Olei roſati completi,
Cytoniorum.
Olei de abſinthio ana ℥. j.
Aceti parũ: Miſce & i. pidũ adminiſtretur.

Sint epithemata quæ communiter ſolent conſici ex aquis ſtillatitiis. *A term.*

℞ *Aquarum endiuiæ,*
Cichorei,
Roſarum ana ℥. iiij.
Specierum diarhodon ʒ. iiij.
Aceti parum. Miſce pro epithemate.

Habeatis quoque exemplum fomenti. *Fomentum.*

℞ *Cichorei.*
Sonchi,
Endiuiæ, ana M. j.
Abſinthij. ß. Miſc.
Ex multa aqua & modico aceti coquantur, quo deinceps foueatur dextrũ hypochõdriũ.

Sic fotus ex oleo roſato ſimplici eſt optimus. Demum ex contuſis herbis præcipuè cichoraceis, addita portiuncula abſinthij, cum farina hordei & oleo roſato, emplaſtra poſſunt cõfici. Sunt in officinis vnguentum roſatum Meſue, ceratum roſatum Gal. quod vulgo infrigidans Gal. appellant, quæ ſunt opportuna. Atq; hæc exempla ſint ſatis, cum facile ſit horum imitatione, & alia multa componere, & ad hunc vſum accommodare.

Sequitur frigida iecoris intemperies, quæ eandem cum intemperie calida requirit curandi rationem, ſed per contraria, nimirum per calefacientia præſidia. Itaq; ſicuti ſtatuimus in illa eſſe duas præcipuas curandi indicationes, alteram quę pertinet ad vacuationem totius & iecoris, alteram quę conſiſtit in alteratione: ita in hac idem ſtatutum eſt.

Frigida iecoris intemperies.

Vtrùm verò his indicationibus liceat ſatisfacere, ſciendũ eſt frigidam iecoris intemperiem, quotieſcunq; eſt confirmata & quodãmodo in habitu vt ferè cõtingit in hydrope, aut difficulter admodum aut nonnulla ratione curari poſſe. Cæterum pro explenda priori indicatione illa conueniunt, quæ poſſint euacuare humores frigidos & craſſos, ac ſimul calefacere iecur. Itaq; ad leniendam aluũ, Gal. & Auic. cæteris medicamentis anteponunt hieram & ſumma cum ratione. Sit exemplũ.

Prognoſticũ.

℞. *Specierum hieræ ſimplicis ʒ. iiij.*
Cũ ſucco eupatorij, quod vulgo agrimoniã vocant. Miſce. & fiat bolus.

Leniens.

Hîc tamen eſt cogitandum de ſectione venæ, quæ adhuc magis poteſt iecur refrigerare. quod ad principẽ ſcopum virium referendũ eſt? ſiquidẽ

facilè

facilè vnuſquiſque poteſt intelligere, quo magis principale membrum refrigeratur, eo magis reddi vires imbecilles, ne deinceps vſq; ad ſtatum morbi, alioqui longiorem poſſint perducere. Pro concoctione modò conueniunt mel roſaceum, ſyrupus de betonica, de abſinthio, de eupatorio, decocta item betonicæ, fumi terræ, agrimoniæ, ſimilium.

Syrupus.

℞. *Mellis roſati colati* ℥. j.
Syrupi de abſinthio ℥. ß.
Decoctionis agrimoniæ ℥ iiij. *M pro ſyrupo.*

Oxymel an conueniat ſit.

Nonnulli dubitant hoc loco, an conueniat oxymel, vel ſyrupus acetoſus, cum Auicenna probet ſyrupum acetoſum de melle, qui eſt noſtrum oxymel: cum enim conficiatur ex aqua, aceto & melle, remittente aqua & aceto mellis caliditatem, videtur potiùs refrigerare, quàm calefacere, quamobrem Gal. quoque 8. *meth. cap.* 4. aſſerit oxymel non calefacere, neq; febres accẽdere: & Alex. in tractatione de febribus, reprehendit antiquos medicos & Gal. qui familiariter vtebantur oxymelite in febre tertiana notha, ex cuius longiore vſu multos inquit ſe vidiſſe, qui inciderunt in hydropem. Sed tamen ego puto hanc dubitationem leuiorem eſſe: etiam tametſi negandum non eſt, oxymel habere vim potiùs refrigerandi quàm calefaciendi, atque ideo non conuenire curandis morbis frigidis: veruntamen ſi illud permiſceatur aliis medicamentis calidis, & parcè quæ fortaſſe fuit mens Auicennæ, cur non poſſit aliis modis, præcipuè attenuando & incidendo humores craſſos, aliquam operam præſtare?

Præterea eſt alia dubitatio, vtrũ cõueniat cichoracea, de quib. ſcribit Gal. vt ſupra notauimus, ea iuuare intemperiẽ iecoris calidã, neq; lædere frigidam. Sed breuiter reſpondeatis; ſi curetur vehemens intemperies, adeò vt opus ſit vehementi quoque caliditate, quæ proportione morbo reſpondeat, tunc cichoracea non conuenire: verùm ſi intemperies fuerit leuior, vt minori quoque caliditate indigeamus, tunc cichoracea poſſe conuenire, ac præcipuè ſyrupos ex eis præparatos, qui ratione mellis aut ſacchari omnino aliquam accipiunt caliditatem. Animaduertendum verò minimè Galenum ſimpliciter aſſeuerare, à cichoraceis non lædi intemperiem frigidam, ſed loquiſ, non magnoperè lædi: ex quibus verbis contra potiùs licet colligere, cichoracea quoquo modo lædere iecur frigida intemperie affectum.

Concocta & parata materia debet euacuari, ſed cũ medicamentis leuioribus quæ calefaciant, roborent, & ſint familiaria viſceri, quale in primis eſt hiera quæ vt placet Auicenna, *de ca bexta*, educũ ſuperfluitas abſq; humiditatib innatis: agaricus & rhabarbarũ ſunt optima: quare ad hæc item ſunt valde accõmodata medicamenta, & pilulæ de hiera cum agarico, & pilulæ de tribus cum rhabarbaro, & alia huiuſmodi. Sit exemplum.

Pilulæ purgantes.

℞ *Pilularum de hiera cum agarico.* ʒ. ij. ß.
Fiant pilulæ quinque, & aurentur.

Expurgato corpore & ſemel & bis vt res poſtulat, ſuccedit altera curandi indicatio quæ pertinet ad alterationem: hanc poſſent explere partim alimenta, partim medicamenta: & quatenus pertinet ad victus rationem, caueãt iſti à frumentaceis priſana, alica, piſcibus, lacte, caſeo, aqua, vino oligophoro, & aliis, quæ poſſunt refrigerare, ſint carnes laudabiles, quæ condiantur aromatibus; ſint olera calidiora, apium petroſelinum, mentha, fructus, paſſulæ, ficus aridæ, & alia huiuſmodi.

Piſtacia.

Sed neſcio quid difficultatis ſit de amygdalis & piſtaciis: namque illa vituperat Alex. *lib.* 8.*c.* 4. & quòd facilè corrumpantur, & ſint oleaginoſa, ac promptè conuertantur in bilem. Auicenna autem *lib.* 3. *fen.* 13. *tract.* 1.*c.* 25. *ad finem*, inquit, eſſe quoſdam qui improbent piſtacia & amygdalas, quorum verba non ſunt audienda: cuius tamẽ aſſertionis nullam reddit rationem, quam mea ſententia facilè fuerat reddiſſe, nẽpe amygdalas, & piſtacia conuenire, cum vtraque abſtergant & calefaciant Gal. 2. *de alim. facult. c. propria*, particulatim ſcribit, piſtacia habere qualitatem aromaticam, ſubamaram, & ſubaſtringentem, roborare hepar, & ad ſuccos in ipſius viis infartos purgandos eſſe vtilia. At ſanè mirum eſt de Alexandro, qui ea improbauerit in curanda calida iecoris intemperie, & ea quoque voluerit improbare in curanda frigida: namque contrarij morbi contraria omnino poſtulant remedia. Porrò interna medicamenta accommodata ad tollendam frigidam iecoris intemperiem, multa habentur apud Gal. 8. *de med. ſecundum locos*, quæ vnuſquiſque poteſt videre: ſunt ſimplicia & familiaria cortices citri, eryngia condita, gingiber, cinnamomum, & his ſimilia. Compoſita ſunt, conſerua betonicæ, agrimoniæ, abſinthij, aromaticum roſarum, diacyminum, Diambra, Diamoſchum, trochiſci de rhabarbaro, de eupatorio, & alia propemodum infinita. Apud Arabes ſunt duo medicamenta maximè laudanda *Diacurcuma* & *Dialacca*, quę deſcribuntur à Meſue, & à Rhaſi, in præſenti loco. Sed inter cætera omnia in curanda frigida iecoris intẽperie atq; illius imbecillitate, quæ maiori ex parte conſueuit, ex hoc morbo originem habere, eſt præſtãtiſſimũ id medicamentũ, cuius auctorẽ Gal. 8. *de med. ſecundum loc.* facit Andromachum, quod confectio *Cyphoi des* appellatur ab Arabibus & quibuſdam recentioribus, *electuarium de paſſulis & de vino* dicitur, quod quidẽ recepit plura aromata, paſſulas, terebinthinam, vel, vinum; quamobrẽ abſtergit, calefacit, reſiſtit putredini, & in ſumma, habet inſignem & peculiarem prærogatiuam. Hoc tempore conficitur huiuſmodi medicamentum, vel in forma trochiſcorum, vel in forma electuarij, cum melle, vel tandem cum ſaccharo in rotulis, vt nos facere conſueuimus.

℞. *Trochiſcorum cypheos* ʒ. j.
cum aqua agrimoniæ fiant pilulæ tres; quæ ſummo mane exhibeantur, ex cochleari alicuius vini generoſi.

Verùm nec ſunt prætermittenda magna antidota, Mithridatium & Theriaca, quæ omnium conſenſu ſunt opportuniſſima. Poſtremò cæteris non conferentib. præſidiis, nonnulli hoc tempore deueniunt ad decoctum ligni ſancti: vel alterius, quod nominant *Saſſafras*, & paucos ante annos cœpit adminiſtrari, nec non aquarum thermalium, quæ quidem remedia non carent ratione: illud vtrũq; decoctum manifeſtè calefacit & roborat iecur, ac longè magis ſi præparetur ex vino, vt nonnulli facere conſueuerunt, de quo aliàs tractabimus. Aquę thermarum ſulphureæ vel nitroſæ, vt ſunt noſtræ Aponitanæ, vel illæ quas appellant *de la Porecta*.

Exterius ſunt quam plurima; inunctiones ex oleo nardino, abſinthij, liliorum alborum cum aromatibus, maſtichino, & ſimilibus; epithemata ex aquis calidioribus, abſinthij, betonicæ agrimoniæ, additis aromatibus, ſpeciebus aromatici roſati, Diambræ & ſimilium. Emplaſtra fiant ex herbis calidis & aromatibus, quæ recipiunt abſinthium, nardum, galbanum, maſtichen, & alia id genus, quæ ſubigantur cum oleis paulò antè poſitis, ad formam emplaſtri. Atque hactenus de curanda frigida iecoris intemperie.

In ſicca primùm leuienda eſt aluus per caſſiam: ſi conſentiant principes ſcopi, ſanguinis extrahatur ſed moderatè, concoquatur materia, vt veriſimile eſt, adducta & melancholica, cum ſyrupo de fumo terræ ſimplici, de endiuia, de cichorio con- *Sicca hepatis intemperies.*

Digitized by Google

cocta purgetur cum ſena, epithymo, confectione hamech. Vacuato corpore inſtituantur & alimenta & medicamenta alterantia, quæ poſſint humectare, ſed tamen neq; omni ex parte careant adſtrictione, vt ptiſana, carnes laudatæ piſces ſaxatiles, lac, endiuia, lactuca, fructus, poma dulcia, vuę bene maturæ, vinum oligophorum. Ad hanc intemperiem ſunt accommodata pariter medicamẽta humectantia, & quoquo modò roborantia: interius conſerua roſarum, violarum, borraginis: exterius oleum maſtichinum roſaceum, inter cætera balneum aquæ dulcis ſolet eſſe præſtantiſſimum: atque vt dicam vno verbo, ad hunc locum transferenda ſunt quæcunque diximus de curanda intemperie ſicca ventriculi.

Humida intempers. 2. Poſtremò in humida iecoris intemperie ſint omnia ſiccantia, leniatur aluus per hieram, concoquatur materia per ſyrupos ſiue decoctis de betonica, de mentha, de agrimonia, melle roſato: concocta vacuanda eſt per hieram, non modò ſimplicem, ſed etiam compoſitam, ac potiſſimùm petram, quam *hieram Pachy* appellant, aliter *hieram diacolocynthidos*. Alimenta habeant vim ſiccandi, qualia ſunt ſalita, oliuæ, cappares, carnes aſſatæ, paucitas potus. Medicamenta tum interna, tum externa habeant eaſdem vires, quorum materiam nobis poſſunt abunde ſuppeditare quæ dicta ſunt de curanda humida intemperie ventriculi.

Sed antequã hanc partem finio, non ſunt prætermittenda ea medicamenta, quæ ex proprietate ſubſtantiæ dicuntur iuuare ipſum hepar, quorũ illa eſt natura & vis, vt omnibus proſint intemperaturis, ſicuti docet Gal. 8. *de med. ſecundum locos*, & cum plurima huiuſmodi medicamenta ab Alex. & aliis ſoleant proferri & laudari, nos duobus cõtenti erimus, quæ in præſentia proponuntur & *Caro cochlearum. Hepar lupinum* probantur à Gal. alterum ex Aſclepiade, & eſt caro cochlearum data ex vino: alterum ex propria ſententia, & eſt hepar lupi. cuius vtriuſq; præſidij præparationem & vsũ præclarè explicat Gal. qui ſcribit ad hũc modũ: *Videntur hæc medicamẽta iuxta totã ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundum vnã aut alteram qualitatem, quale eſt lupinũ iecur cuius abunde experimentum habemus. Vſus autem ipſius conſimilis cochleis eſt, teritur enim exactè, & datur ʒ. j. cum vino aliquo dulci: benigna enim ſunt viſceri, ipſum nutrire potentia, & media iuxta calidi & frigidi oppoſitionem & propterea talia pharmaca omnibus intemperaturis videntur conuenire, atque ex proprietate ſubſtantiæ commoda item de ſe exhibent, vt neque calidas, neque frigidas intemperies lædant.* Hæc Gal. qui de cochleis non ita planè loquitur, ſicut de hepate lupi. Sed cum ſcribat vſum illarum eſſe ſimilem vſui iecoris lupini, veriſimile eſt eas primùm fore coquendas, deinde terendas, ſiquidem crudæ vix poſſunt conteri. Nonnulli hoc *Aqua cochlearum.* tempore conficiunt aquam ex cochleis, vi ignis deſtillatam, quã ad refrigerandum & roborandum iecur, remittendumq; æſtum totius corporis, ad tollendam ſitim, & alios vſus familiariter vtuntur.

Porrò de hepate lupi videtur eſſe in Gal. apparens quædam repugnantia; in præſenti enim loco teſtatur, ſe habere abunde experimentum quod proſit iecori: at verò *de ſimp. med. facult. c. proprio*, ſcribit, ſæpenumero ſe iecur lupinum indidiſſe in medicamentum hepaticum, quod conficitur ex eupatorio, nec tamen comperiſſe aliquid mentione dignum illud præſtitiſſe, in comparatione ad alterum quod ſine eo conſueuerat. Iulius Alexandrinus Germanus, vir doctiſſimus, & omni verã laude cumulatus, cui omnes ſtudioſi plurimum debent, cum aliis nominibus, tum maximè, quòd pro Galeno aduerſus nouatores multa præclarè ſcripſerit, hanc repugnantiam ſoluit hunc in modum: *Iecur lupinum permixtum aliis medicamentis, quæ agunt manifeſtis qualitatibus, quale eſt illud ex eupatorio, nihil iecori prodeſſe, cũ potius tota ſubſtantia, ac latente proprietate ſuam perficiat ipſe actionem, quam alioqui perficit quotieſcunque ſolum & ſine miſtione medicamentorum aliorum exhibetur.*

Sed forte hæc reſponſio contradictionem non tollit: nam tametſi verum eſt iecur lupinum, cum ſit medium iuxta oppoſitionem calidi & frigidi, non poſſe iuuare operam aliorum medicamentorum, quæ manifeſtis agunt qualitatibus, tamen contrà nihil videtur eſſe impedimento, quo minus illud quoque aliis permixtum medicamentis, ſua totius ſubſtantiæ proprietate poſſit prodeſſe: ſiquidem nulla videtur eſſe ratio, quamobrem cætera medicamenta illi permixta, hanc ſuam vim & latentem proprietatẽ poſſint auferre: huius quidẽ rei non deſunt exempla apud Galenum, quale eſt illud cancrorum fluuialium, quorum cinerem, ſcribit 11. *de ſimpl. medicamentis*, ſubſtantiæ proprietate eſſe præſtantem, in his qui à rabiente cane ſunt morſi partim ſolum, partim cum gentiana & thure, multo præſtantiorem. Itaque cancri fluuiales etſi iuuant à proprietate ſubſtantiæ, tamen iuuant & ſoli, & ſimul cum aliis medicametis. Quare mea ſententia longè magis accommodata eſt altera eiuſdem Alexandrini reſponſio, nempe Galenum ſentire aliter in libris de ſimplicium med. facult. quam ſentiat in libr. de compoſ. medicamentorum. propterea quia libri de ſimplicibus, multo ante ſcripti fuerant quàm lib. de compoſ. med. vt ipſe teſtatur 2. *de compoſ. med. ſecundum genera. c.* 1. Etenim, ſicuti idem ſcribit Galenus 9. *de ſimp. med.* & 1. *de compoſ. med. ſecundum genera, cap.* 16. cum facultates medicamentorum, quæ proprietate totius ſubſtantiæ agunt, à methodo ac ratione ſint alienæ, & per ſolam experientiam cognoſcantur, facile fieri potuit, vt vir in conquirendis medicamentis eorumque facultatibus omnium diligentiſſimus, poſteriore tempore expertus fuerit, & iecur lupinum, & alia medicamenta, quæ priori tempore ignorauerat.

Capvt XII.

De obſtructione Hepatis.

RHases quidem non tractat ſeparatim de obſtructione iecoris, attamen cum morbus ſit longè maximi momenti, frequentiſſimus & ex quo alij multi & difficiles morbi ſolent oriri, nullo modo à nobis erit prætermittendus. Quare in hoc graui morbo tractabimus pro noſtro inſtituto, primò de eſſentia: ſecundò de differentiis: tertiò de ſignis: ac poſtremo de curatione.

Quid ſit obſtuctio iecoris quam alij oppilationem, alij obturationem vocant ex ipſo nomine conſtat, quippe illius meatus & cauitates naturales redduntur anguſtiores, replentur & occluduntur præter naturæ inſtitutum. Sed cum iecur conſtet ex multis partibus, quæritur id primum in quanam parte fiant obſtructiones. Reſpondent nonnulli, & inter cæteros Auicenna lib 3. *fen.* 14. *tractatu, initio* 4. *cap.* quòd obſtructiones fiant in cunctis partibus, & in propria ſubſtantia iecoris: quæ opinio meâ ſententiâ eſt falſa, namque verè & propriè ſunt obſtructiones tantummodo in vaſis ipſius iecoris, ſiquidem cauitates in ſubſtantia viſceris non ſunt huiuſmodi, vt poſſint obrui, cum aperiantur in ipſo ſpatia quædam, veluti in reliquis partibus, vix ſenſibilia, *Locus affectus quis.*

ac

ac tantùm ratione contemplabilia, quæ ſi repleantur præter naturam, minimè obſtructiones ſed potius tumores efficiuntur: quæ doctrina eſt Galeni in libro de conſtitutione artis medicæ *c.17.* nec non lib. de cauſis & differentiis morborum vtrobique *cap.* 17.

Itaque obſtructio iecoris eſt vnus morborum inſtrumentalium in cauitate, in quo illa vaſa quæ debent aperta eſſe, occluduntur & impediuntur. Quo quidem genere morbi iecur potiſſimùm ac frequentiſſimè ſolet laborare, propter duas cauſas, poſitas à Galeno loco citato de conſtit. artis medicæ, *cap.*17. alteram propter illius conſtitutionem: alteram propter illius actionem. Namque ex vna parte cum multæ ſint, & quidem anguſtiſſimæ venæ in iecore, cum aliis in partibus, tum maximè vbi illæ deductæ à vena Portæ committuntur cum oſculis venæ cauæ, quæ ſunt adeo parua & exilia, vt ſenſum lateant: ex altera verò parte, cum alimentum ex ventriculo ſurſum ad locum vnum efferatur, quem propterea portas nominant, ex ſimilitudine, quòd ſicuti ciuitatem quis non poteſt ingredi, niſi per portas tranſeat, ita alimentum nequeat in iecur penetrare niſi primùm ad eum locum peruenerit, atque ex eo loco in infimas partes iecoris diſtribuatur, ac poſtea per ea quæ diximus, tenuiſſima vaſa in totam partem gibbam transfundatur, nulli mirum debet videri, ſi hoc viſcus & propter vaſorum anguſtiam, & propter copiam permeantis ſubſtantiæ, facile & frequenter ſolet obſtructionibus laborare. Non ingredior eam diſputationem vtrùm materia obſtruens ſit morbus; atque ipſamet obſtructio, an magis cauſa morbi: & ſi fuerit cauſa morbi, an ſit efficiens, vel materialis, de qua recentiores magnoperè litigant, cum ſit altioris cuiuſdam & ſubtilioris inquiſitionis, quæ nihil ad nos modò pertinet. Illud nobis eſto ſatis obſtructionem iecoris eſſe morbum inſtrumentalem in cauitate, in qua venæ potiſſimùm, ac cætera vaſa huius viſceris implentur & occluduntur adeò vt illatum via libera & tranſitus impediatur.

Cæterùm cùm meatus & cauitates noſtri corporis multis rationib. lædantur & obſtruantur, de quib. ſermonem habet Gal. lib. *de cauſis & differentiis morborum vtrobique c.*7. nos in præſentia de vna iecoris obſtructione ſermonem inſtituimus, quatenus illa ex multis, vel craſſis & viſcidis humoribus fieri ſolet, vt poſteriùs monſtrabimus.

Differentiæ. Differentiæ huius morbi ſunt plurimæ ab intenſo & remiſſo, à tempore, à coniunctis, & aliæ quæ habent eandem rationem, de quibus non ſemel diximus, verùm differentiæ principales ſunt duæ: altera à parte laborante ſecundùm quam dicimus vel partem iecoris cauam vel gibbam, vel ſimul vtramq; obſtructam eſſe: altera à cauſis, de quibus paulò diligentiùs & longiùs agendum eſt. Cauſa. Galenus *cap.*97. *artis med.* ponit vnam tantummodo cauſam obſtructionis, lentos & craſſos humores, quã repetit 11.*method.in lib.de conſt.artis med.* & aliis locis:ſed aliquando addit ſecundam 8.*meth. c.*4. nempe humorum copiam: *Cernimus*, ille inquit, *etiam quod multum eſt, cum ſimul totum confluit obſtruendo hærere, inſigneque non minus, quam ea quæ glutinoſa ſunt & craſſa, & ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus, multo profectò magis retineri, quod nonnunquam euenit in turba hominum: qui affatim ſimul irruentes in anguſtam viam, ſibi mutuo ſunt impedimento, vt nemo poſſit tranſire.* Altimarus ex ſententia Galeni 5.*de locis aff. initio cap.*7 addit tertiam cauſam obſtructionis iecoris, vaporoſum ſpiritum concluſum, quia non pateat exitus: verùm ſi diligenter conſiderentur verba Galeni, illa docent quidem huiuſmodi ſpiritum facere diſtentionem iecoris, ſed minimè obſtructionem, quam ſpeciatim ſcribit fieri à craſſis & viſcidis humoribus in extremis partibus vaſorum, quæ ex vena caua oriuntur: etenim Galenus hoc loco docebat, iecur perindè ac cæteras partes laborare duplici genere morbi, quorum vnus eſt ſola intemperies præter naturam, citra tumorem: alter verò intemperies cum aliquo tumore, qualis eſt phlegmone, eriſipelas, ſcirrhus, flatulentæ diſtentiones, ac poſtremò obſtructiones factæ à craſſis & viſcidis humoribus. Itaque apud Galenum duæ tantummodo ſunt cauſæ obſtructionis iecoris, & ſicuti reliquarum partium: altera multitudo: altera qualitas humorum, qui nimirum aut lenti aut craſſi fuerint: quæ clara eſt ſententia Galeni cum aliis locis, tum præcipuè 10. *meth. c.* 2. Cæterùm cum hæ cauſæ ſint proximæ, atque vt nonnulli vocant, continentes, nec deſint aliæ magis remotæ, quæ ſcilicet vel copiam, vel malam qualitatem humorum poſſunt generare: hæ verò ſunt duplices, aliæ internæ, aliæ externæ. Interna cauſa, eſt mala conſtitutio iecoris ventriculi, ac cæterarum partium, propter quas poſſunt generari tales humores, quales diximus eſſe propriam cauſam obſtructionum. Cauſæ internæ. Externæ autem cauſæ in communi victus ratione comprehendi poſſunt: itaque alimenta ſuapte natura craſſi ſucci, qualia ſunt panis abſque fermento, placentæ ex butyro, & omnia quæ paſta fieri ſolent legumina propè omnia, carnes boum, porcorum, ouium, caſeus, lac & quæcunque ex caſeo & lacte conficiuntur, piſces, oſtreæ, anguillæ, vina dulcia, nigra, craſſa, bene colorata & alia id genus, iure ſtatuendæ ſunt cauſæ obſtructionis iecoris: ad hunc modum balnei adminiſtratio, vehemẽs exercitium, ſtudia litterarum, venus, ſi fiant importunè, quòd potiſſimùm cõtingit ſi ſtatim fiant poſt ſumpta alimenta, quo tempore ventriculus & venæ omnes repletæ ſunt humore crudo, ante commodum tempus illo attracto in venas facilè poſſunt obſtructiones efficere & fouere: quarum omnium cauſarum meminit Galenus *lib.*2.5. *& 6 de tuenda valetudine*, & lib. *de cibis boni & mali ſucci* & aliis locis. Externæ.

Poſt eſſentiam & differentias ſequuntur ſigna, Signa. & illa primùm quæ generaliter demonſtrant obſtructionem iecoris, de quibus ſermonem habet Galenus 6. *de tuenda valetudine*, *cap.* 4. *de cibis boni & mali ſucci*, *cap.*2. nec non 5. *de locis affectis cap.* 7. quorum ſumma talis eſt: Qui iecoris obſtructione laborant, primùm in dextro hypochondrio ſenſum quendam, & veluti pondus percipiunt, præſertim verò cum ſpiritum vehementer attrahunt, quod fortaſſe prouenit propter eam cauſam, quoniam in vehementi reſpiratione ſeptum tranſuerſum ſurſum aſcendens, ſurſum trahit ipſum iecur, quod illi annexum eſt, ex quo fit, vt iecur magis graue videatur, cum ſit quodammodo ſuſpenſum, & refertum multis & craſſis humoribus. Quod ſi præterea flatuoſus quiſpiam ſpiritus in iecore ſit interclusus, qui nequeat erumpere, tenſio quoque percipitur in eodem hypochondrio, ex quo deinceps præter ſenſum ponderis dolor aliquando acutus poteſt concitari, vt notat Galenus 7. *aphor. comm.* 52. cum alioqui iecoris obſtructiones non habeant inſignem adiunctum dolorem, qui ſi modò adeſt, potius grauatiuus eſt, quàm acutus. *Hepar*. inquit Galenus loco citato, *dolet propter obſtructionem, ſed mediocriter, & cum quodam ſenſu potius ponderis, quàm vehementis doloris: at vehemens dolor fit propter flatuoſum ſpiritum aut inflammationem, quæ vel eſt*

Digitized by Google

maxima vel ſuppurat. Præterea habent pulſus inæquales, præcipuè ſecundum magnitudinẽ, & paruitatem, vehementiam & debilitatem, quod ſignũ commune eſt obſtructioni omniũ membrorum principaliũ, vt docet Gal. 1. *ad Glauc. c.* 14. in fine: itaq; fiunt pulſus nunc parui & languidi, nunc magni & vehementes, quandoq; etiam ſi res ſit grauior, intermittentes, Obſtructionibus iecoris non eſt neceſſariò coniuncta febris, cùm fere obſtructio ſit morbus frigidus, & maiori ex parte ex frigida materia ortum habeat: quare niſi putreſcant humores, quod tamen facilè euenit, cum nequeant difflari, nulla febris excitatur, & ita cum obſtructione iecoris quandoque adeſt febris, & tunc calefacto viſcere apparent quoque indicia caliditatis: quandoque nulla adeſt febris, in quo caſu potius adeſſant ſigna frigiditatis, quàm caliditatis.

Quo loco notāda eſt oſcitantia Altimari, qui aſſerit ex ſententia Gal. 8. *meth. c.* 4. magnitudinẽ obſtructionis diſcerni magnitudine febris: cum certiſſimum ſit, ingentem iecoris obſtructionem ſæpe fieri cũ leni, imò verò nulla febre. Galenus autem eo loco loquitur non de iecoris, ſed de cutis obſtructione & in hoc deceptus eſt Altimarus.

Hiſce ſignis quæ colligimus ex variis Galeni locis, nonnulli adducunt alia ſigna, ex colore totius corporis, ex lotio, excrementis alui, quæ cum non ſint propria obſtructioni, ſed communia inflammationi, ſcirrho, & aliis morbis, iure poſſunt prætermitti; quare veniamus ad ſigna differentiarum.

Signa differentiarum. Si pars iecoris ſuperior & gibba laboret obſtructionibus quæ ſint aliquantiſper inſignes, ad tactũ & compreſſionem dextri hypochondrij, vtcunque percipitur quædã turgentia ac tenſio, cum neceſſariò iecur magis tumidũ ac tenſum reddatur, quã ſit ſecundùm naturã. At verò ſi obſtructiones magis occupent partem cauam, vix manu ad tactum percipi poteſt, vel tenſio, vel repletio, niſi forte obſtructio fuerit adeò magna, vt alteram quoque partem in conſenſum trahat: ſed hanc ipſam differentiam licet ex aliis diſcernere, ac maximè ex alui excrementis: namque obſtructa parte ſima excrementa ſunt plerunq; humida, copioſa inſtar cuiuſdam ſedimenti ptiſanæ hordeaceæ, quod iecur chylum confectum in ventriculo nequeat ad ſe attrahere. Obſtructa parte gibba, eadem excrementa ſunt potius ſicca, ac demum laborante vtraque parte, excrementa erunt varia, modò humida, modò ſicca.

Vtrùm autem obſtructiones fiant ex multitudine, vel magis ex qualitate humorum, non difficilè id poteſt cognoſci ex colore, & habitu vniuerſi corporis, nec non ex variis ſymptomatibus, quæ vel plenitudinem, vel cacochymiam ſolent demonſtrare, de quibus ſæpe diximus: quibus indiciis demum licet addere præcedentem victus rationem, ætatem, tempus anni, & alia eiuſmodi.

Incommoda obſtructionis Antè verò quàm veniamus ad curationẽ quod vnũ reſtat, ne quis putet obſtructionem iecoris rẽ eſſe parui momenti, Galenũ audiamus, qui in libro de cibis boni & mali ſucci. *c.* 1. refert varia incommoda & pericula, quæ hunc morbum ſolent comitari. *Primùm, prohibetur diſtributio alimenti per totum corpus, ex quo illud nõ poteſt deinceps nutriri: ſecundò, neceſſario generatur collectio plenitudinis in venis meſentery & ſimarũ partium iecoris: impedito enim tranſitu ipſi alimẽto, quo minus poſſit penetrare ad eas partes, ad quas pertinet illud generaliter diſtribuere, vt eiuſmodi repletio generetur neceſſe eſt: in quo, caſu tertiũ periculum imminet, vt aut ſequatur inflãmatio partiũ, in quibus collectio facta fuerit, aut ſuccedat putredo redundantium humorum. quandoquidem alterutrum ſequi neceſſe eſt, nempe vt crudi craſſique humores vel concocti conuertantur in ſanguinẽ, vel putreſcant, ſicuti reliquis quoque omnibus accidit, quæcunque in locis calidis diutius moram trahunt.* Hæc ex Galeno: quibus id generaliter licet addere obſtructionem iecoris, vt vulgo loquuntur, eſſe matrem ferè omnium morborum: ſiquidem facilè & frequenter illam conſequuntur febres, & illæ quidem difficiles & diuturnæ, cacochymia cachexia, hydrops, apoſtema, dolores colici, fluxiones alui, melancholia, hypochondriaca, & alij id genus morbi propemodum innumerabiles Sed ipſam curationem aggrediamur. Gal. 8. *meth. c.* 4. 11. *meth. c* 10. & 13. generaliter tractando rationem curandæ obſtructionis duplicem facit illius conſiderationem; vnam, quatenus facta eſt: alteram quatenus eſt futura: quare ſcribit factam obſtructionem curandum eſſe ἐκφράξει, quæ nihil aliud eſt, vt ipſe interpretatur locis citatis, nec non 5 *de ſimp. med. facult cap.* 12. quàm deterſio quæ impactos & obſtruentes humores remouet: ad quem modum inquit in arte *med. cap.* 94. obſtructionem habere vnam intenſionem morbo contrariam, nempe apertionem. *Curatio.* Futuram autem obſtructionem docet curandam eſſe vacuatione, attenuatione, deterſione, grauiterque nos admonet, antequam adminiſtrentur medicamenta deobſtruentia, quæ ſunt accommodata ad tollendam factam obſtructionem, vt perpetuò incipiamus à vacuatione illorum humorum, qui tanquam cauſæ futuræ obſtructionis aſſiduè confluunt ad partem obſtructam: quod ſi aliter fiat, certum periculum imminere, vt obſtructiones non ſolùm non tollantur ſed etiam reddantur & maiores & curatu difficiliores. Cum igitur nulli dubium eſſe poſſit, quin obſtructiones iecoris ac ipſa methodo curari debeant, duæ principales nobis ſeſe offerunt curandi indicationes: altera, omnium primùm vacuandi vniuerſi corporis: altera vtendi medicamentis deobſtruentib. de quorum numero paulò poſt.

Sed hoc loco non eſt prætermittendum Galeni præceptum quatenus pertinet ad vacuationem iecoris, cuius ille meminit in libello de conſtitutione artis medicæ *c* 17. nec non in arte medica, *c.* 94. & aliis locis, quòd nimirum ſi fuerit obſtructa pars gibba & ſuperior iecoris, ſumpta indicatione à natura loci affecti, qui ratione venæ cauæ habet magnũ cõſenſum cũ vaſis vrinariis, opportunè vacuari ſoleat per ea medicamẽta, quę prouocant lotiũ, dũmodo multo vitioſo humore non ſit referta, tunc enim per aluũ & medicamenta deiectoria poſſunt vacuari, vt notauit Gal. 7. *meth. cap. vlt.* At verò ſi fuerit obſtructa pars inferior & concaua, conſentiente vena porta, quæ ab hac parte ortum ducit, cum inteſtinis, longè commodior fuerit euacuatio per medicamenta purgatiua per aluum.

Prognoſticum. Verùm poſſimus ſatisfacere propoſitis indicationibus potiſſimùm licet colligere ex differentiis ſumptis ab intenſo & remiſſo, à tempore, à coniunctis, & aliis id genus: ſiquidem pro comperto habendum eſt, obſtructiones longè facilius curari, ſi fuerint leuiores, proximo tempore factæ in corpore robuſto, ac ſine febre, quam ſi fuerint validiores, antiquæ in corpore debiliore, non ſine febre: ex quo Galenus ſcriptum reliquit in libello de *conſt. artis med. c.* 17. obſtructiones iecoris antequam faciant altas radices, ſola tenuante victus ratione, nec non tenuantibus quibuſdam medicamentis, ſine multo labore poſſe auferri: Vbi verò fuerint multiplices & validiores; non ſolùm tenuantibus alimentis & medicamentis, ſed etiam vacuatione opus fore, illaſque multo difficilius curari, adeo vt tandem ſi fuerint inueteratæ, & longiore tempore confirmatæ, nullam propè

certi

Digitized by Google

recipiant curationem. Hæc vera eſt ratio prognoſtici, vt id obiter vos moneam, quam poſſunt afferre, qui ſcribunt vel docent curationem morborum, quæ nimirum ſumitur ex natura & differentiis morbi, de quo agitur: vnde ridendi ſunt, qui conantur in ſingulis morbis magis certas & proprias prædictiones inuenire: cum enim legitima & conſtans ratio prognoſtici tota pendeat ex comparatione virium cum morbo, cuius Gal. & 1. *ad Glauconem*, & frequenter meminit, vbi nullus eſt æger, adeóque nulla virium cum morbo comparatio, certum eſt aliud nullum prognoſticum poſſe fieri præter id quod ſuggerit conditio & natura morbi, ſicuti diximus. Sed redeo ad rem.

Pro abſoluenda priori indicatione, quæ pertinet ad vacuationem totius corporis, primùm quidem ad purganda illa excrementa, quæ continentur in ventriculo & primis viis, expedit lenire aluum leuiore aliquo medicamento. inter quæ hiera præſtantiſſima, vel ſola ad ʒ. iij. factis pilulis cum aqua cichorei, agrimoniæ, vel ſimul cum therebinthina Cypria, data vtriuſq; ʒ. ij. quæ medicamenta erunt accommodata, ſi obſtructiones fuerint ex humoribus lentis, craſſis, & frigidis. Quòd ſi vna cum obſtructione appareat caliditas iecoris, poterit exhiberi caſſia cum portiuncula ſpecierum hieræ. Lenita aluo conſentientibus trib. principibus ſcopis, vena omnino ſecanda eſt. & ea quidem baſilica dextri brachij, ſanguiſq; mittendus ea menſura & quantitate quæ videbitur conuenire & plenitudini, & habitui corporis & reliquis ſcopis ſecundariis: quod quidem remedium cenſendum eſt non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſarium pro perficienda generali corporis vacuatione, nec non pro reuellendo humore fluente ad partes obſtructas, atque vt ſemel dicam pro aperienda via cæteris medicamentis accommodatis ad tollendas obſtructiones, quæ iam diximus ſine huiuſmodi communi prouidentia non poſſe tutò & vtiliter adminiſtrari. Et quanquam non ignoro pleroſque hoc remedium improbare, & in obſtructionibus iecoris, & in cæteris morbis, in quibus redundant humores lenti & craſſi & frigidi, tamen nolo in præſentia longiùs hanc difficultatem examinare, cum in animo habeam commodo tempore hoc ipſum argumentum tam perſpicuè & ſolidè vobis explicare, vt facilè deinceps poſſitis, & huic & aliis aduerſariorum cogitationibus reſpondere. Iam vobis ſufficiat vnus locus valde notabilis 8. *metho. c.*4. in quo Galenus probat ſectionem venæ citra vllam plenitudinem humorum, tametſi abundent humores craſſi & frigidi; & ipſum corpus verè dici poſſit laborare cacochymia.

Lenita aluo, ſecta vena: ac minorata materia, quæ ſupereſt, eſt coquenda: ad quem vſum plurima ſunt accommodata, tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta: nos familiariter vtimur ſyrupis & decoctis, ſicuti alij aquis ſtillatitiis vel ſeparatis vel miſtis. Primùm verò incipiendum à leuioribus, quales ſunt ſyrupi ſimplices de cichoreo, de ſoncho, de endiuia, de ſilice, acetoſus, decocta cichorei acetoſæ, capillorum veneris, borraginis. Quod ſi vnà iecur appareat frigidum, permiſcenda erunt nonnulla calidiora, ſyrupus de agrimonia, de betonica, de fumo terræ, & ſimilia.

Deinde ſi ita ferat occaſio, progrediendum ad valentiora, qualia ſunt ſyrupus de cichoreo, ſine rhabarbaro, & cum rhabarbaro, de indiuia gentilis, decocta agrimoniæ, hyſſopi, chamæpityos, & ſimilium.

Apparente concoctione purgetur noxia materia, ſed cum medicamentis quoquo modo leuioribus, quoniam quæ recipiunt ſcammonium, & alia id genus vehementiora officiunt iecori, trahunt ad illud noua excrementa: quare optima ſunt inter ſimplicia rhabarbarum, agaricus: inter compoſita pilulæ de tribus, cum rhabarbaro, de hiera cum agarico. ſyrupus roſaceus, vel mel roſaceum ſolutiuum, quod vtrumque propter roſas eſt familiare iecori, & alia huiuſmodi. Quod ſi vna non ſatis fuerit purgatio, repetitis ſyrupis optimum fuerit purgationem quoque repetere.

Expurgato corpore vniuerſo, mox opportunè deueniendum eſt ad ea medicamenta, quæ dicuntur habere peculiarem vim deobſtruendi, quorum natura, quantum colligitur ex Galeno 11. *metho. cap.* 10 5. *de ſimplic. med. facult. cap.* 12. 6. *de ſimp. med. facult. cap. de pæonia*, & huiuſmodi: primùm debent eſſe ex genere medicamentorum abſtergentium, ex quo opus eſt, vt non ſolùm facultatibus, ſed etiam modo ſubſtantiæ opponantur illis medicamentis, quæ à Græcis emplaſtrica dicuntur: hæc enim viſcida ſunt & omnino mordacitatis expertia, cum altera ex parte medicamenta deobſtruentia debeant carere omni lentore, neque eſſe mordacitatis expertia. Sunt igitur aut nitroſa, aut amara, aut acria, aut omnino tenuium partium: quod ſi demum parum quid habeant adſtringentis facultatis, ea longè euadunt tutiora & præſtantiora. Horum medicamentorum ſylua eſt ingens, ac prope infinita, ex qua ea breui conabor eligere, quæ mihi videntur hoc tempore magis vſitata & efficacia. Quædam ſunt ſimplicia, endiuia intubus, cichoracea omnia, plantago, fumaria. ceterah, abſinthium, betonica, chamædris, chamæpitys radices, folia & ſemina apij, petroſelini, fœniculi, aſparagi, cortices & radices lauri, & alia id genus, quæ tamen cum ſint alia magis, alia minùs calida, debent ita moderari & adminiſtrari, vel ſeparatim, vel ſimul commixta, vt res ipſa, & affectio iecoris vel calidior vel frigidior videbitur poſtulare. Nonnulli inter cætera omnia mirabiliter laudant lupulos atque eorum decoctũ. moti fortaſſe auctoritate Meſuæ qui hoc medicamentum ad multos vſus probat maximoperè: ſed cum nihil de eo quod equidem inuenerim. Gal. Dioſcor. aliique veteres auctores poſteritatis memoriæ prodiderint, ego illo admodum timidè vti ſoleo, qui libenter abſtineo medicamentis nouis incertis & quorum vires teſtimonio & auctoritate veterum non ſunt nobis manifeſtæ. Quædam autem ſunt medicamenta compoſita, ſyrupi de quibus iam diximus, confectiones diarhodon, diacyminum, diacalamenthum, trochiſci de roſis, de agrimonia, de abſinthio, de rhabarbaro, & alia, quorum non eſt vt longiorem catalogum faciamus. Sed tamen nolo prætermittere, quia proferam quoddam medicamentum ex radice cichorij & chamæpityos, quod eſt Gal. ex Archigene 8. *de med. ſecundum loc.* quo olim ſenior quidam medicus in obſtructionibus iecoris familiariter & feliciter vti conſueuerat.

Medicamenta deobſtruentia hepar.

℞. *Radicum cichorij decoctarum* ℥. ij.
Chamæpityos ℥. j.
Spicæ nardi,
Spicæ Celticæ,
Aſari ana. ʒ. ß.
Amygdalarum amararum ℥. ß.
Mellis quantũ ſufficit. M. & F. electuariũ:

Electuarium deobſtruens.

quod ſi auferatur illa aromata, poterit etiam adminiſtrari in iecore calidiore.

Hæc ſunt medicamenta accommodata, ad tollendas obſtructiones iecoris, in quorum vſu illud eſt maximè obſeruandũ, vt opportunè exhibeãtur, quo nimirum tempore iam confectum ſit alimentum, quod ex ventriculo in ipſum iecur digeritur,

ac

ac deinde tantum quoque temporis ſpatium inter ea atque alimenta poſteriùs aſſumenda interponatur, quantũ ſatis fuerit, & ita probè concoquatur.

Diximus de omnibus de medicamentis, tam internis, quàm externis, accommodatis ad tollendas obſtructiones iecoris, quibus omnibus poſtremò debet accedere congrua victus ratio, adeo vt ægri ex vna parte diligenter caueant ab iis omnibus alimentis & potibus, quæ poſſunt gignere humores craſſos, lentos, viſcidos, & accommodatos ad efficiendas obſtructiones, de quibus iam diximus, tractantes de cauſis externis: ex altera verò aſſumant alimenta, quæ vim habeant incidendi, detergendi, extenuandi, vt ſunt amara, acria, acida, de qua quidem tenuante victus ratione Gal. accuratè & diffusè libellum ſcripſit, qui vnicuique ſatis eſſe poteſt: in ſumma panis probè confectus, elaboratus, mediocriter ſalitus, cui licet commodè permiſcere ſemina aniſorum fœniculi vel quid ſimile, carnes ſint probatæ, pulli gallinacei, perdices, turdi, & omnes aues montanæ, piſces ſaxatiles, fercula parata ex iure, ſaccharo aceto, petroſelino: vinum ſit tenue, minimè dulce vel auſterum quæ pauca tanquam exempla ſufficiant, ad quæ cætera facile poſſunt referri.

Quoniam verò hic morbus eſt maximè frequens & longè maximi momenti vt ordinatam & accuratam illius curationem teneatis ex noſtro inſtituto proponatur caſus, in quo quæ generaliter diximus, quantum licet ad particularem vſum referantur. Socrates annum agens 40. temperamenti calidi & ſicci tempore veris, iam duos menſes laboret obſtructione iecoris ſine febre: Socrati ante omnia leniatur aluus cum caſſia & hiera, ſecundùm hanc formam: *Caſus.*

℞. *Floris caſſiæ nouiter extractæ* ʒ. x.
Specierum hieræ ſimplicis ℈. iiij *M*.

Altera ſequenti die Socrati ſanguinem detrahatis ſecta vena iecoris, quam baſilicam appellant, circiter vncias decem. Tertia die inſtituatis ſyrupos, qui moderatè poſſint refrigerare, aperire, & craſſam materiam concoquere.

℞. *Syrupi de endiuia*,
De ſilice,
Aceſi ſimplicis ana. ℥. ß.
Decoctionis cichorei,
Acetoſæ,
Agrimoniæ. ana. ℥. iiij. *Miſc.*

Sumptis ſyrupis per 8. vel plures dies apparente coctione in lotio, tale exhibeatur medicamentum.

℞. *Rhabarbari electi* ʒ. ij.
Spica. gr. v. Fiat infuſio in ſuprascripta decoctione per horas decem, & facta expreſſione, adde
Syrupi roſati ſolutiui ℥. iiij. *M & fiat potio.*

Sin autem concoctio difficilè & tardè appareat ſicuti euenit ſæpenumero, vobis licebit repetere medicamentum leniens ſemel exhibitum, vel quid ſimile: aſt perpetuò debetis abſtinere à ſoluentibus medicamentis, niſi ducendi humores fuerint concocti: quam ſanè purgandi rationem ad mentem Hip. & Gal. in priuatis lectionibus ſpero, me vobis vſque adeo planè & firmiter propoſiturum & confirmaturum, vt nullus de hac re locus dubitationi vobis in poſterum poſſit ſupereſſe.

Expurgato corpore vobis licet tutò aggredi ea medicamenta, quæ maiorem vim habeat exobſtruendi qualia ſunt trochiſci, ſyrupi compoſiti, & alia id genus.

℞. *Trochiſcorum de abſinthio*,
De roſis ana. ʒ. ß.
Conſeruæ florum cichorij ℥. j.
Miſce, fiant boli, qui poterunt quatuor vicibus exhiberi mane ante ſyrupum.

℞. *Syrupi de cichorea compoſiti ſine rhabarbaro.*
De Soncho,
Acetoſi ſimplicis ana. ℥. ß.
Decoctionis fumi terræ,
Cichorei,
Agrimoniæ,
Radicũ petroſelini, ana. ℥ iiij. *M. pro ſyrupo.*

Poſt nonnullos dies, niſi Socrates vobis videatur exquiſitè purgatus, alterum propinetis medicamentum:

℞. *Rhabarbari electi*,
Agarici trochiſcati ana. ʒ. j. *Fiat infuſio in decoctione agrimoniæ per horas decem: tum facta expreſſione adde*
Electuarij diaphenicon ʒ. ij. ß.
Mellis roſati ſolutiui ℥. iiij. *Miſce & fiat potio.*

Hoc demum tempore exhibeatis ea medicamẽta vel ſimplicia vel compoſita, cæteris omnibus efficaciora, quorum ſuprà mentionem fecimus, inter quæ ego familiariter vti conſueui hoc electuario.

℞. *Radicum cichorei decoctarum* ℥. iiij.
Radicum chamepityos ℥. ij.
Amygdalarum amararum ℥. ß.
Mellis quantum ſufficit. Miſce.

In quorũ quidẽ medicamentorũ adminiſtratione tantũ perſeuerandũ eſt, quantũ res ipſa videbitur poſtulare. Neq; demũ ſunt prætermittenda pro curãdo Socrate medicamẽta externa, quorũ iã ſuperiùs ſunt poſita varia exempla, neque eſt vt in iis referendis maiorem temporis iacturam faciamus.

Capvt XIII.

De Inflammatione Iecoris.

Tractaturi de iecoris inflammatione, ne verſemur in aliqua nominis ambiguitate cum veteres Medici pluribus modis nomen inflammationis ſoleant vſurpare, quorũq; Gal *2. ad Glauconem, cap.* 1. & aliàs frequenter mentionem facit, nos in præſentia inflammationem intelligimus humorem præter naturã, ex aliquo humore calidiore orientem: in qua ſignificatione accipitur ab Hip Gal. & omnibus Medicis. Sæpenumero itaq; iecur, ſicut reliquæ partes noſtri corporis eſt aptum, vt ſuprà diximus, ad ſuſcipiendam inflammationem, de cuius generatione in vniuerſum præclarè ſcribit Gal *2. de differ. febrium, cap.* 11. qui aſſerit hunc morbum oriri ex calida fluxione, tranſmittente vna vel pluribus partibus, vicinis aut remotis, ad ipſum iecur noxia excrementa, quæ illud in tumorem attollunt, & inflammationem efficiunt.

Etſi verò differentiæ huius morbi plures poſſunt numerari, verumtamen duæ mihi videntur eſſe præcipuæ: altera, quæ ſumitur à variis partibus iecoris laborantibus: altera, quæ ſumitur ex materia diuerſorum humorum, ex quibus inflammatio originem habet ſicuti diximus de obſtructione: quod tamen ita accipiendum eſt, ſicuti accipitur à Galeno *5. de locis affectis, cap.* 7. qui cum docet inflammationem poſſe oriri duntaxat, vel in partib. cauis, vel in gibbis iecoris, ſimul aſſerit, in neutra parte inflammationem exquiſitè diſtinctam poſſe conſiſtere, vt altera integra & omnis mali immunis conſeruetur, propterea quia viſceris caro in cunctis partibus continua eſt, adeo vt neceſſe ſit eas quoquo modo in affectibus ſibi mutuo conuenire. Sed & illud non eſt prætermittendum, quod idem ſcribit Galenus 13. *meth. c.* 14. in fine: caua iecoris parte laborante inflammatione, protinus fore neceſſe, vt ſimul venæ, quæ ſunt in meſenterio, inflammatione laborent, quando illæ omnes originem ducunt ex ea vena, *Differentia.*

quæ

quæ ad portàm pertinet. Poſtremò & id pertinet adhanc differentiam. nempe carnoſam iecoris partem atque illius ſubſtantiam corripi interdum inflammatione, interdum verò magis membranam laborare, quæ illud circundat & veſtit: quod neque à Galeno prætermiſſum eſt 6. *aphor. com.* 5. nec non 7. *aphor. com.* 45.

Quatenus autem pertinet ad aliam differentiam, quam præbet materia diuerſorum humorum, qui efficiunt inflammationem. tametſi non debet negari, quin iecoris inflammatio fieri poſſit ex quouis humore, mixto ſimul cum ſanguine, tamen dicit Galen. 6. *de med. ſecundum locos, c.* 1. *& vlt* hunc morbum præcipuè ac maximè ex parte fieri, vel ex ſanguine calidiore, vel ex bile, quandoquidem reliqui duo humores magis ſunt apti ad generandos alios humores, quàm inflammationem.

Signa. Signa indicantia inflammationem, iecoris alia ſunt communia, alia propria, quæ præcipuè ſumuntur ex Gal. in 5. *de loc. aff. cap.* 7 Inter ſigna communia primò percipitur grauitas in dextro hypochondrio, quandoque verò & dolor, qui peruenit ad coſtas ſpurias, quib. iecur quibuſdam internis vinculis alligatur, vt dicit Gal. 4. *de vſu partium, ca.* 14. quæ quidem vincula inflammata diſtendunt, & dolorem pariunt: quam colligantiam tamen dicit Gal. non reperiri in cunctis hominibus, ſicuti neque in cæteris animantibus, vt propterea neque in omnibus his coſtarum dolor percipiatur. Præterea iecoris inflammationem neceſſariò ſequitur febris, & propter dignitaté partis. & propter maximum illius conſenſum cum corde: quæ quidem febris, vt dicit Gal. *aphor. com.* 12. ſolet habere nonnullas acceſſiones quotidie, & noctu potius quam interdiu, ſicuti in pleuritide & phrenitide acceſſiones magna ex parte fiunt per tertiam diem, neque tamen perpetuò eandem ſeruant rationem, nãque vt dicit Gal. *prorrhetic or. com* 21. Febris quandoque eſt maligna, quandoque acuta, ſed non maligna, quãdoque verò nec maligna neque acuta: quæ ſanè diuerſitas ſolet conſequi diuerſam conditionẽ & magnitudinem inflammationis: etenim cum inflammationum magnitudinem perpetuò febris ex proportione ſequatur, ſicuti non perpetuò neceſſe eſt iecur valenter inflammari, ſed modò remiſſiùs, modò intenſiùs, ita non ſemper neceſſariò febris ſequitur maligna vel acuta, ſed ad proportionem inflammationis. His accedit aliqua difficultas ſpirandi, ſiquidem propter conſenſum ſepti tranſuerſi, vt dicit Gal. libello de vtilitate reſpirationis, *cap* 4. ægri coguntur paruam & frequentem reſpirationem facere. Lotia ſunt flaua, quandoque liuida, interdum nigra, propter maiorem vel minorem caliditatem & inflammationem, pulſus eſt durus, tenſus & inæqualis veluti qui ſerrinus dicitur, vt ait Gal. 4. *de cauſ. pulſuum, c.* 7. 1. *de præſagio ex pulſibus cap.* 4. ſed tamen pulſus eſt minùs durus & inæqualis, quàm ſit in pleuritide, quòd pleura ſit pars neruoſior, & ſuaptè natura tenſa: præterea eſt magnus, velox. & frequens. Demum vèrò, vt dicit Gal. 5. *de loc. aff. cap.* 7. cum inflammatione iecoris hæc ferè coniunguntur ſymptomata, exigua tuſſis, linguæ calor per initia ruber, deinde niger ingens faſtidium cibi, inexhauſta ſitis, vomitus quidã tum ſinceræ bilis, tum eius quæ *vitellina* dicitur, poſtea verò nonnunquam æruginoſæ: aluus quoque illis aſtringitur, niſi cum iecoris imbecillitate inflammationem fieri contingat: nam tunc deiiciuntur excrementa liquidiora, & quandoque ſimilia lotiuræ carnis: alioquin enim propter nimiam viſceris caliditatem ſicca deiiciuntur, quæ *ἀπεξηρασμένα* Græcè appellantur, quod notauit Gal. 4. *de ratione victus morborum acutorum, com.* 17. Atque hæc ferè videntur eſſe indicia quæ generaliter iecoris inflammationem ſolent demonſtrare.

Sed antequam accedamus ad ſigna differentiarum, non fuerit alienum ab inſtituto noſtro, & à veſtra vtilitate, ſi nonnulla proferantur indicia, quibus ſciatis diſtinguere inflammationem iecoris ab inflammatione aliarum duarum partium, quæ & propter vicinitatem & propter ſimilia ſymptomata non ita facilè diſcernuntur, quin medici alterum morbum pro altero accipientes decipiantur. *Signa diagnoſtica.* Sæpenumero vna eſt inflammatio muſculorum abdominis, intra quos, vt ſcitis, iecur ſub peritonæo poſitum eſt. Gal. ergo loco cit. 5. *de loc. aff.* docet ea ſigna, quibus huiuſmodi partium inflammationem diſcernere poſſitis: primum quidem ex poſitu & figura; namq; inflammato iecore, ſi muſculi manibus tractentur, & quatenus fieri poteſt, attollantur & ſuſpendantur, manifeſtè profundior tumor deprehenditur, & ille quidem quaſi in vnum collectus & circũſcriptus, pro forma ipſius iecoris laborãtis; ſiquidẽ omnis inflãmatio ſuſcipit formã particulæ cuius eſt inflãmatio: inflammatis autem muſculis, vel ad locũ tactũ, quaſi in ſumma cute, protinus percipitur & dolor, & tumor, ac ſi animus diligenter attẽdatur, talis fuerit figura inflammationis, qualem habent muſculi laborantes: hoc ipſum demonſtrant cum alia, tum maxime color totius corporis. Ad quem modum Gal. deprehendit Steſianum quendam nullo iecoris morbo laborare, ſed tantummodo abſceſſu in profundis muſculis, præter ſententiã aliorum medicorum: huius ægroti hiſtoriã reſſcitat 5. *de locis aff. c. vlt.* me: ſed febris quoq; huiuſmodi morborũ differentiam ſatis poteſt demõſtrare, cum certum ſit perpetuò, longè maiorẽ febrem excitari in iecoris, quàm muſculorũ inflãmatione: imò verò non modò febrẽ, ſed etiam cuncta ſymptomata, quæ ſuprà fuere poſita, ſemper eſſe vehementiora, & maioris momenti. namque vt dicit Gal. 1. *progn. com.* 30. ſi muſculi inflãmatione laborant, inferre mortem non poſſunt. niſi raro, aut propter magnitudinem inſignem inflammationis aut propter viriũ debilitatem, aut quia vel medici, vel ægrotantes aliquem committant errorem.

Signa diſtinguentia pleuritidem ab inflammatione iecoris. Altera eſt inflammatio membranæ ſuccingentis coſtas, quam pleuram appellant quæ itidem pars proxima eſt ipſi iecori, & habet ſymptomata vſq; adeo ſimilia ſymptomatib. inflammationis iecoris, vt frequenter Medici alterã pro altera ſoleant accipere: ſicuti euenit Glauc. Philoſ. & medico Siculo, qui laborans inflammatione iecoris, putabat ſe laborare pleuritide: cuius elegantem hiſtoriam recitat Gal. 5. *de locis aff.* ad finem. At vero idem Gal. hanc rationem quoq; diſcernendi hos duos affectus nos docet præclariſſimè 2. *de locis aff. c.* 9. *Eſto,* ille inquit, *vt quiſpiam inter reſpirandum in ſpuriarũ coſtarũ loco doleat, hunc certè ex eo dolore pleuriticum eſſe non debemus ſuſpicari, ſed in primis decet conſiderare, num tuſſiendo aliquid expuat: id enim ſi fuerit coloratũ non temere pleuritidis facit ſuſpicionem: quod ſi verò tuſſiendo nihil omnino expuat, fieri ſanè poteſt, vt ita quoque ſit pleuriticus, vbi nimirum inflammatio fuerit cruda, & conſtricta, adeo vt ab ea nihil refudet, quod eiici poteſt*: quali inflammatione multos dies laborabat Anaxion, cuius ex Hip. meminit Gal. 1. *de criſib. c.* 18. Cæterum fieri poteſt, vt dolor quoq; in ſpuriarum coſtarum loco exoriatur propter iecoris inflãmationẽ intentis videl. internis quibuſdam vinculis, quib. nonnullorum iecur coſtis ſpuriis aligatur, vt ſupra diximus. Primum verò indicium, quo alteram inflammationem ab altera diſcernere poſſimus, Galeno ſumitur ex pulſu: namq; ille non eſt ſimilis vtrobiq; quia tametſi in vtroq; morbo pulſus eſt durus & ſerrinus,

Digitized by Google

ſerint, tamen certum eſt, illum minorem durítiem habere in inflammatione iecoris, quàm in pleuritide propter varietatem partium inflammatarum. Secundum ſumitur indiciũ ex excrementis, quæ deiiciuntur per aluum, ſiquidẽ in inflãmatione iecoris deiiciuntur excrementa ſimilia loturæ carnis nuper mactatæ, etſi non ſemper ſunt eiuſmodi, ſed in his duntaxat magis, quæ propriè iecoraria dicuntur vel hepatica: quamobrẽ in iis inflãmationibus iecoris, in quibus per aluũ nihil excernitur, optimum fuerit manibus dextrũ hypochondrium explorare: nam ſi in eo tumor eſſe deprehendatur, certiſſimũ erit inflãmationis indiciũ: quod ſi nullus tumor inueniatur, nec ſiquidẽ deſiſtendũ eſt, cum fieri poſſit, vt ſi inflãmatio in ſola concaua iecoris parte, in qua nullus tactui tumor poteſt occurrere: nec non vt inflammatio ſit in gibbis partibus, at vero nõ omnibus ſed iis dũtaxat, quæ à coſtis ſpuriis conteguntur: itaq; Gal. cõſilio laborantẽ admonere oportet, vt maximè reſpiret, illũmq; interrogare, an grauitatem aliquam ſentiat, aut à ſuperioribus partibus ſuſpenſam, aut vicinis incumbentẽ, id quod propter cauſas iam expoſitas ſolet iis contingere, qui iecoris inflãmatione laborant. Ad ſummã concludit Gal. præcipuũ indicium hac in re pulſum eſſe & qui fallere non poteſt, progreſſu autem temporis, & reliqua ſymptomata poſſe aliquid firmi ſignificare. Nam vbi iecur inflãmatione laborat, cõtingit & linguæ, & totius corporis colorem immutari, ſicuti ruſus in pleuritide contingit tuſſim creſcere, atq; eo tempore omnino apparere aliqua quæ per tuſſim eiiciũtur. Hunc locũ tractaui paulo longius, quòd ille mihi videatur non ſolùm diligenter monſtrare differentiã harũ duarũ inflammationum, ſed etiam poſſe maximã lucem afferre huic toti tractationi. Venio ad ſigna differentiarum.

Signa alia. Diximus præcipuas differentias inflãmationis iecoris ſumi vel ex parte laborante, vel ex natura humoris efficientis inflammationem; itaque ſi carnoſa pars iecoris inflammatione laboret, auctore Gal. 6. *aphor. com.* 5 dolor quidam obtuſus & grauis, ac veluti quoddam pondus in ea parte percipitur: ſin autẽ tunica iecori circundata, vel vaſa laborent, tunc dolor fit potius acutus. Præterea ſi inflammatio ſimam iecoris partẽ obtineat, ex 5. *de loc. aff.* ad finẽ, primum manibus facilius percipitur, præſertim ſi fuerit inſignis, atq; abdomen ſuapte natura excauatũ, quod etiam ex morbo ſolet extenuari: deinde maior ex hac parte eſt dolor, qui ſpirando percipitur, magiſq; ad dextrum aſcendit iugulum, vt quandoq id nempe in magna iecoris inflãmatione, dextrahi videatur, quod euenit propter vicinitatem & conſenſum ſepti tranſuerſi, & totius thoracis. Sin verò inflammatio caua iecoris partem afficiat, hæc manibus deprehendi non poteſt & quemadmodũ pars gibba magis conſentit ipſi pectori, ita concaua & propter vicinitatem, & propter communicantiam venæ portæ, magis conſentit ventriculo: quocirca ille conſueuit inſigniter laborare ſiti, nauſea, cibi faſtidio, vomitu, ſingultu & aliis prauis ſymptomatibus. Quatenus autem pertinet ad alterã differentiã humoris efficientis inflammationẽ, hic, vt diximus, fere eſt duplex, vel ſanguis, vel flaua bilis, & quanquam ſigna vtriuſq; ſunt prope eadem, tamen ſciendum eſt, ſymptomata longe fieri vehementiora & deteriora ex bile, quã ex ſanguine: cum enim tunc inflammatio quodãmodo degeneret ad naturam eryſipelatis, febris excitatur ardentiſſima qualis ea eſt, quæ Latinis ardens dicitur, quam perpetuò ſolent comitari ingens ſitis, ſumma caliditas, maximã inappetentia, & alia huiuſmodi, quę ex bile ſolent procreari; ſic lotia erunt inſigniter flaua, quandoque etiam nigra: excrementa alui erunt ſinceriora præceſſerunt quæ copiam bilis potuerunt efficere. Altera autem ex parte ſi inflammatio oriatur ex ſanguine, & febris & dolor, & omnia ſymptomata erunt leniora, & minus acuta, ſicuti hic humor altero eſt benignior & minùs periculoſus. Veniamus ad curationem.

In qualibet inflãmatione, quæ eſt morbus in intemperie cum materia, vnica eſt indicatio, nẽpe vacuãdi materiã, quæ in ea continetur: hæc autem poteſt vacuari dupliciter; vno modo, ſi retrocedat; altero per patientẽ particulam: retrocedat autem materia vel impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa: vel vno aliquo, vel omnibus ex his modis: per locum verò patientẽ euacuabit partim quidem manifeſtè & ſenſibiliter, partim latẽter & inſenſibiliter. Itaq; ſi vniuerſũ corpus plenius fuerit, quàm conueniat, non oportet per patientem locum vacuare: nam ſi ſcarificationibus vel aliis remediis conabimur ſenſibiliter vacuare, ratione excitati doloris plus trahemus ad partẽ affectam: quod ſi medicamentis calefacientibus velimus eãdem materiã digerere, propter calorem, periculum eſt ne plus in partem trahatur quàm digeratur: ſin autem in eo laboremus, vt id quod influit rurſum retrocedat, nõ quicquam recipiet quòd plenum fuerit corpus: quocirca neceſſe eſt vacuare totum corpus, aut retrahere omnino in alias partes quod influit in patientẽ locum: demum v vbi hoc factum ſit, oportet primũ repellere ex parte inflãmata, deinde accedere ad reſoluendum quæ ſuperſunt. Hæc præclariſſima eſt doctrina Gal ac methodus curandi omnes inflãmationes c. 95. *artis med.* quã ſi velimus accõmodare ad noſtrã iecoris inflãmationẽ, ita habendũ eſt: etenim I. nobis ſeſe offert indicatio vacuãdi vniuerſi corporis II. repellendi materiam fluentem adhuc. III. vacuandi manifeſtè ac ſenſibiliter Indicationes. materiã contentã in iecore, ſi fuerit in parte caua per aluũ; ſi in gibba, per lotiũ. IV. & vltima diſſoluẽdi inſẽſibiliter ſi quæ remanẽt & occaſio ita poſtulat Vnũ verò his indicationibus ſatisfacere poſ- Prognoſtica. ſimus, illud I. ſciatis, omnes inflammationes partiũ principaliũ quales ſunt pleura, pulmo, ventriculus, iecur, tepore ab omnibus ioter morbos valde acutos & periculoſos, de quibus dicit Gal. 10. *meth.* 15. quòd morbiferæ eſſe cõſueuerũt non modò in his, qui habẽt vires debiles, ſed etiã in illis, qui habẽt vires robuſtas: atq; vnicã ſpẽ ſalutis in vno robore virium conſiſtere, quia neceſſe eſt alterutrum, aut nutriendo ægrotũ, inflamationẽ augeri, aut nõ nutriẽdo, vires adhuc magis reddat imbecillas. Quærunt nonnulli hoc loco vtra ſit periculoſior inflãmatio iecoris, cauæne, an gibbæ partis: Quibus reſpondet Gal. 6. *epi. ſec* 7 14. nec non Auic. 3. *canonis fen.* 15. *tract.* 5. *c.* 1. omnino deteriorem eſſe inflammationẽ partis gibbæ, quã cauæ, cum illa certè, & propter rationem venæ cauæ, qua diſtribuitur ſanguis toti corpori, & propter cõſenſum ſepti tranſuerſi, cordis & propter alias cauſas ſit altera parte concaua nobilior, atque vt diximus, affert perpetuò maiora & deteriora ſymptomata. Iecoris inquit Gal. pars conuexa longè cõcaua eſt periculoſior, & nõnulli hanc partem inter ſuperiores totius corporis partes, ſicuti ventriculũ, & alias, reponere conſueuerunt. Itaque in vniuerſum quælibet iecoris inflammatio eſt morbus valde acutus & periculoſos, ac niſi vires ſiot valde robuſtæ, planè lethalis, quod ſi non mortẽ, tamen alia mala grauiſſima ſolet afferre: & inter cætera dicit Gal. 1. *de diff. feb. c.* 9. 10. *med.* 8. 5. *de locis aff. c.* huiuſmodi inflammationis aliquando febrem hecticã, & maraſmũ ſuccedere conſueuiſſe. Quod ſi tandẽ iecoris inflãmatio debet feliciter ſolui & iudicari, iſtud fieri ſolet Gal. auctore 3. *de criſib. c.* 3. tribus potiſſimùm

modis

modis excretionis; ſi pars gibba laboret profluuio ſanguinis è naribus, ſudorib. bonis, & multis vrinis: ſin autẽ pars caua ſit male affecta, deiectionib. bilioſis & ſudorib. nonnunquam etiam vomitib. Ex quo

Error Auic. eliciatis errorem cum aliorum, tum maximè Auic. qui *3. canonis fen 14. tract. 3. c. 2. ad finem*, generaliter pronunciat, ſolutionẽ ventris aſſociatã apoſtemati iecoris, eſſe perpetuò malã: de quo quidẽ errore Gal. iã diu reprehendit auctorẽ lib. prorrheticor. qui item ſcripſerat indefinitè lib. 2. 5. 8. *Cũ ardente febre ſi aluus profluxerit, pernicioſum*: qui Gal. docet huiuſmodi præcepta ſine aliqua limitatione, ab omni ratione & ſana doctrina eſſe aliena: cũ enim in quouis morbo aluus profluens ſine ſignis coctionis nihil proficiat, ſæpe etiam noxam afferat, poſt coctionem verò ſemper iuuet, ac potiſſimùm ſi noxius humor euacuetur, ſi æger poſt vacuationem melius habeat, ſi vacuatio fuerit in die critica; ſatis poteſt intelligi, ſententiam Auic. ac cæterorũ omniũ eſſe falſam, quicunq; ſine limitatione aſſerunt, fluentẽ aluũ vel iuuare, vel nocere. Itaq; hoc ipſum cum Gal. nobis licet ſtatuere de inflammatione iecoris, in qua ſi aluus profluat poſt coctionem; tantum abeſt vt eiuſmodi vacuatio ſit ſymptomatica & mortalis, vt contrà potiùs ſit critica & ſalutaris: id quod poteſt confirmari adhuc auctoritate atque exemplo Gal. qui *13. metho. cap. 15.* in declinatione morbi probat epithymum, polypodium, cortices radicum hellebori nigri, vt videbimus paulo poſt. Sed fortaſſe nimiùm digreſſi ad inſtitutam curationem reuertamur.

Curatio. Curando inflammationẽ iecoris ad perficiendam primam indicationem, quæ pertinet ad vacuationem totius corporis, quæ ſunt præcipuè accõmodatæ rationes, altera, per miſſionem ſanguinis; altera, per medicamenta purgantia. Sed quoniam generaliter Hip. & Gal. *1. aph.* 24. nec non *4. de rat. victus morb. acut.* 22. deterrent medicos ab vſu medicamentorum principio morborum acutorum & inflammationum: ſpeciatim verò Gal. 13. *meth. c.* 11. incipiente iecoris inflammatione teſtatur purgationem per medicamenta purgantia eſſe admodũ importunam & pernicioſam, iure conuenit inter omnes, miſſionem ſanguinis eſſe non modo vtilẽ, ſed etiam quàm maximè neceſſariam. Ergo conſentientib. trib. principibus ſcopis, primo quoque tempore ſecanda eſt vena, & illa quidem interna dextri cubiti, quam baſilicam vocant: hæc enim vt dicit Gal. 4. *de rat. victus* 24. velociſſimè & plurimùm ſolet vacuare ex omnib. principib. partib. ac propterea in morbis acutiſſimis, qualis eſt iecoris inflãmatio, ad eam confugiendum eſt: quod ſi dicta vena non cõpareat, vt quandoq; euenit, tunc vena media ſecãda eſt: quod ſi nec media ſe oſtenderit, Gal. conſilio 13. *meth. c.* 11. tertia vena ſecãda eſt quam cephalicã vulgo nominant; qua quidem ſectione venæ præclarè poteſt vacuari & auerti ſanguis, qui confluit ad inflãmationem. Quatenus verò pertinet ad menſuram ſanguinis, ſi inflãmatio fuerit vehementiſſima, conſultore Gal. 1. *aph. com.* 23. expedit illum mittere vſq; ad animi deliquiũ, de qua ſumma, ac noſtro tempore inſolita miſſione ſãguinis, agemus loco opportuniore: at verò ſi non audeas tãtũ vacuare, de cõgrua quãtitate ſãguinis tibi licebit diſcernere ex modo plenitudinis, ætate, habitu corporis, tẽpore anni, regione, & ante omnia ex virib. ægrotãtis. Cæterũ ſi puer vel ſenex laboret inflãmatione iecoris quib. ex decreto Hip. & Gal. non licet ſanguinẽ mittere, cõmuniter practicantes pro ſectione venæ ſcarificatis cucurbitulis vti conſueuerũt, de quib multa forent dicenda quę nos ab inſtituto longiùs auerterent: quare cũ mihi propoſitũ ſit, hãc quoq; mittendi ſãguinis rationẽ accuratè explicare, in generali tractatione de ſcopis mittendi ſanguinem illud vnũ dicã in præſẽtia, mihi hoc remedium non improbari, ſi cucurbitulæ apponantur ad partes inferiores & potiſſimùm ad crura, quorũ ſcarificationem veteres ſoliti fuerant ſubſtituere ſectioni venæ, ad perficiẽdã non ſolùm reuulſionẽ, ſed etiã vacuationem vniuerſi corporis: quòd ſi cõtrà cucurbitulę apponãtur ad dorsũ, & ad partes ſuperiores, vt familiariter ſolent apponi, timerẽ ego ne pro vacuatione & reuulſione maior fieret attractio ad partẽ laborantẽ: quẽ grauiſſimũ errorẽ Gal. deteſtatur maximopere 13. *meth. c.* 11. Iam ſecunda ſuccedit indicatio, vt nẽpe materia inflãmationis retrocedat, id quod fiet, vt videmus ex Gal. ſi ea fuerit vel attracta, vel impulſa, vel tranſmiſſa: hæc autem perficiunt partim reuulſiones ad partes cõtrarias, partim medicamenta repellentia applicata ad partẽ laborãtẽ. Itaq; tametſi venæ ſectio pręclariſſimã operã pręſtant, nõ modò ad vacuationem, ſed etiã ad reuulſionem, tamẽ neq; ſunt prætermittẽda cętera omnia genera reuulſionũ, ad hãc rem accõmodata, qualia sũt ligaturę extremarũ partiũ doloroſę, frictiones, lotiones, ex aqua calidiore, cucurbitulę, glandes, clyſteria, quę quidem clyſteria principio inflãmationis Gal. probãtur leniora 13. *met. c.* 15. ex mulſa, addito modico ſale vel nitro; quorũ imitatione hoc tempore vtimur familiariter clyſtere, quod vocant cõmune, ex decoctione maluarum, viola, melle roſato, &c. ſit exemplũ.

℞ *Decoctionis maluarum,* — *Clyſter in principio inflãmationis.*
Violarum, *Hordei lib.* j.
Mellis, *Olei violati, ana* ℥ iij.
Salis parum, M. pro clyſtere.

Pręcedente autem tempore, & iam concocta inflammatione, pręcipuè verò ſi reliquię quędam videantur induruiſſe, clyſteria quoque acriora & vehementiora probantur Gal. qualia ſunt ex decocto hyſſopi, origani, centaurij minoris, pulpę colocynthidos, & alia id genus, ſecundùm hanc formam.

℞ *Chamomillæ,* *Origani,*
Hyſſopi, ana M. j.
Centaurij minoris M. ß.
Pulpæ colocynthidos ʒ. j ß. *Fiat decoctio in aqua ad conſumptionem medietatis.*

℞ *Prædictæ decoctionis lib.* j.
Mellis roſati,
Olei chamæmelini completi ana ℥ iij. *M. pro clyſtere.*

Quoniam verò materia inflãmationis retrocedet, non ſolùm attracta, ſed etiã impulſa, hanc potiſſimùm impellunt medicamenta repellentia, quę conſtat eſſe frigida & aſtringẽtia: horum ſylua eſt ampliſſima, ex quib. linimenta, epithemata, cataplaſmata, & aliæ medicamentorum formæ poſſunt cõponi de quorum medicamentorum cõpoſitione & adminiſtratione duo mihi eſtis admonendi. Alterũ, vt miſcendis huiuſmodi medicamentis haud *I. Præcept.*
prorſus abſtineatis à mixtione alicuius medicamẽti ſuapte natura amari, vel acris, ac tenuiũ partiũ, quę propterea facile poſſunt reliqua frigida & aſtringentia ad penitiores partes deducere, quę quidem medicamenta calida ſi moderatè vel potiùs parcè miſceantur frigidis nullum incõmodũ poſſunt afferre. Alterum verò eſt, vt hęc repellentia medicamẽta non admoueãtur regioni iecoris actu frigida, *II. Præcept.*
ne facultas naturalis aliquã noxã cõtrahat, natiuo illius calore nimium refrigerato, quod eſt Gal. pręceptum 13. *meth. c.* 12. itaq; tepida ſunt admouenda. Galenus nonnulla commemorat medicamenta, quę illi fuerant familiaria, oleum in quo abſinthium fuerit incoctum, oleum cydoniorum, myrthinum maſtichinum, cataplaſma ex cydonio cocto in vino ex abſinthio, & aliis id genus, quorum imitatione habeatis vnum aut alterum exemplum.

℞. *Olei roſati completi* ʒ j.
De abſinthio ℥. ß. *Miſc.*
Exemplum Epithematis.
Aquarum cichorei,
Roſarum, ana lib. ß.
De abſinthio ℥. ij.
Specierum vnguenti ſantalin. ʒ. ij.
Aceti parum. Miſc. pro epithemate. Item:

Epithema repellens.

℞. *Pulpæ cydoniorum decoctorum in vino auſtero* ℥. j.
Farina hordei ℥. j.
Olei roſati,
Myrtinis,
De abſinthio ana, quantum ſufficit: Miſc. & fiat cataplaſma.

Sed hoc loco notandum eſt, huiuſmodi repellentia medicamenta eſſe maximè opportuna principio inflammationis, quo tempore humores fiunt adhuc: deinde verò aucto morbo, & quoquo modo tendente versùs ſtatum, ea magis medicamenta fore commoda, quæ non ſimpliciter repellere, ſed partim repellere, partim digerere & diſſoluere poſſint, vt tandem declinante inflammatione, reiectis repellentibus, tantũmodo digerentibus vtẽdum ſit, ſed tamẽ ita, vt ſumpta indicatione à natura partis laborantis, nunquam prætermittantur ea medicamenta, quæ robur viſceris poſſunt ſeruare: quamobrem in ipſo quoque vigore & declinatione laxantibus & digerentibus medicamentis perpetuò decet permiſcere, quod poſſit adſtringere & robur partis conſeruare; alioqui illud vobis contingeret, quod contingebat tempore Galen. methodicis, qui nullam iſtius præcepti rationem habentes, ſæpe ægrotos deducebant ad interitum. Euenit hoc ipſum Attalo, curanti Theagenem philoſophum Cinicum, cuius mirabilem hiſtoriam recitat Gal. 13. *meth. cap.* 15.

Iam verò tertia ſequitur propoſita indicatio, nimirum ſenſibiliter vacuandi materiam contentam in iecore, in qua illud in primis diſtinguendum eſt, vtrùm pars caua, an gibba laboret: ſiquidem, vt diximus, pars caua per medicamenta aluum mouentia, pars gibba per ea quæ prouocant lotium; faciliùs & commodiùs expurgatur. Sed antequam vobis explico particulatim, qualianam conueniant medicamenta, id velim vos intelligere, quod nos monet Gal. 13 *meth. c.* 15. *& 6. ad Glauc. c.*2. vtaque per medicamenta, tam quæ mouent aluum, quàm quæ prouocant lotium, cautè admodum eſſe adminiſtranda: ita quidem vt principio morbi leuioribus, & debilioribus vtamur, cocta autem inflãmatione ad valentiora deueniamus: cocta enim medicari oportet, non cruda, neque in principiis ex ſententia Hip. quam Gal. 8. *de med ſecund. loc. c.* 6. ſpeciatim interpretatur & accommodat ad internas inflammationes, in quibus hieram Themiſonis, etſi leuiſſimum eſt medicamentum, nõ probat, niſi in earum declinatione. Itaque laborante parte iecoris concaua, principio aut prorſus abſtinendum eſt ab omni medicamento, aut danda ſunt non niſi lenientia & leuiſſima, inter quæ numerat Galen. carthamum, vrticam, mercurialem, epithymum, polypodium, & quæcunque moderatè aluum mouent, quorum vſum videtur concedere ante concoctionem. Inter valentiora autem, quæ duntaxat conueniunt in exquiſita declinatione, meminit corticis radicum hellebori nigri.

Purgantia alimentis miſcenda

Quo loco digna eſt maxima annotatione ratio dandi huiuſmodi medicamẽta, quã tenebat Gal. qui ſolitus fuerat illa permiſcere alimẽtis, idq; dupliciter; vno modo, ſimul coquẽdo alimẽta & medicamenta: altero, contuſis medicamentis, eorumque puluerem tenuiſſimũ permiſcendo cũ ptiſana, vel aliis alimentis. Quæ ſanè vtraque ratio, cũ in aliis morbis, tũ maximè in inflammatione iecoris videtur præſtantiſſima: nam cum cibus deſcendit ex ventriculo, non tantùm ille, ſed medicamentũ quoque vnà attrahitur ad iecur, vnde veriſimile eſt, facile admodũ & minori cum labore expurgationẽ ſuccedere. Ac forte iſtud ipsũ venit in mentẽ auctori *lib. 4. de rat. victus morbor. acutorũ*, cùm dicit *tex.* 18. Sorbitiones attractarias dandas eſſe, tametſi Gal. hanc ſententiam tanquam obſcuram, & nihil docentem videtur neglexiſſe. Quamobrem mea quidem ſententia optimum foret, hanc medendi & purgandi rationẽ, hoc tẽpore inuſitatam, ſuſcitare, & ad vſum referre: cuius profero exemplum.

℞ *Polypody.*
Epithymi, ana ʒ. j.
Cinnamomi ℈. j. *Miſce, fiat puluis, & permiſceatur cum ptiſana.*

Hoc eſſet medicamentum leuiſſimum, valentius foret ſequens.

℞ *Corticum radicum hellebori nigri* ℈. ij.
Seminum aniſorum,
Fœniculi, ana ℈. ß.
Miſce & permiſceantur vt ſupra.

Sic licebit hæc ipſa vel ſimilia medicamenta coquere ſimul cum ptiſana, vel aliis accommodatis medicamentis.

Demũ verò neq; id mihi videtur prætermittendũ. lenientia noſtra vulgaria medicamenta, ac maximè thamarindos, qui non carẽt aliqua adſtrictione, nec non caſſiam, hac in re non fore importuna, potiſſimúmque ſi parcè exhibeantur, ad quinque vel ſex drachmas, cum poſſint & moderatè aluum ducere, & viſceris æſtum remittere: ſit exemplũ.

Bolus leniens

℞. *Floris caſſiæ nouiter extractæ* ℥. ß.
Pulpa thamarindorum ℥. j ß.
Specierum trium ſandalorum ℈. j. *Miſc. & fiat bolus.*

Ita decet vacuare materiã inflãmationis, ſi iecoris pars caua laboret: at verò ſi pars gibba fuerit inflammata, iã diximus cõmodiorẽ fieri vacuationẽ per medicamenta lotium prouocantia, quæ itidem principio debent eſſe leuia: qualia ſunt ſemina melonis, cucurbitulæ, capillus veneris, & ſimilia. Poſt coctionem autem valentiora, qualia numerantur Gal. 13. *meth. c.* 15. aſarum, nardus celtica, petroſelinum, ſmirnium, & alia id genus: ſint exempla.

Lotium prouocans.

℞ *Seminum melonis,*
Cucurbitæ, ana ʒ. j. ß.
Radicum *petroſelini. N.* j. *bulliant in aqua.*

Atque hoc erit medicamentum quod moderatè admodum poteſt lotiũ prouocare, principio morbi conuenire. Nonnulli hoc tempore vtuntur ſyrupis officinarum, ſed Gal. 2. *de alim. facult. c.* 8. *de ficubus*, aſſerit generaliter, ex dulcibus ſiue alimentis, ſiue medicamentis, & iecur & lienem maximè intumeſcere: quare 13. *meth. c.* 14. in inflammatione iecoris prohibet & mulſam, & cætera id genus omnia, vno excepto oxymelle mixto ex aqua: quo quidem, cæteris omnibus prætermiſſis ſyrupis & rebus dulcibus, tutò vobis licebit vti. Sed medicamentorum quæ fortiter lotium prouocant, exempla proferamus, quorum vſus tantummodo eſt opportunus in morbi declinatione.

Medicamẽta lotium prouocantia trochiſci.

℞ *Aſari,*
Rubiæ tinctorum,
Seminis dauci, ana ℥. j.
Spicæ nardi ℈. ß.
Miſc. Item:

℞ *Seminis aniſi,*
Apij,
Amygdalarum amararum, ana ʒ. j. ß.
Spicæ nardi ℈. j.

Miſce

Miſce cum aqua fœniculi, fiant trochiſci, quos licet exhibere ſummo mane cum decocto ad hanc rem accommodato

Si quis plura cupit, is Galenum adeat 7. *de compoſition. med.* apud quem huiuſmodi medicamentorum ingens eſt ſylua.

Reſtat demum quarta & vltima indicatio, quæ pertinet ad inſenſibilem vacuationem; pro qua videatis diligenter totum caput 15. *lib.* 13. *meth.* in quo aduerſus Attalum copioſè habentur, quæcunque ob hanc perficiendam indicationem ſunt opportuna, vt pluribus non ſit opus. Quod ſi quis velit horum quoque medicamentorum aliquod exemplum habere, ſit eiuſmodi.

Linimentum reſoluens.

℞ *Olei chamæmelini,*
Maſtichini,
Nardini, ana ℥. j.
Bdellij,
Ammoniaci, ana. ʒ. j.
Ceræ nouæ quantum ſufficit, Miſc. & fiat linimentum.

Victus.

Quatenus pertinet ad rationem victus, ſi iecur, inquit Gal. *cap.* 5. *meth. cap.* 13 inflammatione laborat, exquiſitiſſimo victu opus eſt, æquè profectò ac ſi ventriculus laboret, quippe munus eorum toti corporis eſt commune, acceditque omnibus aliis partibus maximum incommodum, ſiue non probè alimentum fuerit concoctum, ſiue non probè in ſanguinem conuerſum Neque verò eſt vt de hac re longiorem ſermonem faciamus, quando Gal. duobus verbis ſe explicat 1... *meth. cap.* 5 Etenim ſi vires fuerint validæ, ille ſtatuit ante diem ſeptimam præter mulſam nihil exhibendum eſſe: at ſi vires fuerint imbecilliores, vſque ad præſcriptam diem ſolo ſucco vel cremore hordei contentus eſt. Sed tamen equidem cenſeo hanc Gal. determinationem non ita abſolutè recipiendam eſſe, quin præterea habeatur ratio, & naturæ ægrotantis & ætatis, & conſuetudinis, & temporis anni, & rerum ſimilium, adeò vt perpetuò ac ſedulò illud vnum proſpiciatur, vt vires benè conſeruentur, vſque ad ſtatum morbi. Atque hactenus de inflammatione.

CAPVT XIV.

De Scirrho hepatis.

Definitio.

SCirrhus apud Gal. 14 *meth. c.* 66. *epid. ſect.* 1 *com.* 5. *de rat. victus morb. acut.* 2. eſt tumor durus ſine dolore; aliquando verò additur, ſine ſenſu, 14. *meth. c.* 9. 1. *de tuenda valetudine c.* 13. Nec vlla eſt in Gal. repugnantia, vt ſtatim videbimus, agentes de differentiis. Cum ergo ſit tumor præter naturam, eſt morbus in intemperie cum materia; ſic ſtatuente Gal. *de morb. diff. c.* 5: *de morbor. cauſ. cap.* 6. Nec vos ab ſententia deterreat, quod Gal. aſſerat aliquando, & ſcirrhum & reliquos tumores eſſe morbos partium inſtrumentaliũ 1. *de ſympt. cauſ. c.* 9. 3. *de ſympt. cauſ. c.* 5. 3. *de tēper. an. cap.* 5. nam reuera & ſcirrhus, & cuncti tumores ſunt morbi in intemperie cum materia, atque adeo partium ſimilarium: ſed tamen ita habendum eſt, tumores præter naturam quandoque eſſe morbos, non ſolùm partium ſimilarium, ſed etiam inſtrumentalium, nimirum quotieſcunque ſua magnitudine lædunt actiones: quod manifeſtè declarat Gal. *de morbor. diff. cap.* 12. Etenim ſi tumor fuerit adeo exiguus, vt magnitudine non lædat actiones, tunc eſt morbus in intemperie: tumor autem vel ſymptoma, vel pathema, vt dolor cenſeri debet: at verò ſi ſua magnitudine lædat actiones, tunc erit morbus partium inſtrumentalium in magnitudine: ad quem modum certum eſt Gal. locis citatis appellare ipſos tumores partium inſtrumentalium. Hanc rem volui breuiter explicare, quòd Altimarus & pleriquc omnes practici in ea decipiantur, ſtatuentes ſimpliciter ſcirrhum eſſe morbum in magnitudine. Sed redeo ad rem.

Scribit Gal. 13 *meth. c.* 16. ſubſtantiam iecoris ſcirrhis quã maximè opportunã eſſe, vt quæ naturaliter craſſum quiddã & lutoſum cõtineat: nãque, vt ille docet 2. *ad Glauc. c.* 4 ſcirrhus fit perpetuò ex humore lento & craſſo, qui partib. quæ indurantur, tenaciter infigitur: quem quidem humorem adhuc planiùs explicat tantũmodo eſſe duplicem, nempe atram bilem, & ſuperexſiccatã pituitã, qui proinde eſſerit 4. *de ſymp. med. facul. c.* 9 tumores ſcirrhoſos eſſe omnino aut pituitoſæ ſubſtãtię, aut atrabilariæ, aut ex vtraque materia miſtos Docuimus autẽ nos aliàs, ex loco citato 5. *de ſimp. medicam. c.* 4. duritiẽ prouenire in mẽbris tribus de cauſis, ob ſiccitatem, ob cõcretionem, & ob repletionẽ, quas equidẽ puto, omnes cõcurrere in ſcirrhi generatione, quandoquidem humores illum efficiẽtes ſunt multi: deinde poſſunt propter frigiditatem concreſcere, tertiò per halitum diſſolutis partibus quibuſdam tenuibus & ſeroſis, exiccari. Itaque ſcirrhus iecoris eſt morbus in intemperie frigida & ſicca, cum affluxu pituitæ, vel melancholiæ, vel vtriuſque, tumor durus ſine dolore.

Quis morbus ſit ſcirrhus

Differentia. I.

Differentiæ huius affectus ſunt duæ præcipuè, namque ſcirrhus iecoris alius eſt exquiſitus, in quo nullus planè eſt ſenſus, nulluſque dolor: alius non exquiſitus, in quo etſi non eſt dolor, nihilominus non eſt omnino ſenſu deſtitutus: ex quo factũ eſt vt Gal. reſpiciens modò ad vnam, modò ad alteram differentian, ſcirrho quandoque tribuat ſenſum exiguum, quandoque nullum: quod verum eſt, quatenus ille vel longiùs recedit, vel propriùs accedit ad integrũ & exquiſitũ ſcirrhũ, vt paulò ante diximus. Sed & illud addamus ex Gal. 14. *meth. c.* 6. *&* 9. ſcirrhũ duntaxat exquiſitũ ac planè ſine ſẽſu à Medicis propriè donari nomine ſcirrhi, cæteros autem tumores vocari vel ſcirrhos propterea quòd ſũt omnino ex genere ſcirrhorũ, vel ſcirrhoſos tumores: de qua tamẽ varia nominis ratione Gal. eſt parũ ſolicitus, dũmodo in re nulla ſit ambiguitas.

II.

Secunda eſt differentia ex modo generationis, namque ſcirrhus in iecore, ſicuti aliis in partibus, conſueuit generari dupliciter, vno modo, fluentibus humoribus craſſis, vel pituitoſis, vel melancholicis, vel vtriſque, ex quibus primum fit ſcirrhus, & perſeuerante fluxione augetur: altero, ex permutatione aliorum tumorum in naturam ſcirrhoſam, quem vtrunque ſcirrhi generandi modum clarè explicat Galen. *de tumoribus præter naturam. cap.* 9. *ad finem.* Priore modò generatur ſcirrhus ex Galen. 2. *prognoſticor. com.* 46. propter copiam & fluxionem pituitæ & melancholiæ, adeoque propter illas cauſas ſiue internas ſiue externas, quæ generaliter huiuſmodi humores poſſunt generare, de quibus aliàs diximus Altero & poſteriori modo, inquit Galenus, generatur ſcirrhus ex lapſu aut inflammationis, aut eryſipelatis, aut œdematis, cum refrigerata ſunt immoderatè quod nonnunquam euenit propter imperitiam medicorum, qui importuno & immoderato vſu medicamentorum repellentium, quæ diximus frigida eſſe & adſtringentia, humores cogunt, condenſant, in duritiem conuertunt, de quorum ignorantia Galen. meminit non ſemel, præcipuè verò 2. *de comp. med. ſecundum genera, cap.* 9. Atque hæc ſanè ratio generandi ſcirrhos ex permutatione aliorum humorum, nonnulli dubium eſſe poteſt, quin foueri poſſit à priori quoque ratione, vbi ægri vel ſponte,

vel conſilio medici vtuntur alimentis craſſis, lentis, glutinoſis: ſicuti dicit Galenus de Attalo, qui Theageni quotidie alicam exhibere conſueuit.

Signa ſcirrhi in extremis partibus ſunt admodum manifeſta, non ſolùm generis, ſed etiam differentiarum: namque vt dicit Gal. *de tumoribus præter naturam c. 9. & aliis in locis*, ſignum quod generaliter ſcirrhum demõſtrat, eſt maior tumor quàm conueniat pro ratione naturæ, iſque durus ac ſine dolore, quod ſi fuerit exquiſitus, etiam ſine ſenſu.

Signa verò quæ alteram differentiam demonſtrant, vtrùm ex melancholia vel pituita ortum habeat, præcipuè ſumuntur ex colore: etenim in ſcirrho ex pituita cutis quodammodo fit alba & pallida, ex atra autem bile ferè liueſcit, & quandoque nigreſcit. Verùm partibus internis, ac potiſſimùm in iecore longè aliter ſe res habet, cum hæc ſigna ſint admodum incerta, adeò vt potius coniecturis, quàm certis indiciis agendum ſit: nam quatenus pertinet ad tactum; ſi fuerit ſcirrhus in concaua parte iecoris, ille nullo modo deprehendi poteſt: ſin autem fuerit in parte gibba, poteſt quidem manibus diſcerni, ſed non ita certò, niſi tumor fuerit inſignis, & muſculi abdominis extenuati: idque ſpeciatim difficilè poteſt intelligi, an ſcirrhus ſit exquiſitus, vel non exquiſitus, propterea quia manibus comprimendo, vnà comprimuntur muſculi membranæ abdominis, ventriculus, inteſtina, & aliæ partes, quæ conſenſu inſigni præditæ ſunt, ad compreſſionem dolent, ex quo nonnulli opinantur, partem ſcirrhoſam dolere. Quare alia ſigna ſunt perpendenda, inter quæ pulſus fortaſſe principem locum obtinet: namque pulſus vt dicit Gal. 4. *de præſagio ex pulſibus, cap. 9.* in ſcirrho iecoris eſt vehementer durus, & longè purior quàm ſit in inflammatione: ſed & febris poteſt ad hoc iudicium cõferre aliquid; ſicut enim illa perpetuò comitatur inflammationem, ita ſcirrhum non ſequitur neceſſariò, vt Gal. eſt auctor. 3. *de ratione victus morbor. acutor. com. 12.* quippe vt idem docet *de conſtitutione artis medicæ c. 25.* duæ requiruntur conditiones in tumoribus vt efficiant febrim: prima, vt ſint calidiores, veluti inflammatio vel eryſipelas: altera, vt occupent partem nobilem & cordi proximam: quarum ſi altera deſit, nõ ex neceſſitate febris conſequetur. Exempli gratia, ſi quis habeat inflammationem vel eryſipelas in digito, vel altera ex parte ſcirrhum aut œdema in ſuccingente membrana, vel in iecore, vtique is non febricitabit neceſſariò: quamobrem ſi fuerit durities in pulſu, neque adſit febris, accedente potiſſimùm ſenſu grauitatis in dextro hypochondrio, ac cæteris indiciis, quæ generaliter ſupra diximus indicare iecur eſſe malè affectum, tũ licebit colligere ſcirrhum adeſſe. Sed & his alia quædam licet addere: namque apparebunt ſigna iecoris frigidioris, de quibus iam diximus: nonnullis aluus liquida & fluida eſt, quando alimentum per ipſum iecur attrahi & diſtribui non poteſt: præterea laborante viſcere primo inſtrumento generandi ſanguinis, corpus malè nutriri & contabeſcere neceſſe eſt: pariter color vniuerſi corporis eſt deprauatus, nimirum pallidior & quandoque nigrior, prout vel pituita vel melancholia eſt copioſior: demum præceſſere obſtructiones, inflammatio, eryſipelas, & alia quæ poſſunt generare huiuſmodi humores.

Indicationes

Poſt eſſentiam, differentias, & ſigna, ſequitur vt tractemus de curatione ſcirrhi: in qua primùm nobis ſeſe offert indicatio, vacuandi materiam præter naturam contentam in iecore: quoniam verò hæc non poteſt vacuari, cum ſit dura, niſi primùm molliatur, idcirco ſecũda ſuccedit indicatio, illius molliendi: ſed quia materia ex qua ſcirrhus conſtat, tutò nec molliri neque vacuari poteſt, continuè fluentibus humoribus ad locũ affectum, propterea tertia ſuccedit indicatio, vacuandi vniuerſi corporis: quæ quidem tres indicationes hoc ordine debent diſponi, vt omnium primũ habeatur prouidentia totius corporis, deinde vt materia ſcirrhi molliatur: tertiò, vt illa vacuetur & diſſoluatur.

Prognoſticũ.

Vtrùm verò his indicationibus liceat ſatisfacere, audiatis iudicium & prognoſticum Gal. 2. *ad Glauc. cap. 4. Scirrhus*, ille inquit, *inſẽſibilis curationem non recipit, qui verò difficulter ſentit, non incurabilis quidẽ eſt, non tamen facilè curationem admittit.* Et iterum eodem lib. *cap. 5. Scirrhum iecoris ab initio ſanauimus ſæpius, vbi verò ad plures dies fuerit extẽſus, neque ipſe potui ſanare, neque alium vidi qui poſſet: omnibus igitur qui ita affecti ſũt, ex neceſſitate ſequitur aqua inter cutem, pereunt autem quamplurimi in tempore lõgo; ſed quoſdã noui etiam breui pereũtes, quibus aluus multa deiiciebat.* Itaque ſi vobis ſeſe offerat ſcirrhus exquiſitus, non eſt vt illius curam ſuſcipiatis, quæ nullo modo ſeparari poteſt.

Scirrhus qui deterior.

Quærunt hoc loco nonnulli, vter ſcirrhus ſit deterior, in gibba ne aut caua parte iecoris? Quibus reſpondeatis, ſicuti dictum eſt de inflammatione, propter dignitatem partis, omnino deteriorem eſſe morbum in parte ſuperiore quàm inferiore: ſed tamen illud addatis, rariùs ac difficiliùs curari ſcirrhum in parte concaua, quàm in gibba, idque propter duas potiſſimùm rationes: alteram, quia ſcirrhus profundus & latens tardiùs, & difficiliùs deprehenditur, quàm alter, qui vtcunque manibus deprehendi poteſt; quò autem morbus magis inueteraſcit, certum eſt eo tardius, & difficilius curationem admittere: altera verò eſt ratio, quoniam medicamenta ad hanc rem neceſſaria non ita poſſunt applicari ad partes internas, ſicut ad externas: ſed concludendum in vtraq; parte morbum eſſe planè lethalem, & qui vel nullam, vel difficillimam curationem recipere conſueuit.

Cæterum eſto ſcirrhus in principio qui non ſit exquiſitus, & quem ſperemus poſſe aliquam ſanationem ſuſcipere, ad perficiendam primam indicationem, quæ pertinet ad vacuationem corporis vniuerſi, ante omnia lenienda eſt aluus leniori aliquo medicamento, inter quæ hiera ſimplex cum caſſia & terebinthina, vel oleo abietino, mihi maximè probaretur: & ſit exemplum:

Bolus lenit.

℞ *Flor. caſſiæ nouiter extractæ* ℥. j.
Specierum hieræ ſimplicis ℈. iiij.
Terebinthinæ cypriæ, vel olei abietini ʒ. ij.
Miſce & cum ſaccharo fiat bolus.

An vena ſecta conueniat.

Lenita aluo quæritur vtrùm liceat in ſcirrho iecoris venam incidere? Multi non probant hoc remedium, cum abundent humores frigidi & craſſi, qui nullo modo videntur ſecta vena poſſe educi: Præterea cum ſtatus neceſſariò futurus ſit longior, videtur periculum imminere, ne vires hoc adminiſtrato præſidio vſque ad illud tempus poſſint perdurare. Ego verò, quod perpetuò facere ſoleo, quotieſcunque habendum eſt conſilium de mittendo vel non mittendo ſanguine, protinus me confero ad conſiderandos tres principes ſcopos, propoſitos ab Hippocrat. & Galen. & ſi illi mihi videantur ſimul conuenire, præſidium amplector: quod ſi vnus vel plures videantur deficere, tunc illud omitto, id quod in præſentia quoque faciendum eſt. Cum igitur nulli dubium ſit, quin primarius adſit ſcopus morbi magnitudo, accedente vigore ætatis, illud vnum reliquum eſt, vt diligenter conſiderentur vires, neque verò ſolùm præſentes, ſed etiam futuræ: & quoniam inter cætera decernimus de robore vel debilitate virium, ex quantitate & qualitate

humo

Digitized by Google

humorum qui redundant in corpore, ſi ſanguis fuerit paucus, cæteri autem humores multi & illi quidẽ frigidi, craſſi, & à natura boni ſanguinis alieni, adeo vt coniiciamus vires tale remedium ferre non poſſe, auctore Gal. 4. *de tuẽda valetudine cap.* 4. expedit illud prætermittere: ſin autem res aliter ſe habeat, aut ſperemus huiuſmodi humores crudos poſſe vtcunque corrigi, & in meliorem ſtatum deduci, nullo modo remedium prætermittendum eſt, quod & vacuando fæculentũ humorẽ contentum in venis, qui poteſt ſcirrho fomentum ſubminiſtrare, & reuellendo fluxionem à loco affecto, & aliis modis poteſt non leuiter prodeſſe.

Hæmorrhoides Quod ſi ſpeciatim ſcirrhus eſſet genitus ex humore melancholico, æger autẽ habuiſſet ſuperiore tẽpore fluẽtes hæmorrhoidas quæ in præſentia retentæ eſſent, illæ admodũ cõmodè & vtiliter poſſent aperiri, vel cum hirudinibus, vt vulgo fieri ſolet, vel etiam cũ ferro, vt nõnullis doctiſſimis viris placet, de qua re aliàs tractabimus. Poſt hæc præparandi ſunt humores noxij, aperiẽdique meatus, ad commodiorem purgationem, id quod efficiunt medicamenta moderatè calida, ac tenuium partium, ſimul cum medicamentis mollientibus, quorum ſylua eſt ampliſſima. Habeatis vos exemplum:

Syrupus pro ſcirrho hepatis
℞ *Agrimoniæ M. ij.*
Abſinthij M. j
Seminum aniſorum,
Fœniculi ana ʒ. ß.
Radicum althææ M. ß.
Spicæ ʒ. ß.
Miſce, fiat decoctio.
℞ *Huius decoctionis ℥. v.*
Oxymellis ſimplicis ℥. j. ß. Miſce pro ſyrupo.

Præparata materia, quod tamen non ita facilè & citò fieri ſolet, decet illam purgare accommodato medicamento: redundante pituita, cum turbith, agarico, hiera, electuario diaphænicon: redundante melancholia, cum ſena, epithymo, confectione hamech. & ſimilibus. Sit exemplum:

℞ *Epithymi,*
Potio purgãs melancholiã. *Senæ ana ℥ ß.*
Paſſularum,
Liquiritiæ,
Seminũ aniſorũ ana ʒ ij. Decoq. in q. ſ. aq. fõt.
Purgans melancholiam.
℞ *Huius decoctionis ℥. v.*
Confectionis hamech. ʒ. ij ß.
Syrupi de fumo terræ compoſiti ℥ ij. Miſce, & fiat potio.

Foret quoque opportuna ratio dãdi medicamẽti, ſenæ, polypodij, hellebori nigri, ſimul cum alimentis, ex more Gal. de quo diximus paulò antea. Pro hac indicatione neque prætermittenda ſunt clyſteria, primùm quidem molliora: deinde & valentiora, quæ peculiarem vim habeant diſſoluendi flatus, qualia forent ex beta, mercuriali, chamomilla, ſemine lini, aniſorum, ſecundùm hanc formam.

℞ *Foliorum betæ,*
Clyſter. *Chamomillæ ana. M. j.*
Seminum lini,
Aniſorum,
Fœnugræci ana ℥. j.
Fiat decoctio.
℞ *Huius decoctionis lib. j.*
Mellis roſati,
Olei amygdalarum amararum ana ℥. iij.
Miſce pro clyſtere.

Procedente autem morbo poterunt addi & valẽtiora, cẽtaurea minor, coloc ynthis & alia id genus.

Succedunt aliæ indicationes, quæ ſpectant ad molliendam & vacuandam materiam quæ continetur in iecore: quibus medici ſatisfaciunt medicamentis partim internis, partim externis, de quorum natura & viribus ſcribunt auctores, ſed præclariſſimè omnium Gal. 8. *de med. ſecun. locos ca.* 8. Sciendum igitur eſt ad curandos ſcirrhos in vniuerſum illa medicamenta eſſe accommodata, quæ vim habeant calefaciendi & attenuandi, cum noxia materia ſit frigida & craſſa: quoniam verò huiuſmodi medicamenta valenter ſiccant & diſſoluunt partes tenuiores, ex quo fit vt corpora quidem manifeſtam habeant imminutionem, ſed quæ remanent, partes deinceps duriores & ſicciores, adeóque immedicabiles reddantur propterea docet Gal. neceſſe vt huic generi medicamentorum mollientia quoque permiſceantur, quæ efficiant ne reliquæ partes duriores euadant, & prorſus ineptæ ad eam diſſolutionem & extenuationem, ſine qua ſcirrhus ſanari non poteſt. Hæc porrò medicamenta quæ ſunt accommodata ad omnem ſcirrhum, eadem ſunt congrua ad curandum quoque ſcirrhum iecoris, dummodo illis præterea cõiungantur, quæ ſumpta indicatione à natura partis nullo modo, ſunt prętermittenda. Etenim cum iecur ex vna parte habeat officium commune & neceſſarium toti corpori, ex altera autem conſtet ex humida quadam ſubſtantia, à calore concreta, vnde facile à medicamentis mollientibus laxatur & quaſi diſſoluitur: idcirco valde moderatè opus habet mollientibus, imò verò neceſſe eſt vt illis admiſceantur perpetuò medicamenta adſtringentia & roborantia. Hæc doctrina eſt Gal. ex qua colligimus, medicamenta ad ſcirrhum iecoris accommodata, ad ſummam illa eſſe, quæ maiori ex parte ſint calefacienda ac tenuium partium, pro parte autem mollientia, nec non adſtringentia & viſcus roborantia. Et quanquam huiuſmodi medicamenta plurima apud plurimos numerantur: tamen Gal. cum aliis locis, tum maxime 2. *ad Glauc. cap.* 5. ea mihi videtur recenſere, partim ſimplicia, partim compoſita, quæ meâ ſententiâ cæteris omnibus ſunt anteponenda: ex quibus ad veſtram exercitationem mihi libet nonnulla ſeligere, & interna & externa, quæ hoc tempore ſunt magis vſitata, & quibus ego familiariter vti conſueui.

Itaque primũ ex gummatibus ammoniaco, bdellio, ſtyrace, & ſimilibus cõficiuntur pilulę quas decet plurimos dies exhibere, vel ſolas, vel ſimul cum aliquo decocto, quod ſtatim deinceps accipiatur.

℞ *Styracis,* *Pilulæ emollientes.*
Bdellij ana ℈. j.
Ammoniaci ʒ. ß.
Miſce, fiant pilulæ tres.

Optimus item eſt vſus terebinthinæ cypriæ, vel olei abietini, quæ vel ſola, vel ſimul cum aliis adminiſtrantur:

℞ *Terebenthinæ cypriæ ʒ ij.*
Trochiſcorum de abſinthio ℈. j.
Miſce fiat bolus,
Habeatis exemplum etiam decocti. *Decoctum diureticum.*
℞ *Cicerum rubeorum ℥. j.*
Radicis aſparagi,
Ruſci,
Graminis.
Corticis radicis lauri ana M. ß.
Spicæ ʒ. ß.
Decoquantur in aqua: quod medicamentum ſingulo mane poteſt exhiberi ad ℥. vi. vel ſolum, vel cũ aliquo ex propoſitis medicamẽtis.

Quo loco nolo ſilentio præterire, Galen. 2. *de Glauconem*, curando ſcirrho iecoris ea quoque probare medicamenta, quæ ſunt accommodata ad frangendum lapidem, qualia ſunt ſanguis hircinus, vitrum combuſtum, lapides qui reperiuntur in ſpongiis, & alia quamplurima, quæ vel

ſola, vel ſimul cum aliis diureticis medicamentis opportuoè poſſunt exhiberi. Celebria ſunt & valde efficacia cõfectio Cyphoides mithridatũ, theriacæ apud Arabes dialacca, diacurcuma. & ſimilia de quorum vſu diximus aliàs. Nonnulli maximè probant vſum vini chalybeati, quod propinant ſingulis & multis diebus ſummo mane ad ℥. vi. de quo genere præſidij ſermonem habebimus tractantes de affectibus lienis Medicamenta autem externis adminiſtranda poſſunt eſſe multiplicia.

Emplaſtrum ſcirrhum emolliens.

℞. *Radicum althea decoctarum* ℥. ij.
Abſinthij puluerisati ℥. ß.
Ammoniaci,
Bdellij
Styracis ana ℥. iij.
Spicanardi ʒ. j.
Croci ʒ. ß.
Medulla vitulina ℥. ß.
Adipis anſerini,
Gallinacea,
Olei maſtichini,
De abſinthio ana. quantum ſufficit.
Miſce, & fiat emplaſtrum.

Eſt in communi vſu emplaſtrum de meliloto, deſcriptum à Meſue, quod officinæ ſeruant præparatum; neque eſt prætermittendum: ſic licebit vti cerato diachylon ſimplici, dummodo illi permiſceantur adſtringentia.

Linimentum pro ſcirrho.

℞. *Diachylon, ſimplicis* ℥. j. ß.
Abſinthij puluerisati ʒ. j. ß.
Olei de abſinthio,
Maſtichis ana. quãtũ ſufficit. Miſce, fiat linimẽtũ.

Demum verò his omnibus non conferentibus, Aëtius quædam proponit exteros remedia, quæ non debent ſilentio prætermitti, tametſi videbuntur noua, ac forte etiam abſurda. Memini olim Venetiis quendam medicum ea ſummis laudibus extollere, atque ex illorum adminiſtratione ſibi multa promiſiſſe: primum ſunt cucurbitulæ ſcarificatæ affigendæ iecori, vel potius dextro hypochondrio ſecundum ſunt hirudines ad eandem partem applicatæ: plurimũ enim, ille inquit, momenti habet ad curationem ſanguis hirudinum ſuctione extractus: tertium eſt vſtio per frequentia interualla adhibita, adeo vt per ferrum vel pes pharmacum cruſtæ excitẽtur, & poſt earum vſum vlcera multo tempore fluere permittãtur: quod quidem tertium præſidium ſunt cauteria, quæ tam frequenter hoc tempore magna ex parte in brachiis & cruribus ſolent adminiſtrari. Verum verò hæc præſidia ſint rationabilia, & debeant in vſum reuocari, nolo in præſentia meum iudicium interponere: interea vos quoque de illis cogitabitis, & aliorum doctorum hominum ſententiam explorabitis.

Victus.

Itaq; illud vnũ reliquum eſt, vt agamus de victus ratione, de qua tamẽ cum ſuperiori cap. de obſtructionib. nonnulla tradita fuerint, quæ iure ad hunc locum debent transferri, nolumus longiùs agere; quamobrem illud nobis ſatis fuerit, curando ſcirrho iecoris eam victus rationem congruentem eſſe quam Gal. attenuantem vocat, qui quidem principio illius libelli, quem ſcripſit de hoc argumento, tantas tribuit dotes & laudes, vt generaliter affirmet pleroſque diuturnos morbos ea ſola, abſque vllo medicamẽto, ſublatos fuiſſe, ac ſpeciatim teſtetur, magnos lienis atq; hepatis ſcirrhos colliquari.

CAPVT XV.

De Ictero.

Nomina.

MVlta & varia ſunt nomina, quibus medici hunc morbum ſolent ſignificare. Græcis *ἴκτερος* dicitur ab illa aue quæ apud illos hoc ipſo nomine, apud Latinos *galbula* dicitur, hæc enim ſi ſpectetur ab ægroto, vt ſcribit Plin. *lib. 3. cap. 11.* malum ſanari, & auẽ mori fabulantur: vel vt aliis placet, ab altera aue, quæ *ἰκτῖνος* Græcè, Latinè *miluus* vocatur, ſiquidem hoc vitio laborantes habẽt oculos auri colore, ſimiles oculis miluinis. Nõnulli hanc denominationem referunt ad muſtellam ſylueſtrem, quæ itidem habet oculos aureos, & Græcis *ἰκτὶς*, Latinis *viuerra* dicitur. Latini *morbum regium* appellant, vt inquit Serenus Poëta.

Molliter hic quoniam celſa curetur in aula.

apud Varronem, quoniam mulſa, quod genus potionis in regum delitiis fuerat, curabatur. Corn. Celſus aliam profert rationem, *lib. 3. cap. 24* quod ſcilicet ægris perutile ſit vti lecto & conclaui delicato, ludis, laſciuia. & aliis oblectamẽtis per quæ ægrotum mens poſſit exhilarari: alij *morbum arquatum* vel *arcuatum* dicunt, à ſimilitudine iridis vel arcus cœleſtis, ſi color eius reſpiciatur. Sunt qui demum ab auri colore morbum auriginem ſum, vel auriginem, vel forte aliter nominent: vulgares *ictericiam* appellant, nos Græcum nomen retinebimus, & *icterum* appellabimus.

Definitio.

Icterus apud Gal. *de ſymptom. diff. cap. 4. 6.* nihil aliud eſt, quàm color cutis & vniuerſi corporis immutatus. Apud Aetiũ eſt bilioſi humoris circũ corpus effuſio, propter ſecernẽtis facultatis debilitatem, quæ eum ſegregare, & ad proprios excretionis locos dimittere non valet. Auic. magis communem tradit definitionem, inquiens, quòd icteritia eſt alteratio coloris corporis fœda ad citrinitatem tendens, aut nigredinem, propter curſum humoris bilioſi aut nigri ad cutem, quæ ſequitur ipſum ſine putrefactione, quæ ſi ei aſſociaretur, faceret accedere tertianam febrem in bile citrina, & quartanam in nigra. Sed iſti potius icteri cauſas & differentias, quam icterum deſcribunt: quare Gal. magis appoſitam tradit definitionem, ſub qua omnes icteri differentiæ comprehenduntur: hinc licet colligere icterum propriè morbum non eſſe, ſed ſymptoma, quod ad mutatam corporis qualitatẽ vel colorẽ referendũ eſt, cuius quidẽ ſymptomatis cauſam morbum poſterius inueſtigabimus.

Differentiæ.

Differentiæ icteri ſunt plurimæ, prima ab intenſo & remiſſo: alius eſt magnus, alius paruus. Secundò, à qualitate coloris namq; alius eſt citrinus, alius niger: addunt nonnulli, alius viridis, cuius coloris Gal. quoque videtur meminiſſe *5. de locis aff. cap. 7.* qui narrat hiſtoriam illius ſerui imperialis, cui cum morſus fuiſſet à vipera, totius corporis color adeo mutatus eſt, vt porri colorem referret: nec non aſſerit propter iecoris intemperiem totum corpus apparere nonnunquam herbis quibuſdam ſimile, aut habere colorem plumbeum, aut magis fuſcum, interdum etiam alias quaſdam colorum proprietates, quæ vix poſſunt explicari Seu fortaſſe & color viridis & cæteri omnes, ſub duobus, flauo & nigro comprehendi poſſunt. Tertiò ſunt differentiæ à tempore, alius antiquus, alius nouus. Quartò à coniunctis, icterus aut cum febre, aut ſine febre, aut cum morbis, aut ſine morbis iecoris, lienis. & cæterarum partium eſt, de quibus ſunt apho *4. apho. 62. 64* & *6. apho. 42.* quibus licet addere ætatem, ſexum, corporis habitum, & cætera quæ habent eandem rationem.

Cauſæ.

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis & modo generationis, de quibus accuratè agendum eſt. Vt autem probè & ordinatè hanc rem intelligatis, ad noſtrum Gal. confugiendum eſt, qui 3 *de ſymp. cauſ. c. 4.* generaliter nos docens cauſas ſymptomatum quæ pertinent ad ſeparationem excrementorum, hæc habet *Excrementa noſtri corporis pro inſtituto natura non ſecerni propter tres cauſas vnam,*

Digitized by Google

vnam, propter imbecillitatem partium; cuius non eſt alia cauſa quàm intemperies: ſecundam, propter anguſtiam viarum per quas excrementa ſolent deduci, quã anguſtiã fieri contingit propter obſtructionem vel tumorem præter naturam inſtrumentorum: tertiam, propter prauitatem excrementorum, quæ non eſt niſi illorum multitudo, craſſities & lentor. Cũ igitur tria ſint in venarum coctione excrementa, vnum flauæ bilis, quod veſica expurgat quæ iecori ſubeſt: alterum melancholia, quod lien ad ſe attrahit, & tertium ſeroſum, quod renes ad ſe alliciunt, parum commodè ſingula horum expurgabantur, vel ob imbecillitatem propriorum inſtrumentorum, vel viis quomodocunque factis anguſtioribus quæ quidem via cum ſint duplices, alia per quas trahitur excrementum, & alia per quas excernitur, in vtriſque anguſtia ſecretionẽ lædit: aliquando verò neque læſum eſt inſtrumentum, neque via anguſta ſuas reddita, ſed multitudo excrementi vbi immodica fuerit, adeo vt tota expurgari non poſſit, vna cum ſanguine per vniuerſum corpus defertur Huius vero immoderationis duplex eſt cauſa, nẽpe alteratrix facultas male affecta propter intemperiem, & ciborum prauitas, quorum alij ſuapte natura magis melãcholici, alij bilioſi, alij aquoſi, vel aliter exiſtant. Hæc generalis doctrina eſt Gal. de ſecretione omnium excrementorum, quam ſi ſpeciatim velimus accommodare ad ſecretionem flauæ bilis, vel melancholiæ, ex quibus fit icterus, ita habendum eſt, non ſecerni bilem, eamq; tranſmitti per vniuerſum corpus, aut propter malam affectionem iecoris, aut propter obſtructionem veſicæ, fellis, aut propter humoris prauitatem: ad quæ quidem tria capita omnes icteri differentiæ, quæcunque ſumuntur à cauſis, tametſi multiplices proponantur, tum ab aliis, tum à Galeno commodè mihi videntur poſſe referri. Primùm igitur fieri poteſt, vt iecur laboret intemperie, obſtructione, inflammatione, ſcirrho, ex quibus morbis vel ſeparatis, vel coniunctis, facilè poteſt intelligi, quomodo multi bilioſi humores generentur, nec ſeparari poſſint à reliquo ſanguine, adeo vt totum corpus eo turpi colore inficiatur. Secundò, poteſt fieri icterus laborante veſica, quæ cum habeat duos meatus, alterum per quem bilis trahitur ex iecore, alterum per quẽ expellitur ad inteſtinã, vtraq; parte obſtrui poteſt & impediri: quanquam neq; eſt negandum, mea ſententia, quin præterea veſica poſſit laborare aliqua intemperie propter quam minus valeat bilem trahere ex iecore, vel deponere ad inteſtina. Tertiò, poteſt fieri icterus propter prauitatem humoris bilioſi, quotieſcũq; ille fuerit immoderatus, vel aliqua praua qualitate infectus, vt propterea à cæteris humorib. nequeat ſeparari, ſed per vniuerſum corpus tranſmittatur: ad quem modum Gal. 5. *de locis aff. c. 7. & aliis locis*, iecore nequaquam laborante, flauam bilem per criſim ſæpenumero ad cutem effundi, nec non ſanguinem quandoq; ab extranea quadam qualitate corruptum, in bilem conuerti, id quod fieri docet vel ſumpto veneno, vel morſu viperæ, aut alterius venenatæ feræ, vel tandem interna humorum corruptione & putredine, quam conuenit inter præclaros medicos, vt item teſtatur Gal. & loco citato, & 6. *de locis aff. c. 5.* talem & tantam fieri poſſe, vt veneno æqualem tum qualitatem, tum facultatem habeat. Itaque propter has cauſas generatur icterus, tranſmiſſa flaua bile per vniuerſum corpus.

Quod ſi effundatur humor melancholicus, adeo vt color corporis ſuccedat, non luteus vel æruginoſus, ſed qui potius ad obſcurum & atrum vergat, quæ altera eſt differentia icteri, quem nigrum vocant, hac ipſa methodo iſtius quoque ſymptomatis generationem licebit inuenire. Cum enim lien ſit in primis à natura conſtitutus vt ex iecore trahat humorem melancholicum, ſanguinemque expurget ab ea veluti fæce, ſi ita fiat vt propter aliquam ex tribus cauſis modò poſitis fæculentus hic ſanguis probè nequeat expurgari, tunc per venas delatus neceſſariò cutem nigro colore ſolet inficere. Sed neque illud eſt prætermittendum, quod notauit Gal 6. *de locis aff c.* 1. nempe laborante quandoq; vtroque viſcere, iecore & liene, icterum quoque miſtum fieri ex colore flauo & nigro, ita vt flauam bilem fuligini miſtam eſſe putares: atque hactenus de differentiis.

Antequam ad ſigna accedamus, ſi quærat aliquis quamobrem agamus de ictero inter morbos iecoris ſiquidem conſtat hoc ſymptoma perpetuò ad hoc membrum non pertinere, neque ſemper illius morbos ſequi: Reſpondeatis, id nos feciſſe in primis exemplo Gal. qui lib. 9. *de medicamentis ſecundùm locos, initio*, poſt morbos iecoris protinus tractat de ictero: neque ſine ratione, cum maxima ex parte ille originem habeat ex iecoris affectione.

Signa icteri ſunt manifeſta, bilis flaua vel atra in ſummum corpus effuſa, ſuo id colore inficit, qui maximè in albo oculorum, & circum tempora apparet: ſi fuerit bilis flaua, cutis color itidem flauus eſt, & æruginoſus, iecur plerumq; eſt male affectũ: ſi verò fuerit melancholia, color obſcurior eſt, & nigrior, lienq; laborat, præceſſere victus ratio & alia, quæ potuerint bilem vel flauam, vel atram generare. Si fuerit icterus laborante iecore intemperie, obſtructione, inflãmatione, ſcirrho, ſigna apparebunt quæ hoſce morbos poſſunt demonſtrare, & iam ſuperiùs ſunt expoſita, nec ſunt inutiliter repetenda. Sin autem veſica fellea laboret, ac primum ſi illa reddatur imbecillior quò minùs poſſit bilem trahere ex iecore, vel tranſmittere ad inteſtina, quod diximus vſu venire propter illius intemperiem, hanc indicabunt eadem ſigna, quæ intemperiem iecoris ſolent demonſtrare: ſiquidem veriſimile eſt, ac propè neceſſarium, vtramq; partem vna atque eadem intemperie laborare: deinde verò ſi veſica fuerit obſtructa, vel vno, vel altero vel vtroq; meatu præter cætera hanc obſtructionem excrementa potiſſimùm ſolent indicare: namque ex vna parte nulla tranſmiſſa bile ad inteſtina, excrementa alui ſolent eſſe diſcolorata, terrea & albicantia. qualia ferè ſunt excrementa canum: ex altera autem, eadem bile regurgitante per venas & corpus vniuerſum, lotia excernuntur vſque adeo colorata, phœnicea, & quandoque nigra & perturbata, vt ignaris ſummum timorem iniiciant. Si icterus fuerit per modum criſis, bile à natura ad cutem tranſmiſſa, ſicuti humorum quoq; decubitus in aliquam partem interdum euenire conſueuerunt, illa ſigna ſunt animaduertenda, quæ ponit Gal. 5. *de locis aff. c.* namque præceſſit febris acuta & bilioſa, bilioſus humor improuisò ad cutem prorumpit, deiectiones, & lotia ferè ſecundũ naturam ſe habent, iecur omnis mali eſt immune, febris deceſſit, ad ſummam æger bene habet, vno tantum ictero ſequentibus diebus permanente. Demum verò ſi icterum fieri contingat, vel mordente vipera, aut alia fera venenata, vel propter aliquod venenum, vel propter inſignem corruptionem humoris, qui in corpore genitus ſimilem habeat malitiam veneno viperino, aut alterius generis; hæc facilè poſſunt intelligi ex rebus præcedentibus, atque ex propriis indiciis quæ venena ſolent indicare, de quibus tum alij, tum maximè Gal. ſermonẽ habet 6 *de loc. aff. c. 6.* De ſignis aliarũ differentiarum non eſt longius agendum, cum illa referente ægro, & aliis multis modis ſatis parere

Signa.

Digitized by Google

poſſint. Quare ſtatim ad curationem aggredior, *Præceptum neceſſarium* in qua illud ante omnia eſt dignum axioma notatione, quod notat Gal. *lib. de med. ſecun. locos initio.* nempe illos medicos probè facere, qui in deſcribendis medicamentis ictericis, diſtinctè explicant quibuſnam ægrotis ſingula conueniant: contrà verò eos non leuiter errare, qui indiſcriminatim ac ſimpliciter remedia proferunt, quaſi illa ad omnes ictero laborantes ſint accommodata, cum certiſſimum ſit, variis icteri differentiis varia prorſus medicamenta conuenire, & quæ vni differentiæ proſunt, alteris obeſſe. *Itaque*, inquit Gal. *cum plerique ante me icterica medicamenta indiſcriminatim conſcripſerint, ego propria diſcrimina ſingulis ipſorum adiiciam, quo ſciatis, quibuſnam citra periculum vti poſſitis.* Atq; hinc factum eſt, vt 3. *de med. ſecun. locos à principio* vniuersè reprehendat Appollinium, Archigenem, & cæteros medicos qui indefinitè & indiſtinctè medicamenta ſcribere & confundere ſoliti fuerant, & ex aduerſo probat egregium præceptum Herophili, medicum omnino oriri debere, vt intelligat quæ, & qualis, & quãta ſit cauſa morbi, & vbi maximè ea dominetur, vt curationem vnicuiq; conuenientem faciat. Quod quidem præceptum planè aureum cupio vos memoriâ tenere, non ſolùm in præſentia, ſed etiam in curatione omnium morborum: ſiquidem pro comperto habendum, nihil eſſe quod medicos magis illuſtres & felices reddat in medicina facienda, quàm ſit diſtincta intelligentia differentiarum cuiuſq; morbi, & accommodata ad ſingulas remediorum adminiſtratio: ſicuti contrà eſt admodum alienum ab omni artificio, & methodo, imò verò valdè periculoſum, generaliter ac ſine iudicio curandis morbis qui plures habeant differentias, multiplicia remedia proferre. Quamobrem id quod perpetuo conati ſumus facere hactenus, omni adhibito ſtudio conabimur facere, & in ictero, & in cunctis morbis quorum curationem poſthac ſumus tradituri, vt nimirum intelligatis omnes illorum differentias, & potiſſimùm quæ ſumuntur à cauſis, diſcatis quę non ſolùm communiter, ſed etiam propriè ad ſingulas cuiuſque morbi differentias congruentia remedia accommodare.

Indicationes in curando ictero ſunt duplices: *Indicationes.* altera habet rationem ſymptomatis nempe vt materia tranſmiſſa ad cutim reſoluatur & vacuetur: altera ſpectat cauſam & morbum, quæ quidem cū poſſit eſſe multiplex, varias quoq; parit indicationes. Itaq; ſit iecur laboret intemperie, obſtructione inflammatione, ſcirrho, ſinguli in morbis proprias habent indicationes, de quibus iam dicemus.

Si ſpeciatim veſica fuerit obſtructa, quæ cauſa ſolet eſſe frequentior cæteris, conueniunt medicamenta deobſtruentia, ſed antea compeſcenda eſt fluxio humorum ad partem læſam, & habenda eſt prouidentia vniuerſi corporis.

Vtrùm verò his indicationibus ſatisfacere poſ- *Prognoſtica* ſimus, colligendum eſt non ſolùm ex morbo & illius cauſa, ſed etiam ex differentiis, à tempore, à coniunctis, & ſimilibus: ſiquidem ſi icterus fiat à leuiori morbo, ſi fuerit moderatus, nouus, ſine febre in corpore robuſto, facilè curari conſueuit, ſicut contrà ſi ortum habeat ex inflammatione, ſcirrho, ſi fuerit immoderatus antiquus, cum febre in corpore debiliore, non niſi difficilè, forte etiam nullo modo curari poteſt. Sed inter cætera quæ pertinẽt ad prognoſticum huius morbi, eſt ſententia Hip. 4. *apho. 62.* in qua mihi libet pauliſper verſari, partim quòd nonnulli tentauerint illam oppugnare, neque aliquem mihi hactenus videre contigerit, qui Hip. mentem fuerit aſſecutus, partim quòd dictus aphoriſmus ad hanc totam tractationem ſit valde accommodatus; *Quibus*, inquit Hip. *in febribus morbus regius ſuperuenit, ante diem ſeptimã* *Explicatio aph. 62. 4. Hipp.* *malum.* Hanc ſententiam Plinius & Auer. inter cæteros conuellere conati ſunt: Plinius enim *lib. 6. cap. 12.* hæc habet: *Hip. ante ſeptimum diem in febre morbum regium mortiferum eſſe ſignum docuit: nos ſcimus vixiſſe aliquos etiã ab hac deſperatione.* Quãquam in omnibus propemodum exemplaribus Plinianis falſo legitur à ſeptimo die, cum certum ſit Hip. id non dixiſſe. Auer. item ſcribit ad hunc modum 4. *colliget. cap. 43.* *Dicit Hip. ictericia veniens ante ſeptimum diem acutis febribus malum eſt, reprobatum eſt experientia in omnibus noſtris terris, & ſi venerit in quinto die, laudabile multũ eſt vina ratione & maxime in temporibus & corporibus calidis: & hæc eſt ſententia collegiorum medicorum omnium Perſarum & Indiæ maioris. & poſſibile eſt quod iſtud quod dixit habeat locum in Græcia, quia illa terra eſt frigidior.* Ego verò cum nolim cæterorum interpretum cogitationes referre, quæ multæ à multis afferuntur, vt huiuſmodi ſententiam & Hip. tueantur, ſtatui illam tantummodo interpretationem proferre quæ magis mihi videntur ad mentem Hip. Gal. & veritatem accedere. Itaq; puto Hip. qui de vno morbo ictero, ac de vno die ſeptimo nominatim loquitur, magis cõmunem doctrinam tradere, quæ cunctos naturæ conatus & cunctos dies criticos complectatur, adeo vt hic Aphoriſmus ſi quoddam veluti exemplum ſingulare, ſub quo vtile præceptum contineatur: qui mos fuit Hip. valde familiaris, vt notauit Gal. pluribus locis, ex quibus vnus nobis ſufficiat. Scribit Hip. 4. *aphor 36.* *Sudores febricitantibus boni, ſi inceperint die tertia, quinta, ſeptima, & ſequentibus: hi enim ſudores iudicant morbos; qui vero non ita fiunt, laborem & morbi longitudinem, & recidiuam ſignificant.*

Vbi ſanè Hippocrates, vt ego puto, non particularem, ſed generalem tradit doctrinam quæ eſt huiuſmodi: Quibus in febrib. icterus, vel quælibet naturæ vacuationẽ fieri contingit ante diem ſeptimam, hoc eſt, ante diem in qua apparente coctione iudicantur febres, malum; ſpeciatim verò meminit diei ſeptimę propterea, quia vt dicit Gal. 1. *de diebus criticis initio capitis 4.* hæc dies inter omnes decretorios obtinet principatũ, non ſolùm numero & ordine, ſed etiam potẽtia & dignitate. Quod verò hæc interpretatio ſit ad mentem Hip. ex eo facilè poteſt intelligi, quoniam ſi aphoriſmus intelligatur ſimpliciter & prout verba ſonant, perſpicuè eſt falſus, vel ipſomet Hip & Gal. auctoribus. Nãq; Hip. ita ſcriptum reliquit 4. de ratione victus in morbis acutis 81. *In biliosa febre morbus regius cum rigore ante ſeptimam diem morbum ſoluit: ſi verò abſque rigore præter temporis occaſionem ſuperuenerit, peſtiferum.* Gal. item in com. docet, neutrum perpetuò verum eſſe, ſed vtrumq; poſſe contingere vt ſcilicet icterus bonus ſit, aut malus, ante ſeptimam vel poſt ſeptimam diem: quod quidem ſine dubio non poteſt determinari aliter, quàm ſignis coctionis & cruditatis boni vel mali indicij. Quęſo enim facta humorum coctione die tertia vel quarta bilis ad cutim effundantur, cur eiuſmodi criſim dicemus eſſe malam? Contrà verò diebus nona, vndecima & reliquis poſt ſeptimam, nulla apparente coctione, eadem bilis deuoluatur ad cutem, quamobrem hunc naturæ conatum audebimus bonum appellare; Cæterum etſi hæc planè demonſtrant, hanc ſine dubio fuiſſe mentem Hip. tamen non eſt prætermittendus locus Gal. admodum notabilis, in quo hunc aphoriſmum exponit hac ipſa ratione, tam perſpicuè, vt omnem prorſus ambiguitatem poſſit euellere, mirumq; ſit quomodo interpretes ferè omnes illum non obſeruauerint. Gal. ergo 3.

Epidemiorum

Epidemiorum ſect. 1. *com.* 5. verba faciens de Democrate, qui ſexta die factus eſt auriginoſus, hæc habet. *Diffunditur nonnunquam per totum corpus flaua bilis, quod decretorium eſt, vt in aphor. quoq; eſt declaratum, vbi ait* Morbus dictus regius ad diem ſeptimam malum: *ſed meminiſſe te oportet eius quod ſapias audiſti, antequam morbus concoquatur, neque vllum alium abſceſſum, neque auriginoſum rectè fieri; is enim impediri ſignificat bilem, quo minus ex viſcere expurgetur, & per ventrem vacuetur, vel propter obſtructionem, vel propter inflammationem: morbo autem concocto, interdum natura criticè ad eas partes quæ ſunt iuxta cutem, excrementum flaua bilis & aliorum humorum deponit.* Hæc Gal. qui eandē ferè doctrinā habet 4. *apho.* 39. & vt videtis, neq; ſolū icterū ſolā diē ſeptimam, neq; aliud tandem quam coctionē & cruditatē conſiderat. Hæc autem planè conueniunt cum iis quæ generaliter tradita ſunt ab Hip. & Gal. 1. *Epidemiorum ſect.* 2. 45. & 46. qui aſſeuerat concoctionis celeritatem iudicij, & ſalutis ſecuritatem portendere, cruda autem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut mortem. Auicenna tandem *lib.* 4. *fen.* 2. *tractatu* 1. *cap.* 59. hanc ipſam confirmat interpretationem, qui verba faciens de iudiciis & ſignificationibus ictericiæ, omnia refert ad coctionem & cruditatem, ad bonam vel malam criſim, quocunq; die hoc fieri contingat: quippe ſi ictericia fiat ante ſigna coctionis, mala, ſin autem poſt illa, bona cenſenda eſt. Ex hiſce facile eſt vnicuiq; Hip. à calumniis Plinij, Auerroïs, & cæterorum omnium vindicare, vt non ſit opus de hac re longiùs agere: ſi modò illud addatur, Plinium certè neq; mentem Hipp. neque verba aſſecutum fuiſſe, ſiquidem Hip. non aſſerit icterum antè diem ſeptimam ſignum eſſe lethale, ſed malum, qui vtitur voce κακὸν, malum, non θανάσιμον, id eſt, lethale, quæ inter ſe valde differunt: quare minus rectè Plinius ſignum malum, vbi nihil obſtat quin multi poſſint euadere, deſperationem eſt interpretatus, vbi nullus à morbo videtur poſſe liberari. Sed redeamus ad curationem.

Curatio. Si fiat icterus laborante iecore intemperie, obſtructione, inflammatione, ſcirrho, omnium primùm inſtituenda eſt ratio curandi huiuſmodi morbos, de qua iam ſatis diximus, vt non ſit neceſſe eadem repetere. Sin autem fiat icterus propter obſtructionem veſicæ, aut vnius, aut alterius, aut vtriuſque meatus quam ſymptomatis differentiam diximus cęteris omnibus frequentius contingere, conueniunt alimenta, potiones, medicamenta, quæ poſſint attenuare, incidere, abſtergere & obſtructiones aperire: quoniam verò, vt ſæpe diximus, non licet iſthæc aggredi, niſi primùm proſpiciatur corpori vniuerſo, ideo prima nobis ſeſe offert indicatio, euacuandi totius corporis. Ergo primùm lenienda eſt aluus cum caſſia, quæ eſt opportuniſſima, caueatis à thamarindis, & omnibus adſtringentibus; caueatis à manna, quæ facilè conuertitur in bilem, cum ſit ſpecies mellis.

Vena ſectio. Lenita aluo, deinde ſecanda eſt vena ex dextro cubito, etſi nonnulli, vt refert Paulus, in ægrotis, & illis qui propter iecoris inflammationem morbo regio laborant, ſecare conſueuerunt venā iuxta paruum digitum dextræ manus, quam venam *ſaluatellam* vocant, de qua ratione mittendi ſanguinis litigant recentiores, & ego quoq; aliàs dicam quod ſentio. Sanguis porrò detrahendus eſt non vnica vice copioſè, ſed per vices parcè, vt notat Aëtius: cum enim redundet bilis, forte periculum immineret, ne ex vnica copioſa euacuatione vires aliquam iacturam faciant. Nec vos ab hoc remedio deterreat vulgaris quædam opinio, quæ in bilioſis morbis venæ ſectionem abhorret: namque nullus eſt morbus, à quocunq; tandem humore originem habeat, in quo non liceat ſanguinem mittere, dummodo conueniant principes ſcopi, id quod ſpectamus non ſolùm vobis confirmare, ſed etiam perſuadere in noſtra generali tractatione, quam Deo dante aliquando perficiemus.

Inter libros ſpurios Galeni reperitur libellus de curatione icteri, quem puto fuiſſe Ruffi, quoniam Aëtius, qui omnia ferè accipit ex eo lib. ea fatetur ſe accepiſſe ex Ruffo: porrò ille auctor, quicunq; fuerit, verba faciens de ſectione venæ reprehendit Praxagoram, qui ſine vlla diſtinctione omnibus ictericis ſolitus fuerat ſanguinem mittere, & ſtatuit hoc remedium tantummodo conuenire, quando ſimul cum cholera abundat ſanguis, & quando hepar vel ſplen ab inflammatione tenditur & dolet: quæ quidem determinatio ſi probè intelligatur, adeo vt referatur ad ipſas vires, non eſt prorſus abiicienda. Sed hac de re diximus aliàs pluribus.

Lenita aluo, ſecta vena, mox præparandi ſunt humores, & ductus per quos illos ducere oportet: itaque inſtituantur medicamenta quæ moderatè poſſint refrigerare, aperire, & quoquo modo roborare partes debiliores: quoniam præſtantiſſima ſunt omnia cichoracea, & inter omnia, acetoſa, & omnia quæ parantur ex acetoſa, ſunt admodum opportuna. Apparente concoctione ſunt exhibenda purgantia medicamenta, in quorum adminiſtratione maximè probandum videtur vnum vel alterum præceptum, quæ ex Ruffo ponuntur ab Aëtio.

Primum quidem eſt. & maxima dignum obſeruatione, ne purgantia medicamenta exhibeantur in principio, antequam bilis præparetur, & quodammodo ad inteſtina deducatur, qui aſſerit purgationes principio datas, maximi mali cauſam præbuiſſe. *Præceptum. I*

Secundum eſt, purgationes ictericis dandas eſſe fortiſſimas, ſiquidem quæ ſunt imbecilliores, propter ſiccitatem ventris parum efficaces cognoſcuntur. Sed illud præterea pro cauſa mihi libet addere, quoniam ex vna parte humores ducendi longè diſtant à viis ductuū, per quos illos trahere oportet, & ex altera habemus naturam adminiculantem, cum veriſimile ſit, eam non niſi debiliter poſſe trahere & expellere quæcunq; trahenda & expurganda ſunt: docet autem Gale. 1. *aph. com.* 22. opera & naturæ expellentis, & medicamenti trahentis, noxios humores commodè expurgari. *Præcept. II.*

Tertium præceptum Aëtij, ſi purgante medicamento primùm exhibito nihil proficias, ſtatim ad valentiora, cū deobſtruentia, tū ſoluentia deueniendum eſſe, vt tandē bilis quoquo modo detrahatur. *Præcept. III.*

Medicamenta pro purgandis ictericis, hoc tempore magis vſitata illa ſunt: Rhabarbarum, agaricus, & præcipuè ſcammonium, & quæ ſcammonium recipiunt, electuarium de ſucco roſarum Meſue, de pſyllio, pilulæ aggregatiuæ, de rhabarbaro; aureæ, & alia id genus.

℞. *Rhabarbari electi* ʒ. j. ß. *Purgans in ictero.*
Spicanardi gr. iiij.
Fiat infuſio ſecundùm artem in decoctione cichorei, acetoſæ, quantum ſufficit, & facta expreſſione adde.
Electuarij de ſucco roſarum ʒ. iij.
Syrupi roſati ſolutiui ℥. ij. ß. *Miſce fiat potio.*
Habeatis etiam exemplum pilularum.
℞. *Pilularum de tribus cum rhabarbaro* ℥. ij.
Diagrydij grana v.
Cū aqua cichorei, fiāt pilulæ xv. *& aurētur.* *Aliud.*

Ad hunc modū teſtatur Gal. in libello de purgātiū medicamentorū facul. c. 2. poſtquā per aliquot dies, ictericos præparaſſet, illiſq; medicamentū bilem purgans propinaſſet, ſæpius ad naturalem habitum reuocaſſe, etſi nihil exterius admouiſſet:

Syrupi deobſtruentes.

Facta vna, vel, ſi ita res ferat, altera purgatione, tunc accommodatus eſt vſus medicamentorum, quæ efficaciorem vim habent deobſtruendi, qualia ſunt ſyrupi de duabus & de quinq; radicibus, bizantinus de cichorea, ſine & cum rhabarbaro oxymel compoſitum, decocta agrimoniæ, cetrach, praſſij, radicis aſparagi, fœniculi, apij & alia id genus.

Curatio icteri nigri.

Hactenus purgauimus hominem laborantem ictero ex flaua bile: at verò ſi quis laboret ictero ex humore melancholico, quẽ nigrum vocant, eadẽ prope ratione expedit hunc purgare. Sed medicamentis accommodatis ad noxium humorem, cuius purgationis formam propter nouitios explico quam breuiſſimè. Ergo primum leniatur aluus cum electuario lenitiuo & portiuncula hieræ ſimplicis: deinde inſtituantur ſyrupi de fumo terræ ſimplicis, de borragine, de bugloſſa, acetoſus ſimplex, decocta cichorei, cetrach, borraginis, & ſimilia Poſt vnam vel alteram diem ſecanda eſt vena, & illa quidem laborante liene, interna cubiti ſiniſtri, quod remedium vt dicit Gal. *in libello de ſanguinis miſſione, c.* 16. hoc membrum malè affectum perpetuò ac multum iuuare conſueuit. Concocta materia expurgetur hoc medicamento.

Purgãs melancholicum in ictero.

℞. *Senæ electæ.*
Epithymi,
Polipodij,
Paſſularum,
Liquiritiæ, ana. ʒ. ij.
Zingiberis ʒ. ß.
Fiat infuſio ſecundũ artẽ in decoctione fumi terræ, & ceterach, & facta leui ebullitione, adde
Confectionis hamech ℥ ß.
Syrupi de epithymo,
Roſati ſolutiui, *ana.* ℥. j. ß. *Miſce & fiat potio.*

Quo loco notandum eſt Ga. 14 *meth. c.* 17. vtrũq; viſcus, iecur & lienem, ſimilia genere medicamenta poſtulare, ſed lienem tanto valentiora, quanto craſſiori vtitur alimento: ſed de ratione purgandi, & curandi lienis tractabimus poſteriùs.

Icterus ex venenis.

Poſtremò ſi fiat icterus ab aliqua vel interna, vel externa cauſa venenata, huiuſmodi ægroti ſanandi ſunt proprijs remedijs & antidotis, quæ venenis reſiſtunt quorum tractatio non pertinet ad hunc locum. Gal. 5. *de locis aff. c.* 7. teſtatur ſe ſanaſſe ſeruum illum imperialem, qui à vipera morſus fuerat, ſola theriacæ potione.

Atque de his hactenus, quatenus nimitũ pertinet ad rationẽ curandi morbos & cauſas vnde icterus originem habet: quoniam verò ſæpe euenit vt bilis vel per criſim vel aliter ad cutẽ ſit tranſmiſſa, turpiſq; ille color perſeueret, etſi affectus ſublati ſunt, illud vnũ iam reſtat, vt de tollendo hoc quoq; ſymptomate agamus quam breuiſſimè. Vnica igitur eſt indicatio, nempe vt bilis contenta in cute deleatur; verùm cum hæc bilis & omnes humores ad

Cutim fœdã corrigentia.

cutẽ propulſi, vt dicit Gal. *6. epidemiorum ſect.* 2. 29. difficulter per medicamẽta purgantia tolli poſſint, quod eorũ reuulſio ad partes internas ſit valde longinqua, propterea eodem Gal. auctore, commodiſſimè per ipſam cutem ſolent euacuari, id quod potiſſimum efficiunt ea medicamenta, quæ vim habent laxandi cutem & digerendi impactos humores. Quare Gal. 9. *de med. ſecund. locos*, à principio maximè probat balnea aquæ potabilis, nec nõ olea, quæ hanc ipſam vim habeant qualia ſunt oleũ anethinum, chamæmelinũ, oleum cõmune antiquum, amygdalarũ dulciũ, apparatum, & alia id genus. Sic poſſunt parari balnea ex medicamentis laxantib. & digerentibus, quæ ſunt manifeſta. Vulgares vtuntur in balneo ſapone illo nigro, qui valenter abſtergit, & fortaſſe valentiùs quam olea propoſita

Quod ſi tandem opus fuerit remedio efficaciore, Gal. 5. *de locis aff. c.* 3. hac in re probat aquas thermatum calidiores quales ſunt nitroſæ, ſulphureæ, & aliæ id genus, quæ ſanè optimæ cenſendæ ſunt. Nõ poſſum hoc loco ſilentio præterire aliud quoddam remedium vulgare, & idiotis vſitatum, cuius tamen & Paulus & omnes communiter practicantes mentionem faciunt, & eſt ſulphur ore ſumptum, ad ʒ. j. quod quidem quomodocunq; fuerit admi- *Sulphur.* niſtratum, in cunctis affectibus cutis maximè ſolet prodeſſe, id quod agit, mea ſententia, celeriter penetrando corpus vniuerſum, atq; inſenſibiliter diſcutiendo & euacuando quæcunq; in cute continentur: quare videbitis ſæpe huiuſmodi remedium maximum in ſcabie iuuamentum afferre. Verum verò ſulphur in ictero debeat exhiberi, ſi iecur laboret intemperie calida, ſi adſit febris ad ſummam, ſi corpus fuerit calidius, crederem illud non conuenire, cum ſtrenuè calefaciat. Quoniam autem icterus & turpis ille color potiſſimũ regnat in oculis, & eſt periculoſum ad oculos apponere medicamẽnta laxantia & diſcutientia propterea medici antiqui excogitarunt nonnulla medicamenta quę tracta per nares vulgo errhina vocant, valent per eam partem bilem deriuare ab oculis, & oculos ab ea ſorde liberare: talia parantur ex ſucco betæ, ciclaminis, anagallidis, elaterij, & ſimilib. quæ omnia miſcentur ex lacte muliebri, & trahuntur per nares, ſemper tamen incipiendo à leuioribus.

Occulta vi iuuantia.

Poſtremò nonnullis proponuntur quædam medicamenta, quæ latente quadam proprietate dicuntur ictericos iuuare, & inter cætera, tanquam remedium mirabile, maximè probantur lumbrici terreſtres exſiccati in furno, redacti in puluerem, exhibiti ad ʒ. j. cum ſucco acetoſæ, cichorei, & ſimilium: huius remedij mentionem faciunt non ſolum Aëtius, Auic. & alij, ſed etiam Gal. *in libello de theriaca ad Piſonem, c.* 9. Sunt & alia quamplurima, verùm cum ex vna parte vnuſquiſq; apud varios auctores ea ſibi poſſit comparare, & ex altera ego illis vel leuem vel nullam fidem ſoleam adhibere, ad finem properans, nolo de his longiùs agere. Neq; de victus ratione mihi ſtatutum eſt longiùs agere, ſiquidem conſtat curando ictero eam victus rationem competere, quæ longiùs abſit à generanda bile vel melancholia, & quæ ad ſummam ſpectet morbum & cauſam ſymptômatis: quam quidem victus rationem Auicen. duobus verbis præclarè complectitur, ita inquiens: *Et cibus ictericorum eſt ille, qui eſt leuis & ſubtilis, & in quo eſt apertio*: de quibus ſpeciatim Aëtius & pleriq; auctores tractant diffusè, & nos quoq; ſuperiùs nonnihil diximus.

Capvt XVI.

De Hydrope.

Nomen.

Affectus quem Græci quandoq; *ὑδερόν*, quandoq; *ὕδρωπα*, ſæpius verò, *ὕδρωψ*, appellant Latinis *aqua inter cutem*, vel *Intercus*, vulgo *hydrops* vel *hydropicus morbus* dicitur, quod tamen nomen videtur ſumptum fuiſſe ab aqua, quæ Græce *ὕδωρ* dicitur, cuius nullus ferè ægrotus videtur vnquam eſſe immunis. Quid ſit hydrops, non conueniunt authores omni ex parte, imò verò neq; Gal. ſibi ipſi planè videtur conſentire: namq; in lib. *de ſympt. differ. c.* 4. conſtituit omnes illius ſpecies inter ſymptomata nempe actiones læſas facultatis cõcoctricis, ſanguinis generatione vel non facta, vel non rite peracta: altera autẽ ex parte nonnulli contendunt hydropem potius inter morbos, quàm inter ſymptomata fore numerandũ, cum quibus videtur eſſe ipſe quoq; Gal. qui libello *de tumorib. præter naturam. c.* 16. & 14. *meth. c.* 13. reponit

Vtrùm ſit morbus vel ſymptoma.

hydropem

hydropem inter tumores, præter naturã, quor conuenit inter omnes eſſe morbos, vel in magnitudine, vt quidã opinantur, vel vt aliis placet in intemperie cũ materia. Ego verò exiſtimo hydropẽ, ſi verè & propriè conſideretur, eſſe morbũ nempe tumorem præter naturã: ſin autẽ conſideretur illius cauſa, iã inter ſymptomata poſſe numerari, quæ incidunt in ſanguinis generatione: quod vtrunq; ſentit Galen. Nec puto alienũ eſſe à doctrina eiuſdẽ, quandoq; ex ſymptomatibus oriri morbos, exempli gratia, ex dolore inflammationem, ex vitiata coctione atrophiã, &c. Quare fruſtra Altimarus cõfugit ad eã ſolutionẽ. Gal. li. *de ſymptomatũ differẽtiis*, ſymptoma cõmuniter dictum accepiſſe; quaſi verò abſurdum ſit, ea ſymptomate propriè accepto, actione læſa morbũ oriri. Quapropter ſiue morbũ ſiue ſymptoma hũc affectũ quis velit appellare, id pro varia ratione fieri poteſt, neq; ego de hac re magis laboro.

Definitio. Auicen. definit hydropẽ hunc in modũ: quòd *ſit ægritudo materialis, genita à cauſa materiali, externa, frigida, in qua vel totum corpus, vel nonnulla partes intumeſcunt*. Alexand. hoc modò: quòd *ſit ægritudo longa, proueniens ex refrigerato iecore, adeo vt ipſum deinceps nõ amplius paſſit cibos in ſãguinẽ, ſed in qualitatẽ alienã, aut aquã, aut pituitã, aut flatus, transmutare*. Cæteri omnes hæc ferè eadẽ repetunt, ex quibus lic per ſectã hydropis definitionẽ colligere, quæ ſit huiuſmodi. *Hydrops eſt tumor præter naturã, vel totius corporis, vel abdominis, factus propter frigidã iecoris intemperiẽ quòd propterea nequeat pro inſtituto natura ſanguinẽ efficere.* Pro quo ante omnia id velim vos intelligere quod dicit Galenus 5. *de locis affectis ad finẽ*, qui recitat quandã opinionẽ Eraſiſtrati de hydropis generatione, cuius etiam mentionẽ facit 2. *de naturalibus facultatibus*, c. 8. quæ opinio Eraſiſtrati erat huiuſmodi: hydropem alia nulla ratione fieri poſſe, quàm quod propter viarum anguſtias & obſtructiones, vel ab inflãmatione, vel à ſcirrho, vel aliter factas ſanguis prohibeatur vltra per iecur procedere: proinde affirmabat, partẽ ſanguinis tenuiorẽ & aquoſiorẽ per vniuerſũ corpus diſtribui, atq; hinc hydropẽ fieri, exquiſitũ & ſincerum ſanguinẽ, propter ſuam craſſitudinem, in caua iecoris regione permanere, atq; illic cauſam eſſe morborum qui ea plenitudine oriuntur. Quam opinionem deinde Galen refellit, primùm, quòd nullo in iecore apparente tumore, nulla obſtructione, homines hydrope corripiantur, hinc ſcil. vitiato vel ieiuno & tenui inteſtino atq; meſenterio, vel pulmone, vel renibus, aut propter immodicã hæmorrhoidũ vacuationem, aut muliebre profluuium, aut menſiũ ſuppreſſionẽ, aut alium quendam vteri affectũ. in quibus quidẽ cũctis affectibus nullo exiſtẽte in viſcere tumore præter naturam, corpora hydrope corripi videntur: id quod præterea, inquit Gal. euidenter admodũ illi intelligunt, qui cognouerunt ex intẽpeſtiua aquæ frigidę potione iecur confertim fuiſſe refrigeratum, adeo vt hydropẽ ſtatim effecerit, priuſquam in dutũ tumorẽ attolleretur. Deinde verò & alia ratione hãc confutat opinionem: namq; ſi ſanguis craſſior & ſincerior in venis iecoris concluderetur, neq; per totum corpus deferretur, neceſſe omnino foret, vt propter tumores & obſtructiones iecoris illẽ deferretur ad inteſtina, feret etiã ad ventriculũ, quod tamen nemo fieri vnquam vidit, ſiquidem in altera ſpecie hydropis, quæ *Anaſarca* dicitur, in omnibus partibus corporis, tam ſupernis, quàm infernis, pituitoſus ſanguis continetur, per aluum autem nihil cruentum excernitur, neque in hac, neque in cæteris ſpecieb. aſcite aut tympanite.

Opinio Eraſiſtrati.

Porrò confutata opinione Eraſiſtrati, concludit Galenus, longè magis eſſe vero conſentaneum, hydropem generari propter eam cauſam, quod ob refrigerationem iecoris alimentum ex ventriculo diſtributum in ſanguinem tranſmutari non poſſit. Ex quo egregio loco Galeni licet colligere duas veriſſimas concluſiones: alteram nulla ratione hydropem fieri poſſe, niſi laborante iecore, vel primariò, vel per conſenſum aliarum partium, de quo conſenſu ſtatim agemus, ſermonem habentes de differentiis: alteram, in hoc affectu neceſſariò iecur laborare intemperie frigida, quæ quidem intemperies non modò ad venas, ſed etiam ad propriam iecoris ſubſtantiã debet peruenire, quam ſupra diximus eſſe principale inſtrumentum generandi ſanguinis. Vtraq; concluſio ſatis ex eo ſit manifeſta: cum enim certum ſit generationem ſanguinis à iecore fieri tanquam principali inſtrumento, neq; aliter quàm ope natiui caloris, cumq; in hydrope huiuſmodi ſanguinis generatio vel non fiat, vel improbè fiat, omnis ratio colligit, neceſſariò iecur laborare, & quidem intemperie frigida.

Cæterùm non deſunt, qui contendunt vtramq; concluſionem labefactare, ac primùm affirmant, hydropem fieri aliquando ſine vllo iecoris morbo: in quam ſententiam conantur quoq; pertrahere Gal. ſiquidẽ ille docet 3. *de ſympt. cauſis*, c. 1. ſi ventriculus nihil omnino concoquat, propter vehementẽ imbecillitatem facultatis concoctricis, tunc fieri vel *lienteriam*, vel *hydropem tympanitem*: ſi verò in altera coctione, quæ fit in iecore & venis, propter ſanguificæ facultatis imbecillitatem eueniat fruſtratio ſanguinis, iam fieri *hydropẽ aſcitem*, ac demum in tertia coctione, quæ fit in carne & totius corporis habitu, ſuccedere *hydropẽ anaſarcam*. Itaq; ex ſententia Galeni hydrops fieri poterit nõnunquã iecore nullo modo laborãte, vitiata coctione ventriculi, ac generatis pluribus flatibus, qui deinceps ad ſpatium inferioris vẽtris propulſi illum diſtendunt, atq; in tumorem attollunt: nec non vitiata tertia coctione, quotieſcunque in carne & reliquis partibus proba ſanguinis aſſimilatio fieri non poteſt. Quam quidẽ Galeni doctrinam Trincauellius inter cæteros ſecutus eſt: qui ex tribus huiuſmodi vitiatis concoctionibus tres colligit differentias hydropis, de quibus nos quoque paulò poſt ſermonem habebimus.

Hydrops iecore non affectio.

Secundò, neq; deſunt, qui contendunt iecur in hydrope non perpetuo laborare intemperie frigida: ex quibus ſunt Auic. Auer. Alex. & alij, vnde Auicen. inter cætera affert auctoritatẽ atq; exemplum Galeni, quaſi ille curauerit quandoq; virum patientem hydropem cum medicamentis frigidis, quòd nimirum morbus originem habuerit à cauſa calida: & Alex. grauiter reprehendit medicos, quos appellat vulgares, quicunq; exiſtimant, aqua intercutem laborantes quouis modo eſſe calefaciendos, cum pleriq; interdum à refrigerantibus medicamentis inſignem percipiant vtilitatem. Porro huic opinioni videntur cum primis fauere Hip. 2. *prog. in principio*, qui tractat de hydrope, quæ originem habet ex morbo acuto, quam veriſſimile eſt, vel potius neceſſarium, pendere ex cauſis calidis: & Gal. *com.* 2. exponens quamobrem in certa hydropis ſpecie contingat fieri fluxum, alui, reſpondet iſtud fieri propter calorem partium quę inflammatione vexantur, vnde corrumpitur alimentum, & colligitur copia bilis, vt propterea inteſtina ſtimulentur ad excernenda excrementa.

An ex cauſis calidis hydrops oriatur.

Medicis recentioribus qui exiſtimant, hydropem fieri poſſe à calida iecoris intemperie, forte errandi occaſionem præbuit antiqua Gal. verſio, quæ ita habet 4. aph. com. 11. *Aſcitem naſci ex cauſis frigidis, tympanitem verò ex cauſis calidioribus*, Ex quibus verbis licuit olim colligere, ſaltem aliquam

Digitized by Google

quam ſpeciem hydropis ex cauſis calidis originem habere.

De dictis hiſce duabus litibus, multa quidem poſſent in medium proferri, ſed cum Gal. verè & perſpicuè vtramq; diſſoluat, iis contenti erimus, quæ ille nos docet. Scribit Gal. 6. *de locis affectis cap.* 1 nonnullos eſſe, qui arbitrantur, laborantes liene indurato, ſine iecoris vitio aquam inter cutem incidere: nec non eſſe nonnullos, qui dubitant de ea quoq; ſpecie hydropis, quæ acutis morbia ſuccedit, in quib. ab intemperie calida, ſæpenumero etiam ſicca, iecur ita vehementer laborat, vt cibum non amplius in ſanguinem poſſit tranſmutare: quibus deinde vtriſq; reſpondet, & loco citato & 5. *de locis aff.* 6. ac primùm ita planè & manifeſtè, vt planiùs & manifeſtiùs non poſſit, confirmat hydropem nunquam fieri poſſe, niſi iecur laboret: nam cum ipſum, quod ſemel & iterum diximus, ſit primum ſanguificationis inſtrumentum, fieri non poteſt, vt læſa ſanguificatione, quæ læditur in omni hydrope, illud viſcus illæſum permaneat. Sed tamen illud Gal. concedit, quod nullo modo negari poteſt, iecur bifariam poſſe laborare, vno modo primariò, altero ſecundariò per conſenſum, quem obtinet cum aliis partib. Quamobrem ſicut ex vna parte concedendum eſt, & ventriculum, & lienem, & inteſtina, & cæteras corporis partes, quæ à Gal. accuratè enumerantur, poſſe hydropem concitare; ita ex altera pro comperto habendum eſt, iſtud fieri non poſſe, niſi tractu temporis ipſum quoq; iecur ſimul cum eiuſmodi partib. laborantib. efficiatur. Deinde verò Gal. alteram dubitationem diſſoluit, qui docet, vtcunq; hydrops fieri poſſit, & ſuccedere morbis acutis, nec non calidæ, ſæpe etiam ſiccæ iecoris intemperaturæ, id tamen nunquam poſſe fieri, niſi tandem iecur refrigeretur; quæſo enim quomodo concipi animo poteſt, à calida iecoris intemperie aquam, pituitam, flatum, poſſe generari? Atque hanc fuiſſe mentem Hip. & Gal in 2. illo progn. ex eo ſatis patet, quod illi conſtituunt cómunem notá cuiuſcunq; hydropis, laxum & mollem tumorem pedum, nec non abdominis quem certum eſt prouenire ex pituita, quæ ſine dubio à caliditate iecoris non poteſt generari. Quamobrem ad mentem Gal. ita habendum eſt, calidam quidem intemperiem poſſe remotam eſſe & mediatam cauſam hydropis, ſed proximá & immediatá non aliam eſſe, quam intemperiem iecoris frigidam. Sic Gal. ſtatuit 4. *de ſimpl. medicam. facul. c.* 15. acorem perpetuò fieri frigido, tamen ſubdit per ætatem promptius res accreſcere: nec deſunt alia exempla. Itaque omnes quicunq; aliter ſentiunt, mea ſententia decipiuntur, inter quos Auic. dum c. 13. profert exemplum Gal. qui curauerit hominem laborantem hydrope ex cauſa calida cum medicamentis frigidis, manifeſtò fallitur, cum nullibi apud Gal. hæc legantur: cuius quidem rei certiſſimum eſt argumentum, quod inter medicamenta Gal. aſcripta, numerantur, ſandali, myrobalani, citrini, & alia, quæ ſine vlla dubitatione conſtat Gal. non nouiſſe. Præterea verò Alex. & Auic. non ſolùm malè ſentiunt, ſed etiam à ſeipſis, & à ſuis principiis diſſentiunt. Cum enim vterq; definierit hydropem ſicuti diximus, quòd ſit ægritudo proueniens ex refrigerato iecore, quod propterea nequeat cibos in ſanguinem tranſmutare, quomodo altera ex parte conſtituant ſpeciem hydropis, quæ ſub communi eorum definitione non comprehendatur, ipſi viderint, & qui illorum doctrinam conantur defendere. Demum verò quod pertinet ad antiquam verſionem Gal. iam recentiores & fideliores interpretes eum errorem ſuſtulerunt, qui verè & ex fide literæ Græcæ interpretantur eum locum, nempe vtramq; ſpeciem, & aſcitem, & tympanitem generari à cauſis frigidis, ſed aſcitem à maiori, tympanitem à minori frigiditate originem habere. Itaque in omni hydrope iecur laborat, & quidem intemperie frigida, ſed illud addo, eiuſmodi intemperiem neceſſariò eſſe inſignem, adeo vt iecoris ſanguificatio impediatur: namque ſi fuerit intemperies leuior, veriſimile eſt, non hydropem, ſed alios morbos ſuccedere.

Hydropis differentiæ primùm ſumuntur ab in- *Differentia.* I.
tenſo & remiſſo; namq; alij laborant intensè ac vehementer, & iſti ſimpliciter ſunt hydropici: alij remiſſiùs, & leuiùs, & iſti laborant cachexia, quem vocant malum habitum, & eſt principium hydropis, quando nimirum intumeſcunt palpebræ, facies, extremæ partes, albicans & prauus eſt color totius corporis, & alia id genus apparent ſymptomata.

Hoc loco quæritur, an hic malus habitus perpetuò præcedat hydropem? Cui quæſito reſpondent nonnulli: ſi hydrops fiat ſubitò, tunc nullum præcedere malum habitum: ſin autem fiat paulatim & longiori tempore, tunc perpetuò malum habitum præcedere. Quæ diſtinctio videtur nulla: etenim ſicuti diximus, cum hydropa proximè fiat ab intemperie, hæc autem neceſſariò fiat in tempore, eſt admodum conſentaneum rationi, ipſa incipiente intemperie, ſimul etiam incipere præludia hydropis, in quibus malus habitus continetur: id quod ipſa quoque quotidiana confirmat experientia.

Secundò, ſunt differentiæ à tempore: hydrops II.
alius nouus, & in principio, alius antiquus & progreſſus, alius demum confirmatus.

Tertiò ſunt differentiæ à coniunctis: nam hy- III.
drops vel eſt cum febre, vel ſine febre, cum tuſſi, fluxu alui, virtute valida, & ſimilibus.

Quartò ſunt differentiæ à redundante materia: IV.
pro quo ſciendum eſt, frigidam iecoris intemperiem in hydrope non vnam perpetuò, ac eandem eſſe, neque vno & eodem modo illud deficere in ſanguinis generatione, quod quidem potiſſimùm euenit propter varios gradus intemperaturæ, nec non propter varias antecedentes cauſas, quæ hydropem ſolent efficere: cum ergo iecur deficiens à ſuo munere, pro bono ſanguine generet vel aquam, vel pituitam, vel flatum, hinc conſurgunt tres principales hydropis differentiæ: prima, quam ab aqua *aſcitem* vocant: ſecunda, quam à pituita *anaſarcam* vel *hypoſarcam*, vel *leucophlegmatiam* appellant: tertia, quam ex flatib. *tympanitem* nominant. Cæterum cum omnes oriantur à frigida iecoris intemperie, ſi quis cupiat intelligere, quænam ex tribus ſpeciebus fiat ex maiori vel minori frigiditate, huic de duabus, ſpeciebus, aſcite & tympanite, ſatisfacit Gal. 4. *aph. com.* 21. qui illas inter ſe comparans, vt modò diximus, ſtatuit aſcitem à maiori, tympanitem a minori frigiditate originem habere, propterea quod flatus non ſine calore aliquo poſſint generari. Quid verò de tertia ſpecie anaſarca ſtatuendum ſit, ſi cum cæteris conferatur, non ita videtur conſtare, neque vllo in loco niſi fallor, à Galen. definitum eſt: neque verò ſi tale iudicium ad vim rationis velimus referre, aliqua ambiguitas videtur deeſſe: de aſcite quidem, mea ſententia, dubitandum non eſt, quin oriatur à maiori frigiditate, ſed eſt difficultas de tympanite. Namque tametſi flatus, vt vidimus ex Gal. ſine aliquo calore non poteſt generari, tamen neque pituita ab inſigni frigiditate videtur originem habere, cum ſit veluti ſanguis incoctus, nec difficulter conuertatur in ſanguinem,

vt

vt notauit Gal. 5. *de ſimp. med. fac.* 2. 14. *de ratione victus com.* 30. Veruntamen ſi diligenter conſiderentur, quæ tradita ſunt à Gal. ex iis forte videbimus quoquo modo colligere, anaſarcã ex maiori frigiditate originem habere, quàm tympanitem, ſiquidem dicit Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* c. 1. præcipuam cauſam generandæ hydropis tympanitis, eſſe imbecillitatem facultatis concoctricis ventriculi: cauſam verò generandæ hydropis anaſarcæ eſſe imbecillitatẽ facultatis ſanguificæ iecoris: quibus & illud licet addere, quod auctor lib. 4. *de ratione victus*, cui Gal. quoque hac in parte videtur ſubſcribere, comparans has duas differentias, ſtatuit anaſarcam eſſe longè difficilioris curationis, quàm tympanitem, imò nullam curationem recipere: ex quo iure concludendum eſt, in hac ſpecie multo maiorem lapſum eſſe à ſtatu naturali, quàm in tympanite, propterea que tympanitem & flatus ex magna, anaſarcam & pituitam ex maiori, aſcitem & aquam, ex maxima fieri frigiditate.

Quot ſint ſpecies hydropis.

Sed rurſus occurrit dubitatio de numero iſtarum differentiarum: namque auctor lib. 4. *de ratione victus*, facit duas tantum differentias anaſarcam & tympanitem, & Gal. *in com.* inquit fuiſſe nonnullos medicos affirmantes hydropis differentias eſſe quatuor, quas tamen ille non explicat: ſed forte illi pro quarta ſpecie conſtituebant cachexiam vel aliam ſpeciem ex tribus commiſtam: in quo tamen & auctor libri, & veteres medici manifeſtò decepti ſunt, ſiquidem verè hydropis differentiæ ſunt tres, nec plures neque pauciores, quoniam tres tantummodo ſunt materiæ, vel aqua, vel flatus, vel pituita: quæ quidem res tametſi varias habeat differentias, tamen ſcitis magis & minus ſpecies non variare.

Cauſa.

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis: etenim quanquam vnica & proxima eſt cauſa generationis hydropis, intemperies frigida iecoris, tamen plurimæ ſunt cauſæ magis remotæ: ac primùm cõtingit iecur laborare dupliciter, vno modo primario, altero per conſenſum aliarum partium. Iecur primariò laborat multis de cauſis, quæ tamen commodè mihi videntur poſſe referri ad duos communes locos: ad ſex res nõ naturales, & ad res præter naturam. Itaque aër frigidus, humidus, craſſus, nebuloſus, habitationes prope aquas, & paludes, alimenta craſſa, frigida, humida, multa potio ac potiſſimùm aquæ frigidioris, ac maximè ieiuno ventriculo, & poſt maximas exercitationes, labores & calores, otium & quies immoderata, motiones importunæ, ac potiſſimùm ſtatim à cibo, ſomni diuturni, ac profundi, retentio ſolitæ vacuationis factæ vel à natura per hæmorrhoidas, per vterum, & ſimilia, vel ab arte, vt per cauteria, frequentes purgationes, & ſimilia, nimia vacuatio per aluum, ſudorem, venerem, ſanguinem à naribus hæmorrhoidibus, vtero, & alia id genus: ac poſtremò animi accidentia, timor, mœſtitia, & reliquæ perturbationes: iſthæc omnia poſſunt eſſe in cauſa, vt iecur malè afficiatur, & humo hydrope corripiatur.

Secundò iecur laborat primariò, vt dictum eſt iam antè, omni propemodum genere morborum, qualibet intemperie, & ſimplici & compoſita, & cum materia, & ſine materia. & cum tumore, & ſine tumore, obſtructione, inflammatione, ſcirrho, affectu œdematoſo, vulneribus, vlceribus ex quibus omnibus iecur tandem poteſt refrigerari & hydrops ſuccedere. Auicenna plurimas ſanè ponit cauſas, ſed ſi quis animum adhibeat, is facilè intelliget ſingulas ad duo noſtra capita poſſe referri. Verum non eſt prætermittenda vna cauſa, quæ ab ipſo ponitur Auicen. cuius nemo faci mentionem, & eſt paruitas iecoris, de qua neſcio quid dicam, niſi fortaſſe id fiat propterea, quia in paruo iecore alimentum inculcatur, neque poteſt probè confici, vt tandem periculum immineat, ne calor natiuralis refrigeretur & extinguatur.

Laborat porrò iecur per conſenſum plurimarum partium, ac primùm, vt dicit Galen. 5. *de locis affect.* 7. ſi ventriculus, lien, inteſtina, ac præcipuè ieiunum, contrahant aliquam frigidam intemperiem, hæ partes facilè eam communicant venis meſenterij, quibus facilè item deinceps omnes venæ, quæ in caua iecoris parte ſunt, vnà cum illis refrigerantur, à quibus rurſum in totum quoque iecoris corpus intemperies diſtribuitur; pariter conſentientibus partibus ſuperioribus pulmone, ſepto tranſuerſo, & renibus venæ, quæ in gibba huius viſceris parte conſiſtunt, in conſenſum primùm veniunt, deinde tractu temporis vna cum illis totum viſcus afficitur: inter cætera autem propter ſcirrhum lienis, iecur præcipuè trahitur in conſenſum & ſequitur hydrops, quod tamen ſciatis non eſſe perpetuo verum & neceſſarium, ſicuti eſt perpetuò verum & neceſſarium, ſcirrho iecoris hydropem ſuccedere: ſcribit Gal. 4. *de præſag. ex pulſib. cap.* 9. cum lien inſigni ſcirrho eſſet affectus, frequenter conſpeximus non ſecutam eſſe aquam inter cutem, iecinori verò ſuccedit neceſſariò: de quo quidem peculiari conſenſu lienis & iecoris, haberis ſententiam Hippocrat. & Galen. 6. *apho.* 43. Neque verò ſolùm conſentientibus partibus ſuperioribus, ſed etiam inferioribus iecur ſolet maximè refrigerari & hydrops fieri, inter quas partes principem locum obtinent hæmorrhoides, & vterus in mulieribus: ſæpe enim hæmorrhoïdibus, itemque menſtruis purgationibus, nec non fluxu muliebri, immoderatè & longiori tempore fluentibus, vel altera ex parte ſolitis harum partium vacuationibus ſuppreſſis, ſcribit Gal. loco citato 4. *de præſag. ex pulſ.* & confirmat experientia, homines aqua inter cutem corripi frequentiſſime. Etenim ſi hæmorrhoïdes vel menſes in mulieribus ſuperiore tempore fluentes, in præſentia ſupprimantur vt dicit Hip. 6. *apho.* 12. & Gal. *de locis affect. cap.* 7. & aliis in locis, ſuperuacaneus ille ſanguis ac ſæpenumero craſſus ad iecur delatus, aut in durum tumorem illud attollit, aut copia & craſſitudine natiuum eius calorem perinde extinguit, vt multa ligna extinguunt ignem, ſi confertim iniiciantur. Pariter ſi hæ partes immoderatè & longiore tempore ſanguinem profundant, certiſſimum eſt, quod notauit Galen. *de ſanguinis miſſione* c. 19. *de natur. facultatib.* 8. non ſolum iecur, ſed corpus vniuerſum refrigerari, ſicut accidit in qualibet inſigni corporis euacuatione. Demum verò fit hydrops, quod ſuprà diximus, cæteris partibus laborantibus non modò intemperie, vel aliis morbis frigidis, ſed etiam calidis, inflammatione, eryſipelate, febribus acutis, de quibus ſcribunt Hippo. & Galen. initio *lib.* 2. *prognoſticor.* quod euenit propter eam cauſam, quoniam illa inſignis caliditas præter naturam diſſipat natiuum calorem iecoris, illudque reddit imbecillem, vt deinceps nequeat alimentum ex ventriculo ductum in ſanguinem conuertere: imò verò huiuſmodi hydropes quæ ſequuntur morbos acutos, ſunt cæteris deteriores, Hip. & Gal. teſtimonio, & certius mortis periculum afferunt. Hactenus de differentiis hydropis.

Hydrops per conſenſum.

Quomodo aqua in abdomen permeat.

Antequam tracto de ſignis, occurrit curioſa quedã dubitatio, quonã modo in hydrope aſcite tranſmittatur aqua in cauitatẽ abdominis, nempe inter peritonæum & inteſtina, in quem locũ conuenit inter omnes illã deponi ab ipſa natura: & ratio dubitationis eſt, quoniã nulli apparẽt manifeſti meatus,

per quos iecur in eam ciuitatem aquam tranſponere poſſit. Auic 3. *canone fen. 4 tract. 4. cap. 6* conatur huius facti plures reddere rationes: & inquit, iſtud primum fieri per reſudationem iecoris & venarũ: deinde per quoſdam cæcos & latentes ductus, qui ſoli naturæ ſunt manifeſti: tum recitat opinionem quorũdam medicorum ſapientium, qui aſſerebant, hanc aquam ad eum locum poſſe tranſmitti per venam vmbilicalem: quæ tamen opinio deprehẽditur eſſe perſpicuè falſa, ſiquidem hæc vena, cũ editus eſt fœtus, ſtatim areſcit, & validi ligamenti vicem ſupplet, vt nullo modo eiuſmodi trãſmiſſio fieri poſſit Fernelius pluib. hanc rem tractat *lib. 6. de part. morb. & ſymp. c.* 8. & in ſumma affirmat, omnes turpiter hallucinari, qui putãt per anguſtos cæcoſque poros ſeroſum humorem tranſmitti in capacitatẽ abdominis, ac tandẽ ſtatuit, iſtud maximè fieri ex ſoluta cõtinuitate partium, aut vaſorũ, quibus humores cõtineri ſolent; & magis diſtinctè ſeipſum explicans, vult ſeroſum illum humorem in abdominis capacitatem deſcendere, quoniam exeſum, apertũ, ruptũ, fiſſumve aliquid eſt, ſicuti ſuppurans pleuritis, exeſa aut diſciſſa ſuccingente mẽbrana, affatim irruit in capacitatem thoracis. Ego verò puto, Fernelium malè ſentire, non ſolum negando latẽtes naturæ meatus & cæcos ductus, ſed etiam reddẽdo ſuam propriam rationem. Namque vt hanc rem alioqui notatione dignã, intelligaris; ſcribit Hip. 7. *apho. 54. Quibus inter ventriculum & ſeptũ tranſuerſum pituita cõcluditur, & dolorẽ affert, in alterũ ventrem viam non habens, iis per venas in veſicã verſa pituita, morbi fit ſolutio.* Gal. *in cõ.* quætit, an quod ab Hip. dicitur, fieri poſſit? Nam reuera cum nullus appareat manifeſtus canalis, per quem pituita ab eo ſpatio ad renes, & à renib. in veſicam tranſmitti poſſit, vtique ſtatuẽdum videretur, iſtud nullo modo fieri potuiſſe: verũtamen Gal. aliter ſẽtit, qui ſcribit ad hunc modum: *Neque ergo arbitrari oportet, pituitã de qua Hip. ſermo eſt, omnino ad vrinas traduci nõ poſſe, ſed hoc ipſum agi a natura cõtingit paulatim pituita extenuãte; ſicuti fecit de pure in ſuppuratis*: quamobrem docet de ſententia Hip. naturam ſi modo valida fuerit, vias quaſdã planè occultas, & ſibi ſoli cognitas inuenire per quas ſingulari induſtria conſueuit expurgare varia excrementa & illa agere, quæ ad tuendam hominis ſalutem conferant. Itaque veriſſimile eſt, hanc pituitã opera valentis naturæ viam ſibi moliri latentem, eaque propter vicinitatem tranſſumi in gibbas partes iecoris, & inde renes, ac poſtremò ad veſicã deduci. Quam quidem naturę ſolertiã purgandis noxiis excremẽtis per vias admirabiles ac planè incognitas, idem Gal. confirmat nonnullis exemplis: namq; videmus aliquando fieri abſceſſus per oſſa, ac per eorum ſubſtantiam foris intróque materiã tranſmitti: ſic in purulẽtis collectum humorẽ inter thoracem & pulmonem expui per tuſſim, nec non ſanguinem etiam per mediã cutẽ integrã excidere interdum, in his oſſibus quæ rupta occalluerunt. Quib. ſanè Gal. exẽplis & alia multa eiuſmodi naturæ miracola nobis licet adiungere: etenim ad hũc modũ ſanguis penetrat à dextro ad ſiniſtrũ cordis ventriculũ à venis ad arterias: ſic mẽſtruus ſanguis ad vbera cõſcendit: ſic tandẽ per os vteri vſq; adeo anguſtum, vt tempore geſtationis ne acus quidem cuſpidẽ admittat: abſolutus fœtus tã grãdis egreditur, vt ſuperet omnẽ admirationẽ: adeo vt veriſſimum ſit, quod Hip. dixit 6. epid. ſect. 5. in principio, naturas eſſe morborũ medicatrices, naturáque ſua ſpõte, nõ ex intelligẽtia, viã impetũve ad ſuas actiones inuenire. Quare non ſatis intelligo, quomodo Fernelius aduerſus tot Hip. & Gal. teſtimonia, quę reipſa & experiẽtia cõfirmantur quotidie, reprehẽdat Auic. & cæteros, qui opinãtur, aquam in aſcite deponit in capicitatẽ abdominis, vel per reſudationem iecoris & venarũ, vel per alias vias, quas nobis non licet intelligere. Quod autem pertinet ad illius rationẽ, quã cęteris omnib. auctorib. abſcõditã ipſe omniũ primus excogitauit, illa certè mihi planè abſurda videtur, quoniam ruptis vel vtcũque apertis vaſis iecoris, fieri nõ poſſet, mea ſẽtẽtia, quin ſimul cum aqua ſanguis etiam pro parte tranſmitteretur, & alia ſequerentur ſymptomata, quæ huiuſmodi ſolutionem continui deberent conſequi, &c.

Signa hydropis alia ſunt cõmunia, alia propria & differentiarũ: omni hydropi ſunt cõmunia, primum poſitum ab Hip. *initio 2. progn.* tumor pedum laxus, mollis & frigidus qui œdema dicitur, quo quidem extremę partes citius intumeſcunt quã cæteræ, vt exponit Gal. quoniam ſunt remotiores à corde, & aliis viſcerib. à quibus calor omnium partium ſolet foueri: deinde verò procedente tẽpore & femora, & ipſe quoque venter intumeſcunt, tum ſuccedit color improbus vniuerſi corporis quaſi ex iecore albicans, ipſi percipiunt grauitatẽ & pigritiam in motu, habẽt difficultatem ſpirandi, largiorem potũ appetunt, cibos faſtidiunt, fiunt mœſti ac triſtes, demumque habent pulſus vndoſos, qui mox inclinantibus virib. fiunt vermiculares, vt notat Gal. *de praſag. ex pulſ. c.* 8 quorum omnium ſymptomatum facile eſt vnicuique cauſam reddere: lotia maiori ex parte ſunt pauca & rubicũda, cuius rei duplex redditur cauſa ab Auic *c.* 8. vna, quoniam paucum lotium facilè coloratur, ſicut pauca aqua facilè coloratur vino: altera propterea, quia vitiata cõcoctione in iecore; neque excrementa ſatis poſſunt ſeparari. Ex quo illi arguendi ſunt, quod idem notat Auic. qui propter tincturam & rubedinem lotij iudicant ſuper caliditatem hydropis. Signa verò propria ſingularum differentiarum ſunt huiuſmodi: in anaſarca totum corpus, quaſi enetuatum languet & æqualiter quaſi intumeſcit, maximè tamen in pedibus & cruribus ſub noctem, veſtigium impreſſi digiti aliquãdiu remanet, mane bona ex parte euaneſcit vẽter hic minimè inflatur vt in cæteris ſed tamẽ tact⁹ illũ magis craſſũ experitur, ęger habet carnes perſimiles mortuo corpori, molles enim laxæ pallidęq; efficiũtur, febris ſępe lẽta concurrit, lotia ſũt minus colorata, alba fere & craſſa, ſpirit⁹ quouis tempore impeditè trahitur. pulſus, pręcipuè ſunt lati, molles & vndoſi, ex Gal. loco ſuperius citoto 2. *de praſag. ex pulſ.* In aſcite magis cõtingit vẽtrẽ tumeſcere, cæteras autẽ corporis partes contabeſcere, demũ verò morbo increſcẽte, cõſueuerũt pedes quoq; & crura paulatim tumeſcere, ſpiritus difficulter trahitur, quòd ſeptũ trãſuerſũ à tumore cõprimatur, fluctuationes excitãtur in ventre, dũ de latere in latus æger mouetur, ex humore aquoſo in capacitate abdominis cõtẽto, adeo vt inteſtina quaſi in aqua natare videãtur, ipſi ſitiũt magis quã cæteri propter copiã ſeroſi & ſalſi humoris in ventre collecti, vt dicit Gal. 1. *de ſimp. med. c.* 30. lotia in principio ſolẽt eſſe copioſa, paulo verò pòſt eius copia imminuitur, magiſque fiunt rubicunda, vt diximus ex Auic. pulſus ſunt parui, crebriores, ſubduri, cum quadam tenſione, vt docet Galen. loco citato.

In tympanite facies non ita de naturali ſtatu recedit, ſi venter percutiatur, quaſi tympani ſtrepitũ contingit audire, non hic tanta moles, nec tam moleſta adeſt vt in aſcite, ac ſi æger ſupinus decumbat, venter non cadit ad latera, ſed in medium attollitur, cum flatus non ita facilè deſcendant deorſum, frequenter inteſtina rugientia murmurant, multaque flatuum indicia concurrunt, pulſus ſunt parui, ſed non tamen imbecilles, crebriores celerioreſque, item ſubduri cum aliqua tenſione ex Gal. loco

iam

Signa communia.

Signa anaſarca.

Signa aſcitis.

Signa tympanitæ.

iam ſæpius citato. Atque hactenus de ſignis tum communib. tum propriis differentiarum hydropis: neque enim puto eſſe opus, vt plura dicamus de ſignis aliarum differentiarum, ac potiſſimùm quādo iecur laborat primariò affectu, vel ſecundariò, conſentientibus aliis partibus, ſiquidem hæc inquiſitio pertinet ad proprios locos, & ad proprios morbos vniuſcuiuſque partis laborantis, de quib⁹ iā diximus, & dicemus porrò quod ſupereſt.

Sed tamen poſtremo hoc loco illud ſciendum eſt, quod nonnulli docent, & cōfirmat experientia, aut rarò, aut nunquā tres hydropis differentias ſimplices & ſolas reperiri, ſed ferè in perpetuum illas inter ſe miſceri & confundi, modò alteram cum altera, modò ſimul omnes, ſingulas verò à vincente aqua vel flatu, vel pituita nomen conſequi.

Poſt hæc ad curationem accedendum eſt, in qua noſtrum conſiliū eſt, ſimul tractare & cōplecti cachexiā & omnes hydropis differentias, cū hi morbi fere proueniant ab vna cauſa, & parum inter ſe differant: quod tamē ita fiet, vt ſi quid occurrat notatione dignum, quod ad certā differentiam ſit accōmodatū, id nullo modo à nobis prætermittatur.

Indicationes In curatione hydropis duæ ſunt maximè ac principales indicationes: altera vacuatio materiæ noxiæ redundantis in corpore: altera prouiſio ne noua in poſterum generetur, ex quo fit cum Medici prope omnes Græci & Arabes, nec non communiter practicantes, ſint parum ſoliciti de poſteriore, toti autem incumbant priori, vt pauci admodum hoc tempore ſanitati reſtituantur.

Prognoſticū. De prognoſtico autem, & an poſſimus hiſce indicationibus ſatisfacere, ſunt multa apud medicos, & potiſſimum Hip. & Gal. quæ vt vobis laborem minuamus, non grauabimur breuiter in vnum colligere. Sananti diuturnas hæmorrhoïdas, ſi non vna relicta fuerit, periculum eſt aquam inter cutē aut tabē ſuccedere, *6. aphor.* 12. Aqua inter cutem laboranti, ſi aqua quæ in venis eſt, ad ventrem defluxerit, mali ſolutio fit *6 apho.* 14. Aqua inter cutem laborantibus, ſi tuſſis ſuperuenerit, malum eſt: quo loco hæc habet Galen. In homine hydropico tuſſis non eſt ſignum lethale, cum ex alia fit occaſione, ſed quando prouenit ipſius morbi ratione; cum enim aquoſa humiditas tantum adaucta fuerit, vt iam aſperas occupet arterias, deinde ſuperuenit tuſſis, periculum imminet, ne homo haud ita multo poſt ſtranguletur. *6. apho.* 35. Qui ſuppurati aut aqua inter cutem correpti vruntur aut ſecantur, ſi pus vel aqua confertim effluxerit, omnino moriuntur. *6. apho.* 27. Qui leucophlegmatia detinetur, ſi illi fortis ventris fluxus ſuperuenerit, à morbo liberatur *5 apho.* Quibus in vaſis, & totius corporis habitu multa pituita alba colligitur, iis hydrops leucophlegmatia ſuperuenit *7. apho.* 71. Quos inteſtinorum dolores, & iuxta vmbilicum labores, lumborúmque dolor infeſtat, qui neque à medicamento purgante, neque per alia præſidia ſoluuntur, iis in aquam inter cutem ſiccam firmatur. *4. aphor. com.* 11. Quo loco notandum, Galenum nominare hydropem ſiccam hydropem tympanitem. Omnis aqua inter cutem, ſi ex acuto morbo exiſtit, mala eſt, non enim ſedat febrem, ſed dolorem admodum infert ac mortem: *2. prognoſticorum principio*; Hydropum duæ ſunt naturæ, quarum ſi anaſarca hominem apprehendat, vitari non poteſt: altera ex flatibus conſtat, bonaque & multa indiget fortunà. *4. de ratione victus morb. acut* 3. Qui aquam vitioſam confertim bibunt, deinceps ſtatim aqua inter cutem nonnunquam corripiuntur: nam aqua ſic epota noxam infert internis partibus, & illi maximè parti, quæ forte eo tempore imbecillior fuerit reliquis: tandem frigus ad iecur tranſmitti neceſſe eſt, ſi aquæ inter cutem affectus ſubſequi debet. Sic etiam lienis vitio interdum fit hydrops, aut vbi cum tumore refrigeratur, veluti in ſcirrhis; vel citra tumorem, vt in confertis & intempeſtiuis aquæ potionibus. Hæc ſunt Galen. *6. de locis affect. cap.* 1. cum lien inſigni ſcirrho affectus eſſet, frequenter conſpeximus non conſecutam eſſe aquam inter cutem, ſcirrho autem iecoris ſuccedit neceſſario *4. de præſagio ex pulſib. cap.* 9. Omnibus ſcirrho iecoris diuturno laborantibus, ex neceſſitate ſequitur aqua inter cutem, quamplurimi autem intereunt in tempore longo, quoſdam verò noui etiā breui pereuntes, quibus aluus multa deiiciebat. *2. ad Glauc. cap.* 5. His demum mihi libet adiungere lepidam hiſtoriam Cornelij Celſi, ex qua facile poteſt intelligi, diuites longè difficilius quàm pauperes hoc morbo curari, quod Gal. quoq; ſcriptum reliquit, *de febrib* 11. *meth. c.* 15. Ea verò apud Celſum eſt huiuſmodi *lib. 3. c* 21. Aqua inter cutem ſæpe incipit per ſe, ſæpe alteri vetuſto morbo, maximeque quartanæ ſuperuenit: facilius in ſeruis quàm liberis tollitur; quippe cum deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius iis ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis eſt libertas. Sed ne ij quidem qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducantur; itaque non ignobilis medicus Eriſippi diſcipulus, apud Antigonum Regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitū negauit poſſe ſanari, cumq; alter medicus Epirotes Philipus ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit priorem medicum ad morbū ægroti reſpicere, ſe ad animū; neque eum res fefellit.

Quæ hydropis ſpecies difficilius curatur. Pertinet ad hunc locum illa quoque dubitatio, quænam ex tribus differentiis hydropis ſit periculoſior & difficilioris curationis. Aëtius in primo loco periculi & difficultatis ponit tympanitem, in ſecundo aſcitem, in tertio anaſarcam. Auicen. primùm ponit aſcitem: ſecundò tympanitem: tertiò anaſarcam: alij aliter ſentiunt, vt videre eſt apud Arculanum in præſenti parte, & Conciliatorem *diff.* 102. Ego verò mihi videor paulò ante iam dixiſſe quod ſentio, nempe illam differentiam iure difficiliorem & periculoſiorem eſſe, in qua maior eſt naturæ declinatio à ſtatu naturali: quare cum ex principiis Gal. ſatis colligi poſſit, iecoris locū præcipuè laborantem longiùs recedere à propria temperie, & magis refrigerari in aſcite, deinde in anaſarca, tū in tympanite, equidem cenſeo hoc ipſo ordine in primo loco difficultatis & periculi aſcitem, in ſecundo anaſarcam, in tertio tympanitem conſtituendam eſſe: id quod præterea ex ſymptomatibus vniuſcuiuſque differentiæ, & ipſa rerum experientia poteſt confirmari. Sed redeamus ad curationem.

Diximus duas eſſe præcipuas curādi hydropis indicationes alterā quæ pertinet ad vacuationem vel aquæ, vel pituitæ, vel flatus, quæ in corpore continētur: alterā quæ reſpicit morbos & cauſas, vnde dicta generātur excremēta, & tota cōſiſtit in alteratione. Antequā autem de illis dicamus, deque propriis remediis ad hanc rem accommodatis: cū hydrops ſæpenumero alios morbos conſequatur tum iecoris, tum aliarum partium, ſicut diximus, illud maximè eſt animaduertendū, vtrùm illi præcedētes morbi adhuc ſint præſentes, nec ne. Etenim ſi vrgeant adhuc, hydropemq; efficiant aut ſaltē foueāt, tunc curatio debet eſſe bipartita, adeo vt pro parte habeamus rationem iam factæ hydropis, pro parte etiā curationē dirigamus ad priores affectus, qui cū obtineant rationem cauſæ efficientis aut fouentis vel conſeruātis, omnino videntur eſſe maioris momenti, & maiorem curationis partem ad ſe trahere

Cum autem nos de propriis morbis & iecoris aliarum partium conſentientium, ad quos ſequitur hydrops, partim tractauerimus hactenus, partim ſim' tractaturi in poſterũ, hac prætermiſſa tractatione, ſtatim ad curationem iam factæ hydropis deueniendum eſt, ſi modò ea talis fuerit, vt non prorſus deſperem' ęgrũ poſſe priſtinã ſanitatẽ recuperare.

Vacuatio varia. Quatenus igitur pertinet ad primam indicationem, vacuantur hydropici duplici ratione: altera manifeſtè & ſenſibiliter, per ſectionem venæ, ſcarificationes, cauteria, veſicatoria, per medicamẽta, quæ mouent aluum, quæ prouocant ſudorem & lotium, per clyſteria, ac tandem perforationem vel abdominis, vel aliarum partium: altera autem immanifeſtè & inſenſibiliter, per medicamenta diſcutientia & reſoluentia, tam interna quàm externa; de quibus omnibus ſtatutum eſt pertractare accuratiſſimè, cum morbus ſit frequentiſſimus, longè maximi momẽti, ac dignus maxima cõſideratione.

An vena ſectio conueniat. Ac primùm quærunt nonnulli, vtrùm in hydrope liceat venam ſecare? Quibus reſpondet Galenus 4. *de ratione victus morbor. acutor. com.* 11. vnam tantummodo hydropis differentiam anaſarcam principio indigere interdũ ſanguinis detractione, neque verò id perpetuò, ſed ſolùm quotieſcunque ex retentione hæmorrhoïdum vel menſium in mulieribus, vel ex alia huiuſmodi cauſa ortum habuerit: ſiquidem reliquas duas differẽtias aſcitem & tympanitem nullus per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus. Cauſa autem propter quam expedit in anaſarca ſanguinem mittere, proponebatur ab illo auctore *lib. 4. de ratione victus*, ſi æger difficulter ſpiraueri, quam Galenus non recipit, qui putat eam veriorem eſſe, quòd talis hydrops generetur propter plenitudinem, propter quam periculum eſt ne caliditas naturalis propè ad extinctionem accedat, ſicuti contingit igni, namque vt ignis ferè extinguitur multis lignis & humidis, niſi multitudinem ſubtrahas, ita in ſanguine frigidiore quando calor natiuus ob copiã prope extinguitur, ſanguinis miſſio, præſẽtiſſimum eſt remedium. Quare ex Gal. doctrina in vna Anaſarca interdum ſecanda eſt vena, à principio, dummodo morbus ex retentione hæmorrhoidum vel menſium originem habeat. Secanda verò eſt vena iecoraria in dextro cubitu, detrahendusque ſanguis admodũ parcè, neque vnica vice, ſed tribus aut quatuor diebus, vt placet Auicennæ & Paulo. Quo loco neque prætermittendum eſt præceptum & Auicennæ, & Alexandri, qui ante miſſionem ſanguinis probant vacuationem vitioſi humoris, quoquo modo & paulatim factam per ea medicamenta, quæ mundificant ſanguinem, vt cum hiera, & ſimilibus: ita enim vires vtcunque recreabuntur, & licebit poſtea commodiùs ſanguinem mittere: qua quidem moderata & repetita miſſione ſanguinis Gal. quoque familiariter vti conſueuerat, in iis qui crudorum humorum copia laborabant, vt ipſe teſtatur in libello de ſanguinis miſſione. *cap.* 2.

Impugnãtur tres ſcopi ſãguinis miſſionis. Trincauellius hoc loco digreditur aduerſus illos medicos, qui opinantur tres principes ſcopos, morbi magnitudinem, robur virium, & ætatis, ſatis eſſe ad ſanguinis miſſionem, & illis obiicit tanquam Achillem, primùm quidem anaſarcam in qua propter vnam plenitudinem licet ſanguinem mittere: deinde aſcitem & tympanitem, quos ægrotos Galeni teſtimonium, nemo vnquã per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus, cum tamen hydrops in vniuerſum ſit morbus magnus, imò maximus, nec non vires valeant, quod ex eo poteſt confirmari, quoniam huiuſmodi ægroti bene ferunt alia valentia præſidia, qualia ſunt, verbi gratia, elaterium, perforatio abdominis, & alia id genus: quod quidem argumentum ab illis omnibus, qui cum Trincauellio ſentiunt, paſſim obiicitur.

Ego verò, qui fateor, me vnum illorum eſſe qui ſũt in cõtraria opinione, quos Trincauellius aſſerit oſcitanter legiſſe, neque ſatis intelligere Hip. & Gal. multa poſſem proferre ad hanc diſputationem pertinentia: ſed cùm præſentis temporis occaſio id nõ patiatur, illud vnum dicam, in hydrope miſſionem ſanguinis & conuenire & non conuenire, propter vnam virium rationem.

Namque ex vna parte in anaſarca retentis menſibus vel hæmorrhoidibus, rationi eſt conſentaneum, redundare copiam ſanguinis, adeóque vires ægroti commodè poſſe id remedium perferre: ex altera autem parte in aſcite & tympanite, redundante aqua & flatibus, quæ longè diſtant à natura ſanguinis, veriſimile eſt, ægrotos nullo modo poſſe miſſionem ſanguinis ſuſtinere: etenim tametſi illi habent vires validas, vt ferre poſſint alia valentia præſidia, tamen ſciendum eſt, non eſſe parem vim rationis, ſiquidem ferre poſſunt medicamenta purgantia, perforationem & ſimilia, propterea, quia ſunt accommodata ad ducenda noxia excrementa, vnde vires nullam iacturam faciunt, imò verò illa bene ferũt: nihil ominùs ferre non poſſunt miſſionem ſanguinis, cum ille ſit exiguus, nec ſine inſigni virium iactura detrahi poſſit. Quod ſi hæc ratio non probatur Trincauellio, quæſo ipſe vel alius pro ipſo aliam proferat, propter quam in hydrope vel aliis huiuſmodi morbis, quibus coniungitur multa copia humorum frigidorum & crudorum, non liceat ſanguinem mittere.

Ego ſanè nequeo ſatis mirari, quomodo vir tantus & Galeni ſtudioſiſſimus, hac in re non animaduerterit, quę forte apud illum millies legerat, quandoquidem neque Galeni tempore deerant ſophiſtę, qui tres principes veteres ſcopos mittendi ſanguinis conabantur demoliri, quippe inter cætera iſtud potiſſimùm argumentum iactabant, quod hoc tempore & Trincauellius iactat, & aduerſarij propè omnes, nimirum hydropem & alios huiuſmodi morbos, in quibus redundant multi frigidi & craſſi humores, tametſi in illis adſint tres dicti ſcopi, omnino tamen prohibere miſſionem ſanguinis. Reſpondet autem Galenus, illos hallucinari, eorúmque argumentum nullum eſſe, quia quotieſcunque tanta crudorum humorum copia eſt coaceruata, vt venę ſectionem prohibeant, tunc fieri non poteſt vt ſeruentur tres ſcopi, cum tertius illorum deſit, nempe virtus valida, quę conſtare cum cruditate magna humorum non poteſt. Verba Galeni ſũt huiuſmodi in libello de ſanguinis miſſione, capit. 9. *Sufficiunt tres ſoli ſcopi ad mittendum ſanguinem: neque enim vbi copia crudorum humorum tanta eſt coacernata, vt miſſio ſanguinis prohibeatur, ſermo redarguitur, quippe robur virium iſtis non adeſt.* Quæ quidem ſunt adeo perſpicua & omni luce clariora, vt, niſi me omnia fallunt, certum ſit, & Trincauellium, & qui cum eo ſentiunt, hallucinari, neque ſatis intelligere Hip. & Gal. quos nobis obiiciunt. Sed hæc obiter, ad inſtitutam curationem reuertamur.

Diximus de ſectione venæ, iam ſecundò ſuccedunt ſcarificationes, quas nonnulli aqua inter cutem laborantibus ſolent infigere cruribus, vel aliis corporis partibus, ac potiſſimùm abdominis: de quibus inter cæteros Aëtius agit copioſè lib. 10. *cap.* 13. qui docet ex Aſclepiade ſcarificationes faciendas eſſe ſpatio quatuor digitorum ſupra talum, ea profunditate, qua quis in venæ ſectione vti conſueuit; ac tandem concludit ex Archigene, illos non eſſe audiendos, qui dicunt per haſce ſcarificationes nihil excerni, cum potius ſumma *De ſcarificationibus.*

cum

cum fiducia ſint adminiſtrandæ,per quas plurimus humor educitur, adeo vt & femora, & ſuræ, & vēter ſuperior euidenter detumeſcant & diſſoluātur Sed & Gal.ex Archigene.*9.de med.ſecund.loc.c.*3. ad finē, huius præſidij mentiōnem facit,qui ſcribit, ſcarificatis talis hydropicorum multū humorē profluere conſueuiſſe. Tertiò ſuccedunt cauſtica

Veſicantia.

& veſicantia medicamenta quæ factis vlceribus, *fontanellas* vocant, vel excitatis veſicis ſolent ſicut ſcarificationes multa excrementa profundere:atq; hæc quidē præſidia apud Arabes ſunt valde familiaria,namque Auicenna *c.*13.probat cauteria facta ſuper ventrē,ſex in lōgitudine,incipiendo à pectore vſque ad pectinē,&tria in latitudine;& paulo poſt magis diſtinctè ſcribit.cauteria minuta quandoque fieri in ſtomacho.hepate,ſplene,&in partibus inferioribus vmbilici. Albucraſis, vt illius verbis vtamur, cauteriſat in circuitu vmbilici cum quatuor cauteriis, ſimiliter hepar & ſplenem, & ſtomachum, & dimittit ea aperta longo tempore.

Eandem propè operā præſtant veſicantia medicamenta,quæ pariter ſolēt adminiſtrari, & in ventre, & in cruribus:de quibus inter cæteros agit Arculanus,qui prętetea docet vulgarem modum,quo illa cōficiuntur:ex quo vno loco, prętermiſſis pluribus,aliorum auctorum teſtimoniis,licet colligere iſtud pręſidium hoc tēpore tam vulgare & vſitatum non eſſe nouū inuentū, nonnulloſq;temere ſe illius inuentores facere. Præter Arabes, Paulus quoque libro 6. *cap.*50. meminit huius præſidij, qui ſcribit nonnullos vſtione vti in ſtomacho,iecinore,liene, abdomine, vmbilico & quinque cruſtas excitare.

Perforatio abdominis

Demum verò ſunt aliæ duæ rationes chirurgicę purgādi hydropicos : altera perforatio abdominis, de qua ſcribūt Auicēna, Paulus,ac propè ōnes veteres ac moderni, qua parte & quomodo fieri debeat,nec nō quàm cautum medicum eſſe oporteat in hac operatione, adeo vt ſuperuacaneum ſit eadem repetere:altera eſt perforatio vel ſcarificatio ſcroti,cuius itera plurimi faciūnt mentionem.

Scarificatio ſcroto.

Ego autem de omnibus hiſce præſidiis quantum vel aliorum lectione vel propria experientia potui obſeruare,dicam breuiſſimè,quid ſentiam atque vt incipiam à poſtrema ſcroti ſcarificatione,equidem nō poſſum nō vehementer probare hanc purgationis rationem,eāmque cenſeo eſſe maximè commodam,& digniſſimam quæ reuocetur ad vſum, cum facilè admodum ſine vlla moleſtia vel periculo, addo cum ſummo emolumento,aquæ inter cutem ſoleant euacuari:id quod non ſemel,pręcipuè verò in quodam mercatore, feliciter ſum expertus Vicentiæ, cui, tumeſcente inſigniter ſcroto, illóque meo conſilio perforato, aqua tribus diebus ducta eſt pondo librarum 45. ex quo & totus venter detumuit, & ſeruata longiore tempore congrua victus & medicamentorum ratione, æger priſtinam ſanitatem recuperauit. Neque eſt, vt quis ſollicitè quærat quonam modo aut per quos ductus abdomen & vniuerſum corpus ſeu ſcrotum grauem illam ſarcinam poſſit deponere.

Nam pręterquam quod teſtes ſunt membra principalia noſtri corporis, quę certū eſt cōſentire omnibus partibus, iam ſuprà diximus,naturam ſępenumero pro ſalute hominis ſibi vias facere, quas medicis nequeant intelligere. adeò vt veriſſimū ſit Hip. oraculū in libello de alimento;*Conſluxio vna, cōſpiratio vna,conſentientia omnia.*Porrò ſcrotū aperitur dupliciter,vel facto vno tantum vulnere cum tenui illo & acuto ferro, quo vtuntur chirurgi ad mittendum ſanguinē, vulgo *lancetta* dicitur vel factis pluribus vulnuſculis in partibus diuerſis. Denique ſunt nonnulli,qui in ipſum ſcrotum infigunt ſetaceum, quod frequenter ad occiput ſolet accommodari. Ex quibus tamen illa magis probatur ratio, qua etiam familiariter vtor, nempe vt fiat vnicum vulnus ſatis amplum,in quo poſita cannula argentea aqua mirabiliter educi ſolet.

Paracenteſis

Quod verò pertinet ad perforationem abdominis,quam *paracenteſim* appellant, illud vnum dicā, tale opus non ſolùm eſſe maximæ difficultatis, ſed etiam maximi diſcriminis, adeo vt ad hanc vſque diem ne vllum quidem mihi videre contigerit,qui facta huioſmodi perforatione, viuus & ſuperſtes manſerit,id quod fortaſſe euenit propter eam cauſam, quoniam ducuntur ægri in hoc duellum eo tempore,quo cæteris omnibus fruſtra propemodū remanet ſpes ſalutis. Quare nonnulli exiſtimant, ſi operatio fieret opportuno tempore,& corpore adhuc robuſto,forte aliquos ſanari poſſe:verùm quoniam totum hoc negotium chirurgis ferè committitur,ac tota illius adminiſtratio traditur à quāpluribus accuratiſſimè, nolo de eo longiùs agere, ſi modò illud addatur,& inciſionem ſcroti,& perforationem abdominis,minimè in omni hydrope cōuenire,ſed in ea tantùm quam aſcitem appellant.

Itaque reſtant ſcarificationes, cauteria, & veſicatoria,quorum trium pręſidiorum eadem ferè eſt ratio. prætermiſſis autem vulneribus & vlceribus factis in abdomine,quibus hoc tempore nunquam vidi vel audiui, aliquem rationalem medicum vſum fuiſſe, de vnis tantùm ſcarificationibus, cauteriis & veſicatoriis in cruribus dicendum eſt,cum hæc omnia, ſicut diximus, probentur à maximis auctoribus,& hodie apud multos ſint frequentiſſima.Ego verò,vt dicam vno verbo,in nulla hydrope, minimè tamen omnium in aſcite remedia hæc probare poſſum, quæ mea quidem longiore experientia & obſeruatione nunquam vidi vllam vtilitatem attuliſſe, cum quaſi certum periculum immineat, de affatim irruente aqua ad eas partes, & dolores,& inflammationes,& gangrenæ & mortes ſequantur, id quod verè teſtari poſſum, cum aliis ægrotis, tum maximè nobili cuidam viro Veneto

Hiſtoria.

eueniſſe,cuius hiſtoriam, alioqui celebrem & maxima dignam notatione, duobus verbis mihi libet vobis narrare Franciſcus Capello Patricius laborabat hydrope aſcita iam duos menſes.& cum multa adminiſtrata eſſent remedia pro illius ſalute,conſilio duorum principalium medicorum illi tandem inuſta fuere duo cauteria in vtroque crure: hoc ipſo tempore mihi contigit illum viſitare, factum porrò eſt poſt vnam vel alteram diem, profuſè admodum fluente aqua ad crura, vt ipſe correptus fuerit acerbiſſimis doloribus, ac paulo poſt lethali gangrena, adeo vt duodecim horarum ſpatio vitam cum morte commutauerit.

I. Præceptum

Iam ſequuntur medicamenta, & primùm, quæ mouent aluum; de quibus hoc loco duo ſunt animaduertenda. Primum, quòd non ſolùm in aſcite, ſed etiam reliquis duabus differentiis,medici purgare aquoſos humores, qui perpetuò & in omni differentia videntur abundare; ſiquidem in tympanite ex flatibus quoquo modo generatur aqua, & ſimiliter in anaſarca, cum pituita ſint plurimæ partes aquoſæ.

II. Præceptū.

Alterum præceptum eſt, nullam attendendam eſſe humorum coctionem,ſed illos protinus à principio eſſe vacuandos,quoniam hi humores non aliter atque ipſa aqua nullam poſſunt aliam formam vel coctionem recipere:quamobrem Galenus ſcriptū reliquit in libello, *quos & quādo purgare oporteat*,tenues & aquoſos ſuccos principio eſſe vacuādos craſſos autem,quales ſunt pituita vel nigra bilis,non antequam fuerint concocti. Qui tamen locus,vt puto,minimè iis fauet,qui exiſtimant Galenum ſermonē habere de omnibus tenuibus ſuccis,

quaſi nulli coctionem deſiderent, cum Galenus ſpeciatim loquatur de tenuibus & aquoſis tantummodo, non de omnibus tenuibus; quod accuratè & fusè explicauimus in noſtra diſputatione de purgatione in principio morborũ. Etſi verò ex vna parte humores hi primo quoque tempore poſſunt educi: tamen ex altera, cum viæ, per quas illos ducere oportet, non ita ſint apertæ & expeditæ, ſicuti conuenit, propterea id ego conſilium maximè probo, quod perpetuò facere ſoleo, vt primùm detur leue aliquod medicamentum, deinde apertis viis, ad valentiora progrediamur.

Purgantia leuiora.

Inter medicamenta leuiora Alexand. Auicen. & plerique omnes maximis laudibus extollunt hieram: & ſumma cum ratione, cùm præter euacuationem poſſit quoquo modo intemperiem iuuare, viſcera corroborare: quod quidem medicamentum ſcribit Auicenna *cap. 12. de cura cachexiæ*, habere hanc prærogatiuã, vt educat ſuperfluitates abſque humiditatibus innatis: ſic poſſunt hoc tempore conuenire pilulæ alephanginæ, maſtichinæ, manna, mel roſaceum ſolutiuum, & alia id genus. Auicenna probat item ius gallorum decrepitorum & præcipuè cum polypodio, anetho, & ſimilibus: quod profectò non eſt negligendum, cum ea medicamenta poſſint humores craſſiores incidere, abſtergere, obſtructiones auferre, meatus aperire, vt poſterior purgatio commodiùs procedat: quam ad rem hodie etiam vſitata ſunt leuiora quidem, mel roſaceum, ſyrupus de mentha, de calamentho, de betonica, de agrimonia: valentiora autem, ſyrupi compoſiti, byxantinus de duabus & quinque radicibus, de praſſio; trochiſci, de abſinthio de agrimonia, de caparibus, & alia genus: quæ opportunè propinantur ſine aquis, ſine decoctis, & ſine aliena humiditate.

Valentiora medicamenta ſunt quàmplurima, ac propemodum infinita, ex quib. illa nos potiſſimùm ſeligemus, quę longiore iam vſu nobis confirmatum eſt tutiora eſſe, & ad hanc rem magis accommodata: quandoquidem & Gal. *9. de med. ſecund. loc. c. 3. ad finem*, cenſuit, potiones aquam purgantes cæteris eſſe minus periculoſas quæcũq; per experientiam vnicuiq; cognitæ fuerint. Medicamenta igitur pro purgandis hydropicis, quibus medici vtuntur, hæc ferè ſunt: ſimplicia quidem, rhabarbarum, agaricus, braſſica marina, quæ aliter *ſoldanella* dicitur, ſuccus ireos, ſuccus ebuli, ſuccus ſambuci, ſuccus radicis palmæ Chriſti, tymelæa, vulgo piper montanum Arabes mezereum vocant, ſquama æris, euphorbium, elaterium antimonium. Cõpoſita autẽ diaturbith, diaphœnicum, hiera diacolocynthidos, hiera Logadij, electuarium indum, pilulæ de rhabarbaro, de agarico, de eupatorio de ſagapeno, de meſereo de elaterio, & forte alia, ex quib. ego quidem paucis admodum vti ſoleo, quæ, vt dixi, cæteris mihi videntur tutiora & efficaciora; ea verò ſunt ex ſimplicib. ſoldanella, ſuccus ireos, & elaterium: ex compoſitis, electuarium diaphœnicon & hiera diacolocynthidos: de quorum opportuno vſu & adminiſtratione vos admoneo quàm breuiſſimè Soldanellæ vſus præcipuè eſt duplex; nam vel cõquitur, vel redigitur in puluerem, & vtroque modo propinatur: ſed re vera, tametſi ducit aquam ſatis facilè & copioſè, quoquomodo tamen nocet ventriculo; quare illi commodiſſimè permiſcentur ſemina odorata. Sit exemplum:

Simplicia purgantia hydropicos.

Compoſita.

Soldanella. vſus.

℞ *Braſſica marina* ℥ ß.
Seminum aniſorum,
Citri, ana ʒ. ß.
Spicæ gr. v.
Fiat decoctum ex aqua, quod exhibeatur ad ℥ *v cum modico ſaccharo.*

Modus dandi in puluerem.

℞ *Braſſica marina* ʒ. j. ß.
Cinnamomi,
Spicæ ana. grana vj.
Decoctionis agrimoniæ ℥. *iij. Miſce.*

Quoniam autem herba eſt amariſſima, bene eſt illi addere parum mellis vel ſacchari.

Succus ireos.

Succus item radicis ireos adminiſtratur dupliciter, vel recens, vel condenſatus: illo quidem recèns extracto ego familiariter vti ſoleo ad ℥. iij. vel iiij. Ex quo nequeo ſatis mirari ferè omnes cõmuniter practicantes, ac maximè Trincauellium qui ponit doſim huius medicamenti à ʒ. iij. vſque ad vj adeo vt quandoque in eam ſententiam venerim, multos multa medicamenta atque eorum doſim proponere potius ex aliorum commentariis, quam ex propria experientia, quam alioqui, vt ſcribit Gal. decet eſſe iudicem omnium: quoniam verò hic ſuccus neſcio quam faucibus aſperitatem facit, & ventriculo eſt moleſtus, nos illi permiſcere conſueuimus mel roſaceum, vel mannam.

Sit Exemplum.

℞ *Succi ireos nouiter extracti* ℥. *iij.*
Mannæ Calabrenſis electæ ℥. *j. ß. Miſce.*

Succo ireos denſato ego nunquam vtor: ille datur, vt audio, ad ʒ. ij. vel. iij.

Elaterium.

Elaterium porrò nominant ſuccum expreſſum ex fructu cucumeris ſylueſtris vel aſinini, fortaſſe purganda aqua cæteris omnibus validius eſt & efficacius: ac ſanè, etſi aliter vulgus medicorũ opinetur, medicamentum non eſt admodum moleſtum & laborioſum: de doſi eius non conuenit inter omnes. Venetiis ante nonnullos menſes accuſatus fuit apud magiſtratum quidam medicus Muranenſis, qui ordinauerat cuidam mulieri integram drachmam elaterij, & tamen cunctorum ſuffragiis fuit abſolutus. Ego verò qui hoc medicamento iã triginta & plures annos frequenter & familiariter vtor; non ſolùm in ducenda aqua thermarum, ſi quãdo illa detineatur in corpore, modò tres, modò quatuor, modò quinq; grana exhibere conſueui, & nunquam grana ſex excedere ſum auſus: permiſceo autem id pilulis leuioribus, alephanginis, maſtichinis, de tribus cum rhabarbaro, & id genus.

℞ *Pilularum alephanginarum.* ℈. j.
Elaterij grana. v.
Miſce, fiat vna pilula.

Quod ſi qui doſim maiorem audent exhibere, ad ſcrupulum, forte etiam ad ſcrupulos, id ego puto fieri, quod elaterium ſit improbè præparatum, ac minus validum quàm conueniat. Ad hunc modum mihi ſunt familiaria electuarium diaphœnicum, hiera diacolocynthidos, quam aliter hieram Pachij appellant, quæ quidem ſunt medicamenta admodum moderata, & efficacia ad ducendam pituitam: nam ſicuti vtimur ſoldanella, iride, elaterio, in aſcite & tympanite, ita hæc miniſtramus in anaſarca.

Sit exemplum

Pituitam ducens.

℞ *Hiera pagij* ℥. ß.
Mellis roſati ſolutiui ℥. *iij.*
Decoctionis agrimoniæ,
Betonicæ, quantum ſufficit. Miſce.

Cæteris autem medicamentis, quorum paulò antè mentionem fecimus, vidi aliquando medicos vti, ſed ipſe nunquam ſum vſus, & quibuſdã nullo modo vti auderem: inter cætera omnia pleriq; maximè extollunt ſquamã æris, vel æs vſtum: & Iacchinus gloriatur, ſe primùm ſuo tempore hæc medicamenta introduxiſſe in artẽ medicam. Etſi verò non ignoro, Gal. 3. *de ſimp. med.* vſum talium medicamentorum permittere: tamen pariter ſcio illa ab eodem numerari inter ea quæ deuorata noxia

ſunt

Antimoniũ. ſunt & deleteria, *4. meth. c.7. 13. meth. c.20.* Alij maximè probant præparatum antimonium, qood nunc vomitu, nunc deiectione, ſæpe vtroque modò ſolet purgationem efficere: ac ſanè, ſi occurrant ruſtici, vel homines robuſti, cenſeo illud tutò poſſe adminiſtrari ad grana 4. vel 5. vt de elaterio diximus. De reliquis poterit vnuſquiſque iudicium facere, & illa experiri pro ſuo arbitratu.

Rhabarbarũ. Nequeo hic ſilentio præterire remedium quoddam multis ſuſpectum, nimirum Rhabarbarum, quo purgandis hydropicis plerique omnes vtuntur familiariſſimè. Etenim cum ſcribat Gal. *libello de purgantium med. facul. c.2.* medicamenta data hydropicis, quę flauam aut nigram bilem purgant, importuna eſſe, & inutilia, nec non Auic. *cap. 13.* doceat, choleram ſolutione ducendam non eſſe, quoniam illa reſiſtit aquoſitati aliquo modo: Rhabarbarum autem omnium conſenſu præcipuè purget bilem flauam: quam bene congruenterq; rationi, & auctoritati ſummorum virorum iſti faciant, ipſi videtint. Demum verò, quod pertinet ad purgationem hydropicorum, minimè prætermittendæ ſunt *Thermæ.* aquæ thermarum calidiores, ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæ, quales ſunt noſtræ Aponitanæ. S. Petri, S. Helenæ, Aquarianæ, & aliæ id genus, de quib. eſt controuerſia apud Medicos, vtrùm hepati conueniant, nec ne: Neq; ex vna parte, cum hæ aquæ habeant vim purgandi ſeroſos humores, addo calefaciendi, & ſiccandi, omnis ratio colligit eas conuenire morbo, in quo calefacientia, & ſiccantia ſunt maximè opportuna. Sed accedit præterea Gal. auctoritas, qui *1. de ſimp. med. c.7.* ſcribit, aqua inter cutem laborantib. & poculum & balneum aquæ dulcis eſſe aduerſiſſimum, poculum autem & lauacrum aquarum ſalſarum, nitroſarum, ſulphurearum, & ſimilium eſſe vtiliſſimum, & ita hoc tempore multi illis vtuntur neq; prorſus, vt aiunt inutiliter. Altera autem ex parte, vt cætera omnia prætermittantur, cum tales aquæ bibantur copioſiſſimè, ſi forte eueniat, ſicuti euenit quandoque vt tanta aquæ copia detineatur in corpore, id quod maximè timendum eſt, ne contingat, & propter multas obſtructiones, & propter debilitatem facultatis expultricis, & propter alias rationes, notius eſt, quam vt debeat longiùs demonſtrari, quanto id cum periculo futurum ſit. Ac ſanè longiore quoq; experientia & obſeruatione mihi confirmatum eſt; hoc remedium aqua inter cutem laborantes vel nihil iuuare, vel quandoque etiam inſigniter lædere: quare equidem cenſeo melius eſſe à potione harum aquarum abſtinere. De balneo paolò pòſt ſermonem habebimus.

Cautela. Cæterùm antequam hanc partem finio, nolim obliuiſci cuiuſdam præcepti admodum vtilis, quod traditum eſt à Galeno ex Aſclepiade *9. de med. ſecundum locos,* & repetitum eſt ab Alexand. nempe cauendum eſſe à frequentibus & iteratis vacuationibus, cum noceant iecori, corpuſq; vniuerſum reddant debilius, & plus obſint quàm proſint: ſiquidem vera & legitima curatio magis conſiſtit in alteratione, quàm in vacuatione: itaque inquit Alexand. *lib. 9. cap. 2.* ſatius eſt paulatim & tutò vacuare, quàm feſtinando perturbandóq; vnà cum morbo ægrum de medio tollere. Quamobrem neq; vos tam frequenter ſitis ſoliciti de vacuandis veſtris hydropicis, ſicuti facit vulgus medicorum, qui ſingulis duobus aut tribus diebus, quandoque etiam ſingulis & continuis, ſua propinant ſoluentia medicamenta: ſed cum omnino neceſſe ſit illos euacuare, id perficiatis tardiùs ad ſummam ſingulos decem vel plures dies, & interea ſedulò ſtudeatis alterationi, de qua poſterius tractabitur.

Præter medicamenta clyſteria quoq; & glandes ſunt opportuniſſima, neque verò ſolùm leniora, ſed etiam acriora, quæ licet conficere ex iiſdem ferè medicamentis, quæ per os ſolent exhiberi, de quibus iam diximus. Ergo conficiantur ex braſſica marina, centaurio minore, hyſſopo, colocynthide, & ſimilibus, ſecundùm hanc formam.

℞. *Florum chamomillæ.*
Soldanellæ.
Centaurij minoris. ana. M. j.
Semini carthami.
Baccharum lauri. ana. ℥. ß.
Fiat decoctio.

℞. *Huius decoctio lib. 1.*
Mellis roſati.
Olei chamæmelini completi. ana. ℥. *iij.*
Miſce pro clyſtere.

Habeatis quoque exemplum glandis.

℞. *Specierum hieræ ſimplicis.* ʒ. j.
Pulpæ colocynthidos. ʒ. ß.
Mellis quantum ſufficit. M. pro duobus ſuppoſitoriis.

In hydrope tympanite ſpeciatim ſunt addenda ſemina odorata, aniſorum, fœniculi, cymini, & cætera, quæ poſſunt flatus diſſoluere. Sed hoc loco neque illud eſt prætermittendum, vt omnino habeatis abſolutam remediorum tractationem pro purganda aluo, nonnullos vti conſueuiſſe quibuſdam medicamentis quæ extrinſecùs accommodant ad abdomen, quorum vſus præcipuè cenſendus eſt opportunus, ſi æger vel propter debilitatem virium, vel propter ætatem, vel propter alias cauſas, nequeat aut nolit ſoluentia medicamenta perferre. Hæc verò componuntur ex iiſdem medicamentis, ſucco ireos, ſambuci, cyclaminis, elaterio & cæteris, quæ peculiarem vim habent purgandi ſeroſos humores. Vnum ſolet eſſe familiariſſimum, nempe cortices & radices ebuli contuſæ, ad totum imum ventrem appoſitæ, ex quibus vidi ſæpenumero aquam fuiſſe ductam copioſiſſime. Sit exemplum:

℞. *Succi cyclaminis.* ℥. *ij.*
Elaterij. ʒ. j.
Pulpæ colocynthidos. ʒ. *ij.*
Fellis tauri quantum ſufficit Miſce, fiat linimentum quo inferior venter liniatur.

Seruant officinæ paratum vnguentum de arthanita, quo imus venter inungendus eſt: eo quidem vnguento etiam multi vtuntur ad interficiendos vermes puerorum & eſt optimum.

Cæterum conantur medici inanire ventrem & diſſoluere flatus in hydrope, non ſolùm per medicamenta & clyſteria, ſed etiam per ea quæ prouocant lotium & ſudorem, quæ ſanè ſunt multiplicia, partim ſimplicia, & partim compoſita; quædam leniora, & quædam vehementiora. Inter ſimplicia quæ prouocant lotium, ſunt familiaria, agrimonia, *Diuretica.* ceterach, capillus veneris. folia, ſemina & radices apij petroſelini, fœniculi, aſparagi. cicera rubra, & alia id genus, quæ dupliciter ſolent adminiſtrari, vel decocta ex aqua, ſed tamen ita, vt valida prorſus fiat coctura, ac tota ferme medicamentorum ſubſtantia in aquam transfundantur: vel data eorum ſubſtantia ex quibus fieri ſolent vel pulueres, vel pilulæ, vel trochiſci, vel aliæ formæ. Habeatis vnum vel alterum exemplum:

℞. *Seminum aniſorum.*
Fœniculi.
Cymini.
Apij.
Dauci.
Abſinthij.
Amygdalarum amararum. ana. ʒ. *ij.*

Radicis aſari.
Rubia tinctorum. ana. ℥. ß.
Miſce & cum vino albo fiant trochiſci, qui exhibeantur mane ad plures dies.

Daucum, & præcipuè Cretenſe, eſt medicamentum diureticum præſtantiſſimum, quod ſoleo exhibere vel in puluere, vel in forma pilularum, cum ſpica nardi, cinnamomo, & ſimilibus.

℞. *Seminis dauci Cretici ℈. ij.*
Cinnamomi.
Spica. ana. ℈. ß.
Miſce, cum aqua apij, fiant pilulæ tres & aurentur.

Si multæ fuerint obſtructiones in iecore & viſceribus, quæ à multa, craſſa, & frigida pituita foueantur, Paulus maximè probat medicamentum ex ſcylla, cuius compoſitionem habetis apud Gal. in conſilio pro puero epileptico. Præterea verò ad prouocandum lotium ac potiſſimùm ſi illud parcè reddatur, nonnulli deueniunt ad vſum cantharidum, de quibus nolumus in præſentia longiùs agere, de illis tractaturi opportuniùs de affectibus renum & veſicæ.

Sudorem mouentia. Hæc fere eadem medicamenta ſudorem quoque ſolent prouocare, ſiquidem vt dixit Gal. 10. *de ſymp. med.* ſudores habent eandem materiam quam vrina, & eundem modum generationis. Sed ſpeciatim ſunt nonnulla externa præſidia ad hanc rem accommodata, quæ partim à veteribus tradita fuere, partim à recentioribus ſunt inuenta: ſic igitur ægroti aqua inter cutem laborantes pro eliciendo ſudore vehementius exercebantur ſub ſole, quod tamen cautè faciendum eſt, ac maximè ieiuno ventriculo, & velato capite: nonnulli ſoliti fuerant ſepeliri in arena maris, quo tempore Sol admodum feruet, & Syrius ardet. Ego Venetiis vidi hydropicum, qui arena delata domum, & vehementer calefacta. in ea totus ſepeliebatur, mirumq; in modum ſudabat. Sunt qui toti cooperiantur aceruo frumenti, quod ſub Sole antea fuerit inſigniter calefactum. Ruſtici ſolent ingredi furnum calefactum, in quo ſolent ſudare vſq; ad animi deliquium, quandoq; etiam ſuffocantur, ita liberantur ab hydrope. Sunt quibuſdam in locis ſiccæ ſudationes naturas, quales audio eſſe prope Neapolim, tales apud nos ſunt foueæ in balneo Sanctæ Helenæ, agri Patauini, in quibus prouocantur ſudores validiſſimè: quæ ſanè ratio prouocandi ſudores mihi videtur cæteris omnibus anteponenda.

Inſenſibiliter vacuantia. Diximus de modis quibus hydropici vacuantur ſenſibiliter, ſed illi quoq; vacuantur inſenſibiliter: ad quem vſum ſunt commodata multa medicamenta partim interna, partim externa. Medicamenta interna quę mihi cæteris videntur efficaciora, illa ſunt: ſales Theriacales, Trochiſci de vipera, quorum compoſitionem habetis apud Gal. 1. *de antidotis* & lib. *de Theriaca ad Piſonem*: quæ quidem medicamenta mirabiliter penetrant totum corpus, ſicut ignis penetrat & purgat aurum: exhibentur autem mane ad ʒ. j. facto bolo cum aliquo medicamento diſcutiente.

℞. *Salis theriacalis ʒ. j.*
Cum ſucco agrimonia, vel cum vino fiat bolus.

Externa. Deinde ſunt magna antidota, theriaca & mithridatium: de quorum vſu aliàs diximus. Iis addunt recentiores decoctum Sarſæ, chinæ, ligni ſancti, ſaſſafras, & alia id genus, quæ omnia latenter atq; inſenſibiliter videntur vacuare & diſſoluere aquam, flatus, pituitam, & omnia hydropis excrementa. Quæ verò extra applicantur, ſunt item varia: linimenta, emplaſtra, fomenta, & id genus alia. Primùm ergo ſunt inunctiones cum oleo de abſinthio, rutaceo, liliorum alborum cum aromatibus: præterea eſt quoddam oleum quod appellant reſolutiuum, & conficitur ex radice althææ, Bryoniæ, & cucumeris aſinini, quod eſt præſtantiſſimum. Porrò ſunt fomenta ex chamæmelo, meliloto, origano, pulegio, calamentho, foliis lauri, ſaluiæ, maioranæ, ſulphure, alumine, ſale, quæ decoquuntur partim in lixiuio, & partim in vino, quo in medicamento venter foueatur: ſic parantur ſacculi ex ſulphure, ſale, arena, foliis & baccis lauri, ſeminibus aniſorum, fœniculi, cumini qui ad ventrem & cæteras partes tumidas accommodantur, & longiori tempore geſtari ſolent. Galen. inter cætera omnia maximè probat cocleas tritas, & toti ventri impoſitas, de quibus ſcribit ad hunc modum 11. de ſimpl. med cap. proprio. *Cochleæ quæ vſtionem non ſunt expertæ, ſi tritæ vna cum teſtis imponantur toti ventri abdominis, difficilè poterunt diuelli, ſed valenter deſiccant, ac ſanè oportet ſinere vt adhæreant quoad ſponte cadant: meliores autem fuerint cochleæ marinæ, aut ſaltem montanæ, vt quæ maiorem ſiccandi vim habeant, quæ item commode per aliquot dies poterunt ſeruari, vt omnem excrementitium humorem deponant* Atq; hoc quidem remedium ego ſæpenumero expertus ſum præclaram operam præſtare, non ſolùm in hydrope, ſed etiam in tumoribus articulorum, in quib. ſimiliter probantur à Galeno. Inter cætera autem antiqui omnes & moderni probant emplaſtrum ex ſtercore caprino, bouino, columbino, cum ſulphure, & aliis; & ſit exemplum:

℞. *Stercoris bouini ſiccati lib. 1.*
Sulphuris ignem non experti.
Seminum cumini pulueriſati. ana. ʒ. ij.
Sapa, id eſt, vini decocti.
Vel vrina impubis pueri quantum ſufficit.
Miſce & fiat emplaſtrum.

Sunt in officinis parata duo emplaſtra deſcripta à Meſue, alterum de baccis lauri, alterum quod appellant emplaſtrum Ariſtarchi, quæ optima ſunt & opportuniſſima. Sed nunquam finem faciam, ſi velim commemorare omnia quæcunq; ab auctoribus antiquis & modernis proponuntur, quare iis contenti erimus, ſi modò vnum poſtremo hoc loco addatur, quod nullo modo eſt prætermittendum. & ſunt lotiones & balnea ex aquis thermalibus calidioribus, nec non lutum eorundem balneorum, quale copioſum reperitur in noſtro agro Patauino. Quamobrem ſi quis hydropicus præter lotionem harum aquarum, tanquam emplaſtro vtatur luto, exempli gratia, Sancti Bartholomæi, ille vtiq; mea ſententia haberet remedium præſtantiſſimum: de quo quidem luto habemus præclarum Gal. teſtimonium, qui ſcribit *9. de ſymp. med.* non longè à principio, Alexandriæ & per Ægyptum ſe vidiſſe quoſdam aqua inter cutem laborantes, ac lienoſos, Ægyptiæ terræ luto vtentes, qui ſibi inungerent ſuras, femora, cubitos, brachia, tergum, latera, pectuſq; & perſpicuè iuuarentur. Atque de his hactenus, quæ quomodocunq; ad vacuationem hydropis pertinent.

Cæterùm etſi aliquis poſſet opinari, iis quæ ſunt à nobis tradita hucuſq; vniuerſam curandi hydro- *Alteratio iecoris.*

pis

pis rationem abſolutam eſſe, veruntamen nos altera ex parte exiſtimamus, non modò vnam, ſed etiam ferè principem huius curatioois partem ſupereſſe adhuc, quæ ſcilicet in membrorum, ac præcipuè iecoris alteratione conſiſtit: quantumcunq; enim exquiſitam corporis vacuationem perficias, ſiquidem remaneat intemperies, rurſum breui videbimus plurima generari excrementa, adeo vt, quod & ſuprà diximus, in manifeſto errore verſentur medici, quicunq; putant ſummam illius negotij in accurata, ſæpius repetita & copioſa vacuatione conſiſtere, cum potius pro comperto habendum ſit, hanc vnam rationem, quæ intemperies & morbos reſpicit, in hac curatione principem locum obtinere. Itaque hanc indicationem vobis perpetuò ante oculos ponatis, & quolibet tempore illis familiariter vtamini, quæ iecur calefacere, exſiccare & roborare poſſunt. At verò cum nos de hiſce medicamentis iam egerimus, partim in præſenti, partim in ſuperiore tractatione de curanda frigida iecoris intemperie, non eſt, vt rurſum inutiliter eadem repetamus: quamobrem ſatis fuerit ex multis pauca admodum efficaciora in medium proferre, ea verò ſunt huiuſmodi: Confectiones, diacyminum, diachalamenthum, diaſpoliticum, diatrium pipereon, theriaca mithridatium, ſales theriacales; apud Arabes dialacca, diacurcuma, electuarium de baccis lauri, trochiſci de agrimonia, de capparibus, de myrrha, & alia id genus: ſed inter cætera omnia maximis laudibus extollitur à Gal. 8. *de med. ſecund. locos*, confectio cyphoides, quæ meâ ſententia hac in re habet inſignem prærogatiuam, adeo vt præ cæteris ego hoc medicamento vti ſoleam familiariſſimè: in quorum quidem & cæterorum medicamentorum vſu, illud vos tandem ſcire velim, ex præcepto Auicen. vnum & idem medicamentum longiore tempore adminiſtrandum non eſſe, ſed illa potius permutanda, & alternatim fore vtenda, ne natura vni aſſueſcens medicamento, illius vim diſcat negligere: quod ſanè ſalutare præceptum non modò in hydrope, ſed in omnibus morbis longis eſt recipiendum.

Victus. Iam verò poſt hæc omnia illud vnum reliquum eſſet, vt tractaremus de victus ratione, quæ quidem in hoc morbo eſt tanti momenti, vt quicunque ſunt minus prudentes, minuſque ſibi ipſi temperantes, fruſtra cætera omnia remedia ſoleant experiri: ſed cum tractatio huius morbi longior fuerit, quàm mea eſſet voluntas, hanc rem tractabimus duobus verbis. Alimenta ſunt opportuna quæcunque vim habent calefaciendi, ſiccandi, attenuandi; in primis verò quæ ſint facilis concoctionis, quòd omnibus hydropicis inſit calor natiuus debilis, qui propterea malè poteſt alimenta concoquere: itaque ea talia ſunt & ſuapte natura, & præparatione, & omnibus modis. Vinum conuenit antiquum, ſubſtantia tenue, odoratum, minimè dulce, acerbum, aſtringens, quod quidem parcè admodum vel potius reſtrictè bibendum eſt, adeo vt nonnulli obſtinato animo ab omni potione longiore tempore abſtinentes, propterea credantur priſtinam ſanitatem recuperaſſe. Vicentiæ ruſtico laboranti hydrope per iocum dixerat medicus eum fore à morbo liberum, ſi per annum abſtineret ab omni potione: ille autem verè putans id ſibi imperatum fuiſſe, annum integrum nihil prorſus bibit, tranſactóque anno iam ſanus factus rediit ad medicum, vt illi pro ſaluberrimo præcepto maximas ageret gratias. Celſus refert Metrodorum Epicuri diſcipulum, cum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo, ferret ſitim, vbi diu abſtinuerat, bibere ſolitum deinde euomere. *Quod*, inquit Celſus, *reddatur quicquid receptum eſt, multum tædij demit: ſi à ſtomacho retentum eſt, morbum auget.* Quam quidem experientiam ego cenſeo eſſe maximè periculoſam. Nam aquæ potio, ſi quid aliud, aqua inter cutem laborantibus eſt aduerſiſſima, adeo vt Auic. *cap.* 13. illius quoque viſionem prohibeat. Memini me legiſſe olim apud medicum Florentinum, de quodam hydropico deſperatæ ſpei lepidam narrationem: etenim cum ille intellexiſſet aquam ſibi mirabiliter aduerſari, vinum autem generoſum conferre, poſthabita qualibet aquæ adminiſtratione, non modò ad potum ſed etiam ad coquenda omnia fercula, imò verò & ad lotionem manuum, crurum, faciei, & vniuerſi corporis, longiori tempore vſus ſolo vino maluatico, ſanitatem recuperauerit. Opportunè etiam parantur vina medicata, ex abſinthio, agrimonia, calamentho, cinnamomo, ſeminibus odoratis, & aliis id genus. Atque ita abſoluta eſt tractatio de hydrope.

Capvt XVII.

De Scirrho Lienis.

Poſt tractationem morborum iecoris, ex ordine Rhaſis ſequitur tractatio morborum lienis: cuius partis ante omnia, pro noſtro inſtituto, tractabimus anatomen, ſed quàm breuiſſimè. Eraſiſtratus cenſuit lienem fruſtra fuiſſe à natura fabricatum, & propter eam cauſam tantummodo, vt iecori in dextra parte collocato, aliquid in ſiniſtra opponeretur quod illi proportione reſponderet; quam opinionem Gal. irridet 4. *de vſu partium cap.* 15. & 2. *de naturalium facul.* 9. Nam tametſi generaliter vnicuique ſatis eſſe debet, à natura nihil vnquam temere factum eſſe, illamque facilè potuiſſe, ventriculo paululùm ad illas partes producto, opus ſuperfluum vitare, res ipſa manifeſtè demonſtrat, lienem propter vſum maximè vtilem & neceſſarium genitum fuiſſe: hic verò vſus eſt apud Galen. vt ille foret organum accommodatum ad expurgandum craſſum & fæculentum iecoris excrementum. *Vſus lienis.* Namque per venam quandam ex meſaraicis à vena porta orientem, hoc excrementum, tanquam ſibi iucundum & familiare attrahit, attractum opera natiui caloris rarefacit, elaborat, atque pro meliori parte in proprium conuertit alimentum: quæ verò pars ſupereſt, nutritioni inepta, tanquam ſuperuacaneum excrementum per aliam venam magni cuiuſdam vſus gratia in ventriculum effunditur: cum enim hoc excrementum acerbum & acidum ſit, omnes ventriculi actiones, quæ in amplexu conſiſtunt, aſtringendo & contrahendo iuuat, adeoque cibos exquiſitè cogit comprehendere, ac proinde eſt in cauſa, vt illi inconcocti ex ventriculo non delabantur, vt Galen. docet 5. *de vſu partium*, 4. demum verò hoc excrementum ex ventriculo in inteſtina, atque hinc vnà cum fæcibus ex corpore ſolet expurgari. Non ignoro, quamplurimos & veteres & recentiores, comminiſci alios quoque duos vſus lienis; alterum, tranſmiſſo ad ventriculum humore melancholico excitari appetentiam; alterum, ad refrigerationem cordis

facere:

facere : de quibus nolo in præſentia longiùs agere , cùm non pertineant ad præſens inſtitutum.

Subſtantia. Cum igitur lien præcipuè fuerit à natura conſtitutus , ad expurgandum ſanguinem & iecur ab humore melancholico , vt commodè poſſet trahere & excipere hunc humorem craſſum & fæculentum , neceſſariò ſortitus eſt raram & laxam ſubſtantiam , inſtar ſpongiæ , quæ tamen , vt dicit Gal. ſi conferatur cum ſubſtantia iecoris , eſt rarior , ſi autem cum ſubſtantia pulmonum eſt denſior. Præterea vt hic limoſus & craſſus *Vaſa.* humor , qui vini fæcem imitatur , bene poſſit elaborari & confici , a corde , in lienem inſertæ ſunt frequentes arteriæ , quæ ſuo calore exactam eius ſanguinis elaborationem iuuant , & totum viſcus calefaciunt. Sed præter venas & arte-*Nerui.* rias habuit quoque neruos , à ſobole ſexti paris neruorum cerebri , non tamen magnos , cum hæc pars non indigeret inſigni ſenſu. Lien , ſicuti iecur , obducitur vnica ſimplici tunica , ex omento exorta , eiuſdemque auxilio dorſo connectitur, quanquam in gibbam ipſius partem fibræ quædam *Forma Situs.* etiam ea peritonæo connexionis gratia producuntur. Lien formam habet oblongam inſtar linguæ, ſed craſſior latiorque eſt in homine quàm in cæteris animantibus. Lien demum ſitus eſt in ſiniſtro hypochondrio , inter vertebras, & ſpuriarum coſtarum cartilagines , verſus poſteriorem , vt vix deprehendi poſſit , dummodo ſecundùm naturam ſe habeat.

Morbi. Hactenus de anatome lienis ſummatim , ex quibus facile eſt intelligere , lienem poſſe laborare omni propemodum genere morborum: namque propter partes ſimilares ex quibus componitur , poteſt laborare qualibet intemperie , & ſimplici & compoſita , & cum materia , & ſine materia , quæ tamen intemperies ſine materia difficile cognoſcuntur, neque mea ſententia diutius poſſunt perdurare. Quare lien poteſt laborare tumoribus præter naturam , inflammatione , eryſipelate , œdemate , ſcyrrho , & longè ſanè frequentiùs cæteris ſolet laborare ſcirrho , quod à Gal. traditum eſt *9. de med. ſecundum locos, initio 2. cap.* nec non 13. *meth. cap.* 16. Etenim cum lien inſtituto naturæ , ſicuti diximus , nutriatur ſanguine craſſiore , qui eſt veluti limus ſanguinis purioris, & facilè nigra bilis efficitur , hinc facile euenit, ſanguine ipſo in venis indurato , & qui propter craſſitudinem neque excerni , neque diſcuti poteſt , vt & obſtructiones , & duri tumores celerrimè & frequentiſſimè generentur : id quod ſpeciatim docet Galen. iis vſu venire , qui vtuntur familiariter alimentis ea quibus craſſi & lenti ſucci ſolent generari : iis licet addere tumorem quoque flatuoſum , cum facilè melancholia conuertatur in flatum, qui poteſt contineri , vt ego puto , non ſolùm in tunica , ſed etiam in ipſo corpore lienis.

Secundò lien poteſt laborare morbis in compoſitione ac potiſſimùm obſtructionibus : neque enim poteſt laborare morbis numeri , ſitus , & ſimilium : etſi non deſint qui fabulantur aliquando lienem inuentum fuiſſe in dextro hypochondrio. Tertiò poteſt laborare morbo in ſoluta vnitate , qui quidem morbus ſolet eſſe maximè periculoſus , propter inſignem ſanguinis fluxionem , quæ frequenter ſolet contingere.

Cæterùm quoniam tractatio omnium morborum lienis neceſſariò foret longiſſima vt citò poſſimus aggredi morbos inteſtinorum & aliarum partium quæ continetur in ventre inferiore , quarum intelligentia eſt maximè vtilis & neceſſaria, ſtatui mihi vnum ſcirrhum ſeligere , in quo & obſtructiones continentur. Nam reuera ſicuti lien & obſtructionibus & duris tumoribus laborat frequentiſſime , ita aliis morborum generibus laborat rariſſimè , adeo vt parum vtile , forte etiam ſuperuacaneum videri poſſet in ſingulorum curatione verſari.

De ſcirrho generaliter diximus ſatis , tractantes de ſcirrho iecoris , quæ iure poſſunt ad hunc locum transferri. Lien igitur facilè & frequenter corripitur obſtructionibus & ſcirrho , & longè faciliùs & frequentiùs quàm iecur , vt dicit Galenus 13. *method. cap.* 16. id quod minimè credendum eſt euenire propter naturam & ſubſtantiam eius quæ omnino rarior eſt ſubſtantia & carne iecoris , & conſequenter minus apta ad obſtructiones & tumores : ſed iſtud potiſſimùm contingit ratione alimenti craſſioris & fæculenti , quo diximus hanc partem nutriri. Scirrhus autem generatur in liene eadem propemodum ratione , & propter eaſdem fere cauſas , propter quas ſcirrhus generatur in iecore. Nam vel à principio generatur & augetur , demúmque in magnum tumorem attollitur , quotieſcunque in lienem congeritur multus & melancholicus humor, qui aut propter imbecillitatem facultatis expultricis , aut propter obſtructiones , aut propter aliud medicamentum , excerni , & à natiuo calore digeri non poteſt Vel ſecundo modo ſuccedit ſcirrhus lienis aliis morbis , id quod præcipuè accidere conſueuit , cum medici imperiti frequentiùs & longiùs quàm deceat inflammationes , & eryſipelata aſtringunt & refrigerant. Quamobrem ſicuti cauſa proxima ex qua fit ſcirrhus lienis, ſunt humores craſſi & melancholici : ita cauſæ magis remotæ ſunt , quæcunque huiuſmodi humorem poſſunt generare , qualia ſunt in victus ratione vina nigra & craſſa , largior potio aquæ frigidioris , ac maximè ſi illæ paluſtres fuerint , ſtantes & lutoſæ : propter quam præcipuè cauſam in quibuſdam locis , cum careant bonis aquis , reperiuntur quamplurimi lienoſi : ita enim & veteres medici , & Galenus 9. *de med. ſecundum locos, cap.* 2. propriè eos vocabant , qui induratam lienis affectionem habebant , ita vt hic morbus ſit quodammodo proprius illius loci , medici *endemios* vocant eos morbos quaſi patrios , carnes item quæ craſſum & glutinoſum ſuccum poſſunt generare , vt porcinæ , leporinæ , bouinæ ; de quibus ſpeciatim carnibus bouinis , cum ſint alioqui in frequenti vſu , dicit Galen. 3. *de aliment. facult.* 2. Si quis eis familiariter nutriatur , huic ex tali ſucco lienem intumeſcere , malúmque habitum & hydropem ſequi : ſæpenumero tales ſunt vehementes exercitationes ſtatim poſt ſumpta alimenta ; & ad ſummam illa omnia quæ copiam huius materiæ craſſioris poſſunt efficere & fouere, de quibus non ſemel diximus.

Signa indicantia ſcirrhum lienis ſunt multiplicia : in ſiniſtro hypochondrio percipitur dolor grauatiuus , & tumor durus , qui aliquando vſque adeo creſcit vt vniuerſum impleat hypochondriũ imò verò vſque ad partem dextram pertingat, ſi fuerit ſcirrhus exquiſitus, & ſi validiſſimè comprimatur , caret omni dolore & ſenſu ſicuti diximus de ſcirrho iecoris, dum æger ſe aliquo labore exercet, difficilius ſpirat id quod etiam contingit dum in latus dextrum decumbit magis quàm in ſi ſiniſtro quieſcat , propterea quia non ita ſuſpenditur viſcus, neque diaphragma, ita à viſceris magnitudine premitur. *Signa.*

Color

Color vniuerſi corporis eſt vitiatus, ac ferè ad nigredinem vergit, ex quo de ſententia Hippocr. dicit Galen. 2. *de naturalibus facult. cap. vltimo*, quibus corpus floreſcit, his lienem decreſcere, & contra, quibus lien creſcit, iis corpus contabeſcere, & vitioſis impleri humoribus.

Lienoſi cibos malè coquunt, etſi maiori ex parte illos bene appetunt, multi flatus generantur in corpore, qui rugitum fluctuationémque in ſiniſtra parte ſolent excitare: magna ferè concutrit & animi & corporis ſegnities & ignauia, demum verò cum lien magis corrumpitur, tunc prædicta omnia ſymptomata fiunt grauiora & manifeſtiora: hinc os malè olet, gingiuæ exeduntur & à dentibus diſcedunt, ſub nocte pedes intumeſcunt, ſanguis quoque ex naribus ſæpe profunditur, quandoque in manibus & cruribus vlcera naſcuntur, quæ difficulter ſanantur: quorum omnium ſymptomatum, ne fruſtra in hac re ſim longior, facile eſt vnicuique cauſam reddere. Hæc igitur ſunt ſigna demonſtrantia ſcirrhum lienis, quæ nos collegimus ex Galen. variis in locis, ex Paulo *lib.* 3. ex Cornel. Celſo *lib.* 4. *cap.* 9. ex Aëtio *lib.* 10. *cap.* 11. & cæteris. Sed iam ad curationem aggrediamur.

Curatio.

Communis indicatio curandi ſcirrhum lienis, ſicuti reliquarum partium, vt ſcribit Galen. 14 *metho. cap.* 3. illa eſt: vt ibi totum euacuetur quod præter naturam in particula continetur; aliàs verò nos docuimus ex Gale. iſtud fieri cum medicamentis diſcutientibus vnà & mollientibus, partim internis & partim externis: de quibus illud primùm ſciendum eſt, ex Galen. 2. *ad Glauc. initio* 5. *cap.* quod conuenit lienem induratum curare non ſolùm externis fortibus medicamentis, ſed etiam per fortiſſimas potiones, cum hæc pars ſine moleſtia & bene ferat valentiſſima medicamenta. Sed quia non decet accedere ad hæc particularia præſidia, niſi antea præcedat generalis vacuatio totius corporis, idcirco omnium primum cum morbus non det inducias, lenienda eſt aluus cum electuario lenitiuo, vel caſſia, quæ in hoc caſu eſt præſtantiſſima, quibus poterit permiſceri portio hieræ ſimplicis, ſecundùm hanc formam:

Leniens

℞. *Electuarij lenitiui, vel eius loco*
Floris caſſiæ, nouiter extractæ. ℥. x.
Specierum hiera ſimplicis ℨ. ij. ß.
Miſce.

Nonnulli familiariter vtuntur electuario diacatholico, ſed cum illud recipiat & ſenam & rhabarbarum, & alia id genus medicamenta, non puto ego inter lenientia numerandum eſſe, etſi revera ſatis leue & facile eſt medicamentum.

Vena ſectio.

Poſt alui lenitionem vna vel altera die, ſecanda eſt vena, tametſi nonnulli hoc remedium abhorrent, quod miratur Galen. *in libello, de ſanguinis miſſione* 16. & fatetur ſe non potuiſſe intelligere, qua de cauſa medici lienoſis mittere ſanguinem neglexerint, cum ille longiore experientia deprehendiſſet, illos perpetuò ex ſanguinis miſſione magnam vtilitatem percipere. Itaque ſi vires videantur poſſe hoc remedium perferre, quod eſt rationi conſentaneum futurum eſſe, niſi ſcirrhus fuerit confirmatus & exquiſitus, neque humores longè diſtent à forma ſanguinis, conſentiente ætate, audeatis venam incidere, ſicuti faciunt omnes propemodum probati auctores.

Quæ vena ſecanda.

Sed eſt hoc loco inſignis difficultas de vena, quam laborante liene ſecare oporteat. Galen. quidem 2. *ad Glaucon.* 2. 13. *method.* 11. *& aliis locis*, conſueuit ſecare venam internam ſiniſtri cubiti, quam baſilicam vocant, & ſi hæc non compareat, conſueuit ſecare venam mediam, ac poſtremò neque hac apparente cephalicam. Alteram autem ex parte plerique noſtrum temporum medici ſoleat ſecare venam inter digitos minimum & annularem, quam ſaluatellam vulgo vocant; quam quidem rationem mittendi ſanguinis etſi nonnulli exiſtimant, & ego quoque olim opinatus ſum, excogitatam & inuentam fuiſſe ab Arabibus & recentioribus medicis, tamen certum eſt nonnullis quoque Græcis, & veteribus medicis tam notam & familiarem fuiſſe. Nam præterquam quod Aëtius *lib.* 10. *cap.* 11. & Paulus *lib.* 3 *cap.* 40. & *lib* 6. *cap.* 40. illius mentionem faciunt, Gal. quoque meminit huius præſidij non ſemel, ſed maximè 6. *de anatomis adminiſtrationibus prope medium*, qui dicit ad hunc modum: *A tera parte mediam regionem ingreditur digiti medy & annularis, quam venam nonnulli in ſiniſtra manu ſecantes, permittenteſque ſanguinem ex ea fluere, quouſque vltro ſiſtatur, lienem ex tali vacuatione iuuari aſſerunt.* Ex quo loco id obiter licet nos intelligere, antiquiores medicos in affectibus lienis non eam venam ſecare conſueuiſſe, quæ eſt inter minimum digitum & annularem, ſicuti hodie paſſim & ab omnibus fieri vidimus, ſed eam potius quæ inter annularem & medium digitum reperitur, quæ quidem, vt etiam ſenſus demonſtrat, & amplior, & manifeſtior apparet.

Quæritur ergo, vtra ſectio venæ ſit magis congruens ad ducendum ſanguinem, & iuuandum lienem laborantem, vel baſilicæ, vel ſaluatellæ in ſiniſtro cubito. Qui tuentur dignitatem venæ baſilicæ, primùm habent perſpicuam rationem, quòd hæc vena, & propter amplitudinem, & propter vicinitatem ſit longè accommodatior ad ducendum ſanguinem ex liene, quam ſit ſaluatella, quæ ſanè & propter diſtantiam, & propter paruitatem, longè minus poteſt hoc ipſum præſtare. Secundò proferunt Galenum, qui ex vna parte, vt vidimus, ſolet perpetuò internam venam ſecare: ex altera autem ſcribit in *lib. de ſanguinis miſſione* 14. ex venis quæ ſunt ad magnos angulos oculorum, aut ſub lingua, nihil effatu dignum effluere, conſueuiſſe, ſicuti neque ſi quis in pedibus, aut ſumma manu venam incidat, quemadmodum qui lienem curari arbitrantur à venæ ſectione, quæ ad ſecundum eſt paruorum digitorum. Ex quo Galeni loco duæ videntur poſſe colligi veræ concluſiones: vna, quòd iſthæc vena ſaluatella nequeat ſatis copioſum ſanguinem profundere; altera, quòd de illius vſu ad curandum lienem Galenus loquitur potius de alienum, quàm de propria ſententia, id quod ille quoque facit loco citato Tertiò, *de admin. anat.* vtrobique enim videtur loqui de ſectione iſtius venæ ex ſententia veterum.

Qui verò fauent venæ ſaluatellæ, afferunt duas rationes, quas ponit Paulus *lib.* 3. *cap.* 49. primam, vtilitatem reuulſionis, quam conſtat eo eſſe efficaciorem, quo ſit ex partibus longinquioribus: ſecundam, latentem quandam ſympathiam, & conuenientiam, quæ nequit explicari. Deinde hanc opinionem confirmant apertiſſimo Galeni teſtimonio, qui *libello de ſanguinis miſſione, cap.* 16. dicit ad hunc modum: *Sic liene labo-*

rante

Digitized by Google

rame inciſio eius vena, quæ ad annulrem eſt digitum ſiniſtræ manus, iuuat æquè, ac ſi internam quæ in cubito eſt, ſecueris, ſiquidem iuuat lienem male affectum, ſanguinis ex ſiniſtra manu vacuatio: præſtat autem non ſemel quod conuenit euacuare, ſed in duos partitis dies. Hæc Galenus Poſtremò autem adiungunt experientiam, & ferè communem conſenſum omnium communiter practicantium, qui laborante liene hac ratione mittendi ſanguinis vtuntur frequentiſſimè, atque, vt aiunt, cum maxima ægrotum vtilitate & facilitate.

Si quis à me quærat, an vena ſaluatella curando lieni poſſit aliquem vſum præſtare? Huic reſpondeo cum Galeno, ſectionem huius venæ poſſe lienem malè affectum iuuare. Si quis rurſum quærat, vtra ſectio venæ, an ſaluatellæ, an internæ, ſit commodior & vtilior? Huic reſpondeo cum eodem Galeno, ſectionem venæ internæ longè eſſe commodiorem & vtiliorem, vbicumque non ſola reuulſione, ſed etiam deriuatione, & copioſa omnino vacuatione opus eſt: ſiquidem vena interna cum ſit amplior, & parti laboranti vicinior, iure cenſenda eſt magis accommodata ad ſanguinem effundendum, quàm ſit altera, quæ & longinquior eſt, & ita exilis & parua, vt ea ea oihil ſanguinis eſſatu dignum effluere poſſit.

Quanquam vt verè dicam, noo ſatis intelligo, quomodo Gal. affirmet, ſecta vena in pedibus, aut iu ſumma manu, minimum ſanguinis effluere: niſi dicamus ita fieri ſi vena ſimpliciter aperiatur, nec alium artificium adminiſtretur: namque reuera ſi præter apertionem harum venarum adhibeantur, vt vulgo fieri ſolet, & frictiones, & ligaturæ, & balneum aquæ calidioris, videbitis in pi aai ſecta vena, & in manu, & in extremo pede ſanguioem profluere copioſiſſimè, Ita ergo ſtatuendum eſt, laborante lieoe ſectionem venæ ſaluatellæ in brachio ſiniſtro, nec non laborante iecore, in brachio dextro, poſſe aliquam vtilitatem afferre: id quod ipſe quoque cogor fateri eſſe veriſſimum, qui ſæpeoumero hac mittendi ſanguinis ratione vti conſueui, & quandoque cum tanta ægri vtilitate, vt miratus fuerim.

Verùm illud reſtat adhuc, vt intelligatis, qualiſnam ſit vſus dictatum venarum, & quo potiſſimùm tempore debeant ſecari, quod à nemine traditum eſt. Paulus inter cæteros maximè probat hoc remedium, propter reuulſionem à iecore vel liene: quòd ſi ille intelligit ſimplicem reuulſionem, credo eum bene ſentire, cum Galenus doceat multis in locis, reuulſionem ex partibus diſtantibus ſeruata rectitudine perpetuò faciendam eſſe: quòd ſi intelligit non modò reuulſionem, ſed etiam deriuationem; quam equidem puto illum intelligere, cum ſermonem habeat de inflammatione, quo tempore neceſſe eſt non ſolùm reuellere, ſed etiam deriuare, & vacuare à parte laborante, vtique cenſeo eum male ſentire.

Hoc tempore mos eſt medicis ferè omnibus, non in piincipio moiborum, ſed poſt cæteras vacuationes, laborante iecore vel lieue, ad ſectionem vnius vel alterius venæ confugere, quem ſanè moiem puto optimum eſſe, & dignum imitatione, cum experientia confirmet, ægrotos ea tali præſidio atque hoc tempore admioiſtrato, ſine vlla virium iactura ſæpe magnam vtilitatem percipere.

Propter quamverò rationem, an reuulſionem, an latentem ſympathiam, an aliter iſtud fiat, non ego multum laboro, cui ſatis eſt iſtud nouiſſe in affectionibus lienis & iecoris ſectionem venatum iu ſumma manu ſi opportunè fiat, & poſt communes corporis vacuationes præclaram ſæpe operam præſtare.

Fraociſcus Valeſius *lib. 7. controuerſiarum, cap. 3.* gloi iatur ſe longa meditatione inueſtigaſſe rationem, ante ipſum excogitatam à oemine, propter quam ſectio venæ ſaluatellæ ad curandum lienem & iecur, non modo vtilis, ſed etiam vtilior vena interna ceoſeri debeat: illa verò eſt, quòd extremæ corporis partes internarum partium ſunt emunctoria naturalia, non tamen indifferenter omnium, ſed earum cum quibus habent rectitudinem, ſicut habent manus cum hypochondriis, dextra cum iecore, ſiniſtra cum liene. Cum ergo eacremeuta cuiuſq; membri naturaliter ferantur ad illius emunctorium, & quò natura vergit per conferentia loca, eò ducere oporteat, idcirco expedit laborante iecore venam ſecare in dextra manu, laboraute liene in ſioiſtra, proprerea quia facile trahuntur eacrementa ad eas partes, sd quas tanquam emunctoria ſecundùm naturæ inſtitutum trahi conſueuerunt. Quam quidem ſectiooem venæ probat Valeſius non in principio morhorum, cum copia humorum eſt maxima, ſed poſt alias euacuationes, quo tempore melius poterit membri facultas excrementa ſua expellere, cum iam depoſita fuerit multitudo, & humores ex toto corpore confluere ceſſauerint. *Valeſij opinio.*

Hanc Valeſij cogitationem volui commemorare, ne quis propria laude fraudetur, cum reuera ſit ingenioſa, nec prorſus reiicienda. Sed hac de re ſatis, de qua etſi diffuſè, forte non inutiliter diſputauimus.

Poſt lenitam aluum, poſt ſectam venam opportunè ſunt exhibenda ea medicamenta, quæ poſſuot attenuare, incidere, & eaobſtruere ipſum lienem, incipiendo primò à leuioribus, tum progrediendo ad valentiora. In quibus quidem adminiſtrandis illam perpetuò cautionem decet adhibere, vt ab iis abſtineamus quæ vehementiùs calefaciunt: namque, vt aliàs notauimus, huiuſmodi medicamenta digerendo partes humidiores & tenuiores, craſſum alioquin humorem ſolent adhuc reddere craſſiorem. Sint ergo ſyrupi, oxymel ſimplex, de fumaria ſimplex; de borragine, de pomis ſimplex. Decocta ea cichoreo, ceterach, betooica, fumo terræ, borragine, & ſimilibus: hæc enim ſunt admodum temperata, ac principio bene conueniunt. Et ſit exemplum. *Obſtructio lienis.*

℞. *Decoctionis ceterach.*

Cichorei.

Borraginis ana. ℥. iiij.

Oxymellis ſimplicis ℥. ij.

Miſce pro ſyrupo.

Valentiora ſuot ſyrupi compoſiti, oxymel ſyrupus de duabus & quinque radicibus, byzaotinus, de cichoreo ſine rhabarbaro, & alij id genus. Quo loco mihi libet vos admonere de quodam vulgari, atq; vt puto cōmuni errore omnium propè cōmuniter practican

Error practicantium.

practicantium, qui concoquendis & præparandis humoribus noxiis, poſt ſyrupos ſimplices, ſtatim accedūt ad ſyrupos quoſdam compoſitos, qui magis facultatem habent purgandi, quàm concoquendi: quæ quidem medicamenta, tantùm abeſt vt iuuent coctionē humorum, vt potius illā perturbent atq; impediant. Id quod facilè vnuſquiſq; fatebitur, qui illorū compoſitionē & ingredientia medicamenta voluerit conſiderare: recipiunt enim, vt aliquando vobis demonſtrabo, & caſſiā & thamarindos, & ſenā, & polypodiū, nonnulli helleborū, & alia huiuſmodi ſoluentia medicamenta: tales ſunt quibus familiariter iſti vtuntur in præparando humore melancholico, de quo agimus in præſentia, ſyrupi de fumo terræ compoſiti, de epithymo, de polypodio, de pomis compoſiti, & ſimiles: quare vos hortor ne incidatis in hunc errorem, vt ab huiuſmodi purgantibus medicamentis perpetuò caueātis.

Concoquentia melancholicum.

Pro decoctionibus ſunt ſimplicia medicamenta chamædrys, chamæpitys, cortices radicum capparorum, folia, & radices tamariſci marrubium, ſcordium, radices apij, fœniculi, petroſelini, & ſimilia. Sit exemplum decocti.

℞. *Cetrach,*
Corticum radicum capparorum,
Foliorum tamariſci,
Cichorei, ana. M. j.
Radicum fœniculi,
Apij,
Petroſelini ana. P. ß. Miſce, fiat decoctio.

℞. *Huius decocti, ℥. iiij.*
Syrupi byzantini ℥. j.
Oxymelitis cōpoſiti ℥. ß. Miſce pro ſyrupo.

Neq; verò ſolum huiuſmodi medicamenta decocta, ſed etiam arida & contuſa ad hanc rem ſunt accōmodata, ad quē modum dicit Gal. 2. *de alim. facul.* 8. medicos in obſtructionibus & ſcirrho lienis vtiliter exhibere caricas cum thymo, aut pipere: aut gingibere aut pulegio, aut ſaturegia, calamentho & ſimilibus, ſicuti vulgares, ita ſunt optimi trochiſci de capparibus, ex quibus fiant pilulæ, quæ aſſumuntur manè, vel ſimul cum ſyrupo, vel cum alio accommodato medicamento.

Purgantia melanch.

Concocta materia & præparato corpore, iam cogitādum eſt de purgatione pro qua ſunt accommodata ſimp. medicamenta, ſena, polypodium, epithymum, & cæteris omnibus longe efficacius helleborus niger. Compoſita, electuarium diacathollcum, diaſenæ, ſed omnium præſtantiſſima ſunt hiera diacolocynthidos, quā Pachij appellant, & confectio hamech: ſi occurrant homines robuſti, ſunt pilulæ de hermodactilis, fœtidę, quæ recipiūt bdellium, opopanacū, & ſimilia, quæ ſunt optimæ: ſunt & alia multa. Pro iunioribus habearis exemplum:

℞. *Foliorum cichorei,*
Cetrach,
Fumi terræ ana. M. ß.
Corticum radicum hellebori nigri,
Seminum aniſorum.
Citri ana. ℥. j. ß.
Fiat decoctio in aqua ſecundùm artem.

℞. *Huius decocti ℥. v.*
Hieræ diacolocynthidos ʒ. iij.
Syrupi de fumo terræ compoſ.
De polypodio ana. ʒ. ij. Miſce & fiat potio.

Purgato corpore vniuerſo non modò ſemel, ſed ſi ita ferat occaſio, & bis & ſæpius, tunc tempore opportuniſſimo licet accedere ad ea medicamenta, quæ peculiarem vim habeant attenuandi, incidendi, emolliendi, diſcutiendi & liquandi: quæ quidem plurima ſunt, partim interna, & partim externa. Sed antequam de illis agamus, duo Gal. præcepta ſunt animaduertenda, quorum nos admonet 13. *method.*

Præceptum Gal. I.

c. 17. nec non 8. ad Glauconem 5. Vnum, quòd ſumpta indicatione à natura partis, vtamur caute medicamentis relaxantibus, ne lienis robur diſſoluatur, quod ſanè ſeruare oportet, cum præſtet officium commune toti corpori, nempe expurgandi quicquid limoſum & excrementoſum in iecore generatur. Alterum, quod etſi vtrumq; viſcus, iecur & lien poſtulant remedia ſimilia genere: tamen curandis obſtructionibus & ſcirrho lienis medicamenta tanto valentiora conuenire quæ habent vim attenuandi, incidendi & aperiendi, quanto lien craſſiore vtitur alimento. Nam quale medicamentum iecori eſt abſinthium, tale eſt lieni cortex capparis; & quale iecori eſt eupatorium, tale eſt lieni ſcolopendrium, quod vulgo cetrach appellatur.

II. Præceptū.

Lieni conferentia.

Interna verò medicamenta apta ad molliendum & diſſoluendum tumorem lienis, atq; eius obſtructiones & intemperies, hæc ſunt medicamenta ſimplicia, cetrach, radices capparorum, tamariſci, chamædrys, chamæpitys, ſemina aniſorum, fœniculi, agni caſti, bdellium ammoniacum, opopanacum ſagapenum, ſquama chalybis; quibus addunt recentiores ſalſam pariglam. lignum guaiacum, chinam. ſaſſafras & alia huius generis. Compoſita autem medicamenta ſunt trochiſci de capparibus, de eupatorio, de lacca, confectiones, aromaticum, roſaceum, diacyminum, diamoſchum dulce & amarum. electuarium de baccis lauri, theriaca, mithridatum, & his ſimilia: ex quibus ad veſtram exercitationem non grauabimur nonnulla exempla proponere.

℞. *Ammoniaci ʒ. j.*
Bdellij ʒ. ß.
Miſce, fiant pilulæ quinque, quæ ſummo manè exhibeantur vel ſolæ, vel ſimul cum aliis medicamentis.

Item:

℞. *Cetrach puluerizati ʒ. j.*
Seminis agni caſti ℈. ß.
Miſce, fiat puluis ſubtiliſſimus, qui manè exhibeatur cum modico vino.

℞. *Trochiſcorum de capparibus ʒ. j.*
Fiant pilulæ tres, & exhibeantur vt ſuprà.

Chalybis præſtantia.

Inter cætera omnia chalybs, & omnia quæ ex chalybe præparātur, hac in re habent inſignē prærogatiuā. Ac primùm eſt aqua chalybeata, quæ nimirū ex calibe ignito ſæpius extincto præparatur, de qua ſcribit Cornelius Celſus *lib. 5. c. 9.* quod pręcipuè lienē cōminuit: *quod*, ille inquit, *animaduerſum eſt in iis animalibus, quæ apud fabros educata exiguos habent lienes*: cuius idem præſidij mentionem facit Gal. ex Archigene 9. *med. ſecundùm locos c.* 2 qui ſcribit potionē parandā eſſe non febricitantibus cū vino, febricitantibus autē ex ſola aqua: quod etiam cōfirmāt Paulus, Aëtius, & cæteri prope omnes. Secūdò eſt vinū chalybeatū, quod à variis medicis vario modo paratur, hoc tēpore: ſed ego vobis cōmunicabo illam huius vini præparandi rationem, qua vti ſoleo iam annos multos, & eſt huiuſmodi.

℞. *Limaturæ chalybis lib. j.*
Abluatur ſemel aceto, & illi inſpergatur
Pulueris garyophillorum ℥. ß. & ita relinquatur per horas 24. tum

℞. *Vini albi dulciſſimi lib. x.*
Fiat infuſio, & exponatur ad ſolum octo vel decem dies, illud frequenter agitando & permiſcendo: demum facta colatura.

Nonnulli hoc vinum ſolent exhibere in prandio & cœna, alij pro ſyrupo dant mane ad ℥. viij. circiter; & cum vtroque modo vtiliter poſſit propinari, ego illo pro ſyrupo vti ſoleo frequentiſſimè, & ſanè inter cætera omnia medicamenta in tollendis obſtructionibus & ſcirrho lienis hoc fortaſſe cenſendum eſt principem locum obtinere.

Tertiò eſt aliud medicamentum meâ ſeotentiâ & celebre, & efficax quod præparatut hoc modo.

℞ *Squama chalybis,*
Corticum radicum capparorum,
Foliorum tamariſci,
Trochiſci. *Coterach ana* ʒ. ij.
Myrrha electa ʒ. j. *Miſce fiāt trochiſci cū vino, qui ſingulo manè exhiboātur, ad* ʒ. j.

Alij trochiſci proponuntur à Gal ex Aſclepiade 9. *de med. ſecūdum locos c.* 2. ſecuodum hanc formā.

℞ *Fractus erica* ʒ. iiij.
Piperis albi,
Nardi Syriaci,
Ammoniaci ana ʒ. ij.
Arida tundamur & cribrantur, ammoaiacum aceto ſcyllitico diſſoluitar, & aridis medicamentis adiunctis, fiuat trochiſci, qui exhiboutur poudere ʒ. j.

De quo medicamēto Gal. hæc addidit: *Qui pharmacā hoc tradidit, ſcripſit Porcellū ad tridaū hoc medicamentū bibiſſe, & poſtea diſſectā ſiue liene inuentū fuiſſe* Verū de iis ſatis, quorū imitatione vnuſquiſq; facilè poteſt multa alia ſibi conficete, præterquam quod Gal. & cæteti omnes auctotes maximum horum medicamemorū ſyluam poſſunt ſuppeditare.

Externa qualia eligenda. Diximus de medicamentis concoquentibus, purgantibus, & diſſoluētibus humores efficientes, obſtructiones & ſcirrhos lienis; ſupereſt vt agamus de medicamentis externis: in quibus quidē eligendis id ſedulò eſt animaduertendum, quod notanimus quoque de medicamentis internis, quòd nimirum hæc medicamenta ſint atteouantia magis ſuatum partium tenuitate, quàm inſigni caliditate: quandoquidem quæ inſigniter calefaciuot, diſſoluendo partes humorum tenuiores & humidiores, eos qui remaneot craſſiores, & duriores reddunt: quo circa ea quæ ſunt inſigni amaritudine prædita, optima cenſenda ſunt quibus commodè permiſceri poſſunt, quæ aliquam habeant auſteram qualitatem, & alicuius adſtrictionis non ſunt expertia: ex quo factum eſt vt Gal. locis citatis 9 *de comp. med. ſecund. locos.* 2. *ad Glauc.* 5. 11. *meth.* 16. *& aliis locis,* præbet vſum aceti, adeo vt cupiat id à medicamētis ſplenicis nuoquam ſeparari. Porrò externa medicamenta ſunt multiplicia & varia, iniunctiones, fomenta, cataplaſmata, vnguenta, & alia id genus, quorum ad veſtrā exercitationē non grauabot noonulla exēpla profette, & primū linimenti.

℞ *Olei amygdalarum dulcium,*
Amararum,
Chamæmelini completi ana ℥. j.
Olei de capparibus,
Maſtichini ana ℥. ß. *Miſce, & fiat linimentam.*

His ſont efficaciora oleū lliotū alborum cū aromatibus, quod vulgo de been appellant, oleum de lateribus, & alia huiuſmodi. Exemplum fomenti.

℞ *Radicum althea,*
Maluarum ana. M. j. ß.
Ceterach,
Abſinthij ana. M. j.
Corticum radicum capparorum,
Chamædryos,
Foliorum tamariſci,
Pulegij,
Calamenthi ana. M. ß.
Seminum lini,
Aniſorum,
Fœnugræci ana. ℥ j. *Miſce, bulliant omnia in aqua & aceto pro fomento.*

Sit emplaſtrum,

Emplaſtrum ſplenicum. ℞ *Axungia porcina,*
Adipis gallinacei,
Anſerini ana. ℥. ij.
Medulla vitulina ℥. j.
Ammoniaci,
Styraci,
Bdellij,
Tauris ana. ℥. j.
Galbani ʒ. ij.
Diſſoluantar gammata cum aceto, & addita cera fiat emplaſtrum.

Quoniā verò hic morbus ſæpe eſt adeo cōtumax, vt neceſſarium ſit deuenite ad præſidia efficaciora, ideo vt abundetis exemplis, habeatis & alterum.

℞ *Ammoniaci,* Emplaſtrum.
Styracis,
Bdellij,
Tharis ana. ℥. ß.
Galbani,
Salis ammoniaci ana. ʒ. ij.
Seminis agni caſti,
Ruta,
Baccarum hedera. ana ℥. ß.
Picis,
Reſina,
Cera ana, quantum ſufficit, diſſolaantur gummata cum aceto, & fiat emplaſtram.

Si quis plura cupit, is facilè poteſt habere quodcumq; voluerit, apud omnes & veteres, & modernos. & præcipuè apud Gal. Officinæ multa præparant & conſeruant medicamenta ad perficiendam haoc indicationem, qualia ſunt vnguētum althęæ de meliloto diachyló magnū, vnguētum Agrippæ de arthanita, de fermeoto, & forte alia huiuſmodi.

Hoc loco noo eſt prætermittendum remedium quoddam vulgare, & eſt lapis molaris, pyrites aut Remedium vulgare. lapis alioqui duriſſimus, qui acerrimo aceto extinguitur, linteis inuoluitur, & ſæpe ad lieoē appooitur: ſed iis medicamentis vtendum eſt tantummodo cùm tumor ſaltem aliqua ex parte mollitus fuerit. Nam, quod memoria tenendum eſt, in morbo diutturno ac difficili decet alternatim vti medicamentis, partim quæ lienis duritiem molliant, partim quæ diſcutiant, adeo vt modò ad vna, modò ad altera medicamenta redeamus, vt res ipſa poſtulabit. Vulgare item atquæ optimum eſt emplaſtrum ex ammoniaco, opoponaco, oleo de cappatibus, aut oleo cucumeris aſinini, & aceto, quo accommodato in corio, ægri vtuntur longiſſimo tempore, & maxima cum vtilitate.

Cæterùm præter hæc omnia medici deueniunt quandoque ad ſynapiſmata, cucurbitulas ſcarificatas, hirudines, veſicantia medicamenta, ac tandem ad cauterium lienis, vel potius ſiniſtri hypochondrij. Nonnulli etiam, ſi in ea regione lienis compareant venæ nigriores, audent illas incidere, de quibus quidem præſidiis ferè omnibus Aëtius tractat copioſè *cap.* 10. & 11. *lib.* 10. de quibus etiam Paul. & Gal. nec non Alex. *lib.* 8. *c.* 13. qui recitat hiſtoriam cuiuſdam militis, qui ad illum veniens totam lienis regionem barbaricis ferramentis candentibus inuſtam habebat. Ac ſanè huiuſmodi medicamenta, ſicuti ex vna parte apud nos ſunt prorſus inſolita & inuſitata, ita ex altera, cum habeant communem conſenſum tot grauiſſimorum hominum fortaſſe poſſent aliquando in vſum reuocari; atq; eo magis quod niſi eſſent profutura, meâ certè ſentētiâ neque vllum periculum eſſent allatura.

Poſtremò autem ſuot nonnulla quæ latente quadam vi & proprietate dicunnt laborantem lienem iuuare, de quibus tractant multi, & veteres & moderni: hæc habet Galenus ex Aſclepiade & Archigene 9. de med. ſecuod. locos. c. 2. *Cynogloſſi M. j. cum cyath iiij. vini, ter tio & expreſſum liquorē ante cibum bibendum dato.* Aliud: *Aſini aut equi*

ſyluestris

Digitized by Google

ſylueſtris lienẽ ſiccatũ tundito & reponito, & cochlearia duo exhibeas cũ vini diluti cyathis tribus. Hi ſũt amuleta & per contrarietatẽ quandã naturalem ad iecur & lienem facere credita multa, quale etiã eſt ſequens: *Venam retro autem ſiniſtram ſecato, & detracto ſanguine affectum lienẽm cõfricato.* Multa inquam, habet Alex. multa alij. de quibus nolo ego meum iudicium interponere; ſtatuat de illis vnuſquiſque pro ſuo arbitratu, & pendat ea experientia. Apud nonnullos & præſertim monachos, eſt familiare quoddam remedium, ad ſanandos omnes ſcirrhos lienis, quod ſiue latente quadam proprietate, ſiue aliter aiunt eſſe efficaciſſimum, & eſt huiuſmodi: hominem lienoſum nudatum collocant ſupinum, & ad regionem lienis accommodant folium chartæ: deinde omni conatu & totis viribus ſecuri acutiſſima ſupra chartam lienem percutiūt. quẽ hoc modo charta remanẽte integra aiunt rupi minui, & ſanari tametſi nõ leuẽ quidẽ vulneris & ſãguinis effuſi faciãt ſuſpicionem: quod quidem remedium mihi magis ridendum, forte etiam deteſtandum videtur, quod ego quidem ſemel vidi.

Remedium temerarium.

Poſthæc omnia illud vnum reliquum eſſet, vt ageremus de victus ratione, ſed ex iis quæ à nobis variis in locis tradita ſunt, facile eſt vnicuique illam probè inſtituere. Breuiter victus ſit attenuans, ſibi conueniunt qui aperiendi aliquam vim habeãt, facilè concoquantur, & bonum ſanguinem poſſint generare: ſicut ex altera noxia ſunt quæ craſſum & glutinoſum ſuccum poſſunt efficere. Potus ſit vinum tenue quod aqua in aqua ferrum vel chalybs extinctus fuerit, dilui poterit, alioqui prorſus aqua abſtinendum eſt. Exercitationes moderatæ iuuant, antequam alimenta ſumuntur, nec mihi probantur vehementes illi motus & curſus, de quibus loquitur Aëtius *lib.* 10.*c.*13. ſicuti neque mihi probantur illæ appenſiones ad ſcalas quæ à vulgaribus fieri ſolent, vt lien, quemadmodum illi opinantur, cadat & minuatur. Somnus ſit moderatus, nec ſtatim ab aſſumpto alimento incatur: alui excrementa reſpondeant cibis: vitentur animi perturbationes, atque hactenus de obſtructionibus & ſcirrho lienis.

Victus.

CAPVT XVIII.

De dolore Colico.

Nomen.

INTESTINORVM nomine Medici intelligunt totum illud inſtrumentum ſiue corpus, quod inferiori ori ventriculi eſt continuatũ, & ad extremũ vſq; podicem peruenit, quod quidem cum ſit prælongum, neq; eadem vbique ſit figura, ſitus, ſubſtãtia neq; habeat eundem vſum, quaſi multa ſint organa, plurali voce inteſtina nominãtur. Hæc anatomici diuidunt in duas partes principales, nempe in tenuia & craſſa, atq; ex his ſingulis ternariũ numerũ conficiunt, adeo vt ſex ſint in vniuerſum: tenuia ſunt duodenũ, ieiunũ, tenue: craſſa ſunt cæcũ, colum, & rectum. Tenuia inteſtina, quæ ſunt ſuperiora, Gal. auctore 4. *de vſu part. c.* 17. ad hoc potiſſimum ſunt efformata, vt eorum beneficio, quidquid eſt ſucculentum in cibo ventriculi opera elaborato, id ad iecur ſanguinis officinam deducatur: quare & frequentiſſimè ex meſenterio venæ ad ipſa perueniunt, quæ aſſiduè trahunt & alliciunt, quicquid in cibo benignum & ſucculentum eſt. Longa vero, anguſta, & variis anfractibus ea circũduxit natura, vt ſuccus, quem ex ventriculo promanantem excipiunt, in mora eſſet, eumq; tantiſper ſuo complexu retinerent, donec venæ meſaraicæ illũ exugerent, & ad iecur deducerent. Craſſa autem inteſtina, etſi ad chyli diſtributionem ipſa quoq; cõducãt: tamen ſũt magis excrementorũ receptacula, quare paucioribus quoq; venis donantur, minuuntq; longa ſunt, ſed ampliora, vt multa colligere poſſent, ne homines frequentius neceſſitate egerendi compulſi, à ciuilib. ſtudiis & operationib. auocarentur. Inteſtina habent ſubſtantiam membranoſam, verum non omnium ex parte pariter aut craſſam, aut tenuem, ſed talem quę facile amplectitur ea quę continet, & rurſus quę à contentis diſtendi apta eſt. Inteſtina omnia, perinde vt ventriculus, habent duas proprias tunicas, quę ſibi transuerſis prędite ſunt, vt excretoria eorum facultas ſit valentior: quę duplex tunica illis fuit attributa, vt ſi forte interior putreſcat in dyſenteria, aliiſq; diuturnis malis, quod interdum fieri dicit Gal. 4. *de vſu partium circa finem*, altera ſit incolumis, atq; eius vicem vtcũque ſupplere poſſit. Tunica autem craſſorum inteſtinorum tanto tenuiũ inteſtinorũ tunica interiore durior eſt, quanto illa materiam continet duriorem, & à ſucco magis liberã: quæ enim gracilibus continentur inteſtinis liquida, fluida & aquea ſunt adhuc, quæ verò in craſſis ſunt, longè duriora.

Diuiſio inteſtinorum.

Vſus & officium.

Subſtantia.

Inteſtinis venæ, arteriæque, ſed non omnib. pari numero & frequentia ſunt diſtributæ, quòd non in omnibus inteſtinis eadem exugenda ſuccorum copia fuerit: quo enim inteſtina in continuitate vẽtriculo ſunt viciniora, eo plus optimi cremoris continent, ac proinde frequentiora vaſa gracilibus, pauciora craſſis inteſtinis inſeruntur.

Inſertio vaſorum.

Inteſtina demum neruos accipiunt à propagine ſextę coniugationis cerebri, vt prauos & mordaces humores prius ſentiãt, & ad expellendum irritentur, quàm inſigne aliquod incõmodum accipiant. De ſitu inteſtinorum, figura, ac cæteris quæ ad hãc rem pertinent, non eſt longius agendum, quia poto vos ex anatome probè omnia tenere. Ex dictis licet colligere, inteſtina poſſe laborare omni genere morborum, ac primùm qualibet intemperie, & ſimplici & compoſita, & cum materia, & ſine materia, nempe ſanguine bile, melãcholia, & pituita, ex quib. humorib. varij excitantur tumores præter naturam, inflammationes, eryſipelata, œdemata tumores ſcirrhoſi; quibus addunt nonnulli tumores flatuoſos, quos inflationes appellant. Secundò poſſunt laborare morbis in cõpoſitione, ſicuti quãdo obſtruuntur, & impeditur naturalis tranſitus excrementorum; item quando non ſeruant ſuam naturalem poſituram, ſed exeunt circa vmbilicum, vel deſcendunt ad inguina, vel in ſcrotum. Tertiò laborãt inteſtina ſoluta cõtinuitate, vt ſũt vulnera, de quib. eſt *aph.* 78. ſũt vulnera, quod euenit in dyſẽteria, ſũt abceſſus, & alia id genus. Quoniã verò ſi velimus de omnibus ſigillatim agere, tempus non ſuppeteret, vt tractaremus de morbis aliarum partium, cum morbi omnes inteſtinorum mihi videantur poſſe referri ad duo præcipua capita, nempe ad dolores & fluxus, ſiquidem in iis continetur & intemperies, & mala compoſitio, & ſolutio continuitatis, de iis mihi ſtatutum eſt agere, incipiendo ſimul cum Rhaſe à dolore colico, in quo iure continentur omnes dolores inteſtinorum.

Nerui inteſtinorum.

Morbi inteſtinorum.

Colicos dolores medici dupliciter ſolent appellare, vt notat Gal. 2. *de locis aff. cap.* 2. 6. *de locis affect.* 2. Vno modo generaliter, vehementiſſimos quoſq; dolores in quibuſcunq; partib. ventris euenerint, in qua ſignificatione quamplurimi tractant de dolore colico: altero propriè, nẽpe dolores vehementiſſimos & contumaces, qui particulatim malè afficiunt craſſa inteſtina. Cornelius Celſus nominat morbum inteſtini plenioris: vulgus medicorum hodie *colicam* vocant, quod quidem nomen videtur ortum habuiſſe à læſa particula, nimirum, colo inteſtino, quod conuenit inter omnes potiſſimum dolere ac laborare.

De Colico dolore.

Quis motus. Eſt autem hic affectus ſymptoma, actio leſa facultatis animalis ſentientis inteſtinorum, de quo ſymptomate iam ſæpius diximus.

Differentia. A loco affecto. Dolores colici habẽt quàmplurimas differẽtias,de quib.diligenter agendũ eſt. Primùm verò ſũt, quæ ſumuntor à loco affecto: namq;laborant inteſtina vel tẽuia & ſuperiora, vel craſſa & inferiora:dolorẽ qui ad tenuia pertinet εἰλεὸν Græci vocãt,Latini *voluulũ*,vulgares *Miſerere mei Deus*:De quo ſtatui ſeparatim poſteriùs agere.Dolorẽ autem qui craſſa occupat inteſtina, *colicũ* nominant, à colo inteſtino, vt diximus, à quo tãquam cæteris longiore & magis amplo,meritò hoc nomen originem babuit, de quo ſpeciatim dolore nos agimus in præſentia:

A magnitudine. Secundò ſunt differentiæ à quãtitate ſeu magnitudine vel ab intẽſione ſeu remiſſione doloris:etenim tametſi omnes dolores colici,vt placet Gal.6. *de loc. aff. c.* 2 ſunt vehementiſſimi & grauiſſimi, veriſimile eſt, vel potius neceſſarium,maiorem vel minorem dolorem fieri propter multitudinem, vel craſſitiem, vel motum, vel qualitatem eius rei à qua dolor efficitur, quæcunque illa fuerit. Quæ pariter eſt ſententia Gal. 2. *de loc. aff. c.* 2. Certum enim eſt materiam pauciorem, tenuiorem, quieſcentem,ac minori agendi vi præditam,minorem prorſus dolorem concitare, quàm quæ multa & craſſior eſt, mouetur, & maiori potentia prædita eſt. Colicos dolores qui quoquo modo ſunt leuiores. Auicenna *punctiones* ſolet appellare.

A qualitate. Tertiò ſunt differentiæ à qualitate doloris, de quibus diffuſè tractat Gal. loco citato. 2. *de loc. aff.* ſed illæ ſunt magis principales. Colici dolores alij ſũt extenſiui, adeo vt non ſolùm inteſtina, ſed aliæ quoq;proximæ partes extẽdãtur,quod potiſſimũm fieri ſolet à flatibus:alij ſũt fixi & vno in loco permanentes,ac ſi palus in parte foret infixus, quãdoque verò ac ſi terebro locus dolens videatur confodi & perforari,quos propterea *dolores perforantes* nonnulli appellãt, cuiuſmodi dolorem Gal.narrat, ſe paſſum fuiſſe, quo ea quæ in profundo ventris erant, in eo potiſſimũm ſpatio, per quod à renibus ad veſicam vreteres extenduntur, ſibi videbantur terebro perforari. Alias multas ſpecies & qualitates doloris refert Gal. ex Archigene veluti tractorium, auſterum, dulcem, leuiter acutum, ſalſum, viſcoſum, indomitum, & aſtringentem, quæ nomina cum ſint obſcura & audiorem nihilo doctiorem reddere poſſint, tanquam inutilia, dicit Gal. perinde ac ſi omnino ſcripta non fuiſſent,ſunt relinquenda & proſſus negligenda.

Atque vtinam non hoc etiam tempore noui ſint Archigenes qui nouas, ambiguas & inuſitatas voces quotidie conantur in artem medicam introducere, quas neque cæteri, neque forte ipſi ſatis intelligunt: quæ quidem ſcribendi & docendi ratio quantas tenebras imperitis animis poſſit offundere omnem diſciplinam confundendo & perturbando, & quantum à bonis auctoribus, præcipuè verò Ariſt. & Galen. reprehendatur, notios eſt quàm vt plurib. debeat demonſtrari. Sed redeo ad differentias doloris colici.

A tempore. Quarto loco ſunt differentiæ à tempore dolores colici, alij ſunt antiqui, alijnoui, alij continui, alij interpolati & quibuſdam veluti circuitibus reuertentes ad quem modum narrat Gal.hiſtoriam cuiuſdam iuuenis, qui poſt ſumptum ſcammonium per quædam interualla ſæpe dolotibus colicis vexabatur, 11 *meth. cap.* 7.

A more. Quintò ſunt differentiæ à modo affectus, à bono vel malo more: nam colici dolores vel ſunt benigni & facilè ſanantur, vel ſunt maligni vixque vllam recipiunt curationem:alij ſunt peſtilẽtes,alij non peſtilentes, quam quidem doloris colici differentiam, à pleriſque omnibus prætermiſſam non prætermiſere Paulus & Auic. Paulus enim mentionem facit cuiuſdam colicæ ægritudinis ſua ætate ſæuientis, quam à finib.Italiæ incipientem, narrat per pleraque alia loca Romani imperij inſtar peſtiferę contagioois graſſatam fuiſſe. Pariter Auic. *lib.* 3. *fen.*16.*tract.* 2. *c.*6. ſcribit ad hunc modum. *Et quandoque accidunt colica, & ileos ſecundum ſemitam accidentia ægritudinem peſtilentialium aduenientium, & perueniunt de regione ad regionem, & de homine ad hominem.* Et rurſum *lib.eodem tract.*4. *c.* 30. *Et ileos quidem vadit de quiſuſdam ad quoſdam permutatione, quæ fit in aere peſtilentiali, & de terra ad terram permutatione ægritudinum venientium.* Hæc Paulus & Auicenna, quos locos illi debent animaduertere,qui contendunt peſtem eſſe quendam certum & determinatum morbum, & illi perpetuò febrem coniungi: de qua re longius diximus in tractatu noſtro de Peſte.

A coniunctis. Sextò ſunt differentiæ à coniunctis:quandoque colici dolores ſunt vel cum febre, vel ſine: cum virtute robuſta vel debilijio iuuene vel ſeneſtate vel hieme; & cæteris quæ habent eãdem rationẽ.

Poſtremò ſunt differentiæ à cauſis, quæ inter cęteras omnes ſunt dignę maxima notatione & animaduerſione.Cęterùm cum hęc pars à pleriſq; admodum confusè tractetur, qui nullo ordine infinitas prope colici doloris cauſas ac veluti quoddam chaos ſolent proponere, experiamur nos, an dilucidioris doctrinæ gratia, hanc totam rem in certa quædam, & definita capita poſſimus referre.

Cauſa. De cauſis doloris diximus aliàs quod eſt ſatis,& ſtatuimus ex Galen.4.*de ſimp.med.facult.* dolores fieri propter vnam tantummodo cauſam, nempe ſolutionem continui.Cum igitur inteſtina doleant, vt aliqua adſit continui ſolutio neceſſe eſt.Prætermiſſis autem cæteris omnib. cauſis, & potiſſimùm externis, quę poſſunt ſoluere continuum, de quib. itẽ diximus diffusè,illud memoria eſt repetendum quod pariter iam ſuprà confirmatũ fuit,duas qualitates,duas per excellentiam Philoſophi & Medici actiuas appellant, frigiditatem & caliditatẽ,eſſe quàm maximè efficaces ad ſoluendum continuum noſtri corporis, atq; ad efficiendos dolores:ex quo id nob.licet colligere,dolores colicos ab iis potiſſimùm excitari,quęcunq; vehementer poſſint inteſtina refrigerare, vel calefacere, namque alię duę qualitates, humiditas & ſiccitas, niſi caliditati vel frigiditati coniungãtur primò& per ſe vix poſſunt continuum ſoluere & dolorem efficere,niſi fortaſſe leuiſſimum,& cuius nulla ſit habenda conſideratio.Vtraq; autem quæ cum refrigerandi, tum calefaciendi vim habent, non vna ſed multiplici cõſtat ratione:itaque alimenta craſſa,frigida,quæ ferè ſũt manifeſta aquæ importuna potio,aut præterea nimis, qua inſano quodã appetitu pletique viri principes tantopere delectantur aër frigidior, intempeſtiua exercitatio,crapula,immoderata venus, & ne ſim longior, quæcumque humores frigidiores crudiores,pituitam & flatum poſſunt efficere, cauſæ doloris colici ſtatuendæ ſunt. Pariter quæcunque iis ferme contraria, humores gignere poſſunt calidiores & acriores à quib.inteſtina vellicentur, mordeantur & affligantur, iure huius mali liceet cauſas ſtatuere. Summa ergo cum ratione ſcribit Gal.12.*meth. c.*8.in craſſioribus inteſtinis dolores fieri plerunque, aut ex frigida craſſa & lenta pituita, nec non ex flatuoſo aliquo ſpiritu, aut ex tenui,& acri humore,locum mordente & vellicante: iis addit Auicenna humorem melancholicum, quotieſcuoque vel à liene vel ab vniuerſo corpore tranſmittitur ad ventriculum & inteſtina, ex quo poſtea generantur flatus, qui facilè ex humore melan-

melancholico generantur. atque ita efficiuntur dolores. Nonnulli addont & ſanguinem, ſed reuera aut nullus, aut leuiſſimus dolor à ſanguine poteſt excitari, niſi fuerit coniuncta inflammatio, de qua poſteriùs tractabitur.

An ſola intemperies inducat dolorē colicum.

Nonnulli quærunt hoc loco, an ſimplex inteſtinorum intemperies ſine materia poſſit colicos dolores efficere? Quibus reſpondeatis breuiter, iſtud quidem fieri poſſe, ſed tamen rarò, & dolores fieri admodum leues, cum huiuſmodi intemperies ſine materia breui tempore ſoleant perdurare, quin generentur & flatus & humores, à quibus poſtea generantur dolores vehementiſſimi.

Secũdo loco fiunt dolores colici ab iis quæ obſtruunt inteſtina, quotieſcunque enim & flatus, & humores, & excrementa retinentur, & impediuntur, quo minus poſſint erumpere & excerni pro inſtituto naturæ, tunc facilè & frequenter dolores ſolent excitari: huiuſmodi verò obſtructiones à multis fieri poſſunt, tumoribus præter naturam, inflammatione, eryſipelate, œdemate, ſcirrho, à multa copia humoris craſſioris, à multis & durioribus alui eacrementis, à vermibus, vt placet Auicennæ, ac poſtremò à lapidibus, quod aſſerit Aëtius, & confirmant nonnulli recentiores; de quibus itẽ lapidibus an generari poſſint io inteſtinis, Gal. videtur dubios fuiſſe, qui lib. 6. *de locis aff. cap.* 2. ſcribit ad hunc modum: *Scripſerunt nonnulli, quod in vehementiſſimis excretionibus, validis præcedẽtibus doloribus, aliqui lapides calloſos eiecerint, ſimiles iis qui in veſica conſiſtunt*; id quod ipſe neque vidit, neque alium qui viderit, audiuit. Dum ego eſſem iunior Patauij ante annos 40. Frãciſcus Friſimelica, meus præceptor, medicorum ſui temporis, meâ ſententiâ, princeps, & omni veriſſima laude cumulatus, mihi & pleriſque aliis aſſeuerauit, ſe vnum lapidem deieciſſe; & quod fortaſſe alicui magis mirum videbitur, equidem vidi ex vtero cuiuſdam monialis exiiſſe multos lapillos duriſſimos. Ac ſanè ſi hæc res bene conſideretur, nihil videtur prohibere, quin lapides generari poſſint, & in inteſtinis, & in vtero, ſicuti generantur in veſica: etenim rametſi hæ partes naturali ſua temperie ſint frigidæ, tamen neque deeſt interdum tanta caliditas, quanta eſt ſatis pro ſiccanda, & coquenda materia craſſiore, vt demum illa conuertatur in lapidem. Atque hæ videtur eſſe cauſæ, vel potius fontes cauſarum, ad quos referri poſſunt quæcunque dolores colicos poſſunt afficere, primò & per ſe laborantibus inteſtinis.

Calculi excreti.

Per conſenſum.

Sed præterea, vt placet Auic. illa quoque nõnunquam laborant per conſenſum aliarum partium, ventriculi iecoris, lienis, renum, vteri, veſicæ, quotieſcunque hæ partes inflammantur, vel aliter intumeſcunt, ſiquidem tunc cõprimuntur inteſtina, eorúmque ſoluitur continuitas, & colici dolores generantur. Verùm, vt liberè dicam, hæ cauſæ mihi videntur imaginariæ; alienæ que ab omni tũ ratione, tum experientia; quod facilè poteſt intelligi, ſi conſideremus ſitum & conditionem inteſtinorum, quæ vel inſignes vicinarum partium tumores commodè poſſunt perferre; nec non ſi memoria repetamus, ſæpiſſimè fieri, vt iis partibus inflãmatis, vel aliter quomodocunque repletis, & tumeſcentibus, præcipuè verò ventriculo, veſica, vtero, nulli tamen ſuccedant inteſtinorum dolores: ac ſpeciatim malè ageretur cũ mulieribus prægnantibus, ſi geſtationis tempore, ac maximè poſterioribus menſibus, vtero tantopere tumeſcente, cogerentur laborare dolore colico. Sed præterea Gale. refutat hãc opinionem *6. apho. comm.* 44. qui diſputat aduerſus nonnullos expoſitores apho. nec vterũ neque veſicã, quantũcunque repleantur, extendantur, atque in maximum tumorem attollantur, dolores inteſtinorum efficere poſſe. Quod ſi iſti velint huiuſmodi partes poſſe interdũ inteſtinis aliquod malũ communicare idque ea potiſſimùm ratione, quòd illis ac maximè ventriculo & iecore à ſuo munere deficientibus, generentur excrementa, quę deinceps ducta ad inteſtina dolores efficiant aut foueant, forte appoſitè & ad rem accõmodatè loquerentur: quandoquidem vix aliter videtur fieri poſſe, quin laborantibus inteſtinis, princeps aliqua pars, exempli gratia ventriculus, ſi redundent humores frigidi vel iecur, ſi calidi, vtcunq; malè afficiatur. Verùm ſingula breuiter in vnũ colligamus.

Sicuti generaliter omnis doloris, ita ſpeciatim colici, vna & immediata eſt cauſa cõtinui ſolutio; hanc efficiunt quæcunque inteſtini poſſunt vehementer vel refrigerare, vel calefacere. illa quidem, vt Gal. eſt auctor, denſando & contrahendo & fundendo, & diſſoluendo, vtraque ſi multa fuerint, replendo, grauando, & diſtendendo

Secundò continuum ſoluunt quæcunq; inteſtina poſſunt obſtruere, & eſſe impedimento. quò minus flatus & excrementa facilè poſſint excerni: tumores præter naturã multa & craſſa materia, copioſa & duriora excrementa, vermes, lapides, & ſi quæ alia huiuſmodi. Quamobrem illa omnia quæcunq; poſſunt inteſtina, vel primò & per ſe, vel ſecundariò & per conſenſum, malè afficere, atque eorum continuitatem ſoluere, iure colici doloris cauſæ ſtatuenda ſunt. Atque hactenus de eſſentia & differentiis doloris colici; itaque accedamus ad ſigna.

Signa doloris colici in vniuerſum ferè ſunt manifeſta: dolor eſt vehemẽtiſſimus, & cruciatus maximus, adeo vt ſi leuior fuerit, vt ſuprà diximus, verè colicus non debeat appellari, ex ſententia Galeni 7. *de locis aff. c.* 2. Hic dolor quãdoque eſt fixus, & vno in loco ſtabilis, terebro perforanti, aut palo infixo ſimilis: quãdoque verò eſt vagus & inſtabilis, & modò in hac, modò in illa parte validius vrget, pro vario ſitu inteſtinorũ, ac potiſſimùm coli, quod tradunt anatomici à dextra parte in modum cuiuſdam zonæ, ad ſiniſtram procurrere: itaque nunc hepatis regionem occupat, nunc lienis, tunc ventriculi, frequenter renum, ſupra & infra vmbilicum, ſæpiúſque in ſiniſtro inguine plus vrget, eo quod in ea parte colum ſit magis anguſtum; ducto in conſenſum ventriculo vomitus ſæpe excitatur, quo pituitoſa, cruda, nonnunquã birioſa porracea, & æruginoſa vacuantur, perpetua ferè adeſt nauſea, & afflicta, & proſtrata appetentia; aſſumpto alimento dolor ſolet augeri, quòd tunc inteſtina deprimantur & grauentur, ieiunio autem ventriculo ſolet imminui, quòd tunc inteſtina ſint libera ab huiuſmodi incommodo & compreſſione; ægroti habent aluum ſæpe impeditam & adſtrictam, adeo vt ferè nihil infrà, ne flatum quidem emittere poſſint: quod ſi quid vel ſponte, vel arte redditur, id maiori ex parte eſt flatulentum, & bouino ſtercori ſimile aquæ ſupernatare conſueuit. Atque hæc ferè illa videntur eſſe indicia, ex quibus geoeraliter colici dolores deprehendi poſſunt, itaque accedamus ad ſigna differentiarum.

Signa.

Vtrùm leuia an craſſa inteſtina laborent, hoc eſt, vt ego interpretor, vtrùm iliaca vel colica ſit affectio, infra explicabimus, tractantes de ileo; patiret vidẽtur prætermittenda indicia quæ ſumuntur ex differentiis à qualitate doloris, quantitate, à tempore, & reliquis, cum hæc vel ægrotis referentibus, vel aliis rationibus facilè poſſint intelligi, neque indigeant maiori inquiſitione: ſed diligenter vos decet verſari in cognoſcendis ſignis differentiarũ, quæ ſumuntur à cauſis, ac præcipuè

Digitized by Google

materia ex qua maxima ex parte colici dolores originem habere ſolent. Ergo ſi dolores pendeant ex materia frigidiore, exépli gratia, ex lenta & craſſa pituita, quod frequenter ſolet euenire, huiuſmodi humores, vt placet Gal. 12. *meth.* 8. dummodo ſoli fuerint, non adeo vehementes & acerbos dolores efficiunt: at verò ſi præterea humori accedat flatuoſus quiſpiam ſpiritus, qui ex iis locis, in quibus continentur, nequeat erumpere, tunc grauiſſimi & atrociſſimi fiunt dolores, modò in vna parte, ac ſi illa terebro vel infixo palo perforetur, modò in pluribus, quæ præter modum diſtenduntur & cruciantur: dolor propemodum eſt longior & diutius perſeuerat, nocét frigida, iuuant calida, atq; inprimis optimum eſt remedium, ſi vomitu, clyſtere, vel quomodocunq; exeat pituita: id quod ſcribit Gal. ſibi ipſi euenille impoſito oleo rutaceo, 2. *de locis affectis, cap.* 2. præceſſit victus & vitæ ratio ad generandam pituitá accómodata; aliméta multa, craſſa, difficilis concoctionis, veluti carnes bouinæ, piſces viſcidi, caſeus, lac, quæ ex caſeo & lacte parantur, quæ ex farina & paſta cóficiútur, vina noua, & alia huiuſmodi prope infinita, importuna exercitatio ſtatim poſt ſumpta aliméta, immoderata venus; retenta eſt aliqua ſolita euacuatio, & præſertim pituitæ: quibus demú licet nobis coniungere ætatem, ſexum, temperamentú, tépus anni, regioné, & alia id genus, quæ huius humoris copiam poſſunt indicare: lotia crudiora & albidiora eſſe deberét, quod omnis ratio demonſtrat; verum tamen propter vehementem doloré, qui ſpiritus humores, & vniuerſum corpus nimis torquet & inflámat, illa ſæpenumero flaua & colore intenſa conſpiciuntur: vnde præclarè Auic. inquit *lib.* 2. *fen.* 16. *tractatu* 3 11. *Et non oportet vt decipiatur aliquis per id, quod forte ſit de ſiti & inflámatione, & rubedine aqua, vt exiſtimet quòd ægritudo ſit calida: illud náq; eſt cómune omnib.*

Signa materia pituitoſa.

Signa flatuum.

Sin auté colici dolores fiát ex flatibus, ij vel in cauitate inteſtinorú, vel intra eorú tunicas colligútur primi ferè vagátur, neq; vno in loco perſiſtunt, breuibuſque interuallis ſæpius recrudeſcunt: ſecundi verò ſunt magis firmi, cótinui & pertinaces, quod flatus exitum non inueniant, & locú mutare non poſſint, inteſtina & totus venter intumeſcunt atq; extenduntur, ægroti flatuum multitudiné & tugitum in ventre percipiunt ſi flatus quiſpiá vndecunque vel vtcunq; erúpat, maximo remedio eſt, anceſſit victus ratio planè flatuoſa, intépeſtiua potio aquę frigidioris, vſus plurimus leguminum, olerum, fructuum, vuarum, caſtanearum, & ſimiliú.

Signa materia biloſa.

Si contingat dolores colicos generari ex humore acri & bilioſo (quod tametſi rarius cótingit, tamen certum eſt vſu venire aliquando) tunc illi vehementiſſimi ſunt & acerbiſſimi, non ſine quodam morſu & punctione, ægroti enim dolent & cóqueruntur, ac ſi inteſtina mordeátur, & quibuſdá quaſi aculeis pungantur & corrodantur, maiori ex parte accedit febris, ſitis, æſtus, vigiliæ, interdú cóuulſio, vt notat Aëtius, maximè vbi circa os vétriculi humor fuerit aggregatus, quandoq; & animi deliquia & humiditates, ſudores frigidi; lotia ſunt inſigniter flaua & bilioſa, ac calidis tum alimentis, tum medicamentis, & in vniuerſum ab omni calefaciétis victus ratione irritátur, ſicuti contra à cibis boni ſucci acredinem humoris temperantibus iuuantur maximopere: ſic exhibita hiera, ad purgandos huiuſmodi humores aptiſſima, vel alia ratione ductis humoribus bilioſis, dolores mitigantur.

Quæ omnia indicia huius doloris tradita ſunt à Galeno. 1. *de locis affectis c.* 4. quibus poſtremò coniungenda ſunt, vt ſuprà notauimus, vitæ inſtitutú, ætas, temperamentum, conſtitutio aëris, & alia eiuſdem rationis, quæ bilis generationem & redundantiam poſſunt gignere & indicare.

Si fuerint dolores colici obſtructis inteſtinis, ne excreméta poſſint excerni, quod fieri diximus propter tumores præter naturam, propter multam & craſſam pituitam, propter retentionem multorú & duriorú alui excrementorú, propter vermes, lapides, & ſimilia, ex iis quę hactenus poſita ſunt, facile colligi poſſunt indicia, quæ ſingulas huiuſmodi obſtructionis cauſas poſſunt indicare. Exempli gratia ſi fuerit inflámatio vel eryſipelas, dolores maximi ſunt & acerbiſſimi, & certo in loco permanentes, ægri internum æſtum & pulſationé percipiunt, accedit febris, quæ internas inflammationes perpetuò comitatur, adeſt ſitis, vigiliæ, cómunicata caliditate & ſiccitate ventriculo & cerebro, excreméta ſupra & infra prorſus retinentur, ad ſummá omnia ſunt deteriora & difficiliora, Si fæces fuerint induratæ & retétæ, referéte ægroto res ſit manifeſta: ad qué modú & reliquæ obſtructionis cauſæ facilè poſsút intelligi, vt pluribus nó ſit opus. Atq; hactenus de ſignis doloris colici, tú generis, tum differentiarú.

Quoniá verò, vt ſcribunt Hip. & Plato, referente Gal. 9. *de decretis Hip. & Plat.* 2. *& alijs locis*, ſimilitudines nó modò vulgaribus, ſed etiá eruditis medicis nónunquá errores & ambiguitates parere ſolent, idcirco, vt idé nos admonet Hipp. *in lib. de iis qua fiút in medicina. com.* 1. *tex.* 1. ſimilia an diſſimilia ſint à principio inſpiciendú, ex maximis, ex facillimis, ex iis quæ omnino quocunq; modo cognoſcútur, ita quidé, Gal. interprete, vt quicunq; rectè medicinam facturi ſunt, hanc artis partem, quę ſigna complectitur, intelligere atque exercere debeant, antequam alterá partem aggrediantur, quæ pertinet ad curandi rationem, adeo vt quoties aliquam ſimilitudinem habuerint, exactè valeant ſingulas morborum differentias cognoſcere: quare cú multa ſint in ventre inferiore, quæ aliquam colici doloris formá repræſentare, & nobis imponere poſſunt, opportunè ſtatuenda eſt aliqua ratio, qua huiuſmodi ſimilitudines diſtinguere, & alterum malum ab altero ſecernere poſſimus.

Cùm ergo quis conqueritur de dolore ventris, illud primum eſt animaduertendú, an hic dolor ſit ſublimis, & exterois in partibus cóſtitutus, an non ſublimis & penitiorib. in locis firmatus magis: quá quidem rem apud Gal. diſtinguit peritonæú. *Sublimes dolores*, ille, inquit, 6. *aph. com.* 7. *accipere oportet non ſecundùm corporis longitudiné, ſed profunditaté, eos autem diſcriminat in vétris regione peritonaú ita vt dolores qui in partib. hoc ſuperiorib. fiát, ſublimes dicantur, qui verò in partibus huic ſubiacétib. hoc eſt, ipſis inteſtinis atq; vétriculo & alio corpore conſiſtút, non ſublimes vocentur*, quòd profectò eſt dignú animaduerſione, tú propter rationé curandi planè variam, pro varietate partium laborantiú, tum maximè propter prognoſticú. Nam quemadmodú hoc loco docet Hipp. dolores ventris ſublimes ſunt leuiores, nó ſublimes ſunt fortiores; ſiquidé partes internæ, vétriculus, iecur, inteſtina, & ſimiles, procul omni dubio ſunt magis principales & maioris momenti: externæ autem quæ ſunt ſupra peritonęum, ſunt ignobiliores, & minus periculoſæ, præterquá quod partibus internis non ita facilè remedia poſſunt accommodari, ſicuti externis, quæ ferè ſunt in ſuperficie. At verò ſine multo labore, alter locus ab altero, alter dolor ab altero diſtinguitur, ipſo nimirum ſenſu, genere doloris, & aliis ſymptomatibus; etenim muſculi abdominis, & cæteræ partes poſitæ ſupra peritonæum, vix patiuntur vehementiſſimos & acerbiſſimos dolores, quos diximus pati inteſtina. Pariter ſi quis tactui animum diligenter adhibeat, vel apparéte aliquo tumore, vel aliis modis, is facile ſublimium partium læſionem depre-

hendere

hendet: namque laborantibus externis partibus, ferè nulla apparent ſymptomata, quæ ioternas partes laborantes comitantur ſæpenumero, vel quæ proximis partibus conſentientib. aliquando ſolent obſeruari. Itaq; prætermiſſis in præſentia partibus ſublimibus, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, vbi nobis conſtiterit partes internas laborare, illud vnum reſtat vt intelligamus, quænam peculiaris pats ſit malè affecta ex pluribus quæ intra peritoneum continentur. At verò multarum huiuſmodi partium læſionem & dolores tum alia, tum maximè ſitus ratio manifeſtè demonſtrat, adeo vt ferè nemo ſit ita rudis, qui dolores ventriculi, iecoris, lienis, veſicæ, à dolore inteſtinorum non facilè poſſit diſcernere: verùm inter omnes partes vterus, quoquo modo in mulieribus, & renes præcipuè ac frequenter videntur cum inteſtinis dolentibus aliquam ſimilitudinem habere: etenim mulieres quandoque vel à partu, vel quo tempore fluxuri ſunt menſes, dolore quodam vehementiſſimo ſolent torqueri, qui ferè dolorem colicum videtur repræſentare. Memini me olim vidiſſe & viſitaſſe duas nobiliſſimas mulieres, alteram Vicentiæ puerperam, alteram Venetiis virginem; quarum illa ſemel & ſæpius ſtatuto menſium tempore vſque adeo acerbo & ſerio vteri dolore cruciabatur, vt medici quidam opinarentur fuiſſe dolores colicos: veruntamen neque admodum difficile eſt, alterum ab altero dolore diſtinguere, namq; ſi mulier doleat à partu, ferè eſt neceſſe, vt menſtruæ purgationes aut planè ſupprimantur, aut ſaltem aliqua ex parte imminuantur, dolor magis eſt in ligamentis, vt ferè coxendicus videatur, ac propemodum ad inguina deſcendit. Si autem mulier doleat propter difficultatem menſium fluentium, quo quidem ſymptomate multę puellæ virgines ſolent corripi frequentiſſimè, etſi venter vtrumque dolet, tamen huiuſmodi dolor videtur ſpeciatim circa renes reſidere; qua parte venæ & vaſa ſemini deſtinata tendunt ad vterum, ſiquidem illa ob plenitudinem diſtenduntur, & dolorem afferunt. Præterea neque alia deſunt vteri laborantis indicia, periculum ſuffocationis, & alia id genus, quæ à dolore colico maiori eſt parte ſunt aliena. Quod ſi demum iis addas, quæ de ſignis doloris colici diximus ſuprà, iam nullus ambiguitati locus fortaſſe reliquus fuerit.

Signa diagnoſtica doloris colici.

Signa doloris renum.

Cæterum coli & renum dolores tot modis inter ſe conſentiunt, & ſigna vtroſque indicantia vſque adeo commiſcentur & confunduntur, vt illis diſcernendis nobiliſſimi etiam Medici decipiantur ſæpenumero, ex quibus vnus fuit Galen. tantus medicus, qui colico dolore cruciatus fatetur, ſe illum venalem iudicaſſe, 2. *de locis aff. cap.* 2. Verùm neque hîc deſunt rationes, quibus poſſimus alterum ab altero ſeparare; ex iis quidem quæ præcedunt nulla fere eſt coniectura, quæ certi aliquid poſſit afferre, ſiquidem vterque affectus cruditates ferme ſequitur, & maiori ex parte pituitam cauſam habet ſuæ generationis: quare tum præſentia, tum ſequentia ſunt animaduertenda.

Itaque vtrobique ducto in conſenſum ventriculo, nauſea & vomitus vrget, ſed multos maiores, & frequentiores accidunt iis qui coli dolore cruciantur, quòd conſtat ex anatome, colon fundo ventriculi contiguum eſſe: vnde quod alterum ſignum poſitum eſt ab Auicenna, aſſumpto alimento ac repleto ventriculo colici dolores augentur, ieiuno autem & vacuo ventriculo imminuuntur: quod contra euenit in dolore renū, renibus quoquo modo ab humiditate alimenti lenitis & recreatis. Præterea colico dolore laborantes pituitoſa quędā & corrupta nonnunquam & billioſa euomunt, quib. præaſſumpti quoq; alimenti aliquid permiſtum videtur: ſic alui excremēta lōgè magis in colicis retinētur, vt ne flatū quidem emittere aut ructū edere poſſint: ampliùs dolores colici plurimos ſępenumero locos ſolēt occupare, & modò in hac parte, modò in altera vehementiores fieri: renū autē dolores vno in loco ſtabiles, & quidē exiguo reſtringuntur, quē ipſi renes circumſcribunt, ac fere alterutrū latus iuxta renū dolorem occupat, niſi forte dolores vna cū cauſa in vaſa vreteræ deſcendant, aliquando etiā perueniant ad coxendicē, ad teſticulū ad femur, quę è directo ſunt propter eū cōſensū quē ad renes habent cū dictis partib. de quo ſcribunt Hip. & Gal. 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 6. Sed tamē notādū eſt, fieri poſſe interdum vt dolor colicus in certo loco firmetur, vbi ſcil. renes ponuntur: in quo caſu hoc ipſum ſignū ex loco petitū nihil ad notitiā poteſt cōferre. Quod ſi demum dolor fuerit in loco renibus altiore, hoc plane argumentum eſt, euidentiſſimum, malum in colo conſiſtere: iis addenda eſt excrementorū cōſideratio: nā renib. laborātib. vix fieri poteſt quin aliqua adſit vel difficultas, vel mala affectio, quæ ad lotium pertineat; ſiquidem nephritici ab initio ferè aquoſas pluréſq; vrinas reddūt, quæ ſequētib. deinde dieb aſperā ſubſidentiā oſtendunt poſtea exquiſitè arenoſā, aliquando etiā vna cum lotio cruenta exeunt: altera autem parte, ſi dolor in colo conſtiterit, neq; arena, neq; lapis, neque cruor, ſed potius humor quiſpiā pituitoſus & craſſus videbitur ſubſidere in lotio: & quatenus pertinet ad excrementa alui, vt diximus, vel illa prorſus retinentur, vel flatuoſa quodammodo deiiciuntur, quæ ſæpe conſueuerunt aquæ ſupernatare, habentia ſimilem bubulo ſtercori conſiſtentiam. Poſtremo loco dolores nephritici & colici præclarè diſtinguuntur variis remediis & curatione: etenim colicæ exacerbationes laxantib. & lenientibus clyſterib. longè magis mitigantur, quàm dolores nephritici, imò verò euenit interdū, vt frigido aliquo humore ſimul cum clyſtere eiecto, illico quieſcat, ſicuti euenit Gal. qui ſibi impoſito oleo rutaceo paulò pòſt vehementiſſimo cum dolore excreuit pituitam, à Praxagora vitream nominatam, quòd vitro fluxu tum calore, tum conſiſtentia ſimilis ſit, adeo vt præſidium non tantum mitigatorium, ſed etiam curationem & indicatorium meritò poſſit appellari: quemadmodū pariter ſi lapis cum vrina eiiciatur & ęgrum dolore liberat, & ſimul laborantem locum demonſtrat: in ſumma lapidem frangentia medicamenta recreant dolorem renum, neque ſubleuant dolorem colicum: contrà quæ iuuant dolorem colicum, renum dolori non proſunt, dummodo propriam & legitimam vtriuſque partis curandæ rationem animaduertamus: namque ſi velimus huius doloris mitigandi rationem habere, quod principio vtrobique faciendum eſt, vtriuſque doloris præſidia debent eſſe communia, ſiue extrinſecus adhibeantur, ſiue interiùs recipiantur, quæ nimirum ſunt moderata caliditate, & tenui ſubſtantia, & propriè anodyna dicuntur, de quib. aliàs diffusè diximus: ex quo Gal. ſcriptum reliquit *de locis aff.* 2. quanquam medicus inter initia in diſcernendis duobus doloribus fallitur, id nihil intereſſe, ſed tamen fore neceſſe vt deinceps probè alterum ab altero ſeparet, & vtriuſque propriam curandi rationem, quæ planè diuerſa eſt, accuratè intelligat: namq; ille loquit 6. *de locis aff.* 2. ſicuti in principio vrgente dolore, vtraque pars iiſdem indiget præſidiis, ita in eo quod ſequitur tempore, indiget diuerſis. Sed hàc de re ſatis, ad curationem veniamus.

Diximus aliàs ex Gal 5. *de ſimp. med. fac. c.* 19. nec

Curatio dolorum.

non 12. *meth. c.*8. dolores calidos, & cæteros omnes triplici ratione curari : primùm, per quædam medicamenta moderatæ caliditatis, ac tenuis ſubſtantiæ, quæ dolorem lenientia dicuntur : ſecundò, per medicamenta ſtupefacientia, quæ ſtuporem afferendo efficiunt, ne æger dolorem percipiat: tertiò, per ea præſidia quæ afferunt cauſam doloris. Nos ſingulas rationes perſequemur, quòd in curandis colicis doloribus modò vna, modò altera, modò omnibus indigeamus : & à priore faciamus principium, quæ medicamenta anodyna complectitur, quorum in principio dolorum ſolet eſſe vſus maximus & frequentiſſimus, cum ſæpenumero habeant rationem, non modò doloris, ſed etiam cauſæ adeo vt, ſicuti iam notauimus ex Gal. ſint aliquando non tantum anodyna, ſed etiam ſanantia. Sed antequam iſtud faciamus, non prætermittenda ſunt ſigna prognoſtica, ex quibus facilem vel difficilem, felicem vel infelicem morbi terminationem licet præſagire, quæ ferè ſunt huiuſmodi.

Prognoſtica.

Namq; vbi futura eſt ſalus, dolores ſunt remiſſiores, incouſtantes, neq; vno in loco obſtinatè perſiſtunt, imò verò aliquãdo intermittũt, tametſi poſtea redeunt : excrementa non prorſus retinẽtur, quibus vel ſpõte, vel arte redditis, æger quoquo modo videtur quieſcere : iis licet addere quæ omnibus ferè morbis ſunt cõmuoia; facilem ſpirationem, bene ſe habere ad oblationes, mente conſtare, & alia huiuſmodi. Contrà autẽ ſi morbus eſt inſanabilis, & tendit ad interitũ, dolores sũt acerbiſſimi, vno loco firmiter fixi, minimè inconſtantes, nuſquã & nunquã intermittunt, nullus quieti locus relinquitur, excremẽta penitus detinẽtur, vrgẽt vigiliæ, deſperatio. & demũ ſequuntur vomitus, ſingultus, deliriũ, refrigeratio extremarũ partiũ, ſudores frigidi, ſyncope, & mors. Inter cæteras autem differentias, illa quæ ex inflãmatione ortũ ducit, omniũ grauiſſima cẽſenda eſt, vt quæ præter alia pericula ſæpenumero ſoleat in ileon terminare. Sed & altera differentia, quã diximus eſſe peſtilentẽ & contagioſã, eſt maximè lethalis, de qua ſcribit Paulus *lib.*3.*c.*43. multos ægros in morbum comitialem, quoſdam in paralyſim, & nonnullos in vtrumque morbum incidiſſe.

Auic. arguitur.

Hic ego ſum neſcius, quid ſibi voluerit Auic. qui 3. *cano. fen.* 16. *tract.*9. inter ſigna exitialia doloris colici reponit neſcio quod veſtigiũ, atq; vt ille appellat, botor nigrum ſicuti faba, in ſupercilio, ſi modò illud vlceratur, & remanet vſque ad diem ſecuodam : quibus talibus ineptiis frequenter videmus illius ſcripta eſſe referta.

Curatio.

Aggredimur primam rationem curandi dolores colicos per medicamenta anodyna : & quoniam hi dolores maiori ex parte ſunt in craſſis inteſtinis ſicuti diximus, iure clyſteria principem locum obtinent, & ante cętera omnia præſidia debent adminiſtrari : hæc igitur conficiantur ex medicamentis temperatis, & dolorem lenientibus, chamæmelo, anetho, oleo amygdalarum dulcium, & ſimilibus, ſecundùm hanc formam.

℞. *Chamameli, Anethi ana, M.* j.
Seminum aniſorum,
Fæniculi ana. ℥. j.
Fiat decoctio in aqua ad conſũptionẽ medietatis,
℞. *Huius decoctionis lib. j.*
Olei amygdalarum dulcium recentis,
Mellis roſati ana. ℥. ij.
Miſce pro clyſtere.

Pariter optima ſunt clyſteria ex ſolis oleis cõfecta quorum meminere Galen. Paulus & omnes, qualia forent oleum anethinum, chamæmelinũ, amygdalarũ dulcium, vel ſola, vel inter ſe cõmiſſa ad ℥.xv. quibus portio quoque adipis anſerini, vel gallinacei poteſt commodè permiſceri. Quòd ſi in iiſdem oleis decoquantur ſemina flatus diſcutientia, qui ferè in dolore colio nunquam deſunt, fiet medicamentum non modò anodynum, ſed etiam quoquo modo curatorium : & eſt remedium Gal. 1. *meth. cap.*8. 2. *ad Glauc.* 6. Sit exemplum :

℞. *Olei chamamelini completi lib.* xi.
Seminum aniſorum,
Fæniculi, Cumini,
Ammeos ana. ℥. ß.
Vini maluatici ℥. j.
Miſce, bulliant ad conſumptionem vini.

Nonnulli ſolent accipere tantum vini quantum olei, ſed malè, quooiam vinum non eſt anodynum, ſicuti oleum, ſed mordicat inteſtina. Quo loco illud eſt accuratè animaduertendum, quod dicit Gal. locis citatis, boc tempore non conuenire neque rutam, neque baccas lauri, neque alia acriora medicamenta quo potpter copiã materię non poſſunt eam diſcutere & flatus diſſoluere, imò verò ſępius augent dolores. Nonnulli familiariter vtuntur clyſtere ex puro oleo ſeminis lini quod ſanè eſt optimum, ſed fortaſſe magis conuenit progreſſu morbi poſt alia clyſteria, quàm principio dolorum.

Externa anodyna.

Neque verò hæc ipſa anodyna medicamenta ſolùm infunduntur, ſed etiam exteriùs adminiſtrantur, & primùm ſunt inunctiones ex oleo anethino, amygdalarum dulcium, adipe gallinaceo, & ſimilibus quibus calidis vniuerſus venter illiniendus eſt. Secundò ſunt fomenta; ſic excipiuntur hæc ipſa olea vel veſica, vel lana, vel ſimili re, & aſſiduè fouentur partes dolentes: ſic parantur decocta ex rebus anodynis, & cum ſpongia madefacta fiunt fomenta, quæ ſolent inter cætera præclaram operam præſtare. Et ſit exemplum.

℞. *Chamameli,*
Anethi ana. M. j. ß.
Seminum lini,
Fænugræci,
Aniſorum,
Fæniculi,
Cumini ana. ℥. j. ß.
Contundantur craſſo modo, & bulliant pro fomento in aqua communi.

Capiunt vulgares filum crudũ, & decoquunt cũ cinere in aqua, & illud calidum apponunt ad ventrem. Alij calefaciunt pannos, ligna, lapides, & ſimilia. Alij vtuntur fomentis ſiccis, ex furfuribus, milio, ſale, cinere, calefactis, & omnibus modis ſtudent veotrem calefacere. Sed equidem cenſeo hac in re cautè & prudenter agendum eſſe: etenim quæ inſigniter poſſunt calefacere quęcunq; illa fuerint, iam anodyna vocari non debent, quare ſæpius obeſſe & dolores augere conſueuerunt. Quocirca principio dolorum, & quo tẽpore iis tantum agendum eſt quæ illos poſſint mitigare ac lenire, diſcatis vos abſtinere ab omnibus, quæcunque vel actu vel potentia ſunt calidiora quam ferat natura lenientium medicamentorum, quæ quidem potius ſunt adminiſtranda, quàm cauſis doloris proſpiciendum eſt, de qnibus in ſequentibus agemus.

Cautela.

Oua fricta.

Sed inter cætera omnia medicamenta anodyna ſequens audio maximè celebrari, leniendis doloribus non ſolum inteſtinorũ, ſed etiam ventriculi, & plurimarum partium namq; ex primo oleo, vel butyro, vel aliquo oleo anodyno vt chamæmelino, multa oua contuſa in ſartagine decoquunt, quibus demum addunt medicamẽtum accõmodatum, veluti ſpecies aromatici roſati, diarhodum, &c. atq; ita vulgare id edulium præparant, quod apud nos vulgo *frittagia* dicitur, quod ad totam aluum vel aliam partem dolentem opponunt : & certè non eſt inutilę medicamentũ, dummodo cum ratione adminiſtretur. Poſtremò autẽ nullo modo prętermittendũ

Balneum.

eſt

eſt medicamentũ anodynũ, cæterorũ omnium, meâ ſententia, præſtantiſſimũ, balneũ corporis vniuerſi, quod parari poteſt vel ex oleo puro, cuius meminit Paulus, vel ex decocto leniẽtiũ medicamẽtorũ, quę ſint illa eadẽ ex quib. diximus paraãda eſſe fomenta & clyſteria, vel tãdẽ ex oleo ſimul cũ decocto, quæ ratio balnei proponitur ab Aëtio. Nec verò ſolùm medicamenta anodyna exterius adminiſtrantur, ſed etiã interiùs aſſumũtur, ſicuti eſt decoctũ chamæmeli, quod ſanè eſt pręſtãtiſſimũ; verũtamẽ quod ſit qtoqnomodo ingratũ, loco illius poteſt ſumi decoctũ anethi. vnà cũ ſeminib. odoratis: ſic optima ſũt ſemina aniſorũ, fęniculi, cumini, vel cũ ſaccharo, vel ſine: cõfectiones, aromaticũ roſarũ, diacuminũ, & alia huiuſmodi quæ ſatis leuia ſunt, & accõmodata ad leniẽdos dolores, ac potiſſimũ ſi occupẽt inteſtina ſuperiora. Sed inter omnia medicamenta anodyna quæ interiùs aſſumuntur apud pleroſq; omnes medicos noſtri tẽporis videtur habere inſignẽ prærogatiuã oleũ lini, de quo quidẽ remedio, & proba illius adminiſtratione aliàs diximus: itaq; illud vobis ſufficiat in præſentia, hoc quidem medicamentũ eſſe anodynum, & multis modis non leuiter iuuare, minimè tamen indifferenter in quolibet dolore colico propinandum eſſe, potiſſimùm autem ab huiuſmodi potione abſtinendum eſt, meâ ſententiâ ſi æger habeat ventriculum frigidiorem, & refertum multis humoribus crudis, cùm oleum perpetuò ſoleat ventriculum adhuc magis laxare & debiliorem reddere, atque crudorum humorum ſobolem fouere. Hactenus de prima ratione curandi dolores colicos, per vera anodyna medicamenta.

Iam ſequitur ſecunda ratio, quæ pertinet ad medicamenta quæ impropriè anodyna dicuntur, propterea quòd partes corporis ſtupefaciendo & ſentiendi facultate priuando, demumque conciliando ſomnum, dolores afferũt, quare Græcis *ὑπνωτικὰ* ſimul & *ἀνώδυνα* dicuntur, quaſi ſomnũ conciliantia. Quàm verò vſus horum medicamentorũ ſtupefacientium fuerit familiaris cum veterib. propè omnib. tum vni potiſſimùm Gal. non modò in cæteris doloribus, ſed etiã ſpeciatim in colico, ſatis teſtãtur plurima medicamenta, quæ ille ſcripta reliquit 9. *de med. ſecũ l. oc. c.* 4. adeo vt nunc nobis liceat mirari, quamobrem noſtrates medici illa nõ modò negligãt, ſed etiã tãtopere abhorreãt. Nã quemadmodũ temere & nullo adhibito iudicio non decet iis vti medicamentis, quæ plurima nõnunquã, & ea grauiſſima incommoda ſecum afferunt: ita ſi dolores adeo ſæuiant, vt periculũ immineat ne vires ſimul & vita deficiant. illorũ vſus nõ modò opportunus, ſed etiã neceſſarius cenſendus eſt. Quamobrẽ Gal. 12. meth. c. 1 illos medicos qui ægrori deliriis ſubſcribentes, ciuſque voluptatem non ſanitatem ſibi proponentes, in huiuſmodi medicamentorum vſu modum excedũt adulatores nominat: eos verò qui plus æquo animoſi & audaces. eorum planè vſum refugientes, nimiis doloribus ægrum iugulant, crudeles non veretur appellare: adeo, vt ille inquit, ſicuti in omni totius vitæ ratione, ita hic quoque ſapientis illud conſilium; *Ne quid nimis*: notabile ac præclarum cẽſendum eſt. Itaque leniendis doloribus colicis ſi medicamenta anodina nihil proficiant, ægerque vel propter acerbitatem doloris, vel propter vigilias, fuerit in vitæ diſcrimine conſtitutus, tum vel vnius Gal. exemplo atque auctoritate, animosè audearis vti medicamentis ſtupefacientibus: etſi periculum ſit ne aliqua deinceps offenſio alicui parti ſuccedere poſſit: etenim ſi vitium ex talibus medicamentis contractum modicum fuerit, facilè poſtea accommodatis medicamentis poterit auferri: quod ſi ita fiat vehemens, vt nec longiori tempore tolli poſſit, quis dubitat, inquit Galenus, huiuſmodi etiam hominis conditionem magis quam illius interitum eligendũ eſſe?

Secundus modus leniẽdi doloris.

Ea autem medicamenta ſunt multiplicia partim ſimplicia, opium, radix mandragoræ, ſemina hyoſciami, ſicuta, & ſimilia: partim compoſita, mithridatum & theriaca ante ſextum menſem, Philonium Romanum, Philonium Perſicum, trochiſci diaſpermatum, requies Nicolai, & alia multa, quibus abundant libri medicorum. Simplicia ea vim habent & violentiam, vt vel nunquam, vel certè rariſſimè illis ſolis vtamur. Compoſitis tanquam tutioribus & ſalubrioribus vtimur frequentiſſimè, quorum quidem componendorum illa eſt optima ratio, quam docet Galen. 9. *de med. ſecundum locos, cap.* 4. quæ tres in vniuerſum ſcopos ſibi proponit; primum, vt ſenſus ſtupefiat, quod ea præſtant quæ tali virtute ſunt prædita, de quibus modò diximus: alterum, quoniam hæc medicamenta naturæ partium noſtri corporis, eatumque natiuo calori aduerſantur, ne inde in poſterum aliquod particulæ inſigne detrimentum accedat. Tertius eſt ſcopus, vt hæc ipſa medicamenta non ſolum ſymptomati & dolori, ſed etiam affectui ſymptomatis, & doloris cauſæ proſpiciant: quod vtrumque illa perficiunt medicamenta, quæ prioribus contrariam facultatem ſortita ſunt, hoc eſt, calida, & tenuium partium, ſiquidem ex tali mixtione frigidorum & calidorum, non modò vis ſtupefacientium remittitur & corrigitur, ſed etiam illa eadem facilè ad magis remota dolentis loci particulas videntur poſſe deduci; de qua re ſi quis plura velit, & exactam horum medicamentorum componendorum rationem cupiat tenere, nec non varia exempla cognoſcere, is præter cæteros adeat Galen. qui loco citato hoc argumentum tractat vſque adeo perſpicuè & copioſè, vt nihil præterea poſſit deſiderari.

Stupefacientium catalogus.

Cæterùm ſtupefacientia medicamenta leniendis doloribus colicis dupliciter ſolent à medicis adminiſtrari, vno modo infuſa per ſedem; altero aſſumpta per os. Maximè conueniunt infuſa, vt docet Gal. 2. *ad Glauc.* 6. ſi dolor in inferiorib. inteſtinis conſiſtat: ſicuti potiones, ſi inteſtina ſuperiora cruciẽtur: quanquam neque negandum eſt, epota medicamenta inferioribus inteſtinis, & infuſa ſuperioribus non exiguam virtutis portionem communicare. Habeatis exempla:

Vſus narcoticorum.

℞. *Decocti chamæmeli* ℥. xv.
Olei amygdalarum dulcium ℥. iiij.
Philonij Romani, vel eius loco,
Requiei Nicolai ℥. ij.
Miſce pro clyſtere.

Clyſter narcoticus.

Ex iis medicamẽtis aliquid lana excipitur vel aliter conficiuntur glandes, quæ forti filo appenſæ, quam penitiſſime debent in rectum inteſtinum demitti, vt cum libet facilè recipiantur; quod pariter remedium eſt Gal. 12. *meth. c.* 8. Et ſit exemplum:

℞. *Philonij Romani* ʒ. j.
Vel eius loco grana v t.
Mellis quantũ ſufficit, & fiat ſuppoſitorium.

Quatenus autẽ pertinet ad medicamenta ſtupefacientia, quæ per os aſſumũtur, cõpoſita vt diximus, ſimplicib. ſunt tutiora: nãq; docet Gal. 2. *ad Glau. c.* 6. nec non 12. *meth. c.* 1. Philonio & omnib. ex opio confectis medicamentis, non recentibus, ſed tantũmodo poſt annum, aut ad minimum ſex menſes, vtendũ eſſe, quod ita facta fermentatione, & noua quadã introducta forma, à ſingulis medicamentis diuerſa, illa omnino fiant ſecuriora, quàm ſi ex tempore præparentur & adminiſtrentur. Officinæ multa habent, quorum ſuperiùs facta eſt mentio, ſed inter cætera omnia leniendis colicis doloribus Philonium Romanum omnium conſenſu videtur habere inſignem prærogatiuam, quod ad ʒ j. circiter, poteſt exhiberi ſecundùm hanc formam.

Ætas ſtupefacientium medicamentorum.

℞. Phi

Digitized by Google

℞. *Philenij Romani,*
Sacchari violati ana. ℥ j.
Miſce, fiat bolus.

Quod ſi quis cupiat noua medicamenta præparare, tum alij, tum maximè Gal. poteſt ampliſſimã copiam ſuppeditare; atq; vt abunderis exemplis:

℞. *Caſtorei,*
Croci ana. ʒ. ij.
Opij electi gr. j.
Seminis aniſorum,
Hyoſciami ana. ʒ. j. ß.
Mellis quantum ſufficit, M. & F. electuariũ,

Pleriq; ferme omnes hoc tempore ſolent permiſcere medicamenta ſtupefacientia ſimul cum purgantibus, verbi gratia, electuarium diaphænicon & philonium, de qua re alias diximus.

Cautela I. Poſtremò etiã duob. mihi eſtis admonendi, quæ docet Gal. 12. *meth. c.* 8 Alterum, longè commodius & tutius ſtupefacientia adminiſtrari leniendis doloribus, ab humore calidiore prouenientibus, quàm à frigidiori cauſa oriundis: etenim vtrumq; dolorem leniunt quidem, veruntamen in frigidis doloribus morbum & cauſam morbi reddunt, deteriorem, & curatu difficiliorem nec tam frequenter, nec tam copioſè, neq; ſine maxima neceſſitate debent adminiſtrari. doloribus autem calidis præterquam quòd dolores mitigant, doloris etiam cauſam iuuant, humorum tenuitatem cogendo & incraſſando, nec non illorum caliditatem remittendo & temperando: quamobrem multo audaciùs, copioſiùs, & frequentiùs in calidis, quam frigidis doloribus ea licet adminiſtrare.

Cautela II. Alterum verò eſt in quo multi noſtrates medici, meâ ſententiâ, non leuiter errant, qui vulgari quodam inſtituto, nuſquam & nunquam ſtupefacientia medicamenta ſolent exhibere, niſi quando iam vires deficiunt, ægérque non longè abeſt ab interitu: id quod equidem puto fieri non ſolùm temere, ſed etiam pernicioſè: ſiquidem tantum abeſt, vt debilis alioqui calor innatus tam inſignem frigiditatem ferre poſſit, vt contra ille magis labefactari, atque extingui ſoleat: quare imperiti medici cupientes ſenſum auferre, vnà & vitam nonnunquam auferunt. Sed fortaſſe nimium digreſſi, ad inſtitutum noſtrum reuertamur.

Tertia ratio leniendi doloris. Diximus de duabus rationibus curandi dolores colicos, iam tertia ſupereſt, quæ cauſam doloris conſiderat, ac verè ad curationem pertinet, cum duæ priores ferè vnius ſymptomatis rationem habeant. Cum autem ſtatutum fuerit cauſas colici doloris eſſe plures, ad veſtram vtilitatem deuenio ad curationem vniuſcuiuſque doloris ſecundùm vnamquamque cauſam, incipiendo primùm ab illo, qui ortum habet ex pituita, quam *vitream* appellant, cuiuſmodi certè dolorem conſtat & faciliùs, & frequentiùs cæteris omnibus contingere.

Curatio colica ex pituita craſſa. In hoc itaque dolore præcipua nobis ſeſe offert indicatio vacuandi craſſum & pituitoſum humorem qui continetur in inteſtinis, quamobrem communiter practicãtes ſine vlla mora vtãtur purgantib. medicamentis, electoario Indo, electuario diaphęnicon, hiera diacolocynthidos, & alijs id genus, quæ ducẽdo humorẽ noxium & efficientẽ dolorẽ maximè videntur opportuna. Sic Auic. Paulus, Alex. ac ferè omnes, vno excepto Galeno, purgant hoſce ægrotos validiſſimis medicamẽtis, ſcãmonio, euphorbio, agarico, & ſimilibus. Sed vt liberè dicã, equidẽ non poſſum hanc purgationis rationẽ probare, de qua cum multa poſſent in mediũ proferri, illud mihi ſatis ſit in præſentia, ſoluentia hæc medicamenta præter methodum ac diſciplinam Galeni, addo præter rationem, adminiſtrari, cum materia non ſit concocta, & ad purgandũ præparata, nec non vacoãtio perficiatur pe . . tes laborantes, ex quo fit vt noxij humores vel nullo modo, vel non ſine maximo labore educantur, & longè plura excrementa ad ventriculum & inteſtina tractantur, adeo vt dolor ſæpe fiat acerbior & malum periculoſius. Sic ille iuuenis, cuius meminit Gal. qui antea colicis cruciatibus malè afficiebatur, accepto ſucco ſcammonij. quanquam bene & largiter fuiſſet purgatus, poſteriore tempore per quoſdã circuitus ſimili dolore cœpit torqueri: quã quidẽ noxam Gal. refert in ſcammoniũ, propterea quia magna humorum copia ad inteſtina procubuerit iam ante imbecilla, & quaſi fluxionis quidã exortus fuiſſet affectus. Itaque non ſolùm reiiciendi, ſed etiam ridendi ſunt inepti illi duo verſiculi.

Synocha, iliaca, colica, phreneſis, ſquinantia & anthrax,
Materias crudas euacuare iubent

quandoquidem nulla ratio concipi animo poteſt, quamobrẽ de antiquiſſimo & certiſſimo dogmate Hip. Gal. & omnium rationalium medicorum, quod generaliter crudorum humorum vacuationem prohibet, niſi illi turgeant, morbi iſti in verſiculis contenti magis quam cæteri ſint expediendi.

Quatenus verò pertinet ad Auicennam, Paulum, Alex. & reliquos qui illa docent eſſe exhibenda, ego quidem cenſeo eos malè ſentire, niſi forte hac in re eam moderationem velint adhibere, quam adhibuit Alexand. cuius ſententiam, imò verò ipſa verba tamq; maxima notatione digna, mihi libet cõmemorare, qui ſcribit ad hũc modũ: *At per initia purgãdi ipſi non ſunt, verùm vbi humores prius extenuatos diſſolutoſque ſenſeris, & nullam amplius inflammationem inteſtina vrgere: ita enim illis vſus non erraueris, nec metues vllum periculum futurum materia iam concocta & ad vacuationem parata. Qui enim auſi ſunt humores, dũ crudi ſunt, aut inflãmatio colon exercet, purgare, vel aſtrigentibus uti, iſti ignorant, ſe ægrotãtibus auctores fieri & periculorum, & mortis.* Hæc Alexand. Hac ſanè ipſa ratione nec Auicen. planè ſibi videtur conſtare, etenim qui aliquando vehementia probat medicamenta, alio loco docet, à vehementibus abſtinendum eſſe. *Reprehenſio Auicennæ.* *Et ex eis,* ille inquit 3. canonis fen. 16. tract. 4. c. 1. *in quibus non eſt conuenientia, eſt vt feſtinatio ſit in dando in potu ſoluitiuum deſuper, quoniam fortaſſe eſt opilatio fortis, & humores & ſquibala ſunt plurima, & cum peruenit ad ipſam humor deſuper, fortaſſe non inuenit penetrationem & perducit regimen ad timorem maximum.* Et paulò pòſt: *cumque bibitur medicina deſuper, euacuat non ab vnoquoque duorũ, ſcil. ventriculo & inteſtinis, imò ex aliis locis, à quibus vacuatio omnino non eſt neceſſaria, & illud facit acquirere debilitatem procul dubio.* Et iterum: *& quandoque accidit vt medicinæ attrahentes ex corpore attrahant ad inteſtina alios humores malos, & quandoque attrahant humores excoriantes, quare aggregatur excoriatio & colica ſimul.*

Conſulto volui proferre hos locos Auicen. qui præclarè omnes propemodum rationes ponunt, quamobrem à ſoluentibus medicamentis oporteat abſtinere: quomodo autẽ ille defẽdi poſſit, qui aduersùs decreta Hip. & Gal. imò verò aduerſus ſeipsũ exhibet validiſſima medicamẽta, alij viderint, qui magis illius doctrina delectantur, quàm ego.

Lenientia aluum. Prætermiſſis igitur purgantibus & vehementibus medicamentis, quicquid tandem alij cenſeant, ægrotos colico dolore laborantes nobis liceat vacuare iis, quæ locum affectum, ventriculum & inteſtina leuiter purgare, minimè autem ex aliis partibus excrementa trahere poſſint, veluti inter cætera omnia præſtantiſſima eſt hiera ſimplex, cuius imitatione

poterunt

Digitized by Google

Vomitus. poterunt quoque exhiberi pilulæ alephanginę mel roſaceum ſolutiuũ & alia id genus, quæ ſi ita ferat occaſio, non modò ſemel, ſed etiam bis & ſæpius poterunt reiterari. Pariter opportuna ac ſalutaris vacuandi ratio illa eſt, quæ fit per vomitum, atque non ſolùm ducit humorem noxium, qui dolorem gignit, aut certè fouet, ſed illum ab affecta parte reuellit: qoamobrem ſi coniiciatis vētriculum reliquiis alimenti & pituita refertum eſſe, dummodo æger non fuerit difficilis ad vomendum aut ſponte, aut leui aliquo remedio, docet vomitum prouocare, quo ſæpenumero multa ducuntur excrementa, & res adeo feliciter ſuccedit, vt aliis deinceps præſidiis non indigeamus. *Clyſteria.* Sed conuenit inter omnes clyſteria hac in re præclariſſimam operam pręſtare, à quibus maiori ex parte ſolemus curationē inchoare: in quorum quidem præparatione & adminiſtratione id ſedulò eſt memoria tenendum, quod nos docet Gal. *meth. c.* 8. nempe à clyſterib⁹ calidioribus & vehementioribus cauendum eſſe: etenim talia medicamenta præterquam quod maiorem humorum copiam trahunt ad inteſtina, lentos, craſſos & frigidos humores colliquant, rarefaciunt & in flatus facilè conuertunt, ea quo ſæpenumero dolores longè magis augentur quàm leniantur. Quamobrem multos ex plebe licet audire, quod à Gal. memoria proditum eſt, & confirmat experientia, qui teſtantur colon ſibi minus dolere, ſi nullo cataplaſmate, nulla perfuſione, nullo demum clyſtere calidiore vtantur: adeo vt qui generoſi animi forteſque ſunt ſeruata mediocri & opportuna victus ratione, tutius lõgiore tempore ſanentur, quàm qui violenter calefacientibus vtuntur. Namque *in huiuſmodi ſuccis frigidis & craſſis*, inquit Gal. *a nullo tam metuendum eſt, quàm a calore qui eos liquet atque in flatus conuertat, ſed digerere non valeat.* Quo loco arguendi ſunt, nõ ſolùm multi noſtrorum temporum medici, ſed etiam nonnulli antiquiores, qui ſtatim procurandis huiuſmodi doloribus, vehementiora & calidiora clyſteria aggrediuntur, ea cētaurea minore, colocynthide turbith, hiera Logadij, electuario diaphœnicon benedictæ, & ſimilibus. Itaque ad hanc rem ſunt accommodata clyſteria leuia, quæ conficiuntur ex medicamentis verè anodynis, & quę præterea poſſint flatus diſſoluere de quibus iam ſatis diximus.

Pituita vt concoquẽda Interea humores hi frigidi, lenti, craſſi, diligenter ſunt attenuandi, incidendi, cõcoquendi, & ad commodam vacuationem præparandi: ad quod perficiendum munus, vt de clyſteribus diximus, ea præcipuè ſunt accommodata, quæ non admodum calefaciant, & ſint tenuium partium, qualia ſunt decocta, conſeruæ, ſyrupi, ex mentha, betonica, hyſſopo, ſeminibus odoratis, mel roſaceum, oxymel ſimplex, aromaticum roſaceum, diacyminum, & alia huiuſmodi Inter cætera Gal. maxime probat allium vt pote quod attenuet, flatus diſcutiat, & maximè omnium ſitim inferat, adeo vt ſolitus fuerit ruſticorũ theriacam illud appellare: ſic idem Gal. laudat theriacam, quę quidem videtur poſſe frigidum & craſſum humorem non modò calefacere atque extenuare, ſed etiam latente quadam ratione diſſoluere & conſumere: ad quem modum nos quoque vti conſueuimus mithridato electuario de baccis lauri, & aliis huiuſmodi medicamentis, partim ex tempore paratis, inter quæ caſtoreum videtur habere inſignem prærogatiuam. Habeatis exemplum.

℞. *Caſtorei optimi* ℈. ij.
Piperis albi,
Cinnamomi ana ℈. ß.
Spicæ gr. v.
Miſce & cum melle roſaceo fiant pilulæ tres exhibendæ.

Iis porrò vel ſimilibus medicamentis cocta & præparata materia, opportunè hoc tēpore ad illa clyſteria trãſeundũ eſt, quę non ſint quidē acerrima & vehementiſſima, ſed tamē prioribus efficaciora, & quę purgandi vi quoquo modo non ſint deſtituta:

℞ *Chamæmeli M.* ij.
Centaureæ minoris M. j.
Seminis carthami ℥. ij.
Fiat decoctio in aqua.
℞. *Huius decoctionis lib.* j.
Mellis roſacei,
Olei rutacei ana. ℥. iij.
Miſce pro clyſtere.

Imo verò hoc tempore neq; vſus medicamentorum purgantium prorſus eſt negligendus, quæ tamen nullo modo ſint vehementia, vt ſupra diximus, & inter cætera docet Auic. cauendum eſſe ab agarico, quod creditur peculiari malitia inteſtinis & huic malo noxium eſſe. Ergo medicamenta leniora, & potiùs lenientia quàm ſoluentia, qualia ſunt ea, quæ ſuprà fuere propoſita. Quòd ſi tandem vehementioribus fuerit opus, illa exhibeantur non niſi ſumma cum præmeditatione, & admodum moderatè, quæ quidem medicamenta eo potiſſimùm tempore videntur magis opportuna, & ferme neceſſaria, ſi clyſteria fruſtra imponantur, vt neque purgent, neque illa ipſa exeant aliquando: necnon ſi laborent inteſtina ſuperiora, ad quæ ex partibus inferioribus non ita facilè medicamenta poſſunt peruenire.

Etſi veriſimile eſt, quæ hactenos ſunt propoſita remedia, ſatis eſſe ad integram curationem doloris colici pituitoſi: veruntamen ſi ille fuerit adeo contumax, vt longiore tempore perſeueret, iam neceſſarium eſt aliam rationem amplecti, quæ non minùs ad curationem, quàm ad præſeruationem videtur pertinere. Itaque ante omnia diligenter eſt animaduertendum, quonam modo & propter quam cauſam pituita generetur, an propter intemperatam victus rationem, an potius propter frigidiorem ventriculi & inteſtinorum intemperiem, quòd vtroque modo conſtat, hunc humorem poſſe generari: quod ſi iſtud fieri contingat propter corruptam victus & vitæ rationem, probè inſtituta alimentorum quantitate, qualitate, ordine, & cæteris capitibus, quibus vniuerſa hæc res perficitur, fortè aliis remediis opus non fuerit: ſin verò intelligamus hunc humorem generari ac foueri propter intemperiem ventriculi & inteſtinorum, tunc neceſſarium eſt his partibus ſpeciatim proſpicere, de qua re ſatis diximus, tractantes de affectibus ventriculi. Sed tamen nolo ſilentio præterire duo inſignia remedia, quibus familiariter medici & vtiliter vti conſueuerunt: alterum eſt, ius galli veteris, de cuius præparatione & vſu iam tractauimus diffusè: alterum, eſt potus & balneum aquarum thermalium calidarum, quales ſunt ſulphureæ & ſimiles, quas inter cæteros maximè laudat Alex. *Ius galli veteris* *Potus thermarum.* qui quidem quod meâ ſententiâ eſt magna obſeruatione dignum, neque hacteous ab aliquo obſeruatum, videtur concedere haſce aquas in potione, loco vini, in prandio & cœna, qui ſcribit ad hũc modũ: *At vt ex huiuſmodi aquis bibat ipſis cõcedēdũ habēt enim vim abſtergēdi & expurgãdi, ſi quid viſcosũ tũ vētriculo, tũ inteſtinis influxũ deprehēdatur, ac ſubinde reſtituũt; totũq; morbũ prorſ. perſanãt.* Hacten. Alex. Atq; cũ loqui de potu in prãdio & cœna, inde colligitur manifeſtè, quod ſtatim poſt hæc verba ſubiũgit: *tãtũ de victu dictũ ſit.* Equidē non ignoro multos aquis thermarũ vti cõſueuiſſe quotidie pro coquēdis ferculis, nonnullos illas quoq; permiſcere conſueuiſſe cũ vuis tēpore vindimię, pro conficiendo vino; ſed quòd liceat eas propinare in prandio & cœna ſimul cũ cæteris alimentis, loco vini vel alterius potionis, id profectò

cum

nunquam audiui aut legi apud quemquam, præter quam apud Alex. hoc in loco: de qua noua cognitione in præſentia nolo meum iudicium interponere, interea vos quoque cogitabitis, & alio tempore meam ſententiam audietis.

Colica ex flatibus. Poſt dolorem colicum ex pituita, ſequitur dolor ex flatibus, quem ſimiliter diximus ortum ducere ex cauſa frigidiore, quanquam ſciendum eſt ex Gal. 3. *de ſympt. cauſis. c. 7.* flatus potius ex calore debili, quàm frigiditate generari, adeo vt illi effici nequeant abſoluta frigiditate, aut vehementi caliditate, vt fermè exterius videmus euenire. Nam, quemadmodum dicit Gal. frigidiſſimæ conſtitutiones maximè ſpirante borea, ſerenæ fiunt; calidiſſimæ item, quales ſunt æſtatis tempore, ambientem aërem putum reddunt; quæ verò inter has mediæ ſunt, nebulas gignunt; ita in animantibus, neq; in ſumma caloris imbecillitate, neq; cum iis vehementer valet, ſed cum medium obtinet locum, ſolet flatuoſum excrementum generari, quod quidem Gal. nobis perſuadet fieri in locis, quæ in ventriculo ſunt, cum humores quidam pituitoſi ibi contenti, vel cibi in vapores reſoluuntur à debili calore. Cum igitur & pituita & flatus originem habeant vel ab eadem, vel ſaltem ſimili cauſa, minimè eſt mirum, ſi pariter vtriuſq; doloris eadem ferè eſt curatio: quod eo magis ſtatuendum videtur, quoniam ferme ſemper vtraq; & flatus & pituita ſimul adeo commiſcentur & confunduntur, vt vix liceat alterum ab altero ſeparare. Primùm autem neceſſe eſt illud nouiſſe, vtrùm flatus coniungantur cum materia pituitoſa, an ſoli dolorem faciant: quod ſi vtrumque adſit, curatio quoque mixta eſſe debet, quæ partim noxij humoris, partim flatus rationem habeat. Sed eſto, ſint flatus ſine materia, tunc vnica nobis ſeſe offert indicatio illos diſcutiendi, & roborandi inteſtina: id quod pręſtant in primis clyſteria ex idoneis medicamentis præparata; & ſit exemplum.

Clyſter pro flatibus.

℞. *Seminum aniſorum,*
Fœniculi,
Cymini,
Dauci,
Ammeos, ana. ℥. j.

Hæc apud Gal. vt ſuprà diximus, oleo incoquebantur, & ſi aliqua fuiſſet coniectura, dolentes partes pręterea aliquo frigido affectu laborare, ille addere ſolebat rutam, grana lauri, & ſimilia. Fiat decoctio vel more Galen. in oleo, vel vt nos conſueuimus in aqua.

℞. *Huius decoctionis lib.* j.
Mellis roſati,
Olei chamæmelini completi,
Rutacei, ana. ℥. ij.
Miſce pro clyſtere.

Ex his medicamentis, quæ flatus diſſoluunt, glandes quoq; parari poſſunt, nec non ſedes ipſa oleo rutaceo, liliorum alborum, aut conſimili, non inutiliter inungitur, & aſſiduè fouetur. Si quis cupit habere quoque exemplũ glandis, illud tale eſt.

Suppoſitoriũ pro flatibus.

℞. *Cymini puluериſati* ʒ. ij.
Rutæ ʒ. ß.
Salis gemmæ ℈. j.
Mellis quantum ſufficit. Miſce pro duobus ſuppoſitoriis.

Alij familiariter vtuntur clyſteribus ex vino generoſo, ex ſapa, ex lotio, & aliis rebus acrioribus, quæ quidem videntur aliquando vel aſcendentibus vaporibus ad partes ſuperiores, vel inteſtina irritando, vel aliter, minus incommodum quàm emolumentum attuliſſe: quare ſi quis voluerit illis vti, cómodè permiſcenda ſunt oleũ chamæmelinũ, anethinum, adeps gallinaceus, & cætera, quæ eorũ acrimoniam lenire poſſunt: & ſit exemplum:

℞. *Vini cretici* ℥. x.
Olei chamæmelini completi. ℥. vj.
Miſce pro clyſtere.

Sed neque leuia quædam & lenientia medicamenta, vt hiera ſimplex, manna ex iure diſſoluta, terebinthina Cypria, ad hanc rem inepta cenſenda ſunt, non ſanè quod illa flatus purgare valeant, ſicuti cęteros humores, ſed quoniam ita irritata virtute expultrice, ductibuſq; apertis, flatibus quoq; aliquis exitus facile pateat. Præterea multa ſunt quę peculiari quadam vi creduntur flatus diſſoluere, de quibus ſæpe diximus, vt ſemina aniſorũ, & omnia odorata, diacyminũ, aromaticum roſatum, cõſerua roris marini, betonicę ac demum ne ſingula recenſeam, mithridatum, & theriacha, quæ forte reliquis omnibus ſunt efficaciora, neq; ſolum diſſoluendo flatus, ſed etiam alterando ventriculum & inteſtina ad hoc negotium ſunt plurimum accommodata. Hoc idem perficiunt nonnulla externa præſidia, inunctiones, fomenta, ſacculi, & ſimilia.

℞. *Origani,*
Pulegij,
Calamenthi,
Chamæmelini,
Menthæ ana. M. ß.
Seminum aniſor.
Fœniculi,
Cymini ana. ℥. j.
Spicæ ʒ. j. ß.
Contundantur omnia craſſo modo pro fomento ſicco, vel quandoq; bulliant in aqua, interdum & in vino, pro fomento humido.

Hoc poſtremo noſtro tempore didicerunt deſtillationes elicere oleum ex ſemine aniſorum, ex cinnamomo, & aliis aromatibus, quæ olea & interiùs ſumpta, & exteriùs adminiſtrata præclariſſimè faciunt ad diſcutiendos flatus.

Demum verò præter cætera omnia, ſi dolor ex ſolo flatu originem habeat, qui amplius a materia non foueatur, ſcribit Gal. 11. *meth.* 8. non tantùm dolẽtibus inteſtinis, ſed qualibet etiam corporis parte nullũ magis præſentaneũ remedium inueni, quàm ſi cucurbitula cum multa flãma laboranti loco apponatur: *Videbitur*, inquit Gal. *hoc tibi præſidiũ, in hiſce affectibus incãtamẽti ſimile quid efficere, ſiue ij in inteſtinis, ſiue in qualibet corporis particula fuerint excitati: illico enim cucurbitula admota illi qui flatuoſo ſpiritu cruciãtur, tũ à dolore liberi, tũ omnino ſani reddũtur. Quos vero nõ modò ſpiritus flatuoſus, ſed etiam humor quiſpiã, vnde flatus oritur, malè habeat, tũc ad tẽpus dolor reueritur, ſed tamẽ tandẽ ſedatur.* Videatis hãc totã feriẽ, & quę ſequũtur apud Gal. qui præclarè vſũ cucurbitę in flatib. docet. Huius quidẽ remedij õnes faciũt mẽtionẽ, & inter hos Aëtius, qui probat vſũ cucurbitulę appoſitę nõ ſolũ parti laboranti, ſed in quacũque corporis parte. *Cucurbita appoſita.*

Poſt curationem doloris colici ex pituita & flatibus, ſequitur curatio doloris ex humoribus biliosis & calidioribus, qui poſſunt contineri vel in cauitate, vel in tunicis inteſtinorũ, in quibus curandis illa eſt principalis indicatio, vt huiuſmodi humores primo quoq; tẽpore educantur, ſicuti diximus de pituita. Ergo ſi coniiciamus humorẽ contineri non modò in inteſtinis, ſed etiã in ventriculo, vomitus eſt opportuniſſimus: etenim ſi vomitio intermittatur, non ſolùm fiũt dolores colici, ſed etiam quandoque ſuperueniunt cõuulſio, ſyncope, & alia grauiſſima pericula, ſicuti euenit illi adoleſcẽti, cuius meminit Gal. 12. *meth. circa fi.* qui poſt bibitam aquam tepidam, humorẽ quendã æruginoſum euomuit, quem exactã & pulcherrimã ęruginẽ dixiſſes. Quamobrẽ vel ſpõte immiſſis digitis in fauces, vel *Colica ex humoribus biliosis.*

leuiore

leuiore aliquo præſidio protinùs expedit vomitum prouocare. Sin autem noxius humor magis occupet inteſtina, per ſedem illa infundere oportet, quæ illum commodè elicere & purgare poſſunt: hæc autem, vt omnino detergentia ſint neceſſe eſt. Sed cùm plurima huiuſmodi medicamenta mordicent, ex iis aliquid ſeligendum eſt, quod omni morſu careat, inter quæ equidem puto præſtantiſſimum eſſe cremonem ptiſanæ, qui non ſolum noxios humores detergere, ſed etiam acrimoniam poteſt obtundere; ad quem modum & alia parari poſſunt clyſteria, decocto foliorum maluarum violarum lactucæ, oleo violato, roſato, & ſimilibus. Quod ſi neque vomitu, neque clyſterib. liceat pertinacem humorem educere, iam res perficienda eſt medicamento, minimè autem ſcammonio, aut alio vehementiore, quod multi imperitè faciunt, ſed eum alio leuiore, quod ex vnu ventriculo atque inteſtinis humores purgare, minimè ex aliis partibus noua excrementa trahere poſſit; quale inter cætera omnia Galeno probatur hiera ſimplex, quæ poteſt exhiberi vel ſola, cum melle roſato facto bolo, vel quod ego familiariter facere ſoleo, aqua illi permiſta portione caſſiæ, quæ quidem poteſt acriorem humorem non ſolùm leuiter purgare, ſed etiam illius acrimoniam remittere. Et ſit exemplum.

℞. *Specierum hiera ſimplicis,*
Floris caſſia nouiter extracta ana ℥ ij. ß.
Miſce, & cum ſaccharo fiat bolus.

In hac, ad ſummam, differentia doloris colici probo ego oleum amygdalarum dulcium, de quo aliàs diximus, quod ad ℥ vj vel vij. circiter poteſt exhiberi: ſiquidem præclarè poteſt & lenire aluum, & omnem humorum acrimoniam retundere.

Externa. Si exitinſecùs aliquo remedio leniendus eſt dolor, ſiue inũctionibus, ſiue fomentis, ſiue aliter agere velitis ſint omnia frigida, ex oleo roſato, cydoniorum, ex maluis, violis, & ſimilibus: potiſſimùm verò atque optimum eſt balneum aquæ dulcis, quod præclariſſimè poteſt refrigerare & humectare, ſicuti aliàs diximus. Verùm hac in re principem locum obtinet victus ratio, quæ debet ex alimentis conſtare boni ſucci, facilis concoctionis, qualia ſunt alica, ptiſana, piſces optimi, lactuca, endiuia; quidã fructus, pruna, mala punica, vinum oligophoron, aqua frigida; ad ſummam victus ratio tota ſit humidior & frigidior, cauendum à cunctis acribus alimentis & medicamentis, cataplaſmatis, fomentis, vino antiquo; adeò vt neceſſe ſit fateri admodum præclarum & eruditum fuiſſe illum medicum Italũ, cuius meminit Paulus lib. 3. c. 43. ita inquiens, *Hoc morbo affectis medicus quidam per Italiam curam adhibuit ſuſpectam ſanè atque infidelem, frigorificam ſcilicet, multumque temerariam victus rationem de induſtria commentus: namque lactucas crudas & refrigeratas, intybumque vel vltra ſaturitatem deuorandum ipſis largitus eſt: præterea vuas, mala, & id genus frigida, non tãtum poteſtate, ſed etiam actu: vinum rarò admodum concedebat, neque niſi aqua gelida dilutum: aquam verò frigidam, vel poſcam etiam frigidam propinabat, ab omni autem re calida abſtinebat, atque ita ſanè cõplures à morbo vindicauit, quoſdam ex illis etiam qui in herculeum morbum reſolutionemque membrorum prolabi cœperunt, præter omnium opinionem perſanauit.* Sic Aëtius mentionem facit quorundam ægrorum, qui laborantes doloribus colicis propter biliofos & acriores humores, remediis frigidis ſanari ſũt. ſic noſter Gal. narrat duas hiſtorias 11. *met. c.* 7. quas mihi libet ad veſtram exercitationem breuiter examinare, vt intelligatis quàm ea, quæ hactenus à nobis tradita ſunt, Gal. præceptis & artis operibus conueniant. Prima pertinet ad quendã ægrotum quadragenarium, qui huiuſmodi cruciatus do-

Hiſtoria.

lore à fomentis, tum humidis, tum ſiccis, cataplaſmatis, clyſteribus, & aliis calidioribus præſidiis nõ modò nihil eſt ſubleuatus, ſed etiam quàm maximè exacerbatus: ſiquidem ab oleo rutaceo per ſedẽ infuſo, itẽque à caſtoreo deteriùs habuit: hinc accedentibus fortaſſe aliis indiciis, de quibus ſatis diximus: cõiecturam fecit Gal. hunc ægrotum torqueri doloribus ex acribus & calidioribus ſuccis, qui in tunicis inteſtinorum eſſent immerſi: namque inter cætera id argumentum ſumptum à iuuantib. & nocentibus, tum ad alia multa, tum præcipuè ad cognoſcendos morbos, & illorum cauſas eſt commodiſſimum, quod iam diu traditum eſt ab Hip. duobus illis verbis. *Oſtendit autem curatio* 2. aphor. 22. Cum igitur Galen. ſecum ſtatuiſſet, mordentes ſuccos in tunicis inteſtinorum contineri, qui præterea corrumperent tum ea quæ inferiùs eſſent infuſa, tum ea per os ſumebatur, primùm inſtituit commodam victus rationem, qualis ſuprà eſt poſita: at verò quoniam hoc ad abſolutam morbi curationem vix videbitur ſatis futurum eſſe, iam confirmato iudicio, & doloris cauſa ſatis cognita, quod æger tali alimento minorem cruciatum percepiſſet, vitioſos humores purgandos exiſtimauit, non ſanè ſcammonio, colocynthide, non electuario diaphœnicon, non aliis validiſſimis medicamẽtis, quibus noſtrates medici vtuntur frequentiſſimè, ſed vna tantùm hiera ſimplici, qua quidem ad purgandos huiuſmodi humores vnà cum Gal. credendum eſt nullum præſtãtius medicamentum poſſe inueniri. Cum autem hic ægrotus doloribus & inedia duobus menſib. conſumptus eſſet, Gal. ſemel illum purgare non eſt auſus, aurei illius præcepti memor *Vbi fames laborandum non eſſe*: ſed ex quibuſdam interuallis moderatè hoc ipſum tentauit perficere, adeò vt nullo prætereà adhibito præſidio, hominẽ quindecim diebus circiter prorſus ſanauerit.

Altera eſt hiſtoria Gal. cuiuſdam iuuenis, priori ægroto propè paris, qui ſæpe antea colicis doloribus affici conſueuerat: hic accepto ſucco ſcammonij, purgatus eſt; neque enim defuerunt omni tempore homines ignari & temerarij qui aduerſus methodum à diuinis hominibus iam diu traditã principio morborum, nullaque ſumpta indicatione de loco affecto, purgantia medicamenta audent exhibere. Cum igitur ille copioſè fuiſſet expurgatus, quanquam primo, ſecundo, & tertio diebus inſtituta opportuna balnei & victus ratione, mediocriter ſe habere videbatur, tamen priore nocte euomuit, quæ antea acceperat, & die tertia reddidit per aluum plura quàm ciborum portioni reſponderent; deinde quarta die etiam magis perſenſit ſibi ventrem dolere: cùm autem ſe in balneo frigus imprudenter accepiſſe exiſtimaret, rutaceum ſibi oleum per ſedem infundendum curauit, à quo non ſolum vehementiſſimè fuit vexatus, ſed etiam liquidam deiectionem copioſiſſimè excreuit, quod facile demonſtrauit, à toto corpore aliquid ad loca ventris adhuc deferri: atque deinceps per circuitus ſimilis redibat cruciatus, ex qua rerum ſerie ac ſymptomatibus Gal. intelligens, noxam ex ſcammonio ad inteſtina procubuiſſe, quæ priùs fuerat imbecilla, hunc in modum curationem aggreſſus eſt, primùm colica omnia præſidia abiicienda curauit, deinde victus rationem inſtituit planè medicamentoſam, hoc eſt, alicam ex aqua decocta, & mali punicẽ granis præparatam, auſteros quoſdam fructus, & alia quæ fluxionem reprimere, & debilia inteſtina roborare poſſent, tunc die quarta theriacam propinauit; ex quibus ſimplicibus remediis æger ſanus redditus eſt, vt poſt hac ad conſueta munia reuerſus, nullum ampliùs ſenſerit incommodum. Sed de dolore colico ex humoribus calidioribus ſatis.

Hiſtoria alia.

Iam verò illud in præſentia eſſet reliquum, vt ageremus de dolore oriundo propter obſtructiones inteſtinorum, ſed nimis longum foret omnia perſequi. Itaque cæteris prætermiſſis differentiis, quæ non niſi rariſſimè ſolent contingere, de vna *Hiſtoria.* obſtructione ex multo & duriore excremēto agendum eſt, quæ frequenter dolores colicos ſolet excitare. Noui & viſitaui monialem, quæ continuos dies 22. nunquam potuit ex aluo deiicere, vnde in maximos incidit dolores, à quibus tamen libera demum euaſit. Gal. hac in re duo proponit præcipua capita curationis, *cap. 94. artis me.* à, primùm, vt ſicciora & duriora excrementa molliantur: alterum vt poſtquam fuerint emollita, educantur. Sunt emollientia humida, & pinguia, ſiue ſuprà aſſumantur, ſiue infrà infundantur ſed inter cætera oleum videtur habere magnam prærogatiuam, ſiue id fuerit oleum commune, ſiue amygdalarum dulcium, ſiue alterius generis: quare iſtis ægrotis commodè olea, vel vnum, vel alterum propinantur, vel ſola, vel ſimul cum iure, aut per ſedem infunduntur: ſic opportuna ſunt clyſteria ex decocto maluarum, althææ, ex iure pingui, & ſimilibus: ſic fercula omnia & alimenta, quæ aluum poſſunt mollire, ad hanc rem ſunt in primis accommodata: huiuſmodi ſunt iura pinguia, decoctum atriplicis, maluæ, ſpinachiæ, imò verò & ipſa olera ex multo oleo præparata, & alia quæ habent eandem rationem. Porrò emollitis iam fecibus illas ducere oportet, id quod primò efficiunt clyſteria acria, exempli gratia, ex decocto mercurialis, betarum, furfuris, ex melle roſaceo, benedicta, electuario diaph. & ſimilibus. Sit exemplum.

℞ *Decoctionis betarum & furfurum lib. j.*
Mellis roſati ℥. iij.
Electuarij diaphanic. ℥ iij.
Miſce pro clyſtere.

Verùm neque medicamenta hoc tempore inepta cenſenda ſunt, ac potiſſimùm ſi fæces in ſuperioribus inteſtinis contineantur, quæ leuia ſunt, minimè vehemētiora: qualia ſunt, caſſia, & ſingulari quadam prærogatiua aloe, quod ſpeciatim ſtercorarium medicamentum appellant, & omnia quæ ex aloë conficiuntur: hiera ſimplex, pilulæ aloëphan, & ſimilia plerique omnes maxime laudant ius galli veteris, ex certis accommodatis medicamentis præparatum, quod ex iure mollitiem, ex medicamentis acredinem acquirit, vnde vtrique ſcopo à Gal. poſito poteſt ſatisfacere.

Auxilium admirandum. Cæterùm hoc loco minimè videntur prætermittenda duo auxilia à veteribus excogitata, non ſolum planè noua, ſed etiam digna admiratione: vtriuſque meminit Alex. *lib.* 10 Primum tale eſt: Folle fabrili, quo vulgo accenditur ignis, in anum immiſſo, flatus in ventrem emittitur, adeò vt inteſtina, & venter vniuerſus diſtendantur, deinde folle extracto protinus clyſtere infunditur ex hydrelæo, id eſt, aqua & oleo, & momento nitri, hoc clyſtere, inquit Alex. omnia quæ inteſtinis, & ventre continentur, vnà cum clyſtere euacuabuntur, ſiue ſtercus, ſiue humor, ſiue ſpiritus flatuoſus fuerit, adeo vt admireris. Sed huius præſidij longè ante Alex. meminit Hip. & quidem accuratiùs, qui ſcribit hūc in modum 3. *de morbis* cap. 15. *Follem fabrilem indito & in ventrem flatum immitto, à quo & venter, & inteſtina diſtendātur, deinde extracto folle clyſtere adhibeto, ſit autem infuſum præparatum non ex valde calefaciētibus, ſed ex iis quæ excrementa diſſoluūt & colliquant, poſtea obdurata per ſpongiam ſede, in aqua calida reſideat, continens clyſteris infuſum, & ſi hoc infuſum ſuſceperit, & rurſus dimiſerit, ſanus euadit.* Hæc Hip. Hoc remedio ego nunquam ſum vſus, neque aliquem vtentē audiui aut legi, præter vnū Amatum Luſitanum, qui centuria prima curationum medicinalium vltima, teſtatur ſe eo ſemel & feliciter vſum fuiſſe. Alterum remedium conſtat ex *Remedium aliud.* pilula plumbea, quæ ab ægroto ore eſt aſſumenda: quæ res vſque adeo videtur inepta & abſurda, vt nil ineptius eſſe poſſit. Quæſo enim quomodo plumbum poteſt conuenire in ducendis excrementis? niſi fortè quis credat, id fieri ſuo pondere & grauitate? quod item abſurdiſſimum videtur. Itaque licet mirari, neminem fuiſſe hactenus qui hunc locum obſeruauerit, & huius remedij aliquam rationem reddiderit. Ego verò dum aliquando hanc rem cogitaui, in eam veni ſuſpicionem, Alex. pro plumbo ſtibium, quod vulgo *antimonium* vocant, intelligere voluiſſe, quam quidē ſuſpicionem mihi faciebant multa, neque leuia argumenta. Nam primùm plumbi & ſtibij eadem ferè eſt intemperies & natura, adeò vt non deſint viri doctiſſimi, qui id tantùm diſcriminis inter vtrumque eſſe contendunt, quòd plumbum in igne liqueſcat, ſtibium verò nunquam, ſed facilè teratur in puluerem: quare quicunque vtriuſque hiſtoriam ſcribunt, poſt vnū ſtatim de altero tractationem faciunt.

Deinde ſi Alex. ſententiam animaduertatis, facilè intelligetis id ex plumbo catapotium, tanquam ſoluens medicamentum proponi: ſiquidem ille docet minimè inter initia, neque omni tempore, ſed tantùm apparente concoctione illud exhibendum eſſe: niſi enim ſecutura fuiſſet purgatio, fruſtrà & ineptè illam animaduerſionem poſuiſſet. Quæ demum coniecturæ illo quoque argumento poſſunt confirmari, quod Alex. pilulam ex plumbo euphorbio copulauerit, quod conſtat inter omnes pituitam & aquam educere Antimonium autem ſoluere, & validiſſimè ſoluere, notius eſt quam vt indigeat longiore confirmatione. De quo illud vos admoneo, etſi multi opinantur, hoc inuentum fuiſſe recentiorum, tamen Dioſcoridem purgantis antimonij facultatis mentionem feciſſe. *cap. de elaterio.*

Poſt traditā curationem doloris colici, & generaliter, & ſecundùm vnamquamque differentiam, vt habeatis omni ex parte integram tractationem, duo videntur reſtare adhuc: vnum, victus ratio: alterum, medicamenta, quæ agunt à tota ſubſtantia. Sed quoniam de victus ratione iam plurima tradita ſunt, ex quibus facilè vnuſquiſque poteſt probè illam inſtituere, nolo iam prolixior eſſe properans ad ea medicamenta, quæ latente quadā vi, proprietate creduntur colicis doloribus prodeſſe. *Medicamenta occulta.*

Illud autem primum debetis memoria repetere, quod aliàs diximus ex Gal. 1. *de med. ſecun. genera* 9. *de ſimp. med. & aliis locis*, huiuſmodi medicamēta ſola experientia poſſe intelligi, illáque non manifeſtis qualitatib. ſed recondita quadā vi, quā vocant proprietatē totius ſubſtātiæ, morbos iuuare, qualeſcunque illi fuerint, à quacunque cauſa originē habeāt, & in quolibet morbi tempore. Multa autem ad colicos dolores à multis ſolent proferri: apud Gal. *Stercus lupinum.* 10. *de ſimp. med.* principem locum obtinet ſtercus lupinum, qui teſtatur ſe nonnullos vidiſſe illo vtētes nō amplius hoc affectu correptos, & correptos id non grauiter paſſos, ſed neque poſt paucum temporis: imò verò Gal. probatur hoc remedium non modo ore aſſumptū, ſed exterius etiā apprehenſū: de cuius præparatione, apprehenſione, & vtendi modo, loquitur diffuſè, vt nos propterea in hac re explicanda non oporteat eſſe longiores: Auic. 3. *ca-* *Inteſtinum lupi.* *non. fen.* 16. *trac.* 4. *c.* 14. maximè probat inteſtinū lupi exſiccatū, & in puluerē deductū, & ſtercori lōgè anteponit: quem plerique omnes hoc tempore imitantur, neglecto ſtercore, quod fortè abhorrent, familiariter vnum lupi inteſtinum præparātes, quod vulgo ſolet exhiberi ad ʒ. j. cum vino Gal. pariter

21. *de*

Alauda. 11. *de ſym. med.* laudat autem puſillam quam alaudam vocamus, cuius aduerſus colicos vtilitatem, inquit, ſe ſatis expertum fuiſſe: imò verò cum hæc auis Græcè κορυδὸς dicatur, Gal. ſimul *Corydalæ* cuiuſdam herbæ mentionem facit, quam inquit colicis conuenire: quam quidem herbam ego ſum neſcius, an aliquis in præſentia nobis poſſit indicare. Rhaſis hoc in loco plurimum commendat cornu ceruí vſtum redactum in puluerem: & ita non deſunt alia propemodum infinita. Sed Alex. hac in re, & Gal. & omnes medicos facilè ſuperat qui non tantùm probat & ſtercus luplnum, inteſtinum cæcum porci, alaudam & alia multa natura conſtantia, ſed etiam nonnulla, quæ arte licet effingere: namque in lapide medico inſculptum neſcio quem Herculem erectum, ſuffocantem leonem, & incluſum in annulum aureum, ægro geſtandum porrigit: ſic annulum ferreum in hunc modum præparat, illius circulum octangulum effici, atque ita in octangulum inſcribendum præcipit, *Fuge, fuge bilis, alauda quærebat.* Audiatis verò, qualenam de hoc remedio encomium & teſtimonium afferat, qui ſcribit ad hunc modum. *Huius magnam habui experientiam, & abſurdum putaui tantum medicamentum, naturali vi colico aduerſum, vos celare: ſed vos moneo ne quibuſcunque, ſed tantum virtutis ſtudioſis, & qui eiuſmodi poſſint conſeruare, veliris communicare, quod etiam diuinus Hip. præcepit,* his verbis: *Res quæ ſacræ ſunt ſacris hominibus oſtendatur, profanis autem hominibus non item. Præparetur verò dictus annulus 17. vel 21. die Lunæ.* Hæc Alexander.

Cornu cerui. Alex. Tral. ſuperſtitio.

Superſtitioſa remedia damnantur. Quoniam verò temporis anguſtiæ non patiuntur vt ſingula perſequamur, quæ ad exactam huius loci examinationem pertinent, ſatis fuerit in præſentia, quam putamus Gal. & veriorem eſſe ſententiam vobis explicare. Itaque vno verbo ſic puto ſtatuendum eſſe; rerum omnium quæcunque natura conſtant, ac verè ſunt ſubſtantiæ, latentes proprietates & admirabiles vires eſſe recipiendas, contrà verò fictas imagines, characteres, ſigna, & quæcunque ars poteſt effingere, ac merè ſunt accidentia, vt quæ ſine ſubiecta materia nequeant conſiſtere, tanquam ſuperſtitioſa & vana eſſe prorſus reiicienda. Ad quem modum legimus Gal. res naturales & ſubſtantias probare, artificioſas autem & accidentia deſpicere & damnare, 10. *de ſimp. med.* verba faciens de vi ſaliuæ aduerſus beſtias hominē interficientes, hæc habent: *Pollicitus mihi quidam incantationem ſe oſtenſurum, quæ ſcorpios interficeret; vbi illam ſemel dixiſſet atque expuiſſet, ſcorpio mortuus eſt: at poſtea ego ſine incātatione, à ſola ſaliua vidi occiſum ſcorpium, idque celeriter à ſaliua hominū eſurientium & ſitientium, qui eſt acrior.* Ac rurſus 9. *de ſimpl. med. de iaſpide viridi* ſcribit hunc in modū. *Proprietatē nonnullis lapidibus quidam ſuo teſtimonio adſcribunt, qualem reuera habet iaſpis virens, nempe ſtomachū adhaſu ventriſq; os adiuuat: quem nonnulli quoque annulis inſerunt, ſculpúntque in eo draconem radios habentē, veluti rex Nechepſos memoria prodidit: ſanè huius quoq; lapidis ego abundè periculū feci, & collo ſuſpendi, ita vt lapides os ventriculi contingerent: apparebant autem nihilo minus prodeſſe etiamſi ſculpturam non haberēt.* Sic 6. *de ſimp. med. principio,* non dubitauit Pamphilū deſpicere & irridere, qui in quodā tractatu de herbis ad aniles fabulas, ſimulque ad præſtigia quædā inania ſe conuertit, nōnullis vtens incantationibus, quas colligendis herbis admurmurare conſueuerat. At poſtremò, ne ſingula loca recenſeam, quæ apud eum plurima ſunt, lupini ſtercoris, de quo ſuprà diximus, admirabilē vim explicans, *hoc,* inquit, *obiter dictum ſit, ſi quis inuenietur, qui ſic ſuſpenſis fidem habere velit: dico autem ſic, quoniam ſubſtantia eſt quæ ſuſpenditur, non voces barbaræ, vt quidam præſtigiatores facere ſolent, quoniam & alias ſum expertus alias ſubſtantias, quæ in aliis aff. ctibus ſimiliter operentur.* Neq; verò me ab hac ſententia remouet Alex. teſtimonium & auctoritas, qui vt ſua carmina & incantationes defenderet, Gal. ſibi facit patronum, quaſi ille propria tractatione palinodiam cecinerit, & omnia retractauerit. *Honeſtum eſt,* inquit Alex. *morbum vincere, & omni machina ægrotis ſuccurrere: nā diuiniſſ. Gal. qui neceſſe quidem carmina putarit, longo poſt tempore, multóque vſu multum ipſa poſſe deprehendit: audiatur verba ipſius, quæ de medica Homeri tractatione reliquit, habent autem hunc in modum: Nonnulli putant incantationes anicularum fabulis eſſe perſimiles, quemadmodū ego quoque diu exiſtimaui: temporis autem progreſſu, ab iis quæ euidē er apparent perſuaſus, fateor vim ipſis ineſſe: nā & in percuſſis à ſcorpionib. iuuamentum ex eis ſum expertus, nec minus oſſibus gutturi infixis, quæ carmine ſtatim extrahuntur.* Hæc Gal. referente Ale. Ego verò id nō verebor affirmare, huiuſmodi ſomnia & figmenta, quæ neſcio quomodo hominum imbecillitatē nimis ſuperſtitione occupant, tamdiu à certiſſimis Gal. placitis eſſe lōge aliena: atque id primùm me mouet, quod certo ſcio Gal. de medica Homeri tractatione nullum librum conſcripſiſſe, quandoquidem videtur via fieri potuiſſe, quin aut proprio ſuorum librorum catalogo, aut cæteris libris illius ſemel mentionem fecerit. Etenim quanquam ille ſemel & bis pollicitus eſt ſe librum de hac materia ſcripturum fuiſſe: tamen nuſquam & nunquam de carminibus, characteribus, & aliis huiuſmodi ſuperſtitionibus ſe acturū promiſit, ſed de medicamentis quæ natura & ſubſtantia conſtant, & quæ agunt proprietate totius ſubſtātiæ: atque hæc certo certius eſt vera & legitima inſcriptio huius libri, qui deſideratur, minimè autem de Medica Homeri tractatione, vt nonnulli ſomniant, quos audio eiuſmodi inſcriptionis ingenioſæ eam rationem reddere, quòd Homerus doceat aliquando fluentem ſanguinem verbis & characteribus ſuppreſſum, alioſque affectus diuerſis myſteriis ſanatos fuiſſe. Sed finio, dicóque ſi Gal. verbis, carminibus, & ſimilibus ſuperſtitionibus tam præclarum dediſſet teſtimonium, quale affert Alex. ille rem tradidiſſet ab omnium illuſtrium Philoſophorum & Medicorum auctoritate abhorrentem, & propriis dogmatib. diſſentientem, demum ab omni ratione alienam, id quod fortaſſe alias commodiore tempore demonſtrabibus. Atque hactenus de dolore colico.

AD CAPVT XIX.

De Ileo.

DOlores ſolent occupare vel inteſtina craſſa & tunc dicuntur colici; vel inteſtina tenuia, & tunc hic affectus appellatur *ileos*: quod nomen pleriqe omnes opinantur originem habuiſſe à parte laborante, nempe inteſtino tertio loco poſito, quod *ileon* vocant: qui mea ſententia decipiuntur, cum inteſtinum id Græcè λεπτὸν, hoc eſt *tenue, & gracile,* minimè εἰλεὸς dicatur, atque Hip. Gal. & cæteri omnes vbique hoc nomen accipiant pro morbo: itaque magis credendum eſt Gal. qui aſſerit 2. *meth. c. 2.* nomen *ileos* ductum fuiſſe à ſymptomate, minimè à parte laborante: ſiquidem εἰλεὸς Græcè idem ſignificat, quod *circumuolui & circumagi*: quare Latini vim Græci vocabuli volentes referre, *voluulum & conuolulum* rectè dicunt. Nonnulli Græci, vt ſcribit Galenus 6. *de locis affectibus 2.* ex quibus fuit Diocles Chariſtius χορδαψὸν nominarunt, quod tenue inteſtinum inſtar chordæ videatur conuolutum. Cel-

Nomin.

Conuoluulum.

ſus *tenuis inteſtini morbum* appellat. Barbari *iliacam paſſionem*: quidam vulgares, ſicuti ſuprà diximus, *Miſerere mei Deus*, ſolent appellare.

Locus affectus quis. Sed antequam ad alia progrediamur, eſt dubitatio, an hic affectus propriè pertineat ad inteſtina tantùm tenuia, minimè ad craſſa? Ac ſanè Galen. 6. *apho. com.* 44. 6. *de loc. aff.* 2. aſſerit manifeſtè, ileon eſſe propriam affectionem tenuium inteſtinorum, minimè craſſorum, atq; in hoc fatetur omnes prope medicos conuenire. Altera autem ex parte hic affectus videtur poſſe attinere non minus ad craſſa, quàm ad tenuia inteſtina: namque ſi conſiderentur cauſæ quæ malè afficiunt tenuia, eaſdem deprehendimus poſſe malè afficere etiam craſſa inteſtina eadémque in vtriſque fieri poſſe ſymptomata. Præterea cum ſine vlla dubitatione ſtercora potiſſimùm ac propriè contineantur in craſſis inteſtinis, in quibus ſpeciem primam & nomen recipiũt, illa autem quandoque reiiciantur per vomitum, hinc quoque iure colligendum eſt, non ſolùm tenuia, ſed etiam craſſa inteſtina laborare: quæ videtur fuiſſe Gal. ſententia, qui 3. *de naturalib. facult. cap.* 13. ſcribit, fieri non poſſe, vt ſtercus reiiciatur per os, niſi primum totum tenue inteſtinum tum ieiunum, tum pylorum, ventriculumque & gulam pertranſeat. Sed his accedit aliud manifeſtum Gal. teſtimonium 3. *ep. ſect.* 2 *com.* 6. qui nihil dubitans, quin & tenuia & craſſa inteſtina laborent, nõnulla ponit indicia, quibus alterum ab altero malum diſtinguatur, & vtrumque inter ſe comparans ita ſtatuit: *Cum ſit periculoſus omnis volnulus, eum qui in tenuiorib. inteſtinis conſiſtit, altero in craſſis eſſe deteriorem, vt qui contagio afficiat iecur & lienem.* Ego verò, qui cenſeo hunc affectum reuera poſſe conſiſtere in vtriſq; inteſtinis, & tenuib. & craſſis, quod poſitæ rationes mihi perſuadẽt, quatenus pertinet ad Gal. puto illum duplici ratione ſibi ipſi poſſit conciliari; vna, ſi dicamus, quibus locis ille aſſerit ileum pertinere ad tenuia tantum inteſtina, eum loqui potius de aliorum, quàm de propria ſẽtentia, id quod ex illius verbis quoquo modo colligi poteſt: altera, diſtinguendo dolorem iliacum dupliciter, vel propriè, cum laborant inteſtina tenuia; vel minùs propriè, cum laborant inteſtina craſſa, ſicuti idem diximus de dolore colico.

Definitio. Itaque Ileos definitore Gal. 6. *de loc. aff.* 2 eſt dolor vehementiſſimus in ſublimioribus partibus inteſtinorum, morbus planè lethalis, à quo rariſſimè quis ſanus euaſit.

Differentia. Differentiæ ſunt quamplurimæ, ac ferè illæ eædem quæ ſtatutæ ſunt de dolore colico: ſed cæteris prætermiſſis illæ ſunt potiſſimùm aduertendæ, quæ *Cauſa.* ſumuntur à cauſis, quas Gal. duas tantum conſtituit, ex conſenſu omnium veterum medicorum alterã, tumores præter naturam: alteram, obſtructionem aridi ſtercoris, adeò vt per inferiora nihil egerat, quippe ipſum, quod laborat inteſtinum, nec acrimoniam, nec pondus toleret excrementorum, ac propterea nititur ea quam longiſſimè à ſe expellere: prohibitum verò deorſum deſcendere, propter eam quæ facta eſt in partibus infernis obſtructionem, in proxima ſupra poſitorum inteſtinorum extrudit: quare excrementa quandoque vſque ad os aſcendunt, vt diffusè traditum eſt à Gal. 3 *de ſymp. cauſ.* 3. & 3. *de natur. facul.* 13. Porrò etiam tumores poſſunt eſſe, vel inflammatio, vt ſcribit Gal. 3 *epid. ſect.* 2. *com.* 6. *de loc. aff.* 2. 3. *aph.* 22. & 6. *aph.* 44. vel abſceſſus quiſpiam, in ſubſtantia inteſtinorum collecta materia, vel ſcirrhus, de quibus meminit Gal. loco poſtremo citato. Sic ſtercora duriora poſſunt efficere obſtructionem, vt nihil poſſit ad inferiora tranſmitti, teſtante Gal. locis citatis. Sed præter has duas cauſas nonnulli tertiam addebant, nempe humores craſſos & tenues, quæ etſi non omni ex parte probatur à Gal. tamen neque prorſus reiicitur, imò verò ille generaliter videtur addere quæcunque inteſtina poſſunt obſtruere, de quibus ſatis diximus ſuprà de dolore colico.

Signa huius affectus & pathognomonica, & ſuperuenientia ponũtur ab Hip. & explicantur à Gal. præclariſſimè in loco ſingulari, in quo mihi liber paulùm verſari. Itaq; Hip. hæc habet 3. epid. ſect. 2. ægroto 9. *Mulier quæ decũbebat iuxta Piſamenum detinebatur volnulo, huic erant vomitus multi, potum cõtinere nõ poterat, dolores circa hypochõdria, & in iis quæ circa infernã vẽtriculi partẽ tormina perpetua, nõ erat ſiticuloſa, incaleſcebat, extrema frigida, vſque ad finẽ faſtidioſa, ſine ſõno, vrina tenues, pauca, excretiones paucæ, crudæ, tenues, nõ erat remedio locus, mortua eſt.* Gal. *in com.* diuidit dicta ſymptomata in duas partes quorũ altera ſint accidentia pathognomonica, quòd omni volnulo neceſſariò cõiungãtur: altera ſuperuenientia, quòd non perpetuò, ſed ſolùm quandoq; ſuperueniãt. Priora sũt hęc, vomitus multi, potũ non poſſe continere, dolores ad hypochondria & circum infernam partem vẽtriculi tormina perpetua. Poſteriora ſunt cætera quæ ſequuntur, in quib. & illud cõtinetur, deiectiones, paucæ, crudæ; tenues, quod videtur maximã cõtinere difficultatẽ. *Signa.*

Namque Galen. paſſim reponit inter ſigna volnuli inſeparabilia, nihil per aluum deſcendere: ne longè abeamus, ita ſcribit 7. *aph.* 10. *In illis nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis*: & 6. apho. 44. *in illo nihil deſcendit inferius, ne quidem ſi acerrimo vtaris clyſtere*

Imo verò, vt ille docet 3. *aph. com.* 22 ileos nihil aliud eſt, quàm retentio ſuperfluitatum alimenti, quæ per inferiorem aluum excernuntur; ac demum *de ſympt. diff. c.* 4. & 3. *de ſympt. cauſis* 2 ita ſtatuit, ileum eſſe ſymptoma actionẽ læſam abolitã facultatis expultricis inteſtinorum, adeò vt apud Gal. tã certum ſit, quàm quod certiſſimum, in ileo tanquã ſignum proprium & inſeparabile, nihil per aluum deſcendere. Contra verò nos videmus Hip. manifeſtè aſſeuerantem, in hac muliere laborante volnulo, deiectiones fuiſſe tenues, &c. Ac ſanè hic locus mihi videtur inſigniter difficilis, quæ difficultas adhuc ſit maior, quòd Gal. alioqui tã oculatus, illum *in com.* cõniuentibus oculis prætermiſerit ac diſſimulauerit, qui de eo ne verbum quidẽ fecerit. *Inſignis difficultas.*

Nonnulli docti viri ita hãc difficultatem diſſoluunt: in ileo dum fit, nondumq; integrè eſt factus, per aluum poſſe quædã excrementa deſcendere: in volnulo autem iam facto & abſoluto, nihil prorſus poſſe deſcendere. Quæ certè ſolutio equidem neſcio quanti ſit facienda, ſiquidem neceſſariò fatendum eſt mulierem Hip. laboraſſe ileo, omni ex parte abſoluto, cũ teſtimonio Gal. ex verbis Hip. colligi poſſit, illam ſecunda ſtatim die, aut longiſſimè tertia, mortuã fuiſſe. Fortaſſe illud reſpõderi poſſet, minimè in omni loco, ſed tantummodo in aliquib. aluum omni ea parte retineri: quæ reſponſio videtur poſſe colligi ea Gal. *de ſympt. diff.* 4. qui dicit priuationem facultatis expultricis in quibuſdam ilei ſpeciebus cõtingere, verbi gratia, quando inteſtina laborãt inſigni inflãmatione, in qua nihil omnino per inferna excernitur. Sed reuera neq; hæc mihi ſatisfacit reſpõſio: nam ſigna inſeparabilia debent perpetuò comitari morbum, & omnes ſpecies morbi. Præterea ſi diligenter conſideretur ſpecies volnuli, quo laborauit hæc mulier, multáque ac lethalia ſymptomata, quæ illi fuere annexa; vtiq; fatendum eſt, illa ortum duxiſſe ex inflammatione, &c. *Solutio difficultatis.*

Supereſt tertia reſponſio, quæ eſt illius, qui curauit imprimi codices Latinos apud Valgiſtium Venetiis, namque ea verba Hip. habent in margi-

ne

ne hanc notationem, quod ait de deiectionibus. (*fortaſſe nullas fuiſſe legendum eſt:*) ac ſanè quiſquis fuerit auctor iſtius animaduerſionis, mea ſententia fuit vir eruditiſſimus, & in Gal. diſciplina verſatus, cuius iudicium non poſſum ego non probare, perſuaſus potiſſimùm auctoritate Gal. & Auic. Etenim Gal. huius dictionis non meminit minimè illam prætermiſſurus, vt puto, ſi tantam repugnantiam cum ſua doctrina comperiſſet, quantam nos intendimus illam continere. Auic. item tractans de ſignis ileos 3. *canon. fen.* 16. *tract.* 4. *c.* 31. & afferens, ni fallor, hunc locum Hip. tantum abeſt, vt ſcribat fuiſſe deiectiones tenues, &c. vt omnino affirmet nihil per infernas partes egredi: ſcribit enim ad hunc modum: *Signa ileos ſunt, vt ſit dolor ſupra vmbilicum, & non egrediatur aliquid omnino deſubtus, quemadmodū dixit Hip.* Hæc, Domini, mihi venerunt in mentem de hac difficultate, quibus vt ingenuè dicam, ego prorſus non acquieſco, acquieſcam tamen, donec alia magis probabilia occurrant.

Signa differentiarum. Signa differentiarum ileos ſunt ferè manifeſta ex iis, quæ diximus de dolore colico. Si fuerit inflammatio, neceſſariò ſequitur febris, ſitis maxima communicata caliditate & ſiccitate ori ventriculi, dolores ſunt vehementiſſimi, & alia id genus, quæ internas inflammationes ſolent comitari. Itaque ad curationem accedamus, quam nos decet paucis verbis & ſummatim abſoluere, partim quòd anguſtiæ temporis longiorem tractationem non patiuntur, partim quòd curatio iam tradita doloris colici iure poteſt ac debet ad hunc locum accommodari, cum vtraque affectio non aliter differat, quàm ratione loci laborantis, & ratione ſymptomatum, quæ in ileo perpetuò ſunt grauiora & deteriora.

Prognoſtica. Sed non ſunt prætermittenda ſigna prognoſtica. Conuenit inter omnes ileum generaliter eſſe affectum grauiſſimum, qui ſæpiſſimè, vnà cum vita ægrotantis ſolet terminari. Hipp. 7. aph 10. *ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum:* ducto nimirum in conſenſum & ventriculo & cerebro. *Si lotia bona fuerint*, dicit Gal. 7. epid. iam citato, *paruā ſpem ſalutis afferunt: ſi fuerint praua non paruum momentum habent ad interitum*: quod ita demonſtrent laborare non ſolum inteſtina, ſed etiā humores, qui continentur in venis. Volulus graue olens, pernicioſus cenſendus eſt: fieri autem poteſt, vt graue olens intelligatur, vt dicit Galen. 3. *com.* 1. *prognoſt. text.* 66. primum quidem, in quo ſtercus euomatur, ſignum planè lethale: deinde ſi graue-olens fuerit reſpiratio: tertiò, ſi ructus graue-olens: quartò ſi flatus fuerit talis: & quintò ſi graue-olens fuerit corpus, nempe inquit Galen. *huiuſmodi volulus aliquando à nobis viſus eſt.*

Familiaris hæc affectio puerili ætati, quod ſcribit Aëtius, qui tamen pueri euadunt beneficio humiditatis: ſenibus verò non valde eſt familiaris: quod ſi autem ipſi in hanc affectionem incidant,

Indicationes. ferè nunquam conualeſcunt. Indicationes curandi ileum ſunt illæ eædem quæ fuere propoſitæ in dolore colico: conſtat autem variam curationem pro cauſarum diuerſitate inſtituendam eſſe. Itaque ſi ileos ortum ducat ex inflammatione, ante omnia decet totum corpus vacuare & fluentem materiam reuellere per ſectionem venæ, dummodo vires videantur conſtare, quæ ab hiſce doloribus ſolent quàm maximè labefactari; quamobrem ſatius fuerit, non ſemel copioſè: ſed partitè & moderatè ſanguinem mittere, ſecta vena in cubito. Quod ſi propter aliquod impedimentum non liceat venam incidere, tunc docet Paulus cucurbitulas vniuerſo ventri multas atque inanes, id eſt, inciſione agglutinandas fore, in regione autem doloris, cum ſcarificatione. Quod ſanè remedij genus equidem neſcio, an ſit recipiendum, cum meâ ſententiâ potius valeat ad locum affectum trahere, quàm ab illo reuellere. Hoc eodem conſilio conueniunt frictiones, ligaturæ, lotiones partium extremarum & omnia genera reuulſionum, de quibus ſæpè diximus.

Purgantia vitanda. Communiter practicantes protinus vtuntur purgantibus medicamentis, & iis quidem validiſſimis, ſed manifeſtè agunt aduerſus decreta Hip. & Gal. qui docent generaliter, concocta purganda eſſe, non cruda: & ſpeciatim principio inflammationum prohibent omnia ſoluentia medicamenta in 4. *de ratione victus.* 22.

Deinde poſt hæc ſtatim deueniendum eſt ad medicamenta repellentia, refrigerātia, & quæ inflammationem remittere poſſunt: quare exteriùs commodæ ſunt inunctiones ex oleo roſato completo, ex oleo melino, ex quibus partes aſſiduè illinantur: ſunt emplaſtra ex plantagine, portulaca, endiuia, & ſimilibus, quib. decoctis & contuſis prædicta olea permiſceantur. Interiùs conueniunt clyſteria, quæ habeant eaſdem vires, exempli gratia, ex ptiſana hordacea, ſucco plantaginis, oleo roſato, ouis recentib. & ſimilib. Progrediente autem morbo iis licet addere, tam internis, quàm externis, nonnulla quæ aliquam vim habeant diſcutiendi & leniendi dolores, qualia forent oleum chamæmelinum ſemina lini, fænugræci, farina fabarum, & cętera id genus. Demum in declinatione tutò licet accedere ad ea, quæ adhuc maiorem vim habeant diſſoluendi & euacuandi reliquias inflammationis: quamobrem conueniunt clyſteria acriora, nec non medicamenta, de quibus ſatis diximus.

Victus. Victus ſit tenuis & refrigerans, itaque ſola ſufficiat ptiſana, abſtineant à vino, & omnibus rebus calidis. Atque hactenus de ileo ex inflammatione; ex quibus atque ex iis, quæ aliàs diximus, facilè vnoſquiſque poteſt colligere curationem huius affectus, ſi proueniat propter alios tumores præter naturam, vel propter alias cauſas, adeo vt ſuperuacaneum videatur de hoc morbo longius agere.

AD CAPVT XX.

De Diarrhea.

AGgrediamur tractationem illius inſignis, difficilis & periculoſi ſymptomatis, quod *alui fluxus* vel *profluuium* appellatur, in quo pro inſtituto noſtro ordine primò agam de eſſentia; ſecundò, de differentiis; tertiò, de ſignis; vltimò, de ratione curandi. Sed antequam incipiam, notandum eſt, quod Græci interpretes non admodum accuratè in hoc argumento verſantur: nos colligemus ex Gal. quæ colligi poterunt: pauca habet Paulus, pauca Aëtius, plura Alex. ac præcipuè de dyſenteria; quare neceſſe eſt, nos confugere ad Arabes, ac ad Auic. maximè, eiuſque interpretes. Cum enim huiuſmodi materia à pleriſque tractetur valdè prolixè & confuſè, animus eſt magis ordinatè & breuibus, quàm fieri poteſt, ea vobis abſoluere.

Definitio. Quid ſit alui fluxus, conſtat ex ipſo nomine, & eſt vacuatio præter naturam diuerſæ materiæ exeuntis per inteſtina. Pro quo notandum eſt ex Hip. & Gal. 2. *prog.* 13. optimā ac naturalem deiectionem illam eſſe quæ habet tres conditiones: vnam, quòd ſit mollis & conſtans: ſecundam, quòd eo tempore excernatur, quo æger ſecunda valetudine conſueuit: tertiam, quòd copia excrementorum proportione reſpondeat cibis aſſumptis. Itaque ſi aluus deiiciat & liquidiora, & vario tempore, & copioſiora, quàm conueniat inſtituto naturæ huiuſmodi ſymptoma à Latinis vulgo dicitur *fluxus*, vel

Nomen. *profluuium alui*, à Cornelio Celſo lib. 4. ca. 19. *fluxus ventris*, ab Hipp. 3. *aphor.* 25. & 30. & aliis in locis,

diarrhæa nominatur: quod quidem nomen, ne verſemur in æquiuoco, dupliciter apud Hipp. Gal. & *Genus ſymptomatis.* alios accipi ſolet; vno modo communiter, quatenus ſignificat genus & quemlibet fluxum alui: altero proprie, quatenus ſignificat vnam determinatam eius ſpeciem, vt videbimus. Quamobrem fluxus alui eſt ſemper exiens immutatum; quod memoria eſt repetendum ex Gal. *de ſymp. diff. cap.* 7. *Differ.* diuidi in tres primas differentias, cum eiuſmodi excuntia aut tota ſubſtantia vel qualitate, vel quãtitate à naturali habitu recedant. Differentiæ huius ſymptomatis ſint quaſi infinitæ, ſed ab Hipp. 1. *ep. ſect.* 2. & 37. referuntur ad quatuor prima capita, *diarrhæam, lienteriam dyſenteriam, & tenaſmum*: quam diuiſionem ſicuti Galen. & pleriq; omnes imitantur, ita & nos amplectimur libentiſſimè, Et quia, vt dixi propoſitum eſt, quoad eius fieri poteſt, hanc rem perſpicuè, ordinatè & breuibus agere, id mihi videor longè melius poſſe conſequi, ſi de ſingulis differentiis ſeparatim quàm ſi de omnibus generaliter tractare velim: quare ad diarrhæam venio.

Diarrhæa quid Diarrhæa itaque propriè ſumpta, non pro genere, ſed pro ſpecie definitur a Gal. 1 *ep. ſec.* 2 *tex.* 26. quòd ſit deiectio, & ſemper, aſſiduè. humidorum excrementorũ, ſine lienteria, dyſenteria, & tenaſmo.

Differ. Differentiæ ſunt multæ, ſed illæ videntur præcipuè, quæ à cauſis ſumuntur, quæ etſi item variæ ſolent afferri ab auctoribus, mea tamen ſententia commodè poſſunt referri ad duo communia capita: vnum, quod continet varia genera excrementorum, quæ educuntur: alterum, quod reſpicit varia membra laborantia, à quibus illa vel generentur, vel tranſmittantur ad inteſtina. Et quatenus pertinet ad primam differentiam, ſumptam ex materia, primùm tres occurrunt humores, bilis pituita, melancholia: ex quo dicitur fluxus bilioſus, pituitoſus, melancholicus: ſecundò eſt chylus confectus in ventriculo, & dicitur fluxus chyloſus: tertiò ſunt ſtercora, & dicitur fluxus ſtercoroſus: quartò ſunt materiæ corruptæ, quæ vix certo nomine poſſunt appellari. Quatenus autem pertinet ad alteram differentiam, memoria repetaris inteſtina fuiſſe in primis à natura inſtituta, vt forent inſtrumenta, & tanquam communis quædam via & cloaca recipiendi & excernendi excrementa, neque verò illa ſolùm quæ generantur ex prima coctione, ſed etiã cætera omnia, quæ quouis modo in noſtro corpore poſſunt generari: quamobrem commodè factum eſt, vt illa magnum habeant conſenſum & connexionem cum principibus partibus prope omnibus, & cum toto corpore: atque hinc exoriuntur variæ differentiæ, diarrhææ pro varietate partium laborantium & tranſmittentium propria excrementa ad inteſtina. Ad quem modum dicitur diarrhæa ſtomachalis, cerebralis hepatica ſplenetica, ſi ſtomachus cerebrum, hepar, lien, laborent, & ad communem cloacã tranſmittant varia excrementa. Addunt quidam diarrhæam vterinam; adeò vt ab ipſo etiam vtero excrementa eiiciantur & transferantur: qui fortaſſe caſus excogitatus à recentioribus neque ex parte eſt falſus, cum ſicuti diximus aliàs, vniuerſum corpus ſit totum confluxibile & tranſpirabile. Sed præterea fieri poteſt diarrhæa non ſolùm ab aliqua parte determinata, ſed etiam à corpore vniuerſo, cum inteſtina, mediante potiſſimùm vena porta, quæ in medio iecore emittitur venæ cauæ à qua poſtea diſtribuuntur vaſa ad vniuerſum corpus, & ad omnes corporis particulas, facilè poſſint recipere quæcumque excrementa generantur in toto corpore, & ad ipſa tranſmittuntur. Neque verò longiùs inquirendæ ſunt cauſæ, ex quibus in diarrhæa vel varia fiant excrementa, vel variæ partes laborent: ſiquidem quæcumque ſiue interna, ſiue externa gignere apta ſunt bilem, pituitam, melancholiã, & cætera eiuſmodi, ac malè afficere cerebrum, ventriculum, & alias partes, iſthæc omnia generaliter & ſpeciatim diarrhææ cauſæ dicendæ ſunt.

Signa diarrhææ patent, cùm deiiciuntur per aluum excrementa liquidiora, & frequentiora, quàm conueniat inſtituto naturæ: quare accedendo ad ſigna *Signa.* differentiarum, quorum cognitio, tum pro prognoſtico, tum pro curatione eſt neceſſaria, varia materia quæ excernitur, ſiue humores, vel bilis, vel pituita, vel melancholia, ſiue chylus, ſiue ſtercora, ſiue quæcumqoe tandem illa fuerint, ſenſibus facilè deprehenditur & diſtinguitur, vt ſupernacaneum *Diarrhæa cerebralis.* ſit ſingula explicare. Quatenus autem attinet ad alteram differentiam quæ ſpectat ad varias partes laborantes, ſi diarrhæa fiat ex cerebro, quam moderni vocãt *fluxum cerebralem*, vt Altimarus & alij volunt, præcipuum ſignum eſt, quod ſpumoſa erũt excrementa, quod quidem indicium mea ſententia eſt admodum fallax, partim quòd excrementa poſſunt fieri ſpumoſa propter aliam cauſam quã propter fluxionem à cerebro orientẽ: partim quia non perpetuò fluente materia ex capite, ſpumoſa euadunt excremẽta, ſed ſolùm quotieſcumque humor ſpirituoſus ad ventriculum defluit, vt diffusè Gal. docet 7. vel 2. *aph.* 30. Etenim ſi forte pituita viſcida, tenax, & craſſa, non autem ſpirituoſa deſcendat; *Diarrhæa ſtomachalis.* nullo modo excrementa ſpumoſa apparebunt: quare ad alia potius indicia confugiendum eſt, qualia ſunt dolores, grauitates, deſtillationes, & alia huiuſmodi, quæ cerebri læſionem poſſunt oſtendere.

Si autem diarrhæa fiat ex ventriculo, quem iuniores *fluxum ſtomachalem* vocant, niſi iſtud eueniat propter externos errores, ſigna aderuot, quæ viciatam ventriculi coctionem ſolent demonſtrare, verbi gratia, ſi alimenta corrumpantur, recipiantque acrem & nidoruleutam qualitatem; ex qua deinceps irritata facultas expultrix cogatur tum per vomitum, tum per aluum illa expellere, quod iam diximus euenire in cholera; tunc erunt ſigna indicantia intemperiem ventriculi calidam: ſicuti altera ex parte, ſi chylus non probè conficiatur, tunc aderunt ſigna indicantia intemperiem frigidam ipſius ventriculi, de quibus ſatis diximus.

Fluxus hepaticus. Laborante & conſentiente iecore, deiectiones vel erunt chyloſæ, qood potiſſimùm euenit propter obſtructionem venarum meſaraicarum, quæ nequeunt chylum trahere: vel erunt bilioſæ, & tunc ſigna erunt inflammationis, aut immoderatæ illius caliditatis; vel vltimò erunt ſicuti lotura carnis recens mactatæ, de quibus cruentis deiectionibus quòd pertineant quoquo modo ad dyſenteriam, poſteriùs ſuo loco tractabimus.

Fluxus ſplenaticus. Verùm ſi diarrhæa proueniat laborante & conſentiente liene, maiori ex parte deiectiones ad nigrum vergentes, aut etiam nigræ apparebunt, neque deerunt indicia, quæ huius partis intemperiem, obſtructionem, vel alios morbos poſſent indicare. Hac ipſa methodo licebit inueſtigare vteri conſenſum & aliarum partium, ſi quæ ſunt, ex quibus diarrhæa fieri poſſit.

Quòd ſi poſtremo loco diarrhæa proueniat laborante non parte aliqua determinata, ſed corpore vniuerſo, ita deponente natura multitudinem humorum à quibus illa premitur, tunc aderunt ſigna vel vnius, vel plurimorũ humorum redundantium: quæ ſigna tradita ſunt à Gal. *in libel. de plenit.* c. 11. & 4. *de tuenda valet.* 4. præceſſerunt vita otioſa, alimentorum & potionum copia, intermiſſa eſt aliqua exercitatio conſueta, aut retenta eſt aliqua vacuatio vel artis vel naturæ, exempli gratia, ſuppreſſa ſunt cauteria, retentus eſt vomitus, profluuium

fluuium ſanguinis narium, hæmorrhoidum, vel aliud eiuſmodi. Et in hoc caſu nullum aderit ſignũ alicuius particularis partis laborantis. At verò ſi nullum fuerit ſignum, ex quo poſſimus colligere vel aliquam partẽ, vel totum corpus laborare, tum vt inteſtina malè afficiantur, neceſſarium eſt, quæ propterea nequeant ea tantiſper continere, quæ à ventriculo ad illas tranſmittũtur, donec à meſaraicis venis attrahantur, vt natura fieri ſolet, ex quo facilè & frequenter deiicientur per aluum: quæ quidem læſio facultatis retentricis neceſſariò ad aliquam intemperiem referenda eſt. Et quamuis quælibet intemperies ſi fuerit immoderata, poſſit cuiuſque facultatis robur deiicere, vt ſæpenumero teſtatur Gal. iis tamen præcipuè nocua eſt intemperies frigida & humida, & cum materia, & ſine materia, à quibus facultas retentrix ſolet perpetuò labefactari, vt à Gal. traditum eſt 2. aph. com. 20. Verùm ſatis de ſignis, itaque venio ad curationem.

Curatio. Ante omnia id in memoriam debetis reuocare, quod aliàs diximus ex Gal. 12. *Meth.* 1. ſymptomata in vniuerſum nullã curationis indicationem afferre, niſi ſubeant rationem cauſæ, lædant vires, & augeant morbum: quamobrem ſi diarrhæa ex iis nullum periculũ ſecum afferat, non licet aduerſus huiuſmodi ſymptoma pugnare, quod multi imperitè & perniciosè faciunt, ſed omnis curatio dirigenda eſt ad cauſam ſymptomatis. Sin autem vel ex nimia vacuatione, vel ex frequenti motu, vel ex vigiliis, vel aliter eò res deueniat, vt vires iacturam faciant, & grauius aliquod periculum videatur imminere, vtique nunc neceſſe eſt, duplicem curandi rationem inſtituere, alteram ſymptomatis, alterã cauſæ, ex qua ſymptoma ortum duxit; adeo vt modò vni, modò alteri, modò vtriq; proſpiciatur, vt res videbitur poſtulare. Illud autem præcipuè eſt attendendum, vtrùm diarrhæa ſit critica & vtilis, an ſymptomatica & inutilis, vtrùm natura probè vel improbè agat. Etenim ſcribit Gal. 12. *meth. cap.* 7. quandoque fieri diarrhæas per certa quædã interualla quæ omnem corporis redundantiam ſolent expurgare: quare in *lib. de ſymptomatum differentiis vltimo*, præclarè docet rem dignam maxima notatione, nempe diligenter diſtinguenda eſſe ſymptomata ab operibus naturæ, cum ſæpe inter ſe tantã habeant ſimilitudinem, vt alterum pro altero accipiatur, quippe fiunt aliquando & diarrhææ, & ſudores, & aliæ in genus vacuationes, non propterea quia aliqua actio læſa fuerit, ſed quoniam robuſta & prouida natura hac ratione expurgat quod moleſtum eſt, & ita præſeruat homines ab iis morbis, qui ex retentis huiuſmodi vacuationibus ſolent excitari; quare iterum ſcribit 6. *de tuenda valetudine, cap.* 6. copioſas alui deiectiones eſſe commune quoddam remedium illis omnibus, in quibus vitioſorum humorum copia aggregatur.

Iſtud autem indicium, vtrùm diarrhæa ſit critica, an ſymptomatica, potiſſimùm faciendum eſt ex modo vacuationis, & ex ſymptomatibus quæ illam comitantur. Namque ſi humores deiiciantur paulatim frequenter, cum dolore & labore ægrotantis, talis vacuatio, vt docet Gal. 4. *aph. com.* 2. prauæ alicuius diſpoſitionis ſignum cenſenda eſt: contra verò ſi humores excernantur multo interpoſito tempore copioſiùs, vel cum pauco, vel cum nullo dolore, cum bona ægri tolerantia & robore virtutis, hæc bonam vacuationem & criticam demonſtrant. Ergo ſi in diarrhæa natura probè agat, adeò vt per eam vel totum corpus, vel aliqua corporis pars vtiliter expurgetur, planè cauendum eſt, ne illi ſimus impedimento, quo minùs poſſit opus ſuum perficere: quod illi faciunt, qui importunè huiuſmodi vacuationem conantur firmare. Ex quo ſæpenumero fit, vt docet Aëtius & Alexand. vt materia ad aliam partem cõuerſa alios pernicioſos affectus generet. Itaq; decet medicum in hoc caſu totum negotium permittere naturæ, & tantummodo conuenientem victum inſtituere; immò verò ſi natura non integrè vacuationem perficiat, illius conatũ iuuare oportet, atque id ſupplere, in quo illa deficit: quod commune eſt præceptum iamdiu traditũ ab Hip. & Gal. in omnibus naturæ operibus. 1. *aph.* 20. Si autẽ natura improbè agat, quæ nimia humorum copia, aut praua qualitate irritata, illorũ expulſionem moliatur, ſi audiatis pleroſque homines communiter practicantes, conuenit illam iuuare, qui propterea prohibent ſoluentia medicamenta accommodata ad purgandũ humorem noxium, de qua opinione ac methodo medendi poſteriùs tractantes de dyſenteria diſputabimus accuratè. Illud itaque iam eſſe reliquum, vt tractaremus curationem diarrhææ ſecundum varias poſitas differentias vel humoris exeuntis, vel partis laborantis: ſed cum præſentis temporis occaſio id non patiatur, quatenus pertinet ad cerebrum, ventriculum, iecur, & alias partes quæ aliquando in diarrhæa ſolent laborare, ſi memoria repetatis quæ à nobis aliàs tradita ſunt, de ratione curandi morbos ex fluxione & conſenſu aliarum partium, res fiet ſatis manifeſta: ſiquidem in huiuſmodi caſibus ſunt communes indicationes primùm vacuare ſuperuacaneam & noxiam materiam, deinde alterare & roborare partes & tranſmittentes, & ſuſcipientes, ne *Indicationes.* tranſmittentes in poſterum generent ac tranſmittant, ſuſcipientes recipiant excrementa. Exempli gratia, ſi diarrhæa fiat conſentiente ventriculo, quæ frequenter ſolet contingere, primùm noxia & redundans materia eſt vacuanda, quæcunq; ſit, quod commodè fieri poteſt, vel per vomitum, vel per aluum. Deinde proſpiciendum eſt ne hæc materia rurſum generetur, quod fiet curando intemperiem vel calidam, vel frigidam, ex qua illa generabatur. Quo quidem exemplo facile vnicuique licet inſtituere curationem aliarum partium conſentientiũ; atque eo facilius, quòd nos de affectibus harum partium probè omnium iam diximus quod ſatis eſt: vt certè ſuperuacaneum videatur agere.

Pariter quod attinet ad excrementa varia, quæ in diarrhæa ſolent excerni, cum hæc ferè ſoleant pendere ex morbis aliarum partiũ, bilis ex morbi iecoris, pituita ex morbo ventriculi, & ſic de reliquis, manifeſtum eſt, vniuſcuiuſque propriam eſſe prouidentiam & curandi rationem. Quare ſi balioſæ fuerint deiectiones, illa conueniunt partim alimenta, partim medicamenta & interna & externa, quæ poſſint huiuſmodi deiectionis validitatem & acrimoniam remittere, atq; omni ex parte humorum in naturalem ſtatum deducere, quod item de pituita, melancholia, & cæteris ſtatuendum eſt.

Cæterùm poſtremo hoc loco ſi diarrhæa longiùs & copioſiùs progrediatur, adeò vt maiora pericula & viribus & vitæ videantur imminere, iam de illã ſiſtenda & retinenda cogitandum eſt: hoc autem duplici ratione fieri poteſt; vna, reuellendo & deriuando fluentem materiam ad alias partes; altera, vtendo iis medicamentis, & internis & externis, quæ huiuſmodi fluxionem cohibere atque ipſa inteſtina roborare poſſint. Reuulſiones ſunt multiplices, inter quas prima eſt vomitus, de quo habetis Hip. 6. aphor. 15. *Longo alui profluuio laboranti vomitus ſuperueniens morbũ ſoluit.* Secũdò ſunt quæ lotium poſſunt prouocare, quamuis Hip. & Gal. 7. *epid. ſect.* 2. com. 7. velint, huiuſmodi motum ab aluo ad vias vrinæ, ac pariter à viis vrinæ ad aluum, eſſe potius deriuationem quàm reuulſionem. Tertiò ſunt ſudores, qui cõmodè fluentes humores ad

partes internas poſſunt ad externas conuertere: vnde dicit Gal. *in 3. de ratione victus morbor. acu. tor. tex.* 59. diarrhœam balneo firmari: quòd illud humores ad aluum fluentes ad ſuperficiem corporis poſſit reuellere. Hoc eodem conſilio conueniunt frictiones, de quibus loquitur Gal. 4. *de tuenda valetudine c.* 6. ligaturæ, cucurbitulæ, & cætera id genus, de quibus iam ſæpius diximus.

Medicamenta fluxum ſiſtentia. Medicamenta portò quæ immoderatum fluxum ſiſtere poſſunt, varia eſſe debẽt, pro varietate excũtis materiæ, exempli gratia, exeũte bile flaua, ſyrupus de roſis ſiccis, myrtinus, de ſucco cydoniorum, de portulaca; cõſerua roſatum quæ non ſit recens, margaritæ præparatæ, cornu cerui vſtum, ſemina acetoſæ, plantaginis, & alia id genus. Ex quibus ego familiariter vti ſoleo bolis quibuſdam ex variis medicamentis confectis, qui ad hanc rem ſunt admodum accommodati. Et ſit exemplum.

℞. *Conſerua roſarum antiqua* ʒ ß.
Margaritarum præparatarum,
Cornu cerui vſti,
Raſuræ eboris ana ℈. j.

Externa. *Miſce, fiant boli & aurentur:* qui opportunè exhibentur per horam vel dimidiam ante prandiũ.

Iis medicamentis ſunt efficaciora trochiſci de ſpodio, de terra lemnia, de terra ſigillata, & ſimilia. Ac poſtremò, ſi ita ferat occaſio, licet deuenire ad medicamenta ſtupefacientia, qualia forent diacodium, requies Nicolai, philonium, & alia id genus. Externa medicamenta ſunt inunctiones ex oleo omphacino, roſato, myrtino, cydoniorũ; ſunt roſæ, corallia, acacia, hypociſthis, ex quibus emplaſtra, fomenta, & aliæ medicamentorum formæ cõponi poſſunt. Clyſteria quoque ad hanc rem non ſunt inutilia, quæ parentur ex decocto plantaginis, portulacæ, polygoni, myrtillorum: ſunt fructus myrti, ex oleo roſaceo, ex oleo cydoniorum, & ſimilibus. Atque hoc exemplo, ne fruſtra ſim longior, in cæteris fluxibus immoderatis vnuſquiſque facilè poteſt curari, medicamentis adſtringentibus infuſis, intra, extra & omni ratione adminiſtratis, quæ tamen perpetuò ſint accommodata ad qualitatem profluentis materiæ, quæcũque illa fuerit, quorum medicamentorum copiã facilè vobis ſuppeditabũt Auicenna, illius interpretes, & multi recentiores.

Victus. Victus ratio pro diuerſitate fluxus, exeuntis materiæ, & partium laborantium fit diuerſa: in fluxu cerebri ægri caueant ab iis quæ caput replere poſſunt: in ſtomachali ab iis quæ facile corrũpuntur: Si fuerit intemperies calida iecoris & inteſtinorũ, caueant à vinis generoſis, aromatibus & omnibus calidis: ad ſummã, ſint alimenta quæ facilè concoquantur, quæ bonum ſanguinem generent, & pauca efficiant excrementa, & quatenus fieri poteſt, ad vnamquamque differentiam ſint accommodata. Atque hactenus de diarrhœa ſequitur lienteria.

CAPVT XXI.

De Lienteria.

Definitio. Lienteria definitur à Gal. 6. *aph. com.* 13. *aph.* 22. 4. *aph.* 12. velox exitus eorum quæ comeduntur & bibuntur, vbi talia deiiciuntur qualia fuere deuorata; & ſi quis, inquit Gal. velit breuiorem afferre definitionem, diceret lienteriam eſſe carentiam coctionis: cum neq; ſecundùm conſiſtentiam, neque ſecundùm colorẽ, vel odorem, vel vllam omnino qualitatem in ventriculo facta fuerit mutatio alimentorum. Lienteriam verò appellauerunt, qui primi huic morbo nomen impoſuerunt, quòd exiſtimauerint illam fieri propter leuitatem interioris ſuperficiei inteſtinorum, propter quam alimenta in eis contenta non ampliùs retinerentur, ſi. mi retinebantur cum ſuam ſeruarent naturalem aſperitatẽ: qui quidem veteres in hoc imponendo nomine non probantur à Gal. quòd illi ignorauerint propriũ ventriculi munus eſſe ingeſtos cibos amplecti, cõſtringere, & certo tempore retinere, ac poſtea ad inferiora demittere. Pariter colligit Gal. Eraſiſtratum de hoc affectu malè ſentire, qui falsò affirmans, ſuperiores medicos in hac eadem fuiſſe opinione, docet lienteriam eſſe, quando ſimul cum excrementis crudis mucoſa & ſanguinolenta deiiciuntur: nam reuera is morbus in quo mucoſa & ſanguinolenta exeunt, potius dyſenteria quàm lienteria debet nominari.

Cœliaca paſſio. Sed antequam ad alia progrediór, ſciendum eſt reperiri apud auctores aliud nomen, nẽpe cœliacam paſſionem, de quo inter illos non conuenit, cũ nonnulli exiſtiment, lienteriã & cœliacam vnum & eundem affectum eſſe, vtroq; nomine poſſe appellari: alij verò putant, hæc duo nomina inter ſe differre, ac planè diuerſos affectus ſignificare.

Nomen quidẽ cœliacæ paſſionis videtur ductum fuiſſe à parte laborante: namq; κοιλία Græcè *ventrẽ*, vel *aluum* ſignificat. Et ſi Gal. attendimus, ille videtur vtrumq; nomen ſimul coniungere & pro vno eodemq; morbo vſurpare, qui ſcribit 6. *de locis aff. c.* 2. inteſtinis & ventriculo ſimul laborantibus euenire quædã ſymptomata, qualia ſunt liẽteriç & cœliaci vocati affectus. Ac rurſũ 6. *epid. ſect.* . *com.* 27. refrigerationem partium exteriorum ventrem exſiccare, contrà verò refrigerationem interiorum humectare atque lenire, ex quo cœliaci affectus interdum concitantur. Gal. conſentiunt Archigenes & Paulus, qui tamen inter hos duos affectus id ſtatuũt diſcriminis, quòd cœliaca ſit ægritudo remiſſior, quaſi ficns: lienteria autem vehementior & iam cõfirmata. Verba Archigenis, referente Aetio, ſunt huiuſmodi lib 9. c. 37. *Non omnis ventris fluxus cœliaca affectio propriè appellatur, neque enim ſi cibi crudi & incocti infernè prodeunt, neq; ſi corrupti ac in peregrinũ habitũ mutati sũt, cœliaca affectio vocatur, ſed tunc ſolùm cùm leuia & humida excrementa exerũtur, vẽtro pro imbecillitate ea digerere nequeũte.* Paulus item hęc habet lib. 3. c. 4. *In lienteria celeriùs quam in cœliacis, quæ aſſumpta ſunt alimenta, deiiciuntur, tamq; integra cruditate, vt aſſumpti quoq; nutrimẽti genus liquidò cognoſcatur: & iis quidẽ vnicè lienteria à cœliaca diſcernitur.* Itaq; vno verbo: in lienteria deiiciuntur alimenta qualia fuere deuorata, nulla prorſus eorũ facta immutatione: in cœliaca autẽ deiiciuntur quidẽ alimenta, ſed quæ vel in colore vel in ſubſtantia, vel vtcunq; aliquã alterationẽ & mutationem ſuſceperunt. Cum igitur huiuſmodi affectus maioris duntaxat ac minoris ratione differant, & ab iiſdem cauſis proueniant, inte debẽt ſimul & ſemel tractari, atq; vno capite contineri, adeo vt quæ de lienteria tradita erunt, eadẽ ad cœliacam paſſionem debeant accõmodari. Conuenit inter omnes, lienteriam eſſe ſympt. quod alii reponunt inter actiones læſas, alij verò inter excreta immutata; de qua re non multum laboro, qui exiſtimo hæc duo ſympt. ſimul coniungi, alterumque, exiens immutatum, quod primo apparet, ex altero, actione læſa dependere. Sed illud non ita videtur conſtare, qualiſnã actio lædatur: ſiquidem alii docent lędi actionẽ facultatis concoctricis, & alii verò actionem facultatis retentricis ventriculi inteſtinorũ. Sed Gal. ſtatuit vnam tantummodo laborare facultatẽ retentricem, qui ſcribit ad hunc modum, 6. aph. com. 1. *Neque enim quia omnino incocti permaneant cibi, ideo citò deiiciuntur, ſed quia citò deiiciuntur, idcirco nullam habent concoctionem.* Quæ verba manifeſtè confirmant, in lienteria

propterea

propterea oon concoqui alimenta,quoniam citius deiiciuntur,id quod prouenit ex læſione facultatis retentricis, non potentis tantopere alimenta continere, quanto concoctrix facultas indigeret pro eorum coctione.Quam eandem ſententiam habetis apud eundem *4.aph.com* 12. & aliis locis.

Ergo vno verbo, *lienteria eſt velox exitus alimentorum,qualia fuere deuorata.* Differt à cœliaca paſſione,quòd in hac alimenta non tam ſint cruda, ſed iam ſint adepta aliquam coctionem. Eſt ſymptoma exiens immutatum, quod pendet ex alio ſymptomate actione læſa facultatis retentricis ventriculi & inteſtinorum, vnde alimenta nequeunt perfectè retineri.

Genus ſymptomatis.

Differentiæ huius affectus multæ poſſunt afferri, ſed reliquis prætermiſſis minoris momenti, quæ nec difficulter poſſunt cognoſci, eæ quæ ſumuntur à cauſis explicandæ diligenter ſunt. Etſi verò Auic,& cæteri propè omnes velint plures eſſe cauſas lienteriæ, tamen Gal. duas tantummodo video ſtatuiſſe; vnam, intemperiem ventriculi & inteſtinorum, vel cum materia, vel ſine materia, propter quam retentrix facultas harum partium imbecilla redditur:alteram,exulcerationem occupantem ſuperficiem earundem partium, ſimilem illis vlceribus,quæ in ore fiũt,& quæ Græci *aphthas* nominant,ex quo fit vt permeantibus alimẽtis partes exulceratæ dolorem percipiant,& ideo propellant illa atq;ex ſeſe celeriter emittãt. Ad quas duas Galeni cauſas equidem puto cæteras omnes poſſe referri,quæcunq; ab Auic.& omnibus proponũtur.

Differ.

Quatenus ad intemperiem pertinet,quæ eſt prima cauſa,etſi quod ſæpe dixi ex Gal. quælibet intemperies,ſi fuerit immoderata,poteſt cuiuſque facultatis robur deiicere; tamen certum eſt, in hoc affectu præcipuè noxiam eſſe intemperiem frigidam & humidam, & cum materia & ſine materia, ex qua facultas retentrix ſolet perpetuò labefactari, ſicuti ex intemperie contraria, calida & ſicca, ſolet perpetuò iuuari.

Quatenus verò pertinet ad alteram cauſam,exulcerationem,hanc poſſunt efficere medicamenta venenata, corrodentia, humores acres & mordaces, qui vel in ventriculo generentur,vel ex aliis partibus ad illum confluant,vt pituita ſalſa ex cerebro, flaua bilis ex iecore,& ſic de cæteris,vnde ait Gal. *6. aph. com.* 1. huiuſmodi lienteriam, ſi longiori tempore perſeueret, In alteram paſſionem transmutari, quæ dyſenteria nominatur. Altimarus, & quidam qui omnia ab illo tranſcribunt,addunt ex Aëtio & Cornelio Celſo,aliam cauſam,nempe leuem & denſam cicatricem ex magna præcedente dyſenteria ortum, propter quam obſtructis oſculis venarum, alimenti diſtributio impeditur, & ita fit lienteria, quæ ſanè cauſa mihi videtur falſa, quia primum neceſſe foret, huiuſmodi cicatricem quæ prohiberet diſtributionem alimenti, occupare omnia & ſingula ora venarum meſaraicarum,quod videtur nullo modo fieri poſſe. Deinde etſi iſtud concedatur, non propterea hic lienteria videtur poſſe oriri, quando talis cicatrix vtcumque poſſit afferre impedimentum diſtributioni alimenti, & eſſe in cauſa vt iſtud citò deiiciatur per aluum:tamen nullo modo poteſt eſſe in cauſa, vt alimenta ex ventriculo ſtatim deſcendant,nulla facta eorum immutatione,quod tamen in omni lienteria neceſſe eſt. Quare diſcatis in legendis auctoribus non ita fidem adhibere facilè iis omnibus quæ ſcribuntur,ſed illa examinare, atque in primis ad Galeni diſciplinam referre,qui fallere nunquam poteſt.

Signa.

Signa pathognomonica lienteriæ ſũt manifeſta: cũ alimẽta cruda nullaq; ratione immutata deſcẽdunt celeriter & frequenter,lienteriam ſignificant.

Signa verò differentiarum ſunt huiuſmodi:nãque in ea lienteria quæ accidit propter imbecillitatem ventriculi & inteſtinorum,fiunt deiectiones ſine vllo ſenſu doloris,ægri habent indicia frigidæ & humidæ intemperaturæ, nullam ſitim,copioſa ſputa, plurimos flatus, iuuantur à calidis & ſiccis, læduntur à frigidis & humidis,præceſſere quæ potuerunt refrigerare & humectare. In altera autem differentia quæ prouenit ex vlcere,fiunt deiectiones non ſine ſenſu doloris,præceſſere cauſæ vlcera excitantes, medicamenta acria, venena erodentia, deſtillatio ſalſæ pituitæ, vomitus flauæ vel atræ bilis,& alia id genus,quæ acres & mordentes ſuccos gignere poſſunt.

Curatio.

Præceptum.

Sed veniamus ad curationem, in qua pro diuerſitate cauſarum diuerſa quoque remedia ſunt inſtituenda;ſed illud ante omnia velim vos intelligere, & memoria tenere,planè in hoc affectu cauendum eſſe ab omnibus medicamentis,non ſolùm ſoluentibus, ſed etiam lenientibus, à quibus multi hoc tempore inepiter nequeunt cauere:ſiquidem ab illorum vſu miſeri ægroti non ſolùm incurrunt grauiſſima ſymptomata, ſed ſæpe ad interitum deducuntur. Eſt vulgaris Auic.ſententia,*ſoluere ventrem ſupra ventris ſolutionem, timoroſum.*

Ab intemperie frigida.

Itaque ſi lienteria fiat propter intemperiem frigidam & humidam ventriculi & inteſtinorum,quę partes propterea non poſſunt continere alimenta donec concoquantur,calefaciendum & ſiccandum eſt, exteriùs cum oleo de abſinthio, de mentha, nardino,maſtichino:interiùs cum aromatico roſato, diacymino, diacalamentho, theriaca,mithridato, & ſimilibus. Et ne fruſtra ſim longior, ad locum hunc poſſunt & debent referri quæcunque aliàs diximus de curanda huiuſmodi intemperie.

Ab exulceratione.

Sin autem lienteria fiat propter exulceratione͂, quæ occupet ſuperficiem earundem partium, id primum diſtinguendum eſt,an adſit leuis quædam abraſio,minimè tamen vlcus,adeo vt nulla ſint indicia ſaniei;namque in hoc caſu vnica ſe offert indicatio,adſtringendi, roborandi, & conſolidandi partes diuiſas:quare conueniunt adſtringentia,quibus licet vel ſimul cum vino adſtringenti, qualia ſunt ex ſimplicibus maſtichæ, cuius tria vel quatuor grana ſimul cum alimentis poſſunt permiſceri. Ex compoſitis ſunt trochiſci de carabe, de terra ſigillata, de ſpodio, & ſimilia.

Quòd ſi fuerit vera & integra exulceratio, adeò vt appareant indicia ſaniei, ſi vlcus fuerit ſordidũ, tunc illud primum abſtergendum eſt,aut cum melle, aut lacte cocto, vel in quo ferrum ignitum,vel lapides igniti extincti fuerint:deinde accedendum eſt ad conſolidationem,quam perficiunt plurima, vt mora exſiccata,myrtilli,roſæ,balauſtia,&c. Sunt decocti plantaginis,rubi, conſolidæ,quæ conſolida inter cætera omnia medicamenta eſt præſtantiſſima: ex quibus poſſunt componi electuaria, & alia medicamenta, quæ ſimul poſſint moderatè abſtergere, & ſi quæ caro fuerit deperdita, eam regenerare. Habeatis exemplum:

Electuarium conſolidans exulcerata inteſtina.

℞. *Radicis conſolidæ,*
Sacchari roſati ana. ʒ. ij.
Balauſtiorum,
Corticum granatorum,
Myrtillorum ana. ʒ. ij.
Thuris maſthicis,
Boli armenis,
Corallorum ruborum ana. ʒ. j.
Syrupi de roſis ſiccis q.ſuf.
M. & fiat electuarium.

Si velitis magis abſtergere, minuatis medicamenta adſtringentia: ſi contrà, ea augeatis. Sin autem vlcus non fuerit,ſciendum quod ſtatim licet

accedere

accedere ad medicamenta exſiccantia & adſtringentia, de quibus ſatis.

Quòd ſi demum humores acres efficientes exulcerationem, ex alijs partibus confluant ad ventriculum, & inteſtina, veluti ſalſa pituita à cerebro, primò totum corpus eſt vacuandum: deinde & ipſum caput non per os, ne materia faciliùs deſcēdat ad partes laborantes, ſed potiùs per nares, cum ſucco hordei, betarum, cum aqua florum violarum, & ſimilibus, quæ per nares attrahuntur: tum alterandus & roborandus eſt ventriculus, ne facilè recipiat aliena excrementa: ſic alterandam quoque eſt caput cum oleo roſato completo, cum decocto foliorum vitis, roſarum, chamæmeli, & ſimilibus: quo quidem exemplo licet proſpicere lieni & iecori, & aliis partibus, vnde tales humores tranſmittuntur. vt de iis ſit longius agendum.

Victus.

Victus ſit boni ſucci, facilis concoctionis, & qui aliquam habeat vim ſiccandi. Vinum non ſit prorſus immune alicuius auſteritatis, quod ſpeciatim ſcribit Galen. de ſuccorum bonitate & vitio, c. 6. aluum cohibere & ventriculum firmare poſſe, etſi fortaſſe aliis nominibus non ita videatur conuenire. Somnus & quies in qualibet fluxione alui ſunt vtiliſſima, cum vtrumque poſſit omnem corporis motum firmare, & concoctionē iuuare, quæ in hac re aūt maximè neceſſaria. Atq; hactenus de lienteria.

CAPVT XXII.

De Dyſenteria.

DYſenteriā numerat Gal. 2. *meth*. 2. inter illos affectus, qui à læſa particula nomen ſuſcipiūt. Latini *tormina*, vel *difficultatem inteſtinorum* vocāt.

Sed illud primùm ſciendum eſt, huiuſmodi nomen eſſe æquiuocum, neque idem perpetuò ſignificare; quandoque enim, vt docet Gal. 2. *de locis aff.* 5. medici nomine dyſenteriæ intelligunt quamlibet cruentam per inteſtina deiectionem; quandoque verò illam ſpeciem tantummodo cruentæ deiectionis, quæ eſt cum vlcere inteſtinorū. Pro quo item ſciendū eſt quod ſcribit Gal. 3. *de ſympt. cauſis*, 2. quatuor in vniuerſum eſſe differentias, cruentarum deiectionū, quarum prima eſt, quando propter aliquam partē corporis præciſſam, aut intermiſſam ſolitam exercitationem, ſanguis per quoſdam circuitus excernitur: huiuſmodi ſanguinis excretio, eodem Gal. auctore 5. *de locis aff.* 2. viſa eſt fieri aliquando in mulieribus ex menſium ſuppreſſione; namq; niſi homines ſimul cum deficiente membro, vel intermiſſis exercitationibus, copiam alimenti imminuant, qua priùs vtebantur, multis morbis corripiuntur, ex plenitudine oriundis, alij verò cum quibus feliciùs agitur, in deiectionem ſanguinis incidere conſueuerunt: quæ interpretatio & doctrina eſt Gal. 4. *de articul. com.* 4.

Secunda eſt differentia cruentæ dyſenteriæ, vbi propter iecoris imbecillitatem aquoſus ſanguis deiicitur, quem Veteres loturæ carnis cruentæ & recens mactatæ aſſimilarūt: qui quidē ſanguis præcipuè talis excernitur in affectibus hepaticis, in quibus iecur citra inflammationem imbecillitate laborat. Ac ſanè huiuſmodi iecoris vitiū illi prorſus affectui videtur aſſimilari, in quo ventriculus propter imbecillitatē cibos, quos appetendo attraxit, concoquere & perfectè ſuperare non poteſt: nam quemadmodum ventriculus ab huiuſmodi alimentis grauatur, atque idcirco illa ſemicocta tranſmittit ad inteſtina: ita iecur alimentum, quod in probum ſanguinem non poteſt tranſmutare, ſemicoctum per inteſtina expellere conſueuit.

Tertia eſt differentia, quando ſanguis melancholicus & ſplendens deiicitur: quod item ſymptoma ad iecur illiuſq; facultatem pertinet, non certè alteratricem, ſed magis expultricem: propter quam cauſam pariter humidis ventriculi deiectionibus ſimile eſt. Nam quemadmodum illa quæ abſolutam coctionem in ventriculo ſunt conſequuta, ſi deinde vt decet, non diſtribuantur, humidas pariūt dejectiones, propterea, quia ventriculus ab iis grauatus illa conatur expellere: ita iecur, vbi ex diſtributo ſibi alimento à ventriculo conuenientem fructum percepit, neq; illud propter aliquam cauſam quæ tranſitum prohibeat, vlteriùs progredi poteſt, quod eſt reliquum tanquam graue onus per ſedem deponit, & ita fit cruenta dyſenteria: Apparet autem ſanguis niger & ſplendens, ex vehementi caliditate quam dum diutius moratur in iecore, facilè adipiſcitur. Atque hæ quidem tres cruentæ dyſenteriæ in eo conueniunt, quòd confertim & multam excretionem efficiunt.

Quarta demum illa eſt differentia, vbi breuibus quibuſdam interuallis ægri ſolent deiicere quandoque ſyncerum exquiſitumq; ſanguinem, quandoq; grumoſum, aliquando etiam aliquid puris, & alia, de quibus paulò poſt ſermonem habebimus. Atqui hanc poſtremam differentiam Galen. & Medici prope omnes propriè dyſenteriam & inteſtinorum exulcerationem appellant.

Ergo dyſenteria communiter ſignificat quamlibet cruentam ſanguinis excretionem, quæ eſt quadruplex: propria verò illa eſt tantummodo, quæ à Gal. & ab omnibus definitur eſſe vlcus inteſtinorum, de qua nos quoque in præſentia potiſſimùm ſermonem inſtituimus.

Quærunt nonnulli, vtrùm dyſenteria ſit morbus, an cauſa morbi, vel ſymptoma? Sed quæſitum, mea ſententia, eſt ineptum, cum manifeſtè in morborum numero nempe ſoluta vnitate contineatur. Quod ſi præterea quærat aliquis, quod à Galeno quoque quæſitum eſt 5. *de vſu partium* 10. quonam modo in iis partibus vlcera poſſint excitari, cum inteſtina polleant vſque adeo exquiſito ſenſu, vt bilem naturalem, vel aliud quoduis quod illis moleſtiam afferat facilè & celeriter expellant? Cui idem reſpondet Galenus loco citato: hoc vſu venire propter multas circumuolutiones, anfractus & flexiones inteſtinorum, in quibus acre aliquod excrementum longiore tempore detineatur, non iniuria poteſt primò quidem illa abradere, deinde erodere, ac poſtremò vlcera inferre.

Differentia

Dyſenteriæ ſunt plures differentiæ, inter quas iure principem locum obtinent, quæ ſumuntur à cauſis: & quanquam illa omnia quæ vim habent calefaciendi, attenuandi, erodendi, atque vlcerandi, hunc morbum poſſunt efficere: tamen ſi velimus hanc rem ad certa quædam capita referre, huiuſmodi cauſæ duplices ſtatui poſſunt, nempe aliæ externæ, aliæ internæ.

Cauſæ externæ.

Quatenus pertinet ad cauſas externas, primùm eſt aër de quo legimus apud Hipp. 3 aphor. 11. *Inter anni tempora ſi hyems plus iuſto ſiccior & frigidior fuerit, ver autem pluuium & auſtrinum, æſtate futuras dyſenterias.* & iterum 3. aph. 12. *Si hyems auſtrina & admodum pluuia fuerit, ver autem ſiccum aquilonium.* Ac demum 3. aphor. 16. *Per ſiccitates dyſenterias facile fieri.* Secundò, ſunt alimenta quæcumque calida ſunt acria & maxime abſtergentia, qualia ſunt vina vinoſa, allia, cæpæ, ſpinachiæ, & alia id genus. Tertiò, ſunt medicamenta, ac potiſſimùm vehementiora, ſcammonium, colocynthis, & ſimilia, ex quorum vſu frequenter videmus dyſenterias fieri.

Cauſæ internæ.

Cauſæ verò internæ ſunt in primis humores, ſanguis calidior, omnia genera tam flauæ quàm

attæ

atræ bilis, ſalſa pituita, qui quidem humores vel primùm & ſimpliciter, vel quandoque priùs genita inflammatione, mox facto abſceſſu, vlcera ſolent efficere. His cauſis addunt nonnulli excrementa alui duriora & ſicciora, quod vix mihi videtur fieri poſſe, vt nimirum illa ſint tam dura & ſicca, vt poſſint inteſtina exulcerare; niſi forte iis excrementis aliquis humor coniungatur, qui inteſtina vtcunque ferire & vlcerare poſſit.

Quòd ſi quis cupiat intelligere adhuc cauſas, vnde iſti humores tum qualitate, tum quantitate fiant noxii & generentur in corpore; Præter res externas de quibus diximus, ſunt in primis accuratè animaduertendæ nonnullæ partes principes, caput, ventriculus, & omnium maximè iecur, ex quibus iſti humores magna ex parte ſolent originem habere.

Secundò, ſunt differentiæ ex iis quæ deiiciuntur, quæ multa ac varia ſolent excerni, vt ſanguis, atque is modò flauus, modò floridus, modò niger: bilis flaua, vitellina, porracea, æruginoſa, & ſi quæ ſunt aliæ illius differentiæ, à quibus quidem ſpeciebus bilis, ſcribit Galenus, & confirmat experientia, magna ex parte dyſenteriam oriri. Deiicitur quoque atra bilis, pituita, ac poſtremò interdum ramenta inteſtinorum; ex quo nonnulli recentiores appellant dyſenteriam ſanguineam, bilioſam, &c.

Tertiò, ſunt differentiæ à loco affecto, ſi quidem laborant tenuia vel craſſa, ſuperiora vel inferiora inteſtina. Quartò ſunt differentiæ à qualitate, ſecundùm quam vlcera quædam ſunt munda, quædam ſordida, quædam depaſcentia: ſic dyſenteria, vel eſt boni vel mali moris; vel peſtilens vel non peſtilens, de qua poſtrema differentia prætermiſſa ab omnibus, tradunt hiſtoriæ, vt refert Ioſephus lib. 6. *Antiquit. Iudaicarum, initio*, Hebræos quoſdam peſtilenti dyſenteria miſerè interiiſſe, adeo vt ante obitum illis inteſtina corrumperentur. Quintò ſunt differentiæ ab intenſo & remiſſo, à magnitudine vel paruitate vlcerum: etenim alia ſuperficiem non excedunt, alia magna ſunt & profunda, & quandoque ita inſignia, vt ipſa diſrumpantur inteſtina, atque ipſum quoque abdomen, vt nonnulli teſtantur. Cuius quidem differentiæ Gal. tres gradus videtur ſtatuiſſe, 3. *aphor. com.* 16. primum, quando corpora quædam pinguia deiiciuntur: ſecundum, quando exeunt quædam ramenta inteſtinorum, abraſa ſuperficie interiore, quæ denſa, & membranoſa exiſtit: tertium, cum ſimul abraditur etiam ex ipſa ſubſtantia inteſtinorum, quo tempore dicendum eſt dyſenteriam non fieri adhuc, ſed etiam factam & confirmatam eſſe. Poſtremò ſunt differentiæ à coniunctis: namque dyſenteria vel eſt cum febre, vel ſine febre: ægri vel ingenti vel exiguo dolore torquentur, vel robuſtas, vel imbecillas habent vires: ſunt iuuenes, vel ſenes, & ſic de cæteris, quæ habent eandem rationem.

Prognoſticū. Variæ hæ differentiæ dyſenteriæ omnes, ſunt maximè notabiles & animaduertendæ, tum propter prognoſticum, tum propter curationem, adeò vt mirum ſit, quamobrem à multis prætermittantur. Namque, nonnulla exempla proferam ad veſtram exercitationem, ſi dyſenteria fiat propter cauſam externam illius curatio omnino tutior & facilior fuerit, quàm ſi pendeat à cauſa interna: ſi deiiciatur bilis porracea, æruginoſa, vel ramenta inteſtinorum, licet vnicuique rei periculum, & difficultatem intelligere: ad quem modum habetis apud Hipp. 4. *aph* 24. dyſenteriam ſi ab atra bile inceperit, lethalem eſſe. Si laborent inteſtina tenuia, remedia ore ſumpta ſunt magis opportuna: ſi contrà laborēt inteſtina craſſa remediis internis magis agendū eſt: vlcerato ieiuno inteſtino, ſi modo vlcus fuerit inſigne, ſcribit Gal. 6. *meth. c.* 4. illud vel difficilè, vel nulla ratione curari poſſe, tum propter magnitudinem, multitudinemque vaſorum, tum quòd illius tunica admodum tenuis neruoſaque eſt, tum quia huiuſmodi inteſtinum bilem ſyncera vniuerſam recipit, tum demū quod maximè omnium iecori eſt vicinum. Si vlcera ſint ſordida, valde abſtergentibus indigemus: ſi vlcera ſint depaſcentia, antiqui vtebantur vehementioribus medicamentis, ſandaracha, arſenico, & ſimilibus, quæ putredinem poſſint inhibere, de quibus poſteriùs tractabimus. Si dyſenteria ſit mala moris, imò verò vulgaris & peſtilens, vt plerique intereant neceſſe eſt. Si dolor vrgeat vehementiſſimus, tum cæteris neglectis indicationibus, illi vni cogimur proſpicere, vt neque abhorreamus à ſtupefacientibus medicamentis. Poſtremò ſi dyſenteriæ accedat febris, vires inualidæ, ætas incipiens aut declinans, iſthæc omnia morbi periculum augent, & diuerſam planè illius curandi rationem poſtulant. Mihi libuit hæc exempla proferre, vt intelligatis, temere admodū, & ſummo cū ægrotorū periculo multos medicos huiuſmodi neglectis differētiis, dyſenterię curandæ rationem tradere. Sed ſigna perſequamur.

Signa. Neque verò eſt, vt quis diutius laboret in inueſtigandis & perquirendis ſignis, quæ in vniuerſum dyſenteriam demonſtrent, cum planè ſint manifeſta. Namque vt docet Gal. 6. *de locis aff.* 2. *à principio*, mordax plerunque bilis deiicitur, huius deiectionē paulo poſt inteſtinorum abraſiones ſequuntur, quæ iam laborantium inteſtinorum certiſſima ſunt indicia: poſtea cum ad venas vſque exulceratio progreditur, modicū ſanguinis ſimul cū abraſionibus excerni videmus, quo tempore malū propriè dyſenteria nominatur: adeſt in ventre dolor, multaque ac frequens deſidendi cupiditas, vt æger ferè omni quiete careat. Quare ſcribit Gal. 12. *meth. c.* 7. hanc partem artis medicę, quę tractat de ſignis, in cæteris quidem morbis eſſe incertam & coniecturalem, in dyſenteria autem & pleuritide minimè dubiam, ſed ſcientificam eſſe, itaque accedamus ad ſigna differentiarum. *Signa differentiarum.* Cauſæ externæ aut per ſe, aut referente ægroto fiunt manifeſtæ: ſic cauſæ internæ & differentię, quæ ſumuntur ab exeuntibus, ſenſu ipſo facilè deprehenduntur, ex quibus neque admodum difficile eſt inueſtigare, & intelligere altiorem cauſam, ex qua huiuſmodi excrementa originem habent. Exempli gratia, ſi deiiciatur bilis flaua, porracea, æruginoſa, nulli dubium eſſe debet, quin iecur potiſſimum laboret: quod item de pituita & cæteris ſtatuendum eſt. Porrò ſigna loci affecti ſunt minùs manifeſta: ſi craſſa inteſtina malè habeant, inquit Alex. & cum eo ferè omnes, dolor vrget in imo ventre: ſin autem laborēt tenuia, ſuperiores partes magis dolore afficiuntur. Sed ego hanc diuerſitatē non ſatis intelligo, ſiquidem anatomes & ſenſus ratio docet, vtraque inteſtina, tam tenuia, quàm craſſa, inter ſe commiſceri & cōfundi, atq; vtrumq; locū, & ſuperiorē & inferiorē occupare: quare longè magis certa cenſenda ſunt illa indicia, quæ tradita ſunt à Gal. 1. *de locis aff.* 4. quæ deſumūtur ex qualitate doloris & aliorū ſymptomatū, ex natura & ſpecie eorū quæ deiiciuntur, ac poſtremò ex modo deiiciendi. Namque primùm ſi laborent inteſtina tenuia, dolores ſunt vehementiores, ferè perpetuò adeſt febris, ac nonnunquam maligna adeſt ſitis, nauſea, vomitus, deliriū, ad ſummā ſunt omnia deteriora & periculoſiora. Deinde ſi ramentū aliquod ex tenuibus inteſtinis excernatur, id longè tenuius & exilius eſt, inteſtinorū ſubſtantiæ planè reſpondens. Demum inter dolorē &

deiectionem

deiectionem plus omnino ponitur interualli, quod tenuia inteſtina à poſtrema parte longiùs diſtent: ſanguis & quidquid ex inteſtinis deraditur, exactiùs cum alui excrementis ſolet permiſceri. Altera autem ex parte, ſi malè afficiantur inteſtina craſſa, dolores omnino ſunt remiſſiores, quòd hæc inteſtina minori ſenſu ſint prædita, neque ferè grauia illa ſuperueniunt ſymptomata, quæ tenuibus malè affectis ſolent ſuperuenire, adeo vt perpetuò hic caſus in quo laborant inteſtina craſſa, ſit tutior, & curatu facilior altero, in quo laborant inteſtina tenuia: pariter ramenta deiiciuntur craſſiora, vt quàm primum æger dolet protinus ſequitur alui deiectio, neque tantum ponitur interualli inter dolorem & deiectionem, quantū ponitur affectis tenuibus inteſtinis, cum hæc inteſtina poſtremæ parti ſint viciniora. Hic demum nullæ vlcerum notæ miſtæ deiectionibus conſpiciuntur: namque ſi ſanguis vel alia ſimul deiiciantur, ea minimè cæteris excremētis permiſta ſunt, ſicuti accidit in tenuibus, ſed potiùs aliqua eorum parte videntur ſupernatare. Atque hæ eædem differentiæ ſecundùm varia inteſtina, vti diximus, ad curandi rationem plurimum cōferunt, vt docet Gal. *6. de loc. aff.* 2. quæ enim vlcera ſunt in craſſis inteſtinis, iis quæ per ſedem infunduntur, remediis magis indigent: quæ verò ſunt in tenuibus ab epotis medicamētis magis iuuātur: vel quod item docet Gal. 4 *meth.* 7. ambo requirunt præſidia, & quæ ſupernè ſumuntur, & infernè iniiciuntur, quòd inteſtina tenuia ſint longinquiora, & quodammodo in medio oris & ſedis poſita eſſe videantur: quare non ſine ratione ab vtriſque præſidiis, & ſupernis & infernis iuuantur. Vlcera vtrum ſint magna vel parua, munda vel ſordida, depaſcentia, vel non depaſcentia, boni vel mali moris, in primis indicant ſymptomata, & quæ deiiciuntur excrementoſç materiæ: namque ſi dolor eſt grauis, ſi plurimas partes occupat, ſi febris & multa adſunt moleſta ſymptomata, ſi plurima educitur materia præter naturam, hæc omnia magnum vlcus, contraria exiguum demonſtrant. Præterea ſi plurima corrupta educuntur, vt aliquando etiam deiiciātur ramenta, & partes inteſtinorum ſemiputridæ; facilè poteſt intelligi vlcus ſordidum eſſe: contrà autem, ſi deiiciatur, verbi gratia, ſanguis ſyncerus, patere poteſt vlcus eſſe mundum: ex quo licet id quoque intelligere, an vlcera ſint boni vel mali moris; quæ enim ſunt boni moris, opportunis remediis facilè cedunt: altera autem ex parte quæ ſunt mali moris, nulla quantumuis optima curandi ratione videntur poſſe curari. Poſtremo loco differentiæ à coniunctis vel ægro referente, vel aliis modis facilè poſſunt intelligi, adeo vt iam tribus abſolutis capitibus, quæ ad eſſentiam dyſenteriæ, differentias & ſigna pertinent, id vnum reliquum ſit; vt aggrediamur curationem, de qua tractabimus ſi tamē priùs dixerimus duo verba de cæteris cruētis deiectionibus, quas impropriè diximus dyſenterias appellari.

Indicationes in dyſ. ex amputata corporis parte. Itaque ſi propter amputatam partem corporis, vel intermiſſam ſolitam exercitationem per quaſdam periodos ſanguis per aluum deiicitur, principalis eſt indicatio prohibendi ne ſanguis tam multus & copioſus generetur: quod ſi iſtud non licet, altera eſt indicatio minuendi illius multitudinem, quæ iam facta eſt. Et notandum, tametſi talis fluxus videtur ſalutaris, & poſſe præſeruare hominē à multis morbis, nihilominus quoque aliquando eſt valde periculoſus. Primùm, ratione ſuperfluæ vacuationis: natura enim dum intendit expellere ſuperfluam quantitatem ſanguinis, facit aliquando ſicuti qui currunt per loca decliuia, qui gradum ſiſtere non poſſunt ſuo arbitratu, ita & ipſa in huiuſmodi ſanguinis profuſione ſe continere non poteſt, vt prorſus immoderata & perniencioſa euacuatio ſuccedat. Secundò quanquam natura ſemel & bis probè agit, & commodam ſanguinis quantitatem deiicit, tamen fieri poteſt, vt illa grauata nimia copia, ſuffocato calore naturali, nequeat aggredi euacuationem, & noxium humorem expellere. Tertiò, quantumuis natura inſurgat, & velit aggredi hanc vacuationem, tamen fieri poſſet, vt propter obſtructiones venarum meſaraicarum, vel aliud impedimentum, nequeat eam perficere, vnde forte periculum immineret, ne retrocedens materia petens aliquod membrum principale, ex improuiſo hominem ſuffocaret: quamobrem etſi natura aliquando benè agit, mea ſententia melius foret curationem aggredi, & ita varia pericula deuitare. Itaque ex prima indicatione prohibetur generatio multi ſanguinis, potiſſimum victus ratione, qui præterea inſtituatur moderatus & parcus, adeo vt ægri moderatiùs & parciùs comedant & bibant, quàm cōſueuerint: pariter ſint alimenta, quæ parum nutriant, nec plurimum ſanguinem generent, qualia ſunt piſciculi, herbæ, fructus, vina aquoſa; ſunt maximè opportunæ exercitationes, frictiones. Et ſi fuiſſet retenta conſueta aliqua vacuatio optimum eſſet illam reuocare, ac fortaſſe non foret inutile, vnum vel alterum cauterium in partibus ſuperioribus, quæ ſine intermiſſione expurgent varia genera excrementorum, & generationem multi ſanguinis impediant. Quod ſi iam ſanguis copioſus genitus fuerit, ille reuellendus & minuendus eſt, ſectis venis in vtroq; brachio, non modò ſemel, ſed etiam bis, ter & ſæpius. Nonnulla etiam leuiora medicamēta, caſſia, thamarindi, ſerum lactis, & ſimilia nō eſſent importuna, quæ poſſunt ſanguinem refrigerare, & quoquo modo illius copiā minuere.

De fluxu hepatico. Secunda eſt differentia cruentæ dyſenteriæ, quando ob iecoris imbecillitatem aquoſus ſanguis deiicitur, quem Veteres loturæ carnium aſſimilarunt: quæ quidem imbecillitas, ſicuti diximus ex Gal. non alia eſt, quàm intemperies frigida iecoris, quod propterea non poteſt integram ſanguinis coctionem perficere, ex quo ille deiicitur crudus, qui colore quidem ſanguinem imitatur, ſed reuera eſt adeo dilutus ac tenuis, vt potius ichorem ſanguinis, quàm ſanguinem videatur referre. Et ſi quis obiiciat hiſtoriam, quàm narrat Gal. de illo Medico Siculo, qui habebat huiuſmodi cruentas deiectiones ſimiles loturæ carnium, & nihilominus laborabat inflammatione iecoris, quæ potiùs intemperiem calidam quàm frigidam videtur demōſtraſſe; Huic idem reſpondet Galeni inter initia ſanguinem ſeroſum & aquuſum excerni, poſtea verò, coaceruata & putreſcente materia, facta febre, inflammatione, & reddito iecore calidiore, ſanguinem craſſum nigrum & ſplendērem deiici, id quod illi quoque medico eueniſſe veriſſimile, vel potiùs neceſſarium eſt: quomodo enim ſanguis tenuis, aquoſus & frigidus, à calida iecoris intemperie poſſet generari? Itaque præcipua & prima indicatio curandi hunc morbum, eſt calefaciendi ipſum iecur, *Indicatis.* deinde reuellendi aut deriuendi materiam ab inteſtinis ad alias partes, ac demum tuendi ipſa inteſtina ne exulcerentur, quoniam eiuſmodi ſanguis, tā etſi aquoſus & frigidus, cum diutius detinetur, fit acris, atque efficit dyſenteriam.

Prognoſtica. Quibus quidem indicationibus, cum morbus eſt confirmatus, demonſtrat experientia, aut difficulter, aut nullo modo, nec ſine multo labore, in tempore ſatisfieri poſſe.

Curatio. Ad tuenda inteſtina, ad temperandam acredinem humoris, conueniunt ſuccus farris, oryzæ, ptiſanæ, oleum, toſatum, ſebum hircinum, & ſimilia, ex quibus ſit exemplum clyſteris.

℞. Succi ſerris lib. j.
Sebi hircini ℥. ij.
Olei roſati ℥. iiij. Miſce pro clyſtere.

Præceptum.

Ad reuellendã materiam ſunt accõmodatæ frictiones, ligaturæ partium ſuperiorum, cucurbitulæ, quæ prouocant lotium, ſudorẽ, de quib. ſæpius diximus. Cæterùm quatenus pertinet ad tollendã frigidam iecoris intemperiem, in qua re tota conſiſtit ſumma curationis, non eſt vt fruſtra ea repetantur, quæ iã proprio loco diffuſè tradita ſunt, quæ omnia poſſunt & debent ad hanc partem accommodari. Sed tamen nolo ſilentio præterire præceptum Auic. qui docet perpetuò cauendũ eſſe ab his quæ vehementer adſtringunt, imò verò vtendũ eſſe iis, quæ moderatè aperiant: ſiquidem ſanguis aquoſus ſi diutius detineatur in viſcere, putreſcit aliquando, & grauiſſima pericula ſolet afferre, in quẽ alioquin perniciosum errorẽ frequenter incidunt vulgares Medici, qui & hanc, & cæteras omnes fluxiones alui neſciunt aliter quam medicamẽtis adſtringentibus curare. Ego quidem in hoc difficili morbo longiori experientia deprehendi, meos ægrotos magnã vtilitatem percepiſſe ex duob. præſidijs: altero ex longiori vſu trochiſci cypheos, de quibus aliàs diximus: altero ex potu aquarum thermalium calidarũ quæ certè, meâ ſententiâ aliorum medicamentorum vicẽ poſſint ſupplere. Et ſanè memoria teneo doctiſſimũ quendam virum ſeptuagenarium Venetiis bis pota aqua Aponitana, ac frequẽter vſu eorum trochiſcorum ab hoc fluxu hepatico, qui multos menſes illum malè habuerat, præter omnium opinionem liberum euaſiſſe.

Alterius ſpeciei fluxus hepatici curatio.
Indicationes

Demũ verò ſi deiiciatur ſanguis niger & ſplendens, quod fieri diximus propter intemperiẽ calidam, ſicuti declarat Gal. quæ altera eſt ſpecies fluxus hepatici, eædẽ ſunt indicationes curandi, quæ in ſuperiori ſpecie propoſitæ fuerunt, munienda ſunt inteſtina, reuellẽda eſt materia ad alias partes, tollenda eſt calidior intẽperies. Ad muniẽda & tuenda inteſtina clyſteria ſunt in primis accõmodata, inter quæ illud eſt præſtantiſſimum, quod conficitur ex ſucco ptiſanæ, oleo roſaceo, & ouis. Sit exemplũ:

℞. Succi ptiſanæ ℥. xv.
Ol. roſ. ℥. iiij.
Oua integra N. ij. Miſce pro clyſtere.

Reuulſio, aut verius deriuatio, fit præcipuè cum iis, quæ prouocant lotium, quæ frigida ſint, vt ſuccus ptiſanæ, capilli Veneris, ſemina melonis. Sed ante omnia habenda eſt ratio ipſius morbi, à quo huiuſmodi ſympt. originem habet: quare ſtudeatis tollere calidã intemperiem, ac potiſſimùm iecoris, illis omnibus remediis, & internis, & externis, de quibus ſuo loco diximus, vt ſuperuacaneum ſit in præſentia illa eadem repetere.

Vera dyſenter. curatio

Itaq; ad poſtremam dyſenteriæ differentiam accedamus, quæ propriè dyſenteria appellatur: hanc ſicuti diximus, definiunt Gal. & cuncti Medici, eſſe *vlcus inteſtinorum.* Ergo iure ea curanda illæ Indicationes debẽt proponi, quæ generaliter ad curanda vlcera ſunt accõmodata. Nam ſicuti in omni vlcere medici duo potiſſimùm conſiderant: alterum, naturã vlceris, quatenus vlcus eſt; alterum, quatenus dependet à ſua cauſa, habet cõiuncta varia ſympt. & occupat varias corporis partes; ita propemodum in curandis vlceribus inteſtinorum hæc ipſa diligenter ſunt animaduertenda, adeò vt ad hunc modum liceat ratiocinari. Vlceris ſanatio, qua vlcus eſt, ex doctrina Gal. & omnium Medicorum, in moderata ſiccitate conſiſtit: ſed quoniam fruſtrà exſiccationẽ tentares, aſſiduè ſubminiſtrata noua materia vnde vlcera gignuntur, aut certè fouentur: idcirco huic primũ cauſæ proſpicere æquũ eſt, quando humores copia vel mala qualitate noxij, quicunque confluunt ad inteſtina ſunt vacuandi, reuellendi, corrigendi, atque ipſa fluxio omnib. modis eſt intercipienda. Quod ſi addas præterea contemplationem variorum ſymptomatum, quæ hunc morbũ ſolent comitari, ac demum naturam loci affecti, de quibus poſteriùs tractabimus, nihil fortaſſe amplius in hac tractatione videbitur deſiderari.

An purgandum in dyſenteria.

Primùm igitur communis cauſæ habenda eſt ratio, cum certum ſit nullum morbũ manente illius cauſa curari vnquã poſſe: quamobrem ſicuti diximus, cum omnium conſenſu inteſtina vlcerentur ab omnibus quæ calefaciendi, erodendi, atq; vlcerandi vim habent, maiori autem ex parte ab humoribus bilioſis illi ante omnia purgandi eſſe videntur. Atqui hoc loco emergunt arduæ difficultates: etenim cum noſtra corpora multis quidẽ modis, ſed potiſſimùm ſanguinis miſſione & medicamentis ſoleant vacuari, variæ autem ſint hominũ ſententiæ, ita vt alij medicamentis familiariter vtantur, quæ ad ducendos vnum vel plures humores noxios ſint accõmodata alij contrà abhorreant à medicamentis, nec vereantur ſanguinem mittere, eas quidem diſſentientes opiniones mihi liberè accuratè examinare, quod videantur non minorem difficultatem, quàm vtilitatem retinere.

Qui in curanda dyſenteria ſoluentibus vtuntur medicamẽtis, & rei natura, & proba medendi methodo duci videntur: etenim cum morbus pendeat ab humorib. acribus & vlcerantibus, tanquã à principe cauſa, niſi illi quamprimũ educantur, vix licet vllam ſperare ſalutem, imò verò ratio colligit cauſa adhuc perſeuerante, neceſſe fore vt inteſtina magis torqueantur, & ipſa vlcera fiant maiora & deteriora; quare pleriq; omnes cõmoniter practicantes familiariter vtuntur diaprunis, diaphœnicon, & ſimilibus, ſed familiariſſimè rhabarbaro & myrobalanis, quæ duo inter cætera omnia medicamenta prædicant hac in re inſignem prærogatiuam obtinere. Sed præterea huic ſententiæ videtur fauere Gal. qui 2. *de ſimp. med. fac.* c. 12. 13. 14. docet humores acres & morſum inferentes, primùm ducendos eſſe, deinde eorum; quæ morſum auferunt, & dolorẽ mitigant, vſum permittit, adeò vt ſi quis non antea expurgat corpus, & inteſtinis audeat exhibere, vel infundere chondrum, lac, ptiſanam, & alia huiuſmodi medicamenta, hunc non veretur appellare maioris putredinis, & cacochymiæ auctorem eſſe. Hinc opinionem confirmant nonnulli exemplo eiuſdem Gal. 1. *de loc. aff.* c. 4. & 12. *meth.* c. 7. qui in curando colico dolore, in quo ſimiliter inteſtina laborant, non eſt veritus medicamentum exhibere, id quod nonnullæ ægrorum Hiſtoriæ videntur demonſtrare.

Negatur purgandum in dyſenteria.

Cæterùm etſi non ignoro, pleróſq; omnes medicos noſtrorum temporũ, nec ſolum plebeios, ſed etiam quoſdam nobiliores, & qui Gal. diſciplinam profitentur, ita ſentire, vt prætermiſſis vehementiorib. medicamentis, quæ certiſſima & manifeſtiſſima pericula videntur afferre, ſaltem liceat minoribus vti, quæ benedicta appellantur, qualia ſunt myrobalani & thamarindi, quæ præterquã quod lenia ſunt, inſigni etiam adſtrictione non ſunt deſtituta; ſed omnium maximè rhabarbarum, ac potiſſimùm, ſi id primò torrefiat, vel vt aliis placet, ſi ſemel, bis, & ſæpiùs opportuno aliquo liquore infundatur, qua ratione exiſtimant omnes, illius particulas aſperiores, vlceribus aduerſas, totamq; ſoluendi vim poſſe auferri. Verumtamen ſoleo magis probare ſententiam illorum qui docent à cunctis medicamentis abſtinendum, adeò vt non verear aſſeuerare priorem opinionem, meâ quidem ſententiâ, ab omni ratione, & illuſtrium medicorũ diſciplina alienam eſſe, poſteriorem & rationi maximè conſonam, & clariſſimorum virorum au-

ctoritate poſſe confirmari. Sed ad rem, certiſſimū eſt Gal. decretum 13.*meth.c.*15 inter cæteras curādi indicationes illam non poſtremū locum obtinere, quæ ſumitur à natura partis laborantis, id quod teſtatur hiſtoria Theag. Philoſop. quem inflammatione iecoris laborantē Attalus methodicus ſolis medicamētis relaxantib. enecauit. Teſtantur & alia multa exempla, non ſolùm antiqua, ſed etiam noſtrorum temporum, dum pleriq; hanc indicationem adeo neceſſariam negligentes ſæpenumero ægros in grauiſſima pericula conijciunt. Verùm cæteris omnib. in præſentia prætermiſſis, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, de vna vacuandi indicatione agendum eſt. Nullus itaque eſt locus dubitationi, quin partes noſtri corporis, quæ vacuatione indigent, pro varia illarum natura, munere, ſitu, modò vnam, modò aliam vacuandi rationem deſiderent, adeò vt quæ vni parti opportuniſſima eſt vacuatio, alteri ſit valdè pernicioſa: qua de re teſtem vnum audiamus, qui ſit vice omnium, is erit Gal. 13.*meth.c.*11. qui ſcribit ad hunc modū: *Neq; id ſolum ſatis eſt inueniſſe, quod vacuandū ſit, velut ſentiunt, qui methodicā ſectam colunt, quib. nulla de laborantium locorū differētia habetur ratio: non enim ratio ſolùm, verùm etiā vſus ipſe indicat, aliam alii parti vacuationē congruere: ſiquidem ex iis, quib. oculi tētari phlegmone cæperunt, nonnullos ſola per aluum purgatione vno die ſanatos vidiſti, quā rem ſi quis facere tentet in iecinore, cum phlegmone laborare incipit, maximā excitabit phlegmonem, æquè vt ſi, cum renes aut veſica phlegmone tentari cæperint, qua vrinas prouocant medicamēta exhibeas, aut ſi, cum vterus phlegmone laboret, menſes prouocet: ſiquidē longiſſimè à parte qua fluxione tentari incipiat, quod redūdat, reuellere, minimè ad eam trahere cōuenit. Hac igitur ratione: nec ſi ventriculū, aut inteſtina phlegmone occupare iam cæperit, medicamenta quod aluū deiiciat, vti cōuenit: eandem cum iis indicationem & vterus ſortitur, ſicuti cū vrina vaſis pudenda. At vomitu vel pudēdis laborantib. in diuerſo reuellens auxiliū eſt; eadē ratio est in omnib. quatirca caput accidūt, medicamentū quod aluū deiicit ad contrariū auertit. ſi qua verò circa fauces, & palatū, aut linguā, aut denique in ore phlegmone laborare incipiant, in iis omnib. cauenda ſunt, quæ pituitā per os euocant: quippe cū id ſimile ſit, ac ſi laborantib. inteſtinis aluū deiicere velis, aut lotiū mouere, cū renes aut veſica male habent; aut vomitū prouocare, cū partes ventriculi ſunt afflictæ: quare melius fuerit laborantib. partib. quæ in ore ſunt deriuare ad nares, &c.* Hæc Gal. quæ ſunt omni luce clariora adeò vt ſuperuacaneū ſit alia teſtimonia, quæ apud eum non deſunt plurima, huc afferre.

Ergo hac ſerie admonentur Medici, ne partes inflammatione aut fluxione tentatas, vel medicamentis, vel aliis modis quicquam attrahant, imò verò vt omni ſtudio fluxionem ab illis prohibeāt, ac lōgiſſimè auertant: quod quidem tam perſpicuè eſt conſentaneum rationi, vt non indigeat longiori confirmatione. Cum igitur in dyſenteria inteſtina tum fluxione, tum vlcere, ſæpè etiam inflammatione laborent, equidem plane ſum neſcius, quomodo in illa curanda liceat medicamentum exhibere, quod ſine dubio poteſt fluentes humores ad illa magis trahere, doloremq; vlcus & alia ſympt. augere imò verò Gal. 9. *de med. ſec. loc.* videtur abhorruiſſe medicamenta, non ſolum laborantibus inteſtinis, ſed etiam partibus proximis, qui in priapiſmo purgationem per inferiorem ventrem improbauit: *qua enim* (ille inquit) *hac ratione fiunt vacuationes ſæpenumero vicinas partes fluxione infeſtant.* Summa igitur cum ratione factum eſt, vt neque Galenus, vel vbi ex propoſito dyſenteriæ curandæ rationem tradit, vel alio loco, neque alius probatus medicus purgantium medicamentorum meminerit. Et ſi quis mihi obiiciat, Auicennā, qui non videtur ab vſu medicamentorum prorſus abſtinuiſſe: ego quidem exiſtimo hac in re, ſicut in aliis multis, malè ſentire, ſed is ſciat ipſum quoque Auicenn. non ſine multa conſideratione, & præmeditatione medicamenti vſum probare, 3. *can. Fen.16. tractat.2.c.7.* qui ſcribit ad hunc modum: *Et ſi fuerit neceſſaria vacuatio propter humoris malitiam, vtere iam cum timore & cautela, & ſtude ne ſolutiuum vehementer noceat veſtigio & vlceri, imò ſit ſicut myrobolanus, & rectifica ipſum cum eo quod miſcetur, vt ex iis, quæ ſunt ſicut tragacanthum, & ſimilia.* Neque verò eſt vt aduerſarius exiſtimet opinionem ſuam poſſe tueri exemplo Gal. Dioſcorid. & aliorum veterum, quos legimus aliquando in dyſenteria rhabarbaro vſos fuiſſe: ſiquidem iamdiu exploſa eſt illorum ſententia, qui neſciunt rhabarbarum noſtrum vulgare, cum aliis nominib. tum eo potiſſimùm à rhabarbaro veterum, vel magis rhapontico differre, quòd iſtud non ſolùm nullam ducendi aluum facultatem habeat, ſed contrà non leuem etiam adſtringendi vim obtineat, adeò vt iure dixerint, exſpuentibus ſanguinē, phthiſicis, dyſentericis, illud conferre. Ex quo non ſatis mirari poſſum, quomodo Trincauellius, vir alioquin doctiſſimus, ſcribat, illos medicos, qui omne genus vacuationis damnant in dyſenteria, ſi per aluum inferiorem fiat, communem medicorum conſenſum deſtruere: ſiquidem omnes, tam antiqui, quàm iuniores, ac particulatim Dioſcor. Gal. Auicenn. & omnes Arabes rhabarbari vſum in dyſenteria laudarunt, quo nihil abſurdius, & à veritate alienius dici poteſt. Sed diſputationem proſequor: aduerſarij qui forte intelligunt, ſe nullis machinis poſſe noſtras rationes deſtruere, aliter tentant euadere, ac ſuam ſententiam tueri. Itaque negant purgantia medicamenta maiorem ad inteſtina fluxionem excitare; ac per locum affectum vacuare, ſed contendunt, illa ab vnis tantummodo inteſtinis ducere noxia excrementa, id quod peculiaria medicamenta ad hanc rem deſtinata, myrobolani, rhabarbarum, & ſimilia, ſatis confirmant: quæ cum vel ſuaptè natura, vel arte & commoda præparatione, non ſolùm omni ſoluendi facultate ſint deſtituta, ſed etiam non leui adſtringendi vi polleant, minimè humores ex venis affectum locum deducere, ſed illos tantùm, qui inteſtina occupant, videntur poſſe mouere. Verùm hæc leuia ſunt, & nullius momenti: namque ſi fateantur ſe medicamenta in dyſenteria non idcirco exhibere, vt noxios corporis humores ducant, ſed magis contraria ratione, vt illorum fluxio cohibeatur, iam inter nos conuenit quandoquidem certum eſt id fieri, dummodo fiat opportuna cum ratione, atque ex veteri illius medicinæ diſciplina. Atqui illorum inconſtantia hic eſt animaduertenda: namque dum dyſenteriæ curandæ indicationes eliciunt, humores acres, tanquam totius mali principem cauſam deliberant auferre, poſtea autem dum huius conſilij pleraagnoſcunt pericula, ad huiuſmodi vana, & ſibi ipſis pugnantia diuerticula temere confugiunt. Ad ſummam ita habendum eſt meâ ſententia, rhabarbarum, myrobolanos, thamarindos, & cætera omnia medicamenta, quomodocunque torreſiant, lauentur, præparentur, dummodo purgandi vtcunque vim habeant, atque ad laborantia inteſtina humores ducere poſſint, in dyſenteria curanda planè eſſe importuna, forte etiam pernicioſa: altera autem ex parte, ſi ita illa tranſmutentur, vt aluum nihil mouere, ſed potius adſtringere poſſint, illum vſum tempore opportuno poſſe permitti.

Rhabarb. antiquorum.

Trincauell. notatur.

Vide Valleſium com. 4. epiſ. ſec. 96.

Sed

Sed tandem aduerſariorum rationem audiamus, quæ erat huiuſmodi: Si in quouis morbo cauſa in primis eſt auferenda, quod certiſſimum eſt medicorum decretum, & nos facilè concedimus, quomodo ægrotos dyſenteria laborátes ſcient curare, niſi birioſi humores, exempli gratia, à quib. magna ex parte hic morbus ſolet originem ducere, primo quoq; tempore educantur? Verum eſto: quid tum? an propterea ſoluens medicamentũ exhibendum eſt? Ego equidem non ſatis intelligo huiuſmodi rationem: morborum cauſæ ſanè debent auferri, ſed aptis & accõmodatis præſidiis tẽpore cõgruo, & vno verbo, ſi illud opportunè fieri poteſt, namq; euenit ſæpenumero, vt cauſa morbi vrgeat, ſed tollere illã non liceat, propterea, quia vel tempus ſit ineptum, vel ægri vires ſint imbecillæ, vel deſit locus ad vacuationem idoneus, vel propter aliud impedimentũ: alioqui nullus ferè morbus foret curatu difficilis. Ego verò libenter ſcire vellem, an præter vnum medicamentum, nulla ſit alia ratio, qua huiuſmodi humores noxios liceat vacuare: neq; enim id mihi verum aut veriſimile videtur. Nam quẽadmodum præterito tempore præclari omnes medici ſine purgantibus medicamentis dyſentericos feliciter ſanauerunt, ita in præſentia, ſi illorum præceptis velimus acquieſcere, atq; eadẽ ſemita incedere, dubitandum non eſt, quin nos quoq; noſtros ægrotos pari felicitate curare poſſimus. Humores birioſi, vt in poſito exemplo conſiſtamus, ducendi quidẽ ſunt, non tamen licet illos per aluũ ducere, quoniam ita maiore impetu ad locum affectũ ducerentur. Alia igitur via progrediendũ eſt atq; ea quidem, quam ſummorũ virorum auctoritas demonſtrat: illa verò maximè congruens fuerit, qua humores ad inteſtina fluentes, ad alias partes reuelluntur aut deriuantur, ſicuti & adminiſtratio clyſteriorum, prouocatio vomitus, ſudoris, lotii, ſicuti cæterorum omniũ, præſtantiſſima eſt ſanguinis miſſio, de qua paulò poſt ſermonem habebimus. Sed rurſum aduerſarij vrgent hunc locũ, obiiciuntq; naturæ motionem & inclinationem: quæ enim ducere oportet ex Hip. 1. *aph.* 21. ea duci per conferentia loca debent, quò maximè natura tendit. Atqui iſti memoria repetant, medicũ eſſe naturæ æmulũ atq; miniſtrum, quotieſcunq; illa probè, non malè operatur, & Gal. audiant ita loquentem: *diligenter medicũ oportet naturæ motũ & inclinationẽ obſeruare, quæ ſi ad loca commoda fiat, ei ſeruiendũ eſt & auxiliandum; ſi verò modo contrario ad incõmoda, iam prohibere, ſimulq; reuocare & retrahere oportet.* Sunt hæc omni luce clariora; itaq; ſi fluentib. humoribus ab inteſtina, ex quib. fit dyſenteria, natura bene agit, iam licet medico & datis medicamentis, & omni ratione illius inclinationem iuuare: ſin verò illa malè agit, atq; in perniciem hominis, ſi Gal. credimus, illius conatum oportet reuellere, deriuare, & omnib. modis impedire. Cæterùm quæ deinceps afferuntur ex Gal. tantùm abeſt vt ſint cõtra nos, vt potius ſint à nobis, & noſtram ſententiã confirment: namq; ille priore loco *de ſymp. med. fac.* non aliud docet, quam methodũ & certum quendam ordinẽ agendorum, vt medici intelligant, quid primò, quid ſecundò agere conueniat: in quo ne vno quidẽ verbo purgantium medicamentorũ mentionem facit. Etenim cum forte Gal. tempore, quod in præſentia quoq; frequenter fieri ſolet, pleriq; ſolius ſympt. rationem habentes, ſine vlla diſtinctione & ratione ſoliti eſſent multa infundere, quæ poſſent dolorem mitigare, atq; humorum acredinem remittere, qualia ſunt lac, ptiſana, chondrũ, oleũ dulce, & alia huiuſmodi, hanc perniciosam medendi methodum redarguit, quandoquidem niſi primùm noxii humores, & qui morbum inferunt, educantur; vt omnia ſimul confundantur, putreſcant, malumque fiat deterius neceſſarium eſt. Quem profectò medendi abuſum, non ſolùm hoc loco, ſed etiam 12. *meth.c.* 1. & alibi grauiter animaduertit. Sed audiant aduerſarii, quale & quantum medicamentum, qualem & quantam purgationẽ Gal. probet, qui ſcribit ad hunc modum. *Itaq; chondrũ, lac, ptiſanam, in huiuſmodi affectib. & edendo probamus, & per ſedẽ infundimus: vbi tamen melle: aut quopiam eiuſmodi, quod infeſtabat attraxerimus: quo tempore opportunus eſt & adeps, & ceratum dulce, & oleum dulce, &c.* Quoniam non deſunt Sophiſtæ, qui cõtendunt, propterea Gal. in dyſenteria medicamenta non exhibuiſſe, quòd non nouerit rhabarbarũ aut myrabolanos: qui certè ſunt potius ridendi, quàm refellendi, quaſi verò alia deeſſe potuerint medicamenta viro ſolertiſſimo, vel ſimplicia, vel compoſita, quæ hac in re eandem operam præſtare potuiſſent.

Poſtremò quod attinet de dolore colico, debili item fundamento nititur: namq; propter eaſdem rationes neq; in dyſenteria, neq; in dolore colico, neque in quouis morbo inteſtinorũ, licet purgantib. vti medicamentis, certumq; eſt nullum medicamentum præter hieram à Gal. fuiſſe exhibitum, ex quo humores tantummodo in ventriculo & inteſtinis contenti leuiter purgantur: minimè alii ad locũm laborantẽ deducuntur, vt propria tractione diximus. Quanquam & illud verè licet addere, diuerſam planè eſſe rationem dyſenteriæ & colici affectus: nãq; in dyſenteria perpetuò adeſt vlcus, ſæpenumero febris, quandoque phlegmone & alia multa vrgent ſæua ſympt. in colico autem dolore nulla ſunt vlcera, maiori ex parte, nulla febris, nulla inflammatio, nulla humorum fluxio, adeò vt ſi omnia velimus conferre medicamenta, minori cum periculo in dolore colico, quàm in dyſenteria videantur poſſe exhiberi. Sed hactenus de medicamenti adminiſtratione.

Altera fuerat difficultas, an liceat in dyſenteria venam ſecare: ac ſanè pleriq; omnes hoc tẽpore non modò hoc remedium non recipiunt, ſed etiam illud abhorrent tanquam paradoxum ab omni ratione & clarorũ medicorum auctoritate alienum: quos equidẽ puto in hanc ſententiam potiſſimum veniſſe, propter Gal. teſtimonium 1. *ad Glau. c.* 14. 4. *de ratione victus, c.* 16. qui generaliter docet fluente aluo, à ſanguinis miſſione perpetuò fore abſtinendum, quanquam ille non fluit pro quantitatis ratione, adeò vt quicunq; neceſſarium putantes maiorem vacuationem moliri, audent huiuſmodi ægrotis ſanguinem mittere, eos deducant in grauiſſima pericula. Sed illud quoque addunt nonnulli, ac maximè qui medicamentorum partes tuentur, dyſentericis lõgè magis medicamentum, quàm ſectionem venæ conuenire, propterea quòd, vt ſuprà diximus, illi maiori ex parte cacochymia laborant, quam conſtat inter omnes, purgatione minimè ſanguinis miſſione auferendam eſſe. In hac inſigni controuerſia multa forent altiùs repetenda de ſcopis mittendi ſanguinem, ſed cum mihi firmiter propoſitum ſit, hanc vtiliſſimam diſputationem, vel priuatim vobis explicare, vel fortè etiam primo quoque tempore edere ac diuulgare, mihi libet in præſentia hanc rem agere quam breuiſſimè. Itaque illud vobis ſufficiat, in dyſenteria, mea quidem ſententia, ſectionem venæ remedium vſque adeò opportunum ac neceſſarium eſſe, dummodo conueniant principes ſcopi, vt ſine eo vel nulla ratione, vel non ſine multo labore, & tempore ægri poſſint ſanari. Namque ſi diligenter conſiderentur illa omnia, quæ in hoc morbo ſolent vel ſemper vel ſæpe contingere, iecoris calidior intemperies, humorum plenitudo, vlcera, dolores, inflammationes, fluxiones inteſtinorum, febres, & alia id genus, iſthæc omnia & ſeparatim, & coniunctim venæ ſectionem videntur deſiderare, tanquam quæ poſſint & plenitudinem tollere, & iecur refrigerare, & fluxionem

An vena ſecanda.

xionem reuellere, & vno verbo cuncta perficere, quæ ad curandos dyſentericos ſunt opportuna & neceſſaria. Veruntamen cum in qualibet miſſione ſanguinis peculiaris ratio virium perpetuò habenda ſit, quas decet validas eſſe, non ſolùm in præſentia, ſed etiam in poſterum vos moneo, vt in hoc adminiſtrando remedio cautè & prudenter agatis. Itaque ſi fortè eueniat, vt laborantes dyſenteria cogantur frequenter aluum deiicere, habeantque alia ſymptomata, ex quibus periculum immineat, ne vires proſternantur, ſatis fuerit ab huiuſmodi remedio abſtinuiſſe: quod ego quoque perpetuò facere ſoleo. Si quando autem expedit ſanguinem mittere; præclarè monent Aëtius, & Alex. illum nec multum neque confertim & ſemel, ſed parum per interualla, ac ſæpiùs mittendum eſſe: quod quidem videtur opportunè fieri, non ea ſolùm ratione, quòd ita vires minùs diſſoluantur, ſed etiam propterea, quia partita hunc in modum atque iterata ſanguinis miſſione reuulſio, quæ in primis expetenda eſt, longè efficacior redditur, vt Gal. eſt auctor *de ſang. miſſione c.* 12. ſiquidem natura toties irritata maiori cum impetu ac facilitate aſſueſcit materiam ad laborantes partes confluentem, in contrarios locos depellere, & quaſi per alios riuos transferre.

Concludendo igitur, etſi non ignoro eſſe quamplurimos, qui ſectionem venæ in dyſenteria deteſtantur, eoſque medicos, qui huic remedio fauent, variis calumniis petere ſolent, tamen ſi morbus fuerit magnus, ſi vires fuerint robuſtæ, ſi ætas floreat, omnibus dyſenteria laborantibus vſque ad hanc diem non ſum veritus, neque in poſterum verebor, animorè ſanguinem mittere. In quam ſententiam eò libentius venio, quod altera ex parte ſcio non defuiſſe olim, neque deeſſe in præſentia medicos nobiliſſimos, qui nobiſcum ſenſerint ac ſentiant, ex quibus honoris gratia mihi libet cõmemorare vnum Altimarum, qui tamen eruditè ac diffuſè huius decreti veritatem tuetur Alex. lib. 8. c. 67. Aëtij, lib. 9. cap. 45. atque aliorum veterum teſtimoniis, validis rationibus atque experientia, vt præterea hac in re nihil videatur poſſe deſiderari.

Porrò ad eas rationes quas nobis obiiciunt aduerſarii, ex his quæ hactenus diximus, facilè eſt reſpondere: namque primò Gal. fluente aluo vna adhibita virium ratione. 4. *de ratione victus*, c. 116. ſanguinis miſſionem probibet, ſiquidem, vt ille ſeipſum interpretatur, *ſi poſt detractionem fluor perſeuerat, virtutem ſolet proſternere*, nos autẽ fatemur ſiue conſtantia virium nullo modo ſanguinem mittendum eſſe. Deinde huiuſmodi Gal. præceptum forte dyſenteriã non complectitur, etenim tametſi nos cum cæteris hunc morbum enumeramus inter fluxus alui, id ſanè clarioris doctrinæ gratia factum eſt, cum reuera dyſenteria fluxus non debeat appellari, quod illius definitio ſatis confirmat: quippe ſi quæratur, quid eſt dyſenteria? reſpondebunt omnes, eſſe vlcus inteſtinorum, minimè profluuium alui. Nec poſtremò quantumuis in dyſenteria nulla adſit humorum plenitudo, ſed potius vigeat cacochymia, à mittendo ſanguine abſtinendum eſt, cum plurimæ ſint rationes, atque exempla illuſtrium medicorum, quæ perſuadent humorum vitium miſſione ſanguinis minui & corrigi poſſe, de quibus permittente commodiori tempore tractabitur.

Summa.

Colligendo igitur quæcunque hactenus diſputauimus, ita mea ſententia habendum eſt: in curatione dyſenteriæ nunquam & nuſquam exhibenda eſſe medicamenta, quæ quomodocunque poſſint aluum ducere, & noua excrementa ad inteſtina trahere: contrà verò ſecandam eſſe venam, dummodo non deſint principes ſcopi iſtius præſidii, ac potiſſimùm vires adeò ſint robuſtæ, vt videantur poſſe hoc remedium perferre.

Indicationes.

Poſt hæc omnia aliæ ſuccedunt indicationes nempe reuellendi aut deriuandi ad alias partes humores, qui fluunt ad inteſtina, temperandi, multas eorum qualitates, leniendi impetum doloris, muniendi inteſtina, tollendi intemperiem partium laborantium, ac conſentientium, ac demum conſolidandi ipſa vlcera, quæ totam curationem perficiunt.

Porrò autem remedia, quæ hiſce indicationibus poſſint ſatisfacere, varia ſunt ac multiplicia, de quibus accuratè, ſed breuiter, quantum fieri poterit, intendimus pertractare.

Gal. ſicuti cætera omnia, ita hanc partem præclarè mihi videtur tradidiſſe, & hanc totam rem certis quibuſdam capitibus cõprehendiſſe, ad quæ ſingula præcepta & præſidia commodè poſſint referri ad hunc modum, 6. epid. ſect. 9. com 5. *Mordacib. ſuccis in inteſtinis contentis, cum prius eluentia immiſerimus, inter quæ malſa eſt, & ptiſana cremor, & excreti ſucci fuerint, deinde morſus mitigantia, & quæcunq; inhærentia, inteſtinorum tunicas operientia, à ſuperioribus partibus mordaces humores arcent in ſedem, damus cibaria præterea ipſis bonum ſuccum creantia, & quæ difficulter corrumpantur exhibemus: at in ſuperiori ventre, & mox in illius ore coitiſsẽ humoribus in primis eos vomere iubemus: quod ſi ægri ad vomitum non ſint parati, ſimplex oleum, aut cum aqua temperatũ, aut aliquod ſimile ſorbendum præbemus, cuius ope citato vomitu aliquid adſtringens odoratumq; ſuperimponimus: eſcas autem exhibemus boni ſucci, ægrè diſſolubiles, & nonnulla adſtringendi vi præditas.* Hactenus Gal. qui etſi obiter, neque ex proprio inſtituto, tamen opportunè grauiterq; & deriuationem, & reuulſionem, & alterationem, & cætera omnia, videtur complecti, quæ vniuerſam atq; integram dyſenteriæ curandæ rationem continent. Ego verò ad veſtram vtilitatẽ, cum res ſit magni momenti, ſigillatim de vnoquoque ſeorſim capite ſtatui pertractare; à victus ratione ducto exordio. Quod igitur pertinet ad qualitatem cibi & potus, Gal. ita ſtatuit, hæc fore commoda, ſi bonum ſuccum generent, ſi difficulter corrumpantur, ſi quadam adſtringendi vi polleant, & iure quidem; ita enim probè genitis ſuccis, & qui difficulter acrem, aut aliam prauam qualitatem poſſint ſuſcipere, corroboratis demum partibus cum ſuperioribus ne tranſmittant, tum inferiorib. ne recipiant excrementa magnam partem ad totam curationem poſſunt conferre. Talia ſunt ptiſana, alica, oryza, panis ex aqua, vel leui iure gallinaceo decoctus, ex oleribus lactuca, cichorium, endiuia, portulaca, præſertim vbi ſucci biliosi redundauerint, quod plerunque euenit; ex carnib. paratæ auiculæ, pulli gallinacei, perdices, piſces ſaxatiles, oua recentia, & alia huiuſmodi, de quib. non eſt vt longiorem catalogum faciamus. Pro potu conueniunt ius pulli, in quo decocta ſint endiuia ſiue acetoſa, aqua in qua ferrum cãdens ſæpius extinctũ fuerit, vel aqua ſimpliciter decocta, cui parũ ſyrupi roſacei vel myrtini permiſceatur. Altera autẽ ex parte ſunt prætermittenda quæ prauum generant ſuccum, quæ difficilè concoquuntur, & quæ generaliter humores acriores poſſint reddere, quæ ſatis manifeſta ſunt. Pariter à vino abſtinendum eſt, potiſſimùm ſi dyſenteriæ febris coniungatur: quòd ſi aliqua ratione expedit, illud exhibere, vt paucifeſum & auſteritatis particeps, oportet: ſpeciatim verò ab illis aquis abſtinendum eſt, quæ per plumbeos canales feruntur, quæ, vt Gal. eſt auctor 7. *de meth. ſec. loc. c.* 2. ſunt ita perniciosæ, vt quicunque huiuſmodi aquas bibunt, planè dyſenterici euadere ſoleant: id quod ſeriò animaduertant velim, qui & in dyſenteria, & in pleriſque omnibus morbis familiariter vtuntur aquis, quas vulgo omnes per vaſa plumbea diſtillare conſueuerunt: quaſ

Victus ratio.

quam

rum quidem aquarum vſum, non ſolùm hac ratione, ſed aliis quoque nominibus cenſeo aut prorſus abiiciendum, aut ſaltem moderandum eſſe, quod alio loco conabimur confirmare.

Cæterùm quæ hactenus de victus ratione diximus, non ita à nobis ſunt recipienda, quaſi omnibus dyſenteria laborantibus ſatisfacere poſſint, cum manifeſtum ſit varias differentias, variam quoque victus rationem deſiderare; exempli gratia, ſi dyſenteriæ febris coniungatur alimenta quæcunque adſtringendi vi ſunt prædita, aut penitus prætermittenda, aut certè cautè & prudenter ſunt adminiſtranda: quod & de cæteris differentiis ſtatuere licet. Quatenus verò pertinet ad qualitatem, ſi Galeno credimus, dyſenteriis tenuiſſima victus ratio conuenit, quòd non ſolùm inteſtina laborent, ſed maiori ex parte vnà ventriculus quoque & hepar malè afficiantur, quaſi principes partes pleniore victu grauare non oporteat, adeò vt Auic. 5. *con. Fen.* 16. *tract.* 2. *c.* 7. huiuſmodi ægrotis non dubitauerit inediam duorùm dierum præſcribere. Namque tametſi Gal. illos verè dyſentericos appellat 9. *de med. ſecund. locos cap.* 5. in quibus hepar affectum eſt, neque alia aliqua adſit affectio preter vlcus inteſtinorum: tamen hanc ſententiam nos interpretamur ac recipimus quatenus hæc dyſenteria, in qua præcipuè inteſtina laborant, ab alteris diſtinguatur, quæ ſpeciatim fiunt vitio iecoris, ac propterea dyſenteriæ hepaticæ appellantur: neque enim putandum eſt Galen. ſimpliciter aſſeruiſſe, in propria dyſenteria, de qua agimus, neque iecur, neque alias corporis partes, præter inteſtina laborare; quandoquidem non ſolùm difficile, ſed etiam nullo modo videtur fieri poſſe, vt quis vera dyſenteria laboret, nec ſimul pars aliqua ſuperior, præcipuè verò iecur quomodocumque male habeat, cum maiori ex parte, quod ſuperius diximus, hic morbus ſoleat ab humoribus biliosis ortum ducere, quorum præcipuam generationem ad ipſum iecur pertinere certum eſt.

Poſt victus rationem ſequitur, vt agamus de medicamentis, quæ poſſint humores temperare, præparare, coquere, membrorum intemperiem auferre, dolores lenire, & quæ tandem ad omnes dyſenteriæ curandæ indicationes ſint accommodata: hæc mihi videntur commodè in tria capita poſſe diſtingui: primum, quæ ore aſſumuntur: ſecundum, quæ extra adminiſtrantur: tertium quæ per ſedem, infunduntur, de quibus ſigillatim agendum eſt.

Ore aſſumuntur ſyrupi, decocta, ſucci, & alia huiuſmodi, ſed antequam de his agimus, id memoria eſt repetendum, quod ſuperiùs docuimus ex Galeno: tametſi verum eſt laborantia inteſtina craſſiora iis remediis, quæ per ſedem iniiciuntur, tenuia contrà hepatis medicamentis magis iuuari, non propterea negandum eſſe quin vtrobique medicamenta ore ſumpta ſint opportuna, cùm certè poſſint humorum acrimoniam temperare, membrorum intemperiem remittere, & cauſæ vlceris, vbicunque illud fuerit, proſpicere. Itaque ſingula perſequamur.

Syrupi ſuſpecti in dyſenteria.

Vulgaris eſt vſus ſyruporum de cichorio, de endiuia, de ſoncho, de roſis, de portulaca, & ſimilia; ſed cum ſyrupi hoc tempore conficiantur duplici ratione, omnes quidem cum ſaccharo vel melle, ſed alij cum aceto, alij ſine aceto, ex quibus qui præparantur cum aceto, ad oxymel antiquorum, qui ſine aceto conficiuntur, ad mulſam poſſunt referri, fortè ſatius fuerit in dyſenteria ab vtriſque abſtinuiſſe, quandoquidem omnia mellita, ſaccharata, ac dulciora, ſi inſignis adeſt caliditas in iecore vel aliis partibus, facilè conuertuntur in bilem: acetum verò, & quæ acetum recipiunt, neruoſis partibus atque inteſtinis noxium eſt, vt docent Hip. & Gal. Quare loco ſyruporum equidem magis ſoleo probare ſimplicia decocta cichorij, ſonchi, endiuiæ, hepaticæ, in quibus ſi velitis maiorem adſtrictionem, licet addere portulacam, plantaginem, ſemina acetoſæ, & ſimilia. Alij familiariter vtuntur conſeruis ex iiſdem ſimplicibus medicamẽtis confectis, cichorio, roſis, capillis Veneris, borragine: ſed cum hæc quoque recipiant ſaccharum, propter eandem rationem, quam diximus de ſyrupis, melius fuerit ab illis etiam abſtinere.

Auctoris remedium.

Equidem frequenter ſoleo vti ſuccis quibuſdam denſatis ad ſolem cichorij, endiuiæ, ſonchi, agrimoniæ, & ſimilibus, quod medicamentum eſt admodum efficax, & hac in re habet inſignem prærogatiuam. Huiuſmodi ſuccis commodè permiſcetur portiuncula ſeni odorati, ſpec. diarhod. trium, ſandalorum, vel alterius ſimplicis aut compoſiti medicamenti, qui veluti viam præparant, ac medicamentũ deducunt ad partes penitiores. Sit exẽplũ:

℞ *Succi cichorij denſati* ℥. ß.
Sp. diarhodon. ℈. j *M. fiant boli, qui commodè exhibentur manè vel ſoli, vel ſimul cum decocto aut alio accommodato medicamento.*

Suo tempore cum opus fuerit maiori adſtrictione, licet vti corallio, margaritis, ebore, cornu cerui vſto, bolo Armena, terra lemnia, & aliis propemodum infinitis ſiccantibus & adſtringentibus medicamentis: ex quibus omnibus puluetes, electuaria, trochiſci, & aliæ medicamentorum formæ componi poſſunt.

Diuretica.

Hoc autem loco neque prætermittenda ſunt medicamenta, quæ peculiarem ducendi lotium vim habent, quæ ad alteram indicationem, nempe humorum deriuationem, ſunt accommodata. Quemadmodum enim gratia reuellendi, vtimur frictionibus, & ligaturis partium ſuperiorum; itemque quærimus elicere ſudores, prouocare vomitum, dummodo æger facilè euomat, nec ventriculum valde imbecillum habeat; ita ex præcepto Gal. humores noxios per vicina vaſa ad ducendum lotium deſtinata, expedit irritare: ſed tamen hac in re cautè non ſine multa conſideratione agendum eſt. Cum enim conſtet huiuſmodi medicamenta eſſe calidiora & ſicciora, hinc duo non leuia pericula dyſentericis videntur imminere: alterum, quod notauit Celſus *lib.* 4. *cap.* 15. Etenim ſi hæc diuretica medicamenta lotium prouocant, in aliam partem humorem auertendo proſunt: at verò ſi aliter eueniat, noxam augent: quare, illo auctore, niſi in quibus promptè id facere conſueuerunt, non ſunt adhibenda. Alterum eſt periculum, ne vaſa illa anguſtiora ad illa adductis acrioribus ſuccis corrodantur & vlcerentur. Quamobrẽ vt vtrique periculo proſpiciamus, id primũ animaduertendum eſt, vt non ſtatim principio morbi, ſed ſolùm poſt aliquot dies, quando non amplius tanta adeſt humorum copia, hanc deriuationem quæramus: deinde vt iis medicamentis vtamur, quæ non verè & propriè ſolent lotium prouocare, quæ certum eſt inſigni caliditate & ſiccitate conſtare, ſed magis illis quæ moderatis huiuſmodi qualitatibus, aut leuiore etiam frigiditate & humiditate prædita creduntur hoc munus poſſe præſtare, qualia ſunt petroſel. vulgare, capill. Vener. hordeum, ſeni, melonis, & ſimilia.

De aquis thermalibus.

Verùm vt hanc partem terminemus, inter cætera medicamenta quæ ore aſſumuntur, duo videntur eſſe præſtãtiſſima; alterum eſt potus aquæ thermalis frigidioris, qualis apud nos eſt Villenſis, Calderiana B. Virginis: alterum potus lactis antea cocti, & ad hunc vſum accommodati: quæ quidem remedia multis nominibus ſolent quàm maximè

probati. Ac ſanè quatenus pertinet ad aquas medicatas, nos frequenter vidimus, ac verè teſtari poſſumus, illas præclaram ſæpe operam contuliſſe, adeò vt multi dyſenteria laborantes, nedum conſtante ætate, ſed etiam pueruli, ac ſenes decrepiti, qui innumera alia præſidia fruſtà expetti fuerant, re pene iam deſperata, hoc vno auxilio mirabiliter omni ex parte ſuperſtites manſerint.

Cautio.

Sed tamen ſciendum eſt, huiuſmodi præſidium non omni ex parte ſanctum eſſe, & omni periculo vacare, adeò vt non ſine iudicio & indiſcriminatim, quod multi faciunt liceat illas aquas exhibere: quantum enim ratione & longiori experientia potui hactenus intelligere, ſi quis velit tutò hoc remedium adminiſtrare, is debet ſedulò animaduertere, primùm an ſimul, cum dyſenteria febris adſit, vel abſit: deinde an æger multis noxiis humoribus ſcateat adhuc, an verò illi maiori ſaltem ex parte fuerint expurgati. Etenim ſi febris abſit, non leue periculum imminet, ne hauſtis huiuſmodi aquis, augeantur obſtructiones, ex quo illa deinceps maior, & curatu difficilior reddatur: pariter ſi ſucci, & illi quidem acriores fuerint adhuc multi, neque ſolùm abundent in inteſtinis, ſed etiam in toto corpore, ſæpe factum eſt, vt illi articulos petentes arthritidem efficiant, vel ad alias corporis partes conuerſi, alia grauiſſima pericula afferant. Aliquando etiam vidimus iſtos humores vi aquarum aliquandiu firmatos & retentos, deinceps redditos fuiſſe acriores, ac maiori cum impetu ad inteſtina corruiſſe, & difficiliorem dyſenteriam effeciſſe. Altera autem ex parte, ſi febris abeſt, necnon ſi non ita multa ſuperſunt excrementa, nos eas aquas ſæpenumero exhibemus, vt dixi, & vidimus ab aliis medicis ſalutariter & feliciter exhibitas fuiſſe.

Quantitas aquarum thermalium.

Propinantur autem vel integra menſura circiter ad decem heminas, vt communiter ſolent exhiberi: vel ſi iſtud non liceat, parciùs nempe ad duas, tres, quatuor heminas, ac ſummo mane, minimè tota die; & omni tempore, vt nonnulli temere facere conſueuerunt. Atque hinc fortaſſe, vel magis naturæ inſtituto, didicerunt ruſtici & plebeij homines hunc ipſum morbum curare, qui biduum triduumve, & quandoq; plures dies ſolent bibere tria magna pocula aquæ fontanæ frigidiſſimæ, ex qua non ſolum hebetioribus, ſed etiam craſſioribus redditis, & vtcunque firmatis tenuioribus & acrioribus ſuccis, ex quibus fit dyſenteria, multos ſæpenumero contingit ſanari.

De lactis vſu.

In dyſenteria vſus lactis, partim vt alimentum, partim vt medicamentum, apud omnes ferè medicos iamdiu celebris ac familiaris eſſe videtur: etenim cum lac poſſit humorum acrimoniam remittere; excrementa abluere, inteſtina munire, vlcus detergere, ac varia præparatione quadam acquiſita ſiccandi & adſtringendi facultate, illa etiam ſanare, vt illud hac in re præſidium ſit præſtantiſſimum neceſſe eſt. Cuius quidem remedij præſtantia confirmatur Gal. auctoritate, 10. *de ſym. med. facult.* 3. *de aliment. cap.* 15. qui aliquando ſcriptum reliquit, lac non ſolùm dyſenteriæ, ſed etiam in vniuerſum omnium ventris acrium fluxionum optimum eſſe remedium: quod ſanè euadit præſtantius atque efficacius, ſi lac præterea aliquam ſiccandi facultatem acquirat, quod facilè fieri docet Gal. ſi illud antea decoquat.

Itaque ſi lapides igniti, vel ferrum, aut chalybs in eo frequẽter iniiciantur, & extinguãtur, quouſq; omne illius ſerum cõſumatur, ſiquidem lac hac ratione præparatur, tantùm abeſt vt poſſit aluum mouere, vt potiùs contrà illum firmare & cohibere ſoleat. Cum autem lac ſic præparatum facilè in ventriculo in caſeum cogatur, ob id Gal. loco citato *de aliment.* iubet mel & ſal illi permiſcere.

Primùm igitur loco alimenti, multi laudãt vſum lactis, ex quo conficiuntur fercula cum oriza, alica, ouis, & aliis id genus. Sic Paulus probat pultem ex lacte & ouis, quam puto vel eandem, vel ſimilem eſſe illi vulgari edulio, quod nos *Torta* appellamus. Nonnulli qui maiorem ſiccitatem & adſtrictionem quærunt, ex eodem lacte, milio panico, vel alio ſicciori alimento fercula præparant. Deinde loco medicamenti, plurimi lacte vti conſueuerunt, illud mane exhibentes ad heminam circiter: imò verò illud quoque, præſertim pueris frequenter per ſedem infundunt, vt paulò poſt de clyſteribus acturi docebimus, adeò vt omni ex parte, ſiue alimentum, ſiue medicamentum velis, nihil fere ipſo lacte opportunius, & ad curandum dyſenteriam magis accommodatum, liceat inuenire. Præ cæteris autem, ſi quis veſtrum id cupit intelligere, hac in re caprinum lac, deinde ouillum, & ſi hæc haberi nequeunt, vaccinum eſt eligendum, de quorum temperie & viribus ſatis docent libri medicorum.

Cæterum neque hoc remedium, vt diximus de aquis medicatis, ſine diligenti animaduerſione licet adminiſtrare: itaque inter cætera illa mihi videntur eſſe memoria repetenda, quæ peculiari ac notabili ſententia Hipp. 5. apot. 64. ſæpiùs verò Gal. in. de hac re nobis tradiderunt: *Lac dari,* inquit Hip. *caput dolentibus & febricitantibus malum eſt, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſitibundis: nocet etiam quibus in acutis febribus biliosa ſunt deiectiones, & quibus ſanguinis multi deiectio facta eſt: prodeſt autem tabidis, qui non admodum febricitant, & in febribus diuturnis, debilibus, ſi nullum prædictorum ſignorum affuerit & præter rationem extenuatis.* Ex hiſce facile vnuſquiſque poteſt intelligere, quædam eſſe ſymptomata, quaſdam itidem corporis conſtitutiones, quæ lactis exhibitionem prohibent, quorum omnium conſideratio eſt vſque adeò vtilis & neceſſaria, vt Hip. non grauatus fuerit poſt illos affectus, quibus docet vſum lactis conuenire, eandem ferè ſuperiorem ſententiam repetere, quod prorſus ab aphoriſtica doctrina, vel ipſi Galeno alienum videtur, inquiens, ſi nullum prædictorum ſignorum affuerit; quaſi verò non ſine magno periculo ipſum lac poſſit aliquo tempore exhiberi, ſi vna vel altera, aut ſimul omnes poſitæ conditiones forte deficiant. At verò cùm non pertineat ad noſtrum inſtitutum ſingula capita perſequi, quæ Gal. alioqui propria interpretatione accuratè perſecutus eſt, ſatis fuerit illa tantummodo examinare, quæ dyſenteriæ vel omni tẽpore, vel certè plerúnque coniungi conſueuerunt: illa autem potiſſimùm ſunt tum febris, tum bilioſæ deiectiones: quippe non ſolùm ſi vtrumque copuletur, vt Hip. ferè videtur ſentire, ſed etiam ſi ſeparatim adſit alterutrũ, vel febris, vel bilioſæ deiectiones. Dyſẽtericis vſum lactis maximè noxiũ cẽſendus eſt, mihi videtur inquit Gal. *in com.* ſermo in hunc modum meliùs ſe habere: *Malum autem lac, quibus biliosæ deiectiones, & quibus febres ſũt acutæ:* neque enim vtriſque ſimul iunctis ſolùm noxium eſt lac, ſed ſeorſum etiam in alterutro: cuius ſanè rei cauſa cum ſatis à Gal. fuerit expoſita, non eſt hic temere à nobis repetenda.

Igitur quicunque in dyſenteria tutò, & probè voluerit lac exhibere, is diligenter primùm debet examinare cum ſingula ſymptomata, quæ Hipp. & Gal. auctoribus illius potũ non permittunt, tũ ſpeciatim, an febris adſit nec ne? pariter an bilioſæ fuerint deiectiones: namque ſi alterutrum affuerit, vel multo magis vtrumque, ab illius vſu non

modò

modò per os, ſed forte etiam per ſedem abſtinendum eſt: a quo quidem lactis vſu vſque adeo legimus Celſum abhorruiſſe, ac potiſſimùm ſi bilis redundauerit, vt ille afferens aphoriſmum Hippocratis modò propoſitum, lib. 3. cap. 24. vice illius particulæ *ſi deiectiones fuerint biliosæ*) ſcriptum reliquerit (*ſi vrina eſt biliosa*) & vice alterius *malum eſt*) dixerit (*pro veneno eſt.*) Equidem ſcio multos hanc rem ita definire: coctum lac & præparatum, minimè crudum, tutò poſſe exhiberi, tametſi febris adſit, & biliosæ ſint deiectiones, quaſi illud huiuſmodi præparatione omnem noxam perdat, & omnis prorſus periculi fiat immune; at verò quamuis negandum non ſit lac decoctum vel illi etiam permiſta aqua, vt nonnulli medicorum tempore Gal. 3. *de alim. cap.* 15. facere conſueuerunt, vel extinctis in eo ferro aut lapidibus ignitis, omnem ferè malitiam deponere, veruntamen ego ſum in ea ſententia, vt credam præſente febre ac magna redundantis bilis copia, ab illius vſu forte abſtinendum; ſiquidem quantumuis illud coquas & præpares, docet Galenus, & confirmat experientia, id generaliter ab omnibus cauſis calidioribus facilè corrumpi, & in nidorem conuerti, ſed forte de hac re nimis multa.

Poſtremò quod pertinet ad hanc partem quæ medicamenta ore ſumpta complectitur; alia multa ac propemodum infinita poſſent proferri, quæ tum qualitatibus manifeſtis, tum proprietatibus occultis creduntur ad dyſenteriam curandam eſſe accommodata, ſed nimis longum foret omnia perſequi. Itaque his contentus ero, & huic rei finem imponam, vbi appoſuero quoddam medicamentum ex ſtercore canino, quorundam præceptorum Galeni teſtimonio celebratum, cuius vim ac præſtantiam ex eo licet conijcere, quòd veteres illi medici clam illo vterentur, idque vellent optimos tantùm diſcipulos docere: adde quod Galenus fateatur, ſe illud tanquam mirabile medicamentum ſæpenumero expertum fuiſſe, quod nos quoque verè teſtari poſſumus, qui illud parandum curauimus, ac non ſemel illius periculum fecimus: ſed præſtat Galeni ſeriem proferre, quæ eſt huiuſmodi 10. de ſimp. med. facul. *Sanè ego memini mirandum in modum me canini ſtercoris facultatem expertum fuiſſe, quo vti aſſiduè conſueuit quidã præceptorum noſtrorũ, ſola oſſa cani edenda exhibens biduum, ex quibus durum, candidum, ac minimè fœtēs ſtercus colligebatur, quod tum ille deſiccabat, vt ad cinerem facile redigi poſſet, illo autem vtebatur tum ad alia, tum ad dyſenteriam, lacti illud immiſcens, in quo ferrum antea, aut lapides igniti extincti eſſent: atque ille medicus huiuſmodi medicamentum clam inijciebat & id ſolum generoſiſſimos quoque diſcipulos docebat.* Hactenus Gal. ſi quis plura cupit, Paulus, Aetius, Alex. & omnes, quamplurima poſſunt ſuppeditare.

De his hactenus quæ per os aſſumuntur, iam de iis agendum eſt, quæ extra adminiſtrantur: hæc varia ſunt, & multiplicia, inunctiones, linimenta, cataplaſmata, fomenta, epithemata, & alia huiuſmodi, quæ diuerſa ratione ad diuerſas partes corporis apponi conſueuerunt. Si dolor vehementer vrgeat, vniuerſè imo ventri illa imponuntur medicamẽta, quæ propriè Græcis anodyna dicuntur, quaſi dolorem lenientia, quæ moderata quadam conſtant caliditate, ac ferè omnia adſtringendi facultate ſunt deſtituta, de quibus aliàs diximus diffusè. Talia ſunt ol. roſaceum completum, omphacinum, chamæmelinum, aneth, adeps hircinus, gallinaceus, & ſimilia, ex quibus planè medicamenta confici poſſunt. Sit exemplum.

℞. *Olei roſacei completi* ℥. iij.
Chamæmelini,
Adipis hircini ana ℥. j. *Miſc.*

Commune admodum ac ferè vulgare, ſed certè vtile medicamentum eſt omentum caſtrati ex oleo roſaceo & chamæmel. frixum in ſartagine; & ad totum inferiorem ventrem accommodatum: nos familiariter vtimur lanis, oleo roſaceo vel conſimili madefactis, quæ præclaram operam præſtant.

Si dyſenteria fuerit admodum biliosa & acris; nonnulli ventrem commodè linire conſueuerunt oleo roſaceo, omphacino, violaceo, melino, vnguento roſat. Meſuæ, & aliis id genus frigidioribus medicamentis. Sed præter mitigationem doloris ſæpenumerò etiam adſtrictionem aliquam & corroborationem quærimus: quare hoc modo poſita medicamenta aut prætermittuntur, aut ſaltem moderantur, & illis adſtringentia quædam permiſcemus, oleum de abſinthio, maſtichinum, melinum ſuccum, plantaginis, portulacæ, polygoni, corallia, balauſtia, corticis granatorum, acaciam, hypociſtidem, &c. Ex compoſitis emplaſtrum de cruſta panis deſcriptum à Montagnana: ſed inter cætera omnia celebre eſt emplaſtrum quod tum Alex. tum Meſues diaphœnicum appellant, quæ ad totum inferiorem ventrem accommodant. Quanquam non deſunt, qui contendunt iſthæc omnia fruſtrà adminiſtrari; cum enim primum ſe nobis offerant muſculi abdominis, deinde peritonæum, tum omentum, ac demum inteſtina, aſſeuerant aut difficulter, aut nullo mõdo fieri poſſe, vt aliqua vis medicamentorum tot poſſit naturæ impedimenta ſuperata, & vſque ad inteſtina pertingere. Quibus licet nobis experientiam opponere, quæ ſæpenumerò demonſtrat huiuſmodi externa medicamenta ad penitiores etiam partes vtcunque deferri, ſiquidem frequenter vidimus inteſtina inſigniter dolentia, ac ferè laxata, illorum vſu lenita ac roborata fuiſſe: quemadmodum pariter conſtat plurima non modò ore aſſumpta, ſed etiam poſita aluum ducere; de qua ſingulari naturæ prouidentia, quæ frequenter ſibi parat vias difficiles, & nobis incognitas pro ſalute hominis, tractantes de hydrope diffusè diximus.

Si iecur nimio calore æſtuet, plurima ſunt quæ illius vim temittere poſſunt: epithemata ex ſuccis vel aquis cichorij, endiuiæ, roſarum, ſpec. diarrhodon, triumſandalorum, vnguentum roſaceum Meſ. cerat. roſac. à Gale. deſcriptum, quod vulgo infrigidans Galeni appellant.

Pariter ſi ventriculus fuerit frigidior, quod vtrumque frequenter euenit, nec plurima deſunt ad illum calefaciẽdum & corroborãdum accommodata, linimenta, emplaſtra, fomẽta, ex mentha, abſinthio, betonica, roſis, ſeminibus odoratis, & aliis propemodum infinitis, de quibus in propria tractatione de morbis iecoris, & ventriculi ſatis diximus.

Tertio & poſtremo loco reſtant, quæ per ſedem iniiciuntur, ea verò potiſſimùm ſunt clyſteria, quorum præcipuus eſt vſus in curatione dyſenteriæ, ac potiſſimùm ſi inteſtina craſſa laborat, ſicuti diximus. Hæc autem varia conficiuntur ratione, vt variæ ſunt indicationes, quæ varia præſidia videntur perſuadere; namque ſi humores vel biliosi, vel alterius generis, negotium faciunt, ſi dolores maximè vrgeant, adeo vt velimus eos mitigare, ſimulque illorum acrimoniam & malitiam retundere, atque adeo inteſtina munire, atque ab omni iniuria tueri, quæ ferè ſunt communes ac præcipue curandi huiuſmodi morbi indicationes, potiſſimùm principio opportuna ſunt ac familiaria clyſteria, quæ ſint frigida, leuia, & quæ habeant vim emplaſticam, qualia ſunt album oui, imò verò ouum vniuerſum; ſuccus ptiſanæ, orizæ, alicæ, iura pinguia, in quibus ſpeciatim cocta fuerint capita, pedes,

inteſtina cum aliorum animalium, tum præcipuè caſtrati, quale eſt ius coctorum inteſtinorum, quod coqui publicè vendunt, olea nonnulla, ac præ cæteris roſaceum, quin etiam Ga. 12. *meth. c.* 1. ceratum quoque ipſum roſac. quandoque infundere conſueuit, adipes ferè omnes, ſuis, gallinæ, anatis, anſeris, capræ, hirci; lac, dummodo leges ſuperiùs poſitæ illius vſum permittant, gummi Arab. tragacanthum, amylum, & alia id genus, quorum ingens eſt copia.

Quod ſi demum dolores ita ſæuiant, vt iam ſomnum & omnino quidem auferant, vbique periculum immineat ne vires deficiantur, vnà cum Galeno & omnibus claris medicis verendum non eſt, vti clyſteribus & medicamentis ſtupefacientibus, in quorum ſanè vſu iure arguendi ſunt plerique omnes medici noſtrorum temporum, qui neque in dyſenteria, neque alijs morbis, aut nunquam, aut rariſſimè audent illis vti: quæ ſi verò Galeno ac veteribus medicis non fuerint familiariſſima ac probatiſſima, adeo vt ferè omnia medicamenta dyſenterica, non ſolùm per ſedem infundenda, ſed etiam per os aſſumenda, ab ipſo Gal. 9 *de med. ſec. loc.* diffusè tradita, vel ab aliis accepta, huiuſmodi ſtupefacientibus medicamentis non ſint deſtituta. Etenim quanquam vſus illorum aliqua ex parte videtur noxius, veruntamen ſi vehementiſſimi dolores, inſignes vigiliæ, & alia ſymptomata vrgeant, ex quibus maxima ægris immineant pericula, talia medicamenta nullo modo ſunt prætermittenda, cũ ſpes ſit illatam noxam poſtea facilè corrigi & emẽdari poſſe, quandoquidem ſatius eſt ſtupefacientibus medicamentis affectum quomodocunque deteriorem reddi, quàm ægrum propter acerbitatem doloris, aut aliam cauſam periclitari. Quæ quidem ſtupefacientia medicamenta in dyſenteria eo magis videntur conuenire, ſi humores ſint calidiores, tenuiores, acriores, vt ferè perpetuò euenit, ſiquidem, vt aliàs docuimus ex Galen. hoc tempore ſalutaria ſunt non ſolùm quatenus dolorem leniunt, ſed etiã quatenus ſuccorum calorem refrigerant, tenuitatẽ cogunt, acrimoniam retundunt: ſicuti contra ſi humores frigidi craſſi, & glutinoſi fuerint, huiuſmodi medicamẽta cenſenda ſunt importuna, quòd etſi dolorem poſſunt lenire, certè cauſam doloris reddunt deteriorem. Aliàs verò ſatis diximus, qualia ſint iſthæc medicamenta, qualis debeat eſſe eorum menſura, & modus adminiſtrationis, vt de iis in præſentia non ſit longiùs agendum.

Cæterùm, illud hoc loco eſt memoria repetendum: quod ſuperiùs quoque indicauimus, nempe hanc dyſenteriæ curandæ rationem, quæ eiuſmodi lenientibus & anodynis præſidiis ferè perficitur, vnius ſymptomatis, minimè cauſæ & morbi rationem habere; ſiquidem multum abeſt vt ipſa vlcera hoc modo ſanentur, maximè ſi putredinoſum aliquid conceperint. Itaque ſicuti vrgente dolore huiuſmodi ratio medendi, quam delicioſam licet appellare, opportuna eſt, aliquando etiam neceſſaria, ne idem nobis eueniat quod ſcribit Gal. nonnullis eueniſſe, qui dum animoſi videri cupiebant, fortique animo, nitebantur dolorem perferre, ſpreto omni remedio quod eum lenire poſſet, viriliter breui tempore perierunt: ita altera ex parte ſi dolore minus vrgeant, minoráque pericula afferant, ferè neglecto ſymptomate, quod aliquin nullam curandi rationem indicat, accommodatis medicamentis decet morbum ipſum curare: namque, vt ſcribit Gal. quicunque ægrum fortiter & tutò doloribus reſiſtentem, validis remediis vnica die ſanare poteſt, neglecta hac rationabili curatione, vni tantum dolori & ſymptomati in illius gratiam intentus eſt, is adulatoris, imo naturæ hoſtis notam vix poteſt effugere: ſed reliqua proſequamur.

Poſitis clyſteribus qui dolores leniendi, humores temperandi, atque inteſtina muniendi vim habent, quæ ferè ad cauſam vlceris magis videntur pertinere, iam reſtat vt de iis agamus, quæ ipſum morbum reſpiciunt, & ad curanda vlcera ſunt accommodata. Hæc porrò ſimiliter varia ſunt ac multiplicia, vt varia multiplexque eſt natura & conditio vlceris inteſtinorum: namque ſi illud neque magnum, neque ſordidum fuerint, vno aut altero impoſito clyſtere, quod ſucci acrimoniam obtundere, moderatè refrigerare & ſiccare poſſit natura breui & facilè ſolet omnia perficere & ſanitatem afferre: ſi autem vlcus altiores iecit radices, & profundiores partes occupauerit, iam valentioribus medicamentis opus eſt. Sed hîc quoque diſtinctio & iudicium adhibendum eſt, vt intelligamus qualenam in primis vlcus fuerit, quo loco, ne ſingulas illius differentias perſequamur, quod foret operis longiſſimi, illa duntaxat mihi liceat in medium proferre, quæ ad præſens noſtrum inſtitutum ſunt accommodata.

Itaque vlcera inteſtinorum ſi fuerint ſimplicia, certum eſt illa indigere ſiccantibus medicamentis, ſiquidem conſtat apud Galenum & omnes medicos, vlceris, qua vlcus eſt, ſanationem in moderata ſiccitate conſiſtere, ad quod perficiendum munus ſunt potiſſimùm apta illa medicamenta, quæ præter ſiccitatem naturâ ſunt alicuius adſtrictionis expertia, qualia ſunt plantago, polygonum, portulaca, germina rubi, roſa, acacia, hypociſtis, bolus Armena, terra lemnia, & alia quamplurima, ex quibus clyſteria magis vel minus adſtringentia & ſiccantia poſſunt parari, vt vlcera videbuntur poſtulare. At verò ſi vlcera fuerint ſordidiora, adeo vt illorum ſordes curationem impediant, manifeſtum eſt illa prius detergenda eſſe; in quem vſum leuiora quædam parari poſſunt clyſteria, ex ſucco hordei, ſaccharo, ex mulſa, melle roſaceo, & aliis quamplurimis id genus. Quod ſi demum vlcus putridum fuerit, depaſcens, & maligna qualitate præditum, quod Græce *νομάδες*, id eſt, *exedens* appellatur, qualia ſolent excitari à prauis humoribus, & maximè bilioſis, acribus & mordentibus, qui propter inſignem aduſtionem neſcio quàm malignitatem acquirunt, aut etiam propter malam curationem principio morbi inſtitutam, tunc omnino valentioribus ſiccantibus & detergentibus agendum. Veteres, atque in primis Galen. quem deinceps imitati ſunt Paulus, Aëtius, Alexand. & omnes, vehementiſſimis medicamentis, ſandaracha, auripigmenta, calce viua, ære vſto, & aliis id genus, familiariter vtebantur, in quorum vſu puro neminem reperiri in præſentia qui illorum imitator eſſe velit, præſertim ſi ægrotum corpus fuerit molle, delicatum atque exquiſiti ſenſus, eóque minus, ſi vlcera occupauerint gracilia inteſtina, quæ exiguam vtilitatem percipere, forte etiam multa pericula videntur ſubire poſſe. Veruntamen ego minimè adduci poſſum vt credam omnes veteres, doctrina, iudicio, experientia præſtantiſſimos, atque inter cæteros Gal. hanc huius morbi curandi rationem non ſolùm vanam & inutilem, ſed etiam planè periculoſam & noxiam tradidiſſe, qui altera ex parte cenſeo, nos potius illorum ſententiam non ſatis aſſequi, ac ſæpe iis valentioribus medicamentis indiſtinctè, quandoque etiam temere vti, vt iam nemo debeat mirari, ſi frequenter inutilia, aliquando etiam periculoſa videri poſſent. Quod ſi ea præcepta velimus animaduertere, quæ de hac re à viris clariſſimis tradita ſunt, nempe vt ad valentiora hæc medicamenta nunquam accedamus, niſi laborent inteſtina craſſiora, niſi vlcera ſint verè putrida, virulenta, exedentia, & quæ *νομὰς*

proprie

proprie appellant, ac demum niſi æger conſtet corpore duro & ſolidiore, de qua cautione meminit Gal. 2. *ad Glauconem, cap 9. 6. meth. cap. 3.* & alibi, tantum abeſt, vt illorum vſus vanus & pernicioſus cenſendus ſit, vt ego contrà non verear affirmare, poſthabitis huiuſmodi medicamentis, hæc vlcera quæ in vniuerſum paruã ſalutis ſpem promittunt, non ſolùm difficilè, ſed forte etiam nulla ratione ſanari poſſe. In quo quidem caſu ſi medicamenta veteribus familiaria, de quibus paulò ante diximus alicui viderentur nimis terribilia, neque alia deſunt, tum mitiora, tum tutiora, quæ eandem pene operam poſſunt præſtare, qualia inter cætera ſunt trochiſci, Andronici, Polydæ, Muſæ, quorum Galen. frequenter meminit, quorum compoſitio habetur à Gal 5. *de med. ſecundùm genera, c.* 11. & aliis locis, quibus ſi ita ferat opportunitas, non ſolùm in dyſenteria, ſed in aliis quoque morbis nos quandoque vti conſueuimus. Itaque ex commodo aliquo liquore, vel decocto hordei, hypociſtidos, lupinorum, vel aquæ marinæ, vel lixiuio, vel conſimili acriori aut minus acri, ſicuti vlceris conditio videbitur poſtulare: atque aliqua ex his trochiſ. parari poſſunt clyſteria, de quibus ac cæteris omnibus ſtatim ſermonem ſumus habituri.

Demum verò ſi id conſequamur, vt vlcera omni ſorditie libera & munda reddantur, iam dixi illorum curationem ſiccantibus & adſtringentibus medicamentis fore perficiendam. Cæterùm etſi nos cum cætera præſidia, tum maximè clyſteria ad curandam dyſenteriam accommodata, ſeparatim diſtinctis quodammodo ſcopis indicauimus, tamen ſciendum eſt, illa ſæpius inter ſe miſceri & confundi, vt varij ſcopi ſe nobis ſimul offerunt, adeo vt neceſſe ſit clyſteria parare aliquando, quæ dolorem lenire, ſordes abſtergere, ac ſimul aliis indicationibus videantur ſatisfacere poſſe, quod pariter de cæteris quoque remediis ſtatuendum eſt.

Sed cum hic morbus ſit longè maximi momenti, frequens ac difficilis, mihi libet exercitationis & vtilitatis veſtræ gratia vobis caſum proponere, in quo conabimur illa omnia quæ generaliter diximus, quatenus licet ad propriũ exemplum referre. Socrates agens annum quadrageſ. tempore æſtatis corripiatur dyſenteria, laborãtibus craſſioribus inteſtinis, in quibus fluentibus humoribus bilioſis, calidioribus & acrioribus vlcera fuerint excitata, doleat imo ventre, ac tormina percipiat, à quibus ferè ſtatim deiiciãtur humores, potiſſimùm bilioſi, cum quibus appareant quædam veſtigia ſanguinis.

Prima die inſtituendum eſt clyſtere, quod poſſit inteſtina abluere, leuiter abſtergere, ac moderatè refrigerare. Exemplum.

℞. *Aqua hordei* ℥. xv.
Sacchari rubri ℥. iij.
Oua integra N. ij.
Miſce pro clyſtere.

Sine aliqua temporis dilatione, ſi morbus fuerit magnus, ſi vires videantur poſſe bene hoc remediũ perferre, Socrati ſanguis mittendus eſt, ſecta vena iecoris ad ʒ. vi. Veſpere idem repetatur clyſtere, vel ſi dolores ſint admodum moleſti, illi permiſceantur quæ magis valeant illum lenire. Vt

℞. *Succi ptiſanæ lib.* j.
Sacchari rubri,
Sebi hircini ana ℥. ij.
Ol. roſ. comp. ℥. iiij. *Miſce pro clyſtere.*

Hac ipſa die ſunt inſtituenda quæ poſſint iecoris caliditatem remittere & humorum acrimoniam retundere, qualia forent non ſyrupi, ſed ſimplicia decocta ſonchi, endiuiæ, cichorei, quæ manè & veſpere etiam poſſunt vtiliter propinari, dummodo exhibeantur quo tempore ventriculus ſuam perfecerit coctionem. Quod ſi velitis medicamentum efficacius, inſtituatis præterea medicamentum ante decoctum accipiendum. Exemplum:

℞. *Succi cichorei denſati* ℥. ß.
Spec. triumſandalorum ℈. j. *M. fiat Bolus,*

Neque verò ſolùm medicamentis internis, ſed etiam externis hoc idem perficiatis, vt inſtituto epithemate ſequenti.

℞. *Aquarum endiuiæ,*
Cichorei,
Roſarum ana ℥. iv.
Specierum ſandalorum,
Diarrhon ana drag. j.
Aceti parum. M. pro Epithemate,

quod ad regionem iecoris apponendũ eſt. Sequenti die, ſi id ferat occaſio repetatur ſectio venæ, ad maiorem reuulſionem, ſanguis tamen parcè mittatur ad ʒ. iij. circiter. Interea in vſu clyſterij perſeuerandum eſt, & manè & veſpere, quæ omni ſtudio conandum eſt vt ægri aliquandiu retineant: id quod facilè contingit, ſi illa imponantur in minori menſura quàm in aliis morbis fieri ſoleat: nec non ſi fuerint minùs calida, ſed tantummodo tepida & ſubfrigida; alioqui niſi clyſteria aliquo tempore retineantur, ſed impoſita ſtatim profluunt, vix poſſunt aliquam vtilitatem afferre. Pariter leniendi ſunt dolores externo medicamento.

℞. *Ol. roſ. comp.* ℥. ij.
Chamæmel.
Pingued. gallinæ,
Adipis hircini ana ℥. ß. *Miſce.*

Omenta cum cæterorum animalium, tum maximè caſtrati, frixa in ſartagine ex oleo roſaceo, de hyperico, chamæmel. &c. optima ſunt, nec prætermittenda.

Hoc ipſo tempore cogitandum eſt de reuellendis ac deriuandis humoribus noxiis, ab laborantibus inteſtinis ad alias partes: itaque Socrati ante prandium & cœnam fiant frictiones & ligaturæ partium ſupernarum. Si ille facilè euomat, ac videatur habere ventriculum repletum reliquiis alimenti, aut aliis excrementis, hydræleo vel alio leuiore medicamento vomitus prouocetur: ſic illa adduntur ſuperioribus medicamentis quæ poſſint redundantes humores deriuare ad vaſa vrinaria, quæ tamen non ſint verè diuretica, id eſt, inſigniter calida, & ſicca, ſed potius quoquo modo frigida & humida, qualia ſunt capilli veneris, hordeum, ſemen melonum, &c.

Si dolores ſint aſſidui, vehementes, acerbi, & nullum ſomnum vel quietem permittant, ne timeatis accedere ad medicamenta ſtupefacientia, neque ſolùm ad ea quæ per ſedem infunduntur, ſed etiam ad illa quæ ore aſſumuntur, ſicuti Galen. & veteres facere conſueuerant, tametſi reuera, ac potiſſimùm in principio morbi rarò ad hæc deueniẽdum eſt. Sit exemplum clyſteris ſtupefacientis.

℞. *Iuris pinguis in quo longiori tempore coctum fuerit*
Caput caſtrati lib j.
Ol. violacei ℥. iiij.
Req. Nicolai ʒ. ij.
Oua integra N. ij.
Miſce pro clyſtere.

Per os poterunt exhiberi Philonium, trochiſ. diaſpermaton, & alia id genus:

℞. *Conſ. florum violarum,*
Phyloni Rom. vel Perſ. ana. ʒ. j.
Miſce, fiat bolus.

His remediis inſiſtendum eſt nonnullos dies: quo tempore obſeruandus eſt naturæ conatus, & ante omnia, qualia ſint exeuntia excrementa: námque ſi ex iis conii[c]iatis vlcera eſſe ſordida,

clyſteribus

clyſteribus abſtergentibus agendum eſt.

℞. *Decocti hordei,*
Furfurum lib. j.
Mellis roſati,
Ol. roſati ana ℥. iij.
Oua integra n. ij. Miſce pro clyſtere.

Quod ſi tandem vlcera fuerint magna, profunda, & maligna, ad valentiora quoque præſidia accedendum eſt.

℞. *Hordei M. j.*
Furfurum M. ß.
Hypociſthidos ℥. ß.
Fiat decoctio in aqua, vel ſi velimus acrius & calidius medicamentum accipiatur aqua marina, vel lixiuium ad lib. j.
Trochiſc. Andronici ʒ. ij. M. pro clyſtere.

Cæterùm poſt aliquot dies, veriſimile eſt eductis magna ex parte humoribus noxiis, vlcera facta eſſe munda, adeo vt deinceps liceat ad ea medicamenta deuenire, partim ore aſſumenda, partim per ſedem infundenda, quæ poſſint illa glutinare, cicatricem inducere, & fluxum cohibere, &c.

Sit exemplum electuarij.

℞. *Sach. roſac. antiqui ℥. ij.*
Balauſtiorum,
Cort. granatorum,
Cornu cerui vſti ana ʒ. ß.
Terra ſigillata vel Armena
Amyli ana drag. j.
Syr. de roſ. ſiccis q. ſuf. M. fiat electuarium.

Hoc tempore pariter decoctum quoq; loco ſyrupi magis adſtringens; ex cichoreo, endiuia, portulaca, plantagine, polygono, conſolida, ſem. aceroſæ, &c. vtiliter exhibetur: quæ quidem medicamenta ita opportunè diſtribuuntur & ordinantur, vt æger primùm accipiat duas vel tres drachmas electuarij, ac ſtatim ſuperbibat decoctum ad ℥. x. vel xii. Sic conficiãtur clyſteria magis adſtringẽtia.

℞. *Plantaginis,*
Portulacæ ana M. ß.
Polygoni,
Summitatum rubi an. M. j. M. F. Decoct. in aqua chalybeata.

℞. *Huius decocti lib. j.*
Pul. roſ. rub.
Boli Armenæ,
Terra ſigillata ana ʒ. j.
Ol. roſacei,
Myrtini ana ℥. j. ß. Miſc. pro clyſtere.

Neque verò ſolùm medicamentis internis, ſed etiam externis hoc idem perficiendum eſt; itaque inſtituatur linimentum.

℞. *Olei roſ. comp. ℥ j.*
Maſtichini,
Cydoniorum,
Myrtini ana ℥. ß. M.

Etſi præterea velitis maiorem adſtrictionem, in huiuſmodi oleis imponatis balauſtia, roſas, cort. granatorum ſigillatim, bolum armenam, corallia ac ſimilia: ac poſtremò, quòd omnium eſt efficaciſſimum, ac recipit propemodum omnia ad hanc rem accommodata, deueniatis ad emplaſtrum diaphœnicon, quod ad totum abdomen apponendum eſt. Poſt hæc omnia ſi dyſenteria perſeueret adhuc, ad vſum lactis deueniendum eſt, quod caprinum ſi haberi poteſt vel ouillum, vel vaccinum, ferro aut chalybe, aut fluuialibus lapidibus præparatum cum minima portiuncula ſacchari & ſalis Socrati exhibendum eſt mane, ad libram circiter, ex quo item lacte clyſteria quoque vel ſola, vel ſimul cum aliis medicamentis, ad rem præſentem accommodatis commodè parari poſſunt: ac demum, ſi ita res ferat, vt Socrates tot adminiſtratis præſidiis nequeat à dyſenteria liberari, tanquam ad ſacram anchoram confugiatis, ad aquas thermarum frigidiores, inter quas Calderianæ apud nos, mea ſententia, principem locum obtinent. De victus ratione ſatis dictum eſt.

AD CAPVT XXIII.

De Teneſmo.

Qvarta à nobis poſita fuerat differentia cruentarum deiectionum quæ Latinè *Teneſmus*, à *Tenaſmus* appellatur, quod quidem nomen Galeno auctore, ortum ducit à ſymptomate. 12. *meth. cap.* 2. nempe à ſummo quodam deiiciendi deſiderio: namque, vt ſcribit Galen. 6. *de locis affect. c.* 2. *vlcera quæ in recto naſcuntur inteſtino, tenaſmum vocant, vehementi quidem conatu & prompta deiiciendi cupiditate infeſtã* &c. & item 7. aph. com. 27. *malum hoc nomen accepit ab illo qui fit in eo conatu, propter quem ægri deiicere crebrò appetunt.* Quare minus rectè interpretes in his locis vocem, qua vſus eſt Galen. *tenſiones*, conuerterunt, ſiquidem in hoc malo inteſtinum non tenditur, ſed eo exulcerato frequenter fiunt ad deiiciendum conatus. *Nomen.*

Definitio. Itaque *teneſmus* nihil aliud eſt, conſentientibus Gal. Paulo, Aetio, & omnibus, quàm vlcus inteſtini recti, ex quo fiat aſſidua quædam cupiditas atq; inanis volũtas egerendi, in qua nihil præter modica cruenta, vel poſtea, quædã mucoſa deiiciuntur.

Hic affectus in nonnullis conuenit, in nonnullis differt à dyſenteria; & primùm conueniunt, quòd vterque ſit morbus in ſoluta vnitate: ſecundò, quòd vtrobique laborent inteſtina: tertiò, quòd vtrumque malum proueniat ab humoribus acrioribus & vlcerantibus: quartò, quòd tam in teneſmo, quàm in dyſenteria ſint dolores ac maxima cupiditas deiiciendi. *Conuenit cũ dyſenteria.*

Differunt autem primùm ratione loci laborantis, ſiquidem vt diximus, in dyſenteria vlcerantur omnia inteſtina: in teneſmo verò vnum tantummodo inteſtinum rectum. Secundò, ratione materiæ: namque dyſenteris maiori ex parte fieri ſolet ab humoribus bilioſis, acribus, & erodentibus: teneſmus autem ab acri & putrida pituita. Tertiò ratione ſymptomatum: etſi enim & in dyſenteria, & in teneſmo eſt frequens & quaſi continua deiiciendi voluntas, tamen in teneſmo huiuſmodi voluntas eſt longè moleſtior & importunior, quàm ſit in dyſenteria, vt ſcribit Gal. 3. *de ſimp. cauſis cap.* 2. 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 70. cuius rei cauſa redditur ab eodem Gal. propterea quod ægrè pituita excerni poteſt, quæ præ craſſitie & viſcoſitate inteſtinis adhæreſcit, neque vt flaua bilis facilè & ſtatim permeat. Ex quo item cauſa facilè reddi poteſt, cur pueri frequentius à teneſmo corripiantur, quam reddit Gal. *com.* 53. nempe ex habitudine ætatis, & propterea, quia pueri plus cibi ſumentes quàm expediat, nutrimenta ſæpenumerò corrumpunt; ita enim facilè euenit, vt propter caliditatem & humiditatem ætatis, accedente externo errore, putrida & acris pituita congeratur, quæ deinde adhærens recto inteſtino, illud mordet & irritat expulſionem. *Differt à dyſenteria.*

Cum igitur affectiones, cauſæ, loci affecti, ac ſymptomata, in teneſmo & in dyſenteria in multis conueniant, iure ſcriptum eſt ab Hipp. 2. *epid. ſect.* 2. dyſenteria eos magis tentari, qui teneſmo crebrò corripiuntur: id quod experientia confirmat, nempe multos ex teneſmo in dyſenteriam, ex dyſenteria in teneſmum incidere conſueuiſſe.

Neque verò eſt vt ſimus longiores in inueſtigandis cauſis huius affectus: cum enim illæ ſint *Cauſa.*

ferè

ferè eædem cum cauſis dyſenteriæ, de quibus ſatis diximus, de illis iterum non eſt inutiliter agendũ. Sed tamen nolo id ſilentio præterire, eſſe nonnullos recentiores, qui longè plures teneſmi, quàm dyſenteriæ cauſas afferunt, & aſſeuerant citra exulcerationem teneſmum fieri poſſe: qui meâ ſententiâ recedunt à Gal. & veritate; ſiquidem reuera ſine vlcere inteſtini recti teneſmus nec fieri, nec appellari poteſt: quare ſi propter copiã ſtercorum, vel alicuius humoris, propter intemperiem inteſtini, vel propter aliud irritamentũ, de quibus cauſis loquuntur Auic. & cæteri, qui cupiat, ſed nequeat aluũ deiicere, dũmodo nulla adſit exulceratio, equidem cenſeo huiuſmodi affectũ minùs verè & propriè teneſmum dici poſſe ac debere. Paulus inter cæteras cauſas ſcribit de mente Gal. forti huiuſmodi excernendi conatu lapidem ex ſede eiectũ fuiſſe: in qua re ille fallitur, namq; Gal. 6. *de aff. locis* c. 2. id ſcribit de ſententia aliorum, imò verò aſſerit, ſe id nunquam vidiſſe, neq; alium, qui viderit audiuiſſe, ſicuti aliàs declarauimus.

Signa.

Signa teneſmi ſunt manifeſta, ſcribente Gal. *loco cit.* teneſmum inter illas affectiones numerari quæ ſedem cognitu facilem habent: ægri percipiunt dolorem & tormina, quæ non aſcendunt ad partes ſuperiores abdominis, habent inſignem conatum, implacabilem deiiciendi cupiditatem, deiiciuntur pauca, pituitoſa, mucoſa, aliquando conſperſa ſanguine. Sed accedamus ad curationem, vbi prius dixero duo verba de prognoſtico.

Prognoſtica.

Scribit Cornelius *lib. 4. c. 19.* teneſmum neque acutis, neque longis morbis annumerari debere; cum facilè tollatur, & nunquam per ſe hominem iuguler: contra verò Gal. 5. *de vſu partium cap.* 4. non veretur illum recenſere inter graues affectiones ventris, qui ſcribit ad hunc modum: *Cum ex prauo quopiam corporis affectu copioſius excrementũ pituitoſum collectum eſt, nihil dubitant præſtantiſſimi medici, quin ilei, lienteria, ac teneſmi, omnium quæ ventri accidunt morborũ grauiſſimi ſint ſecuti.* Quibus & illud nobis licet addere, quod ſcriptum eſt ab Hip. 7. *aph.* 27. & Gal. teneſmum ſuperuenientem mulieri vtero gerenti abortum facere: ſiquidem aſſiduus ille conatus deiiciendi eſt tam moleſtus & noxius, vt fatiget tum reliquas omnes corporis partes, tum maximè vterum, quem conſtat inteſtino recto adhærentem & proximum eſſe.

Curatio.

Quatenus autem pertinet ad teneſmi curationẽ, cum illa parum differat à ratione curandi dyſenteriam, præſertim in iis maximis anguſtiis temporis, mihi liber eam quàm breuiſſimè tractare. Itaq; illa debetis in memoriam reuocare, & ad hunc locum transferre, quæ iam diffuſè tradita ſunt, quæcunq; ad generalem vacuationem & prouidentiam corporis, ad alterationem humorum, & partium laborantium & conſentientium, ad omnia genera derivationis & reuulſionis, ac reliquas indicationes, quæ omnia certò non ſunt inutiliter repetenda. Pariter cætera præſidia quæ ſpectant ad ipſum morbum, nempe vlcus inteſtini recti, ſiue illa ſint interna qualia ſunt potiſſimùm clyſteria, ſiue externa, linimenta, fomenta, emplaſtra, iiſdem rationibus & ſcopis debent inſtitui, ſicuti diximus de vlceribus cæterorum inteſtinorum, exempli gratia, cum putrida & acris pituita & dolorem, & vlcus, & omne negotium faciat, foret clyſtere accommodatum, quod poſſet lenire dolorem, pituitam ab inteſtino detergere, atq; illud ab omni iniuria tueri, quale eſt è ptiſana, ex mulſa, & ſi velitis maiorem abſterſionem, ex decocto hordei & furfurum ſaccharo, ſyr. roſac. rec. melle roſac. & ſimilibus. Poſtremò autem purgato humore noxio, licet ad illa deuenire, & clyſteria & medicamenta externa, quæ non ſolùm infimo ventri, ſed etiam poſtremo dorſo atque ſedi ipſi ſunt imponenda quæcunque poſſunt vlcus ſanare, ac partem laborantem in naturalem ſtatum deducere; quorum exempla ex prioribus ſunt manifeſta.

CAPVT XXIV.

De Hæmorrhoidibus.

HÆmorrhois vox Græca, ſi proprietatem & vim conſideremus, non aliud quàm *fluxum ſanguinis* ſignificat: vnde conſecutum eſt nomen, genus illud peſtiferi ſerpentis; de quo Gal. *lib. de theriaca ac Piſonem c.* 8. quod ſimilem læſionem inducit, ita vt ab iis demorſi ſanguinem per os, per narea, per totum corpus effundentes moriantur. Sed apud medicos quidam hoc nomine hæmorrhoidum, partem affectam, non affectum ſignificant, intelliguntque venas illas ſpeciatim & propriè, quæ ad inteſtinum extremum & longum terminant: alij autem ſunt medici; qui etiam alias venas, præcipuè verò narium & vteri hæmorrhoidas appellant. Nos vt omnem nominum ambiguitatem fugiamus, in vulgari ſignificatione acquieſcentes, vniuerſa hac noſtra tractatione eas intelligimus venas, quæ in extremo podice reperiuntur; & hominibus ſæuiſſimos dolores & pericula afferunt. Hic libenter prætereo ſubtiliorem illam inueſtigationem, quam video inter anatomicos eſſe dubiam, vnde ſcil. hæmorrhoides oriantur; an venæ cauæ, an verò portæ ſoboles ſint; cum hæc diſputatio nihil vel ad cognoſcendum, vel ad curandum, neque ad meum inſtitutum pertineat: Quod ſi quis vellt affirmare, venas hæmorrhoidas vtrique, venæ cauæ ſcilicet & portæ conſerere, & ex vtriſque ad illas ſanguinem tranſmitti, fortaſſis neq; hæc opinio eſſet repudianda. Nam quanquam vena porta videtur fuiſſe à natura inſtituta attrahendi magis, quam expellendi cauſa; tamen Galenus exemplo ventriculi & aliarum partium nos docet, per eundem meatum diuerſo tempore tum tractionem tum expulſionem fieri, 3. *de natur. facult.* 3. Si quis de hac re plura cupit intelligere, is videat Veſalium *lib.* 3. *ſui magni operis cap.* 5. & *lib.* 5. *cap.* 5. item Curtium in Anatome.

Qualis affectus.

Quærunt hoc loco aliqui, qualiſnam ſit hæc affectio hæmorrhoidum, an morbus, an cauſa morbi, an ſymptoma? Quibus ſi hæmorrhoides fuerint apertæ, & ſanguinem fuderint, reſpondet Galen. *de ſympt. diff. vlt.* eas inter ſymptomata excuntia mutata eſſe ponendas, quod ſymptoma idem Gal. 3. *de ſympt. cauſis* 6. ait eſſe toto genere præter naturam, ſicuti ſunt reliquæ omnes ſanguinis excretiones, illa ſolùm excepta, quæ per vterum euenit in mulieribus. Sin autem non ſint apertæ hæmorrhoidas, neque vllum ſanguinem profundant, non multum laborandũ eſt mea ſententiâ, ſi quis hunc affectum non ſymptoma, ſed morbum appellet, & illum quidem non partium ſimilarium; ſed inſtrumentalium, ſcilicet in cauitate, quæ nimium aperta vel dilatata fuerit: ad quem modum Aëtius definiens hæmorrhoidas, ait eas eſſe dilatationem venarum ſedis. Sed ad differentias veniamus.

Differentiæ.

Græci medici non plures quam duas conſtituunt differentias, alias enim ſiccas, alias apertas. Siccæ dicuntur, quæ tantùm ſunt tumidæ, neque ſanguinem reddunt, quod fit ſæpe cum maximo dolore. Hæmorrhoides verò apertæ dicuntur, in quibus manifeſtè apparent. Sed auctor definitionum medicinalium, & alii, etiam accuratiùs quinque hæmorrhoidum ſpecies conſtituunt. Prima eſt à magnitudine & paucitate: hæmorrhoides

aliæ

aliæ ſunt paruæ, aliæ magnæ, aliæ mediæ. Secunda, à numero: hæmorrhoides aliæ ſunt plures, aliæ pauciores. Tertia à figuris, aliæ hæmorrhoïdes habent baſim anguſtam, aliæ latam: ſed apud Auic. hæmorrhoïdes aliæ ſunt verrucales, aliæ vuæ, aliæ morales, & aliis nominibus ſignatæ, prout tales venæ vel paruas verrucas, vel granum vuæ, vel mora, vel quid ſimile referunt. Quarta, ſunt differentiæ à loco; nam aliæ tument extra ſedem, & omnibus ſenſibus patent, aliæ altiori loco exiſtunt, quas non niſi miſſo ſpeculo poſſunt intelligere. Poſtremò ſunt differentiæ à conſtitutione ſeu modo affectus: hæmorrhoïdes aliæ ſunt boni, aliæ mali moris, aliæ benignæ, aliæ malignæ quæ omnes differentiæ tanquã maximè vtiles, & rei naturæ cõſentientes, non ſunt reiiciendæ; ſed inter cæteras ſpecies primum locum obtinent, quæ ex cauſis ſumuntur, vt puto.

Cauſa hæmorrhoidum. Galenus ferè vnicam cauſam ſtatuit, ſcilicet copiam & craſſitudinem humoris melãcholici, quem natura ad eas partes tranſmittit, qui ait *6. aph.* 11. & 12. hæmorrhoïdes aliter fieri non poſſe, quàm ob ſanguinis copiam & craſſitiem, cum quædam venarum ora aperiuntur, iecore in ipſas ſanguinem melancholicum eiiciente. Sed Auic. & alij aiunt, hæmorrhoides fieri non ſolùm ex humore melancholico, ſed etiam ex ſanguine pituitoſo, quandoque etiam ex ſanguine propriam naturam retinente: à quibus neque Hip. neque Gal. diſſentiunt, quoniam Hip. *6. ep.* 63. 17. enumerat quoſdam morbos dolorem lateris, in flãmationem pulmonis, & alios, à quibus non corripiuntur, qui hæmorrhoïdas habent moderatè & commodè fluentes, quos morbos certum eſt, non ſemper ab vno ſanguine melancholico fieri. Pariter Gal. *6. epid.* 65. *com.* 76. manifeſtè ait, hæmorrhoïdes non ob vnam tantùm cauſam fieri, modò ipſa natura melancholicum ſuccum purgante, modò multitudinem vacuante, de qua difficultate, & apparẽte Gal. repugnantia, non ſolum ab aliis, ſed etiam à ſeipſo, illud vnum dico in præſentia, per venas hæmorrhoïdas non ſolum ſanguinem melancholicum, ſed aliquando etiam reliquos humores purgari: & illud etiam addo, purgationem ſanguinis melancholici proprio quodam naturæ inſtituto per has venas fieri, neque ſine inſigni hominum vtilitate: purgationem autem cæterorum humorum quicunque illi ſint, fieri præter naturæ propoſitum, & ideo ſæpenumero multa pericula afferre hominibus. Itaque concludendo, hæmorrhoïdes maxima ex parte eo iecore, atque tranſmiſſo humore melancholico, quandoque etiam ex aliis partibus, & ex aliis humoribus ſolent oriri. *Signa.* Signa hæmorrhoïdum ſunt ferè manifeſta, neque ſolum pathognomnica, ſed etiam differentiarum, quoniam hæmorrhoïdes ſiccæ partim dolore, quem ſæpenumero inſignem inferunt, potiſſimùm quando ægri volunt emittere excrementa duriora; partim tumore, maiori ex parte conſpicuè & manifeſtè apparent. Hæmorrhoïdes apertæ manifeſtè ſanguinem effundunt, & ob id neminem latent: ſic hæmorrhoïdum magnitudo, numerus, & locus, cuique etiam patent. An hæmorrhoïdes ſint boni vel mali moris, id potiſſimùm ex ſymptomatibus, & à præſidiis adhibitis cognoſcetur. Sic poſtremo loco differentiæ à cauſis, & à variis humoribus, à quibus hæmorrhoïdes fiunt, facilè poſſunt intelligi, partim ex colore ſingulorum humorum, partim ex habitu corporis, partim ex iis quæ præceſſerunt, &c.

Signa diſtinguentia. Quoniam verò ſimilitudines medicis non ſolùm vulgaribus, verùm etiam eruditis imponant aliquando, vt ſuprà in dolore colico cum Ga. & Hip. dixi, cum alij quidam tumores in poſtrema regione inteſtini excitentur aliquando qui hæmorrhoïdas videntur repræſentare, cum ſanguis non ſolùm ex hæmorrhoidibus, ſed aliis etiã modis ſoleat effluere, hîc ſunt aliqua indicia, quæ tales affectiones diſtinguunt, ne decipiamini cum vulgaribus qui apparente aliquo tumore, vel aliquo fluxu ſanguinis circa ſedem, ſtatim ſine mora hæmorrhoïdas eſſe aiunt, cum tales affectus inter ſe differant, & natura & curatione. Contingit itaque in poſtrema parte inteſtini recti, & in ſede, aliquos tumores & affectus oriri, qui variis nominibus à medicis appellantur, vt ſint in primis rhagades, condylomata, thymi, ficus, atque cætera omnia, vt verrucæ, myrmecia, claui, &c. de his omnibus ſigillatim dicendum eſt. *Rhagades quid.* Rhagades, quales Latini rimas vel ſciſſuras dicunt, ſunt vlcera quædam in fiſſuras diducta, quæ ferè iis ſimilia ſunt, quæ in manibus & labiis vehementi frigore, & importuno flatu boreæ excitantur: hæ rhagades quandoque interiùs in muſculo conſtringente, aliquando in ipſo ano fieri ſolent: & ſi ea fiant diuturniora, labra talium vlcerum non carent aliqua duritie. Sed hoc malum ſatis patet, & diſtinguitur ab hæmorrhoïdibus.

Condylomata. Condyloma, vt ait Aëtius *lib.* 14. *c.* 13. eſt tumor quidam pelliculæ ani, quoniam enim hæc pars ſua ſponte natura ſit rugoſa, ſi eò fluentibus humorib. vitioſis aliqua eius particula, & ruga præter naturam intumeſcat, ſanè talis affectio dicitur condyloma, ſumpta forte ſimilitudine à ſummis nodis, qui clauſa manu apparent qui Græcè ita dicuntur: ſed hæc etiam affectio facilè diſtinguitur ab hæmorrhoïdibus, quoniam in condylomate nulla vena, ſed ſola cutis laborat: vnde neque tales tumores ſunt adeo nigri, vt apparent in hæmorrhoïdibus.

Thymi. Thymus vt Celſus ait *lib.* 5 *c.* 2. *primo*, eſt quoddam tuberculum carnoſum, quod non ſolum in ano, ſed etiam in aliis corporis partibus apparet, potiſſimùm verò in muliebri & virili pudendo ſolet oriri tumor aut eminentia, veluti quædam verrucula, qui ad cutem aſper apparet, & quoniam talis affectus thymi herbæ formam repræſentare videtur, hinc thymi nomẽ habuit. *Ficus.* Sed id notandum eſt, tales tumores quandoque eſſe paruos, neq; admodum creſcere, atq; ij propriè dicuntur thymi: quandoque etiam eſſe maiores, & creſcere admodũ, qui tunc non thymi, ſed ficus dicũtur: adeo vt hæc duo nomina thymi & ficus, non aliter quam magnitudine, & paruitate inter ſe differãt. Sed id etiam eſt ſciendum, tales tumores eſſe duplices, quoniam alij ſunt faciles & benigni & alij difficiles & maligni: benigni ſunt carnoſi, minores, colore candido aut ſubrubro, minus aſperi, doloris ferè expertes: maligni autem contrà ſunt maiores, duriores, aſperiores, liuidi, fæculenti, admodum doloroſi, & quandoque ad cancri naturam ſolent proximè accedere.

Criſtæ. Ad thymos & ficus illi etiam tumores mihi videntur poſſe referri, quos vulgo *criſtas* appellant, adeo vt ij affectus non aliter quàm nomine inter ſe differant, cum vtrique eundem modũ generationis, & eandẽ curationẽ obtineant. Nam ſicuti thymus & ficus maiori ex parte, ita etiã criſtæ in partibus potiſſimùm obſcænis & ex prępoſtera venere in primis ſolent oriri: & ſicuti, vt modo dixi, thymi ſi fiãt grãdiores, in ficus euadunt, ita etiã criſtæ ſi negligãtur, in tumores *porriſigi* noſtris dictos, ſolẽ degenerare: *Porriſigi.* pariter omnes tales tumores ferè vnica curatione ſanantur, qui vel ferro, vel cauſticis medicamentis ſemel abſcinduntur, adeo vt vulgaria nomina, criſtæ ſcilicet & porriſigi, antiquorũ thymos & ficus videantur referre. Præterea eam facimus coniecturam omnes tales affectus & tumores, illos eſſe, quos cõmuni quadam voce omnes *mariſcas* ſolent appellare, *Mariſcæ.* quoniam ſi vim huiuſmodi nominis conſideremus, mariſcæ Grammat. non aliud

quàm

quàm ficus inſipidas videntur ſignificare; quamuis etiam alij volunt mariſcas eſſe ficus optimas, quæ præ pinguedine aperiuntur, ex quibus eſt Columella, qui *lib.* 10. ficos aliquando mariſcas nominat. Porrò vt ita credã, me adhuc etiam mouet vna atque eadem taliũ tumorum ratio, tum generationis, tũ curationis: quoniam ſicuti thymi & ficus vel aliter criſtæ & porrifigi, ita etiam mariſcæ ex præpoſtera cũ primis venere ſolent oriri, & vel abſciſſione, vel vſtione ſolent auferri: *Caduntur tumidæ medico ridente mariſcæ*, ait Iuuenalis. Ex quibus omnibus facile eſt intelligere, & Theodorum Gazam, & alios interpretes falli hac in re, qui hæmorrhoïdas mariſcas interpretantur, cum certum ſit, hæc duo nomina non leuiter differre. Sed ad rem redeamus. Itaq; hæmorrhoïdes à thymis & ficubus & omnibus talibus tumoribus præter naturam facilè poſſunt diſtingui, ſi memoria repetũtur, quæ ſuprà dixi: quoniam ſi fuerint apertæ hæmorrhoides, ſanguinem manifeſtè & frequenter multũ effundunt, quod in tumoribus non accidit: ſi verò illæ fuerint ſiccæ, maiori ex parte apparent nigriores, cùm altera ex parte tumores cæteri ſint albidiores, & vt dixi, vel criſtas, vel granula ficus videantur repræſentare. Sed vt hanc partem finiamus, ſi ſanguis nõ ex hæmorrhoïdibus, ex ſed inteſtinis & altioribus locis prodeat, quod in dyſenteria diximus multis modis fieri poſſe, prætterquam quòd hæc diſtinctio ex præcedentibus cauſis, quantitate, qualitate ſanguinis, &c. poſſet haberi, tamen vna in primis ſanguinis & excrementorum mixtio certam fidem huius rei poteſt facere; quoniam ſi ſanguis ex ſuperioribus inteſtinis & partibus prodeat, vt hic ſanguis ſimul cum aliis excrementis permiſceatur, eſt neceſſe: ſi verò ſanguis effluat ex hæmorrhoïdibus, tunc ſanguis minimè cæteris excrementis permiſcetur, ſed tantùm exteriùs apparet in extrema parte excrementorum. Hactenus de ſignis.

Antequam curationem hæmorrhoïdum incipiã, aliqua ſunt dicenda de curatione cæterorum: ſed priùs ſciendum eſt, ex Gal 9. *de med. ſecun. locos c.* 6. omnia vitia ſedis ob multas cauſas difficulter curari. Primùm, quòd hæc pericula multo & exquiſito ſenſu eſt prædita, vnde acria medicamenta quæ ſunt neceſſaria, nõ poteſt perferre. Secundò, quod tranſitus excrementorum alimenti per ſe ſit mordax, & eo magis ſi ſimul cum excrementis egrediatur bilis, & ſeroſa excrementa. Tertiò, tempus non habent congruũ ad imponẽdum medicamenta, cũ plerique ęgroti tempore minus conueniẽti ad deiiciendã aluũ ſtimulentur. Vltimò quòd loci caliditas & humiditas non facilè à medicamentis frigidis & ſiccis poſſit ſuperari: quam Gal. doctrinam res ipſa confirmat & experientia, cum omnia vitia ſedis, quęcunq; illa ſint, frequenter aut difficulter aut nulla ratione ſanentur. *Scopi curationis.* Vtcumque autem ſit Rhagades ſiue vlcera vnam cum reliquis curationem requirunt, neq; aliter differunt, quàm natura partis laborantis. Itaq; conueniunt detergentia, ſiccantia, adſtringentia, & demum generantia carnem & cõſolidantia, ſed quæ minimè exaſperent & careant mordicatione, ne excitato dolore fluxiones etiam excitentur. Inter cætera autem medicamenta metallica probè præparata primum locum obtinent, qualia ſunt ceruſſa, pompholyx, plumbum vſtum, ſpodium: ex compoſitis vnguentum de ceruſſa, de tuthia, & alia multa. Sed præterea experientia compertum eſt, aquas thermarum, & potiſſimùm ferreas, ex potionę & balneo conuenire, vt ſunt Calderianæ & Beatæ Virginis, adeò vt multos ægrotos iis vlceribus laborantes, qui fruſtra cætera medicamenta acceperant, beneficio harum aquarum ſanatos fuiſſe conſtet.

Condylomata verò, criſtæ, & reliqui tumores *Condylomatum curatio.* pręter naturam, vſtione aut abſciſſione auferuntur: itaque ferro, vel igne, vel medicamentis cauſticis vtendum eſt, qualia ſunt aqua ardens, oleum ſulphuris, oleum vitrioli, ſquama æris pręcipitatum, ſublimatum, & ſimilia. Vlcera quæ poſt abſciſſionem vel vſtionem relinquuntur, debent curari ſicut reliqua vlcera ani. Sed notandum eſt, illos tumores nunquam aut ferro, aut igne acrioribus medicamentis fore irritandos & abſcindendos, niſi omnis inflammationis fuerint immunes. Deinde illos admodum cautè tractandos, aut potius relinquendos, eſſe, quos dixi eſſe malignos, & fere cãcri naturã ęmulari: frequenter enim iis tumoribus idẽ contingit, quod cancris, de quibus ait Hip. & Gal. quòd non curati longiori tempore durant, 6. *apho.* 38. Vltimo autem neque illud eſt prętermittendum in curandis vlceribus, tumoribus & omnibus vitiis ſedis, ante omnia totius prouidentiam eſſe habendam. Sed ad hæmorrhoïdas veniamus.

Primùm itaque de dolore eorum agamus, qui tam acerbus eſt, vt laborantes ad deſperationem deducat. qui dolor iiſdem modis & rationibus debet auferri, quibus cæteri dolores noſtri corporis auferuntur, id eſt, per medicamenta & pręſidia, vel propriè anodyna, vel ſtupefacientia, vel quæ doloris cauſam reſpiciant. Cum autem de medicamentis anodinis & ſtupefacientibus hoc anno ſæpiſſime locuti ſimus ſatis eſt modò tantùm quædã pauca recẽſere, quę ad hanc rem ſunt accõmodata.

Præter ea autem, quę ſunt omnibus vulgaria, vt *Dolorem hæmorrhoidum lenientia.* chamæmelum, anethum, &c. ſunt etiam alia quæ ad leniendum dolorem hæmorrhoidum aliquam prærogatiuam habent, vt ſunt, oleum expreſſum è nucleis mali perſici, quæ armeniaca dicuntur, oleum balſamitæ, ſiue momordicæ, quod idem ſonat, oleum ex nucleis ceraſorum, ex ſemine ſeſami, ex ſemine lini &c. ex quibus linimenta, fomenta, emplaſtra, & aliæ formæ ſolent parari. Medicamẽta vero ſtupefacientia ſunt plurima, alia leuiora, alia vehementiora, vt lotiones, & fomenta ex decocto fol. lactucarũ, maluarum, violarum, mandragoræ, hyoſciami, cap. papaueris albi, linimentũ ex vnguẽto Diapopuleo, vel ſi placet vobis parare aliquod medicamentum, tale poteſt fieri, ex oleo roſ. vel de balſamita cum vitellu oui, opio & croco. *Stupefacientia.* Tandẽ veniendum eſt ad præſidia, quæ cauſã doloris reſpiciunt, in quibus vera eſt ratio curandi poſita. Dolent hæmorrhoides maiori ex parte, ſi fuerint ſiccæ, neq; ſanguinẽ effundant, rarò ſi ſanguis effluat & ſint apertæ, quoniã neceſſarium eſt, materiã eo deſcendentẽ, quęcunq; illa fuerit, dum retinetur diutius, neq; exitũ habet, tũ quãtitate, tũ qualitate vehementiores omnino dolores excitare, quàm ſi eadẽ patente via exitum habeat. Itaq; hinc ſumpta indicatione cõmuniter omnes practicãtes tales tumeſcentes & dolẽtes hæmorrhoidas quàm primùm conantur aperire cum aliis modis tu maximè, cum hirudinibus; de quo modo aperiendi dignum eſt admiratione nullos antiquos medicos huius vnquam mentionem feciſſe, vt proinde pro comperto ſit id à recentioribus inuentum fuiſſe. Scio Matthæum de Gradis, & Franciſcum Friſimelicam Patauinum hunc vſum hirudinum improbare, tum ob eorum venenoſitatem & frigiditatem; tum quòd non niſi ſanguinem ſubtilem attrahant, præterea etiam ob alias rationes. Qui autem probant apertionem harum venarum, magis cum ferro faciendam eſſe exiſtimant; de qua controuerſia eſt epiſtola Ioannis Baptiſtæ Theodoſij Bononienſis, ego autem de ea modò non agã, ſed ad rẽ meã redeo. Vtcunque igitur vel ferro vel hirudinibus hęmorrhoids dolẽtes aperiãtur, ego id

conſilium oon probo; quoniam ſi ægtotos multis ſcateat humorbus vitioſis, illi ad locum dolcotem adfluant vt frequenter contingit, omnis ratio colligit, talem vacuationem ex loco affecto non conuenire, ex qua omnino neceſſarium eſt maiorem copiam humorũ ad illum fluere, dolores, inflammationes, febres augeri, & ægros in magna pericula deduci. Altera autem ex parte certum eſt, ex communi indicatione fluxionum omoiũ, fluentes tales bumores in cõtrariam partem magis eſſe seuellendos: itaque ſi hæmorrhoides tument & dolent, atq; ęger multis ſcatet humoribus, qui etiã nunc fluunt, meâ ſententiâ tantum abeſt, vt liceat vel hirudinibus, vel aliter eas aperire, vt contrà potiùs omni reuulſionum genere oporteat fluxionem impedire, & ad coutrarias partes reuellere. Inter cætera autem, vt placet Galeo. in *lib de ſang. miſſ.* 19. vna ſectio venæ ex partibus ſuperioribus id præſtat efficaciſſimè, egóque verè poſsũ teſtari, me hoc præſidio liberaſſe dolores hæmorrhoiduin; & id quidem ſumma cum ratione euenit, quoniam hoc præſidium oon ad reuulſionem humotis cò fluentis, ſed etiam ad vacuationem totius corporis adde ad corrigendum vitium iecotris, à quo iam ſupra dixi, ſanguinem melancholicum generari, & ad hæmorrhoidas tranſmitti efficaciſſimom cenſendum eſt.

Hæmorrhoides cum calore.

Quatenus autem pertinet ad propria medicamenta, quæ laborantibus hæmorrhoidibus debent imponi, pro varietate doloris, & pro varietate cauſæ doloris debent eſſe varia. Quare ſi adſit inflammatio, aut certè immodica caliditas, vt frequentiſſimè contingit; tunc certum eſt ea conuenire medicamenta, quæ refrigerandi, & quoquo modo repellendi vim habeant, qualia optima ſunt lac, & omnia quæ ex lacte præparantur, ſicuti butyrum recens, quod frigidrori aliquo ſucco ſolet præparari: ſicuti eſt id edulium quod *caput lactis* dicitur; ſic etiam aliqui tritum panem ex lacte decoquunt, & demum additis oleo roſaceo & ouo quoddam veluti emplaſtrum efficiunt, quod leniendis hæmorrhoidibus optimum eſt. Sic etiam optima ſunt vnguent. roſ. Meſ. infrigid. Gal. vng. Sandalinum diapopuleon, &c.

Cum materia frigida

Si autem hęmorrhoides frigidiori aliqua materia, aut flatu intumeſcant, & doleant, iam certũ eſt, illa medicamenta conuenire, quæ moderatè calefaciunt, digerũt, & flatus diſſoluũt, qualia ſunt chamon, anethum, folia, ſemina, & flores verbaſci, hypericon, ſem. lini fænugræci aoiſorum, fæniculi, ol. liliorum alborũ amyg. amar. de hyperico, ruta, &c. ex quibus medicamentis decocta, inceſſiones, lotiones, fomẽta, inũctiones, ſacculi poſſunt parari.

Ex quo loco facile eſt intelligere noo modò vulgares, ſed etiam multos medicos malè agere, quicunque omnes dolores hæmorrhoidum indiſtinctè vnico remedio conantur auferre; quæ improba ratio medendi improbata eſt à Galen. initio *lib. de med. ſec. locos.* Sed vel miſſo prius ſanguine, vel aliter, ſi totum corpus non ita abundet excrementis, ſi nulla vrgeat inflammatio, vel dolor, vel demum ſi nullum immineat periculum fluxionis, adeo vt minimè reuulſione, ſed potios deriuatione vel euacuatione ex ipſo loco indigeamus, iam licet tutò hæmorrhoïdas aperire: hoc autem faciunt quãplurima, partim leuiora, partim efficaciora. Itaq; ſi hæmorrhoides appareant, facilè quandoque aperiuntur ſola frictione alicuius rei aſperæ, vt eſt linteũ aſperũ, folia mercurialis, borraginis, parietarię, ficus. Aſt quandoq; oeceſſe eſt ad acriora cõfugere, vt ſunt ſtaphyſagria, ſtercus colũbinũ fel bubulum, colocynthis, ſuccus betę, ſuccus ciclaminis, ex quibus, & iis pręterea additis, quę poſsũt dolores ſimul lenite, ſi hæmorrhoïdes latent, ſuppoſitoria, ſi verò ſint manifeſtæ, vnguẽta & linimẽta poſſunt parari.

Eſt celebris & diu agirata quæſtio, vtrùm aloë aperiat ora venarum, & conſequenter habeat vim aperiendi hæmorrhoidas, qnod videntur aſſeruiſſe Arabes & aliqui etiam recentiores: de qua in præſentia non longiùs diſputo; ſed vnum dico, me Galeni diſciplina confirmatum, qui potiùs facultatem ſiſtendi ſanguioem videtur huic tribuiſſe, me inquam iis omnibus conſentire, qui aiunt, aloen non per ſe primò, ſed expurgatis excrementis per inferiora, hæmorrhoidas aperire, id quod de omnibus acrioribus excremẽtis Galeo. ait 6. *aph.* 47.

Quoniam verò hæmorrhoides ſæpenumerò ob nimium dolorem, vel ob aliam cauſam, neque frictiones cum rebus aſperis, oeque acriora medicamenta, multo minus hirudinum aur ferri adminiſtrationem proferre poſſunt, veteres medici aliis medicamentis eas aperiebant, potiſſimùm verò ſectis venis in cruribus, vt dicit Gal. *cap.* 19. *de ſang. miſ.* Nam ſicuti ſi velimus eas cohibere, ſecandæ ſunt venæ brachij, ita ſi velimus eas prouocare, venas, quæ ſunt in cruribus, ſecare oportet. Sed præter ſectionem venæ ait Galen. *lib. de reuulſione*, crurum etiam ſcarificationem id præſtare, ſi priùs balneo aquæ calidæ per ſpongiam illæ partes foueantur: adeo vt certè mirer quomodo medici hoc tempore hirudioibus eas prouocent.

Sed quoniam frequentiſſimè accidit, vt hæmorrhoides acerbè doleant, quo potiſſimùm tempore duriora excrementa ſunt emittenda, omni ſtudio eſt laborandum, vt illa ſint mollia, & quatenus fieri poteſt, ſine labore deiiciantur. Itaq; leuibus, & mollibus clyſteribus eſt agendum, vt ex decocto maluarum, violarum, altheæ, orizæ vel iure inteſtinorum, additis butyro oleo communi, amygd. dulc. ſemine lini, &c.

Aliqui autẽ, quod magis probandũ, ex ſolo oleo clyſteria cõficiunt, quorum vſum etſi non damno, tamen vt liberè dicam quod ſentio, ægro frequẽtem vſum horum clyſteriorum non probo, quoniam aot difficulter, aut nolla ratione mihi videtur poſſe fieri, quod experieotia deprehendi veriſſimũ eſſe, quin talia clyſteria quamuis ſint mollia, locum malè affectom adhuc irritent, & maiorem dolorẽ afferant: quare aliqua alimenta, & quaſi medicamenta ore ſumpta, vt malua, ſpinachia, pruna, paſſulæ, vuæ. & cætera, quæ aluum lubricam faciant, forte clyſteribus ſunt anteponenda. Tempore autem frigidiori glandes ex ſimplici butyro præpaatæ, & frequenter impoſitæ, ſine vlla moleſtia, & magna cum vtilitate non ſolùm fæcibus, ſed etiam leniendis doloribus hemorrhoidum ſolent prodeſſe. Et hæc de iis qui ſunt alui ſtipticæ: & hactenus de ſiccis hæmorrhoidibus dolentibus.

Apertæ verò hæmorrhoïdes, etſi id rariùs cootingat, dolent tamen aliquando, quoniam ſanguis ad illas partes miſſus vel copia, vel mala qualitare continuum ſoluat, & dolorem excitet: at ſi dolor fiat ex ſanguine oimio, is omnium primò remouendus & reuelleodus. Siu autem ille fuerit vitioſus & mala qualitate infeſtus, tale vitium, qualecunque ſit id, & victus ratione, & congruis medicamentis, partim interois, partim externis corrigendum eſt. At ſi dolor demum oulla ratione poſſit leoiri, imò verò ita ſæuiat, vt & vigilias, & alia pericula ſecum afferat, iam à ſtupefacieotibus noo eſt abſtinendum.

De nimia hæmorrhoid. fluxione.

Vltimò mibi propoſitum eſt de oimia hæmorrhoïdum fluxione loqui, cum tale ſymptoma ſit non ſolùm frequens & periculoſum, ſed etiam cõtineat multas & arduas difficultates, quæ partim à veteribus, partim à recentioribus ſolent agitari: &

id

id primum ſciendum eſt, quod Hip & Gal. docent hæmorrhoides opportunè fluentes è multis & grauiſſimis morbis, tum præſeruare, tum libetare: ad quem modum 6. *epid.* 63. 57. & 3. *de humoribus* 26. Hip. *qui hamorrhoïdas habent, y neque lateris dolore neque palpitatione, neque inflammatione, neque phagadena, neque lepra, neque aliis corripiuntur morbis.* Et turſus 6. *apho.* 11. & 12. *Melancholicis & nephriticis hamorrhoides superuenientes, bonum: inſanientibus ſi hamorrhoides & varices ſuperuenant, inſania ſoluitur.* Hoc ex Gal. coofirmatur *ibid. & 6. epid. cõ. vlt. 4. aph.* 25. Sed loco notabili de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtra. *c.* 5. air, hæmorrhoidibus pro conſuetudine ſuperflua purgantibus, homines vitam agere morbis minimè impeditam: contrà verò talibus ſuperfluis purgantibus, illos in periculoſiſſima mala incidere. Itaq; talis purgatio eſt & vtilis, & altera ex parte multa mala grauiſſimaque pericula per hanc purgationem ſequuntur: ad quem modum ait Gal. 1. *ad Glauc.* 14. 2. *de præſagio, vtrobique cap.* 2. *de natur. facul.* 8. ſi hæmorrhoïdes immoderatè & præter modum fluant, & animi deliquia, & pulſus vermiculares fieri: præterea autem malum habitum, hydropem, apoplexiam, & mortem etiam conſueuiſſe conſequi: propterea Gal. docet 4. *aph.* 25. *ad finem*, euacuationi per hæmorrhoidas oon eſſe naturam aſſuefaciẽdam, quoniam periculoſus eſt exceſſus, ſiue ſopra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur.

Cum itaque fluentes hæmorrhoïdes quandoque vtilitatem, quandoque perniciem afferant, intelligendum eſt, quando talis euacuatio ſit vtilis & tuta, vel ob id liceát illam probare, vel quando ea ſit inutilis & pernicioſa, vt hanc fluxionem liceat impedire: quoniam ex vna parte turpe eſt naturæ beneficia negligere, ex altera verò turpius ægrotum ad pericula deducere. Etſi multa ſunt, quæ vniuſcuiuſque vacuationis defioitionem demonſtrent, & id inter cætera, quod omni vacuationi eſt commune, ſi homo facilè vel difficulter, bene vel malè vacuationem ferat: tamen ego cenſeo, hoc iudicium in primis ex vna qualitate profluentis ſanguinis eſſe faciendum, quod Hippo. & Galen. paucis verbis docent: quoniam Hippocr. 4. *apho.* 25. ait, *ſanguinem ſupra ferri, qualiſcunque ſit, malum, infra autem bonum, cum niger deiicitur*: & Galen. *ibid. &* 3. *de humoribus* 3. 26. hæc habet: *Scire oportet non ſemper conſulendum eſſe boni, vt ſanguis per infernas partes, & hamorrhoidas effluat, ſed cum denique, cum nigra excernuntur; & cum natura hominis multum talis humoris accumulet, alioquin natura non eſt tali euacuationi aſſuefacienda.* Itaque vno verbo, ad mentem Hipp. & Galeni, ita puto eſſe habendum, purgarionem per hæmorrhoidas eſſe vtilem, & perſeuerare, & curare à multis morbis, quamdiu ſanguis niger deiiciatur; cæteras autem purgationes, per quas alij humores deiiciuntur, eſſe periculoſas, & non eſſe aſſuefaciendum illis. Ex qua doctrina facile eſt intelligere, quando liceat hæmorrhoidas vel cohibere, vel ſinere, vel quandoque etiam prouocare: quoniam quandiu nigra deiiciuntur, purgatio eſt ſalutaris, neque vllo modo eſt cohibenda: contrà verò ſi nigra oon deiiciantur, tunc licet hanc purgationem, veluti exitialem & pernicioſam, qualiſcunque ſit cohibere. Sed quoniam hæc res aliqnibus videtur difficilis, qui generaliter putant fluentes hæmorrhoïdas nullo modo eſſe cohibendas, & hoc accidit ſæpenumero, vt medici in hac deliberatinoe inter ſe diſſentiant, dum exiſtimant alij eſſe cohibendas, alij eſſe relinquendas, mihi libet accuratiùs, hoc vobis explicare.

Huic difficultati Hippocr. in primis videtur occaſionem dediſſe, qui ſcribit 6. *apho.* 12. hæmorrhoïdas longiori tempore fluentes non eſſe cohibendas, ſed ſaltem vnam relinquendam apertam, per quam natura, ſicuti antea facere ſolebat, corporis excremeota poſſit purgare. Hippocr. ſententiam Galen. probat, & certas illius rationes reddit, quæ oon indigent longiori explicatione. Vtrique ſubſcribunt veteres Græci, Latini, Arabes propè omoes: ſolus Aëtius non dubitauit diuerſam opinionem tueri, qui non ſolùm contendit, omnes hæmorrhoïdas eſſe ſanandas, ſed conatur etiam Hip. in ſuam ſententiam pertrahere. In ſumma, opinio Aëtij eſt lib. 14. *cap.* 5. præmiſſa congrua victus ratione, oec non ſectione venæ, licitum eſſe integram hæmorrhoïdum curam moliri, ac nullam apertam relinquere, nullumque ægris periculum imminere, dummodo illi conuenienti victu vtantur, & opportuno tempore venæ ſectionem velint adminiſtrare: atque hanc fuiſſe meotem Hippocratis ait, qui ioquit, hæmorrhoïdas ſanari, ſiquidem ſanatio eſt perfecta & integra curatio, quæ non fieret, ſi vna aperta relinqueretur. Deinde ait, ſi non ſeruetur, id eſt, niſi æger conueniente victu vtatur, minimè verò, niſi vna hæmorrhoïdum relinquatur, vt nonnulli opinantur. Itaque Aëtius cenſet, de ſententia Hippocr. omnes hæmorrhoidas poſſe tutò curari & extirpari. Interpretes multum laborant, vt ſententiam Hippo. & Galen. aduerſus Aëtium tueantur, ſed forte oemo hactenus ſatis eorum mentem intellexit & explicauit. Namque omnes generaliter, nullaque adhibita diſtinctione aiunt, fluentibus hæmorrhoïdibus vnam perpetuò eſſe relinqnendam, quod cenſeo à doctrina Hippocr. & Galen. addo & ab omni ratione eſſe alienum. Etenim, vt ſuprà dixi, niſi hæmorrhoïdes ſanguinem melancholicum profundant, ſed probum, iam nullum præceptum Hippocr. habet locum, neque oporter vnam hæmorrhoidem apertam relinquere: atque hanc fuiſſe mentem Hippocratis Galenus *in comm.* confirmat apertiſſimè, qui ſcribit hoc modo: *In nobis fieri non poſſe, quin propter ſanguinis multitudinem & craſſitudinem, venarum ora aperiantur, iecore in ipſas melancholicum ſanguinem reiiciente*: ex quo ſumma cum ratione fit, ſi quis hanc ſanguinis melancholici viam intercludit, vt iecur nimia illius multitudine & craſſitie grauatum, ſcirrhoſum euadat, ac deinde nequeat ſanguinis geoerationem perficere; vel huiuſmodi ſanguine ad pulmonis venas delato, vt aliquod vas diſrumpatur, vnde & hydropem, & tamen fieri oeceſſe eſt. Quaſi verò interprete Galen. niſi effundatur ſanguis melancholicus, huiuſmodi malum proprio nomine hæmorrhoidum non debeat nominari, cum certum ſit de Hipp. & Galen. ſententia, vnam hæmorrhoïdem relinquendam eſſe tunc ſolùm, quando nigra deiiciuntur, & natura hominis multum huius ſanguinis accumulat. Iure itaque mihi videor dixiſſe, omnes interpretes qui ad purgationem hæmorrhoïdum generalem, hoc preceptum referunt, malè ſentire, neque percepiſſe Hippocr. & Galeni mentem.

Supponamus igitur ſanguinẽ melancholicũ per hæmorrhoidas profluere. Hippocrat. iubet, minimè omnes eſſe cohibendas, ſed vnam eſſe relinquendã, alioquin tabis aut hydropis periculũ imminere: cõtra Aëtius dicit, turò poſſe curari omnes, & nullum periculum tabis vel hydropis imminere, dummodo ægri probã victus rationem ſeruent, & ſanguinem mittant opportuno tempore. Sed ſciendũ, hoc præceptũ ad illos medicos præcipoè pertinere qui chirurgia & manus operatione ſolent ſanare, ſicuti antiqui conſueuerant, quibus facile eſt vnam

vel plutes venas ligare, conſuete, vtere, id quod forraſſe ſi fomentis, inunctionibus, &c. vellemus agere, aut difficulter, aut nulla ratione videretur fieri poſſe. Hæc tota controuerſia paucis mihi videtur poſſe diſſolui, nec forte ſi hæc res diligenter conſideretur. Hipp. & Aëtius de tota ſententia ac multum inter ſe diſſentiunt: namque Hipp. animo concipiens, quantumuis homo velit opportunè ſibi ſanguinem mitti, & cum magna prouidentia proba victus ratione vti, vix fieri poſſe, perſeuerante adhuc iecoris intemperie, quam ex diuturnitate veriſimile & neceſſarium eſt, eſſe inſignem, neque ſolùm inſignem, ſed etiam contumacem, vix inquam fieri poſſe, quin cum hac intemperie ſanguis melancholicus tantus generetur, quantus à natura non poſſit gubernari: propterea ſumma cum ratione ſtatuit, omnem ſanationem hæmorrhoidum eſſe periculoſam, quæ vox, *Periculoſa*, eſt animaduertenda, neque enim Hippocr. dicit, hydropem & tabem ſequi perpetuò & neceſſariò, ſed periculum imminere ne ſequantur: multa ſæpenumero imminent pericula, quæ nullum periculum afferunt. Contrà Aëtius exiſtimans poſſe hominem & venę ſectione, & exquiſita victus ratione ſe ab omni excrementorum colluuie immunem præſeruare, cenſuit tutò hæmorrhoïdas poſſe extirpari: ſed in re dubia, incerta, ac planè periculoſa, vbi agitur de vita hominis, cui dubium poteſt ſupereſſe, quin ſententia Hippocr. opinione Aëtij ſit longè ſecurior, atque illi debeat anteponi? In quam ſententiam eo libentiùs venio, quòd video Galenum neque ſectioni venæ, neque purgationibus, neque exercitationibus fidere, ſed velle vnam hæmorrhoïdem eſſe relinquendam, qui ſcribit 6. *epid.* 3. 38. *Importunè hæmorrhoidibus medentur, qui neque venas ſecundùm circuitus, neque aluum mouent; neque per exercitationes euacuant: præterea & illi errant, qui vnam ex iis ſaltem apertam non relinquunt, ſed omnes deſtruunt.* In eo certe Aëtius mihi videtur non poſſe defendi, qui vt ſuam probaret ſententiam; non eſt veritus delere vocem Græcam ac totam Hipp. ſententiam corrumpere, cum omnes Græci codices illam vocem habeant, eamque lectionem & Gal. & Græci omnes, & Latini & Barbari amplectantur.

Curatio hæmorrhoidũ fluentiũ nimiùm.

Iam ſuprà dixi de aperiendis hæmorrhoïdibus, reſtat vt de illis cohibẽdis dicamus. Quo primùm loco memoria eſt repetenda Gal. doctrina 5. *meth.* quæ generaliter ad cohibẽdam quãlibet ſanguinis vacuationem pertinet, & hæc tria præcipua capita continet: primum, vt ſanguis ad partes apertas nõ confluat: ſecundum, vt ora vaſorum occludantur: tertium, vt vtrumque ſimul fiat, quam poſtremam rationem Galen. exiſtimat tutiſſimam & optimam.

Ergo ſi quis voluerit ſanguinem per hęmorrhoïdas immoderatè fluentem cohibere, ante omnia debet proſpicere, vt is ad illas partes non cõfluat: hoc Galeno auctore multis modis poteſt fieri, ſcilicet inducto animi deliquio, reuulſione facta ad cõtraria, deriuatione facta ad vicina, refrigerando corpus vniuerſũ, ac maximè partes affectas & apertas.

Si itaque accidat, accidit autem aliquando, vt ſanguis per hæmorrhoidas nimis profusè prodeat, tum vel improuiſo triſti nuncio, vel inſigni timore, vel acerbiſſimo aliquo inducto dolore, vel alia ratione licet animi deliquium inducere. Etenim cum hoc malum non aliter fiat quàm laborante corde aut primò aut aliis conſentientibus partibus, ſumma cum ratione fit, vt ſanguis ad partes internas & ad nobiliſſimum membrum recurrat, nõ amplius ad hæmorrhoides conuertatur. Secundò ſunt reuulſiones, verbi gratia, frictio, ligatio, cucurbitulę, vt nõnullis placet, veſicatoria, cauteria, quę omnia brachiis & partib. ſuperiorib. ſunt adhibenda: ſed inter cætera ſectio venæ ſuperioris eſt præſtãtiſſima, quæ adhuc efficacior redditur, quòd particulares ſanguinis detractiones maiori in numero fuerint auctæ, vt patet ex Gal. *de ſanguin. miſſio.* 12. Tertiò eſt deriuatio ad partes proximas. Sed notandũ, nullũ forte locũ, nullã forte rationem eſſe, quæ hanc deriuationẽ cõmodè poſſit efficere. Nam quę mouent aluũ, nec nõ quæ prouocãt lotiũ, forte alicui importuna videbuntur, cum purgantia medicamenta, vt dixi cũ Gal. & cõfirmat experientia purgatis acrioribus excrementis hæmorrhoïdas ſæpe magis aperiant & irritent, pariterq; medicamenta diuretica ſint calidiora, valeãtq; ſanguinẽ attenuare & fundere; vnde mihi vtraq; hæc deriuãdi ratio nõ ſolùm ſuſpecta, ſed & periculoſa videtur. Ad quẽ modũ ſectio quoq; venæ inferioris, & ſcarificatio facta in cruribus ſuſpecta videtur, quòd hęc mea ſententia poſſit nõ ſolùm ab hæmorrhoïdibus deriuare, vt multi opinãtur, ſed etiã ſimul illas prouocare & aperire, vt ſuprà diximus. Itaque nullus forte locus, nec vlla ratio poteſt excogitari, quæ huiuſmodi indicationi, deriuationi ſcilicet poſſit ſeruire. Poſtremò ne ſanguis profluat ad partes apertas, reſtat refrigeratio ſanguinis & hæmorrhoïdum: ſanguis redditur frigidior, partim congrua victus ratione, de qua tanquã re manifeſta & ſæpe explicata, nõ eſt lõgius agendũ; partim medicamẽtis, quę ſunt duplicia, altera refrigerãt per accidẽs, purgando ſuccos tẽuiores, calidiores, acriores, qui fere ſunt in cauſa, & quoddã veluti vehiculum, vt ſanguis magis prõptè permeet vniuerſũ corpus, & ad hæmorrhoïdas conuertatur, qualia medicamẽta ſunt potiſſimùm caſſia, ſyrupus roſ. ſol. viol. ſol. thamar. myrob. citrini, Indi, chebali. ſerum lactis &c. Altera autẽ ex parte cenſeo, à generoſis & validioribus medicamentis eſſe abſtinendum, quòd calefaciendo, exagitando, noua excrementa ad partes laborantes deducendo, multa incõmoda poſſunt afferre: quamobrẽ vbicunq; laborãt hæmorrhoïdes ſoleo abſtinere nõ ſolùm ab omnibus medicamentis validioribus quæ recipiunt colocynthidẽ, ſcammonium, &c. ſed etiam à nonnullis leuioribus, ſena, epithymo, rhabarbaro, &c. quibus prope omnes familiariter; vtuntur ſoleo autem iis contentus eſſe, quæ modo ſunt propoſita, & non ſolùm purgatione, ſed etiam alteratione vtcunque poſſunt humorum acrimoniam & partiũ laborantium remittere. Reſtant medicamenta, quæ primò & per ſe refrigerandi vim habent, decocta, ſyrupi, conſerue, trochiſci ex cichorio, endiuia, ſoncho, violis, roſis, &c. quibus licet addere potionem aquæ frigidioris tum communis, tum thermalis: ac demum ſi ferat occaſio, medicamenta ſtupefacientia, ſyrupus, de papau. requies Nicolai, mithridatum & theriaca recentia, trochiſci diaſpermaton, quæ medicamenta frigidiora cenſenda ſunt opportuniſſima, non ſolùm quòd refrigerandi & ſiſtendi fluentem ſanguinem vim habent, ſed etiam quòd caliditatem membrorum principalium poſſint corrigere, propter quam cauſam ſupra dixi ſanguinem maiori ea parte fluere conſueuiſſe. Atque hæc propria & legitima videtur curandi via, quæ morbi & partis malè affectę cum primis rationem habet, cum cætera omnia potius ſymptomati videantur proſpicere.

De iis medicamentis quæ ſpeciatim poſſunt refrigerare, non eſt longiùs agendum, partim quòd hæc præſidia, quæ totum ſanguinem poſſunt refrigerare, hæmorrhoïdes quoque refrigerant; partim quòd alia quoque ſuprà ſunt tradita, & interna & externa, quæ ſatis cuique eſſe debent. Hactenus de primo ſcopo ex methodo

Gal.

Gal. quod pertinet ad rationem impediendi ſanguin,emne ille ad partes affectas conuertatur.

Occluduntur ſecundo loce hæmorrhoïdes, quod alterum caput propoſitum eſt, ſi partes diuiſæ vel cualeſcant, vel vniantur, vel obſtruantur. Partes ſeparatæ vniuntur & conniuent adſtrictione, refrigeratione, ligatura, vinculo, ac demum cauſticis medicamentis vel ferramentis ignitis.

Itaque primùm familiatis eſt vſus refrigerantium & adſtringentium medicamentorum, de quibus ſæpe dictum eſt, qualia ſunt plantago, polygonum, portulaca, cortices granatorum, roſæ, acacia, hypociſthis, bolus armena, ſanguis diaconis corallia, lapis hęmatitis: ex quibus decocta, fomenta, linimenta, & alia poſſunt parari: inter quæ non eſt prætermittendum medicamentũ Galeni, cuius ille meminit. 5. *meth.* 4. quod omnium optimum appellat, ea thure, aloe, albo oui, & pilis leporis, cuius vim & efficaciá nonnulli aiunt talem & tantam eſſe, vt ſanguinem ex arteriis poſſit cohibere prodeuntem. Quando hęmorrhoides tam pertinaciter & obſtinatè profluunt, vt hæc leuiora præſidia fruſtra adhibeantur, tunc medici audent ad maiora aggredi ſcilicet ad cauſtica, & cõburentia medicamenta ad ligaturas, abſciſſiones ac poſtremò ad ignem. Itaque primùm ſunt medicamenta cauſtica, æs vſtum, miſy, ſory, auripigmentum, chalchantum, ſandarca, &c. quæ aliquo linimento excepta, exempli gratia, vnguenta de litargyrio, de ceruſſa, vel aliter præparata & adminiſtrata poſtremas hæmorrhoïdum partes comburunt, quæ deinde cadente eſchara, vt alia vlcera ſanantur, & ad cicatricem deducuntur.

℞ *Miſy,*
Sory
Chalchanti ana ʒ. j.
Calcis viua ʒ. ij. *M. F. lini. cum lixiuio.*

Quòd ſi tandem nullus huiuſmodi remediis eſt locus, chirurgia eſt agendum, & ad ligandas, conſuendas, abſcindendas, vrendas, conſumendas hæmorrhoïdes eſt deueniendum, quæ manualis medendi ratio ſicuti veteribus fuerat familiaris, ita hoc tempore fere eſt inuſitata: mihi vſque ad hanc
Hiſtoria diem ſemel tantum contingit hanc operationem videre, in Federico Corſico Vicentino, anno 1568. Federicus laborauerat primùm dolore, deinde immoderata fluxione hæmorrhoïdum, & cum ille varia ac multa præſidia expertus fuiſſet fruſtra, tandem Patauium ſe contulit, vbi Medici communi conſenſu ſtatuerunt, ſanguinem eſſe cohibendum; ſed cum ille varia præſidia, partim interna, partim externa ab iis viris propoſita fruſtra expertus fuiſſet, vno verbo, cum nullum ſuis malis remedium inueniret, ſtatuit hanc manus operationem experiri, cum autem nullus apud nos eſſet chirurgus idoneus, aduocato chirurgo Neapolitano, qui hanc rem profitebatur, Fabricio, hæmorrhoïdes inciſæ, ligatæ & cõbuſtæ fuerunt. Summá autem huius adminiſtrationis eſt huiuſmodi. Hominem primùm accommodatè vinciunt, vt nullo modo poſſit dimoueri, deinde extrema capita hæmorrhoïdum, quotquot illa fuerint, ab inteſtino excarnant leuiter & ſeparant, cum propria quadam acu forti obducto filo fere ad extremum tota perforant, & ſtrictè obuinciunt, conſuuntque hoc pacto: demum forfice amputata venarum portiũcula, quæ ex ſutura ſupereſt, ignito ferro eam partẽ cõburunt: adeo vt hæc hæmorrhoïdum operatio mihi videatur non modo ſimilis, ſed fere illa eadẽ, qua vulgo caſtratores ramices inteſtinorum ſanát: Opus ſane eſt dolorificũ & faſtidioſum à ligatura, & ſectione, & vſtione Federico febris atq; inſignis dolor ſuperuenere, ſed nõnulla ſua præſidia adhibẽte chirurgo, ille paucis diebus, & à febri, & dolore, & ſanguinis fluxione nõ ſine multorũ admiratione, liberatus, integram ſuam ſanitatem viſus eſt recuperaſſe.

Verumtamen non eſt prætermittendũ, cum ille nimiùm ſibi fideret, neque ſolùm prætermiſiſſet ſectionẽ venæ & purgationem, vt neceſſarium fuerat, ſed etiam nullá probá viuendi rationẽ ſeruaſſet, proximo anno febri peſtilenti correptus obiit.

ALEXANDRI
MASSARIÆ
DE MORBIS MVLIERVM
Liber Quartus.

PROLEOGOMENA.

CVM ego maximè cupiam hoc anno abſoluere omnes morbos qui continẽtur in abdomine, cui longiſſimę tractationi ordinariæ lectiones non ſufficiont: mihi propoſitum eſt agere de morbis mulierũ, qui quidem morbi propriá quandam & peculiarem tractationẽ & curãdi rationẽ requirũt vt
docet Hip. 1. *de morb. mul. circa medium in cod. Baſilienſi latino* 33 1. *ad finem*, quod ratio quoq; facilè *Neceſſitas operis.*
poteſt cõfirmare. Cũ enim mulieres vtero potiſſimùm ab hominib. maſculis differant, ac propterea propriis quibuſdam morbis laborent, quibus nullo modo mares homines poſſunt laborare, cur non liceat huiuſmodi morbos muliebres appellare, ac propterea de illis propriá tractationẽ inſtituere & curationem? Quod quidem hoc loco primò notãdum fuerat prupter celebres quoſdam viros, qui contendunt huiuſmodi tractationem ſuperuacaneam eſſe, cum morbi, tam in mulieribus, quàm in viris, vna excepta ſexus indicatione, eadẽm planè methodo atque iiſdem præſidiis debeant curari, quod profectò ſicuti in pleriſque morbis vtriſq; communibus verum eſt, ita in reliquis, qui ſolis mulieribus, minimè maribus cõtingunt, perſpicuè falſum apparet. Vnde M. quoque Hip. propia cõmentaria de morbis mulierũ ſcribere non eſt veritus. Et apud Galenum legimus 6. *Epid. ſect.* 2. *Commento* 43. Dioclẽ pariter ſcripſiſſe volumẽ de morbis mulierũ. De cõmentariis autẽ Hippo. etſi negare nolo, ea aut fortaſſe ab illo non fuiſſe caſtigata, aut temporũ iniuria quibuſdá locis fuiſſe vitiata: veruntamẽ ſi cõſideremus copiá ſententiarũ, ſermonis grauitatẽ & obſcuritatẽ, ac doctrinæ excellentiá, equidẽ cenſeo illa tanquá legitima & digna Hip. recipienda eſſe. Quanquam non ignorẽ doctiſſimos quoſdam viros, qui de operib. Hip. iudiciũ fecerunt & ediderunt, aliter ſentire. Alter eſt Mercurialis, qui in cenſura operum Hip. huiuſmodi morbos mulierũ reponit in tertia claſſe, in qua, illo auctore, ſunt reponendi omnes libri, quicunq; ab Hip. neq; editi neque conſcripti ſunt, ſed vel à filiis vel diſcipulis cõpoſiti fuerunt. Alter eſt Ludouicus Lemoſius Hiſpanus, qui in iudicio operum M. Hip. abſolutè pronunciat, hos libros M. Hip. nõ eſſe: & rationẽ reddit, propterea quòd illi nuſquá à Galen. citari reperiantur, quod quidẽ ego miror à viro celeberrimi nominis tá temerè affirmari, cum Galen apertiſſimè huiuſmodi librorum mentionem faciat 4. *apho. Com.* 36. *&* 45. Itaque nos teſtimonio & auctoritate huius libri tanquam legitimi & diuino Hippocrate digni ſępius vtamur.

Huiuſmodi tractatio de morbis mulierum eſt adeo difficilis. vt fortaſſis in tota arte medica nulla difficilor poſſit reperiti. Cauſæ enim difficultatis plures enumerantur ab Hip. *in lib. de morbis mulierum pag.* 331. quarum prima illa eſt, quòd mulieres pletumque ignorant ſe ægrotare, vnde ignaræ longiùs morbos ferunt, donec tempore & neceſſitate edoctæ, & expertæ morborum inſultus, diſcunt tandem ſuo magno malo ægrotare. Ex quo huiuſmodi morbi frequenter non ſolum curatu difficiles, ſed etiam inſanabiles fiunt. Secunda cauſa eſt apud Hippoc. quòd mulieres etiamſi ſciant ſe ægrotare, præ pudore & verecundia non audent ſua mala medicis communicare. Cum enim inter cætera ſermones & informationes ægroti maximè faciant ad cognoſcendos & curandos morbos, vt colligitur ex Hip. & Gal. 1. *prognoſt.* nec non 3. *Epid. vtrobique initio*, iam medicus eiuſmodi mulierum ſilentio, hoc adiumento deſtituitur, vnde longè difficiliùs morborum cognitionem & curationem poteſt aſſequi. Tertiam cauſam adfert Hipp. quòd ipſi quoque medici timidè vel etiam verecundè cum mulieribus agant, neque audeant vel ipſas diligentiùs interrogare, vel abſconditos locos attingere & tractare, ſicuti alioqui perutile & perneceſſarium foret. De qua quidem negligentia Medici omnes ab Hipp. grauiter arguuntur & reprehenduntur, quicunque minùs ſedulò & accuratè ſtudent morborum cauſas mulierum veras intelligere, ſine qua intelligentia certum eſt illas non niſi temere ac improbè curari poſſe. Sed iis cauſis ab Hippo. poſitis, licèt aliam non parui momenti adiungere, quòd nimirum, vel propter obſtetricum ignorantiam, vel propter internas & reconditas partes, vel propter alias cauſas & remedia ſiue intra, ſiue extra adhibita non niſi difficilè ad locos laborantes poſſint penetrare. Ex quibus omnibus nulli dubium eſſe debet, quin tota hæc materia & cognitione & curatione multas cõtineat difficultates. Verùm difficultas pari iucũditate & vtilitate cõpenſatur: nihil enim homini iucũdius cõtingere, quàm intelligere tot arcana & myſteria naturæ, nec quicquam vtilius medico eſſe poteſt, quàm nouiſſe rationẽ curandi morbos muliebres. Etenim cum illi ſint plurimi, acutiſſimi, grauiſſimi, ac frequentiſſimè miſeras mulieres malè afficiat, adeò vt continuas ferè illarum de vtero querelas liceat audire, certum eſt medicos ex huiuſmodi curationibus non ſolum magnam laudem & exiſtimationem, ſed etiam ingentes opes poſſe acquirere. Ad quem modum Gal. *lib. de Præcogn. ad Poſthumum cap.* 8. ſcribit, propter vnam curationem vxoris Boethi vteri profluuio laborantis, ab illius viro quadringentos aureos ſemel donatos fuiſſe. Cæterùm quia huiuſmodi tractatio foret nimis longa, cui annuum tempus non ſufficeret, ſi vellemus perſequi omnes morbos, quicunque ad mulieres pertinẽt: idcirco mihi propoſitum eſt in præſentia de iis tantum agere, qui ad conceptum & partum hominis poſſunt referri, quos quidem certum eſt cæteris omnibus eſſe difficiliores, frequentiores, vtiliores, & maiori dignos notatione. De hoc argumento ſicuti diximus, habentur commentaria Hippo. ſed difficilia valde & obſcura. Galen. nihil ex propoſito de huiuſmodi morbis tractauit, ſed ex ſuis libris potiſſimum de morbis & ſymptomatibus, de locis affectis, nec non Commentariis in libros Aphoriſmorum & Epidemiorum, de ſanguinis miſſione, multa colligi poſſunt præcepta ac remedia. Paulus quoque lib. ſuo tertio habet multa. Sec iſti auctores qui fere omnia ex aliis tranſcribunt non ſine iudicio & delectu legendi ſunt. Apud Auic. habetis Fen. 20.21. tertij Canonis, quæ vobis aliquam lucem poſſunt adferre. Sed præter hos ſunt *Auctores alij.*
alij quoque auctores partim veteres partim recẽtiores, qui in huiuſmodi argumento nõ ſine fructu & laude verſati ſunt. Et inter cæteros proximo ſuperiore tẽpore duo præclariſſimi huius ſcholę profeſſores Mercurialis & Bottonus, id diligentiſſimè pręſtiterunt, qui omnes ſcriptores in vnũ volumen congeſſerunt hoc titulo. *Cynæciorum ſiue de morbis mulierũ Cõmentaria in tres tomos digeſta* Quos quidem libros vos hortor, vt ſtudeatis & intelligatis.

Quoniam omnium primò mihi propoſitum eſt *Diſtinctio ſexus.*
agere de conceptu hominis, ante omnia notanda eſt diſtinctio maris & fœminę, ſine quibus conceptus fieri non poteſt. Quod quidem vt probè à vobis intelligatur, mihi liceat hanc rem paulò altius ordiri: itaque ſciendum eſt, vt docet Philoſophus 2. *de gen. & corrup.* 59. & 60. ſecũdo *de anima* 35. ſecundo *de gen. animal. c.* 1. nec non Gal. *de vſu part. c.* 1. *&* 2. ſciendum inquam eſt, omnia quęcunque ſunt, vel vt loquuntur Philoſophi, duplicia omnia eſſe Entia, alia ingenerabilia, incorruptibilia, ęterna vt intelligentiæ, cœlum: alia generabilia, corruptibilia, caduca, vt ſunt hæc inferiora elemẽta & quæ elementis cõſtant. Etenim quãuis elẽmenta ſecundùm totũ ſint ingenerabilia, incorruptibilia: ſecundùm tamẽ partes generantur & corrumpuntur, & in continua tranſmutatione verſantur. Cauſa autem propter quam elementa iſthæc inferióra generabilia ſint & corruptibilia, non alia eſt, quàm materia, quæ ſemper appetit nouas formas, vt Philoſophus docet diffusè in lib. Phyſic. Verum cæteris omnibus rebus prætermiſſis de vno homine dicendum eſt, quem quidem vt ſcribit Galen. 14. *de vſu partium capit.* 11. ſi fieri potuiſſet, natura maximè optaſſet immortalem facere. Sed cum id per materiam non liceat, ſicuti idem Galen. declarat 1. *de tuenda valetudine cap.* 1. (Nam quod ex arteriis, venis, neruis, oſſibus, carne eſt compoſitum, incorruptibile eſſe non poteſt:) natura alia ratione, qua potuit, homini ad immortalitatem viam fabricata eſt: quemadmodum facere ſolent ſapientes vrbium conditores, qui non ſolum id agunt, vt ſuæ vrbes hoc præſertim tempore multo populo abundent, ſed etiam diligenter prouident, quomodo illæ in omne tempus, aut ſaltem diutiſſimè conſeruentur. Itaque ipſa natura mirabilem quandam artem inuenit, quomodo in locum mortui hominis alius nouus homo ſuccederet, qua ratione illi ſemper incolumes maneant & immortales. Illa verò non eſt, quam continua hominis generatio alia. Vnde ſcribit. Gal. 6. *de vſu part. cap.* 14. *de vſu part. initio*. Naturam in conſtituẽdis partibus Animalis tres ſcopos ſibi propoſuiſſe. Primò, vt aliquę partes forent ad vitam neceſſarię, qualia ſunt cerebrum, cor, hepar: nonnullæ ad commoditatem vitæ, vt oculi, nares: c lă ad ſpeciei inſtaurationẽ vt pudẽda, teſtes vteri. Ex quibus puto ſatis conſtare diſtinctionem ſexus, & vtriuſque maris & fœminę generationẽ neceſſariã fuiſſe, non ſatis mirari poſſint, quomodo nonnulli Philoſophi audeãt affirmare fœminas præter naturæ propoſitũ ac veluti monſtra quædã in lucẽ profetti. Siquidẽ tã certũ eſt, quã quod certiſſimũ, neq; hominẽ, neq; reliqua perfecta animalia ſine vtroq; ſexu vllo modo poſſe generari. Ad quem modũ inquit Ariſt. 1. *de gen. Animal. c.* 2. rebus vniuerſis veteres terrã quaſi fœminã matrẽq; cõſtituerũt. Celũ autẽ & ſolẽ, & reliqua id genus nomine genitoris & patris appellarunt Ex quibus eſt Plato, qui in Timæo circa principiũ ex duobus elemẽtis IGNA tanquã VIRO, & TERRA tanquã FOEMINA ambobus parentibus, affirmat totum mundũ conſtare.

Quomo

Quomodo autem homo vir & homo fœmina inter ſe differant, etſi vterque de toto animali dicatur, pręclarè explicat Philoſophus loco citato proximè 1 *de gen. animal. c.*8. Illos inter ſe differre dupliciter: *Facultate & nonnullis partibus.* Mas quidem & fœmina differunt *facultate*, quoniam vtriuſque facultas diuerſa eſt, ſiquidem vir facultatem habet generandi in altero: fœmina habet facultatem generandi in ſeipſa. Differunt antẽ *nonnullis partibus.* Cum enim ad omnem officij functionem inſtrumento opus ſit, atque inſtrumenta ad facultates debeant accommodari, hinc factum eſt, vt nonnullæ diuerſæ partes neceſſariò fuerint à natura inſtitutæ, quæ ad huiuſmodi facultatem, ad coïtum & procreationem pertinentes, forent accommodatæ. Hæc autem apud Ariſtot. ſunt in fœmina pudendum & vterus, in viro teſtes & membrum virile. Cæterùm Gal. huiuſmodi vaſorum & inſtrumentorum differentiam non omni ex parte videtur recipere, qui ſcribit 14. *de vſu part. c.*6 2. *de ſem. c.* 5. omnes partes, quæ ſunt in viris, in mulieribus quoque reperiri, atque eò tantum differre inter ſe, quòd illæ in mulieribus ſint intra abſconditæ, in viris autem extra appareant. In qua quidem re explicanda eleganter & diffusè ab ipſo Gal. expoſita nolo tempus perdere, quoniam cuique liceat intelligere apud eundem auctorem. Itaque nulli dubium eſſe poteſt vel debet id, neque ſolum virum, neque ſolam fœminam pro generatione hominis ſatis eſſe, ſed vtrumq; & vtriuſq; coniunctionem fore neceſſariam. Quoniam verò non ſatis fuerit marem & fœminam feciſſe, atque inſtrumenta vtrique ad coniunctionem accommodata fabricaſſe, ſiquidem propter multas cauſas tam mas, quàm fœmina, potuiſſent huiuſmodi coniunctionem abhorrere, vnde generatio & ſpecies humana potuiſſet deficere: idcirco natura ſagax voluit vtrumque & marem & fœminam decipere. Quamobrem tantam propenſionem ad coitum, & tantam voluptatem in coïtu vtrique inſeruit, vt nullum ſit periculum, cùm & mares & fœminæ, & libentiſſimè & frequentiſſimè coëant. Cuius quidem naturalis propenſionis ad coïtum & voluptatis, & naturales, & elegantes cauſæ plurimæ redduntur à Gal. 14. *de vſu part.* Neque vero ſolùm hominibus, ſed etiam cæteris animalibus natura tantam propenſionem, tantam voluptatem inſeruit, vt hac ratione, quod aliter facere non potuit, & hominibus & cæteris animalibus immortalitatem & æternitatem procuraret. De communi deſiderio ac voluptate rei venereæ, imò verò de rabie omni fere animalium tempore coïtus videatis Philoſoph. 6. *de hiſtoria animal. c.* 18. qui multa præclarè de hac re ſcribit. Sed hoc loco licet quærere quidnam vir & fœmina, vel ſeparatim vel coniunctim præſtent in hac coniunctione: Vtrùm ſemen viri tanquam efficiens ſolum, an tanquam efficiens & materia ad conceptum conferat: an mulier ſolum menſtruum ſanguinem, an præterea quoq; ſemen exhibeat in generatione, & alia id genus, de quibus inter Ariſtotelem & Gal. ſunt maximæ & celebres controuerſiæ. Verùm tota hæc diſputatio ad commodiorem locum nempe ad tractationem de conceptu mihi videtur pertinere. Itaque ad alia progrediamus, & primò omnium de muliebribus menſtruis tractationem aggrediamur, ſiquidem conuenit inter omnes menſtrua ad conceptum & efficiendum, & nutriendum potiſſimùm pertinere, ac pro varia eorum naturali vel non naturali conſtitutione mulieres reddi magis, vel minùs ſanas, magis vel minùs robuſtas, ſpeciatim verò magis vel minùs ad conceptum, atq; illius geſtationem & partum diſponi: de quibus Auicen. ſcribit ad hunc modum lib.3. fen.21. tract.3. c.1. *Menſtrua temperata in quantitate & qualitate ſua, & in tempore ſuo currente ſecundum conſuetudinem naturalem in omni periode, ſunt cauſa ſanitatis mulieris & mundificationis corporis eius ab omni nocumento*: & quæ ſequuntur.

Capvt I.

De Menſtruis.

Qvid ſint Menſtrua, traditum eſt ab Ariſtotele 1. *de gener. animal. c.*19. qui ſcribit, menſtrua excrementum eſſe, & proportione ſicut maſculis ſemen ita fœminis menſtrua venire; id quod iis, quæ vtriq; ſimilia contingunt, conatur probare. *Quid ſint.* Nanq; vna atq; eadem ætate maribus ſemen fieri incipit & ſecerni, fœminis menſtrua erumpunt. Vtriq; hoc tempore vox mutatur. Præterea deſinente ætate maſculis aboletur generandi facultas, fœminis menſtrua deficiunt. *Excrementa mulierum.* Sic Ariſtoteles probat menſtrua excrementa eſſe, quod mulieres neq; hæmorrhoïdibus, neq; fluxione ſanguinis è naribus neq; varicibus (venæ latæ in crure) neq; aliquo ſymptomate magna ex parte laborant, quamdiu illæ congruas habent menſtruas purgationes: & aliis argumentis, de quibus longius agendum non eſt. Sed nos ad Galen. accedamus, qui rationibus petitis ex rei natura longè accuratiùs hanc rem explicat. Itaq; ſciendum eſt, vt ille docet 1. *de facult. naturalib. c.*10 1. *de val. tuenda. c.* 3. in omni concoctione neceſſario fieri aliqua excrementa. Cum enim cuiq; homini propter inſitum calorem certa quædam ſubſtantię portio quotidie affluat & diſſoluatur, quæ alia ratione non poteſt reparari, quàm alimentis & potionibus: hinc neceſſarium fuit excrementorum prouentum originem habere: ſiquidem quæ eduntur & bibuntur longè differunt à natura illius ſubſtantiæ, quæ effluit, vnde neceſſariò indigent varia ac multiplici alteratione, concoctione & tranſmutatione, vt eadẽ corpori nutriendo & ſubſtantiæ reparandæ poſſint aſſimilari. In quo quidẽ opere nonnulla remaneant neceſſe eſt, quę concoctionem & aſſimilationem nequeunt recipere: quæ propterea excrementa vocantur: quę cum varia ſint, non ſolùm in prima, ſed etiam in ſecunda & tertia concoctionibus, hinc factum eſt, vt non ſolum neceſſaria inſtrumenta natura inſtitueri, quibus huiuſmodi excrementa tanquam ſuperflua & inutilia poſſint expurgari, ſed illis etiam facultates quaſdam inſeruerit, vnde à nõnullis partibus ad ſe traherentur, ab aliis ad alias tranſmitterentur, & poſtremò à quibuſdam expellerentur. Ita ergo generaliter de excremẽtorum neceſſario ortu habendum eſt: ſub qua communi ratione certum eſt, ipſa quoque menſtrua fore comprehendenda. Quod ſi quis quærat, cur mulieres tantùm, cæteri homines minimè, eiuſmodi redundent excremẽto? *Cur non viri;* Huic reſpondet Gal. 14. *de vſu part. c.*4. id factũ eſſe, quòd mulier ſit viro frigidior, propter quã cauſam alimenta non ita probè concoqui & diſcuti poſſunt. Ex quo neceſſarium fuit tale & tantum excrementum colligi, quod deinceps ad partes genitales, quę, vt ſcribit Gal. 2. *de ſem. c.*5. omniũ imbecillimę ſunt, ſolet tranſmitti. Sed tamen hæc mulieris frigiditas, & imperfectio, vt idem Gal. 14. *de vſu part.* 6. maximam vtilitatem toti humano generi præſtitit: cum enim, vt ſupra dictum eſt, neceſſe omnino fuerit fœminam eſſe; credendum non eſt, ſummum omnium rerum Opificem partem totius noſtri generis dimidiam, ita imperfectam ac veluti mancam facturum fuiſſe, niſi huiuſmodi imperfectionem, magna quædam vtilitas fuiſſet ſecututa. Cauſa verò eſt huiuſmodi: namq; ipſe fœtus ma-

ſeriam poſtulat copioſam, non modò ad primam ſui conſtitutionem, ſed etiam deinceps ad omne illius incrementum, quod quidem nutsimentum ſi mulier fuiſſet calidior, omnino defeciſſet, quoniam tunc & meliorem concoctionem alimenti feciſſet, & maiorem geniti excrementi diſſipationem molita fuiſſet. Itaq; hæc præcipua eſt ratio generationis, hic præcipuus eſt vſus menſtruorum in muliere.

Quare ſolius mu ieris non aliorum animalium.

Quærunt nonnulli boc loco quamobtem ſolæ mulieres inter cætera animalia habeant menſtruas purgationes? quod tamen problema non conceditur ab Ariſtotele, qui ſcribit.3. *de gen.anim. c.1.* In auibus quidem & piſcibus nulla menſtrua fieri, ſicuti in cęteris animalibus ſanguine prędıtis & viuiparis contingit, in quibus omnibus, ille inquit, aliis magis, aliis minùs menſtrua fieri ſoleor. Vnde *6.de hiſt.anim.*18.ſcribit mulierem maximè omnium animalium habere menſtruas purgationes, deinde vaccam, aſinam, equam, quod quidem an verum ſit, alij viderint qui Ariſtotelem vbique conantur defendere: tametſi idem Ariſto.boc ipſo loco illud addat, non deeſſe Philoſophos, qui negent in iis animalibus menſes fieri, inter quos ego quoq; non inuitus patios nomerari, cum planè expetientia demonſtret, hanc illius ſententiam falſam eſſe, ac nulla animalia, præter mulieres menſtruas habere purgationes. Sed vtcunq; ſit, ſiue mulies ſola, ſiue maximè omnium animalium menſtruis copioſiùs abundet, huius rei cauſæ requituntur ab Ariſt. 7. *de hiſt. anim. c.* 2. quæ duæ potiſſimùm colligi poſſunt. Prima, quòd hæc materia excrementitia nonnullis animalibus io corporis alimentum, aliis in corticem, aliis in frequentiam venatum & pilorum & alias huiuſmodi partes conuertatur. Secunda cauſa eſt; quod reliqua animalia ſint multo ſicciora, maioribus laboribus & exercitationibus dedita, & non ſimplice victu vtantur: contra autem mulieres ſiot longè humidiores, ferè otioſæ, ac pleniore victu vti ſoleant. Ex quibus iure licet colligere, cætera animalia nullas, mulieres autem copioſas menſtruas purgationes habere. Cæterum quoniam diximus, & quaſi manifeſtum accepimus, mulierem eſſe mare frigidiorem, nonnulli hanc determinationem ooo recipiunt, qui altera ex parte mulierem mare eſſe calidiorem cenſent de qua controuerſia Ariſtoteles quoq; mentionem facit 2. *de part. anim.c.*qui ſcribit, Parmeoidem voluiſſe mulieres eſſe viris calidiores: quod idem quibuſdam aliis quoq; placuit argumento copiæ ſanguinis, qua menſtrua fiunt. Empedoclem verò contra ceoſuiſſe mulieres eſſe maribus frigidiores. Sed breuites aduerſarias rationes vnam & alteram audiamus, & quidem ex potioribus.

An mulieres frigidiores viris.

Quod mulieres ſint viris calidiores, primò eſt auctoritas Hip.cuius hæc ſunt propria verba lib. de morbis muliet. circa principium: *Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt quàm vir.* Deinde neminem puto eſſe negaturum, quin aliqua mulies manifeſtè ſit aliquo viro calidior: finge (quod eſt Galen.exemplum *3.de cauſis pulſuum, de pulſu virorum & mulierum*) hominem temperamento pituitoſo, frigido, & humido: finge mulierem temperamento bilioſo, calido & ſicco: ſed præterea finge hominem viuere in vmbra & otio delitioſo; fœminam contra incolese Ægyptum, ruri agere, multis vti laboribus, atq; demum parco victu vti: cui dubium eſſe poteſt hanc mulierem calidiorem eſſe viro? Altera ex parte iam ſtatutum eſt, ac reddita ratio, quamobrem neceſſe fuerit mulierem eſſe viro frigidiorem, id quod ses ipſa poteſt manifeſtè confirmare: ſiquidem certum eſt, marem planè robuſtiores habere omnes operationes, animales, naturales, vitales, quod robur non aliunde quàm ex calore poteſt prouenire. Quid igitur dicendum eſt? Prætermiſſis aliorum reſponſionibus, quæ de hac ardua facultate ſolent à mulris proferri, ego ſentio dupliciter poſſe reſponderi. Primò, fieri quidem poſſe, vt aliqua mulier, ſi reſpiciamus temperamentũ vniuerſi corporis, ſit aliquo viro calidior, quod poſitum exemplom demonſtrat: ſed ſi paria paribus conferaotur, vir pituitoſus mulieri pituitoſæ, vir bilioſus mulieri bilioſæ eadem regione, eadem victus ratione & ſimili, tunc perpetuò marem muliere calidiorem eſſe. Secundò, vtcunq; concedatur aliquam mulierem aliquo viro generaliter calidiorem eſſe, tamen quatenus pertinet ad partes genitales, illam neceſſariò fuiſſe frigidiorem. Namq; vt ſuprà diximus cum Galen. Vir à muliere differt non natura, ſed ſola membrorũ genitalium formatione. quæ in viro extra propelluntur, & appareor, in fœmina intra detineotur & latent. quod quidem nulla alia ratione, niſi ea virorum caliditate & mulierum frigiditate fieri poteſt. Verùm quid ad Hipp. teſpondendum eſt? Pleriq; omnes, hanc partem tanquam Hip.non legitimam recipiunt, qui exiſtimant eam temere fuiſſe ab aliquo inſertam, cum manifeſtum videatur cootinere mendacium: addo cum huiuſmodi ſcoteotia ipſi Hip. manifeſtè repugnet, qui *6. Epid. ſect.2. circa finem*, clarè docet, maſculos eſſe fœminis calidiores, cuius rei argumento eſt, quòd illi ſunt nigriores, habent venas magis extra apparentes, longe bilioſiores exiſtunt, atq; in dextris vteri partibus generantur: quæ quidem omnia non niſi à caliditate fieri poſſent: vt Galenus commentariis eorum locorum & aliis diffusè demooſtrat. Ac profectò aliter mea ſenteotia reſponderi non poteſt: ſiquidem nullus eſt liber Hip. tametſi germaoiſſimus habeator, in quo temporum iniuriâ, ſpuria quædam, & falſa non irrepſerint, ſicut ipſis quoque aphoriſmis contigit: io quibus etſi liber eſt omnium conſenſu germaniſſimus, Hip. tameo noonulli aphoriſmi tanquam ſpurij reiiciuntur à Gal Veruntameo ſi quis velit veterem Hip. ſcripturam tueri, illud voum mihi occurrit, quod dici poſſit, ſanguinem in mulieribus calidiorem eſſe, oon proprio aut naturali calore, ſed ea caliditate, quæ omnibus ferè excrementis ſolet perpetuò copulari; cum enim menſtrua ſine vlla dubitatione inter excrementa recenſeantor, certum cuique eſſe poteſt, illa neſcio quam caliditatẽ pręter naturam concipere, & hac ratione ſanguinem mulieris ſanguine virorum calidiorem eſſe. Sed hac de re ſatis, reuertamur ad menſtrua.

Quando incipiant menſes primum.

Scribit Ariſtoteles 7. *de hiſt anim.c.*1 meoſes mulieribus magna ex parte incipere circiter annum 14. quando mares quoque incipiunt ſemen emittere, quo quidem tempore vterque & mas, & fœmina magnis mutationibus, & partium geoitalium, & vocis, & aliarum rerum ſubiiciuntur. Deſinũt autem menſes, vt idem ſcribit Philoſoph. 7. *de hiſt. anim. c.*5. vt plurimum circites annum. 40. vſq; ad 50. ac ſanè ipſa res hanc Philoſophi ſententiam de principio ac fine menſium videtur coofirmare: etenim ſi cootingat, vt menſes incipiant ante annum 14. vt anno 9. 10 11. quod nonnulli affirmant: pariter ſi fiat, vt menſes vſque ad 50. & plures annos perſeuerent, omnino rarius eſt.

Quando deſinant.

Quando & quot dies.

De tempore menſium noo conuenit inter omnes, namqoe alij vnicam diem, alij 3. 4. & plures huic purgationi tribuunt, quod experientia confirmat eſſe verum, ac ratione confirmat, ſumma cum ratione fieri pro varia mulierum ætate, habitu corporis, temperamento, vitæ inſtituto, regione, & cæteris, vt modò maiora, modò mioora, modò longiora & breuiora & menſtrua fiant. Hipp. 1. de morbis mulierum *pap.* 313. ita ſtatuit: *in muliere*

ſana

ſana moderatos menſes fluere ad 2. aut 3. dies, longius autem tēpus aut breuius morboſum & ſterile eſſe. De quo tempore menſium notanda eſt ſenteutia Philoſophi 7. *de hiſt. anim. c.* 2. qui ſcribit: *facilius agi cum illis mulieribus, quibus breui tempore,* id eſt, *biduo aut triduo menſes profluunt, difficilius autem cum iis, quibus longius protrahitur, ſiquidem mulieres hoc tempore laborant.* Sed hoc loco occurrit inſignis difficultas apud Ariſtotelem, qui ſcribit 7. *de hiſtor. animal.* 2. paucis mulieribus ſingulis menſibus, plurimis autē intermiſſo vno menſe, id eſt, tertio quoque menſe menſtrua moueri: quæ quidem ſententia non ſolùm repugnat Gal. 14. *de vſu part. c.* 18. & auctoribus, ſed etiam ſenſu & experientia perſpicuè falſa eſſe deprehenditur: cum certum ſit ex mille fœminis forte vnam aut alteram purgari tertio menſe, quod ego quidem nunquam audiui: cæteras omnes ſuas purgationes ſingulis mēſibus habere. Interpretes pro Ariſtotele multum laborant. Albertus Magnus in ſuis de animalibus *lib.* 9. *c.* 2. totam Ariſtotelis ſententiam peruenit, qui ſcribit: plurimas mulieres ſingulo menſe, paucas tertio quoq; menſe purgari. Sed hac ratione facile eſſet omnes auctorū errores tueri, præterquā quod neq; id verū eſt, vt diximus, paucas mulieres tertio menſe purgari, cum multæ potius hoc tempore non niſi ſingulis menſibus ſoleant expurgari. Sueſſanus commentario huius loci inquit, illud fortaſſe in regionibus Ariſtotelis verum fuiſſe. Nonnulli aſſerunt libros de animal. ab Ariſtotele fuiſſe ſcriptos potius ex aliorum relatione, quàm ex propria ſententia, & idcirco illos multos errores, & quidē manifeſtos continere: inter quos apertè fatetur hunc numerandum eſſe. Demum Mercurialis lib. 5. *variarum lectionū, c.* 2. nec non 4. *de morbis mulierum, c.* 1. confutatis aliorum reſponſionibus aliam rationem excogitauit, qua ille putat Ariſtotelem poſſe defendi. Ea verò eſt vt in textu latino reſtituatur vox Græca συνεχῶς, prætermiſſa ab interprete, quæ ipſi idem ſignificat, quod coaceruatim & copioſè, adeo vt reſtituta hac voce ſenſus ſententiæ Ariſtotelis ſit huiuſmodi: paucas mulieres ſingulis menſibus aceruatim, & copioſè purgari, plurimas autē tertio mēſe aceruatim & copioſiores mēſes habere.

In propoſita difficultate, in propoſitis verbis neque defenſio Mercurialis mihi videtur ſatis eſſe: nam primò ſignificatio illius verbi videtur voluntaria, cum apud nullum probatum auctorem, quem ſciam, accipiatur in ea ſententia. Nam verè & proprie hęc vox συνεχῶς, omnium auctorum conſenſu idem ſignificat, quod continenter, ſine intermiſſione, aſſiduè, continuatim vel quid ſimile: in qua ſignificatione, puto eam quoque ab Ariſtotele hoc loco vſurpatam fuiſſe, vt ſenſus ſit huiuſmodi: paucis mulieribus ſingulis menſibus συνεχῶς, id eſt, ſine intermiſſione & continuatim, pluribus intermiſſione vnius menſis tertio duntaxat quoquo menſe menſtruas purgationes moueri. Deinde mea ſententia tam falſum eſt, paucas mulieres ſingulis menſibus aceruatim, plurimas tertio menſe copioſiùs purgari, quam falſum eſt paucas ſingulis menſibus, plurimas tertio tantùm menſe ſuas purgationes habere, cum res ipſa confirmet, omnibus mulieribus, non magis tertio, quàm cæteris & ſingulis menſibus vna fere atque eadem menſura menſtruas purgationes moueri. Vnde etiam puto huiuſmodi euacuationem menſtrua appellari, quod ſingulis menſibus eueniant.

Quomodo Ariſtoteles à tam manifeſto errore poſſit defendi, ſi modò ille defendi poteſt, ego quoq; dicam quid mihi in mentem venerit, qui videor poſſe duplicem reſponſionem adferre. Et prima eſt, ſententiam Ariſtot. veritatem ſuo tempore continuiſſe, quo certum eſt, mulieres moderata victus ratione vti, & admodum ſobriè viuere conſueuiſſe. Ad quem modum Hip. quoq; ſcriptū reliquit 6. *aph.* 39. Mulierem podagra non laborare niſi mēſtrua deficiant; quam ſententiam Gal. inquit, tempore Hip. veriſſimam fuiſſe, propter ſingularem mulierum ſobrietatem: poſteriore autem tempore eiuſmodi ſententiam falſam eſſe redditam, quòd mulieres deinceps propter victus incontinentiam ac plurimos errores, fluentibus quoq; menſibus podagra ſolitæ fuerint laborare, ſicut hodie quoq; contingit. Secunda reſponſio eſt; ſententiam Ariſtotelis veram eſſe hoc ſenſu, vt ille loquatur non de menſtruis generaliter, ſed de prima menſium eruptione, quæ videtur non ita continenter ſingulo quoquo menſe euenire, adeo vt multis iuuenculis, quo tempore menſes incipiunt erumpere, hæc vacuatio ſoleat interiecto vno menſe ſuccedere: quæ quidem ſententia, ſi non perpetuò, ſaltem aliquando vera eſſe deprehenditur cum rarò eueniat, vt cum menſtrua virginis erumpunt, ad vnguem ſingulorum menſium ſeriem conſeruent, ſed liceat videre nonnullas tertio ſolùm quoquo menſe purgari, per aliquod tempus, donec natura iam aſſuefacta viis apertis ſanguinis copia aucta, corporis augmento deſinente, iam ſingulo quoquo menſe συνεχῶς poſſent purgari. Forte autem neutra ex iis meis reſponſionibus videbitur ad hanc difficultatem ſatis eſſe: ſed tamen qualeſcunque illæ ſint, mihi libuit illas proferre, quæ ſatis eſſe poterunt, donec mihi aut aliis liceat meliorem reſponſionem excogitare. Hactenus de menſtruis mulierum naturalibus, neſcio quomodo de illis longius dixerimus, quàm mea voluntas fuerit. Quare tempus eſt, vt menſtrua præter naturam aggrediamur.

Capvt II.

De Menſium ſuppreſſione.

Cvm mulieres naturæ inſtituto & prouidentia ſingulis menſibus habeant purgationem eorum excrementorum, quæ & propter temperiem, & propter victus rationem huiuſmodi ſexus, & propter alias cauſas, de quibus ſupra diximus, copioſè coaceruentur, ſi hæc ſupprimatur, tunc neceſſe eſt, vt mulier in multa & grauiſſima pericula incurrat: ſicut altera ex parte ſi hæc vacuatio ſecundùm naturæ legem procedat, mulieres & ſolent ſanæ conſeruari, & à multis morbis præſeruari, vt ſupra diximus cum Auic. Ex quo Gal. ſcriptum reliquit 3. *de ſympt. cauſis, c.* 4. *de ſympt. diff. c.* 7. cæteras omnes ſanguinis excretiones, quæcunque illæ fuerint, hac vna excepta, quæ mulieribus per vterū fit, eſſe præter naturā, & quidem toto genere. Itaq; ſuppreſſio menſium inter ea ſymptomata à Gal. numeratur, quæ immoderatè excreta aut retenta dicuntur: ſiquidem ea retinentur in corpore, quæ natura purgari debuiſſent. Cum autem & hæc & omnia ſymptomata ſequantur morbos vel ſtatim & proximè, vel alterius ſymptomatis interuentu, vt Galenus docet locis proximè citatis, ita habendum eſt, huiuſmodi ſymptomata, & ſuppreſſionem menſium primò pendere ex alio ſymptomate, nimirum actione læſa ipſius vteri. Hæc porrò actio vteri, ſicut cæteris omnibus actionibus contingit, tripliciter lædi poteſt, vel ablatè, vel imminutè, vel deprauatè. Itaq; menſes aut ex toto ſupprimuntur, aut parciùs fluunt, quàm conueniat, aut deprauatè expelluntur. Quoniam verò menſes vel ſupprimuntur ex toto, vel imminuūtur ex parte propter vnas & eaſdem cauſas, quæ non aliter quàm ratione magnitudinis inter ſe differunt: idcirco ſimul de

Eſſentia.

Cauſæ.

vtriuſque

vtriſque ſermonem habebimus. Pleriq; omnes & veteres, & recentiores tractantes cauſas ſuppleſſionis menſium admodum confusè & perplexè mihi videntur illas eaplicare. Quare cæteris omnibus prætermiſſis eaperiamur nos mare noſtro, an cum Galeno huiuſmodi cauſæ ad certa quædam capita certamque methodum poſſint referri.

De cauſis ſuppreſſionis menſium tractat Gal. ea propoſito duobus potiſſimùm locis: primo 3. *de ſympt. cauſis, c.* 4 altero 5. *aph. com.* 57. ex quibus ni fallor, ſumma huius diſciplinæ præclarè atq; ordinatim colligi poteſt. Itaq; ex Gal. ita habendum eſt, menſtrua in mulieribus retineri ex toto, aut minui ea parte propter quatuor cauſas: quarum prima eſt vitium vteri & vaſorum quæ ad illum pertinent: ſecunda eſt vitium ſanguinis: tertia eſt vitium vniuerſi corporis: quarta & vltima, vitium facultatis & virium: ad quas quidé quatuor cauſas non diffi-
I. cile eſt cuique ceteras omnes referre, quæcunq; & quotcunq; ab aliis ſoleot proponi. Primùm igitur ſupprimuntor menſtrua, aut minuūtur ratione vteri, quod cootingit dupliciter: primo modo, vitio ipſius corporis: altero, vitio vaſorum, quæ ad vterum pertinent, & per quæ menſes debent purgari. Corpus vteri eſt in cauſa, vt menſtroa ſupprimantur, ſi illud labore aliquo genere morbi, inter quæ occurrent primò morbi in mala cópoſitione, qui poſſint eſſe multiplices, vt ſi ſubſtentia vteri fiat durior & denſior, quàm naturæ illius cóueniat: qui primus morbus proponitur à Galen. 3 *de ſympt. cauſis, c.* 4. 5. *aph.* 28. & 57. quod quidem vteri vitium cum fieri poſſit aut natura & primo ortu, aut deinceps tractu temporis, Galen. docet propter huiuſmodi vitium vteri, ſi id naturale fuerit, perpetuam menſtruorom ſuppreſſionem oriri, niſi quis accommodatis medicamentis longóque tempore illum ad meliorem habitum transferat. Huic affectui proportione reſpondet compreſſio vteri, quæ ex vaſis illi circumiacentibus contingit, cum videlicet corpus immoderatè craſſum euadit. Quæcunq; prætee naturam craſſæ non concipiunt vtero, iis omentū vteri os comprimit, & priuſquam eatenuentur non concipiunt 5. *aph.* 46. Sic ſi vteri os diſtortum aut peruerſum fuerit, ſi aliquo callo, carne, pinguedine obductum fuerit, ſi vterus non fuerit peruius & apertus quod iis mulieribos contingit quæ imperforatæ dicuntur, de quibus Aëtius quoque mentionem facit *lib.* 16. *c.* 98. Ita ergo propter hos aut ſimiles morbos ratione vteri menſtrua ſupprimuntur. Diximus de morbis in mala compoſitione.

Secundò occurrunt morbi in intemperie, qui, vt puto vos non ignorare, varij ſunt: & ſimplices, & compoſiti, & cum materia, & ſine materia, quibus omnibus poteſt vterus laborare: partim natura & primo ortu, partim præter naturā, & temporis progreſſione, ſicut de duritie & denſitate diximus. Et ſi quis quærat qualeſnam vteri intemperies ſint in cauſa ſuppreſſionis menſium, huic ſolus reſpondet Auic. *tract.* 3. *c.* 15. intemperies ſimplicis frigidam aut ſiccā, compoſitas calidā, & ſiccam, frigidam & ſiccam principem locum obtinere. Et cum de intemperię frigida & ſicca, vel ſimplici vel cópoſita manifeſta ſit ratio quamobrem menſes ſupprimantur: dubium videtur, quomodo intemperies calida hoc ipſum poſſit efficere; ſi quidem fatentur omnes, calorem poſſe omnes meatus rarefacere, aperire, ſanguinem fluxibiliorem reddere, & ita potiùs menſes prouocare, quàm ſupprimere. Pleriq; omnes hac in re multum laborant, & inter cæteros Mercurialis *lib.* 4. *c.* 1. *de morbis mulierum*, tres cauſas proponit, propter quas intemperies calida valeat menſes prouocare, quas ille inquit ab Auic. propoſitas fuiſſe. Sed cum ego attentè non ſemel Auic. legerim, nullam apud ipſum cauſam potui reperire: imò verò niſi prorſus fallor, neq; id ab Auic. traditum eſt, intemperiem vteri calidam menſtrua ſupprimere, id quod nec fortaſſe vlla ratione fieri poteſt: quin Auic. ſcribit ſimplices duntaaat intemperies, frigidam & ſiccam, compoſitas calidam & ſiccam, frigidā & ſiccam ſuppreſſionis menſium cauſas eſſe: adeo vt certum cuique eſſe poſſit, apud Auic. minimè intemperiem calidam ſimpliciter, ſed calidam ſimul & ſiccam poſſe menſtrua retinere. Quod quidem rationi maaimè conuenit, neq; vllam difficultatem continet: ſiquidem huiuſmodi intemperies non quidem ſimpliciter calida, ſed calida ſimul & ſicca facile poteſt vterum denſiorem & duriorem reddere, totum ſanguinem abſumere, & hac ratione menſtruam purgationem impedire.

Deinde ſunt morbi in intemperie cum materia, qui pariter ſumma cū ratione poſſunt menſes ſupprimere, quos quidem morbos ego interpretor inflammationem, ſcirrhum, cancrum, & alios tumores præter naturam. Etſi non ignoro omnes propemodum medicos noſtrorum temporum de morbis ea intemperie cum materia aliter ſentire, de quibus aliàs commodiore loco tractabimus.

Poſtremò ſunt morbi in ſoluta vnitate: quales ſunt vlcera, abſceſſus, fiſtulæ, & ſimiles, quibus ſi vterus laboret, facile eſt intelligere, quomodo menſtrua poſſint impediri & retineri. Atq; hactenus de ſuppreſſione menſium propter vitium vteri. Verùm placet Galeno, huiuſmodi ſuppreſſionem menſium, non ſolùm propter vitium vteri, ſed etiam propter vitium vaſorum, quę ad vterum pertinent, poſſe prouenire, idq; potiſſimùm fieri ſolet, quotieſcunque hæc vaſa anguſtiora ſunt reddita, quàm vt per ea ſanguis poſſit penetrare, quo quidem vitium poteſt cootingere, aut in prima generatione & natura, aut progreſſione temporis, vel inducta aliqua intemperie, præcipuè verò frigida & ſicca, vel facta aliqua obſtructione, ſicut de ſuperioribos qooque morbis diximus.

Secunda cauſa ſuppreſſionis menſium poſita II.
fuerat, à Galeno, vitium materiæ & ſanguinis: quando nimirum id quod vacuatur, vel craſſum, vel glutinoſum fuerit, vt propterea ad fluaionem ineptum reddatur, quod contingit frequentiſſimè. Quæ quidem humorum craſſities & viſciditas, & propter alimenta, & propter alias multas cauſas poteſt contingere, de quibus ſæpe diximus in publicis lectionibus.

Tertia cauſa propter quam mulier interdum ni- III.
hil purgatur, eſt culpa totius corporis quod cógruā ſanguinis copiam ad vterum non tranſmittit. Id quod tripliciter fieri poteſt: vel propter multas exercitationes, vel ob tenuem victum, vel proptec inclinationem humorum ad alias partes; ad quem modū mulieres multis laboribus & exercitationibus deditæ, quales apud Aëtiū *lib.* 16. *c.* 51. ſunt cantatrices, ſaltatrices, ruſticæ, & quæcunq; calidius & ſiccius temperamentum habent, vt proaimè ad virilem naturam accedant, vel parum, vel nihil purgari conſueuerunt; ſiquidem in huiuſmodi mulieribus calor naturalis robuſtus eſt, vt propè concoquat alimenta, nec non digerat ac diſſipet, quæcuoque excrementa in concoctionibus relinquuntur: vt propemodum ſanis & robuſtis viribus contingere ſolet. Sic mulieres quæ tenui victu vtuntur: ſiue volentes, vt religioſæ & diuino cultui deditæ quæ frequentibus ieiuniis & inedia prærer modum ſe macerant & extenuant: ſiue nolentes, vt quæ graui alimentorum & rerum omnium inopia laborant, omnes autem nullos aut modicos raroſque menſes habere, quod hac ratione paucus ſanguis & pauca excrementa generentur, quibus deficientibus,

deficientibus, vt menſtrua quoq; deficiant, neceſſe eſt, de qua te videatis locum notabilem apud Gal. *de ſect. vena aduerſus Eraſiſtrat. c. 3.* qui diſputans aduersùs medicos illius ſectæ, qui volentes prouocare menſtrua prætermiſſa ſectione venæ mulieres exquiſita inedia macerabant, illos acriter reprehendit propterea quòd etiam purgationes, quæ inculpatè fluebant, ex toto ſupprimant; ſiquidem, ille inquit, *ſanguis alimentorum inedia areſit, & denſior ſe ipſo redditur, eamque ob rem ad fluendum ineptus euadit.* Ad tenuitatem victus puto referri poſſe vigilias, profundas cogitationes, mœrores, omneſque vehementes animi perturbationes, ex quibus certũ eſt ſpiritus ſanguinemq; abſumi, ac ferè idem fieri, quod ex tenuiore victus ratione fieri diximus. Ad quem modum videmus frequentiſſimè mulieres religioſiſſimas, viduas & cæteras; quæ moleſtis cogitationibus, vigiliis, triſtitia, laboribus, doloribus aſſiduè torquentur & cõficiuntur, ſuppreſſione menſium laborare. Si tertiò quoq; humores ferantur ad alias partes, minimè ad vterum, mulieribus menſtrua ſupprimuntur, Exempli gratia, ſi ſanguis per nates, per hæmorrhoidas profluat, ſi quæ mulier laboret frequenti vomitu, fluxione alui, nimio ſudore, aut alia ſimili vacuationis ratione. Ad quem modum collegit Hip. 5. *aph. 29. mulieri, quæ in mammis lac habet, nec ſit grauida, vel puerpera, mẽſtrua defeciſſe, quod ſanguis hoc tempore per vaſa cõmunia mammis & vtero, ad mammas tranſmittatur, atq; in lac tranſmutetur.* Ad quem modum mulieres propè omnes tempore lactationis planè menſtruis ſunt destitutę. Sic eleganter & diffusè demonſtrat Galen. 14. *de vſu part. c* 8. Quo loco vaſorum vtriuſq; partis, vteri & mammarum mirabilem ſocietatem & conſociationem declarat: quin Gal. docet vtraſq; huiuſmodi partes vteri & mammarum ad vnum perficiendum opus, nempe ad gignendum & nutriendum fœtum fuiſſe à natura inſtitutas, ac propterea vaſa vtriuſq; ita fuiſſe comparata & diſpoſita, vt vtriq; muneri poſſint ſatisfacere, adeò, vt quo tempore in vtero fœtus conformaretur & augeretur, illi ſoli venæ communes ea vtriſq; alimenta affunderent; quando autem fœtus natus fuerit, rurſum mammis totum alimentum affluat. Ex quo factum eſt, vt eodem tempore menſtrua procedere nequeant & fœmina lactare, ſiquidem altera pars dum ſanguis ad alterã transfertur, ſicca ſemper relinquatur. Ad inclinationem humorum ad alias partes, nonnullæ quoq; excretiones, ſiue natura, ſiue arte comparatę mihi videntur poſſe referri. Exempli gratia, ſi quæ mulier laborat magna & difficili ſcabie, vlceribus totum corpus occupantibus, ſi plures habeat fonticulos, ſi frequenter illi ſanguis mittatur ea venis potiſſimùm ſuperioribus: ea quib. ſi mittatur ſanguis ſpeciatim docet Gal. *de ſang. miſſ. c.* 12. & 18. 2. *ad Glaucon. c.* 7. 5. *meth. c.* 3. menſtruas purgationes impediri, ſi mulier demum aliquo purgante medicamento familiariter vtatur, vt multæ facere ſolent. Etenim hæc omnia & alia, ſi quæ ſunt id genus, ſumma cum ratione poſſunt ſanguinem ab vtero reuellere aut deriuare, aut ad alias partes tranſmittere.

Quarta cauſa ſuppreſſionis menſium apud Gal. eſt ratione virium, tametſi huiuſmodi cauſam ab omnibus pretermitti video. Nam præter cæteras cauſas modo poſitas fieri poteſt, vt vires ſint debiliores, quã vt poſſint ſanguinem ad vterum deducere & tranſmittere, ſicuti euenit conualeſcentibus & debilibus mulieribus, quibus tamdiu detinentur menſes, quamdiu illæ vires acquirunt ac fiunt robuſtiores: pariter poteſt contingere, vt propter robuſtas vires facto impetu ſanguis ad alias partes irruat, & ita purgationes per vterum impediantur. Itaque tot & tantæ ſunt cauſæ ad mẽtem Galeni ſuppreſſæ vel imminutæ purgationis menſtruæ, ad quas, vt ſupra diximus, facilè omnes mihi videntur poſſe referri, ſiue internæ ſiue externæ, quæcunq; ab aliis poſſent excogitari.

Tractabamus de ſuppreſſione menſium, & abſolutæ ſunt omnes cauſæ, itaque id reſtat, vt ad ſigna progrediamur. Cum autem nullis ſignis opus ſit, ac ſola ægrotæ relatione intelligamus, menſtrua ſuppreſſa aut diminuta eſſe: ſtatim ad ſigna deueniendum eſt, quæ ſingulas differentias & cauſas demonſtrant. Quoniam verò differentiæ & cauſæ ſuppreſſionis menſium quæcunq; accidunt aut culpa totius corporis, aut propter robur vel debilitatem virium, de quibus poſtremo loco diximus, facilè poſſunt intelligi ex proba vel improba corporis & partium conſtitutione, ea præcedentibus morbis & ſymptomatibus, ex vitæ inſtituto, & aliis id genus communibus quibuſdam locis: de quibus foret longiſſimum forte etiam ſuperuacaneum copioſius agere: idcirco mihi libet de illis tantùm ſignis agere, quæ duas priores cauſas nempe vitium vteri & vaſorum, nec non ſanguinis poſſent demonſtrare: ſiquidem huiuſmodi cauſæ & differentiæ, ſicut accidunt frequentiſſimè, ita etiam ſunt reliquis maioris momenti, vnde etiam mihi propoſitum eſt de iis tantùm curationem tradere.

Itaque ſi menſtrua ſupprimantur vitio vteri, quem diximus poſſe laborare omni genere morborum, id eſt, ſi morbus fuerit in mala compoſitione, vt ſi os vteri diſtortum ſit aut peruerſum fuerit, ſi propter aliquod impedimentum illud ſit clauſum aut imperforatum, cuiuſmodi fere morbi ſolent eſſe naturales: ſed vtcumq; ſit, tunc mulieres perpetuò menſtruorum ſuppreſſione laborant, ac planè ſteriles redduntur. Atque ij quidem morbi tactu potiſſimùm obſtetricis videntur poſſe reprehendi, vt colligitur ex Gal. 6. *loc. ad finem.* Etſi neq forte defuturæ ſint quædam coniecturæ, quæ huiuſmodi morborum aliquam ſignificationem facere poſſunt. Exempli gratia, ſi mulier in coïtu nullam delectationem accipiat: imò etiam dolore & moleſtia afficiatur, ſi os vteri à partibus circumiacentibus comprimatur, vniuerſum corpus & plenius & craſſius apparebit. Deinde verò ſi vterus laboret intemperie ac primùm frigida, & quod contingit frequentiſſimè in hoc caſu, mulier minimè erit appetens coïtus, nullamque in eo voluptatem percipiet, aut nunquam aut rariſſimè, & non niſi tardiſſimè ſemen emittet, corpus vniuerſum minimè bene coloratũ, ſed albidius. Præterea verò torpidum & frigidum euadet pulſuſq; erunt rariores, ſomni longi & profundi, omnia excrementa, lotia, egeſtiones & cætera frigiditatem ſolent atteſtari. Huiuſmodi mulieres iuuantur à rebus calidis, læduntur à frigidis Si vteri intemperies fuerit ſicca, ferè totum corpus erit emaciatum & ſiccatum, omnes venæ quodam modo inanes & vacuæ apparebunt. Excrementa omnium partium erunt pauciora & ſicciora, præceſſere vigiliæ, labores, inſignes euacuationes & ſimilia, quæ valent totum corpus & partes exſiccare, huiuſmodi mulieres à rebus humidis bene habent, à ſiccis offenduntur.

Modò reſtant duæ intemperies compoſitæ, calida & ſicca, frigida & ſicca, quæ ex ſignis ſimplicium intemperierum facilè poſſunt colligi, vt pluribus non ſit opus. Quod ſi demum fiant intemperies cum materia, hæc generali veluti quadam grauitate & pondere poterunt cognoſci, ſicuti altera ex parte intemperies ſine materia omnis grauitatis & ponderis ſolent eſſe immunes. Speciatim verò; ſi vterus laboret vel eryſipelate, vel cancro, vel alio tumore præter naturam, ex propriis ſignis cuiuſque

Digitized by Google

que morbi licebit in eorum cognitionem deuenire, quod item de morbis in ſoluta vnitate ſtatuendum eſt. Sed ad alteram rationem laborantis vteri accedamus: ſi vaſa quæ pertingunt ad vterum reddantur anguſtiora, quàm vt per ea mẽſtrua trãſire poſſint, ſiquidem id fiat propterea quòd illa ſint obſtructa, cum obſtructiones, Gal. auctore, fiant vel nimia copia, vel mala qualitate humorum, licet huiuſmodi obſtructionis ſigna colligere, quæ vel copiam, vel vitium hmorum ſignificant, vel plenitudinem, vel cacochymiam, ex habitu corporis & ex temperamento, ex præcedente victus ratione, & cæteris id genus, de quibus ſæpe diximus. Vtcunq; autem huiuſmodi vaſa vteri vel copia vel vitio humorum obſtructa fuerint, mulieres circa regionem vteri, & partes proximas inſolitam quandam grauitatem ſolent percipere, quam retenti humores ſiue multi, ſiue vitioſi tanquam ſuperfluum pondus iure ſolent excitare. Sin autem ſine obſtructione vaſa reddita ſint anguſtiora, aut natura & primo ortu, aut deinceps tractu temporis, quod potiſſimùm diximus fieri inducta aliqua intemperie ac potiſſimùm frigida & ſicca, quæ ſigna iam diximus eiuſmodi intemperies in vtero ſignificare, eadem quoque ad vaſa & ad hunc locum referenda ſunt.

Reſtant igitur ſigna quæ, demonſtrant vitium eſſe in ſanguine, vel materia fluente ad vterum, cuius occaſione menſtrua ſupprimuntur. Cum autem Gal. doceat id non aliter fieri quàm ſi id, quod vacuatur vel craſſum, vel glutinoſum fuerit: ex iis, omnibus licebit huiuſmodi ſanguinis vitium colligere, quæcunq; ex temperamento, ætate, habitu corporis, ex præcedente victus ratione, ex excrementis vel aliter frigidioris & craſſioris ſanguinis copiam poſſunt ſignificare, præterquam quod ex grauitate vteri & partium proximarum forte etiam vniuerſi corporis, & aliis id genus ſymptomatibus licebit id ipſum confirmare. Atque hactenus de ſignis. Itaque nihil aliud reſtat, quàm vt curationem aggrediamur.

Cum plurimi ſint affectus præter naturam, & illi quidem grauiſſimi, qui ſequuntur ſuppreſſionem mẽſtruorum, quorum nonnulli ad ipſum vterum, nonnulli ad cerebrum, cor, ventriculũ, & cæteras principes corporis partes prope omnes, nonnulli demum ad corpus vniuerſum pertinent, quibus partibus & vniuerſo corpori certum eſt, vterum mirabiliter & frequentiſſimè conſentire, de quibus affectibus ſequẽtibus ſuppreſſionem menſtruorum Auic. peculiare caput inſtituit *lib. 3. fen. 21. tract. 3. c. 26.* Galen. item *lib. 9. de loc. affect. 5. aph. comment.* 57. 3. *Prorrheticorum com.* 31. *de ſect. vena aduerſus Eraſiſtrat. c.* 1 & 3. Hip. *de morbis mulierum diffuſè*, propterea in curatione huiuſmodi morbi neceſſe eſt medicos ſummum ſtudium & diligentiam adhibere. Et ſi verò vt diximus, variæ ſint differentiæ, pro variis cauſis ſuppreſſionis mẽſium, quibus diuerſa quoque curandi ratio videtur conuenire, veruntamen ad totam huiuſmodi curationem duo communes ſcopi mihi videntur poſſe referri, quorum alter vniuſcuiuſq; cauſę rationem habeat, alter in eo verſetur, vt ſanguis reddatur fluxilis, & menſtrua prouocentur. Sed antequam curationem & particularia remedia aggrediamur, videndum eſt, num liceat propoſitis ſcopis ſatisfacere, nec ne, facile, an difficile, breui an tardè: vno verbo, quid medicus ſibi vel aliis de ſuppreſſione menſium poſſit promittere. Fuit ſententia Hipp. 1. *de morbis mulierum*, (pag. 311. codice Baſilienſi latino circa principium paginæ) *Si menſtrua ſupprimantur ſex menſes, illa non amplius prouocari, & malum fieri incurabile.* Altera autẽ ex parte apud eundẽ Hip. 4. *Epidem.* 91. legimus hiſtoriam cuiuſdam ancillæ. cui 7. annos retenta fuerint menſtrua, quæ demum redierunt. Vnde illa priſtinum habitum bonum & ſanitatem recuperauit. Sic habemus alteram hiſtoriam 5. *Epidem.* circa principium, vxoris Gorgiæ in Lariſſa, cui menſes fuerunt ſuppreſſi per 4 annos, qui deinceps redierunt, & illa priſtinæ ſanitati fuit reſtituta. Sic haberis hiſtoriam apud Gal. 6. *Epidem. ſect.* 3. 29. illius mulieris emaciatæ, cui menſes octo menſtrua defecerant, cui ſanguinem miſit copioſiſſimè: & vt finiam, experientia confirmat quotidie, nonnullas mulieres quibus vltra ſex menſes menſtrua retenta ſunt, ſanati. Ego verò cenſeo nullũ certum iudicium de hac re fieri poſſe, ſed pro varietate mulierũ, ætatis, habitus corporis, ſtudiorum vitæ, ſed ante omnia pro varietate cauſarum, propter quas menſtrua ſupprimuntur, nonnullas mulieres facilè, quaſdam difficilè, alias nulla ratione ſanari poſſe. Atq; vt vos quoque æquiore animo feratis, ſi mulieres ſe aliquando vobis offerant, quib. nullis remediis & rationib. poſſitis menſtrua prouocare, ſciatis neq; diuinum Hip. ſemper præſtare potuiſſe, qui ſcribit in fine *lib. 6. Epidem.* fuiſſe duas mulieres alterã Phætuſa Pytheæ coniugem, alteram Namyſiam Gorgipi vxorem, quibus cum menſtrua multo tempore feciſſent, atq; ille ſimul cum aliis medicis omnia feciſſet, quæcunque fieri potuerunt pro eorum prouocatione, tamen illa nunquam rediiſſe, & vtramq; non multo poſt mortuam fuiſſe. Sed ad inſtitutã curationem redeamus.

Indicationes ſeu ſcopi communes curationi.

Prognoſticũ.

Curationis præſidia.

Diximus duos eſſe communes ſcopos, quibus vniuerſa ratio curãdi ſuppreſſa menſtrua, videtur contineri. Ac primus fuerat, vt ſingularum cauſarũ habeatur prouidentia, propter quas cõtingit ſuppreſſionem menſtruorũ fieri. Secundus verò, vt ſanguis præparetur, & ad fluxionẽ idoneus reddatur. Quoniam verò quod ad primũ ſcopum pertinet, ſi velimus ſingulas cauſas perſequi, hæc vna tractatio tã foret prolixa, vt cęteris tractandis mulierũ affectib. tempus non vacaret, idcirco vt ſæpe diximus, mihi ſtaturũ eſt de illis tantũmodo cauſis agere quæ cæteris ſunt frequentiores & maioris adiumenti; illæ verò ſunt cũ menſtrua ſupprimuntur, vel per vitiũ vteri, vel ſanguinis vitiũ. Et cũ vterus multis quoq; morbis poſſit laborare, vt ſupra diximus, partim natura & primo ortu contractis, partim tractu temporis acquiſitis, de quibus pariter foret longiſſimũ verba facere: cæteris omnibus prætermiſſis cum potiſſimum quamplurimi nullam curationem recipiant, mihi libet de ea ſuppreſſione menſium, atq; illius curatione verba facere, quæ vel propter intẽperiem & vaſorum ad eum pertinentiũ, vel propter vitium ſanguinis ſolet oiri. Itaq; em aggedior.

Intemperies, quæ potiſſimùm ſunt in cauſa ſuppreſſionis menſium, ſtatutæ ſunt cum Auic. duæ ſimplices: altera frigida, altera ſicca: duæ compoſitæ, altera calida & ſicca: altera frigida & ſicca. Incipiamus nos à ſimplici intẽperie frigida: & quoniam illi ferè ſemper coniungitur vitium ſanguinis, qui in huiuſmodi intemperie facilè craſſior & glutinoſior redditur, quàm vt fluere poſſit, non alienum fuerit has duas cauſas coniungere, ac de vtraque ſimul pertractare, cum pariter ambæ à ſuo ortu ferè proueniant, adeo vt intemperies vitium ſanguinis, & vitium ſanguinis intemperiem maximè ſoleat iuuare & augere. Indicationes curandi ferè ſunt manifeſtæ. Vterus nec non vaſa ad vterum pertinentia laborant intemperie frigida, ergo illa calefacienda ſunt. Sanguis in vtero & vaſis contentus craſſior eſt, glutinoſior, & ad fluxionem ineptus. Ergo oportet illum attenuare, & incidere, & ad fluxionem idoneum reddere. Sed quoniam ex cõmuni methodo nunquẽ licet ad hæc

particularia

particularia deuenire, niſi primum habeatur ratio vniuerſi corporis: idcirco antè omnia de corporis vacuatione communi cogitandum eſt. Si quis enim ſtatim in principio nulla præcedente generali purgatione velit iis vti præſidiis, quę poſſint intépeſtiué auferre, humores præparare, & méſes prouocare, is prorſus nihil proficiet: imò verò & morbũ & cauſam morbi deteriorem efficiet, & totam curationem reddet difficiliorem. Verùm ad particularia pręſidia veniamus. Cum ſuppreſſio menſium non ſit morbus acutus, ſed det inducias, non modò licet, ſed etiam maximè opportunum eſt & vtile primo loco aluum lenire, quod quidem fieri poteſt dupliciter. & clyſteribus & medicamentis.

Ergo ſint clyſteria moderata, id eſt, quæ valent moderatè calefacere & flatus diſſoluere. Et ſit exemplum.

ſem. aniſ. fol. vn cal. drac. iiij. vel ad iß vnc. j ſuffi. cit ℞ *Flor. chamameli, vthemiſ ana. M. ſ.*
Sem. aniſi, fænic ana ℥ j. F. decoctio.
℞. *Prædict. decoct lib. j.*
Ol. chamamel ſacch. rubri ana ℥ iij. M. pro clyſt.

Non drach. iij. ſed vnc. iij vt omnib prae. apparet legendum. Sed medicamenta longè maiorem & vtiliorem operam præſtát, inter quæ teſtimonio Gal *de ſang. miſſ* & cóſenſu omnium hiera principem locum obtinet, quòd illa poſſit non ſolùm purgare excrementa, quæ in ventriculo. & primis viis continentur, ſed etiam craſſos humores attenuare, incidere, ac reliquas partes tum maximè vterum calefacere & iuuare: & quomodo hiera ſola & ſimul cum aliis medicamentis poteſt adminiſtrari, habetis exempla. Exemplum hieræ ſolæ:

℞ *Spec. hier. ſimp. ℥. iij.*
Cum melle roſato q. ſuf. miſ. fiat bolus.
℞ *Spec. hier. ſimp ʒ. ij.*
Et ſem. cum ſyrupo de betonic. q. ſ. miſc. F. bolus
Item.
℞ *Mellis roſati ſolutiui ʒ. iij.*
Decoctionis ſeminũ citrꝫ parũ miſ. F. potio, quæ ſtatim poſt hieram accipienda eſt.
℞ *Spec. hier. ſimp. ʒ iij.*
Elect. lenitiui, vel flor. caſſiæ nouiter extract. ʒ. vi.
Miſc. cum ſaccharo fiat bolus.

Nonnulli in mulieribus abhorrent vſum caſſiæ, ſed ſi ea permiſceatur cum hiera vel aliter corrigatur; tutò, mea ſententia, poteſt adhiberi: & ego vtrumque medicamentum, hierã inquam & caſſiã ſimul miſtam, familiariter ſoleo adminiſtrare.

Sanguinis miſſio. Lenita aluo ſtatim occurrit conſultatio de ſanguinis miſſione quæ multas continet difficultates. Ac primò Aëtius qui *lib. 16. c. 51.* ſcribit, mulieres quæ non purgantur ob plenitudinem, venæ ſectione curari, quaſi verò cæteris quæ carent plenitudine hoc remedium non conueniat. Cui opinioni fauent quamplurimi, qui generaliter docent, nunquam ſine plenitudine ſanguinem mittendum eſſe. Deinde ſunt alij, qui hoc remedium non probant, quotieſcunq; mulieres ex cauſis frigidis menſium ſuppreſſione laborãt de quibus agemus in pręſentia. Cui pariter opinioni fauent quamplurimi, qui in morbis tantum calidioribus & in copia calidorũ humorũ ſãguinis miſſioné ſolẽt probare. Aduersùs vtrãq; opinioné quã exiſtimamus falsã & à Gal. méte alienã eſſe, nolumus hoc tépore longius agere, qui id fecimus ex profeſſo & accuratiſſimè in diſputationib. editis. Quamobrem mea quidé ſententia ita agẽdũ eſt, in qualibet ſuppreſſione méſiũ quęcumq; illius fuerit cauſa, & quęcũq; fuerit humorũ copia & cõditio, ſectioné venę nõ modò vtilẽ, ſed etiã neceſſariã eſſe, dũmodo per vires & ętaté liceat huiuſmodi remediũ adminiſtrare. Etenim ſectio venę tot & tãtas vtilitates poteſt afferre, quę alioqui ſatis cuiq; poſsũt cõſtare, vt pro comperto habendũ ſit, ad prouocationé méſiũ nullũ magis accommodatum & efficax remedium poſſe inueniri. Ex quo factũ eſt, vt Auic. Paulus & omnes probati auctores & veteres & recentiores, ſed prę cęteris Gal. *lib. de ſang. miſſ.* generaliter in ſuppreſſione méſium ſectionem venę non modò probent, ſed etiam cæteris omnibus remediis anteponant.

Eſt celebris & diu agitata difficultas de loco, vnde liceat ſanguinem mittere in ſuppreſſione menſium. Namq; ex vna parte Aet. *lib 16. c 57.* iubet mulieri, quæ ob plenitudinem non purgatur, venas cubiti & cruris ſecandas eſſe. Ex altera autem parte Gal *de ſang. miſſ. c. 18.* tradens rationem generalem mittendi ſanguinis, ſecundùm varias corporis partes ita ſtatuit, partes infra thoracem poſitas, quales nominatim recenſet veſicam & vterum ſectione venarum in poplite, malleolis iuuari: ſed magis ad rem manifeſtè & expreſsè *cap. 11. &* 19. docet mulieribus, in quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, venas in cruribus ſecandas eſſe, minimè in cubito. ſiquidem ſectis venis in hac parte ſuperiore ſanguis ab vtero retrahitur & menſtruæ purgationes retinentur. Plerią; multum laborant, vt has duas repugnantes opiniones Aetii & Galeni inter ſe concilient. Altimarus *c. proprio 107.* inquit Aetium magnam ſuppoſuiſſe plenitudinem. Cum autem magna plenitudo copioſa vacuatione indigeret, neque eam vires aut reliqua poſſent perferre, propterea de illius ſententia, primò venas cubiti, deinde venas cruris ſecandas eſſe, vt ex vtriſque tanta ſimul poſſit copia ſanguinis vacuari, quãtum vnica ſectione plenitudo requirebat: Galenum verò ex vna parte non adeo magnam plenitudinem inſpexiſſe, ex altera parte vires robuſtas in mulieribus plenitudine laborantibus ſuppoſuiſſe, & hac ratione ſectionem venarum inferiorum probare, qui demum inquit ſententiam Galeni, ſectas venas in cubito mulierum purgationes reuellere, veram eſſe & recipiendam. vbi poſt eas venæ inferiores non incidantur. Trincauell. longiſſimam de hac re diſputationem facit, quam vobis licet apud ipſum videre *lib. 10. de morb. cap. 4. lib. 3. Conſiliorum, conſilio 70.* Summa autem eſt huiuſmodi, facile hanc litem poſſe dirimi, ſi conſideremus morbum varia ratione curari, ſi ille ſolus fuerit, vel ſi ille coniungatur cum altero morbo, qui tanquam cauſa priorem morbum fouet, vel maius periculum poſſit afferre Vnde ſi quis conſideret ſolùm menſtruorum ſuppreſſionem, tunc certum eſt, ſanguinem ad vterum conuertendum, minimè ad alias partes reuellendum eſſe, ac propterea venas inferiores, minimè ſuperiores, fore incidendas. At verò, ſi quis conſideret, non ſolùm méſtruorum ſuppreſſionem, ſed eam quoque à totius corporis plenitudine foueri, tunc rationi conſentaneum eſſe vt ſanguis potiùs ab vtero auertatur, quàm ad illum conuertatur, ac propterea potius ſectionem venarum ſuperiorũ, quàm inferiorum conuenire. Itaque Trincau. concludit Galen. priorem curandę ſimplicis affectionis rationem, Aetium poſteriorem ſecutum fuiſſe, & vtrumq; bene ſentire nec alterũ alteri contradicere. Trincauellio atque huic opinioni fere conuenit Franciſcus Valeſius *lib. 2. meth. med. c. 14.* Ludouicus Mercatus celeberrimi nominis vir. Hiſpanus, qui de affectibus muliet. 4. lib. cóſcripſit, ita ſtatuit lib. 1. c. 9. redũdante ſanguine in toto corpore adeo vt obſtructioné in vtero aut vicinis partib efficiat, à diſtãtiſſimis partib. ab ea quę affecta aut obſtructa eſt, reuellendum eſſe cum Aetio, & ita ſuperiores venas ſecandas eſſe: at verò ſanguine redundante in ipſo vtero aut in toto corpore, propter obſtructionem vteri ipſius ex venis inferioribus ſanguinem mittendum eſſe cum Galeno. Alij forte aliter ſentiunt.

Cæterùm, vt liberè dicam, Altimar. Trincauel. Mercatus & quicũq; illis conſentiunt hac in parte huius rei mihi videntur malè ſentire. Atq; vt id prętermittam quod illi temere & fruſtra conãtur Gal. & Aetium conciliare, qui ad nullã cõcordiam poſſunt adduci, ni equidem fallor, omnes eorũ cogitationes ſunt inanes, & multos errores continẽt. Ac primùm voluntaria ſunt quæcunque Altimar. cõminiſcitur de maiori ac minori plenitudine, de robore vel debilitate viriũ, de repetita ſanguinis miſſione, quæ plenitudini reſpõdeant; ſiquidẽ tam certũ eſt quã quod certiſſimum, neq; Gal. neq; Aetiũ de iis ne verbum quidẽ feciſſe, aut quicquã cogitaſſe. Sic interpretatio ſententię Galeni & Altimari inepta eſt, quaſi verò non Gal. abſolutè & ſimpliciter variis in locis doceat, ſectionem venarum ſuperiorum menſtrua ſupprimere, neq; aliquãdo voluiſſe eam limitationem adiungere, quæ placet Altimaro, id nempe verum eſſe, niſi poſterius venæ inferiores incidãtur. Deinde verò quãtum opiniones quoq; Trincauellij & Mercati ſint abſurdæ, & à Galeni mẽte alienæ, facile cõſtabit, ſi primùm Galeni & rationes & doctrinã intelligamus. Itaq; Gal. cũ proximo ſuperiore loco docuiſſet, quidnã medico faciendũ ſit, ſi ex retentis menſibus & hæmorrhoidibus ſanguis in corpore fuerit conſeruatus, *c.* 11. docet, quidnam agendum ſit in mulieribus quibus menſtrua purgatio ſuppreſſa eſt. Huius doctrinæ ſumma eſt huiuſmodi: In his vacuationem minimè prorogandam eſſe, quanqoam venam incidere non eſt neceſſe, cũ ſcarificationes malleolorum ad vacuãdum quod ſuperuacaneum eſt, ſufficere aliquando poſſint. Quę quidem ſcarificationes aliud quoque habent commodum, nẽpe quòd mẽſium motum concitent, quemadmodũ etiã in malleolis & poplitibus ſectæ venæ faciunt, quippe, inquit Galenus, *plenitudines à retẽtis mẽſibus ortas ex cruribus õnino vacuatis ſiue incidere venã, ſiue ſcarificare oportea, etenim ſanguinis miſſio ex cubito purgationes muliebres reuellere cõſueuit* Hęc. Gal. *cap.* 11. ſic *poſteriore c.* 19. tradens rationem varias venas ſecandi pro varietate partium laborantium, de retentis hæmorrhoidibus ac menſtruis ita ſtatuit: *ſi propter retẽtas hamorrhoidas velimus ſanguinem mittere, ſiquidem eas velimus cohibere venas quæ ſunt in manibus: ſin autem velimus eas prouocare, venas quæ ſunt in cruribus ſecandas eſſe. At verò in quibus ſunt ſuppreſſa menſtrua, ſemper inquam, ſemper ſanguinem ex inferioribus mittendum eſſe.* Cuius variæ curationis rationem reddit, quoniam non ita ſe res habet in menſtruis & hæmorrhoidibus. Namque menſtrua purgatio, cum ſit naturalis, nullum periculum affert, & propterea nulla mulier cupit ab eiuſmodi vacuatione liberari. In hæmorrhoïdibus autem ſi vacuatio ſit præter naturam, nonnullæ quidem cupiunt eas habere, nonnullæ autem liberari eiuſmodi vacuatione volunt, à qua periculum imminet aliquando, ne homo ad malum corporis habitum, ad hydropem, & ad interitum deducatur. Itaq; inquit Galenus, in iis in quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua ſemper venas, quæ ſunt in crurib. incidere oportet. Ex his duobus locis Gal. manifeſtiſſimè licet intelligere quamobrem Gal. in ſuppreſſione menſium nunquã velit venas brachij, perpetuò venas cruris ſecandas eſſe, nimirũ quòd venæ ſuperiores mẽſtruas purgationes, cohibeant, inferiores verò præſtent, & vacuationem plenitudinis & prouocationem menſium. Quod ſi ita ſe res habet, tute mihi videor dixiſſe Altim. Trin. Mercatum temere ac fruſtra laborare, vt Aëtium & Galen. concilient, qui conciliari nullo modo poſſunt, omneſque eorum cociliatiooes inanes eſſe ac multis erroribus ſcatere. Etenim qui generaliter docet omnem plenitudinem ex ſuppreſſis menſibus ortam, omnino ac ſemper ex cruribus, nunquam ex brachiis vacuandam eſſe, quod facit Gal. minimè poteſt alteri conuenire, qui docet quandoq; ex brachiis ſanguinem mittendum eſſe, quod facit Aetius. Hæc ſunt contradictoria nec ſimul poſſunt conſiſtere. Pariter eſt intelligere, quantum ſingulæ iſtorum hominum reſponſiones à ſcopo aberrẽt, & multas abſurditates contineant, de quibus mihi videtur ſuperuacaneum longiùs agere. Cum igitur in hac re Gal & Aetius diſſentiant, & vterq; habeat ſuos ſequaces, id nunc reſtat, vt videamus, vtri meliùs ſentiant, & quidnam medicos in menſium ſuppreſſione agere oporteat, cum res ſit longè maximi momenti, & ad probam curandi rationem maximè pertineat.

Propoſita eſt difficultas de loco vnde oporteat in ſuppreſſione menſium ſanguinem mittere: propoſita eſt aduerſaria ſententia Aetij & Galeni: propoſitæ ſunt reſponſiones & conciliationes variorum auctorum: nunc reſtat videndum vtri melius ſentiant. Ego verò ſentio ſententiam Galeni ſententię Aetij & cæterorum omnium longè anteponendam eſſe, & qooniam deciſio huius controuerſiæ tota videtur dependere ex oatura ex vi ſectionis venarum brachij & cruris, videndum eſt, quid vtraque valeat, & quas vires obtineat.

Galenus inquit, venam ſectam in brachio reuellere menſtruas purgationes, venam ſectam in crure vacuare plenitudinẽ, & mẽſes prouocare. Alteri autem quatenus pertinet ad venã brachij, fatentur quidem ſectionem huiuſmodi venæ reuellere ab vtero, ſed ea limitatione, quæ fuerat Altimari, niſi poſteriùs venæ cruris aperiantur: quatenus autem pertinet ad venam cruris, hanc fatentur vt puto, menſtrua prouocare, ſed negant plenitudinem ac potiſſimùm inſignem euacuare. Sententia Galeni rei naturæ videtur planè conuenire, quia res ipſa demonſtrat ſectionem venæ ſuperioris fluxionem ſanguinis ab vtero reuellere & impedire: ſectionem autem venæ inferioris fluxionem ſanguinis ad vterum trahere & conuertere. Et quatenus pertinet ad plenitudinẽ nõ puto eos negare ſectionem inferioris venæ de ſententia Galeni, eam vacuare poſſe, qui id teſtatur, tam apertè & tot locis, non ſolùm de ſectione venæ, ſed etiam de malleolorum ſcarificatione, vt nullus de hac re dubitationi locus videatur ſupereſſe. Sed fortaſſe illud ſimpliciter negãt quicquid Galenus ſentiat, quod multi hoc tempore audent facere: quàm bene autem, ipſi viderint. Quid enim prohibeat cur ſecta vena & ea quidem magna, quales ſunt venæ crurum, non totũ corpus, & quælibet plenitudo poſſit vacuari? Alteri autem contẽdentes ſectionem venę ſuperioris non reuellere ab vtero dummodo poſteriùs aperiantur venæ inferiores, ſua ipſorum reſponſione redarguuntur. Siquidem manifeſtè fatentur ſecta vena brachij menſes impediri, vt propterea opus ſit altera ſectione venę inferioris quę huiuſmodi impedimentum poſſit auferre. Verùm ſicuti docent Theologi, non eſſe facienda mala, vt eueniant bona, ita equidem puto, nũquam homini à medico malum inferendum eſſe, vt deinceps illi ſuccurratur, præterquam quod nõ ſẽper in noſtra poteſtate poſitũ ſit, huiuſmodi malũ corrigere, cum fieri poſſit, vt magis valeat ſecta vena ſuperior ad impediẽdũ, quàm altera inferior ad prouocãdũ mẽſtruas purgationes. Si quis verò eſt demum, qui his omnib. oon acquieſcat is quæſo fecũ reputet, an liceat aliquando mulieri pauperi, cum retenti ſunt menſes, venas ſuperiores incidere tametſi hęc mulier magna & ſumma plenitudine laboret. Neque enim puto aliquem tam infantem & inſanientem

eſſe

eſſe, qui id audeat aſſeuerare. Quòd ſi in ſuppreſſione menſiũ magna vrgẽnte plenitudine, per aduerſarios licet primùm ſuperiores, deinde inferiores venas incidere, idẽ quoque de mulierib. puerperis ſtatuẽdũ eſſe videtur, quod tamẽ exiſtimo neminẽ dicturum aut facturum eſſe. Itaque cócludo quicquid Aëtius & eius ſectatores ſentiãt, in ſuppreſſione mẽſiũ cũ Galeno nunquã venas cubiti, ſed perpetuò venas crurũ ſecãdas eſſe. Hunc locũ tractaui longiùs, quod ille mihi videtur longè maximi momenti, neque ſatis ab aliquo hactenus explicatus fuiſſe. Verùm cætera quæ reſtant perſequamur.

Quãdo mittendus ſanguis, & quã menſura.

Si quærat aliquis, quonam tempore & qua mẽſura ſanguinem mittere oporteat? Huic inter cæteros reſpõdet Paulus *lib. 3. c. 63.* quod pertinet ad tẽpus, decem dies poſt præſcriptum tempus menſiũ ſanguinem mittendum eſſe, quatenus verò pertinet ad copiã, nõ plus 2. lib. cum dimid. nec etiam minus 1. lib. ſanguinem fore detrahendum. Sed Paulus forte de vtraque re malè ſentit, ſiquidem tempus opportunum huic remedio illud potiſſimùm videtur cenſendum eſſe, quando natura conſueuit eiuſmodi purgationem aggredi. Cum enim certum ſit naturam hoc tempore moueri & conari, vt noxium excrementum deponatur, omnis ratio colligit & ſectionem venæ, & omnia præſidia, quæ hunc naturæ conatum poſſint iuuare, tunc opportuniſſimè adminiſtrari. Vnde ſunt nonnulli qui in ſuppreſſione menſium decreſcente luna ſanguinis miſſionem probant, quod ferè mulieres hoc tempore menſtruas purgationes ſoleant habere: quæ videtur fuiſſe ſententia Ariſt. *2. de gen. anim. c. 4. 4. de gen. c. 2.* qui ſcribit mulieribus menſtrua ſecundum naturam menſibus decreſcentibus fieri, quòd huiuſmodi tempus primo menſe frigidius ſit & humidius, idque propter lunæ decrementum & defectum. Nam quod ſol per totum annum hyemem æſtatem facit, idem per menſem luna videtur agere, quod quidem non acceſſu & diſceſſu lunæ ſicut fit de ſole, ſed increſcente & decreſcente illius luce contingit fieri. Quamobrem vt idem ſcribit Ariſtoteles *6. de hiſtoria animal. c. 2.* nonnulli ſexum fœmineum lunæ tribuunt, quod ſimul illa decreſcat, & mulier purgetur, moxq; ambo repleantur. Sic Galenus ſcribit lunam determinatum tempus menſtruorum in mulieribus conſeruare, *3. de diebus Criticis c. 2.* Quoniam verò, vt ſcribit Ariſtoteles loco citato *2. de gen. animal. cap. 4* & cõfirmat experientia, menſtrua in mulieribus nullo certo dierum circuitu definiuntur: præclarè Galenus mihi videtur hoc tempus ſtatuiſſe triduum aut quatriduum ante conſuetum mulieri circuitum quandocunque illud contingat, *de ſanguinis miſſione c. 18.* cum enim hoc tempore natura menſtruas purgationes appetat, nulli dubium eſſe debet, quin tũc ſecta vena ex vna parte medicus naturæ propenſionem iuuabit, vt ex altera medicus naturã adminiculantem ſit habiturus. Ad quem modum idem ſcribit Galenus, Medicos qui Romæ mulieribus medicabantur tempore quo eruptio menſtruorum expectabatur, venæ ſectionem vſurpare conſueuiſſe, vt propterea ego ſim neſcius quid Paulo in mentem venerit, cum velit die decima poſt præſcriptum muliebris purgationis terminum, ſanguinem mittendum eſſe, cum id tempus deficiente qualibet naturæ propenſione & conatu ad prouocanda menſtrua ineptiſſimum cenſendum ſit: etſi non ignoro nonnullos vt tueantur Paulum, quaſdam ſuas ſubtiles cogitationes proferre, quæ mihi ab omni ratione & probabilitate videntur alienæ. Sic ſententia Pauli de ſanguinis copia reiicienda eſt, quandoquidem licet mulieribus maiorem vel minorem ſanguinis copiam detrahere, pro varietate plenitudinis, pro qualitate ſanguinis, ætatis, temperamenti, corporis habitus, temporis anni, & ſimilium, vt nullo modo certa quædam menſura poſſit definiri: ad quem modum habetis hiſtoriam apud Galenum *6. Epid. ſect. 3. 39.* illius mulieris 8. menſes ſuppreſſione purgationis menſtruæ laborantis, cui ſupra tres libras ſanguinem miſit, atque illam breuiſſimo tempore in priſtinum habitum reſtituit. Cæterùm hoc loco minimè prætermittendum eſt Galeni præceptum, cuius ille meminit *de ſanguinis miſſione cap. 11.* nimirum: Mulieres quæ cæteris ſunt candidiores, ſanguinem magis tenuem coaceruare conſueuiſſe, ac propterea malleolorum ſcarificatione maximè iuuari: alteras autem, quæ nigriores ſunt, craſſiorem magis & melancholicum ſanguinem congregare, & idcirco ex ſectione venæ maiorem vtilitatem percipere, id quod eò magis faciendum eſt, ſi illæ magnas habeant venas cum ferè ſemper contingat, vt mulieribus graciliotibus & nigrioribus venæ magnæ, obeſis verò & candidioribus exiguæ venæ appareant. Itaque ſicut in nigrioribus præſtat venam incidere, quàm malleos ſcarificare, quòd craſſior eorum ſanguinis difficilè per ſcarificationem, commodè ſecta vena educatur: ita in calidioribus præſtat malleos ſcarificare, quàm venam incidere. Cum enim huiuſmodi mulieres venas in cruribus habeant exiguas, hinc fit, etſi venæ probè à medicis incidantur, vt ſanguis nihilominus ne quidem mediocriter poſſit profluere.

Diximus multa de ſectione venę, ſed hoc demum loco illud quoque ex Galeno ſciendum eſt, ſanguinis miſſionem, ſeu venam incidere, ſeu malleolos velimus ſcarificare, partiendam eſſe, adeo vt vna die ex vno crure, poſtridie ex altero ſanguis detrahatur, *lib. de ſanguinis miſſione* 18. Namque hac partita vacuandi ratione, præterquam quòd vires minus laborant, ſanguis magis excitatur, mouetur, & ad fluxionem propenſius redditur. Quod quidem præceptum Galenus obſeruauit in ea muliere, cuius in ſuperiore lectione mentionem fecimus, cum illi primo die ſeſqui libram poſtero die lib. j. tertio ℥. viij. ſanguinis detraxerit. Neque verò illud ago in præſentia, vt demonſtrem ſcarificationem malleolorum apud veteres vſitatam, à noſtris cucurbitulis inciſis multum differre: (etſi non ignorem multos vel præclaros medicos, & inter cæteros Auicen. aliter ſentire (qui id feci ex propoſito & diffusè in diſputatione de ſcopis mittendi ſanguinis. Præter ſectionem venæ & ſcarificationem malleolorum ſunt, qui in ſuppreſſione menſium, hæmorrhoidum apertionem probant, quaſi hac ratione ſanguis ad vterum trahatur, ac menſtrua poſſint iuuari, quos quidem cenſeo in magno errore verſari. Et quamobrem ita cenſeant facit Gal. qui docet apertione huiuſmodi venarum ab vtero deriuationem fieri. Itaque ille trãdens ex Hipp. leges reuulſionis & deriuationis de ſingulis corporis partibus ita ſtatuit *5. met. 3. Quæ fluunt per aluũ, ea vel per lotium, vel per vterum fore trãſmittenda: quæ fluunt per lotium, ea vel per vterũ, vel per aluum deriuanda.* Et alio loco magis expreſsè *libello de cucurbit. ſcari c. 18.* ita inquit: *Si mulieri per hæmorrhoïdas ſãguis irrumpat, illum commodè ad venas vteri, deriuari, quod ſi quæ ducuntur ad inteſtina & hæmorrhoïdas, ab vtero deriuationẽ efficiunt.* Non ego ſatis intelligo, quomodo apertio hæmorrhoïdarum menſtruorum prouocationem non poſſit inſigniter impedire, præterquam quod ex anatome licet intelligere, inter venas vteri & hæmorrhoïdas, nullum propè conſenſum extare.

Poſtremò ad hunc locum cauteria quoque cruribus aut coxis inuſta videntur pertinere, quæ

multi conten ſunt à l prouocatione m menſtruorum eſſe accommodata. Inter quos eſt Mercurialis, qui ſcribit *tom. 2. cõſil. conſ. 26. 4. de morbis mulierum ad finem* qui inquam, ſcribit, ſe multiplici experientia didiciſſe, cauteria infra genu poſita, ſuppreſſos menſes reuocare Sed neq; huiuſmodi præſidiũ rationi & doctrinæ Galeni omni ex parte mihi videtur conuenire; ſiquidem fortaſſe hæc vlcera mẽſtruas purgationes potius ab vtero deriuant, quàm ad vterum detrahũt. Et memoria eſt repetendum, Galenum docentem cauſas ſuppreſſionis menſium culpa totius corporis, eam quoq; cauſam commemoraſſe, quotieſcunque humores ad alias partes, quàm ad vterum habent inclinationem ad quem modum dixit, nonnullas quoque excretiones, ſiue naturales, ſiue artificioſas, qualia ſunt vlcera, ſanguinem ab vtero reuellere aut deriuare, & ad alias partes transferre. Itaque circa huiuſmodi cauteria vos cohortor, vt diſcatis cautiùs agere, nec tam facilè & frequenter vſum eorum probare, ſicuti hoc tempore à multis fieri ſolet.

Poſt hæc ad medicamẽta prouocãtia mẽſes deueniendum eſt. Sed tunc antequã ad hæc deueniamus, ac potiſſimùm ad valẽtiora, de totius corporis purgatione cogitãdũ eſt. Cũ autẽ redũdent humores frigidi, craſſi, pituitoſi primũ neceſſe eſt illa exhibere, quæ illos incidere, attenuare, & præparare poſſint, inter quæ victus ratio, quæ extenuandi vim habet apud Gal. *de ſan. miſſ.* 18. principẽ locũ obtinet, de qua cum habeamus integrũ Gal libellũ, qui ſatis cuiq; eſſe poſſit, in præſentia non eſt pluribus agendum. Medicamenta autem ad hanc rem accõmodata plurima ſunt, quorum catalogus apud omnes & veteres & recentiores faciles poteſt haberi. Itaq; ea tantùm liber mihi vobis proferre, quæ cęteris mihi videntur præſtãtiora. & quibus ego familiariter vti ſoleo. Hæc verò ſũt leuiora quidẽ: Syr. de beton. de Arthemiſia, mel roſat. decocta betonicæ, hyſſopi, ceterach. Valentiora Syrupi de 2. vel 5. radicib. byzantinus, oxymel cõpoſitum decocta ſeminum & radicum fœnic. pulegij, calamenthi & ſimilium. Et pro iunioribus ſit exemplum.

℞ *Syr. de betonica,*
De arthemiſia,
Byzantini cum aceto ana ʒ. ß.
Decoctionis hyſſopi,
Betonicæ ana ʒ. iiij. *miſc. pro ſyrupo.*

Concoctis & præparatis humoribus ad eorum purgationem licet deuenire.

Sunt autem medicamenta partim ſimplicia, partim compoſita, quæ ad hanc rem ſunt accommodata Ex quibus ſicuti de præparantibus factum eſt, mihi libet tamen proferre, quæ præ cæteris probari & adminiſtrari ſolent. Talia ſunt inter ſimplicia Turbith. agaricus: inter compoſita elect. diaphænicon. hiera; diacolocynthidos, pil. de hiera cum Agarico, cochiæ, trochiſci, alhandal. quod quidem poſtremum medicamentum cæteris omnibus anteponendum eſt. Pro iunioribus ſint itidem exempla.

℞ *Agaric. trochiſcati* ʒ. j. ß.
Gingiberis gr. x.
Decoctionis betonicæ q. ſ. fiat infuſio ſ. q. & facta expreſſione, adde.
Elect. diaphæn.
Ol. hiera. diacolocynt. ʒ. iij.
Mellis roſati ſolutiui ʒ ij. ß. *M. fiat potio.*
Item.
Pil. aloephang. ʒ ß.
℞. *Cochiar.* ℈. j. *M. F. pilulæ v. & deaurentur*

De quibus medicamẽtis, illud eſt aduertẽdũ. ea nũquã fore exhibenda, quo tempore natura menſtruas purgationes ſolet appetere & expurgare, ſi quidem hoc tẽpore exhibita trahendo humores ab vtero ad alias partes poſſent naturę maximum impedimentũ afferre. Toto corpore expurgato, tunc opportunè ad ea medicamenta accedendum eſt, quę poſſunt vteri & vaſorũ intemperiem frigidam auferre, craſſiorem ſanguinem in vtero & vaſis cõtentũ incidere, attenuare, & vno verbo, quæ valeãt menſtrua prouocare. Quę quidẽ cum ſint multiplicia, partim ſimplicia, partim cõpoſita partim externa, partim interna, quæ variis rationib. poſſunt adminiſtrari, ab verã exercitationẽ mihi libet de ſingulis, ſed quàm breuiſſimè addere. Non id ago in præſentia vt exponã, qualiſnã ſit cauſa medicamentorum prouocantiũ menſtrua, & quomodo ea differant à medicamentis prouocantibus lac & lotiũ, quod poſterius mihi eſt propoſitum facere in tractatione de fluxu muliebri vel vterino, ad quem locum tantùm hæc tractatio videbitur pertinere. Peruenimus ad medicamenta prouocantia menſes, quæ ſunt duplicia, partim interna, partim externa. Primò igitur ſunt medicamenta intern, Syr. de betonica, de arthemiſ. de calamenth. byzãtinus, decocta ſeminum & radicum fœniculi, Petroſelini, aſparagi, cicerum rubeorum, calamenthi montani, dictami Cretenſis, pulegij, & ſabinæ rubeæ tinctorum & ſimilium. Habetis exemplum.

℞. *Syr. de arthemiſ.* ℥. j.
Mellis roſati colati ℥ ß.
Decoctionis calamenthi,
Pulegij ℥ v. *miſ. pro ſyrupo.*

Sunt conſeruæ, capill. veneris, betonicę ſaluię, roris marini, quibus vel ſolis vel ſimul cum aliis medicamentis licet vti.

Exemplum.

℞. *Conſeruæ ſaluiæ,*
Capil. ven. beton. ana ℥ j.
Cinnamomi elect.
Dictami Cretenſis
Calamenthi montani ana ʒ ß.
Cum ſyr. de arthemiſ. q. ſ. fiat electuarium.

Sunt rotulæ ſiue confectiones, arom roſaceum, diamoſchum, diambra. Sed præ cæteris diacalamenthum ex deſcriptione Galeni 4. *de T. V.* videtur habere inſignem prærogatiuam.

Sit exemplum.

℞. *Spec. diambræ.*
Diacalamenti ana ʒ. j.
Sacchari fini ℥. iiij. *cũ vino aromatic. miſ. & fiat confectio in rotulis*

Apud Rhaſen 9 *lib. ad Almãſorem c.* 83. ſunt trochiſci de myrrha, quos ille inquit, in ducendis mẽſtruis tã eſſe efficaces, v fœtũ quoq; poſſint educere, ac ſanè pręclariſſimã ſępenumero operã præſtãt. Galenus Caſtoreũ probat maximopere, de quo ita ſcribit 11. *de ſimp. med. C. de Caſtoreo:* retẽtis mẽſib. vbi ex vena, quæ in talo eſt, sãguinem modicè detraxiſſet oblato Caſtoreo, vnà cum pulegio aut calamentho, ſe expertum eſſe hoc medicamentum purgationes prouocare. Poſtremò ſũt magna antidota Mithrid. & Theriaca, quę inter cętera ad roborandum ventriculum, & vterum frigidiorem & humidiorem, nec non prouocandos menſes, mea quidem ſententia, poſtremum locum non obtinent. Sed tamen poſt hæc omnia non prætermittendus eſt potus aquarum thermalium calidiorum, quales ſunt noſtræ Aponitanæ, Aquarianę, & ſimiles, cum ratio perſuadeat, & ratio confirmet frequentiſſimè hoc naturale præſidium id feliciter præſtitiſſe, quod alia præſidia præſtare non potuerunt. Sed quoniam ſcio, viros clariſſimos de hoc remedio aliter ſentire, qui potiſſimum mouentur auctoritate Auincennæ, mihi liceat hunc Auicen. locum duobus verbis perpendere. Verba Auic. ſunt

huiuſ

huiuſmodi lib.2.c 59. *de aqua. Et omnes aquæ minerales faciũt vrinæ difficultatẽ & parturiendi & menſtruorũ:* Ego verò neſcio, quomodo id generaliter poſſit de omnibus aquis mineralibus pronunciari. Nam ſicuti rationi conſentaneum eſt, aquas aluminoſas, ferreas & omnes quæcunq; refrigerandi & adſtringendi vi præditæ ſunt, mẽſtruas purgationes impedire: ita altera ex parte neq; à ratione alienum eſt, aquas ſulphureas, nitroſas, bituminoſas, & quæcunq; calefaciendi abſtergẽdi, aperiendi vim habẽt, mẽſtrua purgandi vim habere. Quod dixi, experientia euidentiſſimè & frequentiſſimè confirmat.

Deinde ſunt medicamenta externa quæ pariter ſunt quamplurima, ac variis rationibus adminiſtrantur. Ac primùm ſunt, lotiones & balnea, quæ poſſunt eſſe partim naturalia, ſicuti ex aquis Thermarum calidioribus partim artificioſa, quæ ex congruis medicamentis ſolent parari. Exemplum ſit:

℞. *Flor. Chamæmel.*
Arthemiſ.
Puleg.
Calamenthi.
Dictamni Creten ſis.
Sabinæ,
Ciclaminis ana. M. j.
Se. aniſorum,
Fæniculi,
Dauci,
Ameos ana. ℥. ß. *Miſ. omnia decoquantur in aqua.*

Huiuſmodi lotionum & balneorum duplex eſt vſus. Primus, vt mulieris lauentur & balneentur crura. Alter vt tota mulier vſque ad vmbiculum in tali balneo aliquandiu ſedeat & moretur.

Secundò ſunt nonnulla medicamenta, quæ iniiciuntur in vuluam, vulgo *peſſi* & *peſſaria* appellantur. Sunt autem veluti ſuppoſitoria, quæ ex variis medicamentis lana vel bombyce vel re ſimili excerptis, conficiuntur, vt commodè in pudendum mulieris poſſint imponi, quæ quidem longiore tempore debent retineri. Et habetis exempla. Ac primùm antiquiſſimus eſt vſus folij radicis & ſucci Mercurialis, quæ quidem vel ſola, vel cum aliis medicamentis poſſunt adminiſtrari. Itaque licet ſolam radicem, & ſola folia ſupponere, licet ex foliis & radicibus ſuccum extrahere, eumque vel ſolum, vel cum aliis medicamentis vel linteolo excipere, quæ peſſaria ſicuti familiaria ita optima ſunt, ſed tamen leuiora Sic præparantur peſſaria ex rebus odoratis, myrrha, belzoini & ſimilibus. Habeatis exemplum:

℞. *Ladani optimi part. ij.*
Belzoini,
Myrrhæ ana. part j.
Moſchi parũ, olei liliorũ alborũ cum aromatibus q.ſ. in formã commodã. Sed illis valẽriora adhuc ſunt, quæ conficiuntur ex colocynthide, ciclamine, ſcammoneo & ſimilibus, & ſit exemplum:

℞. *Fellis bubuli,*
Succi ciclaminis ana. ʒ. j.
Pulva colocynth. ʒ. ij.
Myrrhæ elect. ʒ. j. *Miſc. fiat peſſarium.*

Tertiò ſunt ſuffitus vel ſuffumigia, quæ potiſſimũ ex rebus odoratis conficiuntur. vnde eſt aphor. 5. *aph 28. ſuffitus aromatum mulieri.* Et habeatis exemplum.

℞. *Belzoini,*
Styrac.
Calamit.
Myrrhæ,
Bdellij ana. ʒ. j.
Gallæ muſcatæ Miſ. ʒ. ß.
Zibethi ℈. ß.
Styracis liquidæ vel olei de ſpica odorati q.ſ. fiant pilulæ vel trochiſci.

Ex quibus modico igni impoſitis vapor ſeu fumus eleuatur: quem mulieres commodè recipiunt accommodato vaſe ad vterum, qualia ſunt, quibus repleri ſolent vaſa vinaria parua, ſi pars latior ſupra ignem & fumum ponatur, pars verò anguſtior veluti cannula in pudendum iniiciatur. Quia verò huiuſmodi ſuffitus, vt docet Hipp. *aph. ſuperiore,* ſolet grauitatem capitis inducere, mulieres ita debent pannis muniri, vt ne vapores ad ipſum caput poſſint penetrare.

Quartò ſunt nonnulla medicamenta, linimenta, emplaſtra, fomẽta quæ ad infimam abdominis partem, & omnes locos mulicbres ſolent accommodari, quæ ex iiſdem componuntur medicamentis, de quibus ſatis diximus. Tamen nec grauabor vnum aut alterum exemplum afferre.

℞. *Olei amygd. dulc.* ℥. ij.
Lil. alb. cũ aromatib. de cheiri (florib. illius) ana. ℥. j.
Ol. ex ſeminibus aniſorum ʒ. ij.
(Oleum valde efficax in affectious vterinis) miſc.

Exemplum aliud.

℞. *Pulegij,*
Calamenthi,
Dictamni,
Arthemiſ. ana. miſc.
Cinnamomi,
Garyoph.
Myrrhæ,
Balſami ana. ʒ j.
Farinæ cicerũ rubeorum lib. j. M. cum vino albo aromatico ad ignẽ, & fiat implaſtrum.

Poſtremo loco præterea, quæ ſuprà diximus, conueniunt omnia genera reuulſionum, frictiones, ligaturæ, cucurbiculæ, tã ſcarificatæ, quàm ſine ſcarificatione quæ omnia ad partes inferiores, coxas & crura adhibenda ſunt Atq; hæc de ſuppreſſione menſium propter alteram intemperiem ſimplicem vteri, nimirum ſiccam, de quibus cum Auic. ſuprà diximus. Sed tractatio foret nimiùm prolixa, neq; anguſtiæ præſentis temporis patiuntur, vt omnia poſſimus examinare & abſoluere. Quamobrẽ cum liceat vtiq; ex iis, quæ hactenus tradita ſunt, & rationẽ curandi cæteras intemperies, & ſingula præſidia ſibi cõparare, mihi libet huic tractationi, quæ neſcio quomodo longior euaſerit, quàm mea voluntas fuerit, finem imponere. Gratia exempli, in ſimplici intemperie ſicca eſt facile intelligere: cauendum eſſe ab omnibus tum alimentis, tum medicamentis, quæ ſiccandi vim habent, totamq; curationẽ perficiendã eſſe, cum iis, quæ humectandi facultate prædita ſunt. Ac de his forte mulieribus intelligebat Galenus *lib. aduerſus Eraſiſtrateos, c. 13.* quando ſcribit, Medicos Rationales humidam victus rationem & copioſa balnea concedere conſueuiſſe, poſtquam mediocris copia ſanguinis ex cruribus detracta, purgationem confeſtim ſuccedere volebant quod idem de altera intemperie compoſita calida & ſicca, frigida & ſicca ſtatuendum eſt. Diximus menſtrua in mulieribus aut prorſus retineri, aut diminui, aut deprauari. Et diximus de retentione menſium. Quoniam verò menſtrua retinentur & diminuuntur, propter eaſdem cauſas, aut vehementiores aut debiliores, & vtriq; eadem curandi ratio competit, prætermiſſa tractatione de menſtruis imminutis, ſtatim ad menſtrua deprauata veniendum eſt. Itaq; menſtrua fluunt deprauatè multis modis. Ac primum quidem lo cum apud Galen. 3. *de Sympt. cauſis c. 4.* obtinet illud ſymptoma, quod Græcè, ῥοῦς γυναικεῖος, Latine *fluxus muliebris* dicitur.

Digitized by Google

dicitur. Deinde verò ſunt deprauati menſes, quotieſcunque illi immoderatè, & ſine ordine fluunt, quotieſcunq; illi ſine colore, flaui, virides, ſubſtantia tenues, craſſi, viſcidi, quotieſcunq; mulieres, quo tempore menſtrua fluunt, dolent capite dorſo ventriculo, & aliis partib. Tot itaq; modis forte etiã aliis mẽſes deprauantur, de quib. ſymptomatib. nõ certè omnibus, quod nimis longum foret, ſed de iis quæ ſunt frequentiora, & maioris momenti ſtatuimus agere, incipientes à ſuperflua menſium fluxione.

CAPVT III.

De Immoderato fluxu menſtruorum.

MVlti exiſtimant, ſuperfluum fluxum menſtruorum & fluxum muliebrem vnum atque eundem morbum eſſe, qui longè decipiuntur, cum duo diſtincti morbi & affectus, vt manifeſtè docet Gal. 4. *loc. aff. ad finem.* Siquidem in ſuperfluo fluxu menſtruorum ſanguis profluit, qualis per menſes naturales ſolet apparere, ſed fluit immoderatè: in fluxu autem muliebri non ſanguis, ſed varia excrementa, aliquando aquoſa, albida, aliquando alterius ſubſtantiæ euacuatur; vt proprio loco monſtrabimus. Menſtrua fluunt immoderatè dupliciter. Primo modo, ſi ſemel ac breui tẽpore, confertim ac profusè exeãt. Altero modo, ſi huiuſmodi vacuatio perſeueret plures dies ad quẽ modũ ſcribit Gal. 1. *epid. 2. cõment.* 4. Homines multas quoq; pluuias appellare, vel ſi lõgiore tẽpore durent, licet nõ largè decidãt, vel ſi breui tẽpore largiter in terrã decidãt. Et ſi quis à me quærat qualiſnã ſit menſium quantitas, vel menſura, quæ mulierib. ſecundum naturam debeant profluere, huic reſpondet Hip. 1. *lib. de morbis mulierum, pag.* 313. *ad fi.* (in codice Baſilienſi latino) in omni muliere ſana moderatos menſes eſſe duarũ heminarũ Atticarũ quæ circiter 20. ℥. continent aut paulo plures, vel minores & pauciores; ſin autẽ longè plures & pauciores, fuerint tũc mẽſes morboſos eſſe. Sed forte nõ ita certa mẽſtruorum quantitas poteſt definiri, ſiquidẽ veriſimile eſt mulieres pro varia victus ratione, pro vario corporis habitu, & cæteris id genus, nonnullas copioſiùs, nõnullas parciùs purgari. Itaq; ego ſentio hãc menſurã definiendã eſſe facta in primis cõparatione ad menſurã & tempus cuiuſq; mulieris, dũ illa integra fruitur ſanitate. Exemp. grat. Si mulier fuerit aſſuetã purgare ij. lib. 3. dies, nunc verò fluat ſanguis iiij. lib. 10. tunc licebit aſſeuerare menſes fluere immoderatè, præterquam quod hoc ipſum licebit intelligere ex buna vel mala, ex facili vel difficili mulieris tolerantia. Namq; ſi menſes fuerint immoderati, fieri non poteſt, quin mulier hanc purgationem difficile ferat, atque in ea incurrat ſymptomata, de quibus ſtatim ſermonem habebimus.

Menſtrua immoderata ſine dolore ad ſymptomata excuntia immutata referenda ſunt. Sed cum hæc triplicia ſint, vt docet Gal. *de ſympt. diff. c.* 6. vel toto genere, vel qualitate, vel quantitate præter naturam, ſciendum eſt, ſicuti idem Gal. docet 3. *de ſympt. cauſ. c.* 2. omnes ſanguinis excretiones ex noſtro corpore eſſe toto genere præter naturã, iis duntaxat exceptis, quæ mulieribus per vterum ſolent emanare, quæ ſola quantitate à natura ſunt aliena. Itaque immoderatus fluxus menſtruorum eſt ſymptoma exiens immutatum non toto geoere, non qualitate, ſed quantitate, præter naturam. Cum enim huiuſmodi excretio ſit naturalis, ſi ea tamen copia exeat, quæ ſuperuacanea & inutilis eſt, ſi eadem modum exceſſerit cum quantitate, præter oaturam cenſenda aſt.

Sed ad cauſas huius ſymptomatis progrediamur, quæ diſtinctè & accuratè à Gal. explicantur 3. *de ſymp. cauſ. c.* 2. 5. *aph. com.* 58. Ergo menſtrua profluunt immoderatè (quod idem in quolibet ſanguinis fluxu contingit) tribus de cauſis, vel propter facultatem, quæ vas ſanguinem continens recludit, ſicut in profluuio ſanguinis è narib. vel ſecundò propter vitium vaſorum. Ac primum iſtud propter facultatem: quo loco eſt memoria repetendum pro iuniorib. facultates naturales quæ omnib. membris inſunt, eſſe quatuor, Attractricem, Retentricem, Alteratricem, Expultricem, quæ per propria temperamenta ſuas operationes perficiunt, vt diffusè monſtrat Gal. 1. *de facult. naturalibus.* *Cauſæ.* Quamobrem ad fluxus menſtruorum immoderatos facit, ſi huiuſmodi facultates non probè fungantur ſuo munere, præcipuè verò ſi facultas contentrix non retineat quæ & quamdiu ſunt retinenda quod in primis mala vteri, vel vaſorum intemperie, vel humida, vel vtraque fieri ſolet. Pariter ſi facultas expultrix nimium expellat, quæ & quando non ſunt expellenda, quod potiſſimum ex mala vteri vel vaſorum intemperie, vel calida, vel ſicca, vel vtraque ſolet contingere. Secundò menſes fluunt immoderatè propter ſanguinem malè affectum, quod quidem Gal. docet fieri dupliciter: Primo modo, cum ille redditus ſit adeo vitioſus, vt vaſa erodat in quibus continetur, quod non aliter videtur fieri quàm ſi ſanguis reddatur tenuior, calidior, acrior, vel ex temperamento, vel ex victus ratione, vel aliter, aut quòd ille permiſceatur cum excrementis bilioſis, cũ ſalſa pituita, cum atra bile, quæ omnia cum ſint acriora, naturæ moleſtiã inferunt, ex quo illa excitata & irritata eorũ expulſionem molitur. Scio Auic. & cum eo multos præſtantes medicos ſanguinem malè affectum interpretari, non ſolùm ſi ille fuerit calidior, acrior atq; erodendi facultate præditus, verùm etiamſi ille humidior & aquoſior fuerit. Sed iſti mihi videntur à Galeno & ratione diſſentire; ſiquidem Galenus vnius tantum acrioris & erodentis meminit, qui ſolus reuera ipſa vaſa poteſt aperire & diſrumpere. Præterea ſi ſanguis fuerit malè affectus propter multitudinem aquoſitatis & humiditatis, vt loquitur Auic. tunc menſtrua forent ſola quantitate præter naturam imò verò huiuſmodi fluxio ad profluuium potius muliebre quam ad immoderata menſtrua pertineret. Altero modo ſanguis malè afficitur apud Galenum, cum ille ita eſt auctus, vt in vaſis contineri non poſſit, ſiquidem is quoque rumpere aut recludere vas poteſt. Quas quidem duas cauſas apertionis vaſorum, copiam ſcilicet & acrimoniam ſanguinis, ille quoq; commemorat 4. *meth.* 3 Diximus de duabus cauſis ſuperfluæ fluxionis menſtruorum, itaque ſupereſt tertia propter vitium vaſorum, quod quidem vitium docet Galenus, conſiſtere in nimia eorum mollitie & duritie, & tenuitate, idq; nonnunquam in prima ſtatim conformatione, quæ fit in vtero, ſolet accidere, nonnunquam poſterius, temporis progreſſione. Hæc autem proueniunt, nimia mollities ex redundante humiditate, nimia durities ex ſiccitate, nimia tenuitas ex atrophia, id eſt, inopia alimenti. Quomodocunq; enim vterus, & vaſa ad eum pertinentia, fiant molliora, duriora & tenuiora, immoderatum ſanguinis profluuium poteſt ſuccedere, ſiquidem quod immodicè molle vel durum eſt, frangitur facilè; molle quidem, propter imbecillitatem; durum autem, propterea, quod amplius extendi non poteſt. Quod verò tenue eſt propter vtroſque huiuſmodi venarum defectus, hoc eſt, propter imbecillitatem & difficilem extenſionem, facilè rumpitur. Et ſi quis cupiat magis diſtinctè intelligere, cauſas

quæ;

quæcunq; poſſent vteri vaſa aperire, atque eorum continuũ ſoluere, is confugiat ad Galenũ, *de cauſis morbor l. ad fin.* qui docet illas eſſe duplices, nõnullas quæ extrinſecùs irruunt, nõnullas quæ ex corpore ipſo ortũ habent. Ad cauſas externas poſſunt referri quæ contundunt, vulnerãt, vt caſus ab alto, cõtuſiones & ſimilia: Medicamẽta acria, & erodendi facultate prædita, nimius ac frequens coïtus, ac maximè ſi vir fuerit maximè mentulatus, ſicut puellis deuirginatis aliquando contingit, quibus rumpuntur venæ vteri, & profluuiũ menſtruorum ſuccedit, & alia id genus quæ exteriùs accidunt.

Ad cauſas internas ex Gal. duæ referuntur. Prima, immoderati & inordinati motus. Secunda, humores quidã deprauati, quibus erodendi vis ineſt. Itaq; ſi mulieres frequenter & præter modum vexentur, currant, ſaltent, choreas ducãt vel alias immoderatas exercitationes, vel labores ſubeant, pariter, ſi in partu, vel abortu, vel propter magnitudinẽ fœtus, vel propter imperitiam obſtetricis, vel propter aliã cauſam, contingat in vtero atq; illius vaſis aliquã violentiã ruptionem fieri ruptionem propter eiuſmodi immoderatos motus in profluuiũ menſtruorum ſolent incidere. Sic demum ſi fuerint humores acres, bilioſi, ſalſi, aduſti, quin in locis muliebribus poſſint aliquã eroſionem, aliquod vlcus efficere, vel aliter cõtinuũ ſoluere tanquam cauſa interna; huiuſmodi humores poſſunt profluuiũ menſium excitare. Atq; hactenus de cauſis huiuſmodi ſymptomatis ad mentem Galeni, ad quas quidẽ, ſi quis voluerit animum adhibere, certum eſt cęteras omnes poſſe referri, quęcunq; ab aliis proponũtur.

Signa Pathognomonica.

Signa Pathognomonica, quę immoderatum profluuiũ menſtruorum demonſtrent, ex mulieris relatione fiunt manifeſtiſſima, ſed tamen nõnulla quoq; ſymptomata huiuſmodi immodicas vacuationes ſequũtur, quæ id cuiq; ſatis confirmãt. Illa verò ſunt, vitioſus color & tumor vniuerſi corporis, œdema pedum, mala tum appetentia, tum concoctio, & reliqua, de quib. Gal *lib. 6. de loc. aff. ad fin.* Auic. *c. proprio*, ac ferè omnes loquuntur, quorum omnium facilè eſt rationẽ reddere. Sed ſigna ſingularum cauſarum breuiter percurramus. Si menſtrua profluãt immoderatè propter vitium facultatis quæ aut importunè expellat, aut nequeat continere, quæ alioqui forent retinenda: tunc oportet ad ea confugere ſigna, quæ vteri & vaſorum intemperiẽ vel calidã, vel frigidã, vel humidam, vel ſiccã, vel ſimplicem, vel cõpoſitam poſſunt ſignificare, de quib. omnes tractãt, & nos quoq; ſæpe diximus: ſiquidem apud Galenũ facultatem, aut eſſe temperamentum, aut in temperamento ſuam eſſentiam habere, exempli gratia, in calida intemperie mulieres circa eas partes percipiunt caliditatem, maximè delectãtur venere, concipiunt mares & ſimilia. In frigida ſigna apparent contraria: in humida intemperie loci muliebres perpetuò madent, mulieres viuunt otioſæ, nullus circa vterum percipitur dolor: in ſicca intemperie res contrario modo ſe habet.

Signa differentiarum.

Indicationes generales omnis fluxus.

Secundò ſuccedit vitiũ ſanguinis, ac primùm illius copia ex propriis indiciis plenitudinis deprehẽditur, quæ à Gal. tradita *ſunt. lib de plenitudine, & aliis locis*, qualia ſunt tumor venarum, & vniuerſi corporis grauitas, rubedo, præceſſit otium, victus ratio copioſa, & ſimilia Deinde ſi ſanguis redditus fuerit calidior ac rarior ſiue id fiat propter intemperiem iecoris calidã & ſiccam, indicia huiuſmodi intemperaturæ ſunt manifeſta. Si verò id cõtingat propter miſtionem ſalſę pituitę vel aliorum humorum, tunc aderunt indicia cacochymiæ, id eſt. redundantiæ vel alterius humoris, de quibus pariter tractat Gal. atque ea temperamento, habitu corporis præcedente victus ratione, & ſimilib. licebit iudicium facere. Tertiò, ſi fiãt menſtrua immoderata propter vitium vteri & vaſorum, quæ ſint nimium aperta, cauſæ externæ quæ contundunt, vulnerant, caſus ab alto, & ſimiles, facilè aliis referentibus intelliguntur. Cauſę autem internę, quales potiſſimũ ſunt eroſiones, vlcera, & vno verbo, quælibet ſolutio continui ex copia humorum acriorum, ex doloribus, excrementis, & aliis id genus ſymptomatis facilè poſſunt indicari.

Methodus curandi fluxus menſtrui.

De ratione curãdi quemlibet fluxum ſanguinis noſtri corporis diffuſè & diligenter tractat Gal. 5. *Meth. c. 2. vſque 7.* Summa autem iſtius doctrinę eſt eiuſmodi. Quicunq; ex corpore ſanguis effluit, nec amplius fluit & cohibetur, vel quoniã ille non fertur ad locum apertum, vel quia diuiſio vaſorum occluditur, vel ſimul propter vtrumque quæ ratio tutiſſima cenſenda eſt. Prohibetur ſanguis vt ne cõfluat ad partem apertam inducto animi deliquio reuulſione facta ad contraria, deriuatione facta ad vicina, refrigerãdo corpus vniuerſum ac maximè partem affectam ex qua ſanguis profluit. Clauditur diuiſio ſi quod eſt diuiſum cõtrahatur, cõnueatq; vel obſtruatur. Sanè contrahitur pars diuiſa, aſtrictione, refrigeratione, vinculo vel aliter iis præſidiis, quibus conamur diuiſum corpus vnire & coniungere. Obſtruitur autem vel intra, vel extra: intra quidem a ſanguine cõcreto, qui vulgò *thrombus* dicitur: extra tum hoc ipſo ſanguine, tum verò linimentis, ſpõgiis atq; iis demum medicamentis, quę vel proprio lentore & craſſitie meatus obſtruunt & claudunt, vel vrente vi veluti operculum eſcharã, id eſt, cruſtã inducunt: Verùm quæ de profundo corporis ſanguinis profluuia fiunt, quale eſt profluuium menſtruorum, de quo agimus, quæ nec vinculo, nec ſutura, nec ligatura. nec ferramentis ignitis, nec alia ſimilia ratione poſſent ſanari, per reuulſionem, ac deriuationem, nec non per alimenta, quæ emplaſticã vim habent & refrigerant ac demum per medicamenta quæ aſtringunt, ſanari debent. Hæc eſt præclariſſima Galeni methodus curãdi omnem ſanguinis fluxionem, quam puto illum accepiſſe ab Hip. qui vna breuiſſima, ſed grauiſſima ſententia mihi videtur hęc omnia cõplecti. Illa autẽ habetur 6. *Epid. ſect. ſett. 7. tex 3.* & eſt huiuſmodi: *Sanguinẽ ex venis promanãtẽ ſiſtunt animi deliquiũ, figura alio vẽdẽs, vena interceptio, ligamenti in orbẽ conuolutio, appoſitio, deligatura.* Etenim Galenus ſẽtentiã hanc admirabilem in cõmento vocat, illãq; ea ponit accuratiſſimè, atq; aſſerit omnia cõplecti, quęcunq; ad nimiã ſanguinis profuſionẽ pertinẽt.

Indicationes fluxus menſtrui.

Diximus generali methodo curandi quemlibet fluxum ſanguinis. ſed hanc methodum ad rem noſtram accommodemus. In ſuperfluo menſtruorum fluxu duæ ſe nobis offerunt indicationes curandi; prima, vt ſanguis non feratur ad vterum & vaſa, quæ ad illum pertingunt; altera, vt locus apertus, per quem fluit ſanguis, claudatur. Ad primam pertinent præſidia, primùm quæ reuellunt, ſecundò quæ deriuant, tertiò quæ animi deliquium afferunt, poſtremò quæ refrigerant & aſtringunt. Ad alteram ſunt accommodata præſidia, quæ obſtruunt, & adſtringendi vim habent, quæ non ſolùm ad vterum, ſed ad partes illi proximas debent imponi, de quibus ſigillarim dicendum eſt. Verùm iis indicationibus liceat ſatisfacere, necne, ſciendũ eſt hoc negotium eſſe admodum difficile, ac mulieres maiori ex parte nunquam ſanari, atq; id potiſſimùm vſu venire, ſi in vtero aut vaſis ad illum pertinentibus, vel eroſio, vel aliqua inſignis continui ſolutio facta fuerit. Veruntamen nulli dubium eſſe debet, quin difficultas curationis vel augeatur, vel minuatur pro magnitudine ac diuturnitate ſymptomatis, pro habitu corporis tẽperamẽto & ſimili.

Prognoſtica.

Curationis præſidia.

Sed aggrediamur curationem, & ante omnia hoc loco eſt aduertendum, vtrum huiuſmodi vacuatio per vterum ſit critica & inſtituta à natura, an ſymptomatica & pręter naturam: namque Galenus ſermonem habens de Criſibus, quę variis excretionum modis, & per varias corporis partes fieri ſolent, menſium quoque & purgationis per vterum mentionem facit 3. *de Criſib. ad finem*: Qui nonnulla quoque ſigna commemorat, inſignem grauitatem lumborum, & dolorem, & tenſionem, quæ huiuſmodi Criſim præcedere conſueuerunt. Sic Auic. Fen.33.*lib.3.tract.1.c.4.* ſtatim initio capitis de cura ſuperflui fluxus ſanguinis menſtrui, docet aduertendum eſſe, an vacuatio ſit facta ſecundùm ſemitam expulſionis naturalis, in quo caſu, inquit Auicenna, fluxus minimè eſt retinendus, quouſque vires integræ permaneant, itaque negotium foret permittendum naturæ, iuxta ſententiam 1. aph. 21. *quæ indicantur & in iis ita ſunt*, &c. At verò ſi euacuatio non fuerit Critica, quod potiſſimùm licet intelligere quòd ea non conferat, neque eam mulieres bene ferant, imò quòd ea ſequantur ſymptomata, de quibus ſupra diximus: iam licet illius curationem aggredi. Itaque primùm occurrunt reuulſiones, inter quas Hipp. cucurbitulæ vſum probat 5 apho.50 *Si mulieri menſtrua volueris cohibere, cucurbitulam quàm maximam ſub mammis defige*. Et ratio eſt in promptu propter cõmunicantiam vaſorum, quibus natura vtramq; partem mammas & vterum voluit cõiunxiſſe, vt diffusè Galenus monſtrat 14.*de vſu part.c.4.& 8.* Sic conueniunt frictiones, ligaturæ, compreſſiones partium extremarum, de quibus tamen dubium videtur, vtrùm ad partes inferiores vel ſuperiores debeant adhiberi; & occaſionis dubitatio eſt, quoniam primùm eſt Hip. 2. *de morbis mulierum circa principium*.14. qui docet ligaturas, atque vt ipſe loquitur, laqueum non ſolùm ſupra cubitos, ſed etiam ad poplites ſupra genua apponendum eſſe. Deinde ſunt Paulus *li.3.62.* Aetius *lib. vlt. 64.* Auic. *c.proprio*: qui fortè adhærentes ſententiæ Hipp iubent frictiones & ligaturas faciendas eſſe non ſolùm manibus, ſed etiam cruribus, atque ab inguinibus exordiendum eſſe. Præterea neque huiuſmodi ſententia à Galeni mente videtur aliena, ſi velimus leges reuulſionis & deriuationis conſiderare, hæc remedia infernis partibus adhibita videntur ab vtero, & reuellere & deriuare. Et Galenus docet manifeſtè, ſectis venis in cruribus, reuulſionem ab vtero fieri, qui ſcribit ad hunc modum de *ſang.miſſ. c. 18. quæ ſectiones venæ ex cruribus fiunt, non ſolùm reuellunt, ſed etiam menſes ſolent euocare*. Vnde in phlegmone vteri huiuſmodi venas in cruribus inciſas magis probat, quàm alteras in cubito, quod profectò non feciſſet, niſi ille cenſuiſſet venas crurum ab vtero poſſe, & reuellere & deriuare, cum fateantur omnes inflammationi & reuulſionem & deriuationẽ conuenire. Altera autem ex parte Galenus apertiſſimè docet, huiuſmodi reuulſiones ad partes ſuperiores, minimè inferiores fore adhibendas, atque ex multis locis ſatis ſit vnicum omnium luce clariorem proferre. Itaque Gal. 1. ad Glauc. *c.14.* hæc habet: *Sed neque malum, manus & crura alligare: oportet autem nexus fieri plures ac fortiores circa manus, quando per inferiores partes fiunt euacuationes, quemadmodum quando per hæmorrhoidas ſanguis profluit aut ventris profluuia adſunt, aut cum per vteros exeunt mulieribus menſtrua. Nam ſi tum crura fortius ligentur, ſæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur.* Hactenus Galenus.

Ad diſſoluendam hanc difficultatem, quam puto arduam eſſe, etſi plerique omnes conniuentibus oculis eam prætereunt, multis foret opus, atque in primis neceſſe eſt naturam ac præcepta, tum reuulſionis, tum deriuationis explicare, quod nimi longum eſſet. Quare illud vnum vobis ſufficiat in præſentia in ſuperfluo fluxu menſtruorum omnia genera reuulſionum partibus ſuperioribus adhibenda eſſe, cum reuera & rei natura, & Galenus doceant apertiſſimè, reuulſionis vim in eo potiſſimùm conſiſtere, vt humores in cõtrarium ſui motus trahantur & deducantur. Sed quid ad poſitas auctoritates oportet reſpondere? Primùm ad Hip. *lib.2.de morbis mulierum*, ego quidem cenſeo eum textum planè eſſe deprauatum, cum manifeſtè repugnet illius doctrinæ, qui non ſolùm docet in aphoriſmis, ſicuti diximus, ad cohibendos menſes cucurbitulam ſub mammis affigendam eſſe, ſed etiam hoc ipſo loco ſcribit cucurbitulas ſub mammis affixas eleuandas, ac modò ad dextram, modò ad ſiniſtram partem transferendas eſſe. Ad Paulum Aëtium, & Auicennam quid aliter dicendum eſt, quàm eos fuiſſe deceptos, qui ſine vllo delectu ſolent multa alteri ab alteris tranſcribere? id quod multi faciunt quoque recentiores. Vnde Alr. hoc loco de ſententia Pau. & Aëtij probat, inguina vinculis fore excidienda, tametſi ille ex Gal. ferè vna verborum ſerie aliter ſtatuit, & ſectionem venæ, & omnia reuellentia præſidia ſuperioribus partibus adhibenda eſſe. Sed veniamus ad Galenum, & quoniam hic locus eſt longè maximi momenti, & multas continet difficultates, mihi liceat paulò altiùs eum examinare. Hîc Galeno propoſitum fuerat nos docere diſcrimen & commodum vſum ſectionis venarum vel cubiti vel cruris, qui ſcribit omnes partes ſuperiores corporis thoraci & in thorace contentas ſectione venarum in cubito iuuari, partibus autem inferioribus thoraci, ſectionem venarum in cruribus magis conuenire, quas partes inferiores ille interpretatur, quæ iuxta coxam, veſicam & vterum ſunt. Inter vtraſque autem eiuſmodi partes ſuperiores & inferiores, renes tanquam ancipites & medium quendam locum obtinentes à Galeno conſtituuntur. Vnde fit, vt ſectione venarum ex vtriſque iuuentur partibus; ex ſuperiori quidem parte, ſi phlegmone recens fuerit, & ſanguinis redundantia affuerit, in inferioribus autem, ſi phlegmone fuerit inueterata, nec ſanguis redundare videatur. Poſt hæc Galenus de Phlegmone vteri ſermonem inſtituens inquit, eam magis quàm phlegmonem renum à venis in cruribus ſectis iuuari, & ſtatim hæc addit: vacuationibus enim, quæ in cubito fiunt, aliud etiam quoddam malum accedit, quippe mẽſtruas purgationes ſupprimunt, eo quod ſanguinem ad ſuperiora corporis reuellunt: quæ verò ex cruribus fiunt, non ſolùm reuellunt, ſed etiam menſes ſolent euocare. Hac verborum ſerie manifeſtum eſt, Galenum tanquam oppoſita comparare inter ſe, ſectionem venæ in cubito, & ſectionem venæ in cruribus, ex quo omnis ratio colligit contrarias quoque facultates & vires vtriſque neceſſariò tribuendas eſſe. Quod ſi per Gal. ſectio venæ facta in cubito, ex vtero ad ſuperiores partes ſanguinem reuellit, & menſtruas ſupprimit purgationes, vt altera ſectio facta in crure ſanguinem ad vterum trahat, & menſtruas purgationes promoueat, neceſſe eſt.

Attulimus locum Gal. in quo ille docet ſectionem venarum in cruribus non ſolùm reuellere ab vtero, ſed etiam mẽſes prouocare Et ſi autẽ Latina interpretatio reſpondeat Græcæ literæ: veruntamẽ ego cẽſeo ſine dubio hunc locum eſſe deprauatũ, atq; illum ſenſu contrario legendũ eſſe, ſicuti eum legunt & interpretãtur antiquus interpres, necnõ Theodoricus Gandanus, qui mea ſententia verum Galeni verborum ſenſum exprimunt. Quod ſi quis

cupit

cupit habere in promptu vtráq; huiuſmodi interpretationem, antiquus interpres ſua lingua ita loquitur: *Nam eis quæ à cubito euacuant, & aliud quidem malignum; deſinent enim menſtruales purgationes antiſpares ſanguinis ad corporis ſuperiora. Eis verò quæ à cruribus non ſolùm non antiſpare, ſed etiam prouocare ineſt menſtrua.* Interpretatio autem Gaudaui eſt eiuſmodi: *quæ vero ex cruribus fiunt tantum abeſt vt retrahant, vt etiã menſes promoueant*, quam quidem lectionem & interpretationem codices quoq; Valgriſiani confirmant, quos ſcitis clariſſimi noſtri Paterni opera editos fuiſſe; huiuſmodi enim interpretatione ſcitè priora poſterioribus cõueniunt, priora poſterioribus reſpondent, neque vlla repugnantia aut abſurditas in Galeno poteſt. Altera autem ex parte, ſi quis velit alteram lectionem & interpretationem ſtatuere, quod inter cæteros pertinaciter facit Fuchſius, vt multa in doctrina Galeni abſurda conſequantur neceſſe eſt.

Primùm enim quomodo poteſt ſectio venæ in cruribus ab vtero reuellere, & menſes prouocare? Hæc ſimul non poſſunt conſiſtere. Quæ reuellũt ab vtero menſtruorum prouocationẽ impediunt; quæ menſtrua prouocãt, ab vtero nõ poſſunt reuellere. Deinde ſi generaliter partes ſupra thoracem & in thorace contentæ ſectione venarum in cubito, partes autem inferiores ſectione venarum in cruribus iuuãtur, quomodo Galenus in *lib de ſang. miſſ. c.10.* docet, Podagra laborantibus in cubito, comitiali autẽ morbo & vertigini obnoxios potius in cruribus venas ſecandas eſſe? quomodo Gal. ad cohibẽdũ ſuperfluũ fluxum hæmorrhoïdũ ſectionẽ in brachiis probat? quomodo ſcribit Gal. 10. *de med. ſymp. c.2.* In dolore coxẽdico sãguinẽ primùm ex cubito, deinde ex crurib. mittendũ eſſe? Demum ſi phlegmone vteri à venis in crurib. ſectis perpetuò iuuatur, quomodo Gal. iubet mulieribus vteri inflãmatione laborãtib. menſtrua nõ fore prouocãda? quomodo aſſerit in locis mulíebrib. in contrariũ trahi ſi illę venæ, quæ in cubito ſunt, incidãtur? Sed de hac re ſatis. Facilè autẽ iſthæc omnia ceſſant, ſi intelligamus ad mentẽ Gal. nũc in venas in cubito, nũc in crurib. ſecãdas eſſe, nõ ſolùm pro varia ratione partiũ laborantiũ, ſed etiã pro varia indicatione, quam morbus & cauſa morbi nobis ſuggerũt, vnde vel reuellere vel deriuare, vel ſimul reuellere, & deriuare opus ſit: Ad quem modũ etſi partes, exempli gratia, coxa, veſica, vterus, quæ ratione sũt inferiores thoraci ſectione venarũ in crurib. magis iuuantur: veruntamẽ ſi cõtingat illas vel inflãmatione, vel alio morbo laborare vnde omniũ primũ ſit neceſſe humores ad locũ fluẽtes reuellere, iã licebit venas ſuperiores incidere: ſicuti cõtra, etſi partes ſuperiores cerebrũ, cor, pulmones, quæ ratione sũt ſuperiores, ſectionẽ venæ in cubito magis deſiderãt, nihilominus ſi aliquo morbo laborãt, qui reuellẽdi indicationẽ adferat, tũc licebit venas in crurib. incidere. Quod ſi demũ non reuulſione, ſed vel deriuatione, vel ſimul reuulſione & deriuatione opus fuerit, modò vnã, modò alterã proximiorẽ & cõmodiorẽ venã licebit ſecare. Quæ quidẽ omnia multis Gal. exẽplis facile eſſet confirmare: ſed iis, quæ diximus volumus eſſe cõtẽti, & illud tamẽ addere de ſectione venæ in crurib. vtero inflammatione laborante, quod videtur neſcio quam difficultatem retinere. Cum enim ex vna parte apud Gal. & omnes rationales medicos ſatis cõſtet, inflãmationib. ante omnia reuulſionem conuenire: ex altera autem Gal. doceat inflammationes vteri ſectis venis in cruribus magis iuuari; hinc potiſſimum Fuchſius colligebat huiuſmodi inferiores venas reuellendi ab vtero vim habere, & propterea Græcam literam & interpretationem vulgatam illi reſpondentem ſeruandam eſſe hunc in modum: quæ verò ex cruribus fiunt non ſolùm reuellunt, ſed etiam menſes euocare ſolent. Vnde Fuchſius quoq; vtero & veſica laborantib. docet *lib.3 de med. morb Capp. proprijs* (nec mea ſententia ſine magno errore) ſtatim morbi initio venas crurum ſecandas eſſe.

Ego autem vno verbo reſpondeo, Gal. hoc loco docentem inflammationes vteri ex ſectis venis inferioribus in cruribus magis iuuari, intelligere, non de principio inflammationis, cui certum eſt, reuulſionem & ſectionem venę ſuperioris conuenire, ſed de inflammatione progreſſa, quæ non ampliùs reuulſionem, ſed deriuationem & ſectionem venæ inferioris requirit. Quòd autem venæ ſectio in cubito ab vtero reuellat, venæ in cruribus deriuent, manifeſtiſſimè traditum eſt apud Gal. 2. *ad Glau.* 2. cui inquit, *in locis muliebribus. In contrarium trahes, ſi eas quæ in cubito ſunt, venas, ſecueris, deriuabis autem ſi eas, quæ ſunt in poplitibus ſecueris.* Sed ad inſtitutum redeamus. Inter cætera omnia reuulſionum genera omnium conſenſu ſectio venæ principem locum obtinet, in cuius adminiſtratione Galeni præcepta retinenda ſunt Primùm, ex c. 12. *de ſanguinis miſſione*: Sanguinis miſſionem tanto efficaciorem eſſe, quanto maiorem in numerum particulares detractiones auctæ fuerint, adeo vt non modò ſemel, ſed & bis, ter, & ſæpius liceat quandocunque sãguinem mittere, ſiquidem natura toties excitata & irritata, facilius ac maiori cum impetu aſſueſcit in contrarias partes tranſmittere, quæcunque ad locos laborantes confluunt. Secundum præceptum eſt c. 21. *eiuſdem libri*, quod generaliter pertinet ad omnem iteratam ſanguinis detractionem, in quibus ſtudemus ſimpliciter vacuare, tempus accommodatum eſſe eundem diem, exempli gratia, manè bis, vel manè & veſperi eadem die ſanguis detrahatur. At verò in quibus volumus reuellere, melius foret, ſi vacuatio duobus deinceps diebus fiat, quod veriſimile ſit, naturam hoc modico temporis interpoſito magis moueri & excitari ad tranſmiſſionem humorum in contrarias partes, quàm ſi ſtatim & momento temporis ſanguis detrahatur. Atque hactenus de reuulſione.

Hactenus diximus de reuulſione: poſt reuulſionem ſequitur deriuatio, quæ ſecundum præſidium fuerat, ſeruiens primæ indicationi, vt ne ſanguis ad vterum vehatur. Ac primò cũ deriuatio fiat ad loca vicina, docet Gal. 5. *meth. c.3* quę erũpũt per vterum, vel per vrinas, vel per aluum deriuanda eſſe: itaque licebit capita venarum hæmorrhoïdarum aperire, vel aſpera frictione, vel folio ficus, & ſimili ratione. Nonnulli probant aloën ore ſumptã, quod inquiũt, peculiarem prouocãdi hæmorrhoidas vim habere, quod quidem remedij genus ab iis aduertendum, quid ad prouocandos menſes huiuſmodi venas cõſueuerũt aperire. Sic licebit vel clyſtere, vel leuiore medicamento exempli gratia, caſſia, tamarindis, myrabolanis, prunis & ſimilibus aluũ mouere. Sic demum licebit, quæ ad vterũ cõfluũt, per lotia deriuare, illa exhibẽdo medicamẽta, quæ propterea diuretica appellãtur: etſi multi hinc deriuationẽ, & huiuſmodi medicamentorũ vſum nõ probant, propterea, quòd quæ prouocant lotiũ, eadem quoque prouocandi menſes vim habeant, qui decipiuntur, de qua re poſteriùs tractabimus de fluxu muliebri. Auic. probat vſum cucurbitularũ, quas, inquit, ponendas eſſe ſuper locum inter vtraſq; anchas, id eſt, coxendices. Quamobrem nec ſententia mea foret inutile, ſi cucurbitulæ vel ſcarificatæ, vel ſine ſcarificatione in poſteriore, ac poſtrema parte dorſi in regione oſſis ſacri & oſſis illi ſæpius imponerentur, & ſic fortaſſe hæc veriùs reuulſio quã de-

poneretur,

ponerentur, & ſic fortaſſe hæc veriùs reuulſio quã deriuatio dici debet. Itaq; tot modis licebit fluxionem menſtruorum ad proprias partes deriuare.

Tertiò loco fuerãt præſidia ad primã indicationẽ accõmodata, vt ſãguis ad vterũ nõ feratur, quæ nimirũ animi deliquium inducunt, id quod ſumma cũ ratione euenit. Cum enim deliquium animi non aliter fiat, quàm laborante corde aut primariò, aut aliis partibus conſentientibus: confeſtim ſanguis ad internas partes recurrit, ex quo ægri palleſcunt & refrigerantur, vnde hac ratione ſanguis aliò conuerſus, non ampliùs ad vterum tendit. Hoc verò deliquium animi cum multis modis poſſit induci, exẽpli gratia, triſti nuntio; tum præcipuè ex vehementiſſimis dolorib. facile excitatur: quos quidẽ dolores expedit in partib. ſuperiorib. excitari exẽpli gratia violẽter ligatis brachiis, cõpreſſis digitis manus, ſed maximè omniũ cõſtrictis mammis: quæ vt diximus longè maximũ cum vtero conſenſum habent.

Poſtremò prohibetur ſanguis, vt ne ad vterum defluat viu medicamentorum, quæ refrigerandi & aſtringendi vim habẽt, ita vt ille cohibeatur ac ferè immobilis reddatur. & quoniam huiuſmodi medicamentis conueniunt, fere altera quoq; medicamenta, obſtruentia & adſtringẽtia quę ad poſteriorẽ indicationẽ pertinẽt, nẽpe vt loca vteri aperta, per quæ ſãguis fluit claudãtur, mihi libet de vtriſq; ſimul agere, vt ne cogar ſæpius eadẽ repetere. Itaque huiuſmodi medicamenta, ſunt quamplurima, partim interna, partim externa, ex quibus mihi ſtatutum eſt nonnulla ſeligere, quæ cæteris videntur efficaciora, & quib. ego familiariter vti ſoleo. Interna ſunt decocta, vel quæ ſunt efficacioris ſucci, endiuiæ, portulacæ, hepaticæ, nenupharis: ſed præ cæteris omnibus ſimplicibus medicamentis à Galen 6. *de ſymp. med. facult.* ab Auerroe & omnibus ad cohibendum fluxum ſanguinis plantago ſolet probari, quomodocumque vel ex ſucco, vel puluere, vel decoctione, vel aliter præparetur. Sunt Syrupi, violatus, de endiuia de roſis ſiccis, de portulaca, de plantagine, de agreſta, de ribes: ſunt conſeruæ roſarum, violarum, cichorei, nenupharis: ſunt corallia, margaritæ, bolus armena, terra lemnia, roſæ, balauſtia, acaciæ, hypociſtis: ſunt confectiones diarrhod. Et poſtremò ſunt medicamenta ſtupefacientia. Atq; ſi res valde vrgeat, licet quandoque deuenire ad ſyr. de papauere, diacodion. Philonium. requiem Nicolai, theriac. recent. & alia id genus. Ex quibus variæ medicamentorum formæ poſſunt parari. Habeatis exemplum:

℞. *Syr. de endiuia* ℥. j.
Poſtulaca ℥. ß.
Decocti hepatica,
Plantaginis ℥. iiij.
Miſce pro ſyrupo.

℞. *Succi plantaginis ſiccati ad ſolem* ℥. j.
Spec. diatri. ſantal. ʒ. ß. *M. F. B. poſſunt exhiberi ſimul, vel ante decoctum, vt ſupedictum.*

℞. *Conſer. roſar.* ℥. j.
Nenuph. ℥. j.
Margarit.
Cornu. cerui vſti ana. ʒ. ß.
Boli armena,
Terra lemnia ana. ℈. ß.
Cum ſyr. de plant. q. ſ.
Miſc. & fiat electuarium.

Exemplum medicamenti ſtupefacientis.

℞. *Conſerua roſarum* ℥. ß.
Philonij vel
Requiei Nicolaï ℈. ij.
Miſce, fiat bolus.

Auic. inter plurima eiuſmodi medicamenta probat vſum aceti, quod forte alicui mirum videbitur cum vulgus opinetur acetum magna vi aperiend præditum eſſe. Veruntamen cum Auic. conuenit Galenus, qui 1. *de ſimp. med. c.* 18. *&* 19. aſtringendi vim habere, & ſanguinem ſupprimere, ſcribit. Illud verò exhibendum eſt non ſolum ſed aqua temperatum, *poſcam* nominant, ſicuti in ſanguine erumpente ex thorace exhibetur à Galeno 5. *meth.* 8. Sed non deſunt qui alia ratione aceti vſum in præſenti caſu non probant, quod nimirum videatur mulieribus, & vtero aduerſari, vt docent Hip. & Gal. 3. *lib. de ratione Vict. in morbis acutis* 39. Ac reuera cum ſint in promptu alia medicamenta, quæ nullam continent difficultatem, mihi quidem tutius videretur, ſi medici ab illo abſtinerent.

Sed ad medicamenta externa progrediamur, quæ pariter plurima ſunt, ac variis modis conficiuntur, tametſi omnia eandẽ ferè naturã obtinent, nimirũ medicamẽta, quę aſtringẽdi & obſtruẽdi vim habẽt.

Inter medicamenta externa ſunt primùm peſſaria quæ, vt ſæpe diximus, ſunt medicamenta duriuſcula, oblonga inſtar ſuppoſitorij, vt commodè mulierib. ſupponi poſſint. Et ſit exemplum

℞. *Balauſt.*
Puta.
Cort. gran.
Myrtillorum ana ʒ. ß.
Mellis q. ſ. miſce, fiat peſſarium.

Sed aliquãdo licet huiuſmodi pulueres excipere vel lana, vel bombyce, vel linteo ſerico tenuiſſimo, ſimul cũ alb. oui oleo coton. aut ſimilib. & ita medicamentum ſupponere. Deinde ſunt medicamẽta liquidiora, quæ accommodato inſtrumento inſtar clyſteriorum in vterum iniiciuntur, quos quidem vteri clyſteres, vt Galenus not. 5. *meth. c.* 11. Medici Metrenchytas, appellant. Et ſit exemplum.

℞. *Balauſt.*
Cort. granat.
Hypociſtid.
Acacia,
Tragacanti ana. ʒ. ß.
Decoctionis rubi,
Sumach.
Conſolida, vel eius loco decoctionis ſucci,
Plantag. ʒ. iiij. *miſc.*

Tertiò ſunt lotiones & balnea in quibus mulierés debent incidere, inter quæ longiori experientia mihi compertum eſt ſi crura & coxæ mulierum lauentur ſimpliciter aqua frigidiore, tunc ſuperflua menſtrua maximè iuuari, & quandoq; ex toto ſupprimi. Sed tamen alia quoque balnea parari poſſunt, ex decocto plantag. portulacæ, lentiſci, myrtillorum, conſolidæ, cort. granat. balauſt. & ſimilibus conficiuntur, in quibus quidem ex præcepto Gal. l. 4. *meth. &* 7. ſumpta indicatione à ſitu partis laborantis, oportet nonnulla permiſcere, quæ vim eiuſmodi medicamentorum ad eum poſſint deducere, ſicut facit Auic. qui ſimul cum cæteris medicamentis admiſcet calamenthum, tanquam reliquorum vehiculum, etſi ille ab ignaris medicis reprehenditur & irridetur, qui methodum conficiendi medicamenta non intelligunt. Poſtremò ſunt linimenta, epithemata, emplaſtra, quæ pectini, dorſo & partibus proximis ſolent adhiberi. Ac primùm ſunt olea citoneorum, myrtin. maſtich. Quod ſi quis præterea velit oleum adſtringens ſibi parare, is Galeni regulam debet ſeruare, quam ille tradit 4. *tuend. val. c.* 8. Ea verò eſt, vt ſimplicia medicamenta decoquantur in oleo adſtringente, cui præterea adiungatur portio vini aquæ, ne medicamenta torrefiant. Decoctio autem fiat in duplici vaſe B. M. appellant, donec vinum vel aqua conſumpta fuerit. Exemplum eſto.

℞. Ol.

℞. *Ol. oliu. adſtringentis, vel omphacini lib. ij.*
Cort. granat.
Balauſt
Rhu. obſoniorum,
Hypociſtis ana. ʒ. j.
Vini auſteri aſtringentis lib. ß. Contundantur omnia craſſo modo, & in vaſe vitreo bene obturato fiat decoctio, vt ſupra.

Deinde ſunt epithemata, quæ ex aquis ſtillatitiis aut ſuccis fieri ſolent.

℞. *Aquarum Roſarum ℥. iiij.*
Plantag.
Nenuph. ana. ʒ. ij.
Troch. de camphora,
Carabe, ana. ʒ. j. ß.
Miſce pro epithemate.

Quod non ſolùm extra, ſed etiam intra locos muliebres poteſt adhiberi. Pariter cataplaſmata, emplaſtra, quæ, ex iiſdē medicamētis cōponuntur, atq; ex iis quæ hactenus dicta ſunt, facilè poſſunt intelligi.

Sed in officinis ſunt duo vnguenta, alterum comitiſſæ, alterum decoct. caſtaneatum, quæ inſigni aſtringente facultate prædita ſunt: quorū frequens eſt vſus apud medicos ad cohibendos ſuperfluos menſes, imò verò ad prohibendū imminentem abortum. Medici autem ſicut diximus, vt plurimum dorſo, nonnulli etiam pectini mulierum hæc medicamenta ſolent apponere, quamuis forte huiuſmodi vnguenta & medicamenta hac in re non tantā operā præſtēt, quantā multi opinātur: cū veriſimile ſit eorū vim non parū remitti & labefactari antequā ad vterum poſſint peruenire. Vnde mea quidē ſententia longè magis medicamentis intra locos mulieris impoſitis, quam externis fidendū eſt. Quæ hactenus de curatione immoderati fluxus mēſtrui à nobis tradita ſunt, vnius potiſſimùm ſymptomatis videntur rationē habuiſſe, ſed iſtud non eſt ſatis, niſi cauſæ ſymptomatis ſimul aſſectantur. Hæ autem cum ſint plures, certum eſt cuiq; propriam curandi rationē conuenire. Sed cum non liceat omnia perſequi, nos de iis tantùm vna vel altera, exempli gratia, ſermonem habebimus, quæ cæteris ſunt maioris momēti & frequētiores. Itaq; ſi menſes ſunt immoderati ex nimia copia ſanguinis: ille ante omnia minuendus eſt, ac potiſſimùm ſectione venæ & ea quidem copioſa, cum hinc nullum periculū virium videatur imminere: ſic tenui victus ratione, atque iis alimentis, quæ parum nutriunt, exempli gratia, piſciculis herbis, cucurbito, & ſimilibus: ſic exercitationibus, frictionibus & aliis modis licebit ſāguinis copiā minuere. Si verò ſanguinis non copia ſed nimia caliditate, tenuitate, acredine fuerit vitioſus, quod contingit frequentiſſimè, tunc præcipua ſeſe offert remittendi & corrigendi huiuſmodi prauas qualitates indicatio. Et quoniam ſanguinis aut maiori ex parte aut ſemper talis fit propter calidiorē iecoris intemperiē: idcirco refrigerationi huius viſceris in primis attendendū eſt. Et in hoc caſu inter cætera omnia præſidia aquæ thermarū frigidiores habent inſignē prærogatiuā, quales ſūt aquæ B. Virginis. Villenſes, & quæ omnium ſunt efficaciſſimæ, Chaldetianæ. Sed antequā ad hæc alterantia veniamus, non ſolùm vtile, ſed forte etiam neceſſarium fuerit, aliquā leuiorem purgationem adhibere, propter vitioſos humores, quos veriſimile eſt ſanguini permiſceri. atq; eſſe tanquam vehiculum, vnde ille facilius ad vterū deducatur. Itaq; redundante flaua bile, excipiatis in bolo caſſiam cum thamarindis in potione ſyr. roſ. ſol. myroba. & potiſſimū citrin. rhabarbaro ex ſero lactis, & ſimilib. Et ſiut exempla.

℞. *Flor. caſſ. recent extracta ℥. j.*
Pulpa thamarind. ℥. ß.
Spec. diarrhod. ʒ. ß. Miſce fiat potio.

℞. *Myrobal. citrin. ʒ. ſ.*
Rhab. elect. ʒ. j. fiat infuſio ſ. a. in ſero lactis vel decoctione fructuum q. ſ. & facta colatura adde
Syrup. roſ. ſolut. ℥. j. ß.
Miſce, & fiat potio:

Si redundet ſalſa pituita vel melancholia, exhibeatis agaricum, myrobal. chebulas, elect. lenit. & ſi opus fuerit, confect. hamech. Neque verò vnquam prætermittendū eſt, quin præcipuæ cauſæ & fontē proſpiciamus, exempli gratia, cerebro, iecori, ventriculo (in his conſiſtit vera curatio) vnde hi humores ſolent originem habere. Victus ratio, vno verbo, ſunt alimenta boni ſucci, facilis concoctionis, & quæ ſpeciatim poſſit quoquo modo ſanguinem craſſiorem reddere, atque illius fluxibilitatem impedire, qualia forent edulia ex farre, panico, oriza, lentibus, citonea, granata. meſpila, & omnia mala aſtringentia. Herbæ, lactuca, plantago, portulaca, conſolida, polygonum; carnes auicularum, quadrupedum, ac præcipuè ſyluestrium, ex quibus, cerebra, pedes, & viſcera omnia, quæ cæteris partibus videntur viſcidiora, principem locum habent. Potus ſit vel vinum oligophorum aſtringens, vel aqua in qua plantaginis folia, radices & ſemina decocta fuerint, vel quid ſimile. Atque hactenus de ſuperfluo fluxu muliebri.

Capvt VI.

De Vteri profluuio, ſeu Menſtruis albis.

Eſſentia. Altas de menſtruis tractantes diximus profluuium muliebre, & immediata menſtrua inter ſē differre, quod manifeſtiſſimè colligitur ex Galeno, qui *6. loc. aff. ad finem* tractat de immoderatis menſtruis: deinde tractationem perſequitur tanquam de re diuerſa, de profluuio vteri, quod, ille inquit, *muliebre profluuium* appellatur. Sic Aetius inter cæteros duo ſeparatim facit capita *lib. 16.* Alterum c. 64. *de nimia menſium purgatione.* Alterum 65. *de fluxu muliebri ex Archigene.* Sic Paulus duo ſeparatim facit cap. de huiuſmodi affectibus duobus. Differentia autem eſt huiuſmodi, quòd in menſtruis immoderatis ſanguis propemodum ſinceerus effluit: in fluxu autem muliebri planè varia prodeunt excrementa, per quæ vniuerſum corpus ſolet purgari, de quibus poſtea ſtatim ſermonem habebimus. Itaque profluuium vteri, vt ex Galeno colligitur *in lib. 3. de ſymp. cauſ. cap. 4. & 6. loc. aff. ad finem c. 5.* non aliud inquā eſt quàm deſtillatio vteri diuturna, per quā vniuerſū corpus expurgatur, quod quidem exiens immutatum inter deprauatas vteri fluxiones reponitur à Galeno 3. *de ſympt. cauſ. c. 4.*

Differentia. Differentiæ huius ſympt. plurimæ ſunt, ſed communiores & potiores ſumuntur à qualitate excrementorum, quæ effluunt, quæ, vt dixi, planè varia ſunt. Namque huiuſmodi excrementa, modò rubra, modò flaua, nunc pallida, nunc nigra, quandoq; alba, quādoq; viridia, interdū ſeroſa & aquoſa, ac forte aliis colorib. & qualitatibus prædita apparēt: quæ quidē, inquit Galenus, talia ſunt ſpecie, quale eſt id, quod in animante redundat. Etenim exempli gratia, ſi quod effluit quoquo modo rubrū fuerit, ſanguinem: ſi flauum aut ſubpallidum, flauā bilem: ſi album, pituitam: ſi aquoſum, ſeroſa excrementa certum eſt redundare in corpore. *An mulieres laborent gonorrhæa.* Sed præter hæc omnia dubiū videtur, an mulieres laborent gonorrhæa, id eſt, ſeminis profuſione, ſicuti viri facere ſolent. Nonnulli forte conſentientes Peripateticis, qui videntur mulieribus nullum ſemen tribuere, inquiunt, hoc vitium propriè virorum eſſe, minimè mulierum. Quibus ipſe quoque Gal.

quo

quoquo modo videtur fauere, qui vbicunque tractat de huiuſmodi ſymptomate, tanquam de proprio virorum ſymptomate videtur de illo mentionē facere. Altera autē ex parte, cùm mulieres quoque ſicuti viri habeant ſuos teſtes & vaſa ſeminaria, eaq; frigidiora & imbecilliora, cum pariter non careant ſemine, atq; illo quidem crudiore & tenuiore, cum demum in mulieribus eædē cauſæ poſſint cōuenire, quæ in generanda gonorrhæa in viris concurrunt: mihi planè videtur conſentaneum rationi & rei naturæ, mulieres non minùs quàm viros hoc ſymptomate laborare poſſe. Sed illud notandum eſt, quod mulieres totā huiuſmodi fluxionē, quandocunque & qualiſcunque ea fiat, alba menſtrua ſolent appellare, quod omnino alba quædam excrementa perpetuò cæteris cōmiſceantur. Nonnulli autem quærunt hoc loco, ſicut non ſolùm mas, ſed etiam mulier laborat gonorrhæa, an pariter nō ſolùm mulier, ſed etiam vir, mēſtruorum alborum fluxione poſſit laborare, quæ fluxio in maribus proportione muliebri fluxioni reſpondeat? Et ſi verò multi id negant, & potiſſimū adducti argumento, quòd mulieres ſint viris frigidiores, ac propterea plurib. quoque quàm viri abūdent excrementis veruntamen non mihi videtur alienum à ratione & natura mares quoq; eiuſmodi fluxione laborare. Ac ſanè ego ſentio medicos frequenter hallucinari, qui opinantur ægrotas profuſione ſeminis laborare cū magis aliorū excrementorum fluxione laborēt, ſiquidem videmus plurimis ægrotis hoc profluuiū multos annos perdurare, ex quo profluente ſemine neceſſarium foret illos ad extremam maciem & conſumptionem corporis deduci, ſicut iis ſolet contingere, qui immoderato coitu vtuntur, quod tamen non videmus illis contingere.

Cauſa. Conuenit inter omnes legitimā & propriā cauſam profluuij vterini non aliam eſſe, quàm nimiam copiam excrementorum. Sed vbi & quomodo huiuſmodi excrementa generentur, non cōueniunt inter omnes, *cauſa*, inqui Trincauell. *quæ corruptum humorem aſſiduè gignit, aliàs in principibus partibus*

Locus aſſectus an vterus. *conſiſtit.* Sic Mercurialis & cæteri fere omnes hanc rē tractantes & cōſentientes Trincauellio, cauſam profluuij muliebris, vel in totum corpus, vel in partes principes, vel in vterum referunt. Vnus Alt. cōtendit vterum nequaquam affectum eſſe, qui inquit, huiuſmodi affectionem nullius determinatæ corporis partis ſtatui poſſe, pro ſe afferens Gal. auctoritatē 6. loc. aff. ad fin. Quā quidē Altimati opinionē Mercur. inter cæteros conatur euertere, docens in profluuio muliebri interdum vniuerſum corpus, interdū vterū laborare. Et quoniam, vt dixi, hæc res eſt difficilis, ſed maximè pertinet ad curationē, mihi liceat hanc difficultatem, in primis verò Gal. ſententiam paulo altiùs examinare, cū vterque tam Mercurialis, quam Altimatus profiteatur cum Gal. doctrina ſuam opinionem tueri. Itaq; Merc. dupliciter aduerſus Altimatum agit: primùm quidem verba Gal. quę ſonant in profluuio muliebri vterū non laborare, ita interpretatur, quaſi non aliud ſignificaret, niſi quod ſæpe vterus ſit affectus, ſed nō ſemper. Deinde Merc. hác auctoritate Auic. confirmat opinionem, qui ſcribit hoc malū fieri non ſolū ob ſuperfluitatem humorū, verùm etiam propter imbecillitatē venarū vteri menſtrualiū. Sed ad Gal. accedamus, qui duobus potiſſimùm locis de hac re ſermonem habet. Altero *lib 6 de loc. aff. c.5.* Altero *3. de ſym. cauſ. c.4.* Priori igitur loco Gal. cum ſermonem habuiſſet de ſymptomatib. quæ retentas menſtruas purgationes ſolent ſubſequi, deinde ad muliebre profluuiū tranſit, de quo affectu hæc habet: *Verum accidit interdum fœminis vtero nihil laborāte muliebre vocatum profluuium, cum vniuerſū corpus per ipſum expurgatur, quemadmodū interdū per renes quoq; euacuatur. Contingit potiſſimum iis fœminæ quæ tenuiori & pituitoſiori habitu præditæ ſunt. Has vtique intacto vtero per remedia, quæ toti corp. adhibentur, ſanauimus.* Hac verborum ſerie, ni ego fallor tantum abeſt, vt Galenus doceat, in profluuio muliebri ſæpe vterum laborare, quod contendit Merc. vt ille quidem mihi videatur planè cōtrariū docere, nempe in huiuſmodi ſymptomate hanc partem minimè affectam eſſe. Nam prætetquam quod illius verbis id ſignificatur apertiſſimè huius quoque ſuæ ſententiæ rationes adiungit. Primam, quòd affectio ſit vniuerſi corporis, quæ per vterum expurgatur, ſicut illud per renes quoque quandoque ſolet euacuari. Secundam, quòd hoc genus mali mulierib. pituitoſis, laxa & tenera carne prędiitis, ſoleat in primis contingere. Tertiam, quæ fundata eſt magno Hip. argumento: Oſtendit autem ſanatio, quòd nimirum ille intacto & neglecto vtero huiuſmodi mulieres ſanauerit per ea remedia, quę toti corpori adhibētur. Quod ſi vterus quoque laboret, vt hæ rationes ſint nullius momenti, imò planè inutiles & falſæ neceſſarium eſt.

Alter locus Galeni. *3. de ſymp. cauſ. c.4.* Cum Galenus tractaſſet de cauſis ſymptomatum, quę ad omnes corporis vacuationes generaliter pertinent: mox tranſit ad cauſas ſymptomatum, quæ ad menſium ſuppreſſionem, nec non ad deprauatam omnium quę ex vtero manant, expulſionem attinent. Itaque primùm expoſitis cauſis ſuppreſſionis menſium, de quibus iam ſatis dictum, tandem veniens ad deprauatas fluxiones per vterum hęc habet: *Cæterū deprauatæ fluxiones per vterum fiunt, expurgata per hanc partem corpore vniuerſo. Vocatur autem id ſymptoma fluxus muliebris. Eſt autem id quod vacuatur perpetuò tale, quale eſt id, quod in animanto redundat.* Ac poſtremò hæc addit: *Præter hæc deprauata ex vtero fit vacuatio, propter malū aliquod in ipſo factum.* Quę hoc loco ſcribuntur à Galeno, planè mihi videntur iis conſentire, quæ priore loco L. A. expoſita ſunt, nempe vterum in muliebri profluuio nequaquam laborare. Cum enim ille doceat deprauatam fluxionem vteri, fluxus muliebris dicitur, fieri toto corpore per eam partem expurgato, ac ſimul ſingulorum excrementorum in corpore redundātiū naturā & differentiā exponat ſatis cuique poteſt conſtare, huiuſmodi affectū minimè ad vterum, ſed vniuerſum corpus pertinere. Poſtrema autem verba manifeſtiſſimè mihi videntur iſtud confirmare, quaſi Galenus id velit, ſe hactenus de deprauatis fluxionibus per vterum dixiſſe, in quibus vterus nihil laborat, ſed præter huiuſmodi ſymptomata nonnunquam deprauatam ex vtero vacuationem fieri, in qua aliquod malum in ipſo vtero excitatum eſt. Ac ſanè ſi quis diligenter hūc locum conſideret, & rationes à Galeno expoſitas expēdat, is facilè, vt puto, fatebitur, de illius ſententia in profluuio muliebri vterum nequaquā laborare. Itaque ego quidem cenſeo, Mercurialem hac in parte Galeni mentem non fuiſſe aſſecutum, ac temere Altimati opinionem redarguiſſe.

Quantū pertinet ad Auic. locum, quē pro ſe affert Merc. etſi illius auctoritas parum, aut nihil me mouet, vbicūq; ille vult diſcedere à Galeno: Verūtamē nec hic locus Auic. fauet Mercuriali. Nam Auic. ſcribit, mulierib. accidere fluxiones ex matrice, & propter multitudinem ſuperfluitatū & propter debilitatē digeſtionis in venis nō vteri, vt refert Merc. ſed in venis menſtruorū. Quæ quidē verba, ſi quis velit interpretari de coctione, quæ fit in venis, ex quib deinde præparetur materia menſtruorū, forte hæc ſententia à Galeni mēte non erit aliena. Sed ad cauſas redeamus. Cū ſtatutū, ſit in profluuio mulie-

bre

Digitized by Google

bri purgari varia excrementa, qualia redundant in corpore, nihil dubium eſſe debet quin omnia, quæcunque huiuſmodi excrementa poſſunt gignere, & in corpore coaceruare, cauſæ ſymptomatis ſtatuendæ ſint. Et ſi verò in tradendis propriis cauſis huius ſymptomatis, plerique omnes admodum confusè agunt: tamen Gal. ſatis apertè & accuratè mihi videtur illas explicare, qui in li. *de diff. ſympt. c. 9.* ſcribit fluxum muliebrẽ fieri, vel propter imbecillitatem facultatis retentricis, vel quia facultas expultria immoderatè mouet, vel propter vitium & læſionem vtriuſque facultatis, vel demum quià totus ſanguis ſeroſus ac tenuis redditus eſt. Ergo quotieſcũque in corpore gignuntur, & coaceruantur excrementa, quod fieri poteſt, vel vitio partium naturalium principalium, ac maximè earum, quæ ſeruiunt coctioni, e.g. ventriculi, iecoris, vel vitio vniuerſi corporis, quòd improbè nutriatur, vel propter externos errores in omnibus ſex rebus non naturalibus, ac potiſſimùm ventriculi ratione; tunc ſi facultas retentria fuerit imbecilla, vel expultrix immoderate moueat, vel vtraque facultas laboret, vel totus eo ſanguis tenuior ac ſeroſior reddatur, tunc contingit fluxum muliebrem fieri. Et quoniam Gal. ſæpenumero demonſtrauerat, quando facultates lædantur, & in ſuis operationibus deficiant, hac parte prætermiſſa de facultatibus, ſtatim tranſit & declarat, quomodo ſanguis tenuis & ſeroſus reddatur, qui inquit, huius quoque ſymptomatis multiformem eſſe generationem, & generari propter multas cauſas.

Inter cæteras cauſas profluuij muliebris Galen. poſuerat ſanguinem tenuiorem & ſeroſum, cuius quidem ſeroſi ſanguinis generatio apud eundem eſt multiplex, ſiquidem error contingit, vel in facultate ſanguifica, quæ deficit à ſuo munere, quod in hydrope apparet manifeſtè; vel error contingit in facultate ſeparatrice, quæ id non poteſt ſeparare, quod in ſanguine tenue & ſeroſum eſt; vel in facultate expultrice, quæ partem ſanguinis ſeroſam non poteſt purgare; vel demũ error contingit in facultate retentrice, quæ immoderatè fungitur ſuo munere, nec non cute denſata & ternibus conſtipatis, ex quo ſumma cũ ratione fit, vt ſanguis tenuis & ſeroſus propter varias cauſas retentus videatur in corpore redundare. Hunc locum Gal. ego volui paulò lõgius tractare, quod nemo hactenus videatur illum intellexiſſe & explicare. Mercur. inter cęteros inquit, hunc locũ valdè eſſe difficilem, atque in eo explicando multum laborat, ſed mea ſententia infeliciter, qui minimè Gal. mentem aſſecutus totam illius doctrinam ac totum eiuſmodi locum peruertit. Cum enim Gal. perſpicuè & diſtinctè exponat primum cauſas fluxus muliebris, deinde cauſas tenuitatis & ſeroſitatis ſanguinis. ſicuti iam ſatis explicauimus, Mercurialis vtraſque cauſas confundit, ac ſi omnes ad fluxũ muliebrem pertineant; adeo vt ille tandem quærat quomodo fieri poſſit, vt propter læſionẽ facultatis retentricis, quæ magis retineat quàm conueniat, quomodo inquã, fluxus muliebris fieri poſſit, cum ſit magis conſentaneum rationi, valida exiſtente facultate retentrice fluxionem magis cohiberi, quàm prouocari, quod quidem problema nihil ad rem pertinet: ſiquidem Gal. non inquit, robur facultatis retentricis eſſe in cauſa, vt fiat fluxus muliebris, quod ab omni ratione & à ſeipſo & à natura eſſet alienum, qui inter cæteras cauſas huius ſymptomatis poſuerat primo loco imbecillitatem facultatis retentricis, quippe robur & imbecillitas contraria ſunt, repugnant inter ſe, nec ſimul poſſunt conſiſtere: Sed Gal. docet propter errorem facultatis retentricis, quæ immoderate fungitur ſuo munere, ac præter modum retinet, quæ non ſunt retinenda, propter hanc cauſam ſanguinem reddi tenuiorem & ſeroſiorem. quod quidem conuenit rationi, nec vllam in ſe continet difficultatem.

Signa quæ fluxum muliebrem demonſtrant, vel hoc vno argumento ſiunt euidentiſſima, quòd loci muliebres perpetuò ſint humidiores & madidi, de quib. loquitur ſpeciatim Hip. 2. *de morbis mulierum pag. 353 ad finem in Frobeniano.* Sed præterea apud Auic. Paul. Aet. ſunt alia ſigna animaduertenda, e.g. *Signa pathognomonica* faſtidium ciborum, difficilis ſpiratio, improbus color vniuerſi corporis, & alia id genus, quę facilè ad redundantiam excrementorum, ac ad malum corporis habitum poſſunt referri. Sed cum varia om- *Signa diff.* nia fluant excrementa, rubra, pallida, alba, &c. quæ perpetuò apud Gal. talia ſunt ſpecie, quale id eſt, quod in animali redundat, ante omnia oportet nos intelligere, qualianam excremẽta profluant, & redundent in corpore, in qua cognitione & diſtinctione ferè tota ſumma huius erroris videtur conſiſtere. Etſi enim ex dolore, habitu corporis, excrementis, & præcedente victus ratione non eſt admodum difficile de redundante excremento iudicium facere, tamen huius adhuc quoddam ſignũ, ac facilè experimentum traditur ab Hip. 2. *de morbis mulierum*, quod ſine labore poteſt nos deducere in cognitionem huiuſmodi humorum. Illud verò eſt, vt lintea infecta, arefacta, ex ſimplici aqua lauẽtur & ſiccentur in vmbra, & poſtea inſpiciãtur diligenter, ſiquidẽ ea ratione lota & ſiccata manifeſtiſſimè colorem redundantia excrementi ſolent referre, quod quotidiana experientia demonſtrat eſſe veriſſimum. Verùm hoc non eſt ſatis: etenim facti vbi certi fuerimus, hunc vel illum humorem, hoc vel illud excrementum redundare, id præterea neceſſariò requirendum eſt, quomodo huiuſmodi humores in corpore generentur, vt ne in eum errorem incidatis, in quem Gal. inquit medicos frequẽter incurrere, & in quem quoque fatetur ſe incidiſſe *lib. de præcogn. ad poſthum. 6.* Cũ medici euacuant id excremẽtum quod redundat in corpore, ne autẽ aliud ſimile illic generetur non prohibent, ſed nec difficile eſt illud intelligere. Si enim humores fuerint biliosi & calidiores, quales referũt colores flaui, pallidi, virides, liuidi, tunc maiori ex parte illi vitio iecoris generantur, quòd membrum calida & ſicca intemperie laboret. Si fuerint humores pituitoſi, quales referunt colores albicãtes, tũc eorũ generatio pẽdet, vel ex multis humorib. ac deprauata victus ratione, vel ex vẽtriculo, qui aliqua intẽperie ac potiſſimũ frigida & humida laboret. Si fuerint humores ſeroſi, hoc vix ſine iecoris vitio poteſt fieri, quod aliquo modo ſit refrigeratũ adeo vt probũ ſanguinẽ nequeat generare Hoc idẽ de cæteris excremẽtis, ſi quæ ſunt, ſtatuẽdũ eſt. Poſtremò autẽ ea reſtãt ſigna quæ fluxionẽ muliebrẽ à gonorrhæa & fluxu ſeminis poſſunt diſtinguere, quæ quidem ſigna potius quibuſdam ſignis coniecturalib. quam certis ſignis haberi poſſunt. Namq; ſemen profluẽs quoquo modo craſſius eſt, profluit minore quantitate, & minus fætidum, ferè ſemper coloris albicãtis. Cõtrà verò cætera excremẽta ſũt tenuiora, copioſiora, fœtidiora, neq; eundem ſẽper referunt colorẽ. Sic mulieres longè magis in gonorrhæa, quã fluxu muliebri tabeſcunt, & cõſumũtur, ex coitu meliùs ſe habẽt, quib. porrò liceat addere pręcedẽtẽ victus rationẽ pleniorẽ, delicatiorẽ ac maximè alimentorũ, quæ poſſunt ſemẽ gignere, & augere, abſtinentiã veneris, & alia id genus. Sed iã aggrediamur curationẽ, hîc duæ præcipuè ſe offerunt nobis indicationes. Prima eſt, quæ pertinet ad purgationẽ vniuerſi corporis. Secũda, quæ per- *Indicationes* tinet ad tollendos morbos earum partium propter *curatiuæ.*

quos morbos varia illa escrementa generantur. Verùm autem liceat ſatisfacere iis indicationibus, ſciendum eſt, generaliter huiuſmodi ſymptoma, qualecunque illud fuerit, & à qualicunque cauſa proueniat, ad medicandum periculoſum & pernicioſum eſſe, nec niſi difficilè curari, ac mulieres ſæpenumero ad malum habitum, ad hydropem, & tabem, & alia grauiſſima mala deducere. Sed inter cætera mulieres muliebri fluxu laborantes ſterilitate tanquam proprio, & inſeparabili ſymptomate ſolent laborare. Verùm nulli dubium eſſe debet, quin pro varia cauſa, pro profluente varia materia, pro varia temperie, ætate, & aliis differentiis, nonnullæ mulieres faciliùs, nonnullæ difficiliùs, aliæ nulla ratione poſſint ſanari. Sed ſupponamus eſſe ſpem aliquam curationis, & illam aggrediamur, & incipiamus à purgatione redundantis humoris. Et quoniam huiuſmodi humores redundãtes, ſicut dictum eſt, poſſint eſſe multiplices, ad veſtram vtilitatem ſingulos breuiſſimè perpẽdamus, incipientes à bilioſo humore. Hoc autem loco antequam curationem incipio id cupio vos memoria tenere, nullũ forte ſymptoma, nullum forte morbum deteriùs ac pernicioſiùs curari, quàm fluxum muliebrem; ſiquidem nemo ferè eſt, non ſolùm ex mulieribus & vulgo, ſed etiam ex vulgaribus medicis, qui non principio & omni tempore vtatur ſuis medicamentis aſtringẽtibus, roſis, oſſibus meſ. pilorum in puluere, corallis, maſtiche, acacia, hypociſtide, & ſimilibus, quæ quidem temere adminiſtrata, & ante communem corporis purgationẽ, impedita eſcrementorum fluſione, poſſint eſſe in cauſa, vt talia eſcrementa alias præſtantiores partes petant, & grauiſſima pericula ſecum afferant. Quod inter cæteros præclarè notat Aetius, *lib.16. ca.16* quare vos perpetuò diſcatis ab eiuſmodi pernicioſo errore cauere. Pro purgatione bilioſi humoris cum morbus det inducias, primò leniori aliquo medicamento licet aluum lenire & inter cætera omnia, caſſia in hoc caſu videtur propriè locum obtinere: etſi non ignoro, plurimos medicos ab vſo caſſiæ in mulieribus abſtinere. Lenita aluo, communiter practicantes propè omnes nihil cogitant de ſecanda vena, à quo remedio redundantibus bilioſis humoribus docent perpetuo abſtinendum eſſe, de qua re aliàs. Vos contrà ſi præſentes ſcopi conueniant, nullo modo hoc remedium prætermittatis, ſecando venam dextri cubiti. Ex quo præſidio duas maxime vtilitates licet vobis conſequi; alteram, reuulſionem à partibus ſubiectis, & laborantibus ad partes ſuperiores; alteram, refrigerationem ipſius iecoris, quod membrum, vt diximus, & paulò poſt repetemus, ferè ſemper laborat. Secta vena præparetur materia cum iis, quæ moderatè refrigerant, & moderatè abſtergunt, qualia ſunt ſyr. roſ. recens, de cichorea ſimples, de endiu. de ſoncho. Decocta item ſint cichorei, ſonchi plãtaginis, & ſimilium. Deinde accedaris ad purgationem cum tamarandis, myrobal. citrinis, cum rhabarbaro, quod eſt præſtantiſſimũ, (tamarindi hoc loco conueniunt, quia parum conſtringunt, in initio verò non admittuntur.) Illud poſtremò memoria tenendum eſt, vt caueamus à valentioribus & ſcammoneatis medicamentis. Demum verò facta ſemel, aut ſi opus ſit, repetita purgatione ad partem præcipuè laborantem, tanquam ad cauſam & fontem, vnde eiuſmodi humor originem habet, deueniendum eſt. Hæc autem pars non alia quam iecur ſtatuit poteſt aut debet. Itaque hoc tempore licet vti iis medicamentis, quæ calidam iecoris intemperiem poſſunt auferre, intra ſaccharo roſ. violaceo, ex floribus cichorei, confect. diarrhod. triumſandal. ſero lactis, aquis thermalibus frigidioribus: extrà inunctionibus, epithematibus, balneo aquæ dulcis, & cæteris id genus præſidiis, de quibus in publicis lectionibus ſatis diximus.

Curationis præſidia.

Diximus de purgandis humoribus bilioſis. Si redundent humores pituitoſi lenienda eſt aluus cum melle roſ. ſol. vel hiera ſimpl. vel hiera ſimul cum caſſia: præparetur materia cum ſyrup. de betonica, de hyſſopo, cum melle roſ. cum betonica, meliſſa, hyſſopo & ſimilibus Poſtremò ad purgationem accedendum eſt, cum agarico, turbith, mirob. cheb. hiera pacbij. diacathol. & diaphæn. Quod ſi pituita fuerit ſalſa, tunc confectio hamech, vel pilulæ cocchiæ forent præſtantiſſimæ. Hic pariter omnes prætermittunt ſectionem venę, propter copiam humoris crudioris & frigidioris. At verò niſi maxima vrgeat cruditas, adeò vt vel in præſentia, vel in poſterum aliquod periculum viribus videatur imminere, nec mea ſententia huiuſmodi præſidium eſſet prætermittendum. Et quomodo vbicunque lædunt pituitoſi humores in corpore, ventriculus ſemper ferè laborat, & quidem maiori ex parte intemperie frigida, & humida, idcirco poſt purgationem ille calefaciendus, ſiccandus, roborandus eſt: extra cum ol. nardino, de abſynthio, cum fomentis ex decoct. menthæ, calamenthi ſimilibuſque: intrà, cum aromat. roſato, diacymino, diacalamẽtho, cum magnis antidotis Theriaca & Mithridat. Verùm ſciatis, aquas thermarum calidiores inter omnia præſidia principem locum obtinere. Ac ſanè id ego vobis verè poſſum teſtari, me plurimas mulieres vidiſſe hac differentia fluxus muliebris laborantes, quæ potione potiſſimùm aquarum Aponenſiũ prorſus ſunt liberatæ. Si totum corpus ſcateat humoribus melancholicis, qui ſint exuſti, & acriores, quod potiſſimùm vitio iecoris ſolet cõtingere, eadem fere inſtituenda eſt curatio, quæ de redundantia bilioſi humoris tradita eſt. Leniatur aluus cum caſſia, cum elect. lenit. & modica portiuncula hieræ ſimpl. incidatur vena dextri cubiti aut ſiniſtri. Si lien malè fuerit affectus, præparetur materia cũ ſyrup. de fumo terræ ſimpl. de borrag. cum decoct. cichorei, borrag. bugloſ. ac demum purgetur cum myrobal. nigris, ſena, epithymo ſed præ cæteris omnibus cum cort. hellebori nigri aut cum medicamentis compoſitis, el. diacath. conſ. hamech. &c. Demum verò ſi in fluxu muliebri prodeant excrementa aquea & ſeroſa, haberis curationem traditam à Galeno in muliere nobiliſſima Romana in libro de præcognit. Et quoniam huiuſmodi hiſtoria & ſanatio continet nonnullas arduas difficultates, & digna eſt maxima notatione: mihi libet paulo accuratiùs eam perpendere & examinare. Conſulto prætereo totam narrationem hiſtoriæ, etſi illa eſt pulcherrima, & lectione digniſſima, cum ea facilè poſſit legi ab vnoquoque apud Galenum: ſed ſtatim venio ad partem, quæ curationẽ ſpectat. Laborante ergo vxore Boëthi muliebri profluuio, illius vir præcipuos quoſque Romanos medicos, atque inter cæteros Galenum pro illius conſultatione, & curatione conuocauit. Inter quos conuenit, ea remedia fore adminiſtranda, quæ ab Hippocr. & aliis poſt Hippocratem optimis quibuſque medicis tradita fuiſſent, quæ in ſumma cõtendebant, vt non ſolùm vterus, ſed etiam vniuerſum corpus exſiccaretur. At verò cum hac inſtituta ratione curandi, morbus deterior in dies videretur reddi, iure medici hæſitabant, & maximè cupiebant ad alium curandi modum tranſire, ſed tamen nihil melius vel ratione, vel experientia inuentum illis occurrebat, quam id in quo optimi quiq; medici paulo ante conſenſerant: qui forte memoria tenebant oraculum Hip. 2. *apho.* 52. Interea huic matronæ tumor in vtero factus eſt, qualis vterũ

geren

lis vtero generentibus ſolet apparere, adeò. vt non nullæ mulierculæ cxiſtimauerint eam prægnantẽ eſſe: ſed improuiſum quoddam accidens huiuſmodi ſuſpicionem planè delenit. Cum enim mulier aliquando lauaretur. id contingit, vt in primo balneorũ cubiculo vehementiſſimis doloribus correpta, quales parientibus ſolent aduenire, aqueum humorem adeo copioſum excreuerit, vt animo deficeret: ex quo protinus venter detumuit. Itaque ſingulis medicis hæſitaotibus, & dubiis quid facto opus foret, qui nec ſperabant priore inſtituta curatione mulierem poſſe ſanari, nec ad aliud curationia genus audebant tranſire, factum eſt, vt Galenus noctu de hac re cogitans illi in mentem venerit, ſe in hac mulierc ioſignem circa hypochondria mollitiem deprehendiſſe, adeo vt illius carnea lacti, quod coagulatur, nondum tamen in caſeum obduruit, ſimilea fuerint. Ex quo in eam ſententiam venit, quòd mulier frigidæ inſigniter & humidæ eſſet temperaturæ. non ſolùm ſiccandę nimiæ humiditati, ſed etiam calefaciendæ nimiæ frigiditati inſiſtendum eſſe. Itaque ad particulares conueniens indicationea, ita ſecum ipſe ſtatuit: Primùm in victu ratione potum admodum paucum & reſtrictum cõuenire. Deinde redundantẽ humorem noxium purgandum eſſe per cutem, adhibita frictione totiua corporis. ex melle multum quidẽ decocto, tamen tantum refrigerato, vt aquæ fontanæ æſtiuo tempore foret ſimile, nec non per vrinã & aluum, cum iis medicamentis, quæ poſſunt & lotium prouocare, & per aluum attrahere. Cum verò Galenus ita ſecum ſtatuiſſet, quod forte illi cum cæteris medicis non omni ex parte conueniret, id facilè à Boëtho impetrauit, vt ſolus decem diea vxoria curam ſuſciperet, qui primùm medicamẽto aqueum humorem per aluum purgante vſus eſt: deinde aquam in qua aſarum & apium ferbuerat, illi bibendum exhibuit. Et cum (duobus primis diebus hæc remedia fuerunt admigiſtrata) vterus minua cœpiſſet fluere, ruríum tertio die medicamento per aluum purgante vſus eſt, quod illi propoſitum fuiſſet, ea, quæ per vterum fluebant, non ſolùm per vrinam, ſed etiam per aluum deriuare. Poſt hæc Gal. mulierem quotidie melle vnxit, & corpua fricauit linteo primùm molliſſimo, deinde aſperrimo. & accommodatam victus rationem inſtituit. Qua quidem ſimplici & compendiaria curatione factum eſt, vt ſpatio 15. dierum nullum prorſus morbi veſtigium apparuerit, ac mulier tranſacto menſe bene colorata reddita fuerit, & priſtinum naturalem habitum recuperauerit.

Ex huiuſmodi curandi ratione à Gal. licet multa colligere, quæ ſint maximè ootatione digna. Sed nos paucis contenti erimus. Primum notandũ eſt, multos medicoa hallucinati, qui ſunt in ea opinione, profluuiũ muliebre generaliter eſſe morbũ frigidum, & ab humoribus frigidis ortum habere. Etenim etſi Galenus aſſerit in hac muliere morbum frigidum fuiſſe, tamen non id de omni profluuio ſtatuendum eſt, vt docet Altimarua, & alij quamplurimi. cum in Gal. doctrina certum ſit non ſolùm humores frigidoa, ſed etiam calidos poſſe in corpore redundare, & profluuiũ muliebre efficere. Deinde notandus eſt error Trincauel. Iacchini, Mercur. & aliorum, qnicunque oſcitanter Galen. legunt. Etenim omnes inquiunt, Gal. iuſſiſſe, vt mulier in calida maris arena decumberet: cum tamen Gal. fateatur apertè; & cæteros omnes medicos, & ſeipsũ nõ ſine errore hoc remedio vſos fuiſſe. Demum notandus eſt error omnibus communis, vno excepto Altimaro, qui de vtero ſunt admodum ſolliciti, ac plurima afferunt remedia ad illum pertinentia, quaſi vterus quoque laboraret, & remediorum indigeret, cum tamen Galenus apertè doceat, in profluuio muliebri vterum nihil laborare, & omnes mulieres intacto vtero ab illo ſanatas eſſe, vt ſuprà dictum, ac certiſſimum ſit in hac ipſa matrona vteri profluuio laborante, Galenum nihil de vtero cogitaſſe, ac nullius vterini præſidij mentionem feciſſe. Sed ad curatiooem Galeni reuertamur, in qua id potiſſimum reuocatur in dubium, quomodo ille in profluuio muliebri ad deriuandam materiam ex vtero vſus fuerit medicamentis, quæ prouocandi lotij vim habent, cum hæc eadem medicamenta videantur, non minùs lotiũ, quàm ipſos menſes prouocare, quod à bona methodo medendi alienum eſſe videtur. Qua enim ratione licet ſimul excrementa ab vtero deriuare, & ad vterum deducere? Vnde Aëtius inter cæteros *lib.* 16.*c.*68 nullo modo probat medicamenta prouocãtia lotium, quamobrem Auerr. 7.*colliget.c.* 4. ita inquit: *Medicina purgantes ſunt medicina prouocantes vrinã, & quod prouocat vrinã, eſt de genere prouocantium menſtrua.* Eius ſentẽtiam probat Frãciſcus Valeſius *lib.* 5.*epidem. commento* 7. *in Lariſſa* & alij quamplurimi. De hac ardua difficultate multi multa loquuntur; ſed prætermiſſis aliorum reſponſionibua ego meam ſententiam breuiter proferam. Ac primùm nulli dubium eſſe debet, quin hæc deriuatio aluum & veſicam ab vtero rationi & doctrinæ Gal. conſentiat, qui ſcribit 5.*metho.* 3. quæ per aluũ fluunt, vel per ſedem, pariter quæ per vterum erumpunt, ea per vrinas vel per aluum transferenda eſſe & deriuanda. Ad propoſitam difficultatem quomodo medicamenta prouocantia lotium in profluuio muliebri poſſint conuenire, cum eadem valent menſtrua prouocare? Reſpondet Galenus: quædam reperiri medicamenta, quæ ita prouocant lotium, vt nullo modo poſſint mẽſtrua prouocare. Quo loco ſciendum eſt ex Galeno *de medicamentis cap.* 12. eſſe tria genera medicamentorum, ad prouocandum lac, ad prouocandum menſes, ad prouocandum lotium accommodata, quę omnia in eo conueniunt, vt ſint calida; differunt autem partim coloris menſura, partim quod quædam deſiccant, quædam non. Nã medicamenta quæ non deſiccant, & moderatè calorem faciunt, lacti generando vtilia ſunt: quæ verò plus calefaciunt, non tamen valenter deſiccant, menſtruis prouocandis conueniunt: quæ autem ſimul calefaciunt valenter & deſiccant, vrinas prouocant, quæ quidem propterea peculiariter diuretica, id eſt, vrinam mouentia dicuntur. De quibus medicamentorũ generibus ita habendum eſt: duo priora, lac nimirum gignentia & menſes prouocantia, lotium quoque prouocare: tertium verò genus altera ex parte ſolas vrinas mouere abſque eo, vt poſſit vel lac gignere, vel menſes prouocare. Quamobrem cum Gal. doctrina facilè eſt reſpondere: in fluxu muliebri ea conuenire medicamenta, quæ propriè diuretica dicuntur, & ita mouent lotium, vt menſes nequaquam poſſint mouere. Verũ huiuſmodi reſponſio nulla eſt, propterea. quia Gal. in curanda vxore Boëthi fatetur, ſe vſum fuiſſe potione, in qua aſarum & apium incocta fuerãt; quæ ambo medicamenta ab eodem Galeno 5.*ſimp.* nec non 8.*ſimpl.c.de Aſaro*, inter ea medicamenta quæ non ſolùm lotium, ſed etiam menſes poſſunt prouocare, recenſetur. Plerique omnea reſpondent, medicamenta prouocantia menſes id facere dupliciter; vno modo primùm, & per ſe; altero modo ſecundariò & per accidens: ex quo colligunt medicamenta diuretica; qualia ſunt aſarum, & apium, ſecundariò. & per accidena menſtrua prouocare. Sed mea ſententia neque huiuſmodi reſponſio tollit difficultatem: nam primò Galen. *lib.* 5. *ſimpl.*

numerat aſarum cum ſabina, calamentho, pulegio, dictamno, cinnamomo, ariſtolochia, & aliis id genus medicamentis, quæ omnia, inquit ille, abſolutas retentiones purgarionum vteri ſanare: quæ quidem medicamenta puto neminem dicturum eſſe per accidens menſtrua prouocare. Deinde vtcunque concedamus, aſarum & apium non primùm & per accidens menſtrua prouocare, id nihil eſt, quoniam ſiue vno modo, ſiue altero id fiat, iam materia ad vterum deducitur quod deriuationi repugnat, atque ex communi methodo nullo modo videtur conuenire. Quid igitur dicendum eſt? Ego quidem id primum fateor, quod puto à nemine poſſe medicamenta, quæ propriè diuterica videntur, tali nimirum & tanta caliditate & ſiccitate prędita, vt ſolùm vrinas, nequaquam menſtrua poſſint prouocare. Deinde verò, & illud addo nonnulla quoque eſſe medicamenta, quæ poſſint vtrunque, & vrinas mouere, & menſtrua prouocare. Ac primò id confirmo: aſarum & apium inter hæc medicamenta reponenda eſſe: quæ vtramque purgationem & per vrinas, & per menſes poſſunt iuuare, quæ pariter duæ conditiones in doctrina Gal. nullam mihi videntur continere difficultatem. Sed quomodo in fluxu muliebri medicamenta prouocantia meoſes conueniunt: ego dicam libere quod ſentio, etſi id videatur alicui paradoxon, & à Gal. doctrina alienū. Dico igitur in fluxu muliebri medicamenta quædam diuretica conuenire, quòd ea per lotium ſieut alia purgantia per aluum poſſint ab vtero ſeroſa & aquoſa excrementa deriuare. Quod ſi hæc eadem medicamenta poſſint menſtrua quoque prouocare, eiuſmodi incommodum leuiſſimum, ac ferè nullius momenti cenſendum eſſe, ac potiſſimùm, ſi illud comparatur maximæ vtilitati, quam ægri, vel ægræ ex prouocatione lotij percipiunt. Cum enim corpus ſcateat excrementis frigidis & ſeroſis, ſi illa medicamentis calidis & ſiccis corrigantur, & quaſi ſanguinis formam recipiant, & ex quo deinceps materia menſibus ſubiiciatur, id mihi videtur aut ſine aliquo periculo, aut forte etiam non ſine vtilitate fieri poſſe. Nam quatenus ad vterum pertinet, propter quam potiſſimū cauſam prouocatio menſium ſuſcepta videtur, ſi memoria repetamus, quæ ſuprà diximus cum Gal. in fluxu muliebri vterum nequaquam laborare, vtique huiuſmodi medicamenta prouocātia menſes, multo minus videri poſſunt noxia, periculoſa, & à proba medendi methodo abhorrere, ſiquidem Gal. *meth. c. 6.* vbicumq; de huiuſmodi reuulſione & deriuatione ſermonem habet, docet, à renibus, veſica, vtero, & aliis partibus reuellendum aut deriuādum eſſe, ſi illæ inflammatione aut aliter laborent. Quod quidem maximè conuenit rationi, vt ne maior copia excrementorum ad locum laborantem trahatur. Quamobrem vtero neque inflammatione, neque vllo modo laborante, iure licuit Galeno, & nobis licebit iis vti medicamentis qualia ſunt aſarum & apium, quæ valent non ſolùm vrinas mouere, ſed etiam menſtrua prouocare.

Concludendo igitur in fluxu muliebri redundantibus humoribus frigidis & aquoſis ex Gal. doctrina, atque ex loco, ſummæ rationis eſt, vt huiuſmodi humores deriuentur primò per aluum, per accommodata purgantia medicamenta, deinde ad veſicam, per medicamenta diuretica: ac poſtremò ad cutem per fricationes, linimenta, & ſimilia: & ſi quis iunior id quoque cupit intelligere, qualianam ſingula hæc medicamenta eſſe debeant, Galen. nullius purgantis mentionem facit, ſed ea ſunt multiplicia de quib. in tractatione de hydrope diximus diffusè. Inter cętera autem vel elaterium, vel ſuccus radicis iridis mihi maximè probantur. Exēpli gratia:

℞. *Spec. aleophang.* ℥. ß.
Elaterij gr. iij. Miſ. fiant pilulæ.

Vel:

℞. *Succi ireos recenter extract.* ℥. ij.
Mannæ Calabrenſis electæ ℥. j. *Miſce.*

Quatenus autem pertinet ad medicamenta diuretica, iam auditis, Gal. vſum fuiſſe aſaro & opio, decoctis ex aqua, quæ nullo modo mihi videntur prætermittenda, aut permutanda. Si quis autem velit & alia experiri, prætereà ſunt ſemina aniſorum, fœniculi, dauci, & alia quam plurima, de quibus Galen. loquitur cum aliis locis, tum maximè *de S. med. cap. 13.* Demum verò præſidia quæ per cutem redundantem humorem poſſunt euacuare, apud Galenum fuerat frictio totius corporis cum linteo primùm molliore, deinde aſperiore, nec non inunctio ex ſolo melle multum quidem cocto ſed inſtar æſtiuæ aquæ fontanæ refrigeratæ. Quæ item præſidia facilia & optima ſunt: ſi quis melli velit addere oleum chamæm. amygd. amar. vel quid ſimile, aut prætermiſſo melle ſo his oleis vti, neque iſtud mea ſententia foret inutile. Cæterùm ego quidem non puto Galenum [illegible] in vxore Boëthi curanda iis propoſitis remediis contentum eſſe, ſed aliis quoque prætereà vſum fuiſſe, atque iis præcipuè, quæ generationis ſeroſi excrementi rationem haberent, alioquin ille in eo errore perſeueraſſet, in quem fatetur ſe vna cum aliis medicis incidiſſe, dum illi quidem quod abundat, euacuant: vt autem nihil amplius generetur, non impediunt. Et quoniam nulli dubium eſſe debet, vbicunque humores ſeroſi, aquoſi, frigidi generantur, quin iecur principaliter, quod eſt inſtrumentum generandi ſanguinis, lædatur, & quidem intemperie frigida & humida, rationi conſentaneum eſt, Gal. poſt purgationem & deriuationem ab vtero huius præcipuè membri ſollicitum fuiſſe, atque illa præſidia adminiſtraſſe, partim interna, partim externa, quæcunque ad tollendam huiuſmodi iecoris intemperiem ſunt accommodata, de quibus quidem præſidiis, cum nos diffusè tractauerimus in publicis lectionibus, priuatis, & propriis locis, non eſt vt hoc loco iterum inutiliter tractemus, ſiquidem illa omnia ad hunc locum debent transferri.

CAPVT V.

De Conceptu ſecundùm naturam.

POſt tractationem de menſtruis abſolutam, ſequitur tractatio de iis, quæ pertinent ad conceptum, & partum hominis, in qua re conſeruatio totius bumani generis conſiſtit. *Ratio ordinis.* Iam diximus ad generationem hominis, diſtinctionem vtriuſque ſexus maris & fœminæ, nec non coniunctionem vtriuſque neceſſariam rem fuiſſe: quomodo autem hæc admirabilis naturæ operatio fiat, declaratur à Gal. *1. ſem. 4.* qui inquit, ſimul coëuntibus mare, & fœmina ſemen viri ab vtero mulieris *Quomodo fiat conceptio.* atque omnibus illius partibus experi, attrahi, extendi, & dilatari, atque ex eo propter illius continuitatem, lentorem & craſſitiem accedente calidorum corporum acceſſione ante omnia membranam fieri, ſicuti illis tenuibus placentulis, vel acetabulis contingit, quæ à dulcioribus piſtoribus conficiuntur. Etenim ſicuti piſtores liquidam aliquantulum pultem ex farina, & aqua factam ſupra ferreum quoddam inſtrumentum latum, & calidum inducunt, & illo compreſſo ſtatim nebulam conficiunt: ita natura ex ſemine quaſi quadam pulte in vtero, quaſi inſtrumento piſtorio ſe comprimente, ac ſemen dilatante didicit membranam

fabricare

fabricare, quæ tamen ab ipſo vtero ſicuti nebula à ferreo inſtrumento ſeparata eſt, in qua deinceps membrana, Græci χορίον vocant, multæ venæ, & arteriæ generantur, quæ variè admodum implicitæ tandem inuicem colliguntur, aliquæ in maiores quoſdam caudices, & ramos ſimul coëunt, ex quibus poſtea, & aliæ duæ tunicæ, & totus fœtus planè admirabili ratione conficiuntur, ſicuti eleganter, & diffuſè explicatur à Gal. *lib. de for fœtus, de ſem. 15. de vſu part.*

Cauſa.

Quoniam verò ſicuti ex vna parte ſatis cuique poteſt conſtare, ab humani corporis fabricā vtrūque & marē, & fœminam concurrere, ita ex altera non ſatis cōſtat, quonam modo vterque concurrat, & quidnā vterque præſtet, quod aliàs ſum vobis pollicitus; mihi libet hanc rem accuratè, ſed vt quàm breuiſſimè potero examinare, cum diſputatio ſit cognitione digniſſima, & ad noſtrum inſtitutū de conceptu hominis maximè pertineat. Itaque eſt celebris, & diu agitata controuerſia inter Ariſtot. & Gal. In qua diſputatione, vt perſpicuè & ordinatè agamus, omnium primum ſententias vtriuſque partis, quibus vtraque vel conueniat, vel diſſentiat, explicabimus. Deinde argumenta & rationes tam pro Ariſtotele, quàm pro Gal. non quidem omnes, ſed ſolidiores, & efficaciores proferemus. Poſtremò pro Galeno cuius opinionem tanquam veriorem cogimur amplecti & tueri, aduerſarias rationes, Ariſtotelis, & ſuorum ſequacium pro viribus conabimur confutare.

Sententia Ariſtot.

Qualis fuerit ſententia Ariſt. de cauſis effectricibus, & materia humani fœtus, non ſatis conſtat, neque illius interpp. & ſectatores hac in re omni ex parte conueniunt. Nonnulli docent, Ariſtotel. ita ſentire: ſemen viri ſanguini menſtruo nudam facultatem, & vim efficientem impertiri, ac deinde illud vel extra vterum effluere, vel in ſpiritum aut flatum diſſolui. Alij viros non ſolum vim efficientem ſed etiam materiam, fœminas ſolam materiā præſtare: alij mulieres præter mēſtrua, neq; ſemine priuari, ſed illud eſſe frigidius, tenuius & ineptū ad generationem: ac fortè alij aliter ſentiunt. Quæ quidem opinionum varietas inde videtur originē habuiſſe, quòd Ariſtoteles varijs locis de hac re tractans admodum perplexè loquatur, nec ſatis videatur ſuam ſententiam explicare, id quod facilè vnuſquiſque intelliget & fatebitur, qui locos præcipuos voluerit euoluere, in quibus de hac re agitur. Sunt autem 1. *de gen. anim.* 2. 17. 18. 19. & 20. nec non *2. gen. animal.* 3. Cæterum vtcunque cenſuerit Ariſtoteles, de qua re mihi longius laborandum, aut agendum non eſt. illud noſtro inſtituto in præſentia ſatis fuerit, quod ferè conuenit inter omnes Ariſtotelē in ea ſententia fuiſſe, ſemen viri in generatione fœtus ſolum efficiendi vim, nullam materiem præſtare: fœminas ſola menſtrua tanquam materiam minimè efficiendi vim conferre. De ſententia Gal. non eſt, vt multum laboremus, qui illā explicat apertiſſimè, ac pro illa aduerſus Ariſtotelē diſputat diffuſè cum alijs locis tum maximè in lib. *de ſem.*

Galeni.

Itaque Gal. ſentit ad generationem fœtus vtrumque & virum & mulierem duplici ratione cōcurrere. Virum quidem ſemen tanquā efficiens, & materiam conferre: Mulierē & menſtrua, & ſemen non ſolùm pro materia, ſed etiam pro efficiēte exhibere, adeò vt vterque in eo conueniat: ſemē viri efficientis cauſæ, menſtrua mulieris materialis cauſæ locum tenere: in eo verò diſſentiat, ſemē viri materiam præſtare, menſtrua & ſemen mulieris efficiendi vim conferre. Quod vtrumque Ariſtot. negat, Gal. fatetur. Quoniam verò Ariſtotelis opinio duo continet capita: alterum, quòd ſemen viri duntaxat qualitatem & vim efficientem, minimè quantitatem & materiam conferat: alterum, quod mulieres ſolam materiam minimè efficiendi facultatem præſtent: clarioris doctrinæ cauſa mihi liceat de vtroque ſeparatim illius proprias rationes afferre, quæ potiſſimùm colligi poſſunt ex locis propoſitis *de gen. ani.* nec non ex Auer. *7. colliget c.* 20.

An ſemen viri materiæ rationem præbeat in generatione.

Et quatenus ad primum caput pertinet, ſemen viri nullam in generatione fœtus materiæ rationē habere, ſic primum cū Ariſt. poteſt probari: Nullū agens reſpectu eius, in quod agit, rationem paſſi poteſt habere: Sed ſemen viri omnium & Gal. quoque conſenſu agentis formam retinet. Ergo ſemen viri nullo modo poteſt fieri paſſiuum, & in ſeipsū agere. Ergo ſemen virile nullatenus materia fœtus eſſe poteſt. Ergo ſicuti nemo dixerit, artificem rei quam efficit, partem & materiam eſſe: ita neque dicendum eſt, ſemen virile artifex generationis fœtus illius partem & materiam fieri poſſe. Secundò inquit Ariſtot. facta etiam rationi conſentiunt, ſiquidem reperiuntur nonnulli mares, qui coëuntes nullum in fœminas membrum inferunt, ſed contrà potius fœminæ in mares. Ex quo neceſſariò colligendum eſſe non materiam ſeminis, ſed illius tamen vim & potentiam & facultatem illis communicari. Quod ſi abſque materia ſeminis maſculini, ſed ſola illius virtute nonnulla animalia fierī poſſunt, rationi conſentaneum, naturam, quæ nunquā pluribus agit, quod paucioribus agere poteſt, in quolibet fœtu ſola maſculini ſeminis efficaci, minimè materiæ ad conceptionem vti. Hoc ipſum confirmare poſſum animalia, fœminæ, exēpli gratia, aues quæ oua generant, quæ quidē tamdiu infœcunda permanent, quamdiu mares illis ſuperuenientes, nō quidē materiam ſeminis immittunt, ſed vitæ & fœcunditatis vim infundunt. Poſtremò hæc ſententia confirmatur ex natura ſeminis: etenim ſi ex eo tanquam materia conſtituerentur aliquæ corporis partes, exempli gratia, os neruus, cartilago, tunc ſemen coagulari foret neceſſe: ſiquidē ſine coagulatione huiuſmodi partes ſimilares nequeunt oriri. At verò natura ſeminis neque à calido, neque à frigidio coagulatur, cum illud à frigido humidum fiat, & aqueum à calido longè minus poſſit coagulari. Itaque his reſponſionibus concludunt pro Ariſtot. ſemen viri nullo modo materiā, ſed tantùm efficiendi vim præſtare fœtui. In propoſita difficultate antequam ad alia progrediamur, mihi libet aduerſariam Galeni ſententiam afferre, vt rationes Ariſt. & Gal. intelligantur. Itaque Galenus tanquam fundamentum ſuæ diſputationis accepit, ſemen viri in vterum coniectum in eo retineri: ac niſi retineatur, nullo modo conceptum fieri poſſe. Hoc autem verum eſſe Galenus dupliciter ſe comperiſſe ait 1. *de ſem.* 2. primùm in brutis, in quibus partim aliorum ſibi inuicem conſentientium confirmatione, partim propria ac multiplicī experientia deprehendit: omnia bruta, quæcunque poſt coitum ſemen excernunt, nunquam etiam cōcipere. Contra verò quæcunque ſemen conceperint quandam motionem in vtero ſentire, conuulſionē ſimilem fere, qua vterus ſe ipſum contrahere videtur. Ex quo Galenus inquit, veriſimile hoc nomen conceptus à concipiendo fœminis impoſitum eſſe. Sic Hipp. *lib de genitura*, inquit, *ſi fœmina partus perita ſit, & cognouerit: quando genitura non excidit, tunc illa ſciet, qua die intra ſeipſam concepit.* Tertio Galenus inquit, ſe iſtud comperiſſe ex lectione omnium librorum medicorum, quicunque de hoc argumento tractant, quos omnes inuenit idem hoc affirmare, quorum nonnulli etiam diligentiores quoque vteri motus meminerunt, quo ille ad ſemen contraheretur, ipſumque vndiquaque comprehendit.

Sed Gal. etiam præter huiuſmodi rationes aliter id conatur confirmare. Ac primùm teſtimonio & auctoritate Platonis, qui vterum velut quoddã animal docet appetens procreationis, atque illum propterea ſemen ad ſeſe attrahere, illudque auidè complecti & continere, id quod ipſis quoque viris contigit, non rarò euidenter percipere, dum ſentiant coëuntes membrum virile tanquam à cucurbita intro ab vtero attrahi, maximè ſi coïtus fiat proximè ceſſantib. menſibus, quo maximè tempore conceptus fieri ſolet. Poſtremò aduerſus nonnullos, qui ſe Ariſtotelicos appellabant, etſi Ariſtotelis ſententiam ignorarent, Gal. probat Ariſtotelem idem ſentire *1. gen. animal.* c. 3. vbi fatetur Ariſtoteles ſemen virile in vtero detineri. Itaque fundamentum Gal. certum eſt, poſt coitum ſemen manere in vtero. Quod ſi ita ſe res habet, vt ſemen retineatur, neceſſe eſt Huiuſmodi autem vſus duplex tantùm concipi poteſt animo, vnus, vt illud vim & facultatem mulierib. concipiendi afferat; alter, vt fiat materia & pars conceptionis. Si primus vſus ſatis fuiſſet, ſatis quoque fuiſſet naturæ ſolam vim & *ἐνέργειαν* minimè ſubſtantiam ſeminis in vterum transferre, ſicuti quoque Ariſtoteles notauit, & confirmat experientia in multis imperfectioribus animalibus fieri, ac potiſſimùm cum hæc ſeminis profuſio fit, homines non leue detrimentum perpetuò percipiunt. Sed eſto, concedatur ſubſtantiam ſeminis maiori facultate vim & efficientiam potuiſſe mulieribus communicare, id verò poſtquam ſuum munus perfecit ac ſanguini menſtruo principium coagulationis præſtitit, quæro quidnam de illo agitur? Nemo dixerit illud fruſtrà & inutiliter retineri, quod quidem non ſolùm fruſtrà, ſed etiam perniciosè fieret, cum ſemen nequeat diutius retineri, quin putreſcat, ex quo grauiſſima ſolent excitari mala. Itaque vt ſubſtantia ſeminis vel exeat, vel inſẽſibiliter in vtero diſſoluatur, neceſſariũ eſt. Primũ fieri nequit, cũ Hip. & Gal. doceãt 5. *aph.* 51. 3. *nat. fac. princ.* os vteri poſt conceptum, vt melius poſſit ſemen apprehendere, omni ex parte cõtrahi & coarctari, vt illud teſtimonio Herophili, ne minimũ quidẽ ſpecillũ admittat. Quamobrem id reliquum eſt, vt ſemẽ viri in vtero mulieris in halitus vel inſenſibiliter diſſipetur, quæ ferè fuit Ariſt. ſẽtentia, vt colligitur 2 *de gen. animal.* 3. *ad fin.* dicẽtis: *Semen genitura humida & aquoſa diſſoluitur, atq; in ſpiritũ abit.* Ex quo factum eſt, vt Gal. ex propoſito diffusè hanc Ariſtotelis opinionem euerteret, *de ſem* c 4. quòd ex parua humoris portione cõtingat multum aëris generari, vnde vterus ſtatim à prima conceptione plurimum intumeſceret, quod tamen non fit: ſed contrà vterus ex tempore omni ex parte materiam conceptus comprehendens detumeſcit, quod eiuſmodi ſpiritus ex ſemine genitus, etiãſi contendatur, eum per pudendũ mulieris poſſe exire, non tamen ſine ſtrepitu, aut ſaltem non ſine ſenſu poſſit excerni, ſicut demonſtrant cæteri vteri flatus, qui vel ſupra vel infrà excernuntur. Quibus & alias rationes adiungit, quæ facilè ex Gal. haberi poſſunt. Itaque colligendo ſummam, ſi ſemen viri poſt coïtum retinetur in vtero, ſi retinetur alicuius vſus gratia, ſi vſus conferendi vim non potuit ſatis eſſe, ſi ſemen poſt conceptum nullo modo poteſt fluere ex vtero, neque in ſpiritum diſſolui; ſumma cum ratione concludendum eſt, ſemen viri non ſolùm qualitatem, ſed etiam ſubſtantiam, & materiam fœtui communicare. Ac ſanè huiuſmodi rationes fundamentis demonſtrationis inniti videntur, quibus & alias addemus pro confirmatione Galeni ſententiæ. Ac primùm conſideretur communis ratio conceptus, de qua Ariſtoteles ita ſtatuit; virum formam & principium motus, fœminam corpus & materiam conferre, ſicuti manifeſtè ex eo colligitur cum aliis locis, tum maximè 1. *de gen. anim.* 20. addens: *ſicut in lactis coagulatione corpus eſt lac, ſecus verò vel coagulum eſt, quod principium concretionis præbet.* Cum igitur per Ariſtotelem fœminæ menſtruum tanquam materiam ad conceptum conferat, quæro cum Gal quomodo iſtud fiat? Hoc verò videtur dupliciter fieri poſſe: vno modo, ſi tempore coïtus ſanguis menſtruus in vteri cauitate contineatur, in quem proiectum ſemen agat ac præſtet principium motus. Altero modo, ſi ſanguis menſtruus per vaſa ad vterum pertinentia occurrat ipſi ſemini, quaſi cupiens vim & motus principium ab illo recipere, quod menſtruũ fœtui materiam præbeat. Primo modo vtique ab omni ratione videtur alienum eſſe: partim quod vix probabile eſt, illud tempore coïtus in vteri cauitate perpetuò contineri, cum potiſſimùm doceant Medici & conſentiat Ariſtot. 7. *hiſt. animal.* 2. 1. *de gen. anim.* 19. mulieribus accommodatũ tempus eſſe ad conceptũ ſtatim à profluuio menſium, quando vterus ab huiuſmodi excremento prorſus liber & mundus remanet: partim quòd fluentibus menſibus, quo tempore vterus hoc ſanguine præcipuè refertus eſt, rarò fieri ſoleat conceptio, partim quod tum animal, non ex ſanguine, ſed potius excremento vel malo ſanguine generaretur, ſiquidem Hip. & Gal. docent 9. *apho.* 20. ſanguinem cum à proprio naturali loco excidit, ſub ſanguinis forma non poſſe remanere, ſed vel ſuppurari, vel liueſcere, vel in grumos conuerti, vel aliter à natura ſanguinis degenerare. Et Ariſtoteles quoque ſcriptum reliquit 3. *part. anim.* 4. in nullo membro noſtri corporis contineri, excepto corde, quod propterea inquit cauum eſſe, vt ſanguinem contineat, niſi in venis, quas natura ad ſanguinis receptaculum molita eſt. Itaque omni modo concludendum, menſtruũ ſecundo modo mediantibus vaſis vteri, fœtui materiam ſuppeditare. Ex his quæ dicta ſunt cum ſanguis menſtruus non poſſit contineri in vtero tempore coitus, concludendum, altero modo mediantibus vaſis vteri, fœtui materiam ſuppeditare, in quo caſu neceſſe erit, vt ſanguis per orificia vaſorum vteri concurrat, & cum eo permiſceatur, quod duplici ratione videtur fieri poſſe: vel vt ſemen diuidatur in tot partes, quot ſunt orificia vaſorũ vteri, & ita ſanguini menſtruo, vniatur & perficiatur; vel vt ſemen minimè diſtractum, ſed continuum ſanguini copuletur. Prima ratio videtur admodum difficilis, vel potius abſurda, partim quod eiuſmodi ſeminis diſtractio & diuiſio non conuenit iſtius naturæ, quod omnes concedunt, & confirmat experientia eſſe lentum & viſcidum, adeò vt difficulter poſſit in varias partes diſtribui & diſſipari: partim quòd foret neceſſe aliam certam cauſam inuenire, quæ tanquam præſes quidam ſemen diuideret. Quamobrem id reſtat, vt ſemen ſecunda ratione ſanguini menſtruo copuletur, quod naturæ ſeminis maximè conuenit, neque vllam tertiam efficientem cauſam requirit. Nam ſimul atque ſemen in vterum proiicitur, ille quaſi animal appetens alimenta totus conſtringitur, vt ſemen complectatur, vt ventriculo ferè euenit, qui vt traditur à Galen. cum cibos appetit, fundo retrahitur ad gulam, atque ea quaſi manu ad recipiendum alimentum vtitur: ita vterus qualitatem ſeminis affectans totus obuiam ſeſe offert, ad pudendum occurrit, ſuo collo & gula tanquam manu vtitur, quæ ſemẽ intro recipiat. Plura apud Gal. de his præclariſſima legantur. Cum ergo tempore coïtus præter ſemen viri nulla materia poſſit præſto eſſe ad formationem fœtus, ſumma cum ratione concludendum videtur, eiuſmodi ſemen non ſolùm

efficientem,

efficientem,ſed etiam materiam concedere. Deinde conſideremus eas partes quas medici ſolidas,radicales & ſeminales vocant, exempli gratia, venam, arteriam , neruum tanquam cōmunia inſtrumenta. Quærit Galenus ab Ariſtotele 1.*ſem.*5 ea qua materia gignantur huiuſmodi inſtrumenta? Ille autem reſpondet, illa fieri ea ſanguine. Sed contrà Galen. arguit, iſtud minimè fieri potuiſſe. Cum enim huiuſmodi inſtrumenta ſint alba , exanguia , longa & caua,nullo modo videntur potuiſſe generari ex materia rubra, tenui,liquida, quæ neq; intendi, neque in modum fiſtulæ perforari poſſit , cum illa magis ſequirat materiá albam, craſſam, lentam, quæ longiùs diſtrahi & perforari poſſit: propterea concludit,huiuſmodi partes non ex ſanguine, tanquá materia inepiſſima,ſed ex ſemine omnino fieri. Verú nonnulli cum Ariſtotele ad hanc rationem reſpondent , illas partes fieri quidem ex ſanguine , ſicuti carnem & reliquas corporis partes,ſed diuerſa planè ratione : ſiquidem cæteræ corporis partes ſine pluribus tranſmutationibus proximè ex ſanguine generantur , ſolidæ autem fiunt ex ſanguine , qui minimè proprium colorē , ſubſtantiam & formam retineat, ſed multas antea tranſmutationes ſubeat, adeo, vt ille primum ex rubro albus, ex tenui craſſus , & ex liquido lentus efficiatur. Quam quidem rationem & Ariſtotelem ipſum irridet Galenus, quaſi ille ſuorum principiorum oblitus , naturam tantopere ab eo laudatam, nunc inertē & ſtolidam faciat, quæ nihil vnquam fruſtra aut temere agens, cum ad efficiendum venam haberet album,craſſum lentum , & accommodatiſſimum humorem , illum eligeret qui diuerſus ſit,ex ſāguine ſcilicet,id quod ab omni ratione tam eſt alienū & in diſciplina Ariſtotelis abſurdum,quàm quod abſurdiſſimum. Sed præter hæc Gal.1.*de ſem.*9. euidētiſſima ratione, ac ſimilitudine accepta à ſemine plantarū probat, ſemen viri non modo efficientiam,ſed materiā fœtui præſtare,quo loco grauiter incōſtantiæ arguit Ariſtotelē, qui cum fateatur 1.*gen.anima. vit.* ſemen in omnibus plantis, non ſolùm materiale, ſed etiā efficiens principiū in ſe habere,quaſi ſuorū dogmatū oblitus, voluerit alterum in animalibus auferre, ac opera naturæ diuerſo modo in plātis atque animalibus exponere. Etenim cum natura ſeminis non alus facultatibus plantam, aliis animal, ſoleat creare:turpe omnino videtur,tantū Philoſophum, quæ in plantis confeſſus fuerit, non ad animalia quoque transferre,ſiquidem vtriuſque genera & plantæ,& animalia eandem proportionem ſeruant. In plantis ſemen indiget terra, vt ex ea alatur,nutriatur,creſcat, indiget radicibus,quæ ex terra alimentum ſuſcipiant. Semen plantæ ex ſe ipſo mittit truncum, ex trunco ramos,ſurculos,donec ad minimas frondes & cacumina veniat: ſic propemodū ſemen viri in vtero mulieris opus habet vtero mulieris , qui terræ proportione reſpondet. Membrana χορίον , appellata multas venas,velut radices cōtinet, quarū opus eſt, vt fœtui ex vtero alimentū præbeant, attractum à ſemine viri , & non vnicum , ſed trea præcipuos truncos ex tribus certis principiis producit : ex iecore venam cauam, ex corde magnam arteriam, quam portam appellant , ex cerebro ſpinalem medullam , ex quibus deinde multæ propagines primùm maiores,deinde minores quaſi rami quidam conſorgunt , donec tandem huiuſmodi propagatio ad extremas & minores ſoboles deueniat, vt animal non ineptè ſanguinea planta nominetur. Neque eſt vt quis putet ſe hanc Galeni rationem & ſimilitudinem poſſe euertere, & Ariſtotelē tueri,propterea quòd ex vno ſemine fiat planta,quæ vna tantum facultate vegetabili prædita ſit; ex altero autem fiat animal, quod præter eiuſmodi facultatem,aliis quoque facultatibus præditū ſit,ex quo colligat ſemen quidem plantę & efficientis & materiæ principium continere:ſemen verò animalis propter plures facultates & perfectiones id cōſequi non potuiſſe. Nāque huic reſpondet Galenus, quod neque Ariſtoteles negat, fœtum in vtero primùm viuere vitam plantę,deinde animalis,ac propterea vtraq; eundē opificē eamdēq; vegetabilem animá habere,atq;eo tantum differre inter ſe,quod hęc plāta ſanguinea vel carnea,nō amiſſa,quā prius habebat facultate, ſed alia inſuper acquiſita in animal fuerat euaſura ac ſuo tēpore de loco in locum trāſitura. Cū ergo & plantæ & animalia,quatenus pertinet ad generationem,nutritionem, augmentationem, vna atq;eadē ratione producantur,conſtet verò ſemen plātæ non ſolùm efficiēs,ſed materiale principiū continere: vtiq; Ariſtoteles non videtur poſſe ſe excuſare, qui non idem voluerit de ſemine animalis ſtatuiſſe , quaſi cenſuerit naturæ opera in animalibus,& plantis diuerſas eſſe. Ac ſanè hęc itidē ratio aduerſus Ariſt. videtur demōſtrare. Videatis pręter hęc locum notabilē apud Ariſtotelem 2. *gen.ani.*4. qui docet primá partiū hominis conſtitutionē ex ſemine fieri (ſed ſemē dicitur rubrū alibi:) *ſed dubitaueris cū primū cor oriatur ſāguine præditū, &c. Sic in animaliū materia excremētū cōſtitutionis alimentū eſt.* Ac rurſus ad fin. c. *Oſſa igitur in prima partis, conſtitutione gignūtur ex ſeminali excremēto, ſic nerui eo modo,quo oſſa cōſtituūtur,atq;ex eodē ſeminali excremēto oriuntur. Sed vngues,pili,cornua,& ſi quid eiuſmodi aliud eſt, ex cibo gignūtur aduētitio, quem tamen de foris acquirunt.* Hæc Ariſtoteles. Sed ferè nimium tranſgreſſus concludo cum celeberrimo Hipp. experimento,de illa ancilla ſaltatrice,Hipp.*lib.de nat.inf.Gal.1.de ſem.*4. Reſtat vt breuiter videamus rationes,quæ pro Ariſtotele defendendo allatę fuere. Quantū ad primū argumentum, illud cōcedatur tanquā veriſſimū. Idem ſimul agēs, & patiens eſſe non poſſe. Actus enim & potentia ſimul forent,quod natura non patitur. Sed reſpondeamus in ſemine viri duas partes reperiri:alteram quidem tenuiſſimā ac plenam ſpiritus , in qua anima vegetabilis eſt, vis generandi, & principiū motus:alterū craſſiorē & magis corpoream ſeu materialē,in quam fit actio. Vnde nulli mirum videatur, ſemen ſecundùm huiuſmodi varias partes,cū agentis tum patientis vires habere , ſicuti mirū vel abſurdū non eſt,edito animali animá in corpus agere & illud regere. Quamobrē ſicut artifex,& materia nō idē ſunt:ita neq; anima ſeminis, & ſeminis corpus idē ſtatuendū eſt. Quod verò aduerſarij aiūt,de inſectis, piſcib. & reliquis id genus,quod fœminis mares vim ſolum & ἐνεργείας ſoleant conferre, id primùm negare non poſſum. Cū enim huiuſmodi facultas ſeminis ſit quædā qualitas ſeu forma ſine aliquo ſubiecto , nullo modo videtur poſſe de vno in alterum corpus transferri. Ex quo fit veriſimile non modò generandi facultatē & vim,ſed ſimul cū facultate aliquod corpus ſeu ſpirituoſum, ſeu forte humidū & materiale à maribus cōferri,quod exēplo gallinarum, & auium poteſt cōfirmari. Siquidē ſenſus demonſtrat,in ouis earū,cum quibus coiere, reperiri neſcio quid craſſi & rubri coloris,quod in reliquis ſine concubitu non apparet, quod quidem nemo aliud , quàm ſeminis materiam eſſe dixerit. Sed de re admodum latente , & forte ſoli naturæ perſpecta non multum laboro , qui pro comperto habeo , naturam propter multas euidentes rationes,dedita opera hominē,de quo agimus,à reliquis animantibus multis modis , & rationibus ſeparaſſe , vt & animantia alia à plantis. Demum vtcunque omnia concedantur. quæcunque de huiuſmodi animantibus iſti fabulantur , non puto eorum argumen

gumentationem concludere: in nonnullis animalibus ſola virtus ſemiois infunditur: ergo ſemen generaliter fœtus materia non eſt. Sicut neque valet ratio: teſtes iu omnibus animalibus non ſunt neceſſarij ad generationem:ergo,&c. Poſtremò reſtat extremum, ſumptū à materia ſeminis, quod aduerſarij inquiunt, neq; à calido, neque à frigido poſſe coagulari, ſine qua coagulatione certum eſt, conceptionem ac formationem partium fieri non poſſe. Cum autem de hac re multa poſſint diſputari, de qua ex propoſito ac diffusè tractat Philoſophus 4. *Met*. 50. vbi docet quædam coagulari à calido tantùm, vt ſal: quædam à frigido tantùm, vt cryſtallus: quædam ab vtroque ſucceſſiuè, vt rbus & ſimilia. Quæ difficilior & longior diſputatio huc non pertinet. Dico igitur huiuſmodi argumentū in rebus externis, de quibus Ariſtoteles quoque ſermonem fecit, aliquā vim obtinere. At verò in viuente corpore ac rebus quæ intra illud continentur, rem ſe aliter habere. Ac profectò nemini Ariſtotelis vel rerum naturæ perito debet mirum videri, ſemen in vtero mulieris atque illius temperie in vnum cogi, alterari & ad fœtus formationem diſponi. Sicuti exēpli gratia alimenta à ventriculo eiuſq; temperie nonnulla craſſa fiunt, nonnulla attenuantur. Iam quod ad ſemen mulieris. Ariſtoteles, Athenæus, & reliqui eius ſectatores fuerunt in ea ſententia, fœtum ex ſemine viri tanquam efficiente, ex menſtruo ſanguine tanquam materia generari, qui propterea contendunt in fœminis aut nullum, aut planè ſterile reperiri, vt licet videre apud Ariſt. 1. *gen. anim.* 19. & 20. nec non 2. *gen. anim.* 5. pro qua opinione cū multæ rationes ex ipſo Ariſtotele, Auer. & aliis colligi poſſint, deſino, & pauca quædā quæ mihi validiora videntur affero. Itaque primum ſic licet arguere: Si fœmina ſemen atque illud fœcundum habet ex ſe ipſa, abſq; maris congreſſu concipiet. Probatur: vbi enim duo neceſſaria principia generationis agens & patiens, ac præterea locus & tēpus conueniunt, tunc vt conceptio fiat eſt neceſſe: ſed hæc omnia concurrunt in muliere, ergo, &c. Secundò afferunt argumentū ſenſus: cum manifeſtè appareat multas mulieres concipere ſine ſeminis emiſſione, in quo argumento Auerr. multus eſt, qui inquit, poſtquam legit lib. Ariſtotelis ſe hanc rem quæſiuiſſe à multis mulieribus, quæ indicauerunt plurimas grauidas fieri ſine ſeminis emiſſione. Quo loco narrat hiſtoriam mulieris de cuius ſacramento multū poterat confidere, quod illa grauida facta ſit in balneo aquæ dulcis, in quo mali homines ſpermatizauerāt. Tertiò, ſi ſemen mulieris ad fœtus generationem cōcurreret, neceſſe omnino eſſet vt mulieres ſemen habeāt: ſed plurimæ ſemine carēt: ergo Minor probatur, quòd multæ mulieres concipientes fateantur ſe nullā in coïtu voluptatē percipere, neq; vllo tēpore ſemen emittere. Quartò, ſi mulier ſemen haberet, tunc haberet duas naturales euacuationes inter ſe contrarias, alterā materiæ coctæ, id eſt, ſeminis; alterā crudæ, id eſt, ſanguinis, quod fieri nullo modo poteſt. Etenim conſtat, quod coctum eſt à caliditate, quod crudū eſt à frigiditate prouenire; itaq; mulier ſimul vno eodemq; tempore calida & frigida foret, quod abſurdum eſt: quare mulieres cum menſtruis redundent, vt ſemine careant neceſſe eſt. Poſtremò, vnius affectus naturalis vnica eſt materia, vnicū agens, quod in cunctis rebus naturalibus facile poteſt declarari. At verò ſi ſemen mulieris tanquam efficiens ad fœtus generationem concurreret, tunc duo forent principia efficientia vnius effectus naturalis, ſemen viri & ſemen mulieris, quod repugnat inſtituto naturæ. Hæc Peripateticorum eſt ſententia. Sed altera ex parte Galeni reſpōſionē perpendamus, de qua non ignoro omnes non idē ſentire. Ego ſentio ita habendum eſſe, mulieres ad generationē fœtus, & ſanguinē menſtruū, & ſemen conferre, atq; vtrumq; partim materiam partim vim & facultatē tribuere, non tamen iiſdem viribus & conditionibus, ſed in ſemine principiū efficiens validiſſimū eſſe, materiale pauciſſimū, cōtra in ſanguine menſtruo, quod ad materiā ſpectat plurimū, quod ad vim & facultatē imbecille reperiri. Quæ Gal. ſententia paſſim, & 2. *de ſem* 2. & inter omnes conuenit illud ad generationem fœtus minimum eſſe, tametſi Philoſophus vnū tantū materiale principiū illi concedat. Et facile cōfirmatur, quòd quæcunque mulieres carent eiuſmodi excremento, non concipiunt, nec non quod toto tēpore cōceptus, & lactationis mēſtruæ purgationes mulieribus ceſſāt, certiſſimo argumento, fœtum & in vtero, & extra vterum illis nutriri. Sed tota difficultas in ſemine verſatur. Quamobrē Gal. diffusè aduerſus Ariſtotele, Athenæū, Emped. &c. conatur probare mulieres & ſemine abūdare, & illud fœcundū eſſe ac partim materiā, partim efficientiā formationi fœtus communicare. Ego verò non omnia Galeni argumenta, ſed ſolidiora in mediū proferā, vt cum Ariſtotelis argumentis factū eſt Gal. itaq; ex rei natura atque euidētia conatur ſuā ſententiā ſtabilire, eo quod ex anatome apparet, teſtes ad vterū muliebrē vtrinque alterū fuiſſe annexum, ac ſeminaria vaſa eadē fere ſicut in maribus reperiri. Ex quo licet hanc rationē cōficere: Vbicunq; inſtrumēta à natura inſtituūtur, vt propter certū vſum inſtituantur, neceſſe eſt: ſed teſtes tā in mare quā fœmina ſunt à natura inſtituti, vt & vaſa: ergo, etſi hęc eundē habere finē demonſtretur, tamen Athen. & Auer. conati ſunt eum deſtruere. Inquiunt, ſeminaria vaſa fœminis data eſſe propter eam cauſam, vt aliqua ſimilitudo & conuenientia in prima formatione mēbrorū apud vtroſq; appareret, minimè verò vt vtrorumq; vſus ſeruaretur, ſicuti in viris māmæ quoq; ſunt genitæ, quāuis nullū vſum præſtēt. Sed Galen. facilè hanc reſponſionē confutans 2. *de ſem*. 1. inquit rem longè aliter in vaſis mulierū ac māmis virorū ſeſe habere; ſiquidē in maribus glanduloſa illa corpora circa māmas non reperiuntur, pariter neq; vllum veſtigiū lactis in viris apparere, ſicut in fœminis non ſolu vaſa ſeminaria ſed etiā teſtes copioſo ſemine ſunt referti. *Quamobrem*, inquit Galen. *quemadmodū ſi omnibus maribus māmæ lacte plenæ cōſpicerētur, nō opus foret ratione inueſtigare, an id verū eſſet: ita cū videamus ſemen in fœminis cōtineri, an fœminæ ſemen excernant quærēdū nō eſt, quippe lōge melius eſſet, quā vim illud habeat perſcrutari*. Neq; verò deſunt aliæ quoq; rationes, quę confirmāt mulieres ſeminis expertes nō eſſe. Namq; ſicuti retentum ſemen viri noxium eſt 6. *loc. aff.* ita mulieribus & vteri præfocationē & alia mala grauiſſima ſolet excitare. Exemplū apud Gal. ibidē de vidua. Vnde Galen. in eam ſententiā venit, maiorē ex retento ſemine noxā, quā ex menſtruis prouenire. Præterea certū eſt ſomniantes mulieres in ſeminis pollutionem incidere, vt & viri, quod quidem ex nulla materia præterquam ſeminis contingere poteſt. Sed quæ mulieribus circa coïtum contingunt, manifeſtè demonſtrant illas ſemine non carere, ſiquidem quamprimum earum vaſa craſſa materia referta ſunt ac turgent, quæ in diſſectionibus conſpiciuntur, tunc maximè in venerem procliues ſunt, quod aliam ob cauſam nō fit, quàm vt ſcribit Gal. 6. *loc. aff.* quòd omnibus animalibus naturalis quædam inſit cupiditas excernendi ſeminis. Manifeſtius apparet in brutis, quæ furentiùs mares ad coïtum excitant & quærunt, poſt concubitum verò profuſo ſemine quieſcunt, vt neque mares ampliùs admittant. Illud etiam in de clarum eſt, quòd fœminæ caſtratæ nullum maris concubitum

An fœminæ ſemen fœcūdū habeant.

Digitized by Google

tum quærant, aut admittant. Demum nemo eſt, qui non in concubitu aliquando ſeminis profuſionem apud mulieres in ſeipſo non experiatur, prætereà quòd ipſæ quoque mulieres fateantur ſe eiuſmodi ſeminis effuſionem ſentire, eaque oblectari, ac ſtatim facta ſeminis excretione, libidinis ac concubitus deſideriũ finiri. Cum ergo teſtes & vaſa ſeminaria tam mulieribus, quàm viris data ſint, cum illa ſemine referta conſpiciantur, cũ in præfocationem mulieres incurrant ob retentũ ſemen. cũ pollutiones habeant, cum ſtimulentur, cum caſtratæ brutæ mares non amplius admittant, ipſæq; mulieres in coïtu emittant, voloptatemque percipiant, de hoc dobitandũ nõ amplius erit, ſenſibuſq; repugnandũ nefas habeatur. Illud reſtat aduerſus Ariſtotelem, ſemen fœminarũ in procreatione fœtus non ſolùm materialis, ſed etiã efficientis principij obtinere rationem. quod quidem etſi multis rationibus poteſt confirmari, vnico argumento cõtenti erimus, quod mihi videtur poſſe reliquorũ vicẽ ſupplere, ac planè demonſtrare. Illud verò accipiendũ eſt ex ſimilitudine, quæ filiis cũ parentibus intercedit. Sed cũ Gale. in hoc genere argumẽti multus ſit, pauca pro hac controuerſia adducemus. Similitudo filiorum ad parentes manifeſtiſſima eſt: cauſa autem propter quam nunc patris, nunc matris ſimilitudinem habeant difficile eſt videre. Ariſtotel. diffuſiùs & multum laborat. Summatim ſic ſtatuit 4. *gen. animal.* 3. filiorũ in vniuerſum ſimilitudinẽ hanc (& contra) vel fieri pro varia actione ſeminis virilis in ſanguinẽ menſtruũ, vt ſi ſemen viri planè ſuperat materiã mulieris, tunc filius patri: ſin autem contrà, filius matri aſſimilatur. Sed abſurditas huius opinionis eſt manifeſtior, quàm vt poſſit refutari: ſiquidem cuique debet cõſtare, actiones prodire à forma nõ à materia. Quare, etſi negandũ non eſt, fœtum ex materia & alimẽto matris poſſe variã tẽperiẽ & mores ſortiri, tamẽ nullo modo poteſt aſſeuerari, hinc ſexũ vel figurã poſſe mutare, id quod ab omni rerũ euidentia alienũ eſt. Nã *Perſica arbor*, inquit Galenus, *in Ægyptũ trãſlata formã minimè tranſmutat; ſed bonũ tamen alimentũ nacta fructum eſui iucundum affert, cum priùs non potuiſſet; ſic neque oues mutato alimẽto capri, neq; capra ouibus ſimiles euadunt.* Cæterum Galenus ita ſtatuit, omnẽ fœtus ſimilitudinẽ vel diſſimilitudinem non aliunde quàm ex ſemine vtriuſq; parentis prouenire: eni communi omnium conſenſu vis agendi, atque efficientis principij iure tributa eſt: qui quidem cum diffuſè aduerſus Ariſtotelem & Athen. de hac re diſputaſſet *lib.* 2. *de ſem.* 1. duplici potiſſimùm argumento vtitur, altero hypothetico, altero categorico, idq; demonſtratiuè.

Cauſa ſimilitudinis prolis.

Primum argumentum: Si vtriſque parentibus ſimiles partus naſcantur, ex communi cauſa, quæ vtriuſque ineſt, ſimiles efficiuntur: ſi partus ex communi cauſa quæ vtriſque ineſt parentibus ſimiles efficiantur, id vel ex ſeminis vel menſtruorum ſubſtantia contingit, cum præterea nihil tertij poſſit inueniri: ſed ſubſtantia menſtruorum vtrique parti minimè ineſt communis: ergo partus ex ſemine ſimiles efficiuntur.

Secundum argumentum categoricum: Quoniam filij vtriſque parentibus ſimiles ſunt, neceſſariò commune cum vtriſque principium habeant, neceſſe eſt, quod ipſos regit: Prima pars. Secunda: filij, vel ex ſemine vel ſanguine menſtruo parentibus ſimiles euadunt: ſed ex ſanguine menſtruo ſimiles euadere parentibus non poſſunt: ergo ex ſemine.

Galenus tandem tertium adiungit & concludit: Si ex ſemine ſimilitudo eſt, quia multi matribus quàm ſimillimi reddantur, fœminas quoque ſemen habere neceſſe eſt. Ex quibus videnda eſt ſententia Montani *conſil.* 228. qui inquit, ſemen emiſſum à muliere potiùs ad voluptatem, quàm conceptionem facere. Itaq; huiuſmodi ſunt rationes Galeni. Iam ad argumenta pro Ariſtotele propoſita reſpõdeamus. Primum fuerat aduerſariorum argumentum: ſi ſemen fœcundum habet fœmina, etiam ſine cõcubitu conciperet. Hoc argumentum video multis doctis viris manum dare, concipere poſſe mulierem ſine viro, inter quos eſt Valeſius 2 *contr.* 6. *ad finem* qui fatetur hoc ſæpius fieri, ſed fœtum ad perfectionem nunquam duci, vnde & molæ generentur. Sed non puto hanc ſententiam eſſe recipiendam. Etſi Galenus videatur innuere fœminas poſſe ſine concubitu concipere molas, vt gallina oua ſubuentanea, cum id potius ex aliorum quàm propria ſententia videatur admiſiſſe, ſtatim redarguens inquit, 4. *de vſu part.* 7. neminem vidiſſe vnquam. Quare alia ratione reſpondeo ad argumentum, ſicut reſpondet Gal. 2. *de ſem.* 4. *ad finem.* Cum enim ad generationem & nutritionem fœtus concurrant duo neceſſariò: alterum, ſemen, quod debet eſſe copioſum, calidum, lentum & craſſum: alterum, excrementitius humor, qui pariter debet eſſe copioſus; fieri non poteſt, vt ambo in muliere concurrant: ſiquidẽ eiuſmodi ſemen, non niſi ab inſigni caliditate excrementa autem à frigiditate & humiditate poſſunt oriri. Itaque ſi fœmina excremẽtis abundat non poterit ſemen accommodatũ gignere, vel ſi idoneum ſemen generet, excrementis non poterit redundare. Atque hæc certiſſima & veriſſima cauſa eſt, propter quam mulieres ſine concubitu nequeant concipere. Ergo ad argumentum negatur conſequentia: quamuis enim ſemen mulieris fœcundum & optimum fuerit, tamen deficit excrementitius humor, qui ad concipiendum & nutriendum fœtum neceſſarius eſt. Secundum & tertium argumentum, quæ videntur fere eandem vim habere, ſatis leuia ſunt. Quare ad primum reſpondeamus, nunquam fœminas ſine ſeminis emiſſione concipere; ſiquidem vt habet Gal. *lib.* 14. *de vſu part.* in conceptu neceſſe eſt vtrumque ſemen miſceri. Hinc medici hortantur, vtrumque eodem tempore ſemen emittere. Lucret.

Odit concubitus qui non vtrinque reſoluunt.

Ad Auerroem. Indignum hoc eſt tanto Philoſopho, in balneo conceptum fieri poſſe: alioquin poterat didiciſſe ab Ariſtotele ſuo 2. *gen. anim.* 2. ſemen eſſe materiam ſpirituoſam, & extra propria vaſa momento temporis alterari & corrumpi. Et ideo ex 2. *gen. anim.* 6. illos homines eſſe infœcundos, quibus penis eſt immoderatus, quòd ſemen lõgius delatum refrigeretur. Ex quibus vanitas fabulæ huius manifeſtò colligitur. Ridiculum etiam eſt de iuramento mulieris, quaſi ignoret ex ſuo Ariſt. 9. *hiſt. anim.* 1. Mulieres ſuapte natura eſſe mẽdaces: vnde etiam Iureconſulti periurij occaſionem illis ſuſtulerunt, excepto in teſtamẽto. Ex quo apud Græcos prouerb. *Mulieris iuranti vides cœlum.* Hac ratione etiam facile reſpondetur ad aliud argumentum, Omnes mulieres parientes ſemen emittere, tametſi non fateantur, pudore vel obtuſo ſenſu, aut aliam ob cauſam, & quatenus ad voluptatem, nonnullæ mulieres docent, ſed nullam percipere voluptatem in coïtu, ſed illis non oportet fidem habere. Niſi enim haberent voluptatem, abſtinerent: imò Auice. (9. *de anim.* 21.) 1. Tert. 2. c. Haliabbas 6. Theor. & alij non verentur affirmare, mulieres multo maiorem voluptatem percipere, quàm viri, quibus fauet iudicium Tireſiæ, qui cum vtrumque fuiſſet expertus, arbiter electus à Ioue & Iunone de voluptatis in concubitu quantitate contendentibus tres voluptatis vncias in viro, nouem in mulieribus pronunciauit.

Quartum

Quartum argumentum, Mulieres non potuiſſe habere duas naturalea euacuationes contrarias, cocti ſcil. vt ſeminis, & crudi vt ſanguinis menſtrui 1. *gen. anim.* 19. 2. *gen. anim.* 4. quod mihi quidem videtur tam leue, vt mirum cur à tanto Philoſopho productum fuerit. Quid? abſurdum non eſt, ſi homo variis partibus, varias & diuerſas excretiones habeat, & excrementis redundet?

Poſtremum argumentum erat de vnico agente, & vnica materia, quæ in rebus naturalibus à natura ſunt inſtituta. Reſpondetur cum Gal. 14. *de vſu part.* 7. ſemen mulieris non ſolum & ſeparatim, ſed ſimul commiſceri cum ſemine viri, ſimulque agendi vim habere, ac propterea vtrumque vnicum motus principium fieri, atque ad vnius animalis procreationem conſpirare: ſicut reuera non poſſent, ſi vtrumque ſemen, motu inter ſe diſcrepante, moueretur, vt ambo in vnius animalis procreationem conſpirarent, quod pariter de materia ſtatuendum eſt.

Capvt VI.

De Sterilitate.

COnuenit inter omnes, hominis generationem & reliquorum animalium præ cæteris naturæ operibus eſſe naturaliſſimum & perfectiſſimum, quod eleganter demonſtrat Ariſtot. 2. *gen. animal.* Gal. *de vſu part.* 14. 2. cum animalia ſempiterna eſſe non poſſint, continua generatione id præſtant. Ex quo factum eſſe ſcribit Galenus, vt omnibus animalibus generandi inſtrumenta conceſſa ſint, etiam rationis expertibus. Nos igitur ſermonem habituri de admirabili naturæ operatione, id primum ſciendum eſt, nobis hoc tempore minimè propoſitum eſſe, vt inquiramus, qualiſnam ſit ea virtus tantopere à Philoſoph. & medicis decantata, quæ fœtum in vtero format, ideoq; formatiua dicta eſt, quo ordine ſingulæ corporis partes formentur, quando & quot diebus quo temporis momento Devs naturæ, & rerum omnium auctor animam fœtui infundat, & alia, quæ maximas & iamdiu agitatas controuerſias continent: ſed nos illud vnum ſtatutum habere, vt medici perſonam ſuſtinentes, ad quam præcipuè ſpectat naturæ conatus iuuare & tueri, de iis agamus, quæ conceptũ atq; illius abſolutionem perfectionemq; poſſunt perturbare & impedire. Conceptus ſicuti in omnibus actionibus corporis noſtri contingit, poteſt vel prorſus auferri, vel imminui, vel deprauari. Si prorſus tollatur, vt mulier nunquam concipiat, ſterilitas dicitur huiuſmodi affectio. Si rarius, debilis & imminuta eſt conceptio. Quò etiam referri poſſe videtur, ſi mulier quidem concipiat, nequeat tamen fœtum ad debitum partus tempus incolumem conſeruare & tempeſtiuè edere, quod vnico abortus nomine comprehendo. Demum conceptio fit deprauata, quotieſcunque in vtero mulieris concipiuntur non fœtus legitimi & naturales, ſed monſtra vel molæ, aqua, flatus, &c. quod conceptus formam præ ſe ferant, de quibus dicendum erit.

Ratio ordinis.

Eſſentia.

Cauſæ.

Ac primùm, quantum ſterilitas priſcis fuerit odioſa & deteſtabilis, declarant ſacræ literæ. Cauſæ ſterilitatis variæ ac plurimæ nominãtur à medicis. Hip. tantum principales recenſet: ſi os vteri diſtortum aut omnino auerſum ſit à pudendo: ſi vterus nimium pateat, quàm conueniat: ſi os vteri ex pudendo exciderit, atque alia id genus, de quib. *lib. de ſterilitate & princip.* Alij alias, nunc plures, nunc pauciores conſtituunt, & ſuo arbitratu diſponunt. Sed nos experiamur clarioris doctrinæ gratia, an omnes cauſę ad certiorem methodum referri poſſint, vt Gal. docet; *de ſympt. cauſ.* Initium & caput inuentionis omnium cauſarum, quæ facultatibus noxam inferunt, non aliud eſt, quàm cognitio modi, quo per ſanitatem ſuas perficiunt actiones. Cum itaq; ante ſtatutum ſit, ad naturalẽ conceptum efficiendũ maris & fœminę concubitũ neceſſariũ eſſe id primum conſtare debet ſterilitatẽ aut vitio maris, aut fœminæ, aut vtriuſque fieri poſſe. Etſi nos hoc tempore tantũ muliebres morbos tractemus, tamen cùm integram tractationem habeamus, huiuſmodi cauſæ, quæ ad mares pertinent, etiam non ſunt intermittendæ. Rurſum verò cum vterq; mas, & fœmina ad generationem plurima conferant neceſſariò, qualia ſunt maioris momenti in maribus quidem teſtes, membrũ genitale, ſemen: id fœminis pudendum, vterus, teſtes, ſemen, ſanguis menſtruus; omnis ratio colligit, quemlibet affectum præter naturam, tum maris, tum fœminæ in ſingulis partibus propoſitis poſſe fœcunditatem, vel imminuere, vel prorſus auferre. Cauſæ igitur ſterilitatis ex parte mariũ, verbi gratia penis lõgus vt infœcundus ab omnibus damnatur, quòd ſemen in via refrigeretur, priuſquam ad vterum recipiatur. Auic. *lib. 3. fen. 21. tract. 1. ca.* 8. Et Ariſtoteles 1. *gen. animal.* 6. Et hæ rationes licet tanti philoſophi & ferè ab omnibus receptæ, tamen forte inanes ſunt: cùm enim ſemen per canalem penis, cuius caliditas à pudendo muliebri fouetur, tranſeat, videtur fieri non poſſe, vt illud refrigeretur, vt forte cõtrarium videatur, longũ penẽ ad efficiendum conceptum aptiorem eſſe & accommodatiorem, quod ſic ſemen ſine loci aut tẽporis interuallo protinus in vtero deponatur, alioquin malè ageretur cũ animalibus, vt equo &c. Ex hoc loco licet conijcere incredibilẽ delirationẽ Auerrois, de qua ſuprà, & quomodo iſtud Ariſtoteli & bonæ philoſophiæ conſentiat alij viderint. Et hîc pro Auerr. nihil occurrit aliud, quàm quod in gloſſa habet hæc verba (*de conceptu in balneo ſuper aquã*) in quibuſdam Hebraïcis libris non haberi. Cæterũ ſicuti plerìq; omnes volunt longum pœnem infœcundiorem eſſe, ita altera ex parte non deſunt, qui affirmãt penẽ quoq; breuiorẽ viros infœcũdos reddere, qui forte magis probabili ratione vtuntur, quod ſemen videatur nõ ita propè poſſe in penitiorẽ ſinum vteri immitti. Sed vt libere dicã, ego quidẽ ſentio, vtrãque huiuſmodi cauſã, penis ſcilicet longitudinẽ & breuitatem in facienda hominis ſterilitate admodũ infirmas rationes obtinere, id quod experientia poteſt confirmari, quoniã vtriq; copioſiſſimos filios procreant. Sed magis videtur ſterilitas fieri poſſe vitio penis, ſi obliquus fuerit, ſi ligamentũ diſtortum habeat, ſi viæ ſeminis vel natura, vel morbo acquiſito aut proprio, anguſtia ſit ob vicinas partes. Demum vitio penis accidit ſterilitas, ſi ille perpetuo gracilis & flaccidus permaneat, vt neque inflari neque erigi poſſit, quod ad miſſionẽ ſeminis plurimũ facit. Iam verò ſecundo loco viri ob vitiũ teſtiũ ſteriles fiunt. Cum enim teſtes à natura ſint fabricati, ſicut aduerſus Ariſtotel. demonſtrat Gale. 14. *de vſu part.* & 1. *de ſem.* 15. 16. vt ſemen producant, illudque omnibus numeris abſolutum ac fœcunditatis plenum reddant, ſi illi deficiant à ſuo munere, ſumma cũ ratione poſſunt homini ſterilitatẽ afferre. Neq; verò diutius laborandum eſt, quomodo teſtes fiant infœcundi, quoniam poſſunt laborare omni genere morbi, intẽperie, ſolutione cõtinui, mala cõpoſitione. Quare, laborante teſte vno vel altero intẽperie ſimplici vel compoſita, cũ, aut ſine materia, de quibus videatis Gal. *in arte medic. cap.* 45. Si aliqua inflammatione aut alio quodam tumore pręter naturam magno & diuturno fuerint oppreſſi, obſeſſi, indurati,

Ex viris.

Digitized by Google

indurati, vulnerati, vlcerati, conuulſi intra ventrem adhuc latentes, potiſſimùm autem, ſi ob cauſas certas ſunt euulſi: omnes tales effectus & ſeparatim & coniunctim teſtiũ ſterilitatis cauſam poſſunt afferre. Poſtremò mares ob cauſam ſeminis ſterilea fiũt, idque dupliciter poteſt contingere. Primùm, ſi ſemen protſus non gignatur, vel minori copia quàm opus ſit. Secundò, ſi ſemen generetur vitioſum & ad conceptum parũ accommodatũ. Semen nihil quicquã, vel parcè vel reſtrictè gignitur deficiente ipſa materia, ex qua illud fieri poſſit, veluti contingit hominib. nimis pinguibus: vel altera ex parte lædit atrophia diuturno morbo nimium extenuatos, in quibus natura omnem materiam ſeminis in ſubſtãtiã & nutritionẽ conuertit corporis. Semẽ autẽ vitioſum ob multas cauſas internas æquè atque externas, fieri poteſt. Quamobrẽ ſi inſtrumenta & vaſa ſeminaria ſunt inſigniter intẽperata, vel alio modo laborent, vnde illa nequeant materiã fœcundi ſeminis attrahere, attractam concoquere & tã diu retinere, donec illud integrã abſolutionẽ recipiat, quod exempli gratia frequentiſſimè illis accidit, qui longiore tẽpore gonorrhæa laborant: ſi partes præcipuæ noſtri corporis, ventriculus, hepar, &c. ſint malè affectæ, vt niſi improbę fiant alimentorũ concoctiones, probabile eſt, ſemen vitioſum generari, & ineptũ ad conceptũ. Pariter cauſæ externæ quæcunq; poſſint corpora noſtra alterare, & ea efficere, quas non naturales appellant vitioſum & infœcundũ ſemen ſolent efficere. Ad quẽ modũ viri nimis frequenter concumbentes, fiunt ſteriles magna ex parte: quod præclare ſcribit Plutarchus in vita Lycurgi, & Gal. etiam diffuſè declarat lib. 1. *de ſem. cap.* 16. Cum enim ſeminariũ humorũ teſtes à vaſis ſeminalibus eorumq; anfractibus attrahant antea ipſis præparatũ, ſicuti reliqua omnia mẽbra naturæ inſtituto ſuccũ ſibi accommodatũ ſolent attrahere, ſi quis aſſiduis coitibus hoc totũ ſemen exhauriat, hinc fit ex vna parte, vt teſtes ex ſuperiorib. venis, quicquid in ipſis feroſi humoris cõtinetur, id omnę trahant, quod certè vt ſit pauco ſanguine irroratum, nondũ probè decoctum, neceſſe eſt. Alter autẽ ex parte, vt venæ à teſtibus violenter priuatæ ab humore, etiã illæ à ſuperioribus venis, & rurſus illę ex ſuperioribus, & hæ à vicinis ſubinde trahant ratione vacui vſquequo talis trahendi neceſſitas in omnẽ corporis partẽ diffuſa, omnibus mẽbris animalis proprium alimentum eripiat Ex quo fit, vt omnes animalis partes non tam feroſo humore, quàm vitali etiã ſpiritu priuentur, quoniã hic ex arteriis ſimul cũ generali humore excernitur. Itaq; mirum non eſt ſi qui immoderato coitu vtũtur, generaliter quidem imbecilliorea fiunt, cum totum corpus puriore parte optimi ſanguinis & ſpiritus fraudetur, accedente quin etiã voluptate; quæ vel ſola idonea eſt ad vitales vires diſſoluendas: vt nonnulli iam nimia voluptate affecti interierint: ſpeciatim verò mirũ eſſe nõ debet, ſi tale ſemen nõ ſatis coctũ & generationi idoneũ reddatur. Quantum autẽ immoderatus concubitus animalibus ſit pernicioſus, ſatis demonſtrat Philoſophus *de long. & breu. vitæ c.* 2. vbi ait: animalia ſalacia, & quæ ſemine redundant, citiſſime ſeneſcere: atq; propterea mulũ ex equo & aſino procreatũ longius viuere; & fœminas etiam maribus diutius poſſe viuere, ſi mares ſalaces fuerint. Atque hinc, vt puto, vt ſemen ſit coctum & generationi idoneum, Varro *lib.* 6. de re ruſtica c. 5. & alij auctores ruſticani præcipiunt arietes & tauros admiſſarios duos menſes ante admiſſuram ab omni concubitu arcendos, vt ita ſemen fœcundum fiat. Et ſi quis obiiciat Herculem, quem Pauſanias ſcribit & Diodor. Siculus *lib.* 5. *biblioth.* cum quinquaginta fœminis vna nocte coiiſſe & omnes grauidas reddidiſſe, atque ex iis quinquaginta filios mares genuiſſe, & quidẽ geminos, natu maximum & minimum, id tanquam prorſus fabuloſum aut mõſtroſum habendũ eſt; etſi Athenæus *lib.* 3. auctore Herodoto ſcribit: Herculem 7. diebus 30. virgines compreſſiſſe. Ad hunc modum homines in victu potiſſimùm in vino delinquẽtes, vt in ebrioſis, ſemen inutile magna ex parte reddũt; ſicut Galen. ex Platone demõſtrat *lib. quod animi mores corporis, &c.* Quare ſumma cum ratione Hipp. *in lib de ſuperfœtation.* atq; illius imitatione Plat. *lib.* 2. & 6. *de legib.* & Plut. *in lib. de educãdis liberis in principio,* iubet, eos debere, qui liberis procreandis operam daturi ſunt, à vino prorſus abſtinere aut minimo ſumpto ad venerem accedere. Hæc duo exempla immoderati ſcilicet concubitus & ebrietatis, de externis cauſis ſterilitatis ſufficiant quarum imitatione eſt facile reliquas eius generis cauſas afferre. Sed præter cæteras cauſas viri Hipp. 11. de aëre, aquis & locis, qui quærens, quam ob cauſam plurimi ferè Eunuchi naſcantur ac muliebria officia ducant, qui aliter affœminati dicuntur, eorum opinionem irridet, qui huius rei cauſam in Deum referebant; reſpondet id fieri ob importunas eorum equitationes. Cum enim propendentibus ſemper eorum cruribus ex equis diuturnis doloribus corriperentur, ac deinde claudi fierent contractis coxis, cum morbus inualuerint, tale remedium ſibi adhibebant vt à principio morbi, vtramq; venam retro aures inciderent. Et ait Hipp. ea medicatione videntur mihi ſe ipſos perdere. Venæ enim retro aures ſunt, quas ſi quis incidat, ſterilitatem inferunt illis, quibus ſecantur. Cuius quidem rei facilis eſt ratio, cum idem Hipp. vel vt magis placet Gal. in lib. de genitura doceat, ſemen ex omni parte corporis, potiſſimùm cerebro poſt aures in ſpinalem medullam profluere: nec non Ariſtoteles 2. *de gen animal.* 7. naturam genituræ cerebro ſimilem eſſe confirmat Plat. in Timęo ad finem, ſemen veluti à ciſta medullaria procerni, & ex ſpina ad propria vaſa deriuari, adeo vt non ineptè quidam ſemen cerebri ſtimulum appellarit. Hinc admodum probabile eſt, ſectis venis poſt aures ſeminis tranſmiſſionem impediri, & illud vel nulla ratione, vel crudum ad inferiores partes deſcendere. Iam de cauſis ſterilitatis ex parte mulieris. *Sterilitas ex parte mulieris.* Etſi mulieres multis de cauſis ſteriles fiant, tamen quod ad internas, ac maximè principales, omnes eæ vel ad partes pudendas, vel ad ſemen, aut ſanguinẽ menſtruum referri poſſunt. De externis poſtremo loco. Igitur Hippocr. de facili & difficili mulierum conceptu hęc habet ad finẽ: *Porrò ex mulieribus, quæ facilè aut difficilè concipiũt ita cõſiderant, facere oportet (inquit) primũ quidẽ conſiderationem ſpecierum: paruæ enim mulieres ad cõcipiendũ præſtantiores ſunt maioribus, tenues craſſis, albæ rubicũdis, nigræ liuidis, quæ venas conſpicuas habẽt meliores ſunt aliis, carnẽ autẽ vberiatẽ habere malũ eſt, mammas autẽ tumidas & magnus bonũ Veriùm interrogare etiã oportet de mẽſtruis purgationibus, an omnibus menſibus cõpareant, ſatis magna copia & colore bono, an ſint etiã æquales ſingulis menſibus, tẽporib. ac diebus ſtatutis: ſic enim purgationes fieri oportet. Locũ verò in quo fit conceptio, ſanum eſſe oportet & ſiccum & mollem, ſitque vterus non retractus, non pronus, os non ſit aduerſum neq; concluſum, neq; euerſum,* &c. Hic certè Hipp. omnia vel certè neceſſaria ad hanc rem complexus eſt. Nos magis diſtinctè rem conſideremus. Primùm igitur ſunt pudenda & vterus, quæ partes vel natura. vel præter naturam coaleſcunt & clauduntur, ex quo huiuſmodi mulieres imperforatæ dicuntur. Philoſophus 4 *gen. animal.* 4. *ad finẽ*: *Iam nonnullis fœminis os vteri compreſſum ab ineunte ætate vſque ad tempus menſtruum perſeuerauit,*

Perſeuerauit, mox vrgẽtibus mẽſtruis dolore infeſtãte, aliis ſponte diſrupum eſt, aliis diſſectum à medicis, nonnullæ interierunt, cum aut per vim diſrumperetur aut diſrumpi non poſſet. Hic affectus Auic. & aliis dicitur Clauſura *fen.21. lib.3. tract.4. cap.1.* Verùm Moſchio grecus *harmon.part.poſt.c.35.* & Aëtius *li. vlt c 69.* præ cæteris diſtinctè rem tractat qui ſcribit mulieres effici clauſas tribus modis: primo, ſi alæ vel labia pudendi inter ſe cohæreant: ſecundò, ſi patentibus labiis in medio ſinu muliebri membrana quædam innaſcatur, quæ viam & tranſitum impediat: tertiò, ſi patentibus labiis & ſinu os vteri prorſus claudatur, quæ quidem tres clauſuræ impediunt mulieres: prima ad tria officia, virorum vſum, purgationem, & conceptum: ſecunda ad duo, communicationẽ viri & conceptũ: tertia etiam ad duo, ad conceptionem & purgationem. Exemplum apud Anton. Benineniũ *ca. 28. de abditis puella nubilis,* quæ ſanata eſt. Alterum cuius etiam meminit Ambroſius Paræus *lib. de gen. ca. 43.* mulieris quæ credita eſt vtero gerere ob tumorem & etiã facta ſectione curata eſt, profluente ſanguine concreto nigro ad ſeptem libras. Huc pertinet conſideratio mẽbranæ, quæ huiuſmodi dicitur, de qua inter anatomicos non conuenit, nec non, an membranæ integritate vel læſione liceat de virginitate arguere. Hic ergo meũ iudicium non interponam. Sed tamẽ id nequeo ſilentio præterire, apud Suidã reperiri hiſtoriã notatione & admiratione dignam cuiuſdã Theodoſij Hebræi de Chriſti ſacerdotio ac diuino ex beata ortu, qui poſt longam narrationẽ confirmat, ſacerdotes Hebræos fidelibus obſtetricibus mandaſſe, vt accuratè perquirerent & explorarent, an adhuc verè virgo eſſet Maria; quæ ipſis rebus certè edoctæ, virginem eam eſſe affirmarut. Quod quidem humana ratione via aliter conceptũ videtur fieri poſſe, quàm teſtimonio huius membranæ, quam obſtetrices integram & incorrupta inuenerunt. Cæterũ ad rem. Inter omnes cauſas ſterilitatis mulieris ex parte inſtrumentorũ, certũ eſt principẽ locum obtinere vterum: cum enim ille ſit tanquam ager, in quem ſemina ſparguntur, niſi hæc pars & ad concipiendũ & retinendũ ſemen ſit bene diſpoſita, omnis ratio colligit, nulla ratione conceptum fieri poſſe. Cũ ergo vterus omni morborũ genere laborare poſſit, ſtatuendum, quemlibet illius affectum præter naturã poſſe ſterilitatẽ inducere. Inter quos primum occurrunt morbi ex intẽperie. Hip. 5. *aph.62.* Qua in grauiſſima ſententia Galen. *in comment.* teſtatur Hipp. omnes intemperiẽs complexũ eſſe, ſimplices & compoſitas. Vnde mulieres denſo & frigido vtero nequeunt concipere, quod frigiditas calorem ſeminis extinguit, vel imminuit. In huiuſmodi mulieribus licet addere venarum vteri anguſtiam, ac ſanguis menſtrui frigiditatem, quod vtrumque magis fœcunditatem poteſt impedire. Deinde quæcũque præhumidos habent vteros non concipiunt, quod propter immodicam laxitatem lubrici reddantur, de qua Philoſophus lib.7. hiſtor. animal. 2. *Semen viri in vtero humidiore, perinde vt ſemina cerealia in paluſtri & aquoſa terra, obruitur & inũdatur.* Tertiò. quæcunq; ſiccos vteros habẽt, non concipiunt, quòd ex defectu alimenti ſemen corrumpitur, vt ſemina alia proiecta in terram arenoſam & petroſam. Quartò, quæ habent vteros valde calidos & adurentes non concipiunt; ſiquidem vt in æſtate ſemina terræ commiſſa pereunt: præterquam enim quòd huiuſmodi calor immoderatus vniuerſum corporis habitum depaſcitur, quo hæ mulieres nulla aut pauciſſima habent menſtrua, è quibus earum fœtus neque viuere neque foueri poſſunt; huiuſmodi mulieres ab Ariſtot. *2. gen. animal. 7.* appellantur viragines, quæ aliquando barbatæ ſunt, omnem ſanguinem calore diſſipante.

Et hæc compoſitis intemperiebus facile poſſunt accommodari. Verùm illud quoque ſciendum intemperies vteri non ſolùm ſimplices, ſed etiam, ac forte magis cum materia qualiſcunque tandem illa fuerit, poſſe ſterilitatem afferre, quales ſunt tumores præter naturam, phlegmone, eryſipelas, herpes, œdema, ſcirrhus, &c. item mola, calculus, lumbrici, flatus, aqua, his ſi non inchoari, ſaltem non perfici poſſe fœtum certum eſt. Secundo ſunt morbi in mala compoſitione, qui etſi quidem plures eſſe poſſent, in magnitudine, figura, cauitate, ſuperficie, tamen præ cæteris eſt morbus ex ſitu malo cauſa ſterilitatis. De motione vteri ex ſua ſede, non conuenit inter omnes. Gal. *lib.6. loc. aff. ad finem* ſcribit, nonnullos vterum animal putaſſe generandi auidum, ægrè ferens motum eorum, quæ concupiſcit, indeq. oberrare per corpus, meatus ſpiritus intercludendo, & noxam toti corpori inferendo, vt erat Plato in Timæo, qui vterum humectari cupientem, ad ſeptum tranſcendere voluit, id quod Gale. refutat, docendo ob nullam malam cauſam vterum moueri ad latera vel ſurſum, quam propter extenſionem; extendi autem, quòd appendiculæ eius ac vincula ac vaſa nimis replentur, quæ repletio fit ob menſtruorum retentionem; ſiquidem perueniens ſanguis ad vterum vſque per vaſa ad interna non poteſt ingredi, vel quòd ſanguis ſit craſſus, vel quòd ora vaſorum ſint obſtructa. Hinc ſanguis hoc modo multiplicatus in vaſis illa extendit, proxima vincula irrigat ac madefacit, vnde vterus continuò retrahitur & peruertitur. Quod ſi extenſa vaſa & vincula æqualiter trahantur, tunc vteri tranſmutatio recta erit, & in neutram partem inclinabit. Sin contra, ad eam partem, quæ magis trahit, vterus extendetur. Et hæc eſt Galeni ſententia etiam *com.3. de articulis 100.* præclarè expoſita. Et hæc etiam cum Anatomica diſciplina conſentiunt. Admirandam eſt, quod in mentem venerit Fernelio, qui præter Galeni doctrinam & rerum euidentiam non eſt veritus Plat. & aliorum ſententiam probare *6. de part. morb. & ſym. 16.* ſe aliquando motum auctoritate Galeni vterum nihil aut exiguum moueri, aut ægrotatum mulierum modò querimonia, modò precibus adductum ſæpe tactu deprehendiſſe, inſtar globi in ventriculum efferri, eumque grauiter opprimere, ex quo loco ſæpe manu depreſſus eſt, manifeſtóque in propriam ſedem repulſus. Mirum cur non Fernelius fateatur vterum quoque fauces, aliquando caput ipſum petere conſueuiſſe, quod idem mulieres frequenter prædicant. Addit Fernelius iſtud non magis alienum videri, quàm prolapſum vteri quo vterus totus procidit, qui deinceps inquirens cauſam huiuſmodi motionis vterinæ, inquit, eam non aliam eſſe, quàm irritationem quandam, propter quam ille ſurſum & deorſum, aut in alterutrum latus ſe contorqueat: hanc autem irritationem fieri, aut rei præter naturam quam continet in ſe, aut internæ eiuſque aduerſæ moleſtia: ex quo fiat, vt cum vterus laceſſitus & quaſi irritatus de proprio loco diſcedat, alias in aliam partem oberrans, vt quod illi infenſum inimicumque fugiat, quod verò iucundum ac blandum ſequatur. Qui demum non parum miratur Galenum contra Platonem cenſuiſſe vterum nihil aut perexiguum moueri, idque non per ſe, ſed per accidens à vinculis & appendicibus quibus annectitur, &c. Quæ ſi qui conſideret, intelliget illum nihil docere. Cæterum ſicut diximus cum Galeno vterum ad ſuperiores partes non moueri poſſe, ita altera ea parte certum eſt, vterum ad inferiores partes frequenter decedere,

cum

cum totus aliquando ad pudendum, vel extra egrediatur, quod ſenſibus fit manifeſtiſſimum. Cauſæ verò huius ſymptom. plures poſſunt afferri internæ & externæ, quæcunque ligamenta vteri poſſunt laxare & diſrumpere. Sic igitur eaterna vociferatio, inſignis tuſſis, violenta ſternutamenta, & frequentia, curſus, ſaltus, caſus, ponderis leuatio, percuſſio immoderata, venus & potiſſimum in ipſa purgatione puerperij, vel paulo poſt purgationem, improuiſi triſtes nuncij, &c. Sic interna nimia vaſorum vteri relaxatio & humiditas, reſolutio, apoſtema, corruptio, difficilis abortus, fœtus nimium & grandis & grauis, violentus partus, importuna & violenta detractio fœtus & ſecundinarum immoderatæ ſuppreſſiones, menſtruorum purgatio copioſa, aqua in vtero collecta, magna mola, magnus lapis, &c. Sed Philoſophus præter omnes vnam commemorat. 7. *hiſtor. animal.* 2. quem locum video neminem aduertiſſe, qui ſcribit multis mulieribus vterum deſcendere deſiderio coitus vel iuuenilis ætatis ratione, vel quod multo tempore à coïtu abſtinuerunt, quæ quidem cauſa admodum probabilis eſt, & facilè ad ſuperiores poteſt referri. Ad hunc locum de morbis vteri in compoſitione videtur poſſe referri vteri defectus. Etſi enim quòd à Philoſopho traditum eſt, 1. *hiſtor. animal.* 13. vterus eſt pars propria, indiuiduo nulli poteſt deeſſe: tamen teſtantur Paul. 3. *c.* 72. & 6. c. 88. & Aetius *lib.* 16. *c.* 76. nonnullis mulieribus vteros ſine vllo vitæ periculo exciſos fuiſſe, quod nonnulli recentiores quoq; confirmant, de qua re videatur Franciſcus Rouſſetus *de partu Cæſareo*, 2. *Tom. gynec.* 5. Tertio demum loco, morbi in ſoluta vnitate ſine dubio ſterilitatem introducunt, vel vulnera, vlcera, contuſiones, ragades, fiſtulæ, eroſiones vteri, quæ, vt ait Gal. 6. *loc. ad fin.* magna ex parte in ceruice ſolent contingere, multaſque continent differentias, vt pruritus vteri, &c. Nunc quæ ad ſemen & ſanguinem. De ſemine tanquam cauſa ſterilitatis longius agendum non eſt, quandoque illud in fœminis vel nullum aut parcius, vel vitioſum & ad conceptum ineptum gignitur, quod ſuprà explicatum eſt. Cæterum inter alia quæ mulierib. ſterilitatem aut fœcunditatem poſſunt afferre, ſunt menſes, qui principem locum tenent in copia, ordine, qualitate & tempore; ſiquidem quæ in his præter naturam ſe habent mulieres; omnes propemodum ſteriles fieri neceſſe eſt; de his in principio huius tractatus dictum eſt. Ad alia, quod ad cauſas externas ſterilitatis vtique communes plurimæ ſunt, vt ætas, quæ vel prouecta vel tenera ad conceptum inepta eſt. Leges quidem viro decimumquartum, fœminæ duodecimum coëundi terminum ſtatuunt. Quod ſi quis cupiat intelligere, cur fœminis citius quàm maſculis venia ad nuptias detur: Reſpondet Macrobius in Som. Scipionis 6. fœminas propter feſtinationẽ votorum maturiùs liberari libeиis. Sed forte altera verior cauſa naturalis reddi poteſt, nempe mulieres citius pubeſcere & genitales fieri quod ſint viris natura infirmiores, ſiquidem ſcribit *lib.* 7. *ſatur.* 7. *Exilia poma & ad breue tempus durantia citiùs matura ſiunt, robuſta & durabilia ſeriùs.* Ac generaliter quod Theoph. 4 *cauſ. plant.* 9. & 11. *Quæ infirmiora ſunt, ea faciliùs ac celeriùs perficiuntur.* Vnde prouerbium: *Citò nata citò pereunt.* Nec ſanè hoc latuit Philoſophum *lib.* 4. *de gen. animal.* 7. *Et pubes, & vigor, & ſenectus fœminis priùs quam maribus; ſunt enim fœminæ ſua natura debiliores & frigidiores, & ſexum fœmininum, quaſi læſionem & detrimentum eſſe.* Etſi verò hic eſt communis omnium conſenſus mulierem anno 12. & marem 14. genitales fieri, veruntamen forte magis probandam Philoſophi opinionem

Cæteræ leges.

cẽſeo, qui plurima & grauiſſima de hac re tradit præcepta, quæ digna ſunt vt ab omnibus legantur, *l.* 6. *de rep.* 16. Sed quod ad rem noſtram, illud eſt certum, generationis terminum ac finem definitum fuiſſe, viris quidem ad ſummum annum 70. fœminis verò 50. Verùm id raro, paucis enim contingit, ſed magna ex parte maribus 65. finis generandi eſt, & fœminis 45. & 5. *hiſtor. animal.* 4. In quo eodem loco ille ſcribit viros principium facere ferendi ſeminis circa annos bis ſeptem, ſed tamen illud vim genitalem ſuſcipere circa annum 21. Ex quo puto factum eſſe vt legiſlatores, qui congruum nuptiarum tempus conſtituunt, puellæ quidem à 16. vſque ad 20. viro autem à 30. vſque ad 35. circiter, Plut. *in Apologet.* nec non *in vita Lycurgi.* Plato & 4. & 6. *ll.* Ariſtoteles *polit.* 7. *cap.* 26. Itaque ætas in fœmina ante annum 12. & poſt annum 45. vel ad ſummum 50. in mare ante 14. & poſt 65. vel 70. minimè ad conceptionem accommodata. Neque hoc tempore vir & mulier ſteriles cenſendi ſunt. Quod ſi quis obiiciat, nonnullos viros ante & poſt huiuſmodi ætatis terminum generaſſe, vt ſunt hiſtoriæ apud Sauanorolam de puella 9. annorum, apud Gregorium de puero 9. annorum qui ſuam nutricem grauidam reddidit. Et apud D. Hieronym. qui etiam vix annum 10. agens, nutricem compreſſerit & impregnauerit. Et apud Valeſcum de Taranta de vetula, quæ poſt annos 60. filios tres peperit, 67. dum vltimum gigneret Et Plin. Val. Max. & alios de quibuſdam viris, qui poſt annum 80. filios generarunt. Si quis ita obiiciat, is ſciat hæc tanquam mirabilia atque planè prodigioſis ſimilia, ſcriptis mandata, de quibus, vt .aris, non licet aliquam certam rationem colligere, & naturæ inſtitutum peruertere. Habitus corporis tam maris quàm fœminæ, ſi fuerit carnoſior & pinguior ſterilitatem vtrique ſolet inferre, Idque propter duas cauſas potiſſimùm: altera, quòd caro, adeps, &c. nimia mole ſit impedimento, quominus genitalia vtriſque poſſint coniungi: altera; quòd quo plus ſanguinis & humorum in carnem & pinguetudinem conuertitur, tanto minus de ſemine & ſanguine menſtruo reſtabit. Cauſæ traditæ ſunt à Philoſopho 2. *part. animal.* 5. Hip. 5. *app.* 16. quæ ſententia repetitur *lib. de aere, aquis & locis. cap.* 10. Sed nihil eſt, quin eadem ſententia ad viros quoque poſſit accommodari. Suprà iam diximus viros vel nimis coëuntes vel crapulis deditos ſteriles reddi, id quod ad mulieres quoq; referre poſſe ſętio. Et quod ad coïtum, certum eſſe debet mulieres, quo frequẽtiores coëant, eo eſſe ſteriliores, quod ſpeciatim notauit Philoſophus 6. *hiſtor. animal.* 13. *de aſinis*, qui ſcribit, ſi hæc animalia frequenter coëant, neque interpoſito tempore quieſcant, fœminam breui ſterilem fieri. Ex quo fit inquit, vt qui curam huic rei adhibeant, tempus interponant, quod quidem meretrices ſatis poſſunt confirmare, quæ propter hanc vnam cauſam vel raro vel nunquam concipiunt. Huius rei multiplices cauſæ reddi poſſunt, vt redduntur ab auctore, *l. de hiſtoria Philoſophica*, qui ſub nomine Galeni circunfertur, vel potius à Plut. cuius verè hic liber eſt cenſendus, qui *lib.* 6. *de pla. philoſophorum*, *cap.* 9. ſcribit hoc modo. *Diocles medicus ſæpe concumbentes mulieres raro concipere indicat, vel quia ſemen non emittant, vel quia minus quàm conueniat, vel quia tale, vt in eo vis prolifica non ſit; vel quia caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis plus minùſve quàm par ſit, habeant, vel quia vterus reſolutus ſemen non contineat.* Quatenus autem ad crapulam & ebrietatem pertinet, nulli dubium eſſe debet, quin idem de viris & mulieribus ſtatuendum ſit, cum pares omnino rationes in vtriſque facile idem poſſint demonſtrare. Vnde Plat. *lib.* 2. *ll.*

Generationis terminus.

Nuptiarum tempus.

Sterilitas ex ratione habitus.

poſtremis verbis mulieri aut viro nocte liberis operam daturis minimè permittit, vt bibant vinum: quam quidem Platonis ſententiam Galenus refert ac probat (quod animi mores ſeq.) Imo verò idem Plato de hac ipſa re admodum præclara ac diuina tradit præcepta. Atque hinc fortè factum eſt, vt tradunt hiſtoriæ, quod Romanæ fuerint abſtemiæ, quæ alioqui fuerunt fœcundiſſimæ, ac filios fortiſſimos pepererunt. Quantum ſpectat ad cauſas ſte-

Sterilitatis cauſa vtrique ſexui communis.

rilitatis vtrique communes, mihi viderer vnico loco omnia poſſe comprehēdere, qui eſt, ſi vir & fœmina inter ſe diſſentiant, in qua cauſa ſola, Stoïci inquirentes cauſas ſterilitatis, acquieſcebant. *lib. de hiſtoria Philoſophica*, aut verius *in Plut. de Placit. Phil.* 13. quæ quidem diſſenſio multis modis poteſt contingere. Nos vno aut altero exempli gratia contenti erimus. Poſſūt igitur diſcordes fieri vir & mulier, primùm corpore, ſi alter ſit puſillus, alter grandior fuerit, qua ratione genitalia inſtrumenta nullo modo poſſunt bene cohærere. Deinde ſi incongruam intemperiem nacti fuerint. Nam ſicut præclarè docet Galenus 5. aph. 86. quanquam immodicæ temperaturæ omnimodè ſterilitatis ſunt cauſæ, tamen ſi eædem fuerint moderatæ & contrariis iungantur, tunc grauidæ fiunt mulieres. Si verò cum ſimilibus copulentur, tunc non concipiunt; ſiquidem fieri non poteſt, vt ſemen frigidius in frigidiore vtero fœcundetur, neque ſiccius in ſicciore. Quod idem de cæteris ſtatuendum eſt, ſed indiget, ſemen quidem frigidus vtero tanto calidiore, quanto deficit ab optima temperatura, ac humidius ſicciore eodem modo. Secundò poſſunt diſcordes fieri animo & moribus, potiſſimùm verò amore & odio, quantùm enim perturbationes valeant in nobis, ac præ cæteris amor & odium tanquam duo Tyranni in noſtras animas & corpora, non eſt neceſſe demonſtrare. Ex quo iure ſcriptum reliquit Aëtius *lib. vltim. cap.* 29. inuitos coïtus inanes eſſe, contrà verò amorem genituram conciliare. Itaque iis & aliis multis rationibus viri & mulieres inter ſe poſſūt diſſentire, ac propterea ſteriles fieri. Cuius

Diſcrepantia cauſa.

diſcrepantiæ vim Ariſtoteles quoque non ſolùm bene nouit, ſed etiam amplificauit, qui docet huiuſmodi diſſidium contingere, non ſolùm ratione varietatis corporis, ætatis & rerum ſimilium, ſed etiam ratione diuerſi aëris, regionis, victus rationis. Ex quibus veriſimile eſt & neceſſarium, noſtra corpora variè diſponi: nec verò id ſolùm facere generaliter ad fœcunditatem & ſterilitatem, ſed etiā ſpeciatim ad procreationem maris & fœminæ, qui ſcribit 4. gen. animal. 8. *Multis tum maribus tum fœminis euenit, vt coniuncti inter ſe nequeant generare, diſiuncti queant. Atque hinc factum eſt, vt obſtetrices in eo potiſſimum ponerent, vt viri & mulieres minimè diſpares copularentur.* Cuius quidem memorabilis inſtituti præclarè meminit Plato, in Theætæto in principio, & repetit Galen. *6. aph.* 16. 69. Cęterùm vt hanc partem de cauſis ſterilitatis finiamus, illud reliquum eſt adiungere quando nonnulli quibuſdā maleficiis & magicis incantamentis ſteriles fiunt, quod variis experimentis probari poteſt. Inter cætera impedimenta quæ poſſunt matrimonium diſſoluere, maleficium nominatur, ſi illud tres annos perſeueret, vt declarat D Thom. *in ſuppl. partis quæſt.* 58. *art.* 2. ſed quoniam huiuſmodi incantationes & maleficia non ſunt mediæ contemplationis, nec forte naturalibus præſidiis, ſed tantùm ſacris miniſteriis tolluntur, prætermittamus. Igitur ad vti-

Signa fœcund. & infœcund.

liora. Reſtat vt poſt cauſas, ſigna, demum curationem aggrediamur. Verùm quoniam apud antiquos licebat, vt teſtatur Galenus 5. *aph.* 59. & hoc tempore apud quaſdam nationes licet, propter hāc præcipuè cauſam vel rationem, viri vel mulieris diuortium facere, de quo apud Plato. *lib. 6. ll. ad finem*, vt notat Plut. in quæſtionibus centuriatis: Romanis nuptiæ coram pontifice dirimebantur, qui multa horrenda, monſtruoſa, & dira peragebant; propterea, quod omnes faciunt, ante omnia proponenda ſunt ſigna, quæ in vniuerſum tam viri, quàm mulieris fœcunditatem & infœcunditatem declarent, de quibus Ariſtoteles diffusè 2. *gen. animal.* 7. Ac primùm quidem licet de probo ac improbo, fœcundo ac infœcundo viri ſemine iudicium facere, docet, in experimento in aqua probare hoc modo: quod enim ſemen tenue ac frigidum eſt, diffuſum citò per ſumma innatat, quod verò fœcundum eſt, in imum deſcendit. Calidum enim quod concoctum eſt, concoctum autem quod ſpiſſum craſſùmque. Quam fere eandem ſententiam ille repetit 4. *gen. anim. cap.* 1. 7. *hiſt. animal.* 1. Quæ quidem probandi ſeminis ratio turpis forte & parum efficax, & contra veritatem nonnullis videtur, qui honeſtiore & & certiore ratione exiſtimant ſemen fore vel fœcundius vel minus pro varia temperie ac diſpoſitione totius corporis vel partium principalium. Ex quibus certum eſt in doctrina Galeni illud originem habere. Etſi non ignoro Ariſtot. aliter ſentire 1. *gen. animal.* 17. 18. Deinde verò quatenus pertinet ad probationem mulierum, Ariſtot. docet, id fieri dupliciter; vno modo, per ſuffitum, ſi odores ſubeuntes vterum efferantur ad locum ſpirandi & efficiant halitum: altero, per linimentum, ſi colores oculis impoſiti oris ſaliuam perficiant.

Primus modus, Philone interprete, erat huiuſmodi: Antiqui ſpongiam vel lanam vel linteum, velamē, vel quid ſimile aquæ roſatum, ſiue alio grati vel ingrati humore odoris madefactū, quaſi quodam ſuppoſitorio fœminarum genitalibus imponebant. Quod ſi odor per meatus pectoris ad narium reſpirationem aſcendiſſet, eas ſtatuebant fœcundas, qui volebant tunc meatus eſſe apertos, per quos à partibus ſuperioribus ad vterum prolifica menſtrua ſolent deſcendere. Si verò huiuſmodi odores ad ſpirandi loca non aſcenderent, tunc ſtatuerunt fœcunditate carere illas, eo quòd aut menſtrua ad vterum non poſſent deſcendere, vel ſaltem non quanta & qualia deberent. Ariſtoteles, ni fallor, hanc rationem ex Hip. accepit 5. *aph.* 56: *Si mulier non concipit*, &c. Quod quidem documentum nulli dubium eſt, quin accuratiùs ab Hipp. quàm Ariſtotele traditum ſit, neque vt cætera prætermittantur, niſi Hipp. cautionem adhibeas, nempe, vt mulier omni ex parte veſtibus muniatur: aliàs fallax eſſet. Illud autem ſciēdum, hoc præceptum Hip. vt facillimum, ita veriſſimum eſſe, meq; illud non ſemel ad vſum reuocaſſe, qui poſſum verò teſtari facto periculo, me quibuſdam mulieribus ſterilibus nullum prorſus odorem ad nares aſcendere obſeruaſſe. Fœcundas verò quàm maximè odorem ſenſiſſe, adeo vt ex nimia euaporatione illæ ſibi viderentur ſuffocari. Gal. *in com. docet*, qualia ſuffimenta eſſe debeant.

℞ *Myrrhæ* ℥ *i.*
Benzoi,
Styrac.
Calam. ana ℥ ß.
Olei de ſpic. q. ſ. miſce, fiat Trochiſ.

ponatur ſupra inſtrumentum anguſto orificio, quod collum vteri ingrediatur, ſubſtrato calido cinere.

Alter modus explorandarum mulierum eodem Philone interprete, erat huiuſmodi: vt mulier deſponſanda palpebris & ſuperciliis, nonnullis coloribus liniretur (quibus fœminæ corpora ad quæſtum proſtituentes vtebantur) quo facto, ſi ſaliuam oris inficerent, ſtatuebant fœcundam eſſe, quia opinabantur

bantur omnes meatus corporis concluſos & impeditos eſſe, ſi non inficeretur lingua, atque ſic ſanguinem menſtruornm ad vterum etiam peruenire non poſſe. Ariſtoteles verò probat ea ratione, quòd inter omnes partes capitis ſedes oculorum ſit maximè ſeminalis, quod ex eo probat, quòd ſola ea per coïtum manifeſtè immutetur, & vſu immodico rei venereæ oculi apertè langueant, & ſubſideant, quod communi hominum opinioni videtur conſentire, qui nullo euidentiori argumento colligunt hominem concubuiſſe, quàm ſi oculos depreſſos & languidos habeat. Etſi verò hæc poſterior ratio cognoſcendæ fœcunditatis aut ſterilitatis, quam ego apud neminem, excepto Ariſtotele, me legiſſe memini, videtur probabilis & ingenioſa: tamen ſi diligentiùs conſideretur, ea forte neque admodum firma, neque rationi conſentiens fuerit. Quamuis enim colores palpebris & ſuperciliis adhibiti linguā & ſaliuam oris poſſint inficere, non ſatis tamen intelligo, quomodo hinc liceat colligere, cæteros omnes meatus corporis eſſe adeo patentes & diſpoſitos, vt poſſint per ipſos ſemen & ſanguis menſtruus ad vaſa vteri, & ad ipſum vterū peruenire; ſiquidem conſtat, viam ab oculis ad linguam ſatis apertam, finitimam, & breuem eſſe, alteram autem ad vterum, anguſtiorem, longiorem, difficiliorem. Præter ſigna iam poſita ſolēt alia multa medici afferre; ex quibus volunt futuram ſterilitatem aut fœcunditatem prædicere, qualia nonnulla reperiuntur apud Hipp. *lib. de ſterilibus ad princip.* necnon apud Raſ. 22. *cont. Cr.* 56. *cap* 1. & fortaſſe apud alios, de quibus docet Auic. meritò, quòd in illis veritas non verificatur, cum reuera maiori ex parte ſint vel incerta, vel potius ridenda & fabuloſa, vt vel ex hoc vno loco pro comperto habendum ſit, cum librum de ſterilitate falſo Hip. attributum. Quare iam ſigna ſingularum cauſarum quàm breuiſſime conſideremus. *Singularum cauſarum ſigna.* Vitium penis in viro, vel longioris, vel breuioris, vel diſtorti, vel cum aliia imperforati aut anguſtioris, quam vt ſemen liberè in vterum poſſit tranſmitti, pariter ſi membrum virile non poſſit erigi, hæc omnia ſenſib. fiūt manifeſta; pariter vitia teſtium in mala compoſitione, in ſoluta vnitate omnib. perſpicua: morbi autem in intēperie vel ſimplici, vel compoſita latent quidem, ſed variis rationibus facilè poſſunt intelligi, de quibus omnibus ſatis tractant, ſed videatur Galenus in *arte med. cap.* 45. *& in ſeq.* Poſtremò vitium ſeminis vel deficientis vel vitioſi ſine multo labore poteſt intelligi ex præcedentibus morbis, ex præcedente victus ratione, ſed præcipuè, ex improba intemperie partium principalium, cerebri, cordis, ventriculi, teſtium ac vaſorum ſeminalium. Ex quibus facilè poteſt intelligi, vtrùm fiant concoctiones necne, an aptum vel ineptum ſit. Cauſæ demum externæ, ex nimio coïtu, ex deprauata ratione victus, & ſimilibus, referente ægroto fiunt manifeſtiſſ. vt aliis ſignis non ſit opus. Quare ſtatim venio ad ſigna ſterilitatis muliebris. Neque enim eſt, vt aliquid de venis poſt aures ſectis dicatur, cum illæ non ſecentur. Itaque ſi mulieres ſint imperforatæ in quacunque parte id fiat, præterquam quod huiuſmodi vitium viſu & tactu poteſt deprehendi, euidentiſſimo quoque argumento poteſt comprobari, quod virilem concubitum nequeant perferre. Sed rara intemperies vteri ſimplex & compoſita: & alia lætitia, partim ex ſignis totius communibus, partim ex propriis. Calidiorem igitur vterum demonſtrant generaliter promptitudo ad venerem, actiones celeres, iracundia, audacia, ſitis, venæ, amplæ, pulſus magnus, celer, lotia flaua & ſimilia: ſpeciatim caliditas in imo ventre, menſtrua pauca, craſſa, bilioſa, aut ex aduſtione nigricantia, cum dolore & acrimonia, & quandoque morſu vlcerante, inordinata, intempeſtiua ſeminis excretio, quódque & à muliere, & à viro calidius & mordacius percipitur, adeo vt genitalia exulcerentur, pili in pectore & cruribus cito nati, multi, craſſi, flaui, &c. Vteri frigidioris indicia communia & propria ſunt pigritia, timor, venæ exiles, pulſus parui, menſes aut ſupergreſſi aut rari, tardi, crudi, albicantes, multum veneris deſiderium, & vno verbo ſuperioribus contraria. Porrò humidum vterum ſignat, totius corporis habitus mollior, nulla ſitis, venus languida, menſtrua tenuia, aquoſa, alba, fluxus muliebres, aut ſaltem perpetua humiditas pudendi, in coïtu viro etiam moleſta, vteri facultas retentrix admodum imbecilla, vt mulieres fœtum paulo grandiorem nequeāt perferre, facilè abortiant. Hip. 5. *aph.* Gal. 6. *loco aff.* 5. Poſtrema vteris ſiccioris indicia ſunt corporis tenuitas, durities, facilis ira, ſitis, pauci menſes, rari, pudenda ſicca, mulieres coïtum appetunt, vt terra ſicca rorem, &c. Ex quibus ſine negotio compoſitæ intemperies intelligi poſſunt. Idem planè de teſtium muliebrium, ac reliquorum vaſorum ad vterum pertinentium ſtatuendum eſt, ſiquidem propter vicinitatem & propter eoſdem vſus, necnon propter alias cauſas fit, vt omnia hæc membra vnam fere intemperiem habeant, ratione cauſæ. Quatenus autem pertinet ad ſigna intemperierū cum materia, quas ego quidem interpretor tumores præter naturam inflammationes, eryſipelata, &c. de quibus ſæpe diximus, non eſt, vt de iis quicquam dicamus, ſiquidem huiuſmodi inquiſitio ad alium locum, nēpe ad propriam horum morborum tractationē pertinet. Signa procidentiæ vteri ſatis manifeſta ſunt. Sequitur dolor partium, quibus connectitur, vt oſſis ſacri, & ſimiliū tumor ac grauitas percipitur in ima abdominis parte, & ſi fuerit inſignis procidentia, quid rotundum forma oui inane, viri impedito tranſitu non poſſunt concumbere. His ſignis nonnulli addunt ex Auic. lotij & alui excretionem, quòd collum veſicæ & rectum inteſtinum à tumore vteri, adeo comprimantur, vt neque lotia, neque excrementa quoquomodo poſſint exire. Alij præterea docent febrim quoque, tremorem, conuulſionem, & alia grauiora ſymptomata ſuperuenire: ſed ego in nulla procidentia poſſum teſtari, me hæc obſeruaſſe, vt alui & veſicæ excrementa fuiſſe retenta, aut tale quid ſuperueniſſe, vt veriſſimum ſit, quod ego ſoleo frequenter animaduertere; plurimos in hac arte plurima afferre, & affirmare, quæ illi potius ex aliorum ſcriptis, quam ſua obſeruatione haberent. Reſtat vt de ſolutione vnitatis vteri dicamus; & de vlcerum, vulnerum & contuſionum ſignis. Sed hæc alterius loci. Poſtremò autem, vt hanc partem finiamus, reſtarent ſigna, quibus vitia ſanguinis & ſeminis demonſtrentur. Sed quantum ad ſemen, cum ſuprà ſtatutum ſit ex Hip. & Galeno, illud ex toto corpore & maximè principalibus partibus originem habere, hac via licet qualitates ſeminis cognoſcere, ſi conſideremus temperiem & conſtitutionem partium corporis vniuerſi, vt de ſemine virili dictum eſt. Quoad ſanguinem menſtruum, de hoc ſuperiori anno dictum eſt. Cauſæ etiam communes externæ vtrique ſexui, vt ſunt habitus, victus, ætas, diſcrepantia corporum, conſenſus, perturbationes animi, & alia id genus ſigna, vel ægris referentibus, vel aliis rationibus facilè poſſunt intelligi. Cæterum plerique qui ſterilitatis curationem inſtituunt, in eo errore videntur verſari, de quo Gal. veteres medicos grauiter arguit. *3. lib. comp. med. ſec. loc.* in principio: quòd indiſcriminatim varia membrorum medicamenta ab illis tradita ſint, atque in vnum ordinem redacta, quæ vel maximè *Curationis indicationes.*

contrarias vires habent. Siquidem eſt rationi methodo conſentaneum, pro variis morborum cauſis varia quoque morborum remedia adhiberi debere. Præclaro Herophili præcepto, præcipuè ſtudendum, vt ante omnia ſciatur, quæ, qualis & quanta ſit morbi cauſa, & vbi maximè ea dominetur, quò ſcilicet curationem vnicuique conuenientem faciat. Itaque ne nos in eundem errorem incidamus, ſecundùm cauſarum varietatem progrediemur, omiſſa virorum conſideratione, ſiquidem in præſentia viriles morbos non tractamus. Et quantum ad mulieres, vnam tantum curationem ſterilitatis ex intemperie vteri humida & frigida, quæ frequentiſſima eſt, tractabimus. Reliquæ autem curationem ex dictis recipiont, partim ex dicendis innoteſcent meliùs, vel denique rariùs accidunt. Igitur indicationes curatiuæ intemperiei frigidæ, & humidæ ſunt eiuſmodi. Vterus calefaciendus & ſiccandus. Sed quoniam iſtud non licet facere, niſi primùm tollantur humores frigidi & craſſi, qui in vtero & vaſis ad vterum reperiuntur, illi ſunt educendi. Rurſus verò cum ſit veriſimile vel potius neceſſe, huiuſmodi humores non ſolum in iis partibus gigni, ſed etiam ab aliis locis, potiſſimùm ventriculo, forte etiam toto corpore ad illum tranſmitti, & ventriculi, & totius corporis ratio habenda eſt. A qua quidem poſtrema indicatione principium curationis faciendum eſt, vt ita commodè & tutò paretur via cæteris medicamentis, quæ ad reliquas propoſitas indicationes ſunt neceſſaria.

Intemp. frig. & humida.

Vtrùm illis liceat ſatisfacere, ſcribit Philoſophus 2. *gen. animal.* 7. Eas mulieres infœcundas perſeuerare, neque vllam curationem recipere; quæ primo ortu tales fuerunt. Sed magis accuratè & verè Gal. 5. *aph* 62. docet, natiuam vteri intemperiem, ſi fuerit inſignis non poſſe curari, quod ita vterus reddatur denſior, & ora anguſtiora, quàm vt ſemen & ſanguis menſtruus ad conceptum concurrentia, poſſint generari. Sin autem intemperies fuerit moderata, tunc vitium poſſe corrigi, ac mulierem fœcundam fieri putiſſimum, ſi ea viro contrario temperamento prædito copuletur. Vno verbo: etſi ego ſentio ſterilitatem natiuam difficiliùs, quàm aduentitiam curari, veruntamen nulli dubium eſſe debet, quod experientia monſtrat, veriſſimum eſſe, quòd quamplures mulieres vel natura vel ſuperuen ente morbo ſteriles curationem recipiant, & fœcundæ fiant, modò faciliùs, modò difficiliùs, pro varia ratione cauſæ, morbi, ſymp. & rerum ſimilium. Sed ad propria præſidia veniamus. Ad purgationem vniuerſalem corporis, cum nullus vrgeat morbus, licet ante omnia aluum lenire. Inter cætera autem omnia ad hanc rem accommodata hiera, quæ vel ſola, vel cum caſſia aut melle roſ. poteſt accommodari. Poſt lenitam aluum, noxij humores præparandi ſunt reclusis meatibus, tum cæterarum partium, tum præcipuè vaſorum vteri. Ad quæ multa eſt inuenire: ſed primum diligenter conſiderandum, an locum habeat venæ ſectio. De qua re, etſi nihil certi mea ſententia ſtatuendum ſit, priùs tamen, niſi hoc remedium prorſus quid probibeat, ego quidem cenſeo illud ſemper opportunum ac plurimas vtilitates poſſe afferre, cum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, vt ita medicamenta calidiora, quibus neceſſarium eſt vti, tutius & commodius poſſint adhiberi. Etſi non ignoro quamplurimos, qui docent, præcipuam mittendi ſanguinis indicationem, de ſola humorum copia & qualitate accipiendum eſſe, ſtatuere. Ex quo verò loco oportet ſanguinem mittere, cum hic cómunis vacuationis gratia mittatur, commodior non eſt (baſilica) dextra, dummodo à menſtruis non offeratur impedimentũ. Quantitas ſit pro plenitudine, ætate, viribus. Ad medicamenta ſyrupi, mel. roſ. ſyr. de mentha, de beton. hyſſopo, calamenth. artemiſ. oxymel. Non improbo, quod multi faciunt, perſuaſi auctoritate. Hip. *de rat. vict.* 39. oxymel vtero, & mulieribus aduerſari, ſiquidem, ſi ſimul cùm aliis medicamentis adminiſtretur, & in modica quantitate, non paruas vtilitates poterit afferre. Decoctæ ſint borrago, beton. byſ. origa, puleg. calam. &c. quarum imitatione cuique facile eſt conſeruas, confectiones parare. Facta demum coctione humoris, & præparatione corporis, ad horum expurgationem veniendum eſt, ac in primis adhibita cautione, vt ne illa fiat, quo tempore menſtrua fiunt & proditura ſunt, adeo, vt nullum impedimentum illis inferatur. Sæpius autem diximus qualianam medicamenta ad purgationem humoris pituitoſi ſunt accommodata. Inter ſimpl. eſt Agaricus, qui principem videtur locum obtinere. Inter compoſ. pil. de hiera cum agarico, cochiæ, elect. diaphæn. indum. Sed ego familiariter vtor hiera diacolocynthidos, quam Pachij appellant, quæ cæteris repetita inſignem prærogatiuam habet. Iam verò facta, & ſi opus fuerit, repetita vniuerſi corporis purgatione, id reliquum eſt, primùm, vt frigida & humida intemperies vteri, & reliquarum partium, quæ vtero conſentiunt, corrigantur: deinde vt illa præſidia adhibeantur, quæ quomodocunque fœcunditatem poſſunt adiuuare. Hæc autem quamplurima ſunt partim interna, partim externa, de quibus ſigillatim, ſed breuiter dicendum eſt.

Prognoſtica.

Curationis præſidia.

Medicamenta interna variis modis poſſunt parari. Conf. ſyr. decocta, pul. pil. ſed hæc omnia ferè ex iiſdem ſimplicibus medicamentis conficiuntur, quæcunque valent vterum, & vaſa ad eum pertinentia calefacere, ſiccare, & ad conceptionem diſponere, quorum ſylua eſt copioſiſſima. Quæ autem ego puto magis efficacia, & quibus familiariter vtor, hæc ſunt ferme, Arthemiſ. matricaria, betonica, dictam. orig. puleg. calamenth. ſambucus, maiorana, ſaluia, thymus, nepeta, mentha, ſatureia, ſabina, bacchæ lauri, iuniperi, hederæ, ſaluiæ, flor. beto, ſalu. roriſmar. citri, crocus, ſantalum. ſem. citri. cardamo, aniſũ, cyminum, fœnic. apium, petroſel. aſparagus, rhuta. &c. Rad. zedoar. doronici, galangæ, ſpicæ. nardi, pyretri, zinzib. ariſtol. rot. rubiæ tinct. eryng. fænic. petroſel. aſparagus, cynamom. garyoph. lign. aloës, myrrha, nux moſchat. piperis omnia genera, ambra, macis, balſami genera. Ego magis illis delector, quæ à probatis auctoribus antiquis iam diu fuerunt propoſita, & comprobata, vt ſyr. de arthemiſ. ſimpl. beton. cõpoſitus, de calã. corticib. citri, trochiſci. gallæ moſch. de myrra, de benzoi, de aniſo, Aliptæ moſcatæ, ligni aloës de croco, cõſeruæ flor. citri, arantij, roris marini, ſaluiæ, betonicæ, maioranæ, meliſſæ: Confect. vel elect. diãbræ, diamoſchi, arom. roſat. aromat garioph. diacymini, diagalangæ, diachalament diamargarit. ac potiſſimùm theriacha & mitridat. quibus fortaſſe inter cætera medicamenta omnia compoſita primum locum licet tribuiſſe. Verùm præter hæc omnia demum nonnulla ocurrunt medicamenta quæ proximo hoc tempore cœperunt magnum vſum habere. Illa verò ſunt primùm potio aquarum thermalium calid. quales ſunt Aponitanæ, Aquarianæ &c. Deinde ſunt quædam decocta ex ligno, &c. ſalſa parillæ, rad. chinæ, ſaſſafras: ac cum certum ſit ea calefacientia ac ſiccantia eſſe, negandum non eſt, quin magnam quoque vim habeant, vterum ad fœcunditatem ducendi. Sed ego cenſeo decoctum ſaſſafras principem locum obtinere, de quo etiam ab iis, qui huiuſmodi medicamentorum hiſtoriam tractant. Illuſtria exempla afferuntur & nos quoque hac in parte præclara non ſemel experti ſumus. Ad locum de

medi

medicamentis internis ratio victus videtur pertinere, ſine qua certum eſt, reliqua omnia vel nihil, vel parum prodeſſe. Sed non licet vno tempore omnia perſequi, modò ſint alimenta boni ſucci, facilis concoctionis, flatua expertia, & in vniuerſum calefacientia & ſiccantia. Iam igitur ad præſidia externa progrediamur, quæ itidem multiplicia ſunt, ac formis variis poſſunt parari, linimenta ſcilicet, emplaſtra, peſſaria, ſuffumigia, lotiones, inſeſſiones, & quæ habent eandẽ rationem, quæ quidẽ omnia, etſi ex iiſdem conficiontur medicamentis, quæ iam ſont propoſita, tamen non grauabimor nonnulla exempla proferre, quæ mihi faciliora & efficaciora videntur, de quibus ego familiariter uti ſoleo. At primum olea, quibus licet & extra & intra omnes vteri partes illinire ac fouere, vt ſunt quæcunq; calefaciunt & ſiccant, gratumq; ſpirant dolorem, de ſpica, cinnamomo, myrrha, garyoph. de nuce myriſtica, croco, benzoi, ſtyrace, aniſo, fœniculo, bac. lauri, iuniperi liliis albis, etiam aromaticari, exẽpli gratia:

℞ *Ol. lil. alb.*
Cum arm. ℥. *j.*
De ſpica odorata ℥ ß.
Nuc. myr. & aniſ. ana ʒ *ij.*
M. cui demum licet addere modicum
Ambra, moſchi, & ſimilium.

Inſeſſiones & balnea, quibus mulieres vel toto corpore, vel vſque ad vmbilicum ſe immergunt, conficiuntur vel ex aquis thermalibus aut medicatis, vt matricariæ, arthemiſiæ, calamenthæ, ſabinæ.

℞ *Artem. matricar.*
Saluia ana M. ij.
Calam.
Dictamni ana M. ʒ.
Rad. fœnic.
Aſparag.
Petroſel. ana M. j.
Bacc. laur.
Iuniperi,
Aniſi,
Cymini ana. ʒ. *ij.*
Miſc. bulliant ex aqua pro balneo.

Qui in his non acquieſcunt, ſed malunt ſolidius medicamentum adhibere, poſſunt cerotum vel emplaſtrum, quæ vtero & toti inferiori abdominis regioni poſſunt apponi longiori tempore.

℞ *Ladani* ʒ. *j.*
Styrac.
Calam. ʒ. ß.
Cinnamom.
Garyoph.
Ligni aloes ʒ. *j.*
Spec. diambr.
Galla muſcata ana. ʒ. ß.
Olei nard. q. ſ.
Cum ol. lil. alb. arom. & cera q. ſ. f. ẽpl.

Sequontur ſuffumigia, quæ quidem, ſicut & Hippocrat. & Galen. poſſunt muliebria ducere, ita nonnulli dubium eſt, quin vterum quoque poſſint alterare, illius intemperiem corrigere, ac fœcunditatem iuuare.

Hæc autem poſſunt dupliciter parari. Vno modo, pluribus ex aqua decoctis ſimplicibus medicamentis, qualia paulò antè pro inſeſſione fuerunt propoſita, cui deinde concocto adhuc calenti mulier ita ſe accommodet, vt illius euaporationem in vterum poſſit accipere.

Altero autem modo ſi hæc ipſa medicamenta, ſed in primis aromata calidis cineribus impoſita congruo inſtrumento altera ex parte excipiendo longiore, altera immittendo anguſtiore. V. gratia:

℞ *Artemiſ. matricar. ana.* ʒ. *j.*
Myrrhe,
Benzoi,
Styr.
Calam. ana. ʒ ß.
Ligni aloes ℈. *j.*
Moſchi,
Ambra an. grana. x. M.
Contundantur omnia, & f. puluis: vel cum oleo nard. f. Trochiſ vel paſtilli.

Reſtant peſſaria, quæ (pro iunioribus) ſunt quædam medicamenta, veluti glandes aut ſuppoſitoria, quæ in vterum impoſita, longiore tempore retinentur. Conficiuntur ex iiſdem ferè, ex quibus ſuffitus, &c. Verbi gratia:

℞ *Arthemiſ.*
Dictam.
Maioranæ ana. ʒ. *j.*
Sem. aniſi,
Ruta,
Citri ana. ℥. ß.
Spec. Gall. moſch. ℈. *j.*
Moſchi amb.
Croci ana. gr. xv.
Contundantur omnia. f. maſſa.

Si enim mulieres ab eiuſmodi medicamentis abhorreant, licèt ſubſtituere ſacculos ex rutha, arthemiſ. cynam. garyoph. ſem. aniſi, rad angel. moſchò ambra, &c. quæ tametſi non ita citò penetrant, aliquem tamen vſum præſtant. Atq; hactenus de medicamentis tam internis quàm externis, quę ad corrigendam frigidam & humidam intemperiem pro ſterilitate remouenda ſunt accommodata. His iam adiungenda videntur ea, quæ occulta qualitate fœcunditatem præſtare dicuntur, vt eſt ſemen paſtinacæ, teſticuli vulpis, coagula, maximè leporinum, oculus hienæ, de quo Plinius, ſed in his inquirendis nolo perdere tempus. Quamvis ex dictis cuiq; ſatis eſſe debet: tamen poſtremo loco non libet prætermittere quædam præcepta, quæ ad hanc rẽ ſunt accommodata, quæ ... è etſi ex iis, quæ dicta ſunt, colligi poſſunt, tamen alia etiam notatu digna erũt addenda Primum notandum eſt tempus ad coïtum & conceptum cum primis accommodatum illud eſſe, quando mulieri proximè menſtrua deſierunt; *Tempus ad coitum & conceptum.* tunc enim vterus omni ex parte excrementis vacat, eſtq; tum ad ſemen excipiendum, retinendum, fouendum aptiſſimus. Traditum hoc eſt ab Hipp. *lib. de nat. pueri ab initio* (legitimus liber citatur à Galeno *lib. 1 de ſem.*) 5. *aphor.* 37 ab Ariſtotele 8. *hiſt. animal.* 2. 1 *gen. animal.* 19. Veruntamen id quoque ſciendum eſt, nonnullas mulieres concipere etiam fluentibus menſibus; poſteà verò cõcipere nõ poſſe, quod illius vulua ſtatim abluſione menſium cõprimatur, vt ſemen nequeat concipere; adeo vt neceſſe ſit, huiuſmodi mulieres, ſi modò velint concipere, non alio tempore, quàm fluentibus menſibus cum viro congredi, quẽ locum Philoſophi maximè notabilem video neminem animaduertiſſe. Ex iis colligitis Aëtium malè feciſſe, qui *l. vlt. cap.* 26 ſcribit nõ deſinente, ſed appetente muliebri fluxu opportuniſſimum concipiendi tempus eſſe; quod ſanè præter id, quod repugnat omnibus illis veteribus; etiam à ratione videtur alienum; ſiquidẽ veriſimile eſt, vterũ hoc tẽpore nondum purgatum impurum eſſe atq; ineptum. Itaque illis paucis mulieribus exceptis, quibus teſtimonio Philoſophi ſtatim os vteri à purgatione occluditur, cõgreſſus viri cum muliere conceptioni congruus cenſendus eſt, quando mulieri in proximo menſtrȩ purgationes ceſſarunt. De tempore duo adhuc reſtant inquirenda; nimirũ qualenam tempus anni, necnõ diei ad concubitum & ſobolem procreandam ſit accõmodatum. Et qua-

Digitized by Google

tenua ad tempus anni prope omnes conſentiũt, vt cæteris anni temporibus eſſe anteponendum, quod illud omnis temperantius & ſalubrius ſit, atq; hoc potiſſimum tempore homines ſint robuſtiſſimi, ac concubitus melius perferre poſſint. Celſus 1. *cap.* 3. *Venus*, inquit, *verè tutiſſima eſt, neque autumno vtilis, tolerabilior tamen per autumnum, æſtate verò in totũ, ſi fieri poſſit, abſtinendum*. *Hora.* Quoad horam dubiũ, an poſt vel ante alimenta & ſomnum pro fœcũditate fieri debeat. Sic Ætius *lib.* 3. 8. Paul *lib.* 1. *c.* 35. *cap.* ac forte alij in eo conueniunt horam ad cõcubitum aptiorem poſt cibũ & ante ſomnum; ſiquidem ſubſequens ſomnus laborẽ remittit, præterquam quod hoc tempus ad ſobolem procreandam aptiſſimum exiſtit, cum propter alia, tum quod fœmina ſubdormiens, geniturам melius retinet. Idem ſtatuit Oribaſius *lib.* 1. *de part. facil.* 22. Sed mihi longè magis arridet ſententia Hippocr. & Galen. Hippoc. enim *lib.* 6. *epid.* 6. *t* 5. paucis quidẽ, ſed grauiſſimis verbis totam rem definit. *Labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia mediocria*. Quam ſententiam interpretatur Galen. 2. *tuenda val.* 2. inquit Hipp. & modum ſingulorũ definiiſſe, addito ad finẽ Epitheto *Mediocria*. Et æquè ordinẽ: quippe ſanitatis tutelam à labore auſpicandam eſſe, quem excipere debet cibus, potus, deinde ſomnus, mox venus, in iis quibus venere vtendum eſt. Gal. itidem generaliter opportunum vtendæ veneris tempus definit iis verbis, *c.* 86. *artis med.* ſimilia videãtur apud Auiẽ. qui diligẽter hac de re *tr.* 23. *primi. c.* 12. 5. *biſt.* 8. *Coitus ratio & ord. ſeu modus.* Poſt opportunum tempus rationẽ quoque & ordinem ſeu modum coïtus oportet cõſiderare. Et ante omnia quod ſæpe quoque diximus, manifeſtum eſt mutuum viri & mulieris amorem, quàm maximè ad conceptum facere: contra verò offenſiones ad ſterilitatem non leuiter conferre. Sed præterea tã vir, quàm mulier concubituri, omnis timoris, mœſtitiæ, & reliquarũ animi perturbationum ſint immunes, alioquin aut nulli fœtus, aut illi certe eiuſmodi affectibus & paſſionibus obnoxij gignuntur. Quẽ locum inter cætera præclarè narrat Plut. *lib.* 2. *de tarda Dei vindicta ad finẽ*, atque (vno verbo) pluribus exemplis & argumentis concludit, marẽ & fœminã ad prolem concumbẽtes omnium perturbationũ animi quantum fieri poteſt, debere eſſe immunes. Imo verò conandum, vt ambo in ipſo coïtu minimè omniũ ad alias cogitationes animum intendãt. Quod ſi aliter fit, Philoſophi docẽt ſemen ab aliis cogitationibus abſtractum ab animo, fœtum cum primis animalẽ terreſtrem, mentis & ingenij prorſus expertem efficere. *Filij ſtolidi à ſapientibus parentibus, cur gignantur, & contrà.* Ex quo facile eſt illius problematis ſolutionem intelligere, quamobrem filij ſtolidi à ſapientibus parentibus gignantur: contrà autẽ homines inſipientes, liberos prudentiores ſoleant generare. Quod præclarè facit Alex. Aphrod *ſect.* 4. *probl.* 27. eo ſcilicet, quod ſtultiores parentes totos animos ad voluptatem intendant in re venerea: ex quo fit, vt ſemẽ eorũ quàm plurimæ virtutis, tũ rationalis, tum animalis particeps, ſimiles eos, qui hinc naſcũtur, efficiat. At vero homines prudentes, ac præſertim docti, ſemper aliquid honeſti & vtilis animo complectuntur, vt ne in ipſo quidẽ venereo actu, omnino à rerum ſtudio deſiſtant. A quo quidẽ ſenſu, nẽpe multum abeſt Philoſophus, qui 16. *ſect.* 12. quærens, cur proles cæterorum animalium, quàm hominis, parentibus ſuis ſimilem gerat naturam, ſic reſpondet. *An quod homo vagò variòq; animo in coïtu eſt, prout autem pater materque in conceptu affecti fuerint, ita partus eueniunt. Cætera autem animalia omnia aut certè plurima, rei tantum ei attendunt, totique ſe veneri dedunt.* *In coitu & poſt coitum requiſita.* Sed demum nonnulla in coïtu, & poſt coïtum requiruntur, quæ fœcunditatẽ poſſunt iuuare, de quibus Auicen. forte nimis liberè ac turpiter ſermonem habuit, qui ſcribit: Ludum mulieri prorogandum eſſe, tangendas eſſe illius mammillas, pectinem & alia id genus, quæ voluptatem, ſeu concubitum reddere ſolent delectabilem. Quæ quidem, vt puto, natura homines ſine aliquo doctore docet. Summa eſt, mulierem à viro omni blanditiarum genere excitandam eſſe ad venerem. Id verò præcipuè conandum, vt ſi fieri poſſit, vterq; eodem temporis momento ſemen emittat, cum certum ſit, vtrinſq; ſeminis concurſum ad formandum conceptum maximam vim habere. Quod ſi mulier omnino vt plerumq; vſu venit, tardius viro ſoleat ſemen emittere, optimum foret ante congreſſum aliquo opportuno decocto vel linimento, v. g. modico moſchi, aut zibeti ex oleo nard. vteri ceruicem fouere, vt ipſa mulier quoque in veneris amorem incendatur. Verùm neq; id prætermittendũ de coïtu, quod ſcribit Paul. 3. *c.* 74. nempe coïtum, qui à tergo exercetur, plurimũ momenti ad partus conceptionem facere. Quod ego quidem non intelligo ſatis, qui nequeo concipere animo quamobrem hæc concũbendi figura poſſit conceptiones iuuare, cum altera ex parte multæ euidentes & validæ rationes videantur demonſtrare, nulla opportuniore ratione virum & mulierem concumbere poſſe, quã ſi mulier ſupina, minimè prona aut obliqua iaceat. Poſtremo quoque illud ad conceptum facere poteſt, ſi vterq; mas & fœmina nõ protinus abſoluto opere venereo, à mutuo complexu diuellantur, ſed placidè aliquandiu, mulier verò ab omni commotione corporis & animi abſtineat, ac ſi fieri poteſt, ſomnum capiat, quod quidẽ præceptũ manifeſta vtitur ratione. Cæterum poſt hæc omnia ſunt nonnulla, quæ latente quadam vi & proprietate venerem cohibere, & fœcunditatẽ impedire poſſunt, qualia ſũt apud Plin. *lib.* 24. *c.* 9. folia ſalicis cõtrita, & ſæpius ſumpta *lib.* 28. *c.* 8. decoctũ ſcinci animalis aquatici cum melle ſumptum, quod à Dioſc. ſumpſit 2. *c.* 60. *lib.* 22. *c.* 4 Squamæ teſtudinum ex ſumma parte deraſæ in potu exhibitæ, *lib. eod. c.* 5 teſticuli galli adipe illiti, ac pene arietino alligati, ſi cũ ſanguine gallinacei lecto ſubiiciantur. Sic legimus apud Galen. 6. *ſimpl.* viticis ſemina, flores, folia, non ſolùm ore ſumpta, ſed etiam ſobſtrata, ad caſtitatem conferre; atq; hinc factũ eſſe, vt Athenis in ſacrificiis Cereris mulieres ſibi totũ fruticẽ ſubſternerent, idẽ Dioſc. *lib.* 1. *c.* 116. Inter cætera omnia Mentha quodã cõmuni conſenſu ſolet rebus venereis & conceptioni reſiſtere, de qua eſt antiquum & vulgatum prouerbium, cuius meminit Philoſophus *ſect.* 20. *probl.* 2. *Mentham in bello neq; edito, neq; ſerito.* Cuius quidẽ ille cauſam inquirens, reſpondet, quod huiuſmodi herba membra refrigeret, id eo confirmans argumento, quod corrumpat ſemen genitale, frigus autem fortitudini & audaciæ in bello aduerſetur. *Mentha qualitas.* De qua tamen interpretatione mirari licet: ſiquidem Gal. 6. *ſimpl. fen.* Dioſc. 3. *c.* 33. Auic. 2. *tr.* 2. *c.* 494. Paul. 7. & omnes conueniant, mentham & calidam, & ſiccam eſſe, imo verò & ſtimulandi veneris vim habere. Conciliator anxius eſt, & verè fatetur eſſe calidam & ſiccam, ac venerem excitare Mentham: addit tamen, Mentham per ſe quidem calidam, per accidens autem frigidam. Idem docet Hermolaũs Barbarus *corollario c.* 265. Demum verò Conciliator aliam problematis ſolutionem affert; eũ inquit: *Potius dicendum mentham in bello neq; edendam, neque ſerendam, quod calefaciendo homines ad venerẽ incitat, propter quam milites debilitãtur & redduntur timidi*, quam quidem reſponſionem admittendam cenſeo. Quamobrem quid nequeo diſſimulare, legi aliquando cum ſtomacho Montanum Veronenſem,

qui

qui de affectibus vterinis hunc locum tractans, cum totum peruertit, ſcribens ad hunc modum: *Hac in re Ariſtoteles errauit in problem. vbi volens reddere cauſam, cur milites mentha vterentur in caſtris, dicit, quod prohibet venerem, quantum ad hoc recte dicitur; ſed deinde addit, audens reddere cauſam, docet eſſe frigidam; quod falſum eſt.* Hæc Montanus. Quæ ab Ariſtotele & Conciliatore adeo ſunt aliena, vt certiſſimum ſit hunc hominem, alioquin celebrem, neque Ariſtotelem, neque Conciliatorem legiſſe, ſed potius quod alij quoque hoc tempore faciunt, hæc ex aliis tranſcripſiſſe. Hæc hactenus de ſterilitate.

Capvt VII.

De Monſtris.

Ratio ordinis. IAm pridem cœpimus tractare conceptum & partum hominis, quam pulcherrimam & vtiliſſimam tractationem nondum abſolutam, nobis propoſitum eſt in præſentia abſoluere. Cum igitur proximo anno ſermo habitus ſit de iis, quæ pertinẽt ad priuationem & abolitam conceptionem, nunc ex inſtituto noſtro id ordine reſtat, vt de iis ſermonem habeamus, quæ ad deprauatum cõceptum pertinẽt. Cæterùm cum certiſſimum ſit naturæ inſtitutum, mulierem perpetuò hominem concipere, iſta ſtatuendũ eſt, quemlibet mulieris conceptum, quicquid illa præter hominem in vtero concipit, vitioſum & deprauatum eſſe. Quod quidem etſi multis modis poteſt fieri, tamen non incommodè in aliquot capita poteſt digeri, quæ totam ferè artẽ contineãt in his explicandis. Ea vero ſunt primò Monſtra; ſecundò, Mola; tertiò; Flatus; quartò, Aqua, quæ omnia aliquando videmus concipi & coaceruari. De mõſtris plurima poſſent vel hiſtoricè, vel fabuloſè, vel etiam philoſophicè commemorari, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent Ideoq; pauca tantũ de generatione & cauſis, Philoſophus 2. *Phyſ.* 82. 4. *gen. animal.* docet, **Monſtri definitio.** monſtrum nihil aliud eſſe, quàm peccatum ſeu vitium naturæ deficientis à ſuo fine, propter aliquod impedimentum. Sicuti enim in iis quoque contingere ſolet idem, quæ ſecundùm artẽ fiunt, dum artifex ſuum finem non aſſequitur, vt Grammaticus quando deprauatè loquitur, & Medicus, quando medicamentis obeſt: ita in his quæ ſecundùm naturam. Quod quamuis multis modis ſoleat contingere, verum tamẽ eſt, vt ego ſentio, omnia ferè errata ad morbos in mala cõpoſitione poſſe referri, exempli gratia, ad morbũ in numero vbi homo naſcitur monoculus; vel vno pede, vel duobus capitibus. Quod idem de morbis in magnitudine, figura & reliquis demonſtrari poteſt, quæ doctrina manifeſtè colligitur ex Galeno *de cauſis morb.* 7. De cauſis verò propter quas monſtra præter naturam generantur, non conuenit inter omnes. Galen. *lib. de hiſt. Phil.* aut veriùs Plut. *lib. 5. plac. ph.* 8. hæc habet: *Empedocles monſtra naſci docet, ſi ſemen multum fuerit, ſi paucum, ſi diuulſum, ſi inane, ſi motu inordinato immiſſum fuerit:* Strato *vel quia additum, vel quia detractum, vel quia tranſpoſitum, vel quia inflammatum aliquid ſit.* Nonnulli medici quòd tunc vterus diſtortus fuerit. Verùm hæc pimis generaliter & confuſè dicuntur: quod ſi hanc rem ad certa naturalis cõceptus principia referre velimus, de quibus iã diximus quod ſatis eſt, ita mea ſententia ſtatuendum eſt. Monſtra cootingere, vel ratione materiæ, quæ aut copia, aut qualitate, aut aliter ſit vitioſa: vel ratione agentis, quã virtutem informatiuam ſeu calidum innatum, ſeu aliter velimus appellare, in præſentia non multum laboro, qui quidem nimis exuperantem aut deficientem virtutem habeat; vel demum propter peruerſitatem vteri & vaſorum, quæ ad conceptum deſtinata ſunt. Quæ item doctrina conuenit Ariſtoteli, Galeno & rationi. Nam quemadmodum ſi hæc omnia optimè fuerint diſpoſita materia, agens, & inſtrumenta ſeu vaſa ad hanc rem requiſita, conceptus naturales fieri neceſſe eſt: ita altera ex parte, ſi vel omnia, vel aliqua fuerint malè affecta, tunc probabile eſt fœtus non naturales, ſed monſtruoſos contingere. Atque hactenus de monſtris ſummatim, quæ via ad rem medicam pertinent, de quibus ſi quis plura cupit intelligere, videat Ariſt. & Auer. locis citatis, necnon Albertum 2. *Ph. tr. cap.* 3. & Ioan. Philop. ſub 2. *Phyſ.* qui ſubtiliter & diffusè in hoc argumento verſati ſunt.

Capvt VIII.

De Mola.

Natura vel eſſentia. QVid ſit mola, non conuenit inter omnes. Aët. *lib. vltim. cap.* 80. Paul. *lib. 3. c.* 69. docent molam tumorem eſſe ſcirrhoſum; ſeu ſcirrhi naturam referentem, quæ modò vteri orificium, modò totum vterum occupat. Quibus Auic. quoque videtur conſentire, qui *c. de mola* inquit, quandoq; eſſe duritiem quandam, quæ aliquando in tota matrice reperitur. Quorum ſententiæ, quoque ſubſcribunt Moſchio & Cleopatra, qui de affectibus mulierum ſcripſerũt harmonia gynæ, *cap.* 7. Ariſtoteles autem *lib. 4. gen. anim. d. cap.* 7. docet molã non aliud eſſe, quàm carnem vtero mulieris conceptam, qui recitat hiſtoriã cuiuſdam mulieris, quæ peperit carnem, quam molam vocant. Cui planè conſentit Galenus 14. *de vſu part.* 7. 14. *met.* 13. qui affirmat, molam eſſe carnem quandam inutilem & informem, quæ in mulierum vtero geritur. Qui fortè Ariſtoteles & Galenus id ab Hippocrate didicerunt, qui in *lib. de morbis mulierum* (pag. 336.) necnon in *lib. de Sterilibus* (364.) molam ceu ſeptum improbũ & vitioſum appellat, carnémq; eſſe confirmat. Ac ſanè, ne in re manifeſta ſim longior pro veritate ad mẽtem Hippocratis, Galeni, & Ariſtotelis habendum eſt; Molam vitioſum ac deprauatum conceptum eſſe carnis inutilis atque informis, qui naturalis conceptus neſcio quã ſimilitudinem repræſentat; Auicennam verò, Aëtium Paulũ, & cæteros omnes, qui ipſis conſentiũt malè ſẽtire, cum reuera vitioſus cõceptus, & tumor vteri longè inter ſe differãt. Quod inter cætera mõſtrat curatio manifeſtiſſimè, vt poſteriùs videbimus. Quam quidem veritatem, neque ipſemet Auic. Aët. Paul. potuerunt diſſimulare, ſiquidem Auic. ſcribit, mulieres ſentire in ventre ſuo motum, qui eſt ſicuti motus embryonis, quod permutatur dextra & ſiniſtra, ac demum deponere fruſtum carnis cuius eſt forma quædam, cuius ſpecies non comprehendantur: ſiquidem Aët. & Paul. tametſi de aliorũ ſententia loquantur, inquiunt, molã eſſe carnem informẽ in tunicis vteri conſiſtentem, quæ modo conceptus in lucem editur. Ex quo vno loco velim intelligi, quantum hi doctrina huiuſmodi vitorũ ſit acquieſcendum, qoi eodem capite & paucis interpoſitis lineis nõ verentur ea docere, quæ inter ſe nullo pacto poſſunt cohærere. Notandum autem molã carnem informem dici, non quòd ea planè omni formã careat, quam certum eſt variam ac diuerſam, maiorẽ tamen ex parte rotũdam eſſe, ſed quod à forma humana ſit aliena. Si quæras, qualis affectio præter naturam mola haberi debeat? reſpondet Galenus 14. Meth. Molam morbum eſſe in mala compoſitione, & quidem in numero redundante re toto genere præter naturam, vt eſt lapis in veſica, quæ Medici primo quoquo tẽpore, tanquam inutilia ac moleſta

naturæ conantur eiicere. Mola nomen accepit, vt notant Aët. *lib. vlt. cap.* 80. à grauitate, & difficultate motus, nam ſicut lapis molaris admodum grauis eſt, ac difficulter mouetur, ita hic morbus qui mola dicitur, inſtar lapidis difficulter mouetur. Non eſt igitur tumor vteri, ſed caro informis vtero concepta, morbus in numero toto genere præter naturam. Differentiæ molæ ab Auicenna, & practicis plures numerantur pro varia materia, ex qua originem habent, qui docent, alias eſſe ſanguineas, alias pituitoſas, alias bilioſas, alias melancholicas, alias ventoſas, alias aquoſas, alias membranoſas, & forte alias, prout ex variis humoribus, flatu, aqua, membranis, vel alia materia generantur. Alij verò alias quoque differentias adiungunt, quod nimirum mola alia eſt inanimata, quæ omni prorſus ſenſu & motu caret, alia animata, quæ ſentit, mouetur aliquot horis, quandoque viuit & varias animalis formas induit, quales ſunt ranæ, aues, & ſimilia. Sed ego puto huiuſmodi differentias inanes, & ſuperuacaneas eſſe, ſiquidem Ariſtotel. Hip. Gal. nullam aliam molæ differentiam agnoſcunt, quàm carneam ſicuti diximus: etſi mea ſententia negandum non eſt, hanc ſubſtantiam carneam varios humores, modò vnum, modò alterum magis repræſentare. Cætera autem quæ vtero concipiuntur, exempli gratia, flatus, aqua, nulla ratione ad molam pertinent, ſed propriam tractationem requirunt. Sic quæcunque ſentiunt, mouentur & ſunt animata, potius ad monſtra, quàm ad molas referenda ſunt. Itaque ad differentias, quæ ſumuntur ex cauſis alia, quæ maximas continent difficultates.

Differentiæ.

Hipp. omnium primus Molæ cauſas videtur docuiſſe, ſcribens 1. *de morb. mulierum. Molæ conceptus hac cauſa eſt, cum multi menſes exiſtunt, & morboſum ſemen exceperint, nec conceptus fit rectus, & venter plenus velut prægnantis.* Quam eandem ferè ſententiam, atque eadem verba repetit *lib. de ſteril. ſuprà cit.* Ex quibus facile vnuſquiſque poteſt intelligere duplicem huiuſmodi cauſam exiſtere, ſanguinem menſtruum copioſum, & ſemen viri exiguum morboſum, &c. De priori cauſa conuenit inter omnes, de poſteriore auté non leuis apud multos eſt cõtrouerſia, qui contendunt mulieres viduas, virgines ſine vllo viri concubitu poſſe molam concipere. Ego verò cum olim hanc litem longiùs agitarim, illud vnum dicam, illos omnes falli & ab Ariſtot. Hip. & Galeni doctrina diſſentire, quicunque putant in muliere ſine ſemine viri molam fieri poſſe. Pro quo Ariſtot. 4. *gen. anim.* 7. legatur, qui ſcribit grauidas molas parere, ac narrat hiſtoriam mulieris de qua ſuprà. Sic Galen. 14. *de vſu part.* 8. diſputans aduerſus nonnullos, qui de ſemine mulieris male ſentiebant, confirmat manifeſtè, molam ſine ſemine viri nunquam fieri potuiſſe. Quibus ſi licet Auerr. quoq; teſtimonium addere *loco cit.* 4. *gen. animal.* 7. molæ præcipuam cauſam eſſe, quia natura non concordat inter duo ſemina, in qualitate & quantitate, ac id potiſſimum in mulieribus accidere, quando ſemen maris eſt malæ complexionis. Quo loco nequeo diſſimulare euidentiſſ. Fernelij repugnantiam, qui *lib 6. de part. morb. & ſympt. cap.* 5. conſentiens Hipp. Ariſtot. Galen. ſcribit, efficientem molæ non ſolùm eſſe ſanguinem menſtruũ, ſed etiam ſemen viri, quod aut corruptum, aut quouis modo inualidum fuerit, neque vnquam viſam fuiſſe mulierem, ſine mare molam concepiſſe. Contra verò *lib. 7. de procreatione hominis, cap.* 1. non veretur affirmare, fœminam ex ſe ipſa ſine viro molam plerumque producere, ſicut certum eſt, gallinas ſine gallo oua emittere. Quæ quidem tanti viri tanta inconſtantia, quomodo poſſit excuſari & defendi, illius fautores viderint. Sed forte maior occurrit difficultas, vtrùm mola à nimio calore, an frigore ex multo ſanguine generetur? Namque Auic. *fen. 21. tertij, tr. 2. c.* 18. præter multitudinem ſanguinis docet vehementiam caliditatis neceſſariã eſſe, in qua ille ſanguis coquatur, & carnis formam acquirat. Contrà vero Ariſtot. *loco citato* manifeſtè ſcribit, molam non aliter fieri, quàm imminuta & imperfecta coctione, quam quidem certum eſt, ex defectu & imbecillitate caloris natiui originem habere, qui ſcribit, &c. ſic Auerr. confirmat molæ cauſam non aliam eſſe, quàm debilitatem naturæ, corruptionem digeſtionis, priuationemque vltimæ concoctionis. Ac ſanè præter teſtimonia Ariſtotel. & Auerr. ſi quis velit rem ipſam conſiderare, is facilè intelliget, hac in re Auic. malè ſentire. Etenim ſi mola ex calore ortum ducit, id quidẽ ex calore natiuo fieri non poteſt, quem certum eſt perpetuò concoctionem efficere ſecundùm naturæ inſtitutum agere, atque naturalem formam in materia ſubiecta introducere. Sed nempe iſtud à calore præter naturam fieri aliquo modo poſſe videtur; nã quotieſcunque ſanguis propriis vaſis continetur, ac præcipuè ſi in magnam ciuitatẽ exciderit, quales ſunt ventriculus, veſica, vterus, tunc auctoribus Hip. & Galen. 6. *aph* 20. accedente calore præter naturam neceſſe eſt illum vel ſuperare, vel liueſcere, vel in grumum conuerti, & omnino à ſanguinis forma degenerare, ex quo ſæua & periculoſa ſymptomata hominibus ſolent imminere. Quamobrem certum cuiq; eſſe poteſt, molam nullo modo à calore vel naturali, vel præternaturali fieri poſſe, atq; Auic. hac in re aduerſus Ariſtotẽlem, & eius doctrinam hallucinatum fuiſſe, contraque ipſam rationem. Igitur molæ ſunt duæ præcipuæ cauſæ proximæ: altera, ſanguis menſtruorum copioſus, craſſus, frigidus: altera, ſemen viri, quòd ſit vel paucum, vel imbecillum, vel aliter malè affectum: ita enim fit, dum ſemen agit quidem in ſanguinẽ, vt illum trãſmutet, concoquat, fœtum perficiat, ſed tamen propter imbecillitatem caloris natiui, nec non repugnantiam ſubiectæ materiæ, nequeat illũ ſuperare ac naturalem formam introducere, fit, vt quædam ſuccedat inquinatio & cruditas, ex qua ea rudis & informis caro generatur, quæ mola dicitur. De mola antequã ad alia progrediamur, ſciendum eſt, Ariſtotelẽ quaſdam molæ proprietates & conditiones afferre, quæ nullo modo ſunt prætermittendæ. Is igitur primùm ſcribit, molam tres, quatuor, & plures annos quandoque per totam vitam durare, neque vllam curationem accipere: ſecundò molam, quæ prodierit ex vtero ideo obdureſcere, vt ferro nequeat ſecari: cuius rei cauſam, inquit, ſe in problemate explicaſſe, quam quidem ego nunquam memini me apud illum legiſſe. Et ſi quis omnino cupit eiuſmodi poſitionum aliquam rationem intelligere, quatenus ad primum pertinet, reſpondet Philoſophus id fieri propterea, quia natura videtur de vita certare, atque id perpetuò conari, vt rem perficiat, finemque imponat generationi, ac propterea quod iam inchoatum eſt, aut per totam vitam, aut longo tempore durare, ſiquidem mola (inquit ille) neque omnino perfectam, nec planè alienam obtinet naturam. Quæ ſanè reſponſio, neſcio, quãti ſit facienda, cum Gal. doceat, & ſatis confirmet ratio, molam toto genere eſſe præter naturã, quod nulli dubium eſſe debet, quin natura, ſi poſſet primo quoque tempore proijceret, ſiquidem id facit aliquando; quare ſi id liceret, ego aliter reſponderem, nempe, molam multos annos, & quandoque per totam vitam durare, quia illa ægrè & tardè mouetur, ex quo fit, vt ligamẽta vtero annexa, quæ

Cauſa.

Cauſæ duæ proximæ.

Proprietates.

alio

alioquin validos & continuatos motus ad ruptionẽ requirunt, minimè poſſint rumpi & laxari. Atque hinc forte licet ad ſecundum problema reſpondere, quamobrem vna mola difficulter plures facilè deiiciantur, quod multi affirmant, atque experientia demonſtrat veriſſimum eſſe, de qua ſcribit Hipp. *lib. de morbis mulier. (fol. 336.)* Si caro vna fuerit, mulierem perire, neque fieri poſſe, vt ſuperſtes maneat: ſi verò plures fuerint, illam ſeruari, quippe eſt probabile, id fieri quoniam tunc ligamenta ſunt diuiſa, neque adeo valida & firma, quin faciliùs rumpantur: fortè etiam propterea, quia alternæ molæ, alternis etiam motionibus, & grauitati & expulſioni poſſunt occaſionem afferre. Quatenus autem pertinet ad ſecundam Ariſtotelis ſententiam, molas vtero prodeuntes mirabiliter obdureſcere, adeo, vt nec ferro diſcindi poſſint: Reſpondet ille cauſam huiuſmodi duritiei cruditatem eſſe, cũ mola aliud non ſit, quàm caro quædam inquinata, minimè cocta, & quæ contrariam elixationi qualitatem acquirit: quod Auer. quoque explicat per hæc verba: *Huiuſmodi rei cauſa eſt debilitas naturæ, & digeſtionis corruptio, priuatioque vltima coctionis.* Poſtremò, Ariſtot. quærit, quamobrem mola in ſolis mulieribus, in cæteris animalibus minimè generetur? qui reſpondet id fieri, quia ſola mulier inter cætera animalia morbis vteri obnoxia eſt ac menſtruis abundat, quòd non poſſit ea concoquere, ſicut aliàs tractantes de menſtruis fusè diximus. Quod quidem problema, nec non illius reſponſio, à nonnullis in dubium vocatur; qui contendunt non ſolùm mulieres, ſed alia quoque animalia, & molas concipere, & menſtruis abundare. Ac ſanè quod ad molam pertinet, ſi verba Ariſtotelis diligenter conſiderentur, ille & plane & conſtanter affirmat; molam in ſolis mulieribus gigni, qui inquit id verum eſſe, niſi quid admodum lateat. Ac tandem concludit poſtremis verbis cap. molam meritò in mulieribus aut ſolis, aut maximè generari: ex quibus non obſcurè poteſt colligi, cætera quoque animalia præter mulieres, quandoque molas concipere. Quod verò ad menſes attinet, ego quidem non ſum neſcius, quomodo hoc loco Ariſtoteles affirmet, ſolam mulierem inter omnia animalia menſtruis abundare, cum 6. *hiſt. anim.* 18. apertiſſimè contrarium doceat, qui hæc ipſa verba facit: *purgatio menſtr. fit quidem & cæteris animalibus ſed nulli aquè ac mulieri.* Et iterum ferè in fine cap. *Indicium conceptus maximè in vaccis equabúſque eſt, cum menſes ceſſarunt ſpatio temporis bimeſtri, trimeſtri, quadrimeſtri, ſemeſtri, ſed id percipere difficile eſt, quamobrem non deſunt, qui menſes in animalibus negarunt.* Hæc Ariſtoteles. Cuius quidem euidentiſſimæ repugnantiæ diſſolutionem ego libenter intelligerem, qui fateor nihil mihi hactenus pro ea tollenda in mentem veniſſe. Sed forte nimium digreſſi ſumus: ad ſigna regrediendum. Apud Hipp. & Gal. plurima ſunt, ſed ea fere omnia non minus fœtum, quàm molam indicant. Ego arbitror duo eſſe, quæ certiſſima ſint ſigna: Primum; motus, qui in mola nullus eſt, vt ſcribit Hipp. cum illa non viuat, omni ſenſu & motu careat, ex quo mouetur tantum per accidens, dum contingit mulierem moueri, & is quidem grauitatis potiùs quàm veri motus ſpeciem repræſentat. Nam exempli gratia, ſi mulier ad vnum vel alterum latus declinet, tunc pariter mola ad eandem partem veluti quoddam pondus impetu quodam delabitur, cum altera ex parte fœtus, qui viuit atque animal exiſtit, verè moueatur, ſi mas fuerit tertio menſe, ſi fœmina 4. Quare ſi mulier diligẽter aduertat facilè poteſt huiuſmodi motus diuerſitatem deprehendere. Alterum ſignum ad pariendi tempus pertinet: cum enim mulier naturæ inſtituto ſoleat parere menſibus 7. 8. 9 atque etiam 10. 11. ſi hoc tempore ea non pariat, tumórque abdominis perſeueret atque ſymptomata reliqua, quæ fere naturalem fœtum ſolent concomitari, iam pro certo eſt habendum molam in vtero contineri. Hip. inter cætera ſcribit magnũ molæ indicium eſſe, quod lac in mammis non generetur, tametſi mammæ turgidæ fiant. quod quidem ſignum nõ ab omnibus recipitur: cum enim frequenter fiat, vt mulieri molam concipienti menſes deficiãt, quod ego non ſemel experientia didici veriſſimum eſſe, certum autem ſit quod Hip. & Gal. docent 6 *aph.* 39. menſibus deficientibus mulieri aliquando lac in mãmis superuenire, etſi illa neque grauida eſt, neque peperit, forte huiuſmodi ſignum neque planè certum cenſendum eſt. Itaque duo poſita ſigna, motus & temporis partus, videntur ſuperare certitudine; quibus licet addere alia, quæ mulieres hoc morbo laborantes quàm verè grauidas ſolent comitari, vt cibi faſtidium, facies decolor, inceſſus & motus difficilis quaſi aliquid ex vtero propendeat, totius corporis extenuatio, & quandoque malus habitus ac forte alia id genus, quorum facile eſt rationem reddere. In curatione molæ. Gal. 14. *meth.* 13. vnico verbo explicat, qui illud vnum docet, in vniuerſum medicos ad huiuſmodi morbi ſublationem ſtatim properare; quæ quidem cõmunis eſt medicatio omnibus rebus, quæ toto genere præter naturam ſunt. Hipp. autem præ cæteris omnibus, etſi breuiſſimè ſuo more, tamen præclariſſimè videtur totam hanc curationem conficere, qui huiuſmodi indicationes propõnit: Primam, communem totius corporis vacuationem: ſecundam, mollitiem, laxationem, apertionem vaſorum, vteri & ligamentorum, quibus mola alligata eſt; tertiam, incitamentũ facultatis expultricis. Quæ quidem omnia eò ſpectant; vt quo citius & facilius poſſit mola ex vtero propellatur, de quibus ſigillatim dicendum eſt, vtrùm liceat iis indicationibus ſatisfacere necne: Plerique omnes docent, atque experientia videtur confirmare hanc pronunciam ſemper eſſe difficilem, imò verò Hip. nos monet, mulieres hoc modo laborantes curandas non eſſe, aut certè non ſine prædictione. Ergo quatenus ad primam pertinet indicationem, cum morbus det inducias, ante omnia leniatur aluus, & inter cætera omnia certum eſt, hieram principem locum obtinere, quæ poteſt non ſolùm ventriculum & primas vias purgare, ſed etiam quoquomodo moliri diſſolutionem & faciliorem exitum iuuare. Et ſi permiſceatur cum caſſia, optimum foret hoc modo:

Cur generetur in ſolis mulieribus.

Curatio.

℞: *Spec. hiera ſimp.*
Flor. caſſ. recent. ana. ℥. j.
M. cum ſacch. fiat bolus.

Lenita aluo, mea ſententia, niſi quid impediat, non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſarium erit ſanguinem mittere. Sed dubium eſt, quomodo, & ex qua parte illum mittere oporteat. Hic iubet ad latera in parte poſteriore cucurbitulã affigere, ac plurimum ſanguinis trahere, vt ita quemadmodum puto, ſanguis à partibus internis ad externas extrahatur, & reuellatur, quo alimentum molæ ſubtrahatur, atque illius ligamenta reddantur infirmiora, vnde facilius illa poſſit ex vtero deduci. Sed ego maximè probarem ſectionem venæ, quæ multo efficacior, & communem corporis regionem & euacuaret, & reuulſionem ac deriuationem præſtaret, & omnia ea efficeret, quæ in hac curatione requiruntur. Sed ex qua parte conueniat ſanguinem emittere, non conuenit inter omnes. Altimarus *cap. proprio*, quem forte ſunt imitati Mercatus, & pleriquc recẽtiores practici, qui alteri ab alteris ferè omnia turpiter tranſcribunt, docent primùm, ſecandam venam cubiti,

Curationis præſidium.

imò

imò verò non ſolum vnam, ſed etiam tepetitam ex parte miſſionem ſanguinis probant; deinde iobent, præſertim pee initia morbi, venas quoque inferiores fore incidendas, quorum opinionem nequeo ſatis probare: cum enim medicus nihil ptopoſitum habeat, quàm primo quoque tempore molam ex vtero deponere, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, ſuperioris venæ ſectionem huiuſmodi propoſitam impedite poſſe. Itaque ptætermiſſa ſectione venæ ſuperioris, ego maximè probare ſoleo ſectionem veoæ inferioris, quæ quidem Galeno auctote, & omnium conſenſu poteſt & menſes prouocare, & vterum ab omni ſotde purgare. Si ita feeat occaſio non ſolùm ex vno pede, ſed etiam ex altero, & quidem ſæpius licebit ſanguinem mittere. Lenita aluo, ſecta vena, humotes quicunque ſuot in corpore craſſi & tenaces, incidendi, abſtergendi, attenuandi ſunt, meatus pet quos illi tranſmittuntur & trahuntur, aperiendi medicamentis porgantibus. Qoæ quidem & humorum & corporis ptæparatio, partim alimentis, partim medicamentis fieri ſolet, quæ vtraque molliendi & attenuandi vim debent habere. Prætermiſſis aotem alimentis, de quib. Gal. proprium confecit commentum: & nos quoque ſæpe diximus, medicamenta varia ſunt ac plurima, inter quæ ſyrupi principem locum obrinent, cuius gratia talia præſeribi poſſunt ex tépote:

℞. *Oxymel ſimpl.* ℥. *j.*
Decoctum betonica,
Matricaria,
Memba,
Pulegij ana. ʒ. *iiij. Miſce.*

Et ſi ante ſyrupum exhibeantur boli & confectiones tales, optimum foret, exempli gratia:

℞. *Conſerua,*
Capill. Ven. ʒ. *ij.*
Spec.
Diacalamenth. ℈. *j. Miſce, & fiat bolus ante ſyrupum ſumendus.* Item.

℞. *Spec. diamb.*
Diacalam. ana. ʒ. *ß.*
Sacchari ʒ. *ij.*
Cũ vino albo f. conf. in rotulis ante ſyrupũ.

Præparatis humoribus, ad purgationem veniendum, & quidem per medicamenta validiora, qualia ſunt hiera magna, hiera Logadij, diacolocynthis, &c. quæ quidem hac in re magnam habeot prærogatiuã.

℞. *Elect. diaphen.*
Hiera,
Diacol. ana. ʒ. *ij.*
Mell. roſ. ſol. ʒ. *iiij.*
Decoct. beton.
Art. ana. q. ſ. Miſc. fiat potio.

Quam quidem purgationem, & ſi opus fuerit repetita detur, ego cenſeo in deiicienda mola magnam vim habere: nam præterquam quòd purgantia medicamenta, ac potiſſimum, validiora habent peculiarem vim deiiciendi fœtum, Ariſtotcles quoque videtur nobis id inſinuare, qui ſetibit 4. *gen. animal.* 7. quandam mulierem tres aut quatuor molas geſtaſſe, donec ſuperueniente demum dyſenteria illa molam pepererit ac libera euaſerit; quaſi hinc liceat colligere, mulieres laborantes mola, ex dyſenteria & qualiber purgatione per aluum ſanari aliquando poſſe, facta vniuerſi corporis purgatione. Id poſtremò reſtat, vt adhibeantur præſidia illa, quæ poſſint mollire, laxare, & aperire omnia vaſa & ligamenta, quibus mola alligata eſt, necnoo iouare & excitare facultatem expultricem, vt moleſtum illud onus deponat. Hæc autem plurima ſunt partim interna, partim externa. Externa ſunt fomenta, balnea, linimenta, emplaſtra, &c.

℞. *Artemiſia,*
Chamomil.
Anethi,
Rad. alth.
Malue ana. M. j.
Sem. lin.
Fænugraci,
Aniſi,
Fœnic. ana. ʒ. *j. f. decoctio in aqua com.*

In qua mulieres ſedeant vſque ad vmbilicum, aut ſaltem pecten, & reliquæ vteri partes foueantur. Si præſto eſſent aquæ thermales calidiores, quales ſune Aponitanæ, forene præſtantiſſimæ. A fomento vel balneo licet adhibere linimẽta, quibus omnes partes & internæ & externæ perfundẽdæ & inũgẽdæ ſunt.

℞. *Succi althaa* ʒ. *ij.*
Adipis anſerini,
Gall. ana. ℥. *j.*
Ol. amyg. de lil. alb. ana. ℥. *ß. M. ad ignẽ.*

Interna ſunt diacalam. trochiſci de myrrha, & vno verbo, quæcunque menſes & ſecundas prouocant, fœtumque mortuum excludunt. De quibus, quoniam poſteriùs in difficultate partus ſumus diligenter ſermonem habituri, oon eſt, vt in præſentia immoremur. Sed tamen non eſt prætetmittendum temedium, quod nonnulli maximè probant, & tanquam ſecretum tetinent, ad deiicieodam molam. Illud autem eſt fel bouinum, ſi per os ad ʒ. j. accipiatur; quod ſi tandem contingat huiuſmodi omnia præſidia fruſtra adhiberi, ſunt, qui audeant opera Chirurgica, & fetro molam detrahete; quod ego quidem ceoſeo tunc ſolùm licitum eſſe, cum mola ab vtero & veeri ligamentis laxata & diuulſa fuerit, adeo, vt ad oſtium vteri poſſit declinare: in quo caſu, ſi natura nequeat illam expellere, collocata muliere in communi ſede ad partus accommodata, deductiſque illius obſcænis partibus, ferrum & inſtrumentum ad comptehendendum in vterum immittunt, quo molam comprehenſam ex vtero detrahere tentant. (Inſtrumeotum *pedem gryphium* nominant.) Sed ego puto operationem, quã nunquã vidi, plenã eſſe periculi & difficultatis. Hactenus de Mola: nunc de aliis, quæ vtero cõtineri poſsũt, verba sũt faciẽda.

Capvt IX.

De Inflatione Vteri.

Eſſentia & cauſa. QVandoque euenit vt flatus in vtero colligatur, qui diſtendentes inferiorem partem abdominis naturalis conceptus ſpeciem referunt, qui hunc ferè exitum habent, vt mulier, quæ ſe grauidã multos mẽſes exiſtimabat, imaque omnia puerperia habebat io ptõptu, tandem modò citius, modò tardius nihil niſi ſonoros flatus excernat. Ex quo diſſoluto ventris tumore, nonnulli ſolent iocari, illã crepitũ peperiſſe, ſicuti cuidam mulieri in hac ciuitate hoc anno contigit. Generationem flatus præclarè inter cæteros Galen. tradidir 3. *ſympt. cauſ. c.* 3. per hæc verba: *Flatuum generatio eſt in iis locis, qui in ventre ſunt, ſuccis quibuſdam pituitoſis vel alimentis à deficiente calore in halitum ſolutis*; quippè ſincera frigiditas protſus halitum non facit, quòd ſcilicet ea non attenuat, neque conficit, neque alimentum diſſoluit, fortis autem calor cum longo interuallo nutrimentum ſupetet ampliùs quàm pro generando halitu, id attenuat, niſi tandẽ id flatuoſũ ſit natura: quod idẽ, Gal. inquit, in rebus externis fieri videmus: ſiquidẽ cœli conſtitutio tũ frigidiſſima, tũ calidiſſima aërẽ purũ efficit mediæ verò conſtitutiones nebulas pariũt: ex quibus, de Gal. ſentẽtia, cõſtat flatus generari ex debili & imbecillo calote, qui alimẽta & ſuccos

non

Digitized by Google

non poteſt exactè coocoquere & ſuperare. Nec verò dubium eſſe debet, quin flatus hac eadem quoque ratione in vtero generentur, quod quidem duobus potiſſimum modis fieri debet. Vno modo, propter imbecillem calorem vteri, quotieſcunque ille refrigeratur, vt non poſſit proprium alimentum & humores in eo contentos conficere, ſicut frequenter ſolet euenire tempore purgationis menſtruæ vel puerperij: atque eo magis, ſi partus fuerit difficilis & laborioſos, ſiquidem hoc tempore, vt docet Gal. 14. *de vſu part.* 13. ceruix vteri aperta & recta eſt, vt frigidior aër facilè poſſit ad eam penetrare, cùm aliis temporibus quaſdam habeat rugas, & quoſdam anfractus, qui ab omnis frigoris iniuria illum poſſunt tueri. Altero autem modo flatus in vtero colliguntur pro conſenſu aliarum partium, præcipuè verò iecoris, ventriculi, inteſtinorum, quotieſcunque huiuſmodi partes, vel propter frigidiorem intemperiem, vel propter deprauatam victus rationem, vel propter aliam cauſam plurimis flatibus redundant, qui facilè deinceps cum aliis partibus, tum maximè vtero communicantur. Neſcio quid ſibi velint, Paul. 3. *cap.* 70. & Aët. *vlt. cap.* 78. qui docët, vterum flatibus repleti, ſanguine intus in grumos concreto: namque ſanguinis grumos, præterquam quòd potius cauſæ retinendi quàm efficiendi flatus cenſenda eſt, meâ quidem ſententiâ, alia ſymptomata, & quidem grauiora quàm flatus poſſet efficere, ſicut aliàs diximus. Sed illod non eſt prætermittendum, quod itidem Paulus & Aëtius docent, huiuſmodi flatus, quandoque in vteri cauitate concludi, quandoque autem in anguſtis vteri meatibus, adeóque vteri ſubſtantia contineri.

Flatus in vtero dupliciter generatur.

Signa.

Signa inflationis vteri præclarè deſcribuntur ab Hipp. *lib. de nat. mulierum, (pag. 301.)* ſi inflati fuerint vteri, & venter attollitur ac inflatur, & pedes intumeſcunt, & cauæ faciei partes, color iniucundus fit, menſes non fiunt, genitura hoc tempore non fit, mulier anhelat, & anxia mœret, & cú ſurrexerit aut progreſſa fuerit, rectæ ceruicis ſpiratio ipſam tenet, & quod ederit aut biberit ipſam moleſtat, & magis ægrè triſtatur priuſquam ederet, ſæpe verò etiam ſuffocatur: quæ fere eadem ſententia, ab illo repetita eſt 2. *de morbis mulierũ, p.* 368. Signa autem à recentioribus tradita ferè ſunt huiuſmodi. Imus venter tumet, tenditur, dolore vrgetur. digito percuſſus tanquam tympani ſonum edit, caput, thorax, ventriculus, lumbi, pecten. & reliquæ partes corporis propè omnes vtero cóſentientes, aut dolore aut alio ſymptomate malè afficiuntur. Signa demum quæ nos doceant, vtrùm flatus in caua parte, an in meatibus & ſubſtantia vteri contineantur, ex iis poſſunt colligi: náque ſi illi contineantur in caua parte, maior apparet tumor, maiórque ad tactum tympani ſonus, rugitus quandoque in vtero percipiuntur, ſicuti laborantibus inteſtinis quandoque euenit: flatus quãdoque per vterum ſeu pudendum cum crepitu excernuntur. Sin autem flatus ſubſtantia atque anguſtis meatibus vteri concludantur, neque tantus tumor, neque tantus ſonus, neque rugitus, neque crepitus ſentiuntur: ſed & dolores fiunt vehementiores, & malum curatu difficilius euadit. Quod ſi quis verum quoque cupit intelligere, vtrùm vterus morbo proprio, an per conſenſum aliarum partium laboret, is ante omnia debet conſiderare, quomodo partes principes, exempli gratia, iecur, ventriculus, &c. ſe habeant: namque ſi illæ frigidiore aliqua intemperie ſint malè affectæ, vt ſanguinem crudiorem & flatus conficiant, vtique non ſine ratione cõſiciendum eſt, ab iis partibus flatum ad vterum tranſmitti. Sin autem illæ nullo modo laborent, & probè fungantur ſuo munere, tunc pro certo habendum eſt, vterum flatus gignere ac proprio morbo laborare. Sed propero ad curationem.

Curationem præ cæteris omnibus Hipp. videtur præclarè præſcripſiſſe. *Cum mulier*, inquit, *ſic habuerit, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & calida lauato, & fomentũ adhibeto*, & quæ ſequũtur: ex quibus licet colligere illas indicationes, quæ ad totam huiuſmodi rationem ſunt accommodatæ: cum enim flatus in vtero contineantur, illi ſunt diſcutiendi. Sed quoniam iſtud non licet facere, dum permanet materia, ex qua illi fiunt, quæ non ſolùm in vtero, ſed etiam in toto corpore poteſt redundare, idcirco hæc primùm purganda eſt, quoniam verò fruſtra noxia materia purgaretur, flatúſque diſſoluerentur, niſi prouideretur, ne deinceps generentur, poſtrema ſequitur indicatio quæ in morborum curatione & ſublatione conſiſtit. Itaque in curanda inflatione vteri tres præcipuè ſeſe offerunt indicationes: communis totius corporis, & vteri purgatio: flatus diſſolutio, intemperierum & morborum vel vteri, vel aliarum conſentientium purgatio. Et quantum ad primam pertinet, cum maiori ex parte materia, ex qua flatus in vtero generãtur, ſit frigida & pituitoſa, hæc primùm præparanda, & deinde purganda eſt. Leniatur aluus per hieram ſimpl. pilulas aloëph. mel. roſ. ſol. ſint præparantia mel. roſ. colatum, ſyr. de mentha, de beton, de artem. neque mea ſententia ab oxymelle abſtinendum, etſi nonnulli aliter ſentiant. Decocta ſint, ſem. aniſorum, fœniculi, artem. puleg. calam. ſint purgantia; elect. diaph. indum. hieralogad. benedic. Nicol hiera diacolocynth. trochiſ. Alhandal. cum hiera ſimpl. (quibus trochiſcis pro hiera diacol. ego vtor) de quibus omnibus medicamentis, & eorum exemplis, non ſemel diximus. Paul. & Aët. mentionem faciunt ſectionis venæ: pleriique omnes docent, hoc remedium in morbo frigido & redundantia humorum frigidorum non conuenire, de qua difficultate ſæpe diximus. Vos in hac deliberatione perpetuò attendatis ſcopos principes, quibus conuenientibus ne timeatis ſanguinem mittere: vno autem vel pluribus deficientibus, à ſanguinis miſſione abſtineatis. Verùm ad huiuſmodi indicationem nullo modo ſunt prætermittenda clyſteria, quæ conficiantur ex decocto chamæmeli, arthem. anethi, rutæ, bac. lauri, ſem. aniſi, fœnic. cumin. vel ex oleo, in quo hæc ipſa prius ebullierint, vt Galenus docet, quæ ſanè præclariſſimam operam præſtant. Purgato corpore vniuerſo, reſtat, vt ad purgationem & alterationem vteri veniamus, diſſolutionémque flatuum, quod plurima, partim interna, partim externa medicamẽta poſſunt efficere, vt ſunt cõfectiones, quas vocant arom. roſ. diacinam. dianiſum. diagalanda, diacalamenthum, diaſpoleticum, diatrion. piper. alect. de baccis lauri, & quæ cæteris omnibus ſunt efficaciora, magna antidota, theriaca, & mithridat. Sunt decocta origani, pulegij, calament. vel alia id genus, modò vnum, modò alterum, vt cinnamom. rad. Angelicæ, ſemen anyſ. caryoph. per alembicum deſtillata, & varias aquas conficiunt; quæ certè non ſunt negligendæ: ſunt ſyrupi, conſeruæ, ſunt aliæ medicamentorum formæ, quas licet cuique comparare ſibi ac ſuo arbitratu modò vnis, modò alteris vti, de quibus ſatis. Medicamenta autem externa ſunt balnea, fomenta, inunctiones, clyſteria vteri, quibus antiqui vtebantur, vt colligitur ex Galen. 5. *meth. cap.* 5. 7. 11. *de compoſ. med. ſec. loc.* 1 *cap* 8. Inſtrumentum (μητρεγχύτης) deſcribitur ab Auic. 2 a. *tertij tract.* 2. *cap.* 13. Sunt demum peſſaria, & alia id genus, quæ quidem ex iis, quæ hactenus diximus, facilè cõfici & parari poſſunt, præterquam quod aliis locis de iis omnibus non ſemel mentio-

Curationis præſidia.

nem

Digitized by Google

nem fecimus. Porrò hæc omnia, vt antę diximus, poſſunt non ſolùm flatus diſſoluere, ſed etiam vterum purgare & eius intemperiem corrigere. Quod ſi tandem hæc fruſtra adhibeantur, malúmque perſeueret, adhuc id ſcieodum, balnea naturalia calida, vt Aponitana & potione, & inſeſſione, pro ſtillicidio omnibus modis, forte inter cætera omnia principem locum obtinere. Poſttemò de inflatione vteri conſentientibus aliis corporis partibus, non eſt, vt quicqoam dicamus; ſi quidem certum eſt, totam hãc curationem pendere ex curatione partium laborantium, quæ ſingulæ ptopriam ttactationẽ deſiderant.

Capvt X.

De Hydrope Vteri.

Eſſ otia. NVlli dubium eſſe debet, qoin ſicut flatus, ita etiam aqua in vtero mulieris colligatur, quod Hip. Aet. Auic. & omnes teſtantur, atque experientia confirmat veriſſimum eſſe: namqoe plurimi confirmant, ſe in anatome vel copioſiſſimã aquã in vtero collectam vidiſſe; & inter cæteros eſt mirabilis hiſtoria Veſalli, *lib.5.c.9. de fabrica corporis humani (de lieue)* de quadam muliere Auguſtana textrice, in cuius vtero ille reperit ſeroſam aquam ſupta 60. menſutas Auguſtanas (quæ ſingulæ pendent tres libtas) nollibi interim circa inteſtina præſente aqua, aut laxo in pedibus manibuſque tumore, aut etiam, viſcetum, aot alterius cuiuſdam organi ſeſe alioquin offerente vitio, (alibi 180. lib. tepertæ.) Huiuſmodi morbum Aëtius *lib.vlt.c.97.* hydtopem vteri: Auic. *21. tertij, tract. cap.25.* aquam in matrice appellant.

Locus aff. Sicuti verò nemo dubitat, vtrùm aqua in mulieris vtero poſſit colligi nec ne: ita contrà dubium eſt de loco, vtrũ ſcilicet huioſmodi aqua in cauitate, an in ſobſtantia & tunicis vteri colligatur & contineatur. Etſi autem plerique omnes tanquam manifeſtũ recipiunt, aquam in cauitate gigni & concludi, ſicut in hydrope quoque contigit: tamen altera ex parte iſtud vel difficile, vel oullo modo videtur fieri poſſe. Cum enim os ipſitis vteri præterquam tempore conceptus ſatis pateat, veriſimile aut potins neceſſarium eſt, buiuſmodi aquam ſui copiam, aut mala qualitate natoram ſtimulare, atque exitũ ſibi quærere, ex qoo aqua facilè & aſſiduè fluente, neque rumor vteri, neque alia ſymptomata, de quibus ſtatim ſermonem habebimus, videntut poſſe conſiſtere.

Hæc res apud Hippocratem & Galenum, & alios veteres non eſt ſatis explicata; ſolus Aëtius videtur difficultatem vidiſſe, qui ſcribit: Corpuſcula quædam veſicæ fellis ſimillima in vtero generari, in quibus aquoſus homot colligitur. Quam quidem opinionem video à pleriſque omnibus probari & recipi: & inter cæteros Mauritius Cordæus Gallus, vir doctiſſimus, qui edidit *com. in lib.1. Hip. de morbis mulierum*, qui refert hiſtoriam mulietis laborantis hydrope vteri, in coios cadauere ſunt tepeitæ plurimæ veſiculæ, non ſolùm in vtero, ſed etiam in cæteris omnibus cauitatibus corde, pericardio, ventriculo, inteſtinis, tenibus, veſica, & reliquis id genus, in quibus veſicæ pendulæ conſpiciebantur, aqua citrina plenæ, & ſine omni fœtore, etiam poſt 20. diẽ, quas plures quàm 80. fuiſſe: de huiuſmodi veſicis aqua plenis Arecæus mentionem facit *lib.2. de affectibus vteri cap.1.* qui ſcribit ad hunc modum: *Alia quadam hydropici morbi ſpecies agnoſcitur talis; in ea veſicula quadam puſilla, crebræ, humoris plenæ, in loco vbi Aſcites fieri ſolet, excitantur.*

Cæterùm quòd humore multo tefertæ ſint, illud indicio eſt, ſi abdomen perforaueris, parum admodum humoris effundes. Hæcque ſpecies haud leuis eſt: vnde enim id genus veſiculæ eruperint, via non facilè repeiitur: alij namque affirmant, huiuſmodi ampullas inteſtina tranſiiſſe: ego verò id nunquam vidi, ideóque ſcribendo non aſſirmo. Nam ſiue ex inteſtino colo, ſiue ex ventre ferantur, qualis ſit ipſarum generarionis modus, quid dicam nihil certi habeo. Hæc Aretæus, ſed Galenns etiam *7. aph. comment. 55.* quaſdam veſicas aquæ plenas commemorat, quæ in iecore, hoc eſt, membrana id ipſum ambiente, ſolent generai, & in iugulatis animalibus aliquando conſpiciuntur. Ex quo loco fortaſſe licet Aëtij & Atetæi opinionem confitmare, ac fateri veſiculas aquæ plenas, ſicuti fit in iecore, ita etiam in vteto & aliis partibus poſſe fieri. Cæterùm vtcuoque res ſe habeat, redeundo ad hydropem vteri, etſi nolo pertinacitet negare, aquam potius in veſiculis, quàm in cauitate vteti colligi & continEri, tamen non id puto perpetuò fieri, ſed ſorte multo etebtius in cauitate eandem concludi.

Quod ſi quis obiiciat, huiuſmodi aquam aperto ote vteri facilè poſſe foras erũpere, quod nos quoque paulò antè notauimus, ad hoc teſpondeatis cum Galeno *14. de vſu part. cap.5. ad finem*: collum vteri tantùm eo tempore parens eſſe, cùm ſemen iotromittitur, vel embrio extra producitur, alio quocunque tempore illud nonnullas rugas, plexus & contortiones habere, quæ multum habent momenti, vt ne, quæ continentut in vteto, refrigerẽtur. Sed illud addo, refrigerato vtero, quod ſtatim docebimus fieri, huius frigiditatis proprium eſt denſare & coaſtringere, ſicut caliditatis laxate & aperire, admodum ptobabile ac forte neceſſarium eſſe, vt os quoque vteri adhuc magis denſetur & coaſtringatur, adeò, vt aqua non ita facilè erumpere poſſit foras. Hanc rem volui paulo longiùs ttactare, quòd nemo hactenus ſatis nodum explicarit. Sed ad reliqua.

Quatenus pertinet ad cauſas huius affectus, Aëtius tantùm vnam videtur poſuiſſe, quando menſes longo tempote fuerunt ſuppreſſi & impregnatio impedita. Sed ego puto, ita magis verè eſſe habendum, aquam in vteto propter eandem cauſam generari, propter quam illa eadem in hydtope communi fieri ſolet, nimirum propter intemperiem frigidam cum partium principalium, præcipuè verò iecoris, tum ſpeciatim vteri ac reliquorum locotum, in quibus diximus ſuprà aquam nonnunquam gigni & colligi. Quæcunque igitur poſſunt ſiue in vtero, ſiue in iecore, ac toto corpore frigidam intemperiem excitare, qualia ſunt aër ambiens, victus ratio, potiones, balnea, & alia id genus, quæ tefrigetandi facultate prædita ſunt: hæc omnia poſſunt vteri hydropem efficere, hac quidem parte vel proprio morbo, vel per conſenſum laborante: inter quæ nihilominus Aëtio concedendum eſt, diuturnam menſium ſuppreſſionem ptincipem locum obtinere, niſi quis velit immoderatas meoſium purgationes, abortum, partum difficilem, ac reliquos vteri labores adiungere quæ facilè poſſunt huiuſmodi frigidam intemperiem efficere. Quas quidem cauſas Hipp. breuiſſ. complexus, *lib.1. de morbis mulierum pag.330. Hic morbus*, inquit, *ex abortu fit, ſed etiam ex aliis cauſis, cum menſes fuerint occultati.* In quibus paucis verbis, vt puto, omnes cauſæ huius morbi partim internæ, partim externæ comprehendontur. *Cauſa.*

Signa hydtopis vteri non minùs accuratè, quàm caoſæ ab Hipp. tradita ſunt. Inquit enim, *ſi aqua intercus in vteris naſcitur, menſes pauciores, & praui ſiunt, & ante tempus deficiunt, & imus venter intumeſcit, & mamma ſolida molles ſiunt, & lac malum, & putat ſe in ventre habere; & ex iis cognoſces, quod aqua inter cutem eſt.* Sed & in vterorũ oſculo ſignificationem de ſe præbet, ad tactũ enim gracile & humidũ *Signa.*

appa

apparet: de quibus ſignis ſermonem etiam habet 2. *de morbis mulierum*. Recentiores multa alia ſigna adiungunt, quæ facilè omnia ad ſigna Hipp. adiungi, vel referri poſſunt. Verùm cum hic morbus, quandoque communem & verum hydropem quandoque naturalem conceptum videatur repræſentare: libet ea ſigna quoque colligere, quibus poſſitis huiuſmodi affectus alteros ab alteris diſtinguere.

Primùm igitur ſigna, quæ hydropem vteri à vero & cōmuni hydrope poſſūt diſtinguere, ferè nulla ſunt præcipua. In hydrope vterino paulo ante ex Hipp. poſito, tumor eſt minor, & magis in inferiore quàm ſuperiore abdominis parte conſpicitur. Iecur vt plurimum vel parum, vel nihil laborat, vterus morbo aliquo, vel proprio, vel per conſenſum malè afficitur. In altero autem communi hydrope tumor eſt maior, magiſq; in ſuperiore, quā inferiore parte apparet, vterus vel leuiter, vel nullo modo laborat, iecur malè afficitur neceſſariò: quibus quidem ſignis, ſi reliqua adiungantur, quæ huiuſmodi morbos ſolent indicare, facilè vt puto cuique licebit, alterū ab altero diſcernere. Signa autē, quæ naturalem fœtum à cōcepta aqua poſſunt diſtinguere, fortè faciliùs & euidentiùs colligi poſſunt. Sed primum vos ſcire velim, quod ſuprà quoque diximus, contingere aliquando, vt mulieres credantur grauidæ, quæ temporis progreſſu deprehenduntur, vel flatus, vel aquam, vel quid ſimile cōcepiſſe, nec non vice verſa, vt quæ minimè grauidæ cenſebantur, ſed aliquo vteri morbo laborare, tandem hominem pariant. Etenim Vincentiæ fuit nobilis matrona, quam obſtetrices & medici pro cōperto habebant minimè vtero cōcepiſſe, quod nullo ſuperiore tempore fuiſſet grauida, ac ferè ſēper infirma fuiſſet valetudine. Res autem hunc euentum habuit, vt vrgentibus doloribus, quos vterinos, vel inteſtinales opinabantur, ac propterea impoſitis nōnullis clyſteribus, illa hoc ipſo tempore filiam pepererit, quæ etiam num viuit, & plurimos filios progenuit. Itaque ne huiuſmodi illuſio vos aliquando capiat, diligenter in hoc vitium incūbendum eſt. Iſtud plurimi profitētur, ſe intelligere ac prædicere ex lotio. Sed iſti ſunt impoſtores, nō medici, quod ſpero me propria tractatione de vrinis vobis eſſe apertè mōſtraturum. Porrò iſtæ ſigna quæ legitimum fœtum à reliquis falſis conceptibus poſſunt ſecernere, mea ſententia, nulla certiore ratione haberi poſſūt, quàm ſi conſiderentur, quæ præceſſerunt, & quæ præſenti tempore apparent, exempli gratia, ſi nullo præcedente aut ſequente morbo & ſymptomate, menſtruæ purgationes retineantur, ſi mulier à nonnullis cibis abhorreat, aliena appetat, terrā, extinctos carbones, & alia quædam id genus aliquando euomat, hæc ferè ſunt certiſſima ſigna mulierem vtero cōcepiſſe, de quibus ſignis Hipp. 5. *aphor*. 61. & Galen. 6. *loc. affect. in fine*. Altera autem ex parte, ſi mulier ſuperiore tempore fuerit malè affecta, ſi menſes retineantur, ſi ſuperueniat tumor in inferiore abdominis parte, & alia ſymptomata, de quibus iam diximus, ex iis licet conijcere mulierem, quid præter naturam potius, quàm naturalem fœtum concepiſſe. Sed Galenus præterea aliud ſignum commemorat, qui iubet obſtetricem vteri ceruicem tangere, & diligenter conſiderare, num aliqua adſit durities nec ne? Si non citra duritiem ceruix clauſa fuerit, imprægnationis indicium eſt: ſi verò cum duritie os ceruicis vteri clauſum fuerit, malum quoddam in vtero eſſe indicat. Verùm, vt dixi, hæc ſunt admodum coniecturalia, & quandoque vel optimos medicos fallunt.

Curationem hydropis vteri licet colligere ex Hipp. *lib. 5. c. de nat. mulierum*, qui hæc habet: *Cum mulier ſic habuerit, calida lauare oportet, & dolorem ſedare, pharmacum deorſum purgans bibendum dare*, &c. Facile autem eſt, ſi quis velit hanc rem ad indicationem & methodum referre, hunc in modum: *Indicationes*
aqua redundat in vtero, itaque illa detrahenda eſt. Hoc non licet facere ſine præcedenti corporis vniuerſali euacuatione. Quare antequam aqua de vtero detrahatur, oportet totius corporis rationē & prouidentiā habere. Sed quoniam fruſtra aqua de vtero detrahitur, quotieſcūque illa rurſus poteſt colligi: poſtremò eſt proſpiciendū, ne illa in poſterū amplius poſſit generari, & vterū occupare. Quamobrē præcipuæ indicationes curādi hydropis vteri illæ ſūt. *Prognoſtica.*
Prima, purgatio vniuerſi corporis: ſecunda, purgatio aquæ in corpore contētæ: tertia, curatio morborum, à quibus aqua originem habet. Vtrùm liceat huiuſmodi indicationibus ſatisfacere nec ne, ſciendum eſt, morbum difficilem & periculoſum, & qui ſæpenumero ad verum hydropē & interitum mulieres adducit; ſed ſingulas indicationes & præſidia breuiter perpendamus. Quatenus ad primā indica- *Præſidia.*
tionem attinet, recētiores propè omnes probāt cum Auic. ſectionem venæ inferioris, qui mea ſententia falluntur: ſiquidem veriſimile forte & neceſſarium eſt, nō ſolùm in vtero, ſed etiā in toto corpore humores redundare crudiores & frigidiores, cum quibus vix licet ſperare vires poſſe conſiſtere, atque id remedium perferre. Vnde Galenus docet 4. *de rat. vict. com*. t. 11. in hydrope quidem anaſarca, ſanguinem detractum conuenire interdum, cum ſcilicet morbus incepit ex retentione hæmorrhoidum, vel menſtruorum, vel ex alia cauſa, quæ plethoricam affectionem afferat, hydropem verò, tympanitem & aſcitem, neminem per ſanguinis miſſionem ſanare auſum fuiſſe. Itaque prætermiſſa detractione ſanguinis, cum Hipp. medicamentis purgantibus agēdum eſt, quæ humores frigidos & pituitoſos, præcipuè verò aquam poſſint detrahere. Ad leniendam aluum hiera, &c. eſt præſtantiſſima: humores ac meatus corporis præparentur cum melle roſ. ſyr. de beton. de arthem. decocto hyſſopi, origani, puleg. calament. Ad purgationem ſunt accommodata, Agaricus, Turbith, Elaterium, ſuccus ireos, & diaphæn. &c. de quibus ſæpe; ſic clyſteria ex iiſdem medicamentis facta non ſunt prætermittenda. Purgato corpore vniuerſo, altera ſuccedit indicatio purgandi aquam ex vtero, quod multis modis & præſidiis fieri poteſt. Primùm diuretica medicamenta, quæ verè lotium prouocant, ſemina fœnic. dauci, petroſel. gentianæ, rubiæ tinct. &c. optima ſunt, docente Galen. 5. meth. 3. Ea quæ vtero continentur, vel per aluum, vel per lotium oportuniſ. deriuari. Deinde ſunt balnea vel artificioſa, vel naturalia, quæ calefaciendi, ſiccandi, & detergendi vim habeant, in quibus vel mulier ad vmbilicum vſque ſedeat, quale balneum foret ex decocto fol. & bacc. laur, radam. cucum. aſin. fol. ebuli, Mercurialis, Arthem. Thym. puleg. calam. & ſimilia. Sunt linimenta ex ol. laurino, lil. alb. de con. de aniſ. oleum reſolutiuū: ſunt emplaſtra ex rad. & fol. ebuli, cucum. aſinino, farina lupinorum, ſtercore bouino: ſed emplaſtrum de baccis lauri hac in re videtur habere inſignem prærogatiuam. Verùm inter cætera medicamenta impoſita, & ſuppoſita ipſi vtero, quæ valeant de ipſo aquam trahere & deducere, præclariſſimam operā præſtāt, qualia potiſſimùm ſūt peſſaria, quæ, exēpli gratia, ex ſucco Mercurialis, cyclamine, eſula, nigella, colocynthide, helleboro, & ſimilibus cōficiuntur. Nonnulli teſtantur ʒ. ß. helleb. albi lana exceptam & vtero impoſitam, protinus plurimam aquam detrahere. Sed ego cæteris omnibus efficacius puto peſſarium quod ex elaterio & contuſis caricis facilè paratur. Quo quidem non ſine magno fructu memini aliquando in huiuſmodi caſu

Digitized by Google

me vſum fuiſſe. Itaque his rationibus aqua ex vtero ſolet purgari. Ad poſtremam indicationem, quæ neſcio quamobrem à pleriſque prætermittatur, ſunt accommodata illa præſidia quæ poſſunt vteri intemperiem corrigere. Talia ſunt externa, balnea, fumenta, linimenta, ſuffitus; interna, trochiſci, conſeruæ, confect. antidota, & vno verbo, quæ poſſunt vterum calefacere & ſiccare, de quibus non ſemel diximus, vt ſuperuacaneum videatur illa eadem repetere. Sequitur de Ab rtu.

Capvt XI.

De Abortu.

Eſſentia. SCribit Ariſtoteles 7. *hiſt. animal. cap.* 4. cætera animalia omnia ſingulari ac ſimplici modo partum ſuum perficere: ſiquidem vnum pariendi tempus omnibus ſtatutum eſt, nonnulla breuiore, nonnulla longiore tempore. De qua item re Ariſtotel. 10. *ſect. probl.* 11. ſoli homini varium pariendi tempus datum fuiſſe dicit; namq; mulieres, & 7. menſe & 8. & 9. parere poſſunt, quandoque nonnullæ 10. & 11. quam doctrinam Ariſtoteles, vt opinor, accepit ab Hipp. qui ſcribit ad hunc modum lib. de Septimeſtri partu (in Baſil. pag. 62.) *Mulieres quodã vitio præditæ ſunt, ſemper dicunt ac teſtantur, naſci partus ſeptimeſtres & octimeſtres, & nonimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres.* Non ignoro nonnullos & veteres, & recentiores fuiſſe qui oſtẽdunt non ſolùm ſeptimo, ſed etiam ſexto & quinto menſe, pariter non ſolum nono, ſed & vſque ad decimum quartum poſterioribus menſibus humanos fœtus, & quidẽ vitales poſſe produci quæ diſputatio ad meum inſtitutum non pertinet, de qua Conciliator *differentia.* 49. Illud enim mihi eſt ſatis, partum mulieris, quotieſcunq; ille ante congruum, & conſtitutum naturæ tempus deiicitur, qualecunque tandem id fuerit, intempeſtiuum ortum, abortionẽ, vel abortum, ſiue aborſum nominari. Hipp. ſua lingua *epid. ſect.* 1. *comment.* 2. *in princ.* ἀπόφθοραν, id eſt, *deperditionem* vocat. Galenus in commentar. *imperfectam fœtus emiſſionem* interpretatur. Veruntamen id mihi libet addere ex Ariſtot. 7. *hiſt. animal. cap.* 3. tunc tantummodo abortum dicendum eſſe, poſtquã conceptus integer factus eſt, quod ſeptima euenit die; eos verò fœtus, qui ante diem ſeptimum deiiciuntur potius effluxiones, quàm abortus nominandos eſſe ſiquidem certum eſt, ante hoc tempus 7. dierum, ne fœtum quidem, neque embryonem, ſed ſolum ſemen in vtero contineri. Quod quidem puto itidem Philoſophum accepiſſe ab Hipp. qui ſcribit *libro de carnibus (pag. 60. circa medium)* vitam hominis 7. dierum eſſe, ac genituram vtero exceptã, in ſeptimo die habere, quæcunque corpus habere debet, atque hinc fieri, vt tranſacta die 7. mulieres abortientes deiiciant veluti carunculam, (teſtatur ſe vidiſſe auctor) quæ in aqua coniecta ſi diligenter conſideretur, ſatis demonſtrat & oculorũ regiones, & aures, & manus & manuũ digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifeſtum, quod in effluxione Ariſtotelis ante 7. diem fieri nullo modo poteſt. Ex quo idem forte Philoſophus eam legẽ conſtituit in 7. *pol. cap.* 26. Si vero & mulieri matrimonio copulatis naſcantur plures liberi, quàm definitum ſit, abortum fœtui inferendum eſſe, prius quàm ſenſus, & vita illi inſeratur. *Quid enim*, ille inquit, *pium ac religioſum ſit, quod non ſenſu ac vita circumſcriptum ac definitum erit?* Huiuſmodi affectus, quem iure inter ſymptomata excuntia mutata licet reponere, eſt longè maximi momenti, ac ſi quis alius capitalis hoſtis naturæ cum principalem illius operationem, generationem hominis impediat ac demoliatur. Vnde cum mulieres admodum frequenter abortiant, adeo vt nonnulli cenſeant plures abortus, quàm legitimos fœtus fieri, facile eſt intelligere, medicos quicunque in tanto diſcrimine naturæ poſſunt ſuccurrere, & auxilium ferre, præ cæteris omnibus de natura ac tota Republica bene mereri. Quare in tractatione tam vtili ac neceſſaria oportet nos diligenter incumbere.

Cauſæ abortus, de quibus omnes tractant, ſed admodum confuſè, mea ſententia, commodè in duas internas & externas diſtribui poſſunt. Externæ ex omnibus ſex rebus nõ naturalibus poſſunt colligi, quas certũ eſt, vt docet Gal. *c.* 85. *art. med.* neceſſariò noſtra corpora alterare & immutare. Ac primùm ratione Aëris poteſt abortus contingere, ſi ille vel calidior, vel frigidior, vel humidior, vel ſiccior fuerit: ex quo Aëris vitio facile eſt intelligere, fœtus poſſe alterationem ſuſcipere ac periclitari. Vnde in regionibus vehementer calidis, vehemẽter frigidis, mulieres facillimè & frequentiſſimè ſolent abortire. Sic ſi anni tẽpora fuerint inconſtantia, neq; ſuã ſeruẽt naturam, abortum ſolent efficere. De quibus eſt Hipp. 3. *aphor.* 12. *ſi hyems auſtralis & pluuialis fuerit: ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in ver incidit, ex quacunque cauſa abortiunt*: ſiquidem vt Galen. explicat in commento: *corpora humida ac mollia reddita, raraque per hyemem, ad internas partes aëris frigiditatẽ facile admittunt.* Vnde infantes, qui longo tempore aëris caliditati aſſueuerunt, iniuriam ſuperuenientis frigoris nequeunt perferre. Quare ſubinde calcitrantes, & ſine ordine ſe mouentes, vteri ligamenta diſrumpunt, & importunè deiiciuntur: quam quidem Hip. ſententiam Ariſtot. quoque interpretatus eſt, & amplificat 1. *ſect. probl.* 9. Ad aërem mali quoque odores poſſunt referri, ex quibus vterus malè afficitur, contrahitur ac fœtum deponit. Et ita nonnulli referunt, mulieres ex malo illo odore extinctæ lucernæ abortum feciſſe. Vnde apud Plinium memorabilis illa eſt exclamatio *lib.* 7. *c.* 7. *Miſeret atq; pudet æſtimantem, quam ſit friuola animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerumque abortus cauſa fiat odor à lucerna extincta.* Secundo ſunt alimenta, & potiones, quæ poſſunt non ſolùm generaliter ſanguinem improbum generare, ac fœtum malum nutrire, ſed etiam ſpeciatim abortum promouere, ſi illa fuerint calefaciendi, incidendi, extenuandi, facultate prædita, & quæ in primis ſolent menſes prouocare, qualia ſunt aromata omnia, petroſelinum, fœniculum, aſparagi, ſatureia, nepeta, ius cicerum rubeorum, vina generoſa, & id genus alia. Sic altera ex parte nimium parca & reſtricta victus ratio poteſt abortum facere, quod ita congruo deficiente alimento, fœtus infirmetur & corrumpatur. Quod eſt Gal. 5. *aph. com.* 31. ad quem modum nonnullæ mulieres aſſiduis ieiuniis ſe macerantes, ſua ſponte ad eiuſmodi calamitatem deducuntur.

Tertiò ſuccedit motus & quies. Ad motum referenda omnis exercitatio immoderata & violenta, curru, equo, ſaltu chorea, curſu, eleuatione ponderum, caſus etiam ab alto, percuſſio, contuſio, cum aliarum partium, tum maximè dorſi & vteri, & quæ habent eandem rationem. Nam vt ſcribit Gal. 4. *aph. comm.* 1. *Fœtus cum vtero eandem habent proportionem, quam fructus cum plantis.* Nam ſicut fructus in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & iam perfecti ferè ſua ſponte decidunt, adeo vt vtrique ex vehementiore aliquo vẽto facile concidant: ita fœtus primis potiſſimùm ac poſtremis menſibus, ex quolibet violento motu ruptis ligamentis, intempeſtiuè deiiciuntur.

Quartò, eſt ſomnus & vigiliæ, quod vtrumque 2.

aph

apho. 3. ſi modum exceſſerit, malum eſt. Nam ſicut ſomnus immoderatus non ſolùm in capite, ſed etiã in cæteris corporis partibus, & conſequenter in vtero, facile poteſt magnam excrementorum copiam coaceruare: ita immoderatæ vigiliæ & nimiam ſiccitatem, & virium reſolutionem, & alia multa pericula ſolent afferre, adeo vt certum cuique eſſe poſſit, mulieres quoque ex immoderato ſomno, & vigilia in abortum incurrere. In tractatione cauſarum abortus quinto loco ſunt excretiones & retentiones quæ inter cætera omnia maximè ad abortum poſſunt facere. Ac primũ quatenus ad excretiones pertinet, eſt ſanguinis miſſio ex vena, de qua eſt apud Hipp. *aph.* 5. *p.* 31. *Mulier grauida ſanguine ex vena miſſo abortit, ac præcipuè, ſi fœtus grandior fuerit.* Quod tamen decretum multi hoc tempore non recipiunt, qui contendunt tantum abeſſe, vt miſſio ſanguinis abortum faciat, vt magis ſæpenumero abortum poſſit præcauere: de qua controuerſia duo verba dicam in curatione. Quod verò de ſectione venæ ab Hipp. dictum eſt, id in mea ſententia de omni sãguinis miſſione vel profuſione, ex quacũque parte corporis illa profluat, naribus, hæmorrhoidibus, & ſimilibus, præ cæteris tamen omnibus ex vtero ſtatuendum eſt; de qua vteri purgatione Hipp. & Gal. *in* 5. *aph.* 60. necnon Ariſt. 6. *hiſt. animal. c.* 2. mentionem faciunt. Deinde ſunt purgationes per aluum, de quibus itidem Hipp 5. *aph.* 35. *Mulieri grauida, ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt, ne abortiat.* Quam quidem purgationem & fluxionem alui ego interpretor non ſolùm, quæ ſponte fit, ſed etiam ac multo magis, quæ perficitur à purgantibus medicamentis, quod certum eſt non ſolùm ſoluta aluo, ſed etiam excitata inſigni corporis commotione & perturbatione abortum poſſe facere. Atque hinc factum eſt, vt Hipp. grauidis mulieribus interdixerit medicamentis purgantibus, præterquam ſi materia turgeat, quæ tamen non illis concedit omni tempore, ſed tantum in 4. menſe ad 7. vſque. Etſi Gal. 1. *Epid. ſect.* 3. *comm.* 30. tertium quoque menſem voluit addere, qui interpretans hunc ipſum apho. ſcribit, fœtum trimeſtrem & quadrimeſtrem præter cæteros iniuriis reſiſtere. Si moderati vomitus, ſudores, vno verbo, ex quacunque parte, quæcunque immoderata euacuatio fiat, abortus cauſa cenſenda eſt. quod hac ratione contingit, & neceſſario alimento priuetur, neque ſolum ſuperfluæ euacuationes, ſed altera quoque ex parte immoderatæ retentiones abortus cauſæ ſtatuendæ ſunt, quæ quidem cum poſſint eſſe multiplices, ac multis modis fieri, manifeſtum eſt præ cæteris omnibus retentionem menſium hac in re principem locum obtinere. Poſtremò etiam ſunt alterationes animi de quibus non longius agendum, ſiquidem nemo eſt, qui non quotidie experiatur illas in nobis mirabilia ac pene incredibilia efficere. Itaque nulli debet mirum videri, ſi mulieres quoque ex nimio timore, terrore, dolore, triſtitia, voluptate, lætitia, ira, indignatione ac reliquis animi perturbationibus in abortum incurrant. Atque hactenus de externis cauſis, ad quas, ni fallor, reliquæ omnes, ſi quæ à nobis ſunt prætermiſſæ, facilè poſſunt referri.

Interna. Cauſæ autem internæ rurſus duplices conſtitui poſſunt, vel ex parte mulieris, vel ex parte fœtus. Ac primùm quatenus ad mulierem, eſt corporis habitus vel craſſior vel extenuatior quàm conueniat, de quo Hip. 5. aph. 45. *Quæcunque præter naturam extenuata, vtero abortiunt priuſquam craſſeſcant,* id eſt priuſquam reficiantur & ad mediocrem corporis habitũ redeant. Quo in loco mihi libet vos admonere, Galenum verborum aphoriſmi, *præter naturam.* Græcè *παρὰ φύσιν*, duplicem interpretationem proponere: alteram, quæ fuit Numidiani Medici celeberrimi & Quinti auditoris, nempè vt mulier grauida præter ſui ipſius naturam ſit extenuata: alteram, vt extenuatio ſit inſignis & præter modum, vt ea verba magnum quendam exceſſum ſignificent, volente Hipp. nobis inſinuare mulieres non mediocriter ſed vehementer extenuatas abortire; quam vtramque interpretationem ille inquit, non carere reprehenſione, etſi in ſequenti comment. 46. poſteriorem magis probare videtur. Hipp autem in lib. *de ſuperfœtatione pag.* 68. *circa medium*, de conceptu mulieris verba faciens priorem interpretationem amplectitur, qui ſcribit ad hunc modum: *Mulier quæ præter naturam craſſa eſt & pinguis, non concipit hoc tempore: quæ verò ex natura talis eſt, horum gratia concipit, ſi non aliud quicquam eam impediat.* Quæ ſanè interpretatio magis videtur rationi conſentire: etenim ſi mulier fuerit ſuapte natura, vel extenuata, vel craſſa, nihil ferè prohibet, quin illa poſſit fœtum concipere & abſoluere, quod frequenti experientia comprobatum eſt veriſſimum eſſe. Contrà verò ſi extenuatio vel obeſitas præter mulieris naturam fuerit, longè verior & euidentior cauſa reddi poteſt, quamobrem illa neque concipiat, neque ad maturitatem fœtum producat. Deinde eſt inſignis plenitudo vel cacochymia, quacunque ratione fuerit coaceruata, ex qua quidem humorum copia & vitio certum eſt fœtum ſuffocari, corrumpi, nec poſſe ad perfectionem peruenire. Præterea ſunt morbi omnes, ſiue communes toti corpori vt febris, ſiue proprij alicuius partis vt ventriculi, iecoris & ſimilium. Sed præ cæteris omnibus ſunt morbi ipſius vteri, de quibus Hipp. 5. *aphoriſ* 30. *Mulierem grauidam capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt.* Nam expoſitore Galeno *in comment.* & vehementia morbi, & ea tenui victus ratione, quæ alioquin neceſſariò inſtituenda eſt, certum fœtui, vel interitus vel abortus periculum videtur imminere. Sic mulieres morbis diuturnis laborantes, vel aliter valetudinariæ aut difficile, aut nullo modo poſſunt fœtum bent & ad maturitatem vſque conſeruare. De propriis verò vteri morbis eſt idem Hipp. 5. *aphor.* 43. *Si mulieri grauida fiat in vtero Eriſipelas ſit lethale.* Galenus autem *in commen.* fatetur Eryſipelate in vtero exiſtente, fœtum mori ex neceſſitate, & dignum eſſe inquiſitione, verùm vtero inflãmatione laborante, fœtus aliquãdo viuere poſſit. (Conſtituit igitur magnam differentiam inter Eryſipelas & inflammationem, Sed aduerſus hanc Hipp. & Galeni ſententiam ex eodem Hipp. videmur colligere, neque Eryſipelas in vtero grauidæ eſſe prorſus lethale, qui in *lib. de nat. mulier. pag.* 290. *circa medium*, huiuſmodi mulieribus & victus rationem, à qua fœtus non corrumpatur, & alui lenitionem inſtituit, nihil alioquin adhibiturus, ſi morbus planè foret lethalis. Vtcunque autem ſit, mea ſententia & Eryſipelas, quo fortaſſe tanquam exemplo vſus eſt Hipp. & inflammatio, & reliqui tumores, & omnes morbi vterum occupantes tempore conceptus, ſumma cum ratione præcipui abortus cauſæ ſtatuendi ſunt: ratio eſt manifeſtiſſima, imò verò apud Auicen. & reliquos auctores propè omnes tanquam abortus cauſæ monſtrantur morbi, non ſolùm tumores, vlcera & cæteri in mala compoſitione & ſoluta vnitate, ſed etiam intemperies, adeo, vt ex qualibet vteri intemperie ſimplici, compoſita, cum & ſine materia, abortus poſſit originem habere. Quod quidem maximè conuenit rationi, ac poſſet demonſtrari, ſi id quam facile eſſet ac foret neceſſarium. Præter hæc alia etiam cauſa eſt, quam indicat Hipp. eodem 5 *ap.* 44. & 55. de extenuatis: *Quæcunque tenues ſunt, aut nempe plus iuſto abortiunt ſine manifeſta occaſione tertio menſe, his vteri acetabula plena mucore ſunt, neque poſſunt propter pondus fœtũ continere, ſed rumpuntur.*

Qoæ quidem cauſa etſi ad ſuperiores facile poteſt referri, tamen nullo modo fuit prætermittẽda, quod videatur peculiarem quandam abortus differentiam complecti, quæ certam quoque cognitionem & prouidentiam requirit. Res autem ita ſe habet: ſi cõtingat mulierem moderato corporis habitu præditam ſecundo aut tertio menſe abortire, nulla præcedente manifeſta occaſione ex plurib. quæ ſuprà fuere propoſita: tunc ſciendum eſt quod cotyledones ſeu acetabula, id eſt, ora vaſorum quæ ad vterum perueniunt, ſint plena mucoris, id eſt, lenti & pituitoſi humoris, ex quo illa redduntur laxa, mollia & imbecilla, adeo vt rumpantur neceſſariò, atque nequeant fœtum continere. Demum verò Hipp. docet abortum fieri propter vitium vteri, per hæc verba, *lib. 1. de morbis mulierum* (p. 310. circa mediũ:) *Sed & ipſi vteri naturas habent, quibus abortum faciant, cum ſint flatuoſi, denſi, magni, parui, & alia his ſimilia.* De flatibus vteri Auic. quoque meminit: *etſi dixerunt quidam*, inquit, *quod ſit plurimum abortus ex ventoſitate, & veritas eſt iſte ſermo, quos quidem flatus, mea ſententia, propter multas euidentes rationes negandum non eſt, poſſe abortum facere.* Sed dubium eſt de magnitudine & paruitate vteri propter quæ vitia nonnulli contendunt abortum nullo modo fieri poſſe. Sed notandum præter locum Hipp. ſupra citatum de morbis mulierum, in lib. quoque de ſuperfœtatione, *(pag. 68. in fine)* eandem ſententiam haberi, nimirum propter nimiam paruitatem vteri quandoque abortus fieri. Cum iis autem qui aliter ſentiunt, eſt clariſſ. Mercurial. qui pro ſua opinione adfert huiuſmodi rationes. Prima, quòd Galen. Auic. Albertus, & alij ſcriptores nullũ de huiuſmodi cauſis, nimirum magnitudine & paruitate vteri, verbum fecerint. Secunda quoniam clariſſimè, ſicuti explicatum eſt à Galeno & Auenzoare vterus à natura talis fabricatus eſt, vt ſemper vſque ad perfectionem partus poſſit extendi. Tertia, quoniam anguſtia vteri poteſt quidem augmentum & magnitudinem fœtus, ſed non vitam auferre, quod nonnullis exemplicatulorum cũprobat Ariſtotelis auctoritate & Rhaſis, & Rabi, qui docent illos vaſis anguſti concluſos paruos quidem euadere, ſed vitam ſeruare. Ad Hippocratem verò reſpondet Mercurialis *lib. de ſterilitate & ſuperfœtatione*, in quibus hæc tradita ſunt à diſcipulis Hippocratis, non ab ipſo Hippocrate editos fuiſſe, atque illos propterea tanquam legitimos recipiendos eſſe. Ego verò aliter cenſeo, quoniam puto vterum natura vſque adeo magnum vel paruum fieri poſſe, vt ille propterea nequeat fœtum diutius retinere. Et quoniam Mercurialis potiſſimùm de paruitate diſputat, mihi quidem minimè à ratione alienum videtur, fœtum vtero anguſto conclusum, & propter loci anguſtiam, & propter parua & debilia ligamenta, & propter alias cauſas non poſſe perfici, & vſque ad partus integritatem deduci. Sed ad Mercurialis argumenta reſpondendum eſt, & primò quod neque Galen. neque Auic. neque Albert. neque cæteri ſcriptores de huiuſmodi cauſis mentionem faciant (prætermiſſis Alberto, & huius familiæ hominibus, quibus ego parum ſtudeo & faueo) equidem ſcio, Auicennam manifeſtè vtramque cauſam, & magnitudinem, & paruitatem vteri commemorare, qui hæc habet in c. 8. abortum fieri propter cauſã matricis de amplitudine oris eius, & paruitate adunionis eius, & quæ ſequuntur. Sed forte neque à Galeno fuerunt prætermiſſæ, qui 3. *fac. nat.* c. 12. de facultate expultrice verba faciens, & modũ explicans, quo illa ad agendum excitatur, ac veluti exempla accipiens facultatis expultricis ventriculi, veſicæ, vteri, ſpeciatim docet, vterũ in partu naturali partim in abortu propter tres cauſas ad expellẽdum fœtum excitari, qui ſcribit ad hunc modum: *Offenſionis triplex eſt cauſa aut nimia moles, aut pondus aliquod, aut morſus. Moles, vbi vterus amplius extendi non tolerat pondus, cum ſupra vires eius ſit quod continet: morſus, vbi vel humores, qui prius in membranis continebantur, in vtero ſunt effuſi, vel etiam totus partus corruptus & putris tunicam vteri irritat & mordet.* Hęc Galen. ex quibus, ni fallor, licet apertè colligere, illum hoc quoque paruitatis vitium vteri non ignoraſſe. Secundò etſi libenter fateor, vterum fuiſſe à natura fabricatum, vt ille commodè vſque ad partum poſſet dilatari ac fœtum fouere; tamen neque id mihi negandum eſt mulierem, quandoque vſque adeo anguſto vtero poſſe conformari, vt ille tam & tandiu poſſit extendi, quàm & quãdiu naturalis fœtus requirit. Quod ſi nonnullis contingit in primo ortu ſortiri quaſdam corporis partes ita anguſtas, vt illæ propterea morbo ſecundùm magnitudinem laborent, ſicuti de ventriculo, veſica, hepate ſcribit Galenus, ſe vidiſſe in hominibus atque obſeruaſſe arte medica cap. 71. 72. 73. quid prohibet quin idem nobis liceat de vtero affirmare?

Tertiò nolo id contendere, vtrùm anguſtia vteri poſſit augmentum quidem & magnitudinem fœtus, non itidem vitam auferre, quod forte alicui vel difficile, vel nullo modo fieri poſſe videbitur; ſed illud addo, fœtum in anguſto vtero non ſolùm propter defectum alimẽti, ſed etiam propter incommoditatem loci, propter exilitatem & debilitatem ligamentorum, & forte propter alias cauſas poſſe abortire. Poſtremò neque id ago in præſentia, vtrùm libri de ſteril. & ſuperfœtatione ſint Hip. legitimi, nec ne: Sed illud ſcio, quem locum paulo ante notaui, hoc ipſum quoque legi in lib. *de morb. mul.* cuius quidem libri tanquam Hipp. legitimi meminit Gal. 4. *aph.* c. 2. 5. *aph comm.* 36. & 45. & hactenus de internis cauſis abortus ex parte mulieris. Quaterus autem pertinet ad internas cauſas ex parte fœtus, Auic. vnam tantùm videtur poſuiſſe, nempe propter filij mortem, propter aliquam cauſarum mortis eius: etenim tunc natura inſurgit, fœtumque tanquam rem non modò inutilem, ſed etiam perniciosam conatur quamprimum expellere. Verùm quid prohibet, quo minùs non liceat alias quoque non minus euidentes cauſas adiungere, quales præcipuè mihi ſuccurrũt, infirma fœtus valetudo ac debilitas, ſiue ea primùm natura, ſiue poſterius aliquo morbo contracta fuerit, fœtus nimia moles vel multitudo, ac potiſſimùm in mulieribus, quæ puſillo ſunt corpore ac teneris annis concipiunt. Namque ſi quis hæc conſideret, is forte facile fatebitur, nec huiuſmodi cauſas fuiſſe prætermittendas, atque ex illis quoque abortum fieri poſſe. Tales ergo ſunt cauſæ abortus partim externæ, partim internæ, tam ex parte mulieris, quàm ex parte fœtus: de quibus longius agendum non eſt. Sed præter has cauſas ſunt etiam aliæ quæ apud mulieres abortum producere aptæ ſunt, vt ſi in rebus non naturalibus, vel aliàs intemperanter viuat, fœtum corrumpet: nam & cibus corruptionis cauſa eſt, & potus multus. Sed & ipſi vteri naturas habent, quibus abortum faciant cum ſint flatuoſi, denſi, magni, parui, & his ſimilia. Si mulier in vtero habens ventrem aut lombos doleat, formidare oportet, ne fœtum per abortum edat. Sunt etiã quæ fœtus corrumpant, ſi acre aliquid, aut amarum ederit, aut biberit præter conſuetudinem, dum adhuc parua eſt puerulus. Sic ſcribit Galen. 5. *aph. com.* 45. mulieres abortire ſine manifeſta occaſione febre vehemẽte, & alui fluxione, vel profluuio ſanguinis, vel Eryſipelate in ipſo vtero conſtituto, vel ſaltu grauidę mulieris vehemẽtiore, vel clamore, vel mœrore, vel ira, vel timore, vel victu parciore, vel tali aliqua actione, ſeu paſſione. Quibus quidẽ cauſis alias quoque adiungit 3. *epid. ſ.* 2. *com.* 8. timorem

Cauſa interna ex parte fœtus.

pro

propter alicuius horrendæ rei inſpectionem, vehementem dolorem, inſignem cruditatem, alimenta medicamentoſa vel medicamenta omnino abortiua ſanguinis miſſionem ex vulnere, hæmorrhoïdibus, vtero, qui quidem duo Galeni loci ſi coniungantur, forte cauſas abortus præcipuas vel omnes continent, quæcunque à nobis diuerſa diſpoſitione propoſitæ ſunt.

Hactenus de cauſis abortus, de quibus neque id mihi libet ſilentio prætetire, nonnullas reperiri mulieres, quibus vel propter robur naturæ, vel propter firmitatẽ ſeminis muliebris, vel propter alias cauſas fœtus tã arctè & ſolidè alligatur, vt non ſolùm ex nulla externa cauſa non abortiant, ſed etiã malis adminiſtratis rationibus, purgantibus medicamẽtis, ſectione venæ, & aliis id genus, quæ abortũ ſolent excitare, à quibus improbi medici, quandoq; in gratiam alicuius nolunt abſtinere, nunquam poſſunt abortire, quod experientia confirmat veriſſimum eſſe. (Nouit auctor mulierem, quæ integram libram aſſumpſit argenti viui, vt abortiret, ſed fruſtra) Signa abortus deſcribuntur ab Aëtio *lib. vlt. cap.* 9. aquoſa primùm excretario, deinde ſanioſa & cruenta, aut veluti lotura carnium, tum purus ſanguis, deinde grumi, ac demum fœtus. Quæ quidem ſigna ſicuti ex vna parte ſunt manifeſtiſſima & certiſſima: ita ex altera nullam prope afferunt vtilitatem, quia vel proximè imminentem vel præſentem abortum ſignificant, quando non licet mulieri ſubſidium aliquod afferre. Itaque medicus alia ſigna diligenter debet attendere, quæ multo ante ſolent abortum ſignificare, vt opportunè poſſit imminenti periculo proſpicere. Hæc autem plurima ſunt: ac primum eſt Hip. 5. *aph.* 37. *Si mulieri grauida mamma repente extenuentur, abortit.* Ac rurſum 5. aphor. 38. *Mulieri grauida gemino ferenti, ſi altera mamma extenuetur, alterum abortit, & ſi dextra marem, ſi ſiniſtra fœminam.* Ratio autem propter quam mammæ extenuatæ futurum abortum portendunt, explicatur à Gal. *in comment.* ſed accuratius 14. *de vſu part.* 8. qui docet, mammillas conitatiis affectibus neceſſario comprehendi, repleri quidem lacte ante tempus in fœtus imbecillitate, graciles autem fieri in vteri penuria, ſiquidem tunc oportet exiſtimare fœtum validum eſſe, alimentum autem copioſum non habere, ac propterea plurimum quidem ex communibus vteri venis ſanguinem trahere, & in hoc mammillas graciles fieri, paulo autem poſt abortire. Ex parte deficiente alimento, cum fœtus alimentum appetens calcitret, moueatur, ſtare loco neſciat, tandemque ligamenta quibus ligatur, perfringat, & ante tempus egrediatur. Deinde ſunt alia quædam ſigna, quæ item generaliter abortum ſolẽt antecedere: dolor dorſi & laterum, quòd vterus iis partibus copulatus ſit, & ligatus, fœtus ſi viuit, vix mouetur, grauitas concipitur circa pudenda, ipſo fœtu ad partes infernas ferè propendente: lumbi & coxæ grauitatem inſolitam habent, & non niſi cũ labore mouentur. Sed ante oĩa ſedulo animaduertendum eſt, an præceſſerit aliqua ex cauſis ſiue externis, ſiue internis, quæ abortum poſſunt inferre, de quibus ſatis diximus: namque ſi huiuſmodi cauſæ & ſigna ſimul iungantur, vel omnia, vel aliqua, tunc quaſi certam fidem facere poſſunt abortũ ſecuturum eſſe. Neque verè eſt, vt longius quæramus & referamus ſigna quæ ſingulas cauſas poſſunt demonſtrare: externæ facile omnibus fiũt manifeſtæ: internæ ex cognitione ſingulorum morborum vel vteri, vel aliarum conſentientium partium poſſunt colligi; quæ quidem ſigna ex propriis locis laborantibus petenda ſunt. Veruntamen non ſunt poſtremo loco prætermittenda ſigna, quæ demonſtrãt

Signa mortui vel imbecillis fœtus.

mortuum fœtum, vel ſaltem imbecillum eſſe, cum ſint longè maximi momenti, & ad rem præſentem faciant. Ea tradita ſunt ab Hipp. his verbis lib. *de ſuperfœtat.* circa principium: *Cum puer mortuus fuerit, cum aliis ſignis id coniectare licet, tum præcipere, vt aliquando mulier in dextro latere iaceat, aliquando in ſiniſtrum tranſmutet.* Puer enim in vtero tranſlabitur eò, quò mulier ſe vertit, velut lapis vel aliud quippiam, ſi mortuus fuerit, & pectinem frigidum mulier habet. Et iterum in primo de morbis mulierum (pag. 321.) *Quibus mulieribus grauidis circa ſeptimum vel octauum menſem de repente mammarum & ventris plenitudo collabitur, & vbera gracileſcunt, iis & lac non appareat: his dicendum eſt, puerum aut mortuum eſſe, aut viuere, & debilem eſſe.* His autem cum recentioribus licet adiungere animi deliquia, ſyncopes, conuulſiones, dolores, ſudores frigidos, nauſeam, vomitum, & vno verbo omnia ſymptomata, quæcunque ductis in conſenſum principibus partibus exempli gratia, corde, cerebro, ventriculo, ſolent oriri. Quæ quidem experientia confirmat, vel omnia, vel plura, fœtum mortuum coniectare.

Curationis indicationes & præſidia.

Hactenus de naturã, de cauſis, de ſignis abortus, itaque id reſtat, vt de illius curatione, aut potiùs ac veriùs præſeruatione, ſermonem habeamus. Quatenus ad motum & quietem, ſicut ex omni parte mulieres probant, ab omni exercitatione & ſaltu quoque abſtinere, à quibus certum fere abortus periculum videtur imminere: ita ex altera multi iubent mulierem in omni quiete permanere, vt nullo vnquam tempore ne parum quidem & leuiter moueatur. Quod ſanè conſilium ego nunquam potui probare, ſiquidem vix aliter videtur fieri poſſe, quin in tanto otio multæ generentur cruditates & excrementa, quæ & fœtui, & mulieri plurima ac grauia pericula poſſunt inferre. De qua re videatis Philoſophum 7. *pol. c.* 16. qui omnino cupiens prouidere, ne mulieres vtero gerentes nimio otio & deſidiæ ſe dedant, ſcribit in hunc modum: *Oportet mulieres grauidas ſuorum corporum curam habere, ne deſidia ſeſe dedant. Atque hoc facile aſſequetur ſcriptor legum, ſi eis iter aliquod quotidianum ad cultum Deorum iniunxerit ac mandarit.* Itaque in mulieribus grauidis ego quidem omnes violentos motus improbo, ſed neque perpetuum otium, ac quietem probo, qui cenſeo moderatas exercitationes opportunè factas, & fœtui, & matri multis modis prodeſſe. Si reliquis externis cauſis proſpiciendum eſt, ex quibus mihi libet tantummodo de ſanguinis miſſione & purgantibus medicamentis, verba facere pauca, quod ſuprà pollicitus ſum, cum ſæpenumero vtrumque præſidium in conſultationem veniat, ac maximas difficultates contineat

An grauidis conueniat venæ ſectio.

Iamdiu agitata eſt controuerſia inter medicos, vtrùm liceat aliquando mulieri grauidæ ad præcauendum abortum venam incidere: & inter cæteros Altimarus de huiuſmodi argumento integrum libellum conſcripſit, qui acerrimè contendit id nunquam licitum eſſe. Alij verò aliter ſentiunt: de qua quidem re cũ nolim longius agere, ſufficiat in præſentia meam ſententiã proferre, in qua partim ratione, partim longiore experiẽtia vſq; ad hunc diem cogor perſiſtere. (alius locus Ariſtot. 4. *gen. anim.* 6. in quo Philoſophus tanti facit vitam grauidæ, vt velit illas propter hanc potiſſimum cauſam & difficiliùs vtero gerere, & difficiliùs parere.) In ſectione venæ, & purgatione mulierũ grauidatũ mea eſt ſẽtẽtia: in grauidis quæcũq; vel propter nimiã cõgeſtã humorũ plenitudinẽ, vel propter morbũ acutũ anginã, pleuritidẽ, febrẽ continuã, & ſimiles, facile poſſunt abortum facere, miſſionem ſanguinis ſecta vena, tanquam remedium neceſſarium recipiendum eſſe. Cum enim periculum forte certiſſimum

Google

non ſolum abortus, ſed etiam mortis & fœtui & matri videatur imminere, præcipuè vero in morbis periculoſis, ac fortaſſis tota ſalutis ſpes in hoc ſolo remedio ſit repoſita, equidem cenſeo, ex conſilio Cor. Celſi, cuius Galen. meminit, aliquando ſatius eſſe auxilium anceps experiri, quàm nullum. Sed illud addo, hoc præſidium, non ſolum ſine periculo, ſed etiam cũ maxima vtilitate adminiſtrari, qui verè vobis poſſum teſtari, nonnullas mulieres, quæ nimia aggregata ſanguinis copia frequenter abortiebant, neq; vlla ratione vſq; ad legitimum pariendi tempus poterant conceptũ continere hoc ſingulari conſilio plurimos deinceps filios, & quidem vitales feliciter peperiſſe, plurimas autem variis morbis acutis laborantes, non ſolum primis, ſed etiam poſtremis menſibus à morte, abortu, & omni periculo liberas euaſiſſe. Atque inter cæteras, quod maxima notatione & admiratione dignum eſt, ego memini me aliquando tribus mulieribus, iam nonum menſem vterum gerentibus, venam ſecuiſſe, primæ quæ febri peſtilenti laborabat, alteri, quæ grauiſſima deſtillatione ad thoracem malè afficiebatur, tertiæ cui propter ictum & contuſionem maxima in oculo fuerat inflammatio excitata; quæ omnes ſuperſtites fuerunt, ac filios pepererunt, quæ etiam nũc viuũt. Quòd ſi quis nobis obiiciat Aphor. Hipp. docentem: mulierem grauidam miſſo ſanguine ex vena abortire: Varij interpretes varia proferunt, vt Hip. auctoritatem tueantur, quam labefactare piaculum eſt. Plerique omnes aiunt illum integram & viſitatam ſuo tempore venæ ſectionem intellexiſſe; alij huiuſmodi res medicas non perpetuam veritatem continere, alij aliter docent. Ego verò puto Hip. nõ generaliter, abſolutè atque omnino ſectionem venæ mulieribus grauidis interdixiſſe, ſed potius voluiſſe medicos reddere cautos, vt ne temere & ſine magna conſideratione audeant grauidis venam incidere. Id quod mihi videor, partim ex forma huiuſmodi orationis & verborum, partim ex ratione poſſe colligere. Namque Hipp. non ſimpliciter, ſed cum comparatione loquitur, mulieres ſecta vena eo magis abortire, quo fœtus grandior fuerit. Quod ſi in grauidis nullus ſupereſt locus ſectioni venæ, certè nihil erit opus hac comparatione. At verò, ſicuti vulgare eſt apud Grammaticos, cum comparatiuum ſupponat poſitiuum, hinc licet colligere, quandoque grauidis licere venam ſecare. Etenim ſi maius imminet periculum abortus, quo fœtus eſt maior, ac propterea magis à venæ ſectione abſtinendum eſt, vel contra minus periculum immineat, cum fœtus eſt minor, minuſque à venæ ſectione cauendum ſit, fateamur neceſſe. Sed ratione quoque licet hoc ipſum confirmare: ſiquidem cauſa propter quam, Galeno etiam interprete, Hipp. prohibet ſectionem venæ, illa eſt, quia veretur, ne alimentum fœtui ſubtrahatur. Quod ſi mulier fuerit, vel admodum ſucci plena, vel plura accipiat facilè & bellè nutrientia alimenta, vel ſanguis parcè detrahatur, adeo vt ſperandum ſit minimè alimentum fœtui eſſe defuturum, iam nihil amplius videtur obſtare, quo minus ſanguis detrahi poſſit. Itaque de aph. Hippocratis hæc noſtra eſt ſententia, quam retinebimus, donec melior occurrat.

Vacuatio in grauidis. Poſtremo loco nonnulli quærũt, vtra vacuatio in grauidis, an per ſectionẽ venæ, an per medicamẽta purgantia, ſit magis periculoſa? Ego verò quicquid alij reſpõdeant, vnico verbo ita ſentio, ſectionẽ venæ ſi opportunè ac nõ ſine iudicio adhibeatur, nullum periculũ, ſæpenumero inſignẽ vtilitatẽ, contrà purgantia medicamẽta nullã vnquã vtilitatẽ, inſignia pericula ſemper afferre. Quam quidẽ rẽ inter cæteros Auer. præclarè mihi videtur definiiſſe, 7. coll. 4. qui hæc habet: *Dicit* Hipp. *mulier prægnans non debet phlebotomari, niſi quando embryonis virtus fuerit fortis, id eſt, à quarto menſe vſq; ad ſeptimum, ſi humores fuerint impuri, & pharmaciam concedit tunc. Ego autem dico, quod phlebotomia quando adeſt repletio, qua embryo non indiget, non eſt mala, ſed pharmaciam non credo ad bonum finem peruenire: imò neceſſario lædit embryonẽ, eo quod in ſe ſubſtantiã habet venoſam, & fortaſſis faciet malos humores fluere ad embryonem, vt ipſum lædant*, & quæ ſequũtur.

Poſtremò autem neque id prætermittendum eſt, vt mulieres grauidæ, quantum fieri poteſt, ab omnibus perturbationibus animi ſibi caueant. Mirum enim quàm frequenter & facilè propter huiuſmodi cauſas contingat illas abortire. Itaque ſi occaſio & tempus ferat tonitrua, fulmina, coruſcationes, terræ motus, decet illas admonere, vt ne ex improuiſo huiuſmodi ſtrepitus & terrores præſentiant. Idem de bombardis, tubis & omni violento ſtrepitu dicendum eſt: ſic ab omni horrendo ſpectaculo abſtineant. Exempli gratia, mortis violentæ, rixarum, vulnerum, vno verbo ab omni metu, horrore, timore, dolore, ira, & qualibet inſigni perturbatione debent cauere. Sed ad internas cauſas, & primùm ex parte mulieris, de quibus certè non omnibus, ſed nonnullis maioris momenti ſermonem habebimus, ſicuti de cauſis externis dictum eſt. Cum autem hæc ratio curandi mulieres ſuo ipſarum vitio propenſas, vt abortum faciant, dupliciter poſſit cõſiderari: vel antequam vtero gerant, vel poſtquam grauidæ factæ ſint, illud ego quidẽ generaliter ſentio, longè commodiorem, & tutiorem medendi rationem eſſe, quando mulier nondum concepit, cum altera ex parte poſt cõceptum, aut difficilè, aut forte nullo modo ea poſſint remedia adhiberi, quæ vel corpori vniuerſo vel alicui parti, potiſſimùm verò ipſi vtero valeant proſpicere. Nãque, exẽpli gratia, ſi mulier habeat corporis habitum præter modum, vel plenum, vel extenuatum, ſi aliqua laboret intẽperie, vel alio morbo capitis, ventriculi, iecoris, & omnium maximè vteri, vnde abortus videatur imminere: quomodo fieri poteſt, vt medicus, vel de communi corporis vacuatione alioquin neceſſaria, vel de cæteris accõmodatis præſidiis quicquã probè ſtatuere poſſit? Non ignoro Auic. 21. *tertij tract. 2. cap.* 10. 11. in hora quoque imprægnationis plurima agere (quando eſt grauida) adeo vt neq; abſtineat ab hiera Galeni à pilulis fœtidis, à clyſteribus mundificantibus matricem, &c. Quæ ſententia nullo modo mihi videtur recipienda, qui cenſeo hoc tempore, hæc nõ ſolùm importunè adminiſtrari, ſed etiam ſummam perniciem & fœtui & mulieri poſſe afferre. Verùm enimuero, cũ tẽpus ante vteri geſtationem altero poſt conceptũ longè opportunius videri poſſit, tum neque alterũ prorſus negligendũ eſt. Iam igitur aliquid de medicamentis præcauentibus abortum ratione cauſarum dicamus, omiſſis ſuperfluis, quoniam ſi velimus circa omnes cauſas externas verſari, de quibus ſuprà diximus, res foret longiſſima. Ideo vnicam tantùm cauſam tractabo, *Medicamenta abortum præcauentia.* atque illius curationem tradam, quando vteri acetabula ſunt plena mucoris, hoc eſt, pituitoſi ac lenti humoris, quæ potiſſimùm ab Hipp. poſita eſt, & propter quam plerumque mulieres ſolent abortũ facere. Nam quantum pertinet ad corporis habitum, plenitudinem, cacochymiam, intemperiem, & reliquos morbos, cum reliquarum partium, tum potiſſimũ n vteri, & reliquas cauſas ſi quæ ſunt id genus, illud vnum mihi ſufficiat dixiſſe, curationem humorum morborum & ſymptomatũ ex propriis fontibus petendam eſſe: de quibus maiori ex parte in publicis lectionibus diximus, neque pertinet hic longiùs de ea re agere. Si igitur contingãt

mu

mulierem abortire, quod vteri vaſa ſint humidiora ac plena humoribus frigidis ac pituitoſis, Hipp. præclarè tradit ſigna, quibus liceat huiuſmodi affectum cognoſcere, necnon rationem, in qua poſſimus illum curare, qui ſcribit ad hunc modum, nat. mul. (pag 292. in princip.) & primo de morb. mulierum (pag. 339.) *Si acetabula pituita plena fuerint, corrumpetur fœtus, vbi fortior factus fuerit. Cognoſces autem hoc modo: humidum fit, & viſcoſum ac mucoſũ defluit*, &c. qui ſtatim curationem ſubiungit per purgationem primùm vniuerſi corporis, deinde vteri, ac demũ per medicamẽta, quæ poſſint vterum calefacere, ſiccare & corroborare. A quo Hippocr. Aëtius inter cæteros, hanc ipſam curandi rationem accepit, qui hæc habet lib. vltim, c. 21. *Has mulieres oportet curare per medicamenta pituitam ducentia, totum corpus vacuando*, & quæ ſequuntur. Nos itaque horum veſtigia perſequentes, hac ipſa methodo hanc curationem totam inſtituamus. Et primùm ad totius corporis vacuationem, redundantes vitioſi humores primùm præparandi, mox purgandi ſunt, id quod in gratiam iuniorum commodè iis medicamentis fieri poſſe videtur. Ante omnia licet aluum lenire, quæ ex aloë conficiuntur, qualia ſunt hiera ſimpl. pil. aloëph. cum melle roſ. ſol. mãna: mox inſtituenda ſunt medicamenta, quæ attenuandi, incidendi, abſtergendi facultate ſunt prædita, vt ſyr. betoo. hyſſop. &c. cum oxymel. & decoctis pulegij. Demum purgandum El. Indo. diaphæn. hiera Pachij, ex Agar. Turb. &c Biduum vel triduum à lenitione alui nullo modo eſt prætermittenda ſectio venæ, ſi modo cõueniant principes ſcopi. quod quidem remedium multis modis confert. Vena autem incidenda, vel in cubito, vel in cruribus, pro vt vna vel altera indicatio, aut reuellendi, aut deriuandi videbitur poſtulare, ſed tamen id perpetuo cauendum, ne menſtruis purgationibus aliquod impedimentum inferatur. Quod ſi vobis vnica purgatio non videatur ſatis eſſe, licet illam repetere, interim adhibitis concoquentibus & præparantibus medicamentis, quæ prioribus ſunt efficaciora, exempli gratia, ſyr. de artem. & ſimilibus. Purgato corpore vniuerſo, ad purgationem vteri veniendũ eſt, quod peſſaria præ cæteris omnibus medicamentis cõmodè præſtant, quæ conficiantur ex colocynthide vel Trochis. Alhand. Turbith, agarico, hiera & ſimilibus, quæ ad pituitam trahendam ſunt accommodata. Demum verò ad illa præſidia veniendum eſt, quæ poſſunt vterum calefacere, ſiccare, roborare, in quo certum eſt, totius curationis ſummam conſiſtere. Huiuſmodi autem præſidia pluri-ma ſunt, partim interna, partim externa. Interna quidem, cõſeruæ, maioranæ, meliſſæ florum roſmarini, betonicæ, ſalniæ, flor. lauẽdulæ. flor. garyophillorum. conſ. diacyminum, diambra, diacalamenth. dianiſ. diamarg. cal. elect. de gemmis: ſed his omnibus, vt puto, magna antidota Theriac & Myr. ſont longè efficaciora. Cæterum medici hoc tempore pro huiuſmodi indicatione præ cæteris omnibus præſidiis, duobus vti ſolent; vt ſunt aquæ medicatæ calidiores, potiſſimùm ſulphureæ, & nitroſæ, vt Aponitanæ & Aquarianæ. Deinde ſunt decocta ligni chinæ, ſarſæ, ſaſſafras, ſed maximè omnium decoctum chinæ, quæ ſanè duo præſidia ſi cum ratione & opportunè adhibeantur, præclariſſimam ſæpennmero opem ſolent præſtare. Externa autem ſunt lotiones, inſeſſiones, linimẽta, ſuffumigia, peſſaria; quæ vnõ verbo ex iis medicamentis ſunt conficienda, quæ calefaciendi, ſiccandi facultate ſunt prædita: artemiſ. menth. camomil. origano. calamenth. cynnam garyoph. myrrha, ſtyrace & ſimilibus, de quibus ſemel atque iterum diximus. Sed neque demõ illud prætermittendum eſt, aquas medicatas calidiores nõ ſolùm potione, ſed etiam balneo atq; inſeſſione fortè inter cætera omnia externa præſidia principem locum obtinere. Atque hactenus de ratione tractandi mulieres antequam vtero concipiant, ne deinceps in abortũ incurrant. Ratio autẽ præſeruandi mulieres iã grauidas ab abortu, potiſſimùm verſatur circa cauſas à quibus abortus videtur imminere. Itaque ab omnibus externis periculis & occaſionibus de quibus iã diximus, ſedulò cauendum eſt: & inter cætera, quod nunc mihi in mentem venit, mulier grauida accommodata veſtimenta gerat, ac maximè omnino abhorreat commune illud munimentum, quod ex tabulis ligneis fortè etiã ferreis duriſſimũ conficitur, ac mulieres ad corporis venuſtatem, ad vſq; pudẽda geſtare ſolent; quo quidẽ abuſo præ cæteris omnibus Venetæ delectantur: etenim vix poteſt aliter fieri, quin vterus præter modũ cõprimatur, fœtus nõ ſolũ debito incremẽto priuetur, ſed etiã veluti per quandã compreſſionem importunè deiiciatur. Si aliqui vrgent morbi, vel veteres, vel ſuperuenientes, ſi fieri poteſt, optima in primis victus ratione & leuioribus quibuſdam præſidiis decet illos curare cũ alia omnia remedia, potiſſimùm purgantia medicamenta, & ſectio venæ ſint ſuſpecta, vt ſuprà diximus, nec ſine magno periculo poſſint adminiſtrari. Itaque ſi alũus fuerit adſtricta, cõmunibus clyſteribus ex iure, ſaccaharo, oleo, vel leuiſſimo aliquo medicamento agendum eſt, ac præ cæteris omnibus cum caſſia, quam Actuarius medicinam prægnantium vocat. Si verò morbi fuerint acuti & vehementiores, cum vndique & fœtui, & matri periculum immineat, iam licet medicis ad valentiora præſidia deuenire, & mea ſententia potiſſimùm ad venæ ſectionem, de qua ſatis dictum eſt. Verumtamen illud generaliter perpetuò memoria tenendum eſt, molto fidentius ac minore periculo mulieres grauidas tractari mediis menſibus à quarto vſque ad ſeptimum, quo tempore purgantia illis quoque concedit Hippocr. ſi materia turgeat, quàm primis & poſtremis, quo vtroque tempore, quantum fieri poteſt, ab omni medicatione & motione abſtinendum eſt. Quod ſi demum grauidæ mulieri periculum abortus proximè videatur imminere, & quaſi inſtare, vt iam ligamenta incipiant rumpi, atq; vel aquoſa, vel cruenta ex vtero fluere, plerique omnes variis præſidiis partim internis partim externis, ſolent opem ferre. Inter medicamẽta interna duo ſunt præcipua, & in vulgari vſu, alterũ ſunt corallia rubra in puluerẽ redacta, alterum eſt granũ illud tinctorium, cuius Dioſc. *lib*. 4. *c*. 43. & Galen. 7. *ſ. m.* meminerunt: vulgo *Karmes* dicitur, quod in ouo ſorbili exhibent addito thuris pauco, vel maſtiche, quæ ſanè optima ſunt Sed prætcrea ſunt nõnulla, quæ ab occulta proprietate videntur præſeruare, vt puluis cancrorũ fluuialiũ. coagulũ leporis, cinis corij erinacei terreſtris, puluis erinacei marini, de quibus Aët. *lib. vlt. c.* 21. & plurimi mẽtionẽ faciũt. Inter externa sũt linimẽta, emplaſtra, cerata, quę inſigni adſtringẽdi facultate prędita ſũt, ac dorſo impoſita creduntur poſſe laxata ſolidare. Ac duo pariter ſunt in cõmuni vſu: alterum eſt vnguentum de cort. caſtanearũ, Mõtagnanæ ſenioris: alterũ eſt vnguentũ comitiſſæ Varignanæ, quod ab illo deſcriptum eſt, *lib*. 17. *ſua pract. c.* 14. & miris laudibus celebratur. Horum imitatione poſſunt fieri linimenta ex ol. cydon. maſt. myrtillorum, bolo Armeno, coralliis, & ſimilibus, de quibus longiùs agendum non eſt. Sed prætcrea quoque nonnulla quæ exteriùs adhibita, & variis partibus ſuſpenſa poſſunt abortum impedire: Aëtites lapis in vtero aut corde, aut inteſtinis ceruarum repertus, granum tritici intra panem repertum, lapis Sardonios de quibus Aëtius

Præſeruatiõ grauidarum ab abortu.

Præſidia interna.

Externa.

& alij. Verùm poſtremo hoc loco illud præceptum addo, in quo multi errant circa adminiſtrationem præſidiorum externorum, quæ inſigni adſtringendi facultate prædita ſunt, admodum cautè & prudenter agendum. Namque ſi importunè adhibeantur, quo tempore tam prope de fœtu actum eſt, poſſunt naturam impedire, & pericula afferre plurima.

Capvt XII.

De difficili Partu.

Eſſentia. SI vteri fabricam memoria teneramus, & conſideremus, quomodo fieri poſſit, vt illud os, pars tam anguſta, vſque adeo reperiatur, vt poſſit fœtibus facilem exitum præbere i mitari poſſumus, *de vſu par.* 15. *c.* 7 intelligere non poſſumus. Etſi verò propter hanc & alias cauſas nulla mulier ſine dolore, & difficultate pariat, quæ pœna propter crimen violatæ obedientiæ à Deo primæ matri cõſtituta eſt, nobis in præſentia ſtatutum eſt, eam tantùm partus difficultatem tractare; quæ eſt præter naturam, ob quam ſæpe mulieres & fœtus maximis periculis ſubiiciuntur, quod non euenit reliquis animantibus, teſte Philoſopho 7. *hiſtor. anim.* 9. Quomodo fiat partus naturalis declarat Galen 3. *nat. fac.* 12. 2. *ſympt. cauſ.* 3. qui docet, huiuſmodi opus eſſe naturalis facultatis & expultricis vteri: cuius ſanè expultricis irritationis Galenus triplicē cauſam affert, nimiam molem, aut pondus, aut morſum. Igitur quemadmodum ſi vterus moleſtia excitatus congruo tempore fœtum expellit, negotium naturale eſt, atque ad facultatem naturalem expultricem huius partis attinet: ita altera ex parte, ſi fœtus congruo tempore non poſſunt deponi, hoc præter naturam eſt, atque inter ſymptomata exeũtia immutata debet reponi, quãdo id retinetur, quod nequaquam retineri debuiſſet. *Cauſa.* Neceſſ. tamen prius eſt huius cauſas cognoſcere, quæ omnes ad tria præcipua capita referuntur, nempe ad mulierem, ad fœtum, ad res externas. *Partus difficultas ex parte mulieris.* Itaque ex parte mulieris redditur partus difficilis, ſi illa fuerit imbecilla, ſcribēte Galen. 5. *aphor.* 55. ad bonum & facilem partum robur mulieris neceſſariò requiri: quam quidē imbecillitatem cum Aëtio *lib. vlt. c.* 22. licet interpretari, vel corporis, vel animi, vel vtriuſque, vt ſi mulier aliquo morbo laboret, vel diuturno, vel difficili; ſi nimiùm defatigata, ſi largiore & pareiore quiete vſa fuerit, ſi nimio angore, ira, timore, pudore, mœſtitia afficiatur. Vnde, primum parturientes ſolent difficiliores partus edere, & quæ rariùs pariunt magis dolent, ex Hipp. *lib. de nat. fœt. pag* 46. *in medio.* Præterea partus fit difficilis propter imbecillitatem, ſi mulier nimiùm tenera aut prouectā ætate concipiat, adeo vt in partu nequeat viriliter agere. Hæc omnia imbecillem poſſunt mulierem reddere & animo & corpore, & ita difficultatē adferre. Præterea ratione vuluæ, ſi os vteri nimis exiguum, vel anguſtum fuerit, id quod multis modis contingit. Primum naturali magnitudine aut paruitate vteri, ſtatura corporis, vel ætate, vel quomodocunque breuis & imbecillis, vbi veriſimile, vterũ quoque corporis partibus reſpondere. Redditur etiam os vteri anguſtum aliquo morbo, vel primo ortu, vel poſteriùs genito, vt ſi illud ſit vel obliquum, vel diſtortum, ſi aliqua membrana, caruncula, inflammatio, abſceſſus, vel aliquis tumor illi adnatus fuerit, ſi propter pinguiorem corporis habitum, vel aliud proximum impedimentum, v.g. lapidem, vel lotium retentum in veſica, duriora alui excrementa, tumeſcentes hæmorrhoïdas os vteri comprimentes, vt commodè nequeat dilatari. Ad quæ duo capita cætera omnia ad mulierem pertinētia facile poſſunt referri. *Ex parte fœtus.* Ex parte fœtus redditur difficilis, primùm ſi forma & ſitu vel non naturali, vel non multum naturæ familiari exitum quærat. Pro quo ſciendum ex Galen. 15. *de vſu part.* 7. formam naturalem prodeuntis fœtus eſſe, vt primùm capite diſtentis brachiis ad genua in lucem veniat: cæteras formas, exempli gratia, ſi obliquus, aut transuerſus, aut pedibus paret egredi, ſi alterum crus, vel altera manus ante caput prius demittatur, non ſine vtriuſque periculo, & rariores eſſe. De quibus inter cæteros tractat Eucharius quidam Rhodio Medicus, vt puto Germanus, diffusè & accuratè cum figuris pictis Venetiis anno 36. Cæterum Galenus hanc ſententiam de partu naturali primùm capite prodeunte accepit ab Hipp. qui 4. *de morb. mulier. pag.* 322. *circa medium*, ſic ſcribit: *Si partus tempus iam adfuerit ac dolor perſeueret; & ad multum tempus mulier puerum edere non poßit, omnino obliquus aut in pedes procidit, vtile autem eſt in caput procidere,* &c. Sicut enim ſi quis in vas olearium anguſtioris oris nucleum immittat, nec facilè illud obliquum extrahere, ſic ſanè etiam mulieri accidit. Quam ferè eandem ſententiam habet *lib. de nat. pueri, pag.* 13. *in princip.* quam ſententiam credo Ariſtotelem accepiſſe ab Hippoc. *hiſtor. animalium* 8. omnes partes ſecundùm naturam in caput fieri, contra naturam in pedes, &c. Cur autem præcipitè in caput fiat, docet Philoſophus 4. *gen. anim.* 9. iſtud commune eſſe omnibus animalibus, ac fieri propterea, quòd partem ſupra vmbilicum maiorem habeant, quàm inferiorem, & ponderoſiorem, vt tanquam in ſtatera pendentes eò vergant quò trahuntur: quam ille ab Hipp. accepit ac ſuo more diſſimulauit, ex loco citato, verbo tenus. Secundò fit difficilis ratione fœtus, ſi illi plures fuerint, cum ſimul vno tempore collo vteri illabantur, atq; alter alteri ſit impedimento, quo minus ſinguli poſſint facilè produci. Namq; ſciendum eſt ex Philoſopho 7. *hiſtor. anim.* 4. quod reliquis animalibus pariendi tempus certum, ſoli homini incertum à natura cõſtitutum eſt: ita etiam quod pertinet ad partum numeroſum cætera animalia nonnulla ſingulos tãtùm, nonnulla plures fœtus ſuapte natura parere conſueuiſſe, ſolum genus humanum eſſe in ancipiti, quod ſingulæ mulieres ſingulos vt plurimum pariant: ſed quandoque etiam, vt præſertim in Ægypto, duos, vel tres, etiam quatuor & plures generent, vt Philoſophus referat quandam 4. partub. viginti fœtus ediſſe. Vnde & illud ex eodem Philoſopho notandum, quod in reliquis animantibus diuerſi ſexus fœtus ſimul nutriantur, ſeruentúrque meliùs, quàm vnius ſexus: in homine hoc rarius accidit, vt diuerſi ſexus fœtus ſimul conſeruentur, quod ratio & experientia edocuit. Præterea fœtus partus difficultatem adfert, ſi fuerit fœmina, ſi præter naturæ inſtitutum fuerit maior aut minor toto vel parte aliqua ac potiſſimùm capite, ſi fuerit mõſtruoſus, vel biceps, ſi morboſus ac malè affectus, omnium verò maximè, ſi mortuus fuerit: contra verò, ſi fœtus fuerit mas, moderatus & naturalis ac bona valetudine præditus. Huc poteſt etiã referri conſideratio membranarũ, quibus fœtus inuoluitur: nam ſi propter vel nimiam earum craſſitiem & ſoliditatem congruo tempore non rumpantur, vel propter earum tenuitatem & exilitatem citiùs laxentur quàm oporteat: tunc neceſſariò partus difficilis ſuccedit; ſi quidem niſi huiuſmodi membranæ rumpantur, fœtus nullo modo poteſt extra vterum prodire, ſicut contra, ſi nimis tempeſtiuè laxentur: in quo caſu inſignis humiditatis copia ex vtero profluit, adhuc maior pariendi accedit difficultas: ſiquidem docet Galenus 14. *de vſu part. cap.* 5. huiuſmodi humores ad partus facilitatem

miſum

Digitized by Google

mirum in modum conferre, ſiquidem veriſimile & neceſſarium eſt collum vteri hac ratione mollius & amplius fieri, ex quo deinde fœtus multo facilius egreditur, quàm ſi deficiente humore eædem partes anguſtiores reddantur. Poſtremò redditur difficilis

Ratione extrinſecarum cauſarum. ratione extrinſecarum cauſarum, qualis præcipuè eſt aër, qui quidem, ſi fuerit præter modum calidus & frigidus, hac in re plurimum momenti habet; ſi quidem nimius calor vires diſſoluit, maior verò frigiditas adſtringit meatus. Vnde etiam notauit Auicen. mulieres hyeme difficiliùs parturire, quod idem de regionibus frigidis ſtatuendum eſt, mea ſententia Ad res externas potiſſimùm referri ſolent, lotiones, balnea, &c. quæ abſtergendi facultatem habeant. ſed multo magis ſi deſint bonæ obſtetrices, quas Philoſophus inter cætera *7. hiſtor. animalium, cap. 18* vult eſſe ingenioſas, perſpicaces ac intelligentes. Pariter ſi etiam commoda eius tormina & cætera omnia deſint quæ ad facilitatem partus neceſſariò requiruntur: itaque hæ ſunt omnes cauſæ, quæ partum difficilem poſſunt reddere, ad quas, ni fallor, cæteræ omnes, ſi quæ ſunt à nobis prætermiſſæ, ſine difficultate referri poterunt.

Signa. Signa quæ facilem & difficilem partum poſſunt prædicere, plurima ſunt. Ariſtoteles hæc habet *7. hiſtor. animalium, cap. 9. Mulieres quibus aluum tormina vehementer exercent, ocyſſimè pariunt, quæ lumbos dolent, vix pariunt; quæ imum ventrem expeditiùs pariunt.* Cuius quidem rationem reddi poſſe puto, quòd quæ mulieres circa dorſum & lumbos dolent, ſignum ſit ligamenta eſſe firmiora, & quæ non ita facilè poſſint dirrumpi: quæ autem circa ventrem, ac multo magis circa pubem dolore afficiuntur, ſignum ſit iam rupta eſſe ligamenta & fœtum ad exitum properare. Quod profectò ſignum res ipſa & experientia cõfirmat eſſe veriſſimum, ſi mulier fuerit adſueta difficiles partus edere, ſi fuerit admodum tenera ætate, puſillo corpore, ſi vel natura vel præter naturam fuerit imbecilla; ſi fœtus fuerit grandior, vel non vnicus, quod potiſſimum ex immodico ventre ſolet cognoſci; ſi fuerit imbecillus & malè affectus, quod præcipuè ex tardo motu cognoſcitur; ſi fuerit mortuus, de quibus ſignis iam ſupra diximus; demum ſi exteriora deſint opportunè præparata: ex iis omnibus licet colligere partum fore difficiliorem; quod ſi res contrario modo ſe habeat, ſperandum eſt partum fore faciliorem. Cæterum neque id eſt ignorandum, à partus difficultate multa, & grauia pericula, & mulieri & fœtui imminere. Auic. *2. tertij tract. cap. 12.* ſcribit, ſi partus fuerit difficilis 4. diebus, tum fœtum mori neceſſarium. Ex quo perſuadet medicos ſolicitos eſſe de vita matris, neque in vita fœtus occupari: imò verò ſtudendum, vt ille quomodocunque extrahatur. Et propterea ex inſigni illo conatu mulieres quandoque incurrunt malam tuſſim, ſputum ſanguinis & quod frequentius contingit, in apertionem peritonæi, vnde hernia inteſtinali corripiuntur. Addunt nonnulli frangi aliquando oſſa illarum partium, & totam partem infernam ab ano vſque ad pudendum laxari & vlcerari, ſed hæc omnino, ſi vera ſunt, rarius contingunt. Itaque venio ad curationem.

Curatio. Totam curationem difficilis partus mihi videor in duas partes præcipuè poſſe diuidere; quarum altera communia quædam præcepta & remedia complectatur, quæ generaliter ad omnem partus difficultatem ſont accommodata; altera ſingulas cauſas conſideret, & vnicuique propria remedia adhibeat. Quæ rurſus vtraque pars in duo tempora commodè poteſt diſtribui: primum, antequam mulier ad pariendi actum perueniat; ſecundum, quando mulier

Generalis ante partum. in campum deſcendit, ac mox fœtum eſt paritura. Itaque primum conſideremus quæcunque generaliter ad omnem partus difficultatem priore tempore ante partum videantur pertinere; tota autem hæc res in probo vſu & regimine ſex rerum non naturalium conſiſtit. Quamobrem mulieres vtero gerentes, omnem aëris exceſſum, potiſſimùm verò frigidiorem caueant, qui multis modis multa incommoda & pericula poteſt inferre: vnde maximè expedit in aëre temperato, vel etiam paulo calidiore illas verſari. Victus ratio ſit alimentorum boni ſucci, facilis coctionis, quæ potiùs ad quandam humiditatem & copiam, quam ſiccitatem & inopiam vergat. Qualia forent carnes optimæ, capones gallinæ, vituli hœdi, iura pinguia & ſimilia, quæ emolliendi, non tamen aperiendi vim habeat: moueantur moderatè, nullo modo prorſus quieſcant, vt aliàs declarauimus Imò verò tranſacta prima parte noni menſis etiam quoquomodo licet illas vehementius moueri ambulatione, curru, aſcenſu, & deſcenſu ſcalarum. Vnum familiare & vulgare eſt apud omnes, vt mulieres hoc tempore diſſoluant fila, quod optimũ eſt, cum ita partes dorſi & ligamenta leuiter & blandè laxentur, vt poſtea faciliùs opportuno tempore laxentur, ac rumpantur: ſomni ſint longiores, ex quibus conſtat corpora noſtra molliora & laxiora reddi: ſicuti contrà vigiliæ ſolent eadem ſiccare & denſare. Caueant omnem repletionem, & quotidie tum duriora alui excrementa, tum reliqua omnia purgentur, vel natura, vel leui aliqua euacuatione. Coitus qui fortè ad hunc locũ poteſt referri, non omni ex parte prætermittatur, ſcribente Ariſtot. *7 hiſtor. anim. c. 4* eas mulieres, quæ paulo ante partum concumbunt, facilius parere conſueuiſſe, quod naturæ peritis facile poteſt concedi. Mulier demum paritura caueat ab omni perturbatione animi, timore, mœrore, ira, ſollicitudinibus, itaque ſint omnia læta, ſit bono animo, bene ſperet, quod certè experientia demonſtrat ad partum reddendum faciliorem magnum momentum habere. Cæterum neque vſus quorundam remediorum ante partum importunus eſt cenſendus, quæ potiſſimùm eò ſpectant, vt omnes partes vteri ac meatus humectant ac laxentur; quale foret decoctum ex rad. alth. maluæ, anthemid. fœn. græci, ſem. lin. vel ſi illud vultis eſſe efficacius, ex baccis vel folijs lauri, dicta. calam. & ſimilibus, quo partes infernæ lauentur & foueantur: quale foret linimentum ex oleo amygd. dul. cham. & ſimilibus, quo licet totam vteri regionem, & intra, & extra inungere ac fouere. Multi ſolent probare potionem ex oleo communi, amygd. dul. ſem. lini, quod ſat è conſtat poſſe & omnes muliebres locos mollire, & partum facilem reddere. Verùm in his & cæteris præſidiis, quæ ore aſſumuntur, ego cenſeo admodum cautè incedendum eſſe, atque id præcipuè cauendum, vt ne aliqua noxa inferatur ipſi ventriculo, ſicut ego ſentio olei potionem poſſe inferre. Atque hæc quidem ſunt prætermittenda, quoad præparationem, quo fœtus faciliùs edatur. Quod ſi *In partu.*
iam fœtus ſit edendus, ipſéque partus inſtet & vrgeat, opus eſt medicamenta quædam præparata in promptu habere, quorum beneficio non parum prægnans & parturiens adiuuari poſſit, ita tamen, vt minimè omittantur ea, quæ ars ipſa rectáque methodus præmittenda eſſe ſuadet, cuius mihi iam longo vſu & ratione explorata, medicamenta ſunt vſitata: exempli gratia,

℞. *Dictam. Cret.*
Ariſtol. rot. long.
Pulegij ana. ℈. ß.
Cinnam.
Croci ana. gr. xii. contundantur omnia
ſubtiliſſimè. F. puluis,

qui exhibeatur cũ vino vel cum aliquo decocto opportuno, exempli gratia, cicerum rubeorum, pulegij,

petro

Digitized by Google

petroſelini. Hoc loco notandum eſt, quomodo Mercatus, Mercurialis, & alij vtātur cortice caſſiæ fiſtulæ ad partum, de quo errore inter cæteros agit Leonice *lib.* 4. Plinij, & aliorum med. erroribus c. 2. Sic conueniunt linimenta, peſſaria, ſuffumigia, & quæcumque ad prouocanda menſtrua prolata ſunt. Sic etiam nonnulla, quæ latente quadam ratione, & occulta, vt aiunt, proprietate poſſunt partum reddere faciliorem; vt ſi mulier teneat magnetem in manu ſiniſtra, ſi femori apponatur lapis Aetites, ſi fiat ſuffumigiū ex vngula aſini, ſi dextro cruri alligetur corallium, radix origani, cycla. cor gallinę & ſimilia, In quibus referendis nolo tempus perdere, cum liceat cuique apud varios auctores conſequi. Ego verò aut parum, aut nihil ſoleo illi fidem adhibere; ſed Hipp. vnum commemorat præſidium, quod nullo modo eſt prætermittendum, etſi neminem video illius meminiſſe. Eſt autem ſectio venæ inferioris, ſcribit in hunc modum 1. *de morb. mul. pag.* 340. *ad fin.* Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partus dolore laboret, ſit autem iuuenis, & in vigore, & multo sāguine referta, ſecare oportet venas in malleolis & ſanguinem detrahere virium reſpectu habito quod quidem remedium ego ſentio rationi, ac probæ medendi methodo conuenire, ac præſtantiſſimum eſſe. Sed diſtinctius ad ſingulas cauſas veniamus, quę triplici ex ordine fuerunt diſpoſitæ, nempe, vel ratione mulieris, fœtus, & rerum externarum. Si igitur difficilis ſit partus ratione mulieris, quòd ſit illa imbecilla vel corpore, vel animo, omnibus modis iuuāda animo & corpore conſolanda, refocillanda. Quamobrem alimenta & potiones facilis & optimi nutrimenti ſunt offerenda, quibus ſpiritus & vires poſſint reuocari, iura optima, oua ſorbilia, panis imbutus vino odorato, aut ſucco granatorum. Omnis timor, omnis verecundia ſemoueatur, & quantum fieri poteſt, robur illis addendum, vt diſcant res patienter ferre, ſpiritum cohibere, & ad infernas partes pellere. Quo tempore minimè ſunt prohibendę ne clament, quod imperitæ obſtetrices facere ſolent, cum expediat illas clamare omni conatu; ſi os vteri nimium anguſtum fuerit, inueſtiganda illius cauſa, illudque omni ingenio laxandum, aperiendum: ſi claudatur propter excrementa retenta alui, vel lotij, hæc molliter educantur; ſi propter tumorem & dolorē hæmorrhoidum, iis etiam opportuna remedia adhibenda. Quod ſi difficultas partus exoriatur ratione fœtus, quod maiore ex parte ſolet euenire, primum ſi ille non exeat forma naturali, de qua iam diximus, Hip. nos docet in libr. de nat. pueri, vt rurſus intromittatur delapſo capite elatis pedibus, vt ſi fieri poteſt, ſecundùm naturam exeat in caput, in quo ſanè experientia & ratione conſtat maximū periculum contineri. Quod ſi demum fœtus mortuus fuerit, omni ſtudio conandum eſt, illum quamprimum educere, ne ſæua ſymptomata aut mors ſubſequatur. Et huius rei remedia ſunt tam interna, quàm externa, imò ea omnia quæ de menſibus mouendis diximus, vt lotiones, fomenta, confectiones conſeruæ pul. pil. decoct. &c. quod ſi omnia fruſtra fiant, ad manus operationem eſt accedendum, exciſionem, &c. quam rem præter Hippocr. prius nemo tradidit 1. *de morb. mul pag.* 336. Quicunque fœtus manus aut crus protendunt, optimum foret extrudere, & ambas partes in caput vertere. Si verò hoc fieri non poſſit, ſecare oportet hanc mulierem. Sed hæc operatio eſt plena periculi, cuius rei in mea praxi per 40. annos tantum tres vidi, quæ tamen omnes perierunt. Sed neceſſitate cogente, antequam operationem aggrediatur, ex præcepto Aëtij *lib. vltim. c.* 23. diligenter animaduertat, quomodo mulier ſe habeat, Nam ſi illa fuerit vehementer imbecilla, quod plerumque ferè ſit, abſtinendum ne mors errori imputetur, deploratos prognoſticis relinquendo. Ad fœtum ipſæ quoque pertinent membranæ, quæ ſi propter craſſitiem non poſſint rumpi, quibuſdam lenioribus frictionibus & linimentis agendum eſt, exempli gratia ol. amygd. de lil. alb. cham. quæ poſſint illas laxare & extenuare. Deinde ſi ante congruum tempus laxentur, & profluant illæ humiditates, quas Gal. docet ad facilitatem partus facere, tunc omnes vteri partes internæ & externæ omnibus potiſſimùm à larga olei adminiſtratione ſunt perfundendæ, & ſic molliendæ, humectandæ ac laxandæ. Poſtremò extrinſeca omnia, aër, cubiculum, obſtetrices, ſint commodè præparata, de quibus longum eſſet dicere.

Particularis.

Capvt XIII.

De Puerperio.

Naturalis partus.

PArtum vel facilem, vel difficilem ſequitur puerperium nempe illud tempus, quo mulier recens peperit ſiue matrem, ſiue fœminam, quæ propterea puerpera dicitur, de qua nobis poſtremo loco dicendum eſt. Et ſi enim nonnullæ ſint, quæ ferè nihil laborant, ſed ſtatim redeunt ad ſuas operationes; tamen coguntur vt plurimum decumbere propter imbecillitatem virtū, id quod illis euenit, partim propter laborem pariendi, partim propter inſignem euacuationem excrementorū. Nam quamuis educantur excrementa, nihilominus ſimul cum illis multi ſpiritus excernuntur, vireſque redduntur imbecilles, vt exemplis ſuppuratorum & hydropicorū demonſtrant Hipp. & Gal. 6. aph. 26. Huiuſmodi autē vacuationes in pueris Græcè λόχεια, à Gaza purgamenta, apud Ariſtot dicuntur, quæ quidem à Gal. de ſententia Eraſiſtrati, ac veterum medicorum l. *de atra bile, cap.* 8. 3. *Epid. ſect.* 3. *comm.* 73. non ſimpliciter vacuationes & purgationes dici debent ſicuti alteræ, quæ à purgantibus medicamentis dicuntur, quandoquidem excernitur hoc tempore ſanguinis pars deterrima, vt ſtatim declarabitur. Puerperæ igitur, niſi quid præter naturam illis ſuperueniat inter corpora conualeſcentia reponendæ ſunt, ac potiſſimùm congrua victus ratione nutriendæ atque reſtituendæ. In quo alioqui plures & grauiſſimi errores ſolent committi, cum ſolæ obſtetrices & mulieres impetent, ac prædicent medicis hac in re nullam fidem & obedientiam præſtandam eſſe. Quare primùm non ſolùm ſemel & bis, ſed ter, quater ſæpiuſque & quidem copioſè nunquam deſinunt puerperas replere & nutrire, quibus familiare eſt prouerbium: *vnde egreditur puellus fore opus vt ingrediatur procellus.* Deinde plurimæ ſolent adhibere pullos columbinos, capones veteres, cum cinnam. Garioph. vina etiam grandia & generoſa: quæ quidem victus ratio quam ſit improba & periculoſa notius eſt, quàm vt debeat pluribus demonſtrari. Itaque congruentem victus rationem inſtituatis, quæ quantitate ſit moderata, vt parum vel nihil à ſua conſuetudine recedat: qualitate autem alimenta ſint boni ſucci, facilis coctionis, paucorum excrementorum, flatus expertia, neque ita calefaciendi vi prædita, vt pulli gallinacei vel galli caſtrati iuniores, oua recentia, panis ex iure præparatus, &c. primis quatuor aut ſeptem diebus abſtineant à vino. Huius loco nihil præſtantius iure pulli gallinacei poteſt excogitari, deinceps vinum album, tenue, minimè generoſum, & parce. Cum autem, vt modò diximus, huiuſmodi mulieres ſint imbecilliores, alimenta commodè poſſunt & debent partiri, qua ratione certum eſt meliorem coctionem fieri. Memini me legiſſe apud Athenæum *lib.* 9. *Dipnoſophiſt.* quoddam medicamentum

&

& nutriendo corpori accommodatum, quorum quidem inſtitutũ & conſuetudinẽ non ſatis intelligo, qui ſcio apud Gal. & omnes probatos anctores Braſſicam multis nominibus improbũ eſſe alimentum. Et hæc de naturali partu. Sio autẽ partus fuerit laborioſus, vel qoid præter naturam illi coniungatur, tunc longe maior diligentia & cautione oportet victum inſtituere: in quo caſu ſcribit Moſchio Græcus auctor. harm. Gynec. 16. puerperas biduo à cibo abſtinendas eſſe, vt hinc liceat magis errorem eorum arguere, qui tam copioſam victus rationem ſolent probare. Cæterum cum plurimi affectus præter naturam ſoleant puerperis ſuperuenire, de quibus in præſentia non pertinet ad meũ inſtitutum ſermonem habere: illud vnom ſciatis, omnia propemodum mala in huiuſmodi mulieribus alia nulla de cauſa fieri, quàm ob vitium purgationis quæ à natura poſt partum inſtituta eſt: quod quidem vitiom poteſt eſſe multiplex. Namq; primùm illæ retinentur membranæ, quæ fœtum tuto conceptus tempore veſtiunt ac fouent, quæ δευτέρια Græcis ſeu ſecundinæ dicuntur, quaſi ſecondus aliquis ſit partus, qui fœtui io lucẽ egredienti ſuccedat. Quo loco obiter notaodus eſt error omniom prope anatomicorum vno excepto Veſalio *lib. 5. c. 19.* qui docet ſecundinã non aliud eſſe, quàm vnã ex membranis fœtum veſtientibus, quæ χορίον appellatur, cum reoera vniuerſa ea moles & compactio membranarũ, quæ poſt editum fœtum deiiciũtur, minimè vnica mẽbrana χορίον vel ſecundina dici debeat, vt perſpicuè colligitur ex Gal. *6. aphor. comm. 35.* & *de vena ſect. aduerſus Eraſiſtratum c. 5.* & ex Ariſt. *2. de gen. anim. c. 7.* qui ſcribit, ſecũdinas & membranas inter fœtom atque vterum poſitas fuiſſe. Deinde quoque mẽſes vel planè retinentur, vel parcè fluunt, vel immoderatè & deprauatè deiiciuntur, quæ omnia ſympromata magna incommoda ſecum afferunt, ſed potiſſimùm & maxima ex parte puerperæ laborant, ſi illis menſes vel prorſos retineantur, vel debiliter fluant, quod præclarè à Galeno traditum eſt, *1. Epid. ſect. 1. com. 3.* qui ſcribit, ſuppreſſionem menſtruorũ perpetuò offeodere, non tamen perinde, ac ſi à partu opprimantur, quòd hæc retentio hoc tempore noo modò abundantiam, ſed etiam inſignem horum prauitatem pariat, quandoquidem fœtus gratia nutrimẽti meliorem ſanguinem ad ſe alliciens relinquit deteriorẽ, ex quo prægnantes replẽtur praui humoribus, quos deinde natura poſt partum euacuare conſueuit. Itaqoe in puerperis hunc perpetuò ſcopũ ob oculos habeatis, vt illis menſtrua probè procedant, quandoquidem ex vna parte bis opportunè fluentibus, illæ omnium morborum & periculorum ferè fiunt immunes, ex altera autem retentis & parcè fluentibus vix aliter fieri poteſt, quin plurimis & quidem grauiſſimis morbis ſubiiciantur. Quæ qoidem ab Hipp. recenſentur *1. de morbis mulier pag. 523.* cum mulieri ſue partus purgamenta non fuerint purgata, aut menſes non prodierint, contingit ipſam febricitare & horrorẽ habere, & ventrẽ magnũ eſſe, & quæ ſequuntur. Et *lib. de nat. puer. pag. 47.* ſi non purgetur mulier purgationibus partus, morbus magnus eam corripiet & in periculum vitæ incurret, niſi citò curetur, & quis cooueniẽtem purgationẽ inducat. Si quærat aliquis quotnam diebus, & quandiu menſtruæ purgationes à partu debeant procedere; ad hunc reſpondet Hipp. *lib. de nat. puer. p. 17.* puerperas parturientes fœminam 42. diebus, parturientes autem maſculum 30. diebus opus habere: qui hanc quoq; rationem adiungit, illud fieri quod huiuſmodi purgatio reſpondeat generationi, & primæ conformationi fœtus, quam idem Hip. affirmat in fœminis totidem 42. diebus, in maſculis 30. diebus contingere. Quod ſi rurſus quæratur quamobrem maſculus prius, fœmina poſteriùs conformetur in vtero: cum potiſſimùm extra contrà eueniat, vt fœmina citiùs, mas tardiùs ad ſui perfectionem perueniat? Itidem reſpondet, id propterea fieri quoniam fœmina frigidior eſt, atq; ex frigidiore ſemine generatur, mas contrà calidior atque ex calidiore ſemine concipitur, verba hæc ſunt; *Quod autem fœmina poſterius conformatur, cauſa hæc eſt, quòd genitura fœminea humidior & debilior eſt, quam maſculi: & iuxta hanc rationem neceſſe eſſe poſteriùs conformari fœminam, quàm maſculum; atque propterea etiam purgatio diuturnior eſt in fœmina quam in maſculo.* Quam quidem Hipp. rationem Ariſtot. & Gal. mihi videntur mirabiliter illuſtrare: namque Ariſtoteles *4. de gen. anim. 6.* quærens, cur fœminæ ſimiliter atque mares non perficiantur in genere hominum, cum intra parientem fœmina longiore tempore conficiatur quàm mas, vbi verò in lucẽ venerint, celeriùs fœminæ, quàm mares cõficiantur, quibus pubes, vigor & ſenectus citiùs obueniũt quàm maribus? Reſpondet iſtud fieri, quia fœminæ ſunt natura debiliores & frigidiores, adeo vt ſexũ fœmineum, quaſi læſionem naturalem & detrimentum quoddã non vereatur appellare: Itaque, ille inquit, fœminæ intus tardè præ ſua frigiditate diſcernuntur, huiuſmodi enim diſcretio concoctio quædam eſt, calor autem concoquit, & quod calidius concoctu facilius eſt, ſed foris propter ſuam debilitatem citò ad ætatis florẽ ſenectutẽque perueniũt: etenim omnia minora vt in artis operibus, ſic in natura citiùs ad finẽ deueniunt. Gal. idem *2. de ſem. c. 4. & 5.* facta cõparatione luti liquidioris, quod nullã impreſſionem aut fixionem recipit: docet idem cõtingere in ſemine & ſanguine menſtruo frigidioribus, ex quibus animal formari non poteſt, niſi illa priùs moderatam duritiem & conſiſtentiam acquirant, quæ ad informationem membrorum ſit accommodata. Cum autem fœmina ex ſemine & ſanguine liqoidiore, tenuiore, frigidioréque efficiatur, ſatis cuique poteſt conſtare, illam tardiùs quàm marem, qui ex materia craſſiore, ſolidiore, calidioreque procreatur, in vtero conformari; at verò extra vterum aliter ſe res habet, mulierque citiùs mare perficitur, partim quòd mulieri coniuncta eſt materia humidior, quæ facilè poſſit extendi, partim quòd imperfecta concoctio, quæ ad perfectionem fœminæ neceſſaria eſt, citiùs acquiritur, quàm perfecta. Sed poſitis his rationibus Hipp. Ariſt. Galen. nobis liceat alias duas rationes adiungere, minimè vt puto, negligendas, quæ tamen ex eiſdem præcipuè verò ex Gal. colligi poſſunt. Altera ſumitur ex natura & conditione loci, in quo fœtus generatur, ſiquidem vt ſcribit Hipp. *5. aph. 48.* mares etiã plurimum dextra, fœminæ ſiniſtra vteri parte generãtur: certum verò eſt dextra ſiniſtris eſſe calidiora, vnde cũ fateãtur omnes conformationẽ caloris eſſe opus, nulli debet mirũ videri, ſi in calidiore loco cõceptus fiat citiùs quam in frigidiore. Altera colligi poteſt ex copia & qualitatẽ excrementorum: cum enim ſit veriſimile, ac forte neceſſarium & plura & deteriora excremẽta in fœmina, quàm in mare coaceruari, iure naturã lõgiùs quoq; tẽpus purgationis partui fœmineo quàm maſculino deſtinaſſe. Etſi autem ad purgationẽ puerperarũ de ſententia Hip. 42. dies in fœminis, 30. in maſculis conſtituti ſunt: tamen ſciendum eſt hũc terminum quàm longiſſimũ eſſe, atqui ab eodem Hip. limitari in partu fœminino diebus 25. in maſculino dieb. 20. qui hæc habet 1. de morb. mul. pag. 36. *poſt partum pleramque ſanæ mulieri contingit, vt poſt puellæ partum in 42. diebus diuturniſſima purgatio fiat: extra periculum autem eſt, etſi 25. diebus purgentur, poſt maſculũ verò*

Præternaturalis & laborioſus.

Retentio ſecundinarum.

Menſium vitium.

Digitized by Google

verò partum purgatio ſit diuturnior in 30. diebus, extra periculum eſt etiam quæ in 20. diebus contingit: cui quidem limitationi ferè ſubſcribit experientia, cum mulieres in partu magna ex parte dies circiter 20. aut 25. ſoleant mẽſtruas purgationes habere. Quod ſi quis demum quantitatem huiuſmodi purgationis curioſiùs cupit intelligere, ad hunc pariter reſpondet Hipp. 1. *de morbis mulier. pag.* 337. ſcribens: *Sanè mulieris puerperij purgamenta ſufficienter prodire primum ſeſqui hemina aut Atticam, aut paulo plura: poſt adhuc pauciora iuxta hanc rationem, donec tandem ceſſent.* Hemina autẽ pendit circiter ℥. x. apud Græcos, vt tota huiuſmodi purgatio ad 20. circiter ℥. aſcendere poſſit; quod alioqui mirũ debet videri, cum certum cuique eſſe poſſit mulieres in præſentia lõgè copioſiores puerperij purgationes habere, niſi forte dicamus, id fieri quòd noſtro tempore, quo mulieres non ſunt adeo temperantes in victu, ac longè maiori otio deditæ, quàm fuerint veteres, forte purgationes quoq; ſint copioſiores, tametſi vt puto, de hac re nihil certi ſtatui poſſit, cum rationi ſit conſentaneum, & experientia ſatis confirmet, mulieres pro varietate ætatis habitus corporis, tẽperamenti & rerum ſimilium modò plures, modò pauciores purgationes habere, quod idem cenſeo de diebus huic purgationi deſtinatis ſtatuendum eſſe. Sed ad rem noſtram. Cum puerperæ propter eam potiſſimùm cauſã plurimis & grauiſſimis morbis corripiantur, quod vel ſecundinæ retineãtur, vel menſes malè fluãt, danda eſt omnis opera, vt vtraq; huiuſmodi purgentur probè, atq; ex inſtituto naturæ procedant, ſiquidem hæc vel ſola, vel certè præcipua eſt cauſa & ratio, quamobrem mulieres ab omni periculo & præſeruari & curari poſſint. Sed antequam de huiuſmodi vtroque ſymptomate agamus, non eſt prætermittenda quæſtio alioqui vulgaris, ſed digniſſima cognitione, vtrùm in puerpera laborante febri vel aliquo morbo acuto, computatio dierum criticorum à die partus, an à die morbi fieri debeat, quæ videtur admodum difficilis. Galen. 5. *prognoſt.* 20. & Hipp. & Gal. generaliter docent, dies computandos eſſe à die partus, minimè à die morbi, qui hęc habent: Hip. *Pari modo indicationes fiant* 3. prog. 10. Gal. *principium numerationis tibi ſit, non quo die cœperint febricitare, ſed quo pepererint.* In quibuſdam igitur circa ſecundam aut tertiam diem incipiunt à partu, ex quo multi iudicant futuram indicationem: ſed res non ita ſe habet, ſed ex quo pepererint, numerationem dierũ fieri oportet, & Hipp. & Gal. (ex quibus numerationem criticorum faciendam à die partus non morbi) contrà verò 1. *Epid. ſ. 3. ægrot* 4. in vxore Philini in Thaſo, quæ die 14. cœpit febricitare Hipp. & Gal. hoc ipſo die minimè à die partus videtur huiuſmodi ſupputationem feciſſe. Nec ratio ab hac ſententia videtur aliena: nam ſicut in vniuerſum, principium & omnia tẽpora morborũ determinantur potiſſimum ex cruditate & coctione humorum, minimè his quæ ſolent morbum præcedere: ita idem planè de puerperia ſtatuendum eſſe videtur: ac propterea minimè ex partu, quo tempore nulla eſt ægritudo, nullàque eſt materia morbum efficiens, ſed ex ipſo principio morbi ſupputationem faciẽdam eſſe. Præterea ſicut Galen. docet generaliter 1. *de diebus crit. c.* 6. principium morbi minimè eſſe accipiendum, quando ægrotaturi vigilant, cibos faſtidiunt, capite grauantur, & alia id genus quamplurima patiuntur. Eadẽ planè ratione ſtatuendum videtur, neque in puerperia huiuſmodi principium ex partu ſumendum eſſe, etiamſi illæ fuerint quoquo modo malè affectæ, ſicut reuera ſunt malè affecti, qui vigilãt, cibos faſtidiunt. His ſi placet addamus teſtimonium Auic. qui huiuſmodi ſententiam confirmat manifeſtè in quiena, 2. quarti tr. 2. c. 1. in fine, *etſi mulier peperit, deinde accidat ei febris, tunc fiat computatio ex febre, non ex partu: ex illo enim eſt error,* & quæ ſequũtur. Ad hanc dubitationem conciliator differentiæ 106. & omnes medici ferè videntur duplicem reſponſionem afferre: alteram, in partu facili ac naturali dies criticos à principio morbi, contra verò in partu difficili ac non naturali à partu fore numerandos: alteram, in morbis lõgè diſtantibus à partu, ſupputationem à principio morbi in morbis proximioribus à partu faciendam eſſe. Nec rationes deſunt pro cõfirmatione vtriuſque reſponſionis: namque ex vna parte in partu difficili & laborioſo & in morbo qui proximè partũ ſequitur, veriſimile, vèl potius neceſſarium eſt morbũ in ipſũ partum, tanquam præcipuam cauſam eſſe referendum: ex altera autẽ parte in partu difficili & naturali, necnon in morbis longè à partu diſtantibus, omnis ratio colligit, illos non ex partu, ſed ex aliis cauſis originẽ habere quam quidẽ vtramq; reſponſionem hiſtoria vxoris Philini confirmat: ſiquidem primùm partus fuit naturalis, in quo mulier ex præſcripto naturæ purgata eſt, & reliqua rectè habebant. Deinde febris cũ rigore longè à partu die 14. ſequuta eſt, vt propterea ſumma cum ratione dies critici non à partu, ſed à principio morbi & ab Hipp. & Gal. numerati fuerint. At verò huiuſmodi quoque reſponſiones, ſi accuratè conſiderentur, mihi videntur neſcio quas difficultates continere: nam ipſemet Hipp. in vna vel altera puerpera quæ habuerunt partus non naturales, ſtatimque à partu 2. aut 3. die febricitarunt, videtur nõ ab ipſo partu ſed à morbo dies criticos numerare, qualis fuit 1. *Epid.* ſed 3. *ægr.* 11. vxor Dromeadæ, quæ filiã enixa erat, de qua Hipp. hæc habet: *poſtridie eius diei, quo riguerat, aluum commodè reddidit,* &c. *Tertio die circa meridiem riguit, quarto dolor hypochondrij remiſſus eſt, adeo, vt certum ſit, hic dies numerari non a partu, ſed à die quo rigor & febris acuta mulierem inuaſit.* Qualis fuit mulier quædam 3. *Epid. ſ. 3. ægr.* 2. quæ apud frigidam aquã in Thaſo ægrotabat, de qua Hipp. hæc habet. *poſtquam filiam peperiſſet, nec eſſet purgata, tertio die à partu febri correpta eſt acuta,* &c. à quo die facto principio deinceps omnes dies criticos numerat, vſque ad 80. in quo obiit, Imò verò quod certè maximè notatione & admiratione dignũ eſt, hæc ipſa mulier multo ante partũ febre decubuerat, cibúmque faſtidierat, vt omnis ratio colligat, vel à febri ante partũ, vel ſaltẽ ab ipſo partu eiuſmodi ſupputationem dierum fieri debuiſſe. Qualis demum fuit vxor Epicratis, quæ laborabat apud Archegetem; de qua hæc ſcripta ſunt: *inſtante iam partu, rigore correpta eſt, non incaluit,* &c. *tertiò die filium peperit,* &c. quæ item hiſtoria eſt maximè notabilis, ſiquidem etſi mulier ante partum rigore correpta eſt, quod Galeno quoque interprete com. crudorum & prauorum humorum indicium habendum eſt, tamen non à die rigoris, non à die partus, ſed à die febris dies critici numerati ſunt. Itaq; huiuſmodi hiſtoriæ planè demonſtrant, dies criticos nonnunquã numerari ex Hipp. à prima die febris, minimè à die partus: etiamſi hic fuerit non naturalis, etiamſi febris 2. vel 3. die poſt partum ſit ſubſecuta: ex quo apparet neutram reſponſionem ſatis eſſe hãc repugnantiam apparentem diſſoluere Quamobrẽ nonnulli tertiam quandam reſponſionem excogitarunt qui docent duas criticorũ dierum cõputationes, alteram à partu, alteram à febri efficiendas eſſe: quæ quidem, mea ſententia, duabus prioribus longè abſurdior & falſior cenſenda eſt. Nã præterquam quod Hipp. & Galen. apertè vnicam tantùm computationem recipiunt à partu, imò verò Galen. vt vidimus, eorum opinionem conuellit, qui docebant

bant

bant alteram computationem à febre faciendam eſſe, vt hinc multa ſequãtur abſurda neceſſe eſt. Etenim fingamus mulierem peperiſſe die lunæ, ac proximo die martis in febrem incidiſſe, quam putemus die vndecima criſim habituram fuiſſe, ex altera quidem computatione à febre iudicium fiet in 11. ex altera autem à partu in 13. Quod ſanè totam dierum criticorum & criſium naturam diſciplinámque à Galeno traditam peruertit. Quid igitur dicendum eſt? ego verò id primum repero, hunc modum mihi adeo difficilẽ videri, vt non facile diſſolui poſſit, quin non erubeſco ingenuè fateri, me hactenus nihil potuiſſe, vel de aliis audire, vel de me ipſo excogitare, in quo prorſus acquieſcam. Dicam tamen liberè quid mihi in mentem venerit, & minùs quàm cætera diſpliceat. Duo ſunt expedienda: alterum quidnam tenere ſtatuendum ſit, vtrùm in puerperis à die partus, an à die morbi liceat computationem fieri: alterum quomodò Hippoc. qui videtur à ſeipſo diſſentire, ſibiipſi poſſit conciliari. Quod ad primum attinet, equidem cum Hippocr. & Galen. cenſeo, principium dierum criticorum à partu fore accipiẽdum, ſicuti in prognoſticis docet, tanquam certam & verã cauſam, ex qua febres vel alij morbi originẽ habuerint, quandoquidem in partu, cui ſuccedunt morbi, vix aliter videtur fieri poſſe, quin vel ſecundinæ vel menſtruæ purgationes malè ſuccedant, & mulier ſit malè affecta. In quo caſu non verebor affirmare, tunc mulierem ægrotare vno vel pluribus, forte omnibus morbi generibus, intemperie, mala compoſitione, ſoluta vnitate, quibus deinde & febres, & inflammationes, & alij plures morbi poſſunt ſuccedere, vt propterea ſumma cum ratione à die partus computatio fieri debeat, quod multis quotidianis exemplis facile poteſt confirmari. Nam quemadmodum, ſi quis exempli gratia incipiat laborare Eryſipelate, aut capite vulneratus ſit die Lunæ, cui deinceps proximè Saturni febris ſuperueniat, nemo eſt, vt puto, qui non libenter à priore die Lunæ computationem faciat: ita ſi mulieri parturienti alij deinceps ſuccedant morbi, minimè videtur alienum à ratione, ſi quis non à primo die morborũ, ſed à die partus computationem faceret. Quod autẽ ad alterum caput, quomodo Hippocr. poſſit ſibiipſi conciliari, qui vt vidimus, in nonnullis puerperis minimè à partu, ſed à morbo dierum criticorum numerationem facit, contra quam docuerit in prognoſticis: ego reſponderem cum Galen. 1. *de diebus criticis, cap.* 3. qui diſputans aduerſus nonnullos, qui propter varias auctorum diſſenſiones, vniuerſam de diebus criticis doctrinam euertebant, inquit, huiuſmodi rationem nullum momentum habere, cum auctores propter varias cauſas de vna atque eadem re ſoleãt variis locis variè ſentire, quod ipſi quoque Hippocr. eueniſſe certum eſt. Quæ Galen. verba ſi vera ſunt, ſatis demonſtrant longè maiorem fidem ſententiis Hippocr. aph. & progn. adhibendam eſſe, quàm libris Epidemiorum, in quibus multa potius obſeruationis, quàm doctrinæ gratia ab eo tradita ſunt: quam quidem reſponſionem odoratus eſt Fr. Valeſius *lib.* 10. *contr.* 4. qui inquit, Hipp. ſcripſiſſe hiſtoriam earum mulierũ de quibus ſuprà diximus, non vt præceptorem, ſed vt obſeruatorem, qui enarrabat tantùm hiſtorias, & captabat experimẽta, quò ſententias poſt modũ in aph. & prognoſt. reponeret. Cum autẽ ex iis quæ hactenus diſputauimus, facile ſit omnes obiectiones diſſoluere, non eſt vt ſingulas rurſus inutiliter repetamus: ad inſtitutum igitur ſecundinæ retentionem aggredimur. De qua ante omnia ſciendum huiuſmodi ſymptoma inter cætera omnia quæ puerperis ſolent contingere, eſſe quàm maximè difficile & periculoſum, adeo vt (vt mihi hactenus licuit obſeruare) mulieres maxima ex parte, & quidem celerrimè ante diem 4. ad interitum deducantur: itaque omni ſtudio in illius euacuationem incumbendum eſt. Vt verò iuniores hanc rem melius intelligant, ſcire debent fœtum natura in lucem proferri nudum atque omnibus membranis & veſtimentis ſpoliatum, quæ intra vterum illud veſtire & ſoluere ſoleant, vt propterea totum illud inuolucrum, quod ſecundinas diximus appellari, neceſſariò intus remaneat. Quod quidem cum nullum deinceps vſum poſſit afferre, ex naturæ inſtituto ſtatim poſt fœtum ſolet emitti; itaque ſi detineatur, præter naturam detinetur. Neque ego in eo multum laboro, vtrùm huiuſmodi affectionem inter morbos in numero aucto, an inter ſymptomata excernendorum mutatorum velimus numerare, qui id ſatis habeo, in quo omnes conueniunt, hæc ſpolia quamprimùm fore detrahenda. Cauſæ quamobrem ſecundinæ detineantur, mihi videntur poſſe conſtitui, prima, quod illæ vel fundo, vel alteri parti ipſius vteri hæreant adhuc: ſecunda, licet non hæreant, quod circa aliquam vteri partem, inſtar cuiuſdam globi ſint conuolutæ, neque ad exitum inclinent: tertia, quòd os vteri clauſum ſit: poſtrema, quòd mulier ſit imbecillior, quàm vt illas deponere poſſit, quæ quidem cauſæ ſingulæ propriam curandi rationem deſiderant. Itaque ſi ſecundinæ ſint vtero alligatæ, vel circa vterum conuolutæ, mea ſententia, manualis operatio cæteris omnibus præſidiis, quæ plurima intra & extra poſſunt adhiberi efficacior cenſenda eſt. Quamobrem obſtetrix inuncta manu oleo amyg. dul. aut lil. aut vng. Dialth. atque in vterum immiſſa, quærat ſecundinas apprehendere ac blandè educere, quo loco, ſi ſecundinæ vtero adhue hæreant, debent obſtetrices diligenter cauere, ne ipſas recto tramite ſtatim ac violenter velint detrahere, quæ potius ſenſim nulláque adhibita violentia, in obliquum atque ad latera modò in dextram, modò in ſiniſtram partem mouendæ ſunt, donec laxentur & commodè poſſint educi: cum ſi aliter fiat, nec ſecundinæ obediant trahenti, ſed vi trahantur, periculum immineat, ne inflammatio concitetur, & quod eſt deterius, ne ſimul cum ſecundinis ipſe quoque vterus procidat. Veruntamen neque interea prætermittenda ſunt præſidia, quæ hoc ipſum præſtare poſſunt: inter quæ teſtimonio Hippocr. ſternutatio inſignem obtinet prærogatiuam 5. aph. 49. Exemplum;

Cauſæ retẽt. ſecundinæ.

Curatio.

℞. *Caſtor. elect.*
Pip. alb. nig. ana. ℈. *j.*
Elleb. alb. ℈. *j. M. f. puluis.*

Sic illa quoque vtiliter adhibentur, partim ore accepta; partim exteriùs accommodata & adminiſtrata, quæcunque ad menſes ſunt accommodata, de quibus ſuis locis diximus, quæ ad hunc locum ſunt transferenda. Sed ſunt nonnulla quæ ad ſecundinas deiiciendas creduntur peculiarem quandam vim obtinere, qualia chryſocolla argentariorum, borax vulgo ſtercus accipitris, pellis ab angue depoſita, exuuia ſeu ſenecta anguis in puluerem redacta, vel ſeparatim, vel commiſta pondere ʒ. j. ex vino aut mulſa ſolet propinari. Exempla gratia,

℞. *Cinnam.*
Croci ana. ℈. *j.*
Boracis ℈. *iiij. ex aqua artemiſiæ.*

Nonnulli probant maximè lixiuium cum oleo. Proximis diebus cum eſſem Taruiſij, nobilis quædam matrona aſſumpto oleo amyg. dul. ℥. VIII. ſiue fuerit medicamentum, ſiue fuerit caſu, protinus ſecundinam depoſuit. Sunt alia propemodum infinita, quæ facile poſſunt apud veteres & recẽtiores haberi. Nolo tamen ſilentio prætetire quoddam remedium, quod à nonnullis quàm maximè cele-

bratur, & eſt puluis teſticulorum equi, de quo remedio clariſſ. G. Inerus hæc habet *lib. 1. Eph. Med. pag. 27.* Tigut de polline teſtium equi ſiccatorum ad ſecundinas pellendas ex iure bibendum datur, quantum tribus digitis capitur: atque hæc aperto ore vteri gerenda ſunt, ſin autem illud conniuere compertum fuerit, tunc omni ſtudio conandum eſt, vt aperiatur ſomentis, linimentis, profuſionibus ex oleis ac medicamentis, quæ laxandi vim atque dilatandi habent, de quibus ſæpè diximus; quæ quidem partim ad ſuperiorem ventrem; partim ad pudenda licet apponere. Quod ſi demum ſecundina propter nimios labores partus & imbecillitatem puerperæ detineatur, nec poſſit expelli, manifeſtum eſt illi fore ſuccurrendum cibo & potu quæ ſint facillimæ coctionis, atque optimi & celerrimi nutrimenti, qualia ſunt iura ex vitellis ouorum recentiũ; optima, iura caponis, vinum album, tenue odoratum, & cætera id genus, quæ ſunt manifeſtiora, quàm vt debeant longiùs commemorari. Cæterum ſi hæc omnia fruſtra fiant, inquit Aet *lib. vlt. cap. 24.* perturbari non oportet, intra paucos enim dies putrefacta in ſaniem diſſoluta excidit. Quod quidem etſi plerique omnes recipiunt, qui ſine delectu ſolent ex aliis proponere omnia, ego non ſatis intelligo quomodo fieri poſſit, ſi quidem, vt dixi initio, quatenus longiore experientia licuit mihi obſeruare, ſtatim circa primos dies puerperæ grauiſſ. ſymptom. corripiantur, ſyncope, tremoribus frigidis, vigiliis, delirio, adeo, vt nullam viderim quæ non ante diem quartum obierit. Hoc autem poſtremo loco mihi licèt alterius remedij meminiſſe, quod etſi ab omnibus prætermiſſum eſt, tamen ego cenſeo, & quãdóque expertus ſum, inter cætera omnia efficaciſſimum eſſe. Illud verò eſt ſectio venæ, quam quidem in vno vel altero pede te vrgére, ſi modò puerpera viribus valeat, nulla ratione prætermittendam, cum non ſolùm ad euacuandam ſecundinam, ſed etiam ad alios vſus poſſit magnam vtilitatẽ afferre. Dictum eſt puerperas ob varia menſium vitia fore obnoxias morbis, & propterea omni ſtudio prohibendum, vt illi opportunè effluant, de qua quidem re, non eſt, vt in præſentia longiùs agamus, quandoquidem quæ ſupra diximus de ratione euocandi menſes generaliter, omnia poſſunt ac debent ad hunc locum transferri: veruntamen enim ex vna parte certum ſit, in prouocatione menſium ſectionem venæ principem locum obtinere, ex altera autem eiuſmodi præſidiũ apud nonnullos quibuſdam difficultatibus inuoluatur, mihi libet hac in re hoc caput quam breuiter examinare. Primum itaque eſt vulgaris quædam opinio, præcipuè verò apud mulieres, piaculum eſſe puerperis venam ſecare, quæ cum nulla vel ratione, vel alicuius probati viri auctoritate nitatur, aſt reiicienda. Itaque vos, ſi id ferat occaſio, dummodo conueniant tres principes ſcopi, ne timeatis veſtris puerperis & ſemel & bis & ſæpius venam incidere. Quod quidem ſæpius ſoleo adminiſtrare, atque expertus ſum non ſolùm tutum, ſed etiam longè efficaciſſimum eſſe, non ſolùm in prouocandis menſibus, ſed etiam curandis morbis, quicunque à partu ſolent ſuperuenire mulieribus.

Vena ſectio in qua parte facienda.

Cæterum de huiuſmodi præſidio nonnullæ occurrunt difficultates, quæ nullo modo ſunt prætermittendæ. Ac primùm ſi accidat, vt mulier à partu corripiatur aliqua febre, pleuritide, vel alio morbo acuto, vt ſit neceſſe ad ſanguinis miſſionem deuenire, iam quæritur, ex quanam parte, an inferiore cruris, an ſuperiore brachij liceat venam ſecare? etſi enim multi docent in cruribus venam perpetuò ſecandam eſſe, tamen neque deſunt viri doctiſſimi & celeberrimi nominis, qui aliter ſentiunt ac docent, vrgente morbo venam in cubito aperiendam eſſe, ex quibus duo præcipuè mihi nominandi ſunt: alter eſt Lud. Mercatus 4. *de aff. mul. cap. 11.* qui hæc habet: *verum in iis omnibus inflammationibus*, &c. alter eſt Franc. Valleriola *obſeruat. 10. Medicinalium*, qui refert hiſtoriam Helenæ Senequeriæ, florentis ætatis & primiparæ, quæ altero die à partu acutiſſima pleuritide correpta eſt, cui accedente etiam conſilio alterius medici Lud. Laurentij, ſecta fuit vena interna dextri brachij, ſanguis emiſſus ad ℥. vj. quo quidem in primis remedio idem teſtatur Valleriola ægrotantem integrè curatam eſſe cum admiratione magna. Forte vero ſunt alij quoque, qui hanc ſententiam ac medendi rationem probant. Ego autem cenſeo huiuſmodi opinionem à Gal. doctrina, & à ratione alienam eſſe, ac multa pericula ſecum afferre. Cum enim ex vna parte Gal. doceat, ac fateantur omnes, congruam menſium fluxionem eſſe veluti clauum nauis, præcipuamque forte ſolam rationem, qua puerperæ poſſint pleriſque malis & periculis curari & præſeruari: ex altera autem idem Gal. doceat *lib. de ſanguinis miſſione* 11. ſectionem venæ ſuperioris muliebres purgationes reuellere conſueuiſſe: ſatis cuique poteſt conſtare, venas in cruribus perpetuò fore incidendas, vt quæ valeant trahere ad vterum, ac menſtruam purgationem iuuare. Alteras verò contra in cubito non ſolum importunè, ſed etiam pernicioſè aperiri, vt quæ poſſint reuellere ab vtero, menſtruam purgationem impedire, vniuerſam curationem peruertere, ac certiſſimum periculum afferre. Notum eſt Oraculum Hipp. *Quæ ducere oportet eò ducere, quò maximè natura vergit*: ex quo factum eſt, vt Gal. ſumma cum ratione generale nobis præceptũ tradiderit *de ſanguinis miſſione cap. 11. 19.* plenitudines à retentis menſibus natas, ex cruribus fore omnino vacuandas, ſiue venam incidere, ſiue ſcarificare oporteat: etſi non ignoro Aëtium & nonnullos recentiores, hanc Galeni ſententiam non recipere, de quibus aliàs publicè ac diffusè dictum eſt. Itaque, ſi puerpera vel aliqua inflammatione, vel aliquo acuto morbo laboret, & Galenos & ratio nos docent, venas in cruribus perpetuò fore incidendas, ſi modò ſanguinem omnino mittere oporteat. Quod quidem eodem Gal. auctore 9. method. cap. 5. ita deliberandum eſt: namque debet medicus fluentis menſtrui ſanguinis impetũ auertere, & ſi ſic ſolus videatur fore ſatis, tota res naturæ, eſt permittenda. Sin verò ille parcè fluat, tunc tantum ſanguinis ex vena detrahendum eſt, quantum ex coniunctis ambabus vacuationib. natura & arte perficiatur, &c. quod occaſio poſtulat. Sic Hip. in vna & altera puerpera 1. *epid. ſ. 3. ægr. 4. 5.* nullius meminit præſidij præter ſuppoſita, quæ licet interpretari quæcumque menſes poſſunt promouere. Sic Auic. 21. *tertij tr. cap. 36.* puerpera laborante febre laudat ſectionem ſaphenæ, nec non aquam hordei, quam inquit, non retinere menſtrua, & ſimiliter granata dulcia, præterea nihil agit. Sic optimi quique medici tractant puerperas, vt menſibus probè fluentibus, ſola congrua victus ratione contenti ſint: illis verò parcè erumpentibus, hunc defectum omni ingenio conantur supplere. Sed hac de re ſatis.

Vena ſuperioris ſectionem probatur, nec hæmorrhoidum apertio.

Cætérum vt neque id prætermittatur, ſicuti fluentibus menſibus ego quidem non probo ſectionem venæ ſuperioris: ita neque apertionem hæmorrhoïdum poſſum probare: etſi non ignoro, ac forte in conſultationibus medicis audiſtis multos doctiſſimos huiuſmodi vacuationem quam maximè probare, vtique inquit Lud. Mercatus, ob partium viciniam defectum purgationis vteri mirè adimplet. Quamobrem verò ego huic nequeam conſentire id mihi perſuadet Galenus, qui tradens leges reuulſionis & deriuationis, inquit: reuulſionem per contrarias partes, deriuationem

per

per vlcinas fote perficiendas, nonnulláque huiuſmodi diſciplinæ exempla tradens, hæc habet 5. metbod. 3. *qua per aluum fluunt, ea vel per aluum, vel per venam transſmittes.* Quod ſi fluxiones vteri ad inteſtina deriuantur, vtique rantum videtur abeſſe, vt apertæ hæmorrhoïdes poſſint adiuuare, vt contra quàm maximè poſſint impedire. Cum igitur in puerperio quod ſemel atque iterum diximus, medicus id cum primis debeat conari, vt menſtruæ purgationes rectè procedant, iure & prouocatio hæmorrhoidum & quæcunque poſſunt illis impedimentum adferre, mihi videntur improbanda & reiicienda. Poſtremo autem hoc loco id quoque libet quærere, vtrum liceat puerperis purgantis medicamenta exhibere, cum ſit res maximi momenti, neque omnes idem ſentiant, quandoquidem vt cæteri prætermittantur, duo viri paulo ante nominati, Mercatus & Valleriola huiuſmodi quoque purgationem in puerperis, tanquam maximè vtilem ac neceſſariam probant. Nam Mercatus cap. ſupra citato ita ſtatuit: *ſi purgatio per vterum non ſufficiens videatur, minimè verendum eſſe purganti medicamento vitioſos humores copioſius expurgare vt natura deonerata cæteros quoque humores faciliùs concoquat & expellat*, &c. Valleriola autem teſtatur eodem loco, illi ſuæ puerperæ tranſacta 7. die ſe dediſſe medicamentum ex agarico, manna, ſyr. & mel. roſ. ex decocto pectorali (malè faciunt, qui ſyr. & mel. roſ. permiſcent non ſine ſuperſtitione) quam quidem medendi rationem plurimi probant, ipſóque vſu frequenter confirmant. Ego verò iis conſentiens, quæ ſupra tradita ſunt, puto huiuſmodi opinionem à doctrina Hipp. & Gal. & ratione eſſe alienam, omnémque purgationem præter eam, quæ ex vtero prodit, non ſolùm nihil proficere, ſed ſæpe pernicioſam eſſe. Ex multis autem quæ iſtud facilè poſſint demonſtrare vnico volo eſſe contentus, quod nimirum purgantia medicamenta poſſint menſtruas purgationes impedire. Cuius quidem imperitæ purgationis tot & tanta pericula propoſita ſunt, vt actum agere nolim. Atque ſic noſtræ tractationi finem facio. Etſi enim ad integram tractationem de affectibus muliebribus plurima ſuperſunt: tamen ad noſtrum inſtitutum, quod vnicum fuit de conceptu, & partu hominis ſermonem habere, iis volumus eſſe contenti, quę ferè ex tẽpore à nobis ſcripta, aliàs cum plus otij nacti fuerimus, magis accuratè & ornatè poſſunt fieri.

An exhibenda purgantia medicamenta.

ALEXANDRI

MASSARIÆ

VINCENTINI MEDICI CLARISSIMI,

LIBER QVINTVS, DE FEBRIBVS.

CAPVT I.

De definitione Febris.

EXPOSITVRVS hoc anno ex inſtituto huius ſcholæ primam fen. quarti canonis Auic. quæ tractat de febribus, decreui illa omnia prætermittere, quæ à cæteris ſolent diffuſè explicari in principio librorum, & ad ipſam rem ſtatim aggredi, ſi priùs pauca quædam vobis dixero de inſtituto ac iudicio meo, quod in tota hac interpretatione ſemper tenebo. Auic. quem ſuſcepimus interpretandum, in prim. doct. 3. c. 3. ſe Galeni interpretem facit, ſed cum interpres debeat eſſe magis perſpicuus & facilis, quã auctor, quem interpretatur, Auic. autem ſiue propter malã ex lingua Arabica verſionem, ſiue proprio quodã ſuo vitio, ſit multo obſcurior & difficilior Galen. propterea mihi ſtatutum eſt, perpetuò ipſum conſulere Galenum, qui vbique perſpicuam habet orationem, adeo vt longè facilius ſit, mea ſententia, Auicenn. per Galen. quàm Galen. per Auicenn. intelligere. Præterea ſicuti docet Galen. 3. *epid. ſecto 1. agroto 1.* & 1. *prorrb. comment. 1. text. 4. comm. 1. text. 4. com. 2. initio*, cum ad bonum interpretem pertineat non ſolùm inuenire ſententiam auctoris, ſed etiam indicare, quæ bene, & quæ malè ab eo doceantur, ne iis quæ falsò dicuntur patrocinatus, opinionem vel ignorantiæ, vel contentionis reportet, nos ſingula decreta Auic. diligenter examinabimus, & Gal. doctrinam, tanquam ad lydium lapidem perpetuò conabimur referre. Quamobrem vos moneo, imò verò hortor, vt libris Galeni omni adhibita diligentia & ſtudio ſtudeatis, præcipuè verò 8. 9. 10. & 12. lib. de methodo medendi, duobus primis de differentiis febrium, & tribus de criſibus, ex quibus Auic. quæcunque de hoc argumento ſcribit omnia videtur deſumpſiſſe: namque hac ratione facile nobis licebit cognoſcere & intelligere, quæ ſint Galeno diſſentientia vel conſentientia, & quæ recipienda vel reiicienda eſſe mereantur. Quod verò pertinet ad cæteros interpretes, Paulus, Aëtius, & Alexander admodum pauca habent, & omnia tranſcribunt ex Galeno: recentiores ſunt quamplurimi, ex quibus duo mihi ſunt nominandi, Altimarus & Trincauellius, qui præ cæteris diffuſè & ad mentem Galeni mihi videntur verſari, ex quibus nec nos grauabimur ea colligere, quæ lectione & imitatione digna videri poterunt. Sed Auicennam audiamus.

Interpretis munus.

Febris eſt calor extraneus, &c.

Cum Auicenna propoſitum habuiſſet, tradere curationem morborum, vt colligitur ex ſuo generali procemio, ex Galeni præcepto 1. *meth. c. 5.* omnium primùm tractauit naturam ipſius morbi, inuenit illius genera, & vniuſcuiuſque generis varias differentias: deinde generalem tradidit morborum curationem, quæ fit per contraria: ſed quoniam hoc non ſatis fuerat, propterea quia indicationes curandi ſumuntur non ſolùm à morbo, qui contraria poſtulat, ſed etiam à natura ægri, à natura partis laborantis, quæ diſſimilia expoſcunt, vt frequenter docet Galenus in libro method. & nos etiam docebimus: idcirco deſcendendum fuerat ad magis particularia: quare poſt explicationem ſimpl. med. in 2. lib. docet in 3. curationem morborum, qui ſunt proprij vniuſcuiuſque partis, à capite vſque ad pedes: in hoc autem quarto intendit tradere rationem curandi illos morbos, qui non ſunt proprij alicuius membri, inter quos febris principem locum obtinet. Itaque Auicenn. propoſitum eſt in hac prima fen. tractare de febribus, quæ quidem tractatio inter cæteras omnes artis medicæ cenſenda eſt maximè vtilis & neceſſaria, cum nullus ſit morbus magis frequens, magis difficilis cognitione & curatione, & qui medicis maius negotium faciat, adeo vt vulgus hominum opinetur ad medicos ſolam ferè febriũ curationem pertinere: vt propterea vos deceat in hoc ſtudio eſſe admodum attentos, omnem diligentiam adhibere, quibus altera ex parte equidem polliceor omnem operam atque induſtriam, qui ſpero iam accuratè & perſpicuè hoc argumentum tractare, ac, Deo fauente, perficere, vt

Definitionis examinatio.

Digitized by Google

etiam nouit) facilè poſſint illud intelligere,& omnibus compertum eſſe queat, cum cætera mihi facile poſſint deeſſe,bonam certè voluntatem & officium non defuiſſe.

Dubitatio.

Itaque Auicenna tractaturus de febribus, initiũ facit à definitione. Quo primùm loco licet dubitare,quamobrem à definitione ſtatim auſpicatus fuerit, ſiquidem Gal. 4. *de differ.pulſ.*2. reprehendit illos medicos & philoſophos,quicunque initium faciunt docendæ alicuius diſciplinæ ab eſſentialibus definitionibus ac præcipuè ſi tyrones ſint inſtituendi, quoniam magna eſt in definiendis rebus controuerſia, & difficile eſt rectam definitionem tradere ; ex quo factum eſt,vt ille recuſaret tradere definitionem pulſus : quod ſi omnino velis primum definire,cum ſint duo genera definitionum,alterum notionis, alterum eſſentiæ, decet priùs definitionem notionis, tanquam notionem proponere : deinde ab illa ad eſſentialem tranſire, ad quam altera notionis nos veluti manu ducere conſueuit : atque hunc ſanè morem ferè ſemper tenet Galen. quemadmodum loco citato volens pulſum definire, in lib. *de differ. morborum cap.* 1. volens definire morbum , & aliis huiuſmodi locis ; quamobrem malè Auic. & contra leges bonæ methodi videtur ſtatim à definitione principium duxiſſe.

Ego verò ad hanc difficultatem cenſeo reſpondendum pro Auicenna, quod qui intendunt conſtituere principia alicuius artis vel ſcientiæ, in qua multæ ſint controuerſiæ,non debent incipere à definitione , ſed potius, vt placet Galeno, longa oratione rei , de qua agitur, naturam aperire, quò illa cognita iam & perſpecta, breuibus tandem verbis accipi & definiri poſſit : quod inſtitutum videtis perpetuò obſeruare Auicennam : ſecus autem ſtatuendum eſt de iis, quibus non eſt propoſitum artem vel ſcientiam primùm conſtituere.

Quare cum Auicenna vellet artem medicam tradere, iam ab aliis conſtitutam , qui, vt diximus, ſe Galeni facit interpretem , iure prætermiſit longas diſputationes,& ſtatim attulit definitionem febris, non ſanè vt illa quidquam probat atque demonſtret, ſed potiùs vt ex ea genera, & differentias febrium inueniat, de quibus poſteriùs acturus fuerat, docente Gal. 1.*meth.cap.*3.*&* 5. ſpecies ac differentias rerum potiſſimùm colligi ex definitionibus:id quod legimus ipſum quoque Gal.feciſſe,qui eo lib. de differentiis morborum, morbum definiuit,vt ex ea definitione omnes morborũ differentias inueſtigaret:imò verò idem Gal.*in princ.lib.de diff.febrium*, primùm inuenit eſſentiam febris,vt deinceps ex ea ſpecies,& differẽtias aperiret & explicaret.Quod ſi quis demum quærat, cur Auic. prætermiſerit definitionem notionis & nominis ? reſponderi facilè poteſt, illam fuiſſe ab eo prætermiſſam gratia breuitatis, forte etiam tanquam manifeſtam,& ab aliis explicatam. Namque vt Gal.docet 1. *de diebus criticis* 6. ex communi notione , & conſenſu omnium hominum , quando homines ingenti calore corripiuntur, dicunt ſe febricitare , febríſque neque medicum , neque idiotam poteſt latere.

De nomine.

Dicuntur autem Græcè *πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς* , hoc eſt *ab igne*, vt notat Galen. 3.*de fracturis com.*8.etſi Hipp.& Gal.obſeruatione 1.*epid.ſect.*3. *agroto* 2.3. *epid.ſect.* 1.*com.*15.1.*de ratione victus in acutis com.* 38. etſi , inquam , Hipp. non omnem febrem, ſed tantummodo vehementiſſimam ſolet ignem appellare,quaſi tunc tantummodo,cum eſt vehementiſſima, nõ aliam habeat naturam, quàm ignis,& eiuſdem ſit cum igne ſubſtantiæ.Latinis autem febris à feruore dici videtur,quaſi ſit calor feruidus, & qui naturæ terminos excedit : ſic Ariſt. *in* 1. *prob.* 8. æſtum præter naturã in corpore febrem nominat.

Cum igitur Auic. non ſine ratione principium faciat ſuæ tractationis à definitione , æquũ eſt illã perpendere,atque examinare,an benè vel malè tradita fuerit : quoniam verò ſcribit Ariſtot.*in* 2. *poſt. text.*3.8.tres conditiones requiri in bonis definitionibus:primam ſi cõſtet ex prædicatis eſſentialibus, quæ explicent naturam definiti : ſecundam , ſi hæc prædicata ſint ordine diſpoſita , & ita collocata, vt priore loco ſint,quæ latiùs,poſteriore quę ſtrictiùs prædicãtur:tertiam,ſi adſint omnia,nec quidquam deſit:cõſideremus ſigillatim omnia,videamúſq; an hæc Auic.definitio habeat has omnes conditiones, necne & ad ſummã,an bene,vel malè tradita fuerit.

Conditiones bonæ definitionis.

Primum prædicatum in definitione eſt calor, quod eſt genus febris,illiúſque naturam & eſſentiã continet.Nam & Gal 1.*de diff.febrium cap.*1.ſtatuit, ſubſtantiam febris eſſe in genere caloris. Cum autem duo hoc nomen ſignificet, vt dicit Gal. 1.*aph. com.*14.1.*de temp.*7.nimirum,& corpus calidum,& nudam qualitatem,quod ille oſtendit ex communi loquendi vſu, & ex lib. Theophraſti, qui de calido & frigido inſcribitur , quærunt hoc loco plerique omnes interpretes,quidnam per calorem,an corpus calidum,an ſimplicem qualitatem oporteat intelligere : quæ ſanè dubitatio mihi videtur tam vana & inepta,vt non indigeat longiore confutatione:nam calor & caliditas , ſicuti albedo & nigredo,& alia huiuſmodi nomina ſi accipiantur in abſtracto,ſemper qualitatẽ ſignificant:ſi verò accipiantur in concreto,poſſunt ſignificare non ſolum qualitatem,ſed etiam corpus , vel ſubſtantiam illi qualitati ſubiectam:quare apud Græcos ſunt duo nomina ſeparata,quorum alterum *θερμότης* , vel *θερμασία* , nudam qualitatem ſignificat , alteram *τὸ θερμὸν* interdum qualitatem , interdum corpus ſolet ſignificare : ad quem modum Hip.hac voce vtitur,inquiens 1.*aph.* 14. calidum innatum : quod ſi Hipp.dixiſſet, calor innatus, aut caliditas innata , locum non habuiſſet diſtinctio tradita à Galen.ſiquidem calor & caliditas de corpore ſubiecto nequeunt prædicari,vt docet Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ,& Galen. 1. *de temp.*7. Ita nunquam licet inuenire , nec apud Ariſt. nec apud Gal. nomina abſtracta qualitatum ſumi pro corporibus eiuſmodi qualitate affectis:id fortaſſe liceat inuenire in libris Stoïcorum,qui cõtendebant, qualitates eſſe corpora, quorum abſurdam opinionem Alex. coactus fuit refutare. 2. *de anima cap.*29. Cum igitur Auic.dixerit, febris eſt calor minimè vero febris eſt calidum,iure mihi videor dixiſſe interpretes ineptè quærere, vtrùm hæc vox qualitatem, an corpus ſignificet,cum ſine vlla dubitatione ſignificet ſolam qualitatem.

Cæterum cum qualitates ſint variæ & multiplices, quædam primæ,quædam ſecundæ & tertiæ, vt docet Gal. 5.*de ſimpl.med.facul.*1.& ante Gal.Ariſt. 4.*meteororum* 29.1. *de generatione* 10.rurſum quæritur,vtrùm calor de prima,an de ſecunda qualitate debeat intelligi ? Arculanus affirmat de prima qualitate intelligendum eſſe , idque multis rationibus conatur probare : alij contrà calorem intelligunt de ſecunda qualitate,id eſt, de intemperie, quæ reſultat ex actione quatuor primarum qualitatũ. Sed nolo in re euidentiſſima tempus perdere. Quare prætermiſſa omni longiore diſputatione , dico in pręſentia,calorem intelligendum eſſe de prima qualitate : namque Ariſt.loco proximè citato,& Gal. 1. *de naturalib.facult.*6. caliditatem, frigiditatem,humiditatem,ſiccitatem,vocant primas qualitates,ſecundas verò nominant,quæ reſultant ex primarum actione veluti duritiem,mollitiem,grauitatem,leuitatem,& ſimilia.Et ſi quis obiiciat,caliditatem corporis mixti non eſſe primam qualitatem , ſicuti eſt caliditas ignis , cum illa ſit permiſta & refracta ſuo

contra

contrario: huic reſpondentis, non eſſe quidem vnam & ſimplicem qualitatem, ſed tamen primam eſſe & dici poſſe, cum eadem agat, quæ prima qualitas, licet remiſſiuè agat: quare & Ariſt. 4. *meteorum, in principio*, concoctionem, maturationem, elixationem, aſcribit proprio & innato calori, tanquam primæ qualitati, cum tamen calor innatus animalium & fructuum ſit refractus & mixtus ex contrario. Cum ergo calor ſit qualitas, & prima qualitas, ſed refracta & mixta ſuo contrario, neceſſariò concludendum eſt, eſſe intemperiem, quod expreſsè docet Gal. 8. *meth. cap.* 1. per hæc verba: *Sanè vnuſquiſpiam morborum eſt, qui per intemperiem fiunt, & febris vtique cum adeo immodicè acutus eſt calor, vt & hominem offendat, & actionem lædat.*

An febris ſit morbus ſimplex.

Hoc loco mouetur altera quæſtio admodum difficilis, ſed cognitione digniſſima, vtrùm febris ſit morbus ſimplex, an compoſitus: vtrùm ſit intemperies calida tantùm, an ſimul intemperies calida & ſicca. Medici propè omnes noſtrorum temporum, & illi quidem nobiliores, cenſent morbum eſſe compoſitum, nempe intemperiem calidam & ſiccam: in quam ſententiam præcipuè venerunt, perſuaſi Galeni auctoritate, qui apertè & expreſsè id videtur aſſeruiſſe: namque hæc habet 1. aph. com. 16. *Febri quoniam calida & ſicca paſſio eſt, eſt enim conuerſio natiuæ caliditatis ad ignem.* contulit Hip. victum humidum conuenire. Et iterum 1. de ratione victus in morbis acutis com. 18. *ſi contraria contrariorum ſunt remedia, ſanè febris peculiare remedium, vt virtute, tum refrigerante, tum humectante ſit oportet, id namque febris natura quæ & calida & ſicca eſt, contrarium erit.* Quam quidem ſententiam repetit 1. *de temp.* 2. 7 *meth.* 8. & aliis locis. Sed & ratio hoc ipſum videtur demonſtrare: etenim ſicuti ſcribunt Ariſt. 2. *de gen. & corrup.* 16. & 23. & Gal. 1. *de ratione victus morborum acut.* 43. cum ignis non ſolùm calore, ſed etiam ſiccitate præditus ſit, febris autem, vt diximus, ſit calor quidam igneus, veriſimile eſt, ſicuti in igne, ita etiam in calore igneo non ſolùm caliditatem, ſed etiam ſiccitatem reperiri.

Præterea hoc ipſum poteſt confirmare ſenſus tactûs, namque, inquit Galenus 1. aphor. 14. ſi tangas vnum qui febriat, & alterum qui non febriat, manifeſtè deprehendes calorem febricitãtis eſſe multo mordaciorem & aridiorem: cum enim effluxus ſimilis eſſe debeat ſubiectæ ſubſtantiæ, ex qua effluit, ſi illa fuerit humida & aërea, qualis eſt in corpore ſano, tum quod ab huiuſmodi ſubſtantia effluit, vaporoſum quoque & ſuaue eſt: ſic contra, ſi hæc ſubſtantia fuerit terreſtris & arida, qualis eſt in corpore febricitante, tunc etiam id quod effluit, fuligïnoſum, acre & aridum eſt.

Demum verò hæc ſententia confirmatur magnó Hipp. argumento, quod eſt ſanatio: etenim victus humidus omnibus febricitantibus conuenit 1. *aphor.* 16. & Galenus *in comm.* obiiciens hominem febre ſimul atque hydrope laborantem, in quo certum eſt à rebus humidis cauendum eſſe, reſpondet. Hippocratem eo loco non meminiſſe illarum febrium, quæ cum aliis affectionibus fuerint coniunctæ, ſed illam tantummodo indicationem fuiſſe perſecutum quæ ab ipſa febre deſumitur: quod ſi febris ex propria indicatione, quæ ab ipſa morbi eſſentia procedit, humida poſtulat, nulli dubium eſſe videtur, quin febris ſit affectio calida & ſicca: humidum enim ſicco, non calido contrarium eſt. Quam eandem ſententiam habetis apud Galen. 1. *de ratione victus morbor. acutor.* 58. & 43. necnon 5. *meth.* 9. Itaque febris erit intemperies non calida tantùm, ſed ſimul calida & ſicca.

Etſi verò non ignoro, vt dixi, hanc opinionem probari à medicis propè omnibus, qui & proximo ſuperiore tempore, & in præſentia ſunt celebres, veruntamen equidem puto illam falſam eſſe, & Galeni dogmatibus non conuenire. Namque ille volens inueſtigare cauſas omnium morborum & ſimplicium, & compoſitorum, ſumpto initio à ſimplicibus & ſimilaribus vocatis particulis, in hunc modum ſuam doctrinam ordimr, lib. de cauſis morborum cap. 1. *Erant vt arbitror quatuor quidem ſimplices, & quatuor compoſiti, increſcente nimirum aliquando immoderatè vel calore duntaxat, vel frigore, aut in altera oppoſitione vel humiditate vel ſiccitate: accidit verò nonnunquam, vt duabus ſimul qualitatibus auctis morbus calidus ſimul & ſiccus, vel frigidus & ſiccus, vel calidus & humidus, vel frigidus & humidus ſit*, &c. Gal. hoc loco ſimplices morbos partium ſimilarium ſeparat à compoſitis: itaque accipiamus nos vnam caliditatem, quæ in toto corpore tam ſit acuta, vt lædat operationes; hæc ſine vlla dubitatione ſimplex calidus morbus exiſtit: & ſi quæras, qualiſnam ille fuerit, & quo nomine debeat appellari, tibi reſpondet Galen. qui ſcribit *l. de diff. morborum* 5. calorem in vniuerſo corpore exuperantem febrem nominari, & iterum docet 2. *method. cap vltimo*, homines inueniſſe nomen febris, quoniam non ita facile illis fuerat ſemper explicare tantum calorem, quantus ſatis eſt ad ſedandas operationes: porróque aſſerit hæc duo, febrem & calorem vniuerſi corporis lædentem operationes, planè idem ſignificare. Itaque febris eſt morbus ſimplex, intemperies calida ſine ſiccitate. Quod ſi iſtud quis audeat negare, is quæſo nos doceat, quo nomine hæc generalis caliditas lædens operationes, debeat appellari, quod nemo hactenus excogitauit: quippè mea ſententia, niſi ille febris fuerit, vt nullus eiuſmodi morbus reperiatur, fateamur, neceſſe eſt.

Febrium eſſe morbum ſimplicem probatur.

Præterea Galenus tractans vniuſcuiuſque morbi indicationes, hæc habet 10. meth. 11. initio capitis: *ſubſtantiam eiuſque affectus ad vnguem noviſſe oportet, & propriam curationis indicationem ab vnoquoque affectu cepiſſe: præterea quem primo omnium, aut magis, quem rurſum minus, aut ſecundo vel tertio loco curare conueniat*: hæc igitur cauſſa eſt, inquit Galen. cur vulgo medicorum ignotum ſit & quòd febrium omnium quæ febres ſunt, proprium remedium refrigeratio ſit, ſiue ea talis actu, ſiue poteſtate fuerit, quod alia multa ex accidenti refrigerantia febrium ſunt remedia. Hæc Galenus, qui conſentiens ſuis principiis, perſpicuè ſtatuit, naturam atque eſſentiam febris intemperiem calidam eſſe, minimè ſiccã, cum febris, quatenus eſt febris, proprium remedium ſit refrigeratio: alioqui niſi ſolam caliditatem ſed ſimul ſiccitatem contineret, vtique non ſolam refrigerationem ſed etiam humectationem indicaret. neque id à Galeno, loco tam proprio & opportuno, in quo tractat ex propoſito indicationes cuiuſque morbi prætermiſſum fuiſſet. Galenus igitur vocat vulgares & plebeios medicos, quicunque ignorant, febri, quatenus eſt febris, refrigerationem tanquam proprium remedium conuenire: inter quos illi videntur poſſe enumerari, qui cenſent proprium febris remedium non minus eſſe humectationem, quàm refrigerationem.

Poſtremò ſcribit Galen. 1. *de diff. febr* 8. febrium hecticarum, quæ iamdudum ceperunt & ad maraſmum perueniunt, naturam calidam & ſiccam eſſe, cum cor in huiuſmodi febre ſimile aliquid patiatur, quod in lucerna elychnium, cum plurimum vſtum fuerit. Quod ſi febribus hecticis proprium eſt, vt natura ſint calidæ & ſiccæ, iam ſatis poteſt conſtare, id cum cunctis febribus non eſſe.

Quamobrem concludendum puto, ad veritatem & ad mentem Galeni, febrem in ſua ratione atque eſſentia caliditatem tantùm, minimè ſiccitatem

continere quod quidem & auctoritate Auicennæ poteſt confirmari, qui in præſenti parte tradens febris definitionem, dixit illam calorem eſſe, non ſiccitatem, quod alioqui prædicatum ſi neceſſarium foret, in prolixa & accurata definitione ab illo prætermiſſum non fuiſſet.

Reſp. ad argumentum aduerſ. Sed reſpondeamus ad argumenta aduerſaria, quæ videntur demonſtrare ſiccitatem caliditati neceſſariò coniunctam eſſe. Primùm verò aduerſus illos qui contendunt, calorem præternaturam nullo modo in corpore poſſe contineri, quin illi ſiccitas coniungatur: breuiter reſpondeo, Galenum ſtatuiſſe vnam intemperiem calidam ſine ſiccitate: neq; verò ſolam ſimplicem intemperiem calidam, ſed etiã calidam ſimul & humidam, quæ quidem intemperies calida & humida, niſi liceret caliditatẽ ſine ſiccitate inuenire, vanè & fruſtra ab illo fuiſſet inuẽta. Igitur tametſi ignis, & per ſimilitudinem calor febrilis, qui igneus eſt, & caliditate & ſiccitate eſt præditus, non propterea aſſerendum eſt, febrem in propria eſſentia morbum calidum & ſiccum eſſe: Exempli gratia, Socrates laboret intemperie totius corporis, aut ſaltem cordis humidiore, & propter aliquam cauſam calefacientem, calore præter naturam & febre corripiatur; hic tantum abeſt, vt huiuſmodi calor ſit cum ſiccitate, vt potius ſit cum humiditate; & ſi quis obiiciat, procedente tẽpore calori poſſe ſuccedere ſiccitatẽ quod negari non poteſt, veruntamen dum perſeuerat humida intemperies, Socrates ſine vlla ſiccitate febricitabit: quod ſi ſiccitas foret de eſſentia febris, vtique nullo modo, & nullo tempore ab ea poſſet ſeparari. Quare dicendum eſt, ſiccitatem ſuccedere calori, tanquam illius effectum, ſi quidem calor deſiccat perpetuò ſubſtantiam cui adhæret, quæ tamẽ ſiccitas non perpetuò tanta eſt, vt lædat operationes, ac propterea eſſentiam febris conſtituat, ſicuti contingit in febre hectica, quæ, vt diximus, verè eſt intemperies calida & ſicca. Ex iis non difficile eſt reſpondere ad ſingulas obiectas rationes: namque Hipp. & Gal. vocant ſæpenumero febrem morbum calidum & ſiccum, vt ab illa ſumant indicationem rerum humidarũ, propterea, quia reuera omnis febris exſiccat: quamobrẽ huiuſmodi nominatio & indicatio ſiccitatis eſt potius ab effectu quàm ab affectu: adeo vt in ſumma dummodo intelligas, ſiccitatem ad conſtituendã eſſentiã febris neceſſariam non eſſe, liceat perpetuò fateri ſimul cum Galeno, febrem deſiccare, morbúmque calidum & ſiccum quoquomodo dici poſſe, ac tes non modò frigidas, ſed etiam humidas indicare. Quod obiiciebant aduerſarij de ſenſu tactus, qui manifeſtè percipit in febricitantibus calorem mordentem, quod ſiccitati eſt proprium, nihil ad rem pertinet: namque huiuſmodi qualitas non dependet à febre, quatenus eſt febris, ſed potius ab illius ſubiecto; quod ſi fuerit calidum & ſiccum, quales ſunt humores putreſcentes, calorem quoque mordacem & ſiccum generat: ſin autem fuerit humidum, calorem quoque mitem & ſuauem efficit. Ad quem modum ſcribit Hipp. *6. epid. ſect. 1. t. 29.* febres alias mordaces eſſe, alias mites, alias non mordentes quidem, ſed poſt inſurgentes: & Gal. *in lib. aduerſus Lycum, cap. 2.* aſſerit nonnullas febres eſſe exquiſitè ſiccas, quales ſunt, quas Græci typhodes vel helodes appellant, de quibus omnibus opportuniore loco & tempore tractabimus. Sed hæc de re ſatis, ad Auicennam regrediamur.

Febris eſt calor extraneus.) Hoc eſt aliud prædicatum, de quo poteſt dubitari, ſitne genus an differentia; ſed ego puto ſine dubio eſſe differentiam. Cum enim in corpore humano, duplex ſit calor, ex Gal. *1. aph. t. 14.* nec nõ *6. epid. ſect. 4. com. 17.* & 75. alter natiuus & familiaris, alter præter naturam aduentitius, ad differentiam caloris natiui, particula *extraneus*, addita eſt. Quomodo autẽ iſti duo calores inuicem differant, declarat Gal. *2. de diff. febrium 9.* quinimo *2. de diff. ad reſpirationis ad finem*, ſcribit ſe librum compoſuiſſe de calore innato, in illóque ex propoſito vtriuſque caloris differentiã explicaſſe. Quem Auicenna calorem extraneum vocat, Galen. conſueuit appellare interdum calidũ igneum, interdum calorem immoderatum, interdum ſuperadditum, acquiſititum, non naturalem, & forte aliis nominibus, quæ tamen idem ſignificant, nempe calorem alienum ab inſtituto naturæ pro quo videatis *6. epid. ſect. 4. com. 25.* Sed in hac definitione videtur eſſe neſcio quis error in ordine prædicatorum, namq; vt diximus, illa prius debent poni, quæ latiùs, deinde quæ ſtrictiùs prædicantur: verùm hoc loco contra ſe res habet, ſi quidem vox, *extraneus*, latiùs patet, quàm calor: cum ſint multa extranea, quæ calores non ſunt, veluti reliqui omnes morbi ex intemperie, in compoſitione cauſæ morborum, & ſymptomata. Et ſanè iſtud negari non poteſt. Ego verò ad hoc reſpondetem, etſi hæc differentia latiùs patet, illam tamen à ſequentibus differentiis contractam & anguſtatam eſſe, id quod pariter euenit in definitione morbi, in qua particula, præter naturam, tametſi latè patet, & conuenit non ſolum morbo, ſed etiam cauſæ & ſymptomati, à poſterioribus differentiis in anguſtum deducitur, & ad vnum morbum accommodatur. Itaque *calor extraneus* intelligendus eſt calor præter naturam, quatenus diſtinguitur à calore naturali. Quod ſi velis quoque propriam Auic. huius vocis ſignificationem tenere, id nihil refert, modò res intelligatur: nam & Gal. ab huiuſmodi vocibus quandoque non abhorret, qui *6. epid. ſect. 4. com. 17.* calorem præter naturam, alienum, ſicuti natiuum, domeſticum appellat. Sequitur Auic.

Accenſus in corde.) Hoc eſt aliud prædicatum, quod continet ſecundam differentiam definitionis, quæ adhuc magis naturam febris circumſcribit: poſſunt enim in corpore eſſe multi calores extranei, qui tamen febres non ſunt, veluti ſi iecur vel alia pars corripiatur inflammatione, erunt quidem huiuſmodi calores extranei ac præter naturam, verùm tamen nõ erunt febris, niſi in corde calor accendatur, id quod eſt maximè conſentaneum rationi: cum enim Gal. auctore *5. de locis aff. t.* cor ſit principium caloris natiui, iure, ac merito febris quæ nihil aliud eſt, quàm natiui caloris alteratio, in corde tanquam proprio ſubiecto debet collocari. Dixit autẽ Auic. *accenſus*, non qui accenditur, vt planè denotaret, calorem factum & permanentem: cum enim febris ſine vlla dubitatione morbus ſit, morbus autem ſit affectio facta permanens, vt paſſim docet Gal. & in lib. meth. & in lib. de morbis & ſympt. oecẽſſe eſt, calorem in corde iam accenſum & permanentem eſſe, & ideo cum tria ſint genera febrium vt poſteriùs videmus, pro varietate ſubiectorum, ſpiritus humorum, ſubſtantiæ cordis, nonquam erit febris, niſi calor in huiuſmodi ſubiectis factus fuerit.

Quamobrem Galen. *1. de diff. febrium 1.* deſcribens hæc tria genera febrium, ita ſtatuebat, febrem ephemeram eſſe, cum ſpiritus incaluerunt, humores autem & ſubſtantia cordis inualeſcunt: putridam, cum humores incaluerunt, ſpiritus verò & ſubſtantia cordis inualeſcunt: hecticam demum, quando ſubſtantia cordis incaluit, ſpiritus & humores incaleſcunt: neque enim inquit Galen. hoc in loco refert parum, ſi caleſcere dicamus; aut calefactum eſſe: ſi quidem per tempus præteritum rem factam & permanentem, per tempus præſens, rem quæ adhuc fit, ſignificamus.

Sed

Obiectio. 1. Sed fortaſſe contra hæc quis arguat, & primùm, quod Galen. 1. *aph. com.* 16. definiens febrem, dixerit eſſe conuerſionem calidi innati in igneum: etenim vox *conuerſio* videtur ſignificare motum, minimè terminum & finem motus: id quod inter cæteros annotauit Altimarus 1. *de feb.* 10. qui inquit, febrem rectè definitam eſſe per motum, non per terminum & finem motus, namque licet febris proximè accedat ad naturam ignis, tamen reuera non eſt ignis: quod ſi febris per terminum motus definiretur, ſequeretur, febrem ignem eſſe.

II. Secundò Galenus 8. *meth. cap.* 1. conſtituit tres differentias febris, primam cùm febris iam facta & genita eſt, ſed cauſa iam deſiit, quæ illam excitauit: ſecundam, cùm febris adbuc eſt in generatione: tertiam, cum febris pro parte iam genita eſt, & pro parte etiam nunc generatur. Itaque falsò & præter Galeni ſententiam nos videmur aſſeruiſſe ſimul cum Auic. febres inter res factas & permanentes reponendas eſſe.

Solutio. Sed non difficile eſt ad hæc reſpondere, & primùm cùm Galenus febrem definiuit eſſe conuerſionem natiuæ caliditatis ad igneam, dicatis illum minùs propriè locutum fuiſſe, & vſurpaſſe nomen conuerſionis, quo certè voluit ſignificare, non motum & mutationem, ſed terminum motus, & quod iam mutatum eſt: quam nominis proprietatem ſeruauit 1. *de ratione victus in morbis acutis* 18. 1. *aph.* t 4. cùm dixit, febrem fieri ex conuerſione calidi innati ad igneum, quo voluit ſignificare ſine vllo dubio, non ipſam conuerſionem, ſed terminum conuerſionis, ex qua fit febris. Cum enim de ſententia Galeni morbus ſit res facta & permanens, febriſq; conſiſtat non in calefieri, ſed in calefacto eſſe, certum eſt, febrem eſſe, non quando calor natiuus conuertitur, ſed quando conuerſus eſt ad igneum. Neque id alicui mirum debet videri, etenim Philoſophi & Medici nonnunquam vocibus vtuntur, quæ indiſcriminatim poſſunt ſignificare, & motum & terminum motus propterea quia deſunt duo nomina accommodata, quorum alterum alterationem, alterum formam ab alteratione prouenientē ſignificet: quod iam diu ab Ariſt. traditum eſt, qui tum aliis locis, tum 5. *phyſic.* docet, in multis alterationibus inueniri nomen motus, & nomen habitus conſequentis motum, inter ſe diſtincta, qualia ſunt dealbatio, denigratio, calefactio, refrigeratio: quæ ſignificant motum & alterationem: ſic albedo, nigredo, frigiditas, caliditas, quæ ſignificant diſpoſitionem, habitum, & formam, quæ ab huiuſmodi actionibus inducitur: ſed hæc diſtincta nomina non reperiuntur in omnibus motibus & alterationibus, quod euenit in definitione febris, imò verò etiā in definitione morbi, in qua vox generis, Græcè *διάθεσις* Latinè *conſtitutio*, *diſpoſitio*, *affectus*, cum ab aliis, tum à Galeno 1. *de locis affectis* 2. accipitur non ſolùm pro termino alterationis, ſed etiam pro ipſa alteratione, etſi aliquando huiuſmodi nominum varietatem, & vim præclarè diſtinxit, qui in lib. de ſympt. differ. 1. ſcribit ad hunc modum: *Pathema differt motu à diſpoſitione: namque ceſſante eo quod alterat, alteratio quæ permanet diſpoſitio exiſtit: proinde in ipſa conuerſione, mutatione, alteratione, ac motione πάθ@ generationem habet; in eo autem quod manet, & quod ſeruatur, in ſubiecto corpore, diſpoſitio conſiſtit.* Itaque nulli dubium debet videri, ſi Galenus quoque deficientibus congruis nominibus, planè volens ſignificare finem & terminum conuerſionis, vſus eſt ea voce, quæ propriè motum & alterationem videtur ſignificare.

Solutio. Sed redeo ad Altimarum, de quo licet mirari, quomodo eiuſmodi inanem interpretationem commentus fuerit, qua neceſſariò cogitur fateri, febrem non eſſe morbum. Verùm illius argumentum nullius momenti, ac vaniſſimum eſt: etenim cum inquit, ſi Gal. vſus fuiſſet voce ſignificante terminum motus, ſequeretur febrem eſſe ignem. Negatur conſequentia, neque enim dixit Galenus, febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad ignem, ſed ad caliditatem igneam: quare non ſequitur, ergo febris eſt ignis, ſed ſequitur, ergo febris eſt caliditas ignea; quod veriſſimum eſt, neque indiget longiori confirmatione, cum febricitantes pluribus vitæ muneribus fungantur, qui ſpeciatim concoquunt & expellunt noxios humores, & tandem ſanantur, quod ab igne fieri non poteſt.

Reſtat vna ratio, quæ videbatur demonſtrare calorem in febribus minimè accenſum, in facto eſſe, ſed in fieri, & erat locus Galeni 8. meth. ad quem eodem loco ipſemet reſpondet Galenus, qui docet febres quæ generantur adhuc, & nondum genitæ ſunt, non eſſe febres, neque morbos appellandas eſſe, niſi forte quis clarioris doctrinæ gratia febres ſchetieas, quaſi facilè ſolubiles velit appellare: imò verò Galenus *cap.* 88. artis medicæ, huiuſmodi febres, & omnes morbos, quos 8. method dicit adhuc fieri ac generari, morbos qui nondum ſint, ac futuros appellat: quod ſi nondum ſunt, iure neq; morbi debent appellari. Quæ reſponſio confirmatur: namque in duobus locis 8. method. & in arte medica in curatione earum febrium, quæ generantur & modum factæ ſunt, Galenus non ſumit indicationem curandi à morbo, & à febre, ſed tantummodo à cauſa illam efficiente. Cum ergo non indigeat curatione, verè neque febres, neque morbi, dici debent: de quibus quidem acceſſionibus quæ ſunt in fieri, loquitur etiam Gal. 1. *de locis affect.* 2. *&* 3. *cap.* Itaque ex iis conſtat, per conuerſionem natiuæ caliditatis ad igneam, intelligendam eſſe conuerſionem iam factam & abſolutam; minimè quæ adhuc eſt in fieri: ac meritò Auic. dixiſſe in ſua definitione, febrem eſſe calorem accenſum in corde.

Ex quibus verbis id vobis demum licet colligere, ſubiectum caloris febrilis eſſe cor, quod à Gal. quoq; traditum eſt, qui ſcribit 1. *de diff. febr.* 3. 10. *meth.* 8. nullum calorem præter naturam, niſi cor vnà calefiat, febrem eſſe, nullúmque genus febris poſſe conſiſtere, niſi cor afficiatur, & calida intemperie laboret. Quomodo autem cor & variæ illius partes, ſubſtantia, humores, ſpiritus, ſint ſubiectum febris, poſteriùs videbimus, tractantes febrium differentias: ſed tamen illud hoc loco non poteſt neque debet prætermitti, quin tueamur Gal. & Auic. aduerſus nonnullos, qui contendunt ipſum cor febris proprium ſubiectum non eſſe, inter quos primùm eſt Fernelius, qui *lib. 5. de febr. c.* 1. reprehendit Auic. & negat eſſe perpetuo verùm, omnis febris calorem in corde accendi, *tametſi*, ille inquit, *de continuis & primariis id verum fateamur, intermittentium tamen & ſymptomaticarum calor non in corde primùm accenditur, ſed aliunde ſublatus cor ferit, quo æſtuans cum ſpiritu mox per arterias in corpus omne refunditur.* Sed Fernel. mihi videtur temere Auic. reprehendere, neq; ſatis illius mentem percepiſſe: neque enim illud inquit, calorem primùm accendi in corde, ſed ſimpliciter, calorem accenſum in corde. Nam etſi nihil prohibet, quin eiuſmodi calor ab illis partibus poſſit communicari, tamen id perpetuò, verum eſt, vt diximus, febrem nunquam eſſe neque dici poſſe, niſi cor calida intemperie laboret.

Cor eſt ſubiectum febris.

Opinio Fernelii.

Deinde eſt Altimar. 1. *de febr. cap.* 11. qui ſtatuit ſubiectum febris non cor, ſed natiuam caliditatem. Cum enim febris ſit conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam, illius forma, eſſentia ſeu qualitas inquit Altim. tāquā in ſubiecto, ſuſcipitur primùm

Altimar. opinio.

In ſubſtantia calidi innati, namque hæc eſt qua immutatur atque alteratur, accidentalem caliditatem quæ febris eſt ſuſcipiens. Sed equidem nequeo hanc Altimari cognitionem probare, namque ſi per calidum innatum intelligit qualitatem caloris, id falſum eſt, ſiquidem huiuſmodi qualitas eſt accidens, & poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis. Præterea calor innatus non adeſt amplius cum iam fuerit mutatus & conuerſus ad igneum, quo tempore febris viget. Si verò intelligit non qualitatem, ſed ſubſtantiam caloris innati, videndum eſt quidnam ſit huiuſmodi ſubſtantia & quódnam ſit ſubiectum calidi innati, quod continetur in corde. Ac ſanè puto ipſum nihil aliud potuiſſe inuenire, quàm tres partes & ſubſtantias cordis, corpus, humores, ſpiritus quas propterea tres partes neceſſe eſt ſtatuere ſubiectum febris, cum ſint ſubiectum calidi innati. Quare Altim. potuit ac debuit mea ſententia, abſtinuiſſe ab huiuſmodi nouitate, quæ & ab omni ratione, ſed in primis à Galen. diſciplina eſt aliena. Præterea ſunt nonnulli, qui contendunt, non ſolum à corde, ſed etiam à reliquis partibus calorem præter naturam in totum corpus diffundi, & febrem excitari poſſe, namque excitantur febres ex bubone, de quibus eſt aph. Hippocr. febres ex bubone omnes malæ, præter diarias 4. *aph.* Sic Auic. 1. 4. *tract.* c. 17. tradit, fieri febrem eph. ex dolore capitis oculi, aurium, dentis, & reliquarum partium. Sic Gal. ſcribit 10. *meth.* 8. febres hecticas nonnullas fieri primùm laborante corde, nonnullas primùm laborante non corde, ſed ventriculo, iecore, pulmone, & aliis partibus, qui propterea variam quoque iſtarum febrium curationem docet. Sed iſti in primis obiiciunt iecur, quod facilè videtur per venas poſſe impartiri toti corpori calorem præter naturam, cùm pariter ad totum corpus & ſingulas partes alimentum & ſanguinem ſoleat deferre, quod confirmatur propterea, quia manifeſtè videmus à iecore communicari frigiditatem vniuerſo corpori, ſicuti contingit in hydrope anaraſca: namque eadem ratione qua frigiditatem, videtur caliditatem quoque ad omnes partes poſſe tranſmittere: itaque erit febris ſine cordis affectione. Ad hanc dubitationem variæ ſunt reſponſiones, ſed breuiter ego reſpondeo, ac fateor, ex variis corporis partibus & prope omnibus caliditatem poſſe communicari vniuerſo corpori: verùm illud addo, hoc nequaquam fieri poſſe, niſi primum cor huiuſmodi caliditatem recipiat; ad quem modum ſunt intelligendi Hipp. Gal. & Auic. cum docent, ex propriis quibuſdam partibus febrem excitari. Etenim quantumcunque cæteræ partes & totum corpus incaleſcat, niſi ſimul cor reddatur calidius, febris nequit eſſe, nec dici poteſt, vt ſuprà diximus. Huius diſciplinæ ſatis fuerit vnicum exemplum proferre, illud autem eſt Galeni 7. *method. cap.* 9. qui ſcribit, ſi adeo vehemens caloris intemperies ventriculum occupet, vt vſque ad ipſum cor perueniat, neceſſe eſt hominem febricitare, id quod ad reliquas etiam partes poteſt accommodari.

Num ex ſolo corde calor in febris.

Quod autem ſpeciatim diſputant de iecore paulò accuratiùs explicandum eſt. Dico igitur, ſi probè memoria teneamus naturam & colligationem vtriuſque viſceris, iecoris & cordis, vtique fatendum eſſe, aut difficulter, aut nullo modo fieri poſſe, vt iecur tam reddatur calidum, vt calefaciat corpus vniuerſum, quin primum & ſimul ipſum cor incaleſcat; imò verò omnis ratio colligit, caliditatem iecoris longè faciliùs & citiùs cordi, quàm vlli cæterarum partium poſſe communicari: primùm enim ſatis conſtat ex anatome, iſthæc duo viſcera, mediante potiſſimùm vena caua, quæ ſtatim ex iecore prodiens ramum omnium maximum defert in dextrum cordis ventriculum, ſingulari quodam nexu & coniunctione inter ſe eſſe colligata. Deinde illud quoque pro comperto habendum eſt, nullum eſſe membrum in toto animantis corpore, quod magis promptè, facilè & citò calefieri poſſit ipſo corde, quippe quod ſuapte natura calidum eſt, ac ferè perpetuò feruet, adeo vt omnium conſenſu illud in morituris omniũ poſtremò refrigeretur: quare propter huiuſmodi inſignem procliuitatem & conſenſum, veriſimile eſt, calorem nullo modo à iecore ad vniuerſum corpus tranſmitti, niſi primùm cor afficiatur; atque iſtud eo quoque argumento poteſt confirmari, quòd, ſicut ſcribit Galenus 1. *ad Glauconem* 2. in febricitantibus præcipuum indicium ſumitur ex pulſu, cum id omnibus commune ſit, vt idem teſtatur, eodem lib. cap. 6. vt habeant inæqualitatem in vna arteriæ pulſatione; vnde cum pulſus immediatè & proximè affectionem cordis demonſtrent, ſi nemo ſine pulſus inæqualitate poteſt febricitare, vt pariter nemo ſine affectione cordis poſſit febricitare, fateamur, neceſſe eſt. Neque verò poſtrema argumentatio & ſimilitudo alicuius eſt momenti, ſiquidem longè diuerſa eſt ratio caloris & frigoris. Nam ſicuti diximus, cor inter omnes partes corporis calidiſſimum eſt, quare ex vna parte poteſt calefieri faciliimè & accendi, antequam corpus caleſiat, ex altera autem poteſt refrigerantibus cauſis reſiſtere, vt iure totum corpus, non refrigerato corde, poſſit refrigerari. Sed neque illud fortaſſe veritatem continet, nempe totum corpus adeo poſſe refrigerari, vt actiones lædantur, quin ſimul cor laboret, & quoquomodo refrigeretur. Quæſo enim, quomodo id fieri poteſt, niſi cor, fons natiui caloris, à quo ille in totum corpus diffunditur, ac perpetuò fouetur, antea frigidus reddatur? & ſi conſiderentur habitus corporis frigidiores certum eſt in illis pulſus non eſſe naturales, ſicuti contingit in hydrope anaraſca, in qua ſcribit Galen. pulſus raros & paruos fieri, qui ſine dubio cordis frigiditatem demonſtrant. His quæ hac de re diximus, ac de differentia cordis & aliarum partium, quatenus pertinet ad deriuationem caloris & frigoris per vniuerſum corpus, plurimam lucem poteſt afferre ſententia Galen. quæ eſt digna maxima notatione, in libello de ſanguinis miſſione cap. 5. quæ incipit: *Quicquid cor per caliditatem & frigiditatem patitur, huius etiam confeſtim alia corporis partes participes fiunt:* & concludit particulares caliditates & frigiditates, quæcunque parti malè affectæ vicinæ ſunt ſimul alterare, in totum verò corpus, priuſquam cor alterent, non extendi. Sed ad propoſitam febris definitionem reuertamur.

Et procedit ab eo mediante ſpiritu & ſanguine.) Vt febris fiat, neceſſarium eſt primùm calorem præter naturam accendi in corde, deinde illum ad vniuerſum corpus tranſmitti; vnde neſcio quid venerit in mentem Arculano, qui particulam, *Nec*, interpretatur, *vel*; neque enim ſunt duæ voces diſiunctiuæ, quarum altera ſine altera eſſe poſſit, ſed neceſſe eſt calorem in corde accendi, ac ſimul illum à corde tranſmitti & communicari vniuerſo corpori: imò verò tantum abeſt, vt hæc particula legenda ſit diſiunctiuè, vt nonnulli interpretes Arabes pro verbo, *Et* legant, *deinde*, quod probè ſignificat ordinem in generatione febris, nempe vt calor primùm accendatur in corde, deinde à corde tranſmittatur ad vniuerſum corpus. Itaque à corde tranſmittitur huiuſmodi calor, cum ſpiritu, & ſanguine, per venas & arterias, quæ ſanè tranſmiſſio eſt admodum facilis, cum hoc membrum habeat venas & arterias ampliſſimas, quæ omnibus corporis partibus communicantur.

Dubitant hoc in loco interpretes, an in febre calor præter naturam neceſſariò debeat vniuerſum

An calor febrilis totum corpus occupet.

corpus

Digitized by Google

corpus tenere, an ſatis ſit & poſſit in ſolo corde conſiſtere: primùm quidem Galen. videtur ponere febrem inter morbos, qui non ſunt proprij alicui parti, ſed communes toti corpori, inquiens *lib. de morborum diff. cap.* 5. calorem in vniuerſo corpore exuperantem febrem nominari, & facile ab omnibus deprehendi: quam eandem ſententiam habet de cauſis morborum 2. *lib. de ſanguinis miſsione*, c. 5. Altera autem ex parte experientia demonſtrat, & confirmat ipſe Galenus 4. *de cauſis pulſuum, cap. de pulſu inflammationis.* 2. *prog comm.* 4. *de inæquali intemperie.* 8. quandoque in febribus nonnullas partes manifeſto eſſe frigidiores, veluti ſunt partes externę in principiõ paroxyſmorum, item in febribus lipiriis & malignis, in quibus interiora videntur vri, exteriora frigeſcunt, veluti ſunt partes tam internæ quàm externæ in febre epiala, in qua eodem tẽpore partes corporis & calidæ & frigidæ ſentiuntur. Et Gal. præterea videtur fauere huic opinioni, qui ſcribit 7. *method. cap.* 7. intemperiem calidam ventriculi febri proportione reſpondere, quippe, ille inquit, *quod febris vel in toto animali, vel in corde eſt, id propoſitus nunc affectus eſt in ventriculo.* Et iterum hæc habet 6. epid. ſect. 1. 29. *Eſſentia verò febrium eſt, non modò ſecundum* Hipp. *& præclariſsimos medicos, ſed etiam ſecundum omnium hominum conſenſum, caliditas præter naturam, maximè quidem in totum animal diffuſa, ſin minus, vt omnino vel in plurimis partibus, vel in nobiliſsimis accenſa.* Ex quibus puto manifeſtum eſſe, de ſententia Gal. in febribus non perpetuo calorẽ per vniuerſum corpus diſtribui, ſed fore ſatis ſi cor occupauerit, dummodo tantus ſit, vt lædat operationes. De hac dubitatione multi multa loquuntur, de quibus nolo agere longiùs, qui ſatis habeo eam reſponſionem proferre, quam puto Galeno, rationi & veritati magis conſentientem eſſe.

Dico igitur, in febre calorem ſemper accendi in corde, vt teſtantur Hipp. & Gal 4. *de ratione victus* 39. 1. *de ratione victus* 18. 10. *method.* 8. illúmque ab hac parte per venas & arterias ad totum corpus diſtribui: quemadmodum tempore ſanitatis per eoſdem canales calor innatus ſolet diſtribui, & hoc perpetuò fieri, niſi aliquid ſit impedimẽto, quo minus eiuſmodi calor diffundi, & corpori poſſit communicari. Quæ reſponſio eſt Auic. 1. 4. *tract.* 4. *c.* 50. quæ quidem impedimenta ſolent contingere in febribus, de quibus loquuntur aduerſarij: namque principio acceſſionũ extremæ partes refrigerãtur, quoniam hoc tempore ſpiritus, ſanguis, & calor concurrunt ad medias corporis partes, vt propterea non poſſint ad illas, quæ longiùs diſtant, deferri, & calorem conſeruare. Sic in lipiriis & malignis febribus igneus calor viſcerum talis & tantus eſt, expoſitore Galeno 2. *prog.* 4. & aliis locis, vt inſtar cucurbitulæ ad ſeſe trahat ſpiritus, ſanguinẽ & calorem, à partibus externis, vt illæ meritò remaneant frigidæ: ſic demum in febre epiala, ſicuti exponitur à Galeno de inæquali intẽperie 8. 2. *de differ. febr.* 6. cum originẽ habeat ex pituita vitrea & crudis humoribus, qui delati per vniuerſum corpus vno atq; eodem tempore non putreſcunt, ſed alij citiùs, alij tardiùs, inde fit, vt pro parte putreſcente calorem febrilem, pro parte non putreſcente rigorem ſoleat excitare. Ergo non ſine ratione Gal. aſſeruit vtrumque; primum in febre calorem præter naturam totum hominem occupare, quod veriſſimum eſt, ſi hæc adhibeatur interpretatio, vt nihil impediat, quo minus ille ad omnes partes poſſit tranſmitti: ſecundum, hunc ipſum calorem vel in toto homine, vel in corde tantùm, & nonnullis partibus contineri: quod item non caret veritate, ſi contingant impedimenta, quæ non permittant illum ad omnes partes diffundi & dilatari.

Sed quærunt rurſum nonnulli, an cor poſſit tranſmittere calorem ad alias partes non ſolùm mediantibus venis & arteriis, ſed etiam aliis modis, quibus cæteræ partes ad ipſum cor ſolent calorem trãſmittere, nimirum per vapores & fuligines, necnon per nudam & ſucceſſiuam alterationem, de quibus modis loquitur Galen. 1. *de diff. febr.* 5. 2. *aphor.* 55. & nos quoque infrà diſputabimus. Quibus reſpondeatis, nihil obſtare, mea ſententia, quin iſtud fieri poſſit: verùm cum cor ſit fons ſanguinis & ſpiritus, in quibus ſicuti calor innatus, ita quoque calor febrilis ſedem habet, adſintq; viæ plurimæ, ampliſſimæ & apertiſſimæ, per quas hæc tranſmiſſio commodè fieri poteſt, non eſt vt alias quæramus, quæ ſunt difficiliores & obſcuriores. Itaque in vnum colligendo quæ hactenus dicta ſunt: Febris eſt calor præter naturam, non corpus, ſed qualitas, accenſus, non qui accenditur in corde, in corde tanquam principali ſubiecto tranſmiſſus ab eo mediante ſpiritu & ſanguine, in quibus calor tum natiuus, tum febrilis continetur, per arterias & venas, tanquam faciles & patentes canales, ac poſtremò in totum corpus, niſi ſint aliqua impedimenta, quæ huiuſmodi generalem tranſmiſſionem prohibeant.

Et inflammatur ea inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus.) Cum hactenus Auic. ſtatuiſſet, febrem eſſe calorem accenſum in corde, per vniuerſum corpus diffuſum, nunc intendit explicare, qualiſnã ſit huiuſmodi calor, & quomodo differat ab aliis caloribus qui totum corpus occupant, & tamen febres non ſunt: vnica autem eſt diſtinctio, quæ calorem febrilem à cæteris ſeparat caloribus, & eſt, quando corpus adeo incaleſcit, vt propterea lædantur operationes naturales: quam doctrinam Auicen. accepit à Gal. qui ſcribit 2. *meth. cap.* 7. 8. *met. cap.* 1. calorem qui adeo auctus fuerit, vt occaſione eius corpus laboret, neq; probè actionibus fungi poſſit, febrem appellari. Quod quidem eſt maximè conſentaneum rationi: cum enim, ſicuti docent Hip. & Gal. 4. *aph.* 37. 5. *aph.* 22. 2. *ad Glau.* 2. calor natiuus aut ſit ipſa natura, aut ſaltem primum ac maximum illius inſtrumentum, quo efficiuntur & perficiuntur omnes naturales operationes, quemadmodum ille fuerit moderatus & naturalis, operationes quoque probæ ſunt & perfectæ, ita contrà, ſi ille fiat immoderatus & præter naturam, vt operationes quoque lædantur, atque improbæ fiant, neceſſe eſt.

Sed quæritur, quidnam Auic. intelligat per operationes naturales? Atque ne diuerſorum interpretum diuerſas opiniones referam, mihi probatur præ cæteris interpretatio cuiuſdam interpretis Arabis, qui Siraxis dicitur, qui intelligit operationes conuenientes naturæ regenti corpus: cum autem corpora regantur tribus facultatibus vitali, naturali, animali, hîc operationes naturales non debẽt intelligi ſtrictè, quatenus diſtinguũtur à cæteris duabus vitalibus & animalibus: ſed cõmuniter, quatenus ſub hoc nomine omnes cõprehenduntur: ſiquidem largo modo omnes huiuſmodi facultates reuera naturales poſſunt vocari, ſicuti vocantur à Gal. ſæpenumero, præcipuè verò 1. *met. cap.* 3. *de conſt. med.* 10. cum ſcribit, homines vbi ſenſerint quampiam naturalium corporis actionum vel malè geri, vel prorſus non fieri, tunc exiſtimare, ſe illa parte corporis ægrotare cuius actionem læſam vident, ſic propterea medicum de remedio conſulere: & *lib. de cauſ. procatarct. c.* 1. refert quendam ægrorum aggreſ- *In febribus omnes actiones læduntur.*
ſum eſſe ſolitas operationes, & omnia obiiſſe munera, quæ ſibi ex natura debentur: nãque pro comperto habendum eſt, in febribus omnes omnium partium actiones lædi, primùm vitales, deinde naturales, poſtremò animales, quod præclarè expoſitũ

eſt

eſt à Gal. 5. *de loc. aff.* 1. Etenim cum cor ſit veluti fons quidam caloris innati, per quem vnaquæque pars ſuã perficit operationẽ, omnis ratio colligit, laborante corde ſimul cũ ipſo omnes partes corporis vitiari, & illatũ actiones lædi. Neque verò altera ex parte ſunt alicuius momenti nonnullæ rationes quæ ſolent demõſtrare, in febribus minimè omnes actiones lædi & labefactari, cum manifeſtum ſit, multos febricitantes habere odoratũ, auditum, & reliquos ſenſus integros, bene recordari, iudicare, & alias naturales operationes perficere: imò verò illud licet nobis addere, febres interdum quaſdã actiones non ſolùm nõ lędere, ſed etiã quã maximè iuuare, nẽpe illas, quæ ſunt vel ablatæ, vel imminutę, vel deprauatæ, propter immoderatam frigiditatem, aut propter humores crudos & flatus, qui à calore febrili attenuantur, cõcoquuntur & diſſipantur: ad quem modum ſcribunt Hip. & Gal. 2. *aph.* 26. melius eſſe conuulſioni febrem accedere, quàm febri conuulſionẽ: & iterũ 8. *aph.* 5. ſi ebrius quiſpiã de repente obmuteſcat, conuulſus mori, niſi febre corripiatur: ac rurſum 7. *aph.* 52. quibus iecur vehementer dolet, iis febrẽ ſuperuenientẽ dolorẽ ſoluere: Reſpondearis in febre non omnes ſemper corporis actiones lædi, vt ſatis experientia cõfirmat, neque id eſſe neceſſariũ, ſed forte ſatis, ſi ex omni genere actionum quædam tantummodo lædãtur, ſine quarũ læſione neque febris, neque morbus eſſe poteſt. Quod ſi quis demum velit vno verbo naturales operationes interpretari illas operationes, quas homines tẽpore ſanitatis facere ſolẽt, interpretatio, mea ſentẽtia, erit admodum opportuna & accommodata ad mentẽ Gal. qui *loco cit. de conſtit. artis medic. & c.* 82. *artis medica*, & febrium & omnium morborum hunc terminum conſtituit, quotieſcunque homines à conſuetis impediantur operationibus, vt paulò antè diximus.

Non ſicuti caliditas iræ & laboris.) Adhuc planiùs Auicenna declarat, cuiuſmodi ſit calor febrilis, inquiens, illum non eſſe ſicuti calorem iræ & laboris, dummodo talis caliditas ex ira & labore acquiſita, non ſit tam vehemens & diuturna, vt ipſa quoque degeneret in febrem, & lædat operationes, namque frequẽter euenit vt ex ira, laboribus, vel aliis cauſis externis, calor augeatur, cordique & vniuerſo corpori communicetur, qui tamen non accendit febrem, neque lædit operationes, propterea quia citò euaneſcit, ſed tamen interdum etiam fit, vt tamdiu perſeueret, vt tranſeat in febrim, & lædat operationes: atque hic quidem ſenſus ex noua conuerſione Bellunenſis eſt apertiſſimus, qui ſcribit, *non ſicuti caliditas ira & laboris, cum non vltimatur, vel cum non peruenit ad hoc, vt ſit accenſa, & noceat operationibus.* Quod ſi quis velit ſeruare etiam veterem conuerſionem, quæ habet, *ita vt remaneat*, id mea ſententia commodè fieri poteſt, quę littera & interpretatio præclarè quadrat decretis & verbis Gal. qui 1. *de febr.* 3. ſermonem habens de huiuſmodi caloribus concitatis ex ira, labore, & aliis cauſis externis, ita inquit: quod ſi ita contigerit, vt ea corpora quæ in ſe calorem amiſerunt, longo cum tempore retinere natura apta ſint, licet motus cordis ſederit, in iis tamen manet calor præter naturam: atque inde homines febricitare eſt neceſſarium. Quam fere eandem ſententiam habetis *lib. de morborum cauſis* 2.

Vitium definitionis. Hactenus diximus de febris definitione, & illas dubitationes explicauimus, quæ mihi viſæ ſunt vtiliores, & magis ad rẽ pertinere: namque ſi velimus ſingula in medium proferre & examinare, quæ vulgo à pleriſque interpretibus ſolent proferri, vix ſufficerent quinquaginta lectiones. Cæterùm ex iis, quæ diximus, facile eſt intelligere, huiuſmodi Auic. definitionem carere ea conditione, qua potiſſimùm definitiones laudari ſolent, & eſt breuitas, quã Ariſt. & omnes philoſophi tãtopere probãt, ſiquidem illa eſt nimis longa, & interpoſita ſunt nonnulla prædicata ſuperuacanea, quatenus pertinet ad explicandã eſſentiã febris: etenim gratia exempli, ſi ſummatim dixiſſet, febris eſt calor præter naturam accenſus in corde toti corpori communicatus, lædens operationes naturales, proba & integra fuiſſet definitio, cui nihil addi, nihil detrahi potuiſſet: quam quidem ferè eandem definitionem facile ex variis locis licet nobis colligere ex Gal. ex quo certum eſt, Auicen. hanc ſuam collegiſſe, quod etſi patere ſatis poteſt ex iis, quæ ſuprà tradita ſunt, tamen non fuerit abs re, duobus verbis hoc idẽ vobis in memoriã reuocare.

Apud Auicennam febris eſt calor extraneus: apud Gal. 6. *epid ſect.* 1. 29. *ſect.* 4. 17. 25. 1. *de febr. diff.* 1. eſt calor nõ naturalis mutatus ad ignem immoderatus, alienus, & aliis eiuſmodi nominibus circumſcriptus. Apud Auic. hic calor eſt accenſus in corde: apud Gal. *in* 1. *diff. febr.* 3. 10. *meth.* 8. nulla febris poteſt cõſiſtere, niſi cor afficiatur, & calida intẽperie laboret. Apud Auic. calor diffunditur per vniuerſum corpus: apud Gal. *ſect.* 1. 29. *de diff. morborum, de cauſis morbor.* 2. calor in totum animal dilatatur, vel ſaltem in pluribus & nobiliſſimis partibus accenditur. Apud Auicen. calor procedit mediante ſpiritu & ſanguine per venas & arterias: apud Gal. hoc expreſsè non habetur, qui id prætermiſit tanquam manifeſtum; ſiquidem conſtat inter omnes cor eſſe fontem caloris innati, illũmque per propria vaſa toti corpori communicari: quia eadem ratione febrilem quoque calorẽ ad cæteras partes tranſmitti neceſſe eſt: imò verò Gal. nobis inſinuauit & alias quaſdã rationes, quibus huiuſmodi cõmunicatio poteſt fieri, vt paulò ſuprà diximus. Apud Auic. corpus inflammatur inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus: apud Gal. 8. method. 1 calor tantum augetur, vt hominem offendant, & actionem lædat, adeo vt ſi neutrum adhuc efficiat, quantumuis homo in præſentia ſit calidior quàm antea, certum ſit eum non febricitare. Sic itaque potuiſſet Auic. breuiorem febris definitionẽ tradere, & Galeni dogmatibus conſentire: verumtamen quoniam quæ propterea ſunt ab illo interpoſita, id certè præſtant, vt faciant ad clariorem & faciliorem illius explicationem, iure cenſemus eam recipiendam eſſe. Quod verò optima ſit definitio, conſtare poteſt, quia continet omnia genera cauſarum: & primùm cum dicitur *calor extraneus*, explicatur cauſa formalis, cum omnium conſenſu eſſentia febrium ſit caliditas præter naturam: ſecundò cùm dicitur *accenſus in corde, procedens cum ſpiritu*, &c. explicatur cauſa materialis & ſubiectum caloris: tertio cum dicitur *lædens naturales operationes*, apparet cauſa finalis, quam tamen finalem ego cenſeo minus propriè & largo modo ſumendam eſſe; ſiquidem non eſt credendum, febrem agere propter finem, cum omnia quæcunque agunt propter finem, aliquo appetitu ducatur, ſiue ille naturalis ſiue rationalis fuerit: quoniã verò definientes ſanitatem, dicimus quòd eſt proba corporis conſtitutio, à qua probæ prodeunt operationes, qui verè ſuit naturæ finis, pariter in morbo læſio operationum quodammodo & minus propriè finis videtur poſſe conſtitui. Verùm dicat aliquis, in hac definitione efficientem cauſam deeſſe; quod ſanè veriſſimum eſt, & ſumma cum ratione, & à Galen. & ab Auicen. fuit prætermiſſa; etenim cum febris ſit morbus, morbi autem ſint res factæ & permanentes, quæ è nulla cauſa pendent, idcirco iure in eis definitione nulla debuit poni cauſa efficiens, quemadmodum generaliter non ponitur in definitione morbi, ſiquidem illæ res tantummodo quæ fiunt, & quæ habent ſuam eſſentiam in motu, in ſua definitione deſiderant cauſam efficientem, ſicuti

exempli

exempli gratia eſt pulſus, in cuius definitione videmus Galen. illam prætermiſiſſe : quod ſi in definitione febris poneretur cauſa efficiens, neceſſariò ſequeretur, omnem febrem habere cauſam coniunctam, quod falſum eſt, cum nullus morbus ex ſententia Galeni habeat coniunctam ſiue continentem cauſam; tametſi non ignoro, eſſe viros præclariſſimos, qui aliter ſentiunt, de qua celebri controuerſia fortaſſe nos quoque aliquando diſputabimus. Itaque febris definitio tradita ab Auicen. optima atque integra eſt, quippe ſi diligenter conſideretur, primùm oſtendit quid ſit febris : ſecundò ſoluit aut ſaltem poteſt ſoluere omnes difficultates, quæcunque hac in re poſſunt occurrere : tertiò declarat proprietates, quæ naturam febris conſequuntur, quæ conditiones ad perfectam definitionem requiruntur à Philoſ. 4. *phy.* 31. Poſt hæc ſolent nonnulli interpretes proponere & examinare quaſdam aliorum definitiones, inter quas prima eſt, quam tradit Ætius *lib.* 5. 7. quæ eſt huiuſmodi. *Febris eſt calor præter naturam, cordis & arteriarum vitalem firmitatem lædens, ex profundo emergens, acris & mordax, præſertim circa thoracem, & vbi arteriæ magnæ poſitæ ſunt.* Altera eſt Alexand. *lib.* 12. 1. qui prætermiſſa opinione Eraſiſtrati, Aſclepiadis & aliorum medicorum, de ſententia Hip. & Galen. ſcribit eſſentiam ac naturam febris nihil aliud eſſe, quàm calorem contrarium naturali cordis & arteriarum. Tertia eſt Auerrhois 3. *colliget cap.* 3. qui hæc habet : *eſt calor compoſitus ex calore naturali & extraneo putredinali, miſſo à corde ad totum corpus, & lædit omnes actiones & paſſiones.* Verum neque de iis, neque de aliis, ſi quæ ſunt, mihi propoſitum eſt longius agere, quod temporis anguſtiæ tam accuratam interpretationem non patiantur; à quo quidem labore ego libentiùs abſtineo, quod nihil dubito, ſi attentè conſiderentur quæ hactenus diximus ex Galeno & Auicen. & ad illorum doctrinam cætera omnia referantur, quin facilè vnuſquiſque poſſit de ſingulis iudicium ferre, & intelligere, quidnam probandum vel improbandum, quid recipiendum vel reiiciendum videatur. Itaque ad alia progrediamur.

Aliæ febris definitiones

De diuiſione febrium.

Diuiſio febris.

Auicen. tradita febris definitione, deinceps aggreditur illius diuiſionem, & primùm examinat diuiſionem quandam ſui temporis celebrem, quæ inprimis creditur fuiſſe Rhaſis, & fuerat huiuſmodi: Febres aliæ ſunt morbi, aliæ ſunt ſymptomata : febres autem morbos intelligebant, quæcunque non pendent ab alio morbo, quales ſunt febres putridæ; febres verò ſymptomata illas nominabant, quæ proximè pendent ab aliquo morbo, exempli gratia, pleuritide, angina, & aliis inflammationibus. Porrò vt nouitij hanc rem facilè intelligant, ſcire debent ex Gal. *de ſympt. diff.* 1. omnes corporis affectus à naturali conſtitutione recedentes eſſe tantummodo triplices, aut morbos, aut morborum cauſas, aut morborũ ſymptomata, quæ quidem apud illum ita diſtinguuntur : namque morbus eſt conſtitutio præter naturam, in qua primùm actio læditur: cauſa eſt affectus præter naturam qui morbum præcedit, neq; ſuapte ratione, ſed interuentu morbi actiones lædit : ſymptomata item eſt effectus præter naturã, qui morbum perinde atque vmbra corpus ſequitur: ergo Rhaſes & cum illo antiqui, febres morbos ſolebant appellare, quæ primùm ſine alio præcedente morbo originem habebant, febres verò ſymptomata quæ non primùm, ſed poſt inflammationes, vel alios morbos ſequebantur. Cæterum hæc opinio ac diuiſio videtur fuiſſe non ſolùm Rhaſis, & aliorum antiquorum, ſed etiam Hip. & Galen. Etenim Galenus ſcribit 7. *aphor.* 42. 4. *aphor.* 73. 1. *epid. ſect.* 3. *comm.* 4. antiquos dicere conſueuiſſe, hominem à febre moleſtari, quando abſque inflammatione, eryſipelate, abſceſſu, dolore, vel aliquo membro præcipuè affecto laborabat: quòd ſi vel propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel alterius partis laboraſſet febre, iam non febricitantem ſed pleuriticum, peripneumonicum, & aliis nominibus appellaſſe. Et adhuc planiùs 1. *ad Glauconẽ* 3. ex propria ſententia docet, febres nonnullis ex inflammationibus, nonnullis ex humoribus fieri, ex quibus priores quæ ex inflammationibus oriuntur, ſunt veluti quædam ſymptomata partium phlegmone laborantium, adeo vt morbus, magna ex parte ab inſtrumento patiente denominetur, phrenitis, pleuritis, & alia huiuſmodi. Et iterum 5. *aph.* 66. ita ſcribit, cum Hipp. in febribus dicit morbos febriles, ipſum intelligere quando febres ipſæ ſunt morbi, non ſymptomata alicuius partis, quæ aliquo dictorum affectuum laborent : ruſumque aſſerit 6. *aph.* 44. febrem inflammationi veſicæ ſuperuenientem eſſe ſymptoma inflammationis. Ex quibus locis nobis licet colligere, Galenum huiuſmodi febrium diuiſionem recipere, neque ſolùm de antiquorum; ſed etiam de Hipp. ac propria ſententia illam probare.

Obiectio contra diuiſionem.

Aduerſus veterum diuiſionem febrium in morbum & ſymptoma Auic. arguit, vel potiùs vt videntur illius verba demonſtrare, alios arguentes inducit, cum dicat : *Et contra dicentem quidem, &c.* Summa autem argumentationis, qua probatur febres ſequentes inflãmationes, non eſſe ſymptomata, apud Auic. eſt huiuſmodi: In inflammatione tria ſunt, calor, dolor, putredo : quæro igitur quodnam ex iis tribus febris conſequatur & cui tanquã ſymptoma velis febrem ſuccedere? ſi dicas, febrem ſequi calorem vel dolorem; tunc ſequitur plures febres ephemeras eſſe ſymptomata : & patet conſequentia, propterea quia plures febres ephemeræ, vt videbitis, ſequuntur, exempli gratia, calorem Solis vel dolorem alicuius partis. Si autem reſpondeas febrem ſequi putredinem, quæ eſt in inflãmatione, tunc inflammatio non quatenus inflammatio foret prima cauſa febris, ſed per accidens, quatenus illa continet putredinem, quare febris iam non eſſet ſymptoma ipſius inflammationis, ſed putredinis. Præterea ſi febris hac ratione eſſet ſymptoma, hinc ſequeretur omnes febres putridas eſſe ſymptomata, cum omnes originem habeant ex putredine: itaque nulla febris ſequens inflammationes eſt ſymptoma. Poſt hæc Auic. nos admonet, abſtinendum eſſe ab hac & aliis huiuſmodi argutis inquiſitionibus, quę à Gal. appellantur logicæ, ſiquidem nihil conferunt ad artem, & diſtrahunt medicum ab iis quæ in facienda medicina ſunt neceſſaria : quare & hæc ſubiungit : *Procedamus igitur ſecundum id quod conſultum eſt, &c.*

Etſi hactenus Auic. refutauit propoſitam opinionem ac diuiſionem febrium, veruntamen neſcio quomodo in præſentia videtur illam tanquam conſuetam recipere & probare, imò verò illam amplificare, qui inter febres ſymptomata reponit, non ſolũ quæ ſequuntur inflammationes, ſed etiam quæ fiunt ex obſtructionibus; in qua re ille manifeſtè videtur diſcedere à Gal. & à ſeipſo. Namq; Gal. 11. *meth. cap.* 9. & 13. & aliis locis, necnó ipſemet Auic. 1. 5. *tract.* 2. *cap.* 1. verè affirmant, febres putridas fieri potiſſimùm ex obſtructionibus: quod ſi febres ſequentes obſtructiones per Auicennam ſunt ſymptomata, vt omnes febres putridæ ſint ſymptomata fateamur; neceſſe eſt, quod eſt abſurdiſſimum: Ac reuera ſicuti antiquiores medici febres ſequentes inflammationes non ſine aliqua ratione nominabant ſymptomata; quoniam huiuſmodi

febres

Digitized by Google

febres ita pendent ab inflammationibus, vt ab illis quoque nomen recipiant, quæ non alio nomine appellantur, quàm pleuritidis, anginæ, & ſimilium: ita contrà Auic. nullam videtur poſſe rationem proferre, neque veram, neque veriſimilem, quamobrẽ ſequentes obſtructiones ſymptomata debeãt vocari, cum proprium nomen retineant, & ſimpliciter febres dicantur. Sed nos tandem videamus, vtrùm iſthæc febrium diuiſio ſit vera, & ad mentẽ Galeni necne. Itaque prætermiſſis aliorũ reſponſionibus, quæ ſunt multiplices, vno verbo reſpondeo, diuiſionem, mea quidem ſententia, neque verã eſſe, neque ad mentem Galen. & probo vtrumque; ac primùm quod non ſit vera, probatur hunc in modũ. Omnis febris eſt morbus, ergo nulla febris eſt ſympiqma. Patet conſequentia, quoniam morbus diſtinguitur à ſymptomate. Maior eſt manifeſta, propterea quia febris habet conditiones neceſſariò ad morbum requiſitas, quippe eſt affectio præter naturam primò lædens operationes, neque vlla febris eſſe poteſt ſequens inflammationes, vel alios morbos, quæ nõ primò lædat operationes. Quare diuiſio nulla eſt, neque poteſt conſiſtere. Secundò non eſt Galeni, quoniam ex proprio inſtituto ab illo reprobatur, *libello de diff. morbor. cap.5.* diſputabat Galenus hoc loco aduerſus nõnullos, qui ſymptomata eſſe morbum & contrà morbum ſymptomatis cauſam putabant, quippe in actionũ læſiones morbos eſſe arbitrabantur: ex quo conuulſionẽ, ſenſum abolitum, torporem, & id genus alia, morbos vocabant: atque ij quidem vt hunc ſuum errorem defenderent, ſolebant diſtinguere dicentes, ſi ex phlegmone, vel inflammatione conuulſio naſcatur, conuulſionem inflammationis ſymptoma eſſe: ſi verò conuulſio ex ſola intemperie oriatur, iam non ſymptoma, ſed morbum eſſe. Id quod ſimiliter de febre faciebant: etenim ſi febris ſenſibilem alicuius partis affectum ſequebatur, ſymptoma eſſe arbitrabantur; ſi verò alia ratione fieret, morbum appellabant: hos ergo reprehendit Galen. quaſi omnem doctrinam de morbis & ſymptomatibus confunderent, neque ſatis intelligerẽt, illos perpetuò morbos habendos & nominãdos eſſe, quicũque ſunt affectus præter naturã, & primùm lædũt operationes: vno verbo propriè loquendo & ad mentẽ Galen. febres perpetuò, ſiue ſequantur inflammationes, ſiue quomodocunque generentur, cum primò lædantur actiones, morbi ſunt; neque apud Galenum abſurdum eſt, vt ſubinde morbus ex morbo originem habeat. Ad illa autem quæ contra hanc determinationem poſita ſunt, ſemel & ſatis reſpondit Gal. 1. *ad Glauc. c.3.* qui ſcribit, febres ſequentes inflammationes non ſimpliciter, ſed per quãdam ſimilitudinem eſſe quædam veluti ſymptomata: nam re vera licet inter febres quæ ex inflammatione naſcuntur, & alias quæ ex humorum putredine accendũtur, aliquam differentiã conſtituere, ſiquidem cum putridæ non alios morbos ſequantur, iure nullam prorſus ſymptomatis rationem videntur obtinere: alteræ autem cum aliis morbis ſuccedant, non iniuris neſcio quã ſymptomatis formam videntur repræſentare. Ac ſanè ſi quis probè & ad mentem Galeni hanc rem intelligat, non multum laboro, ſi hic propoſitam quoque antiquorum diuiſionẽ velit recipere, quæ forte etiam neque omni ex parte inutilis cenſenda eſt: namque eſto febris quæ pendeat ex inflammatione lateris, medicus omnium primùm inflammationis, tanquam cauſæ, & ſine qua febris nõ poteſt auferri, rationem habebit: præterea in remediis quoque deligẽdis cautiùs aget, exempli gratia, abſtinebit à potione aquæ frigidæ, & aliis huiuſmodi præſidiis, quæ forte in cæteris putridis poſſent conuenire, in hac autem eſſent pernicioſa. Sed hæc de re ſatis.

Auicenna, tradita veteri febrium diuiſione, ſtatim aggreditur aliam veriorem & ſolidiorem diuiſionẽ, quam accepit à Gal. 1. *de differ. feb. cap.1.* ac propterea vt hæc res facilius intelligatur, quæ eſt valde difficilis, & magni momenti, mihi libet omniũ primùm Galeni mentem inquirere, atque hunc locum breuiter explicare. Fuerat Galeno propoſitum, hoc loco tradere differentias febriũ, itaque probè intelligẽs, quod apud dialecticos vulgare eſt, duplici potiſſimùm ratione res inter ſe differre, aut ſubſtantia, ſiue eſſentia, aut accidentibus, propterea ſtatim docet, febrium differentias nonnullas ſumi ab earum ſubſtantia, quas affirmat eſſe maximè proprias & principales, nõnullas à ſymptomatibus, quas inquit varias eſſe, ſicuti ipſorum ſymptomatum non vnica eſt natura, cum alia quidem ſint propinquiora & magis propria, alia verò remotiora & magis aliena; deinde reprehendit veteres medicos, qui in inueſtigandis his differentiis pluribus modis peccauerunt; primùm, quòd proprias ac maximè principales febrium differentias prætermiſerint; deinde quòd etſi has ipſas commemorarunt, tamen cum eis accidentales permiſcuerunt, vtileſue ab inutilibus nõn ſepararunt: tertiò quòd plurimi deliquerint non ſolum in generibus differentiarum, adeo vt vel redundantes fuerint, qui inutilium quoque meminerint, vel deficientes, qui nonnullas etiam vtiles prætermiſerint, ſed etiam in ipſa diuiſione generum in proprias differentias, quas non rectè aſſignabant, de quorum veterum medicorum numero fuerant Archigenes & Agatinus, quos Galen. nominatim reprehendit 2. *de diff. feb. cap.8.* quòd neque ſimplicium, neque compoſitarum febrium omnes differentias ſcripſerint, & quaſdam alias ſuperuacuas adiecerint, quæ neque ad prognoſticum, neque ad curationem quicquam pertinent.

Ex veteribus medicis qui in diuidendis febribus peccauerunt, Gal. excipit vnum Hipp. quem ſolum monſtrat plenam atque optimam febrium diuiſionem tradidiſſe, quare profero illius dictionem, quæ habet hunc modum, ex 6. epid. ſecto. 129. *Febres hæ quidem manu mordaces*, &c. Quod autem Hipp. tradiderit perfectã febris diuiſionem, probat hoc modo: quoniam diuidit febres per differẽtias eſſentiales, quam conſtat eſſe longè optimam diuidendi rationem: quod autem Hipp. vſus fuerit differentiis eſſentialibus, probat propterea, quia ſubſtantia febris conſiſtit in calore præter naturã: cum enim huiuſmodi caloris differentiæ trifariam ſumi poſſint, vno modo ex eo quòd maioris minoriſque rationem habet, ſecundo ab ipſa materia, in qua ille calor præter naturam accenditur, & tertio à modo motus; has omnes Galen. aſſerit Hipp. ſimul cũ dignotionis modo complicaſſe & præclarè cõpoſuiſſe: & quatenus pertinet ad primas differentias, quæ maioris minoriſque ratione dicũtur, illæ vnico ſenſu tactus ſunt ſatis manifeſtæ, in quo quidẽ genere differentiæ, vt notat Gal. 1. *aph. com.* 12. mos eſt medicis magnam & paruam febrem nominare, licet impropriè, qui de rei qualitate quantitatis nomen pronuntiant, id quod facere conſueuerunt non ſolùm in febre, ſed etiam multis aliis rebus, quas magnas & paruas nominant; cum tamen in qualitate eſſentiã obtineant: quæ verò differentiæ ſumuntur à materia, in qua calor præter naturã conſiſtit, maximè propriæ cenſendæ ſunt, & tres Galeno numerãtur; prima, quando is calor cordis corpus occupauit: altera, cum humores in cordis ventriculis contentos apprehendit: tertia, vbi ſola aërea ſubſtantia, hoc eſt, ſpiritus cordis incaluit; humores autem & ſolida corpora adhuc quidem incaleſcunt, ſed nondum incaluerunt: ſiquidem non parum differt, vt ſuprà diximus aliquid incaleſcere & calefactũ eſſe:

pti

primam differentiam hecticam, ſecundam putridam, tertiam ephemetam appellant, quod poſterius diffusè declarabitur. Porrò quod paulò obſcuriùs Gal. dixerat de poſteriore febris differentia, ſumpta ex materia, id tribus exemplis planius facit, quæ ſatis apertè demonſtrant tres febrium differentias modò poſitas, & quomodo vnaquæque pars calorem præter naturam contineat, & variæ febrium differentiæ conſtituantur. Primum eſt exemplum: finge calidam aquam infundi in vas frigidum, adeo vt vas ab aqua calc fiat, nondum tamen totum ſit exquiſitè calefactum, hæc fuerit febris putrida: calida enim aqua humoribus, vas autem corpori cordis comparatur, quippe in febre putrida humores iam incaluerunt & habent calorem in facto eſſe, corpus verò cordis calorem quidem recipit ab ipſis humoribus, ſed hic calor eſt in fieri, & nondum factus eſt. Alterum eſt exemplum: finge in calidum atque ignitum vas frigidam aquam infundi. quæ deinde à vaſe recipiat calorem, ſed tameo nondum incaluerit; hoc exemplum hecticam febrem repræſentat, in qoa cordis corpus incaluit, & calorem habet in facto eſſe, humores autem qui in corde continentur, incaleſcunt quidem, nondũ tameo incaluerunt, manifeſtè enim calidum & ignitum vas cordis corpus, aqua item frigida humores in corde contentos refert. Tertiom eſt exemplom; fingamus follem fabrilem ad ſe trahere aërem admodum calidum, ac follem ab illo aëre caleficri, nondum tamen calefactum eſſe: hoc exemplo monſtratur febris ephemera, in qua ſpiritus vehementer incaluit, corpus verò cordis & humores in eo contenti adhuc caleſiunt, nondum tamen ſunt calefacti: follis enim cordis corpus & io eo contentos humores, aër autem attractus ſpiritum ſignificat. Quoniam verò hoc poſtremum exemplum, non ita videbatur omni ex parte quadrare Galen. clarioris doctrinæ gratia addit vnum figmentum, quod præclarè videtur cum humano corpore analogiam habere, & ad febrem, epheram explicandum præclarè accommodatum: finge ille inquit, follem io ſe continere humores, præterea ſollis foramina, per quæ attrahitur atque immittitur aër, varia & plurima eſſe, ac tam anguſta, vt ſoli aëri, ingredienti & egredienti, minimè humori, ſint aperta, in qua re naturæ opera ab iis quæ arte fiuor, maximè differunt, ſiquidem in corpore humano per poros cutis aër & ſpiritus aſſiduè permeant, retentis & ſeruatis humoribus, etſi & humores & ſpiritus ſimul mixti in corde & atteriis continentur. Atque hoc quidem exemplo facilè poteſt intelligi generatio atq; eſſentia febris ephemeræ, in qua, vt diximus, ſpiritus tantummodo ſunt calefacti, caleſcentibus ſanè, ſed nondum calefactis humoribus & ſubſtantia cordis.

Poſt hæc Gal. cum hactenus febrium ſpecies diſtinxiſſet, poſtremò earum ſucceſſionem & permutationem docet, qui aſſerit, omnes febres ex aliis accendi poſſe, caliditatémque præter naturã, quæ in vuo ſubiecto exiſtens, vnum facit genus febris, reliqua etiam ſubiecta inficere, & temporis progreſſione aliorum quoque generum febres efficere poſſe: ſed tamen huiuſmodi tranſitus & alteratio ſeu permutatio de genere ad genus febris, non eſt in omnibus æquè facilis aut difficilis, ſiquidem ſpiritus facillimè accenduntur, corpus ſolidum difficillimè, humores medio modo ſe habent: & eſt ratio, propterea quia omnis ſubſtantia tenuium partium faciliùs quàm craſſa alteratur: eſt autem tenuiſſima aëris ſiue ſpiritus ſubſtantia, craſſiſſima ſolidorum corporum in medio vtriuſq; humorum: itaque calor præter naturam quandoque incipit à ſpiritu, nonnunquam ex humore, interdum ex parte ſolida, non permanet autem in eo genere quod primum affectum eſt, ſed ad reliqua duo progreditur, at niſi prius ſoluatur, proceſſu temporis illa quoque ſimiliter afficit. Quorum verborum ſenſus apud Gal. licet obſcurus, mea ſententia talis eſt, calorem præter naturam in facto eſſe, exempli gratia in ſpiritibus, communicari & humoribus & membris ſolidis, duntaxat in fieri, ſed niſi bic calor priùs ſoluatur, & longiore tempore perſeuerer, illa quoque ſimiliter afficere, oimirum vt humores & partes ſolidæ calorem quoq; concipiant io calefacto eſſe, ſicuti ipſi ſpiritus eſſe cœperunt. Hanc verò triplicem febrium diuiſionem, quæ reſpondet tribus partibus corporis, ſpiritibus, humoribus, corpori, confirmat Gal. celebri ſententia Hip. quando dixit *6. epid. ſect. 8. tex. 13.* continentia, contenta, & impetum facientia: continentia quidem ipſas ſolidas corporis partes appellans, contenta verò humores, impetum autem facientia ſpiritus, cuius ſententiæ meminit li. quoque de tremore, palpit. &c. *cap. 5.* cum enim in corpore humano iſt bæc tria tantummodo ſint, ſpiritus, humores, partes ſolidæ, quæ proximè illud conſtituunt, omnibus perſpicuum eſſe debet, prima genera febrium non eſſe niſi tria, vt calor præter naturam aliquam ex iis tribus partibus poteſt occupare.

Expoſuimus hactenus inter cætera primum caput primi libri Gal. *de diff. feb.* ex qua interpretatione cum multæ oriantur difficultates, mihi libet vnam vel alteram tantummodo examinare quæ ſunt maioris momenti, & ad totam tractationem de febribus plurimam vtilitatem poſſuot afferre. Cum igitur ſcribat Gal. differentias febrium ſumi dupliciter, alteras maximè proprias & principales ab earum eſſentia, alteras à ſymptomatibus, aſſerátque Hipp. à calore præter naturam, in quo certum eſt eſſentiam febris contineri, ſimúlque ab ipſa dignotione, uprimam diuiſionem feciſſe, & deinde doceat ab huiuſmodi calore tres differentias ſumi ab intenſo, & remiſſo, à materia in qua calor accenditur, & à modo motus, prima eſt dubitatio, quomodo hæc Gal. diuiſio & interpretatio conueniat & quadret litteræ Hip. ſiquidem res videtur admodum obſcura, nec fortè hactenus ab aliquo ſatis explicata: ego verò prætermiſſis aliorum opinionibus breuiter proferam, quam puto iſtius loci eſſe veriorem interpretationem. Itaque primùm notanda eſt ſeries verborum Hip. quam cenſeo ita legendam & diuidendam eſſe, vt illa quatuor contineat partes: primam, febres aliæ mordaces ſunt manui, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes, aliæ acutæ, ſed quæ à manu vincuntur: ſecundam, aliæ ſtatim ardentes, aliæ in totum debiles: tertiam, aliæ ſiccæ, ſalſæ, aliæ ἐρευγγώδεες, aſpectu terribiles, aliæ tactu humidæ: quartam, aliæ valde rubræ, &c. Poſita hac lectione & diuiſione puto, in prima parte Hipp. contineri membrum diuiſionis Galeni, quod pertinet ad modum motus: etenim febres aliæ ſunt perpetuò mordaces, aliæ ſunt perpetuò mites, aliæ in principio quidem non videntur mordaces, ſed poſteà ſurgunt & mordaces apparent, ſicuti aliæ contrà ab initio quidem videntor acutæ, ſed deinceps paulatim acrimoniam perdunt. In ſecunda cenſeo contineri membrum quod attinet ad intenſum & remiſſum: nanque febres aliæ ſunt ardentes, & vehementis caloris, aliæ ſunt debiles & remiſſioris caliditatis: quam quidem expoſitionem Galenus confirmat apertiſſimè, qui hanc ipſam Hip. dictionem ioterpretatus, ſcribit ad huoc modum 6. epid. ſecto t. 29. *Cum Hip. dixit, Febres aliæ mordaces, aliæ mites, tibi ſignificat ab ipſo de febribus in totum mordacib:*

datibus aut mitibus apparentibus ſermonem fieri, ſubiiciens igitur inquit, alia non mordaces, ſed poſt inſurgentes, per hæc verba ſignificans, febres ab initio mordaces non viſas, diutius iniecta manu mordacitatis ſenſum inferentes; contra verò atque iſta illa ſe habent de quibus dicit, alia mites, alia acuta quidem, ſed à manu victa: ab initio enim acuta cum apparuerint, paulatim remittuntur; eam namque dictionem, acuta, de caliditate celeriter manui occurrente, ſuúmque ipſius celerem motum oſtendente intelligere te oportet. Ac deinceps febris in magnitudine differentias demonſtrans, inquit, alia ſtatim valde ardentes, alia in totũ debiles. Hactenus Galen.

In tertia parte ſine vlla dubitatione continetur differentia ex ſubiecta materia: febres ſiccæ ſalſæ, ſunt hecticæ, ad tactum humidæ ſunt ephemeræ, aſpectu terribiles ſunt peſtilentes, quo nomine per excellentiam putridæ omnes intelliguntur. In vltima parte continentur differentiæ ſumptæ ab accidentibus, ac potiſſimùm à calore, nonnullæ valde rubicundæ, &c.

Quod ſi quis miretur, quomodo Hip. declaret differentias ſumptas ex materia per quaſdam voces quales ſunt, ſalſum videri, graue, aut tactui humidum, quæ nullo modo materiam videntur ſignificare: is memoria repetat quod notat Gal. Hip. febrium diuiſionem feciſſe in proprias differentias, non ſolùm ab ipſius rei eſſentia, ſed etiam ab ipſa dignotione, quamobrem referens huiuſmodi differentias, vti voluit nominibus quæ ſignificarent modum dignotionis: namque febris hectica in qua calor factus eſt in partibus ſolidis, dicitur ſicca & ſalſa, per quandam metaphoram, propterea quia calor corporis ſiccioris facit inſuauitatem quandam in tactu, ſimilem ei quam ſalſa faciunt in guſtu: ſic ephemera, cuius calor eſt in ſpiritu, dicitur humida ad tactum. quoniam veluti ab humida ſubſtantia tactus afficitur: ſic putrida, cuius calor eſt factus in humoribus, explicatur nominibus quæ inſignem putredinem poſſunt ſignificare. Hoc igitur modo nos exiſtimamus Gal. doctrinam probè congruere & accommodatam eſſe ad mentem Hip. quod vnuſquiſque facilè intelliget, qui hæc noſtra commodè voluerit cõferre cum Gal. interpretatione, cuius ſupra mentionẽ fecimus, etſi non ignoro, Fuchſium, Chriſtophorum à Vega, & alios celeberrimos viros aliter ſentire, & hunc locũ interpretari.

De ſubiecto febris.

Altera ſequitur quæſtio de ſubiecto febris, de qua cum recentiores faciant longiſſimas digreſſiones, mihi propoſitum eſt quàm breuiſſimè agere: ergo quæritur, an calor accenſus in ſpiritibus vel humoribus febrem ephemeram & putridam conſtituat, an neceſſariò calor in omni febre debeat ſubſtantiam cordis occupare? Qui primam quæſtionis partem defendunt, pro ſe habent teſtimonium Hip. Gal. Auicen. & omnium veterum medicorum, apud quos celebratiſſima eſt febrium diuiſio in ephemeram, putridam & hecticam, quæ alioqui vana & nulla foret: qui autem poſteriorem partem tuentur, hoc potiſſimùm nituntur fundamento quòd morbus ſit perpetuò in corpore viuente, de ſententia Ariſtotel. in libello de ſenſu & ſenſili *cap.*1. qui ſcribit, in carentibus vita neque infirmitatem, neque ſanitatem fieri poſſe: quare cum ſpiritus & humores non viuant, ſiquidem non habent vitales operationes, ex quarum integritate ſanitas, & læſione morbus cognoſcitur, nec liceat ſpiritus & humores aut ſanos aut ægrotos, appellare: concludunt, nec ſpiritus, nec humores, ſed vnam ſubſtantiam cordis verè febris ſubiectum eſſe, neque aliquam febris ſpeciem reperiri, in qua calor præter naturam non in ſubſtantia cordis accenſus fuerit.

Doctiſſimi quidam viri breuibus ſe ex hac difficultate explicant, qui ex vna parte fatentur, ſi verè & exactè hæc res conſideretur, ſpiritus & humores minimè ſubiecta, ſed potius cauſas febris ſtatuendas eſſe, cum reuera nec ſpiritus, nec humores viuant: ex altera autem affirmant, Galenum & cæteros medicos in tradenda ea triplici febrium diuiſione, non ita propriè & exquiſitè veram rerũ naturam conſiderare, ſed communi quadam ratione omnia referre ad finem & officium medici, ad quem præcipuè pertinet, accommodatis præſidiis morbos curare: quare cum medicus à tribus partibus, ſpiritibus, humoribus & ſubſtãtia cordis, varias curandi indicationes eliciat, tales differentiæ debent illi ſatis eſſe, ac ſi propriæ & eſſentiales fuiſſent. Etſi autem hæc reſponſio fortaſſe nobis medicis poſſet ſatis eſſe, veruntamen ego puto neque aliam rationem deeſſe, qua magis accommodatè & ad mentem Galen. poſſimus hanc quæſtionem diſſoluere, antiquam febrium diuiſionem tueri. Itaque vos ſcire velim ex Gal. 1. *de vſu partium* 9. *de diff. morborũ* 6. *&* 8. 1. *meth.* 2. *&* 6. *& aliis locis*, actiones noſtri corporis propriè ad inſtrumẽta pertinere, ſed cum ſingula inſtrumenta ex pluribus partibus ſint compoſita, in vnoquoque inſtrumento vnam tantummodo partem eſſe, & eam quidem ſimilarem quam verè licet actionis auctorem appellare, reliquas verò huic principali parti aliquem vſum afferre: quæ res cum ita ſe habeat, ſiue pars actionis auctor in inſtrumento lædatur, ſiue aliqua pars ex iis quæ vſum præbent, actio planè poteſt vitiari: ex quo Galen. ſcriptum reliquit de diff. morborum 4. morbum non ſolùm actionis, ſed etiam vſus impedimentum eſſe: atque hinc fit, vt non ſolùm læſio partis principalis, ſed etiam alterius vſum præbentis morbus cenſendus ſit, cum læſio vtriuſque partis actioni poſſit noxam inferre: ſed tamen hoc eſt diſcrimen inter huiuſmodi partes, vt Galen. docet de diff. morborum 6. & 8. quòd læſio partis principalis ſemper eſt morbus, læſio verò reliquarum partium vſum præbentium non ſemper morbus, ſed quandoque morbus, quandoque morbi cauſa exiſtit; etenim quotieſcunque lædit actionem, nullo illato detrimento parti præcipuæ, morbus eſt; eſt autem cauſa morbi quando non per ſe & primò, ſed illata noxa parti principali lædit actionem. Oculus, verbi gratia, compoſitus eſt ex multis partibus, tunicis, humoribus, venis, arteriis, &c. inter quas auctor & princeps pars viſionis, quæ propria eſt oculi actio, eſt humor cryſtallinus, reliquæ partes huic ſolum vſum afferunt? itaque ſi contingat, vt principalis pars vitietur, videndique actio lædatur, hic perpetuò eſt morbus; ſi verò aliqua ex cæteris partibus lædatur, vt humor albugineus, quæ lædat actionem non communicata noxa humori cryſtallino, vtique hic morbus fuerit, ſin autem non proximè, ſed communicata noxa parti præcipuæ, lædat actionem, tunc non morbus, ſed morbi cauſa cenſenda eſt.

Ex his quæ diximus, facilè eſt, ni fallor, propoſitam difficultatem diſſoluere. Cum enim ſpiritus & humores ſint partes cordis, quæ principi illius parti vſum afferunt. neque enim ſine ſpiritibus & humoribus calor per vniuerſum corpus diffundi poſſet, ſi vel in ſpiritibus, vel in humoribus calor præter naturam accenſus fuerit, vt propterea actio cordis lædatur; equidem non video, quamobrem huiuſmodi calor & febris, & morbus dici non debeat. Neque verò hinc colligendum eſt, ſpiritum & humorem ægrotare & febricitare, ſiquidem cor laborat & febricitat vitiatis propriis ſpiritibus & humoribus: ſicuti neque dicendum eſt, humorem albugineum, ſed oculum laborare, cum reuera

ſanitas

ſanitas & morbus tribui debeat parti viuenti, vt docet Ariſt. Itaque febrium diuiſio iamdiu tradita & recepta in ephemeram, putridam, hecticam, vt calor præter naturam vel ſpiritus, vel humores, vel ſubſtantiam cordis occupat, ab iſtis nouatoribus nihil debilitatur, ſed debet ſuam firmitatem retinere.

Hæc quæſtio aliam mihi in mentem reuocat, vt intelligamus humanæ mentis imbecillitatem: nam ſicuti alteri omnia genera febrium, refutatis ephemeris & putridis, ad vnum genus nempe ad hecticas conabantur redigere, ita alteri contendunt tria poſita genera non ſatis eſſe, & aſſerunt alias quaſdam febres reperiri, quæ ſub nullo ex tribus generibus poſſunt contineri, quod ita conantur

Fernelius.

demonſtrare. Si febris generetur ex alimentis putreſcentibus in ventriculo, ex vermibus, hæc febris nõ erit putrida, quia nullus humor putreſcit, non ephemera, non hectica, quod patet: ergò, &c. Secundò febres ſynochæ ſine putredine, vt poſteriùs videmus, non ſunt ephemeræ, quia durant plures dies; non putridæ cum nulla adſit putredo, ac multo minus hecticæ. Tertiò, ſi fiat febris putrida, ex putreſcente bile, totúſque prorſus humor euacuetur, ac remaneat febris facile item poteſt demonſtrari; neque hanc ſub aliquo ex tribus generibus poſſe cõtineri. Itaque præter tria genera neceſſe eſt quartum, forte etiam plura addidiſſe. Verùm huiuſmodi rationes haud quidquam valent, & ad primam reſpondeatis, vno verbo, neque alimenta, neque vermes, neque aliud quiduis poſſe vnquam febrem excitare, niſi calor præter naturam vel in ſpiritus, vel in humoribus, vel in ſubſtantia cordis accenſus fuerit. Ad ſecundam reſpondet Galen. 6. *metho. cap.* 1. febres ſynochas ſine putredine reuera ephemeras eſſe, etſi plures dies quàm vnum durant, cum habeant calorem accenſum in ſpiritibus: ſiquidem nomen, *ephemera*, minimè eſt de ſubſtantia huiuſmodi febris, ſed deficiente nomine accommodato clarioris doctrinæ gratia ab eo quòd ſæpius euenit, ephemeræ nomen illi impoſitum eſt: quare natura febris ſynochæ eadem eſt, quæ ephemeræ, nomen tamen non idem eſt. Ad vltimum reſpondeatis, caliditatem remanentem poſt euacuationem humoris putreſcentis febrem putridam eſſe, cũ orta fuerit ex putredine, & tunc eſſe frebrem ſine cauſa: cuius Galen. mentionem facit ſæpenumero: ſed illud addo, ſi hæc febris diutius perſeuerat, iam degenerare in primam ſpeciem febris hecticæ, vt poſteriùs declarabitur. Itaque ſimul cum Gal. Auic. & reliquis probatis medicis, prima genera febrium tria tantummodo, neç plura, neque pauciora ſtatuenda ſunt.

Poſt hæc, dictum eſt, omnem ſubſtantiam tenuium partium faciliùs alterari quàm craſſam, ſpiritus eſſe tenuiſſimos, ſolida corpora craſſiſſima, humores medio modo inter ſpiritus & ſolida ſe habere: quod ſi iſtud verum eſt, colligunt hinc noonulli, febrem ephemeram perpetuò putridam, ac putridam perpetuò hecticam præcedere debuiſſe: quod & res ipſa demonſtrat, & Galen. teſtatur eſſe perſpicuè falſum, cum vnaquæque febris, non ſolùm ephemera, ſed etiam putrida, & ipſa quoque hectica, poſſit primùm hominem inuadere, neque perpetuò ſpiritus, ſed quandoque humores, quandoque & ſolida corpora omnium primum caleſiant.

Ad hanc difficultatem, quam puto arduam eſſe, reſpondent nõnulli interpretes, Gal. intelligere tenuiorem ſubſtantiã faciliùs caliditatem concipere in fieri, ſed non in facto eſſe; ex quo calore in facto eſſe conſtituuntur varia genera febrium: vt ſenſus ſit primùm quidẽ ſpiritus, deinde humores, ac poſtremò ſolida corpora faciliùs incaleſcere, minima autem poni in calefacto eſſe, quo quidem tempore dum huiuſmodi ſubſtantiæ incaleſcunt tantummodo, nondum autem ſunt calefactæ, nulla febris conſiſtit, etiamſi calor valde inſignis fuerit. Et ſi verù hæc reſponſio eſt clariſſimorum hominum, tamen ego nequeo ſatis illam probare: namque ſi facillimus eſt tranſitus caloris ab humoribus & partibus ſolidis ad ſpiritus, non adeò facilis à ſpiritibus ad humores, & partes ſolidas, propterea quia tenuior ſubſtantia faciliùs quàm craſſior alteratur, noo ſatis intelligio, quamobrem iſtud non debeat, & poſſit affirmari tam de calore in fieri, quàm de altero in facto eſſe, cum vtriuſque eadem ſit ratio, neque aliter differant quàm tempore: id quod clarè inſinauit Galen. cum loquit in fine capitis, *non permanet in eo genere quod primũ affectum eſt, ſed ad reliqua duo progreditur; at niſi prius ſolbatur, proceſſu temporis, illa quoque ſimiliter afficit, adeò vt calor qui primùm fuerat in fieri, & erat diſpoſitio, demum permutetur in facto eſſe, & tranſeat in habitum.* Itaque cẽſeo aliter reſpondendum eſſe, qui fateor ſubſtantias tenuiores generaliter ac perpetuò faciliùs alterari quàm craſſiores, quatenus pertinet ad illarum tenuitatem vel craſſitiem, quæ perſpicua eſt ſententia Galeni, neque vllo modo poteſt negari; ſed illud addo fieri poſſe vt aliqua pars craſſior, exempli gratia humores & ſubſtantia cordis, faciliùs incaleſcant, quàm ſpiritus qui ſunt tenuiores, propterea quòd illa aliis ominibus ſunt magis apta ad recipiendam caliditatẽ. Socrates, verbi gratia, ex vna parte habeat natura cor calidum & ſiccum, ex altera parte ſiue propter malam victus rationem, ſiue propter alias cauſas, habeat humores necnon ſpiritus qui continentur in corde, frigidiores: Socrates vehementer iraſcatur, adeò vt incidat in febrem, nulli dubium eſſe debet qoin pars magis apta, ſubſtantia cordis, licet craſſior, faciliùs quam inepti humores & ſpiritus, licet tenuiores, calorem concipiat: quemadmodum ſi ponãtur ad ignem ligna ex vna parte tenuia, ſed humida & viridia, ex altera ligna crſſa, ſed admodum ſicca, veriſimile eſt illum prius accendere craſſa, tanquam paſſum bene diſpoſitum, quàm tenuia, tanquam paſſum minus diſpoſitum, & quod agenti igni magis poteſt reſiſtere.

Poſtremò diximus cum Hipp. & Galen. tres eſſe præcipuas partes noſtri corporis, quas Hip. appellat, *continentia, contenta, & impetum facientia*, nimirum partes ſolidas, humores, ſpiritus: de hiſce eſt breuiſſima dubitatio, quoniam Gal. 11. *meth. cap.* 1. aliam facit diuiſionem, in membra ſolida, in membra carnoſa, & ſpiritus, nulla facta humorum mẽtione: in qua diuiſione videtur, neque Hippocr. neque ſibiipſi conuenire. Hanc dubitationem nonnulli diſſoluunt, dicentes, quoniam Hippocrat. & & Galen. faciunt diuiſionem in ſolida, humores, & ſpiritus, eos voluiſſe demonſtrare partes quæ proxime conſtituũt corpus hominis; quando autẽ Gal. prætermiſſis humoribus diuiſit in ſolida, carnoſa & ſpiritus; voluiſſe indicare partes in quibus virtus conſiſtit & ſuſtentatur; ex quo iure factũ eſt, vt ex diuerſo propoſito diuerſa quoque diuiſio tradita fuerit. Verùm equidem neſcio quanti hæc reſponſio ſit facienda: itaque puto ego reſpondendum eſſe Galenum ſub membro illo quod continet ſubſtantiam carnoſam, humores comprehendere voluiſſe; ſi quidem conſtat, carnes potiſſimùm ex humoribus generari, inquit, enim Galen. 1. *de ſemine ad finem* 3. *de ſimpl. med.* 4. ſicuti ſolidæ partes ex ſemine, ita carnoſæ ex ſanguine & humoribus, tam generationem, quàm nutritionem habent.

Digitized by Google

Cæterum iam tempus eſt vt ad Auicen. reuertamur, in cuius explicatione facilè intelligeris, quantum hæc quæ hactenus declarauimus ex Gal. ad illius intelligentiam ſint accommodata. Itaque Auic. aggreditur diuiſionem febris ex ſubiecta materia, & primùm accipit diuiſionem partium noſtri corporis, traditam ab Hipp. & Gal. in ſolida, humores, ſpiritus: quæ ille accommodat ad balneum artificioſum, quod eſt exemplum ſimile exemplo Gal. nam ſicuti in illo tria fuerant, vas, aqua, aër, ita in balnea, tria ſunt parietes balnei, aqua, & aër, quæ proportione reſpondent, & ferè ſunt eadem cum partibus exempli poſiti à Galeno, ſiquidem parietes membris ſolidis, aqua humoribus, aër ſpiritibus comparantur. Ergo ſi intra calidos balnei parietes effundantur aqua & aër, quæ ſunt frigida, ita vt deinceps à caliditate parietum & aqua, & aër calefiant, hoc eſt exemplum febris hecticæ: ſi parietibus & aëri frigidis infundatur aqua calida, à qua poſtea & aër & parietes incaleſcant, eſt exemplum febris humoralis, ita enim Auicenna appellat febrem putridam; ſi demum parietibus & aquæ frigidis ſuperueniat aër calidus, vnde parietes & aqua calefiant, eſt exemplum febris ephemeræ, in quo quidem poſtremo exemplo Auic. mihi videtur non omni ex parte Gal. mentem aſſecutus fuiſſe, ſiquidem Gal. in ſuo exemplo follis fabrilis non intelligit aërem qui in folle continetur & incluſus permanet, ſed aërem illum intelligit, qui à folle intus ſuſcipiatur, & foras expellitur, quod altero poſteriore exemplo clariùs demonſtrat: Auic. autem videtur intelligere aërem balnei, non qui aſſiduè recipitur & emittitur, ſed qui ſemper moratur in balneo, qua quidem ratione & ſimilitudine nunquam poſſent calefieri humores vel ſubſtantia cordis, quin prius calefierent ipſi ſpiritus: quod patet propterea, quia parietes & aqua balnei nullo modo calefieri poſſent, quin prius calefiat aër qui in balneo continetur, & aſſiduè moratur, quod ſi aër recipiatur & eiiciatur, adeóque renouetur, ſicuti recipitur, eiicitur & renouatur ſpiritus, tunc parietes, & aqua balnei, non calefacto aëre poterunt calefieri, ſicuti manifeſtè demonſtrat exemplum Gal. quod propterea cenſendum eſt longè magis accommodatum ad rem præſentem, quàm ſit exemplum Auicennæ.

Sed nonnulli præterea hac in parte arguunt Auic. quòd enumerando ſpiritus recenſeat ſpiritum naturalem diſtinctum à ſpiritu vitali, qui exiſtimãt ſpiritum naturalem inutilem & ſuperuacaneum eſſe, omniáque opera naturæ perfici mediante ſpiritu vitali, qui continetur in corde, adeo vt pluribus non ſit opus: de qua controuerſia cum nolim in præſentia longiùs agere, quoniam eam multi tractarunt, illud vnum dicam, Gal. de huiuſmodi ſpiritu naturali admodum rarò & timidè locutum eſſe, qui ſcribit 12. *method. c.* 5. ſi naturalis aliquis eſt ſpiritus, illum in iecore & venis contineri. Quod ſi quis de hac re longiorem diſputationem deſiderat, is videat Manardum Ferrarienſem lib. 15. *epiſtolarum* 1. nec non Franciſcum Valeſium Hiſpanum lib. 2. *controuerſiarum* 17. qui cumulatè in hoc argumento verſati ſunt.

Poſt hæc Auic. tradit alias quaſdam febrium diuiſiones, quæ non ſunt illis propriæ, ſed aliis mor-
Morbi acuti. bis communes, quarum illa prima eſt *febres quædã acutæ, quædã non acutæ.* Pro quo ſciendũ eſt, morbos acutos generaliter eſſe illos apud Gal. qui habent duas conditiones; alteram, vt celeriter moueantur; alteram, vt ſint cum periculo: qui quidem ſortiti ſunt varias differentias, etenim primùm quidam acuti, quidam peracuti dicuntur. Acuti trifariam diuiduntur, nam quidam ſimpliciter; hoc eſt, ſine aliqua adiectione acuti dicuntur, qui auctore Hip. 2. *apho.* 23. intra 14. dies indicantur: quidam non ſimpliciter acuti, ſed qui ad 20. vſque diem progrediuntur, vel intra 20. finiuntur: alij verò ſunt qui acuti nominantur, cum hac adiuncta conditione, quod 40. diebus iudicantur, de quibus ſpeciatim Hip. mentionem facit 1. *progn.* 26. Atque hi quidẽ morbi Gal. alio nomine ex degeneratione & mutatione in aliam ſpeciem, nonnullis interpretibus acuti ex decidentia dicuntur, quòd nimirum per imperfectas indicationes ab vna ſpecie ad aliam degenerent & tranſmutentur, vt ſi pleuritidis in ſuppurationem tranſeat.

Morbi autem peracuti rurſum alij ſimpliciter *Peracuti.*
vel exquiſitè acuti nominantur, qui vltra diem quartam non extenduntur, quos aliter barbari peracutos appellant: alij non ſimpliciter, vel non exquiſitè ſunt peracuti, qui quartam diem excedunt, & ad ſeptimã non rarò producuntur. Hæc de morbis acutis doctrina eſt Gal. quam nos collegimus ex 2. aphor. 19. 2. de diebus criticis 12. 3. de diebus criticis vltim. Itaque febres aliæ ſunt acutæ, id eſt, celeris motus & periculoſæ; aliæ ſunt non acutæ, quæ carent & celeritate & periculo. Sequitur Auic.

Et de eis ſunt chronicæ, & de eis ſunt non chronicæ. Siue hæc ſit ſecunda diuiſio, ſeu potius ſit ſubdiuiſio febrium non acutarum, non multum laboro; febres ergo aliæ ſunt chronicæ vel longæ, aliæ ſunt non chronicæ, vel breues: longæ ſunt, quæ morborum acutorum terminum tranſcendunt, qualis eſt febris quartana: breues, quæ citiùs terminantur, qualis eſt febris ephemera. Ex quo loco id colligatis malè nec per oppoſita membra medicos diuidere in acutos & chronicos: in quem errorem multi hoc tempore incurrunt. cum reuera illos diuidere oporteat in acutos & non acutos, ſicuti febres diuiduntur ab Auicen. quem errorem arguit Gal. 3. *de diebus criticis cap. vlt.*

Tertia eſt diuiſio Auicen *febres aliæ ſunt diurnæ, aliæ nocturnæ*: quæ diuiſio fuit Hip. 1. epid. ſecto. 3. text. 2. & 6. Galen. verò interpretatur febrem diurnam, quæ habet acceſſionem in die; nocturnam, quæ habet acceſſionem in nocte, ex quibus placet Hippocrat. febrem diurnam eſſe nocturna deteriorem, cuius ſententiæ Galen. duplicem affert rationem. Prima, quòd acceſſio in die ſit difficilior & malignior, cum hoc tempore corpus conſtringatur & denſetur, quando digeri & rarefieri magis conſueuit: ſiquidem omnibus affectionibus accidit eſſe grauioribus eo tempore, ſecundùm quod non congruunt, quàm illo ſecundùm quod congruunt, vt eſt aphoriſ. Hipp. aphoriſ. 34. Altera eſt ratio, quòd febris diurna minùs quàm nocturna ſit ad curationem accommodata. propterea quia paroxyſmi occupant tempus diurnum, vnde ſolum tempus nocturnum ſuperſit cibis & medicamentis: quare inquit Galen. cum nullus quieti ſomnóque derelinquatur locus, huiuſmodi ægroti veſpertilionis more vitam coguntur agere, non hominis.

Quarta eſt diuiſio, *febres aliæ ſunt ſalubres, aliæ ſunt habentes horribilia accidentia*: qua diuiſione ego puto Auic. diſtinguere voluiſſe febrem benignam & malignam: benigna eſt febris ephemera, maligna eſt febris peſtilens, & fortè hanc diuiſionem accepit ab Hip. 3. *progn* 2. qui ex vna parte ponit febres ſimpliciſſimas, ac ſignis firmatas ſecuriſſimis, quas Gal. *in com.* interpretatur benignas: ex altera febres deterrimas, & cum ſignis grauiſſimis, quas idem Gal. malignas appellat: ſicuti homines quoque ſimplices ac benigni dicuntur, qui honeſtos probóſque habent mores; contra maligni, qui vitiuſis improbiſque moribus imbuti ſunt.

Quinta ſequitur diuiſio, *febres aliæ ſunt continuæ, aliæ intermittentes.* Continuæ quædam habent intenſionem & remiſſionem, quædam ſunt ſui ſimiles: quæ diuiſio tradita eſt à Gal. 2. *de diff. feb.* 2. qui longè magis perſpicuè & accuratè diuiſioné facit hunc in modum: *febres aliæ ſunt intermittentes, aliæ cõtinuæ:* febris intermittens illa eſt, quæ ad ſenſibilem integritatem, vel vt vulgo aiunt, infebricitationem peruenit, atque hæc febris generatur ex humore qui extra vaſa conſiſtit, & per vniuerſum corpus defertur: continua contrà eſt, quæ ad integritatem vel infebricitationem non peruenit, & procreatur ex humore qui in vaſis includitur & continetur.

Porrò febrium intermittentium tres ſunt vniuerſæ differentiæ, *quotidiana, tertiana, & quartana;* quotidiana ex pituita, putrida: tertiana ex flaua bile, quartana ex melancholia generatur. Continuarum autem duplex eſt genus, vnum earum quæ Græcè *ſynochi*, Latinè dicuntur *continentes*, quarum totum tempus vnica eſt acceſſio, quæ à principio vſque ad finem perdurat: atque harum tres exiſtunt differentiæ, quædam enim à principio vſque ad finem æquales permanent Græci ὁμότονοι *æqualiter affligentes, & vrgentes* nominant: quædam paulatim decreſcunt à principio vſque ad finem, quas Græcè παρακμαστικὰς *inclinantes* nominant: nonnullæ contrà paulatim augentur, quas ἐπακμαστικὰς *increſcentes, inualentes* appellant de quibus late ſcribit Gal. 2. *de criſib. cap. 6. 9. meth.* 4. Alterum eſt genus earum febrium, quæ nomine generis continuæ dictæ multis particularibus circuitibus continentur, atque earum quoque duæ ſunt primæ differentiæ: namque aliæ tertia ſolùm die acceſſionem habent, tertianæ naturam referentes, vulgo *proportionales*: vel *proportionata tertiana* nominantur: aliæ verò etiam die intermedia alteram acceſſionem inferunt, quæ nullum proprium & peculiare nomen obtinent, quarum quædam ſub forma procedunt febris quotidianæ, duas quotidie ſimiles acceſſiones facientes, aliæ verò in forma duarum tertianarum, aliæ demum, rarò tamen euenientes, quæ nequaquam ad integritatem deuenientes, in forma circuitus procedunt. Hæc febrium diuiſio eſt Galeni, quam nõ ignoro multas, & illas quidem arduas difficultates continere, ſed omnia non poſſunt in omnibus locis accuratè explicari: de hac igitur re planiùs & pleniùs tractabimus loco opportuniore.

Apud Auicen. duæ reſtant febris diuiſiones, altera eſt: *Febres nonnullæ ſunt calidæ, nonnullæ frigidæ,* habentes rigores aut horripilationem; quæ pars duplicem poteſt habere interpretationem, vnam huiuſmodi: aliquæ febres ſunt calidæ, hoc eſt, inuadunt & habent acceſſionem cum calore, ſine frigore; aliquæ ſunt frigidæ, hoc eſt, inuadunt cum frigore vel horripilatione: altera eſt interpretatio, vt ego puto, verior & magis ad mentem Galeni, quæ eſt talis: *aliquæ febres ſunt calidæ*, in quibus per totam febrem perſentitur ſola caliditas: *aliquæ ſunt frigidæ*, in quibus per totam acceſſionem non modò calor, ſed etiam frigus perſentitur. Nam Galen. explicans ſententiam quandam Hippoc. ſcribentis nonnullos ægros infeſtari febribus viſficis, 1. *epid. ſect.* 1. 24. inquit, minimè illas intelligendas eſſe, quæ à principio inuadunt cum horrore, ſed eas potius, in quibus per totam ferè acceſſionem horrores producuntur perſeuerantque, quales ſunt febres epialæ, de quibus aliàs tractabimus.

Vltima eſt diuiſio: *Aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ*: febris ſimplex illa dicitur, quæ cum alia non iungitur, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſi generis & ſpeciei: compoſita autem, in qua vel diuerſa genera, vel diuerſæ ſpecies ſimul coniunguntur, de qua compoſitione & mixtione tractat Galen. 2. *de criſibus cap.* 7. ac multis in locis, & non aliàs quoque tractabimus.

Capvt II.

De Corporibus ad Febrem diſpoſitis.

Avicenna data definitione & diuiſione febris, porrò agit de corporibus præparatis ad febrem: & quamuis videatur loqui de ſententia aliorum, quam neque probat, neque reprobat, vt fortè neſcias quid ipſe hac de re ſibi velit, vtcunque ſit, mihi videor poſſe colligere ſummam huius doctrinæ quinque concluſionibus, quæ ſunt huiuſmodi.

Prima, corpora magis præparata ad febrem ſunt calida & humida, & propriè cum humiditas eſt vehementior caliditate, etenim talia corpora habent fœtidos ſudores, vrinas, excrementa, & omnibus modis proxima accedunt ad putredinem.

Secunda, corpora calida & ſicca ſecundo loco ſunt præparata ad febres acutas, in quibus primùm incipiunt febres ephemeræ, deinde ſequuntur putridæ, & quandoque hecticæ.

Tertia, poſt hæc ſequuntur corpora calida tantùm ſine exceſſu humiditatis, & ſiccitatis, in quibus incipit primùm febris ephemera, quæ poſtea permutatur ad putridam.

Quarta, iis ſuccedunt corpora humida ſine exceſſu caloris & frigoris, quibus maiori ex parte accidunt febres putridæ incipientes.

Quinta, corpora frigida & humida, necnon frigida & ſicca, ſunt minus præparata ad febrem, & potiſſimùm ad ephemeram. Hæc Auicen. quæ quidem continent arduas difficultates, quas quidem vt rectè poſſimus intelligere & diſſoluere, ex noſtro inſtituto, mihi liceat ex Gal. nonnulla pauló altiùs repetere.

Itaque ſcribit Galen. 1. *de diff. feb.* 7. *lib. de cauſis procatarcticis, & aliis locis*, nullam cauſam corpus afficere aliquo modo poſſe, niſi illud ad patiendum paratum & diſpoſitum fuerit: quod apud philoſophos quoque vulgare & certum eſt: deinde medicos admonet, vt velint diligenter animum adhibere, & ſcrutari ſingulas cauſas, quæ præcipuè ſolent morbos committere, necnon affectus corporis qui ipſis cauſis conſentiunt aut repugnant, vt illi imminentia mala poſſint præcauere: ad quem modum cum Gal. didiciſſet iam diu ex Hip & ratione, calidam & humidam aëris conſtitutionem peſtem minari, ac ſatis intelligeret, corpora referta excrementis & malè tranſpirabilia facilè in hanc labem incurrere, quam primum mala illa conſtitutio ſuperueniſſet, corpora humida exiccabat, repleta vacuabat, impura expurgabat, obſtructa aperiebat, & ita ab imminente peſte immunia reddebat. Ex quo licet colligere, hanc tractationem eſſe quàm maximè vtilem, atque Auic. meritò de corporibus præparatis ad febrem agere voluiſſe: ſiquidem huiuſmodi cognitio facit non ſolùm ad præſeruationem, ſed etiam ad prognoſticum: namque ſicut docent Hipp. & Galen. 2 aph. 34. Si febris reſpondeat temperamento, tunc erit minus periculoſa; ſi contrà abſit à temperamento, tunc difficilior & periculoſior cenſenda erit: quamobrem neque Gal. hanc partem prætermiſit, qui accuratè docet quænam corpora magis aut minus ſint ad febres præparata: itaque ſcribit ad hunc modum 8. meth. 8. *Cum octo ſint corporis intemperies, opportunæ ad febres, eſt calida & ſicca, huic propinqua eſt intemperies calida & humida: tertia ab iis intemperies eſt ſimplex, calida ſine vllo exceſſu humiditatis & ſiccitatis: huic proxima eſt intemperies item ſimplex, nimirum ſicca ſine exceſſu caloris & frigoris: poſt has ſequitur*

quæ omnium media eſt, & in vtraque oppoſitione mediocritatem ſeruat: quatuor quæ reliquæ ſunt intemperies, minus facilè cæteris omnibus febribus corripiuntur. Hæc doctrina eſt Galeni, quæ maximè conuenit cum rei natura, vt facilè poteſt demonſtrari: etenim corpora calida & ſicca facillimè omnium febre corripiuntur, quoniam calor qui perpetuò ſiccat, vt iam vidimus, illius naturæ maximè congruit.

Corpora calida & humida ſunt in ſecundo loco, quia tametſi ex proportione ad febrem potiſſimùm debuiſſent calida tantùm recenſeri, tamen ſimul cum caliditate facit ad facilem alterationem, potiſſimúmque ad caliditatem, propter copiam ſanguinis quæ in hac temperatura generatur. Corpora calida tantùm deinceps recenſentur ante ſicca quia tametſi duæ qualitates, calida & ſicca, habeant maximam analogiam cum febre, tamen calor multo plus facit ad facilem paſſionem; & quoniam eſt potentiſſima qualitatum, & quoniam eſſentia febris potiſſimùm in calore conſiſtit, vt ſuprà diximus. Has quatuor intemperies mediocris temperies ſtatim ſequitur: nàm reliquæ poſteriores quatuor frigida & ſicca, frigida tantùm, humida tantùm, frigida & humida, longiùs diſtant quàm mediocris à morbo calido & ſicco, quod ſine longiore explicatione facile poteſt intelligi & demonſtrari. Neque debet quis veſtrum mirari de Galen. qui aſſerit hominem temperatum faciliùs corripi febre quàm hominem intemperatum: nam iſtud ratio facile poteſt perſuadere, quam ille reddit libello de optima corporis conſtitutione: etenim tametſi verum eſt, hominem temperatum & optimè conſtitutum probè ad vnamquamque actionem ſe habere, & difficiliùs quàm cætera corpora morbis corripi conſueuiſſe, tamen neque id negandum eſt, hunc hominem temperatum, qui generaliter, atque, vt loquuntur, collectiuè omnibus cauſis morbificis magis quàm cæteri homines poſſunt reſiſtere particulatim & ſeparatim in quibuſdam cauſis nonnullis hominibus inferiorem eſſe, adeò vt iure ſtatutum ſit, corpora frigida & humida, & reliqua id genus, quæ ſine dubitatione communiter magis quàm temperata, ſunt morbis obnoxia, quatenus ad vnas febres pertinet, minùs facilè & promptè in illas incidere, cum certum ſit, frigidum & humidum longius abeſſe à calido & ſicco, quàm temperatum, id hoc ordine veluti quadam tabula deſcribi poteſt: 1. calida & ſicca 2. calida & humida. 3. calida tantùm. 4. ſicca tantùm. 5. temperata. 6. frigida & ſicca. 7. frigida tantùm. 8. humida tantùm 9. frigida & humida.

Sed remanet adhuc neſcio quæ difficultas: nam Galen. omni ex parte hac in re ſibiipſi non videtur conuenire, qui ſcribit hæc ipſa verba, 8 metho. 7. *Intemperies calida & humida maximè omnium putredinis morbis expoſita eſt, propterea per ipſam ſanitatem proximè ad putredinem accedit, veluti conijcere eſt tum ex ſudoribus, qui grauiter olent, tum ex vrinis, deiectione, atque etiam ipſa expiratione: etenim qualis hircorum, talis eſt talium naturarum temperies: ideóque ex qualibet occaſione prompta eſt tum aliis morbis, tum verò febribus corripi.* Hactenus Galen. Ac reuera ſi ipſam rem conſideremus, nulli dubium eſt quin huiuſmodi intemperies maximè omnium omnibus morborum generibus ſit obnoxia, quod longa oratione demonſtrat Galen. 1. *de temperamentis*, a cap. 4 vſque ad 8. vbi multi ex Hip. loci afferuntur, ex quibus apparet, conſtitutiones anni calidas & humidas eſſe quam maximè putredini obnoxias, graueſque & peſtilentes morbos efficere. Hæc itaque non videntur conuenire cum iis, quæ de illius ſententia iam diximus, ſtatuentes corpora calida & ſicca inter omnia corpora & temperamenta in propenſionem ad febrem, principem locum obtinere. Sed etiam ipſe Auicenna videtur in hanc inconſtantiam incidiſſe, qui conſtituens in præſenti cap. corpora calida & humida eſſe magis quam cætera ad febrem præparata, de qua ſententia illi conuenit cum Gal. Poſtremò hoc loco, paulò poſt, nimirum *cap. 1. de febre ephemera*, aliter hanc rem determinat, qui in primo ordine ponit corpora calida, & ſicca: in ſecundo calida & humida: in tertio calida tantum: in quarto ſicca tantùm: quo loco Auic. videtur non ſolùm priorem Gal. ſententiam imitari, ſed etiam propria illius verba tranſcribere, præterquam quod prætermittit corpora temperata, quæ non fuerant à Gal. prætermiſſa: quare Gal. & Auic. & alter ab altero, & vterque à ſeipſo videtur diſſentire. Nonnulli interpretes ad diſſoluendam hanc difficultatem & repugnantiam ita ſtatuunt, Gal. & Auic. quando ponunt in primo loco corpora calida & ſicca, ac deinceps reliqua, ſermonem habere de corporibus præparatis ad febrem non ſimpliciter, ſed ſpeciatim ad febres ephemeras: quando autem primùm collocant corpora calida & humida, eos intelligere de corporibus præparatis ad febres putridas: quæ quidem reſponſio, mea ſententia, non caret nouis litibus, quas cum nolim longius agitare, illud vnum mihi eſto ſatis in præſentia, quod pertinet ad Gal. illum verè 8. metho 7. loqui de corporibus præparatis ad febres putridas, quod ſeries orationis manifeſtè confirmat, & ideo ſumma cum ratione cæteris corporibus antepoſuiſſe calida & humida, cum certum ſit, in iis duabus qualitatibus vniuerſæ putredinis ſeminarium conſiſtere: capite autem ſequenti 8. illum ſermonem habere de corporibus præparatis ad febrem, generaliter, aut ſaltem ad plura genera febrium, nempe ephemeras atque hecticas, & idcirco illum temperatorum corporum ordinem diſpoſuiſſe, quem diximus rei naturæ magis conuenientem eſſe. Quod ſi, quemadmodum fecimus ex Gal. de corporibus in vniuerſum paratis ad febrem, quis veſtrum cupiat pariter certum ordinem eorum corporum, quæ ſpeciatim ſint magis parata ad febres putridas, cum Gal. duntaxat corporis calidi & humidi mentionem faciat, equidem cenſeo hunc ordinem conſtitui poſſe. 1. calida & humida 2. calida & ſicca. 3. humida tantùm. 4. calida tantùm 5. temperata. 6. frigida & humida. 7. frigida tantùm 8. ſicca tantùm, vltimò frigida & ſicca. Quorum omnium facile poterit vnuſquiſque rationem reddere, quicumque ſingulas huiuſmodi temperies voluerit referre ad ipſam putredinem, & perpendere, quatenus vnaquæque, vel propiùs ad eam accedit, vel longiùs ab ea recedit, vt pluribus non ſit opus. Quod verò pertinet ad Auicen. ſi ille quoque diuerſum habuit ſcribendi propoſitum, ſicuti habuit Gal. eadem ratione facile poteſt conciliari & defendi, verùm etſi negari non debet, qui ille in duobus propoſitis locis non idem voluerit tractare, tamen ſi hæc res diligenter conſideretur, forte aſſerendum eſt, Auic. non omni ex parte Gal. mentem atque ordinem aſſequutum fuiſſe: namque in præſenti capite, vbi primùm ponit corpora calida & humida. quæ Gal. docet in primis parata eſſe ad febres putridas, ille contrà videtur tractare de corporibus præparatis ad febrem in vniuerſum, poſteriùs autem c. 6. vbi primo loco ponit corpora calida & ſicca, quæ Galen. conſtituit principem locum obtinere inter corpora & temperamenta generaliter ad febres præparata, certum eſt, illum particulatim loqui de corporibus & temperamentis præparatis ad febres ephemeras, præterquam quod prætermittit corpora temperata & in aliis quoque recedit à doctrina Gal. adeo vt

mea

mea ſententia vix Auic. ſibi ipſi & Gal. verè coſſit conciliari. Atque hactenus de 2. cap.

Capvt III.

De temporibus febrium.

SI caput hoc tertium & alterum ſequens, quod agit de dignoſcendis communibus temporibus morborum, & præcipuè ſtatus, accurate vellem explicare, & diſputare omnes quæſtiones, quæ ab interpretibus ſolent agitari, non ſufficerent triginta lectiones, vnde & ephemeræ, & cæteræ febres nos tardiùs expectarent: itaque in iis duobus capitibus explicandis mihi ſtatutum eſt breuiter, ac ferè ſummarim agere, & illa tantum examinare, quæ videbuntur vtiliora. Quod itaque pertinet ad præſens caput, ſciendum eſt Galenũ compoſuiſſe duos libellos, vnum de temporibus morborum, alterum de totiùs morbi temporibus, etſi fortaſſe, vt id obiter vos moneam, ſimul in vnũ debent coniungi, cum eandem rem tractent, & Gal. affirmet lib. *de propriis libris*, nec non 6. *epid. ſect.* 2. 17. ſe de argumento hoc vnum tantum librum compoſuiſſe, ſiue igitur ſint duo, ſiue vnus, hinc omnia colligi poſſunt, quæcunque ab Auic. in præſentia proponuntur, quos propterea libellos, vos hortor, vt attentè legaris. Videtur autem Auic. in præſenti cap. tria facere: primùm, diuidere tempora febrium: ſecundò, vnumquodque eorum declarare: tertiò, quaſdã regulas afferre, quæ ad huiuſmodi cognitionẽ ſunt maximè vtiles: itaque incipit hũc in modũ:

Febrium horæ ſunt ſicuti reliquarum ægritudinem. Ante omnia ſciendum eſt, tempus morbi non eſſe, niſi illius partem aut ætatem, quæ varia quadam ſucceſſione & progreſſione in alium atque alium morem mutantur, ſicuti animantia facere ſolent: nam quemadmodum hæc primùm genita augentur, vſque ad vigorẽ, in hoc aliquamdiu coſiſtunt, ac deinceps incipiunt contabeſcere, & ad extremam vſque corruptionem, declinare, dũmodo omnes ætates pertráſeant. ita quoq; ſinguli morbi in prima eorum conſtitutione ad vigorem vſque increſcunt, in hoc aliquantum permanent, ac demum decreſcunt ac diſſoluuntur. Sunt autem huiuſmodi tempora morborum duplicia, nonnulla vniuerſalia cuiuſque morbi, nonnulla particularia ſingularum acceſſionum, quorum quidem vtrorumque temporũ cognitio medico eſt maximè vtilis & neceſſaria, partim ad prognoſticum, partim ad curationẽ. Nãque primùm ſi quis ignorauerit tempora morbi, ſi nullo pacto poteſt intelligere & prædicere, quo tẽpore æger verſetur in periculo, vel periculum effugerit, morique aut ſanari poſſit, ſiquidem non in quolibet morbi tempore ægri poſſunt aut ſanari, aut interire, vt ſtatim videbimus, neque item is poterit de bonitate vel malitia criſis iudicium facere, quandoquidem vt Gal. docet 3. *de criſib. c.* 5. ſtatus morbi omniũ criſiũ eſt regula & norma, quod in eo non niſi optimũ iudicium ſoleat fieri, adeo vt quãto iudicium vigori eſt proximiùs, tanto melius, quanto magis ab illo diſtat, tanto deterius cenſendũ ſit.

Vtilitas huius cognitionis.

Deinde certum eſt, pro varietate temporum morbi variam quoque & victus & cæterorum præſidiorum rationem competere, quod præclarè monſtrat aphor ex 1. lib. 8 9. 22. ex 2. lib 29. Sed redeo ad Auic. cuius ſententia præſenti capite, quadam veluti noſtra paraphraſi, talis eſt.

Tempora febrium, ſicuti cæterorum morborum, ſunt quatuor, principium, augmentum, ſtatus, & declinatio. Sunt autem huiuſmodi tempora duplicia, quædam vniuerſalia, quæ pertinent ad vniuerſum morbum; quædam particularia, quæ tantummodo in paroxyſmis conſpiciuntur, in quibus quidem temporibus maximum eſt periculum, ac maximè timendum à principio vſque ad ſtatum: ſiquidem in declinatione, quatenus attinet ad ipſam febrem, fieri non poteſt, vt æger moriatur. Auic. hanc totam partem accepit à Gal. 1. *de criſibus. cap.* 2. Quoniam verò non ſatis eſt, hæc tempora confusè & generaliter nouiſſe, idcirco de ſingulis ordine agendum eſt. Itaque principium eſt pars morbi, in qua calor natiuus ferè præfocatur à materia, neque illi dominatur, neque vlla apparent veſtigia concoctionis: de quo quidem principio ita habendũ eſt, illud in omni ſanè morbo reperiri, ſed quandoque ita obſcurum & occultum eſſe, vt vix diſcernatur, ſicuti contingit in febre ſynocho, epilepſia, apoplexia, & ſimilibus: id quod euenit propter duas rationes, alteram, quòd tunc pauca comparãt ſymptomata: alteram, quòd in prima die appareant in vrina nonnulla indicia coctionis. Hanc partem Auic. accepit ex Gal. 1. *de criſib. c.* 1. 17. 19. 20. nec non 2. *de diff. feb. vlt. de temp. morb.* 4. His mihi liceat addere ex Gal. *aph.* 12. 1. *de criſi.* 19 1 *prog.* 9. principium morbi apud medicos trifariam vſurpari; vno modo, pro primo inſultu, vel prima morbi inuaſione, quæ ſimplex eſt, & omni latitudine caret; ſecundo, pro eo quod latitudinem continet, & vſque ad tertiam vel quartam diem prorogatur; tertio, pro eá parte totius morbi, quæ non dierum numero, ſed ſignis concoctioois determinatur. Ex quibus cum duæ primæ ſignificationes à vulgari opinione deſumptæ ſint ſolam tertiam Auic. Gal. ac medici intelligere ac tractare ſolent.

Principium morbi quid.

Augmẽtum.

Alterũ tempus quod principium ſtatim ſequitur, augmentum vel incrementum dicitur illudque eſt in quo calor natiuus manifeſtè mouetur ad ſuperandam materiam noxiam, & apparent ſigna concoctionis, aut ſigna contraria coctioni. Hanc ipſam augmenti deſcriptionem habetis apud Gal. de totius morbi tempor. 3. 1. *de criſib.* 17. qui ſcribit illud eſſe, in quo apparent manifeſta ſigna concoctionis. Pro quo ſciendum eſt; hæc tria reperiri, coctionem perfectam, coctionem manifeſtam, coctionem obſcuram. Perfecta concoctio eſt Gal. quando in vrinis ſubſidet aliquid album, leue, æquale & continuum. Obſcura eſt, quando ex aquoſa vrina fit mediocriter ſubpallida, etſi turbida fuerit, taliſque perſeueret. Manifeſta verò ſigna concoctionis vocantur, quæ ſunt in medio inter ea quæ obſcura & perfecta dicuntur. Exempli gratia, cum in vrina apparet nebula ſola, aut quædam bona ſubligamenta. Itaque ſigna concoctionis minimè, quæ ſunt debilia & obſcura, ſed quæ ſint manifeſta, indicant morbi principium præteriiſſe, & augmentum demonſtrant. Quod autem addit Auic. de ſignis contrariis coctioni, explicatur à Galen. de totius morbi temporib. 6. qui docet in morbo lethali augmentum conſtitui non coctione, vt fit in morbo ſalutari, ſed ſignis contrariis coctioni, veluti ſi vrina fuerit non ſolum omni ex parte cruda, ſed etiam habeat nebulam nigram, tunc dicimus principium morbi lethalis præteriiſſe, & augmentum ſecutum eſſe, cum eiuſmodi nigrities ſit ſignum plene contrarium concoctioni.

Vigor.

Tertium tempus eſt vehementiſſima pars morbi, quę vigor vel ſtatus appellatur, in quo eſt vehemẽs pugna & duellum inter naturam & noxiam materiam: etenim hoc tẽpore agitur de ſumma rerum, adeo vt neceſſe ſit vel naturá de materia vel materiam de natura victoriam conſequi, atque hoc ſanè tempus in morbis acutis vno tantùm conſtat paroxyſmo, qui non cognoſcitur, niſi per poſteriores paroxyſmos: in morbis autem non acutis ex pluri-

Digitized by Google

bus paroxyſmis poteſt conſtare. Hæc pariter apud Gal. 1. *de criſib. c.* 1 & 8. & 3. *de criſib.* 5. qui ſcribit, vigorẽ eſſe vehemẽtiſſimã partem totius morbi, atq; hoc tẽpore exquiſitã coctionem fieri, id quod antea traditũ fuerat ab Hip. 2. *aph.* 30. circa initia & fines: Omnia imbecilliora, in ſtatu autem fortiora. Quod verò dicitur ab Auicenna de differentia vigoris in morbis acutis & non acutis, paulò aliter ac veriùs explicatur a Galeno 1. *de criſib.* 10. qui ſcribit vſu venire in morbis acutis, vt nonnunquam duæ acceſſiones, quæ aliarum maximæ ſint, tum inter ſe æquales, non nunquam vnica tantùm, quæ omniũ tum præcedentiũ, tum ſequentiũ, maior exiſtat vigoris tẽpus circũſcribant, adeo vt nullo modo in huiuſmodi morbis ad tres acceſſiones vigoris tempus protrahi poſſit: contra autem contingere in morbis diuturnis, vt non modò ad tres acceſſiones, ſed ad lõgè plurimas vigor extẽdatur: quod omnib. in confeſſo eſt, & experiẽtia cõfirmat ſæpenumero.

clinatio.

Quarta & vltima eſt pars morbi, quæ declinatio dicitur. in qua calor natiuus iam dominatur materiei, illamque perfectè ſuperauit, quare illius partem poſt partem expellit, & quæcunque eſt interna caliditas, ad partes externas & ignobiliores diffunditur. Hunc ego puto eſſe verum ſenſum verborum Auic. quæ cũ ſint apud illũ ſatis obſcura, à nonnullis interpretibus aliter fuerint expoſita, nẽpe quòd natura in declinatione in eo potiſſimùm verſatur, vt expellat ac ſeparet bonam à mala materia, & illã criticè expellat: quæ ſententia & expoſitio manifeſtè repugnat Galeno 3. *de criſib.* 5. qui ſcriptũ reliquit, fieri non poſſe, vt morbi qui in vigore non iudicati fuerint, deinceps in declinatione iudicentur; ſiquidem quicunque ſemel vigoris tẽpus trãſgreſſi fuerint, ij paulatim minimè ſemel & per criſim ſoluuntur: ex quo Galeni loco nihil dubito, quin Auic. hanc partem tranſcripſerit. Quod ſi natura in declinatione nequit criſim efficere, vt neque illa hoc tempore occupetur in ſeparatione congregationis materiæ neceſſe eſt: namque iſt hæc omnia fiunt ante declinationem, docente Galeno 4 *apho. com.* 22 ad bonam criſim neceſſe eſt, vt præcedat concoctio, deinde ſeparatio, ac demum vacuatio ſubſequatur, quod ſpeciatim notandum eſt propter nonnullos, vel ſuperſtitioſos, vel ignaros medicos qui in declinatione non audent dare medicamenta in die citrica, timentes, ne ipſa quoque natura tunc temporis aliquam criſim aggrediatur; quod fieri nullo modo poteſt. Hactenus Auicenna de quatuor morbi temporibus.

In poſtrema parte huius capitis Auicenna ponit quatuor canones ſiue regulas, quæ ſunt accommodatæ ad cognoſcenda tempora morborum, quarum prima eſt huiuſmodi: Vigor in morbis varius eſt, etenim quandoque ille eſt propinquus, vt in die quarta vel ſeptima, quandoque eſt longior, vt 14. 20. qui propterea facit diuiſionem morborũ, quam ferè ad verbum tranſcribit ex Galen. 2. *de diebus criticis* 12. & *libro* 3. *vltimo.* de qua diuiſione nos ſupra diximus, tranctantes primam diuiſionem ex illis quæ ſunt communes cæteris morbis, vt in præſentia non oporteat eadem repetere.

Secunda eſt regula: Cognitio morborum acutorũ, & non acutorum maximè confert ad probam inſtituendã victus rationem. Quæ regula eſt manifeſtiſſima, ſiquidem alius victus conuenit iis morbis, qui finiunt in die quarta vel ſeptima, alius illis qui terminantur in 14. vel 20. quod iamdiu ab Hip. quoque & Gal. traditum eſt 1. apho. plurib. apho.

Tertia eſt: Plures febres habent vnam acceſſionem, quæ conſtat tribus temporibus, principio, augmento, & vigore, & alteram quæ perficit declinationẽ. Quæ pariter fuit ſentẽtia Gal 1. *de criſib.* 17.

Quarta & vltima eſt regula: Febres habent ſuã tempora inter ſe admodum varia, etenim quædam habent augmentum diuturnum, quædam diuturnam declinationem, reliqua tempora breuia, & ſic de cæteris: quod manifeſtè apparet in febribus ſynochis, quarum aliæ ſemper creſcunt, aliæ permanent in eodem ſtatu, & aliæ ſemper declinant, vt Gal. docet 9. *method.* 2. & nos ſuprà diximus.

Ex tertio capite iam expoſito multæ emergunt difficultates, ex quibus mihi libet tres tantummodo ſeligere digniores & vtiliores Prima eſt. vtrùm omnis morbus habeat quatuor tempora, principium, incrementum, ſtatum & declinationem Secunda vtrùm æger mori poſſit in declinatione. *An omnis morbus quatuor tempora habeat.* Tertia vtrùm morbus ſit maior in vigore, quàm cæteris temporibus. Quatenus pertinet ad primam, multa ſolent in medium proferri, quæ videntur demonſtrare, quoſdam morbos non habere quatuor tempora, in quibus referendis nolo tempus conſumere; ſiquidem cognita veritate facilè omnes falſitates euaneſcunt. Itaque ad mentem Auic. & Gal. ita habendum eſt, omnes morbos ſalutares neceſſariò quatuor tempora continere, etſi nonnulla aliquando ſunt adeo breuia, obſcura & momentanea, vt vix diſcerni poſſint: quæ quidem doctrina apud Gal. eſt adeo certa, vt illa in iis quoque qui violenta morte pereunt, quatuor hæc tempora videatur agnoſcere: quod decretum duobus Gal. locis ex li. *de totius morbi temporibus,* omni luce clarioribus, ex quãplurimis mihi liceat confirmare. Primus eſt, c. 1. & incipit hunc in modum. *Qualis res eſt animalibus differentia ſecundùm ætates, tales ſũt tẽpora morbis. Et finis eſt: dũ pro augmẽti portione decreſcente in totum diſſoluuntur.* Quam partem Gal. forte accepit ex Plat. qui ſcribit in Timæo ad finem, ſingulos morbos, ſicuti ſingula animalia ſuas ætates & fatalia temporũ curricula continere. Alter eſt locus c. 4. huius eſt principium: *Quidam morbi ſtatim ſimul atque vrgent, inuadere videntur. Finis: veluti ſi chirurgus partem aliquam incidat.* Ex iis duobus locis puto eſſe neminem, qui non facile poſſit reſpondere ad illa omnia, quæ contra ſolent afferri, cum in rei veritate pro comperto habendum ſit, omnes morbos ſalubres quatuor tempora, ſiue breuia, ſiue longa, ſiue obſcura, ſiue manifeſta continere.

Quare ſtatim venio ad alteram quæſtionẽ, vtrùm æger poſſit interire in morbi declinatione, quam ſicuti de altera factum eſt, mihi libeat paucis verbis diſſoluere. *An æger mori poſſit in declinatione.* Ergo ſicuti non omnia animantia perueniunt vſque ad extremam ſenectutem, omneſque ætates pertranſeunt, ita nec morbi omnes, vel propter ſuam malitiam, vel propter ægri imbecillitatem, vel propter alias cauſas, ſingula ſua tempora poſſunt attingere; quare ſunt morbi qui vnum tantummodo tempus, nempe principium; ſunt qui duo, principium & augmentum; ſunt qui tria, principium, augmentum, & vigorem habent. Namque vt ſcribit Gal. 3. *de criſib. c.* 6. & 9. mors in tribus temporibus accidit, principio, augmento, & vigore: itaque ex morbis lethalibus nullus quatuor tempora poteſt habere, adeo, vt concludendum ſit, poſt vigorem neminem poſſe mori in morbi declinatione. Verùm ſunt nonnulli, qui contrariam ſententiam conantur defendere, multa afferentes quæ videntur demonſtrare, mortem non ſolùm tribus primis temporibus morbi, ſed etiam poſtremo, nempe in ipſa declinatione poſſe nonnunquam ſuccedere: aduerſus quos diſputat Gal. vſque adeo ſolidè & perſpicuè, vt non ſperem, me poſſe hanc rem planiùs explicare, quàm poſita illius verborum ſerie, quæ ita incipit 3. de criſibus 5. *Nullum ſanè eſt vigore elapſo, me quidem iudice, mortis periculum. Finis, vbi verò*

ipſa

natura dominetur ac ſuperauit, hominē ſeruari neceſſe eſt. Quam eandem ſententiam ille repetit c. 9. quo loco arguit nonnullos, qui videntes plurimos mori in particularibus declinationibus acceſſionum, arbitrantur idem quoque in generali declinationis tempore poſſe contingere, aſſeritque id falſum eſſe, monſtrans variam rationem, propter quam iure homines in declinationibus paroxyſmorum, minimè in declinatione totius morbi poſſunt interire: quocirca vno verbo licet reſpondere ad omnes rationes, omniáque exempla, quæ contra hanc veritatem ſolent proferri, propterea quia aduerſarij nobis proponunt potius fictam quandam & apparentem, quàm veram declinationem. Quod ſi quis cupiat demum intelligere, quomodo vera & legitima declinatio à falſa & ſpuria poſſit diſcerni, huic primum ſatisfacit Hipp. qui ſuo more breui oratione videtur omnia complecti, quæ hoc iudicium facere poſſunt: ea verò eſt 6. epid. ſect. 2. tex. 20. *Sitis intus relicta, & ſiccitas oris, & inſuauitas, & inappetentia, eadem ratione.* quando enim, Galeno interprete, finita febre huiuſmodi ſymptomata remanent, quorum exempli gratia, tanquam principalium Hip. meminit, tunc aliquid reliquiarum morbi intus relinqui neceſſarium eſt. Sed & Gal. cum alia quædam, tum duo potiſſimùm ſigna bonæ atque integræ declinationis conſtituit, quæ fallere nunquam poſſunt: alterum eſt perfecta & omnibus numeris abſoluta concoctio, ſine qua nulla vera poteſt eſſe declinatio: alterum eſt pulſus, qui tunc pro victoria naturæ ſemper fit magis vehemens, ordinatus & æqualis: quæ duo indicia ſi ſimul concurrant, legitimam declinationem vobis perpetuò demonſtrabunt, in qua impoſſibile eſt ægrum mori. Sed propero ad tertiam dubitationem, quæ difficilior eſt, & magis accurato indiget examine.

Vigor vehementiſſima morborum pars.

Cum ergo iam ſtatutum fuerit, quatuor eſſe tempora morborum, quorum diſtincta cognitio medico eſt maximè vtilis & neceſſaria, omnino oportet intelligere certam rationem, qua illa inter ſe diſtinguantur, cum ſicuti ſcribit Galen. 1. *de criſibus* 8. nullo certo dierum numero circumſcribi poſſint: inter cætera autem ſigna, quæ ad hanc diſtinctionem ſunt accommodata, principem locum obtinet concoctio, cum ſenſibus ſubiiciatur, ex quo Galenus hæc habet de temporibus morborum c. 3. *Nullus morborum qui ſoluantur eſt, qui non quatuor tempora percurrat, non tamen ex quodam alio, quàm cruditatis & coctionis ſignis, quæ ſunt in excrementis, cognoſcuntur*: ſic toto 1. lib. de criſib. non aliter Galen. docet, diſtinguere tempora morbi, quàm coctione, ſtatuens principium illud eſſe, in quo aut nullum, aut obſcurum apparet indicium, concoctionis incrementum, in quo manifeſtum, vigorem, in quo perfectæ concoctionis ſigna conſpiciuntur: id quod Galen. quàm maximè declarat *cap.* 17. ex variis mutationibus, quæ apparent in vrina: ac ſanè equidem cenſeo huiuſmodi ſententiam ac determinationem cum rei naturæ, tum diſciplinæ Hippocr. & Galen. conſentientem eſſe. Quod ſi ita hæc ſe res habet, vtique fatendum eſt, vigorem, quo tempore apud Gal. 3. *de criſib.* cap. 5. exquiſita fit concoctio, ac maximè natura laborat, cæteris omnibus morbi temporibus maiorem eſſe: quod pariter Galenus fatetur, qui perſpicuè ſcribit 1. *de criſibus* c. & 8. vigorem totius morbi vehementiſſimam partem eſſe, vt iam ſuprà diximus. Cæterùm hanc ſententiam non recipiunt plerique omnes noſtrorum temporum medici, qui varia comminiſcuntur morbi tempora, præter ea quæ ponuntur ab Hip. & Gal. quorum alia vocant tempora eſſentiæ morbi, alia ſymptomatum, alia coctionis, & cruditatis: quæ quidem ita diſtinguunt & accommodant, vt contendant ea ſæpenumero inter ſe conuenire; cum per illos fieri poſſit, vt tempus eſſentiæ ſit diuerſum à tempore ſymptomatum & coctionis, & contrà, tempora ſymptomatum & coctionis varient & inter ſe, & à tempore ipſius eſſentiæ: adeo vt hinc colligant, nec perpetuò ſimul cum eſſentia morbi creſcere, & ſymptomata & coctionem, neque perpetuò vigorem eſſe partem morbi vehementiorem. Sed quod maius facit negotium, ſunt duo Galeni loci. Primus eſt in 2. aph. com. 30. *Sicuti ipſas diſpoſitiones, in quibus ſymptomata fiunt, vbi morbi conſiſtant neceſſe eſt, meliores eſſe in iis, qui debent ſanitati reſtitui.* Alter eſt locus in 3. de rat. vict. vlt. *Sæpius affectio ipſa qua laborant, mitior quidem exiſtit, ſed ſymptomata augentur, vt in phlegmone obſeſſis particulis, dum pus conficitur.* & 2. aph. 42. *ſapias autem morbus incrementis & decrementis exultans ſymptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis eſt.* Hi ſunt duo Galeni loci admodum difficiles.

Aduerſus autem dictam opinionem recentiorum ego puto quatuor duntaxat eſſe ætates vel tempora morborum, eáque nulla ratione meliùs diſtingui, quàm cruditate & coctione. Nam quatenus pertinet ad ſymptomata, cum illa à morbis oriantur, & morbos ſequantur veluti vmbra corpus, vt ſimul cum morbo creſcant, & minuantur, neceſſe eſt. Itaque vt ſimpliciſſima, ita veriſſima eſt ſententia Hip. apho. 3 *omnia, cum incipiunt & finiunt morbi, leuiora, in ſtatu autem fortiora*: quippe in principio morbus nondum vires acquiſiuit, nec facultas eſt debilitata, in declinatione & morbus iam imminutus eſt, & facultas eſt robuſtior cum hoſtem ſuperauit: quare vtrobique iure ſymptomata ſunt leuiora, in vigore autem ſunt omnia vehementiſſima, propterea quia hoc tempore natura admodum laborat, & tota in eo eſt, vt concoquat noxios humores, & victoriam conſequatur. Sed quid ad Galeni locos reſpondendum eſt? Facile tollitur omnis repugnantia & difficultas, ſi bene Hip. & Galen. verba intelligantur: namque illi docent, vt Græca litera manifeſtè demonſtrat, morbum principio eſſe minorem, hoc eſt, remiſſiorem, quod verum eſt cùm vſque ad tempus vigoris perpetuò creſcat, ſed non inquiunt illum eſſe meliorem: quod itidem verum eſt, quia nondum in principio conſtat, quem finem ſit habiturus: in vigore autem aſſerunt morbum eſſe quidem vehementiorem, hoc eſt, intenſiorem, cum ad ſummum peruenit, ſed altera ex parte meliorem, cùm iam ſit facta concoctio. Quare quicunque intelligit aliud ſignificare morbum eſſe meliorem & deteriorem, & aliud remiſſiorem & intenſiorem, is facile omnem de hac re dubitationem poteſt auferre.

Capvt IV.

De cognoſcendis temporibus Morborum.

AVicenna intendit in præſenti cap. nos docere quomodo cognoſcantur tempora morborum, cùm vniuerſalia, tùm particularia, quod ſuo more facit, declarando ſingulas partes, & ponendo quaſdam regulas ad huiuſmodi intelligentiam accommodatas: quoniam verò ille hanc rem tractat valde confusè & prolixè, ego quantum fieri poteſt, conabor perſpicuè & breuiter vobiſcum agere: nam ſi velim ſingula exactè explicare, ſicuti

I. Signum. ſicuti à multis explicantur, nunquam finem faciam. Tempora morborũ vniuerſalia cognoſcuntur multis modis, primùm ex ſpecie: quid autem per ſpeciem morbi intelligat, ipſe interpretatur, nempe vtrùm morbus ſit acutus vel non acutus, qui illos tripliciter diuidit, in valde acutos, quales ſunt ſpaſmus ſiccus, epilepſia, apoplexia, angina: in acutos non valde, quales ſunt tertiana pura, & cauſon: & in diuturnos, quales ſunt quartana & paralyſis. Hunc primum locum Auic. videtur accepiſſe ab Hip. qui 2. *aph*.12 ſpeciem morbi conſtitutionem appellat: nam Gal. inquit in com. *ſi morbus ſit acutus vel peracutus, & quando maxime in vigore conſiſtit, nil aliud eſt, quam morbi conſtitutionem conſiderare.* Sed exempla Auicennæ multas afferunt difficultates; & primùm, ſpaſmus ſiccus non videtur eſſe morbus valde acutus, imò neque ſimpliciter acutus, quod auctoritate Hippocratis probat Galenus 3. *de different. reſpirat* c. 9. quare nonnulli ſpaſmum ſiccum interpretantur *Tetanum*, hoc eſt, *diſtenſionem*, de quo eſt aphoriſ. lib.5.apho.6. *Qui à tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt; ſi verò hoc effugerint, ſani fiunt* Quæ interpretatio conuenit interpretationi Gal. qui 1. *aph*.12.prætermiſſa conuulſione, tetanum, reponit inter morbos valde acutos, ex quo loco puto Auic. totum hunc locum tranſcripſiſſe. Nonnulli autem diſtinguunt de duplici conuulſione, altera ſicca, altera humida; aiuntque ſiccam eſſe morbum acutum, humidam minimè: quæ videtur fuiſſe diſtinctio Gal. 5. *aph com*. 1. qui aſſerit, conuulſionem ex repletione ſanabilem, ex inanitione verò inſanabilem eſſe: itaque reſpondent Auic. expreſsè nominare ſpaſmum ſiccum, Gal. autem 5. *de diffic. reſpirationis*, intellexiſſe ſpaſmum ex repletione. Sed cum Gal. quoque *aph*.50. manifeſtè conuulſionem reponat inter morbos acutos, quo loco dici non poteſt, illum intelligere tetanum, cum ſeparatim vtrumque nominat, ac *voluntarium* videatur affirmare, eum loqui de vna conuulſione ex repletione, aliter cenſeo reſpondendum eſſe, nempe conuulſionem ſiue humidam ſiue ſiccam, iure poſſe reponi quandoque inter morbos acutos, quandoque inter morbos non acutos, habita ratione diuerſarum partium, in quibus contingit conuulſionem fieri, namque ſi illa ſit generalis, aut in partibus nobilioribus, tunc inter morbos acutos: ſi verò fiat in parte aliqua, & illa minus nobili, vt in brachio, iam inter morbos diuturnos poterit recenſeri.

Secundum exemplum eſt epilepſia, de qua item dubitatur quomodo ſit morbus valde acutus: ſiquidem Gal.1.*de criſ*.4. illam reponit inter morbos diuturnos, & Hip.5.*aph*.7. ſcribit, quod etiam confirmat experientia, hunc morbum quandoque hominem vſque ad mortem comitari & difficultas augetur, quia non ſolùm Auic. ſed etiam Gal. clarè numerat epilepſiam inter morbos acutos 5. *aph*. 30. Cornelius Celſus reſpondet, epilepſiam morbum acutum eſſe vſque ad diem 14. hoc autem elapſo termino, non amplius acutum eſſe, ac veluti longum tractandum fore. Sed reſponſio eſt nulla, neque iſtud ſolum de epilepſia, ſed etiam de cæteris omnibus morbis dici poteſt: quare aliter reſpondendum eſt ex Gal. *de cauſ. pulſuum. c*. 21. qui ſcribit, diuturni morbi, quem orthopnæam appellant, acutas eſſe acceſſiones, ſicuti morbi comitialis. Et quamuis Auic. hic loquatur de toto morbo, non de particularibus acceſſionibus, tamen ſatis eſſe debet, in hoc morbo diuturno vel propter malitiam materiæ vel propter alias cauſas, acceſſionem valde acutam poſſe reperiri, quæ quoquo modo vice totius morbi eſſe poteſt. Quæ reſponſio poteſt etiam colligi ex Paulo lib. 3.c.13.

Tertium exemplum eſt apoplexia, quæ pariter nõ videtur eſſe morbus acutus, cũ pendeat ab humore frigido & craſſo, obſtruente ventriculos cerebri, docente Gal.2.*de criſib*.11. ab huiuſmodi humore generari morbos diuturnos. Sed ad hoc reſpondeatis vno verbo, ex eodem Gal 2.*aphor*.39.*& alíis locis*, breuitatem & longitudinem morborum oriri non ſolùm ex humoribus, ſed etiam ex partibus laborantibus: quare in apoplexia cum laboret cerebrum, pars principaliſſima, iure numeratur inter morbos acutos etſi originem habet ex humore frigido, ſicuti euenit in lethargo & aliis morbis id genus. Poſtremum exemplum eſt angina, quæ omniũ conſenſu inter morbos valde acutos reponitur.

Poſt hæc Auicenna ponit duo exemple morbũ acutorum non valde, tertianam puram & febrem ardentem: ac ſanè de febre ardente, quam conſtat apud Galenũ. *de criſib. c*. 3. & 6. fieri ex flaua bile intra vaſa putreſcente, nulla eſt dubitatio, quin ſit reponenda inter morbos acutos non valde, ſed difficultas eſt de tertiana pura: etenim cũ illa careat omni periculo, nullo modo videtur morbus acutus dici poſſe. Reſpondent nõnulli, intelligendam eſſe tertianam continuam, aut ſaltem quam proportianatam vocant; ſed malè, vt puto, namque tertiana continua non alia eſt quam febris ardens, vt placet Gal. 2. *de criſibus*. 6. tertiana autem proportionata maiore ex parte durat longiori tempore, quam vt poſſit inter morbos acutos recenſeri, præterquam quod Auic. manifeſtè tertianæ puræ mentionem facit. Quare aliter reſpondendum eſt, ex Gal. 6. *epid.ſect*.1. 29. morbos acutos eſſe duplices, vnos verè & propriè qui celeriter mouentur, & ſũt periculoſi: alteros minus propriè, qui dũtaxat celeriter mouẽtur, ex quib. eſt tertia exquiſita.

Exempla morbi diuturni ſunt quartana & paralyſis, quæ nullam habent dubitationem.

Iam ſecundus proponitur locus ab Auic qui tẽpora morbi, ac maximè vigorem vobis poteſt indicare, & eſt motus morbi: namque ſi acceſſiones fuerint breues, demonſtrant vigorem fore proximum, ſicuti euenit in tertiana exquiſita, in qua tempus vnius acceſſionis eſt à tribus vſque ad 14. horas: in quo termino eſt notandum, Auicennam diſſentire à Gal. 4. *apho*. 59. 2. *de criſibus cap*. 3. 1. *epid. ſect* 3. *comment*. 5. 1. *ad Glau*. 8. qui teſtatur, breue tempus acceſſionis eſſe 4. 5. aut 6. horarum: longiſſimum 11. 12. aut neque vltra 12. horas producit: ſi verò acceſſiones fuerint longiores, ſignum & materiam eſſe craſſam, & vigorem longius diſtare, vt euenit in tertiana nota, cuius acceſſiones frequenter ad 30. 40. & plures horas ſolent perdurare. Porrò hic locus, quem Auic. vocat *motum morbi*, idem eſt mea ſententia cum loco Hip. quem ille vocat 1. *aphor* 12.*acceſſionum incrementa*, qui explicatur à Gal.3.*de criſ*.3. *II. Signum à vigore morb.*

Tertium ſequitur ſignum, in quo expoſitores cum litera, antiqua quæ habet: *Et ſi remanſerit cum facie ægroti ſua depoſitione, &c.* valde laborabant, ſed cũ noua litera conuerſa à Bellunenſi. quæ habet, *& quandoq; ex forma ſeu figura, &c.* res ſit clarior. Sumitur autẽ hoc ſignum ex facie ægroti, quæ ſi valde extenuetur, & fiat tornatilis, vt Auic. loquitur, ſignificat morbum valde acutum: ſin autem remanſerit in ſuo ſtatu naturali, ſignificat morborum diuturniorem. Auicenn. iſtud ſignum accepit ex duobus locis Hipp. Alter eſt 1. prog.tex. 5. & ſequentibus. *Conſiderare conuenit hunc in modũ per morbos acutos principio vultum ægrè, ſit ne ſimilis bene valentium, ac potiſſimum ſui: ita enim optimus erit: ſi verò ſit quam maxime contrarius ſimili, eſt vitioſiſſimus*: quo deinceps loco Hippocrates deſcribit *III. Signum à*

eam

eam faciem, quam Auicenna *tornatilem* vulgo *hyprocraticam* appellant: naſus acutus, oculi concaui collapſa tempora, & ſimilia; quæ quidem horribilia ſymptomata acciderunt, Galeno interprete *com.* 7. aut propter aliquam cauſam conſumentem & corrumpentem partes carnoſas, aut propter debilitatem natiui caloris, qui nequeat ad extremas corporis partes extendi, ſed in ſolis viſceribus conſeruetur. Alter eſt locus 2. aphor. 28. *febricitantium non omnino leuiter, manere, & nihil comminui corpus, aut magis quàm ratio poſtulat extenuari, malum: alterum enim diuturnitatem morbi, alterum imbecillitatem ſignificat.* Quæ duæ Hippocratis ſententiæ addita Galeni interpretatione, hunc Auicennæ locum adeo declarant, vt pluribus non ſit opus. Sequitur Auicenna.

IV. Signum a virtute. *Et quãdoque eſt ex virtute ægri*) Quia ſi virtus citò redditur debilis, morbus neceſſariò erit breuis: ſin autem perſeueret robuſta, erit longior: cuius ratio eleganter redditur à Galeno 2. *prog.* 6. qui ſcribit, idem vſu venire in morbis, quod euenit in duellis hominum: nam cum natura & morbus tanquam hoſtes inter ſe pugnent, ſi reddãtur quodammodo pares, adeo vt neque naturæ, neque morbi inſignis appareat exceſſus: vt pugna ſit longior neceſſarium eſt, cum plus temporis ad victoriam alterius deſideretur: contrà autem, ſi in alterutra parte aliquis notabilis exceſſus appareat, tunc facile eſt iudicare, morbum fore breuiorem, cum neceſſe ſit vel naturam vel mrobum breui tempore ſuccumbere.

V. Signum à tempore anni *Et quandoque eſt ex ætate & tempore.*) De tempore anni eſt aphot. Hip. 2 aph. 26. *Æſtiua quartana breues*, &c. ſiquidem Galeno interprete in *com.* nec non 1. *de criſibus*, 4. exemplum quartanæ de aliis quoque omnibus morbis intelligendum eſt: & ratio eſt in promptu, quam reddit Gal. propterea quia æſtate humores noxij funduntur, ac per totum corpus feruntur: hyeme verò intra corpus quaſi quibuſdam latibulis deliteſcunt, ac difficilè diſſoluuntur. Auicenna hunc quoque locum accepit ab Hipp. 1. aph. 12. *Acceſſiones & conſtitutiones morbi, & anni tempora*, &c De quo notanda eſt, Galeno Hipp. conſuetudo, qui vno exemplo cætera id genus ſolet nobis in memoriam reuocare, quam conſuetudinem puto Auic. fuiſſe imitatum, adeo vt ſub ætate & tempore comprehendere voluerit ægri temperamentum, corporis habitum, regionem, inſtitutum vitæ, conſuetudinem, & alia quæ habent eandem rationem.

VI Signum à pulſu. *Et ex pulſu.*) Præter cætera inquit Auicenna, ex pulſu indicari tempora morbi: namque ſi ille fuerit velox, frequens & magnus; demonſtrant morbum acutum: ſi contrario modo ſe habeat, demonſtrat morbum diuturnum: quod maximè conuenit Galen. & rationi; namque ille ſcribit 1. *de cauſis pulſum* 5. 4. *de cauſis pulſ.* 16. *& ſequentibus*, huiuſmodi pulſus fieri ex cauſis calidis, & indicare facultatem robuſtam; contrà verò pulſus paruos, tardos & raros oriri ex cauſis frigidis, & indicare facultatem imbecillam: ex quod facile eſt colligere, cum pulſu veloci, frequenti & magno, morbum celeriter progredi, ac ſtatum propinquum fore, cum pulſu autem contrario morbum tardè moueri, ſtatumque longiùs diſtare.

VII. Signum ex rigore. *Et ex rigore.*) Tranſit Auicenna ad alia ſigna, quæ ſumuntur ab acceſſionibus, & primum eſt rigor, qui ſi fuerit breuis, breuem quoque morbum, ſi fuerit diuturnus, morbum diuturnum ſignificat: cuius ratio colligi poteſt ex Gal. 2. *ſympt. cauſis* 7. Etenim cum ille doceat, rigorem fieri poſſe ex cauſa mordaci, tum calida, tū frigida, illumque propter hanc cauſam, necnon propter maiorem vel minorem copiam, modò fieri breuiorem, modò longiorem, ſatis conſtat, rigorem qui fuerit breuior, materiam calidiorem & pauciorem, adeòq; morbū acutum indicare: contra autē quo rigor fuerit lōgior, materiā frigidiorē & copioſiorē morbúmq; diuturnum demūſtrare: quod ſi fuerit febris ſine rigore, tunc erit breuior altera, quæ rigorem habeat, quod tamen intelligendum eſt de febrib. eiuſdem generis: namq; ſi ſententia hæc intelligatur de febribus diuerſi generis, eſſet falſa, quoniam, exempli gratia, in febre quotidiana nullus eſt rigor, quare deberet eſſe breuior tertiana exquiſita, in qua inſignis eſt rigor, quod tamen falſum eſt. Quod autem Auicenna velit, febres vnius generis eſſe breuiores quæ ſunt ſine rigore, alteris quæ ſunt cum rigore, idem eſt ac ſi dixerit, febres continuas eſſe breuiores interpolatis: quod veriſſimum eſt ex præcepto tradito à Gal. 1 *epid. ſect.* 3. *com.* 17 4. *aph.* 59. 3. *progn.* 7. quod tamen ille ſcribit eſſe incognitum vulgo medicorum, nempe in continuis febribus idem valere vnam diem, quod in intermittentibus valet vna acceſſio: quare, exēpli gratia, cum tertiana exquiſita, auctore Hippocrate & Galeno 4. *aphor.* 59. ſeptem paroxyſmis quam tardiſſimè iudicetur, qui contineant 14. dies, tertiana autem continuat ſeptem diebus, certiſſimum eſt hanc illa eſſe breuiorem.

Et cognoſcuntur hora ægritudinis) Proſequitur Auicenna ſigna demonſtrantia tempora morbi, quæ ſumuntur ab acceſſionibus: namque ſi acceſſiones anticipent horam conſuetam, ſignificant augmentum; ſi deinceps & poſt anticipationem ſteterint, & idem tempus ſeruauerint, indicant vigorem: quod ſi tandem poſtponant, demonſtrant declinationem: quam ſententiam declarat Auicenna, verā eſſe in illis breuibus, quæ ſuapte natura, nō perpetuò augentur aut diminuuntur. Hanc partem Auicenna accepit ab Hippocrate 1. aphor. 12. *& circuitnum, ac ceſſina inc ementa*, &c. quæ accuratè & diffusè explicatur à Gal. 1. *de criſibus* 3. & quia Auicenna eſt admodum obſcurus, confuſus & imminutus, bene erit hanc rem alioqui vtilem, ex Hippocrate & Galen. ſed tamen quam breuiſſime explicare. Itaque Gal. 1. *de criſibus*. 2. proponit varias medicorum opiniones, de ratione cognoſcendi tempora morborum: namque alij putabant ſeorſim conſiderandum eſſe, vtrum acceſſiones anticipent, vel poſtponant: alii verò ad illarum longitudinem reſpiciebant: nonnulli ad magnitudinem: alij autem non ſolùm hæc ipſa, ſed etiam declinationes contemplabantur, qui quidem propterea quod diuerſa ſentirent, inter ſe altercabantur, cum tamen liceat quæ dicta ſunt omnia, & alia quædam coniungere, & omnem litem auferre: quam rem Galen. ſequenti cap. docet accuratiſſimè. Huius doctrinæ ſumma talis eſt, conſiderandam eſſe non ſolùm anticipationem aut poſtpoſitionem acceſſionis, ſed etiam longitudinem, magnitudinem ac remiſſionem ſymptomatum: hæc enim ſimul iuncta, quod ſeparatim facere non poſſunt, morbi tempora præclarè demonſtrant, quippe acceſſio conſuetam inuaſionis horam anticipans, multoque longiùs ac vehementiùs affligens, manifeſtè indicat incrementum: ſi hæc omnia in acceſſionibus æqualia & ſibiipſis ſimilia, & in eodem ſtatu manſerint, vigorē demonſtrant: demúmque ſi acceſſiones tardius inuadant, quàm conſueuerant, ſi breuiori tempore durent, & prioribus fuerint mitiores, & cum leuioribus ſymptomatibus, iam declinationem adeſſe ſignum eſt.

VIII. Signū ab acceſſionibus.

IX Signum ab euacuatione. *Et quandoque cognoſcuntur ex diſpoſitione vacuationum.*) Auic. in hac parte accepit ſigna temporum morbi ab euacuatione, quæ cōtingit in acceſſionib.

etenim

Digitized by Google

etenim ſi in priore acceſſione fiat vacuatio per ſudorem, lotium vel aliud ſimile, ſequens verò paroxyſmus ſit longior & vehementior, hinc licet colligere morbum fore diuturnum, quòd vacuatio fuerit importuna, & materiæ noxiæ inſignem copiam demonſtret: quæ ſententia eſt Hipp. 4. aph. 36. *Febricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & multā humiditatem ſignificat.* Et Gal. in com. *malus*, inquit, *eſt ſudor, tum quia morbum non ſoluit, tum quia ipſum prorogari ſignificat.* Cauſa verò prorogationis eſt multa humiditas, quam in tempore longiore concoquente & diſſoluente natura neceſſarium eſt morbum eſſe diuturnum.

Et quandoque cognoſcitur ex parte digeſtionis.) Poſtremo hoc loco Auic. ponit ſigna concoctionis, & contraria coctioni, quæ inter cætera omnia principem locum obtinent in cognoſcendis temporibus morborum. Gal. hanc ipſam rem tractans, *de criſib.* 5. poſtquam recenſuit & ſpeciem morbi, & anni tempora, & circuituum inter ſe incrementa, & cætera omnia, quæ hactenus ſunt commemorata, quærit, num hæc ſint ſatis ad exquiſitam temporis morborum cognitionem: reſpondet autem, quod huiuſmodi ſigna nequaquam ſufficiant, propterea quia etſi illa habent artificioſam coniecturam, quę illo interprete. c. 9 proximè ad veritatem accedit, tamen ab exquiſita & integra ratione multum deficiunt: itaque docet nonnulla iis fore addenda, quæ abſolutam cognitionem perficiunt, ea verò ſunt, quæ Hip. *αὐτόματα, ἐπι* Latinè *ſuperuenientia*, aut, *poſtapparentia* nominantur, & non ſunt niſi ſymptomata, quæ minimè cum morbo inuadunt, ſed deinceps poſtquam morbus inceperit, apparent & ſuperueniunt, inter quæ, vt idem ſcribit Gal. c. 9. prima & maximè pręcipua ſunt ſigna concoctionis, quæ exquiſita quadam ratione vniuerſalia morbi tempora ſolent demonſtrare, de quibus quidem ſignis, tum coctionis, tum contrariis coctioni, cum Gal. frequenter, maximè autem toto 1. lib. de criſibus, tractet admodum diffuſe, accuratè & perſpicuè, ſuperuacaneum mihi videtur de iis hoc tempore longius agere.

Cognitio autem horarum particularium accipitur.) Traditis ſignis, quæ faciunt ad cognoſcenda tempora morbi vniuerſalia, Auic. in poſtrema parte huius quarti capitis nos docet rationem cognoſcendi tempora morborum particularia, quæ non alia ſunt, quàm tempora acceſſionum: quam ferè totam ille accepit ex Gal. *lib. de temporibus morbor.* Itaque acceſſio, periodus, vel circuitus, Gal. definitore 1 *aph. com.* 12. nihil aliud eſt, quàm ſimilis reditus ad idem, exempli gratia, ſi hodie febris inuadat hora 10. & cras redeat eadem hora, hoc totum tempus 24. horar acceſſio vel circuitus appellabitur. Porrò huiuſmodi circuitus multis modis diuidi poſſunt, vt Gal. admonet de tempor morb. 6. & primò in duas magnas partes, quarum altera pertinet ad t. inſultum, vſque ad vltimam remiſſionem, nempe principium, incrementum, & vigorem: in qua ſignificatione ſcribit Hipp. 1. aph 11. *In acceſſionibus a cibo abſtinendum eſt*, ſiquidem nullo ex hoc triplici tempore licet ægrotum nutrire. Altera autem pars continet ſolam declinationem quæ pariter dupliciter poteſt diuidi, nimirum in remiſſionem, & infebricationem quando ſuccedit: primam partem acceſſionem, ſecundam declinationem vel interuallum Galen. appellat.

Secundò acceſſiones diuiduntur in plura tempora, ex Gal. *de temporibus morbor. c.* 3. quandoque ſex, ſcil. principium, primam partem augmenti, quam inæqualitatem vocat, augmentum, ſtatum, declinationem & febricationem. Interdum diuiduntur in quinque præter miſſa infebricitatione; aliquando in 4. prætermiſſa & infebricitatione & inæqualitate, quæ poſtrema diuiſio cæteris omnibus Galeno videtur fuiſſe magis familiaris. Auic. in præſentia acceſſionem diuidit in quinque partes, principium, inæqualitatem, augmentum, ſtatum & declinationem; ergo. Deſcribitur principium, quando pulſus coarctatur ſiue conſtringitur, parteſque extremæ acquirunt colorem plumbeum, & refrigerantur. Scribit Gal. 3. *de praſagio ex pulſibus, c.* 7. in plerijſque principiis febrium clariſſimè de tota externa ſuperficie corporis ſanguinem recedere, & confugere ad interna viſcera, ex quo fiunt compreſſiones & obſtructiones, diſtentioneſque arteriarum præcipuarum propter quas hoc tempore acceſſionis pulſus primò ſunt inæquales: ſecundo, languidi propter ventriculum & facultatem malè affectam: tertiò, parui: & quartò rari, propter facultatis imbecillitatem, nec non inſignem frigiditatem: iure ergo primò acceſſionum pulſus fiunt inæquales, parui, rari extremæ partes refrigerantur, & cætera ſequuntur ſymptomata poſita ab Auic. de quibus tanquam re manifeſta non eſt longiùs agendum.

Et hora augmenti.) Auiçenna diuidit augmentum in duas partes, quarum prima eſt, quando pulſus incipit apparere, & quoquo modo fieri magnus & velox, cum prius eſſet paruus & tardus, & calor ſpargitur in toto corpore ſecūdùm æqualitatem, ita ſunt antiqua litera & noua: ſed ego puto potius legendum eſſe, *ſecūdum inæqualitatem*, quæ lectio magis conuenit Galeno, & rationi, quoniam hoc primo tempore calor non diffunditur æqualiter per vniuerſum corpus, ſed fit pugna inter calorem & frigus, adeo vt manifeſta vtriuſque ſigna appareant, & caloris & frigoris, ac verè quædam inæqualitas dici debeat. Hanc lectionem confirmant quæ ſequuntur, & pertinent ad ſecundam partem, quæ definitur eſſe quando caliditas æqualiter per totum corpus diffunditur: quod ſi in ſecunda parte augmenti calor æqualiter diffunditur, vt in prima inæqualiter diffundatur, neceſſe eſt.

Et hora ſtatus.) Status eſt, in quo caliditas ſparſa cum æqualitate remanet in eodem ſtatu, & ſymptomata ſunt maxima, necnon pulſus fiunt maiores, velociores, & frequentiores, quod notandum eſt potiſſimum eſſe verum, ſecundùm diaſto'en cum priùs maior foret ſyſtole, ſiquidem vt ſcribit Galenus 4. de præſagio ex pulſibus vltimo: *vbi fumoſum excrementum redundat, ſicuti in principiis acceſſionum tunc ſyſtole fit magna: vbi verò potius pura abundat caliditas, vt contingit in vigore acceſſionum, tunc diaſtole maior redditur.*

Et hora declinationis eſt.) Auicenna videtur diuidere declinationem in duas partes; alteram, in qua calor & omnia declinant, pulſuſque incipiunt temperari, & redire ad ſuam æqualitatem: alteram, in qua ſequitur ſudor, cum quo omnis febris diſſoluitur, ſicuti frequenter euenit in declinatione tertianæ exquiſitæ, de qua quidem declinatione Auic. addit quoddam documentum maximi momenti, nempe frequenter contingere apud mortem diſpoſitionem quandam, quæ eſt ſimilis declinationi, ac ſi æger omnis periculi foret immunis, cui minimè fidendum eſt, cū potius animaduertēdi, ac diligenter obſeruandi ſint ipſi pulſus, an magni & fortes fiant, nec ne; quod notandum ille accepit ex Galeno 3. *de criſibus* 9. qui cum ſtatuiſſet, vt ſuprà diximus, neminem poſſe mori in generali ac vera morborum declinatione, fatetur quamplurimos in particularibus acceſſionum declinationibus interire, ex quibus nonnulli

repente

repente moriantur, adeo vt domeſtici animo potius deficere, quam mori ipſos putent: quidam verò paulatim, non repente intereunt. Verùm non parum intereſt inter eos qui mortis ratione citius quàm ſperabatur, ad imaginem declinationis deueniunt, & illos qui verè declinant, quod præcipuè diſcrimen ex pulſibus petendum eſt: namque in bonis & veris declinationibus pulſus ſemper fit vehementior, magis ordinatus, & æqualis, &c.

Si quis veſtrum cupiat ſingula particularia morbi tempora paucis verbis intelligere, is Galenũ audiat, qui 1. de ratione victus in morbis acutis 46. ſcribit ad hunc modum: *Acceſſionis principium fit, omni calore ex toto corpore ad cor thoracémque ſe conuertente: incrementum, cum paulatim ad extremas corporis partes ſe expandit: ſtatus, cum ex æquo totum corpus occupat: declinatio contrarium principio modum habet, perſpirante ſcil. caliditate, atque mediam corporis relinquente.* Quod Hipp. vnico verbo oſtendit, inquiens: *Et cum caliditas ad pedes deſcenderit:* quam doctrinam planè aphoriſticam, & admodum perſpicuam equidem cenſeo doctrinæ Auic. & prolixæ obſcuræ longiſſimè anteponendam eſſe.

Et ſciat, quod tẽpus ægritudinis prorogatur.) In his poſtremis verbis Auic. quibuſdã videtur tradere cauſas propter quas morbi redduntur longi vel breues, ſed puto eũ docere cauſas lõgitudinis & breuitatis acceſſionũ: de quibus cõtinuato ſermone loquitur: Itaq; inquit, *tempora morbi produci aut propter multitudinẽ, aut propter groſſitiẽ, aut propter frigiditatem materiæ; quam diuturnitatem quandoque adiuuant, & tempus anni frigidum, & regio frigida: & ætas frigida, & debilitas caloris innati, & cutis ſpiſſitudo.* Hæc Auic. At verò Gal. à quo ille tranſcripſit, longè diſtinctius hanc rem tractat. 2. *de diff. feb. cap.* 3. *& vltimo*, qui ad ſummã ſcribit, acceſſiones fieri breues aut longiores, propter tres cauſas: primam, ratione materiæ: ſecundam, ratione virtutis: tertiam, ratione habitus corporis. Nam plura quidem frigidiora, & lenta, & craſſa, longiores efficiunt acceſſiones, pauciora autem & calidiora, & tenuiora, breuiores: quod ſine dubio illa difficiliùs, hæc faciliùs concoquantur & expellantur. Sic robur quidem facultatis breuiores, imbecillitas verò longiores facit acceſſiones; ſiquidem facultas valida faciliùs & promptiùs, contrà imbecilla difficiliùs & tardiùs à ſe expellit quod eſt alienum. Tali ratione, corporis habitus rarior, quantum in ſe eſt, breuiores efficit acceſſiones, denſior autem longiores: nam per corporis raritates velociter vacuari id quod redũdat eſt neceſſe, ſicuti per anguſtiam meatuum excrementa facilè retinentur. Ita omnibus ſimul concurrentibus, aut longiſſima, aut breuiſſima fit acceſſio: longiſſima quidem, ob craſſitudinem & multitudinem excrementi, & facultatis imbecillitatem, & meatuum anguſtiam; breuiſſima verò propter tenuitatem & paucitatem excrementi, & robur facultatis, & viarum amplitudinem. Ad quas quidem tres cauſas, quaſi continentes, & tẽperies, & ætas, & ſexus, & tempus anni, & cætera id genus commodè referuntur. Atque hactenus de expoſitione 4. cap.

Capvt V.

De Febre ephemera.

IN tractandis febribus ephemeris, ſi velimus imitari doctrinam & ordinem Auic. qui de illis agit 40. capitibus, nobis totus annus non ſufficeret: quare ad veſtram vtilitatem mihi libet breuiori via progredi, vt quamprimum poſſimus accedere ad febres putridas, quæ ſicuti ſunt frequẽtiſſimæ, ita propter alias euidentiſſimas rationes longo interuallo cæteris omnibus ſunt vtiliores, & accuratiſſimam explicationem deſiderant. Sed vos id primum ſcire velim, hunc ephemerarum tractatum minimè fore inutilem & ſuperuacaneum, vt multi opinãtur, propterea quia medici aut tardò, aut nunquam ad curandas febres ephemeras vocantur. Nam tametſi illud verum eſt, nihilominus quãdoque etiam & à nobilibus, & à principibus viris ſolẽt vocari: quod ſi itaque hæc febris probè non intelligatur, imminet vt degeneret in febrem putridam, hecticam, & alios morbos grauiſſimos, quod præclarè nos admonet Gal. 1. *ad Glauc.* qui ſcribit curationem harum febriũ in promptu eſſe, ſed illarum cognitionem maiorem diligentiam poſtulare, ſiquidem nonnulli ab initio, veluti vino pleni, aut Sole exuſti, aut ita concitati, aut alia ſimili cauſa correpti quæ nocere poſſit, putantes totum periculum in cauſa antecedente conſiſtere, nec aliam latere diſpoſitionem, circa victus rationem negligentiùs ſe habent, ex quo in inſanabiles morbos prolabuntur. Ad quem modum ille iterum docet 8 *met.* c. 1. & *meth.* 6. febrẽ ephemerã male inſtituta victus ratione per ſtolidos medicos diætarios, ac maximè in corpore bilioſo, tranſire in febrim acutiſſimam, atque ab iis in hecticas, ac tandem in torridum maraſmum: cuius notabile eſt exemplum apud Hippoc. 1. *epid. ſecto* 3. 29 de quodam ægroto, qui caleſcens cœnauit, & potauit largius forte opinatus febrim fuiſſe ephemeram, & nullius momenti, cum tamen fuerit febris acuta quæ illum ſuſtulit die vndecima. Itaque nos cum Auicenna tractabimus de febre ephemera ſed breuiter, ac forte ſummatim. Primò, de nomine ac eſſentia. Secũdo de differentiis. Tertiò de ſignis. Poſtremò de curatione. Videatis vos Galen. *toto* 8. *& pro parte* 9. *metho. cap.* 2. *&* 3. *primi lib. ad Glauconem, cap* 7 *& vlt. primi lib. de different. febr.* nec non *cap.* 13. *& lib. de cryſibus*, ex quibus locis Auicenna tranſcripſit, & nos quoque hauriemus quæcunque ad hanc rem pertinent.

Diximus tres eſſe præcipuas ſpecies febrium, pro tribus principalibus partibus noſtri corporis ſpiritibus, humoribus, ſolidis, quas occupat calor præter naturam. Illa febris quæ occupat ſpiritus, ab Hippocrate 4. *aph.* 55. ἐφήμερα dicitur, à Latinis *Diaria*, *De nomine.*
quod nomen inquit Gal. 9. *metho.* c. 1. minimè eſt de ſubſtantia iſtius febris, ſed conuenienti nomine deſtituit, clarioris ac breuioris doctrinæ gratia, ab eo, quod ſæpius euenit, ita appellarunt: etenim vt plurimum accidit eam vltra vnicum diem non prorogari; quod tamen eſt intelligendum de febre ephemera, quæ non pendeat ex obſtructione: nam hæc, vt docet Galenus loco proximè citato, 9. *meth.* necnon 10. *meth.* c. 2. pertranſit primam diem, & vſque ad tertiam, & plures dies extenditur, vt poſteriùs videbimus. Placet nonnullis hanc febrim ita appellari ſimilitudine cuiuſdam animalis, cuius Ariſtoteles meminit 3. *de hiſt. animal. cap.* 19. *ad finem*, quod in poſtmeridianum vſque diei tempus viuit ac volat, mox deſcendente Sole marceſcit & languet, deinde ſimul cum Sole moritur, vitam non vltra vnum diem agens, ex quo græcè ἐφήμερον, id eſt, *diariam*, eſt appellatum. Sic apud Dioſc. Colchium herba ephemerum dicta eſt *lib.* 4. c. 79. & 80. quod nonnulli affirmant, illud eadem die qua ſumitur, interficere. Auicenna, & cum eo nonnulli, ſatis commodè, mea ſententia, *febrem ſpiritalem* vel *ſpirituoſam* vocant, quòd in ea ſint accenſi ſpiritus, ſicuti alteram quoque à ſubiectis humoribus, *humoralem* appellant. Sed de nomine ſatis.

Quid ſit febris ephemera, facilè vobis conſtabit, ſi memoria repetantur, quæ ſuprà diximus de febrium definitione in vniuerſum, quæ fuerat, *calor natiuus mutatus in igneum adeo vt lædat operationes*: namque ſi huic generali definitioni addatur propria *Eſſentia febris ephemer.*

quædam differentia, ſcil. quod huiuſmodi calor ſit accenſus in ſpiritibus cordis, iam habetis integram febris ephemeræ notitiam, hunc in modum: *Febris ephemera eſt calor præter naturam accenſus in ſpiritibus cordis, primùm lædens operationes.*

Differentiæ febris ephemeræ ſunt plurimæ, inter quas illa non videtur prætermittenda, quam ponit Auic *cap.*43. pro varietate ſpirituum, in quibus accenditur calor præter naturam: namque alia dicitur *cerebralis*, accenſo ſpiritu animali, qualis eſt, quæ fit ex Sole: alia dicitur *cordialis*, accenſo ſpiritu vitali, qualis eſt, quæ fit ex balneo: alia dicitur *hepatica*, accenſo ſpiritu naturali, qualis eſt, quæ prouenit ex alimentis, quam quidem differentiam ego puto non ſolùm ſuperuacaneam eſſe, ſed etiam nullo modo poſſe conſiſtere: etenim quantumuis ſpiritus animalis, vel naturalis ponatur in calefacto eſſe, niſi huiuſmodi caliditas perueniat ad ſpiritus cordis vitales, iam nulla febris eſſe poteſt; quod ſatis ſuprà confirmatum eſt.

Gal. 9. *meth.* 2. 2. *de diff. feb.* 9. aliam videtur afferre differentiam febris ephemeræ, qui docet nonnullas fieri accenſis ſpiritibus, nonnullas calefacto ſanguine, non autem putreſcente: priores ephemeras ſimplices, poſteriores ephemeras èxtenſiuas, vel pluriom dierum appellat. De qua quidem re ita habendum eſt ad mentem Gal. Etſi calor præter naturam occupat ſanguinem, tamen huiuſmodi febres ad diarias referendas eſſe, quod vnam naturam cum diariis habeant, vnamque acceſſionem perpetuò ad finem, vſque in paucos dies porrigant: ex quo factum eſt, vt Galen. voluerit potius vti nomine vſitato, & illas diarias appellare, & ad vnam ſpeciem cum diariis redigere, quæ perpetuò calorem habent mitem ſiue in ſpiritibus, ſiue in ſanguine accendatur, quàm nouum nomẽ fingere, & duas febris ſpecies conſtituere, vt hac ratione tres tantùm primæ febris ſpecies, ephemera, putrida, hectica firmæ conſeruarentur. Quoniam verò huiuſmodi febres, etſi eandem habent naturam cum diariis, tamen habent accenſionem diariis longiorem, quæ in multos dies porrigitur, propterea diuerſum ab illis nomen ſortitæ ſunt apud veteres medicos, qui ſynochos ſine putredine eas voluerunt appellare: quarum febrium tres ſunt modi paroxiſmorum, vel perpetuò ſimiles, vel creſcentes, vel decreſcentes, vt iam diximus

Cæterùm differentiæ febris ephemeræ maximè principales ac propriæ ſunt, quæ ſumuntur à cauſis, à quibus illæ originem habeot, vt Gal. Auic. & omnes conſentiunt, quamuis in tradendis huiuſmodi cauſis non ita videantur conſentire: namque Auic. *c.*10. illas refert ad tres fontes: primùm ad perturbationes animi: ſecundò, ad diſpoſitionẽ corporis: tertiò, ad ea quæ exteriùs occurrunt. Gal. autem quinque numerat capita, quæ ſunt communia & accommodata ad efficiendos omnes morbos calidos: ſiquidem ſcribit *lib. de cauſis morborum*, *c.*8. in omnibus corporibus, quæ ſeipſis plus ſatis incaleſcunt, calorem augeri vel ex motu, vel ex putredine, vel ex vicinia alterius corporis calidioris, vel ex conſtipatione, vel ex alimento ad calefaciendum idoneo: quæ ſingula deinceps adeo planè ab illo explicãtur, vt non indigeant longiori explicatione: quoniam vero nos interpretamur Auic. qui tractat hanc partẽ ſatis diſtinctè & copioſè, ab illius methodo nõ diſcedemus.

Itaque primùm contingit, febrem ephemerã fieri propter diſpoſitiones ſiue perturbationes animæ, quæ ab ipſo Auic. decem numerantur, anguſtia, triſtitia, exiſtimatio, cogitatio, ira, vigilia, ſõnus, tranquillitas, timor, & gaudium: quorum omnium ſymptomatum vna eſt ratio, quòd ea poſſint ſpiritus agitare, vel intra, vel extra mouere, atque illos accendere. Gal. 2. *de criſib. c.*13. tantũmodo enumerat vigilias, triſtitiam, timorem, ſolicitudinẽ, irã: ſed iis addit & omnia quæcunque ſimilia ſont, quæ verba generaliter videntur omnes animi perturbationes comprehendere. De triſtitia, ira, timore, vigiliis, cogitationibus nulla eſt dubitatio quin poſſint ſpiritus inflammare, & febrem accendere: quare videmus homines quandoque propter nimiam triſtitiam, iram, timorem, vigilias, cogitationes, vt propter nimia ſtudia, propter nimiam amorem, incidere in febres ephemeras. Sed nonnulli dubitant, quomodo ex nimio ſomno vel gaudio, quorum meminit Auicenna, ſpiritus poſſint accendi, ſiquidem ſomnus cum fiat ex cauſa frigida, videtur potiùs poſſe refrigerare, quàm calefacere: pariter in gaudio nulla videtur eſſe caloris accenſio, qui magis imminuitur & diſſoluitur, adeo vt narrent hiſtoriæ quoſdam nimio gaudio interiiſſe. Sed reſpondeatis, vtrumque & ſomnum & gaudium poſſe omnino totum corpus, ac longè magis ſpiritus accendere, ac febres excitare: namque in diuturno ſomno multi eleuantur ac detinentur vapores, qui propterea redduntur calidiores, quod neminem puto eſſe, qui non aliquando expertus fuerit, dum æſtate in meridie dormierit, adeo vt hinc facile ipſi quoque ſpiritus cordis poſſint accendi: vnde ſcribit Hipp. 6. *epid. ſecto* 5. 15. ſomnum partes internas reddere calidiores, externas frigidiores, vigilias contrario modo ſe habere. Sic in gaudio res ipſa monſtrat, calorem & ſpiritum vehementer moueri, calefacere & dilatari per totum corpus, adeo vt ſi modò verũ eſt, aliquo tempore quempiam ex gaudio interiiſſe, veriſimile ſit, id potius diſſipato, quàm refrigerato calore & ſpiritu factum fuiſſe. Itaq; hac ratione propter animi perturbationes contingit ephemerã fieri.

Somnus quomodo cauſa, ephemeræ.

Gaudium quomodo ſit cauſa ephemeram.

Secundò ſuccedunt diſpoſitiones corporis, quæ ſunt duplices, vel cum motu, vel ſine motu. Ac primùm ſi fuerit motus, febris ephemera fit ex labore, quod frequenter euenit, quia tunc artus confricantur, & ligamenta incaleſcunt, adeo vt eiuſmodi caliditas facilè poſſit ſpiritibus cordis communicari. Secundò ex vacuatione, de qua tamen nonnulli dubitant; quomodo febris ex vacuatione fieri poſſit, ſiquidem tantum videtur abeſſe, vt ſimul cum vacuatione inflammentur, vt potius illi diſſoluãntur, & totum corpus refrigeretur. Sed reſpondeatis, id quidem verum eſſe, ac ſæpenumerò homines propter inſignem vacuationem refrigerari, quo tempore nulla ſequitur febris ephemera, ſed nihil obſtare quin interdum ſpiritus quoque agitentur & inflammentur, adeo vt facile febris poſſit excitari. Tertiò ex dolore alicuius partis, quæ ſimul cum dolore fere ſemper ſolet incaleſcere. Quartò ex ſyncope in qua calor natiuus & ſpiritus perpetuò ad cor confugiunt. Quintò ex fame & ſiti, namque manifeſtum vtramque exſiccare corpora humoreſque, ac multo magis ſpiritus poſſe accendere.

Motus.

Vacuatio.

Dolor.

Syncope.
Fames.
Sitis.

Sin autem nullus contingat motus in corpore; tunc fit febris ephemera, primòm ex oppilatione, quam ego puto illum intelligere partim obſtructionem internarum partium, partim adſtrictionem externarum & cutis: ſiquidem vt Galen. declarat copioſe 8. *meth. c.*4. febris ex vtraque poteſt originem habere. Secundò ex cruditate, quæ apud eundem Galen. *cap.* 5. eſt duplex; altera, in qua alimenta in nidorulentam & fumoſam qualitatem corrumpuntur, quæ præcipuè in naturis calidis & ſiccis peſſima eſt, ac citiſſima febris accenditur: altera, in qua alimenta in qualitatem acidam conuertuntur, quæ & minùs frequens eſt, & minùs periculoſa: de qua vtraq; cruditate ille tractat accuratiſſimè, & nos quoque olim tractantes de cholera diffuſè egimus. Tertiò fit febris ephemera ex bubone, de qua Galenus 1. *de different. febr.* 5. agit diligentiſſimè, quo loco illius genera

Oppilatio.

Cruditas.

Bubo.

nerationem præclarè docet, illámque diſtinguit à febribus, quæ ex humorum putredine conſiſtunt, quã aut in aliquo viſcere, aut in cauis & maximis vaſis fieri cõtingit: quod ſane diſcrimẽ in ſumma tale eſt, quoniam in febre ephemera partes buboni proximæ vna poſt aliam caleſiũt, atque ita calor vſque ad cor diſtribuitur, putrida autem fuligo ad ipſum non peruenit, ſed ibi manet in bubonis loco circumſcripta, ſola alteratione per continuas partes caloris ad cor perueniente: contrà verò in febre putrida non ſolùm calor præter naturã ſuccẽdit, ſed etiam ſimul veluti fumus quidam à putreſcentibus humoribus per vaſa à viſceribus orta aut illis inſerta ad cor ſolet deferri.

Cutis aſperitas. Quartò fit febris ex diſpoſitione corporis ſine motu ex aſperitate vel ſiccitate cutis: nãque vt ſcribit Galenus 8. *meth.* 2. immoderata ſiccitas exiguos cutis meatus denſat, vt propterea retentis fuliginoſis excrementis, ſpiritus incaleſcant, & febris generetur.

Externa. Poſtremo loco febrem ephemeram contingit fieri per ea, quæ exteriùs accidunt, ſicuti per adustionem ſolis, & denſitatem cutis factam ex frigore, vel balneo, vel aliis rebus adſtringentibus, quæ ſunt manifeſta.

Capvt VI.

De ſignis ephemeræ Febris.

AVicenna in hoc ſexto capite tractat de ſignis febrium ephemerarum, quæ tractatio eſt vtiliſſima, cũ huiuſmodi febrium cognitio ſit difficilis, ac niſi probè cognoſcantur, multa immineant pericula ſicuti diximus. Vt autem facilè & ordinatè hæc res intelligatur, iſthæc omnia ſigna ad quinque præcipua capita, veluti quoſdam fontes mihi videntur poſſe referri, nempe ad qualitatẽ caloris, ad pulſum, ad lotium, ad formam, & ad cauſas: etenim cũ febris ſit ſub genere caloris præter naturam, meritò primum ſignum ſumitur à qualitate caloris. Sunt ſecundò pulſus & vrina, quæ duo ſigna, ſcribit Galenus 1. *ad Glauc. c.* 2. in omnibus febribus eſſe maxima & principalia, idque ſumma cũ ratione: ſiquidem iam conſtitutum eſt ſine affectione cordis nullam febrem poſſe conſiſtere, cuius functionem peculiarem conſtat pulſum eſſe. Pariter, quod docet Galenus 1. *de criſibus c.* 7. cum febres ſint mala venoſi generis, ſub quo certum eſt arterias quoque contineri, idcirco medicum vrinis promanãtibus ex venis & arteriis maximè attentũ eſſe conuenit. Tum eſt forma: vulgare enim eſt, vnumquodque cognoſci per propriam formam ac poſtremò ſunt cauſæ, quas manifeſtum eſt euidentiſſima ſigna nobis indicare.

Calor quis. Primùm ergo calor febris ephemeræ eſt mitis, ſuauis, ac ferè ſimilis caloti naturali, tametſi inquit Galenus 2. *de criſibus* non perpetuò ſit idem, atque eadẽ ratione talis appareat, ſed nonnullis confeſtim ad primam manus iniectionem, aliis verò poſteriùs, vt paulò pòſt videbimus: huius ratio eſt, quoniam ex Galeno 6. *epid. ſecto.* 1. 29. hic calor fundatur in materia miti, minimè acri & mordace: & eſt, inquit Auicenna, ſicuti caliditas corporis laborantis & ebrij.

Pulſus. Pulſum, ſcribit Galenus 3. *de criſibus* 13. ad celeritatem, ad frequentiam, & quandoque ad magnitudinem accedere, exquiſitè autem illam æqualitatem, quæ eſt ſecundùm naturam, & mollitiem, & ordinem, retinere. Quo loco notandum eſt, Galenum aſſerere, pulſus eſſe magnos, non perpetuò, quoniam vt ille ſeipſum interpretatur 4. *de præſagio ex pulſibus* 7. initio omnes ephameræ, quatenus ad febrem pertinent, mutant pulſus in celeritatem, crebritatem, & magnitudinem; ſed ſi concurrat alius affectus, mutatio quoque in pulſu, quæ vtrique reſpondeat, apparebit. Exempli gratia, in iis qui febricitant ex nimiis vigiliis, labore, fame, in quibus veriſimile eſt virtutem redditam eſſe debiliorem, vt pulſus quoque fiant parui neceſſe eſt; quod eſt Galeni 1. *ad Glauc.* 2. Pulſus præterea in febre ephemera fit velocior in diaſtole, quàm in ſyſtole: & ratio eſt, quoniam, vt ſuprà diximus ex Galeno, diaſtole facta eſt magis ad refrigerationem caloris, ſyſtole contrà magis ad expulſionem fuliginis: ac verò in hac febre longe magis eſt opus refrigerare calorem auctum, quod fit dilatata arteria, quàm expellere fuliginem, quæ nulla eſt, quod accidit, arteria contracta; de qua quidem differentia diaſtoles, & ſyſtoles in ephemera, ſi quis plura cupit, Galenus tractat accuratiſſimè 1. *de different. febr.* 7. 3. *de præſagio ex pulſibus.* Quia verò hæc ſatis eſt cognitione difficilis, ac potiſſimùm quatenus pertinet ad ſyſtolem, in qua diſciplina ipſe quoque Galenus fatetur ſe multum laboraſſe, Auicenna dat canonem, *ſi pulſus fuerit ambiguus, confugiendum eſt ad reſpirationem:* ſiquidem conuenit inter omnes, vnum reſpirationis & pulſus vſum finemque eſſe, nempe cuſtodiam caloris innati, nec non vtrumque propter eaſdem cauſas ſimiles mutationes accipere.

Poſtremò autẽ pulſus in febre ephemera, ceſſante acceſſione, in ſuum naturalem ſtatum reuertitur, teſtimonio Galeni 1. *ad Glauc* 2. & aſſimilatur ei, qui in ſanis deprehenditur, cũ in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertantur, neque ſi multum temporis inter primæ acceſſionis finem, & ſecundæ principium intercedat, quemadmodum euenit in tertianis & quartanis, in quibus aliquod ſignum remanet.

Vrina. Tertio loco ſequitur vrina, quæ prima ſtatim die concocta apparet vt Galenus teſtatur 1. *de different. febr.* 7 2 *de criſibus* 13. 1. *ad Glauc.* 2 quippe quæ aliquando bona ſublimamenta, quandoque ſubſidentias interdum nebulas habeat, omnes autem generaliter ſunt boni caloris: quod maximè conuenit rationi: cum enim calor ſit accenſus minimè in humoribus, qui continentur in venis, ſed tantùm in ſpiritibus, neceſſarium eſt, vt vrinæ ſint omnino iis ſimiles, quæ ſecundùm naturam ſe habent, aut non multùm recedant à naturali.

Forma. Quartò ſumuntur ſigna febris ephemeræ ex forma, quam ſolet habere; per formam intelligo illius diſpoſitionem, & particularia tempora, principium, incrementum, ſtatum, declinationem. Itaque inuadit ſine rigore, horrore, frigore, cũ ſit materia quæ tranſmittatur à venis extra venas, etſi aliquando per accidens aliquis horror poteſt apparere, aliquo vapore acri eleuato, ſed ille omnino fuerit leuiſſimus. Augmentum eſt liberum & æquale, tum in pulſibus, tum in caliditate, cum nulla adſit materia, quæ aliquam inæqualitatem poſſit afferre, ſicuti aliis febribus cõtigit. Status planè eſt mitis & moderatus, ſine labore ac ſymptomatibus. Declinatio facilis eſt & breuis, quæ fit cum madore, aut omnino cum ſuaui quodam vapore, quam perfecta integritas & infebricitatio ſolet excipere, in qua ſi forte prius dolor capitis, aut alterius partis inuaſerit, prorſus aboletur: ad ſummã, tempora omnia ſunt facilia, ac ſine prauis ſymptomatibus, adeo vt ægri quoque faciliimè huiuſmodi febres perpetuum perferant. Ex quo obiter notandus eſt error illorum, qui putant dari ephemerãm peſtilentem, cuius opinionis leuitatem ſatis confutat Galenus, qui 2. *de criſibus, c.* 13 ita ſcribit: *Omnibus præterea febribus ephemeris maligna adſunt ſymptomata.* & 1. ac Glauc. 2. *facilitas ægri in tolerando, magnum & ipſa ſignum, tanquam ſigillum quoddam præter cætera ſigna febris bonitatem tibi indicabit.* Quod ſi nullus morbus poteſt eſſe nedum peſtilens, ſed neque malignus, neque acutus ſine periculo, ephemera autem omni prorſus caret diſcrimine, ſatis po-

teſt conſtare, illa inter morbos neque acutos, neque malignos, ac multo minùs peſtilentes poſſe recenſeri.

Cauſa.

Poſtremò ſumuntur ſigna à cauſis, de quibus Galenus ita ſentit & ſcribit 1. de different. febr. 7. *Vnum ſanè ac primum febrium ephemerarum indiciũ eſt, ab aliqua præcedente cauſa recenti & manifeſta incepiſſe, quam omnes medici iuniores procatarcticam nominare conſueuerunt: verùm quamuis hoc ſit inſeparabile ab huiuſmodi febribus, tamen proprium earum non eſt, nam & aliæ nonnullæ à cauſa præcedente incipiunt.* Quo loco ille multas eiuſmodi cauſas enumerat, laſſitudinem, iram, triſtitiam, vigilias, & ſimiles, ex quibus diariæ febres oriuntur, vt ſuprà diximus. Quam eandem ſententiam repetit 1. *ad Glauconem* 2. 8. *metho* 4. 2. *de criſibus vltimo.* Hinc duo colliguntur: alterum, ſignum inſeparabile eſſe febris ephemeræ incipere à cauſa procatarctica, adeo vt nulla ſit febris ephemera, quæ non ab huiuſmodi cauſis originem habeat: alterum, tale ſignum non eſſe ephemeris proprium, cum ſit commune & aliis, nempe hecticis & putridis, quæ pariter nonnunquam à cauſa procatarctica fieri poſſunt.

An ephemera ex ſolis externis cauſis proueniat.

Sed eſt inſignis difficultas, quomodo omnis febris ephemera à cauſa procatarctica proueniat, ſiquidem certum eſt, illas prouenire aliquando non ſolùm propter animi perturbationes, vigilias, & ſimiles cauſas, ſed etiam propter bubonem, cruditatem, adſtrictionem & obſtructionem, quæ nullo pacto cauſæ procatarcticæ videntur poſſe appellari, cum ſint internæ, atque in corpore contineantur. Hanc difficultatẽ ſoluunt plerique omnes, docentes febres ephemeras eſſe duplices; alteram, veram, quam fatentur veram originẽ habere ex nimio labore, Sole, & aliis id genus externis cauſis: alteram, non veram, quam putant minimè abſurdum eſſe, ex bubone, obſtructione, & cæteris internis cauſis prouenire, qui aiunt Galenum aſſeruiſſe, non omnem febrem ephemeram, ſed tantummodo veram & exquiſitam ex cauſis procatarcticis originem habere. Verùm ego neſcio quanti hæc reſponſio ſit facienda, etenim ſi in febre ex bubone vel obſtructione oriunda, tantummodo ſpiritus accenſi fuerint, & calor ad tactum mitis appareat, cur non veram & exquiſitam ephemeram, quæ illius formam retinet, nobis liceat appellare?

Porrò in propoſita difficultate, quomodo febris ephemera oriatur à cauſa procatarctica, propter nouitios ſciendum eſt, apud medicos, ac præcipuè Galenum *de morborum cauſis* 2. 1. *metho. & aliis locis*, cauſas morborum eſſe duplices: Vnam, quam Græci *προκαταρκτικὴν*, Latini *præincipientem*, vulgo *primitiuam* appellant, quæ quidem cauſa ſic dicta eſt, vt ſcribit Galenus *comment.* 1. *de natura humana in principio*, quòd reliquæ cauſæ ab ea fiant, & originem habeant: atque hanc Galenus locis citatis extrinſecus aduenientem nominat, ex quo, vt puto, nonnulli interpretes cauſam procatarcticam perpetuo externam vocant. Altera eſt cauſa, quæ Græcè *προηγουμένη*, Latinè *præcedens*, vulgo *antecedens* appellatur, interdum à Galeno definitur locis citatis, quæ in corpore animalis conſiſtit; vnde pariter interpretes cauſam internam conuertunt. Præterea tertiam cauſam, quam Auicenna 1. 1. doctrina 2. c. 1. atque ceteri Arabes adiungunt, & cauſam coniunctam vocant, quæ ad preſens inſtitutum non pertinet. Cum itaque bubo, cruditas, adſtrictio & obſtructio, ex quibus fit aliquando febris ephemera, ſint cauſæ minimè exteriùs aduenientes, ſed quæ ſunt in corpore, quomodo verum eſt, febres ephemeras inſeparabili ſigno à cauſis procatarcticis prouenire? Ego verò puto id veriſſimum eſſe, dummodo Galeni verba probè intelligantur: etenim etſi ille quandoque dixit, cauſas procatarcticas exteriùs prouenire, non id tamen ita aſſeruit, quin ſub hoc nomine alias quoque cauſas nonnunquam comprehendat, quæ in corpore continentur, dũmodo à cauſis externis, atque à ſubſtantia corporis alieni, quæ & recentes & manifeſtæ ſint, originem habeant. Ad quem modum *lib. de cauſis procatarcticis, cap.* 2. *&* 3. æſtum, frigus plenitudinem, laborẽ: & iterũ *cõment.* 1. *de natura humana in principio*, repletionem, crapulam & cruditatem inter cauſas procatarcticas cõmemorat. quæ tamen plenitudo, repletio, cruditas, ſine dubio intra corpus reperiuntur. Itaque, mea ſententia, ita ſtatuendum eſt, febrẽ ephemeram fieri ex cauſis procatarcticis ſiue internis, ſiue externis, dũmodo quæ ſunt internæ, ab aliqua externa cauſa, recenti & manifeſta proficiſcantur: id quod ad mentem Galeni facile poteſt comprobari. Nam quatenus pertinet ad febrem ex bubone orientem, ſcribit Galenus hunc bubonem eſſe duplicem; alterum, qui prouenit ex cauſa externa manifeſta, quem perpetuò ſequitur febris ephemera, alterũ, qui ſine cauſa manifeſta generatur, ex quo ſolent fieri febres putridæ, & illæ quidem prauæ & difficiles, cum ſit veriſimile illas fieri ex viſcerum inflammationibus, de quibus eſt aphor. 4. *apho.* 55. *Febres ex bubone omnes malæ præter diarias.*

Quod ſi ita ſe res habet, quid prohibet, quin affirmemus, huiuſmodi febrem ex cauſa procatarctica genitam fuiſſe, cum hæc primũ inceperit, hanc deinde bubo, ac demum bubonem febris ſecuta fuerit? Quod ex eo quoque licet confirmare, quoniam talis febris minimè in cauſam antecedentem, exẽpli gratia, humores in venis contentos & putreſcentes poteſt referri: ſiquidem ex iis calor cordi non communicatur, ſed tantummodo ex bubone, qui propterea calor febrilis retinet naturam materiæ, in qua accenſus eſt, nempe ſpirituum, minimè cauſæ antecedentis; putreſcentium humorum. Sic febris ex cute condenſata, quod ſcribit Galenus 1. *ad Glauc.* 2. contingere ex frigore aut aliqua aſtringente qualitate, vt ex balneo aquæ aluminoſæ, iure ex cauſis procatarcticis oritur: ſic de febribus ex cruditate, obſtructionibus, ac reliquis ſtatuendum eſt. Hactenus de ſignis febris ephemeræ in vniuerſum.

Iam poſtremo loco illud reliquum eſſet, vt tractaremus de ſignis, quæ ſingulas febris ephemeræ differentias ſolent indicare; ſed cum ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, facilè omnia poſſint intelligi, addo, cum Galenus 2. *de criſibus ad finem.* 1. *de different. febr. ad finem*, hanc partem tractet copioſiſſimè & accuratiſſimè, ſuperuacaneum mihi videtur de hac re longiùs agere: itaque ſtatim vertio ad curationem.

Capvt VII.

De curatione Febris ephemeræ.

SVnt qui exiſtimant curationem febris ephemeræ ſuperuacaneam eſſe, cum ſit plane ſalutaris, ac ſine vllo remedio intra 24. horas finiatur, ægerque omni ex parte ſanus remaneat: ſed iſti malè ſentiunt; namque vt ſuprà diximus, ſi quis hac in re committat error, periculum imminet, ne febris ephemera in hecticam aut putridam degeneret, & alia pericula ſuccedant: quare & Gal. & Auicen. & omnes illius curandi rationem docent, cum quibus & nos, ſed quàm breuiſſimè ſtatuimus idem agere. Si quis voluerit cum ratione febrem ephemeram curare, is ex methodo Galeni debet ante omnia illius curandi indicationes ſibi elicere; hæ autem, vt ſæpe diximus, cum potiſſimùm deſumantur ex morbo, omnium primum neceſſe eſt, naturam huius febris memoria repetere; hanc nos diximus eſſe calo-

rem

rem præter naturam accenſum in ſpiritibus cordis, morbúmque ſimpliciſſimum eſſe, ſine ſymptomatibus, ac ſine cauſis præterquam procatarcticis. *Indicatio.* Quare ex præcepto Galen. *in lib. meth.* frequenter vnica etiam curandi indicatio nobis ſeſe offert, nempe refrigerandi accenſos ſpiritus, & ſi liber etiam humectandi, vt ſiccitatis quoque vel præſentis, vel imminentis aliqua ratio habeatur. Neque vero dubium eſſe poteſt, quin huiuſmodi indicationi liceat ſatisfacere, cũ morbus ſit breuiſſimus & tutiſſimus, adeo vt æger vnica die perueniat ad infebricitationem, ſtatimque ad victum & munera ſua conſueta reuerti poſſit, dummodo non aliquis error committatur, vel à medico, vel ab ægroto, vel ab aſtantibus, vel aliqua re externa, aut præterea non ſit in corpore aliqua inſignis obſtructio, vel alia affectio, vnde febris poſſit & prorogari, & degenerare in alios morbos difficiliores.

Cæterùm præſidia, quæ refrigerent & humectant laborantes febre ephemera duobus potiſſimùm capitibus videntur contineri, altero, commoda victus ratione, altero, opportuno vſu balnei: & ita videmus Galenum, Auicenam, & omnes in iis duobus quàm maximè verſari. Nã quatenus pertinet ad vacuationem, nullus eſt locus nec ſectioni venæ, neque medicamentis, qua duplici potiſſimũ ratione ſolent corpora vacuari, niſi fortaſſe aut propter humorum plenitudinem aut cacochymiam, aut inſignem obſtructionem, aut aliam cauſam, videatur imminere morbi magnitudo, ſine qua nunquam nec ſanguis mittitur, neque exhibentur medicamenta: *Euacuationẽ,* inquit Auicen. *non indiget aliquis eorum, niſi habens repletionalem oppilationem, & nauſeatiuam ſatietatẽ, & qui habent febres ephemeras ex ſoliditate huius corpus eſt repletum.* Iraque nos quoque Galenum & Auicennam imitati, primùm de ratione victus ſermonem habebimus. *Victus ratio.* Victus ergo generaliter in febre ephemera ſit facilis concoctionis, cum calor præter naturam in febribus omnino lædat concoctionem. Secundò, ſit boni ſucci, & minimè excrementoſus, ne multis genitis excrementis, illiſque ab externo calore, putreſcentibus, febris putrida accendatur. Tertiò ſit frigidus & humidus, qualem conſtat omnibus febribus conuenire, inter cætera autem alimenta principem locum obtinet priſana hordeacea, quæ præclarè poteſt refrigerare & humectare, nullum excrementum detinere, & ad ſummam omnes habet conditiones, quæ in alimẽto optimo & ad febrem accõmodato requiruntur, quę ab Hipp. & Gal. diffusè explicantur, 1. *de ratione victus* 18. 8 *metho.* 2. *l. proprio, de ptiſana, c.* 5. cuius quidem edulij cõmodam præparationem, & vſum alio commodiori loco vobis demonſtrabo. *Alica quid.* Secundo loco eſt alica, de qua maximè eſt cõtrouerſia inter herbarios noſtri temporis, quid ſit, aliis aſſerentibus eſſe noſtrũ far vulgare, aliis contendentibus alicam, quam Græci χόνδρον, appellant, à noſtro farre eſſe longè alienam: quam diſputationem apud Matthiolũ & alios vobis licet videre: vſus hoc tempore obtinuit, vt plerique omnes pro alica farre vtantur, quod quidem edulium in eo ſuperatur à priſana, quod habet neſcio quam viſciditatem & lentorẽ, vnde poteſt hærere meatibus illos obſtruere, & putredinem efficere, cui tamen incõmodo Galenus docet dupliciter poſſe occurri: vno modo, ſi ferculo ante integram coctionem iniiciatur parum aceti, quod omnem lentorẽ & viſciditatẽ poteſt auferre: altero, ſi abſque aceto ferculum paretur liquidum, non craſſum nimirũ pauco farre ex multa aqua decocto, cui poſtremò Gal. addit modicum porri & anethi, ſed nõ delectamur iſtis porris neque anethis.

Panis lotus. Poſt ptiſanam & alicam ſequitur apud Galenum panis in furno coctus, qui ſi primùm lauetur, deinde ex iura vel aqua decoquatur, vt vulgo fit alimẽtum, euadit facilis concoctionis, boni ſucci, parũ nutriens, & valde accommodatus. *Piſces.* Poſt hæc Galenus commemorat piſces, quaſi illos præponat carnibus, et ſi hoc tempore vel pauci, vel nulli medici audent in febribus piſces exhibere: oportet autem vt ſint molles, friabiles, in ſalutaribus aquis viuentes, quales ſunt omnes ſaxatiles, ac tandem optimè præparati. Porrò à Galeno varij numerantur piſces ad hanc rem accommodati, & primò ſunt *aſelli*, quos ferme æquat piſcibus ſaxatilibus, dummodo in bonis aquis capiantur, quorum piſcium varia ſunt genera; ſoleæ, quos puto eſſe qui vulgo *rhogij* vocantur; torpedo, quæ ferè hoc tempore eſt ignota. Venetiis, vt audio, ſgrano, Romæ *occhiatella* dicitur: lupus creditur eſſe noſter *Varolus*; mulli ſunt noſtri barbones; demum eſt mulgi, qui à nonnullis *capito*, vulgo *Cephalus* dicitur, quem tamen piſcem affirmant. Venetiis eſſe inſalubertimum, fortaſſe quòd degit in aquis omni ſordium genere plenis. Siquis magis accurate cupit iſthęc nomina & piſces intelligere, is conſulat Paulum Iouiũ, Hippolitum Saluianum Romanum, Rondeletium Gallum, qui omnes in hoc argumento diffusè verſati ſunt: ſed ante omnia videat Galenum 3. *de alimentorum facult. à cap.* 24. *vſque ad* 32. qui diligenter & copiosè variorum piſcium nomina, naturam, vim, præparationẽ, & omnia complectitur, quæcunque ad illorum vſum pertinent, vt pluribus non ſit opus. *Carnes bonæ quæ.* Poſt piſces ſequuntur carnes, quæ hoc ordine diſponuntur; ex volatilibus optimæ ſunt perdices, & auiculæ omnes montanæ, ab iis pulli gallinacei & phaſiani & iuuenes columbæ: ex quadrupedibus ſoli recẽſentur hœdi, de quibus pariter ſcriptum reliquit *de attenuante victus ratione* 8. ex terreſtribus animalibus ſolis hœdis innoxie nos vti poſſe. Atque hæc quidem Galenus inquit, ſe tanquam exempla poſuiſſe, ex quibus liceat vnicuique de cæteris iudicare. Quo loco Galenus tria nobis communia tradit præcepta, quæ non ſunt prætermittenda primum, ne huiuſmodi animalia clauſa detineantur ſed libera, cum illa ſint omnino excrementoſa, quæ carent exercitatione: ſecundum, cauendum eſſe ab omnibus quæ viuunt in lacubus & paludibus, vt quæ non ſint prioribus minùs excrementoſa: tertium, cauendum eſſe ab antiquis, & recenter natis, quòd illa duriora ſint & concoctu difficiliora, hæc autem immodice humida & excrementoſa. *Potus.* Potus ſit aqua, vt Galeno placet 8. *metho.* 3. aut vinum tenue, quod cũ colore, tum viribus ſit aquoſum, eſt enim ad omnia vtilius, quàm aqua, vtpote quod & concoctionem iuuet, & vrinas & ſudores prouocet, quod tamen ita accipiendum eſt, dummodo non adſit vel inſignis obſtructio, vel dolor capitis, vel catarrhus, vel aliud malum, quod illius adminiſtrationem poſſit prohibere.

Quantitas ciborum. Quatenus pertinet ad quantitatem ciborum, nihil certi generaliter poteſt definiri. Scribit Galen. 1. *ad Glauc.* 3. menſuram alimenti deſumi ex viribus & ætate ægroti, necnon ex naturali temperie, conſuetudine anni, tempore, regione, atque aliis eiuſmodi: etenim corpora robuſta & plena humoribus moderatè, vel potius parcè nutrienda ſunt: altera autem magis debilia atque extenuata, qualia ſunt quæ febricitant ex labore, vigilia, triſtitia, copioſiùs nutrienda ſunt.

Tempus. Poſtremò tempus ad nutritionem accommodatum apud Galenum eſt declinatio, in qua ille irridens medicos, qui inediam trium dierum imperabant ac propterea diatritarij appellabãtur ſuos ægros nutrire conſueuerat. Ex quo nequeo ſatis mirari, quid in mentem venerit Auicennæ, qui ſcribit ægros nutriendos eſſe principio, ſi percipiant quandam horripilationem. Galenus quidem 10. *meth. cap.* 3. & 4. ſcribit, quandoque ægros in ipſa acceſſione; &

principio horroris nutriendos eſſe, ad remittendam acrimoniam vaporum & humorum qui ſecum plura incommoda ſolent afferre: ſed ille hoc loco loquitur de aliis febribus, quàm de ephemeris, vt ſuo loco demonſtrabimus. Atque hactenus de victus ratione.

Diximus alterum præcipuum remedium curandæ febris ephemeræ ad balneum pertinere, quod quotieſcunque ſimpliciter pronunciatur, ſine dubio Galeno auctore 7. *de med. ſecundùm locos, c.* 11. *method.* 9. de balneo aquæ dulcis intelligendum eſt, de quo quidem ac variis illius partibus, viribus, ac tota adminiſtratione, multa forent dicenda, ſed cum curandis febribus ephemeris nullus planè ſit vſus balnei hoc tēpore, cum pauci aut nulli homines apud nos per ſanitatem ſoleant lauari, qui tamen mos antiquis fuerat valde familiaris, mihi libet hanc partem in commodius tempus differre, nempe cum traditur curatio febrium hecticarum, in quibus plerique omnes medici vtuntur.

Itaque iam tradita curatione febrium ephemerarum in vniuerſum, poſtremo hoc loco illud reliquum eſſet, vt tractaremus curationem ſingularum differentiarum, ſed res foret longiſſima, aut forte ad nullam rem vtilis: quamobrem nobis liceat ad vtiliora properantibus, ſimul cum Galeno paucis verbis hoc totum negotium abſoluere, qui ſummatim ſcribit ad hunc modum, 1. ad Glauc. 3. *Tentare oportet contrarium ſemper afferre, ſi quod moleſtat, labori quidem quietem, vigiliis ſomnium, ira autem, furori, ac triſtitie, eam animi iucunditatem, quæ ex ſermonibus, actionibus, ſpectaculis, & aliis, id genus percipitur: ſic qui cogitatione laborat, omnino ratiocinationes prætermittat, & qui ex inguinum inflammatione febricitat, priùs curationi huius intendat, ac multo prius vlceris, vnde originem habuit.* Hæc Galenus, à quo quidem labore longioris explicationis eo libentius ſuperſedeo, quòd ex iis, quæ hactenus tradita ſunt, plurima haberi poſſunt, quæ ad veſtram inſtitutionem ſatis eſſe poſſunt, cum potiſſimùm Galenus non ſemel, & Auicenna accuratiſſimè & diffusè doceant vnamquamque differentiam curare. Hactenus de febribus ephemeris.

Capvt VIII.

De Febribus putridis

POſt tractationem de Febribus ephemeris Auic. aggreditur tractationem de putridis, de quo ordine vulgaris eſt dubitatio, quoniam Galenus videtur alium ordinem ſeruare, qui *lib.* 8 *&* 9. *metho.* agit de febribus ephemeris, in 10. de hecticis, & 11. de putridis: ac ſanè dubitatio redditur maior, quia Gal. 9. *meth. c. vltimo*, poſtremis verbis ſui ordinis & conſilij rationem reddit: etenim cum febres aliquæ adhuc fiant, manente in corpore cauſa quæ illas cauſauit, quales ſunt febres putridæ, aliæ verò factæ iam ſint, ſed cauſa quæ illas accendit, iam abierit, quales ſunt ephemeræ atque hecticæ, rationi ac methodo conſentaneum viſum eſt, de iis primò ſermonem habere, vtpote ſimplicem primā curationis indicationem habētibus, deinde illas quoque aggredi, quarum in corpore cauſa ſubſiſtit. Cum ergo à rebus prioribus, & ſimplicioribus perpetuò incipere oporteat, deinde accedere ad eas, quæ ſunt magis compoſitæ, febres autem ephemeræ atque hecticæ, quatenus ad febrem pertinent, ſine dubio ſimpliciſſimæ ſint, ſimplicémque præbeant curationis rationem; putridæ autem ſint magis compoſitæ, partim ratione cauſæ, partim ratione ſymptomatum, quæ frequētiſſimè illas comitantur; Galen. iure primò de ephemeris atque hecticis, deinde de putridis debuit ſuam tractationem inſtituiſſe, quod quidem ſcribendi propoſitum ille expreſſit 1. *ad Glauc.* 2. inquiens ſe velle de iis febribus primum ſermonem habere, quæ ſunt ſimpliciſſimæ, &c.

Ad hanc dubitationem variæ ſunt reſponſiones, quas nolo ſigillatim perſequi & examinare; ſed reſpōdeo, mea quidē ſententia nullā extare legē, quæ homines cogat de aliqua re eundem perpetuò ordinem ſeruare, cum liceat vnicuique pro variis cogitationibus & ſcopis, quos ſibi proponit, varios quoque ordines amplecti. Galenus primò de ephemeris, deinde de hecticis, tum de putridis voluit pertractare, & hanc rationem reddit ſui propoſiti, quòd illæ ſint ſimpliciores, hæ verò ſint magis compoſitæ: Auic. primò de ephemeris, tum de putridis, poſtremò de hecticis tractationem inſtituit, qui illam forte habuit conſiderationem, quòd calor præter naturam omnium faciliimè accenditur in ſpiritibus, deinde in humoribus, poſtremò in ſolidis: forte etiam faciliorem curationem, & alios ſcopos ſibi ante oculos poſuit, qui illi hunc ordinem perſuaſerunt. Ac ſanè hoc videtur fuiſſe peculiare inſtitutum Auicennæ, docendi artem medicam ex proprio ordine, quem ſibi ipſe ſuo arbitratu &, ſua voluntate feciſſet: id quod manifeſtè confirmant verba proœmij totius operis, quæ ita habent: *Et mihi placuit, vt in primis loquerer de rebus communibus & vniuerſalibus vtriuſque partis medecinæ, theorica & practica, & deinde loquerer,* &c. Et iterum paulo poſt: *placet mihi, vt, poſtquam hunc librum conſumpſero, alium librum componam de rebus particularibus, &c.* His ſi libet, addamus præclarum Galeni teſtimonium: Nam duo nonnulli Hippocratis interpretes hoc illi crimen obiicerent, quaſi ille tractans de fracturis & luxationibus, ſatis incondito loco vſus fuiſſet, Galenus illos irridet, & confutat hunc in modum initio primi comment. de fracturis: *Cur hic luxationum & fracturarum immutato ordine dixerit, cum deberet fracturas luxationibus anteponere, cum de iis prius dicturus ſit, vnam rationem afferre poſſum, quod videlicet ſæpe & apud Hippocratem & apud omnes veteres Scriptores, qui dicendi facultate excelluerunt, huiuſmodi locutionis genus reperitur, dum non ordinem eorum quæ traduntur magis quàm ordinis congruentiam ſequuntur, imo fortaſſe ne vllam quidem in huiuſmodi rebus exquiſiti ordinis curam habent.* Hæc Galenus, ex quibus conſtat, minimè eundem ordinem apud omnes perpetuò eſſe neceſſarium, ſed pro vario hominum arbitratu varios ordines diuerſa ratione inſtitui poſſe. Itaque Auic. poſt febres ephemeras tractat de febribus putridis; longa capitum & orationis ſerie, in qua tractatione hunc ordinem ſeruat, namque primū de omnib. agit vniuerſaliter, deinde ad particulares, bilioſam, pituitoſam, melancholicam, deuenit. Quoniam verò mihi non libet, quod multi faciunt, in diuiſione iſtius diſciplinæ atque ſingulorum capitum tempus conterere, id quod procedente noſtra interpretatione magis diſtinctè atque vtiliter fieri poteſt, cæteris omnibus hoc tempore prætermiſſis, ſtatim ad noſtrum propoſitum primum caput deuenio, quod poteſt diuidi in quatuor partes. Etenim Auic. tractat in prima de cauſis putredinis; in ſecunda de differentiis rerum & locorum, in quibus contingit putredinē fieri; in tertia de differētiis febrium putridarum, quæ pro varietate putreſcentis materiæ in variis locis generantur; in quarta de rigore, horrore, & aliis ſymptomatibus quæ huiuſmodi febres ſolent comitari. *Diuiſio huius capitis.*

Cæterum priuſquam ad rem aggredior, non ſolùm operæ pretium, ſed etiam neceſſarium mihi videtur, ante omnia de putredine diſputare; quod quidem propoſitum præter euidētiſſimas rationes ſatis poteſt cōfirmare vnius Gal. auctoritas atque exēplū, qui tractaturus de febribus putridis, initiū facit ſua- *De putredine.*

tra

tractationis à putredinis diſputatione, 11. *meth.* 8. Cum enim febres putridæ ex humorum putredine accedantur, noménque ſuſcipiant, atque in earum curatione putredo quoque, vt poſterius videbimus, propriam & peculiarem indicationem afferat, ignorata putredinis natura, fieri non poteſt, vt quidquam certi intelligatur quod ad illarum, vel cognitionem, vel prognoſticum, vel curationem pertineat: at verò quoniam ſi velimus ſingula accuratè & diffusè examinare, quæcunque ex variis diſcrepantibus ſententiis de hac re circumferuntur, cum talis diſputatio ſit admodum difficilis, & in maxima controuerſia poſita, tempus duorum menſium non ſufficeret: equidem ſtatui maiori qua fieri poteſt breuitate in hoc argumẽto verſari, & illa tantummodo perſequi, quæ mihi magis neceſſaria & ad veſtram vtilitatem accommodata videbuntur. Atque vt hac quoque in parte à Galeni doctrina & methodo non diſcedamus, à putredinis definitione ordiendum eſt: verum cum hæc multipliciter, partim à veteribus, partim à recentioribus tradita fuerit, mihi libet duas tantũmodo illius definitiones conſiderare & perpendere, alteram Ariſt. alteram Gal. quæ niſi fallor, ſi probè intelligantur, ad abſolutam putredinis intelligẽtiam ſatis futuræ ſunt: ſed primum Ariſtotelis definitionem proferamus, quæ magnam lucem alteri traditæ à Galen. poteſt afferre, ac iure totius diſputationis

Definitio putredinis. Auicen.

fundamentum cenſenda eſt: *Putredo,* inquit Ariſtot. *eſt interitus proprij atque innati caloris in vnoquoque humido, ab alieno calore, hic autem eſt ambientis.* 4. meth. 6. Vt verò hanc definitionem probè intelligatis, quædam ſunt vobis memoria repetenda, tanquam fundamenta, quibus tota definitio nititur: primò verò iſtud, Ariſtotelem ſuperioribus tertio & quarto textibus putredinem, nempe interitum mixti, opponere ſimplici illius generationi; quare ſi primùm pauca verba dicamus de mixti generatione, ea fiẽt longè faciliora, quæ de putredine ſumus dicturi.

Mixti generatio.

Proinde ſciendum eſt ex Ariſt 1. *de gen. & corrupt.* mixta per mixtionem generari, quæ quidem mixtio, vt ſcribit Gal. 1. *de tem. c.* 6. vt nõ ſit opus humanæ artis, ſed Dei & naturæ, has requirit conditiones: primùm vt quæ debent ſimul miſceri, vim habeant agendi & patiendi, ſiquidem non quodlibet agit in quodlibet, nec patitur à quolibet: talia autem ſunt contraria, neque enim ſimile agit in ſimile, neque patitur à ſimili, ſed contrarium agit in contrarium, & patitur à contrario. Deinde miſcibilia debẽt eſſe prædita forma & materia, cum manifeſtum ſit corpora tantum naturalia verè inter ſeſe commiſceri. Præterea vt huiuſmodi miſcibilia commodiùs inter ſe miſceantur, vt humida ſint, aut humido perfundantur, neceſſe eſt, adeo vt omnis mixtio potiſſimùm fiat ratione humiditatis, vt Ariſt. & Auerr. docent 4. *met.* 28. Poſtremò debent miſcibilia eſſe adeo tenuium partium, vt in minimas particulas diuidi poſſint, quò ſibi inuicem poſitæ faciliùs & citiùs ſe ipſas altererent, & mixtionem efficiant. Hæc ad mixtionem requiruntur, quod manifeſtè apparet in iis, quæ arte parantur, de quibus præter Auic. Gal. loco notabili 1. *de aliment. ad fin.* accuratè & luculenter tractat. Cum igitur hæc ita ſe habeant, ſtatuendum eſt quatuor elementa, ignem, aërem, terram, & aquã, habere omnes conditiones, quæ ad veram mixtionem requiruntur: hæc enim quando conueniunt in vnum, principio quidem cum paribus propemodum ſint viribus, non agunt aliud in aliud, & patiuntur alia ab aliis, dum vires habent ſummas atque integras; poſtea verò in huiuſmodi pugna cum vires eorũ iam remiſſæ fuerint, & vnũquodq; vel ſuperauit, vel ſuperatum fuerit, ad mediocritatẽ quandam deducuntur, quo tẽpore verè ſimul miſcentur, vniuntur, atque ex omnibus vnum corpus conſtituitur, quod mixtum dicitur, ex quo iure dicit Ariſtot. mixtionem eſſe miſcibilium alteratorum vnionem. Sed illud poſtremò eſt memoria repetendum, in mixtione quatuor primas qualitates, minimè vnam atque eandem operam præſtare, neque eandem dignitatem obtinere: ſiquidem duo vim potiſſimum habent agendi, & totidem patiendi, agunt calor & frigus, patiuntur humor & ſiccitas: neque verò vtræque hæ qualitates tam agentes quàm patientes, eaſdem vires, eundémque agendi & patiendi modũ obtinent, namque frigus non ſimpliciter generationem efficit, ſed potius quodammodo efficiendi ſocium dici poteſt, calor autem verè ſubiectam materiam mutat, eámque fingit, ac format, ac reuera opifex generationis, atque auctor præcipuus dici debet: quippe frigus non tanquam efficiẽs principale, ſed tanquam adiuuans, requiritur ad generationem: etenim cum ex vna parte non à quolibet calore, & ſecundùm quemcunque modum mixtio fieri poſſit, ſed à quodam definito & determinato, ſecundùm eum modum, qui ſit accommodatus ad naturam illius rei, quæ debet generari; ex altera autem purus ac ſimplex calor, qui ſummus eſt, qualem ignis præ ſe fert, propter eximiam vim effectricem, quam habet, abſumat omnia, & in naturam ſuam conuertat, iure cum calore neceſſaria fuit frigoris colligatio, non quòd frigus per ſe generet, cum hoc ſit munus caloris, ſed vt nimiam vim caloris frangat & remittat, ſine qua moderatione purus calor generare minimè poſſet. Sic eadem eſt ratio humoris & ſiccitatis inter ſe, quæ ſunt patientes qualitates, & materia generationis, quæ inter calorem & frigus reperitur: namque humor calori, ſiccitas frigori reſpondet: humor enim præcipuam vim ad generationem confert, cum formam à calore impreſſam recipiat: ſiccitas verò eatenus materia generationis efficitur, quatenus humorem temperat, & ſtabilem reddit, ſiquidem humor eſt qualitas, quæ ſuo termino non finitur, ſed facilè obedit alieno, & cum facillimè, quæ imprimuntur, admittat, tamen impreſſam formam per ſe nequit retinere. Contra verò ſiccitas eſt qualitas, quæ facilè ſuo, difficulter alieno termino finitur, atque impreſſam formam diu retinet: quare ſiccitas humori iuncta ipſum temperat atque idẽ præſtat quod à frigore calori copulato in agendo præſtari diximus. Itaque vno verbo, & actione caloris à frigore temperati in ſubiecta materia, nempe humore per ſiccitatem confirmato, omnium mixtorum corporum forma producitur. Atque hæc hactenus de mixtione quantum inſtituti noſtri ratio poſtulat, quæ ab Ariſtotele in libro de generatione, & 4. meteororum diffusè tradita ſunt. Ad putredinem redeo.

Si itaque putredo, vt diximus ex Ariſtot. opponitur ſimplici generationi ipſius mixti, cum oppoſitorum ſit eadem diſciplina ex iis, quæ de mixtione dicta ſunt, facilè erit putredinis definitionem intelligere & explicare. Nam ſicuti in generatione mixti res ita procedit, vt ante omnia calor temperatus frigore, vincat & terminet humorem ſiccitate temperatum: ita contrà in putredine, vt idem calor mixti, qui in humido continetur, ac propterea illius calor naturalis dicitur, ab humore vincatur, neque amplius illum terminet, ac tandem intereat neceſſe eſt. Itaque putredo eſt interitus proprij atque innati caloris in vnoquoque humido. Hæc verba continent genus definitionis, nempe interitũm, & vnam differentiam ex ſubiecta materia, nimirum caloris proprij in humore; quæ deinceps ſequuntur, continent alteram differentiam, tanquam cauſam, ſcilicet ab externo calore: qualis autem ſit huiuſmodi externus calor, declarant poſtrema verba, *hic autem eſt ambientis.*

Quæſtio.

Sed rurſum quæritur, quid per caliditatem ambientis oporteat intelligere? Nonnulli interpretantur

calorem aëris. Verùm mihi quidem vt videtur malè, ſi quidem aër externus non minùs eſt frigidus hyeme, quàm ſit calidus æſtate, itaque deberet non minus interitũ quàm conſeruationem efficere. Contrà verò conſtat, & hyeme, & æſtate, & quouis tempore, & ſub quouis cœli ſtatu ac regione internum calorem conſumi, atque hinc prouenire ſenium in animalibus, ariditatem in plantis, diſſolutionem earum partium, quæ ſimul tenebãtur in lapidibus, metallis & cæteris omnibus, quæ anima carent: quare calor ambientis nullo pacto ſimpliciter calor vnius aëris poteſt intelligi. Vt autem intelligatis, quidnam Ariſt. per calorem ambientis voluerit ſignificare, memoria tenendum eſt calorem in animalibus & plantis retineri humido, atque eo nutriri, in qua nutritione vapores atque fuligines ab humido eleuari, atque effluere neceſſe eſt, ſicuti in candela cum ardet, fieri cernimus. Ergo huiuſmodi vapores & fuligines, quæ exire debuiſſent, ſi retineantur, cum calidæ ſint, calefaciunt, & cùm non ſint propriæ humoris quem ambiunt, ſed tanquam res externa, calidi ambientis & externi vim habere atque eodem modo internum calorem conſumunt: hęc autem retinentur in corporibus noſtris ex prohibita tranſpiratione adſtrictis, vel obſtrictis meatibus, per quos debent exire, atque ex aliis cauſis, de quibus poſteriùs ſermonem habebimus. In corporibus quidem quæ anima carent, res nõ ita eſt manifeſta, quia minùs calida ſunt: quare nullus apparet effluxus, ſed tamen ratio monſtrat omnino aliquem effluxum fieri, at tanto obſcuriorem, quantò minorem calorem habent: hic tamen tranſpiratus, qualiſcunque fuerit, ab aëre frigidiore prohibetur, ex quo fit, vt retentus ille calor, qui deberet expirare, vim habeat caloris ambientis, & ita conſumat calorem internum, vt propterea corporea quoque inanima tam hyeme, quàm æſtate abſumantur, & calore innato deſtituantur, non aliter quàm animalia & plantæ facere ſolent. Itaque cenſeo Ariſtot. externum ambientem calorem intelligere quemlibet calorem, qui quouis modo rem ambiat, atque illius calorem internum interimat.

Sed hoc loco eſt dubitatio, quomodo fieri poſſit, vt calor à calore interimatur, cum magis omnia conſeruentur à ſimili, interimantur à contrario: facilis autem eſt reſponſio, neque enim eſt idem calor, qui corrumpit, & qui corrumpitur; hic internus eſt, ſecundùm naturam & moderatus; ille eſt externus, præter naturam & immoderatus; quare nihil abſurdum eſt, ſi à calore externo internus, à non naturali naturalis, ab immoderato moderatus corrumpatur. Atque hactenus de Ariſt. definitione, nunc alteram Gal. aggrediamur, quæ eſt huiuſmodi 11. meth. 8. *Putredo eſt mutatio totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis ad corruptionem à calore externo.* Multi opinantur has duas definitiones putredinis, longè inter ſe differre, ex quo colligunt duas eſſe ſpecies putredinis; alteram de qua philoſophi, alteram de qua medici tractent. Verùm iſti mihi videntur malè ſentire, qui exiſtimo tam medicos, quàm philoſophos de vna atque eadem putredine ſermonem habere, & vtramque definitionem in vnum conuenire, neque inter ſe quidquam diſſidere. id quod mihi videor euidentiſſimo argumento poſſe demonſtrare, quoniam Gal. definitionem Ariſt. laudat, probat, amplectitur & imitatur: quod ſi Gal. de putredine diuerſam Ariſt. opinionem habuiſſet, non dubitaſſet illius definitionem conuellere, ſicuti in multis aliis rebus, de quibus ab illo diſſentit, non dubitauit illum oppugnare, ac forte etiam non ſemel expugnare: ſed ipſam rem parumper conſideremus.

Definitio Gal.

Putredo eſt mutatio.) In hac Gal. definitione mutatio eſt genus, quod videtur eſſe alienum à genere poſito ab Ariſt. nempe ab interitu: ſiquidem mutatio ſignificat motum quendam, alterationem, & præparationem ad putredinem, interitus autem ſignificat finem & terminum alterationis Namque idem euenit in generatione, quod in corruptione, cum ſint oppoſita: quare ſicuti in generatione ſubitò atque in inſtanti forma reſultat, quæ verò præcedunt, ſunt alterationes materiam præparantes ad formam recipiendam; item in corruptione alterationes quædam præcedunt, quæ ſubiectam materiam ſpoliant ſua forma, nouamque introducunt, quod pariter ſubitò ac momento temporis fieri ſolet: quare mutatio & interitus videntur differre inter ſe: ſicuti res quæ fit & eſt in via, ab altera quæ facta eſt & ad terminũ viæ peruenit. Hæc ſanè longiſ. diſputationem requirerent, verùm pro breuitate & occaſione præſentis temporis, vno verbo ita cenſeo reſpondendum eſſe: generationem, corruptionem, putrefactionem & alia huiuſmodi nomina apud philoſophos dupliciter vſurpari; vno modo, pro motu, & quatenus res generantur, & corrumpuntur, & putrefiunt; altero pro termino motus, & quatenus res genitæ, corruptæ & putrefactæ ſunt: cuius duplicis ſignificationis multa apud Ariſt. ſunt exempla, ex quibus vnum mihi ſatis fuerit 2. *phy. tex.* 14. quo loco philoſophus docet, apertiſſimè generationẽ dici de motu ac de via, quæ eſt ad terminum & formam. quod ab Auerrhoe quoque in com. diffusè cõfirmatur & explicatur: itaque ſicuti generatio dicitur de motu & via ad formam, nihil prohibet, quin ipſe quoque motus putrefactionis, qui ad illã via eſt, putrefactio dici poſſit. Sed tametſi concedatur, Ariſt. vnam putredinem definire voluiſſe, quæ iam ſit abſoluta, & ad terminum deuenerit, Gal. contrà definire viam ſeu mutationem, non terminum putrefactionis, cum mea quidem ſententia vtraque definitio, tam Ariſt. quàm Gal. ſit generalis & omnem putredinis rationem poſſit accommodari, non tamen hinc ſequitur, illos inter ſe diſſentire, ac diuerſam definitionem tradidiſſe. Etenim placuit Gal. definire putredinem quatenus pertinet vſum artis medicæ, ad quem omnia perpetuò ſolet referre; qui intelligebat res primum moueri, ac pro parte alterari ad viam putredinis, deinde ad abſolutum illius terminum peruenire, atque huic duplicis putredinis rationi duplicem quoque medendi rationem conuenire, quod ille docet in arte med. 89. 11. *meth.* 9. 2. *apho.* 17. Ariſt. autem tanquam philoſophum, cui talis conſideratio fuit minus neceſſaria, voluiſſe putredinem definire integram atque abſolutam, de qua potiſſimum philoſophi ſolent tractare. Quamobrem ſi hæ duæ definitiones differunt inter ſe, ea tãtum ratione differunt, quam notauit Auerrh. *de anima com.* 17. nempe ratione diuerſæ conſiderationis: ſiquidem philoſophus generaliter ea conſiderat tantummodo, quæ ſunt ſecundùm naturam, minimè ea quæ ſunt præter naturam: medicus autẽ omnia conſiderat, & ſecundùm naturam & præter naturam, quæcunque ad ſuum finem poſſunt pertinere: ſed reliqua proſequamur.

Putredo eſt mutatio totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis) Etſi nonnulli exiſtimãt hac quoque in parte Gal. definitionem à definitione Ariſt. diſſentire: tamen ſine multo labore mihi videor poſſe demonſtrare, hæc verba apud Gal. idem ſignificare, quod altera apud Ariſt. ſignificant: nimirum proprij atque innati caloris in vnoquoque humido. Quæſo enim mihi reſpondeat aliquis, quotieſcunque interit calor proprius, & innatus alicuius rei, an forte illius ſubſtantia reſtet ſalua & incolumis? quotieſcunque tota eiuſdem rei ſubſtantia putreſcit, an illius calor innatus permaneat & conſeruetur? An potius intereunte natiuo calore, ſubſtantiam quoque ac pariter putreſcente tota ſubſtantia calorem natiuum

simul

Digitized by Google

ſimul neceſſe ſit interire? Ego quidem puto eſſe neminem, qui non fateatur, idem plane eſſe, ſi quis dicat, calorem innatum interire, vel totam ſubſtantiam putreſcere: quod ſi quis tandem hoc non libenter velit fateri, is Galen. audiat, qui manifeſtè, & expreſſè docet, ſubſtantiam cuiuſque corporis non aliter quàm intemperie quatuor primarum qualitatum conſiſtere, in *libello de plenitud.* 3. 5. *de loc. aff. vltim. & aliis locis*: quamobrem facile eſt intelligere, diſſoluta corporis temperie, totam illius ſubſtantiam diſſolui. Nam ſicuti fit generatio opera natiui caloris, ſimul mixtis & coniunctis elementis, ita illis ab externo calore diſſolutis & diſſipatis; vt fiat interitus & corruptio neceſſe eſt: quæ quidem mixtio & vnitas elementorum nunquam poterit diſſolui, niſi natiuus calor, tanquam totius mistionis opifex & quoddam ligamentum ab externo calore ſuperetur. Itaque ſatis poteſt conſtare, tametſi vtriuſque definitionis verba ſint quoquomodo varia, tamen re vera vnam atque eandem ſententiam eſſe, neque illas inter ſe hactenus diſſentire.

Ab externo calore.) De hac poſtrema parte definitionis Galenicæ nemo poteſt dubitare, quin planè conueniat cum poſtrema parte definitionis Ariſtotelicæ, qui memoria teneat, quæ de hac re ſcripta ſunt à Galen. 2. *de differ. feb.* 2. videtur Ariſtotel. rectè dixiſſe, ab alieno calore fieri putrefactionem: vocat autem alienum externum, non innatum, neque vnicuique rei proprium, hic enim concoquere ſolet, alienus autem corrumpere, quod eſt putrefacere: quam ſententiam repetit & confirmat 3. *epid. ſecto.* 3. *comm.* 1. 22. *& aliis locis*. Sed forte nimium degreſſi; hæc generaliter ex Auic. & Galen. diximus de putredine, ad Auicennam redeuntes ad noſtrum principale inſtitutum accommodemus: illud autem fuerat ſimul cum Auic. tractare primùm de cauſis putredinis: cum enim ſit nobis propoſitum agere in præſentia de febribus putridis, id ante omnia neceſſarium eſt intelligere, quomodo & quibus de cauſis humores in corpore putreſcant: vt verò hanc rem faciliùs intelligatis, mihi liceat paulò altiùs vobis explicare quomodo & quibus de cauſis humores in corpore generentur, ſiquidem, vt inquit Gal. 3. *de ſympt. cauſis* 1. hoc præcipuum eſt caput inuentionis omnium cauſarum, quæ facultatibus noxam inferunt, ſi cognoſcamus rationem qua per ſanitatem actiones ſuas perficiebat.

Sciendum igitur eſt, calorem innatum partiũ ſolidarum, ſed præcipuè viſcerum noſtri corporis primã & præcipuam cauſam eſſe generationis omnium humorum, qui in animante ſecundùm naturam reperiuntur, quæ doctrina eſt Galen. 5. *epid. ſect.* 2. 46. 4. *aphoriſm.* 36. *& aliis locis*, neque verò dubium eſt, quin humores ſeruentur & cuſtodiantur illa ipſa ratione qua generantur: quod ſi ita ſe res habet, manifeſtum eſt, illos generaliter corrumpi & putreſcere quotieſcunque ſua naturali tutela deſtituuntur, & ab innato calore non gubernantur: quamobrem illa omnia ſiue ex parte humorum, ſiue ex parte loci, in quibus humores continentur, ſiue ex parte caloris, ſiue quouis modo, quæ poſſunt eſſe in cauſa, vt calor innatus non poſſit probè fungi ſuo munere, hæc omnia ponenda ſunt, tanquam cauſæ, aut magis remotæ aut magis propinquæ, propter quas humores ſolent corrumpi & putreſcere. Sed magis particulatim hanc rem perpendamus.

Auicenna, & cum eo omnes interpretes in referendis cauſis putredinis admodum confusè & obſcurè mihi agere videntur. Itaque nos confugiamus ad Galen. atque experiamur, an ex illius diſciplina diſtinctè & perſpicuè poſſimus hanc ipſam rem explicare ex definitione putredinis tradita tum ab Auic. tum à Galen. Conuenit inter omnes, duas eſſe maximè communes & immediatas cauſas putredinis: alteram, efficientem calorem externum; alteram materialem humiditatem, de quib. quidẽ duab. cauſis idem Ariſt. & Gal. & omnes ampliſſimũ reddunt teſtimonium. Sed reliquis prætermiſſis vnum aut alterum Gal. locum afferamus: ille igitur hæc habet 3. epid. ſect. 3. com. 1. *Omnis putredo videtur ex materia gigni humida, ex cauſa autem efficiente extranea & præter naturam calore augeri pro immobilitate: nihil itaque putreſcere, quod omnino ex parte eſt ſiccum, omnes manifeſtè videmus: neque enim lapis, aurum, neque aliud id genus putreſcere cernitur.* Sed ex hoc loco Gal. nonnulli dubitant, cum illic videamus non ſolùm calorem & humiditatem, ſed etiã quietem putredinis cauſas conſtituere: quib. vno verbo reſpondeatis, calorem atque humiditatem eſſe cauſas principales & neceſſarias, quietẽ verò potiùs eſſe concauſam, quæ ſolet adiuuare, non efficere, quod ſatis expreſſit Gal. inquiens, putredinem non fieri, ſed augeri immobilitate, quæ duo cauſarum genera apud Gal. diſtinguuntur *de ſymp. diff.* 1. Poſſent & alia multa loca proferri, quæ demonſtrant euidentiſſimè ex iis duabus cauſis, calore externo & ſuperflua humiditate putredinem fieri, ſed vnus locus cæterorum omnium vicem poteſt ſupplere; 1. de temp. à cap. 4. vſque ad 8 in quo Galen. longa oratione, multiſque exemplis probat, conſtitutiones animi calidi calidas & humidas potiſſimum eſſe putredini obnoxias, nec non graues & peſtilentes morbos efficere, de qua re tractantes de corporibus præparatis ad febrem, ſuprà quoque diximus. Sed rurſum oritur dubitatio, namque putredo videtur fieri poſſe non ſolùm, à caliditate & humiditate, ſed etiam à frigiditate & ſiccitate, ſicuti apparet in illis quibus ex nimio frigore pedes, manus, & extremæ partes corporis quandoque ſolent putreſcere, nec non lignis vetuſtis; quæ propter nimiam ſiccitatem cariem contrahunt, quæ nihil aliud quàm putredo cenſenda eſt. Ad quam dubitationem reſpondeatis re vera frigiditatem & ſiccitatem poſſe putredinem efficere, ad quem modum ſcribit Galen. 5. *de ſimp. medicament.* quæ nimio plus refrigerata ſunt, aut calefacta, aut exſiccata, aut humectata, omnia corrumpi, ſed non propriè & immediatè, idque nunquam fieri poſſe, niſi primùm calor innatus in humido rei putreſcentis intereat. Sic igitur frigiditas putredinem inducit aliqua in parte, dũ illius natiualem calorem corrumpit, cui neceſſariò ſuccedit calor extraneus, quod iterũ de ſiccitate ſtatuendum eſt: nam diſſoluto humido, calor quoque natiuus neceſſariò diſſoluitur.

Diximus de cauſis putredinis proximis & immediatis, nunc de magis remotis & mediatis dicendum eſt. Omnes huiuſmodi cauſæ à Galen. ad tria genera referuntur, *de cauſ. morb.* 8. qui aſſerit, nonnulla putreſcere à medicamentis, quæ ſuapte natura poſſunt putrefacere, aut ab excrementis in ipſo animali genitis, nonnulla verò ob id quod minimè tranſpirent: quæ quidem tria capita, mea ſententia, omnes ſecundarias putredinis cauſas amplectuntur. Et primum quod attinet ad medicamenta putrefacientia, talia ſunt, quæ calefaciunt & humectant, de quorum natura abunde tractat Gal. 1. *de ſimp. med.* 15. ad hunc modum: Oleum adſperſum vlceribus maiorem putredinem ſolet excitare, nec de iis longius agendum eſt.

Secundo loco eſt prohibita tranſpiratio; quotieſcunque enim calor impeditur quo minus liberè poſſit tranſpirare, ille tunc languet, nec probè poteſt fungi ſuo munere, ex quo facilè putredo fieri poteſt. *Obſtructio & cõſtrictio.*

Prohibita autẽ tranſpiratio Gal. auctore 3. *de tuẽda valetudine* 10, 9. *meth.* 1. generatur vel propter obſtructiones, vel propter cõſtrictioné meatuũ: cutis obſtructio fit tripliciter, vel propter copiã, vel propter

crassi

craſſitiem, vel propter viſciditatem rei obſtruentis. Pariter conſtrictio meatuũ tribus modis generatur, vel ex nimio frigore, ſicuti illis euenit, qui diutius morantur in loco & aëre frigidiore; vel ex nimia ſiccitate, ſicuti illis contingit, qui ſub ſole longiori tempore morãtur; vel ex vſu alicuius rei aſtringentis, ſicuti eſt balneum aquæ aluminoſæ, & ſimilium.

Quæſtio. Sed hoc loco oritur notabilis difficultas, vtrùm putredo fieri poſſit ſine prohibita tranſpiratione? Ac primùm pro altera opinione, quæ affirmat res multis modis putreſcere, tametſi trãſpiratio eſt naturalis, nec quidquam impedita, ſunt multæ Galeni auctoritates & rationes euidentiſſimæ: namque hoc loco, de quo agimus in præſẽtia, *de cauſis morb.* 8. videmus Galenum tres ſeparatim ponere cauſas putredinis: prohibitam tranſpirationem, medicamenta putrefacientia, genita in corpore excrementa. Quod ſi non ſolùm propter prohibitam tranſpirationem, ſed etiam propter alias cauſas contingit putredinem fieri, vtique illa non fuerit ſemper neceſſaria: finge enim, exempli gratia, hominem qui ex vna parte nulla habeat in corpore excrementa, probéque & facilè tranſpiret, ex altera accipiat medicamentum, quod putrefaciendi vim habeat, nulli dubium eſſe poteſt, quin ille in humoribus malignam qualitatem contrahat: hoc ipſum de inſpirato aëre ſatis poteſt confirmari, de quo Galenus ſermonem habet 1. *de diff. febr.* 3. Ad hunc modum Galenus hoc eodem libro de cauſis morborum 2. docet, quinque eſſe cauſas caloris, motum, putredinem, vicinitatem rei calidæ, conſtipationem & alimentum ad calefaciendum accommodatum. Quod ſi omnis putredo ex obſtructione fieret, temere ſeparatim obſtructionis & putredinis mentionem feciſſet.

Prætereà Galen. de generatione feb. verba faciens, qui docebat, nonnullas fieri ex inflammatione, nonnullas ſine inflammatione, ex humorum putredine, hæc ipſa verba habet de inæquali intemperie, 7. *neque enim ea ſolum quæ impacta ſunt & perſpiratu carent, putreſcunt, verum ea quidem celeriter, ac maximè, ſed putreſcunt, & alia multa quæ putredini ſũt opportuna,* qui locus planè eſt apertiſſimus. Iis licet addere auctoritatem Auic. qui ſcribit in præſentia obſtructionem vt plurimum putredinis humorum cauſam eſſe, quod ſi eſt vt plurimum, certè non eſt cauſa perpetua & neceſſaria.

Demum verò hanc opinionem confirmat experientia, quandoquidem caro, aqua & multa externa putreſcunt, in quibus nulla prohibita tranſpiratio eſſe poteſt: ſic videmus quotidie partes corporis putridas, veluti ſunt quæ gangrena detinentur, putrefacere alias quas attingunt, & denique totum corpus, niſi illæ abſcindantur. Hinc igitur colligendum videtur, multa putreſcere tam interiùs, quàm exteriùs ſine vlla impedita tranſpiratione: altera autem ex parte Galenus inquirens cauſas putredinis, propter quas febres oriuntur, longa oratione monſtrat, non aliam eſſe quàm prohibitam tranſpirationem, atque huius non aliam cauſam, quàm obſtructionem eſſe, quo loco hæc ad ſummam colligit. 11. method. 4. *Ergo oſtenſum eſt, vbi morborum cauſas reddimus, illa tantum putreſcere corpora, quæ non calida humidáque cum ſint, neque perflata nec ventilata in calido humidóque loco manent.* Ac paulò poſt: *ſi quid in eo manifeſtè debet putreſcere, tranſpirationes impeditas eſſe oportet.* Sic primo de diff. feb. cap. 3. ita ratiocinatur: *Si corpus vitioſis humoribus plenum fuerit, neque vlla in viſceribus adſit obſtructio animáque liberè per totam cutem difflatur, illud quidem ſanum exiſtere, ſed tamen huiuſmodi ſanitatem eſſe momentaneam & periculoſam: etenim ſi contingat, partes externas conſtringi, aut in profundo meatus obſtrui, tunc neceſſariò ſequũtur febres in prioribus diariæ, in poſterioribus putridæ.* adeo vt per Gal. nulla febris videatur ſine prohibita trãſpiratione fieri poſſe.

Poſtremò hanc opinionem confirmat magnum Hipp. argumentum, *Oſtendit autem ſanatio:* namque Galen. 11. *meth.* 10. tradens rationem curandi febres putridas, incipiens à febre progreditur ad putredinem, à putredine ad prohibitam tranſpirationem, à prohibita tranſpiratione ad obſtructiones, à qua poſtrema indicatione principium curandi facit: quippe ex hac reſolutiua methodo ſatis poteſt conſtare, obſtructionẽ prohibitæ tranſpirationis, nec non prohibitã tranſpirationẽ putredinis cauſam perpetuò eſſe.

In propoſita autem difficultate, vtrùm putredo poſſit eſſe ſine prohibita tranſpiratione, ita cenſeo habendum eſſe prohibitam tranſpiratione humores & rès omnes deducere ad putredinem, contrà autem putredinem non ſolùm propter vnam prohibitam trãſpirationem, ſed etiam propter alias cauſas poſſe oriri. Cæterum ad illa quæ poſtremo loco tradita ſunt, ex Galeno reſpondeatis, illum pro ſuo inſtituto de putredine humorum in corpore humano diſputare, nec ſanè de qualibet putredine, ſed de ea tantùm, quæ ſine externa cauſa fieri contingit: etenim ſicuti Galen. docet, putredinem ſine externa cauſa, aut difficilè, aut nullo modo fieri poſſe abſque prohibita tranſpiratione, ita ille non negat, putredinem propter externam cauſam, exempli gratia, medicamenta putrefacientia, aut aërem putridum ſine vlla impedita perſpiratione fieri poſſe: etſi manifeſtum eſt ab huiuſmodi externis cauſis longè faciliùs & celeriùs putredinem oriri, in quibus corporibus prohibita eſt tranſpiratio, quàm in alteris corporibus, quæ liberè & bene tranſpirant. Quam quidem ſuam ſẽtentiam Galen. aperuit apertiſſimè 3. *de diff. febr.* 4. illa orationis ſerie quæ incipit, *ſubiiciatur pro exemplo in ambiente nonnulla ſemina peſtilentia differri* &c.

Cum igitur putredo propter externã cauſam atque in rebus externis ſine vlla dubitatione fieri poſſit, tamen etſi nulla adeſt prohibita tranſpiratio, quod Galen. teſtatur, & confirmat experientia, quatenus ad alteram putredinem pertinet, quæ non niſi ab interna cauſa prouenit, ego quidem puto, hanc tam certè & frequenter fieri à prohibita tranſpiratione & obſtructionibus, vt minimè abſurdum ſit affirmare aliter illam fieri non poſſe. Atque hinc factum eſt vt Galen. tradens rationem curandi febres putridas, illas indicationes perpetuò nobis ante oculos ponat quæ ſumuntur à prohibita tranſpiratione & obſtructionibus, tanquam à cauſis aut perpetuis & neceſſariis, aut tam frequentibus & opportunis, quàm ſi perpetuæ forent & neceſſariæ, vt poſteriùs ſuo loco diffusè docebimus. Et quoniam ex iis quæ hactenus diximus, facile eſt vnicuique ad contrarias rationes reſpondere, Galen. ſibi ipſum conciliare, & totam diſputationem explicare, hæc ſint ſatis, & ad meum inſtitutum redeo.

Dicebamus cauſas putredinis mediatas à Galen. referri ad tria capita; primum, ad medicamenta putrefacientia, ſecundum, ad prohibitam tranſpirationem: tertium, ad excrementa: diximus de duobus primis quod ſatis eſt; ſupereſt ergo tertium de quo pariter dicendum eſt, excrementa quæ generantur in animali nempe immoderata & præter naturam, fieri in cruditatibus vaſorum & totius corporis: & ſi quis quærat quò huiuſmodi cruditates contingãt, huic reſpondet Galen. 3. *de ſympt. cauſ.* 1. qui ſcribit hoc euenire aut propter imbecillitatem facultatis, aut propter vitium alimenti aut propter ea quæ extrinſecus occurrunt. Facultatis imbecillitates ſunt duplices; quædam propriæ, quæ ſimilarium partium imbecillitatem: quædam non propriæ; quæ inſtrumentales morbos comitantur. Imbecillitates *Cruditatum generatio.* *Imbecillitas duplicis facultatis.*

propriæ,

proprie intemperies quædam ſunt effectricium qualitatum; propriæ verò in iis conſiſtunt morbis, partim ſimplicibus, partim compoſitis, qui eriſipelsta vocantur, inflammationes & cætera, de quibus Gal. diffusè tractat.

Secundò fiunt cruditates ratione alimenti multis modis. *Quantitas.* Primo, nimia quantitate; vt ſi quis immoderatam cibi & potionis quantitatẽ aſſumat, quæ copia poteſt conſiderari dupliciter: vel ſimpliciter & abſolutè, *Qualitas.* vel reſpectu virium hominis. Secundo, qualitate, quod euenit dupliciter: aut propterea quia alimenta ſuapte natura praua ſunt, & facilè corrumpuntur, quales ſunt porri, fungi, cucumeres, & ſimiles: aut quoniam, tametſi illa natura ſunt bona, nihilominus ob quandam putredinem prædictis æqualem aut etiam ſæpenumero maiorem prauitatem contrahunt qualia ſunt triticum, hordeum, & omnes aliæ fruges quæ ad vſum alimenti aſſumuntur, quæ vel prima ſtatim generatione, vel diuturnitate temporis, vel propter malam repoſitionem quandam putridam qualitatem acquirunt. *Præparatio.* Tertiò, præparatione, qualia multa alimenta praua ſunt, vt ſi decoquantur piſces cum butyro, ſi miſceantur ſimul lac, oua, oſmata, & propter malam permiſtionem & præparationem facilè corrumpuntur, & putredinem in corpore efficiunt. *Tempus.* Quarto tempore, ſicuti illis euenit qui ante coctionem prioris alimenti rurſus comedunt, in quem errorem multi incidunt frequentiſſimè. *Ordo.* Poſtremo excrementa generantur ex alimentis non ſeruato opportuno illorum ordine, vt ſi in prima menſa accipiuntur mala punica, & alia adſtringentia, poſtremo lac, fructus orarij, & alia quæ aluum poſſunt mouere.

Tertiò demum apud Gal. cruditates in corpore generantur propter ea quæ extrinſecus accidunt; quæ etſi plurima ſunt, commodè tamen poſſunt referri ad ſex res non naturales. Primum igitur ex aëre generantur excrementa, veluti ſi ille fuerit inſigniter calidus, vel calidus & humidus, quas diximus eſſe proximas cauſas putredinis; ſi fuerit putridus vel in ſua ſubſtantia, vel ex vaporibus qui ex cadaueribus, paludibus & aliis id genus prauis exhalationibus ſolent eleuari: etenim cum ille neceſſariò non ſolùm ore & naribus inſpiretur, ſed etiam per arterias trahatur, facile eſt intelligere, quomodo hinc humores poſſunt putreſcere, de quo aëre ſcribit Galen. vt diximus 1. *de diff. feb.* 4. De cibo & potu iam ſatis diximus Tertiò eſt motus & quies, quæ quantum faciant vel ad iuuandam vel ad vitandam concoctionem, adeoque ad reddendum corpus aut immune, aut refertum excrementis, notius eſt ex præceptis vnius Galen. potiſſimùm *lib. 2. de tuenda valetudine*, quàm vt debeat pluribus explicari: *longa experientia*, ille inquit, 1. de diff. febr. *compertum eſt, vt qui exercitationem conſuetam omiſerint, alijs quibuſdam morbis & maximè febribus corripiantur.* Quartò eſt ſomnus & vigilia; ſiue enim hominis ſit ſuperuacaneus, & importunus, ſicuti qui fit in meridie, ſiue vigiliæ ſint immoderatæ, ſatis conſtat vtrumque vitiare concoctionem generare excrementa, & corpora ad putredinem diſponere. Quintò eſt inanitio & repletio, ex quibus certiſſimum eſt, multa pericula hominibus imminere: inter quæ illud eſt maximè animaduertendum, illos qui vel ſponte, vel arte ſolent quotannis aliquo genere euacuationis expurgari, ſi poſterius huiuſmodi vacuationem intermittant, in facilem humorum repletionem & putredinem incidere. Poſtremò ſunt animi perturbationes, ira, dolor, &c. quibus demum Galen. addit ſtudia vitæ, nempe varias exercitationes, venerea, & in ſumma omnia quibus aliquid corpore agimus, de quibus quidem nulli dubium eſſe debet, quin malè adminiſtrata poſſint actiones impedire, excrementa generare, & putredinem efficere. Hactenus de cauſis putredinis ex Galeno.

Si quis autem conſideret, quæ de hac re traduntur ab Auicen. is inueniet illum ferè omnia tranſcribere ex Galeno, ſed tamen multa miſcere & repetere, adeo vt vix liceat certum aliquem ordinem conſtituere. Igitur primùm ponuntur ſeptem cauſæ putredinis. Prima, ſunt praua alimenta, quæ propter malitiam ſuæ ſubſtantiæ ad putredinem ſunt præparata. Secunda, ſunt alimenta, etſi bonæ ſubſtantiæ, quæ tamen facilè recipiunt corruptionem; ſicuti eſt lac. Tertia nimia humiditas vel aquoſitas alimenti; quales ſunt fructus valde humidi, qui non ſunt apti vt reponantur & conſeruentur, vnde putreſcunt facillimè, vt ceraſa, mora, & ſimilia. Quarta, nimia ciborum frigiditas, ex qua item generatur humor vitioſus & frigidus, qualis eſt qui generatur à cucumere & citrulo, & pyris, de peponibus, melopeponibus & cucumeribus: litigant recentiores quidnam ſingula ſint hoc tempore, de quibus ſpeciatim vobis licet conſulere noſtrum clariſſimum & eruditiſſimum herbarium. Galenus quoque de iis atque eorum viribus tractat diffusè; 2. *de alimentorum facult.* 4. 5. & 6. Sed hic dubitant expoſitores, quomodo Auic. reponat pyra inter fructus qui habent inſignem frigiditatem, ſicuti cucumeres, cum reuera habeant notabilem dulcedinem, quæ cum ſumma illa frigiditate non poteſt conſiſtere. Forte Auic. intelligebat de aliquo genere pyri, diuerſo à noſtratibus: ſed hæc nullius ſunt momenti. Quinta cauſa ad præparationem: ſexta ad tempus: ſeptima ad ordinem alimentorum pertinet, quas quidem omnes cauſas, vt diximus, Auic. accepit ex Galeno cum alijs locis, tum maximè 3. *de ſympt. cauſis* 1. necnon 1. *de diff. feb.* 3. qui nihilominus prætermittit quantitatem alimenti, neque eum diſtinctum ordinem ſeruat, quem vidimus Galenum ſeruare.

Oppilatio. *Aut propter oppilationem prohibentem reſpirationem.*) Secunda cauſa putredinis ſtatuitur oppilatio, quæ prohibet reſpirationem & euentationem; quàm proximè ſequitur putredo, de qua quidem oppilatione, & illius cauſis, non eſt vt pluribus agamus, cum iam ex Gal. à quo Auic. totam hanc partẽ collegit, ſatis omnia ſint explicata. Itaque venio ad ſecundam partem capitis, in qua Auic. tract. de diff. putredinis, ita vt vos veluti manu ducat ad differentias febrium putridarum: huiuſmodi autem differentiæ putredinis capiuntur à duplici fonte: altero à loco, in quo fit putredo, altero à materia quæ putreſcat.

Differentia à loco putredinis. *Et putredo quidem quandoque eſt communis toti corpori, &c.*) putredo vel eſt communis toti corpori, vel in aliqua parte determinata, propter ſuam debilitatem, aut calorem extraneum, aut acutiem, aut dolorẽ. Hæc prima eſt differentia à loco putredinis, quam longè clariorem & veriorem habetis apud Galen. 11. *meth. cap.* 4. *initio*, qui docet, putredinem conſiſtere, vel æqualiter in omnibus vaſis, vel in maximis maximéque principalibus (hæc autem ille interpretatur quæ ſunt inter alas & inguina) vel in vna aliqua particula. Hæc autẽ putredo determinatæ partis rurſum eſt duplex: nam quædam eſt cum inflammatione, ſicuti in angina, pleuritide, & ſimilibus: quædã ſine inflammatione, vt ſi exempli grat. putreſcat bilis in iecore, ſine iecoris inflammatione. Quod porrò ſcribit Auic. putredinem propriæ partis fieri propter ſuam debilitatem & alias cauſas, præclariſſimè explicatur à Gal. *de cauſis morborum* 7. 2. *de diff feb. vltimo.* quæ doctrina cum ſit accommodata non ſolùm ad putredinem, ſed etiam ad inflammationem & omnem fluxionem noſtri corporis, eſt digna maxima notatione. Galen. igitur generaliter

docet

Digitized by Google

docet duas eſſe cauſas cuiuſcunque fluxionis, alteram, robur facultatis expultricis partium tranſmittentium; alteram, imbecillitatem partium laborantium & recipientium; id quod hac ratione contingit: cum enim quatuor ſint difficultates, quibus vnaquæque pars animalis prædita eſt, vt nimirum quæ attrahat, retineat, alteret & expellat quęcunque attrahenda, retinenda, alteranda & expellenda ſunt, cum etiam quod redundat in corpore, vel quantitate, vel qualitate redundet, cum deniq; omnium partium corporis nō æquale ſit robur, ſed natura principes partes ſtatim ab initio robuſtiores fecerit, neceſſarium eſt vt in corporibus impuris, & quæ ſcatent excrementis, aliquid ad ignobiliores partes defluat: ſiquidem vt ſcribit Philoſophus, idem videmus euenire in noſtro corpore, quod euenit in mala Republica. Nam ſicuti potentiores omnia moleſta onera ſemper conantur reponere ad minùs potentes, & iſti ad alios, vt tandem miſera plebecula quæ non habet ad quos deponat, cogatur omnia onera & omnia mala ſuſtinere: ita ex omnibus robuſtioribus partibus noſtri corporis excrementa propelluntur, quæ nullo in loco conſiſtunt, donec in partem cæterarum omnium maximè imbecillam delabantur. Hæc verò pars imbecilla eſt, aut quia ſtatim à prima formatione aliquis error illi accidit, aut poſtea læſa fuit, aut quia ſuapte natura imbecilla eſſe debuit, quemadmodum eſt cutis glandulæ, & aliæ partes id genus, quas pronus ab initio natura expurgandorum excrementorum gratia fabricauit. Itaque robur partis tranſmittentis, & imbecillitas partis recipientis, ſunt communes cauſæ efficientes & tumores, & omnes affectus præter naturam, quicunq; ex fluxione humorum originem habent. Verùm Galen. aliam huiuſmodi influxus occaſionem commemorat, quæ tantummodo ad partes laborantes pertinet, loco citato 2. *de diff. febr.* c. quotieſcunque illæ ſine partium propulſione ad ſe trahunt excrementa, hoc autem contingit dupliciter fieri, vno modo, ex calore in eis accenſo: altero ex dolore in illis excitato, de qua duplici fluxione humorum tractat Gal. 13. *meth. in princ.* qui vtrumque & calorem, & dolorem attrahere multis doloribus & exemplis demonſtrat luculentiſſimè, vt pluribus non ſit opus. Ex his igitur facile eſt intelligere quomodo. Auic. ponat quatuor cauſas putredinis in determinata parte, debilitatem, caliditatem, acutiem, & dolorem, quę omnes ad cauſas Galen. ſine multo labore poſſunt referri: atque hactenus de prima differentia putredinis ex parte loci.

Causa imbecillitatis partium.

Et humor recipiens putredinem.) Hæc altera eſt differentia putredinis, ex parte eorum quæ putreſcunt: hæc autem ſunt vel bilis, ex qua euaporat vapor fumoſus, ſubtilis, acutus, vel ſanguis, ex quo euaporat vapor ſubtilis: vel pituita, ex qua euaporat vapor ſpiſſus: vel poſtremò melancholia, ex qua euaporat vapor fumoſus, ſpiſſus, puluerulentus: quarum diuerſarum euaporationum facile eſt rationem reddere, ſicuti redditur à Galeno 1 *aphor. comm.* 14. qui docet, ea quæ euaporant, eſſe ſimilia iis ex quibus fit euaporatio, ex quo pro diuerſa natura humorū neceſſe eſt varios quoque vapores ab illis eleuari. Et ſi quis quærat quamobrem Auicen. mentionem fecerit non ſolùm humorum, ſed etiam vaporum, qui ab illis eleuantur: huic reſpondet Gal. 1. *de differ. febr.* 5. id non ſine ratione factum fuiſſe, propterea quia cum perpetuò in omni febre putrida putreſcūt humores cordis, tum magna ex parte in putredine, quæ in viſceribus & magnis vaſis conſiſtit, ex humoribus putreſcentibus veluti fumus quidam ad ventriculos cordis perueniat, ex quo febris accenditur. Hoc demum loco duæ mouentur dubitationes: altera, vtrùm ſanguis poſſit putreſcere, cum vulgo

An sanguis putreſcere poſſit.

dicatur eſſe filius dilectus naturæ, quem conſeruat & præſeruat, quantum poteſt, ab omni putredine: & ſi modò poteſt putreſcere, quæritur quam ſpeciem febris efficiat, cum fateantur omnes eſſe tria tantummodo genera febrium, ex bile tertianam, ex pituita quotidianam, ex melancholia quartanam. Sed nos hanc difficultatem tractabimus loco proprio, de febre ſanguinia: de qua maxima eſt controuerſia inter Galen. & Auicen. Altera eſt dubitatio, an melancholia poſſit putreſcere, cum ſit humor frigidus & ſiccus, quæ duæ ſunt qualitates contrariæ putredini; quæ eſt dubitatio antiquorum interpretum. Ad quam reſpondeatis vno verbo, melancholiam putreſcere: etſi enim eſt humor frigidus & ſiccus, tamen abſolutè non eſt talis, ſed in comparatione ad ſanguinem & reliquos humores: quare putreſcit aliquando, licet magis tardò & difficulter quàm ſanguis & cæteri humores.

Quid de melancholia?

Diuiſimus primum caput ſecundi tractatus Auic. in quatuor partes, ex quibus duæ priores ſunt explicatæ, itaque ſequitur tertia quæ incipit: *Et putredo calore facit tertianam, & quæ currunt curſu eius.* In qua parte Auic. intendit pertractare de differentiis febrium putridarum. Sed antequam venio ad literam, mihi libet de hac re mentem Galeni breuiter vobis explicare, quod maximè faciet ad faciliorem intelligentiam Auicennæ. Itaque febrium putridarum aliæ ſunt intermittentes, aliæ continuæ. Intermittentes ſunt quæ ad ſenſibilem integritatem, vel vt vulgo loquuntur, ad infebricitatem perueniant, quod euenit propterea, quia illæ generantur ex humoribus qui extra vaſa conſiſtunt, & per vniuerſum corpus deferuntur. Continuæ verò ſunt, quæ in quietem febre vacantem non deſinunt, etſi aliqua ſenſibilis declinatio apparet quod accidit, quoniam generantur ex humoribus, qui in vaſis includuntur & continentur. Febrium ergo intermittentium tres ſunt vniuerſæ differentiæ, quotidiana, tertiana, quartana: ex quibus quotidiana eſt quæ ex putrida pituita generatur, & ſingulis diebus acceſſiones obtinet: tertiana, quæ ex bile putrefacta fit, & alternis diebus acceſſiones habet: quartana, quę ex putreſcente melancholia noſcitur, & quarto quoque die acceſſiones ſolet excitare. Continuarum verò quæ ex flaua bile conſiſtunt, & Græcis συνεχεῖς dicuntur, duplex eſt genus: vnum quidem earum, quæ Græcis σύνοχοι Latinis *continentes* vocantur; atque hæ ſunt eiuſmodi, vt vniuerſum earum tempus vnica ſit acceſſio, quæ ab initio vſque ad finem perdurat. Alterum eſt genus earum febrium, quæ eodem nomine quo genus, nempe συνεχεῖς, & *continuæ* nominantur, quæ quidem etſi ad infebricitationem non perueniunt, tamē multos particulares circuitus habent. Quo loco id vobis notandum eſt, in quo multi decipiuntur, febrem συνεχῆ, id eſt, continuam dupliciter dici: vno modo generatim, vt ſit genus ad omnem febrem quæ ad infebricitationem non peruenit, ſiue vnam tantùm, ſiue plures habeat acceſſiones: altero ſpeciatim, pro ea tantum febre continua, quæ multis particularibus circuitibus continetur, adeo vt hæc vox συνεχὴς generatim ſūpta, eam quoque febrem complectatur, quę priuatim σύνοχος dicitur. Porrò febrium continuarum quæ σύνοχοι, id eſt, *continentes* dicuntur, tres ſunt differentiæ: nam quædam à principio vſque ad finem in magnitudine æquales permanent, ideo ὁμότονοι, id eſt, *ſimilem tenorem ſeruantes*, nominantur: quædam paulatim augentur, & exiguum aliquid ſemper adiiciunt, has Græci, ἐπακμαστικὰς ἢ ἀναβατικὰς, hoc eſt, *increſcentes* vel *inualeſcentes* appellant: nonnullæ à principio ad finem vſque paulatim decreſcunt, quæ propterea Græcis παρακμαστικὰς, hoc eſt, *declinantes* appellantur, de quibus diffusè Galen. Con-

Continua duplex.

tinuarum autem quæ priuatim tales dicuntur, duæ ſunt primæ differentiæ: namq; aliæ tertia ſolum die acceſſionem habent, aliæ verò etiam die media, id eſt, ea quæ inter primam & tertiam diem intercedit, acceſſionem habent: priores quæ tertia quaq; die habent acceſſiones Gal. 1. *τριταιοφυεῖς*, id eſt *tertianæ naturam referentes* nominantur, qui tamen non prohibet, ſi quis velit ipſis quoq; aliud nomen imponere, dummodo in rebus ipſis differentiam conſeruet: medici vulgo tertianam continuam appellant: poſteriores autem quæ intermedio etiam die habẽt acceſſiones, nullum proprium & peculiare nomen obtinent, & duplicem habent modum acceſſionis: namque aliæ duas inuicem ſimillimas acceſſiones habent quæ ex humore pituitoſo conſiſtunt, & procedunt in forma febris quotidianæ: aliæ verò acceſſiones habent diſſimiles, quæ ſingulis tertiis diebus ſibi reſpondent, vt primæ reſpondet tertia, ſecundæ reſpondet quarta: atque hæc quidem febris ex bilioſo naſcitur humore, & in forma duarum tertianarum procedit Medici priorem quotidianam continuam, poſteriorem duplicem tertianam continuã vocant: iis addit Gal. tertium genus febrium continuarum, quando acceſſio in forma quartani circuitus procedit, nequaquam ad infebricitationem deſinens. Ac ſanè qui miretur non iniuria, cum ſint tria genera febrium, tam intermittentium quàm continuarum, quotidiana, tertiana, quartana, quamobrem Gal. ſicuti poſuit tres differentias febrium intermittentium, non item poſuerit tres differentias febrium continuarum, ſed has in duas tantùm differentias partitus fuerit, & ferè hanc tertiam prætererit: quod quidem ego puto ab eo factum fuiſſe propterea quia duæ febres continuæ, quotidiana & tertiana frequentiſſimè, tertia autem, quartana, quod ille fatetur, rarò ſoleat contingere. Hactenus de differentiis febrium putridarum ex Galen. quæ ab illo variis locis diffusè traduntur.

Dubitatio. Sed hoc in loco antequam ad alia progrediamur, non eſt ſilentio prætereunda inſignis quædam difficultas in verbis Galeni, quæ omnes interpretes torquet iamdiu, illa verò eſt huiuſmodi. Gal. diuidit febres putridas in intermittentes & continuas, turſumque diuiſis & explicatis intermittentibus ac deinceps veniens ad continuas, ita ſcribit 2. de diff. feb. 2. *Continuarum autem quæ ex flaua bile conſiſtunt, duplex eſt genus, vnum quidem earum quæ continentes vocantur: alterum verò earum quæ eodem nomine quo genus, continuæ dictæ, multis particularibus circuitibus continentur.* Ex quibus verbis facilè colligitur de ſententia Gal. omnes febres continuas ex flaua bile originem habere; quod perſpicuè falſum eſt, & aduerſatur ipſi Gal. qui ex vna parte 11. *metho.* 4. docet febrem ſynochum ex ſanguine oriri: ex altera, quod omnes fatentur, quotidianam ex pituita, quartanam ex melancholia prouenire. Trincauellius aſſerit Gal reponere ſynochum ſub eodem genere cum febre ardente, & vtramque originem habere ex flaua bile: febrem quidem ardentem manifeſtè, cum non aliter differat à tertiana exquiſita quam loco putredinis: ſynochum verò, quoniam etſi illa fit ex ſanguine, hic humor propter putridinem degenerat ad naturam bilis. Sed ille fallitur, quia febris ardens non alia eſt quam tertiana continua, neque ea eſt febris *σύνοχος*, *continens*, ſed *συνεχὴς* vel *continua*, vt manifeſtiſſimè docet Galen. 2. *de criſibus* 6. Deinde vtcunque hoc illi concedamus, quæſo quomodo poteſt probari, quotidianam & quartanam continuam, ex flaua bile originem habere; quas omnium conſenſu conſtat quotidianam ex pituita, quartanam ex melancholia prouenire: de qua re Trincauellius nullum verbum facit. Altimarius *parte* 2. *de febribus, cap.* 7. longa oratione conatur probare, febrem ſynochum ex flaua bile intra vaſa putreſcente generari; neque verò ſolùm ex flaua bile, ſed etiam ex pituita & melancholia: dummodo iſti humores ſimul cum ſanguine redundent: quàm bene autem iſtud probet, alij viderint: ego quidem didici ex Galen. 9. *metho.* 3. *& aliis locis*, ſynochum febrem cum putredine fieri, quotieſcunque in omnibus vaſis, ac præcipuè maximis, ſucci æquabiliter putreſcunt, adeo vt ſine labore conſtare poſſit, huiuſmodi febrem fieri ex putredine omnium humorum, dummodo illi æquabiliter, aut ex debita proportione ſimul putreſcant. Sed neque ille declarat alteram partem diuiſionis, quæ ad continuas quotidianam & quartanam pertinet, & longè eſt maioris momenti, cum, ſicuti diximus, hæ duæ febrium differentiæ nullo modo ex flaua bile fieri poſſint. Franciſcus Valeſius Galeni literam corrigit, & ita legit: *continuarum autem ex flaua bile quidem duplex eſt genus.* Ex quibus verbis elicit hunc ſenſum. de ſententia Galeni non omnem continuam febrem ex flaua bile, ſed duplex tantum eſſe genus continuarum, quæ ex bile originem habent; altera, quæ tertio quoque die acceſſionem habeat; altera ſynochus, cuius vnica eſt acceſſio à principio vſque ad finem. Sed equidem intelligo, quid Valeſius ſibi velit: nam vtcunque hæc litera corrigatur, ille non poteſt effugere, quin febrium continuarum ſint duo genera; alterum cõtinentium, quæ vna acceſſione terminantur; alterum continuarum quæ multos particulares habẽt circuitus: quod tam planè explicatur à Gal. vt nihil planiùs poſſit explicari.

Ad diſſoluendam propoſitã difficultatem in verbis Gal. poſtremo loco doctiſſimi quidã viri ita ſtatuunt; nomen bilis apud Hipp. & Gal. accipi duobus modis: vno. pro humore diſtincto à ſanguine, pituita, & melancholia; altero pro omnibus humoribus ſimul iunctis: ad quem poſtremũ modum hanc vocem accepit Hip. 7. *aphor.* 41. vbi inquit: *ſi febris non ex bile fiat*, &c. Etenim omnes febres putrida intellexit, ac nomine bilis reliquos omnes humores cõprehendit, quod ex Galen. com. manifeſtum eſt, neque non ex Philoteo, qui ita ſcribit, *bilis loco exempli mentionem faciens, reliquos humores tanquam breuiloquus, ſubaudiendos eſſe ſignificauit, nempe pituitam, ſanguinem, & melancholiam.* Sic idẽ Hipp. videtur hanc vocem accepiſſe, cum ſcribit 2. apho. 15. *Si fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet: nam ſi bilioſæ fuerint*, &c. Etenim Gal. hæc verba interpretatur nõ ſolùm de vna flaua bile, ſed de omnibus etiã humoribus à quibus certum eſt tubercula poſſe oriri. Demũ ſignificatio iſtius vocis poteſt confirmari illo Hip. loco, vbi inquit 2. de natura humana ad finem: *febrium pars maxima fit ex bile*, &c. Porrò hoc facto fundamento, inquiunt doctiſſimi iſti viri, Galenum per ea verba litigioſa idem intelligere voluiſſe, ac ſi dixiſſet: *febrium autem quæ ex putredine fiunt duplex eſt genus*: cui quidem interpretationi omnia quadrant, neque vlla amplius difficultas videtur ſupereſſe Etſi verò hæc reſponſio videri poteſt ingenioſa, ac reuera ea mihi diſplicet minus quàm cæteræ; tamen vt liberè dicam, ego illam omni ex parte nequeo comprobare, propterea quia mihi videtur aut difficilè, aut nullo modo fieri potuiſſe, vt Galen. proprij ſermonis obſeruantiſſimus in re tanti momenti tam impropriè, nomine bilis omnes humores voluerit intelligere, in qua communi ſignificatione certè nunquam in libris de differ. feb. forte etiam in reliquis huiuſmodi vocem vſurpauit: quare fortaſſe alicui probabilior videbitur illa opinio, in qua ſcio fuiſſe viros præclariſſimos, nempe hãc vulgatam Galeni lectionem vitiatã eſſe, atque ea verba, *quæ ex bile proueniunt*, tanquam

Bilis acceptio duplex.

ſuperuacanea ab aliquo temere interpoſita. fore delenda. Concludo igitur hunc locum mea quidem ſententia, inter cæteros difficiles Galeni locos eſſe difficillimum, neq; hactenus aliquam rationem me inuenire potuiſſe, in qua omni ex parte acquieſcam. Redeo ad Auicennam.

Et putredo cholera facit tertianam, &c.) Hæc poſtrema verba addenda fuerant neceſſariò, quoniam à bile non ſolum tertiana, ſed aliæ quoque febres proueniunt, quæ eandem habent naturam cum tertiana, qualis eſt febris ardens.

Sic putredo pituita facit quotidianam, &c.) Nam pariter ex pituita generatur non ſolùm febris quotidiana, ſed etiam febris epiala, & aliæ id genus: quod idem dicendum eſt de melancholia, ex qua ſimiliter fit non ſolùm febris quartana, ſed etiam quintana, ſeptena, nonana, de quibus mentionem facit Hipp. & nos quoque tractabimus. Et quoniam Auic. eſt in ea opinione, non ſolùm tres humores, bilem, pituitam, melancholiam, ſed etiam ſanguinem febrem efficere, addit putredinem ſanguinis efficere febrem continuam, & reddit rationem, quoniam ſanguinis locus eſt intra venas; quare illius quoque putredo eſt intra venas, & ideo intra facit febrem continuam.

Dubitatio. Sed hîc ſunt nonnullæ dubitationes, & primùm eſt Auer. qui. 3. *colliget*. 4. aduerſus medicos contendit, febrem ex bile fieri non poſſe, ſed tantùm ex ſanguine bilioſo, & affert duplicem rationem: alteram, quia pura & exquiſita bilis non reperitur in nobis aliis in locis quàm in veſica fellea, in cæteris autem partibus vbiq; eſt permiſta cum ſanguine: alteram, quoniam bilis non poteſt nutrire, cum tamen videamus ſæpenumero huiuſmodi humorem concoqui & deduci ad benignum, febrémq; ab illa prouenientem ſine aliqua bilis euacuatione prorſus ceſſare. Sed Auer. fallitur, ſicuti in rebus prope omnibus, in quibus à medicis, ac potiſſimùm à Galeno diſſentit: namque experientia demonſtrat, bilem exquiſitam purgari aliquàndo vel per vomitum, vel per aluum, febrémq; protinus ceſſare, quod non fieret, ſi originem haberet ex ſanguine bilioſo. Deinde contingit febrem fieri, in qua ſigna vnius redundantis flauæ bilis, nulla redundantis ſanguinis apparent. Ergo à pura bile contingit febrem fieri. Neque id verum eſt, bilem non poſſe nutrire; etenim niſi illa fuerit præter modum calefacta, atque inſignem habeat aduſtionem, permiſta cum cæteris humoribus ſine dubitatione poteſt nutrire.

Deinde dicit Auic. ſanguinem putreſcentem efficere febrem continuam: quaſi verò non alij quoq; humores putreſcentes in venis febrem continuam efficiant: quam difficultatem ſoluit Gal. & eſt locus ſingularis 1. *epid. ſect. 3. com*. 2. qui ſcribit, de ſententia veterum medicorum febres nonnullas verè eſſe continuas quales ſunt ſynochi, in quibus nullæ ſunt acceſſiones: quaſdam minùs verè continuas appellari, quę etſi nunquam intermittunt, tamen aliquas habent acceſſiones, atq; huiuſmodi febres inter verè continuas & intermittentes quodammodo mediæ ſunt: nam ſi comparentur cum ſynochis, intermittentes, ſi autem comparentur cum intermittentibus, continuæ vtcunq; poſſunt nominari. Itaque hac ratione febres ex putreſcente ſanguine verè & propriè continuæ cenſendæ ſunt.

Dubitatio. Tertiò cum Auic. dixerit, ſanguinem putreſcere intra venas, occurrit dubitatio, an ſanguis extra venas putreſcere poſſit: namq; eſt apho. Hipp. lib. 6. 20. *Si ſanguis præter naturam in ventrem infunditur, neceſſe eſt ſuppurari*: quam ſententiam Gal. interpretatur, non ſolùm de ventriculo, ſed etiam thorace, veſica, vtero, & omni corporis cauitate: in quam ſi ſanguis decidat, vt corrumpatur neceſſe eſt: itaq; ſanguis non ſolùm in venis, ſed etiam extra venas poteſt putreſcere. Ad quam dubitationem vnico verbo reſpondeatis ex Gal. in com. ſanguinē ſi ex propria cauitate, potiſſimùm venis & arteriis in aliam præter naturam transfundatur, ſub forma ſanguinis remanere non poſſe, ſed neceſſario vel ſuppurari, vel liueſcere, vel in grumos conuerti vel aliter corrumpi: itaque ſanguis quidem putreſcit extra venas, ſed diuerſo genere putredinis ab illa, quæ in venis fieri contingit.

Cholera autem, phlegma & melancholia, &c.) Apud Auic. bilis, pituita, & melancholia putreſcunt vel intra vel extra vaſa; ſi putreſcant extra venas, niſi aliqua lateat cauſa quæ cordi continuam putredinem ſubminiſtret, verbi gratia, interna inflammatio. tunc efficiuntur febres intermittentes, quotidiana, tertiana, quartana: etſi inquit Auic. nulla febris quotidiana verè eſt intermittens, quin occulta quædam ſemina putredinis ſemper relinquantur: de qua quidē febre quotidiana magis diſtinctè & cautè loquitur Galen. qui 2. *de diff. febr*. 4 ſcribit, ex vna parte intermiſſionis tempus in ea non eſſe ita ſyncerum. vt in tertiana, ſed ſemper aliquas putridi humoris, tum in calore, tum in pulſu notas ſupereſſe, ex altera autem parte, ſi illa fuerit exquiſita & multis & ſibiipſi quoque puram & omnibus numeris putredinis caloriſque febrilis indiciis immunem eſſe. Quod ſi huiuſmodi humores putreſcant intra venas, tunc fiunt febres continuæ, quæ quidem ſunt duplices: namque ſi putredo fuerit communis omnibus venis, vel venis propinquis cordi, tunc nullæ ſunt manifeſtæ acceſſiones vel remiſſiones, ſed ita obſcuræ, vt quaſi lateant ipſos medicos, ſicuti euenit in febre ardente. Si verò putredo non ſit communis omnibus venis, neque propinquis cordi, tunc apparent manifeſtæ acceſſiones, ex pituita quotidie, ex flaua bile tertia quaque die, ex melancholia ſingulis quatuor diebus. Cauſa autem propter quam humores putreſcentes extra venas efficiant febrem intermittentem eſt, quoniam materia putrida conſumitur & expurgatur, quo tempore nulla eſt febris, donec noua materia generetur, quæ idcirco rurſum generatur, quia remanet in corpore quædam diſpoſitio præter naturam, ac veluti fomes quidam, in quo vel poſtero vel alio ſequenti die humores putreſcunt, vt poſito exemplo ſtercotis columbini in agro putreſcentis monſtrat Galen. 1. *de diff. feb*. 5. 4. *apho*. 63. Contra autem cauſa propter quam humores putreſcentes intra venas efficiunt febrem continuam, eſt priori oppoſita, quoniam materia putreſcens non conſumitur, ſed putredo vaporéſque ab ea eleuati continuè ad cor tranſmittuntur, vt propterea nulla requies ægrotis relinquatur. Cauſa.

Quæſtio. Sed hoc loco quærunt nonnulli, an materia putrida, quæ efficit febrem intermittentem, putreſcat intra venas antequam tranſmittatur extra, an magis putreſcat extra venas poſtquam tranſmiſſa fuerit? Quibus reſpondeatis, huiuſmodi materiam ferè ſęper putreſcere extra venas, namque ſi ea putrida eſſet in venis, id ſequeretur neceſſariò, vt ante principium acceſſionis, & ante rigorem, calor præter naturarum eſſet in corpore, cum putridæ materiæ neceſſariò coniungatur caliditas extranea, quod perſpicuè falſum eſt, atque iſtud poteſt confirmari ex Gal. 3. *de præſagio ex pulſib*. 7. qui ſcribit, principio febrium intermittentium pulſus fieri paruos, quoniam facultas ferè ſuffocatur à materia frigida & cruda, quod incommodum facultati non contingeret, ſi materia eſſet putrida antequam propelleretur extra venas. Et ſi quis obiiciat nullam eſſe cauſam propter quam natura debeat hanc materiam propellere extra venas, ſi omnis putredinis eſt

immunis; Facilis eſt reſponſio: etſi reuera talis materia non eſt putrida, eam tamen valde eſſe diſpoſitam & paratam ad putredinem qua quidem ratione cum ſit moleſta ipſi naturæ, irritata facultas expultrix inſurgit, & conatur illam expellere extra venas. Sed altera huic ſimilis occurrit dubitatio: cum enim

Dubitatio. dictum ſit, reliquias putredinis remanere, ex quo fit vt rurſum humores putreſcant, quæritur, an huiuſmodi reliquiæ ac veluti fomites remaneant in vaſis, vel extra vaſa: namque ſi fuerint extra vaſa, quomodo rurſum noua aggregatur materia? quomodo illa intra venas reperitur, & iterùm foras propellitur? ſi verò huiuſmodi inquinamenta intra vaſa conſiſtũt, quomodo priores putridi humores tranſmiſſi fuerant? Sed breuiter reſpondeatis, hæc inquinamenta

Solutio. & has reliquias partim intra venas partim extra venas reperiri; & quanquam reliquiæ pro parte ſuor extra venas, tamen ratione vicinitatis & mutui conſenſus alterant materiam quæ continetur in venis, adeo vt facilè præparetur ad putredinem. Sequitur Auicenna.

Res ergo putredinis periodica procedit, &c.) Hoc loco omnes tractant quæſtionem de humorum circuitu ſeu periodicatione, quæ etſi forte eſt ex illis, quas Gal. 3. *de locis affect.* logicas appellat quod nihil conferat ad curationem, nihilominus quoniam illa eſt maximè difficilis, vt idem teſtatur Gal. 2. *de*

Paroxyſmorum febriliũ cauſa. *diff. feb* 11. ac digna maxima cognitione. 3. *de diebus criticis* 8 neque à nobis iure eſt prætermittenda. Sanè mirabile eſt, ac ſimile prodigiis, quomodo febris tempore intermiſſionis multas horas dieſque integros lateat, deinde certo tempore erumpat, & hominem aggrediatur, ergo quæritur, quamobrem fiat, vt febres intermittentes certo quodam tempore & ordine, quædam ſingulis diebus, nonnullæ tertio, nonnullæ quarto quoque die habeant ſuos circuitus & acceſſiones? In hac quæſtione variæ ſunt hominum opiniones, nos celebriores commemorabimus, ſed quàm breuiſſimè.

1. Opinio. Prima eſt Conciliatoris *differ.* 88. qui cenſuit hoc referendum eſſe in lunam, quæ videtur eſſe in cauſa omnium circuituum in rebus inferioribus, vt apparet in mari, in mulieribus parturientibus, & rebus propemodum infinitis: cui videtur conſentire Philoſophus, qui 4. *de gen. animal. vltimo*, ſcribit, lunam eſſe quaſi alterum minorem Solem, & ad generationem perfectionemque rerum conducere, nec non omnium inferiorum circuituum cauſam eſſe; qui aſſerit, neceſſe eſſe vt circuitus rerum minùs principalium circuitum rerum magis principalium ſequantur.

2. Opinio. Secunda eſt opinio Auerrh. 4. *collig.* 27. qui aduerſus Galen. ſtatuit, totam rationem periodorum eſſe referendam in naturam caloris innati, qui materiam præter naturam afficit, diſponit, præparat vt expellatur & expulſa putreſcat: quoniam verò ſemel non poteſt totam materiam afficere & præparare, id facit particulatim; quare primùm vnam illius partem aggreditur, quanta ſatis eſt ad vnam efficiendam acceſſionem, quam præparat & expellit: deinde tantundem materiæ alios ſequentes dies aggreditur, præparet atque expellit, atque hac ratione definito quodam tempore & ordine febres intermittentes ſuas periodos ſolent habere: nam quæ naturalia ſunt, ſemper ſunt ordinata, & quatenus ad ipſa pertinet, eundem perpetuò ordinem ſeruant: ſicuti contrà cauſæ præter naturam ſunt inordinatæ atq; incertæ: ex quo reprehendit Galen. qui vt paulò pòſt videbimus, rationem periodorum in cauſas præter naturam videtur referre.

3. Opinio. Tertia fuit opinio Gentilis Thomæ de Garbo, & aliorũ Latinorum, quibus placet cauſam periodorũ nõ aliam eſſe, quam occultam humorum proprietatem, adeo vt pituitã quotidie, flaua bilis per tertium, melãcholia per quartũ ſingulari quadã proprietate, quæ explicari nõ poteſt, ſuas habeat acceſſiones: pro qua opinione licet argumentari hunc in modum. Nulla poteſt reperiri cauſa manifeſta huiuſmodi circuituũ: ergo cauſa erit occulta. Probat antecedẽs, primum hoc nõ poteſt geri à quantitate humorum: cum enim illi ferè nunquã habeant vnã menſuram, quod perpetuum non eſt, neq; perpetuum ordinem poteſt efficere. Deinde neq; iſtud poteſt fieri ab humorum qualitate: non calida, quia tunc bilis, quę eſt calidior, faceret ſuos circuitus quotidie: non frigida, quia tunc melancholia faceret acceſſionem per tertium: non pariter qualitatibus ſicca vel humida, quoniam melancholia non eſt minùs humida quàm ſit flaua bilis: itaq; ille perpetuus ordo, pituitæ ſingulis diebus, flauæ bilis tertio, melancholiæ quarto die, apertè ſignificat, ab occulta quadã proprietate, quæ ineſt huiuſmodi humoribus, circuitus febrium originem habere. Etſi verò in hac humorum proprietate Latini omnes videntur conuenire: tamen in illa explicanda omni ex parte inter eos non conuenit: namque alij volunt eiuſmodi proprietatem non aliam eſſe, quàm naturalem humorum propenſionem, qua ſinguli appetunt per ſuos circuitus moueri; alij autem ſic ſtatuunt, hanc proprietatem eſſe, non quæ inclinet humores ad putredinem; ſed potius per quam humores poſſint longiori tempore putrefactioni reſiſtere; cum prorſus ſit alienum à ratione, aliquid habere appetitum putredinis & interitus, cum potiùs rebus omnibus inſita ſit hæc proprietas, vt, quantum fieri poteſt, contrariis reſiſtant, & ſeipſas tueantur.

Quarta eſt opinio Gal. 2. *de diff. vltim. & 3. cap.* 4. *4. Opinio.* qui docet febrium circuitus fieri non à luna, non à calore innato, non ab occulta humorum proprietate, ſed ex reaggregatione & fluxione noua putreſcentis materiæ, quæ quidem aut omnino extra venas, aut maioribus ad minores propellitur: quare de ſententia Gal. pituita facit quotidie ſuas acceſſiones, quoniam in termino 24. horarum colligitur & aggregatur tanta illius copia, quanta ſatis eſt ad inferendam moleſtiam naturæ, adeo vt cogatur eã tanquam paratam ad putridinem, inutile & graue onus extra venas tranſmittere: quod item de flaua bile & melancholia ſtatuendum eſt.

Cæterùm cum hæc doctrina habeat multum difficultatis & laboris, Gal. ab iis quæ manifeſtè apparent, incipit illam explicare, cuiuſmodi ſunt lippitudines quædam, quarum nonnullæ quidem ſingulis diebus, nonnullæ tertio quoque die ſolent infeſtare: ſimiliter & dolores aurium, & capitis, & articulorum, & ſimilium affectuum, qui per circuitus videntur infeſtare, vt inueſtigat cauſa circuitus horum malorum quæ externa ſunt & manifeſta, hinc facilius liceat nobis peruenire ad cognitionẽ cauſæ, propter quam internorũ quoq; malorũ, ac præcipuè febriũ circuitus eueniunt. Cũ ergo in omnib. nominatis malis manifeſtè liceat videre venas in partib. quæ laborant in tumorem attolli, & phlegmonẽ augeri, dolores intendi, fluxionemq; ſuperfluam foras procũbere, ita etiã in partib. internis eandem ſeruari proportionẽ exiſtimandũ eſt. Sic videmus mẽſtruas purgationes mulieribus ſingulis mẽſib. contingere, non aliter, niſi quoniam hoc tempore corpus incipit vitioſi ſanguinis multitudine grauari: ſic multi homines ſolent ordinatim certis quibuſdam horis aluum deiicere, quod nemo, vt puto, affirmabit fieri aut à luna, aut à proprietate excrementi, aut alia ratione, quàm neque, quod tunc temporis expellentia membra incipiunt grauiùs ſentire: atq; hæc quidẽ, cum ſenſibus manifeſta ſint, puto à nemine in dubium reuocari. Sed forte alicui hæc videbũtur nimis

generalia, neque principalem dubitationem auferre, quamobrem pituita quotidie, flaua bilis alternis diebus melancholia quarta quoque die tanta coaceruetur, quanta ſufficiat ad faciendas proprias acceſſiones, quare Galen. paulo altius hanc rem orditur, ac diſciplinam de quatuor facultatibus tum aliis locis, tum libris propriis luculentiſſimè demonſtratam, nobis in memoriam reuocat, ac potiſſimùm quatenus pertinet ad facultatem expultricem, cuius peculiare eſt munus omnia expellere, quæcunque aut quantitate, aut qualitate inutilia ac moleſta ſunt, ex quo fit, ſi quando humores putreſcentes, vel parati ad putredinem reperiantur in corpore, vt opera facultatis expultricis expellantur, ex quibus circuitus fiunt: quod vt clarius euadat, ſciendum eſt, huiuſmodi tranſmiſſionem atque expulſionem humorum fieri dupliciter; vno modo, genito humore in aliquo membro principali, propter aliquam intemperiem, ex quo poſtea per totum corpus effunditur, docente Gal. 1. *ad Glau.* 5. febrem pituitoſam in ventriculo, biliosam in iecore, melancholicam in liene ſedem habere: altero autem modo. nullo membro principali inſigniter læſo, ſed venis tantummodo intemperatis, colligentibuſque magnam copiam excrementorum, quæ pariter à venis ad partes patientes tranſmittuntur. Quoniam igitur pituita quotidie, flaua bilis tertia, melancholia quarta die tanta coaceruatur, vel in membris præcipuis, ventriculo, iecore, liene: vel in venis, quanta ſatis eſt vt moleſtia atque onere naturam afficiat, hinc variæ illorum quoque tranſmiſſiones & acceſſiones fiunt. Quod ſi quis cupiat adhuc magis diſtinctè intelligere cur pituita quotidie, flaua bilis per tertium, melancholia per quartum, neque citiùs, neque tardiùs coaceruetur, Auic. huius rei cauſam refert in quantitatem & qualitatem materiæ; quæ reſpõſio colligitur ex Gal. 2. *de diff. feb.* 4. *&* 5. qui ſcribit, id fieri, quoniam pituita cæteros omnes humores copia longè ſuperat, & plus relinquit inquinamenti, cum ſit frigida, & humida; melancholia autem quantitate eſt minima, ac minimum relinquit inquinamentum, cum ſit frigida & ſicca, bilis verò inter vtramque, & quantitate & qualitate medium locum obtinet. Quod ſi demum quæratur, cur pituita ſit copioſior, melancholia ſit minima, flaua bilis ſit media: etſi licet reſpondere, quòd debeat ſatis eſſe iſtud reipſa & experimento confirmari, tamen ſi conſideretur natura & modus generationis ſingulorum iſtorum humorũ, nimirum pituitam eſſe frigidam & humidam, & ex craſſa, frigida atq; humida materia generari; flauam bilem eſſe calidam & ſiccam, & ex materia tenui, pingui ac veluti ſpuma ſanguinis fieri; melancholia eſſe frigidam & ſiccam, atq; ex materia terreſtri & craſſa, ac veluti fæce ſang. originem habere: hinc licebit etiã rationem colligere, quæ hoc ipſum facile poteſt confirmare. Concludo igitur de ſententia Gal febrem quotidianam ſingulis diebus, tertianam tertio, quartanã quartã quoq; die circuitus habere quoniam hoc temporis ſpatio aggregatur tanta copia pituitæ, flauæ bilis, melancholiæ, quanta ſatis eſt vt ſit grauis & moleſta naturæ, adeo vt cogatur inſurgere, atque huiuſmodi humorum expulſionem moliri: ruſſus autem quotidie pituita coaceruatur, quoniam in corpore eſt in maiori copia, quoniam eſt maxime humida & viſcida, & quoniam relinquit plus inquinamenti: pariter flaua bilis per tertiũ, melancholia per quartum reaggregatur, quia ſunt in minori copia, minus humidæ & viſcidæ, & minus relinquunt inquinamenti. Demum verò pituita eſt copioſior melancholia eſt minima, flaua bilis eſt media, quoniã ita natura cõparatum eſt, vt vnuſquiſq; humor talem naturam modúmq; generationis ſortitus ſit, qualem huiuſmodi accõmodata proportio pro vita & ſalute hominis videbatur poſtulare.

Iam verò iis conſtitutis, facile eſt cæterorum opiniones confutare: & primùm ad Conciliatorẽ poſſem reſpondere, conſiderationem lunæ & aſtrorum tranſcendere conſiderationem medici: namq; vt ſcribit Gal. 9. *de placitis* 1. cũ medicus ſit artifex ſenſitiuus, ad eũ non pertinent quæcumq; limites ſenſuũ tranſcendunt: vnde etiã Hip. fuit contentus vocare elementa per calidũ, frigidũ, humidum, & ſiccum, neq; altiores cauſas voluit inquirere: ſed eſto, hæc ſit conſiderationis medicæ, tametſi negandũ non eſt, quod teſtantur Ariſt. Gal. & omnes, lunã dominari his rebus inferioribus, tamen non dominatur omnibus: quare cũ nos habeamus cauſas periodorum febrium & manifeſtas & certas, ſuperuacaneum eſt ad lunã & aſtra confugere. Opinio Auer. qui cauſã periodicationis tribuit calori naturali, ſi probè intelligatur, quoquo modo poteſt defendi, & cum Galeno conciliari: nã reuerà cũ calor natiuus ſit principalis opifex omniũ noſtratũ actionum, huiuſmodi quoq; circuitum cauſa conſtitui poteſt: ſed ſi verè & propriè loqui velimus, calor natiuus potius cauſa ſine qua non à Gal. appellata, *de ſympt. diff.* 1. quàm cauſa principalis debet nominari quæ. vt diximus, non alia eſt quàm reaggregatio nouæ materiæ: nam quicquid hac in re calor agit, id agit excitatus onere & moleſtia coaceruatæ materiæ, ſine qua moleſtia nihil ageret: quare opinio Auerrh. non eſt prorſus aliena ab opinione Galeni. Opinió demum Gentilis & reliquorum qui confugiunt ad occultas proprietates, mea ſententia, falſa eſt, vel propria illorum ratione, quæ eſt huiuſmodi: Periodi in febribus contingunt ex cauſa manifeſta: ergo non ex cauſa occulta. Antecedens iam ſatis probatum eſt, ac ſanè vbicunque apparent cauſæ manifeſtæ, non ſolum ſuperuacaneum, ſed etiam ſtultum eſt; ad occultas confugere. Præterea ſi circuitus fierent occulte humorum proprietate, numerus circuituum numero humorum reſponderet: conſequens eſt falſum: ergo. Etenim tres tantummodo ſunt humores efficientes circuitum pituita, bilis, melancholia circuitus autem ſunt longè plures, cum non ſolùm ſint quotidiani, tertiani, quartani, ſed etiã quintani, ſepteni, nonani, vt ſcribit Hip. & nos ſuo loco demonſtrabimus. Demum verò quod prouenit ex proprietate, tale eſt ex forma; quod ex forma eſt; perpetuò eſt: ſed circuitus non ſunt perpetui: ergo. Maior eſt manifeſtiſſima. Minor probatur, quoniam ſæpenumero circuitus in febrib. anteponunt, poſtponunt & omnem ordinem peruertunt, prout ægri vel benè, vel malè agunt in ratione victus, atq; omnibus rebus, maioremq; aut minorem humorum copiam cumulant: namq; verbi gratia, ſi æger copioſius & deterius alimentum aſſumat, hinc ſanè aggregata maiori humorum atq; excrementorum copia, facile eſt vnicuique videre, acceſſionem duodecim, quindecim, & plures horas anticipare, ſicuti etiam experientia demonſtrat, ſi quis ſemel in die ſolitus ſit aluum deiicere, hunc ſumpto copioſiore prandio, bis ac ſæpius grauata natura aluum deponere Itaque quãtitas & qualitas nouæ aggregatæ materiæ, non occulta humorum proprietas, paroxyſmorum cauſa ſtatuenda eſt. Sed hac de re ſatis, ad Auic. redeamus.

Confutatio Conciliatoris.

Confutatio 3. Opinionis

Et paroxyſmi qui eradicantur, &c.) Hæc eſt quarta pars 1. capitis, in qua Auic. intendit aſſignare cauſam plurimorum ſymptomatum: primò autem his verbis, *Et paroxyſmi febrium prolongantur, &c.* Auic. reddit cauſas, propter quas paroxyſmi fiant longiores aut breuiores, quæ apud illum ſunt quinque, ex quib. duæ priores pertinent ad materiam, tres poſteriores pertinent ad ægrotum. Primùm igitur acceſſiones fiunt longiores propter multitudinem, craſſitudinem, & viſciditatem humorum

Cauſa longitudinis paroxyſmorum

ſecundo

ſecundò propter quietem, quando illi non mouentur, ſed quieſcunt in corpore: tertiò propter debilitatem virtutis: quartò propter ſenſum acutum, & quintò propter denſitatem, vel vt ipſe loquitur, ſpiſſitudinem pororum & vniuerſi habitus corporis: propter contrarias autem cauſas paroxyſmi fiunt breuiores, quæ doctrina eſt clara, nulli enim dubium eſt, quin hæc omnia, materia multa, craſſa, viſcida, quieſcens, cum virtute debili, habitu corporis denſo, ac ſenſu obtuſo efficiant paroxyſmos longiores, quàm ſi res contrario modo ſe habeat, cum illa maximè faciant ad difficultatem & tarditatem, hæc autem ad facilem & celerem materiæ noxiæ diſſolutionem. Sed notandum eſt, Gal. 2. *de diff. feb. c. 3. 5. & vltim.* hanc ipſam longitudinem & breuitatem paroxyſmorum ad tres tãmmodo cauſas referre, nempe ad materiam, ad virtutem ad habitum corporis, ad quas quidem duæ quæ præterea additæ ſunt ad Auic. quies & ſenſus acutus, facilè poſſunt referri; ſiquidem ſi materia quieſcat, id euenit neceſſariò, quoniam eſt multa, craſſa, viſcida, quoniam virtus eſt imbecilla, & meatus corporis ſunt anguſti: pariter ſenſus acutus ad diſpoſitionem corporis referendus eſt. Quoniam verò Gal. adeo perſpicuè & præclarè hanc rem docet, vt nihil amplius poſſit deſiderari, videatis domi hanc illius ſeriem, *2. de diff. feb. vltimo*, quæ incipit, *nec ſane quod ipſarum ac eſſionum longitudo inæqualis ſit, mirari oportet*, &c.

1. Canon. *Et deteriores quidem febres ſunt inſeparabiles.*) Poſt hæc Auic. ponit quoſdam ſuos canones ſicuti ferè ſemper facere ſolet, ac primùm inquit, febres continuas eſſe deteriores, in quibus putredo eſt intra venas. Hanc ſententiam putant omnes interpretes, Auic. accepiſſe ab Hip. qui ſcribit 4. *apho.* 43. *Febres quæcunque non intermittentes tertio die validiores fiunt, periculoſæ*: ſed illi fortaſſe decipiuntur, cum Hip. mea quidem ſententia, non loquatur de omnibus febribus continuis generaliter, ſicuti loquitur Auic. ſed de iis tantùm, quæ per tertium diem validiores fiunt, quales ſunt vocatæ *ſemitertianæ*. Sed cum hic non ſit locus explicandi hunc aphoriſmum, nulli dubium eſſe debet, quin ſententia Auic. ſit veriſſima, & conſentiens doctrinæ Hip. & Gal. Cum enim in febre continua humores putreſcant intra venas, ac propterea facultas perpetuò labore afficiatur, ſatis poteſt conſtare, febres continuas cæteras eſſe perpetuò deteriores. Sed hæc ipſa fuit ſententia Hip. alio loco 1. epid. ſecto. 3. con 3. *Sunt autem acutiſſimi, maximi, grauiſſimi morbi, ac præcæteris lethales, in continua febre*: nec non Gal. qui exponens hunc locum ita ſcribit: *quoquo modo febrem continuam accipias, Hip. vera dixit, nam morbi acutiſſimi, maximi, grauiſſimi eueniunt in febribus, cum quæ proprie vocantur ſynochi, tum in cæteris quæ ſingulis progrediuntur acceſſionibus, habentque principia, incrementa, vigores & declinationes, nec tum veniunt ad infebricitationem.*

11. Canon. Deinde Auic. ponit alterum canonem, de febribus intermittentibus, nempe illas eſſe magis periculoſas, in quibus eſt putredo in toto corpore, aut in partib. cordis: quæ ſententia admodum abſurda videtur, cum nullo modo videatur fieri poſſe vt ex putredine in toto corpore, aut in partibus cordis febris intermittens poſſit oriri: quare nonnulli opinantur, litteram eſſe deprauatam, qui pro partibus cordis, legunt partibus corporis; vtcunque autem ſit, ſi velimus litteram tam nouam quàm antiquam ſeruare, & Auic. defendere, ille certè per totum corpus non aliud poteſt intelligere, quam partes externas atque habitum corporis vniuerſi: ſic partes cordis, quæ ipſi cordi proximæ ſunt, ex quibus ſi virtus fuerit robuſta, ac meatus aperti, expulſis putreſcentibus humorib extra venas febris intermittens fieri poſſit.

Et ſenibus quidem raro febres accidunt valde incenſæ, videlicet acutæ propter duas cauſas: alteram, propter frigidam eorum temperiem: alteram propterea, quia ſenes paucam habẽt carnem, ac ferè ſunt emaciati, corripiuntur igitur febribus minoribus atque remiſſis, quas febres poſterius Auic. *c. 6. in fine.* febres ſepultas appellat. Prima pars huius canonis tradita eſt ab Hip. 1. aph. 14. *Hac de cauſa ſenibus febres ſimiliter non acutæ fiunt, frigidum enim eorum eſt corpus*: & ratio eſt in promptu, quam ex Gal. licet nobis colligere, hunc in modum: Quod frigidum eſt, facile eſt vt refrigeretur, difficile vt calefiat: ſicuti contra quod calidum eſt, facile eſt vt calefiat, difficile vt refrigeretur: ſenes ſunt frigidi: ergo ſenes facilè refrigerantur, difficilè calefiant. Maior eſt manifeſta, ac diffusè probatur à Gal. *de cauſis morbor.* 2. Minor item manifeſtiſſima eſt, ſatiſque à Gal. confirfirmatur, 2. *de temp.* 2. Itaq; Hip. ratio ſecundùm Gal. ita deducitur: Febris eſt mutatio natiuæ caliditatis ad naturam igneam: ſed vbi paucus reperitur calor natiuus, ſicuti in ſenibus, fieri non poteſt vt huiuſmodi mutatio ad inſignem perueniat caliditatem, ſiquidem multum calidum facilè & promptè in immenſum attollitur, paucum autem non ita facilè, ſed magnam requirit cauſam, quę poſſit vehementer calefacere. Ergo ſenibus non æquè ac iuuenibus adueniunt febres acutæ. Altera Auic. ratio quæ pertinet ad paucitatem carnis, qua ſenes præditi ſunt, fuit Galeni, qui ſcribit *9. meth. c. 3.* febres ſynochos non fieri in corporibus frigidis & gracilibus, ſed in ſanguineis, boni habitus, & carnoſis quia ob copiam carnis venæ magis conſtringuntur humoreſque magis retinentur, neque ita diſſoluuntur, ſicuti fit in corporibus extenuatis. Hoc autem præceptum Auic. debet à vobis memoria teneri: namque in praxi videbitis ſæpenumero in ſenibus, etſi illi exterius videntur leuiſſimè febricitare, tamen reuera febrem eſſe notabilẽ, ac maximi momenti & periculi, in quo iudicio vulgares medici decipiuntur frequentiſſimè.

Pulſus diſpoſitiones diuerſificantur in febribus.) Hæc poſtrema eſt pars primi capitis, in qua Auic. intendit tractare quædam de pulſibus, quamobrem in febribus illi ſint inter ſe diuerſi, quamobrem duri & molles euadant, & alia id genus, de quibus cum ſuperiùs ſemel atque iterum tractauerimus, nolo in præſentia longius agere.

CAPVT IX.

De ſignis Febrium putridarum.

CVM Auic. hactenus tractaſſet de cauſis putredinis, de differentiis rerum & locorum in quibus contingit putredinem fieri, nec non de differentiis febrium putridarum, quæ pro varia putreſcente materia variiſque locis generãtur, nunc ſumma cum ratione intendit tractare de ſignis febrium putridarum, quod facit quinque capitibus: ſiquidem primùm tradit ſigna quæ febres putridas à cæteris febribus diſtinguunt: ſecundò, tradit ſigna febrium continuarum: tertiò, agit de iis rebus, quibus febres putridæ inter ſe conueniunt & differunt: quartò, de ſignis prognoſticis febrium putridarum: vltimò, de rigore, horrore, &c. tandemque cap 7. aggreditur illarum curationem. Cæteris autem in præſentia pretermiſſis ad explicationem ſecundi capitis accedamus: verùm antequam ad textum venio, ſciendum eſt, ex Gal. 1. *de diff. feb.* 7. ſigna febrium putridarum ex quinque præcipuis locis, quaſi fontibus aſſumi; primò ex calore præter naturam, in quo febris eſſentia conſiſtit; ſecundò, ex pulſu, cum febris ſit paſſio cordis & arteriarum: tertiò, ex lotio, cum

putreſcentes humores contineantur in venis, quorum nullum certius indicium haberi poteſt; quartò, ex forma febris: & vltimò, ex cauſis quæ has febres ſolent excitare, de quibus quinque fontibus ſigillatim, ſed tamen breuiſſimè agendum eſt.

Ergo ſi quærat aliquis, qualiſnam ſit calor febrium putridarum? huic reſpondet Galen. huiuſmodi calorem nihil ſuaue neque moderatum, neque ſimile aliquid febribus ephemeris obtinere, ſed potius quodammodo eſſe mordacem, vt tactum offendat atque erodat, ſicuti fumus oculos & nares offendere ſolet: atque hic quidem calor principio acceſſionum, præſertim febrium intermittentium, quo tempore adhuc eſt ſuffocatus, & excrementa intus accenduntur, non protinus impoſita manu dignoſcitur, ſed ſi diutius appoſita manus contineatur, id genus caloris acris, & mordacis de profundo emergit ac foras attollitur, adeo vt non manifeſtè, neque ſtatim in inuaſionibus, ſed ſolùm in incrementis & vigoribus appareat manifeſtiſſimè, ac ſanè hæc qualitas caloris, inquit Galen. eſt maximum indicium febrium putridarum. Secundum proprium atque inſeparabile ſignum febrium putridarum colligitur ex pulſu, adeo vt omnibus, ſolis & ſemper conueniat: id verò eſt, vt ſyſtole, id eſt conſtrictio ſit velocior diaſtole, id eſt, dilatione: quod quidem ſignum euidenter in incrementis, etſi neque obſcurè in principio & in vigore apparet. Huius autem rei facile eſt rationem intelligere: etenim cum pulſus duplicem afferat vtilitatem, alteram refrigerationis, ad quam diaſtole eſt accommodata; alteram, expellendi fumoſos, & fuliginoſos vapores, cui muneri ſeruit ſyſtole; in putridis autem febribus ſine dubio copioſior fuligo generatur, ex quo maior quoque vrget neceſſitas expellendi excremēta, quàm refrigerandi, hinc fit vt ſyſtole ſit velocior diaſtole. Sed aliud ſignum nos docet Galen. ex pulſu: nimirum per initia ipſarum febrium illum fieri paruum & velocem, in vigoribus autem magnum ſimul & velocem euadere: & ratio eſt manifeſta: namque principio refrigeratis omnibus partibus & quaſi extincto calore natiuo, iure pulſus quidem fiunt parui, ſed ſimul veloces, cum facultas valeat & faciat quod poteſt: in vigore autem aucto calore & neceſſitate refrigerij, ſimul fiunt magni & veloces.

Tertium ſequitur ſignum maximè proprium febrium putridarum, vrinæ cruditas, aut ſaltem obſcura concoctio: ſolis enim febribus, putridis alterutrum ſeparatim, aut vrina prorſus cruda, aut obſcurè cocta ineſt neceſſariò: quod ſi ambo cum diſiunctione ſub vno ſigno comprehendantur, tunc ſignum erit proprium & inſeparabile: ſiquidem huic generi febris primæ vrinæ aut omnino crudæ, aut obſcure concoctæ apparent. Si quis autem veſtium cupit intelligere, quænam ſint ſigna integræ cruditatis, obſcuræ, manifeſtæ & perfectæ coctionis, is accedat ad Galen. qui hæc omnia docet luculentiſſimè, 1. *de criſibus* 17.

Quartum eſt ſignum à forma febris, & primùm febres putridas maiori ex parte ſolet antecedere quædam inæqualitas, quædam leuis extranea caliditas, quæ non cogit homines relinquere ſolitas operationes. Si febres ſint intermitentes, incipiunt: cum frigore, rigore, horrore, habent inæqualitatem pulſus & caloris, ſiue initio, ſiue incremento acceſſionum, ſtatus eſt difficilis, declinatio eſt ſine ſudore, præterquam in tertianis. Si verò febres fuerint continuæ: habent ſymptomata, quæ vtcumque reſpondent ſuperioribus, præcedit inæqualitas ſequuntur calores, augmentum & ſtatus ſunt difficiles, non ſine malis ſymptomatibus, quæ omnia a cæteris febribus ſunt aliena.

Quintum & vltimum Galeni indicium eſt febrium putridarum, quod ex nulla cauſa procatarctica originem habet, quod quidem proprium eſt, propterea, quia neque ephemeris, neque hecticis, ſed ſolis putridis conuenit: namque ſuperiùs demonſtratum eſt omnes ephemeras, ac poſteriùs ſuo loco demonſtrabitur, hecticas, dummodo ſtatim ab initio incipiant, ex cauſis procatarcticis generari. Sed tamen hoc ſignum non eſt à putridis inſeparabile, cum aliquæ earum, vt febris peſtilens à cauſa procatarctica, nempe vitiato aëre poſſint oriri: itaque valet hæc conſequentia: febris incipit ſine cauſa procatarctica, ergo eſt putrida: ſed non valet è conuerſo: eſt febris putrida: ergo ſine cauſa procatarctica incipit. Atque hactenus de ſignis febrium putridarum ex Galeno.

Significans febres putredines,) Aliàs diximus in doctrina Auic. tria eſſe genera cauſarum, procatarcticas, antecedentes, coniunctas. Primum igitur ſignum febrium putridarum eſt, quòd incipiant à cauſis antecedentibus, vt plenitudine cacochymia, obſtructionibus, & aliis in genus Secundum ſignum ſumitur ex pulſu & anhelitu, pro quo ſciēdum eſt ex Galen. 1. *de difficultate reſpir. cap.* 5. communem eſſe rationem pulſibus ad reſpirationem, adeo vt parū abſit, quin omnis reſpiratio ad pulſuum proportionem proprietatem habeat, ſiquidem reſpiratio ex contrariis motibus per ceſſationes diſtinctis atque eiuſdē vtilitatis gratia facta eſt; quippe inſpiratio pulſuum dilatationi ſimilis exiſtit, & vtraq; inſitam caliditatem refrigerat, expiratio verò contractioni reſpondet; ac ſimul fumoſos & fuliginoſos vapores excernit, quare ſumma cum ratione Auic. pulſum voluit cum reſpiratione coniungere. Tertium ſignum eſt ex calore, quem inquit eſſe mordacem, non ſuauem, ſicuti eſt calor febris ephemeræ. Quartum ſignum ſumitur ex ea diſpoſitione, quæ ſolet febres putridas præcedere, quam Auic. vocat *almelileru*, & eſt quædam inæqualitas febrilis, quædam caliditas præter naturam, ſed non tanta vt impediat operationes, & febrem efficiat: in qua quidem diſpoſitione deſcribenda Auic. numerat quampluſima ſymptomata, laſſitudinē, pigritiam motus, ſomnum, vigilias, dolorem, pulſationem capitis, & alia id genus: in quibus numerandis & explicandis, non eſt vt tempus conteramus, cum facilè vnuſquiſque ea legere & intelligere poſſit. Terminum autem huius *almelileru* ſtatuit Auic. coarctationem pulſus quādo ille ſubmergitur, & redditur paruus, neque ita perſentitur, quo tēpore iam venit verè paroxyſmus, de qua quidem coarctatione ſeu compreſſione pulſus Galen tractat diffusè. a. *de præſagio ex pulſibus* 1. Quintum ſignum febrium putridarum apud Auic. ſumitur à forma ſebris: namque primùm eſt inæqualitas, quam ille vocat *almelileru*: ſecundò eſt contractio pulſus in principio acceſſionis: tertiò apparet diuerſitas pulſus in principio & augmento, quod prolixum & difficile eſt: quartò, declinationem ſequitur vacuatio ſudoris & humectationis; ex qua forma certiſſima colliguntur indicia diſtinguentia febres putridas à reliquis duobus generibus, ephemera & hectica, in quibus nulla exiſtente humorum putredine, neque ea apparent ſymptomata, quæ ex tali fonte ſolent oriri.

Amplius autem eſt interpolata incipiens cum rigore, &c.) Febris intermittens incipit cum rigore aut horripilatione, & maiori ex parte habet declinationem cum ſudoribus, præterquam quod periodicè habet ſuas acceſſiones; continua autem cum tempore aut ſine tempore, hoc eſt, cum aliquo, vel ſine aliquo modo acceſſionis facilè cognoſcitur, quòd non eſt ſimilis ephemeræ ex vrina, ex pulſu, ex perſeuerantia febris, & poſtremò ſymptomatibus, qualia ſunt inſi-

gnis

Digitized by Google

gnis ſitis, dolor capitis, nigredo linguæ, & ſimilia, quæ ſicuti febribus putridis ſunt familiaria, ita ab ephemeris ſunt aliena. Poſt hæc Auic. ponit ſigna febrium putridarum ex pulſu præcipuè, inæqualitate & duritie, de quibus ſatis diximus ex Galeno.

Et eſt vrina in principio indigeſta.) De hoc quoque ſigno quod pertinet ad coctionem vel cruditatem vrinæ diximus quod eſt ſatis, quæ non ſunt inutiliter repetenda. Auic. demum in poſtrema parte huius capitis, ſuo more ponit duos canones, qui pertinent ad prognoſticum: primus eſt huiuſmodi: *Scias quod in febribus acutis rarè fit euaſio, niſi cum contractione membri, antiqua autem litera habet, à febribus acutis interficientibus.* At ſanè difficile eſt diuinare, quid Auic ſibi velit: plerique omnes interpretes ita exponunt, quòd febres acutæ non finiunt ſine contractione, hoc eſt, ſine abſceſſu vel apoſtemate alicuius membri: ſed expoſitio eſt falſa, quoniam vt ſcribit Gal. 3. *prog.* 34. *&* 4. *de ratione victus* 46. morbi acuti potius per excretionem, quàm per abſceſſum ſolent terminari: itaque falſum eſt, acutas febres ſine abſceſſu non finiri. Forte igitur magis probanda eſt antiqua lectio, *a febribus acutis interficientibus*, quæ non aliæ ſunt, quàm peſtilentes, quæ vt plurimum ſunt interficientes. vt ipſe poſteriùs teſtabitur capite proprio de febre peſtilenti, & Gal. confirmat. 3. *epid. ſecte* 3. 10. nec non. 1. *de ratione victus* 9. Et ſi modò quis euadit, non contingit, quin in aliquo membro veſtigia malignitatis relinquantur, dum alijs contrahitur crus, alij fiunt ſurdaſtri, alij memoriam perdunt, alij alijs grauibus ſymptomatibus deinceps corripi conſueuerunt.

Duo canones.

Alia eſt regula: *Et quando remanſerit febris poſt quietem apoſtematis, vt in pleuritide, & ſimilibus*, &c. ſenſus verò eſt talis: ſi febris fuerit cum interna inflammatione, exempli gratia, cum plenitudine ceſſetque dolor, perſeuerante adhuc febre, ſciendum eſt, ſupereſſe aliquid materiæ, quæ iam permutata eſt ad alium locum. Et hic, domini, eſt caſus illius ægri decumbentis in hoſpitali, qui laborauit pleuritide, in quo iam diu ceſſauit dolor lateris perſeuerante adhuc febri, pro competto habendum eſt, materiam alias partes occupare, ac fortaſſe collectam eſſe in cauitatem thoracis: quàm fortè ſententiam Auic. accepit ab Hip. 2. *prog.* 87. qui ſcribit, in peripneumonia, id eſt, inflammatione pulmonum quandoque materiam tranſmitti ad articulos, vel alias partes corporis. Atque hactenus de ſecundo capite.

Capvt X.

De ſignis Febrium continuarum.

Febres putridæ prima diuiſione in continuas atque intermittentes diuiduntur: nam vbi conſtat febrem eſſe putridam: ſtatim inquirendum eſt, vtrùm ſit continua, vel intermittens, quod maximè pertinet ad prognoſticum, & ad curationem. Itaque Auic. ſumma cum ratione in hoc capite tractat de ſignis febrium continuarum. Sumuntur autem huiuſmodi ſigna ex quatuor fontibus, & primùm ex pulſu; etenim ſi ille varius fuerit, neque ordinem, neque pondus habeat, ſignum eſt febrem eſſe continuam, quod Auic. *pondus*, Gal. *rhithmum*, quaſi harmoniam & proportionem vocat: tales enim pulſus varij, ſine ordine & rhithmo indicant inſignem naturæ oppreſſionem: quæ aut difficulter, aut nullo modo in febre intermittente poteſt contingere. Pro quo notandum eſt, quod ſcribit Galenus de pulſu ordinato & inordinato, 1. *de diff. pulſuum* 10. nam illi pulſus ſunt ordinati, qui ſeruant certum ordinem, hi contra ſunt inordinati. qui ſeruant incertum ordinem ſua æqualitate vel inæqualitate. Exépli gratia, ſi fiant tres pulſationes magnæ, & deinde vna parua, quæ ita procedant ſequenti tempore, hic pulſus erit quidem inæqualis, propterea quia non omnes pulſationes ſunt æquales, ſed tamen erit ordinatus, quia eundem ordinem ſeruat, vt tres magnæ pulſationes antecedunt, & vna parua ſequatur: ſin autem pulſus hunc certum ordinem non ſeruet, vt ſi fiant tres pulſationes magnæ: pòſt vna parua, tum duæ magnæ, pòſt duæ paruæ. tum vna magna, & ſic omnis ordo confundatur, tunc huiuſmodi pulſus erit ſimul inæqualis & ordinatus. Cauſa verò quamobrem pulſus fiant ordinati, vel inordinati præclarè exponitur à Gal 3. *de cauſis pul.* 14. etenim cauſa firma & fixa ordinatos, cauſa infirma & non fixa inordinatos pulſus efficit: ſic ſi natura dominatur, ordinem perpetuo conſeruat, cum ordo ſit naturæ quàm maximè familiaris, contrà verò ſi natura non dominatur, tunc omnia inordinatè procedunt: quamobren ſumma cum ratione in febribus continuis, in quibus natura magis laborat, quàm in intermittentibus, pulſus ſunt non ſolùm inæquales, ſed etiam inordinati, quod pariter de pondere Auic. vel rhithmo Galeni ſtatuendum eſt, de quo Gal. diffusè 1. *de diff. feb.* 9.

Apulſu.

Secundum eſt ſignum à tempore durationis: namque ſi febris pertranſierit 24. horas, tunc eſt ex genere continuarum, quod tamen ſignum per ſe, & ſolum non concludit, ſiquidem ſæpenumero ſunt tertianæ, nothæ intermittentes, quarum acceſſiones durant 36 & 40. & plures horas: quare ſi cum aliis coniungatur, poteſt aliquam fidem facere, ſolum autem nihil demonſtrat.

A tempore durationis.

Tertium ſignum ſumitur ex parte ſymptomatum, quippe niſi febris habeat illas diſpoſitiones, quæ pertinent ad febres interpolatas, ac potiſſimùm niſi incipiant cum rigore, frigore, horripilatione, tunc fuerit continua, ſiquidem putreſcentes humores extra venas non propelluntur.

Ex parte ſymptomatum.

Quartum & vltimum ſignum febrium continuarum eſt inæqualitas augmenti, quod quidem fit, cum hoc tempore non æqualiter & vna ratione febris increſcit, donec conſiſtit, ſed varias facit mutationes, adeo vt nunc creſcere, nunc conſiſtere: rurſus augeri & minui videatur: hinc enim facile eſt colligere, naturam eſſe vehementer oppreſſam, quod non fieret, niſi humores putreſcerent intra venas. Hanc totam partem Auic. ferè ad verbum trãſcripſit ex Gal. 1. *ad Gla. de ſignis febrium continuarum.* apud quem longè magis perſpicuè & diſtinctè vobis licèt ſigna & hanc doctrinam intelligere.

Inæqualitas augmenti.

Hic nobis occurrit dubitatio: ſcribit enim Gal. 2. *de criſib.* 6. febres continuas hac ratione ab intermittentibus differre, quod in continuis humores putreſcant intra venas, in intermittentibus verò humores per loca ſententia feruntur: quod ſi in hoc tantùm differunt, hinc ſequitur cætera ſigna poſita ab Auic. & Gal. eſſe ſuperuacanea. Ad quam dubitationem reſpondeatis vno verbo, ſignum poſitum à Gal. cæteris omnibus eſſe magis eſſentiale & principale, ad illudque reliqua referri, ex quibus omnibus ſimul iunctis, & facilius & certius febres continuas cognoſcere, & à reliquis ſeparare licet.

Capvt XI.

De ſignis indicantibus differentias Febrium putridarum.

In quarto cap. intendit Auic. nos docere ſigns in quibus febres putridæ inter ſe communicant & differunt, quæ doctrina eſt maximè vtilis, partim ad prognoſticum, & partim ad curationem. Primùm itaque declarat, qualia ſint propria febris bilioſæ. Secundò febris ſanguineæ, ac deinceps reliquarum: de

vnaquaque autem ſpecie quatuor proponit atq; exponit. Primò, qualis ſit motus. Secundò, qualis ſit caliditas. Tertiò, an ſit ſalubris, vel inſalubris. Quartò, an ſit longa vel breuis. Itaque incipiens à febre biliosa, ſcribit hunc in modum: *Febris quæ eſt propter putredinem choleræ, motus tertianus eſt, &c.*

Gal. diuidit febres quæcunque tertio quoque die inuadunt, & vnicuique proprium nomen tribuit, 1. *epid. ſecto.* 3. *com.* 5. 2. *de diff. feb.* 8. Namque ſi febris habeat acceſſionem, quæ intra 12. horas finiat, hanc tertianam exquiſitam appellat: quæ verò habet longiorem acceſſionem ſed tamen ita, vt remiſſio & infebricitatio ſit longior ipſa acceſſione, hanc tertianam ſimpliciter appellat: quæ autē habet acceſſionem plurimam productam paruúmque remiſſionis interuallum, hanc tertianam productam vel extenſam nominat: quæ autem ad infebricitationem non veniunt, ſi prima quidem die horrificas faciunt acceſſiones, id eſt, duas acceſſiones, altera ſequenti die vnam ſimplicem habeant acceſſionem, has ſemitertianas appellat: ſin verò ſimpliciter, tertio quoq; die inuadunt, naturam tertianæ referentes dicuntur. Iis licet addere febrem tertianam continuam, quæ alio nomine à vehementiſſimo calore Græcis *καῦσος*, à Latinis *ardens* nominatur, quæ quidem: vt ſcribit Gal. 2. *de criſibus*. 6. cum cætera omnia ſeruet indicia febris tertianæ, in eo ſolo differt, quod ſine rigore inuadit, neque in quietem febre vacantem deſinit. Itaque febris ex putredine choleræ habet motū tertianum, præter illam ſpeciem, quæ dicitur aduſta, quæ latentem motum obtinet, quam ſpeciem ego quidem puto Auicennam intelligere febrem ardētem, quæ tertio quoque die aut leuiſſimam, aut nullam acceſſionem habet. Secundò, caliditas huius febris eſt magna & mordax; & ratio eſt manifeſta, propterea quia fundatur in flaua bile, quem humorem conſtat eſſe calidum & ſiccum. Tertiò, febris tertiana eſt ſalutaris, quia flaua bilis, ex qua ortum habet, facilè à natura ſuperatur, & quia peruenit ad infebricitationem, quæ expreſſa eſt ſententia Hippocratis & Galeni 1. *epid. ſecto.* 3. *cum* 8. 4. *aph.* 43.

Tertiana verò non pura eſt longioris ſpatij.) Auicenna quartum propoſitum abſoluit: nempe terminum durationis febrium bilioſarum, & primò cōparans tertianam puram cum tertiana notha, inquit, hanc eſſe longiorem, quod pariter determinatum eſt à Gal 1. *ad Glauc.* 8. qui ſcribit & narrat hiſtoriam cuiuſdam adoleſcentis, qui autumno cœpit laborare huiuſmodi tertiana notha, quæ vſque ad proximum ver perdurauit: *tertiana autem pura*, inquit Auicenna, *rarò pertranſit ſeptē periodos, niſi ex errore, ſicuti continua quoque in hebdomade conſumitur*. Hippocr. verò, & cum Hippocr. Galenus ſimpliciter pronunciant 4. *aph.* 59. tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus quàm tardiſſime iudicari nec non tertianam continuam ſeptem diebus finiri: ſiquidem vt ſcribit Gal. *in com.* nec non 3. *epid.* 7. quemadmodum febre continua numeramus omnes deinceps dies, ita in intermittentibus numerantur acceſſiones, adeo vt quod in continuis ſeptimus dies, idem in intermittentibus ſeptimus circuitus valeat.

Neque verò ſolum tertiana notha eſt longior, ſed etiam periculoſior tertiana exquiſitā, quod, in primis confirmat Gal. loco citato 1. *ad Glau.* 8. qui recitat caſū illius adoleſcentis, qui noluit præceptis medicis obedire, ſed in multis deliquit, lien illi intumuit, & hypochondria flatibus repleta ſunt vt iā apparentibus magnis veſtigijs mali habitus. Gal de illius ſalute vehementer dubitauerit, & vi coactus fuerit maioribus vti præſidiis. Quod ſi quis rurſum nobis obiiciat Galenum, qui docet 4. *apho.* 43. *ad finem*, febres quocunque modo intermiſerint, quantumuis habeant vehementes & longas acceſſiones, carere omni periculo, ei licet reſpondere cum eodem Gal. 1. *ad Clau.* 8. 3. *epid. ſecto* 3. 1. huiuſmodi febres intermittentes, quatenus ad illas pertinet, vacare periculo, vt quæ non ex aliqua inflammatione, neque ex maligna humorum putredine originem habeant, ſed propter commiſſos errores, propter cōplicationem aliorum morborum, & propter alias cauſas euadere periculoſas, quod euenit illi adoleſcenti, qui commiſit errores, qui læſus fuit ab hyeme, cui lien intumuit, & alia mala ſuperuenere, vt iure Gal. de illius ſalute ſolicitus fuerit.

Et illa quæ eſt ex putredine ſanguinis, eſt continua. *Sanguinea.*
Poſt febres bilioſas Auic. tractat de febre ſanguinis. Cum autem ſanguis apud Hip. & Gal. 1. *de natura humana* 27. 6. *epid. ſecto.* 4. 37. *ſecto.* 4. 29. accipiatur dupliciter; vno modo, pro quarto humore à reliquis diſtincto; altero, pro aggregata & tota maſſa omniū humorum: ſciendum eſt, Auic. hoc loco ſanguinem intelligere, mea quidem ſententia, quatenus ille eſt quartus humor: etſi plerique interpretes aliter ſentiunt. Cum enim ille in præſentia tracter de ſingulis febribus putridis quæ ex ſingulis humoribus oriuntur, & fuerit in ea opinione, ſanguinem quoq; propriam ſpeciem febris efficere; non eſt veriſimile, illum hanc ſpeciem febris prætermiſſe, & voluiſſe interponere febrem ex putredine omnium humorum, quæ magis ad alium locum pertinet; verùm de febre ſanguinis, in qua eſt inſignis controuerſia inter Auic. & Gal poſteriùs tractabimus. Itaque febris ex putredine ſanguinis eſt continua, ac ſine acceſſionibus, habet caliditatē copioſam, mitem, & ſine mordicatione, ſicuti apparet in flaua bile, & quandoque peruenit ad ſtatum in quatuor diebus, quæ omnia ſunt clara ex natura ſanguinis, quem conſtat eſſe humorem in corpore copioſum, temperatum & minimè rebellem, quare non eſt mirum, ſi facilè ſuperetur à natura; & ſi in quarta iudicium habet: nam ſicuti Gal. ſcribit 3. *de criſib.* 4. & Hip. 3. *progn.* 2. mitiſſimæ febres, & quæ cum ſecuriſſimis ſignis fiunt, quarta die finiuntur & antea.

Phlegmatica autem periodicans omni die, eſt leuis *Phlegmatica.*
caliditatis.) Febris ex putredine pituitæ habet acceſſionem quotidie, habet mitem caliditatem, non ſimpliciter, ſed in cōparatione febris bilioſæ, præterea eſt diuturna propter copiam frigiditatem & viſciditatem humoris: quoniam, vt ſcribit Gal. *de diff. feb.* 4. humor ex quo conſiſtit, temperamento frigidus & humidus eſt, & conſiſtentia lentus, quare difficulter accenditur, tardè mouetur, & ſæpenumero in meatibus hæret. Demum hæc febris non eſt ſalutaris, ſed magni timoris, propter duas cauſas, alteram, quoniam habet breue tempus declinationis; alteram, quia auctore Gal. *ad Glauc.* illi neceſſariò coniungitur debilitas oris ventriculi, quam deinceps & proſtrata appetentia, & ſyncope, & alia ſæua ſymptomata ſolent frequenter comitari: quam ſententiam habetis apud Gal. 12. *metho.* 5. Quamobrem verū in febre quotidiana os ventriculi magis lædatur, quàm in reliquis febribus, cauſa eſt in promptu, quoniam in hac parte generatur pituita, ex qua ille originem habet, etſi alij aliter ſentiunt, nimirum pituitam in iecore generari, quam controuerſiam alio tempore tractabimus

Quartana autem non eſt acuta.) Progreditur Auic. *Quartana.*
ad explicanda ſigna febris quartanæ, & primo hæc non eſt acuta, propter frigiditatem materiæ, ſed lōga eſt; quæ ſi fuerit pura & exquiſita, durat vnum annum; ſi autem fuerit notha, citiùs terminatur. De termino febris quartanæ eſt dubitatio; etenim ſi quartana eſt exquiſita longior quartana notha, illa verò non durat vltra annum, ſequitur nullam quartanam vltra annum produci, quæ item fuit expreſſa Hip. ſententia 6. *epid. ſect.* 6. 22. Contrà verò idem

ſcribit

ſcribit Hip. 1 *epid.ſeſt.2.tex.4.* quartanam omnium febrium eſſe ſeueriſſimam,facillimam,longiſſimam, conſtátq; apud Hipp. Galenum & omnes medicos, eam inter morbos longiſſimos numerari, præterquam quod experientia confirmat, multas quartanas nedum annum, ſed plurimos annos perdurare. Auic. *c. proprio de quartana*, vltimum terminum conſtituit 15. annorum;ego quidẽ ante 20.annos Venetiis noui & viſitaui clariſſimam matronam Venetam,ex nobiliſſima familia Piſana,quæ febre quartana totos 25.annos laborauit,eadem ante 10.menſes correpta eſt pleuriride, & obiit.

Ad propoſitam difficultatem de termino febris quartanæ illud vnum poſſum reſpondere, quartanas in quibus nullus committitur error, neque in victu,neque in curatione, neque in vlla re,non vltra annum prorogari,atque hinc potiſſimùm puto fieri vt plurimæ tamdiu producantur, propter multos & grauiſſimos errores,qui omni ex parte cum maxima licentia committi conſueuerunt.

Secundò quartana eſt ſalutaris, ac ſine periculo propter duas cauſas;vnam,quia longiſſimum eſt tẽporis ſpatium inter vnam & alteram acceſſionem: alteram, quoniam illam non comitantur ſæua ſymptomata,ſicuti in cæteris contingit febribus:neque verò ſolùm quartana per ſe ipſa eſt huiuſmodi, ſed etiam ab aliis magnis morbis libera, ac ſpeciatim à morbo comitiali, quem per excellentiam *magnũm* appellant *Quartana laborantes*, inquit Hipp.6.ep 5. *6.7 magno morbo non capiuntur,& ſi prius corripiãtur,& quartana ſuperueniat, liberantur*: & rurſum 5: apho.70. *Qui quartana laborant, conuulſionibus omnino non capiuntur;ſi verò ante capiuntur,& quartana ſuccedat,liberantur.* Attamen de quartana atq; illius ſalubritate ita habendum eſt, ſicuti hanc rem. Gal. interperatus 1.*epid.* 5.3. *com*.4. qui ſcribit, huiuſmodi febrem ſua ſponte, & quatenus ad illam pertinet, periculo vacare, nec non ab aliis morbis hominẽ liberare, verùm fieri poſſe,vt propter alias cauſas lethalis euadat veluti, exempli gratia, ſi lien malè affectus fuerit, ex quo ille teſtatur,ſæpenumero ſe vidiſſe hominem grauiter quartana laborantem. adeo vt deinceps collecta aqua inter cutem mortuus fuerit.

Tertiò quartana habet caliditatem mordacem, etſi Auic de hoc nihil dixerit: cum enim putreſcat materia ſicca, vt vapores eleuati ſint acres & mordaces neceſſe eſt. Quartò & vltimò habet acceſſiones quarto quoque die, ſicuti diximus; atque hæc ſunt Apud Auic. in quibus febres putridæ inter ſe differunt.

In quib. conueniunt febres putridæ.

Et quartana quidẽ & tertiana aſſidua & interpolata, &c.) In hac parte Auicenna declarat in quibus febres putridæ inuicem conueniant,& inquit,quartanam, & tertianam continuam & intermittentem in eo conuenire, vt finiant per vomitum, fluxum alui, aut ſudorem, aut prouocationem vrinæ: febrem verò ardentem non ſolùm per hæc, ſed etiam per fluxum ſanguinis narium. De qua ſententia quæritur, quomodo febris quartana poſſit per vomitum iudicari:namque ſcribit Gal in libello *quos & quando* 4 *aphor.* 9. humorem melancholicum perpetuò per inferiora purgandum eſſe, quod ille propter grauitatem ad huiuſmodi partes facilè deſcendat. Cui quæſito reſpondeatis, vomitum reuera maximè iuuare, & quandoque prorſus auferre febrem quartanam, non quòd educantur humores melancholici, qui ſine dubio commodiùs purgãtur per inferiora,ſed quoniam per vomitum purgantur cæteri humores,quæ melancholiam ſolent fouere & augere:quare non primò & per ſe,ſed ſecundariò,& per accidens, quartana per vomitum ſolet nonnunquam iudicari Quo dicitur de fluxu ſanguinis narium in febre ardente, nullam habet dubitationem, de qua hæc ſcribit Hip.1. epid. ſecto.2.63. *Febribus ardentibus hæc accidebant,quibus rite & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maxime ſeruabantur,neque vllum noui,ſi rectè ei ſanguis profluxiſſet,in hoc ſtatu mortuum eſſe.* Gal.aſſeuerat in com.*hoc febribus ardentibus eſt peculiare,vt per profluuium ſanguinis nariũ fere ſoleant indicari.* Auicenna forte hãc ſententiã accepit à Gal.3.*de criſib*.3.qui docẽs varias conditiones bonæ criſis inter cæteras hanc enumerat, quòd excretio cuique ſpeciei morbi conueniat, quam doctrinam multis exemplis illuſtrat:etenim ſi ardens fuerit febris, vel ſanguinem è naribus profundat, vel poſt vehementem rigorem, multum & calidum ea toto corpore humorem excernat, vel deiiciat, aut euomat biliosa,neceſſarium eſt. Similiter & tertiana vomitis & deiectionibus billoſis,& ſudoribus multis toto corpore promanantibus iudicatur.Si quis plura deſiderat,ad ipſum Gal accedat. In eo verò Auicenna videtur à Galeni doctrina defeciſſe, quod admodum imminutè hanc febrium terminationem tradiderit; ſiquidem non ſolùm per vomitus,aluum,ſudores, lotia,& fluxum ſanguinis narium febres iudicantur,ſed etiam per hæmorrhoïdas,per menſes in mulieribus,per abſceſſus,de quibus omnibus ac variis eorum cauſis,modis,& ſignis Gal.tractat accuratiſſimè 3.*de criſib.*.*vlt.*

Auic demum in fine capitis ponit canones de febribus, ac præcipuè cum interna inflammatione, quas inquit quotieſcunque non rectè curantur, in hecticas trãſire:quem canonem ille accepit ex Gal. 10.*meth*.6. & ſenſus eſt huiuſmodi: ſi quis ægrotus laboret febre cum inflammatione,neque opportunè nutriatur, ne coctio humorum impediatur, neque illi exhibeatur aqua frigida,ne inflammatio quoquè crudior reddatur, & febris in hecticã degeneret:in qua rei difficultate ægroto exhibenda ſunt & alimẽta, & aqua frigida,cum melius ſit inflammationem & humores crudos fieri,quam hominem hecticum euadere Pro quo duo vobis ſunt memoria repetenda, quæ tradita ſunt à Gal. Alterum 8 *ad Glauc* 10. inediam maximè conferre ad coctionem morbi. Alterum 9.*meth*.5. ſi fuerit interna inflãmatio, vel putridi humores nõ concocti, potionem aquæ frigidę non conuenire.Itaque Gal.cum hęc tradidiſſet,eiuſmodi interpretationem & limitationem adiungit 10.*meth*.6.ſi fuerit febris cum inflammatione & putredine humorum diligenter animaduertenda eſſe quæ magis vrgent: nam ſi coniiciamus alimenta & aquam frigidam magna incommoda poſſe afferre, & putredini humorum, & inflãmationi ab illis abſtinendum& refrigerantibus externis præſidiis agẽdum eſſe:ſin verò altera ea parte periculum immineat,ne æger hectica corripiatur ſumpta indicatione ab eo quod magis vrget, quod itidem docet Gal. 7. *meth*. 12. tunc optimum eſt ſi accommodatis alimentis, & frigida potione hominem curare, quòd melius ſit & cruditatem humorum,& inflammationem augeri, quàm illum febre hectica corripi Ex quo quidem Gal.loco nihil dubito,quin Auic.hunc ipſum locum tranſcripſerit.

Capvt XII.

De ſignificationibus Febrium.

VENIO ad explicationem 5. c. Aui. quod etſi inſcribitur de ſignificationibus accidentiũ febris,tamen reuera in eo comprehenduntur ferè omnia, quæ quomodocunque generaliter ad febres pertinent,ac ſanè admodum confuſè, adeo vt mea ſententia nullus ordo à nemine hac in parte conſtitui poſſit. Ego antequam ad explicationem literæ

aggredior ſummatim & ordinatim, quantum fieri poteſt, conabor hanc totam rem explicare. In hac autem materia plurima ſunt conſideranda: Primò, genus febris, vtrùm ſit ephemera, putrida, an hectica. Secundò, ſpecies, vt ſi fuerit putrida, an ſit biliosa, pituitoſa, melancolica, an ſit intermittens vel continua. Tertiò boni vel mali moris. Quartò, magnitudo vel paruitas. Quintò, concoctio vel cruditas. Sextò, an ſit futura criſis necne. Vltimò, an febris ſit ſalubris vel lethalis. Sed ſingula particulatim ac breuiter percurramus.

Quomodo cognoſcatur genus febris. Genus febris cognoſcitur primùm ex qualitate caloris, in quo iam ſæpius diximus febris eſſentiam conſiſtere. Secundò, cum febris ſit paſſio cordis & arteriarum, ex pulſu. Tertiò, propter communicantiam arteriarum cum venis, ex vrina. Quartò, ex propria forma. Quintò, ex cauſis quæ ſæpenumero nos ducunt in cognitioné febrium & omniũ morborũ.

Species febrium. Species verò febris ex eiſdem ferè cognoſcitur ſignis, ex quibus cognoſcitur & genus, quibus licet addere diſpoſitionem corporis, aëris, regionis, & ſimilium, quæ quidem ſolent eſſe in cauſa multorum morborum, ſicuti in tertiana calor eſt valde acris, pulſus magnus, frequens, velox, lotium eſt flauum, incipit cum rigore, celeriter peruenit ad incrementum, habet ſtatum difficilem, declinationem cum ſudore copioſo, intemperies calida & ſicca, ætas iuuentutis, vehementes exercitationes in regione calida, æſtate hæc omnia faciunt ad generationem bilis, quare poſſunt indicare ſpeciem febris bilioſæ

Mos morbi. Tertiò boni vel mali mores in febrib. ex ſuperuenientib. ſymptomatib. cognoſcuntur, ex 4. Gal. 7. *de cr.* 4. quæ quidem ſymptomata ſi fuerint multa, diuturna, valida, maligna, & in febre peſtilente febrem mali moris ſignificant; aut contrà, ſi fuerint pauca, breuioris temporis, parua & ſimplicia, vt in febre quartana, febrem boni moris ſignificant.

Magnitudo. Quartò febris magnitudo, vel paruitas potiſſimùm cognoſcitur ex quantitate & qualitate caloris: nam ſi ille fuerit magnus & acris, magnam, ſi paruus & mitis, paruam febrem ſignificat.

Concoctio. Quintò coctio vel cruditas in febre cognoſcitur ex lotio, ſiquidem humores febrem efficientes continentur in venis: quoniã, vt ſcribit Gal. 1. *de cr.* 5. tria genera excrementorũ cuiuſq; partis coctionem demonſtrant, inferioris quidé ventris deiectiones, quæ ſunt ſecundũ naturã, venoſi auté generis vrinæ: inſtrumentorũ verò deſeruientiũ reſpirationi, excreationes. Vtrùm criſis futura ſit nec ne, cognoſcitur tũ *Cognitio criſis.* ex cótéplatione, quomodo virtutis robur ſe habeat; tũ ex motu morbi, & adhuc ex ſignis concoctionis: etenim ſi virtus robuſta fuerit, morbus celeriter moueatur, & aliquod coctionis ſignũ fuerit, veriſimile eſt naturã criſim moliri: ſi verò virtus fuerit labefactata, morbus tardè moueatur, ac nulla coctionis ſigna appareant, nullam contingit in huiuſmodi febre fieri criſim. *Cogn. ſalutis & mortis.* Signa poſtremò ſalotis aut mortis in febrib. capiũtur à trib. à ſpecie, à more, & coctione: ſic febris tertiana, pauca, breuia, & benigna ſymptomata, manifeſta & perfecta concoctio, febris ſalubritaté demonſtrant: contra verò febris peſtilens, multa, diuturna, & maligna ſymptomata, nulla concoctio, febris inſalubritatem ſignificãt. Atq; hæc fuerãt quæ Auic. in præſenti c. cõſiderãda proponit, quæ omnia ille accepit ex Gal. tum alijs locis, tũ maximè ex li. *de cri.* ac pot. ex 1. li. ſed iam magis diſtinctè ſingula perpendamus, & ad literæ explicationem veniamus.

Scias quòd acceptio ſignificationum febrium eſt ex regimine.) Regimen præcedens debet intelligi non ſolum de rat. victus in cibo & potu, ſed etiam de omnib. ſex reb. non naturalib. adeo vt conſideratio rerum omnium antecedentium maximè pertineat ad cognoſcendum, & genus & ſpecies febris.

Et ex diſpoſitionibus & accidentibus præſentibus.) Diſpoſitiones corporis & accidentia, per quæ intelligo omnem corporis diſpoſitionem ſiue internam, ſiue externam, genus & ſpeciem febris facilè poſſunt indicare. *Et ex regionibus.*) Exempli gratia, in regione meridionali frequenter naſcuntur febres acutæ, bilioſæ; contra in ſeptentrionali diuturnæ & pituitoſæ. *Ex temporibus anni.*) ſicuti declarat Gal. 2. *de criſibus* 4. aliæ febres ſunt æſtate acutæ, vt tertianæ, & id genus aliæ autumno, vt quartanæ, de quibus nonnulli ſunt apho. apud Hip. *lib.* 3. Quod tamé intelligendum eſt, ſicuti interpretatur Gal. 3. *apho.* 8. de temporibus conſtantibus, & ſeruantibus ſuam propriam naturam: namque in iis contingunt morbi, qui reſpondent illorum naturæ, in cæteris minimè: & ratio colligitur ab eodem Galen. 3. *apho.* 4. 2. *de criſ.* propterea quia non appellationes temporum ſunt cauſæ morborum, ſed temperaturæ, adeo vt quando illæ euariarint, neceſſe ſit, ipſos quoque morbos variare; neque enim æſtas efficit febres ardentes, quatenus æſtas, ſed quoniam hoc tempore viget inſignis caliditas & ſiccitas, vnde ſcribit Hipp. *in temporibus quoniam eodem die modò calor, modò frigus percipitur, morbos autumnales expectare oportet*: quaſi velit in quolibet tempore anni, dummodo illud autumni conditiones habeat, morbos autumnales fieri poſſe. Quod autem ex varia temporum & aëris conſtitutione varij morbi oriantur, ſatis declarat Hip. lib. *de aëres, aquis, & locis*, necnon 3. *apho.* vt pluribus non ſit opus.

Et ex ætate.) Certũ eſt pro variatione ætatum varias ægritudines & febres contingere: ſic pueri per nimiam voracitatem & cruditatem laborant febribus pituitoſis, iuniores propter copiam bilis febribus ardentibus & tertianis: ſenes propter debilitaté caloris innati febribus paruis & ſepulis, de quibus Hipp. loquitur lib. 3. *apho.* à 24 vſque ad finem.

Et complexione.) Quod diximus de ætate, idem de temperie dicendum videtur. Gal. exponens aph. 19. lib. 3. Morbos omnes in omnibus temporibus docet non ſolùm propter aërem, ſed etiam propter errata ac differentiam naturarũ ægritudines fieri: neque enim, ille inquit, ſimiliter ab eadem cauſa calidum corpus & frigidum offendi aptum eſt, vel humidum & ſiccum, ſicuti neque temperatum, & quæ ſequuntur.

Auic. etiam inter ea quæ faciunt ad cognoſcendũ genus & ſpeciem febris, enumerat pulſum, de quo dubium eſt, verùm genus & ſpecies febrium ex pulſu poſſit dignoſci: cum enim in qualibet febri calor præter naturam ſit auctus, veriſimile eſt pulſus quoque in omnibus fieri conuenientes incremento caloris; illi verò ſunt, vt ſcribit Gal. 1. *de cauſis pul.* c. 5. maiores, velociores, crebriores exemplo eorum qui ſitiunt: nam ſicuti illi non ſolùm multum, ſed etiam celeriter & crebrò bibunt: quique indigent refrigerio; copioſum id celeriterque & crebrò attrahunt: quare ſi in omni febre pulſus ſunt magni, veloces & frequentes, vtique diſtinctio generis & ſpeciei per illos haberi non poteſt. Contra autem Galen. 3. *præſag. ex pulſ. cap* 7 inſtituit particularem tractationem de febr. per pulſus dignoſcendis, qui docet ex propoſito, quomodo vnumquodque ex tribus generibus per pulſus dignoſcatur: vnde ſcribit in ephemera pulſus in magnitudinem, celeritaté, crebritatemque quantum in ipſis eſt, mutari; in hectica in eaſdem differentias conuerti, ſed adhuc celeritatem augeri: in putrida pro varietate principij & cæterorum temporum, varios quoque pulſus fieri: itaque non eſt dubium quin & genera & ſpecies per pulſus diſtingui & cognoſci poſſint. Facilis autem eſt reſponſio ad obiectam rationem: nam quamuis in omni febre ſit calor auctus, tamen huiuſmodi

augmen

augmentum non eſt in omnibus æquale, ex qoo variæ quoque conſurgunt pulſuum differentiæ, quæ ſingula febrium genera, & ſingulas ſpecies poſſunt demonſtrare.

Ex vrina.) Certiſſimum eſt ex vrina febriũ genera & ſpecies cognoſci, quãdoquidem quod iã ſupra diximus, in ephemera & hectica eſt cõcocta: in putrida autẽ eſt cruda, parũq; in ſingulis ſpecieb. manifeſtè apparent lotia diuerſa, vt poſterius demũſtrabimus.

Ex vomitu) Ex iis diſtinguuntur febres. quoniã licet varia excrementa cognoſcere, ex quibus contingit febres fieri, ſicuti Gal. teſtatur de vomitu *2. de criſib. 3. de egeſtione 1. de criſib.* 11. *Ex fluxu ſanguinis narium.*) vt ſuprà notauimus ex Gal. hoc fere eſt peculiare ſignum febrium ardentium. *Ex rigore & ſudore.*) Hæc duo ſigna manifeſtè diſtinguunt genera & ſpecies febrium, quoniam neque in ephemera, neque in hectica rigor vel ſudor contingit, ſicuti etiam per hæc quotidiana, tertiana, quartana inter ſe diſtinguuntur, quod Gal. diffusè tractat in *lib. de criſib. Ex qualitate caliditatis.*) De hoc quoq; ſigno diximus, quod eſt ſatis: etenim calor in ephemera eſt mitis, in putrida & hectica acris, in febre ardente acerrimus, in quartana longè mitior, quod idem de reliquis eſt ſtatutum. *Ex paroxyſmis.*) Acceſſiones vel longiores, vel breuiores, vel tem ſſiores, aut aliter inter ſe differentes, manifeſtè genera & ſpecies febrium demonſtrant. *Ex diſpoſitione appetitus & ſitis.*) Hæc duo ſymptomata puto ego partim genus & ſpeciem, partim morem febris ſignificare: genus quidem & ſpeciem, quoniam in ephemera & quartana eſt maior appetentia, minorque ſitis, quam in putrida & tertiana: morem autem, propterea, qui ſcribit Gal *3. epid. ſect.* 1. *com.* 1. & 11. *epid. ſect.* t. 29. 62. 75. *Si in febre ardente æger careat ſiti, alterutrum indicat neceſſariò, aut mentem læſam eſſe, aut naturalem facultatem ventriculi interire*: ſic prorſus perdita appetentia ſignum maxime eſt perniciosum, quale euenit aliquando in febre peſtilenti, cuius meminit Gal. 3. *epid. ſect.* 3. 58. qui aſſerit nonnullos maluiſſe mori quàm comedere. *Ex coniunctis ſicuti ex dolore capitis*) hæc pars dupliciter explicatur; vno modo, quòd ex huiuſmodi ſymptomatib. dolore capitis, vigiliis, delirio, & ſimilib. cognoſcantur febres hunc in modum: quippe ſi fuerit dolor capitis, ex qualitate doloris cognoſcitur materia noxia, ex dolore mordicante materia bilioſa, ex dolore extenſiuo materia flatuoſa, ex dolore pulſatili materia inflammationis, ex dolore grauatiuo materia frigida, ex conſequenti cognoſcitur diſpoſitio febris, quod idem de cæteris eſt dicendum. Altero autem modo exponitur, quòd ex plurimis ſignis ſimul coniunctis medici veniunt in cognitionem febrium, cum vnum aut alterum non ſit ſatis. Prima autem expoſitio, meã ſententia magis quadrat verbis & menti Auic. etſi ſecunda veritatem contineat cum reuera ſi quis ex vno aut altero ſigno ex infinitis quæ in iſto cap. ponuntur, velit de febribus iudicium facere, hunc oportet ſit multis modis errare

Et febrium ſunt accidentia ſignificantia earum magnitudinem.) Enumeratis pluribus ſymptomatibus ex quibus medici cognoſcunt diſpoſitiones febrium, ponit modò ſigna, quæ faciunt ad cognoſcendam earum magnitudinem & paruitatem, quæ ſunt duo: alterum, qualitas: alterum, quantitas caloris præter naturam. Primùm itaque ſi calor fuerit acris & moleſtus, ſignificat febrem eſſe magnam. ſi verò ſit mitis & benignus, ſignificat febrem eſſe paruam, quo loco Auic. declarat huiuſmodi qualitatem eſſe veram caloris, ſiquidem nonnullæ febres à principio habent caliditatem mordacem, quarum aliæ perſeuerant & creſcunt, aliæ deinceps remittuntur, de quibus ſcribit Hippocr. & Galen. *6. epid. ſect.* 1. 29.

Febres aliæ mordaces.) Secundò quantitas caloris, ſc. ſi ille intenſus fuerit, magnam febrem: ſin autem fuerit remiſſus, paruam ſignificat febrem, quod potiſſimùm ex multis vel paucis fluentib. vaporib. cognoſcitur, qui proportione reſpondent materiæ putreſcenti, quod item ſatis ſupra eſt expoſitum.

Et ſunt accidentia quæ ſignificant genus.) Signa loquit Gal. *1. de criſ. c.* 3. quæ proprium cuiuſq; morbi genus & ſpeciem demonſtrant, ſunt quæcunque propriam illius formam perficiunt, exempli gratia, tertiana incipit cum vehementi rigore, habet pulſus principio acceſſionis paruos ac debiles, tardoſq; ac raros, deinde magnos, vehementes, celeres, & frequentes, paulo poſt in vigore conſiſtit; tunc ſequitur facilis declinatio: de quibus accuratè Gal. ſermonem habet *2. de criſ. c.* 3. ſic aliæ quoque febres ſua propria habent accidentia, quæ proprium earum genus & ſpeciem poſſunt demonſtrare.

Et accidentia ſignificantia malitiam earum.) Boni vel mali mores morborũ Gal. auct. *1. de criſ* 3. ex ſuperuenientib. ſymptomatib. cognoſcuntur, quæ ab ipſo c. 14 trifariam diſtinguuntur: quædam enim in vrinis & deiectionibus. & ſputis apparent, quædã in totius corporis affectib. inueniuntur, quædã in naturalib. & animalib. actionibus deprehenduntur: iure ergo Auic. febres mali moris tanquam exemplum ponit inquietudinem, delirium, vigilias: quæ altera ex parte ſi abſint, bonũ febris morem demonſtrant.

Et accidentia ſignificantia digeſtionem.) Hæc ſumuntur ex excrementis, in febrib. autem potiſſimùm ex vrina, quæ ex Gal. in *4. de tuen. valet.* veriſſimum eſt indicium eorum quæ ſunt in venis. *Et accidentia quæ ſignificant criſim.*) Hæc apud Gal. 1. *de criſ. in c.* 14. duplicia ſunt: nã quędã & ſignificant & efficiunt criſim, vt eſt vomitus, ſudor, profluuium ſanguinis narium: quædam verò criſim tantùm ſignificant, vt ſunt deliria, vigiliæ & ſimilia. *Et accidentia ſignificantia ſuſpicionem aut contrarium.*) Signa quæ mortẽ aut ſalutẽ portendunt, ſunt, quæ excernũtur per alui deiectiones, & vrinas, & excreationes, nec non quæ in toto corpore apparẽt, vt ſudores, de quib. omnib. ſignis Auic. promittit ſe eſſe tractaturum fen. 2. trac. 1. plurib. capit. Hanc totam partem accepit ex Gal. qui docet omniũ ſignorũ triplicẽ eſſe differentiam; nonnulla quæ concoctionem & cruditatem; ſecunda, quæ ſalutem & mortem indicant; tertia, quæ criſibus attribuuntur: de quibus omnibus ſigillatim atque eorum viribus tractat accuratiſſimè c. 14.

Et fortaſſe inſunt indicia plurima.) Ex forma. id eſt, ex facie ægroti colliguntur multa indicia, ad cognoſcendã vel febrẽ, vel diſpoſitionẽ corporis, quæ cũ febre cõiungitur, exẽpl. gr. ſi quis referat in facie colorem plũbeum, quem ni fallor Gal. 1. *de criſ.* 12. liuidũ appellat, hic ſignificat frigiditatẽ humorũ, aut extinctionẽ caloris naturalis, vt de ſcribit Gal. 6. *epi. ſect.* 29. huiuſmodi calorem in febre perpetuo exitialem eſſe; multaq; referuntur exempla in li. *epi.* 1. *&* 3. ſicuti in Philippo, qui obiit de ſexta; in adoleſcente, qui in mendacium ferè decumbebat, qui obiit die 7. in quibus antea extremæ corporis partes liuidæ fuerant. Secundò cognoſcitur febris & diſpoſitio corporis ex forma, id eſt, ex inflatione & tumore, necnon extenuatione, vel vt Auic. loquitur ex tornatilitate faciei: etenim ſi illa fuerit inflata & tumida, & palpebræ intumeſcant, & quodãmodo appareant veſtigia mali habitus, ſignum eſt abundare inſignem copiam crudorum & frigidorum humorum, ſicuti illis euenit, qui febre laborant propter nauſeatiuam ſatietatem, quæ apud Auic. nihil aliud eſt, quã inſignis cruditas ventriculi, ex qua propter magnam humorum crudorum copiam multi quoq; vapo

Digitized by Google

vapores eleuantur ad partes corporis ſuperiores vnde facies tumida redditur. Sin autem contra facies fuerit extenuata & tornatilis, quæ eadem eſt, quam vulgo faciem Hippocraticam appellant, de qua ſcribit Hip.1.*prog*.6.& ſeqq. *naſus acutus, oculi concaui*, &c. hæc ſignificant aut vehementem caliditatem aut tenuitatem humoris, aut velocitatem reſolutionis materiæ, propter amplitudinem pororum, aut propter magnam exercitationem, aut mutationem conſuetudinis in victus ratione, quæ quidem omnia habent ſuas ſignificationes, ex quibus licet cognoſcere & febrem, & diſpoſitionem corporis.Gal.1.*prog com*.8. docet huiuſmodi faciem fieri duplici de cauſa, altera interna, altera externa. Si quando hæc facies Hip. prouenit propter cauſam internam, hæc poteſt eſſe triplex Prima, debilitas facultatis retentricis. Secunda, tenuitas humorum. Tartia, maxima febris, vnde quotieſcumq; huiuſmodi cauſæ ſimul concurrunt, neceſſe eſt fieri inſignem humorum & vniuerſi corporis diſſolutionem, quam maximè facies Hip.ſequitur, & ideo Gal.aſſerit. talem faciem minimè contingere in morbo pituitoſo, neq; in corpore plethorico, ſed potius in corpore billioſo, paucì ſanguinis, doloribus curis, laboribus oppreſſo, in regione ac tempore anni calido, & ad ſummam, quòd propter omnes rationes facile poſſit extenuari: iis addit, nonnullos ſuapte natura facile diſflari ac diſſolui, nonnullos habere debilius os ventriculi, quæ ſi conueniant ſimul cum ſuperioribus cauſis, vtiq; pro comperto habendum eſt, huiuſmodi corpus admodum propenſum eſſe ad illam affectionem, quæ exitioſam faciem committit. Sin autem huiuſmodi facies oriatur propter cauſas externas. Hip.tres enumerabat, famem, vigilias fluxionem alui, quib.Gal.adiungit & cætera his ſimilia, immoderatam vacuationẽ ſanguinis ex naribus vtero, hæmorrhoidibus, vulnere, aut alio quouis modo, nec non vehementem mœſtitiam, & alia id genus. Porro Hipp. & Gal. comparantes huiuſmodi cauſas internas & externas, ita ſtatuunt, minore cum periculo talem extenuationem fieri propter aliquam externam cauſam, quàm propter malignitatem ægritudinis: quæ demũ cauſæ inter ſe facilè diſtingui poſſunt, vnde ſi à ſola cauſa externa hæc facies pernicioſa fiat, per diem & noctem circuitionem habebit: ſi verò ex cauſa interna oriatur, aut talis permanebit, aut forte etiam deterior euadet. Hanc eandem ſententiam & doctrinam repetit Gal.12.*meth*.c.6. At verò ſi quis quærat, cur Hipp.Gal.& Auic.ſpeciatim mentionem faciant vnius faciei, cum veriſimile ſit ab iiſdem cauſis non ſolùm faciem, ſed etiam totum corpus extenuari: reſpondeatis, id fuiſſe factum propter duas cauſas, quæ afferuntur à Gal.1. *prognoſt. com*.5.1.& Hipp.incepiſſe librum progn.à ſignis, quæ in facie apparent, quoniam quamprimùm medicus ægroto occurrat, ſtatum hæ partes conſpiciuntur; & cæteris ſunt magis conſpicuæ: nec non quia maximam vim obtinent: quare Hip.iubet ante ómnia vultum ægri ſimiliter eſſe animaduertendum, vtrùm ſimilis ſit vultui bonæ valetudinis, ac potiſſ.ſui ipſius, qui docet ægri vultum eſſe optimum, quotieſcunq; ſimilis ſui permanet; contrà deterrimum, ſi quã maximè à ſtatu naturali declinet. Altera eſt ratio poſita in com.7. quoniam maxima naturalis habitus mutatio manifeſtè in facie apparet; cum enim in hac parte & carnoſæ, & humidiores partes inter ſe coniungantur, cumq; partes oſſeæ propter terreſtrem ſubſtantiam ſimiles perſiſtant, carnoſæ autem & humidæ facilè conſumantur & collabantur, propter inopiã ſpiritus & ſanguinis, propterea facillimus cognitu affectus eſt: quod idem de naſo, de oculis, de aurib.& cæteris partib.difusè monſtrant eſſe veriſſimu Mihi libuit hunc locum lógius explicare, quod ſit dignus maxima notatione: redeo ad Auicennam.

Et accidentium febr.) De ſymptomatib. quæ in febrib.contingũt, nonnulla magis apparent in ſtatu, ſicuti eſt delirium; nõnulla magis in principio, ſicuti ſunt horripilatio, frigus, & profunditas ſomni: Auic. autẽ reddens rationẽ huiuſmodi ſymptomat. primũ inquit, delirium fieri propter inflammationẽ capitis: cũ enim hæc ſit actio deprauata principis facultatis, meritò prouenit à cauſa calida, quod à Gal.traditum eſt 2.*de loc. af. ad ſi*. in ſtatu verò caput incaleſcere, plurib.eleuatis, eſt manifeſtum. Secundò reddens rationẽ profundi ſomni, inquit, id fieri propter multas cauſas, ſc.propter debilitatẽ cerebri, & concẽtrationẽ caloris ad partes internas, in quib. putreſcẽs materia reperitur, & multitudinem vaporum qui eleuantur ad cerebrum, in quo tamdiu perſeuerant, donec è caliditate fuerint diſſoluti, ac demum propter frigiditatẽ cerebri & humoris qui vult putreſcere: tot ſunt cauſæ poſitæ ab Auic. profundi ſomni in principio acceſſionum, quæ quidem ſicut apud eum videntur admodum implicatæ & confuſæ, ita apud Gal. longè magis diſtinctæ & perſpicuæ ſunt, qui 2.*de locis aff.ad fin*.ſcribit, alios affectus prouenire à cauſa calida, vigilias & delirium, à cauſa verò frigida quotquot ſomnolenti ſunt affectus: quo loco reddit rationem quamobtem ægri principio acceſſionum vehementi ſomno corripiantur ſæpenumetu, & inquit, id contingere propterea quia cerebrũ hoc tempore vehemẽter refrigeratur: cum enim cerebrum ſuapte natura ſit paratiſſimum, vt corripiatur huiuſmodi affectib.ſoporariis, cum habeat intẽperiem frigidam, ſed non tantam, vt ſola poſſit huiuſmodi ſympromata efficere, accedente præterea alia frigiditate, vt euenit in principio acceſſionum, frigus tantum creſcit, vt inſignem ad ſomnum propenſionem efficiat: quas cauſas ſatis ſit in præſentia indicaſſe, cum de illis ac totius ſomni & vigiliæ ratione loco magis opportuno ſimus tractaturi in poſtrema capitis parte.

Capvt XIII.

De Intentione ad curationes Febrium putridarum.

SCribit Gal.1.*de rat.vict.morb.acutor.com*.3. medicum tanquam vltimum finem curationem morborum ſibi proponere, illamque ab eo primo & per ſe exerceri, dignationem verò & prognoſticum non per ſe, ſed propter vnã curationẽ, qui ita ſtatuit, has duas partes artis medicæ, quæ ad morborũ cognitionem & prognoſticum pertinent. niſi ad curationem conferant, plane fore ſuperuacaneas: quam eandem ſententiam repetit de iis, quæ fiunt in medicatrina. *com* 1 Cũ igitur Auic.hactenus multa nos docuiſſet, quæ fuerant neceſſaria ad cognoſcẽdas febres, & ad ferendum de illis iudicium, pro comperto habendum eſt, hæc omnia ad poſtremum finem, nempe ad illorum curationem fuiſſe inſtituta: quamobrẽ ſumma ratione in præſenti c.7. intendit, pertractare de febrium curatione. Cum autem huiuſmodi curandi ratio dupliciter poſſit doceri; vno modo generaliter altero ſpeciatim; primùm docet generaliter febres curare in hoc præſenti cap. per ſectionem venæ & medicamentum; in ſequenti cap.8.per victus rationem: quo triplici genere præſidij, chirurgico, pharmaceutico, diætetico, medici conſueuerunt omnes morbos & febres curare: deinde in ſeqq.ad ſingulas febres & nonnulla ſympromata, quæ illas comitantur, atque ad illarum curationem progreditur.

Antequam autem incipio Auic. literam interpretari, mihi videor facturus operæ pretium, ſi breuiter & ſummatim ad Gal. mentẽ vobis monſtrauero

communem methodum medendi, cum generaliter omnium morborum, tum ſpeciatim febriũ, de quib. agimus, quod quidem eo libentius facio, eum intelligam hanc quoque partem artis medicæ à noſtris nouatoribus mirabiliter deprauari, qui non deſinũt plusquã mille medendi methodos ſuſcitare quotidie, quę planè sũt ambitioſæ & inanes cogitationes, ac mea quidem ſententia, eo tantummodo ſpectant, vt homines auertant à ſtudio Hipp. & Galen. & illis perpetuas tenebras offundãt, a quibus deinceps nullo vnquam tempore ſe poſſint explicare. Itaq; illud primum debet vobis conſtare, quod traditum eſt à Gal. *de ys quæ fiunt in medica officina, text.* 1. necnon in lib. *an ars tuenda valetudinis ad artem exercitationis pertineat*, &c. Sed vt id obiter vos moneam, verior huius libri titulus eſt Thraſybulus, vt notat Gal. 1. *de tuend. valet.* 4. *& lib.* 2. 8. *&* 9. illud, inquam, debet vobis cõſtare, finẽ medici non aliũ eſſe, quàm ſanitatem: eum autem ſanitas dupliciter poſſit cõſiderari, vel quatenus eſt præſens, vel quatenus eſt perdita, hinc duæ primæ & maximæ partes medicinæ ortæ ſunt, quarum alteram, inquit Galen. *initio lib. de tuend. valetud.* ſanitatis tuendæ; alterã, morbi profligandi facultatem licet appellare. Sed prætermiſſa hoc tempore priori parte, quæ ad conſeruandam præſentem ſanitatem pertinet, cum ſit ab inſtituto noſtro aliena, de altera quæ ad recuperandam ſanitatem pertinet, agendum eſt: hanc verò partem conſtat in ratione curandi morbos verſari, certúmque eſt omnes morbos curari, atque eorum accommodata remedia inueniri, vel ratione, vel experientia, quæ duo ſunt inſtrumenta apud omnes hõmines ad res inueniendas neceſſaria, & quæ fidem faciunt iis, quæ rectè inuenta ſunt, vt Gal. teſtatur 1. *meth.* 3. 3. *meth.* 2. & aliis locis. Etenim ſi quis interroget, quod eſt Gal. exemplum, quamobrem huic febricitanti potio aquæ frigidæ conceditur: duplex reſpõſio poteſt afferri; vna, quæ ortum naturámq; febris doceat, de temporibus morborum diſputet, ac ſimul frigidæ aquæ vim & facultatem exponat, ex quibus licet reſpondere, in hoc morbo atque hoc tempore aquam frigidam congruum remedium eſſe: altera, quæ, prætermiſſa omni conſideratione, ad vnam experientiam confugit, nempe in tali morbo & tempore aquam frigidã ſæpenumero profeciſſe: ex quo factum eſt, vt medici antiqui vna vel altera via incedentes, in varias ſectas medicorum deducti fuerint, ex quibus qui vni experientiæ nitebantur, quã obſeruatione eorũ quæ ſæpe ſimili modo cõtigerũt conſtari affirmabãt, ſe empiricos nominabãt, à nonnullis alio nomine *obſeruatores* appellati ſunt: qui autem ducem rationem ac rerum omnium, naturalium, nõ naturalium, ac præter naturam inquiſitionem & conſiderationem ſibi proponebant, ſed tamen ita, vt neque experientiam negligerent, ſe *rationales* & *dogmaticos* appellabãt. Prætereo tertiam vulgarem ſectam, vtpote iã ab omnibus exploſam, nempe eorum qui ſe *methodicos* appellabant, propterea quod poſitis communibus quibuſdã rationibus & indicationibus quas communitates vocabãt, methodum, ſeu rationem artis compendiariam ſequerentur. Iam verò quia nos profitemur in primis Hipp. & Galen. quos conſtat fuiſſe dogmaticos, ac propterea docuiſſe rationem curandi morbos cum ratione, idcirco nos decet ab eorum diſciplina non diſcedere, verùm cum medici rationales à cæteris differant medicis in eo potiſſimùm, vt docet Galen. 8. *de med. ſec. loc.* 2. quòd illi totam ſuã curandi methodũ conficiunt per indicationes, quod nihil aliud eſt Galen. interprete 2. *met.* 7. quàm ordiri ex rei natura, atque ex ipſa quid agendum ſit, inuenire, iure, ac merito, quicunque cupit cum ratione inuenire, accommodata remedia ad curandos morbos, is omniũ primò debet ſibi elicere & ponere ante oculos indicationes curandi, quæ ex Gal. 3. *meth. in princip.* inueniunt, quid agendum ſit, & omnes medici operationes dirigũt. Porrò huiuſmodi curatiuæ indicationes ſi ſummatim, & per cõpendiũ conſiderẽtur, à trib. præcipuè deſumũtur, à morbo, à corporis tẽperamento, & ambiente nos aëre: namque ad has tres indicationes cæteræ omnes, quæ plurimæ ſunt, facilè poſſunt referri, exempli gratia, ad morbum omnes illius differentiæ & cauſæ; ad corporis temperamentum, natura, ætas conſuetudo; ad aërem, tempus anni, ſtatus cœli, regio, commodè referuntur: quæ doctrina eſt Gal. 9. *meth.* 14. de quibus quidem indicationibus accuratè & diffusè aliàs tractabimus, ſicuti res longè maximè momẽti videtur poſtulare. Elicitis indicationibus ſecũdo loco animaduertendum eſt, vtrùm nobis liceat ſatisfacere necne? id quod, vt Gal. docet 1. *ad Glau. cap.* 8. *ad fin.* ex vna morbi & virium quantitate definiendum eſt: quod quidem præceptum, ſicut vno verbo & facilè explicatur, ita non ſine magna difficultate atque experientia poteſt ad vſum reuocari, cum propter alias cauſas, tum maximè propterea, quia nulla ſingulorum quantitas, neque ſcribi, neque vllo modo poteſt doceri. Etenim ſi vires adeo validæ fuerint, vt poſſint morbum ſuperare, neceſſe eſt ægrum euadere: ſin verò contrà eueniat, neceſſe eſt ægrum morbi. Vbi autẽ ſpes eſt poſſe indicationibus ſatisfieri; in quo tota conſiſtit ſumma prognoſtici, tertio loco id reſtat vt ſtatuatur de propriis remediis, qualitate, quantitate, ordine, tempore, & cæteris quæ ad commodam illorum adminiſtrationem pertinent. Hæc breuiſſima eſt methodus curandi omnes morbos, admodum perſpicua & rerum naturæ conſentiens, quam Galen. docet *in lib. de conſtit. art. med.* & perpetuò imitatur. Ergo quidem didici hac methodo meos ægros curare iam 40. annos, ac Deo fauente, illos curabo in poſterum: quare, Dominũ, vos hortor & rogo, vt hac ipſa methodo diſcatis veſtros ægros curare, ſi modò rationales medici, atque in primis Hipp. & Gal. non ſophiſtarũ & nouatorum imitatores haberi velitis. Sed quæ generaliter diximus de curatione omnium morborum, accommodemus ad methodum curandi febres putridas, quam habetis præclariſſimè traditam à Galeno hac verborum ſerie 11. met. 10. *Ergo qui febrem curare voluerit, neceſſe eſt putredinem inhibeat; ita duo ſcopi ſe exhibent, alter à febre, alter à putredine; atque à febre rurſus duo, ſcilicet vt portio febris quæ iam facta eſt, curetur, quæ verò in genere eſt, inhibeatur*, & quæ ſequuntur.

Sanitatis duplex acceptio.

Galen. hoc loco medicis curaturis febres putridas quatuor ſcopos proponit, febrem, putredinem, prohibitam tranſpirationem, obſtructiones, docétque vniuſcuiuſque rationem habendam eſſe, non ſolùm quod pertinet ad id quod factum eſt, ſed etiam ad illud quod eſt futurum, adeo vt iam facta mala curentur, futura prohibeantur. Itaq; primus ſcopus eſt febris, ex qua, cũ ſit intemperies calida naſcitur indicatio refrigerandi, vel ſi ita placet refrigerandi & humectandi: atque hæc indicatio eſt duplex, vna, vt pars febris iam facta curetur: altera, vt pars in generatione exiſtens prohibeatur. Secundus eſt putredo, ex qua alia naſcitur indicatio, & vacuandi quod planè eſt putridum, & refrigerandi, ſiccandi & concoquendi quod non ex toto putridum eſt: quæ item indicatio duplex exiſtit. Prima, vt quicquid putredinis iam factum eſt, ſanetur. Secunda, vt quod in generatione adhuc eſt, ſiſtatur. Hoc idẽ de alteris quoque duobus ſcopis prohibita tranſpiratione, & obſtructione, tám planè, & perſpicuè Gal. docet, vt ſuperuacaneum ſit hanc rem longiore interpretatione illuſtrare. Quoniam verò eodem Galen. auctore 11.

meth. 15. pertinet ad medicum diligenter omnes ſcopos inſpicere, vt ille probè intelligat, quidnā primo, quid ſecundo, quid tertio loco & ita deinceps agere oporteat, hāc totam diſciplinam ita Gal. interpretatur, vt ante omnia perpetuò ſit babēda ratio fluxionis ſuccorum obſtruentium: etenim cum febris non poſſit auferri perſeuerante putredine illius cauſa, neque putredo præſente prohibita tranſpiratione, neq; hæc pariter præſētibus obſtructionibus, omnis ratio demonſtrat omniū primò obſtructionibus proſpiciendum eſſe: cum autem obſtructiones, ſicuti reliqui tres ſcopi, ſint partim factæ, & partim futuræ, certū eſt factas nullo modo poſſe auferri, niſi antea quæ futuræ ſunt, inhibeātur: nam cum factæ obſtructiones non aliter curentur, quàm reſeratione, quæ impactos & obſtruentes ſuccos remouet, quam Gal. ſua lingua vocat ἐκφράξειν, id minimè licet conſequi, ſi alij continuè humores accedant, & obſtructiones foueant. Itaq; ad ſummā ſi Gal. credimus, indicationes curandi febres putridas ſunt huiuſmodi. Prima, quæ reſolutiua methodo poſtremo loco eſt inuēta, minoratio materiæ, quæ fluxū obſtruentiū humorum compeſcat. Secunda, præparatio noxiæ materiæ & viarū, per quas illa debet purgari. Tertia, vacuatio humorū putridorum: ac poſtrema refrigeratio, ſi ita ferat occaſio, vt febris adhuc perſeueret. Cōſtitutis iis indicationibus vt ſeruemus methodū de qua diximus, ſecundo loco debet medicus animaduertere, an ſperet ſe poſſe illis ſatisfacere necne: quod indiciū iam diximus fieri potiſſimū ex cōparatione febrium, & virium ægrotantis, ex. gr. ſi vna ex parte obſtructiones fuerint multæ, atq; inſignes, ſi putridi humores ſint plurimi, ac magna putredine infecti, ſi febris fuerit vehemētiſſima: ex altera autē parte ſi ægri vires fuerint imbecilles, ætas vel puerilis, vel ſenilis, habitus corporis extenuatus, facile eſt colligere, vel difficulter, vel nullo modo, neq; priori, neq; cæteris indicationibus ſatisfieri poſſe: quo tēpore prognoſticum ſolet medicis maximā exiſtimationem & gloriam afferre: verum vbi ſpes fuerit elicitis indicationibus ſatisfieri poſſe, tunc medicus tertio loco de particularibus remediis cogitat, cum quibus ſuum propoſitū aſſequatur. Ergo quod pertinet ad primam indicationem, cum duplici potiſſimum ratione, nimirum miſſione ſanguinis, & purgatione, corpora ſoleant vacuari, id primùm quæritur, an huic febricitanti liceat ſanguinem mittere, an dare medicamentum: ſic de cæteris, vtrùm hoc vel illud alimentum & medicamētum ſit magis accommodatum ad tollendas obſtructiones, aperiendóſq; meatus: pariter conſiderat, per quam viam putridi humores conuenientiùs poſſint purgari; ac demum conſiderat, quænam præſidia, cum interna, tum externa ſint magis apta ad remittendam febris caliditatem. Hæc breuiſſima eſt Galen. methodus curandi febres putridas, quā mihi ſatis ſit in præſentia ſummarim indicaſſe, & veluti adumbraſſe, quam poſteriùs conabor exactè & diſtinctè ſingula perpendere & explicare. Quare ad Auic venio, in cuius explicatione mihi ſtatutum eſt illa tantummodo capita & præcepta vobis explicare, quæ magis vtilia videbūtur: namque ſi vellemus ſingula verba & totam literam exponere, noſtra interpretatio nullum finem haberet, & tardiùs quàm vellemus ad propriam ſingularum febrium curationem accederemus.

Diuiſio. *Sciat quòd intentio.*) Hoc præſens c. 7. variè diuiditur ab interpretib. in tres, in quinq; & plures particolas; de qua re non ego multum laboro, qui id ſatis habeo. Auic. propoſitum eſſe in præſenti cap. tradere generalē rationem curandi febres putridas, per miſſionē ſanguinis, & adminiſtrationē medicamenti, vnde forte ſatis eſſet illud diuiſiſſe in duas partes, in quib. hæc duo præſidia cōtinentur & explicātur.

Et ſciat.) Senſus horū verborum eſt, in curatione febrium putridarum duplicē medico offerri indicationem curandi; vnam, quæ habet rationem febris, quare neceſſe eſt refrigerare & humectare; alteram, quæ habet rationē materiæ, quamobrem neceſſe eſt, illam vel digerere, vel euacuare. Hāc partē habetis præclariſſimè traditā à Gal. 10. *meth.* 1. cuius doctrinæ ſumma eſt huiuſmodi, affectum duplicem eſſe; vnū, qui à nulla pendet cauſa, qualis eſt febris ephemera & hectica: alterum, qui habet cauſam, veluti eſt febris putrida, ex quo duplex quoque eſt ratio curationis, vna vera & propria quæ vni affectui debetur: altera minus vera, & minus propria, quæ affectui ſimul cum ſua cauſa attribuitur: de quo duplici affectu & duplici curatione loquitur Gal. 4. *meth.* 3. 11. *meth.* 2. 13. *meth.* 1. Ergo ſicuti in febre ephemera ſimplex quidam eſt affectus præter naturam, cauſis quæ illam excitaruot iā abolitis, qui propterea ſimplicem curationem requirit, ita in febribus putridis, in quibus cauſa adhuc manet, neque affectus, neque ſanatio ſimplex exiſtit: namque portionem febris, quæ iam recepta eſt in corpore, ex propria ipſius indicatione curare oportet, nimirum per refrigerationem, portionem verò quæ adhuc futura eſt, oportet propulſare, ac ne fiat, præcauere: hoc autem fiet, ſi cauſa quæ poteſt illā excitare, prorſus amoueatur; quamobrem in febre putrida, quæ accenſionis ſuæ cauſam intus habet 1. indicatio ab ipſa cauſa ſumēda eſt, nempe à putredine, ſed tamen, ita, vt neque febris interea prætermittatur: quæ doctrina in vniuerſum tradita eſt à Gal. cum inquit c. 89. art. med. *Generaliter autem ſi vnamquamque prius effectricem cauſam reſciderimus, deinde verò ad illam, quæ facta eſt, ægritudinem accedamus, cauſarum ſalubrium inuentionem habebimus.* Quæ eadem ſententia eſt repetita 8. *meth.* 4. Et ſi quis obiiciat Gal. qui 8. *meth. vlt ad fin*, perſpicuè docet, indicationem febris cæteras omnes indicationes obſcurare, is memoria repetat, Galen. eo loco ſermonem habere de febribus ephemeris, & comparare indicationem, quæ ſumitur à febre cum cæteris, quæ ſumuntur à natura, ætate, conſuetudine, minimè à cauſis, quæ in huiuſmodi febre ephemera nullæ ſunt: quod veriſſimum eſt, & nullam abſurditatem continet. Porrò in hac conſideratione, vtrùm ſit magis attendendum cauſæ quàm febri, an contra magis febri, quàm cauſæ. Gal. duas ponit concluſiones, maxima notatione dignas. Prima eſt, ſi in idem conſentiant, & quæ febrem extinguunt, & quæ illius cauſam oppugnant, ſicuti, ex. gr. euenit in febre bilioſa, in qua eadem præſidia frigida & humida poſſunt & febrem extinguere, & cauſam febris expugnare, cum vnum ſit quod ab vtriſq; indicatur, id ſine prorogatione agēdum eſt Secunda eſt concluſio ſi febris & cauſa nō conueniant inter ſe, adeo vt ſanatio febris, quæ iam facta eſt, illius cauſam poſſit augere, vel altera ex parte quæ cauſam ſubmouent, poſſint febrem exaſperare, tum diligens conſideratio de ſpecie remediorum habenda eſt, quemadmodum frequenter contingit in febre pituitoſa, in qua ſi velimus vti præſidiis, quæ valeant noxium humorem incidere, attenuare, abſtergere, obſtructiones & meatus aperire, quæ conſtat calida eſſe, periculum eſt, ne ſimul quoque febris augeatur, ſicuti contra, ſi iis frigidis remediis vtamur, quæ poſſint febrem extinguere; periculum eſt, ne humor frigidus, craſſus & crudus adhuc frigidior, craſſior & crudior reddatur. Cæterùm Gal. poſt hæc rationē docet, qua vnuſquiſque ſe facile poſſit ex hac difficultate explicare; ea verò eſt, vt tota huiuſmodi conſideratio & deliberatio ad tria capita redigatur. Primum, an expediat ſolam febrem curare, neglecta cauſa. Secundum, an liceat ſolam cauſam oppugnare, neglecta febre. Tertium, an

plurima

plurima quidem remedia ad alteram earum, vel cauſam, vel febrem ſint adhibenda, ſed tamen i.e., vt neque altera prorſus negligatur. Ex quibus tribus capitibus quod primo loco dictum eſt, nempe ſolá febrem curandam eſſe, neglecta cauſa, prorſus à Gal. reiicitur: namque ſi ea remedia quibus oppugnamus portionem febris, quæ ſemper gignitur, efficientem illius cauſam augent, planè certum eſt, hac medendi ratione neque illius generationem prohiberi, neque febris magnitudinem minui poſſe. Quod verò ſecundo loco poſitum eſt, cauſam ſcil. fore oppugnandam, nulla febris habita ratione, ſi bene diſtinguatur, non omni ex parte apud Galen. reiiciendum eſt: namque ſi æger laboret incredibili magnitudine febris, committendum non eſt, vt per ea præſidia quibus cauſam ſtudemus auferre, febrem augeamus, ne fortè vtrumque ſimul, & febris & homo de medio tollatur: ſin autem febris fuerit adeo remiſſa, vt quo tempore aduerſus cauſam tantummodo pugnamus, vires interea nullam iacturam facere poſſint, tunc profectò neque hæc ratio medendi eſt contemnenda. Verùm Galeno tertium præcipuè modum videtur probare, qui iubet medicum inſtare contra eam vel cauſam vel febrem, quæ magis vrget, ſed tamen neque alterius negligentem eſſe: etſi verò Galen. affirmat, plerumque maiorem eſſe vim cauſæ, quam febris, tamen fatetur fieri poſſe aliquando, vt talis ſit febris magnitudo, quæ niſi illi occurratur, præſentem perniciē ſit allatura: in quo caſu fuerit neceſſe, febrem priùs ſubmouere, & quaſi cauſæ obliuiſci, deinde ad cauſam amouendam accedere: quam ſententiam retulit Auic. in præſenti parte inquiens: *Et ſcias quòd febris quādoquè eſt tāta vehementia & acuitatis, quòd non licèt vti regimine cauſa, imo indiget infrigidatione vltima*, &c.) Itaque ex hoc Galeni loco facile eſt intelligere, vnicuique mentem Auicen. in præſenti parte, in qua, vt diximus, ille docet, quando vel ſoli febri, vel ſoli cauſæ, vel vtriq; ſimul proſpiciendum ſit, vt certè ſuperuacaneum ſit nos longiorem de hac re interpretationem facere.

Et digeſtio quidē in groſſa eſt æquatio eius cum ſubtilitate.) Hinc omnes interpretes colligunt, digeſtionem apud Auic. nihil aliud eſſe, quàm æquationem ſubſtantiæ, adeo, vt humores ſi fuerint tenues, incraſſentur, ſi fuerint craſſi, attenuētur, & ad mediocritatem deducantur. Quæ eadem ſententia habetur 1. doctrina 6. *ſumma* 1. *cap.* 3. ac forte Auic. hanc doctrinam accepit ex Gal. qui lib. *de conſt. artis med.* c. 19. hæc habet: *quod in naturalem ſtatum redire poteſt, contrariis alterare oportet, craſſum quidem & lentum attenuando, tenue verò craſſando, communiter autem vtraque concoquendo*. Hoc loco ab omnibus propemodum interpretibus mouetur quæſtio, an cōcoctio ſemper craſſitudinem pariat, ſicuti manifeſtè videntur ſentire Ariſt. & Gal. ille enim 4. *meteor. c.* 3. docet, in vniuerſum omnia quæ coquuntur ex tenuioribus craſſiora reddi: Galen. verò hæc ipſa ſcribit verba 4. *de ratione victus morborum acutorum* 4. Deiectiones liquidas dicit Hipp. nullo modo concoctas, coctio enim omnia cogit & incraſſat. Et ſanè hęc opinio videtur admodum conſentanea rationi: ſi quis naturam concoctionis, & modum quo illa perficitur, diligenter conſideret, apud Gal. 1. *epid.* 1. 2. 44. *concoctio eſt deductio quædam in ſubſtantiam coquentis eius quod concoquitur*. Apud Ariſtot. loco meteor. citato, *eſt perfectio à calido innato ex oppoſitis patibilibus.* fit autem hoc modo: cum omnia quæ coquuntur, conſtent calido, frigido, humido, & ſicco, certum eſt calorem cuiuſque rei continere humida & ſicca in perfecta mixtione, quod ſi contingat natiuum calorem imbecillum eſſe, ſtatim fit, vt ſiccæ & humidæ partes malæ in mixtione contineantur, ſiquidem à calore imbecillo nequeunt contineri, ex quo fit cruditas & putredo, in quibus humor non bene cōtentus redundat in rebus crudis & putidis, & idcirco vtraque huiuſmodi, vt ita dicam, corruptio, cruditas inquam, & putredo, emendatur & corrigitur concoctione quoniam per concoctionem perficitur atque augetur calor, humidúmque ad perfectam mixtionem cum ſicco deducitur. Cum ergo res coquenda ſibi comparet perfectionem, propter incrementum caloris innati, atque illius actionem in oppoſita patibilia, nulli dubium eſſe debet, quin hoc tempore conſumpto toto humore inutili ac malè contento, reliquum humoris probè miſceatur cum partibus terreis, vndè reſolutis tenuiſſimis partibus, ſatis vnicuique poteſt conſtare, omnes res quæ coquuntur fieri craſſiores, atque vno verbo concoctionem ſemper craſſitudinem parere: ac reuera ſi hæc concoctionis ratio, quæ ducta eſt ex rei natura, atque in doctrina Ariſtotelis certiſſima eſt, accuratè intelligatur, mea quidem ſententia ſtatui aliter non poteſt. Veruntamen præter ſententias Galeni & Auic. quæ ſuperiùs propoſitæ ſunt, neque deſunt quædam argumenta, quæ contrariam opinionem videntur demonſtrare: namque multa ſunt genita per concoctionem, quæ tamē ſunt tenuiora illis rebus ex quibus generantur, exempli gratia, fructus, pyra, ficus & ſimiles, in fine concoctionis euadunt longè tenuiores & molliores, quàm fuerint antea: ſic in corpore chylus fit ex pane, ſanguis ex chylo, ſpiritus ex ſanguine, nihilominus ſpiritus ſanguine, ſanguis chylo, chylus pane, ſubſtantia tenuior eſt: præterea conſtat vrinam crudam eſſe, quotieſcunque aut nimis craſſa, aut nimium tenuis exiſtit, ex quo vrina nimiùm tenuis, dum coquitur, craſſeſcit, & nimis craſſa attenuatur: quamobrem concoctio non ſemper videtur craſſitudinem parere. Ad diſſoluendam hanc difficultatem eſt vulgaris fere omnium reſponſio concoctionem eſſe duplicem; alteram alimentorum, quam appellant *in nutritiuo*; alteram, excrementorum, quam vocant *in nocitiuo*, quarum duarum concoctionum meminit Galen. 2. *de ratione victus* 44. vnde reſpondent, priorem concoctionem *in nutritiuo*, ſemper procedere incraſſando, ſiquidem omne quod concoquitur, tandem aſſimilatur membro, quod craſſius eſt, quàm ea quæ coquuntur, & aſſimilantur: poſteriorem vero *in nocitiuo* procedere quandoque incraſſando, quandoque attenuando, vt excrementa poſtulant. Sed talis reſponſio non conuenit cum doctrina Gal. qui r. 1. *aph. com.* 12. & loco cit. 2. *de ratione victus* teſtatur, non ſolùm alimenta, ſed etiam excrementa per concoctionem fieri craſſiora, quod ex variis Gal. locis duo confirmant apertiſſimè, alter eſt 2. *prog.* 37. & ita habe.: *Concoctio craſſiorem reddit non ſolàm vrinam, ſed etiā deiectionem, quoties bene in ventre cōcoquatur; & ſimiliter ſputa in pleuritide peripneumonia, necnon pituitam per diſtillationes & grauedines*, &c. Alter eſt locus in lib. de totius morbi temporib. 3. *Quis ignorat ventriculum male concoquendi munus obiiſſe, deiectiones nondum in chylum mutatas contemplatus? qui neſcit vrinam in vaſis coctione fruſtratam eſſe, aquoſam illam conſpiciens.* Quo loco Galen hoc ipſum demonſtrat in ſingulis excrementis, & in ſingulis corporis partibus, nempe omnia, neque ſolum alimenta, ſed etiam excrementa per concoctionem fieri craſſiora. Nonnolli aliter reſpondent, nempè alimentorum quæ in corpore humano concoquuntur, quædam conuerti in membra dura, aut partes craſſas, cuiuſmodi ſunt oſſa: quædam verò in ſubſtantias tenues, cuiuſmodi ſunt ſpiritus: alia demum in mediocres, cuiuſmodi ſunt caro, & pinguedo; quare inquiunt, quæ in craſſa conuertuntur, omnia concoctione craſſeſcere, ac de iis tantùm locutos fuiſſe Ariſt. & Gal. cætera omnia attenuari, neque concoctione fieri craſſiora. Quæ

ſanè reſponſio eſt nullius momenti: namque certum eſt Ariſt. & Gal. ſtatuiſſe decretum generale de omnibus rebus, quod nullo modo ad hæc vel illa tantũ poteſt referri, prærerquã quod Ariſt. non ex iis, quæ per concoctionem generantur, ſed à cauſa efficiente concoctionem, ſumit argumentũ ſuæ concluſionis, quoniam, ille inquit, *calor res omnes reddit calidiores, ſicciores, & magis craſſas* : quo nihil planius & apertius dici poteſt. Atque ne fruſtra ſim longior in referendis aliorũ cogitationibus, quæ, mea ſententia, ſunt inanes, & nihil ad rem pertinent, ego quidem cenſeo reſpondendum eſſe ad mentem Ariſt. & Gal. res omnes concoctione fieri craſſiores, quod ego interpretor fieri, quatenus pertinet ad illã portionem materiæ, quæ eſt concoquenda: pro quo ſciendũ eſt, tam in alimentis quàm in excrementis varias partes reperiri, quarum aliæ ſunt vtiles & cõcoqui poſſunt: aliæ ſunt planè inutiles, neque vlla ratione concoctionẽ poſſunt recipere: itaque illæ tantũmodo partes per concoctionẽ fiunt craſſiores, quæ verè ſunt vtiles, & cõcoquuntur: exẽpli gratia in pane ſũt duæ partes, vna apta ad concoctionẽ & nutritionẽ, altera excrementitia & nullius vſus: ex quib. licet chylus qui ex pane generatur, ſit ipſo pane tenuior, altera pars ſecretis excrementis, ex qua propriè & verè fit ipſe chylus, illo tenuior exiſtit, & cõcoctione craſſitudinem acquirit. Pariter ex chylo generatur ſanguis, at nõ ex toto chylo: ſed ex altera tantùm parte, quæ eſt apta ad nutritionẽ, quæ cum ſit tenuior, agente in eã calore fit craſſior congruaq; ſanguinis materia efficitur: ſic ex quibuſdam partib. tenuib. ſanguinis redditis quoquomodo craſſioribus generantur ſpiritus vitales: quod de cæteris quoq; ſtatuendũ eſt, adeo vt res omnes ex ea parte quæ verè eſt cõcoquenda, perpetuò euadant craſſiores. Neque verò diuerſa eſt ratio excrementorũ, exempli gratia, lotia craſſa dũ coquũtur, videntur quidẽ fieri tenuiora, ſed reuera propria ſubſtantia liquoris craſſeſcit, ſiquidem tota vrina fit tenuior ſeparatione craſſorum humorum, qui cũ liquore erant cõmiſti: hæc autem quæ ſeparantur, nõ ſunt ſubiecta concoctioni, ſed ſola tenuior pars lotij, à qua cætera inutilia excremẽta ſunt ſeparata, eſt idonea ad concoctionẽ, atque hæc pars concoquenda, conſumpta à calore partibus humidis, neceſſariò ac perpetuò ſiccior & craſſior redditur, ſicuti diximus de tenuiore parte panis, chyli, ſanguinis & reliquorum. Itaque concludendum, verè omnia quæ concoquũtur, ſemper fieri craſſiora. Neque ab hac determinatione diſſentiũt Gal. & Auic. qui ni fallor, minimè loquũtur de cõcoctione, ſed potiùs de præparatione eorũ quæ debent concoqui : quæ quidem ſine vlla dubitatione, ſi ſint craſſiora, debent attenuari ; ſi ſint tenuiora, debent incraſſari, vt deinceps agente calore, qui ſemper cogit & incraſſat, facilius coqui poſſint. Atque de hac quæſtione ſatis.

Et omnes fructus febricitantibus.) Fructus diuiduntur à Gal. 2. *de alim. facul.* 2. in æſtiuos, quos Græci *ὡραίοι*, Latini *fugaces, fugientes & temporarios*, vocant, cũ breui admodũ durent tempore, quales ſunt melones, melopepones, perſica, & ſimiles: & autumnales, qui *ſerotini* dicũtur, poſſũntque ſeruari incorrupti aliquandiu, quales ſunt pyra, poma, punica, & ſimilia. Gal. autem docet hoc loco, necnon in lib. de cibis boni & mali ſucci, nullũ fructũ eſſe boni ſucci, fugàces verò planè prauum ſuccum habere, adeo vt, ſi præterea corrumpantur in ventriculo, à venoſa materia nõ longè abſint: ex quo colligit illorũ vſum conuenire potius ratione medicamenti quàm alimẽti, nẽpe illis qui vehementiori calore & longiori itinere ſunt defatigati, tunc enim poſſunt aliquã vtilitatem afferre, ſqualorem corporis humectando, & ſi actu frigida ſumantur, moderatè refrigerando. Gal. elegantem de ſe ipſo narrat hiſtoriam in libello de ſuccorum bonitate c. 1. etenim cum ille patris conſilio ab eſu fructuum ac præcipuè fugacium certo tẽpore abſtinuiſſet, liber à morbis permanſit: vbi verò ſimul cum ſuis ſodalib. liberaliter iis fructibus vſus fuiſſet, quæ ſub canis tẽpore proueniunt, autumno ſæpius in morbum incidit acutum, adeo vt neceſſe fuerit illi ſanguinem mittere, quod factum eſt vſque ad annum ſuæ ætatis 28. quo tempore cum præuideret, ſibi maiora imminere pericula, ſtatuit nullos fructus aſſumere præter ficus, & vuas exactè maturas; & quidem moderatè, in qua deinceps victus ratione perſiſtens ſemper firma atque inculpata valetudine potitus eſt. Ex iis difficile eſt intelligere rationem, quamobrem omnes fructus noceant febricitantibus: cum enim ſint pauci ſucci, & facilè putreſcant, præcipuè verò in ventriculo à putrido calore malè affecto neceſſariò degenerant in vitiatos humores qui poſſunt multis modis febrem augere & fouere. Et ſi quis obiiciat Gal. qui 1. *ad Glau.* in tertiana exquiſita concedit fructus, qui non ſunt omnino difficilis concoctionis : reſpondeatis primò Gal. concedere illorũ vſum parcè & moderatè, quod illa verba manifeſtè demõſtrant (*permittendum verò vt illos deguſtent.*) qua moderatione ſi fructus aſſumãtur, poſſunt quidem refrigerare & humectare, & forte aliquam vtilitatem afferre, nec quidquam lædere : quamuis enim minimè probum ſuccum generent, quoniam ille paucus eſt, à calore naturali facilè poteſt corrigi & ſuperari. Deinde reſpondeatis, eiuſmodi fructus concedi à Galen. hominibus delicioſis, vt poſtrema capitis verba demonſtrãt. Itaque omnes fructus nocẽt febricitãtibus, neq; alia ratione poſſunt conuenire, niſi admodum parcè, & potius ratione medicamenti quàm alimenti, præcipuè verò in gratiam alicuius ſymptomatis, exempli gratia, diſſolutionis ventriculi, perditæ appetentiæ, immoderatæ ſitis, & ſimilium. Quod ſi quis cupiat ſingulorum fructuum, tam æſtiuorum, quàm autumnalium magis exactè naturam & facultates cognoſcere, is conſulat Galenum qui 2. *de alim. facul.* *& lib. de cibis boni & mali ſucci*, hæc omnia declarat accuratiſſimè.

Et multoties quidem inuenitur res quæ digerit & ſubtiliat, &c.) Sciendum eſt ſyrupum acetoſum eſſe duplicem, vnum, qui paratur ex ſaccharo & aceto; alterum, qui conficitur ex melle & aceto, & vtérque ab Auic. *can. tract.* 6. appellatur *ſyrupus acetoſus* : veruntamen ſolent medici alterum ab altero diſtinguere, qui ſyrupum ex ſaccharo *ſyrupum acetoſum*, ex melle autem *oxymel* nominant : itaque ſententia Auic. intelligitur de vtroque, nam vterque ex partibus ex quibus componitur, aceto inquam, ſaccharo, vel melle, habet vim incidendi, attenuandi, refrigerandi, abſtergendi, adeo vt huiuſmodi duo ſyrupi, & febri, & cauſæ febris, & omnibus febribus, omnibuſque cauſis febris videantur conuenire, quam eãdem ſententiam repetit Auic. 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. *de curatione generali diſpoſitionum cerebri*. Cum Auic. conuenit Meſue, *cap. proprio*, qui aſſerit ſyrupum acetoſum billioſis affectibus conuenire, propterea quia bilem tenuitate & caliditate furioſam frangit, incraſſat, extinguit : humores itẽ craſſos & glutinoſos tenuare, incidere, & ad purgationem præparare. Ac forte idem cum Auic. & Meſue ſentit Galen. qui ſcribit de ſuccorum bonitate & vitio, oxymel omni ætati & omni naturæ, ſanitatis tuendæ gratia, vtiliſſimum eſſe : contrà verò eſt ipſemet Auic. qui curando maniam docet, cauendum eſſe ab eo in quo ſit ſubtiliatio, deſiccatio, & inciſio; ſicuti eſt oxymel *prima tertij tract.* 4. c. 17. & Hipp. in vniuerſum teſtatur 3. *de ratione victus* 39. acetum naturis bilioſis conferre, melancholicis obeſſe: quare huiuſmodi ſyrupi non cõueniunt in materia ſicca: ſic Gal.

De ſyrupo acetoſo.

in

in lib. meth. de tuenda valetudine, *de ratione victus morborum acutorum*, partim probat oxymel, vbicunque ſit materia frigida, craſſa, tenax, quæ mdigeat incifioue & attenuatione: quibus planè conſentit Aëtius *ſermone 5. cap vlt.* poſtremis verbis, quæ sũt huiuſmodi: *Hipp. & Gal. dixerunt oxymel commodũ eſſe corporibus craſſis, & glutinoſis humoribus refertis, minimè puris & non redundantibus excrementis aut ys qui ex tenui aut acri fluxione laborant, aut qui neruoſas partes ſenſu inſigni præditas habent.* Sic demum Alex. *lib. 12. cap. 1. de feb. ephemera* ex obſtructione longa oratione probat, neque temperaturis, neque humoribus ſiccioribus oxymel connenire: vt concludendom videatur, malè Auic. huiuſmodi ſyrupo acetoſo communem vim iuuandi omnes ſebres & omnes humores tribuiſſe. In hac difficultate reſpondeatis vno verbo, oxymel renera conoenite in primis in materia frigida & craſſa, cum ratione meilis abſtergat, ſiccet, câlefaciat, ratione aceti incidat & attenuet; quæ omnia ad talem materiam ſunt valde accommodata: quatenus autem pertinet vel ad materiam, vel ad habirum corporis, vel ad temperiem calidiorem & ſicciorem, ego quidem cenſeu aut nullo modo, aut ſaltẽ parcè & cautè illud coogruens eſſe, cum̃ fortè attenuando & ſiccando poſſit magis obeſſe quàm prodeſſe. Niſi poſtremo loco dicamus, ex varia oxymellis præparatiooe, de qua Gal. tractat diffusè *4. de tuend. valet.* illud poſſe parari adeu temperatum, vt ex cummuni regula medicurum, quæ docet temiſſum agere in intenſum, liceat affirmare, hæc medicamenta acetoſa poſſe omnibus humoribus & omnibus febribus conuenire.

Et cum, &c.) Quoniam Auicen. dixerat aliquando refrigerandom eſſe, nempe quotieſcunque febris magis vrget, quàm illius cauſa, ne aliquis hac in re errot contingat, atque intelligamos, quænam ſint apta, & quæ ſint inepta ad refrigerationem, inquit, in præſentia, non fote exhibenda medicamenta frigida, aur adſtringentia, niſi poſt coctionem & vacuationem excrementorum, quo tempore ad roborauda ipſa membra certum eſt illa conuenire. Quod quidem præceptum velim vos bene memoria tenere & obſeruare, nempe vt in curandis omnibus febribus putridis ab omni te adſtringẽte perpetuò abſtinearis; vt quæ poſſit augere prohibitam tranſpirationem & obſtructiones, cum quibus febres putridæ nunquam poſſunt auferri. Quo quidem pernicioſo errote arguendi ſunt mulri noſttorum temporum medici, qui familiariter vtuntur ſyrupis de limonibus, de agreſta, de portulaca, de acetoſitate citri, vino granatorum, citoniorum, bolo armena, coralliis, & aliis id genus, quæ maiori & minore non carent adſtrictione; à quibus omnibus conſulo vos diligenter cauere, niſi fortaſſe in gratiam alicuius ſymptomatis, potiſſimùm oris ventriculi, illa quandoque velitis exhibere, ſicuti legimus 1. *ad Glauc.* 14. *ad fin.* 12. *meth.* 7. Galenum quoque non ſemel exhibuiſſe mala punica, & alia id genus. Noo ignoro nonhullos eſſe quibus placet, Auic. non generaliter & abſolutè prohibere adſtringentia, ſed adſtringentia validiora, qualia sũt trochiſci de ſpodio & ſimilia, quos ego puto malè ſentire: ſiquidem primùm ſimpliciter inquit, cauendum eſſe ab iis in quibus eſt ſtipticitas: deinde ſi conſideremus methodum curandæ febris putridæ, ac rei naturam, vtique fatendum eſt præceptum eſſe commune longè maximi momenti, & maxima dignum obſeruatione.

Et *ſcias quòd cura febris putride.*) Cum Auic. dixiſſet principio capitis, attendendum eſſe partim ad ſebrem, & partim ad materiam; nunc admonet curationem febris putridæ eſſe diuerſam à curatione febris becticæ; quæ ſententia eſt manifeſta, & eſt Galeni, qui ſcribit 11. *meth.* 2. febriũ ephemetarum quemadmodum & hecticarum, veram & propriam curationem eſſe; earum verò quæ ex putreſcentibus humoribus generantur, curationem & præſeruationem mixtam eſſe, propterea, quia febris ephemera & hectica ſunt ſimplices morbi, ſine cauſa, qui remedia contraria requirunt: io putrida autem non modò morbum, ſed etiam illius cauſam oportet auferre. Pro quo iuniores intelligant, quod Gal. innuit hoc loco, ſed explicat diffusè 1. *aphor.* 22. curationem morborum tripliciter vſurpari; vno modo quatenus curatur morbus iam factus, qui non ampliùs pendet à cauſa; quæ curatio fit ſimpliciter per vſum cõtrariorum: vt ſi morbus fuerit calidus per frigida, & è conuerſo. Altero modo curatio dicitur præſeruatiua, quæ non conuenit, neque morbo facto, neque fienti, ſed tantùm imminenti aut futuro; vt ſi appareant ſigna plenitudinis, illius vacuatio qua præcauetur morbus, ſimpliciter ad vnam præſeruationem pertinet. Tertio modo dicitur curatio, qua comprehendit & curationem, & præſeruationem, quippe conuenit & morbo facto, per ſuum contrarium, & morbo futuro per ablationem ſuæ cauſæ: ex quo medici vtroque nomine, quandoque curationem, quandoque præſeruationem ſolent appellare: exempli gratia, ſi quis mordeatur à cane rabido, primùm eſt morbus factus, nempe vlcus, quod curationem poſtulat: ſecundò eſt morbus futurus, nempe rabies, quæ præſeruationem requirit. Itaque hæc curatio componetur ex curatione & præſeruatione, & iure dixerunt Auic. & Galen. curationem febris putridæ à curatione febris hecticæ diuerſam eſſe.

Morborum curatio triplex.

Et cibatio quidem eſt amica virtuti.) Neſcio quomodo Auicen. hoc loco interponat nonnulla quæ pertinent ad victus ratiooem, de quibus ex propoſito intendit pertractare ſequenti cap. ſententia verò eſt talis: Alimenta partim eſſe amica, partim eſſe inimica virtuti; amica, quoniam illam conſeruant & augent: inimica quoniam ſunt amica illius inimico, nempe materiæ: namque ſicuti ſcribit Galen. 1. *ad Glauc.* 10. quantum inediæ proſunt ad morbi coctionem, tantum vel etiam amplius officiunt viribus: alimenta autem quantum ægri robur augent, tantum coctiones impediunt. Pro quo ſciendum eſt ex Galeno 1. *de ratione victus* 44. vnum atque eundem eſſe ſcopum nutriendi ægros & ſanos, nempe cuſtodiam facultatis vitalis: nam propriè morbus ſua indicat remedia, phlebotomiam, purgationem, &c. virtutis autem cuſtodia ſolam indicat alimoniam: quare niſi alimenta morbum offenderent, nos ſoli virtuti attendentes, ægros vt ſanos nutriremus: ſed quoniam illá magna ſæpe afferunt incommoda, propterea morbi affectionem non tanquam alimenti indicatricem, ſed tanquam prohibitricem, contemplamur. Hinc habetis aphor. Hippocr. *Vbi morbus peracutus eſt, extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt:* & qui ſequuntur, qui docent congruam moderationem alimenti, vt interim natura poſſit incumbere concoctioni materiæ efficientis morbum: ergo alimenta ſunt amica naturæ, quatenus illam roborant & conſeruant; ſunt autem inimica, qooniam augent materiam morbi, quæ ipſi naturæ eſt inimica. Quod ſi quis cupit huius præcepti communem rationem intelligere, is audiat Hippocr. 2. aphor. 10. *Impura corpora quanto magis nutries, eo magis lades.* Cum enim corpora laborãtia febre putrida ſine dubio ſint impura, certum eſt, quo magis illa nutriuntur, eo magis lædi, copiámque & vitium humorum, obſtructiones, putredinem, & febrem augeri: quod ſpeciatim Galenus quoque animaduertit 11. *meth.* 15. *ad finem.* Gentilis hoc loco inquit, hanc ſententiam Auicen. fuiſſe Hippocr. 4. aphor. 67. *Si quis cibum febricitanti dederit, ſano quidem robur, laboranti verò morbus:* qui reprehendit Galenum quaſi

non intellexerit, neque hunc, neque ſequentes aphor. ſed ille reuera non percepit mentem Galeni, namque ille ſcribit *in comment.*& miratur nonnullos interpretes, qui finem libri aphor. variis modis deformarunt, nonnulla per eadem verba ſcribentes, quibus antea Hippocr. vſus fuerat; nonnulla paululum commutantes, aliqua interponentes, qualis eſt propoſitus aphor. qui à locutione Hippocr. longè abeſt: nam cum auctor dicere voluiſſet, alimenta in ſanis quidem robur efficere, ægris autem obeſſe; vel ſanis quidem robur, laborantibus morbum augere, abſurdè prorſus locutus eſt, cum reuera alimenta non ſint, neque robur, neque morbus, ſed & robur & morbum efficiant: quare Galenus non reprehendit illum auctorem de re, ſed de abſurditatẽ orationis, adeo vt malè à Gentili reprehendatur.

At ſcias quòd non eſt tibi poßibile curare febr.) Auicen. hic ponit nonnullos canones, ſiue regulas, quarum prima eſt, nullã febrẽ cuius natura & cauſa ignoretur, poſſe à medico curari: ac ſanè ratio eſt manifeſtiſſima. Cum enim præcipua curandi ratio & remediorum inuentio pendeat ex ipſo morbo, niſi ille intelligatur, quomodo liceat elicere indicationes, & remedia inuenire? ex quo vulgare eſt prouerbium, *qui bene nouit, bene curat; qui male nouit, male curat.* Et quoniam potuiſſet quis quærere ab Auicen. ſi forte id contingat, vt febris ignoretur, quidnam agere oporteat, ille huic quaſi tacitæ obiectioni reſpondet: *ſi ignoraueris ægritudinem; attenua regimen*, & quæ ſequuntur: quam eandem ſententiam ille habet per hæc verba 4.1. c.1. *Cum autem ignoras quæ ſit ægritudo, relinque eam naturæ, & non properes. quoniam natura aut ſuperabit ægritudinem, aut ipſam manifeſtabit.* Hæc quidem eſt huius loci vulgaris interpretatio, quam etſi nolo redarguere, tamen cenſeo hac tota verborum ſerie magis reconditam, & veriorem interpretationem contineri. Puto igitur Auicen hanc ſententiam accepiſſe ab Hipp. 4. *de ratione victus* 4.52. *Inconſtantes febres donec conſtent, ſinere oportet: vbi autem conſtiterint, victu & curatione conuenienti pugnabis.* Hippocr. hoc loco, vt Galen. interpretatur, loquitur de vna febrium incõſtantia, in quibus nihil conſtans certúmque exiſtit: quam quidem conſtantiam & firmitudinem periodi in primis atque vrinæ ſolent afferre, quare vbicunque periodi non ſunt firmatæ, & loria inter ſe ſunt diſſimilia, Hipp. formam talis febris inconſtantem eſſe ait, ac ſi diceret, non exactè vnam formam ſeruare: igitur in huiuſmodi febribus non in principio victu vti præcipit, ſed ſinere donec qualiſnam ſit febris cognoſcamus, & tunc victus formam definire: namque ſi quis audeat antea vel per victus, vel per medicamentorum rationem curationem aggredi, vix fieri poteſt, quin is multa & grauiſſima errata committat. Itaque exiſtimo Auicen. hanc eandem ſententiam habere, & loqui de febribus non quæ nequeãt cognoſci, exempli gratia, an ſit febris, an ſit putrida, an ſit bilioſa eiuſcemodi cognitio ex iis quæ antea tradita ſunt, non poteſt ignorari, ſed quæ ſint inconſtantes, & nullam certam formam retineant,

Regula I. de quibus Hipp. & Galen. loquuntur. Sed ſingulas Auic. regulas perpendamus. Prima fuerat, *non poſſe febrem curari, niſi ea priùs cognita fuerit*: quare medicum oportet ante omnia ſtudere vt febrem cognoſcat, neque ſolùm genera, ſed etiam ſpecies & differentias, vſque ad extremum exactè intelligat: quæ regula, vt diximus, eſt manifeſtiſſima, neque indiget

II. longiore explicatione. Secunda eſt, *ſi ignoraueris febrem, tunc ſubtilia regimen*, hoc eſt, vt ego interpretor, ſi febris fuerit inconſtans, neque vllam certam formam vel periodorum vel vrinarum ſeruet, donec illa ſibi conſtet, ſine victu & ſine medicamentis ſinere oportet: quod ſi antea aggrediaris illud facere, periculum eſt ne alimenta exhibeas in acceſſione, aut propines medicamentum in tempore importuno, aut alios ſimiles committas errores. Tertia eſt III.

regula: *prouide ne æger occurrat paroxyſmo, niſi ventrem habuerit vacuum.* Sententia eſt Hipp. 1. aphor. 11. *in acceſſionibus abſtinere oportet, & quibus per circuitus ſunt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet*: & iterum 1. de ratione victus 46. *tempus dandæ ſorbitionis tum per initia, tum per omnem morbi decurſum, hoc maximè ſeruare oportet: nam ſi pedes frigidi fuerint, non modò à ſorbitione, verùm quoque & maximè à potu abſtinendum eſt, at cum caliditas ad pedes deſcenderit, tunc dare expedit.* Vtrobique docet Hipp. principio paroxyſmorum abſtinendũ eſſe à cibo & potu. quòd illa, expoſitore Galen. hoc tẽpore exhibita, calorem alioqui ſatis obrutum, adhuc magis obruant, ac vehementer ægrũ lædere poſſint.

Tempus autem commodum nutriendi ægroti, inquit Galen. illud eſt, cum moderatiſſimè ſe habuerit tum thorax, tum venter; ſicuti contrà, tempus deterrimum eſt ac peſſimum, cum eæ partes peſſimè ſe habeant. Quod ſi memoria teneris, quæ diximus de particularibus temporibus morborũ, ſatis debet vobis conſtare, tempus commodum atque optimum dandi alimenti non aliud eſſe, quam febris declinationem vel infebricitationem, contrà cætera omnia tempora eſſe incommoda, neque vllo modo ad nutritionem accommodata. Sed hac in re valde vtili parumper conſiſtendum eſt: namque ſicuti cõuenit inter omnes, in febribus intermittentibus, vel quæ habent longiſſimam & exquiſitam declinationem, opportuniſſimè ægros nutriri, quo tempore illi melius ſe habent, ac longius diſtant à ſtatu prioris, & à principio poſterioris paroxyſmi: ita altera ex parte, ſi intermiſſio vel remiſſio febris ſit valde breuis, vt duarum, aut trium horarum, vt neceſſe fuerit ægrum nutrire, vel prope ſtatum præteriti, vel prope principiũ imminentis paroxyſmi, quæritur vtrùm hãc vel illam temporis occaſionẽ liceat eligere, de qua controuerſia variæ fuerunt antiquorum opiniones, de quibus mentionem facit Corn. Celſ. *lib.* 3. *c.* 4. Sed iis prætermiſſis nos ad Galen. accedamus, qui 10. *meth. c.* 3. primum longa verborum ſerie quandam narrat hiſtoriam de iuuene febre correpto, quem ſeruauit & releuauit à ſyncope, ac demonſtrat apertiſſimè ægrotos quandoque parum ante acceſſionem, imò in acceſſionis inuaſione vtiliter & neceſſariò nutriendos fore, nimirum quotieſcunque ægri ſunt temperamento & habitu corporis bilioſo, calido & ſicco, habéntque vires imbecillas, ac febris accenditur ex laboribus, vigiliis, inedia, & ad ſummam ex acribus & mordentibus humoribus, ex quibus illi facilè diſſoluuntur, & ſyncope corripiuntur. Deinde *cap.* 4. teſtatur & gloriatur iam incipiẽte febris horrore, dato alimento ſe nonnullos ab horrore & à febre liberos reddidiſſe: quamobrem cum Hippocr. & Auicen. hoc loco iubent, in acceſſionibus fore à cibo abſtinendum, non id generaliter accipiendũ eſt, ſed hac adhibita limitatione, ſi per ægri temperiem, corporis habitum, & vires licet: ſiquidem propter huiuſmodi rationes cogimur aliquando vel ipſo paroxyſmi principio alimentum exhibere; in cæteris autem corporibus Gal. rurſum hanc totam rem explicat accuratiſſimè, qui 11. *meth.* vltimo docet, nutriendos ægros laborantes febre intermittẽte ac redeunte, duo potiſſimùm animaduertendo, alterum, ſtatum præcedentis paroxyſmi; alterum principium futuri, atque eodẽ tempore vult danda eſſe alimẽta, quæ ab vtroque termino quam longiſſimè diſtant: quod ſi ſpatium inter ſummũ prioris acceſſionis vigorem, & principium ſequentis, ſatis amplũ fuerit, facile eſt idoneũ tempus nutritionis inuenire: ſi verò exiguum & anguſtum id fuerit, alterum fieri neceſſe eſt,

Tempus nutriendi ægroti.

eſt, vel vt ęgrum ex priore febre adhoc calidum nutrias, vel inuaſione ſequentis paroxyſmi iam imminente. Ex quo loco Gal. 1. *ad Glauc. c. de tertiana notha*, in curatione tertianæ nothæ, in qua ſolent eſſe acceſſiones longiſſimæ, ſcriptum reliquit, non eſſe danda alimenta quotidie, ſed ſatis fore, ſi alternis diebus exhibeantur, quod in ijs vix liceat inuenire tempora opportuna, quibus ægri ſingulis diebus nutriri poſſint. Itaque ſi tempus inter vtramque acceſſionem admodum anguſtum fuerit, tunc oportet medicum vti ſumma prudentia, qui primum debet morbi naturam conſiderare, & quo potiſſimùm tẽpore ille finẽ ſit habiturus: namque ſi febris fuerit è genere cõtinuarum & acutarum, certum eſt illam breui, neque vltra diem 14. finiendam eſſe: quod ſi vltra diem ſeptimã progreſſura non videatur, plane æger ſine alimento continendus eſt, dummodo coniiciamus virtutem interea non defuturam: ſin autem ad nonam, aut 11. aut 14. vſque progreſſura videatur, ægrum neceſſe erit nutrire. Præterea in difficultate nutriendi ægrotum, ſi tempus inter duas acceſſiones anguſtum fuerit, Galen. iubet medicum animaduertere locum laborantem, vnà cum affectu, tum acceſſionis & principij, & ſummi etiam vigoris qualitatem & communem conditionem: namque ſi æger vel iecoris, vel ventriculi inflammatione laboret, periculoſiſſima res eſt ante acceſſionem illum nutrire: quod ſi hæc abſint, eos qui infirmas habent vires, nutrire vtiliſſimum eſt: etenim huiuſmodi ægroti vnà cum acceſſionibus, iecore quidem laborante, alui deiectione, ore autem ventriculi malè affecto, ſyncope corripi conſueuerunt. Et ſi quis cupiat cæterarum quoque partium quæ iecori & ventriculo reſpondeant, aliquam rationem intelligere, partim ex ſitu, partim ex dignitate facile is poterit de vnaquaque iudicium facere. Quatenus autem pertinet ad conſtitutionem & qualitatem principij, nec non ſummi vigoris vtriuſque acceſſionis, ita ſtatuendum eſt: quandoquidem in rigore notandum eſt, an æger citra magnitudinem caloris ſit ſiccus & ſqualidus, an magis hoc ſiccitate & ſqualore ſit inſigniter calidus: namque priorem moderatè calidum, ſed exſiccatum, quamprimum victu humectante madefacere oportet: in ſecundo ſine ſiccitate vehementer calido, dum plurimum caloris ſe remittat, antequam nutrias, expectare oportet. In principij verò qualitate id conſiderandum eſt, an corporis extrema refrigerentur, magnaque ad internas partes fiat ſanguinis reuocatio, an magis principium planè ſit leue, neque admodum hominem vrgeat, quippe iſtud ſecundum, tanquam facile & manſuetum contemnendum eſt, atque ſi ita ferat occaſio, prope illud, & in illo principio licet ægrotum nutrire: at de priore eſt rurſus diſtinguendum: namque ſi abſque alicuius viſceris inflammatione, aut humorum redundantia, in principio acceſſionis fiat motus ad interiora, nihil offendes, ſi paulum antè ægrum nutriueris: ſin verò adſit inflãmatio vel humorum copia, nutritionem tanquam rem maximè noxiam, ante acceſſionem vitare oportet. Poſtremò autem in febribus, quæ vnicam tantùm à principio vſque ad finem habent acceſſionem, facilis tolerantia & conſuetudo ſpectari debent, quoniam huiuſmodi febricitanti eo tempore alimenta ſunt exhibenda, quò facilius morbum tolerat, eaque potiſſimum hora diei, qua priùs in ſanitate nutriri conſueuere. Quæ doctrina eſt Galeni 11. method. 5.

Quarta regula. *Et non moueas in die paroxyſmi, quantum poſſibile eſt.*) Hæc eſt quarta regula, in die paroxyſmi nihil mouendum eſſe, quantum fieri poteſt: & ratio eſt in promptu, propterea quia natura à morbo eſt ſatis afflicta, neque decet addere afflictionem afflicto: itaque per Auicennam in die paroxyſmi, neque licet venam ſecare, neque dare medicamentum, neque aliud inſigne remedium adminiſtrare. Verùm aduerſus huiuſmodi regulam dubitant nonnulli, qui proferunt quaſdam rationes, quæ videntur demonſtrare, medicum poſſe aliquando in acceſſione aliquam vacuationem moliri, & primò natura vtiliter vacuat in die paroxyſmi. Ergo & medicus. Conſequentia eſt manifeſta, quoniam medicus eſt miniſter & imitator naturæ. Antecedens eſt Galen. 3. *de criſibus*, 4. criſim concurrere cum die acceſſionis, atque ita rarum eſſe, vt in leuiore die febris iudicetur, vt Archigenes bis tantum per vniuerſam ſuam viam id viderit: ipſe verò Galen. ſemel tantùm id obſeruauerit: vbi conſentit. Hipp. 1. epid. 3. 13. *Quæ diebus paribus accidunt, paribus iudicantur; quorum verò ſunt in imparibus acceſſiones, in imparibus iudicantur.* Quem locum explanans Galenus præclarè cauſam explicat propter quã contingat criſim in acceſſionibus fieri: propterea quod hoc tempore partim humores moueantur, ac veluti bulliẽtes erumpant ſanguinis profluuio, vel ſudoribus vel vomitu, vel deiectionibus, & alijs modis, partim natura grauata & onere oppreſſa ad huiuſmodi expulſiones irritetur, partim demum fuſis & agitatis humoribus illorum expulſio & criſis facilius ſoleat ſuccedere: quod ſi in die acceſſionis licet naturæ criſim & varias vacuationes efficere, cur non item naturæ imitatione liceat medico idem facere? Secundo Galen. in lib. *quos & quando &c.* tradens rationem vacuandi corporis, inquit reſpiciendum eſſe ad acceſſiones, quæ non poſſunt docere quomodo ſit euacuandum, qui ſtatuit principio acceſſionum per ſuperiora, in declinatione per inferiora vacuandum eſſe: & confirmatur, quoniam Auicenna in cura febris quartanæ maximè probat vomitum in die paroxyſmi, qui, vt ille inquit, aut alleuiat paroxyſmum, aut eradicat ipſum. Imò verò ſunt nonnulli moderni qui vario experimento affirmant, in febre quartana medicamentum dare in die acceſſionis, & admodum feliciter, inter quos eſt ille Amatus Luſitanus, qui in prima centuria curationum medicinalium curatione 8. iſtud multis modis conatur confirmare Tertiò iſti afferunt auctoritatem Mauri cuiuſdam medici veteris, cuius mentionem facit Gentilis, qui in primo aph. 2. præcipit, hominem vacuandum eſſe, qua hora humores mouentur: quare cum illi potiſſimùm moueantur tempore acceſſionis, hinc colligunt hoc ipſo tempore medicum quoque poſſe varias vacuationes moliri.

Ad hanc difficultatem reſpondendum eſt non licere in febribus medico in die paroxyſmi aut venam ſecare, aut medicamentum exhibere, aut aliter inſignem vacuationem facere: & quatenus pertinet ad ſectionem venæ, Galen. *de ſang. miſſ.* 21. expreſsè docet, febris declinationem perpetuò expectandam eſſe, ſicuti in lippitudine & alijs affectibus, qui febre carent, non febris declinationem, quæ nulla eſt, ſed magnitudinem doloris, aut inflammationis, aut totius affectus fore inſpiciendam, ac poſtremò ſi nihil eiuſmodi vrgeat aut prohibeat, tempus ſecandæ venæ conuenientiſſimum matutinum eligendum eſſe. Quatenus verò pertinet ad medicamentum, etſi id non explicatur à Galeno, tamen ex comparatione ad ſectionem venæ facilè poteſt intelligi, idem quoque de medicamento ſtatuendum eſſe: neque enim minorem moleſtiam, & vim affert naturæ medicamentum, quàm affertat venæ ſectio. Sed præterea certum eſt, medicamentum ex vna parte trahere à circumferentia ad centrum, ex altera naturam in paroxyſmo expellere à centro ad circumferentiam, vnde forent duo motus contrarij, quos natura non niſi cum magno periculo poſſet perferre. His mi-

hi liceat addere duas alias tationes, longè maximi momenti quæ planè demonſtrant, io die patoxyſmi quieſcendum eſſe: vna colligitut ex Gal. in lib. *quos & quando, ad finem*, qnoniam medicus non intelligit propoſitum & ptopenſionem naꝛutæ, & quamobrem ſi illa, vetbi gratia, vellet euacuate per ſudorem, medicus autem aodeat vel ſecate venam, vel dare medicamentum, qnis non videt iis modis non ſine magno ægri diſctimine conatus uaturæ pettutbari, & omnia peruetti? Altera ratio colligitut ex Auic. 2.4. *tract. 1. cap. 9.* quia ſi natura ſibi pararet vacuationem pet aluum, & medicus hoc tempore exhibeat putgans medicamentum, cettum periculum imminet, ne ex vtraque euacuatioue, & naturæ & artis tam immoderata ſequatur purgatio, vt vites ægri ſatis eſſe non poſſint. Itaque in die acceſſionis neque vena, neque dato medicamento, neque aliis modis licet medico aliquam inſignem vacuationem moliri.

Solutio prima. Reſtat reſpondete ad obiectas tationes, & ad primam. *Natura vacnat in die acceſſionis: ergo & medicus.* Negatut conſequentia, & ratio eſt, quoniam natura hoc tempore non vacuat, niſi vehementet itritata, & quaſi coacta, neque medicum decet imitari naturam, niſi quotieſcunqoe illa ſua ſponte & bene operatur Et ſi quis rurſum obiiciat, imò illam quandoque vacuationes facere vtilitet: reſpondeatis ptimum iſtud nunquam fieri ſine grauibus ſymptomatibus & multo labore ægroti, in qua re non decet medicum naturam imitati. Deinde reſpondeatis, naturam ſibi vias & inſttumenta parare, quæ ignorantur & non poſſunt adminiſttati à medico: iam verò diximus rationes ptoptet quas non licet naturam in acceſſione vel adhuc magis irritare, vel à ſuis operationibus impedire.

Secunda ſolutio. Ad ſecundam reſpondeatis: ſi natura aggrediatur vomitum in die acceſſionis, illum poſſe iuuati à medico, ſed leuiorib tantùm præſidiis, putà hydrelæo, ſyrupo acetoſo, & ſimilibus: ſin autem vomitus ſua ſponte non moueatur, illum nullo modo in tali die, ſed alio tempore ptouocandũ eſſe. Sic legimus Gal. 1. *ad Gla.* in curatione tertianæ nothæ, quartanæ, & quotidianę, vomitum quidem probate, ſed poſt ſumpta alimenta: etgo non in die acceſſionis Ad Auicen. dicimus, ipſum quoq; ptobare vomitũ in quartana ante patoxyſmum, vel in patoxyſmo, cum leuibus tantùm, minimè validis præſidiis: qnod ex eo fit manifeſtum, quoniam eodem cap. paolo poſt iubet vomitum prouocandum eſſe poſt alimenta cum fortitudine, planè demonſtrans rationem priorem non fuiſſe cum fortitudine, ſed cum leuitate. Ad auctoritatem Mauti illius veteris medici, hæc, Domini, eſt ſubtilis quædam cogitatio: ſed intelligebat non motum homorũ in patoxyſmo, ſed motum humorum qui fit quotidie: namque diuidebat ſingnlos dies in quatnor partes, in quarum prima, autora ſanguinẽ; in ſecunda, meridie bilem, in tertia, veſpere melancholiam; in quarta, noctu pituitam volebat moueri: ac propterea ille ſentiebat medicamenta illa hora eſſe exhibenda, qua ſinguli humores ſolent moueri. Huiuſmodi ſententia videtur quoque fuiſſe Hippoctatis 6. epid. 1. 15. *Ad initia exacerbationes conſiderandæ ſunt, & in omni morbo veluti veſpere exacerbari, &c.* Quo loco Galen. hæc habet: *Namque Hipp. diem toti anno proportione exiſtimat reſpondere, vt matutino tempore ver ſimile ſit, meridiei æſtas, veſperi autumnus, nocti hyems.* Vetùm verò liceat ex conſilio Mauri dare purgantia medicamenta, non perpetuò hotis matutinis, ſicuti omnes facete conſueuimus, ſed illo tempote quo purgandus humor ſuapte natura mouetur, quandoque meridie, veſpere, nocte, id vos cogitabitis: purgandi ratio foret admodum noua, ſed fortaſſe expurgationes fœliciùs ſuccederent, cum certè huiuſmodi ſeotentia non careat aliqua ratione.

Et oportet vt in omnibus obſerues diſpoſitionem virtutis.) Auicenna loquitur hoc loco & determinat de mittendo ſanguine in febribus putridis: quo loco omnes interpretes ſolent duas quæſtiones admodum difficiles, ſed maximè vtiles & neceſſarias explicare: alteram, qualeſnam generaliter ſint ſcopi, ſiue conditiones animadoertendæ à medico, in ſanguinis miſſione: alteram, vtrùm ſectio venæ conueniat io omni febre putrida, necne: de quibus ſuperuacaneum eſt nos agere, qui proximo ſuperiore tempore vtramque examinauimus & publicauimus, adeo vt vnuſquiſque facilè poſſit de vtraque diſputatione noſtram ſententiam intelligere.

Deinde fac ſequi phlebotomiam ſolutionem ventris ſubtilem.) Facta ſectione venæ, Auic. docet, aluum fore leniendam, quod præceptum communiter practicantes non ſatis intelligunt nec obſeruant, qui ſemper ferè primùm viuntur medicamento, deinde accedunt ad ſectionem venæ; in qua ſententia ipſe quoque Auic. videtur fuiſſe, qui hæc habet 4. 1. 20. *Et oportet, vt tibi caueas ab ea in repletione ſtomachi & inteſtinorum.* Imò & Gal. hoc idem videtur ſentire 9. *meth. 5. de ſanguinis miſſione.* 20. Si cruditas præcedat, vel ciborum in ventriculo, vel excrementotum in inteſtinis, tanto tempore differendam ſectionem venæ quantum ad alimenti coctionem, & excrementorum deſcenſum videbitur fore ſatis. In qua re ego quidem puto nihil certi poſſe determinari, ſed hoc negotium pẽdere ex indicio medici. Ego profectò antequam venio ad ſectionem venæ, ſi ventriculus & inteſtina mihi videantur referta eſſe excrementis, ex conſilio Gal. ſoleo ad breue tempus remedium differre, & interea leniente medicamento corpus exonerare, dummodo morbus tantas permittat inducias, vt non immineat periculum admittendi præcipitem huius remedij occaſionem, quod ſi aliter eueniat morbuſque ſit adeò grauis, vt nullas videatur inducias permittere, tum ſine vlla dilatione impoſito clyſtere venæ ſectionem aggredior: deinde ſi ita ferat occaſio, ad leniens medicamentum propero. Auic. igitur poſt ſectionem venæ vult aluum leniendam eſſe cum iis, quæ ſont ſicut aqoa hordei, & alſicatoſt parum, qui hoc loco tria ponit medicamenta, primum eſt ex aqua hordei, id eſt, ex priſana, quæ vt placet Gal. 1. *de rat. vict.* 18. aluum mouet, & alſiracoſt, id eſt, manna, quam Gal. quoque nouit & appellat mel aërcum. 3. *de aliment. facult. cap. de melle*, cuius medicamenti ſit exemplom:

℞. *Succi ptiſana* ℥ *v.*
Manna elect. ℥. *iij. Miſce.*

Alterum eſt ptiſana cum ſyrupo acetoſo.

℞. *Succi ptiſanæ.* ℥. *v.*
Syrupi acetoſi ℥ *iij.*

Sed hoc leuiſſimum admodum foret medicamentom, præterquam quod huiuſmodi miſtio non videtur conuenire, ex ipſomet Auic. paulo pòſt cap. 9. qui hæc habet: *Et aggregare ſyrupum acetoſum, & aquam hordei ſimul, eſt illaudabile, quoniam corrumpit aqua hordei, ſecundum plurimum.* Dicendom verò mixtionem ptiſanæ improbari ab Auicenna, quotieſcunque illa exhibentur tanquam alimenta, & iure, ſicuti improbantur apod Galen. 1. *de aliment. facult.* 1. cætera omnia quæcunqoe poſſunt ſtimulare naturam ad expulſionem, antequam alimenta coquantur, illa autem optimè permiſceri, ſi exhibeantur tanquam medicamentum, ſicuti in præſenti loco, quemadmodum ptiſana lenit, abſtergit, ſyrupus acetoſus incidit & ſtimulat ad expulſionem. Tertium eſt medicamentum manna ſimul cum ſyrupo violaceo, qui ſyrupus conficitur ex violis purpureis, ac multiplici earum infuſione, vulgo

Digitized by Google

vulgò ſyruptum violarum ſolutiuum appellant: & ſit exemplum:

> ℞. *Manna elect. ℥. j. ß.*
> *Syrupi violati ſolutiui ℥.iij.*
> *Decoctionis borraginis q. ſ.*
> *Miſce & fiat potio.*

Hæc ſunt medicamenta Auicennæ. Cæterum quoniam ſunt alia multa medicamenta lenientia, cum ſimplicia, tum compoſita, quæ in febribus frequenter ſolent à medicis vſurpari, hic locus poſtularet, vt de ſingulis tractatemus; ſed quoniam mihi ſtatutum eſt priuatim vobis explicate commodum vſum omnium medicamentorum, quæcunque ſeu leniendo, ſeu præpatando, ſeu putgando, hoc tempore ad purgandum ſunt accommodata, ſuperuacaneum eſt in præſentia de illis agere.

Et magis dilectum eſt apud me.) Quoniam Auicenna locutus fuetat de alui lenitione, nunc addit, melius eſſe id præſtare cum clyſteribus, quàm medicamentis: quod præceptum conſiderent minotantes. Nam ſi Auicenna in principio morborum magis diligit clyſteria, quàm lenientia medicamenta, quid putandum eſt de purgantibus medicamentis illum ſentire?

De Clyſteribus. Porrò ex hoc loco mihi libet occaſionem accipere de clyſterihus vobiſcum agendi, cum maximus & frequentiſſimus illorum ſit vſus, non ſolùm in febribus, ſed etiam in aliis morbis, de quibus videatis Aëtium *lib.3.cap.159.* Paulum *lib.1.44.* Actuarium *lib. de comp. med ad finem.* Auicennam 4. *primi c.17.* Gal. variis in locis. Clyſteria ad varios vſus accommodantur, & propterea variis rationibus componũtur: ac primùm eſt vulgaris vſus, ad illa ducenda excrementa, quæ in inteſtinis continẽtur: in quem vſũ laudat Aëtius aquam ſolam calidam: Galenus verò 8.*metho.5.* aquæ addit mel & oleum, vt ex aqua habeatur ablutio, ex melle abſterſio, ex oleo mollities; & ita 11.*metho.6.* inſtituit clyſtere ex mulſa & oleo: loco autem olei medici quandoque vtuntur butyro, quod præcipuè faciendum eſt, quotieſcunque in recto inteſtino ſunt aliquæ affectiones, vt dolores hæmorrhoïdum, quæ ex butyro magnopere mitigantur; vel vbi eſt ſuſpicio de vermibus, ſicuti in pueris: ſiquidem vermes ab oleo refugiunt, & ad butyrum ſunt propenſi. Ad hunc vſum ſolent medici in morbis, ac præcipuè febribus prope in omnibus, vti quodam genere clyſteris, quod *commune* appellant, &

Clyſtere commune. conficitur ex decocto foliorum betarum, violarum, maluarum, mercurialis, parietariæ, ex ſaccharo vel melle, oleo, ouo, & ſale. Ac ſanè, ſi conſiderentur, quæ vt plurimum contingunt in febribus, excremẽta duriora, pituita adhærens inteſtinis, calor præter naturam, quæ indigent mollientibus, refrigerantibus, huiuſmodi clyſtere, quod hæc omnia poſſunt præſtare, non omni ex parte repudiandum eſt; etſi ad medicum pertinet, ſingula accuratè perpendere, variaque clyſteria parare, neque omnes vno calceo calceare. Inter cætera vſus obtinuit, vt in clyſteribus ouum nunquam prætermittatur, quod auctore Auic. 2.*canonis, cap. de ouo*; illis imponitur propter vlcera, & apoſtemata inteſtinorum, cum illud poſſit eas partes lenire, & quodammodo, refrigerare. Itaque ſit exemplum clyſteris communis.

> ℞. *Decoctionis foliorum betarum,*
> *Mercurialis,*
> *Violarum lib. j.*
> *Mellis roſati,*
> *Olei communis ana. ℥. iij.*
> *Vitellum oui,*
> *Salis parum. Miſce pro clyſtere.*

Reuellentia. Secundò conueniunt clyſteria ad reuellenda excremena ab aliis partibus laborantibus, ad quas illa nequeunt peruenire, exempli gratia, in dolore capitis, coxendico, fluxione oculorum, & ſimilibus, ad quem modum ſcribit Galen. 2. *de medicamentis, ſec. lo. cap. de dolore capitis ex plaga aut caſu*, ſcribit inquam initium curationis à ſectione venæ faciendum eſſe, niſi ætas prohibeat, aut facultas vitalis debilis appareat: quod ſi vel propter ætatem, vel propter vires non liceat venam ſecare, tunc aluum per clyſteria ducendam eſſe, partim, vt ſuperflua in ipſo excrementa extrahantur, partim vt humores qui ad affectas partes ferri conſueuerunt, reuellantur. Ac rurſus paulò poſt ex Archigene, de iis qui ex ſtomacho capite dolent, ita inquit: *Archigenes dixit, clyſtere validum; multum enim in huiuſmodi clyſtere poſitum eſt, quatenus pertinet ad reuulſionem.* Ac demum 4. *de med. ſec. loc.* in fluxionibus oculorum probat validam ventris ſolutionem, *ſiue*, ille inquit, *per purgatorium conueniens medicamentum, ſiue per robuſta clyſteria*: ad quem modum communiter practicantes in apoplexia, lethargo, & aliis huiuſmodi morbis, familiariter clyſteribus vtuntur, quæ etſi ad partes laborantes non poſſiunt penetrare, tamen reuellendo præclaram operam præſtant. Clyſteria hæc reuellentia componuntur primò ex decocto medicamentorum ſoluentium, & quidem validorum, qualia ſunt helleborus, colocynthis, centauria minor, & ſimiles: ſecundò ex medicamentis compoſitis, qualia ſunt hiera compoſita, electuarium diaphœnicon, benedicta, & ſimilia. Verùm quoniam ſi hæc ſola medicamenta imponantur, nimium irritarent & morderent inteſtina, idcirco illis permiſcentur nonnulla leniora, quæ eorum acrimoniam & violentiam temittere poſſunt. Sit exemplum.

> ℞. *Centauriæ minoris M. j.*
> *Pulpæ colocynthidos ʒ. j. ß.*
> *Florum chamameli,*
> *Anethi,*
> *Meliloti ana. M. ß.*
> *Fiat decoctio.*
> ℞. *Dictæ decoctionis lib. j.*
> *Mellis roſati colati,*
> *Olei chamamelini cõpleti ana. ℥ ß.iij.*
> *Miſce pro clyſtere.*

Quod ſi velitis clyſter adhuc actius conficere, licèt addere ʒ vj. vſque ad ℥. j. electuarij diaphœnicoo, hieræ compoſitæ, vel ſimilis medicamenti; ſicuti contra, ſi illa velitis minus actia, poſſunt prætermitti medicamenta ſoluentia, & pro illis ſubſtitui leniora, & ſit exemplum.

> ℞. *Pulegij,*
> *Calamenthi,*
> *Sampſuchi,*
> *Chamomillæ ana. M. ß.*
> *Furfurum M. j. F. decoct.*
> ℞. *Prædictæ decoctionis lib. j.*
> *Mellis roſati. ℥. iij.*
> *Salis parum. Miſce.*

Tertiò, clyſteria ſolent adminiſtrari pro alteratione inteſtinorum & totius corporis; vt ſi velimus refrigerare, decoquuntur folia maluarum, violarum, lactucarum, capita papaueris, ac permiſcetur oleum violaceum, roſaceum, & ſimilia; in quem vſum habetis clyſter apud Aëtium ex ptiſana, oleo violato, & ouis, quod eſt præſtantiſſimum; illis addunt nonnulli ſuccum lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, anguriæ, & ſimilium: quibus quidem clyſteribus potiſſimùm in febribus valde calidis, ego vti ſoleo frequentiſſimè. At verò ſi velimus calefacere, parantur decocta ex medicamentis calidioribus, calamentho, ruta, ſaluia, abrotano, baccis lauri, & ſimilibus: quibus permiſcetur oleum chamæmelinum, liliorum alborũ, rutaceum. Gal. vtebatur clyſtere ex oleo ſimplici, rutaceo: nõnulli hoc tempore *Alterantia.*

vinum

Digitized by Google

vinum quoque generoſum ſolent infundere, quod tamen ego puto non ſine iudicio imponendam eſſe.

Mitigantia dolores. Quartò & frequens eſt vſus clyſteriorum ad mitigandos dolores, vel curandas alias affectiones inteſtinorum, renum, veſicæ, vteri & proximarum partium; ſicuti contingit in dyſenteria, in dolore colico, renum, & ſimilibus in quibus caſibus pro variis affectibus variiſque indicationibus planè varia clyſteria debent parari, de quibus nimis longum foret ſigillatim pertractare; quare ſatis fuerit vnius tantum clyſteris exemplum vobis proponere, quod ad diſſoluendos flatus ſit accommodatum, cum medici huiuſmodi clyſtere propter multas occaſiones cogantur vti ſæpenumero.

℞ *Seminum aniſorum,*
Fœniculi,
Cymini ana. ℥. j.
Florum chamæmeli,
Anethi ana M. ß.
Fiat decoctio,
℞ *Prædictæ decoctionis lib. j.*
Olei chamæmelini completi,
Anethini,
Mellis roſati ana. ℥. ij.
Salis parum. Miſce pro clyſtere.

Nutrientia clyſteria. Poſtremò autem nonnulli proferunt vſum clyſteris ad nutrienda ea corpora, quæ propter aliquod impedimentum ore nequeunt aſſumere alimenta, exempli gratia, in angina, in mulieribus in præfocatione vteri, vnde tunc tẽporis plerique omnes medici vtuntur clyſteribus præparatis ex aliqua re nutriẽte, vt ex lacte, ptiſana, iure optimo, ouis, vino, & ſimilibus: quem vſum nonnulli hoc tempore non recipiunt, qui contendunt nihil poſſe noſtra corpora nutrire, quod prius in ventriculum & iecur aſſumptum coctum non fuerit: quæ videtur fuiſſe Gal. ſententia 4. *de vſu partium ab initio*, ac repetita 1. *de natur. facult.* 10. quare colligunt, ex clyſteribus nullo pacto hominem poſſe nutriri, cum illa ad ventriculum nequeant penetrare. Quæ pariter fuit ſententia Gal. ſcribentis 13. meth. 13. *quæ infuſa ſunt, ea omnino ad ieiunum vſque aſcendere non poſſe, imo etiamſi admodum nitaris, fortaſſe tenue inteſtinum non poſſe pertingere*: quò etiam videtur reſpexiſſe, cum dicit 4. *aph.* 12. *eorum quæ continentur in inteſtinis, nihil poſſe per vomitum vacuari.* Neque id ad rem præſentem quidquam facit, quod Gal. ſcripſerit 3. *de ſympt. cauſis* 2. clyſteria nonnullis adeo aſcendiſſe, vt vomitu reiecta fuerint: ſiquidem ille declarat, id fieri admodum rarò, ac præter naturæ inſtitutum, minimè noſtro conatu, quod non poteſt ad nutritionem pertinere. Ego verò breuiter puto, minimè alienum à ratione, hominem quoquo modo & tempore ex iis quæ inferiùs infunduntur poſſe nutriri: quod mihi duæ potiſſimum perſuadent rationes: altera, quòd ventriculus in magna alimenti inopia & neceſſitate portionem ſuccorum trahere poſſit, cum ab aliis proximis partibus, tum maximè ab inteſtinis, quæ doctrina eſt Gal. 3. *de naturalib. facul.* 11. Altera, tametſi nihil clyſteris in ventriculum aſcendat, nihilominus ex illo poſſe nutrimẽtum aliquod in corpus transferri, quòd ventriculus & inteſtina eandem propè coquendi facultatem habeant, vt clarè demonſtrat Gal. 4. *de vſu partium* 17. cum inquit: *Quemadmodum venis, cum natura ea diſtributionis inſtrumenta feciſſet, facultatem ſanguinis generatricem tribuit, ne dum per eas fertur, tempus ipſi alimento fruſtra periret: ad eundem modum & inteſtinis diſtributionis gratia inſtitutis, facultas quædam concoctrix alimentorum ineſt.* Quod ſi de ſententia Hippocratis, Gal. & omnes fatentur hoc, totum corpus per communes venas, arterias, & neruos mirabiliter ſimul colligari, omniáque communem perſpiratum & confluxum habere, nulli dubium eſſe debet, quin ſuccus tenuiſſimus, & coctione facillimus, per clyſtere infuſos poſſit ab inteſtinis aliquam alterationem recipere, nec non trahi à venis meſaraicis, & quoquo modo & aliquandiu hominem nutrire. Itaque neque hic poſtremus vſus, mea ſententia, eſt prorſus repudiandus.

Suppoſitoria, & glandes. Verùm de ſuppoſitoriis quoque & glandibus agendum eſt, quorum pariter vſus & compoſitio eſt multiplex: namque primò ſi æger fuerit imbecillus, vt non poſſit clyſteria perferre, quæ alioqui nonnunquam ſolent maximè turbare, medici glandibus vtuntur, quæ minorem moleſtiam & perturbationem afferunt: de quo vſu mentionem facit Hipp. 1. *de ratione victus* 45. *ſi virtus fuerit imbecilla, glande vtendum.* Secundò glandes imponuntur ad ducenda excrementa ſi illa contineantur in recto inteſtino, ita vt oporteat tantummodo naturam irritare. Tertiò præcipuus eſt vſus, ſi forte contingat, contingit autem frequentiſſimè, vt impoſita clyſteria diutiùs morentur in corpore: hoc enim tempore glandes impoſitæ & clyſteria educunt, & tota in aluum exonerant: ad quos vſus habetis glandes ſimplices, ex melle & ſale, ſi quis iunior cupiat exemplum:

℞. *Salis gemmæ* ʒ. ß.
Mellis q. ſ.
Miſce pro ſuppoſitorio.

Sunt glandes ex ſapone, in quo tamen non leuis acredo reperitur, infantibus mulieres imponunt granum ſalis. Apud Galenum 10. *de ſimp. med. ad finem*, habetis hiſtoriam illius, qui rogatus, vt puero glandem imponeret, præcepit vt ex ſtercore murinæ imponerentur, quo audito omnes in riſum ſoluti ſunt, quoniam cum tot eſſent, quæ ſedi appoſita inteſtinum ad excretionem poſſunt irritare, ille omnibus præteritis ad ſtercus murium confugiſſet. Cæterùm præter huiuſmodi vſus ſciendum eſt, ferè eoſdem eſſe vſus glandium & clyſteriorum, ad diſcutiendos flatus, ad reuulſionem partium laborantium, & cætera, de quibus diximus. Sit exemplum glandis diſcutientis flatus:

Flatus diſcutiens.
℞. *Rutæ ſiccæ,*
Cymini ana. ʒ. ß.
Mellis q. ſ. M.

Sit exemplum glandis reuellentis.

Reuellens.
℞. *Scammonij,*
Pulpæ colocynthidos,
Hellebori nigri ana. ℈. ß.
Mel. q. ſ. M.

Aliud exemplum.

℞. *Specierum hieræ ſimplicis* ʒ. j.
Pulpæ colocynthidos ℈. j.
Salis gemmæ ℈. ß.
Mellis q. ſ. M.

Conſueuerunt medici, vt refert Aëtius, loco mellis varia medicamenta colligere, & vti aut reſina, aut ficubus, aut paſſulis, aut re ſimili, & ita conficere, quas Chirurgi *tentas*, vulg. *teſtas* appellant, quibus potiſſimùm vtebantur in iis, qui extremo inteſtino habebant dolentes hæmorrhoidas, ſciſſuras, condylomata, & ſimilia, quæ à duritie glandium ſolent dilaniari: vtor ego familiariter tempore frigidiore glandibus ex butyro, quæ ſæpius repetitæ ſine vlla moleſtia aluum lubricam reddunt, & ſpeciatim dolentes hæmorrhoidas iuuant magnopere.

Deinde fac ſequi ea quæ vrinam prouocant.) Auicenna poſt minorationem materiæ per ſectionem venæ, poſt lenitionem alui, deinde aggreditur ea quæ prouocant lotium, ſudorem, & aperiunt poroſitates corporis. Et notandum eſt verbum, *deinde*, quoniam non licet iis particularibus indicationibus ſatisfacere, niſi primum vniuerſalibus ſatisfiat. Cum autẽ huiuſmodi remedia ſint multiplicia, ſed maiori

ex

ex parte calida & ſicca facultate prædita, iubet ab iis abſtinendum eſſe, & leuioribus agendum qualia ſunt ſyrupus acetoſus decoctus cum radice apij, & ſimilibus: exteriùs inunctione ex oleo chamæmelino; & fricatione cum vino albo, & cum aqua dulci tepida. Auic. accepit hunc locum ex Gal. ad verbum, qui hæc habet 11. meth. 9. *Quæ putruerunt, per vrinam, aluum & ſudorem à corporibus expellenda ſunt: quod ſi ad os ventriculi aliquando ſua ſponte impetunt, vacuantur etiam per vomitus, aliter autem non eſt, quod præter naturam irrites: deligenda autem medica ſunt quæ ſine calefactione ſiccationeque inſigni prædictas vacuationes præſtant, cuiuſmodi ſunt cremor ptiſanæ, mulſa, oxymel, decoctum radicis apij*, &c. Sanè totum corpus priuſquam id vacuatis, rarefacere non expedit; vbi autem vacuatum fuerit, licebit medicamento aliquo id facere, quod calorem tepidum habeat, cuiuſmodi eſt quod ex chamæmelino conficitur: in hoc opere ſi vinum quoque aquoſum bibatur, id omnes vacuationes promouerit, idem faciet & temperamentum dulcis aquæ balneum. Hactenus Galen. quam ſeriem verborum conſultò volui proferre, vt intelligatis, vel literam Auic. corruptam eſſe, vel illum Gal. mentem non fuiſſe aſſecutum; ſiquidem Gal. ad iuuandas propoſitas vacuationes expreſsè vinum bibendum exhibet. Auic. autem ex oleo, vino, & aqua, vel ſeparatim vel coniunctim videtur totum corpus fricare & inungere, adeo vt optimum ſit, quod aliàs vos monui, dicta Auic. ad fontes Gal. perpetuò referri, ex quibus omnia magis perſpicuè & verè explicantur.

Quæſtio I. Sed hîc ſunt nonnullæ dubitationes & notanda: ac primùm quæritur, vtrùm quæ prouocant lotium & ſudorem, conueniant in principio febris & ante humorum concoctionem. Nam Gal. 4. *de tuenda valetudine* 5. interpretatur oraculum Hippocratis concocta medicari, &c. atque illud accommodat non ſolùm ad purgantia medicamenta, ſed etiam ad ea quæ prouocant lotium, ſudorem, & generaliter ad omnia quæcunque ſuccos crudos in totum corpus agere poſſunt. Breuiter autem reſpondendum, talia medicamenta nonnulla eſſe vehementiora, quæ Galeno auctore ſunt inſigniter calida, & ſicca: nonnulla leuiora, quæ ſunt vel temperatæ caliditatis, vel parum frigida: qualia ſunt radix apij, ſemina melonis, & ſimilia; ex quibus priora & valentiora nullo modo, poſteriora & leuiora poſſunt conuenire.

II. Quæſtio. Secundò item quæritur de balneo: an conueniat in febribus putridis, ante generalem vacuationem & concoctionem humorum. De qua dubitatione cum non omnes idem ſentiant, equidem nihil dubito, ſicuti diximus, ea non conuenire, quæ prouocant lotium & ſudorem, quin pariter neque balnea conueniant, quæ certum eſt poſſe mouere humores crudos, qui ad coctionem quiete indigent, illoſque ad totum corpus importunè trahere, vnde manifeſtum eſt multa pericula ægrotis imminere; quæ doctrina eſt Galen. 10. *metho*. 6. 2. *aphor*. 42. qui hæc ſcribit: *Non tamen vbi aliqua inflammatio, aut ſine inflammatione humoris, putredo igneum calorem excitarit, balnea vtilia ſunt, antequam noxij humores vacuentur aut concoquantur*. Quam eandem ſententiam habetis 3. *de ratione victus ad finem*. Hoc vero idem quoque ſtatuendum eſt, quod paulo ſuprà notauimus ex Galeno de frictionibus, inunctionibus, & cæteris præſidiis, quæ cutem poſſunt mollire & rarefacere: ad quem vſum præ cæteris Galeno probatur oleum chamæmelinum, quod quidem, vt ille docet 3. *de ſimp. med.* 10. præclarè tenſas partes relaxat, nec non quæ mediocriter dura ſunt emollit, & conſtipata rarefacit: ex quo colligatis errorem multorum, qui huiuſmodi oleo vim aſtringendi tribuunt, moti, vt puto, auctoritate Meſues, qui in cap. proprio aſſerit, illud aſtringere & fluxiones cohibere: quod & rei natura & experientia manifeſtè demonſtrat falſum eſſe. Sequitur Auic.

Et prohibe eum à ſomno in principiis febrium.) Somnus prohibetur in principio acceſſionum, ac maximè ſi fuerit frigus, horror vel rigor, quoniam per ſomnum motio ſpiritus, ſanguinis & caloris ad partes exteriores impeditur, & propterea acceſſiones longiſſimè protrahuntur, præterquam quod ſi aliqua adeſt viſcerum inflammatio, veriſimile eſt eam tunc augeri, ſicuti etiam ſi aliqui humores in ventrem confluant pro comperto habendum eſt, illos non perinde vt per alios ſomnos concoqui, ſed potius plures cumulari, & crudos permanere: quamobrem medici tunc temporis iubent ægros vigilare, quod ex vigilia non leuia commoda, ſomni incommodis contraria, poſſint oriri. Apud declinationem verò, inquit Auicenna, ſomnus eſt iuuatiuus valde, & fortaſſe non nocet apud ſtatum, propterea quia per hæc tempora calore naturali per ſomnum reddito validiore, humores & vapores putridi faciliùs propelluntur & diſſoluuntur. Auicenna hanc totam partem accepit ex Galen. qui tam diffusè & accuratè 2. *aph*. 1. recenſet vtilitates & pericula, quæ ægrotis contingunt per ſingula tempora acceſſionum, vt pluribus de hac re non ſit opus.

Et non prohibeas ei aquam frigidam, niſi fuerit humor crudus & groſſus.) Scribit Galen. 1. *de ratione victus* 43. inter cætera febrium remedia, potionem aquæ frigidæ non poſtremum locum obtinere, quàm ille affirmat, ſi tempeſtiuè exhibeatur, præclarè poſſe corpus & refrigerare & humectare & febrem extinguere. Ergo ſumma cum ratione Auic. qui hactenus nos docuit alterum ſummum & maximum præſidium, ſectionem venæ, in præſentia aggreditur tractationem de potione aquæ frigidæ: quoniam verò Auicenna hanc rem tractat admodum confusè, nos conabimur illius mentem, & ſingula illius præcepta ſummatim & diſtinctè colligere & explicare. Auicen. igitur primùm ponit conditiones quæ prohibent potum aquæ frigidæ, quæ ſunt huiuſmodi. Prima, ſi humor fuerit crudus & groſſus, tunc enim aqua prohibet illius concoctionem, quam conſtat fieri caliditate. Secunda, ſi ventriculus & iecur fuerint debilia & frigida. Tertia, ſi in viſceribus fuerit aliqua inflammatio aut dolor ſiue mala affectio neruorum. Quarta, ſi complexio fuerit frigida & ſicca, & caliditas innata debilis. Quinta, ſi æger non fuerit aſſuetus potioni aquæ frigidæ, ſicut illis euenit, qui ſunt de regione calida: quæ poſtrema Auic. verba aut ſunt deprauata, aut mea ſententia falſitatem continent: etenim ſiue conſideremus rationem, ſiue obſeruemus experientiam, nulli dubium eſt, quin habitatores regionum calidarum copioſè ſoleant aquam bibere, & non ſine vtilitate. Gentilis narrat de quodam ſuo ſcholari, qui fuerat ex partibus Æthiopiæ, & aſſerebat omnes bibere aquas calidas, adeo vt ſi quis bibiſſet aquam frigidam, manifeſtum periculum & conuulſionis & mortis incurreret: ac forte Auic. de iis intelligit, qui ex peculiari inſtituto ab aqua ſolent abſtinere: iis demum conditionibus, quæ aquæ frigidæ potionem prohibent, addit Auic. corporis extenuationem.

Quæ prohibent aquam frigidam

Vbi autem materia calida aut groſſa iam digeſta eſt, & corpus eſt carnoſum.) Quemadmodum conditiones hactenus poſitæ quæ frigidæ potionem prohibent, ita ex lege contrariorum cõditiones oppoſitæ illius adminiſtrationem perſuadent: itaque ſi materia fuerit calida, vt bilis & ſanguis, aut groſſa, ſed concocta; ſi corpus fuerit carnoſum, ſi caliditas innata ſanguiſque & ſpiritus plurimum abundet, ſi virtus ſit robuſta, ſi viſcera omnia ſint ſana, ſi

pars

Digitized by Google

naturalis temperies non fuerit frigida, ac demum ſi æger fuerit aſſuetus potioni aquæ frigidæ, nullum præſtantius remedium pro curandis febribus poteſt excogitari: ſiquidem euenit ſæpenumero, vt hac ratione excitata & roborata natura expellat humores noxios, aut per vomitum, aut per vrinam, aut per ſudorem, aut per omnes huiuſmodi partes, ex quo æger protinus ſanus euadit.

Et quandoque medicus dat in potu infirmo de aqua frigida quantitatem plurimam, donec calor eius fiat viridis.) Aqua frigida duplici ratione exhibetur in febribus; vna, ratione potus, ad leniendam ſitim, & tunc moderatè, & pluribus vicibus exhibetur: altera, ratione medicamenti, & tunc copioſè & ſemel exhibenda eſt. Auic. autem ponit duo ſigna, nimirum donec æger pallidus fiat, & rigore corripiatur: deinde certam potionis quantitatem determinat ad minus heminam vnam cum dimidia, quæ ſanè quantitas eſt nimia, nec ſcio quomodo ex tam parua potione poſſit verificari: vt æger fiat pallidus, & tremat, cum vtrumque non aliter poſſit euenire, quàm ex inſigni internarum partium refrigeratione. Cæterùm quoniam huiuſmodi remedium inter cætera omnia eſt admodum nobile, & ſæpenumero dignum admiratione, mihi libet ad veſtram vtilitatem ex Galen. diſciplina accuratè, ſed tam breuiter illa omnia examinare, quæcunque ad integram huius remedij adminiſtrationem pertinent. Itaque videbimus primum, vtrùm generaliter febribus aquæ frigidæ potio conueniat: ſecundò, quibuſnam corporibus conueniat: tertiò, quantum: quartò, quo tempore: quintò, quomodo liceat illam exhibere: ſextò & vltimò, quænam aqua ſit potiſſimum eligenda, ac cæteris anteponenda.

An febribus conueniat potus aquæ frigidæ.

Ergo quatenus pertinet ad primum, potio aquæ frigidæ nullo modo videtur conuenire, ſiquidē Hip. 3. *de ratione victus* 40. teſtatur, nullum ſe potuiſſe officium inuenire, quod in morbis acutis aquæ frigidæ tribui poſſit, imo verò ipſe Hipp. necnon Galenus, *in comm.* plurima numerat incommoda, quòd multo tempore moretur in ventriculo, quòd difficulter cōcoquatur, quòd plurimas fluctuationes pariat, neque vrinas, neque ſudores moueat, & alia huiuſmodi, quæ videntur demonſtrare, potionem aquæ frigidæ non ſolùm non conuenire, ſed etiam multa pericula ſecum afferre. Sed reſpondeatis vno verbo, aquam frigidam, vt paulo ante diximus, dupliciter exhiberi, vel ratione potus, vel ratione medicamenti, Hippocratem autem & Galenum ſermonem habere de aqua ratione potus, quæ ſi ſola & ſimpliciter exhibeatur, illa continet diſcrimina, de quibus ipſi loquuntur, qui nullo modo poſſunt intelligere aquam, quæ tanquam medicamentum ſemel & copioſè exhibetur, adeo vt pro comperto habendum ſit, Hipp. & Galen. aquæ vſum minus probare, non quatenus pertinet ad facultates, quæ ex primis qualitatibus oriuntur, hoc eſt, refrigerandi & humectandi, quæ à nemine poſſunt negari, ſed quatenus pertinet ad ſecundas & tertias, cum reuera aqua neque incidat, neque abſtergat, neque vrinas, neque ſudores moueat, nec quidquam efficiat, quod ad poſteriores huiuſmodi facultates ſpectare poſſit. Quod quidem Hipp. & Gal. propoſitum ſit manifeſtum ex tex. 42. 3. de ratio. victus. *In quibus autem maximè aqua vtendum ſit, & quando valde multa, &c.* in quo Hipp. fatetur manifeſtè, ſe non fuiſſe locutum de aqua tanquam medicamento, aſſeritque aquam, & quidem valde multam, aliquando exhibendam eſſe, ſicuti Galenus quoque huius remedij adminiſtrationem, & probat, & multis laudibus extollit. Itaque etſi aqua paulatim ac ſæpius exhibita, nō caret multis periculis, tamen copioſè & ſemel aſſumpta, refrigerando & humectando, ſæpe etiam per varias partes vacuando, præclariſſimam operam præſtat, neque vlla ratione debet repudiari.

Quibus conueniat aquæ potus.

Secundò, quibuſnam frigida aqua conueniat, vt ordinatè ac perſpicuè hanc rem intelligatis, quæ eſt maximi momenti, licet ex tribus hoc iudicium facere, nempe ex rebus naturalibus, non naturalibus & præter naturam: ac primum ex rebus naturalibus, temperie, ætate, habitu corporis, ſexu, conſuetudine, & ſimilibus, namque ſi æger habeat intemperiem frigidam, vel vniuerſi corporis, vel partium principalium, cordis, ventriculi, iecoris, huic frigida aqua non conuenit, cum veriſimile ſit, vel potiùs neceſſarium, talem hominem habere parum caloris innati, ſanguinis, & ſpiritus; qua ratione conuenit tēperaturis calidioribus, ac potiſſimùm, ſi ægri abundent multo ſanguine & ſpiritu, adeo vt vim remedij bene poſſint perferre. De ætate non conuenit ſenibus: quos conſtat habere vires debiliores: conſtat talem hominem, inquit Galen. 11. *meth.* 9. ſenem non eſſe, ex quo omnes illi virtutes valentes eſſe dicimus: verùm neque conuenit pueris, quoniam vt ſcribit Galen. 1. *epid. ſecti.* 2. 24. & 57. propter naturalem infirmitatem, ac ſimul nervoſi generis mollitiem, conuulſionibus ſunt opportuniſſimi, quamobrem ætate florentibus tantummodo conuenit. De habitu corporis non conuenit gracilibus, atque extenuatis: etenim cum huiuſmodi corpora, vt placet Gal. 2. *aph.* 28. neceſſariò ſint debilia, habeantque parum ſanguinis, vix defendi poſſunt, quin interna viſcera omni propemodum tutela deſtituta, vehementer offendātur: & ſi quis obiiciat Gal. 10. *metho.* 5. qui ægroto cuidam extenuato, ne caderet in febrim becticam, aquam fontanam planè gelidam dare non eſt veritus, facile eſt reſpondere, tunc Galen. aquam dediſſe non copioſè, nempe ad duos vel ad ſummam tres cyathos, neque ſemel, ſed pluribus vicibus: addo & inter aſſumpta alimenta, quo tempore aqua non ita occurrit partibus excarnibus & exanguibus, quare videtur illam dediſſe potius pro potione, quàm pro medicamento, qui hæc ſcribit: *Quare frigidam ſimul multam ſibi dari, qui ita affecti ſunt, non ferunt.* Sic apud eundem Gal. 9. *meth.* 5. hecticæ febres aquam neque planè gelidam, neque multam deſiderant, cum extenuatis omnino exiguique ſanguinis corporibus incidant. De ſexu, etſi dubium non eſt, quin potio frigida magis conueniat viris, vt pote robuſtioribus & calidioribus, quàm mulieribus, tamen vtrique ſexui poteſt conuenire, dummodo mulieres quoque requiſitas habeant conditiones. De conſuetudine dubium eſt, an ſit conditio neceſſaria, necne? Auicenna inter neceſſarias videtur illud reponere, imo verò & Gal. apertè aſſerit 8. *meth.* 3. in iis, qui per ſanitatem non ſolent frigidam bibere, illam planè prætermittendam eſſe, qui ſcribit ad hunc modum: *de frigidæ potione determinandum*, &c. Contra verò idem Gal. 9. *meth.* 5. ſcribit, nonnullos qui tempore ſanitatis frigidæ potioni minimè fuerant aſſueti, cum propter febrem ardentem frigidam bibere coacti eſſent, ex ea nullum detrimentum percepiſſe. In qua difficultate equidem cenſeo, conſuetudinem inter conditiones neceſſarias reponendam non eſſe, adeo vt ſi cæteræ conditiones conſentiant, ſine præcedenti conſuetudine liceat ad frigidam venire: ſed illud addo, ſi ſimul cum aliis conditionibus accedat quoque conſuetudo, tunc medicum longè promptiorem & audaciorem eſſe debere, quòd hinc poſſit colligere & pro comperto habere, huiuſmodi homines minimè habere principes corporis partes frigidas & imbecillas, atque illas quæ tempore ſanitatis à frigida læſæ non fuerant, multo minus in febri ardente, quæ eſſent quoddam veluti propugnaculū nimiæ refrigerationis, lædi poſſe: quæ clara eſt

Temperamentum. *Ætas.* *Habitus corporis.* *Sexus.* *Conſuetudo.*

ſen

ſententia à Gal. imò quæ clara ſunt eius verba 9. *meth.* 5. *Quod ſi etiam frigida aſſuetus æger fuerit, magna cum fiducia frigidam exhibebis:* & quæ ſequutur. Atque hactenus de rebus naturalibus.

Porrò inter res non naturales vnus occurrit aër, ſub quo auctore Gal. loco proximè citato 9. *meth.* tempus anni, cœli conſtitutio, regio, continentur. Facile autem eſt intelligere, potionem frigidam in aëre calido potiſſimùm conuenire: huius ratio redditur à Gal. 11. *meth.* 9. propterea quòd hyeme, necnon cœli conſtitutione & regione frigidis, febres ardentes ferè non generantur, neque ægri frigidam potionem ferè deſiderant, qui inſpirato aëre frigidiore aſſiduè refrigerantur, quod ſi quando ambiente aëre frigido ægrotum contingat vehementer vri, exigua ſalutis eius ſpes habenda eſt: in quo caſu neque liceat frigidam exhibere, neque aliud remedium adminiſtrare. Itaque æſtate, cœli conſtitutione, & regione calidis, potio frigida cenſenda eſt opportuniſſima, vt iure mirum ſit de Auicenna, qui in aëre & regione calidiore nolit illam exhibere.

Res præter naturam ſunt tres, morbus, cauſa morbi, ſymptomata: rurſum morbi ſunt trium generum: in intemperie, in ſoluta vnitate, in mala compoſitione: ex quibus id primum debet vobis conſtare, potionem frigidam, neque in ſoluta vnitate, neque in mala compoſitione aliquem vſum afferre: quare in ſola intemperie conuenit: & quoniam intemperies ſunt plurimæ, partim ſimplices, partim compoſitæ, ita habendum eſt, hoc remedium in ſola intemperie calida & ſicca, vel coniunctim, vel ſeperatim conuenire, quibus aquæ frigiditas & humiditas contrariæ ſunt: ad quem modum ſcribit Galenus 9. *meth.* 5. varias corporis particulas, ſiue ex naturali intemperie, ſiue ex contracto vitio redditas debiliores, gulam, ventriculum, iecur, colon, ſeptum tranſuerſum, pulmonem, & ſimiles, ex frigidæ aquæ vſu læſas fuiſſe, vt deinceps non poterint proprias operationes perficere: itaque inter omnes intemperies vni tantum calidæ & ſiccæ conuenit. Cum verò adhuc huiuſmodi intemperies vel ſint alicuius determinatæ partis, vel corporis vniuerſi, vel cum materia, vel ſine materia, primùm ſiue fuerint particulares, ſiue vniuerſales, omnibus conuenit. Exemplum particulare ſit intemperies ventriculi calida & ſicca, de qua ſcribit. Galen. 7. *meth.* Exemplum vniuerſale, ſint febres ardentes, de quibus idem ſcribit Gal. 4. *de ratione victus* 12. neminem periiſſe, qui tempore opportuno frigidam aquam potauerit. Sin autem hæc ipſa intemperies fuerit cum materia, quale vnum eſt eryſipelas, certum eſt illi in tantùm frigidam aquam conuenire, vt Galen. affirmet 9 *meth.* citato, eryſipelas, quod verum ſit, aliter ſanari non poſſe; de quo habetis apud Aëtium, *lib.* 5. *cap.* 89. hiſtoriam cuiuſdam mulieris interno eryſipelate laborantis, ac ſemimortuæ, quæ potione aquæ frigidæ mirabiliter fuit reſtitura. Contrà verò inquit Galenus, eodem loco 9. *meth. quibuſcunque in principe parte aliquis tumor conſiſtit ex genere inflammationis, œdematis, aut ſcirrhi, iis frigidam dare non conuenit.*

Morbi in intemperie.

Quatenus pertinet ad cauſam morbi & ſymptomata, ſicuti diximus de morbo, ex vna parte, ſi humores fuerint frigidi, craſſi, crudi, pariter ſi ſymptomata habeant eandem naturam, certùm eſt frigidam non conuenire: ex altera autem: ſi humores fuerint calidi, tenues, concocti, & ſymptomata ab iis non diſſentiant, illius vſus opportunus cenſendus eſt. Porrò quantum frigidæ aquæ liceat exhibere, quod tertium fuerat propoſitum, vidimus Auicennam hunc terminũ ſtatuere: donec æger fiat viridis, & rigore corripiatur, necnon certã menſurã

Quantitas frigida.

determinaſſe, vnius & dimidiæ heminæ, ad minus; & cap. 41. in curatione febris ardentis iubet, vt æger de ea bibat qualibet hora, paulatim, ſorbitiones plurimas, & propriè in eo, cuius lingua ſicca appareat. Sed neque Gal. hac in re videtur omni ex parte ſibi conſtare, nec ſatis diſtinctè frigidæ aquæ menſuram explicare: namque 9. *meth.* 8. huiuſmodi quantitatem determinat, quantum bibere ægro libet. 1. *de ratione victus* 43. hæc habet: *Potio frigidæ aquæ tanta ſit, quantam æger inſpirando haurire poſſit.* Et paulò poſt: *nempe ad febris extinctionem frigida affatim, vſque ad laborantis ſatietatem bibitur.* 10. *meth.* 5. Cuidam mulieri, quæ autumno ex vigiliis & triſtitiis cœpit febricitare, quam febrem Galenus quarta die deprehendit eſſe hecticam putridæ coniunctam, frigidam dedit moderatè: alteri qui hoc ipſo tempore ægrotabat, quoties nutriebatur, quandoque binos, quandoque tres frigidæ cyathos exhibuit. Cuidam iuueni 10. *meth.* 7. calido & ſicco, qui ſub canicula ex ira febricitauit, in prima acceſſione duas frigidæ heminas, ac rurſum poſt alimenta circiter alteram heminam propinauit, adeo vt qui frigidam exhibet, quantum ægro bibere libet, quantum æger vna inſpiratione poteſt haurire, qui exhibet ad ſatietatem, qui dat duos vel tres cyathos, duas vel tres heminas, qui dat moderatè, iure in huiuſmodi quantitate definienda ambiguus atque inconſtans videri poſſit. Paulus *libr.* 2. *cap.* 36. probat frigidam potionem, quæ non paulatim offeratur, vtpote quæ vehementius poteſt incendere, ſed quæ offeratur confertim, & rationem reddit, vt ita flamma obruta extinguatur.

Cæterum ſi rei naturam conſideremus, equidem puto frigidam aquam perpetuò copioſè & cumulatè dandam eſſe: etenim cum illa vel alterando, vel vacuando, ſoleat prodeſſe, quomodo alterutrum vel vtrumque poterit præſtare, ſi parcè exhibeatur, adeo vt neque inſigniter alterare, neque ſudorem, vomitum, aluum, mouere poſſit? cenſeóque hanc fuiſſe mentem Galeni, & omnium illuſtrium medicorum, nempe vt ægri frigidam bibant vſque ad ſatietatem, imò verò vt cogantur, etiamſi nolint, ſupra ſatietatem, ſicuti vulgaris quoque vſus videtur obtinuiſſe, vt ſua quantitate poſſit ardentem flammam quaſi ſuffocare, necnon aliquam inſignem vacuationem moliri. Quod ſi Galenus variè de huius aquæ menſura loquitur, id ſumma cum ratione facit, qui probè nouit, quod iamdiu nos docuerat, nimirum certam ſingulorum quantitatem neque ſcribi, neque definiri poſſe, ac propterea fieri non poſſe, vt omnibus eadem perpetuò quantitas offeratur: de qua re ſpeciatim nos admonet 1. *ad Glauc.* 13. cum dicit; *Modus in quantitate aquæ frigidæ ſeruetur, quemadmodum tempus anni, regio, ætas, natura, & conſuetudo poſtulant.* Itaque ad ſummam ita habendum eſt; aquam frigidam maiore menſura perpetuò dandam eſſe, ſed tamen tam prudenter & cautè, vt illa vel augeatur, vel minuatur ſicuti variarum rerum opportunitas atque indicatio videtur poſtulare. Idem verò Auicennam quoque voluiſſe, ex eo ſatis debet conſtare, quod iubeat aquam bibendam eſſe, donec æger fiat pallidus, & rigore afficiatur: quæ ſymptomata certum eſt, non niſi ex copioſa aqua poſſe prouenire, nam quatenus pertinet ad alterum locum, de curatione febris ardentis, mens Auic. fuerat, huiuſmodi aquam frigidam, plena menſura, ac ſemel exhibendam eſſe: verùm ſi quod foret impedimentum, quod tantam copiam prohiberet, tunc paulatim & qualibet hora exhibendam eſſe, vt hac ſaltem ratione magna illa ſiccitas remitteretur. In quo caſu, ad euitanda aquæ incommoda, quæ ſuprà diximus forte vtilius eſſet ex præcepto & more Galeni illam propinare

Modus exhibendo frigida.

non qualibet hora, quoniam vario tẽpore exhibita, præter cætera poteſt omnem coctionem perturbare.

Abſoluta ſunt tria capita de aqua frigida, ſupereſt quartum de tempore in quo liceat frigidam exhibere Galen. 9. *meth.* 5. 1. *de ratione victus* 45 *lib.* 4. *tom.* 11. planè docet, illam non niſi apparente coctione exhibendam eſſe, cui Paulus, Aëtios, Auicenna, & omnes conſentiunt, ſolus Auerr. id negat, qui 7. *collig. cap.* 8. longa diſputatione, conatur Galenum reprehendere, & probare coctionem minimè expectandam eſſe: verùm non eſt, vt cum hoc viro, vt philoſopho illuſtri, ita medico plebeio, tempus perdamus, ac potiſſimùm, quoniam ſi quis intelligat rationem, propter quam Galen. & cæteri frigidam prohibent, ante coctionem, is facilè poterit omnia Auerr. cauillamenta diſſoluere. Itaque ſciendum eſt ex Galeno 9. *meth.* 14. 11. *meth.* 10. febris, quatenus eſt febris, frigidam proprium & ſingulare eſſe remedium, cum proximè poſſit illius caliditatem & ſiccitatem remittere: ſed altera ex parte frigidam non eſſe remedium humorum putreſcentium, niſi quatenus illius opera per aluum, ſudorem, vel per alias vias à natura deiiciuntur: cum autem huiuſmodi vacuatio, vt docet Gal. 1. *aphor.* 12. & ſæpiſſimè vtiliter fieri non poſſit, niſi primùm procedat humorum concoctio, idcirco ante concoctionem non licet frigidam exhibere, vt ſimul vno tempore febris extinguatur, & putridi humores aliqua ratione, educantur: de qua re Gal. 9. *meth.* 5. hæc habet. *Sed neque iis, quibus obſtructio, putridúſue humor non concoctus incommodat, oportet frigidam offerre, &c.* qui generaliter putridorum humorum, tam craſſorum, quàm tenuium concoctionem requirit, præclaràmque reddit rationem, nempe vt natura, quæ iam bona à malis ſeparauit, poſſit retinere quæ ſunt retinenda, & expellere quæ ſunt expellenda: quòd ſi contra quis audeat frigidam exhibere ſine humorum coctione, tunc non ſolùm putridi humores vtiliter nequeunt vacuari, ſed multa incommoda neceſſariò ſequuntur: neque diffusè explicantur à Galeno 9. *metho.* 5. dum inquit. *Porrò incommoda, quæ frigidæ potionem intempeſtiuè exhibitam ſequuntur, in iis conſiſtunt, &c.* Hæc igitur ſi bene intelligantur, debent ſatis eſſe ad reſpondendum & Auerr. & omnibus quicunque à Galeno diſſentiunt. Sed præterea quæritur de tempore, an in die critica liceat frigidam exhibere? Cui dubitationi pleriqoe omnes interpretes reſpondent affirmatiuè propterea quia in tali die natura noxiis humorib. dominatur, atque illos conſueuit mouere, vnde à frigida excitata & roborata, longe facilius poterit illos expellere: quæ ſententia mihi non poteſt probari, nam manifeſtè nos docent Hip. & Gal. 1. *apho.* 20. in tali die nilil mouendum vel innouandum eſſe: & ratio eſt in promptu: etenim cum hoc tempore natura ſoleat varias motiones & vacuationes facere, quæ à medico ignorantur, ſi ille audeat frigidam exhibere, facilè aliquis motus contrarius motui & propoſito naturæ poſſet ſuccedere, & illam impedire: vnde legimus Gal. nihil aliud cupere, quàm ſuccorum coctionem neque diei criticæ quidquam meminiſſe. Deinũ verò quærunt nonnulli an frigida in paroxyſmo debeat exhiberi: quib. reſpondendum, vtiq; illam conuenire, neque ſolum in paroxyſmo, ſed in ſtatu paroxyſmi, quæ clara eſt ſententia Gal. 9 *loc. cit.* 9 *met.* 3. docẽtis frigidam aqoam dandam eſſe, cum euidentes appareant notæ concoctionis, febris autẽ eſt maxima; & rationem reddit quoniam hoc tempore internæ partes maximè ardent, quæ caloris copia eſt quoddã veluti propugnaculũ, quo minùs illæ ab inſigni frigiditate lædi poſſint. Cui planè conuenit Auic. inquiens cap. de curatione feb. ſanguinis: *Et melior*

Vtrum in die critica frigida offerenda.

Vtrum in paroxyſmo.

horarum ad hoc eſt hora vehementis ebullitionis, & anguſtiæ, & inflammationis, & frequentiæ pulſus. Quintò ſciendum eſt, quomodo liceat frigidam exhibere, an ſimplicẽ, ſine alicuius rei permiſtione, an aliquid ei permiſcendo, quod vel illius malitiã poſſit corrigere, vel illios vim poſſit adiuuare: ac ſine vlla dubitatione aqua ſimplex, ſincera, cruda, & ſine vlla permiſtione debet propinari, dummodo bona & laudata aqua poſſit haberi: quod ſi talis deficiat, tũc ex Gal. prius decet illam coquere: ſic paſſim Gal. vbicunque de aquæ frigidæ potione loquitur, frigidam aquam fontanam, crudam & gelidam, ſine vlla præparatione conſueuit exhibere: ſi o autem aqua ſalutaris deeſſet, tunc docet 6. *epid.* 4. 10. illam decoquendam eſſe. Itaque ad ſummam, aqua frigida, ſincera, cruda, ſine vlla permiſtione, admodum copioſè non ante humorũ coctionẽ, non in die critica, in vigore acceſſionis exhibenda eſt.

Quomodo liceat exhibere.

Summa negotij.

Poſtremò reſtat videndum, quænam aqua præ cæteris ſit eligenda: quoniam verò ſi velimus de aquæ bonitate ac præſtantia agere, longiſſima tractatione opus foret; quod occaſio non permittit, mihi liceat ſummatim hanc rem vobis explicare. Gal. 3. *de ratione victus* 40. aquam optimam deſcribit, quæ puriſſima eſt, & omni aliena qualitate deſtituta: de qua conſueuit iudicium facere, 1. *de ſimpl. med.* 5. ex tribus ſenſibus viſu, guſtu, odoratu: & primùm guſtu aqua eſt optima, ſi nullam ferat qualitatem, ſed exquiſitè qualitatis expers appareat. Quod ſi aliquando Gal. & alij aquam dulcem appellent, certum eſt illos ita loqui, ad differentiam aquæ ſalſæ aut ſimilium: cum reuera aqua optima, quod à Gal. repetitum eſt 2. *de alimentis*, 2. nullam ſimplicem & ſenſibilem ſaporis qualitatem debeat habere, ſed planè ab omni qualitate immunis eſſe; alioqui non eſt optima, & à Galeno reiicitur. Secundò ex viſu dignoſcitur aqua optima, quæ ſyncera & planè perlucida fuerit, adeo vt veluti exquiſitè colata appareat: ſicuti contrà cæteræ omnes turbatæ, nigræ, cæruleæ, & ſimiles, iure à Galeno improbantur. Tertiò, ex odore aqua optima cenſenda eſt, ſi pariter nullam qualitatem præ ſe ferat: ex quo cæteras omnes licèt peſſimas iudicare, quæ habent odorem ſulphuris, bituminis, &c. quæ quidem reuera, vt Galenus docet 1. *de ſimp. medicamentis* 4. iam non ſunt ſimplices aquæ, ſed compoſitæ, cum ex aqoa, ſulphure, & reliqois conſtent. Itaque ex iis tribus ſenſibus, de proba vel improba aqua licet iudicium facere. Has omnes aqoæ optimæ conditiones, ex iis tribus ſenſibus petitas: præclarè mihi videtur Galen. quodam veluti epilogo complecti in *lib.* de ptiſana 2. *Aqua optima ſubſtantia, & guſtu, & olfactu, & colore probatur*, &c. quem deinceps omnes Græci & Arabes imitati ſunt.

Quæ aqua eligenda.

Bona aqua quæ.

Verùm deueniendo ad magis particularia, cum aquarũ quę bibuntur, ſint plurimæ differentiæ, illud demum videndum reſtat, quænã ex omnibus ſit eligenda, & principem locum teneat. Aëtius lib. 3. 165. facit quinq; generales differentias aquæ, quam diuiſionem mihi libet in præſentia recipere, nempe pluuialem, fontanam, putealem, fluuialem, ſtagninam: de quibus multa à moltis diſputantur: namq; alij maximè probant pluuialem, tanquam tenuiſſimam, & calore quaſi elixatam; alij eandem vituperant, quaſi omnium malignarum qualitatum participem, vt quæ ex moltis frigidis, craſſis & ſordibus vaporibus educatur. Nonnulli ante cæteras ponunt puteales, tanquam per terram percolatas, ac proptereà purgatiſſimas: nonnulli eaſdem exiſtimant maximè omnium craſſas, crudas, & flatuoſas: alij demum, quorum ſententia ferè ab omnibus videtur probari, propter aſſiduum motum, iis omnibus præponunt fluuialem & fontanam, omnes aquam ſtagninã repudiant:

De diff. aquarum.

repudiant : de quarum opinionum diuerſitate, cum nolim longius agere, mihi ſatis fuerit iſtius rei ſummam vobis proferre, quam puto ſententiæ Hippocratis, & Galeni, & veritati magis conſentire. itaque cenſeo cum Hippocrate & Galeno 6. *epid.* 4. 16. aquam pluuialem cæteris aquæ generibus præponendam eſſe, quæ tamen prærogatiua illi tantummodo tribuenda eſt, quæ tempore æſtatis, ſereno cœlo, aut cum tonitru nonnunquam demittitur : ſiquidem huiuſmodi aqua ex tenuibus vaporibus vi aëris calidioris eleuatis, conficitur, vt ſumma cum ratione tenuior, & quodammodo magis cocta, ac proptetea optima cenſenda ſit : cum altera quæ tempore hyemis per multos & procelloſos imbres deſcendit, ex multis frigidis & craſſis vaporibus conficiatur, vt merito omnium malarum qualitatum particeps, ſordida, facilè putreſcibilis, atque vno verbo, omnium peſſima ab omnibus exiſtimetur. Si quis de huiuſmodi pluuiis plura cupit intelligere, videat Galenum loco citato, qui hanc rem tractat diffusè, vt pluribus non ſit opus. Quatenus verò pertinet ad reliquas aquas, putealis ſi deriuet ex proximo fonte aut fluuio, niſi terra per quam profluit, aliena qualitate participet, propter maiorem attenuationem & purgationem, & fluuiali & fontana melior poteſt cenſeri : quod ſi non ex flumine, aut fonte, ſed ex abyſſo aquarum, quæ ſub terra vbique reperitur, generationem habeat, hæc certè aqua & craſſiſſima & crudiſſima debet haberi.

Aqua pluuialis optima eſt.

Quoniam igitur optima pluuialis difficulter poteſt haberi, ſic putealis ex fonte aut fluuio rarò occurrit, iam vobis licebit fluuiali & fontana vti: quod ſi neque hæc probata fuerit, moderata coctione, vt ſuprà diximus poteſt adhuc magis purgari, extenuari, & ad commodiorem vſum accommodari : ſed tamen hac ſemper adhibita cautione, cum aquarum ſint inſignes differentiæ, non ſolùm generaliter, ſed etiam ſpeciatim, fontanæ à fontana, putealis à puteali, & ſic de reliquis, vt propriis notis ex tribus præcipuè ſenſibus, vt diximus de earum bonitate & malitia perpetuò iudicium faciatis. Sed ſatis de hoc remedio.

Et cum adminiſtraueris, &c.) Cum Auic. hactenus propoſuiſſet varia præcepta, accommodata ad curandas febres putridas, ſectionem venæ, leuitionem, alui prouocationem lotij, aquam frigidam, & alia id genus : poſt hæc omnia docet attendendum eſſe coctioni & vacuationi humorum, ſpeciatim præcipiens, non vacuandam eſſe materiam indigeſtam, in calido aut frigido, niſi propter neceſſitatem : quare ex propoſito inſtituit diſputationem aduerſus Rhaſim, qui purgandis humoribus ſentiebat nullam coctionem fore expectandam : quo loco omnes tractant celebrem quæſtionem, cuius vulgaris eſt titulus de minoratione materiæ, nempè vtrùm liceat in principio febrium & morborum purgante medicamento noxios humores pro parte purgare & minorare : ſed cum nos hanc ipſam rem tractauerimus accuratiſſimè in noſtris diſputationibus iam editis, ex quibus licet vnicuique varias hominum opiniones, variáque eorum argumenta ad noſtram ſententiam intelligere, ſuperuacaneum foret eadem repetere, & actum agere. Quoniam verò Auic. inter diſputandum intermiſcet quoſdam canones de variis rebus quorum multi ſunt digni maxima notatione, nos breuiter conabimur ſingulos colligere & examinare.

Et ſcias quod phlebotomia, quando eſt intentio ſanguinis, non eſt ex genere eius, in quo expectatur digeſtio.) Hic Auic. ponit nonnullos canones de ſectione venæ, quorum primus eſt huiuſmodi : in miſſione ſanguinis nulla expectanda eſt humorum concoctio, ſicuti expectanda eſt in exhibitione medicamenti : & ratio eſt in promptu, propterea quia attendimus humorum coctioni, vt illi faciliùs & tutiùs à medicamẽto educãtur, verũ aperta vena quouis tẽpore humores facilè & tutò educũtur: quare minime oportet coctionẽ expectare. Sed de hoc canone dubium eſt: nam multi hoc tempore & ſyrupis, & aliis modis conantur moliri coctionẽ, deinde accedũt ad ſectionem venæ, neq; deſunt rationes quæ hãc medẽdi methodum videtur confirmare: nãq; ſeſe offerat occaſio mittendi ſanguinem Socrati, qui paulò antè multa aſſumpſerit alimenta, vt ventriculus etiam nunc repletus fuerit, nemo, vt puto, audeat Socrati ſanguinem mittere, niſi primùm alimenta fuerint concocta, & ventriculus fuerit inanitus, quoniam ſi aliter fiat, periculum immineret, ne cruda materia in venas traheretur, & maiora incommoda ſequerentur. Ex quo Gal. quoque 9. *meth.* 5. *de ſang. miſſ.* 10. 4. *de tuenda val.* 5. ſi præcedat humorum cruditas, iubet tanto tempore ſectionem venæ differendam eſſe, quantum videbitur ſufficere tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa deſcendant. Secundò ſi crudi humores redundent in primis venis, eadem ratione ante ſectionem venæ, videtur expectanda concoctio, ne illi quoque in peniriores deducantur: ad quem modum Galen. *de ſang. miſſ.* 12. in iis qui crudorum humorum copia laborabant, aliquid incidentium atque extenuantium medicamentorum conſueuit priùs exhibere, & deinde ad ſanguinis miſſionem accedere. De hac difficultate ego tractaui diffusè in meis diſputationibus : quare illud vnum dico in præſentia, Auic. ſententiam, ſi benè intelligatur, veram eſſe, & nullam difficultatem continere, nempè in miſſione ſanguinis nullam expectandam concoctionem, ſicuti debet expectari in purgatione : ſed etiamſi humores crudi fuerint, ſanguinem mittendum eſſe : quod à nemine debet in controuerſiam reuocari, cum ex vulgari aph. cum morbi inchoant, hoc tempore atque hac humorum cruditate, ſectio venæ ſit opportuniſſima : namque altera ex parte, ſi adſint cruda alimenta in ventriculo, cui dubium eſſe poteſt, quin ipſe quoque Auicenn. ſimul cum Galeno velit tantiſper differendam eſſe ſectionem venæ, donec alimenta ſint concocta, & excrementa deſcendant : quod enim pertinet ad cruditatem humorum, qui fuerint in primis venis, ſi Galeni mentem intelligimus, tunc non planè eſt neceſſe venæ ſectionem prætermittere, ſed potius illam partiri, ac ſæpius repetere, quod in tali caſu vires ſint debiliores, quàm vt poſſint tam copioſam vacuationem & ſemel factam perferre, adeo vt certum ſit Auic. de vna tantum humorum cruditate, quæ eſt in venis, intelligere, ſicuti ſine dubio intellexit quoque Galenus.

1. Canon.

Et cum poſtponitur phlebotomia in principio ægritudinis, tunc non phlebotomes in ſtatu eius.) Hic ſecundus eſt canon, cuius ſenſus eſt huiuſmodi : ſi phlebotomia in principio febris fuerit prætermiſſa, deinceps illam fore prætermittendam, quando ſi fiat poſteriore tempore, periculum imminet, ne æger propter ſuperuenientem virium imbecillitatem interficiatur. Quo loco mouetur vulgaris, ſed vtiliſſima quæſtio : an tranſacto febris & morborum principio liceat medico venam ſecare ? Ac primùm pro parte negatiua eſt Auicenn. in præſentia, qui id fatetur apertiſſimè. Deinde eſt aph. Hipp. cum morbi inchoant : in quo præcepto omnes medici videntur conuenire, atque iſtud confirmat ratio tradita à Gal. *in comm.* qui docet, medicum in principio morbi aut ſecare venam, aut dare medicamentum, vt minorata materia, natura quod ſupereſt poſſit faciliùs concoquere & ſuperare : vnde colligunt argumentum : natura in ſtatu morbi aut ſuperauit morbum, apparétque perfecta concoctio,

Canon II.

Quæſtio.

ant ſuperata eſt, apparéntque ſigna contraria concoctioni: ergo ſi natura ſuperauit, planè ſuperuacaneum eſt venam ſecare: ſin autẽ illa ſuperata eſt, iã ex præcepto Gal. & in hoc com. & 11. *met.* 9. non licet huiuſmodi ægroto manus admouere, ne remedia temere infamentur. Altera autem ex parte affirmatiua, primùm eſt ratio: nam ſi tres ſufficiũt principes ſcopi, morbi magnitudo, robur virium, & ætas quod certiſſimũ eſt Hip. & Gal. decretũ, quamobrẽ tranſacto principio ſi illi cõueniãt, nõ licebit venã incidere, alioqui foret neceſſe quartũ præterea ſcopũ, ex temporibus morborũ ſtatuiſſe. Deinde eſt Gal. 9. *meth.* 5. qui aſſerens eſſe duo maxima præſidia febriũ cõtinentium, ſectionẽ venæ, & potionem aquæ frigidæ, inquit inter illa hanc eſſe differentiã, quòd potio frigida nõ poſſit adminiſtrari, niſi compareãt euidentia ſigna concoctionis: ſectio autẽ venæ quouis tẽpore poteſt adhiberi: itaque etiam tranſacto principio, quam eandem ſententiam repetit *lib. de ſang. miſſ.* 10. quo loco ex propoſito diſputat aduerſus nonnullos, qui de tempore mittendi ſanguinis variè ſentiebant: namque alij admodum ridiculè nolebant venam ſecare niſi poſt acceſſionem tertij diei, quare fuerant medici diatritarij, quippe ante tertiam acceſſionem contendebant, neque victum dandum, neque vllum remedium adminiſtrandum eſſe, propterea quod ante hoc tempus nulla cognitio de morbi forma & natura poſſit haberi: de quorũ ignorantia Gal. multis in locis præcipuè vero 8. *met.* 3. ſermonẽ habet. Alij verò extremum terminum mittendi ſanguinis quartum definiebãt diẽ, intra quem terminum in declinationibus paroxyſmorum cõcedebant quando unq; libuiſſet ſanguinem mittere. Alij demum primo quoque tempore feſtinabant ſanguinem mittere, vnum tantummodo conſiderantes, vtrùm alimenta adhuc continerentur in ventriculo. De quibus quidem veterum medicorum opinionibus Gal. ita ſtatuit & ſcribit. *Quoniam ſæpe poſt quam aliquis iam quinq; aut ſex dies ægrotauit, ad curationem vocamur, vtique expediet ſanguinem mittere, etiamſi huius remedij prima occaſio fuerit prætermiſſa: quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotante inueneris, in eo præſidium hoc adhibeto, etiamſi 20. ab initio morbi dies fuerint.* Sed ipſe quoque Auic. parum ſibi ipſi conſentiens, idem quod Gal. videtur ſentire, qui hæc habet 4. primi 20. *cum maturatio apparuerit, & ægritudo principium præterierit, verſus ſtatum, tunc ſi oportuerit vt phlebotomia fiat, ſi non fuerit quod prohibeat fiat.* Et iterum paulo poſt: *cum in febre te oportebit phlebotomare, ne attendas quod quidam dicunt, ſcilicet quod nõn eſt bonum, vt poſt quartam diem fiat, quoniam bonum eſt vt fiat, etiamſi ſit poſt 40. dies, & hoc ſecundum ſententiam*, Gal. Hactenus Auic.

Ad hanc dubitationem in veritate reſpondendũ eſt, etſi nulli dubium eſſe debet, quin principium morbi longè magis quàm cætera tempora ad ſectionem venæ ſit accõmodatũ: veruntamen ſi propter aliquod impedimentum id remediũ fuerit prætermiſſum, quolibet tempore, dũmodo conueniãt principes ſcopi ſanguinem mittendum eſſe: quare ſciendum eſt, ſi contingat aliquando progreſſione temporis occaſionem mittendi ſanguinem amitti, id non fieri propter numerum dierum, ſed propterea quia progreſſu temporis in plurimis ægris vires redduntur debiliores, quod perſpicuè declarat Gal. in *lib. de ſang. miſſ.* c. 20. *ad fin.* Ex iis non difficile eſt ad obiectas rationes reſpondere, & primum ad Auic. vel ille intelligit poſt principium non conuenire ſectionem venæ propter rationem virium, quod illius verba videntur confirmare, vel mea ſententia non poteſt ab errore & contradictione defendi. Aphor. Hipp. cum morbi inchoant, nun aliud docet, quàm quod nos diximus, & fatemur, principium inter omnia tempora ad mouendos humores eſſe accommodatiſſimum, qui tamen non prohibet omnino, ſi quando opus fuerit, quin in cæteris quoque temporibus & in ſtatu liceat mouere, cum non abſolutè, ſed comparatiuè loquatur. Neque verò poſita ratio quicquam valet: namque in ſtatu morbi ſalutaris, apparentibus ſignis perfectæ concoctionis, iã deficit vnus princeps ſcopus, morbi magnitudo, ac fatuum foret venam ſecare. Sic in ſtatu morbi lethalis, ſi natura prorſus occubuit, neceſſariò vires non conſtant. Sed fingas ſtatum morbi pernicioſi, in quo ex vna parte ſint ſigna contraria coctioni, ex altera vires valeant, quæro quamobrem non liceat venam ſecare, atque ex conſilio Thucydidis cuius meminit Galen. *Conſilium Thucydidis.* 10. *meth.* 10. aliquid agentes vel periclitari. Etenim etſi id remedium ſine dubio in principio fuiſſet opportunius, tamen neque forte hoc tempore erit inutile: quare concludendo hanc rem, quotieſcunque accedetis ad veſtros ægrotos, ante omnia vobis perpendendum eſt, ſi quid mouendum videtur ac ſi adſint ſcopi neceſſarij, nulla habita dierum conſideratione audeatis venam ſecare: quod ſanè decretum cupio vos alta mente reponere & tenere, qui vobis polliceor ex hac medendi ratione veſtros ægrotos maximam vtilitatem, vos autem magnam gloriam & vtilitatem eſſe percepturos.

Et conſilium quidem meum in phlebotomia eſt, vt dimittatur quantum poſſibile eſt, ſi autem non eſt poſſibile, tunc multiplicatio numeri eſt melior multiplicatione quantitatis. (Hic tertius eſt canon de ſectione *Canon III.* venæ, ex quo medici noſtrorũ temporum facti ſunt admodum timidi circa adminiſtrationem huius remedij, quoniam id videtur voluiſſe Auicen. vt phlebotomia dimittatur quantum poſſibile eſt: quod ſi omnino remedium fuerit neceſſarium, neque poſſit prætermitti, tunc fore melius, vt paulatim pluribus, quam copiosè & ſemel ſanguis mittatur. Verùm cum hæc ſententia videatur aliena à ratione, à doctrina Galeni & ipſiuſmet Auicen. qui ſectionem venæ libenter probant, illaque vtuntur familiariſſimè, nonnulli interpretes ex iis verbis alium ſenſum eliciunt, nempe non prætermittendam eſſe phlebotomiam, ſed in phlebotomia prætermittendam eſſe copiam ſanguinis, adduntque Auicenn. huiuſmodi ſententiam accepiſſe à Galen. 11. *method.* 14. qui ſcribit in febre ſynocho moderatè ſanguinem mittendum eſſe, illúmque ad poſterius curationis tempus relinquendum, vt faciliùs & obſtructio, & putredo, quæ per ſanguinis miſſionem nequeunt auferri, tolli poſſint. Nam ſi generaliter decet phlebotomiam prætermittere, quantum poſſibile eſt, quamobrem Auicen. ipſe millies hoc remedium probat & amplectitur; ſi perpetuò melior eſt multiplicatio numeri, quàm multiplicatio quantitatis, quamobrem idem Auic. ſemel copioſiſſimè, & vſque ad deliquium animi ſanguinem frequentiſſimè conſueuit mittere; itaque nulli dubium eſſe debet, quin longè magis diſtinctè Galen. hanc ipſam rem definiat, qui conſilium mittendi vel non mittendi ſanguinis ex quibus principibus ſcopis perpetuò determinat, quibus præſentibus id remedium amplectitur, illis abſentibus illud repudiat: quantitatem autem & modum vacuationis ex vno virium robore vel debilitate ſolet definire.

Et ſcias quod quando aggregantur.) In hac parte tractat Auic. de febre cum ſymptomatibus, ac primùm de dolore capitis: pro quo debetis in memoriam reuocare quæ diximus in lectionibus priuatis, nempe nullum ſymptoma, quatenus ſymptoma, eſſe curationis indicationem, neq; indicare, neq;

immutare

immutare, niſi illud acquitat vim cauſæ, adeo vt vel vires offeudat, vel morbum augeat. Ergo inquit Auic. ſi coniungatur febris & dolor capitis, tunc curatio febris eſt dignior, cum illa ſit morbus, & cauſa, ex qua dolor, qui eſt ſymptoma, originem habet: ſed ſi dolor fuerit tam inſignis, vt febrem augeat, tunc oportet doloris rationem habere, atq; illum ſedare: quam curationem ille inſtituit poſterius *cap. proprio*, & res eſt manifeſtiſſima.

Et cum infans lactens febricitat, tunc oportet vt rectificetur lac matris eius.) Hoc alterum eſt ſymptoma, ſi coniugatur febris cum ætate puerili, in quo caſu neque licet venam ſecare, neque dare medicamentum, neque quidquam agere quare oportet lac matris rectificare, quam candem ſententiam habet Auic. 3. 1. *doct.* 1. ſecundū quā doctrinā omnes medici rationales ſolent lactentes pueros curare, vt nimirum nutrici inſtituatur accommodata victus ratio, exempli gratia ex ptiſana hordeacea, ex pane præparato, ex iure, ouis recentibus, bonis carnibus, & ſimilibus: illi interdicuntur alimenta difficilis coctionis, mali ſucci, calida, & ſicca nonnunquam & vinum: quandoquidem teſtimonio Auicen. *in lib. de ſomno & vigilia*; nihil intereſt, puerine an nutrices vinum bibant: ſic nutrici exhibentur medicamenta aluum lenientia, caſſia, & alia id genus alterantia, decoctum endiuiæ, cichorij, acetoſæ, ſeminum melonis, & ſimilium: ſi illis abundauerit multo ſanguine, auctore Auicen. phlebotomatur: quanquam id ſciendum eſt, nutricibus plerumque ex ſectione venæ lac vel ex toto auferri, vel ſaltem magnopere minui. Demum verò ſi id ferat occaſio, nutricibus danda quoque purgantia medicamenta, quæ tamen propter multas rationes debent eſſe leuiſſima, exempli gratia, rhabarbarum, agaricus, & ſimilia. Atque vt concludam, illa omnia & alimenta & medicamenta, & præſidia quæ conuenirent infantibus ſi forent grandiores, ſolent ad nutrices accommodari.

An pueros liceat purgare.

Sed hoc loco mouetur quæſtio, vtrùm liceat pueros purgare: namque Gal. ſi iis videtur vacuationem omnem interdicere, propterea quod natura ſint calidiores & humidiores, ac propterea omnium facillimè digerantur & diſſipentur. 9. *meth.* 17. quod ſi pueris nulla conuenit vacuatio: ergo vt neque pharmacum conueniat fateamur neceſſe eſt 2. *Gal. de theriaca ad Piſonem* 17. pueris interdicit vſum theriacæ. quoniam medicamentum puerile corpus facilè diſſoluens, qui narrat hiſtoriam cuiuſdam pueri, cui præter ſuam voluntatem coactus fuit theriacam exhibere, quam ille concoquere non potuit, vnde diſſoluto vniuerſi corporis habitu, ſequenti nocte periit: quod ſi pueri nequeunt perferre theriacam medicamentum planè ſalutare, multo minus perferent purgantia medicamenta, quæ conſtat eſſe venenata, & naturæ hominis aduerſari. Contrà verò Contraſentit Hipp. 6. *epid.* 5. 35. *Mulier, capra, elaterium aut cucumerem ſylueſtrem edētes, pueris purgatio.* Hæc ſētētia inquit, Gal. *in com.* cōducit & ad medicorū vſū, & ad naturale decretū: nāque volētes purgare infātes, aut matri lactāti, aut capræ eiuſmodi aliquid exhibētes, ſic eos purgabimus: atq; hinc illi refutātur, qui cōtendūt, nullam vim ex iis quæ ab initio in alimento fuerant, poſt concoctionē & in ſanguinis cōuerſione poſſe remanere: quā eādē ſentētiā, & lactis facultatē acquiſitā ex alimētis, Gal. in ſuū explicat, & multis hiſtoriis cōfirmat. 3. *de alim fac. c.* 15. Sic ſcribit Dioſcorides *lib.* 2. *c.* 62. Pecora quæ veſcūtur ſcāmonio, helleboro, & ſimilibus, lac purgatiuum efficere: contrà autem capras quæ robore, lentiſco & aliis adſtringentibus veſcuntur, lac adſtringens generare. Ex quo loco debetis præceptum maximi momenti colligere, & ad vſum reuocare, nempe quotieſcunque veſtris ægrotis exhibebitis lac, vel humanum, vel aſininum, vel caprinum, vel cuiuſcunque animalis, vt diligēter caueatis, ne illa noxium aliquod & malignū eduliū aſſumāt, imò verò vt accōmodatis alimētis, ſicuti res poſtulat, nutriantur, quod tractātes de curatione febriū hecticarum accuratè conabimur demonſtrare. Præterea Gal. in conſilio pro puero epileptico affirmat, ante omnia accedente Vere illum puerum purgandum eſſe moderata purgatione, de quo libello etſi nonnulli dubitant, ſit ne legitimus, Gal. tamen ſine dubio nullum dogma videtur continere, quod à Gal. dogmatibus ſit alienum. Itaque aſſerendum eſt, de ſententia Hip. & Gal. pueros omnino, poſſe purgari, lactentes quidem cum lacte alterato, aut nutricis, aut alterius animalis: non lactentes cum purgantibus medicamentis, quæ tamen tam in illis, quàm in iſtis ſint perpetuò leuiora. Hanc doctrinam confirmat experientia, namque multis in locis ac potiſſimum Venetiis, cum pueri ægrotant quouis morbo, mulieres dicunt eos vermibus laborare, quibus familiariter exhibent agaricum cum oxymelite, ex quo medicamento purgantur ſæpenumero copioſè, & iuuantur. Sic paſſim & nutricibus lactantibus, & ipſis pueris maiorib. natu ſolemus exhibere caſſiam, aloën, rhabarbarum, agaricum, & alia id genus, neque ſine euidenti vtilitate.

Sed reſpondeamus ad obiectas rationes, & primū ad auctoritatem Gal. 9. *met.* reſpondendum, eum loqui de ſectione venæ, quæ iure in pueris eſt ſuperflua, ſiquidem illi propter copiam caloris innati, atq; habitum corporis calidiorem & humidiorem, facile ex ſeipſis diſſoluuntur, & id commodum conſequūtur, quod alioqui ſectio venæ ſolet præſtare. Hæc eadem reſponſio poteſt etiam accommodari ad theriacam, quæ cum ſit admodum calida, & maximæ actiuitatis, tanquam ignis, ſubſtantiam puerorum ſuapte natura lubricam facilè poteſt diſſipare, adeo vt non poſſint eā perferre: at verò aliter ſe res habet de medicamento, etenim cum illud purget vnū aut alterum humorem, quod pueri nequeunt ex ſe efficere, neque ita poſſit illorum calidum innatum, & ſubſtantiā diſſoluere, ſicuti ſectio venæ & theriaca, potiſſimū ſi fuerit moderatū, iure eſt concludendū, pueros tutò ea ratione qua diximus, poſſe expurgari.

Et quando fuerit cum febri colica.) Hoc tertium eſt ſymptoma, febris cum dolore colico & notandum, ex veteri conuerſione legi: *Et quando fuerit cum febre colica, non aperietur via in dando in potu aquam hordei, imo ius galli, &c.* in cuius litteræ explicatione interpretes vehementer laborant, ſed fruſtra, quoniam reuera ex huiuſmodi verbis nullus commodus ſenſus poteſt haberi: in noua autem conuerſione Bellunenſis legitur: *Et quando fuerit cum febre colica, tum cum aperitur via, non exhibeatur in potu aqua hordei, imo ius galli.* quæ interpretatio optima eſt, & hunc ſenſum habet: Si febris ſimul fuerit cum dolore colico, neque ſint apertæ viæ inteſtinorum, per quas excrementa poſſunt educi, tunc minimè dandam eſſe aquam hordei, hoc eſt, ſuccum ptiſanæ, quoniam hoc tempore illa corrumpitur flatus excitantur, doloreſque augentur; ſed contrà dandum eſſe ius galli, imponendáque clyſteria pinguia, ex quibus commodè feces emolliri atque educi poſſunt, ac demum ſi ità neceſſe fuerit, ptiſanam poſſe exhiberi de iure galli, de quo præterito anno diffusè diximus, tractantes dolorem colicum. In præſētia illud vnum dico, apud Gal. & Meſuem illud aluum mollire & mouere & ſi excrementa fuerint retenta, opportunè exhiberi. Huiuſmodi autem ſententiam forte Auicen. accepit ex Hipp. & Galen. 2. *de ratione victus* 32. Quibus cibus ſtatim incluſus fuerit, ſi quis non eo vocato

ſorbitionem dederit, dolorem ſi adeſt, angebit: ſi non adeſt, protinus inducet: cuius ſymptomatis rationem Galen. præclarè explicat *in com.*

De ſolutiuis eſt potio facta ex tamarindis.) In poſtrema hac parte Auicen. tractat de medicamentis purgantibus, quæ ad curandas febres putridas ſunt accommodata, & ita proponit catalogum multorum medicamentorum, de quibus atque huiuſmodi tractatione ſuperfluum eſt nos agere, cum nihil ſtatutum ſit hoc negotium priuatum conficere. Itaque ad alia progredior.

Vt febricitans quidem in æſtate febre frigida,&c.) Poſtrema hæc verba continent nonnullos canones & regulas, quarum prima eſt: *Si quis tempore æſtatis labo-et febre frigida, is non debet ingredi domum frigidam, ventiſq; expoſitam, & maxime quando ille ſudat ne materia ſudoris retrocedat & impediatur.* Auic. autem frigidam febrem intelligit, quæ ex humore frigido, pituita & melancholia generatur quæ ſanè ſententia cum hac litera eſt manifeſta. Sed ſciendũ eſt hanc particulam aliter legi in noua cõuerſione, hoc modo: *Et febricitans quidẽ in æſtate febre acuta:* quæ noua lectio & interpretatio videtur aduerſari Gal. 10. *meth.* 8.9. *meth.* 14. qui docet, homines laborantes febribus acutis & hecticis, deferendos eſſe in domos ſubterraneas, quæ frigidiſſimæ ſunt, & maximè perflatæ, & ad ſeptentrionem poſitæ. Et ſi quis obiiciat, huiuſmodi externum aërem frigidiorem obſtruere, ſudorémque & continuam cutis euaporationem impedire, huic reſpondet Gal. aërem frigidum conuenire, quatenus reſpirando attrahitur, vt qui calorem qui in corde eſt admodum refrigeret: non tamen quatenus extrinſecus corporis ſuperficiem pertingit, quippe corpus denſat cogitque cutem, & putridorum humorum effluxum prohibet tranſpirare: quare ego quidem puto antiquam literam nouæ conuerſioni præferendam eſſe.

Et trochiſci quidem non ſunt conuenientes principiis harum febrium,&c.) Cum ſuprà dixerat Auicen. in principio febrium putridarum non conuenire medicamenta, quæ habeant vim adſtringendi, ſed potius quæ habent vim aperiendi, quo loco nos improbauimus & trochiſcos, & cætera omnia quæcunque adſtrictione ſunt prædita. Ergo hæc ſecunda eſt regula, quæ idem repetit & docet, huiuſmodi medicamenta non conuenire, niſi poſt humorum concoctionem & vacuationem.

Et trochiſci quidem non ſunt conuenientes,&c.) Auicen. adhuc magis diſtinctè docet vſum talium medicamentorum, qui ait illa conuenire, vbi febris adhæreat ventriculo, & in illo quaſi febris hectica ſedem habeat, adeo vt ventriculus inſigni calida intemperie afficiatur: itaque in hoc caſu huiuſmodi trochiſci refrigerantes maximè conueniunt, quoniam ſtatim occurrent membro laboranti, atque illud facile poſſunt alterare. Nam ſicuti ſcribit Gal. 10. *meth.* 8. quemadmodum ex aëre attracto per reſpirationem immediatè ipſum cor alteratur, ita per ea quæ comeduntur & bibuntur, ſtatim ſuccurritur ipſi ventriculo, huic enim parti illa cum totis ſuis viribus occurrunt, ſicuti cordi inſpiratus aër: vnde regula optima eſt, & conſentit Galeno.

De conſuetudine. *Et dimiſſor conſuetudinis in regione ſua.*) ſenſus eſt; ſi quiſpiam prætermittat conſuetudinem, exempli gratia exercitationis, balnei, aut ſimilis rei, is quandoque incidit in febrem quæ non eſt tam periculoſa, cum pendeat ex cauſa manifeſta, ac ſperandum ſit, illum vbi ad priſtinam redierit conſuetudinem, à febre liberum fore. Ariſtot. 28. prob. 1. quærit, cur aliqui ægrotent, vbi vitam luxurioſam viuere aſſueti agere luxurioſè deſinant, ſicuti euenit Dionyſio Tyranno Syracuſano, qui vrbis obſidione deficiente commeatu, quod aliquantum temporis à ſolitis delitiis abſtinuerit, interea tabe protinus laborauit: ac reſpondet conſuetudinem vnicuique rem magnã eſſe, cum ferme in naturæ habitum permutetur: quare inquit Philoſophus ſicuti piſces inter aërem, aut homo in aqua degens malè habent, ita qui morem ſolitum mutauerit, ægrè atque moleſtè ex conſuetis diſcedit, & eodem rediiſſe ſaluberrimum eſt, perinde quaſi ad ſuæ naturæ ſtatum redierit: qui præclarè huius problematis rationem reddit, ac multa loquitur de conſuetudine, quæ ſunt digna maxima notatione. Itaque ſententia Auic. ex Ariſt. tam de bona, quam de mala conſuetudine intelligenda eſt: quod præceptum Hipp. quoque videtur confirmare 2. *aph* 8. cum inquit: *conſueta longo tempore etiam ſi deteriora ſint inſuetis, minus moleſta eſſe ſolent:* quæ eadem ſententia ſpeciatim de alimentis & potionibus habetur 2. *de ratione victus* 21. & iterum 2. *de ratione victus à text.* 10. *vſque ad* 30. longa oratione plurima refert incommoda & pericula, quæ ex mutatione conſuetudinis ſolent hominibus contingere.

Dubitatio. Veruntamen de hac re dubium eſt; ſiquidem non videtur veriſimile, neque rationi conſentaneum fore, vt prætermiſſa conſuetudine, ac potiſſimum ſi ea mala fuerit, homo lædatur, & aliquo morbo laboret: ad quem modum ſcribit Gal. de conſuetudine, poſtremis verbis: qui malam victus rationem mutant, de alimenti copia aliquid detrahentes, exercitationem verò addentes, abſque morbo incolumes ſeruari, illoſque ex hac mutata conſuetudine non ſolum non lædi, ſed etiam magnopere iuuari, quæ ſanè doctrina maximè cõuenit doctrinæ Hipp. 6. *ep.* 4. 22. necnon Ariſt. *ſect.* 1. *probl.* 47. qui fere iiſdem verbis ſcribunt eſſe præcipuum caput ſanitatis non repleri cibis vſque ad ſatietatem, & impigrum eſſe ad labores: quod ſi quis à nimia crapula & otio ſe conuertat ad moderatam victus rationem, atque ad exercitationem, nullo modo videtur fieri poſſe, vt ille ex hac mutatione conſuetudinis aliquod periculum incurrat, ex quo non ſine ratione Hipp. 2. *aph.* 5. vniuersè hortatur homines, vt non perpetuò eandem conſuetudinem teneant, ſed ad inſueta quoque mutationem faciant.

Ad hanc dubitationem pro veritate reſpondendum eſt, ex vna parte mutationem conſuetudinis, ſiue bonæ, ſiue malæ, quæ affatim & repente fiat, perpetuò fugiendam & noxiam eſſe, adeo vt, etſi neceſſe non eſt hominem protinus ægrotare, tamen neceſſe ſit hominem lædi: ex altera autem mutationem conſuetudinis in meliorem, quæ paulatim & temporis progreſſione fiat, licitam & ſalutarem eſſe. Quæ reſponſio eſt Hipp. & Gal. tum aliis locis, tum maximè 2. aph. 51. *Plurimum atque repente vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum: omne enim nimium naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit, tutum eſt, cum aliàs, tum quando ab altero ad alterum fit tranſitus.* Quæ eadem ſententia habetur, 2. *de ratione victus*, variis in locis, in quibus non aliud Hipp. & Gal. conantur demonſtrare, niſi ſubitam conſuetudinis permutationem non paruum corporibus afferre detrimentum: ex quo factum eſt, vt Galen. 5. *de tuenda valet.* 10. velit, ſenes potiùs conſuetis operibus excitari, tametſi illis non ſint commoda & ſalutaria, quàm conſuetudinem mutare, cum iſtud illis non liceat niſi longo tempore ac ſenſim facere, proptereáque tempus illis deficiat, quo meliore conſuetudine vti poſſent: non aliter inquit Gal. ac ſi quis octogenarius artem aliquam addiſcere incipiat: qui contra iuuenes hortatur, vt omnino malas conſuetudines deponant, etiamſi à pueris iis maximè fuerint aſſueti, cum habeant vires quæ moderatè factam

muta

mutationem poſſint ſuſtinere, liceátque ſperare, eos in reliquo tempore fructum aliquem ex meliore conſuetudine poſſa percipere. Ex quibus cum ſatis facila ſit vnicuique ad obiectis rationes reſpondere, non eſt vt de hac re longius agamus.

Capvt XIV.

De cibatione Febricitantium in genere.

DIxerat Auic. 4. *primi* c. 1. quod acceperat à Gal. 1. *de ratione victus* 6. necnon 3. *de med. ſecund. gen.* 2. triplicem eſſe materiam per quam vniuerſa perficitur medecina, victus rationem, manus operationem, & medicamenta. Cum itaque ille in c. 7 tractaſſet de curandis febribus putridis per ſectionem venæ & medicamenta, in præſenti c. intendit agere de victus ratione, quod facit generaliter, qui ſpeciatim quoque de eadem re poſteriùs acturus eſt. Quoniã verò Auic. ſatis confusè hanc rem tractat, vnde vix poſſumus certã capitis diuiſionẽ colligere, antequã venio ad literã, conabor quãtũ licet, ordinatè illius ſentẽtiã ſummatim colligere, & vobis explicare: itaq; tractabimus primùm qualis eſſe debeat victus febricitantium: ſecundò, qualianam aſſe debeant alimenta: tertiò, quantum: quartò, quomodo: quintò, quando illa oporteat exhibere,

Qualitas ciborum.

Quod ad primum pertinet, ſciendum eſt, qualitatem alimenti in febribus indicari à rebus vel naturalibus vel præter naturã, vel nõ naturalibus: ſi conſiderentur res naturales, ætas, tamperies, conſuetudo, & ſimiles, illæ perpetuò ſimilia indicant: ſi conſiderentur res præter naturam, morbus, cauſa morbi, ſymptoma, hæc ſemper contraria poſtulant: ſi conſiderentur res non naturales, aër, regio, tempus anni, & ſimiles, hæ quandoque ſimilia, quandoque contraria requirunt. Hæc doctrina eſt Gal. 6. *meth* 6. 1. *de ratione victus* 44. de qua tamen dubitant nonnulli, quatenus pertinet ad res naturales, quas contendunt non perpetuò ſimilia, ſed quandoque contraria indicare, Exempli gratia, in ſenectute admonet Gal. 5. *de tuenda valetudine*, conuenire calida & humida, cum nihilominus ſenes ſint frigidi & ſicci: ſic paſſim in temperamento calido & ſicco laudat potionem aquæ, alimenta frigida, quietem corporis, quæ ſunt contraria, non ſimilia corporibus bilioſis: ſic in præcedente lectione vidimus ex Gal. malas conſuetudines iuuenibus mutandas eſſe, quæ non ſimilibus, ſed contrariis mutantur. Sed breuiter ad hæc reſpondearis ex Gal. 8. *meth.* 9. nec non *cap.* 86. *artis medicæ*, qui docet tamperamenta quædam eſſe inculpata & optima, quædam vitioſa & improba: ex quib. priora, quæ optima ſunt, perpetuò ſimilia poſtulant, à quibus poſſint conſeruari, poſteriora quæ à ſui bonitate deficiunt, contraria requirunt, ex quibus poſſint & in meliorem ſtatum deduci, & præſeruari, ne in deterius labantur. Quod verò de temperie dictum eſt, idem de ætate, conſuetudine, & reliquis ſtatuendum eſt. Ergo ſi conſideretur natura febris, quam conſtat eſſe paſſionem calidam & ſiccam, nulli dubium eſt, quin illi conueniant alimenta contraris, frigida.

Vtrum alimenta actu & poteſtate frigida eſſe debeant.

Verùm cum huiuſmodi alimenta talia eſſe poſſint vel poteſtata vel actu, quæritur quomodo intelligendum ſit, alimenta frigida & humida febricitantibus conuenire: ac primùm de frigiditate, ſicuti omnes fatentur conuenire alimenta quæ refrigerandi vim habeant, ſicuti eſt lactuca, ptiſana, & ſimilia, ita non conuenit inter omnes, an frigida actu vel poteſtate debeant exhiberi: etenim aliis placet illa danda eſſe actu frigida, qui affirmant hac vtraque ratione, & actu & poteſtate magis refrigerari ventriculum & aliàs partes, necnon refrigerationem poſſe adhuc magis & faciliùs cordi communicari: alij verò contrà opinantur huiuſmodi alimenta poteſtate frigida nonniſi actu calida exhibenda eſſe, propterea quòd hoc modo faciliùs à natura deducantur ad actum, & concoquantur. Difficultatem ſoluit Gal. 10. *met.* 11. qui ſcribit, alimenta quidem danda eſſe frigida, ſed non valde frigida ſicuti potionem, cuius diuerſitatis rationem reddit; quòd potio facilè tum incaleſcat, tum per corpus digeratur, alimenta autem cum plus temporis in ventriculo maneant, forta ipſum poſſent magis quàm deceat, refrigerare. Deinde nec dubium eſt, quin alimenta humida poteſtate eſſe debeant: ſed præterea ſcribit Gal. in libello *de optima ſecta ad Thraſybulum* 4. ſi modò hic libet inter Gal. legitimos eſt enumerandus, ſed & quod idem habetur 1. *aph.* 11. ſcribit, inquam, Gal. alimenta actu quoq; humida eſſe debere, vt facilius concoquantur & diſtribuantur. Quatenus igitur pertinet ad qualitatem, ax naturã febris conueniunt alimenta frigida poteſtate & actu, ſed tamen moderatè, ac potiùs tepida, ſicuti eſt aqua fontana tempore æſtatis, potio autem conuanit valde frigida, pariter conueniunt alimenta humida, vtroque modo, qualis inter cætera omnia ptiſana principem locum obtinet.

Qualitas alimentorũ.

Verùm ſecundo loco, quænam ſunt iſthæc alimenta frigida & humida; Non certè omnia, ſed quæ ſint boni ſucci, quæ facilè concoquantur, quæ difficilè putreſcant, non adſtringant, non exaſperent vias, leniant aluum, prouocent lotium, qualia apud Gal. & veteres admodum pauca numerantur, vt mulſa & ſuccus ptiſanæ, quam ptiſanam ſpeciatim ſcribit Gal. 1. *de ratione victus* 18. habere omnes conditiones, quæcunque ad victum febricitantium fuerint accommodatæ.

Quantitas alimentorũ.

Quanta autẽ alimenta febricitantibus ſint exhibẽda, ex duob. capitibus debet intelligi, ex viribus ægrotantis, & ſtatu morbi: namque ſi vires fuerint robuſtæ, & ſtatus proximus, val nullo protſus alimento, vel ſaltem leuiſſimo, ac ſola potione; æger nutriendus eſt: ſin vires fuerint imbecilles, ſtatus autem ſit longior, ea conueniunt alimenta, quæ valde nutriant, ſed minori quantitate, exempli gratia, oua recentia: quod ſi ſtatus adhuc magis futurus ſit longior, vt in febre quartana, & tertiana notha, inſtituendus eſt victus plenior, quales ſunt carnes pullorum, auicularum, & ſimilium. Hæc habentur apud Hip. & Gal. 1. *aph.* necnon *de ratione victus* 1. pluribus locis.

Quomodo & quando exhibenda.

Quarto loco quomodo alimenta ſint diſtribuenda, ſamelne an ſæpius? iſtud nos præclarè docet Gal. cum aliis locis, tum maxime 1. *aph.* 17. neque enim ſatis eſt, nouiſſe, an expediat plus minùſve dare, aut alimento vti vel deſiccante, vel humectante: ſed præterea conſiderandum eſt, ſemelne an ſæpius in die aut nocte conueniat alimenta exhibere: quæ quidem indicationes primùm ex morbo ipſo & viribus ægrotantis, deinde ab ætate, tempore, conſuetudine, & ſimilibus ſunt accipienda, quæ omnia diffusè & ſigillatim explicantur à Gal. vt alia explicatione non ſit opus.

Poſtremò alimenta in febribus danda ſunt, ſi fuerint intermittentes in intermiſſione; ſi fuerint continuæ, in declinatione; ſi fuerint in eodem ſtatu, in tempore per ſanitatem conſueto: quam rem ſuperiùs explicatam, nolo iterum repetere.

Et ſcias quòd conuenientiora alimenta febricitantibus ſunt alimenta humida.) Eſt vulgaris, *aph.* 16. particulæ primæ, cuius duplex habetur lectio: altera, *victus humidus omnibus febricitantibus confert*: altera, *omnis victus humidus confert febricitantibus*. Ad quẽ modum Gal. videtur legiſſe 8. *met.* 9. de qua dictionis varietata non multum laboro, qui cenſeo, ſi modò Hip. & Gal. mens probe intelligatur, vtram-

que lectionem veritatẽ continere. De hac ſententia ſcio multas proponi difficultates, ex qoibus id tãtũ mihi libet quætere in pręſẽtia, quamobrẽ Hip. & illius imitatione Aui. nihil dixerint de victu frigido, cũ reuera ex natura febris quam cõſtat inter omnes calidam eſſe, longè magis alimenta frigida quàm homida illi videãtur cõuenire. Ad hanc apparentem abſurditatẽ ſunt multæ reſpõſiones. Primùm aiũt nonnulli, frigiditatem fuiſſe ab Hip. prętermiſſam, tanquam rem manifeſtã, cum uulli dubium eſſe debeat, quin febris & alimenta & cætera frigida cõueniant, hic enim fuit mos Hip. vt notat Gal. 2. *de diff. reſpirat.* 7 nimirũ prætermittendi vulgaria, & quæ omnibus nota ſunt, ſicuti cõtrà mos fuerat Thucydidis omnia ſetibere, etiam nota idiotis, & nihil ipſorom penitus prætermittere: ſed nemo negat, febrem eſſe morbum calidum, molti autẽ negãt eſſe motbum ſiccũ. Secundò, alij reſpõdẽt, Hip. meminiſſe alimenti dontaxat homidi, prætermiſiſſe frigida, propterea quia alimenta humida omnib. febticitantib. conueniũt, frigida autem minimè: ſienti euenit in quotidiana & quartana, in quibus ex præcept. Gal. 8. *meth. vlt.* ſomendo indicationem ab homotib. putteſceutib. pituita & melancholia, qoi ſunt frigidi, certũ eſt alimenta calida cõuenire. Tertiò, ſuot qui aſſerũt, Hip. prætermittendo alimenta frigida, oos voloiſſe timidos, aut ſaltẽ cautos reddere circa illorum adminiſtrationem, quoniã, ſicuti ſcribit Gal. 10. *met.* 7. refrigeratio in febrib. quod per efficaciſſimam qualitatem inducatur, & parui temporis eſt, & perieuloſa: contrà verò humectatio & longioris tẽporis eſt opus, & minus eſt quàm refrigeratio perieulis expoſita. Quartò, & quidem nobiliores interpretes prope omnes ita ſtatuunt, Hipp. antiquæ breuitatis ſtudioſiſſimum, vnius contrarietatis mentionem facieutem, quæ ad humiditatem & ſiccitatem pertinet, alteram qooque contrarietatem, quæ in caliditate & frigiditate verſatur, intelligere voluiſſe. Tot, forte etiam plures, ſunt interpretationes huius ſententiæ, de quib. eum nolim in præſentia iudieium facere, res enim foret longiſſima, mihi ſatis fuerit aliam reſponſionem proferre, quam cenſeo ad mentem Hip. & Gal. cæteris omnibus eſſe magis accommodatam. Itaque memoria eſt repetendum Hip. cooſilium propoſitum, quod illo aph. fuerat, tradere iodicationem alimenti, uon ſolùm ex re præter naturam, febre, ſed etiam rebus naturalibus, ætate & conſuetudine, atqoe ſimul vtramque indicationem coniungere: quare mea quidem ſenteotia neque debuit, ueque potuit frigida alimenta commemorare, quæ ſicuti conueniunt febricitantibus, ita pueris & iis qui tali victu vti conſueuerunt, nullo pacto poſſont coouenire: atque hioc factum eſt, vt Gal. quoque etſi aſſerit febrem calidam eſſe paſſionem, tamen frigidi alimenti nullam mentionem faciat, cum probè intelligeret, illa neque puerorum ætati, neque conſuetudini conuenire: quam ſanè interpretationem ille videtur adhuc planiùs explieaſſe, cum inquit 8. *meth.* 9. *Ita Hipp. mihi videtur ſentire, vbi ait, omnis victus humidus febricitantibus eſt idoneus, potiſſimum pueris*, &c. *Febricitantibus enim, in quantum febricitant, ex ipſa contrariorum indicatione humidus victus conducit, pueris ex ſimilium: quod item de conſuetudine dicendum eſt.* Hæc Gal. Itaque cibi conuenientiores febricitantibus ſuot cibi humidi.

Cum accidit febris, & natura eſt ſicca, &c) Si ſuperueniat febris cum ſiccitate excrementorum alui, inquit Auicen. ægrotum non fore nutriendum, priuſquam excrementa egrediantur: quæ fuit ſententia Hipp. 1. *de ratione victus* 32. & 45. quare oportebit vos perpetuò interrogare veſtros ægros, quomodo aluus reſpondeat, vt poſſitis opportunè illis alimenta exhibere. Et ſi quis iunior quærat, vtrùm ſit neceſſe quotidie & ante ſingula alimenta, vel clyſteribus, vel alia ratione ægrum excrementa deponere? Is ſciat de hac re nihil certi ſtatui poſſe, ſed pro ratione eorum, quæ aſſumuntur, morbi, & aliarum rerum, modò ſæpiùs, modò rariùs aluum mouendam eſſe: etenim, gratia exempli, ſi quis laboret febre, in qua propter ſummam iecoris caliditatem excrementa indurentur & exſiccentur, huic bene erit quotidie refrigerentia & mollientia clyſteria imponere: ſin autem nulla adſit tanta ſiccitas, & vſtio excrementorum, ſatis fuerit, & ita vſus obtinuit, vt ſaltem alternis diebus excrementa alui deponantur.

Et oportet vt occurrant paroxyſmi ventribus eorum vacuis.) Præceptum eſt vtiliſſimum ac perpetuò obſeruandum, nempe, vt paroxyſmi, in quantum fieri poteſt, non reperiant alimenta in ventriculo, alioqui natura intenta coctioni alimenti, ceſſabit à coctione morbi, qui propterea fiet difficilior, & prorogabitur: quare ægri ſemper nutriendi ſont in declinatione vel in ſebricitatione; quod ſi æger hoc tempore fuerit aſſuetus alimenta aſſumere, tunc occaſio dandi alimenti magis opportuna cenſenda eſt. Hæc ſententia eſt Auic. quam ille accepit ex Hipp. & Gal. 1. *aph.* 3. 11. t. *de ratione victus* 16. t. *meth.* 21. de qua re ſemel atqoe iterum diximus, neque eadem ſæpius ſunt inutiliter repetenda.

Et ſcias, quod de cibatione & regimine eſt, quod eſt ſubtile valde.) Hactenus docuit Auicenna, qualianam alimenta, & quo tempore febricitantibus conoeniant: nunc tertium caput aggreditur, quod ad quantitatem pertinet, itaque hanc facit victus diuiſionem: Victus quidam eſt tenuis valde, quidam craſſus valde, quidam medius inter vtrumque. Victus tenuis valde eſt omnimoda alimenti & potus abſtinentia: Craſſus valde eſt cibus ſanorum hominum: Medius inter vtrumque eſt duplex, alter qui declinat ad victũ tenoẽ valde, qualis eſt ſuccus granatorum, molſa, ſuccus priſanæ, olera, & ſimilia: alter qui declinat ad victum craſſum valde, qualia ſunt oua ſorbilia, pulli, gallinæ, &c. Auicen. forte hanc diuiſionem accepit ex Gal. qui 1. *aph.* 4 totam victus rationem diuidit in plenum, tenuem, moderatum: quorum quidem variorum victuum naturam ex variis vniuſcuiuſque officiis atque effectibus declarat, qui aſſerit victum plenum, qualis eſt qui ouis, alica, piſcibus, & id genus aliis alimentis perficitur, vires hominis poſſe augere; tenuem, qualis ſit perpauca aut parum nutrientia alimenta, ſicuti eſt ſuccus ptiſanæ, vires imminuere: moderatum & medium inter duo extrema vires conſeruare. Sed Gal. prætermiſſo victu pleno & moderato, quorum vſus in morbis planè eſt rarior, victum tenuem rurſum diuidit in quatuor partes, in tenuiſſimum exquiſitè, quem interpretatur integram inediam, & omnem ciborum abſtinentiam: in tenuiſſimum, ſed non exquiſitè: quem, inquit, fieri per ſolum melicratum: in tenuem ſimpliciter, qui per ſuccum ptiſanæ, aut ptiſanam integram conficitur: in tenuem exquiſitè, qui eſt, vbi hæc ipſa alimenta, ſuccus ptiſanæ, vel ptiſana, exigua ſumuntur quantitate.

De exquiſita inedia.

Circa ea quæ heri diximus de tenui victu, occurrit dubitatio, vtrùm huiuſmodi victus extremè tenuiſſimus ſine vllo alimento & potu, apud nos & hoc noſtro tempore in aliquo morbo poſſit conuenire: etenim nonnulli id negant, ac ſuam ſententiam conantur confirmare, primùm auctoritate Hipp. qui vt paulò ſuprà vidimus 2. *de ratione victus*,

Digitized by Google

ctus, multis rationibus & demonſtrationibus omnem ſubitam conſuetudinis mutationem in victu grauiter improbat, adeo vt textu 21. affirmet, alimenta & potiones iamdiu conſuetas, etſi vitioſas, tamen ad ſanitatem ſecuriores eſſe, quàm ſi quis ſubito ad alterum alimentum, vel melius ſeſe transferat. Cùm ergo homines hoc tempore ſint aſſueti comedere non ſolum ſemel, ſed etiam bis, ter, ac ſæpius in die, hinc colligunt huiuſmodi ſubitam mutationem & tranſitum ad omnem alimenti abſtinentiam nulli morbo in præſentia, & nulli noſtrum hominum conuenire: ex quo Auer. 7. *colliget* 10. inquit regionem antiquorum tempore Hipp. & Galen. ſubtiliorem fuiſſe, cum per vnam hebdomadam nihil prorſus dabant, & ſi aliquando volebant ingroſſare, aquam mellis tantummodo exhibebant: ſed homines in ſua regione, quæ eſt calidior regione Græcorum, in qua propterea maior fit reſolutio, non poſſe tantam inediam tolerare: quare addit, in inſtituenda hac victus ratione conſiderandam eſſe temperiem corporis, habitum, conſuetudinem, & ſimilia; necnon alimenta, quibus Græci illi veteres vti conſueuerunt, ſicuti ſunt vinum, carnes porcinæ, & ſimilia, quæ ſunt plurimi nutrimenti, à quibus Arabes propter legem cogebantur abſtinere: ſiquidem illi homines, qui ſunt in regione calidiore, qui habent temperiem & corporis habitum calidiorem, & reſolubilem, & qui conſueti ſunt comedere ſæpius in die, non poſſint tenuiſſimum illum victum ſuſtinere. Præterea Galen. 5. *de ratione victus* 13. ad mentem Hipp. huiuſmodi victum tenuiſſimum appellat alienum & monſtroſum: iis addunt nonnulli ex vulgari & communi fere hominum opinione, hoc tempore corpora non adeo robuſta eſſe, ſicuti fuerant tempore Hipp. & Gal. cum res omnes, ac præcipuè homines videantur quotidie in deterius progredi, & perpetuò declinare. Quare concludendo, cum nos ſimus ſoliti ſæpius in die comedere, cum ſumma media ſit victus monſtroſus & alienus, cum aliam regionem à regione Hip. & Gal. longe diuerſam incolamus, cum forte neque per ſanitatem veſcamur alimentis tam nutrientibus, ſicut illi nutriri conſueuerant, ſtatuendum videtur, eiuſmodi exquiſitam alimenti abſtinentiam per tot dies hoc tempore nulli morbo, ac nulli hominum conuenire. Altera autem ex parte Hip. & Gal. 1. apor. 7. 1. *de ratione victus* 44. 2. *de dieb. criticis*. 51. *& aliis locis*, ſi morbus fuerit peracutus, ægrique habuerint illas conditiones, de quibus paulo ante diximus, non verentur illos ſine vllo alimento, & ſine vlla potione, & ſine aqua ad ſeptimum diem detinere: quod quidem experientia confirmat vtiliter fieri. Nam quandoque æger quatuor & plures dies nihil planè poteſt accipere, ſicuti euenit in angina, & tamen ille feliciter ſanatur. Itaque nulli dubium eſſe debet, quin generaliter hic victus extremè tenuiſſimus poſſit cõuenire. Sed illud addo, ad noſtra quoq; tempora, ad noſtras quoq; regiones, & ad noſtros quoq; homines eum poſſe accommodari: ac primùm audiamus Hip. qui poſtquam de multis ſignis prognoſticis locutus eſt 3. *prog*. 40. inquit illa omnia veritatem continere, in Lybia, in Delo, in Sipia, qui vt Gal. interpretatur *in com*. Lybiam tanquam calidam, id eſt, Africam Sipiam tanquam frigidam, Delum tanquam mediam inter vtramque regionem, exempli gratia commemorauit. Quod ſi Hipp. & Gal. docent, nobis licitum eſſe idem prædicere in omni anno, in omni tempore, in omni regione, cur non idem de ratione inſtituendi victus, ac tota curatione liceat ſtatuiſſe; Verùm ad obiectas rationes reſpondeamus: & primùm quoniam Hipp. & Galen. volunt conſuetudinem in morbis ſeruandam eſſe, illud fatemur eſſe verum dummodo non ſint alia maioris momenti, quæ contrarium indicent. Exempli gratia: de tempore dandi alimenti, ſi illud poteſt dari, qua hora per ſanitatem æger conſueuit comedere, optimum eſt conſuetudinem ſeruare. ſin autem hoc tempore immineat principium paroxyſmi, huiuſmodi indicatio à conſuetudine eſt negligenda, quoniam ea altera dignior indicatio, quæ perſuadet hac hora minimè nutriendum eſſe: pariter ſi æger nutriendus eſt, bis in die nutriendus eſt, ſi hoc modo tempore ſanitatis ille nutriri conſueuerat; ſin verò fuerit aliquod impedimentum, veluti morbus extremè acutus, tunc neque bis, neque ſemel, neque quicquam oportet exhibere, imò ſicuti ſubito facta eſt inſignis mutatio ſanitatis ad grauiſſimam ægritudinem, ita expedit ſubitam ac maximè victus rationem diuerſam inſtituere. Gal. tenuiſſimum victum monſtroſum appellat, ergo puto, in morbis acutis, in quibus non conuenit. ad quem modum ipſe quoque Hip. dixerat 1. *aph*. 4. talem victum periculis plenum eſſe: alioqui niſi hanc interpretationem recipiamus, non intelligo, quomodo & Hip. & Gal. poſſint defendi, qui vt paulò ſuprà diximus, ſi ita ferat occaſio, ſæpenumero integram alimentorum abſtinentiam probant.

Auerrhoïs conſiderationes non ſunt omni ex parte negligendæ, ſed tunc plurimæ deeſſent conditiones à Gal. requiſitæ, ſine quarum conſenſu conſtat nullum ægrotantem ſine alimentis tot dies detinendum eſſe.

Poſtremò autem noſtra corpora hoc tempore non declinare, neque minus robuſta eſſe, quàm fuerint tempore ſuperiore, is facile fatebitur, quicunque memoria repetet, quod ſcribit Gal. in lib. *optimus medicus optimus philoſophus* hunc mundum eundem eſſe, qui olim fuerit, anni tempora eundem ordinem ſeruare, ſolem ſuos circuitus nulla ex parte mutatos percurrere, denique omnes ſtellas ſiue fixas, ſiue errantes eandem planè ſtatus rationem continere. Et ſi quis obiiciat, quoſdam veteres tercentos, nonnullos ſexcentos, alios octingentos, & plures annos vixiſſe: huic reſpondet Plinius *lib*. 7 48. hæc omnia inſcitia temporum eueniſſe. quandoquidem alij annum vnum æſtate, alterum hyeme determinabant: alij ex quatuor anni partib. quatuor annos conficiebant: nonnulli ſenio lunæ, & aliis rationib. de quib. idem Plinius agit diffuſè. Nam certum eſt tam veterib. quàm noſtris tẽporib. homines eoſdem annos viuere, quod nobis in primis confirmant ſacræ literæ, quæ teſtantur Pſalmo 89. annos hominis non plures eſſe quàm octuaginta, præterea verò nihil aliud quàm laborem & dolorem ſupereſſe: ſic ſcribit Auerr. 2. *de gen. & corrup*. 58 vitam naturalem hominis in ſeptuaginta annis fieri. Quod ſi iſtud verum eſſet, res omnes atque in primis homines reddi quotidie imbecilliores, & perpetuò declinare, vtique hoc foret argumentum euidentiſſimum ad probandum mundum non eſſe æternum, atque ad euertendam vniuerſam Ariſt. philoſophiam, ſiquidem omnia tandem poſt longa tempora ad ſummam imminutionem & debilitatem terminarent, qua ratione ſpecies rerum omnium neceſſariò deficerent. Ergo ſicuti Hip. & Gal. ſuo tempore vtebantur hac tenuiſſima victus ratione, nulli dubium eſſe debet, quin hoc etiam tempore nobis liceat hunc eundẽ victũ adminiſtrare: verum tamen cum rarò eueniat vt ſimul concurrant multæ conditiones, quæ hac in re ſunt neceſſariæ, adde, cum hic victus ſit admodũ expoſitus calumniis, & præcipue muliercularũ, quæ perpetuò conquerantur de medicis, quod nimis parcè ægros nutriant, hinc fit, vt rarò admodum,

De mundi conſtantia.

vel

vel nunquam huiuſmodi victum inſtituamus.

Et Kiſch quidem hordei eſt bonus cibus.(Per Kiſch hordei intelligit priſanam hordei, quã appellat bonũ alimentũ, & multis ornat laudib. nimirũ quod facile coquitur, lenit, abſtergit, refrigerat, humectat, ſitim extinguit, nihil adſtringit, ſed aperit, facile penetrat, ac ſi bene coquatur, quòd caret flatib. quas omnes dotes & facultates forte etiam plures, Hip. & Gal. huiuſmodi ferculo tribuũt, 1. *de rat. victus*, 18. *& lib. de priſana* 5. At verò cum nos poſterius de ptiſana, nec non de illius vſu & præparatione ſimus locuturi, nõ eſt vt in præſentia de ea lõgius agamus.

Et dignior horarum ad ſubtiliationem eſt ſtatus.) Eſt ſententia Hip. 1. aph. 8. quando morbus in ſuo vigore cõſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt, idq; propter duas cauſas, quæ exponuntur à Gal. *in com.* alteram, quoniam hoc tempore ſymptomata ſunt maxima: alteram, propter morbi coctionem: neque enim diſtrahere oportet naturam ad alteram nouam alimenti coctionem, quæ tunc vni humorum coctioni debet fortiter vacare.

Et dignior horarum ad ingraſſandum eſt hora in qua virtus.) Sicuti in vigore morbi tenuiſſimo victu vtendum eſt, propter magnitudinem ſymptomatum, & occupationem naturæ in coctione materiæ, ita in principio plenius nutriẽdũ eſt, cũ hoc tempore neq; ſymptomata vrgeant, neq; natura ſit valde occupata circa morbi coctionẽ, quæ pariter fuit ſentẽtia Hip. 1. aph. 10. *Quib. poſtea vigor futurus eſt*, &c. Sic Gal. 1. *ad Glau.* 8. iubet medicũ initio febrium ad vniuerſum morbi tẽpus reſpicere, & hac prouidentia victus rationem inſtituere: nam ſicuti in morbis acutis, qui celeriter ad vigorem perueniunt, ſtatim licet tenuem victum dare, ita in longioribus, niſi ægri copioſiore nutrimento reficiantur, periculum eſt ne ille vel ſimul cum morbo hominem interficiat, vel intempeſtiuè ſit mutandus.

Et æſtas quidem propter ſuam reſolutionem indiget additione cibationis.) Auic. in præſenti parte declarat, quomodo ex temporibus anni liceat accipere indicationem inſtituendi victum, vel tenuiorem, vel pleniorem, & inquit, in æſtate propter inſignem ſolutionem corporum danda eſſe plura alimenta, ſed propter facultatis concoquentis debilitatem, illa non ſemel, ſed plurib. vicibus exhibenda eſſe. Quam quidem regulam, conſentientem rationi, ac dignam obſeruatione, aut à nemine, aut à paucis hoc tẽpore videmus obſeruari. Hyeme autem contrà ſe res habet, neque enim tunc opus eſt tam copioſo nutrimento, cum non fiat tanta corporis reſolutio, quod præterea commodè ſemel & vnica vice poteſt exhiberi, cum hoc tempore virtus fortis bene poſſit illud concoquere & perficere. Autumno autem, quem malum tempus appellat, danda ſunt alimenta quæ quodammodo ſint media inter conſeruationem virtutis & dominium materiæ, adeo vt partim illi, partim huic indicationi ſatisfiat: nam hoc tempore ex vna parte propter calores & labores præcedentis æſtatis corpora ſunt reſoluta & reddita debilia, quamobrem ſunt nutrienda & reſtauranda: ex altera autem & propter æqualitatem temporis, & propter copiam fructuum, & propter alias cauſas corpora ſunt impura ac referta multis humoribus malis, vnde tenuiori victu opus foret. Itaque in huiuſmodi contrariis indicationibus media quadam ratione alimenta ſunt exhibenda, adeo vt & debilitatem virium, & copiam malorum humorum reſpiciant. Hæc ſummatim eſt ſententia Auic.

An æſtate magis nutriendum quàm hyeme.

Verùm ſtatim occurrit dubitatio aduerſus eam partem, in qua Auicen. inquit, æſtate magis, hyeme minus nutriendum eſſe: ſiquidem vulgaris eſt ſententia Hip. 1. aph. 15. *ventres hyeme calidiſſimi ſunt*: & aphor. 18. *æſtate cibos difficillime ferunt, hyeme facillimè*: & Galen. in com. habet, *Facile omnes ferunt alimentorum multitudinem hyeme, difficulter verò æſtate*: quod planè conuenit rationi. Sed vnico verbo reſpondearis Auicenn. loqui de corporibus ægrotis febricitantibus, quæ æſtate facile diſſoluuntur, quare habent diſpoſitionem ſimilem illis, qui ex defectu humorum conſiſtũt, vt propterea non ſine ratione alimenta expoſcant. Hipp. verò ſermonem habere de corporibus ſanis, in quibus abũdante hyeme calido innato, multo quoque alimento ad illius nutritionem opus eſt: quæ reſponſio ad verbum eſt Gal. 1. *aph.* 18. Ratio diuerſitatis nutriendi ſanos & ægrotos, colligitur ex eodem Gal. 1. *aph.* 4. quoniam in corporibus ſanis nobis propoſitum eſt, vires non ſolùm conſeruare, ſed etiam augere: in corporibus verò ægrotis id nobis ſatis eſt, vires quoquomodo factas debiles conſeruare.

Et ſcias quod ſi non eſſet illud quod pertinet virtuti) Sententia eſt veriſſima, & Galen. ſæpius repetita, virium gratia, non morbi, homines nutriri; ſiquidem morbus, quatenus eſt morbus integram inediam requirit, adeo vt ſi quis ſine vllo alimento poſſet vſque ad morbi vigorem perdurare, huic liceat nihil prorſus alimentorum exhibere. Hoc loco apud Auic. habetur illa famoſa dignitas, *curans eſt virtus, non medicus*, quæ antea fuerat Gal. c. 87. artis med. *Horum omnium natura opifex eſt, medicus verò miniſter*. Et ante Gal. fuerat Hip. 6. *epid.* 5. 11. *Natura morborum medici*: cuius ſententiæ Gal. præclariſſimam facit interpretationem, ac forte Hip. idem voluit, vbi dicit lib. de alimento circa princip. *Natura iuuat omnia omnibus*. Quoniam verò multi, vt tueantur atque amplificent dignitatem artis medicæ, conantur huiuſmodi ſententiã labefactare, duobus verbis illorum rationes audiamus. Ergo cum morbi ſint in triplici differentia, ſoluta vnitate, intẽperie, conformatione, libenter fatentur naturã duob. priorib. mederi, ad quã propriè pertinet quod ſolutũ eſt vnire, & quod intẽperatum eſt, ad naturalem tẽperiẽ reuocare: at verò in tertio genere inquiunt multa eſſe, quæ ſine vlla opera naturæ ſolo medico ſanantur, exempli gratia, cum os reponitur in luxatum articulum, cum ſextus digitus abſcinditur, & ſimilia fiunt manu medici, quæ nullo modo à natura fieri poſſunt. Verùm iſti mentem Hipp. & vim huius ſententiæ non ſatis intelligunt: neque enim ille docet ſolam naturam eſſe morborum medicatricem, ſed eam quidem primùm ac maximè morbos ſanare, medicum autem illam perpetuò iuuare, quod non ſolum in ſoluta vnitate & intemperie, ſed in omnibus morbis veriſſimum eſt: namque fruſtra medicus reponet os luxatum, abſcinderetque partem ſuperfluam, niſi natura deinceps foueat articulum ligamentis, tollat intemperiem, vniat partes ſolutas, & totum opus perficiat. Itaque natura verè omnium morborum eſt vera medicatrix, medicus verò eſt naturæ miniſter, illudque inter illam & medicum intereſt, quod à ſola natura, ſine medico, multi morbi ſanantur, à ſolo medico ſine natura nullus morbus poteſt ſanari: multi autem ſanantur partim à medico, plurima ad iuuandam naturam faciente, partim à natura tandem ſanitatem perficiente.

Et cum intellexeris hoc, tunc oportebit, vt conſideres ſi ægritudo fuerit acuta.) Cum Auic. feciſſet diuiſionem victus, atque ex præceptis antiquorum docuiſſet probam huiuſque adminiſtrationem, in præſentia vult docere, in quibus morbis tenuis victus conueniat, & in quibus non conueniat. Pro quo memoria eſt repetenda diſtinctio morborum ex Gal. 2. *de diebus criticis* 12. *lib.* 3. *vlt.* de qua ſemel atque iterum diximus, neque iterum eſt repetenda. Itaque ſi morbus fuerit valde acutus, vt debeat ter-

minare in die quarta, tunc tenuiſſimo victu, & omni alimentorum abſtinentia vtendum: ſi verò morbus fuerit acutus, non valde, vt debeat finire in die ſeptima, vel 14. inſtituenda quidem eſt victus ratio tenuis, ſed non extremè tenuiſſima: quod ſi tandem fuerit morbus diuturnus, aut qui proximè ad diuturnitatem accedat, qualis eſt qui pertranſit diem 20. tunc victu craſſiore vtendum eſt, cum non poſſit fieri, vt in morbo diuturno cum tenui victu æger vſque ad ſtatum poſſit perdurare. Hæc apud Auicenn. manifeſta ſunt, neque indigent longiori explicatione.

Verùm eſt tibi neceſſarium in omnibus ſpeciebus, vt ſit principium groſſius.) Sententia eſt, in principio omnium febrium craſſiore, in ſtatu autem tenuiore victu vtendum eſſe; quod non ſolùm de febribus, ſed etiam de omnibus morbis iam traditum fuerat ab Hippoc. 1. *aphor.* 10. & ratio eſt clara: cum enim natura ſit longè magis occupata in ſtatu quàm in principio, circa morbi coctionem, hoc quoque tempore debet minus grauari alimentis; quæ certum eſt ab altera coctione illam impedire. Ex qua regula Auicen. imò verò Hipp. & Galen. arguendi ſunt medici propè omnes noſtrorum temporum, qui ratione planè contraria progredientes, primi morbi diebus detinent ægros ferè ſine alimentis; adueniente autem ſtatu, quo tempore illa forent minuenda, ad oua, ad contuſum, ad aquam carnis, ad pleniſſimum victum deueniunt, quibus nihil deterius, & doctrinæ ſummorum virorum magis repugnans fieri poteſt.

Et cum ambigua tibi ſit diſpoſitio in ægritudine, tunc melius eſt declinare.) Ignorata natura febris, adeo vt neſcias, quantum alimenti ægroto dandum ſit, docet Auicen. tunc melius eſſe ad tenuiorem, quàm ad craſſiorem victum declinare: quam ſententiam accepit ab Hipp. cum dicit 5. *de ratione victus* 37. *Ciborum adiectioni intendendum multo minus, ſubtrahere verò omnino ſæpenumero expedit, cum æger ſufficere poſſit, donec morbus matureſcat.* Cuius quidem præcepti ratio redditur à Galen. *in comm.* propterea quia quod plus eſt ac redundat, noxas quandoque inemendabiles facit: quod verò minus eſt, facilè emendatur, cum liceat, ſi virtus videatur deficere, facilè parum alimenti miniſtrare. Et ſi quis contrà nobis obiiciat alteram ſententiam Hipp. 1. aphor. 5. *In tenui victu ægri delinquunt*: in qua videtur aſſerere, tenuem victus rationem pleniore magna ex parte eſſe magis noxiam & periculoſam: huic reſpondendum eſt cum Manardo; *libro quarto epiſtol.* 2. & aliis doctiſſimis viris, & literam & ſententiam illius aphor. deprauatam eſſe, quod manifeſtè colligitur ex Galeno, qui ſtatim initio commenti ſcribit, principium huius aphor. aliter legi, & pro altera lectione ſubiicit illam ipſam; quæ hodie tanquam legitima in omnibus codicibus, tam Græcis, quàm Latinis inuenitur: ex quo facilè poteſt intelligi, neceſſariò alteram ab hac diuerſam lectionem fuiſſe, quod etiam manifeſtiſſimè confirmat ſeries orationis, in qua Galenus has duas lectiones inter ſe comparat, atque vnam, quæ eſt hæc vulgaris, à quibuſdam magis probari, quibus ille non conuenit, qui alteram, vt veriorem, & menti Hipp. magis conſentientem amplectitur: qualis autem ſit hæc altera lectio, Gal. euidenter declarat, qui ſcribit, hanc generalem eſſe, & alteram ſub ſe lectionem continere, adeo vt vera lectio ſermonem habeat de quolibet errore, qui & præter voluntatem, & ex voluntate, & quomodocumque ægris contingit: Itaque ſummopere mihi probatur illorum opinio, qui cenſent, lectionem huius aphor. tanquam legitimam reſtituendam eſſe hunc in modum: *In tenui victus ratione committentes errorem ægrotantes, magis læduntur*: Quilibet enim qui committitur error, maior eſt in tenui, quàm in paulò pleniori victus ratione: propterea & ſanis periculoſa admodum tenuis conſtituta exactaque victus ratio: quoniam errata grauius feruntur ob hoc igitur tenuis & exquiſita victus ratio paulò pleniore magis periculoſa eſt: etenim ſi hoc modo legatur, ſententia eſt vniuerſalis, alteramque lectionem, nempe vulgatam, ſub ſe continet; plana eſt, perſpicua, rationi & vniuerſæ Hippocr. doctrinæ maximè conſentiens, cuius ſcopus ſiue intentio eſt comparare inter ſe victum tenuem & craſſum, non ſimpliciter, quòd factum eſt in loco citato 5. *de ratione victus*, ſed quatenus in vtroque, tam tenui quàm craſſo errores quomodocunque committuntur: vt hac ratione admoneantur medici, antequam victus rationem præſcribant, diligenter proſpiciendum eſſe, vtrùm aliquis error vel ab ægro, vel ab aſtantibus, vel à rebus externis, vel quouis modo, qui corpori aliquam læſionem inferat, poſſit committi necne; quandoquidem ſi nullum eiuſmodi periculum videatur imminere, iam tenuem licebit inſtituere victum; ſecundùm doctrinam ſequentium aphoriſmorum: ſi autem timor fuerit, ne aliquis error ex aliqua parte committatur, tunc victus non adeo tenuis opportunior cenſendus eſt, cum certum ſit, illum ab erroribus minùs lædendum fore: qui minùs tenui victu vſus fuerit: quilibet enim qui committitur error, maior fit in tenui, quàm in paulò pleniore victus ratione: & ſatis de interpretatione huius aphoriſmi.

Et de corporibus ſunt corpora cholerica, quæ requirunt regimen diuerſum.) Auic. in præſentia declarat quænam corpora magis vel minùs poſſint tenuem victus rationem & ieiunium perferre: & primùm inter ea quæ à tali victus ratione læduntur, collocat corpora biliosa, calida & ſicca: atque eo magis, ſi antea ſolita fuerint plurimis alimentis vti: quare niſi in principio & ſtatu febris nutriantur, vel ſyncope corripiuntur, vel ad tabem deueniunt.

De huiuſmodi corporibus, & quomodo famem nequaquam perferre poſſint, tractat Gal. copioſè 10. *meth.* 3.4. quo loco habetis hiſtoriam illius iuuenis annorum 55. temperamenti calidi & ſicci, corporiſque admodum gracilis, veluti carnis, laboribus, exercitationibus, cogitationibus, longis itineribus, triſtitia, vigiliis, adhuc magis extenuati & exſiccati, quem cum diatritarii illi medici ſine alimento longiùs detinerent. Gal. eum nutriuit & ſeruauit; qui ex facie ab Hipp. deſcripta 1. *prog.* 6. *& ſequentib.* deprehendit illum verſari in magno vitæ periculo, niſi principio acceſſionis nutritus fuiſſet.

Et ſunt de hominibus quidam, qui ſunt exuberantis carnis.) Poſt corpora biliosa Auicenna ponit corpora boni habitus, & plena carnis, quæ ſi detineantur ſine alimento, debilitantur & extenuantur, qualia ſunt corpora athletarum, quæ cum habeant calidum innatum & vires admodum validas, plurimo indigent alimento; quare famem nequeunt tolerare; & res eſt manifeſta.

Et ſenes quidem, & debiles, & infantes ſunt de genere eorum, qui non tolerant famem.) Indicatio inſtituendi victus vel craſſioris, vel tenuioris, ſumitur non ſolùm ex temperamento, & habitu corporis; ſed etiam ex ætate: quare inquit Auic. ſenes & pueros famem non poſſe perferre: ſenes verò quos primos appellat, famem bene tolerare, poſt quos ſequuntur iuuenes, & præcipuè qui habent membra ſolida, & venas amplas: quæ eſt ſententia Hipp. 1. *aphor.* 13. *Senes facillime ieiunium tolerant, ſecundo loco qui conſtantem ætatem agunt*, &c.

De ætate hominis ex variis illius partibus non quin&

omnes eodem modo loquuntur. Solon vitam humanam fecit 70. annorum, quam diſtinxit in decem partes vel ſeptimanas, & vnicuique ſeptem annos tribuit: alij in 12. hebdomadas, & ideo vitam hominis ad annum 84. perduci voluerunt: alij in nouem tantum, & ita 63. annum conſtituebant: ex quo orta eſt illa vulgaris opinio, hunc annum 63. eſſe fatalem, in quo plurimi moriuntur. Apud quendam incertum auctorem Græcum memini olim me legiſſe quandam ætatum diſtinctionem aſtronomicam, in ſeptem partes, quæ ſeptem planetis proportione reſpondent, quam quòd valde ſit ingenioſa mihi libet non prætermittere. Prima itaque infás à ſui generatione vſque ad quatuor annos, proportionem habet cum luna. Secunda, puer, vſque ad decem annos, proportionem habet cum Mercurio, Tertia, adoleſcens à decimo anno vſque ad 18. proportionem habet cum Venere. Quarta, iuuenis à 18. vſque ad 25. proportionem habet cum Sole. Quinta, Vir à 25. vſque ad 50. proportionem habet cum Marte. Sexta, Senior à 50. vſque ad 64. habet proportionem cum Ioue. Septima, Senex vſque ad extremum vitæ, proportionem habet cum Saturno. Marcus Varro ætatem hominis in quinque partes æqualiter diſtinxit, qui vnicuique præter extremam partem, annos tribuit 15. hoc ordine: in primo gradu vſque ad annum 15. ponebat pueros, ſic dictos quaſi ſint puri & impuberes. In ſecundo gradu vſque ad 30. Ponebat adoleſcentes, ſic nominatos ab adoleſcendo, hoc eſt creſcendo: in tertio vſque ad annum 45. iuuenes; ſic appellatos, quod rempublicam in re militari poſſent iuuare: in quarto gradu vſque ad annum 60. ponebat ſeniores, ſic nuncupatos, quod tum primum incipiant ſeneſcere: in poſtremo gradu vſque ad finem vitæ illos ponebat, qui verè ſenes appellantur, quòd hac ætate corpus verè ſenio laboret. Verùm de iis ſatis: nos cæteris omnibus prætermiſſis, ad medicos veniamus. Auicen. 1. *primi doctrina* 3. *cap.* 3. ætatem hominis diſtinguit in quatuor partes: Primam, adoleſcentiam, quæ ferè vſque ad 30. annum perdurat: Secundam, conſiſtentiam, vſque 35. annum vel 40. Tertiam, primam ſenectutem, quam ipſe appellat ætatem declinationis, cum remanentia virtutis vſque ad annum 60. Quartam, ſenium, quod vocat ætatem declinationis cum manifeſta virtutis debilitate, vſque ad finem vitæ. Rurſus verò primam partem, adoleſcentiam, diuidit in quinque partes: Primam, infantiam, quam inquit eſſe, cum membra pueri nondum ad motiones & ambulationem ſunt apta. Secundam, ætatem puerilem, quæ eſt poſt ambulationem, cum dentes nondum ceciderunt, & ante robur corporis. Tertiam, quæ eſt poſt natiuitatem dentium, & antequam polluantur. Quartam, quando ſemen emittunt, & quouſque barbeſcunt. Vltimam, ætatem fortitudinis, quouſque deſinunt creſcere. Hipp. 1 *aphor.* 13. & aliis locis, quantum ex illius ſcriptis licet colligere, quatuor tantummodo ætates videtur conſtituiſſe, pueritiam, adoleſcentiam, conſiſtentiam, & ſenectutem: quam ferè partitionem videtur imitari auctor definitionum medicarum, quæ Gal. adſcribuntur. Cæterùm Gal. ſi varios illius locos in vnum colligimus, vniuerſam vitam hominis in ſex ætates diſtribuit, pueritiam, pubertatem, adoleſcentiam, iuuentutem, conſiſtentiam, & ſenectutem, quas ſigillatim, ſed breuiter conabimur de illius ſententia vobis explicare. Itaque prima ætas eſt pueritia, quæ ab eo tempore incipit, quo infans maternum vterum egreditur, & ad 14. vel 15. vſque annum progreditur: hanc partem Hipp. in 2. *aphor.* 24. 25. 26. 27. videtur in quatuor partes diſtinguere, qui primo loco ponit paruulos & recens natos: ſecundo, qui ad dentitionis tempus accedunt, & dentes emittunt: tertio, proximos pubertati: quarto illos qui iam ad pubertatem accedunt. Secunda ætas Galeno pubertas nominatur, quod in ea pueri iam incipiant pubeſcere: hæc verò, vt illi placet 3. *aphor.* 27. necnon 5. *aph.* 7. incipit ab anno 14. & vſque ad 25. progreditur. Tertia eſt adoleſcentia, quam Gal. 5. *aphor.* 9. ſcribit incipere ab anno 18. & vſque ad 25. protrahi, etſi alio loco, nimirum 3. *aph.* 29. inquit adoleſcentiam medium locum obtinere inter puberes, & illos qui conſiſtentis ætatis vigorem habent, vt forte quoquo modo adoleſcentia ſub pubertate poſſit contineri. Quarta, iuuentus, ætas florens & conſiſtendi tempus appellatur, quæ auctore Galen. 3. *aphor.* 30. 5. *aph.* 9. incipit anno 25. & ad 38. extenditur. Quinta eſt ætas conſiſtendi, quæ ex Galen. 1. *aphor.* 13. inter iuuentutem & ſenectutem medium locum obtinet, & 50. annum pertingit, vt ille notat 3. *aph.* 30. Reliquum temporis, poſt annum, 50. ad ſextam ætatem & ſenectutem pertinet, quæ demum à Gal. 9. *de tuenda valetud. vltimo, poſtremis verbis*, in tres partes diuiditur: quarum prima eſt eorum, qui adhuc ſatis validi & robuſti ciuilia negotia poſſunt obire, quæ durat vſque ad annum 60. ſecunda eorum, qui iam parum validi & imbecilles ciuilia munia non poſſunt obire, quæ incipit anno 60. & ad 70. protenditur: tertia, in qua ſumma eſt virium imbecillitas, & vſque ad finem vitæ perdurat. Hæc de ætatibus hominis ex Galeno.

Sed forte nimiùm digreſſi, ad noſtram interpretationem reuertamur, quomodo ex ætate liceat victum vel craſſiorem, vel tenuiorem inſtituere. (*Senes facillimè ieiunium ferunt.*) Facilitatem tolerandi ieiunium Gal. interpretatur, quotieſcunque homo non appetit, & nihil mali inde ſuſtinet: difficultatem contrario modo. Senes verò interprete Galen. oportet intelligere, qui in primo ſenio ſunt conſtituti, minimè alteros, qui in extrema parte ſunt poſiti: ſiquidem priores, quòd ſint quoquo modo frigidi, neque habeant vires robuſtas, alimenta minus poſſunt conficere, quare bene ieiunium tolerant: poſteriores autem propter ſummam frigiditatem & virium debilitatem, paucis quidem alimentis, ſed tamen crebrò ſunt reficiendi, cum talia corpora ferè idem patiantur, quod lucernis pene extinctis contingit, quæ continuum requirunt olei ſupplementum, illud verò multum & cumulatum nequeunt perferre. Secundo loco famem facilè tolerant, qui conſiſtentem ætatem agunt, quod ſenibus quidem ſint calidiores, ſed adoleſcentibus frigidiores, itaque poſt ſenes faciliùs quàm adoleſcentes famem perferunt; minus autem quàm ſenes & ætate conſiſtentes poſſunt adoleſcentes famem tolerare: quod ſcilicet calor corpuſque eorum in aſſiduo ſint incremento: etenim quæ creſcunt corpora, plurimum habent calidi innati. Poſtremò pueri omnium minimè famem tolerant, partim quòd plurimum calorem innatum habent, partim quòd eorum ſubſtantia facile digeritur & diſſipatur, partim denique quòd nondum iuſtam incrementi perfectionem ſunt aſſecuti: inter pueros autem illi minùs famem perferunt, qui ſunt alacriores, quod cæteris ſint calidiores. Itaq; ex iis regulis & legibus debent medici in inſtituenda victus ratione, ætatum quoque rationem habere.

Capvt XV.

De aqua hordei & ſyrupo acetoſo.

Qvoniam duo ſunt remedia, quibus medici in febribus frequenter, ac ferè ſemper vti conſueuerunt: alterum ptiſana hordacea, quod & alimentum

mentum, & medicamentum eſt;alterũ ſyrupus acetoſus,vel oxymel,quod ſimpliciter eſt medicamentũ idcirco Auic. ſumma cum ratione facit hoc ſpeciale caput;de aqua hordei & ſyrupo acetoſo. Nos autem prætermiſſo ſyropo acetoſo de quo in priuatis lectionibus ſumus tractaturi, de vna ptiſana pertractabimus, in qua tractatione videbimus primùm quæ & qoomodo conficiantur ex hordeo: ſecundò an ptiſana hoc noſtro tempore conueniat: tertiò & vltimò, quando & quibus poſſit conuenire.

Quod attinet ad primùm, multa ex hordeo conficiuntur, ac primùm panes, de quib. ſcribit Gal. *de attenuante victus ratione* 6. 1. *de alim. fac.* 10. omnes, quoquo modo parentur, exigui eſſe alimenti, ſuccumque craſſum & flatus minimũ generare, quare apud medicos ſunt in nulla conſideratione. Secundò, ex hordeo conficiuntur polenta & maza, de quorum compoſitione & viribus tractat Gal. 1. *de alim. fac.* 11. 12. & ſi quis plura cupit, is videat Plinium *lib.* 18. 7. Tertiò, ex hordeo cõficiuntur variæ potiones, quæ variis nominibus appellantur, de quibus pariter Plinius ſcribit hunc in modum lib. 23. poſtremis verbis: *Ex iiſdem fiunt potus, zythum in Ægypto: cælia & ceria in Hiſpania: cereuiſia, & plura genera in Gallia, & aliis prouinciis.* Dioſcorides & zythum & alteram potionem commemorat, quam *Carmi* appellat, *lib.* 2. 80. *&* 81. & de quib. quidem potionibus nihil certi habemus apud antiquos, præterquã quòd videntur omnes in eo conuenire, quòd ſolet caput lædere, neruos item offendere, & mentem turbare: quare iis omnibus prætermiſſis, quæ hoc tempore ferè ignorantur, & nullum vſum præbent ægrotis, ad illa veniamus, quæ apud nos ſunt in frequenti vſu, ac potiſſimum in febribus in quibus ferè ſemper ſolent vſurpari.

De aqua hordei.

Primum igitur eſt aqua hordei; huius vſum conſtat antiquiſſimum eſſe, namque Hippo. illius mentionem facit 3. *de rat. victus* 43. per hæc verba: *De reliquis potibus, qualis eſt hordeaceus, poſterius tractabimus.* Et iterum 4. *de ratione victus* 71. *Quod ſi ſupra modum ſiticuloſi fuerint, bibant aquam hordei.* Et Gal. *in com.* hæc habet: *Quod Hip. potum hunc, tanquam ſitim tollentem exhibeat, manifeſtum eſt, ſed melius feciſſet, ſi prius docuiſſet, quonam pacto hordeũ parare oporteat, vtrùm ſimpliciter madefacere, vel ex eo zythum conficere, vt huius temporis homines ſolent, vel quouis alio modo præparare.* Ac ſanè mirum eſt de Galeno: qui cum ſæpenumero de hordeo atque ptiſana mentionem faciat; potiſſimùm lib. de alim. facultat. necnon de ptiſana, tamen nunquam de huiuſmodi aqua hordei ne verbum quidem fecerit: ex quo multi colligunt, ipſum talem potionem, aut prorſus ignoraſſe, aut ſaltem parui feciſſe & neglexiſſe. Contra verò omnes propè Arabes & plerique omnes communiter practicantes hoc tempore, cum in cæteris morbis; tum maximè in febribus illa vtuntur frequentiſſimè. Vnde quæritur, an illius vſus ſit recipiendus necne?

Qualitas hordei.

Sed primò videamus de natura & facultate hordei. Dum eſſem ſcholaris in hac ipſa ſchola, memini me audiuiſſe à nonnullis præceptoribus, hordeum eſſe calidæ & ſiccæ temperaturæ, ſed tamen moderatè; quam ſententiam manifeſtè reprobat Galenus 1. *de aliment. facult. cap. proprio de hordeo*, qui ſcribit hordeum non eandem facultatem cum tritico habere; ſiquidem triticum manifeſtè calefacit, hordeum verò non modò non calefacit, neque etiam moderatè, ſicuti faciunt nonnulla, quæ in medio ſunt calefacientium & refrigerantium, vt amylum & panis lotus, ſed ſed quomodocunque adminiſtretur, vim quandam refrigerandi habere conſpicitur: vnde concludunt, hordeum quouis modo præparatum, nunquam corpus calefacere, ſed pro vario modo præparationis, quandoque humectare, & quandoque ſiccare.

Itaque hordeum eſt frigidum & ſiccum moderatè, vt idem ſtatuit Galenus *lib. de ptiſana* 3. Quare cum facta longiore illius decoctione in aqua, pauca illa ſiccitas remittatur neceſſario, & ita fiat potio frigida & humida, ego quidem cenſeo, illius vſum minimè reiiciendum eſſe: nam confirmat experientia, huiuſmodi aquam præterquam quod moderatè refrigerat, & humectat, peculiari quadam prærogatiua ſudorem non leuiter prouocare, quod in febribus putridis plerumque eſt maximè expetendum. Neque verò auctoritas Galeni, qui illam vel ignorauit, vel neglexit, contrarium nobis debet perſuadere: nam quatenus pertinet ad medicamenta, poſt Galenum hominum vſu atque induſtria multa inuenta ſunt, quæ longiore iam vſu ſunt confirmata, neque debent repudiari: forte Galen. qui non ſatis intelligebat compoſitionem & facultatem talis aquæ, timuit ne illius vſus foret noxius, ſicuti ſcribit, omnes potiones ex hordeo præparatas, noxias eſſe, quare tam voluit prætermittere. Hordeum decoquitur ex ſimplici aqua, quæ decoctio debet eſſe longior, vt illud omnem flatum deponat, & potio efficacior reddatur: etſi vulgo & apud meliores, breui admodum tempore ſolet ebullire, qua ratione parum decocta euadit flatuoſa, ac ferè inutilis, fore etiam pernicioſa: quæ quidem decoctio ſi fiat in vaſis vitreis, multo iucundior & vtilior euadit.

Secundum quod conficitur ex hordeo, eſt ptiſana, de cuius præparatione multi multa loquuntur, ſed nos ex Galeno hanc rem quam breuiſſimè conabimur explicare. *Ptiſana.* Ante omnia hordeum optimum eligendum eſt, tale autem deſcribitur à Galeno 1. *de aliment. facultat.* 10. quod ſit candidum, denſum, ponderoſum, non rugoſum, & omni ex parte plenum: quibus addit *libr. de ptiſana* 3. quod neque nimis recens, neque nimis vetuſtum fuerit: ſiquidem recens excrementitia plenum eſt humiditate, adeo vt tum humore refertum, tum flatu diſtentum ſit: quod autem vetus eſt, longo tempore exhauſtum & imbecillum redditum eſt, propriaſque vires iam amiſit, præterea quod omnis excrementitiæ qualitatis ſit immune: ac poſtremò addit Galenus quoddam experimentum, cuius meminit 1. *de ratione victus* 26. ſi plurimum intumeſcat, & plurimum ſuccum faciat. Poſt electionem optimi hordei, optima quoque aqua eligenda eſt, de qua alias diximus diffuſè & Gal. *lib. de ptiſana* 1. Itaque optimum hordeum optima aqua tepida infundendum eſt: de tempore autem infuſionis auctores non conueniunt. Gal. id prætermiſit: Auerr. 5. *collig. c.* 31. ſtatuit terminum quatuor horarum: Auenzoar duarum, & ita nonnulli longius, nonnulli breuius tempus determinant; communiter autem per duas horas circiter huiuſmodi infuſio & maceratio fieri ſolet. Hordeum hac ratione præparatum ex Gal. 1. *de alimen. facult.* 9. manibus conterere oportet, donec tenuis atque externa illius ſuperficies excutiatur: deinde validius aut manibus, aut panno aſpero illud rurſum confricandum eſt; donec totum id quod paleaceum eſt, auferatur; niſi quis, inquit Galen. voluerit ptiſanam magis abſtergentem conficere, tunc enim melius eſt, hordeum cum ipſa membrana coquere. Poſt hæc hordeum ita præparatum coctioni ſubiicitur, quæ hunc in modum fieri debet: vt primum quidem vehementi, deinde minore igne ebulliat, donec totum hordeum in cremorem vertatur.

in qua quidem coctura iubet Gal. principio coctionis modicum olei iniiciendum eſſe, deinde, cum hordeum planè intumuerit, modicum aceti, ac demum vbi priſana exactè cocta fuerit, ſub edendi tempus ſalem tenuem: præterea nihil illi permiſcendum eſſe; niſi quis velit anethi, aut porri aliquid, idque initio coctionis, permiſceri; quod Galeni præceptum mirum eſt, quomodo ab omnibus medicis negligatur, nullusque ſit hoc tempore, qui in conficienda priſana aliquam ex iis rebus audeat imponere.

In conficienda priſana dubium eſt de quantitate tum aquæ, tum hordei, quam accipere oporteat. Gal. iſtud quoque videtur prætermiſiſſe: cæteri variè ſentiunt: Auer. accipit duas partes aquæ, vnā hordei; contra Aueoxoar duas partes hordei, vnā aquæ: Auic. 20. partes aquæ vnam hordei: Paul. 15. partes aquæ, vnam hordei, quod fortaſſe propterea factum eſt, quod nihil certi videatur poſſe ſtatui, cū hordea, ſicuti legumina nonnulla faciliùs, nōnulla difficiliùs decoquantur: vtcunque autem hæc ſe res habeat, ad longiorem decoctionem, quæ omnino eſt neceſſaria, donec hordeum perfectè coquatur, copioſa aqua opus eſt: quare ex ſententia Auic. & Pauli ſingulæ libræ hordei nihil minus quā 15. aut 20. libras aquę deſiderant: quod vſus quoque & experientia confirmat. Priſanam, poſtremo loco ſciendum eſt, eſſe duplicem, alteram quam, vel ſimpliciter priſanam, vel priſanam integram, vel priſanam non colatam appellant; alteram quam ſuccum priſanæ, vel cremorem priſanæ, vel priſanam colatam nominant: quandoque nimirum ex toto hordeo tenuior & liquidior illius pars elicitur & colatur.

Priſana duplex.

Vtrum hoc tempore conueniat.

Alterum præſentis tractationis caput nobis propoſitum fuerat, vtrùm priſana hoc tempore conueniat necne: cuius vſum Manardus inter cæteros *lib. 3. epiſt. 2.* conatur confutare, qui affert huiuſmodi rationes. Primum argumentum deſumitur à conſuetudine, quandoquidem veteres in bona valetudine priſana vti conſueuerunt, ex quo in morbis quoque non ſine ratione illius vſum probabant: contra verò, cum hoc noſtro tempore apud ſanos homines nullius priſanæ ſit vſus, hinc colligit Manardus, in morbis quoq; ab huiuſmodi ferculo eſſe abſtinendum. Secundò, priſana eſt alimentum valde inſuaue, neque ſine maxima nauſea ſolet aſſumi: docet autem Hip. 2. *aph.* 38. paulo deteriora alimenta, ſed gratiora, melioribus ſed minus gratis præponenda eſſe: etenim tunc natura illa facilius amplectitur & concoquit. Tertiò, ſicuti Hip. & Gal. docent, priſana minimè omnib. morbis conuenit, ſed tantummodo acutis; apud nos verò admodum rari inueniuntur morbi, qui non terminum morborum acutorū, diem quartumdecimum pertranſeant: ſed neq; omnib. morbis acutis conuenit, quia non conuenit morbis ſiccis, vt ſtatim videbimus. Quarto, hordeum in noſtris regionib. non ad hominum, ſed ad brutorum eſcam ſeminatur: vnde fit, vt nulla ex parte homines illius curā habeant: adeo vt hordea noſtra vulgaria multum deficiant ab illis conditionibus, de quibus diximus heſterna lectione. Quintò, nullus eſt qui in præſentia probè ſciat priſanam præparare, & quæ habeat illas dotes, quæ prædicantur ab Hip. & Gal. Poſtremò, tametſi concedatur, adeſſe bonum hordeum, & cætera omnia, quæ hac in re deſiderantur, tanto tempore indiget ad illius præparationem & concoctionem, vt hora nutriendi ægroti, quæ alioqui præſertim in morbis acutis, eſt valde præceps, plerumque fugiat, antequam illa parata ſit.

Porrò aduerſus Manardi opinionem, Hip. & Galen. multis locis, qui non poſſunt ignorari, priſanam cùm aliis in morbis tum maximè febribus, cæteris omnibus ferculis anteponunt: quod ratio quoque ſatis confirmat, quoniam priſana facilè coquitur, refrigerat, & humectat, abſtergit, leuit aluum, nihil adſtringit, caret flatibus, & ad ſummam habet illas omnes conditiones, quæ ad curandas febres ſunt opportunæ, adeo vt Galen. non grauatus fuerit de hoc ferculo libellum conficere, etſi nonnulli contendunt, illum inter Galeni ſcripta legitimum non eſſe. Itaque ad obiectas rationes reſpondendum eſt: ſed ego nolo in huiuſmodi refutatione longius verſari, quandoquidem puto eſſe neminem, qui non facilè illarum rationum vanitatem poſſit intelligere.

Manardi argumentorum refutatio.

Quatenus pertinet ad conſuetudinem, licet reſpondere, multos & aliis locis, & apud nos præſertim æſtate, hordeo & priſana familiariter delectari. Sed iſtud Manardo concedatur, tamen iam ſuprà diximus de conſuetudine, & quomodo liceat in morbis ad res inſuetas tranſire. Exempli gr. nemo aſſueuit miſſioni ſanguinis, vel medicamentis, ſed tamen ſi ita ferat occaſio, ad miſſionem ſanguinis, & ad medicamenta tranſeundum eſt. Secundo, id quidem verum eſt, multos non ſine faſtidio priſanam aſſumere, quib. certæ non expedit illam exhibere: verum neq; id negandum eſt, multos quoq; libentiſſimè illā aſſumere, & iis debet exhiberi. Tertiò, de morbis in quib. cōueniat, ſtatim dicā: pariter quæ reſtant, aūt nullius momēti: nā res ipſa mōſtrat, hordeū hoc tēpore, ſicut olim, eſſe optimum illudq; habere omnes cōditiones, de quib. Gal. & cæteri loquūtur, neq; deeſſe homines, & mulieres, quę optimè illam præparant: ac poſtremò, neq; deeſſe tēpus ad illius præparationem accommodatum, cum maximè in morbis acutis non niſi rarò, & poſt multas horas, quandoque dies, ægri debeant nutriri. Itaque concludendum eſt, non ſine ratione medicus hoc quoque tempore priſanam adminiſtrare, illaque ægrotis præclariſſimam vtilitatem afferre. Sed duobus verbis videamus, quando & quibus conueniat.

Quando conueniat priſana.

Scribit Gal. de priſana, ſextam horam ad priſanam accipiendam accommadatam eſſe, cum totum corpus æqualiter diſpoſitum fuerit, vt nullius aut caloris, aut frigoris ratione, inter ſe corporis partes diſſentiant: quod nonnulli interpretantur fieri in ſtatu: quæ interpretatio eſt non modò falſa, ſed etiam vaniſſima. Nam Galen. ſeipſum interpretur, qui inquit huiuſmodi tempus non aliud eſſe, quam declinationem; atque hæc fuit ſententia Hipp. *t. de rat. victus* 46. qui ſcribit, tempus accommodatum ad priſanam accipiendam, cum caliditas ad pedes deſcenderit: quam partem exponens Gal. docet eſſe declinationem, in qua tranſmiſſa caliditate ad partes & externas & extremas, & thorax & omnes internæ partes ſe habent moderatiſſimè.

Quibus conueniat priſana.

Sed maior eſt difficultas, quibuſnam priſana conueniat: nam tametſi omnes conueniunt, illa conuenire in morbis acutis, nihilominus admonet Gal. *de priſana* 6. multis diſtinctionibus opus eſſe, neq; eam temere fore exhibendam, quæ omnia & ab Hipp. *in lib. de rat. vict.* & à Gal. *lib. de priſana*, cōſiderātur. Ac primùm vterque ſcribit priſanam tum cōuenire morbis periculoſis, in quibus vel miſſione ſanguinis, vel purgatione, vel alio inſigni remedio opus eſt: quod non ſimpliciter intelligendum eſt, quaſi in huiuſmodi morbis priſana nullo modo conueniat, quod perſpicuè falſum eſt: ſed ſenſus eſt, illam non conuenire, antequam opportuna remedia fuerint adminiſtrata: namque ſi aliter fiat, & plenitudo maior, & morbus deterior redditur: quæ interpretatio eſt Gal. *de rat. vict.* 33. *de priſana ad finem.*

Secundò, priſana non conuenit morbis ſiccis, quales ſunt Galen. interprete, pleuritis, peripneumonia, cæterique omnes, qui in pectore conſiſtunt, quando ab eis nulla adhuc ſputa proueniunt; quibus pariter minimè intelligendum eſt, priſanam

non

non conuenire abſolutè, cur enim alimentum humectans morbo ſicco non conoeniat? ſed ſenſus eſt, ea tantùm ratione non conuenire, quòd vel morbi vehementer ſicci maiorem humectationem requirant, quam poſſit præſtare ipſa priſana: quam ſimiliter interpretationem haberis apud Gal. *in lib. de priſana* 7. qui propterea ſignificanter ſcribit, priſanam morbis ſicciſſimis non conuenire.

Capvt XVI.

De curatione Febrium acutarum.

OLim dixerat Auic. in curatione febrium putridatum medicum quandoque ad febrem quandoque ad materiam febris reſpicere: cum ergo duobus proximis ille generaliter tradidiſſet rationem curandi febres putridas per medicamenta quæ leniunt aluum, quæ prouocant ſudorem, lotium, quæ concoquunt, ac demum purgant noxios humores, per ſectionem venæ, per potionem aqoæ frigidæ, ac poſtremò per victus rationem, quæ omnia materiæ potiſſimùm & cauſæ febris videntur conuenire, in præſenti c. 10. intendit pertractare de ratione extinguendi vehementem caliditatem, ac de iis præſidiis, quæ ad tollendam ipſam febrem ſunt accommodata: quam totam tractationem accepit ex Gal. 10. à c. 7. vſque ad finem, vbi ſermonem habet de curatione febrium hecticarum, quæ quidem, quatenus pertinet ad refrigerationem, eodem modo quo febres acutæ & colliquatiuæ debent curari. Itaque pro inſtituti noſtri ratione primùm ex Galeni diſciplina hanc rem tractabimus: deinde ad litteram Auic. veniemus.

Galenus ergo duplicem ſtatuit materiam earum rerum, quæ ad curandas huiuſmodi febres ſunt opportunæ: vnam earum quæ foris applicantur: alteram earum quæ intrò aſſumuntur: vtramq; autem tripliciter diuidit: nam foris aduiouentor primò aër; ſecundò, medicamenta quæcunq; refrigerandi & humectandi vim habent; tertiò balneũ aquæ dulcis. Intrò vero aſſumũtur primò alimenta; ſecundò, potiones; tertiò, inſpiratus aër, adeo vt totum iſtud negotium per ſex materiæ differentias apud Gal. conficiatur, de quibus ſigillatim, ſed breuiter dicendũ eſt. Ac primò de aëre verè ſcribit Gal. 9. *met.* 14. aërem planè eſſe ſine quo neque morbus tolli, neq; ſanitas teneri poteſt: quapropter niſi liceat ambientem qualitate morbi contraria præditum habere, diligenter agendum eſt, vt talis quoad fieri poteſt, qoalis conuenit, præparetur: vnde in febribus hecticis, acutis, & cæteris id genus, aërem frigidum & humidum conuenit præparare: proinde inueniendæ ſunt domus & habitationes ad ſeptentrionem, minimè ad meridiem vel ad occaſum poſitæ: quandoque eligenda ſunt cubicula ſubterranea, quæ & frigidiſſima ſint, & maximè perflata ac frigidis ventis expoſita, qualia ſunt in quibus vina ſolent cuſtodiri. Et quamuis nonnulli tantam aëris frigiditatem & humiditatem non probent, quanta præcipuè reperitur in locis ſubterraneis, timentes ne vapores illi craſſiores, qui in iis partibus ſunt plurimi, maius incommodum quàm commodum ægrotis afferant; iis reſpondet Gal. 10. *met.* 7. imò verò hac ratione frigidiſſimum aërem per reſpirationẽ attractum, calorẽ qui in corde eſt, inſigniter refrigerare, neq; vllum periculum imminere, dũmodo ægri opportunè cooperiantur, adeo vt aër nullo modo ad cutem perueniat, qui alioqui ſua frigiditate cutẽ cogere & denſaret, prohiberetque putridorum humorum effluxum tranſpirare: ſiquidem per pulmonem, quod rarum eſt viſcus, difficile non eſt vt tum qualitas, tum etiam ſubſtantia aëris facilè ad cor perueniat, quòd per cutem fieri non poteſt, vtpote prius denſatam: quare per hanc viam neque qualitas, neque ſubſtantia aëris ad cor poteſt penetrare. Quod ſi habitationes tales natura non poſſint haberi, arte ſupplendum eſt, ſicuti excitandò ventos, ducendo aquam frigidam, qoæ de vaſe in vas transfundatur, qua induſtria non ſolùm aër refrigeratur, ſed etiam ſomnus facilè poteſt conciliari: præterea domus aſſiduè frigida aqua eſt abſtergenda, cuius loco ſi aſpergantur aquæ frigidiores; roſarum, violarum, endiuiæ, nenupharis, remedium optimum & propter ſuauitatem odoris gratiſſimum euadet. Et ſit exemplum.

℞. *Aqua roſarum,*
Myrti,
Nenupharis ana lib. ß.
Sandalorum omnium ℥. iiij.
Aceti roſacei ℥ j. *M.*

Sic opportunè ſternuntur humi frondes ſalicis, vitis, non populi aut perſicorum, quod multi faciũt, quæ magis poſſunt calefacere quàm refrigerare: folia violarum, lactucæ, flores roſarũ, violarũ, nenupharis, & ſimilia: neq; verò ſolum pauimentum, ſed etiam parietes & aquis ſunt perfundendi, & rebus omnibus frigidis, frondibus, herbis, floribus & fructibus ornandi: à quibus propterea & panni, & coria, & tapetes & cætera id genus ſunt remouenda. Præterea turba quoque hominum febricitantis cubiculum ingredi prohibeantor, quæ multis modis ambientem aërem poteſt calefacere. Quoniam verò diximus, cubiculum omni ex parte debere apertum eſſe, vt aër liberè poſſit progredi & tranſpirare, de hoc nonnulli dubitant, qoi affirmant experientiam confirmare, æſtate cubicula clauſa longe minùs calefacere, quam aperta: ex quo colligunt, ad refrigerationem aëris & feneſtras, & omnia potius fore claudenda, quàm aperienda. Sed vno verbo reſpondearis, iſtud quidem verum eſſe in domibus & cubiculis ad meridiem vel occaſum poſitis, in quibus verè vtile eſt ingreſſum Solis & aëris calidioris prohiberi, ſecus autem ſe res habet in domibus ad ſeptentrionem collocatis, in quib. quo magis feneſtræ & omnia patent, eo magis aër difflatur & refrigerator. Ante multos annos veteres illi medici conſueuerant ſuos ægros detinere vel media æſtate vſque adeo clauſos & in tenebris: vt piaculum exiſtimarent, quidquam aëris vel luminis ad eorum cubicula penetrare: ſed multi deinceps qui nihil videbant, cœperunt oculos aperire Atque hactenus de aëre.

Secundò ſunt alimenta, de quibus iam ſatis diximus: vno verbo ea debent eſſe frigida & humida, facilis concoctionis, & boni ſucci, quales ſunt priſana, panis præparatus ex aqua frigida, panatella cum ſeminibus melonum, lactuca, endiuia, aceto condita: nonnulli iis addunt cucumeres, cucurbitas, melones, & ſimilia: ſed tametſi hæc refrigerant & & humectant, tamen cum generent prauos ſuccos, ſunt prætermittenda. Hac ratione piſces; dummodo habeant conditiones, de qoibus aliàs diximus, videntur carnibus eſſe anteponendi.

Tertiò ſũt potiones, de quib. illud primũ nos monet Gal. caoẽdũ eſſe à mulſa, & omnib. quæ ex melle parãtur: quod pariter de noſtro ſaccharo ſtatuendũ eſt, ſiquidẽ tãtũ abeſt vt hæc refrigerent, vt magis calorem præter naturã poſſint augere: quod ſi quis mulſa vti voluerit, ea ſit cocta & admodũ diluta, vt Hip. & Gal. docent 4. *de rat. vict.* 5. Cõmuniter practicantes & vulgo vtũtur aquis ſtillatitiis ex herbis frigidioribus acetoſa, capillo veneris, cichorio, endiuia, & ſimilibus, de quibus multa forent dicenda; ſed illud vnũ mihi ſufficiat in præſentia, allatũ vſum mihi prorſus non improbari, dummodo deſtillatio

De aëre frigido.

De alimentis.

Potiones.

per vaſa vitrea, minimè plūbea efficiatur. Alij vtūtur aqua hordei, alij aquis decoctis & præparatis ex ſeminib. aniſorū, ex paſſulis ſebeſten, & aliis id genus. Gal. verò non aliud ſolitus fuerat exhibere, quàm aquā frigidā, de qua iam ſatis diximus. Vinū cōſenſu omniū non cōuenit, præterquā in declinatione. Sed quæritur an potio ſeri lactis ſoleat conuenire.

An ſerū lactis conueniat febricitantibus.

De lacte nulli dubiū eſt nō cōuenire, cū multa pericula febricitātibus afferat. de quib. Hip. & Gal. *5. aph.* 64. cū autē manifeſtū ſit, ſerum alterius eſſe naturæ & facultatis illudq; teſtimonio Gal. 4. *de ſimp. med.* 17. refrigerare, humectare, abſtergere, quæ ad cūrādas febres videtur admodū opportuna: multi hoc tēpore vti illo cōſueuerūt; ego autē ad hoc reſpōderē, ſerū tanquā medicamētū & ad mouēdā aluū, poſſe in febribus aliquādo propinari, cum Hip. 4. *de rat. vict.* 7. ab ipſo quoq; lacte aſinæ in cauſone nō abhorreat, & Gal. *in com.* ſeri adminiſtrationē maximè probet. Veruntamen quatenus pertinet ad potionē quæ cum alimento permiſcetur, nullo modo illud poſſum probare: cū enim ſerū habeat facultatē abſtergendi & mouēdi aluū, ſi miſceatur cū alimēto, vt naturā ſtimulet ad expulſionē ante illius coctionē, neceſſe eſt, quæ variarū rerū & facultate diſſimiliū permiſtio ſolet maximā turbationē afferre: ad quem modum Auic. in proximo ſuperiore capite prohibet, ne ſimul miſceātur ptiſana & ſyrupus acetoſus: & ante Auic. Hip & Gal. 3. *de rat. victus* 35. docent, oxymel nunquam dandum eſſe, niſi prius ptiſana concocta fuerit, neque pariter ptiſanam fore exhibendam, niſi antea ventriculus vacuus fuerit ab illa adſterſione & moleſtia, quam oxymel ſolet inferre. Atque hactenus de rebus internis.

Inter ea quæ extrinſecus occurrunt: primò eſt aër, de quo ſatis diximus, ſed tamen illud rurſum eſt memoria repetendum, minimè vnam atque eandem eſſe rationem ſuſcipiendi aëris intra & extra: nam ſicuti ex vna parte maximè expedit aërem frigidiſſimum inſpirare, ita ex altera, ſi ille occurrat partibus externis, cutem denſando ſibi ipſi viam præcludit, & impedit communem illam euaporationem, quæ in febribus maximè eſt expetenda: tum inquit Galen. 10. *meth.* 8. ſciendum eſſe maius fore ex frigida inſpiratione commodum, quàm ex cute denſata incommodum præſertim cum liceat cutem & partes externas coöperimentis calefacere: quare curandis veſtris ægrotis ſedulò idvos oportet proſpicere, vt illi quidem inſpirent aërem frigidum, ſed tamen hac adhibita cautione, vt partes externæ adeo contegantur & muniantur, vt nullo pacto cutis denſetur, & generalis corporis euaporatio impediatur.

Medicamenta refrigerantia.

Secundò ſunt medicamenta quæ humectandi & refrigerandi vim habent, quæ plurima deſcribuntur à Gal. in quorum quidem adminiſtratione ille id nos monet, ea fore deligenda, quæ ſine vehementi adſtrictione refrigerent, optima verò eſſe, quæ non modò ſine adſtrictione refrigerent, ſed etiam corporis ſubſtantia ſint tenui, ſiquidem quæ talia non ſunt præterquam quod non humectant, etiam dimittere frigiditatem ſuam altè non valent, propterea quod cutem denſant & coarctant: ex quo Gal. 3. *de ſimp. med.* 17. hæc ſcribit: *Quæ magnopere auſtera acerbaque ſunt, primo ſtatim contactu ſuperficiem denſantia*, humorem ingredi prohibent, atque paululum quidem adſtringunt, cæterum plurimum in ſe continent eſſentiæ, tum tenuis, tum tepidæ; tantum abeſt vt præ adſtrictione ingredi corpora admota prohibeantur vt etiam ab ea adſtrictione magis impellente iuuentur. Inter cætera autem principem locum Gal. tribuit vni medicamento, quod reliquorum omnium quæ refrigerāt & humectant, ſimpliciſſimum eſt, & quo ille aduerſus eryſipelata & inflammationes vti conſueuerat, & eſt illud medicamentum quod vulgo hoc tempore *Infrigidans Galeni* appellatur, cuius compoſitio eſt huiuſmodi:

℞. *Ceræ albæ optimè lotæ* ℥ *j.*
Olei roſati,
Omphacini, id eſt, crudi & ſine ſale præparati ℥ *iij. vel iiij.*

Cū vti volueris, liqua in duplici vaſe, imponendo illud in quo cōtinetur, in aquam frigidiſſimā & adde paulatim tantum aquæ frigidiſſimæ, quantum in ſe molliendo poterit accipere: cui demum ſi addas paululum aceti tenuis, clari, & albi magis refrigerans & humectans medicamentum efficies: quam medicamenti compoſitionem habetis apud Gal. 10 *met.* 9. 1. *de ſimp. med.* 6. 6. *de tuenda valetudine* 14. in quo poſtremo loco pro aceto miſcet ſuccū ſemperuiui, ſolani, pſillij, portulacæ, & ſimilium. Si quis ad præparationem huius medicamenti cupit intelligere modum præparandi & abluendi ceram, is videat Gal 2. *de ſimp. med.* 15. Quatenus autē pertinet ad commodam huius medicamenti adminiſtrationem, Gal. duo nobis tradit præcepta; alterum vt non permittamus medicamentum eo vſq; ſupra ægroti corpus manere, dum manifeſtè incaleſcat, ſed ſubinde & aſſiduè permutetur, quod vbi calefactum fuerit, poſſit quoquomodo calefacere: alterum, vt illud imponatur non toti thoraci aut toti ventri, ſicuti vulgus facit, ſed illi maximè parti, quæ primo affecta eſt: ſiquidem non expedit vt vel cum eo quod refrigerari valenter deſiderat, ſimul quoque id refrigeres, quod nulla indiget refrigeratione, vel ante debitum tempus deſinas refrigerare, timens ne proxima aliqua particula lædatur. Cum ergo in febribus certum quoddam membrum laboret, in quo tanquam fomite præcipuè viget ac reſidet calor præter naturam, ſæpenumero cor, quandoque iecur, interdum renes, & alia id genus, illud perpetuò refrigerandum eſt, & à reliquis abſtinendum. Verùm quod plerique ignorant, medicamentum non parti laboranti manib. debet imponi, ſed longè magis expedit in tela linea & tenui illud extendere & apponere, qua ratione pro arbitrio facilè tollitur & redditur, neque pars inuncta ægro tædium affert, ſed tamen ita vt nouum quotidie medicamētum nouæ telæ quotidie imponatur. Plerique omnes hoc tempore pro hoc medicamento Gal. vtuntur vnguento roſato Meſuæ, quod ſine dubio lōgè minus refrigerat & humectat, præterquam quod cum recipiat multas pinguedines, progreſſu temporis facilè ranceſcit, vnde tunc potius calefacit, quam refrigeret Itaque ſi velitis inſigniter refrigerare, non diſcedaris ab Infrigidante Galeni, quod ſi minorem velitis refrigerationem, vobis licebit vti vnguento roſato Meſuæ, dummodo recens, minimè antiquum fuerit. Quoniam verò medicus non debet perpetuò vno vti medicamento, ſed varia adminiſtrare prout magis vel minus refrigerandum & humectandum eſt, præterquam quòd medicamenta conſueta minùs quàm inſueta ſolent permutare, Galen. alia multa proponit genera medicamentorum, quæ facilè poteſt vnuſquiſque apud illum videre & intelligere, vt non indigeant longiore explicatione. Tertiò & vltimò inter ea quæ extrinſecus occurrunt, eſt balneum aquæ dulcis, de quo quidem variiſque illius partibus & viribus ac tota adminiſtratione, iam antea ſum vobis pollicitus me eſſe tractaturū in curatione febris hecticæ, in quibus teſtimonio Gal. 10. *meth.* 10. huiuſmodi remedij vſus eſt efficaciſſimus. Itaque hæc eſt ſeries doctrinæ Galeni pro refrigerandis febribus hecticis & colliquatiuis, quam Auic. in præſentia videtur accommodare ad

curandas

curandas febres putridas,qui ita loquitur.

Ad modi extinctionis,&c.) Præter remedia propoſita à Galeno Auicenn. duo commemorat, nempe ea quæ retinentur in ore, & clyſteria: & quatenus pertinet ad primum, ille quatuor enumerat, mucilaginem pſillij, mucilaginem ſeminum citoniorum, ſuccum portulacæ, & ſuccum liquiritiæ, de quibus nulla eſt dubitatio, quin poſſint refrigerare & humectare, præterquam de pſillio: namque nonnulli perſuaſi auctoritate Meſuës capit. proprio, docent mucilaginem pſillij nonniſi timidè fore extrahendum, adeo vt ſuccus extrahatur tantummodo ex ſubſtantia externa, quæ verè eſt frigida, minimè ex parte interna & medulla, quæ calida & ſicca eſt ordine quarto, ac prædita facultate admodum acri, incidente, vlcerante, venenoſa: verùm ego puto & Meſuen, & omnes illius imitatores hallucinari, ſiquidem Gal. 8. *de ſimp. med.* ſcribit, pſillium eſſe ex ſecundo refrigerantium ordine, in deſiccando verò & humectando eſſe medium quodammodo, & ſymmetrum; id quoque ſenſus manifeſtè confirmat, cum ſemen ſit planè inſipidum, neque habeat vllum notabilem ſaporem, ſine quo nullo modo poteſt habere tantam calefaciendi & adurendi facultatem, quantam iſti ſomniant. Itaque certum eſt hæc quatuor medicamenta habere vim refrigerandi & humectandi ſiue ſola & ſeparatim, ſiue mixta & coniunctim adminiſtrentur. Sit exemplum:

℞. *Mucilaginis pſillij,*
Citoniorum ana ʒ. ij.
Succi liquiritiæ,
Portulacæ ana ʒ. j. M.

Sed mea ſententia, eſſet medicamentum valdè ingratum; vulgo ſemina pſillij & citoniorum infunduntur in modica aqua frigida, tamdiúque agitantur, donec aqua lentorem contrahat, quæ poſtea colatur à ſeminibus, & illi permiſcetur vel ſyrupus violaceus, vel quid ſimile, quod ſatis gratum & optimum eſt. Communiter practicantes pluribus vtuntur, qualia ſunt fructus borarij, pruna, ceraſa auſtera, melones, anguriæ & ſimiles, vel ſimplices, vel ſaccharo conditi; ſic inſtituunt lotiones oris & faucium ex aqua hordei, ex aquis ſtillatitiis frigidioribus, ex ſero lactis, & ſimilibus. Vtor ego familiariter poſca, nempe copioſa, aqua ex modico aceto. Poſtremo loco ſunt pilulæ communes, quæ vulgo appellantur *bechicæ*, quæ recipiunt mucilaginem ſeminum citoniorum, ſuccum liquiritiæ, & aliæ, quæ habent eandem vim, de quibus antidotaria tractant diffuſè.

Nam aſſiduare guſtari, &c.) Si memoria repetamus quod traditum eſt à Galeno 4. *de vſu partium* 8. 3. *prog.* 30. tunicam internam ventriculi, gulæ, linguæ, palati, & omnium quæ in ore continentur, vnam atque eandem eſſe, facile fatebimur hanc ſententiam Auic. veram eſſe, namque refrigerato ore & partibus illi proximis, ventriculum quoq; & per conſequens totum corpus refrigerari eſt neceſſe.

Et quandoque iuuantur, &c.) Hoc alterum eſt præſidium à Galeno prætermiſſum, nempe clyſteria refrigeratoria, quorum Auic. dat exemplum, ex ſucco anguriæ cucumeris, cucurbitæ, portulacæ, & modico camphoræ. Nos ſuprà in communi tractatione de clyſteribus hunc quoque vſum non prætermiſimus, Ad mentem Auic. ſit exemplum.

Clyſter refrigerans.

℞. *Succi anguriæ,*
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Portulacæ ana ℥. iij.
Olei roſati ℥. iiij.
Camphoræ ʒ. ij. M.

Vel aliter, & forte melius.

℞. *Succi anguriæ.*

Cucumeris,
Cucurbitæ,
Portulacæ ana ℥. ii
Aquæ communis lib. ij
Bulliãt omnia ad cõſumptionẽ duarũ partiũ.

℞. *Huius decoctionis lib. j.*
Olei roſati ℥. iiij.
Camphoræ ʒ. ij. M. pro clyſtere.

Ego familiariter vti ſoleo clyſtere ſecundum hanc formam:

℞. *Foliorum maluarum,*
Violarum,
Lactucarum ana M. j.
Solani M. ß. Fiat decoctio.

℞. *Prædictæ decoctionis lib. j.*
Olei violati ℥ iiij.
Ouum integrum. M. pro clyſtere.

Sed familiariſſimè & frequentiſſimè vtor clyſtere Aëtij, ex ptiſana, cuius ſæpe mentionem fecimus.

Et oportet vt aer ſit infrigidatus quantum poſſibile eſt.) Hanc partem quæ pertinet ad refrigerationẽ aëris, ſatis explicauimus ex Gal. à quo Auic. tranſſcripſit: cætera autem quæ ab ipſo Auicen. addita ſunt, cum hoc tempore ſint non ſolùm inſueta, ſed etiam incognita, prætermittantur. Quoniam verò ille commemorat nonnulla medicamenta odorata, quæritur an hæc poſſint refrigerare: cum ſit communis medicorum ſententia, omnia odorata calida eſſe. Sed reſpondeatis ex Gal. vnico verbo 4. *de ſimp. med.* 22. omnia quidem odorata, quatenus ſunt odorata, calida eſſe, ſed tamen nihil obſtare, quin nonnulla odorata ſint potiùs frigida, quàm calida: & ſunt illa quæcunque ex variis conſtant partibus, in quibus frigidiores ſuperant calidiores, quales ſunt roſæ, violæ, camphora & ſimilia.

Regimen autem alimenti iam ſciuiſti.) Auic. poſt ſẽtem tractat de cibo & potu, de quibus proximo ſuperiore cap. & paulo ante cum Gal. ſatis diximus.

Epithemata verò & emplaſtra.) Nũc Auic trãſit ad præſidia externa, & primũ ad epithemata, quæ ſolẽt fieri ex aquis ſtillatitiis vel ſuccis & aliquibus pulueribus hac methodo, vt vni libræ aquæ vel ſucci pulueris ʒ ij. circiter imponantur: & ſint exempla: *vtilli hæ pori.*

℞. *Aquarum endiuiæ,*
Cichorij,
Roſarum ana ℥ iiij.
Specierum trium ſandalorum ʒ ij.
Aceti parum,
Miſc. pro epithem. Loco aquarum poteſtis adminiſtrare ſuccos eadem doſi, & reliqua.

De coriandro.

Et aqua coriãdri.) Inter plurima refrigerãtia medicamenta Auic. numerat aquã coriandri, de quo eſt inſignis controuerſia: nã Gal. ex vna parte. 7. *de ſimp. med.* contra ſentẽtiam Dioſcoridis affirmat, & longa cum ratione confirmat coriandrum longè abeſſe ab omni refrigeratione, ſed potius calida ac degenerandi facultate præditum eſſe: Ex altera autem Auic. lib. 2. c. 144. apertè in Gal. inuehitur, qui longa itẽ oratione conatur probare, coriandrum in fine primi & vſq; ad principiũ ſecundi gradus frigidũ eſſe: quam diſputationem vobis licet apud eos legere & intelligere: ego verò pro comperto habeo, Gal. neminem adhuc parem fuiſſe, diligentiùs ſtirpium tum naturas, tum facultates inueſtigauit, tum aliis modis, tum ipſa experientia, de quo Auer. inter cæteros hæc haber 5. *coll.* 31. Gal. fuit verus & legalis experimentator in hac arte, & nullus eſt qui poſſit ei comparari, propterea puto illius potius determinationi, quàm reliquorum omnium acquieſcendum eſſe.

Infrigidantia membra

Et embrochare epar cum infrigidantibus.) Nunc tractat Auicenn. de refrigerandis propriis partibus laborantibus, potiſſimùm iecore & capite, variáque fomenta, emplaſtra, & alia afferri præſidia, de quibus nolo longiùs agere, partim quòd prope

omnia ſint hoc tempore inſolita partim quod facile à vobis poſſint legi & intelligi: ſed mihi libet ad veſtram vtilitatem breuiſſimis verbis de iis medicamentis agere, quibus præſenti tempore in febribus acutis variæ corporis partes ſolent refrigerari. Itaque incipiamus à capite.

Caput quomodo refrigerandum. Varia ſunt genera præſidiorum quibus medici vtuntur, quotieſcunque capitis refrigerationem quærunt, & primum eſt oxyrhodinum, quod conficitur ex oleo roſaro, & modico aceti, & ad commiſſuram coronalem debet imponi: ſecundò, ſunt inunctiones, quæ præcipuè ad tempora ad nares applicantur, quale eſt vnguentum diapopuleon, vel ſolum, vel ſimul cum aliquo oleo: & ſit exemplum:

℞. *Vnguenti diapopuleon* ℥ j.
Olei violati,
Nenupharini ana q.ſ. M. pro linimento.

Quoniam verò huiuſmodi vnguentum habet neſcio quem grauem odorem, quandoque loco illius vtimur oleis ſimul cum opio.

℞. *Olei violati* ℥ j.
Opij,
Croci ana g. iij. *M.*

Tertiò ſunt lotiones & embrochationes, quæ hac in re præclariſſimam operam præſtant: fiunt autem quandoque ex oleo roſaceo, violaceo, & ſimilibus; quandoque ex decocto plurium medicamentorum:

℞. *Maluarum.*
Violarum,
Lactucæ,
Nenupharis,
Chamæmeli ana M. j.

Neq; quis miretur imponi chamæmelum, quod eſt calidum quoniam ex Gal. 11. *meth.* 18. ſumma cũ ratione ponitur, tanquã vehiculum rerũ frigidarum.

Solani M. ß.
Capitulum papaueris N. v. 1. Decoquantur omnia pro lotione capitis.

Cor refrigerantia. Ad refrigerationem cordis in primis ſunt accommodata epithemata & linimenta:

℞. *Aquarum borraginis,*
Acetoſæ,
Roſarum ana ℥ v.
Specierum cordialium temperatarum ʒ ij.
Aceti,
Croci ana parum M. pro epithemate cordis.

Habeatis quoque exemplum linimenti,

℞. *Vnguenti roſati Meſuæ* ℥ j.
Infrigidantis Galeni ℥ ß.
Specierum trium ſandalorum ℥ ij. *Miſc.*

Nonnulli herbas contundunt, bugloſſam, acetoſam, meliſſam & ſimiles: alij ſuccos extrahũt quib. vel ſolis, vel ſimul cum aliis medicamentis vtuntur.

Epati refrigerando. Atq; hæc ferè eadem conueniunt iecori calidiori: ſunt vnguenta: ſadalinum, roſatum Meſuę, & quod reliquis eſt efficacius, infrigidans Gal. quod quidem non ſolùm pro renibus, vt facit vulgus medicorum, ſed etiam pro iecore, & omnib. partib. quæ inſignẽ poſtulant refrigerationem, debet adminiſtrari.

Renibus. Demum ſunt renes, qui propriis quibuſdam præſidiis ſolent refrigerari, qualia ſunt oleum roſaceum, violaceum ſimul cum lacte mulieris, quod admodũ leue eſt, vnguentum roſatum Meſuæ, ſi recens factum fuerit, optimum eſt, ſed inter omnia præſtantiſſimum eſt infrigidans Galeni quod ſemper præſenti tempore & de nouo conficiendum eſt.

Hoc poſtremo loco notandum eſt, communiter practicantes in febribus prope omnibus, imò verò & omnibus morbis, & caput, & cor, & ventriculum, & iecur, & lienem, & renes, ſemper inungere, emplaſtrare, & conſpurcare, quaſi verò ſuo officio, deſint, ſi aliquam partem ſine remedio relinquant: de qua ſuperſtitioſa, forte etiam pernicioſa diligentia, Galen. *in libr. meth.* illos grauiter arguit, cum frequenter ſint impedimento ipſi naturæ, & longè maiora incommoda, quàm commoda afferant: quamobrem expedit hac in re iudicium adhibere, & illi tantum parti proſpicere, quæ in primis laborat, minimè autem omnia miſcere & confundere.

Caput XVII.

De Febribus bilioſis.

F*Ebres cholericæ ſunt tres, tertiana continua, tertiana periodica, & cauſon.*) Auicen. poſt curationem generalem febrium putridarum, hoc 35. capit. aggreditur curationem particularem ſingularum ſpecierum, & incipit à bilioſis, ſicuti Gal. quoque, Paulus, & omnes faciunt: de quo ordine ſuperuacaneum eſt dubitare, quoniam ſiue id fiat propterea, quia huiuſmodi febres ſint reliquis frequentiores, ſimpliciores, curatu faciliores, ſiue propter aliam cauſam, id nihil ad rem pertinet: illud verò notandum eſt, quod nos ſæpe docuit Gal, ad exquiſitam curationem morborum incipiendum eſſe à primis & communibus indicationibus, ac deinceps vſque ad vltimas & magis proprias eſſe progrediendum: quare in curandis febribus putridis non ſatis eſt intelligere, tollendam fore putredinem, prohibitam tranſpirationem, obſtructiones, ſed particulatim oportet nos cognoſcere, qualis fuerit febris, quam ſumus curaturi, qualis & quanta ſit materia putreſcens, & alia id genus, ex quibus poſſimus elicere proximiores indications. Iure igitur Auicenn. tractaturus curationem febrium bilioſarum, primum illarum naturam nobis in memoriam reuocat qui inquit, illas eſſe triplices, continuas interpolatas, & cauſones: quod ſi velimus ad mentem Galeni magis diſtinctam diuiſionem facere illa ſit huiuſmodi: febris ex putredine bilis eſt duplex: altera continua, quæ ad infebricitationem non peruenit & generatur ex humore qui in vaſis continetur: altera intermittens, quæ ad infebricitationem peruenit, & fit ex humore qui extra vaſa conſiſtit, & per vniuerſum corpus defertur. Quod ſi quis non acquieſcat, ſed quærat adhuc, quamobrem materia putreſcens aliquando propellitur extra venas, quandoque remanet, & non propellitur: iam diximus aliàs humorem putreſcentem expelli à natura, vbi ille non ita multus eſt, & craſſus: vbi illi facilis patet aditus, nec multæ ſunt obſtructiones, ac demum vbi facultas expultrix robuſta fuerit: contra verò illum retineri in venis, quotieſcunque plurimus eſt, & craſſus, cum viæ ſunt impeditæ, ſuntque multæ obſtructiones, neque facultas ita valet.

Ruſum verò bilioſæ, tam continuæ, quam intermittentes diuiduntur, & primum continuæ ſunt duplices: namq; aliæ habent quoquomodo manifeſtas acceſſiones: aliæ verò nullas ſenſibiles acceſſiones habẽt. Priores quæ habent manifeſtas acceſſiones, ſi primo die horrificas faciant repetitiones, altera ſequenti die vnam ſimplicem habent acceſſionem, has ſemitertianas appellant: ſin autem ſimpliciter tertio quoq; die inuadant, naturam tertianæ referentes appellantur. Poſteriores quæ nullas habent ſenſibiles acceſſiones, cum tunc materia continetur in magnis vaſis, & partibus proximis cordi, propriè appellantur febres ardentes, quas ſcribit Galen. 7. *de criſ. c.* 6. ſeruare cætera omnia incidia febris tertianæ exquiſitæ, atque eo tantum ab ea differre, quòd ſine rigore inuadat, neque in quietem febre vacantem deſinat. Quare diuiſio Auic. febris bilioſæ

in

ſiu continuam, intermittentem & cauſonem, fortaſſe non caret vitio cum certiſſimum ſit, cauſonem ſub febre biliosa continua contineri. Secundò febres quoque bilioſæ intermittentes ſunt multiplices ac variis nominibus appellantur, prout vel longiores, vel breuiores habent acceſſiones: nam ſi febris habeat acceſſionem, quæ intra 12. horas finiit, hæc tertiana exquiſita appellatur: ſin autem habeat longiorem acceſſionem, ſed tamen ita vt infebricitatio ſit longior ipſa acceſſione, hæc tertiana ſimpliciter dicitur, quæ autem habet acceſſionem primùm productam, paruamque infebricitationis interuallum, hæc tertiana producta vel extenſa nominatur. Quam doctrinam colligimus ex Gal. variis locis, ſed potiſſimùm 2. *de diff. febr.* 8. necnon 1. *epid.* 35.

Sed Auic. aliam profert diuiſionem, ex parte materiæ putreſcentis, quæ talis eſt: Febres bilioſæ ſunt duplices, quædam generantur ex putredine vnius ſinceræ bilis, quædam fiunt ex putredine bilis non ſinceræ: priores ſi fuerit intermittentes, ſunt tertianæ exquiſitæ, quæ non pertranſeunt ſpatium 12. horarum: ſi fuerint continuæ, etſi fiant à pura bile, tamen non appellantur exquiſitæ tertianæ, quia carent aliis conditionibus, ſed dicuntur tertianæ continuæ, vel cauſones: poſteriores quæ fiunt ex putredine bilis non ſinceræ, ſed ſimul permiſtæ cum pituita, tam intermittentes quàm continuæ, appellantur febres tertianæ nothæ vel ſpuriæ, de qua mixtione bilis & pituitæ notat Auic. rem maxima notatione dignam, neceſſarium eſſe vt huiuſmodi humores ita miſceantur, & ſimul vniantur, atq; ex vtriſque reſultet vnica forma: namque ſi fuerint duo genera humorum ſeparata, tunc efficerent duas ſpecies febrium, ſicut euenit in hæmitritæo, cum tertiana notha vna tantummòdo febris, & vnus paroxyſmus conſpiciatur.

Hoc loco multa eſſent dicenda de natura, de generatione, de differentiis, de mixtione, de putredine bilis, ſed anguſtiæ præſentis temporis tam exactam interpretationem non patiuntur, præterquam quod ego puto vos iſthæc omnia à clariſſimis profeſſoribus theoricis intellexiſſe: quare ſummatim ac nonnulla tantum conabor explicare, quæ mihi videntur vtiliora, & ad rem præſentem magis pertinere.

Quæſtio

Primùm quæritur, an vna ſincera bilis poſſit putreſcere, atque exquiſitam febrem tertianam efficere; cùm enim humores noſtri corporis inter ſe mixti ſint, & compoſiti, aut difficulter, aut nullo modo videtur poſſe fieri, vt vnus tantum humor ſine reliquis putreſcat. Ad hanc dubitationem reſpondet Gal. 2. *de criſ.* 12. nam etſi verum eſt, vix vnicum humorem poſſe putreſcere, quin cæteri quoq; humores leuiter & quoquomodo illi conſentiant, tamen quotieſcunque apparent ſola indicia, v. g. bilis putreſcentis, minimè reliquorum humorum, tunc dicendum eſt, ſolam putreſcere bilem, febrémque ex ea ortam, puram & exquiſitam eſſe.

De differentiis bilis.

Deinde quoniam Auic. dixerat, tertianam exquiſitam pendere ex ſimplici bile, cum hic humor ſit in noſtro corpore multiplex, quæritur quotnam & quales ſint illius differentiæ, & quæ bilis febrem tertianam exquiſitã efficiat? Pro quo iuniores debẽt ſcire, in corpore humano primùm reperiri bilem naturalem, quæ ab eius colore, qui flauus pallidúſque eſt, talem appellationem accepit. Nam teſtimonio Galen. 10. *de ſimp. med.* in animalibus, quæ magis calida ſunt, bilis flaua, in iis quæ minus calida, bilis pallida apparet. Huic humori natura propriam ſedem, veſiculam deſtinauit, quæ iecori ſubeſt & illum ſincerum quidem, neque alio humore adulteratum, propria vis ex iecore attrahit, & in ea veſicula conſeruat. Vſus autem bilis naturalis eſt, vt primùm ſimul cum ſanguine per venas diſtributa, partim ſimiles naturæ ſuæ particulas nutriat, partim reliquo ſanguini, qui præ craſſitudine non facilè venas permearet, tranſitum facilitatem præbeat: deinde vt quæ portio eſt ſuperuacanea, hæc in veſicam mittatur, proprio ductu ad inteſtina deſcendens, vt illa à pituitoſis excrementis expurget, abſtergat, & ſuo ſtimulo eorundem excretionem adiuuet. Cæterum præter hanc bilem naturalem ſunt ſpecies quædam bilis non naturalis, de quibus magna eſt inter medicos controuerſia: nos autem ex Galen. paucis verbis hanc rem explicabimus. Itaque apud Galen. *in lib. de atra bile* 2. *& aliis locis*, quatuor ni fallor, ſunt ſpecies bilis non naturalis. Prima eſt, quam medici *vitellinam* vocant, quod ouorum crudorum vitellis, tum colore, tum craſſitudine ſimilis exiſtat. Hæc apud Auicenn. 1. *primi doct.* 4. *cap.* 1. generatur, quando portio pituitæ flauæ bili permiſcetur, apud Galen. verò *loc. citat. de atra bile*, necnon 2. *de naturalibus facult. ad finem*, generatur in iecore & venis, quotieſcunque flaua bilis à nimio calore præter naturam ſummè coquitur, & quaſi exuritur, adeo vt diſſipatione tenuis ſubſtantiæ craſſiorem ſubſtantiam, atque ex flauo calore igneum calorem conſequatur: facile autem eſt intelligere, Auicenn. malè ſentire, ſiquidem hac ſua opinione ob permiſtionem pituitæ facit bilem vitellinam, frigidiorem & humidiorem bile naturali, cum tamen manifeſtiſſimum ſit, & omnes fateantur, vitellinam longè altera naturali calidiorem & ſicciorem eſſe. Secunda bilis non naturalis ſpecies eſt *porracea*, quæ ita nominatur, quòd porri colorem refert. Tertia dicitur æruginoſa, à ſimilitudine æruginis quam imitatur. Quarta bilis *iſatodis*, ab iſatide herba, (quæ aliter *glaſtum*, vulgo *guadum* dicitur) cæſium colorem referente appellatur; de quorum quidem humorum non naturaliũ generatione, etſi multi hoc tempore litigant, vno verbo ita habendũ eſt ex Gal. loco citato, *de atra bile*, & 2. *prog.* 39. illos quidem maiori ex parte fieri in ventriculo ex vitioſis & mali ſucci alimentis, qualia ſunt porrum, allium, & ſimilia acria: nonnũquam verò in iecoris & venis generari, idque in grauiſſimis & calidiſſimis morbis, qui vehemẽtis caloris incendio bilem vitellinam adurunt, & in his ſpecies commutant, quæ planè ſunt exitiales & pernicioſæ. Non ignoro nonnullos plures adhuc ſpecies bilis apud Gal. conſtituere, ſicuti quam ille cæruleam appellat, necnon quam rubram nominat. 10. *de ſimp. med. cap. proprio de bile.* Verùm huiuſmodi ſpecies bilis, & aliæ ſi quæ ſunt, mea ſententia, facilè ad priores quatuor poſſunt referri. Ad Auic. redeo: ille igitur febrem tertianam exquiſitam appellat, ſi fiat à bile pura; ſi verò fiat à bile non pura, ſed mixta cum pituita, ſpuriam nominat: id quoque in tumoribus præter naturam videmus euenire, qui tunc exquiſiti ſunt, quando fiunt ab vno ſincero humore, 14. *meth.* 2. inflammatio à ſanguine, eryſipelas à flaua bile, œdema à pituita, cancer à melancholia: tunc verò ſunt ſpurij, cum ſinguli humores non ſinceri, ſed aliis permixti ſunt.

Vitellina

Porracea.

Æruginoſa

Iſatodis.

Etſi autem Auic. febris tertianæ nothæ vnam tãtùm rationem commemorat, nempe mixtionem bilis cum pituita, tamen ego quidẽ puto alterã eſſe rationem, propter quam huiuſmodi febris ſpuria debeat appellari, & eſt, quotieſcunq; illa originem habet ex putreſcente bile, quæ non amplius naturalis eſt ſed in aliam naturam degenerauit, quales ſuprà diximus eſſe vitellinam, porraceam, &c. Etenim ſi illa febris ſpuriæ nomen meretur, quæcunque recedit à natura exquiſitæ febris, quæ ab vnico naturali humore bilioſo generatur, quamobrẽ tertianam febrem quæ; exempli gratia, fit ex bile æruginoſa;

Digitized by Google

no liceat, ſpuriam appellare? Itaque ſicuti vno modo febris tertiana dicitur exquiſita, quoniam ab vno & ſimplici humore bilioſo naturali generatur, ita duobus modis dicitur ſpuria; vno, quando bilis non eſt ſimplex, ſed alteri humori permiſcetur: ita vt ex vtroque vnica forma, & quaſi vnicus humor reſultet: altero, quando ipſa bilis non ſeruat ſuam propriam naturam, ſed in aliam degenerat & tranſmutatur, vt ſuprà diximus: id quod de cæteris quoque febribus ardente, quotidiana, quartana, dicendum eſt, quæ pro diuerſa ratione & modo putreſcentis humoris, modò exquiſitæ, modò ſpuriæ ſolent appellari. Sed quærunt nonnulli, vtrum febris fieri poſſit ex bile vitellina, porracea, æruginoſa? Conciliator inter cæteros id videtur negare, *diff.* 91. ac potiſſimùm de bile æruginoſa, propterea quia talis humor eſt quoddam veluti venenum, quod ſtatim hominem interficeret. Verùm experientia confirmat, iſtud eſſe veriſſimum, cum frequenter videamus ſeu per vomitum, ſeu per aluum purgatis huiuſmodi humoribus præter naturam, ægrôs protinus liberari, & Gal. teſtatur 5. *aph. com.* 1. ſe vidiſſe iuuenem, qui cum vomuiſſet bilem æruginoſam veræ æruginis ſimilē, ſtatim à febre & conuulſione liber euaſit. De huiuſmodi febribus quę fiũt minimè ex pura bile, ſed ex reliquis, vitellina, porracea, æruginoſa diffusè tractat Auer 7. *colliget.* 11. qui aſſerit eas, ac potiſſimùm quæ fiũt ex bile æruginoſa, habere lõgas acceſſiones, peſſima ſymptomata, ac nõ ſine maximo eſſe periculo, adeo vt ille exiſtimet impoſſibile eſſe aliquē euadere. Sed reliqua perſequamur.

An febres ex reliquis bilis ſ. ortibus fiat.

Et hæc quidem non pura quandoque prolongatur tẽpore longo.) Auic. hic duo docet de febre tertiana morba: alterum, quòd eſt diuturna, & quandoque durat ad medietatem anni: alterum, quòd eſt periculoſa, & deducit homines ad tumorem lienis, & malum corporis habitum, quod vtrumque veriſſimum eſt, & ante Auic. traditum fuerat à Gal. 1. *ad Glauc.* 8. vbi narrat hiſtoriam adoleſcentis, qui autumno cœpit febricitare huiuſmodi febre, & durauit vſque ad ver, non ſine maximo illius periculo.

Cauſon verò ſiue ardens.) Hic Auic. ponit differentiam inter febrem tertianã & ardentem de qua iam ſæpe diximus, & copiosè tractat Gal 4. *aph.* 59. 2. *de criſ.* 3. 2. *de diff. feb. c.* 1 *&* 3. vt plurib. nõ ſit opus.

Signa febrium bilioſarum.

Auic. in poſtrema parte capitis ponit decem ſigna febrium bilioſarum, quorum ſeptem ad ventriculũ, reliqua tria ad cerebrum pertinent: quorum omnium facile eſt rationem reddere ex motu materiæ, bilioſæ, quæ modò vnam, modò alteram, modò vtramque partem petere conſueuit, ſed nos magis diſtinctè veniamus ad ſigna, & primù in febris bilioſæ generaliter, de quibus diffusè tractat Gal. 2. *de criſ.* 3. 2. *de diff. febr.* 3. Itaque ſigna febris bilioſæ ſumuntur ab iiſdem fontibus à quibus iam ſuprà diximus ſumi ſigna diſtinguentia febres putridas ab ephemeris: primùm à qualitate caloris: ſecundò, à pulſibus: tertiò, à lotio: quartò, ex propria forma: quintò, à cauſis præcedentibus.

Primò igitur calor febris bilioſæ eſt valde acris 2. *de diff. feb.* 9. ſed hæc acredo, ſi diutius manus cõtineatur, facilè & citò ſuperatur, quoniam humor calidiſſimus, ſicciſſimus, tenuiſſimus facilè & citò exhalat ac diſſoluitur. Præterea huiuſmodi calor æqualiter accenditur, cum ſubiecta materia ſit æquè apta ad ſuſcipiendum calorem, quod non euenit in calore qui excitatur in putredine pituitæ, qui non æquè diſpoſita ſubiecta materia, modò emergit, modò latet: quod monſtrat Gal. 2. *de diff. feb.* 10.

Secundò pulſus ſunt magni, vehementes, celeres, & frequentes, quoniã noxius humor eſt acerrimus, adeo vt maxima vrgeat neceſſitas euentandi & refrigerandi calorem naturalē: præterea in huiuſmodi pulſibus exquiſitus ordo & æqualitas reperitur, cum aſſerat Gal. 1. *ad Glau.* 5. illos omnis inæqualitatis, præterquam febrilis, expertes eſſe propterea quia bilis tenuior eſt, neque ita grauat naturam, ſicuti pituita & melancholia, vt poſteriùs videbimus.

Tertiò, lotia ſint tenuia, ſubrufa, ſub flaua, ignea magis verò vel minùs colore intenſa, pro ratione putreſcentis materiæ, quæ vel magis vel minùs calida & ignea fuerint.

Quartò, forma febris bilioſæ eſt huiuſmodi, tertio quoque die inuadit, principiũ non eſt diuturnum; augmentũ non eſt difficile, inæquale; ſtatus eſt cum dolore capitis, vigilia, delirio, morſu oris ventriculi, ſiti, lingua amara, & ſimilibus: declinatio eſt frequenter cum ſudore ac remiſſione omnium ſymptomatum. Vniuerſa febris cum longiſſima eſt, ſeptem circuitibus, ſed quandoq; multo celeriùs terminatur: 4 *aph.* 59. quæ omnia ex qualitate putreſcentis flauæ bilis facilè poſſũt colligi & demõſtrari.

Vltimò ſumuntur ſigna à cauſis, quæ generaliter ſunt illæ omnes, quæcunque copiam flauæ bilis atque illius putredinem poſſunt efficere: ſic ergo ex Gal. generatio febris bilioſæ indiget natura calida & ſicca, quæ laboribus, vigiliis, curis, & tenuitati victus ſit expoſita, vigente ætate, adoleſcentia, iuuentute, æſtiuo tempore, conſtitutione, regione calida & ſicca, & reliquis quæ habent eandem rationem. Quibus omnibus indiciis licet poſtremo loco addere ex Galen. tum locis citatis, tum 1. *ad Glauc.* 5. vulgarem, ſed tamen veram coniecturam Archigenis, quòd nimirum hoc præſenti tempore febres tertianæ ſint vulgares, & pleroſque inuadant: ſed accedamus ad ſigna differentiarum.

Signa differentiarum.

Prima fuerat differentia febris bilioſæ: quædam eſt interpolata, quædam continua, quarum ſigna quæ alteram ab altera ſeparant, præcipuè ex propria forma deſumuntur: nam febris intermittens, cum ex flaua bile mota oriatur, meritò ſtatim ab initio vehementem affert rigorem, qui quidem eiuſmodi ſenſum habet quaſi corpus videatur pungi & vulnerari: pulſus principio acceſſionis parui quidem ac debiles, tardique & rari neceſſariò fiunt: augmentum celere eſt, liberum & æquale, in quo ſtatim pulſus magni, celeres, veloces euadunt: paulò pòſt ſequitur vigor, qui ſitim affert, hominem vrit, calorémque æqualiter per omnem partem extendit postremò ſequitur declinatio, in qua ſudor copioſus vniuerſi corporis plerunque ſuccedit, omniaque remittuntur ſymptomata: declinationem ſequitur infebricitatio, adeo vt ægri plurimas horas habeant, in quibus à febre omnino ſunt liberi.

Continua verò ſine rigore inuadit, atq; vt inquit Auic. *cap.* 18. per vehementiam paroxyſmorum & ſymptomatum differt ab intermittente: ſiquidem in continua & acceſſiones, & particularia tempora, & omnia ſymptomata ſunt vehementiora & difficiliora, præterquam quod in quietem febre vacantem nõ deſinit. At verò iam ſuprà diximus, febres tertianas continuas eſſe duplices, alteras continuas ſimpliciter, putreſcentibus humoribus intra venas, ſed minores & magis remotas à corde; alteras quas febres ardẽtes appellãt, iiſdẽ putreſcẽtibus humoribus bilioſis in vaſis maioribus, & cordi proximis, quarũ quidẽ febriũ ardentiũ, ſcribit Gal. 4. *de rat. victus com.* 2. eſſe duo propria & inſeparabilia ſigna, maximum ardorem, & ſummã ſitim. Porrò altera eſt differentia huiuſmodi febrium, quòd nimirum quædam ſũt exquiſitæ, quæ ex putredine vnius flauæ bilis ortum habent, quædam non exquiſitæ, ſed ſpuriæ, quæ ex bile aliis humoribus mixta, vel ex bile non naturali generantur. Febres bilioſas exquiſitas comitantur ea ſigna, quæ demonſtrant vnam ſinceram bilem

pu

putreſcere, calor eſt acris & mordax, pulſus ſunt magni, veloces, & reliqua ſunt de quibus diximus. Febres autem bilioſas ſpurias comitantur ea ſigna, quæ reſpondent materiæ putreſcenti: itaque, exempli gratia, ſi bilis permiſceatur pituitæ, calor quidem erit acris, ſed qui à manu, etiam longiore tempore, non ita facile ſuperatur: pulſus non ſunt adeo magni, celeres, frequentes; lotia non ita flaua & tenuia, principium cum lento & remiſſo rigore; augmentum difficile, inæquale; ſtatus ſine maximo ardore; declinatio erit longior & plerunque ſine ſudore: acceſſiones ſunt longiores, vniuerſa febris eſt longior, quæ interdum ad ſex & plures menſes protrahitur. Cauſæ demum non ita omnes conueniunt in generatione vnius flauæ bilis, vt eſt calida & ſicca temperies, ætas, conſtitutio, & cætera id genus, ſed aliquæ adeſunt, aliquæ abeſunt: præterea neq; deerunt cauſæ, vel internæ, vel externæ, ex quibus & generationem & putredinem pituitæ licebit colligere. Si verò febris generetur ex bile non naturali, vitellina, æruginoſa, &c. quod rariùs euenit, tunc acceſſiones erunt longiores, difficiliores, ſymptomata omnia longè deteriora, difficiliora, & non ſine maximo ægroti diſcrimine. Atque hactenus de ſignis febris tertianæ.

Curatio febrium bilioſarum.

In curatione ſingularum febrium omnia ſunt memoria repetenda, quæ fuere ſuprà explicata de curatione generali febrium putridarum, quod monet Auic. inquiens princ. c. 39. *Oportet vt rememores illud quod diximus de radice & curatione febrium*: itaque adhærentes noſtræ methodo, imò verò methodo ipſius Galeni, omnium primùm ſunt eliciendæ curatiuæ indicationes: ſecundò videndum an iis ſatisfieri poſſit: tertiò, particulatim de ſingulis præſidiis agendum eſt.

Indicationes.

In tertiana exquiſita ſunt variæ indicationes. Primò eſt febris & materia putreſcens, vtraque calida & ſicca, indicat refrigerationem & humectationem. Secundò, proxima cauſa febris, putredo, vbi ex toto facta fuerit, indicat fieri detractionem, per aluum, ſudorem, lotium: vbi non ex toto facta fuerit, coctionem & præparationem. Tertiò, cauſæ putredinem bilis facientes, prohibita tranſpiratio & obſtructio, illa indicant, quæ incidendo, extenuando, detrahendo, vtramque poſſit auferre. Poſtremo inhibenda eſt fluxio humorum facientium obſtructiones: quæ omnia iam ſuprà diffusè fuerunt explicata. Cæterum quoniam Gal. auctore 11. *meth.* 13. neceſſarium eſt medicum omnes perpetuò ſcopos & indicationes diligenter inſpicere, vt intelligat quodnam præſidium vel primo, vel ſecundo, vel tertio loco oporteat adminiſtrare, cum in præſentia non liceat refrigerare & humectare, niſi prius bilis putrida euacuetur, neque hæc poſſit euacuari, niſi antea prohibita tranſpiratio & obſtructio tollantur: neque rurſum iſthæc tolli poſſint niſi humorum fluxio cohibeatur, à poſtrema indicatione incipiendo, in tertiana exquiſita, primò eſt minoranda materia: ſecundò, tollendæ ſunt obſtructiones: tertiò, vacuanda eſt materia putrida: vltimò refrigerandum & humectandum eſt. Sed quoniam plerique hoc tempore ante ante minorationem materiæ ſolent aluum lenire, hanc quoque indicationem nobis liceat cæteris addere. Vtrùm iis indicationibus liceat ſatisfacere, notandum ex Hippoc. 1. *epid. ſect.* 3. 8. huiuſmodi febrem ſalubrem eſſe, ac minimè lethalem, quòd materia noxia ſit ſatis benigna, & facile à natura & medicamentis ſuperetur: quod intelligendum eſt, ſi ea probè curetur, neque aliquis error committatur: ſiquidem vt monet Alex. *lib.* 12. 6. ſi à medicis, qui nulla ratione & via vtuntur, malè tractetur, non ſolùm difficilis curationis, ſed etiam inſanabilis interdum

redditur. Verùm de ſingulis præſidiis agamus, incipientes ab alui lenitione.

Alui lenitio.

Alui lenitio fieri poteſt vel per ea quæ inferius infunduntur, vel per ea quæ ore aſſumuntur: ergo clyſteria ex præcepto Galeni 1. *ad Glauc.* ſint mollia, minimè acria & vehementia, ſiquidem & iecur, & totum corpus calefaciunt, febrem augent, & alia mala ſecum afferunt. Auic. ponit exemplum ex decocto altheæ, iuiubarum vel ſebeſten, liquiritiæ, oleo violato, & ſimilibus: & ita omnes ponunt varia exempla. In tertiana exquiſita clyſtere leniens ac molle ex rebus refrigerantibus & humectantibus conficiendum eſt, neque ego ſoleo probare illorum morem, qui infinita propemodum medicamenta ſolent permiſcere. Sit exemplum:

℞. *Decocti maluarum,*
Violarum,
Lactucarum lib. j.
Oleum violati,
Mellis violati ana, ℥. iij.
Ouum vnum,
Salis parum. Miſce pro clyſtere.

Si quis cupit habere exemplum clyſteris longioris, quo multi delectantur, ſit huiuſmodi.

℞. *Foliorum maluarum,*
Violarum,
Althea ana M. j.
Mercurialis,
Parietariæ,
Betarum,
Liquiritia,
Paſſularum,
Hordei ana M. ß.
Bulliant omnia in aqua communi.
℞. *Prædictæ decoctionis lib.* j.
Olei violati,
Mellis roſati ana ℥. iiij. *M.*

Sed præterea nonnulli addunt electuarium lenitiuum, florem caſſiæ, ad ℥. j. circiter: verùm huiuſmodi clyſteria vix mollia & lenia poſſũt appellari.

Sin autem medicus velit lenire aluum per ſuperiora, quod ille coniiciat in ventriculo & primis venis prope tenuia inteſtina bilioſos humores contineri, qui aliquam purgationem deſiderent, ego inter cætera omnia vtor caſſia familiariter: etſi non ignorem illius vſum multos non probare; de qua opinione in prima priuata lectione ſermonem habebimus. Nonnulli familiariter vtuntur manna, vel, ſola diſſoluta ex iure ad ℥. iij. & præcipuè ſi ægrotus fuerit diues, vel ſimul cum aliquo purgante ſyrupo; quos puto malè agere, cum manna ſit ſpecies mellis, neq; naturis, humoribus morbis calidioribus ſatis conueniat. Syrupi roſaceus & violaceus ſolutiui, mea ſententia, non ſunt reiiciendi, etſi ego illis caſſiã libenter antepono: de quibus atq; eorum viribus doſi, ac tota adminiſtratione, priuatim agemus. Hiera hîc nullũ locum habet, quę calefacit & exſiccat, quare omnino eſt prætermittẽda: ſic nõ conueniũt myrobalani, thamarindi, & cætera id genus, quæ non carent inſigni adſtrictione, quorũ vſũ Auic. aduerſus Rhaſen improbat in præſenti cap. necnon ſuperiùs cap. 7. quòd conſtringant poros & exaſperent viſcera: concedit autem poſt concoctionem, ad corroborationem membrorum. Nonnulli maximè probant & extollunt vſum rhabarbari, inter quos eſt Auer. 7 *colliget* 11. qui ſtatuit illius doſin à duabus vſque ad tres drachmas, imò verò inquit illud quotidie fore exhibendum, vel hac, vel minori menſura, niſi aluus ſua ſponte copioſè moueatur, cuius auctoritatem, vt puto, multi hoc tempore ſequuntur, quibus mos eſt aquis endiuiæ, cichorei, rhabarbarum infundere, illudq; aut ſingulis, aut ſaltem alternis diebus exhibere:

ſed

ſed ego neque thabarbarum poſſum probate, partim quòd illud, mea ſententia, inter lenientia medicamenta numerandom eſt, partim quòd non leuiter calefacit & excitat, partim demum qoòd quoquomodo adſtringat, vnde fortaſſe plura incommoda quàm commoda affert. Itaque vt concludam, in tertiana exquiſita ad leniendam aluum primùm caſſia, deinde ſytupi, roſacens & violaceus ſolutiui, mibi viderur accommodata, cætera omnia mihi ſuſpecta ſunt, illiſque aut nunquam, aut rariſſimè vti conſueui.

II Indicatio.

Quomodocunque, ſiue per aluum, ſiue per os, facta lenitione, altera ſuccedit indicatio minorãdi materiam, quod fieri poteſt dupliciter; vno modo, per ſectionem venæ; altero per purgationem. Vtra autẽ ratio magis conueniat, & magis conſentiat doctrinæ Hip. & Gal. id nos diffusè tractauimus in peculiari diſputatione, de miſſione ſanguinis in febrib. putridis, qui ſatis confirmauimus ni fallor, & in febre tertiana, & in omnib. putridis, qualeſcunque illę fuerint ſanguinis miſſionem ſaluberrimam eſſe. Secanda autem eſt vena baſilica dextri lateris, cum Galeno auctore 1. *ad Glauc.* 5. tardò hæc febris adueniat, quin iecur affic latur, ſicuti in quotidiana os ventriculi, in quartana lien ſolet laborare. Sanguis moderatè extrahendus eſt, ſiquidem ſumpta peculiari indicatione ab humore noxio, bilis copioſam ſanguinis miſſionem non videtur perferre.

III. Indicatio.

Lenita aluo, ſecta vena, deinde medicus debet cogitare de purganda bile putrida, per aluum, ſudorem, lotium, de coquenda altera parte quæ non ex toto eſt putrefacta, ac demum de tollendis obſtructionibus, à quibus & putredo, & febris ſolent foueri. Etſi verò ad hanc indicationem plurima remedia ſont accommodata, tamen vulgaris vſus obtinuit, vt medici potiſſimùm ſyropis & decoctia hanc rem agant; ſed ante omnia naturæ motum oportet animaduertere; etenim ſi bilis ad ventriculum referatur, oportet per vomitum illam educere, & naturæ conarum iuuare, ſed tamen leuioribus auxiliis, exempli gratia, aqua hordei & ſyrupo acetoſo, vel more Galeni, cum hydrelæo.

Vomitoria lenia.

Et ſit exemplum.

℞. *Aqua hordei*,
Vel, *iuris pulli lib. j.*
Syrupi acetoſi ſimplicis ℥. *ij.*
Vel, *olei communis, ad mentem Galeni*,
Vel vt aliis placet, *olei amygdalarum dulcium* ℥ *iij. Miſc.*

Quæ quidem medicamenta vomitoria, & copioſa, & tepida debent adminiſtrari, ſic enim maiorẽ moleſtiam afferunt ventriculo, illumq; magis ſubuertunt. Si verò natura videatur per aluũ huiuſmodi vacuationem tentare, tunc pariter iuuanda eſt, vel linienti medicamento, vel clyſtere, ſi fuerit dies acceſſionis. Quod ſi ſponte vomitus vel purgatio fiat, iubet Gal. 1. *ad Glauc.* 9. omnia naturæ permittenda eſſe.

Lotium prouocantia.

Quatenus pertinet ad ea medicamenta, quæ prouocant lotium & ſudorem, ſunt quamplurima; ſed vt diximus, ſyrupi noſtri vulgares & decocta ad huiuſmodi indicationem ſunt admodum accommodata Galen. probat potionem in aqna apium maduerit, quod non eſt aliud quàm noſtrum vulgare petroſelinum Alexander laudat decoctum ex radice apij & adianthi, qui grauiter improbat vſum anethi, quaſi illud ſit nimis calidũ & ſiccum: de quo certè eſt nimirum, quomodo probet apiom, improbet anethum, cum vtrumque eadem ferè temperie & facultate præditom ſit. Pro Galeno autem dicendum eſt, primùm anethum non eſſe tam calidum & ſiccum, vt putat Alex. cum apud Galen. *3. de ſimp. med.* mediam temperiem ſortitum ſit, aut paulum ab ea recedat, quod propterea, vt idem monet Galen. 5. *de ſimp. med.* 21. minus valebit calefacere & exſiccare, ſi viride fuerit. Deinde eſt notandum, Galen. probare alterutrum, aut apium, aut anethum, minimè vtromque: ac demum ſi modò anethi caliditas & ſiccitas ſuſpecta fuerit, hoc periculum facile vitari, ſi illud parcè, & multa ex aqua paretur: qua ratione certum eſt, omne caliditatis & ſiccitatis periculum auferri. Vt autem ad ſyrupos & decocta deueniamus, quæ in præſentia ſunt in vulgari vſu, cichoracea principem locum tenent, vt ſyrupus de ſucco cichorei, de ſucco endiuiæ, de ſoncho, acetoſus ſimplex, & ſimiles: quoniam verò, vt priuatim declarauimus, huiuſmodi omnes ſyrupi ferè ad mulſam antiquorum referuntur, quæ in morbis & naturis bilioſis facilè in bilem vertitur, propterea medici eruditi vel prorſus abſtinent à ſyrupis, & cum decoctis tantummodo agunt, vel illis perpetuò ſolent permiſcere ſyrupum acetoſum, qui facile huiuſmodi noxam poteſt emendare.

Vt ſit exemplum:

℞. *Syrupi acetoſi ſimpl.* ℥. *j. ß.*
Decoctionis acetoſæ ℥. *iiij. M.*

Vel:

℞. *Syrup. de ſucco acetoſæ* ℥. *ß.*
Decocti cichorei,
Endiuiæ ℥. *vi. M.*

Alij vtuntur ſyrup. de acetoſitate citri, de portulaca, de limonibus, de granatis, & ſimilibus, à quibus omnibus planè cenſco abſtinendum eſſe, cum inſigniter adſtringant ac propterea impeditam perſpirationem, obſtructiones, morbum & cauſam morbi poſſint augere.

Concocta materia, naturam in primis oportet obſeruare, an quidquam illa moueat, an quieſcat: quod ſi natura per aluum, vel aliam partem, bilis vacuationem mollatur, tunc modicè quieſcendum eſt: ſin verò illa deficiat à ſuo munere, neque humorem noxium expellat, iam licet medico medicamentum exhibere: hæc autem quamplurima ſunt, partim ſimplicia, & partim compoſita. Galenus vnius abſinthij mentionem facit, qui aſſerit, illud ſummum eſſe remedium mordicationum ventriculi, quæ ex bile proueniunt, vt hinc poſſimus argumentum colligere, in tertiana exquiſita, in qua humor calidus & ſiccus, & ad motum promptus faciliſque putreſcit, calida & validiora medicamenta non conuenire: ſed & illud mihi libet addere aduerſus minorantes: namque ſi Galen. in tertiana exquiſita docet, abſinthium leuiſſimum planè medicamentum, non ante coctionem dandum eſſe, longè magis rationi conſentaneum, vel potius neceſſarium, illum de reliquis valenter purgantibus idem ſentire. Sed rurſum Alex. de vſu abſinthij Galenum carpit, de quo miratur, quomodo tam indiſtinctè ſcripſerit, tertiana exquiſita correptis abſinthij dilutum à ſeptimo die eſſe propinandum, qui altera ex parte, potius in tertiana notha, quàm legitima, videtur illud comprobare: ſiquidem tertiana notha propter mixtionem pituitæ extenuandæ & leuiter purgandæ videtur magis conuenire. Pro Gal. autem id primò notandum eſt, apud illum nullum verbum fieri de ſeptima vel alia die, qui ſimpliciter ſcribit, poſt apparentia ſigna coctionis illud fore exhibendum. Deinde illud eſt de abſinthio memoria repetendum, quod à Galen. traditum eſt *de ſimp. med.* 5. ipſum bilioſos ventris humores per egeſtionem infernam propellere, & per vrinas vacuare, pituitam verò in ventre, vel thorace, aut pulmone contentã, nihil iuuare; ad quẽ modum ille quoq; teſtatur 6. *de tuenda vales* 10. in vẽtriculo frigido reperto humore pituitoſo diſtillãte à capite, abſinthij potionẽ eſſe aduerſiſſimã, propterea

pterea quod adſtringens in eo facultas quàm amara, ſit valentior, & ita ſuccum pituitoſum magis ventri affigit, neq; illus detergẽdi vim poſſidet. Ex quo vnuſquiq; poteſt facilè Alex. calumniã confutare, cũ reuera qualitates & facultates abſinthij ſatis confirment, illius vſum in tertiana exquiſita, & morbis bilioſis optimum eſſe: contrà verò in tertiana notha, & morbis pituitoſis non ſatis conuenire. Neque verò eſt, vt quis pro Alex. nimiam abſinthij caliditatem vobis obiiciat: ſiquidem primum illud apud Galen. loco citato *de ſimp. med.* in primo tantum gradu calidum eſt: deinde ſi illud viride & parcè exhibeatur; vt de anetho diximus, longè adhuc minus calidum euadet, adeo vt in febre potiſſimùm intermittente, in qua ægroti multas horas ſine febre remanent, nullum videatur ſuperfluæ caliditatis periculum imminere.

Rhabarb. Verùm ad reliqua veniamus, quæ hoc tempore ſunt medicis familiaria, inter quæ omnium conſenſu rhabarbarum principem locum obtinet: quod quidem duplici modo poteſt exhiberi, vel aliquo liquore infuſum, vel in ſubſtantia: habeatis exemplum infuſionis.

℞. *Rhabarbari elect.* ʒ. ij.
Spica g. v.
Fiat infuſio in decoctione acetoſa q. ſ. & poſt horas 10. facta expreſſione adde
Syrup. roſ. ſolut. ℥. j. ß. *M.*
Sit exemplum in ſubſtantia.

℞. *Rhabarbari electi* ℈. iiij.
Spica g. iij.
Syrup. roſ. ſol. ℥. ij.
Decoctionis endiuia q. ſ. M. F. Potio.

Ego conſueui aliquando rhabarb. permiſcere cum caſſia, quæ mixtio eſt optima, quod alterum alterius vitia videatur corrigere, & ſit exemplum:

℞. *Flor. caſſ. nouit. extr.* ℥. j.
Rhabarb. electi pulueriſati ℈. v. *Miſc. fiat Bolus.*

Plerique omnes in præſentia non ſolùm in tertiana, ſed etiam morbis prope omnibus, ad diſſoluendum & rhabarbarum, & reliqua medicamenta, decocto quodam vtuntur, quod appellant florum & fructuum, & hoc modo conficitur.

℞. *Caricarum N.* v.
Prunorum Damaſc. N. xv.
Iuiubarum,
Sebaſten ana N. xx.
Thamarindorum ℥. j.
Florum roſ.
Violarum,
Borrag.
Bugloſſæ ana ʒ. ij:
Capillorum Veneris,
Lupulorum,
Endiuia ana M. ß.
Liquiritia ʒ. ij.

Incidantur & contundantur qua ſunt incidenda & contundenda & bulliant. Nonnulli demum addunt ſenam, polypodium, epithymum, & alia id genus: quo quidem vulgari decocto ego aut nunquam aut rariſſimè vtor: etenim pruna, ſebeſten, thamarindi, non leuiter adſtringunt: illi flores cum ſint aridi, nihil valent, & ſi diligenter hæc res conſideretur, confuſa quædam videtur compoſitio, quæ omni caret artificio, nec quicquam recipit, quod cæterorum medicamentorum nocumenta poſſit corrigere. Quare ego cenſeo, multo maiori vtilitate & ratione medicus ſibi parare propria & accommodata decocta, quod ego ſemper facio, quę ſingulorũ medicamentorum vitia emendare, atq; illorum vires iuuare poſſunt. Itaque in tertiana exquiſita exhibeatur rhabarbarum ex cichoraceis, quod optimum erit;

Nonnulli vtuntur ſcammonio & medicamentis quæ illud recipiunt, ex quibus vnus eſt Alex. de quo verè licet mirari, quomodo improbet abſinthium, & probet ſcammonium: ego verò & à ſcammonio & à ſcammoneatis omnibus cenſeo abſtinendum eſſe, vt præclarè hac in parte monet Auerr. 7. *colliget c.* 11. Quod ſi quis cupit iſtorum quoq; medicamentorum qualitatẽ & adminiſtrationem intelligere, ea ſunt duo potiſſimùm, electuarium de ſucco roſa. & electuarium roſatum Meſuæ, quæ mihi videntur ſatis artificioſè præparata, & in purganda bilẽ cæteris omnibus anteponenda. Sit exemplum:

℞. *Elect. de ſucco roſar. vel roſati Meſua* ʒ. ij. ß.
Syrupi roſarum ſol. ℥. iij.
Decoctionis cichorei q. ſ. M.

In curatione tertianæ exquiſitæ poſtrema reſtat indicatio refrigerandi & humectandi, quæ ſæpenumero nullũ habet vſum, cum purgatis humorib. noxiis, ſimul quoq; omnis calor præter naturã aboleatur. *Vltimo indicatio.* Inter cætera autẽ præſidia, quæ ad hanc indicationem ſunt accõmodata, balneũ aquæ dulcis principem locum obtinet, quod non ſolum propria qualitate, vnde humectat, & refrigerat, ſed etiam quoniã aliquid bilis educit, quam maximè vtile eẽſendũ eſt: ſicuti altera ex parte reliquæ aquæ ſalſæ, ſulphureæ, & ſimiles, etſi plus quidem bilis educunt, tamẽ ſuis qualitatibus plus nocẽt, quàm vacuationibus iuuẽt: quemadmodũ illi euenit ægroto, cuius hiſtoriã narrat Gal. qui falſa quadã ratione perſuaſus huiuſmodi aquis mineralibus vſus, deinde extenuato corporis habitu ad tantũ venit perniciẽ, vt tabe cõſumptus interierit. De quo quidẽ balneo illud videndũ reſtat, vtrũ ante, vel ſolũ poſt morbi cõcoctionẽ cõueniat: neq; Gal. hanc rem planè videtur declaraſſe, qui illud tantũmodo ſcribit; perpetuò memoria tenendũ, vt in tempore adminiſtretur: ad quem modum ſcribit quoq; 3. *de cauſ. pulſ.* 14. balnea calida ſi in tempore fiant, corpori omnino aliquam vtilitatem afferre. *Balneũ.* Stephan. Athenienſis, Græcus auctor, exiſtimat de ſententia Gal. Balneum etiam cõuenire ante coctionem, & quærens quomodo illud non intendat, augeatq; febrem & obſtructiones; reſpondet, id fieri quoniam in tertianis febribus qualitas magis quàm materia nocet. Ego verò etſi nolo Stephani interpretationem refutare, & negare, quin balneũ in tertiana exquiſita poſſit ante concoctionem cõuenire, propterea quòd putreſcente humore tenui & calido, nullum fortaſſe videtur obſtructionis periculum imminere: veruntamen altera ſententia mihi magis probatur, nempe balneum non niſi poſt coctionem tutò & vtiliter poſſe adminiſtrari, id quod partim Gal. auctoritate, partim ratione ſatis mihi videor poſſe confirmare: namq; Gal. 11. *met.* 9. quo loco ex propoſito tradit rationem curandi febres putridas per balnea, teſtatur illa non conuenire, niſi indicia coctionis vehementer appareant: aliis quoque locis hanc doctrinam confirmat apertiſſimè: *Febrium*, inquit Gal. lib. de marcore 7. initio, *qua ex putreſcentibus humoribus accenduntur, balneum remedio eſt, ſi poſt humorum concoctionem adhibeatur: hecticis verò qua ſola ſunt, neque aliam implicatam habent febrem, omni tempore balneum idoneum eſt: ſi verò febris hectica coniungatur alteri putrida; tunc balneum eſt idoneum, cum iam humores ſunt concocti.* Et iterum 7. aph. 42. *Non tamen vbi inflammatio aliqua, aut ſine inflãmatione humoris putredo igneum excitat calorem; balnea ſunt vtilia, niſi prius vacuatis aut concoctis humoribus noxiis.* Hæc Gal. Quod ſi iſtud eſt generale præceptum, & omnes febres putridas comprehendit, non eſt, vt iure tertianam exquiſitam debeamus excipere: ſed neque deeſt ratio, quæ ſententiam noſtrã poſſit confirmare: etenim cũ balneũ omniũ cõſenſu poſſit humores fũdere & validè mo-
nere;

uete, ſi ante coctionem adhibeatur, quo tempore natura illis non dominatur, vtriq; neceſſariũ eſt, vt per venas in totũ coporis habitũ diſtribuantur, ac meatus anguſtos obſtruant, per quos fit cõmunis tranſpiratio, demũmq; vt putredo & febris augeatur; & quamquã tertiana pẽdet ex humore tenui & calidiore, vt inquit Stephanus, tamẽ dũ ille quoq; eſt crudus, iiſdem naturæ legibus ſubiicitur, quibus cæteri humores crudi ſubiiciuntur, neq; ante illius coctionem debet importunè moueri. Sed hac de re ſatis.

Etſi autem multa ſunt alia externa remedia, fomenta, linimenta, & ſimilia, quæ poſſunt refrigerare & humectare, tamen Gal. vnius balnei mentionem facit, vel propter breuitatem, hoc veluti exẽplo cætera intelligens, vel propterea quia hoc ſolo præſidio, quod ſine dubio cæteris omnibus eſt efficacius, contentus fuerit, cum potiſſimùm ſuo tẽpore balnea fuerint admodum familiaria, & nihil defuerit, quod ad cõmodam illorum adminiſtrationẽ pertinet: cum autem hoc tẽpore nullus prope ſit vſus balnei, neq; habeamus inſtrumẽta, neq; miniſtros, neq; loca ad hanc rẽ accõmodata, ideo aliis remediis agendũ eſt. *Infrigidantia.* Itaq; licet fouere hypochõdria, ac potiſſimùm dextrum, in quo tanquam præcipuo fomite diximus ſũmam huius febris contineri; licet inquam fouere cum decoctis vel ſuccis refrigerantibus endiuiæ, cichorei, ſonchi, vel cum epithematibus, linimentis de quibus, iam ſatis diximus. Sed & medicamentis quoq; internis licet idem præſtare, qualia ſunt conſeruæ roſarum, acetoſæ, borraginis, decocta endiuiæ, cichorei, lactucæ, aqua decoctionis hordei, ſerum lactis, & cætera, quæ habent eandem rationem.

Aer. Poſtremò ſupereſt victus ratio, & primùm aër ſit frigidus & humidus, qui niſi talis fuerit ſponte & natura, omni adhibito ſtudio præparetur: de qua præparatione ſatis diximus. *Somnus.* Somnus ſit profundus quantum fieri poteſt: & ſi vrgeant vigiliæ, ille omnibus modis concilietur. Extra ſunt oleum violaceũ, de nenuphare, de mandragora, vnguentum diapopuleon, lotiones extremarũ partiũ, manuum & pedum cum decocto lactucarũ, violarũ, capitum papaueris. Intrà ſunt lactucæ, ſemina papaueris albi, in ferculis, *Exercitatio.* & alia id genus. Motus & exercitatio nõ conuenit, vnde habetis apud Hip. & Gal. *6. epid. ſect.* 3. 31. de Prodico illo, qui ſuos febricitantes importunis motibus & exercitationibus interficiebat: facile enim *Vacuatio.* eſt intelligere, omnem motum poſſe adhuc magis calefacere, & exſiccare, & febrẽ augere. Ægri quotidie vel ſaltem alternis diebus alui excrementa deponant, ſic reliquis omnibus naturalibus vacuationibus ſtudeant: caueant ab ira, mœſtitia, & cæte- *Animi perturbatio.* ris animi perturbationibus. Quatenus autem demum pertinet ad alimenta & potiones, & Galen. & omnes hanc rem tractant diffusè, vt iure nos debeamus eſſe breuiores. Ergo alimenta ſint boni ſucci, fa- *Alimenta.* cilis coctionis, & quæ peculiarem vim habeat refrigerandi & humectandi qualia multa numerantur, præcipuè apud Galen. fructus, herbæ, carnes, piſces, quorum catalogum nolo longiùs perſequi. Quantitas verò ea ſit quanta probè poſſit concoqui. A vino, antequam morbus concoquatur, abſti- *Vinum.* nendum eſt: vbi ille concoqui cœperit, tenue & aquoſum & paucum ab initio dandum eſt: cum autem prope eſt, vt morbus ſoluatur, tunc illud copioſius exhibendum eſt: interea autem dum vinum prohibetur, multi vtuntur aqua hordei, quæ ſi bene præparetur, non eſt repudianda. Ius pulli tenuiſſimum vel ſimplex vel acetoſa, endiuidia, aut re ſimili alteratum, optimum eſt. Nonnulli familiariter vtuntur vinis granatorum, citoniorum, ceraſorum, acetoſorum, qui vulgo appellantur *Maraſche*, aut ſolis ſimul cum aquis, varia facta eorum mixtione & præparatione, à quibus, vt dixi ego ſemper cenſeo abſtinendum: redeamus ad Gal.

Si cui mirum videtur, cur Gal. in tertiana exquiſita tam lautam menſam præparet, huic idem reſpondet Gal. qui nos admonet in fine capitis, hanc victus rationem communi quadam coniectura inſtitutam fuiſſe, ac pro illis tantummodo ægrotis, qui nimium ſibi indulgentes vix præceptis medicorum volunt obedire: ſiquidem cæteris qui non ſunt ita delicioſi, iubet talem victum eſſe inſtituendum, qualem ipſe profitetur ſecundùm Hip. doctrinam ſe aliquando inſtituiſſe, nimirum ex ſola priſana vſque ad ſtatum.

Et non auſcultes ſermonem eius, qui in principio, &c.) Hoc loco Auic. reprehendit Rhaſen, qui 10 *ad Almanſorem c. de tertiana*, necnon 17. *continentis c. 5. in princip.* concedebat valida purgantia medicamenta, ne febris fieret continua, & diſpoſitio deterior euadat: Auic. autem ſolùm probat medicamenta lenientia, caſſiam, thamarindos, & ſimilia: quod maximè eſt notandum propter minorantes: qui expreſsè contra hunc textum contendunt, ſuam opinionem opinioni Auic. conſentire. Sed quatenus pertinet ad medicamenta Auic. notandum eſt illum dare quadraginta drachmas thamarindorum, quæ doſis nimium excedit; quare aut litera eſt deprauata, aut ſicuti volunt nonnulli interpretes medicamentum non ſemel exhibendum eſt: permiſcet autem thamarindos cum manna, quæ permixtio optima eſt, vt aliàs diximus.

Etſi ventris ſolutio.) Fuerunt multi veteres & hodie ſunt multi recentiores, qui docent humores tenues, ſicuti eſt flaua bilis, principio febrium ſine vlla concoctione poſſe purgari, aduerſus quos eſt præſens ſententia Auic. qui inquit, ſi in tertiana exquiſita exhibeatur medicamentum, id quidem minori cum periculo fieri, quàm in cæteris, ſed tamen in illa quoque magnam malitiam, & magnum periculum ſupereſſe: quod item præceptum minorantes debent memoria tenere.

Et quando eſt poſſibile, vt non phlebotomes vſque ad tres periodos.) Antiqua litera legit affirmatiuè; puto Gentilem & reliquos interpretes vidiſſe vtramque lectionem, quarum occaſione quærunt, vtrùm liceat in febre tertiana ante vel poſt tres periodos ſanguinem mittere: qui diſtinguentes docent, quandoque ante, & quandoq; poſt id licitum eſſe: Namque ſi principio febris humores longè diſtent à forma ſanguinis, tunc non licet niſi poſt tres periodos ſanguinem mittere, quo tempore veriſimile eſt humores aliqua ex parte coqui, & ſanguinis formam recipere: ſin verò humores ſint optimè permiſti, neque multum diſtent à forma ſanguinis, tunc ante tres periodos licet venam ſecare: de qua ſolutione plurima forent dicenda, ſed illud vnum mihi ſufficiat, de ſententia Hipp. & Gal. principium & febrium & omnium morborum ad miſſionem ſanguinis eſſe cum primis accommodatum: quare ſicuti in reliquis omnibus ita etiam in tertiana, conſentientibus omnibus ſcopis, primo tempore expedit venam ſecare, alioqui ſi tres periodos velis expectare, iam ſtatus ſuperueniet, in quo melius eſt quietem habere. Et ſi quis obiiciat, humores principio longè diſtare à forma ſanguinis; reſpondeatis tunc vnum principem ſcopum, nempe virium, deeſſe, illaſque multo magis in poſterum defuturas eſſe: quare omnino antiqua litera tenenda eſt, quæ docet, ante tres periodos venam fore ſecandam.

Et ſimiliter quãdo times, quòd ſit ægritudo furioſa.) Hæc particula omnibus interpretib. & inter cæteros Trincauellio maximũ negotiũ faceſſit, qui ni fallor, ineptam & planè abſurdam illius interpretationem commentus eſt: *Trincauellius notatur.* cum enim certum ſit Auic. loqui in præſentia de miſſione ſanguinis, Trincauellius

contrà

contra contendit, illum ſermonem habere de purgatione, quam ſingulari quadam cognitione docet conuenire, non modò quando humores actu & verè turgent, ſed etiam quando futurum eſt, vt turgeant.

Et ſimiliter ponere pedes in aqua frigida, vel vt alij legunt, *tepida*) Quæ lectio habet, *aqua frigida*, manifeſtè eſt falſa, niſi velimus cum quibuſdam interpretibus eam tueri, quibus placet, huiuſmodi aquam eſſe frigidam potentia, ſed calidam actu: vt ſi exempli gratia, in ea decoquantur folia maluarum, violarum, actucarum, in qua deinceps actu calida vel tepida optimum erit in declinatione acceſſionis pedes imponere: namque ratione caliditatis actu facilè trahuntur vapores ad partes extremas, ratione autem frigiditatis potentia, & humores, & vniuerſum corpus quoquo modo poteſt refrigerari.

Et fructus quidem ſunt ſicuti granata dulcia.) Auic. eſt admodum liberalis in fructibus, qui tertiana laborantibus concedit granata dulcia, & auſtera, pruna, cucumeres, melonē Indum, quem aiunt eſſe vulgatem anguriam: quam partem ille forte accepit ab Alex. qui dandis huiuſmodi fructibus eſt non modò liberalis, ſed etiam prodigus: de quibus mea ſententia ita habendum eſt: fructus aut nullo modo, aut moderatè, præcipuè verò in gratiam alicuius ſymptomatis conuenire, quòd omnes propemodum ſint mali ſucci, multi difficulter concoquantur, facilè autem corrumpantur, & multa pericula ſecum afferant. Et ſi quis præter Auic. & Alex. obiiciat Gal. qui pariter ab vſu fructuum non abſtinet, is multa apud illum debet obſeruare, nam primùm, quod ſuprà diximus, fructus concedit minimè omnibus, ſed tantummodo bilioſis, quod illud verbum demonſtrat, *permittendum autem*. Deinde illos concedit moderatè, quod item alterum verbum demonſtrat, *permittendum autem vt deguſtent*. Tertiò concedit fructus, qui non ſunt difficilis coctionis, qua ratione adminiſtrati, fortaſſe refrigerando, & humectando poterunt aliquam vtilitatem afferre:

Balneo vero oportet vt non appropinquet niſi poſt deiectionem) Hæc verba Auic manifeſtè noſtram ſententiam confirmant, de vſu balnei in tertiana exquiſita, nempe illud ex doctrina Gal. non conuenire, niſi poſt humorum coctionem, vt ſupra diximus.

Cura tertianæ continuæ. *Et ſcias quòd tertiana continua eſt cura tertiana interpolata*) Abſoluta curatione febris intermittentis, in poſtrema hac parte capitis Auic. tractat curationem febris tertianæ continuæ; qui docet, vtramque curationem, & intermittentis & continuæ eandem eſſe, niſi quòd continua omnino indiget maiori cura & diligentia tam in cibo & potu, quàm medicamentis, & rebus omnibus quæ dicta ſunt de febre intermittente: quare & nos hanc vniuerſam curationem abſolnamus. Pro alui lenitione ſint clyſteria mollia, quorum exempla habuiſtis. Per os ſint medicamenta lenientia & leuia, ac potiſſimum caſſia. Lenita aluo cum morbus ſine dubio ſit magnus, ſi reliqui duo conſentiant ſcopi, ſine dilatione ſecanda eſt vena, quæ habita ratione iecoris præcipuè laborantis, ſit baſilica dextri lateris, ſanguiſque extrahatur copioſiùs quàm in intermittente, cum breui tempore, neque vltra tertiam diem oporteat ſtatum expectare. Lenita aluo, minorata materia, ſint concoquentia, quæ habeant vim refrigerandi & humectādi, necnon leuiter abſtergendi, & aperiendi: decocta cichorei, ſonchi, endiuiæ, ſyrupus acetoſæ, & ſimiles. Apparente coctione, ſi natura per aliquā partē aggrediatur, quantū ſatis, eſt vacuatione humoris noxij, tunc medico eſt quieſcendum; ſi illa nihil agat, hoc tempore licet adminiſtrare aquam frigidam, dummodo non deſint conditiones, de quibus aliàs diximus. Quòd ſi occaſio poſtulet vſum medicamenti, illud ſit leuiſſimum, & inter cætera rhabarbarum eſt præſtantiſſimum. Victus ratio accuratè inſtituatur, neque in febre periculoſa aliquis error committatur: quare nullo modo permittendi ſunt fructus, non oua, non pedes & carnes porcorum, non vinum, præterquam in declinatione, ſed ægri ſola ptiſana, vel ſimili alimento contenti ſint, vſque ad criſim, ex doctrina Hippocr. & Galeni.

Caput XVII.

De Tertiana notha.

Cap. 39. R*Es in quibus diuerſificatur.*) In cura tertianæ nothæ eædem ſunt indicationes, quæ ſunt in tertiana exquiſita, præter illas quæ ſuggeruntur à materia, quæ natura flauæ bilis degenerat, ſicuti diximus: cum verò huiuſmodi febris non ſit vnius ſpeciei, & ſingulæ curari non poſſint, nos cum Gal. & Auic. vnius tertianæ nothæ curationem trademus; quæ pendet ex putredine bilis permixtæ cum pituita, ſiue humore melancholico; ſiquidem cæteræ quæ pendent ex putredine bilis non naturalis, vitellinæ, æruginoſæ, & ſimilium, in eo tantùm differunt à tertiana exquiſita, quòd remedia magis efficacia & maiorem diligentiam deſiderant. Itaque ſtatim examinemus ſingula præſidia ad ſingulas indicationes accommodata, & incipiamus ab alui lenitione. *Clyſteria.* Clyſteria non ſint adeo frigida & mollia, ſicuti in tertiana exquiſita, ſed quoquomodo ſint calidiora & acriora, ſiquidem putreſcente humore frigidiore & craſſiore, de inſignis totius temporis calore timendum non eſt, & ſit exemplum;

℞. *Decoctionis betarum,*
Mercurialis lib. j.
(addunt multi carthamum, turbith, polypodium, & cætera vehementiora, à quibus potiſſimum principio abſtinendum eſt.)
Mellis roſati,
Olei chamæmelini completi ana ℥. iiij.
Salis parum Miſ. pro clyſtere.

Medicamenta ſint lenientia, ſed quæ ad aliquam caliditatem declinent: quare non ita foret abſurdum dare caſſiam cum portiuncula ſpecierum hieræ, *Lenientia.* caſſiæ ad ʒ. x. ſpecierum hieræ ſimplicis ad ℈. ij. Manna quoque commodè poteſt exhiberi quando hic nullum eſt periculum, vt in tertiana exquiſita, vt in bilem vertatur. Et ſi alicui in hac febre manna non videtur conuenire, in qua peccant humores craſſi, ſicuti conuenit in tertiana exquiſita, in qua peccant humores tenues, cum manna tenues humores potiſſimum videatur expurgare: huic reſpondeatis, mannam exhiberi non ad purgandos humores, qui continentur in venis, ſed ad leniendam aluum & purganda illa excrementa quæ in ventriculo, & inteſtinis continentur: qua eadem ratione conueniunt quoque ſyrupi, roſaceus & violaceus ſolutiui, etſi neque iſta medicamenta humores craſſos valeant expurgare: ſic mel roſaceum ſolutiuum vel ſolum, vel ſimul cum manna optimum foret; & ſit exemplum:

℞. *Mel. roſ. ſol* ℥. iiij.
Manna Calab. electa ℥. j. ß.
Decoctionis cichorei,
Betonica q. ſ. M.

Lenita aluo, quatenus pertinet ad minorationem materiæ, nonnulli improbant miſſionem ſanguinis quod in hac febre humores ſunt crudiores, quā *Sanguinis miſſio.* vt tale remedium ferre poſſint: nonnulli verò etſi eam probant, tamen illius adminiſtrationē ad plures dies differunt, propterea quod os ventriculi ſit malè

affectum,adſintque plurimæ eruditates,quibus interea conſumendis primis diebus attendunt:ſed aduerſus vtroſque eſt Gal. qui adhibita earum rerum diſtinctione,quæ in hac deliberatione ſunt animaduertendæ,docet ſanguinem mittendum eſſe, & quidem ſtatim à principio,atque ea quantitate, quam plenitudo,habitus corporis,tempus anni,& cætera id genus videntur poſtulare. Poſt lenitionem alui , poſt minorationem materiæ,altera ſuccedit indicatio vacuandi humores putridos , per vrinam, ſudorem,ac poſtremò per aluum. Galen. vtebatur hyſſopo, vel origano,vel ſpica nardi,quæ in mulſa infundebat, & decoquebat:quibus addit hæc verba : *& quæcunque alia quæ prouocant vrinam,præterquam illa quæ ſupra modum calefaciunt & exſiccant* : ex quibus verbis facilè eſt intelligere , quam temere Alex.Galenum reprehendat , quaſi huiuſmodi remedia ſint nimiùm calida & ſicca; cum ille expreſsè doceat, ab iis quæ ſuprà modum calefaciunt & exſiccant, abſtinendum eſſe. At verò cum hæc Gal.medicamenta ſint minus grata , vſus hoc tempore obtinuit , vt familiaris ſit vſus vulgarium ſyruporum , inter quos teſtimonio Gal. oxymel & ſyrupus acetoſus ſimplex principem locum obtinent : quorum imitatione ſunt alij multi ſyrupi,qui pariter moderatè calefaciendi, attenuandi,incidendi , aperiendi , & vrinam prouocandi vim habent quales ſunt mel roſaceum, ſyrupus de betonica , ſyrupus byzantinus , ſyrupus de duabus vel quinque radicibus , de cichorea ſine rhabarbaro, & ſimiles , de quibus atque eorum viribus in priuatis lectionibus tractabimus. Cæterum Gal.præter hæc probat vſum abſinthij,qui aut illius comam poſt ſeptimam diem inquit dandam eſſe, illúdque maximopere probat propter duas rationes:alteram, quòd vim habeat purgandi bilem:alteram,quòd ſimul poſſit moderatè calefacere , & aliqua adſtrictione ventriculum corroborare. Verùm quod ille ſcribit de die ſeptima, non leuem habet difficultatem : ſiquidem hæc determinatio non à numero dierum,ſed ab ipſa cōcoctione petenda eſt, ſicuti de tertiana exquiſita diximus,& ſicuti idem Galen. generaliter confirmat 4 *de ratione victus* 76. quo loco cum ille auctor ſcribat , pleuritico medicamentum die quarta dandum eſſe , ille hanc ſententiam non probat , *neque enim*, inquit , *inter initia aliquod eiuſmodi remedium ægrotandi iniungere oportet , ſumpto à numero dierum ſcopo , ſed quod Hip. iubet exequendum eſt nunc, vel ſtatim ab initio, priuſquam in partem aliquam confirmentur humores , medicandum eſt , vel poſtea cum ad maturitatem perducti fuerint*. Ego igitur illis verbis, *poſt diem ſeptimam*, puto Gal.idem ſentire, quod ſuperiori capite, cum inquit,*ſi concoctionis ſigna apparuerint*. Neque enim video quomodo in tertiana exquiſita,putreſcente humore vno,tenui, & ad purgationem parato,voluerit coctionem expectare,in tertiana autem notha , in qua non ſolùm bilis , ſed alij quoque redundant humores craſſiores, & ad purgationem inepti , velit coctionem negligere. Quamobtem verò diei ſeptimæ mentionem fecerit, id ego puto propterea factum fuiſſe,quòd ille pro comperto habuerit,in tertiana notha coctionem nullo modo ante diem ſeptimam poſſe apparere : in qua re hæc febris præter cætera differt à tertiana exquiſita,in qua,vt docet Gal. 2. *de criſib*.3. aliquando in prima ſtatim periodo, vel in declinatione, aut in febricitatione,apparent ſigna concoctionis, vnde tum in tertia aut quarta acceſſione, niſi aliquis committatur error , ſolet iudicari. Itaque etſi verba in proximo ſuperiore capite & præſenti non ſunt eadem , tamen ita habendum eſt , vtrobique vnum atque eundem ſenſum eſſe,nempe abſinthium tantummodo poſt humorum concoctionem fore exhibendum, neque dies ſeptima , vt forte nonnulli opinantur , certus terminus dandi abſinthij à Gal. conſtituitur , qui mea ſententia id voluit , non ante diem ſeptimam , quo tempore nulla poteſt adeſſe concoctio , ſed tantummodo poſt hunc terminum illud exhibendum eſſe,non ſtatim , ſed vel citiùs , vel tardiùs ipſa concoctio eſt appàritura. Vnde exempli gratia, illi adoleſcenti , cuius hiſtoriam narrat Gal. qui autumno cœpit laborare huiuſmodi febre , & ſolùm circa æquinoctium veris habuit ſigna concoctionis, cum quibus poſt paucos dies liber euaſit , certum eſt hoc poſtremo tempore tantummodo à Gal. abſinthium datum fuiſſe. Galenus demum poſt abſinthium docet in hac febre alia quoque medicamenta plurimum iuuare , quæcunque mollitet aluum leniunt , quibus ille teſtatur ſe familiariter vſum fuiſſe : ex quo loco minorantes id conantur confirmare de ſententia Gal. purgantia medicamenta in febribus ante humorum coctionem conuenire : ſed illi falluntur:namque etſi Galenus non expreſsè docet , vtrùm ante vel poſt coctionem huiuſmodi conueniant medicamenta , tamen & ſeries orationis , & multo magis ratio perſuadet , illa non ante coctionem eſſe exhibenda : etenim ſi ille non audet alio tempore,quam apparente concoctione abſinthium, tam leue medicamentum exhibere, certè neque fieri poteſt , vt ante concoctionem cætera validiora voluerit adminiſtrare : ſed tamen equidem puto Galenum in præſentia non de aliis medicamentis,quàm de lenientibus & leuibus ſermonem habere , quæ certum eſt omni tempore,& ante & poſt concoctionem conuenire.

Dubitatio.

Apparente concoctione in tertiana ſpuria licet deuenire ad purgantia medicamenta , quæ plurima ſunt, & primùm ſimplicia , inter quæ rhabarbarum omnium conſenſu principem locum obtinet, quod & Meſuæ , & omnium teſtimonio, pituitam & bilem clementer purgat : ſunt agaricus , turbith , & quod cæteris vehementius eſt , ſcammonium , & ſimilia. Deinde ſunt compoſita , inter quæ electuarium diapbœnicon , mea ſententia , eſt præſtantiſſimum , eſt electuarium de ſucco roſarum , oleum roſarum Meſue , hieta diacolocynthidos , quam hieram Pachij appellant : ſunt pilulæ de hiera cum agarico : de tribus cum rhabarbaro, ſunt pilulæ aureæ & ſimilia,quorum habeatis exempla.

Purgantia.

℞. *Rhabarbari electi* ʒ. ij.
Spica g.v.
Infundantur in decoctione vel aqua betonica, & facta expreſſione, adde.
Syrup.roſ.ſol. ℥. ij. ß.
Decoctionis betonica q.ſuf. M.

Plerique omnes communiter practicantes gaudent receptis longiſſimis , in quibus omnia & ſimplicia & compoſita medicamenta imponunt , quæ mihi potius confuſiones , quàm artificioſæ compoſitiones , videntur , ac propterea longè magis ſoleo probare illorum inſtitutum,qui paucioribus accommodatis medicamentis agere conſueuerunt : quoniam verò bene eſt medicum omnia intelligere , vt ſaltem poſſit de omnibus loqui , & iudicium facere , habeatis exemplum huiuſmodi modernorum.

℞. *Prunorum,*
Sebeſten,
Iuiubarum ana N. x.
Liquiritia raſæ,
Olei ex corticali,
Paſſularum ana ʒ. iij.
Florum violarum ,
Borraginis,
Bugloſſa ana ʒ. ß.
Foliorum fumi terræ,

Cicherei,

Cichorei,
Borraginis ana M.ß.
His non nulli addunt
Senam,
Epithimum,
Polypodium,& alia ſoluentia, M. omnia decoquantur in aqua communi ſ.a.
℞. *Prædictæ decoctionis ℥ vj.*
Rhabarbari electi ℈ iiij.
Spicæ g. iiij. Fiat infuſio ſec. artem.
Et poſt horas 10. facta expreſſione, adde
Electuarij. diaphœnicon,
Diacatholicon.
De ſucco roſar. ana ʒ j.ß.
Syrupi roſati ſol. ℥ j. M. fiat potio.
Si quis cupit exemplum pilularum,
℞. *Pilularum de tribus cum rhabarbaro ℈ vij.*
Cum aqua fumi terræ, fiant pilulæ v. & aurentur.

Cæterùm ſi huiuſmodi febris, quod frequenter accidit, nimium protrahatur, tunc neceſſe eſt putreſcentium humorum præparationes & purgationes repetere; quo tempore ad valentiora licet aſcendere, ex. g. ad oxymel compoſitum, ſyrupum byzantinum, ſyrupum de duabus vel quinque radicibus, ad decocta ceterach, agrimoniæ, hyſſopi, & ſimilium: & ſit exemplum,

℞. *Syrupi byzantini ℥ j.*
Oxymellis compoſiti ℥ ß.
Decoctionis cichorei,
Ceterach,
Radicum petroſelini ℥ iiij. Miſce pro ſyrupo.

Neque verò iis contenti ad alia quoque medicamenta interdum deuenimus, quæ adhuc magis valent humores coquere, meatus aperire, & laborantes partes corroborare, qualia ſunt trochiſci de roſis, de abſinthio, de rhabarbaro, ex quibus pilulæ conficiuntur ſecundùm hanc formam:

℞. *Trochiſcorum de roſis ʒ j.*
De abſinthio ʒ ß.
Cum aqua agrimoniæ f. pil. v. & aurentur: quarũ vna ſingulo mane ante ſyrupum ſolet exhiberi: ſic poſteriora medicamenta purgantia ſint prioribus valentiora, qualia ſunt electuarium diaphœnicon, hiera Pachij, & ſimilia.

Curatio tertianæ nothæ ex melancholia. Hactenus diximus de curatione tertianæ nothæ ex permutatione bilis cũ pituita: ſin autem, quod ſit aliquando, bilis permiſceatur melancholiæ, tunc nullo modo ſunt prætermittenda, quæ huius quoque humoris peculiarem habeant rationem, exempli gratia, ad concoctionem decocta & ſyrupi de fumaria, de borragine, de lupulis, trochiſci de capparibus: ad purgationem electuarium diacatholicon, confectio hamech, ſont maximè accommodata. Sed poſtremò hoc loco neque prætermittendum eſt aliud genus vacuationis, nimirum per vomitum, quem Gal. inter cæteros ita extollit, aſſeritque tam vtilem eſſe, vt confirmet, multos quib. hæc febris longius perdurauerat, ſolis vomitibus ſtatim fuiſſe curatos. Sed quæritur de tempore tam particulari, quam vniuerſali prouocandi vomitus: & pleríque omnes reſpondent, quatenus pertinet ad tempus particulare, id faciendum eſſe

De tempore vomitus. principio paroxyſmorum, quia tunc natura, auctore Gal. *in lib. quos & quando*, ad ventriculum humores tranſmittit: quatenus autem pertinet ad tempus vniuerſale, id poſſe fieri quouis tempore, tam ante, quàm poſt coctionem. Contra verò Gal. Auic. & omnes iubent poſt ſumpta alimenta vomẽdũ eſſe, quæ certum eſt ægrotis alio tẽpore quã paroxymi adminiſtrari: pariter Gal. 4. *aph.* 13. & loco citato *lib. quos & quando*, & cũ eo cæteri omnes veteres medici non permittunt vomitum fieri ſine diligenti humorum & totius corporis præparatione: adeo vt videatur vomitus non alio tempore quàm poſt concoctionem conuenire. In qua controuerſia diſtinguendum eſt de vomitoriis medicamentis, quæ conſtat eſſe duplicia: alia leuiora, vt aqua tepida, hydrelæum, oxymel: alia fortiora, ſuccus raphani, agaricus, helleborus: namque ex vna parte licet leuiorib. vti, & in principio acceſſionis & quouis tempore, ſi natura ad ventriculum materiam propellat, quod medici faciunt quotidie, non ſine ægrotorum vtilitate: ex altera autem parte ego quidem puto, cum validioribus medicamentis, qualibus ad vomitiones frequentiſſimè vſa eſt antiquitas, noſtrates verò aut rariſſimè, aut nunquã vtuntur, minimè principio acceſſionis, ſed tantummodo poſt aſſumpta alimenta, nec niſi poſt coctionem & corporis præparationem vomitum prouocandum eſſe. Cum ergo Gal. doceat, laborantes tertiana notha vomitũ poſt alimenta iuuare, neceſſariũ eſt illũ intelligere de eo vomitũ, qui à validioribus medicamentis conſueuerat excitari, qui humorum coctionem & corporis præparationem requirebat; ſic in quartana apud eundem Gal. probatur vomitus poſt alimenta, exhibito helleboro albo ſiquidem eiuſmodi inſigni vacuatione purgatis humoribus, qui continentur non ſolum in ventriculo, ſed etiam in venis, licet ſperare ægrotum poſſe à febre liberari, cum ex altero leuiore & faciliore vomitu vix illud liceat ſperare, in quo vna tantùm excrementa alimenti, forte etiam portio pituitæ contentæ in ventriculo ſolet expurgari.

De externis medicamentis. In curatione tertianæ nothæ præter varia medicamenta interna, de quibus ſatis diximus, neque prætermittenda ſunt etiam aliqua externa, quib. ex præcepto Gal. hypochondria calefiant & foueantur; quæ quidem medicamenta externa partim diſſoluendo flatus, partim iuuando natiuum calorẽ, coctionem quoque iuuant maximoperè, quæ tamen non ſint plurimùm calida, ac potiſſimùm febris principio, ſiquidem hæc vehementiùs digerunt & diſſoluunt partes tenuiores, relictis craſſiorib. quæ deinde ad concoctionem & diſſolutionem difficiliores redduntur, præterquam quòd febrim poſſunt augere. Quare chamæmelum, anethũ, abſinthium, cichorium, ſemina aniſorum, fœniculi, & ſimilia, ſiue facta eorum decoctione, ſiue præparatis oleis, vel aliter optima cenſenda ſunt. Itaque omnia quæcunque pertinent ad curationem tertianæ notæ, iam ſunt abſoluta. Iam id vnum reſtat, vt de victus ratione quàm breuiſſimè agamus. Sicuti autem in tertiana exquiſita illa conueniunt alimenta, quæ præcipuam vim habent refrigerandi & humectandi, ita in tertiana notha medicus intendit longè minus refrigerare & humectare: imò verò moderatè calefacere & exſiccare: quamobrem ſicuti in tertiana exquiſita conueniunt malua, lactuca, cucurbita, fructus, ptiſana, piſces ſaxatiles, & alia quæcunque refrigerant & humectant, oportet autem à contrariis abſtinere: ita in tertiana notha ab illis cauendũ eſt, & ad ptiſanam cum modico piperis, aut cinnamomi, ad decoctum hyſſopi, origani, ſpicæ nardi, ad mellita, ad ſalita, & id genus eſt deueniẽdũ, quæ aliquem modum habeant ad incidendum & calefaciendum. Qualitas alimentorum, inquit Gal. moderanda eſt, ne morbus augeatur, neque ægrotantis vires proſternantur, quæ longiori tempore debent laborare: etſi difficile admodum eſt vtrumque ſeruare, quoniam inediæ quantum proſunt ad morbi concoctionem, tantum, vel etiã amplius nocent viribus: alimenta verò quantùm ægroti vires augẽt, tantũ coctiones impediũt: itaq; hac in parte ſũma prudẽtia & diligentia eſt opus. Sed cum huiuſmodi præceptũ cæteris quoq; morbis ſit cõmune, Gal. tertianæ nothæ aliud præceptũ

commemorat, videlicet alimenta non eſſe danda quotidie, ſed ſatis fore ſi alternis diebus exhibeantur: quod tamen hoc tempore à nemine videmus obſeruari, cum omnes medici non modò ſingulis diebus, ſed etiam bis ac fortè ſæpius omni die ſoleant ægrotos nutrire. Ac ſanè præceptum eſt admodum conſentaneum rationi, partim quòd hæc febris ſoleat habere longas acceſſiones ad 30. 40. & plures horas, in quibus difficile eſt inuenire commodam nutriendi ęgrotos occaſionem, partim quòd ſimul cum bile plerunque adſit copia pituitæ, quæ non ita facilè à calore naturali coquitur, cum tamen corporibus pituitoſis fames non ſolum facilis toleratu ſit, ſed etiam vtilis: ſiquidem externo deficiente alimẽto calor naturalis conuertitur ad pituitam, & illam concoquit, & quantum fieri poteſt in ſanguinem conuertit. Veruntamen hac in re, vt notat Steph. Athen. conſiderare oportet ægri temperiem, ætatem, habitum corporis, cõſuetudinem, tempus anni, regionem, & ſimilia, vt hinc colligamus vtrùm vires talem inediam poſſint perferre: etenim ſi quis fuerit temperamento calido & ſicco, habitu corporis extenuato, ætate puerili, ac ſolitos frequenter & copioſè comedere, in conſtitutione & regione calida & ſicca, tunc non alternis diebus ſed quotidie ægrum nutrire debemus, vt vires interea conſeruari, & ad longiorem ſtatum eſſe ſatis poſſint. In qua quidem victus ratione inſtituenda Stephani conſilium maximè eſt probandum qui iubet in die acceſſionis alimentum eſſe dandum, quod ſit tenuiorum partium, vt ex partium tenuitate ipſius quantitas corrigatur & moderetur: qua quidem ratione, ex. gr. ſi æger in die paroxyſmi non aliud accipiat quàm inſcula, ſuccũ priſanæ, & ſimilia, ſequenti autem die carne, ouis, & ſimilibus nutriatur, quoquo modo videbimur conſilium Galen. imitari, cum altera die æger tam tenuia aſſumat alimenta, vt idem propemodum ſit, ac ſi ille ab omni prorſus alimento abſtinerat. Et de tota tertianæ nothæ curatione hactenus: nunc quàm breuiſſimè Auic. litteram percurramus.

Res in quibus) Auic. docet in curatione tertianæ nothæ balneum non conuenire, niſi facta humorum concoctione: & rationem reddit, quoniam ſi fiat antea, adhuc magis deducit humores crudos ad locum putredinis, nec non reſoluit partes ſubtiliores, vt poſtea remaneant craſſiores, ex quo & prohibita tranſpiratio, & obſtructiones & omnia mala augentur: quæ doctrina eſt Hip. & Gal. 3. de ratione victus, com. vltimo.

Et cibatio omni die) Tota hæc pars quæ pertinet ad victus rationem, tranſſcripta eſt ex Gal. 1. *ad Glauc.* & omnia ſunt clara, vt pluribus non ſit opus.

Et oportet vt) Hic Auic. dat præceptum maxima notatione dignum, vt nimirum bene conſideretur natura tertianæ nothæ, vtrùm parum vel multum recedat à natura tertianæ exquiſitæ, cum alij nulli dubiũ eſſe debeat, quin hæc in re varij gradus conſtitui poſſint, prout putreſcentes humores, bilis, & pituita, altera altero vel magis vel minus redundat: quod quidem ex ſymptomatibus potiſſimum licet intelligere: namque ſi flaua bilis pituitam ſuperet, tunc ſymptomata tertianæ febris apparebũt vehementiora ſi contrà pituita bilem ſuperet, tunc ſymptomata febris quotidianæ erunt firmiora & validiora, ſicut de febre ſemitertiana docet Gal. 2. *de dif. febr.* 8. Itaque prout tertiana notha longiùs diſtat, vel propius accedit ad naturam tertianæ exquiſitæ, ita expedit victus rationem, medicamenta, & omnia præſidia ad vnam vel alteram naturam febris magis accommodare.

Et cum videris) Gal. inter plurima indicia, vel lib. de ſectione venæ, vel aliis locis explicata, ex quib. medici poſſint colligere indicationes mittẽdi ſanguinis, iſtius ex lotio petiti nunquam meminit, quin potiùs colorem totius corporis plumbeum & pallidum, quàm lotium rubeum & craſſum conſueuit animaduertere.

Et cũ phlebotomaueris & indigebis cliſtere.) Hic locus eſt valde obſcurus, & fortè a paucis intellectus; quis enim eſt qui neſciat quod ab ipſo Auic. traditum eſt de curatione febris putridæ generali, poſt miſſionẽ ſanguinis non ſolũ clyſteria, ſed etiam lenientia medicamenta frequenter conuenire? ſic expreſsè Hip. 4. *de ratione victus* 75. *Clyſtere poſt ſect. vena exhibebis.* Vt verò hic locus probe intelligatur, ſciẽdum eſt, apud Gal. 2. *de medic. ſec. locos, c.* 1. apud Auic. 13. *tractat.* 5. *de curat. pleuritidis*, apud Paul. *lib.* 3. *c.* 33. & apud omnes medicos, magnũ eſſe conſẽſum inter cõmunẽ vacuationẽ quæ fit per ſectionẽ venæ, & eam quæ fit per clyſteria acriora, adeo vt niſi liceat quãdoque aut propter vires, aut propter ætatem, aut propter aliud impedimentum, venam ſecare, tunc liceat loco huius præſidij acriora clyſteria ſubſtituere: cuius doctrinæ exemplum habetis apud Gal. 5. *meth.* 13. in ſplendida illa muliere Romana ſanguinem ſpuente, cui cum ille non fuiſſet auſus ſanguinem mittere, quod propter catarrhum quatuor dies ſine alimentis egiſſet, loco ſectione venæ acre inſtituit clyſtere. Quod ſi hæc res ita ſe habet, puto Auic. his verbis id velle: Poſteaquam venam ſecuerimus, non amplius fore vtendum clyſtere, non ſimpliciter, ſed clyſtere acriore, quod alioqui vicem miſſionis ſanguinis poſſit supplere: cum enim miſſo ſanguinie totum corpus ſatis vacuatum fuerit, iam alia propemodum æquiualente vacuatione non eſt opus.

Et de ſolutiuis in principio.) Inter medicamenta, quæ principio huius febris conueniunt, qualia ſũt caſſia, ſyrupus roſatus, & ſimilia, ab Auic. numeratur *turbith*, vel potius vt ipſe loquitur, *virtus turbith*, id eſt, vt ego interpretor, ſi illud in minima doſi cum cæteris permiſceatur. Ex quo loco Gentilis & multi interpretes colligunt, non ſolum lenientia, ſed etiam purgantia medicamenta ante coctionem conuenire. Sed iſti male ſentiunt: nam etſi turbith hac in re, ac reliqua validiora medicamenta in minima doſi lenientibus permiſceantur, vt propterea non poſſint ſuam vim purgatiuam exercere, nihilominus humores agitant, illorum coctionem impediunt, & alia pericula ſecũ afferunt, de quib. aliàs diximus, quare Auic. ſtatim addit, ſibi magis dilecta eſſe clyſteria, quã vſum huiuſmodi medicamẽtorũ.

Gal. ſicuti frequenter in aliis morbis, ita in præſentia in curatione tertianæ nothæ adoleſcentis hac febre laborantis exemplum proponit, qui nos *Exemplum.* docuerat 9. *metho.* 4. maximè expedire, vt vnuſquiſq; aliquid addiſcens in variis exemplis exerceatur: ex quibus 7. *meth.* 6. aſſerit, hominem à generalibus ad particularia veluti manu deduci; ac ſanè vix poteſt explicari, quantam huiuſmodi exempla vtilitatem afferãt: de quib. ruſum ſcribit Gal. 5. *meth.* 4. exemplorum multitudine ſtupidorum quoque hominũ animos veluti à ſomno excitari. Vtinam verò ſicuti de cognitione, ita quoque de curatione huius febris, ac de ſingulis præſidiis quib. vſus eſt, illi placuiſſet nos exercere, ex qua exercitatione medici facile magis diſtinctam & exactam illius curandæ rationem potuiſſent conſequi: ſed quam ex Galen. vtilitatem licet habere, habeamus, ac ſingula perpendamus: deinde nos poſtremo loco exemplum curationis conabimur apponere. Narratio Gal. eſt huiuſmodi: *Erat tempus anni medium inter occaſum pleiadum & æquinoctium, &c.* Diximus aliàs eſſe tria præcipua capita, veluti fontes, quibus tota curandi *Hiſtoria Gal.* methodus continetur, quorum primum ad inuentionem

ſionem indicationum: ſecundum, ad prognoſticum: tertium, ad ſingula præſidia, & commodam illorum adminiſtrationem pertinet, ex iis placuit Gal. duo tantum priora capita conſiderare, tertium verò prætermiſit, quod forte exiſtimauerit, illa forte ſatis, quæ poſterius de hac ipſa re dicturus fuerat. Quatenus igitur pertinet ad curandi indicationes, quas medici ante omnia debent ſibi ante oculos ponere, cum illæ eliciantur ex tribus, ex morbo, ægri tempetie, & ambiente nos aëre, ad quæ cætera omnia facilè referuntur, quæſo animaduertatis, quam Gal. diligens fuerit ſuæ methodi obſeruator, & quomodo ſingula accuratè perſequatur: namque primum declarat naturam morbi: *inceperat febris cum horrore circa auroram, &c.* Summa eſt, hunc adoleſcentem incepiſſe laborare febre ſummo mane, cum horrore, quæ febris neque in caliditate, neque in pulſibus ſimilis tertianæ videbatur, cui propterea neque bilis vomitus, neque ſudores copioſi ſubſecuti ſunt, præterquam quod ſecunda die circa horam tertiam quidam pauci humidi vapores illi exierunt, ex quibus febris quidē quoquo modo remiſſa eſt, ſed ita lentè vt vix æger circa veſperam immunis à febre videretur: ſiquidem ſignum febris ſatis manifeſtum adhuc in pulſibus permanebat, in reliquis autem circa veſperas ac totam pariter noctem ſatis benè æger ſe habuit, ſed rurſum tertia die circa aurorā noua illi ſuperuenit acceſſio, quæ in rebus omnibus priori ſimilis fuit, præterquam in tempore, namque ſequenti nocte parum ante diem vapores humidi exhalarunt; & circa auroram quartæ diei febris ceſſauit, adeo vt hæc poſterior acceſſio altera priore breuior fuerit: durauit hæc febris totum autumnum, totamq; hyemē, vſque ad proximum ver, quo vniuerſo tempore & hora paroxyſmi, & modus ſolutionis febris, & cætera omnia eundem ordinem ſeruauerunt: huic adoleſcenti ſtatim initio febris aduenit pulſus durus in prima quidem die, & ſequenti mediocriter, in tertia verò, quarta, & ſequentibus vſque ad diem ſeptimam, ad tantam peruenit duritiem, vt medicus, qui ſoli pulſui crederet, facilè potuiſſet iudicare, ægritudinem multos menſes fuiſſe duraturam.

Talis ergo perdurauit hæc febris vſque ad æquinoctium veris, quo tempore pulſus inceperūt molleſcere, vrinæ, bonā ſubſidentiam habere, quæ priori tēpore admodū crudæ fuerunt, adeo vt æger minore quotidie facta acceſſione, 40. demū die omnino à febre fuerit liberatus. Hæc Gal. de morbo. Ex qua narratione facile eſt intelligere, hunc adoleſcentem laboraſſe febre tertiana notha intermittente, quæ ex putredine flauæ bilis & pituitæ originem habuerit: atque hæc ſanè pars & ſeries verborū tā plana eſt & facilis, vt nō indigeat longiore explicatione niſi vbi Gal. loquitur de duritie pulſus, cum illius cauſa non careat aliqua difficultate. Cum enim Galen. doceat 5. *de ſympt. cauſ.* 4. & pulſum, & res omnes duras fieri, tribus de cauſis, propter ſiccitatem, propter concretionem & propter plenitudinem; dubium videtur, propter quam ex iis tribus in hoc adoleſcente pulſus primis quidem diebus moderatè, cæteris autem vſque ad 2. valdè durus euaſerit. Montanus Veronenſis aſſerit, hunc pulſum durum factum fuiſſe propter repletionem, qui mea ſententia fallitur, ſiquidem cum primis diebus neceſſariō fuerit, aut maiorem, aut certè æqualem cum diebus ſequentibus plenitudinem fuiſſe, nulla certa ratio poteſt reddi quamobrem primum debilis, poſtea vehementior durities ſecuta fuerit: quare magis probanda eſt ſententia Stephani Athenienſis, qui aſſerit id factum fuiſſe propter refrigerationem humoris, qui ob talem qualitatem arteriæ corpus veluti congelabat, quæ quidem durities prima & ſecunda die parua facta eſt, quòd tunc eiuſmodi ſuccus nondum commotus fuiſſet, ſequentibus verò diebus à caliditate febris ſoluto ac fuſo eodem humore durities maior euaſit. Poſt morbum ſecundo loco Galen. explicat ægroti temperamentum, alterum fontem eliciendarum indicationum, & quomodo illud cognoſcitur ex ætate, habitu corporis, conſuetudine, victus ratione, nihil ab eo prætermiſſum eſt: itaque inquit, fuiſſe adoleſcentem agentem circiter 18. ætatis annum, habitu corporis pingui, aſpectu album, viuentem otioſè, & qui antea ſæpenumero crapulis balneiſque aſſiduis & ſatietatibus vſus fuerat, ex quo neque probè cibos concoquebat; ex quibus vnicuique licet colligere, in tali corpore facilè generari & putreſcere potuiſſe, bilem quidem, ratione æſtatis, forte etiam propter præteritam ætatis conſtitutionem, pituitam verò propter otium, crapulas, ſatietates, & ſimilia. Poſt hæc tertio loco tertium fontem eliciendi indicationem, nempe ambientem aërem nobis proponit, qui narrat tempus anni medium fuiſſe inter occaſum pleiadum & æquinoctium antecedens, quo febris hominem inuaſit, illámque totam hyemem, vſque ad proximum ver perduraſſe, quo loco non eſt, vt tempus conteramus, longius tractando da ſtellis, quæ Græcis *Pleiades*, Latinis *vergiliæ* nominantur, quot ſint, quo tempore oriantur, & occidant, ac multo minus quæ de iis Poëtæ fabulantur, quod potius ad aſtrologos & ocioſos homines pertinet, quàm ad medicos, quibus ſatis eſſe debet id memoria repetere, quo eſſe æquinoctia, alterum quod vere, alterum quod autumno euenit, atque intelligere poſt principium æquinoctij autumnalis; nempe ad finem ſeptembris, vel principium octobris huiuſmodi febrem incepiſſe. Gal. ex iis tribus fontibus, quod perpetuò docet faciendum eſſe, elicuit indicationes, quæ ad curandum hunc adoleſcentem forent accommodatæ, de quibus iam ſatis ſuprà diximus. *Æquinoctia duo.*

Quod verò pertinet ad prognoſticum, ita ſtatuit, hunc febrem neceſſariò fore longiſſimam, neque ſine inſigni periculo, quod euentus confirmauit, propterea quia quinque menſes durauit, & adoleſcenti procedente tempore lien valde intumuit, hypochondria flatibus repleta ſunt, & malus quidam corporis habitus ſuperuenit, adeo vt non ſine inſigni labore & difficultate priſtinam ſanitatem potuerit recuperare. Sed forte hac narratione nimiùm digreſſi ſumus, tempus eſt vt ad exemplum particularis curationis accedamus, quod quidem à Gal. prætermiſſum eſt, quam curandæ huius febris rationem ego ita inſtituam, & ſingula remedia accommodabo, quæ hoc tempore ſolent adminiſtrari, & quæ ſi iam hic adoleſcens adeſſet, ad curandam huiuſmodi febrem verè forent accommodata. *Prognoſtica.*

Ante omnia itaque in declinatione primæ acceſſionis, nempe veſpere ſecūdę diei imponatur clyſtere, quod communia excrementa poſſit detrahere.

℞. *Decoctionis maluarum & betarum lib. j.*
Mellis roſati,
Olei communis ana ℥ iij.
Vitellum oui,
Salis parum M. F. Clyſt.

Superueniente ſecunda acceſſione, & illa quidem breuiore, adeo vt morbus quoquo modo videatur lentè progredi, nec tantum vrgere, leniatur aluus medicamento leniore, quod ventriculum & inteſtina poſſit à reliquiis alimentorum, & ab omnibus excrementis expurgare, quod ſequenti die, nimirum morbi die quarta, per horam ante prandium exhibendum eſt.

℞. *Floris caſſ. nup. ext. ℥. ß.*
Specierum hiera ſimplicis ℈. ij. M.

Vel

Vel ſi ille maluiſſet accipere potionem.

℞. *Mannæ Calab. elect.* ℥. j.ß.
Mellis roſati ſol.
Decoctionis cichorei, betonicæ. q.ſ. Miſ.

Perſeuerante febre & conſtantibus viribus, ſine mora ſanguis mittendus eſt, minimè per ſcarificatas cucurbitulas ad dorſum appoſitas, vel per hirudines ex venis hæmorrhoidibus, ſicuti vulgares medici faciunt hoc tempore, ſed ex baſilica dextri lateris, qui tamen ſanguis, ſumpta indicatione à temperie, habitu corporis, necnon frigidis humoribus noxiis, parcè extrahantur, ad ℥. vij. vel viii. circiter. Lenita aluo, minorata materia, iam illud præcipuè reſtat, vt tollendis obſtructionibus, aperiendis meatibus, & coctioni materiæ toti incumbamus, itaque ſint ſyrupi:

℞. *Oxymellis ſimp.* ℥. j. ß.
Decocti cichorei.
Betonicæ ℥. iiij. *M.*

Huiuſmodi ſyrupos continuare oportet multos dies, & obſeruare quidnam agat natura; interea nullo modo clyſteria ſunt prætermittenda, quæ ſint paulo acriora, & ſaltem alternis diebus hora magis quieta imponantur.

℞. *Decocti beatarum,*
Furfurum. lib. j.
Mellis roſati,
Olei chamæmelini ana ℥. iij.
Electuarij lenitiui ℥. j.
Vitellum oui,
Salis parum Miſc. pro clyſt. Si natura laboret, neque poſſit noxiorum humorum coctionem perficere, ſicuti euenit noſtro adoleſcenti, toto hoc tempore ab omni prorſus medicamento purgante abſtinendũ eſt: interea verò ſi per quædam interualla repetatur leniens aliquod medicamentum vel qualia iam ſunt propoſita, vel alia id genus, quæ nullum coctioni impedimentum afferant, ſed ea tantùm quæ quotidie generata excrementa in primis viis leuiter expurgent, iſtud ego in huiuſmodi febribus & cæteris morbis diuturnis facere ſoleo frequentiſſimè. Procedente tempore ad vehementiora medicamenta licet aſcendere, itaque ſint ſyrupi.

℞. *Syrupi de cichorea compoſiti ſine rhabarbaro* ℥. j.
Oxymellis ſimplicis ℥ ß.
Decocti cichorei,
Hyſſopi,
Radicum petroſelini ℥. iiij. *M.*

Sint trochiſci qui ante ſyrupus commodè ſolent exhiberi, & quoquo modo illorum operationem & penetrationem ſolent iuuare.

℞. *Trochiſcorum de abſinthio,*
De roſis ana ʒ ij.
M. cum aqua agrimoniæ, fiant pilulæ x. pro decem ſyrupis.

De quibus medicamentis mihi libet vos admonere, multos noſtrorum temporum medicos turpiter errare, qui inueterato quodam vſu, vel potius abuſu, nulla habita acceſſionum diſtinctione, non niſi ſummo mane ſolent ſuos ſyrupos exhibere, cum perpetuò, ſiue mane, ſiue veſpere expediat illos exhibere, quo tempore febris declinat, & æger meliùs habet. Itaque noſtro adoleſcenti in die acceſſionis, & ſi modò id occaſio ferat, non mane, ſed veſpere, ſyrupus erit exhibendus; ſequenti autem die nulla impediente acceſſione, manè poſſet exhiberi. Iam verò apparente concoctione, die ſequente acceſſionem tale exhibeatur medicamentum.

Error in administratione ſyruporũ.

℞. *Electuarij diaphœnicon,*
De ſucco roſar. ana ʒ j. ß
Mannæ Calab. elect.
Mellis roſati ſol. ana ℥ ij.
Decocti cichorei, & betonicæ, q.ſ. M.

Hoc tempore, imò verò etiam ſuperiore, poſt aliquam corporis vacuationem, licet moderatè calefacere, & fouere hypochondria, qualia forent medicamenta leuiora.

℞. *Olei de abſinthio,*
Maſtichini,
Anethini ana ℥ j. *M.*

Forent valentiora:

℞. *Foliorum chamæmeli,*
Anethi,
Abſinthij,
Roſarum ana M. ß.
Seminum aniſorum,
Fœniculi ana ℥ ß.
Spicæ ʒ j. ß.
M. omnia & bulliant ex aqua, quibus licet aliquando addere etiam portiunculam vini tenuioris, & facta congrua decoctione vel pannis vel ſpongiis madidis hypochondria foueantur.

Ego quidem hac medendi ratione per compendium propoſita, hunc adoleſcentem curarem. Quod febris adhuc perſeueraret, ab inſtitutis præſidiis non diſcederem, ſed quod in cunctis morbis diuturnis perpetuò faciendum eſt, permitterem ægrum aliquamdiu quieſcere, & præſidiis abſtinere, vt natura quoquo modo recreetur, rurſum ad eadem medicamenta, modò leuiora, modò vehementiora redirem, ſicuti veriſimile eſt Gal. feciſſe, donec tandem facta humorum coctione, natura morbum ſuperauerit atque æger planè à febre immunis fuerit.

Quod poſtremò ad victus rationem pertinet, ſuccus ptiſanæ eſt præſtantiſſimus, cui parum piperis, more Gal. vel vt nos conſueuimus, parũ ſacchari permiſceatur; carnes boni ſucci & facilis coctionis, pullorum, auicularũ, & ſimiliũ, nec non oua recentia forent exhibẽda. Pro potu mihi probaretur vel tenuiſs. ius pulli, vel aqua, aut potius mulſa, in qua modicũ hyſſopi, origani, piperis, cinnamomi, priùs cocta fuerint: quæ quidẽ alimenta ita cõuenit moderari & partiri, vt in die acceſſionis vel ſolus panis ex iure coctus, aut aliud ſimile tenue alimentum exhibeatur: altera autem die & oua, & carnes, & alia magis nutrientia aſſumantur, adeo vt vires ad longiorem vſque ſtatum poſſint perdurare atque nouæ cruditates & excrementa generentur. Atque hactenus, de tertiana notha.

Capvt XIX.

De Febre ardente.

Aliàs diximus ad mentẽ Gal. febrẽ ardentem non aliã eſſe, quam tertianã continuã, atque eo tantùm ab ea differre, quòd ardens ſine rigore inuadit, neq; in quietem febre vacantem deſinit, quod quidem euenit propterea, quòd cũ vtraque ex putridine flauæ bilis oriatur, illa in febre ardente in venis continetur & feruet, in tertiana autem per totum corpus fertur & mouetur. Hæc doctrina eſt Gal. 2. *de criſib.* 3. & 6. 2. *de diff. feb.* 1. 3. 4. *aph.* 59. 6. *aph.* 26. 1. *epid.* 2. 20 & 73. Sed cõtra nonnulli aſſerũt febrem aliã eſſe à tertiana continua, vnde & Auic. & reliqui omnes auctores Arabes, propria & diuerſa capita tribuũt ardẽti & tertianæ continuæ, etſi fatentur vtramq; ex putridine bilis originẽ habere, qui docent tertianã febrẽ eſſe, quæ non intermittit quidẽ, ſed tamẽ remiſſiones quaſdã atq; alternis diebus acceſſiones habet: cauſonẽ verò neque remiſ

remiſſiones, neque aceeſſiones habete, ſed perpetuò hominem grauiter affligete: quamobrem putant febrem ardentē eandē eſſe eū ſynocho, quæ ſola intet omnes febres putridas tepetitionib. & acceſſionib. caret, ſed vno perpetuo tenore vſque ad finem vel creſcit, vel decreſcit, vel in eodem ſtatu permanet. In quam ſententiam iſti veniunt, perſuaſi à Gal. qui videtur hoc ipſum ſentire, & vetba illius ſunt huiuſmodi 2. de criſib. 6. *Quando in febre nulla ſenſibilis ſit declinatio, ſed ſemper à primo principio vſque ad criſim ſimilis perſeuerat, hæc de genere ardentium eſt, neque ſi quis ſynochum ipſam nominet, atque illius tres differentias conſtituat; quemadmodum medici nonnulli faciunt, propterea genere ipſas differre exiſtimandum eſt.* hæc Gal. Verùm ego puto iſtos malè ſantire: namque Gal. primùm ſicuti paulo ante dixi, tam planè, vt planiùs non poſſit, affirmat, febrem ardentem eum tertiana continua eandem eſſe: deinde manifeſtè demonſtrat febrē ardentem à ſynocho diuetſam eſſe, cum in illa flaua bilis, in hac verò omnes humores æqualiter putteſcant, quæ expreſſa eſt ſententia Gal. 9. *meth.* 5. Quam quidem defferentiam inter febiem ardentem & ſynochū inter cætera præclarè explicat Aetius *ſerm.* 5. *c.* 77. ex quo loco id quoque licet colligere, diſtinctionem quam iſti ponunt inter febrem tertianá continuam & ardentem, quòd in illa ſint, in hac non ſint acceſſiones, voluntariam eſſe, & præter Gal. diſciplinam, qui nuſquam ni fallor, talis differentiæ mentionem facit, imò verò docet apertiſſimè, febres ardentes diebus imparibus, acceſſiones habere 3. *Epid.* 3. 36.

Reſtat locus 2. *de criſ.* 6. qui contrariū videbatur aſſerete: pro cuius loci interpretatione ego quidem puto hoc nomen cauſi minimè vnum tantummodo & certū genus, ſed plures differentias febris ſignificare, neque id tam morbi ſpeciem, quàm vehementiam & grauitatem deuotare: qua quidem cōmuni ratione licet omnē febrem, quæcunque vel habeat, vel proximā accedat ad ſymptomata febris ardentis, etſi non ex flaua bile oriatur, cauſonem appellare: de qua re Gal. ita loquentē audiamus 4. de ratione victus 13. *Febrem cauſonē medicos reperio appellantes, cum vrens caliditas ſitiſque incompeſcibilis hominem torquet, quod ſi ita habet, cauſonē eū, in quo corpus non vritur, ſitiſque leuis fuerit, cauſonē quidem ſimpliciter, exquiſitum autem & legitimū non appellabimus.* Quin etiam ſcribit Gal. non ſolū in toto corpore, ſed etiā in qualibet corporis parte cauſonem fieri poſſe, adeo vt ſi aliqua pars inſigni æſtu & feruore laboret, hunc affectū nomine cauſi liceat appellare: illius verba ſunt huiuſmodi 4. de de ratione victus com. 1. *Nempe in vna corporis parte, quacunuis illa fuerit, interdum cauſo gignitur, interdum & toto in corpore, qui vtriuſque cauſi, & particularis vnius partis & communis totius corporis propria indicia diligenter diſtinguit.* Quem locum à nemine hactenus video animaduerſum fuiſſe: itaq; ſi verè & propriè loqui velimus, *Cauſus* nō aliud eſt, quā febris tertiana, continua, putreſcente bile intra venas; ac potiſſimùm Gal. auctore 1. *epid* t. 9. *ſecto* 2. 75. 3. *epid.* 3. 33. potiſſimùm inquam in venis iecoris, ventriculi, pulmonis, communiter aut per quandam ſimilitudinē ſymptomatum, & febres ſynochi, & cæteræ omnes imò verò omnes morbi quandoque cauſones poſſunt appellari.

Differentia cauſonis.

Sed veniamus ad Auic. qui ſtatim diſtinguit cauſonem in duas differentias; alteram, quā cauſonem cholericum; alteram, quam phlegmaticum appellant, quod ille ex putredine bilis, hic autem pituitoſus ex putredine ſalſæ pituitæ originem habeat. Quæ diſtinctio fuit Hipp. & Gal. 4. *de ratione victus* 13. *& aliis locis:* & eſt maximè conſentiēs rationi; nam ſicuti ſtatutum eſt, duo eſſe genera tertianarum, vnum legitimum, alterum ſpurium, pro diuerſitate humorum putreſcentium, hac eadem ratione duplicem quoque cauſonem licet conſtituere; alterum legitimum ex flaua bile, in quo omnia conueniunt propria illius ſymptomata; alterum ſpurium ex ſalſa pituita, in quo non omnia conueniunt ſymptomata.

Et ſenibus quidē parum accidunt cauſonides febres) Hæc pars pertinet ad prognoſticum, quatenus pertinet ad ætates, & ſententia eſt, ſenes rarò corripi febribus ardentibus; quod ſi illis corripiantur, plerumque eos mori, propter duas rationes; alteram, quia in hac ætate, in qua paucus eſt calor, huiuſmodi febres nōniſi à potentiſſima cauſa poſſunt prouenire: alteram, quoniam ſenes habent omnes vires debiliores: contrà autem in iuuenibus & pueris has febres ſæpius contingere, ac minus fore periculoſas, propter cōtrarias cauſas, quia ſunt calidiores, & robuſtas habent vires. Quæ quidem ſententia ferè verbum fuit Hip. & Gal. 1. *aph.* 14. & eſt manifeſtiſſima. Sed veniamus ad ſigna.

Signa cauſonis.

In cauſone exquiſito ſunt omnia ſigna, quæ ſunt in tertiana exquiſita, vna excepta forma febris, quæ ab illa diuerſa eſt: itaque caliditas eſt valde acris, addit Auic. maior in partibus internis quam externis, quod nō eſt alienum à ratione, cum materia putreſcat in locis proximis cordi: verùm talis caliditas à manu medici tangentis ſuperatur, quoniā in tenui materia fundatur, & facilè diſſoluitur. Pulſus ſunt maximi, velociſſimi, inordinati, inæquales; lotia ſunt valde flaua, quandoque rubra, & quæ planè ſummum æſtum demonſtrant. Cauſæ præceſſerunt, quæ flauæ bilis copiam poſſunt coacervare, de quibus omnibus ſatis diximus vbi de ſignis tertianæ. Verū præter hæc omnia ſigna, Gal. febris ardentis duo ſigna conſtituit, pathognomonica & inſeparabilia 3. *epid.* 34 4. *de ratione victus* 1. 4. & 13. quorum alterū eſt maxima ſitis, alterū eſt exurens caliditas, ex quibus ſolis duobus ſignis affirmat vniuerſam cauſonis naturam ſatis poſſe cognoſci & definiit. Forma autem febris ardentis exquiſitæ talis eſt apud Gal. 2. de *criſib.* 9. quod enim cætera omnia exquiſita tertianæ indicia conſeruet, eo ſolo ab ea differt, quòd ſine rigore inuadit, neque in quietem febre vacantem deſinit. Auicenna in præſenti cap. proponit ſigna non ſolùm pathognomonica, ſed etiam ſuperuenientia & critica, quæ partim eſſentiam, partim motem, partim ſolutionem huius febris poſſunt demonſtrare, in quibus referendis nihil eſt notatione dignum, præterquam vbi loquitur de ſiti, quod huius febris eſt alterū ſignum inſeparabile. de quo ſcribit Galen. 1. *epid.* 1. 19 *ſect.* 2. 75. 3. *epid.* 1. 5. & 11. ſi in febre ardente contingat aliquam non ſitire, alterum duorum neceſſariò ſignificari, vel naturalem facultatem ventriculi extinctam eſſe, vel ægrum delirare. Itaque Auic. hanc adhibet huius ſententiæ interpretationem, id verum eſſe, niſi adfuerit tuſſis vel deſtillatio, quæ laryngem & œſophagum humectare, & ſitim quoquo modo lenire poſſit: quam tamen interpretationem ille accepit ab Hip. & Gal 4 *aph.* 54. 6. *epid.* 2. 24. *Quibus arida tuſſis modicè irritantes, in ardentibus febribus, &c.* quæ quidem, accedente potiſſimùm Galeni interpretatione, manifeſtiſſima eſt, vt pluribus non ſit opus: quare accedamus ad curationem.

Indicationes curatiuæ.

Indicationes curandi febres ardentes ſunt illæ eædem, quæ ſunt propoſitæ in curatione tertianæ exquiſitæ, præterquam quod cum hic morbus ſit maior, maiora quoque præſidia poſtulat. Itaque principales ſcopi ſunt febris, atque illius cauſa, putredo, flaua bilis: febris quidem propter inſignem

calorē remedia valde refrigerantia & humectantia requiri: bilis autē ſi ex toto putrida fuerit, quamprimum eſt detrahenda; ſi non ex toto putrida fuerit, concoquenda eſt, ac demum per conuenientes regiones purganda. Vtrùm iis indicationibus liceat ſatisfacere, & quidnam de hac febre ſperandum, quid timendū ſit, euentus interdū ſalutaris, interdū pernicioſus eſt, de qua prædicendi ratione aliàs diximus: & ſi quis plura cupit, is videat Gal. de cōſtitutione *artis med.* 18. 4 *de præſagio ex pulſib.* Morb. acutiſſimus eſt, quare ſiue bene ſiue malè, citiſſimè terminatur: cū Gal. auctore 2. *de criſib.* 6. raro ad diem ſeptimā perueniat, multo autē ſæpius die tertia aut quarta finiatur. Cæterum vbi licet ægri ſalutem ſpectare, iam de propriis & accōmodatis remediis cogitandum eſt, inter quæ minoratio materiæ principem locum obtinet, de qua eſt maxima à multis agitata controuerſia, vtrùm liceat in febre ardente ſanguinem mittere. Namque Auicenna 4. 1. 20. generaliter in bilioſis morbis hoc remedium non probat, & in præſentia dubiè loquitur, *non phlebotometur*, fortaſſe enim inflammabit eos, & fortaſſe iuuabit eos, ſi fuerit illic turbiditas aquæ, id eſt, lotij & rubedo: quam quidem rem nolo in præſentia longius agitare qui id feci cumulatiſſime in mea diſputatione de ſcopis mittendi ſanguinem generaliter, & ni fallor, confirmaui manifeſtiſſimè in morbis bilioſis, & in omnibus à quocunque tandem humore pendeant, ſanguinis miſſionem conuenire, dummodo ſimul conueniant principes ſcopi. Cum autem in febre ardente, mea ſententia, ſit non ſolum vtile, ſed etiam neceſſarium ſanguinem mittere, id quæritur, vtrùm ante ſectionem venæ liceat leniore aliquo medicamento aluum lenire? In qua re, etſi non ignoro communiter practicantes propè omnes, neque in febre ardente, neque in cæteris morbis, ſanguinis miſſionem aggredi, niſi poſt medicamenti adminiſtrationem, tamen quod aliàs dixi, & in hoc, & in omnibus morbis acutis, qui nullas dant inducias, ne tanti præſidij occaſio præceps perdatur, ego quidem primo quoque tempore impoſito clyſtere ſoleo venam incidere, ac poſtea ad alui lenitionem deuenio, ad quam indicationem ſunt accommodata medicamenta, de quibus diximus, tractantes tertianam exquiſitam: ſed tamen id repetendum eſt, in hac febre quàm maximè cauendum eſſe à manna, ſyrupis roſaceo, & violaceo ſolutiuis, & aliis medicamentis, quæcunque ex melle & ſaccharo præparantur; inter quæ nonnulli caſſiam quoque reponunt, cum iſthæc omnia facilè in bilem conuertantur, niſi eiuſmodi medicamentis acida potiſſimùm permiſceantur, quæ tale incommodum poſſint corrigere: thamarindi autem mihi videntur inſignem prærogatiuam habere, cum in hac febre obſtructio & adſtrictio, quæ perſpiratum impediunt, non ſint adeo magnæ, vt ab omni medicamento adſtringente cogamur abſtinere, Hip. 4. de rat. victus 7. maximè vtebatur clyſteribus; quod ſi hæc non forent ſatia, lacte aſinæ cocto huiuſmodi febricitantes conſueuerunt purgari, quod teſtimonio Gal. non caret acrimonia, & inter omnia lactis genera liquidiſſimum eſt, minimè pingue, & magis ſeroſum, cui quidem lacti Gal. illius ſerum ſubſtituit oxymelle præparatum, quo alioqui leui medicamento veteres ad mouendam aluum familiariter vtebantur. Neque verò ſolùm medici aluum mouent, ſed etiam quæ ſuperſunt putrida aliis modis conantur expurgare, ſicuti vomitu, ſudore, lotio, prout naturam vnam vel plures vias, hanc vel illam aggreditur; cum autem huiuſmodi medicamenta maiori ex parte ſint calida, vt placet Gal. 11. *meth.* 10. 1. aph. 24. propterea ne corpus adhuc magis incaleſcat, lenioribus & frigidis agendum eſt, quæ ſimul poſſint putrida educere, humorem noxium concoquere, & febrem iuuare: itaque vomitus moueatur potione aquæ tepidæ, aquæ hordei, hydrelæi, & ſimilibus: vrina prouocetur decocto cichorei, ſonchi, acetoſæ, radicum graminis, hordei, ſeminum melonis, & ſimilium. Sudores demū euocentur potiſſimùm balneo aquæ dulcis, ſi tempore opportuno, hoc eſt poſt apparentem coctionem adhibeatur. Interea dum hæc fiūt, ad principale & ſummum huius febris remediū veniendum eſt, nempe ad potionem aquæ frigidæ, quæ auctore Gal. 9. *met* 5. febrem extinguit, namq; reddit robuſtiorem, vt deinceps per aluum, lotium, ſudorem, expellat, quæcunq; illi noxia ſunt, de quo quidem prædio habetis præclarum Gal. teſtimonium 4 *de ratione victus* 12. qui teſtatur, frigidam potionem in cauſone bilioſos humores vel perfectè euacuare, vel extinguere, adeo vt ex innumeris, quibus illam aquam frigidam præbuit in tempore opportuno, nemo vnquam mortuus fuerit.

An venæ ſectio conueniat.

Vomitus.

Nonnulli hoc tempore ad leniendam ſitim, & extinguendum inſignem æſtum, ſolent inſtituere quoſdam ſuos ſyrupos longos, ex frigidioribus aquis deſtillatis, endiuiæ, acetoſæ, lactucæ, borraginis, capilli Veneris, quibus minimam portionem permiſcent alicuius ſyrupi, exempli gratia, pro vna libra ℥ j. quos quidem ſyrupos ſuis ægrotantibus quacunque hora exhibent; quorum inſtitutum nullo modo poteſt probari: etenim tametſi legitima ratio leniendi ſitim, & extinguendi calorem febrilem ſit potiſſimùm potione, nihilominus potiones opportunæ non quacunque hora ſunt exhibendæ, ſiquidem niſi ieiuno ventriculo & importunè exhibeantur, vt fermè iſti faciunt, coctionem perturbant, tantumque abeſt, vt ſitim leniant, vel refrigerent, vt potius illam augeant & calefaciant: quapropter veſtris ægrotantibus permittatis vt aqua frigidiore, poſca, aquis ſtillatitiis, aqua hordei, os frequenter abluant, aliquid in ore detineant, pruna, ceraſa auſtera, acetoſam, lactucam, granata, & ſimili ratione quærant ſitim & calorem mitigare, minimè verò permittatis, vt millies in die huiuſmodi longos ſyrupos accipiant. Cæterùm, ſi deficiente aliqua ex conditionibus, quæ ad potum aquæ frigidæ ſunt neceſſariæ, non liceat illam exhibere, tunc neceſſe fuerit quandoque ad medicamenta deuenire, quæ purgandæ bilis vim habeant, veruntamen perpetuo à calidioribus & vehementioribus, abſtinendum eſt: vnde boni practici lenioribus tantummodo & lenientibus cōtenti ſunt, quorum ſi opus eſt, doſim augent qua ratione à calidioribus abſtinent, & copioſiorem vacuationem feliciter moliuntur. Exempli gratia.

Syrupi longi ad ſitim.

℞. *Flor. caſſ. nou. extr.* ℥. *xij.*
Rhabarbari electi pulu. ℈ *ij. M.*

Ad hunc locum debent accommodari quæcunque pertinent ad alterationem aëris, partium præcipuè laborantium, iecoris, cordis, & ad reliqua externa præſidia, de quibus ſatis diximus tractantes curationem febrium acutarum.

Victus in febre ardente & actu & potentia ſit frigidus & humidus, & cum morbus celerrimè ad ſtatum ſoleat peruenire, inſtituatur valde tenuis: quare ſola ptiſana contenti erimus: pro potu Hipp. & Gal. 4. *de ratione victus* 5. dabant aquam mulſam, coctam & dilutiſſimam, quæ propter rationes à Gal. expoſitas in comment. cæteris omnibus potib. eſt anteponenda. De cauſone exquiſito hactenus.

Victus ratio.

Potus.

De altera autem febre ardente ſpuria, quam diximus cum Hipp. & Gal. ex putredine bilis & falſæ pituitæ originem habere, nolo in præſentia longius

De cauſone ſpurio.

longius agere, cùm facilè ex iis quæ diximus de legitima, liceat cuique ratione intelligere, qua altera quoque ſpuria curari poſſit, ſicuti de tertiana legitima & notha dictum eſt. Circa litteram Auic. nihil eſt notatione dignum, quod iam non fuerit expoſitum, præterquam vltima verba de balneo, quæ ſunt huiuſmodi.

Et illi in quibus magis diligitur balneũ, ſunt quorũ febris eſt ex phlegmate falſo.) Namque Galenus expreſsè docet contrarium 3. *de ratione victus vltimo*, & reddit rationem ſuæ ſententiæ, cui planè conuenit Paulus *lib.* 2. 3. quam quidem manifeſtiſſimam repugnantiam & diſſenſionem à Galeno nonnulli conciliant, qui interpretantur Galenum, quaſi velit in cauſone ſpurio balneum non conuenire ante concoctionem: ſed Galenus ſimpliciter & abſolutè loquitur, illud in cauſone notho aduerſiſſimum eſſe. At ſanè pro Auicenna non habeo quod dicam, niſi illius codicem fuiſſe deprauatum, eúmque potius negatiuè, quàm affirmatiuè legendum eſſe, nempe in cauſone ſpurio minùs, quàm in legitimo balneum conuenire.

Capvt XX.

De Febre ſanguinea.

IN prima parte huius cap. 43. Auicenna diſputat aduersùs Galenum de feb. ſanguinis, de qua agunt pleríque omnes, partim veteres, partim recentiores: ſed vt liberè dicam, tam confuſa & mala ratione, vt neſciam an quiſpiam hactenus Auicennæ & Galeni mentem & veritatem fuerit aſſecutus: itaque hæc diſputatio neque à nobis eſt prætermittenda; ſed quoniam nimis longum eſſet ſingulas de hac re opiniones, & ſingula argumenta pertractare, ſtudens, quantum fieri poteſt, breuitati, circa illa ſolùm verſabor, quæ vtiliora videbuntur. Etenim ante omnia ne verſemur in æquiuocis, atque intelligamus quid illud ſit quod in quæſtione verſatur, ſciendum eſt hoc nomen ſanguinis dupliciter à medicis vſurpari, vt vult Gal. 1 *de natura humana* 27. *lib. de plenitudine* 10. 6. *epid.* 2. 37. *ſ.* 4. 24. vno modo, quatenus complectitur omnes humores in venis contentos; altero, pro quarto humore à reliquis tribus diſtincto: ſine qua diſtinctione, quam nemo hactenus animaduertit, fieri non poteſt, vt in hac materia quidquam certi intelligatur & definiatur. Atque hinc factum eſt cum pro duplici ſignificatione huius vocis duplex quæſtio de febre ſanguinis poſſit agitari, vt pleríque omnes eas ſimul comprehendentes, neque alteram ab altera diſtinguentes, & ſibi & reliquis magnam obſcuritatem afferat, inter quos ipſum quoque Auic. poſſumus enumerare, qui ex vna parte non explicans, de qua febre ſanguinis diſputet, & ex altera videtur illam febrim interpretari, quæ ex putredine omniũ humorum generatur, quæ fortaſſe nullã dubitationẽ & difficultatẽ continet, vt videbimus: ſed ad rem venio. Omnes interpretes quos viderim, putant Auic. diſputare aduerſus Gal. quaſi ille negauerit febrem ex putreſcente ſanguine fieri poſſe, quorũ quidã fatentur reuera eum huiuſmodi febrẽ negare, atq; [illegible] de veritate vtriúſque opinionis Auic. & Gal. acriter digladiantur: nõnulli autẽ aſſerunt Gal. minimè talẽ febrem negare, ac propterea Auic. reprehẽdũt, quòd ſine ratione iſtud Gal. obiiciat, quod ab illo alienum eſt: alij putant vnam atque eandem vtriuſque opinionem eſſe, illoſque inter ſe ſolùm verbis diſſentire: alij forte aliter ſenſiunt. Verùm ex iis nemo mihi videtur neque Gal. neque Auic. mentem intelligere: namq; prin. Auic. tanquam fundamentum ſuæ diſputationis accipit, & id obiicit Gal. non quòd ille negauerit ex ſanguine aliquã febrem fieri poſſe, ſed quòd negauerit huiuſmodi febrẽ eſſe ſanguineã, imo aſſeruerit eſſe bilioſã, id quod verba Auic. demõſtrãt: *Opinatus eſt Gal. quòd non ſit febris ſãguinis à putredine ſanguinis.*) nõ, inquit, opinatus eſt Gal. quòd nõ ſit febris à putredine ſanguinis, ſed quòd nõ ſit febris ſanguinis à putredine ſanguinis: & ratio Gal. fuerat huiuſmodi: nã ſanguis cũ putreſcit, fit cholera, & non eſt ſanguis, fit primò febris cholerica, nõ ſanguinea: deinde tantũ abeſt vt Gal. negauerit ſanguinẽ putreſcere, atq; ex huiuſmodi putredine febrim fieri; vt id apertè & expreſſis verbis, verumque tanquam apud omnes compertũ recipiat. 2. *de diff. feb.* 9. qui Gal. id tantummodo quærit, vtrùm in putreſcente ſanguine certa quædam febris ſpecies fiat ſicut reliquis humorib. putreſcentib. tres diſtinctas ſpecies febris fieri certũ eſt: quã contẽplationẽ ille inquit præſtãtiſſimã eſſe, adeo vt Gal. nõ de febre ſãguinis quæſtionẽ inſtituat. At ſanè Auic. hac in parte mẽtẽ Gal. præclarè eſt aſſecutus itaq; ſũma quæſtionis quam Auic. agitat aduerſus Gal. eſt huiuſmodi; vtrùm ex putreſcẽte ſanguine certa ſpecies febris cõſtituatur, quam liceat ſanguinẽ appellare, ſicut cæteris putreſcentibus humoribus tres dictæ ſpecies febris cõſtituũtur, quæ ex ſingulis humorib. biliosa, pituitoſa, melancholica appellantur: ſed quoniam, vt ſuperiùs diximus, hæc vox ſanguinis æquiuoca eſt, ac propterea dubiũ ſupereſt, in qua ſignificatione quæſtio debeat agitari, ſciẽdũ eſt, Auic. ſeipſũ interpretari, qui ita ſcribit: *Dicamus ergo nũc, quòd febris ſanguinis febris putredinis, & febris calefactiõis & ebullitiõis, quã nominauit Hip. ſynochum cõcluſum, &c.* Ex quo loco nõnullæ emergunt difficultates maximi momẽti, & primũ quatenus pertinet ad nomẽ ſynochi, certum eſt neq; Hip. neque vllum ex veterib. medicis hac voce in ſuis ſcriptis vſum fuiſſe, ſicut Gal. teſtatur poſtremis verbis com. ſupra 2. *de natur. humana.* ſed illud à iunioribus inuentum fuiſſe, vt idem notat Gal. 9. *met.* 2. t. *ep.* 3. 2. Deinde quatenus pertinet ad eſsẽtiã huius febris docet Gal. *met.* 3. tam planè & aperte, vt planiùs nõ poſſit, febrẽ ſynochũ putridã ex putredine omnium humorum originẽ habere, à quo ſenſu neq; puto Auic. diſſentire; qui continuò tradens ſigna, differẽtias, & curationẽ febris ſãguinis, omnia propemodũ trãſcribit à Gal. quæcunq; ab illo de febre ſynocho tradita ſũt: itaq; nõ videtur dubiũ, quin Auic. in ſua quæſtione accipiat nomẽ ſanguinis, quatenus hæc vox ſignificat omnes humores qui in venis cõtinẽtur. Quod ſi ſic ſe res habet, ego quidem nõ verebor aſſerere, Auic. hac in parte prorſus Gal. mentem non percepiſſe: neque enim quærit Gal. quæ ſit ſpecies febris, ſi ſãguis putreſcat, accipiendo ſanguinẽ pro omnib. humorib. quã febrem ipſã euidẽtiſſimè docet, & cõſtat inter omnes, eſſe ſynochũ, ſed quærit quænã ſit ſpecies febris, ſi ſãguis putreſcat. quatenus ille eſt quartus humor diſtinctus ab vtráque bile & pituita, ſicut omni luce clariùs primi c. verba demonſtrant. quæ ſunt eiuſmodi 2. *de diff. feb.* 9. *Inter eas quæ reſtant, nulla præſtantior eſt cõtemplatio, vtrùm ſicut in vtraque bile & pituita, fiunt quadã ſpecies febris, ita etiã in ſanguine putreſcente:* vt certè nimirũ ſit, quomodò Auic. rem tã perſpicuã non animaduerterit. Itaque hinc factum eſt, cũ Gal. de vna ſpecie febris, Auic. de altera intelligat, & quæſtionẽ moueat, neque in principali cõtrouerſia conueniãt, vt rationes Auic. ad hanc diſputationẽ parũ accõmodatæ, forte etiã vanæ & ineptæ cenſendæ ſint: etſi enim ille dicat Gal. opinatum fuiſſe nullam fieri febrem ſanguinis ex putredine ſanguinis, propterea quia ſanguis dũ putruit, fit cholera, neq; remanet ſub forma ſanguinis, tamen Gal. iſtud non aſſerit de ſanguine, id eſt,

Æquiuocatio ſanguinis.

de

de omnibus humoribus, ſed de ſanguine vero, humore à reliquis diſtincto: vnde quemadmodum rationes Auic. ad confutandam conuerſionem ſanguinis, id eſt, quarum humorum, in bilem, ſunt inanes, & nihil concludunt, ita ad confutandam conuerſionem ſanguinis, i quarti humoris, forent longè magis accommodatæ, & aliquam vim haberent.

Error Auer.

In hunc eundem ſcrupulũ incidit Auerr. 4. *collig.* 31. qui ſimul cum Auic. non intelligens reperiri aliam febrẽ ſanguinis, quàm ſynochum, taxat Gal. inconſtantiæ, quod aliquando dixerit, huiuſmodi febrem eſſe cholericam, aliquando autem non eſſe cholericam: quos deinde Auic. nimirum & Auerr. medici prope omnes imitati ſunt, qui pariter non intelligẽtes, apud Gal. reperiri duo diſtincta genera febris ſanguinis, pro duplici huius vocis ſignificatione, ſicut diximus, in varios errores dilapſi ſunt. Cæterum vt nos contra diſtinctè & perſpicuè hanc rem intelligamus, primò decet nos inueſtigare, quid tandem Gal. reuera de febre ſanguinis, & tota hac difficultate ſentiat, ex qua diſciplina ſpero vos facilè hanc veritatem poſſe intelligere, & alienos errores detegere.

Vera doctrina febris ſanguineæ.

In diſputatione febris ſanguinis, ſicut non poteſt negari, ita non negauit Gal. ſanguinem poſſe putreſcere, cum manifeſtum ſit & vulgare in doctrina Ari. 4. *Meteoror.* 2. omnia quæcunque ſũt mixta ex elementis, niſi per vim intereant, per putredinẽ interire, omniáque materia conſtantia præter ignẽ putreſcere. Itaque ad mentẽ Gal. hæc ſit prima conclusio, ſanguinẽ & quartũ humorẽ, & totam maſſã quatuor humorũ poſſe putreſcere. Deinde cũ Gal. doceat, ſanguinem vel ſola copia, vel ſola alteratione, ſine aliqua vſtione vel putredine, poſſe febrem efficere, qualis eſt ſynochus ſine putredine, pariter neq; potuit negare, neq; vnquam negauit, ſanguinẽ putreſcentẽ poſſe febrem excitare: quare hæc ſit ſecunda cõcluſio, ex putreſcente ſanguine ſiue ſolo, ſiue ſimul cum reliquis humorib. febrẽ fieri.

I. Concluſio.

II. Cõcluſio.

III Cõcluſio

Tertiò ſi quæras qualiſnam ex putredine ſanguinis febris oriatur, reſpondet Gal. ſi intelligas ſanguinem, hoc eſt, collectionẽ quatuor humorũ, ex huiuſmodi putredine febrẽ ſynochũ oriri, 9 *meth.* 3. ſi verò intelligas ſanguinẽ pro vno quarto humore, hãc febrẽ ſanguinis appellari. 2. *de diff. feb.* 9. quæ tertia ſit cõcluſio.

IV. Cõcluſio

Demũ verò cũ Gal. expreſſe velit ſimpliciũ febriũ tria tantummodo eſſe genera, bilioſas, pituitoſas, melãcholicas, ſi quæras ad quodnã ex iis tribus generib. febris ſanguinis referẽda ſit, reſpõdet loco citato, *de diff. febr.* 2. *de criſib.* 12. huiuſmodi febrẽ ſub bilioſam reponendã eſſe: quam poſtremam concluſionẽ ad Galeni mentẽ nobis liceat ſtatuiſſe. Verùm cũ tres priores cõcluſiones nullã videantur difficultatẽ continere, id tantũ reſtat, vt poſtrema paulò accuratiùs examinetur, de qua videmus Auic.

Declaratio Veritatis.

duas diſputationes aduerſus Galenũ inſtituiſſe: ſed ante omnia ſtudeamus Galeni mentem & rationes intelligere. Galenus ex propoſito duobus locis hãc quæſtionẽ tractat, cum ſanguis putreſcat, cũ efficiat febrẽ, cum ſimpliciũ febrium non plura ſint quàm tria genera, & tres periodorum rationes, ad quodnã genus, & ad quã periodum febris ex putredine ſanguinis debeat referri. Primus eſt locus 2. *de diff. febr.* 9. in quo accipiens tanquã manifeſtũ, ſãguinẽ putreſcere, & rationẽ ex Ariſtotele docens, quomodo ille putreſcat, concludit febrẽ ex putreſcẽte ſanguine ſimpliciorẽ eſſe, quàm ex aliis humoribus, ac proportionem tertiani circuitus aſſumere, adeo vt in febre ſanguinis, ſicuti fit in tertiana, tertio quoque die noua acceſſio inuadat: hoc autem probat experientia ſumpto exemplo pleuriticorum, qui rubra expuunt, in quibus certum eſt, inflammationem & febrem ex putredine ſanguinis originem habere, ſiquidem obſeruatum eſt, huiuſmodi febres planè tertianum circuitum obſeruare. Et ſi quis obiiciat, diuerſam rationem eſſe humoris putreſcentis in inflammatione & in venis, huic reſpondet Gal. & diffusè demonſtrat 1. *de diff. feb.* 9. putredinem humorum quæ fit in vaſis, ſimilem eſſe illi putredini quæ in phlegmone, abſceſſibus, & phymatis oritur, ita vt de vtraque planè idem ſtatuendum ſit. Alter eſt locus 2. *de criſib.* 12. in quo Gal. hoc ipſum docet, & hanc rationem reddit, propter quam febris ex ſanguine tertianos faciat circuitus, atque ad bilioſas ſit referenda, qui ſcribit ad hunc modum: *Manifeſtum eſt, cum ſanguis putreſcere cœperit, quòd non etiam bonus manet, ſed bilioſus fit, atque in eo illud obſeruatur, quod tria ſint vniuerſa ſimplicium febrium genera; quæ enim ex putrefacto fit ſanguine, iam quodammodo bilioſa eſt, ſi vtique in naturalibus ſermonibus rectè demonſtratum eſt, quod ſanguis ex moderato ſit calore, flaua autem ex abunde moderato.* Itaque ratio propter quam Gal. aſſerit, febrem ſanguinis ad bilioſas referẽdam eſſe, illa eſt, quia ſanguis cum putreſcit, fit bilioſus. Ex quo loco Auicenna arripuit occaſionem reprehendendi Galen. quaſi ille voluerit, ex putredine ſanguinis nullam febrem ſanguinis fieri poſſe: ſed Gal. aliter ſentit, & aliter loquitur, qui non ſcribit, ſanguinem cum putreſcit, fieri choleram & non eſſe ſanguinem, neque tunc febrem fieri cholericam, non ſanguineam, vt illi imponit Auic. ſed inquit ſanguinem putreſcentem fieri bilioſum, & febrem ex eo genitam non ſimpliciter & abſolutè, ſed quodammodo bilioſam eſſe, imò verò ni fallor, tam euidenter Gal. fatetur & docet, ex putredine ſanguinis manentis ſub forma ſanguinis, febrem fieri, quàm verè febrem ſanguinis liceat appellare, vt nulla de hac re dubitatio mihi videatur ſupereſſe. Ac primùm memoria eſt repetendũ exemplum pleuritidis, in qua rubra expuuntur, de qua ſupra diximus ex Galeno; namque ſi experientia demonſtrat, huiuſmodi pleuritidem talem à principio vſque ad finem permanere, ſanguinemque ſub forma ſanguinis perdurare, quod ſputa perpetuò cruenta ſatis confirmat; nihil prohibet, quin idem verificetur de ſanguine in venis putreſcente, cum certiſſimum ſit ex doctrina Galeni eadem planè ratione tam in inflammationibus, quàm in vaſis humores putreſcere. Quamobrem etſi Galenus ſcribit, ſanguinem putreſcentem fieri bilioſum, tamen non docet alium humorem fieri, ſed ſanguinem adhuc permanere, & ſanguinem poſſe appellari, ſicut cæteris quoque humoribus contingit, qui putreſcentes non degenerant in alios humores, ſed proprium nomen retinet. Sed aliquis rurſum nobis obiiciat Gal. qui videtur manifeſtè affirmare loco citato, 2. *de diff. feb.* ſanguinem putreſcentem mutari omnino, partem quidem tenuiſſimã & pinguem in pallidam bilem, craſſiorem verò in atram; præterea febres pro ſpecie humorum in quo ſanguis mutatur, conſiſtere, & inter ſe differre: ac reuera ita hæc ſe res habet. Verùm ſciẽdum eſt, longè rem aliam eſſe, ſanguinem putreſcere, & ſanguinem putridũ eſſe: etenim qui per putredinẽ iam corruptus eſt, putridus exiſtit; qui ad corruptionem diſponitur, putreſcens dicitur: namque putredo & vſtio ſunt alterationes ſecundùm totã ſubſtantiam, ſiquidem quod putridum aut vſtum eſt, non ſolùm incaleſcit, aut refrigeratur, aut tale quid patitur, quod eſt alterari ſecundùm qualitates, verùm etiam in alienã ſubſtantiã degenerat; quippe in vtriſq; & quæ putreſcunt, & quæ vruntur, extinguitur calor natiuus ad externo; in putridis quidem, humidis partibus extractis, in vſtis verò conſumptis: quod autem

Dubitatio.

autem putreſcit, antequam tota ſubſtantia permoueatur, qualitatibus ad putredinem concipiendam diſponitur, terminoſque huius diſpoſitionis eſt, cum humidæ ſubſtantiæ partes præter debilitatem natiui caloris à calore externo factam, iam incipiūt à partibus ſiccis ſeparari, veruntamen communi appellatione vtraque dicuntur putreſcere, tam quæ ad concipiendam putredinem malè diſponuntur, quàm quæ tota ſubſtantia mouentur, & in alienam degenerant. Hæ duæ rationes putredinis quotidie in vinis apparent manifeſtiſſimè, quod præclarè declarat Gal. 2. *aph.* 17. namque dicimus vina putreſcere, quando incaleſcunt, acidumque habent ſaporem, ſed nondum in acetum degenerarunt, quæ tamen vina multa ventilatione, mutatione vaſis & loci, priſtinam recuperant naturam, quod fieri non poteſt, vbi ex toto corrupta & acida facta ſunt: nam res quæ tota ſubſtantia mutatæ ſunt, ſicuti putredine, vſtione, concoctione, ad priorem ſtatum nequeunt redire, non enim ſicuti quod calefactum eſt, poteſt refrigerari, ita quod coctum eſt, reddi crudum, & quod putridum eſt, poteſt emendari. Cum igitur huiuſmodi variæ putredinis rationes ſanguini quoque poſſint contingere, nimirum vt ille putreſcat, vel dum calidior & humidior redditus, ad putredinem diſponitur, vel dum tota ſubſtantia mutatur, facile eſt intelligere, quod Gal. declarat manifeſte, ſanguinem priori modo putreſcentem, in alios humores non tranſmutari, ſed ſub forma ſanguinis permanere, etſi bilioſus fiat, ac febrem ſanguinis efficere, quæ ſub bilioſa comprehenditur: poſteriore autem modo verè ſanguinem in alios humores tranſmutari, ac febrem efficere diuerſarum ſpecierum, ſicuti diuerſis humoribus putridis conuenit. Hanc verò fuiſſe mentem Gal. facilè vnuſquiſque fatebitur, qui ad verba illius vel parum voluerit animum adhibere. Cum enim docuiſſet, ex putreſcente ſanguine febrem fieri quodammodo bilioſam & quæ tertio quoque die habeat acceſſiones, atque iſtud experientia confirmaſſet, ſtatim hæc ſubiungit: *At verò ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, mutatur omnino, pars enim tenuiſſima in pallidam bilem, & craſſior in atram conuertitur.* Et paulo poſt: *Febres igitur pro ſpecie humorū, in quos ſanguis mutatur, conſiſtent, ſola malignitate & lenitate differentes.* Neque enim Gal. ampliùs loquitur de ſanguine putreſcente, ſecundùm ſimplicem alterationem, ſed de ſanguine ſupra modum aſſato, qui vſtionis modum repræſentat, in qua iam diximus totam ſubſtantiam mutari: quod quidem Gal. propoſitum ſatis confirmant illa duo verba aduerſatiua (*at verò,*) quæ manifeſtè demonſtrant, illum loqui de alia materia, quàm antea locutus fuerit.

Vina quando putreſcere dicantur.

Summa omnium. Colligentes quæcunque hactenus dicta ſunt de febre ſanguinis, ad Gal. mentem ita habendū eſt: ſanguinem ſecundùm vtramque ſignificationē putreſcere, & febrem efficere, ex putredine omnium humorum ſynochum fieri. ex putredine vnius ſanguinis, febrem ſanguinis, ſed quæ ad bilioſas referenda eſt, & tertio quoque die habet acceſſiones, ſanguinem ſupra modum aſſatum, partim in pallidam, partim in atram bilem degenerare, & tunc febres fieri pro ſpecie humorum, in quos ille mutatus fuerit. Si quis hæc bene intelligat, huic non difficile erit aliorum falſas opiniones intelligere, & confutare, qualis fuit opinio pluſquam commētatoris, id eſt, Turſani, qui in 3. *artis med.* 38. aſſerit ſanguinem putreſcere, ſed facere periodum quotidie, ſicuti facit febris quotidiana, qualis fuit opinio Conciliatoris *diff.* 89. Gentilis, & omnium fere poſteriorum, qui docent ex putredine ſanguinis febrem quidem fieri, ſed quæ talis diutius non poteſt permanere, qualis eſt opinio quorundam recentiorum, vt Montani, qui aſſerunt, febrem ſanguinis ex putreſcentibus ichoribus ſanguinis originem habere, quales forte neque aliæ huiuſmodi opiniones deſunt, de quibus non eſt longiùs agendum, quòd veritate poſita omnia falſa facilè euaneſcant: quare ad alia quæ reſtant, progrediamur.

Febres à ſanguine ſunt duplices, quatenus hæc vox vel omnes humores, vel vnū ſanguinem ſignificat: priores quæ ad omnes humores pertinent, ſunt *ſynochi*, Latine *continētes*, quæ pariter ſunt duplices, quædam ex putredine humorum, quædam ſine putredine. Febres cum putredine deſcribuntur à Gal. 9. *meth.* 3. vbi in omnibus vaſis, ac potiſſimùm maximis, æqualiter ſucci putreſcunt: ſynochi autem ſine putredine eadem cum febre ephemera conſtāt natura, quoniam in ſpiritibus, non humorib. calor præter naturā accenſus eſt; ſed in eo differunt, quod non in vnā diem, vt ephemera, ſed in multos dies porriguntur: vtraque autem febris ſynocha, tā cum putredine, quam ſine putredine, eſt in triplici differentia: vel perpetuò creſcens ad finem vſque, vel perpetuò declinans, vel in eodem ſtatu permanens: huius cauſam refert Gal. loco citato, in aſcenſionē & tranſpirationem vaporum: etenim illa eſt vniformis, in qua tantum tranſpirat & diſſoluitur, quantum accenditur, creſcens verò illa eſt, in qua plus accenditur quàm diſſoluatur, ſicuti contra decreſcens illa eſt, in qua plus conſumitur, quam accendatur. Poſteriores autem febres ſanguinis ſunt quodammodo bilioſæ, de quibus ſatis diximus. *Differentia.*

Duo errores Auic. Hinc duo ſunt colligenda aduerſus Auic. in præſenti cap. Primum, quoniam ille explicans, quomodo ſynochus non putrida partim febribus ephemeris, partim febribus putridis conueniat, inquit illam conuenire ephemeris, quoniam nulla adeſt putredo in humoribus: conuenire autem putridis, quoniam quod calefactum primum eſt in ea, eſt humor, quod eſt perſpicuè falſum: namque in ſynocho ſine putredine primum calefactum, ſunt ſpiritus, non humores, vnde Gal. docet, huiuſmodi febrem reuera ephemeram eſſe, atque eo tantùm cum putridis conuenire, quòd plures dies perſeuerat. Alterum eſt notandum aduerſus Aui. quòd ille aſſerit, nullam febrem ſanguinis reperiri præter tres differentias ſynochi, qui febrem ex putredine vnius ſanguinis planè videtur ignorare, quam tamen dari, & ratione & Gal. auctoritate ſatis cōfirmatū eſt.

Signa ſynochi. Signa febris ſynochi apud Gal. 9. *meth.* 2. *de diff. feb.* 5. *de criſ.* ſunt huiuſmodi: primò calor non eſt valde mordax, quoniam in materia benigna & miti fundatur: ſecundò pulſus ſunt magni, vehementes, celeres, minimè inæquales & inordinati, niſi quatenus hæc propria ſunt omnium febrium putridarum: tertiò lotia ſunt craſſiora & rubicundiora, cum huiuſmodi febris maiori ex parte ſit in corporibus refertis multo ſanguine & boni habitus: quartò forma febris varia eſt, vt variæ ſunt illius differentiæ, vel enim creſcit, vel decreſcit, &c. Vltimò ſumuntur ſigna à cauſis, namque talis febris generatur in adoleſcentia in corporibus plethoricis, carne & ſāguine præditis, in vere, in regione & cōſtitutione anni temperata, victus & reliqua præceſſerūt, quæ copiā ſanguinis poſſunt generare.

Signa differentiarum ſynochorum. Vtrùm verò ſit ſynochos cum putredine vel ſine putredine, hæc fere eadē ſigna facilè demonſtrant: etenim in ſynocho putrida calor non eſt adeo mitis, lotia ſunt magis craſſa & rubra, pulſus ſunt magis inæquales & inordinati, quàm contingat in altera ſine putredine. *Signa febr. ſanguinis.* Signa autem febris ſanguinis, quatenus ille eſt quartus humor, ferè eadem ſunt cum ſignis tertianæ, cum per tertiam diem ſuas facit periodos, atq; vt diximus, ad febres bilioſas de-

beat

beat quodámodo referri: veruntamen vt notat Gal. 2.*de diff. febr.* 9. hæc febris ex putredine ſanguinis, altera ex putredine bilis, cum in cæteris, tum maximè in leuitate caloris, perpetnò ſimplicior & mitior exiſtit; quæ enim qualitas caloris vaporoſior eſt, & minus moleſta, ſanguinis eſt; quæ verò moleſtior, erodés & mordax, ex bile cóſiſtit. Atque hactenus de eſſentia, differétiis, & ſignis febris à ſáguine.

Curatio.

Itaque veniamus ad curationé, & quoniam communes curandi indicationes, de quibus non ſemel diximus, facilè ad omnes febres poſſunt accommodari, ſtatim ad particularia præſidia aggrediamur, inter quæ ſectio venæ videtur principem locum obtinere, quæ poteſt ſanguinem minuere, corpus refrigerare, & quandoque febrem extinguere, & integrá ſanitatem afferre, & ita Gal. 9. *meth.* ſcribit in ſynocho, ſiue cú putredine, ſiue abſque putredine, quamprimum ad ſectionem venæ deueniendú eſſe. Sed quæras aliquis de alui lenitione, verùm poſſit in præſentia cóuenire: morbus eſt maximus, ac maximè vrget, occaſio eſt præceps, quare ſtatim maximo præſidio opus eſt: ſi quis rurſum obiiciat præcedenté ciború cruditatem: huic reſpondet Gal. 9. *meth.* 5. tanto tépore ſectionem venæ differendam eſſe, quantum ſatisfacere videatur tum ad eorum concoctioné, tum vt excrementa deſcendát. Auic. ſicuti generaliter docuit c. 7. *de curatione generali*, poſt ſectioné venæ videtur alui lenitioné probare, qui exhibet manná, aquam duorú granatorú, & thamarindos, quæ forte alicui ſuſpecta videbuntur, cùm manna facile conuertatur in bilé, granata autem & thamarindi non leuiter adſtringant. Ego quidem, ſi modò aluus foret lenienda, ſiue ante, ſiue poſt ſectionem venæ id fiat, inter cætera omnia caſſiam probarem. Cæterùm quod pertinet ad miſſionem ſanguinis, ſicuti omnes fatentur, remedium eſſe vtile ac neceſſarium, ita de quantitate mittendi ſanguinis non conuenit inter omnes. Galen. in vtraque ſynocho, tam putrida, quàm non putrida, docet ſanguinem vſque ad deliquiú animi mittendum eſſe, de qua copioſa mittendi ſanguinis ratione præclarú illius teſtimonium audiatis, 9. meth. 4. *Hoc remediú tum ratione, tum experientia didici: náque primú in contrariú ſtatú corpus deducitur celerrimè, ex animi deliquio refrigeratú: hoc verò nemo poteſt inuenire, neque quod ipſis ægris, neque quod natura iucúdius ac vtilius ſit: poſtmodum in eiuſmodi corporibus neceſſariò ſuperuenit alui deiectio, nonnunquá etiá bilis vomitus, quas res ſtatim à toto corpore ſudores excipiút.* Qui præterea duas elegantiſſimas narrat hiſtorias, duorú adoleſcétum, alterius liberi, alterius ſerui, quorú ille ſynocho ſine putredine, hic ſynocho cú putredine laborauit, quibus vtriſq; vſq; ad animi deliquiú non eſt veritus ſanguiné mittere: quod idé faciendú docet in libello de ſanguinis miſſione 11. 1. *aph.* 13. Altera autem ex parte non defuere olim, neq; deſunt in præſentia, quib. tale remediú ſuſpectum & periculoſum videtur, vnde nonnulli contendunt, Gal. in hac miſſione ſanguinis animi deliquium non includere, ſed excludere: inter quos eſt Braſſauolus 1. *aph.* 3. qui tam copioſæ vacuationis terminú interpretatur minimè deliquiú animi, ſed qué ægroti poſſunt perferre. Sed Braſſauolus & cæteri malè ſentiút: cum enim Gal. docet, vacuationé ſecta vena vſque ad animi deliquium fieri debere, nulli dubiú eſt quin de ea loquatur, quæ animi deliquiú affert & includit, quod ex multis locis vnus locus confirmat manifeſtiſſimè. Nam loco citatò 9. meth. 4. hæc habet: *Auſero itaque ab homine euſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linqueret, maximum plano, vbi valentes vires ſunt, continentis febris remediú.* Ex quibus verbis manifeſtum ſit, illú deliquiú animi non excludere, ſed includere; inquit

De ſanguinis miſſione ad animi deliquium.

enim, vt animi defectus ſuccederet, quod ſi animi defectus ſuccedit, certú eſt nó illú excluſum fuiſſe. Sút igitur nónulli, qui nullo modo hoc remedij genus probát, ex quibus eſt Cornelius Celſus l. 2. 10. qui ſcribit, ſemper finem mittendi ſanguinis faciédú eſſe, antequá anima deficiat. Eſt Auic. cú inquit c. 7. de curatione generali, meliorem eſſe multiplicationem numeri multiplicatione quantitatis. Sed præ cæteris eſt Auerr. qui aduerſus Gal. diſputat, & nonnullis rationib. conatur huiuſmodi remediú oppugnare in 7. *colliget* 8. Sed antequá illius argumenta proferro, nonnullæ voces diſtinguendæ ſunt, ne vos quoque in eum errorem incidatis, in quem Montan. Veronenſ. & alij celebres viri inciderunt. Et verò nomina apud Græcos tria ſunt, *lipothymia, lipopſychia, & ſyncope*, quorum duo prima vnam eandemque rem ſignificant, 1. *ad Glau.* 14. 2. *aph.* 8. népe animi defectionem, vel deliquium, vel exanimationem, vel quomodocunque ea velimus interpretari: etſi non ignoro, nonnullos interea quoque neſcio quod diſcrimen ponere, quoad rem præſenté non pertinet. Tertium verò nomen, *ſyncope*, longè aliam rem apud eundem Gal. ſignificat 12. *meth* cum ſyncope nihil aliud ſit, quàm præceps omniú virium lapſus; quarú eſſentia cú partim in ſpirituú, partim in ſolidorú corporú naturali qualitate & quantitate conſiſtat, ſciendú eſt nihil horú per ſyncopen manere integrú, ſed omnia collabi & diſſipari, tandemque ægrú in ſummú vitæ diſcrimé venire. Itaque id velim vos intelligere, & pro cóperto habere, nunquá Gal. docuiſſe, ſanguiné fore mittendum vſque ad ſyncopen, ſed tantúmodo vſque ad lipothymiá, quæ admodú leuis eſt affectio, atq; vt Gal. docet: 1. *ad Glau.* 14. ex leuibus cauſis, vt gaudio, timore, ira, quandoque ſolet prouenire, ac ſine multo labore ſanatur. Quamobré ſi Auic. & Auerrh. reuera putant, Gal. probare ſanguinis miſſioné vſq; ad ſyncopen, neque, vt veriſimile eſt, potius liceat in interpretes culpá tráſferre, qui inconſideratè in ſua lingua pro lipothymia ſyncope ſint interpretati, illi profecto Gal. menté non ſunt aſſecuti, ac ſine ratione hoc decretú non recipiút. Sed vtcunque hæc ſeſe res habeat, Auerrh. rationes audiamus quarú prima eſt: medicus eſt imitator naturæ: ſed natura núquam vacuat ſanguiné vſq; ad ſyncopen, ergo neq; medicus. Maior eſt manifeſta. Minorem probat Auerr. quoniá ſi fit huiuſmodi immoderata vacuatio, ea non fit niſi in criſibus malis, & quib. virtus expulſiua pluſquam conueniens eſt, expellit. Secunda ratio eſt talis: Vacuatio inſtituta à medico, quatenus eſt vacuatio, tantummodo, quod ſuperfluum eſt, minimè quod naturale eſt, debet euacuare: ſed phlebotomia vſque ad ſyncopen non modò ſuperfluum, ſed etiam naturalem ſanguinem educit. Ergo. Tertiò Gal. hac miſſione ſanguinis non aliud ſibi proponit, niſi ſubitam corporis refrigerationem: ſed huiuſmodi remedium eſt per accidens, cum non agat per contrarium. Ergo tanquam remedium periculoſum debet prætermitti: qué concludit melius eſſe vt aliquantulum remaneat de calore extraneo, quàm calor naturalis diminuatur. Quartò & vlt. in ſynocho putrida neceſſarium eſt poſt ſectionem venæ aliquos reperiri humores vel putridos, vel præparatos ad putredinem: Ergo tam copioſa ſanguinis miſſione, diminuto calore naturali, ac virtute reddita debiliore, illi magis corrumpentur, neque deinceps poterunt à natura concoqui & ſuperari. Hæc ſunt argumenta Auerrh. quibus poſtremo loco addo argumentum Cornelij Celſi lib. 2. 10. fundatum auctoritate Hip. & eſt huiuſmodi, ſcribit Hip. 6. apho. 27. *qui ſuppurati, aut aqua inter cuté laboráteſ vrútur aut ſecátur, ſi pus vel aqua confertim fluxerit, omnino morientur.*

Lipothymia & ſyncope differunt.

Argumento Auerrhois.

Ergo

Ergo inquit Celſus, ſi in curatione hydropis hæc ratio reſpondet, neque licet inutilia & noxia excrementa ſemel & confertim vacuare, longè magis neceſſe eſt eam reſpondere, neque licitum eſſe ſanguinem naturæ familiariſſimum & vtiliſſimum tam copioſè profundere.

Ego verò puto, omnes huiuſmodi rationes eſſe nullius momenti, neque quidquam aduerſus Hipp. & Gal. ſententiam demonſtrare: itaque ad primum argumentum poſſum reſpondere, medicum ſanè eſſe imitatorem naturæ; ſed illud præterea mihi libet addere, quod traditum eſt à Gal. *de conſt. artis med.* 12. nempe quædam poſſe efficere medicum, exempli gratia, os luxatum reponere, quod natura nequit facere, quædam verò efficere naturam, ſicuti cauum vlcus carne implere, quod à medico fieri non poteſt: vnde etiamſi natura nunquam ſanguinem vacuaret vſque ad deliquium animi, tamen licet medico id facere; neque valet argumentatio: Medicus eſt imitator naturæ: ergò medicus nihil debet efficere, quod natura nō facit. Sed præterea poſſum reſpondere, Minorem falſam eſſe, ſiquidem experientia demonſtrat, naturam ſæpenumero per nares, hæmorrhoidas, vterum, vſque ad animi deliquium ſanguinem vacuare: atque huiuſmodi vacuationes criticas & ſalutares eſſe, cum ita ægri à morbis grauiſſimis liberentur: imò verò ipſe Auic. *fen.* 17. 3. *cap.* 2. fluente ſanguine per hæmorrhoidas, vult illum non eſſe retinendum, priuſquam æger debilitetur, & cadat in ſyncopen.

Ad ſecundam & tertiam rationem notandum eſt, Galenum non ſimpliciter tam copioſam venæ ſectionem probare propter vnam ſanguinis effuſionem, ſed primò & per ſe animi deliquium procurare, vt hac ratione refrigerato corpore facultas calida intemperie pènè ſuffocata recreetur, ac deinceps poſſit per vomitum, aluum, ſudorem, noxios humores expellere, & febrem extinguere, quæ omnia non fierent, quantumuis copioſa foret vacuatio, niſi tandem animi deliquium ſuperueniret: vnde cum talis & tanta refrigeratio ſine animi deliquio non poſſit haberi, ita habendum eſt, eiuſmodi ſummam vacuationem vtilem eſſe & neceſſariam totumque ſanguinem tam copioſe profuſum quodammodo ſuperfluum eſſe; cum ille ſit impedimento, quominus animi deliquium & illa inſignis refrigeratio poſſit ſuccedere. Et quamuis miſſio ſanguinis ad deliquium animi per accidens refrigerationem afferat, nihil iſtud refert; namque ſi tollantur omnia præſidia, quæcunque iuuant per accidens, vniuerſa medicina tolleretur, exempli gratia, ſcammonium calidum eſt, vnde per accidēs purgando morbos bilioſos, febrem iuuat: nihilominus à nemine repudiatur, quod item de aliis quamplurimis ſtatuendum eſt. Quo loco memoria eſt repetenda ſententia Gal. 10. *meth.* 10. qui ſcribit, omnium febrium, quà febres ſunt, proprium remedium refrigerationem eſſe, ſiue poteſtate, ſiue actu, ſiue per ſe, ſiue per accidens ea talis fuerit.

Ad quartam & vltimam Auerrh. rationem ſatis eſſe deberet Gal. exemplum, qui alteri adoleſcenti, ſeruo laboranti ſynocho cum putredine ſtatim vſque ad animi deliquium venam ſecuit, neque propterea factum eſt, vt reliquiæ putredinis non fuerint à natura ſuperatæ, quàdoquidē ſecuta deinceps coctione, febris ex toto die ſeptima finem habuit. Verum neque præterea deeſt ratio: cum enim facta huiuſmodi inſigni refrigeratione, humorum tranſpiratio & ventilatio ægrotis reſtituatur, quæ potiſſima eſt ratio curandi & præcauendi putredinem, contrarium potius contingit, nempe vt quæ præſens eſt putredo, citius curetur, & quæ futura eſt, facilius prohibeatur. Ad poſtremum argumentum Cornelij facilis eſt reſponſio, ſiquidem planè diuerſa eſt ratio copioſæ miſſionis ſanguinis, & copioſæ purgationis aquæ: quare non eſt mirum, hominem laborantē hydrope ex cōfertim facta aquæ profuſione, mori, cum neceſſariò tunc facultas ſit debiliſſima: febricitātem verò ex miſſione ſanguinis vſq; ad animi deliquium non perire, cum Hip. Gal. & omnes conſentiant, ad hoc remedium nunquam fore deueniendum, niſi vires bene conſtent, quæ tantam vacuationem poſſint perferre: vbi inquit Hip. 1. *aph.* 23. *ad animi deliquium vſque ducendum eſt, hoc quidem faciendum, ſi æger poſſit perdurare.* & Gal. 9. *met.* 5. *vbi valida adeſt virtus, & ætas permittit, vſq; ad animi deliquiū mittere oportet. vbi alterum horum non ſatis reſpondet, tutius eſt, quātū ſatis viſum fuerit, tamē principio detrahere. quod deficit ita ratione ſupplere.* Sed hac de re ſatis, ſi modò illud poſtremo loco addamus, quod addit Gal. 9. *meth.* 5. laborantes febre ſynocho prætermiſſa ſectione venæ in ſummum diſcrimen venire, niſi vel virium robur, vel largū ſanguinis profluuium, vel ſudor copioſus ex manifeſta pernicie illos eripiat.

Lenita aluo, ſi id ferat occaſio, ſecta vena, huiuſmodi febres ſæpenumero ſtatim ceſſant & iugulantur: quod ſi aliter eueniat, altera ſequitur indicatio, nimirum alterandi humores, præparandi meatus, vt vel febris finiat, vel ſaltem illi præparētur, adeo vt vel natura, vel arte commodè poſſint expurgari: ſic igitur putreſcente ſanguine conueniunt refrigerantia & humectantia, inter quæ principem locum tenent quæ leniter vacuant, & ſanguinem purgant ab excrementis: quare ex Gal. 11. *meth.* 10. illa ſunt exhibenda quæ per aluum, vrinā, & ſudorem purgare ea poſſunt, qualia ſunt hoc tempore familiaria, noſtri vulgares ſyrupi, roſatus recens, de ſucco endiuiæ, de ſucco borraginis, & ſimiles, de quibus id memoria eſt repetendum, quod alias vos monui, inſtituto atque exemplo Galeni, qui mulſa admodum diluta vtebatur, huiuſmodi quoque ſyrupos dilutiſſimos parandos eſſe, ne conuertantur in bilem, & ſit exemplum: *Præparatio*

℞. *Syrup. roſ. recentis,*
De ſucco acetoſæ an ℥. v.
Decoctionis acetoſæ,
Borraginis,
Lactucarum ana ℥. iij.
M. pro ſyrupo.

Horum imitatione varia id genus remedia poſſunt parari.

Apparente concoctione, dummodo adſint conditiones, de quibus aliàs diximus, nullum eſt præſtantius remedium potione aquæ frigidæ, ex qua excitata & roborata natura non ſolum vacuat ſæpenumero humores noxios per vomitum, aluum, ſudorem, ſed etiam totum calorem febrilem extinguit: quamobrem iis duobus præſidiis Galen. ſectione inquam venæ, & aqua frigida, quæ ſcribit eſſe principalia & maxima remedia continentium febrium, conſueuit totam huiuſmodi curationem perficere, loco citato 9. *method.* 5. Sin verò propter aliquod impedimentum non liceat frigidam exhibere, tunc licet deuenire ad ea medicamenta, quæ aluum poſſunt mouere: *ſi quis*, inquit Galen. 4. de tuenda 4. *vel propter ætatem, vel propter timiditatem permittere ſe medico ad ſanguinem detrahendum nolit, huic largius deiicienda aluus.* Sed ſtatim quærat aliquis, an reperiatur aliquod medicamentum quod ſanguinem poſſit educere? huic reſpondet Galen. *in lib. de purgat. medicam. facultat.* 4. nonnulla quidem inueniri talia medicamenta, ſed neminem illis vti, cum inter venena numerentur; ſiquidem hoc foret homines iugulare, *De aqua potione.* *An detur medicamentum ſanguinem vacuans.*

non purgare: quo loco recitat hiſtoriam de quodam homine, qui caſo herbam repetit, quam ſi quis adſumpſiſſet, primum ſanguinem, deinde vitam emittebat, quem hominem multis hac pacto morientibus magiſtratus comprehendit, & vinctis oculis duxit ad ſupplicium, ne alicui forte interim eandem herbam demonſtraret. Cum ergo non liceat ſanguinem purgare, quis quærat rurſum, qualianam purgare oporteat? Cui pariter reſpondet Galenus loco citato, purgantia medicamenta hoc nomen ſortita eſſe, quòd ſanguinem à reliquis humoribus purum conſtituant, itaq; purganda erunt illa excrementa, quæ ſanguinem impurum & vitioſum reddunt: ad quam indicationem ſunt in primis accommodata medicamenta leuiora, ac ferè lenientia caſſia, ſerum lactis, rhabarbarum, & ſimilia: nam etſi vehementiora quoque, ſcammonium, turbith, & ſimilia, Meſuæ teſtimonio poſſunt ſanguinem mundificare, tamen illa ſunt calidiora, & cum moleſtia iſtud ſolent efficere, habeatis exemplum.

Purgatio.

℞. *Rhabarbari electi* ℈. *iiij.*
Spicæ gr. iiij.
Seri lactis q.ſ.
Fiat infuſio ſecundum artem, & facta expreſſione adde ſyrupi roſati vel violati ſolutiui ℥. *iiij. M.*

Vel ſi æger voluerit bolum:

℞. *Flor. caſſia noviter ext.* ℥. *ſ.*
Pulpa thamarind. ʒ. *ij.*
Rhabarbari elect. puluer. ʒ. *ſ. M.*

Hoc tempore omni induſtria attendendum eſt refrigerationi & humectationi totius corporis, ac præcipuè membrorum principalium: ad quem locum ſunt referenda, ne eadem ſæpius repetantur, quæcunque dicta ſunt de curatione febrium acutarum, de aëre, medicamentis externis, balneo, & ſimilibus. In victu ſufficit vna ptiſana, quæ ex Gal. 10. *meth.* 11. actu frigida eſt exhibenda, etſi non extremè refrigerata, ne ventriculus lædatur. Potus ſit aqua mulſa dilutiſſima: & ſit exemplum:

℞. *Aquæ fontis lib iij.*
Sacchari ℥. *j.*
Bulliant ad conſumptionem tertia partis.

quæ quidem aqua in puteis, & cum niue, & omnibus modis inſigniter debet refrigerari. Prætermittantur carnes, oua, & omnis victus craſſior, quoniam morbus acutus eſt, & in quarta, & ad ſummũ in ſeptima debet terminari. Atque hactenus de febre ſanguinis, quatenus hac voce comprehenduntur quatuor humores: de altera autem, quatenus ſignificat vnum ſanguinem, non eſt longius agendum, quoniam ſicuti diximus, illa debet ad biliosas referri, non ſolum quatenus ad reliqua pertinet, ſed etiam quatenus ſpectat ad ipſam curationem.

Caput XXI.

De febre Phlegmatica.

Cap. 46. Vbi pituita generetur.

In tractatione de febribus pituitoſis ante omnia mihi vtile & neceſſarium videtur, eam quæſtionem breuiter explicare, de qua noſtræ ætatis medici vehementer diſſentiunt, nempe de loco, vbi pituita generatur, ex qua certum eſt, huiuſmodi febres originem habere. Quam quidem difficultatem vt iuniores probè intelligant, ſcire debent, apud Gal. triplicem eſſe coctionem, primam, quæ in ventriculo, ſecundam, quæ in hepate & venis, tertiam, quæ in ſingulis membris perficitur: itaque dubium eſt, vtrum pituita in prima concoctione in ventriculo, an in ſecunda in hepate generetur. Ac primum nonnulli opinantur pituitam in ventriculo generari, quibus fauet Gal. *lib. de atra bile* 8. qui ita inquit: *A nobis demõſtratum eſt, pituitoſos humores ex pituitoſis alimentis in prima ventriculi concoctione fieri, vt biliosos in iecore* necnon 1. *de nat. human. com.* 39. declarans quidnam ſinguli humores conferant ad mores animi, ita ſcribit. *Natura autem pituita ad mores formandos minimè eſt ex vſu, apparet enim, quod ex prima alimentorum permutatione per neceſſitatem generetur.* & rurſum 5. *de vſu part. c.* 4. idem confirmat, quo loco aſſerit, pituitam non ſolum in ventriculo, ſed etiã in inteſtinis generari, id quod partim ex anatome, partim ex morbis ventriculi demonſtrat veriſſimum eſſe. Quod ille inquit de anatome, eſt mea ſententia, propterea, quòd ventriculi natura ſit membranoſa, ac proinde frigida, & ad hanc generationem humoris pituitoſi valde accommodata. Hanc ſententiam repetit Gal. 2. *de med. sec. locos* 1. *& aliis locis*, ſed apertiſſimè 6. *ep.* 5. 6. per hæc verba: *Vomitus pituitoſi fiunt, huiuſmodi enim ſuccus in ventriculo creatur plerunq; ex alimẽtorũ multitudine, ac multo magis ſi illa craſſa & natura pituitoſa fuerint.* Neque Auic. videtur aliter ſẽtire, qui 13. 2. *tract.* 1. *c.* 16. ſcribit hunc in modum: *& plurimum quidem quod inuenitur in ſtomacho, aut generatur in ipſo, ex humoribus eſt phlegma.* Et ne quis exiſtimet illum intelligere de chylo, qui generatur in ventriculo, addit; *cauſam in hoc eſt, quia chylus eſt natura propinqua phlegmati*: Hinc factum eſt, vt ſumma cum ratione Gal. ſcribit 1. *ad Glauc.* 5. febrem quotidianam rarò euenire, quin os ventriculi laboret, ac propterea *cap. proprio*, in curatione maximam ventriculi, ac potiſſimum illius orificij curam habendã eſſe. Hiq; ex iis ſunt qui velint pituitam in ventriculo, minimè in iecore generari.

At verò altera ex parte nonnulli opinantur pituitam ſicuti cæteros humores in iecore generari, in ventriculo autem tantummodo generari chylum, quæ ſit ſubiecta materia & diſpoſitio neceſſaria ad generationem omnium humorum, cui quidem opinioni rei natura planè conſentit: ſiquidem certiſſimum eſt, totum ſanguinem, quatenus ille continet quatuor humores, in iecore generari, ex quibus homines conſtant, nutriuntur & conſeruantur; quod Hip. & Galen. docent *lib. de natura humana*, & mille locis, ex quibus ſatis fuerit vnum vel alterum in medium proferre. Itaque 2. *prognoſtic.* 37. hæc habet. *Palam eſt iecur concoctricem humorum facultatem, veluti focum ardentem, & fomem obtinere?* Et rurſum 2. *de naturalibus facult.* 8 *Demonſtratum eſt antiquis, alimentum dum in venis ab innato calore alteratur, ſanguinem quidem ex moderato, reliquos vero ſuccos ex immoderato calore generari. Atque huic ſententia, quæ ſunt euidentia ſenſibus omnia conſentiunt, quoniam & alimenta, quæ natura ſunt calidiora, magis ſunt biliosa; quæ frigidiora, ſunt magis pituitoſa*, &c. Sic Galen. cap. 38. *artis med.* colligit indicia iecoris frigidioris anguſtiam venarum, copiam pituitæ, ſanguinem frigidiorem, &c. Et ſi quis pro hac opinione plura cupit, is memoria repetat in fœtu qui in vtero continetur, nullam in ventriculo coctionem fieri, ſed tantummodo in iecore, in quo propterea nulli dubium eſſe poteſt, quin pituita ſimul cum reliquis humoribus generetur.

Ad diſſoluendam hanc difficultatem, ad vindicãdum Gal. à contradictione, ſunt qui reſpondeant, Gal. & medicos pituitam dupliciter accipere, vno modo communiter, ſicut facit Gal. 2. *de diff. feb.* 6. qui omnem humorem, quicunque in corpore frigidus & humidus fuerit, pituitam appellat: necnon 4. *de tuenda valet.* 4. vbi aſſerit, crudos ſuccos eſſe de genere pituitæ: ex quo colligunt chylum in ventriculo genitum quoquomodo pituitã poſſe nominari. Verùm ego neſcio quanti hæc reſponſio

ſit

Digitized by Google

ſit facienda: nam vtcunque illi donemus, chylum commmi quadam ſignificatione pituitam poſſe appellari, certum eſt de ſententia Gal. aliam præterea pituitam in ventriculo generari, quæ plane à chylo diuerſa eſt, alioqui enim locis citatis, ac potiſſimum de atra bile 8. non dixiſſet, ex pituitoſis alimentis pituitam fieri; ſiquidem chylus in ventriculo non ſolum ex pituitoſis, ſed etiam biliosis alimentis generatur; quamobrem ego ita cenſeo reſpondendum eſſe, ex alimentis in ventriculo chylum generari, ſed præter chylum propter naturam ventriculi pituitam quoque à chylo diuerſam generari, ac potiſſimum ſi alimenta fuerint ad hunc gignenduo humorem accommodata: quæ quidem pituita in ventriculo genita, cum chylo in iecur delata, & coctionem adepta, facilè poteſt in ſanguinem conuerti. Ex quibus voo verbo ſatis apertè poteſt conſtare, vtraoque opinionem, quæ ſeparatim docet pituitam vel in ſolo ventriculo, vel in ſolo iecore generari, falſam eſſe. Cuntrà verò ſi hæ duæ opiniones coniungantur, ac concedatur pituitam partim in iecore ex frigidiore parte chyli, partim ex alimentis, ac præcipuè pituitoſis in ventriculo fieri, vtramque veritatem continere. Et hanc ſine dubio conſtat mentem fuiſſe Gal. vt propterea nulla apud eum ſit diſcrepantia: ſed de hac re ſatis.

Conueniunt omnes medici, febrem qootidianam fieri ex pituita, vnde Auicen. illam phlegmaticam ſiue pituitoſam appellat, in cuius tractatione agemus primò de differentiis: ſecundò, de ſignis: tertiò, de curatione.

I. Differen. Differentiæ febris pituitoſæ ſunt plurimæ, ac primum diuiduntur in continuas & intermittentes, tametſi apud nonnullos dubium eſt, an aliqua huiuſmodi febris reperiatur verè interpolata: quam dobitationem ſoluit Galen. 1. *ad Glauc.* cui placet nullam febrem quotidianam, exceptis paocis, ad integram quietem manifeſtè peruenire, quas paucas ille interpretatur. 2. *de diff. feb.* 4. vbi exquiſitæ fuerint, ac propriam naturam ſeruauerint; nam tunc & aliorum medicorum, & proprio teſtimonio comprobat illas puram intermiſſionem habere, quæ continua eſt, neqoe ad infebricitationē deſinit: à recentioribus medicis, vt refert Gal. 2. *de diff.* 7. propriè *καθημερινὸς*, id eſt, *quotidiana* appellatur, ipſe verò ſolitus fuerat talem febrem *ἀμφημερινὸν συνεχῆ*, id eſt, *quotidianam continuam* vocare, ſiqoidem id nomen *καθημερινὸν* apud veteres Græcos nuſquam ſcriptum reperitur, eam autem qoæ eſt intermittens, & ad infebricitationem deſinit, *ἀμφημερινὸν* ſimpliciter, ſine vlla adiectione vocabat. Quare & nos cum Galen. clarioris doctrinæ gratia tam febrem quæ ſingulis diebus inuadit, & ad infebricitationē deſinit, quotidianam ſimpliciter, eam verò quæ minimè deſinit ad quietem, quotidianam continuam appellabimus.

II. Differen. Secundò febres qootidianæ aliæ ſunt legitimæ & exquiſitæ, aliæ ſpuriæ & non exquiſitæ: quam differentiā Gal. vnico verbo determinat 1. *ad Glauc.* 8. nempe illas eſſe exquiſitas, quibus omnia adſunt ſigna, de quib. poſteriùs tractabimus: illas verò non eſſe exquiſitas, quæ non omnia ſigna in ſe continēt.

III Differ. Tertiò ſunt differentiæ huios febris pro differentia pituitæ quæ illam excitat: cum autem Galen. auctore 2. *de diff. feb.* 6. quatuor ſint ſpecies pituitæ; vna dulcis, altera ſalſa, tertia acida, quarta vitrea appellata; aut fortaſſe tres tantum, ſi diuerſi pituitæ ſapores conſiderentur, nempe dolcis ſalſa & acida, cum vitrea acidæ qualitatis ſit particeps, vt Galen. ſe ipſum interpretatur, hinc fit vt hac ratione totidem ſint ſpecies febris quotidianæ, quot ſunt ſpecies pituitæ, ex quibus illa accenditor.

VI. Differ. Quarto loco ſunt differentiæ febris pituitoſæ à forma febris: namque nonnullæ incipiunt cum horrore, frigore, rigore: quædam verò ſunt, in quibus toto tempore quo durant, in qualibet corporis parte calor ſimul & frigus perſentitur: quæ poſtrema ſpecies *epiala* vocatur: hæc fit, quando pituita non tota æqualiter, ſed duntaxat pro parte putrida fuerit, quippe per corporis partes delata pars putreſcēs calorem febrilem, pars non putreſceos rigorem inducit, vt declarat Galen 2. *de diff. feb.* 6. nec non *de inæquali intemperie* 8. Non ingredior in præſentia arduam difficultatem, quomodo hæc duo contraria, caliditas & frigiditas, in eadem corporis parte, eodem tempore ſimul eſſe poſſint, qui cenſeo ad mentem Gal. & Ariſt. duo contraria non poſſe eandem partem eodem tempore obſidere, & nihil eodem tempore poſſe duobus motibus contrariis moueri, de qua re aliàs. Hæ ſunt differentiæ pituitoſæ febris apud Gal. quibus Auic. videtur nonnullas adiungere, quæ non ſunt prætermittendæ. Prima eſt huiuſmodi: febres pituitoſæ nonnullæ ſunt, in quibus percipitur frigus in partibus internis, calor in externis, quas ille vocat *epialas*; nonnullæ contra ſunt, in quibus frigus in externis, calor in internis percipitur, quas *lipyrias* appellat: nonnullæ demum ſunt, in vtrumque, & calor & frigus in vtriſque partibus, tum internis tum externis perſentitur, quibus poſtremis nullum nomen tribuit. Sed hic multa ſunt quæ deuiant à doctrina Gal. & à veritate: nam quatcous pertinet ad primum membrum. Auic. fallitur maniſeſtiſſimè, ſiquidem iam docuimus ex Gal. in febre epiala qualibet corporis parte vno atque eodem tempore caliditatem & frigiditatem, minimè verò in partibus internis frigiditatem, in externis caliditatem ſentiri: quare hæc nullo modo febris epiala dici poteſt: verum illud addo, hanc fortaſſe eſſe inanem cogitationem, etſi modò iſtud fieri poteſt, hanc febrem non eſſe, com in omni febre requiratur neceſſariò, vt cor ſit poſitum in caleſacto eſſe, quod quidem refrigerato ipſo corde & partibus illi proximis oon videtur poſſe contingere. Quatenus autem ad ſecundum membrum, verum quidem eſt, in febribus lipyriis interiora vri, exteriora frigeſcere; ſed huiuſmodi febres inter pituitoſas non debent enumerari, cum magis ſint ardentes, atque illæ quidem malignæ & perniciosæ, vt quæ ex forti viſcerum inflammatione vt eryſipelate oriantur, vt clarè demonſtrat Gal. 4. *aph.* 48. 7 *aph.* 1. 2. *prog.* 4. *& aliis locis.* Sic tertium membrum, in quo redditor cauſa, quamobrem calor & frigus ſimul in vtriſque partibus reperiatur, non caret difficultate, ſiqoidem Auic. fingit duas materias frigidas, quæ mouentur, quarum altera in interioribus, altera in exterioribus contineatur, quæ deinde cum incipiuot putreſieri altera alteri communicat vaporem calidum, adeo vt propterea partes tam internæ quam externæ ſimul & calorem & frigus percipiant. Sed hæc ratio longè eſt aliena à ratione tradita à Gal. quamobrem in febre epiala ſimul calor & frigus percipiatur, vt iam diximus: itaque hæc tota diuiſio Auic. iure potuit vel prætermitti, vel ſaltem ad Gal. diſciplinam diligentios referri.

V. Differ. (margin, beside "Hæ ſunt differentiæ pituitoſæ febris")

VI. Differ. Secunda eſt diuiſio Auic. febres pituitoſæ qoædam ſunt cum ſyncope, quas Auic. *ſyncopales* appellat, quædam ſine ſyncope, quas *hecticas* vocat, quia lateant, ac ferè ſint ſimiles hecticis, neque facilè diſcernantur. Syncopales ſunt duplices, quædam in quibus propter nimiam copiam pituitæ & crudorum humorum os ventriculi malè afficitur, ac vires quammaximè grauantur & opprimuntur, quæ propterea *ſyncopales humoroſa* appellantur: quædam in quibus propter abundantiam ſuccorum tenuium, acrium & bilioſorum pariter vires diſſoloontur, quæ ab illo *ſyncopales minuta* appellantur. Etſi

verò hæc diuiſio à Gal. quoque videtur fuiſſe tradita, qui de vnaquaque huiuſmodi ſyncope ſermonem habet 12. *meth.cap.* 3. & 4. tamen dubium eſt, quomodo febris pituitoſa ab humoribus tenuioribus & bilioſis fieri poſſit: niſi dicamus pro Auic. illum tractantem de ſyncope ex humoribus pituitoſis, quadá ſermonis conſequutione de altera quoque ex humoribus bilioſis voluiſſe pertractare.

VII. Differ. Tertia & vlt. Auic. diuiſio eſt; huiuſmodi febres pituitoſæ quædam ſunt diurnæ, quædam nocturnæ, id eſt, quædam habent acceſſiones interdiu, & quædam noctu. De qua item diuiſione licet dubitare; namque Hip. 1. *epid.* 3. 3. 5. generaliter omnes febres, minimè ſolas febres pituitoſas diuidit in nocturnas & diurnas, quod rei naturæ plane conuenit, cum non ſolum pituitoſis, ſed cæteria quoque omnibus febrib. poſſit contingere, vt tam noctu quàm interdiu inuadant, imò verò idem Hip. Gal. interprete 3. *epid.* 3. 64. febres nocturnas ſpeciatim quotidianas intelligit, quaſi perpetuò, vel maiori ex parte nocte habeant acceſſiones: quod etiam repetitum eſt à Galen. 1. *de criſ.* nec non 12. *meth.* 5. *poſtremis verbis*: & hoc quidem decretum videtur conuenire alteri Hip. & Gal. ſententiæ 6. *epid.* 1. 15. qui diuidentes diem in quatuor partes, docenteſque ſingulos humores in certis diei partibus moueri, volunt pituitam noctu potiſſimum id facere, ſicuti alias diximus. Verum ſatis de differentiis, ad ſigna veniamus.

Signa. Primum calor febris quotidianæ ex Galen. *ad Glauc.* eſt humidior, cum quadam acrimonia, quam admota manus non protinus, ſed diutius permanens perſentit: etenim quidam calor veluti fumoſus cum largo vapore commixtus vobis videtur exire qui formam ignis potius in multa humiditate ſuffocati, quàm ſubiectam materiam vincentis vobis repræſentabit: propterea huiuſmodi calor eſt inæqualis adeo, vt non æqualiter feriat manum medici, ſed veluti per cribrum tranſmitti videatur. Cuius quidem inæqualitatis Gal. 2. *de diff. feb.* 9. docet non aliam cauſam eſſe, quàm lentorem & craſſitiem humoris: cum enim ſicuti cæteris quoque accidit humoribus, nihil eſt pituita diſcutiatur, niſi priùs extenuatum fuerit, non poſſit verò propter ſuam frigiditatem & craſſitiem, niſi difficulter, extenuari, hinc fit vt pituita neque tota, neque æqualiter diffletur, ſed ea ſola pars quam putredo occupauit; vnde in hac febre pituitoſa calor eſt valde inæqualis, cum reliquæ febres ex aliis humoribus ortæ calorem æqualiter occurrentem obtineant.

Lotia. Secundò, lotia ex Gal. 1. *ad Glauc.* 7. 2. *de criſ.* 5. ſunt principio quidem, cum ſumma eſt cruditas, alba, aquea, tenuia, procedente morbo craſſa, turbata, & quandoque rubra, quæ aliquod coctionis præludium demonſtrant.

Tertiò cum in hac febre non ſit magna neceſſitas euentationis, quod non adſit inſignia æſtus, pulſus ſunt parui, & longè minores quam ſint pulſus febrium quartanarum. Quod ſi alicui dubium videtur, quomodo in quartana humor melancholicus qui pariter frigidus, craſſus eſt, & terreſtris, non vires opprimat, ac pulſus paruos efficiat, vt quotidiana: huic reſpondet Stephanus Athen. id fieri propterea, quia pituita longè copioſior quàm melancholia in noſtro corpore generetur, vnde non ſolùm ſuis qualitatibus, ſed etiam multitudine negotium facit: rurſus verò in febre quotidiana pulſus ſunt rariores quàm in tertiana, ſed minus rari quàm in quartana: quas pulſuum differentias accuratè tradit Gal. 1. *ad Glauc.* 7.

Forma febris Quartò, forma febris quotidianæ eſt huiuſmodi: ſi continua fuerit, continuè affligit, ac ferè eſt ſimilis febri hecticæ, propterea quia caliditas exigua eſt, & ægri vix percipiunt ſe febricitare. Sin autem fuerit intermittens, ex Gal *de diff. feb.* 4. 2. *de criſ.* 5. primis ſtatim diebus non incipit cum rigore, ſed progreſſu temporis potius quædam refrigeratio & horror, quam rigor in ipſis fit, difficulter accenditur, longùmque obtinent incrementum, quoniam humor temperamento frigidus & humidus eſt; quare hoc tempore velocitas motus, magnitudo, & vehementia, quæ tertianis manifeſtiſſimè adſunt, quotidianis deſunt. Status non eſt cum multa flamma & calore, ſed diuturnus. Declinatio ex Gal. 1. *ad Glauc.* ſicuti febrium tertianarum & quartanarum, ſudoribus non terminatur, quod ille interpretatur verum eſſe 2. *de criſib.* 5 de primis diebus, quando humores adhuc crudi ſunt; ſiquidem procedente tempore, vbi humores fuerint concocti, ſudor quoque aliquando ſolet ſuperuenire.

Cauſa. Poſtremò ſunt ſigna à cauſis: accidit hæc febris naturæ, corporis temperamento, ætati, tempori, regioni, victus rationi, & reliquis id genus, quæcunque humorem pituitoſum poſſunt colligere: itaque ætatibus, naturis, anni temporibus, & temperaturis humidioribus contingunt, adeo vt Gal. fateatur 1. *ad Glauc.* ſe nunquam vidiſſe iuuenem bilioſe & ſicca temperatura huiuſmodi febre correptum fuiſſe: quare pueri, & maximè paruuli, & qui iam perfectum corpus habent, pituitoſi craſſique habitus, atque otio plurimo dediti, & qui crapulis, ebrietatibus aſſiduis balneis, præſertim poſt ſumpta alimenta delectantur, à quotidianis febribus facilè corripiuntur: Loca etiam humidiora atque ex anni temporibus hybernum, & ex anni conſtitutionibus humidiores præcipuè ſolent hanc febrem afferre: quod ſi demum hoc tempore quotidianæ febres peruagentur, præter ea quæ diximus ſigna, hoc quoque non parum ad eam cognoſcendam conducit. Atque hæc quidem ſigna ſi omnia concurrant quotidianam veram & exquiſitam: ſin aliqua deſint, minus veram & exquiſitam demonſtrant 1. *ad Glauc.* 8.

Poſtremò autem notandum eſt, pro diuerſa ſpecie putreſcentis pituitæ hæc quoque ſigna fore diuerſa, exempli gratia, quod à Gal. diffuſè tractatur 2. *de diff. feb.* 6. ſi contingit aliquem ex ſalſa pituita febricitare, tunc ille inuadente acceſſione non riget, ſed tantummodo horret, quòd nimirum ſalſa pituita non adeo mordax ſit, vt rigorem poſſit excitare: acida verò & vitrea ſi per ſentientes corporis partes ferantur, tamen ſine putredine, tunc propter vehementem frigiditatem quam obtinent, rigorem ſine febre inducent: de qua re an fieri poſſit, antiqui dubitabant, quòd in illis mediocris putredo procreetur, ita ſanè vt non ex toto putreſcant, ſed ſolum pro dimidia parte, vt paulo ante diximus, febrem epialam effici; & ſi plus putreſcant, rigor quidem antecedit, febris autem ſubſequitur, frigiditate nimirum harum pituitæ ſpecierum à calore deuicta & ſuperata, adeo vt in augmento & vigore acceſſionum frigiditas nullo modo percipiatur; quod pariter de cæteris ſignis ſtatuendum eſt, de quibus ſi quis plura cupit, is videat Gal. *ad Glauc. c. proprio.* 2. *de diff. feb.* 4. 2. *de criſib.* 5. itaque venio ad curationem.

Si memoria repetamus quæ non ſemel diximus de indicationibus curandi febres putridas, non eſt vt eandem methodum in præſentia repetamus, cum facile ſit & ad quotidianas, & ad reliquas particulares febres illam accommodare: quamobrem ſine mora ad particularia præſidia aggrediamur. Primum occurrit alui lenitio, pro qua ſunt optima clyſteria, neque ita mollia, ſed paulò acriora.

Et ſit exemplum:

℞. *Decoctionis betarum.*

furf

furfurum lib. j.
Mellis roſati,
Olei chamamelini ℥. iij.
Salis parum. M.

Procedente tempore valentiora quoque medicamenta, hyſſopus, centaurea minor, colocynthis, electuarium diaphœnicon, hiera compoſita: & ſimilia poſſunt adminiſtrari. Per os caſſia cum hiera ſimplici, in forma boli, vel manna cum melle roſaceo ſolutiuo forent præſtantiſſima: Et ſint exempla.

℞. *Flo. caſſ. nou. ext.* ʒ. x.
Specierum hiera ſimp. ℈. iiij. *M.*
Vel in potione:
℞. *Manna Calebrenſis el.* ℥. j. ß.
Mellis roſ. ſol. ℥. iij.
Decoctionis betonica,
borrag. q. ſ. M.

Nunnulli hoc tempore iis non contenti addunt præterea & medicamenta ſoluentia, ac præcipuè electuarium diaphœnicon, qui expreſſe agunt contra ſententiam Auicenn. in præſenti loco: *ego verò*, ille inquit, *non diligo niſi expectationem digeſtionis, & lenificationem cum eis qua diximus, nempe manna, melle roſaceo, & ſimilibus.*

II Indicatio. Poſt lenitionem alui, altera ſuccedit indicatio, minorationis materiæ, quod iam diximus, neque medicamentis, neque alia ratione fieri poſſe, quàm ſectione venæ. Verum hac de re eſt maxima dubitatio vtrùm in febre pituitoſa liceat ſanguinem mittere. Neque Galen neque aliquis ex Græcis huius remedij mentionem facit, quare plerique omnes exiſtimant ab illo fore abſtinendum: quod item ratio videtur perſuadere, cum redundet pituita, humor craſſus, frigidus, & crudus, qui longè diſtat à forma ſanguinis: ſolus Auic. in præſenti loco non abhorret à ſanguinis miſſione, ſi vrina groſſior & rubicundior fuerit. Quoniam verò diffusè hanc difficultatem agitauimus in noſtris editis diſputationibus, illud vnum dicam in præſentia ad mentem Galen. 11. *meth.* 15. & in febre quotidiana, & in cæteris omnibus quæcunque ab humorum putredine originem habent, venam ſecandam eſſe: dummodo ætas conſentiat, conſtentque vires, ac deinceps vſque ad ſtatum poſſint conſtare. Neque ſanè quod iſti obiiciunt pituitæ & crudorum humorum copiam, quidquam valet, ſiquidem Galen. expreſsè *de ſang. miſſ.* 13. docet præſentibus duobus ſcopis, magnitudine morbi & robore virium, nullam crudorum humorum copiam tantam talemque eſſe, quæ ſectionem venæ poſſit prohibere. Itaque ſi ita ferat occaſio, vena ſecanda eſt, ſed tamen ſumpta indicatione ab humore noxio, ſanguis parce mittendus eſt: in quo caſu maximè vtile eſt Galenum imitari, qui eodem *lib. de ſang. miſſ.* 12. in iis qui crudorum humorum copia laborabant, conſueuerat paucum ſanguinem detrahere, deinde nullam probè coctam cum aliquo extenuante medicamento, hyſſopo, origano, & ſimilibus exhibere, poſtea rurſus ſanguinem auferre, interdum quidem eodem die, interdum poſteriore, & hac ratione partim medicamenta alterantia, partim moderatam ſectionem venæ repetere.

III. Indicatio. Lenita aluo, ſecta vena, id reliquum eſt, vt ad illa accedamus, quæ ad concoctionem humoris & præparationem corporis pertinent, vt ſuo tempore illi commodè poſſint expurgari: & quoniam totum iſtud negotium duobus potiſſimum capitibus conſiſtit, altero cum ratione victus, altero cum medicamentis, nos breuiter vtrumque abſoluemus.

Victus ratio. Et primum quatenus pertinet ad victum dicit Galen. Victus vniuerſus ſit ad incidendum accommodatus, ſumpta nimirum indicatione à natura huius febris, quæ ex craſſo & lento humore putreſcente accenditur: itaque ſint carnes laudabiles, boni ſucci, facilis coctionis, paucorum excrementorum, inter quas auiculæ ſyluestres principem locum obtinent, vt quæ præter cæteras laudabiles conditiones quoquo modo citius & tenuius alimentum generent: in quarum coctione & præparatione ſi coquantur & permiſceantur quæ incidendi & extenuandi facultatem habent, neque tamen ſint ingrata, qualia ſunt hortenſe noſtrum petroſelinum, mentha, & ſimilia, id optimum foret: ſic ſi permiſceantur pani ſemina aniſorum, cymini, illc omnino vtilis fuerit: ſed præterea & alia quædam in hac febre vtilia ſunt; atque eo magis quod ægris ſunt iucunda, & appetentiam poſſunt excitare, qualia forent acetaria nonnulla ex capparibus, qui more veterum oxymelite, aut more noſtro aceto, ſaccharo & paſſulis condiuntur, ex aſparagis, ex radicibus cichorei, petroſelini, & ſimilium, nonnulla fercula & condimenta, quæ ex huiuſmodi & ſimilibus rebus facilè poſſunt parari. Verùm dubium Ptiſana. videtur vtrùm ptiſana in hac febre conueniat, cum valenter poſſit refrigerare & humectare: ſed vno verbo reſpondeatis, ptiſanam omnibus febribus conuenire, propterea quia attenuat, abſtergit, lenit aluum, & omnibus conditionibus prædita eſt, quæcunque ad curandas febres requiruntur: attamen redundante humore frigido & humido, vt in febre quotidiana, illa debet alterari cum modico piperis, cinnamomi, aut aliqua re ſimili, ſicuti de Potus. tertiana ſpuria dictum eſt. Pro potu conuenit mulſa, cuius imitatione neque foret inutilis aqua decocta ex pipere, cinnamomo, ſeminibus aniſorum, radice petroſelini, aut aliqua re ſimili. Apparente concoctione à vino moderatè ſumpto abſtinendum non eſt, ex quo præterquam quod coctio adhuc magis poteſt iuuari, & lotium prouocari, ſpeciatim ventriculus neceſſariò laborans & imbecillis maximè poteſt iuuari. Cætera quæ pertinent ad victum, nempe ad aërem, ſomnum, vigilias, & alias res non naturales, ſi ad huiuſmodi indicationes referantur, facile poterunt inueniri, quod Gal. ſignificat, dum inquit 1. *ad Glauc.* 12. *reliquam victus rationem ad communes intentiones reſpiciens, facile inuenies.* Quatenus autem pertinet ad tempus nutriendi, & ad quantitatem alimenti, notanda eſt ſententia. Auic. qui primis diebus tenuem victum inſtituit, & ſola ptiſana contentus eſt: tranſacta autem die ſeptima auget alimenta, propterea quia, vt ille inquit, *nimia diata debilitat*, & addit, *in debilitate oris ſtomachi*, quod quidem decretum videtur repugnare ſententiæ Hip. & Gal. *in 1. apho. & aliis locis*, qui iubent ægros principio morborum pleniùs, aduentante autem ſtatu tenuiùs nutriendos eſſe. Sed Auic. ſeipſum interpretatur, qui fatetur, ſe id facere ſperando quod ſtatus febris futurus ſit propinquior, propter ſubtiliationem & paucitatem materiæ: quod ſi contra ſtatus futurus eſſet diuturnior, docet primum craſſiùs deinde tenuiùs nutriendum eſſe. Pariter de quantitate alimenti notandum eſt, pro diuerſitate putreſcentis pituitæ, modò pleniorem, modò tenuiorem victum conuenire: etenim ſi pituita fuerit acida, & multo magis ſi fuerit dulcis, quæ duæ ſpecies ampliùs coctæ poſſunt in alimentum & ſanguinẽ conuerti, tũc licebit tenuiorem victum inſtituere; namque ita natura non impedita in coctione noui alimenti, coctioni pituitæ magis incumbit; ſin autem pituita fuerit ſalſa, tunc æger copioſius nutriendus eſt, cum hæc ſpecies ſit planè ad nutritionem inepta; vnde Galen. in *lib. de conſtitutione artis med.* 19. docet redundante pituita, ſalſam quidem purgandam, acidam verò alterandam, ac pro illius concoctione naturam iuuandam eſſe: quod multo magis de

dulci ſtatuendum eſt, cum ſit ſanguis ſemicoctus, & longè facilius concoquatur. De victus ratione hactenus, quare accedamus ad medicamenta, quod alterum caput nobis propoſitum eſt iuuandi & efficiendi humorum concoctionem; inter quæ omnia oxymel videtur principem locum obtinere: de quo tamen dubium eſt, an in principio; an poſt nonnullos dies magis conueniat: cui dubitationi occaſionem dedit duplex lectio Galen. *ad Glauc.* 12. altera enim legit: *Vtere oxymelite poſt primos dies*: altera autem: *Vtere oxymelle primis diebus.* Sed ego quidem poſteriorem lectionem magis probo, ac cenſeo oxymel ſtatim principio febris conuenire, namque ſicuti alias diximus, principio febris, quo tempore multa eſt humorum cruditas, abſtinendum eſt ab iis quæcunque valenter poſſunt calefacere, attenuare, incidere, ſudoremque & lotium prouocare: at verò oxymel hæc omnia facit admodum moderatè, vt iure ſtatim principio conueniens videri poſſit: in quam ſententiam eo libentius venio, quod Paulus, qui totum hoc Galeni caput ferè ad verbum tranſcribit, hanc partem legit affirmatiuè. lib. 2. 25. *Quotidianam curantes oxymelite primis ſtatim diebus vtimur*, &c. Quoniam verò in hac febre ventriculus ſemper laborat, oxymel autem non ita illi amicum eſt, neque ita illius robur tuetur, propterea cum oxymelite commodè permiſceantur, quæ ipſum poſſint roborare, quale eſt mel roſaceum, quod ratione mellis abſtergit, ratione roſarum adſtringit & ad roborandum ventriculum optimum eſt. Sed illud hoc loco eſt memoria repetendum, vbicunque agitur de præparatione materiæ & meatuum, & totius corporis, ſiue id alimentis, ſiue medicamentis fiat, ſecundum quoſdam gradus incipiendum, & progrediendum eſſe, vt perpetuò incipiamus à leuioribus, minùs calidis, minuſque aperientibus, ne cruda materia adhuc magis in venas deducatur, & obſtructiones augeantur. Quod ſanè præceptum hic quoque obſeruandum eſt: quare incipiatis ab oxymelle ſimplici, melle roſaceo, ſyrupo de betonica, cum decocto betonicæ, borraginis, cichorei: deinde accedatis ad oxymel compoſitum, ſyrupum de duabus vel quinque radicibus ad ſyrupum de betonica compoſitum, de hyſſopo, de calamento, cum decocto fumi terræ, hiſſopi, calamenti, chamædryos, radicum fœniculi, aſparagi, & ſimilium.

Habeatis exempla:

℞. *Mel. roſ. colati* ℥ j.
Oxymellis ſimplicis ℥ ß.
Decocti cichorei,
betonicæ,
Radicum petroſelini ʒ iiij. *M.*

Potentior erit:

℞. *Syrupi de quinque radicibus* ℥. j.
Oxymellis compoſiti ℥. ß.
Decoctionis hyſſopi,
Chamædryos,
Cichorei. ℥. iiij. *M.*

Ad hanc indicationem alia quoque ſunt accommodata, exempli gratia, conſerua borraginis, betonicæ, hyſſopi, roriſmarini, confectiones, aromaticum roſatum, diacyminum, & ſimilia. Quoniam verò concoctio iuuatur non ſolùm rebus internis, ſed etiam externis, ideo neque hæc ſunt prætermittenda, qualia forent moderatæ fr ctiones totius corporis cum oleo chamæmelino, amygdalarum dulcium, & ſimilia. Fomenta, ac potiſſimùm ventriculi, cuius & Gal. & omnes ſcribunt, peculiarem rationem habendã eſſe, cum oleo maſtichino, de mentha, de abſinthio, cũ decocto abſinthij, menthæ, betonicæ, ſeminũ aniſorũ, garyophyllorũ, quæ ex aqua, aliquando etiã ex vino ſolẽt præparari. Pro iunioribus.

℞. *Olei de abſinthio,*
maſtichini,
de mentha ana ℥ j. *M.*

℞. *Abſinthii,*
Menthæ,
Roſarum ana M. j.
Seminum aniſorum,
Cymini ana ℥ j.
Spicæ ʒ. j. ß.
M. bulliant in aqua pro fomento ventriculi.

Apparente coctione humores debent purgari, quod quidem auctore Gal. *ad Glauc.* duobus præcipuè modis fieri poteſt: vno per vomitum: altero per medicamenta: qui ſcribit ad hunc modum: *Deinceps poſt ſtatum iubendum eſt vt poſt radiculas, id eſt, raphanum, & ſumpta alimenta euomant.* Iis etiam quæ pituitam purgant vtendum. De vomitu aliàs diximus: itaque venio ad medicamenta: de quibus illud primum n tandum eſt, non eadem perpetuò conuenire, ſed illa debere eſſe varia, pro varietate putreſcentis pituitæ, quod quidem præceptum ad medicamenta etiam alterantia debet accommodari. Generaliter inter ſimplicia agaricus ab omnibus laudatur, & principem locum obtinet: ſed neque rhabarbarum, mea ſententia, minus valet, quod item præclarè purgat pituitam, & quod deſideratur in agarico, moderata ſua adſtrictione quoquo modo tuetur os ventriculi: eſt polypodium, eſt turbith, ſunt alia quamplurima. Auerrh. & ſumma cum ratione 5. *colliget* 13. colocynthidem vituperat, cum reuera maximè turbet & lædat os ventriculi. Inter compoſita ſunt electuarium Indum, hiera diacolocynthidos; ſunt pilulæ de hiera cum agarico, pilulæ cochiæ, & ſimilia. Et habeatis exempla:

℞. *Agarici trochiſcati* ℈. iiij.
Rhabarbari electi ℈. ij.
Spicæ g. iiij
Mellis roſ. ſol. ℥. iiij.
Decoctionis fumiterræ q. ſ. Miſc.

Vel:

℞. *Electuarii diaphœnicon* ʒ. iij.
Mellis roſ. ſol. ℥. iiij.
Decoctionis betonicæ q. ſ. M.

Pilularum exempla:

℞. *Pilularum de hiera cum agarico* ʒ. j. ß.
Cochiarum ʒ. ß.
Cũ aqua betonicæ fiant pilulæ v. *& aurẽtur.*

Si fuerit ſalſa pituita, licebit exhibere confectionem hamech, vel pilulas cochias, quibus in curanda deſtillatione ex ſalſa pituita vtitur Gal. 5. *meth.* 14. Verùm poſtremo loco id notandum eſt quod Alexand. Auicen. & omnes monent, & in hac febre, & in omnibus morbis qui ex craſſioribus generantur humoribus, non ſemel totos humores noxios, quamuis illi fuerint concocti, ſed per interualla pro parte vacuandos eſſe, quod natura purgandis huiuſmodi humoribus ineptis ad motum, longè meliùs partitam, quàm vnicam vacuationem ferat. Huius præcepti ſpeciatim mentionem facit Galen. 1. *ad Glaucon. de cur. feb. quartanæ.* Cæterum poſt hæc omnia, ſi id ferat occaſio & alterationi & roborationi totius corporis, maximè verò membrorum principalium, attendendum eſt, & inter cætera medicamenta Auic. eſt familiaris, idemque optimus vſus trochiſcorum, quales ſunt de roſis, de rhabarbaro, de abſinthio, qui manè vel ſoli, vel ſimul cum aliquo ſyrupo aut decocto ſunt exhibendi, ac ſanè præclaram operam præſtant.

Exemplum:

℞. *Trochiſcorum de roſis,*
De abſinthio ana ℈. j.
Cũ aqua betonicæ fiant pilulæ x1 *& aurẽtur.*

De quotidiana continua curatione.

Diximus de curatione febris pituitoſæ intermittentis: ſi verò illa continua fuerit, non aliter curanda eſt, quàm intermittens, præterquam quòd hæc maiorem diligentiam requirit, neque ita conueniunt medicamenta quæ calefaciendi & ſiccandi vim habeant ſicuti in altera intermittente. Sed quoniam inter febres quotidianas continuas numeratur ea febris quæ eſt cum ſyncope, quam ſyncopalem humoroſam appellant: nec non altera, in qua ſimul & calor & frigus percipitur, quam epialam vocant, de iis quoque paucis verbis agendum eſt.

De febre ſyncopali.

De febre ſyncopali Auic. proprium caput inſtituit 58. ſed cum ille ferè omnia tranſcribat ex Gal. qui pariter hanc rem diligenter tractat. 12. *metho.* 3. mihi libet ad mentem Galeni hanc totam curationem abſoluere. Itaque ſunt nonnulli qui incipiunt febricitare, vbi maximam crudorum ſuccorum copiam, vna cum læſione oris ventriculi, vel ex cruditatibus, vel alia occaſione congeſſerunt.

Signa. Signa autem quæ hanc febrem demonſtrant, ſunt huiuſmodi; primò, iis hypochondria ſunt inflata, & totum corpus tumidius redditur, quàm naturæ modo conueniat: ſecundò, color nonnullis quidem ad albidius quàm pro naturali habitu, mutatus eſt, qui ferme colori hydrope laborantis ſimilis exiſtit: nonnullis ad nigrius vel liuidius declinat, quos medici plumbei coloris appellant, adeo vt ad ſummam, habitum corporis pituitoſiorem referant: tertiò, omnibus pulſus ſunt minores, quam pro caloris ratione, præterea obſcuri, & omnino inæquales; iis licet addere malam affectionem oris ventriculi, plurimos flatus, ructus acidos, præcedentem victus rationem, otium, balnea intempeſtiua, immoderatum vſum aquæ & vini craſſioris, & reliqua alimenta, quæ inſignem cruditatem & copiam pituitæ poſſunt efficere, quibus demum facilè & frequenter ſyncope ſuccedit, quæ quidem hac ratione contingit. Etenim quotieſcunque maxima crudæ pituitæ copia redundat in ventriculo, ac toto corporis habitu, tunc ſua qualitate & quantitate vires opprimit, à quibus propterea cum nequeat regi, putreſcit, & febrem excitat, ex quo fit vt hic idem humor malè afficiens, ac ferè ſuffocans calorem naturalem oris ventriculi, ducto in conſenſum corde, tandem ſit in cauſa, vt ægri à ſyncope corripiantur.

Curatio febris ſyncopalis. Sed venio ad curationem, quam Gal. paucis remediis abſoluit, qui ante omnia docet, huiuſmodi ægrotos tametſi vacuationem deſiderant, neque miſſionem ſanguinis, neque purgationem ſuſtinere: & rationem reddit, nimirum propter virium imbecillitatem: cum enim ſine iis remediis, & vacuationibus ægri facilè & frequenter in ſyncopen incidant, adhibita vacuatione, vel ſecta vena, vel dato medicamento, veriſimile eſt illos multo magis hoc pernicioſo ſymptomate correptos iri. Cum igitur huiuſmodi ægroti ex vna parte vacuari poſtulent, ex altera vacuantia non ferant, Galen. fatetur ſe nullam commodiorem vacuandi rationem potuiſſe inuenire, præter eam, quæ ex frictione paratur: itaque accuratè & perſpicuè hanc frictionum rationem docet, partes quas fricare oporteat, cum quibus, quomodo, & quantum fricare oporteat, quibus addit vſum quoque inunctionis, ſi ex nimia frictione aliquis ſenſus laſſitudinis ſuperueniant, quæ res apud illum manifeſta eſt, neque longiori eget repetitione. Præter frictiones Galen. inſtituit victus rationem admodum tenuem, qui ſine vllo alimento & potione tribus primis diebus ægrum detinet, neque illi præter mulſam, in qua coctum ſit hyſſopum, quidquam tribuit: deinde moderatum ſomnum & vigilias probat, quippe ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt. Ergo ſi in huiuſmodi febre pulſus fuerit paruus, admodumque infirmus, aut præterea vehementer inæqualis, concludit Gal. ægrum in maximo diſcrimine conſtitutum eſſe, attamen facienda quæ ſunt ab illo propoſita, neque aliud quidquam agendum eſſe: ſin autem pulſus ſit mediocris magnitudinis & roboris, propterea minimè interciſus & æqualis, tum niſi ſua ſponte aluus deiiciat, clyſteris adminiſtrationem concedit. Atque hæc ſumma eſt rationis curandi huiuſmodi febrem ſyncopalem apud Gal. à qua methodo neque Auiccen. eſt alienus.

Cæterùm aduerſùs hanc ſententiam & curationem Galeni eſt Alexand. qui miratur quomodo illi in mentem venerit, ſimul cum exquiſita inedia tam vehementes & magnas frictiones probare, cum ex decreto Hip. 2. *aph.* 16. *Vbi fames, laborandum non ſit*: quem aphoriſmum ipſe Gal. interpretatur tam de ſanis, quam de ægrotis; ſiquidem ſanis ſimul cum inedia exercitia non ſunt præcipienda, neque ægris ſimul cum alimenti abſtinentia oportet ſanguinem mittere, neque vomitum prouocare, neque multa frictione vti, neque vno verbo, aliquem fortem motum vel corporis alterationem aggredi: itaque hæc medendi ratio neque Hippocr. neque ipſimet Gal. videtur conuenire. Dubitatio aduerſus Galenum.

Etſi verò hæc obiecta ratio eſt ſatis apparens, & videtur aduerſùs Galennm demonſtrare, tamen ſi Galeni conſilium probè intelligatur, vobis conſtabit illam nullius momenti eſſe, neque quidquam illius ſententiam labefactare: ergo ſciendum eſt, quod apud Philoſophos & medicos nullam habet dubitationem, pituitam longiore attenuatione & concoctione poſſe in ſanguinem conuerti, & corpora nutriri, quod facilè confirmant nonnulla animalia pituitoſa, quæ hyeme longiore tempore morantur in cauernis, ac ſine externo alimento ſola pituita nutriuntur, ex quo illud quoque factum eſt, vt natura ad expurgationem huius humoris nullam particulam fabricauerit, ſicuti fabricauit ad expurgationem vtriuſque bilis, argumento planè euidenti, huiuſmodi humorem nullum inutile excrementum continere, quod non poſſit concoqui, & ad nutritionem pertinere. Igitur hoc poſito fundamento Reſp. reſpondeatis, in febre pituitoſa redundante inſigni copia pituitæ hunc humorem à frictionibus & moderata caliditate attenuari, concoqui, & conuerti in ſanguinem, vnde ſupplet vicem externi alimenti adeo vt hac ratione homines nutriantur, non aliter, forte etiam meliùs, quàm ſi externa alimenta aſſumerent. Quamobrem falſum eſt huiuſmodi ægrotantes contineri ſub regula & præcepto Hipp. cum illi famem non patiantur, neque periculum immineat de virium debilitate, ſed potius nutriantur & vires conſeruentur: quem ſcopum cæteris omnibus digniorem, certum eſt Gal. & in hac febre, & in omnibus morbis, ſibi perpetuò ante oculos poſuiſſe, de hac febre ſatis.

De febre ſyncopali ex tenuibus humoribus.

Quoniam verò, vt diximus, Auic. tractat de febre ſyncopali, non ſolùm ex crudis, ſed etiam ex tenuibus humoribus, etſi reuera hæc febris non eſt pituitoſa, propterea de illa quoque duobus verbis agendum eſt. Igitur quandoque euenit vt nonnulli valde tenues habeant ſuccos, nec non corporis habitum valde rarum, adeo vt facilè & præter modum diſſoluantur, ex qua inſigni diſſipatione reſoluuntur plurimi ſpiritus, & ita ſyncope corripiuntur.

Digitized by Google

Indicationes. In huiuſmodi affectu tria ſunt, tenuitas humoris, raritas corporis, tenuitas ſpirituum: quamobrem triplex ſeſe nobis offert indicatio, incraſſandi humores, conſtringendi meatus, & habitum corporis, regenerandi ſpiritus, ex quibus facile eſt intelligere huiuſmodi ægrotos diuerſa ratione curandos eſſe ab illis, qui ob crudorum humorum copiam ſyncope laborant.

Itaque ſicut illis conuenit ſæpenumero curando paulatim & aſſiduè frictiones adhibere, ita hos paulatim & aſſiduè nutrire oportet: ſicuti priorum oportet cutem rarefacere, ita poſteriorum corporis habitum denſare & conſtringere neceſſe: ſicuti demum illi & alimentis incraſſantibus attenuantibus indigent, ita ij & alimentis & medicamentis incraſſantibus opus habent. Sed ad peculiaria veniamus. Auicen. duobus verbis hoc totum negotium abſoluit, Galen. longè accuratiùs totam curationem inſtituit, quæ in ſumma eſt huiuſmodi.

Curatio. Ad nutriendos ægros, & regenerandos ſpiritus, nec non ad incraſſandos humores tenues, ſunt accommodata alimenta quæ non admodum promptè diffluant, neque facilè corrumpantur, qualia ſunt non aqua mulſa, non ſuccus ptiſanæ, ſed panis ſorbitio ex alica, fructus auſteri, tum ipſi per ſe, tum ſimul cum pane exhibiti, oua recentia, & præcipuè illorum vitelli, teſticuli pullorum gallinaceorum, qui lacte nutriti fuerint, & alia id genus, quæ quidem alimenta parum & ſæpe ſunt exhibenda, cùm ex regula Galen. 2. *aphor.* 17. virtus imbecilla multa nutritione indigeat, ſed tamen multa alimenta nequeat perferre. Quod ſi æger ad ſanitatem videatur progredi, potiſſimum poſt quartam diem, humoribus qui febrem excitauerunt, iam ad concoctionem venientibus, licebit & optimas carnes offerre.

Diximus de victu in febri ſyncopali quatenus autem pertinet ad denſitatem cutis, & ad prohibendam euaporationem, ægri ante omnia verſentur in aëre qui refrigerandi & adſtringendi vim habeat, ac niſi talis fuerit natura, arte præparetur, cum roſis, folijs myrti, nenupharis, & ſimilibus, ſicuti aliàs diximus. Deinde illi inungantur oleis & aliis medicamentis, quæ eadem facultate ſint prædita, vt oleo roſato, omphacino, citoniorum, myrtino, ſucco portulacæ, ſolani, vnguento roſato Meſuæ, infrigidante Galeni, & ſimilibus. Concludendo igitur cum Galeno hic non opus eſt alui lenitione, non ſectione venæ non iis quæ prouocant lotium, aut ſudorem, non frictionibus, neque vno verbo, vllo genere vacuationis, cum ægri ex ſe ſatis ſuperque vacuentur, & diſſoluantur, ſed ſumma totius curationis talis eſſe debet, vt omni ratione ſtudeamus ſuccorum materiam craſſiorem reddere, cutem denſare, exhalationem inhibere, & vires inſtaurare.

De febre Epiala.

De epiala. Poſtremò reſtat febris epiala, quam ſuprà diximus fieri ex vitrea pituita, quæ non omni ex parte putreſcens, partim calorem, partim frigus accendit. De curatione huius febris medici paucìſſimis verbis tractant, ego verò puto curationem febris epialæ à curatione febris quotidianæ non aliter differre, quàm ratione diuerſi humoris putreſcentis, vnde varia quoque vtriuſque ſunt ſymptomata: quare cum febris epiala generetur ex pituita, quæ non ex toto putreſcit, ſatis poteſt conſtare, hic maiorem eſſe humoris frigiditatem & cruditatem, quàm ſit in febre quotidiana: ex quo omnis ratio colligit, in curatione vtriuſque conuenire quidem medicamenta calida, attenuatiua, & incidentia, ſed in epiala tanto valentiora, quanto hæc pituitæ ſpecies cæteris frigidior exiſtit: ſed præterea hæ duæ febres eo differunt, quod laborantes febre epiala iure debent habere vires debiliores, cum natura à perpetuo tum calore, tum frigore magis affligatur, quamobrem neque forte huiuſmodi ægroti poterunt illas vacuationes perferre, quas diximus in quotidiana conuenire. Sed notandum eſt, huiuſmodi febres rarò contingere, neque tales permanere vſque ad finem, ſed tandem tota putreſcente pituita in aliud genus febris degenerare. Atque hactenus de febribus quotidianis.

Capvt XXII.

Cap. 63.

De Quartana.

Differentia. POſt abſolutas febres bilioſas & pituitoſas, ſequuntur melancholicæ, in quibus explicandis pro inſtituti noſtri ordinis ratione, ſtatim ad differentias venio. Febres igitur melancholicæ ſunt duplices. 2. *de differ. febr.* 2. aliæ continuæ, aliæ intermittentes, quamuis ſcribat Gal. rarò admodum febrem melancholicam continuam fieri. Interpolaræ ſunt multiplices; nam quædam ſunt quartanæ, aliæ quintanæ, quædam ſeptimanæ, & nonnullæ nonanæ: quæ diuiſio eſt Hipp. 1. *epid.* 6. 3. *text.* 2. addit Auicen febrem ſextanam; cuius Hippocr. nullam mentionem facit. Scribit Rhaſes ſe vidiſſe febres, quæ non ſolùm quinto, ſeptimo, nono, ſed etiam 15. quoque die, & ſemel quoque in menſe inuadant. Et Antipater Cidonius Poëta apud Plinium *lib.* . 51. omnibus annis vno tantum die ſuo natali, febre corripiebatur, qua tandem ſatis longa ſenecta conſumptus eſt, adeo vt hæc febris annua, vel anniuerſaria dici potuiſſet. Verùm ſtatim circa hanc diuiſionem occurrit dubitatio; nam Galen. *in com. citati loc.* 1. *epid.* ſcribit, fuiſſe medicos, qui confirment, vltra diem quartam ſe nullum circuitum conſpexiſſe, alios verò qui Hip. conſentiant; ipſe verò fatetur, cum inde vſque ab ipſa adoleſcentia diligentem de hac re obſeruationem feciſſet, quintanos quidem circuitus ſe vidiſſe, ſed obſcuros non exactè & apertè ſicuti quotidiani, tertiani, quartani, circuitus conſpiciuntur, vt tandem non dubitauerit affirmare 3. *epid.* 3. 64. locum ex 1. epid. non eſſe Hipp. legitimum, ſed temere ab aliquo interpoſitum, quod nonnullis coniecturis conatur confirmare 1. *epid.* 3. 17. quòd nimirum neque in progn. neque aphoriſmis, in quibus omnem de diebus criticis & circuitibus diſputationem abſoluit, de quintanis, vel ſeptimanis, vel nonanis, vllam mentionem fecerit, in quibus ſicut tertianarum meminit, idem quoque de illis poterat pronunciare: nec non quòd in lib. *epid.* nullum ægrum ſcripſerit hac febre laboraſſe; imo verò Gal. 1. *epid.* 3. 2. videtur probare nonnullas rationes Dioclis aduerſus Hippocratem, quæ huiuſmodi circuitus videntur oppugnare, quòd nimirum nullus ſit humor ex quo tales circuitus fieri, nullaque ſint ſigna, ex quibus cognoſci poſſint. *Dubitatio.*

Porrò etſi Gal. huiuſmodi circuitus vltra quartanam magis videtur negare quàm affirmare, tamen reuera hanc difficultatem indeterminatam relinquit, adeo vt, quia aliquando ſuſpicatus eſt, locum Hippocr. ſpurium eſſe, alio loco lib. *de typis* 4. illum videatur tanquam legitimum recipere, & huiuſmodi circuitus ſatis apertè probare: quare docet 1. *epid.* 3. 17. de hac re diligenti obſeruatione & experientia iudicium faciendum eſſe, quod tamen ille monet tam prudenter & cautè faciendum eſſe, ne idem nobis eueniat quod vulgo hominum, qui videntes aliquem die ſeptima bis, & ter febricitare, ſtatim hunc ſeptimum circuitum eſſe ſtatuunt, quod

quidem

quidem forte caſu, aut mala victus ratione potuit contigiſſe cum facile fieri poſſet, vt qui ægroti non ſunt prorſus liberi, ſed morboſum aliquod ſemen adhuc retinent, pluribus diebus incipiant febricitare, qui legitimi circuitus non ſunt propterea exiſtimandi: etenim ille inquit, *hic vnera eſt circuitus morbi, quando exacte ſeruata ab ægro victus ratione, febris in eundem conſtitutum diem peruenit, ſicuti in quartana fieri videmus, & res non debet ratione demonſtrari*, & c. t. epid. 3. 2. Itaque Gal. non negat dari circuitus quintanos & ſimiles, ſed hanc totam rem ad experientiam defert; vnde qui inſtituunt diſputationem, vtrùm huiuſmodi circuitus ad mentem Gal. fieri poſſit, ij mihi videntur oſcitanter eum legiſſe, neque illius mentem litis intelligere: ego quidem audiui nonnullos medicos & quintanos & cæteros circuitus vidiſſe, ſed ipſe reuera poſſum affirmare; vltra circuitum quartanum me nullo tempore, vſque ad hanc diem aliquem manifeſtum circuitum potuiſſe obſeruare. Quod ſi quis demum cupit ad rationes Dioclis aliquam reſponſionem afferri, vno verbo dicendum eſt huiuſmodi febres, cum ſint melancholicæ, ex iiſdem humoribus poſſe fieri, iiſdemque ſignis poſſe cognoſci ex quibus quartanæ & fiunt, & cognoſcuntur. Verùm de hac re ſatis.

Febris quartana quædam ab humore melancholico, quædam ab atra bile generatur: pro quo ſciendum eſt, melancholicum humorem eſſe duplicem, alterum qui Gal. 3. *de locis aff.* 7. ſuccus melancholicus appellatur, veluti ſanguinis limus, qualis vinis craſſioribus iam conſiſtentibus ſolet ſubſidere, qui temperamento eſt frigidus & ſiccus, & plurimus in quibuſdam generatur, vel propter naturale temperamentum, vel propter alimenta, quæ in venarum concoctione in huiuſmodi humorem ſolent transmutari: alterum qui atra bilis dicitur, cuius vt placet duplex eſt generatio 3. *aphor.* 22. 6. *aphor.* 53. 3. *progn.* 27. 2. *de naturalibus facul. ad finem*, vna ex ſanguine craſſiore: altera ex flaua bile vehementer aſſata, qui humor calidus & ſiccus eſt, imò erodens, & omni maligna qualitate præditus. Quibus locis citatis Galen. varia quoque profert ſigna, quæ alterum ab altero præclarè poſſunt diſtinguere. Ergo febris quartana quædam à ſanguine melancholico, quædam ab atra bile originem habet.

Verùm contra hanc diuiſionem nonnulli arguunt: & primò auctoritate Gal. 2 *de diff. feb. 3. initio*, qui docet apertiſſimè febrem quartanam ex ſolo humore melancholico generari. Deinde arguunt ratione: cum enim atra bilis ſit humor planè pernicioſus, & maximè aptus ad gignendas febres, & omnes morbos malignos lethales, nullo modo videtur fieri poſſe, vt ex eo fiat febris quartana, quæ vt poſterius videbimus, ſecuriſſima eſt, & homines à multis & grauiſſimis malis ſolet liberare.

Altera autem ex parte diuiſio eſt Alex. *lib.* 12. 8. eſt Auicen. in præſentia, ac prope omnium medicorum, à quibus neque Galen. videtur diſſentire, qui perſpicuè fatetur 3. *prog.* 27. 3. *aphor.* 21. quartanam fieri ex atra bile, quam inquit duplicem generationem habere, ſicuti diximus. Ego verò cenſeo reſpondendum eſſe, quartanam reuera ab vtroque humore fieri poſſe: & quatenus pertinet ad locum Gal. certum eſt eum loqui de quartana exquiſita, quæ ſine dubio, ac potiſſimùm ſi primò incipiat quartana, ex ſolo humore melancholico, frigido & ſicco generationem habet: contra verò negandum non eſt, quin altera non exquiſita, ac maximè quæ ſtatim à principio hominem non inuadit, ſed aliis febribus & morbis ſolet ſuccedere, ex atra bile fieri poſſit, ſicuti Gal. & omnes teſtantur, & confirmat experientia. Ad obiectam rationem reſpondeo dupliciter; vno modo quartanam fieri ex atra bile, quæ nondum atræ bilis formam omni ex parte fuerit aſſecuta, ſed quæ prope ad illam accedat, & in quodam illius confinio ſit conſtituta: quæ eſt interpretatio Gal. 2. *de diff. feb* 0. Altero, quartanam fieri ex atra bile non pura & ſincera, ſed ſimul mixta cum humore melancholico in quo caſu huiuſmodi febris non erit ſalutaris, ſed periculoſa & quandoque lethalis, vt paulò poſt videbimus de curatione.

Poſt hæc aliæ quoque poſſent afferri differentiæ febris quartanæ, ſicuti alia exquiſita, cui omnia inſunt indicia, de quibus ſtatim ſermonem habebimus; alia non exquiſita, cui non omnia adſunt ſigna, 1. *ad Glauc.* 8. alia primò inuadit, alia alias febres & morbos ſequitur: ſed de iis quæ ſunt maioris momenti hactenus, veniamus ad ſigna.

Calor febris quartanæ diuerſo modò ſe habet ac in tertiana: neque enim tantum æſtum, ac veluti feruorem, ſicuti in tertianis contingit, in quartanis licet inuenire, ſed tamen calor eſt valde mordax, quoniam fundatur in materia valde ſicca, ex 1. *aph.* 14. Nonnulli febris tertianæ calorem flammæ ardenti, quartanæ autem carboni accenſo comparant. *Signa. Calor.*

Secundò, 1. *ad Glauc.* 7. vrinæ variæ ſunt, ſed crudæ omnes, principio tenues, albæ, aquoſæ, propter frigiditatem & craſſitiem materiæ, progrediente autem morbo & coctione fiunt magis coloratæ, & ſubſidentiam craſſam habent. *Vrina.*

Tertiò, neque pulſus cum tertianis vllam prorſus ſimilitudinem habent 2. *de criſ.* 3. etenim quartanæ paruos, obſcuros, tardoſque & raros principiis acceſſionum euſque pulſus obtinent, vt nullus alius affectus: namque hoc tempore arteria tibi quodammodo ligata eſſe videbitur, & ad interiora trahi, atque ne foras emergat, prohiberi: quamobrem principio febris quartanæ, quamuis ægrotus fuerit iuuenis, contingit talem arteriæ motum fieri qualis in decrepita ætate fieri ſolet, in qua cum calor paucus exiſtat, cui par quoque eſt generatio fuliginoſorum excrementorum, ſpirituſque animalis nutritio, ſcribit Gal. 3. *de cauſis pulſuum* 5. iure homines pulſus paruos, tardos & raros habere; in augmento autem & ſtatu febris neceſſe quidem eſt vt pulſus veloces & frequentes fiant, veruntamen etiam tunc illorum tarditas & raritas conſeruatur. Demum verò in quartana manifeſtiſſimæ in vno pulſu arteriæ inæqualitas deprehenditur, quæ omnibus febribus eſt communis: ſi quidem multo velocius principium finemque motus, quàm medium licet inuenire. Ex huiuſmodi pulſus diſciplina Gal. lib. *de præcogn. ad Poſthumum c.* 2. gloriatur ſe primam quartanæ inuaſionem in Eudemo Philoſopho cognouiſſe, de quo elegantem narrat hiſtoriam, ex qua multa poſſunt colligi, quæ ad huius febris cognitionem, prognoſticum & curationem pertinent. *Pulſus.*

Quartò forma febris quartanæ talis eſt; primis diebus incipit enim moderato & paruo rigore, aut potius refrigeratione; progreſſione autem temporis rigor quoque ſimul augetur ſenſuſque ægrotantibus adeſt cuiuſdam refrigerationis, qualem per gelu homines tempore hyberno ſolent ſentire, necnon cum quibuſdam veluti contuſionibus, vſque ad oſſa penetrantibus, adeo vt liceat ægrotos audire, qui aſſerant & querantur, ſibi videri in oſſibus pati dolorem & laborem, & carnem confractam habere. Augmentum difficile eſt, & prolixum, quoniam materia craſſa & frigida putreſcit, quæ difficulter & tardè accenditur. Status non eſt cum multa flamma, & caret ferè omnibus ſymptomatibus quæ cæteras febres putridas ſolent comitari, Declinatio eſt cum pura, ſimplici & longa declinatione *Forma.*

natione & infebricitatione, adeò vt plerique ægroti hoc tempore poſſint ad ſuas ſolitas operationes redire. Et notandum eſt, ſicuti primis diebus neque inſignes rigores, neque multi ſudores contingunt, ita poſteriore tempore attenuata materia vtroſque, & rigores validiſſimos, & ſudores copioſiſſimos fieri conſueuiſſe.

A cauſis.

Vltimò ſunt ſigna à cauſis, itaque ex Gal. 2. *de criſ.* 4 hæc febris ſolet accidere in corporibus, temperaturis, ætatibus, tempore anni cæli conſtitutione, regione, frigidis & ſiccis ex præcedente victus ratione, rebus omnibus quæ humorem melancholicum gignere poſſunt: quibus demum Gal. adiungit quartanas hoc tempore populariter vagantes: ex quibus omnibus ſignis ſi quis eſt, qui non ſtatim prima die febrem quartanam à tertiana ſciat diſcernere, is iudicio Galeni, omnino in medicorum numero habendus non eſt. Atque hæc ſunt ſigna febris quartanæ exquiſitæ.

Conditiones quartanæ febris.

Si verò illa fuerit non exquiſita, qualis potiſſimum eſt, quæ fit ex atra bile, tunc indicia planè erunt diuerſa, calor magis vehemens & acris, vrina magis colorata & aduſta, pulſus maiores, frequentiores: ſic forma febris, cauſæ & cætera omnia in eo conuenient, quæcunque humorem aduſtum & calidiorem poſſunt demonſtrare.

Sed hoc poſtremo loco breuiter percurramus nonnullas conditiones febris quartanæ, quæ partim ad illius cognitionem, partim ad prognoſticum, & partim ad curationem pertinent. Primò eſt Aetius lib. 5. 83 qui ſcribit ex Hipp. *lib. de ſeptimanis*, eundem hominem bis in quartanam febrem non incidere: quæ ſententia eſt perſpicuè falſa, cum experientia demonſtret plurimos homines bis, ter, & ſæpius huiuſmodi febre laborare, adeo vt ex hoc vno loco liceat affirmare, cum librum non eſſe Hipp. legitimum.

Deinde plura habemus de quartana apud Hipp. 1. *epid.* 3. 4. Primùm quod eſt longiſſima, nam durat multos annos, auctore Auic. vſque ad 12. aliàs dixi, me viſitaſſe Venetiis matronam, quæ laborauit quartana 22. annos. Secundò, quòd eſt facillima & leuiſſima, cum intermiſſio ſit exquiſita & multi temporis, ſine ſæuis ſymptomatibus, quo tempore homines poſſunt ſuas operationes facere.

Tertiò, quòd eſt ſecuriſſima, cum reuera careat omni periculo, quod tamen intelligendum eſt primùm de quartana exquiſita, cum altera non exquiſita, vt quæ prouenit ex atra bile, plerumque ſit pernicioſa & lethalis: deinde ſicuti Gal. interpretatur, quod per ſe & quatenus quartana ſecuriſſima eſt, ſi quidem idem teſtatur, & confirmat experientia, ex malè affecto liene ſæpenumero homines febre quartana grauiter laborare, & ducto in conſenſum iecore, in aquam intercutem incidere.

Quarta & vltima conditio febris quartanæ eſt, quòd homines liberat ab aliis morbis, ad quem modum ab eodem Hip. ſcriptum eſt, 6. *epid.* 6 7. *Quartana laborantes magno morbo non capiuntur, ſi prius autem capiantur, & quartana ſuperueniat, liberantur*: quod quidem ego puto tanquam exemplum propoſitum fuiſſe: cum enim Hipp. ſuperiori loco vtatur nomine plurali, *aliis morbis*, rationi conſentaneum videtur quartanam non ſolùm à magno morbo comitiali, ſed etiam ab aliis hominem liberare, quicunq; à frigidis & craſſis humoribus oriuntur. Si quis præterea de circuitibus vltra quartam diem aliquid cupit intelligere, is audiat Hip 1. *epid.* 3 7. & 9. *Septimana longa non lethalis, nonana longior adhuc, neque lethalis, quintana omnium peſſima, etenim ante tabem, & iam tabidis ſuperueniens interimit.* Demum apud Hipp 2. *apho.* 25. *Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, præſertim quæ hyemem attingunt.* Et apud Celſum lib. 3. 16. *Longa & vetus quartana raro alio tempore quàm vere ſoluitur.* Hactenus de ſignis, venio ad curationem.

Curatio.

Primò verò occurrit vulgaris opinio, quòd febris quartana neque poſſit, neq; debeat curari, propterea quia non obedit medicamentis, quæ illam ſæpenumero reddunt & difficiliorem & longiorem; ſed opinio eſt vulgaris & falſa, ſiquidem hæc febris, ſicuti reliquæ omnes, debet & poteſt curari. Cauſa autem propter quam vulgus ita ſentit, illa eſt potiſſimùm, quoniam malè curatur, non ſolùm quòd ægri nullam ſeruant commodam victus rationem, ſed etiam quòd medici cum aliis modis, tum maximè datis importunè medicamentis nihil proficiunt, imò ex vna quartana ſæpius duplicem & triplicem efficiunt, ſicuti euenit veteribus illis medicis tempore Gal. qui Eudemum Peripateticũ curabant, *in lib. de præcog. ad Poſthumum.* Verùm ſi febris quartana probe curetur, certum eſt, etſi id breui tempore non poteſt fieri, illam feliciter curari, ſicuti Gal. in media hyeme Eudemum curauit: itaque per ſingula præſidia, ſicuti in cæteris fecimus, breuiter diſcurramus. Et primùm ad leniendam aluum Gal. 1. *ad Glau.* nos grauiter admonet, à principio nullum forte medicamentum dandum eſſe, ſed illam molliendam eſſe alimentis, quæ familiaria & viſitata ſint, quod ſi hæc nihil proficiant, clyſteribus agendum eſſe, principio quidem mollibus, poſteriùs acrioribus, de quibus aliàs ſatis diximus. Ex quo arguendi ſunt non ſolùm Auer. 7. *collig.* 14. Auicen. in præſentia, & alij veteres, ſed etiam multi recentiores, qui expreſsè aduerſus præceptum Galen. febre quartana laborantibus audent ſtatim principio purgantia medicamenta exhibere, inter quos nequeo ſatis mirari Altimarum, qui cum perpetuò ſoleat non ſolum Gal. ſententiam, ſed ipſamet illius verba proferre; tamen non veretur de febribus *part.* 3. *c.* 5. ad leniendam aluum valentioribus vti medicamentis. Hæc igitur ſint non niſi lenientia & leuiſſima, qualia forent caſſia cum portiuncula ſpecierum hieræ ſimplicis, manna, & ſimilia.

Alui lenitio.

An vena ſecanda.

Poſt lenitionem alui quæritur, an in quartana liceat venam ſecare. Auic. illam concedit in melancholia ſanguinea, quam puto illum intelligere, vna cum humore melancholico ſanguinis quoque redundet: huius opinioni fauent omnes recentiores, quæ etiam videtur fuiſſe mens Gal. qui ſcribit, fore abſtinendum à ſectione venæ, niſi forte vehementer admodum ſanguis videatur abundare: in qua quidem ſectione venæ ille addit diligenter animaduertendum eſſe, vtrùm ſanguis fluens, craſſus & niger fuerit, qualis præcipuè in lienoſis conſpicitur, in quo caſu expedit, illum copioſè fluere, pro ratione multitudinis, ætatis, habitus corporis, & ſimilium: an magis flauus & tenuis appareat, in quo caſu ſtatim ſupprimendus eſt. Itaque ex hoc Gal. præcepto diſcaris, & in quartana, & in omnibus morbis melancholicis ſectioni venæ intereſſe, vt poſſitis qualitatem ſanguinis inſpicere, & de illius quantitate rectè diſcernere. Sed quænam vena ſecanda eſt? Gal. reſpondet, ſecandam eſſe venam baſilicam, vel mediam cubiti ſiniſtri, quòd paulò antè docuiſſet vix quartanam ſine affecto liene fieri poſſe: quòd ſi lien non foret male affectus, forte melius eſſet vel baſilicam, vel mediam ſecare in cubito dextro, & ita iecoris rationem habere, in quo membro conſtat ſuccum melancholicum præcipuè generari: quam forte determinationem Gal. breuitati ſtudens prætermiſit, ſupplenit autem Aetius, qui docet, laborante liene venam ſiniſtram, laborante iecore, dexteram ſecandam eſſe. Sed neq; illud

Quæ vena ſecanda.

illud prætermittendum eſt de ſectione venæ, Alex. & Auic. probare, vt ſanguis mittatur poſt ſtatum morbi, & coctionem humorum, ſic enim, inquit Alex. natura leuata reliquias materiæ euincit: quæ ſententia mihi videtur reiicienda: namque ex 2. *apho.* 29. ſecatur vena principio morborum, vt minorata materia natura fortior euadat, & citius eam materiæ partem quæ ſupereſt, poſſit concoquere: quod ſi iam natura in ſtatu omnem materiam noxiam concoxit & ſuperauit, & ſuperuacaneum & temerarium videtur, hoc tempore venam incidere. Tandem mihi libet ad hanc partem illud addere, ſi quiſpiam laborans febre quartana antea habuiſſet innatas & fluentes hæmorrhoïdas, quæ in præſentia retentæ eſſent, huic non ſine ratione & vtilitate per huiuſmodi venas ſanguinem detrahi poſſe, quæ ſingulari quadam prærogatiua ſunt à natura inſtitutæ ad purgationem humoris melancholici.

Detracto ſanguine, & quidem principio, dummodo principes ſcopi ſimul conueniant, concoquenda eſt materia noxia, ac parandæ viæ, per quas illa deinceps commodè poſsit purgari, quod partim alimentis, partim medicamentis poteſt fieri: & quatenus pertinet ad alimenta Gal. 1. *ad Glau.* ita inquit; ægroti prohibendi ſunt à carnibus ſuillis; & omnibus quæ viſcida ſunt & tardi tranſitus, & ab omnibus eduliis, quæ refrigerant & humectant: vino verò vtendum eſt albo & tenui, & moderatè calido. Ex quibus verbis duæ maximæ oriuntur difficultates: prima, quomodo Gal. improbet vſum alimentorum, quæ humectandi vim habeat, cum manifeſtiſſimum ſit, & in quartana, & in omni morbo pendente ab humore melancholico frigido & ſicco, & alimenta & cætera omnia quæcunque humectant, quam maximè conuenire; vnde Oribaſius. Alex. & omnes Galen. reprehendunt: ſecunda eſt, quomodo Galen. in quartana concedat vſum vini ante ſtatum, cum in tertiana, ac generaliter in febribus putridis 11. *meth.* 9. vſum vini non ante concoctionem permittat. Ac ſanè prima difficultas eſt tam ardua, vt coëgerit Leonicenum & reliquos interpretes aſſeuerare, hunc locum Galen. eſſe deprauatum, qui propterea mutant verbum, *humectant*, in contrarium, nempe, *exiccant*, vt ſenſus ſit, cauendum eſſe ab alimentis, refrigerant & exiccant, cum reuera humor noxius frigidus & ſiccus per calefacientia & humectantia debeat corrigi: veruntamen cùm omnes codices Græci, tam impreſſi, quam manuſcripti, necnon apud Paulum, Aëtium, & cæteros Græcos auctores, legatur *humectant* non *ſiccant*, vnus Stephanus Athenienſis videns hanc abſurditatem, conatus eſt illam diſſoluere, cuius interpretationis ſumma hæc eſt: hanc interpretationem, *cauendum eſſe ab iis quæ refrigerant & humectant*, intelligendam eſſe non ſeparatim, ſed coniunctim: etenim ſi intelligatur ſeparatim, nimirum cauendum eſſe ab iis quæ refrigerant, & cauendum eſſe ab iis quæ humectant, quatenus pertinet ad refrigerationem, ſermo quidem eſt verus; quatenus autem pertinet ad humectationem, non item verus ſermo eſt: ſiquidem conſtat inter omnes, ſuccum melancholicum cum ſit ſiccus, humectandum eſſe, itaque Gal. ea prohibet quæ vim habent ſimul refrigerandi & humectandi: & ratio eſt, quoniam etſi humiditas, quatenus ad ipſam pertinet, ad hanc rem eſt maximè vtilis, cum poſſit corrigere ſiccitatem humoris melancholici, tamen ſi frigiditati coniungatur, noxia potiùs quàm vtilis cenſenda eſt, cum hac ratione poſſit magis humores incraſſare, & calorem natiuum obtundere: quare ſicuti in febre quartana licet vti iis, quæ humectant ſine refrigeratione; ita ab iis quæ ſimul & humectant & refrigerant, cauendum eſt: & ſanè interpretatio, mea ſententia, eſt optima.

Quatenus autem pertinet ad alteram difficultatem de vino, reſpondent nonnulli, illud minimè conuenire in multa copia, & ratione nutrimenti, ſed potiùs parcè, & ratione medicamenti, quæ reſponſio mihi videtur voluntaria, cum reuera Galen. hanc ſubtilem diſtinctionem non faciat, ſed generaliter probet vinum, & quantum edulis quotidiè ſumptis proportione poſſit reſpondere: quare ego aliter reſponderem, Galen. in quartana ante ſtatum concedere vſum vini albi, tenuis, & moderatè calidi, quod ex vna parte poſſit moderatè calefacere & humectare, humorem craſſum attenuare & concoquere, omneſque naturales effluxiones iuuare: ex altera autem in morbo diuturno ſalutari, ac ſine aliquo malo ſymptomate nullum periculum ex illius vſu videatur poſſe imminere, adeo vt non immerito vni quartanæ inter omnes febres putridas hæc prærogatiua debeat concedi. *An vinum conueniat.* Itaque alimenta ſint boni ſucci, facilis concoctionis, minimè flatulenta, excrementoſa, & quæ potiſſimùm humorem melancholicum nequeant generare; de quibus particulatim agendum non eſt. Sed veniamus ad alterum caput efficiendæ concoctionis, quod pertinet ad medicamenta. Gal. probat vſum medicamenti, quod *diatrionpipereon*, & alterius quod *diaſpoliticon*, appellatur, quorum compoſitionem habetis in lib. *de tuenda valet.* diatrionpipereon lib. 4. 5. diaſpoliticon 6. 10. vtrumque enim attenuat, flatus diſſoluit, viſcera omnia, atque in primis ventriculum roborat ſine inſigni calefactione, præterquam quod diaſpoliticon propter nitrum poteſt etiam aluum mouere: ſed præter hæc probat vſum vnius piperis, quod præcipit ex aqua accipiendum eſſe. Sed aduerſus hanc methodum medendi eſt Alex. qui miratur, quomodo diuiniſſimus Gal. in omnibus febribus quartanis præcipiat hæc calidiora & ſicciora, quæ nullo pacto videntur conuenire: etſi enim melancholicus humor moderatè calefacientia deſideret, non tamen neceſſariò etiam ſiccioribus indiget: ſi quidem cum ille ſit frigidus & ſiccus, calefacientibus & humectantibus opus habet. Sed Alex. fallitur: pro quo illud primum ſciendum eſt, Galen. curationem inſtituere atque iſthæc medicamenta exhibere in quartana exquiſita quæ ab vno humore melancholico generantur non generaliter in omnibus; minimè verò in iis quæ ex atra bile & humoribus calidioribus generantur. Deinde huiuſmodi medicamenta exhiberi admodum parcè & cautè quandoque piper exhibetur ex aqua, illius caliditatem & ſiccitatem optimè poteſt remittere: ſic diatrionpipereon & diaſpoliticon exhibentur non continuis diebus, ſed per interualla & rarò, adeo vt ex vna parte nullum nimiæ caliditatis & ſiccitatis periculum videatur imminere: ex altera autem propter facultatem extenuandi, atque incidendi, qua hæc medicamenta prædita ſunt, quæ in humore craſſo & terreſtri ſunt neceſſaria, eorum vſus minimè reiiciendus videatur. Si quis velit medicamenta magis temperata, ſunt diacyminum, aromaticum roſatum, diagalanga, & ſimiles: ſed hoc tempore vſus obtinuit, vt hoc negotium coctionis potiſſimum ſyrupis conficiatur, quales forent accommodati ad humorem melancholicum, ſyrupus de fumaria ſimplex, de pomis ſimplex, de ſucco borraginis, bugloſſæ, acetoſus ſimplex cum decoctis cichorei, borraginis, meliſſæ. Quo loco mihi libet vos admonere, quod aliàs quoque ſcio me feciſſe, de communi quodam errore in quem multi incidunt frequentiſſimè, qui ad concoctionem humorum, ſicuti in præſentia humoris melancholici, poſt aliquot dies vtuntur ſyrupis compoſitis de

fumaria,

fumaria, de pomis, de epithymo, de polypodio & ſimilibus qui caſſiam, ſenam, epithymum, polypodium, helleborum, & alia huiuſmodi recipiunt medicamenta, quæ quidem tantum abeſt, vt iuuent concoctionem, vt contrà illam maximè turbent & impediant.

Humorum vacuatio.

Apparente demum perfecta concoctione, iam de humorum vacuatione cogitandum eſt, quod tribus rationibus apud Gal. fieri poteſt: prima, per medicamenta purgantia per aluum: ſecunda per vomitum: tertia per nonnulla medicamenta, quæ vacuãt inſenſibiliter, & tanquam ignis noxios humores diſſoluunt. Ergo quatenus pertinet ad purgantia medicamenta, inter ſimplicia eſt ſena, epithymum, polypodium & cæteris omnibus longè efficacior helleborus niger, à quo tamen Auet. 7. *colliget.* 14. & omnes medici vſque ad noſtra tempora, tanquã à veneno ſoliti fuerant cauere: altera autem ex parte ſcribit Meſues, *cap. proprio*, helleborum clementer & ſine moleſtia vtramque bilem & pituitam purgare, quod experientia confirmat veriſſimum eſſe. Inter compoſita ſunt ſyrupi iam nominati, & electuarium diacatholicum, & confectio hamech, & alia, de quibus aliquando tractabimus. Habeatis exempla, & primum hellebori nigri, qui & in ſubſtantia, & in decoctione poteſt adminiſtrari.

℞. *Corticum radicum hellebori nigri* ʒ. ij.
Seminum aniſorum,
Citri ana ʒ j.
Spicæ g. v.
Fiat infuſio & decoctio ex aqua ſecundùm artem, & facta colatura,

℞. *Prædictæ decoctionis* ℥. iiij.
Syrupi de pomis compoſiti ℥. ij. ß. *M.*
In ſubſtantia.

℞. *Specierum hieræ ſimp.* ℈. ij.
Corticum radicum hellebori nigri puluerifati. ʒ. ß.
Cum ſyrupo de fumo terræ compoſito. M. & fiant pilulæ v.
Longioris compoſitionis exemplum.

℞. *Senæ electæ,*
Polypodij,
Epithymi ana ʒ. ij.
Paſſularum,
Liquiritiæ ana ʒ. ß.
Seminum aniſorum,
Fœniculi ana ʒ. j.
Spicæ g. v.

℞. *Facta decoctione huius decoctionis* ℥. vj.
Confectionis hame. h ʒ. ij. ß.
Syrupi de fumo terræ cõpoſiti ℥. ij. *M.*

Hæc poſſunt in qualibet purgatione melancholiæ adhiberi; ſed ſciatis quod Gal. docet, quartana laborantes non modò ſemel, ſed etiam ſæpius, ſi fuerit neceſſarium, purgandos eſſe, quòd materia craſſa, tenax & difficilis, vix vna purgatione poſſit educi.

Secunda ratio purgandi quartanarios apud Gal. eſt per vomitum poſt alimentã, quem validis medicamentis, ac potiſſimum helleboro albo ſolebant prouocarẽ, cuius Gal. quoq; in præſentia meminit. De qua quidem purgandi ratione ſtatim ſe offert dubitatio, & mea quidem ſententia difficilis, quoniam Gal. in libr. *quos & quando purgare oporteat*, docet flauam bilem per ſuperiora, pituitam per inferiora purgandam eſſe, niſi interdum contrarium oporteat agere, vt ſi pituita in ventriculo, bilis in inteſtinis reperiatur, atram autem bilem perpetuò inquit per inferiora eſſe deiiciendam: quod ſi ita hæc ſe res habet, quomodo non in præſentia Gal. ſibi ipſi aduerſatur, qui docet humorem melancholicum per ſuperiora purgandum eſſe: Quicquid alij reſpondeant, ego ad hanc difficultatem ſoleo reſpondere, in febre quartana & propter alias cauſas, neceſſariò labefactari facultatem ventriculi, ex quo aliter fieri non poteſt, quin generetur multa copia pituitæ & crudorum humorum, qui quidem ſi febrem non efficiunt, ſaltem poſſunt illam fouere, itaque vomitus conuenit non ratione humoris melancholici, qui ſemper commodiùs per inferiora purgatur, ſed ratione pituitæ, ex cuius vacuatione, licet id primò, & per ſe non fiat, febris quartana ſolet iuuari, & quandoque etiam auferri: vtcunq; autem ſit, ſi quis voluerit in quartana vomitum prouocare, ego huic id conſilium darem, vt prætermiſſo hellebro & omni validiore medicamento, facilioribus tantũ id ageret, de quib. aliàs ſatis diximus.

Tertia demum ratio purgationis fieri poteſt per quædam antidota diſcutientia, qualia duo præcipuè fuerant Gal. familiaria, alterũ theriaca, alterum medicamentũ ex ſucco cyrenaico, quæ quidẽ habent inſignẽ vim attenuãdi, digerendi, ac diſſoluendi reliquias craſſorum humorũ, necnon tollendi contractas intemperies, corrigendi malũ corporis habitũ, ac roborandi tum ventriculum, tum omnia viſcera, quæ neceſſariò longo tempore redduntur debiliora. Quale autẽ apud Gal. & veteres fuerit medicamentũ ex ſucco cyrenaico, deſcribitur ab Aetio *li.* 5. 84. De ſucco autem cyrenaico, an ſit quod vulgo *belzoim* appellatur, vel aliud genus medicamenti, & an hoc tempore ſit cognitus, dubium eſt: ſic mea ſententia confectio mithridatica poteſt exhiberi, & fortaſſe commodiùs quàm theriaca, ſi quidem mithridatũ in morbis frigidioribus, theriaca autem in venenis videtur neſcio quam peculiarem prærogatiuam habere. Verùm de huiuſmodi medicamentis illud ſciendum eſt, ante ſtatum & humorũ coctionem ea nunquã fore exhibenda, alioquin enim periculũ eſt, ne quartana quæ ſimplex fuerat, duplex, forte etiã triplex, ex intermittente continua, & omnino difficilior reddatur, ſicuti narrat Gal. & nos ſuprà diximus illis veterib. medicis contigiſſe, qui Eudemum Philoſophũ curabant. Atq; hæc de curatione febris quartanæ exquiſitæ ſatis ſunt, neque verò eſt; vt ſimus longiores in tradenda curatione quartanæ continuæ, & non exquiſitæ: ſi quidẽ ex iis quæ hactenus diximus, puto eſſe neminem qui pro varia natura putreſcentis humoris, ac variis ſymptomatibus non facilè poſſit huiuſmodi quoq; febriũ propriam & accommodatam curationẽ inſtituere, ea propemodũ ratione, quam de febre tertiana exquiſita & non exquiſita monſtrauimus. Pariter nec mihi libet in præſentia plurima colligere medicamenta, quæ apud Dioſcoridem, Aetium, & alios, ſed præcipuè apud Alex. occulta quadam proprietate creditum eſt febres quartanas iuuare, cum maiori ex parte ſint ſuperſtitioſa, & facilè poſſit vnuſquiſque apud illos ea pro ſuo arbitratu legere; vt omnino ſuperuacaneum ſit de illis longiùs agere.

De quartana continua.

Capvt XXIII.

De Hectica Febre.

HÆc vox hectica duplicem habet ſignificationem, vna quidem dicitur omnis febris ſolutione difficilis ſiue ſit pituitoſa, ſiue melancholica, & tunc oppoſita eſt alteri voci, hoc eſt, febri quæ ſit facilis ſolutionis: etenim quemadmodum σχέσις eſt qualitas à ſubiecto facilè mobilis, ἕξις vero ægrè mobilis, ſic σχετικὴ & ἑκτικὴ inter ſe opponuntur, vt declarat Galen. 8. *method.* 1. qui dilucidioris doctrinæ gratia concedit, illas febres quæ difficulter diſcutiuntur, *hecticas*; quæ autem facilè,

ſcheticas

Digitized by Google

ſchetica appellari: quod idem Gal. aſſerit, non ſolùm de febre, ſed de omni affectu, 3. *de loc. aff.* 2. Altera autem ſignificatione hectica ſpeciatim dicitur ea ſpecies febris, quæ & putridæ & ephemeræ oppoſita ſit, quæ tamen eandem nominis rationem retinet: etenim ſicuti ἕξις difficilè ſeparatur à ſubiecto, ſic hectica curatu difficillima eſt: vel hectica dicitur, vt placet Gal. 1. *de diff. feb.* 7. quod in habitu corporis, quem Græci ἕξιν appellant tanquam in ſubiecto conſiſtat: nos igitur cum Auic. tractabimus de hectica, quatenus hæc vox ſignificat tertiã ſpeciem febris ab ephemeris & putridis diſtinctã, & pro noſtro inſtituto ordine primùm agemus de illius eſſentia; ſecundò, de differentiis; tertiò, de ſignis; vltimò, de curatione. Et ſi quis quærat de ordine, quamobrem Auic. tractet de hecticis ante peſtilentes, quæ putridæ ſunt: poteſt reſponderi: cum peſtilentes ſint duplices, vt ſuo loco videbimus, quædam putridæ, quædã hecticæ, qua ratione quodammodo inter vtraſque mediæ ſunt, non ſine ratione Auic. poſt putridas, hecticas tractare voluiſſe, vt poſtremo loco peſtilentes, tanquam vtraque natura participantes, faciliùs poſſint intelligi.

Ratio ordinis.

Eſſentia. Eſſentia febris hecticæ iam ſuprà eſt ſatis expoſita & conſtituta, quæ non aliud eſt, quàm caliditas præter naturam, accenſa in ſubſtantia cordis, primùm lædens operationes. *Differentia.* De differentiis febris hecticæ & veteres & recentiores admodum variè ſcribunt: namque nonnulli vnam tantùm, alij duas, alij tres, alij plures differentias, vel ſpecies conſtituunt: at verò, quoniam anguſtiæ præſentis temporis non patiuntur, vt ſingulis huiuſmodi opiniones poſſimus examinare, mihi ſtatutum eſt ad veſtram vtilitatem illam tantummodo ſententiam in medium proferre: quam puto ad mentem Gal. & veritati magis conſentientem eſſe. Ex quibus id forte vobis conſtabit, varias de hac re opiniones ſi probè intelligantur, poſſe inter ſe conciliari, & quodammodo veritatem cõtinere. *De ſecundis humoribus.* Cæterùm vt faciliùs hæc res intelligatur, memoria ſunt repetenda, quæ aliàs diximus de variis partibus partium ſolidarum; quas Auic. 1. 1. *doctrina* 4. *c.* 1. ſecundos humores vocat, quæ quidem particulæ partium ſolidarum, tametſi à nonnullis vario modo conſtituuntur & enumerantur, tamen à Galeno 1. *de diff. feb.* 9. tres ponuntur diſtinctæ, hunc in modum: etenim Prima eſt quædam humiditas, quæ per media & vacua ſpatia dictarum partium continetur, ac veluti quidam ros diſpergitur, quam Gal. natiuam quoque vel naturalem humiditatem, quandoque humorem proprium partium ſimilarium, ex quo ipſæ partes nutriuntur, recentiores non ineptè rorem ſolent appellare. Secunda eſt pars, quæ ex humore concreto conſtat, & à Gal. ſubſtantia carnoſa & adipoſa dicitur, quæ pars propterea quod in ſubſtantiam partis mutatur, & illi perfectè aſſimilatur, à medicis barbaris ſubſtantia carniformis, gluten, cambium & forte aliis nominibus nominatur. Tertia eſt pars vel ſubſtantia quæ à Galen. fibroſa & membranoſa dicitur, quòd ſolidiore ſubſtantia fibris & membranis ſit conſtituta, quas quidem particulas quandoque verè ſolidas appellaui; quatenus à reliquis duabus carnoſa, & adipoſa, & rorida diſtinguitur. Et ſi quis nobis obiiciat Gal. qui in 7. *met.* 6. quatuor ſiccitates, & quatuor ſiccitatis differentias diſtinxit, atque hinc ex lege contrariorum colligat, non tres, ſed quatuor humiditatis differentias ſtatuendas eſſe, quæ ſingulis quatuor ſiccitatibus reſpondeant, ſicuti facit Auic. Huic breuiter reſpondeatis, quartam ſpeciem ſiccitatis Galen. in exilibus venis arteriiſque conſiſtere, & ex penuria ſanguinis prouenire: at verò hũc ſuccum ſiue ſanguinem, qui in huiuſmodi exilibus venis & arteriis continetur, non eſſe de propria ſolidarum partium ſubſtantia, neque inter ſecundos humores reponendum, cum reuera ille adhuc ſanguis ſit, intra vaſa contineatur, neque à primis humoribus quicquam differat: niſi forte quis velit pro vaſorum varietate, varias quoque humorum differentias fieri, qua ratione ſanguis in corde à ſanguine iecoris, lienis, & aliarum partium ſpecie differat, & infinitæ propemodum humorum ſpecies fiant, fateamur neceſſe eſt. Itaque ad mentem Gal. tres tantummodo ſunt partes, ſiue ſubſtantiæ partium ſolidarum; pars humidior, rorida, pars carnoſa & adipoſa, tertio pars fibroſa & membranoſa. Hac poſita partium diuiſione, ſi quis velit partes ſolidas generaliter & coniunctim intelligere, etſi ex triplici ſubſtantia conficiuntur, is non ſine ratione poteſt affirmare, vnum duntaxat eſſe genus febrium hecticarum, quando huiuſmodi partes ponuntur in calefacto eſſe, vt proptérea lædantur operationes. Si quis autem cõſideret febrem hecticam, quatenus fieri poteſt, vel ſine conſumptione, vel cum cõſumptione dictarum partium ſolidarum, huic pariter licet cum Gal. aſſerere, loco citato 1. *de diff. febr.* duplex tantùm eſſe genus febrium hecticarum, alterum cum conſumptione, alterum ſine conſumptione. Demum verò ſi velimus conſiderare tres diuerſas ſubſtantias partium ſolidarum, atque calorem præter naturã, cum primùm febris hectica generatur, æqualiter illas occupare, ſed ordine quodam vnam partem poſt alteram inuadere, ſumma cum ratione licet fateri, tres eſſe febrium hecticarum vel gradus vel differentias, vel ſpecies, vel quomodocunque velis nominare, cum eiuſmodi quoque tres ſubſtantiæ ſpecie inter ſe differant: quas quidem tres ſpecies Gal. 1. *de diff. febr.* 7. hunc in modum diſtinguit & diſponit: namque prima eſt ſpecies febris hecticæ, quãdo fit quædam veluti ebullitio prioris natiui humoris, diſperſi in ſpaciis intermediis partium ſolidarum, quem diximus vulgo *rorem* appellari, quæ quidem ſpecies euſque perdurat, donec alia pars eiuſdem humoris reſeruatur: hæc ſpecies ſine tabe eſt, & facillimam curationem recipit, quòd facultas ferè nihil adhuc ſit perpeſſa: altera ſpecies huic oppoſita eſt, quando calor præter naturam partes cordis fibroſas & membranoſas occupat & depaſcitur, quæ cum ad eum terminum peruenit, vt nihil amplius humiditatis in corde ſuperſit, iam hæc febris non ſimpliciter hectica, ſed hectica *maraſmodes* appellatur, hoc eſt, cum tabe & conſumptione vniuerſi corporis, ac nullam prorſus curationem recipit, quòd iam facultas ex toto perdita ſit. Inter hæc duo extrema eſt tertia ſpecies febris hecticæ; quæ mediam quodammodo naturam obtinet, inter primam ſpeciem quæ adhuc incipit, & curatu eſt facillima, & tertiam quæ confirmata eſt, ac ſanari nullo modo poteſt: quæ quidem tertia ſpecies per quammultam latitudinem obtinet, prout magis vel minus ad primam vel tertiam ſpeciem declinat. Nam quæ æqualiter diſtat ab vtraque, ad curationem ambiguam habet declinationem; quæ autem hecticæ maraſmodi eſt vicinior, iam periculo magis propinquat, quemadmodum quæ alteri primæ ſpeciei eſt propinquior, non paruam ſalutis ſpem promittit. Hæc diuiſio eſt ac doctrina Galeni de ſpeciebus febris hecticæ, adeo vt liceat mirari, quamobrem nonnulli celebres medici ac Galeni ſectatores illam non recipiant: etſi enim tres partes partium ſolidarum inter ſe non ſunt ſeparatæ, ſicuti humores, qui varij vario modo, & tempore poſſunt putreſcere, ſed ſimul ſunt iuncti, adeo vt vix vna videatur ſine reliquis duabus poſſe accendi, tamen nulli dubium eſſe debet, quin primùm natiuus humor,

deinde caro & adeps, & poſtremò ſubſtantia ſiccior & durior accendatur, vt hac ratione variarum partium variæ quoque ſpecies febris hecticæ iure poſſint conſtitui.

II. Secunda differentia febris hecticæ illa eſt: namque aliæ fiunt corde primùm laborante, aliæ generantur per conſenſum aliarum partium. Hanc differentiam habetis apud Gal. *lib. de marcore* 7. qui inter partes, quæ poſſunt cor in conſenſum ducere, & febrem hecticam excitare, numerat ventriculum iecur, & cæteras partes id genus, de quibus particulatim & diffuſè tractat 10. *meth.* 8. ex quibus tamen partibus pulmones excipit, tametſi quatenus ad propinquitatem attinet, illi omnium maximè ac potentiſſimè calefaciendo ipſum cor debuiſſent febrem hecticam excitare: ſed tamen hoc non contingit fieri, & ratio eſt, quoniam pulmones difficulter eam affectionem calidam & ſiccam recipiunt, quæ ad calefaciendum & ſiccandum cor vicem cauſæ poſſit ſupplere, tum quia illi humidi ſunt, tum quia aſſidua reſpiratione refrigerantur. Et ſi quis obiiciat, in phthiſi, hoc eſt, vlcere pulmonis, neceſſariò ſequi febrem hecticam, vt placet Gal. 7. *apho.* 16. quam obiectam rationem, mea ſententia, difficilem, nemo quem ſciam, hactenus animaduertit: huic ego reſponderem, febrem hecticam neceſſariò ſequi phthiſim, non propter vlcera, aut aliam malam affectionem pulmonis, ſed propter copiam puris, ex cuius malitia & vicinitate aliter fieri non poteſt, quin cor calore præter naturam & febre hectica corripiatur. Præ-
III. terea febres hecticæ duobus modis generantur, namque nonnullæ aliis febribus magna ex parte ardentibus ſuccedunt, nonnullæ ſtatim ab initio inuadunt, quæ primam ſui generationem ſimilem febribus ephemeris, ex triſtitia ira, plurima laſſitudine, ſolis uſtione, & ſimilibus obtinent: quæ diſtinctio eſt Gal. 1. *de diff. febr* 8. 10. *meth.* 5. 3. *de præſag. ex pulſ.* 4. *ad finem*. Verùm de poſteriore parte huius diuiſionis dubium eſt, ſiquidem multi contendunt hecticam febrē nullo modo ſtatim à principio, nullaque præcedente alia febre poſſe hominē inuadere, propterea quia vix, aut ne vix quidem fieri poteſt, vt partes ſolidæ quæ ſine dubio ſunt craſſiores calorem cōcipiant in facto eſſe, quin ſpiritus & humores, quos conſtat eſſe tenuiores multo, ante eundem calorem ſuſcipiunt: quæ pariter videtur fuiſſe Gal. ſententia in lib. *de inæquali intemperie*, 5. qui affirmat, quod rationi eſt maximè conſentaneum, tenuia longè facilius alterari quàm craſſa. Ad Galen. autem docentem febres hecticas quandoque à principio hominem inuadere, reſpōdent, ac principium interpretantur primos dies, adeo vt velint febrem hecticam fieri incipiendo, quæcunque poſt tertiam, aut quartam diem aliis febribus ſuccedit: quæ quidem interpretatio videtur fuiſſe Galeni qui ſermonem habens de inedia, quantum naturis calidis & ſiccis aduerſetur, ita inquit 10. meth. 5. *Quippe vel in febres ardentes ex ea incidunt, à quibus niſi priùs mors occupet in hecticas cadunt, atque ſtatim ab iis in maraſmum, vel protinus ab initio ipſa hectica febris ſimul incipit, præteriens febrem ardentem, maximè tamen calidos ſiccoſque affectus ſtatim à principio hectica corripit, ſicuti mulieri accidit, quæ autumno ex triſtitia & vigiliis cœpit febricitare, perſeuerauit autem ad plurimum hyemis, hanc quarta die vidimus ac deprehendimus ſtatim hecticam eſſe febrem, cum alia earum quæ ex humoribus excitantur, coniunctam.* hæc Galen. Ex qua ſerie iſti colligunt, illa verba, *ſtatim à principio*, idem ſignificare, quod primis diebus: namque propterea dixit, mulierem principio hectica fuiſſe correptam, quoniam quarta die illam deprehendit febre hectica laborare: verùm iſti malè ſentiunt; ac primùm ſi huiuſmodi ſententia eſſet vera, ſequeretur perpetuò febrem ephemeram ante putridam, ac putridā ante hecticā fieri neceſſariò, quod nemo vnquam auſus eſt affirmare; cum Gal. doceat & confirmet experiētia, febrem putridā ſtatim à principio, hoc eſt, primo temporis momento fieri frequentiſſimè. Neque magis vera eſt interpretatio verborum Gal. etenim ſi incipere *à principio* idem eſt atque incipere *primis diebus*, quomodo à Gal. dictum eſt. 1. *de diff. feb.* 3. *de præſag. ex pulſib. locis citatis*, febres hecticas nunquam fieri à principio, niſi cum cauſis procatarcticis generantur? ſiquidem nulli dubium eſſe debet, quin febris hectica primis diebus tertia & quarta ex febre ardente fieri poſſit; quod enim à cauſa debiliore, putà febre ephemera, aut procatarctica aliqua cauſa fieri poteſt, certum eſt ex cauſa validiore, febre ardente, multo promptius & facilius fieri potuiſſe, nihilominus aduerſus Gal. decretum huiuſmodi febris hectica ſine cauſa procatarctica à principio fieret: itaque ſi verè & ad mentem Gal. febres hecticæ nunquam à principio fieri poſſunt, niſi ex cauſa procatarctica, illa verba *à principio*, non primos dies, ſed principium ac primum temporis, & ægritudinis momentum ſignificant. Quomodo autem nulla præcedente alia febre, calor præter naturam ſtatim aggrediatur ſubſtātiam cordis, & febrem hecticam efficiat, aliàs declarauimus, id fieri propter diſpoſitionem huius partis, magis aptæ & paratæ ad recipiendam alterationem, quàm ſint ſpiritus & humores: namque vt declarat Galenus 3. *de præſag. ex pul.* 5. facilè fieri poteſt, vt ſubſtantia cordis ſit calidior, qui verò in illo continētur ſpiritus & humores, cum propter alias cauſas, tum maximè propter malam victus rationem, ſint frigidiores: ex quo item facile eſt intelligere, tunc in maxima ira, vel ſimili cauſa procatarctica, priùs ſubſtantiam licet craſſiorem, quàm ſpiritus, & humores, licet tenuiores, poſſe calefieri, quòd ſubſtantia ſit magis apta, ac minus poſſit reſiſtere, ſpiritus autem & humores ſint minus parati, magiſque calefacienti cauſæ poſſint reſiſtere.

Sed rurſum aduersùs huiuſmodi opinionē quam confutauimus, eſt locus Gal. difficillimus, qui hæc habet 2. *de criſib.* ad finem. *De hecticis verò nunc non eſt tempeſtiuum dicere, nulla enim primis diebus, ſed progreſſione temporis talis efficitur*: quæ verba manifeſtè videntur demonſtrare, nullam febrem hecticam à principio fieri poſſe. Ad hanc apparentem Galeni repugnantiam nonnulli duplicem afferunt reſponſionem; vnam febrem hecticam non fieri incipiendo, vt in pluribus, ſed nonnunquam id contingere, atque id fore ſatis, cum regulæ medicorum vt plurimum veritatem obtineant: ſecundam, febrem hecticam primis quidem diebus fieri, ſed primis diebus non perfici: quare ita interpretantur Galenum, nullam febrem hecticam primis diebus fieri, hoc eſt, non perfici, atque exactam febris hecticæ formam conſequi, adeo vt exactè poſſit cognoſci, quod quidem progreſſu temporis manifeſtè fieri ſolet. Cui quidem interpretationi fauet Auicenna, in præſenti capite primo poſtremis verbis, qui ſcribit, hecticam in principio eſſe difficilis cognitionis, & facilis curationis, & in fine facilis cognitionis, & difficilis curationis.

Sed forte neutra reſponſio ſoluit difficultatem: nam prima ſupponit, quandoque hecticam fieri à principio, quod quæritur, imò verò quod Galen. hoc loco videtur negare: ſecunda item accipit pro confeſſo, quod dubium, fortaſſe falſum quoque eſt, nempe hecticam febrem primis diebus non poſſe perfici & cognoſci, quandoquidem ſcribit Gal. 1. *de diff.*

diff febr. 8. febrem hecticam quæ facilè ſolui poteſt, ſi ſola conſtiterit, facillimè; ſi verò aliquam febrem putridam coniunctam habeat, difficillimè cognoſci. Itaque ego aliter reſponderem, nullas febres hecticas fieri à principio, niſi cum ex cauſis procatarcticis generantur: quæ reſponſio conſentit Galen. & nullam continet abſurditatem: nam reuera ſine cauſis procatarcticis nulla febris hectica primis diebus fieri poteſt.

IV. Diff. Poſtrema eſt differentia febris hecticæ: namque alia ſimplex eſt morbus, & per ſe conſiſtit; alia eſt cui alia febris putrida coniungitur; quam diſtinctionem habetis apud Gal. 1. *de diff. febr.* 10.

Signa. Scribit Gal. 3. *de præſag. ex pulſ.* 3. *ad finem*, duo eſſe præcipua ac propria ſigna febrium hecticarũ; vnum, ſi perpetuò illæ ſibi ſimiles fuerint, neque aliquam acceſſionis inuaſionem, neque augmentũ, neque vigorem, neque declinationem habeant: alterum, ſi ægrotus non percipiat ſe febricitare. Verùm decet ſingula ſigna examinare & perpendere, ſicut de aliis factum eſt. Ergo primum calor febris hecticæ paruus eſt, quoniam vt dicit Gal. 1. *de diff.*

Calor. *feb.* 8. 3. *de præſagio ex pulſib.* 4. nulla febris hectica magna eſt, exigua autem flamma exiguum præbet calorem. Secundò hic calor in prima manus iniectione mitis apparet, ſed diutius immorante manu acris, mordax, & ſqualidus, hoc eſt, ſine vllo fumo & vapore occurrit, propterea quia in ſolida & denſa materia fundatur. Tertiò de inæquali intemperie, hic calor non percipitur ab ægroto, imò verò ille putat ſe non febricitare, quoniam calor eſt æqualis, ac ſi naturalis foret, æqualiſque intemperies iam in toto corpore inducta eſt. Quartò: etſi in febre hectica partes corporis æqualem calidam intemperiem acquirunt, nihilominus, quod Galen. ſcribit maximum febrium hecticarum indicium eſſe, 1. *de de diff. febr.* 8. ipſæ arteriæ circumiacentibus, & vicinis corporibus manifeſto ſunt calidiores: qua ratione demonſtrant, corpus cordis, vnde illæ originem habent, inſignem calorem ſuſtinere: id quod in cæteris febribus nequaquam accidit: adhuc verò euidentiùs huiuſmodi calor peculiaris arteriarum apparet, vbi ægri ſe lauarunt, aut quouis alio modo corpus rarum reddiderunt, adeo vt humor quiſpiam profluat, & calor tranſpiret, ſiquidem in omnibus aliis partibus poſt tales tranſpirationes moderatus calor apparet, qui verò in arteriis eſt, nihilo priore minor exiſtit, ſed idem ſeruatur. Hæc igitur ſunt ſigna febris hecticæ à calore.

Pulſus. Secundo loco ſunt indicia ex pulſibus, qui hectici pulſus appellantur, vt ſcribit Gal. *de pulſ. ad tyrones* 8. 4. *de cauſis pulſ.* 11. quòd ægroti habeant febrem hecticam, quæ vniuerſum corporis habitum occupanit; ſunt autem eodem Gal. auctore 1. *de diff. febr.* 9. debiles & duri, ſtatim verò etiam parui & frequentes, nimirum propter frequentem & vehementem calidam & ſiccam cordis intemperiem, ex qua intemperie dicit Galen. 3. *de præſag. ex pulſ.* 7. ac facile eſt intelligere, huiuſmodi pulſus neceſſariò fieri: præterea ſunt æquales, quandoquidem, ſicuti diximus, æqualis omnium partium intemperies facta eſt.

Lotia. Tertiò ſunt lotia, ex quibus etſi Hip. & Gal. nulla febrium hecticarum indicia videntur tradidiſſe, quòd reuera ſiue ſubſtantia, ſiue color, ſiue contenta conſiderentur, hæc redundantiam & qualitatem humorum, qui continentur in venis, ſoleant demõſtrare; tamen vt notat Alex. *lib.* 12. *cap. proprio*, & ratio perſuadet, cum ſolidæ partes laborent, ex quarum facultate & temperie docet Gal. concoctionem fieri, 2. *epid.* 2. 46. neceſſarium eſt fateri vitiatam humorum concoctionem, neque lotia omni ex parte concocta videri: itaque ſunt magis colorata, tenuia, lucida, ſicuti calidiori & ſicciori intemperaturæ conuenit. Atque hæc quidem conſideratio vrinæ in febre hectica, quamuis ad illius cognitionem vel parum vel nihil conferat, tamen nunquam eſt prætermittenda, ſicuti generaliter iubet Gal. faciendum eſſe in morbis ventriculi, thoracis, & aliarum partium, etiamſi affectus venoſi generis non ſint, 3. *epid.* 6. 3. *de criſib.* 3. Namque ſi lotia bona appareant, multum valeant ad ſalutem; contrà ſi fuerint praua, ſimul ægri periculum amplificant.

Quartò, forma febris eſt huiuſmodi nempe continua, ſemper in vno atque eodem tenore conſiſtens, ſine vlla inuaſione, principio, augmento, ſtatu & declinatione, ſicuti eſt quæ propriè ſynochus dicitur, præterquam quòd vna vel altera hora poſt ſumpta alimenta quandam veluti caloris alterationem & acceſſionem videtur habere, quod ſcribit Gal. omnibus hecticis eſſe proprium & inſeparabile: in quo quidem ſigno, quod maximi momenti eſt, & continet nonnullas difficultates, mihi libet paululum immorari. Itaque ſcribit Galen. eſſe maximum & certiſſimum indicium febrium hecticarum, ſi nutrito homine poſt vnam vel alteram horam febris omnibus illum tangentibus videatur alterum incrementum habuiſſe, adeo vt non ſint defuturi, qui huiuſmodi nutritionem tanquam intempeſtiuè atque ipſo acceſſionis tempore factam reprehendant, aſſerentes diutius fuiſſe expectandum, vſque ad ipſam inuaſionis declinationem; ſed res non ita ſe habet, quandoquidem omnibus hecticis hoc proprium inſeparabile eſt, vt oblato alimento calor accendatur, pulſuſque in magnitudinem & velocitatem increſcat, adeo vt incompreſſa annotatio facta videatur, quam ſic vocat Leonicenus: Fuchſius non laborioſam acceſſionem, alij æqualem, alij aliter Latinè conuertunt. Quid autem Galen. intelligat, ille ſeipſum interpretatur, qui inquit, ſe ita acceſſionem vocare, in qua neque horror aliquis factus eſt, neque extremarum partium refrigeratio, neque veluti quædam inclinatio ad ſomnum, neque aliqua inſignis pigritia, aut omnino quædam inæqualitas vel in calore vel in pulſu; multóque magis neque paruitas, neque debilitas; neque aliud quidquam huiuſmodi, ſed veluti alteri contingit, qui nutritus ſit, pulſus ſtatim maior & velocior redditur.

IV. Forma.

Et ſi quis obiiciat, hanc eandem non laborioſam acceſſionẽ cæteris quoque febribus interdum contingere, ac propterea huiuſmodi ſymptoma febrium hecticarum proprium inſeparabile non videri; huic reſpondet Galen. talem caloris acceſſionem, pulſuſque incrementum in magnitudinem & velocitatem, in febribus hecticis ac reliquis non parum differre: etenim in cæteris omnibus huiuſmodi inuaſiones ſine oblato alimento fiunt, in hecticis autem omnino contrarium euenit, cum nullo tempore aliquam inuaſionem habeant, ſed planè ſint continuæ & æquales à primo initio vſque ad extremum finem, ſicut diximus. Etſi verò quæ de hoc ſigno dicta ſunt potuiſſent ſatis eſſe, tamen Galen. adhuc clarioris doctrinæ gratia nonnulla addit, quæ ad hanc rem ſunt valdè accommodata. Sunt autem duæ obſeruationes, quæ manifeſtiùs in cognitionem febris hecticæ nos poſſunt deducere. Prima ſi diligenter animaduertatur, quouſque homo poſt oblatum alimentum in calore & pulſu alterato permaneat: nam omnia quæ tunc manifeſtè apparent, tantiſper alterata inueniuntur, donec alimenti diſtributio cordis ſiccitatem humectauerit: deinde omnia ceſſabunt, & homo ad priſtinum ſtatum reuertetur, in quo fuerat antequam illi alimenta offerrentur.

Duæ obſeruationes.

Secunda eſt obſeruatio, ſi diuerſia diebus & diuerſo tempore æger nutriatur: ſiquidem omni hora & omni tempore licebit inuenire id fieri, quod dictum eſt, nimirum dato alimento poſt vnam vel alteram horam, & calorem auctum eſſe, & pulſum maiorem & celeriorem redditum fuiſſe: quod certum eſt non alia ratione fieri, quàm propter humectationem partium ſolidarum, quam ab alimento receperunt: quam quidem caloris & pulſus alterationem in febre hectica Gal. demum eleganti quadam ſimilitudine confirmat. Videtur enim illud hecticis euenire, quod euenit calci & lapidibus calefactis, quibus ſi frigidiſſimam aquam affundas, tunc multo calidiores apparent, nutrito ſcilicet ab humida ſubſtantia ſicco calore: quod verò ita hæc ſe res habeat, experientia & ſenſu facile poteſt demonſtrari: etenim ſi quis calcis glebam accipiat, eius calorem contemnet, ac minimè ſentiet; ſi verò illi affundatur aqua, illam videbit admodum ſtatim calefieri, atque adeò feruentem eſſe, vt non ſolùm poſſit calefacere, ſed etiam deurere. Qualis autem ſit cauſa, propter quam hoc eueniat, Gal. inquit, ad naturales quæſtiones pertinere. Atque hactenus de caloris & pulſus immutatione poſt aſſumpta alimenta in febre hectica, quod ille inquit, proprium & inſeparabile ſignum eſſe.

Circa alterationem caloris & pulſus poſt vnam vel alteram horam alimentorum occurrunt duæ difficultates. Prima eſt, quoniam ſcribit Gal. id poſt vnam vel alteram horam contingere, quod iam breui tempore nulla ratione videtur fieri poſſe: ſiquidem antequam ſolidæ partes, ac præcipuè ipſius cordis, nutriantur, neceſſe eſt alimenta concoqui in ventriculo, in iecore, & venis, poſtremò apponi & aſſimilari, quod quidem non duas, ſed quatuor, ſex, octo, & quandoque plures horas requirit. Sed breuiter reſpondendum eſt: etſi reuera ad plenam & integram corporis nutritionem multarum horarum ſpatium neceſſarium eſt, tamen tenuiores quaſdam alimenti particulas & ad concoctionem magis aptas, poſt vnam vel alteram horam poſſe ad omnes partes corporis deferri, ac ſolidis partibus apponi, vt manifeſtè colligitur ex Gal. 3. *de natural. facul.* 13. & confirmat experientia, propterea quia ſi quis defatigatus, vel alia ratione debilitatus ſumat alimenta, ſtatim ille nutritur & refocillatur, quoniam partes tenuiores ſtatim conficiuntur, & ad ſolidas partes penetrant, id quod eò facilius in febre hectica laborantibus videtur fieri poſſe, quod iia omnia ſint inanita, ac reddita calidiora, vt propterea & promptiùs & citò alimenta ad ſe trahere poſſint.

Secunda eſt difficultas, quam facit Auer. 4. *colliget.* 33. qui inquit, etſi non nominat Gal. ſimilitudinem calcis, & cauſam redditam à medicis, propter quam hectici poſt alimenta incaleſcunt, eſſe accidentalem, ac veluti fabulas cantatorum, quia impoſſibile eſt, vt virtus nutribilis à nutriente ſit tantùm elongata, vt ipſum ſit contrarium, ſicut aqua eſt contraria calci, quorum vnumquodque alterũ corrumpit: quare ipſe Auer. conatur aliam rationem reddere, qui ſcribit id fieri, quoniam partes ſolidæ calida intemperie laborant, vnde cum de natura nutribilia ſit, nutriens ſibi aſſimilare, tunc neceſſe eſt vt alimentum corpori adueniens calorem præter naturam acquirat, licet illud ſit frigidum, ex quo deinceps & febris, & reliqua ſymptomata augentur. Sed fallitur Auerr. & primùm quatenus pertinet ad exemplum & ſimilitudinem calcis, quæ aqua affuſa tam calida redditur vt vrat, ſimilitudo apud Galen. eſt huiuſmodi: nam ſicuti calx admodum ſiccum calorem obtinet, & aqua irrigata efferueſcit, vehementioremque tactui calorem oſtendit, ita partes ſolidæ hectica febre laboranti inſigniter calidæ & ſiccæ ſunt, ac ſubminiſtrato humore alimẽti poſſunt magis calorem ſuum oſtendere & manifeſtare cum vtrobique, tam in calce, quam in membria, calor ille aridus humida ſubſtantia nutriatur: ex quo poteſt colligi, non id fieri ratione contrarij, etenim etſi alimenta quamdiu patiuntur, neq; integrè ſunt aſſimilata, tamdiu ſunt contraria nutrito, tamen cum perfectè aſſimilantur & nutrimentum euadũt, tunc non ampliùs illi contraria, ſed ſimilia exiſtunt: quamobrem ſimilitudo Gal. optimè quadrat, neq; ratio Auer. aduerſus illũ quidquam valet. Quatenus autem pertinet ad propriam rationem Auer. quòd nimirum membra reddita calidiora calefaciant alimenta, ex quibus poſtea maior caliditas & alteratio in pulſibus appareat: Reſpõdeatis apud Philoſophos nihil agere vltrà determinatam vim, & proprium gradum agendi: quare alimenta à corpore tantam caliditatem ſuſcipiunt, quantam corpus obtinet; neque fieri poteſt, vt ea partibus ſolidis calidiora euadant: itaque nulla eſt cauſa propter quam laborantes febre hectica adueniente alimento maiorem quàm antea caliditatem incurrant; itaque ratio & doctrina Gal. optima eſt & retinenda.

Cauſa. Quinto & vltimo loco ſigna febris hecticæ ſumuntur à cauſis, quæ vnico verbo ſunt illæ omnes, quæcunque poſſunt corpus ſiccare & calefacere, quamobrem homines natura atque habitu corporis calidiores & ſicciores, æſtate, conſtitutione calida & ſicca, qui vitam laboribus, vigiliis, curis deditã delegerint, tenuiq; victus ratione vſi fuerint, facilè in febres hecticas incidere cõſueuerunt. Atque hactenus de ſignis febris hecticæ in vniuerſum, quæ quidem non ſingula & ſeparatim, ſed omnia ſimul coniuncta poſſunt huiuſmodi febrem demõſtrare.

Signa differentiarum. Signa verò differentiarum facilè poſſunt intelligi, & primùm quatenus pertinet ad vnam ſpeciẽ febris hecticæ, ſicuti calor præter naturam occupat varias ſubſtantias partium ſolidarum, de quibus ſatis diximus, ita ſigna ex colore, ex pulſu, ex lotio, & ſimilibus, erunt magis vel minùs intenſa, vel remiſſa, ex quibus licet de ſingulis ſpeciebus iudicium facere, præterquam quòd tertia ſpecies hectica marcſmodes, in qua partes cordis fibroſæ, & mẽbranoſæ laborant, habet ſigna vel ipſo aſpectu manifeſtiſſima, cum appareat facies Hippocratica, nares acutæ oculi concaui, &c. & vno verbo homines potiùs formam mortis, quàm vitæ referant. Vtrùm cor ſit primò affectum, an magis laboret ex conſenſu aliarum partium, facile poteſt intelligi, ſi conſideremus, quomodo reliquæ partes ſe habeant: quæ tractatio ad hunc locum non pertinet: namque aliis partibus bene habentibus certum eſt cor primariò laborare; altera autem parte malè affecta, licebit ſtatuere cor non primariò, ſed per conſenſum laborare. Pariter an febris hectica ſecuta fuerit alios morbos, an principio ſtatim inceperit, ex iis quæ præceſſerũt, atque ex ipſo ægroto facilè poteſt intelligi, vt neque de hoc, neque de cæteris ſignis pluribus ſit opus. Itaque venio ad curationem.

Curatio. In curatione febris hecticæ vnica ſeſe offert indicatio, quæ ſumitur à febre, cum ſit ſimplex morbus iam factus, & qui à nulla cauſa & materia pendet, ex Galen. 8. *meth.* c. 11. *meth.* 2. Ergo cum omnis febris quatenus eſt febris, ex Gal. 10. *meth.* 6 refrigerantia & humectantia requirat, nulli dubium eſſe *Indicatio.* debet, quin febris hectica eadem præſidia poſtulet; imò verò quæ efficaciùs poſſunt refrigerare & humectare, cum calor præter naturam ſtabilis ſit, partibus ſolidis inhæreat, ac nimia ſuccedente ſiccitate, poſſit tabem afferre: in reliquis autem febribus, quæ neque ita ſunt ſtabiles, neque ita humorem partium ſolidarum conſumunt, quæ moderatè refrigerant & humectant, ſufficiunt ſæpenumero.

Sed

Præcepta. Sed antequam ad particularia præſidia veniamus, notanda ſunt omnia præcepta, quæ ad probam huiuſmodi remediorum adminiſtrationem pertinent; alterum eſt Auic. in cap. 4. nempe refrigerantia & humectantia præſidia fore optima, quæcunque ita refrigerant, vt nihil ſiccent, & ita humectant, vt nihil calefaciant: ſiquidem altera ex parte, quæ vel refrigerando exſiccant, vel humectando calefaciunt, à præſenti re aliena cenſenda ſunt. Alterum præceptum eſt Gal. 10. *meth.* 7. qui docet, præſidia quæ humectandi vim habent, ſemper tuta eſſe, quod lentè & non niſi temporis diuturnitate ſuam operam perficiant; quæ autem refrigerant, non æquè tutò adminiſtrari, cum per efficaciſſimam qualitatem vim ſuam oſtendant: vnde etſi calorem præter naturam & celerrimè auferunt; tamen periculum imminet, ne vel in parte aliqua, vel in corpore vniuerſo natiuum quoque calorem extinguant, potiſſimùm in huiuſmodi corpore extenuato, quod neque calor, neque humor ab iniuria vehementis frigiditatis poteſt defendere. Verùm ſingula præſidia perſequamur.

Materia curati on hecticarum. Galenus ſicuti aliàs diximus, tractat curationem febrium acutarum, duplicem ſtatuit materiam earum rerum, quæ ad curandas febres hecticas ſunt accommodatæ: vnam earum quæ foris applicantur: alteram earum, quæ intra corpus aſſumuntur: vtramque autem tripliciter diuidit: nam foris admouetur primò aër: ſecundò medicamenta quæcunque refrigerandi & humectandi vim habent: tertiò balneum aquæ dulcis: intro verò ſumuntur primò alimenta: ſecundò potiones: tertiò inſpiratus aër, adeo vt ex Galeni diſciplina per ſex materiæ differentias medici totum hoc negotium & curationem febrium hecticarum debeant conficere.

Quoniam verò de iis remediis propè omnibus iam diximus, quod eſt ſatis, in præſentia quædam repetemus quàm breuiſſimè. nonnulla autem quæ conſultò ad hunc locum diſtulimus, diffusè conabimur explicare. *Aër.* Quatenus pertinet ad res externas, Primùm aër ſit frigidus & humidus, vel ſponte vel arte eligantur cubicula ad Septentrionem poſita, quandoque ſubterranea, turba hominum prohibeatur, & pauimentum & parietes, & omnia perfundantur aqua frigidiore, floribus, herbis, quæcunque refrigerandi & humectandi vim habent. Secundò medicamenta ſint refrigerantia & humectantia, *Medicamenta.* ſed quæ vehementi careant adſtrictione, ne cutim cogant, ac faciliùs ad partes internas poſſint penetrare: hæc non ſimpliciter thoraci aut cordi, ſed maximè illi parti debent imponi, in qua veluti in quodam fonte febris videtur reſidere, qualis apud Galen. 10. *metho.* 9. eſt iecur, ventriculus, renes, ſeptum tranſuerſum, vterus, & ſimiles: prætereа talia medicamenta longiore tempore ſunt adminiſtranda donec æger percipiat ſe refrigeratum, & à ſiti liberum eſſe: & quoniam ſi diutius ſupra ægrum corpus permaneant, à corpore calefiunt, vnde tutum poſſunt ipſum corpus calefacere, idcirco frequenter debent mutari, & noua imponi: inter cætera autem principem locum obtinet infrigidans Galeni ſunt vnguenta, roſatum Meſuæ, ſandalinum, ſucci lactucæ, ſemperuiui, portulacæ, ſolani, & ſimilia, de quibus ſatis diximus. Tertiò *Balneum.* eſt balneum aquæ dulcis, de quo paulò accuratiùs agendum eſt, quod aliàs ſum vobis pollicitus, cum teſtimonio Galeni 10. *meth.* 10. in curatione febris hecticæ illius vſus ſit efficaciſſimus. Apud veteres, vt docet Galen. 10 *meth. vltim.* quatuor balnei partes ſeu loca fuerunt, quæ quatuor vtilitates ægris afferunt.

Prima pars balnei. Prima eſt *aër calidus*, quam primam partem ſiue domum nonnulli *hypocauſtum* vel *calidarium*, Seneca *ſudatorium*, Galen. 3. de tuenda valet. 4. *laconicum* vocant: in qua qui volebant lauari, primùm verſabantur, antequam ſecundam partem & lauacrum ingrederentur: opera ac beneficio huius primæ partis ſenſim corpora incaleſcunt, meatus aperiuntur, denſatæ partes denſatique humores liquantur atque funduntur, contéta ſub cute vacuantur, calor, vapores, humores, & excrementa foras vacuantur.

Secunda eſt pars balnei, *ſolium aquæ calidæ*, quod nihil aliud eſt, quàm vas quoddam ad hanc rem accommodatum, in quo homines conſidentes abluebantur, vnde Latinè dicebatur & *labrum* & *lauacrum*: huius partis opus eſt per ſe quidem calefacere & humectare, vias aperire denſata fundere, laxare: per accidens verò eductis fuliginoſis excrementis, & foris euocato febrili calore, refrigerare. II.

Tertia verò pars balnei eſt, quæ nonnullis *frigidarium* dicitur, nempe ſolium aquæ frigidæ, ex qua corpus refrigeratur, cutis denſatur, & vires corroborantur.

Demum quarta balnei parte ſudor corporis detergebatur, cutis fricabatur, & oleo aliquo conuenienti inungebatur. Sic quidem ſe habebant quatuor balnei partes, de quibus etiam facultatibus diffusè & perſpicuè tractat Galen. 10. *method. iam citato*; & mirum ſit, quomodo inter cæteros Trincauellius, vir in Galeni lectione exercitatiſſimus, *comm.* 1. *ad Glau.* 3. tres tantummodo partes commemoret, & quartam prætermittat: ex quo velim vos documentum capere, ſi modò in præclaros medicos cupitis euadere, vt nulli quantumuis celebri homini fidem adhibeatis, ſed perpetuò fontes atque ipſum Galenum in primis velitis conſulere. III.

Cum plures ſint partes balnei, non neceſſe eſt, hominem ſimul omnes ingredi, & omnes differentias experiri, ſed modò vna parte, modo altera vtendum eſt, ſicuti natura, vires, ætas, habitus corporis, temporis, & aëris conſtitutio, præcipuè verò affectus præter naturam poſtulant: nam ſicut quibuſdam in totum vti balneo non licet, ita multis ſatis eſt vnam vel alteram balnei partem experiri, & alias partes fugere. Sed ad hecticas febres redeamus. Rhaſes, Auicenna, Auerrh. Auenzoar, & omnes Arabes pro curatione hecticæ febris ſolam ſecundam partem balnei, nempe ſolium aquæ calidæ, vel potius tepidæ videntur probare, cum prima & vltima pars valeat ægrum potiùs calefacere & exſiccare, quam refrigerare & humectare: tertia pariter etſi refrigerat & humectat, propter debilitatem virium, quæ hecticos perpetuò comitatur, nullo modo videtur poſſe perferri. Græci autem, atque in primis Galenus in febre hectica omnes balnei partes probant, præter vltimam, quæ ad ſudorem pertinet, ſed tertiam maximè omnium, nempe aquæ frigidæ, quæ ad refrigerandum & humectandum ægrotum eſt potiſſimùm accommodata, adeo vt ſcribat Galen. 10. *metho.* 10. hectica febricitantes quicunque ad balneum accedunt, niſi in frigidam demittantur, nihil iuuari: & quanquam priores duæ partes quoquo modo poſſunt corpus calefacere, tamen id non fit ſine ratione & vtilitate: namque ita corpus muniatur & præparatur, vt faciliùs & minori cum periculo poſſit frigidam perferre, quippe inquit Gal. ſimile quiddam nobis videtur euenire, cum in frigidam poſt balneum ingredimur, quod ferro euenit dum tingitur: etenim tum refrigeramur, tum roboramur quemadmodum & ferrum vbi candens iam redditum eſt, in frigida mergitur: atque huius rei cauſa ad imbecilla corpora inuentæ ſint balneæ, quæ ea præcalefaciant, atque ad frigidam præparent. Non IV.

diſſimile quiddam faciunt, & qui ſine priore balneo frigida vtuntur, cum ſcilicet ab exercitatione & ſaltu in frigidam deſcendant. Atque hæc eſt doctrina Galen. de balneo aquæ dulcis, in febre hectica, de illius partibus, ac tota adminiſtratione, cuius diſciplinæ exemplum habetur cuiuſdam ægroti, ſicca ventriculi intemperie laborantis, quem ipſe ab aliis medicis ſiccatum curauit. 7. *metho*. 6. Quoniam verò, ſicut Galeni tempore in domibus præcipuè diuitum parata erant omnia loca, omnia inſtrumenta, & quæcunque ad balnei adminiſtrationem pertinēt, ita hoc tempore, & potiſſimùm apud nos, & inſtrumenta & ferè omnia deſunt, ne vſus tam vtilis & præſtantis remedij planè perdatur, mihi libet ad veſtram vtilitatem eam rationem afferre vtendi balnei: quam puto ad noſtra tempora poſſe accommodari, & quam ego aliquando ſoleo adminiſtrare. Primum igitur in cubiculo ægroti

Vſus balnei hoc tempore.

reddatur aër temperatus, & quoquo modo calidior, vt proportione reſpondeat primæ parti, quam veteres *laconicum*, & aliis nominibus vocabant: deinde præparentur duo vaſa, qualia apud vulgares balneatores reperiuntur, quorum alterum aqua calida, vel potius tepida, alterum frigida repleatur, dum æger prius aluo ſponte vel arte exonerata, in linteo poſitus quatuor ſeruis iuuantibus ex lecto blandè & molliter, quantum fieri poteſt, in aquam calidam totus demergatur, in qua aliquantulum moretur, paulo plus vel minus, prout res, atque in primis ægri tolerantia videbitur perſuadere. Galenus quidem curando illo ægroto 7. *metho*. illum detinebat, donec caro tumeſceret, ſed ille tūc vnicam humectationem quærebat, neque vllum caliditatis incommodum timebat, quod quidem in febre hectica timendum eſt, ac proptetea valdè modicum temporis interuallum ſatis fuerit, vt corpus ex vna parte caleſcat quidem, & præparetur ad recipiendam frigidam, ex altera autem nimiam caliditatem non acquirat æger ex aqua calida, iiſdem famulis deducentibus, in aquam frigidam leuiter demittatur, in qua pariter aliquantum temporis pro illius tolerantia moretur, ac demum in proximum lectum moderatè calidum deferatur, in quo toto corpore primùm molli ſpungia, deinde linteis blandè & molliter deterſo, illud poſtremò oleo communi, amygdalarum dulcium, violaceo, & alio id genus inungendum eſt. Atque hæc quidem illa eſt ratio vtendi hoc tempore balneo, quæ admodum facilis eſt, ac maximas vtilitates ſolet afferre. Si quis præterea generaliter de hoc præſidio plura cupit intelligere, is videat Hipp. & Galen. 5. *de ratione victus à textu* 44. vſque ad finem, qui multiplicia & vtiliſſima tradunt præcepta de morbis, in quibus balneum conuenit, de qualitate aquæ, de tempore perfuſionis, de abſterſione, de inunctione, de victus ratione, ad ſummam de omnibus quæcunque ad probam & exactam balnei adminiſtrationem pertinent. Hactenus de balneo & iis rebus quæ foris applicantur, nunc ad altera venio, quæ intra aſſumuntur: hæc pariter apud Galenum tria ſunt: primùm aër, de quo ſemel atque iterum diximus, quod eſt ſatis: ſecundò ſunt alimenta: tertiò potiones, de quibus etſi ſuperiùs diximus, nonnulla ſunt breuiſſimè repetenda, ad rem præſentem maximè vtilia.

Alimenta.

Itaque alimenta ſint refrigerantia & humectantia, facilis concoctionis, boni ſucci: paucorum excrementorum, cremor priſanæ, vel priſana integra, ſorbitio ex alica, panis ex aqua frigida, panatella cum ſeminibus melonum, oua recentia, carnes & teſtes pullorum gallinaceorum, piſces optimi, lactuca, endiuia, modico aceto condita, & quæ habent eandem rationem: quæ quidem alimenta omnia frigida actu debent exhiberi, non tamen omni ex parte frigida, ſicut potiones, vt placet Galeno 11. *metho*. 11. namque potiones celeriter permeant per viſcera, quare non nocent ſicuti alimenta, quæ enim diutius detineantur, forte nimis poſſunt refrigerare: ſed inter cætera omnia lac probatur, quod quidem non ſolùm tanquam alimentum, ſed etiam tanquam medicamentum habet inſignem prærogatiuam, cum ex Galeno 4. *de ſimpl. med*. 17. ſit frigidum & humidum, facillimæ concoctionis, optimi nutrimenti, ac præſtantem vim habeat reficiendi humidam ſubſtantiam, quod ex ipſis infantibus ſatis poteſt demonſtrari, qui ſolo lacte contenti non modò probè nutriuntur, ſed etiam humidam ſubſtantiam quam habent, plurimùm augent: vnde etiam ad confirmandas vires imbecillas præſtantiſſimum eſt, adeò vt teſtimonio Galen. in lib. *de marcore, capite nono*; ex omni parte ad curationem febris hecticæ nihil ipſo lacte magis accommodatum poſſit excogitari. Inter reliqua autem genera lactis teſtimonio Euriphontis, & Herodoti veterum medicorum, necnon Galen. *de ſuccorum bonitate & vitio*. 4. *de marcore* 6. 7. *method*. 6. lac humanum cum propter cognationem & familiaritatem quæ nobis cum illo intercedit, tum propter alias cauſas præſtantiſſimum eſt, ac potiſſimum ſi quis ex mamma mulieris voluerit illud aſſumere, ſiquidem quamprimum lac ex mammia exit, propriam facultatem amittit. Secundo loco eſt lac aſininum, quod omnium tenuiſſimum eſt, minimè coagulatur, & vndique facilè & celeriter in corpus digeritur, quod pariter Gal. cupiebat vt æger ex mammia aſinæ ſumeret, aut ſi id fieri nequit, vt ſaltem illud quàm minimo tempore in ambiente aëre moretur, atque ex mammillis adhuc calens proximè aſſumatur. Tertio loco ab Auerr. ponitur lac caprinum 7. *colliget* 15. quod ex Gal. 5. *meth*. 12. inter lac vaccinum, quod craſſum eſt, & aſininum, quod eſt tenue, medium exiſtit.

Nulli autem dubium eſſe debet, quin lac optimum ſit eligendum, quod tale eſt apud Gal. 5. *meth*. 12. 7. *meth*. 6. quod nullam externam qualitatem guſtui, aſpectui, olfactui præſeferat, quod ſit quàm dulciſſimum, & quantum lacti conuenit, ſplendens, quod demum æqualem habeat ſubſtantiam, adeo vt in eo nullæ diuerſæ partes appareant. Itaque iubet Galen. ſi modo non lac humanum aſſumendum eſt, animal florentis ætatis eſſe eligendum, idoneis alimentis nutriendum, opportunè exercitandum, fricandum, detergendum, vt lac præſtantius euadat: lacti conſueuit Gal. permiſcere paulum mellis deſpumati, tepidi, ne illud cogatur in ventriculo: quandoque conſueuit permiſcere & ſal, ſi quis velit lac citiùs ad aluum deſcēdere 5. *meth*. 12. 10. *metho*. 11. 4. *de ratione victus* 29. At verò in febre hectica, in qua neque mel neque ſal ita videntur conuenire, forte melius fuerit lacti parum ſacchari permiſcere, quod iucundius eſt, neque tam poteſt calefacere & ſiccare, quod ego perpetuò facere conſueui. Gal. poſt balneū & inunctionem ſolitus fuerat lac exhibere, & quatenus ad quātitatem illius pertinet, illa potius quadam coniectura quàm certa ratione poteſt intelligi: coniectura autem eſt, ſi lac non corrumpatur, neque fluctuet in ventriculo, neque vires grauet, id quod licet potiſſimum cognoſcere, ſi motus arteriæ partim ante & partim poſt ſumptum lac diligenter animaduertatur, & inter ſe iſti duo motus comparentur, namque ſi lac corruptum fuerit, eiuſmodi fiunt pulſus, quales ventriculo malè affecto ſolent contingere; ſi autem corruptum non fuerit, tunc pulſus & maiores & valentiores euadunt. Itaque

Galenus principio lactis aſinini non plus dabat vno cyatho: nempe circiter ℥. j. cum dimidia: quod ſi ventriculus hanc quantitatem bene ferret, alterum dimidium cyathum, ac deinde rurſum alterum dimidium cyathum adiiciebat, & ſic ſenſim ad moderatam quamdam lactis menſuram aſcendebat, quam equidem puto quartam, quintam, aut ad ſummam ſextam vnciam continere. Demum verò ſũpto lacte æger quieſcat, caueat à ſomno, ac deinceps facta illius concoctione, quæ non ante quatuor, forte etiam plures horas poteſt fieri, accommodata aſſumat alimenta, de quibus ſatis diximus. Pro potu cauendũ eſt à mulſa: aqua hordei probè præparata, decoctio foliorum endiuiæ, ius pulli dilutiſſimum, mihi viderẽtur conuenire: ſed inter cætera genera potionis, præcipuè ſi vires fuerint imbecilliores, etſi Gal. id prætermitit, vinum tenue & copioſæ aquæ permiſtum, quod illius nocumentum corrigat, & penetrationem iuuet, mea ſententia nullo modo eſſet reiiciendum, cum Gal. doceat 8. *met.* 3. vinum & ad concoctionem, & ad omnia perpetuò eſſe vtilius quàm aquam. Atque hæc de omnibus præſidiis, tam internis, quàm externis, pro curanda febre hectica, ad Galeni mẽtem ſint ſatis.

Cæterum mihi libet ad veſtram vtilitatem quàm breuiſſimè hanc Gal. methodum comparare non ratione curandi, qua vulgares medici ſolent hoc tempore hecticos curare, vt vos non modò ſanam doctrinam intelligatis, ſed etiam valeatis alienos errores cognoſcere & confutare. Primò de aëre nihil cogitant, qui ſuos detinent ægrotos in cubiculis clauſis, obſcuris, ſæpenumero etiam non ſine igne, vt tanto magis calefieri poſſint. Secundò refrigerantia externa medicamenta aut planè prætermittuntur, aut confuſe & temerè adminiſtrantur; ſiquidem cerato Gal. quod ab ipſo cæteris omnibus iure anteponitur, aut nunquam vtũtur, aut ſi modò vtantur, illud minimè thoraci, aut iecori, aut alteri parti præcipuè laboranti, ſed renibus tantummodo apponunt, ac multo minus intelligunt commodam illius adminiſtrandi rationem, cum tela linea, de qua ſuperiùs diximus. Tertiò balneum vel prorſus negligunt, vel peſſima ratione adminiſtrãt, qui vna tantummodo illius parte, ſolio aquæ calidioris vti conſueuerunt, planè ignorantes, perfuſionem aquæ frigidæ hac in re principem locum obtinere, cæteras partes propter hanc præcipuè refrigerationem vtiles eſſe, ac demũ ſine aqua frigida nullos hecticos nulla ratione poſſe iuuari: prætereà quod aduerſus Gal. diſciplinam in aqua decoquunt althæam, maluam, lapatiũ, fumum terræ, capita caſtrati, & alia id genus quã plurima, quæ ſine dubio facultatem remedij perturbãt, & corrũpunt. Poſtremò quatenus pertinet ad victus rationẽ, tot committuntur & tã perniciosi errores, vt iam mirũ non debeat videri, ſi nulli hoc tẽpore hectici priſtinam ſanitatẽ recuperẽt: atque ne ſingula perſequamur quod nimis longũ foret, familiaria ac præcipua hecticorũ alimẽta, quibus medici in præſentia vti conſueuerunt, neque ſolum vulgares, ſed etiã celebriores, illa ſunt, cancri, teſtudines, limaces, quæ omnibus modis adminiſtrantur: namque huiuſmodi carnes vario modo præparatæ comeduntur, illis deſtillatis aquæ conficiuntur pro potione, ex eiſdẽ addita carne pullorũ, vituli, additis nucibus pineis, amygdalis, farina amyli, ſeminibus, quæ communia pãtua appellantur, & aliis rebus; conficiuntur electuaria quæ reſtaurativa appellant; ſic conficiuntur ſyrupi & alia medicamenta. Ad ſummã, tota hecticorum ſalus in cancris, limacibus, teſtudinibus, vel tanquam alimentis, vel tanquam medicamẽtis iam multos annos videtur eſſe conſtituta. Quantum verò hæc viuendi & medendi ratio ſit abſurda, & ab omni ratione aliena, puto eſſe notius, quàm vt longiori indigeat demonſtratione. Etenim ſi Gal. cæteriſque probatis auctoribus vel potius ſenſibus credimus, neceſſe eſt nos fateri huiuſmodi alimenta difficillimè concoqui, craſſum, terreſtrem, melancholicum ac peſſimum ſuccum generare, nec non quamplurimis excrementis ſcatere, quæ quidem nemo non videt laborantibus febre hectica non ſolùm non conuenire, ſed etiam quàm maximè aduerſari, adeo vt, mea ſententia, longè ad hanc rem commodiores & vtiliores carnes porcinæ videri poſſint. Et ſi quis veſtrum à me quærat, quamobrem præter cæteros artis medicæ errores, tam vulgatis & pernicioſus abuſus inualuerit? Id ego puto fieri non alia ratione, quàm quod medici noſtrorum temporum propè omnes, neſcio quo iniquo facto compulſi, non aliis quam nouiſſimis quibuſdam hominibus, qui practici vocantur, perpetuo ſtudent: optimos verò auctores atque in primis Hip. & Gal. parui faciunt, à quibus ſolis, niſi me omnia fallunt, debent hanc artem addiſcere, quicunque in præclaros medicos cupiunt euadere.

Caput XXIV.

De Febribus peſtilentibus.

PRo inſtituto more tractabimus primò de illius eſſentia: ſecundò de differentiis: tertiò de ſignis: quartò de curatione. Quod igitur attinet ad primum, eſſentia febris peſtilentis nobis fiet manifeſta, ſi illius definitionem intelligamus: hæc autem cum apud Gal. & Ariſt. ſit duplex, altera nominis, altera rei, à priore incipiamus. Nominis definitionem aſſequemur, ſi communem hominum de febre peſtilente notionem intelligamus: ita enim Ariſt. Gal. & probati auctores definiendis & demõſtrandis rebus perpetuò progrediuntur. Porrò certum eſt, febrem peſtilentem à peſtilentia nomen accepiſſe, vnde vix licet febris peſtilentis communem notionem intelligere, niſi priùs peſtilentiæ quoque communem notionem intelligamus. Ergo homines putant aliquo tempore eſſe peſtilentiam, cum plurimi ægrotant, plurimi inficiuntur, & plurimi pereunt: hæc peſtilentiæ cõmunis eſt notio apud omnes homines: quare itidem per quandã ſimilitudinem, quotieſcunque aliqua febris plurimos inuadit & interficit, febrẽ peſtilentem appellãt, ad quẽ modũ peſtiferi milites, ſcholares, ciues dicũtur, quicunque in exercitu, in ſchola, in ciuitate, rixis & turbationibus delectantur. Sed ad alterã definitionem, quæ rei naturã declarat, veniamus: nonnulla autem paulo altius ſunt repetenda, atque in primis generalis morborum diuiſio afferenda eſt. Apud Gal. in procemio epidemiorũ morbi ſunt duplices, vel omnibus cõmunes quos Hip. *lib. de aëre & locis*, & Gal. *πανδήμους* & *παγκοίνους* appellant, quaſi totum populum vel omnes aggrediãtur, vel ſunt diuerſi, quos *σποράδας*, hoc eſt, *varios & ſparſos* appellant: priores, vt placet Hip. & Gal. 2. *de natura hum.* 2. & 3. à cõmuni cauſa excitantur, veluti ab aëre aut aliquo genere alimenti & potionis quibus omnes vtimur: poſteriores verò non à cõmuni, ſed à propria cuiuſque hominis cauſa proueniunt, pro variis erroribus, quod ſinguli homines ſolent cõmittere. Verũ prætermiſſis morbis diuerſis, qui ad hoc noſtrũ inſtitutum non pertinent, rurſum morbi cõmunes vel vnam regionem, vel etiam plures aliquo tempore inficiunt, quos Græci *ἐπιδήμιους* vel *ἐπιδημίους*, hoc eſt *vulgares* vel *populares* vocant: vel vnam tantummodo regionem perpetuò infeſtãt, hos Græci *ἐνδήμιους* nos *patrios & domiſticos* poſſumus appellare. De primis multæ ſunt conſtitutiones apud Hip. in lib.

Tract. 4. Cap. 1.

Definitio nominis.

Definitio rei

Diuiſio morborum.

epid. de ſecundis, item apud eúdem Hip. ſunt multa exempla in lib. *de aëre aquis & locis.* Morbi demú vulgares aut ſunt pernicioſi, vt pleroſque interficiant; aut non ſunt pernicioſi, vt multi euadant: ſi fuerint pernicioſi peſtilentes vocantur; ſi non ſint pernicioſi, tunc retinent nomen generis, ac epidemici ſimpliciter, vel populares dicuntur. Hæc generalis eſt & legitima omnium morború diuiſio, quæ à Galeno iam perſpicuè & præclarè tradita eſt, vt certè mirum ſit, quomodo Fernelius ac medici propè omnes hac in re fuerint hallucinati, neque Galeni mentem ſint aſſecuti. Verùm nonnulla adhuc reſtant de hac morborum diuiſione, quæ non debent prætermitti; ac primùm cum Hip. & Gal. quoſdam morbos quandoque peſtilentes, quandoque malignos appellent, id quæritur, vtrùm hæc duo nomina, *peſtilens* & *malignum* eandem, an diuerſam rem ſignificent: ego verò puto malignum cõmunius eſſe & latius patere, adeo vt ex vna parte omnes morbi peſtilentes ſint maligni, ex altera autem non omnes maligni ſint peſtilentes: ſiquidem apud Gal. 1. *epid. 3. com. 1. & aliis locis,* maligni morbi illi ſunt, qui omnibus diligenter adminiſtratis, nihilo meliores fiunt: qui quidem morbi etſi non carent periculo, tamen eodem Gal. auctore 1. *prorrhet.* 15. neque omninò ſpem ſalutis adimunt. Quo loco Gal. reprehendit illum auctorem, quòd exitialem morbum malignum vocauerit: morbi autem peſtilentes non ſolum difficilè curantur, ſed etiam quamplurimos interficiunt, vt poſteriùs videbimus: at verò cú huiuſmodi nominum differentiæ tantúmodo in certis gradibus maioris difficultatis & periculi conſiſtant, hinc fit vt medici alterum pro altero vſurpent ſæpenumero.

Malignum & peſtilens an idem.

Deinde quoniã ſtatutum eſt, morbos communes & vulgares eſſe, quotieſcunque vnus quiſpiã morbus quamplurimos homines inuadit, diſperſos & varios, quando diuerſi morbi diuerſos homines aggrediuntur: dubiú eſt, quoniam in libris epidemiorũ inter morbos epidemicos diuerſi morbi numerantur, quibus homines correpti ſunt, ſicuti apparet 1. *epid. conſtitutione* 1. 3. *epid. ſectio* 7. *com.* 87. *& ſequent.* itaque morbi quoque vulgares erunt diuerſi. Ad hoc reſpódeatis, morbos etſi vulgares ſunt & à cõmuni cauſa proueniunt, minimè vnos atque eoſdem eſſe neceſſariò, ſed ſæpenumero eſſe diuerſos, pro vt ſunt diuerſa téperamenta ætatis, vitæ inſtituta, redundantes humores, & ſimilia, in quibus nulli dubiú eſt, quin diuerſi quoque morbi poſſint generari. Et ſi quis quærat, quomodo huiuſmodi morbi inter ſe diſtinguantur, vtrumne à communi cauſa, an à propriis erroribus generentur? Reſpondeatis hoc diſcrimen ſumi potiſſimùm ab ipſa aëris conſtitutione: namque ſi aër ſalubris fuerit, licebit affirmare morbos eſſe diuerſos, & à diuerſa cauſa originẽ habere: ſi contrà, aër fuerit morboſus, tunc licebit aſſeuerare morbos eſſe vulgares, & à communi cauſa generari: prçterquã quòd ſi morbi fuerint verè diuerſi, facile erit inuenire ſingulorum cauſas ac proprios hominum errores, vnde illi proueniunt: morbi ſimiliter non erunt: adeo multi & ſimiles, ſed in vno homine grauiores, in altero leniores apparebunt, vt errata vel grauiora vel leuiora fuerint. Sin autem morbi fuerint cõmunes, tũc morbi erunt plures, multi etiam ferè ſimiles, vt naturæ communis cauſæ conuenit: de qua re ſi quis plura cupit, is videat Gal. in proœmio epid. 1. *epid.* a. 7. 3. *epid.* 3. *com.* 9. & 55. Itaque ex cõmuni notione, nec non ex doctrina Hip. & Gal. ita habendum eſt, morbos peſtilentes illos eſſe, quicunque ſunt vulgares, & adeo pernicioſi, vt maiorem hominum partem interficiant, quod diffusè in noſtro lib. confirmauimus. Iam verò ad febres peſtilentes, & primum nobis propoſitũ locũ, qui illarum naturam & eſſentiã tractat, veniendũ eſt, de qua quidem re cum hoc potiſſimũ tempore admodum variæ ſint hominum opiniones, mihi ſtatutum eſt cæteris omnibus prætermiſſis illam tantummodo ſententiam in medium proferre, quam puto veriorem eſſe, ac doctrinę Hip. & Gal. magis conſentire. Vno igitur verbo ego quidem cenſeo, naturam atque eſſentiam febris peſtilentis in quadam inſigni & excellenti putredine conſtituendam eſſe, adeo vt huiuſmodi febris à cæteris febribus putridis nulla ratione, prçterquã hoc ſummo putredinis gradu cenſenda ſit differre, atq; id primum accipio, quod puto à nemine in dubium reuocari, & quod traditum eſt à Gal. 1. *de diff. feb. c.* 5. *initio*, omnes febres peſtilentes à putredine originem habere: ac ſanè ſi earum generationem conſideremus, de qua item diffusè tractat Gal. c. 4. ſiue ex aëre, ſiue ex victus ratione, ſiue aliter originem habeant, facilè comperiemus, aëris conſtitutionem calidam & humidam, alimenta praui ſucci, impeditam meatuum ſpirationem, obſtructiones, ad ſũmam, omnia hæc in re principem locum obtinere, quæcunque putredine efficere, augere, aut quouis modo fouere poſſunt. Pariter ſi memoria repetamus rationem præcauendæ & curandæ febris peſtilentis, quam ſimiliter Gal. præclarè docet c. 4. ſatis vnicuique poteſt conſtare, præcipuas in hac re eſſe indicationes, vt corpora humida omnibus modis exſiccentur, ſicciora in eodem ſtatu conſeruentur, quæcunque excrementis ſunt plena, purgationibus ſanentur, obſtructiones meatuũ ſoluãtur, atq; vno verbo, vt corpora ſint pura, & ab omni putredine ſibi caueant. Quod ſi ita hæc ſe res habet, inter febres putridas & peſtilentes non aliud, mea ſententia, diſcrimen fieri poteſt quàm quod & minor putredo poteſt afferre: nam ſicuti de minore putredine generantur febres admodum mites, quæ vel à ſola natura facilè ſuperantur, de maiore autem putredine generantur febres difficiliores, quæ remediis indigent; ita eſt rationi conſentaneum, de maiori adhuc & ſumma putredine febres difficillimas generari, quæ neque à natura, neque ab arte facile poſſunt ſuperari. Hanc ſententiam confirmat Gal. cum aliis locis, tum maximè 5. *epid.* 3. 23. 6. *epid.* 1. 29. 3. *de præſagio ex pulſ.* 4. in quibus apertiſſimè teſtatur, calorem febris peſtilentis non aliter quàm per excellentiã putredinis à reliquis febribus putridis differre. Et ſi quis demum quærat, qualiſnam & quanta ſit huiuſmodi putredo, quæ febrem peſtilentem efficiat? Reſpondeatis eam talem & tantam eſſe, vt cum veneno æquari & conferri poſſit: quam reſponſionem licet vobis colligere ex Gal. 6. *de locis aff.* 5. vbi determinat, in corpore humano eadem mala fieri poſſe, & à lethalis veneni ſumptione, & à corruptione, quæ in noſtro corpore generatur, cum reuera in noſtro corpore poſſint generari humores verè venenati: quod item poteſt confirmari per eundem Gal. 6. *epid.* 6. 5. qui in eodem gradu collocat medicamenta deleteria, venenatas feras venenum iaculantes, quoſdam ſuccos ex improbo victu, aut peſtilenti aëre genitos, ex quibus omnibus ille ſcribit quoſdam dolores malignos fieri: quod pariter poteſt confirmari l. *de cibis boni & mali ſucci a principio*, vbi Gal. narrat ex alimentis prauis, veluti quodam veneno, febres & alios morbos peſtilentes genitos fuiſſe. Itaque ad mentem Hip. & Gal. concludendum eſt eſſentiam, & naturam febris peſtilentis in ſumma quadam putredine conſiſtere, quæ veneni malitiam imitetur, de qua poſteriùs accuratè tractabitur. Ad differentias veniamus.

De eſſentia febris peſtilentis.

Differentiæ febris peſtilentis ſunt quamplurimæ, & primùm quædam ſunt putridæ, quædam ſunt hecticæ, quædam ſunt ephemeræ, prout calor præter

naturam

naturam vel humores, vel ſubſtantiam, vel ſpiritus cordis occupat. De priori differentia febris peſtilentis putridæ nulla eſt dubitatio: alterius hecticæ manifeſtè Galen. meminit 10. *meth.* poſtremi averbis 3. *de praſ. ex pulſ.* 3. & 4. Tertia verò differentia quæ ad febrem ephemeram pertinet, eſt inuentum quorundam modernorum, quam aſſerunt fieri putreſcẽtibus ſpiritibus, & illam eſſe de qua Gal. & Auic. ſcribunt, lotia eſſe optima, nec non pulſus ferè naturales, quod humores ſint omnis putredinis immunes, ſed tamen ægros interire: qualem febrem ephemeram peſtilentem aiunt fuiſſe in Anglia ſuperiore tempore, in qua regione plurimi corripiebantur febre quæ vnicam diem durabat, & copioſiſſimo cũ ſudore moriebantur: de qua febre ſcribit Fracaſtorius lib. 2. *de morbis contagioſis* 5. vulgo *ſudorem Anglicum* appellant. Ego verò eſſeu hoc inuentum potius cõmentum & ſomnium eſſe, nullamque febrem ephemerã eſſe peſtilentem: etenim ſicuti paulo ſuprà diximus, cum febris peſtilens propria ratione ſit perniciosa, ac pro maiori parte homines perdat, contrà autem febris ephemera, quod item ſuo loco ſatis confirmatum eſt, propria natura careat ſymptomatibus, & ſit planè ſalutaris, certum eſt maximam contradictionem implicare, quicunque morbum ſalutarem volunt eſſe peſtilentem & perniciosum. Et quanquam negandum non eſt, ſpiritus poſſe putreſcere, cum ea doctrina Ariſt. *meteor* res omnes, vno excepto igne, putreſcãt, tamen illud ſciendum eſt, ſi ſoli putreſcant ſpiritus, non cõmunicata putredine alteri ſubſtantiæ, quod mea ſententia non niſi breui tempore, aut fortaſſe nullo modo fieri poteſt, tunc febrem fieri minimè perniciosam, ſed quæ paucis horis bene terminabitur. nam quod obiiciunt de pulſu & vrina, quæ non longè diſtant à pulſu & vrina ſanorum hominum, id nihil eſt, quoniam paulo poſt demonſtrabimus Gal. & Auic. de febre peſtilenti hectica, minimè de ephemera ſermonem habere. Id pariter exemplum de ſudore Anglico nihil concludit, propterea quia copioſi illi ſudores, qui nunquã apparent in ephemeris, demonſtrant apertiſſimè, eam febrem putridam fuiſſe. Itaque reuera febres peſtilentes apud Hipp. & Gal. tantummodo ſunt duplices, quædam putridæ, nonnullæ hecticæ, nullæ ephemeræ. Putridæ ſunt in quibus putreſcunt humores, hecticæ in quibus putreſcit ſubſtantia cordis.

Febris ephemera peſtilens non datur.

Dubitatio pulcra.

Sed rurſum dubium eſt de febres hectica, quoniã Gal. affirmat manifeſtiſſimè omnes febres peſtilentes ex putredine fieri, qui ita ſcribit 1 de diff. feb. 5. *quoniam mentionem fecit peſtilentiũ, quæ omnes à putredine ortum habent*, &c. adeo vt neque vlla hectica febris peſtilens videatur poſſe reperiri. Ad hanc difficultatem reſpondent nonnulli, febres non ſolùm putridas, ſed etiam hecticas, ea putredine fieri, propterea quia vtraque ex putredine aëris generatur: quare etſi in hectica nulla adeſt interna putredo, ſed tantummodo ſubſtantia cordis habet calorẽ putridum in ſacto eſſe, tamen ratione putreſcentis aëris ex quo generatur, volunt illam ex putredine generari. Verùm hæc reſponſio etſi videtur ingenioſa, & eſt clariſſimorum hominum, tamen non quadrat: namque non licet ſtatuere de vario genere febriũ ex cauſis quæ illam efficiũt, ſed ex ſubiecto, quid à calore præter naturã occupatur; neque Gal. vbi aſſerit omnes febres peſtilentes ex putredine fieri, aliam quàm internam putredinem intelligit, qui eo loco diſputabat de ſententia Athenæi & ſequacium, qui aſſerebant, omnes febres ex interna humorũ putredine generari, quibus fatetur ſe maxima ex parte conſentire, cum excipiat vnas tantummodo febres ephemeras: quare adhuc ratio permanet in ſuo robore.

Gal. ita videtur hanc difficultatẽ diſſ... hecticam peſtilentem propterea ea putredine, quòd in ea putreſcat ſubſtantia cordis: ſed girl, quoque decretum nouis difficultatibus non caret; ſiquidem multis videtur alienum à ratione, neque vllo modo fieri poſſe, vt ſtante vita cor, membrum principaliſſimum, putreſcat; ea quibus eſt Trincauellius, qui longa oratione id conatur probare, ea potiſſimùm ratione, quòd cor neque aliquam continui ſolutionẽ, neque abſceſſum, neque initium inflammationis ferre poſſit: quod ſi cor nõ fert morbos leuiores, multo minus putredinem omniũ morborum grauiſſimũ poteſt perferre: itaque concludit, ſubſtantiã cordis minimè putreſcere, ſed tãtummodo malignã quandã & venenatã qualitatem contrahere ab aliena putredine, quemadmodum corrupto vino dolium tametſi non corrũpitur, tamen prauam qualitatẽ acquirit, vt deinceps omne vinũ, licet optimũ, in eo repoſitum corrumpat. At verò hæc ſententia multa continet, quæ à Gal. doctrina videntur diſsẽtire, atque illud primũ quod Trincauel. inquit, cor nullã continui ſolutionẽ poſſe perferre, manifeſtè aduerſatur Gal. qui de aff. & vulnerib. cordis hæc habet, 1. *de locis aff.* 2. *Phlegmone autẽ manifeſtè laborãte corde in gladiatoribus vidimus ſequi mortem ſimillimã iis, qui cardiaca ſyncope pereunt: igitur ſi ad aliquem ventriculorum qui in corde ſunt, vulnus penetrauerit, confeſtim cũ copioſa ſanguinis excretione moriuntur, præſertim vbi ſiniſter ventriculus fuerit vulneratus: ſi verò vulnus ad ventriculũ vſque nõ pertingat, ſed in cordis corpore cõſiſtat, aliqui non ſolũ ea die qua vulnerati ſunt, ſed ſequente etiam nocte vixerũt, mors tamen phlegmonis ratione ſecuta eſt.* Hæc Gal. Et ſi quis pro Trincauellio reſpondeat, verum quidẽ eſſe, cor in inflãmationibus, & vulnerib. & aliis morbis, malè affici, ſed illos diutius non perferre, imò verò breui tẽporis ſpacio illos mori, hoc ipſũ Gal. de putredine cordis teſtatur, qui ſcribit, putreſcẽtibus humoribus quoſdã ſanari, putreſcente autẽ ſubſtantia cordis, neminem euadere: ſunt hæc illius verba 3. *de de præſag. ex pul.* 3. Quã enim excogites medicinam ad putredinẽ quæ cor occupauit? Nam quibus calor hic putridus ab humores quos continet ſinus cordis, magis deflectit. quã ad ipſum corpus viſceris, multi horum fuerunt ſuperſtites: deinde niſi ſubſtantia cordis putreſcãt, ſed illud tantũmodo praua qualitate inficiatur, quæ ipſo Trinc. interprete naturalẽ illius tẽperiem mutat, non video quã ratione febris hectica peſtilẽs, ab altera hectica non peſtilenti poſſit differre: ſiquidẽ in vtraque calor præter naturam in facto eſſe cordis ſubſtantiã occupat. Et ſi quis eã differentiã afferat, quòd hectica peſtilens ab aëre putrido generatur, altera minime, iam diximus, cauſam externã, qualis eſt aër, non permutare ſpeciem morbi: itaque neceſſe eſt in partibus internis aliquod diſcrimen extare, quod apud Gal. non aliud eſt quàm putredo, adeo vt in reliquis febribus hecticis calor præter naturam ſimpliciter ſubſtantiã cordis poſſideat, in peſtilentibus autem eadẽ ſubſtantia cordis putreſcat. Præterea ſi in hectica peſtilenti ſubſtãtia cordis non niſi à proximis humoribus malam qualitatem acquirit, ſicuti exem plo vini & dolij illud continentis Trincauel. ſignificat, vt nulla hectica peſtilens ſtatim in principio fiat, fateamur neceſſe eſt, quod tamen de ſententia Gal. perſpicuè falſum eſt, qui hæc habet 3. *de præſ. ex pulſ.* 4. ad finẽ: *Etenim ſunt, vt docuimus, peſtilẽtes nõ pauca, inde vſque ab initio hectica, diſtantque ab omnibus aliis febrib. quæ ex magna putredine oriũtur.* Quomodo autẽ ſubſtãtia cordis primum putreſcat, non putreſcẽtibus humoribus, Gal. declarat id fieri propterea, quia cor tanto calidius eſt, quã natura poſtulat, & ad patiẽdũ aptius, quãto humores, qui ab illo continentur,

...tur, ſunt frigidiores, & ad patiendũ inc-cont..., vt mirum non ſit, ſi ab aëre putrido pars p... diſpoſita, ſubſtãtia cordis, facilius quàm mi-n... diſpoſita, hoc eſt humores, malè afficiatur. Po-ſtremò ſi quis vanitatem iſtius opinionis non ſatis intelligit, nobis licet addere ſymptomata hãc febrẽ comitãtia, quæ non ſolũ malignam qualitatem, ſed inſignem putredinẽ demonſtrant, qualia inter cætera eſt fœtor anhelitus, quod propriũ eſſe putredinis ſignũ cõſtat inter omnes: ex quo ſymptomate inquit Gal. vulgares quoque homines docti experientia febrem peſtilentem cognoſcunt, & proximã mortẽ expectant: ſed hac de re ſatis. Ex quibus puto ſatis conſtare, quas eſſe differentias febris peſtilentis, alteram putridam, alteram hecticã & quomodo verè ſcripſerit Gal. omnes febres peſtilẽtes ex putredine originẽ habere: itaq; ad alia progrediamur.

Fœtor anhelitus ſignum putredinis.

Cauſa febris peſtilentis. Secundò, differentiæ febris peſtilentis ſumuntur à cauſis, quæ generaliter ſunt illæ omnes, quæcunque in corpore talẽ & tantã putredinẽ poſſunt excitare, vt naturæ & viribus veneni poſſit cõparari: ſpeciatim verò ſunt duplices aliæ externæ, aliæ internæ. *Aër.* Inter cauſas externas aër principem locum obtinet, adeo vt non deſint, qui nullã præterea externã cauſam velint cognoſcere, quod item videntur probare Hip. & Gal. qui ſcribunt, morbos peſtilentes ex vnica aëris malitia originem habere, 2. *de natura hum.* 3. in prooemio *ep. ad fin l. de theriaca ad Piſonẽ* 14. 1 *de diff. feb.* 4. de qua opinione paulò poſt tractabimus. Ergo aër vt Gal. docet de *diff. feb.* 4 vel inſpiratus, vel extrinſecus corpori circũfuſus facile poteſt cor alterare, & febrem peſtilentem efficere, quotieſcunqe à ſua naturali conſtitutione degenerat, & pernicioſus redditur. Id quoque multis modis videtur fieri poſſe: ac primùm ſi ille manifeſtis qualitatibus præter modũ alteretur: præcipuè verò ſi calidior & humidior reddatur, ex quibus duabus qualitatibus, veluti quodã ſeminario, iam diximus omnem putredinẽ oriri. Secundò ſi aër à putrida exhalatione fuerit cõtaminatus, qualis fieri ſolet aliquando à cadaueribus inſepultis, ſicut in præliis euenit, aut ex paludibus, vel ſtagnis æſtiuo tẽpore, aliiſque huiuſmodi rebus & locis, ex quibus putrida exhalatio euaporat: ex quibus quidẽ noxiis exhalationibus ſcribit Galen. 2. *de natura humana* 4. corpora lædi magis ex totius ſubſtantiæ proprietate, quàm ex ſimplici qualitate. Tertiò, addit Galen. ex aër quaſi per quoddã contagiũ febres peſtilentes fieri, qui ſcribit 1. *de diff. febr.* 4. propter continuitatẽ ex Æthiopia quædã putrida inquinamẽta ſubiiſſe, quæ iis febris cauſa fuerũt, qui habebant corpora parata vt ab iſtis læderẽtur. Poſtremò addunt nonnulli febrẽ peſtilentẽ fieri propter neſcio quos aſpectus, poſitiones, & cõiunctiones cœleſtiũ corporũ vel præterea propter neſcio quã malignã, occultam & inexplicabilẽ qualitatẽ aëri inſperſam: de quorum opinione diximus in noſtro libello.

Victus. Secunda externa cauſa ſuccedit victus ratio, ex quo colligendũ eſt, illos malè ſentire, quos modo diximus opinari febres peſtilentes ex vno aëre originem habere: de qua quidẽ victus ratione tanquã externa ſecunda cauſa perſpicuè loquitur Gal. 1. *de natura humana* 3. *de ſuccorũ bonitate & vitio à principio, &* 1. *de diff. feb.* imò verò initio primi *epid.* 3. 9. ſub victus ratione cõprehendit non ſolùm cõmunia alimenta & potiones, ſed etiã cõmunia ſtudia vitæ, cõmunes labores & exercitationes, ſicuti exẽpli gratia, nonnunquam euenit in exercitu. Quod ſi Hip. & Gal. locis ſuprà poſitis vnius aëris mentionẽ faciũt, id propterea factũ eſt, eodẽ Galen. interprete loco proximè citato, quod tum cauſam cõmuniũ morborũ frequentiſſimã voluerint explicare, cũ certũ ſit morbos cõmunes longè frequentiùs ex aëre, quàm ex victu aut occupationibus & ſtudiis prouenire.

Qualis autem ſit victus ad efficiendas febres peſtilentes accommodatus, declarat Gal. 1 *de diff. feb.* 3. qui ea enumerat alimenta, quæ partim natura praua ſunt, prauóſque in corpore generant ſuccos, ſicuti allia, naſturtium, porrum, braſſica, & quæcunque allia ſylueſtria nominantur: partim etiam ſi natura bona ſint, tamen ob quandam putredinem prædictis alimentis æqualem, aut etiam ſæpenomero maiorem, prauitatem acquirunt, qualia ſunt triticum, hordeum, & cæteræ fruges, quæ ad alimenti vſum aſſumuntur partim ob temporis diuturnitatem ad putridum affectum deductæ, partim propter malam repoſitionem ſitu repletæ, partim verò in prima generatione ſunt vitiatæ: ſi quis alia id genus prauorum alimentorum exempla cupit ſcire, talia ſunt, carnes longiore tempore mactatæ & malè olentes, carnes quæ non manu hominis, ſed vi morbi mortuæ ſunt, fructus quicũque ad quandam putredinem declinant, vinum corruptũ, aqua immunditias vrbis recipiẽs, vel in qua malæ ſtirpes, cannabis, linũ, & ſimilia madeant, & alia id genus quamplurima.

Cauſa interna. Sed ad cauſas febris peſtilentis internas venio, ac prætermiſſis cauſis communioribus, quales ſunt humorum plenitudo, cacochymia, prohibita tranſſpiratio, obſtructiones, quæ omnibus febribus putridis communes ſunt, ac nullam continent difficultatẽ, de proximis & immediatis agendum eſt. Sunt nonnulli recentiores qui putant internam proximã cauſam febris peſtilentis vnicam eſſe, nimirũ putredinẽ ſanguinis & omniũ humorum, qui mea ſententia manifeſtè decipiuntur: nãque hac ratione ex vna parte omnis febris peſtilens foret ſynocha, & ex altera omnis febris ſynocha foret peſtilens: cum ex Gal. doctrina conſtet, ſynochum fieri quotieſcũque vniuerſa humorum maſſa putreſcit: quod quidẽ eſt tam abſurdum, vt non indigeat confutatione. Ac ne fruſtra ſim longior in recenſendis aliorũ opinionibus, ſciendum eſt, apud Gal. hæc duo nomina, *vulgare & peſtilens*, non eſſe nomina alicuius certi & determinati morbi, ſed generaliter ad omnes morbos pertinere: neque enim, ille inquit 3. *ep.* 3. 20. certi morbi eſt nomen vulgare vel peſtilens, verùm quicunque morbus vno in loco ſimul multos inuadit, vulgaris hic vocatur, qui ſi ſimul hoc habeat, vt multos interficiat, peſtilens dicitur: quod quidem non ſolum de cæteris morbis, ſed etiam de febribus ſtatuendum eſt: nam ſicuti ſcribit Gal. 3. *epid.* 3. 9. hominibus variç contingunt morborum & febrium differentiæ, propter variam aëris temperiem, naturam vniuſcuiuſque, & victum quem ſanus ſeruat, qui victum appellat, non ſolùm qui alimento & potione conſtat, verùm etiam cæteris omnibus, vt otio, exercitatione, balneo, venere, & quæcunque generaliter homines facere conſueuerunt. *Vulgare & peſtilens ſunt idem.*

Cum igitur varij humores putreſcentes, & omnes ſimul, & ſinguli ſeparatim varias febris differentias conſtituant, iam verò ſtatutum à nobis fuerit, febres peſtilentes non aliter, quàm excellenti putredine à reliquis febribus putridis differre, equidem non poſſum niſi illorum ſententiã probare, qui aſſerunt, quãlibet differentiam febris, à quocunque humore originem habeat, & quomodocunque generetur, dummodo putredo ad ſummum quendam gradũ perueniat, peſtilentem eſſe & nominari poſſe. Veritatem huius opinionis demonſtrãt ſymptomata haſce febres comitantia, quæ vſque adeo varia, diuerſa & contraria ſunt, modò vigiliæ, deliria, ſitis intenſa, inquietudo, modò ſomni, ſopores, lethargi, ſtupores, modò mœſtitiæ, timores, & alia propemodum infinita, vt facile diuerſorũ humorum copiam poſſint demonſtrare: ſpeciatim verò contra-

tus & expulſiones naturæ, variaque excrementa id confirmant manifeſtiſſimè; ſiquidem natura quandoque per totam cutem, quandoque per partem determinatam, per vomitum, nares, quotidie per aluum & lotium, ſolet transmittere & purgare, modò vnum, modò alterum, modò plures, modò omnes humores, à quibus veriſimile eſt, vel potius neceſſarium, varias febres excitari. Quæſo enim, gratia exempli, Socrates annorum 30. temperamenti calidioris & ſiccioris, æſtate nimiis curis, exercitationibus, vigiliis afflictus, tenuiore victus ratione vſus, febre peſtilente corripiatur, in qua lotia, excrementa alui, per lodi, & omnia ſymptomata copiam putreſcentis bilis demonſtrent, cui dubiũ poteſt eſſe, hanc febrem inter bilioſas reponendam eſſe? quod item de cæteris ſtatuendum eſt: ac ſanè hæc fuit ſententia Hippocr. qui in peſtilenti conſtitutione inter varios morbos, ex quibus plurimi moleſtabantur, omnes propemodum differentias febrium numerat, per hæc verba 3. epid 3. 64. *Multa præterea febrium genera vulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, vagarum, faſtidioſarum, incõſtantium.* Gal. in com. *Quoniam*, inquit, *humores noxij erant diuerſi, ideo cum alij morbi, tum plura inciderunt febrium genera.* Neque verò apud Hippocr. & Gal. huius diſciplinæ exempla deſunt, qui cùm aliis locis, tum maximè in prima illa peſtilentia, narrant nonnullos à febribus ardentibus & phrenitide, nonnullos à febribus pituitoſis & ſopore, nonnullos aliter laboraſſe, prout varij humores putreſcebant, & varias corporis partes occupabant. Ex quo illud quoque vobis licet colligere, neque illos bene ſentire, qui docent febres peſtilentes ex humoribus in corde putreſcentibus perpetuò generari, cùm imò verò ſicuti in aliis febribus putridis, quod aliàs de Galeni ſententia docuimus, quandoque in iecore, ventriculo, cerebro, renibus & aliis partibus, minimè in ſolo corde, fons caloris febrilis ſoleat reſidere, idem planè de febribus quoque peſtilentibus ſtatuendum ſit; quod quidem etſi ex iis quæ hactenus diximus, debet vnicuique ſatis conſtare, tamen cum hæc opinio ſit celebris & clariſſimorum hominũ, debet rurſum à nobis confirmari; ac primùm ſi id verum eſt, quæ certiſſima eſt ſententia Galeni, & iam ſatis confirmata ſæpiuſque reperita, febres peſtilentes vna inſigni putredine à cæteris differre, quid eſt quamobrem, gratia exempli, febris ardens primùm malè affecto iecore facta, illa inſigni putredine quæ ad peſtilitatem efficiendam neceſſaria eſt, mox conſentiente corde, peſtilens dici non debeat? Deinde cum natura fabricauerit quaſdam proprias, & peculiares partes, multis glandulis ſcatentes, ad quas membra principalia facilè poſſint, quod ipſis noxium eſt, deponere, cum propter ſui imbecillitatem omnium maximè ad recipiendas fluxiones ſint accommodatæ, quæ vulgo à medicis *emunctoria* dicuntur, quales ſunt ad inguina pro iecore, ad alas ſiue axillas pro corde, ad aures pro cerebro, ſi in febre peſtilente perpetuò cor laboret, primùm & per ſe perpetuò quoque ad axillas ſequerentur decubitus materiæ noxiæ, quod experientia demonſtrat falſum eſſe, cum natura ſæpenumero non modò ad axillas, ſed etiam ad aures, ad inguina, & ad alias partes quærat noxia excrementa deponere, & ſe ipſam exonerare.

Sed tandem videamus quid Hippocr. & Galen. de hac difficultate ſentiant, vno autem aut altero teſtimonio contenti erimus: ſi quidem & nimis longum, & ſuperuacaneum foret ſingula recenſere. Itaque Hippocr. deſcribens peſtilentem conſtitutionem, quæ multarum gentium fuit communis, inter quàm plurimos & varios morbos qui erant vulgares & pernicioſi, 3. *epid.* 3. 11. hæc habet. *Febres ardentes, phrenitici:* & Galen. *in com. Ardentes febres extiterunt, inuadentibus in iecur & ventriculum bilioſis excrementis, phrenitici verò iiſdem caput petentibus.* Et ſequenti com. 12. *Memoria eſt repetenda hæc communis ratio, ab eodem ſtatu genitum putridum humorem non eaſdem partes aggredi, quòd neque per naturam eo ſtatu corpus omnium in eadem conditione poſitum fuiſſet, ſed aliis alia pars infirmior eſſet:* quam eandem ſententiam repetit paulo pòſt 33. *com.* & rurſum Hippoc. 1. *epid.* 2. 73. *At verò circa æquinoctium vſque ad vigilias, & ſub hyemem conſequebantur ardentes febres:* & Gal. *in com. Ardentium febrium & phrenitidis, pro loci diuerſitate, quem tenet idem humor, auctor eſt: nam cum in vaſorum ſpatiis cum ſanguine continetur flaua bilis, contingit febres ardentes fieri, præcipuè verò vbi in ventris aut iecoris, aut in pulmonis venis efferueſcit,* &c. Demum verò 3. *epid.* 2. in proœmio Gal. interpretatus ſententiam Hipp. ex 1. progn. hæc habet: *Qui ſimpliciter confirmat, febres ex hypochondriis eſſe malignas, conuenientibus neglectis conditionibus, quas affert Hipp hic apertè mentitur: quippe longè erat verius dicere, febres à cerebro affecto maligna ſunt: febres in membranis quæ cerebrum continent affectis, malignæ: febres à pulmone affecto malignæ: iam verò & præ iis febres corde affecto maligna.*

Ex quibus locis ita plana mihi videtur eſſe ſententia Hippocr. & Galen. Vt planior eſſe non poſſit, nempe malignas & peſtilentes febres fieri propter inſignem putredinem, non ſolùm humorum qui continentur in corde, ſed etiam cæterorum, qui iecur, cerebrum & reliquas partes occupant, quæ inſignem cum corde conſenſum habent.

Itaque redeundo ad noſtrum inſtitutum, ita habendum eſt, ad mentem Hippocr. & Galen. internam proximam cauſam febris peſtilentis vnicam *Summa.*
eſſe putredinem humorum, qui vel ſimul omnes, vel ſeparatim ſinguli, aut in corde, aut in partibus cordi conſentientibus tam inſigniter putreſcunt, vt veneni vires acquirant, & illa ſæua afferant ſymptomata, de quibus paulò pòſt ſermonem habebimus: atque hinc fit, vt variæ febrium peſtilentium differentiæ conſtitui poſſint, pro varietate humoris putreſcentis, & loci primùm affecti, & tertianæ & quotidianæ, & quartanæ, & ſynochi, & ardentes, & vno verbo, quæcunque febrium putridarum differentiæ poſitæ ſunt: quod quidem etſi verum eſt, tamen equidem puto febres peſtilentes maiori ex parte inter bilioſas & ardentes numerandas eſſe, omninò rariores eſſe pituitoſas, etſi ſcribit Galenus 4. *de ratione victus* 13. ex ſalſa pituita quandoque excitari febrem, in qua ſicuti ex flaua bile, & ſitis intenſa, & alia id genus ſymptomata fieri ſolent, rariſſimas, ac fortaſſe nullas peſtilentes eſſe quartanas, cum rarò admodum quartana continua reperiatur, vt ſuo loco diximus.

Tertio loco ſumuntur differentiæ febris peſti- *III Differentia alia.*
lentis à ſymptomatibus, necnon à coniunctis: quæ differentiæ ſunt quamplurimæ: & primùm aliæ febres ſunt cum peſte, aliæ ſunt ſine peſte: de prioribus cum peſte omnes conſentiunt: poſteriorum ſine peſte perſpicuè mentionem facit Galenus 3. *epid.* 3. *com.* 57. per hæc verba: *Peſtis longiſſima quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex iis quæ per aluum vacuantur, omnes propemodum ſuſtulit, quæ euacuabantur erat colliquatio, quod quidem videtur ſymptoma eſſe in perpetuum febris, quam peſtilentem priuatim vocant, cum vel citra peſtem mortales corripit.* Quam eandem ſententiam reperit 5. *de præſag. expulſ.* 4. Et ſi quis altera ex parte quærat, an ſimiliter peſtis ſine febre poſſit conſiſtere, is

videtur

Digitized by Google

videat noſtrum libellum de peſte. Deinde ſciendum eſt ex Paulo *lib.* 2. 36. nec non ex Aëtio *lib.* 5. 95. in febre peſtilenti ſæuiſſima quæque & horrendiſſima ſymptomata vigere, vigilias, deliria, ſyncopes, deiectam appetentiam, atque vno verbo quæcunque ad læſionem omnium facultatum & omnium partium noſtri corporis pertinent: at verò cum cætera omnia aliis quoque febribus contingant aliquando, illa potiſſimùm febrium peſtilentium quodammodo propria videntur, quæcunque ad varias corporis partes à natura ſolent tranſmitti, quippe nonnullis vel ſtatim principio febris, vel progreſſione temporis quædam maculæ vel papulæ per totam cutem erumpunt, quæ vulgo *petechiæ* appellantur, quæ quidem colore, magnitudine, copia, valde inter ſe differunt,

Peticulæ, bubones unde. ſiquidem & nigræ, & purpureæ, & liuidæ, forteque aliis coloribus præditæ, & maiores, vt notabilem corporis partem occupent, & minores vt morſibus pulicum aſſimilentur, & plurimæ & pauciores, planè diuerſo modo ſolent apparere, de quibus litigant recentiores, vtrùm Galeno & antiquioribus cognitæ fuerint necne: nonnullis autem non papulæ, ſed tumores inſignes eruptiones faciunt, modò vnus, modò plures, qui cum alias corporis partes, tum maximè glandulosas ſolent occupare, qui bubones parotides, carbunculi, & aliter nominantur.

Ac ſanè debet omnibus conſtare, huiuſmodi eruptiones & decubitus non aliter fieri, quàm à natura pugnante aduersùs morbum & cauſas morbi, quæ perpetuò quantum poteſt, quicquid illam fatigat & opprimit, conatur à partibus principibus ad partes externas & minùs neceſſarias deponere, & ſe ipſam exonerare: de quo quidem conatu & inſtituto naturæ loquitur Galenus in libro de atra bile 4.

Verùm etſi diximus & peticulas, & cæteros decubitus propria ferè eſſe ſigna febris peſtilentis, tamen id ſciendum eſt, neque id generaliter verum eſſe, neque huiuſmodi ſymptomata illis propria & inſeparabilia eſſe: ſiquidem ex vna parte nonnunquam euenit, vt in febre manifeſtè peſtilenti, ac forte cæteris maligniore, neque papulæ, neque tumores, neque vlla naturæ depulſio conſpiciatur: ex altera autem, vt non ſolùm in ſimplici febre, ſed etiam vt placet Aetio & multis, qui id confirmant verum eſſe, ſine febre interdum compareant & maculæ, & alia id genus externa ſymptomata, quæ ab omni peſtilentis affectus ratione ſunt aliena, & nullum periculum afferunt: verùm cum hoc tempore in febribus peſtilentibus inter cætera admodum frequenter peticulæ erumpant, hinc factum eſt, vt multi huiuſmodi ſymptoma proprium eſſe velint, adeo vt non alio nomine huiuſmodi febres quàm peticulares, aut ſimpliciter peticulas ſoleant appellare.

IV. Differ. Poſtremò ſumuntur differentiæ ab intenſo & remiſſo: etenim licet putredo inſignis concurrat: neceſſariò, tamen ea vnico puncto non clauditur, ſed poteſt varios gradus habere, ſicuti ſcribit Galen. 9. *de ſimpl. med.* de bolo armena, in peſte ſui temporis grauiſſima, quoſdam ægrotos leuiter, quoſdam grauiter febricitaſſe, nonnullos planè febris fuiſſe immunes, adeo vt hac ratione nobis quoque liceat ſecundùm varios gradus putredinis, varias febris peſtilentis differentias conſtituere, quarum aliæ ſint magnæ, aliæ minores, aliæ maximæ: ex quibus forte priores veriùs malignæ, quàm peſtilentes dici debent.

Atque hactenus de differentiis febris peſtilentis: itaque accedamus ad ſigna, & cum plerique omnes hanc partem alioqui maximi momenti, admodum negligenter & confusè tractent, nos conabimur accuratè & diſtinctè, quantum fieri poteſt, ſingula hæc ſigna explicare, vt vos probè *Signa.* diſcatis febres peſtilentes cognoſcere, in qua re non ſolùm iuniores & parum exercitati, ſed etiam ſeniores, & multum exercitati decipiuntur ſæpenumero.

Calor. Calor itaque febris peſtilentis ad tactum non vehemens, non acris, ſed potiùs mitis ac remiſſus apparet, vnde externæ partes ægroti minimè incaleſcunt & feruent, vt multis aliis febribus contingit, quinimò tepidæ frequenter & ſubfrigidæ percipiũtur, adeo vt nonnulli putent hominem non febricitare: quod à Galeno traditum eſt loco poſtremo citato 9. *de ſimp. med.* necnon *epid.* t. 29. vbi docet, calorem febris peſtilentis non eſſe vehementem, ægroſque minus calidos & vrentes tangentibus videri, quamuis interiùs maximo æſtuent incendio & calore, quod etiam confirmat teſtimonio Thucydidis, qui lib. 2. ſuæ hiſtoriæ ſcribit, corpora quidem exteriùs tangenti valde calida non fuiſſe, interiora autem adeo feruentia, vt neque ſubtilium veſtimentorum, neque linteolorum velamenta, neque aliud quidquam præter nuditatem ferre potuerint: id quod confirmat etiam Auicenna in præſentia, inquiens: *hæc febris eſt quieta exteriùs, conturbans interius, ſecundum plurimum perdens, ex qua percipitur caliditas & inflammatio fortis.*

Ratio autem propter quam partes externæ ita refrigerantur, illa eſt, quoniam maxima vrgente in partibus internis putredine, ſanguis & ſpiritus ad illas confugiunt, vel potius trahuntur, ſicuti ſcribit Galenus in magna interna inflammatione fieri, quæ inſtar cucurbitulæ ad ſe omnia trahit, adeo vt propterea partes externæ omni propè calore deſtitutæ iure tepidæ, & quandoque frigidæ appareant. De quo tamen primo indicio febris peſtilentis ſciendum eſt, illud minimè eſſe proprium & inſeparabile, neque perpetuò vnum atque eundem modum ſeruare, ſiquidem nonnulli ægroti nunquam refrigerantur, ſed ſemper & intra & extra vehementer incaleſcunt: nonnulli refrigerantur quidem, ſed tantummodo poſt aliquot dies, nõ ſtatim principio morbi; id quod planè euenit propter varios gradus putredinis, propter diuerſitatem humoris noxij, necnon partis primum laborantis, ac demum propter vires ægroti vel robuſtiores, vel debiliores: ex quibus facilè eſt intelligere calorem modò vehementiorem, modò remiſſiorem eſſe, ac modò faciliùs, modò difficiliùs ad partes externas trãſmitti.

Pulſus. Secundò ſigna febris peſtilentis ſumuntur à pulſu quidem ſententia quorundam recentiorum, ſunt perpetuò parui & debiles, quod confirmant ex Galen. qui libro de cibis boni & mali ſucci à principio ſcribit, in huiuſmodi febribus ſumma cum ratione medicos à miſſione ſanguinis abſtinuiſſe, quòd ægroti iam haberent vires imbecilliores: ſed iſti manifeſtè falluntur, quod vnica ratione ſatis mihi videor poſſe confirmare, propterea quia Ruffus, Paulus, Aëtius, Auicenna, & omnes, vt paulo pòſt videbimus, in febre peſtilenti non verentur venam ſecare, quod non facerent, niſi pulſus valerent, & vires ſatis conſtarent. De ſententia Galeni paulò pòſt loco magis opportuno tractabitur. Itaque pulſus aliquando ſunt parui & languidi, ſi putredo in ſummo fuerit gradu, & cordis facultas inſigniter ſit labefactata: aliquando magni & robuſti, ſi putredo minor fuerit, neque facultas cordis præter modũ lædatur: generaliter verò pulſus ſunt celeres, frequentes, inæquales, inordinati, quòd natura ſit admodũ oppreſſa, & maxima vrgeat neceſſitas euentandi, & refrigerandi calorem naturalem, ſed

tanquam

tanquam proprium & peculiare ſignum, contractio arteriæ eſt celerior quàm dilatatio, non ſolùm ſicuti euenit in reliquis febribus ex putredine ortis, ſed longè maximè quod multo maior ſit neceſſitas expellendi multam ac putridam fuliginem, quod fit contractione, quàm ſit neceſſitas refrigerandi caloris, quod fit dilatatione. Etſi verò in febre peſtilente pulſus maiori ex parte ſunt huiuſmodi, tamen euenit aliquando, vt pulſus probi appareant ſimiles pulſibus temperatis, & qui parũ à ſtatu naturali declinant, ſicuti narrat Gal. 3. *de præſag. ex pulſ. tertio*, in maxima peſtilẽtia ſuo tempore contigiſſe, ac tales ægrotos præter cæteros periiſſe, cuius quidem admirabilis rationem ſymptomatis Galenus refert in varias, imò oppoſitas temperies cordis & arteriarum. Id quod dupliciter fieri poteſt; vno modo, quotieſcunque cor calidius iuſto redditum eſt, arteriæ autem ſunt frigidiores, propterea quod aut contineant humores frigidos nondum putreſcentes, aut ſi qua polleat alia frigiditas, iis tum neceſſe ſit ex ſuo proprio affectu refrigeratis eſſe, & calefieri à corde: altero modo, cũ corpus ipſius cordis redditum eſt frigidius, in ventriculis autem ſubſtantia calidior continetur: aut contra, cum ſubſtantia continetur frigidior, cor autem calidius redditum eſt: ſiquidem tunc prima ratione euenit, vt arteria quæ frigida eſt, ſed à corde calefit, neque paruum pulſum, qualis frigiditati conuenit, neque magnum, qualis caliditati reſpondet, efficiat, ſed inter vtrumque medium, qui propemodum moderatus ac naturalis videtur, adeo vt huiuſmodi affectus vel optimos medicos fallant, quod item de altera contrarietate inter ſubſtantiam cordis & materiam in ventriculis contentam ſtatuendum eſt, quæ quidem cum à Galen. diffusè ſint explicata, certè eſt mirum, quomodo quàm plurimi hoc tempore in reddenda cauſa huius ſymptomatis neſcio quod comminiſcantur de natura, quod ſummæ putredinis exuperantia perterrita, ac plane ſuccumbens, non audeat venenatam materiã cauſam febris aggredi, & alia quædã ſibi fingunt, quæ à Galeni diſciplina, & ab omni ratione ſunt alienata. Sed reliqua perſequamur.

Lotium. Tertiò ſequuntur ſigna ex lotio, quod quidem in febre peſtilenti planè varium ac diuerſum apparet, pro varietate humoris noxij, necnon partis præcipuè laborantis, pro vario gradu putredinis, pro maiori vel minori cruditate & coctione, & aliis id genus: itaque redundante pituita, lotia ſunt albidiora, craſſa, aquoſa, quales vrinas vidimus hoc tempore in excellentiſſ. Brancha, qui hodie obiit: redundante flaua bile lotia ſunt flaua, crocea, ignea redundante ſanguine ſunt rubicunda: ſi ſumma adſit cruditas, ſunt tenuia, ſine aliquo ſedimento: ſi in humoribus fuerit inſignis ebullitio, ſunt turbata, & ſimilia quandoque lotiis iumentorum: ſi fuerit maxima aduſtio, tunc lotia conſpiciuntur liuida, colorem plumbeum referentia, quandoque nigra, quæ inter cætera omnia ſunt in primis lethalia; quandoque lotia ſunt inſigniter fœtida, quod putredinis & corruptionis peculiare eſt ſignum; quandoque ſunt oleaginoſa, vel ſubſtantiam vel colorem olei refrigerantia, aut quaſi tela quædam araneæ coacta ſupernatat, quæ colliquationis certiſſima eſt nota: ad ſummam, in peſtilente febre cum lotia ſint planè varia, neque vnius generis: ſiue ſubſtantiam, ſiue colorem, ſiue contentã conſideres, generaliter ſunt omnia praua & pernicioſa, adeo vt quicunque ad mentem Galeni accedunt, aſſerunt autem quamplurimi, ac fere omnes, lotia in tali febre, colore, craſſitudine ſedimento, naturalibus ferè ſimilia eſſe, turpiter decipiantur, neque ſenſum verborum Galeni ſint aſſecuti, qui loco ſæpe citato 3. *de præſag. ex pulſ.* 4. non docet huiuſmodi lotia comparere in omni febre peſtilenti, ſed tantummodo in altera ſpecie hectica, de qua te paulò poſt ſermonem habebimus.

Quartò ſunt ſigna ex forma febris, quæ primùm neceſſariò eſt continua, etſi non ignoro, alios aliter ſentire, quibus debet ſatis eſſe & ratio planè manifeſta, inſignis putredinis, vnde humores contenti in venis nequeunt à natura certa ratione gubernari, atque extra venas tranſmitti, & Galeni auctoritas, qui hæc habet 4. aph. 43. *Febres quæ in quietem febre vacantem deſinunt, ſunt abſque periculo, vt quæ non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine originem habent, neutra enim harum ad quietem pertinet febre vacantem*: deinde acceſſiones & circuitus poſſunt eſſe & tertiani, & quotidiani, & quartani, & quicunque ex varia humorum putredine, necnon variis locis laborantibus, aliquando in reliquis febribus conſpiciuntur, tametſi febres melancholicæ forte nunquam, pituitoſæ admodum rarò, frequentiſſimè autem billioſæ & ardentes ſolent peſtilentes fieri, ſicuti ſuprà diximus. *Forma.*

Quintò indicia febris peſtilentis poſſunt haberi ex superuenientibus ſymptomatibus, quæ quidem etſi iam diximus ex Paulo & Aëtio, terribilia prope omnia & horrendiſſima contingere, tamen inter cætera nonnulla quodammodo magis propria & peculiaria videntur, quod ex vna parte in febre peſtilente, appareant frequentiſſimè, ex altera ſine febre peſtilente, appareant autem nunquam aut rariſſime: inter hæc ante omnia peticulæ, deinde parodites, bubones, carbunculi, & reliqui naturæ decubitus ad partes ignobiliores, principem locum obtinent, de quibus ſatis diximus, multaque ab Hip. & Gal. exempla in lib. *epid.* aſſeruntur ſicuti de inflammationibus quæ fiunt in partibus generalibus, de vlceribus, quæ potiſſimum pueris contingunt, & *aphtha* dicuntur, de quibus Gip. & Gal. 3. *epid.* 12. & 26. Sed prætereа in febre peſtilenti duo præcipuè ſymptomata ſolent ſuperuenire, quę Hippocrates vnica breui ſententia complectitur 3. *epid.* 3. 13. *Alui turbata alimentum faſtidiebant*: de primo idem ſcribit Hipp. 3. *epid.* 3. 57. *Ventris vitio omnes præcipuè mortui ſunt, cunctos namque venter ſuſtulit.* & Galen. in comment. *Quæ concumbantur erat colliquatio*, &c. De ſecundo pariter, nempe proſtrata appetentia, ſcribit Hippocrates textu ſequenti 58. *Omnes in quos equidem incidi, quocunque detinerentur morbo, cibum faſtidiebant*: & Galen. in comment. *Hinc factum eſt, vt multi morerentur, fortiores autem qui vim ſibiipſis afferentes, alimenta oblata aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuerunt, plurimi autem mori quam comedere quidquam voluerint.* Cuius ſymptomatis cauſa eſt manifeſtiſſima; laborante ventriculo, ad quem conſtat ciborum appetentiam pertinere.

Etſi verò alia quoque ſæua ſymptomata ſolent febribus peſtilentibus ſuperuenire, ſiue actiones læſas, ſiue qualitates corporis immutatas, ſiue excuntia velimus conſiderare, tamen his contenti erimus, quod ea ſint frequentiora & maioris momenti, ac facile ſit horum imitatione cætera quoque intelligere.

Poſtremò ſunt indicia à cauſis, de quibus iam ſatis diximus: itaque in temperamento & habitu corporis calido & humido, quod multis ſcateat obſtructionibus, quod multum indulgeat crapulis & ebrietatibus, nimiæ veneri, quod aut prauis, aut etiam multis redundet excrementis, in cœli conſtitutione, & aëre calidiori & humidiori, ac multo magis ſi ille *Cauſæ.*

prauis exhalationibus fuerit contaminatus, in ſumma propter omnes cauſas & præparationes, tam internas quam externas, quæcunque putredinem illam inſignem poſſunt excitare, contingit febres peſtilentes fieri: quibus omnibus poſtremò licet addere coniecturam Archigenis vulgarem quidem, ſed veram, cuius meminit Galenus 2. *de criſibus* 3. nimirum ſi hoc tempore aliæ huiuſmodi febres vagentur: quod quidem indicium ſi cæteris omnibus coniungatur, maxime poteſt ſuſpicionem febris peſtilentis confirmare.

Signa hecticæ peſtilentis.

Diximus de ſignis febris peſtilentis putridæ: ſigna autem febris peſtilentis hecticæ præclarè deſcribuntur ab Auicenna cap. 2. poſtremis verbis: *Et quandoque eſt de iis febribus, in qua non percipit æger, neque tangens propinquus multitudinē caloris, & non alteratur pulſus & aqua, magna alteratione, & cum hoc ipſa eſt interficiens velociter, & plurimi quorum anhelitus fœtet, ex primis moriuntur, quoniam putredo confirmata eſt in corde*: quæ omnia ille accepit ex Galeno 3. *de præſag. ex pulſ.* Itaque hectici peſtilentes nullum percipiunt calorem præter naturam, neque putant ſe febricitare, tametſi proximè accedunt ad mortem, ſed ſolùm qui ſunt valde eruditi & exercitati, huiuſmodi calorem percipiunt, quem quidem longe facilius vnuſquiſque poteſt deprehendere, qui partes thoracis diligenter tractauerit: nam tametſi non ſtatim calorem moleſtum percipiat, nihilominus ſi longiori tempore manum detineat, calorem quendam valde acrem & ſqualidum, quaſi è profundo emergentem manifeſſe percipiet, etſi ab ipſis ægrotis nulla ratione ſolet perſentiri.

Secundò, neque pulſus, neque lotium valde recedunt à pulſu & lotio naturali, & primum lotia iure ſunt veluti ſanorum hominum, quoniam putredo corpus cordis occupat, minime humores, de quibus certum eſt ex lotio potiſſimum indicium fieri: vnde humoribus nulla putredine infectis, lotia quoque naturalibus fere ſimilia ſunt, quod quidem in altera putrida minime euenit, in qua putreſcentibus humoribus, qui continentur in venis, neceſſe eſt vt pro diuerſa illorum ratione, lotia quoque variis modis ſint alterata & deprauata, adeo vt putredinis euidentia inſignia proferant. Deinde & pulſus videtur fere æqualis, ac ſuam naturalem velocitatem & frequentiam ſeruare, tametſi perpetuò longe imbecillior exiſtat, cum ſubſtantia cordis æquali intemperie laboret, ac moderatus illius calor à frigiditate humorum, quos continet, poſſit temperari, vt diximus ex Galeno. His ſignis addunt Gal. & Auic. fœtentem anhelitum, ex quo ſolum indicio homines plebeij & vulgares, qui hac in parte multis medicis ſunt peritiores proximam mortem expectant. Quod ſi demum illud ſignum addatur, quod omnibus hecticis proprium ac inſeparabile eſt, nimirum ſi febres illæ perpetuò ſibi ſimiles fuerint, neque vllam inuaſionem acceſſionis, neque incrementum, neque vigorem, neque declinationem habeant, ſed tantummodo poſt vnam vel alteram horam ſumpto alimento calor & pulſus alteretur, iam peſtilentis febris hecticæ indicia erunt abſoluta, adeo vt nihil iam præterea ſit reliquum, niſi vt ad curationem deuenjamus.

An methodicè curanda.

Antequam febris peſtilentis curationem aggredior, id quæritur, vtrùm liceat huiuſmodi febris curationem inſtituere certis indicationibus ac propria methodo, an magis præſidiis ſola experientia inuentis, & ab omni ratione alienis: namque illi potiſſimum qui exiſtimant, has febres ex quadam latente & venenata cauſa originem habere, omnem indicationum conſiderationem excludunt, & ſolis quibuſdam remediis, quæ *ſecreta* appellant, hanc totam rem agunt: quibus videtur fauere Gal. qui etſi pollicitus eſt 10 *meth.* 10. poſtremis verbis, de febre peſtilenti ſe aliquando tractaturum eſſe, tamen neque in methodo, neque aliis libris earum curationē tractauit, vt hinc liceat colligere, huiuſmodi febres à cæteris omnibus febrib. differre, neque certa methodo curari poſſe, ſicuti reliquæ curantur. Quoniam verò ſatis aperte, ni fallimur demonſtrauimus, febres peſtilentes ex vna inſigni putredine, & cauſis manifeſtis oriri, vt vanum ſit ad cauſas occultas confugere, pro comperto habēdum eſt, illam quoq; non ſine & ratione & methodo curari. Ad Gal. poſſum reſpondere, primùm ſub cōmuni methodo curandi omnes febres putridas, illum febrim quoq; peſtilentem comprehendiſſe, cum non aliter, quam maiori & minori, putredine inter ſe differant: deinde neq; eum plane ab huiuſmodi tractatione abſtinuiſſe, qui locis quamplurimis, præcipuè commentariis epidemicis, ſed omnium maxime & accuratiſſime in lib. *de diff.* omnes ſcopos ad præcauendam & curandam febrim peſtilentem accommodatos fuit perſecutus: & ſi quis hic non acquieſcit, is Gal audiat, qui hoc ſuum cōſilium manifeſte declarat, per hæc verba, 3. *de præſ. ex pulſ.* 4. *In febrium curationibus de omnibus febrib. peſtilentibus diſputauimus, ſiue ſeparatim viſum fuerit, ſiue in methodo medendi eas tractare: nam ad præſens inſtitutum ſolam dignoſcendi viam tractabimus.* Cum igitur nulli dubiū eſſe poſſit, quin febres quoque peſtilentes certa ratione debeāt curari, nos ex Gal. diſciplina ſæpius repetita, conabimur primum curandi indicationes elicere, deinde videbimus, an huiuſmodi indicationibus liceat ſatisfacere: poſtremo de ſingulis præſidiis ſermonē habebimus.

Indicationes

Itaque indicationes in febre peſtilenti ſunt illæ eædem, quæ à Gal. & à nobis ſunt ſæpius propoſitæ, in curatione febrium putridarum, nempe quæ ſumuntur à febre, putredine, & illa quidem inſigni, prohibita tranſpiratione, obſtructionibus, nō ſolū quatenus hæc facta ſunt; ſed etiam quatenus fieri debent: atque eo tantum differunt inter ſe, quod peſtilentes cùm ex ſumma quadā putredine oriantur, ac propterea plura, maiora, ac deteriora habeāt ſymptomata, maiori diligentia & magis accurata curatione indigent. Cæterum cum huiuſmodi variæ indicationes ita ſint à Gal. diſpoſitæ, 10. *met.* 10. vt quod vltimum reſolutiua methodo inuentum eſt, id omnium primum in curatione agendum ſit, memoria eſt repetēdum, indicationem poſtremam quidem inuentione, primariam autem opere, illam eſſe, quæ poſſit fluxionem obſtruentium ſuccorum compeſcere, & cæteris opportunis præſidiis viam facere; atq; hæc ſanè non alia eſt, quam communis aliqua corporis vacuatio, quæ potiſſimum aut miſſione ſanguinis, aut purgatione fieri debet: ſic Auic. in præſētia, *ſumma* inquit, *curationis eſt exſiccatio, & illud cū phlebotomia, aut ſolutione ventris, & oportet vt incipiamus ab ea ad euacuandū*. Huic deinceps indicationi quodam ordine reliquę ſuccedunt indicationes, quæ pertinent ad tollēdas obſtructiones, ad prohibendam & tollendam tranſpirationem impeditam, ad vacuandos humores putridos, lotium, ſudorē, ad coquendos humores qui non ſunt ex toto putrefacti, ac poſtremo ad refrigerandum & humectandum corpus vniuerſū, ſi id ferat occaſio: quas quidem indicationes Gal. non ſolùm in methodo generaliter de febribus putridis, ſed etiam ſpeciatim *lib. 1. de diff. feb.* 4. de febre peſtilenti præclare eſt perſecutus. Et ſi quis nobis obiiciat, Galen. hoc loco præſeruationem, minimè curationem febris peſtilētis tractare, is memoria repetat, præſeruationem ſola quantitate, non qualitate remediorum à

curatio

curatione differre, docente Hipp. & Galen. *lib. de ſang. miſ.9.* quæcunque præſentibus iam morbis rectè faceremus, melius eſſe, vt hæc inſipientibus ipſis, aut iam eminentibus anteuertendo faciamus. Vtrùm verò iis indicationibus liceat ſatisfacere, videndum; cum enim iam ſtatutum fuerit, huiuſmodi febres ſuapte natura eſſe pernicioſas, ac maiori ex parte homines perdere, tametſi illæ omnino adhibita ratione & diligentia tractentur, frequentiſſimè fit, vt medici elicitis indicationibus nequeant ſatisfacere, atque ægri vt plurimum intereant, id quod à Galen. quoque traditum eſt, qui ſcribit 2. *aph.* 13. per criſes longè plures ægrotos ſanatos quàm mortuos fuiſſe, niſi peſtilens fuerit conſtitutio, in qua contraria ratione longè plures moriuntur, quàm ſanantur: quare admodum prudenter & cautè debetis in huiuſmodi febribus procedere, & prognoſticum pronunciare De qua quidem prædicendi ratione, neque ſolùm de bono vel malo euentu, ſed etiam de tempore breuiore & longiore, ac de omnibus, quæ ad hanc partem pertinent. Gal. tum aliis multis locis, tum maximè loco notabili, *de conſt. artis med.* 18. tractat diligentiſſimè, & nos quoque non pauca aliàs diximus, vt lo præſentia pluribus non ſit opus: quare ſtatim ad particulares indicationes & particularia præſidia deueniendum eſt.

Prognoſtica.

Primò autem de iis ſermonem habebimus, quæ pertinent ad minorationem materiæ, quæ quidem multas & maximi momenti difficultates continẽt: namque de huiuſmodi præſidiis tanta inter medicos eſt diſſenſio, vt lis adhuc ſub iudice eſſe videatur, neque ſatis liceat veriorem opinionem intelligere, quippe nonnulli ſanguinem detrahunt, quorũ alij ſectionem venæ, alij ſcarificatas cucurbitulas, alij hirudines, ad venas potiſſimum hæmorrhoidas ſolent accommodare; nonnulli contra repudiantes ſanguinis miſſionem, medicamentis vtuntur, quorum pariter alij tantummodo lenientia & leuiora, alij purgantia & valentiora probant, ſed in primis de eo tempore litigant, ſi quando euenit, vt natura quærat noxios humores, vel apparentibus peticulis, vel aliter ad externas partes deponere, de qua tota re admodum vtili, atque hoc tempore neceſſaria, ego quoque meam ſententiam proferam, ſed quàm breuiſſimè ac ferè ſummatim, quantum præſentis inſtituti ratio poſtulat.

Cæterum ego qui alias diſputaui, ac ni fallor ſatis confirmaui in quolibet morbo magno, ſpeciatim verò in febribus putridis miſſionem ſanguinis & opportunum & neceſſarium remedium eſſe, ſi febris peſtilens eſt morbus non ſolum magnus, ſed cæterorum omnium longè maximus, ſi febris peſtilens inter febres putridas, atque inſigni quidem prærogatiua debet numerari, non verebor affirmare, pro minoratione materiæ, nullum miſſione ſanguinis magis opportunum, efficax & tutum remedium poſſe excogitari, dummodo vires & ætas illud remedium non prohibeant. Neque verò mihi libet in præſentia huius diſciplinæ rationes repetere, quas prolixè alias & cumulatè reddidi. Verùmtamen non ſunt prætermittendæ quædam rationes, quibus nonnulli conantur probare huiuſmodi remedium non ſolum non eſſe vtile & neceſſarium, ſed etiam inutile & pernicioſum: præcipua vero illa eſt ratio, quod in febre peſtilente vnus princeps ſcopus deficiat, viriũ robur, quæ in ſumma humorum putredine vix poſſunt conſtare: præterquam quidem rationem Gal. quoque videtur in hanc ſententiam veniſſe, qui ſcribit *lib. de cibis boni & mali ſucci*, principio medicos in peſtilentia iure à ſanguinis miſſione abſtinuiſſe, propterea quod vires eſſent imbecilliores.

De ſectione venæ.

Improbatur venæ ſectio.

Sed illud quoque nonnulli addunt, ſectionem venæ à circumferentia ad centrum trahere, atque hinc periculum imminere, ne putridi ac maligni humores in partibus internis cohibeantur, adeo vt ad cutem & partes corporis externas à natura nequeant tranſmitti, qui tamen naturæ conatus & humorũ tranſpoſitio ad hanc rẽ eſt maxime vtilis & accõmodata, neq; vlla ratione debet impediri.

Poſtremò adiiciunt experientiam, qua videtur confirmari ægrotos prope omnes ſecta vena interire: ad quem modum narrant veteres in celebri illo anno 1528. in quo tales febres vniuerſam fere Italiam peruagatæ ſunt, recentiores confirmãt, proximo ſuperiori tempore, Mediolani, Brixiæ, & aliis locis, ſectionem venæ perpetuò importunam & lethalem fuiſſe. Ego verò facilè ad hæc poſſum reſpondere, & primùm ſi aduerſarij intelligunt, in nulla febre peſtilenti ſanguinem mittendum eſſe, in qua vires non conſtent, vtique inter nos conuenit, cum nos quoque libenter fateamur, in nullo morbo inſigne id remedium adhiberi vtiliter, in quo vires aut deficiant in præſentia, aut defuturæ ſint in poſterum. Quod ſi contrà illi contendunt, in nulla febre peſtilente vires validas eſſe, illud nos conſtanter pernegamus: etenim quanquam inſignis putredo vrget, tamen varij huiuſmodi putredinis gradus iure ſunt conſtituti, neque vlla ratione poteſt negari, vires aliquando poſſe conſtare, id quod vel ſola experientia ſatis mihi videor poſſe confirmare; quandoquidem certiſſimum eſt, nonnullos peſtilente febre malè affectos, quibus ſanguis copioſe fuit miſſus, priſtinæ ſanitati fuiſſe reſtitutos, quod non ſine magno virium robore poteſt contingere. Neque Galen. *loco citato de cibis boni & mali ſucci*, ſtatuit generaliter, in omni morbo peſtilenti miſſionem ſanguinis eſſe prætermittendam, qui tunc ſpeciatim ſermonem habebat de peſtilenti illa conſtitutione, in qua vires ſumma cum ratione fuerant imbecilles, cum ex maxima fame originem habuerit, quæ multos homines coëgit vt veſcerentur alimentis prauis ſuccis & purgantibus inter ſe facultatibus præditis, & quæ ad brutorum potius, quam hominis ſuſtentationem genita ſunt: vnde nulli mirum debet videri, ſi illæ vires quæ tempore ſatietatis vix fuerant robuſtæ, ſuperueniente morbo grauiſſimo & lethali, vſque adeo fuerunt labefactatæ, vt ad miſſionem ſanguinis non ſufficerent: ideo non licet, quod Galenus de ſingulari morborum conſtitutione pronunciat, ad omnes morbos peſtilentes accommodare, atque ex particulari obſeruatione generale præceptum inſtituere. Quod autem ſecundo loco dictum eſt, nempe miſſionem ſanguinis impedimento eſſe, quo minùs natura ad partes externas putridos humores tranſmittat, nolo eam quæſtionem tractare in præſentia, vtrùm ſectio venæ à circumferentia ad centrum, an magis à centro ad circumferentiam trahere valeat; qui aduerſariis concedo libenter, ſectionem venæ ab externis ad internas partes trahere, quæ forte ſententia conuenit rationi & Galeno 4. *de tuenda valetudin. capit.* 10. *poſtremis verbis*: verum illud addo, naturam ſanguine miſſo, ac propterea leuatam ab eo, quo veluti ſarcina premitur, non ſolùm non impediri, ſed multo faciliùs quamlibet vacuationem, vel ad cutem, vel ad alias corporis partes aggredi & perficere; ad quem modum legimus apud Galen. 1. *aphor.* 23. ſanguine miſſo, & quidem copioſiſſimè, vſque ad animi defectum, multos ægros in copioſum ſudorem incidere. Ex quo factum eſt, vt probati omnes medici, apparentibus carbunculo, parotide, exanthematibus, dummodo alia conſentiant, libenter ſangui-

Reſpondetur ad argumenta improbantium ſang. miſſ.

ſanguinem detrahant, neque quidquam vereantur, naturam poſſe hac ratione ab huiuſmodi tranſmiſſione reoocari: cuius doctrinæ eſt illuſtre exēplum apud Hipp. & Galen. 6. *epid*. s. 30. de Simone, qoi hyeme habebat latas puſtulas non admodum pruriginoſas: quo loco Gal. aduersùs illos qui putat, apparentibus exaothematibos & puſtulis minimè totius eorporis purgationem conuenire, hæc habet: *Sed forſitan me dicere putabis nunquam purgatione per ventrem in talibus vtendum eſſe: ego verò non id dico, nam lib. de arte curatiua, in quibus corporibus permulta eſt humorum copia, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti: etenim priuſquam redundantem materiam aut ſecta vena, aut dato medicamento, quis eduxerit, ſi calidis fomentis vtens ipſam conetur excutere, is plus attrahet*, &c. Ao verò natura tranſmittendo noxios humores ad alas, ad ioguina, ad cutim, bene an malè agat, ao debeat iuuari, en non iuuari, poſteriùs tractabitur.

De experientia demum, quam aduerſarij iactāt, multa poſſent proferri, ſed illud vnum dicam, memoria tenendum, peſtilentes febres quantumuis eum ratione tractatas, ſuapte oatura eſſe letbales, plurimóſque interficere, oeque id periculum ſectiooi venæ, ſed morbo tribuendum eſſe; quanquam oeque omni ex parte coocedendum eſt, ægrotos ſecta vena ſemper interire, ac potiſſimùm ſi in tempore & opportuoè remedium adminiſtretur, neque tardius quàm deceat, & non niſi poſt ſumptum aliquod medicamentum, quod vulgares mediei faciunt frequentiſſimè, illud adhibeatur: namque ego quoqoe, ſi modo experimentis agendum eſt, verè poſſum affirmare, me ſectionem venæ vbique vtilem & ſalutarem comperire, multóſque ægrotos illius beoeficio qootidie liberari. Nolo autem domeſticum exemplum prætermittere, ſi quidem anno 1562. quo tempore huiuſmodi febres in tota mea patria miſerè vagatæ ſont, mea mater, meus frater, vna ſoror, coniux fratris, & ego ipſe febre peſtilenti non ſine periculis, delitio, ac ſæuiſſimis ſymptomatibus ſuimus correpti, qaibus conſilio comitis Montani, qui vir, mea ſententia, facienda & docenda medicina cæteris omnibus plurimum præſtitit, ſecta vena ſaoguis detractus eſt, & omnes Dei opt. beneficio conualuimus: itaque aduerſariæ rationes nihil valent. Etſi autem hæc vnicuique debent eſſe ſatis, tamen ſiogulari quodam teſtimonio Gal. rurſum mihi libet hanc ſenteotiam confirmare, qui manifeſtè docet, in febre peſtilente veoæ ſectionem conuenire: illud verò eſt 1. *epid*. 3. *ægroto* 9. de Critone, qui febre acuta & grauiſſimis ſymptomatibus laborauit, adeo vt mortuus fuerit poſtridie quàm ægrotare cœpiſſet. Neque ſont audiendi, qui negaut, hunc ægrotum morbo peſtileoti laboraſſe, com id Gal. confirmet manifeſtiſſimè, qui ſcribit ad hunc modum: *Malignitatis excrementi erat indicium, quod puſtulæ nigra generarentur ad talum, vnde mireris quid cauſa fuerit, quo minus Hipp. huius morbi initio venam ſecuerit: ſed ſcimus ad plurimos eum quos deſcripſit, morbo iam progreſſo vocatum fuiſſe.* Sic idem Gal. 3. *epid*. 1. *ægroto* 5. quærit, vtrùm alteri ægroto detractus fuerit ſanguis nec ne. Itaque concludo, ad minorandam materiam in febre peſtilenti nullum ſectione venæ magis accommodatum & ſalutare eſſe remedium, dummodo ægroti per ætatem & vires illud ferre poſſint; quod ſi propter aliquod impedimentum ægri nolint aut nequeant venæ ſectionem perferre, tunc Gal. conſilio agendum eſt, quod ſectioni venæ ſit analogum 4. *de tuenda val*. 4. hæc autem ſunt, quibus hæmorrhoides ſunt retentæ, ſi has aperueris; ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſauit, hanc prouoces, ſi quibus horum nihil eſt, malleolos ſcalpello incidas: de qua ſpeciatim malleolorum ſcarificatione, inſigni plane remedio, ac vicaria ſectionis veoæ, ſi quis plura cupit iotelligere, is videat libellum noſtrum de peſte, in quo de hac re diſputauimus quantum eſt ſatis.

De cucurbitulis.

Si quis autem voluerit intelligere, vtrùm ſcarificatæ cucurbitulæ, vel apertæ hæmorrhoides ad minorationem materiæ ſint accommodatæ, is primùm debet memoria repetere indicationes curandi febres putridas & peſtilentes, deinde intelligere, quas vires vtrumque iſtud præſidium habeat, & an illis ſatisfacere poſſint: namque ex huiuſmodi conſpiratione tota controuerſia definitur. Quod pertinet ad indicationes, de quibus iam ſæpius diximos, illud vnum ſatis fuerit in præſentia memoria tenere, eam ſcilicet indicationem, inter cæteras principem locum obtinere, quæ iobet, corpus fore ante omnia vacuandum, fluxionem obſtruentium humorum compeſcendam, & omoia reddenda tranſpirabilia, adeo vt niſi iſta præcedat indicatio, oon liceat reliquis ſatisfacere quæ deinceps ſequuntur. Quod verò attinet ad cucurbitulas Gal. 13. *metho*. 19. *& libello de hirudin*. inter alias dotes quas illis tribuit, reuocandi foras qoæ ſunt io alto, ſoluendi dolorem, diſcutiendi inflatiooes, impediendi fluxiones, &c. nunquam ſcribit cucurbitulas gratia communis & generalis vacuationis fuiſſe inſtitutas, imò verò manifeſtiſſimè docet io corporibus plethoricis, neque antea purgaris, & quæ vacuatione indigent, cucurbitolarum vſum non ſolùm ſine ſcarificatione, ſed etiam cum ſcarificatione, noo ſolùm inutilem, ſed etiā perniciosom eſſe: *Cucurbitulæ*, ille inquit, locis citatis, *purgatis prius corporibus, vtiles quidem, ſed in plethoricis prætermittenda ſunt:* idemque initio inflammationis, ſi ea vel cerebrum, vel cerebri membranas, vel alias partes occopaoerit ſtatuendum eſt, iiſque abſtinendum: ſed cum nihil amplius fluxerit, totomque corpus fuerit exinanitum, tunc licet illis vti. Quod ſi cucurbitulæ oequeunt vniuerſum corpus euacuare, ſi tantummodo ad corpora antè purgata ſunt accommodatæ, facilè vnuſquiſque poteſt intelligere, illas neque principali indicationi, neque reliquis ſatisfacere poſſe, & præter Galeoi diſciplinam, & omnem rationem principio febris adminiſtrari.

De hæmorrhoidibus.

De hæmorrhoidibus pariter ex multis quæ poſſent proferri, illud vnum dico, illas nunquam fore aperiendas, niſi antea ſolitæ fuerint ſāguinem profundere, ac præſenti tempore ſint reſtrictæ; in quo caſu, niſi propter aliquod impedimentum liceat venam ſecare, iam diximus tutò illas poſſe aperiri, 4. *de tuen. valet*. at verò ſi licet venam ſecare, non eſt, vt quis apertionem hæmorrhoidarum cum hirudinibus cum ſectione venæ velit comparare. Si quis plura de hac re cupit intelligere, is videat noſtras editas diſpotationes.

De purgātib. in principio.

Iam diximus nonnullos, ac potiſſimùm qui à ſanguinis miſſione abhorrent, io febre peſtilenti quamprimùm purgantibus vti medicamentis, qui ſui conſilij duas potiſſimùm rationes afferunt: alteram, quòd humores turgeant, vel quæ fuit cogitatio Trincauellij, paulò poſt turgituri ſint: alteram, quòd humores ſint venenati & rebelles, adeo vt nullam potius à natura concoctionem aot correctionem poſſint recipere: itaque primo quoque tempore vtuntur non ſolùm rhabarbaro, agarico, ſed etiam valentioribus, partim ſimplicibus partim compoſitis medicamentis, inter quæ maximè celebrant trypheram Perſicam, cuius deſcriptiooem habetis apud Meſuen.

Ego verò, etſi non ignoro hanc ſententiā probari ab Altimaro, à Mōtano Veroneuſi, Trincauellio,

ac propè omnibus nobilioribus medicis, tamen cenſeo illam abſurdam, forte etiam pernicioſam eſſe, neque eorum rationes ſunt alicuius momenti, ac primum non valet conſequentia, febris eſt peſtilens, ergo humores tutgent: poſſunt illi quidem turgere, & tunc nos quoque cum Hip. & Gal. purgationem amplectimur: ſed poſſunt pariter non turgere, hoc eſt, nihil moueri & quieſcere, in quo caſu ex veteri decreto, non ante coctionem licet purgationem aggredi, imò verò ſi in aliquo morbo illud ſeruandum eſt, ego quidem cenſeo in febre peſtilente id quam maxime & religioſe ſeruandum eſſe, cum purgantia medicamenta, quorum natura, vt placet Galen. *de ratione victus* 22. corporum quæ expurgantur, naturis contraria eſt, & quoquo modo lethalis, ac peſtilens, in huiuſmodi febre longe maiora pericula, quam in cæteris morbis leuioribus poſſint afferre. De humoribus non actu, ſed potentia turgentibus, quod fuit inuentum Trincauellij. aliàs diffuſe dixunus.

Deinde quod aiunt venenatos & peſtilentes humores plane eſſe ineptos, vt aliquam coctionem recipiant, tam eſt abſurdum, quam quod abſurdiſſimum: namque alterutrum fateantur, neceſſe eſt, aut neminem peſtilenti febre laborantem euadere, aut morbum ſine ſignis concoctionis diſſolui poſſe: quod vtrumque Galen. ratio & experientia demonſtrat perſpicue falſum eſſe: ſiquidem multi euadunt quotidie, de quibus præterea ſuprà audiuimus Galeni teſtimonium 3. *de praſag. ex pul.* 3. nempe in quibus calor putridus magis ad humores, quos continent ventriculi cordis, quam ad ipſum corpus viſceris defleaiſſet, horum multos euadere: quod ſi nonnulli euadunt, quæſo, niſi coctis humuribus, qua ratione poſſunt euadere? quomodo natura poteſt morbo ſuperior fieri niſi noxios humores moderetur, & concoquat? Sed præterea iis addamus præclarum Galeni teſtimonium, qui planiſſime docet *de conſtitutione artis med.* 18. nullum morbum ſine indiciis coctionis vllo vnquam modo, vel tempore diſſolui poſſe: ſed illa præterea teſtatur 4. *aphor.* 21. in morbo peſtilenti ſui temporis nigras deiectiones cum vtilitate in declinatione redditas fuiſſe. Ergo cum in cæteris morbis, tum maxime in febre peſtilenti principio medicamentis purgantibus abſtinendum eſt, niſi humores turgeant, ratò autem turgent.

Cæterum ſi id ferat occaſio, negligendus non eſt vſus facilioris & leuioris medicamenti, quod valeat ventriculum ac primas vias purgare, nec non ægrotum æſtuantem refrigerare: id quod poſt ſectam venam longe opportunius quam ante, fieri ſolet, cum morbus ſit peracutus, ac ſæpe eueniat, vt primùm dato leniente medicamento occaſio præceps perdatur ſecandi venam; in quo præſidio opportunè adminiſtrato fere ſpes tota ſalutis videtur conſiſtere: quod quidem generaliter in omni morbo ancipiti & periculoſo faciendum iubet Galen. 5. *meth.* 15. in quibus, inquit, medicos agere præter rationem, quicunque à leuioribus incipiunt: namque ſicuti reliqua omnia, ita quoque illa ſententia ab Hipp. præclare eſt tradita, nempe ad vltimus morbos vltima prorſus remedia maximè valere.

Huiuſmodi autem lenientia medicamenta ſunt caſſia, manna, thamarindi, ſyrupi roſatus & violatus ſolutiui, & alia de quibus ſæpius diximus.

Verum de iis quoque plerique variè ſentiunt, namque plurimi reiiciunt caſſiam, propterea quòd nimium humectat, hic verò exſiccantia ſunt opportuna: ſed iſti mihi videntur nimium ſuperſtitioſi, ſiquidem ſimul cum excrementis educitur, neque poteſt tam inſigniter humectare, vt iſti cogitant: præterea ſi valeret hæc ratio, laborantes febre peſtilente, neque iuribus, neque ptiſana, neque alia re ſimili, ſed ſolo biſcocto eſſent nutriendi.

Manna. Manna multis redundantibus humoribus billioſis poteſt prætermitti, vel ſaltē nō ſine ſyrupo acetoſo, thamarindis, vel aliquo acido debet exhiberi.

Thamarindi Thamarindi pariter reiiciuntur à multis, quòd non careant inſigni adſtrictione, quæ tum cæterarum febrium putridarum, tum maxime peſtilentium legitimam curationem peruertit: ac ſanè quòd ſoli exhibeantur, neque mihi poteſt probari: at verò multa potiſſimum feruente bile, ſi caſſiæ & reliquis medicamentis ad vnam vel alteram drachmam exhibeantur, neque mea ſententia debent prorſus improbari.

Syrupus roſaceus & violat. Syrupus roſaceus & violatus ſol. recipiuntur ab omnibus, tametſi neque illi careant ſua humiditate; veruntamen præfertur ſyrupus roſac. quòd maiorem ſyrupo violaceo ſiccādi vim habere videatur.

Pilula de trib. contrà peſtem. Demum vero neq; eſt prætermittendum celebre medicamentum: cuius autor fuit Ruffus medicus antiquus, quod referente Paulo, *lib.* 2. 36. componitur ex duabus partibus aloës, ex duabus partibus ammoniaci, vna parte myrrhæ, cum vno albo aromatico: hoc tempore *pilula de tribus contra peſtem* appellantur: quo quidē medicamento ſcimus Curtium vitū nunquā ſatis laudatum, infauſto illo anno 1528. familiariter vſum fuiſſe, & maxima cum ægrotorum vtilitate. Huius imitatione hiera quoqua poſſet adminiſtrari, ac potiſſimum ſi aliis lenientibus medicamentis & parcè admodum ea hibeatur.

℞. *Flor. caſſ. nouiter extracta* ℥. x.
Specierū pilularum de tribus contra peſtem,
vel. *Specierum hieræ ſimplicis* ℈ *ij. M.*

Clyſteria. Sed tamen diligenter animaduertenda ſunt ægri temperies, ætas, cœli conſtitutio, humor noxius, & alia id genus: quæ ſi vehementem caliditatem demonſtrent, optimum fuerit ab illis & omnibus calidioribus abſtinere.

Ad leniendam aluum neque vſus clyſteriorum prætermittendus eſt, quæ quidem, niſi aluus ſua ſponte deiiciat, & vacuando & reuellendo à partibus, nobilioribus, & remittendo internum calorē, & aliis modis poſſunt multas vtilitates afferre: vnde conſueui non ſolum alternis diebus, vt vulgo fieri ſolet, ſed etiam quotidie, aliquando etiam bis in die, illa adminiſtrare: cum autem varia ratione clyſteria partiri poſſint, pro varietate febris ſymptomatum, humorum redundantium, necnon pro varia temperie, ætate ægrotantis, & ſimilibus, equidem puto, maiori ex parte illa opportunè paranda eſſe ex rebus frigidioribus, decocto violarū, maluarum, lactucarum, melle violaceo, oleo violaceo, ſed præ cæteris ea ptiſana hordeacea, quibus ego vtor familiariſſimè, cum frequenter ægri vehementiſſimo interno calore æſtuent.

De concoctione. Quoniam verò, ſicuti diximus, tota ſpes ſalutis in eo poſita eſt in hac febre, vt natura morbificis cauſis ſuperior fiat, noxiiſq; humoribus dominetur, quam Gal. concoctionem vocat, id reſtat, vt in hanc rem omni ſtudio incumbamus. Quod quidem totum negotium duplici in primis ratione debet confici; altera alimentis & potionibus, adeoque ſex rebus, quæ non naturales appellantur; altera medicamentis, antidoris, ac variis præſidiis, partim internis, partim externis, quæ poſſunt prauas putridorum humorum qualitates emendare, copiam minuere, calorem remittere, obſtructiones aperire, calorem denique naturalem roborare; quæ poſteriores curandi indicationes nobis propoſitæ ſunt. De priori capite quod pertinet ad res non naturales, diximus diffuſè in noſtro lib. de peſte, ex quo omnia ad præſentem locum ſunt transferenda, vt nolumus in

in præſentia longius agere: itaq; accedamus ad medicamenta. Cæterum cum hæc planè varia ſint, ac propemodum infinita, nos conabimur ea ſeligere, quæ teſtimonio bonorum auctorum, ratione atque experientia cęteris mihi videntur anteponenda: incipiamus autē ab iis, quæ intra corpus aſſumuntur.

Fontes à Gal. propoſiti, ex quibus licet propria medicamenta inuenire, illi ſunt: febris, inſignis quędam putredo, quæ vicem obtinet veneni, prohibita tranſpiratio, obſtructiones: vnde facile eſt intelligere, illa medicamenta ad hanc rem fore accōmodata, quęcunq; habent vim refrigerandi, moderatè ſiccādi, attenuandi, incidendi, aperiendi meatus, & reſiſtendi inſigni putredini: inter quæ vulgares ſyrupi, & decocta primum occurrunt, de quibus tamen nihil certi generaliter ſtatui poteſt: ſiquidem pro varietate humoris noxij varios quoq; ſyrupos decet exhibere, quales forent ad ſuccos calidiores accommodati; ſyrupus de ſucco acetoſæ, qui mihi eſt admodum familiaris, de ſucco endiuiæ, borraginis, acetoſus ſimplex, cichoracei omnes, decocta ex cichoreo, ſoncho, hepatica, acetoſa, & ſimilibus. Ad ſuccos frigidiores mel roſaceum, ſyrupus de betonica, de ſcordio, de corticibus citri, oxymel ſimplex decocta ex agrimonia, ſcordio, dictamno, radice tormentillæ, pentaphyllo, ſeminum citri, & ſimilia, ex quibus medicamentis pariter conſeruæ, ſucci, pulueres poſſunt præparari, quæ vel ſeparatim, vel ſimul mixta præclarè ad huiuſmodi vſum poſſunt accommodari. Et ea quidem omnia non ſine iudicio, ſed prudenter debent adminiſtrari, vt perpetuò vel ad calidius, vel ad frigidius vergant, ſicuti humores putreſcentes, ægri temperies, cœli conſtitutio, & ſimilia videntur indicare.

Medicamēta calidioribus ſuccis conuenientia.

Frigidiores.

Verùm præter hæc ſunt vulgatia nonnulla medicamenta, partim ſimplicia, partim compoſita, quæ cordialia & pretioſa appellantur, qualia ſunt corallia, margaritæ, cornu cerui vſtum, raſura eboris, folia auri, fragmenta de gemmis, ſpecies cordiales, diamargariton frigidum, bolus armena, terra lemnia, lapis bezoar, cornu monocerotis, os de corde cerui, ac poſtremò magna quædam antidota, cum ab aliis compoſita, tum maximè Theriaca & Mithridatium, quæ à multis cęteris omnibus anteponuntur: de quibus quidem variis medicamentis mihi libet vobis breuiter meam ſententiam explicare. Et primùm quatenus pertinet ad margaritas ac reliquas gemmas, eſt controuerſia inter medicos, verùm poſſint aliquam vtilitatem afferre, necne, de qua nolo in præſentia longius agere, qui cēſeo ſimul cum Auic. & cæteris medicis Arabibus, quorum hoc eſt inuentum, hæc omnia poſſe refrigerare, exſiccare, adeoq; ſanguinem puriorem reddere, calorem natiuum temperare, neq; prorſus inutiliter adminiſtrari, dummodo vera & legitima habeantur, quæ fortaſſe apud noſtros ſeplaſiarios aut nunquam aut rariſſime poſſunt haberi. De bolo item armena, ac terra lemnia dubium eſt, an quæ vulgo circumferuntur, reuera illæ ſint, de quibus Gal. ſermonem habet: & ſanè ſi vtriuſq; colorem, ſubſtantiam, & ſingulas conditiones diligenter cōſideremus, & cum iis conferamus, quæ à Gal. de huiuſmodi medicamentis tradita ſunt, ego quidem illorum opinioni magis faueo, qui illa minimè vera & legitima eſſe volunt. De lapide bezoar, cornu monocerotis, oſſe de corde cerui, & reliquis id genus præſidiis, & pretioſis medicamentis multi mirabilia prædicant; ſed ego hactenus, vt liberè dicā, tot & tanta miracula non potui obſeruare, vnde neq; admodum illorum vſu ſoleo delectari, atq; eò minus, quòd non ſolùm ſint inuentu difficilia & rariora, ſed etiam nonnulli rerum naturalium ſtudioſi & peritiores ea velint pro maiori parte eſſe commentitia & fabuloſa. De magnis denium antidotis, theriaca, mithridatio, atq; eorum vſu in febribus peſtilentibus, ſunt prolixæ & acerrimæ diſputationes, vt integra de hac re extent commentaria doctiſſimorum hominum, quorum ſententias vnuſquiſque conſiderare poterit. Duplex autem videtur eſſe vſus vtriuſque antidoti, alter ſi modica eorum portio ad drachmam circiter cum medicamētis & lenientibus & ſoluentibus permiſceatur quod nōnulli tanquam mirabile ſecretum cuſtodiunt, neq; vlli volunt reuelare: alter eſt vſus, ſi vel ſola, vel ſimul cum aliis antidotis ad ſiſtendam putredinem & venenatam materiam ſæpius exhibeantur. Ego verò neq; vno neque altero modo iſthæc medicamenta ſoleo probare: & quatenus pertinet ad primum, ſcribit Gal. *de theriaca ad Piſonem* 14. illud fore indicium minimè fallax, quo optimam theriācam licet dignoſcere, ſi paulò poſt medicamentum exhibita, illius vim purgandi impediat: quod ſi theriaca vim purgantis medicamenti poteſt impedire, non ego ſatis intelligo, quomodo ſimul cum medicamentis vel lenientibus vel purgantibus poſſit permiſceri. Quatenus verò pertinet ad alterū modū, quo iſti putāt hæc antidota putredini reſiſtere, calorem natiuum iuuare, coctionē efficere, & in tota curatione principem locum obtinere, neq; hac ſi parte illis cōſentio, atq; ex multis quæ poſſent proferri, illud vnum mihi ſufficiat in præſentia ex vna parte in noſtra febre peſtilenti præcipuam rationē reſiſtendi putredini: illam eſſe, vt impeditæ perſpirationes tollantur, obſtructiones aperiantur, & putreſcentes humores, quatenus licet, concoquantur: ex altera autem parte theriacam & mithridatium tam valentes facultates habere attenuandi, aperiendi, diſcutiendi, vt nullo modo ante humorum coctionem poſſint conuenire, cum potius valeant humores crudos importunè mouere; ad penitiores partes deducere, adeoq; obſtructiones impeditam tranſpirationem, putredinem augere, & totam coctionem impedire: ex quo legimus Gal. 1. *ad Glauc.* c. 1. neq; in frigore quartana, etſi putreſcit humor frigidus & ſiccus, ante illius coctionē huiuſmodi medicamentorū vſū probare, qui aſſerit illos medicos quicunq; audent ante ſtatū talia medicamenta exhibere, quartanam ſimplicem, ſæpius duplicē & triplicē, perpetuò maiorem & difficiliorē reddere.

De antidotis.

Antidota ante ſtatum non adminiſtranda

De margaritis, corallis.

De bolo armena & terra lemnia.

De lapide bezoar, cornu monocerotis.

Cæterum circa vſum & ſyruporum, & omnium medicamentorum, de quibus hactenus diximus, mihi libet duo communia, ſed maximè vtilia præcepta vobis in memoriam reuocare: alterum, cauendum eſſe perpetuò ab iis omnibus, quæ vehementi adſtringendi facultate ſunt prædita: alterum, ſingula hæc medicamenta opportunè, minimè qualibet hora etiam repleto ventriculo, temere fore exhibēda: in quibus duobus præceptis medici vulgares noſtrorū temporum ſolent frequentiſſimè errare, & grauiſſimos errores committere.

Duo præcepta.

De medicamentis externis accommodatis ad curationem febris peſtilentis breuiter agendum eſt, quod non ſemel ſupra de iis ſatis actum fuerit. Communiter practicantes ſolent quam maximè cordi proſpicere, qui parti inunctiones, epithemata, linimenta, & ſimilia medicamenta diligenter imponunt: ſed inter cætera omnia theriaca & mithridatio, vel cum aliis medicamentis, vel præcipuè præparatis ex ſucco citri, aut limonis, quam maximè delectantur: nonnulli propria quædam remedia celebrant, ac præ cæteris hoc noſtro tempore duo potiſſimum olea videmus inſignem prærogatiuam habere. Alterum eſt oleum de ſcorpionibus, tum id quod variis modis ſolet parari, tum maximè quod Gregorio Cataniæ tribuunt, cuius deſcriptio habetur apud

Medicamēta externa.

Oleum de ſcorpionibus.

Matthio

Matthiolum com. *ſuper 6.lib. Dioſcoridis c.1.* Alterum eſt, quod Sereniſſimis magnis Hetruriæ Ducibus acceptum referunt, quibus tempora, extremæ partes brachiorum & manuum, ſed ante omnia regio cordis frequenter inungitur: de quibus quidem externis medicamentis illud primum eſt memoria repetendum, medicos temere ea perpetuò ad vnum cor apponere, cum potius quandoque ad alias partes debeant accommodari, in quibus calor febrilis tanquam in foco reſidet, vt ſuprà declarauimus. Deinde & illud ſtudioſè eſt animaduertendum, ne iis aut aliis medicamentis quæcunq; illa fuerint, ipſum cor aliaſq; partes, aut præterea totum corpus minùs calefaciamus, quæ ſine dubio magis refrigerari quàm calefieri debent: quare & mithridatium, & theriaca, & olea, & cætera calidiora aut mea ſententia prætermittantur, aut rebus frigidioribus ita temperentur, vt potius ad frigidius vergant, neque vllo modo poſſint inſigniter calefacere, ſed tamen ita, vt perpetuò habeatur ratio noxij humoris, morbi, ſymptomatum, temporis anni, habitus corporis, & ſimilium. Ad hunc locum videntur pertinere duo præſidia, quæ apud nos iamdiu ſunt admodum viſitata: alterum eſt inunctio dorſi & totius corporis ex aqua, oleo, & nitro, quod referente Aëtio *lib.5.c.129.* fuit medicamentum Herodoti: alterum eſt *Veſicatoria*, ita vulgò appellata, de quibus paulo poſt loco opportuniore tractabitur. Conſulto hic prætereo formas & receptas particularium medicamentorum, tam internorum quàm externorum, quæ ad curandas febres peſtilentes mihi videntur magis accommodata, & quibus ego familiariter vti ſoleo, quòd mihi ſtatutum ſit poſtremo loco huiuſmodi curationis exemplum ponere, in quo accuratè & diſtinctè ſingula explicabuntur.

Purgantia. Poſt hæc omnia, apparente humorum coctione, natura autem quieſcente, aut non integrè iudicante, iam licet ad purgantia medicamenta deuenire, quæ quidem redundantes noxios humores poſſint purgare, veruntamen ſint quodammodo leuiora, neque vehementer poſſint corpus exagitare & turbare: itaque mea ſententia prætermittenda ſunt ſcammonium, turbith, helleborus, & ſimilia: necnon medicamenta quæ hæc recipiunt, quòd omnia naturæ hominis aduerſentur, neque venenatæ facultatis ſint immunia. Præ cæteris autem mihi eſt familiaris vſus rhabarbari, ſimul cum caſſia, ſyrupo roſato ſol. aut ſimili medicamento, quod quidem rhabarbarum inter multas inſignes dotes, quibus à natura donatum eſt hanc potiſſimùm creditur habere, vt venenis reſiſtat, & ipſum cor roboret, & ad purgationem omnium humorum eſt ferè accommodatum.

Rhabarbari virtus.

Purgato corpore poſtrema reſtat indicatio, quæ ſolam febrem & refrigerationem reſpicit, quæ ſæpenumero nullis præſidiis indiget; ſi quidem purgatis putridis humoribus, vel nulla remanet caliditas præter naturam, vel quæ leuioribus quibuſdam remediis facilè tolli poteſt, de quibus ſæpe diximus. Atque hactenus de febris peſtilentis curatione generaliter: itaque illud vnum reliquum eſt, vt agamus de ſymptomatibus, quæ huiuſmodi febrem ſolent comitari: ſed cum illa varia & multa ſint, ſicuti diximus, neque per anguſtias temporis liceat ſingula perſequi, mihi ſtatutum eſt de ſolis periculis, & quidem breuiter pertractare, cum tale ſymptoma ſit admodum frequens, periculoſum, & multas contineat difficultates.

Capvt XXV.

De Exanthematibus ſeu Peticulis.

DE peticulis atque earum differentiis iam ſuprà diximus, ſed nonnulli cupiunt intelligere, vtrùm Hip. Gal. & antiquioribus medicis cognitæ fuerint nec ne: quibus vnico verbo reſpondeo, mea quidem ſententia Hip. & Gal. manifeſtè peticularũ meminiſſe, poſteriores autem & recentiores manifeſtiſſimè illarum deſcriptionem nobis afferre, inter quos eſt Actuarius, qui hæc habet 2. *de meth. medendi* 13. *Multa variaque exanthemata & papulæ exoriuntur, ſi quidem aliquibus veluti ſi ab vrtica aut culicibus eſſent demorſi, in cute quadam efflореſcunt, quæ modò permanẽt, modò reuertuntur, ac craſſitiem, aut copiam, aut expultricis facultatis imbecillitatem demonſtrant: nonnullis verò rubra aut purpurea, vel etiam nigra erumpunt, quales ex pulicum aut cimicum morſibus quotidie nobis apparent: cæterum ex rubris deteriores ſunt purpureæ, & omnium peſſima nigra; quippe quæ mortem plerunque denunciant.* Hæc Actuarius. Sed Hipp. quoque & Gal. non obſcurè mihi videntur huiuſmodi peticularum meminiſſe, & primùm 1.*epid.*3.19. de Sileno, de quo hæc ſcripta ſunt 8. *Frigidus toto corpore ſudor, papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ, paruæ*, &c. Et 1.epid.2.38. *Papulæ paruæ quæ non ſatis eſſent excernendis morbis, ſtatimque euaneſcebant.* Et iterum 3. epid.3.51. *Papulæ item magnæ* de quarum nomine, & generatione Galen. loquitur *in com.* Quod ſi quis quærat quamobrem apud veteres, ac maximè Græcos, de huiuſmodi peticulis tam pauca habeamus? Huic reſponderem id factum eſſe propterea, quia omnes maculæ, puſtulæ, aut papulæ in cute apparentes apud illos ſub nomine exanthematum comprehendantur, quod ſpeciatim colligitur ex Gal.5. *metho.* 12. qui puſtulas in quadam peſtilentia, in aſperarum arteriarum interiore tunica, totaque exteriore corporis parte contingentes, non alio quàm exanthematis nomine appellarunt: verùm de hac re ſatis, ad curationem venio.

De peticulis.

Quoniam curatio febris cum peticulis eo tantum differt à curatione cæterarum febrium peſtilentium, quòd huiuſmodi tranſmiſſio naturæ noxiæ & venenatæ materiæ ad cutem, videtur propriã quandam indicationem proferre, & propria quædam remedia poſtulare; idcirco mihi ſtatutum eſt, cæteris omnibus indicationibus & remediis prætermiſſis, de iis tantummodo ſermonem habere, quæ ad vnam rationem peticularum quàm maximè videntur conuenire. Itaque ſi in febre peſtilente peticulæ iam incipiant erumpere, aut videatur periculum imminere, ne poſterius erumpant, hîc medici dubitant, hæſitant, altercantur quidnam expediat facere. Plerique omnes contendunt, hunc naturæ motum quocunque tempore, quocunque modo, quacunq; ratione eueniat, perpetuò iuuandum eſſe, qui pro ſua opinione afferunt aph Hipp. 21. lib. 1. *quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eo ducere*: & alterum aph. 6. aph. 25. *Eryſipelas ab exterioribus ad interiora verti non eſt bonum, ab anterioribus autem ad exteriora bonum*: vbi Gal. hæc habet in com. non ſolum eryſipelas, ſed aliud quodcunque quod ex profundis, & principalioribus transfertur ad cutem, bonum eſſe ſignũ & cauſam debemus exiſtimare; ſi verò contra ad interiora & profunda tranſmutetur, malum. Cum igitur huiuſmodi naturæ conatus, quo partes internæ & nobiliores exonerantur, deponunturque maligni humores ad partes externas & ignobiliores, non poſſit niſi multum prodeſſe, propterea conantur

De curatione peticularum.

nantur omni ſtudio talem naturæ propenſionem iuuare, cutem laxare, aperire, atque ad illam omne internum venenum trahere: quamobrem primo quoque tempore ægros collocant in aëre calidiore, illoſque multis pannis, ac præcipuè rubris diligenter muniunt, deinde apponunt cucurbitulas, & quidem multas, partim ſine ſcarificatione, partim cum ſcarificatione, tum ad dorſum, tum ad alias corporis partes: prætetea vtuntur frictionibus, inunctionibus, ac potiſſimum illa Herodoti: demumque tanquam ad ſacram anchoram ad vlcerantia medicamenta & veſicatoria confugiunt, quæ quidem ad varias partes ſed frequenter ad crura & manus ſolent accommodare. Altera autem ex parte, non deſunt, qui magis diligenti examini & cenſuræ hanc totã rem ſubiiciunt, quorũ alij hunc naturæ conatũ diſtinguunt in tria tempora: primum, antequam peticulæ erumpant: ſecundũ, poſtquam prodeunt: tertiũ, poſtquam omni ex parte prodierunt; atq; ij quidẽ primo tempore ea probant remedia, quæ nimiũ ſanguinis feruorẽ poſſunt remittere, ſecundo, quæ peticularũ eruptionẽ poſſunt iuuare: tertio, quæ variorũ ſymptomatũ rationẽ habeant. Alij verò in hac conſultatione ita ſentiunt, qui docent naturam ſe exonerantem à noxiis humoribus tripliciter poſſe agere; vno modo criticè, quod fit concocta materia in die critica, cum maxima ægri tolerantia & vtilitate: ſecundò, ſymptomaticè, ſine humorum coctione, in die non critica, magno cum ægri labore & periculo: tertio, media quadã ratione inter vtrumq; extremũ, quoquomodo concocta materia, neq; ſine aliquo ægri beneficio: ex quo ſtatuunt, naturã tranſmittentem ad cutem, peticulas vel criticè, dummodo id fiat integrè, vel ſymptomaticè, nullo modo iuuandã eſſe; ſi autẽ tertio medio modo agat, tunc aſſerunt naturã iuuandã eſſe: inter quos principem locum obtinet Trinc. qui ad confirmandũ poſtremũ hoc decretũ, nempe motus naturæ, neq; omnino ſymptomaticos, ſed quodammodo medios iuuandos eſſe, nonnullas affert rationes, qui acriter diſputat aduerſus nonnullos recentiores. Primum autem eius argumentum eſt: Hip. & Gal. turgente materia præcipiunt vacuandum eſſe, quoniam tunc habemus naturam vacuationi adminiculantem; neq; verò ſolùm per eos id licet humoribus turgentibus, ſed etiã quotieſcunq; natura incipit quidẽ humores vacuare, quamuis nulla apparente coctione, ſed tamen tantũ non poteſt vacuare, quantũ iuuari poſſit: quod oſtendit verum eſſe exemplo Metonis, 1. *epid. 3 ægroto* 7. qui æger cum grauiſſimè laboraret, ac natura cœpiſſet ex dextra nare ſanguinem mittere, ſed imminutè, caput lauit vt ſanguis copioſiùs flueret: quod Gal. confirmat cum ratione factum fuiſſe, aſſerens apb. Hipp. *quò ducere oportet*, &c. Veruntamen dici non poteſt ſanguinem in Metone criticè fluxiſſe, cum morbi initio ante coctionem fluere cœpiſſet. Poſtremò Trincau. illud addit, in febribus peſtilentibus carbunculos, bubones, parotidas, frequenter comparare, quæ mala eadem ratione qua peticulæ, ſolent erumpere natura expellente vitioſos humores longè ab internis viſceribus ad partes ignobiliores: neque tamen, etſi huiuſmodi expulſiones fiunt ante concoctionem, & ſunt ſymptomaticæ, eſt aliquis qui non illa ſtudeat iuuare, cum nemo vtatur medicamentis repellentibus, ſed omnes in eo conueniant, exterius trahendum eſſe, adeo vt nonnulli quoque protinus ad laborantis partis ſcarificationem deueniant. Hæc Trinc. argumenta ſunt, ex quibus conatur probare, motus naturæ aliqua ex parte ſymptomaticos iuuandos eſſe. Et ſi autem huiuſmodi variæ hominum cogitationes alicui videri poſſunt ingenioſæ, ac Gal. dogmatibus conuenire, veruntamen ſi quis voluerit accuratè illas perpendere, fortaſſe aliter ſentiet: cæterum vt rectè res intelligatur, ſciendum eſt, apud Gal. 3. *de criſib. à principio*, ſex in vniuerſum in morbis eſſe mutationum differentias: aut enim ſubito ad ſanitatem traducunt, aut ſubitò interficiũt; aut paulatim morbo deficiente homo ad ſanitatem reuertitur: aut paulatim virtute reſoluta homo ad mortem tranſit: aut ſubito ad melius morbi mutantur, ac deinde quod reliquum eſt, vſque ad integram ſolutionem paulatim conſumitur, aut poſtremò ſubito morbi ad peius mutantur, homoque vſque ad mortem paulatim abſumitur. Porrò ex iis morbi mutationibus Gal. primam quæ reliquarum omniũ eſt optima, potiſſimùm ac præcipuè criſim vel iudicium nominat, quoniam natura omnia quæ præter naturam ſunt, ſuperante exactè efficitur, ſecundam quæ ad celerem mortem finitur, malam criſim nominat: quintam & ſextam, quòd effatu dignum ad melius vel peius momentum habeant, non tamen integram ſolutionem efficiant, deficientia vel imperfecta iudicia vocat: tertiam & quartã quòd paulatim aut morbo, aut virtute deficiente, fiant ſolutiones, ſimpliciter iudicia vel criſes appellat. Verũ prætermiſſis duabus primis differentiis, quarũ prima criſis præcipuè, ſecunda mala criſis dicitur; necnon alteris duabus, quæ non criſes, ſed ſolutiones nominãtur, quæ tantùm poſtremæ differentiæ, quæ imperfectæ & deficientes criſes appellantur, ad noſtrum inſtitutum videntur pertinere, in quibus natura quidem tentat noxios humores expellere, ſed debiliter & imperfectè, ſicuti in febribus peſtilentibus, apparentibus periculis fieri contingit. Itaque dubium eſt, vtrum huiuſmodi naturæ conatus & imperfectæ criſes à medico debeant iuuari, necne. Quam difficultatem, ni fallor, præclarè Gal. diſſoluit, qui generaliter nos docet, opera naturæ iuuanda eſſe, quotieſcunque illa probè agit, non iuuanda autem, quotieſcunque illa improbè operatur: *diligenter*, ille inquit, 1. aph. 11. *medicum oportet naturæ motum & inclinationem obſeruare, qua ſi ad loca commoda fiat, ei ſeruiendum eſt & auxiliandum; ſi verò contrario modo & incommodè, eam prohibere, ſimulq; reuocare & retrahere oportet*. In hac igitur deliberatione videndum eſt, an natura tranſmittendo periculas ad cutem bene vel malè agat: etenim ſi bene agit, licet illam iuuare: ſi male agit, non licet illam iuuare. Neque verò in hac inquiſitione longius laborandum eſt, ſi quidem ab Hipp. & Gal. certa regula vobis tradita eſt, qua probã vel improba naturæ opera, probæ vel improbæ criſes, facilè diſcerni poſſunt: quæ quidem regula ad vnam coctionem & cruditatem cum primis pertinet: de qua re vnum vel alterum teſtimonium audiamus, 1. epid 2. 45. & 46. *Coctiones*, inquit, Hip. *celeritatem criſis, & ſalutis ſecuritatem portendunt: cruda autem & inconcocta, atque in malos abſceſſus conuerſa, ſignificant aut acriſias, aut dolorẽ, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut interitum*. Et iterum 1. 2. 37. *Quodcunq; horum acceſſiſſet violenter, interficiebat celeriter*: & Gal. in com. *Qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum*: ac rurſum, 4 aph 22. *Quamdiu à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & humorum adeſt cruditas, tunc vt aliquid rectè vacuetur, fieri omnino non poteſt, ſiquidem vt bona criſis fiat, coctionem præceſſiſſe oportet, & ſeparationẽ ſecutam fuiſſe, tandemque vacuationem*. Ad ſummam docet Gal. 3. *de criſib.* 6. & 10. optimam criſim fieri non niſi in ſtatu, & morbo iam cocto: cæteras autẽ criſes tanto eſſe deteriores, quanto ſtatum anticipauerint. Itaque apparentibus periculis diligenter mea ſententia obſeruandum eſt, an noxij humores cocti ſint, aut crudi, an natura criticè agat, an ſymptomaticè:

ticè; namque ſi expulſio fuerit critica & vtilis, tunc ex doctrina Hip. & Gal *apho.* 20. ſi illa integra facta fuerit, vel adhuc fiat, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: ſin autem expulſio non fuerit integra, tunc id quod deficit, ſupplere nos conuenit: quod ſi altera ex parte expulſio fuerit ſymptomatica, & inutilis, tantum abeſt vt illa debeat iuuari, vt potius debeat impediri: hæc ſi vera ſunt, & doctrinæ Hipp. & Gal. conſentiunt, equidem non verebor affirmare, medicos temporis, quicunque erumpentibus peticulis quocunque tempore & quocunque modo erumpant, talem naturæ expulſionem perpetuo iuuant, præter Hip. & Gal. doctrinam & præter omnem rationem agere. Quæſo enim ſi medicus eſt imitator & miniſter naturæ, non generaliter, ſed cum illa tantummodo bene agit, ſi nulla naturæ vacuatio, nulla expulſio, nullus abſceſſus ſine concoctione poteſt aliquam vtilitatem afferre, quomodo non præter Hip. & Gal. doctrinam, & præter rationem agunt, quicunque erumpentes peticulas cum ſumma humorum cruditate, ſicuti erumpunt frequentiſſimè, & cucurbitulis, & inunctione, & veſicatoriis, & omni ſtudio conantur iuuare? Verum aduerſarios & præcipuè Trinc. audiamus, qui conatur probare, motus naturæ medios inter criticos & ſymptomaticos, iuuandos eſſe. Primùm verò nequeo ſatis mirari de viro doctiſſimo, qui ex vna parte, in principio ſuæ diſputationis ſtatuit ad mentem Hip. & Gal. motus neque purè criticos, neque purè ſymptomaticos iuuandos eſſe, qui ſcribit ad hunc modum: *Ex iis de declaratis, tanquam corollarium quoddam depromendum eſt, quod certiſſimum eſt, ſi Hip. decreta itidem & Gal. ſequamur, quod ſcilicet neque tranſmutationes illa ſunt a medico iuuanda & fouenda, quæ omnino & penitus ratione ſymptomatis ſiunt, & ſi aliquid in eis agere oporteat medicum, potius illas impedire & reprimere oportet*: ex altera autem parte paucis interpoſitis lineis contra decretum Hipp. & Gal. imo verò contra propriam determinationem, contendit, motus naturæ ſimpliciter ſymptomaticos, in quibus vt ſtatim videbimus, ſumma eſt humorum cruditas, ab Hip. & Gal. omnibus medicis iuuari; ſed nos ſingula breuiter perpendamus. Turgente materia Hip. & Gal. præcipiunt ſtatim vacuandum eſſe: igitur motus naturæ ſymptomatici iuuandi ſunt. Negatur conſequentia, neq; ſanè ego vim huius argumentationis ſatis intelligo, ſi quidem conſtat apud omnes, propter quam cauſam turgentes humores primo quoque tempore poſſint ac debeant purgari; quam ipſe quoque explicat Trinc. nimirum quia tunc naturam habemus vacuationi adminiculantem: quæ quidem ratio, crudis quieſcentibus humoribus, deficit, cum natura concoctionis ſolicita, quæ fit quiete, quieſcat, neque aliquam vtilem vacuationem aggrediatur: propter quam præcipuè cauſam, neque eo tempore licet purgantia medicamenta adminiſtrare, ſicuti aliàs diffusè diximus.

Perſequentes diſputationem contra Trinc. in Metone manifeſtum eſt humores omni ex parte crudos fuiſſe, quòd lotia eſſent tenuia, ſubnigra, in quibus nigra pendebant diſperſa, *itaque* inquit Trinc. *reſpiciant quæſo iuniores, an fluens ſanguis ex naribus Metonis criticè fluxiſſe dici poſſit, qui inter initia ante vllam apparentem coctionem fluxit; ac ſanè tantum abeſt vt is natura motus fuerit criticus, vt contra ſine dubio fuerit ſimpliciter ſymptomaticus.* qui motus Hipp. & Gal. auctoribus & confirmante Trinc. nulla ratione debent iuuari. Quid ergo dicendum eſt: Ego ſanè ſatis nequeo mirari, quomodo vir doctiſſ. in tam abſurdam ſententiam venerit, vt exiſtimauerit abſurdum eſſe, principio morborum fluxionem ſanguinis importunã eſſe: quod ſi ita hæc res verè ſe habet, neque hoc tempore licet naturæ ſanguinem profundere, vt neque medico id liceat facere, fateamur neceſſe eſt: vnde vanum foret Hipp. & omnium medicorum decretum 2. aph. 29. principio morborum potiſſimum miſſionem ſanguinis mouendam eſſe. Itaque exemplum Metonis ad hanc rem nihil pertinet.

Poſtremò, motus naturæ tranſmittentis bubones, carbunculos parotidas, & ſi ante concoctionem fiant; ab omnibus iuuantur: ergo & peticulæ eadem ratione erumpentes, & reliqui motus naturæ ſymptomatici iuuandi ſunt. Ad hoc ego reſpondeo vnico verbo, omnes vacuationes, abſceſſus ac naturæ conatus, qualeſcunque illi fuerint, ſine humorum coctione, etſi videntur aliquando aliquam vtilitatem afferre, tamen reuera perpetuò noxios & periculoſos eſſe, neque à medico iuuandos & imitandos: nam quamuis mortem non afferant, afferunt tamen multa grauiſſima pericula, quæ præclarè deſcribuntur ab Hip. 1. *epid* 2. 46. vel nullam, vel malam criſim, vel dolores & labores, aut morbi diuturnitatem, aut recidiuas, aut mortē. Quamobrem neque probè illi mihi videntur agere, etſi id vulgo fieri ſolet, quicunque apparentes carbunculos, & reliquos abſceſſus ſine concoctione ſtatim audent trahentibus medicamentis, cucurbitulis, ferro, & igne, ad laborantem partem trahere, illamque aperire, quòd ita dolores, febres, malignitas, & omnia mala ſæpenumero fiant deteriora & periculoſiora: cum potius Gal. 14. *meth.* 10. ills principio probet remedia, quæ moderatè reprimendo quoquomodo digerere ſeu diſſipare poſſunt. In fine noſtræ diſputationis de purgatione, id diffusè eſt declaratum.

Concludo igitur in febre peſtilente apparentibus peticulis, ſicuti in reliquis expulſionibus, diligenter notandum, non ſolum quid natura agat, ſed ante omnia quàm bene vel malè agat, qui id repeto, ad medicum pertinere naturæ tantummodo auxilium ferre, quotieſcumque probè ſed imminutè agit: vnde ſi id eueniat, vt ſine ſignis coctionis, quod euenit frequentiſſimè, ſæpe etiam cum ſignis contrariis coctioni, natura vel ad cutem, vel ad alias partes quidquam tranſmittat, vos nolite imitari vulgares medicos, qui protinus ſtudent naturam malè agentem iuuare, ſed quantum pertinet ad hanc Indicationem, quieſcatis, & naturam neque impediatis, neque iuuetis, ſed totum illi negotium permittatis, quatenus vobis licet, accommodatis alimentis & medicamentis ſtudeatis ſatisfacere reliquis indicationibus, de quibus ſatis diximus. Sin autem compareant peticulæ præcedentibus ſignis concoctionis, ac natura probè & criticè videatur agere, quod admodum rarò contingit, tunc ſi huiuſmodi expulſio fuerit debilis & imperfecta, iam vobis licet illius conatum & propenſionem, omnibus modis iuuare: itaque primum abſtinebitis à refrigerantibus tam internis quam externis, quæ talem tranſmiſſionem poſſunt impedire, & ad quædam calidiora deuenieris, quæ magis poſſint illam iuuare, inter quæ apud Auic. Rhaſim ac prope omnes medicos celebre eſt medicamentum, quod tum alia tum maximè lentes recipit: etſi non deſunt qui lentes minus probant, quod ex Gal 8. *de ſimpl. med.* non leuiter adſtringant: verum ſic accipiatur prima lentis decoctio, neque Gal. negaret hanc moderatè calefacere, ſiccare, aperire, & huiuſmodi materiam poſſe propellere: vobis licebit addere hordeum, ficus aridas, radices petroſelini, & ſimilia, Habeatis exemplum;

℞. *Lentis ſine cortice* ℥. ij.
Hordei ʒ. ß.
Caricarum N. iiij.
Radicum petroſelini ʒ. iij. *M. fiat decoctio, quæ calida exhibeatur loco ſyrupi.*

Ad hanc rem ſunt accommodata nonnulla etiã exteriora: vulgus & mulieres cooperiunt ægros pannis rubris, ſed hæc ſuperſtitio eſt; valent leues frictiones, cucurbitulæ, & ſine ſcarificatione: & cum ſcarificatione; ſunt inunctiones cum aliqua re laxãte & aperiente, ſicuti exempli gratia, cum oleo amygdalarum dul-

cium,

cium,chamæmelino,&c. Sed maximè laudatur medicamentum illud Herodori apud Aëtium, quem quidem ſi opportunè adminiſtretur, optimum eſt, ſed communiter practicantes quouis tempore, ſæpe etiam ſine totius corporis vacuatione illo vtuntur frequentiſſimè,aduerſus Gal. præceptum, qui expreſsè iubet 11.*met.*9.corpora minimè eſſe rarefacienda,niſi antea exquiſitè vacuata fuerint. Demum verò iam multos annos multi cœperũt vti veſicatoriis, de quibus multa forent dicenda,ſed occaſio præſentis temporis non patitur vt longiorem de illis diſputationem faciamus, itaque admodum paucis contenti erimus. Primo non ego quidem multum laboro,an hoc remedium fuerit inuentum recentiorum, vt nonnulli gloriantur, qui ſcio Iacobum de Partibus, & alios barbaros medicos illius iamdiu mentionem feciſſe, compoſitionem & vſum docuiſſe;neque ego is ſum,qui contendam veſicatoria nunquam fore adminiſtranda,velimque huic præſidio omnem auctoritatem eleuare,ſi quidem prætermiſſis reliquis veterum auctorum teſtimoniis,Gal. *lib.de reuulſione*, manifeſtè acrium medicamentorum meminit, quæ ſcribit ſinubus,vel vt alij vertuntur, thoraci vel pectori impoſita,euellere fluxiones humorum,qui ad caput & viſcera feruntur quem locum puto eſſe deprauatum ac reſtituendum ex Oribaſio, qui hanc partem ex Galen.ad verbum transferibens, vult huiuſmodi medicamenta brachiis & manibus fore imponenda: ſed illud vnum mihi ſufficiat in præſentia, veſicatoria iſthæc medicamenta in febre peſtilenti, mea quidem ſententia, multas & magni momenti difficultates continere, ac potiſſimùm ſi repleto corpore, & ſine humorum coctione, vt vulgo fieri ſolet,adminiſtrentur: etenim ſi ex doctrina Gal. 11.*met.*9.4.*de tuenda val.*5.*&* 6.non licet ſine præcedente totius corporis vacuatione & coctione humorum, quidquam ad partes externas trahere, quando ille prohibet exercitationem,frictionem,balneum,fomenta calida,inunctiones calefacientes,& vno verbo, quæcunque ſuccos in corpore animalis altè repoſitos quomodocunq; poſſunt irritare ac mouere,profectò ego ſatis nequeo intelligere,quomodo liceat veſicatoriis, quod quidem magis vel certe non minus quam hæc omnia,poſſunt humores agitare,& ad partes externas trahere. Sic ſcribit Hipp.1. *de hum.*3. facta coctione humores aut intro aut foras vergere,aut aliam in partem,in quam oporteat. Præterea ſi rurſum conſideremus indicationes in huiuſmodi curatione inſtitutas,veſicatoria fortè ad nullam earum ſunt accommodata. Et ſi quis obijciat,illa potiſſimùm adminiſtrari à medicis propter varia ſymptomata, quæ frequenter haſce febres ſolent comitari: huic reſponderem, Gal.cum aliis locis,tum maximè 1 *ad Glau.*14.*&* 15. ferè de iis omnibus tractaſſe, neque de veſicatoriis aut cauſticis medicamentis quidquã meminiſſe. Cum igitur veſicatoria ad nullam febris peſtilentis indicationem ſint accommodata, imò verò cum importuna motione & tractione humorum naturæ coctionem quæ perficitur quiete, poſſint impedire, addo, cum poſſint & partes, & totum corpus alioqui æſtuans & feruidum adhuc magis inflammare & calidius reddere,ſæpe verò inſignes dolores excitare,febrem augere,& forte alia non ſpernenda incommoda ſecum afferre,cum demum liceat variis vrgentibus ſymptomatis ſubuenire aliis præſidiis, quæ à Gal & omnibus probatis medicis iam diu tradita ſunt, atque omni carent periculo & contradictione,ego certè nequeo vulgarium medicorum inſtitutum omni ex parte probare,qui tam frequenter hoc tempore, ac ſine vllo diſcrimine,tantopere veſicatoriis delectantur.

Atque hactenus de febribus peſtilentibus putridis generaliter, ac ſpeciatim de periculis, quæ illis frequenter ſolent coniungi,in præſentia ſint ſatis. De febribus hecticis peſtilentibus ſuperuacaneum eſt quid quam agere,cum neque vllam curationem recipiant, neque ægri multas horas viuere poſſint: itaque illud vnum reliquum eſt, vt proponatur caſus, in quo ſingula præſidia,atque eorum doſes,& certam rationem totius curationis ordinatè & diſtinctè conabimur explicare.

Veſicatoria.

Hectica incurabiles.

Socrates annum agens 40.temperamenti calidioris & ſiccioris, hoc ipſo tempore ineunte Iulio, quando multæ febres peſtilentes iam multos dies vagantur, corripiatur febre,pulſus ſint celeres,veloces,frequentes,magni,lotia ſint perturbata,ille malè quieſcat, laboret dolore capitis, vigiliis, ſiti, & aliis id genus ſymptomatibus,quæ inſignem quandam putredinem, & præcipuè bilis poſſint indicare, adeo vt timendum ſit,ne febris ſit peſtilens, vel in peſtilentem poſſit degenerare; ſi quis veſtrum ad Socratis curationem accedat,is memoria repetens,quæ ex Gal.potiſſimùm & Auic. à nobis tradita ſunt, antequam ad curationem aggrediatur,debet cum domeſticis prudenter agere,illoſque de imminente ægri periculo admonere, & ita propriæ perſonæ & artis exiſtimationem tueri: tum de prima indicatione, quæ ad minorationem materiæ pertinet cogitandum eſt,quæ,quidem minoratio cum fieri nequeat per medicamenta propter cruditatem humorum,& alias cauſas,videndum eſt an per miſſionem ſanguinis perfici poſſit. Atque hic & vbique vehementer cupio vnumquemque veſtrum ad præcepta Hip.& Gal.ſe referre, & ſecum perpendere, vtrùm in Socrate principes huius remedij ſcopi conueniant nec ne, de quibus ſæpiſſimè diximus:morbus eſt magnus, imò verò maximus,ætas viget,itaque diligens habenda eſt conſideratio de viribus, quæ quidem non ſolùm hoc præſenti tempore,ſed etiam poſteriore, vſque ad ſtatum debent conſtanter permanere: vnde ſi ex pulſibus,habitu corporis, qualitate humorum,& cæteris quæ eandem habent rationem, Socrates vobis viderentur habere & habiturus eſſe robuſtas vires,ſine mora audeatis ex vena iecoris illi ſanguinem mittere: veruntamen ſumpta indicatione ab humore in primis noxio,quem ſtatuimus eſſe bilem, necnon à præſenti aëris conſtitutione calidiore,ſanguis admodum parcè mittatur,ac quintam, vel ad ſummum ſextam vnciam non excedat. Niſi aluus ſua ſponte deiiciat,illam ante ſanguinis miſſionem molli clyſtere mouere oportet.

Et ſit exemplum:

℞. *Decocti foliorum maluarum,*
Violarum,
Lactucarum lib. j.
Mellis roſacei ℥. iij.
Olei violati ℥. iij.
Ouum integrum. M. pro clyſtere.

Sin autem Socrates forte videretur non tam conſtantes vires habere, vt commodè ſectionem venæ ferre poſſet,tunc ex doctrina Galen. vobis licebit aut hæmorrhoidas aperire, ſi ſuperiore tempore conſueuiſſent fluere,& in præſentia forent ſtrictæ,aut malleolos ſcarificare, de qua ſpeciatim malleolorum ſcarificatione: quæ apud veteres,ac maximè Gal. erat admodum celebris & vſitata,nos diffuſè diximus in noſtro libello de peſte, vel vno vel alteris modis miſſo ſanguine: ſi id ferat occaſio, leniatur aluus. Sed quoniam ægri temperies,bilis putreſcens,tempus anni, & cætera in caliditate conſpirant, propterea caueatis à medicamento Ruffi, ab hiera, & omnibus calidioribus,ſed frigidioribus ſiis contenti, quæ non ſolùm vacuando, ſed etiam alterando poſſunt aliquam vtilitatem afferre:qualia inter cætera foret caſſia cum thamarindis. Et ſi exemplum.

℞. *Flor.caſſ.nouiter extract.* ℥. x.
Pulpa thamarindor. ℈. iiij.
Specierum diarrhod. ℈.ij. *M.& fiat bolus.*

Poſt ſectionem venæ, poſt lenitionem alui, toti in coctionem humorum incumbatis: itaque inſtitutis ſyrupos,

ſyrupos, decocta, antidota, quæ veſtris indicationibus poſſint ſatisfacere: Et ſint exempla.

℞. *Syrupi acetoſi ſimplicis* ℥. j. ß.
Decocti acetoſæ,
Cichorei lib. ß. *Miſc. pro ſyrupo.*

℞. *Conſeruæ flor borraginis,*
Acetoſæ ʒ. ij.
Margaritarum præparatarum ℈. j.
Seminum citri mundatorum ℈. ß. *M. fiant boli duo & aurentur;* qui quidem boli vel ante ſyrupum, vel ante alimenta ſaltem per duas horas exhibeantur: quod ſi æger nequeat bolos deuorare, vt multi nequeunt, paretis electuarium, quod eaſdem habeat vires, quod eodem modo & tempore poteſt exhiberi.

℞. *Sacchari violati,*
Borraginati ana ℥. j. ß.
Margaritarum præparatarum,
Fragmentorum de gemmis.
Coralliorum rubeorum ana ʒ. ß.
Foliorum auri. N. iiij.
Cum ſyrupo de ſucco acetoſo parum miſce, & fiat electuarium.

Interea diligenter naturæ opera obſeruanda ſunt, ſi illa ad cutem periculas, vel aliquem expulſionem moliatur: ad loria potiſſimùm ſitis attenti, vtrùm aliquam coctionem demonſtrent nec ne; ad ægri tolerantiam, an ille bene vel male huiuſmodi expulſiooem ferat; ad ſummam, niſi motus fuerit criticus, naturæ totam rem permittatis, neque illius conatum vel iuuetis, vel impediatis: ſin verò expulſio fuerit critica, ſed debilis & parua, iam vobis licebit ſupplere, & huiuſmodi tranſmiſsionem iuuare, illis modis & rationibus, de quibus iam poſitis quoq; exemplis ſatis diximus Socrati inſtituatis victus rationem, & alimenta quæ ſint boni ſucci, facilis concoctionis, frigida & humida, tam actu, quā potentia, qualia forent oua recentia, panis ex iure coctus, priſana hordeacea, panatella cum ſeminibus melonum, quibus tamen ratione inſignis putredinis, cuius indicationis vos debetis perpetuo meminiſſe, nonnulla poſſunt permiſceri, & ſimul coqui, exempli gratia, folia acetoſæ, endiuiæ, fruſtulum citri, dummodo ab ingratis & inſuauibus caueatis, quæ ægroti appateotiam poſsint euertere. Potus ſit mulſa, ſed admodum diluta, nimirum multa aqua ex pauco ſaccharo decocta, aqua hordei bene præparata, ius pulli tenuiſsimum. Caueatis à longis illis potionibus, quæ vulgo parantur ex aquis ſtillatitiis, ex vino granatorum cydoniorum, & quibuſdam ſyrupis, quibus communiter practicantes vtuntur frequentiſsimè, & quacunque hora illas exhibent. Quatenus pertinet ad quantitatem, alimenta Socrati exhibeantur non cumulatè, ſed moderatè, & mea quidem ſententia ad tenuitatem declinent; etſi non ignoro, non ſolùm vulgus, ſed etiam multos medicos aliter ſentire; quam controuerſiam diffusè tractauimus in noſtro libello: veruntamen ad prudentiam pertinet medici, indicationem virium ſibi perpetuò ante oculos ponere, tantamque alimentorum copiam vna vel pluribus vicibus exhibere, quanta ad conſeruandas vires vſque ad ſtatum ſit futura ſatis. Quod ſi Socrates vrgente morbo ad inſignem virium debilitatem delabatur, vt facere multi ſolent, tunc medici præter cætera alimenta ſolent aquam carnis parare, quæ vulgo *ſtillatum* dicitur, quod potiſſimùm ab Auic. maximè creditur poſſe ſpiritus reſtaurare, & vires robuſtas reddere: Et ſit exemplum,

Victus. *Potus.* *Quantitas alimentorum.*

℞. *Pulpam vnius galli caſtrati,*
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubeorum,
Specierum cordialium ana ʒ. ß.
Foliorum acetoſæ,
Borraginis ana M. ß.
Foliarum auri N. vj.
Simul omnia miſceantur, ſuſpendatur caro in phiala magna vitrea, & ſecundum artem fiat aqua carnis in duplici vaſe. Cuius alimenti & medicamenti eſt vſus, vt cochleare vnum vel alterum ſimul cum reliquis ferculis & iuribus permiſceatur. Sed ego in iis caſibus libenter meis ægrotis concedo pauxillum vini oligophori, quod præterea modica aqua roſacea, acetoſæ, aut ſimili, ſoleo diluere, & id quidem reficiendis viribus mihi videtur principem locum obtinere. Progrediente morbo iam diximus illius coctionem perpetuò fore animaduertendam, qua apparente, natura autem quieſcente, vobis licebit Socrati ſequentibus medicamentum exhibere in bolo.

℞. *Flo. caſſ. non. extr.* ℥. j.
Rhabarbari electi pul. ℈. v. *M. & fiat bolus.*

Si voluerit in potione.

℞. *Syrupi roſati ſolutiui* ℥. ij.
Rhabarbari electi. pul. ℈. iiij.
Decocti acetoſæ, Cichorei,
Seminum citri q. ſuf. M. & fiat potio.

Quod ſi altera ex parte coctio humorum tardiùs procedat, ſicuti procadit ſæpenumero, ratio perſuadet, & longior experientia mihi iam diu confirmauit, ſumma cum vtilitate lenientia medicamenta ſemel atq; iterum poſſe adminiſtrari: itaq; tunc Socrati rurſum vel caſſiam, vel quid ſimile exhibeatis, neq; ſine integra coctione ad valentiora purgantia medicamenta audeatis deuenire. Quoniam verò inter cætera incommoda febrium peſtilentium illud eſt non poſtremum quod omnes facultates & partes corporis principes maximè laborant, adeo vt plerunque nonnulla veſtigia earum malignitatis temaneat, in poſterum, quod notauit Auic. propterea id poſtremo in Socrate reliquum eſt, quod ad vltimam pertinet indicationem, vt membra læſa alterentur, corúmq; intemperies & vitia corrigantur, ſpiritus diſſoluti regenerentur, & calor natiuus roboretur: hæc autem præſtant partim victus ratio, partim nonnulla accommodata medicamenta cum interna, tum externa, de quibus ſatis ſuperque diximus, vt in præſentia pluribus non ſit opus.

Capvt XXVI.

De Symptomatibus Febrium in genere.

POſt febres mihi propoſitum eſt etiam de ſymptomatibus febrium agere, qua tractatione quidem cenſeo nonnullam eſſe vtiliorem; ſiquidē ſymptomata maiori ex parte longè maius negotium faciunt, & ægrotis & medicis, quàm faciat ipſa febris, quæ quidem ſi careat ſymptomatibus, leuis admodum morbus non iniuria poteſt videri ex quo factum eſt, vt Gal. Auic. & omnes præſtantes medici, in hoc argumento verſentur accuratiſsimè, adeo vt liceat mirari, quamobrem tam vtilis & tam neceſſaria diſciplina in ſcholis publicis iam diu non fuerit inſtituta. Sed antequam rem aggredior, mihi libet nonnulla quaſi quædam prolegomena vobis in memoriam reuocare. Itaque primùm ſciendum eſt febres quæ cum ſymptomatibus conſiſtunt, minimè ſub diuerſa ſpecie à reliquis febribus diuerſas contineri, ſed ſicuti alius morbus alij morbo, aliudq; ſymptoma alij ſymptomati vno tempore in eodem corpore copulatur, ita etiam febribus quædam coniungi ſymptomata, quæ operam medici requirunt: vnde Gal. quoque 1. *ad Glau.* febribus primum ſine

ſympto

ſymptumatibus c.13. deinde cum ſymptomatibus c.14 curatio iem inſtituit. Deinde ſum ſymptomata ſint duplicia, quædam quæ neceſſariò febrium naturam & generationem ſequuntur, eaempli gratia rigor & vomitus in febre tertiana, qnædam quæ non ſolent propriam febrium naturam ſequi, ſed priuatam quandam & peculiarem cauſam obtinent, at non niſi rarò illas comitatur, vt delirium, vigiliæ, & alia id genus, nos de illis tantùm ſymptomatibus ſtatuimus agere, quæ vel rarò contingunt, vel communē propriorum ſymptomatum magnitudinem excedunt, adeo vt periculum immineat, ne vires illis perferendis poſsint eſſe ſatis. Tertiò id nntandum eſt, ſymptomata ſicuti generaliter, ita in febribus eſſe trium generum: namque alia in læſione actionum, alia in immoderato exceſſu retentorum & euacuatorum, & alia in qualitate corporis immutata conſiſtunt, & apud Gal. ſunt manifeſtiſſima in libro de morbis & ſymptomatibus, ex quibus tribus generibus ſymptomatum duo tantummodo priora, nempe læſiones actionum & eorum quæ retinentur vel expelluntur exceſſus, ad ſe operam medici conuertunt: tertium verò genus, quod in affectibus conſiſtit, nullam ſeparatim curationem poſtulat, cum ſimul cum affectu, ex quo naſcitur ſoleat ceſſare: Poſtremo loco illud vobis eſt animaduertendum, nullam ſymptomatum, quatenus ſymptoma eſt, curationis rationem neque indicare, neque immutare, ſi qui vnus morbus verè eſt, qui curationis indicationem præſtat: quemadmodum altera ex parte morborum cauſæ præſeruationem indicant; tametſi quoniam ſæpenumero curatio cum præſeruatione miſcetur & confunditur, medici vtrumque ſolent nomine curationis comprehendere, neque ſolum à morbo, ſed etiam à cauſa, curandi indicationes elicere, vt diffusè docet Gal. 2. *aph.* 22. Cæterum cum ſymptomata verè & per ſe curationem neque indiceōt, neque mutent, ex accidenti id præſtant quandoque, cum nimirum cauſæ locum obtinent, quo quidem tempore cum ſymptomata cauſæ vim acquiruot, & curationis rationem alterant, ad vnicum caput omnia poſſunt referri, nempe ad læſionem, ſiue illa ad virtutem, ſiue ad febrem pertineat: quandoquidem niſi vires lædantur, aut morbus augeatur, nullo modo curationem impediunt exempli gratia, lædunt vires, vigiliæ, dolor, immodica euacuatio, morbum verò non perpetuò, ſed magna ex parte augeant, ac potiſſimùm ſi talia ſymptomata fuerint immoderata. Hæc omnia habentur diffusè & perſpicuè tradita à Gal. 12. *meth.* 1. quem locum debet vnuſquiſque veſtrum diligenter videre.

Quatenus autem pertinet ad generalem curationem ſymptomatum, id quoque poſtremò debetis memoria perpetuò tenere, quod item à Gal. traditum eſt. 1. *ad Gl.* 14. *initio*, febres nimirum quæ ſunt cum ſymptomatibus, noo æquè ſimplicem curationem exigere, ſicuti alteræ quæ illis carent, ac propterea diligenter eſſe animaduertendum, quanta ſit febris, quantumve periculum ex ſymptomatibus immineat ita quidem, vt ad id quod vehementius ac difficilius eſt, nō poſthabita omnino alterius quoque prouidentia proſpiciamus. Atque hæc ſunt quæ prius erant à vobis intelligenda. Iam rem aggredior, & quoniam interpretamur Auic. ab illius ordine non diſcedentes primùm incipiemus tractare de ſuperfluo rigore, horrore, & ſimilibus: ſed id quoque volo prius vos ſcire, nobis in hac tractatione propoſitum eſſe breuiter, ac ferè ſummatim agere, quatenus pertinet ad cognitionem ſingulorum ſymptomatum, longiùs autem & accuratiùs verſari in illorum curatione, quandoquidem ſi exactè omnia velimus examinare, quæcunque ſpectant ad cognoſcendam eſſentiam, differentias, cauſas, & ſigna cuiuſque ſymptomatis, vix vnum aut alterum tam breui tempore abſolueremus, qui altera ex parte maximè cupimus magnas in hoc argumento progreſſiones facere, atque id conſequi, vt nos Deo Opt. Max. fauente, aut omnia, aut certè quamplurima ſymptomata, quæ febribus coniunguntur, probè diſcatis curare.

CAPVT XXVII.

De Rigore.

GAlen. ſcripſit libellum de tremore, horrore, rigore, quem poteſt videre quicunq; huiuſmodi affectuum magis exquiſitam rationem cupit intelligere: mihi verò ſatis fuerit in præſentia vnius tantum ſymptomatis naturam vobis explicare, quod frequenter ſolet febribus ſuperuenire, & medicorū auxilia poſtulat: itaque cæteris ſymptomatibus hoc tempore prætermiſſis, de vno tantummodo ſuperfluo rigore nobis agendum eſt. Cæterum vt naturam huius ſymptomatis, alioqui difficilis cognitione, probè intelligaris, id primùm ſciendum eſt ex Gal. calidum innatum non aliud eſſe, quàm tenuiorem partem ſanguinis & ſpiritus, quem ille cenſuit aliquando vel eſſe animam de ſententia Stoicorum, vel eſſe præcipuum animæ inſtrumentum: itaque perpetuò mouetur, ſicuti manifeſtè apparet in motibus & perturbationibus animæ, dum per metum & mœſtitiam refugit ad interna, per gaudium diffunditur, per pudorem partim effugit, partim erumpit: id quod non aliter euenit, quàm imaginatione rei noxiæ aut contriſtantis, quæ vel adeſt, vel abeſt: hac igitur ratione contingit rigorem fieri, adeo vt verè aſſeuerandum ſit cum Gal. libello citando de rigore 6. rigorem eſſe paſſionem calidi innati, qui in hunc modum generatur: cum enim in partibus internis reperiuntur humores putridi, qui ſua mordacitate dolorem inferunt partibus ſentientibus, calidum innatum, quo expultrix facultas, natura & ſenſus continetur, refugit ad interna viſcera, vnde externa membra calore deſtituuntur & refrigerantur: rurſus verò cum calor interius retentus, qui ſine perſpiratu ſeruari non poteſt, quaſi ſuffocari incipit, exitum ſibi quærit ad partes externas, quod ſine magno impetu fieri non poteſt, cum membra veluti reſtaurata moueant humorem mordacem, conenturque illum expellere, contra verò materia noxia repugnet, & talem expulſionem impediat, in quo conatu, excitato dolore, iterum calidum ad interna refugit, atque hæc quaſi quodam duello inter calidum innatum, & materiam noxiam alteroatè fiunt, mouente ſe calido innato viciſſim intro & foras, in quo omnes partes corporis concutiuntur, & ita rigor excitatur, qui poſtea tamdiu durat, donec aut vincente calore externa membra incaleſcant, frigidáque & inæqualis illa temperies ſuperetur, aut vincente humore noxio calor innatus ſuffocetur, & homo moriatur: hac ergo ratione rigor generatur. In rigore itaq; hæc duo contingunt neceſſariò: vnum motus facultatis expultricis, quæ eſt in omnibus membris, contendentis expellere noxiam & moleſtam materiam: alterum motus ille reciprocus calidi inoati intro & foras, de quo diximus propter quam cauſam iure ſtatuimus cum Gal. rigorem eſſe paſſionem calidi innati: namque niſi materia amoueatur, ac violenter ad cutem feratur, quæ tranſiens per carnē & cutē ſtimulet, pungat & vulneret eas partes, quibus obuia fuerit, nullo modo rigor fieri poteſt, quod luculenter & diffusè demonſtrat Gal. 2. *de ſym. cauſis*, 7. Quod verò de rigore diximus,

De rigor.

Calidum innatum.

mus, idem de horrore & frigore dicendum eſt. neque enim aliter huiuſmodi motus inter ſe differunt quàm maioris & minoris ratione: namque in rigoribus validiores ſunt motus facultatis expultricis, in horroribus fiunt mediocres in refrigeratione adhuc multo magis mediocres, adeo vt huiuſmodi motum refrigerationis potius ſenſum quendam, quam motum liceat appellare: ſic enim mordacior & copioſior humor validum & concutientem rigorem infert, minùs mordax & copioſus horrorem excitat, ac demum ſi admodum paucus humor fuerit, exiguáque eius acrimonia, refrigerationem tantùm ſolet efficere. Etſi autem rigor eſt affectus frigidus, cauſa tamen irritans facultatem expultricem, non propterea ſemper frigida cenſenda eſt, cum aliquando calida eſſe poſſit, quod apertiſſimè & longa oratione demonſtrat Galen. loco proximè citato 2. *de ſympt. cauſis*. etenim ſi ſano corpori feruens aqua infundatur, aut ſcintilla ignis iniiciatur, ſtatim horrorem quendam videmus excitari: ſic particulis exulceratis medicamentum adurendi facultate præditum imponatur, primum quidem horrorem, deinde & rigorem excitabit: ſed febres quoque tertianæ, quæ ſine dubio maximè omnium bilioſæ & calidæ ſunt, inter cæteras omnes ſunt horridæ, & quo fuerint magis exquiſitæ, eo etiam vehementiorem rigorem afferunt. Verùm de hac re ac de natura huius ſymptomatis ſatis: in quo explicando præter noſtrum propoſitum propter illius difficultatem fuimus quoquo modo longiores: itaque ad rem veniamus.

Rigor ſuperuacaneus. Superuacaneus rigor multis modis ſolet febribus ſuperuenire, primùm illis quæ pendent ex materia valde frigida & craſſa, vt in febre quartana, in qua vidi ego nonnullos ægrotantes ex nimio rigore mortuos fuiſſe, ſecundò in illis febrib. in quibus putreſcũt humores valde calidi, acres, & mordaces, ſicuti euenit in febre tertiana. qui rigores contingunt ea ratione, quæ iam expoſita eſt, dum calor innatus conatur expellere materiam noxiam ſiue frigidam, ſiue calidam, quæ partibus internis dolorem & moleſtiam affert: præterea huiuſmodi ſymptoma, vt Gal. aſſerit 4. *aphoriſm.* 48. 7. *aphoriſ.* 1. 2. *progn.* 4. ſolent nonnunquam accidere in febribus ardentibus, perniciosis, & valde malignis veluti lipyriis, nec non in magnis inflammationibus & eryſipelatibus internarum partium, ſicuti cordis, & quæ illi proximè ſunt: in quo caſu totus ex toto corpore ſanguis in modum cucurbitulæ trahitur ad partes internas laborantes, ex quo ægrotis interiora vruntur, exteriora frigeſcunt, vt fit principiis acceſſionum, adeo vt propter ſummum incendium quod in viſceribus percipiunt, plerique nec tegumenta poſſint perferre: & ſanè huiuſmodi ſymptoma inter cætera omnia eſt admodum lethale, quod ſæpenumero videbitis in praxi, etſi multi medici illius prauitatem non intelligentes, imò verò putantes ægrotos vix febre laborare ſuo magno cum dedecore proximam & imminentem mortem neſciunt præcognoſcere: ſed ad curationem accedamus.

Indicationes. In rigore duo potiſſimùm ſunt, alterum concentratio caloris ad partes internas, alterum ſumma frigiditas in partibus externis: itaque duæ quoque ſtatuendæ ſunt, curãdi indicationes, altera reuocandi calorẽ à centro ad circunferentiã: altera calefaciendi vniuerſum corpus, & tollendi ſenſum frigoris: hæc autem præſtari poſſunt remediis partim internis, & partim externis. Sed ante omnia conſiderandum eſt, an rigor ſit ſymptoma criticum, de quo eſt aphoriſm. Hippocrat. 4. *aphoriſm.* 58. *Febre ardente laboranti rigore ſuperueniente ſolutio fit*: quod quidem potiſſimùm cognoſcitur ex iis, quæ præceſſerunt, ac maximè ex humorum concoctione, ſine qua nulla bona criſis eſſe poteſt: de qua re eſt ſententia Hippocrat. 6. *epid. ſect.* 1. *tex.* 10. *Ante rigorem vrinæ retentio, ſi ab Indiciis bonis præceſſerint*, &c. & Galen. in commentar. hæc habet: *Hippocrat. in præſentia nos docet, rigorem criticum in morbo præſagire*: &c. namque ſi rigor fuerit criticus, nihil mouendum vel faciendum eſt, ex ſententia Hippocratis & Galeni 1. *aphoriſm.* 21. *Quæ indicantur & indicata ſunt*: &c. Quod ſi rigor non fuerit criticus, atque adeo vehemens vt periculum immineat, ne aut vires lædantur, aut febris augeatur, tam remediis ſuccurrendum eſt.

Ergo quatenus pertinet ad primam indicationem, ad reuocandum calorem à partibus internis ad externas, conueniunt frictiones & ligaturæ extremarum partium, ex Gal. Auic. qui tametſi de remedio conueniunt, de modo remedij videntur diſſentire: namque Auic. ita inquit c. 12. *Et quandoque ſedatur cum ligatione extremitatum & fricatione facili*: itaque ille probat & ligaturas & frictiones leues, id quod ratio quoque perſuadet: ſiquidem quæ ſunt vehementiores, poſſunt diſſoluere vires: contrà autem Gal. 1. *ad Glauc.* 14. docet conuenire frictiones & ligaturas validas, quandoquidem ſi illæ fiant faciles & in ſuperficie, nullo modo videntur concentratum calorem poſſe extra reuocare. Sed facilè poſſunt conciliari, ſi dicamus, vt planè credendum eſt, neque Auic. laudare frictiones & ligaturas tam leues, vt nequeant extra calorem allicere, neque Galen. tam validas, vt poſſint vires labefactare, ſed hoc remedium probari ab vtroque probè adminiſtratum, vt illud quidem poſſit propoſitæ indicationi ſatisfacere, at ſine virium detrimento: quod fiet ſi frictiones & ligaturæ fuerint neque vehementiſſimæ, neque admodum leues, ſed quodammodo inter vtrumque extremum mediæ. *I Indicatio.*

Pro ſecunda autem indicatione, quæ pertinet ad calefaciendas partes externas, incipientes à leuioribus, primò ſunt panni linei applicati ad omnes partes, ſed præcipuè extremas, ac ſingulari quadam prærogatiua ad teſtes, quos certum eſt, cum toto corpore maximum cõſenſum habere: ſecundò, eſt remedium vulgare, lateres igniti, qui inſperguntur vino, & inuoluti in aliquo panno apponuntur variis partibus, ſed maximè pedibus: ſunt veſicæ bouinæ, aqua feruente repletæ, aut ſimplici, aut in aqua priùs decocta fuerint medicamenta calidiora, chamæmelum, origanum, pulegium, calamenthum, abſinthium, abrotanum, ſemina odorata aniſorum, fœniculi, cymini, & ſimilia, quæ pannis inuolutæ vtrinque lateribus apponuntur: ſunt pariter fomenta cum ſpongiis, quæ item parantur ex decoctis rerum calidarum, quibus nonnulli demum addunt aquam ardentem: habeatis exemplum: *II. Indicatio.*

℞. *Origani,*
Pulegij,
Calamenthi,
Abſinthij,
Rutæ ana M. ß.
Seminum aniſorum.
Fœniculi,
Cymini ana ℥. j.
Contundantur omnia craſſo modo, & bulliant in quinque libris aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis, ac poſtremò addatur aquæ ardentis ℥. j. *Miſce.*

In ſuperfluo rigore nonnulli apud Galen. decoquebant calamenthum in oleo, quo totum corpus cum vehementi frictione inungebant 7. *de ſimp. med. fac. cap. de calamentho.* Ego quidem memini aliquando vſum fuiſſe furfuribus inſigniter calefa-

ctis, in quibus ægri omni propemodum ex parte ſepeliuntur, ac maximè calefiunt, ex quibus præſidiis quandoque etiam ſudores ſolent promoueri. Portò ad hanc indicationem ſunt accommodatæ, inunctiones, linimenta, & alia id genus, quæ habent vim calefaciendi: leuiora ſunt oleum anethinum, chamæmelinum; valentiora, de abſinthio, rutaceum, liliorum alborum, de abrotano; valentiſſima oleum de caſtoreo, de euphorbio & ſimilia, quibus aliquando etiam ſolent permiſceri piper, pyrethrũ, euphorbiũ, caſtoreũ, & omnia calidiora.

℞. *Olei de abſinthio,*
Rutacei,
De abrotano ana ℥ ß.
Piperis puluerifati,
Pyrethri ana ʒ. j.
Caſtorei ʒ. ß.
Cera parum, Miſce, & fiat linimentum.

Rigoris initium. Sunt qui tanquam ſecreto quodam & recondito remedio totum dorſum inungunt cum theriaca vel mithridatio, quod puto commodè fieri, cum planè talia medicamẽta poſſint valde calefacere, & robur partis conſeruare. Pro quo ſciendum eſt, de ſententia Hip. 5. *aphor.* 68. rigorem incipere à parte corporis poſteriore magis quã anteriore, propterea vt dicit Gal. partes anteriores calidiorem habẽt temperaturam, cum habeant cutem rariorem, quæ raritas manifeſtè caliditatem indicat: atque ex pilorum multitudine confirmatur: quamobrem vſus obtinuit, ſumma cum ratione, vt inunctiones, fomenta, & cætera, omnia eiuſmodi externa præſidia, maximè omnium ad dorſum & ſpinam ſoleant accommodari. Poſt hæc omnia eſt remedium quoddam vulgare & mulierum, quod ad tollendos rigores creditur eſſe efficaciſſimum: etenim mulieres capiunt telam araneam, ac ſemina vrticæ, ſimulque contundunt, & addito aceto conficiunt medicamẽtum, quod ligant ad pulſus: quod quidem vel latente proprietate, vel forte gratia reuulſionis, poteſt prodeſſe: atque hactenus de externis remediis.

Præſidia interna. Quatenus autem pertinet ad præſidia interna, illa ſunt multiplicia, & pariter conſtant ex medicamentis quæ calefaciendi vim habeant: ſed antequam ad hæc deueniamus, diſtinguere oportet, vtrũ febris ſit cum aliqua inflammatione, vel ex putreſcentibus humorib. bilioſis & valde calidis: in quo caſu abſtinendum eſt prorſus ab huiuſmodi internis calefacientibus medicamentis, atque externis tantummodo agendum eſt: imò verò forte ſolæ frictiones & ligaturæ, & omnes reuulſiones ad hanc rem ſunt magis accommodatæ, quàm calidiora medicamenta, quæ etſi exteriùs poſita poſſunt non ſolùm externas, ſed etiam internas partes calefacere. Cæterum ſi rigor ſuperueniat in febre, quæ originem habeat ab humore frigido, exempli gratia, in quartana, quod euenit frequentiſſimè, tunc licet tutò ad calefacientia medicamenta non ſolùm extra, ſed etiam intra deuenire: ſic apud Gal. calamentho vtebantur, decocto ex oleo, vt diximus: ſic illud quoque facto puluere vel ſolum, vel ſimul cũ mulſa, ſolebant adminiſtrare. Gal. in libello de rigore, &c. *cap.* 7. exhibet diatrionpipereon, diacalamenthum, necnon medicamentum ex ſucco cyrenaico, quem officinæ *aſam fœtidam* vocant, & caſtoreo confectum, & ſit exemplum.

℞. *Aſa fœtida,*
Caſtorei electi ana ℈ ß
Miſce, fiant pilula dua, & accipiantur ſimul cum vino.

Auic. commemorat ſimplicia, piper, pyrethrum, calamenthum, rutam, abrotanum, & alia id genus compoſita, theriacã, diateſſaron, diatrion pipereon, diacalamenthum, quæ medicamenta apud illum & omnes medicos ſunt propemodum infinita, de quibus hæc ſatis.

Agaricum. Sed inter cætera Auic. maximè probat agaricũ, quod etiam probatur à Gal. 6. *de ſimp. med.* ſi rigores à craſſis viſcidis humoribus oriantur: de quo omnes quærunt, quomodo purgans medicamentum poſſit in præſenti caſu conuenire: & augetur difficultas, quoniam Auicen. illud permiſcet cum opio, quod ſine dubio poteſt illius operationem impedire. Ego verò ne tempus perdam in iis referendis rationibus, quæ plurimæ ab interpretibus afferuntur, puto ab Auic. & Galen. agaricum adminiſtrari parua admodum doſi, ad ʒ. ß. ac tanquam medicamentum, quod digerendi, & incidendi, minimè purgandi vim habeat: quod ſpeciatim colligitur ex Gal. qui poſtquam docet propter eiuſmodi facultates illud ſanare ſuperuacaneum rigorem, morbum regium, epilepſiam, & alios morbos, poſtremò addit hæc verba: *Agaricum eſt & purgatorium,* quaſi moneat, id magis cæteris facultatibus, quàm purgatione ad rigorem & reliquos morbos eſſe accommodatum. Quatenus autem pertinet ad conſilium Auic. permiſcendi agaricum cum opio, ille huiuſmodi mixtionis triplicem vtilitatem expectat: prima, quòd ſomnum conciliet: ſecunda, quòd ſudorẽ moueat: tertia, quòd prohibeat vehementiam rigoris: ex quo id poteſt confirmari, quod modo dicebamus, Auicennam quoque agaricum tanquam purgans medicamentum non propinare. Illud autem ſciendum eſt ex Gal. *in libello de theriaca ad Piſonem cap.* 10. *ad finem,* in mixtione plurium medicamentorum primùm quidem vnumquodque ſuam vim retinere, exempli gratia, caſtoreum calefacere, opiũ refrigerare: deinceps verò non amplius cuiuſque ſimplicis medicamenti qualitatem & facultatem retineri, ſed facta omnium quaſi confuſione & fermentatione, ſeparatam quandam naturam & temperiem reſultare: ex quo Gal. 12. *meth. cap.* 1. ſermonem habens de medicamentis ſtupefacientibus, nolebat illa adminiſtrari niſi poſt annum à compoſitione, quòd antea frigida medicamenta, quæ illis continentur, nimiũ valentes vires adhuc obtineant: itaque neque forte hæc mixtio agarici cum opio apud Auic. videtur recipienda, cum vtrumque poſſit ſeparatim varias, imò contrarias operationes efficere. Sed præterea dubitatur, quomodo hoc medicamentum poſſit ſudorem prouocare, quem manifeſtum eſt à rebus calidis prouocari. Auic. reſpondet, id fieri hac ratione, quoniam opium ſtupefaciendo ſomnum inducit, in quo ſomno, ex vulgari ſententia medicorum, omnes vacuationes præter ſudores ſolent retineri: quæ etiam eſt ſententia Philoſophi, 2. *prob.* 16. & 28. Mihi autem, vt verè dicam, talia medicamenta, quæ multas continent difficultates, & pericula, non probantur, cum præſertim non deſint tutiora, qualia ſunt quæ iam ſuperiùs ſunt expoſita. Vulgares demum ſolent exhibere vel aquam ardentem ad vnam, vel alteram drachmam, vel vinum maluaticum ad ℥. ij. vel iij. cum dimidia drachma caryophyllorum, piperis, vel alterius aromatis, quod optimum eſt.

Quando vtendum præſidiis contra rigorem. Verùm dubium eſt, quonam tempore præſidia iã propoſita, partim interna partim externa poſſint adminiſtrari: ac breuiter ita mea ſententia habendum eſt, primum ſi fuerit inſignis plenitudo & copia putridorum humorum, illorum adminiſtrationem minimè tutã eſſe, antequam materia ſaltẽ pro parte fuerit imminuta, cum alioqui periculũ immineat, ne illa huiuſmodi medicamentis agitata, præcipitetur ad aliquam partem nobiliorem, & grauiſſima incommoda mortẽmque afferat. Deinde neque tempore acceſſionis & rigoris, ſed ante duas vel tres

horas

hotas hæc omnia præſidia opportuoè adminiſtrari debent, quæ manifeſta fuit ſententia Galen. 1. *ad Glau.* 14. *Optimum*, ille inquit, *in his quid futurum eſt præcognoſcere, atque hæc ante acceſſionem facere*, etſi nonnulli, nihil quidem vt videtur, præter omnem rationem aliter ſentiant.

Poſtremò autem loco Auic. curat ſuperuacaneos rigores cum medicamentis purgantibus, hiera, electuario, diaphœnicon, pilulis fœtidis, & aliis huiuſmodi, quæ quidem medicamenta, vt placet Gētili, & aliis interpretibus, duplici tempoꝛe poſſunt exbiberi, vno, extra paroxyſmum, & ſedato rigore, quòd maximè conuenit rationi, dummodo ſeruentur leges neceſſariæ ad ipſam purgationem: altero, in ipſa acceſſione, atque etiamnum rigore corpus concutiente, quotieſcunque magnum immineret periculum viribus, neque alia foret ratio, quæ poſſet noxiam materiam adducere, ægrùmque ab imminente periculo præſeruare: quod quidem conſilium vſque adeo mihi videtor temerarium, & ab umni ratione alienum, vt ſuperuacaneum putem in illius confutatione longius verſari: de rigore hactenus.

CAPVT XXVIII.

De ſuperfluo Sudore.

SVdores in febtibus immoderatè excernuntur, aut propter nimiam cutis raritatem, aut propter facultatis retentricis imbecillitatem; aut propter facultatis expultricis immoderatum motum, aut propter tenuitatem humorum, qui ad cutem feruotur: quæ doctrina eſt Galen. 1. *de ſympt. cauſ.* 7. qui conſulto diſiunctiuis coniunctionibus vtitur, vt intelligatis, huiuſmodi ſymptoma ab vna quidem tantummodo cauſa nonnunquam prouenire, ſed tamen nihil obſtate, quin duæ & tres & quandoque omnes ſimul concurrant: ſed ſingulas cauſas quam breuiſſimè perpendamus.

Raritas cutis vnde.

Cutis redditur rarior, quam naturæ inſtituto conueniat, vt Gal. docet de ſectione venæ aduerſùs Eraſiſtratum cap. vlt. tum propter alias multas cauſas, tum maximè propter eas, quæ ſecundum caliditatem & frigiditatem, ac quietem, motumque corporum permutationes fiunt: etenim ſi aër nos ambiens calidus fuerit, & animal exercitiis vacuerit, tunc cutem rariorem fieri neceſſe eſt: contrà verò ſi aër ambiens frigidus fuerit, atque animal planè quieſcat, tunc externam cutis ſuperficiem denſari, & ab ea nihil effluere videmus, quod animalia, in cauernis hyeme latentia ſatis confirmant, quæ cum hoc tempore toto corpore frigida atque immobilia reddantur, habent cutem vſque adeo denſam, vt nihil per eam defluat, ac propterea nullo indigeant alimento: ſic ſcribunt Hipp. *aphor.* 2 s. Gal. 3. *de tuenda valetudine. cap.* 3. aquam cutē mollire & rarefacere: id quod idem Galen. demonſtrat diffuſè 5. *de ſimp. med. cap.* 3. 6. & 7. Itaque duæ ſunt præcipuæ cauſæ, propter quas contingit cutem nimis raram fieri, & caliditas, & motus, ad quas facile eſt, cæteras omnes magis particulatim referre.

Imbecillitas retentricis vnde.

Secundò, facultas retentrix redditur imbecilla propter intemperiem, quæ clara eſt ſententia Galen. 1. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. inter quas certum eſt, intemperiem frigidam principem locum obtinere, ſicuti euenit in morituris, in quibus diſſipato, ac propè extincto calore naturali, non valente facultate quidquā retinere amplius, ex Hip. 4. *apho.* 52. & lachrymæ inuoluntariæ, & ſuperflui ſudores; & alia id genus ſymptomata ex cūtia immutata contingunt ſæpenumero.

Facultas expultrix immoderata.

Facultas autem expultrix immoderatè mouetur, Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* 9. quotieſcunque illa excitatur & ſtimulatur, vel à nimia copia, vel à mala qualitate excrementorum, etenim tunc membra ne breuiſſimo quidem tempore illa ſoſtinent, ſed ab eis grauata & irritata, confeſtim illa eiiciunt atque expellunt.

Humores tenuiores.

Humores demum fiunt tenuiores, ſi quando propter nimiam febris vehementiam diſſoluuntur & liquantur, vt facilè per omnes, etiam anguſtas vias poſſint pertranſire.

Itaque hæ ſunt cauſæ propter quas, vel vnam vel plures, contingit ſuperuacaneos ſudores fieri, quæ forte ad duo membra relatæ ſunt ab Hip. cum dixit 1. *progn.* 26. Noſſe autem oportet hoc in vniuerſum de ſudoribus, quoſdam fieri præ corporis diſſolutione, quoſdam præ inflammationis vehementia: etſi Gal. aſſerit, hanc partem non in omnibus exēplaribus Hip. inueniri, illámque exiſtimat à nonnullis merito fuiſſe deletam.

Curatio.

Sed ad curationem venio, & quoniam Auic. præclarè mihi videtur hanc rem agere, abs methodo illius non diſcedemus.

Primùm nos admonet, ne ſudor criticus, quantum poſſibile eſt, reſtringatur, de quo ſudore Hip. hæc habet. 4. aph. 36. *Sudores febricitantib. ſi eueniāt tertio die, & 5. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & 21. & 27. & 31. & 34. boni ſunt: huiuſmodi enim ſudores morbos indicant: qui antē ſecus eueniant, laborem longitudinemque morbi, & recidiuā ſignificāt.* Et iterum 1. *progn* 26. ſudores optimi ſunt in omnibus morbis acutis, quicunque in diebus fiunt criticis, ac febrem liberant: boni etiam quicunque ex toto corpore prodeunt, faciúntque vt æger faciliùs morbum perferat; ſi verò nihil tale efficiant, nequaquā vtiles ſunt. Itaque ſi ſudores critici fuerint & boni, nullo modo ſunt conſtringendi: ſin autem ſudor non fuerit criticus, ſed pertranſeat debitum naturæ terminum, quæ ſemper eum dominatur, commodè & vtiliter agit, adeo vt periculum ſit ne virtutem planè deiiciat, ægrūque in extremū diſcrimē deducat, tunc ille omnibus modis ſupprimendus eſt.

Superflui ſudores multis modis poſſunt cohiberi: itaque aër primùm & locus in quo æger degit, refrigerandus eſt: quare habitatio eligatur ad aquilonem poſita, ac perpetuo feneſtræ pateant, prohibeatur viſitatio plurium hominum, quorum multitudo maximè ſolet ambientem aërem calefacere, ſternātur humi herbæ, flores, frondes frigidiores, lactucæ, roſarum, violarum, vitis, nenupharis, & ſimilium: pauimentum aſpergatur aqua frigida roſarum, violarum, myrtillorum, & ſimilium; & omni tandem induſtria cubiculi aër, quantum geri poteſt, refrigeretur.

Secundò ægrotum quoque oportet refrigerare, qui propterea minimè molli pluma, aut lana, ſed duriore lecto requieſcat, aut nullis aut leuiſſimis operimentis contegatur, tenuique flabello aër moueatur, quod eſt Ariſt. 5. *prob.* 34. Quod ſi hæc non ſint ſatis, Auicen. quoddam remedium proponit, vt nempe æger ſuper illud inſtrumentum ponatur, quo vulgo apud nos quoque pueri & puellæ ſolent in aërem eleuari, & commoueri, & biſcolo dicitur. Sed ridiculum videtur, nec ad rem accommodatum, ſiquidem ex eo violento motu mihi videtur adhuc magis ægrum incaleſcere, & ſudorem copioſius promanare poſſe.

Tertiò Auic. prohibet, ne promanans ſuperfluus ſudor aſſiduè detergatur, cum huiuſmodi abſterſio potius ſit cauſa prouocandi & augendi ipſum: ſicut contrà ſi cutis ita humida relinquatur, obſtructis quodammodo poris & meatibus ſudorem cōtingit retineri: atque hæc fuit ſententia Ariſtot. 2. *prob.* 12. qui hoc ipſū quærens, cur detergenti magis

profluit ſudor quàm ſi relioquatur: reſpondet hunc in modum: vtrùm quoniam refrigerari extrinſecus contingat, an quod ſudor exterior veluti operculum foraminibus corporis adhærent, adeo vt interior ſe amplius promere non poſſit.

Poſtremò Auic. commemorat nonnulla externa præſidia, quæ poſſit cutem refrigerare, adſtringere, & ſudorem cohibere: aqua in qua ſit decocta plantago, portulaca, ſalis, malicorium, hypociſtis, roſæ, balauſtiæ, & alia huiuſmodi, ex quibus & inunctiones, & lotiones, & aliæ medicamentorum formæ poſſunt præparari.

℞. Olei roſati omphacini ℥ ij.
Citoniorum,
Myrtini ana ℥ j. M. & frigidum adminiſtretur.

Item *℞. Foliorum ſalicis,*
Plantaginis,
Portulaca ana M. j.
Polygoni ana M. j.
Roſarum rubearum,
Balauſtiarum,
Corticum granatorum,
Myrtillorum ana M. ß.
Acacia,
Hypociſtides ana ℨ ij. M. bulliant in aqua,

Si ex medicamentis compoſitis conuenirent, vnguentum roſatum Meſue, ceratum roſaceum, quod vulgo Infrigidans Galeni appellant, & ſimilia. Quod ſi poſt hæc omnia adhuc reſurgeat, & ſudores perſeuerent, Auic. audet cõfugere ad vſum niuis, & ad balneum aquæ frigidæ, quod vtrumque remedium ille iubet ad exteras corporis partes, manus & pedes adhibendum eſſe: à quibus quidem præſidiis hoc tempore inuſitatis, forte etiam temerariis & periculoſis, equidẽ cenſeo planè abſtinendum eſſe. Sed hiſce Auic. indicationibus antequam finio, mihi libet alias duas indicationes addere, ex Gal. altera, quæ pertinet ad cogendos & incraſſandos humores: alteram, quæ ſpectat ad illorum reuulſionem: namque ex doctrina Galeni 4. *de ſimpl. med. fac.* 19. ſicuti in prouocandis ſudoribus oportet humores extenuare, ita in illis retinendis humores craſſi reddendi ſunt; id quod præſtare poſſunt partim alimenta, vt alica, pedes inteſtinaque animalium, oriza & ſimilia; partim medicamenta refrigerantia, vt ſyrupus de papauere, de lactuca, de agreſta, diacodium, theriaca noua, trochiſci diaſpermaton, & ſimilia: pariter cum humores qui nimium deiiciuntur per aluum, ex communi methodo reuelluntur ad vias vrinæ, cum medicamentis, quæ prouocant lotium, ſicuti contrà à viis vrinæ, deriuantur ad aluum, cum medicamentis, quæ purgant: de qua re Gal. 6. *epid ſect. 2. com. 7. 4. apho. vltim. & aliis locis*: its cum planè totum corpus, vt ſcribit Hip. *6. epid. ſecto. 6. à princ.* ſit expirabile & inſpirabile, adeo vt partes externæ ab internis, internæque ab externis miro conſenſu trahant, mea quidem ſententia licebit nimios ſudores reuellere, partim ad vaſa vrinaria, cum maximè ſcribat Gal. 10. *de ſimp. med. fac. cap. de ſudore*, ſudorem & lotium eandem materiam eundemque modum generationis habere, partim ad aluum accommodatis quibuſdam, ſed tamen leuioribus medicamentis, quæ poſſint non ſolùm à cute reuellere, ſed etiam cæteris indicationibus ſatisfacere: de quo reuulſionis genere à partibus externis ad internas Gal. loquitur 5. *metho. 3. in lib. de hirudinibus, ſcarificatione, &c. ad finem*: atque de hoc ſymptomate ſatis.

Capvt XXIX.

De ſuperfluo ſanguinis narium fluxu.

SCribit Gal. *lib. de ſympt. diff. initio*, tertium genus ſymptomatum, quod ad immodicas retentiones & excretiones pertinet, diuidi in tres primas differentias: quæcunque enim immodicè excernuntur & retinentur, vel tota ſubſtantia, vel qualitate, vel quantitate à naturali habitu recedunt, ex quibus hæmorrhagia, id eſt, ſanguinis eruptio, toto excreto ſubſtantiæ genere præter naturam eſt: ac ſumma cum ratione; namque id tunc excernitur, quod corpori maximè eſt familiare, maximóque naturæ vſui futurum; quare in vaſis debuit detineri. Veruntamen Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* 6. ex huiuſmodi excretionibus excipit illam ſanguinis vacuationem, quæ mulieribus per vterum ſingulis menſibus fieri conſueuit, quæ quidem euacuatio in mulieribus non tota ſubſtantia, ſed ſola quantitate præter naturam eſt: etenim quantiſper id tantum quod ſuperfluum atque inutile eſt, excernitur, tantiſper vacuatio ſecundùm naturam eſt, quod ſc. ex inſtituto naturæ & commodè huiuſmodi vacuatio fiat. Sed antequam de huiuſmodi ſymptomate agere incipio, id ſciendum eſt, quod pertinet ad nomen, apud Hipp. cum ſimpliciter hæmorrhagia, vel fluxio ſanguinis dicitur, non addito partis nomine, quæ ſanguinem fundit, illud vnum ſanguinis profluuium ſignificari, quod è naribus profluit, quod annotauit Gal. 1. *epid.* 1. 9. 6. *epid.* 3. 25. *com.* 3. *porrhet.* 47. Cum igitur sãguis à partibus ferè omnibus poſſit profluere, naribus, ore, thorace, pulmone, ventriculo, iecore, hæmorrhoidibus, inteſtinis; nos in præſentia de vno tantùm ſanguinis profluuio ex naribus ſtatuimus pertractare, qui fortaſſe de aliis quoque huiuſmodi ſymptomatibus alio commodiori tempore tractabimus. Sed ad rem veniamus.

Sanguis ex vena aut arteria poteſt fluere tribus cauſis; prima, apertio illarum ore; ſecunda, tunica earum diuiſa; tertia, ſanguine quodammodo tranſcolato, & ſudoris modo tranſmiſſo. Aperiuntur vaſa tripliciter; primò, propter partis imbecillitatem, quæ à mediocri etiã copia grauatur; ſecundò, propter multitudinem ſanguinis, qui ad ora vaſorum impetu ruit; tertiò, propter acrem aliquam qualitatem, quæ illi extrinſecus, vt alimentis vel medicamentis acrioribus quandoque ſolet accidere. Tunicæ vaſorum diuiduntur quatuor modis, aut vulnere, aut contuſione, aut ruptione, aut eroſione, de quibus videaris locum notabilem apud Hippocr. & Gal. 2. *de fracturis* 9. *Quæ vulnerant, ea ſunt acuta, atque ad incidẽdum accommodata, quæ cõtũdendo ſoluunt cõtinuũ, ea grauia, duraque ſunt: quæ rũpunt omnia, tenſionis interuentu id faciunt, hoc idem præſtat & ſuccorũ abundantia, ictus, caſus ab alto, clamor maximus & acutus, & alia huiuſmodi: erodũt ſucci acres, ignis, cauſtica medicamenta, & alia id genus. Demum ſanguinis tranſcolatio vel tranſmiſſio ex tunica quidẽ rarefacta ſãguine verò attenato originẽ habet.* Hæc tota doctrina eſt Gal. 5. *met.* 2. 4. *de locis aff.* 5. 2. *ap.* 37.

Cauſa hæmorrhagiæ.

Apertio vaſorum.

Diuiſio.

Tranſcolatio.

Veruntamen id notandum eſt hanc tertiam rationem fluentis ſanguinis, nempe tunica rarefacta atque inſtar ſudoris promanantem à Gal. moderatam, vel potius de numero hæmorrhagiæ deletam fuiſſe 3. *de ſymp. cauſ.* 6. ſiquidem huiuſmodi ſanguis hoc modo exiens verè in alteram ſuperiorẽ rationẽ, nempe apertionem exiguorum vaſorum videtur poſſe referri, vel certè inter cruentas excretiones nõ meretur enumerari, cù hoc rẽpore exeat sãguis, minimè verus & legitimus, ſed qui ſeri cuiuſdam ſpeciem repræſẽtat, quale potiſſimùm in iecoris & renum

renum imbecillitate mingitur, & ſæpius per inferna deiicitur: ad quem modum hæc ſcribit Ariſtot. 3. *de hiſt. anim.* c. 19. *Si ſanguis immoderatè humeſcit, morbus infeſtat, ſic enim in ſpeciē ſaniei diluitur, & adeo ſereſcit, vt iam nonnullis ſudores cruenti promanarint.* Et iterū 3. *de partibus animalium.* 5. *Nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum ſudarēt, propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet cum corpus laxum fluxūque eſſet, ſanguiſque pra cruditate humeſceret, imbecillitate caloris qui exiguis venulis incluſus concoquere non poſſet:* hæc Ariſt. Hanc partem explicauimus paulò longiùs quàm noſtrum ferat inſtitutum, quod talis doctrina apud Gal. ſit admodum notabilis, neque ſolùm ad ſymptoma, de quo agimus, ſed etiam ad alia quamplurima poſſit magnam lucem afferre. Sed ad propoſitum redeo.

Sanguis ex naribus profluens, vt propter aliquam ex tribus primariis cauſis profluat, neceſſe eſt, nempe aut apertis, aut diuiſis aut rarefactis tunicis vaſorum, in quibus ille continetur: verùm cum raro admodum, vel forte nunquam ſanguis poſſit copioſè profluere, aut rarefactis, aut diuiſis tunicis, illud reliquum eſt, vt vel perpetuò, vel certè maxima ex parte huiuſmodi ſanguis ex venarum apertione originem habeat: in febribus autem venæ potiſſimùm aperiuntur, aut propter multitudinem, aut propter nimiam caliditatem vel acrimoniam ſanguinis: ad quem modū videmus quotidie pleróſque homines, qui delectantur vinis generoſis, acrioribuſque & calidioribus alimentis, qui verſantur ſub ſole & qui ad ſummam multum ſanguinem, atque eum feruidum cumulant, frequenter in huiuſmodi ſanguinis fluxionem incidere. Ex quibus facile eſt intelligere, qualéſnā ſint indicationes ad huiuſmodi ſymptomatis curationem accommodatæ, de quibus Gal. tractat 8. *metho.* à 2. vſque ad 7. Ergo quicūque ex corpore effluit ſanguis, non amplius effluit & cohibetur, vel quoniam ille nō fertur ad locum apertum, vel quia diuiſio vaſorum occluditur, vel propter vtrumque ſimul, quod tutiſſimum eſt. Prohibetur ſanguis, ne confluat ad partem læſam inducto animi deliquio, reuulſione facta ad contraria, deriuatione ad vicina, refrigerando corpus vniuerſum, ac maximè partem affectā. Clauditur diuiſio, ſi quod eſt diuiſum contrahatur conniueatque, vel obſtruatur: pars diuiſa contrahitur, adſtrictione, refrigeratione, vinculo, vel aliter iis præſidiis, quibus conamur diuiſum corpus ſimul coniungere. Obſtruitur autem, vel intra, vel extra: intrà quidem à ſanguine concreto, qui Græcè & vulgò thrombus dicitur: extrà tum hoc ipſo ſanguine, tum verò linimentis, ſpongiis, cruſtis, atque iis demum medicamentis, quæ proprio lentore & craſſitie meatus obſtruunt & claudunt, ſi ad ea corpora quæ circumiacent, propiùs admoueantur. Ceterū quæ de profundo corporis ſanguinis profluuia fiunt, quale eſt ex narib. quæ neque vinculo, neque ſutura, neque ligatura, neque ferramentis ignitis, neque ſimili alia ratione ſanari poſſunt, per reuulſionem ac deriuationē, necnon per alimenta quæ emplaſticam vim habēt & refrigerent, & medicamenta quæ adſtringunt, ſanari debent. Hæc quæ generaliter ex Gal. diximus de ratione curandi quemlibet fluxum ſanguinis, quadam elegantiſſima, ſed breuiſſima, & grauiſſima ſententia ab Hip. vt ſui moris eſt, præclariſſimè explicantur, quæ eſt huiuſmodi 6. *epid.* 7. 3. *Sanguinem ex venis promanantem ſiſtunt animi deliquium, figura aliò tendens, interceptio, linamenti in orbem conuolutio, appoſitio & deligatura.* Galen. *in com.* hanc ſententiam admirabilem vocat, illámque exponit accuratiſſimè, atque oſtendit omnia complecti, quæcunque ad nimiam ſanguinis profuſionem pertinent. Sed quæ forte nimiùm communiter hactenus diximus; ad vnum profluuium ſanguinis è naribus contrahamus, & ad particularia præſidia veniamus.

Indicationes curatiuæ.

In ſuperfluo fluxu ſanguinis narium duo ſunt, locus affectus, apertio venarum, & locus ex quo ſanguis profluit, quæ vt plurimum ſunt venæ circa cerebrum, etſi negandum non eſt, hanc fluxionem quandoque per conſenſum aliarum partium ac totius corporis poſſe excitari: itaque duæ quoque ſūt curandi indicationes: altera, vt ſanguis non feratur ad locum læſum: altera, vt locus apertus claudatur. Ad primam indicationem pertinent præſidia, quæ primò reuellunt; ſecundò, quæ deriuant; tertiò, quæ animi deliquium afferunt: ac poſtremò quæ refrigerant & adſtringunt. Ad alteram ſunt accommodata remedia, quæ obſtruendi & adſtringendi vim habent, quæ non ſolùm ad locum læſum, ſed etiam ad partes illi proximas debent apponi. Cæterum quoniam quatenus pertinet ad primam indicationem, iſthæc nomina, *reuulſio*, & *deriuatio*, de quibus acturi ſumus, non ſatis intelliguntur, ac potiſſimùm à nouitiis, addo cum de illis non omni ex parte conueniat inter medicos, ac ſpeciatim nonnulli affirment, Gal. hac in re varium & incertum eſſe; mihi libet de horum nominum vi atque vſu quadam veluti facta digreſſione breuiter nonnulla vobis explicare, quòd eo libentiùs facio, quia neque publicis, neque priuatis lectionibus hoc anno mihi videor aliquam occaſionem poſſe nanciſci, qua hæc præſidia tractare poſſim, quæ alioquin apud medicos ſunt adeò frequentia, vt maximè expediat vos eiuſmodi præſidiorum ſummam, ac potiſſimùm de illis Galeni mentem intelligere, vt ſcribit Gal. 5. *metho.* 3. *Reuulſio & deriuatio ab Hippocr. inuenta ſunt, omnis immoderata vacuationis communia remedia.* quibus idem Gal. 5. *aphoriſm.* 58. veluti quoddam genus conſtituit auerſionem ſeu diuerſionem, quod generaliter ad omnes humorum fluxiones pertineat.

Reuulſio & deriuatio quomodo intelligi debeant.

Porrò vtraque huiuſmodi vox quibuſdam certis conditionibus, ac veluti legibus videtur circumſcribi, reuulſio quidem vt fiat in contrarium, & quam longiſſimè, deriuatio autem ex loco proximo, vel ad latera. *Communis*, inquit Galenus capite 99. artis medicæ, *communis*, inquam, *eſt indicatio attrahendi ex omni loco ad partes oppoſitas, reuellendi ad quàm maximè diſtantia loca, deriuandi verò ad vicina.* Sic ille docet 13. *method.* 6. & 5 t. 4. *method.* 6. 1. *de humoribus* 13. reuellendum ad partes, quæ ſunt oppoſitæ maximè & diſtant: contrà ad partes proximas deriuandum eſſe: quod præterea ſatis intelliget, quicunque huiuſmodi nominum vim atque analogiam voluerit conſiderare: etenim reuulſio Latinè, Græcè [illegible], motum planè contrarium priori ſignificat, vt aqua deorſum fluente, ſi quis per eundem canalem illam retrahat ſurſum, hic verè eam aquam dicitur reuellere: contrà autem deriuatio nihil aliud ſignificat, quàm ex riuo in proximum canalem aliquid ducere, quod propoſito exemplo frequenter videmus ex flumine ad latera facto alueo, aquam deduci ac deriuari.

Vnde forte nimis ſubtilis & ſcrupuloſa eſt cogitatio Argenterij, in arte medic. à pagina 481. vſque ad 490. qui quærit an reuulſio ſit retractio ad contrariam partem, vel magis ad contrarium motum humoris: pariter an deriuatio ſit motus duntaxat ad latera; an magis ad omnes partes quomodocunque vicinas: namque vt res ipſa demonſtrat, reuellere nihil aliud planè eſt, quàm reuocare humores ad partem contrariam, ex qua illi fluunt: quæ

quidem contrarietatem Gal. 4. *meth.* 3. *lib. de reuulſione*, interpretatur ſecundùm quamlibet corporis dimenſionem, ſurſum, deorſum, intro, foras, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum: ſic deriuare nihil aliud eſt, quam humores ad proximas partes deducere, etſi illæ non ſemper ſunt ad latera, ſiue incumbant aliis, ſiue ſubiaceant, ſiue alia ratione partibus laborantibus vicinæ exiſtant.

Exempla reuulſionis ad partes oppoſitas, & eas quidem maximè diſtantes, manifeſta ſunt apud Galen vbi prædixit, *in lib. de ſanguinis miſſione* 19. podagricos ex brachio. comitiali morbo & vertigini obnoxios, ex cruribus vacuandos eſſe: ac rurſum 2. *ad Glau.* 2. 13. *metho.* 5. genu inflammato ex locis ſuperioribus, contra laborante parte ſuperiore, per inferiora ſanguinem detrahendum eſſe. Sic paſſim occurrunt exempla deriuationis ad partes proximas, ſicuti 13. *metho.* 11. *l. de reuulſione*, *cucurbitulis*, &c. in angina ſectis venulis ſub lingua, per nares & os, ſi ad aures vel oculos ſucci fluant, & alia huiuſmodi.

Difficultas. Sed multa ſunt quæ magnam hac in re afferunt difficultatem, namque apud Galenum ſunt in promptu multa exempla illuſtria, dum ille in curandis pleriſque morbis, quibus certum eſt reuulſionem cõpetere, vt in angina, pleuritide, phrenitide, & ſimilibus, ferè nuſquam, & nunquam ſummam partium diſtantiam videtur obſeruare, quod etiam de deriuatione facilè poteſt demonſtrari, in qua non perpetuò, ad partes proximas humores ducuntur & deriuantur, adeo vt non iniuria dictum fuerit, cum cæteros medicos, tum maximè Galenum de hac re non ſatis ſibiipſis conſtare.

Solutio. Cæterùm ad ſoluendam huiuſmodi apparentem repugnantiam, ſunt in primis memoria repetenda, quæ Galen. in vniuerſum de curandis morbis ſcripta reliquit, *cap.* 88 *artis med. Iã factam*, ille inquit, *ægritudinem atque exiſtentem curare oportet: quæ nondum quidem adeſt, at futura eſt, prohibenda, ne fiat; eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factum eſt, curare oportet, quod autem futurum, prohibere ne fiat.* Hæc Gal. Ex quibus facilè vnuſquiſque poteſt intelligere, nos in curatione morborum opus habere, quandoque ſimpliciter vacuatione, aliquando reuulſione, nonnunquam deriuatione, ſæpius autem vacuatione ex iis mixta, vt mixti ſunt morbi; vt mixtæ ſunt indicationes, quæ ex illis eliciuntur. Vacuamus ſimpliciter, veluti in febre putrida cum ſectione venæ; reuellimus, vt in profuſione menſium in mulieribus cum cucurbitulis ad mammas poſitis: deriuamus, vt in anginæ ſectis venis ſub lingua: demum ſimul vacuamus, reuellimus ac deriuamus, ſicuti in pleuritide ſecta vena cubiti, interna eiuſdem lateris. At verò vtrùm ſimplex conueniat vacuatio, an reuulſio, an deriuatio an ex iis commixta ratio vacuationis, id ſanè licet vobis ex pluribus coniicere, ſed potiſſimùm ex morbo atque illius tempore: etenim ſi fuerit morbus, in quo noxij humores quieſcant, & vacuationem poſtulent, tunc ſola vtimur vacuatione: ſi verò vehemens impetus & fluxio humorum vel vrgeat in præſentia, vel poſteriùs immineat, ne ſuperueniat, tunc reuulſio eſt admodum accommodata: quemadmodum ſi leuiter humores fluant, vel inueterata iam ſint mala, deriuatio eſt maximè opportuna: quod ſi demum ita ferat opportunitas, vt vno tempore, quod ſæpenumero contingit, & vacuandum ſit, & reuellendum, & deriuandum, tunc quantum fieri poteſt, & loci opportunitas patitur, magis accommodatam vacuandi rationem aggredimur.

Varios hos modos vacuationis Medici diſtinguunt potiſſimũ ex ſitu partium: nã quo proximior eſt locus vacuationis parti affectæ, eo facilior & copioſior fit vacuatio & deriuatio: quo magis ille abeſt, eo magis reuellimus, ac minus deriuamus. Hæc doctrina tradita eſt à Gal. *in lib. de ſang. miſſ.* 19. qui tractans ſummatim, quænam venæ ſint incidendæ variè laborantibus corporis partibus, ita ſtatuit, incipientes inflammationes reuulſione, longius progreſſas ex ipſis, aut ſaltem ex proximis locis vacuandas eſſe. Huius doctrinæ multa ibi exempla afferuntur, ſed tamen Galen. huius ſententiæ talem moderationem adhibet, vt diſtinguentes intelligamus, vtrùm in præſentia malum vrgeat, an magis poſterius immineat: etenim finge aliquem laborare vehementi aliqua inflammatione cerebri, faucium, oculorum, hoc tempore certum eſt, reuulſionem conuenire, ſed minimè procul, nec ad longinquiſſima, imò verò ex proximia, vt ſectione venæ in cubito, quæ ſimul poteſt vniuerſum corpus vacuare, & à parte laborante tum reuellere, tum deriuare, id quod à Gal. 2. *ad Glauc.* 2. 2. *de rat. victus* 10. & paſſim videbimus obſeruari: ſi autem malum non adeſt, ſed ferè imminet, quod potiſſimùm ineunte Vere conamur inhibere, rurſum diſtinctione opus eſt, quandoquidem ſi quis conſueuit corripi morbo cõmuni vniuerſo corpori, vt febre, dolore omnium articulorum, iam nihil refert, vtrùm hanc vel illam venam incidas, cum vnaquæque pars ad ſanguinis detractionẽ ſit ferè eiuſdem ſortis & conditionis: ſin verò vna quæpiam determinata pars conſueuerit laborare, tunc non æquè ex quauis parte licet vacuationem moliri, ſed ſemper ex partibus contrariis & diſtantiſſimis, quoniam tum nihil aliud intendimus, quam ſolam reuulſionem, vt hac ratione ſolita humorum fluxio in contrarium trahatur, ac natura diſcat ad alias partes excrementa tranſmittere, quemadmodum ſuprà ex Gal. eorum mentionem fecimus, qui podagræ, epilepſiæ, & vertigini ſunt obnoxii. Sic quando Hipp. vel quiſquis ille fuerit *com.* 2. *de natura humana* 9. ſcriptum reliquit, ſecandas eſſe venas, quem maximè longè à regionibus, in quibus dolores & ſanguis colligi ſolitus eſſet, Gal. hanc partem interpretatus, illum reprehendit, quòd nõ determinauerit, vtrùm voluerit, membris in præſentia dolentibus, fluẽtium ſuccorum reuulſionem à remotis fieri oportere, an magis tempore ſanitatis: *nobis autem*, inquit Gal. *videtur, quod potius de ſanis ſit locutus, cũ ſcriptor id velit, redundãtes ſuccos aſſueſcere ad alias partes ferri.* Quam quidem reuellendi rationem, vt id obiter vos moneam, Medici debent obſeruare in vrendis quoque vlceribus, quas vulgo *fontanellas*, vocant, vt ſi quis exempli gratia, hoc tempore laboret morbo capitis, qui non ſolùm reuulſionem, ſed etiam deriuationem poſtulet, huic vlcus inuratur parti proximæ, hoc eſt, in brachio, fortè etiam in occipitio: ſin autem morbus magis poſteriore tempore videatur imminere, neque in præſentia vrgeat, tunc vlcus inuratur in partibus remotis, hoc eſt, in cruribus. Ex iis puto ſatis conſtare, quamobrem Medici reuellentes non perpetuò maximam partium diſtantiam velint obſeruare: etenim ſi accidat, accidit autem frequentiſſimè, vt non ſolùm cogantur reuellere, ſed etiam ſimul totum corpus & partem affectam euacuare, quod partes diſtantes nequeunt perficere, tunc iure optimo ex parte proximiore vacuationem moliuntur: ad quem modum Galen. in phrenitide, pleuritide, angina, & pleriſque huiuſmodi morbis periculoſis, & quibus celer præſidium conuenit, reuellit à parte quidem contraria, ſed minimè à diſtantiſſima, cum illi propoſitum ſit, non modò reuellere, ſed etiam corpus vniuerſum vacuare, & à parte laborante deriuare.

Contrà

Contrà verò ſi nos velimus ſimpliciter reuellere, aut præterea non occurrat locus commodus, per quem liceat ſimul reuellere & deriuare, tunc cum non poſſumus id quod volumus, id quod poſſumus velimus, neceſſarium eſt: itaque ſi manus vel crura laborent, cum principio non liceat per affectas partes vacuare, deſitque locus opportunus, per quem ſimul reuellere poſſimus & deriuare, tunc neceſſe eſt ad partes diſtantes confugere; ad quem modum docet Galen. 10. *meth. cap.* 5. 6. & 11. laborante manu per inferiora, male item affecto crure, modò ex brachio, modò ex altero crure ſanguinem mittendum eſſe: ſiquidem, vt ſuprà diximus, ſecundùm omnes oppoſitas partes nobis licet reuellere, dummodo id fiat ſecundùm rectitudinem, quod Hippoc. κατ' ἴξιν dicitur: de qua rectitudine nolo in præſentia longiùs agere, an debeat intelligi de ea quæ ex fibrarum in venis exiſtentium conſenſu ſumitur, an magis de rectitudine partium corporis, de qua controuerſia noſtrates medici digladiantur, qui nunc ſatis habeo Galenum, vt dixi, hanc rectitudinem interpretari, qua dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris reſpondent: quod & de aliis oppoſitionibus dicendum eſt. Quare autem Gal. velit, laborante crure, modò ex brachio ſuperiore, modò ex crure altero ſanguinem mittendum eſſe, id mihi quidem vt videtur, ex diuerſa indicatione pariter definiendum eſt: namque ſi magis reuellendum fuerit, locus ſuperior omnino videtur opportunior; ſin autem magis fuerit deriuandum, tunc ex altero crure vacuatio commodior cenſenda eſt: etenim præterquam quod crura inuicem cohærent ad latera, quod maximè ad deriuationem pertinet, illis præterea vehementer conuenit, propterea quia, vt vidiſtis in anatome venæ, quæ vtriſque cruribus inſeruntur, originem habent à communi trunco, qui in inguine diuiditur.

Summa. Sed hanc totam diſputationem breuiter in vnum colligamus: ſicuti morbus vel imminens, vel præſens, vel incipiens, vel progreſſus, vel grauior, vel leuior, vel alia ratione differens, modò reuulſionem, modò deriuationem, modò ex iis mixtam vacuationem poſtulat; ita medici, ac præcipuè Gal. pro variis ſibi propoſitis indicationibus, ex variis partibus, nunc remotiſſimis, nunc vicinioribus nunc remediis, ſed tamen ſeruata in perpetuum rectitudine, varias quoque vacuandi rationes aggrediuntur: itaque facilè vnuſquiſque poteſt intelligere nullam hac in re inter illos diſſenſionem, nullam varietatem extare, imo verò omnes vnum atque idem ſentire.

Cæterum vt neque id poſtremum hoc loco prætermittatur, etſi iſthæc horum nominum reuulſionis & deriuationis videatur legitima interpretatio, & propria circumſcriptio, tamen neque negandum eſt, mea ſententia, medicos, atque præcipuè Gal. vtramque vocem nonnunquam confundere, & alterā pro altera vſurpare, ſic docente Hip. 6. *epid. ſecto* 1. 3 t. *fluxiones oculorum in fauces retrahendas eſſe; auxiliorum reuellentium*, inquit Gal. *hæc vna quædam eſt ſpecies, ipſo nobis conſulente diuturnas oculorum fluxiones ad fauces traducere, ſcilicet per acria medicamenta retrahentibus*, &c. Atqui cum humores hoc loco minimè ad oppoſitas & diſtantes, ſed ad partes proximas deducantur, ſatis manifeſtum eſt, hanc deriuationem potiùs, quàm reuulſionem appellendam eſſe Sed vnus præterea locus hoc ipſum poteſt abunde confirmare Gal. *in lib. de reuulſ.* inter cæteras ſpecies reuulſionis docet, quæ continentur in ventre inferiore per vrinam, contra loria per alui excretiones reuellendas eſſe, veruntamen hunc ipſum vacuandi modum, iam non reuulſionem, ſed deriuationem, vt illa verè eſt, non verentur appellare in 5. *meth.* 3. 6. *epid.* 2. 7. Huiuſmodi ſanè multa alia exempla non deſunt, ex qua forte animaduerſione multæ difficultates facilè poſſunt diſſolui, quæ à multis de hac re circumferuntur. Atque de hac re ſatis.

Sicuti in fluxu ſanguinis narium duo fuerant, locus affectus, apertio venarum, & locus ex quo fit fluxio, ita duæ quoque inſtitutæ fuerunt curandi indicationes, vna vt ſanguis non feratur ad locum affectum, altera vt locus apertus claudatur. Quatenus pertinet ad primam indicationem, quæ eſt longè maximi momenti, atque alteram debet præcedere, diximus ex Gal. quatuor præſidiorum genera conuenire; primùm, quæ reuellunt: ſecundò quæ deriuant. tertiò, quæ animi deliquium inducunt; poſtremò, quæ refrigerant & aſtringunt, de quibus ſigillatim, ſed breuiter dicendum eſt. Sed ante omnia, quod admonet Auic. eſt animaduertendum, an fluxus ſāguinis narium ſit criticus nec ne: ſiquidem primùm febres ardentes peculiari quodam iudicio, notauit Gal. 1. *epid.* 1. 9. *ſecto* 2. 63. deinde phrenitis, pleuritis, omnes inflammationes iecoris, lienis & hypochondriorum, aliique morbi, per profluuium ſanguinis è naribus ſolent iudicari, de quibus Gal. tractat diffusè 3. *de criſib.* 3. de quo quidem iudicio ac de ſignis quamplurimis, quæ illud ſolent præcedere, Gal. tractat accuratiſſimè 3. *de criſib.* 11. 1. *ad Glau. vltimo*, qui profitetur, medicum præclarum ac doctrina Hip. probè inſtructum poſſe præcognoſcere non modò ſanguinem fluxurū, ſed etiam ex hac nare, & hoc tempore fluxurum eſſe, ſicuti ipſe elegantiſſima hiſtoria narrat ſibi ipſi contigiſſe, in *lib. de præcog. ad Poſthumum* 13. quippe in quodam ægroto adoleſcente primùm ridentibus, deinde admirantibus cæteris medicis, gloriatur ſe præcognouiſſe, & ſanguinem fluxurum, & ex dextra nare, atque hoc momento temporis fluxurum eſſe, quod rei euentus cōfirmauit. Itaque ſcribit Auic. fluxum ſanguinis narium qui fit criticus prohibendum non eſſe quantum poſſibile eſt: quæ poſtrema verba exponunt interpretes, niſi ille fuerit immoderatus & debilitet virtutem; quam interpretationem alij non recipiunt. qui exiſtimant, fieri non poſſe, vt natura quæ probè agit ac bene iudicat, nimiam & inutilem vacuationem moliatur: ſed tamen non eſt negandū, mea ſententia, quin idem naturæ poſſit quandoque euenire, quod euenit currentibus per loca decliuia, qui ſæpenumero nequeunt ſe continere ſicuti contigit illi adoleſcenti, de quo Gal. hiſtoriam narrabat, cui tanta ſanguinis copia profluxit, vt fuerit Gal. neceſſe illum variis præſidiis cohibere. Ergo ſi ſanguis profluat tam profusè, vt periculum immineat, ne calore natiuo debilitato alimenta deinceps neque concoqui, neque tranſmutari in ſanguinem, neque per corpus diſtribui poſſint, quæ eſt interpretatio Gal. 4 *aph.* 27. aut quod ſcribit Hip. 5. *aph.* 3. ne ſingultus, conuulſio, aut alia lethalia ſymptomata ſuperueniant, iam neceſſe eſt ſanguinem cohibere: ſiquidem conſtat inter omnes, tantam eſſe præſtantiam ſanguinis, vt referente Ariſt. *in lib. de anima*, & Gal. *de plac. Hip. & Plat.* nonnulli Philoſophi exiſtimauerint illum animam eſſe, quod etiam dictum eſt à Poëta. *Et vitam cum ſanguine fundit*, qui purpuream quoque animam enomi ait.

Eſt quædam curioſa quæſtio, quanta ſanguinis copia reperiatur in homine: Cui reſpondet Auic. 3. *canonis fen.* 5. *tract.* 1. c. 9. quod quandoque viuit homo in fluxu ſanguinis narium vſque quo egrediantur ex eo vltra 20. libras, & vſque ad 25. qui deinde moritur. Braſſauolus refert illuſtri cuidam mulieri ſanguinem profluxiſſe ad lib. 22. & ſanatā fuiſſe, *in ſuo comp. aphor. lib.* 4. *cap.* 23. & *lib.* 8. *aph.* 3. & 23. Ego olim Vicētiæ viſitaui nobilem puellam

Quantitas ſanguinis in homine.

annorum 11. cui ſanguinis profluxit è naribus ad lib. 11. circiter, quæ deinceps in malum corporis habitum incidit, adeo vt non ſine multo labore & tempore priſtinam ſanitatem fuerit conſecuta.

Nota de frictionibus.

Sed iam ad particularia præſidia veniamus: itaque ad primam indicationem, ne ſanguis fluat ad locum apertum, omnia reuulſionum genera ſunt accommodata, frictiones & ligaturæ extremarũ partiũ, quales ſunt crura, pedes, brachia, manus; in quibus frictionibus id vobis notandum eſt, nonnullos vti conſueuiſſe rebus quibuſdam vehementer calefacientibus, pipere, pyrethro, & ſimilibus, cum quibus valide & diu fricant, vt ita humores efficaciùs reuellantur, quod quidem nequeo probare, ſiquidem hac ratione calefiunt non ſolùm partes extremæ, ſed etiam totus ſanguis, & corpus vniuerſum, quare ſolæ frictiones & ligaturæ vobis ſatis fuerint, ſicuti Gal. quoque perpetuò facere conſueuit. Alij vtuntur lotionibus earundem partium. Sed hîc quoque cauendum eſt, ne eleuatis ex aqua vaporibus, tum cæteræ partes, tum maximè caput calefiat, ex quo ſanguis copioſiùs profluat; ad quem modum dicit Gal. 1. *ad Glau.* 14. balnea ſanguinis fluxum acriter irritare; quare magis probanda eſt adminiſtratio aquæ frigidæ, de qua paulò pòſt ſermonem habebimus.

Clyſteres.

Sunt clyſteria, quæ pariter licet præparare ex medicamentis quæ poſſint non ſolùm reuellere, ſed etiam humorum caliditatem & acrimoniam remittere, qualia forent quæ diximus ex decocto maluarum, lactucæ, violarum, oleo violato & ſimilibus: imò verò ſi illa ferat occaſio, ægérque hoc ſymptomate laboret, quod frequẽter euenit, propter copiam nimiam bilis, mea ſententia non foret alienum à ratione, ſi leue aliquod medicamentum illi daretur, quale inter cætera eſſet caſſia cum pulpa thamarindorum, quod poſſet humorem noxium partim leuiter purgare, partim alterare, atque ſanguinis vitium corrigere: propter iuniores ſit exemplum.

℞. Floris caſſiæ noniter extractæ ℥. j.
Pulpæ thamarindorum ℥. ß.
Specierum trium ſandalorum ʒ. ß. Miſc. cum ſaccharo, fiat bolus.

Cucurbitulæ

Præterea ſunt cucurbitulæ, quæ hac in re præclaram operam præſtant, vt Galen. Auic. & omnes teſtantur, & confirmat experientia, quæ quidem variis corporis partibus, & variis modis ſolent adminiſtrari: namque affiguntur hypochondriis, de quibus ita ſcribit Gal. *in lib. de ſang. miſſ.* 15. 5. *meth.* 3. *Cum ex naribus ſanguis erumpit, eum retinent magna in hypochondriis defixa cucurbitula.* Inſigẽdæ autem ſunt, ſi ex dextra nare profluit, ſuper iecore; ſi ex ſiniſtra, ſuper liene; ſi ab vtraque nare, ſuper vtroque viſcere. Auic. autem probat cucurbitulas non ſolùm ad hypochondria, verùm etiam ad mammillam quæ nari profluenti reſpondeat: ſed forte neque forent inutiles, ſi affigantur ad crura, vel ſine ſcarificatione, vel etiam cum ſcarificatione: quæ quidem reuellendi ratio eſt ſurſum, deorſum. Amplius verò vt placet Auic. *in cap. proprio*, & Paulo *lib. 3. cap.* 24. licet illas apponere partibus poſterioribus cum leui ſcarificatione, vt principio ceruicis, & ſpatulis, quem modum reuulſionis conſtat ad partes anteriores & poſteriores pertinere.

Venæ ſectio.

Cæterum nulli dubium eſſe debet, quin inter cætera omnia præſidia reuellentia ſectio venæ principem locum obtineat, ac propterea ſi profluuium ſanguinis fuerit vehemẽs, primo quoque tempore ad huiuſmodi remedium deueniendum eſt, de quo audiatis Gal. 5. *meth.* 3. *Quod ſi reſolutus adhuc æger*, &c. qua ſerie nos docet non modò ſanguinem mittendũ eſſe, ſed etiam ex qua vena, ac poſtremò quomodo illum mittere oporteat, nimirum bis, ter, & quater, educendo ſanguinis modicã copiam, ſiquidem gratia reuulſionis remediũ adminiſtratur, nam iuniores debent ſcire, quod aliàs docet Gal. *de ſang. miſſ.* 12. nempe reuulſionem, quanto particulares ſanguinis detractiones maiorem in numerum auctæ fuerint, tanto efficaciorem fieri, quoniam ita natura toties irritata, quæ ad partem affectam confluunt, maiori cum impetu in contrarium locum deponere & detrudere conſueuit.

Deriuatio ſanguinis.

Secunda indicatio curandi immoderati fluxus ſanguinis nariũ, pertinebat ad deriuationem, quam diximus fieri ad partes proximas: itaque primùm occurrit ſectio venarum ſub lingua: ſecundò, miſſio ſanguinis ex auribus; quæ fieri poteſt vel illis ſcarificatis, ac potiſſimùm parte poſteriore, vel ad illas appoſitis hirudinibus, quæ ſenſim ac ſine viriũ iactura ſolent ſanguinem deriuare: tertiò, eſt cucurbitula leuiter ſcarificata, quæ vt placet nonnullis, in capite ſupra cranium; ſed mea ſententia longè opportunius ad partem capitis poſteriorem, ad principium ſpinalis medullæ apponenda eſt: neque enim præterea alij occurrunt loci proximi, ad quos liceat ex naribus ſanguinem deriuare.

Animi deliquium quomodo inducatur.

Tertia fuerat indicatio, reuocandi ſanguinem à naribus, inducto animi deliquio: atenim cum huiuſmodi malum non aliter eueniat, quàm patiente corde aut primario, aut aliis partibus conſentiente, ſanguis confertim recurrit ad partes internas, & ad membrum nobiliſſimum, ex quo huiuſmodi ægroti palleſcunt & exterius refrigerantur; vnde ſumma cum ratione ſanguis ita ad aliam partem conuerſus, vt non amplius petat locum apertum, neceſſe eſt. Porrò huiuſmodi ſymptoma adducitur natura quidem immoderata vacuatione, vt placet Auic. ſed improuiſo faſtidio, nuntio inopinato, magno timore, ſed præcipuè ex vehementiſſimo dolore, ſicuti exempli gratia, ſi violenter comprimantur digiti, manus, teſtes, mammæ in mulieribus, vel alia ſimili ratione dolor grauiſſimus inferatur.

Refrigerantia ſanguinem ſiſtentia.

Poſtremo autem loco prohibetur ſanguis ne cõfluat ad venas narium, medicamentis quæ refrigerant partim ſanguinem fluentem, partim locum affectum, & partim locos circũpoſitos & vicinos: ita enim facilè ſanguis firmatur, redditurque veluti immobilis, ac nares vix illum recipiunt. Huiuſmodi medicamenta ſunt quàm plurima, partim interna, partim externa, ex quibus nõnulla magis familiaria & vſu comprobata, nos breuiter ſeligemus.

Interna.

Interna ſunt decocta endiuiæ, portulacæ, plantaginis, hepaticæ, nenupharis, ſyrupus violaceus, de endiuia, de agreſta, de portulaca, de ribes, conſerua roſarũ, violarum, nenupharis; ac poſtremò ſi res vrgeat, medicamenta ſtupefacientia, ad quæ licet quandoque deuenire, ſyrupus de papauere, philonium, requies Nicolai, theriaca recens & alia huiuſmodi. Quod ſi hoc ſymptoma daret inducias, etſi iſtud potius foret attẽdere ipſi cauſæ quàm ſymptomati, opportunè quoque poſſent exhiberi nonnulla medicamenta quæ leuiter purgarent humores tenuiores & calidiores, qualia ſunt caſſia, ſyrupus roſaceus ſolutiuus, rhabarbarũ; de quibus paulò antè diximus.

Externa.

Externa autem ſunt medicamenta repellentia, hoc eſt refrigerantia & adſtringentia, quæ ad varias partes apponuntur: primum eſt maximus vſus aquæ frigidiſſimæ, vel ſimplicis, vel permiſta portiuncula aceti, ad penetrationẽ: hæc enim ore continetur, per nares attrahitur, ad frontemque & vniuerſam faciem aſpergitur. Hoc idem, vt aliis placet, præſtant aquæ ſtillatitiæ frigidiores, endiuiæ, roſarum, plantaginis, portulacæ, vel olea roſaceum, omphacinum, citoniorum, myrtinum. Verùm ego puto frigidam aquam & aquis ſtillatitiis, & oleis longè efficaciorẽ eſſe, qui adhuc magis probarem ſucca, exempli

gratia,

gratia, plantaginis, portulacæ, & ſimilium: ex quibus facile eſt vnicuique varias medicamentorũ formas parare. Auic. præter hæc probat embrochas & perfuſiones capitis, necnon in ſeſſiones corporis in aqua non ſolùm frigida, ſed etiam infrigidata cum niue; ex quo recentiores ſolent & crura & brachia, ſed potiſſimùm teſtes aqua frigida fouere aſſiduè, quod remedium puto per antiperiſtaſim prodeſſe. Sed hoc loco minimè prætermittendum eſt admodum notabile præceptum Gal. & Auic. qui mouent ad huiuſmodi refrigerantia medicamenta non ſine iudicio deueniendũ eſſe, cum ſæpenumero importunè adminiſtrata, multa & grauiſſima pericula ſecũ afferant, de qua re Gal. hæc habet 5. *meth.* 6. *Eorum quibus ex naribus ſanguis profluit, aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerunt: ergo neque omnino, neque ſine diſcrimine, neque omni tẽpore loca quæ circa particulam ſunt poſita, vnde ſanguis profluit, refrigeranda ſuaderẽ, imo poſteaquam in alias prius auerteris, exempli gratia, poſtquam vſus fueris miſſione ſanguinis, vel alia reuulſione: quin ne ſic quidem ad frontem & caput illico refrigerantibus vtendum, ſed prius eſt ad contraria reuellendum, vtique in ſumma ceruice cucurbitula appoſita.* Quamobrem antequã ad hæc remedia particularia deueniatis, primum vos vti decet omnibus generibus reuulſionis & derivationis, de quibus ſatis diximus.

Poſtremo autem loco nares obſtruimtur iis medicamentis, quæ ſuo lentore & craſſitie meatus ſolent occludere, quæ quidem ſunt ferè omnibus manifeſta. aloe, rhus, maſtia, roſa, acaſia, hypociſtis, balauſtia, cortices granatorum, plantago, portulaca, conſolida, & alia id genus, ea quibus ſucci, aquæ, olea, & variæ medicamentorum formæ parari poſſunt: pro iunioribus.

℞. *Olei roſati omphacini* ℥. ij.
Succi plantaginis,
Lactucæ ana ℥. ß.
Hypociſtidos,
Balauſtiarum ana ʒ. j.
Aceti parum. Miſc. & fiat linimentum, quod & ad nares, & ad cæteras partes proximas debet apponi.

Aliud exemplum.

℞. *Succi polygoni*,
Semperuiui,
Portulacæ ana ℥. ß.
Boli armenæ,
Terræ lemniæ,
Lapidis hæmatitis,
Cum albumine oui & pauco aceto fiat linimentum vt ſuprà.

Sed inter cætera omnia eſt medicamentum Galeni admodum celebre, ex manna thuris, aloë, albo oui, & pilis leporis, quod ad retinendum ſanguinem creditur adeo eſſe præſtans, vt nonnulli exiſtiment non modò ſanguinem ex venis, ſed etiam ex arteriis fluentem illius opera poſſe ſanari, id quod experientia confirmat eſſe veriſſimum, adeo vt vice reliquorum omnium eſſe poſſit: & ſanè in huiuſmodi caſibus, & vbicunque neceſſe eſt ſanguinem retinere, ego hoc medicamento vtor familiariſſimè, de quo ita ſcribit Gal. 5. *meth.* 3. *Optimum igitur omnium quæ noui medicamentorum, quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagias, tutiſſimè vtor, eſt quod nunc ſubiiciam.*

Hæc quæ diximus hactenus de ratione curandi immoderati fluxus ſanguinis narium Galen. quaſi quodam epilogo complexus eſt, dum narrat hiſtoriam illius adoleſcentis, cuius in ſuperiori lectione mentionem fecimus, ex quo vno loco ſummatim atque vno intuitu vobis licet curandi huius ſymptomatis rationem tenere.

Cæterum præter hæc omnia ſunt nonnulla quæ occulta quadam proprietate videntur fluxum ſanguinis narium poſſe firmare: ſunt demum incantationes, de quibus partim quòd temporis anguſtiæ id non patiantur, partim quòd multa poteſtis videre apud Dioſcoridem, Aetium, Alexandrum, & quædam etiam apud Gal. nolo agere longiùs.

Victus ſit refrigerans, boni ſucci, facilis concoctionis & nutritionis, ptiſana, alica, oua ſorbilia, & ſimilia: vinum prætermittatur, *niſi* inquit Auic. *fluxus ſanguinis faciat caſum virtutis*, quo tempore illud oligophorum & parcè exhibendum eſt. Atque hactenus de ſuperfluo ſanguinis narium fluxu. (*Victûs ratio.*)

Capvt XXX.

De Vomitu.

QVandoque vomitus tantum procedit in febribus, vt propterea ægroti vires reddantur debiliores, illíque ad maxima diſcrimina deducantur, ex quo medici coguntur huius ſymptomatis propriam curationem ſuſcipere. Ergo vomitus qui ſine dubio inter ſymptomata excrẽtia immutata debet reponi, accidit propter tres cauſas: Prima eſt nimia quantitas materiæ quæ excernitur tanquam immodica, & ventriculum grauans, ſicuti eſt nimia alimenti multitudo. Secunda eſt praua materiæ qualitas, quæ infeſtat & mordet, veluti quando per cruditatem acidum, vel nidoroſum, vel amarum, vel acre alimentum aſſumptum redditum eſt, ad quod genus referenda ſunt & bilioſa & pituitoſa, & ſeroſa excrementa, quæ in ventriculo nata ſunt, vel ex vniuerſo animantis ambitu in eum ſunt deriuata. Tertia eſt cauſa eorum quæ ventriculum ad vomitum concitant, licet neque grauent, neque mordicent, ſed ſolùm præter naturam ſint; eſt autem omnium quæ præter naturam ſunt communis definitio, ſi poſtquam concocta fuerint, alere non poſſunt, qua quidem ratione non ſolum acida & ſalſa pituita, verùm etiam dulcis quandoque in ventriculo conſiſtens, ipſum ad vomitum conſueuit prouocare. Hæc doctrina eſt Gal. 3. *de ſympt. cauſ.* 6. ex quibus ſatis licet intelligere, quid ſit vomitus, & à quibus cauſis proueniat, etenim quotieſcunque in ventriculo res continentur, quæ vel nimia copia grauant, vel mala qualitate mordent, vel quòd ſint præter naturam negotium faciunt, tunc natura inſurgit ad earum expulſionem, & vomitus excitatur. Itaque ſi in febre vomitus fuerit vſque adeo immoderatus, vt iam vires diſſoluantur, tunc neceſſe eſt illius curationem aggredi: pro qua ſunt indicationes: prima, reuellendi materiam: ſecunda, roborandi ventriculum: tertia, reſtaurandi & conſeruandi ipſas vires, à qua poſtrema indicatione, cum cæteris omnibus ſit dignior, & longè maximi momenti, incipiendum eſt. Sed ante omnia eſt animaduertendum, an vomitus fuerit criticè à natura inſtitutus: nãque vt ſcribit Gal. 1. *ad Glau.* 14. in huiuſmodi vomitu non ſunt quærenda remedia, ſiquidem ille bonum potius ſignum exiſtimandus eſt, ſicuti & multa alia ſigna critica, quæ plurimis terrorem iniiciunt: quo loco Gal. nec non 3. *de criſib. vltimo*, tradit varia ſigna, quæ vomitum decretorium ſolent demõſtrare. Quapropter ſicuti in vomitu critico, cuius peculiare eſt ſignum Hipp. 1. aphot. 2. *quod confert atque æger illum facile tolerat, non ſunt quærenda remedia, ita in altero, qui non ſolum non confert, neque facile fertur, ſed etiam virium debilitatem & alia pericula ſecum affert, neceſſe eſt ad medica remedia deuenire.* (*Vomitus criticus conſiſtendus.*)

Ergo ad reſtaurandas vires primùm ſunt boni odores, aqua roſacea, violacea, acetum, vinum generoſum, vel ſeparata vel inter ſe miſta, roſæ, mala citonia, (*Inſtauratio virium.*)

tonia, mentha, corticea citri, & ſimilia: nam ſicuti ex Hipp. *in lib. de alim.* ſcribit Gal. 2. *aph.* 15. quicunque celerrima indigent adiectione, ita liquidum remedium ad recuperandas vires optimum eſt: vbi verò adhuc celeriore egent, per odores: aſſerente Gal. 2. *de alim. facult.* 10. odorata eſſe quàm maximè amica ventriculo, ſicuti contraria illum ſubuertere, & ad vomitum incitare. Secundò, ſunt ea quæ facilè ingeruntur, facilè coquuntur, & facilè nutriunt, inter quæ vinum principem locum videtur obtinere, ſcribente Gal. 2. aph. 18. illud celerrimè ac maximè vniuerſum corpus nutrire; & rurſum 3. *de temp.* 2. vino inter cætera id proprium & peculiare eſſe, vt celeriter tranſmutetur ac nutriat: quamobrē licet & panem ex vino, & omnibus modis vinum propinare, niſi, inquit Gal. 1. *ad Glau.* 54. circa medium, ſit aliquid quod huiuſmodi exhibitionem prohibeat, veluti ſi febris inſignis atque ardens fuerit, ſi aliquod viſcus inflammationem patiatur, ſi caput vehementer doluerit, ſi delirium vel adſit, vel immineat; ſiquidem magna & quaſi inſanabilia ex potu vini in huiuſmodi affectibus nocumenta proueniunt.

Reuulſio. Viribus vtcunque recreatis ſecunda ſuccedit indicatio, quæ pertinet ad reuulſionem; pro qua ſunt frictiones & ligaturæ doloroſæ extremarum partiū; namque ex dolore, & natura ab opere expellendi auertitur, & ad partes dolētes humorum copia trahitur. Sunt cucurbitulæ, balnea aquæ dulcis, & cætera id genus, in quibus quidem adminiſtrandis reuulſionibus illud perpetuò debetis animaduertere, quod docet Gal. *loc. cit. ad Glauc.* & nos proximè diximus, nempe ſi euacuationes fiant per partes ſuperiores, vt fit in ſuperfluo vomitu reuellendū eſſe inferius fricando, reuellendo, & lauando pedes & crura: contrà verò ſi fiant per partes inferiores, ſuperius reuellendū eſſe ad manus & brachia. Poſtremò autem ſymptomate diutius permanente, vt alimenta nullo modo queant retineri, iubet Paulus *lib.* 1. 56. cucurbitulam cum plurima flamma ad os ventriculi affigendam eſſe, atque ipſa adhuc affixa alimenta exhibenda, quod quidem remedium valde commodum, atque experientia confirmatum, non debuit prætermitti.

Roboratio ventriculi. Iam verò inſtauratis viribus, factis reuulſionibus, poſtremò ad roborandum ventriculum veniendum eſt: quo loco id vobis maximè notandum eſt, & memoria tenendum, in quo alioqui frequenter errant communiter practicantes, vt ex præcepto Gal. 8. *ad Glau.* 14. *ad fin.* ad ea nunquam accedatis, quæ poſſint ventriculum firmare & corroborare, niſi excrementa in eo contenta ſaltem maxima ex parte priùs educta fuerint: namque ſi aliter fiat, cum medicamenta omnia quæcunque poſſunt roborare, eadem quoque poſſint adſtringere, hinc fit vt eadem excrementa magis impingantur & affigantur ipſi ventriculo: ex quo pernicioſo errore videmus ſæpenumero & ſæua ſymptomata & quandoque mortem miſeris ægrotis ſuperuenire. Ergo aut per vomitum, aut per aluum vacuata, ſaltem pro parte noxia materia, iam tutò vobis licet progredi ad roborantia medicamenta, quorum alia ſunt interna, alia externa, vtraque autem varia eſſe debent, vt varia ſunt excrementa, quæ per vomitum reiiciuntur: namque ſi ventriculus ſit calidior, euomantúrque acria & bilioſa, ſunt illa adminiſtranda, quæ frigida ſint & adſtringentia; interiùs conſerua roſarum, cichorei, acetoſæ, ſyrupus de roſis ſiccis, de portulaca, de agreſta, corallia, margaritæ & ſimilia; & ſi opus fuerit medicamentis magis adſtringentibus, ſunt opportuna acacia, hypociſtis, terra lemnia, bolus armena & alia quamplurima. Quòd ſi tandem hæc fruſtra fiant, omnes ferè deueniunt ad medicamenta ſtupefacientia, quæ facilè poſſunt & ſomnium conciliare, & impetum naturæ expellentis cohibere. Habeatis exempla:

℞. *Conſerua florum cichorei* ʒ. ij.
Specierum diarrhod. Abbat. ℈. ß. *M.*

Vel aliter:

℞. *Conſeruæ roſarum* ℥. ij.
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubeorum.
Seminis acetoſæ ana ʒ. ß.
Miſc. ſyrupo de roſis ſiccis quantum ſufficit, & fiat electuarium exhibendum ante alimenta ad nucis magnitudinem.

Habetis diacitonitem ſine aromatibus: vulgare etiam eſt auxilium, ex vino aut ſucco granatorum, vel citoniorum, panem infūdere & exhibere. Quatenus autem ad medicamenta ſtupefacientia, quicquid cæteri ſentiant, mea quidem ſententia, in vſu eorum admodum prudenter & cautè agendum eſt: etenim ſi vires fuerint admodum imbecilles, ab illis perpetuò abſtinendum eſt, quæ adhūc magis poſſunt illas diſſoluere & ſuffocare. Quod ſi maxima vigeat neceſſitas, neque vires ſint prorſus collapſæ, vobis licebit nonnulla leuiora adminiſtrare. Et ſit exemplum: *Stupefacientia.*

℞. *Conſerua roſarum* ʒ. j.
Theriacæ recentis ʒ. ß. *Miſc.*

Externa. Externa autem ſunt linimenta ex oleis, roſaceo, citoniorum maſtichino: ſunt fomenta ex roſis, foliis myrthi, corticibus granatorum, balauſtiarum. Sunt emplaſtra ex carne citoniorum, acaciæ hypociſtide, roſis & ſimilibus. Et ſint exempla:

℞. *Olei roſati completi,*
Citoniorum ana ℥. ß.
Maſticis ʒ. ij.
Ceræ parum. Miſce & fiat linimentum.

Aliud exemplum:

℞. *Olei citoniorum.*
Maſtichini ana ℥. ß.
Specier. diarrhodon ʒ. ij.
Ceræ parum. Miſce & fiat linimentum.

Exemplum fomenti:

℞. *Foliorum roſarum,*
Myrthi ana M. ß.
Seminum coriandrorum ℥. ß.
Decoquantur in aqua pro fomento.

Tandem habeatis exemplum emplaſtri:

℞. *Carnis citoniorum* ℥ ij.
Specierum diarrhodon. ʒ. iij
Acaciæ,
Hypociſtidos,
Roſarum ana ʒ. j.
Farinæ hordei ℥. j.
Olei roſati completi,
Maſtichini ana q. ſ.
Miſce & fiat emplaſtrum.

Vulgare idque optimum emplaſtrum eſt de cruſta panis Montagnanæ: præterea eſt emplaſtrum diaphœnicon, cuius meminit Alexander, Paulus, Meſue, & alij; ſunt & alia quamplurima. Atque hæc ſunt medicamenta tam interna quàm externa corroborantia ventriculum, ſi ille calidior fuerit, & calidiora excrementa deiiciantur.

Sin autem ventriculus non adeo magnam caliditatem præſeferat, quod excrementa exeuntia, nec non varia ſymptomata facile poſſunt demonſtrare, vel medicamentis frigidis poterunt permiſceri quædam calidiora, quæ illorum frigiditatem poſſunt remittere, vel poterunt illa prætermitti, aut ſaltem minui, calida autem augeri, qualia ſunt mentha, abſinthium, betonica, ſemina odorata, & alia id genus, quæ quidem medicamenta tum frigida tum calida debent adminiſtrari, & inter ſe permiſceri,

prout

ſius. provt alter ſcopus refrigerandi, vel alter calefaciendi magis videbitur poſtulare. Quod pertinet ad victus rationem, ſint alimenta quæ non facilè diffluant & corrumpantur, de quibus ſcribit Gal. 11. *meth.* 6. alia ſunt non aqua mulſa, non cremor ptiſanæ, ſed panis & ſorbicio ex alica, fructus auſteri, mala punica, citonia, pyra, & ſimilia, vitelli ouorum, teſticuli pullorum gallinaceorũ, inter cætera aſt ferculum maximè laudatum, noſtrum far vulgare optimè decoctum, in eo poſitis granis mali granati, aut ſi hæc grana deſint, modico eiuſdem vino vel ſucco. De vino diximus illud exhibendum propter vires.

Quantitas ciborum. Alimenta autem moderatè vel potius parcè exhibeantur, quod monet Paulus, vt ea facilius à ventriculo poſſint contineri.

Capvt XXXI.

De Syncope.

QVoniam admodum frequenter euenit, vt in febribus, potiſſimùm quæ pendent ex putredine bilis, ægri incidant in maximas anguſtias & anxietates ventriculi, adeo vt quandoque ad lipothymiam & ſyncopen deueniant, propterea quia vel profuſè euomunt, vel nequeunt euomere; de hoc quoque vt frequentiſſimo, ita ſæuiſſimo ſymptomate paucis verbis agendum eſt.

Syncope. Ergo ſi contingat ægrotum febricitantem ſentire morſum afflictúmque os ventriculi, atque ille videatur ſeu per vomitum, ſeu per aluum noxia excrementa deieciſſe quantum ſatis eſt, iam nihil aliud ſupereſt, niſi vt ad ea præſidia deueniamus, quæ os ventriculi poſſunt corroborare, de quibus ſatis diximus: ſin verò adhuc in ventriculo contineatur materia quæ anxietatem efficiat ac foueat, ante omnia oportet illam purgare, quod cum duplici ratione fieri poſſit, aut per vomitũ, aut per aluum, ſine dubio vomitus longè facilior & commodior cenſendus eſt: itaque ex Gal. primùm fricandus & calefaciendus eſt ventriculus, qui hoc modo laxatur, & faciliùs inclinat ad vomitum, quod Galeni præceptum notandum eſt, cum ſit contra communem

Abuſus. vſum, vel potius abuſum, ſiquidem vulgus vbicunque intendit prohibere ne æger euomat, ſolet ipſum ventriculum fricare & calefacere. Secundò, ſunt illa exhibenda quæ poſſunt ventriculum ſubuertere, & vomitũ prouocare, quæ multiplicia ſunt. Communiter practicantes ſolent propinare oxymel, vel ſyrupum acetoſum ſimul cum iure vel aqua hordei; Gal. autem vtitur hydrelæo, nempe aqua & oleo, quod quidem magis probandum eſt quàm oxymel vel ſyrupus acetoſus, ac maximè ſi redundent humores biliosi; ſæpe enim, vt inquit Galen. 1. *ad Glau.* 14. oleum ſolet non ſolùm vomitum irritare, ſed etiam ventrem mollire, id quod non parum vtile eſt: contra verò niſi oxymel & ſyrupus acetoſus per vomitum reiiciantur, ratione aceti quandoq; ſolent materiam contentã reddere acriorẽ, & anxietatem augere: propter iuniores ſit exemplum:

℞. *Iuris pulli* ℥. x.
Olei communis ℥. iiij.
Miſce & tepidum exhibeatur.

Præterea niſi aluus ſponte moueatur, placet Gal. illam arte mouendam eſſe, idque potiſſimùm glandibus ſuppoſitis tentandum eſſe. Quo loco eſt notatione dignum, quamobrem ad hanc nullam clyſteris mentionem fecerit, quæ alioqui in mouenda aluo & omnibus medicis, & ipſi Galeno ſunt familiariſſima: hunc locum animaduertit Stephanus Athenienſis, auctor Græcus, interpres prioris libri Gal. *ad Glauc.* qui ſcribit, merito fuiſſe prætermiſſa clyſteria, atque illorum vſum fugiendum eſſe, ſiquidẽ ea ſolent prauam quandam qualitatem circa ſtomachum tranſmittere, ipſumque vitiare: imò verò Stephan. videtur hinc generale præceptum colligere, nempe in omnibus, quicunque habent ventriculum imbecillum, clyſteria non ſine iudicio fore adminiſtranda. Itaque præcipuè glandibus agendum eſt, quæ non ſolùm ex melle, vt vulgo fit, poſſunt parari, ſed etiam ex acrioribus medicamentis, hiera, agarico, colocyntho & ſimilibus.

Verùm quoniam vitioſi quoque humores ex quibus fiunt anxietates ventriculi, ſæpenumero ab aliis partibus ad illum tranſmittuntur, ſicuti exempli gratia, humores bilioſi ex iecore, tunc ſumma curationis conſiſtit in duobus ſcopis, qui ad omnem firmandam fluxionem ſunt accommodati: Alter eſt, humores fluentes ad aliam partem reuellere atque auertere: Alter eſt, partes recipientes roborare, ne deinceps tam facilè vitioſa excrementa recipiant, de quibus iam ſatis diximus. Cæterum Gal. hoc loco duo nobis tradit præcepta, quæ maxima notatione & memoria digna videntur. Alterum eſt 1. *ad Glauc.* 14. *principio*, ſi quiſpiam laboret febre, cui ſit coniuncta anxietas, morſus, & mala affectio oris ventriculi, adeo vt ille grauiter atque anxiè ſe habeat, in huiuſmodi ægroto nullo modo aggrediendam eſſe totius corporis vacuationẽ, niſi prius prouidentia oris ventriculi habita fuerit; qui teſtatur ſe multos vidiſſe ſæpenumero qui ita affecti erant, eorúmque quoſdam interiiſſe, nonnullos ad extremum periculum fuiſſe perductos, cum medici eos vacuare tentaſſent, antequam os ventriculi corroboraſſent. I. Præceptum

Alterum præceptum eſt eodem cap. ad finem, principio anxietatis & morſus ventriculi minimè ad illius corroborationem properandum eſſe, ſed duntaxat eo tempore, quando nimirum partes, quæ circa ventriculum ſunt, ſunt puræ & liberæ ab excremẽtis: ſiquidem ſi adhuc vitioſi ſucci in ipſo ventriculo contineantur, nondũ aſtringere oportet, ſed ſatis eſt partem fouere; quare ventriculum, vt vno verbo concludam, prius purgare, deinde corroborare oportet. Et ita, laus Deo, abſoluimus tractationem de ſymptomatibus febrium. II. Præceptum.

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI DE MORBO GALLICO,

LIBER SEXTVS.

EQVIDEM in ea ſum ſententia, morbum Gallicum potiſſimùm in iecore tãquam ſua ſede contineri, atque ex hac parte grauiſſima, ac propemodum infinita mala reliquis partibus & vniuerſo corpori communicari; ſiquidem hic morbus tanquam immanis ac fera bellua tam longè latéque ac frequenter per omnem ſexum, ætatem, & omnes homines vagatur, totque illis & tanta pericula ſolet afferre, vt quicunque rationem curandi morbos & medicinam practicam profitentur, ſicuti nos facimus, nullo modo videantur tam vtilem & neceſſariam tractationẽ poſſe prætermittere. Neque verò ab hoc propoſito me poteſt deterrere, quod quamplurimi & præſtantiſſimi viri hoc idem argumentum tractauerint, quod ni fallor multa reſtẽt adhuc ad huius morbi cognitionem & curationẽ pertinentia, quæ noua indigẽt inquiſitione, diſputatione, forte etiam correctione & emendationẽ. Itaque tractaturi de morbo Gallicò, ratio noſtri inſtituti ordinis poſtularet, vt tractaremus de illius eſſentia, de differentiis, ſignis & curatione, quod perpetuo hactenus facere cõſueuimus, ſed anguſtiæ tẽporis certæque cauſæ tam longam tractationem non

Digitized by Google

non patiuntur: quapropter mihi propoſitum eſt paucis agere de natura & eſſentia morbi gallici, atque eam tantum de hac re ſententiam vobis explicare, quam cenſeo cæteris omnibus eſſe veriorē; pariter mihi propoſitum eſt ſumma breuitate differentias & ſigna vobis indicare, & ſtatim ad curationem me referre, quàm accuratiſſimè, ſed tamen quàm breuiſſimè potero, conabor vobis tradere. Polliceor autem illa omnia præcepta & præſidia me vobis eſſe communicaturum, quæcunque totos 40. annos, quibus medicinam facio, vel aliorum inſtitutione, vel propria obſeruatione, mihi viſa ſunt vtiliora, & ad curandum tam ſæuum morbum magis accommodata.

Eſſentia.

De eſſentia morbi Gallici quamplurimæ ac variæ circumferuntur opiniones, quæ tamen commodè mihi videntur in duas partes poſſe diſtribui, namque alteri fatentur illum morbum eſſe, tametſi de genere morbi non conueniant: alteri autem morbum eſſe negant, quorum alij docent, eum eſſe cauſam morbificam, alij alterationem ſpirituum, alij venenum, alij læſionem proprietatis temperamenti, alij putredinem, alij excrementum, alij ſymptoma innominatum, ac forte alij aliter ſentiunt. De quibus omnibus illud vnum mihi licet dicere in præſentia, quicquid tandem ſtatuatur de hac re, neceſſariò ad vnum vel plures morbos eſſe confugiendum: ſiquidem cauſæ morbificæ ſine interuentu morbi non lædunt actiones, neque ſymptomata, qualia ferè omnia ſunt, quæcunque ab iſtis proferuntur, ſine morbis poſſunt conſiſtere. Neque verò plerique omnes minus diſſentiunt de parte laborante, cum alij in pudendis, alij in iecore, alij in cerebro, alij in corde, aliis in aliis partibus, nonnulli demum in toto corpore doceant hoc malum ſuam ſedem obtinere. Quod ſi quiſpiam velit cum ratione atque ex doctrina Gal. partim naturam huius affectus, partim laborantem locum inuenire, is mea ſententia poſſet hunc in modum ratiocinari: Hic manifeſtè ſunt multa præter naturam, itaque ea ſunt vel morbi, vel cauſæ morborum, vel ſymptomata: de ſymptomatibus nulli dubium eſt, quin omnia ſymptomatum genera in Gallicis competiantur aliquando: de morbis & cauſis morborum non ita videtur conſtare. Sed quoniam vt modò dicebamos, in doctrina Gal. certum eſt, *de ſymp. diff. 5. & alibi*, omnia ſymptomata ex morbis, tanquam ex ſuis cauſis pendere, cum hic plurima appareant ſymptomata, certum quoque eſſe debet, vnum vel plures morbos, à quibus illa oriantur, neceſſariò eſſe ſtatuendos. Pariter cum nihil fiat ſine cauſa, quæ non ſolum Chryſippi, aut Ariſt. aut Plat. ſed omnium fere philoſophorum eſt conſenſus, vt ſcribit Gal. *de placitis Hip. & Plat. 4. ad fin.* vt huiuſmodi quoque morborum aliquæ ſint cauſæ, vel externæ neceſſe eſt. Verum prætermiſſis hoc tempore ſymptomatibus & cauſis, de morbo vel morbis duntaxat eſt agendum, de quibus vt dixi, magna eſt diſſenſio; ſiquidem plurima & varia ſymptomata modò vnum, modò alterum, modò omnium morborū genera videntur demonſtrare, ex quo factum eſt vt ſub determinato genere non poſſit collocari, ſed modò ſub vno, modò ſub altero, modò ſub omnibus tribus generib. morborum cōtineatur. Alij demum neutiquā acquieſcentes trib. generib. morborū à Gal. conſtitutis, nouum morbi genus commenti ſunt, quem morbum formæ, morbum totius ſubſtantiæ, formæ corruptelam, ac ferè aliis nominibus vocant, quorum princeps proximo ſuperiori tempore fuit Fernel. *lib. 2. de rer. abdit. cauſ. à c. 9. vſque ad fin. libri*: ſub quo nouo genere morbi inquiunt morbum Gallicū eſſe reponendum: ac ſanè quamplurimi hoc tempore, qui ſunt cæteris celebriores, huic opinioni videntur fauere. Ego qui cenſeo præter tria morborum genera à Gal. tradita, aliud nullum morbi genus poſſe reperiri, nihil dubito quin

Morbus quis.

morbus Gallicus ſub aliquo ex iis tribus generibus poſſit ac debeat reponi: ac ſi quis à me quærat qualiſnam ſit huiuſmodi morbus & qualiſnam corporis pars in eo potiſſimùm laboret, vt dicam vno verbo, reſponderem mea ſententia hunc morbum non alium eſſe quàm intemperiem, atque eam quidem calidam & ſiccam, eamque præ cæteris omnibus corporis partibus in iecore conſiſtere, id quod mihi videor forte & ſine multo labore poſſe demonſtrare: et ſi reuera in morbo Gallico appareant plurima ſymptomata, quæ ab aliis quoque duobus generibus morbi videntur originem habere, & quæ pariter cerebri, cordis, & cæterarum partium morbos videntur demonſtrare; tamen ſi diligenter conſiderentur omnia, facile ni fallor eſt intelligere, calidam & ſiccam intemperiem præcipuum eſſe morbum; necnon iecur eſſe præcipuum locum affectum, à quibus deinceps reliqui omnes morbi habent originem, ac reliquæ partes ducuntur in conſenſum.

Locus affectus.

Namque etſi hic morbus, vt dixi, tanquam nouus Protheus nouas formas induit atque in eo ferè omnia morborum & omnium ſymptomatum indicia pullulant tamen nihil videtur eſſe perpetuum præter vnicum ſymptoma, quod nō ſolùm in principio, ſed etiam in progreſſione morbi, & quouis tempore, omnibus Gallicis, & omnibus ſymptomatibus perpetuò copulatur, illud verò ſymptoma exuſtio eſt: namque vlcera & puſtulæ, in quacunque corporis parte exiſtant, quicunque redundent in corpore humores, & ſorditiem liuidi vel nigri coloris, & calloſitatem & alia manifeſta exuſtionis indicia contrahunt: ſic eroſiones gingiuarum, palati, oris, faucium, naſi, manuum, pedū, & omnium partium, caſus dentium, defluuium capillorum, & cætera omnia, non aliter quam ab humoribus generantur, ac manifeſtæ exuſtionis indicia apparent: ſic gonorrhæa hanc exuſtionem tum ſubſtantia, tum calore ſeminis ſolet demonſtrare: ſic bubones ducti ad ſuppurationem habent labia duriora & calloſa, atque educta ſanies manifeſtè acris & aduſta conſpicitur: vno verbo; nihil eſt ſi omnia diligenter conſiderentur, quod non perpetuò inſignem caliditatem & exuſtionem demonſtret, imò verò non ſolum periti medici vel etiam imperiti chirurgi & tonſores, & bubones & gonorrhæas, & vlcera, & puſtulas, & reliqua id genus mala, hoc vno ſigno exuſtionis, tanquā proprio charactere Gallica à non Gallicis ſolent diſtinguere: ſic in lotio & reliquis omnibus excrementis quicunque tandē redundent in corpore humores, ſiue frigidi, ſiue calidi, nunquā fit quin aliqua inſignis caliditatis atque exuſtionis ſigna appareant. Quamobrem cum huiuſmodi ſymptomata ſymptomatibus & corporibus gallicis omnibus, ſolis, & ſemper coniungatur, vt propterea proprium dici poſſit verè, cætera autem ſymptomata neque omnibus, neque ſolis, neque ſemper coniungantur, cumque huiuſmodi exuſtio non aliter quàm ob intemperiem iecoris calidam & ſiccam fieri poſſit, ſumma cum ratione mihi videor poſſe colligere, morbum Gallicum in vna potiſſimum calida & ſicca intemperie conſiſtere.

Sedes.

Iam reſtat vt doceamus, hanc intemperiem præcipuè in iecore ſuam ſedem obtinere, quod admodum facile mihi videor poſſe demonſtrare. Cum enim hæc exuſtio non in vna tantùm vel altera parte, ſed in toto corpore conſpiciatur, vt illa in communi membro reſideat, quod omnes generet humores, & toti corpori alimentum præbeat, neceſſe eſt: huiuſmodi autem membrum, præter iecur, nullum eſſe poteſt: itaque morbus Gallicus eſt intemperies iecoris calida & ſicca. Non ignoro quod aduerſarij aduerſus hanc determinationem obiiciant potiſſimùm curationem per medicamenta calida & ſicca, per quæ morbus calidus & ſiccus nullo modo videtur poſſe curari: ſed per anguſtias temporis non licet omnia diſputare: ad hanc autem obiectionem, & ad alia poſteriùs conabimur reſpondere. Sed quoniam non omnis intemperies calida & ſicca

iecoris

iecoris eſt morbus gallicus, differentia quæ illius naturam atque eſſentiam perficiat, mea ſententia, non à certo quodam gradu intemperiei, vt multi doctiſſimi viri ſentiunt, qui huiuſmodi gradum temperamenti proprietatem vocant, ſed ex cauſa morbum efficiente petenda eſt, ſicuti febres quoque exempli gratia, tertiana, quotidiana, quartana non ex vario gradu intemperiei, ſed ex vario putreſcente humore, ex varia cauſa ſolet diſtingui. Qualis autem ſit huiuſmodi cauſa, morbum gallicum efficiens, ferè conuenit inter omnes, eam venenatam & cõtagioſam eſſe, ac latente quadam & inexplicabili ratione, per coitũ, per oſcula, amplexũ, lactationẽ, & alias rationes morbum inducere: ad quem modum videmus, exẽpli gratia, phthiſin, rabiem caninã, latentib. & admirabilib. cauſis excitari; quam morbi gallici cauſã Fernel. inter cæteros præclariſſimè & elegantiſſ. deſcripſit. Efficiẽs cauſa venenata eſt, ac maligna qualitas, atq; pernicioſa labes, quæ in quacunque corporis parte primùm inſederit, eam contaminat, indeq; continuatione corpus in omne ſpargitur, & ex paruo initio paſſim inualeſcit, dum nõ modò ſpiritus atq; humores, ſed & carnes, & partes omnes peruagatur. Itaque ni fallor, nobis licet veram atque integrãm morbi gallici eſſentiam definire hunc in modum. *Morbus gallicus eſt intemperies calida & ſicca iecoris, quæ per contagiũ latente atque inexplicabili ratione inducitur.* *Definitio.*

Differentia. Differentiæ morbi gallici plurimæ ſunt, quæ mihi videntur in duas partes, poſſe diſtribui: alteram quæ comprehendat omnes differentias quæ ferè cæteris quoque morbis ſunt communes, exempli gratia, quę accipiunt ex magnitudine & paruitate, à tempore recenti vel antiquo, vel redundante noxia materia, ſanguine, pituita flaua bile, melancholia &c. de quibus ſæpe dixi: alteram, ad quam referuntur differentiæ magis propriæ, ac potiſſimùm quæ accipiuntur ex variis morbis & ſymptomatibus, quæ in hoc morbo poſſunt coniungi, quales exempli gratia ſunt, gonorrhæa, caries pudendorum, bubones, duri tumores, dolores, vlcera, puſtulæ impetigines, defluuium capillorum, & alia propè infinita, ex quibus nonnulli circiter 300. morbi gallici differentias conſtituunt, de quibus non ago.

Signa. Pariter ſigna morbi gallici quamplurima ſunt, ſed illa quoque mihi videntur ad duo capita poſſe referri: alterum, quod pertinet ad cauſas, ex quibus dixi morbum fieri, vt ſi quis vel coeundo cum muliere infecta, vel aliis modis per contagium potuerit inquinari: alterum, quod continet ea ſymptomata, quæ frequenter ac familiariter huiuſmodi morbum ſequuntur. Sed inter hæc omnia ſigna ego puto exuſtionem, quæ vt ſuprà dixi, ab omnibus excremẽtis & ſymptomatibus nunquam ſeparatur, principem locum obtinere, atque hoc ſigno, tanquam maximè proprio & pathognomonico, morbum gallicum indicare, adeo vt ſi in Socrate ſimul coniungatur præcedens conſuetudo cum muliere infecta, vel alia contagij ratio, ſequantur vlcera in pudendo, puſtulatæ, in quibus manifeſta exuſtionis appareant indicia, iam certè liceat affirmare Socratem morbo gallico correptum eſſe. Atque hæc de eſſentia, differentiis & ſignis morbi gallici breuiter mihi ſatis ſint, eo quod in primis ad meum inſtitutum pertinet ad curationem deuenire. Sed priuſquã incipio, illud dignũ eſt inquiſitione vtrum cum ratione & meth. cum medicis rationalibus an magis ſola obſeruatione cum empiricis, nobis liceat hanc curam inſtituere: nam plerique omnes & nobiliores medici ita videntur ſentire, totam hãc curationẽ ſine vlla methodo ac ſolis præſidiis experientia notis & inuentis, trahendam eſſe: in quam ſententiam præcipuè, vt puto, illi venerunt, quòd vident huiuſmodi morbum iis medicamentis auferri, *An methodo curari poſſit.*

exempli gratia, decocto ligni ſancti, quod ſola experientia eſt compertum, & latẽte quadam proprietate tanquam vera antidotus creditur illum iuuare: altera autem ex parte ſi præter tria genera morborum à Gal. poſita, nullus occultus morbus reperitur, ſi morbus gallicus vel ad vnum, vel ad plura ex trib. generib. poteſt referri, certè ego ſum neſcius quomodo non liceat illius curationem per methodum & per indicationes inſtituere, ſicuti Gal. & rationales medici ſolent facere. Sed, inquis, morbus gallicus medicamentis tota ſubſtantia agentib. curatur. Ne quis putet hoc recentiorum inuentum eſſe, nulli dubium eſſe debet, quin Gal. multis locis huiuſmodi medicamenta commemoret, ex quibus ſit ſatis vnicum locum attuliſſe 5. *de med. facul.* *Oſtenſum eſt*, inquit Gal. *medicamenta alterare nata eſſe, aut vna quapiam qualitate, ſcil. calefaciendo, refrigerando, humectando, ſiccando, aut tota ſui ſubſtantia: ego verò aliter cenſeo, neq; puto hanc argumentationem valere: hoc medicamentum agit in hunc morbum à tota ſubſtantia, ergo hic morbus eſt in tota ſubſtantia, & ſine ratione ſola experientia debet curari.* Quo loco eſt ſciendum, in curatione morbi gallici duas præcipuas partes reperiri, ex quibus medici proprias curandi indicationes eliciunt: alteram, morbum, intemperiem calidam & ſiccam iecoris quę refrigerãtia & humectantia prǣſidia requirit; alterã, cauſam morbi; materiã per contagiũ acquiſitã, à qua intẽperies efficitur & fouetur, quæ ſui ablationem indicat, ex quo fit, vt medici modò vni, modò alteri modò vtriſque ſimul conentur proſpicere, ſicuti exemplo febriũ putridarũ Gal. docet eſſe faciẽdum, 10. *meth.* 1. Quoniã verò ex vna parte, manẽte cauſa morb. ab illa oriundus, non poteſt auferri, ex altera, ſublata cauſa morbus facilè ſanatur; hinc fit vt in cæteris omnib. morbis, tum maxime in morbo gall. medici in primis de cauſis ſint perpetuò ſolliciti, itaque & ſectione venę, & medicamẽtis purgãtib. & cęteris quę tam ſẽſibiliter quàm inſẽſibiliter euacuant, & omni ratione ſtudẽt huiuſmodi materiã imminuere, inter quæ neque ea prętermittunt, quę à ſubſtãtia ſuas perficiunt operationes. Itaq; ad obiectã rationem, & ad argu. eorũ qui neſciunt intelligere, quomodo morb. calidus & ſiccus à medicamento calido & ſicco poſſit ſanari: reſpõdeo, decoctum ligni minimè morbũ, ſed morbi cauſã depellere. Et ſi quis rurſũ nobis obiiciat, medicamenta ſine dubitatione calefaciendi, & ſiccandi vi prædita, nullo modo poſſe calidũ & ſiccũ morbũ iuuare, imò certũ periculum imminere, vt ille maior ac deterior fiat: ad hoc reſpondet Gal. 1. *aph.* 24. in febre purgationem per medicamenta adhiberi, quæ omnia cõſtat potẽtia eſſe calida, nõ quod propterea ignorẽt febris caliditatẽ, cui certum eſt medicamẽta eſſe nocitura, ſed propter humores febrẽ efficientes, ſiquidem inquit Gal. maiorem ex noxiorũ humorum calidiorum vacuatione conſequi oportet, quã ſit detrimentum, quod ex medicamentis purgãtib. corpus neceſſariò accipit. Quãobrem ſicuti non ſine ratione ac meth. licet in feb. purgantibus vti medicamentis: ita non ſine ratione licebit in morbo gall. ligni decoctum adhibere, etſi illud poteſt morbũ potius lædere, quàm iuuare, quod certum ſit, longè maiorem vtilitatem, ex vacuatione noxię materię, quã lignum perficit, quàm detrimentum ex aucta iecoris caliditate, percipi. Quod ſi quis rationi ac doctrinæ non acquieſcit, is alterã Gal. reſponſ. audiat, quæ 5. *de med. ſec. loc.* 8. ſcribit medicamenta agentia à proprietatẽ ſubſtantiæ, omnibus intemperiebus conuenire, neque intemperies vel frigidas vel calidas lædere.

Quoniam verò hæc doctrina forte alicui noua, neq; ſatis explicata videbitur, mihi libet vno exemplo illam explicare & clariorem reddere, itaq; accipiamus rabiẽ caninã, cui cum morbo gall. non leuis *Curatio morſus canini & in morbo gal.*

Digitized by Google

& cauſæ & morbi ſimilitudo videtur intercedere. Nam vt in rabie modica ſpuma canis rabidi latente quadam & admirabili ratione morbum inducit, minimè in tota ſubſtantia, ſed manifeſtum, quē Gal. 2. *pror* 13. docet non alium eſſe quam intēperiem calidā & ſiccā in ſolidis animalis partibus contractam, vnde ęger ad rabiem, ad furorē, ac ſæpe ad interitū deducitur: ita in morbo gall ſicuti diximus, ex coïtu, ex oſculo, vel alio contagionis modo, non minus occulta quàm inexplicabili ratione, morbus excitatur non in tota ſubſtātia ſed manifeſtus, nimirum intemperies iecoris calida & ſicca, vnde æger doloribus. vlcerib. omni calamitati, & ſæpe morti obnoxius redditur. Neq; vero ij duo morbi ſolum in cauſa & cognitione, ſed in cura videntur quam maximè conuenire: nāq; vt docet Gal 2. *pror*. 13. quotieſcūq; virus caninū alterat ſolidas corporis partes, ſed nōdum integrè alteratio eſt facta, ſimul ac noxia materia educitur, ſolidorum quoq; alteratio ceſſat, ægriq; interdum vno die, vel citius ad naturalem ſtatum redeunt: ſiquidem cum affectio fit, & nondū facta eſt, illa breuiter & facile ſuperata efficiente cauſa ſolet ſedari: vnde cum cauſa rabiem caninām efficiens ſit tāti momenti, ſumma cum ratione medici obliuiſcuntur ipſius morbi ac toti in cauſæ ſublatione verſātur: quā cauſā propterea cū iis quæ manifeſtè vacuādi atq; extrahendi vim habent, vt lotionib. ſcarificationib. vſtionibus: partim cum iis quæ agunt à tota ſubſtātia, vt medicamento ex cinere cācrorum fluuialium tātopere à Gal. laudato 11. *de ſimp. med.* & tandem omnib. modis conantur euellere atq; auferre. Quod ſi verò ſublata cauſa morbus remaneret adhuc, tunc neq; illius curatio foret prætermittenda, exempli gratia. cum potione vini, baleno aquæ dulcis & aliis præſidiis id genus. Ego verò puto eſſe neminem qui non manifeſtè intelligat, quàm verè hæc ipſa canina rabies omni ex parte ad morbum gall. poſſit accōmodari: nāq; hic quoq; duo ſcopi medicis ſeſe offerūt, vnus cauſa morbi, quā nobis licet virus gallicū appellare, alter morbus, intēperies, ex quib. medici ſuas eliciunt indicationes, quæ ſunt huiuſmodi, vt cauſa depellatur, vt morbus per cōtraria corrigatur: cum autē huiuſmodi indicationes ſint ita diſpoſitę vt altera morbū fiētē, altera factū reſpiciat, quādiu hæc alteratio fit, neq; prorſus facta eſt, ſi cauſa ex toto euellatur, tūc nullus alteri indicationi locus ſupereſt, morbuſq; ſtatim ceſſat; ſin verò alteratio & morbus altiores fecerit radices, tunc altera quoq; indicatio locū habet. & propria requirit remedia, de quib. omnib. ſtatim tractabimus. Quamobrem redeūdo ad rem. nō ſine ratione mihi videor poſſe cōcludere, & rabiē caninā & morbum gallicū certa methodo curari. etſi medicamēta totius ſubſtantiæ proprietate agētia vtriq; proſint, vt certum ſit huiuſmodi curationes per indicationes procedere, quod ſine ratione & methodo haberi non poſſunt. Quod ſi tandem quis obſtinatè velit morbum gall. more empirico ſola obſeruatione curare, is reſpōdeat, quomodo cōmuni ōniū medicorum cōſenſu ægri & ſecta vena, & aliis modis ſanguine minuūtur, quomodo medicamēta leniētia, pręparātia purgātia, adhibeantur, vno verbo quomodo quamplurima præſidia, tam interna quam externa inſtituūtur, quæ ſine methodo neque inueniri, neq; adminiſtrari poſſūt? Nos autē qui ſumus in ea ſententia morbū gall. non eſſe in tota ſubſtātia. ſed morbum in intēperie, illūq; ſicuti reliquos morbos certa methodo poſſe curari, illius curationem aggrediamur, atq; ex doctrina Gal. ōniū primū eliciamus indicationes; deinde videamus an illis ſatisfieri poſſit, ac poſtremò ad propria remedia deueniamus: Iā dixi præcipuas in morbo gall. eſſe duas indicationes, quæ accipiuntur: altera ex morbo, quæ remedia frigida & humida requirit, altera ex cauſa, materia ſcil. contagioſa & venefica, quæ primo tempore ſui ablationem indicat: quoniā verò ex vna parte certū eſt, morbum permanente illius cauſa non poſſe auferri, & ex altera experiētia cōfirmat, ſublata cauſa morbum quoque ſæpenumerò facilè ac protinus ceſſare, hinc ſumma cum ratione fieri diximus, vt medici omnem ſuam operam conferant ad depellendam cauſam: vnde nos quoque primum de hoc primo ſcopo ſermonem habebimus. *Indicationes.*

Sed antequam ad ſingula & propria remedia veniamus, audiendi ſunt nonnulli, neq; ſolùm vulgares, ſed etiam viri doctiſſimi, qui ſunt in ea opinione, morbum gallicum nullam recipere integram curationem, illūq; inducias, ſed non integram pacem facere, quod veteris plantæ veſtigia quædam perpetuò remaneant, quæ data aliqua occaſione facilè fiant manifeſta: cuius rei illud præcipuū afferunt argumentum, quod experientia videtur confirmare, eſſe veriſſimum, ſcil. in illis hominib. qui ſemel morbo gallico laborauerint, tametſi illi videantur perfectè ſanari, ſi contingat eos deinceps vel febre, vel alio morbo corripi, huiuſmodi morbos eſſe difficiliores & periculoſiores, quàm in aliis hominibus, qui à gallico morbo fuerint immunes: ex quo colligunt, omnino quaſdam reliquias ſupereſſe, neq; morbum omnino ſublatum fuiſſe. Ego aliter cenſeo, qui verè poſſum affirmare, me plurimos vidiſſe partim mea, partim aliorum opera ſanatos, adeo planè ac perfectè, vt nullo deinde tempore ne minimum morbi veſtigium reliquum fuerit. Quod autem ad oblatam rationem pertinet, quod morbo gallico laborantes ſint languidiores, adeo vt poſteriori tempore minus fortiter valeant alios morbos perferre, reſpondeo, id non ſolum in gallico morbo, ſed in cunctis magnis morbis & difficilibus, vt in febre maligna hydrope, ac reliquis id genus, cōtingere, in quibus neceſſariò partes principales remanent debiliores, quàm vt poſterius poſſint aliis morbis obſiſtere: quo tamen tempore etſi illi ſint debiles, nemo dixerit eos febre maligna vel hydropę laborare. *An morbus gallicus integrè curari queat.*

Sed nos rem aggrediamur. Multæ ſunt rationes. ac multa præſidia per quæ medici hoc tempore conātur in morbo gallico noxiam materiam, & morbi cauſam vacuare, ac primùm occurrunt nonnulli, qui docent iſtud fieri poſſe, præcipuè ſi morbus non fuerit confirmatus, per vehementiſſimas & frequentiſſimas corporis motiones, exercitationes & labores, exempli gratia, ludendo magna & parua pila. incidendo ligna, &c. vnde inquiunt materiam noxiam partim latenter & inſenſibiliter, partim manifeſtè & ſenſibiliter per ſudores educi, atq; ita ægros ſanari. Sed forte hæc curandi ratio eſt leuior, quam vt quis poſſit & debeat acquieſcere, præterquam quod etiam pluribus non vacat periculis: ſi quis enim multis & vitioſis humoribus refertus, quod ferè ſemper in corporibus gallicis contingit, ſine præcedente purgatione vehementer exerceatur & laboret, tunc importunè commotis humoribus multa illis & grauia pericula imminent, vt paſſim nos admonet Gal. & pręcipuè loco notabili 3. *apho.* 20. Quamobrem etſi nonnulli affirmant ſe hac curandi ratione fuiſſe ſanatos, tamen illa mea ſententia, non ſolùm tanquam debilis & leuior, ſed etiam tanquam periculoſa debet prætermitti. *An exercitatis ſolis curari poſſit.*

Secunda ſuccedit ratio vacuandi materiam noxiā per cōmunē corporis vacuationē. quæ potiſſimùm miſſione ſanguinis & medicamētis fieri ſolet, quæ ratio ſine vlla dubitatione optima eſt cenſenda, ac frequenter ſine aliis præſidiis vniuerſū morbum gallicū ſanare conſueuit: de qua purgatione vniuerſi *Vacuatio vniuerſi corporis*

corporis

corporis etſi non ſemel & priuati & publicè dixi, tamen neq; grauabimur in præſẽtia ſummam illius repetere. Quoniam verò, vt dixi, in corpore laborante morbo gallico, ſinguli humores poſſunt redundare, primò ſciendum eſt, pro varietate humoris, variam quoq; purgandi rationem conuenire. ſed perpetuò hac adhibita cautione, nunquam ea medicamenta prætermittantur, quæ valent exuſtionem reſpicere, & moderatè refrigerare. Itaq; redundante pituita, lenienda eſt aluus cum mel. roſ. ſol. cum hiera ſim. vel cum pilulis aloephang &c. Concoquenda eſt materia cum iis quæ ſint tenuium partium, & calefaciendi & ſiccandi vim habeant, qualia forent leuiora, ſyrupus de betonica, de ira, de hyſſopo, mel. roſ. colatum, oxymel ſimpl. decoctum betonicæ, ſaluiæ hyſſopi, borraginis, fumiterræ, ſem aniſorum, fœniculi: vehemẽtiora ſyrupus de betonica, comp. de ſtœchade, oxymel comp. oxymel ſcylliticum, decocta calamenthi, origani, pulegij, ſcordij, dictamni, &c. Concocta materia purganda eſt cum agarico, turbith, colocynthide, euphorbio, cum ol. diaphænicon, indo, hiera, diacoloc. cum pilulis fœtidis, de hermodactylis, cochiis, ac maximè ſi illis cortices permiſti fuerint hellebori nigri.

In copia pituita.

Præparatio Euphorbij. Et quoniam facta eſt mentio euphorbij, quod in purganda pituita, ac potiſſimùm in morbo Gallico, præclariſſimum eſt medicamentum, mihi libet illius præparationem & vſum vobis communicare, cum illud apud pleroſque medicos ſit incognitum & inuſitatum. Itaque euphorbium duplici ratione poteſt præparari; altera habetur apud Manardum *lib. 16. epiſt. vltima*, qui huius præparationis ſe facit auctorem, quo nunquam ſum vſus, ſed puto medicamentum eſſe efficaciſſimum & optimum. Altera ratio eſt huiuſmodi, quam ego olim à meis præceptoribus didici, & longa experientia deprehendi eſſe vtiliſſimam,

℞ *Euphorbij electi quantum volueris, leniatur ol. amygd. dul. inuoluatur in pomo citro, & pomum leniatur & cooperiatur, poſtea ita decoquatur in clibano, quod euphorbium hac ratione præparatum à granis vj vſque ad x. cum ʒj. pilularum aloephang. & tutò & ſumma cum vtilitate poteſt exhiberi.*

Flaua bilis abundantia. Redundante flaua bile lenienda eſt aluus per caſſiam, ſyrop. roſ. & viol. ſol. per ſerum lactis: coquenda materia per ea medicamenta, quæ moderatè refrigerandi & attenuandi vim habent, qualia forent leuiora ſyrupus de cichorea, ſimp. de ſoncho, de endiuia, de ſucco acetoſæ. acetoſus ſimplex: valentiora ſyrupus de cichorea ſine rhabarbaro, de endiuia Gentilis, decocto cichoreæ, acetoſæ, capil. veneris, borraginis, fumiterræ. Demum concocta materia purganda eſt. & inter cætera omnia medicamenta, rhabarbarum videtur habere inſignem prærogatiuam, quod illud valeat non ſolùm bilem purgare. ſed etiam iecur & omnia viſcera corroborare: ſcammonium autem & rhabarbarum omnibus medicamentis longè eſt anteponendum, itaque & ſolum diagridium, ad x. vel xij. grana, cum ſaccharo roſ. vel cum aloë poteſt exhiberi, ſic quoque libet vti medicamentis, quæ ſcammonium recipiunt, qualia forent diaprunum ſol. ol. roſ. de ſucco roſ. &c.

Melancholiæ redundantia. Poſtremò redundante melancholia, lenienda eſt aluus per caſſiam, ol. lenitiuum, coquenda materia cum ſyrupo de fumaria ſimpl. de pomis ſimpl. de borragine, de bugloſſa, cum decoct. fumiterræ, cichoreæ, borrag. ceterach. bugloſſæ; & apparente coctione purgandum eſt cum ſena, epithymo, polypodio: ſed inter cætera omnia debet vobis certum eſſe, helleborum principem locum obtinere, quare vos hortor, vt illo vtamini frequenter: inter compoſita medicamenta confectio hamach, pilulæ cochiæ cum helleboro ſunt præſtantiſſima, & aliis anteponenda. Atque hæc ſummatim de purgatione totius corporis, pro variis redundantibus humoribus.

Venæ ſectio neceſſaria. Sed reſtant nonnulla præcepta, ac primùm qualiſcunque redundauerit humor, conſentientibus principibus ſcopis, nunquam eſt prætermittẽda ſanguinis miſſio, quod remedium & pro communi purgatione, & pro refrigeratione iecoris, & aliis multis, non ſolum vtile, ſed etiam neceſſarium eſt cenſendum. Secunda autem eſt vena baſilica in dextro cubito, niſi peculiaris aliquis morbus, exempli gratia, capitis, lienis, vteri, alterius venæ ſectionem videatur poſtulare: in quo caſu poſt ſectionem venæ iecoris, licet ad alias quoque ſectiones deuenire, ſanguiſque mittatur pro ratione habitus corporis, plenitudinis, &c. Non ignoro multos & cucurbitulis, & hirudinibus, & aliis rationibus, ex variis corporis partibus ſanguinem mittere, quod ſi illi poſt ſectionem venæ, gratia alicuius ſymptomatis faciant, neque id nos improbamus: nam qui putant, prætermiſſa ſectione venæ ſe his modis poſſe totum corpus euacuare, iſti ab omni ratione & doctrina Galeni longè ſunt alieni.

Omnes humores reſpicien.di. Secundò ſciendum eſt, etſi dixi in corporibus Gallicis ſingulos humores redundare, id tamen aut rarò aut nunquam fieri, vt vnus tantummodo humor redundet & noxius ſit, cum altera ex parte contingat frequentiſſimè, vt plures vel ſimul humores omnes, noxij ſint, ſed tamen ita, vt vnus planè cæteros antecellat. quamobrem & in concoctione, & in purgatione oportet humoris dominantis rationem habere, ſed neque alios prorſus negligere.

Mat. eſt concoquenda. Tertiò notandum eſt, ſi in aliquo morbo oportet præceptum Hip. & Gal. obſeruare, ne dentur purgantia medicamenta ante concoctionem humorum, id maximè in morbo Gallico eſſe ſeruandum, quòd peccet materia craſſa, exuſta, rebellis, quæ ſine integra coctione & præparatione non poteſt purgari. Neque verò velim vos humorum coctionem numero ſyruporum & dierum attendere, quod vulgus facit, ſed potius ex rei natura: hanc autem potiſſimùm lotia demonſtrant.

Valentiſſ. purgantibus vtendum. Quartò eſt conſiderãdum, homines, Gallico morbo laborantes non leuioribus & benedictis quę vocant, medicamentis, caſſia, mãna, &c. ſed valentiorib. imò verò valentiſſimis eſſe purgandos, qualia ſunt hieræ magnæ. pilulæ fœtidæ de hermodactylis, inter quæ illud repeto, helleborũ principem locũ obtinere, & illud addo, huiuſmodi medicamenta non modo ſemel, ſed bis, ter & frequẽter fore adhibenda, ſicuti in omnibus purgãdis humoribus contumacibus & rebellibus Gal. exẽplum nos docet eſſe faciendum, qui adoleſcẽtem laborãtem alopecia primo xj pilulis ex aloë, ſcammonio, & colic. deinde hiera diacol. bis in quinque diebus purgare non eſt veritus: quod tamen ita eſt accipiendum, vt perpetuò ætatis, tẽperamenti, ſexus, habitus corporis, &c. rationem habeatis.

Præparantibus purgãtia non admiſcẽda. Poſtremò velim id vos animaduertere, quod eſt dignum maxima notatione, ſcilicet in coctione & præparatione humorum à ſyrupis & medicamentis purgantibus perpetuò eſſe abſtinendum: cum enim coctio per quietem potiſſimùm perficiatur, huiuſmodi medicamenta, quæ certum eſt omnia mouere, miſcere, & exagitare, ſi quid aliud, omnem coctionem perturbant & impediunt; in quo errore manifeſto quamplurimi verſantur, adeo vt in maximo numero auctorum, qui de morbo Gallico tractant, vix vnum aut alterum liceat excipere, qui hac inſcitia non ſit contaminatus; ſiquidem plerique omnes non ſolùm vtuntur ſyrupis compoſitis de fumo terræ de epithymo, de polypodio, qui purgãdi vim obtinent, ſed ſuos etiam magiſtrales, vt

vocant, ſyrupos conficiunt, in quibus ſenam, polypodium epithymum, helleborum nigrum, & mille id genus medicamenta imponunt, quæ & humores & ægrotos in continua motione ſolent continere.

Poſt generalem corporis vacuationem ſequuntur aliæ duæ rationes purgandi noxiam materiam in morbo Gallico, quæ vt puto primò ab empiricis inuentæ fuerunt, deinde à medicis rationalibus comprobatæ: altera eſt ratio per ſuffumigia, altera per inunctiones, de quibus quàm breuiſſimè dicendum eſt. Et quatenus ad ſuffumigia, hæc ſunt duplicia, alia leuiora, quæ nullum violentum medicamentum recipiunt, ſed herbas tantùm calidiores, gummata & aromata: quædam quæ ſudorem poſſunt prouocare, qualia ſunt calamẽthum, dictamnum gentiana, ſcordium, thus, myrrha, aloës, ſtyrax, benzoin, ſpica nard. cinnamomum, lignum aloës, ambra, moſchus, &c. Altera ſunt valentiora, quæ propterea nonnulla metallica, ſed in primis argentum viuum recipiunt: & quoniam priora ſuffumigia tutiora ſunt, ſed debiliora, quàm vt poſſint materiam tam contumacem depellere, factum eſt, vt plerique omnes ad poſteriora refugiat. Cum autem empirici frequenter & tonſores huiuſmodi ſuffumigiis vtantur ſine vlla ratione, & multos & grauiſſimos committant errores, vt ſaltem vos poſſitis eorum errorem corrigere, &, ſi ferat occaſio, illa probè adminiſtrare, ſciatis ea quæ ſunt maioris momenti, & ad probam adminiſtrationem huius præſidij pertinent, eſſe huiuſmodi. In primis certum eſſe debet, nunquam ſuffumigia fore adminiſtranda, niſi prius æger & per ſectionem venæ, & per medicamenta purgantia accuratiſſimè expurgetur: deinde verò quatenus ad materiam pertinet, ex qua ſuffumigia fiunt, præter herbas calidiores & aromata, ſciendum totam vim in metallicis conſiſtere, ac præcipuè argento viuo: ſed quoniam argentum viuum non poteſt firmari & præparari, vt ex eo ſuffumigia fieri poſſint, idcirco illa ſunt accipienda, quæ argenti viui naturam & facultatem retinent: hæc verò potiſſimùm ſunt triplicia: primùm eſt cinabaris, factitiam intelligo, quæ ex ſulphure & argento viuo diu arte quadam igne torrefactis conficitur: ſecundum eſt argentum ſublimatum, quod ita ex argento viuo & ſale ammoniaco ſimul mixtis vi ignis modo ſalis concreſcit: tertium eſt præcipitatum, quod pariter ex argento viuo & aqua, quam ex chalcantho, alumine & ſale nitro conficiunt chymiſtæ, arte quadam & vi ignis fieri ſolet. Ex quibus ego magis vſum cinabaris ſoleo probare propterea, quia ſulphur facile argenti viui malitiam temperat & corrigit: quam temperationem & correctionem reliqua duo, ſublimatum & præcipitatum non habent. Sunt qui aliis metallicis vtuntur, attamento ſcriptorio, arſenico, rubro & albo, &c. lethalibus venenis, ſed ſola cinabari ego eiſem contentis. At ſi quis cupit habere exemplum ſuffumigij, tale eſto:

℞ *Cinabaris* ℥ j.
Myrrha, Ladani,
Thuris, Benzoin,
Ligni aloes ana ʒ ij.
Caryophyll. Cinnamomi,
Roſarum ana ʒ j.
Ol. de ſpica odorati q. ſuff. M. F. trochiſci pro ſuffitu.

Modus vtēdi ſuffumigiis. Modus & ratio adminiſtrandi ſuffumigia eſt huiuſmodi: æger purgato corpore in paruo cubiculo inſigniter calefacto, qualia ſunt hypocauſta, ſuffumigio ſubiiciatur: namq; igne impoſitis trochiſcis, vel alia materia, fumus quidam ſeu vapor eleuatur, qui non ſolum per os & nares, ſed etiam per totum corpus attrahatur: hoc autem circiter horam dimidiam faciendum eſt, quo tempore deinde æger linteis inuolutus in proximum lectum eſt deferendus, in quo plurimum ſudet, tum abſterſo ſudore quieſcat: ab omni autem frigidiore aëre in perpetuum abſtineat. Nonnulli bis in die, manè & veſperi ad 10. 12. 15. & plures dies ſolẽt ſuffumigia adhibere, ſed ego ſemel tantùm ſingulis diebus atque ad ſummam non plures quam octo dies, hoc remedium probarem. Sic nonnulli ouis ſorbilibus, offis in vino generoſo & aliis alimentis ſolent ægros nutrire paulo antequam illi ſuffumigia recipiant, at ego magis probarem, vt non niſi ieiuno ventriculo id fieret, propter multas rationes.

Et quoniam hæc ſuffumigia ſpeciatim ſolent inſignem copiam noxiorum humorum ad fauces & os deducere, vnde admodum copioſę, corruptæ, fœtentes & malignæ quædam ſputiones contingunt, ex quibus illæ partes corroduntur, vlcerantur, ac frequenter vniuerſi dentes mouentur & quandoque cadunt: nonnulli huic periculo dupliciter occurrunt, qui primùm iubent ægrum tẽpore ſuffumigij aliquid in ore continere, exẽpli gratia, ſyropũ roſ. aut quid ſimile, quod humorum malitiã poſſit obtũdere, inter quæ nonnulli id maximè extollũt, vt æger ore geſtet aurũ quod peculiari quadã vi argentũ viuum adhæreat perpetuo, deinde poſt ſuffumigium iubent illos vti aliquo medicamento, quod firmitati dentium proſpiciat quale foret, exempli gratia, decoctum ex vino auſtero, roſarum, myrtillorum, balauſtiarum, foliorum oliuæ, parum aluminis, &c. nam quatenus ad vlcera, illa propriam curationem requirunt, de quibus in præſentia non ago. Hæc de ſuffumigiis.

De inunctionibus. Sequuntur inunctiones, de quibus duo tantùm liber vos admonere: alterum ex quibus illæ conſtẽt, & quomodo conficiantur; alterum, quomodo oporteat ægrotis illas adhibere: cũ enim inunctiones eãdem ferè operam præſtent, atque eiſdem prope rationibus & modis, potiſſimùm verò per copioſas exputiones noxiam materiam ſoleant purgare, vt dixi, ſuffumigia facere cætera omnia quæcunque de ſuffumigiis tradita ſunt, ad inunctiones & ad hunc locum debent transferri. Itaque etſi multa ſint, ex quibus Gallicæ inunctiones conficiunt tamen conuenit inter omnes argentum viuum eſſe præcipuum: verùm vt illud commodius poſſit adhiberi addo, vt illius malitia corrigatur omnino eſt neceſſe alia quædam permiſcere, inter quæ nonnulla mihi magis videntur accommodata, quæ ſunt pinguedines & olea calidiora, vt pinguedo anatis, gallinæ, ſuis, canis, lupi, vrſi: nonnulli præ cæteris omnibus pinguedinem humanam probant, ol. laurinum, maſtichinum, nardinum, de iunipero, de thure.

℞ *Argenti viui* ℥ vj.
Ol. veteris.
De iunipero ana ℥ iij
Pinguedinis anatis,
Canis,
Suis ana ℥ j. ß. *M. omnia diligentiſſ & ſeruentur ad vſum*: de quo poſtea.

℞ *Rad. althea,*
Liliorum alborum.
Serpentaria ana ℥ ij.
Ol. veteris ℥ iiij. *Decoquantur ad conſumptionem olei, & adde,*
Ol. nardini,
Maſtichini,
Laurini ana ℥ ij.
Thuris,
Myrrha,
Maſticis,
Lithargyrij ana ℥ ß.
Miſtura ſuperioris ℥ vj. *M. optimè F. vnguentum.*

De

De inunctionibus verò; vt de ſuffumigiis illud eſt ſciendum, noſtra hoc modo poſita exempla non eſſe recipienda ſimpliciter, vt non poſſint ac debeant mutari pro varia natura morborum, ætate, corporis, habitu, ſexu, &c.

…as inun-di.

Quatenus ad alterum caput pertinet, quomodo licet ægrotis inunctiones adhibere, ita habendum eſt, purgato corpore vniuerſo ægrum ſummo mane in cubiculo calido nudatum ad ignem hoc pacto eſſe inungendum namque miniſtrer medicamento & manibus calefactis incipiat inungere poſtremas partes pedum vehementi ſimul adhibita frictione, ſenſimque aſcendat ad genu & coxam, & vſque ad coxæ articulum, vel coxendicem progrediatur, deinde vtriſque manibus & totis brachiis vſque ad humerum & inunctionem & frictionem adhibeat. Quo loco illud ſeduló cauendum eſt, in quo multi grauiter errant, ne inungantur inguina, vniuerſum abdomen, os ſacrum, ſpina, thorax, caput, & ſi quæ aliæ ſunt partes nobiliores, quoniam magnum periculum immineret, ne ægri à malitia argenti viui grauiſſimis ſymptomatibus afficerentur. Partes inunctæ protinus adhibita ſtupa ex lino vel cannabe faſciis ligandæ ſunt, atque æger in proximum lectum eſt deferendus, in quo ſi fieri poteſt, ſudet, dormiat, & quieſcat aliquandiu, deinde ita inunctus faſciis & linteis inuolutus comedat proba alimenta moderatè, & ſibi perpetuò caueat ab aëre frigidiore. Terminus inunctionis communiter ſtatuitur, quouſque ægris ſuperueniant inſignia vlcera & inſignes expulſiones, quę confirmant medicamenta ad internas partes penetraſſe, & ſuam perfeciſſe operationem: vt plurimum verò ad 10. vel 12. dies ad ſummum, huiuſmodi inunctiones ſolent protrahi.

Diximus de ſuffumigiis & inunctionibus: quod ſi quis quærat, quid de vtroque hoc præſidio ſit ſtatuendum: ego qui neutro vnquam ſum vſus, ſed potius permiſi alios vti, nolo quidquam certi vel affirmare, vel negare; ſed illud vnum dico, vbicunque licet medico certas & tutas curationes adhibere, illum fruſtra & temere ad incertas & periculoſas confugere: vnde quamplurimi, ac ferè omnes quicunq; voluerunt rationalibus medicis obedire, ſine ſuffumigiis & vnctionibus quotidie & integrè liberantur: longè itaque tutius & ſalutitarius conſilium mihi videtur ab illis abſtinere, quæ, vt dixi, tam multa, tam turpia, tam difficilia ſymptomata ſecum afferunt: quod ſi verò tandem vobis occurrant homines morbo Gallico laborantes, qui nullis rationibus poſſint curari; tunc licibit ad ſuffumigia & inunctiones accedere, & omnia experiri, cum neque deſint multi, non ſolùm vulgares, ſed doctiſſimi viri, qui conſtanter affirmant, ſe plurimos huiuſmodi præſidiis tutò ac faciliter curaſſe, atq; illos potiſſimùm, qui cætera præſidia fruſtra experti ſũt. Ad alia progrediamur.

Poſtrema reſtat ratio vacuandi & diſſoluendi virus Gallicum, per quædam medicamenta, quæ partim latenter & inſenſibiliter, partim manifeſtè & ſenſibiliter id ſolent efficere: atque hæc quidem tria potiſſimùm ferè ab omnibus recenſentur; primum, eſt lignum guaiacum; ſecundum, ſarſa pariglia; tertium, radix chinæ: de quibus ac tota eorum adminiſtratione ſigillatim eſt dicendum. Incipiamus modò à ligno guaiaco, vbi non eſt opus in præſentia, vt longiùs inquiram, ex quo loco illud ad nos deferatur, an vnum vel plura ſint illius genera, an antiquis cognitum fuerit, an ſit idem cum noſtro habeno, &c. quæ ad meum inſtitutum non pertinent.

An lignum guaiacũ occultè agat.

Cum autem communi omnium conſenſu certum ſit, huiuſmodi lignum morbo Gallico laborantes mirabiliter iuuare, imò verò inter cætera præſidia principem locum obtinere, nonnulli primùm quærunt, quonam modo hoc medicamennm, an manifeſtis qualitatibus, an latente quadam ratione, & proprietate ſubſtantiæ, ſuam perficiat operationem. Et ſi autem huius rei definitio videtur admodum obſcura & difficilis, de qua multa eſſent altiùs explicanda, illud vnum nobis ſufficit in præſentia, me eorum ſententiam licenter amplecti, qui putant lignum guaiacum proprietate ſubſtantiæ non manifeſtis qualitatibus, morbum Gallicum iuuare, quod ex natura horum medicamentorum ſatis mihi videor poſſe probare. Namque ſi Gal. credimus, hæc medicamenta agentia à tota ſubſtantia debent habere duas præcipuas conditiones; primam, vt inueniantur & cognoſcantur per ſolam experientiam, alteram, vt omnibus differentiis illius morbi omnibus hominibus laborantibus, & omni tempore proſint. Primam conditionem perſpicuè docet Gal. 9. *de ſimp. med.* 1. *de med. ſec. genera,* vt ſuprà notauimus: alteram pariter declarat manifeſtiſſimè 2. *de med. ſec. locos* 2. vbi examinans quoddam Archigenis medicamentum de paluſtri teſtudine, illum arguit, quòd minus diſtinctè docuiſſet, in quo capitis dolore, & quo tempore id remedium vtile eſſe poſſit, *niſi,* inquit Galen. *Archigenes id voluit, quod omnem capitis dolorem iuuet, idque omni temporis occaſione, ita enim & nos contrarietatis teſtimonium ei præbebimus, non efficacia, quam ex temperamento habeat:* quam eandem ſententiam etiam habet 8. *de med ſecund. locos* 8 vbi ſermooem habens de hepate lupi, quod ſecundùm totam ſubſtantiam, non ſecundùm vnam vel alteram qualitatem teſtatur iecori prodeſſe, *talia pharmaca,* inquit, *omnibus intemperaturis videntur conuenire, vt quæ ex proprietate ſubſtantiæ agent, adeo vt neque calidas, neque frigidas intemperies lædant.* Cum igitur fateantur omnes, lignum guaiacum ſola experientia fuiſſe inuentum, atque illud omnes Gallicotum morbos, differentias, omnes homines, quacunque ætate, temperamento, quibuſcunque humoribus refertos, & omni tẽpore iuuare, certum cuique eſſe debet, non illud manifeſtis qualitatibus, & latente proprietate ſubſtantiæ ſuam perficere operationem.

Obiectio.

Quod ſi quis obiiciat, guaiacum manifeſtè calefaciendi & ſiccandi vim habere, & quidem inſigniter: huic reſpondeo, non illud propter huiuſmodi notas qualitates, ſed occulta virtute morbum Gallicum ſanare, quod illó argumento facile poteſt confirmari, quoniam nullum aliud lignum vel medicamentum, quantumuis eadem cum guaiaco vel ſimili temperie præditum, non poteſt id efficere. Vnde quicunque hanc latentem vim guaiaci & aliorum, quæ agunt à proprietate ſubſtantiæ, conantur ad manifeſtas qualitates & cauſas referre, ij forte deridendi ſunt, ſicuti contigit Pelopi præceptori Gal. quem ille ſcribit curioſè & fruſtra laboraſſe in reddenda cauſa, quæ nulla reddi poteſt, quamobrem cãcri fluuiales morſis à cane rabido ſoleant prodeſſe: *itaque,* inquit Gal. *nec Pelopis rationem, vt veram accipio, vt quæ multas habeat contradictiones, verum opinor, cancros ex proprietate totius ſubſtantiæ prodeſſe.* Quamobrem cum nos pariter ſciamus, lignum guaiacum omnibus morbo Gallico laborantibus prodeſſe, nullam propterea huius rei cauſam quæramus. Sed ad medicamentorum præparationem & vſum veniamus.

Varij modi decoquendi.

Et ſanè ſicuti conuenit inter omnes, lignum guaiacum præcipuam ſuam vim obtinere, & operam præſtare, ſi ex eo decoctum præparetur; ita quod ad huius decocti præparationem pertinet, plerique omnes in ſumma varietate atque diſſenſione ſunt conſtituti: nos autem ſtatuimus minimè

omnia ſed quæ ſunt maioris momenti, in medium proferre. Primum igitur ſunt multi, qui ex vna ſimplici aqua ſolẽt ligni decoctum cõficere, qua ratione putant cæteris omnibus eſſe anteponendum, qui affirmant, in iis regionibus vnde lignum ad nos defertur, hoc modo illius decoctum præparari. Sed neque omnes in eo conueniunt, nempe alij ſolam ſubſtãtiam ligni, alij non lignũ, ſed corticem, alij vtrumque, & quidẽ menſura varia ſolent accipere: ſic alij maiorem vel minorem aquæ menſuram accipiunt, maiorem vel minorem, ſeu longiorem, vel breuiorem decoctionem faciunt. Verùm ſunt nonnulli, qui non ex ſimplici aqua, ſed vel ex aquis ſtillatitiis, vt endiuiæ, cichorei borraginis, vel ex vino, vel tandem ex iure carnis, ligni decoctum conficiunt. Poſtremò neque deſunt quamplurimi, qui ſimul cum ligno ex quacunque re illud decoquatur, plurima ſimplicia medicamenta, partim alterantia, vt cichoreum, betonicam, carduum benedictum, partim purgantia, vt ſenam, epithymum, helleborum nigrum, ſolent imponere; de quibus omnibus, ac ſingulis, & de tam varia eorum præparatione vobis conabor explicare quàm breuiſſimè, quid mea ſentẽtia ſit ſtatuendum.

An purgantia decocto ligni miſcenda.

Et vt à poſterioribus incipiamus, qui cum ligno varia purgantia medicamenta miſcent, ego quidem huiuſmodi inſtitutum nunquam potui probare, etſi non ignoro, illud à quamplurimis & celebribus viris maximoperè probari: quod ſi medici rationales nullum medicamentum adhibere, neque quidquam agere debent, quin certas indicationes ſibi proponant, quæſo quid ſibi iſti volunt? Etſi enim decoctum ligni variis modis, & per varias corporis partes, quandoque per aluum, nonnunquam per lotium, vel aliter ſolet materiam noxiam vacuare, veruntamen id contingit rarò, cum maxima ex parte huiuſmodi materia à centro ad circumferentiam, & ad cutem, vel per ſudores, vel per inſenſibilem tranſpirationem vacuetur, & diſſoluatur: quod ſi ita hæc ſe res habet, permiſtis cum ligno purgantibus medicamentis, quid aliud agitur, quàm vt medicamenti vis, naturæ propenſio impediatur, & omnia confundatur: præterquam quod neſcio quàm tutum ſit, hominem quotidie purgans medicamentum accipere, continuò purgari, quod certè inter cæteros non placet Auic. quem celebris eſt ſententia, ſoluere ventrem ſupra ventris ſolutionem, timoroſum

An alterantia commiſcenda.

Qui ligno permiſcent medicamenta alterantia, ſeu calida ſeu frigida, id videntur facere, vt qualitates medicamenti vel remittant, vel augeant, fortè etiam vt illud ad certas corporis partes laborantes deducant: quod inſtitutum mea ſententia non debet improbari, etſi multi aliter ſentiant. dummodo medicamenta opportuna, nec ſine iudicio permiſceantur: neque enim eſt timendum, ne hæc permiſta medicamenta occultam ligni vim poſſint labefactare & impedire, ſi quidem neque deſunt exempla apud Gal. qui nonnullis medicamentis agentibus à tota ſubſtantia, quædam permiſcere non eſt veritus quæ poſſint illa vel corrigere, vel reddere efficaciora, quale eſt ſcammonium, quod ille pomo citonio permiſcere & aſſare conſueuit, qualis eſt cinis ille cancrorum fluuialium, quem Gal. affirmat in morſis à cane rabido tum ſolum, tum cum thure & gentiana eſſe præſtatiſſimum: & alia multa poſſent afferri, hæc ſatis.

Itaque ſi contingat ægrotum & totum corporis habitum, & præſertim iecur calidius & ſiccius habere, tum ad remittendam caliditatem & ſiccitatem ligni, licebit cum eo permiſcere & coquere herbas frigidiores, ac potiſſimùm cichoracea, endiuiam ſonchum, hepaticam, acetoſam, &c. quæ tamen, vt neque id prætermittatur, non debent vno tempore cum ligno permiſceri, ac perpetuo ſimul ebullire, ſi quidem huiuſmodi herbæ tantam ebullitionem non ferunt: in quo caſu ego alterutrum facere ſoleo. nam vel primùm paratus decoctum, in quo deinceps lignum infunditur, & coquitur, vel primùm lignum infunditur, & decoquitur in aqua, ac poſtremò cum illo in fine decoctionis herbæ permiſcentur. Si quis velit medicamenti vim augere, vel ad certas quaſdam corporis partes deducere, is poterit addere ligno medicamenta, quæ ſint tenuium partium, & calefaciendi & ſiccandi vim habeant, quale eſt carduus benedictus, radix tormentillæ: laborante capite, betonia, ſtœchas; laborantibus oculis, fœniculum, euphragia: laborantibus articulis, iua, chamædrys: quod item de cæteris eſt ſtatuendum: quæ ſane medicamenta capitalia, ocularia, arthretica, & quæ propria membra reſpiciant, non abhorrent à doctrina Galeni.

Quod ad humidam materiam pertinet, ex qua decoctum ligni debeat parari, ego cenſeo ſimplicem & puram aquam cæteris omnibus anteponendam eſſe, quòd reuera aqua maximè omnium & facillimè vim ſingulorum medicamentorum poſſit recipere: præterquam quòd, vt ſupra dixi, certum eſt, lignum in regionibus, in quibus naſcitur, & vnde illud atque illius præparatio ad nos peruenit, non aliter quàm ex ſimplici aqua parari: ſed tamen neque ab aquis ſtillatitiis prorſus abhorreo, quotieſcũque mihi propoſitum eſt ligni caliditatem & ſiccitatem moderari, quæ quodammodo videntur ſuperare vires herbarum, dummodo iſtæ aquæ in vaſis vitreis conficiantur: etſi, vt liberè dicam, ego magis herbas ligno adiunctas, quàm aquas ſtillatitias ſoleo probare.

An in vino coquendum lignum.

Demum iamdiu vigent altercationes, dum alij contendunt, decoctum ex vino factum eſſe optimum; alij contra affirmant, illud non modò inutile, ſed pernicioſum eſſe: ego verò etſi non ignoro vinum in medicina facienda multos vſus præſtare, atque ex eo non modò veteres medicos, ſed etiam Gal. multa medicamenta ægrotis exhibere conſueuiſſe, quaſi vinum eorum vim & penetrationem poſſit iuuare, tamen ni fallor, nunquam memini, Galenum vel alium probatum auctorem, vnum vel plura medicamenta, hoc modo decoquere ex vino atque illo vſos fuiſſe: nam præterquam quod vinum non omni ex parte aptum eſt ad recipiendas facultates ſimplicium medicamentorum: ſicuti aqua, nulli dubium eſſe debet, quin vinum longiori ebullitione & coctura aceſcat, aliumque colorem, odorem, ſaporem, & aliam naturam recipiat: quare ego quidem hac ligni præparatione ex vino nunquam vtor. Quod ſi velim medicamentum calidius & ſiccius efficere, vel propter copiam humoris crudioris & frigidioris, vel propter aliam cauſam, ſicuti iſti docent eſſe faciendum, tunc vel ligni, vel corticis menſuram augeo. Cæterum vt vos omnia intelligatis, & ſi ferat occaſio illud ligni decoctum parare & administrare ex vino, notandum eſt, lignum minimè in vino, ſicuti fit in aqua, infundendum & decoquendum eſſe, quoniam vinum hoc modo à propria natura degenerat, ſed iſtud alia ratione eſſe adhibendum, nimirum vt facta infuſione & decoctione ligni ex aqua, poſtremò ſub finem ebullitionis vinum permiſceatur, adeo vt vel nullam deinceps, vel vnicam tantùm, vel alteram ebullitionem ſuſtineat: namque medicamentum hac ratione præparatum, longè minores contradictiones videtur obtinere.

Poſtrema fuerat ratio præparandi decoctum ligni ex iure carnis, quæ in pueris corpore conſumptis, debilioribus, & qui facilè diſſoluuntur, mea

ſenten

ſententia non debet improbari. De quo eſt notandum, ſicuti de vino dixi, lignum in ſolo iure carnis non fore decoquendum, ſed prius facta infuſione & decoctione ligni ex aqua, demum carnem, ac præcipuè pulſum gallinaceum eſſe infundendum & decoqnendum: hac rationo, ſi præparetur medicamentum, certum eſt illius ſiccitatem remitti, & corpora melius conſeruari. Sed hoc demum loco de ligno & cortice, an vnum vel alterum, an vtrumque accipere deceat, & qua menſura ſeu quantitate, nec non de aqua, atque illius menſura, demum de modo decoctionis eſt agendum.

An cortex aſſumendus. Hoc tempore inter omnes conuenit, corticem maiore ſiccandi vi præditum eſſe, imò verò illum omni ex parte curando morbo Gallico longè valentiores vires, quàm lignum obtinere: itaque ſicuti olim nullus prorſus vſus corticis fuerat, ita in præſentia illius vſus eſt frequentiſſimus; adeo vt decoctum ferè nunquam ex ſolo ligno ſoleat parari, ac potiſſimùm quotieſcunque morbus difficilis fuerit, qui calidum quoque præſidiū videatur poſtulare: quoniā niſi morbus admodū leuis fuerit, ac in corpore molli ac tenero, vnà quoque ſimul ſentio vtrumq; & lignum & corticem debere permiſceri.

Menſura ligni & aquæ. Quatenus ad vtriuſque menſuram & portionē pertinet, vſus videtur obtinuiſſe, vt lignum tertia vel quarta parte, cortex vnica parte permiſceator, & in vniuerſum, vt pro ſingula vncia ligni vel corticis, vna libra aquæ debeat imponi. Sed ego puto vix quidquam certi de hac re ſtatui poſſe: namque omnis ratio requirit pro diuerſa natura morbi, pro diuerſa natura ætatis, habitus corporis, temperamenti, &c. medicamenta modò leuia, modò vehementiora eſſe conficienda, & conſequenter modò maiorem, modò minorem ligni, & corticis, & aquę quantitatem fore accipiendam. Lignum optimum eſt eligendum, quod tale eſt præcipuè, ſi recens, *Nota ligni boni.* ponderoſum, & ſucci plenum fuerit, ſiue lima, ſiue aliter, de qua re non multum laboro, in ſcrobē deducatur, cortex contundatur: ex communi omnium conſenſu in aqua calida per horas viginti quatuor infunditur, deinde verò ebullitioni & coctioni ſubiicitur, quæ coctio dupliciter fieri poteſt; vno modo, vaſe teſtaceo vel lapideo igni impoſito, quod maiori ex parte fieri ſolet; altero autem in duplici vaſe, quod *balneum Mariæ* appellant, quem certè poſtremum modum coctionis ego cenſeo longe priori eſſe anteponendum. Decoctum lento igne eſt conficiendum: quo ad terminum autem *Tempus coctionis.* coctionis plurimi ſtatuunt ad conſumptionem medietatis, alij verò multo breuiorem coctionem, & ad conſumptionem tertiæ partis tantùm, vel multo diuturniorem, vt ad conſumptionem duarū partium ſulent probare, prout quiſque medicamentum vel magis vel minus efficax intendit efficere: ſed ego puto neutrum modū, ſed moderatum eſſe eligendum, quem cenſeo eſſe vſque ad medietatis conſumptionem: namque ex vna parte, ſi decoctio fiat vſque ad conſumptionem vnius tertiæ partis, vel vt aliis placet, etiam quartæ, vix aqua videtur poſſe leui decoctione vim medicamenti recipere: ex altera autem parte, ſi decoctio fiat ad conſumptionē duarum tertiarum, aut plurium partium, præterquam quod medicamentum admodum ingratum redditur, forte etiam tam longa decoctione & euaporatione illius vis labefactatur. Sed notandum eſt, ſi decoctum paretur ex balneo Mariæ, non eſſe expectandam conſumptionem medietatis, ſed ſatis eſſe, ſi decoctio & ebullitio duret 10. aut 12. horas circiter. Poſt abſolutum decoctum illud per linteum diligenter coletur, & ad vſum ſyruporum ſeruetur: poſt hæc rurſum illud lignum quod à decoctione ſupereſt, infunditur in aqua vel eadem vel paulo maiori menſura cum priori decoctione, per horas 10. deinde rurſum coquitur ad conſumptionē vnius tertiæ partis: ac demū colatū ſeruetur ad vſū, de quo poſtea. Ita ergo decoctū ligni præparetur.

Quoniam ſtatutum eſt decoctum ligni pluribus modis præparari, ex ſimplici & aquis ſtillatitiis ex vino, ex iure, ex ſolo cortice, ligno & cortice, ex varia prorſus menſura, ex quo medicamentum varias acquirit vires; in præſentia mihi libet varia exempla proferre, quæ magis diſtinctè doceant, quæcumque generaliter dixi. Itaque primum exemplum decocti ligni ex ſimplici aqua eſt, quo in morbo recenti, nec admodum graui nec non in corpore debiliori licet vti.

℞ *Ligni ſancti raſpati ℥ vj.*
Aquæ fontis optimæ lib. ix. infundatur per horas xv. bulliant ad conſumptionem medietatis, & colentur pro ſyrupo.

Item.

℞ *Lignum quod reſtat ex primo decocto,*
Aquæ fontis lib. xij. infundantur per horas v. bulliant ad conſumptionem vnius tertiæ partis, & colentur pro potione.

Valentioris exemplum.

℞ *Ligni ſancti raſpati lib. j.*
Corticis ℥ ij.
Aquæ fontis lib. xij. infundantur vt ſuprà, bulliant ad conſumptionem medietatis, & colentur pro ſyrupo.

Item.

℞ *Lignum reſiduum.*
Aquæ fontis lib. xviij. infundantur, bulliant & colentur, vt ſupra, pro potione.

Exemplum Valentiſſimi.

℞ *Ligni ſancti raſpati lib. j.*
Corticis lib. ß.
Aquæ fontis lib. xv. F. infuſio vt ſuprà.

℞ *Lignum reſiduum.*
Aquæ fontis lib. xx. & fiant omnia vt ſuprà.

Si vobis propoſitum fuerit medicamenti caliditatem & ſiccitatem remittere, vel accipiatis aquas ſtillatitias, vel decocta ex herbis, vt;

℞ *Ligni ſancti raſpati ℥ x.*
Corticis ℥ ij
Aquarum endiuiæ,
Capil. Veneris.
Borraginis ana lib. iiij. F. infuſio ebullita ad conſumptionē medietatis, colentur vt ſuprà.

℞ *Ligni ſancti raſpati ℥ x.*
Corticis ℥ ij.
Decoctionis endiuiæ,
Cichorei, quib. & ego vtor, lib. xij. F. infuſio vt ſuprà.

De herbis.

℞ *Ligni ſancti raſpati ℥ xv.*
Corticis ℥ ij.
Aquæ fontis lib. xij. F. infuſio & decoctio ad medietatem: ſed in fine decoctionis adde
Foliorum ſonchi,
Acetoſæ,
Endiuiæ ana M. ij. & colentur pro ſyrupo.

Hac ratione vobis licebit etiā permiſcere herbas calidiores, & quæ proprias partes corporis reſpiciāt.

Poſtremò habeatis exempla decocti præparati ex vino, ex iure carnis: vt;

℞ *Ligni ſancti raſpati.*
Corticis ana lib. ß.
Aquæ fontis lib. xij. F. infuſio & decoctio ad conſumptionem duarum tertiarum partium; deinde adde vini generoſi, quale ſolet eſſe vinum Græcum, quod romania dicitur, lib. ij. & poſt vnam vel alteram ebullitionem coletur pro ſyrupo.

Item.

℞ *Lignum reſiduum,*

Aqua fontis lib. xv. F. infuſio, & bulliant ad conſumptionem vnius tertiæ partis, deinde adde vini generoſi, vt ſuprà, lib. iij. & coletur pro potione.

De decocto parando ex iure, idem notandum, quod ſupra dixi, lignum minimè in iure, ſed in aqua infundendum & coquendum eſſe, deinde tempore opportuno circa finem decoctionis pullum vel carnem eſſe addendam; quoniam præterquam quod ius carnis non ita aptum eſt, ſicuti aqua ad recipiendam vim medicamenti, id facile corrumpitur, & potiſſimùm in tempore calido, ſcil. æſtate & longa decoctione ſit ſalſum.

℞ *Ligni ſancti raſp.* ℥ *iiij.*

Corticis ℥ j

Aqua fontis lib. vj. F. infuſio & decoctio ad conſumptionem vnius quartæ partis, deinde adde dimidiam partem pulli iunioris, & bulliat ad conſumptionem medietatis pro ſyrupo: & modica quantitas ſyrupi ſemper debet inſtitui, quoniam tales ſyrupi facilè corrumpuntur: ſi fieri poſſet, eſſet optimum tale decoctum ex iure in ſingulos dies præparari: & hæc de præparatione ligni & de vſu ipſius itemque de iis, quæ ad commodam illius adminiſtrationem pertinent, dicta ſufficiant.

Vſus ſyrupi. Cum ſtatutum ſit duo genera decoctionum ex ligno eſſe conficienda, alterum pro ſyrupo, alterum pro potione tempore alimenti, de vſu quidem primi omnes conueniunt, de vſu ſecundi non omnes idem ſentiunt: nos igitur de primo decocto agamus, cuius communi conſenſu omnium vſus eſt, vt ægri decumbentes lecto, ex eo admodum calido accipiant bis in die, manè quatuor horas ante prandium, veſpere ſeptem horas à prandio, tres horas ante cœnam; & quatenus ad doſin, plerique omnes ſyrupos matutinos copioſiores, circiter ℥ x. veſperi pauciores, circiter ℥. vij ſolent exhibere. Ego verò etſi hanc conſuetudinem amplector, tamen id non probo, quod multi faciunt, qui omnibus indifferenter vnum atque eundem ſyrupum, quantitatem & numerum offerre ſolent, cum nulli dubium eſſe debeat, quin diuerſa ratione morbi, ætatis, temperaturæ, habitus corporis, &c. quantitas & numerus debeat variari, ſicuti de illorũ præparatione diximus: vnde ſi morbus fuerit lenior, ſi puer æger, & molli & delicato corpore, ſatis foret ſ r. matutini ℥. v. veſperi ℥ iij. & ſatis etiam foret non duos, ſed vnum ſingulis diebus adhibere.

Sudoris prouocatio. Poſt ſyrupum ſolent propè omnes ſudorem prouocare, itaque hoc tempore ſolent ægrum detinere in cubiculis calidioribus, & maximè in hypocauſtis, illoſque multis pannis & regumentis operiunt, prætereà etiam omnibus modis & ſpeciali quodam inſtrumento ligneo, ad hunc vſum parato, id conantur efficere, prædicantes, neminem morbo Gallico laborantẽ ſine tali prouocatione poſſe liberari.

Sudor non eſt violẽter prouocandus. Sed etſi ſcio eſſe periculoſum diſcedere à communi ferè omnium opinione, tamen dicam quod ſentio, qui talem importunam & violentam ſudoris prouocationem nunquam potui probare, quoniam vt aduerſariis concedamus decoctum ligni facilè & frequenter Gallicos per ſudorem vacuare, neq; illi mihi negabunt, talem vacuationem fore vtilem, ſi vi medicamenti prouocetur: quoniam ſi ſudor quomodocunq; prouocetur, poteſt morbum Gallicum ſanare, non eſt vt nos tã lõga & faſtidioſa ligni potione corpus torqueamus vnde inter alios vir celeberrimus, & maximè patronus ſudoris, cuius libellus proximè prodiit, iubet id obſeruandum eſſe, ne ſudor ſtatim ſumpto ſyrupo, ſed ad minus poſt horam prouocetur, *& ratio eſt*, illo ait, *quia opera pretium eſt, vt hoc medicamentũ aliquantiſper moretur in ventriculo, deinde deducatur ad aſtum*: quod ſi ita res ſe habet, quis audeat affirmare, ſudorem à decocto ligni, minimè à tot & tam violentis calorificis præſidiis excitari? An forte aliqua extant exempla apud Galen. vel alium auctorem, vel in febribus, vel in aliis morbis, vbicunque iuuat ſudorem eligere, illum tam importunis rationibus eſſe prouocandum? Ego ita cenſeo, ſicuti febribus & aliis morbis, ita etiam in morbo Gallico, ſudores vtiles & ſalutares fieri, ſi ille ope naturæ, aut commodis medicamentis naturæ propenſionem iuuantibus prodeat, alioquin illos ſæpenumero fore inutiles importunos, quandoque etiam pernicioſos. Sed illud addo, cum ſupra ſit ſtatutum, & id experientia confirmet, decoctum ligni non perpetuò per ſudorem, ſed frequenter per inſenſibilem tranſpirationem, quandoq; etiam per aluum aut per lotium noxiam materiam vacuare, ſi ita cõtingat, vt natura alios modos vacuationis, quàm per ſudorẽ moliatur, ſatis cuique patet, quãto cũ periculo; tot adhibitis machinis ſudorificis, nõ ſolùm naturæ conatus impediatur, ſed etiam ægri ad grauiſſima pericula deducãtur. Quapropter ſi natura videatur nullã inclinationẽ ad ſudorẽ habere, tunc medio ab omni quoq; ſudorifico abſtinẽdum eſt; ſin autem natura ad ſudorem aliquam propenſionem demonſtrat, tunc medico licet illius conatum iuuare, ſed congruis rationibus. ſcil. moderatis frictionibus, veſicis aqua plenis, moderatè calidis, forte etiam aliquo medicamento ſudorifico impoſito in decocto, minimè tot tegumentis, adeo vt in ſumma natura adiuuetur, non impediatur.

Quod ſi aduerſarij nobis obiiciant experientiam, contendentes ſe hac ratione omnes Gallicos curare, contrà ego poſſum teſtari, me plurimos vidiſſe non ſolùm non fuiſſe curatos, ſed etiã in grauiſſima pericula incidiſſe, vt iam quatuor menſes euenit cuidam adoleſcentulo, qui poſt tres dies, poſtquam huic violento ſudori ſe ſubiecerat, totus factus eſt ictericus, & poſt paucos dies mortuus fuit.

Quatenus verò ad terminum decocti ligni, mos eſt vt ægri accipiant quadraginta dies, quem terminum aliqui philoſophantium omnibus morbis contagioſis conſtitutum eſſe aiunt. Vnde tempore peſtis poſt diem quadrageſimum nulla prorſus mali ſuſpicio videtur ſupereſſe. Sed ego puto talem terminum incertum, neque perpetuò ſtabilem eſſe, cum nulli dubium eſſe debeat, quin aliquando ſufficiant dies 20. vel 30. quandoque verò ſit neceſſe & ad 40. & ad 60. & ad 100 dies peruenire. *Terminus curationis.*

Non ante multos annos medici ſolebant ægros non ſolùm in cubiculis, ſed etiam in perpetuis tenebris & carceribus detinere, qui dicebant eſſe maximè periculoſum, ſi ægroti vel modico lumini vel aëri ſe expoſuiſſent: hoc tempore homines non ſunt ita ſuperſtitioſi: & ego quidem, dummodo aër non ſit frigidus, nebuloſus, ventoſus, ſed calidus, ſerenus, & tranquillus, permitto meos ægrotos exire, quandoque non ſolùm in cubiculo, ſed etiã ex domo, ac potiſſimùm poſt prandiũ vſq; ad horã ſecundi ſyrupi, & puto hoc nullum detrimentum poſſe afferre, forte etiam corpus & animum iuuare. *An incluſi detinendi ægri.*

Quatenus pertinet ad tempus anni, omnes ſentiunt decoctum vere vel autumno opportuniſſimè exhiberi, adeo vt rarò aut nunquam hyeme & æſtate liceat eo vti: ſed ego aliter ſentio, non ſolùm vere & autumno, ſed etiam quouis tempore poſſe exhiberi ſi id occaſio & neceſſitas ferat: hyeme quidem facile eſt aërem calefacere, ſed tunc neceſſe eſt, nunquam domo egredi æſtate autem, quod tempus vt importuniſſimum aliqui abhor- *Tempus anni aptum.*

rent,

rent, dummodo æger ſit robuſtus, & congruam victus rationem ferre poſſit, medicus non ſolùm ſine periculo, ſed etiam cum maxima vtilitate mihi videtur poſſe adminiſtrare, quoniam hoc temporo ſudores facilè eliciuntur, & omnia excrementa per inſenſibilem tranſpirationem, & omnib. modis diſſoluũtur. Inter cæteros Franciſcus Friſimelica præceptor meus, vir in docenda & facienda medicina ſingularis, fuit in ea opinione, æſtatem cæteris anni temporibus eſſe anteponendam, qui affirmabat, neminem eſſe quantumcumque grauiter morbo Gallico laborantem, qui per æſtatem decoctum aſſumens non prorſus liberetur. Itaque ſi vobis ſeſe offerat occaſio, &, vt dixi, æger ſit robuſtus & poſſit congruam victus rationem ſuſtinere, hoc tempus non eſt prætermittendum.

A purgantibus abſtinendum tempore vſus decocti.

Interea dum decoctum aſſumitur, mos eſt ferè omnium practicantiũ, vt ad ſingulos 8. aut 10. dies ægrotis medicamentum adhibeant ſoluens, ſenam ſcil. polypodiũ, helleborũ nigrum, pilulas cochias, de hermodactylis, &c. quod inſtituum ego nunquã potui probare. Cum enim, vt poſteriùs videbimus, neceſſariò huic medicamento, tenuẽ victus rationẽ oporteat adiungere, Gal. 2. *aph.* 16. docet apertiſſimè, ægrotis ſimul cũ inedia neq; ſanguinis miſſionẽ neq; purgationem, vno verbo nullã motionem, vel corporis alterationẽ cõuenire, præterquã quòd ſi natura per ſummas & cutaneas corporis partes aliquã vacuationem moliatur quod, vt dixi, ſolet facere frequentiſſimè, tunc certum eſt daro medicamẽto, quod à partibus externis ad internas, à circũferentia ad centrum trahit, naturam impediri, & totam curationem deturbari. Itaq; quo tẽpore ægroti aſſumunt decoctum ligni, ego prorſus abſtineo ab omni medicamẽto. Quod ſi ægrotis aluus adſtricta fiat, vel mollibus clyſteribus vtor, vel in ſyrupo matutino vnã vel alterã tãtũ drachmã ſenæ infundo, vel ad aliquod leniẽs & leuiſſimũ medicamẽtũ deuenio, vt caſſiã, &c. Poſt quadrageſimũ autẽ diẽ, vel poſt plures dies, abſoluta potione decocti, omnino neceſſe eſt medicamentum purgãs exhibere & ſunt medicament, de quibus dixi in præparatione.

Victus ratio.

De victus ratione non eſt prolixè agendum, qui primis diebus admodum tenuis inſtituatur, ſimplici pane & paſſulis, & quidem parcè exhibitis: ſed multi hodie & iura & oua, & carnes adiungunt, & ferè victum plenum inſtituunt. Ego verò eum pleniorem victum prorſus damno, neque tamen illum tam tenuem & exquiſitum probo, quod talis victus ex Hip. & Gal. 1. *aph.* 4. in morbis diuturnis ſit ſemper periculoſus, cũ ita vires fiant debiliores, adeo vt neque coctionem, neq; inſenſibilẽ diſſolutionem, neq; ſenſibilem vacuationẽ poſſint perficere, vt conuenit; ideo moderatã, ſed tamẽn tenuem & attenuantem victus rationem ſoleo probare, quæ facultatem quidem corpus gubernantem conſeruet, cuius indicationes medicus nunquam debet obliuiſci, ſed ſimul etiã & materiæ coctionem, & diſſolutionẽ non impediat: & vt magis diſtinctè hanc rem exponam ego meis ægrotis ſumentibus decoctum ligni, in prandio non aliud exhibeo, quàm panem & paſſulas, & quandoq; etiam piſtacia: in cœna verò carnes & potiſſimum auiculas montanas, & pullos gallinaceos concedo, & his paucis contentus ab omnibus aliis abſtineo.

Quantitas cibi.

Quod verò pertinet ad quantitatem, maiori ex parte exhiberi panis ſolent ℥. iij. paſſularum ℥. ij. ſed certum eſt, non omnibus eandam menſuram conuenire, cum pro varia ægri natura, ætate, corporis habitu, conſuetudine, &c. ſit neceſſe alimenta modò minuere, modò augere, prout fit etiam in aliis morbis. Moderata quædam menſura ſequns mihi videtur eſſe, ad quam veluti ad quoddam me dium, liceat vel parciorem vel copioſiorem diætã conferre, ſi nimirum æger manè accipit ℥ iij. panis paſſularum ℥ ij. piſtacia N. x. veſperi autem prætereà turdum, vel tantum alterius carnis, quæ turdo reſpondeat: qua victus ratione iam longa experientia mihi confirmatum eſt, vires bene conſeruari, & feliciter abſolui totam curationem.

De pane nautico.

Sed aliqua reſtant adhuc de victus ratione, quæ nullo modo ſunt prætermittenda: & primùm cum plurimi & ferè omnes vtantur pane nautico, contrà doctiſſimi quidam viri illius vſum non probãt, quòd talis panis difficillimè concoquatur, & ſuccum generet nimis ſiccum & melancholicũ: quæ fuit ſententia Gal. 1. *de alim. facul.* 2. vbi de varia panis coctura loquitur. de qua controuerſia illud vnum vobis ſufficiat, me longè magis probare vſum panis communis optimè præparati, ſicuti Galen. loco citato ait: ſed ſi quis voluerit pane etiam bis cocto vti, ſi æger habeat robuſtum ventriculum, & omnino inſigni ſiccatione ſit opus, neque ego ab illius vſu omnino abhorreo.

Quis potus conueniat.

Deinde cum omnes non alia vtantur potione, quàm ſecundo decocto ligni, neque deſint viri doctiſſimi, qui talem potionem non recipiunt, eo quòd alimenta hac potione redduntur praui ſucci, neque probum alimentum afferunt; itaque loco illius vel vinum, niſi aliquod ſymptoma id prohibeat, vel dolor capitis. & alia, vel aquam ſimplicem, vel aquam hordei, vel quid ſimile adminiſtrant.

Sed aduerſus hanc opinionem, etſi id cuique ſatis eſſe poſſit, tale inſtitutum ex propriis regionibus, in quibus lignum naſcitur, & familiariſſimè adminiſtratur, ad nos perueniſſe, & experientia cõprobatum eſſe, hanc potionem non ſolùm ſine periculo, ſed maxima cum vtilitate vſurpari; tamen illud etiam licet addere, aut difficulter, aut nulla ratione fieri poſſe, vt ab eo alimenta corrumpantur, & in prauos ſuccos conuertantur; cum potius contra ſit conſentaneum rationi, potionem medicatam alimentis etiam ſuam vim communicare, adeo vt illa etiam non ſolùm nutritiunis, ſed etiam medicinæ poſſint rationem habere, ſicuti etiã aliis multis potionibus medicatis contingit, quæ apud antiquos celebres & frequentes fuere. Quare ſicuti, exempli gratia, ex vino abſinthite, quod longè amariſſimum, & ingratiſſimum eſt, tantũ abeſt, vt alimenta corrũpantur, & in prauos ſuccos conuertantur, vt illud potius mirabiliter iuuet ventriculum, & alias multas afferat vtilitates: ita ſecundum ligni decoctum non ſolùm caret periculo, ſed etiam tanquam potio & medicina non eſt prætermittenda; imò verò non defuerunt viri doctiſſimi. & inter alios Manardus *l. b.* 16. *epiſt.* 4. qui parant talem ſecundam coctionem aliquando ex nouo & crudo ligno, minimè ex eo quod remanſit ex prima decoctione, vt illa efficaciores vires habeat: & hinc factum eſſe puto, vt aliqui medici ex ligno ſancto diuerſa vinorum genera iam diu conficiant quorum vſu profitentur, ſe omnes & deſperatos Gallicos ſanaſſe, inter cæteros eſt Mathiolus.

Quæ hactenus dicta ſunt de varia præparatione & vſu, & tota adminiſtratione decocti ligni, fortè potuiſſent ſatis eſſe. At verò quoniam adhuc reſtãt de hoc medicamento aliqua, quæ non ita omnibus nota ſunt & viſitata de iis etiam breuiter agam. Et primùm aliqui maximè probant vſum ligni ſancti in ſubſtantia, quod vel ſolùm, vel ſimul cũ cortice, in puluerem, & deinde in pilulas redigunt, quas ante vtrumque ſyrupum exhibent manè & veſperi; quandoque etiam ante cœnam & ante prandiũ, ſolent adhibere ad ʒ. j. circiter; qui vſus minimè eſt improbandus, dummodo id cum iudicio fiat nimirum quotieſcunque neceſſe eſt corpus, præci-

Vſus ligni in ſubſtantia.

pue

piè verò ventriculum exſiccare; ac ſanè ſi lignum vtraque hac ratione ſimul exhibeatur, & in decocto ſcil. & in ſubſtantia; nulli dubium eſſe debet, quin medicamentum maiores acquirat vires, vt:

℞ *Pulueris ligni ſancti,*
Corticis ana ʒ. ß. cum ſyrupo de ſoncho. M & fiant pilulæ.

Sic ſimul cum ligno & cortice poſſunt permiſceri betonica, iua, & alia ſimilia, quæ proprias partes reſpiciant.

Manardi alia ratio præbendi decoctum. Præterea eſt alia duplex adminiſtratio decocti, cuius vtriuſque auctor eſt Manardus. Prima eſt, cuius ille mentionem facit 14. *epiſt.* 4. qui inter varios vſus ligni, ait, ſe eum magis probare, in quo illius decoctum inſtar medicatarum aquarum, imò ſeri à Dioſc. deſcripti aſſumitur.

Itaque ea ratione licet decoctum ligni dare, qua aquæ thermarum ſolent adminiſtrari, quam puto vos non ignorare; nimirum bibuntur eæ quotidie copioſè ad 10. 12 & plures libras, per interualla, deambulando; quam rationem vtendi decocto à nemine, quem ſciam, præter Manardum excogitatã, ego non ſolùm probo, ſed etiam miror, quomodo nemo hactenus tam præclarum tam illuſtris viri inſtitutum ſequatur, & ad vſum reuocet, qui verè vobis teſtor, me non ſemel hoc modo ligni decoctum dediſſe, ſumma cum facilitate & felicitate, quod medicamentum hoc modo ſumptum, ſicuti propè faciunt aquæ thermarum, vel per aluum, vel per lotium, vel per vtramque partem ex corpore egrediatur, vt ſudorem etiã aliquando ſoleat euocare: vnde ægri, quod maxime exoptandum videtur, ſine multo labore & paucis diebus, id conſequantur, quod alij vix magna moleſtia & longo tẽpore ſolent conſequi. Et ſi quis veſtrũ voluerit aliquãdo tale præſidium experiri, is facilè nobiſcũ fatebitur, illud eſſe dignum maxima admiratione.

Altera Manardi ratio eſt, cuius ille meminit lib. 17. epiſt. 3. quam mihi videor tàm aliis quàm proprijs verbis commodè explicare poſſe, ille ita habet: *Pro Epiſcopo Cretenſe: cum conſilio ſumpta purgatione, manè ſequente in aurora bibat decocti primo modo parati ℥. iiij. quantum ferre poterit calidè & per horam dormiat, donec quatuor alias iterum vncias bibat, iaceatq; per aliã horam, ſed non dormiat, poſt quã tertiò eandem quantitatem bibat aquæ, ſed tepidam, & ſtatim à potu ſurgat, & loco calido lente tandiu inambulet, donec aquam ex ventriculo deſcendiſſe videat.* Sed ſicuti priorem decocti vſum & adminiſtrationem libenter ſuſcipio, ita poſteriorem nullo modo poſſum probare, qui cenſeo talem rationem eſſe ſuſpectam, forte etiam periculoſam, & à probata methodo medendi alienam; quoniam vt cætera prætermittantur, neutiquam conuenit rationi, ſumpto ſyrupo, poſt ſingulas horas bis & ter eandem ſyrupi quantitatem accipere, cum neceſſe ſit adhibitis poſterioribus ſyrupis, quo tempore priores nondum ſunt elaborati, totam naturæ in medendo operationem peruerti: vt exempli gratia, ſi quis poſt prandium per varia interualla vnius horæ noua iterum atque iterum adiiciat alimenta, omnem ventriculi coctionem perturbari neceſſe eſt.

Syrupus auctoris. Demum aliæ reſtant rationes præparandi & adminiſtrandi lignum guaiacum, quæ non debent prætermitti: vna eſt, quam ego omnium primus excogitaui, & qua multos annos iam vtor. namque ex decocto ligni & ſaccharo ſyrupum conficio, qui eandem cum cæteris ſyrupis formam & durationem acquirit: & compoſitio talis eſt:

℞ *Ligni ſancti raſpati* ℥ *vj.*
Corticis ℥ *j.*
Aquæ fontis lib. iij. F. infuſio vt ſuprà, & decoctio ad medietatis conſumptionem, & facta colatura adde ſacchari rubri lib. iij. M. & ſec. artem fiat ſyrupus.

Vſus autem huius ſyrupi pertinet præcipuè ad ægrotos delicatos, & qui nequeunt ligni decoctũ accipere, vt ſunt pueri, mulieres vtero gerentes, qui pluribus negotiis ſunt occupati, & nequeunt ſe domi continere: hunc ſyrupum his ægrotis bis in die dare conſueui, ſummo mane ad ℥. iij. veſperi vij. horis à prandio ℥. ij. quibus præterea moderatam victus rationem inſtituo, prætermiſſo vino & omni victu humidiore, carne, pane, paſſulis piſtaceis contentus, loco vini præbeo ligni decoctum, quod hodie præparatur in phiala vitrea, qua ratione medendi multi ægroti admodum cautè & ſine vlla moleſtia morbum Gallicum perferunt, & quandoque omni ex parte ſuperant.

Modus pueros curandi. Altera autem eſt ratio, quæ pariter ad hos delicatos, & præcipuè puerulos pertinet: cum enim frequenter contingat, pueros aut ex vitiato ſemine naſci, aut ex contagio, maximè verò nutricis, morbo Gallico infici, quibus ligni decoctum non licet exhibere, in iis vtor meo inuento: ſic aliqui ex decocto ligni in balneo Mariæ per deſtillationem aquam puriſſimam eliciunt, quæ cum omni improbo colore, odore, ſapore careat, libenter à pueris & omnibus delicatis bibitur. Hæc de vario vſu & præparatione ligni ſatis.

De ſalſa pariglia. Nunc verò de ſalſa pariglia & radice chinæ dicendum eſt, quæ ſunt duo medicamenta, per quæ medici Gallicum virus expugnant: ſed cum multa quæ de ligno dicta ſunt, ad hæc duo medicamenta facile accõmodari poſſint, breuiter agam. De ſalſa pariglia multi diſputant, quomodo debeat appellari, ex quo loco afferatur, an vnum vel plura ſint illius genera, & alia quæ prætereo, quoniam ad nos nihil pertinent: ſed id nobis ſatis eſt ſcire, qualiſnam ſit eius facultas & quomodo debeat adminiſtrari. Plerique omnes, & potiſſimùm Hiſpani auctores, aiunt ſalſæ parigliæ radicem in ſecundo gradu calidam & ſiccam eſſe. in quam ſententiam, vt puto, venerunt, quòd experientia confirmet, vel duriſſimos tumores opera huius medicamenti diſcuti & diſſolui: at ſi conſideremus ſalſam ferè omni odore & ſapore priuatam eſſe, addo neque eius decoctum calefacere homines, non ſine ratione colligimus, ſalſam circa actiuas qualitates temperatam eſſe, vel potius ad frigidum, quam ad calidum declinare, & ſi vim habeat diſcutiendi, licet facile reſpondere, ſalſam non ſua caliditate, ſed magis partium tenuitate id præſtare, vt etiã ceterach tumores inſignes lienis emollit, quæ tamen non eſt calida: circa paſſiuas autem qualitates fatendum eſt ſalſam circa ſecundum gradum eſſe ſiccam, cum certum ſit & euidentiſſimum, illam ſiccandi inſigniter vim habere. Huic medicamento multæ ab aliquibus tribuuntur facultates in catarrho ſalſo, in cancris non vlceratis, in ſcrophulis, in tumoribus lienis, doloribus articulorum, omnibus infectionibus cutis, & aliis morbis & ſymptomatibus. Sed nos prætermiſſis aliis, de vno morbo Gallico agemus, in quo etſi omnes conueniunt, ſalſam ſæpenumero præclaram operam præſtare, tamen de illius efficacia non omnes idem ſentiunt, quoniam ex vna parte multi, & propriè omnes probant medicamentum, & id laudant, ſed tantum contendunt ſola ſalſa neminem vllo tempore verè & integrè ſanatum fuiſſe: ex altera autẽ, neque deſunt aliqui viri doctiſſimi, qui ſalſam non modò probant, ſed etiã ligno ſancto anteponunt, qui audẽt firmiſſimè dicere, ſola ſalſa aliquos fuiſſe curatos, qui ligni decocto pluries aſsũpto non potuerint curari: & in iis eſt Manardus. De qua controuerſia cum nolim meũ iudiciũ interponere, id confirmo

An morbum gallicũ verè oppugnet.

vobis,

vobis tumores,tophos gummata,puſtulas,vlcera,& omnia ſymptomata gallica lōgè faciliùs & breuiori tempore ex decocto ſalſæ mitigari & deleri, quàm ligni decocto: quod fieri puto, quoniam ſalſa diſcutiendo & vacuando materiam noxiam, eſt longè efficacior ligno. Sed id addo, me aut nunquam, aut rariſſime ſola ſalſa vti conſueuiſſe, ſed ſimul cum ſalſa quandoque lignum, frequentiſſimè autem corticem ligni permiſcere.

Decocti ſalſæ ſit exemplum hoc:

℞ *Salſa electa,*
Ligni ſancti ana ℥ iiij.
Aqua fontis lib. xii. F. inf. & decoctio ad conſumptionem medietatis, vt de ligno.

Aliud exemplum:

℞ *Salſa electa ℥ iiij.*
Corticis ligni ℥ ij.
Aqua fontis lib. x. F. inf. &c. vt ſuprà.

Quæcunque autem ſunt expoſita de ligno,de ſecūdo eius decocto,de vario vſu & præparatione eius ex aquis ſtillatitiis, cū herbis,& aliis ſimilibus,omnia ad hunc locum ſunt transferenda, cum ipſa ſalſa fere iiſdem modis & rationibus ſicuti lignum præparetur & adminiſtretur: in primis autem ſciendum eſt, antequam æger ſalſæ medicamentum accipiat, communem corporis expurgationem & accuratiſſimam neceſſariam eſſe,vt ſuperiùs dixi: illud tamen addo neminem eſſe qui non velit, ægrotos bibentes decoctum ſalſæ octaua,nona, aut decima die vel catapotiis,vel potionibus,ad morbum facientibus neceſſariò purgandos eſſe: de qua re & cauſa ſuprà dixi, quod ſentio de ligno: tamen illud addo, talem purgationem neque mihi prorſus improbari, dummodo illa cum ratione adhibeatur,etſi rationes propoſitæ aduerſus medicamenta purgantia, quo tempore decoctum ligni accipiunt, ferè idem de potione ſalſæ videntur demonſtrare,tamen reuera vtrumque hoc medicamētum, & lignum & ſalſa,non omni ex parte conueniunt, quoniam primum non tam tenuis victus ratio in decocto ſalſæ, quàm in ligno eſt inſtituenda,quoniam ægri bibentes ſalſam manè & veſpere, præter panem aſſumunt carnem, auiculas montanas, pullos gallinaceos, lactentem vitulum, oua ſorbilia. &c.

Deinde etſi negandum non eſt, ſalſam & ſudores elicere,& per cutem inſenſibiliter euacuare; tamen certum eſt, non id perpetuo fieri, cum per varias etiam corporis partes quandoque excrementa digerantur: imò verò ſalſa frequenter aluum mouet; quamobrem ſi ita fiat,vt ſalſa neque ſudorem neque aliam vacuationem moueat, in quo caſu cenſeo eſſe abſtinendum ab omni purgatione, tunc mea etiam ſententia purgans medicamentum medio tempore ſemel & bis tutò & vtiliter poſſet exhiberi: & inter cætera medicamenta illud repero,helleborum principem locum obtinere: ego autem conſueui medicamentum conficere cum ſyrupo, vt:

℞ *Conf. hamech ʒ v.*
Syrupi de polyp. ʒ ij. ß.
Syrupi ex ſalſa confecti q. ſuf. M. & f. potio.

Exemplum hellebori.

℞ *Corticum rad. hellebori nigri ʒ j. ß.*
Sem. aniſorum,
Fœniculi ana ʒ j.
Cinnamomi,
Caryoph. ana ℈ ʒ.
Syrupi cōfecti ex ſalſa ℥. x. F. infuſio & decoctio ſecundum artē & facta colatura, adde
Syrupi viol. ſol. ʒ j. ß. M. F. potio.

Alij longè pluribus vtuntur, & ſit exemplum:

℞ *Sena electa ℥ ß.*
Turbith, Hermodact.
Rad. bryoniæ ana ʒ j. ß.
Sem. citri,
Aniſorum ana ʒ j.
Gingiberis,
Caryoph.
Cinnamom. ana ʒ ß.
Paſſularum,
Liquiritiæ ana ʒ ij.
Syrupi cōfecti ex ſalſa lib. j. F. inf. & dec. ſec. artē, & facta colatura adde ſyr. roſ. ſol. ℥ j. ß. M.

Notandum autem quemadmodum in generali purgatione, ita etiam in hac intermedia, quo die aſſumitur medicamentum, à ſyrupis ſalſæ eſſe abſtinendum,imò verò etiam ab altera potione, id eſt à prandio & à cœna, cuius loco modicum vini eſt exhibendum eo die. Decocti certum tempus non eſt,cum aliquando 15. aut 20. dies ſufficiant: quandoque ad 30. 40. & plures dies oportet procedere,ſicuti de ligno dixi. Salſa demum, ſi quis id velit etiam intelligere, quo veterior, eo eſt melior, & præſtantiores habet vires;talis autem habetur quæ minimè eſt corroſa & exſiccata,quæ ſi flectitur,eſt bona; ſi verò frangitur aut puluerem facit,mala. Hiſtoria de ſalſa omnibus patet, & iam ante 50. annos Carolus V. Cæſar hoc medicamento vſus eſt,ex quo puro illud maximam exiſtimationem acquiſiuiſſe.

De radice China. Chinam quam ego puto ad curādum morbum gallicum vel parū vel nihil conferre,forte potuiſſemus prætermittere;ſed cum multi hoc tempore ea vtātur frequentiſſimè in podagra,in vlceribus pulmonum, ſcirrho lienis & iecoris, elephantiaſi, in lepra Græcorū,atrophia,& aliis morbis grauiſſimis,mihi liber neq; eam prætermittere,vt vos etiā iam celeberrimi medicamenti præparationem & vſum intelligatis. In primis autem quo ad eius electionē,præfertur china recens,& quæ nullam cariem habeat,quæ magis rubeſcat, ſed ante omnia quæ ſit grauis,& ponderoſa, quæ verò ab iis deficit conditionibus,mala eſt. Quatenus verò ad eius præparationem & vſum,plerique omnes diſſentiunt, & plurimæ ſunt deſcriptiones, ego autem tātum eam proferam,quæ eſt magis congrua,& qua ego iam diu vtor. Primum verò id ſciendū eſt, me nunquam eorū ſententiam probare,qui vt ferè cōmuniter ſolent, vnicam vnciam chinæ in lib. xii. aquæ infundunt & decoquunt,quod ex tam parua potione medicamenti in tanta copia aquæ vix videtur fieri poſſe,quin medicamentum reddatur imbecillum: quod ſi in iis regionibus,ex quibus & china & eius præparatio ad nos peruenit, quod multi auctores confirmant, longè maiorem quantitatem huius ſolent adhibere, quanto magis decet id nos facere cum longo itinere & tempore non niſi vetus & corroſa ad nos deferatur china? de cuius temperamento conueniunt omnes illam vim ſiccandi inſigniter habere; vtrùm verò calefaciendi an refrigerandi, dubium eſt: ſed quatenus licet colligere ex geſtu & odore,qui nullus in ea deprehenditur forte ſtatuendum eſt, chinam in iis qualitatibus vel temperatam eſſe, vel parum à temperie declinare. Ratio autem efficiendi decoctum chinæ quæ mihi magis probatur, & qua ego vtor, eſt talis:

℞ *China el. in minutas & tenuiſſimas partes inciſa ℥. ij.*
Aqua fontis lib. x. F. inf. per horas 24. deinde decoctio ad medietatis conſumptionem, & facta colatura ſeruetur pro ſyrupo.

Deinde;

℞ *Eandem radicem reſiduam,*
Aqua fontis lib. x. F. inf. & decoctio ad conſumptionem medietatis.

Syrupi exhibentur bis in die, manè & veſperi, ſecundum pariter decoctum aſſumitur,in prandio & cœna,vt & in ligno diximus. Alij maiorem, alij minorem chinæ & aquæ quantitatem recipiunt alij

longio

Digitized by Google

ongiorem vel breuiorem decoctionem faciunt, ali vno tantùm decocto contenti ſunt, & pro ſyrupo, & pro potione cum alimentis conſuerunt vti, & hæc propoſita ratio magis probatur: ſed non eſt ita intelligenda, quaſi perpetuò hanc chinę & aquæ menſuram, & hunc præparationis modum oporteat ſeruare, cum nulli dubium eſſe debeat, qui pro varia ratione morborum, ſymptomatum, ætatis, &c. liceat & chinę & aquæ quantitatem vel augere vel minuere, & vniuerſum coctionis & pręparationis modum alterare. Sed id etiam non eſt prætermittendum, decoctum chinæ minimè ad multos dies, vt ligni & ſalſæ, ſed quotidie eſſe conficiendum: nam ſi diutius id conſeruetur, facilè aceſcit. Victus ratio non ſit admodum tenuis, ſed ferè qualis in decocto ſalſæ dixi: plerique autem magis elixas, quam aſſas carnes probant, qui timent medicamenti ſiccitatem Et hæc de præparatione & vſu ligni, ſalſæ & chinæ ſufficiant, ſi modò id addamus, aliquos eſſe qui frequenter omnia ſimul ſolent commiſcere, & ex omnibus vnicum medicamentum conficere, quod tamen non probo, ſed habeatis exemplum:

℞ *Ligni ſancti raſpati ℥ vj.*
Corticis,
Salſæ,
Chinæ ana ℥ j.
Aquæ fontis lib. xij F. inf. & decoctio ad conſumptionem medietatis, & ſeruetur ſyrupo.

Hoc etiam fiet in ſecundo ſyrupo: & hactenus de primo ſcopo, ſcil. vt materia noxia gallica euacuetur, quæ erat cauſa morbi huius. Sic pariter ſtatuendum eſt de ſecunda indicatione, quæ deſumitur à morbo, quem cum ſtatutum ſit eſſe intemperiem calidam & ſiccam ſcire debetis poſtulare ea omnia quæ dicta ſunt de intemperie calida & ſicca iecoris. Sequitur vt agamus de ſymptomatibus.

Differentia bubonum. Primò igitur occurrunt bubones ſeu tumores circa inguina, ad quas partes iecur tanquam ad propria emunctoria ſolet materiam noxiam deponere. Cum autem alij quoque bubones contingant aliquando, de quibus & eorum curatione tractant auctores ſi quis cupit intelligere, quomodo bubo gallicus à non gallico poſſit diſcerni, is ſciat præcipuam rationem huius diſtinctionis ex præcedentibus quibuſdam rebus & cauſis fore colligendam, exempli gratia, ſi quis proximo hoc tempore vſus eſt venere cum muliere infecta, ſi laboret carie, gonorrhæa, & aliis ſymptomatibus, pro comperto eſt habendum hunc bubonem eſſe gallicum: contrà verò ſi quis iam diu abſtinuit à venere, ſi præter ſuum morem & præter modum ſe exercuerit, ſi laboret febre peſtilente, ſi laboret vlcere in altero crure, & aliis id genus occaſionibus, ex quibus bubones oriuntur, licet ſtatuere hunc bubonem non eſſe gallicum.

Curatio bubonum. In ratione curandi bubonem, omnes rationales medici conueniunt, neque in principio, neque vllo tempore medicamentis repellentibus eſſe vtendum: etſi enim in cæteris inflammationibus prima ſeſe offert indicatio repellendi fluentem materiam, tamen hic ſumpta indicatione à qualitate excrementi, quod dixi eſſe veneficum & contagioſum, nec non à membro tranſmittente, quod dixi eſſe iecur, ac poſtremò à membro recipiente quod proprio naturæ inſtituto factum eſt veluti quædam ſentina, in quam membra principalia deponant quæcunque illis ſunt moleſta, ſumma cum ratione eſt ſtatuendum, nunquam medicamenta repellentia conuenire: itaque omnes præcipiunt, neque ſecundam eſſe venam, neque adhibendam purgationem, neque aliud agendum, quod huiuſmodi naturæ propenſionem poſſit impedire: quod præceptum libenter recipio, hac tamen adhibita limitatione, dummodo æger inſigni humorum plenitudine aut vitio non laboret: ſiquidem in hoc caſu, mea ſententia, non foret alienum à ratione & ſanguinem mittere & purgationem adhibere, ſiquidem natura hoc modo exonerata, ab eo quo veluti ſarcina premitur, non ſolùm non poteſt impediri, ſed etiam ſolet iuuari, adeo vt faciliùs & promptiùs valeat noxiam materiam depellere. Quamobrem ſi vobis ſeſe offerat ægrotus, bubone gallico correptus, omni ſtudio eſt incumbendum, vt bubo ad ſuppurationem deducatur, cum frequenter ac ferè ſemper euenit, vt hac ratione purgata noxia materia, non ſolùm partis inflammatæ, ſed etiam totius corporis, homo ab omni periculo, & ab omni morbo liberetur: ſicuti contra experientia confirmat, ſi huiuſmodi bubones non deducantur ad ſuppurationem, homines in grauiſſima pericula & in grauiſſimum morbum gallicum incidere. Vt autem bubones faciliùs ſuppurent, plerique omnes variis vtuntur medicamentis; ol. amygd. dulc. chamo. liliorum alborum, pinguedine gallinæ, anatis, axungia porcina, rad. althcæ, farina frumenti, &c. partim ſimplicibus, partim compoſitis: ſed ego longiori experientia didici, iſthæc medicamenta, quæcunque ad bubonem apponuntur, illius ſuppurationem ſæpenumero non ſolùm non iuuare, ſed non leuiter impedire, cum ſoleant magis ad diſſolutionem, quàm ad ſuppurationem conferre. Itaque primis diebus, quibus bubones fieri incipiunt, ego ab omni prorſus medicamento, tam interno quàm externo abſtineo, imò verò neque admodum tenuem victus rationem inſtituo, ſed cupio & iubeo ægrotos ludere gladio, parua & magna pila, ſcalas aſcendere, & deſcendere, & vno verbo, in magnis & continuis exercitationibus verſari, qua ratione nunquam fit, quin bubones fiant grandiores & ad ſuppurationem deueniant: quod ſi hæc non ſint ſatis, quandoque tumori adhibeo cucurbitulam, quandoque etiam iubeo vt æger ſupra bubonem geſtet vel pilulam duriorem, vel quid ſimile, quod dolorem & fluxionem poſſit augere, poſt nonnullos autem dies quo tempore mihi videtur bubo tam factus magnus, vt nullo modo timeam illum intus poſſe regredi, vel inſenſibiliter diſſolui, tunc neque ego à mollientibus & ſuppurantibus medicamentis abſtineo, qualia ſunt ſuprà propoſita quæ bubonis maturationem poſſint iuuare: demum facta maturatione, quamprimum ad bubonis apertionem eſt deueniendum, quem non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſarium eſt, longiori tempore apertum detineri, cum vt dixi, hac ratione propè omnes liberentur: tandem facta purgatione quæ ſatis eſſe videatur, licet vlcus abſtergere, mundificare, & ad cicatricem deducere. *Suppuratio bubonis.*

In contumacia bub. non quid agendum. Cæterum, quod nullo modo eſt prætermittendum, ſi contingat, contingit enim aliquando, vt bubones nullo modo poſſint ad ſuppurationem deduci, quidnam eſt agendum? Plerique aggrediuntur hoc tempore cõmunem & exquiſitam corporis purgationem, per ſectionem venæ per medicamenta purgantia, ad demum ad aliquod ex ſuprà poſitis medicamentis deueniunt: ego vbi video omnia fruſtra fuiſſe facta, & bubonem diutius perſeuerare, qui aliquando ad quamplurimos dies, imo duos & tres menſes in eodem tenore ſolent conſiſtere, tunc ad causticum medicamentum confugio, quo poſito veluti quidam fonticulus excitatur, per quem non ſolùm materia contenta in tumore, ſed totum etiam virus gallicum commodiſſimè purgatur, ac poſtremò ad purgationem deuenio.

De vlceribus pudendi. Secundò ſequuntur vlcera, ac potiſſimùm pudendi, tam in viro quàm in muliere, quæ præter rationem præcedentis contagij manifeſtè demonſtrāt

exuſtio

exuſtionem. Quod pertinet ad eorum curationem, illud ſciendum eſt, ſi vlcera fuerint magni momenti, tunc omnium primum fore neceſſarium, vt adhibeatur purgatio totius corporis, ſine qua vlcera non ſolùm non curantur, ſed etiam redduntur difficiliora: in quem errorem quamplurimi incidunt, qui ad ignaros chirurgos & tonſores confugiunt. Huiuſmodi vlcera non aliis medicamentis debent curari, quam iis quæ ſunt tradita à Gal. *5. meth. ad finem*, vbi tractat de vlceribus in pene, dummodo illis permiſceant nonnulla medicamenta, quæ experientia morbum Gallicum iuuare compertum eſt. Itaque Gal. illa probat medicamenta, quæ inſignem ſiccandi vim habeant, non ſolùm propter morbum, ſed etiam propter naturam partis ſiccioris, quod vtrumque inſignem ſiccationem requirit: talia fuerant apud Galen. medicamenta ex charta combuſta æneum vſtum, cadmia, & alia: hoc tempore ſunt vſitata tuthia, ſquama æris, ſquama ferri, lithargyrium, &c. ex quibus pulueres, linimenta, vnguenta, & aliæ formæ medicamentorum conficiuntur. Nonnulli cauſticis medicamentis vtuntur, aqua qua vtuntur aurifabri, ol. vitrioli, præcipitato, vnguento Ægyptiaco, ego autem quibuſdam lotionibus contentus ſum, qui nunquam vehementiſſima & vrentia medicamenta potui probare, quæ eſcharam inducendo, ſæpenumero ſunt in cauſa, vt contagioſum illud virus non ſatis expurgetur, vnde excremento ad partes internas redeunte ægri ad manifeſtiſſima pericula deducuntur. Ratio autem curandi huiuſmodi vlcera, quam ſoleo probare, eſt huiuſmodi. Itaque poſt generalem purgationem, ſi feræt occaſio, huiuſmodi vlcera manè & veſpere lauentur, ex decocto ligni, cui ſi aliqua videatur ſubeſſe inflammatio, licet addere hordeum, plantaginem, vel quid ſimile: lauato vlceri inſpergatur ſquama æris præparata ſimul cum puluere corticis ligni, æquis portionibus, ac demum ſuperponatur vnguentum de ceruſſa, linimentum ſimplex, &c. quibus cum remediis eſt progrediendum, donec mundificato vlcere licet illud ad cicatricem ducere, quod facilè, vel ſolo linteolo imbuto in decocto ligni, cum vnguento de tutchia, vel aliter fieri ſolet.

De puſtulis. Tertium ſymptoma ſunt puſtulæ, quæ tum cæteras partes corporis, tum maximè caput ſolent occupare, à quo ſymptomate ægroti cum primis cupiunt liberari, cum maximam afferant turpitudinẽ. Circa earum curationem illud in primis eſt memoria tenendum, quod ſemel & iterum dixi, ſc. à medicamentis repellentibus eſſe cauendũ: quamobrẽ omniũ primò duriores & cruſtoſæ illæ partes medicamentis mollientibus ſunt auferendæ, cum pinguedine gallinæ, anatis, porci, hirci, &c. Deinde ea licet adhibere medicamenta, quæ abſtergendi & ſiccandi vim habeant, quale foret decoctũ ex ligno, farfara, ſcabioſa, lapathio, abrotano. Fallopius meminit cuiuſdam aquæ, quã appellat aquam aluminis magiſtralẽ, quam maximè extollit, & multi illa vti ſolent, vt audio: ſed omnium ferè conſenſu inter cætera omnia præcipitatum mixtum cum vnguento roſ. Meſ. videtur principẽ locum obtinere.

De capillorum defluuio. Quartum eſt ſymptoma defluuium pilorum capitis, ſupercilioruin, barbæ: quod ſymptoma etſi aliàs eſt nullius momenti, tamen propterea quod efficit homines deformes, quàm maximi ſolet æſtimari, adeo vt ægroti de nulla re magis ſolliciti ſint, quàm vt ne illis cadant capilli, aut ſi id fieri nequeat, vt illi quàm citiſſimè redeant.

Itaq; nos quoq; hæc duo tractabimus, primũ, qua ratione homines ab imminente pilorum defluuio poſſint præſeruari: ſecundũ, quomodo pili rurſum creſcant. Quatenus ad primũ pertinet, pleriq; omnes practici ſtatim confugiunt ad medicamenta adſtringentia, ladanum, hypociſtidem, oleum myrtinum, &c. qui præterquã quod fruſtra agunt, cùm hæc medicamenta non poſſint penetrare ad radices pilulorum, ægros in grauiſſima pericula deducunt ſæpenumero, ſiquidem hoc modo impedita fluxione humorum, illi rurſum ad internas partes corporis, & præcipuè capitis, recurrunt; vnde videmus ſæpe eiuſmodi ægrotos in vehementes dolores capitis, vertigines, deſtillationes, & alia grauiſſimã mala incidiſſe. Ego autem cenſeo hac in re methodo eſſe progrediendum, qua vſus eſt Gal. *1. de med. ſec. locos*, in curatione alopeciæ; cùm enim capilli non aliter quàm propter vitium humorũ decidunt, quod illi redditi acriores, capillorum radices corrodant, ſicuti contingit nonnullis plantis, quæ propter vitium humoris ſiccatæ corrumpuntur, omnis ratio colligit, huiuſmodi humores ante omnia diſcutiendos & tollendos eſſe; quoniã autẽ ſine præcedente primũ corporis, deinde capitis prouidentia non licet facere, propterea ſicuti Gal. facit neceſſe eſt omnium primò & capitis & corporis purgationẽ aggredi, deinde ad localia deuenire. Qualia igitur medicamenta eſſe debent, quæ poſſint impedire defluuium capillorum: In primis debent adſtringendi facultatem habere, vt poſſint radices pilorum roborare, & illos detinere: ſed quoniam talia medicamenta difficile penetrant ad partem internam, & ad radices pilorum, idcirco iis nonnulla ſunt permiſcenda, quæ tanquam vehiculum, ea poſſint ad locum laborantem deducere: rurſum verò, quoniã cutis imbuta eſt prauis & vitioſis humoribus, ex quibus pili neceſſariò caduci, poſtremò neceſſe eſt cæteris permiſceri quædã quæ diſcutiunt humores, & illorum malitiam corrigunt: hæc poſſunt parari multis modis, lotione aquæ, ol. & linimento, &c.

R. Flor betarum,
Abſinthy,
Calamenthi,
Pulegij,
Abrotani ana M. j.
Roſar. rubr.
Fol. myrti ana M. ſem.
Rad. ireos vnc. ij.
Agarici vnc. ſem.
Ligni ſancti vnc. iiij. M. infundantur in lixiuio omnia, bulliant & colentur pro lotione capitis.

Nonnulli ſimul cum hac lotione pro ſapone vulgari vtuntur ſapone medicamentoſo, qui itidẽ valeat ſiccare & noxium humorem diſcutere, qualis foret ſapo Conſt. cuius meminit Paulus lib. 7. c. 13.

R. Ol. amygd. amar.
Maſtichini ana lib. j.
Foliorum lapathij,
Fumiterræ,
Scabioſæ ana M. j.
Scordij,
Abrotani ana M. ſem.
Ladani vnc. j.
Succi hypociſtidos vnc. ſem.
Myrrha,
Nucis moſch.
Cinnamomi ana drach. ij.
Vini nigri auſteri ℥. vj. M. & bulliãt in duplici vaſe ad cõſumptionẽ vini & colẽtur:

quo medicamento partes capitis laborantes inungendæ ſunt manè & veſperi. Vt verò hæc medicamenta commodiùs poſſint adhiberi, bene eſt antea totum caput & omnes pilos vſque ad radices tondere vel abradere, hoc enim modo illa efficaciùs agunt, & capilli faciliùs redeunt.

Quod ſi nulla induſtria fieri poſſit, vt pili non

decidant, videndum eſt vt quamprimum renaſcantur, hoc ex Gal. licet nobis intelligere, qui in huiuſmodi medicamentis plures conditiones requirebat; prima, vt illa calefaciendi vim habeant, vnde poſſint diſcutere acres & vitioſos humores qui in cute detinentur, & ſunt in cauſa ne pili poſſint erumpere. Secunda eſt conditio, vt non vehementer ſiccent, ne cutis capitis, quæ ſua natura eſt ſicca, adhuc ſiccior & ineptior ad proferendos capillos reddatur. Tertia, vt ſint tenuium partium, vt ad penitiores partes cutis, quæ craſſiſſima eſt, & ad radices pilulorum poſſint penetrare. Quarta, vt ſint metaſyncritica, id eſt ex alto euocantia, vt probam & ad gignendos capillos accommodatam materiam poſſint attrahere. Vltima eſt conditio, vt hæc medicamenta ſint non ſolùm leuiora ſed etiam vehementiora, ſicuti obtuſo ſenſui capitis cutis conuenit. Hiſce conditionibus licet addere aliam, vt ſcilicet iis medicamentis nonnulla permiſceantur, quæ peculiarem morbi gallici rationem habeant.

℞. *Rad. arundinis vſtarum,*
Amygd. amar. cum cortice ana dr. ij.
Ligni ſancti ℥. ij.
Thuris,
Caryoph. ana dr. j.
Ol. laurini ℥. j.
Ceræ parum. M. f. linimentum.
Efficacius & ſeq.

℞. *Amygd. amararum vſtarum,*
Puluæris corticis ligni ſancti ana dr. ij.
Sem. erucæ.
Hellebori,
Radicis thapſiæ ana dr. ß.
Caryophyll.
Benzoin ana dr. j.
Adipis cerui,
Anſeris ana ℥. ß.
Ceræ parum. F. linimentum.
Efficaciſſimum.

℞. *Rad. thapſiæ,*
Euphorbij,
Corticis ligni ſancti ana dr. ij.
Sulphuris viui,
Hellebori ana dr. j.
Camphoræ drac. iij.
Ceræ drac. vj.
Cum ol. laur. q. ſ. F. linimentum.

Scio multos probare aquam mellis ſtillatim, vrinam ſtillatam & non ſtillatam, præterea partim ſimplicia, partim compoſita medicamenta, quorum Fallopius & omnes faciunt mentionem, quibus tamen ego, vt liberè dicam, non magnopere confido, cum illa maiori ex parte mihi videantur compoſita ſine methodo, & carere illis conditionibus, quas dixi cum Gal. eſſe neceſſarias: quare prioribus medicamentis debetis eſſe contenti; in quorum vſu, ac maximè eorum quæ ſunt cæteris valentiora, eſt notandum, cum ſub cute capitis pericranium contineatur, quod duræ membranæ, cerebrum veſtienti maximè conſentit, cauendum eſſe, ne illa ad ſuturas ac præcipuè coronalem apponantur, ſiquidem periculum immineret, ne ducto cerebro in conſenſum, grauiora mala ſuccederent.

De Rhagadibus. Poſtremò reſtant rhagades, id eſt, ſciſſuræ quædam & lichenoſæ affectiones, quæ potiſſimùm in vola manus & planta pedum contingunt, quod ſymptoma eſt admodum rebellis & difficilis curationis: primum illud generaliter eſt ſciendum, neceſſariam eſſe communem purgationem, ac deinde ad localia eſſe veniendum, ſine quibus medicamentis localibus huiuſmodi rhagades vix videntur poſſe auferri: hæc autem varia ſunt & multiplicia, ſed ferè ſumma omnium vis & efficacia pendet ex metallicis, argento viuo, ſublimato, præcipitato, de quibus ſuprà dixi: ego verò vt vno verbo dicam, in huiuſmodi ſymptomate hanc ſimplicem curandi rationem ſoleo adhibere: namque primùm iubeo vt manè & veſperi longiori tempore manus & pedes abluantur & foueantur in decocto ligni ſancti, ſcabioſæ, lapathij, borraginis, ſcordij, fumiterræ, & ſi aliqua durities conſpiciatur, fol. maluarum, rad. altheæ, &c. Deinde vtor hoc medicamento.

℞. *Vng. roſ. Meſuæ ℥. j.*
Præcipitati drac. j.
Ligni ſancti pul. drac. ß. M. f. linim.

Poſtremò ſi opus fuerit, ad ſuffumigia eſt confugiendum, de quibus dixi, quibus & manus & pedes poſt lotionem debent ſuffiri, quod genus præſidij pro tollendo hoc turpi ſymptomate, experientia confirmat cæteris localibus medicamentis eſſe anteponendum.

ALEXANDRI
MASSARIÆ VICENTINI DE
Medicamentis purgantibus,
LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

De Ordine docendorum in hoc Libro.

CONSTAT apud Gal. de iis quæ ſunt in medicatrina, *com. 1. text. 1.* & in Thraſibulo *cap. 27.* finem medici non alium eſſe, quàm ſanitatem, quæ dupliciter poteſt conſiderari, vno modo quatenus eſt præſens, altero quatenus eſt perdita; ex quo duæ primæ ac maximæ partes medicinæ ortæ ſunt, quarum alteram cum Gal. initio *lib. de tuenda valetud.* ſanitatis tuendæ, alteram morbi profligandi facultatem licet appellare. Cæterùm vt medicus hunc finem conſequatur, plurima ſunt neceſſaria, ſine quibus illum non poſſet conſequi: quæ quidem omnia & Galen. 1 *de ratione victus* 6. & ab Auic. 4. *primi cap. 1.* & ab omnibus commodè in tres partes ſunt diſtributa: vnam, quæ ad alimenta & victus rationem pertinet; alteram, manuum operationes complectitur; tertiam, quæ per medicamenta abſoluitur; quas tres partes, quicunque verè medicus eſſe cupit, accuratè debet intelligere, alioqui potiùs ſemimedicus, qui non omnes partes artis intelligit, quàm verus & integer medicus debet appellari. Prætermiſſis autem duabus primis partibus, diætetica & chirurgica, mihi in præſentia propoſitum eſt tertiam partem tractare, quam diximus in medicamentorum cognitione & adminiſtratione verſari. At verò cum medicamenti vox latè pateat, adeo vt nonnunquam comprehendat quæcunque ſiue interiùs ſumpta, ſiue exteriùs adminiſtrata, quouis modo ad vſum hominis ſunt accommodata, noſtrum inſtitutum eſt de iis tantummodo agere, quæ interiùs & per os aſſumuntur: neque verò de omnibus internis medicamentis intendimus pertractare, cum hæc quoque ſint varia & multiplicia, prout variis facultatibus & formis prædita ſunt, ſed potiſſimũ de iis, quæ ſpeciatim ad purgationem hominis pertinent: in qua tractatione mihi libet commune medicorum inſtitutum imitari, qui volentes hominem purgare, maxima

xima ex parte primò leniunt aloom, ſecundò præparant humores noxios, ac poſtremò ad illorum purgationem deueniunt: quare nos qooq; primum de medicamentis lenientibus: ſecundò de præparantibus, ac demum de purgantibus ſermonem habebimus. Sed antequam aggredior, illud vos ſcire velim me de huiuſmodi medicamentis eſſe tractaturum breuiter ac ferè compendioſè, qui illod vnũ propoſitum babeo, vt vos hanc totam materiam medicam, atque illius adminiſtrandæ rationem, propè intelligatis, & ad veſtros ægrotos diſcatis accommodate: namque ſi velim ſingula præcepta vobis explicare, quæcumque pertinent ad cognoſcendas naturas & facultates ſimplicium medicamentorum, quamobrem & quomodo illa inter ſe miſceantur & componantur, atque vt dicam vno verbo, quæcunque ad abſolutam huius argumenti tractationem foret neceſſaria, longiſſima & accuratiſſima tractatione opus foret, cui præſentis temporis anguſtiæ non ſont ſatis.

Itaque medicamenta lenientia, qoæ Arabes alio nomine *benedicta* appellant quòd leuia ſint, ac ſine labore potiſſimum ventriculum & inteſtina ſoleant expurgare, plurima ſunt, partim ſimplicia, partim compoſita, de quibus ſigillatim differendum eſt. Neque in præſentia mihi libet in dobium reuocare, vtrùm talia medicamenta in principio morborom cum ratione & vtilitate poſſint adminiſtrari; quandoquidem ſi velimus aut Hipp. Gal. ac veterum medicorum exemplum aut rationem conſiderare, mea quidem ſententia illorum vſus nullo modo poteſt aut debet improbari, vt in noſtra diſputatione de purgatione in principio morborum, ſatis, ni fallimur, confirmauimus. Sed primum de ſimplicibus agamus, quæ quidem ſimplicia vocantur, quòd omni careant artificio, tametſi natura videntur eſſe compoſita, ac multis variiſq; partibus conſtare, quod exemplo roſæ diffusè monſtrat Gal. 1. *de ſimp. med. 4 ad finem.*

CAPVT II.

De Caſſia.

INter ſimplicia medicamenta qoæ nullam recipiunt compoſitionem, primum occurrit caſſia, quæ reuera antiquioribus Græcis medicis fuit incognita, inter quos Actuarius, qoi iure debet inter recentiores numerari, omnium primos illius mentionem facit, qoem veriſimile eſt à barbaris, ſine dubio primis talis medicamenti inuentoribus illud accepiſſe. *Nomen.* Medici hoc tempore caſſiam fiſtulam, vel fiſtularem, caſſiam ſiliquam, caſſiam nigram, caſſiam ſolutiuam, & forte aliis nomioibus appellant. Etſi verò iamdiu turpis illorum error ſatis exploſus eſt, qui putabant caſſiam apud Græcos & Arabes vnam atque eandem rem eſſe, tamen pro iunioribus ſciendom eſt, caſſiæ nomen planè rem diuerſam Græcis & Arabibus ſignificare: ſiquidem Caſſia Græcorum non alia eſt, quàm quæ vulgo canella, caſsia lignea, & cinnamomũ dicitur. *Caſsia Græcorum & Arabum differentia.* Caſsia verò Arabum hæc ipſa eſt, de qua loquimur: Quamobrem id vobis memoria tenendum eſt, ex vna parte in Græcorum medicamentis, ſiue ex propriis eorum libris, ſiue ex libris Arabum, vbi Græcorum remedia tranſcribunt, vbicumque caſsia præſcribitur, eius loco perpetuò canellam accipiendam eſſe. Ex altera autem in medicamentis Arabum, qoæ caſsiam recipiunt, ſolutiua vtendum eſſe: niſi velitis in eum ridiculom errorem incidere, in quem noſter Leonicenus teſtatur quoſdam ſoi temporis medicos incidiſſe, qui ad prouocandos difficiles menſes mulierum, loco caſsiæ odoratæ corticibus caſsiæ nigræ vtebantor. Sed redeo ad rem.

Caſsia Arabum teſtimonio calefacit & humectat ordine primo, & eſt medicamentum tam benignum & innoxium, vt ad aluum clementer molliendam & omni tempore, & omni ætate, & ipſis quoque pueris ac mulieribus prægnantibus familiariter & tutò ſoleat exhiberi. *Qualitates.* Apud Actuarium libro *de comp. med. ad principium,* ſont hæc verba: *iis qui ob tenera in imperfectamq; ætatem, aut aliam occaſionem deiicientia aluum medicamenta reſpuunt, caſſiam audacter & intrepidè damus.* Id vnum incommodum videtur ſecum afferre, vt aduerſetur iis qui ventriculi & inteſtinorum imbecillitate laborant, necnon & cæteris partibus quæ aliquo robore opus habent, quales ſunt nerui, articuli, & aliæ id genus: propterea quod ſolet flatus excitare, & prorſus adſtringẽte facultate eſt deſtituta. *Incommoda.* Quod tamen incommodum facilè corrigitur, ſi illi permiſceantur medicamenta odorata, adſtringentia, ac flatus diſcutientia, qualia ſunt ſemina aniſorum, fœniculi, citri, ſpica, maſtiche, cinnamomum, ſpecies diarrhodon, hieræ ſimplic, & ſimilia. *Corrigentia.*

Medici volgo vtuntur illius pulpa, cortice, membranis & ſeminibus per cribrum purgata, quam multi ægroti præparatis bolis deglutiunt, alij verò libentius lata cultelli cuſpide exceptam deuorant: ac demum nonnulli vel aquis ſtillatitiis, vel aliquo decocto diſſolutam bibunt. *Vſus.* Doſis eſt à drach. viij. vſque ad xij. Et ſint exempla primum in bolo. *Doſis.*

℞. *Floris caſſiæ noniter extractæ drach. x.*
Seminum aniſorum, vel quid ſimile drach. ſem.
Miſce cum ſaccharo. fiat bolus.

℞. *Floris caſſiæ vnc. j.*
Quæ ſine alia præparatione deuoretur.

Sed ſi hac ratione accipiatur, ad corrigendam illius malitiam, ego conſueui ſimol exhibere ſemina aniſorum ſaccharo condita, vel froſtulum cinnamomi, vel portiunculã confectionis diarrhodon, aromatici roſati, & ſimilia, quæ ægroti libenter aſſumunt, & maximè iuuant. In potione.

℞. *Caſſiæ nouiter extract. drach. x.*
Decoctionis cichorei,
Seminum aniſorum ana quantum ſufficit.
Miſce & fiat potio.

Sed ego aut rarò, aut nunquam, aut ferè non niſi inuitus conſueui dare caſsiam in potione, quæ ſolet eſſe longiſsima, ingratiſsima, & longè magis ventriculum labefactare.

De caſsia Manardus in ſuis annotationibus in Meſuen ita ſentit, non ſolum pulpæ, ſed etiam ſemini, imò verò maiorem ſemini quàm pulpæ vim purgatoriam tribuendam eſſe. *Sem. caſsiæ.* Braſſauolos, & alij multi id negant, ſed experientia facile poteſt hanc litem diſſoluere: ego quidem nunquam periculum feci, experiatur qui velit.

Venetiis habetur caſsia ſaccharo condita, quam & pueri & delicati omnes libenter comedunt; *Caſsia condita.* huius doſis ferè eadem eſt, quæ pulpæ circiter ad drach. x. ſed reuera, & in mouenda aluo, & in rebus omnibus, minimè alteri inconditæ eſt comparanda. Illud autem eſt animaduertendum circa vſum caſsiæ, in quo multi alioqui negligentes ſunt, nempe illam debere eſſe recentem ac præſenti tempore extractam, quandoquidem ab externo aëre facilè alteratur & putreſcit, vnde præterquam quod nihil aut parum educit, ſæpe etiam maxima & ſæuiſsima affert ſymptomata: itaq; admonebitis veſtros aromatarios, ne extractam pulpã longiori

tempore conſeruent, quod multi faciunt, ſemper tempore adminiſtrationis illam extrahant: ex quo, vt puto, orta eſt vulgatis illa medicorum cautio, qui ordinando medicamento ſemper id addunt, *caſsiæ recenter extractæ.*

An Caſsia in febribus calidis conueniat.

Caſsiæ facultates præclarè explicat Meſue *cap. proprio*, qui ſcribit ad hunc modum: *clementer & innoxiè bilem & pituitam purgat leniendo, febribus inde ortis confert, ſanguinem hac ratione puriorem reddit, atque eius ſanguinis & bilis flauæ acrimoniam frangit, reſoluit thoracis & pulmonis & aſperæ arteriæ phlegmonas, eaſque partes lenit, ipſa morſus expers ſitim ſedat, intemperiem denique renum calidam mitigat.*

Nonnulli recentiores damnant vſum caſſiæ in febribus, & potiſſimùm calidioribus, quales ſunt tertianæ & ardentes, necnon in febribus malignis & peſtilentibus, qui aſſerunt propter ſummam illius dulcedinem, caliditatem & humiditatem periculum imminere, ne facilè conuertatur in bilem, & putredinem augeat: quos equidem puto malè ſentire, nam quatenus pertinet ad febres bilioſas, omnes in eo conueniunt, caſſiam ſingulari quadam prærogatiua bilẽ ducere: & Actuarius inter cæteros ſcribit, caſſiam incandeſcentem torridámq; bilem citra moleſtiam expurgare: quod planè experientia confirmat, adeo vt mea quidem ſententia in huiuſmodi febribus nullum magis accommodatum medicamentum poſſit excogitari, cum alioqui facile ſit leue illud periculũ deuitare, quod iſti obiiciũt, ſi caſſiæ aliquid acidum permiſceatur, vel pulpa thamarindorũ, vel ſyrupus acetoſus, vel ſi quid ſimile.

Quatenus autem pertinet ad febres peſtilentes, etſi præcipua earum curatio, vt placeat Auic. ſiccantibus præſidiis perficitur, caſſia verò humida eſt, tamen cum faciat magis ad vacuationem, quam ad alterationem, puto illius vſum neque in huiuſmodi febribus importunum eſſe: alioqui in febribus neque rhabarbarum, neque cætera calidiora medicamenta forent exhibenda, præterquam, quòd neque id fortaſſe generaliter verum eſt, peſtilenti febri nulla humida conuenire, cum nemo ſit qui in ea non modò iuribus pro alimento, ſed etiam decoctis pro medicamento, & aliis id genus rebus humidis non vtatur, vt proprio loco demonſtrauimus. Atque hactenus de caſſia.

CAPVT III.

De Manna.

NOnnulli exiſtimant mannam veteribus medicis, potiſſimùm Galen. incognitam fuiſſe, qui manifeſto falluntur, cum Gal non modò illius mentionem faciat, ſed eius quoque naturam, eſſentiam, atque originem, tam planè deſcribat, vt planiùs deſcribi non poſſit, qui hæc habet *3. de alim. facul. cap. de melle: Memini aliquando cum æſtate ſuper arborum & fruticum herbarumque folia mel quam plurimum fuiſſe repertum, agricolas veluti ludentes cantaſſe*, Iupiter melle pluit: *præceſſerat autem nox per æſtatem ſatis frigida*, &c. Si quis item aliam mannæ elegantem narrationem cupit intelligere, is videat Plinium *lib.* 11. *c.* 12. Forte Gal. nouit illius facultatem purgatoriam, ſicuti illo poſteriores, ac potiſſimùm Arabes nouerunt. Nouit ergo Galen. mannam, ſed ſub alio nomine, nempe roſcidi & aërei mellis, illius meminit.

Manna Græcorum.

Quo loco propter iuniores ſciendum eſt, hanc vocem, *Mannam*, non idem apud Galen. & veteres Græcos atque Arabes ſignificare, cum manna Græcorum non aliud ſit, quàm pars tenuior & puluiſculus qui cadit ex thure, de qua manna tract. Gal. *4. de med. ſecund. locos, & aliis locis.* Manna autem Arabum eſt hæc noſtra vulgaris, de qua loquimur: vt certum ſit, & Serapionem, & alios quamplurimos turpiter erraſſe, qui crediderunt, vtramq; vnam atque eandem rem eſſe: de qua re ſi quis plura cupit, is videat Manardum *lib.* 1. *epiſt.* 4.

Arabum.

Quantitates.

Auic. & Meſues ſcribunt, mannam temperatam eſſe aut paulo calidiorem. Auerrh. inquit eſſe calidam & humidam primo gradu; aſſumpta aluum lenit, ſed tamen debiliter, quare & fœminis vtero gerentibus, & pueris & omnibus tuto poteſt exhiberi. Illam peculiarem prærogatiuam creditur habere, quòd aliis valentibus mixta medicamentis eorum actionem reddit meliorem, cum ſuo dulci ſapore illa naturæ magis familiaria reddat.

Differentia.

Mannæ & apud Arabes & apud recentiores, ſunt plures differentiæ, de quibus Altimarus eruditum fecit libellum, qui inter cætera illud manifeſtè demonſtrat, mannam qua vulgò hoc tempore, & iam 100. annos medici vtuntur, minimè cœleſtem eſſe vel aëream, neque cadere ex cœlo, ſed potius ſuccum quendam, humorem ſeu lachrymã, quæ ſingulis annis ſtatuto quodam æſtatis tempore, ex duabus arboribus, fraxino & ornato artificioſè colligitur, quod facile vnuſquiſque apud illum poteſt intelligere. Neque verò mihi libet in præſentia id inquirere, quod ipſe Altimarus diſputat accuratiſſimè, vtrùm nobis liceat hac manna arborea vti, ſicuti altera cœleſti vtimur, qui ſubſcribo illius opinioni & experientiæ, quæ demonſtrat, vtramque & guſtu & cæteris qualitatibus, imò verò & operationibus magnopere inter ſe conſentire, necnon omnes medicos, quotquot iamdiu medicinam faciunt, huiuſmodi medicamentum non ſine euidente vtilitate frequenter adminiſtrare. Quamobrem ſicuti dubitandum non eſt quin manna cœleſtis perpetuò & longè alteri ſit anteponenda, ita ſi illa deſit, neque vſus mannæ vulgaris prætermittendus eſt.

Quibus morbis manna conuenit.

Illud autẽ mihi videtur maiori dignum conſideratione, & magis ad veſtram vtilitatem pertinere, vtrùm manna in calidis vel frigidis morbis conueniat: ac ſanè plerique omnes communiter practicantes nonniſi in febribus & cæteris morbis calidioribus illa familiariter vtuntur; veruntamen huic opinioni & quotidiano vſui Gal. videtur aduerſari, qui docet *4 de tuenda valet.* mel & omnia dulcia in morbis, ætatibus, temporibus, regionibus calidioribus non ſatis conuenire, propterea quòd tunc facilè amareſcunt, & in bilem vertuntur: quamobrem etſi hoc forte paradoxum videbitur, ego iamdiu in ea ſui & ſum opinione, mannam longè magis ſenibus, morbis, tẽporibus, regionibus, frigidis conuenire, neq; morbis, ætatibus, temporibus, regionibus calidioribus, exhibendam eſſe, niſi illis acidum quid permiſceatur, ſicuti de caſſia diximus.

Doſis.

Mannæ doſis eſt ad ℥. iij. circiter, minimè verò ad quinq; & plures, vt multi faciũt, de quo abuſu aliàs diximus, de purgatione in principio morborũ. Cæterum quoniã manna partim ſola, partim aliis mixta medicamentis, variiſq; rationibus ſolet exhiberi, mihi libet poſtremo loco ad veſtram exercitationẽ varia huiuſmodi adminiſtrationis exempla afferre.

Vſus.

℞. *Mannæ Calabrenſis electæ* ℥. iij.
Iuris pulli q. ſuf. M. & f. potio.

Quod ſi timor ſit, ne vertatur in bilem, vel in ipſo iure decoquitur acetoſa, vel adduntur thamarindi, vel ſyrupus acetoſus, vel quid ſimile.

Et ſit exemplum.

℞. *Mannæ Calabrenſis electæ* ℥. ij. ʒ.
Pulpæ thamarindorum,
Vel, *Syrupi acetoſi ſimplicis* ℥. j. ß.

Decoctiones

Decoctionis acetoſæ,
Cichorei q. ſuf. M. & f. potio.

Vulgariſſima & familiariſſima eſt mixtio mannæ cum ſyrupis aut melle roſaceo, vel violaceo ſolutiuis.

R. Mannæ Calabrenſis electæ,
Syrupi roſati ſolatiui ana vnc. ij.
Decoctionis ſupraſcriptæ q. ſuf. M.

Quandoque permiſcetur cum caſſia admixto ſaccharo & facto bolo, qua ratione cœpit adminiſtrari ante paucos annos.

R. Flor. caſſ. nou. extr. vnc. j.
Mannæ Calabrenſis electæ vnc. ſem.
M. & cum ſaccharo F. Bolus.

Poſtremò ſolet manna permiſceri cum medicamentis ſoluentibus, tam ſimplicibus, rhabarbaro, agarico, quàm compoſitis, electuario diaphænicon, confectione hamech, & ſimilibus, quæ vt diximus, ſolet admodum iuuare, atque vt vulgò loquuntur, beatificare: de qua quidem adminiſtratione poſteriùs tractabimus.

CAPVT IV.

De Thamarindis.

Qualitates. QVid ſint thamarindi, & quid hoc nomen ſignificet, non ego multum laboro cum id nobis certum debeat eſſe, ſiue ſint dactyli Indici, ſiue prunorum aliquod genus, ſiue aliud, Arabum inuentum ac medicamentum eſſe, quod apud Meſuen ſecundo, apud Auerrhoen tertio ordine refrigerandi & exſiccandi facultate præditum eſt: inter cætera autem medicamenta lenientia, quod experientia confirmat, leuiſſimum eſt, adeo vt ſi ſolum exhibeatur, tardè admodum & debiliter aluum moueat: ſed potiſſimùm flauam bilem exuſtoſque purgat humores, quod tam præclare facit, vt hac in re cætera omnia lenientia medicamenta facilè ſuperet.

Correctio. Verùm thamarindi duo videntur ſecum afferre incommoda; alterum, quòd nocent frigidum ventriculum habentibus, cui ſuccurritur maſtiche illis impoſito, item cinnamomo, ſemine aniſorum, aut re ſimili: alterum, quòd vehementer adſtringunt, qua ratione etiam ſæpius vos monui & teſtatus ſum, in principio febrium putridarum, in quibus potiſſimùm vobis propoſitum eſſe debet meatus aperire, ac totum corpus reddere tranſpirabile, vt ab illis abſtineatis, niſi forte admodum modica eorũ quantitate velitis aut caſſiæ, aut mannæ, aut alterius medicamenti vitium corrigere: contrà verò in fluxu ſanguinis narium, in fluxu muliebri, in eryſipelate, & aliis huiuſmodi morbis ex bile oriundis, niſi febris adfuerit; iam tutò & ſumma cum vtilitate licet illis vti.

Vſus. Thamarindi ſolent exhiberi dupliciter, vel purgata pulpa à nucleis, facto bolo, vel facta eorum decoctione. Doſis pulpæ à *drach.* x. vſque ad xii.

R. Pulpæ thamarindorum purgatæ à nucleis drach. xij.
Specierum diarrhodon ℈. ij. M.

Doſis. Doſis autem decocti apud Meſuen eſt ad *vnc.* ij. vſque ad v. quæ ſanè doſis eſt nimis magna & immoderata, neque puto reperiri aliquem qui *vnc.* ij. thamarindorum audeat tranſcendere: in qua quidem decoctione bene monet idem Meſue, thamarindos leuiter coquendos eſſe, quòd longior coctura eorum vires minuat atq; adimat: verùm vt dixi, medici rarò admodum ſolis thamarindis vtuntur, ſolent autem frequenter permiſceri caſſiæ, mannæ, ſyrupis roſato & violato ſolutiuis, & ſimilibus.

Sint exempla

R. Flor. caſſ. nou. extra.
Pulpæ thamarindorum ana drach. v.
Pulueris ſeminum aniſorum drach. ſem. M.

R. Mannæ Calabrenſis electæ vnc. iij.
Pulpæ thamarindorum drach. ij.
Decoctionis cichorei q. ſ. M.

Sæpe etiam diſſoluuntur manna, ſyrupi roſaceus, violaceus, & alia medicamenta cum decoctione thamarindorum, quorum exempla ſunt ſatis manifeſta. Hactenus de thamarindis.

CAPVT V.

De Myrobalanis.

INter medicamenta lenientia multi enumerant myrobalanos; ſed huic opinioni aduerſatur Auic. qui de illis hæc ſcribit, *prima quarti tract. 2. c. 7. Myrobalanos verò citrinos quidam adminiſtrauerunt, & dum inuenitur ab eis alia via, id eſt, adminiſtratio, aliarum medicinarum fiat, quoniam ipſi conſtringunt poros poſt ſolutionem ventris, & exaſperant viſcera: quod ſi fuerint neceſſarii, tunc adminiſtremur poſt integram digeſtionem.* Vtcunque autem hæc ſe res habeat, apud Arabes myrobalanorum ſunt quinque genera, flaua, chebula, indica ſeu nigra, emblica, bellirica, quæ omnia & forma & viribus inter ſe differunt, vnde forte etiam ex variis naſcuntur arboribus. Quoniam verò ego aut rariſſimè, aut nunquam, potiſſimùm in febribus, myrobalanis vti ſoleo, cum propter alias cauſas, tum maximè propter ſummam adſtringendi facultatem, propter quam, vt inquit Auic. ſolent obſtructiones excitari & foueri, & viſcera exaſperari, propterea de hoc medicamento mihi non libet longiùs agere: ſi quis plura cupit, is Meſuen videat, qui omnium myrobalanorum naturam, differentias, vires, præparationem, doſim, & omnia complectitur, quæcunque ad illorum cognitionem & adminiſtrationem neceſſaria ſunt.

CAPVT VI.

De Aloe.

MEſues aloen medicamentorum purgantium præſtantiſſimum, & propter ſuam quandam prærogatiuam excellentiſſimum appellat, atque ex omnibus purgantibus medicamentis, quæ omnia aſſerit principibus partibus noſtri corporis inimica eſſe, vnam aloen excipi, quæ quidem non ſolùm eas partes roborat, illarúmque actiones iuuat, ſed etiam cæteris mixta validioribus medicamentis illa corrigit ac reddit meliora. Sed forte hæc ſententia Meſues omni ex parte non eſt recipienda, ſiquidem Gal. multo cautius de aloe loquitur neque tantas laudes illi tribuit, qui ſcribit *6. de ſimpl. med.* illam ventriculo gratam eſſe non ſimpliciter, ſed ſi ad reliqua medicamenta comparetur, imò verò idem ſcribit *8. de med. ſecundum locos 2.* illam quoque indigere mixtione aliorum medicamentorum, quæ medicamentariam illius vim frangere poſſint, qualia ſunt maſtiche, cinnamomum, & alia id genus.

Aloe apud Gal. ſicca eſt ordine tertio, calida autem ordine primo intensè, aut ſecundo remiſsè: ventrem mouet, & eſt ex numero eorum medicamentorum, quæ ab excernendis fæcibus alui vulgo *ſtercoraria* nominantur. Apud Meſuen bilem pituitamque purgat, quod intelligendum eſt de iis humoribus, qui in ventriculo continentur, ſiquidem dicit Galen. *8. de medic. ſecundum locos 2.* aloen Qualitas.

vim debilem purgatoriam habere, atque illa tantum poſſe purgare, quæ circa aluum reperiuntur, & ad ſummam ſi ampliore menſura exhibeatur, vſque ad locos circa hepar aſcendere, adeo vt nullo modo aloe, aduerſus multorum opinionem, totius corporis purgatoria exiſtat: ſic Galen. 7. *metho.* 11. aloe modicè purgat, adeo vt vis illius ſuper ventriculi & inteſtinorum loca non aſcendat, aut ſi quid vltra, vaſa tantum in meſenterio contingat. Sic apud Paulum *lib.* 7. *c.* 4. aloe vniuerſum corpus non mouet, niſi multo copioſius quàm conueniat offeratur.

Contradictio. Etſi quis nobis objiciat Gal. qui aliter videtur ſentire *in lib. de Theriaca ad Piſonem c.* 4. vbi enumerans ſimplicia medicamenta quæ compoſitas & varias vires habent, hæc ſcribit: *Puluis aloes & ſquama æris carnium excreſcentias in vlceribus comprimunt, & fluentes humores ſiccant, ore autem ſumpta corpus totum purgant*: à qua manifeſta contradictione nonnulli putant vix Gal. poſſe defendi.

Equidem huic reſponderem, Gal. ſoli aloæ non tribuere vim purgandi totius corporis, ſed aloæ ſimul cum ſquama æris, quod item de cæteris purgantibus medicamentis ſtatui poteſt, quibus commodè aloe ſolet permiſceri. Vel aliter reſponderem, aloen non primò & per ſe, ſed per accidens & ſecundariò communem vim purgatricem obtinere.

Facultas. Etſi verò aloe purgat vtrumque humorem, bilem & pituitam, tamen ita habendum eſt ex Gal. illius præcipuam facultatem eſſe trahendi humoris bilioſi, ac propterea bilioſarum ventris affectionum præſtantiſſimum eſſe medicamentum, adeo vt vnica die multos ſtomachicos ſæpenumero ſanet, cum altera ex parte humores craſſos, ob purgatoriæ facultatis debilitatem trahere non poſſit: ex quo, inquit Gal 6. *de tuenda valet.* 10. excogitata eſt ſalubritet compoſitio, quam pictam vocant, quæ acrimonia caloreque eorum quæ in ſe habet, craſſos & lentos humores deſiccat ac detergit. Verùm & illud ſciendum eſt, quod monet Gal. locis citatis 7. metho & 8. de comp. med. aloen duplicitet & lutam & illotam poſſe adminiſtrari, inter quæ illud intereſt, quod quæ illota eſt, valentiùs purgat, quæ verò luta eſt, purgat quidem minus, ſed ventriculum magis roborat, necnon de vi medicamentoſa multum deponit, adeo vt liceat aloen lotam febricantibus exhibere, dummodo non vehemens, ſed valde debilis febris fuerit, ſicuti altera ex parte idem teſtatur Galen. aluen illotam non ſine magno periculo febricitantibus poſſe exhiberi: ac ſane in leuioribus febribus, quales ſunt interdum tertianæ & quotidianæ nothæ, equidam ſoleo non abſtinere à moderato vſu aloes hieræ ſimplicis, ac maximè ſimul cum cæteris medicamentis, quemadmodum inter cætera omnia eſt caſſia, de qua mixtione iam ſæpius diximus.

Quotidianus aloes vſus improbatur. Inualuit iampridem conſuetudo apud multos, ac potiſſimum. Venetiis, vt ferme ſingulos dies aloen aſſumant, vt hac ratione corpus liberum conſeruent non ſolum à craſſioribus excrementis, ſed etiam à ſuperfluis humoribus, ex quibus varia mala hominibus ſolent oriri: in quam præcipuè opinionem puto illos veniſſe, propter auctoritatem & teſtimonium Meſuæ, qui ait crebrum aloes vſum inſtrumenta ſenſuum & corpus reliquum ab omni inſanabili affectu immune conſeruare: itaque & mane & veſpere, & in prandio, & in cœna, ſed potiſſimum poſt cœnam dormituri aloen aſſumunt; quod quidem inſtitutum grauiter improbat Galen. verbis planè aureis, quæ ſunt huiuſmodi 3. *aph.* 15. *Euacuatio ſuperfluitatum, quæ fit per purgantia medicamenta, valde indigentibus & longo tempore vtilis eſt, earum verò quæ quotidie generatur in corpore ſuperfluitatum euacuatio, minor eſt quam pro medicamenti purgatis efficacia*: quod ſi quiſpiam voluerit bis in menſe, aut ſemel ſaltem, ea vti, vetitus ne ſuperfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet conſuetudinem.

Senibus inutilis aloe. Præter ea quæ diximus, mihi libet vos admonere, in quo video multos errare, nimitum inter cæteros omnes homines ſenibus ab aloe abſtinendum eſſe, quod Galen. diffuſè demonſtrat 5. *de tuenda valet.* 9. qui altera ex parte varia commemorat medicamenta, mercurialem, marinam braſſicam, reſinam terebinthi, & alia id genus, quibus ad mouendam aluum ſenes tuto vti poſſunt.

Porrò aduerſus illos qui aloe poſt cœnam vtuntur, multa poſſent afferri, ſed vnius Pauli auctoritas ſufficiat in præſentia, qui *lib.* 7. *cap.* 4. *initio*, hæc habet *Qui veſpere aloen propinant, vel à cibo, lædunt, quoniam alimentum in membra diſtrahit*, &c. Pariter multa poſſent diſputari, vtrùm aloe aperiat ora venarum nec ne: de qua re medici recentiores acriter litigant: ſed hæc à præſenti noſtro inſtituto ſunt aliena. Veteres medici aloe duplici potiſſimum ratione vtebantur; vna, puluere inſperſo alicui liquori: altera, confectis pilulis vel alia forma ſolidiore: quam vtramque rationem expreſſit Gal. 5. *de tuenda valet.* 9. Itaque doſis aloes infuſæ fuerat à ℥. j. vſque ad ℥. iij. ſubſtantiæ à ʒ. j. vſque ad ij. *Doſis.* ſed hoc tempore propter inſignem illius amaritudinem vix aliquis reperitur, qui aliter quàm pilulis aloen velit accipere.

Catalogus lenientium ſimpl. Præter hæc ſunt alia multa ſimplicia medicamenta, ad leniendam aluum accommodata, de quibus paſſim medici mentionem faciunt, qualia ſunt pruna, ſebeſten, fex vini quam vulgo *tartarum* appellant, malua, mercurialis, beta, atriplex, braſſica ſemicocta, terebinthina, & vulgaris & Cypria, & alia huiuſmodi: verùm cum ea ferè ſint leuiora, ac potius inter alimenta quam medicamenta debeant recenſeri, addo cum per temporis anguſtias non liceat de ſingulis tractare, iis contenti erimus, quibus hoc tempore medici familiariter vtuntur. Itaque ad medicamenta lenientia compoſita accedamus.

CAPVT VII.

De compoſitis Aluum lenientibus, & primum de Hiera.

INter compoſita aluum lenientia hiera ſimplex, mea ſententia, principem locum obtinet, de quo quidem medicamento, variaque illius præparatione, doſi, ac viribus, quoniam diximus diffuſè tractantes morbos ventriculi, in præſentia mihi libet ſummatim ea tantùm repetere, quæ ad rem præſentem pertinent. Primùm verò nulli dubium eſſe debet, quin hiera inter medicamenta lenientia debeat referri, cùm nihil recipiat præter aloen, quod aluum poſſit mouere, vt certè neſciam, qua ratione moti nonnulli aliter ſentiant.

Quis auctor hieræ. Huius medicamenti auctorem multi putant fuiſſe Galenum, qui falluntur; quidem illud multos annos ante Galenum celebre fuerat, atque illius auctor creditur fuiſſe Andromachus teſtimonio ipſiuſmet Galen. 8. *de medicam. ſecundum locoſ* a.

Variæ autem apud veteres & Gal. fuere huiuſmodi medicamenti compoſitiones, quarum Galen. mentionem facit variis locis, ſed præcipuè a. *de medicam. ſecundum locos* 3. necnon 7. *method.* 11. Sed *Duplex hieræ præparatio* illud iuniores debent ſcire, ſicuti Galeni tempore

ita

ita apud noſtros aromatarios in præſentia hieram dupliciter præparari, vel ſine melle, & vulgo ſpecie hieræ appellatur; vel cũ deſpumato melle in forma electuarij, & ſimpliciter hiera ſimplex dicitur: quæ quidem inter ſe differunt, Galeni teſtimonio, quòd mellita gratior quidem, durabilior, & magis purgans euadit, ſed ventriculum minus roborat, & aluum magis deiicit, quam altera.

Facultas. Hieræ præcipuus eſt vſus ad purgandum, maximè ex ventriculo, inteſtinis, & venis meſaraicis, bilem flauam & pituitam, non modo tenuem, tunicis ventriculi altiùs adhærentem, ſed multo facilius eam, quæ in eius cauitate continetur.

Vſus. Antiquiores, ſicuti diximus de aloe, huiuſmodi medicamento vti conſueuerunt ex aqua vel potione, ſicuti hodie quoque nonnulli faciunt, quod certè eſt valde mirum, cum ſit medicamentum cæterorum omnium amariſſimum: nos hiera vtimur familiariter in bolo, vel catapotiis, quæ vel melle roſaceo, vel ſyrupo, vel alia re humida facile in eam formam deducitur.

Doſis. De doſi huius medicamenti maxima eſt difficultas, & repugnantia apud Gal. qui *8. de med. ſec. locos* ſcribit, ſummam doſin eſſe ʒ j. alias verò vſque ad ʒ vj. aſcendit, de qua re alio tempore egimus: nunc illud ſufficiat, quod puto eſſe ad mentem Galeni, & quod longiori vſu mihi confirmatum eſt, ſpecies ſeu puluerem hieræ à ʒ iij. vſque ad vj. alteram autem mellitam à vnc. viij. vſq; ad xij. cõmodè & tutò poſſe exhiberi. Verùm, quod ſæpe vos monui, hiera commodiſſimè aliis medicamentis ſolet permiſceri, quorum operationem præclarè iuuat, & vitia corrigit, præcipuè verò ego illam ſoleo permiſcere cum caſſia, vel cum electuario lenitiuo, de quo dicã paulo poſt: vel ſoleo exhibere hieram, & illi addere mel roſaceum ſolutiuum, quod ſtatim ab hiera ſumendum eſt: & ſint exempla vtriuſq; modi.

> ℞. *Caſſiæ, vel, electuarij lenitiui vnc. x.*
> *Specierum hiera ſimp. vnc. ij M. & f. bol.*
>
> ℞. *Specierum hiera ſimp. vnc. iij.*
> *Mellis roſ. ſol. q. ſuf. M. F. bol. & auretur.*
> *Mellis roſati ſol.*
> *Decoctionis betonicæ parum. M.*

quod, vt dixi, ſtatim poſt bolum ſumendum eſt.

Loco hieræ nonnulli vtuntur pilulis aromaticis, quas aloephanginas vocant, deſcriptas à Meſue, quæ præter aloen nihil purgans recipiunt, vnde commode poſſunt adminiſtrari: quarum doſis eſt à ʒ ij. vſq; ad iij. circiter. Alij addunt pilulas maſtichinas, de trib. cum rhabarbaro, & ſimiles, ſed cum hæc recipiant agaricũ, rhabarbarum, & alia purgãtia medicamẽta, inter lenientia non debent reponi.

Capvt VIII.

De ſyrupo roſaceo ſolutiuo

POſt hieram occurrit ſyrupus roſaceus ſolutiuus, quem, etſi non ignoro nonnullos aliter ſentire, & ratio & experientia confirmat, inter medicamenta lenientia numerandum eſſe, dummodo in moderata congrua doſi exhibeatur. Conficitur ex multiplici roſarum infuſione, quas roſas ſcribit Gal. 4. *de ſimp med vlt.* ex tribus partibus conſtare, vna terrea, craſſa & frigida: altera amara, tenui & calida, tertia aquea, quæ neceſſario quidem eſt frigida, ſed in tenuitatis craſſitudiniſque oppoſitione quodammodo media exiſtit: ex quibus propter partes humidiores & calidiores necnon propter ſaccharum, leniendi & purgandi vim acquirit. *Facultas.* Itaque facultas huius ſyrupi illa eſt, vt ex ventriculo & primis viis ducat tenuia & aquoſa excrementa, & admodum placide; præterquam quod flatus ſolet excitare & tormina ventris, iis præſertim qui ventrem habent imbecillum & calorem debilem veluti ſunt mulieres: quare opportune in liquoribus, quibus diſſoluitur, antea decoquuntur aliqua flatum diſcutientia, niſum, fœniculum, cinamomum, & alia id genus. *Correctio* Nouus eſt ſyrupus, & non ante multos annos cœpit parari: apud nonnullos rhodopharmacum appellatur, hoc eſt medicamentum ex roſis. Annum vnum perdurat, ſed tamen ita vt quo recentior, eo vtilior, quo vetuſtior. *Doſis.* Doſis eſt vſque ad ℥ iiij. circiter.

> ℞. *Syrup. roſ. ſol. ℥ iiij.*
> *Decoctionis acetoſæ,*
> *Seminum anſorum q. ſuf. M.*

Verùm frequentiſſimè ſolet permiſceri aliis medicamentis, neque ſolum lenientibus, ſed etiam purgantibus, vt poſterius videbimus.

Dolus pharmacopœorũ. Illud ſciendum eſt, nonnullos aromatarios hunc ſyrupum malitioſè præparare, qui prætermittentes congruam roſarum infuſionem, quæ nouies ac decies fieri debet, vt medicamentum copioſius aluum deiiciat, ſolent ſcammonium permiſcere: quam impoſturam duplici ratione licet deprehendere; vna, quoniam maior amaritudo quam conueniat in ſyrupo percipitur: altera, quia tunc vacuatio ſuccedit admodum copioſa & laborioſa, vt nonnunquam ad dyſenteriam, vel ſaltem diarrhæam terminet. Ex hac eadem roſarum infuſione & melle, loco ſacchari, alter ſyrupus præparatur, qui mel roſaceum ſolutiuum dicitur, neque ij duo ſyrupi aliter inter ſe differunt, niſi quod ille ex ſaccharo, hic ex melle præparatur, ex quo ille quoque vtcunque frigidior, hic autem calidior euadit, vnde commode in naturis, morbis, corporibus calidioribus, ſyrupus roſaceus, ſicuti contra in naturis, corporibus, & morbis frigidioribus, mel roſaceum adminiſtratur.

Syr. ex. flor. Præter infuſionem roſarum vulgarium nonnolli recentiores conficiunt ſyrupum ex illis roſis albis, quæ vulgo apud nos *moſchette* appellantur. *Perſicor.* Nonnulli etiam alterum ſyrupum conficiunt ex floribus Perſicorum, quos duos ſyrupos ex ſexta, aut ad ſummum ſeptima infuſione audio abſolutos fieri: quibus tribuunt facultatem purgandiślioſa & tenuia excrementa: ergo eorum nunquam periculum feci, quicunque voluerit, hæc quoque poterit experiri: ſed puto huiuſmodi ſyrupos maiori cum moleſtia & labore, quàm alteros vulgares purgationem facere.

Capvt IX.

De ſyrupo violaceo ſolutiuo.

Syr. violaceus. SIcuti ex roſis, ita quoque ex violis purpureis præparatur ſyrupus, qui violatus ſolutiuus dicitur, & inter medicamenta lenientia numeratur; ſiquidem violæ etſi frigidæ ſunt & humidæ, tamen habent quaſdam partes viſcidas, quæ potiſſimum vnà cum ſaccharo poſſunt aluum lubricam reddere & lenire. *Facultas.* Atque hic quidem ſyrupus cum præcipue purget bilem, & aliquid pituitæ, quæ continetur in ventriculo & inteſtinis, tamen creditur habere peculiarem prærogatiuam in morbis pectoris; quare in pleuritide & omnibus affectibus thoracis calidioribus maxime conuenit: ſed mea ſententia, generaliter ad febres vehementes & ardentes, & vbicunque inſigni refrigeratione opus eſt, admodum feliciter poteſt & debet adminiſtrari. Sed animaduertendum eſt, hunc ſyrupum non leuiter ventriculum diſſoluere, & labefactare, vnde cum ſit vulgare præceptum Gal. 8. *de med. ſec. locos, initio, 13. metho.* ventriculum, ſicuti & iecur iis perpetuò opus habere, quæ vtcunque roborent & adſtringant, nunquam huiuſmodi ſyrupum exhibeatis, quin illi permiſceatis ſemina aniſorum, cin-

Google

namomum,& alia id genus quæ ventticulum poſſunt roboiate : idquod potiſſimùm fieri debet in mulieribus & reliquis,qui habitum corporis & calorẽ habent debilioiẽ.Ego iuſſi aliquando, vt quo tẽpore coonficitur ſyrupus ſimul cũ eo portioncula maſticis decoqueretur,quod præclarè illius malitiã corrigit,vt deinceps aliis corrigentib.opus non ſit.

Tempus durationis. Hic ſyrupus longioti tempote durat, quã roſaceus, nimitum vſq, ad bienoium, dummodo probè conficiatur:quod ego fieri puto , quoniã ſicuti dixi , violæ habent quaſdam partes viſcidas quæ non ita facilè diſſoluontur. Verùm , circa illius præpatationem aromatarij ſunt admonendi , primùm vt aſſumant violas minimè languidas , ac ferè exſiccatas, ſed quãprimum incipiant appatere , atque integras adhuc vires habeant, & quæ,ſi fieri poteſt,ſint omnis pluuiæ expertes:tales enim ſuot præſtantiſſimæ ; ſecundò , vt facta violatum infuſione, ſine mora ſtatim integrum ſyrupum conficiant qui ex mixtione & virture ſacchati lõgè melius conſeruatur, cum altera ex parte , quod prope omnes atomatarij faciont,ſi longioti tempotis ſpatio eiuſmodi aquas & infuſiones cuſtodiant , ex quibus poſtea ſucceſſiuis temporibus ſolent ſyrupos conficere propria, medicamentis vis euaneſcat & deperdatur. Doſis eſt vſque ad ℥.iiij. ſicuti de ſyrupo roſaceo diximus: & ſit exemplum:

Doſis.

℞. *Syrupi viol. ſol. vnc. iiij.*
Decoctionis borraginis,
Seminum aniſorum q. ſuf. M.

Sed hic quoque ſyrupus violatus,ſicuti roſatus, aliis medicamentis partim lenientibus, partim purgantibus ſolet permiſceri, quod ſuprà diximus, & dicemus poſterius.

Mel violatũ ſolutiuum. Poſtremò autem ex hac violarum infuſione & melle conficitur alter ſyrupus, qui mel violatum ſolutiuum dicitur inter duos ſyrupos illa vna eſt differentia , quam mixtio vel ſacchari , vel mellis poteſt afferre, ſicuti de ſyrupo roſato & melle roſato dictum eſt Præter huiuſmodi ſyrupos , quorum vſus apud omnes medicos eſt frequentiſſimus, ſunt alij ſyrupi , quibus nonnulli ad deiiciendam aluum , familiariter vtuntur, quales ſunt ſyrupus de cichorea compoſitus cum rhabarbaro,de fumo terræ compoſitus de pomis compoſitus de epithymo,de polypodio,& ſimiles.Verum ego omnia iſthæc medicamenta,aut certè maxima ex parte cenſeo minimè lenientia , ſed potius purgantia eſſe , quod ex ingredientibus medicamentis facile nobis licebit intelligere , qualia ſunt rhabarbarum, polypodium,epithymum, helleborus, & ſimilia , & in principio morborum ego nunquam ſoleo illis vti:quare de iis longius agendum non eſt.

Capvt X.

De Electuario lenitiuo.

De Electuario lenit. DEmum verò inter lenientia medicamenta numerantur multa electuaria , quæ apud officinas vulgaria ſunt,ac primum & eſt electuarium lenitiuum , quo medici prope omnes hoc tempore vtuntur frequentiſſimè : verum ego tali medicamento aut tardò admodum , aut nunquam vti conſueui, partim quod non omni ex parte mihi videtur præſtare,quod nomen promittit,ſiquidem propter ſenam & polypodium nonnullos audio & turbith & ſcammonium addere , qua ratione lenientis medicamẽti terminos excedit; partim quod recipit mercurialem , quæ ventriculum non leuiter labefactat , necnon pruna , thamarindos, & omnia myrobalanorum genera, quæ inſigniter adſtringunt:vnde in reliquis morbis parum & tardò, in febribus autem minimè & nunquam videtur conuenire. Deſcriptio huius electuarij reperitur tantummodo apud aromatarios , & quis fuerit illius auctor,ignoratur. Doſis eſt à ʒ.viij.vſq; ad xij. *Doſis.* Aſſumitur autem & paratis bolis,ſicuti caſſia,& facta potione , & tunc familiariter ſyrupis, roſato & violato ſolutiuis permiſcetur,& ſint exempla :

℞. *Electuarij lenitiui drac. x.*
Seminum aniſorum drac. ß. Miſc.

Sit exemplum potionis :

℞. *Electuarij lenitiui ℥. j.*
Syrupi roſati ſol. vnc. j. ß.
Decoctionis borraginis,
Seminum citri.q. ſuf. M. F. Potio.

Capvt XI.

De Electuario Diacathol. Diacaſſia, Diaſena, &c.

Diacatholicon. SEcundo loco eſt electuarium , quod diacatholicon appellatur ,quod admodum celebre & vſitatum eſt,ſed neque iſtud,mea ſententia , debet inter lenientia reponi,cum recipiat ſenam,polypodium,rhabarbarum,quæ certum eſt propriam purgandi facultatem obtinere;quare de illo inter medicamenta purgantia tractabimus.

Præterea ſunt alia multa electuaria,vt diaſebeſten,diacaſſia,diaſena,diamanoa, diaprunis, & alia id genus, quibus quidemetſi vulgares medici frequenter vtuntur,ego nunquam vti ſoleo,dummodo non deſint ſimplicia medicamenta:nam præter cætera incommoda quæ ſecum afferunt,id maximi eſt momenti, quod omnia recipiunt caſſiam,quæ , vt ſupra diximus , breui ſaltem tempore à corruptione poteſt immunis conſeruari , præterquam quod caſſia ſi decoquatur,vt fit in his componendis electuariis , facile euaporat ac vires amittit: itaque vos quoque hortor, vt ab illis abſtineatis , ac potiſſimum in febribus,vbicunque ſimplicia licet adminiſtrare.

Capvt XII.

De Electuario Diaſebeſten.

Diaſebeſten. ELectuarium diaſebeſten deſcribitur à Bartholomæo Montagnana ſeniore , celeberrimo ſui temporis medico, quod aiunt in affectibus renum peculiarem prærogatiuam habere ; ſed præter incommodum ex caſſia conficitur cum aqua anguriæ,quam Auic. & Serapio teſtantur maximè eſſe corruptioni obnoxiam : præterea nihil prope in ſe habet,quod ventriculum & hepar corroboret ; ac *Incommoda.* demum multa frigida, adſtringentia & obſtruentia illud ingrediuntur , quæ à proba medicamenti compoſitione deficiunt. Hoc electuarium eſt duplex,alterum ſimplex,ſine ſcammonio,cuius doſis eſt ad ʒ. xij.alterum compoſitum , cum ſcammonio,de quo poſterius tractabimus. *Duplex.* Cætera quoque in proximo ſup. cap. dicta electuaria hæc fere eadem incommoda continent , neque ab electuario diaſebeſten multum differunt : quare ego itidem cenſeo ab illorum vſu abſtinendum eſſe,neque de iis longius agendum.

CAPVT XIII.

De Electuario Diaprunis ſimpl.

Diaprunum. VEruntamen præ cæteris mihi libet electuarium diaprunis eximere : quod ex carne prunorum & ſacchato conficitur , quod fortaſſe originem habuit ab iis, quæ tradita ſunt à Gal. 2. *de alim.facult.* 13. vbi docet , pruna ac potiſſimum Hiſpana & Damaſcena aluum mouere. Quare ſi hoc

Digitized by Google

hoc electuarium probè conficiatur, atq; ex prunis dulcibus & maturis, minimè immaturis & acerbis, vt vulgaris habet deſcriptio, inter cætera omnia lenienta medicamenta ſatis facile & tutum videtur. Atq; hactenus de medicamentis lenientibus tam ſimplicibus, quam compoſitis.

Capvt XVI.

De Syrupis.

De medicamentis concoquentibus humores.

CONſtar apud Gal. & omnes medicos, concoctionem fieri à calore naturali: quoniã verò ſæpe euenit, vt multa ſint impedimenta, tam ex parte humorum coquendorum, quàm ex parte caloris concoquentis, pertinet ad medicum, huiuſmodi impedimenta, quantum fieri poteſt, corrigere & auferre: quare ſi calor fuerit vehementior vel debilior quàm naturæ conueniat, ille iuuandus, & ad ſtatum naturalem deducendus eſt: pariter ſi humores ſint calidiores, frigidiores, craſſiores, & c. refrigerandi, calefaciendi, attenuandi ſunt: qua ratione temperato calore, præparatiſque humoribus, proba fit concoctio, in qua pars materiæ coquendæ vertitur in ſubſtantiam coquentis, pars verò inutilis ad expulſionem paratur. Cæterum etſi multa ſunt medicamenta, quæ huic muneri ſunt deſtinata, & vulgo *concoquentia* appellantur, tamen inter ea ſyrupi primum locum obtinent, quibus medici frequentiſſimè ac ferè ſemper vtuntur: quare cæteris prætermiſſis, de ſyrupis tantummodo agendum eſt. Neque verò hoc loco ſtatui longius demonſtrare, huiuſmodi medicamenta, & ſyrupos non fuiſſe inuentum recentiorum medicorũ, vt nonnulli opinantur, ſed illud eſſe antiquiſſimũ: ſiquidem Hipp. Dioſc. Gal. & omnes medici familiariter vtebantur mulſa, oxymelite, decocto hyſſopi, origani, & ſimilium, quæ aut parum, aut nihil à noſtris ſyrupis differunt, id quod puto manifeſtius, quàm vt indigeat longiori demonſtratione. Neque ita laborandum eſt de hoc nomine *ſyrupi*, vel vt latiniores ſcribunt, *ſerapii*: etenim quodcunq; fuerit hoc nomen, ſiue Græcum, ſiue Arabicum, & quomodocunque appelletur, nihil refert: quare ad noſtrum principale propoſitum ſtatim deuenio, quod fuerat, vos docere rationem, qua ad coquendos & præparandos humores probè diſcaris ſingulos ſyrupos diſtinguere & adminiſtrare. Vt autem facilè hanc rem intelligatis, ſciendum eſt tres potiſſimum eſſe humores, bilem, pituitam, melancholiam, qui à ſuo ſtatu naturali recedentes, correctione, præparatione, & concoctione indigent: nã quatenus pertinet ad ſanguinem, cum nunquam liceat per medicamenta illum educere, idcirco neque vlla videntur eſſe medicamenta propria, quæ ad illius concoctionem ſint accommodata: quod ſi omnino ille quoque, propter nimiam caliditatem vel craſſitiem, vel aliam cauſam à ſuo ſtatu naturali degeneret, & aliquam temperationem requirat, qui ſyrupi ad coquendam bilem ſunt apti, iidem ad corrigendum & moderandum ſanguinem quoquomodo ſunt opportuni. Et ſi quis præterea quintam humiditatem obiicere velit, nempe omnium humorum aquoſitatem, quam nonnulli *ichorem*, nõnulli *ſerum* vocant, quod nonnunquã in venis, ſed frequenter in cauitate ventris reperitur, & purgatione indiget: huic reſpondendũ eſt, huiuſmodi ichoroſa & ſeroſa excremẽta aut nulla indigere concoctione, ſicuti aliàs demõſtrauimus, aut hoc munus perficere, quæcunque cæteros humores ac totum ſanguinem poſſunt mundificare, & tali excremento ſecernere.

An ſit inuentum recentiorum.

Capvt XV.

De Syrupis concoquentibus Bilem.

Syrupi bilē coquentes.

ITaque incipiamus à ſyrupis concoquentibus bilem: etſi verò illi ſunt multiplices, tamen cum huiuſmodi humor, quicunque ille fuerit, ſit calidus & ſiccus, præſertim vbi febrem excitat, omnes in eo debent conuenire vt refrigerandi & humectandi vim habeant. Sed hac in re diſtinctione opus eſt: nam ſi humor valde calidus & tenuis fuerit, ille quidem refrigerantia, ſed minimè attenuantia requirit, ac potiſſimùm, niſi febres vel obſtructiones adfuerint; quales ſyrupi refrigerantes quidem, ſed minimè attenuantes, minimè abſtergentes & aperientes ſint, violatus ſimplex, de nenuphare, de papauere, de agreſta, de granatis, de lactuca, portulaca, plantagine, & cæteris id genus. Si verò huiuſmodi humor calidior & craſſior fuerit, adſitque ſuſpicio alicuius obſtructionis, tunc planè ab iis ſyrupis abſtinendum eſt: niſi ſimul quædam aperientia illis permiſceantur; ex quibus primi & præſtantiores ſyrupi occurrũt oxymel, & ſyrupus acetoſus, quos quidem duos ſyrupos ſciant iuniores in eo tantùm inter ſe differre, quòd oxymel ex melle, ſyrupus autem ex ſaccharo præparatur: quare etſi vterq; refrigerat, incidit, abſtergit, aperit, nihilominus nullum dubium eſſe debet, quin oxymel ratione mellis quoquomodo minus refrigeret, ac magis detergat & aperiat, quàm ſyrupus acetoſus: vnde quotieſcunque vobis propoſitum fuerit magis refrigerare, ac minus abſtergere, ſicuti, exempli gratia, in tertiana exquiſita, ſyrupum acetoſum, quotieſcunque autem volueritis minus refrigerares, ac magis detergere, vt in tertiana notha, tunc oxymel licebit adminiſtrare. Verùm ſciendum eſt, apud antiquos multa fuiſſe genera oxymellis, nempe oxymel Iuliani, cuius meminit Gal. 2. *de med. ſec. locos.* 1. Paulus *lib.* 3. 13. oxymel ſpleneticum, oxymel pro calculoſis, quorũ item Paulus mentionem facit *lib.* 7. 11. & alia id genus: hoc autem tempore tres duntaxat oxymellis ſpecies apud aromatarios reperiuntur, oxymel ſimplex, oxymel compoſitum, oxymel ſcylliticum. Quatenus verò pertinet ad oxymel ſimplex, poſtremò notandum eſt de illo Hip. *lib.* 3. *de ratione victus in morbis acutis*, diffusè pertractare, atque illius compoſitionem, vtilitates, nocumenta, nec non adminiſtrationis rationem recenſere, pariter Galenum in conſilio pro puero epileptico; nec non 4. *de tuenda val.* varias illius compoſitiones commemorare, nempe ex maiori vel minori tum mellis, tum aceti quantitate, vt & morbus & guſtus ægroti videbatur poſtulare, qui miratur medicos, quicunque ſub vna determinata menſura id ſolent conficere, ſicuti hoc tempore vulgo fieri ſolet: quos quidem medicos inquit Galen. perinde agere, atque illos, qui volunt omnes bibentes pariter eadem menſura vino aquam permiſcere, non aduertentes, quibuſdam qui dilutiori potui erant aſſueti, caput ſtatim tentari ſi paulo meracius biberint, quibuſdam qui meraciori potu delectantur, ſi magis dilutam biberent, ventriculum ſubuerti: quare concludit hunc ſyrupum minimè vna menſura parandum eſſe, ſed ex guſtu ſumentis de illo iudicium faciendum eſſe, qui ſtatuit, oxymel naturæ ſumentis fore vtile & conuenientiſſimum, quod vtique iucundiſſimum eſt: contra aduerſiſſimum, quod iniucundum exiſtit.

Syr. aceto-ſus.

Varia oxymellis ſpecies.

De vſu tum ſyrupi acetoſi in præparandis & coquendis humoribus calidis, frigidis, tenuibus, diffusè diximus.

Con

Syrupi caeteri. Cæterum imitatione oxymellis & ſyrupi acetoſi ſunt alij multi ſyrupi, qui homectandi, refrigerãdi, leuiter abſtergendi, & aperiendi vim habent, & ad coquendam bilem ſunt accommodati ſyrupi de cichoria, & de endinia, qui & ſimplices & compoſiti præparantur, de ſucco acetoſæ, de ſoncho, de bugloſſa, de acetoſitate citri, de farfara, roſatus recens, & ſimiles, ex qoibus placet multis medicis, nonnullis certis quibuſdam partibus & determinatis proſpicere, exempli gratia, ſyrupum roſarum tecentem capiti; ſyrupum de ſucco acetoſæ, de bugloſſa, cordi; violarum, de farfara, thoraci; de cichorea, de endiuia, iecori, & ſimilia: de qua re, & vtrùm medicamenta propria membra poſſint vel alterando, vel purgãdo reſpicere, eſt inſignis coorronerſia apud medicos, nos aliàs tractabimus.

CAPVT XVI.

De Syrupis concoquentibus Pituitam.

PRætermiſſa differentia multiplici pituitæ, de quibus tractantes febrem quotidianam ſatis diximus, ſtatim ad noſtrum inſtitotum venio. Cum igitur pituita ſit humor frigidus, humidus, ac maiori ex parte ferè craſſior, ad ſui concoctionem calefacientibus, exſiccãtibus & incidẽtibus indiget: vnde ſyrupi ad hãc rem accõmodati, vt ſint calidi, ſicci, attenuaotes, & abſtergentes, neceſſarium eſt. Huiuſmodi autem ſyrupi ſunt multiplices inter quos primus ſeſe offert ſyrupus de betonica, cum enim, auctore Gal. *7. de ſimpl. med.* hæc herba ſit moderatè calida, amariuſcula & ſubacris, iure poteſt pituitam moderatè calefacere, attenuare, incidere, abſtergere, ac potiſſimùm accedente ſaccharo vel melle: namq; tametſi hic ſyrupus vulgo præparatur ex ſaccharo, ſi ex melle quoq; optimo cõficiatur, nullos mea ſententia error committeretur, imò verò forte magis calefaceret, exſiccaret, attenuaret, abſtergeret. Hic ſyrupus eſt duplex, alter ſimplex, qui ex ſucco betonicæ & ſaccharo paratur: alter compoſitus, qui alia multa recipit medicamenta, maioranam, ſaluiã, ſtœchadem, & alia id genus: qui quidem ſyrupus compoſitus altero ſimplici eſt efficacior. In hoc numero ponendi ſunt ſyrupi de hyſſopo, de praſſio, id eſt, marrubio, de mentha, de calamentho, de iua, id eſt, chamæpityde, de agrimonia, de arthemiſia, de matricaria, de ſtœchade, ſyrupus byzãtinus, ſyrupi de duabus & de quinq; radicibus, mel roſaceum.

De betonica ſimp. & cõpoſit.

Sed notandum eſt, omnes huiuſmodi ſyrupos habere quidem vim, ſicuti diximus, calefaciendi, attenuandi, abſtergendi & cõcoquendi pituitã: veruntamẽ admodum leuem habere vim incidendi; ſiquidem iſtud præcipuè & præclarè præſtant illi ſyrupi, qui recipiunt acetum, quod quidem propter tenuiſſimas quaſdam partes præclariſſimam incidendi vim obtinet, vt docet Gal. *3. de ratione victus 1. & 2. de ſimp. med.* inter quos ſyrupos acetũ recipientes oxymel ſimplex, & ſyrupus acetoſus ſimp. ex reliquis omnibus ſunt ſimpliciores & mitiores, qoos deinde quodã ordine ſequuntur oxymel compoſitum, ſyrupi de duabus & de quinque radicibus, byzantinus cum aceto, ac poſtremò eſt oxymel ſcilliticum, quod reliquorum omnium eſt efficaciſſimum.

Demum verò apud medicos receptũ eſt, huiuſmodi quoq; ſyrupos ad ſingulas corporis partes ferè eſſe accommodatos, exempli gratia, ſyrupum de betonica, de ſtœchade, ad caput: ſyrupũ de hyſſopo, de praſſio, ad thoracem: ſyrupum de mentha, mel roſaceum, ad ventriculum: ſyrupum de agrimonia ad hepar: ſyrupum de arthemiſia, ad vterum; ſyrupum de iua, ad articulos.

CAPVT XVII.

De Syrupis Melancholiam concoquentibus.

SEquuntur ſyrupi concoquentes melancholiam: ſed illud primum eſt memoria repetendum, quod diximus in curatione quartanæ, hunc humorem eſſe duplicẽm, alterum naturalem, qui eſt veluti fæx ſanguinis, & ſuccus melancholicus dicitur: alterum præter naturam; qui duplicem habet generationem: alteram ex ſanguine craſſo, alteram ex flaua bile immodicè aſſata, & atra bilis nominatur: vnde cum vterq; indigeat concoctione, pro varia huiuſmodi natura varij quoque ſyrupi debeot adminiſtrari. Itaque ad coquendam melancholiam non naturalem, ac potiſſimom ſi ex flaua bile vſta originem habuerit, iidem ferè ſyrupi ſunt accommodati, quibus pro coctione bilis diximus, cum pariter hic humor refrigerantibus & humectantibus iodigeat, quibus licet addere ſyrupom de de pomis ſimplicem, de bulgloſſa, de borragine, & ſimiles. Si verò melancbolia fuerit naturalis, hic humor ad ſui concoctionem ſyrupos quoquo modo vehementiores & calidiores deſiderat, quale ſunt, ſyrupus de fumo terræ ſimplex, de lupulis, de ceteracb, de thymo, ac forte illi omnes, quos diximus ad coqnendam pituitam eſſe accommodatos. Atque hæc de ſyrupis ſingulos humores concoquentibus ſatis.

CAPVT XVIII.

De recto vſu Syruporum.

HOc loco iuniores debent ſcire, humores plerumque inter ſe miſceri, quo tempore neceſſe eſt, varios quoque ſyrupos inter ſe componere & miſcere. Exempli gratia, ſi pituita ſimul cum flaua bile redundet, tunc ſyrupi quoque erunt permiſcendi, qui vtrumqoe humorem reſpiciant, ſicut ſyrupus de endiuia, de acetoſa, bilem; de betonica, mel roſaceum, pituitam; quod item de cæteris ſtatuendum eſt.

Verùm & illud poſtremò non eſt prætermittendum, ſyrupos propè omnes primò quidem ac præcipuè certum ac determinatum humorem, ſecundariò verò & alterum concoquere poſſe: exempli gratia, ſyrupus de duabus radicibus primò pituitã, deinde bilem, ſyrupus de endiua contrà, id quod ex variis medicamentis ingredientibus, variiſque ſingulorum facultatibus facilè poteſt intelligi. *I. Admonit.*

Cæterùm antequam finem facio, mihi libet generaliter nonnulla vos admonere; ne in adminiſtrandis ſyrupis ſimul cum vulgaribus medicis aliquem errorem committatis: ac primùm quoties vobis propoſitum eſt coquendi humores, perpetuò caueatis à ſyrupis compoſitis, de fumo terræ, de epithymo, de polypodio, de cichorea cum rhabarbaro, & reliquis omnibus, quicũque purgantia recipiunt medicamenta, qui quidem tantùm abeſt, vt ſuccorum coctionem efficiant, vt contrà illam potiùs perturbent & impediant.

Secundò, cũ medici propè omnes vetere inſtituto ſoleãt ſyrupos aquis ſtillatitiis diluere, neq; occaſio præſentis tẽporis patiatur, vt de illis atq; earum viribus longiorem ſermonem habeamus, illud vnũ mihi ſufficiat, me decoctis herbarum & aliorũ medicamentorũ longè magis, quã huiuſmodi aquis delectari, ac potiſſimùm ſi vulgari modo in vaſis plumbeis deſtillentur: namque ſi inſtrumentis vitreis atque ex duplici vaſe fiat deſtillatio, cum Manardo & aliis viris doctiſſimis, neque ego *II. Admonit.*

ab

ab illarum vſu quandoque ſoleo abſtinere.

III. Admon. Tertiò communiter practicantes quamprimum ad ægrotos accedunt, vt diligentes videantur, protinus ſuos ſyrupos inſtituunt, & illos quidem manè & veſpere, nulla neque acceſſionum, neque alimentorum habita ratione, in qua re grauiſſimos committunt errores. Primùm igitur cum in aliis morbis, tum maximè in febribus, nunquam licet ſyrupos & medicamenta deobſtruentia adminiſtrare, niſi poſtquam corpus vniuerſum fuerit inanitum: quod quidem præceptum cum aliis locis, tum maximè 5. *met.* 4. à Gal. traditum eſt: præſtat enim vitioſi ſucci maiori ex parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere, cum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priuſquam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas. Deinde verò illud ſedulò eſt animaduertendum, vt ſyrupi nunquam exhibeantur, niſi ventriculus reliquiarum alimenti immunis & quodammodo ieiunus fuerit, neque pariter poſt ſumptos ſyrupos alimenta ſumantur: niſi illi ex ventriculo exierint, & ad alias partes penetrauerint, vno verbo, ne ſimul ſyrupi & alimenta miſceantur & confundantur. Quod item præceptum traditum eſt à Gal. 6. *de tuend.* 3. & 3. *de rat. victus* 35. Itaque non eſt, quod multi faciunt, vt præcipuè in febribus determinata quadam hora, vel manè, vel alio tempore exhibendis ſyrupis definiatur; ſiquidem illi quacunque hora dari poſſunt, dummodo ventriculus ſit ieiunus, neque acceſſiones, neque aliud impedimentum illorum adminiſtrationem prohibeat.

IV. Admon. Vltimò quatenus pertinet ad ſyruporum quantitatem, vulgaris ſyruporum vſus obtinuit, vt ſinguli ſyrupi vncias quatuor cum dimidia, aut ad ſummum quinque non excedant; hodie enim decocti vel aquarum ℥ iij. cum ſyrupi ℥.j.ſ. ſolent inſtituere: quod fortaſſe inſtitutum acceperunt ab Auic. de curatione febris quotidianæ, qui decocta herbarum ad ℥.iij. propinare conſueuerat: verum mea ſententia nihil certi de hac re ſtatui poteſt, namque exempli gr. ſi in ventriculo & primis ductibus humoribus, atque illi quidem frigidi & craſſi contineantur, neque æger vllo æſtu, vlla ſiti torqueatur, tunc exigua ſyrupi quantitas, forte etiã ſoli ſyrupi ſine aquis vel decoctis viderentur conuenire: contrà verò ſi in partibus internis calidiores & tenuiores ſucci redundent, ægérque inſigni ſiti & calore laboret, tunc longe maior quantitas ſyrupi ſine dubio conueniet: quam copioſam ſyruporum adminiſtrationem ad ℥.vj. viij. xij. & quandoque plures ego ſoleo nonnunquam adminiſtrare. Quapropter ſumpta indicatione à partibus laborantibus, à morbis, à ſymptomatibus, tempore anni, temperie, & aliis id genus, equidem cenſeo ſyruporum quantitatem modò augendam, modò minuendam eſſe, neque vt eſt in prouerbio, omnes vno calopodio calceandos eſſe.

Capvt XIX.

De Rhabarbaro.

Rhabarbarum antiquis medicis ignotum PRimùm occurrit Rhabarbarum, vbi non agitabo eam controuerſiam, vtrum rhabarbarum Dioſc. Gal. & cæteris antiquioribus cognitum an incognitum fuerit: ſiquidem, ni fallor, ſatis cuique compertum eſt, veteres omnes medicos ſolum rhaponticum nouiſſe, quod à communi noſtro rhabarbaro diuerſum eſſe facile poteſt probari: imò verò, quod alicui mirum videbitur, quantum ego potui obſeruare, neque Auic. vllo in loco noſtri vulgaris rhabarbari mentionem facit; ego enim puto, illud, vbicunque rhabarbarum nominat, non aliud quàm antiquum rhaponticum intelligere, id quod mihi videor duplici ratione poſſe confirmare: altera, quod Auic. illas eaſdem dotes & conditiones tribuit rhabarbaro, quas Dioſc. Gal. & cæteri antiquiores medici ſuo tribuunt rhapontico, adeo vt ille 2. *canon.* de rhabarbaro hiſtoriam referens, eadem ferè verba cum Dioſc. videatur proferre. Altera eſt ratio, quòd nunquam rhabarbarum tanquam medicamentum purgandi facultate præditum, in toto illius opere ne ſemel quidem adminiſtretur, ſed perpetuò inter frigida & adſtringentia medicamenta, quale ſine dubio eſt rhaponticum, reponatur, ſicuti videre eſt in curatione fluxus, ventris 3. *canonis*, vbi ſimul cum malicorio, galla, acacia, & aliis id genus frigidis & adſtringentibus medicamentis rhabarbarum, quoque commemorat. Rhabarbarum igitur recentiorum medicorum Arabum inuentum fuit, primuſque inter Græcos auctores Paulus videtur illius notitiam habuiſſe, qui *lib.* 7. 11. *ad finem*, componendo Diacorallio & nonnullis antidotis podagricis rhabarbarici mentionẽ facit, ac rurſum *lib.* 1. 43. docens, qua ratione liceat ſanis aluum mouere, de terebinthina hæc habet: *Si verò volueris aluum magis purgare, parum rhabarbarici miſcebimus.* Sunt qui rhabarbarum inter lenientia

Laus rhabarbari. reponant, qui pluribus medicorum teſtimoniis & quotidianæ experientiæ manifeſtè aduerſantur. Meſue illud clemens atque excellens pharmacum eſſe prædicat, multaſque dotes & conditiones purganti medicamento ſummopere neceſſarias complecti ſcribit, additque illius vſum omni tempore, omni ætati atque adèo pueris & prægnantibus innoxium eſſe. Sic Auerrh. 5. *colliget* ſcribi, rhabarbarum eſſe admirabilius cæteris medecinis purgatiuis, proptium frænum & correctionem ſecum ferre, omnia membra corporis confortare, ac poſtremò reliqua omnia purgantia medicamenta, quę quoquo modo ſunt venenata, corrigere. Conuenit inter rhabarbarum primum quidem bilis, deinde

Facultas. verò & pituitæ purgandæ facultate præditum eſſe, etſi Meſue alias plurimas facultates ei tribuit, quas poteſtis videre.

Vſus. Rhabarbarum multis modis adminiſtratur, ſed potiſſimum duobus vel aliquò liquore infuſum, vel tota ſubſtantia deuoratum, de quibus quærunt recentiores, vtra ratio vehementius purget; quæ controuerſia, teſtimonio Meſues, facile poteſt diſſolui, qui rhabarbari infuſi ad ʒ. x. in ſubſtantia autem ad ſummum ad dr. iiij. concedit: quod Meſues teſtimonium experientia confirmat eſſe veriſſimum: imò verò Manardus *lib.* 17. *ſuarum epiſt. vltima*, non ſolum de rhabarbaro, ſed etiam de omni medicamento ſiue leuiter, ſiue vehementer purgante, idem ſentit, nempe æqualem cuiuſque medicamenti portionem, ſi ea tota aſſumatur longe magis purgare, quam ſi illius dilutum, vel infuſum, aut decoctum accipiatur: quam quidem Manardi ſententiam ego puto veriſſimam eſſe, & rationi conſentire. Sed antequam de rhabarbari adminiſtratione agimus, duo reſtant videnda, alterum de illius doſi: alterum de correctione.

Doſis. Quatenus ad doſin, iam audiſtis, Meſuen ſtatuiſſe, poſſe dari infuſum ad ʒ. x in ſubſtantia ad dr. iiij. de qua doſi, tanquam nimis magna & immoderata Meſue arguitur à Manardo in ſuis annotationibus: ac ſanè ita habendum eſt, tantam rhabarbari copiam, tam infuſi, quam ſubſtantiæ, ſine inſigni vitæ periculo ſemel alicui dari non poſſe. Sed ego cum Syluio Gallo puto, eiuſmodi errorem potius codicibus deprauatis, quàm Meſue eſſe tribuendum, quod hac coniectura licet confirmare: namque ſi reuera Meſues fuiſſet in ea opinione, rhabarbarum infuſum poſſe dari ad dr. x. vtiq;

ſcripſiſſet, illud poſſet dari à drach. vj. viij. vel circiter ad drach. x. minimè verò, ſicuti ſcribit, à drachma vna cum dimidia vſque ad drach. x. tantum enim interuallum planè immoderatum & abſurdum eſt, & præter morem ipſius Meſues. Itaque rhabarbari doſis in ſubſtantia vſque ad dr. ij. infuſi vſque ad drach. ij. ſem. vel ad ſummom ad drac. iij. ſtatuenda eſt.

Correctio.

Quatenus ad correctionem pertinet, etſi audiſtis Auerrh. docentem, omnia purgantia medicamenta veneni prorſus non eſſe immunia, vno excepto rhabarbaro, imò illud reliquorum medicamentorum malitiam emendare, tamen altera ex parte Meſue ſcribit, illud nunquam ſine ſpica dandum eſſe; quod longiore vſu confirmatum eſt, quoniam medici propè omnes rhabarbaro ſpicam ſolent perpetuò adiungere: ac ſane Auerr. ſicuti ſæpe facit, ita in præſentia de rebus medicis ſuam inſcitiam prodit: namque vt vere docet Gal. 2. *de rat. victus* 12. naturæ omnium purgantium medicamentorum nullo excepto, naturis corporum, quæ expurgantur, contraria ſunt, perniciosa & lethalia, vnde omnibus quoque decet permiſcere ſemina odorata, & alia id genus, quæ eorum malitiam poſſunt obtundere. Neque Auerrhoes poteſt aliquam rationem reddere, quamobrem Rhabarbarum ex hoc numero excipiendum ſit, namque certum eſt, inter omnia medicamenta aloen mitiſſimam & familiariſſimam eſſe, de qua ipſe ſcribit Auerr. quod careat omni periculo, neque lædat os ventriculi, ac Meſue confirmat, illam propter ſingularem quandam prærogatiuam omnium medicamentorum præſtantiſſimam & excellentiſſimam eſſe: veruntamen audiatis Galen. *de med. ſec. loc. c. 2. de hiera*, qui ſcribit, aloen quoque maſtiche & cinnamomo indigere, quæ medicamenta tam illius vim poſſint frangere: quod ſi aloe tam lene & leniens medicamentum correctione opus habet, iam nulli dubium eſſe debet, quin rhabarbarum multo vehementius & magis infenſum, ſimul cum cæteris omnib. medicamentis purgantibus debeat corrigi.

Modus vtendi ſubſtantia

Primum igitur ſubſtantia rhabarbari admiſcetur parato puluere, qui vel in pilulas redactus, vel ex iure, aqua ſtillatitia, aut decocto acceptus, vel aliis medicamentis permiſtus, ſolet exhiberi.

Pilula

℞. *Rhabarbari electi puluerisati* ℈ *v.*
Spica gr. iiij.
Cum aqua cichorei fiant pilula v. & aurentur.

Potio.

℞. *Rhabarb. electi pulu. drach. ij.*
Decoctionis cichorei,
Ceterach,
Vel *iuris pulli q. ſ. M. F. Potio,*

Bolus.

℞. *Flor. caſsia nouiter extracta* ℥. *j.*
Rhabarbari electi pul. ℈ *iiij. M. F. B.*

℞. *Rhabarbari electi pul.* ʒ. *j.* ß.
Syrupi roſ. ſol. ℥. *iij.*
Decoct. ſuprascripta q. ſ. M. & fiat potio.

Cum paſſulis.

Sed præter hæc eſt alia quædam ratio vtendi rhabarbaro, quæ mihi iamdiu eſt familiaris: namque illud tenuiſſimè inciditur & ſine alia præparatione, ſimul cum paſſulis dentibus manditur & aſſumitur. Demum ac potiſſimum pro pueris atque nonnullis, qui omnia abhorrent medicamenta, ex rhabarbaro conficiuntur bellaria, vel aliter conficiuntur rotulæ cum ſaccharo. Ita ergo ſubſtantia rhabarbari adminiſtratur.

Rotula ex rhabarb.

Quo loco neque illud prætermittendum, nonnullos medicos ſubſtantiam rhabarbari primum aſſare vel vrere, deinde ægrotis, ac potiſſimum dyſenteria laborantibus exhibere conſueuiſſe, quaſi illud hac ratione omni purgandi facultate priuetur, & quoquo modo adſtringendi facultatem

Aſſatum nocium eſt.

acquirat: & Meſue inter cæteros, ſi maior adſtrictio requiratur, rhabarbarum aſſatum; ſi vero maxima adſtrictio requiratur, rhabarbarum vſtum ſuadet. Sed iſti mihi videntur malè ſentire, cum certum cuique eſſe debeat, rhabarbarum ita igne præparatum acredinem quandam & mordacitatem contrahere, ita vt iure valeat vlcera inteſtinorum & ipſam fluxionem augere.

Infuſio rhab. Qua decocta conueniant.

Rhabarbarum autem infuſum vel dilutū adminiſtratur, vbi in aliquo liquore aliquamdiu maceratum, exprimitur & exhibetur. Inter cæteros verò liquores vſus videtur obtinuiſſe, vt vinum album & odoratum principem locum teneat, veruntamen nonnulli, quod ego quoque frequenter facio, in decocto cichorei, borraginis, capillorum Veneris, & ſimilibus, alij in aquis ſtillatitiis, alij in ſero lactis, alij ex iure pulli, & forte aliter, pro vario ſibi propoſito ſcopo ſolent illud infundere.

Sed notandum, vel rarò, vel nunquam huiuſmodi infuſionem rhabarbari ſolam, ſed frequenter ſimul cum aliis medicamentis permiſceri, partim lenientibus, vel ſyrupo roſaceo ſolutiuo, manna, thamarindis: vel ſoluentibus, electuario de ſucco roſarum, electuario diaphænicon, confectione hamech. & ſimilibus.

℞. *Rhabarb. electi drach. j. ſem.*
Spica gr. iiij.
Vini albi aromatici parum, fiat infuſio per horas 12. & facta expreſſione, adde
Syrupi roſ. ſol. ℥. iiij.
Decoctionis cichorei,
Fumi terra q. ſ. Miſc.

R. *Rhabarbari electi drach.* ij.
Spica gr. v.
Seri lactis caprini q. ſ. Infunde vt ſuprà, & facta expreſſione, adde
Syrupi violati ſol. ℥. j ß. *M.*

R. *Rhabarbari electi* ℈ iij.
Spica gr. iij.
Decoctionis cichorei,
Ceterach,
Borraginis q. ſuf.
Fiat infuſio vt ſupra, adde
Confectionis hamech. drach. ij. *ſem.*
Syrupi de fumo terra com. ℥. ij. *M.*

Syr. de cich. cum rhab.

Demum ſciendum eſt, ex rhabarbaro fieri ſyrupum, quem vocant de cichorea Nicolai cum rhabarbaro, quo ſyrupo etſi communiter practicantes ad corructionem humoris biliosi familiariter vtuntur, tamen ego ad purgationem vti ſoleo ad ℥. iij. vel iiij.

R. *Syrupi de cichorea cum rhabarbaro* ℥ iiij.
Decoctionis ſuprà ſcripta q. ſuf. M.

Capvt XX.

De Agarico.

Poſt rhabarbarum proximè ſequitur Agaricus, ſiquidem inter omnia purgantia ſimplicia medicamenta nulla ſunt, quibus medici vtantur familiarius, quam hiſce duobus: Agaricus eſt fungus in arboribus naſcens quem quidem etſi Plinius ſcribit *lib.* 16.8. omnibus glandiferis arboribus innaſci, tamen experientia docet, illum hoc tempore in ſola arbore larice reperiri. Ex quo certe mirum eſt, quomodo Dioſc. necnon Galen. videantur incerti eſſe, vtrum agaricus fungus, an radix exiſtat.

Sed prætermiſſa hac conſideratione, illud primum generaliter ſciendum eſt, agaricum à Meſue & pleriſque omnibus medicis adeo prædicari & extolli, vt eum veteres medici medicamentū familiæ voluerint appellare, ſiue quod ad omnes omnium

nium internarum partium affectiones ſit accommodatum, ſiue quòd ita ſalubre & innoxium ſit, vt vnicuique ex familia poſſit ſeruire & prodeſſe. Verùm neque agaricus, mea ſententia, ex numero cæterorum purgantium excipiendus eſt, quæ omnia iam diximus ex Galeno eſſe naturæ inimica & infenſa, ſed inter cætera etiam, quod præclarè notat Actuarius, & experientia confirmat, veriſſimum eſſe, ventriculo aduerſatur, quòd ſua leuitate ſurſum feratur, & quaſi enatet, vnde frequentiſſimè ſolet vomitum excitare, ex quo factum eſt, vt medici fere nunquam ſoleant agarico vti, niſi primùm illum certis quibuſdam medicamentis præparent, quæ eius malitiam poſſunt emendare: quapropter Meſue variis modis nos docet agaricum præparare, & noſtri aromatarij illum dupliciter præparant: vno modo cum oxymelite, gingibere, & ſale gemmæ, quod agaricum præparatum vocant: altero autem præparant ex vino, cui primùm gingiber infuſum fuerit, & hoc agaricum trochiſcatum appellant: quam poſtremam præparandi agarici rationem Meſue tribuit Gal. etſi ea nuſquam apud Gal. quod equidem ſciam, reperitur, niſi forte quis velit, Galenum id egiſſe 9. *de med. ſec. loc. poſtremis verbis*, vbi inquit, ad ſtrangulatus vteri agarici ʒ. j. ex vino acceptam conuenire: qua eadem ratione exhibetur etiam 6. *de ſimpl. med.* Vtcunque autem ſit, notandum eſt, hanc poſteriorem agarici præparationem longè eſſe altera præſtantiorem, vnde ego quidem agarico trochiſcato frequenter, agarico autem præparato non niſi rarò vti ſoleo, & tantummodo quotieſcunque mihi propoſitum eſt ventriculum turbare, & vomitum excitare.

Nocumentū agarici. *Præparatio.*

Conuenit inter omnes, facultate in primis purgandæ pituitæ præditum eſſe, & omnibus morbis ex hoc humore ortis conuenire. Quatenus autem pertinet ad illius doſin & adminiſtrationem, agaricus fere in omnibus cum rhabarbaro conuenit: ſiquidem ille quoq; ad drac. ij. circiter partim in ſubſtantia, partim infuſus, ac poſtremò potius ſimul cū aliis medicamentis, quam ſolus ſolet adminiſtrari: tametſi mihi monendi eſtis, quod ego à nemine dici, ſed ſola experientia deprehendi veriſſimum eſſe, agarici infuſum ſiue dilutum aut leuiſſimam, aut fere nullam purgandi facultatem obtinere.

Facultas. *Doſis.* *Nota.*

℞. *Agarici trochiſcati drach. ij.*
Mannæ Calabrenſis elect.
Mellis roſ. ſol. ana drach. j. ß.
Decoctionis betonicæ q. ſ. M.

℞. *Flor. caſſiæ nouiter extractæ ℥. j.*
Agarici trochiſcati drach. j. ß. M.
In infuſione.

℞. *Agarici trochiſcati drach. j. ß.*
Decoctionis betonicæ,
Hyſſopi,
Cichorei q. ſ. F. infuſio ſecundum artem, & adde facta expreſſione
Electuarij diaphanicum drach. ij.
Mel. roſ. ſol. ℥. j. ß. M. & fiat potio.

Verùm præter hæc ego quandoque, exempli gratia, in morbis pectoris, potiſſimùm verò in pueris, qui laborant vermibus, ſoleo vti agarico ſimul cum oxymelite, quod medicamentum non admodum eſt ingratum, & præclarè agit.

℞. *Agarici trochiſcati ʒ. ij.*
Oxymellis ſimp. ℥. ij. M. optimè.

Poſtremò ſciendum, agaricum non ſolum intra corpus aſſumi, ſed etiam extra corpus adminiſtrari, vt docet Gal. 10. *de med. ſecund. loc. cap. de iſchiade*, necnon *lib. 6. de ſimpl. med.* vbi ſcribit morſos à beſtiis frigore lædentibus agaricum in parte affecta impoſitum, & intra corpus ſumptum, ſi ex vino drach. j. accipiatur, multum prodeſſe.

Capvt XXI.

De Sena.

Sena vulgare eſt & omnibus notum medicamentum, quod non ſolùm in multis externis regionibus, ſed etiam in Italia ſeritur & colligitur copioſiſſimè. Sed dubium eſt apud recentiores, vtrùm veteres Græci illius mentionem fecerint; dum alij delphinum, alij peplium, alij empetron, alij colutheam Theophraſti, alij aliud medicamentum eſſe opinantur: de qua controuerſia nolo longius agere, cum magis ad meum inſtitutum pertineat, illius vires, præparationem & vſum vobis explicare. Auer. cui plurimi conſentiunt, ſenam reponit inter medicamenta noua, quæ antiquis fuerunt incognita, adeo vt recentiorum, ac maximè Arabum videatur inuentum fuiſſe. Auic. etſi peculiari capite non tractat de ſena, tamen quandoque illius mentionem facit, ſicuti, *c. de fumoterra*, necnon *c. de febre quintana*. Ex Græcis vnus Actuarius videtur illius mentionem habuiſſe, qui ſcribit 5. *meth. med.* 8. Senam ex iis medicamentis eſſe, quæ Syria & Ægyptus mittit: vtcunque autem ſit, Meſue & medici propè omnes & tantas laudes ſenæ tribuūt, vt illa inter omnia ſimplicia medicamenta ferè principem locum videatur obtinere, qui ſcribunt, eam augere iuuentutem, ſeniumque retardare, & animi hilaritatem afferre. Verùm iis prætermiſſis miraculis, ex Meſue communi omnium conſenſu receptum eſt, ſenam melancholiam potiſſimùm, ſalſam pituitam atque exuſtam bilem purgare, adeoque febres melancholicas, & antiquas, ſcabiem, pruritum, puſtulas, & cæteros morbos ex huiuſmodi humoribus ortundos curare.

Laus ſenæ. *Facultas ſenæ.*

Sed cum ſena habeat non ſolùm folia, ſed etiam quoſdam folliculos, maxima eſt inter medicos controuerſia, vtrùm folliculi an folia maiore facultate purgandi prædita ſint: quam difficultatem Matthiolus & alij tractant diffusè. Ego quidem, vel quod careamus folliculis opportunè collectis, vel quod reuera ſint folliculis præſtantiora, foliis iamdiu vti ſoleo; quicunque voluerit, poterit etiam folliculos experiri.

De foliis & Folliculis.

Nocet ſena, vt idem teſtatur Meſue, quoquo modo ipſi ventriculo, vnde vt hæc tollatur noxa, atque eius facultas roboretur, iubet Meſue nonnulla eſſe addenda, quæ ventriculum & cor corroborent: veruntamen neque deſunt, qui huiuſmodi ſententiam Meſues reprobant, quod deguſtatis foliis ſenæ percipiant aliquid adſtrictionis, ſiccitatis & amaritudinis, ex quibus colligunt, ſenam potius ventriculum roborare, quàm perturbare & imbecillum reddere. Sed neque de hac difficultate longiùs ago, qui probo eorum ſententiam, qui nunquam ſena vti ſolent ſine vno vel altero, vel pluribus medicamentis, quæ illius operationem & faciliorem & feliciorem poſſint reddere, cum reuera experientia confirmet, ſenam eſſe medicamētum torminoſum & flatuoſum. Etſi autem ſena multis modis ſolet adminiſtrari, tamen frequentiſſimè aliquo liquore maceratur & infunditur: huius quidem infuſionis rurſum variæ ſunt præparationes, ex quibus vnum vel alterum exemplum vobis proferam, ac primùm ſena ſolet à multis hac ratione præparari:

Noxa ſenæ. *Corrigentiā.* *Vſus.*

R. *Fol. & folliculorum ſenæ ana ʒ. ß.*
Gingiberis ʒ. ß.
Flor. borraginis,
Violarum,
Roſarum rubearum,
Citriorum, vel
Limonum, vel

Arantiorum ana drach. j.
Polypody drach. ij.
Paſſularum ℥. ß.
Sebeſten, aut
Prunorum. N. x.
Aqua feruentiſſima lib. j. F. infuſio, & vaſe optimè obturato dimittatur per horas decem, deinde exprimatur.

II. In decocto. Non fert decoctionem

Præter infuſionem nonnulli quoque decoctum probant, ſed alij reprobant. propterea quòd ſuperficiales quædam ſenæ partes tantummodo expetuntur, quæ ſola infuſione eliciuntur, decocto autem euaneſcunt: ac ſanè mea quoque ſententia, ſena inter ea medicamenta debet reponi, quæ aut leuiſſimam, aut nullam decoctionem poſſunt perferre. Meſue iubet infuſionem fieri ex iure galli, gallinæ, vel alterius carnis, vel ſero lactis: quod cõſilium optimum eſt, & ego illud amplector frequẽtiſſimè. Nonnulli aliter ſenam præparant, quorum alij illius doſin minuunt, folliculos prætermittunt, polypodium negligunt: alij doſin augent, aliáque addunt & alterantia, & purgantia medicamenta, vt propemodum infinitæ ſint huius medicamẽti præparationes. Ego quidem ſimplici quadam & breui ratione ſoleo ſenam præparare & infundere, quod ſatis facile medicamentum euadit, & eſt huiuſmodi.

In ſero vel iure fiat infuſio.

℞. *Folior. ſenæ elect. ℥. j.*
Paſſularum ℥. ſem.
Gingiberis drach. ſem.
Seminum aniſorum,
Citri ana ℥. j. M. F. infuſio, vt ſuprà.

Itaque ad hunc modum ſenæ infuſum vel dilutum præparatur, quod frequenter ſolum, quandoque ſimul cum aliis medicamentis & lenientibus & purgantibus ſolet exhiberi. Exempli gratia, rhabarbaro, agarico, ſyrupo roſ. ſol. conſ. hamech, & ſimilibus. Et ſit exemplum:

℞. *Infuſionis ſenæ vnc. iiij.*
Confectionis hamech dra. ij. ſem.
Syrupi roſati ſol. vnc. j. ſem. M. F. P.

In ſubſtantia verò præter Senæ infuſionem medici tota quoque illius ſubſtantia vtuntur ſæpenumero, qui illius contriti pulueris vel ex iure, vel aliter, vſque ad ʒ. ij. ſolent exhibere: quoniam verò, vt diximus, ſena non eſt ita amica ventriculo, hinc factum eſt, vt noſtri aromatarij alia quædam medicamenta illi permiſceant, & medicamentum conficiant, quod puluerem ſenæ appellant: in quo tamen conficiendo non minus quàm conficienda infuſione diſſentiunt. Vulgaris eſt compoſitio ex Antidotario Montagnanæ, quæ eſt huiuſmodi.

Puluis Senæ.

℞. *Folliculorum ſenæ vnc. j.*
Gingiberis,
Maceris ana drac. iij.
Cinnamomi,
Tartari ana drac. j. ſem M. omnia, terantur, & in puluerem redigantur.

Atque hic propriè puluis ſenæ dici debet, cum nihil aliud præter ſenam recipiat, quod aluum poſſit mouere: ſed hoc admodum leue eſt medicamentum, cuius vt puto quinque, ſex & plures drachmæ poſſunt exhiberi. Alij verò hunc puluerem aliter præparant, ac longè validius medicamentum conficiunt, & cum plurimæ deſcriptiones circumferantur, vnico exemplo contenti erimus, cæteris præſtantiore.

R. *Flor. ſenæ.*
Tartari albi ana vnc. ij.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Galangæ,
Ammeos ana drach. ij.
Diagridij drach. iiij. M. & f. puluis.

Cuius vnica drachma vtramque bilem, & quidem vehementer ſolet expurgare. De ſena hactenus.

Capvt XXII.

De Epithymo & Polypodio.

Mihi libet hæc duo ſimplicia medicamenta ſimul coniungere, quoniam eaſdem ferè habent vires, & ſimul quoque ſolent à medicis permiſceri, etſi Auerrh. eſt auctor, polypodium tutum eſſe medicamentum & epithymo præſtantius, vtrumque enim purgandæ in primis atræ bilis facultate præditum eſt, id quod Meſue auctore, facile & citra moleſtiam præſtant: itaque eorum vſus ad morbos lienis, elephantiaſin, melãcholiam, febrem quartanam, & alias huiuſmodi atrabiliarias ægritudines quàm maximè conuenit. Verùm tamen ſciendum eſt, tam epithymum, quàm polypodium inter leuiora purgantia medicamenta reponenda eſſe, quod nobis inſinuauit Galen. 13. *meth.* 15. vbi tradens rationem purgandi per aluum partem cauam iecoris, & polypodium & epithymum numerat inter ea medicamenta, quæ moderatè aluum deiiciunt, quod planè experientia confirmat eſſe veriſſimum. *Facultas.*

Vſus.

Vſus huiuſmodi duorum medicamentorum præcipuè in eorum decoctione conſiſtit, & ſola admodum raro, cum aliis autem medicamentis frequenter adminiſtrantur. Vtriuſque doſis ferè vna atque eadem eſt, ſi decoquantur vſque ad ℥. j. Si tota ſubſtantia accipiantur, quod etiam fit aliquando vſque ad drach. iij. Et quoniã vtrumque flatuoſum eſt medicamentum, & nocet ventriculo, propterea commodè decoquuntur in iure pulli, vel alterius carnis, nec non illis permiſcentur ſemina odorata, vel alia aromata, quæ valent flatus diſſoluere & naturalem ventriculi facultatem roborare. Exemplum: *Doſis. Correctio.*

R. *Epithymi,*
Polypodij ana vnc. ſem.
Paſſularum,
Liquiritiæ ana drach. ij.
Seminum citri. dr. j. M. decoquantur ex iure pulli, vel ſero lactis, vel aqua, & facta colatura adde ſyrupi roſ. ſol. vnc. j. ſem. M.

De ſyr. de polyp. & epithymo.

Poſtremò ſolent ab aromatariis præparari duo ſyrupi, quorum alterum de polypodio. alterum de epithymo appellant; etſi vterque ex aliis quoque pluribus medicamentis conficitur, qui tamen duo ſyrupi, etſi vulgares medici illis vtuntur ad coquendos & parandos humores noxios, tamen inter purgantia medicamenta debent reponi. Et ſit exemplum:

R. *Syrupi de polypodio vnc.* ij. ß.
Confectio hamech drach. iij.
Decoctionis fumiterræ q. ſ. M. & fiat potio.

Capvt XXIII.

De Iride.

Etſi iridis nomen ad totam plantam pertinet, tamen ſciendum eſt ſolam radicem à medicis adminiſtrari. Planta eſt omnibus nota, quæ vt ſcribit Dioſcorides, à ſimilitudine arcus cœleſtis nomen accepit. Præter cæteras dotes Dioſcorides, Meſue, ac recentiores prope omnes radici iridis facultatem purgandi tribuunt, licet Galen. de hac facultate nullam videatur mentionem feciſſe, cum tamen alias plurimas iridis vires commemoret, cum aliis locis, tum maximè 4. *de ſimpl. med.*

med. 19. *&* 23. *& lib.* 5. 12. *&* 22. vt certè mirum ſit, quomodo Matthiolus & Amatus Luſitanus, *in ſuis com. in Dioſcoridem*, audeant affirmare, Galenum *in lib. de ſimpl. med.* nuſquam iridis meminiſſe. Vtcunque autem ſit, quod ad noſtrum inſtitutum pertinet, cõuenit inter omnes hoc tempore, iridem pituitam craſſam & permiſtam illi bilem, ſeroſaſq; aquas, & quidem clementer purgare. Ego quidem purgandis humoribus tenuibus & ſeroſis, quales potiſſimùm redundant in hydrope laborantibus, hoc medicamento vti ſoleo familiariter, qui fortaſſe omnium primus cœpi illius doſin & congruã administrationem obſeruare: namque, ſi audiamus medicos tam veteres quàm recentiores, quicumque de hoc medicamento tractant, nullus mihi videtur illius vim cõgruámque doſin & adminiſtrationem exactè intelligere.

Doſis.

Meſue à drach. ij. vſque ad v. 1. Dioſc. drach. vij. cum aqua mulſa dari iubet. Paul. ſcribit iridem habere facultatem purgandi ſimilem agarico, & quantitate 8. obulorum, hoc eſt, quatuor ſcrupulorum exhibendam eſſe. Ex quibus auctoribus neque illud licet intelligere, vtrùm ſubſtantia radicis, an ſuccus, an alia ratione debeat exhiberi. Ex recentioribus Trincauellius ſcribit, ſuccum expreſſum ex viridi radice iridis à drac. ij. vſque ad 6. pro ratione virium accipientis bibendum eſſe. Ex dictis auctoribus cæteri omnes ferè idem tranſcribunt, adeo vt quandoque in eam ſententiam venerim, multos multa medicamenta, atque eorum doſin proponere potius ex aliis commentariis & relatione, quàm ex propria experientia, quam experientiam tamen Gal. hac in parte vſque adeo magni facit, vt ſcribat *6. de tuenda valet.* 14. ſe nunquam aliquod medicamentum tanquam vtile ſcripſiſſe, quod non prius expertus fuerit. Ego autem quid de hoc medicamento, de illius doſi, ac tota adminiſtratione ſententiam, breuiter expono. Ergo ſicut pro comperto habeo, iridem purgandi facultate præditam eſſe, ita puto vnam radicem, imò verò vnius radicis ſuccum id præſtare & cum hic ſuccus dupliciter poſſit parari & adminiſtrari, vno modo in forma ſolidiore, ſicut frequenter apud aromatarios, alij quoque ſucci denſi & concreti fiunt; altero in forma liquidiore, quales ſunt multi ſucci, qui ex multis herbis & radicibus ex tempore exprimuntur: ergo priori ſucco concreto nunquam ſum vſus, ſed audio illum ad drac. ij. circiter exhiberi, poſteriore autem liquido, ad ij. iij & plures non drachmas, ſed vncias, & vſus ſum, & vtor familiariter.

Succus radicis iridis.

Doſis vera.

Et ſi alicui mirum videtur, quomodo dando hoc medicamento præter cæterorum omnium opinionem tantam doſin non verear attingere, fateor quod res eſt, me caſu & fortuna in hanc ſententiam deueniſſe. Quoniam verò hic ſuccus aliquam faucibus facit aſperitatem, & ventriculo quoquo modo aduerſatur, conſueui illi permiſcere mel roſaceum, mannam, aut quid ſimile, qua ratione medicamentum ſatis gratum euadit, & ſine multo labore copioſiſſimam purgationem facit.

℞. *Succi iridis recenter extracti,*
Mel roſ. vel
Manna Calab. ele. ana ℥. *iij. M.* De iride ſatis.

Capvt XXIV.

De Elaterio.

Cvm inter medicamenta ad purgandas ſeroſas humiditates accommodata, præter ſuccum iridis frequentiſſimus apud medicos ſit vſus elaterij, mihi libet de hoc quoque medicamento quàm breuiſſimè agere. Elaterium nihil aliud eſt quam ſuccus expreſſus ex recenti fructu illius cucumeris,

quem *agreſtem* vel *aſininum* vocant, de cuius præparatione Dioſc. accuratiſſimè tractat. Eſt medicamentum vetuſtiſſimum ſimul & vehementiſſimũ, adeo vt iam multos annos pauci admodum auderent illo vti, perſuaſi auctoritate Meſues, qui ſcribit elateriũ abradere, & vaſorum ora aperire, inteſtinorum termina excitare, & alia afferre nocumenta: verùm noſtro tempore cœpit illius vſus frequentior eſſe, ac ſanè ſi probè paretur, & probè adminiſtretur, minimè tam laborioſum & periculoſum eſſe deprehenderur, cum & ipſe Meſue doceat rationem, qua illius nocumenta & pericula poſſint auferri.

Nocumenta.

Facultas.

Etſi verò hoc medicamentum apud Dioſc. Meſuen, & medicos propè omnes facultatẽ habet purgandi primùm pituitam deinde bilem, tamen longiore experientia confirmatum eſt, illi præcipuã facultatem ineſſe purgandi ſerum ſanguinis, necnon omnes tenues & ſeroſos humores, quicũque & quacumque in parte in nobis continentur: ex quo factũ eſt, vt medici in purganda aqua hydropicorũ elaterio vtantur frequentiſſimè: & inter cætera ſi quãdo contingit, contingit autem frequẽter, vt aqua thermarum bibita detineatur in corpore, ad illius purgationem nullum hoc medicamento præſtantius poteſt inueniri.

Tempus durationis elaterij.

De elaterio ſcribit Dioſc. à duobus vſq; ad 10. annos illud eſſe ad purgationes accommodatum, vltra id tempus reddi inutile: contra Theopht. 9. *de hiſt. plant.* 14. docet, elaterium eo melius fieri, quo eſt vetuſtius, imò verò addit, longiori tempore nullũ medicamentum perdurare, adeo vt quãdoque elateriũ 200. annorum virtute mirabili ſeruatum fuerit. Sic idem ſcribit Dioſc. elaterium lucernarum luminibus obiectum, facile flagrare & ardere: contra Theoph. aſſerit, vſque ad 50. annos lucernis admotum ignem extinguere: hæc verò & forte alia id genus cum ſint à noſtro inſtituto aliena, aliis diſcutienda relinquantur: itaque nos ad huius medicamenti doſin & adminiſtrationem accedamus.

Doſis grand vj.

De doſi elaterij item non conuenit inter omnes Dioſc. ſcribit integram mẽſuram eſſe obulum, hoc eſt. ℈. ß. minimã ſemiobulum, infantibus æra duo, id eſt, grana, pondus ſcil. quatuor granorum, maiori copia eſſe periculoſum. Paulus, Aëtius, Actuarius, dant iij. obulos. Meſue eandẽ doſim cum Dioſc. videtur probare: ego verò ad ſummam nunquam v. 1. grana excedere ſum auſus, nec iam dum auderẽ, cum hac doſi exhibitum copioſiſſimam purgationẽ efficiat: quod ſi quis maiorem illius doſin audet exhibere ad ſcrupulum, forte etiam ſcrupulos, id quidẽ puto fieri, quod elaterium ſit improbè præparatum, neque eam facultatem validam purgandi obtineat, quam optimè præparatam ſolet habere.

Elaterium iis medicamentis commodè permiſcetur, quæ ventriculo ſolent gratificari, & inter cætera pilulis aromaticis feliciter copulatur, quod ego ſemper facio. Et ſit exemplum:

℞. *Pilularum aloephanginar.* ℈. *ſ.*
Elaterij g. iiij. M. optimè. F. pilula & auretur.

Capvt XXV.

De Scammonio.

SCammonium eſt ſuccus plantæ, qui potiſſimùm ex Alexandria & Syria ad nos defertur: huius plantæ imaginem habetis apud Matthiolum, quam miſit ad illum Conſtantinopoli Orator quidam Cæſareus. Medicamentum eſt inter cætera vetuſtiſſimum & medicis familiariſſimum, adeo vt non ſolùm per ſe adminiſtretur, ſed etiam ſit baſis & fundamentum pilularum, electuariorum, & omnium compoſitorum medicamentorum purgantium, quæ hoc tempore ſolent præparari. Gal.

huius medicamenti frequenter meminit, tametſi quod certè mirum eſt, in *lib. de ſimp. med. facult.* de eo nihil ſcripſerit. *Facultas.* Conuenit inter omnes, ſcammonium flauam bilem purgare: nihilominus Dioſ. addit quoque pituitam. Sed illud ſciendum eſt, huiuſmodi medicamentum eſſe vehementiſſimum & violentiſſimum, ac multis modis naturæ hominis aduerſari, de quibus videatis Meſuen, adeo vt fuerint nonnulli, qui dixerunt, ſatius fuiſſe ſcammonium nunquam ad manus hominum peruenisſe, cum forte plus incommodi & periculi, quàm vtilitatis afferat. *Nocumenta.* Paulus, Actuarius, & alij teſtantur illud plus quàm cætera omnia purgantia medicamenta ventriculo aduerſari, ex quo factum eſt, vt medici varias rationes excogitauerint, ex quibus illius malitia poſſit emendari, de quibus videatis Meuſuen, qui ſingula huius medicamenti damna & remedia tractat diligentiſſimè. Galenus vnius præcipuè rationis meminit præparandi ſcammonij, ex malo citonio, 1. *de aliment. facult.* 1. quæ vſque ad noſtra tempora peruenit, & eſt huiuſmodi: namque noſtri aromatarij excauant internas partes mali, quæ ſemen continent, deinde totam cauitatem repleant ſcammonio, ac farina tritici obuoluunt, & ita coquunt: quod enim, inquit Galen. ad hunc modum præparatum eſt, abſque ſtomachi ſubuerſione aluum ſoluitur tametſi, quod video neminem aduertiſſe, *Animaduerſio.* Galen. non ſcammonium, ſed pomum ſcammonio præparatum ægris ſolebat exhibere, contra quam nos faciamus, qui abijcientes pomum, tanquam inutile, ſolo vtimur ſcammonio. Scammonium verò hoc modo præparatum *Diagridium* dicitur, ex quo orta eſt controuerſia magni momenti, vtrùm in componendis medicamentis, quoties auctores ſcammonium ſimpliciter nominant, diagridium an alterum ſine præparatione accipiendum ſit: de qua ita equidem reſponderem, ſcammonium vel præparatum vel non præparatum fore accipiendum, prout auctores vnum vel alterum nomen vſurpant, adeo vt quotieſcunque ſcammonij ſimpliciter ſit mentio, liceat ſcammonium non præparatum accipere, quod veriſimile ſit illius malitiam cæteris medicamentis compoſitionem ingredientibus ſatis corrigi & emendari: nam ſi quando auctores intendunt ſcammonio præparato vtendum eſſe, vt probabile eſt, id ſpeciatim debent explicare, ſicuti, exempli gratia, videre eſt apud Meſuen, qui componendis pilulis aggregatiuis, de lapide armeno, electuario Indo, de pſillio, & ſimilibus, non ſimpliciter ſcammonij, ſed ſcammonij cocti in pomo mentionem facit.

Doſis. De doſi ſcammonij auctores magnopere diſſentiunt. Dioſc. integram drachmam concedit, imò verò ſi velis abundantiùs purgare, tribus ſcammonij obulis per eundem Dioſc. licet addere hellebori nigri obulos ij. & drachmam aloës. Paulus & Actuarius dant obulos iiij. Meſue à granis v. vſque ad grana xii. quam poſtremam ſententiam Meſues plerique omnes hoc tempore ſequuntur: nam teuera tanta ſcammonij doſis ſine certiſſimo periculo non poſſet exhiberi: vnde nonnulli in eam ſententiam venerunt, aut codices Dioſc. & aliorum fuiſſe deprauatos, aut vulgare ſcammonium non legitimum, ſed tantummodo adulteratum ad nos deferri. *Vſus.* Medici tarò aut nunquam ſolu ſcammonio vtuntur, ſed illud frequenter ad tria vel quatuor grana circiter miſcent reliqnis medicamentis, quotieſcunque volunt eorum vim augere. Et ſit exemplum.

℞. *Pilularum aggregatiuarum,*
Cochiarum, ana ℈. ij.
Diagridij g. iij. M. fiant pilulæ iij. & aurentur.

Si quis autem ſummam ſcammonij doſin voluerit exhibere, tunc illud rebus aromaticis commodè permiſceatur, quæ illius vehementiam & malitiam ſolent corrigere. Et ſit exemplum:

℞. *Pilularum aloephanginarum ʒ ß.*
Diagridij g. xij. M. F. pilula vt ſuprà.

Gal. aliquando, potiſſimùm in iis qui alia medicamenta abhorrent, conſueuit vel in priſana, vel in ſero lactis ſcammonium permiſcere, ſicuti habetis exemplum illius mulieris laborantis herpete in malleolo, eius hiſtoriam narrat. 14. *meth.* 17. Atque hactenus de ſcammonio.

CAPVT XXVI.

De Colocynthide.

Colocynthis Græcè, Latinè, cucurbita ſylueſtris dicitur, à quibuſdam propter ſummam illius amaritudinē fel terræ nominatur, ab Arabibus mors plantarum vocatur, quod herbas vicinas inſtar veneni interficiat. Apud omnes planta eſt notiſſima, & tam vehementer violentum eſt medicamentū, vt nonnulli medici planè velint ab illius vſu cauendum eſſe, quod magis turbet & noceat, quàm proſit, veruntamen eſt medicamentum apud veteres vſitatiſſimum, & experientia confirmat, ſi probè præparetur, quamplutimas vtilitates afferre, neque tam eſſe laborioſum, vt iſti prædicant. *Facultas.* Colocynthidis vim purgatoriā præclarè explicat Actuarius, qui ſcribit, illam pituitam, bilem humorémque mucoſum purgare: quapropter opportunè adminiſtratur ad contumacem capitis dolorem, hemicraniam, vertiginem, morbum comitialem apoplexiā, aſthma, dolores articulorum, & alios morbos id genus, qui ab iis humoribus ferè oriuntur. *Vſus.* Duplex eſt, & potiſſimùm illius vſus & adminiſtratio, vno modo in clyſteribus & glandibus, quæ certè inter reliqua omnia principem locum obtinent, vbicunque volumus à longinquis partibus reuellere, & humores craſſos purgare. Et ſint exempla:

℞. *Pulpæ colocynthidos ʒ. ij.*
Florum chamomillæ M. j.
Seminum aniſorum,
Cymini ana ℥. j. Fiat decoctio.

℞. *Prad. decoct. lib. j.*
Mellis roſati,
Olei chamamelini completi ana ℥. iij. M. pro clyſtere.

℞. *Pulpæ colocynthidos ℈. j.*
Specierum hieræ ſimp. ʒ. ß.
Salis gemmæ ℈. ß.
Mel. q. ſuf. M. pro ſuppoſitorio.

Incommoda. Altero autem modo colocynthis ore aſſumitur, ſed tunc nunquam ſola debet exhiberi, ſiquidem niſi antea corrigatur, & faucibus, & gutturi, & ventriculo, & inteſtinis, & vniuerſo corpori maximum incendium, faſtidium & perturbationem ſolet afferre: imò verò colocynthis inter ea enumeratur, quæ ſicuti cætera venena multa pericula ſæpius afferunt de quibus ſpeciatim tractat Dioſcor. *lib.* 6. 34. Etſi verò colocynthis multis modis poteſt parari & corrigi, de quibus, tum cæteri, tum Meſue agit diffuſè, tamen vſus obtinuit vt præſtantior præparatio & caſtigatio illa habeatur, qua additis nonnullis medicamentis conficiunt trochiſcos, qui vulgo *trochiſci alhandal* nominantur, *Trochiſci alhandal.* in quibus quidem trochiſcis efficiendis prudenter monet Manardus, diligenter fore intelligendum quantum colocynthidis in iis poſitum fuerit, cum alij plus, alij minus accipiant, quod non ſine magno ægri detrimento poteſt ignorati. Communis præparatio apud Meſuen eſt talis:

℞. Colo

℞. *Colocynthidis* ʒ. x.
Aliarum rerum ʒ. XVIII.

Et multi hanc compoſitionem ſequuntur: alij autem aſſerunt codicem eſſe deprauatum, & pro ʒ. x. colocynthidis accipiunt ℥ x. colocynthidis, & multi etiam hanc compoſitionem ſequuntur. Si præparetur primo modo, ad integrum ℈ & ad ʒ ß. poſſet exhiberi: ſecundo autem modo ſumma eſt doſis gr. x. aut XII. Habeatis exemplum ſecundæ præparationis:

℞. *Specierum hieræ ſimpl.* ʒ. j.
Trochiſcorum alhandal gr. XII.
Miſce fiant pilulæ iij. *& aurentur.*

Sunt demum qui huiuſmodi trochiſcus libentiùs quàm colocynthidem in clyſteribus quoque & glandibus velint adminiſtrare, quod quidem remedium ſicut magis tutum, & facile, ita minùs efficax, mea ſententia, habendum eſt.

Demum ſciendum, ex colocynthide varia parari medicamenta, vinum, oleum, acetum, & alia id genus, quæ ad varios vſus & internos & externos à medicis partim veteribus, partim recentioribus accommodantur: ad quem modum ſcribit Gal. viridem ſuccum colocynthidis contritum iſchiadicis prodeſſe 7. *de ſimp. med facul.*

CAPVT XXVII.

De Turpetho.

NVllum, vt puto, medicamentum maiores continet difficultates quam turbith, de quo tot ferè circunferuntur ſententiæ, quot ſunt auctorum capita: namque alij radicem pituyſæ, tripolium Dioſc. radicem thapſiæ eſſe putant: alij forte alia ſentiunt, de quibus non pertinet ad meum inſtitutum longius agere, qui id ſatis habeo, in quo fere omnes videntur cõuenire, turbith noſtrum vulgare, & quo aromatarij paſſim vtuntur, vnum atque idem eſſe medicamantum cum eo turbith, quod à Meſue deſcribitur, notiſq; omnibus illi prorſus reſpõdere. De hoc igitur medicamento quicquid tandem illud apud antiquos fuerit, cum hoc tempore familiariter adminiſtretur, quam breuiſſimè eſt agendum. Scribit Meſue, *Facultas.* cui omnes medici conſentiunt, turbith pituitam craſſam, lentã & putridam ex ventriculo, thorace, articulis, venis, neruis, atque ex remotioribus partibus purgare, vnde hoc medicamentum ad febres pituitoſas & alios morbos frigidos, qui ex huiuſmodi humore oriuntur, quàm maxime eſt accommodatum. *Correctio.* Quoniam verò hoc medicamentum tardè & imbecilliter purgat, nec non ventriculum totumque corpus turbat magnopere, vna quædam & oderata medicamenta, exempli gratia, gingiber, maſtiche, piper, gallam moſchatam, &c. oportet illi permiſcere, quæ valent illius operationem intendere, & ventriculum iuuare: vnde Meſue ex propria & aliorum ſententia plures modos correctionis & præparationis nobis proponit, quos apud illum quiſque videat. *Vſus.* Turbith duplici ratione ſolet exhiberi, vna in ſubſtantia, altera in decocto vel infuſione. *Doſis.* Subſtantia turbith à ʒ. j. vſque ad ʒ. ij. in decoctione autem dilutum vſq; ad ʒ. iiij. poteſt concedi, & hac ſecunda ratione ſimul cum aliis medicamentis familiariter permiſcetur. Exemplum.

℞. *Betonicæ M.* j.
Turbith ʒ. iij.
Seminum citri.
Piperis longi ana ʒ. ß. *F. Dec. ſecund. artem & facta colatura, adde mel. roſ. ſol.* ℥. j. ß. *M. F. Potio.*

Exemplum in ſubſtantia.

℞. *Turbith puluériſati* ʒ ij. *M. cum iure in quo ſint decocta folia betonicæ, ruæ, ſemina aniſorum, citri, &c.*

CAPVT XXVIII.

De Hermodactylis.

SIcut illud medicamentum, quod vulgò dicitur hermodactylus, omnibus eſt notiſſimum, ita altera ex parte ſunt maximæ controuerſiæ inter medicos noſtri temporis, quale apud antiquos fuerit illud, & quam rem ipſi voluerint hermodactylis ſignificare: verum quoniam hæc inquiſitio ad meum inſtitutum non attinet, illud mihi videtur inquiſitione dignum, & ad rem noſtram pertinere, vtrùm id medicamentum quod hoc tempore vulgare eſt, & nomine hermodactyli frequenter à medicis adminiſtratur, poſſit ac debeat inter ſalutaria medicamenta reponi, & ad vſus medicos accũmodari, namque illud eſt in magna controuerſia poſitum: quandoquidem ſunt Altimarus, Matthiolus, & alij, qui pro comperto habentes noſtratem hermodactylum non aliud eſſe quàm *ephemerum Dioſc.* contendunt illud omnino ex officinis medicis eſſe relegandum, neque vlla ratione inter ſalutaria medicamenta eſſe reponendum, cum ephemerum teſtimonio Dioſc. Gal. Pauli, Alex. & omnium, ſit venenum, & vſque adeo pernicioſum, vt deuoratum eadem die hominem interficiat, vnde illi ephemeri nomen inditum eſt. Iis verò qui quotidianam experientiam obiiciunt, dum tale medicamentum frequenter & ſine noxa aſſumitur, reſpondet Matthiolus, iſtud propter eam maximè cauſam euenire, quod illud fortaſſe in Italia, ſicuti in Colchide mortiferum non prouenit, aut quòd ea deſumitur quantitas quæ ſit exigua, neque ad perdendum ſufficiens. Cæterum cum Gal. 1. *de ſimpl. med. cap.* 38. & alibi doceat, experientia potiſſimùm de medicamentis iudicium eſſe faciendum, nec tam conſiderandum, qualis ſit eorum natura, quàm quid in nobis efficiant, ego autem poſtquam cœpi medicinam facere perpetuò hermodactylis vſus fuerim, & ſciam quamplurimos illis vti quotidie, non ſolùm ſine aliquo periculo, ſed etiam cum maximo ægrotum emolumento, planè ſentio hoc medicamentum, qualecunque id fuerit, apud antiquos tutò adminiſtrari; & inter cætera purgantia medicamenta ſuum locum obtinere. Neque rationes Matthioli quidquam valent, vtcumque enim hermodactylus in Colchide & aliis locis ſit venenum lethale, id nobis debet eſſe ſatis, illum in Italia eſſe ſalutarem, atque ea doſi exhibitum, qua ferè omnes vtuntur, præclarè purgare, neque aliquod periculum afferre. Hermodactyli vim & facultatem Paulus mihi videtur præclarè deſcripſiſſe: *Hermodactyli radix,* *Facultas.* ille inquit, *lib. 7. & per ſe & ipſius decoctum, vim habet purgandi, & potiſſimùm in arthriticis, cum humores fluunt: verùm ſtomacho aduerſatur.* Ac re vera hoc medicamentum communi omnium conſenſu *Vſus.* in podagra, & dolore articulorum inſignem *Doſis.* prærogatiuam & principem locum obtinet.

Duplici autem ratione exhibetur, in ſubſtantia datur illius puluis ad ʒ. ij. circiter ex iure, cum ſeminib. cymini, gingibere: ſed vt dixi de turbith, tarò hoc modo adminiſtratur, quandoquidem apud officinas ſolent parari tria genera pilularum de *Pilulæ de hermodactylis.* hermodactylis, quarum primæ maiores, ſecundæ minores, tertiæ ex inuentione Meſues, nominantur, quæ loco pulueris poſſunt ac debent adminiſtrari. Familiariter in decocto vel infuſo adminiſtrantur ſimul cum aliis purgantibus medicamentis, vbicunq; nobis propoſitum eſt humores craſſos ex

remotis partibus,ac præcipuè ex articulis purgare.

℞. *Hermodactyl.*
Sene ,
Epithymi ana ʒ. ij.
Paſſurarum ℥. ß.
Liquiritiæ ʒ. j.
Gingiberis ʒ. ß. *M. F. infuſio ſ. a. & facta colatura, adde*
Mel. roſ. ſol. ℥. ij. *M. F. Potio.*

℞. *Hermodactylorum ,*
Diagridij ana ℥ ij.
Coſti ,
Cymini ,
Gingiberis ,
Caryophyl. ana ℥. j. *M. trita & cribrata.*

Electuariũ. Conficiatur cum ſyrupo facto ex melle & vino albo inuicem coctis , donec formam ſyrupi bene cocti recipiat , & fiat electuarium. Doſis eſt ʒ. ij. iij. & vſque ad iiij.

Capvt XXIX.

De Hellebero.

Helleborum, quem & *veratrum* Latinè dicunt, tam album quàm nigrum , puto omnibus hoc tempore eſſe notiſſimum : etſi verò medici herbarij noſtrorum temporum plurima diſputant de hoc medicamento & potiſſimùm de illius differentiis , mihi ſtatutum eſt hæc omnia prætermittere , ac duntaxat pro inſtituti noſtri ratione de illius viribus totáque adminiſtratione ſermonem habere : ſed primum duobus verbis album helleborum expediamus. Per helleborum ſimpliciter dictum , antiqui album intelligebant, alterum autem cum additione helleborum nigrũ nominabant, vt notat. Gal. 5. *aphor.*

De hellebero albo. De helleboro albo ſcribit Meſue illum terribilia ſymptomata efficere,ac tanquam præſentaneũ venenum eſſe vitandum : vnde plurimi hoc tempore , omnem illius vſum abhorrent : ſed tamen non deſunt Menardus , Matthiolus, & alij, qui aſſerunt ſine vllo ægrorum periculo illum quoque poſſe adminiſtrari , in corporibus robuſtis. diuturniſque ac valentioribus morbis,hydrope,paralyſi,epilepſia,apoplexia,podagra,morbo gallico,&c : qui morbi ferè communia præſidia videntur contemnere. Apud antiquos medicos præcipuus fuerat huius medicamenti vſus ad prouocandũ vomitum , de quo atque illius præparatione ſunt *aph.* 13.& 14.lib.4.& meminit Gal. *in lib. quos & quando* , &c. verùm cũ ſolita antiquis vacuandi ratio per vomitum, ac ſimul hellebori albi vſus ferè hoc noſtro tempore ceſſauerit , neque ego vt verè dicam vnquam helleboro albo vſus fuerim, de eo non lubet vobiſcum longius agere,

De helleboro nigro. De helleboro nigro Meſue pariter multa ſcribit , ſed admodum confuſè , namque ex vna parte mirabiles , ac prope diuinas illi tribuit dotes , qui inquit,eum helleboro albo longè ſalubriorem eſſe, corpus iuuenile atque incolume efficere , temperamentũ melius moreſque probiores reddere , corpus totũ corruptis excrementis purgare clementer ac ſine moleſtia, vtramque bilem ac pituitam educere, ad ſummã omnes difficiles morbos ſanare, adeo vt veluti theriaca, & per excellentiam medicina omnium difficilium morborum dici debeat. Ex altera autem parte addit hellebori nigri vſum vſque ad ſua tempora fuiſſe tolerabilem, licet difficilem , ac propterea ſolis robuſtis ac animoſis hominibus &

Reprehenſio Meſues. Vere ipſo dandũ eſſe.Ex quo vno loco licet intelligere, quantum doctrinæ huiuſmodi hominũ fidere oporteat : etenim ſi helleborus niger tam difficilè purgat,vt ſolũ hominibus robuſtis,& ſolùm tẽpore verno debeat dari , quomodo illud clementer , ac ſine moleſtia vtramque bilem & pituitam poteſt purgare ; ſed quicquid ſibi velit Meſue , Actuarius inter cæteros *lib. de comp. med.* præclarè mihi videtur hellebori nigri facultates deſcripſiſſe , qui ſcribit ad hunc modum : *Helleborus niger atram bilem* *Actuarius.* *flauamque ex toto corpore,pituitamque trahens,neque tamen citra difficultatem pellit, ideo febribus circuitu repetentibus ac diuturnis illum obiicimus ; datur quoque inſanientibus,hemicranicis,& aliis : exhibetur* ℈ *iij. pondere, aut paulo plus minuſue.* *Facultas.*

Sed cum ego iam diu poſtquam cœpi medicinam facere , frequenter & multis modis helleboro nigro vſus fuerim : prætermiſſis aliorum doctrinis & informationibus, mihi libet de hoc medicamento, déq; inſigni ac multiplici illius adminiſtratione ea vobis communicare,quæcunq; longiore vſu deprehendi eſſe vtilia,& ad ſalutem hominis accõmodata.Itaque helleborum & ſubſtantia,& decoctione , & ſolum , & ſimul cum aliis poſſumus adminiſtrare,ac primùm familiaris eſt illius vſus & ſi ex eo commune aliquod decoctum propinetur , quo ſolidiora medicamenta ſolent diſſolui. *Vſus.*

℞. *Foliorum cichorei ,*
Fumiterræ ana M. ß.
Seminum aniſorum ,
Citri ana ʒ. j.
Spicæ ℈. ß.
Corticum radicum hellebori nigri ʒ. j. ß.
Fiat decoctio ſecundùm artem, & facta colatura adde
Confectionis hamech ʒ. ij. *ſem.*
Syrupi roſ. ſol. dragm. ij. *ſem. M. F. P.*

Sed licet quoque vti ſolo helleboro,ſi ille maiori doſi decoquatur,& illa tantummodo permiſceãtur, quæ medicamentariam illius vim poſſint corrigere.

℞. *Corticum radicum hellebori nigri* ʒ. ij.
Seminum aniſorum ,
Fæniculi ana. drach. j.
Cinamomi ,
Caryophyllor. ana ℈. *ſem. Fiat decoctio.*

℞. *Prædictæ decoctionis vnc.* iiij.
Syrupi roſ. dragm. j. *M. F. P.*

Doſis ſubſtantiæ. Deinde hellebori ſubſtantia. poteſt exhiberi ad ℈. ij. vel ſi corpus fuerit robuſtum ad drachmam integram,cui vel hiera ſimplex, vel pilolæ leuiores commodè copulantur , aut alia permiſcentur quæ ad illius correctionem pertinent. *Syrupus ex helleboro.*

℞. *Pilularum aleophangiaarum ſcrup.* iiij.
Corticum radicum hellebori nigri ſcrup. ij.
Cum ſyrupo de fumoterræ M. F pil. v. *& aurentur.*

℞. *Corticum radicum hellebori nigri drach.* j.
Semin. aniſorum ,
Fæniculi ,
Cinamomi ,
Maſticis ana ſcrup. ſem M. omnia redigantur in puluerẽ, ac ex iure exhibeantur.

Ego quidem tot modis helleboro nigro familiariter vti ſoleo, ſed præterea iam multos annos mihi parameram duo genera medicamentorum ex helleboro, quæ etſi aliàs nemini communicaui, nolo in præſentia ſupprimere:alterum eſt ſyrupus ex helleboro,qui à me eſt compoſitus:alterũ eſt ſuccus hellebori,mirabili quadã ratione extract. cuius auctor ignoratur,ſed à clariſſimo medico deſcribitur in li. cui titulus, *Theſaurus Euonymi de remediis ſecretis.*

Syrupus eſt huiuſmodi :

℞. *Corticum radicum hellebori nigri vnc.* ij.
Semin. aniſorum,
Fæniculi ana vnc. ſem.
Semin citri,
Cinamomi ana drach. j.

Spica

Spica ℈. j.
Infuſionis roſarum lib. iiij. *M. omnia bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & cũ libris duabus ſacchari ſ.a. fiat ſyrupus.*

In omnibus morbis ad quos hellebori vſus eſt accommodatus, ego huiuſmodi ſyrupo vtor familiariter, vel ſolo ad ℥. iij. circiter, vel ſimul cum aliis medicamentis.

℞. *Syrupi noſtri ex helleboro dragm.* ij. *ſem.*
Decoctionis fumitterræ q.ſ. M.
Item:
℞. *Confectionis hamech dragm.* iij.
Syrupi ex helleboro vnc. j. *ſem.*
Decoctionis cichorei,
Borraginis q.ſ. M. F. *Potio.*

Succi præparatio & doſis habetur in eo libro quẽ dixi, ſed quoniã puto illũ apud paucos reperiri, mecum attoli, vt ſi libet, ex eo poſſitis deſcribere.

Hellebori nigri radices puræ & lotæ bulliant leuiſſimè in aqua, infuſæ priùs in ea per noctem aut amplius, conciſæ minutè: curabis autem vt & in hac & in cæteris decoctionibus ſpumam omnem innatam tanquam venenatam diligenter abſtergas, hanc aquam ſeruabis, & rurſum aliam affundes tepidam, & modicè aliquandiu feruefacies, mutando aquam toties, donec nihil aut perparum amplius amaritudinis radices retineant, quod fiet vbi ſepties aut nouies mutaueris aquam: interea verò dum mutas aquas priores, ſemper deſtilla per filtrum, & tandem omnes ſimul pariter decoque lento igne, vel potius prunis, ita vt nec bulliant, ſemper tamen prope bullitioni ſint, vſque ad ſpiſſitudinem mellis, in olla terrea vitreata, aut ærea ſtannata, vaſe tecto, aut parum apertò: cum verò pauca aqua ſupereſt, circa finem coctionis rude lentè ſubinde agitabis, ne ſuccus aduratur, & eodem tempore pro libra radicum hellebori adiicias maſticis tritæ dragm. ij. neque deſinas agitare, vel continuè vel per breuiſſima interualla, donec omnino ſuccus iam ſatis denſatus videatur, id quod ſubitò ferè contingit: & quo minus aduratur materia, quo propior fini & denſationi eſt ſuccus, eo minori igne vrgebis. Et ne te pigeat temporis, habebis præſtantiſſimum & exquiſitum remedium ad diuerſos morbos, præcipuè melancholicos. De ratione vtendi huiuſmodi ſucco auctor hæc habet: *Datur ciceris magnitudine, hora vna poſt cœnam, in omnibus morbis quibus helleborus niger conuenit.* Egò verò ſum in ea opinione, neque hoc neq; aliud prorſus medicamentum à cœna eſſe dandum vnquã propter manifeſtas rationes aliàs adductas. Pariter quod ad doſin pertinet, cum medicamentũ ſit validiſſimum, hic auctor mihi videretur cautiùs egiſſe, ſi illam certo pondere, non fallaci coniectura deſcripſiſſet. Ego ad ℈. j. vel ad ſummũ ad ʒ. ſem. cõſueui exhibere. *Doſis ſucci hellebori.*

℞. *Pilularum aloephanginarum* ℈. ij.
Succi hellebori ℈. j.
M. F. pilulæ iij. *& aurentur.*

Nota de eorum vſu. Verùm de iis duobus medicamentis ſyrupo & ſucco hellebori, mihi libet vos admonere, vtrũque validum eſſe, ac propterea neutrum ſine integra humorũ coctione neque aliis quam hominibus robuſtis & boni habitus, & qui ſpeciatim febre careant, danda eſſe; vtrumque autem opportunè adminiſtrari aduerſus plurimos, difficiles & contumaces morbos, præcipuè verò morbum Gallicum præclariſſimam ſæpenumero operam præſtare.

Capvt XXX.

De Antimonio.

Antequam finem imponam tractationi de ſimplicibus medicamentis purgantibus, mihi libet de quodã ſimplici medicamento agere, quod à quã plurimis tot & tantis laudibus celebratur, inque tot, & tantis morbis adminiſtratur, vt multi non vereantur illud cæteris omnibus anteponere: illud verò eſt antimonium, quod experientia cõfirmat, etſi id antiquitas videtur ignoraſſe, vehementiſſimam deiiciendi vim obtinere. Cæterùm cùm nonnulli de hoc medicamento agant tam diffuſe, vt integra de eodem cõmentaria fuerint cõpoſita, mihi propoſitum eſt illud vnum vobiſcum agere, vt intelligatis quidnam de illius vſu ſtatuendum ſit, ac ſi illud licet, quomodo poſſit & debeat adminiſtrari. Plerique omnes huius medicamenti auctorem faciunt Theophraſtum Paracelſum, natione Germanum, qui apertè diſcedens à doctrina Hip. & Gal. nouam planè medendi rationem, nouáque remedia tentauit inſtituere, ex quo proximo ſuperiore tempore magnæ inter medicos controuerſiæ & rixæ, ac potiſſimùm in Germania ſunt excitatæ; itaque nonnulli Paracelſi hoſtes, vt Thomas Eraſtus totam illius doctrinam & omnia remedia, ac ſpeciatim antimonij vſum oppugnare conati ſunt. Sed cæteris omnibus litibus omiſſis, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, ita equidem cenſeo de antimonio habendum eſſe, illud valentiſſimum & violentiſſimum eſſe medicamentum, quod & per vomitum & per aluum valet inſignẽ purgationem efficere: verùm illud addo, tale medicamentum ſi probè fuerit præparatum, & à perito medico opportunè & cum ratione adminiſtretur, minimè eſſe reiiciendum, imò verò quod confirmat experientia, illud ſæpenumero non ſolùm prodeſſe; ſed etiam non ſine multorum admiratione grauiſſimos quoſdam morbos ſanare: contrà autem ſi illud ab imperito medico, & temere offeratur, tanquam venenum grauiſſima pericula & quandoque mortem inferre. Vnde ego qui antimonio nonnunquam vtor, neque ſine fructu, primùm illius cautiones & animaduerſiones proferam, quas perpetuò ante illius vſus ſoleo adhibere: deinde & doſin & totam illius vtendi rationem apponere non grauabor. *Facultas.*

Ego igitur ſum in ea opinione, quicquid alij ſentiant, antimonium non aliis quàm corporibus robuſtis conuenire: corpora autem robuſta intelligo, quæ ætate vigent, quæ bonum corporis habitum ſortita ſunt, & quæ nullas vires aliquo modo habeant imbecillas: quod ſi præterea huiuſmodi corpora bene valentẽ habeant ventriculum, cuiuſcunque internæ inflammationis & febris ſint immunia; ac poſtremò quæ ad vomitum ſint proclinia, vtique puto iis longè fidentius illud poſſe exhiberi. Vnde eorum conſilium, ne dicam temeritatem, nunquã potui probare, qui omni naturæ, omni corporis conditioni, omnibus morbis, ſine vllo iudicio ſolent antimonium adhibere.

Sed quanã doſi & quomodò antimonium poteſt propinari, de doſi nõ cõuenit inter omnes etenim ſunt nonnulli audaciores, qui, vt audio, ad dimidiũ ſcrupulum, forte etiam ad integrum ſcrupulum illud dare non dubitant: ego tribus vel quatuor granis contentus eſſe ſoleo, neque ad ſummum ſex grana vnquam auderem tranſcendere. Multis autem modis hoc medicamentum dari conſueuit: nonnulli illud in vino per noctem macerant, & manè dilutum potui dant: nonnulli id leuiori alicui medicamento permiſcent: alij ex ſaccharo excipiunt, & in rotulas redigunt, ſed vulgò modus cæteris tutior atque efficacior ille eſſe videtur, ſi medicamentum conſeruæ florum roſarum permiſceatur, ac ſimul deuoretur, ex quibus omnibus modis mihi antimonij diluti & infuſi ratio cæteris omnibus magis probatur. *Doſis.* *Vſus.*

℞. *Antimonij præparati* gr. iiij.
Sacchari roſati ʒ. ij. *M. optimè.*

℞. *Antimonij* gr. iij.
Pilularum aloephanginarum ℈. j.
M. fiat pilula & auretur.

℞. *Antimonij præparati* gr. vi.
Vini albi aromatici q. ſ. infundatur per noctem & manè facta colatura exhibeatur.

Nonnulli id poſtremò addunt quomodocunque antimonium accipiatur, iuſculum piſorum leuiter coctorum, vel pulli, vel alterius carnis, non multo poſt dandum eſſe, qui aſſerunt hoc modo medicamenti actionem accelerari, & cum primis vomitum reddi faciliorem.

Capvt XXXI.

De compoſitis Medicamentis purgantibus.

TRactatori de compoſitis purgantibus medicamentis, ſicuti de ſimplicibus factum eſt, ſtatuimus de illis tantum ſermonem habere, quæ hoc tempore magis vſitata & efficàcia habentur: ex quibus pariter mihi propoſitum eſt perpetuò nonnulla ſeligere, ac præ cæteris vobis probare, quæcunque iam longiori experientia mihi confirmata ſunt eſſe tutiora, præſtantiora, & reliquis omnibus anteponenda. Etſi verò huiuſmodi medicamenta multiplicia ſunt, ac variis formis ſolent parari, tamen commodè tribus capitibus mihi videntur poſſe comprehendi, quorum 1. electuaria. 2. pilulas, 3. Syrupos & potiones complectatur: namque ad hæc & trochiſci, & confectiones ſiue rotulæ, & ſi quæ alia ſunt, facilè poſſunt referri. Cæterum cum in hac tractatione, ſicuti aliàs vos monui, illud vnum mihi propoſitum ſit de vſu tantummodo & adminiſtratione medicamentorum agere, minimè de eorum compoſitione, tamen neque id prætermittam, ſi quæ occurrãt notatione digna ad ipſam quoque cõpoſitionem pertinentia, quin de illis vos moneam: itaque rem aggrediamur. Quoniam certum eſt purgantia medicamenta redundantibus vitioſis humorib. præcipuè adminiſtrari, hinc fit vt medici pro redundãtia vnius vel alterius, vel omnium humorũ, varia quoque medicamenta ſeligant, & adminiſtrent: quamobrem ſicuti aliàs diximus tractantes de ſyrupis, cũ huiuſmodi humores purgandi ſint quatuor, bilis, melancholia, pituita, & quarta humiditas, quam ichorem vel ſerum appellant, varia à medicis ſunt inſtituta medicamenta; quæ ad ſingulorum purgationem ſunt accommodata: veruntàmen id vos ſcire velim, nullum mea quidem ſententia reperiri medicamentum, quod vnum tantummodo humorem ita educat, quin ſimul alios quoque non poſſit purgare: ſed exempli gratia, diximus electuarium diaphænicon purgare pituitam, quòd præcipuè valeat huiuſmodi humorem ducere, etſi ſimul vtramque bilem, ac maximè flauam ducere aptum eſt; quod item de reliquis dicendum eſt. Nos igitur tractabimus de compoſitis medicamentis, quæ ad purgandos ſingulos humores ſunt præcipuè accommodata, & ſimul conabimur cuiuſque medicamenti facultatem & vim purgatoriam explicare, vt ſicuti in noſtro corpore plerunque vnus præcipuè humor, reliqui minus redundant, ita intelligatis atque in promptu habeatis medicamenta, quæ primum redundantem humorem, deinde & reliquos poſſint purgare.

Capvt XXXII.

De Electuariis purgantibus bilem.

INcipientibus nobis agere de iis, quæ poſſunt in primis flauam bilem educere, primo loco occurrit electuarium diaprunis, quod à nonnullis *diadamaſcenum* dicitur, à 100. prunis damaſcenis, quæ illud ingrediuntur. Compoſitio huius medicamenti habetur apud Nicolaum, in qua illud notandum eſt, noſtros aromatarios in doſi diagridij non conuenire: Nicolaus quidem vni libræ diaprunis lenitiui ʒ. vii. diagridij permiſcet, ſed alij integram ℥. alij tantumodo ʒ. iiij. accipiunt, quod maximè eſt animaduertendum, cum pro vna vel altera cõpoſitionis ratione liceat maiorem vel minorem medicamenti doſin exhibere. Nicolaus medicamentum ad quantitatem caſtaneæ præbet cum aqua calida, ſed ſicuti aliàs vos monui, ſoluentia & valide medicamẽta longè tutiùs determinato pondere, quàm alia minus certa menſura debent exhiberi: verùm ſi Nicolai deſcriptionem ſequamur, doſis eſt ad ʒ iiij. circiter, quod medicamentum & ſolum & ſimul cum aliis medicamentis partim lenientibus, partim purgantibus, & in bolo, & in potione ſolet exhiberi. *Electuarium diaprunis.* *Doſis.*

℞. *Diaprunis ſolutiui* ℥. ß. *Cum ſaccharo F. B.*

℞. *Diaprunis ſolutiui* ʒ. ij. ß.
Flor. caſsiæ nouiter extractæ ℥. j. *M. cum ſaccharo fiat bolus.*

℞. *Diaprunis ſolutiui* ℥. ß.
Syrupi roſ. ſol. ℥. j. ß.
Decoctionis flor. & fructuum q. ſuf. M. F. P.

℞. *Diaprunis ſol.* ʒ. iij.
Electuarij de ſucco roſarum ʒ. j. ß.
Syrupi de cichorea cõpoſiti cũ rhabar. ℥. j ß.
Decoctionis flor. & fructuum q. ſuf. M. F. P.

Hoc medicamentum laudatur à Nicolao in febribus acutis & peracutis, quare communiter practicantes illo familiariter vtuntur in febribus ac reliquis morbis qui ex flaua bile communiter eueniunt: ego verò aut rarò admodũ, aut nunquam illo vti conſueui, ac potiſſimum in febribus, quòd illud recipiat pruna, tamarindos, ſandala, ſpodium, & alia multa medicamenta adſtringentia, quæ aliàs diximus in febribus non conuenire: præterquam quòd ſunt aliæ quoque rationes, quæ huiuſmodi compoſitionem mihi ſuſpectam reddunt.

Secundò, eſt electuarium diaſebeſten, cuius deſcriptio habetur apud Bartholomæum Montagnanam: hoc medicamentum eſt leuius electuario diaprunis, quare illius doſis ab ℥. j. vſque ad ʒ. xii. poteſt exhiberi, quod pariter & ſolum & ſimul cum aliis medicamentis ſolet adminiſtrari. Conuenit omnibus morbis bilioſis, & apud vulgares medicos in morbis calidiorib. renum & veſicæ neſcio quam habet prærogatiuam. Et ſint exempla. *Diaſebeſten.* *Doſis.*

℞. *Electuarij diaſebeſten.* ʒ. x.
Cum ſaccharo fiat bolus.

℞. *Electuarij diaſebeſten.* ℥. j.
Syrupi violati ſol. ℥. ij. ß.
Decoct. betonicæ, liquiritiæ q. M. & f. potio.

Betonica in affectionibus renum conuenit, ſed neque hoc medicamento vti frequenter ſoleo.

Tertiò, eſt electuariũ de pſillio, cuius duplex habetur deſcriptio, vna apud Meſuen, altera apud Montagnanam, quæ ab altera Meſuæ nõ parum differt: vulgo vtrumque probatur in febribus & morbis bilioſis, ſed mea ſententia malancholiam quoq; poteſt purgare, cum præterea illud ingrediantur ſuccus fumariæ, myrobalani, ſena, epithymum, polipodium, quæ conſtat melancholicos humores educere. *De pſillio.*

Doſis

Doſis. Doſis eſt à ʒ iiij. vſque ad ℥ j. atque eadem ratione vel ſolum, vel ſimul cum aliis medicamentis ſolet adminiſtrari, ſicuti de prioribus diximus. Ego hoc medicamento nunquam vtor, quare ad alia progrediamur.

De ſucco roſarum. Quartò, eſt electuarium de ſucco roſarum, cuius deſcriptio habetur apud Nicolaum, &c.

Electuarium roſatum. Quintò, eſt electuarium roſatum, cuius deſcriptio habetur apud Meſuen, vnde electuarium roſatum Meſuæ dicitur, quod vtrumque febribus & omnibus morbis bilioſis maximè conuenit, cum præter ſcammonium nullum recipiat medicamentum, quod purgandi facultatem habeat. Hæc duo medicamenta & viribus, & doſi, & modis omnibus admodum ſimilia ſunt, ſed longè frequentius electuarium de ſucco roſarum, quàm alterum roſatum ſolet à medicis adminiſtrari: ego verò vtroque frequentiſſimè & lubentiſſimè vti conſueui, cum reuera ambo ſibi medicamenta quæ præclarè ac ſine moleſtia flauam bilem educunt, ac mea ſententia cæteris omnibus purgantibus bilem ſunt anteponenda. *Doſis.* Vtriuſque doſis eſt ʒ. iiij. vſque vj Et ſint exempla:

R. Electuarij de ſucco roſarum unc. ſem.
Flor. caſſia nouiter extracta vnc. j. M. cum ſaccharo f. bolus.

R. Electuarij de ſucco roſarum dragm. iiij.
Syrupi de cichorea cõpoſiti cũ rhab. vnc. iij.
Decocti cichorei,
Acetoſa q. ſuf. M. & f. potio.

Quæ eadem doſis & adminiſtrationis ratio ad alterum quoque roſatum debet accommodari: Præter hæc ſunt alia quoque medicamenta, quæ ab Actuario, Alexandro, & aliis pro bilis purgatione deſcripta ſunt, ſed vel à paucis, vel a nemine hoc tempore parentur: quare hæc ſint ſatis, ad pilulas accedamus.

Capvt XXXIII.

De Pilulis purgantibus Bilem.

Pilulæ. Etſi nullæ ſint pilulæ, quod ſuprà de omnibus compoſitis medicamentis diximus, quæ vnam flauam bilem poſſint educere, tamen ſunt nonnullæ, quæ potiſſimùm huiuſmodi humoris purgandi vim habent, inter quæ ſunt *Pilulæ de aloe.* primùm pilulæ de aloe, vel de hiera ſimplici, de quibus nihil dicendum eſt, quòd mea ſententia potius inter medicamenta lenientia, quàm purgantia debeant reponi. *Ex rhabarbaro.* Deinde ſunt pilulæ ex rhabarbaro, quæ ſunt duplices, alteræ quæ pilulæ de rhabarbaro appellantur, & deſcribuntur à Meſue: alteræ quæ pilulæ de tribus cum rhabarbaro dicuntur, quarum auctor ignoratur, atque ex pari aloes, agarici & rhabarbari portione conficiuntur; quæ ita appellantur, vt puto, ad differentiam earum pilularum, quæ de tribus contra peſtem appellantur. *Doſis.* Vtræque hæ ſunt admodum mites, quare ad duas, tres, & plures drachmas poſſunt exhiberi: ego illis ſoleo copulare quandoque ſyrupum roſaceũ, aut violaceum ſolutiuum.

R. Pilularum de tribus cum rhabarbaro, vel
Pilularum de rhabarbaro ʒ. ij. *Fiant pilulæ v. & aurentur.*

R. Syrupi roſ. ſol. vnc. ij. ſem.
Decoctionis endiuiæ parum. M. fiat potio, quæ ſtatim poſt pilulas aſſumatur.

Aureæ. Sed pilulæ aureæ purgationis facilitate, efficacia, cæteris omnibus mihi videntur præſtare, vt verè aureæ dictæ fuerint. *Doſis.* Doſis eſt à duobus vſque ad iiij. ℈. Veruntamen circa earum compoſitionem notandum eſt, multos aromatarios duplum ſcammonij accipere conſueuiſſe, vt medicamentum validius reddant, qui id temere mihi videntur facere, cum multo magis liceat dandi medicamenti doſim augere, quàm illius compoſitionem mutare. Si velimus præcipuè tenues humores purgare ſolas pilulas aureas exhibemus: ſin verò ſimul craſſi quoque redundent humores, illas cum cæteris, exempli gratia, cum pilulis cochiis conſueuimus præbere.

R. Pilularum aurearum ℈. iiij. *fiant pilulæ v. & aurentur.*

R. Pilularum aurearum ſcrup. ij.
Cochiarum vnc. ſem. M. fiant pilulæ v. & aurentur.

Capvt XXXIV.

De Electuariis purgantibus Pituitam.

Inter medicamenta purgantia pituitam primùm occurrunt hieræ, quæ à Meſue, Paulo, Aëtio, Auicenna, Nicolao, & reliquis, diuerſis modis & rationibus parantur, ex quibus mihi libet de iis tantùm tractare, quæ hoc tempore ab omnibus conficiuntur, & in frequentiore vſu habentur, & ſunt tres, hiera diacolocynthidos, hiera Logadij, hiera compoſita.

De hiera ſimplici nihil dicendum eſt, cum ſatis de ea dictum ſit in tractatione medicamentorum lenientium, ad quæ recurrendum eſt. Quatenus pertinet ad hieram diacolocynthidos, variæ ſunt illius deſcriptiones apud Meſuen, Nicolaum, Paulum, Aëtium, Auicennam, Serapionem, & alios, ex quibus aromatarij maiori ex parte Meſues aut Nicolai deſcriptionem ſequuntur: ſed hiera, quam pachij appellant, cæteris omnibus mihi videtur anteponenda, cuius deſcriptio refertur à Scribonio medico ex libro Pachij Antiochi ad Tiberium Cæſarem ſcripta: quod quidem medicamentum, ille inquit, ad omnes propemodum magnos morbos valere, totque ac tantis laudibus ornat ac celebrat, vt cæteris omnibus purgantibus medicamentis anteponendum videatur, ſpeciatim verò hoc illi tribuit, quod non ſolùm non nocet ſtomacho, ſed eum reficit atque confirmat, ſupra omnem opinionem. Sed notandum eſt, apud Scribonium duplicem huius hieræ compoſitionem haberi, alteram quæ apud omnes paratur, alteram quæ à paucis, forte à nemine hoc tempore conficitur, quæ eſt talis, ſi ponderi prioris medicamenti demum addantur colocynthidos drachm. xx. opopanacis, ſagapeni ana drach. iij. quod Scribonius in morbis curatu difficilioribus aut natura ſua, aut ex diuturnitate probat faciendum eſſe. Ego verò compoſitionem vtriuſque aliquando procuraui, atque illis vti ſoleo familiariter, quotieſcunque mihi propoſitum eſt pituitam & humores craſſos & glutinoſos educere. *Doſis paruæ.* Doſis prioris, quam ego hieram diacolocynthidos paruam nomino, eſt à drach. ij. vſque ad drach. v. *Magnæ.* Doſis autem poſterioris, quam hieram diacolocynthidos magnam voco, eſt à dr. i. vſque ad drach. iij.

℞. Hiera diacolocynthidos parua vnc. ſem.
Mel. roſ. ſol. vnc. ij. ſem.
Decoctionis hyſſopi q. ſuf. M. f. Potio.

Hiera logodium. Secundò, eſt hiera logodium, vel vt aliis placet, hiera Logadij, quæ maximum & validiſſimum eſt medicamentum: aromatarij fere omnes illud conficiunt ex deſcriptione Nicolai, ſed ego longè magis probo deſcriptionem Aëtij. Vſus iſtius hieræ frequentiſſimus eſt in clyſteribus, quotieſcunque medici volunt inſigniter ac potiſſimùm ex capite reuellere, etenim rarò aut nunquam ore ſolet aſſumi: verùm de illius doſi Aëtius hæc habet: *Exhibitionem*

bibitionem integram eſſe dragm. iiij. *media dragm.* iij.*minimam dragm.* ij. *In clyſteribus licet* viij. *vſque ad* xij. *dragm. imponere.*

Hiera pro clyſterib.

Tertiò, hiera eſt compoſita, quæ aliter *hiera magna* vel *hiera ex ſexdecim rebus*, vulgo *hiera pro cyſteribus* ſolet appellari. Deſctiptio eſt apud Nicolaum, atque illius vſus in clyſteribus maximus eſt, ſicuti diximus de hiera logodium, quæ aut tarò, aut nunquam in potione aſſumitur. Doſis pro clyſtere eſt ab vnc. ſem. vſque ad vnc. ij. Pro potione vſque ad vnc. integrum poteſt exhiberi.

℞. *Flor. chamomillæ M.* ij.
Centaurij minoris M. j.
Seminum aniſorum ℥.j.*fiat decoctio ex aqua.*

℞. *Prædictæ decctoionis lib.* 1.
Hiera logodium vnc. j. vel
Hiera compoſita vnc. j. *ſem.*
Olei chamamelini cõpleti ℥.iiij.*M.pro clyſt.*

Elect. benedicta lax.

Præter hieras pro purgatione pituitæ ſunt alia multa electuaria, ac primùm eſt electuarium, quod vulgo *benedicta laxatiua* dicitur, ac tale nomen acquiſiuit, propterea quia, vt aiunt, nullus eſt, qui illud accipiat, quin illi benedicat. Deſcriptio eſt Nicolai. Vſus præcipuus eſt in morbis qui à pituita & humoribus frigidioribus originem habent, ſed in podagra, chiragra, arthritide, nec non affectibus veteri, videtur inſignem prærogatiuam habere.

Doſis.

Doſis eſt ʒ. iiij. vſque ad integram vnciam Verùm iſtud quoque medicamentum longè frequentius in clyſteribus, quàm in potione ſolet à medicis adminiſtrari.

Ele. Indum.

Secundò, electuarium Indum, quod eſt duplex, quorum alterum maius, alterum minus dicitur: vtrumque deſcribitur à Meſue, Etſi verò ambo hæc medicamenta à multis medicis creduntur nigram bilem purgare, tamen ſi conſiderentur ſimplicia, quæ illa ingrediuntur, ſatis conſtat, ea propriè nihil aliud quam pituitam educere: vulgo à medicis ad expurgandum renes & cætera vaſa vrinaria ſolent adminiſtrari. Minus maiori purgandi vi præditum eſt, ac forte omni ex parte maiori eſt anteponendum, quanquam tamen plerique omnes aromatarij tantummodo maius conficiunt.

Doſis.

Doſis electuarij Indi maioris eſt à ʒ. iiij. vſque ad viij. minoris à . drag. iij vſque ad vj.

Diaturbith. Maius. Minus.

Tertiò, eſt electuarium diaturbith, quod item duplex eſt maius & minus, ex quibus diaturbith minus lõgè plura ſimplicia & purgãtia recipit medicamenta, vnde maiori quoque purgandi vi præditũ eſt: verùm pauci admodũ aromatarij vtrumque parant, qui maius tantummodo ſolent conficere, quod deſcribitur à Meſue *cap. de turbith*, & nihil aliud recipit, quàm turbith, gingiber & ſaccharum: minus verò ingrediuntur, diagridium, rhabarbarum, &c. Hæc duo medicamenta vel cũ melle in forma electuarij, vel cum ſaccharo in rotulis, vel aliter parari ſolent, vnde cum maiori vel minori mellis aut ſacchari copia, maiori quoque vel minori doſi poteſt adminiſtrari.

Doſis.

Doſis autem diaturbith Meſues eſt à dragm. j. vſque ad dragm. ij. quod vel in pilulas redigi, vel ex iure commodè poteſt aſſumi.

Eleſcoph.

Quartò, eſt electuarium Eleſcoph, vel vt aliis placet Epiſcopi, cuius duplex habetur deſcriptio: altera apud Auic. altera apud Meſuen, quæ parum differunt: ſed illud duplici quoque ratione conficitur, vel ex melle in forma electuarij, quod rarò fit, vel ex ſaccharo in rotulis, quod frequentius ſolet fieri: ego hac poſtrema ratione medicamento nonnunquam vtor, ac præcipuè in pueris & delicatis corporibus, quæ illud libenter accipiunt, quod quidem præclarè cum cæteros humores, tum maximè pituitoſos, vel à remotis corporis partibus ſolet purgare. Ratio autem conficiendi medicamenti huius in rotulis eſt huiuſmodi, vt vni drachmæ pulueris vel ſpecierum vna vnc. ſacchari addatur.

℞. *Specierum electuarij eleſcoph. dragm.* ij.
Sacchari vnc. ij.
Cum vino albo aromatico. M. f. confectio in rotulis.

Doſis.

Doſis eſt à drag. iiij. vſque ad dragm. x.

Diaphænicon.

Poſtremò eſt electuarium diaphænicon, vel de dactylis nuncupatum: huius etſi apud varios auctores variæ ſunt deſcriptiones, tamen pleriq; omnes deſcriptionem Meſues ſequuntur, in qua ſunt multæ difficultates, de quibus non pertinet ad meum inſtitutum longius agere: quare illud vnum mibi ſufficiat inter cætera omnia medicamenta ad purgandam pituitam accommodata, hoc mea quidem ſententia principem locum obtinere, ex quo factum eſt, vt ego præ cæteris illo familiariter & libenter vti ſoleam.

Doſis.

Doſis apud Meſuen eſt vſque ad drach. x. Ego verò illo vtor frequentiſſimè à drach. iiij. vſque ad dr. vi. neque ad ſummum vllo modo auderem viij. drach. excedere. Medicamentum hoc & ſolum & ſimul cum aliis & lenientibus & purgantibus medicamentis ſolet commodè permiſceri.

℞. *Flor. caſſ. nou. extr.* ʒ. *viij*
Electuarij diaphænicon. ʒ. iiij. *M. F. Bolus.*

℞. *Elect. diaphænicon.* ʒ. vj.
Mel. roſ. ſol. ℥. j. ß.
Decoctionis betonicæ q. ſ. M. f. Potio.

℞. *Electuarij diaphænicon* ʒ. iiij.
Hiera diacolocynthidos ʒ. j. ß.
Mel. roſ. ſol. ℥. *iiij.*
Decoctionis hyſſopi,
Ina q. ſ. M. f. Potio.

CAPVT XXXV.

De Pilulis purgantibus Pituitam.

Cochia.

Pilulæ pro purgatione pituitæ ſunt plures, & primum ſunt pilulæ cocbiæ quæ etſi à Meſue, Nicolao, & aliis variè deſcribuntur, tamen hoc tempore, vt puto, à noſtris aromatariis non aliter conficiuntur, quàm ex deſcriptione Rhaſis 9. ad Almanſorem *cap hemicrania.* Sunt pilulæ vehementiſſimæ, & quamuis apud medicos propè omnes ſunt in frequentiſſimo vſu, tamen ſciendum eſt, illas non ſine multo labore ac torminibus purgationem efficere, id quod fortaſſe fit, quia ſunt malè præparatæ & correctæ, cum vis trium vehementiſſimorum medicamentorum colocynthidis, ſcãmonij, turbith, à ſola hiera & ſtœchade non ſatis videatur poſſe remitti & corrigi.

Doſis.

Doſis apud Rhaſen eſt incerta, cũ ille ſcribat: *& ſunt doſes decem*, ſed mea ſentẽtia vna drachma ſatis fuerit, neque hanc doſin licet excedere.

De agarico.

Secundò, ſunt pilulæ de agarico, deſcriptæ à Meſue & Auicen. *cap. de aſthmate*, quæ ſpeciatim vſurpantur à medicis in aſthmate, tuſſi diuturna, & reliquis morbis thoracis, quicunque à craſſa & lenta pituita originem habent.

Doſis.

Doſis eſt drach. j. vſque ad drach. ij.

De hiera cũ agarico.

Tertiò, ab iis non longè differunt pilulæ de hiera cum agarico, de quibus tamen ſciendum eſt, eas non vno modo præparari, ſiquidem alij accipiunt hieram Nicolai ex ſedecim rebus, quam colocynthis, turbith, & alia purgantia medicamenta ingrediuntur: alij accipiunt hieram ſimplicem Galeni, aloen tantummodo & agaricum: alij aliter præparent, quod maximè eſt animaduertendum, cum pro varia ratione compoſitionis, varia quoque ratione & doſi debeant exhibere.

Pilulæ albandal. Quartò ſunt pilulæ albandal, quæ deſcribuntur à Meſue, & inter cæteras omnes in ducenda pituita ſunt vehementiſſimæ: vnde nõnulli in doloribus morbi Gallici, cum potiſſimùm cerebrum & articuli laborant, illis tanquam medicamento ſecreto vti conſueuerunt. *Doſis.* Doſis eſt à ſcrup. j. vſque ad ſcrup. iij.

Fœtidæ. Maiores. Minores. Quintò, ſũt pilulæ fœtidæ, quarũ duplex deſcriptio habetur apud Meſuen, & aliæ maiores, aliæ minores appellantur: ſed aromatarij propè omnes maiores tantũ cõficiũt, quæ à nõnullis artheticæ dicũtur, quòd pituitã craſſã & lentã à iũcturis & aliis remotis partibus vehementer trahant. *Doſis.* Doſis apud Meſuen eſt ʒ. ij: ſed mea ſententia vnica ʒ. ſatis eſt.

De hermodactylis. Sextò, ſunt pilulæ de hermodactylis, quæ apud Meſuen ſicuti fœtidæ dupliciter & maiores, & minores cõficiuntur, ſed minores ad purgãdos humores bilioſos & tenues ſunt potius acommodatæ. De hermodactylo iam dixi *in ſimp. purg. med.* itaque pilulæ de hermodactylis maiores in podagra & doloribus articulorum, qui pendent ex cauſa frigida, ac generaliter purgandis humoribus craſſis ac viſcidis, vel à remotiſſimis partibus videntur inſignem prærogatiuam habere. *Doſis.* De doſi nullam Meſue mentionem facit, ego drach. j. vel ad ſummum ℈. iiij. in robuſtiſſimo corpore ſoleo adminiſtrare.

De benedicta. Septimò, ſunt pilulæ de benedicta, quæ nihil aliud ſunt quàm ſpecies electuarij benedictæ in pilulas redactæ & iiſdem viribus cum electuario præditæ ſunt. *Doſis.* Doſis eſt drach. j. & hoc modo conficiuntur:

℞ *Specierum de benedicta* ʒ. vj.
Cum melle roſaceo. vel
Cum aqua fœniculi q. ſ. M. fiat maſſa.

De nitro. Poſtremò, ſunt pilulæ de nitro, quæ aliter pilulæ Alexandri appellantur, & à Meſue deſcribuntur ſecundum Alex. *cap. de epilepſia*, quibus, vt ille inquit, ad epilepſiam, arthritidem, podagram, & omnes morbos qui vnque à frigidis & craſſis humoribus originem habent, nullæ ſunt fortiores: ac ſanè huiuſmodi pilulæ admodum ſunt efficaces & excellentes, vnde in morbis difficilibus & contumacibus, præcipuè verò in morbo Gallico, admirabilẽ ſæpe operã præſtant. *Doſis.* Doſis eſt à ℈. ij. vſque ad ℈. iiij. pro ægri robore. Sed neque illud mihi libet prætermittere, apud Gal. quoque nõnullas pilulas reperiri. *5. met. 14* quæ iis pilulis Alexandri quodãmodo ſimiles videntur; quas ille ſuas appellat. inquit ad plures excrementorum ſpecies expurgandas valere, quibus quidem pilulis ego memini olim clariſſimũ medicum frequenter vſum fuiſſe, quas vocabat *pilulas de ſex rebus*, ſiquidem ex ſex medicamentis, aloe, ſcammonio, colocynthide, agarico, bdellio, gummi arabico, conficiuntur. Atque hactenus de medicamentis compoſitis purgantibus pituitam.

CAPVT. XXXVI.

De Electuariis purgantibus Melancholiam.

Sequuntur melancholiam purgantia, quæ multa ſunt, ac primùm electuaria, inter quæ primum occurrit electuarium quod catholicon, vel *Diacatholicon.* diacatholicon dicitur, quod tametſi multi inter medicamẽta leniẽtia numerãt, nos inter purgãtia reponimus, etſi reuera leuiſſimum eſt medicamentum. Nullum fortaſſe eſt cõpoſitum medicamentũ, quod à noſtris medicis frequẽtius adminiſtretur: & quãuis nomen catholicũ, quaſi dicas medicamẽtũ vniuerſale, demonſtret, illud toti corpori cõuenire, & omnes humores educere, tamen cõuenit inter omnes, id primũ melãcholiã, ſecũdò flauam bilẽ, denique pituitã purgare. Deſcriptio habetur apud Nicolaũ, *Doſis.* qui illius doſin ſtatuit ab ℥ ß. vſq; ad integrã ℥. ſed tutò vſque ad ℥. xij. poteſt exhiberi, & ſint exempla:

℞ *Electuarij diacatholicon* ℥. j.
Flor. caſſiæ noniter ext. ℥. ß. *M. cũ ſaccharo f. B.*

Item:

℞ *Electuarij diacatholicon* ℥. j.
Syrupi de fumoterræ compoſiti, vel
Syrupi de epithymo ℥. ij. ß.
Decoctionis borraginis q. ſ. M. F. Potio.

Verùm vt de hoc medicamento vobis proferam quod ſentio, ego planè ſum neſcius, quomodo illud tantam exiſtimationem fuerit conſecutum: namque ſi diligenter conſiderentur ſimplicia medicamenta, quæ illud ingrediuntur, nullum ferè eſt, quod ventriculum, iecur & principalia membra roboret, & ſi vnum eſt aromaticum, ſunt plurima, exempli gratia, ſena, violæ, thamarindi, caſſia, quæ ventriculo aduerſantur. Præterea in hac compoſitione permiſcẽtur frigida calidis, quod in purgantibus medicamentis non conuenit, vt docet Galen. 2. *de rat. victus* 11. & 12. & nos aliquando conabimur confirmare. Itaque ego quidem non tam libenter & frequenter hoc medicamento vti ſoleo, vt plerique omnes hoc tempore faciunt, qui fortaſſe vſum hieræ ſimplicis ſimul cum rhabarbaro magis probarem,

℞ *Specierum hieræ ſimp.* ʒ. iiij.
Rhabarbari electi pul. ℥. j. ß.
Mel. roſ. q. ſuf. M. F. Bolus.

Diaſena. Secundò, eſt electuariũ diaſena, quod deſcribitur à Nicolao: etſi enim alia quoq; eſt diaſena deſcripta à Gẽtile, tamẽ puto hoc tẽpore à nemine eã parari. Medicamentum eſt vehemens, cum recipiat lapides armenũ, & lazuli, quos cõſtat validiſſima purgãdi vi eſſe præditos. *Doſis.* Doſis eſt à ʒ. ij. vſq; ad ʒ. iiij.

℞ *Electuarij diacatholicon* ʒ. vj.
Diaſena ʒ. iij. *M. cum ſaccharo, f. bolus.*

℞ *Diaſena* ʒ. iiij.
Syrupi de polypodio ʒ. j. ß.
Decoctionis fumiterræ q. ſ. M. F. Potio.

Confectio hamech. Tertiò, eſt electuarium confectio hamech, cuius duplex eſt deſcriptio apud Meſuen, alteram maiorem, alteram minorem vocãt: ſed minor hoc tẽpore in nullo vſu eſt, itaque medicamentum ſolum ex prima & maiore deſcriptione paratur, quod ſanè præſtantiſſimum eſt, ad purgandos omnes vitioſos humores tametſi debet certum eſſe, illud præcipuè humores melancholicos & exuſtos purgare. *Doſis.* Doſis apud Meſuen eſt à drach. ij. vſque ad drach. iij quæ eſt admodum parca, ſiquidem tutò vſque ad vnc. j. poteſt exhiberi, quam ſummam doſin ego frequenter audeo attingere in corporibus robuſtis.

℞ *Confectionis hamech* ʒ. v.
Rhabarbari electi pul. ℈. iiij. *M. F. B.*

℞ *Confectionis hamech* ℥. j.
Syrupi roſ. ſol. ℥. j. ß.
Decoctionis polypodij,
Seminum aniſorum q. ſ. M. Demum

℞ *Confectionis hamech* ʒ. ij. ß.
Manna Calabrenſ. electæ,
Syrupi de fumo ſenæ compoſiti,
Roſati ſol. ana ℥. j. ß.
Infuſionis ſenæ q. ſ. M. F. Potio.

Nec præter hæc alia occurrunt electuaria, notatione digna, quæ ad purgandam melancholiam ſint accommodata: itaque ad pilulas veniamus.

CAPVT XXXVII.

De pilulis purgantibus Melancholiam.

Pilulæ de fumo terræ. Inter pilulas primæ ſunt de fumaria, vel de fumoterræ, quarũ deſcriptio habetur apud Aui. *3. 4. de curatione ſcabiei, & pruritus.* Medicamẽtũ nõ

eſt admodum validum, neque mea ſententia ſatis correctum, cum nihil ſit quod ſcammonij vim poſſit emendare. Doſis eſt à ℈.iij. vſque ad ℈. v. & vulgo à medicis in ſcabie & affectibus cutaneis ſolent vſurpari.

Doſis.

Indæ. Secundò, ſunt pilulæ Indæ, quæ deſcribuntur à Meſue, quas, ille inquit, ſanas & expertas eſſe, ac tenera huiuſmodi pilulæ in omnibus morbis melancholicis, ac præcipuè vbicunque humores fuerint exuſti, vehementiſſimæ & efficaciſſimæ ſunt, vnde ego ſoleo frequenter illis vti. Doſis apud Meſuen eſt vſque ad drach.iij. quæ certè nimis excedit, cum experientia confirmet vnicam drachmam non mediocriter purgare: quare ego ad ſummum nunquam ℈.iiij. auderem excedere.

Doſis.

De lapide lazuli. Tertiò, ſunt pilulæ de lapide lazulj vel cyaneo, quę inidē à Meſue deſcribuntur, & purgandis humorib. melancholicis atque exuſtis prioribus pilulis Indis ſunt efficaciores. Apud Meſuen doſis eſt drach. ij. ſed ℈. ij. vel ad ſummum ℈ iij. ſunt ſatis.

Doſis.

De lapide armeno. Quartò, ſunt pilulæ de lapide armeno, quæ iis de lapide lazuli ferè omni ex parte ſimiles ſunt, præterquam quòd iſtæ mihi videntur quoquo modo vehementiores. Duplex habetur earum compoſitio, altéra apud Meſuen, altera apud Alexandrum *lib.1.cap. de melancholia*, quæ parum inter ſe differunt. Doſis apud Alexandrum eſt à ℈. ij. vſque ad ℈.iiij. ſed puto drach j. ſatis fore. De lapide armeno atque excellenti illius vi ac præſtantia Alex. tractat diffusè qui aſſerit, illum præterquam quod ſtomachum corroborat, ſimul etiam varios humores, præſertim terreſtrem & melancholicum citra moleſtiam purgare, cui quidem multi etiam recentiores conſentiunt, vnde hoc medicamentum longè ille anteponit helleboro.

Doſis.

De hoc eodem lapide armeno; atque eiùs vi purgatrice Aetius quoque tractat *lib.2.cap.47.* Ego verò hactenus neque huiuſmodi lapidibus, neque pilulis, ex iis præparatis vti ſum auſus. Si quis voluerit, illas experiatur, in quo caſu mihi maximè probaretur, vt hæc medicamenta non ſola; ſed ſimul cum leuioribus quibuſdam permiſcerentur, quæ adhuc magis eorum vim poſſent remittere: exempli gratia:

Pilulæ cochiæ cū helleboro.

℞. *Pilularum aloephanginar.*
Pilular. de lapide lazuli, vel
Pilular. de lapide armeno ana ſcrup.ij. M. cū aqua fumiterræ, f. pilulæ tres, & aurentur.

Verùm neque demum prætermittendæ ſunt pilulæ cochiæ, præparatæ cum helleboro, quarum auctor ignoratur: compoſitio, vt aiunt, magiſtralis eſt, quæ ad ſummam eſt, huiuſmodi, vt ad integram doſin pilularum, quæ eſt circiter drach.xxv. corticēs radicum hellebori nigri ad drachm. vj. permiſceantur, & vocantur pilulæ cochiæ præparatæ, vel pilulæ cochiæ cum helleboro, quæ quidem miſtionis & compoſitionis ratio, neque abhorret ab inſtituto Galeni, qui hieræ diacolocynthidos conſueuit helleborum nigrum adiicere, quotieſcunque atræ bilis humorem purgare voluiſſet, 1. *de med. ſec. loc. c.2.* quam forte hieram exacutam appellauit, 2. *de med. ſec. loc.2.*

℞. *Pilularum cochiarum cum helleboro* ℈ iiij.
Cum aqua fumaria f. pilulæ v. & aurentur.

CAPVT XXXVIII.

De Syrupis purgantibus Melancholiam.

PRæter electuaria & pilulas ſunt etiam nonnullæ potiones & ſyrupi, qui ad purgationem melancholici humoris ſunt accommodati, quod ſena, polypodium, helleborus, & alia purgantia medicamenta, quæ eorum compoſitionem ingrediuntur, manifeſtè confirmant, tametſi quod aliàs vos monui, vulgares medici potiùs ad concoctionem illis vti conſueuerunt.

Syrupus de pomis. Sunt autem primùm ſyrupus de pomis Sabor, cuius duplex habetur deſcriptio apud Meſuen, altera *cap. de cura maniæ & melancholiae ſanguineæ*, altera *cap. de Soda frigida. ab humore melancholico.* *De fumo terræ cōpoſitus.* Secundò, eſt ſyrupus de fumo terræ compoſitus maior. *De epithymo.* Tertiò, eſt ſyrupus de epithymo, vterque ex deſcriptione Meſues, qui ferè eaſdem vires habet præterquam quod ſyrupus de fumo terræ magis humoribus tenuibus & calidis, contrà ſyrupus de epithymo magis humoribus craſſioribus & frigidioribus videtur conuenire. *De polypodio.* Quartò, eſt ſyrupus de polypodio, quem audio in hac ciuitate parari ex deſcriptione D. Mercurialis, ac fortè ſunt alia id genus medicamenta, de quibus longiùs agendum non eſt. Sed inter cætera ſyrupus noſter de helleboro fortaſſe nō debet poſtremum locum obtinere. Hæc medicamenta rarò ſola exhibētur, ſed præcipuus corū vſus eſt ad diluēda cætera medicamenta.

℞. *Confectionis hamech* ʒ iiij.
Syrupi de pomis Sabor. vel
De polypodio ℥. ij. ß.
Decoctionis fumi terræ q. ſuf. M.

Atque hactenus de compoſitis medicamentis purgantibus melancholiam, demum ad purganda ſeroſa excrementa veniamus, quæ ſola reſtant.

CAPVT XXXIX.

De Medicamentis compoſitis ſeroſum humorem purgantibus.

Pilulæ de mezereon, de euphorbio. APud varios auctores varia ſunt compoſita medicamenta, ſed præcipuè ſunt apud Meſuen duo genera pilularum quarum alteræ pilulæ de Mezereon, alteræ pilulæ de euphorbio nominantur, quæ ambæ ſunt vehementiſſimæ, vnde mea ſententia illis neque ſolis, que niſi in robuſtis corporibus licèt vti. Doſis eſt à ℈ ij. vſque ad ℈.iiij.

Doſis.

℞. *Specierum hieræ ſimplicis* ℈. iiij.
Pilularum de Mezereon, vel
De Euphorbio ℈. ij.
Cum ſucco ireos M. F. pilulæ v. & aurentur.

CAPVT XL.

De Medicamentis omnes humores purgantibus.

SEd quoniam nonnulli veſtrum cupiunt id quoq; intelligere, qualnam ſint cōpoſita medicamenta, quæ ſimul humores poſſint purgare, de iis quoq; duo verba non grauabor adiicere. Etſi verò hic plurima ſunt, tamen ita habendum eſt, forte nullum reperiri medicamentū, quod omnes pariter ita educat humores, quin primū vnum, exempli gratia, pituitā, deinde & alteros, vtrāq; bilē educat, ſicuti etiā forte aut rarò, aut nūquā contingit, humores eā pari mēſura in noſtris corporib. redūdare, vt nulli alteros excedāt. Cōpoſita igitur medicamēta, quę hac ratione ſimul valēt omnes humores educere, sūt electuaria quidē diacatholicō, electuariū eleſioph, electuariū de benedicta, confectio hamech pilulæ aggregatiuæ, quæ & optima præparatione & præſtātia reliquis præferendæ sūt; Arabicæ ſine quib. nolo, Indæ, pilulæ Gal. de ſex reb. quæ omnia quāuis ſicut dixi, vnius potiſſimū purgādi humoris vim habeat, tamen cæteros quoque purgare apta ſunt: Et quoniam de doſi & vſu ſingulorum iam ſatis dixi, præterquam de pilulis aggregatiuis, Arabicis, & *ſine quibus*, ſciendū eſt, earū doſin ferè nihil inter ſe differre, & ſingulas à drach. j. vſq; ad drach. ij. poſſe exhiberi. Atq; hactenus de ratione vtendi medicamētis purgātibus.

Doſis pilularum aggregatiuarum, & ſine quibus.

ALEXAN

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI

DE COLLEGIANDI SEV CONSVLTANDI RATIONE,

LIBER OCTAVVS.

INTER omnia Medicorum officia atque munera forte nullum conſultationibus medicis eſt honoratius & illuſtrius, cum huiuſmodi congreſſus & colloquia in corona nobilium ac eruditorum ſæpe habeantur, vbi facile cuique eſt hac ratione ſuam eruditionem ac medicæ artis præſtantiam oſtendere, ſiquidem vt ab Hippoc. & Galen. traditum eſt, 1. *de rat. victus* 1 a. cum medici tum probi eadem adminiſtrent præſidia, rude vulgus de eorum præſtantia vel imperitia non poteſt certum iudicium facere; qui verò aliqua rerum cognitione ſunt præditi, dum medicos audiunt differentes de iis, quæ ad ægrotum pertinent, poſſunt id longè facilius præſtare: ex quo ſæpe fit, vt nonnulli, qui diu pro medicis & quidem doctis habiti ſunt, mox in conſultationibus ſuam ipſi inſcitiam detegant, ac medicaſtri & indoctiſſimi deprehendantur: alij verò contra, quorum præclara virtus iacebat in tenebris, vt ſeipſos illuſtrent ac meritas laudes conſequantur. Itaque mihi propoſitum eſt in hoc tam præclaro, tam difficili argomento verſari, ac de medicis conſultationibus apud vos ſermonem habere, nec me potuit deterrere, quin & deſiderio veſtro ſatisfacerem, & ſi quid ipſe quoque hac in re haberem, quo ſtudia veſtra iuuare poſſem, id vobiſcum libentiſſimè communicarem, quod viri celeberrimi nominis idem argumentum antea tractauerint, cum fortaſſe nobis non ſit præcluſa via, quo minùs aliqua poſſimus aut corrigere, aut addere, aut immutare. Primùm autem non id multum laboro, an priſco tempore ac potiſſimùm Galeni mos fuerit medicis inter ſeſe de ægrotis conſultationes facere, ſicuti hac tempeſtate facere conſueuimus, qui puto iſtud omni tempore factum fuiſſe, quod ſatis licet vel vnius Galeni teſtimonio confirmare. qui nonnullas hiſtorias narrat, in quibus de plurium medicorum mutuo conſilio ſermo habetur. Illud igitur potius ſciendum, ac pro comperto habendum, huiuſmodi conſultationes non ſolùm medicis conſultoribus ſummam laudem, ſed etiam ægrotis ſummam vtilitatem afferre conſueuiſſe: ſiquidem nulli dubium eſſe debet, quin variis communicatis ſententiis & collatis rationibus liceat cuique res magis verè intelligere, de quibus agitur, nec non de præſidiis decernere, quæcumque magis opportuna & accommodata poſſunt excogitari. Quod ſi in rebus propè omnibus tam publicis, quàm priuatis, variæ hominum ſententiæ variaque conſilia ab omnibus prudenter requiruntur & expetuntur, cur non pariter experiamur in tractanda ſalute hominis eandem prouidentiam adhibere? Hinc apud Homerum illud eſt celebre Agamemnonis deſiderium, *Vtinam mihi decem conſultores adeſſent*, de quo philoſophus, in politicis, qui communia rerum omnium conſilia probans, inquit, haud facilè eſſe, vnum multa cernere, ac planè abſurdum videri, vno quàm duobus oculis acutius videre, & duabus auribus acrius audire, & duobus pedibus, duabuſque manibus agere, quàm multos multis. Verùm enimuero ita demum mea ſententia eſt habendum, plures conſultores ſalutarius conſilium facere, dummodo illi ſint viri probi & præclaris moribus, potiſſimùm Chriſtiana charitate præditi, & qui nihil aliud quàm ſalutem hominis propoſitam habeant: contrà enim ſi fuerint improbi, auaritiæ, odij, ambitionis, inuidiæ, aliorúmque morborum animi ſtimulis agitati, certum cuique eſſe debet, huiuſmodi conſultores, quo plures fuerint, eo pernicioſius conſilium eſſe laturos. Nam quod item tradit Ariſt. ſicuti vno viro bono duo viri boni ſunt meliores, ita vno viro improbo duo viri improbi ſunt improbiores, & maiora pericula poſſunt afferre.

Cum medici opera propter eam potiſſimùm cauſam deſideretur, vt corpus humanum ſi ſanum fuerit, in ſuo naturali ſtatu conſeruetur, ſin ægrotum, ad priſtinam ſanitatem reſtituatur, iure, ac meritò Galen. docuit finem medici non alium eſſe, quàm ſanitatem; propterea nulli quoque dubium eſſe debet, quin medici pro aliqua habenda conſultatione ſimul conuenientes, eundem finem debeant ſibi proponere, & vniuerſæ deliberationis veluti ſcopum ac metam ſtatuere. Quoniam verò ſanitas, vt diximus dupliciter poteſt conſiderari, vel quatenus eſt præſens, vel quatenus eſt perdita, ex quo duæ primæ ac maximæ partes medicinæ ortæ ſunt, quarum alteram ſanitatis tuendæ, alteram morbi profligandi facultatem cum Galen. licet appellare; iure fit, vt de vtraque à medicis conſultationes inſtituantur. Cæterum prætermiſſis conſultationibus de tuenda valetudine, quæ non videntur ad præſens noſtrum inſtitutum facere, mihi propoſitum eſt, poſteriores tantùm tractare, quæ ad curandos morbos, & ad noſtrum principale inſtitutum cum primis pertinet, cum præſertim rarò de tuenda valetudine, frequentiſſimè autem de curandis morbis contingat conſultationes fieri: in qua tractatione minimè mihi ſtatutum eſt, totam curandi methodum vobis tradere, quod longiorem diſputationem expoſceret; ſed illud vnum hoc tempore meum conſilium eſt, in gratiam potiſſimùm eorum, quæ in methodo medendi à Galeno tradita, & à nobis non ſemel expoſita iam ſunt, nonnulla præcepta breuiter colligere & explicare, quæ ad bonas conſultationes mihi magis accommodata videntur.

Cum finis ille, quem ſuperius in medicis conſultationibus inſtituendis morbi profligationem eſſe diximus, duplici potiſſimùm vti, ac duplici inſtrumento comparari poſſit, vel methodo & ratione, vel experientia, quoniam vt ait Galen. in nulla re atque arte tertium datur inſtrumentum, quo aliquid inuenire, aut fidem inuentis facere poſſimus, hinc fit, vt qui priori modo, ratione ſcilicet ac methodo proprium finem conſequi ſtudent, rationales medici ac dogmatici nuncupentur, quorum nos diſciplinam profitemur, qui quidem in eo à cæteris differunt medicis, quòd ſuam curandi methodum conficiunt per indicationes, cum illi ſola experientia nitantur.

Eſt autem indicationes inuenire nihil aliud Gal. quàm ordiri ex natura rei, & ex ipſa quid agendum ſit, inuenire: quamobrem illud cenſeo præcipuum eſſe caput probæ conſultationis, ac methodi medendi morbis, vt conſultor medicus omnium primò ante oculos ſibi ponat indicationes, quæ quid ſit agendum, & omnes medici operationes dirigunt. Nos porrò diximus cum Galeno tales indicationes, ſi ſummatim & per compendium conſide-

teniur, à tribus præcipuè fontibus fore accipiendas, ſcil. morbo, temperamento, & aëre nos ambiente, ad quos cæteri omnes ſcopi facilè referri poſſunt. Itaque ante omnia, in cognitione morbi aut morborum, oportet verſari medicos conſultores; quoniam verò morborum cognitio ex duobus potiſſimùm ſolet dependere, ſcilicet ex cognitione tum cauſarum, tum ſymptomatum, quæ vtraque in primis licet colligere ex hiſtoria: proinde quicunque primum locum dicendi nactus eſt°, debet à narratione hiſtoriæ & explicatione principium facere; nam ſicuti oratores ea narratione colligunt ſeminatim omnium propè agendorum argumentorum, ita etiam medici ea hiſtoria multa colligunt, quæ ipſos deducunt in dignotionem affectuum præter naturam, quo quidem fundamento certum cuique eſſe debet, probas conſultationes præcipuè initii.

In narranda autem hiſtoria illud ſtudiosè cauendum eſt, ne illa referantur, quæ omnibus ſunt manifeſta, vel importuna & ſuperuacanea, ſed ea tantùm, quæ ad cognitionem morborum, cauſarum, & ſymptomatum, necnon ad prognoſticum & curationem ſunt accommodata: ac ſanè huiuſmodi hiſtoriæ narratio ſicuti eſt propria conſultoris primò dicentis, ita poſterioribus minus videtur conuenire, niſi forte quædam opportuna fuerint ab illo prætermiſſa, vel negligenter expoſita, quæ licet, imò decet ſupplere. Inter affectus præter naturam, de quibus conſilium capiendum eſt, quaſi principium omnium nobis ſeſe offerunt ſymptomata, & inter hæc maxima ex parte, actiones læſæ, quamobrem ego quidem eam rationem in primis ſoleo probare, ſi quis expoſita hiſtoria audiatur à ſymptomatibus, ac primùm inquirat, qualianam illa fuerint, deinde ad eorum cauſas, videlicet morbos progrediatur, & demum ad morborum cauſas deueniat, in qua præclara inquiſitione nobiliores medici à vulgaribus & plebeis facilè diſtinguuntur, atque illi præ cæteris, quicunque Galeni diſciplina, & potiſſimùm ſex libris de morbis & ſymptomatibus accuratiſſimè tradita probè fuerint inſtituti, quos libros ob id obſecro, vt velitis in deliciis habere, neque vnquam ex oculis, manibus, & ſinu deponere, ſine quorum inſtitutione mihi planè certum eſt, neminem poſſe aut excellentem conſultationem efficere, aut in præclarum medicum euadere.

Secundus fons eliciendarum indicationum eſt naturale temperamentum, ex quo forte eſt orta communis illa conſuetudo medicorum propè omnium, qui de aliquo ægroto habituri conſultationem, ante omnia de temperamento ſermonem faciunt, quod inſtitutum ab omnibus non probatur, ac potiſſimùm ſi contingat conſultationes fieri de aliquo morbo in mala compoſitione: vel ſoluta vnitate, in quibus talis conſideratio de naturali temperamento planè videtur ſuperuacanea: ego verò inſtitutum probo: neque ſolum in morbis in intemperie, ſed etiam in cæteris omnibus: quandoquidem cognito naturali temperamento, id ſaltem reſtat, vt proba victus ratio poſſit inſtitui, quæ in nullo morbo eſt prætermittenda: ſed modum & rationem inſtituti improbo, quoniam frequentiſſimè contingit mihi audire medicos de naturali temperamento multa & prolixè dicere, quæ deinceps neque ad cognitionem, neque ad curationem rerum, de quibus agitur accommodant: ſed plerunque omnes in eo potiſſimùm peccant, vt puto, quod ſtatim vel ante hiſtoriæ narrationem hoc ſuum tractant temperamentum, cum præcipuè mihi videatur tum congrua huius tractationis occaſio, quo tempore & indicationes elicere, & prognoſticum afferre, & totam curationem inſtituere nobis propoſitum eſt: cum enim certum ſit, nos naturale temperamentum inquirere, quo æger ante morbi aggreſſionem præditus fuerat, vt intelligamus, quanta & qualis ſit illius declinatio à ſtatu naturali, quod puto Hippoc. diuinitus præcepiſſe, per ea verba: *ſimilia an diſſimilia ſint à principio inſpiciendum, &c.* certum pariter cuique eſſe debet, opportunè hanc fieri inquiſitionem, quando indicationes, prognoſticum, & totam curationem tractamus; quoniam pro vario modo & gradu declinationis naturalis, neceſſe eſt etiam varias indicationes elicere, & varia præſidia etiam inuenire, quæ illi proportione poſſint reſpondere, ac demum ex hoc communi fonte de tota re licet certius iudicium facere.

Quod de hominis temperatura dixi, idem de temperamento aëris tertio loco dici poteſt, cuius etiam conſideratio non eſt prætermittenda, cum diuerſæ aëris conſtitutiones omnium præſidiorum intenſionem remiſſionem, & commodam adminiſtrationem demonſtrent.

Id vobis hoc loco memoria eſt repetendum, quòd ſuprà dixi, ad hæc tria capita omnia facilè referri, quæcumque eliciendis indicationibus poſſunt ſeruire: exempli gratia, ad morbum ſingulas illius differentias & cauſas, ad temperamentum, ætatem, conſuetudinem, vires; ad aërem, tempus anni, cœli conſtitutionem, regionem, &c. quæ habent eandem rationem, de quibus omnibus ſi ita foret occaſio, licet habere conſiderationem.

Iam propoſitis tribus communibus ſcopis, ac veluti fontibus, conſequens eſt, vt ex eis indicationes hauriamus, in quo munere maxima vis methodi medendi conſiſtit: ac primùm quidem quoniam morbi gratia omnis curatio inſtituitur, ab eo ſumenda eſt indicatio; ſi vnus, ſi plures, conſiderandum; ab vno vna, à pluribus plures eliciuntur determinandæ indicationes: ſic ſi cauſas habent, videndum, quia ab iis quoque propriæ hauriendæ ſunt indicationes, cum fieri nequeat, vt morbus poſſit auferri, niſi eiuſdem cauſæ priùs auferantur. Symptomata propriam non præbent indicationem, niſi rarò & per accidens: per ſe enim cum morbum ſequantur, veluti vmbra corpus, ad morbi ſublationem, ipſa quoque euaneſcunt, veruntamen per accidens, vt quando illa cauſæ rationem habent, vel morbum augentis, vel vires proſternentis, propriam requirunt curationem: quod ſi ita ſors tulerit, non ſunt contemnenda, pro completa tractatione indicationum, quæ à rebus præter naturam ſumuntur.

Secundò loco temperamento ſuæ ſunt indicationes, quod ſemper ſimilibus eſt conſeruandum; quæ indicatio ſi cum ea coëat atque concordet, quæ à morbo ſumitur, eiuſdem vim auget: ſi verò contraria ſit, vt interdum vſu venit, quantum hæc pollet, tantum de prioris indicationis qualitate ac viribus eſt detrahendum.

Denique ſuccedit indicatio ab aëre ambiente, quæ ſi morbo ſit aduerſa, pro gratia eſt habendum, & aër ſalubris remedij loco nobis cenſendus eſt: ſin illa morbo potius fauere videatur, aër intemperatus & curationi aduerſus, tanquam vna ex morbi cauſis eſt per contraria corrigendus.

Poſt elicitas indicationes ſecundo loco videndum, an liceat illas explere, necne: in quo tota prognoſtici ratio conſiſtit: quantum autem prognoſticum valeat, quantamque medicis dignitatem & auctoritatem afferat, ſatis ab Hip. & Gal. eſt expoſitum. At verò cum multa de ægroto poſſint præ-

dici, illud in primis ſtatuendum eſt, vtrùm liceat aliquam ſperare ſalutem, an nullus remediis locus relinquatur: ſi quidem quod à Galen. traditum eſt, non ſolùm fruſtrà, ſed etiam imprudenter inquiruntur præſidia, quæ nullum vſum ſunt habitura. Quam huiuſmodi iudicij rationem etſi vno verbo docemur à Galen. ex una virium & morbi qualitate & quantitate, eorumdemque comparatione faciendam eſſe, tamen certum eſt non ſine magna difficultate, ſolertia, ac rerum vſu poſſe fieri, tum propter alias cauſas, tum maximè quod nulla ſingulorum quantitas neque ſcribi, neque aliqua ratione poſſit doceri. Neque verò ſolùm decet morbi finem vel felicem vel infelicem prædicere, ſed etiam illud oportet addere, vtrùm morbus facilè an difficilè, breui an longo tempore poſſit curari, quod ad tuendam medici exiſtimationem cum primis pertinet, ne ille vel paucis leuibuſque præſidiis vtendo negligentiæ accuſetur, ſed multa & longius adminiſtrando ambitioſi, forte etiam auari, videatur ægri curationem producere.

Quod ſi præter has aliæ quædam afferantur prædictiones, quæ præcipuè certum modum ac definitum tempus ſalutis vel mortis futuræ, aut mutationis morbi & criſis complectantur, nulli eſt dubium, quin hinc quoque medicus maximam gloriam ſit conſecuturus, ſicuti ſcimus Galeno aliquando contigiſſe, qui non ſolùm ſalutem vel interitum, ſed etiam breuitatem, diuturnitatem, facilitatem, difficultatem, potiſſimùm verò proprium quemdam modum, ac præfinitum tempus ſolutionis morborum præſagiens, ſumma cum ſua laude hæc non humana, ſed diuina ratione pronunciare creditus eſt. Inter cæteros autem locos, qui ad huiuſmodi prædictiones ſunt maximè accommodati, in conſultationibus medicis ille videtur maxima conſideratione dignus, ac ferè principatum obtinere, qui ad conſenſionem & diſſenſionem indicationum eorúmque dignitatem ac vires pertinet: ſiquidem ex hac diſquiſitione variis ac ſæpe etiam contrariis indicationibus inter ſe collatis, ac veluti ad æquilibrium ductis, multa poſſunt colligi, ex quibus licet totam propemodum prædictionis rationem conficere.

Cæterum vbi concepta ſpe ſalutis locus præſidiis relictus fuerit, danda eſt opera, vt certo quodam ordine ad remediorum traditionem deueniamus, ille autem videtur maximè conueniens ordo ſeruandus, ac doctrinæ Galen. conſentaneus, vt cum priùs ordine reſolutiuo inuentæ ſint curatiuæ indicationes, nunc retrogrado ordine compoſitiuo, ad executionem maximè apto, ad materiam remediorum accedamus, ita vt ab vltima indicatione ſumpto initio, ad reliquas deinde tranſeamus, donec omnibus continua ſerie ſit ſatisfactum.

Iam verò conſuetudo quædam apud pleroſque inualuit, quia tria capita quaſi tres fontes ſibi proponunt, quorum primò medicamenta manibus adminiſtrata: ſecundò medicamenta intrinſecus adhibenda; tertiò, victus rationem complectuntur, quæ vulgo chirurgia, pharmacia & diæta appellantur, pro triplici remediorum genere Galen. Auicen. ac medici omnes conſentiunt omnes morbos curari: ego verò, vt liberè dicam, nunquam potui hoc inſtitutum probare, namque primò parum artificioſum, forte turpe etiam eſt, eadem via ſemper incedere, & quaſi eandem cantilenam decantare: deinde nonnunquam fit, vt conſultationes habeantur de ægrotis & morbis, in quibus præſidia ex vno vel altero fonte petita nullum vſum ſunt habitura, quo tempore quæſo quid opus eſt cuncta hæc præſidia ſigillatim commemorare? Sed iſti in eo mihi peccare videntur, quod curandi methodum ab vno in primis Galen. traditam confundunt & peruertunt: quandoquidem ille docet, non ſatis eſſe omnes ſcopos diligenter inſpicere, atque indicationes elicere, ſed etiam neceſſe eſſe intelligere, quonam primum ac magis, quonam ſecundo ac minus, quonam adhuc tertio ac deinceps, quo poſt quoque præſidio vtendum ſit: cum ratione vulgari conſultandi cuncta remedia ex ſingulis fontibus petita certo ordine ſeparatim proferantur, quaſi verò in omnibus morbis primò omnium præſidia chirurgica, ſecundò pharmaceutica, poſtremò diætetica conueniant; nihilominus hoc tam eſt abſurdum, ac à proba medendi methodo alienum, quàm quod abſurdiſſimum, ac alieniſſimum: etenim quis non intelligit, pro variis morborum generibus, pro variis eorundem temporibus, pro varia humorum qualitate, & copia, pro variis partibus laborantibus, ac pluribus id genus conſiderationibus remedia prope omnia, non vno atque eodem tempore & ordine perpetuò vel poſſe vel debere adminiſtrari? Affero exemplum quod contingit frequentiſſimè.

Sit conſultatio de Socrate laborante deſtillatione ad thoracem, vulgaris conſultor medicus aggrediens ad curationem, ſtatim ſua tria capita ſibi proponit: incipiens itaque à fonte chirurgico, & de ſectione venæ, & de cucurbitulis, & de cauteriis, & de lotionibus capitis, & de reliquis id genus præſidiis quæcunque ad manuum operam pertinent, ſermonem habebit: cum tamen ſola ſectio venæ morbi principio ſit congruens, cætera autem non niſi poſt vniuerſi corporis purgationem, ac poſtremo tempore conueniant.

Deinde ad Pharmaceutica accedens, longum catalogum medicamentorum faciet, quorum aliqua chirurgicis erunt proponenda, alia non vno modo diſponenda: ac vltimo loco de victus ratione dicet, quæ fortaſſe omnium primùm fuerat inſtituenda: quanto autem maiori cum artificio, & magis accommodato ad methodum Galeni, rationalis medicus primò curandi indicationes elicit, deinde ſingulis certum ordinem ſtatuit, & poſtremò ad propria præſidia deuenit; idque forte hunc in modum quam breuiſſimè, deſtillationem ſymptoma eſſe exiens immutatum, ac pendere ex vna vel altera intemperie cerebri, hinc præcipuam ſe offerre indicationem, vt hæc vitioſa intemperies corrigatur, quoniam verò hoc non poteſt fieri ſine communi totius corporis & propria capitis purgatione, alteram oriri indicationem, quæ primùm ad generalem, deinde ad particularem partis laborantis purgationem pertinet: ſed ſi demum non licet intemperiem & morbum auferre, poſtremam reſtare indicationem, vt deſtillatio deriuetur aut reuellatur ad partes ignobiliores: itaque ille omnium primò ſermonem habebit de vſu ſectionis venæ ac purgantium medicamentorum, qua potiſſimùm ratione homines ſolent generaliter euacuari: deinde de gargariſmatibus atque errhinis, qua item duplici ratione caput ſolet expurgari, tum de medicamentis partim internis, partim externis, ad tollendam capitis intemperiem accommodatis, verba faciet, & poſtremò, niſi ſpes ſit Socratem hac curandi ratione eſſe conualiturum, de præſidiis reuulſioni ac deriuationi deſtinatis, puta de cauteriis, ſuam ſententiam proferet.

Hanc quidem conſultandi rationem quam maximè ſoleo probare, imò verò de vniuerſo hoc munere atque officio ita cenſeo habendum eſſe, quod fortaſſe alicui paradoxum videbitur, illud nullo certo ordine eſſe circumſcribendum ac definiendum, cum liceat cuique atque iis potiſſimùm qui poſteriori loco ſermonem ſunt habituri, principium

ſua

ſuæ conſultationis facere, non ſolùm à ſymptomatibus, morbis & cauſis, vt ſuprà dixi, ſed quandoque etiam à prognoſtico, à ratione curandi, quádoque à propriis præſidiis, vel vnis vel alteris, atque hoc ordine conuerſo ad inquiſitionem ſymptomatum, morborum cauſarum, & omnium rerum progredi, quæcunque ad probandam conſultationem videntur pertinere: quod tamen non temere, atque vt ſors tulerit faciendum eſſe arbitror ſed ex tota re colligatur aliquid, quod tanquam eximium, aut nouum, aut omnino admirabile, primas in oratione partes meruiſſe videatur: qua ratione conſultores ſingulare quoddam lumen ingenij & artificium ſolent præ cæteris demonſtrare, quippe qui non ita videntur ea repetere & dicere, quæ à prioribus dicta ſunt & repetita, neque perpetuò quaſi præſcripta quadam formula & via incedere & actum agere, præterquam quod altera ex parte auditores hac dicendi varietate ſolent mirabiliter delectari & recreari. Illud verò generaliter cenſeo vobis ſtudendum, ac memoriæ mandandum eſſe, in conſultationibus, ſi forte quomodocunque ſeſe offerant diſcutienda quædam problemata digna notatione, vt illa diligenter examinentur, tametſi neque ad curationem, neque ad prognoſticum, neque ad cognitionem morborum, de quibus agitur, videntur pertinere, id quod potiſſimum publici doctores debent obſeruare, ſi contingat, quod in hac ciuitate contingit frequentiſſimè, illos præſentibus artis medicæ ſtudioſis conſultationes facere, quorum quidem officio & muneri plurima videntur conuenire, quæ forte cæteris ſunt denegata. Sed quoniam omnis ratio conſultationis ad vnam curationem, tanquam ad proprium finem eſt dirigenda, conſultores omni adhibito ſtudio cum primis debent in remediorum inquiſitione & adminiſtratione verſari, adeo vt ſedulò perquirant atque perpendant, quæcunque opportuna videri poſſunt, ac ſingulorum menſuram, modum, tempus, ordinem, ac totam adminiſtrationem exponant, quæ omnia paucis verbis complexus eſt diuus Hipp. & qualia, & quæ, & quando, & quantum oportet. In qua te tamen decet moderationem quandam & prudentiam perpetuò adhibere, vt ea quæ ab aliis bene & accommodatè fuerint propoſita, aut ineptè repetantur, aut veluti contempta prorſus prætermittantur, ſed paucis, quaſi per tranſennam, vt res ferat, attingantur: ſed ſi quædam penitus fuerint prætermiſſa, vel negligentiùs expoſita, hæc ſanè debent ſuppleri & accuratiùs explicari, adeo vt nihil propemodum relinquatur, de quo conſultores in alterutram partem ſermonem & iudicium non faciant.

Poſtremò autem id mihi monendi eſtis, quod ad probationem & confirmationem pertinet eorum quæ dicuntur, quandam mediocritatem eſſe tenendam, ne conſultores in afferendis rationibus vel veterum teſtimoniis, aut nimij ſint tanquam prodigi, aut plus æquo parci & reſtricti: in quod vtrumque vitium priores ambitioſi, poſteriores inſcientes videntur frequenter incidere: hoc autem fiet, ſi quæ obſcura ſunt incerta, & fidem aliunde requirunt, omnibus modis clariora & certiora reddantur; quæ verò nullam continent difficultatem, ſed euidentia ſunt, & ferè vulgaria, potius indicentur & innuantur, quàm longiori oratione demonſtrentur & confirmentur.

Sed publici doctores ex hoc munere mihi excipiendi ſunt, ſi præſentibus rei medicæ ſtudioſis conſultationes faciant, vt ſuprà dixi; cum enim tunc tale officium non ſolum ad curandum ægrotum, ſed etiam ad docendum quamplurimos pertineat, illi digni legitima ſunt excuſatione, ſi quæ etiam ferè manifeſta ſunt, in gratiam auditorum ſtudeant & rationibus, & veterum auctoritatibus adhuc magis explicare & illuſtrare.

In tota autem conſultatione ſingulos conſultores decet ſumma cum prudentia, moderatione, & æquitate orationem inſtituere, & perpetuò collegarum, auditorum, ac præſentis loci ac temporis rationem habere, ſed tamen ita, vt illi reipſa demonſtrent, alium nullum finem quàm ſalutem ægroti ſibi propoſitum habere.

Hæc ſint dicta de conſultationibus medicis, quæ pro ratione otij, quod mihi per exiguum conceditur, & breuitate, qua ſtudiis veſtris fore conſultum putaui, conſultò in præſentia ſufficiant: nam ſi occaſio mihi fuerit, alio fortaſſe tempore hanc rem accuratiùs perſequemur.

***

ALEXANDRI

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI,

TRACTATVS QVATVOR VTILISSIMI;

QVORVM

I.	est	De Peſte.
II.		De affectibus Renum & Veſicæ,
III.		De Pulſibus.
IV.		De Vrinis.

Cui annexum pro exemplo conſilium de febre catharrali cum totius macie, meſenterij obſtructione, mœſtitia & vigilijs.

Nunc tandem poſt Auctoris obitum ab hæredibus reperti, cæteriſque eiuſdem operibus adiuncti.

DE PESTE, TRACT. I. LIB. I.

ANNO à Chriſti Natali M D LXXV. tum aliis extra Italiam locis, tum maximè Tridenti circiter menſem Iunium morbi quidam paſſim vagari cœperunt, qui paucis omnino diebus, ſecũdo, tertio, quarto, ad ſummum ſeptimo pleroſque homines cuiuſuis ſexus, ætatiſq, interficerent; adeo vt ad Nouembrem vſq; quo tempore huiuſmodi mala perſeuerarunt, in vrbe alioqui parua, neque ſatis numeroſa, vt fama fuit, obierint circiter ſex hominum millia. Hoc fere tempore, menſe (ni fallor) Iulio Verona, mox Septembri Mantua, forte etiam Mediolanũ, & alia loca huiuſmodi cladem, alia leuiorem, alia acerbiorem ſunt perpeſſa. Ciuitas Illuſtr. Venetiarum eandem calamitatẽ accipere viſa eſt: ſed toto fere anno ad menſem Iuniũ vſq; proximi anni M. D. LXXV. malum ibi lentè admodum progrediebatur; ſiquidem ciuitas huiuſmodi labis ſæpenumero immunis videbatur; quanquã illa quodammodo reuiuiſcens ſæpe etiam modo vnum, modo alterum, modo plures in ſingulos dies interficiebat. Cæterum menſe Iunio mala omnia duriora, & aſperiora ſũt reddita miram in modum aucti ſunt morbi: mortes erant frequentiſſimæ, vt ſingulis dieb. fere quadringenti decederent. Res ad ſummam in maximo diſcrimine erat conſtituta. Porrò morbi ſæuities, atq; vis maxima ab hoc tempore per totum propè menſem Octobrem maximè viguit, exinde verò ciuitas aliquantum recreari cœpit: etenim quanquam illa adhuc laborabat; malum tamen vndiq; cœpit imminui, ac manifeſta in declinatione verſari, donec tandem nonnullis adhuc morbi veſtigiis diutius permanentibus, Deo Opt. Max, Redemptori religiosè facto voto, illoque perſoluto, menſe Iulio proximo omnis labis penitus immunis reddita eſt. Interim ineunte æſtate anni M. DLXXVI. huiuſmodi morbi Patauium quoq; aggrediuntur, primum quidem mitius, ac leuius, mox grauiſſimè, atq; infeſtiſſimè, adeo vt menſe Iulio, Auguſto, Septembri, Octobri, horribilem ibi ſtragem fecerint: tum ſequuta eſt omnium malorũ declinatio inſignis, quæ deinceps longius progreſſa eſt: ſiquidem illuſtris illa ciuitas ab iis pernicioſis morbis non ante menſem Aprilem proximum libera euaſit. Mea demum Vicentia forte iis vrbibus nimium vicina hanc ipſam aduerſam fortunam effugere non potuit; quam liceat nobis in præſentia referre, atq; vniuerſam hiſtoriam narrare eorum malorum, quæ hanc vrbem obſederunt. Die decimaſeptima Decembris, anni M. D. LXXVI. vir quidam iuxta domum, quam auream appellant, in via magna triduò obiit: huius nulla habita eſt ratio: ineunte menſe, & anno proximo M. D. LXXVII. eiuſdem vxor, & filij duo paucis diebus obierunt, vt nullus in ea domo ſuperſtes fuerit. Hac multiplici & repentina morte excitatus magiſtratus iſtorum cadauera diligenti medicorum inquiſitioni atque examini ſubijcienda curauit; quæ

hæc tumoribus quibuſdam, nonnullis item papulis nigriorib. prædita variis in partib. eſſe obſeruarût. Interea verò dum viri grauiſſimi pro ſuo munere huius rei cauſam, & altiorem originem ſedulò inueſtigant, facilè intelligunt nebulonem illum, qui primus obiit, clam, & malitioſè Patauio veſtimenta quædam lanea, & linea aſportaſſe Vicentiam. Vniuerſa illius ſupellex iubente magiſtratu igne conſumpta eſt: domus vndiq; ſuffumigiis, calce, & omni ratione fuit expurgata. Menſe Ian. nullum aliud malum ſubſecutum eſt Die 2. Februarij. Sabbato, qui dies B. Virgini côſecratur, cœpit ægrotare Franciſcina nubilis filia Pauli ſtâbularij: Huius domuncula coniuncta, & cohærens eſt domui aureæ cuius modò mentionem fecimus. Illa obiit die 6. Venere, mane. Cum verò tum pleraq; ſæua ſymptomata, morsq; cita, tum alia non leuem ſuſpicionem facerent morbi malignioris, iubente, imò vero præſente magiſtratu, ipſe cadauere diligenter inſpecto manifeſtum, & ingentem bubonem in inguine deprehendi. Itaq; me autore vniuerſis in ea domo exiſtentib. interdictum eſt, ne illis cum aliquo eſſet vllus commercio locus. Ex hoc numero fuere pater ann. LXX. mater LX. altera filia ann. XVI. tres filij, natu maximus ann. XIII. minimus ſexennis: medius decennis. Patres hac in re conquiſitores deſtinati pro certo habuerunt huiuſmodi malum ex priore domo ortum duxiſſe, Biduo poſt obitû Franciſcinæ die Dominico cœpit ægrotare filius natu maximus Antonius, qui vehementi febre, dolore capitis, delirio oppreſſus, & afflictus obiit die 4. ſummo mane Iouis, qui celebrandis bacchanalibus erat valde celebris. Cadauer maxima papularum copia refertum fuiſſe obſeruatum eſt. Veſpere côbuſta ſupellectile, nudati omnes, loti lixiuio, nouiſque veſtimentis induti in vetus quoddã vrbis propugnaculum potiam verſus D. Bartholomæi, longè ab omnium commercio ſunt ablegati. Statim febre laborare cœpit Angela altera filia febre, dolore capitis, ſiti maxima, ac aliis huiuſmodi grauib. ſymptomatis: tum vero biduo poſt cœpit erûpere bubo in inguine dextro ſatis inſignis, coloris ferme naturalis, ſed maximo cû dolore. Ego à patrib. rogatus tum Angelæ laborantis, tum aliorum bene adhuc valentium haud grauatè curam ſuſcepi, partim quod charitatis, & humanitatis officium id maximè poſtularet; partim quod haud contemnendam occaſionem mihi oblatam eſſe viderem, qua morbi omnium ſæuiſſimi, & quem ante nunquam, & nuſquam vidiſſe mihi contigerat, diligenter obſeruare poſſem progreſſiones & ſymptomata, necnon experiri, & in vſum reuocare illa præſidia, quæ ad illius præſeruationem, & curationem maximè accommodata viderentur. Primum itaq; conſtituenda, & accommodanda curauimus illa omnia quæ huiuſmodi occaſio poſtulare videbatur, quæ iis miſeris hominib. tum ære publico, tum priuata charitate liberaliter fuere ſuppeditata. Angelæ protinus ſecta vena iecoris miſſus fuit ſanguis ad vnc. decem. Ad leniendum dolorem bubonis, laxandum locum, vt natura facilius omne virus eo tranſmittere poſſet, adhibitæ ſunt oleorum amygdalarum dulc. rec. par. iij. chamæmelini, pinguedinis gallinæ rec. an. pat. j. miſ. quibus locum aſſiduè foueri iuſſimus. Hic morbi fuit dies tertius. Quæ ſecuta eſt nox, laborioſa fuit, & omnino inſomnis: Mane ſequenti perſeuerabant omnia mala febris, dolor capitis, & bubo in primis grandior factus fuerat: lotia craſſiſſima erant, & ſubalbida: aluus non deiecerat: illa tamen adhuc mente conſtabat, & quantum coniectura aſſequi licuit, virib. quoq; ſatis valebat. Itaq; hoc illi inſtitutum eſt medicamentum. Rec. flor caſſiæ n. ex. drach. x. ſcordij pulu. ſp. diarhodon an. ſcrup. 1. miſc. quod moderatam euacuationem leniter perfecit: Nox ſubſequens tranquillior, & omni ex parte leuior fuit, vt hoc tempore equidê aliquam ſalutis ſpem, lætus animo iam conciperem. Mox ſingulis diebus ſummo mane illa aſſumebat huiuſmodi medicamentum. Rec. con. hort. acetoſæ an. dr. 1. ſcord. pulu. ſem. citri mund. an. ſcr. s. miſc. tû protinus decoctum ebibebat ad vnc. 8. ex cich. mel. quinquefol. ſem. citri. Præterea illi quotidie mollia imponebantur clyſteria. Quoniam verò, quod maxime expetêdum fuerat, bubo tum dolore aſſiduo, moléq; valde notabili, tum aliis coniecturis aliquã plane ſuppurationem polliceri videbatur, cataplaſma illi nos apponendum curauimus ex malua, althæa rad. liliorum alb. farina triticea, ol. amygdalarum dulc. liliorum alb. viperino: quod tamê fruſtra factum eſt: ſiquidê contra mox tumor ſenſim cœpit imminui, & manifeſto diſſolui. Die ſeptimo tû febris, tum omnia ſymptomata valde remiſſa ſunt, ita quidem vt rebus in dies magis proſperè progredientibus, Angela ſingulari Dei Opt. Max. beneficio, die quartodecimo febre, bubone, aliis ſymptomatis, & omni malo immunis reddita fuerit. Huic ægrotanti panis ex iure coctus, manè ouum ſorbile pro potu ius endiuiæ, & ſem. citri præparatum, præterea nihil totis quatuordecim diebus exhibitum eſt. Modo ad alios redeo, qui licet tot tantiſque periculis implicati, timore, ac mœrore pene confecti, ſani tamen, & incolumes perpetuo conſeruati ſunt, ac etiam in præſentis recte valent: quanquam puer ſexennis (quod minimè prætereundum eſt) febre diuturna, inſigni obſtructione, ac tumore lienis, ad ſummam fere malo corporis habitu iamdiu laboraret. Itaque illud primum admonuimus, vt eorum cubiculum omni ſorde, & immunditia liberum ſedulo efficerent, & conſeruarent: quod præterea dies noctesque foueri iuſſimus ſuffitu ex caryophyllis, cinnamomo, iride odorata, cort. citri, quæ ex aqua roſacea, & modico aceto, leuiter aſſiduè vaporarêt. Tum vero vtriſque pueris exhibuimus caſſiæ flor. vna cum ſcordio: & ſequentibus alternis dieb. ad decimum vſque mane illi aſſumebant modo ſyr. acetoſi ſimp. de ſcordio an. par. æq. modo pil. de tribus contra peſtem, drachmam mediam vterque. Neq; aliis præterea medicamentis huiuſmodi pueros torquendos eſſe arbitrati ſumus. Paulo patri curaſ in primis altè ſcarificanda curauimus, vt illis ſanguis exiret ad libram circiter: quod chirurgi, partim prece, partim pretio agentis opera factum eſt. Mox die ſequenti ille aſſumpſit medicamentum ex manna Calab. & melle roſaceo ſol. an. vnc. iij. iure carnis diſſolutum: deinceps verò alternis diebus, quinquies aſſumpſit Mithrid. antidotum ad ʒ. vnam cum modico vino aromatico. Pariter Mariæ vxori protinus ſecta fuit vena baſilica, miſſuſque ſanguis ad vnc. octo. ſequenti mane eidem exhibita eſt catapotiorum de tribus contra peſtem aloephanginarum an. ʒ. s. ac demum nonnullis ſequentibus dieb. illa Mithridatium aſſumpſit perinde, atque coniux. Vtrique autem à principio, ſtatim inuſta fuere vlcuſcula (veſicatoria appellant) in vtroque imo crure prope malleolum interiorem. Porrò ij omnes à quocunque aliorum commercio ſeuerè interdicti, & cuſtoditi ſunt quidem in hoc propugnaculo dies quadraginta duos, tum verò in domo propria, diligenter priùs expiata, & expurgata vigintiquinq; atq; tum deniq; priſtinam libertatem ſunt aſſecuti. Cæterum præter Franciſcinam & Antonium, hoc menſe Februario quinque obiere. Martio 5 Aprili 8. Maio 9. Iun. 10. Iulio 22. Atque hoc quidem tempore mala omnia augeri, & ciuitas inſignem calamitatem accipere cœpit. Etenim obiere menſe Auguſto 156. Septemb. 340.

Octobri

Octobri 295. Nouembri 75. Decembri 9. Interim menſe Martio, quanquam malum adhuc leuè erat, magiſtratus tamen ſalubritati ciuitatis præfectus omnes ægrotantes extra mœnia mittere cœpit varias in domos, particulatim verò in domum publicam huic rei deſtinatam, quam vulgo Lazaretum vocant, vt hac optima ratione caueretur, ne alios in eandem calamitatem ſecum traherent. Quoniam verò non modò ægrotantium, ſed etiam aliorum rationẽ habere decet, qui licet vna cum morboſis verſentur, adhuc tamen incolumes Dei Opt. beneficio conſeruantur, in ſeparatis domibus intra, vel extra ciuitatem, adhibitis cuſtodibus, illi aliquandiu aſſeruabantur, demum autem multiplicatis malis, decreto magiſtratus, ij omnes ſuſpectæ, & incertæ ſalutis in campum Martium exportari cœperũt. Hoc pratum eſt protinus extra mœnia, foſſis, & fluentibus aquis vndique circumdatum, ſatis amplum, quod vna excepta porta aliunde ingredi non licet. Inter Lazaretum & huiuſmodi locum interiacet fluuius. In campo itaque Martio celeriter fabricatis pluribus ligneis caſulis, lege ſancitum eſt, vt qui vere morboſi eſſent (quod medicorum iudicio decernendum fuerat) protinus in Lazaretum importarentur; alij verò, qui cum illis verſati eſſent adhuc tamen rectè in loco, in morbum caderent, ſtatim trans flumen in Lazaretum traducerentur. Vtroque autem in loco præſto erant nonnulli tum medici, tum alij miniſtri publico ære liberaliter conducti, qui tam ſanis, quam morboſis tum medicamenta, tum quæ eſſent ad victum neceſſaria opportunè ſuppeditarent: qua in re vt nullus dolus committeretur, ſed ſanctè vnuſquiſque officio ſuo ſatisfaceret, magiſtratus huic vni muneri præfectus ſedulo, quoad eius fieri poterat, prouidere conabatur. At verò quicunq; in campo Martio ſani degebant, poſt viginti dies in proprias domos præclarè quidem antea mundatas reuertebantur, ac demum poſt alios totidẽ viginti duos dies cum omnib. liberè illis agere licebat. Alteri pariter in Lazareto ex morbo conualeſcentes in campum Martium primum deducebantur, tum poſt viginti duos dies vrbem petebant, ac poſtremo poſt dies totidem eandem legem ſubibant. Itaq; ad inſtitutum redeundo apud Lazaretum & Campum Martium obiere mẽſe Martio 1. Aprili 10. Maio 10. Iunio 3. Iulio 10. Auguſt. 121. Septemb. 303. Octob. 378. Nouemb. 582 Decemb. 60. vt ſi ſupputare velis, huiuſmodi morbis in vniuerſum toto anno Vicentiæ obierint homines mille noningenti octo. In præſentia, quo tempore hanc tractationẽ incipio, nimirum ineunte anno (quod nobis Deus Opt. Max & miſericors fanſtum, fœlix, fortunatumq; eſſe velit) vix adhuc morbi quædam veſtigia ſuperſunt, vt breui integrã ciuitatis ſalutem, & liberationem ſperare liceat.

Vtcunque autem huius aduerſæ fortunæ euentus fœlicior, an triſtior futurus ſit, rem omnem antequam finem ſcribendi faciam, fideliter enarrare non grauabor. Sed hoc loco nonnulla altius haud importune repetenda ſunt. Menſe Auguſto morbo in dies magis, ac magis ingraueſcente, adeoque ciuitate afflicta, & fere proſtrata, omnes de fuga cogitare videbantur.

Itaque Magiſtratus ad eam quomodo reprimendam tum aliis, tum præcipuè medicis graui in ſingulos pœna conſtituta interdixit, ne quis in poſterum de ciuitate iniuſſus diſcederet. Medici contrà quod huiuſmodi lege iniuria atque vis ſibi inferri videretur, aliquam ſaltem illius moderationem contendere non dubitarunt. Poſt multa demum inter eos conuenit, vt ſingulis diebus quindecim medici quatuor viſitationi totius ciuitatis aſſiduè preeſſent, tum verò illi ab omni officio quieſcerent, & libere agere poſſent. Res autem ita ſe habet. Vniuerſa diuiſa ciuitate in triginta duos vicos, ſexaginta quatuor electi ciues, bini cuiuſq: vici dieb. quindecim curam habebant: ita quidem, vt quotidie sũmo mane omnes illorum gubernationi ſubiectos ſedulo viſitarent: quorum antea nomen, ætatem, numerum diligenter deſcripſerãt: neq; antea alicui domo exire licebat, quam illi officio ſatisfeciſſent. Quod ſi laborantem aliquem offendiſſent, præſto erat medicus octo vicis præfectus, qui decerneret, an ille morbo contagioſo laboraret, necne, ſeuera iam diu (vt diximus) ſtatuta lege, vt morboſi omnes protinus in Lazaretum importarentur, cæteri cum illis verſati, adhuc bene valentes campum Martiũ peterent. Qua in re iudicium certe, ſi vnquam alias difficile, & periculosũ eſſe animaduertimus: ſiquidem ægri longius viſitabantur, præterquam quod omni ſtudio, imo vero aſtu propriam calamitatem abſcondere, ac diſſimulare conſueuerunt. Cal. Sept: huiuſmodi viſitandæ ciuitatis ratio obſeruari cœpit; atq; ipſe vnus è quatuor illud munus continuatis quindecim dieb. ſuſtinui. Interea aſſiduo labore fatigatus, totq; ac tãtis malis vehementer afflictus tum animi, tum corporis recreandi grat. vna cum vxore, & vniuerſa familia rus me contuli Sept. die decimo octauo. Abiens tanquam paucos poſt dies rediturus, domus cuſtodem malo omine reliqui famulam Allegrantiam quadraginta annorum mulierem, vna & puellam annorum duodecim Lucretiam: quibus prece, pretio, minis, & quauis ratione perſuadere conatus ſum, vt ne aliquem domi exciperent, nec vnquam domo exirent, atque vno verbo, vt ab omni rerum, & hominum commercio eſſent alienæ: id quod in domo à cæteris domibus longe ſeparata, rebuſq; omnib. alioqui munitiſſima facile futurum eſſe confidebam. At verò hæc me opinio fefellit: etenim Sabbato pridie feſtum D. Michaëlis Allegrantia laborare cœpit febre, dolore capitis, bubone. Qua de re celeriter certior factus ſedulo curaui, vt illa quamprimum in Lazaretum aſportaretur: quod factum eſt die Dominico proximo, eo ſimul aſportato lecto, veſtimentis, & omni ſupellectile, quæ hoc tempore aliquem omnino vſum illi præſtitiſſet.

Cæterum & ſi lex communis cogere videbatur, vt tum Lucretia, tum vniuerſa ſuppellex in campũ Martium protinus exportaretur, iis exceptis rebus, quas ab aliis iam pridem ſecluſas ſigillo magiſtratus obſignandas curaueram, quod tamen domus ad mœnia ciuitatis eſſet collocata, ab aliis domibus vndiq; ſeparata, horto ampliſſimo, & amœniſſimo inſtructa, atque adeo ad ſalubritatem corporis, in primis verò ad expurgandam ſuppellectilem mirabiliter accommodata, facile illud à magiſtratu ſum conſecutus, vt Lucretia in ea permaneret: cui præterea acceſſerunt illius mater Franciſca, & eiuſdem frater Michaël puer nouennis, qui illo ipſo die Dominico quo Allegrantia Lazaretum petiit, domum ingredi, & eandem cum Lucretia fortunã ſubire non recuſarunt. Quamprimum autem Lucretia omnib. veſtimentis ſe exuit, ac lixiuio diligenter lauit, nouis vndiq; veſtimentis, lecto & rebus omnib opportunè antea præparatis. Tum vero quæ ad illius matris, fratriſq; preſeruationem hoc tempore ſunt à nobis inſtituta, hæc fermè fuerunt; primum quidẽ vt domũ vniuersa, ſingulaſq; illius partes accuratiſſime ab omni ſorde purgarẽt, lauarẽt, abſtergerẽt, ita quidẽ, vt nullibi vllũ pulueris, aut alicuius ſpurcitię veſtigiũ relinqueretur; deinde vt feneſtras perpetuo patẽtes relinquerẽt, vt aſſidua aëris ingreſſione, & egreſſione domus vndiq; perflabilis eſſet, in qua quidẽ re potiſſimã expurgãdarũ ædium rationẽ conſtitutã eſſe non arbitramur.

Sed tamen neque illud prætermiſimus, vt præſcriptis à nobis ſuffumigiis omnia cubicula, atque id potiſſimum, vbi Allegrantia decubuit, aſſiduè, præſertim noctu ſuffirent. Tum verò Fráciſça protinus huiuſmodi medicamentum aſſumpſit. Rec. flor. caſſiæ n. ex vnc. 1. ſp. pilularum de trib. contra peſtem drach. 1. miſc. Sanguis quidem primo loco illi mittendus fuerat, quod ego per litteras nonnullis amicis particulatim indicaueram: Sed me abſente, deficiente chirurgo, neque illa ſatis conſentiente, in præcipiti occaſione remedium opportuniſſimum prætermiſſum eſt. Deinceps autem quotidie mane Franciſca aſſumpſit aliud medicamentum. Rec. conſ. borraginis drach. ij. ſp. theriacæ diareſſeron ſcrup. ij. miſc. cui ſtatim ſuperbibebat decoctum cichorij, acetoſæ, ſem. citri & ſingulis tribus alternis diebus Mithridaticam antidotum, id quod factum eſt ad vigeſimum vſque diem. Lucretia pariter, & Michaël caſſiæ flor. primum aſſumpſerunt vna cum ſcordio, tum decem continuatis diebus pilulas de trib. cont. peſt. drag. dimidiam vterque. Atque hæc pauca ad illorum cuſtodiendam ſalutem ſatis eſſe arbitrata ſum. Porrò Allegrantia ſequenti die obiit, tertio Octobris manè, nullo alioquin à me officio erga illam prætermiſſo.

Cæterum cum Franciſca & filij ſani & incolumes ſeruarentur, tranſactis triginta dieb. dedi operam, vt famuli duo præterea domum ingrederentur: qui aliis totidem triginta diebus prioribus cuſtodibus omnium laborum, & periculorum comites facti ſunt: quo tempore ſimul omnes ſine vlla intermiſſione dies, noctesque mutandis, expurgandiſque rebus omnibus ſedulo incubuerunt.

Atque ne quid Lector hac etiam in parte deſideres, quanquam ego in ea ſum ſententia, omnem ſupellectilem aliis in locis poſitam, atque ab eo cubiculo, in quo quis huiuſmodi morbo laborat, vel moritur, ſeparatam, non iniuria exiſtimandam eſſe ab omni contagij ſuſpicione alienam, & nulli expurgationi obligatam, quod tamen nullum periculum, vbi de hominis vita agitur, temerarium; & ſuperfluum cenſendum eſt, neque huic officio deeſſe volui. Itaque lintea omnia biduo fluente aqua fuere immerſa, tum lixiuio (vt fit) ſemel emundata; namque hoc vno remedio celeriter illa, tutoque ab omni labe purgari non dubitauimus. Alia verò quę huiuſmodi purgationi vix ſubiicere licet, lecti puluini, culcitræ, veſtimenta, & cætera omnia, quæ lana, ſerico, goſſipio, corio, & ſimili materia conſtant, nulla alia ratione expurgata ſunt, pęterquam quod in horto ampliſſimo, atque adeo ad hanc rem accommodatiſſimo totis triginta diebus Soli, & aëri perpetuò fuere expoſita, ſæpiſſimè hinc inde diſtracta, exagitata, & à quacunque etiam tenuiſſima ſorde ſedulo perpolita. Alia demum, quæ ex ligno, ære, orichalco, ferro, aut ſimili re conſtant, quæ quidem ego vix aliquod contagium concipere poſſe exiſtimo, vna aquæ, aut lixiuij lotione ſatis mũdari, & ab omni labis ſuſpicione liberari ſentio.

Hac itaque ratione tranſactis menſib. Octobri, & Nouembri, tum vniuerſa domus, tum illius cuſtodes priſtinam libertatem ſunt aſſecuti: domus multis deinceps hoſpitibus vndiq; frequentari, & habitari cœpit: ac poſtremò ipſe cum vniuerſa familia liberè illam ingredi, & habitare non ſum veritus: quod factum eſt die decimo octauo Decembris. Pro quo ſummo beneficio. Deo Opt. Max. ac piiſſimo quas poſſum gratias habeo, atque habebo in perpetuum. Atque hæc fere domi meę acta ſont; quæ quidem conſulto longius enarrare volui, quáquam illud fortè præter rem factum alicui videri poteſt, quod in animo habeam colligere hinc multá argumenta, vt oratores ſolent ex narratione, poſteriori diſputationi minimè inutilia, & importuna.

Iam verò antequam aliud agere incipio, operę pretium fore exiſtimo & alia nonnulla breuiter hoc locu addere, quæ ad gubernationem ciuitatis hoc infelici tempore, & ad huiuſmodi tractationem omnino pertinere videntur. Septembri menſe cum malum in dies ingraueſceret, atq; omnia fruſtra tẽtata eſſe remedia viderentur: grauiſſimi patres poſt multas conſultationes cogitare cœperũt, de ſequeſtranda vniuerſa ciuitate, ita vt nemini vnquam domo exire liceret. Quod ſalubertimum conſilium alias quoque ciuitates prudenter cepiſſe intelligebant. Sed cum vndique inter eos non conueniret, tum aliis de cauſis, tum maximè propter inſignem, & effuſum ſumptum, qui hac in re neceſſarius videbatur, huiuſmodi illi deliberationem longius prorogauerunt. Interea verò media quadam adhibita ratione, Septembris die vigeſimo ſexto ſancitum eſt, vt poſthac vnoſquiſque domi ſe contineret, vno, aut altero ſingulæ domus excepto, cui libera exeundi poteſtas eſſet. Quod ſanè decretum poſt diem octauum prorogatum eſt per totum Octobrem, ſed reſtrictè magis, nimirum vt ex ſingula domo vni tantum exire liceret, atque ab hora diei quartadecima ad ſeptimam decimam vſq; prętetea nunquam. Cæterum quandoquidem neque huiuſmodi ſequeſtratio notabile aliquod mali alleuamentum afferre videbatur, in illam tandẽ ſententiam omnes ierunt, vt in vniuerſum, & ſtrictè, quàm maximè fieri poſſet, omnes domi ſe continerent, id quod obſeruari cœpit cal. Nouemb. Porrò cum præteritis optimis temporib. opulentiſſima ciuitas alere ſolita fuerit triginta circiter hominum millia ex deſcriptione antea diligenter facta, hoc grauiſſimo tẽpore in vrbe & vicis nõ plures reperti ſunt nouẽ millib. octingẽtis quadraginta ſex.

Apud campum Martium erant quingenti triginta octo: apud Lazaretum quadringenti quadraginta quatuor. Ex quibus ære publico alebantur quotidie circiter quinque millia. Atque hæc ſanè tutius ciuitatis viuendi norma, & præſcriptio ſeuerè obſeruata eſt continuatis diebus quadraginta, ſcilicet ad diem decimum vſq; Decembris. Quo tempore manifeſtò iam rebus proſperè procedentibus, ita permittente magiſtratu, vni duntaxat, vt prius cœperat, ex ſingulis domibus exire licebat: donec tandem propè diem feſtum Natalem D. N. Iesv Christi, (quod felix fauſtumque ſit) ciuitatem liberum hominum & rerum commercium conſecutam eſſe vidimus. Iam verò morbi, & ſymptomata, (vt neque illud prætermittatur) quæ huiuſmodi ægros comitari ſolent, varia planè, & multiplicia eſſe videntur; quantum autem partim ex aliorum, partim ex propria obſeruatione conſequi mihi licuit, hæc fermè afferri poſſunt. Omnes propemodum febre laborant, quamuis diſſimiles ſint febres, ac inter ſe maximè diuerſæ: eas tamen perpetuo ex genere continuatarum eſſe exiſtimo: plerique vehementi dolore capitis cruciantur: nonnulli delirio: alij vigiliis: quidam profundo ſomno laborant: multi faſtidioſo vomitu, nauſea, inappetentia, ſiti male afficiuntur: aluus ferè ſuppreſſa: lotia prorſus varia inter ſe diſſimilia, ac ſæpè contraria; quanquam maiori ex parte illa inſigniter craſſa, turbata, & corrupta eſſe facile animaduertimus. De pulſibus non habeo quid certi ſtatuam, quandoquidem nemini vnquam illum explorare ſum auſus; ſed quantum alij hac in re magis audaces, ne dicam temerarij referunt, pulſus pariter, quod ferè ad omnes eorum differentias pertinet, ſæpenumero ſunt inuicem diſpares, & vehementer diuerſi.

Pleriſque ſolent accedere papulæ, quas peticulas vocant, bubones, parotides, carbunculi, atque alij

huiuſ

huiuſmodi tumores, ſi modò illorum numerum, magnitudinem, colorem, formam, apparitionem terminationem, & demum partes corporis conſideres, inter ſe planè differentes. Contrà verò neque alij quidam defuerunt, quibus vel adhuc viuentibus, vel poſtea mortuis ne vllam quidem maculam, aut aliud malignioris morbi veſtigium exterius apparuiſſe compertum eſt. In vniuerſū autem (id quod multa, & accurata obſeruatione hic plerique animaduertimus) omnes propriam, & naturalem effigiē exuiſſe videntur, faciem neſcio quam horribilē aſſumentes, vt vix illos agnoſcere poſſis.

Cæterùm illi maiori ex parte moriebantur, ac breui admodum tempore, die primo, ſecundo, tertio, quarto, paucos certè ſeptimum præteriiſſe exiſtimo. Et quanquam nonnulli impunè cum huiuſmodi ægrotis etiam familiariter, ac diu verſati ſunt, plerique tamen etiā leuiſſimo cum illis habito vſu & commercio hanc aduerſam fortunā euitare non potuerunt, vt vniuerſæ vel numeroſæ familiæ mirandum in modum miſerè extinctæ, & penitus deletæ fuerint. Quo demum loco illud minimè ſilentio prætereundum videtur, huiuſmodi morbos, adeoque mortem ipſam non in alios ſæuiſſe, præterquam in infimam, & miſeram plebeculam, adeo vt apud nos vix decem viri obierint, quorum aliqua notabilis extaret conditio.

Porrò autem ſi quis accuratè, diligentérque omnia conſideret, atque inuicem conferat, quæcunque apud meam Vicentiam, Venetias, Patauium, & alia loca hoc triſtiſſimo noſtro tempore euenerunt, morborum, & ſymptomatum genera, differentias, indicia, ortus, progreſſiones, terminationes, ægrorum numerum, & quæcunque tandem hac in re ille animo, & cogitatione complecti poteſt, is facilè confitebitur his omnibus in locis ſimilem admodum, & propè eandem fuiſſe morborum conſtitutionem: ita quidem, vt iure optimo omnes huiuſmodi morbi vni tractationi ſubiici poſſe videantur, & particularis vnius diſputatio vniuerſalis omnium cenſenda ſit.

Verùm hactenus fortaſsè longius, quam noſtra voluntas fuerat, digreſſi, iam rem aggredimur, pro inſtituti noſtri ratione de huiuſmodi morbis diſputaturi, atque accuratè tractaturi quæcunque ad illorum cognitionem, præſeruationem, & curationem pertinent.

Neque eſt vt aliquem admiratio teneat, quamobrem in præſentia hoc argumentum aggredi ſim auſus, neque me à ſcribendo deterruerint plerique nobiliſſimi, & doctiſſimi viri, quorum hac de re grandia commentaria iamdiu peruenere in manus hominum.

Primum enim cum iſthæc mala, ſi quæ alia, ſoleant cum grauiſſimis, & communiſſimis periculis eſſe coniuncta, vt ſim neſcius an alia grauiora, & communiora homini impendere poſſint, non modò licitum, ſed etiam operæpretium, imò verò & neceſſariū eſſe exiſtimo, vt vnuſquiſque pro viribus, tanquam aduerſus immitem, & capitalem cōmunem hoſtem, opem, auxiliúmque afferat. Sed præterea (vt ingenuè, & liberè dicam) tantum abeſt, vt hactenus edita commētaria me deterruerint à ſcribēdo, vt illa magis mihi animum fecerint ad ſcribendum: non illa quidem ratione, quod cæteris me eruditione, aut copia dicendi anteire credam; neq; enim mihi tantum arrogo, qui ſæpiſſimè experior, ac ſentio, quàm meæ ſint imbecillæ vires: ſed cum apud medicos nulla fortè ſit res adeo difficilis, & de qua tātopere non ſolùm docti, ſed etiam indocti diſſentiant; egóq; ipſe priuatim à plerìſque, vel doctiſſimis, & celeberrimis viris de vniuerſa propemodum re diſſentirem, in eodem argumento verſati, atque huiuſmodi tractationem in mediū afferre non ſum veritus. Ita enim mecum ipſe reputo, hunc meum conatum alterutra ratione aut mihi, aut aliis profuturum eſſe; ſi enim accidat, quod magis probabile, & rationi conſentaneum videtur, vt ego in huiuſmodi maximarum rerùm ignoratione verſarer, ſi quis errorem aliquem, quouis tandem, aut loco, aut tempore mihi mōſtrauerit, & rationem docuerit, vnde ad rectam viam redire poſſim, tantum abeſt, vt illud vnquā ſim ægrè laturus, vt huic magis ingentes gratias, tāquam pro ſummo beneficio, perpetuo ſim habiturus: ſi verò contrà eueniat, vt aliqua ſaltem in parte nos rectè ſentiamus, errores detegamus, ac veritatem è tenebris eruamus, nullum pariter maius beneficium vnumquemque accipere poſſe exiſtimo, quàm ſi illi plana, & certa via pateat, vnde errorem deponere poſſit. Neque eſt vt quenquam, qualiſcunque tandem ille fuerit, à dimittenda, quam antea probauerit, ſententia, & ſemel concepto errore pudor deterreat, ſi modò ratio, & veritas ita perſuadeat; cum vnius in primis veritatis inquiſitionem, atque inueſtigationē, tanquam propriam homines perpetuò ſibi proponere debeant. Ego quidem, quod vnum, antequam incipio, mihi monendum reſtat, nominādis viris, à quibus aliqua ratione diſſētio, & hac vniuerſa tractatione talem ſcribendi moderationem adhibere ſtudebo, vt modeſtiam in me nemo, aut temperantiam deſiderare poſſit. Quod ſi acerbius aliquod verbum mihi fortè exciderit, vnde aliquis poſſit offēdi, illud in præſentia, tanquam me imprudente, & inuito dictum, in vniuerſum deleo, & libenti animo reuoco.

Vbicunque iniquo, & infauſto omine huiuſmodi morbi ſe prodere, & apparere cœperunt, vehementer dubitatum fuiſſe audio; qualesnam illi fuerint; atque illud in primis, an peſtilentes illos immò verò peſtem ipſam appellare, an magis eos ab omni peſtilitate alienos eſſe, affirmare liceret: Nam Venetiis tum alios, tū multos præclaros philoſophos, & medicos, quales in alma ciuitate perpetuò florēt, ancipiti prorſus diſputatione, in vtranque partem copioſè diſſeruiſſe, & acriter litigaſſe accepimus. Sic Mantuæ de huiuſmodi morbi maximæ diſputationes & lites habitæ ſunt; qua de re Ioan. Baptiſta Suſius medicus nobiliſſimus, atque in Hip. & Gal. ſcriptis, ſi quis alius hoc tempore mirabiliter verſatus, doctiſſima edidit cōmentaria, quibus copioſè & grauiter probare contendit vrbem illam nobiliſſimam proximo anno M D L X X V. ab omni morbo contagioſo & peſtilenti longè fuiſſe alienā.

Sic apud nos (ne loca ſingula recenſeam) hac de re frequenter diſputatum eſt, vt lis hactenus ſub iudice verſari, neque adhuc ſatis definita eſſe videatur. Itaque nos quoque hunc locum primum tractabimus, qualeſnam huiuſmodi morbi ſtatuendi ſint, & an veræ peſtis nomine ſint appellandi.

At verò hac in re vix aliquid ſtatuere poſſe videmur, niſi primū intelligamus, quid in vniuerſum ſit peſtis: quæſitum planè apud medicos, ſi quod aliud, difficilè, & reconditum, in quo explicando, nobis quoque ingenij noſtri vires experiri liceat.

Quoniā autem propria vniuſcuiuſque rei vis, & eſſentia definitione in primis declarari ſolet, quam duorum generum Galen. eſſe docet; alteram, quæ declarat definiti notionem, & ſumitur à communi hominum opinione; alteram, quæ eſſentiam demonſtrat, & cōſtat ex determinato genere, & differentiis, vtranq; nos inueſtigare conabimur; quam methodum paſſim Galen. maximè verò *libr. de morb. differ.* ſolet obſeruare. Itaque homines peſtilentia & aliquo in loco eſſe arbitrantur, cū plurimi ægrotant, à ſe inuicē inficiuntur, & miſerè pereunt, vt 4. D. diff. pulſ. c. 2. c. 1. & 2.

vt conſenſu omnium ſtatuendum ſit, peſtem morbum eſſe, atque illum quidem pluribus communẽ, & pernicioſum. Sic aliàs plerique nomen peſtis ad res pernicioſas, & ſummè periculoſas haud ineptè accommodant: qua ſignificatione frequenter Cicero peſtiferum magiſtratum, peſtiferum bellum, peſtiferos ciues appellare conſueuit.

Iam verò morbi ſunt triplices, intemperies partium ſimilarium; mala compoſitio inſtrumentaliũ, ſolutio continui, vtriſque communis: vnde peſtis; ſub horum aliquo, vel ſub omnibus contineatur, neceſſe eſt. Non ſum neſcios alios diuerſam hac de re diſciplinam tradere; ſed illos in præſentia nihil moramur; ſiquidem, quod ad artis medicæ dogmata pertinet, Galenum perpetuò imitari, & ab illo ne latum quidem vnguem diſcedere nobis iamdiu conſtitutum eſt; cum quo, vt de Platone aliquando ſcriptum reliquit Cicero, errare malumus, quàm cum iſtis vera ſentire. Tum verò morbi aut ſunt omnibus communes, quos Græci *cinus, pandimus, & pancinus* appellant, (has etenim voces ſynonimas eſſe, ac idem prorſus ſignificare nos exiſtimamus) & ſunt, vt placet Hip. quicunque plurimos aggrediuntur, ſiue iouenẽ, ſiue ſenem, ſiue mulierem, ſiue virum, ſiue meri, ſiue aquæ potatorem, ſiue manducantem mazam, ſiue panem, ſiue exercitio multo, ſiue pauco vtentem, omnes ad ſummũ, cuiuſcunque ſtatus & conditionis; aut illi ſunt ſparſi, quos Græci *ſporades* nominant, quando nimirum, illi inter ſe diſſimiles, & genere diuerſi non omnino multos, ſed ſeorſum vnumquemque apprehendere ſolent; hunc pleuritis, illum febris tertiana &c. Priores aut regionem aliquam, aut multas etiam aliquo tempore infeſtãt, qui à Græcis tum *epidimi*, tum *epidimy* vocantur, à noſtris *populares, vulgares*; aut aliquam regionem tanquam familiares perpetuò affligunt, qui Græcis *endimi* dicuntur, nobis cum Cicerone *patrios, vernaculos*, ac *domeſticos* vocare licet. Morbi populares aut ſũt pernicioſi, vt pleroſque interficiant; aut non ſunt pernicioſi, vt ab iis plerique euadant; ſi ſint pernicioſi, ſunt peſtilentes: ſi non ſint pernicioſi, ſunt ſimpliciter populares. Atque hanc nos germanam, legitimam, & in primis Hippocratis, Gal. diſciplinæ conſentaneam horum nominum explicationem eſſe exiſtimamus: quam tamen plerique minus aſſecuti eſſe videntur.

2. Denatur. Hum. tex. 1.

Vnde hac in re non ſatis probare poſſum ſententiam illorum, qui ſporadicos morbos ſub vagantiũ, & vulgarium morborum genere collocare ſolent: etenim vel ipſum per ſe nomen facile indicat eos minimè paſſim vagari, cum magis particulatim, & ſparſim hunc vel illum hominem aggrediantur, quæ Gal. etiam doctrina ſatis perſpicua eſt, ægritudines diſperſas (ille inquit) Hip. vocare conſueuit, quæ non omnino multos, ſed ſeorſum vnumquemque apprehendunt. Immò verò ſi paſſim vagerentur, & multos inuaderent, iam non diſperſi morbi, ſed magis communes eſſent dicendi. Quam obrem non iniuria Gal. morbos ſporadicos morbis vulgaribus, & vagantibus, tanquam maximè diſcrepantes paſſim opponere ſolet. Oſtẽdit hac oratione Hip. (ille ait) multos morbos vno tempore fieri, quos, ſi pernicioſi fuerint, peſtem appellant, ſin mitiores, altera quadam indicant appellatione; Eſt autem & aliud morbi genus commune multis, quod endemum, vel endemium appellant, quaſi patrium, aut vernaculum dixeris. His autem omnibus aduerſantur *ſporades*, id eſt, qui ſparſim, priuatimque prehendunt, ægros diſcrepanter fatigantes, neque ſecundùm communem modum conſtantes, & rurſus. Conſueuit quidem Hip. vtraque hæc ægritudinum genera & communia, & paſſim graſſantia nuncupare, cæteras verò *ſporades*, id eſt diſperſas, ſcilicet quæ non omnino multos, ſed ſeorſum vnumquemque prehẽdunt: nam ſæpius Græci *ſporadicas*, pro diſpergere, & abinuicem ſeparare, vſurparunt, & ad eum modum Thucydides de iuuenibus ait, *verè autem alij in alia ciuitatis parte diſperſi perierunt*. Sic aliàs Gal. ſporades vocat venas aliquot per cutem modicis interuallis ſparſas & Ariſtoteles *ſpirin*, animalis vocat, quæ huc illuc diſperſa, non gregatim paſcuntur, quæ etiam ſolitaria, ſeu ſoliuaga alio nomine appellãtur: ſicuti altera vocat *ſporadica*, quæ ciuitatum ritu ſocietatem ineunt, & vnà viuunt, vt apes, & formicæ in primis: adeo vt ſi vocabuli vim, & rem ipſam ſerio velimus animaduertere, nulli dubium eſſe poſſit, morbos diſperſos ad communes, & vagantes referri non poſſe. Itaque neſcio quid in mentem venerit Fernelio (quem virum illuſtri prorſus ingenio, & admirabili eloquentia doctum plerique tanquam diuinum quoddam numen ſuſpiciant, & admirantur) vt tum aliis rebus tũ maximè iis nominibus explicandis noua comminiſceretur, ſciẽſque ac volens à Gal. deficeret. Cuius autoritatem deinceps ſecuti, ſunt plerique omnes noſtrorum temporum medici qui morbum epidemium eſſe docent, non vni tantùm regioni, ſed pluribus communem, ob aëris ſuperſtantis, atque vndique ambientis alteratione, à ſuperioribus, cœleſtibúſque cauſis oriundam, minimè à ſolis inferioribus. Morbum pandemium definiunt, qui ſit quidem omnibus communis, ſed pendeat à cauſa inferiori, cibo, poto, & aliis, quæ eandem rationem ſortiuntur, minimè ex aëris alteratione, aut alia cœleſti cauſa. Atque ne in ſingulis recenſendis ſim longior, mirum quàm in hac nominum explicatione, atque vniuerſa hac de re doctrina omnia peruertant, atque confundant. Quod quidem ſic ſe habere facilè vnuſquiſque poterit intelligere, partim ex iis, quæ à nobis iam conſtituta ſunt, partim ex iis, quæ poſteriùs tractabuntur, ſed in primis ex accurata lectione vnius Gal. quem non modò in nominum obſeruatione, ſed in vniuerſa re medica, medicos imitari, atque omnia quoad fieri poteſt, ad ipſius dogmata referre maximè velim. Modò redeũtes ad rem, ita nos ſtatuimus, omnes in vniuerſum, & omnis generis morbos peſtilentes eſſe, immò verò ipſam peſtem efficere, ſi modò illi ſint vulgares, & maiorem hominum partem interficiant: ita quidem, vt peſtem hac vna forma, & charactere circumſcribendam, & determinandam eſſe nos exiſtimemus. At verò quoniam huiuſmodi ſententiam, quam Gal. atque adeo veriſſimam eſſe nos minimè dubitamus: plerique tanquam paradoxon, & fortè ab omni veritate abhorrentem, minus hoc tempore ſuſcipiunt, inſtituti noſtri ratio nos hic pauliſper conſiſtere, & immorari cogit. Si quis quærat, quamobrem magnus Hip. nullum de peſte peculiare commentarium ſcripſerit, huic reſpondet Galenus, quoniam in libris Epid. ille ſatis demonſtrauit peſtem vnum eſſe ex morbis vulgaribus: quæ eadem fortè ratio Gal. etiam perſuaſit, vt ab huiuſmodi argumento priuatim abſtineret. Atque profectò ſi accuratè nos animaduertamus, colligamúſque omnia, quæcunque ſparſim variis locis, in primis verò libris Epidem. tum ab Hip. tum à Gal. hac de re tradita ſunt, vnuſquiſque ſatis intelliget, quàm temerè, & ſine vlla cauſa plerique tantum oſcitantiæ, & negligentiæ crimen diuiniſſimis viris imponant, quaſi partem artis medicæ maximi momenti, adeòque vniuerſo orbi maximè neceſſariam, intactam reliquerint. Ad quem certè modum aliorum frequentes querelas audire ſoliti ſumus, qui vehemẽter dolẽt, & ægrè admodum ferunt, quod plerique alij perfecerunt,

Galenum

Prine. 1. Epid.

1. De rat. vict. in m. ac. 9.

Princ. 1. Epid. 1.

3. De admi. anat.

1. Polit. c. 5.

1. de. hiſtor. ani. c. 1.

1. De rat. vict. in m. ac. 9. ani c. 1.

Galenũ vniuſcuiuſque morbi particularem tractationem minimè perfeciſſe, adeo vt pronuntiare, ac prædicare ille non vereatur, neminem vnquam ex vno Galeno, in abſolutum medicum euadere poſſe: ignaua prorſus, atque inſana vox: vt nos cõtrà affirmare non vereamur, cum maxima & innumerabili turba medicorum, vnum in primis Galenum diuino munere mortalibus datum eſſe, vt quod nemo alius aſſecutus eſt, medicam ille artem illuſtraret, atque vndique perficeret: quandoquidem Gal. vniuerſæ artis manifeſta principia, ſolida fundamenta, & præclaram methodum ita conſtituit, iecit, & docuit, vt ad cognoſcendos, vel ad curandos morbos nihil præterea deſiderare poſſimus: quod priuatim de peſtilentia verè affirmari poſſe non dubitamus. Quod ſi legantur quicunque aut præterito, aut noſtro tempore hoc argumentum tractarunt, quidnam obſecro proferre illi poſſunt, quod non ex noſtro Galeno magis accuratè, & exquiſitè noſcẽſequi poſſimus? Afferent fortaſſe arbitror ingentẽ illam ſyluam præſidiorum, quæ ſecreta appellant, de quibus poſterius à nobis tractabitur.

Cum igitur, tum in aliis artis medicæ partibus, tum in hac ipſa tractatione de peſte, Hip. & Galeni præceptis non deſtituamur, enitendum eſt nobis, vt ex eorundem doctrina veritatem illam confirmemus, quam modò probandam ſuſceperamus, nimirum omnes morbos, quicunque tandem illi fuerint, peſtilẽtes eſſe, adeoque veram peſtem fieri, dummodo illi ſint vulgares, & pernicioſi, ita quidem vt Galenus nuſquam, & nunquam aliam nobis peſtilentiæ formam tradiderit, niſi quam huiuſmodi bini termini, tanquam determinati cancelli circunſcribere, & concludere videntur.

1. De rat. vict. in m. ac. *Oſtendit hac oratione Hippocrates* (ille ait) *morbos multos vno tempore fieri, quos ſi pernicioſi fuerint, peſtem appellant; ſi verò ſint mitiores, altera quadam appellatione epidemos, vel epidemios nominant; vt epidemus morbus ſit, qui tempore aliquo in regione aliqua abundet, inſoleſcat que, peſtis verò epidemia pernicioſa.* & rurſus. Procem. 1. epid. *Ex morbis vulgaribus, quos Græci epidemos, vel epidemios vocant, pernicioſiſſimi quique peſtilentes vocantur.* Sed aliàs omni luce clariùs.

3. Epi. ſect. 3. com. 10. Vnus de vulgaribus morbis & ipſe peſtilens eſt: neque enim certi eſt morbi nomen vulgare, vel peſtilens: Cæterum quicunque vno in loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris vocatur, qui ſimul ſi hoc habeat vt multos perimat, peſtis fit, & iterũ: 4 Epid. ſect. 7. com. 1. Atque hucuſque (inquit) vulgaris hic morbus erat, nunc verò peſtilens eſt factus, cum multi mori cœperint. Sed ne ſimus longiores in aliis recẽſendis locis, qui certè iis planè conſentientes apud Gal. plurimi non deſunt, vt ignorari non poſſint, rem ipſam aggredimur. Itaque ſi omnes omnium temporum peſtilentias ſtudioſè memoria repetamus, atque ſingula vniuſcuiuſque tum ſymptomata, tum morbos accuratè animaduertamus, illa quidem ita multa, varia, inter ſe diffidentia, ac ſæpenumero contraria fuiſſe deprehendemus, vt vnuſquiſque facilè intelligere poſſit, peſtem vno morbi genere minimè coanguſtari, ſed omnes in vniuerſum amplecti.

Quod primum nobis maximè demonſtrabit conſtitutio libri tertij Epid. quam ſolam inter omnes verè peſtilentem Galen. appellare conſueuit. Cum enim propoſitum eſſet Hippocrati hoc in loco (vt Gal. placet) deſcribere tempeſtatem peſtilentem, immò verò peſtem, quæ multarum gentium fuit communis, incipit ab anni conſtitutione.

Annus auſtrinus, pluuius, & ventis in totum ſilens, quod mox particulari enarratione autumni, hyemis, & aliarũ anni partium verũ fuiſſe probat.

Tum verò ſtatim ille initiũ facit ab iis, quæ hac tempeſtate contigiſſent hac ſerie.

8 *Cum eſſet totus annus Auſtrinus, humidus, & lenis, per hyemem quidem ſalubriter egerunt, præter tabidos, de quibus modò ſcribemus.*

9 *Ante ver vnà cũ frigoribus cõſecutis, ſacri ignes multi; hos cum occaſione affecerunt, illos aũt, qui maligni, ſiue malè morati cum eſſent, multos interfecerũt.*

10 *Multi faucibus laborabant, voces vitiatæ.*

11 *Febres ardentes, phrenitici.*

12 *Ora aphtis vitiata, pudenda turberculis, lippitudines, carbunculi.*

13 *Alui turbatæ cibum faſtidiebant.*

14 *Quidam ſitibundi erant, quidam non.*

15 *Vrina turbata, multa mala.*

16 *Soporoſi diu, rurſuſque inſomnes erant.*

17 *Multi prorſus non indicabantur morbi, quidam agrè.*

18 *Aqua inter cutem mala.*

19 *Tabidi multi.*

20 *Habes morbos qui vulgabantur.*

21 *Ex qualibet morborum, quos recenſuimus, ſpecie complures ægrotabant, & moriebantur.*

Acciderunt autem cuique horum hunc in modum. Hactenus Hip. Quo quidem loco (ne tranſcribendis vniuerſis ſententiis tempus longius perdamus) deinceps ille, ac ſeparatim ſingulorum tractationẽ aggreditur, atque accuratiſſimè explicat, quæcunque aliqua obſeruatione digna videri poſſunt. Ex quibus nemo eſt, qui non facilè intelligere poſſit, in peſtilẽti huiuſmodi cõſtitutione plurima vagata eſſe mala, varia, diuerſa, inuicem diſſentientia, cum febre, ſine febre, eryſipelata, phrenitidem, tabem, carbunculos, apoſtemata, & alia huiuſmodi varia prorſus ſymptomata: diuerſas pariter partes corporis laboraſſe: varios demum fuiſſe humorum motus, & errores. Quanquam verò hæc manifeſta ſunt, atque hac in re ſatis vnicuique facere debent, vnum præterea, aut alterum Gal. locum, hunc nos afferre non grauabimur, qui hoc ipſum manifeſtiſſimè comprobat.

Febres ardentes, phrenitici. Hipp.

Ardentes febres extiterunt, inuadentibus in iecur, & ventrem bilioſis excrementis: phrenitici verò, caput petentibus. Galen.

Memoria enim repetenda eſt communis hæc ratio, ab eodem ſtatu genitum putridum humorem non eaſdem aggredi partes, quod non per naturam eo ſtatu corpus omnium eadem conditione poſitum eſſet; ſed aliis eſſet talia pars infirmior. Alio item loco. Com. 12.

Huiuſmodi tempeſtas videtur in corpore plenitudinem acerualſe, & repleſſe caput, idque omnibus morbis cõmune fuiſſe, ſed proprio quenque morbo aliũ alio correptum, pro ſua cuiuſque natura: alui fluxionibus, acribus deiectionibus, pinguibuſque bilioſos: rubicundi verò, & ad melancholiam procliues, & craſſo ſanguine, calidóque præditi non iniuria phrenitide, & febre ardente correpti ſunt, & etiam cruentis dyſenteriis, vt maximè par fuerat, quæ autem eſſent natura vel calidiores tantum, vel frigidiores ſimul, & humidiores; has par erat, vt & quæ nec facilè febribus cedebãt, nec bilioſis affectibus, in ſolas incidiſſe defluxiones à capite, itaque întabuiſſe. Hactenus Gal. Quod ſi quis his non acquieſcit, is vniuerſum illud commẽtarium perlegat, in quo infinita alia propemodum loca huic ſententiæ cõuenientia facilè reperiet, quæ nos breuitatis gratia conſulto prætermittimus. Com. 70.

Porrò ſi memoria repetamus peſtilentiã celebrẽ Thucydidis, cuius Gal. frequenter meminit, & quã eãdem eſſe nos exiſtimamus cum ea quæ deſcribitur ab Hip. peſtilentiam grauiſſimam, quæ ipſius Gal. tẽpore diutiſſimè perſeuerauit; alias item, quæ poſteriore tempore euenerunt: atque vniuſcuiuſq; morbos, ſymptom. progreſſiones partes corporis laborãtes & ſingulas accuratè cõſideremus, huiuſ-

modi ſententiam meo quidem iudicio nullam amplius dubitationem habere vereq; ſuperius ſtatutũ eſſe videbitur, peſtilentiá vnius morbi genere non coarctari, neq; vnã corporis noſtri particulã petere, imò verò omnes omniũ generũ morbos, quicũque tandẽ, & qualeſcũq; illi fuerint, ad illam opportune referri, ſi modo ſint vulgares & pernicioſi; quaſcũq; item partes corporis, huic tãto malo obnoxias eſſe.

Cæterum hoc loco ingens ille ſcrupulus euellẽdus eſt, qui pleroſque ſtimulat, ac pungit, *An peſtis abſque febre conſiſtere poſſit*; quandoquidem pleriq; omnes illud aut difficile, aut certè vix vnquã fieri poſſe contendunt, pro certo ſtatuentes à peſte febrẽ nunquam ſeparari, imò vero peſtem non aliud eſſe, quam febrem maligniſſimam, quæ directo cor petens, hominem breui tempore perdat. Cuius quidem ſententiæ patroni primum afferant Hippocr. qui non modo febrem à peſte nunquam ſeparari, ſed peſtẽ non aliud quã febrem appellare videtur.

Lib. de flatibus. *Sunt* (ille ait) *duo febrium genera; alterum cõmune omnibus peſtis appellatur, alterum propter malam victus rationem his priuatim contingit, qui ea vtuntur.* Cuius viri deinceps auctoritatem maximam ſecuti eſſe videntur, Paulus, Aëtius, Auicenna, atque omnino medici fere omnes Græci, Latini, Arabes, qui communi quadam omnium conſenſione peſtilentem morbum inter febres collocare, & certis quibuſdam ſymptomatis definiri ſolent, vt aliam præterea peſtilẽtiæ formam illi agnoſcere nõ videãtur.

Sed & rationes illi addunt: cum enim peſtis, ſi quis alius, ſit morbus acutiſſimus, vt ille febrem adiunctam habeat, neceſſe eſt, quandoquidem vel teſtimonio Hipp. & Gal. pluribus in locis, febres à morbis acutis ſunt inſeparabiles. Præterea cũ peſtis (id quod à nullo ferè in controuerſiam duci arbitror) ex ſumma putredine ortum ducat, quã gignendis febribus accommodatiſſimam eſſe facilè omnes intelligunt, atque hoc malum cor ipſum, quaſi totius corporis arcem perpetuò oppugnare, ſæpè etiã expugnare ſoleat, quod ſanè membrum non ſolũ præcipuam, ſed vnicam ſedem omnium febriũ eſſe iãdiu conſtitutum eſt, aut difficilè omnino, aut certè nunquam fieri poſſe videtur, vt in tanto congreſſu, vrgentéque tam valenti cauſa illud omnis febris ſit immune. Longa demum experiẽtia hoc ipſum probare conantur, acerrimè contendentes neminẽ vnquam peſte laborantem à febre liberum fuiſſe. At verò ſi memoria repetimus, quæ ſuperiùs conſtituta ſunt, nos contra aduerſam ſententiam tueri, & peſtem aliquando ſine febre conſiſtere affirmare non verebimur: quemadmodum è contrario peſtilentem pariter febrem ſine peſte aliquando fieri certum eſt, vt apud nos, potiſſimum ineunte vere ſæpenumero

5. Epid. ſect. 3. com 57. euenit, & perſpicuè docet Gal. loco notabili Epid. his verbis: *Et peſtis quoque illa longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex iis, quæ per aluum vacuantur, omnes propemodum ſuſtulit: quæ euacuabantur, erat colliquatio, quod quidem videtur ſymptoma eſſe in per-*

3. de præſag. ex puls. c. 4. *petuum febris, quam peſtilentem priuatim vocant, cum vel citra peſtem mortales corripiat:* quod etiam alibi confirmat, quæ quidem huc afferre, & particulatim

And. Gallus faſcic. 4 an. peſtis ſit feb. Card. lib. 2. contrad. medic. tract. 5. contrad. 4. notare voluimus, vt animaduertatur oſcitantia, diuturnis certè non ferenda duorum virorum maximi nominis; quorum alter faſciculos de peſte, alter contradictiones medicorum iamdiu ſcriptis mandauit; qui non ſine inſigni huius loci deprauatione, illum in contrario planè ſenſu afferant, hac ſerie.

Quæ euacuabantur erat colliquatio, quod quidem eſſe ſymptoma videtur in perpetuum febris, quam peſtilentem priuatim vocant, cum mortales, vel citra febrem peſtis corripiat: quam perfectò lectionem vnuſquiſq; facilè intelligit non modò à legitima Galen. litera prorſus alienam eſſe, ſed etiam manifeſtam contradictionem continere; vt hinc fructuoſo planè inſtituto, ſtudioſi diſcant, velim, ſingulos aliorum locos qui ab auctoribus proponũtur, perpetuò, & accuratè cum authenticis conferre.

Sed redeo ad rem, demonſtraturus peſtem aliquando ſine vlla febre graſſari, ac homines interficere: etenim ſi peſtis nullo particulari, & determinato morbo concluditur, & circunſcribitur: ſi nulla eſt corporis pars, quã illa in primis non aggrediatur, & quam totius mali veluti fontem appellare non liceat, quod iam ſatis mihi demonſtraſſe videor, vt peſtis aliquando ſine febre contingat, neceſſe eſt. Præterea verò quid prohibet, quo minus communi aliqua de cauſa, de qua poſteriùs tractabitur, malitioſi quidam, & venenati humores aggregari, putreſcere, & corrumpi poſſint extra venas tantum; vnde homines variis prorſus, & variarum partium morbis abſque vlla febre laborent, & frequenter moriantur? quemadmodum certè ſunt determinata quædam venena, ſiue ab animalibus iaculata, ſiue exhibita, quæ tum alias partes, tum maximè cor petendo, & corrumpendo, abſque vlla febris interuentu necem velociter afferre ſolent.

An fortaſsè hac in re nobis exẽpla deſunt; Thucydides, celebrem illam peſtilentiam accuratiſſimè deſcribens, vt neque leuia quæque prætermittat, febris non meminit, cuius tamen præcipuam mentionem illum facturum fuiſſe credi poteſt, ſi modo illa ægroti manifeſtò laboraſſent; quanquam ex immoderato interno ardore, vt neque tenuia veſtimenta, nec aliud quicquam ſuſtinere illi poſſent, ne febre quidem illos caruiſſe conicere licet. Galenus cuiuſdam ſæuæ peſtis aliquando meminit, *3. de vſ. par. c. 5.* quæ in ſummos pedes graſſabatur; quos quidem *lib. 3. c. 45.* ægrotos omnis febris immunes fuiſſe veriſimile eſt. Paulus colicam ægritudinem ſuo tempore inſtar peſtiferæ contagionis graſſatam fuiſſe tradit, quæ ab Italiæ finibus incipiens per pleraque alia Romani Imperij loca impetum fecit; non paucis in morbum comitialem, aliis in membrorum reſolutionem, incolumi ſenſu, nonnullis in vtraque delapſis, ex quibus magna pars eorum qui in comitialem ceciderunt, mortui ſunt, quorum verò morbus in paralyſin tranſierat, plerique euaſerunt. Ioſephus cuiuſdã *Iole lib. 6 Antiq.* grauiſſimæ peſtilentiæ mentionem facit, in qua ex vna dyſenteria quàm plurimi obierunt; ita quidem vt antè eorum obitum pleriſque inteſtina corrumperentur. Sed quid plura teſtimonia quærimus? Legatur vniuerſum commentarium Hippocratis, & Galen. illius conſtitutionis peſtilentis, in quo non deſunt multi & perſpicui loci apud vtrumque, qui huiuſmodi ſententiam manifeſtò confirmant; ex quibus vnum, aut alterum nos hîc notare non grauabimur.

3. Epid. ſect. 3. 45. *Quorum caput* (inquit Hippoc.) *horum quid tentaret, his caput totum glabreſcebat, & mentum oſſáque denudabantur, decidebántque, ac multa extiterunt fluxiones. His adiuncta aliquando, & aliquando non erat febris.*

Galen. *Peiora erant in quibus profundũ ſeceſſit humor ignẽ ſacrũ efficiens, cũ in viſcera, & principes partes ſe cõferret, præter alia ſymptomata febres etiã acutas generabat: quibuſdam tamen, quibus in ſuperficie erat huiuſmodi putredo, partes etiam citra febrem marceſcebant, quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaſerunt, vitioſis humoribus ſimul per eas partes, quas putrefecerunt, emiſſis: oberrabat enim, vt ipſe vocauit, fluxio per totum corpus, hoc eſt, temerè, nullóque ordine, & caſu vagabatur vt quo eſſet influxura, medicus arte præſagire non poſſet.* Item poſteriùs.

Hippocr. 55. *Excrementa biliosa, pinguia, tenuia, aquoſa, atque ipſe morbus multis eo erupit citra febrem, & in febre.* Quem locũ interpretatus Gal. *præſens ſermo* (inquit) continet

continet omne genus morbi, quatenus homines inter ſe-ſe, natura, ætate, & victu diſtant. Ergo cum aliis alius abundaret ſuccus, hic à ſtatu aeris auctus eſt, vt demonſtrauimus: tandem putredine excipiente putrefactio pro humorum differentia collectorum variabat. Iam quia hæc in locum cuique ægro natura imbecillimum ſe conferebat, multis contigit partibus lædi, quod & homines ſatis multi eſſent. Proinde erat probabile, natura bilioſis, & iis, qui in ætatis flore eſſent, & ſollicitis, iiſque qui laboribus ſeſe, & adminiſtrationibus conficerent, hæc abundaſſe. Porrò multos dixi hoc morbo laboraſſe, hoc eſt deceſſiſſe talia: etenim etiam citra febrem hæc dicit quibuſdam accidiſſe. Hactenus Gal. Quos quidem locos licet prolixiores, conſulto hic nos tranſcripſimus, quod illos non ſolùm ad hanc rem, de qua agitur in præſentia, ſed etiam ad ſuperiorem diſputationem præclarè accommodatos eſſe exiſtemus.

9 de ſimpl. med. Denique Gal. audiamus de vſu boli Armenæ, quod medicamentorum in peſtilentia ad cœlum effert, ita loquentem. *Cæterum bibitur ex vino albo, conſiſtentia tenui, modicè diluto, ſi aut planè febre careat, aut leniter ea teneatur, ſin grauiter febriat, admodum aqueo.* qua ſententia (mihi quidem vt videtur) nihil clarius dici potuit; quanquam medicus archiatros, cuius ſuprà mentionem fecimus, illam interpretatur, ac refert ad homines ſanos, minimè peſtilentia laborantes.

Andr Gal. ſup. Neque Galeo. ſermo (ille ait) de bolo Armena contrarius exiſtimatur, cum hoc loco Gal. propinet bolum Armenam ſanis, qui ſunt ſine febre, quam interpretationem à Gal. mente prorſus alienam reiiciendam eſſe putamus; ſiquidem manifeſtè ille de hominibus laborantibus, ac de curatione, minimè de ſanis, aut de præſeruatione loquitur, quod apertè monſtrant verba illa: *Quotquot hoc medicamentum bibere, celeriter curati ſunt; et quibus non profuit, omnes interiere,* ſcilicet, cum nec alio quouis iuuarentur: vnde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles.

De peſt. c. 27 Qua in re præterea, neque ſatis mihi probatur reſponſio doctiſſimi Mercurialis, qui hanc ipſam Gal. ſententiam interpretatur de febre exigua, & vix ſenſibili Quam eandem quoque reſponſionem ille accommodat ſententiis Hipp. quæ, vt ſuperiùs notauimus, pleroſque ſine febre peſtilentia laboraſſe aſſeuerant. *Peſtis* (ait Merc.) *fieri quidem poteſt interdum, & fit ſine febre inſigni, quemadmodum docet Gal. nono ille de ſimpl. medic. ſed quod fiat peſtis ſine febre, ſaltem exigua & vix ſenſibili, nunquam eſſe poteſt: Et propterea quando Hipp. narrat ægrotos aliquos fuiſſe ſine febre, intelligendum eſt de febre inſigni. Etenim Gal. tradens rationem exhibendæ boli Armenæ, triplicem hominum conditionem conſiderat: qui planè febri careant, qui leuiter ea teneantur, & qui grauiter febriant; vnde quomodo prætermiſſa prima, & poſtrema conditione, ſententia in vniuerſum ad mediam duntaxat ſit referenda, ego prorſus non video, præterquam quod Gal. ſi quis alius, proprij, perſpicui, & exquiſiti ſermonis obſeruantiſſimus, apertiſſimè, & planiſſimè inquit, vt apertius, & planius dici non potuerit* (ſi illi planè febre careant.) Atque hoc idem de Hipp. ſtatuendum eſſe nos exiſtimamus, qui pleriſque in locis atque dilucidè admodum huiuſmodi ſententiam expreſſit, vt ex hac etiam quoque grauiſſimorum hominum conſenſione ſententiam noſtram haud leuiter confirmare nobis liceat.

Neque verò magis de hac ſententia me dimouere poſſunt, quæ ab aduerſariis obiiciuntur. Etenim quod attinet ad teſtimonium Hipp. *lib. de flatibus,* hunc nos librum cum doctis quibuſdam viris inter libros Hipp. legitimos haud recipiendum exiſtimamus; ſiquidem in eo pleraque non deſunt, quæ à dogmatibus ipſius Hipp. adeoque veritate ipſa manifeſtè ſunt aliena: quale eſt (ne plura afferam) quod hoc ipſo loco habetur, febrem aſſidere omnibus aliis morbis. Quod ſi tamen adhuc illum, tanquam magni Hipp. obſtinatè ſuſcipere velis, 6. Aph. c. 58.
vnà cum Gal. dici poteſt, ſatis eſſe ſi illius ſententiæ maiori ex parte veritatem contineant; qua quidem vna eadem ratione omnes medicos nos libenter excuſamus, ac tuemur, quaſi illi haud temerè in vniuerſum ſtatuerint, quod maiori ex parte ita ſe habet, quemadmodum certè nos quoque peſtem febri plerumque copulari non inuiti credimus.

Sed eſto: ſit liber Hipp. perpetuam veritatem contineat; equidem adhuc non ſatis intelligo, quomodo hinc aduerſarij colligant cuicunque peſtilentiæ neceſſariò febrem accedere: vnde hic locus, quem fortè nemo hactenus ſatis eſt aſſecutus, magis accuratè, & exquiſitè diſcutiendus eſt.

Febrium (inquit Hipp.) *duo ſunt genera: alterum commune, quod dicitur peſtis, alterum priuatum.* Hæc diuiſio eſt febris tanquam morbi communiſſimi in duo membra: & alteram omnibus communem eſſe ait, quæ vocatur peſtis: alteram vnicuiq; propriam, quæ ratione victus prouenit: an hinc colligendum eſt, peſtem omnem eſſe febrem? non puto. Quod ſi propoſitiones formare velimus, vt ad dialecticos diuertamus, iuxta regulas libri Petri Herm. non erunt aliæ, quàm hæ duæ; aliqua febris eſt peſtis, aliqua febris non eſt peſtis: quæ ſunt duæ ſubcontrariæ ambæ veræ: quarum contradictoriæ ſunt ambæ falſæ: nulla febris eſt peſtis; omnis febris eſt peſtis.

Si quis igitur hinc deducat, omnem peſtem eſſe febrem, vel cum febre, hic argumentabitur à particulari affirmatiua, ad ſuam conuerſam vniuerſalem, quod non licet: aliqua febris eſt peſtis, ergo omnis peſtis eſt febris. Rationalis (ex. gr.) duplex eſt genus, alterum corporeum, quod animal vocatur, alterum incorporeum, quod ſubſtantia ſeparata eſt; an hinc ſequitur omne animal eſſe rationale? Quocunque igitur ſe vertant aduerſarij, hic certè locus non ſatis eorum opinioni fauere videtur.

Iam verò morborum acutorum febres continuæ ſunt, & inſeparabiles, ſi modò illi febrem adiunctam habeant; ſed omnibus morbis acutis febrem neceſſariò coniungi, illud nos falſiſſimum, & à Gal. mente alieniſſimum eſſe non dubitamus; quandoquidem certo certius apud me eſt, morbos acutos fieri partim cum febre, partim ſine febre; ſed ſi febris adſit, vt illa ſit continua, neceſſe eſt: quemadmodum certè, ſi morbo peſtilenti, procul omni dubio acuto, febris accedat, illam continuam, ac minimè intermittentem eſſe, neceſſarium eſt; quando priuatim autore Gal. fieri non poteſt vt vlla febris 4. Aph. com. 43.
ex maligna humorum putredine ad aliquam intermiſſionem, & quietem deſinat: vt hac in re probare nequeam ſententiam tum aliorum, tum præſertim doctiſſimi Agricolæ, qui non modò febrem à peſte nunquam ſeparari, ſed illam quoque aliquando intermittentem eſſe velit. Quomodo namque febris 5. Aph. com. 31.
intermittens, ac proinde vel teſte Hipp. omni periculo vacans, peſtilens, atque adeo pernicioſa eſſe poteſt? Porrò hanc doctrinam, quam nos de febre morborum acutorum nuper indicauimus; apertè admodum & perſpicuè docent Hipp. & Gal. *ſive acutus* (hic ait) *cum febre morbus ſit, neceſſe eſt fe-* 1. prog. 49.
brem continuam eſſe, ſiue abſque febre alius quiſpiam morbus acutus fuerit, qualis epilepſia, apoplexia, conuulſio, tetanos, morbi cum magnitudini, &c. Sic ille; *ſpirationis facilitatem exiſtimari oportet perquam magnam vim habere ad ſalutem in omni morbo acuto, qui cum febre infeſtet.* Quem locum interpretatus

Gal.

Gal. *adiecit*(inquit)*qui cum febre infeſtet, vt eum à conuulſione,& tetano,& cholera diſiungeret, & quicunque alij morbi ſine febre acuti ſunt.* Qoos quidē locos prorſus notabiles,quanqoam alioqui præter rem, conſulto hic animaduertiſſe volumus,quod neminem hactenus mihi legiſſe contigit, qoi illos probè animaduerterit, & hanc rem ſatis fuerit aſſecutus.

cap.27. Præ cæteris meus nobiliſſimus Mercurialis,quem hominem hic,& vbiq; honoris gratia nominatum volo, demonſtraturus & peſtilentia febrem nunquam ſeparari,inter alias hac vtitur argumentatione. Peſtis omnium conſenſu eſt morbus acutus, igitur eſt cum febre;quam mox ſequelam ille probat autoritate & teſtimonio Hipp.& Gal.qui pluribus in locis vt ſuprà admonuimus,conſtanter aſſeuerant, acutorum morborum febres prorſus eſſe continuas: quaſi verò ita viri grauiſſimi indicare velint,à nullo morbo acuto febrem vnquam ſeparari poſſe: ſed,niſi ego prorſus fallor,longè aliter illi ſentiunt,hoc eſt, (quod repeto iterum)acutorum morborum febrem continuam eſſe, non quidem quòd nullus ſit morbus acutus, qoi citra illam eſſe poſſit, quando Galen. audimus conceptis verbis conſtituere, atque enomerare nonnullos morbos acutos, qui febre omnino ſunt deſtituti; ſed illud vnum eos docere conſtat,ſi accidat,(accidit autem ſæpiſſimè)vt febris alicui morbo acuto copuletur, illam neceſſariò continuam, ac nunquā intermittentem eſſe, vt omnino rationi conſentaneum eſt. Neque vllo in loco,arbitror, Hipp. aut Gal.morbos acutos ſimpliciter à febribus,ſed à febribus continois non ſeparari docent; quanquam ſæpè interpretes legitimam huius ſententiæ intelligentiam peruertunt, & pleriſque errandi occaſionem afferont.Sic(ex.gr.)

1. Aph. com.7. vbi Græcè habet Gal. πυρετοὶ οἱ ἀχώριστοι τῶν ὀξέων νοσημάτων,Leonicenus ita vertit;febres(*quæ à morbis acutis ſunt inſeparabiles.*) Plantinus,qui poſt omnes fideliorem omnino, & Latioiorem Aphoriſmorum interpretationem edere contendit,hunc in modum; febres, *quæ ſemper comitantur morbos acutos.* Quem profectò locum magis aptè,& ad Gal mentem vterque reddidiſſet,hoc modo; *febres acutorum morborum ſunt inſeparabiles.*

2. & 3. de diebus decret. Quod ſi demom rem ipſam animaduertere velimus,ſi morborum acutorum forma, vt Gal. placet, tum motus velocitate, tum periculi magnitudine comprehenditur, cur non apoplexiam tantùm, & alios huiuſmodi morbos verè acutos appellare licet, quanquam ſine febre,qui breuiſſimo admodum tempore,maiori ex parte hominem perimunt?Sed alia proſequor. Peſtē ex inſigni putredine ortum ducere,atque hanc gignendis febribus vehementer accommodatam eſſe fatemur, cum &

De cauſ. morb c.2. 1. de diſ. feb. Gal. inter præcipuas excitandi caloris cauſas putredinem recenſeat, peſtilentem pariter huioſmodi putredinem plerunque ipſum cor petere arbitramur;ſed quamlibet putredinem intra venas accendi,perpetuò febrem excitare, atque ſemper vnum cor primom aggredi, illud nos conſtanter negamus;qoæ cum ſuperiori diſputatione ſatis confirmata ſint,fruſtra hic non ſunt repetenda.

De experientia demum,quam plerique ſæpenumero iactant,paocis agendum eſt,qui mihi videntur huiuſcemodi argumento nimis licenter abuti,

Init. primi metaph. & planè quid experientia ſit ignorare. Etenim ſi experientia,teſte Philoſopho,quædam eſt particularium cognitio ex memoria reſultans, ab artis facultate parum omnino deficiens, non eſt credendum omnem euenientium rerum memoriam, experientiam eſſe, & expertum hominem reddere, niſi ratio,iudiciumque adiiciatur, quo fit rationabilis ad ſimilia tranſitus, & ars quædam(vt ita dicam) particularis conſtituitur. Qoamobrem iure Græcus Ariſtotelis interpres,qui ſub Alex.nomine circunfertur,primum lib.Diuinorum exponens,dixit experientiam eſſe cognitionem rationabilem à memoriā proficiſcentem. Atque hoc eſt,quod voluit Gal,apud quem paſſim legere eſt,experientiam non eſſe ab ratione diuellendam,alioquin errorum, ac periculi plenam eſſe, eique omnino fidendum non eſſe.

Qnod ſi argumentis planè firmis,& ſummorum virorum teſtimoniis aduerſam nos ſententiam,niſi fallimur, ſatis, ſuperque confirmauimus, qui fieri poteſt,vt aliud experientia demonſtret?Sed neque nobis experientia deſunt, quæ illis opponere poſſimus, quando in hac peſte non ſolùm noſtro, ſed aliorum quoque grauiſſimorum hominum teſtimonio, ſine vlla febre pleriqoe interierunt; cui fortè maior eſt adhibenda fides, cum illud tum illuſtrium medicorum teſtimooiis, tum rationi planè conſentiat.

Porrò autem antequam huic parti finem faciamus,illud vnum reliquum eſſe videtur, vt de contagio diſſeramos. Quanquam enim poſteriùs, quo loco de cauſis peſtilentiæ agendum eſt, huiuſmodi tractatio alieni videri poteſt opportunior,qnod tamen plerique ad conſtituendam peſtilentiæ formam, & eſſentiam,illud neceſſario concurrere arbitrantur, in præſentia de illo agere nobis liceat. Cum verò multa ſint,quæ hac de re quæri,ac diſputari ſolent,nobis in animo eſt,illa tantum breuiter perſequi,quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, & limites medicos non tranſcendunt. Contrarium itaque eſt vitium quoddam,ſeu labem, ſeu morbū, ſiue affectum, ſiue aliter nuncupare velis, quod ex alterius contractu contrahitur, vnde & nomen ſuſcepiſſe videtur.Sic quicunque ophthalmia,ſcabie, elephantiaſi, phthiſi laborant, alios ſæpenumero ſecum verſatos eiſdem malis inficere,& in eandem calamitatem trahere conſueuerunt. Qualis autem ſit huiuſmodi communicata infectio, ſiue alteratio,& qua ratiooe contingat, illud nos tam reconditum, ac difficile eſſe exiſtimamus, vt nihil certò ſciri,nihil planè cognoſci, aot percipi poſſe videatur.Summa totius rei illa eſt,ex corporibus,rebus, locis malè affectis eleuari tenuiſſimas quaſdam particulas putridas,& malignas,ſeu vaporem,ſeu flatum,ſeu ſpiritum,ſeu expirationem, ſiue alio quouis modo nominare velimus,vnde mirandum certè in modum ſana corpora eandem infectionem ſuſcipiunt.Quamobrem verò contagium aliud quidem externas duntaxat partes occupet, aliud ad internas penetret;hoc leuius ſit,& abſque vllo diſcrimine, illud periculoſum admodum, & mortiferum,hoc non aliunde,quàm ex qualitate,modo & gradu putredinis euenire nos exiſtimamus: de qua poſterius copioſè tractabitur.

Ar verò quicunque contagij differentias,cauſas, & alia cupit intelligere,quæ ſubtilius de huiuſmodi argumento afferri ſolent,is inter cæteros Hieronymum adeat,virum illuſtri ingenio, & eruditione,qui in particulari commentario,acutè argutéq; hanc rem ita tractauit, vt cæteri omnes illius doctrinam libenter ſuſcipiant: quandoquidem nos pudet,quod plerique hoc tempore facere ſolent,iis tranſcribendis, quæ præclarè ab aliis tradita ſunt, chartas implere,ac temporis iacturam facere. Cum hæc igitur ita ſe habeant,quæritur an præter conditiones ab Hipp.& Gal.poſitas,vt morbi ſint vulgares, & pernicioſi, ad conſtituendam peſtilentiæ formam,illud etiam neceſſariò concurrere debeat, vt illi ſint contagioſi. Atque ſanè ſi memoria repetamus quæ ſuperiùs ex Hipp.in primis,& Gal.à

nobis iam conſtitutà ſunt, ſi nolibus ab eorum decretis turpiter deſciſcere, facilè fatebimur ad formandam ideam peſtilentiæ nunquam illos, & noſquam contagij meminiſſe: quandoquidem illud certè vel in vniuerſum præterierunt, vel adeo ieiunè & obſcurè tractarunt, vt plerique exiſtiment antiquiores nullam contagij, quod ad peſtem attinet, intelligentiam habuiſſe.

1. de diff. feb. c. 5. Ego autem hoc neque verum neque veriſimile eſſe arbitror: namque vt à Gal. noſtro incipiamus, nonne ille manifeſtò ſcriptum reliquit, periculoſum eſſe verſari cum iis, qui peſte laborant, atque in vniuerſum cum omnibus, qui putridum exhalant, adeo vt domus, in quibus decumbunt, grauiter oleant? Nonne Ariſtot. Gal. antiquior morbos peſtilentes in totum contagioſos eſſe, & appropinquatione malum contrahi docet? Problem. 4. ſect. 7. *Omnes celerrime* (ille ait) *iis morbis arripiuntur, qui ſpiritu corrupto proueniunt, quale eſt omne peſtilens genus: qui autem appropinquarit, talem profectò ſpiritum trahit, qualem æger ille reddiderit: ægrotat igitur, quia morbiferum eſt, quod ſpiritu trahitur: ab vno autem morbum excipit, quando vnus ille ſic ſpirat: cæteri ſecus.* Nonne Thucydides quoque celebrem illam ſui temporis peſtilentiam perſecutus illius contagij peſtilentis ita meminit, vt priuatim ſcriptum reliquerit, quam plurimos medicos cum primum ægros adibant, protinus extinctos fuiſſe? Sed in re alioqui manifeſta pluribus non eſt agendum, cum nemo ſit in antiquorum ſcriptis vel mediocriter verſatus, qui non idem poſſit ex pleriſque locis intelligere.

Quod ſi quis aliorum teſtimoniis fidem adhibere nolit, is fidem adhibeat experientiæ, quæ vtinam magno cum noſtro malo non confirmaret, quàm plurimos commercio eorum, qui peſte laborant, ſæpenumero facile contaminari. An peſtilentias noſtrorum temporum ab antiquioribus diuerſas eſſe credimus? An magis grauiſſimos, & ſolertiſſimos homines tam ſtupidos, & bardos fuiſſe exiſtimamus, vt rem illi non animaduerterint, vel aliis demonſtrantibus, vel ſenſu ipſo vnicuique patentem, & manifeſtiſſimam? Id quidem tam abeſt ab omni tum veritate, tum veriſimilitudine, quàm quod maximè.

At verò cum ita ſe res habeat, ſi cauſam intelligere deſideras, quamobrem Hipp. nihil prorſus, Gal. certè pauca de peſtilenti contagio poſteris tradiderit, illam ex Gal. cognoſcere tibi licet; quem ſtatuentem differentiam inter ſcripta Hippoc. & Thucydidis, te audire 2. dif. reſp. cap 7. non pigeat. *Exiſtimant veteres* (ille inquit) *omnia quæ ægris contingunt Hipp. conſcribere, veluti Thucydidem: verùm res non ita habet; ſed hoc ipſum eſt, in quo vel maximè contraria ſunt Hipp. & Thucydidis ſcripta. Thucydides enim omnia ſcribit etiam idiotis nota, nihil ipſorum penitus prætermittens; Hippoc. verò pauca ex iis, quæ ad ipſam affectionem pertinent, circa quam ægrotus eſt periclitatus; multa verò alia ab idiotis quidem neglecta, artificioſam verò & exactam cognitionem exhibentia, & quæ etiam optimos medicos ſæpe latere poſſunt. Ille velox in interpretando, & nihil, quod non magnopere iuuet, ſcribendum ſibi ducens videbitur tibi rurſus propria mente dimoueri, quando etiam, quæ penitus non facta ſunt ægro ſcribit, hoc ipſum inſuper indicans, quòd non ſint facta: hic verò etiam ex factis plurima relinquens, minimè videbitur in non factis tempus terendo delirare. Verùm ſi meditatus fueris ob eandem cauſam tum illa relinqui tum hæc ſcribi, tunc ſanè opinor te ipſum eſſe admiraturum: neque enim vulgaria, neque quæ quilibet medicus aſſequi queat, hic ſcripſit. Demonſtratum eſt autem de iis nobis, tum aliàs tum in iis libris, qui ſunt de Hipp. diſſectione ſcripti, nec minus etiam in iis, qui ſunt de Thucydidis peſte. Et poſtremò, quod Hipp. nihil ex tam manifeſtis ſcribat, ſæpe demonſtratum eſt: Thucydides quidem, quæ circa ægros contingunt veluti idiota idiotis conſcripſit; Hipp. verò vt artifex artificibus.* Hactenus Galen. Itaque ſum ego in ea ſententia, particularem tractationem de contagio peſtilenti ab Hipp. & Gal. prætermiſſam fuiſſe, tanquam rem, quæ manifeſto, & neceſſario peſti accedat, & quæ in ſumma nullum in ſe artificium complectatur; vt propterea viri minimè idiotæ, ſed artifices nobiliſſimi illius quidem meminerint, & aliqua ſemina iecerint, quantum vnicuique ſatis eſſe poteſt, copioſiùs autem, & priuatim de illo agere minimè dignati fuerunt.

An in phthiſi, & elephantiaſi contagium omnibus plenè manifeſtum illos ignoraſſe credimus? ſed tamen illius quoq; vix eos meminiſſe legimus; quemadmodũ certè alia ſæpenumero pleraque huiuſmodi tanquam manifeſta, & diuinorum hominum grauitate indigna ſilentio præterire illi conſueuerunt. Modò colligentes in vnum, quæcunq; hactenus à nobis poſita ſunt, & ad Peſtis eſſentia. peſtis eſſentiam pertinent; Hipp. & Gal. diſciplinæ adhærentes hunc in modum ſtatuimus; peſtilentiam nullo particulatim morbo concludi, nullam determinatè corporis partem aggredi, ſed in vniuerſum quoslibet morbos, & ſingulas corporis partes illam amplecti, ſi modò morbi ſint vulgares, & maiorem hominum partem interficiant: quibus demum accedit, vt à contagio non ſint alieni. Quam quidem peſtilentiæ definitionem, vel magis lineamentum, & deſcriptionem poſtquam per ſuas cauſas, & à priori, vt loquuntur Philoſophi, componere nobis non licuit, exeuntibus, & à poſteriori formare ſtuduimus.

Cæterum poſt hæc pro inſtituti noſtri ratione, illud reliquum eſſet, vt de peſtilentiæ differentiis tractaremus: ſed cum illæ ſint non ſolùm multæ, ſed propemodum infinitæ, vt infiniti ferè ſunt morbi, & ſymptomata, quæ ad eum referuntur, illas duntaxat differentias, quæ ſumuntur à cauſis, perſequi nobis ſtatutum eſt: quæ quidem tum ad cognoſcendos, tum ad præcauendos, curandoſq; huiuſmodi morbos neceſſariæ omnino Cauſa. eſſe videntur. Itaq; tractaturi de cauſis peſtilentiæ, illam in primis præterire non debemus, quam vt communiſſimam, ita veriſſimam Deum Opt. Max. agnoſcere, & confiteri æquum eſt, quam quidem vel barbari, & ab omni vera religione alieni, atq; inter hos Gal. negare non audent: etenim ſacræ nos literæ manifeſtè docent; propter ſcelera, & flagitia hominum, illũ quandoq; non modò peſtem, ſed famem, bellum & alia mala Ezech. 5. 5. permittere. *Ecce Hieruſalem* (inquit Proph.) *pro eo quod Sanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque te confringam, & non parcet oculus meus, nec miſerebor: tertia pars* 2. Reg. 4. *tui peſte morietur, & fame abſumetur, in medio tui.* Sic & 20. aliàs Dauidi optio data eſt, an famem ſeptem annorum, an bellum trium menſium, an peſtem trium dierum eligere mallet.

Quòd ſi ita ſe res habet, vt ſe illam habere dubitandum non eſt, iam vnuſquiſque facile poteſt intelligere, nullam aut præcauendæ, aut auferendæ peſtis rationem tutiorem, certioremque hominibus supereſſe, quàm ſi illi pœnitentia, precibus, deuotionibus, & vitæ integritate, Diuinum Numen tot, & tantis ſceleribus violatum placare ſtudeant. Sed hoc Theologorum eſt munus. Nos medici, quorum certè non intereſt, peſtis cauſam altiùs ita repetere, illa perſequamur, quæ vel ſenſu percipi, vel mente comprehendi, vel ex ſenſu perceptis, aut mente comprehenſis intelligi, & demonſtrari poſſunt.

Cum itaque peſtilentiæ cauſæ multæ à multis afferantur, in eo ferè omnes conuenire videntur, vt illius cauſa propinquior, & quam (ſi huiuſmodi nomina non abhorres) immediatam, & coniunctam appelles licet, ſit vna putredo, atque illa quidem inſignis, excellens, & quæ cæteras omnes putredines longè ſuperet. In qua ſententia tum alios, tum maxime Gal. fuiſſe, legimus. *Pleriſque horum* (ait Hipp.) *in conſtitutione illa* 3. Epid. 3. *verò peſtilenti, in qua ſuppurationes, abſceſſus contigerunt,* 23.

runt, atque carnis multum, & oſſium, neruorumque decidebat. Malignitas (inquit Gal.) *abundantis humoris ex magnitudine conſiſtit putredinis.* Et aliàs, febris peſtilentis calorem ab aliis febribus putridis non aliter, quàm per excellentiam putredinis differre manifeſto docet; id quod ſæpenumero aliàs confirmat, tum verò in 1. Commentario illo tertio Epidem. Nam eorum omnium, quæ in peſtilenti illa conſtitutione euenerunt ſummam, & omnium malorum fontem putredinem fuiſſe ſcribit. Sed hoc ipſum & ratio facilè perſuadet: etenim ſicuti de minore putredine generantur morbi planè benigni, ac mites, qui vel à ſola natura facilè ſuperantur, de maiori autem difficiliores, qui indigent opera, & auxiliis medicorum; ita rationi maximè conſentaneum eſt, de maiori adhuc, & ſumma putredine ortum ducere morbos omnium difficillimos, qui vix à natura, aut ab arte ſuperari poſſunt. Sed & rationem tum præcauendi, tum curandi homines à peſtilentia hoc ipſum demonſtrare certum eſt. Namque Galen. quem præ cæteris hic, & vbique libenter ſequimur, in peſtilentia corpora ita præparabat, (qua de re poſterius tractabitur) vt humida exſiccaret, ſicca in eodem ſtatu conſeruaret, excrementa purgaret, obſtructiones aperiret, & in vniuerſum vnicam atque illam excellentem putredinem oppugnaret.

Ampliùs ſi peſtilentiæ ortum conſideres, ſiue illa ex aëre, ſiue ex victus ratione, ſiue aliter originem habeat, (quam difficultatem mox aggrediar) aëris conſtitutionem calidam, & humidam, victum mali ſucci, & ad ſummam omnia principem hac in re locum obtinere certum eſt, quæcunque putredinem generare, aut quouis tandem modo fouere poſſunt. Conſulto illud in præſentia non ago, vt refellam opinionem illorum, qui omnes ſimul humores, atque illos quidem contentos in corde, vel magis cordis ſubſtantiam in peſtilentia putreſcere contendunt, partim quòd aliàs particulari tractatione de febre peſtilenti hoc à me factum ſit, partim quòd ſuperiori etiam diſputatione illi ſatis ſint refutati. Statim igitur arduam, & diu agitatam illam diſputationem aggredior, vndenam huiuſmodi putredo, quam peſtilentiæ cauſam immediatam ſtatuimus, originem ducat; an ex vno aëre, vel manifeſtis qualitatibus alterato, vel tota ſubſtantia contaminato; an ex victus ratione, & aliis, quæ ſunt hominibus communia; an magis latente prorſus, & inexplicabili ratione: etenim quæ humanorum ingeniorum eſt imbecillitas, veritas quæ vna ſemper eſt, variis ſæpenumero ſententiis agitari, & perturbari ſolet. In primis occurrunt aſtrologi, qui ſicuti rerum ferme omnium, ita peſtilentiæ cauſam (ſum neſcius an vitiato aëre, an alia ratione id fieri velint) in aſpectus, poſitiones, & coniunctiones cœleſtium corporum referre ſolent.

Lib de diebus decre. potiſſimum 3

In quam ſententiam nonnulli Gal. quoque trahere conantur, qui huiuſmodi malos, & bonos influxus, quos vocant, ita aliquando recepiſſe videtur, vt qui illius fidem minus adhibere velint, hos pertinaces homines, & ſophiſtas appellare non vereatur. Contra horum opinionem ſi quis pugnare voluerit, vt is à propoſita tractatione longiſſimè digrediatur neceſſe eſt. Cœlum ego, ſtellaſque omnes à Deo Opt. Max. procreatas fuiſſe arbitror, vt ſua motione, & lumine hominem, & omnia inferiora iuuent, atque admirabilem hanc vniuerſi Remp. conſeruent: in qua ſententia non ſolùm Ariſtotelem, Auerroëm, & omnes Peripateticos, ſed Gal. quoque fuiſſe non dubito. Qui præterea corporibus cœleſtibus qualitatem vllam, ſeu proprietatē vel iuuandi, vel nocendi attribuunt, & certis neſcio quibus poſitis ſuis principiis ſingula prædicere ſibi arrogant, hos à vera Philoſophia longè aberrare, nec credimus. Qua de re tum aliorum, tum maximè Illuſtriſſimi Pici diuina extant commentaria, quæ adeo diffusè, & grauiter huiuſmodi argumentum tractant, vt nihil præterea deſiderari poſſit. Quod enim ad Gal. pertinet; quanquā aliqua ex parte ille ab iis ſuperſtitionibus aliquando videtur alienus non fuiſſe, ſi tamen ſingula, quæ hac de re ab illo ſcripta ſunt, accuratè, & diligenter conſiderare velis, pauca admodum colligere tibi licet, quæ illorum inſaniæ fauere poſſunt.

3. de diebus dec. c. 2.

Sed aliud nos agimus in præſentia. Aſtrologis proximè accedunt alij, qui peſtilentiam in vniuerſum, ſiue ex cœlo, & ſtellis, ſiue aliter accidat, à venenato quodam inquinamento aëri inſperſo fieri, atq; occultam prorſus, abditā, & inexplicabilem cauſam habere docent. Horum facilè principem Fernelium fuiſſe cōſtat. Sed neque huiuſmodi ſententia hic longius eſt refellenda, partim quod à doctis quibuſdam viris illa iamdiu refutata fuerit, partim quod nos quoque poſterius opportuniori loco iam refutare ſtatuimus. Tertio loco ſuccedunt, qui peſtilentiam vnius aëris cauſa perpetuo fieri docent, ita quidem, vt non modo qualitatibus manifeſtis, ſimplicibus, aut compoſitis, ſed etiam tota ſubſtantia ille neceſſario alteretur: qua vtraque ratione illum immutari poſſe traditum eſt à Galeno. Conſulto hic prætereo vulgatum illud problema: *an corrumpi aer, & putreſcere queat*, cum illud ſenſu, atque ipſa rerum experientia diſſolui facile poſſit: etenim huiuſmodi putredini aërem quatenus corpus quoddam mixtum minimè tanquam ſimplex elementum obnoxium eſſe, nulli non conſtare arbitror, qui memoria repetat putredinem, vt loquuntur philoſophi, eſſe mixti paſſionem, adeoque nulli ſimplici elemento putredinem propriè tribuendam eſſe. Huius ſententiæ autorem Galen. in primis fuiſſe aſſeuerant, qui pleriſque in locis peſtis efficiendæ cauſam principem vnius vitiati aëris inſpirationem ſtatuiſſe videtur: atque id præterea contendunt ratione confirmare: cum enim omnium conſenſione peſtis ſit morbus vulgaris, atque communis, vt à cauſa communi originem habeat neceſſe eſt.

Cap. 8. ar. med & al. ſop. Lib. Epid. de dif. feb. & al. ſop.

Quamobrem cum aëre nullam communiorem cauſam ne animo quidem concipere liceat; non iniuria omnem peſtilentiam ex vno aëre perpetuo fieri exiſtimant: vt hunc in modū argumentari poſſis; Peſtis eſt igitur ex aëre; quemadmodum in rebus omnibus vſu venire docet Ariſtoteles, quæ à cauſa determinata, & vnica prouenire ſolent.

Lib. poſt. 1.

Cæterum neque hanc ego ſententiam probare ſatis poſſum: imò verò ſatis equidem mirari nequeo, quamobrem plerique viri doctiſſimi, & qui Galeni dogmata libenti animo profitentur, illam tanquam Galeni ſuſcipiant, & mordicus defendere velint: cum huiuſmodi opinio tantum abſit à mente Galeni, vt ille ex propoſito eam refutare non vereatur. Et ne longius faciam, Hippocratem primum, tum Galenum hac de re loquentes audiamus.

Hip. com. 1. de nat. hum. 3. Gal.

Cum per idem tempus multi homines ab vno morbo capiuntur, huic cauſam acceptam ferre oportet quod communiſſimum ſit, eoque maximè vtamur omnes: hoc vero eſt quod reſpiramus.

Probe ſane dixit, quod id quidem, quod multis morbis eſt commune, cauſam communem habet: atqui generatio communium morborum haud rectè in vnum aërem ab ipſo refertur: ſiquidem in Aēno tempore famis leguminibus veſcentes inualidi cruribus euadebant; verum eruo veſcentes genuum doloribus vexabantur. Scimus autem quod quidam in fame edere coacti triticum ſemiputre, à communi cauſa morbo communi laborabant: & quod olim exercitus vniuerſus, cum aqua vitiata fuiſſet vſus, in omnibus militibus pariter malum ſenſit. Qua certe determinatione nihil clarius afferri poſſe exiſtimo: vt ſuperuacaneum putem, alios quoſdam alioqui notabiles locos in præſentia afferre, in quibus vrgenti fame quamplurimos cibis prauis veſci coactos à putridis ac peſtilentibus morbis correptos fuiſſe tradit.

De ſuc. bon. & vit. 1. de dif. feb. & al ſap. init. primi Epid.

Si quis autem quærat, quamobrem Hippocrates,

vnius

vniuſ aëris meminerit, huic reſpondet Galen. illud propterea factum eſſe, quod ita ille cauſam morborum peſtilentium frequentiſſimam explicare voluerit, cum procul dubio frequentius fiat, vt morbi peſtilentes, ſiue epidemij proueniant ab aëre, quàm à victu, aut occupationibus aut laboribus communibus. Quod enim ad Galenum ipſum pertinet, ſum ego neſcius, an ille definitè vnquam, atque in vniuerſum vnum aërem morborum peſtilentium cauſam eſſe velit: quandoquidem ſi ſingulos locos, & ſingula verba, vbi hac de re agitur, nos accuratè animaduertamus, illū ferè ſemper indefinitè loqui deprehendimus, vt omnino rationi conuenit; namque alioqui vir grauiſſimus à ſemetipſo diſſentiret. *In peſtilentibus conſtitutionibus* (ille ait) *inſpiratio potiſſimùm cauſa eſt. Et rurſus magna ex parte incipit ex aëris ambientis reſpiratione, à putrida exhalatione contaminati.* Qua loquendi forma ſæpius ille vtitur.

1. De diff. feb. c. 7.

Duas igitur morborum communium, atque adeo peſtilentium cauſas communes nos cum Galeno ſtatuimus; alteram atque illam quidem præcipuam, & quæ maiori ex parte huiuſmodi mala afferat, aërem; reliquam victus rationem, & quæcunque hominibus communia eſſe poſſunt. Porrò hæc omnia in tria capita præclarè Galenum aliquando retuliſſe legimus: vnum ea quæ offeruntur; alterum opera, quæ obimus: tertium ea, quæ extrinſecus occurrunt: ſed ita quidem vt ambiens nos aër principem hac in re locum facilè obtineat. *Non enim* (addit Galenus) *frequenter accidit, vt per ingeſtos cibos morbus communis ciuitatem, vel nationem, vel exercitum peruadat, ſicuti neque per communes tum occupationes, tum labores. At continens nos aër ſi immoderatius caleſcat, vel frigeſcat, vel humeſcat, vel ſicceſcat, corporum ſymmetriam, qua ſanitas eſt, confundit, inturbat, ac corrumpit. Aliis verò cauſis neque omnibus ſimul occurrimus, neque integrum diem ſubiicimus; ſed extrinſecus aër ſolus omnes ambit, & inſpiratur.*

Init. primi Epid.

Cæterùm prætermiſſis in præſentia ſtudiis, & victus ratione, quæ rariores, & cognitu omnino faciliores, ſunt cauſæ efficiendæ peſtilentiæ: quod ad aërem pertinet, illud adhuc inquirendum reſtat, an ille omnibus qualitatibus, vel aliquibus duntaxat alteratus, an tota ſubſtantia corruptus, an præterea latente quadam, & abdita cauſa, (quam rem ſuperius quoque indicauimus) peſtilentes morbos efficere ſoleat. Primùm enim ſi rem ipſam conſideremus, quacunque qualitate, ſeu ſimplici, ſeu compoſita, & quocunque tandem modo aër reddatur intemperatus, vt morbi fiant communes, & peſtilentes, neceſſarium videtur: quandoquidem ſicuti aliis in rebus in vniuerſum vitiata temperie operationes læduntur, & ſæpe abolentur, ita ſi aër à ſua naturali, & ſolita conſtitutione declinet, quam hominibus benefacere, atque illos conſeruare certum eſt, omnis ratio colligit, vt ille contrà multorum malorum ſit author.

Lib. 3. Aph. & alibi.

Sic medici, atque in primis Hippocrates, varias planè aëris, atque anni conſtitutiones deſcribere ſolent, quarum varias, multiplicesque alterationes, & immutatas qualitates varia certè mala afferre illi docent. Atque vt propiùs accedamus, quemadmodum non deſunt, qui in vniuerſum ſcriptum reliquerint, ob exceſſum caloris, frigoris, humoris, & ſiccitatis peſtilentias referunt, quæ ex nimia non ſolùm caliditate, & humiditate, ſed etiam frigiditate, & ſiccitate originem duxerint.

Contrà verò ſi memoria repetamus, quæ ſuperiùs à nobis conſtituta ſunt, quo loco omnis peſtilentiæ, quacunque tandē ex cauſa illa oriatur, cauſam immediatam & coniunctam vnam excellentem putredinem eſſe diximus; cum hanc non aliunde, quàm ex nimia humiditate, tanquam ſubiecta materia, & externa caliditate, tanquam efficiente cauſa fieri conſtet, non iniuria peſtilentiam non aliter quàm ex humida, & calida aëris conſtitutione fieri cenſendum eſt: ſiquidem tantum abeſt, vt frigiditas, vel ſiccitas peſtilentiam vnquam efficere poſſint, vt magis vtraque, vel altera huiuſmodi qualitas illam repellere, auertere, & fugare ſoleat. Quam rem non ſolùm ratione, ſed ipſo etiam ſenſu planè manifeſtam, vnico Galeni loco ex quamplurimis, & infinitis, quos accurata illius lectio vnicuique ſuppeditat, confirmare nobis liceat. *Tantum abeſt* (ille ait) *vt ver, aut ſi quid temperatum eſt, calidum, atque humidum eſſe concedam, vt quod planè contrarium eſt, illud affirmem, omnium aëris temperamentorum peſſimum id eſſe, quod humidum, & calidum eſt.* Atque iterum *Ex quatuor anni temporibus ſi duo triave ſint immutata, aut etiam totus annus calidus, humiduſque fuerit, neceſſe eſt magna peſtilentia ſuccedat, qualis fuit tertij Epidem.* vbi aduertas animum in omnibus velim, æſtimeſque primum, cuiuſmodi ſit res calida humidaque tempeſtas: deinde quàm neceſſariò ea omnia putreſcant. Demum verò oppoſita Hippocratis narratione, quam conſulto prætermittimus; nullum denique ex malis, quæ ille ſcripſit, inuenias, quod meritò ſoboles putredinis non ſit: quippe quod neque à ſicco putrefieri quicquam ſit aptum, neque à frigido intelliges, ſi carnes, & rel qua quæcunque condita aſſeruari ab hominibus ſolent, obſeruabis, hæc quidem ſale, hæc muria, hæc aceto, hæc alio quopiam ex iis, quæ ſiccant, commodè præparari. Deprehendes & Borea, qui ſiccus natura, & frigidus ventus eſt, omnia quàm diutiſſimè imputria durare; contra putreſcere facilè Auſtrino flatu: eſt enim is ventus calidus & humidus.

1. de tempor. cap. 4.

Atque profectò ſi conſideremus conſtitutiones ab Hippocrate poſitas, alteram tertij, alteram ſecundi Epidem. quas vtraſque peſtilentes fuiſſe teſtatur Galenus in eo tantum inuicem differentes, quod illa toto anno hæc ſolùm æſtate durauit, illas manifeſtò calidas & humidas fuiſſe conſtabit.

3. in prim.

Quòd ſi calida, & humida conſtitutio generandæ putredini eſt maximè accommodata, quis dubitet, frigidam & ſiccam, illius generationem arcere, & impedire? Ita quidem ſeu rationis vim, ſeu philoſophorum, & medicorum communem conſenſum animaduertimus, vt ſtatuendum ſit omnem peſtilentiam propter aëris alterationē, ex vna calida illius, & humida conſtitutione ortum perpetuò ducere. Quòd ſi aliæ aëris immutationes plurima mala hominibus afferre ſolent (quod negandum non eſt) de quibus tum alibi, tum *lib. 3. Aphoriſm.* ſcripſit Hippocrates, peſtilentiam certè nunquam illæ afferent præter conſtitutionem calidam, & humidam. Quanquam enim vnus aliquando calor immoderatus peſtis cauſa fuiſſe videtur, quod Thucydides in peſtilentia ſui temporis eueniſſe narrat humiditatē præterea atque adeo putredinem neceſſariò illi acceſſiſſe, vel idem Thucydides atteſtatur, qui non ſimpliciter calorem, ſed calorem ſoffocantem, humiditatis, & putredinis parentem deſcribit iis verbis: *Domorum penuria viuentes in ſuffocantibus, minimèque perflatis æſtiuo tempore tuguriis corruptio inuaſit, nullo decore, ſed alij ſuper alios mortui iacebant, & in viis, & circa fontes ſemianimes volutabantur.* Etſi puto non ſolum qualitatibus aërem tunc peccaſſe, ſed etiam tota ſubſtantia corruptum fuiſſe, cum ſcribat Galenus forte etiam ex Æthiopia quædam illuc fluxiſſe putredinis inquinamenta. Pariter quòd peſtilentia ex nimia tum caliditate, tum ſiccitate oriri poſſit, vt nonnulli arbitrantur, qualem deſcribit Virgilius, illud ego fieri exiſtimo non per ſe, quod fieri non poteſt, ſed quatenus talia aëria cōſtitutio famem afferat, quam deinceps putredines ſequuntur; quod & poëta innuere videtur, inquiens:

Lib. 2. Bell. Pelop.

——— *Tum ſteriles exurere Sirius agros:*
Arebant herba, & victum ſeges agra negabat.

Sed in re manifeſta longiùs verba fundere non decet. Cæterùm an præter huiuſmodi manifeſtas qualitates, aëris etiam ſubſtantiam in peſtilentia aliquando alterati contingat: ſi quis hoc fieri velit, quatenus aër vapores aliunde malos, & putridos ſuſcipiat, illud nos cum Galeno libenter concedimus, qui quidem non modo aëris ſubſtantiam hac ratione inſici, & contaminari docet, ſed etiam rationem, & locos demonſtrat, vnde huiuſmodi morboſi vapores eleuentur, & ad illum perueniant, nimirum ex iacentibus cadaueribus inhumatis, nec crematis, quemadmodum in præliis fieri ſolet, aut ex paludibus quibuſdam, vel ſtagnis æſtiuo tempore, vallibus, & humilibus aliis locis, ex quibus putrida exhalatio facilè euaporauit.

1 De diff. feb c.7.

Quod ſi contra alterationem aëris in tota ſubſtantia ille interpretatur latentem illam, abditam, & inexplicabilem proprietatem, cuius ſuperiùs mentionem fecimus, quanquam probè intelligimus pleroſque omnes vel nobiliſſimos medicos illam amplecti: nos tamen huiuſmodi diſciplinæ adhuc ſatis non acquieſcimus: fruſtra enim ac temere quauis in re cauſas abditas, remotas, & commentitias inueſtigare ille mihi videtur, cui manifeſtas, proximas, ac legitimas ante oculos habere licet, quales proxima nos diſputatione ſatis indicaſſe exiſtimamus.

Sed aduerſariorum argumentationes hac in re audiamus. Peſtilentia (illi inquiunt) tam hyeme, quàm æſtate, tam ſicco, quàm pluuio, tam temperato, quàm inæquali cœlo graſſari ſolet, cum tamen illam, vt omni in morbo acuto accidit, æſtu immoderato, atque æſtate magis affligere deceat. Sic putridã aëris conſtitutionem, quanquam latè illa, longéque propagatur & eſt graueolentia, aliiſque indiciis magna eſſe deprehenditur, plerunque tamen ſine peſtilentia euenire animaduertimus. Rurſus nulla putrida, nulla intemperata aëris conſtitutio poteſt in valde multas regiones vagari: at peſtilentia tam latè, ac immaniter interdum ſæuit, vt vniuerſum penè orbem occupet. Præterea putrida aëris conſtitutio ad peſtilentiam quidem aliquando confert, & incrementum addit, at non illam excitare poteſt: etenim ſi vna putredo tanti mali cauſa foret, ad omnes illa animantes æquè pertineret: neque vlla ratió reddi poteſt, vnde homines magis, quàm boues, aut ij potius, quàm oues, aut ſues peſtilentia corripiantur. Quòd ſi hoc in putredinem referre velis, quæ non vna ſemper ſit, & vniuſmodi, verùm quæ nunc vni, nunc alteri animantium generi ſit pernicioſa, vt ad malignam quandam, & abditam huius rei cauſam adhuc confugias, neceſſe eſt: quando nemo ſatis explicare poteſt, quis modus, aut quæ ratio ſit eius putredinis, quæ vel bobus, vel ouibus, vel hominibus ſolis ſit infenſa. Hæc breuiter, & ſummatim ex Fernelio: quæ ab autore mirabili illa facultate, & copia dicendi, quam natura ei largita eſt, diffusè explicata, & locupletata huiuſmodi ſententiam ita confirmarunt, vt etiam pleriſque illam perſuaſerint: ex quibus eſt meus Mercurialis, qui non ſolùm hanc latentem aëris qualitatem libenter ſuſcipit, ſed etiam ad illius confirmationem quædam adhuc doctè & argutè affert.

De abdit. rerum cauſ. c. 12.

Cum enim ſatis conſtet, non omnes febres peſtilentes eandem prorſus putredinem habere, immò verò ſæpe eueniat, vt ubi minora putredinis argumenta appareant, & ſymptomata grauiora & mortes velociores ſuccedant, omnis ratio colligit, vt præter putredinem, altera quædam adſit occulta vis quam medici pleriſque medicamentis, & venenis ineſſe docent.

De peſt. c.5. cap. 7.

Tum verò ſi in aëre (ille ait) *ſit qualitas cœleſtis, & occulta genitalis, cuius Ariſtoteles ſæpenumero meminit, fatendum eſt in eo fieri interdum etiam qualitatem corruptricem ſecretam.* Huc accedit quòd multæ peſtes auxilium perceperunt ex antidotis arcanis, & ſecretis: qualia ſunt apud Galenum bolus Armena, interdum lotium hominis, interdum theriaca. Quòd ſi contulerunt remedia arcana, conſentaneum eſt rationi, arcanum etiam fuiſſe illud, quod nocebat. His demum accedit teſtimonium Galeni, qui prauos, & morboſos vapores elatos è paludibus, ſtagnis vel aliis cœnoſis locis aëri noxios eſſe docet, nequaquam manifeſta qualitate, ſed proprietate ſubſtantiæ. Pro huiuſmodi ſententia ac latente in peſtilentia aëris qualitate, aut omnia, aut certè potiſſima hæc ſunt argumenta, quæ ab illius patronis afferri ſolent. Atque hinc ego factum fuiſſe exiſtimo, vt plerique præter Galeni diſciplinam cum Fernelio morbos conſtituant in tota ſubſtantia: qua de re aliàs pluribus. Nunc propoſitam diſputationem perſequamur.

Com 2. de nat. hum. text.4.

Primùm autem non ſolùm vehementer mirari, ſed etiam obſtupeſcere licet, quamobrem Galenus; vt alios prætermittamus, qui occultas ſæpenumero proprietates in venenis, medicamentis, & aliis pleriſque rebus libenter amplectitur, & qui aliquando pollicitus eſt ſe librum conſcripturum de iis, quæ agunt à tota ſubſtantia, huius tamen abditæ, atque occultæ aëris qualitatis nunquam, & nuſquam meminerit: imò verò cum vbique illam prætermittat, tum ex propoſito huiuſmodi ille commentum refutare videtur. Opportunè Hippocrates medicos admonet, vt prouidentiæ operam darent, & particulatim animaduerterent, ſi quid in morbis diuinũ ineſt.

1. Prog 4.

Hunc locum diffusè interpretatus Galenus, nonnullis primum interpretibus refutatis, qui huiuſmodi vocem, (*diuinum*) malè, & præter Hippocratis mentem ſunt interpretati: demum concludit, hac voce non aliud ſignificari, quàm ambientis nos aëris conſtitutionem. Et ne quis latentem adhuc illius qualitatem animo conciperet, quaſi ſe ipſe magis explicans, nihil aliud apud Hippocratem diuinum eſſe confirmat, præterquam ambientis nos aëris conſtitutionem, de qua ſcriptum eſt in Aphor. ..... inter anni tempora ſi hyems plus iuſto ſiccior, & frigidior fuerit, ver autem pluuium, & Auſtrinum, febres acutas fieri æſtate neceſſe eſt, & lippitudines, & difficultates inteſtinorum, præſertim in mulieribus, & viris natura humidis, ſicuti pleraque alia huiuſmodi; vt manifeſtas planè aëris mutationes, & alterationes afferens quamlibet abditam qualitatem negligere, & reiicere videatur. Atque hic quidem, ſi quis alius, erat locus opportuniſſimus, vbi Galenum latentis huius qualitatis meminiſſe decebat, ſi modò illam natura conſtare exiſtimaſſet. Quod ſi nugas, poëtarúmque fabulas appellat, & illos acriter arguit, qui (*diuinum*) ad iram Deorum, vel ad dies criticos referebant, quod vtrunque à veritate, aut ſaltem veriſimilitudine prorſus non videtur alienum, longè equidem magis hanc occultam, & inexplicabilem conditionem, tanquam commentitiam, ab omnique veritate, & veriſimilitude abhorrentem, illum repudiaturum fuiſſe exiſtimo.

3. Aph 2.

Pariter ſi omnes libros Epid. & particulatim conſtitutiones peſtilentes, itemque omnes locos, vbi hac de re tractatum eſt, accuratè animaduertere velis, facilè intelliges Hippocratem, & Galen. ab huiuſmodi commento ſemper abſtinuiſſe: neque certè iniuria. Cum enim ante oculos habeamus, quæcunque ratione prorſus manifeſta, proxima, & naturali, aërem tum qualitate ſimplici, & compoſita, tum tota ſubſtantia alterare, & corrumpere ſolent, non eſt, vt nos magis abditas, remotas, & imaginarias cauſas temere inueſtigare velimus: ſiquidem vulgaris eſt philoſophorum ſententia, inutiliter & fruſtra plures

alicu

Digitized by Google

alicuius rei cauſas inquiri, vbi pauciores ſint ſatis. Modò aduerſariorum argumenta aggrediamur. Peſtilentiam, quæ ex aëris vitio ortum habeat, quouis tempore, & quauis aëris conſtitutione fieri, ac æſtate potiſſimùm maius negotium faceſſere, ſicuti acuti omnes morbi facere conſueuerũt, iam eſt falſum, quàm quod falſiſſimum: ſatis enim ſuperiùs monſtrauimus vnam maximè conſtitutionem calidam & humidam, quandocunque illa ſuccedat, peſtilentiam efficere: ita quidem vt nulla ratio prætereà reddi poſſit, quamobrem æſtate magis, quàm aliis temporibus illa impetum faciat: quemadmodum pariter pleroſque morbos acutos non ſolùm æſtate, ſed quouis tempore furere, adeo certum eſt, vt longiore confirmatione non egeat.

Nos quidem vnam putredinem peſtilentiæ cauſam proximam, atque immediatam eſſe ſtatuimus: at non quamlibet putredinem id præſtare poſſe credimus. Quanquam igitur multis interdum argumentis aëris conſtitutionem putridam, atque inſigniter putridam adeſſe conſtat; quæ tamen peſtilentiam nullam afferat, quid tum? an ſtatim peſtilentiæ cauſam occultam afferre decet? Nos contrà veriùs, & magis, ni fallimur, ad Galeni mentem, putridam aëris conſtitutionem peſtilentiam perpetuò generare exiſtimamus, quotieſcunque ad talem illa, & tantam putredinem peruenerit, quæ tanto malo ſit ſatis. Quod ſi huiuſmodi terminum, & gradum putredinis, quem forte nemo ſatis explicare poteſt, aduerſarij occultam illam aëris qualitatem intelligunt, iam inter nos conuenit: quandoquidem omnibus in rebus natura conſtitutæ ſunt poſtremæ quædam differentiæ, atque definiti quidam termini, qui propriam formam, atque (vt loquuntur philoſophi) proprium eſſe vnicuique largiuntur, quos propterea proprietatem temperamenti nonnulli appellant qui certe à nemine ſatis intelligi, aut explicari poſſe videntur: Ad quem certè modum hunc quoque putredinis gradum efficiendæ peſtilentiæ accommodatum occultum eſſe, neque facilè indicari poſſe ſtatuendum eſt.

Quocunque huiuſmodi putrida, aut intemperata aëris conſtitutio penetrauerit, ſiue vnam regionem, ſiue plures, ſiue vniuerſum orbem occupet, ibi peſtilentiam fieri neceſſe eſt. Quemadmodum autem ſæpenumero euenit, vt vnus tantùm, aut alter locus malè afficiatur; ita contrà, ſi omnium temporum peſtilentias memoria repetamus, ſum ego neſcius, an vlla vnquam vniuerſum terrarum orbem eodem tempore peragrauerit.

Quòd ſi illud obſtinatè contendere velis, quid prohibet, quin pernicioſa aëris qualitas, aut proprio ortu, aut ventis fetentibus, aut alia contagij ratione latiſſimè dilatetur? Quod de putredine afferunt; quam omnibus animantibus communem eſſe decet facilè, & manifeſtò diſſoluitur à Galeno, qui nullam cauſam ſine eius, quod patitur, aptitudine agere poſſe docet: quod antea proditum eſt à philoſopho: *alioquin* (ille ait) *omnes ſub ſole æſtiuo verſantes in febres inciderent, item omnes, qui paulo vehementiori motu vterentur, inebriarentur, iraſcerentur, triſtarentur: ſic per canis æſtum omnes ægrotarent, atque in peſtilentiis morerentur.* Quod ſi homines nulla ratione, præterquam propria temperie, ætate, ac victus ratione inter ſe differentes, non omnes peſtilenti morbo laborant, ſed multi ſuperſtites manent, cui mirum poteſt videri, ſi cæteræ animantes tot, tantiſque rebus inuicem diſſidentes ab huiuſmodi lue quandoque ſint prorſus liberæ, & alienæ? contráque ſi ſaluo, & incolumi homine illæ quandoque peſte afficiantur? Nonne licet plurima commemorare, quæ homini noxia, & venenata, aliis quibuſdam animantibus innoxia ſunt, & ſalutaria? Sed Hippoc.

De diff. feb. c. 7. De anima 25.

audiamus vel autorem libri de flatibus, quicunque ille fuerit, hanc rem præclarè definientem hac ſerie:

Sed eſt fortaſſe qui dicat: quare non omnibus animantibus, ſed alicui eorum generi incidunt huiuſmodi morbi? Cui ego quidem hunc in modum reſpondeo. Differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento; non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt: ſed ſunt alia aliis magis conuenientia. Quando igitur aer huiuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant: quando verò alteri cuipiam animantium generi aer non ſatis conuenit, tum morbus illud genus corripit. Qua ſententia nihil ad propoſitam rationem magis aptè, congruenterque dici poſſe nos credimus. Neque eſt, vt quis hinc colligat, ad latentes adhuc proprietates confugiendum eſſe, niſi quatenus determinatos illos gradus, & terminos putredinis nemo ſatis aſſequitur, quos occultos, & inexplicabiles eſſe nos quoque libenter concedimus. Atque hactenus ad Fernelium. Iam verò, quod ad Mercurialem pertinet, febres omnes peſtiferas non eandem certè putredinem habere fatemur, ſed tamen illam perpetuò inſignem, atque excellentem eſſe nos arbitramur.

Quod ſi ægri aliquando grauiſſimis ſymptomatis laborant, & celeriter moriuntur, quanquam leuia putredinis veſtigia apparent, ſum ego neſcius, qualianam maiora putredinis argumenta præter ſæuiſſima huius ſymptomata, & celerrimum interitum inueſtigare velimus; niſi fortè cum idiotis extrà apparentibus quibuſdam iudiciis fidem adhibere, atque animum aduertere velimus, quæ ſæpius incerta, & fallacia eſſe poſteriùs demonſtrabimus.

Porrò cœleſtem illam qualitatem, atque occultam vim genitalem, & beneficam nos cum philoſopho libenter ſuſcipimus, quãdoquidem cœlum, & omnia ſuperiora à Deo Opt. Max. ob id in primis creata fuiſſe conſtat, vt hiſce rebus inferioribus, & vni potiſſimum homini benefaciant, & præſtantia munera gratuitò infundant.

At verò cum hinc ille colligit, latentem propterea qualitatem maleficã, & corruptricem neceſſariò ſtatuendam eſſe, ego quidem huiuſmodi argumentationis vim haud ſatis intelligo. Etenim quemadmodum hæc Inferiora, & compoſita ita natura cõparata ſunt vt ſuo contrario non careant, ita cœlum & cœleſtia omnia omnis mixtionis, & corruptionis immunia ab hac lege lõgè abeſſe non dubitam⁹: temere enim quis colligat, *Cœlo ineſt vis mouendi, ergo & quieſcendi.*

Immo verò aut illud minimè aptum ſit ad ſuſcipiendam vllam contrarietatẽ, diuerſa prorſus ratione argumẽtari licet, vt vna re poſita alteram illi oppoſitam excludere poſſis: quia enim cœlum mouetur, ideo quieſcere nequit: vnde pariter quia cœlo ineſt vis quædam genitalis, & benefica, igitur, vt ab omni illud qualitate malefica, & corruptrice deſtitutum ſit, neceſſe eſt. Quod præterea adducit, pleriſque peſtilentiis profuiſſe arcana quædam præſidia, qualia ſunt bolus Armena, theriaca, & alia huiuſmodi, non eò inficias, quanquam non minùs manifeſto, quàm latente vi præclaram iſthæc operam præſtare, nos exiſtimamus. Sed eſto: vna latente proprietate ſint illa ſalutaria, an propterea quod nocebat, arcanum eſſe cenſendum eſt? Nemo arbitror hunc in modum colligat; Pæonia (ex. gr.) occulta quadam proprietate iuuat epilepſia correptos, epilepſia ergo abſcondita, & latens eſt. Sic ſcammonium latenti vi bilem ducit, ergo bilis abdita eſt & occulta. Sed hoc longiùs demonſtrare, vt facile, ita ſuperuacaneũ eſſe arbitramur. Quod poſtremò ad Galeni teſtimonium pertinet, duabus ex cauſis huiuſmodi occultam qualitatem in aërem induci poſſe docet. Mercurialis, altera ex ſideribus, de quibus nos ſatis diximus:

reliqua ex vaporibus prauis qui eleuantur ex aquis, ſpecubus, aut aliis rebus putrefactis: quos quidem vapores ſcribit Galen. obeſſe nequaquam manifeſta qualitate, ſed proprietate ſubſtantiæ. At verò, ſi Galeni mentem ſtudioſè animaduertimus, illud ipſum hoc loco ille docuiſſe videtur, quod aliàs ſæpe ſcriptum reliquit, nimirum aërem vitioſum reddi vel in tota ſubſtantia, quæ putreſcat, & corrumpatur, vel in ſola temperatura, vt abſque vlla ſubſtantiæ putrefactione aër duntaxat in qualitatibus vel ſimplicibus, vel compoſitis alteretur. Qua in re cum vtraque huiuſmodi vitioſi aëris ratio non vnà planè curandorum morborum, qui ab illo oriuntur, rationem poſtulare videatur, autorem arguit Galenus, quaſi imminutè & perperam huiuſmodi ille curationem tradiderit. Sed præſtat illius ſeriem afferre, quæ ita habet *Scripſit curationem imminutam communiũ morborum, quãdo fiunt vitio ambientis; etenim ſæpius nonnulla vaporationes ex paludibus, vel ſtagnis, vel cœnoſis locis, aut ab eiuſcemodi terra morbos eiuſcemodi creant; interdum autem tẽperatura ſolius tempeſtatis; cum igitur in euaporationibus corpora lædantur magis ex totius ſubſtantia proprietate, quàm ex ſimplici qualitate, prebè curationem ſcripſit ſpectantem ad duos ſcopos, ſcilicet ad mutationem regionis, & ad exigua inſpirationis neceſſitatem. Verum in iis, qui ob qualitatem malè habent, non ſolùm curatio iam facta ægritudinis per qualitatem contrariam fiet, immò & præcautio, ne omnino obfirmetur: nam ſi corpus læſionem ſubeat ab immodico calore, per ea quæ pariunt frigus; ſin à frigore, per ea quæ calorem immittunt, & ad proportionem in aliis qualitatibus ſimplicibus, & cõpoſitis.* Hactenus Galenus: vt hinc certè latentem nullam, & occultam aëris proprietatem elicere poſſis quam quidem, ſi modò illa vnquam indueì poteſt, veriſimile eſt, aut magis neceſſarium à vaporibus infernè elatis nunquam indui. Sed hac de re ſatis.

Præterea demum inter peſtilentiæ cauſas prætermittenda non eſt particularis hominum, & rerum cõtagio, quam quidem ad aërem ipſum haud ineptè referri poſſe nos exiſtimamus: quanquam enim verè, & propriè aërem efficiendæ peſtilentiæ cauſam in primis eſſe conſtat, vt modò diximus, quando ille aut vnis duntaxat qualitatibus alteratur, aut tota ſubſtantia contaminatur: adhuc tamen, licet minus verè, & propriè, quodcunque tandem, & qualecunque fuerit contagium, non illud abſque aëris vehiculo alteri communicari poſſe videtur: quandoquidem à malè affecto corpore, vel fomite tenuiſſimus quidam vapor, aut ſpiritus eleuetur, neceſſe eſt, quem aërem quodammodo appellari poſſe putamus; cum & Galenus aliquando huiuſmodi voces confundat, & nihil referre doceat, ſpiritum ne, an aërem dicamus. Neque eſt vt aliquis hunc loquendi modum tanquam minùs proprium, arguere velit: ſiquidem & Gal. Thucydidis peſtilentiã, præter ortam corruptionem in ſuffocantibus tuguriis æſtatis tempore, & humores corporum ex praua victus ratione putredini obnoxios, originẽ forte etiam duxiſſe ſcribit, quod propter continuitatem ex Æthiopia putrida quædã contagia, ſeu inquinamenta fluxerint: quod certè minus propriè dici conſtat: namque propria, & exquiſita contagij ratio in eo conſiſtere videtur (vt ſuprà ſtatutũ eſt) quando aliquid ex determinato corpore eleuatur, quod vel ſolo contactu vel aliqua cum diſtantia alterum occupat, minimè verò quando aër totus redditus vitioſus ſuapte natura pleriſq; omnibus malum aliquod afferre ſolet alioqui mala nedum peſtilentiã, ſed communia quæcũque & vulgaria vt ſint contagioſa, fateamur neceſſe eſt. Itaque alienum prorſus à ratione alicui videri nõ debet, ſi nos quoque peſtilentiam de contagio oriundam ad ipſum quodammodo aërem referendam eſſe exiſtimamus:

1. De dif. feb. 2.

quod illo euidenti argumẽto poteſt confirmari, cum corpora quæcunque ſubſtantia ſolidiore, & denſiore conſtant, adeòque nullum aërem excipiunt, qualia inter cætera ſunt metalla omnia, nullam contagioſam affectionem contrahere videantur. Atque id eo magis ſtatuendum videtur, quòd non leues coniecturæ, & argumenta nobis perſuadent, antiquiores etiam medicos in hac ſententia fuiſſe.

Portò autem inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt poſt eſſentiã, & cauſas peſtilentiæ de eiuſdem ſignis agamus. Cæterùm cum ſuperiùs à nobis ſtatutum fuerit, peſtilentiam nullo diſtincto, ac determinato morbo contineri, & concludi, niſi ab hac diſciplina diſcedere velimus, vt nulla ſymptomata, atque indicia ſint illius propria, & peculiaria, fatendum eſt. Vnde ſubit in mentem, quod à Gal. iamdiu didicimus, partem artis medicæ, quæ agit de ſignis, omnium maximè incertam, & coniecturalem eſſe: id quod ſi aliàs vnquam, hoc certè loco veriſſimum eſſe nos exiſtimamus, vt non iniuria vbicunque peſtilentia primùm apparere incipit, tam incertam, obſcuram, & ancipitem faciẽ illa repræſentare videatur, vt homines vix eam cognoſcant. Sic apud Thucydidem Athenienſes puteos à Peloponnenſibus veneno contaminatos fuiſſe exiſtimabant, ſic noſtro hoc tẽpore Venetiis, Patauij, Vicentiæ, Mantuæ, & vbique aliis aſſerentibus peſtem adeſſe, aliis negantibus, hac in re plurimæ ſunt excitatæ diſſenſiones, vt ſuperiùs diximus. Nullum igitur verum, certum, ac determinatum indicium non ſolùm inueniri, ſed ne animo quidem concipi poſſe nos exiſtimamus, vnde peſtilentis argui, & demõſtrari poſſit: quandoquidem (vt dolorem capitis, delirium, atque infinita huiuſmodi vulgaria ſymptomata prætermittamus, quibus frequẽter homines ſine peſtilentia laborant) nemo eſt in medicis libris legendis, aut in artis operibus exercendis vel mediocriter verſatus, qui non facilè intelligat parotidas, bubones, anthraces, & alia huius generis, quæ peſtilentiam maiori ex parte comitari ſolent, & quæ indicia pathognomonica à pleriſque cenſentur, ſine vlla tamen peſtilentiæ ſuſpicione ſæpenumero fieri, atque impunè medicorum manibus tractari: vt hoc loco non ſolùm refellendi, ſed etiam ridendi ſint qui ſignis quibuſdam propriis, & determinatis peſtilentiam definire, & demonſtrare conantur.

Qua quidem ratione illos pariter arguere licet, qui nullam peſtilentiam agnoſcunt, ac neminem huiuſmodi morbo interiiſſe aſſeuerant; qui non bubonem, vel anthracem, vel exanthemata, vel aliud apparens cutis vitium manifeſtò præſeferat. Quemadmodum enim nulla extant indicia quæ peſtilentiam certò indicare poſſint, ita contra quanquam corpus ab omni apparente macula eſt prorſus alienum illud à peſte liberum eſſe temere aſſeuerandum non eſt, ſiquidem rationi maximè conſentaneum eſt, illa eadem mala, quæ extra hominẽ accidere ſolent, internas aliquando partes etiam occupare, ita quidem vt venenum altè lateat, neq; extra aliquod illius veſtigium appareat: id quod Galenus quoque ſcriptum reliquit. *In partibus* (ille ait) *non conſpicuis in corporis profundo ſimiles iis, qui in cute conſiſtunt, affectus gigni ratione non caret: etenim ſi bilis flaua in partem quampiam decubuerit, eryſipelas fiet, ſi nigra, carbunculus, & cancer. Neque certè intima corporis adamantis conſtitutionem obtinent, ſed ea quoque iiſdem affectibus obnoxia ſunt*, & aliàs. *Febres plurimæ viguere, in quibus nulli eſſent cutanei affectus, quas ſequebantur alui excrementa graueolentia*, &c. Quæ profectò mala interiùs latentia aliis forte pernicioſiora non immeritò cenſenda ſunt quòd tum natura valde imbecilla eſſe, neque venenatos humores expellere poſſe videatur.

De atrabilia c. 5.

De ſucc. bon. & vit. princ.

Cæterùm principem hac in re locum obtinere

nos

Digitized by Google

nos arbitramur tum præſentis temporis cõſtitutionẽ, tum ægrotantis hiſtoriam: quemadmodum enim (quod præclarè in vniuerſum traditum eſt ab Hippocrate) medicum in primis decet, morborum populariter graſſantium impetum perpetuò conſiderare, ac temporis conſtitutionem attendere, ita huiuſmodi animaduerſionem, ſi vnquam aliàs, ad huiuſmodi iudicium ferendum accommodatiſſimam eſſe nos arbitramur. Etenim ſi conſtitutio fuerit peſtilens, in qua plurimi laborent, & moriantur, finge aliquem laborantem, cui grauiſſima ſtatim adſint ſymptomata, & qui præterea cum aliis laborantibus verſatus fuerit, hunc haud leui cõiectura peſte malè affectum eſſe putandum eſt, quanquam nullum exterius notabile ſymptoma appareat. Quod ſi amplius illi accedat vel bubo, vel anthrax, vel aliud eiuſmodi, quod paſſim graſſari ſolet, iam coniecturam illud maximè auget, & mali certam quodammodo fidem facere poteſt; quod alio tempore non liceret. Quod enim ad celerem interitum pertinet, quem plerique omnium maximè animaduertunt, neque ille magis aliis argumentis fidem facit; ſiquidem præter peſtilentiam plurimi ſunt morbi acuti, qui breuiſſimo tempore homines interficiunt: & in ipſa peſtilentia plurimos non ante ſeptimum, nonum, & plures dies interiiſſe certum eſt: quod particulatim Thucydides annotauit. Quod ſi quis his non acquieſcit, & longiorem ſymptomatum, atque indiciorum enumerationem deſiderat, quæ tum futuram peſtilentiam prænuncient, tum præſentem arguant: quod quidem ad ſigna prognoſtica pertinet, quotquot quauis tandem ratione putredinis ſobolem præſagire ſolita ſunt, iſthæc omnia futuram peſtilentiam portendere creditum eſt.

Vnde præter ſolitam naturam, & conditionem mutationes temporum, præſertim calidiores, & humidiores, pluuiarum aſſiduitas, maximè in fine veris aut æſtate, abſque ventorum flatibus, qualem ferè conſtitutionem in Cranone ciuitate ab Hippocrate deſcriptam legimus, reptilium omnis generis, murium, erucarum, & aliorum vermium præter morem multitudo, crebra in aëre phænomena, exanthemata non ſolùm in pueris, ſed etiam in adultis frequentia, abortus faciles, annonæ caritas, & alia huiuſmodi propemodũ infinita, quæ homines, aut naturali, aut ſæpe etiam ſuperſtitioſa obſeruatione commẽti ſunt, futuram peſtilentiam ſignificare creduntur: quorum quidem indiciorum vim, atque efficacitatem, vnicuique ſuo arbitratu examinare licet. Quod verò ad illa attinet, quæ præſentem peſtilentiam demonſtrant, non alia huc afferenda ſunt præter ea, quæ propriam illius formam, & peculiarem characterem conſtituunt. Etenim quotieſcunque morbi paſſim graſſantur, & plurimos interficiunt, nihil præterea ad ſtabiliendam peſtilentiam deſiderari poſſe videtur. Quòd ſi demum ſigna quædam peculiaris quis intelligere cupit, quæ Socratem peſtilentia laborantem pro certo demonſtrare poſſint, is ſciat præter ea, quæ ſuperiùs poſita ſunt, pauca admodum, aut forte nulla eſſe indicia, quæ hoc ipſum verè atteſtari poſſint. Id quod vnuſquiſque facilè conſitebitur, qui memoria repetat, quod nos ſatis iam demonſtrauimus, peſtem nullo determinato morbo circumſcribi, ſed omnes affectus præter naturam, quicunque animo concipi poſſunt, latiſſimè complecti. Illud tamen hoc loco minimè eſt prætermittendum, in peſte (vt inquit Aëtius) omnia horrendiſſima fieri, ita quidem vt quæ aliàs leuiora, & benigniora eſſe conſueuerunt, hoc tempore ſint grauiſſima, & maligniſſima: quod omnino ratio perſuadet, & Galen. quoque animaduertit.

Sacri ignes multi, qui maligni cum eſſent multos interfecerunt.

Sacrum ignem (ait Gal.) *didiciſti à biliosa fluxione oriri, aut non illa ſemper tamen praua, & putri. Planè contra vbi mitis ſit fluxio bilem pallidam obtinens quæ in nobis naturaliter gignitur ſolet quidem ſacrum ignem facere, nullum tamen ex eo dare damnum, ſi modò rectè tractes. At non erat in præſentia talis, qui ſacrum ignem efficiebat, humor, ſed malignus, qui eroderet, putrefaceretque,* &c. Sic paulo poſt.

Ora apthis vitiata, pudenda tuberculis, lippitudines, carbunculi.

Singuli hi affectus ferè non ſunt cacoëthes, vel de ſacro igne diximus modò, nunquam verò etiam ſunt cacoëthes, vti nunc, quòd putridus eſſet qui abundat humor. Non eſt igitur, vt in præſentis lõgiorem morborum, & ſymptomatum catalogum faciamus, quæ in peſtilentia euenire, & graſſari ſolent; quandoquidem ſi memoria repetamus peſtilẽtias ab Hipp. Thucydide, Gal. & poſteriori tempore ab aliis deſcriptas, illa vſq; adeo varia, & multiplicia eſſe cõſtabit, vt nulla ferè ſit pars corporis, quæ huius veneni malitiam, atque impetum aliquando non experiatur. Quorum omnium malorum varietatem, diſcrimẽ, ortum, & cauſas ex iis, quæ ſuperius à nobis poſita ſunt, vnuſquiſque facile conſequi poteſt, vt hæc in re nos minimè longiores eſſe oporteat.

De peſte hactenus in vniuerſum. Modò ad principalem cõtrouerſiam reuertimur, quales nimirum hoc triſtiſſimo tẽpore fuerint morbi, qui in pleraſq; ciuitates impetum fecerunt, de quibus initio tractationis diximus à pleriſq; omnibus dubitatum eſſe, an peſtilentiæ nomine ſignari debeant. Et profectò ſi memoria repetamus, quæ ſuperiùs à nobis poſita ſunt; itémque animaduertamus funeſtam hiſtoriam eorum, quæ apud nos eueniſſe vidimus, iam nullus, vt mihi videtur, dubitationi locus ſupereſſe poteſt, quin hæc fuerit vera, & legitima peſtis. Morbi planè fuerunt vulgares, vt non modò vnum, aut alterum locũ, ſed quam plurimos vno, & eodem tẽpore occupauerint: illos præterea fuiſſe mortiferos, & maiorẽ hominũ partem perdidiſſe, ipſa res magno Reipub. dãno ita confirmauit, vt huiuſmodi calamitoſæ cladis fœda veſtigia diutius adhuc duratura eſſe videantur. Quod ſi illis demũ contagiũ addere velis, quod ad conſtituendã integram peſtilentiæ formam nonnulli neceſſariũ eſſe arbitrantur, illud quoq; non defuiſſe tam eſt certũ, quàm quod certiſſimũ; vt plura huius rei teſtimonia, aut exẽpla huc temere non ſint afferenda. At verò contra non deſunt vel nobiliſſimi, & doctiſſimi viri, qui aliter ſentiẽtes, huiuſmodi morbos minimè peſtilentes fuiſſe, neque veræ peſtilentiæ nomine ſignandos eſſe cõtendunt: quorum tamen diuerſa eſt diſputationis ratio. Plerique enim pro certo habentes omnem peſtilentiã de vno aëre ortum ducere, illam hoc tempore fuiſſe negant, quòd nulla in aëre fuerit notabilis alteratio, vel corruptio, quæ tantam malorum gignere potuerit.

Aduerſus horum ſententiam nos ſatis ſuperiùs diſputauimus, quos certè perperam, & contra Gal. diſciplinam ſentire nos exiſtimamus, qui ex qualibet communi cauſa morbos communes fieri ſumma cum ratione docet. Alij autem magis appoſitè nullam peſtilentiam affuiſſe aſſeuerant, non ob id quidem, quod aër ab omni vitio fuerit alienus, quod illi haud grauatè concedunt, ſed propterea quia verè ij morbi eas conditiones non habuerint, quæ ad conſtituendam peſtilentiæ formam neceſſariæ eſſe videntur: quorum ſanè argumenta intelligere æquum eſt. Inter omnes opinor, conuenit peſtilentes morbos eſſe vulgares, & pleroſque homines cuiuſuis ſexus, ætatis, fortunæ, indifferenter aggredi, pariter eoſdem eſſe pernicioſos, & maiorẽ ægrotantium partem interficere: quæ duæ conditiones (vt ſæpius iam diximus) ſi Gal. credimus veram,

3. prog. 38.

Hippocr. 3. Epid. 3. 9.

Hippocr. 12. Galeni.

& legitimam peſtilentiam determinate videntur: ita quidem ſi altera, vel longè magis, ſi vtraque deſit, vt certum ſit omnem peſtilentiæ ſuſpicionem vanam, ac temerariam eſſe. Atqui ſi qualitatem, & numerum, tum ægrotantium, tum mortuorum conſideremus, ſinguláque accuratè, & particulatim animaduertamus, quæ hac de cauſa, hoc tempore euenerunt, neutram ea iis conditionibus affuiſſe, vt fateamur, neceſſarium videtur. Etenim (vt à noſtra non diſcedamus) cum mea Vicentia feliciori tempore olere ſolita fuerit hominum circiter triginta millia, certo certius eſt, nedum maiorem, ſed ne minimã quidem illorũ partem laboraſſe, aut interiiſſe, quod ex iis, quæ primum à nobis propoſita ſunt, facilè vnuſquiſque ad calculum reducere poteſt. Præterea verò cum tempore peſtis morbus nulli ætati, ſexui, nullis ſtudiis, atque ad ſummam nulli hominum conditioni parcat, euentus, & res ipſa ſatis ſupérque confirmauit, in vniuerſum ferè omnes, qui in aliqua dignitate, ac fortuna eſſent conſtituti, huiuſmodi calamitatis fuiſſe immunes: ita quidem vt reuera non alij, quàm ſordidi quidam homunculi, atque ex infima plebecula hanc mortiferam cladem perpeſſi fuerint.

Vt illud interea prætermittamus, quod alioqui magni intereſt, forte etiam ea iis pleroſque obiiſſe magis alia de cauſa, quàm vi morbi: cum enim ad legitimam vniuſcuiuſque morbi curationem non ſolùm medicum adeſſe oporteat opportuna facientem, ſed & ægros, & aſſidentes, & exteriora, vix explicare licet in ſumma rerum confuſione, quantum ab officio defecerint medici, ægri, aſſidentes, & denium quàm exteriora ad præſentem opportunitatem malè fuerint accommodata.

Cum igitur morbi hoc tempore non fuerint vulgares, neque ita pernicioſi, vt maiorem hominum partem, vel certè multos necauerint (vtroque enim modo hanc perniciem determinat Galen.) addo, & plurima vndique errata, eaque grauiſſima commiſſa fuerint, quæ morbos alioqui ſalutares mortiferos reddere ſolent, illos doctiſſimi viri minimè peſtilentes fuiſſe aſſeuerant, ſed eos duntaxat malignos eſſe contendunt, qui nequaquam ex aëre, vel contagio, ſed ex vna in primis deprauata, & vitioſa victus ratione ortum duxerint; quæ quidem quantum ad huiuſmodi morbos gignendos conferat, iamdiu traditum eſt à Galen. atque notius eſt, quàm vt longiori confirmatione indigeat. Porrò autem quanquam nos hæc vera eſſe non inficiamur, veruntamen de priore ſententia adhuc dimoueri non poſſumus. Et primum quidem illud non importunè afferre licet, vt in rebus propemodũ omnibus accidit, ita in peſtilentia varios gradus non iniuria cõſtituendos eſſe, adeo vt illa ſit grauior, & maiori cum periculo, hæc leuior, & minori cum diſcrimine; qualis ea fuit, cuius aliquando Liuius mentionem facit, in qua plures ille ſuperſtites fuiſſe, quàm interiiſſe commemorat. Vnde haud omnino præter rem dicat quiſpiam, hanc noſtram peſtilentiam benigniorem, & leuiorem fuiſſe: quàm vt maiorem hominum partem inuaſerit, & occiderit. Atqui ad eandem refellendam ſententiam alia prorſus, & veriori nos ratione vti conſueuimus. Pro qua illud nobis in præſentia concedi cupimus, quod poſteriùs diffusè & firmiter probari poſſe confidimus, hanc nimirum noſtrorum temporum peſtilentiam minimè ex vitiato aëre aut deprauato victu, aut aliter, quàm ex vno hominum & rerum contagio originem habuiſſe. Quod ſi ita res habet, quanquam huiuſmodi morbi maiorem hominum partem in his regionibus non occupauerunt, neque ex omni conditione (quod ingenuè fateri decet) illud ego tamen affirmare non vereor, veram hanc, & legitimam peſtem fuiſſe: cum ſatis ſit, iis in locis, vnde ad nos importata eſt, vbi forte ab aëris vitio originem duxit, omnino illam vulgarem fuiſſe. Immò verò quid prohibet etiam, quo minus dicamus peſtem (ex. gr.) Africæ, Siciliæ, & Italiæ vnam atque eandem eſſe, quam propterea iure optimo non modò vulgarem, ſed etiam vulgatiſſimam appellare liceret, cum per tot regiones vagata ſit? Sed neque altera fortaſſe deeſt non inepta ratio, vnde propoſitam difficultatem diluere poſſimus. Quanquam enim hæc mala à pleriſque, & potiſſimùm nobilibus viris fuerunt aliena, neque (vt peſtilẽtiæ forma in primis poſtulat) in homines cuiuſuis ſtatus, & fortunæ graſſata ſunt, illorum tamen ea vis fuit, & malitia, vt omnes aggredi, neque vlli pepercisse potuerint, niſi grauiſſimorum partum ſingulari ſtudio, & diligentia, illorum furor, & impetus cohibitus, atque anguſtis admodum terminis coërcitus fuiſſet. Singula etenim (vt philoſophi docent) propriam formam aſſequuntur, non ex iis, quæ in actum prodeunt, ſed ex iis quæ poteſtate ſunt talia: neque res (vt eorum more loquamur) per actus ſecundos, ſed per actus primos definiri ſolẽt. Homo eſt animal rationale, non quatenus ille verè & actu ratiocinatur, ſed quatenus ita natura comparatus eſt, vt aptus ſit ad ratiocinandũ, alioquin homo dormiens non eſſet homo. Sic apud Philoſophum definitur *anima*, quòd *ſit actus primus corporis phyſici potentia vitam habentis*. Atque Galenum, tum ſanitatem, tum morbum eſſe ſtatuit; partium corporis conſtitutionem illam ſecundùm naturam, hunc præter naturam, vnde actiones, non actu, ſed poteſtate vel probè, vel malè prodeũt. Itaque nos pariter, peſtilẽtes morbos non ſine ratione definire poſſe videmur, vt illi ſint vulgares, & pernicioſi, hoc eſt tali natura & forma conſtantes, vt maiorem hominum partem, atque illos in qualibet fortuna poſitos aggredi, & perdere poſſint, quamuis reuera non aggrediantur, non perdant. Quæſo enim finge vigere peſtilentiam, non modò ex vno contagio, cuius vim, atque impetum quicunque voluerit, haud difficile vitare poteſt, ſed etiam ex contaminato aëre, à quo vix vlli cauere licet; ſi hoc tempore plerique omnes alia loca, vbi ſalubrior eſſet aura, quærere velint, an propterea quod illa in multos actu non ſæuiat, minus verè peſtilentiã appellabimus? id non equidem opinor. In præſentia cum hæc nos literis damus, idibus Febr. ſingulari Dei Opt. Max. beneficio, & benignitate Vicentiæ leuiſſima quædam huiuſmodi luis veſtigia vix ſuperſunt, quæ breui admodum in nihilum abitura eſſe ſperamus. An vnum, aut alterum malè affectum peſtilenti morbo non laborare exiſtimabimus, quòd morbus iam actu non ſit vulgaris, nec pleroſque inuadat? non puto: quandoquidem neminem eſſe arbitramur, ſi modò huius mali originem, & progreſſionem ille ſatis intelligit, qui non facilè fateatur, vnum duntaxat ægrum, niſi ab aliorum commercio diligenter arceatur, vnam item inquinatam ſupellectilem multos, & vniuerſam vrbem inficere poſſe. Porrò antiqua videtur fuiſſe huiuſmodi lis, de qua particulatim duo quõdam celebres medici, Dynus, & Gentilis Senis acerrimè litigarunt: quorum argumenta, vt libet, vnuſquiſq; apud illos intelligere poteſt. Hoc ipſo in primis argumento (ni fallor) præclariſſimi quidam viri in eam ſententiam adducti ſunt, quo tempore huiuſmodi mala graſſari cœperunt, illa peſtilẽtię nomine ſignãda non eſſe, quod tunc pauci admodũ laborarent, neq; illa cõmunia, & vulgaria fuerint; quanquam alij contrà illud quidem peſtis initium, ſed minimè peſtẽ appellare non vereantur. *Non poſſum exiſtimare, auditores* (inquit Mercurialis) *appellandam eſſe eam peſtem, in qua vix duo, aut tres peribant ſingulo die. Erant fortaſſe initia*

quædam

Lib. 4 De. c. 1 Q. Fab. Aug. & C. Fur. pac. Coſſ.

a De anima.

Gentil. com. in primam 4. c. prog.

quadam peſtis, ſed non erat peſtis. Cuius profectò ſententiæ vim (vt ingenue dicam) non ſatis intelligo: namque ſum neſcius, quamobrem principium peſtis, peſtis nomine appellare non liceat; quaſi verò principia morborum ab ipſis morbis ſint diuerſa, & aliena: Apud medicos vulgare eſt, ex quatuor partibus principio, incremento, ſtatu, & declinatione morbos in vniuerſum conſtare. An principium motus, non eſt motus, an via in generationem (vt loquuntur philoſophi) non eſt generatio? an via in corruptionẽ non eſt corruptio? Omnium ſane morborum initia ſunt vndique leniora, & difficilia cognitu, ſed tamen in hac vna inquiſitione, & intelligentia præſtantiam, atque excellentiam medici in

14.meth.c.9. primis elucere certum eſt. Vnde illos irridebat Galen. qui incipientes cancros non agnoſcerent, quod non aliter, quàm ſtirpibus è terra exeuntibus euenit, quæ pariter à peritis duntaxat agricolis agnoſcuntur. Sed aliàs hæc ferè quæſtio ab Hippocrate videtur eſſe propoſita: an principium phrenitidis cenſenda eſſe, quam Galenum præclarè diſſoluentem audiamus.

Hipp.prorrh. *Qui comatoſi inter initia fiunt cum capitis, lumborum, hypochondrij, colliquo dolore vigilantes, an phrenitici exiſtant?*

Gal. *Complura veterum exemplaria verbo*, phrenitici, *verbum* exiſtant *non habent adiectum: hinc exorta eſt queſtio, verùm non eos, qui ita habent, quis iam phreniticos appellabit, an futuros expectabit? adiecto vero verbo* exiſtant *queſtio eſt, an qui ita affecti ſunt, iam phrenitici ſint, vel non ſint? Quæſtioni autem eiuſmodi iam & alia quadam non pauci momenti annectitur queſtio, quam & de febrilium acceſſionum principio mouerunt, nempe in illis rationi maximè cõſentaneum eſſe videtur, non poſtea venturam præcognoſcere nos acceſſionem, ſed incipientem iam dignoſcere ex permutatione pulſuum: quoniam verò nondum inſignem acceperit magnitudinem, vt ægro quidem, tanquam dicenda conſpicuè videatur, à nobis autem, vt tanquam facta cognoſcatur, res hac non aliter, quàm planta recens è terra orta, dignoſcitur, quas ruſticus, vel qui in herbis omnib. dignoſcendis eſt peritus confeſtim internoſcit, cæteris verò incognita: agros ſiquidam herbas germinatione ſimillimas ſæpius ferro conſpicimus, quas nos quidem internoſcimus, ruſtici verò internouerũt: quod & arboribus euenit: nam ſingulas, cum omnibus ſuis partibus ſunt abſoluta, vniuerſi cognoſcimus, cum verò enaſci incipiunt, omnino à paucis cognoſcuntur.* Hactenus Galenus. Quanquam igitur in noſtra peſtilentia pauci admodum ægri aliquando laborarent & interirent, atque ij quidem ex vna plebe, cum homines pro maiori parte, & ex omni conditione apti eſſent ad malum ſuſcipiendum, illam nos quocunque tempore veram, & legitimam peſtem fuiſſe arbitramur.

Cæterùm antequam poſteriorem huius tractationis partem aggredior, quæ ad huiuſmodi morborum præſeruationem, & curationem pertinet, illud vnum in præſentia reliquum eſſe videtur, quod ſuperiùs nos eſſe tractaturos recepimus, vt eam quæſtionem tractemus, vndenam hæc noſtra peſtilentia originem duxerit. Etenim quidam ex vna deprauata victus ratione, alij præterea ex cõtaminato aëre, alij demum ex vno contagio illam ortam fuiſſe contendunt. Hic ſomnia nonnulla, & commenta vaniſſima conſulto prætereo, quæ homines non ſolùm Philoſophiæ, & medicinæ, ſed etiam omnis literaturæ, atq; eruditionis prorſus expertes temere afferre non erubeſcunt, quæ quòd per ſe facilè concidant, vlla confutatione honorari non debent. Quod porrò ad illos attinet, qui vulgaria iſthæc mala in vnam victus rationem referre ſolent, cum iis quoque omnino paucis agendum eſt. Quanquam enim tum Galen. diffusè, & perſpicuè, tum experientia manifeſtè & facilè demonſtrat, quantum alimenta mali ſucci valeant ad procreandos morbos, quod à nemine in controuerſiam reuocari debet, cũ tamen præteritis temporibus vrgẽte fame longè omnium maxima, ac præſenti etiam tempore pleríque peſſimi ſucci alimentis veſci coacti fuerint, qui omnis peſtilentiæ fuerunt immunes, vt aliunde illa generetur, neceſſariò fatendum eſt. Quemadmodum igitur deprauatam victus rationem, quæ multis ſit communis, peſtilentiam quandoque efficere poſſe credimus, & cacochymiã in vniuerſum, quam ex huiuſmodi alimentis fere generari neceſſe eſt, ad omnes morbos, in primis verò peſtilentes, corpora mirum in modum præparare exiſtimamus, ita contra peſtilentiam, de qua agimus, alia magis de cauſa, quàm propter praua alimenta eueniſſe nos verè affirmare poſſe videmur. Quamobrem illud nobis vnum modò ſupereſt, vt inquiramus, an ex aëre vel manifeſta qualitate alterato, vel aliter contaminato: an magis ex contagio, quod ex vno corpore in aliud tranſeat, illius originem ſtatuere liceat. Quam profectò diſputationem obſcuram prorſus, difficilem, diúque ac multùm agitatam, quoniam cum Mercuriali tanto viro mihi potiſſimùm res eſt, ſtudioſè, & diffusè tractare conſtitui. Neque eſt, vt aliquam admiratio teneat, quamobrem à viro omnium tum doctiſſimo tum humaniſſimo; addo mihi chariſſimo, & amiciſſimo, non hac ſolùm in re, ſed aliàs ſæpenumero diſſentire non verear.

Quæ enim illius eſt ſingularis humanitas, grauitas, ſuauiſſimique mores, planè compertum habeo in meliorem partem illum (quod equidem maximè velim) hæc omnia accepturum eſſe. Immo verò, cum præterito anno commentarium illo ſuum de peſtilentia humaniter & gratè mihi dono miſiſſet, atque ego illi per litteras gratias egiſſem, ſimúlque ſignificaſſem, me quibuſdã in rebus illi non ſatis aſſentiri, grauiter, & ingenuè mihi reſcripſit, ſe minimè ita ambitioſum eſſe, vt omnes homines ſuis dogmatib. aſſentientes eſſe cupiat, ſibique vehemẽter gratum eſſe facturum, quicũque iis de rebus planè incertis, & obſcuris diſputare voluerit, quando hac potiſſimùm ratione veritas facilè inueſtigari, atque è tenebris erui ſolet.

Atque hoc ipſo comentario. *Gratiſſimum* (ille ait) *erit mihi vt omnes docti videant has meas rationes, examinent diligenter: quia cum hæc res ſit maximi momenti, optatiſſimum erit ſemper mihi, vt veritas inueniatur, ſi modò veritas inueniri poteſt in re adeo ſecreta, & diuina. Liberè igitur dicam quod ſentio, ſed hæc tamen lege, vt de omni re inter nos controuerſa, tanquam honorarius arbiter, ille iudicium ferre, ac ſententiam dicere poſſit: vt ita intelligant homines, diſſentientes aliquando ſententias ſumma etiam cum beneuolentia, & charitate conuenire.* Cap. 17.

Mercurialis cauſas peſtis inueſtigaturus, alias internas, alias externas eſſe docet. Quòd porrò ad internas pertinet, inſignem primùm, atque excellentem putredinem, non quidem vnius, aut alterius humoris, ſed omnium, qui ſimul confunduntur, cõturbantur; & computreſcunt, verè, & ſumma cum ratione ſtatuit. præterea verò iis humoribus latentem quandam, atque occultam vim ineſſe tradit, quam Gal. & medici omnes ſcribunt ineſſe medicamentis atque venenis deleteriis. Hanc ego abditam qualitatem impræſentiarum prætereo, quod ſuperiùs ſẽtentiã hac in re meã ſatis explicauerim. Quòd autẽ ad cauſas externas attinet, duas ad efficiendã peſtem cauſas perpetuò concurrere aſſeuerat, nimirũ aërem ipſum, & contagium: mox prætermiſſo contagio, aërem concurrere ad peſtem efficiendam Hipp. demonſtratione euidentiſſima probat hunc in modũ. Cap. 51

 Peſtis

Peſtis eſt morbus communiſſimus, ergo à cauſa cõmuniſſima: cauſa communiſſima eſt aër: ergo peſtis neceſſario ab aëre. Quæ quidem argumentatio (ille ait) tantum potuit apud ſcriptores medicinæ, vt neminem fere inuenire liceat qui non putauerit veram peſtem fieri ab aëre. Atqui vnum ego reperio Gal. (vt alios interea prætermittam, cum ille mihi ſit perpetuo inſtar omnium) qui non modò peſtem ab vno aëre ſemper fieri negat, ſed etiã Hipp. hac in re aliter ſententiam arguere non veretur, quod ſupra demonſtrauimus. Neque hanc Galen. ſententiam vlla ratione infirmari exiſtimamus, primùm quòd alij morbi ex victus ratione oriundi ſint quidem peſtilentes, ſed minimè ipſa peſtis: quandoquidẽ res ipſa declarat illos verè peſtilentes, & peſtilẽtiæ nomine ſignandos eſſe, cum ſint aliquando vulgares, & pernicioſi, quales fuere illi, de quibus particulatim mẽtionem facit Gal. præterquam quod ille perſpicuè admodum, & ex propoſito morbos communes, ex communi certè cauſa, ſed non ex vno ſemper aëre fieri docet, vt non alia interpretatione ſit opus: tum verò quod aërem haud certè ſolum, ſed vna cum aliis cauſis morbi communis cauſam ſtatuere liceat: aërem enim planè Gal. excludit, & abſque illo morbum communem propter aliam cauſam communẽ oriri poſſe fatetur: alioqui vana prorſus, & temeraria fuiſſet illius in Hipp. argumentatio, ſi modo vt aër vel ſolus, vel ſaltem aliis cauſis adiunctus ad gignendam peſtilentiam concurrat, neceſſe eſt. Neque illa demũ ratio videtur magis efficax, quæ morbos communes diſtinguit, ita quidem vt communes vni regioni, quos endemios Græci appellant, fiãt à praua victus ratione, & à vaporibus elatis ex aquis, & terra, minimè ex aëre, communes autem pluribus regionibus ſemper oriantur ex aëre. Nam præterquam quod & in præſentia adhuc eadem vrgent argumenta, Galen. ſtatuens morbos communes fieri propter plures cauſas communes, minimè propter vnum aërem, huiuſmodi morbos haud interpretatur endemios, ſed epidemios, qui tempore aliquo determinato populũ, aut exercitum vniuerſum ſine aëris vitio aliquando ſolent occupare. Cum igitur hoc fundamentum non modò ſit infirmum, ſed ex Gal. diſciplina planè corruat, vt omnis fabrica illi innixa concidat, neceſſarium videtur. Prætereà nonnulla ſigna addit Mercurialis de hiſtoricis, & aliis petita, quæ probabili ſaltem ratione confirmare poſſint, hanc noſtrorum temporum peſtilentiam ex aëre ortam fuiſſe: atque illa quidem duorum generum eſſe tradit, alia antecedẽtia, alia comitantia. Inter ſigna antecedentia numerantur terræ motus, cometæ, ſidera inſolita, ignes aërei, eclypſes, annus biſſextilis, monſtra, animalia orta ex putri materia, Peſtes alibi vagantes, ſi demum viri temperatiſſimi ægrotent, & lupi hominibus ſint infeſti.

Galen. lib. de vict. bon. & mal. ſuc.

Cap. 6.

Non ego in præſentia multum laboro, an iſthæc ſigna omnia, vel certè plura ante noſtram peſtilentiam euenerint: Illud vnum repeto, quod ſuperiùs admonuimus, ſi modò altiùs Dei propoſitum prætermittamus, nullum ſignum peſtilentiam præmonſtrare poſſe, niſi quatenus imminentem putredinem indicare poteſt: præterquam quod ex iis plurima non ſolùm incerta, & leuia, ſed etiam ſuperſtitioſa, & mendacia non inmeritò videri poſſunt. Terræ motus Ferrariæ maximi fuerunt, violentiſſimi: quæ Ciuitas fuit immunis peſtilentiæ: quanquam enim animo concipere, & fingere licet halitus ex terræ motu exeuntes, longè latéque diſſeminari, nec proximis regionibus vim aliquãdo inferre, illud tamen aut omnino difficile aut certè vix fieri poſſe exiſtimãdum eſt, ſalua & incolumi vrbe, vicis, & vniuerſa ditione, cũ peſtilentes illi vapores omni ex parte proximos locos petere poſſint, vt aliis vndique illæſis, nonnulli tantum apud nos fuerint cõtaminati. Cometas, ſidera inſolita, ignes aëreos, ſi phyſicam eorum ſignificationẽ aduertere velimus, æſtus in primis, ac ſiccitates portendere, & ſignificare philoſophi docent: quo quidem hoc tẽpore ſatis confirmat iam trimeſtris inſignis, & cõtinuata ſiccitas quæ cometam initio Nouembris apparentem ſequuta eſt, & adhuc perſeuerat. Quod ſi præter elemẽtarias facultates, bella, peſtes, mortes, & alias calamitates hæc hominibus afferre, cõmuni fere omnium conſenſu iam diu confirmatum eſt, illud nos tanquam per ſigna magis quàm per cauſas fieri exiſtimamus, non aliter quam olim in auguriis, & auſpiciis euenit, in quibus per aues multa, quorum illæ autores haud quaquam erant, portendi, & ſignificari credebantur: ita quidem (quod piè ac verè ſtatuendum eſt) vt Deus Opt. Max. qui miniſtros ſuos aliquando facit flammam ignis, ad demonſtrandas publicarum, & priuatarum mutationum viciſſitudines, adeóque ad noſtram eruditionem, tanquam ſigno deſuper dato, huiuſmodi igneas apparitiones, veluti quoſdam emiſſarios, & præcones eſſe velit. Sic ita naturales ſuas cauſas habet, quas phyſici poſſunt reddere, interim tamen arcanam præterea ſuam habet ſignificationem. Anno biſſextili, quàm temere, ne dicã ſtolidè à pleriſq; tanta vis tribuatur, vt rerum fermè omniũ naturã mutare & multa pericula afferre poſſit, vnicuiq; facile conſtabit, qui memoria repetat, minimè natura, ſed arte, & Cæſar. decreto huiuſmodi annum conſtitutum eſſe, vnde tot admirabilia, & tanta opera prodi nequeunt. Sed alia non proſequor; atque addo illud vnum, antecedentia iſthæc ſigna leuia admodum, atque incerta eſſe, quãdoquidem illorum plurima, aut forte etiam omnia ſine vlla peſtilentia interdũ eueniſſe certum eſt. Inter ſigna autem comitantia peſtem ex aëre oriundã refert Mercurialis ea ſymptomata, & morbos, qui omnes ferè peſtes ex aëre comitari ſolẽt, febres ardẽtes, febres placidas, dolores capitis, deliria, carbunculos, tumores, mortes ſubitaneas, extinctiones familiarum. Atqui (vt nos ſuperiùs demonſtrauimus) docet Galen. nomen (*vulgare*) vel (*peſtilens*) non vno certo, & determinato morbo cõcludi, adeò vt nulli ſint morbi, nulla ſymptomata, quæ peſtis propria, & inſeparabilia dici poſſint: quam ſuperiore diſputatione à nobis demonſtratam ipſa confirmat experientia: namque (ne ſingulas peſtes recenſeam) audiamus, quæ Thucydides in celebri illa ſui temporis eueniſſe ſcribit, hac ſerie. *Atque non multis ab hinc diebus, cum in Attica eſſem, morbus primùm Athenienſes cœpit inuadere. Et quanquam fama eſt antea quoque morbum latè vagatum eſſe, tum in Lemno, tum in aliis regionibus: nondum tamen memoria proditum eſt tantum peſtilentia, atque internecionis mortalibus contigiſſe. Neque enim ſat opis afferebant medici, qui principio ſeſe ad medendum applicuerunt ob imprudentiam, ſed hi maximè interibant, quippe qui proximè accedebant; neque alia humana ratio, aut ars vlla. Cum quæcunque à ſacerdotibus ſupplices petebant, aut vatibus, & quæ ab his reſponſa dabantur, omnia in caſſum erant: atque occumbentes ab his deſiſtebant, à malo ſuperati.*

Porrò hoc primũ, vt aiunt, *ſumpſit initiũ ex Æthiopia, quæ ſuprà Ægyptum eſt, mox in Ægyptum & Libyam deuenit, & in Regis oram magna ex parte: in Athenienſium verò ciuitatem repente irruit: ac primùm in Piræo homines attigit: ex quo etiã aiebãt Peloponneſios venena puteis iniecisse (nã fontes ibi nondum erant) deinde verò & ad ſuperiorem ciuitatem peruenit: ac iam multo magis moriebantur. Diſſerat igitur de hoc, vt quiſque ſentit, tum medicus, tum idiota, vnde veriſimile fuit illud originẽ duxiſſe, & cauſas referat tantæ mutationis, quas idoneas fuiſſe putet, quæ*

vim

vim ad res ita immutandas ſortita fuerint. Ego verò quod factum eſt narrabo, & quibus animaduerſis ſi quādo rurſus incidat, poſſit aliquis prouiſum quippiam non ignorare, hoc monſtrabo, qui tum ipſe morbo laboraui, tum alios laborantes vidi. Itaque annus ille (vt in confeſſo eſt) inter omnes maximè aliorum morborum immunis fuit: quod ſi quis alio priùs morbo laboraſſet, in hunc omnes decumbebant; Alios verò ex nulla occaſione, ſed continuò cum ſani eſſent, primum capitis calores inuadebant vehementes, & oculorum rubores, & inflammationes: atque interna partes, & fauces, & lingua ſanguinolenta ſtatim erant: ſpiritus difficilis, & fœtens exibat: deinde ex his ſternutatio & raucedo ſuccedebant: ac non multo poſt tempore labor in pectus deſcendebat cum tuſſi vehementi: Quod ſi quando ad cor ſubſiſt, cum id ſubuertit: tum purgationes bilis, quacunque à medicis recenſentur, ſubierunt, atque ha magna cum defatigatione. Pleriſque ſingultus incidit inanis, conuulſionem afferens vehementem: qua nonnullis ſub hac ceſſabat, aliis verò multo poſt: Porrò corpus extrinſecus tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, ſed ſubrubrum, liuidum, puſtulis paruis, & vlceribus ſcatēs: interna verò partes vſque adeo flagrabant, vt ne tenuiſſimum quidem ſtragulum, aut linteum impoſitum, neque aliud quidpiam præter nuditatem ferrent. Ac iucundiſſimum planè erat in aquam frigidam ſe ipſos conijcere; quod multi fecerunt ex iis, quibus cura non fuit adhibita, qui & in puteos ſe dederunt inexhauſta ſiti vexati: & perinde erat plus, ac minus bibere. Atque impotentia quadam, qua iis quieſcere non licebat, & vigilia perpetuò comitabantur. Corpus, quandiu morbus vigebat, non contabeſcebat, ſed præter ſpem labori obſiſtebat. Quamobrem vel interierunt plurimi nouem, & ſeptem diebus ex interno æſtu, cum aliquid roboris adhuc haberent: vel ſi effugiſſent, morbo in ventrem irruente, & exulceratione in eodem facta, & diarrhœa ſimul immodica ſubeunte, plerique mox præ imbecillitate perierunt. Etenim initio ſurſum facto malum, quod in capite primum conſederat, vniuerſum corpus peruadebat. Quod ſi quis maxima hæc ſuperaſſet, huic extremarum partium noxa ſuperueniebat: malum enim ad pudenda, & ad ſummas manus, & pedes decumbebat; & complures his amiſſis euaſerunt, nonnulli & amiſſis oculis. Nonnullos etiam, quam primum exurgerent, cepit obliuio rerum æquè omnium, ac tum ſe ipſos, tum amicos ignorabant. Etenim hoc morbi genus, quod certè maius fuit, quàm vt oratione comprehendi poſſit, cum alioqui grauius vnicuique accidit, quàm humana ferret natura, tum hac in re declarauit ſe aliud quippiam eſſe portentoſum, & extra ordinem, quoniam aues & quadrupedes, quæcunque humana carne veſcuntur, cum plurima iacerent inſepulta cadauera, aut non accedebant, aut ſi accederent, ac degustaſſent interibant. Huiuſce rei indicium fuit, quod manifeſtò huiuſmodi aues deficerent, quæ nec alias viſebantur, neque circa aliquod ex his. Sed canes magis huius euentus ſenſum præbuerant, propter ea quod vnà degunt. Morbus igitur (vt alia multa prætermittamus inſolita, quæ cuique ſeorſum euenerunt, aliis alia) talem vniuerſim ideam habuit: alius præterea nullus eo tempore infeſtauit ex iis, qui conſueti habentur: ſi quis autem accidiſſet, in hunc deſinebat. Ac perierunt nonnulli quidem ob negligentiam, alij verò diligenter etiam curati. Neque vllum (prope dixerim) compertum eſt remedium, cuius vſu homines adiutos eſſe conſtaret; nam quod vni opem tulerat, id ipſum officiebat alteri. Iam verò corpus nullum viſum eſt aduerſus morbum ſufficere, quod ad robur, & debilitatem attinet, ſed ſublata ſunt omnia, quauis etiam viuendi ratione, ad curationem vterentur. Porrò res miſerrima in vniuerſo morbo fuit, tum animi deiectio, cum quis ægrotare ſe intelligeret; nam mente protinus ad deſperationem conuerſa, multò ſe ipſos magis conſternebant, neque reluctabantur: tum verò quoniam alter ab altero, dum curationis officio fungerentur, inſtar ouium occidebant, atque hoc maximam cladis partem attulit. Siue enim præ metu recuſarent alter alterum adire, deſerti peribant; domúſque non pauca vacua ſunt reddita ob medentis defectum: ſiue adirent, commoriebantur: atque ij potiſſimùm, qui virtutis aliquid ſibi vendicabant, nam præ pudore non parcentes ſibi ipſis, amicos conueniebant: & cum luctus defunctorum perficerent, ipſi quoque familiares ſuccumbebant à mali vehementia ſuperati. Magis tamen tam morientem, quam laborantem miſerabantur, qui iam euaſerant, propterea quod intelligerent ſe iam in ſecuro verſari: bis enim eundem morbus non corripuit, ita vt interficeret. Atque hi tum ab aliis beati cenſebantur, tum ipſi præter præſentem lætitiam, in poſterum quoque ſpe aliqua ſubleuabantur, ne ab alio quidem morbo aliquando fore vt extinguerentur. Iam verò proprio labori aliud quoque acceſſit incommodum ex importatione ab agris in vrbem: quod nihilominus inuaſit hoſtes: cum enim domos non haberent, ſed in tuguriis ſuffocantibus æſtiua tempeſtate degerent, corruptio acceſſit nulla ſeruata dignitate: ſed mortui, morientéſque mutuo adiacebant, ac ſemianimes in viis voluebantur, & circa fontes, præ aquæ deſiderio.

Tum ædes ſacræ, in quas conuenerant, cadauerum plenæ erant, eorum (inquam) qui illic peribant: nam vrgente malo, cum quid facerent, homines non haberent, omnes pariter ad negligentiam, & ad ſacra, & ſacros ſe conuerterunt. Præterea leges omnes perturbatæ ſunt, quibus antea de ſepulcrorum ratione vtebantur: ac ſepeliebant, vt quiſque poterat: tum etiam multi in aliena loca deiecti ſunt, ob amicorum penuriam, cum hi pleriſque ſuos morte præuertiſſent. Nonnulli ægrotantibus præuenientes; cadauer alieno rogo impoſitum ſuccendebant: alij verò, dum aliud combureretur, eo, quod ipſi portabant, ſuperiniecto, abibant. Hactenus Thucydides. Quem ſanè locum vniuerſum, quanquam prolixiorem eo libentius Latinè reddere, atque hic tranſcribere voluimus, quod eum lectorem delectare, neque ſolum huic rei, de qua agimus in præſentia, ſed toti etiam tractationi plurimam lucem afferre poſſe exiſtimemus. Illud profectò eſt certo certius, plurimos hic numerari morbos, & ſymptomata, calorem capitis vehementem, oculorum rubores, & inflammationes, fauces; & linguam ſanguinolentam, ſpiritum difficilem, ac fœtentem, ſternutamentum, raucedinem, laborem pectoris cum vehementi tuſſi, ſingultum inanem cum vehementi conuulſione, noxam & amiſſionem pudendorum, manuum, pedum, aliquando oculorum, obliuionem rerum æquè omnium, adeoque amicorum, & ſui ipſorum, atque alia forte huiuſmodi, quæ tùm ab aliis peſtilentiis, cum à noſtra fuere maximè aliena: contráque nonnullos morbos, & ſymptomata apud nos fuiſſe frequentia, qualis in primis ſunt bubones, parotides, anthraces, dolores capitis, deliria, quorum Thucydides nullam mentionem facit. Neque aliquis eſt, arbitror, qui non facilè & libenter fateatur, hanc ipſam Thucydidis peſtilentiam ex vno potiſſimùm aëre ortum duxiſſe. In maxima illa, & forte omnium ſæuiſſima peſtilentia, anni M. C C C X L V I I I. quam Matthæus Villanus, & Ioannes Boccacius deſcripſere, omnes ſputo ſanguinis, & difficultate reſpirationis tanquam peculiari eius peſtilentiæ morbo laboraſſe conſtat. Atque ne fruſtra ſim longior, hanc ipſam morborum, & ſymptomatum varietatem, & diſſimilitudinem (de qua re etiam ſuperiùs diximus) vnuſquiſque facilè deprehendet, neque inuitus confitebitur, qui alias quoque peſtilentias particulatim animaduertere, & cum hac noſtra conferre voluerit. Sed alia proſequor. Signis modò propoſitis alia non contemnenda addit Mercurialis: primum, quòd toto

peſtilen

peſtilentiæ tempore, præſertim in ciuitatibus, rari admodum fuerint, qui alio morbi genere laborarint, vſque adeo, vt quis febre tertiana, vel alio morbo laborare cœpiſſet, ille protinus in peſtem caderet: tum verò quòd homines, quanquam ſine vlla peſtis ſuſpicione mortui, maiori ex parte poſteriores corporis partes vibicibus, latiſque maculis deturpatas habuerint, quod rariſſimè alio tempore ſolet euenire. Amplius infinitos fuiſſe ille commemorat, qui pro certo habentes ſe ab omni commercio, & contagio morboſo diligentiſſimè abſtinuiſſe, hanc tamen labem euitare non potuerunt. Præterea quod innumeris ex laborantibus inguina atque alæ intumuerint varia item tubercula ſponte eruperint ſine vllo inſigni detrimento, vel aliqua peſtis ſuſpicione, quæ præterito tempore fuerant inſolita. Ruſſus verò (quod magni omnino intereſt) hanc peſtilentiam Mercurialis ex aëre fuiſſe probat, quod menſe Iulio Venetiis, & Patauij cœperint pluuiæ quædam paruæ, placidæ, & ferè continuæ, quales refert Hippocrates in Cranone eueniſſe, vt ſatis conſtare poſſit Auſtrinam conſtitutionem duraſſe totis ferè menſibus Septembri.

Poſtremo autem loco Mercurialis aëris vitium confirmat, fatuitas omnium terræ fructuum, quamuis illi fuerint copioſi, nullus, aut rarus admodum cicadarum cantus: atque forte etiam in vniuerſum ab iis regionibus auium defectio: vt vndique concludere liceat hanc noſtram peſtilentiam ex aëre ortam eſſe. Cæterum, Lector, quanquam Mercurialem virum grauiſſimum, & doctiſſimum hæc afferre non dubitamus, vt coniecturali omnino ratione ſententiam ſuam confirmaret; atque in vniuerſum leuiora illa eſſe videntur, quàm vt longiorem diſputationem poſtulent: ne quid tamen in hoc argumento deſideres, ſingulas huiuſmodi rationes breuiter examinare non grauabimur. Quo primùm loco illud minimè agimus in præſentia, vt ſubtilius inquirendum, ac in dubium reuocandum eſſe velimus, an iſthæc omnia miracula Patauij euenerint, nec ne; quandoquidem viro ingenuo, & veraci fidem vndique adhibere decet. Illud ego tamen (quod ad primam argumentationem pertinet) verè, & ſanctè omni aſſeueratione affirmare poſſum, hoc ipſo peſtilentiæ tempore apud nos plurimos aliis morbis à peſtilentibus laboraſſe, & euaſiſſe: & particulatim menſe Auguſto laboraui ego ipſe febre tertiana continua, vnus item meus famulus tertiana intermittente. Sic in celebri peſtilentia anno M. D XXVIII. quæ vniuerſam fere Italiam contaminauit, maiores noſtri referunt præter peſtilentes, alios quoque morbos, priuatimque duplices tertianas vagaſas fuiſſe, à quibus plerique euadebant. Sed vtcunque ſe res habeat, vt ingenuè dicam, vim huius rationis equidem non ſatis intelligo, quomodo nemine, aut certè paucis alio morbi genere laborantibus præter peſtilentes, colligere hinc liceat, quòd medici omnes pro certiſſimo argumento habeant, peſtilentiam ex aëre oriundam eſſe; quaſi vero, vt alia prætermittamus, tertia illa conſtitutione
5. De rat. vict. in mor. ac. 35. libri tertij Epidem. quam nemo, opinor, dubitat ex vitiato aëre fuiſſe peſtilentem, Hippoc. tertianarum quartanarum, quotidianarum febrium, & aliorum morborum non meminerit, quos veriſimile eſt peſtilentes non fuiſſe, ac poſtremo loco ſexdecim ægrotos non deſcribat, qui vel Galeni teſtimonio aliis morborum generibus ab illis laborabant, quæ in ea tempeſtate commemorata ſunt. Quod ad contagium pertinet, grauiſſimi patres publicis ſcripturis, & inquiſitionibus hac in re ſedulò inſtitutis; quæ adhuc inter monumenta annalium ſeruantur, verè vnicuique teſtari poſſunt, neminem apud nos peſtilenti morbo laboraſſe, quem non ille prius contagio contraxiſſet: quanquam enim plerique ſine vllo contagio ſe laboraſſe contendunt, quod à multis prædicari audio, nonnullos ſcienter alios fallere alios inſcienter falli nos exiſtimamus: quandoquidem vſque adeo multæ, latentes, atque ferè inſenſibiles ſunt huius veneni rationes, ſiue hominum dolos, ſiue incuriam, & negligentiam conſideres, vt illæ vix explicari, aut concipi animo poſſint. Namque (vt à re mea non diſcedam) quanquam diligentiſſima adhibita inquiſitione nihil prorſus inuenire vnquã potui, vnde Allegrantia labem contraxerit, cui ſeueriſſimè iuſſeram, vt ne vnquam domo exiret, neve aliquam rem, aut hominem domo exciperet, poſt multos tamen dies certior ſum factus (quod tandem Lucretia promiſſa illi impunitate confeſſa eſt) etiam illam, ſemel ad Lazarum portiorem, eiúſque vxorem diuertiſſe, qui eo tempore peſtilentia laborabant, & breui ambo obierunt: poſt quorum interitum biduo Allegrantia malè affecta eſt. Quod porrò magna hominum pars, qui ſine vlla peſtis ſuſpicione obierunt, poſt mortem poſteriores corporis partes vibicibus, latiſque maculis deturpatas habuerint, primùm cum viro præſtantiſſimo ſtatutum id ſit in quo mihi tamen non ſatis cum eo conuenit, raros fuiſſe, qui alio quàm peſtilenti morbi genere laborarint, non iniuria fortaſſe quæſierit aliquis, quamobrem hos peſte non interiiſſe ſit exiſtimandum: tum verò nos id quouis tempore eueniſſe, neque huius rei cauſam cognitu difficilem eſſe putamus, vt propterea ad aëris vitium confugiendum non ſit. Etenim, vt interea prætermittam neminem eſſe cadauera tractare ſolitum, qui non frequenter huiuſmodi liuorea, & maculas animaduerterit, vt hoc inſolens videri poſſit iis tantum, qui corpora nudata non ita inſpicere conſueuerunt, non importunè hoc loco mihi occurrit, Hippocr. vbi ille ſcriptum reliquit antiquos exiſtimaſſe, ægrotos quoſdam ſideratos eſſe, tum aliis de cauſis, tum maximè ob id, quòd mortuis latus liuidum plagæ ſimile videretur, quaſi huiuſmodi ſymptomata particulatim vel in aërem, vel in aliam ſuperiorem cauſam referendum eſſet, quemadmodum nonnullus fulmine ictis, quod illi ſidus eſſe opinabantur, quandoque eueniſſe obſeruatum eſt. At verò Galen. cauſam certè naturalem afferens, illud fieri docet, propterea quia ſanguine in latus ob dolorem perueniente, quicquid in cute diuiſum, ſolutúmque eſt, id in morte refrigeratum nigrorem contrahit, vt ſimiliter illis euenit, qui ita ex plaga affecti ſunt. Cum igitur omnis corporis pars vel contuſa, vel refrigerata, vel adusta, tum in morte, tum ante mortem, nigrorem quendam, & liuorem contrahere ſoleat, cui mirum poteſt videri, ſi pleriſque aliquando appareant vibices, & maculæ externæ, potiſſimùm in dorſo, quam partem, tum propter alias cauſas, tum maximè propter decubitum multo ſæpe calore, & fluxione abundare conſtat; Quod de Inguinum, & alarum tumoribus, variis item tuberculi ſponte erumpentibus affertur, illud ego in contrariam planè ſententiam interpretandum eſſe arbitror: cum enim non ſolum veriſimile, ſed ferè etiam ſit neceſſarium huiuſmodi corpora malis vndique humoribus referta eſſe, ex quibus quidem (vt Gal. eſt autor) ſi modò exiguam aliquam occaſionem ab ambiente aëre illi acceperint, febres peſtilentes generari conſueuerunt, 1. de Diff. feb.
rationi maximè conſentaneum eſt, nullũ hoc tempore in aëre vitium fuiſſe, cum talia corpora plane cacochyma, & ad ſuſcipiendum malum aptiſſima ab omni peſtis periculo ſecura fuerint.

Porrò quòd Auſtrina perdurauerit Venetiis, & Patauij totis ferè menſibus Septembri, & Octobri, vnde facile aër infici potuerit, ego quidem quales, & quantæ fuerint illo tempore pluuiæ, ad ſummam

qualia

qualis fuerit illa conſtitutio, & quandiu durauerit, nihil certi vel aſſeuerare, vel negare auſim, quandoquidem huius rei nullam prorſus obſeruationem, aut memoriam teneo. Sed cum illis menſibus, quibus Venetiæ, & Patauiũ laborarunt, non modò Vicentia, Taruiſium, & alia viciniora loca, ſed omnes propemodum earundemmet vrbium villæ, plurimi vici, & determinatæ partes, quibus variã, & diuerſam conſtitutionem aſſignare non licet, omnis periculi fuerint immunes, contra verò quo tempore Vicentia afflicta eſt (vt alia loca prætereeam) Venetiæ, Patauiũ, Verona perpetuò bene habuerint, facilè adducor, vt credam, neque tunc temporis Auſtrinam extitiſſe conſtitutionẽ, quæ peſtilentiam efficere potuerit, ſi modò (quod à nullo in controuerſiam reuocari audio) vniuerſam hãc tot ciuitatum, & locorum peſtilentiam ab vna, & eadem cauſa originem traxiſſe fatendum eſt. Apud nos certè tantum abeſt, vt præterito anno Auſtrina fuerit conſtitutio, vt illam contrà magis Aquiloniam fuiſſe conſtet. Verùm concedatur hæc quoque Auſtrina conſtitutio, an protinus illa peſtem efficere potuit? non arbitror. Nonne Hip. commemorat pleroſque Auſtrinos flatus, qui aliorum quidem morborum, minimè peſtilentium fuerunt autores? Quicũque librum tertium Aphoriſmorum, libros item Epidem. legere voluerint, ne hic pluribus locis afferendis fruſtra ſim longior, illud non inuitus confitebitur. Etenim ſi modò huiuſmodi cõſtitutio peſtem efficere debet, vt illa vehemens ſit, & longiori tempore duret, neceſſarium videtur: imò verò non ſolum ad efficiendam peſtem, ſed ad alios quoque morbos procreandos, notabilem illam eſſe, & diu-

3. aph. 3. tius perſeuerare oportet. *Auſtri* (inquit Hippocr.) *auditum hebetant, caliginem obducunt, capitis grauitatem efficiunt, pigros reddunt, & languidos, quando igitur huiuſmodi tempeſtas dominatur, talia in*

5. Epid. cõp. 5. com. 4. *morbis accidunt. Habet* (inquit Galen. hunc locum interpretatus) *qua de vehementi Auſtrali flatu, qui multo tempore durat, ab eo dicta ſunt, oſtendit enim per verbum* (dominati) *nomina hæc non eſſe tine, qui vere aut modico tempore ſpirat, nec ei, qui pluribus quidem diebus, ſed imbecillus eſt, hæcce nomen tribuere.* Et iterum. *Nõ potuit Auſter ille caput replere,*

1. Epid ſect. 2. 74. *qui ſub Arcturo ad aquinoctium vſque flauit, neque enim humidum erat, neque diuturnum, quod inter canem interuenit ſpacij, & Arcturum. Vnde alias in vniuerſum Auſtrinas tempeſtates putredinem inducere ille docet, ſi diuturna, & potiſſimùm humida fuerint.* Hoc in primis facilè cõfirmat celebris illa cõſtitutio libri tertij Epidem. quæ ſanè diutiſſimè Auſ-

3. Epid. com. 1. 15. trina & humida perſeuerauit. *Cũ eſſet* (inquit Hip.) *annus totus Auſtrinus, humidus*, &c. Sed addo & illud, modum illius cõſtitutionis referente Mercuriali talem fuiſſe, vt vix illo ipſo tempore aliquod malum gignere potuerit. Etenim ſi vna conſtitutio vulgares morbos repente afferre debet, vt illius mutatio, & alteratio ſit inſignis neceſſe eſt; nam leniores, & quæ ſenſim fieri ſolet, non protinus, ſed longiore deinceps tempore varia mala parere conſueuerunt. *Mutationes temporum* (inquit Galenus)

3. Aph. com. 3. *quæ maximè efficiunt morbos, illæ ſunt, quum plures deinceps fuerint, aliáque aliam exceperit, quemadmodum Hip. in Epidemiis ſcriptum reliquit, atque hic non ita multò pòſt eſt dicturus. Vnius verò temporis alteratio morbos certè quidem efficit, ſed non præcipuè. Quando igitur morbi fient potiſſimùm vnius temporis alteratione? Cum eius ſcilicet magna contigerit alteratio; propterea enim dicebat: Et in ipſis temporibus magnæ mutationes caloris, vel frigoris, vel alterius cuiuſdam, aut humiditatis, aut ſiccitatis, aut vento-*

3. Aph. com. 3. *rum, aut horum defectus* Et rurſus. *Manifeſta eſt cauſa, quamobrem in Cranone facti ſint æſtate carbones, neque enim parum à naturali temperatura receſſerat, ſed ad talem illa venerat ſtatum, per quem putrent facilè, quæcunque naturam habent putredini obnoxiam: poſſunt enim humiditates præter modum aucta putrefacere, vt & ipſe dicturus eſt. Morbi pluuioſis temporibus ferè fiunt febres longæ, alui fluores, putredines.* Sed iis ipſis caliditates magis putrefacere poſſunt: ambabus enim ſimul coniunctis, nec minùs quàm in Cranone vehementibus, & immoderatis, corpus alterum tempus non expectat, vt offẽdatur, ſed ĩ priori vt grauiſſimè lædatur, neceſſe eſt. Cũ igitur Auſtrina illa conſtitutio Venetiis, & Patauij paucis omnino diebus perdurauerit, neque vehemens, & notabilis fuerit illius alteratio, ſi modò vulgare aliquod malum illa fuiſſet allatura, periculum certè non illo ipſo tẽpore Septembri, & Octobri, ſed poſterioribus menſibus magis imminere videbatur. Præterea demum, quod ad huiuſmodi cõſtitutionem pertinet, priorum quoque temporum hyemis, veris, æſtatis conſtitutiones animaduertendæ eſſent, qualeſnam illæ fuerint, quãtum vnaquæque durauerit, & quomodo: paritérque aliis quibuſdã animaduerſionibus, & diſtinctionibus opus eſſet, quarum Gal. aliquando meminit, quibus inſtructus medicus tum præſẽtia mala citò cognoſcere, tum futura haud temerè prædicere poſſit. Sed hac de re fortè nimis multa. Terræ fructus in vniuerſum fatuos, neq; ita iucundos hoc tempore fuiſſe, vt ferè illi eſſe aliàs conſueuerunt, illud mirum alicui videri non debet, quandoquidem, vt agricolæ docent, & ratio planè confirmat, notabilis fructuum copia, qualem hoc anno in primis fuiſſe cõſtat, illorum ſuauitatẽ perpetuò imminuere ſolet, atqui hoc minimè ex aëre, ſed magis ex alimento, quod illi ex terra ſuſcipiunt, prouenire nos arbitramur. Imò verò cum terra, ſi vnquàm aliàs, frugum, & fructuum omnium inſignẽ vbertatem, & copiam hoc vno, atque altero anno tulerit, contraria prorſus ratione euidens hic argumentum colligere licet, cœlum, adeóque aërem ipſum ab omni labe liberum fuiſſe; atque in terrã, & homines omnem beneficã vim gratuitò, & liberaliter infudiſſe: quandoquidem inter famem & peſtem tanta eſt cõſenſio, vt vix, & rarò alteram ab altera ſeparare liceat: quod ſolertiſſimi illi veteres vel ipſis nominibus indicare voluerũt, non aliter quam ſimplici, o, alterum ab altero diſtinguẽtes, *peſtilentiã* λοιμὸν, *famem*, λιμὸν appellantes. Quod verò demum ad ſilentes cicadas, & defectum auium pertinet, quid aliud reſpondeam, prorſus non habeo, præterquam, ſi quis in agro Patauino illarum cantus minus audite, & harum frequentiam minus videre viſus eſt, ſurdaſtrum hũc fortaſſe atque oculis hebetioribus fuiſſe. Sed redeo ad rem. Poſt hæc inquirens Mercurialis, quænam qualitates aëris fuerint hoc tempore cauſa peſtis, tria proponit; malas & tetras euaporationes: varia temporum anni intemperamenta, & particularim autumni conſtitutionem Auſtrinam; tum verò occultam quandam proprietatem aëri cœlitus infixam. Quòd ſi aër nulla ratione peſtem efficere potuit, quæ noſtra eſt ſententia, vt hæc omnia corruant, neceſſe eſt. De poſterioribus duobus capitibus ſatis dictum eſt. De primo nunc breuiter dicendũ. Si memoria repetamus quæ tradita ſunt à Gal. emitti poſſe putridam exhalationem, quæ aërem contaminet, à multitudine mortuorum non crematorum, vt in bello accidit, paludibus, & ſtagnis æſtiuo tempore, & quæcunque tandem animo concipere poſſumus, quæ eandem rationẽ ſortiuntur, nullam (opinor) Venetiis, Patauij, Vicẽtiæ, vt alia loca prætermittam, huiuſmodi exhalationẽ inuenire licet, vnde aër infici potuerit. Etenim quã-quã negandum non eſt, has ciuitates prauis omni-

no quibuſdam exhalationibus obnoxias eſſe, ſi tamen rem ipſam grauiter conſideremus, illas nullum periculū, aut malum afferre, adeóque aërem ipſum temperatiſſimum, & ſalubertimum iis in locis exiſtere non inuiti fatebimur. Namque Venetiis, ſi vllo in loco, homines diutiſſimè viuūt, vt ſim neſcius an alibi tot repetiantur robuſti, & venerandi ſenes. Præterea tum Venetus, tum Patauij aërem ad iuſtū quoddam temperamentum proximè accedere partim alia, partim illud maximè demonſtrat, quo ille ex omni ferè natione homines alat, & ſingulis ſit præclare accommodatus.

Meam Vicentiam prætereo, quam quidem tum aliis nominibus, tū ſalubritate cœli in primis nulli alij ciuitati inuidere arbitror. Quod ſi quis in iis vrbibus exhalationes omnino peſtiferas elatas eſſe cōtendat, & quærenti quamobrē illud hoc vno tēpore factum ſit, & quare iſtæ exhalationes ferè intra muros vrbium, immò verò intra determinatos quoſdam vicos, & certas domos çoërceantur, ita is reſpondeat, vt rem totam in latentes cœlorum influxus, ſeu motum & lumen referre velit, hac ratione facile hic ſe ab omni difficultate explicare, & omnem quæſtionem diſſoluere poſſe videtur. Sed rurſus hunc lapidem mouere cogimur. Etenim Mercurialis cum Hippocrate, Ariſtotele, & Gal. verè ſtatuens nullam cauſam ſine eius, quod patitur, habilitate agere poſſe, adeóque peſte neminem laborare, qui non corporis cōſtitutionem habeat ad illā ſuſcipiendam maximè aptam, & accommodatam huiuſmodi conſtitutionem, & qualitatem duplicem eſſe docet, alteram manifeſtam, alteram occultam, quam definit non aliud eſſe, quàm latentem quandam cordis proprietatem, qua illud à ſe minimè repellere poteſt noxias impreſſiones: quam præter cæteros Auicenna inſinuare videtur, loco de proprietate diſpoſitionis ſermonem habet. Quam profectò abditam cordis conditionem ille præterea confirmat duplici argumento; primum, quoniam aër generaturus peſtem ante omnia cor aggreditur, tum autem quòd niſi hanc cordis latētem vim conſtituas, quamobrem alia corpora, vel intemperatiſſima, & planè cacochyma in media peſtilentia verſentur impune, alia vel temperatiſſima, & euchyma, illa corripiantur, & alia huiuſmodi problemata intelligere vix liceat. At verò neque hanc ego cordis latentem proprietatem ſuſcipio, quam compertum habeo neque Galenum vnquam ſuſcepiſſe, qui quidem corporum manifeſtas affectiones, & conſtitutiones ita perpetuò afferre ſolet, vt quicunque cauſa morbificis magis aduerſatur, immunis conſeruetur; contra quicunque eiſdē magis conſentit, illis facilè corripiatur. Sed loquentem illū audiamus: *Maxima pars* (ille inquit) *generationis morborum eſt eius, quod patitur; corporis habilitas. Subijciatur igitur pro exemplo in ambiente aëre nonnulla peſtilentia ſemina deferri: atque corporū, quæ in eo verſantur, hæc quidem eſſe varijs excremētis referta, parata iam, ex ſeipſis putreſieri, illa verò excrementis vacua, & pura: atque prioribus quidem addatur in multis locis meatuum obſtructio, plenitudo vocata, vita ocioſa in multis epulis, & ebrietatibus, & immodico Veneris vſu, & quæ neceſſariò prædicta omnia conſequuntur, cruditatibus: aliis autem omnibus puris, & excrementis deſtitutis præter ea, quæ illis inſūt, bona, facilis quidem in omnibus meatibus ſpiratio, vtpote nequaquam obſtructis, nec compreſſis, exercitia verò moderata, & prudenter inſtituta victus ratio. Ac deinceps in iſtis hypotheſibus cogita, quomodo vtraque corpora ad inſpirationem putridi aëris affici ſit conſentaneum.*

Nónne veriſimile eſt, illa quidem ſtatim à prima inſpiratione initium putredinis accipere, ac plurimum in malum progredi? quæcunque verò vacua ſunt excrementis, & pura, hæc quidem nullo modo, illa verò paulum laborare, aut vt facilis ſit illis ad naturalem habitum reditus? Sic & cum aëris temperatura à naturæ habitu immodicè receſſit ad caliditatem, & humiditatem peſtilentes fore morbos eſt neceſſe, laborare autem ijs maximè eos, qui iam priùs excrementitia humiditate pleni fuerint, quemadmodum qui moderatis laboribus, ac decenti victus ratione vtitur, omnino in omnibus eiuſmodi affectibus, mali expers permanet. Galenus hactenus: qui præterea nunquam hanc latentem cordis proprietatem agnoſcit, quam profectò tum alibi, tum hoc vno in primis loco ſilentio non prætеriiſſet, ſi modò illam natura conſtantem, & propriis dogmatis conſentientem exiſtimaſſet. Præterito (arbitror) tempore vrgebāt, quæ præſenti vrgent problemata, & paradoxa, quamobrem hic media in peſte ſuperſtes maneat, ille vel minimo commercio contaminetur, & alia huiuſmodi neq; propterea Gal. aut alium quempiam eruditum medicum ad hanc reconditam, & inexplicabilem cordis proprietatem confugiſſe legimus. Quod enim ad Auicennam pertinet, hac in re illum, quod Gal. ſentit, illud idem planè ſentire nos exiſtimamus, quod illius verborum ſeries apertè demonſtrat. *Et communicat multitudini hominum* (ait Auicen.) *qui iterum habent in ſe ipſis proprietatem præparationis. Agens enim ſolùm cum peruenit, & patienti non eſt præparatio, non accidunt, actio, & paſſio.* Et ne quis animo conciperet latentem aliquam proprietatem, quaſi ſe ipſum interpretatus addit. *Et præparatio corporum ad illud, in quo ſumus de præparatione, eſt vt ſint plena humoribus malis, nam munda non forſitan patiuntur ex illo: & corpora debilia iterum patientia ſunt ex eo, ſicuti illa, quæ multiplicium coitum, & corpora dilatatorum pororum, humida multo balneationis.* Hæc ille, qui omnem latentem, & occultam proprietatem vnà cum Gal. prorſus neglexiſſe videtur. Neque ſuperiùs poſita argumenta ad huius rei confirmationem maioris momenti eſſe cenſeo: quanquam enim in peſtilentia cor primum laborat, & totius mali veluti ſons ſtatuendum eſt; ego tamen adhuc non ſatis intelligo, quomodo hinc abſconditam illius proprietatem elicere poſſumus. Sed neque illud perpetuò verum eſſe, nos ſatis ſuperiùs demonſtrauimus, priuatímque illa prope decantata Thucydidis peſtilentia ægroti vno potiſſimùm capite laborabant. Quam quidem ſententiam non ita licet interpretari, quaſi præſtantiam, & nobilitatem viſceris minus intelligamus, cum illud totius vitæ principem, ac veluti arcem eſſe, neq; illo incolumi aliquem interire poſſe non inuiti fateamur: ſed id aſſeueremus in peſtilentia aliàs prope quaſlibet corporis partes aliquando primùm affici; atque in illis totius periculi ſummam conſiſtere, quod ipſi demum cordi neceſſariò communicari non dubitamus. Vt autem de alio quoque argumento nonnihil dicamus, quod multorum animos vehementer mouet, & perturbat, vndenam pleriq; in primis verò veſpillones, chirurgi, & alij infelici huiuſmodi ſeruitio miniſtri deſtinati dies noctéſq; in media peſtilentia verſantes à tanto periculo illæſi conſeruentur. Illorum plurimi ſua quædam recondita medicamenta iactant, quæ ſecreta appellāt, quæ quidem boni quidam, & creduli homines ſtudioſè, & ſæpe non paruo pretio mercari ſolent. Sed quomodo nebulones, & perditi planè homines ea præſidia ſunt conſequuti, quæ grauiſſimi, & literatiſſimi viri multis ſtudiis, & laboribus conſequi adhuc non potuerunt? Alij magis prudēter, & ſubtiliter in longiorē vſum, & familiaritatē hoc referre cōſueuerūt: quaſi verò huiuſmodi homines huic peſtifero commercio diutiſſimè aſſueti quendam

veluti

veluti habitum contrahant, vnde ſine vllo timore tam hilariter viuant,& periculum omne deſpiciant: quando nemo eſt, qoi longioris conſuetudinis vim non facilè intelligat, & illam veluti alteram naturam eſſe neſciat. Sed quamuis ratio ab his allata, quod ad conſuetudinem pertinet, ſatisfacere dubitationi fortaſſe poſſit, attamen adhuc dubium manet, antequam res in habitum, & conſuetudinem abierit, quomodo viles iſti homines peſtiferam luẽ effugiant, cum iam ſe infelici primùm ſeruitio tradunt. Alij aliter ſtatuunt. Ego verò primùm ſum neſcius, an ita ſe res habeat, vt illi tãquam caduceatores incolumes poſſint inter peſtifera tela verſari? quandoquidem maiori ex parte vbique illos miſeros confoſſos eſſe audimus. Venetiis certè fama eſt quatuor veſpillonum millia breui admodum tempore interiiſſe. Sed eſto concedatur hæc quoque iſtorum prærogatiua Huius rei cauſæ, cum aliæ ab aliis afferantur, certiorem illam & veriorem cæteris eſſe nos exiſtimamus. quòd ij plerique altera peſtilentia laborauerint, ſiquidem communi ferè omniũ conſenſione, longioréque experientia iamdiu cõfirmatum eſſe videtur, vt nemo bis peſtilenti morbo malè afficiatur: qnod priuatim annotauit Thucydides, qui hoc in primis nomine, quicumque euaſerant, beatos ab aliis æſtimatos fuiſſe tradit, ac ſi illi nulli amp us mortis periculo eſſent obnoxij: quod quidem priuil gium quanquam maiori ex parte verum, neque prorſus à ratione alienum eſſe nos arbitramur, illud tamẽ quod apud nos res ipſa monſtrauit, haud perpetuò verum eſſe, & quandoque fallere cenſendum eſt. Sed neſcio quomodo nimium digreſſi ad inſtitutam diſputationem reuertimur. Suprà illud nos probare cœperamus, aërem in præſenti peſtilentia ab omni notabili alteratione, & corruptione liberum fuiſſe, atque vniuerſa huiuſmodi mala ex vno externo contagio originem habuiſſe. Quoniam verò nemo eſt, qui non maximam Caput. 6. huius peſtilentiæ cauſam in contagium facilè referat, hoc longiori diſputatione confirmandum non eſt. Quare illud vnum, quod ad aërem pertinet, & in controuerſiam ducitur, ex inſtituto noſtro perſequamur. Itaque præterea quæ iam poſita ſunt, aliis quoque rationibus videmur ſententiam noſtram poſſe comprobare, quas ferè colligit Mercurialis: ex quibus, ne fruſtra ſim longior, nonnullas duntaxat potiores, & ſolidiores nobis liceat afferre. Primum autem ſi noſtræ peſtilentiæ originem conſideremus non modò primariam illam, quæ noſtras regiones, & vniuerſam ferè Italiam infecit, ſed etiã quæ deinceps ſingulas ciuitates & loca contaminauit, ex vno contagio ortam fuiſſe conſtat: quod enim Vicentiæ manifeſtè & ſine vllo dubio factum eſt idem & aliis locis eueniſſe credimus. Neque audiendi ſunt, qui primùm quidem peſtilentiam ex ſolo contagio factam eſſe fatentur, ſed mox aëris vitium acceſſiſſe contendunt, illa ducti ratione, quòd tum Venetiis, tum aliis in locis malum aliquando in vniuerſum vnà cum contagio extinctum fuerit, deinde verò iterum reuiuiſcens maiorem impetum fecerit, quo tempore aëris iniquitatem ſuperueniſſe aiunt Nam rationi omnino, & veritati conſentaneum videtur, ſicuti principio, ita poſteriori tempori, iſthæc mala ab vno & eodem fonte perpetuò dimanaſſe.

Immò verò ſi funeſtam huiuſmodi hiſtoriam repetere, atque attentè conſiderare velimus, facilè cõſtabit vbique tamdiu, & tantum hæc mala ſæuiiſſe, quamdiu, & quantum commercio, & contagio locus permiſſus eſt. Venetiis in principio mala nõ modò fuere valde remiſſa, ſed etiam aliquando, & aliquandiu prorſus extincta non alia (arbitror) ratione, quàm quod ſemina contagij hoc tempore pauca eſſẽt, & paucis in locis ſparſa, quæ propterea grauiſſimorum patrum ſtudio in nihilum facilè redacta ſunt. Sic apud nos terque, quaterque, & ſæpius vna vel altera radix euulſa quod diſſipare eſt, ſed tandem multis ſimul & ſemel ſubortis fontibus (hoc tempore, quod inquiſitionibus & ſcripturis publicis conſtat, duo ſeplaſiarij, alter ad inſigne corallij, alter ad inſigne aquilæ, vnus item coriarius, & alij quidam externis mercibus contaminati miſerè inficiuntur) vſque adeo ciuitas vexari, & affligi cœpit, vt poſtremò ſuccumbere illi neceſſe fuerit.

Hinc neminem eſſe arbitror, qui aut Venetiis, aut Vicentiæ priore illo tempore aërem vitioſum fuiſſe velit. Quod ſi abſq; aëris vitio, tunc non modò vna, aut altera domus, ſed plurimæ ex vno contagio contaminari potuerunt quid prohibet, ſeu hominum incuria, ſeu dolo, ſiue aliter illo aucto, & multiplicato, quin pericula etiam, & mala omnia ſint aucta, & multiplicata, quamuis aër omnis malitiæ fuerit immunis? Præterea aërem inſigniter alteratum, aut putridum, tum aliis argumentis, tum proprio ſenſu vnicuique deprehendere licet, quæ tantum à præſenti ſtatu abfuerunt, vt contrà illa magis adfuerint indicia omnia, quæ aëris benignitatem monſtrare poſſunt.

Neque huius argumenti vim minuit, quòd hæc inſpiciantur, & appareant in magna duntaxat peſtilentia; cum enim hæc noſtra inter moderatas recenſeatur, aëris quoque alterationem, & putredinem ſaltem aliquam, & moderatam affuiſſe oportuit.

Sed hac de re ſatis ſuperiùs, vbi de Auſtrina conſtitutione loquuti ſumus. Cum verò docet philoſophus, aërem eſſe corpus continuum, & fuſum, quod non facilè proprio termino coërceretur: quod ſi ita ſe res habet, quem modum inuenire aut excogitare licet, quamobrem laborante Patauio ab omni malo libera fuerit Vicentia, ac deinceps laborante Vicẽtia, Patauium fuerit incolume? vel magis quamobrem laborante vrbe non modò ſuburbia, & villæ propemodum omnes, ſed etiam determinati quidã vici, immò verò certæ quædam domus, non ſolùm propinquæ, ſed contiguæ domibus infectis ab omni periculo ſeruatæ fuerint? quare tandem huiuſmodi mala in viles potius, & plebeios homines, quàm in nobiles viros graſſata ſunt? Neque hac in re Mercurialis reſponſionem recipio, qui hinc colligit in omni peſte orbem vniuerſum neceſſariò laboraturum eſſe, quod fieri vix poſſe libenter illi concedo: ſiue enim aër qualitatibus alteretur ſiue illius ſubſtãtia contaminetur, quæcunque tandem vtriuſque vitij fuerit cauſa, aut nulla ratione, aut certè difficile id vbique fieri poſſe nos exiſtimamus: ſed aërem veluti quibuſdam tabulis, & quadratis ita diſponi, ac diuidi, vt ſolùm diuerſis in locis alternatim, ſed eadem in domo pars ſiniſtra aëri peſtilẽti, pars dextra non peſtilenti, ſubiiciãtur, illud equidem mente ſatis aſſequi nequeo. Pluuiam, grandinem, & alias aëris impreſſiones varia, & diſperſa loca ſæpenumero occupare cernimus ſed anguſto in loco, variis in partibus alternatim, hoc vſu vnquam eueniſſe non arbitror. Vicentiæ (ne externa exempla petamus) ex decem continuatis domibus vna, vel altera, quæ nullum prorſus commercium habuit, ſalua, & incolumis ſeruata eſt, cæteræ aliarum commercio implicitæ ferè omnes contaminatæ ſunt. Suburbia, caſtella, rura propemodum omnia, cum illud à clementiſſimo Principe eſſent conſequuta, vt à ciuibus ſibi cauere poſſent, nullam peſtilentiam paſſa ſunt. Duæ inter cæteras villulæ (alteram Faram, alteram Pauaranum appellant) ex manifeſto contagio labem contraxerunt, vt plurimi breui laborarint, & interierint, ſed illis maximò ſtudio, & diligentia dies, noctéſque cuſtoditis, ac veluti obſeſſis malum vltra anguſtos illos terminos dilatatum non eſt.

An fieri poſſe exiſtimandum eſt, vt particularia iſthæc, & determinata loca, quãquam anguſtiſſimis terminis circumſcripta, atque vno quidem certo tempore minus ſalutari cœlo ita ſubiiciantur, vt cætera omnia quanquam illis proxima & contigua ab huiuſmodi infortunio ſint libera? Neque verò magis huius rei cauſa in terræ, & corporũ varias conſtitutiones, & præparationes referri poſſe videtur: quãquam enim libenter concedimus, quod autores tradunt, & confirmat experientia, in efficienda bonitate, vel prauitate fructuum terræ partem à parte ſibi proxima aliquando differre, non illud tamen ita fieri nos arbitramur, vt ſuapte natura abſque vlla hominis induſtria huiuſmodi terræ partes vſque adeo mirabiliter alterentur, & tranſmutentur, vt breui temporis ſpatio modò vberes, & iucundos, modò paucos, & inſuaues fructus illæ generent. Sic igitur quanquam Patauinorum, & Vicentinorum corpora, ſeu manifeſtam, ſeu quamlibet etiam latentem conſtitutionem, præparationem, & proprietatem velimus conſiderare, haud ſimilia prorſus eſſe, ſed variis nominibus inuicem differre conſtat, rationem certè aliquam adhuc inire, aut animo concipere non poſſumus, vndenam tanta inter eos varietas, ac diſtenſio oriri potuerit, vt vno tempore alteri ad ſuſcipiendam peſtilentem aëris impreſſionem maximè apti, & præparati, alteri contrà maximè inepti ac repugnantes fuerint; cum alio quouis tempore (ſi hos paucos menſes explicas) vtrique ſicuti breui admodum terræ ſpatio diſtant, ita eundem aërem inſpirare, ac rebus propemodum omnibus vehementer conuenire videantur.

Prætereo monaſteria, hoſpitalia, & alias numeroſas familias, quæ ſibi diligentiſſimè cauentes, omnis periculi fuerunt immunes. Carceres equidem non prætereo, quem locum, ſi alium quempiam, tetris vaporibus, putridis exhalationibus, atque aëri prorſus maligno obnoxium eſſe conſtat, vnde inquinatus aër, ſi vllo in loco, in eo certè proprium venenum emittere, ac vim maleficam demonſtrare debuiſſet, veruntamen ſingulari Dei Opt. Max. beneficio, carceres apud nos ab omni labe liberi, atque incolumes perpetuò ſeruati ſunt.

At vero in peſte, quæ ex vitiato aëre originem habeat, qui fieri poteſt, vt tot, ac tantæ hominum, locorum, rerumque diſſimilitudines, atque diſtinctiones accidere poſſint? Sæua illa peſtis ann. M. DXXVII. & XXVIII. (vt ne magis remota exempla repetamus) quam ex vno in primis aëre ortam fuiſſe aiunt, non hoc certè mirabili delectu modò vnum, modò alterum locum, vniuerſa regione incolumi, neque homines duntaxat plebeios occupauit; ſed, quod patres noſtri referunt, & annales confirmant, vno ferè, atque eodem tempore in omnes Venetiæ ciuitates, vt externas regiones prætermittamus, atque in omnia cuiuſque ciuitatis rura, & oppida, itemque ex omni fortuna homines crudeliter ſæuiit. Cæterùm vt modum aliquem huic diſputationi faciam, quando forte hæc etiam dixi longius, quàm inſtituta ratio poſtulabat, aliis argumentis prætetitis, quæ hac in re multa adhuc afferri poſſent, peſtilentiam noſtram ex vno contagio ortam fuiſſe, manifeſtè (ni fallor) oſtendit curatio. Etenim ſi repetere velimus, quæcunque in vniuerſum ad fuganda & repellenda huiuſmodi mala vbique acta ſunt, illa omnia vnius certè rerum, & hominum commercij atque adeo contagij rationem habuiſſe conſtabit. Sic plerique omnes aut comburendis, aut certè aliter mundandis, & expurgandis veſtimentis, & vniuerſis ſupellectilibus, item arcendis peregrinis hominibus, quos ſuſpectæ, & incertæ ſalutis eſſe intelligerent, omne ſtudium, atque operam ſedulò adhibuerunt: ſic infectas domos claudere, & obſignare, ægrotos cum tota familia ad alia loca transferre, atque illis omnem cum aliis conſuetudinem interdicere conſueuerunt. Sic demum cæteris præſidiis fruſtra tentatis, tanquam ad ſacram anchoram ad vniuerſam ciuitatis ſequeſtrationem confugere coacti ſunt. Quod ſi non ſolùm contagium, ſed præterea inquinatum aërem peſtilentiæ cauſam ſtatuimus, non tantùm illiùs, ſed etiam huius rationem certè habuiſſe decebat.

Quocirca (inquit Galen.) *ſummis laudibus proſequor admirandum Hippocratem, qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repulit, quam aërem purum facienda, ne ab hominibus (qualis tunc erat) infectus hauriretur. Itaque præcepit, vt per vniuerſam ciuitatem ignes accenderentur, qui non ſolum è ſimplici materia conſtarent, ſed bene olentes coronas, & flores haberent: talia ſiquidem ignibus alimenta ſubminiſtrari conſului, &* De Ther. ad Piſ. c. 16. *vt vnguenta quàm pinguiſſima infunderent, & id genus alia bonum odorem fundentia, vt hoc pacto ciues aërem purum inſpirantes ab imminenti lue tuti forent.* Sed iis de rebus poſteriore libro dicturus, huic diſputationi iam finem facio, quam vnuſquiſque pro certo habeat, maximè velim, me non inſtituiſſe calumniandi, aut laceſſendi alicuius ſtudio, à quo crimine, ſi quis alius longiſſimè abſum, ſed vt in re difficili diu, multumque agitata, & controuerſa ad inueſtigandam, eruendamque veritatem, ego quoque qualiſcunque ſim meam ſententiam explicarem: quam quidem doctorum omnium iudicio, ac cenſuræ libentiſſimè ſubiicio, paratus vbique meliorem opinionem amplecti, ſi modo illa mihi beneuolè, & certa ratione demonſtretur.

TRACTAT. I. LIB. II.

DE PESTE.

PRIORE libro de eſſentia, cauſis, & ſignis peſtilentiæ tractatum eſt; modò in hoc altero de illius præſeruatione primùm, mox de curatione tractabimus. In qua vniuerſa tractatione propoſitum nobis eſt veteres medicos, atque vnum in primis Galenum imitari, neque ab illorum diſciplina vnquam diſcedere. Cum igitur, quod nos ſatis ſuperiùs probauimus, & à nemine in controuerſiã reuocari exiſtimamus, plerique omnes morbi fiant peſtilentes, ac veram peſtem conſtituant propter vnam inſignem, atque excellẽtem putredinem, vnicuique in primis danda eſt omnis opera, vt corpus optimè nutriatur, atque in eo ſint ſucci optimi, ab omni praua qualitate, adeóque ab omni putredine, & corruptione alieni.

Quandoquidem illud eſt certo certius, quicunque propria corpora ſeruant ab excremẽtis vacua, puraque, illos minimè omnium huiuſmodi morbis corripi, ac ab omni periculo tutos fore. Sic apud Galenum vnus & primus in omnibus communis 1. De diff. feb. cap. 4. eſt ſcopus, vt homines morbis peſtilentibus conſeruentur immunes, ſi corpora maximè vacent excrementis, & bene tranſpirent. Secundus ab eo, vt dominanti cauſæ, quoad fieri poteſt repugnetur. Porrò corpora vacant excrementis, ſi hæc primùm de corpore educantur: tum verò ſi homines aliquam ineant rationem tum alimentorum, tum medicamentorum, vnde in poſterum nulla amplius

plius gignantur. Excrementa duci, atque adeo corpora vacuari ſolent non vna ratione, potiſſimùm autem miſſione ſanguinis, & medicamentis. Quemadmodum igitur illorum ſententiam prorſus non approbo, qui delectu omni, & diſcrimine remoto omnes homines purgandos eſſe contendunt, id quod incommodè aliquando, & periculosè magis, quam commodè, & vtiliter fieri animaduertimus: ita ſi moderationem quandam adhibens, vtriuſque præſidij vſum non repudiamus.

Etenim ſi ſit aliquis incorrupta ſanitate, corporiſque bona habitudine, ſuapte natura non modò alienus, ſed etiam abhorrens à medicamentis, hunc ego temere, niſi forte illi graue periculum immineat, cruciandum, & torquendum eſſe non arbitror. Atque hoc equidem iudicio pleriſque hoc calamitoſo peſtilentiæ tempore, qui anxio, & ſolicito animo purgari cupiebant, cum huic rei minus apti viderentur, conſiliatus fui, vt ab omni purgatione, & corporis agitatione abſtinerent, ſed illius vice accommodatam magis, & frugi victus rationem inſtituerent. Quod ſanè conſilium & nos ipſi ſequuti ſumus quanquam periculoſam ſæpe, & ancipitem conſuetudinem cum morboſis hominibus habere nos oportuit. Contrà verò ſi fuerit quiſpiam incommoda, atque infirma valetudine, non ſatis robuſtus, ac valens, medicamenta facilè ferens, aut qui præterea cacochymiæ vitio, vel plenitudinis onere ſe grauari ſentiat, huic ego purgationem aliquam tum vtilem, tum neceſſariam fore exiſtimo. Cæterum vt ne hac etiam in parte noſtra deficiat tractatio, quanquam difficile eſt; certum quendam purgationis modum omnibus conuenientem inuenire, ad inſtruendos in primis nouitios pauca hîc annotare non grauabimur, quæ ad hanc rem magis opportuna, & accommodata videri poſſint.

Itaque ſi quis ad præcauendam peſtilentiã excrementa purgari, & corpus vniuerſum inaniri ſibi velit, conſtituta primùm ſalutari victus ratione, qua neglecta, cætera omnia fruſtra fieri certum eſt, huic ante omnia, leniore aliquo medicamento aluum leniendam eſſe exiſtimamus: cui quidem perficiendo operi caſſiam, mannam, ſyrup. violaceum, roſaceum, & alia huiuſmodi benedicta, vt vocant, medicamenta minimè importuna, & repudianda eſſe nos arbitramur, quæ nonnulli propter neſcio quam nimiam eorum humiditatem reiicere ſolent: ſi modò illis addantur, quæ tum flatus, tum omnem eorum malitiam corrigere, atque vnam in primis putredinem prohibere poſſint. Iis nos familiariter permiſcere ſoliti ſumus hieram Galeni, pilulas de tribus Ruphi, ſp. diarhodum, ſcordium, hyſſopum, ſem. citri, aniſorum, & alia odorata. Atqui vulgo iam receptum eſſe audio, vt huiuſmodi medicamentis tum præſeruando, tum curando theriaca, & Mithridatũ peropportunè commiſceantur: quam profectò miſcendorum medicamentorum rationem ſatis probare nequeo, quanquam huius opinionis autorem non ignoro fuiſſe præclariſſimum, ac longiori vita digniſſimum Franciſcum Frigimelicam, meum quondam in medicina præceptorem nunquam pœnitendum: quem virum (pace aliorum dixerim) Medicorum omnium tum præſentis, tum præteritæ ætatis facilè principem fuiſſe non dubito.

Quamobrem verò huiuſmodi mixtionem minus probare ſoleam, non illud tantum me mouet, quod theriaca, & Mithridatum vim habeant ſiſtendi motionem cuiuſlibet medicamenti, à quo potiſſimùm periculo cauendum iubet Galenus, ſed etiam id maximè, quod huiuſmodi antidoti vna cum medicamento leniente vix ante prandium exhibitæ, importunè exhiberi videntur: ſi quidẽ medicamenta, ſi quod aliud, validiſſima, ac ferè diuina longiſſimum inter cætera omnia temporis ſpatium, ab omni alimento, & impedimento liberum non iniuria poſtulant, vt à natura ſuperari, & in actum deduci poſſint. Et quanquam illa in modica quantitate exhiberi aiunt (vtriuſque drachma circiter medicamento permiſceri ſolet) ſum ego neſcius quomodo non eadem argumenta vrgeant: etenim Galeno autore antidotum aſſumere tibi non licet, antequam cibos probè concoxeris, nec amplius repletum te ſentias: & quantumcunque parua illius quantitas certum temporis ſpatium requirit ad illius concoctionem. Immò verò medicamentum ille varia menſura exhibendum eſſe docet ad proportionem temporis, quod ad illius coctionem ſupereſt. *Recte facies* (ille inquit) *ſi varia menſura theriacam ſumas, interdum ad Ægyptia faba magnitudinẽ ex duobus aquæ cyathis, quãdo modicum interuallum tibi ſupererit ad antidoti concoctionem, interdum ad nucis auellanæ quantitatem ex tribus aquæ cyathis, quando plus temporis habiturus es, quo illa in corpus digeri poſſit.* Cum igitur huiuſmodi antidoti vim cuiuſlibet medicamenti remittere, & impedire poſſint, & tanquam res quædam ſacroſanctæ, neque antè, neque poſt ab alimento contaminari ſe patiantur, illa nos quantũuis modica menſura exhibeantur, vnà cum medicamentis lenientibus præter rationem, & præter Galeni mentem exhiberi exiſtimamus. Plerique omnes ad leniendam hoc tempore aluum, inſignem prærogatiuam attribuunt tamarindis, præſertim ſi caſſiæ, vel alteri medicamento permiſceantur: alij contrà quòd illi careant inſigni adſtrictione, & ventriculum ſoleant labefactare, eorum vſum non ſatis commodum eſſe contendunt. Ego verò moderatione quadam adhibita, cum tamarindis perpetuò vtendum non eſſe cenſeam, ſi aliquando accidat, vt quis multa bile abundet, & illi ab huiuſmodi potiſſimùm humore periculum immineat, iam illis, caſſiæ præſertim, & aliis medicamentis admixtis libenter vtor, quando ſatis conſtat, hoc medicamentum in educendo, compeſcendóque furioſum hunc humorem, cætera omnia medicamenta leniora facilè ſuperare. Hoc loco illos prætereo, qui frequenter vtuntur electuariis, vt vocant, lenitiuo, diaſebeſten, diacaſſia, diabrunis, & ſimil. quibus nunquam nos vtimur, niſi inuiti, ſi deſint ſimplicia medicamenta: etenim, vt pleraque alia incommoda prætermittamus, quæ cum illa afferunt, ſingula ferè ingreditur caſſia, quæ breui admodum tempore corruptione immunis conſeruari poteſt, præterquam quod, dum coquitur, vt nonnullæ eius partes, & forte vtiliores euaneſcant, neceſſe eſt. Sed de aluo lenienda ſatis. Tum verò iis medicamentis agendum eſt, quæ deinceps corpus ad purgationem præparare, atque imminentis putredinis rationem habere creduntur: quorum profectò ratio debet eſſe diuerſa, vt diuerſo modo ſe habent ſubiecta corpora: Etenim ſi quis tenuioribus, & calidioribus ſuccis abundet, opportunè illa exhibentur, quæ frigidiora cum ſint, huiuſmodi ſuccos domare, ac illorum veluti feruorem compeſcere poſſunt, qualia ſunt in primis cichoracea omnia, acetoſa, borrago, bugloſſa, &c, ex quibus paratum decoctum aſſumendum eſt, aut ſolum, aut præterea additis ſyrupis, ſi modò illis delectaris cichoraceis omnibus, ex ſuc. acetoſæ, acero ſimpl. roſato rec. & ſimil.

Sin autẽ ſucci craſſiores, & frigidiores magis videantur redundare, nulli non conſtat exhibenda eſſe medicamenta calidiora, & quæ maiorem vim habeant attenuandi, incidendi, abſtergendi qualia ſunt decoctũ betonicæ, hyſſopi, ſcordij, dictamni, meliſſæ, rad. quinque folij, illius, quam angelicam dicunt,

lib. Quos Quando, &c

De The. ad Piſ. cap. 2.

myrrhidis, ariſtolochiæ, ſyr. de betonica, de ſcordio, de corticibus citri, mel roſaceum oxymel, & ſimil. Inter quæ, non hac ſolum in re, ſed in omni tum curandi, tum præſeruandi ratione ſingulari quadam prærogatiua ſcordium nos magni facere ſolemus, ſiue redactum in puluerem, ſiue decoctum, ſiue quo-
1. De antid. cap. 10. cunque tandem modo illud paratum fuerit. *De quo, illuſtri prorſus teſtimonio, literarum monumentis* (inquit Galenus) *traditum eſt à quibuſdam celebribus viris cum in prælio interfectorum cadauera, multos dies inſepulta iacuiſſent, quæcunque ſupra ſcordium forte fortuna acciderant, multo minus aliis computruiſſe, ea præſertim ex parte, qua herbam attigerant.* Ob quam rem ſanè perſuaſum eſt omnibus, tam reptilium venenis quàm noxiis medicaminibus, quæ cor-
9. De ſimp. medic. fac. pus putreſcere faciunt, ſcordium aduerſari. Pariter Epheſtianus ille apud Lemnum, qui librum de vſu terræ Lemniæ Galeno dono dedit, inter cætera omnia, quæ putredini reſiſtere videntur, ſcordium in primis prædicare ſolitus fuerat. Alij mirum in modum celebrant acetoſam, atque illius maximè ſuccum expreſſum, quicunque ſiue per ſe, ſiue cum aliis medicamentis ſit illius vſus, vt in maxima peſtilentia huic vni medicamento ſalutem referant acceptam. Quod ſi demum, vt ferè fit humores non ſint vnius generis, ſed omnes ſimul commiſceantur, & confundantur, medicamenta pariter ita inuicem permiſcenda ſunt, ac temperanda, vt omnium indicationibus ſatis illa facere poſſint. Porrò vno, aut altero die poſt aſſumptum leniens medicamentum præter cætera omnia præſidia illud ſummopere nos probamus, vt huic ſanguis mittatur ex vena iecoris, aut communi conſentiẽtibus ſcopis principibus, qui huiuſmodi remedium neceſſariò indicãt. Quam rem ex propoſito aliàs & diffusè à nobis diſputatam hic longiùs non perſequimur. Sanguis autem (mea quidem ſententia) moderatè mittendus eſt, animaduertendo corporis habitum, temperamentum, plenitudinem, conſuetudinem, tempus anni, & alia eiuſmodi, quæ huius præſidij quantitatem determinare ſolent; ſed omnium maximè illud in primis cogitando, vt ille iterum commodè auferri poſſit, ſi ita occaſio, ferat. Atque hoc ſanè auxilium hac in re vſque adeo præſtans, opportunum, & ſalutare cenſendum eſt, vt planè ſim ego neſcius, ex infinitis, vel incerto diſcrimine verſatis, an aliquis, cui ſanguis in tempore miſſus fuerit, in peſtilentiam inciderit. Nonnullis medicis pro certo, reconditóque præſidio illud maximè probatur, vt ſingulis menſibus ſtatim ab interlunio ſanguis parcè detraha-
De cucurbit. ſacr. &c. c. 4. tur: aduerſus quorum ſententiam ſcribit Galenus minimè rationi conſentaneum eſſe, eodem anno frequenter venam incidere, quandoquidem cum iterata huiuſmodi ſanguinis copia vitalis quoque ſpiritus emittitur, quo ſanè abſumpto crebrius quidem moles vniuerſa frigeſcit, tum animales functiones omnes deteriores redduntur. Quod quidem, ſi aliàs vnquam verum, hoc tempore veriſſimum eſſe nos arbitramur, quando præſtat robuſtum corpus: & valens ſtudioſè conſeruare, vt illud fortiter impetum tanti mali ferre poſſit.

Si cui propter ætatem vires, aut aliud incommodum, ſanguinẽ ex vena mittere non liceat, quod iam volgo receptum eſt, huic inciſis cucurbitulis illam nos mittere conſueuimus: quas ſanè non modo ipſi dorſo, ſed longè opportuniùs aliquando inferioribus partibus apponere decet. De qua particularim vacuandi ratione poſterius tractabitur. Lenita aluo, miſſo vtcunque ſanguine, inſtitutis medicamentis ad ſuccorum coctionem, adeóque totius corporis præparationem, quò tempore magis opportunum videbitur, medicamentum poſtremò expedit exhibere, iis adhibitis animaduerſionibus noxij humoris, ætatis, temperamenti, anni, temporis, & ſimil. quas hac in re adhiberi æquum eſt, ſed ita tamen, vt in vniuerſum à vehementibus, & violentis medicamentis perpetuò abſtinendum eſſe cenſeamus, quæ omnia certò ſcimus, vel Galeni teſtimonio corpora noſtra incendere, mirum in modum perturbare, atque naturæ hominis aduerſa, quodamque modo lethalia eſſe. Nobis, præter cætera omnia maximè probatur rhabarbari vſus, atque eo magis, ſi caſſiæ, vel aliis lenientibus medicamentis permiſceatur: rhabarbarum enim quibuſcunque ferè humoribus educendis videtur ſatis accommodatum, atque inter multas notabiles dotes, quibus donatum eſt à natura, hanc in primis ſortitum eſt, vt venenis reſiſtere, & cor ipſum corroborare credatur. Plerique omnes vulgo, tum præſeruando, tum curando familiariter vti conſueuerunt tryphera Perſica: quod Arabum medicamẽtum maximis laudibus efferunt. Sed qui medicamenta ſingula, quæ illud ingrediuntur, ac illius componendi rationem accuratè conſideraret, facilè intelliget huiuſmodi medicamenti compoſitionem eſſe non ſolùm plenè longam, & negotij plenam, ſed etiam à Galeni methodo longè abhorrentem: vt illud priuatim omittatur, nos recentibus myrobalanis carere, à quibus plurima vis medicamenti expectatur. Vnde cum ſimplicibus multo paucioribus, & facilioribus hoc ipſum conſequi nobis liceat, temere, & fruſtra ad ea, quæ difficultate, & confuſione non carent, confugere nos videmur. Ac de purgandis corporibus hactenus. At verò quoniam laborem vnuſquiſque hac in re inutiliter, & fruſtra ſuſcipere, omnémque operam perdere non iniuria videri poteſt, niſi ſemel expurgato & mundo corpore is ſimul ſtudeat, vt illud in eodem ſtatu diutius conſeruetur, neque in poſterum noua excrementa gignantur, propterea tota mente, ac omni ſtudio in hanc curam incumbẽdum eſt. Hoc porrò præſtat in primis tum opportuna, accommodatáque viuendi ratio (qua voce non modò alimenta, & potiones comprehendimus, ſed etiam motionem, & quietem, ac res omnes, quas medici non naturales appellant, ex quarum vario vſu, & moderatione corpora noſtra mirabiliter affici, & alterari conſtat) tum etiam certa quædam, ſiue medicamenta, ſiue antidota appellare velimus, partim intrà aſſumpta, partim extrà appoſita, quæ quidem, ſeu alterando temperiem, & primas qualitates membrorum principalium, quæ naturæ limites excederent, ſeu propria magis, ac latente quadam proprietate, ſeu quoquo tandem modo calorem natiuum roborando, non ſolum impedimento eſſe videntur, quominus excrementa gignantur, & putredines fiant, ſed corpora etiam ita diſponunt, præparant, & confirmant, vt violentiæ cuiuſlibet veneni, in primíſque peſtilentis reſiſtere poſſint. Vtrunque nos caput breui oratione perſequemur. Quod ad res illas attinet, quæ in victus ratione conſiſtunt, in primis occurrit aër, quem frigidiorem prorſus, & ſicciorẽ eligendum eſſe conſtat, quãdo illum putredini contrariũ eſſe oportet, quę peſtis cauſa eſt proxima, vt antea diximus, atq; à calore, & humiditate proficiſcitur. Quamobrem domicilia frigidiora aliquanto ſint, & Septentrioni potius, quàm aliis cœli partibus expoſita: ſumma cum diligentia purgentur, & munda ſeruentur, vt ne puluerulenta, vel immunda aliquo ſiot, tum verò in primis ne prauum aliquem odorem contrahant. Medici antiquiſſimi igne potiſſimùm vti conſueuerunt: quorum omnium facilè princeps Hippocrates in ea peſtilentia, quæ ab Æthiopia in Græcia delata omnium maximè Athenas vexauit, ingentes paſſim ignes ſuccendi iuſſit, vt paulò antè diximus, ex lignis odoriferis herbíſque, ac floribus ſuauitatis, variis præterea adhibitis aromatis

tis

tis & pretioſis vnguentis. Qua vna profectò ratione, aëre tenuiore, ac puriore reddito, adeóque ab omni corruptela vindicato, eos populos ab impendente grauiſſimo periculo liberauit; atque ille hoc nomine ſtatuam auream eſt meritus apud eoſdem Athenienſes, inſigne tanti beneficij monumentum. Itaque nos pariter nihilominus decet in aëris deputationem iocumbere, quanquam (quod in præſentia vſu veniſſe exiſtimamus) ille ab omni vitio videtur alienus. Namque ita noo ſolum veriſimile, ſed etiam neceſſarium eſt contagioſæ labis vires eneruari, corporáque firmiora, & ad reſiſtendum aptiora reddi, quominus eadem corripiantur: in quem certè vſum nihil igne eſt præſtantius, quanquam ille calefacit, vtpote qui eximia quadam ſiccitate, & vehementi agendi vi facilè abſumit ſuperuacaneum quemuis humorem, & omnia conuertit io propriam ipſius naturam. Expediet igitur, ſi noo ita in locis publicis, ſaltem io priuatis domibus igne contineoter vti: atque ille tanto præſtantior erit, quanto e ſiccioribus tum natura, tum repoſitione lignis fiet, putà quercu, pinu, fago, abiete, olea, iuuipero: quibus ſubinde addantur flores, & alia odoramenta, lauri folia roſmarinus, ſaluia, hyſſopus. thymus, ſerpillum, pulegium, roſa, citri flores, cortices, lauendula, & alia id genus. Sed priocipem hac io re locum habent arom ta. xyloaloes, cinnamomum, caryophyllum, myrrha, ſtirax, calam. belzuin, ambra, moſchus, & alia huiuſmodi; quæ quidem tum per ſe ſingula, tum inuicem commeſtation id tantum præſtare poſſunt, vt igni ſubiiciantur, ſed etiam vt particulatim ſuffitus ex iiſdem fiant, ſi in vaſe accommodato prunis impoſita lentè, ac leoiter euaporent. Qui compoſitam deſiderant ſuffimentorum materiam, trochiſcos habent de galla moſcata, de myrrha, de camphora, de ligno aloë ab aromatariis parari ſolitos, cum vnicuique nihilominus liceant, horum exemplo alia quoque ſibi parare vt libet. Cæterum dum hæc, & quæcunque tandem alia remedia io vſum adhibentur, diligentiſſimè animaduertere decet temperamentum hominis, ætatem, & conſuetudinem, ſed in primis anni tempora, conſtitutionéſque, & quantum hæc poſtulant, ipſa quoque remedia temperiem recipiant, & modum caloris, aut frigoris, humiditatis, aut ſiccitatis Quamobrem æſtiuo tempore nemini dubium eſſe arbitramur, quin oporteat, vel omnino prætermittere, vel inſigoiter ſaltem moderari, & ignem. & reliqua omnia, vnde corpora noſtra ioccodi, & inflammari, adeóque io pericula, nec pauca, nec leuia trahi facilè poſſunt. Quod ſi quis iunior particulari adhuc exercitatione hoc ipſum magis intelligere cupit, æſtate optimum erit ædes primum accuratè ab omni ſorde expurgatas mox ſuffire odore pomorum, & citoniorum redolentium, aſperſione aquarum, è roſis, è violis, è myrto, quibus & addi acetum poteſt quod perpetuò inſignem quaodam hac in re prærogatiuam habere videtur: immò verò poteſt & ipſis ſuo tempore floribus thalamus ſterni, violarum, roſarum, nymphææ, tum & foliis vitium, ſalicis, myrti, & huiuſmodi aliis, quæ tamen reuocanda frequeoter ſunt, ne dum areſcunt. parui aliquid odoris emittant. Ex. g. Rec. aq. roſarum, myrti, an lib, s. aceti vnc. ij. pulueris ſandalorum, iridis odoratæ an. drach. ij. caryophyllorum ſeu ſtyracis calam. drach. j. quæ miſta leuiter ebulliant. At verò tempore frigidiore licebit ad calidiora confugere, vt ſi aquæ roſaceæ permiſceantur caryophylli, ſtirax calam. belzuin, ambra, moſchos; & ea compoſitis ſpecies cordiales qua vacant, temperatæ, diambaris, diaſmoſchus, & huiuſmodi. Qua veluti regula conſtituta hæc remedis variis anni temporibus facilè aptari poſſe videntur.

Sed illud tamen hoc loco nullo pacto prætereundum eſt, quod miror à paucis aoimaduerti, vt tum io ſuffimentis, tum in aliis omnibus remediis adhibendis, quæ odoramenta ſuſcipiunt, talis adhibeatur modus, & temperatio, vt perpetuò vitcotur illa, quæ ſummè odorata, acuta, & calida ſunt; etenim præterquam quod hæc totum ſæpenumero corpus excalfaciunt, inflammántque; peculiari quadam vi capitis dolorem, & grauitatem inducere conſueuerunt. Ad hanc, quæ de aëre eſt, tractationem illa mihi videntur remedia pertinere, quæ odoris gratia paſſim manibus geſtari ſolent: nam huiuſcemodi odoramenta afficiunt, atque alterant aërem illum proximum, & particularem, quèm certum eſt tum cerebro, tum cordi, in primis verò ipſis ſpiritibus plurimum afferre & roboris, & nutrimenti. Communi quadam conſuetudine plerique omnes vti ſolent pila ex ladano, cinnamomo, myrrha, caryophyllis, & aliis id genus medicameotis calidioribus, quæ vt modò admonuimus, ſuapte natura euaporationem capiti infeſtam excitare, ac perſæpe cor & vniuerſum corpus inflammare ſoleot. Quamobrem hæc (ni fallor) interdum magis officere, quàm prodeſſe valeot: ſiquidem illud pro certo habendum eſt, quod & antea ſtatuimus, quæ præſeruare à putredine, aut eandem curare poſſunt. frigidiora, ſicciorâque eſſe oportere, non tamen ſine aliqua leui caliditate, quæ reliquis veluti viam ſternat, & medicamenta eo deducat, quò expedit illa peruenire. Itaque multo magis mihi probarentur, huiuſmodi pilæ ex ladano, ſi rebus frigidis, & ſiccis temperentur, roſis, violis, floribus nymphææ, camphora, ſandalis, &c. Tempore frigidiore hoc ſit exemplum *Rec. ladani vnc. j baccarum myrti, ſandalorum, roſ. rub. flor. citri, iridis odorata an. drach. ij. caryophyllorum, nucis moſchata, ligni aloes an. drach. j. ambra, moſchi an. gr. v. cum oleo ſpicato odorato, & pauca terebinthina cypria, miſ. & in commodam formam redigantur.* Tempore calidiore. *Rec. ladani infuſi aqua roſacea, baccarum, & fol. myrti flor. roſar. violarum, nymphaa, ſandalorum an. vnc. s. camphora, belzuin, ſtyracis calam. an. ſcrup. j. moſchi, gr. iiij. cum aqua roſacea miſ. & ad finem adde parum terebinthina*, qua huiuſmodi miſturæ optimam, & vſui accommodatam formam ſuſcipiuot. Vſurpari etiam ſolent pilæ tum ex argento, tum ex auro, quæ metalla nobiliſſima, nonnulli putant peculiarem quandam vim obtinere aduerſam rebus omnibus maleficis, veoenatis, & peſtilentibus; aut præterea ex ligno, quæ mihi magis probantur, atque eo magis ſi è cupreſſo, iunipero, lauro, lentiſco fierent, intus cauæ, & foraminulentæ, intra quas parua ſpongia recondinir imbuta liquore aliquo, & medicameoto accommodato. Quem quidem vſum reprehendere nou licet, ſi modo illi eadem ratio, normaque adhibeatur, quam de ſuffumigiis, & pilis modò præſcripſimus. Æſtate igitur licebit vti aqua è roſis, è myrto, adiecto pauco aceto, roſis, ſandalis, camphora: hyeme aqua ex roſis, meliſſa, addendo parum vini aromatici, ſandala. caryophylla, & moſchi pauxillum. Huiuſmodi pilæ familiariter manu geſtantur, ſæpe aperiuntur odoraotur, & ſi forte præſentius impendeat periculum, liquore è ſpoogia expreſſo nares faueotur. Sunt tamen qui hoc loco omnia bene olentia reiiciant, vtpote quæ videantur potius veoeficam materiam ad ioteriores partes deducere, atque eiuſdem penetrationes iuuare: vnde iſti fœtida potius eligunt, qualia ſunt ſulphur, caſtoreum, & cætera huiuſmodi: quorum opinio probari mihi oon poteſt, vt poſterius dicam, quum ſermo erit de ratione domuum purgandarum. Hactenus quæ ad aërem ſpectant. Accedo ad cibi, potuſque rationem. Quo loco non eſt. vt fruſtra ſim loogior io enumerandis rebus ſingulis, hinc

quidem probis, & proficuis, illinc verò vitioſis, & noxiis partim quod experientia liceat vnicuique facilè intelligere, quæ huius, queve illius generis ſint, partim quod cumulatam hac de re tractationem contineant medicorum libri, eorum præſertim, qui ex propoſito huiuſmodi argumentum tractandum ſumpſerunt. Quamobrem ego pauca dumtaxar quædam, & breuiter quidem annotabo, quæ ad rem, de qua agimus in præſentia, magis pertinere videntur. Tribus capitibus vniuerſa ciborum ratio comprehenditur à Galeno, qualitate, quantitate, vtendi modo. Quod ad qualitatem attinet, ſunt qui in vniuerſum cibos improbant calidos, humidóſque, tum actu, tum poteſtate, idque imminentis putredinis ratione, quæ frigida in primis, & ſicca poſtulare videtur: quos quanquam ego puto opinione falli. non ſolum in præſeruandi, ſed in curandi quoq; ratione, vt longiori diſputatione monſtraui, cum de curatione febrium malignum, peſtilentiúmve ſcriberem: illud tamen optimum eſſe arbitror, vt cibaria calidiora alioqui, & humidiora ita attemperentur, & alterentur, vt tum actu, tum poteſtate putredinem perpetuò reſpiciant, & præſentem, & imminentem. Itaque cibi ſint coctu faciles, minimè excrementij, quique aut ſuapte natura, aut appatitione ad frigiditatem, & ſiccitatem potius vergant, quàm ad oppoſitas qualitates: Id vno, aut altero exemplo declaremus. Carnes optimæ: puta pulli gallinacei, vituli, & ſimiles, quarum aſſiduus, & familiaris eſt vſus, non parum abiicient humiditatis, ſi dum coquuntur, aliquid illis adiiciatur petroſelini menthæ, ſaluiæ, ſaturciæ, roriſmarini: ſi dum comeduntur, vel aceto ſolo, vel intinctu aliquo condiantur qualis ille eſt ex. g. qui parati ſolet ex amygdalis, aceto, vel omphacio, aqua roſacea, & ſaccharo, non iniucundus: ſi pariter vna cum illis aſſumatur aliquid citri, arancij, olearum conditarum, fœniculi, quæ familiaria ſunt, & in promptu omnia. Iuſculorum eadem eſt ratio: inter quæ ptiſana hordeacea principem locum tenet, quæ tempore præſertim calidiore admirabilem poteſt, & multiplicem vſum præſtare. Hæc item plurimum deponet humiditatis, & aliquantum etiam nimiam frigiditatem remittet, ſi vna cum hordeo decoquatur petroſelinũ, mentha, aut ſi iam decocto admiſceatur piperis parum, quod in more apud Galenum interdum fuiſſe legimus. Piſces ego non omnino arbitror eſſe contemnendos, vt nonnullos prorſus eos contemnere audio, ſi modo illi in probatis aquis, & mari potiſſimùm degant, carne ſint molli, ac friabili, ac demum ſint opportunè præparati. His veluti exemplis propoſitis, facile poterit vnuſquiſque ſuo marte de reliqua ciborum materia decernere: nimis enim excreſceret tractatio noſtra, ſi omnia perſequi ſigillatim vellemus. Quod ſi quis aromata etiam requirit, quibus cibaria condiantur, quo tum horum humiditas remittatur, tum appetentia excitetur, tum etiam concoctio iuuetur, in gratiam iuniorum parari poterunt hoc exemplo. Ric. cinnamomi, gingiberis, galangæ an. vnc. s. caryophillorum, macis, zedoariæ, an drach. j roſarum, margaritarum præpar. raſuræ eboris, ſem. aniſorum, coriandrorum, baccarum myrti, ſandalorum omnium an. drach. ij. croci drach. a ſaccharı ad pondus omnium. Hoc erit nec iniucundum, nec intemperatum genus aromatum, quibus aut adiici, aut demi poterunt calida vel frigida, vt anni tempus exigere videbitur, & cæterà, de quibus antea diximus. In ſtatuenda potus ratione plurimum pollent natura corporis, conſuetudo, ætas, regio, tum verò in primis anni tempora, quorum omnium conſideratio nunquam eſt omittenda. Veruntamen hæc vniuerſim mea eſt ſententia, pleriſque omnibus conuenire vina tenuia, pellucida, colore minimè intenſa; ſed alba, aut fulua. Etenim ſum ego neſcius, qua ratione freti nonnulli, periculoſis huiuſmodi temporibus, vina malint eligenda eſſe grãdia, firma, craſſa aut ab his regionibus petita aut ab orientalibus, qualia ſunt maluariarum oppicatum, liaticum, & ſimilia. Quis enim dubitat, quin hæc inſigniter calefaciant, in caput exhalẽt, humores vrant, & omnino multorum malorum autores eſſe poſſint. Si quis vellet, quo tempore vindemia fit, vinum medicatum ſibi parare, vt priſci conſueuere, id mihi magnopere probaretur, ad quod præſtandum, hyeme opportuna eſſent betonica, abſinthium, meliſſa, citri ſemina, baccę iunıperi: ęſtate cichorium, ſõchus, roſæ, myrti baccæ: qua de re diligentem, & diffuſam tractationẽ Dioſcorides pre cęteris eſt perſecutus. Hoc nõnulli nimis ſuperſtitioſi fortaſſe homines ipſa quoque dolia iubent conficienda ea iunipero, lentiſco, fraxino, lauro, tamarice; Alij cyathos quoque ebibendo vino dicatos ex eiſdem lignis putant, vt Germani quidam ſolent; non deſunt & qui (vt ſuperiùs dixi) occulta quadam vi prædıti videantur, qua reſiſtere credurentur malis omnibus veneficia, & peſtilentibus. De quantitate, & vtendi modo, cibis & potibus adhibendo, difficile admodũ eſt certi quicquam ſtatuere cum diuerſis hominum temperamentis, ætatibus, conſuetudinibus, & aliis conditionibus diuerſa quoque, ac incerta debeatur menſura, & ratio viuendi. Attamen ego pauca quædam cenſeo non eſſe ſilentio prætereunda, quæ ferè cuiuis conuenire, & maiori conſideratione digna eſſe videntur. Illud igitur vnicuique in primis animaduertendum eſt, vt crapulam, & repletionem omnem fugiat, neque id committat vnquam, vt plus aſſumat, quàm propria ferat natura: ex hoc enim veluti fonte ortũ ducere, ac fluere conſueuerunt, cruditates, obſtructiones, atque aliæ propemodum innumeræ grauiſſimorum morborum cauſæ. Præterea det operam, vt ne cibos ſimul ingerat plures, varios, inter ſe diſcrepantes, & fortaſsè contrarios, etenim ex huiuſmodi errore fit, vt dum alius alio citiùs coquitur, magna oboriatur ventriculi agitatio, moleſtiaque ac totius corporis quædam veluti ſeditio. Denique illam rationem, atque ordinem ſeruare decet quam ratio docet, quam Galeni, & optimi cuiuſque medici autoritas confirmat, vt primùm illa ſumantur, quæ facilem, & citum habent ad inteſtina deſcenſum, quæque, ſi diutius morentur in ventriculo, facile corrumpuntur; deinde verò quæ tardius deſcendunt, vt omnino humida ſiccis, lubrica adſtringentibus, facilia coctu difficilibus perpetuò præmittantur: quæ quidem præcepta cum vniuerſim omni tempore, tum verò hac potiſſimùm tempeſtate adeo periculoſa ad ſanitatis tutelam diligentiſſimè ſeruanda eſſe videntur, vt hinc nulli non conſtare poſſit, in quanto errore verſetur ſtolidum ganeonum vulgus, qui omni poſthabita regola, & congrua victus ratione, aſſiduis comeſſationibus, & ebrietationibus ſeſe immergunt, hoc impudenti ore paſſim aſſeuerantes, antidotum eſſe præſtantiſſimum, quod omnis peſtilentis maliciæ vim infringere, ac propulſare poſſit. Nunc de motu, & quiete dicendum eſte: quod vtrunque vario vſu, & adminiſtratione corpora noſtra mirum in modum afficere nulli non conſtat. Porrò & hîc quoque, quod ſuperiùs diximus, locum habet, difficile nimirum certi aliquid ſtatui poſſe, cum magna ratio ſit habenda ætatis, temperamenti, anni temporis, atque in primis cõſuetudinis. Iam verò illud vnuſquiſque memoria repetat, præcipuum, ac nobiliſſimum conſeruandæ ſanitatis caput in exercitatione conſiſtere, modò illa ex ordine, & opportunè fiat, quod illo oraculo expreſſit Hippocrates: *Labores præcedant cibos*: ſi quis enim

contià

contrà ſeſe exerceat, quando vel cibis ventriculus, vel humoribus venæ ſunt nimium refertæ, is maximis ſeſe obiicit periculis. Igitur vnuſquiſque ſe ipſum, & vires ſuas conſideret, ac potiſſimùm lógioris conſuetudinis ſit memor, quæ tantum virium habet in rebus omnibus, vt illam nuoquam ſine euidenti ratione immutare liceat, quandoquidem ſpeciatim nemo eſt, qui aut proprio, aut alieno periculo aliquando non ſit expertus, quanti referat conſuetos labores, & exercitationes prætermittere. Non tamen committam, quin illud io vniuerſum animaduertam pernicioſis hiſce temporibus, quibus cauere homines omni ſtudio debent ab iis rebus omnibus, quæ corpora excalfacere, inflámare, & adurere poſſunt, mihi haudquaquam probari vehementes, & concitataa exercitationes, quæ afferre perſæpe ſolét laſſitudinem, infirmitatem, ſitim, & alia huiuſmodi incommoda, à quibus omnino cauendum eſt. Inſtituti noſtri noo eſt in præſentia plura de exercitatione dicere, quot, qualeſue ſint eius ſpecies, quænam maximè conueniens habeatur, quis cuiuſque modus ſit, ac terminus: quæ omnia vnà cum aliis capitibus ad hanc rem pertinentibus lubens prætereo, tum aliis de cauſis, tum ea potiſſimùm, quod facile vnicuique licet hæc petere ex lib. Galeni de tuenda ſanitate, atque ex lib. de arte gymmaſtica Mercurialis, quorú v.. rque vſque adeo accuraré, & eloqueoter hanc ré literis, memoriæ que mandauit, vt alterius cuiuſcunq; labor hac in parte ſuperuacaneus, immo vero & temerarius omnino videri poſſit.

Somnus & vigilia. Quod ad ſomnũ & vigiliá attinet, cum ſomni tempore ſanguis, atque adeo humores omnes ad interiora ferantur, vt per vigilias cótrà ad exteriora, hinc fit, vt ſomnus internas partes reddat calidiores, externas, frigidiores, vigiliæ contrà illas frigidiores, has verò calidiores. Propterea ſtatutú eſt apud medicos

6. Epid ſect. 4. text. 14. ſec. 5. tex. 30

poſſe quidé ſomnũ & calefacere corpora, & refrigerare, alia atque alia ratione, at humectare perpetuò, noo ité exſiccare, id quod vigiliæ nunquá non præſtant. Cum igitur pro certo habeatur, præcipuum putredinis fundamentum in vna humiditate cóſiſtere, videtur omnis ratio perſuadere vigilias io

2. Aphor. 3.

præſentia ſomno præferendas eſſe. Ego autem ſic opinor, hic quoque nihilo minus habendam eſſe modi ac medtocritatis rationem, cum vtrumque ſit Hippocrati, ſi modum exceſſerit, malum. Qua in re, ſi aliàs vnquam, illud ſedulò eſt animaduertendum, quod iam ſæpius reperitum eſt, vt ratio habeatur ætatis, temperamenti, atque omniũ maximè conſuetudinis: quæ quidem Hippocrates breuibus, vt ſolet omnia, cóprehendit.

2. Prog. 2.

Circa ſomnum (ait) *quemadmodum ex natura, & in conſuetudine eſt interdiu vigilãdum, noctu dormiendum, ſi contra commutetur, peior eſt: minimè verò offendit, ſi quis dormiat prima luce ad tertiam diei partem: qui verò ab hoc tempore ſomnus eſt, deterior eſt.* Quem locum interpretatus Galenus *non ſolum* (inquit) *rectè pronunciauit de ſignis per ſõnum, ſed etiã cauſam eis adiecit, in habitum referens natura, quæcunque vtilia ſunt, contraria verò damnans, quia præter naturam exiſtant. Ad hunc modũ res ex conſuetudine habet: quod enim conſuetũ eſt, bonum eſt, inconſuetum verò malũ. At verò temporibus Hippocratis nõ aliud fuit ex natura, aliud ex conſuetudine nunc verò diuites è contrario agunt, tum in quibuſdã aliis, tum etiam in ſomno, interdiu dormientes, noctu vigilantes. In his igitur, vt qui ſoliti ſint viuere præter naturã, doctrina Hippocratis nequaquã vera eſt: Etenim hoc tẽpore magis rata eſt conſuetudo, quam natura, non in mulieribus ſolum ditioribus ſed etiam in nõ paucis viris* Quem locú, quanquam ad ſomnũ ægrotantium in primis pertinere videtur, ego tamẽ arbitror ad ſana etiá corpora transferri poſſe: qua ratione illum nos hic libenter inſeruimus, quòd huic parti moltum luminis afferre, atque illam veluti defioire poſſit. Succedit earum rerum cóſideratio quæ è corpore ducuntur, aut in eodem retinentur: quæ quidem tum ſemper aliàs ad ſanitatis tutelam magnum habet momentum, tum verò cum peſtilentiæ vrget ſuſpicio, ſummè vtilis, ſummè neceſſaria cenſenda eſt. Quæ è corpore ſunt educenda, multa ſunt & varia, & vnde natura, vel ars huiuſmodi vacuationes moliri ſoleat, partes etiam variæ, ac multæ: quamobrem ſi parca ſit, aut omnino nulla eorum euacuatio, quæ euacuari oportebat, vt grauiſſima hinc homini impendeaot mala, neceſſe eſt. Nunc mihi non eſt ſermo de iis euacuationibus, quas medici aliquando moliri ſolent venæ ſectione, cucurbitulis, hirudinibus, medicamentis, & aliis modis: qua de re partim ſuperiùs diximus, quantum ad purgationem corporis pertinere videbatur, partim etiam inferiùs dicturi ſumus, cum de curatione agemus: ſed illas intelligo euacationes, quæ aut naturæ ordine ſuot inſtitutæ, vt per aluum, lotium, in fœminis menſes, coïtum, aut licet à natura quoquomodo ſint alienæ, aliquando tameo haud importunè homini accidere ſolent, vt hæmorrhagia per nares, hæmorrhoides, ſudor, vomitus, & alia id genus, de quibus breuiter nobis dicendum eſt. Primum igitur internæ viſcerum obſtructiones, ſi quæ adſunt, auferantur, vniuerſa cutis, adeoque omnes corporis meatus pateant, vt ſingulis diebus vaporoſa, & fuliginoſa excrementa expellantur, promptéque attrahatur aërea ſubſtantia, quæ natiuum calorem refrigerare, & ventilare conſueuit. Ad ſummam corpus vniuerſum vt Galeni verbis vtamur, ſit bene perſpirabile, ſiquidem nihil æquè putredinem gignit, fouet, auget, atque prohibita corporis perſpiratio; vt inepta prorſus mihi videatur illa dubitatio, quę vulgo afferri ſolet, *an habitus, & conſtitutio corporis rarior, an denſior periculis peſtilentiæ ſit magis expoſita.* Etenim qui ab externo aëre ſibi vſque adeo cauendum putant, vt propterea malint cutaneos meatus, cæteroſque oaturæ ductus conſtipandos eſſe, & adſtringédos, mirum quomodo ij metu leuioris mali, quo ita vitare ſtudent, certiſſimis, & grauiſſimis periculis ſubiicere ſe non vereantur: quandoquidem nemo eſt qui neſciat, ex leui aëris attractione, quæ per habitum corporis, & arteriarum diaſtolen perficitur, niſi præterea accedat inſpiratio, quam in peſtilenti aëris ſtatu Galenus præcipuá mali cauſam eſſe docet, leue admodum homini periculum impendere, vt ſim neſcius quid ſibi velit Auicenna, qui inter homines peſtilentiæ maximè obooxios refert corpora dilatatorum pororum, humida, multæ balneationis: quem tamen nonnulli conantur Galeno conciliare: quod quàm feliciter ſint aſſequuti, alij viderint. *1 de diff. feb. cap. 4.* Tum verò ſi propter aliquem errorem in victu commiſſum repletionem quis ſentiat, remedium omnium maximè præſentaneum eſt vomitus, præſertim æſtiuo tempore, in gracili corpore, atque iis potiſſimùm, qui ex conſuetudine, & facilè vomere ſunt ſoliti: ſi id commodè fieri non poteſt, opportuna erit tenuis victus ratio, vt ſi prandium, cœnáve omnino prætermittatur, aut parcè admodum tranſigatur.

Cæterum non deſunt homines vſque adeo incontinentes, vt ieiunij loco libentius eligant vti medicamentis. Atque hæc tria remediorum genera vidẽtur etiam antiquis fuiſſe familiaria, vt repletioni morbiſque ex eadem oriundis occurrerent. *Video* (inquit Galenus) *eſſe qui vacuationis gratia vomunt, vt alios, qui vnum diem in menſe ieiunant, & quoſdã qui humorem hunc ventri impactum, aut viſcidum, aut craſſum expurgant.* *Comm in lib. de ſal diæt. 21.* Quam tamen poſtremam vacuandi rationem grauiter ab eodem reprobatam fuiſſe legimus. *3. Aphor. comm. 15.* *Si medicamentis* (ille ait) *purgantibus*

quotidianorum excrementorum procuretur euacuatio, illa nunquam apta, commodaque cenſenda eſt; quippe quæ valde indigentibus, & magnis temporum interuallis vtilis eſt. Ad hæc ſuperuacaneorum, quæ quotidie in corpore generātur, euacuatio minor eſt, quàm pro purgantis medicamenti efficacitate, & viribus. Quod ſi veritus quiſpiam, ne multa in corpore excrementa generentur, purgationem bis, aut certè ſemel in menſe adhibeat, præterquam quod in malam conſuetudinem corpus adducet, etiam ipſum labefactabit, deteriuſque reddet. Quod nobis hic libuit annotaſſe, vt errorem ſuum agnoſcant, tandémque reſipiſcant complures, qui tum alio tempore, tum hac præſertim tempeſtate, qua peſtis periculum imminet, non ſemel tantùm, aut bis in menſe, ſed quotidie etiam (ſi Diis placet) medicamenta aſſumere non verentur. Ad hæc cauendum ſummo ſtudio eſt, vt ne qua ex naturalibus, & aliis quibuslibet conſuetis euacuationibus ſupprimatur, ſed ſi forte opus ſit, illæ iuuentur, & promoueantur, quam maximè opportunè, ac leuiter poſſunt. Quamobrem ſi cui ſudorem pati ſolito, aut fluxum ſanguinis è naribus, hæmorrhoidibus, fiſtulam, aut vlcus ex cauterio, ſuppreſſa hæc fuerint, aut mulieri menſes, aut tale quippiam euenerit, huiuſmodi vacuationes in priſtinum ſedulò ſunt reuocandæ aut ſi aliqua de cauſa obtineri id non poteſt, ad aliud remedium confugiendum eſt, quod earum vicem ſupplere poſſit: quod quidem præter cætera omnia ſanguinis miſſione potiſſimùm ac facile conſequi nos poſſe arbitror. Atque, vt vniuerſim dicam, quanquam illud forte à præſenti loco alicui poteſt alienum videri; nō contemnendum, immò verò ſaluberrimum, ac tutiſſimum remedium fore exiſtimo, ſi quis ordinariam ſibi euacuationem aliquam moliretur; quam diutiſſimè ſeruaret, qualem cauteria in primis, & veſicatoria præſtare ſolēt, præſertim in infernis partibus: hac enim ratione veriſimile eſt naturam aſſuetam diuerſa excrementorum genera eò tranſmittere, corpus puriùs facile ſeruare, illudque ad concipiendam putredinem minus idoneum reddere: Id quod à Galeni ſententia non eſt alienum, ſcribentis à peſtilentia quadam ſui temporis illos omnes euaſiſſe, quorum ſcatebant vlceribus corpora: atque hoc prærerea tēpore illud ipſum experientia ſatis confirmauit; quandoquidem accurata obſeruatione compertum eſt, non ſolùm apud nos, ſed etiam apud Venetos, vt audio, Patauinos, & alios ex infinitis peſtilentia ſublatis, aut nullos, aut certè paucos obiiſſe, quibus alicubi cauteria inuſta eſſent. Qua ratione autem, quibus locis, ex qua materia fieri ſolita ſint huiuſmodi tum cauteria, tum veſicatoria, nulli ferè non conſtat, & ab aliis copiosè traditū eſt, vt fruſtra hoc loco non ſint hæc recenſende: niſi illud forte addere velimus præter conſuetos locos ad carpos, & malleolos, quibus vulgo illa ſolent adhiberi nonnullos inguini, & ſcroto huiuſmodi vlcera inurere conſueuiſſe. Quod quidem præſidij genus ſi poſt vniuerſi corporis euacuationem fiat, non alienum à ratione cenſendum eſt, quando naturā quotidie noxios humores ad eas partes facilè, ac libenter propellere videmus. Coitu arbitror non eſſe omnino interdicendum iuuenibus, bono habitu præditis, lautè degentibus, aſſuetis, ſi modò illi moderationem adhibeant: alij huiuſcemodi conditionibus deſtituti, illo prorſus abſtineant, ne viribus labefactatis, & ſpiritibus exolutis naturalis calor debilior reddatur, quàm vt tanti veneni violētiæ obſiſtere poſſit; Cum alioqui forte veriſſima illa ſit Pythagoræ ſententia, Venerem nunquam non eſſe moleſtam, minuſque ſeruandæ valetudini accommodatam: qui (vt Laertius ſcribit) ſemel interroganti quando liceret vti coitu, reſpondit, cum aliquis ſe ipſo imbecillior fieri cupit. Itaque, vt hanc partem duorum illuſtriſſimorum hominum autoritate concludam, ſcitè admodum ſcriptis mandauit Plato, tria in primis eſſe capita ſeruandæ ſanitatis, ventrem cibis non repleri, ad labores impigrū eſſe (quæ duo ab Hippocrate ille ſumpſit, nos autem ſuperiùs perſecuti ſumus) ſemē denique naturæ cuſtodire Poſtremò inter res non naturales de accidentibus, ſiue perturbationibus animi dicendum eſt; quæ quantum momenti habeant ad corporis alterationem & affectionem, nulli non conſtat, quemadmodum pariter ipſius quoque corporis paſſiones animum contra alterare, & afficere ſolent. Neque pluribus id exemplis confirmandum eſt, quæ infinita propemodum ſuppetunt, cum nemo, aut in ſeipſo, aut in aliis non ſit pluries expertus, quam tyrannidē exerceāt in hunc miſerum hominem mæror, lætitia, iracundia, metus. Poſthabenda igitur hæc ſunt, indignatio, dolor, rixæ, moleſtæ animi curę, cogitationes, imaginationes, atque huius præſertim mali: ſed vita hilariter, & iucundè omnino traducenda, grata hominū adſcita cōſuetudine, feſtiuis lectionibus, aliiſque honeſtis tum animi, tum corporis oblectamētis adhibitis. In primis autem ſpes omnis, ac malorum omnium ſolatium in opem, ac prouidentiam diuinā fidenter collocandum eſt, ita vt animus ſanctiſſimæ Dei Opt. Max. voluntati in omnem euentum lubentiſſimè acquieſcat. Atque hæc de victus ratione dicta ſufficiant. Iam verò inſtituti ordinis ratio poſtulat, vt de altero capite dicamus, de iis nimirum medicamentis, tum internis ſumendis, tum extrinſecus adhibendis, quæ vulgo antidota vocantur, quæ ex communi omnium conſenſu magnam præſeruationis partem ſibi vendicant. Porrò ſi hoc loco recenſere vellem remedia, & ſecreta, quæ vocant omnia, quæ hac in re paſſim circumferuntur, non facile ad finem noſtra perueniret oratio, cum nemo ſit vel ex infima plebe homuncio, qui magnificè de ſe loquens, non ſine larga fronte, non audeat mirabilia de ſe polliceri. Ac mirum profectò eſt, vt in re tanti momenti, vbi agitur de vita hominis, tanta cuilibet fides temere adhibeatur; quod in aliis artibus vel viliſſimis committi nequaquam ſolet, niſi periculum de artificis peritia primùm fiat. Sed prætermiſſa huiuſmodi communi, & antiqua bonorum querela, ego in eam ſententiam facilè venio, illorum medicamentorum vſum potiſſimùm amplectendum eſſe, quæ excellentiſſimorum virorum demonſtrauit autoritas, & longiſſimi temporis confirmauit experientia: non tamen ſuam quoq; ingeniis noſtrorum temporum laudem inuideo, immo illis facile permitto, vt noua pro arbitratu medicamenta conficiant, & vſui exponant, modo id temerè ne fiat, ſed iudicio, & ratione adhibita, vt certè ſomnia, & vanitates omnes prætermittantur. Breuibus igitur nonnulla ſeligo medicamenta, quæ mihi videntur magis rationi conſentanea, clariſſimorum virorum autoritate firmata, & longiori hominum vſu comprobata. Addam tamen non inuitus vnum, aut alterum ex iis, quæ recentiores non ſine ſtudio, atque induſtria inuenerunt, vt omnino habeant homines infelici huiuſmodi tempeſtate copiam remediorum, ex quibus id ſibi parare poſſint, quod temporum, locorúmque opportunitas ferat. Atque vt ab iis initium ſumam, quæ ore aſſumuntur, quæ propriè Galeno antidota vocantur, plerique omnes primas facile tribuunt theriacæ Andromachi, & Mithridato, quæ duo medicamenta tum aliorum, qui de his ſcripſerunt, tum Galeni in primis teſtimonio vſque adeo præſtant, & alia ſuperāt, vt ſola præſenti viui ſatisfacere poſſe videātur; cum præter hæc, nullū forte aliud remedium inuenire liceat, quod vehemētiſſimo huic malo obſiſtere poſſit quādoquidē illa, ſi quid aliud peſtilētē omnē fomitē

Init lib de Antid.

ad

ac diſputationem, inſtar ignis mirandum in modum abſumunt, & extinguunt.

De Ther. ad Piſ. c. 17.

Illod tamen autore Galeno eſt animaduertendum, cum hæ antidoti vehementiſſimam agendi vim habeant, non illas eſſe pueris temere exhibendas; atque adeo cum inſigni præditæ ſint caliditate, æſtiuo tẽpore aut omnino omittendas, aut certe attemperandas eſſe, ſaccharo puta roſaceo, è floribus cichorij, borraginis, aut aliqua re huiuſmodi, quæ illarum calorem remittere poſſit. Neque enim ſententiæ illorum nos aſſentimur, qui neque iis antidotis, neque vlli medicamento, quod occulta quadam poteſtate agat quicquam opportunè permiſceri aiunt, aſſeuerantes cuiuſlibet rei mixtionem, illius vim perturbare, & impedire: Nam vt alia multa prætermittamos, quę hac in re afferri poſſent, vnius Galeni exemplum in præſentia nobis ſufficiat, qui ſcammonium aliquando malo citonio permiſcere, & aſſare conſueuit, vt hac ratione illius medicamẽti impetus, & malia remitteretur. Quanquam nos in ea ſumus ſenteotia, quam priore etiam libro indicauimus, huiuſmodi antidotos non minus latente quàm manifeſta vi agere, & hominibus prodeſſe: quod quidem maximè oſtendit ſingulare ſtudium, quod Galenus ad illas conficiendas adhibere ſolet. Atque equidem, vt dicam quod ſentio, ſi nos in præſentia has duas antidotos paratas haberemus, tam perfectas, atque numeris planè omnibus abſolutas, quàm parari antiquitus conſueuerũt, diutios fortaſſe nobis laborandum non eſſet in aliis remediis inueſtigandis. At verò quoniam tum ratione ſimplicium medicamentorum, qnibus caremus, tom ratione præparationis, tum aliis forte de cauſis, de quibus recentiores nonnulli prolixè ſcripſerint, inficias ire nemo poteſt, huiuſmodi medicamenta, theriacam præſertim, ab antiqua perfectione pluximùm deficere, (namque vt alia omittam non dum experimẽto compertum eſt theriacam noſtram purgantis medicamenti vim ſiſtere, quod minimè fallax

De Ther ad Piſ. c. 14.

Galeno indicinm fuit quo optimam dignoſceret, atque ab adulterina diſcerneret) multi propterea non iniuria alia ſibi proponunt inueſtiganda medicamenta, quæ quam maximam habeant vim, & efficaciam pręſeruandi homines à tanto diſcrimine. Verutamen vtcunque ſe res habeat, ego in ea ſum opinione poſſe nos, ac debere iis ipſis vti medicamẽtis, vt antea diximus, pręſertim Mithridatio quod priuatim in hac ciuitate haberi non dubio clariſſimorum medicorum conſilio paratum in nobili, & honorata aromataria ſub inſignibus Angeli, & Saraceni; quod quidem non dixerim ſupremam illam obtinuiſſe perfectiooem, quam deſiderare fortaſſe, teipſa præſtare non poſſumus, at certè tanta fuiſſe eum diligentia tractatum, vt ſi non quodvis aliud ſuperat, non tamen à quovis alio ſuperari illud exiſtimemus. Alterum poſt hæc reperitur theriacæ genus, origine antiquiſſimom, quod Galenus in autorem, Apollonium Murem refert. Plinius verò in Mithridatem, his verbis:

Lib 23. c. 8.

In ſanctuariis mithridatis maximi regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti, è duabus nucibus ſiccis, item ficus totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano: Et qui hoc ieiunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die.

Hac etiam deſcribitur ab Aetio inter antidotos podagricas.

Atque haud equidem ſcio, cur homines negligant huiuſmodi remedium vſque adeo ſecorum, familiare, facile, & tantorum virorum teſtimonio celebratum.

Lib. 12. c. 47.

Eſt præterea aliud genus theriacæ, Meſue aothore, quam diateſſaron appellat, quod ex quatuor rebus cooficiatur, gentiana, baccis lauri, myrrha, ariſtolochia rotunda, æquis omnium portionibus. Hinc addunt nonnulli ebor, & appellant theriacam diapente; atque hæc fortaſſe illa ipſa eſt, quam ſub magnæ theriacæ nomine circunforanei paſſim venditare ſolent: optima quidem, ſed amara, & calidior aliquanto illa eſt; quocirca decocto aliquo, aut condito, aut alio medicamento frigidiore temperanda. Quo loco id non reticebo, cum iam biennium rus quoddam apud nos, Caltranum appellant, peſte grauiter correptum eſſe, homines miſeros alioqui, & inopes, & ita vno ex noſtris medicis conſoleone, tum præſeruando, tum curando, hoc vno remedio in puluerem redacto vſos fuiſſe, & quidem non ſine inſigni emolumento. Vnde etiam breui (quæ ſumma in illos fuit Dei Opt. Max. beneficentia) à graui pernicie ſunt liberati. Poſtponenda forte iis non eſt theriaca, ſiue antidotus Hippocratis, cuius vſu diuinus ille vir (vt Actuarius refert) Athenas à peſtilenti contagione populatim graſſante mirabiliter liberauit.

Actuar. de comp. med.

Illius deſcriptionem hic ſubiicere non grauabimur, vt in promptu ſit iis quoque, quibus eandem ex fonte haurire non licet. *Rec. calami odorati, iunci odorati, herba ſabina an. vnc. iiij. vitieis ſeminis, cardamomi, cyperi, crocomagmatis an. vnc. v. nardi celtica lib. ſ. aſpalathi vnc. vij. pilularum cupreſſi, roſarum an. vnc. iij. ladani, myrrha, thuris an. lib. j. baccas iuniperi paraas xl.* Hæc vnà tuoduotur priuatim: *nardi ſpica, lib. ſ. coſti vnc. ii(. foly vnc. viij, caſia lib. ſ. amomi vnc. iij.* Et hæc ſeorſum teruntur: *maſtiches vn. iiij.* Hoc priuatim item atteritur: *ſtiracis vnc. x.* ſtirax paulatim adiicitur precioſis bellariis: *terebinthina lib. iij. mellis Attici lib. v. vini veteris quantam ſufficiet ad bellaria maceranda, conficiuntur pure, melle excepto.* Ad hæc prætermittenda non eſt antidotus ex duabus partibus aloës, duabus item ammoniaci a thymiamatis vna myrrhæ, adiecto vino aromatico (vulgo pilulas vocant de tribus contra peſtem.) Huius autor cenſetur Ruphus medicus

Pau. lib. 2. 36.

vetuſtiſſimos qui de illius vi atque efficacia magnificè admodum loquẽs, *Haud* ſcio (inquit) *an quiſpiam hac potione vſus peſtem non euaſerit. Et profecto inter antidota omnia hoc nos maximi facimus, quod illud facile admodum, tutumque ſit & nullam prorſus homini moleſtiam, turbationem, ſiue aliud incommodum afferre ſoleat.* Patui illud refert, opinor, vtrouis modo vtamur hac antidoto, ſiue ſub pilularum forma, vt iam paſſim vſurpatur; ſiue potionis, quod videtur voluiſſe Ruphus, & qui à Rupho deſumpſit, Paulus: Illud tamen magni referre arbitror, ſi quis aut ſimplicia medicamenta, aut eorum doſim, quantitatemve inuertat, quod Arabes faciunt, ac noſtrates multi. Qua de re ab aliis animaduerſa fruſtra hic plura non ſunt repetenda. Poſtremò prætereundus non eſt lapis Armenus, de cuius ſingulari vi, ac præſtantia illuſtri admodum teſtimonio;

9. De ſimpl. med. fac.

In magna hac peſtilentia (ait Galenus) *cuius eadem facies fuit, atque eius quæ Thucididis memoria graſſabatur, quoquot hoc medicamẽtum bibere, celebriter curati ſunt, at quibus non profuit, omnes interiere, ſcilicet cum nec alio quouis iuuarentur: vnde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles.* Alij terram lemniam, tanquam illius germanam, ad præſentem vſum addendam eſſe cenſent, quanquam Galen. longiori hiſtoria huius medicamenti ortum, conficiendi modum, ac vſum multiplicem referens, nullibi peſtilentiæ mentionem facit: quod tamen excellenti ſiccandi vi polleat, ac ſpeciatim illam ad viperæ, atque adeo omnes ferarum morſus, item aduerſus alia venena plurimum valere traditum ſit, illius vſum vnà cum bono Armena libenter nos ſuſcipimus, ſi modo vtraque legitima, & ſyncera ad nos peruenit: quandoquidem ſi vulgarium quæ circunferuntur, calorem, ſubſtantiam, & ſingulas conditiones accuratè conſideremos, & cum iis conferamus, quæ veteres, in primis Galenus, de huiuſmodi medicamẽtis tradiderũt, illa magis illegitima, ac minimè ſyncera eſſe, vt fateamur, neceſſe eſt.

Quod

Quod ſi quis certiorem determinationem deſiderat, herbarios noſtris teporis adeat, qui hac de re diffuſè,& ex propoſito diſputare ſolent. Lapidi Bezoar, ſiue Bazaar, cornui Monocerotis, lapidi in ceruorum oculorum anguli oriundo, oſſi de corde cerui, & aliis, ſi quæ ſunt, precioſis huiuſmodi antidotis contra peſtilentiam, atque adeo venena omnia: tantas vires plerique attribuunt, vt cæteris non modò ſimplicibus huiuſce facultatis medicamentis, ſed ipſi etiam theriacæ, & alteri cujuis antidoto illa præferre non vereantur. Sed longius de iis nobis agendum non eſt, quod non ſolùm omnia inuentu ſint difficilia,& omnino rariora ſed nonnulli etiam rerum naturalium ſtudioſi,& peritiores illa pro maiori parte commentitia,& fabuloſa eſſe velint. Sunt vulgares, & nemini ignotæ pilulæ Ioannis Damaſceni, quas medici recentiores ſummis laudibus extollunt, quod tum à peſtilentia præſeruare homines poſſint, tum alios non contemnendos vſus præſtare: quas equidem huic vſui ſatis accommodatas, neque reiicienda eſſe exiſtimo. Ioannes Manardus ſuperiore tempore doctrina,& exiſtimatione illuſtris medicus, quaſi diffidens vulgatis theriacis, aliam affert antidotum, quæ ſic habet.

Rec. ſanguinis ſicci anatis maris, anatis fœminæ, anſeris, hœdi, rutæ ſylueſtris, ſem. fœniculi, cymini, anethi, napi ſylueſtris, vel ſi non habetur, napi, vel rapi an. drach. iiij. rad. gentianæ, trifolij, ſquinanti, thuris, roſarum ſiccarum an. drach. iiij. piperis albi,& longi, coſti, phu, aniſorum, cinnamomi an. drach. ij. myrrhæ, nardi an. drach. vj. belzoin, aſſari, ammoniaci an. drach. iij. mari, agarici an. drach ij. carpobalſami gr. num. xx. ireos, croci, rhabarbari, rhapontici, gingiberis, maſticis an. drach. j. ſtœchados drach. v. fiat tenuiſſimus puluiſculus ex omnibus, & cum quadruplo mellis electi, beneque exſpumati commiſceatur; & in vaſe argenti puriſſimi veluti theſaurus pretioſiſſimus conſeruetur: Non ſolùm enim in peſtilentia vtile eſt, ſed & venenis vniuerſis, ac ſerpentum morſibus ſummè aduerſatur.

5. De Antid. Hactenus Manardus: Cuius quidem medicamenti nos meminiſſe voluimus, tum ob viri autoritatem ſummam, tum præſertim quod illud ex Gal. deſumptum eſt, dum ille antidotum deſcribit è ſanguinibus, ad mentem Damocratis, quæ ab hac Manardi non aliter diſtat, quàm quod amplior eſt, & copioſior. Apud Hiſpanos, & Gallos frequens eſt vſus medicamenti, quod audio tanquam ſingulare præſidium à Philippo Rege miſſum fuiſſe ad Carolum IX. Galliæ Regem anno M.D LXIV. quo tempore peſtis ferè vniuerſum hoc regnum occupauerat. Id verò conſtat è myrrhæ, xyloaloes, terræ ſigillatæ, boli Armenæ præparatæ, maceris, caryophyllorum, croci an. vnc. j. Ex quibus fit tenuiſſimus puluis, quem æſtate ſumendum præcipiunt ex aqua roſacea, & ſucco limonum, hyeme autem ex vino odorato. Si quis antidotum, ſiue præſidium aliquod expetit forma liquidius, proſtant ſyr. de ſucco acetoſæ, acetoſus ſimpl. de ſcordio, de corticibus, de acetoſitate citri: nónulli è quatuor partibus ſapæ, melius deſpumati duabus aceti vna, aliud præparant tum familiare, ac ſatis gratum, tum verò quàm optimum, ſiue ſolùm vſurpetur, ſiue decoctum aliquod opportunum addatur. Ego aliquid ſyrupi de ſcordio iubeos adiiciam. Sed hac in re ne ſim longior, ex iis quæ hactenus diximus, ſatis, arbitror vnicuique facile, ac promptum futurum eſſe, vt ſuo Marte diuerſa medicamenta conficiat, quacunque tandem forma, vt occaſio feret. Neque enim, vt antea diximus, nos ij ſumus, qui nouas compoſitiones contemnendas, autoreſque propria laude defraudandos eſſe velimus, ſi modò iudicium, & ratio adhibeatur, neque inconſideratè,& temere omnia confundantur. At verò pleni ſunt huiuſmodi medicamétis libri medicorum, ex quibus tum hæc petere licet, tum copioſam ſimplicium medicamentorum ſyluam, quæ vel manifeſtis qualitatibus, vel occulta quadã proprietate præſenti vſui conuenire creduntur: cuiuſmodi hęc ſunt calendula vocata, quam recentiores nonnulli Virgilij & Plinij caltham exiſtimat, meliſſa, menta, carduus benedictus, chamedrys, pentaphyllũ, pimpinella, radix myrrhidis à Dioſcoride, aliiſque tãtopere celebrata, ariſtolochiæ rot. angelicæ, tormentillæ; ſemina citri, thlaſpeos, naſturtij, ebur, cornu cerui,& alia ſexcẽta, quæ ſuperuacaneũ foret longiori perſequi oratione. In quo quidem tum ſimplicium, tum compoſitorum medicamentorum vſu illud cum Gal. animaduertendum eſt, ne diutius vni tantũ inſiſtamus, ſed illo poſthabito ad aliud quandoque tranſeamus; quando natura vni medicaméto longiori téporis ſpatio aſſueta ſolet eius vim contemnere,& parum ex eo capere emolumenti. *5. De Tuend. ſan. cap 9.* Hactenus de antidotis, ac de iis medicamentis, quæ intrinſecus aſſumuntur. Quo loco rogatos omnes velim, vt parumper ſeipſos colligãt,& accuratè expendant, quæ tãdem cauſa, quæ ratio cogat, vt ne in vſum medicamenta hæc reuocare velimus, quæ tum ratio demonſtrauit, tum illuſtrium tot virorũ autoritas iamdiu comprobauit, ſed malimus aliis quibuſdam fidem adhibere, eaq; noſtro cum periculo experiri, quæ ſecreta iſti appellant,& quę non ratione tantũ, iudicio, omniq; prorſus artificio carẽt; ſed ſuapte natura interdum vſque adeo turpia ſont, ſordida & inhoneſta, vt ingenuus quiſque,& politicus homo abhorrere ab iis debeat, non ſolùm quibus ipſe vtamur, ſed quorum etiam cõmemoratione offendatur. Quid turpius quam vrinæ humanæ potum meditari? quam tamen nonnulli hac tempeſtate commendant, quanquam remedium non omnino recens, cum vel ipſe Gal. ſcripſerit, peſte Syriam occupante nonnullos vrina puerorum, virorumque epota ſanatos ſe hac ratione exiſtimaſſe; cuius vſum tanquam abominandum idem deteſtatur, referẽs virum quẽdam ingenuum,& bonis moribus ornatum in ea peſtilentia laborantem vſum tam ſordidi remedij reſpuiſſe, vt ne pueri quidem vrinam ſumere voluerit. *10. De ſimpl. medic.* At verò (dictu horribile) iſti, vt audio vrinam vel maximè pollutam commendant, ac (ſi Diis placet) eorum quoq;, qui iam peſte ſunt correpti. Quid de illo dicam, qui Venetus proximo hoc tempore propoſuit ſumendum puluerem ex ipſa peſtilentium carbunculorum materia, adiecta planta quadam ab eodem ſmartella nuncupata, rebuſque aliis arcanis neſcio quibus; Quid quod admirandam antidotom (vt neque id prætermittatur) aſſumendam eſſe iuſſit quarta ante cœnam hora, quæ potiſſimum prandij cibis concoquendis eſt deſtinata; vt hac ratione inuertantur, & contaminentur omnia. O ſæcula, ô mores! Neque enim ab exclamatione continere me poſſum, quando in re tam ſeria, qua de hominum vita, qua de Reip ſalute agitur, vſque adeo inertes, & ſomniculoſi ſumus, ne quid grauius dicã. Hipp. grauiſſima eſt ſententia qui omnia cum ratione facit, quanquam rationi conſentaneus non ſequitur euentus, hunc non debere à propoſito deterreri. *2. Aph. 52. Lib. 1. ſen. 4. c. 1.* Contrà verò Auic. ſcripſit, qui abſque ratione operatur, huic in opere diutius perſiſtendum non eſſe, quamuis in præſentia nihil inde periculi, aut incommodi ſequi videatur: quod eo dictum volui, vt prudentes viri intelligant, ſi aliàs vnquam, hac in re potiſſimum grauiter,& diligẽter ſtudium adhibendum eſſe, vt illum vnuſquiſque ſibi eligat tum victus tum aliorum pręſidiorum modum, quem ratio monſtrat, quem ſummorum virorum teſtimonia comprobant.

Sed tranſeamus ad ea medicamenta, quæ extra adhiberi ſoleot.

Cum antea de ſuffitibus, aliiſque remediis actum ſit quæ ad alterandum aërem pertinent, iam non

videntur

Digitized by Google

videntur reſtare alia tractanda præſidia, quàm quæ coi dis regioni potiſſimùm applicari ſolent.

Hæc autem cum diuerſas planè formas recipere poſſint, plerunque tamen, aut humidiore conſiſtentia parantur, aut arida:illa epithemata cordialia appellant, hæc ſacculos, quod purpureo in primis ſerico inuoluantur. Quod ſi memoria repetantur, quæ ſuperiùs tradita ſunt, facilè vnuſquiſque de iis quoque iudicium feret; cum enim illud vnū ſit nobis propoſitum, vt cor ipſum roboremus, quo valeat veneni incurſui reſiſtere, huiuſmodi autem venenum non niſi excellenti putredine conſtet illa procul dubio medicaméta præſenti vſui accommodata eſſe cenſenda ſunt, quæ putredinem repellere, ac probare poſſunt. Atque de is ſatis ſuperque fortaſſe diximus. Verumtamen in gratiam nouitiorum vnum, aut alterum exemplum adiicere non grauabimur, Tempore calidiore Rec. aq. roſarum, myrthi, borraginis an. vnc. iiij ſp. trium ſandalorum drach j.r. corallium temp. drach s. aceti roſacei parum. miſc. Tempore frigidiore rec. aq. meliſſæ, flor citri, borraginis an. vnc. iiij. ſp. aromatici roſacei drach. j. diambræ drach. s. aceti parum. miſc. Quoniam verò difficulter, & incommodè homines huiuſmodi epithematibus vti poſſunt, propterea libentiùs ad alteram medicamentorum formam confugiunt. Nonnulli Mithridatum commandant, & theriacam. quibus non ſolùm regio cordis, ſed vniuerſum etiam corpus obliniatur, ſi maius vrgeat periculum; quorum equidem vſum non improbo, modo vehemens eorū caliditas re aliqua frigidiore temperetur, ſed ita tamen, vt perpetuò ratio temporum habeatur, & aliorum, quorū antea ſæpe meminimus. Alij mirum in modum celebrant oleum ex ſcorpionibus, non illud vulgare, quod paſſim officinæ habēt, ſed quod Carauitæ appellant, & quod ſummis Pontificibus, & principibus viris acceptum referunt: quo inunctis pulſantibus temporum, manuum, & pedū arteriis, atque in primis regione cordis non mudò peſte affectos iuuari, ſed ſanos etiam præſeruari aiūt Alij aliis vtuntur. Cæterum maximè omnium, ac frequentiſſimè exoptari ab omnibus, & vſurpari ſolent ſacculi: Inter quos potiſſimùm celebres habentur ij, qui ex arſenico, riſagallo ſublimato, aut alio id genus præſentaneo veneno iamdiu heri conſueuerunt. Ita narrant hiſtoriographi Hadrianum Pontificem hoc vno remedio à graui illa peſte ſibi cauiſſe, quæ mox opera cuiuſdam Græculi ſolenni quodam, ac veluti prodigioſo tauri facto ſacrificio mirabiliter finem ſortita eſt. Sic referunt apud Turcas, primares præſertim, maximum ac frequentiſſimum eſſe huiuſmodi remedio locum: id quod particulatim aſſeuerantem audiui Reuerendiſſ. ac illuſtriſs. Epiſcopum Aquenſem Gallum, qui multos annos pro ſuo Rege Conſtantinopoli legatum egit, dum proximo hoc tempore, quo Venetiæ, ac Patauiū peſtilentia laborarunt, diutius Vicentiæ moratus eſt: quinimò ipſemet huiuſmodi ſacculum confidenter, ac religioſè geſtare ſolitus fuerat, tanquam certiſſimum, tutiſſimumque omnium remedium. Iam verò ſiue illuſtriſſimam vrbem Venetiarum ſpectes, ſiue alios quoſcunque locos, nullibi fortaſſe remedium inuenies hoc pluris æſtimatum, aut magis vſitatum, quandoquidem illud non modo communi ferè omnium conſenſione, ſed vel ſummorum virorum vſu, atque autoritate iamdiu confirmatum eſſe videtur. Cæterum cum oppoſitam ego ſententiam ſequar, qui vſum huiuſce præſidij amplecti nunquam potuit, liceat mihi hanc rem totam examini ſubiicere, ac paulìſper digredi vt ſi non cæteris mihi ſaltem ipſe ſatisfaciam. Doctiores, qui huiuſcemodi ſacculorum cauſam agunt, vehementem in primis ſiccitatem afferunt, qua venenoſa omnis materia exhauriatur, abſumatúrque. Cum enim deleteria hæc medicamenta vim adurentem obtineant, rationi conſentaneum eſſe aiunt, vt illa, ſicut ignis poſſint omnem putredinem abſumere. Sic Gal. aliquando ex carbunculis peſtilentibus admouiſſe legimus: quē deinceps nobiliores chirurgi ſunt imitati, non alia proſus ratione, quàm vt maxima, extremáque ſiccitate maximam, extremámque eorum humiditatem abſumant, putredinémque auferant. Alij ac occultas proprietates confugiunt, ſtatuentes hæc venena peculiari quadam, ac latente vi quodlibet venenum ad ſe trahere, quemadmodū medicata hunc, vel illum humoré ſpeciatim trahere ſolent. Ita viperam animal planè venenoſum theriacæ conficiendæ opportunè commiſceri docent, quod occulta quadam vi, ac proprietate mortiferum omne virus illa ad ſe trahat, atque illud præſertim, quod ex morſu eiuſdem viperæ ortum fuerit. Pariter ſcribunt nonnulli veſpas, crabrones, ſcorpiones, & alia forte malefica animalia tum ictus, tum ſalutis ictui ſuper impoſita autores eſſe. Sic extat elegans illud epigrāma apud Auſonium in mulierem, quæ viro toxicum exhibuit, & quo ille celerius interiret argentum viuum adiecit: quæ vtriuſque veneni mixtio, veluti quoddam antidotum illi miſero ſalutem attulit.

Sacculi.

5 de compoſ. medicam.

5. Gal in fin.

Quam pia cura Deûm! prodeſt crudelior vxor,
Et cum fata volunt bina venena iuuant.

Sed ad grauiores teſtes accedo. Galen. ipſe non videtur ab iſta opinione abhorruiſſe, qui ſcriptum reliquit licere interdum antidotis deleteria medicamenta permiſcere, vſus cantharidum exemplo, quæ commodè iis medicamentis adiiciuntur, quæ vrinæ ciendæ ſunt accommodata. Idémque aliàs lepræ curationem inſtituens, etiam atque etiam commendat vſum viperarum, vt ſingulare quoddam remedium experientia confirmatum, quorundam leproſorum hiſtoriam referens, qui hoc vno auxilio forte fortuna oblato mirabiliter ſunt perſanati. Quid plura? Nónne quotidie purgantia medicamenta nos exhibemus, quæ ſi Galen. & optimis quibúſque medicis credimus, deleteria ſunt, & naturæ humanæ ſpeciatim inimica? Poſtremò afferunt aduerſarij multiplicem experientiam, conſtanter aſſeuerantes infinitos vbique vel in grauiſſimis peſtilentiæ periculis verſatos, hoc vno egregio præſidio ſuperſtites fuiſſe. Atque hæ potiſſimùm videntur eſſe rationes, quæ afferri hac in re ſolent; quas quidem quamuis veras, & demonſtratiuas eſſe concederem, ego tamen exiſtimo non ſatis ad rem præſentem facere, cum ſermo ſit inſtitutus de præſeruatione, ac de iis corporibus, quæ diuino munere adhuc ſana degunt, atque ab omni veneno, & peſtifero affectu ſunt penitus aliena. Atque profectò ſi ſermo de curatione foret, aut de iis corporibus, quæ re ipſa veneno infecta ſunt, probabiliora hæc eſſent. Verum illud affirmare non vereor, huiuſmodi rationes voluntarias, & apparentes eſſe potius, quàm veras. Quod enim pertinet ad ſummam illam ſiccitatem vnde peſtiferum omnem humorem facilè abſumi cenſent, iſti meminerint velim. huiuſmodi venena hac potiſſimùm ratione eſſe hominibus noxia & malefica, quòd maximam, extremúmque tum ſiccandi, tum calefaciendi vim habeant; vnde ſiue intus ſumpta, ſiue extrinſecùs oppoſita, mirum in modum excalfacere, vrere, corrodere, partes abinuicem diuidere, atque adeo interitum afferre cōſueuerunt: quanquam neque id negare velim, non modò exceſſu qualitatum illa agere, ſed latente etiam quadam proprietate, quam ſpecificam formā nominant. Neque verò Galen. exemplum huic rei videtur ſatis accommodatum: qui medicamenta iſthæc deleteria carbunculis admouere non eſt veritus, etenim præterquam quod aliorum ſalutariū medicamentorum mixtione

5. de ſimpl. med cap. 15 & al. ſap.

Prin. lib. 11 de ſimp. med.

omnis

omnis ferè eorum vis malefica facilè remittitur, iam vrgente vehementiſſima putredine illorum vſus miminè importunus cenſendus eſt. Ad quem certè modum in dyſenteria quoque, ſi adſint vlcera putrida, maligna, & depaſcentia, veteres, atque ipſe in primis Galen. calcem viuam, ſandaracam, æs vſtum, & alia eiuſmodi clyſteribus inücere ſolent. At verò ſi cordi hæc apponantur, vbi nulla eſt excedens humiditas: & putredo, in quam ſuam vim exercere poſſint, atque eo magis ſi nullis medicamentis frigidis, ſiccis, & odoratis corrigantur (quod certè minori cũ periculo fieret) non aliud, arbitror, de iis ſpetandum eſt, quàm de nonnullis exhibitis medicamentis, quæ ſi forte purgatione fruſtrantur in corruptionem aliquando, & tanquam venenum verti docet Galen. quorum ea eſt natura (vt Plinij verbis vtamur) vt hominem occidant, niſi inuenerint, quod in homine

3. De ſimpl. med. cap. 2.

perimant. Quod ſi qualitatibus temperatis, ac planè benignis, atque adeo medicamentis ex tota forma ſalutaribus hoc ipſum, quod volumus, conſequi nobis licet, quamobrem qualitatibus intemperatis, malignis, ac medicamentis in vniuerſum pernicioſis agendum eſt? Qui proprietates occultas introducunt, quod frequentiùs quàm vellem, fieri audio, ab omni difficultate, & negocio facilè ſe explicant. Veruntamen ſi præclara iſthæc antidota facultatem habent trahendi ad ſe quamlibet materiam venenatam, & peſtilentem, vt iſti ſomniant, aſſeuerantes quicquid reperitur in aëre peſtiferum, tanquam ad ſui ſimile natura ferri, ſicuti à maiori flamma minor trahi, & à maiori lumine minus obſcurari ſolet, tantum abeſt, vt illa ad cor applicanda ſint, vt contrà magis omnis ratio colligat, ea quàm longiſſimè à corde, vel in ipſis adeo calcaneis collocanda eſſe, vt hac veluti auerſione quam cor ab omni labe liberum ſeruetur; immo verò longè præſtet, non modò ad vnius vel alterius hominis præſeruationem, ſed ad totius Reipubl. commodum iſthæc venena copiosè, & variis in locis ſpargere, vt hac ratione omnia contagij ſemina eo colligantur, perinde ac ſolet à nonnullis lac in cubilibus aſſeruari, quo ſe vndique muſcæ colligant, vt hac ratione illarum moleſtiam vitent. Atqui ſi arſenicum, cæteráque huiuſmodi venena admirabilem hanc latentem prærogatiuam ſortita ſunt vt alia ad ſe venena attrahant, veluti magnes ferrum trahit, & medicamenta varios humores, mirum cur tot docti homines illud ſilentio præterirent, qui de magnete, déque medicamentis purgantibus ſcripſerunt: mirum cur id experimento non facilè conſtet, vt alij admirabiles

De ther. ad. Piſo. c. 5.

naturæ euentus conſtare ſolent. Quod ad viperam ſpectat theriacæ miſtam, reſpondere ex Gal. poſſem, theriacam olim ſine viperis confici conſueuiſſe, neque miram illi vim aduerſus venena omnia defuiſſe, Andromachum primum omnium de iis animantibus adiiciendis cogitaſſe, quò efficacius redderet medicamentum. Verùm enim verò nemini dubium eſſe arbitror, theriacæ viperam non quidem tanquam venenum admiſceri, cum ipſe antidoti autor ſumma cum diligentia, ac religioſè venenoſas viperæ partes abſcindendas eſſe doceat, qua ratione præparata tantum abeſt, vt detrimentum, & periculum aliquod afferre poſſit, vt illam Galen. exemplo elephanticis, aliiſque nonnullis morbis non ſine admirabili commodo nos ſæpenumero exhibere non vereamur. Quin immò Galen. ac veteribus medicis venenatas omnes viperæ partes accuratè abſcindentibus, non leue hinc argumentum colligere nos poſſe videmur, antidotis conficiendis à veneno ſemper abſtinendum eſſe, quando ſi huiuſmodi mixtio liceret, non erat cur illi non venenatas à venenatis viperæ partes ſeligerent, & ſepararent. Quod de ſcorpione afferunt, cæteriſque animalibus, quæ ictus proprios ſuperimpoſita curant, in quorum numero vipera quoque, & alia nonnulla reponuntur à Galen. non multum momenti habet: facilè namque, & verè fateri poſſumus, id ex arcana, & occulta quadam proprietate fieri, quam quidem procul dubio refutare non licet, ſi modò plurium ſcriptorum autoritate, & obſeruatione comprobetur. Sed Galen. aliam huius rei cauſam afferentem legimus, qui hoc ipſum quærens, quod pleriſque admirabile videtur, quo pacto eadem animalia, quæ nobis inimica ſunt, & hominem citò perimunt, ſi ipſorum morſibus imponantur, auxilio eſſe poſſint, & ſola hominem ab ea noxa ſeruare, reiectáque nonnullorum reſponſione, quæ ſola experientia nitebatur. *At verò* (inquit) *nos, qui ſtudio* (ni fallor) *maiore*

De ther. ad Piſo. c. 10.

artem proſequimur, & euentus duntaxat inſpicere idiotarum more nolumus, experientiam non explodimus & illi rationem, cum licet, accommodantes, perfectam hunc in modum, & rationabilem neceſſariò artem obtinemus: qui non eo tantum operam damus, quo vt res ſit, inueniamus, ſed quo vtile aliquid ad curationem ex inuentis addiſcamus. Igitur hic quoque ratione certabimus, vt huius euentus cauſam inueniamus. Mirum quippe eſt, dum ſtudium eius inquiſitioni adhibetur, vt ille quoque ex facili, tanquam par parireferens celeriter inuenitur. Atque vt maiorem orationi fidem apud te comparem, ab aliis quibuſdam, qui re ipſa manifeſtè conſpiciuntur demonſtrationem conſiciam, tum quæ extrinſecus tantum adhibentur, tum quæ per os ſumũtur. Nam eos, qui à crocodillis ſunt demorſi, illo ipſo adipe vulneribus impoſito ſummè adiutos eſſe nouimus. Atque muris aranei morſus, qui & ipſi interficiunt, ab eodem araneo mure contrito, & applicato citra dolorem ſanantur. Eodem modo qui à viperis ſunt commorſi, periculum effugiunt, ſi quis illarum attrita corpora vulneribus imponat. Quæ noſtra quidem ſententia non abſque ratione eueniunt, vt dicebam, cum autem vim non habeant vt interimere poſſint, tum verò per diſtributionem facultatis, quæ ſeſe in corporis profunditatem inſinuat (vt ſanè etiam in cataplaſmatis idem euenire conſpicimus) facultas eorum corporibus inſita ad moderationem redigatur, & ſanare conſequenter, non occidere poſſit. Hactenus Gal. cuius verba non Latina facere maluimus, quàm ex aliqua vulgata verſione recitare, quòd ea mihi obſcurius reddita, tum verò alicubi deprauata videretur. Quod facilè intelliget, qui hæc cum Græca lectione conferre voluerit. Nam (vt alia omittam) error ille Martiani non leuis eſt, dum poſt mentionem de viperis, refert animalia venenata non habere tantam vim, vt illico necare poſſint, cum tamen Galen. ſimpliciter dicat illa necare non poſſe. Qua eadem licentia paulò inferius addit, (*paulatim.*) Quid quod vbi Græcè habetur [illegible], Latinè legitur *virus*? Quid quod nonnulla cataplaſmatis tribuuntur, quæ venenatis animalibus erant tribuenda: niſi velimus, totam eius loci ſententiam obſcurare, atque peruertere? Quæ nos hic annotare voluimus, vt lucem præſenti loco afferremus, cum neque Io. Baptiſta Raſarius interpres aliqui diſertiſſimus, tum alia fortaſſe, tum hæc præſertim errata videatur ſatis animaduertiſſe. Vt hinc ſtudioſo Lectori planè conſtare poſſit, non eſſe fidem interpretibus vbique temere adhibendam. Auſonium præſtantiorem poëtam, quàm medicum fuiſſe credimus. Etenim reuera ar-

Argentum viuum.

gentum viuum inter venena recenſendum non eſt; namque prætermiſſa autoritate Auicen. & aliorum, qui hoc atteſtantur, experientia planè idem confirmat, cum vel pueri modicam illius quantitatem ſæpenumero aſſumant, viri plurimam, non ad drachmas tantùm, aut vncias, ſed ad libram quoque, & nullo quidem cum periculo: ſiquidem lubrica ſubſtantia, & grauis pondere ad interna facilè delabitur;

quam

Digitized by Google

quam certè ob cauſam fortè euenit, vt bonus ille vir, de quo extat epigramma, potu argenti viui à veneno, & à morte fuerit liberatus, quod nimirum toxico illud viam fecerit, ſecúmque è corpore eduxerit, vt vim ſuam exercere non potuerit: quæ vna eſt ratio è duabus præcipuis, quibus autore Galen. huiuſmodi medicamenta deleteria, & corrodentia hominem non interimunt, nimirum quando vna cum excrementis à corpore egrediuntur priùs, quàm iniuria corpus afficiant. Sed vt propius accedam ad principale caput huius diſputationis, liceat ne venena medicamentis admiſcere, quod à Gal. ſententia non omnino videtur alienum, ego nunquam id licere cenſeo, niſi fortè venenum ipſum ita ſit vel mole exiguum, vel ſalutaribus medicamentis admixtum, atque vſque adeo correctum, vt vim omnem maleficam penitus deponat. Hac ratione Gal. viperam theriacæ admiſcens, aut elephanticis exhibens, accuratè modum præſcribit, quo illa paretur, vt ei venenum omne eximatur. Quod ſi quis obijciat hiſtoriam eorum, qui referente Galen. ab elephantiaſi liberati ſunt hauſtu vini, in quo viperæ fuerant ſuffocatæ, quæ veneno proculdubio non carebant; huic reſpondeo vinum antidoti vicem ſubijſſe, vtpote quod eius animalis frigiditatem, & ſiccitatem ſummam facilè potuerit obtundere: quanquam (vt id obiter admoneam) quid hac de re dicam, haud planè habeo. Hinc enim audio Galenum aſſeuerantem plures elephanticos, atque ex iis nonnullos inueterato morbo laborantes, odoratu graue, & aſpectu fœdos, adeoque propter contagium ipſorum conſuetudine iam familiaribus quibuſdam côtaminatis, ab aliorum commercio ſegregatos breui, & facilè fuiſſe perſanatos: Inde verò ſi rem ipſam & illuſtrium omnium medicorum teſtimonium animaduertimus, huiuſmodi malum graue admodum eſſe, & propè ex eorum numero, quę incurabilia exiſtunt, vt fateamur neceſſe eſt. Quo enim quomodo intemperies principalium membrorũ, iecinoris præſertim, quæ verè eſt morbus, quomodo multis vndique tumores, vndique graues & difficiles, qui veros elephanticos perpetuò comitantur, vno, aut altero vini hauſtu protinus diſſolui potuerunt?

Elephas. Ad ſummam ſi medicorum omnium conſenſu elephas non aliud eſt, quàm cancer vniuerſi corporis, qui fieri poteſt, vt tam facilè curationem admittat? ſiquidem cancro vnam particulam occupante, nullus ferè eſt remedio locus. Præterea demũ ſi tanta eſt huius antidoti, & vini medicati vis & efficacia, ſi ea eſt morbi imbecillitas, atque illius curandi facilitas, quamobrem nullus verè elephanticus noſtro hoc tempore ſanatur? quando nobis præſto ſunt viperæ, atque ex iis paratę antidoti, trochiſci, ſal theriacum, theriaca ipſa, vt ſanguinis miſſionem, purgationem, & alia præſidia prætermittamus, quæ tamen tanto curando morbo non ſufficere compertum eſt: id quod id excitandum, & exercendum ſtudioſi lectoris ingenium volui breuiter animaduertiſſe. Poſtremò quotidiè medici varia ægrotantibus exhibent medicamenta, quæ à natura veneni haud ſunt alia, ſed illa ita correcta & caſtigata, vt non iam abeſſe, ſed prodeſſe, ac multa hominibus commoda afferre ſoleant. Verùm vt rem omnem tandem colligamus, Gal. loquentem audiamus, qui facilè omnem hac in re dubitationem tollere poteſt.

De Ther. ad Piſ. cap. 10. *Id vero* (ille ait) *quod in theriaca euenit, manifeſtam magis obtinet rationem. Dico enim propterea lethales has feras iis opitulari, quos momorderint, quia plurimum lethalis facultatis, quæ in ipſis eſt, capitibus ablatis vna abſcinditur, tum etiam quia facultatem, quæ in aliis ipſarum partium relinquitur, nos appoſitione obtundimus, cum eas elixemus, & non parum ſalis, & anethi aqua admiſceamus: quam rerum huiuſmodi miſturam non ſuauitatis ſolius gratia facimus, ſed quo corpora eliquemus, atque ita efficiamus, vt exparum, aut nihil omnino veneni habeant. Ac plurimum illæ facultatis ad iuuandum apparatus præſtat. Tot igitur, ac talibus admiſtæ medicamentis hæ feræ, qua iam amplius ratione interficere poſſint, exoluta quæ in ipſis eſt, corruptrice prauitate? Præterea verior quoque apparebit oratio, ſi & in rebus nonnullis ſimilibus eius demonſtrationem conſecerimus. Etenim cantharis, ſiquidem ſola exhibeatur, veſicam exulcerat, & inimicum eius medicamentum exiſtit, & hominem valida facultate ſæpenumero interficit; at ſi rebus aliis quibuſdam admiſceatur, rurſum eiuſdem veſicæ remedium euadit, & vrinam ciere magnopere poteſt. Succum papaueris lethalem eſſe, ſi ſolus bibatur, nemo mihi videtur ignorare: idem cum aliis quibuſdam rebus apparatus, perſæpè ægrotantibus opem fert, ita vt ſaluberrimum ſit illis medicamentum: quippè phreniticorum deliria non rarò ſtrenuè perſanauit, & quibus vigilia vires deiecerat, hos ſomno conciliato mirum in modum recreauit. Quos phalangia momorderint, eadem comminuta, & ex vino ebibita liberant à pernicie. Vt ex hoc maximè poſſis ei, quod à me dicitur fidem adhibere. Etenim ſi ſolum vinum feris admiſtum eſt in cauſa, vt periculum ab iis ipſis feris impendens euitetur, nimirum ipſa quoque theriaca, quæ ex tot, talibuſque rebus apparatum habet, ſalutare quoddam potius medicamentum euadit, quàm lethale. Noſſe namque oportet, id in medicamentorum miſtionibus euenire, vt non ſeruetur miſtæ cuiuſque rei facultas, eadem manens, & impermutata, ſed vnio quædam fiat rerum omnium, toto earum temperamento per totas permiſto, & vna quadam alia facultate ex iis affecta.* Hactenus Gal. cuius ſententiæ ſi quis non libenter acquieſcit, ſicuti in aliis quoque rebus omnibus, quæ ad artem medicam ſpectãt, huic ſanior mens optanda eſt. Quamobrem ſi medicamentis venenum, quà venenum eſt admiſcere non licet, cur id extrinſecus alicui corporis parti applicare liceat, prorſus non video, cordi præſertim membro omnium nobiliſſimo, vitæ autori, ac principi: Immo verò illud affirmare non vereor, tantum abeſſe, vt ab huiuſmodi venenis aliquod emolumentum expectare poſſimus, vt grauiora potius, & maxima pericula timere meritò debeamus. Etenim ſi id verum eſt, quod ſummorum medicorum conſenſus iamdiu confirmauit, medicamenta, quę collo appendi ac ita variis morbis opem ferre conſueuerunt, non alia id ratione præſtare, quàm tenuibus quibuſdam, atque halituoſis particulis in corpora receptis, quales nam obſecro vapores è pernicioſis huiuſce veneni efferri poſſint, qui ſiue reſpiratione, ſiue alio pacto ad cor delati, atque adeo à calore noſtro calefacti, & ad actum deducti, non poſſint plurimas grauéſque in nobis parere affectiones? Atq; equidem, niſi mea me penitus opinio fallit, mihi videor cauſam agere valdè æquam atque perſpicuam. At verò nolim hic decipi aliquem, & exiſtimare venena extrinſecus vſurpata afficere hominem, atque interimere non poſſe, quandoquidem qui hac de re ſcripſerunt, id facilè vſuuenire fatentur, modúmque docent, quo venena extrà appoſita interficere nihilominus ſolent, nimirum quod per meatus cutis ad venas, & arterias ferantur, & ab his rectà ad cor perueniant, id quod neque à Galeni doctrina eſt alienum, qui aliquãdo ſcriptum reliquit, 1. De ſimpl. arterias motu diaſtoles ad ſeſe allicere, atque ad interiora attrahere, quæcunque illis proximè circumiacent: idémque facilè confirmat experientia tum aliàs non rarò, tum manifeſtè admodũ in iis, quibus Gallicæ luis cauſa fiunt inunctiones: hæ namque interiora petentes, non modò extra, ſed etiam intra grauiſſima ſæpè ſymptomata afferre conſueuerunt. Iam verò quacũque tandem ex parte venena corpus

ingrediantur; negandum non eſt illa vim eandem obtinere, quemadmodum pariter experientia compertum eſt, medicamenta quoq; plurima eſſe, quæ non tantùm intus ſumpta, ſed etiam extrinſecùs adhibita, corpora nihilominus purgare ſolent. Nonne apud Gal. & alios legimus marinam torpedinẽ tantum virium habere: vt qualitate quadam per retis haſtam ad piſcatoris manum tranſmiſſa hanc mirabiliter ſtupefaciat? præterea baſilicum ſolo intuitu, aut ſibilo hominem interficere? tum verò ſpumam canis rabidi hominem quacunque in parte, quamuis leuiter tetigerit, in rabiem trahere? Nonne Auicen. quoque refert hiſtoriam ſerpentis apud Turcas, & Nubios, qui, à milite lancea confoſſus, aut per telum, aut alio quouis modo facta veneni traiectione tum militem interemit, tum equum cui ille inſederat? Sed iis poſthabitis, quæ fortè alicui fabulæ videri poſſunt, quid multis opus eſt? Nónne hac ſeuiente peſtilentia quotidie inuiti vidimus leui admodum, breuique exiguæ veſtis contactu homines vt miſerrimè, ita facillimè in peſſimam luem incidiſſe? Nonne à probatis authoribus memoriæ proditum eſt, nónne idem ſæpius confirmauit experientia, quædam venena reperiri tenuitate, & ſæuitate vſq; adeo inſigni, vt quamuis corpus non attingant, ſed vel ephippio, vel anulo aptentur, vel (vt quibuſdam placet) in cubiculo duntaxat reponantur, mirè tamen neſcio quo modo cor petant, & hominem interficiant? Verum hac de re ſatis. De experientia demum, quam iſti tantopere iactant, quid ſentiam ſuperiùs indicaui. Atqui nobis contra experientiæ non deſint, ſi modo experimentis agendum eſt, quæ illis opponere poſſimus. Etenim ſi multi venenatos ſacculos geſtantes peſtilentiæ fuerint immunes, multi quoque, & fortaſſe plures ſine illis ſuperſtites fuere. Apud nos certè vel rarum admodum, vel magis nullum horum ſacculorum vſum fuiſſe audio, atque ſi multi ex eorum vſu inſigne commodum ſeſe percipere arbitrari ſunt, non pauci grauiſſimas noxas, atque incommoda magno cum ſuo malo experti fuerunt. Ioſeph Canatus ciuis noſter, vt ne hoc exemplum prætermittam, cum primùm huius mali ſemina vagari cœpiſſent, vnum ex iſtis ſacculis geſtare ſolitus cum aliquando concitatiore motu, præter morem incaluiſſet, ad regionem cordis, quo loco ſacculus appoſitus fuerat inſigni vlcere excitato, incidit in febrem vehementiſſimam, & periculoſiſſimam, ſanguinis miſſione, & aliis opportunis præſidiis curatus ab Helio Bello medico doctiſſimo, & elegantiſſimo: quem virum ſumma familiaritate, ac beneuolentia nobis coniunctum honoris gratia hîc nominatum volui. Quemadmodum igitur experiẽtiam nos certè magni facimus, ſi commodum illa, atque idoneum expertorum nanciſcatur, ita vnicuique, qui ſe expertum prædicet, quod ſæpenumero faciunt inſanæ mulierculæ, circulatores, vilis plebecula, fidem temerè adhibendam non eſſe exiſtimamus: atq; eo certè minus, ſi aliter ratio perſuadeat, qua in primis duce philoſophi omnes controuerſias diſſoluere, ac de rebus iudicium ferre debent. Modò ad rem redeo. Alij quidam poſtremo loco aliam rationem ſolẽt afferre, qua venenatorum ſacculorum vim, atque exiſtimationem defendere conantur. Aiunt enim dum præſentaneum huiuſcemodi venenum propè cor diutina geſtatur, hinc fieri, vt membrum hoc nobiliſſimum venenis occulta quadam proprietate maximè obnoxium, paulatim, ac ſenſim eorum præſentiæ, congreſſuiq; aſſueſcat, atque adeo quendam veluti habitum contrahat, ne iam inde vim aliquam in poſterum patiatur: qua deinceps conſuetudine tantum roboris acquirat, vt ditum hoc quoque peſtilentiæ venenum oppugnare, atque contemnere poſſit: vulgaris enim & peruagata eſt ſententia, à rebus familiaribus, & aſſuetis paſſionem alicui non inferri: & Hipp. ſcriptum reliquit, quæ longo tempore aſſueta ſunt, quanquam deteriora, minus iis, quæ inſueta ſunt, moleſta eſſe. Ac nemo profectò quiſquam eſt, qui non facilè intelligat, quantum momenti, ac virium conſuetudo habeat tum in naturalibus tum in ceteris rebus omnibus. Narrãt hiſtorici (quod non eſt à re noſtra alienum) apud nonnullos Æthiopiæ populos in more fuiſſe, quum Princeps quoſdam occulta morte tollere vellet, elegantiores puellas nappello nutriendas curare, vt ij ad concubitum earum pulchritudine allecti, hac ratione vitam cum morte commutarent: atque Auic. particulatim Ruphi teſtimonio puellæ cuiuſdam meminit quæ diutius veneno vſa, ac nutrita eſt, ea tantum ratione, vt quoſdam Regulos, qui ſecum rem haberent, interficeret. *Quod* (inquit Gal.) *anus Athenienſis experimento docuit, cuius apud omnes percelebris eſt memoria: Etenim ea ab exigua cicuta portione auſpicata nullo detrimento ad permagnam progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate ipſa deuictum eſt, & conſuetudo naturale reddidit.* Demúmque eius euentus quam quotidie ſequi animaduertimus, vt plurimi cum peſte affectis familiariter verſantes illæſi, atque incolumes euadant, aliam nullam veriorem cauſam nonnulli reddunt, cuius rei ſuperiùs mentionem fecimus præter vnam conſuetudinem: namque illi vitæ generi aſſueti, ac veluti habitu quodam contracto facilè vim tanti periculi contemnere videntur. Hæc iſtorum ratio eſt ſatis quidem apparens, acuta, & ingenioſa; ſi tamen verè, & propiùs expendatur, nihil prorſus mihi demonſtrare videtur: nam vapores arſenici, & aliorum huiuſmodi venenorum, quæ tota ſubſtantia ſunt naturæ hominis aduerſa, nunquam non tales eſſe cenſendum eſt: neque ego adduci poſſum, vt credam, aliquam iis vnquam familiaritatem accedere poſſe, ac non illa perpetuò cor affligere, ac labefactare. Propterea Gal. huiuſcemodi venena nunquam, & nuſquam ſumenda, neque aliis medicamentis admiſcenda eſſe voluit, ne minima quidem ſub quantitate, quod illa ſint perpetuò malefica, & pernicioſa. *Minima particula* (ille inquit) *lethalium venenorum, quæ deleteria appellãnt, vbi in animalis corpus ingreſſa fuerit, totum id momento temporis immutat, ſibique ſimili affectione alterat,* & aliàs. *Eorum quæ tota ſubſtantia nobis contraria ſunt, ſi vel quid minimum aſſumptum fuerit, vt omnino lædat, neceſſe eſt; nam talia omnia genere ſunt deleteria, non quantitate; ac proinde nihil eorum in alexiterias antidotos inditur, veluti papaueris ſuccus,* &c. Quod ſi intra ſumere iſthæc non licet, nemini dubium ſit neque licere iis vti extra, ſi quidem quacunque tandem ex parte corpus ingrediantur, eadem perpetuò ſunt, atque eoſdem effectus parere valent, vt antea diximus. Conſuetudinem plurimum poſſe negandum non eſt ſed ita tamén, vt ne limites naturæ tranſcendantur, néve quod omnino fieri non poteſt, conſuetudinis beneficio fieri poſſe velimus. Quamobrem cum id euenire poſſe concedam, vt ei venenorum generi aliquis aſſueſcat, quæ ſola quantitate ſunt malefica; de quibus certè ſpeciatim loquitur Gal. & de quibus fortè etiam reliquæ loquuntur hiſtoriæ (niſi illæ magis Arabicas fabulas imitantur) nunquam tamen ipſe adduci potero, vt credam humanum corpus nutriri poſſe iis venenis, quæ quovis in loco, quovis tempore, & quavis ſub quantitate lethifera ſunt, & deleteria.

Quod aduerſariis quoque iſthæc nos donemus, certum eſt huiuſmodi vſum, ac familiaritatem venenorum, opem certè aliquam poſſe præſtare ad præſeruanda corpora ab illis ipſis venenis, non item ab aliis, quæ diuerſi generis, naturæ, ac malitiæ poſſint eſſe,

Lib. 4 fe. 8. tract. 3. c. 12.

1. Aph. 50.

Lib. 4 feb. 6. tract. 4. c. 1.

3 de ſimpl. med. c. 18.

1. De ſem. 16.

5 de ſimpl. med. c. 19.

Digitized by Google

eſſe, cuiuſmodi fortè eſt venenum peſtiferum. Itaq; vt finem tandem imponam præſenti diſputationi, iſtorum ſacculorum vſus, qui ex arſenico fiunt, & alijs id genus venenis, mihi nunquam probari potuit. Rationem veram, ac legitimam, qua cor roboremus, tueamur, atque à peſtilentia nobis caueamus, in eo potiſſimum conſiſtere arbitror (quod antea monuimus) vt primum corpora munda ſeruemus, & quoad eius fieri poteſt, ab omnibus excrementis, & ad omni putredine libera: tum verò vt dominanti cauſæ reſiſtamus; de quo altero ſcopo tractabimus poſterius. Quod autem ad medicamenta pertinet ſiue intra ſumenda ſiue extra adhibenda, prudentiſſimus quiſque illa me conſultore amplexabitur, quæ illuſtriſſimorum hominum autoritate, & plurimorum annorum experientia grauiter confirmata ſunt. Quamobrem ſi quis ſacculum ſibi parare ſtudet cordialem, vt vocant, is memoria repetens ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, illum conficiat ex rebus maiori ex parte frigidioribus, & ſiccioribus, nō omiſſa tamen & aliqua calidiorum portione, quæ frigidiora deducere, ac illis veluti vim ſternere ſolent. Ex. gr. *Rec. flor. roſarum, violarum, nymphææ, borraginis, citri an. manip. ſ. ſem. thlapſeos, ſandalorum omnium an. drach. j. corticum citri vnc. ſ. ſem. citri drach. ij. fol. meliſſæ, myrti, betonicæ, maioranæ an. manip. j. aquæ roſarum lib. ij. in qua diſſoluens ſit moſchi ſcrupulus. contundantur omnia craſſo modo, & aqua roſacea inſpergantur ſenſim ac ſæpius, donec totam exhauriant, ad finem addatur camphora, corallorum rub. ligni aloes an. drach. ſ. ſp. cordalium temp. diamoſchi dul. an. drach. j.* Ex ijs omnibus fiat materia, ex qua ſacculi fiant. Huiuſmodi medicamentorum formula ſatis temperata nobis videtur, quæ immutari debet, demptis, additiſve reb. calidioribus, aut frigidiorib. vt opportunitas feret, quam ſexus monſtrabit, ætas, temperamentum, in primis anni tempus, & conſtitutio, vt antea iam ſæpè monuimus. Auic. inſignem prærogatiuam, & admirabilē proprietatem videtur tribuere hyacintho lætificādi, & corroborādi cordis, ac reſiſtendi cuilibet veneno, ſi diutius appoſita regioni cordis, geſtetur, aut in ore detineatur. Alij alijs vtuntur. Hæc de præſeruatione ſufficiat. Etenim quanquā multa adhuc ſupereſſe nō ignoro, quæ hac in re afferri potuiſſent, hæc tamen ex inſtituto noſtro vtilia, & neceſſaria omniū maximè nobis viſa ſunt: ex quib. fortè ſtudioſus lector cætera omnia colligere poterit, quæ ad totius tractationis integritatem deſiderari poſſe videntur.

De med. cord cap. de hyacintho.

Curatio.

Reliquum modò eſt, vt de curatione dicamus. Qua in re mihi videor audire communem hominū grauem querimoniam de arte medica, atq; adeo de ipſis medicis; quaſi verò magnæ imperfectionis, ne dicam imperitiæ illi ſint arguendi, qui tot annorum curriculo nullum adhuc remedium excogitare valuerint, de quo certi aliquid, & ſecuri aduerſus atrocem hunc morbum ſibi homines promittere poſſint. Verùm iſti res humanas, atque diuinas non ſatis intelligere videntur. Sunt enim procul dubio ita (ni fallor) Deo Op. Max. permittente, morbi quidam, qui nullam recipiunt curationem, vt ex. gr. pulmonum vlcus, quam phthiſim vocant, à qua nemo vnquam ſanatus eſt; ſunt & qui maiori ex parte lethales habentur, inter quos præcipuus eſt peſtilentiæ locus: immo verò, vt antea diximus, niſi illa maiorem hominum partem eriperet, iam peſtis non eſſet.

Diuinæ igitur voluntati tandem acquieſcant, & facilè intelligent medicorum munus non hoc eſſe, vt miracula efficiant, ſed vt naturalibus certis remedijs, aut à viris ſapientibus petitis, aut vſu, & experientia inuentis, omnibus opem ferre ſedulò ſtudeant, quantum quidem per humanarum rerum conditionem, atque imbecillitatem licet. Galeni tempeſtate grauem illam, & diuturnam peſtilentiam fuiſſe legimus, cui tamen vir ille ingenio ſingulari, & proprè diuino, idonea remedia excogitare non potuit. Ita diuerſo deinceps temporum curſu nulli non conſtat horrendam hanc luem tam immaniter aliquando ſæuiſſe, vt cladibus infinitis, ac excidio maximarum regionum non pepercerit.

Hoc igitur ſtatuo, peſtilentiæ curationem aggredior ijs propoſitis præceptis atque remedijs quæ mihi omnium maximè probantur. Quod eo libentius facio, quoniam apud nonnullos, qui hac de re ſcripſerunt, non pauca reperi, quibus non facilè aſſentior.

Cæterum antequam incipio, illud primum inquirendum eſt, an huiuſmodi luis curationum inſtituere liceat certa methodo, ac determinatis indicationibus, an magis, quod nonnulli contendunt, remedijs ſola experientia, & fortuito inuentis, adeóque ab omni methodo alienis. Quam quidem iſtorum opinionem ſatis confirmare videtur ſummorum medicorum, atq; vnius in primis Gal. autoritas, qui certa methodo, ac ratione poſteris accuratiſſimè tradita, vnde cæteri omnes morbi curari poſſint, ad curandam peſtilentiam omnem indicationum conſiderationem prætermiſiſſe, ac vnius tantùm, vel alterius antidoti memineſſe videtur. Quo potiſſimum argumento illi vti ſolebant, qui peſtilentiam ex latente, & occulta cauſa originem ducere arbitrantur. Sed cum huiuſmodi ſententiam nos priore libro confutauerimus, hanc quoque ab illa pendentem minus probare poſſumus: quandoquidem in ea ſumus ſententia, morbos peſtilentes ex manifeſtis cauſis oriundos eſſe, illóſque non ſine methodo, & ratione curari. Quod ſi medici hac in re nonnullas particulatim antidotos afferunt, vt Gal. bolum Armenam, Ruphus potionem ex aloë. myrrha, ammoniaco, & alij alia, quæ occulta quadam proprietate prodeſſe creduntur, non illud fieri exiſtimandum eſt, quaſi cætera præſidia, quæ medendi methodus, ac elicitæ indicationes ſuppeditant, prætereunda ſint, de quibus plerique alijs in locis, & omnium maximè Gal. tum alibi, tum in libris Epid. mentionem facit. Quod ſi Gal. diſciplinam imitati peſtilentiæ præſeruationem à methodo & ratione minimè alienam tradimus, quid eſt, quamobrem curationem fortuitam, atq; ab omni methodo abhorrētem inſtituere velimus? Siquidem, vt Galen. placet, præcautio quantitate remediorum, non qualitate differt à ſanatione: ita quidem, vt huiuſmodi nomina apud medicos ſæpenumero confundantur. Sed præſtat hac in re Gal. loquentem audire, qui peſtilentes morbos non ſolùm methodo in vniuerſum præcaueri, & curari docet, ſed etiam particulatim modum præſcribit, ac indicationes proponit, quibus inſtructus medicus ſeipſum præſtare poteſt opportuna facientem.

1. de diff. febr. 4.

Oportet in ſingulis cauſis (ille ait) *diligenter aduertere, qua maximè facultate morbos committere ſoleant; deinde conſiderare corporum affectus, qui ipſis conſentiunt, & repugnant, pro comperto habentes, quod iis, qui conſentiunt, prompta ſit læſio, contrarij autem, & repugnantes, quantum viribus, ac magnitudine valet contrarietas, tantum inuicti permanebunt. Igitur vidi ego aliquando tali conſtitutione euenientè, qualem Hipp. in Cranone factam eſſe dixit, carbunculos graſſatos non paucos, quorum generatio, & alia omnia eo quo ille ſcripſit modo ad amuſſim fuerunt. Quin etiam quæcunque tertio Epid. in peſtilenti ſcripſit conſtitutione, ea quoque omnia in alia huic ſimili conſtitutione euenerunt. Summa verò eorum erat, vt Hipp. indicauit, putredo. Atq; ad ipſi*

Digitized by Google

cognoſcentes ſtatim incipiente conſtitutione, quecanque corpora humida videbamus, ceaſeſtim quovis modo exſiccare tentabamus; quecnaque verò ſicciora, in ijs priſtinam naturam conſervabamus; quecunqae autem excrementis plena, purgationibus ſanabamus, obſtructiones verò meatuum ſoluebamus, atque abſtergebamus. Sed hac quidem iam ad medendi methodum pertinent; & conſtat quod in hac tractatione plurimum de ijs dicetur. Nuac autem eorum mentionem feci ſequntus ſermonem docentem, quonam modo ab vna cauſa inualeſcente quidam febrib. corripiuatur, alij verò immunes permaneat: cum enim corporum affectus diſſimiles ſint, & multiformes, quidam facilè vincuntur, ac promptiſſimè patiuntur à cauſa ageate, alij inuicti & omnino impatibiles ſunt, aut difficulter patiuntur. Ad huius rei verò demonſtrationem coactò ſuvans etiam curationis meminiſſe, non aliter affecti quam Hipp. qui alicubi quodammodo valgatum illud verbum adſcripſit; Oſtendit autem ſanatio. *Eſt igitur & praecautio dicta ad talem quendam modum ſanatio. Etenim re ipſa nomina apud medicos ſapenumero confundantur, vt enim ia altero libro demonſtratum eſt, omne medici opus, & officium vitia corporis corrigit. Sed nihil in praſentia iſta exquiſita loquendi ratione opus eſt. Sine enim totum id, ſanationem. & praecautionem in duo diuidas nomina, ſiue ambo in vnum coatrahas, ſanationem nominaas, non exiguo argumento eſt, non omnes ab eiuſmodi cauſa ſimiliter laborare affectus eorum, qui epidimijs, ac peſtilentib. morbis corripi prohibentur. Vnus namque, & primus in omnibus, communis eſt ſcopus, vt corpus quàm maximè vacet excrementis, & benè tranſpiret: ſecundus ab eo, vt dominanti cauſa. quod fieri poteſt, repugnetur: at quibus contraria horum inſunt, ocyſſimè laborant, maximéque ægrotant.* Gal. hactenus. Quam ſeriem etſi longiorem, hic tranſcribire voluimus, quod præclarè hanc controuerſiam diſſoluere, adcóque omnes ſcopos, tum præcauendæ, tum curandæ peſtilentiæ, accómodatos grauiter indicare videatur. Itaq; ad inſtitutum redeuntes, quod omnibus curandis morbis, autore Gal. primũ efficiendum eſt, nos pariter ante omnia curandi indicationes elicere tentemus.

At verò cum illas a morbo in primis petere ſoleant tum Gal. tum eruditi omnes medici, ſuperiore autem libro nobis ſtatutum ſit, peſtilentiam nullo certo, ac determinato morbo contineri, particulari huiuſmodi exercitatione prætermiſſa, quam longius perſequi nimis longum, & operoſum foret, cum non poſſimus, quod volumus id velimus, quod poſſumus, neceſſe eſt. Quamobrem cum ſumma totius negotij, adeóq; omnes morbi peſtilentes in excellenti vna putredine facilè conueniant, atque hinc, tanquam ex fabuloſa Pandora, mala omnia erumpere ſoleant, in hunc ſcopum oculos dirigere, atque ex hoc in primis loco indicationes curandi elicere nos decet: quas quidem ſingulis deinceps morbis, ac ſymptomatis particulatim accommodare vnuſquiſque conari debet.

Primùm igitur humores putridi ſunt imminuendi: quod ſi aliqua de cauſa id non licet, ij certè omni diligentia coquendi ſunt, & præparandi, tum putridi quicunq; vapores exſiccandi ſunt, & abſumendi; ſi quæ ſunt viſcerum obſtructiones, aperiendæ, & poſtremò cum plurimi hic ſpiritus reſoluantur, adeóque naturalis calor vehementer laboret, danda eſt omnis opera, vt illi refocillẽtur, hic foueatur & recreetur. Porrò autem quanquam inter medicos fortè conuenit, quod ad huiuſmodi curandi indicationes pertinet, tãta de particularibus præſidijs, atq; agendi ratione, & ordine inter eos diſſenſio eſt, vt vix adhuc certam & optimam medendi methodum ſtatuere liceat. Alij protinus ſanguinem detrahunt; quorum hic venæ ſectionem modò in vna, modò in altera corporis parte commendat, ille ſcarificatas cucurbitulas dorſo, cruribus, & aliquando vniuerſo corpori appoſitas quàm maximè celebrat, alius applicationem hirudinum venis hæmorrhoïdibus, quandoq; auribus, & alijs fortè partibus probare ſolet. Alij contra à ſanguinis miſſione in vniuerſum abhorrentes, medicamentis familiariter vti conſueuerunt; quorum hic lenientia duntaxat, & benedicta, ille purgantia, & valentiſſima quæq; non veretur exhibere. In primis autem ardua videtur eſſe illa difficultas, *an erampente bubone, carbunculo, exanthematibus, vel natura aliquam vtcunque excretionem moliente, liceat aliquando ſanguinem mittere, vel exhibere medicamentum.* Quæſtio.

Neque poſtremò alij deſunt, qui vtriuſque præſidij, mittendi ſanguinis, & medicamenti vſum ſuperuacaneum exiſtimantes, nulla ratione opportuniori vrgentem putredinem, ac malum vniuerſum debellare poſſe opinantur, quàm ſi ægri primo quoque tempore ad antidota confugiant, & in eorum vſu diutius perſeuerent. In tanta igitur de re maxima vel doctiſſimorum hominum diſſenſione, ſententiam nos quoq; noſtram proponere non grauabimur, parati libenter illam mutare, ac meliorem ſemper amplecti. Qui cætera omnia remedia perpetuò negligunt vnis exceptis antidotis, hos præter rationem, vt paulò ante indicauimus, & Gal. mentem agere nos exiſtimamus; Etenim ſi accidat, (accidit autem ſæpiſſimè) vt corpus vacuatione aliqua, & alijs præterea præſidijs indigeat, neminem rationi participem, & Gal. diſciplina inſtructum eſſe arbitramur, qui illa prætereunda eſſe cenſeat. Cæteri pleriq; omnes in eo facilè conueniunt, vt principium curandæ peſtilentiæ ab aliqua vacuatione ducendum ſit, in primiſq; aut miſſo ſanguine, aut exhibitio medicamento. *Prima 4. de. cur ſeb pe.* Sic inter cæteros Auic. *ſumma* (inquit) *curationis eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris. Et oportet vt incipiatur ab ea ad euacuandum.* Qua primum in re illud mihi probari non poteſt, vt hanc difficilem, & ancipitem curationem à leuioribus remedijs auſpicemur. quẽadmodum nõnulli ſolent principio caſſiam, aliúdve leniens medicamentum exhibere; cum enim morbus ſit peracutus, qui quarto die plerunque, ac citiùs terminatur, ſi ille hac ratione tractetur, mors ſæpenumero anteuertens occaſionem præcipitem adimit maiora adhibendi præſidia alioqui neceſſaria. *Minime* (inquit Gal.) *ſicuti medicorum nonnulli* *5. Meth 15.* *cenſent, à paruis incipiendum auxilijs eſt, nec ſicuti illi dicunt, ſentiendum, illa ſcilicet primi eſſe tentanda, mox ſi nihil profeceris aggredienda maiora, nã in morbis ia quibus periculum non impendet, vera ea opinio eſt, at vbi moriendum ægro prorſus eſt, ſi phlebos ſemel exceptus ſit, alieniſſimum à ratione eſt à minoribus inchoaſſe: ſicuti enim reliqua omnia ab Hip. tradita, ita illa quoque ſentẽtia rectè dicta eſt: Nempè ad vltimos morbos vltimos prorſus remedia maximè valere.* Hæc ille Quamobrem tentandum eſt illico maiora adhibere præſidia: inter quæ nullum miſſione ſanguinis magis opportunum, vel efficax vel tutũ mea ſententia poteſt excogitari, ſi modò vires, aut ætas illud nõ prohibeant. Non ignoro plurimos eſſe neq; indoctos, neq; obſcuros homines; qui non ſolùm in vera peſte, ſed in malignis quoq; febribus ab huiuſmodi remedio longè abhorrent, illa potiſſimùm (opinor) ratione perſuaſi, quod in maxima humorum, & ſanguinis putrefactione vires conſtare vix poſſint: quam profectò ſententiam Gal. in primis *Init. lib de ab ben. & mal ſuc.* videtur confirmare, qui aliquando ſcriptũ reliquit, medicos in peſtilentia non iniuria ſanguinis miſſionem reformidaſſe, non alia ſanè de cauſa, quàm propter vnam virium imbecillitatem: quanquam

& illud

& illud pleriquę addere ſolent, miſſo ſanguine periculum imminere, ne maligni, ac venenati humores intus cohibeantur, ita vt ad cutim, vel alias partes à natura tranſmitti nequeant, quæ maximè huiuſmodi tranſmiſſioni expoſitæ, atque obnoxiæ plerunque eſſe conſueuerunt, Aduerſus horum ſententiam inſtituti mei non eſt hoc loco longius diſputare. Illud mihi eſto ſatis in præſentia, morborum nedum magnum eſſe, ſed maximum, & cæteris omnibus longè maiorem; quo caſu Hipp. Gal. & inſignes quique medici ſanguinem conſtanter, & perpetuò mittunt, modò vires ætáſque conſentiant. Qua de re alibi diſputauimus prolixè, atque exactè ni fallor, quantum huiuſmodi argumentum poſtulare videtur. Quod porrò ad ea pertinet, quæ aduerſarij afferunt, ſi illi intelligant in nullo morbo peſtilenti ſanguinem mittendum eſſe, in quo vires non conſtent, neque ipſi huiuſmodi ſententiam repudiamus, cum in nullo vnquam morbo inſigne hoc remedium ratione, & opportunè adhiberi cenſeamus, vbi vires deficiant. Quod ſi verò in vniuerſum illi ſtatuunt, nuſquam & nunquam in peſtilentia vires eſſe validas, illud nos ſanè pernegamus. Quanquam enim ſumma viget humorum putredo, negandum non eſt, vires aliquando poſſe conſtare. Neque aliud hac in re iis opponere nobis liceat, quàm ipſum experimentum, quod vbique plurium argumentorũ vicem ſupplere pulchrè poteſt: quandoquidem illud tam eſt certum, & notum quàm quod certiſſimum, & notiſſimum, non dixerim plurimos, ſed nonnullos certe ægrotos peſtilentibus morbis, & ſymptomatis malè affectos, quibus ſanguis aliquando vel copioſè miſſus eſt, maximum virium robur atteſtari, cum tanti mali pondus fortiter illi ferant, & priſtinæ ſanitati reſtituantur. Neq; Gal. teſtimonium nobis aduerſatur, qui non in vniuerſum de peſtilentia, ſed de illa particulatim ſermonem habet, in qua vires minimè eſſent conſtantes, neque profectò iniuria, cum illa ortum duxerit ex importuna, & maxima fame, quæ cum multos annos mirandum in modum vrgeret, pleroſque homines coëgit, vt veſcerentur alimentis praui ſucci, pugnantibus inter ſe facultatibus præditis, & quæ ad brutorum potius, quàm hominum ſuſtentationem à natura genita eſſe viderentur. Vnde cui mirum debet videri, illas vires, quas antea validas fuiſſe vix credi poteſt, superueniente morbo omnium grauiſſimo labefactari, ac proſterni, vt illæ ad ſanguinis miſſionem minimè ſufficerent? Immò verò inter præſtantiſſimos medicos, quorum fere nullus eſt, qui hoc remedium prætermittat, nonnulli Arabes vel ad animi deliquium vſque illud exercere non verentur; ad quem certè ſummum vacuationis terminum peruenire non licet, niſi vires valeant, & inſigniter valeant. Ad illud autem, quod ſecundo loco propoſitum eſt, nimirum ſanguinis miſſionem impedimento eſſe, quo minus natura tranſmittat ad partes extimas putreſcentium humorum virus, de multis, quæ reſpondere promptum eſſet, quædam pauca ſatis futura eſſe nos arbitramur. Et primum quidem illud ſtatuimus, quod à nemine in cõtrouerſiam ducitur, medicum miniſtrum eſſe, & imitatorem naturæ, ea ſanè lege, vt ille dun-
1. *Aphor. com.21.* taxat imitetur, quæ rectè à natura fiunt, & illius opera adiuuet, cum probè illa, ſed imminutè agit. *Diligenter* (ait Gal.) *medicum oportet naturæ motum, & inclinationem obſeruare, quæ, ſi ad loca commoda fiat; ei ſeruiendum eſt, & auxiliandum; ſi verò contrario modo, & incommodè, eam prohibere, ſimulque reuocare, & retrahere oportet.* At verò an natura probè agat, tranſmittente illa putreſcentes, ac venenatos humores ad alas, inguina, & alias partes cutis, ita vt medicus ſubſidium illi ferre, aut ſaltem non illam impedire teneatur, id mihi non ſatis conſtat. Et pro-

fectò quemadmodum huiuſmodi tranſmiſſionem opportunè aliquando & vtiliter fieri nemo inficias ire poteſt, ita contra illud nos in vniuerſum, ac perpetuò cum vtilitate fieri non credimus, quandoquidem ſæpè, & ſæpius vſu veniſſe vidimus, vt omnis naturæ conatus, & expulſio quam plurima incommoda, & plerũque hominis interitum ſecum afferat, quod quidẽ vſque adeo quotidiana experientia perſpicuum eſt, vt ſi quis id negare audeat, vix eum ingenuum hominem æſtimare liceat. Quod ſi quis cupiat rationem aliquam conſtitui, quæ nos doceat, quando huiuſmodi naturæ conatus probè fiat, is (vt Gal. eſt autor) in quibuſcunque motionibus animum ſedulò adhibeat, an natura dominetur, an ſit dominata, vel (vt medicè dicamus) an criticè, an ſymptomaticè agat: quod certè aliter definiri non poteſt, quam ex coctione, & cruditate, nulla enim humorum vacuatio, nullus decubitus, nulla motio vſum aliquem ægrotis afferre vnquam poteſt, ſi intempeſtiuè accidat, hoc eſt morbi initio, nulláque apparente coctione: quod in morbis peſtilentibus maiori ex parte fieri cernimus. Contra verò ſi eadem tempeſtiuè fiant, nimirum à coctione, & in vigore morbi, fieri aliter non poteſt, quin omnia ſuccedant fauſta, feliciáque. Notum eſt illud Hipp. *Coctiones ce-* 1. *Epid. ſect.2.46.*
leritatem iudicij, & ſalutis ſecuritatem portendunt, cruda autem & inconcocta, atque in malos abſceſſus conuerſa aut acriſias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut interitum. Sed eſto. Hoc quoque aduerſariis concedatur, in peſtilentia quamlibet naturæ depulſionem ad partes corporis externas opportunè, & vtiliter fieri, adeóque nihil vnquam eſſe moliendum, quod huiuſmodi conatui impedimento eſſe poſſit; tantum ego abeſſe exiſtimo, vt ſanguinis miſſio naturæ motionem impedire poſſit, vt contra magis illius vim, atque inclinationem non leuiter adiuuare poſſe putem. Namque ſanguine miſſo natura leuata, exoneratáque eo, quo veluti ſarcina premitur, proprij muneris haud oblita, quemadmodum magis apta redditur ad perficiendam coctionem, ita longè facilius, & felicius nedum propulſationem ad cutim, vel alias partes, ſed aliam quamcunque euacuationem aggredi, & perficere conſueuit: cuius quidem rei tam multa ſunt, atque illuſtria exempla, tum ad alios, tum maximè apud vnum Gal. vt illa certè ignorari ne- 1 *Aphor. com.23.*
queant: Ex quibus vnum in præſentia nobis ſufficiat, quo loco non ſolùm miſſo ſanguine, ſed etiam vſque ad animi deliquium ille docet pleriquę mouere aluum, & ſudores, argumento planè euidenti, ſanguinis miſſionem nullam naturæ vacuationem, in primis verò per cutem, non ſolùm non impedire, ſed etiam, ſi quid aliud, adiuuare. Quod ſi bubone, carbunculo, parotide, exanthematibus apparentibus, modò alia conſentiant, nemo eſt ex nobiliſſimis medicis, qui venam ſecare non audeat, quis iure ambigat huiuſmodi remedium opportunè adhibitum vnquam impedimento eſſe, quo minùs iſthęc omnia deinceps erumpant? Legantur quicunque hoc argumentum tractant, Græci, Latini, Arabes, qui cæteris præſtare videntur, nemo eſt ferè, qui aliter ſentiat. Sed vnum Gal. audiamus Hippocratis ſententiam explicantem.

Lata puſtula non admodum pruriginoſa; quales Hippoc. 6.
Simon hyeme habebat, qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur; vomitus non proderant: puto, ſi quis calida fomenta adhibuiſſet, vtilitatem percepiſſet. Verùm Hipp. an alius Simonem vomitionibus vti conſuluiſſet, non declarauit; neq; id ſcire nobis neceſſe eſt: Illud tamen ſufficit noviſſe, ſuccos ad cutem vergentes per eam eſſe vacuandos, nam iterum ad interna corporis reuulſio ipſis valdè longinqua eſt, vt per aluum, aut vomitum vocantur. Sed forſitan me Epid. ſect.2. text.29. Galen.

dicere putabit, nunquam purgatione per ventrem in quibus corporibus permulta humorum eſt copia, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti: Etenim prius quàm redundantem materiam aut ſecta vena, aut exhibito medicamento quis eduxerit, ſi calidis fomentis vtens ipſam diſcutere conetur, is plus attrahet, quàm per cutem euacuabit.

Hæc Gal. Cum igitur morbi peſtilentes non modò ſint magni, ſed omnium maximi, ſi præter aptam ætatem vires quoque valeant, quod aliquando fieri certum eſt, quanquam bubones, carbunculi, & aliæ ad cutem depulſiones reuera appareant, aut periculum imminet, ne in poſterum appareant, primo quoque tempore non ſolùm opportunè, ſed neceſſariò ſanguinem mittendum eſſe nos exiſtimamus. Poſſem equidem hac in re plurimorum ægrotantium afferre exempla, quibus non ſolùm præterito, ſed præſenti etiam tempore apparente bubone, exanthematibus, & aliis naturæ expulſionibus, ſummo cum emolumento ſanguis miſſus eſt, vt particulatim Angelæ priore libro meminimus. Sed ex infinitis, quod in præſentia, dum hæc ſcribo, mihi euenit, prætereundum non eſt Idib. Martiis. cum adhuc ciuitas quanquam fortè à malo, non tamen à ſuſpicione mali prorſus libera eſſet, Hieronymus de Ponte Doct. chirurgus excellens ad mulierem quandam accitus antequam domum ingreditur, audiens illam admodum malè habere, ac lotium intuitus veluti iumentorum, ſuſpicatus morbum peſtilentem eſſe, rem protinus ad magiſtratum defert. Ipſe rogatus à patribus, qui hoc tempore illud enixè à me petierunt, & rogarunt, vt huiuſmodi ægrotis dubio, & incerto morbo laborantibus adeſſe vellem, ac de illis iudicium ferre, & quibus libenter pareo, hanc mulierem viſito vna cum Fabio Montia, & Franciſco Biſſario viris nobiliſſimis, & grauiſſimis, qui publicum in præſentia ſalubritatis conſeruandæ munus ſuſtinent. Mulieri nomen eſt Viſulæ, an. natæ xx. circiter, prope vrbis portam D. Luciæ, in domo Antonij Bregolati; quam quidem præter lotia perturbata inſignem dolorem capitis, & alia ſæua ſymptomata, tanta exanthematum copia, quas *petechias* appellant, refertam deprehendimus, quantam raró alias me vidiſſe memini. Huic mulieri, quam longè viſitauimus, cum illa ſatis robuſta alioqui videretur, meo conſilio, aſſentientibus Fabio, & Franciſco protinus à vena iecoris ſanguis miſſus eſt ad vnc. x. quæ paucis nonnullis deinceps illi adhibitis præſidiis ſeptimo die priſtinæ ſanitati eſt reſtituta. Hoc ipſo tempore Hieron. Fornarctus Venetiis oriundus, ac ſerici conficiendi magiſter prope Eccleſiam D. Laurentij manè corripitur febre, atque illa ipſa hora illi ſimul erumpit bubo in inguine dextro ſatis notabilis, qui eo præſertim tuſſiente erat maximè dolorificus. Veſperè delatus ad magiſtratum parum abfuit, quin ſecunda, aut tertia hora noctis campum Martium petere coactus fuerit. Ego à patribus ſummo manè admonitus hunc hominem viſito, omniáque diligenter animaduertens, quanquam particulatim inſigni ille bubone laborabat, ab omni morbo peſtilenti eum liberum eſſe cenſui. Atque huic pariter ſtatim ſecta vena iecoris miſſus eſt ſanguis copioſè ad vnc. xij. Qui quidem tum hoc in primis (vt opinor) tum aliis quibuſdam adhibitis præſidiis imminuto deinceps bubone, leniro dolore, ac rebus in vniuerſum proſperè ſuccedentibus poſt paucos dies omnis periculi immunis euaſit. Sic aliàs frequenter (quod ſanctè affirmare poſſumus) quanquam naturam ad partes externas aliquam vacuationem moliri cernimus, ſi modò corpora multis ſuperuacaneis humoribus ſint referta, & alia conſentiant, nos ſanguinem mittere non dubitamus. Hanc rem longiùs tractauimus, atque vno & altero exemplo illuſtrare voluimus, quod illam magni momẽti eſſe putamus & alij plerique multum difficultatis habere contendunt. Cæterum cum multifariam, atque è multis corporis partibus ſanguis educatur, plerique rem totam ita definire ſolent: ſi qua in parte ſit aliquis tumor, aut aliud malum circa colli regionem, aut ſuperiorem, ſecandam cenſent venam cephalicam; ſi infra collum vſque ad inguina, venam iecorariam; ſi in ipſis inguinibus, aut infra, venam cruris ſaphenam appellatam, hoc ſemper obſeruato, vt ſanguis ducatur è directo, & à parte magis læſa. Si verò nullus particulatim extat tumor, nullus in parte aliqua labor, venam illi ſecari iubent baſilicam, aut mediam dextri cubiti, vt poté quæ toti corpori vacuando ſunt omnium maximè accommodatæ: quam quidem doctrinam Galen. iamdiu tradidiſſe legimus. Ego verò cum in cæteris facilè iis aſſentiar, in ea parte, quæ ad mala inguinum, & infra inguina pertinet, moderationem aliquam, & iudicium adhibendam eſſe cenſeo. Etenim ſi in iis partibus ſit aliquis tumor, vel recens inflammatio, & ſanguinis redundantia affuerit, ego venam primùm ſuperiorem omnino ſecandam eſſe arbitror. Neque hanc equidem mittendi ſanguinis rationem à Galen. diſciplina alienam eſſe exiſtimo. *Libell. de ſang. miſſ.*

Quanquam enim in vniuerſum ille ſcriptum reliquit omnes partes thorace inferiores ſectis venis inferioribus plurimum iuuari, id nos ita interpretamur, & opportunè fieri credimus, ſi modò cætera artis dogmata non ſint diſſentientia. Namque nemo eſt in libris medicorum, atque vnius poriſſimùm Gal. vel mediocriter verſatus, qui non intelligat curandis morbis omnibus, atque in primis tumoribus & inflãmationibus illud antè omnia ſedulò cogitandum, ac decernendum eſſe, an reuulſione, an deriuatione, an mixta omnino vacuatione ſit opus; de quorum nominum vi, atque vſu vario diffusè egimus in tractatione de catarrho. Quantumcunque enim laborant partes corporis inferiores, ſi vna reuulſione opus ſit, quis eſt vel Gal. dogmatibus conſentiens, qui venas inferiores ſecare, adeóque maiorem ſuccorum copiam ad locum læſum attrahere velit? Nemo arbitror: cùm ipſe quoque Galen. partibus aliquando infra inguina laborantibus propoſita huius curationis methodo ac eliciriis indicationibus venas ſuperiores ſecandas eſſe doceat. *Quæ autem* (ille inquit) *vacuando obſeruari debent, antea diximus: ac nunc quoque paucis explicabimus, vt deinceps ſeruata memoria iam te per ſingulos affectus vacuationis indicationes edoceri neceſſe non ſit.* Ætatem igitur, tempus, regionem, præſentis aëris conſtitutionem, robur ægrotantis, habitudinem, conſuetudinem, atque ipſam morbi ſpeciem animaduertendam eſſe diximus. Hæc enim quando vacuandum, aut minimè vacuandum ſit, & vnde & quomodo docent, veluti in ſubiecto affectu. Confluat in genu humor, atque repentè vehementer intumeſcat: vbi verò vniuerſum corpus ſanguine plenum eſſe videatur, validæque ægrotantis vires ſint: anni tempus, ver, & regio modicè temperata, adoleſcenſque, vel iuuenis ſit æger, huic ſanguinem ex ſupernis partibus mittere oportet, ſecta cubiti vena, vel interna, vel media: quod ſi ſuperna pars affecta ſit, ex inferna ducendus eſt ſanguis. Semper enim fluxionis motum in contrarium trahere expedit. Et aliàs hoc ipſum ferè docens, per quæ loca, & quo vacuationis genere vacuare expediat, cum multa ſint vacuandi genera, variæque morbi ſpecies, nec omnia omnibus conferant. *Neque verò* (ait) *prætermittenda eſt ea, quæ à partis poſitu ſumitur indicatio, vtpote quæ maximè doceat, per quæ, & quomodo fieri debeat, vacuatio. Influentium igitur adhuc humorum retractio, quam ἀντίσπασιν Hippocrates vocat, conſidẽtium verò iam locũ deri-* *2. a in Gal. cap. 2.*

natio

natio, eſt remedium. Vtrumq; enim vacuationis genus fieri debet per communes venas. Ex vtero, verbi gratia retrahes, ſi cubiti venam ſecueris, &c. deriuabis autē, ſi ſanguinem infra mittas, &c. Atque ſi dextera vteri pars laboret, ſanguis è dextera manu, & crure ducēdus eſt: Sin læua, ex membris illi è directo reſpondentibus. Hactenus Galenus; quem audire licet planè, & perſpicuè aſſeuerantem, laborāte vtero tum ex manu, tum ex crure ſanguinem mittendum eſſe, quanquam alias (vt diximus) ex cruribus illum perpetuò mittendum eſſe docet. Quam quidem apparentem alioqui diuerſitatem, ac repugnantiā non aliter nos tollese poſſe videmur, quàm ſi dicamus Galenū varia ſibi propoſita indicatione modò ex vna parte, modò ex altera ſanguinem miſiſſe. Etenim ſi reuulſione eſt opus, quod accidis etiam fluentibus humoribus, venas ſuperiores; ſin deriuatione, quod euenit illis iam fluxis, inferiores, ratione, & accommodate vna cum Galeno ſecandas eſſe nos eſtimamus. Quare ad me rediens, quanquam ad inguina, vel infra inguina ſunt bubones, carbunculi, & alia huiuſmodi mala ſi redundantia ſanguinis adeſſe, atq; adhuc humores ad determinatam partem confluere videantus, primùm equidem venas ſuperiores reuellendo, tum verò, ſi ita ferat opportunitas, etiā inferiores deriuando, ſecare ſoleo; tantumq; abeſt, vt ab hac reuulſione quicquam timeam, quaſi ita virus peſtiferum ad internas partes reuocemus, adeóq; naturæ ſimus impedimento, quæ veluti in ſentinam quandam totum contagium tentat deponere, vt magis hac ratione nō leuem opem, auxiliúmq; ipſi naturæ nos ferre putemus: quandoquidem non ſolum reuellimus, ſed etiam educimus è corpore contagiū; illáq; hoc nomine ſubleuata, & robur aſſecuta, proprij muneris non oblita (vt Galeni verbis vtamur) haud difficilè ſuperabit, quod ſcliquum eſt, cōquendo, quod concoqui eſt habile, & excernendo, quod poteſt excerni, ad ſummámq; omne officium obeūdo. Vtcunq; autem ſe res habeat, ſunt nonnulli qui verentes omnino, ne huiuſmodi ſanguinis vacuatio naturam auertat, & impediat, quominus venenū ad exteriora tranſmittat, dum mittitur ſanguis, trahens aliquod medicamentum aut etiam cucurbitulas adhibere ſolēt iis omnibus partibus, quæ maximè huic tranſmiſſioni expoſitæ, atq; obnoxiæ cenſentur eſſe, vt poſt aures, ſub axillis, in inguinibus: quod quidem cautionis, & prouidentiæ genus improbare nequeo, quamuis alicui fortaſſe neſcio quid curioſius ſapere

Quādo mittendus ſanguis.

videatur. Tempus mittendo ſanguini accommodatū nonnulli ſtatuunt ante diem quartum, vt nefas eſſe putent ſanguinem poſtea mittere. Quorum ſententiā ſatis confutat Gal. qui in ſanguinis miſſione dierum numerum minimè attēdendum eſſe docet, ſed quocunq; die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotāte inuenerimus, illum perpetuò mittendum eſſe aſſeuerat, etiam ſi vigeſimus ab initio morbi dies fuerit.

De ſang. c. 20.

Rectiùs, & magis ad Galeni mentem illi dixiſſe viderentur, ſi quouis tempore virium rationem habēdam eſſe vellent. Nam ſi ſtatim initio morbi, nedum quarto die, aut deinceps virtus fuerit exoluta, nemo eſt, qui non à ſanguinis miſſione abſtinendum eſſe fateatur.

Copia ſanguinis quæ extrahenda

Porrò illa ſanguinis copia eſt extrahenda, quam plenitudo, ætas, habitus corporis, temperamētum, anni tempus, & ſimilia poſtulare videbuntur, de quibus ſæpenumero Galenus. Proxima ſanguinis eductioni, quæ venæ ſectione fit, illa, eſt quam præſtat ſcarificatio malleolorum. Sed hæc apud noſtrates pleroſque medicos contemptui iam habetur, ac penè obliuioni penitus eſt tradita, cum tamen Gal. fueris admodum familiaris.

2. Aphor. com. 17.

Euacuatio (ille inquit) *omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem, proxima autem huic illa eſt, quæ fit per malleolorum ſcarificationē, vt nos facere conſueuimus.* Hic ego audiri nolim eam crurum ſcaſificationem, cuius, poſt adhibitas cucurbitulas, cōmunis, vulgatiſq; eſt vſus aduerſus capitis affectus, aut occluſas hæmorrhoidas, aut ſuppreſſa in mulieribus menſtrua, aut aliam ob cauſam, de qua ſuperiùs mentionem fecimus. Hæc.o. longè ab ea diſtat, non eo tātùm, quòd antiqui nullas cucurbitulas adhiberent cum id parum interſit mea quidem ſententia, ſed præſertim quòd illi profundiores inciſiones infigebant, atq; adeò maximam ſanguinis copiam extrahebant, illa fortaſſe maiorem, quam nos venæ ſectione, quamuis copioſa, extrahere ſolemus. Quāti verò huiuſcemodi præſidium facerent optimi illi priſci viri, facile eſt intelligere ex ea diligentia, quā iis deſcribendis adhibuerunt ſingillatim, ac veluti ſeligioſè, quæcunq; hac in re in vſum veniunt. Nāque ex eorum præſcripto pars, quæ ſcarificanda eſt, ablui primum debet, atq; foueri aqua tepida, aut Solis radiis, aut igni exponi, donec ruborem contrahat deinde aggredienda ſcarificatio, ita quidem vt particulatim variis in partibus variæ infigendæ ſint inciſiones, in vniuerſum autem, partes primùm inferiores indicantur, mox ſublimiores, atque vulnuſcula magnitudine, loco & mutuo interſtitio ſint æqualia, tum verò tandem hæc fiant non κατὰ πληγήν, id eſt, *per percuſſionem*, ſed κατὰ συρμόν, id eſt, *per tractum*, atque, vt ego interpretor, non feriendo, vt adhibendis cucurbitulis facere iſti ſolent, ſed firmata primum dextera, vt fit abceſſibus aperiendis, aut vena ſecanda; quem fortè adminiſtrationis modum minore cum dolore perfici illi opinabantur Iam verò vt multa prætercam, atque infinita propemodum encomia, quibus iidem hoc remedij genus ad varios vſus ornare voluerunt, audiamus quæſo, quæ inſignis ille medicus Apollonius de ſeipſo ſcriptū reliquit de peſte loquens, Oribaſio referente. *Et ſanè* (ille inquit) *dum peſtilentia vehemens aliam deprehendiſſet, multóſque perdidiſſet, méque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta crus ſcarificans, duáſque ferè ſanguinis libras detraxi hacque de cauſa periculum vitaui. Plerique igitur etiam alij hoc remedio vſi ſuperſtites euaſcere; illique præcipuè ſaluabantur, qui ſanguinem copiosè extrahebant.* Cap. 20.

Hæc Apollonius. Quo certe loco non iniuria noſtri temporis medicos arguere, poſſe mihi videor; quorum nullus, quem ſciam, aut litterarum monumētis, aut manuum opera, hactenus in vſum reuocauit huiuſmodi præſidium, quod ſecuritatem cum ratione, vim & efficaciam coniunctam habet, tum verò præclaro tanti viri teſtimonio eſt comprobatum.

Ego igitus in vniuerſum copioſam hanc malleolorum ſcarificationem ſummopere commendo, quæ ſola fortaſſe inſtar omnium eſſe, & admirabilē operam præſtare poteſt; particulatim verò, ſi alicui retētæ ſint hæmorrhoides aut mulieri menſes, huic accommodatiſſimam illam eſſe cenſeo. Qua equidem euacuādi ratione, vt prætesita temposa prætercam, hoc in primis triſtiſſimo peſtilentiæ tempore tum præſeruando, tum curādo familiariter ſum vſus non ſine inſigni emolumento, vt de Paulo Stabulario priore libro diximus; quanqoam, vt verè dicam, nullus vnquam idoneus miniſter præſto fuit, qui huiuſmodi opus probè, & accuratè adminiſtrauerit. Quod ſi quis fortè delicatior à profundis iſtis inciſionibus, & à graui alioqui dolore abhorreat, meum omnino conſilium foret, vt poſt venam in brachio ſectam, is neq; crurum omitteret ſcarificationem, vt vulgo ſolet adminiſtrari, quam maxima fieri poteſt, copia ſanguinis educta. Si quis demum ratione virtutis imbecillioris, ætatis, aut alia de cauſa non poſſet, aut certè nollet ſanguinem è vena ſibi mitti, hūc pariter ego hortarer, quemadmodum in præſeruatione etiam admonuimus, vt cucurbitulis vulgato

more ſanguinē ſibi extrahendum curaret, iiſque non tantum dorſo adhibitis, ſed ipſis etiā cruribus: quandoquidē hoc euacuationis genus peſtilentibus morbis multis de cauſis magnopere videtur conuenire. Sunt qui laudent hirudinum vſum, quæ præſertim hæmorrhoidibus applicātur, quaſi propriam quandā vim, & prærogatiuam habeant hæ animantes, vt è corpore attrahant quidquid corrupti, ac venenati ſanguinis habetur. Cæterum cum vniuerſum corpus vacuare oporteat, & remedio quidem valido, ac celeri propter morbi celeritatem, & periculum, qui nullas præbet inducias, non arbitror hirudines huic vſui ſatisfacere poſſe, quæ tardè, parúmque ſanguinis ſolent educere, & eius quidem, quæ nonnullorum eſt ſententia, duntaxat tenuioris. Illud in præſentia non omittam, quod tamen videtur non ſatis ad præſentem locum attinere, tum Venetiis, tum Patauij (vt audio) & alijs forte in locis frequenter admodum vſurpari veſicatoria. Sed hæc, vt mea fert opinio, in præſeruatione potius, quod ſuo loco dictum eſt, quàm in curatione conueniunt: prætterquam enim quod partem inflammare poſſunt, dolorem afferre, & ægrum vexare, nimio plus alioqui vexatum, videntur etiam mihi huiuſmodi vacuationes leuiores, & tardiores eſſe, quam vt præſenti vſui ſatisfacere poſſint. Si tamen ita ferat occaſio, vt poſt vniuerſam corporis vacuationem illis ſit locus non omnino fortaſſe fuerint contemnendæ. De mittendo ſanguine ſatis. Plerique omnes hac tempeſtate à ſanguinis miſſione abhorrentes, vt diximus, eius vice medicamentis vtuntur ſoluentibus, & iis quidem validioribus, vt nonnulli ne antimonio quidem parcant, aut euphorbio, aut præcipitato, aut ſi quid ijs magis violentum, & furens inueniri licet: aſſerunt enim peccare in peſte humores malignos, venenatos, rebelles, qui nullam prorſus à natura correctionem, aut concoctionem recipere poſſunt; ac proinde illos eſſe quàm primùm à corpore abigendos. Aduerſus horum ſententiam non eſt mei inſtituti pluribus in præſentia diſputare, qui id ex propoſito ſatis, ſuperque feci in particulari diſputatione. Illud tantum immutabili Hippocratis, ac præſtantiſſimi cuiuſque medici decreto ſtatuendum eſſe aio, nunquam licere medicamentis vti ſoluentibus, niſi humores concocti ſint, & à natura edomiti, aut certè niſi turgeant, ſpontéque ad motum ferantur Quod quidem præceptum ſi aliàs vnquam, tum vero in peſte veriſſimum eſſe cenſeo: neque enim video quî fieri poſſit, vt iſthæc medicamenta ſuapte natura calidiora, & veneni non omnino expertia, atq; adeo naturæ hominis aduerſa, non ſint potius febrem auctura, & detrimenti plus, quàm

1. Epid. ſect. 3. emolumenti allatura. Quod eo maiori conſideratione dignum videtur, cum plerique in peſtilentia facilè in alui fluxum incidere ſoleant, Hippocrate,

5h. 57. atq; vna Galeno aſſerentibus in peſtilentijs eorum tempeſtate graſſantibus medicamenta non contuliſſe, ſed omnes proprè interijſſe cum colliquatione, & fluxu excrementorum liquidorum, & corruptorum. Id quod particulatim Cornelius quoq; Celſus animaduertiſſe videtur, qui ſcriptum reliquit in peſtilentia ciendam non eſſe aluum, immò vero ſi ſponte flueret, adſtringendam. Quod ſi vnquā aut experientia docuit, aut nobilis quiſpiam medicus ſcriptum reliquit, aluum fluentem huiuſmodi ægro-

3. Met. c. 12. tis aliquando profuiſſe, ſicuti illis euenit apud Galenū, qui ex peſtilentia vlceribus aſperæ arteriæ laborantes vomitu in primis, & ventris fluxione ſanati ſunt, illud profectò veriſimile, & probabile, vel magis neceſſariū eſt minimè in principio morbi, ſed poſt

4. Aph. 22. coctionem eueniſſe. *Quando enim* (ait Galenus) *aliquis incipit morbus ſi quid excernitur, nihil tunc naturalege, & ratione excernitur, ſed ſunt omnia ſymptomata carū, quæ præter naturā ſūt in corpore, diſpoſitionū: quo enim tēpore à cauſis morbū facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter vacuari eſt impoſſibile; ſiquidē vt bona criſis fiat, oportet coctionem præire, ſecretionē ſubſequi, ac demū vacuationē.* Et particulatim de decoctionib. nigris, in

peſtilentia ſermonem habens, *quamplurima* (ait) *eiuſmodi excremēta in peſtilenti morbo illo diuturno vidimus, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant, quā in ſaluandis approbant, non tamen vel in principio, vel incremento morborum conſpiciebantur: tunc enim quæ educebantur, erant & flaua, & rufa, colore colliquamēta: quæ vero mox apparebant, nigra erant veluti ſanguinis fex, ſiue ipſo ſanguine ſuperaſſato, ſiue extraneā aliquā putredinem nacto, originē habuiſſent, non aliter ac in ventriculi ſit cruditatibus, cū in vitioſos humores cibariorū corruptela terminatur. Quare ab initio quidem nunquā in bonum apparere ſolent huiuſmodi deiectiones, vtpote magnam viſceris læſionem oſtēdentes, vigorem autem ſaeè ſequūtur, natura tum ſuperuacanea expurgante.* Verùm iſta hoc aphoriſmo non diſtinxit Hippocrates, quamuis alibi dixerit in vniuerſum. *Signa indicatoria*, id eſt, *quæ in melius decernunt, non protinus apparere*, &c. Qui verò peſtilentes humores nullā omnino coctionem ſuſcipere poſſe cōtendunt, ridendi ſunt potius quam refellēdi. Diſcere enim ab iis libenter ego velim, qua lege, & ratione euadant, qui huiuſmodi morbis aliquando ſunt ſuperſtites: quod confirmat experiētia, & particulatim ſcribit Gal. eueniſſe in maxima peſtilētia ſui tēporis, 3. De praſ. expulſ. c. 1.

ī n qua ij, ſum quidē cordis corpus occupante putredine, atque adeo febre hectica laborantes omnes interierunt, at in quibus calor putridus ad humores, quos continent cordis ſinus, magis deflexiſſet, quàm ad corpus ipſum viſceris, horum multi euaſerunt. Quandoquidē ſi morbus nullus quod idem Gal. ſcri- De conſt. art med. cap. 12.

ptū reliquit, abſq; indiciis coctionis diſſolui poteſt, vt iſti humores quātumuis venenati, & rebelles naturæ legibus obedire, atque adeo coctionē recipere poſſint, fateamur, neceſſe eſt. Quod ſi contrà ſe res habet, vt iſti ſomniant, iam ſatis vnicuiq; poteſt conſtare neminem vnquam peſtilentia correptum euadere poſſe: vnde huiuſmodi ægrotis nullo tempore, vel medicamentū exhibendū vel aliud maius præſidiū adhibēdum eſſet, ſi Gal. credimus, qui in iis dun- 2. Aphor. com. 29.

taxat morbis, in quibus ægrū conualiturū eſſe ſperamus, tū ſanguinis miſſionē, tum purgationem aggrediendā eſſe docet. Itaq; tum aliis in morbis tum maximè in peſtilētia decretū Hippocratis, & Galeni religioſè ſeruādū eſſe nos arbitramur vt ante humorū coctionē, ſi modò illi non turgent, nuſquam, & nunquā exhibeantur ſoluentia medicamenta. Qualis autem ſit vis huius vocis (*turgere*) & quòd humores in peſtilentia perpetuò non turgeant, ſuo loco mōſtrauimus. Et quanquā non exhibito medicamento plerique ęgrotantes intereunt, quod aduerſarij nobis obijciunt, nónne illo exhibito plurimi, fortaſſe frēquentiùs, moriūtur? Illud profectò inter nos intereſt quod illi præter rationē, & ſummorū medicorū dogmata agunt; nos cōtrà rationē, & præclariſſimorū hominū diſciplinā imitamur, à qua nūquā deſciſcere decet, etſi res minus proſperè ſuccedāt, quando prudentes viri conſilia non ex euentu, ſed ratione, & illuſtriū hominū teſtimonium probare debent. Quāobrem ita ego ſtatuendū cenſeo, morborum initio omittenda prorſus eſſe tū quæ diximus medicamēta quæ venena potius deteſtanda ſunt, tū verò quæ vis alia quoq; validiora, & vehementiora. Cæterū ſi ita ferat occaſio; negligendus non eſt vſus alicuius medicamenti faciliotis, ac lenientis, quod ægrū refrigeret, vtpote flagrantē, & ſuccuſū, vt eſſe omnes ferè ſolēt, tum etiam vētriculū, & primas venas euacuet: cuiuſmodi caſſia eſt, manna, ſyr. roſ. ſol. vio. & ſimil.

In

In primis verò;niſi aluus ſponte deiiciat,profuturos plurimum exiſtimo clyſteres ex rebus frigidioribus decocto lactucæ, violariæ, maluæ, melle violaceo, oleo violaceo, ſpeciatímque ptiſana hordeacea cum ouis, qui maximè probantur Aëtio:qui quidem clyſteres,quotidie,& ſemel,& bis adminiſtrẽtur:quanquam alias me legiſſe memini apud celebrem quendam medicum qui diu,ac ſumma cum laude in Patauino gymnaſio profeſſus eſt, & qui (ſi Diis placet) principem in vniuerſa Europa locum obtinere creditus eſt, vſum clyſteriorum in peſtilenti febre ita pernicioſũ eſſe,vt nihil pernicioſius excogitari poſſit;quod ſanè commẽtum,ac ſomnium tum ratione, tum ſenſu & experientia vſq;adeo vanum eſſe deprehenditur,vt longiori confutatione non egeat. Porrò cùm in hoc morbo, perinde atq; in cæteris omnibus vniuerſa ſpes ſalutis in eo conſiſtat, vt natura cauſas morbificas euincat,& domet, & humoribus peccãtibus dominetur,quam ego cõcoctionem voco, ſine qua(vt modò diximus) æger ſanitati reſtitui nunquã poteſt,in hoc ipſum omni ſtudio incumbendum eſt.

Victus ratio. Id nos aſſequimur,partim recta victus ratione inſtituta,partim medicamentis & antidotis,quibus,vitiatæ humorum qualitates remittantur,copia vacuetur, obſtructiones aperiantur,calor deniq; naturalis corroboretur;quæ hac in re poſteriores poſitæ ſunt curandi indicationes,& quibus apud medicos ea naturę operatio,quam coctionem dicimus,iuuari & promoueri creditur Vtrumq; nos caput breuiter perſequemur,cum ſuperius de præſeruatione tractantes, de vtriſq; ſatis loquuti ſimus,quæ non incommodè ad pręſentem locum ſunt transferenda.

Cibaria. Itaq; cibaria, quod ad qualitatem ſpectat,ſint boni ſucci,coctu facilia,paucorum excrementorum, & ſi febris adſit,vt plerunq; fit,frigidiora,& humidiora tam actu,quam poteſtate, quibus tamen ratione ſummæ humorum putredinis,cuius certè indicationis obliuiſci nunquã licet,incoqui nonnihil poſſet eorum,quæ malignitatem poſſunt oppugnare,citri,acetoſæ,borraginis,illud ſemper ſedulo animaduertendo,vt ab inſuauib⁹, & ingratis caueamus, quæ ægrotantis appetentiam euertere & proſternere poſſunt. Quãtitas ciborum, ſi communem opinionẽ ſequamur, copioſa ſit oportet,quo vires conſeruentur, & fiant validiores, quæ in tanto diſcrimine conſtitutæ, non niſi labefactari, & magnam iacturam facere ſolent. Ego verò in aduerſam venio ſententiam, atque huiuſmodi ægrotos arbitror parcè admodum alendos eſſe,cum morbus hic, ſi quis alius ſit acutiſſimus, ac proinde tenuiorem victum requirat.

Cæterum cum hæc ſententia ferè ſit præter omnium opinionem, adeóque mirabile paradoxum videri poſſit,illa me hic pauliſper conſiſtere,& immorari cogit. Quod eo libentiùs facimus, quòd ſatis conſtet hanc rem permagni momenti eſſe atque ad ſalutem hominum maximè pertinere. Primum autem ſunt nonnulli, qui contendunt in vniuerſum hoc tempore nullo in morbo competere tenuem illam victus rationem, quæ antiquioribus, potiſſimùm Hipp. & Galen. tradita eſt,quod corpora noſtra iam non æquè ſint robuſta,neque alimenta pares nutriẽdi vires habeant,ac ſuperiore tempore:præterea verò quod infelix hæc noſtra ætas luxui, deliciis, & crapulæ longè magis indulgeat,quàm vnquam aliis factum ſit. Atqui huius opinionis leuitas à doctiſſimis viris tamdiu confutata non deſiderat lõgiorem orationem. Etenim corpora,atque alimenta omnia noſtro tempore eiſdem viribus eſſe prædita, neque minus robuſta, quàm vnquam fuerint præterito, vnicuique plenè conſtare poteſt,qui ſpretis,ac repudiatis fabulis Poëtarum, memoria teneat naturam, quocunque munere obeundo admirabilem conſtantiam, & incredibilem quandam æquabilitatem immutabili prorſus perpetuitate tueri, mundum in præſentia omnino eundem eſſe,qui olim fuerit Cœlum vna eadémq; naturali conuerſione contorqueri, terram ſuis libratam ponderibus immotam ſtare,Solem ſuos circuitus nulla ex parte immutatos percurrere,omne ſidus ſiue fixum, ſiue errans eandem ſtatus rationem obtinere, anni tempora eundem ordinem ſeruare, ac cætera demum omnia, quæ longè maxima ſunt, hoc tempore eodem certè modo conſtare, quo antea ſolita ſunt. Quod ſi natura, ſicuti rerum omnium eſt viciſſitudo, ita earundem eſſet imminutio, & declinatio, vt poſt longiſſima tempora omnia corruant, & ad nihilum deducantur fateaɾis neceſſe eſt: quo ſanè euidenti argumento vniuerſa philoſophi diſciplina facilè poſſet non modò labefactari,ſed penitus etiam ſubuerti. Quod verò ad luxum noſtrorum temporum pertinet, tantum abeſt, vt huiuſmodi ratio aduerſus alteram ſententiam demonſtret, vt magis illam confirmet:vaſa enim aſſiduis cibis,iiſq; multis prorſus repleta,& diſtenta non iniuria tenuem victus rationem indicare, atq;expoſcere mihi videntur. Vnde Gal. hanc ipſam ob cauſam diuitibus, quod plures illi ex luxu, & ciborũ intemperantia humores congerant, ſanguinis miſſionem lubens conſulit. *11. Meth. c. 15.* Cum igitur corpora,alimenta, & res omnes eædem ſint in præſentia, quæ milleſimo antè anno fuerint, cum præterea luxus,& crapula,ſi modò nos ſumus veteribus magis intemperati, victus rationem potius tenuem, quàm pleniorem poſtulare videantur; mox inquirendum eſt, quid hac de re ſtatuerint ſummi viri,quid ratio præſcribat, & quantuſnam victus conueniat in morbis peſtilentibus. Id nos facilè aſſequemur, ſi primum intelligamus, vnde in morbis ſumantur indicationes inſtituendi victus,tum verò quales ſint illæ differentię,quę vniuerſam illius quantitatem amplectuntur: quod tamen paucis indicamus. ne ſi omnia perſequi velimus, quæcunque ad hanc rem pertinent,præter inſtitutum noſtrum ſimus longiores.

Victus ratio ex duabus ſumitur indicationibus. Totius victus rationem in quocunque morbo ex duabus ſumi indicationibus tam eſt notum,quàm quod notiſſimum, nempe ex ſummo totius morbi vigore,& ex viribus ægrotantis: cum enim cibus exhibeatur virium gratia,non morbi, illud vnum medicus proſpicere debet,vt neque plura. neque pauciora alimenta ægroto offerat,quàm quibus ille perdurare poſſit vſq; ad ſtatum,ita quidem vt ſi inedia ſimplici eo vſq; citra virium lapſum æger ſufficere poſſit, nihil illi prorſus ciborum ſit exhibendum. Hoc admodum luculenter docet Hipp. tum aliis aphoriſmis,tum illo in primis. *Coniicere autem oportet, num æger poſſit eius victu, quem præſcripſiſti, ad vigorem vſque morbi perdurare: Et nunquid ille prius deficiat, nec cum illo victu durare queat: aut morbus anteà deficiat, & obtundatur.*

Differentia. Verùm enimuero,quod attinet ad victus differentias,quibus vti ægri conſueuerunt,vt interea prætermittamus,quæ de victu ſimpliciter tenui, exquiſitè tenui,tenuiſſimo atq; extremo tenuiſſimè ſũt à medicis memoriæ prodita,quæ certè nomina hæc noſtra tẽpora vix agnoſcũt Gal. accõmodatam huic rei diuiſionem ſtatuiſſe videtur,quo loco vna habita viriũ ratione omnẽ cibũ in plenũ,moderatũ,& tenuẽ pulchrè partitus eſt, illa ſanè methodo,vt plenus vires augere, moderatus ſeruare, tenuis imminuere poſſit. *1. Aph. 9.* Victus plenus,& qui aptus eſt ad augẽdas vires,ille eſt,qui fit per oua,alicã, piſces,& alia huiuſmodi: tenuis,& qui vires minuere poteſt,qui fit per pauca,& parum nutrientia edulia,qualis eſt ptiſanæ ſuccus:moderatum autem victum. & qui ad conſeruãdas vires ſit idoneus, quãquam hoc loco Gal non explicat, nos tamen duobus conſtitutis extremis facilè coniicere poſſumus illum eſſe, qui vtriuſque ſit particeps. His hunc in modum poſitis rem

ipſam

ipſam aggrediamus cum Galeno, qui ſic ait.

In ægrotantibus rarò fit, vt vires quàm inuenerimus, maiores reddamus, ſed ferè ſemper operam damus, vt in longis quidem morbis eaſdem retineamus, ac tueamur, in acutis verò modicè imminutas conſeruemus: nã ſi illas ſemper vel quales accepimus ſeruare, vel etiam augere ſtuduerimus, morbum procul dubio augebimus. Ex quo ſanè vel vno loco manifeſtè vnuſquiſq; poteſt intelligere in ratione curandi morbos acutos, victum plenum, & præterea moderatum ferè prorſus explodi, non alium verò, quàm tenuem recipi. Qua de re ſi legantur medici quicunq; hoc argumentum tractarunt, tot prȩſto ſunt grauiſſimorum hominum teſtimonia, & argumenta omni luce clariora, quæ certè ignorari nõ poſſunt, vt ſuperuacaneum ſit plura huc in medium afferre. Cum autem omnium conſenſione conſtet, peſtilentes morbos acutos eſſe, vt illis tenuis duntaxat victus conueniat, quod omnis ratio colligit, & demõſtrat, fatearis neceſſe eſt, ita vt certe vix vllus dubitationi; vel diſputationi locus ſupereſſe videatur. Cæterum audiamus aduerſarios, illos quidem nũ modò vulgares, & ignauos homines, ſed nobiliſſimos & primæ notæ viros, quorum autoritas magna eſt, qui alterius ſentẽtiæ patroni conſtanter aſſeuerant huiuſmodi morbis tenuem victus rationem minimè conuenire, adeo vt infeliciter admodum cum illis ægrotis agi prædicent, quibus medici pleniorem cibum non exibent. Ex omnibus enim morbis acutis quibus tenuem victus rationem competere nemo negat, vnos peſtilentes morbos illi excipiendos eſſe tradunt, quod ob morbi malignitatem, & inſignem putredinem plurimi ſpiritus diſſoluantur, ac vires labefactẽtur, quas contra non modò robuſtas conſeruare, ſed etiam augere maximè expedit, vt morbo grauiſſimo ſuperiores eſſe, & victo-

Lib. 5. c. 12. 9. riam conſequi poſſint. In qua prȩterea ſentẽtia tum alios, tum maximè Gal. Auic. & Aëtium fuiſſe contendunt: quorum illi ægrotos in peſtilentia ad cibos aſſumendos cogendos eſſe docent; hic manifeſto ſcriptum reliquit, non eſſe adhibendam cibi contractionem, ſiquidem fames peiorem materiam facit, & vires conſcindit quas integras ſeruare vo-

1. Aph 27. lumus. Particulatim autem Gal. tradens quaſdam regulas inſtituendi victus. *Si virtus valida (ait) cum defectu aut deprauatione humorum ſit coniuncta (quod ferè in peſtilentia ſolet euenire) tunc & multa cibaria, & ſæpè ſunt ſic affectis adhibenda, nimirum multa exigente affectu, & ea concoquere, & euincere potente virtute.* At verò hæc, quanquam aliquam veri ſpeciem præ ſe ferunt, ſi accuratè conſiderentur, neq; vera neque veriſimilia eſſe conſtabit. Quod enim primùm pertinet ad robur virium, quod tantopere aduerſarij nobis opponunt, ignorare illi videntur, qua ratione corpora nutriantur, vires conſeruentur, augeantur, & tandem morbos ſuperent. Namque ſi nobis licitum eſſet alimenta ſtatim cocta & aſſimilata apponere ipſis membris, vtique expediret eadem quàm plurima, & multum nutrientia perpetuò exhibere, non modò in morbis peſtiferis, ſed aliis omnibus: quandoquidem citra omnem controuerſiam, vires in primis laborãt, & pugnam exercent aduersùs morbos, cauſaſque morborum, quas propterea longè præſtat quouis tempore valentes, & robuſtas eſſe. Atqui quoniam alimenta non ſunt ſimilia membris, ſed vt aſſimilentur, coctione indigent, & diſtributione, vt nutritio commodè fiat, adeóque vires tum conſeruentur, tum augeantur, vt illæ eædem circa alimenti exhibiti coctionem, & diſtributionem verſentur, & occupentur, neceſſe eſt; quo quidem tempore fieri non poteſt, quin illæ diſtrahantur à pugna & coctione morbi, qui interea liberas habenas ſortitus, omnino fortior euadit, & maiori cum impetu naturam aggreditur, adeo vt mox vires ipſæ labefactari, tandem ſuccumbere cogatur. Cum igitur quandiu natura occupatur in coctione alimẽti, tandiu diſtrahatur à coctione humorum noxiorum, quo copioſius illud exhibetur, eo longiori tempore nulli non manifeſtum eſſe poteſt illam deficere ab altera coctione: vnde eſt illud Gal. *victus abſtinentiam, quantum prodeſt ad* 2. ad Gal. *morbi coctionem, tantum, vel etiam amplius officere vi-* c. 19. *ribus; Contra vero cibos, tantum coctiones morborum impedire, quantum illi ægroto robur adaugent.* Itaque tantum abeſt, vt copioſiore victus ratione medici vires conſeruent, aut augeant, cui rei in primis ſtudent vt illas magis labefaciant, atque deijciant. Nota eſt ſententia Hippocratis, *impura corpora, quo* 1. 4. 1. 4. *plus nutriuntur, eo magis lædis.* Neque Gal. Auic. aut alium eruditum medicum aliter ſentire nos arbitramur. Auic. verba illa ſunt. *Et quando cadit appetitus, reſtaurentur ad comeſtionem, nam eorum plurimi, qui viriliter agunt ſuper illud, & comedunt violenter, abſoluuntur, & viuunt.* Quæ dubio procul ille accepit ab Hippoc & Gal. *Omnes* (inquit Hipp.) *in quos* 3. Epid. ſect 3. *equidem ſum incidi, cibum, quocunque detinerentur* text 18 *prædictorum morborum, faſtidiebant.* Quem locum Amat. Luſ. (vt ìn obiter animaduertamus) oſcitanter, ac temerè com. 1. Cur. peruertit, qui centurias curationum medicinalium nuper edidit, egregia ſanè interpretatione aſſeuerãs, Hipp. in pleroſque omnes morbos, qui in peſtilenti illa conſtitutione graſſabantur, incidiſſe, quod tam abeſt à veritate, vt nihil magis veritati poſſit eſſe contrarium: ſiquidem illum de hominibus, in quos incidit, minimè de morbis ſermonem habere tam eſt certum, quàm quod certiſſimum. Gal. pariter, *ciborum faſtidium* (ait) *omnes cepit, qui in peſte* Com. 38. *diuturna, qua modo viguit, laborabant: quare factum eſt, vt multi morerentur: fortiores ego, qui vim ſibi ipſis afferentes, cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuerunt: plurimi autem mori, quàm comedere quicquam prius duxerunt.* Illi hactenus. Quibus in locis non aliud docent, quàm ſi contingat (contingit autem ſæpius) vt ægri cibos faſtidiant, quod expedit ipſos cogere, & nihil intentatum relinquere, vt cibos aſſumant: quod quidem præclarè dictum, rationi maximè conſentaneum libenter nos ſuſcipimus, atque id à nemine in controuerſiam reuocari debet. Illud autem primum eſt animaduertendum, huiuſmodi præceptum de cogendis ægrotis ad cibum aſſumendum, particulare eſſe, atque hoc vno termino circumſcribi, ſi æger omnem cibum faſtidierit, quod non perpetuò fieri, ſatis vnicuique poteſt conſtare, qui memoria repetat, huiuſmodi ſymptoma in pleriſque peſtilentiis non euenire. Quamobrem minimè decet, aut licet, quod particulatim, ac ſemel euenit, illud in vniuerſum ſtatuiſſe, vt omnibus peſtifero morbo malè affectis copioſior cibus ſit exhibẽdus: quanquam neque hoc certè ſtatuunt viri grauiſſimi, licet hos locos ad peſtilentes omnes morbos pertinere velis. *Fortiores* (ait Gal.) *qui vim ſibi ipſis afferentes, oblatum cibum aſſumpſerunt, quem proculdubio alium interpretari non licet, quam accommodatum, & opportunè inſtitutum, ſumpta indicatione a ſtatu morbi, & viribus ægrotantis, minime verò plenum, vt ineptè quidam interpretantur.* Quod ſi ita licet autorum verba interpretari: qui vim ſibi ipſis afferentes oblatũ cibum aſſumpſerunt, hoc eſt, qui copioſiorem cibum ingurgitauerunt, iam nihil eſt, quod nos hac interpretandi ratione nobis fingere, & alios docere non poſſimus. Sed Auic. planè, & perſpicuè ſententiam hac ... re ſuam explicat. *Et quando* (inquit) *cadit appetitus, reſtaurentur ad comeſtionem: nam plurimi eorum, qui viriliter agunt ſuper illud, & comedant violenter, abſoluuntur, & viuunt: Et neceſſe eſt reſtaurare eos ſuper cibum: Et oportet, vt ſint cibi eorum ex acetoſis,*

&

& deſiccaſiuis, & ſint pauca quantitatis: Cibi namque eorum ſunt iterum mali, quare nocet eorum multitudo, in quantum ſit additio, & nocent in quantum ſunt mali. Hæc ille Quod ad Aëtium pertinet (vt liberè dicam quod ſentio) ſum ego neſcius quanti facienda ſit illius autoritas, cum illum ſæpenumero videam ab Hipp. & Gal. diſſentientem, aliquando etiam ſibi ipſi repugnantem: vt hoc ipſo in loco accidit: quando hoc ipſo capite paulò antea vix decem verſibus interiectis ciborum contractione vtendum eſſe docet, quo vndiq; multitudo tollatur. Quæſo autem qualis eſt iſthæc ſcribendi ratio? *In peſtilentibus, & carbunculoſis vena quidem ſectionem adhibemus ſtatim in principio, non autem cibi contractionem:* Si venæ ſectio opportunè adminiſtratur, quamobrem cibi contractio importunè adhibetur? An non vtriuſque præſidij eadem eſt ratio; Quid illud ſibi vult? *Fames peiorem materiam facit.*

Ego ſanè huius dictionis vim haud ſatis intelligo. Quam doctrinæ inconſtantiam, & varietatem vnuſquiſque paſſim in hoc autore deprehendere poteſt, qui illius lectioni eſt deditus; adeo vt fortè non ſine iudicio, & delectu illius diſciplinæ vniuerſim acquieſcendum ſit. Niſi fortè vir alioqui doctiſſimus excuſetur, quod plerunque diuerſorum hominum ſententias, & verba referens, vt in præſentia de Herodoti ſententia eum loqui conſtat, ille quoque ſæpenumero varius, neque ſatis ſibi conſtans videri poſſit. Neque verò poſtremus locus ex Gal. Commentario petitus magis aduerſariorum ſententiam confirmat. Primum enim Hipp. & Gal. hic minimè loquuntur de quantitate ciborum. quod perſpicuè nota Gal. inino comment. ſed de eorundem modo, hoc eſt nunqoid ſemel, aut ſæpius quolibet die, vel nocte plura, vel pauciora particulatim ſint exhibenda. cum ſuperius de eorum quantitate, & qualitate loquuti fuerint. Sed eſto, hoc quoque illis concedatur, vt de quantitate ſermonem habeant: ſi Gal. præceptum accuratè animaduertunt, illud pariter iam nihil ad eos pertinet, ſiquidem omnes peſtilentia laborantes (quod eis placet) vires habent imbecilliores, atque hanc vnam in primis ob cauſam multa eis alimenta exhibenda eſſe contendunt; id quod à mente Gal. prorſus eſt alienum, qui ſi vires ſint validiores, copioſiora alimenta concedit, & rationem addit, quod vis fortis ea coquere, & euincere poſſit: quaſi ſi vires minus valeant, quod in hoc loco aliæ regulæ docent, alimenta parcè exhibita magis conueniant, quòd vis languida multa alimenta coquere nequeat. Sed in re alioqui ſatis perſpicua nolo eſſe prolixior. Itaq; ad me rediens, vt omnia complectar vno verbo, ego his ægrotis neque carnes conceſſerim, neque vinum, neque olera, neque aliud quippiam præter panem ex aqua, vel iure coctum, ptiſanam hordeaceam, vel aliud huiuſmodi, aut oua recentia. Putus ſit aqua, cui incocta ſunt acetoſa, citrum, aut aliud ſimile. Quod ſi fortè ad inſignem delaberentur imbecillitatem, vini aliquid libẽter eis permitterem oligophori, aut aqua diluti ex acetoſa, è roſis, vel alia re huiuſmodi. Porrò quæcunq; tandem & quantacunq; ſint alimenta, illa particulatim exhibenda, ac diſtribuenda ſunt, vt morbus potiſſimùm, & vires, tum verò ætas, conſuetudo, tempus anni, & cætera eandem rationem ſortita demõſtrant, de quibus diffusè Gal. Quod tertium eſt caput, quod vniuerſam victus rationem comprehendit.

Potus.

Superuacaneum (arbitror) foret illa omnia in præſentia repetere, quæ ſuperiùs de aëre, deq; alijs ad victus rationem attinentibus ſunt dicta, cum ea liceat vnicuique ad præſentem locum transferre, vt occaſio poſtulare videbitur. Igitur vt ad medicamẽta tranſeamus, quæ humores parare, obſtructiones aperire, calorem natiuum roborare, coctionem iuuare creduntur, de ijs quoq; ſuperius aliquã ex parte loquuti ſumus. Atq; ea quidem plurima ſunt, & diuerſorum generum: ſed nos hîc ea breuiter commemorabimus, quæ maximè omnium facilia ſunt, & familiaria. Talia decocta ſunt ex accommodatis ſimplicibus medicamẽtis, acetoſa, borragine, bugloſſa, pentaphyllo, cichoraceis. Ariſtolocia rot. ſcordium. dictamus, calidiora ſunt aliquanto, & amara: ſed plane optima Si liceat ſyrupos petere à pharmacopolis paratos, ſumantur qui ex eiſdem rebus conſtant tum verò acetoſus, roſaceus, è corticibus citri, & ſimiles. Condita, ſucci, pulueres ex ijs ipſis medicamentis aut per ſe ſumpta, aut inter ſe miſta, huic vſui ſunt valdè accommodata: ita tamen, vt ferè ad frigidius vergant, quantum res ipſa poſtulare videbitur. Præclare idem præſtare ſolent magna medicamenta, theriaca, mithridatum, & alia huiuſmodi.

Medicamenta

Apud Gal. miram quandam prærogatiuam habere videtur bolus Armena, non quidem in præſeruando ſolùm, vt multi opinantur, ſed potiſſimùm in curando. Veruntamen cum de ijs omnibus non modò in vniuerſum, ſed etiam particulatim nos ſuprà, ſatis, ſupérque tractauerimus; cum præterea commentaria tum antiquitus, tum recèns hac de re edita hanc partem copioſiſſime tractent, non eſt, vt nos in præſentia longiorem eiuſmodi medicamentorum catalogum temerè inſtituamus, Illud vnum prætereiſſe nequeo, quod memini ſuperius quoq; me animaduertiſſe, prudentiſſimè vnumquemq; facturũ, ſi prætermiſſis figmentis, ac ſomnijs vaniſſimis, quæ omni ratione & iudicio carent, ijs medicamẽtis vtatur, tum ſimplicibus, tum compoſitis, tum interiùs, tum exteriùs, quæ antiquorum, atque illuſtrium virorum teſtimonio iamdiu confirmata ſunt, tum verò, quædam pauca ex infinitis ille ſeligat, namque pluribus vno tempore vtatur, quorum fortè copia confuſionem magis, quàm aliquid emolumenti afferre ſolet; ac poſtremò ſi diligenter animum aduertat, vt ne temerè, atque importunè, quibuslibet tandem medicamentis vtatur, quod pleroſque facere nouimus, ſed ad ſummam ſemper rationem habeat loci, temporis, ordinis, & eorum omnium, quæ ad hanc rem iure pertinent. In quibus quidem medicamentis, ſiue antidotis exhibendis illud quoque prætereundum non eſſe duxi, maiorem omnino illorum portionem in curatione, quam in præſeruatione exhibendam eſſe, cum peſtilentia laborantes maiore omnino præſidio indigeant, quàm qui integra adhuc ſanitate fruentes ab illa præſeruari cupiunt: id quod Gal. etiam animaduertit, quid quantitatem antidoti, præſeruationis gratia, ſumi ſolitam ad quadruplum, & quincuplum in curando augendam, neque ſemel tantùm, ſed bis ſingulis quibuſque diebus aſſumendam eſſe voluit. Præſente iam humorum concoctione, quam ex lotio potiſſimũm dignoſcere licebit; ij poterunt educi aliquo medicamento leniore, cuiuſmodi præ cæteris videtur eſſe rhabarbarum. tanquam venenis oppugnandis, & cordi roborando maximè idoneum. Sed & de ijs ſuperiori tractatione ſatis. Poſt hæc demum omnia vltimus reſtat, iſq; non exigui momenti ſcopus, vt membra læſa alterentur, permutẽtur, eorũq; adeo vitia corrigãtur. Quod perfici cum multis modis poſſit, præſertim nos conſequemur, ſi primas illas qualitates, quæ excedere videbuntur, temperare, ac remittere, ſpiritus exolutos regenerare, calorem naturalem, quoad eius fieri poteſt, roborare ſtudeamus. Hęc verò pręſtant tũ proba victus ratio tum idonea quædã medicamenta, de quibus vtriſq; ſatis ſupérq; iam dictũ eſt; neq; eſt vt eadem fruſtra ſæpius repetamus Atque hactenus ſatis mihi videor dixiſſe de ratione tum præſeruandæ, tum curandæ peſtis quando præcipua certè huius rei capita poſita ſunt, ex quibus

de Antid.

facile

facilè vtrinſque ſibi comparáre poteſt, vti reor, quæcunque deſiderari poſſe videntur.

Illud poſtremò tandem hoc loco erat nobis propoſitum, vt tractaremus de nonnullis morbis, & ſymptomatis, quæ maiori ex parte in peſtilentia ſolent euenire: Sed cum illa varia ſint, & multa, quæ omnia perſequi nimis operoſum, & longum eſſet, ex pluribus carbunculos, & bubones ſeligere, atque eorum curationem tradare ſtatuimus, quòd hæc cæteris magis frequentia ſint, & periculoſa. De maculis quidem, quas *petecchias* vocant, pariter dicendum fuerat; ſed diffusè de ijs iamdiu tractauimus in curatione febris peſtilentis: ad quem locum huiuſmodi tractatio magis videtur pertinere. Itaque tractaturi de curando carbunculo, & bubone, illud primum memoria eſt repetendum, quod proprio libro diffusè ſtatutum eſt, totius peſtilentiæ ſummam non aliundè originem ducere, ac propriam formam conſequi, quam ex vehementi, inſigni, & ſingulari quadam humorum putredine, quos quidem vt pote naturæ noxios, infeſtos, ac maximam vim inferentes, omni adhibitio conatu, aut extra corpus expellere, aut certè ad cutem, commune totius corporis emũctiorum, aliáſq; partes ignobiliores tranſmittere illa perpetuò conatur, quemadmodum in alijs quoque venenis propemodum omnibus extra apparere ſolent maculæ. & alia indicia, de quibus tum alij, tum maximè Gal. loquuti ſunt.

6. de occ. aff. Cæterùm, vt ſunt varij prorſus humores putridi, craſſiores, vel tenuiores, benigniores, vel maligniores, vt variæ ſunt corporis partes, quæ potiſſimùm laborant, vt demum natura, & vis magis, vel minus valet; ita multiplices, variæ varijs in locis, ac vario tempore apparent illorum eruptiones: quas ſi leues fuerint, & ſummam cutem tantum attingant, Græcis in vniuerſum ἐξανθήματα appellari nos exiſtimamus: nam hoc nomine, de quo noſtrates medici acriter diſputare ſolent, vt alio loco diximus, & φλυκταίνας, & ψυδράκια, & ἐπινυκτίδας, & κηχλῶνας, & alia multa leuiorum tumorum genera comprehendi nos arbitramur. Si verò illæ ſint grandiores, aut planæ, aut aliquo tumore notabiles, varijs nominibus appellantur, phymata, eryſipelata herpetes, anthraces, bubones, parotides, de quibus omnibus cæteri medici paſſim Hipp. primùm in peſtilenti ſua conſtitutione diffusè loquutus eſt. Porrò antequam huiuſmodi tumorum curationem aggrediar, illorum naturam indicare, propriam formam deſcribere decet, vt vnuſquiſque morbos grauiſſimos, & periculoſiſſimos agnoſcat, néve aliquis hac in re contingat error, vt fortè carbunculum, vel bubonem malignum, tanquam nullius momenti, & periculi malum negligamus, vel contrà alios tumores omnino leues, & ab omni periculo alienos, carbones, & bubones peſtilẽtes temerè. & turpiter cenſeamus. Atque hoc eo libentiùs facimus, quod hoc ipſo tempore, dum hæc ſcribimus, atque ita iubente magiſtratu, ſalubritatis vrbis munus medicum ſuſtinemus, ijs de reb. ſæpenumero diſputare, ac ferè digladiari mihi contigit aduerſus ignaros quoſdam ne dicam inſanos, aut flagitioſos homines, qui aut quæſtu illiberali, & ſordido capti, aut morbo neſcio quo animi affecti, quamlibet maculam, & leuiſſimum quenque tumorem, vel homine alioqui perfectè ſano, ſine febre, ſine dolore ad ſummam ſine malo, carbonem, & bubonem peſtilentem nominare audent; adeo vt ciuitas Dei Opt. Max. beneficio iam incolumis atque ab omni morbo peſtilenti ferè libera quorundam nebulonũ malitia, qui diligentiam magiſtratus, & omnia in deteriorem partẽ interpretantur, apud vicinas vrbes, & omniũ maximè Illuſtriſ. Venetias adhuc malè audiat, & tanquam ſæua peſtilentia contaminata communi commercio ſit interdicta. Sed rem aggredior. Quem *carbonem*, ſiue *carbunculum* Latini, *anthracem* Græci, *prunam*, *& ignem perſicum* medici Arabes appellant: quanquam huius ætatis chirurgi ineptè, & temerè anthracem peculiari nomine vocant, qui omnino eſt deterior, & malignior, & illum à carbunculo inſigni veneno, & malignitate diſtinguere ſolent. De carbunculo varijs in locis tractat Gal. quinam humores illum efficiant, quæ propria ſit illius forma, & quæ ſymptomata eum ſequantur, ſed nullibi magis accuratè, quàm libro *de Art. cur. ad Glauc.* ijs verbis, *Cum ſanguinis admodum calidus & craſſus eſt, in quamcumque partem confeſtim fluxerit, hanc exurit, vlcuſque cum cruſta efficit; quicquid verò circunſtat, inflammationem attollit feruentem, grauitérque dolentem. Vocatur autem huiuſmodi affectus carbũculus. Quod ſi influẽs ſanguis niger fuerit, craſſus, faculentus ac feruidus, qualis eſt prior, admiſtamq; ſaniem quandam tenuem habeat, puſtula in cutis ſuperficie oriuntur his, quæ ex igne fiunt ſimiles ſub quibus ruptis cruſtoſum vlcus inuenitur: eſt & hic affectus etiam carbunculus.* Ex quo loco, & alijs huic conſentientibus facilè vnuſquiſq; poteſt intelligere, carbũculum Gal. ex influente ſanguine nigro, craſſóq; ac fæculento, eodemq; feruente atq; impensè calido ortum ducere; cui ſi tenues quædam humiditates admiſtæ fuerint, puſtulæ quædam ambuſtis conſimiles per ſumma cutis excitari ſolent, quam certe inflammationem recentiores carbunculũ cum puſtula nominant. Quanquam verò carbunculus & citra puſtulam, puſtulaſve aliquando naſcitur, tamen omnibus in vniuerſum cruſtoſum vlcus fit. Diximus autem citra puſtulam puſtuláſve, quoniam vna duntaxat interdum puſtula maiuſcula cum hoc morbo exoritur, ſæpius verò non vna tantum puſtula erumpit, ſed multæ exiles, veluti milij ſemina crebræ in particula reſidentes: quib. ruptis perpetuò cruſtaceũ vlcus prouenit, quale ferramenta candentia ſolent excitare. Porrò autem cruſta ipſa modò cinereum colorem, modò nigrorem quendam præ ſe fert, eóq; in loco leuari cutis non poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt: caro circumiacens in ſummam, ac fœtidam peruenit inflammationem quæ colore nigreſcit. ſplendétq; bituminis, & picis modo, veluti ſi pluſculo rubro minus miſceas nigri: talis enim eſt color bilis exactæ atræ.

Carbunculus.

Lib. 2. c. 1.

Atque hæ quidem propriè videntur notæ carbũculi ex ipſo affectu deſumptæ: quibus deinceps accedit grauis, & moleſtus admodum laborantis particulæ dolor, perinde ac ſi vinculis eſſet vehementer conſtricta: neceſſariò quoq; qui ita ſunt affecti, febricitare nos exiſtimamus quanquam alij aliter ſentiunt. Demúmq; laborantes, ſi carbunculus ſit malignior, nauſea quoq; & frequenti vomitu, ac omnimoda appetitus proſtratione, aliquando etiã tremore cordis, palpitatione, frequenti animi defectione, aliíſq; huiuſmodi verendis ſymptomatis miſerè torqueri conſueuerunt. Hæc nos ex Gal. pluribus in locis ac Ioann. Tagaultio viro doctiſſimo, qui ferè omnia ex Gal. tranſcripſit. Porrò ex ijs iam facilè vnuſquiſque poteſt intelligere, in quanto errore verſentur non ſolum vulgares pleriq; omnes, ſed etiam medici quicũq; plures tumores quiduis aliud, quàm carbonis ſpeciem referentes, ab omni ſæuo ſymptomate, adeóq; ab omni periculo alienos, magna fronte, ac ſupercilio, carbones legitimos eſſe prædicant. Neſcio aliquando mihi riſum magis quàm ſtomachum moueri contigerit, audienti imaginarios illorum carbones abſq; vllo præſidio poſtridie ſanatos fuiſſe. Quod ſi omnis carbunculus quovis tempore morbus eſt malignus, & periculoſus, vt ille peſtilentiæ tempore ſit longè malignior, & periculoſior, necelle eſt. *Carbunculorum* (ait Gal.

14 met. c. 10. 5. de med. ſig. c. 13. De ſimp. nat. 6. & al.

perpe

6. Epid. ſect. 3. com. 12. *perpetuò eſt periculoſus affectus, nam ex vitioſis conſtat humoribus: quare nunc erat veriſimile fuiſſe perniciosiſſimum eum, qui vltra natiuam malignitatem, etiam quam ſtatus afferebat, adiunctam haberet.* At verò ſi quis adhuc magis diſtinctè huius horribilis morbi ſigna prognoſtica intelligere cupit, quanquã omnis carbunculus morbus eſt acutus, & periculoſus, omnium tamen peſſimus eſt Auic. & maximè lethalis, qui in emunctoriis, & prope membra principalia enaſcitur. 4.4 trac. 1 c. 7, lib. 9 c. 28. Sic apod Celſum ſi circa ſtomachũ, ſiue œſophagum, faucesve ille incidat, ſubito ſpiritum ſæpe elidit. Auic. pariter minus lethalis eſt carbũculus, qui primùm tuber, deinde citrinus apparet, qui verò liueſcit, aut nigricat, neminẽ ferè nõ iugulat; nullus tamen ex ſua natura non periculoſiſſimus cenſetur. Si demũ accidentia, quæ ferè hunc morbũ comitari ſolẽt, plurimùm remittãtur, ſpes aliqua nobis promittitur: ſi verò magis atq; magis ſemper intendantur, & vehementoria fiant, tunc plane eſt deſperandũ. Sed curationem aggredientes, prętermiſſa in præſentia congrua victus ratione, & aliis capitibus, quæ ſuperiùs explicata opportunè huc ſunt transferenda, ſi alij adſint ſanguinis mittendi principes ſcopi, ſtatim ab initio vena eſt incidenda, ſanguiſque educendus vel ad animi defectum vſque: quæ Gal. Auic. & omnium eſt ſententia. Quod ſi forte minùs timidi nos tamen non audeamus, ſanguinem certè copioſè mittere expedit, quãdo omnis ferè ſpes ſalutis in hoc potiſſimũ præſidio poſita eſſe videtur. Neque viros grauiſſimos in morbo omnium maligniſſimo & veneniſiſſimo materiæ venenatæ reuulſionem & ad interna tractionem pertimeſcere videmus, quam iſti in morbis peſtiferis venæ ſectione fieri prædicant. Venæ autem ſecandæ electio ex laborante in primis particula nobis indicatur: ſi quidẽ illud perpetuò eſt obſeruandum, vt vena è directo pertũdatur: vnde pro vario partis ſitu varia quoque vena, modò ſuperior, modò inferior ſecari poteſt. Secta vena, autetiam primo quoque tempore plerique omnes carbunculi ſcarificationem protinus aggrediuntur, & plagis quidem ſatis profundis. Alij cucurbitulis, hirudibini ſuctu, medicamentis trahentibus validiſſimis, ipſo demum igne, ac omni ſtudio virus vniuerſum, & malignum humorem ad locum carbone obſeſſum euocare, & allicere contendunt. Quæ ſanè curandi ratio (vt dicã ingenuè quod ſentio) ſi nullo adhibito iudicio, ac perpetuũ adminiſtretur, mihi haud quaquam probatur. Etenim ſi accidat (accidit autem forte ſæpius) vt validè adhuc, atque affatim irruat fluxio, vrgeatque dolor vehementiſſimus, difficile, ne dicã impoſſibile fore arbitror, ſi quis illico ad ſcarificationem, & inciſionem veniat, ad medicamenta acerrima, atque alias huiuſmodi violentas operationes, quin vna totum malum exaſperetur, ingraueſcat dolor augeatur febris, malignitati fiat acceſſio, ac denique mors immanis, & præſentanea conſequatur. Quare antequam ad hæc deueniamus, dolorem primùm lenire, ac fluxionis impetum aliqua ex parte compeſcere decet. Quod profectò neque à Gal. diſciplina eſt alienum: quanquam enim laboranti particulæ medicamenta valde repellentia haudquaquam admoueri debent, quæ omnis alioqui incipiens inflammatio deſiderare videtur, quãdo eiuſmodi fluxionem propter humoris craſſitiem atque etiam malitiam auertere non licet, neque tamen cõtra affatim affluere is humor ipſo Gal. autore permittendus eſt. Itaque huic rei accommodata eſſe videntur illa remedia, quæ moderatè reprimendo, quoquo modo digerere, ſeu diſſipare poſſint. 14. Meth. ca. 10. Talia occurrunt plurima tum apud antiquos, tũ apud recentiores medicos; ſed Gal. in primis familiare eſt cataplaſma, tum quod ex plantagine cõficitur, tum quod ex lente bis cocta conſtat, iis admiſta mica panis in furno cocti, qui quidem ſit nec omnino à furfure putus, nec nimium eius habens. Huiuſmodi cataplaſma recentioribus appellatur emplaſtrum de arnogloſſa, cuius forma apud eos eſt talis. *Rec. arnogloſſi, lentium, panis furnacei an. part. aq. coquantur in aqua.* His gallas addit Auicenna. Quod ſi nos prætetea addere velimus medicamẽtũ malignitati reſiſtẽs, puta ſcordiũ, ſcabioſã, aut aliud ſimile, hoc apud me fuerit medicamentũ initio valde accommodatũ.

Aliud Auic. hac in re probatur cataplaſma, quod conſtat integris duobus malis granatis minutatim conciſis, in aceto decoctis, aut aqua acetoſæ, quod certè præſtantiſſimum eſſe nos credimus, illoque non ſolùm ad hunc vſum, ſed aliàs ſæpiſſimè vti cõſueuimus. Qui plura huius generis medicamenta cupit, apud alios copioſam eorum ſyluam ſibi facile comparare poteſt. Si vnus maximè dolor vrgeat, vt ſæpenumero eueniſſe vidimus, huius potiſſimùm, vt diximus, habendã eſt ratio, aliquo adhibito medicamento anodyno, quod illum permulcere omnino, & mitigare poſſit, quale eſſet lac recens cum pane furfuraceo, ſucco plantaginis, ſcabioſæ, aut conſimili. Sin autem dolor ſit remiſſior, & fluxior tardiùs tibi moueri videatur, ſecta vena protinus eiuſmodi tumorem ſcarificare expedit, plagis quidem ob infeſtantis ſucci craſſitudinem ſatis profundis, quæ nimirum, vt Gal. placet, mediocribus ſint altiores. Cæterum hoc tempore ſuper ipſum cruſtoſum vlcus, atque eo magis, ſi membrum putreſit, valens aliquod medicamentum, & quod vehementer exſiccet, imponendum eſt, cuiuſmodi præter cætera Gal maximè probantur trochiſci Andronis, Muſæ, Paſionis vel Polydæ ad ſordium craſſitudinem vino aliquo dulci, vel ſapà diluti. Noſtris chirurgis familiaria sũt vnguẽta Ægyptiacum, Apoſtolorum, & alia huiuſmodi. Quo loco nulli non conſtat, in quanto errore verſentur vulgares medici, atque omnium maximè veſpillones apud Lazaretum chirurgi perſonam ſuſtinentes, qui curandis carbunculis ſolent admouere medicamenta, quæ concoquant, & pus moueant; quæ quidem non ſolùm importunè ſed etiam perniciosè adhiberi, adeóque particulæ putredinem augere docet Gal. 14. Meth ca. 10. Interea verò quia non modò partis laborantis ratio habenda eſt, ſed etiam proximarum, & circumiacentium, ne ſcilicet qui iam fluxit humor venenatus illas quoque inuadat, & depaſcatur, vicinæ vndique partes medicamentis refrigerantibus, exſiccantibus, adſtringentibus ſtudioſè ſunt cuſtodiendæ; vulgo defenſiua appellant. Tale eſt vnguentum, quod ex bolo Armena, ſanguine draconis, ſucco plantaginis, portulacæ, oleo roſaceo, myrtino, aceto, & aliis id genus medicamẽtis parari poteſt. His vndique præſidiis aduerſus tantum malum agendũ eſt; quæ ſæpius die noctúque ſunt permutanda, quo validius ſuum munus perficiat. Quod ſi hęc parum proficiant ad acriora adhuc, quæ ignis vires habeant, & poſtremò ad ignem ipſum deueniendũ eſt: ſiquidẽ autore Hipp. *extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt; Et quacunque medicamentis non curantur, ferrũ curat: qua vero ferro non curantur, ignis curat: qua autem igne non curãtur, ea exiſtimare oportet immedicabilia.* Cæterũ cruſtam, quæ ſub erodentibus medicamẽtis ſequi ſolet, accommodatis auxiliis à viua carne euellere, & radicitus extirpare oportet. Demum ceſſante iam inflãmatione, quod ſupereſt vlcus, primùm detergeri, tũ medicamentis implẽtibus curari, ac poſtremò ſicuti reliqua vlcera ad cicatricem perduci debent. Horum autem omnium medicamentorum materia tũ apud libros de re chirurgica tũ ipſo vſu ſatis vnicuique patet, vt de illa hîc nos lõgiùs tractare nõ oporteat. Inter ſimplicia medicamenta, quod poſtremo hoc loco prætermiſſe nolui, cõſolida maior inter duos

lapides contrita magno quodam (vt nonnulli referunt) miraculo, carbunculum ſanat, & ex toto intra vnum diem interimit, ita vt nulla deinceps curatione egeat, præterquam ea, quæ communis eſt aliis vlceribus. Miranda etiam narrant alij de ſcabioſa, ſi credere fas eſt, nempe quòd commeſta, vel ex vino pota internos omnes tumores, in primis verò carbũculũ ad exteriora protrudit, & inſenſibiliter diſſoluit, diſcutitque. Atque hactenus de carbũculo ſatis.

Bubon.

Bubon nomen Græcum à noſtris ſuſceptum, Galeno tum paſſionem ipſam, tum patientem particulam ſignificat. Nam teſte Phauorino, medici hoc nomine duo notare ſolent, locum, qui in flexu femoris eſt ad partes genitales, & plegmonem in partibus laxis, quas adenas, ſeu glandulas, vocant; quocunque in loco fuerit, auribus, alis, collo, cubito, ſed maximè omnium in inguine: quanquam enim glandulæ omnes propter ſui imbecillitatem inter omnes corporis partes maximè opportunæ ſunt fluxionibus, potiſſimùm tamen tales cenſendæ ſunt, quæ ſitæ ſunt ad inguina, quod præter natiuam imbecillitatem accedat etiam motus huius partis frequens, vehemens, ſitus decliuis, & redundans iis in partibus ſemper humiditas, vnde facilè admodum & promptè incurrunt in tumores, quos ſpeciatim eodem cũ ipſa parte nomine bubones appellant. Cum autem bubonum duæ ſint differentiæ, primæ ſumptæ à cauſa efficiẽte, vel exteriore, ac manifeſta, vel interiore, ac recondita, priorum generationem in vniuerſum præclarè Gal. tradidiſſe videtur libro methodi medẽ-

Lib. 13. c. 5

di. *Memoria tenendum* (ille inquit) *vtpote ſæpe a nobis demonſtratũ ſuperuacanea, quæ à valentiorib. partibus ob redundantiã, vel qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores* procũbere, atque hinc accidere, vt glandulæ, quas adenas vocant, facilè fluxiones recipiant, & maximè quæ rariores natura ſunt. Quippe valentius eſt arteriarum, & venarum, & neruorũ & muſculorum robur, imbecillius autem, ac forte prorſus nullum, corporum, quæ glandularum ſunt naturæ. Sic igitur fit, vt & propter, vlcus, quod in manus, aut pedis digito fit, eiuſmodi glandulæ in inguinibus, & alis tum intumeſcant, tum phlegmone occupentur, cum defluentem ad vltimos artus ſanguinem priores exceperint. Quinetiam in collo, & ſecus aures ſæpenumero glandulæ iis, quibus in collo, capite, vel aliqua vicina parte vlcus eſt natum, intumeſcunt. Nominant autem ipſos adenas, cum ſic intumuerint, bubones, quicunque euidenti, & externa cauſa fiunt, magna ex parte innoxij ſunt, febreſque non alias excitare ſolent, quàm diarias. Contra verò ſi latente, & interna cauſa oriuntur, plerunque ſunt pernicioſi, vtpote quos veriſimile eſt fieri ex inflãmationibus viſcerum, aut maligna, venenata, peſti-

4. Aphor 55

lentique putredine. Vnde eſt aphoriſmus Hippocratis *Febres in adenum tumoribus ortæ omnes malæ, præter diarias.* Primùm autem (vt de carbunculo diximus) ſigna ſtudioſè ſunt inquirenda, quæ bubonem peſtilentem ab altero non peſtilenti ſeparent: ne magna cum artis infamia morborum alioqui ſalutarem mortiferum, aut non minori cum Reip. periculo, morbum mortiferum ſalutarem eſſe exiſtimemus. Siquidem certo certius eſt, nonnullos aliquando fieri bubones ex cauſa externa, quales ſunt autores febris diariæ, ab omni prorſus periculo alienos, nonnullos item ex cauſa interna, quales ſunt autores febrium putridarum, & malignarum, ab omni peſtis ſuſpicione remotos; qui turpiter inter ſe, turpius cum peſtilentibus commiſceri non debent. At verò quanquam huiuſmodi diſtinctio difficilis, & obſcura nonnullis videri poteſt, ſi memoria repetamus; quæ priore libro morborum peſtilentium indicia ſtatuta ſunt, ſatis facile, certumque nobis hac de re iudicium ferre licebit. Itaque vt pleraque alia prætermittamus, quæ de huiuſmodi ſignis afferri poſſet, *Quando peſtilens.*

bubones hoc in primis nomine peſtilentes eſſe exiſtimabimus, ſi illi ſint vulgares, & pernicioſi. Illud facile demonſtrabit temporis conſtitutio; hoc morbi malignitas, quantum quidem ex propriis ſignis intelligere licet: quæ duo maxima, & præcipua ſigna perpetuò ſunt coniungenda, ne forte (quod pleriſque hoc præſertim tempore eueniſſe vidimus) bubones vel ex cauſa externa oriundos, vel alioqui ſine vllo periculo, pernicioſos, ac peſtilentes nulla ratione credamus. Porrò apparentes bubones, tum alia, tum particulatim partes corporis præ aliis laborantes, & à ſe noxios humores protrudentes ſolent indicare: Etenim ſi in collo, aut auribus apparuerint, cerebrum; ſub alis, cor; in femore, & inguinibus, iecur potiſſimùm laborare oſtendunt: de quibus Hippocrates. *Abſceſſus veluti bubones ſigni-* *6. Epid. ſec. 2*

ficant partes, à quibus erumpunt. Cæterum prætermiſſo in præſentia bubone non peſtilenti, quacunque tandem ex cauſa ille ortum habeat, de peſtilenti nobis dicendum eſt. Et primùm quidem illud omnibus ſatis compertum eſſe debet, huiuſmodi tumores, & materias, ad quamlibet partem à natura tranſmittantur, vt de carbunculo diximus, nuſquam, & nunquam ad interiores partes repellendas eſſe, namque (vt ne huius rei magis determinatam, & nulli non perſpicuam rationem afferamus) Ga- *6. Aph. c. 25.*

len. cenſet non ſolùm bubonem, ſed aliud quodcunque malum in vniuerſum, quod ex profundis, & principibus partibus transfertur ad cutem, bonum eſſe tum ſignum, tum cauſam; ſi verò contra ad interiora, & profunda transferatur, malum: vt non ſatis mirari poſſimus, quamobrẽ inter cæteros Auicenna præſidiis aliquãdo refrigerantibus, & adſtringentibus vti non vereatur, præter rationem, præter Galen. diſciplinam, addo & particulare ipſius de- *Tertia 4. tra, ctat. 2. c. 18*

cretum, quo monet omnibus in inflãmationibus ab *1. primi doct. 1. cap. 2.*

initio adhibenda eſſe medicamenta, quæ refrigerare, & reprimere poſſint, demptis iis quæ ſunt de materiis (vt ipſe loquitur) quas principalia membra expellunt. Immò verò videtur omnis ratio perſuadere, iuuandum eſſe naturæ motum, atque pro virili eniꝫendum, vt à nobilioribus, & internis partibus venenum omne trahamus ad ignobiliores, & externas. Vnde plerique omnes medici cucurbitulis, ſcarificationibus, medicamentis validiſſimis, & vrentibus, igne ipſo, totis viribus nituntur, atque contendunt, vt venenatam materiam euocent, atque huiuſmodi tumores protinus aperiant. Quam certè curandi rationem (vt dicam liberè quod ſentio) non vndique probare poſſum. Illud equidem ante omnia diligenter animaduertẽdum cenſeo, an hac in re natura dominetur, an magis ſit domina, vel, vt medicè loquimur, an motio critica ſit, an ſymptomatica. Cum enim morbi omnes, qui non ſine contentione, & certamine naturæ finiuntur, autore Gal. aut per excretionem, aut per abſceſſum, criſim faciant, eadem certè ratio videtur ſtatuenda bubonum, & cæterorum abſceſſuum. Generalis autem eſt lex tum in excretionibus criticis, tum in abſceſſibus iamdiu tradita, & confirmata, quòd quæ optima ſunt, natura mouente fiunt, diebus criticis, non ante ſtatum, & coctionem, & ſubito ægrum liberant: peſſima contrà, ſine motione naturæ, ſine ordine dierum criticorum, tum in principio, tum in incremento, & ſine vlla coctione apparent, & ſubitò ægrum eripiunt. Quam infelicẽ criſim conſtat inter omnes aut perpetuò, aut certè maiori ex parte in peſtilẽtia fieri. Quod ſi ita ſe res habeat, quemadmodũ certè huiuſmodi abſceſſus nulla ratione repellendi ſunt, ita aliorũ propè omniũ ſententiã vniuersè probare nequeo, vt protinus, & nullo adhibito iudicio inciſionibus, ſcarificationibus, hirudinibus, igne,

&

Digitized by Google

& quocunque violento modo violentum hunc motum ſedare velint: quando huiuſmodi præſidia ſine vllo emolumento, & præter naturæ inſtitutum adhibentur, miſeréque ægros mirum in modum torquent, & affligunt ſæpéque etiam in maiora pericula trahunt, vt de carbunculo modò diximus. Quamobrem apparente bubone primùm quidem ſi adhuc fluxio perſeuerat, & vehemens vrget dolor, ſedulò hunc aliquo anodyno medicamento appoſito mitigandum ac leniendum eſſe arbitror. Non hic fruſtra repeto, quæ de totius corporis prouidentia ſuperius diximus, quæ opportunè ad hunc locum ſunt transferenda. Anodyna medicamenta, atque huic vſui accommodata nota ſunt, & vulgaria, ol. amygdalarum dulc. chamæmelinum, anethinum, roſaceum compl. pinguedo gallinæ, anatis recens, & alia huiuſmodi: quibus ſi quod adderetur medicamentum malignitati reſiſtens, ſcabioſæ ſuccus meliſſæ, cichorij, borraginis, pentaphylli, ol. è ſcorpionibus, atque illud maximè Carauitæ, de quo ſuperius facta eſt mentio, ol. è viperis, quod pariter admirabilem hac in re vim habet, hoc apud me eſſe medicamentum initio valde accommodatum. Lenito aliqua ſaltem ex parte dolore, mox ad ea medicamenta accedendum eſt, quæ valentius attrahere, & materiam concoquere poſſunt, quale eſſet emplaſtrum ex cæpis, rad. althææ, liliorum alb. decoctis vnà cum ol. roſaceo, pinguedine gallinæ rec. & modico fermenti, iis certè non omiſſis, quæ malignitatem reſpiciunt, oleis, aut ſuccis enarratis, pulu. ſcordij, ireos, ariſtolochiæ, rot. & aliis id genus.

Neque plures huiuſmodi medicamentorum formæ hoc importunè ſunt afferendæ, quòd illa ferè ſint vulgaria, & à pleriſque omnibus copioſè tradita. Si qua in loco ſigna coctionis appareant (neque enim ſecus agendum probo) ille quamprimum incidendus eſt, quamuis non omnino perfectam planè coctionem præ ſe ferat qualem aliàs expectare ſolemus. At verò aperto iam bubone, in promptu ſunt medicamenta, quibus ille purgandus eſt, atque abſtergendus, tandémque ad cicatricem perducendus, vnguentum Iſis cum cerato roſaceo, emplaſtrum diapalma cum ol. roſaceo non ſine aliqua ex iis, quæ diximus, oleis, ſuccis malignitati aduerſantibus, & aliis huiuſmodi, quæ apud chirurgos familiaria ſunt, & manifeſta. Denique hæc ſententiæ noſtræ ſumma eſt, hos tumores non admodum grauiter, & asperè tractandos eſſe, tam incipientes, quàm declinantes, cum perpetuò nos oporteat operam dare, vt naturam iuuemus, ac foueamus, nullo pacto magis vexemus, & labefaciamus; illa namque ſola, & vera eſt morborum omnium medicatrix. Ad curandos *6. De ſimpl. med.* bubones in vniuerſum nonnullis maximè probatur noſter Atticus, qui propterea, & *bubonion*, noſtris *inguinalis* dicitur non ob id tantum, vt Galeno placet, quòd illius, ſed etiam quòd ſuſpenſus bubones ſanare creditur. Ruellius parentum noſtrorum tempe- *Lyſimachia.* ſtate medicus nobiliſſimus ſummopere laudet lyſimachiam, de qua refert hiſtoriam, quam huic loco libet inſerere, quod eius mentionem à nemine factam video. *Audiui* (inquit Ruel.) *de quibuſdam ruſticis, cum apud Cenomanos peſtilentia paſſim graſſaretur, multóſque ſubita morte raperet, tandem ex herba quadam, quam mihi demonſtrarunt, remedia quæſiuiſſe, qua liberatos peſte plurimos aſſeuerabant. Nanque altius paulo ſupra panum, qui iam intumuiſſet, ad alligata deorſum peſtilens virus impellebat, collectúmque tandem ibi curſum regredi, & principes partes repetere non patiebatur. Sic medico ſubiecti membri damno reliquum ſeruabatur corpus. Inde ruſticis pelliboſa, ſiue quod idem eſt, peſtifuga cœpta eſt appellari. Sed quæ ab iis demonſtrata mihi fuit, nullis diſſentientibus notis lyſimachia erat. Cuius miraculi nullam po-* *3. de natur. ſtirp. cap 78.*

tui rationem inire, niſi quod forſitan ſuo inſpiſſatu, & adſtrictionis munere, quo pollet, venenum ad ſubditas partes exprimens excluderet. Ille hactenus. Atq; hæc (vt arbitror) de præſeruatione, & curatione peſtilentię generatim à nobis tradita ſufficere poſſũt; vt modò illud vnum ſupereſſe videatur, vt poſtremo hoc loco agendum ſit de variis peſtilentiæ generibus, vt variæ illã cauſę ſolent excitare; qui ſecundus ſcopus nobis ſuperius ex Gal. propoſitus eſt: quandoquidem à cauſa tum præſeruando, tum curando, præſidiorum diſtinctio potiſſimùm ſumitur, cum alia præſidia cõueniant, quando aër eſt corruptus, alia quando intemperie affectus, alia quando purus eſt, ſed aliunde peſtis importatur, & malũ ſolo contagio cõtrahitur, vel alia de cauſa ortum habet. At verò cũ vniuerſa hęc tractatio nimiùm ſit producta, & quidem neſcio quomodo præter noſtram deliberationẽ, adhuc longius eam producere non libet. Atque hoc equidem eo libentiùs facio, quod hanc partem doctiſſimus Agricola præter cęteros accuratiſſimè ſemper ſecutus; ex quo potiſſimũ vnuſquiſque magis diſtinctam, & integram huius rei intelligẽtiam ſibi facile poteſt comparare. Nanque nemo eſt qui neſciat quod à *1. de diff. feb.* Gal. etiam traditum eſt, vt initio libri indicauimus, ſingulas cauſas morbificas perpetuò, ac diligenter animaduertẽdas eſſe, quo in primis nomine morbos committere, & inferre ſoleant, vt opportunè illis reſiſtere poſſimus, ſatis intelligentes, corpora, quæ cauſis conſentiunt, cuicunq; periculo facile ſubiici quæ autem eis repugnant, aut nullo modo, aut difficilè ſuperari. Veruntamẽ vt tractatio noſtra præſenti peſtilentiæ ſit magis accõmodata, (quo in primis propoſita mihi eſt ſcribendi ratio) quæ ſummatim præſidia ſint hoc tẽpore opportuna, particulatim verò, quã opportuniorem, & ſecuriorẽ purgandarũ rerũ, & ædiũ rationẽ, eſſe nos exiſtimamus (quod priore libro ſumus polliciti) hic demũ, quaſi parergon, ſubiicere ſtatuimus: ſiquidem in peſtilentia ex contagio, qualem hanc noſtrã fuiſſe nõ dubitamus, ſatis compertum eſt hanc rem maximi momẽti eſſe, atque in huiuſmodi munere maximã illius tum præſeruandę, tum curandæ partem conſiſtere. Veſpillones, & qui in huiuſmodi opere verſari ſolent, certis quibuſdam ſuis perfuſionibus, lotionibus, ſuffitibus, ex thure, myrrha, pice, ſulphure, reſina, bitumine, lapide gagate, & aliis id genus magna ex parte fœtidis medicamentis tum domos, tum ſupellectiles infectas purgare conſueuerunt. Quæ certè purgandi ratio non ſolùm vulgo, ſed etiam à doctis hominibus recepta ac longiore iam vſu confirmata nõ debet improbari. Ego verò magis accommodatè, atque ex veteri diſciplina vnis medicamentis odoratis illud præſtari cenſeo: quandoquidem magnũ Hipp. legimus (quod antea notauimus) aërem peſtilentem Athenis puriorem effeciſſe, ac peſtiferos quoſque halitũs diſſipaſſe, igne paſſim accenſo qui non ſolum ex ſimplici materia conſtaret, ſed bene olentes coronas, & flores haberet, atque vnguenta quàm pinguiſſima, & id genus alia bonũ odorẽ fundentia. Atq; hic profectò purgationi modus valde rationi videtur conſentire. Cum enim ſatis conſtet fomites peſtilẽtes ſiue in aëre, ſiue vbicumque illi reperiantur, eſſe procul dubio ſordidos, & putridos, tãtum abeſt, vt fœtida, & malè olentia ſorditiẽ & putredinẽ tollere, vt cõtrà, vtranque magis fouere, & augere poſſe videantur. Si qui- *2. prim. doct. 1. cap. 29.* dẽ nemo eſt qui neſciat (quod particulatim animaduertit Auic.) quam fœtidi odores ſint aduerſarij, & hoſtes caloris innati, ſpiritus, & mẽbrorũ principũ, quamque illi fere proximè accedant ad putredinem. Quare eruditi omnes medici tum præſeruando, tũ curando à rebus omnibus fœtidis, & malè olentibus ſtudioſè cauendũ eſſe docent, & ſpeciatim admonẽt abſtinendum eſſe à lignis, quæ igni impoſita tetros,

Digitized by Google

& fœtentes huiuſmodi vapores ſolent emittere qualia ſunt ficus, nuces, buxi, & ſimil. Vnde, quod priore libro admonuimus, neque illorum ſententiam probare poſſumus, qui ad præcauendam peſtilentiam caſtoreum, ſulphur, & eiuſmodi fœtida ſecum ferre, geſtare ac familiariter odorari ſolent: quæ tantum abeſt, vt aërem puriorem reddant, & ſpiritus recreent, quod hac in re eſt maximè expetendum, vt magis vtrunque perturbent, & contaminent. Quam igitur peſtilentis purgationis rationem magis accommodatam, tutámque, & veteri diſciplinæ magis conſentientem eſſe nos arbitramur, & quam priore libro indicauimus, in præſentia repetere, & breuiter explicare non grauabimur. Quod itaque ad infectas domos pertinet, illas potiſſimùm emundari, & purgari cenſeo, ſi primùm diligenter amota omni ſordicie, patentibus vndique locis omnibus aëris, ventis, & Soli diutius illæ die, noctúque ſint expoſitæ. Tum verò ſi ſuffitibus, lotionibus, perfuſionibus odoratis, de quibus antea diximus, in primis autem igne aſſiduo, atque eo quidem ex lignis, aut præterea medicamentis bene olentibus foueantur. Hac enim ſimplici, & facili ratione peſtilentes quoſcunque vapores, & fomites quócunque in loco diſſipari, ac diſſolui non dubitamus. Quod ſi quis aliud efficacius præſidium deſiderat inter cætera omnia, quæ paſſim afferri, & vſurpari ſolent, nullum mea quidem ſententia præſtãtius & ſecurius excogitari poteſt, quàm ſi calx viua in infectis cubiculis multa aqua madeat, & illa deinceps parietes, & ſingulæ partes oblinantur: quandoquidem partim fumo illo acerrimo partim obducta calce non ſolum veriſimile eſt, ſed etiam neceſſarium, vt quicunque tandem, & quanticunque peſtilentiæ fomites diſſipentur, & ad nihilum deducantur: id quod apud nos longiori iam, & certa experientia confirmatum eſt. Maius profectò, ac difficilius negotium faceſſentes, & vniuerſa ſupellex. Atque illud ante omnia ſæpe, diuque diſputatum eſt an expediat omnia protinus igne conſumere. Hinc enim certo eſt certius, nulla ſecuriori ratione quancunque peſtilentiæ ſobolem facile, & ſemel diſſipari, adeóque ab imminenti periculo Remp. liberari: inde verò præterquam quod ſine ingenti rei familiaris iactura, & effuſo ſũptu hoc fieri non poteſt, aliud præterea graue accedit periculũ, & ferè certa ſuſpicio, ne plerique omnes iacturam tantam iniquo animo ferentes, multas res malitioſè abſcondant, atque huc illuc diſtrahant; quo quidem nullum magis euidens periculum, & ad longè, laséque, propagandam peſtem magis accommodatum inſtrumentum excogitari poteſt. Qua in re in eam ego ſententiam facile venio, quo tempore lues incipit, neque multi iam laborant, nullum prudentius & vtilius conſilium iniri poſſe, quàm ſi protinus omni adhibita diligentia ſeuerè omnia comburantur; ſed ita quidem vt ex autoritate magiſtratus inopes, & miſeri homines quocunque damno, & iactura liberaliter, & piè reſarciantur: quandoquidem ſi ita fiat, nullum iam periculum poteſt imminere, vt illi quicquam occultent, vel diſtrahant: immò verò ipſi ſponte, & hilarè omnia offerent, vt ita res ab omni prorſus periculo ſit aliena. Atque vtinam initio Auguſti, quo tempore paucis quibuſdam, & ne certè humilibus, miſeriſque domibus infectis, adhuc res ferè erat integra (de qua deliberatione coram ſummo magiſtratu, & magna ciuium corona grauiter actũ eſt) mea Vicentia prudentiſſimum, ac ſaluberrimum huiuſmodi conſilium ſuſcepiſſet, forte enim radicitus malum ſemel finiſſet ciuilium; neque tot deinceps homines miſerè interiiſſent, neque ciuitas tantam publici, priuatique æris iacturam feciſſet. Sed diuinæ voluntati, ac prouidentiæ acquieſcendum eſt. At verò ſi altiores mali radices iactæ fuerint, vel magis ſi fructus grandiores, & copioſiores ſint editi, vt plurimæ iam domus ſint infectæ, iam non amplius igni, & comburendis rebus omnibus locum ſupereſſe nos arbitramur; non modò propter notabilem, ac propemodum infinitam rei familiaris iacturam, & ſumptus mirum in modum effuſos, ſed etiam quod vix, & non ſine multiplici periculo alia præſto eſſe poſſint, quæ ad huiuſmodi vſum ſunt neceſſaria.

Itaque hoc tẽpore aggredienda eſt omnino rerũ infectarũ expurgatio, præparatis primũ locis, & domibus operi accõmodatis, fidiſq; adhibitis miniſtris, vt ſi fieri poteſt, lõgè abſit omnis dolus, & impoſtura.

Primùm autem intelligere oportet, quænam illa ſint, quæ peſtilenti labi ſint obnoxia, adeóque purgatione opus habeant: namque hac in re noſtris veſpillones, aut veriùs nebulones impudentiſſimi, non ſolùm ſuperſtioſè, ſed etiam malitioſè nobis imponere, atque omnia perturbare, & contaminare ſolent. Quod quidem vna quàm maximè experientia determinandum ac ſtatuendum eſſe videtur. Etenim quanquam neque deeſſe poteſt aliqua ratio, quæ hoc ipſum demonſtret, cum videamus contagium communicari iis corporibus tantùm, quæ quadam meatuũ raritate aërem excipere poſſunt, ex iis tamen plurima, qualia potiſſimùm ſunt alimenta ad ſuſtentandam vitam hominis deſtinata, licet rariora, & ad recipiendum aërem idonea, certum eſt nullius contagij eſſe capacia. Itaque res quæ facilè, & omniũ maximè peſtiferam labem tum ſuſcipere, tum aliis communicare ſolent, illæ enumerantur, *Quæ peſtem ſuſcipere & communicare ſoleant.*
lana, xilon, ſiue goſſipium, linum, cannabis, ſericum, omnis tela, & quæcunque ex iis aliqua ratione, & quócunque modo confici poſſunt, pelles, plumæ, & & pennæ omnes, & alia, ſi quæ ſunt, huius generis. Porrò, quæ viua, & currenti aqua imponi, in eaque diutius conſeruari, vel adhuc magis quæ communi lixiuio, aut præter cinerem addito alumine, aut etiã calce viua lauari, & mundari poſſunt, iſthæc omnia tutò, facilè, ac breuiter vna, vel ad ſummum altera lotione præclarè expurgari videntur. Quæ autem aqua mergi, & lixiuio lauari non patiuntur, qualia præcipuè ſunt ſericũ, & ex ſerico tela cõtexta, multa etiã ex lana, pelles, & alia huius generis, hæc diutius aëri, & ventis, potiſſimùm Aquiloni expoſita, aſſidua, & diligẽti motione, agitatione, fuſtigatione, abſterſione, vel Gal. teſtimonio perfectè mundari, & *1. Epid. 3. cap. 2.*
ab omni putredinis, & cõtagionis periculo liberari cenſeo. Quod ſi præterea aliqua etiam ratione illa ſuffire velis, non certè rebus malè olentibus, vt vulgo fieri ſolet, ſed magis odoratis, de quibus alià ſatis diximus, illud profectò importunè fieri cenſendum non eſt. Nonnulli telas ſericias, pelles nobiliores, & alia huiuſmodi ſabulo, & arena tenuiori coöperire vndique, atque (vt audio) non feliciter diutius fouere conſueuerunt. Sed vt ſemel dicam quod ſentio, cæteris omnibus purgationibus illam ego rationem facilè antepono, ſi res infectæ, quę aqua, & lixiuio mundari nequeunt, vt diximus, Soli, aëri, ventis diutius exponantur, atque omni adhibito ſtudio ſæpius quatiantur, & ab omni ſorde mundentur. Quo demum loco id præteriiſſe nolo, veſpillones temerè & malitioſè ſupellectiles perpetuò tanquam vniuerſè cõtaminatas purgationi ſubiicere: ſi enim accidat (accidit autem ſæpiſſime) vt ſiue ſtudio, ſiue forte quiſpiam certo in cubiculo habitans inficiatur, multiſque antea diebus alias partes domus, & ſupellectilem alibi poſitam & accuratè obſignatam ne viderit quidẽ, quis iure dubitet cætera omnia cubicula, res vniuerſas in eis aſſeruatas eſſe ab omni labis ſuſcipione liberas, & nulla expiatione opus habere? Cęterũ præter hęc, quæ modo poſita ſunt, quęcunque alia ſupellectilis nomine cõprehendi, aut alioqui ad

communem

communem vſum familiariter adhiberi ſolent, ea ferè omnia nullum peſtilens virus ſuſcipere, & ab omni contagij ratione libera eſſe nos exiſtimamus: qualia ſunt metalla omnia, & quæcunque effici ex eis, & formari ſolent, lapides quicunque, nec non vaſa omnia ex terra confecta, grana vſui hominum, & beſtiarum deſtinata, triticum, far, hordeum, milium, panicum, ſpelta, faba, cicer, pizum, oriza, & cætera huiuſmodi. Fructus omnis generis, pyra, poma, citonia, granata, nuces auellanæ, piſtacia, amygdalę, fici, vua, & alia multa huius generis; carnes tum crudæ, tum coctæ, tum recentes, tum ſalitæ vinum, aqua, oleum, acetum; quibus demum addere licet aromata, & medicamenta tum ſimplicia tum cōpoſita, quę, quòd multa ſint, & ferè infinita, longiori catalogo non ſunt commemoranda, vt facilè hinc homines intelligere poſſint, non ſolùm ſuperſtitiosè, & fruſtra, ſed etiam temerè, & ſine vlla ratione, res plurimas ſæpenumero perturbari & confundi, quas nulla purgatione, & correctione opus habere certum eſt: Plerique hoc in loco ſatis curiosè quęrunt, quodnam deſcribendum ſit determinatum temporis ſpatium, quo tum ædes, tum aliæ res expurgatę poſſint in priſtinum vſum reuocari. Qua in re mirum eſt, quàm varia, quàm ab omni ratione aliena recitentur, atque ſtatuantur, vt non deſint, qui ad ſeptimum annum huiuſmodi iudicium protrahant. Plurimi ſexageſimum, & quadrageſimum diem terminum ſtatuunt.

Hæc mea eſt ſententia, ſi quàm optimè, & diligentiſſimè res quælibet, aut domus expurgentur, atque emundentur, eo quod nos diximus modo, tum breuiore fortaſſe tempore, tum vigeſimo certè, aut vigeſimoquinto die illas fore ab omni periculo alienas. Quod ſi quis in re incerta & quæ ſola experientia nititur, tutiores partes, atque communiorem medicorum opinionem ſequi maluerit, is poteſt quadraginta dierum ſpatio eſſe contentus.

Hic prudens, & ſciens multa prætereo, quæ tum diuturno vſu iam omnibus ſunt in promptu, tum ex hiſtoriis, quas nos initio retulimus, ſatis vnicuique poſſunt eſſe comperta: peregrinos homines locis infectis ad nos venientes ſeuerè eſſe arcendos; ipſa iam peſtis ſuſpicione propius accedente, potiorem domeſticæ rei partem eſſe aut in tutiorem locum aſportandam, aut certè proprio earumdemmet ædium loco occludendam: vrbem ab omni cœno, & immunditie penitus expurgandam, atque ab omni tum difficultate, tum prauitate annonæ liberādam: ægrotos vna cū infecta ſuppellectile extra ciuitatem mittendos; & ſi quæ alia ſunt id genus.

Neque enim mens noſtra eſt facilia iſthæc, & vulgaria longiùs perſequi. Non equidem prætereo conſilium ſequeſtrandæ vrbis, aut alterius loci malè affecti, quod in omni peſtilentia, quæ ex ſola contagione oriatur, tum ſaluberrimum, tum neceſſarium eſſe nos exiſtimamus: id quod Vicentiæ, Mediolani, & aliis in locis (vt audio) in primis confirmauit experientia, & ſi vllibi minorem opem, & auxilium præſtitiſſe compertum eſt, illud forte aut incuria, aut dolo hominum, aut annona deficiente, aut ædibus huic vſui non ſatis accommodatis, aut alia de cauſa factum fuiſſe exiſtimandum eſt. Atque ego quidem planè ſum neſcius, an alia opportunior, & verior tāti mali auferēdi ratio inueniri aut excogitari potuerit.

6. Epid. ſect. 7. in princ. Sic apud Hippocratem legimus in quadam peſtilentia eos, qui domo ſe continebāt, aut non fuiſſe cōtaminatos, aut leuiter; vnde ſcriptum reliquit, mulieres nobiles domo non exeuntes minimè laboraſſe, contrà ancillas, quæ prodirent in publicum, fuiſſe malè affectas: quanquam enim propter aëris vitium id maximè eueniſſe ille docet, quod quicunque ſe domi continerent, non ita ſeſe aëri exponerent, quod in præſentia periculum non imminet, non

eſt tamen, quin alias rationes præterea nos addere poſſimus: Quandoquidē homines domo non exeuntes non ita ſe defatigant, neque incaleſcunt, forte etiam magis accurata vtuntur viuendi ratione, ſed in primis à cœtu hominum abſtinētes, vt omnem contagij, atque adeo totius mali cauſa declinent, neceſſe eſt: vt Hector de Feraſmuſchis Iureconſ. nobiliſſimus, qui ſingulari in patriam charite toto hoc triſtiſſimo peſtilentiæ tempore publicum munus conſtanti animo ſuſtinuit, atque vniuerſæ huius tragœdiæ non modò ſpectator, ſed actor propemodū perpetuus extitit, grauiter dicere ſoleat; ſi forte accidat (quod Deus Opt. ac miſericors auertat) vt huiuſmodi iterū calamitas nos aggrediatur, cæteris poſthabitis humanis conſiliis, iis duntaxat duobus præſidiis publicæ, & priuatæ ſaluti conſulendum eſſe: altero, vt omnes quibuſcunque exeundi facultas conceditur, protinus vrbe exeant; reliquo, vt quicunque exire nequeunt, ſine vlla cunctatione ſequeſtrentur, & omnis commercio locus auferatur.

Atque hæc de peſte nobis in præſentia ſint ſatis. Quam tractationem abſoluimus 3. Calend. Aprilis M. D. LXXVIII. pridie Paſcha: quo tempore (vt verè dicamus) ciuitas, quanquam forte in vniuerſum, atque ex toto ab huiuſmodi lue non eſt libera, Dei tamen Opt. beneficio iam ita ſe habet, vt ſperandum ſit, ac pro certo habendum, illam non ſolùm à malo, ſed etiam à ſuſpicione mali breui liberam fore.

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI.

TRACTATVS II.

De affectibus Renum, & Veſicæ.

ALIAS docuimus in tertio infimo ventre abdominis plures partes contineri, quarum aliæ coctioni & diſtributioni alimentorum, & potionis; aliæ expurgationi excrementorum; aliæ procreationi deſeruiunt. Ex quibus certum eſt, Renes, Veſicam, aliáſque inſeruientes illi particulas ad purgationem excrementorum, in primis verò vnius lotij, fuiſſe à natura inſtituta: de quo excremento, atque eius generatione quoniam diffusè diximus in tractatione de Vrinis; illud vnum in præſentia pro iunioribus breuiter repetendum eſt. Etenim, cum difficile, forte etiam nulla ratione fieri poſſit, vt chylus ex alimentis in ventriculo factus ad venas iecoris deducatur, cum illæ plurimæ ſint, & admodum anguſtæ, niſi tenuis quædam, & aquoſa humiditas, tanquam vehiculum quoddam, illi permiſceatur; potio hunc tam præcipuum, & neceſſariū vſum præſtat. At verò poſtquam hæc humiditas, & aquea materia ſuo officio perfuncta eſt, vt chylum ad iecur, & vſque ad venam cauam penetrauerit; nec præterea alium vſum poſſit præſtare, tanquam omnino inutile, & noxium excrementum venis, & toti corpori futurum, non debuit longius retineri. Siquidem chylus in iecore elaboratus, beneficio veſiculę fellis, ac lienis, duplici bile expurgatus, demúmque in venam cauam, ſanguinis formam adſecutus, & ad ventriculos cordis delatus, huiuſmodi vehi-

calo amplius non eget, propterea quòd ille deinceps per ampliores venas ſit deducendus, atque à calore iecoris, & cordis magis fluxilis natura ſit redditus. Itaque duo Renes ſunt inſtituti à natura, vtrinque ipſi venæ cauæ adiacentes, qui per quaſdam venas, quas vocant emulgentes, illud aqueum, & ſeroſum excrementum attrahunt, ac per alia vaſa, quæ vretera dicuntur, in veſicam vrinariam deponunt, illúdque demum foras emittunt. Cæterũ cum renes, & veſica omni propemodum genere morborũ poſſint laborare, neque per anguſtias temporis liceat omnes ſigillatim explicare: mihi propoſitum eſt in illis verſari potiſſimùm, quæ ad lotij purgationem pertinẽt quæ particularis harum partium eſt operatio: cum huiuſmodi morbi ſint præ alijs maximi momenti, difficillimi, ac frequentiſſimi, hominéſque torqueãt, donec ad mortem violenter eos rapiant. Itaque fauente Deo Opt. Max. rem aggrediamur.

Emiſſio lotij, ſicuti cæteris operationibus noſtri corporis contingit, tripliciter læditur: namque illud vel ex toto retinetur, vel parcè redditur, vel deprauatè. Si lotium prorſus retinetur, huiuſmodi affectum Græci *Iſcuriam*, Latini *vrinæ ſuppreſſionem* dicunt: ita enim mihi liceat cum veteribus Medicis minus propriè huius nominis ſignificationẽ accipere; cum Iſchuria verè, & propriè, vt notat Galen. 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. 6. *de loc. affect. cap.* 4 ad ſolius veſicæ læſionem pertineat, cum illa plena eſt vrina, ſed nihil excernitur; minimè autem, quando prorſus vrina in veſicam non venit, perdita ſcilicet renum actione. Si lotium parcè, & difficilè reddatur, hoc apud Galen. 4. *aphor. com* 48. fit dupliciter: vno modo cum dolore, alio modo ſine dolore, quem vtrunque affectum Galenus *diſuriam*, nos *vrinæ difficultatem* dicimus, tametſi non deſunt, qui priorem tantum affectum cum dolore, hoc nomine appellant. poſteriorem enim ſine dolore, malunt peculiari nomine Græcè *Stranguriam*, Latinè *vrinæ ſtillicidium* appellare. Vltimò vrinæ redduntur deprauatæ primum quidem, quando redduntur copioſiores, quàm decet quod item contingit dupliciter; vno modo, ſi potiones, nulla earum facta alteratione, ſed quales aſſumptæ fuerant, emittantur, quæ affectio *Diabetes*, & alijs nominibus appellatur; alio modo, ſi vrina copioſiùs quidem, ſed facta potionis alteratione exeat: quam affectionem, vrinæ profluuium licet appellare. Et ſi quis quærat, quomodo huiuſmodi immoderata emiſſio vrinæ inter deprauatas actiones à nobis reponatur, cum potius inter imminutas, vel auctas reponenda videatur: nos publicè aduerſus Argenterium hanc pulcherrimam difficultatem diſſoluemus tractantes immodicam appetentiam, quam pariter Galenus inter deprauatas ventriculi actiones repoſuit. Deinde autem vrinæ redduntur deprauatæ, quando emittuntur cruentæ, purulentæ, furfuraceæ, ſabuloſæ, & alijs modis, de quibus omnibus dicendum eſt.

Iſchuria. Itaque ab Iſchuria incipiamus, quam Leonicenus, & plerique omnes, vrinæ difficultatem, nomine Latino reddunt; ſed magis congruenter, mea ſententia, vrinæ ſuppreſſionem verterent. Quoniam verò vrina ſupprimitur, non ſolùm vitio renum, ſed etiam vitio veſicæ, mihi liceat vitia vtriuſque partis coniungere, atque vnicam tractationem conficere.

De cauſis ſuppreſſionis vrinæ Galen. pluribus locis ſermonem habet, 1. *de loc. aff. c.* 1. & 2. 6 *de loc. aff. c.* 3. *de ſympt. cauſ. c.* 2. quas quidem nos conabimur ordinatè, & perſpicuè, quantum fieri poteſt, in vnũ colligere, & explicare. Itaque primum lotium ſupprimitur propter duas communes cauſas: vna eſt propter vitium veſicæ, & partium, quæ veſicæ famulantur: altera propter vitium renum, & partium, quæ renibus operam præſtant.

Veſica in ſuppreſſione lotij poteſt multis modis laborare: ac primum phlegmone ſicuti contigit illi ægroto cuius hiſtoriam refert 6. *de loc. affect. cap.* 4. qui cum cecidiſſet in dorſum, luxata initio ſpina lumborum, non ſtatim poſt caſum, ſed ſequenti die oborta inflammatione veſicæ, vrinam reddere non potuit. Quem idem Galen. curauit, inflammationi remedia adhibendo. Secundò, veſica laborante ſenſu robuſto, vel abolito: cum enim animal, quod à Galeno traditum eſt, ad excretionem vrinæ (quæ propria veſicæ actio eſt, ſoleat excitari, cum illa à multitudine contentæ materiæ grauatur, vel à mordicatione conuellitur; huiuſmodi ſenſo deficiente, vel abolito vt vrina retineatur, neceſſe eſt: hinc contingit alteri ægroto, cuius itidem Galen. meminit *loc. cit.* qui cũ inter dormiendum non ſentiret impleri veſicam, deinde ipſa extenſa, nihil potuit excernere. Hoc autem fit, eodem Galeno auctore, læſis neruis, qui ab oſſe ſacro prodeunt ac ſeorſum veſicæ deferunt, ſicut in paralyſi, & ſtupore ſolet contingere. Poſtremò læditur veſica, expultrice illius facultate reddita imbecilla. quo minus poſſit vrinam emittere, id quod fit dupliciter: vno modo per intemperies, tum alias; tum maximè illas, quæ multis crebertimè eueniunt, quando vtique refrigerantur: altero propter nimiam copiam vrinæ, ac veſicæ extenſionem, ſicut multis contingit, vel in integra ſanitate degentibus, qui aut vrgentibus negotiis, vel in concionibus, vel in foro, vel conuiuio, longo tempore vrinam retinent: hinc enim fit, vt plurimum, veſica extenſa, contractrix illius facultas, cuius inſtrumenta ſunt fibræ, ac potiſſimùm tranſuerſæ, reddatur imbecillior, adeo vt contentum in ſe lotium nequeat ſatis comprehendere, ac foras exprimere. Vulgaris eſt, ac trita ſententia, virtutem, vbi ea fuerit diuiſa, fieri debiliorem, nec poſſe idem præſtare, quod continens, ac vnita facere ſolet. Itaque apud Galenum hæ ſunt cauſæ ſuppreſſionis vrinæ, laborante veſicâ.

Quæ tamen à nonnullis recentioribus reuocantur in dubium: præſertim illæ, quæ ad expulſionem pertinent: inter quos princeps eſt Fernelius *lib. 6. de partium morb. & ſymptom. cap.* 13. qui contendit, vrinam quandiu patentem, liberámque viam habet, vt in his, qui ob calculum ſecti ſunt, nullo propellente, aut exercente, prolabi, ac ſuopte impetu foràs excidere: quare concludit, vnicam ſuppreſſæ vrinæ cauſam eſſe, adſtrictionem, vel obſtructionem, quæ vel amborum vreterum capita, vel veſicæ ceruicem repleat. Quæ quidem opinio non ſolùm à doctrina Galeni, ſed etiam à ſenſibus mihi videtur aliena. Etſi enim nolo negare, veſicam facultate naturali pro parte vrinam emittere, quis ignorat, eam nunc tardiorem, nunc celeriorem, nunc debiliorem, nunc validiorem reddi pro arbitrio noſtræ voluntatis? quod tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, animalem vim indicare. Quod ſi vrina per Fernelium ſuo impetu foras excidit, quãdo via libera, & aperta illi patet, cur in homine ſano, in quo viæ ſunt patentes, non illa continentes effluit? Ac ſi reſpondeat, id fieri propter maſculum ceruicis veſicæ, quem Galen. 5. *de vſu part. vlt.* & anatomici docent à natura conditum fuiſſe, vt meatui vrinario præfectus, tanquã ianitor ſit impedimento, vt ne vrina quoties aut copia, aut mala quapiam qualitate homines grauat præter voluntatem excernatur. Iam quod aliud patebit; quàm huiuſmodi actionem animalem eſſe? Sed in morbis, in quibus nullum vel adſtrictionis, vel obſtructionis eſt impedimentum, cur non vrina ſua grauitate foras deſcendit? Vltimo, niſi emittẽdo lotio expultrix veſicæ facultas concurrit, quæſo, aliquis pro Fernelio rationem reddat, quamobrem ex nimia veſicæ repletione contingat illud retineri? quam equidem nullam, præter Galenicam, reddi poſſe puto.

Verùm

Verùm cætera perſequamur. Diximus lotium retineri non ſolum propter vitium veſicæ, ſed etiam propter vitium partium, quę veſicæ adhærent, & famulantur: id verò præcipuè euenit, fiſtula vrinaria obſtipata, & impedita. Quod quidem Gal. docet tribus modis vſu venire, principio librorum de locis affect. Primo, quando corpus ipſius in tam magnum tumorem præter naturam attollitur, vt meatus ab ipſo tumore occupetur. Secundo, vbi aliquid ei prę ter naturam, nempe carnoſum aut calloſum corpus, innaſcitur. Tertio, quando meatus ab aliqua re obſtruitur. Corpus quidem ipſum in magnum aliquem tumorem attollitur, ſi phlegmône, ſcirrho, abſceſſu, aut alio quoniam tumore laboret, nonnulli addunt huiuſmodi tumores non ſolùm in meatu ceruicis veſicæ, ſed etiam in partibus proximis peritonæo, hæmorrhoidibus, vtero in mulieribus, canalem vrinarium reddere anguſtiorem, atque vrinæ ſuppreſſionem efficere.

In meatus autem caruncula enaſcitur, ſi exulcera tio præceſſerit, callúsve longiori ſpatio temporis ex craſſo, ac lento humore paulatim in eo generatur.

Meatus demum vrinarius obſtruitur, vel à lapide, qui vel in renibus inchoatus, & in veſicam delatus; vel in ipſa veſica genitus fuerit: quod proprio, & opportuniore loco planiùs declarabitur. A grumo ſanguinis, qui vena erupta, eroſa, aperta à renibus per vaſa vrinaria, vel à veſica, ſolet paulatim creſcere, ſicut euenit illi ægroto apud Gal. 6. *de loc. aff.* qui cum cecidiſſet, ſpina illæſa manente confertim plurimum ſanguinis per vrinam reddidit: In quo Gal fecit coniecturã, aliquid ſanguinis in grumos conuerſum fuiſſe: & ideo cum ſyringa vſus fuiſſet, paulum quidem vrinæ emiſit; extracto autem cathetere, in ipſius ore grumi indicium apparuit. Ferri etiam poteſt, vt veſica vlcerata, non præcedente ſanguinis ſuppreſſione, paulatim grumus concreſcat, *de loco aff. c.* 1. Aut à pure, quod, autore Galeno, recedentibus diuturnis doloribus cum notis abſceſſus, vel magni vlceris in gibba hepatis parte, pulmone, pleura, renibus, vaſis vrinariis, veſica, meatu vrinario, poteſt obſtructionem efficere, vt vrinæ ſuppreſſio ſequatur. Poſtremò apud Galenum meatus vrinarius poteſt obſtrui à lento, & craſſo humore, qualis præcipuè in illis colligi conſueuit qui malis, & craſſis, & lentis alimentis familiariter vtuntur.

Sed iis, quæ à Galeno poſitæ ſont, nonnulli addunt, ſemen quoque huiuſmodi obſtructionem, & vrinæ ſuppreſſionem poſſe efficere. Quæ tamen cauſa forte non eſt recipienda, cum in ſemine minimè ſit tanta craſſities, quanta in grumo, pure, & craſſo ſocco; ac potiſſimùm ad vaſa ſemen deferentia ex teſtibus per poſteriorem tantum, atque exteriorem veſicæ partem in radice penis & veſicæ extremũ inferatur, adeo vt difficile, aut potius nullo modo, etiãſi illud craſſiſſimum foret, videatur meatum vrinarium poſſe obſtruere. Atque hactenus de priore communi cauſa ſuppreſſionis vrinæ propter vitium veſicæ.

Itaque alteram conſideremus, quando lotium retinetur propter vitium partium ſuperiorum. Illę porrò ſunt triplices: primùm quidem propagines à vena caua orientes, quę duę vtrinque aqueum, ac ſeroſum excrementum in renes inferunt, atque ob id emulgentes vulgo dictæ ſunt; ſecundò ſunt renes ipſi, qui (vt Gal. docet 2. *de natural. facult. c.* 15. 6. *de loc. aff. c.* 3. *& ſæpe alibi*) facultate peculiari, vt ſanguis venoſus, & arterioſus expurgetur, trahendi ſerum ſanguini permiſtum, per ampla emulgentia vaſa, præditi ſunt: poſtremò ſunt duo vaſa concaua à ſima renum parte orientia, per quæ vrina in veſicam deducitur, vbi ab huiuſmodi affectione Græce *vretera*, Latinè *vrinaria* dicuntur.

Igitur plerique omnes docent, propter vitium huiuſmodi partium omnium retineri lotium, quotieſcùnque illæ ſunt vel obſtructæ, vel quomodocunque impeditæ adeo, vt illud liberè fluere non poſſit. Hanc enim obſtructionem, vel aliud quodcunque impedimentum, inquiunt fieri, aut à calculo, vel vno, vel pluribus; aut à grumo ſanguinis; aut à pure; aut à materia craſſa pituitoſa, inflammatione, abſceſſu, & cæteris tumoribus præter naturam, ſicut de veſica. Ego enim etſi nollem negare, omnes huiuſmodi partes obſtrui, vel aliter impediri, quo minus vrinæ via pateat; veruntamen in vaſis emulgentibus, & vrinariis difficile admodum id mihi videtur fieri poſſe. Siquidem venæ emulgẽtes ſunt inſigniter amplæ, nec vaſa vrinaria ſunt adeo exigua, quin per ea, & calculi exigui, & multæ materiæ craſſæ facilè traiiciantur. Quare equidem cenſeo ſuppreſſionem vrinæ maxima ex parte laborantibus renibus contingere, ac frequentiſſimè illos, non aliter, quàm calculis, obſtrui conſueuiſſe: quod quotidiana experientia confitetur eſſe veriſſimum. Auicenna quidem longè plures cauſas, quàm Galenus, affert ſuppreſſionis vrinæ: inflammationem inteſtini, inflammationem vteri, vmbilici inciſionem, & dolorem hæmorrhoïdarum; vlcus in veſica; & alia id genus: quæ facile apud illum eſt intelligere, & legere. Quæ quidem, mea ſententia, ſunt imaginaria, neque ad rem pertinent: vt propterea ſuperuacaneum putem, in illis aſſerendis, aut refellendis, longius agere. Itaque ad ſigna veniamus.

Vbi lotium retentum eſt id ante omnia inquirendum eſt, vtrùm illud in veſica, an in partibus ſupra veſicam retineatur: quod ad prognoſticum, & curationem quàm maximè pertinet. Huiuſmodi autem indicium ex nonnullis ſymptomatis fieri poſſe, ait Gal. 1. *de loc. aff. c.* 2. 6. *de locis aff. c.* 3. 1. *&* 3. *de ſympt. cauſis.* Ac primùm, ſi in veſica retineatur lotium, tumor in pube circumſcriptus ab impléta veſica apparet: prætera hac in parte adeſt tenſio, grauitas, dolor continuum emittendi lotij deſiderium: quorum ſymptomatum facile eſt cuique rationem reddere: ſed demum alio certiſſimo ſigno hoc ipſum licet intelligere, namque impoſita in veſicam ſyringa, vel cathetere, lotium educitur neceſſariò. Quod ſi altera ex parte non tumor, non dolor, non grauitas, nec cætera abſint, iam pro comperto habendum eſt, lotium in ſuperioribus partibus contineri: præterquam quod, vt in lumbis quoque ſit aliquis ſenſus vel doloris, vel grauitatis, & omnino aliquod renum laborantium, aut aliorum vaſorum iudicium antecedat neceſſe eſt.

Cæterùm ſiue in veſica, & partibus infernis, ſiue in renibus, & partibus ſuperioribus lotium retineatur, id quoque reſtat, vt intelligatis, quænam certa pars, & propter quam cauſam laboret. Inflammatio veſicæ ex tumore, dolore, & aliis ſymptomatibus, quæ internis inflammationibus ſolet coniugi, facile dignoſcitur. Senſum veſicæ obtuſum, ac malam neruorum affectionem licet comprehendere ex præcedente aliqua læſione ſpinalis medullæ, exempli gratia, luxatis vertebris ad exteriora vnde proprij ad veſicam nerui diſtribuuntur. Si facultas veſicæ expultrix læſa fuerit, à Gal. 1. *de loc. aff. cap.* 2. ſignum quoddam traditum eſt; quod id ſatis poteſt indicare, namque ſi hominem ita figurauerts, vt ceruix veſicæ ſit prona, atque decliuis, manibuſque tumorem comprimas, qui iuxta pubem conſpicitur, vrina excernetur. Cum autem contingat huiuſmodi imbecillitatem dupliciter fieri, vel cum aliqua intemperię veſicæ, ac potiſſimùm frigida, & humida; vel ex nimia eius repletione, & extenſione, certè etiam difficile non eſt vtramque hanc cauſam intelligere. Signa intemperiei, ſunt ferè manifeſta, præterquam quòd in frigida, vt inſigne aliquod frigus

præceſſerit, ægerque vel intra, vel extra inſigniter fuerit refrigeratus, neceſſe eſt. Nimia veſicæ repletio cum aliis modis, tum maximè referente ægroto parere poteſt, dum alioquin ille integra fruens ſanitate, ac nullo præcedente vrinario affectu, vrgentibus negotiis, fatetur ſe longiore tempore vrinam continuiſſe, *6. de loc. affect. cap.3.* Ex his itaque ſignis licet colligere lotium ratione veſicæ retentum eſſe.

Si verò lotium retineatur vitio aliarum partium veſicæ adhærentium, ac potiſſimùm veſicę vrinariæ, ſi id fiat propter inflammationem, ſcirrhum, vel alios tumores præter naturam, aut in meatu ceruicis veſicæ aut in aliis proximis partibus, ex tumore, dolore, quandoque febre, & aliis id genus ſymptomatis res ſit manifeſta. Si lotium ſupprimatur ratione carunculæ additæ in meatu vrinario, neceſſariò aliquod vlcus pręceſſit, illudque non ſubitò, ſed paulatim imminuitur, ad demum ſupprimitur, cum caruncula pariter non repente, ſed paulatim generetur: ſed immiſſo cathetere, dolorem mouit aliquando in ea parte meatus, vbi antea coniiciebamus vlcus eſſe, & fracta caruncula à cathetere, poſt vrinæ excretionem, aliquid ſanguinis & fragmenta carnis ſecuta ſunt: quod indicium eſt Gal. *princ. lib. de loc. aff.* Quod autem diximus de caruncula, etidem de callo dicendum eſt, qui non niſi ex craſſo & lento humore generari conſueuit. Itaque conſiderandum, an æger vel ob prauam victus rationem, vel ob aliam cauſam craſſis huiuſmodi, pituitoſis, & melancholicis humoribus ſcateat; ex quibus fieri potuerit callus.

Demum meatus vrinarij obſtruuntur: ac primùm, ſi id fiat per lapidem, quod frequenter ſolet euenire, lotium confeſtim, ac improuiſo retentum eſt: pręceſſere ſigna generationis lapidis: ęger circa pubem grauitatem percipit: de quibus & cęteris indiciis propria tractatione de lapide veſicæ ſermonē habebimus. Sanguinis grumus, ſiue ex præcedente ſanguinis copioſa miſtione, ſiue vlcerata veſica genitus fuerit, ex grauibus potiſſimùm quibuſdā ſymptomatis facile cognoſci poteſt, vt declarat Gal. *1. de loc. aff. c. 1. 6. de loc. aff. cap. 4.* namque in omni ſanguinis grumo nō ſolùm, qui in veſica, ſed etiam, qui in inteſtinis vētriculo, & thorace continetur, & pallidus color & pulſus paruus, obſcurus, ac frequens, & animi defectio, & ſyncope, & quandoque mors ſuccedere ſolet: quorum omnium ſymptomatum cauſæ luculentè redduntur à Gal. *6. de loc. aff. 4.* Verùm hic quoque vſus catheteris maximè iuuat. Siquidem illo immiſſo & impoſito, quandoque veſtigium ipſius grumi ſolet adhærere, atque certam mali fidem facere, vt ſuprà cum Galen. diximus. Reſtat poſtremò pus, & craſſi humores, de quibus, & eorum ſignis Galen hunc in modum ratiocinatur: *ſiue in veſica, ſiue in renibus aliquod antea malum natum fuerit, vt timendum ſit hinc tale, tantumque pus colligi potuiſſe, à quo meatus obſtructus ſit, probabiliter licet coniicere, hanc ob cauſam ſuppreſſam fuiſſe: aut ſi etiam in parte aliqua renibus ſuperiore fuerit abſceſſus, eo rupto, conſ:manenm eſt pus in renes tranſſumptum eſſe, ac deinde in veſicam tranſmiſſum potuiſſe vrinæ ſuppreſſionem efficere.*

At verò ſi nihil huiuſmodi malorum præceſſerit, neque in veſica, neque in renibus, de præcedente victus ratione inquirendum eſt, an æger in otio vixerit, aut multis alimentis craſſos, vel lentos humores procreantib. vſus fuerit: in quo caſu craſſos certè humores veſicę ceruicem obſtruere coniiciendum erit. Atque hactenus de ſignis, quæ vrinę ſuppreſſionem & ſingulas partes laborantes poſſunt indicere: quare, quod vnum reſtat, ad curationem progrediamur. Quæ quidem, vt ſæpe diximus, pro variis cauſis, ac variis partibus laborantibus, varia eſt inſtituenda.

Itaque ſi vrina ſupprimatur, laborantibus renibus, veſica, vel aliis partibus, inflammatione, tota curatio ad ipſam inflammationem dirigenda eſt. Quare omnium primò oportet venam ſecare. De qua tamen eſt ardua difficultas, an ſupernas, an infernas venas incidere oporteat: namque Aëtius, & alij probant venæ ſectionem in cubito: contrà verò Galen. *13. meth. c. 11.* renibus, veſica, pudendo, vtero, phlegmone laborantibus docet venas circa poplitem, aut iuxta malleolum ſecandas eſſe. Difficultatem autem auget idem Gal. *in lib. de ſang. miſſ. cap. 17. & 18.* qui cum docuiſſet, partes noſtri corporis ſupra thoracem, & in thorace contentas, ſectione venarum in cubito iuuari: cæteris autem partibus inferioribus, quales ſunt coxa, vterus, veſica, ſectionem venarum in poplite, aut malleolo conuenire; addit renes partes ancipites, & mediam quandam naturam obtinere, vt quandoque ſectionem venæ ſuperioris, quandoque ſectionem inferioris deſiderent. Sed illud quoque licet addere, Galenum neque huiuſmodi leges de ſectione venarum ſuperiorum, & inferiorum ab ipſo ſtatutas perpetuò obſeruare, qui *lib. de ſanguinis miſſione, c. 19.* laborantibus pedibus, vt in podagra, venas in cubito, & laborante capite, vt in epilepſia, & vertigine venas in cruribus ſecare non eſt veritus. ad quem modum *2. ad Glauc. cap. 2.* laborante vtero, docet non ſolùm venas inferiores, ſed etiam ſuperiores incidendas eſſe: quæ exempla ex pluribus ſint ſatis.

Altimarus *cap. 101. de inflammatione veſicæ*, hanc difficultatem ſoluit hunc in modum, nempe, Gal. & in lib. meth. & vbicunque docet, veſica, aliiſque inferioribus partibus laborantibus, venas inferiores fore incidendas, ſuppoſuiſſe, vires ægroti eſſe adeo validas, vt per vnicam venæ ſectionem ſimul poſſit euacuationem cum reuulſione perferre: in quo caſu ille probat quoque præceptum, & doctrinam Galeni perpetuo ſeruandam eſſe: Quod ſi vires non adeo valeant, vt tantam euacuationem ferre poſſint, tunc tutius eſſe, primùm venam cubiti, deinde poplitis, aut malleoli incidere.

Quam reſponſionem equidem puto & à Galeni mente abhorrentem, & admodum pernicioſam eſſe. Eſto enim, concedamus Altimaro, Socratem laborantem inflammatione renum, aut veſicæ, vires habere validiſſimas: adeo, vt vel ſummā ſanguinis miſſionem poſſit perferre: cui dubium eſſe poteſt, ſectionem venæ in cruribus non ſolum à partibus laborantibus non reuellere; ſed etiam ad illas maiorem adhuc humorem fluxionem trahere, ac deducere? quod quidem quantum à Galeni doctrina, à ratione, & à proba medendi methodo abhorreat, puto eſſe notius, quàm vt longiùs declarari debeat.

Quare ego aliter ſoleo reſpondere de varia ſectione venarum vel ſuperiorum, vel inferiorum iudicium faciendum eſſe, non habita conſideratione virium robuſtarum, aut imbecillium, vt placet Altimaro, nullaque alia ratione, quàm variarum indicationum, quæ, vel ſolam reuulſionem, vel ſolam deriuationem, vel ex his miſtam euacuationem demonſtrant; namque ſi Medicus magis vellet reuellere, quàm deriuare, quod in principio morbi, atque in magna ſuccorum redundātia faciendum eſt, tunc equidem cenſeo, venas cubiti eſſe incidendas: ſi autem idem malit deriuare, quod in progreſſa inflammatione, nec in tanta humorum copia licet facere, venas inferiores eſſe aperiendas. Nam prætetquam quod iſtud conuenit rationi, ac probæ medendi methodo; manifeſtè colligitur ex Galen. tum aliis locis, tum maximè *lib. de ſang. miſſ. c. 18.* qui ſcribit ad hunc modum: *Renes miſſo ex cubito ſanguini interdum auſcultant, vbi videlicet recens fuerit phlegmone, copiaque*

quo

Digitized by Google

quæ ſanguinis adfuerit. Ex qua quidem diſciplina facile eſt Galenum ſibi ipſi conciliare, atque ab omni repugnantiæ crimine vindicare. Quod ſi quis velit primùm venam cubiti pro reuulſione, deinde alteram cruris pro deriuatione incidere; id quoque cum ratione, & Galeni diſciplina, & vtiliter fieri poteſt.

Sectæ vena, tunc ad cæteras indicationes deſeniendum eſt, quæ ad curandas inflammationes ſunt accommodatæ, de quibus ſæpe diximus, neque eadem fruſtra repetenda ſunt.

Si verò lotium ſupprimatur propter obtuſum ſenſum veſicæ, nempe laborãtibus neruis quæ ad illam deferuntur, ex præcepto Galeni curatio in primis ad ſpinam, atque eorum originem adhibenda eſt: quæ tractatio non eſt præſentis inſtituti, cum veſica in tali caſu potiùs per conſenſum aliarum partium, quàm proprio laboret vitio.

Demum, ſi vrina retineatur, laborante facultate expultrice ipſius veſicæ, quæ reddita ſit imbecillior, adeo, vt non poſſit vrinam expellere (quod frequenter contingit) ſiquidem iſtud fiat propter nimiam veſicæ extenſionem, ac dilatationem, facilior eſt curatio, dicit Gal *princip. libror. de locis affect*. ſi hominem ita figuraueris, vt ceruix veſicæ ſit prona, & decliuis, ſenſimque manibus tumorem comprimas, qui iuxta pubem efficitur: quippe ſic vrina excerni conſueuit: quod ſæpenumero experientia confirmat eſſe veriſſimum. At verò altera ex parte, ſi retineatur vrina, laborante veſica aliqua intemperie, quam diximus, vt plurimum frigidiorem eſſe, tunc ea conueniunt medicamenta partim externa, partim interna, quæ huiuſmodi intemperiem poſſunt emendare. Hæc autem plurima ſunt. Sed antequam ad hæc deueniamus memoria tenendum eſt, quod ſępe cum Galeno diximus, ſi fuerit intemperies cum materia, hanc omnium primùm & generaliter, & particulatim eſſe tollendam; deinde opportunè ad corrigendam intemperiem accedẽdum eſſe. Interna medicamenta partim ore poſſunt aſſumi; ſed tamen illa adhibitas cautione, vt ne lotium valeant prouocare, atque plura excrementa ad locum laborantem deducere: de qua re paulo poſt ſermonem ſumus habituri. Talia forent aromaticum roſatum, diacalamentum, diatrionpipereon, conſerua betonicæ, ſaluiæ, roriſmarini, caſtoreum, ac demum theriaca & mithridatica confectio: quæ cæteris omnibus ſunt efficaciora: Partim in veſicam commodo inſtrumento poſſunt infundi: qualia forent oleum rutaceum, nardinum, irinum, laurinum, liliorum alborum, & ſimilia: Partim denum clyſteria poſſunt adminiſtrari, quod ſciamus, veſicam recto inteſtino proximè incumbere: quæ parentur ex decocto chamæmeli, anethi, thymi, origani, pulegij, centaurij minoris; oleo amygdalarum amararum, rutaceo, liliorum alborum, & ſimilibus. Exemplum clyſteris.

℞ *Chamameli M. j.*
Rutæ, Centaurij minoris ana M. ſ.
Semin. Cymini ℥ j.
Fiat decoct. ad conſumpt. mediet. deinde,
℞ *Prædict. decoct. lib. j.*
Mellis roſat. colat.
Olei amygd. amar.
Rutacei.
Lilior. albor. an. ℥ ij.
Miſc. pro Clyſtere.

Sed præter alia id vos ſcire velim, aquas medicatas calidiores, quales ſunt noſtræ Apotitanæ, Aquarienſes, & ſimiles, hac in re inſignem prærogatiuam obtinere, quo remedio memini octauo adhinc anno Nobilem, Medicinæ ſtudioſum, Cremonenſem, qui decem continuos dies non poterat lotium reddere, fuiſſe liberatum.

Etſi enim huiuſmodi aquæ alicui ſuſpectæ videri poſſint, quod maiori ex parte ferantur ad veſicam, ac valeant plura excrementa ad locum laborantem deducere; tamen, ſi opportunè adhibeantur, tutò, & cum maxima vtilitate ſolent adhiberi, vt poſterius propria diſputatione docebimus; Vtrùm laborantibus renibus & veſica conueniant medicamenta diuretica, nec ne?

Medicamenta autem externa plurima itidem ſunt, inſeſſus, balnea, fomenta; quæ parentur ex decocto abſinthij, menthæ, pulegij, calamenthi, chamædrios, chamæpyteos, rutæ althææ, ſeminum leni, fœnugræci, & ſimilium, quib⁹ vniuerſa pars inferior abdominis debet foueri, ac profundi. A balneo, & fomentis ſunt linimenta ad eaſdem partes accommodata, ex oleis chamæmelino, rutaceo, nardino, liliorum alborum ſimplici, & cum aromatibus, ac demum ex oleo de caſtoreo, de euphorbio, quæ cęteris omnibus calidiora ſunt, & efficaciora.

Vtrùm præter cætera omnia plerique omnes Medici familiariſſimè vtuntur oleo de ſcorpionibus: quod hac in re dicunt longè maximam prærogatiuam obtinere: quo renes, & pubem linire ſolent: imò verò quidã Medici vtuntur cinere ſcorpionum, qui viui ſint exuſti, ad prouocandam vrinam his potiſſimùm, quibus propter renum, aut veſicæ calculum vrina retinetur. De quo tamen oleo dubium mihi hæret, cum ſcorpiones habeant venenum frigidum, quo modo id poſſint præſtare? Reſpondent aliqui, ſcorpiones in vniuerſum non habere venenum frigidum; imò verò quoſdam eſſe qui habeant venenum calidum, quod inquiunt eſſe rubros: quod ex eo conantur confirmare, quia ſitim, & febrem afferunt.

Ego verò ſi diligenter conſidero, quæ à probatis auctoribus de ſcorpione, & de eorum veneno ſcripta ſunt, omnes in eo mihi videntur conuenire, huiuſmodi venenum frigidum eſſe. Gal. inter alios 4. *method. cap*. 4. ſtatuit apertiſſimè venenum ſcorpionem vi frigida pręditum eſſe, atque hinc ſumendam eſſe indicationem calefaciendi tum corpus vniuerſum, tum particulam, quæ morſione laborat, ſic referente eodem Galeno 3. *de loc. aff. c*. 7. 6. *de loc aff. c*. 5. quidam morſus à ſcorpione omnino frigidus factus eſt, ſudore etiam frigido accedente, ac ſibi videre videbatur, quòd grandine percuſſus fuiſſet, tandem congruentibus adhibitis remediis ſeruatus eſt. Sic demum omnia remedia ad ſcorpiones tam intus aſſumenda, quàm foris admouenda, quæ ſpeciatim propoſita ſunt à Galeno 2. *de Antidotis cap*. 12. calida ſunt. Vt mea ſententia, nulli dubium eſſe poſſit, ſcorpiones eſſe frigidos, atque eorum venenum in nimia frigiditate conſiſtere. Ego igitur, vt liberè dicam, quod ſentio, non tanti hoc remedium facere ſoleo, quanti illud video ab aliis fieri, ac potiſſimùm, ſi veſica, & reliquæ partes intemperie frigida laborent, vt omnino oporteat calefacere. In quam ſententiam eo libentiùs venio, quòd neminem videamus ex antiquis, & probatis auctoribus qui hanc prouocandi lotium facultatem ſcorpionibus tribuat. Quod ſi tandem quis hunc communem vſum, ne abuſum dicam, velit tueri, non puto aliud poſſe reſponderi, quàm iſtud latenti cuidam ſcorpionum proprietati tribuendum eſſe. Sed cætera perſequamur.

In communi, & vulgari vſu eſt radicula (raphanus) contuſa, & inciſa, quæ vel ex butyro, vel ex oleo quandoque etiam calidiore, exempli gratia, chamæmelino, rutaceo, liliorum alborum, & ſimilibus trita, & præparata inſtar emplaſtri ad regionem veſicæ in ima parte abdominis, necnon inter anum, & teſtes apponitur. Quod ſanè præſidium ſicut vulgare, ita optimum eſt.

Etſi autem, vt diximus, lotium frequenter ex frigida

gida

gida veſicę intemperie ſolet retineri;tamen Auicenna dicit illud quoque,licet rarò,ex intemperie calida poſſe fieri:quod,mea ſententia, non eſt à ratione alienum. Nam ſicut homines quandoque potiſſimùm in febribus, quod à Galeno traditum eſt 5. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. vix poſſunt loqui, & expuere,niſi prius os ipſum humefiat;ita fieri poteſt (ſed tamen, vt ego puto, admodum rarò) vt nimium calefacta, & exſiccata veſica lotium reddi nequeat. Propter quam cauſam ſcribit Gal. 1. *de vſu part. c.* 2. adenoſas quaſdam glandulas vtrinque adhærentes fuiſſe à natura conſtitutas, quæ veſicam, & proximas particulas aſſiduè humectent, ac quaſi deliniant, vt ne præ nimia caliditate,& ſiccitate nimium areſcant,& lotium difficile reddatur. Quod quidem(vt id obiter vos moneam)ſi contingat in febribus(contingit verò aliquando)ſciendum eſt, id ſignum admodum eſſe lethale, atque ægri interitum vt plurimum ſignificare. Remedia ſunt refrigerantia partim interna,partim externa,de quibus ſæpius diximus, neque in præſentia longius agendum eſt. Atque hactenus de ratione curandi lotium retentum propter vitium veſicæ.

Si autem lotium ſupprimatur laborantibus partibus adhærentibus, & proximis ipſi veſicæ, ac primùm ſi aliqua laborent inflammatione, vel alio tumore præter naturam; ſinguli huiuſmodi morbi propriam curationem requirunt, adhibitis nimirum ſectione venæ, reuulſionibus, deriuationibus, congrua victus ratione, & cæteris præſidiis partim internis,partim externis,de quibus ſæpè diximus,& in præſentia tractantes inflammationem iecoris ſermonem habemus.

Si autem ſupprimatur propter callum ſiue carunculam in collo veſicę, quod frequentiſſimè contingit,indicatio nobis ſeſe offert manifeſtiſſima auferendi,& conſumendi huiuſmodi impedimentum: quod quidem fit adhibitis quibuſdam medicamentis,quæ erodendi facultate prædita ſunt: & inter alios proximo ſuperiori tempore fuit Gallus quidam Chirurgus,Petrus. hac in re admodum celebris, & in præſentia eſt illius filius Carolus,qui huiuſmodi carnes additas feliciter curare conſueuerunt: namque illi habent paruas quaſdam candelas, quæ extrema parte oblinitæ vno vel altero medicamento, facile deinceps, & ſine vllo dolore, vel labore in canalem vrinarium imponuntur: qua ratione medicamenta primum erodentia,deinde conſolidantia,& ad cicatricem deducentia adhærent ipſi carunculæ, & vlceri: adeo,vt ſpatio plurium dierum curatio perducatur ad finem, & perficiant: nam plerique omnes ſanantur. Qualia autem ſint huiuſmodi medicamenta, nemo nouit: ſed, vt dicebam, ſunt duorum generum, nonnulla, quæ primis pluribus diebus adhibentur, ſine vlla dubitatione erodentia, forte ſquama æris, æs vſtum, præcipitatum, & alia id genus, quæ commodo aliquo liquore permiſcentur, & temperantur: nonnulla, quæ demum,ſublata caruncula, cicatricem poſſunt inducere, quæ omnibus manifeſta ſunt. Verùm illud minimè prætermittendum eſt, antequam Medici huiuſmodi curationem aggrediantur, & ſecta vena, & datis medicamentis, & omni opportuniori ratione toti corpori proſpiciendum eſſe.

Si quidem aliter periculum immineret, ne & inflammationes,& febres,& alia pericula ſuccederent. Illud autem poſtremò vos ſcire velim, has carunculas in collo veſicæ rariſſimè vrinæ ſuppreſſionem, & ſtillicidium efficere conſueuiſſe.

Poſtremò lotium ſupprimitur,& quidem frequenter, obſtructo meatu vrinario, quod quatuor modis fieri diximus, lapide, ſanguinis grumo, pure, craſſo humore.

Itaque ſi lapis incidat in ceruicem veſicę,ac ſit impedimento,quo minus vrina fluere poſſit, Gal. *princ. libr. de loc. affect.* docet hominem figurandum ſupinum; atque in ſublime attollendum, vt pedibus eleuatis in caput pronus fiat; atque ita ſemel & iterum concutiendum eſſe: qua ratione lapis ex ceruice receſſit, & in aliam veſicæ partem defertur.

Quod ſi lapis hac induſtria priori loco non poſſit moueri,iam ſyringa,vel candela agendum eſt, de quibus poſteriùs loquemur. Nam, quod pertinet ad veram curationem lapidis,quæ perficitur,illo vel diſſoluto, vel extracto, nihil in præſentia dicendum eſt: quam proprio loco de lapide renum, & veſicæ nobis propoſitum eſt pertractare.

Si ſecundò exitus vrinæ impediatur à grumo ſanguinis,id primum ſciendum eſt ex Galeno 6. *de loc. aff.* curationem fore admodum difficilem, adeo, vt ille affirmet, plurimos quidem obiiſſe, vnum verò tantummodo, diſſolutis ipſis grumis, ſeruatum fuiſſe. Certum autem eſt, ad hanc rem accommodata eſſe medicamenta,quæ incidendi,& diſſoluendi facultate ſunt prædita,qualia apud Galenum ſunt,quę lapidem terere,& diſſoluere poſſunt,ſumpta ex oxymelle, atque ipſum quoque oxymel per ſe acceptum. Quæ quidem medicamenta partim per congruum inſtrumentum in veſicam poſſunt imponi, exempli gratia, lixiuium tum commune,tum maximè, quod ex ficu ſylueſtri præparatur, coagulum ouium, hædinum, ſed omnium maximè coagulum leporinum præſtantiſſimum eſt apud Galeno. *de ſimpl. medic. facult.* quod ex mulſa, oxymelle ſimplici,vel quod longè efficacius eſt, oxymelle ſcyllitico opportunè diſſoluitur: Partim ore poſſunt aſſumi, inter quæ coagulum magnam obtinet prærogatiuam: quod quidem confectis pilulis ad drachmam vnam ex aliquo decocto diuretico licet exhibere.

Si demum lotium ſupprimatur, obſtructa ceruice veſicæ vel craſſo humore, vna propemodum vtriuſque eſt curatio per ea medicamenta, quæ valeant abſtergere,attenuare, deſiccare,diſſoluere,quę omnibus manifeſta ſunt. Sed tamen id cum primis eſt animaduertendum, vtrùm huiuſmodi pus, vel craſſus humor ex ſuperioribus partibus ad veſicam deferatur, necne. Siquidem parte aliqua ſuperiori malè affecta,nulli dubium eſſe debet,quin illi imprimis,ac forte vniuerſo corpori ſit proſpiciendum: maximè verò in hoc caſu ab iis medicamentis foret abſtinendum, ac cauendum, quæ inſigni prouocandi lotij facultate prædita ſunt:ex quibus certum imminere periculum,ne, pluribus ad veſicam ductis humoribus, maior omnino, ac difficilior obſtructio in illa excitaretur, quæ fortaſſis fuit ſententia Auicennæ qui cùm doceat c. 8. primis verbis: *ſi cauſa fuerit humor,aut ſanies procedendum cum apertiuis, & diureticis fortibus*;id addit, *animaduertendum,vt ne alia materia deſcendat ad veſicam,augeat dolorem*,& quę ſequuntur. Atque hactenus de ratione curandi ſuppreſſionem lotij; laborantibus veſica & partibus internis,quæ veſicæ adhærent,atque huic naturali purgationi ſolent ſeruire.

Quod autem pertinet ad ſuppreſſionem lotij, laborantibus partibus ſupra veſicam, iam diximus id præcipuè fieri vitio renum, qui tum grumo, pure, craſſo humore,tum maximè calculo obſtruuntur, vt lotium nequeat tranſire. Itaque ſi renibus, vel aliis ſuperioribus partibus alia materia craſſa contineatur, primum leuiore aliquo medicamento aluus lenienda eſt; & inter cætera caſſia, hiera ſimplex,reſina terebinthina,vel abietina optima ſunt: quæ etiam ſimul poſſunt permiſceri; & ſit exemplum.

℞ *Flor. caſſiæ nouiter extractæ* ℥ j.
Terebinth. Cypriæ ℥ ß.
Specier. hier. ſimpl. ℈ iiij. *Miſ.*

Deinde

Digitized by Google

Deinde præparanda, ad demum purganda eſt materia noxia cum iis, de quibus ſæpe diximus. Verùm autem poſt hæc liceat ad ea deuenire, quæ valeant lotium prouocare, poſterius diſputabitur.

Si gromus quiſpiam negorium faciat, lenita aluo, illa exhibeantur, quæ incidendi, attenuandi, atque illius diſſoluendi vim habeant, qualia ſunt oxymel ſimplex, ſcylliticum, lixiuium, ac maximè præparatum ex cinere ficus ſylueſtris, coagulum leporis, & ſimilia, vt:

℞ *Lixiu. præparati cum Ficu ſylueſt.* ʒ. *viij.*
Oxymell. ſcyllit. ℥ *j.ſ. M.*
Item.

℞ *Coaguli leporis,*
Conſeru. flor. Beton. ana ʒ. j.
M. ſ. & f. bolus.

Si lotium ex calculo retineatur, quod diximus frequentiſſimè vſu venire, illa conueniunt medicamenta, quæ lapidem terere, comminuere, & ducere poſſunt: de quibus propria tractatione ſermonem habebimus.

Cæterum ſæpe euenit, vt in ſuppreſſione lotij cogantur Medici vnius potiſſimùm ſymptomatis rationem habere, quod nimis vrget, ac longè maxima pericula ſolet afferre: quare ad omnia præſidia confugiunt & interna, & externa, quæcunque lotium poſſunt prouocare, & ægroto ab ea inſigni moleſtia, & periculo liberare: Quorum vnum, atque alterum exemplum mihi libet ad inſtitutionem veſtram proferre.

℞ *Chamameli,*
Anethi,
Maluarum,
Parietaria an. M. j.
Seminum aniſorum,
Fœniculi,
Cymini.
Dauci an. ℥ *ſ.*
Radic. Rubiæ tinctorum ℥ j.
Spic. Nardi.
Cynnamomi an. ʒ *ij.*

Contundantur omnia craſſo modo, & bulliant pro fomento, vel infectione. Item.

℞ *Radic. Raphan.* ℥ *ij.*
Folior. Parietar.
Apij,
Radic. Petroſel. ana M.
Contundantur omnia, & cum butyro, vel oleo amygdalarum amarar. f. Emplaſtrum.
Item.

℞ *Olei Amygd. dulcium* ʒ *ij.*
Olei Lilior. alborum cum aromat.
Addunt vulgares. Ol. de Scorpion. an. ℥. j.

Quæ omnia ad regionem veſicæ, atque inter anum, & teſtas licet accommodare.

Clyſteria quoque propter vicinitatem huiuſmodi partium ſunt maximè opportuna: quæ ex iſdem medicamentis prouocantibus lotium commodè parari poſſint, & ſit exemplum.

℞ *Parietaria*
Maluarum an. M. j.
Flor. Chamamel
Anethi an. M. ſ.
Radicum Petroſelin. M. ſ.
Seminum Fœniculi.
Aniſorum ana ℥. j. *fiat decoct.*

℞ *Prædict. Decoct. lib.* j.
Olei Amygd. dulc.
Amar.
Lilior. albor. an. ℥ *ij.*
Miſc. pro Clyſtere.

Verùm ſi fruſtra adhibeantur, vt fruſtrà adhibentur, ſi vrina retineatur in veſica, quæcunque ſuppreſſionis cauſa fuerit, primo quoque tempore ad ſyringam, vel candelam deueniendum eſt: quod præſidium experientia confirmat, cæterorum omnium tutiſſimum & certiſſimum eſſe. Sed tamen ſciendum eſt, niſi miniſtri ſunt periti, vel quod maioris momenti eſt, huiuſmodi operationis experti, ægros quandoque in maximos dolores, in profuſionem ſanguinis, & alia pericula incidere conſueuiſſe: quare admodum cautè hac in re agendum eſt; at maximè, ſi veſica inflammatione, aut dolore laboret, quod Auicen. & Paul. annotarunt.

Quod ſi lotium in ſuperioribus partibus retineatur, nec deſcendat in veſicam, ſciendum eſt negotium admodum eſſe difficile & periculoſum, adeo, vt viderim multo plures interiiſſe, quàm euàluiſſe. In quo caſu neglecta veſica, & partibus illi proximis, quæ nihil laborant, omnia veſtra conſilia, & præſidia ad ipſos renes, partes laborantes dirigenda ſunt, quæ quidem plurima ab Auctoribus proponuntur. Auic. inter alia maximè probat aquam deſtillationis radiculæ, vel raphani, imò verò iubet, vt cum pane tanquam obſonium comedatur. Sic paſſim probantur aqua ciceris, aqua parietariæ, aqua fabarum, & ſimiles. Apud Aromatarios duo celebria præparantur medicamenta, electuarium Iuſtini, & litontripon. quod vtrumque à Nicolao deſcriptum eſt. Sed apud Auic. alterum quoque eſt electuarium, quod electuarium de cineribus vocant, quod plurimi affirmant eſſe præſtantiſſimum: & hac ratione præparatur.

℞ *Cineris Vitr.*
Scorpionum,
Radic. Braſſic.
Leporis,
Putaminum ouorum, ex quibus exierit pullus
Lapidis ſpongiæ;
Sanguinis Hirci præparati,
Lapidis Iudaici,
Gummi Iuglandis.
Acorti ana ʒ j. *ſ.*
Mellis quant. ſuff.
Miſcentor, & fiat Electuar.

Sed habeatis exemplum potionis diureticæ.

℞ *Rubiæ tinctorum,*
Aſari ana. M. ſ.
Semin. Dauci Cretici,
Apij,
Petroſelini an. ℥ *ſ.*
Spic. Nard.
Cinnamomi an. ʒ. *ſ.*
M. f. Decoctum ex aqua: Quod vel ſolum vel cum Oxymelite, aut alio commodo medicamento poteſt exhiberi.

Præterea nonnulla proponuntur quæ latente quadam vi & proprietate creduntur lotium prouocare, qualia ſunt veſicæ muſtellæ; vermes terreſtres; aſelli, qui reperiuntur ſub hydriis aquarum, vulgo millepedes dicuntur; cancri fluuiatiles, & ſimilia; quæ vnuſquiſque veſtrum apud auctores facile poteſt intelligere: Quæ omnia ſiccantur in furno, & ſimul cum aliquo diuretico medicamento ad vnam, vel alteram drachmam circiter ſolent adminiſtrari.

Sed poſtremò tanquam ad ſacram anchoram nonnulli ad Cantharidas confugiunt: de quibus dubium eſt, an tutò ore aſſumi poſſint, & quomodo debeant adhiberi. Galenus quidem ponit cantharides inter putrefacientia erodentia, & quæ toto genere lethalia ſunt: ac ſi diligenter illius mentem attendimus, nulla vnquam ratione ille videtur vſum cantharidum probaſſe, niſi reliquis medicamentis ad prouocandum lotium accommodatis & quidem minima quantitate, ſcilicet centeſima parte vnius drachmæ,

permi

permiſceantur: *Cantharis*, inquit ille, *parcè interim ſumpta, quibuſque oportet admiſta, præterquam quod veſicam nihil offendat, etiam renes expurgat*: imo & quæ efficaciora conficiuntur ad vrinas mouendas medicamenta, nonnulli habent cantharides. *4 de ſimpl. medic. 5 9. ad fin. & 3. de ſimpl. med. c. 23.* Vnde plurimi quoque hoc tempore, & fere omnes non audent ſolas cantharides alicui propinare. In qua quidem re poſſum verè teſtari, me vidiſſe quoſdam olim meos præceptores, viros clariſſimos, cantharidibus vſos fuiſſe, & quidem fęliciter: quorum exemplo, atque inſtitutione ego quoque etſi admodum rarò quater tantummodo ſum vſus. qui inter cęteros memini ægrotum quendam nobiliſſimum agentem annum quinquageſimum, cùm quinquaginta horas ſuppreſſione lotij laboraſſet, exhibitis cantharidibus, Dei optimi beneficio vrinam copioſè minxiſſe, & ſanitatem recuperaſſe.

Cum igitur experientia confirmet, cantharides poſſe aliquando tutò exhiberi, quod forte neque à Galeni ſententia eſt alienum, id reſtat vt intelligatis, quo modo, & qua doſi debeant exhiberi. Auctor libri quarti de ratione victus in acutis ad finem, videtur docuiſſe, aduerſus hydropem tres cantharides, abiectis ſingulatum tum capite, tum pedibus, tum aliis, ex tribus cyathis aquæ exhibendas eſſe. Ex quo præcipuè loco, vt puto, factum eſt, vt plerique omnes Medici, atque omnium maximè Arabum ſectatores adminiſtraturi cantharidas velint earum capita, alas & pedes abiici, tanquam partes cęteris nocentiores. Altera autem ex parte Gal. 11. *de ſimpl. medic. cap. propr.* expreſsè fatetur, ſe totas, atque integras cantharides accipere conſueuiſſe: imò verò iis curandis, qui cantharides aſſumpſiſſet, præter communia præſidia, tanquam antidotum probant alas, & pedes cantharidum ex melle ſumptas, *2. de antid. cap. 7.* ſicut item dixerat loco citato *11. de ſimpl. medic.* etſi eo loco potius de aliorum ſententia, quàm de propria loqui videatur. Quantum autem pertinet ad locum propoſitum ex *4. de rat. vict.* Galenus lepida quadam hiſtoria præclarè mihi videtur omnem controuerſiam diſſoluiſſe: Ea verò eſt huiuſmodi. Ignatius quidam, & audax Medicus non ſatis auctoris mentem intelligens ſola cantharidum corpora, cęteris abiectis partibus cuidam hydropico propinauit qui paucos poſt dies obiit. Cùm autem nonnulli illum criminarentur, quaſi perperam ſola corpora propinaſſet, contendentes mentem auctoris fuiſſe, vt potius cęterę partes debeant propinari, hac quoque ratione alteri hydropico caput, & alas, & pedes cantharidum, abiectis corporibus voluit adhibere, qui pariter extinctus eſt. Qui tandem concludit, nonnullos Medicos medicamento diuretico ex cantharidibus confecto circa aliquod incommodum vſos fuiſſe. Ex quibus duo licet nobis de cantharidibus intelligere: alterum, neque ſola corpora, neque ſolas cæteras partes, ſed totas, atque integras adminiſtrandas eſſe: Alterum præcipuum, cantharidum vſum, ſi aliis medicamentis vrinam prouocantibus proportione miſceantur, fore opportunum; quod hac ratione earum vis deleteria caſtigetur, ac corrigatur. Multa ſanè externa reperiuntur medicamenta ad lichenes ſolas, lepras, & alias cutaneas affectiones apud Galenum, Auicennam, alios Medicos, quæ cantharides recipiunt; ſed (quantum equidem poſſum meminiſſe) vel apud veteres, vel apud recentiores nulla medicamenta ex his compoſita reperiuntur, quæ ad internam potionem deſtinata ſint: Quæ tamen facile (mea ſententia poſſent parari, ſi ex præcepto Galeni illę integræ nonnullis diureticis medicamentis admodum parcè permiſcerentur. Ratio autem eligendi optimas cantharides, atque illas præparandi, habetur apud Dioſcor. *lib. 2. cap. 54.* & Galenum, qui fere omnia tranſcripſit ex Dioſcoride 11. *de ſympt. med. citato.* Quod ſi demum cupit quis intelligere, qua certa doſi, & quo modo aſſumi poſſint, cum aliena præcepta, & exempla nequeant referre, is ſciat, me quod à meis præceptoribus olim didici, ad duo grana circiter ex emulſione ſeminum communium frigidorum quæ vocant, vel ex lacte muliebri ad vncias ſex huiuſmodi præſidio vti conſueuiſſe. Ex quo licet arguere Auctorem *lib. 4. de ratione vict.* qui tres cantharides auſus eſt exhibere; quæ quidem facto periculo, abiectis capitibus, pedibus, & aliis excedunt doſim granorum ſex.

Cæterum lotio retento in partibus ſupra veſicam, medicamentis non ſolùm intro acceptis, ſed etiam adhibitis extra, agendum eſt, quæ quidem valeant partes laborantes laxare, mollire, quoduis impedimentum auferre ac lotio viam facere: de quibus ſatis iam diximus. Veruntamen non eſt ſilentio prætereundum quoddam remedium, quo quidem memini non ſemel me admodum feliciter vſum fuiſſe: illud verò eſt balneum vniuerſi corporis tum paratum ex variis medicamentis, de quibus ſupra diximus, tum maximè ex vno oleo dulci, quod ſanè & ad dolores leniendos, & ad impeditos meatus aperiendos, & ad totam hanc rem præ cæteris omnibus eſt mirabiliter accommodatum. Etſi enim hæc ſuppreſſione lotij poſſunt ſatis eſſe, tamen poſtremo hoc loco mihi libet eam celebrem quæſtionem tractare, *an laborantibus renibus & veſica, medicamenta diuretica liceat adminiſtrare*? de qua peculiarem habetis diſputationem apud Conciliatorem differentia 205.

Quæritur itaque, *Vtrum in affectibus renum, & veſica liceat vti medicamentis diureticis*? de qua quidem quæſtione cum præter Conciliatorem plurimi plurima ſoleant diſputare, mihi libet quàm breuiſſimè fieri poteſt, ac ſummatim, eam tantummodo ſententiam afferre, quam puto eſſe veriorem, & doctrinæ Hippocratis, & Galeni magis conſentire. Ex vna parte, primùm quidem videtur eſſe conſenſus omnium proponendum communiter practicantium, qui medicamentis diureticis familiariter vti non verentur, qualia multa ſunt in officinis, electuarium Reginæ, electuar. Iuſtini, electuar. diureticum, &c. Sic paſſim vtuntur Medici ſyrupis, decoctis, conſeruis, pulueribus, ac demum aquis thermarum, quo omnia prouocandi lotium facultatem habent. Huic opinioni fauent Auicenna, Rhaſes Paulus, & plerique omnes, qui curandis vitiis renum, & veſicæ probant vſum ſeminum aniſorum fœniculi, cymini, radicis aſparagi, fœniculi, petroſelini, iuniperi, ſpicæ, aſari, rubiæ, tinctorum, & alia quam plurima id genus tum ſimplicia, tum compoſita, quæ omnes fatentur, prouocandi lotium vi eſſe prædita. Neque enim deſunt rationes, quæ hoc ipſum videntur confirmare: nam quæcunque vaſa vrinaria abſtergunt, purgant, aperiunt, & id præſtant, vno verbo, vt excrementa facile exeant, nec quicquam præter naturam illis adhæreat, laborantibus renibus & veſica, videntur quam maximè conuenire: ſed medicamenta diuretica ſunt huiuſmodi; ergo, &c. Præterea fingamus Socratem laborantem aliquo genere morbi in renibus, intemperie, vlcere, calculo; quo modo fieri poteſt, vt intemperies corrigatur, vlcus ſanetur, calculus diſſoluatur, niſi medicamenta ad partem laborantem perueniant? id quod certum eſt medicamenta potiſſimùm diuretica præſtare, atque efficere.

Altera autem ex parte, vulgare eſt præceptum & ab omnibus rationalibus receptum, à partibus laborantibus perpetuò reuellẽdum, minimè verò ad illas trahendum eſſe. *Præceptum* (dicit Galenus 13. meth.

cap. 6.

capit.6.) in contrariam reuulſioni: in omnibus talibus commune eſt: neque igitur, cum vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit; aluum deijcies: neque cum in veſica, vel cole capta eſt, pharmaca, quæ vrinam prouocant, bibenda dabis: nec, ſi mulieri in vtero, vel pudendo incœpit, menſes huic prouocabis, ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, ſemper reuulſionem facies; quam tandem ſententiam reperio poſtea, capite vndecimo. Cum igitur certum ſit, medicamenta diuretica ad renes, & veſicam trahere, & per huiuſmodi vaſa purgationem efficere; concludendum videtur, nullo modo eorum adminiſtrationem conuenire.

Medicamenta diuretica duplicia.

Cæterùm, omiſſis aliorum reſponſionibus, equidem cenſeo hanc controuerſiam non ſine diſtinctione poſſe diſſolui. Itaque primo notandum eſt, medicamenta diuretica eſſe duplicia; alia communiter, & minus verè, quæcunque abundant aquea humiditate plurima, vt vina tenuia, & oligophora, quæ vocant; ptiſana, rapæ; vel quæ leuiter abſtergendo, attenuando, incidendo, aperiendo facilè ad renes deducuntur, & vrinæ purgationem iuuare poſſunt, qualia ſunt quatuor ſemina maiora, hordeum, gramen, capillus Veneris, & alia id genus: Alia verò propria, & verè diuretica appellantur: de quibus atque eorum natura videatis Galenum *5. de ſimplicibus medicamentis capit.* 13. Quo loco nos docet, quò modo tria genera medicamentorum, quæ lac generant, quæ menſes eliciunt, & quæ vrinam prouocant, inter ſe differant. Cum enim ſint omnia calida, non aliter inter ſe differunt; quàm caliditatis menſura; necnon quod quædam deſiccant, quædam non deſiccant. Siquidem quæ non deſiccant, & moderatè calefaciunt, lacti generando vtilia ſunt: Quæ verò plus calefaciunt, non tamen vehementer deſiccant, menſibus eliciendis ſunt commoda: Quæ autem magis calefaciunt, & deſiccant, propriè, & peculiariter diuretica, id eſt, mouentia vrinam, dicuntur. Quamobrem medicamenta verè diuretica, ſua inſigni caliditate, & ſiccitate cogunt ſanguinem, ſerúmque illi permiſtum ſeparant, & hac ratione valent lotium copioſius reddere, & purgare; qualia ſunt ſemen apij, dauci, ameos, ſeſeleos, & cætera id genus, de quibus copioſè Galenus.

Secundò diſtinguendum eſt: an renes & veſica in præſentia verè laborent, vt opus ſit curatione; an periculum immineat, ne huiuſmodi partes in poſterum ſint laboraturæ, vt opus ſit præſeruatione:

Tertiò habenda eſt conſideratio morborum, an ſit in intemperie vel cum materia, vel ſine materia, an in mala compoſitione, an in ſoluta vnitate.

Ac poſtremo notanda ſunt diuerſa tempora morborum, an ſint in principio, augmento, ſtatu, declinatione.

Porrò, his iactis fundamentis, & adhibitis notationibus, mihi videor hanc totam diſputationem duabus concluſionibus poſſe definire. Prima: Medicamenta communiter vocata diuretica, tam in præſeruatione, quàm in curatione, in quocunque morbo, & quocunque tempore morbi poſſe adminiſtrari, dummodo cum ratione, & opportunè adminiſtrentur: quandoquidem hæc poſſunt vaſa modicè abſtergere, aperire, ac leuiter purgare, neque vllum imminet periculum, vt noua ad illa trahantur excrementa.

Secunda eſt concluſio, medicamenta verè diuretica, excepta vna intemperie ſine materia, in qua neceſſe eſt medicamenta alterantia ad locos laborantes peruenire, neque in præſeruatione, neque vllo curando morbo vel intemperie cum materia, vel mala compoſitione, vel ſoluta vnitate, nullóque tempore morbi, præterquam in declinatione, & poſt congruentem totius corporis purgationem tutò poſſe adminiſtrari; alioquin certum imminet periculum, vt ne longè plura excrementa ad locos malè affectos deducantur, quàm ex illis deleantur. Quæ quidem fuit præcipua ratio, quamobrem Galen. doceat ad partes laborantes nunquam trahendum, ſed ab illis perpetuo reuellendum eſſe. Hanc doctrinam mihi videor poſſe colligere, & confirmare cùm aliis Galeni locis, & exemplis, tum maximè 13. *method. capit.* 15. vbi tractat iecoris inflammationem, in qua nonnulla leuiora medicamenta partim diuretica, partim mouentia aluum pro varia iecoris parte laborante concedit in principio morbi; valentiora autem non niſi in declinatione, ſicut in publicis lectionibus diximus. His concluſionibus, ni fallor, cuique licet omnem de hac re controuerſiam diſſoluere, omnibúſque hinc inde obiectis rationibus ſatisfacere, ac Galeni doctrinam integram, & omni ex parte conſentientem conciliare, ac tueri, vt pluribus non ſit opus.

ALEXANDRI

MASSARIÆ VICENTINI,

TRACTATVS III.

DE PVLSIBVS.

INTER cætera argumenta, quæ deducunt medicos in cognitionem eorum, quæ tum natura, tum præter naturam homini inſunt, equidem cenſeo pulſum, & vrinam principem locum obtinere. Neque enim mihi libet in præſentia eam vulgarem quæſtionem agitare, vtrùm ex pulſu, an ex vrina certiora indicia, tum ſanitatis, tum morbi colligi poſſint; qui puto vtrinque huiuſmodi ſignum ſi ad propriam ſignificationem referatur, pulſum ad facultatem vitalem, vrinam ad facultatem naturalem, parem certitudinem, ac præſtantiam continere. De qua re ſi quis veſtrum cupiat plura intelligere, is videat Franciſcum Valeſium *lib. 3. Controu. cap.* 1. qui inter cæteros hanc diſputationem diffusè, ac disertè perſequitur. Igitur cum proximo ſuperiore anno conſecerimus tractationem vrinarum, hoc præſenti tempore propoſitum habemus alteram quoque de pulſibus tractationem conficere: non quidem accuratè, & exquiſitè, (quod nimis laborioſum, & longum eſſet) ſed ſummatim atque iis tamen propoſitis capitibus, quæ huic doctrinæ ſufficienter inſeruire poterunt, nobiſque ſcripta grauiſſimorum auctorum faciliora reddere valebunt.

Itaque ex noſtro vetere inſtituto, hunc noſtrum Commentarium de pulſibus diuidemus in quatuor partes, ſicut quatuor præcipua ſunt capita, de quibus mihi ſtatutum eſt apud vos ſermonem habere. Ea verò ſunt illa ipſa, de quibus pariter diximus in tractatione Vrinarum, & circa quæ in explicandis ſingulis morbis verſari conſueuimus. primum de Eſſentia, ſecundum de Differentiis, tertium de Cauſis, quartum de Prognoſticis: quæ fortè docendi methodus non longè recedit ab ea methodo, qua Galen. vniuerſam pulſuum diſciplinam 16. libris accuratiſſimè complexus eſt. Antequam verò rem aggrediar, id vos ſcire velim, huiuſmodi naturam eſſe quidem longè vtiliſſimam ad plurimos caſus, maximè verò ad cognoſcendos, præſagiendos, & curandos morbos conferre (quod res ipſa

ac plurima exempla, atque hiſtoriæ apud vnum præcipuè Galen. facilè cuique poſſunt demonſtrare) ſed non minus eſſe difficilem, ac fortè cæteris omnibus inſtiturionibus medicis difficiliorem.

De qua etſi veteres, Aſclepiades, Eraſiſtratus, Athenæus, Heraclides Agathinus, Heropylus, Archigenes Velienſis, & alij quàm plurimi ſcripſerunt, quorum Galen. meminit, & quorum omnes libri hoc tempore deſiderantur, tamen vt idem ibi ſcribit Gal. 4. *de dignoſcendis Pulſibus*, c. 5. nihil ab illis memoria dignum ſcriptum eſt. De Hipp. an ſcripſerit de Pulſibus eſt dubium; atque eo magis, quod Galen. perplexè de hac re loquitur, qui ex vna parte libri *de Præcognitione ad Poſthumum*, c. 15. teſtatur, Hip. ſcientiam de pulſibus non attigiſſe: medicos autem illo poſteriores eam tradidiſſe, & rurſus 3. *de Criſibus cap. vlt. ad finem*, necnon 4. *Epid. ſect. 3. com.* 18. ſcribit Hipp. ſigna ſumpta ex pulſibus non fuiſſe perſequutum: vel quia non cognouit, vel quia non putauit eſſe magni momenti. Ex altera autem parte in libello, *quod animi mores temperaturam corporis ſequantur*, *cap.* 8. ad finem ſcribit, Hipp. omnem motum arteriarum qualiſcunque fuerit, omnium primum pulſum nominare: & adhuc plenius *lib. de diff. pulſuum*, c. 12. Hipp. huiuſmodi artem pulſuum calluiſſe, non tamen in ea multum laboraſſe.

Ac ſanè ſi Hipp. monumenta conſideremus, nulli dubium eſſe poteſt, quin ille aliquando pulſos meminerit, atque eorum notitiam habuerit, vt in Coaic. *lib. 4. text. 25. ad principium*, ſcribit lethargicos habere pulſus tepidos, tardos, ſepultos, & quæ ſequuntur. In libris de locis in homine, inquit, arterias duas iuxta tempora ferri in medio temporum, & aurium, quæ ſemper pulſant. Sic tractans de morbis mulierum primo 134. ad finem docet puerperas, quibus menſtruæ purgationes retinentur, habere pulſus molles, & debiles, quia attolluntur nonnunquam, & interdum deficiunt. Et ſi quis reſpondeat, huiuſmodi libros non eſſe Hipp. legitimos, de qua re non multum laboro in præſentia, in lib. de Alimento ad finem, quem omnes fatentur Hipp. legitimum fuiſſe, hæc habentur: *Venarum pulſationes, & reſpirationes ſpiritus iuxta ætatem, & conſonantia & diſſonantia; ſunt, & morbi, & ſanitatis ſigna, & ſanitatis magis, quàm morbi, & morbi magis, quam ſanitatis.* &c. Ego autem in hac ambiguitate cenſeo veram Galen. mentem, ac veriſſimam fuiſſe artem de Pulſibus ab Hipp. cognitam, ſed minimè elaboratam, & abſolutam fuiſſe, qui loco pulſuum reſpirationem videtur perpetuo obſeruaſſe, quod plurimi ægroti Epid. facilè cuique poſſunt paſſim demonſtrare. Quandoquidem re vera huiuſmodi actiones, & reſpirationes vſque adeo ſibi ipſis conſentiant, & ſimiles ſint, vt ſumma cum ratione altera alterius vicem poſſit ſupplere. Vnus certè Gal. hanc quoque tam præclaram partem Artis medicæ nobis tradidit, & perfecit accuratiſſimè, qui libello de Pulſibus ad Tyrones, maximè verò aliis in libris de Differentiis, de Dignotione, de Prognoſticis, nihil videtur prætermiſiſſe, quod ad integritatem huiuſmodi argumenti pertinere poſſit. Vt interea nihil dicam de aliis libris hac de re ab eo conceptis, ſpecialim verò de libro, quem in arte medica ad finem ipſe promittit ſe eſſe compoſiturum, atque artem de pulſibus ad compendium redacturum, qui quidem libri, ſi ad nos peruenisſent, fortè hunc nobis laborem, ac medicis omnem difficultatem abſtuliſſent, quam ipſemet Gal. 1. *lib. de Pulſibus dignoſcendis, cap.* 1. fatetur talem, & tantam eſſe, vt putauerit ad exactiſſimam, & abſolutiſſimam pulſuum cognitionem totam humanam vitam neceſſariò requiri. Vulgare compendium pulſuum, quod nomine Galeni circunfertur, eſſe ſpurium, ac prorſus Gal. indignum, puto eſſe manifeſtius, quàm vt debeat longius dubitari: nec mihi libet in re manifeſta tempus perdere. Certè neſcio quia fronte à Thuriſano, Conciliatore, ac nonnullis, inter legitimos Gal. libros reponatur. Sed fortaſsè nimium præfati, ad rem, & ad primum caput aggrediamur.

CAPVT I.

De eſſentia Pulſuum.

QVicunque de pulſibus ſermonem habent, ab eorum definitione ſtatim principium faciunt: mox ſingulorum verborum, ac particularum definitionis, vt loquuntur, explicationem aggrediuntur. Quam quidem docendi methodum video pleroſque omnes hoc tempore in rebus propè omnibus mirabiliter obſeruare: quod in principio publicarum Lectionum, necnon etiam in diſputatione de abuſu medicamentorum Veſ. cap. primo, & ſecundo prioris libri copioſiùs diximus. Veteres quoque hanc methodum mihi videntur tenuiſſe, ex quorum diſciplina plurimæ pulſus definitiones conſtitutæ, ac traditæ ſunt. Quæ referuntur à Galen. 4. *de differ. Pulſuum capit.* 2. At verò huiuſmodi omnes, atque eorum inſtitutum non probantur à Galen. cum enim definitio ex præcepto Ariſtot. 6. *Topicorum*, necnon 5. *Metaph.* 48. ex prioribus, & notioribus debeas conſtare, atque omnes conſentiant difficile admodum, atque arduum eſſe probè rerum definitiones conficere. Galen. 4. *de differ. Pulſ. cap.* 1. vocat nimis audaces quicunque temerè, & ſine vlla cognitione non ſolùm pulſus, ſed etiam cætera omnia audent definire, in quibus quidem præcipitatis definitionibus, vt multi committantur errores eſt neceſſarium, ſicuti euenit Veteribus medicis tempore Galen. qui omnes eorum definitiones pulſus refutat, plurimaque eorum vitia apertiſſimè demonſtrat. Cæterum, vt ne idem quoque poſteris eueniret, ſed vnuſquiſque poſſet meliore ratione eſſentiam pulſus intelligere, ante omnia id nos docet, quomodo liceat medico pulſus definitiones probè inueſtigare, & conficere. Cuius quidem doctrinæ ſumma eſt huiuſmodi. Duo prima videntur genera definitionum: alterum, quod rei notionem explicat, alterum, quod rei eſſentiam docet: vtramque ſcientiæ virtutem obtinere. Primam quæ notionem explicat, vt ſit omnibus manifeſta, quicunque eadem lingua vtuntur, neque ad rei eſſentiam attingat. Secundam quæ eſſentiam docet, vt priori conſentiat, cum illa tamen eadem non ſit. Propterea neceſſario opus fuit, vt non ſolum duæ, ſed etiam tres, vel quatuor definitiones conficiantur. Vna, quæ omnibus eiuſdem linguæ hominibus ſit conceſſa, quæ de eſſentia rei nihil ſtatuat, ſed in ſola ratione conſiſtit. Altera quæ aliquantulum recedat à ratione, & nonnihil ad eſſentiam accedat. Tertia, quæ adhuc magis tantùm notionem, non eſſentiam aperiat. Quarta, quæ totam eſſentiam doceat. Quæ quidem plures definitiones ita debent inter ſe diſponi, vt quarta ad tertiam, tertia ad ſecundam, ſecunda ad primam referantur. Ex qua pulcherrima Galenica diſciplina facile eſt intelligere in quanto errore verſentur vulgares definitores, qui quamcunque rem docturi, nulla prætermiſſa notione, & inquiſitione, ſtatim ſuas definitiones, quaſi ex tripode proferunt, quæ propterea ſunt vſque adeo ambiguæ, perplexæ, obſcuræ, ignotæ, vt neceſſe ſit circa earum explicationem longius commorari. Sed nos ad Galen. methodum, & rem noſtram veniamus. Variæ apud medicos fuerunt pulſus ſignificationes; de quo quidem diffusè mentionem facit Galen. primo *de different. pulſuum capit.* 2. ſecundo *de different. pulſuum cap.* 3. quarto *de different. pulſuum cap.* 2.

Verùm

Digitized by Google

Verùm cæteris omnibus prætermiſſis, idem ſcilicet Galen. 4. *de ratione victus in morbis acutis. comm.* 26 in lib. *quod animi mores corporis temperaturam ſequantur*, c. 8. quarto *de diff. pul.* c. 2. veteres medicos vſurpaſſe nomina pulſus de iis tantum notionibus, quæ in particulis inflammatione laborantibus contingunt. Hipp. verò omnium primum alterius ſignificationis auctorem fuiſſe, quod poſtea apud omnes inualuit, qui motum omnem arteriarum qualiſcunque eſſet, pulſuum vocare conſueuit. Hæc autem res Gal. interprete, ita ſe habet 9. *de diff. pulſuum* c. 1. in quibuſdam particulis noſtri corporis, maximè verò, quæ carne ſunt deſtitutæ, qualis præ cæteris eſt corpus in manu, facile vnuſquiſque non ſolum tactu, ſed etiam viſione poteſt motum quemdam percipere, qui in omnibus hominibus bene valentibus iam inde à primo ortu ſine vlla intermiſſione fit, & vſque ad interitum perducitur, in quo quidem motu facile licet cuique obſeruare, quiddam de profundo aſcendere, & ſurgentem manum ferire; deinde id apertè regredi, ac recedere, mox quieſcere: Contrà verò interdum nobis primum ſe præſentare ſpeciem quandam rei quieſcentis, deinde aſcendentis, ac mox ferientis, demumque ſe recipientis, & quieſcentis: vt manifeſtum ſit, huiuſmodi motu rei aſcendentis, ferientis, & regredientis, quieſcentis in orbem ferri, ac non niſi cum vita hominis deficere. Eum motum, Galenus inquit, omnes homines pulſum appellant: quod ſi quis huius nominis, & communis notionis breuiorem definitionem deſiderat, id cuique licet, dummodo, inquit Galen. is nihil prætereat, neque addat quicquam ſuperuacaneum præter ea, quæ modò diximus. Namque ſi quis præter ea quid vel minimum addiderit (ſi quidem id præter rem atque inutile fuerit) inutiliter operam perdet; ſi verò id ad rem, atque vtiliter dicatur, certum eſt illum à notione ad rei eſſentiam accedere. Ex quo ſi dixerit eiuſmodi motum eſſe motum arteriarum quandoquidem hæc definitio non ſolùm motum, ſed etiam quorum ſit motus declarat: Cum vulgus manifeſtè quidem intelligat, talem eſſe in corpore motum, nihilominus ignorat corpus, quod mouetur. Quod ſi quis neque his contentus adhuc velit arteriarum ortum, figuram, tunicas, vſum, facultatem, & alia id genus explicare, vtique hac longè magis à priore notione recedit, & ad totam eſſentiam pulſus accedit. Itaque definitiones notionis id tantummodo quod omnibus perſpectum eſt, præterea nihil debent explicare, qualis eſt definitio notionis pulſus, ſi dicamus quendam motum ſenſibilem in variis corporis partibus rei per circulum, ac perpetuo ſe attollentis, ferientis, ſe recipientis, & quieſcentis, apud omnes homines pulſus vocari. Huiuſmodi autem definitiones notionis, quas Ariſtot. 2. *Poſt.* & *in Metaph.* definitiones quid nominis appellat, ſicuti ex vna parte non ſemper ſunt proferendæ, quod nonnulli ineptè perpetuo faciunt: quos Galen. aliquando irriſit 2. *de different. pulſuum cap.* 3. 4. *de different. pulſuum cap.* 9. qui ne olus quidem citra definitionem empturi eſſent. Sed tunc duntaxat, quando non omnes rem propoſitam aſſequuntur, aut quis vel malitioſè, vel impudenter, præter item hominum acceptionem, nominum ſignificationem peruerrit. Ita ex altera parte Galen. 4. *de different. pulſuum capit.* 2. ſcribit illos quàm maximè errare, quicunque in re ignota, vel ancipiti nobis definitionem prætermittunt, ſolam eſſentialem definitionem proferunt ac propter huiuſmodi ignorantiam temere pronunciare, quicquid ſtultè illis in mentem venit. A quo quidem errore quomodo vulgus definitorum noſtrorum ſe tueatur, ipſi viderint. Iam verò ſi ex Galen. præceptis illa omnia velimus præmittere, & examinare quæcunque ad alteram eſſentialem definitionem pulſus forent neceſſaria, longiſſima opus eſſet diſputatione. Ita nobis propoſitum eſt circa illa tantùm verſari, & quidem quam breuiſſimè fieri poteſt, quæ ad noſtrum inſtitutum ſatis eſſe poſſunt. Cæterum illud commodè mihi videor facere, poſſe poſtquam Galen. in hoc tractando argumento nobis omnem leuarit laborem, ſi illius eſſentialem definitionem accipiamus, interpretemur, illuſtremus, & quadam veluti paraphraſi omnibus manifeſtam reddamus. Poſtquam igitur Galen. plurimas veterum medicorum pulſus definitiones recenſuiſſet, reprehendiſſet, confutaſſet, tandem hæc habet, quartò de different. Pulſ. cap. 2. *Nos autem dicamus, pulſum eſſe actionem peculiarem, præcipuè cordis, deinde arteriarum quæ diſtenſione, & contractione mouentur à facultate vitali quo natiui caloris mediocritate retineantur, atque in cerebro ſpiritus animalis generetur.* Ac ſane ſi quis conſideret omnes conditiones probæ definitionis de quibus Ariſtoteles 6. *Top.* diffusè, 4. *Phyſ. text.* 21. præcipuæ ſunt, vt definitio ſit propria definiti, adeo vt cum eo conuertatur, vt nihil in definitione deſit, aut ſuperſit, vt definito tollat omnes difficultates, quæ de re habentur; is facile fatebitur hanc Galen. definitionem pulſus omnibus numeris fuiſſe abſolutam. Sed nos ſingula perſequamur, *Pulſus eſt actio.* Ex præceptis Dialecticis, hæc definitio conſtat ex genere, & differentia. Itaque actio eſt genus. Nihil autem refert, ſiue actionem, ſiue motionem vel motum dicas. Quæ deinde ſequuntur, omnia differentiæ ſunt. Actiones corporis ſunt in primis duplices. Aliæ ſunt in omnibus partibus, & toti corpori communes, alimenti attractio, retentio, coctio, expulſio. Aliæ ſunt vnius, vel alterius partis propriæ, viſio oculorum; auditio aurium, ambulatio crurum. Ergo pulſus eſt actio non communis, ſed propria, & peculiaris, præcipuè cordis, deinde arteriarum. Interpretes vertunt materiale, quæ forte melius vertuntur; Primum cordis, ſecundum arteriarum. Namque arteriæ non ſua ſponte, ſed eatenus mouentur, & huiuſmodi edunt actionem, quatenus hæc mouendi vis, & facultas à corde, cui natura ingenita, atque inſita eſt, cum illis communicatur, quæ diſtenſione & contractione mouentur à facultate vitali. Quandoquidem naturale omne, quod mouetur, ab alio mouetur, quod Ariſtot. luculenter demonſtrat in principio lib. 7. Phyſic. ſpeciatim verò rerum, quæ poſitæ ſunt in generatione. Definitio complectens cauſam efficientem optima cenſenda eſt, quod iisdem Galen. docet 4. *de different. Pul. cap.* 9. ſumma cum ratione in definitione pulſus, quem certum eſt, ſicuti cæteros omnes motus duntaxat in fieri ſuam eſſentiam obtinere. Cauſa efficiens à Gal. poſita eſt; Illa verò eſt apud Gal. facultas vitalis; in qua ſententia ego quidem libenter acquieſco, qui nolo de hac re varias Philoſophorum, & Medicorum, maximè verò Ariſt. opinionem afferre, de quibus mentionem facit Galen. cum aliis locis, tum maximè in 1. *de Cauſis pulſuum cap.* 2. cum alij natiuum calorem, alij ſpiritum (in qua ſententia videtur fuiſſe Ariſt. *lib. de reſpiratione*, ſi modo hic liber eſt Ariſt.) alij conſtitutionem, alij proprietatem temperamenti, alij neruoſam ſtructuram corporis, alij qualitatem nullo nomine præditam contendant efficientem cauſam pulſus eſſe. Siquidem huiuſmodi ſubtilior diſputatio aliena eſt à meo inſtituto, nec ad cognitionem pulſus videtur quicquam conferre. Quod ſi quis veſtrum cupiat adhuc, quidnam Galen. ſit facultas vitalis, cognoſcere, ille ad hoc reſpondet apertiſſimè 1. *de Præſagiis ex Pulſ. cap.* 2. *primo de Simpl. medicamentis, capit.* 1. Vitalem facultatem nil aliud eſſe, quàm commodum cordis temperamentum, quod propterea affirmat, quoties bene, vel malè temperatum eſt, eatenus ſuum munus obire, pulſuſque

modò languidiores;multò robuſtiores efficere.Itaq; arteriæ mouentur à facultate vitali, ſed quomodo mouentur?Gal.teſpondet, dilatatione & contractione,quos Græci διαστολὴν, συστολήν,vocant,quem qoidem duplicem motum arteriarum actionem eſſe Gal. docet & confirmat *lib.de vſu Pulſ.c.6* adoerſus nonnullos,qui contendebant, vnam tantummodo ſyſtolem eſſe propriam arteriarum actionem , diaſtolem verò tunicarum ipſarum in naturalem partium diſtantiam ſpontaneum eſſe reditum. De quibus quidē duobus motibus,plurimiſq; difficultatibus,quæ paſſim à veteribus, & recentioribus medicis agitantur; cum ego nolim hoc tempore longius agere , illud vnum à iunioribus ſciendum eſt arterias vnà cum corde eadem planè ratione , eodemq; temporis momento,tum conſtringi,tum dilatari , per conſtrictionem & contractionem foras expelli, quæcunq; fuliginoſa excrementa ex coctione, aut veriùs exuſtione humorum in toto ante contracta ſunt, per ſublationem,& dilatationem frigidiorem aërem in cor, atq; ad penitiores corporis partes trahi , ac deferri : quo natiui caloris mediocritas retineatur, atq; in cerebro ſpiritus animalis generetur. Certiſſimum,atq; in Gal. doctrina exploratiſſimum eſt,actiones noſtri corporis propterea fuiſſe à natura conſtitutas , ex quo ille generale tradit præceptum *7.de vſu partium,c.20.* vt poſt explicationem actionis cuiuſq; partis, perpetuò illius vtilitates debeaot explicari.Igitur iure Gal.poſt explicationem actionis cordis,& arteriarum,poſtremò in ſua defioitione vtilitatem affert.Hæc verò eſt duplex, altera , vt congruens natiui caloris moderatio,& temperatio conſeruetur. Altera,vt cerebro accomodatum pabulum ſubminiſtretur, ex quo ſpiritus animalis continenter generari ac foueri poſſet. Vt autem iuniores hanc duplicem pulſus vtilitatem intelligant, quod ad primam pertinet , ſciendum eſt innatum huiuſmodi calorem in perpetuo opere , ac motu continuè verſari;cum ille de ſententia Hippoc. omnium naturalium operum auctor animæ ſubſtantia,aut ſaltem animæ principium, & neceſſarium inſtrumentum exiſtat,illius principium, fontem,ac focum in corde conſiſtere , à quo deinceps in totum corpus,& ſingulas corporis partes diffunditur,atque hinc fieri,vt in corde præ cæteris omnibus partibus noſtri corporis inſignis perpetuò caliditas contineatur, quam propterea Gal. ardenti flammæ aliquando aſſimilare conſueuit,vt diffusè in publicis lectionibus diximus. Cum huiuſmodi igitur inſignis calor non aliter , ac flammæ duplici potiſſimùm ratione poſſit marceſcere,ac corrumpi,altera ſi præter modū augeatur , altera ſi nimia fuliginum copia obruatur, vtriqoe periculo prouida natura mirabiliter proſpexit,nempe, reſpiratione,& pulſu. Quandoquidem & thorax, & arteriæ dum dilatantur , aërem attrahunt frigidiorem , quo natiuus calor in congrua moderatione conſeruatur. Dum conſtringuntur expellunt fuligines,quæ retentæ liberam caloris perſpirationē, & ventilationem potuiſſent impedire. Ex quo iure Gal.docet vniuſcuiuſque pulſus,& reſpirationis eoſdem vſus fuiſſe à natura inſtitutos. Quod verò ad alteram pertinet vtilitatem,iis prætermiſſis,quæ generatim de ſpiritibus , ſpeciatim de ſpiritu animali à Philoſophis,& medicis diſputantur, in primis verò à Nouatore Argenterio aduerſus Gal. *lib. de ſomno, & vigilia* ; necnon *in Comment. Artis medicæ* , illud vnum mihi, & meo inſtituto cenſeo ſatis in præſentia , ſpiritum animalem in cerebro tanquam in propria ſede reſidere, quod millies à Gal. traditum eſt, hoc nomen animalis ſortitum fuiſſe, non quòd ſubſtantia animæ ſit, ſed quod proprium ſit eius ibi habitantis inſtrumentum,quo ſenſus,& motus in vniuerſas corporis partes tranſmittitur , *7. de Placitis Hipp.& Plat.c.3.* Ex quibus facile eſt cuiq; intelligere, quomodo pulſus naturalem cordis temperiē conſeruando, illic; congruam naturam generationis vitalis ſpiritus ſubminiſtrando,id quoq; poſſit præſtare,vt ſpiritus animalis in cerebro generetur. Atq; hactenus de eſſentia pulſus ex Gal. definitione, quam ſicuti ſupra diximus,certum cuiq; eſſe poteſt,habere omnes conditiones probæ definitionis,atq; omnibus ſuis partibus perfectam,& abſolutam fuiſſe.Namque vt cætera omnia prætermittamus,hac definitione facilè tolluntur omnes controuerſiæ, quæcunq; de eſſentia, & generatione pulſus poſſunt afferri , ex. gr. nonnulli pulſum definiebant motum arteriarum : nonnulli contendebant malè pulſum per cordis , & arteriarum motum definiri , quòd alij plures ſint motus, quibus huiuſmodi partes præditæ ſint. Alij exiſtimant , arterias per ſe ipſas moueri, alij pulſum definiebant motum non ſolùm cordis,& arteriarum, ſed etiam membranarum cerebri , vel ipſius cerebri, vel vtriuſq; Alij alias de hac re cogitationes inanes commenti ſunt,de quibus Gal.diffusè ſermonem habet *lib.4.de differ.pulſ.* quæ quidem omnes difficultates facilè diſſoluuntur, ſi cum Gal. dicamus, pulſum eſſe actionem propriam , & peculiarem, primò quidem cordis,ſecundò arteriarum, quæ ſyſtole,& diaſtole,dilatatione & contractione mouetur à facultate vitali tum propter conſeruationem mediocritatis, ac temperantiæ caloris innati , tum propter generationem ſpiritus animalis in cerebro.

CAPVT II.

De differentiis pulſuum.

TRactaturus differentias pulſuum,id primum vos ſcire velim,hanc partem non ſolùm in tota diſciplina de pulſibus, ſed forte etiam in tota arte medica longè difficilem eſſe,vt vel ipſe Gal.fateatur ſe non potuiſſe omnes pulſus differentias perfectè,atq; integrè percipere, & intelligere. Ego verò conabor huiuſmodi tractationem,& planiorem,quatenus fieri poterit reddere,qui ſtatui non omnes pulſuum differentias vobis explicare,quod à Gal.accuratè, & diffusè traditæ ſint, ſed eas tantum quæ mihi videntur maioris momenti,vtiliores,& ad veſtram inſtitutionem magis pertinere. Cæterùm ex præcepto Gal 1. *metho.3.& 5.* qui nos docet,ſpecies,& differentias rerum ex earum definitionibus colligere, ex definitione pulſus iam ſatis explicata,conabimur pulſus differentias inueſtigare, hoc modo. Pulſus eſt motus cordis, & arteriarum. Cum igitur Philoſophus doceat, omnem motum fieri de loco in locum, id quod poteſt fieri,vel celeriter,vel tardè,vel mediocriter,hinc primæ pulſus differentiæ nobis ſeſe offerunt à qualitate motus. Pulſus alius velox eſt,alius tardus,alius medioeris. Pulſus velox ille eſt,qui arteria modica, & breui tempore de loco in locum mouetur,ac mutatur,ſuumq; perficit motum. Contrà pulſus tardus ille eſt , qui multo , ac longo tempore mouetur , de loco in locum mutatur, ſuumque opus abſoluit. Ad quem modum dicimus , equum celeriter , vel tardè moueri,qui exiguo,vel longo tempore iter conficit. Pulſus moderatus autem mediocris eſt , qui medio modo ſe habet , & mouetur, diſtenſione, & contractione , quoniam motus pulſus non eſt ſimplex, ſed ex duobus oppoſitis motibus conſtat,vt duæ quoq; inter nos ponatur quietes neceſſarium eſt,altera poſt dilatationem , priuſquam arteria contrahatur , quæ exterior , & ſuperna dici poteſt. Altera poſt contractionem , priuſquam arteria dilatetur , quam internam , & inferiorem licet appellare : quandoquidem natura nunquam alterum motum aggreditur , antequam perficiat priorem , atque vt Philoſophi verbis vtamur *octau. Phyſ. text. ſexageſimo - primo & ſecundo* omne quod mouetur , in contrario quieſcit.

Quamobrem

Quamobrem ex huiuſmodi quiete, vel ex tempore quietis, quæ nihil aliud eſt, quàm immobilitas, ſeu priuatio motus, aliæ tres ſe produnt pulſus differentiæ. Pulſus alius creber, alius rarus, alius mediocris. Pulſus creber definitore Gal. *lib. de Pulſ. ad Tyrones c.* 4. eſt, cum tempus quietis breue, & modicum eſt. Pulſus rarus, cui tempus quietis longũ, & amplius eſt. Mediocris eſt, qui inter vtrunq; medium modum obtinet. Verùm in hac differentia dubium eſt, cum duplex ſit quies, interna, & externa, vtrùm ex altera tantùm, an ex vtraque pulſus crebritas & raritas accipienda ſit, quod quidem dubium ex eo videtur potiſſimùm originem habuiſſe, quod nonnulli contendant, ſolam arteriæ dilationem, minimè verò contractionem ſentiri. De qua controuerſia cum ego nolim longius agere, ſi quis veſtrum cupiat plura intelligere, is videat Valeſium *contr. 7. lib. 3.* qui inter cæteros eam tractat diffusè. Gal. quidem tradens rationem, & modum cognoſcendi hanc duplicem quietem in pulſu, 2. *de dignotione pulſuum, cap. vlt.* docet, externam quidem quietem, quæ eſt inter finem dilatationis, & principium contractionis facilè percipi, internam verò, quæ eſt inter finem contractionis, & principium dilatationis, non ſine magna induſtria, & labore deprehendi poſſe, qui in ſumma ita ſtatuit 1. *de diff. pulſuum cap. 7. & 8.* apud illos, qui affirmant ſolam dilatationem ſentiri, crebritatem, & raritatem ex vna quiete externa, ac toto eo tempore, vel interuallo, quod inter motum omnem dilatationis, & contractionis intercedat, accipiendam eſſe, apud eos verò, qui profitentur ſe non minùs contractionem, quàm dilatationem ſentire, crebritatem, & raritatem ex vtraque quiete eſſe colligendam.

Itaque ſiue ex vna, ſiue vtraque quiete velimus huiuſmodi pulſus differentiam colligere, ſi arteria diutius firmetur, & quieſcat in vltimo loco, in quem dilatatione, vel contractione ingreſſa eſt, antequam alterum continuum motum aggrediatur, pulſus rarus, ſin autem breuiori tempore firmetur, & quieſcat pulſus creber dicendus eſt. Sed reliquas differentias perſequamur. Quoniam arteria, quæ diſtenditur, ſicut reliqua omnia corpora, triplicem habet dimenſionem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem; vt differentiæ quoque ex quantitate huius diſtenſionis eliciantur, neceſſarium eſt. Quoniam verò omnis quantitas in multitudinem innumerabilem ſecari poteſt, quod à Gal. traditum eſt in Phraſibus cap. 30. vt omnem confuſionem fugiamus, nobis ſatis fuerit cum Gal. huiuſmodi quantitatem dilatationis arteriæ ad tria capita referre, vt vna ſit moderata, vtrinque ſint duo extrema, alterum quod mediocritatem excedat, alterum quod à mediocritate deficiat; quod ſi quis adhuc velit ſingula capita in alias differentias diuidere, quatenus dilatatio magis, vel minus excedit, aut recedit à mediocritate, id cuique licet, neq; à Gal. quandoque prætermiſſum eſt 2. *de differ. pulſuum c.* 6. Itaque pulſus dilatatio alia excellens, alia mediocris, alia deficiens. Cum autem hæc ipſa dilatatio, vel in ſingulis tribus dimenſionibus ſeparatim longitudine, latitudine, profunditate, vel in omnibus ſimul generatim fieri poſſit, hinc plures colliguntur pulſus differentiæ. Namque primò ſi arteria ſupra mediocritatem excedat, ac præter naturam augeatur in longitudine pulſus longus, in latitudine pulſus latus, in profunditate pulſus altus eſt dicẽdus. Sicuti contrà, ſi arteria infra mediocritatem excedat, ac præter naturam minuatur, in longitudine pulſus breuis, in latitudine an anguſtus, in profunditate humilis appellabitur. Quod ſi arteria in ſingulis dimenſionibus media quadam ratione dilatetur, vt quæ nihil excedat, nihil deficiat, iam diximus hunc pulſum eſſe mediocrem. Deinde verò ſi arteriæ dilatationem conſideremus, non ſeparatim ſecundùm ſingulas, ſed coniunctim ſecundum omnes dimenſiones, hinc aliæ rurſus conſurgunt pulſus differentiæ, quæ itidem modo poſita ratione poſſunt diſtribui. Namque ſi arteriæ dilatatio ſimul in omnibus dimenſionibus longitudine, latitudine, profunditate, medium quendam modum retineat, pulſus moderatus, temperatus, æquabilis; ſi modum excedat, pulſus magnus; deficiat, pulſus paruus dicendus eſt. Quoniam omnium pulſuum definitio apud Gal. eſt huiuſmodi. *Pulſus magnus eſt longus, latus, altus, vel qui in omnibus tribus dimenſionibus mediocritatem excedit. Pulſus paruus eſt breuis, anguſtus, humilis, vel qui in omnibus dimenſionibus imminutus eſt. Pulſus moderatus eſt, qui ſecundum omnes dimenſiones mediocritatem ſeruat.* Non ignoro, nonnullos recentiores has differentias accipere non ſolùm ex dilatationis quantitate, ſed etiam contractionis arteriæ, in qua itidem tres dimenſiones videntur poſſe animaduerti, & in proprias differentias referri. Ego verò ſicut in cæteris omnibus, ita hac quoque in re volui Gal. doctrinam, atque exemplum imitari; qui ſcribens ad Tyrones, quod itidem nos facimus, vnam dilatationis quantitatem conſiderat, *lib. de pulſ. ad Tyrones cap. 2.* atque ex ea tantum differentias colligit, quod vt puto, arteriæ contractio non ita facilè, & propriè ſicuti dilatatio percipi, & deprehendi poſſit, vt ſuprà diximus. Verùm hoc loco minimè prætermittendum eſt neceſſarium quoddam Galen. præceptum, quod & ad eas, quæ hactenus traditæ ſunt, & ad cæteras omnes pulſuum differentias generaliter pertinet, nimirum, Pulſum moderatum, & cuique naturalem, ante omnia eſſe animaduertendum, atque ad illum, tanquam ad Lydium lapidem omnes arteriarum exceſſus, & defectus, ex quibus tot reſultant differentiæ, perpetuò referendas eſſe, qui ſcribat ad hunc modũ 2. *de dignotione pulſuum cap. 2 ad finem. Vbi optimam conſtitutionem inuenerimus corporis noſtri, primo animaduertendum eſt, qui eius ſint pulſus; neque obiter, vel negligenter, ſed in eo ſtatu hominem accipiamus, vbi ſuum proprium motum pulſus à nulla externa cauſa immutati retineant. Hoc fiet ſi non in longo otio ſit verſatus, nec recens exercitatus; nec verò etiam diu ieiunauerit, vel multum comederit; Aër præterea ſit optimè temperatus; ipſeque æger liber ſit ab omnibus animi affectibus, & tranquilliſſimam mentem habeat. Poſteà inueſtigandæ ſunt corporis vitioſæ conſtitutiones, tumque primò eaſdem recenſebis differentias, deinde quos in illis exceſſus repereris, atque defectus, hos ad moderatam, atque optimam conſtitutionem conferes:* Hæc Galenus. Quæ conſulto hic volui tranſcribere, quod ad totam intelligentiam pulſuum ſint maximè accommodata. Hactenus traditæ ſunt differentiæ ex motu arteriæ, in quo totum eſt totam ipſius ſubſtantiam, ſeu eſſentiam conſiſtere.

Itaque id reſtat, vt ad alias differentias tranſeamus, quæ accipiuntur ex accidentibus, quæ huiuſmodi arteriæ motionem neceſſariò conſequuntur, qualia præcipuè ſunt mollities, & durities. *Mollities enim & durities,* vt Galen. inquit in lib. de optima ſecta ad Thra. cap. 3. *ſi ſtatim vna cum motu arteriæ percipiuntur, tum minimè ad motum pertinent, ſicuti ſuperiores differentiæ, quandoquidem corpus molle, & durum, vt ſit tale, motum non requirit, cum per ſe etiam ſine motu tactui facilè occurrat.* Notat Galen. 1. *de diff. pulſuum capit.* 6. huiuſmodi pulſuum differentiam à pleriſque medicis maximè iunioribus, pulſum plenum,

vacuum & inter vtrumq; medium dici conſueuiſſe, à ſeipſo autem pulſum mollem, durum, & moderatum, appellati, in qua Gal. ſignificatione, & appellatione equidem cenſeo eſſe acquieſcendum. Itaq; pulſus alius mollis, alius durus, alius temperatus. *Molle*, inquit Philoſophus *2. de ortu & interitu, text. 13. ad humidum reducitur, & in ſeipſum facile cedit. Durum contrà, ad ſiccum refertur, neque cedit in ſeipſum.* Itaque pulſus eſt mollis, qoia arteria quodammodo humidior, laxior, & carnoſior, tangenti manoi occurrit, ac facile cedit. Pulſus autem eſt durus, quoniam arteria ſiccior, denſior, & rigidior inſtar corij percipitur, nec facile cedit. Pulſus temperatus eſt, qui inter vtrumque, mollitiem, & duritiem, medio modo ſe habet. Poſt hæc in definitione pulſus fuerant verba (*à facultate vitali.*) Ex qua particula alia demum propria pulſus differentia conſurgit. Cum enim operatio prodiens ex huiuſmodi facultate, vel valenter, vel debiliter, vel medio quodammodo fieri poſſit, hinc tres conſurgunt pulſus differentiæ. Pulſus alius vehemens eſt, alius debilis, alius inter vtrumque medius eſt. Neq; enim aliquis iunior hic turbetur, quod paulo ſuprà traditæ fuerint differentiæ ſecundùm magnitudinem, & paruitatem pulſus, quæ ferè in idem cum iis videntur cadere. Namque aliter ſe res habet, ſiquidem priores differentiæ accipiuntur ex quantitate, ac ſimplici dimenſione arteriarum; hæ verò poſteriores ex facultate vitali, atque illius operatione definiendæ ſunt. Vnde ſi vere, & propriè loqui velimus, altera prior differentia potiùs magnitudo, vel paruitas arteriarum, altera poſterior potius magnitudo, vel paruitas pulſus dicendæ ſunt. Igitur apud Gal. 3. *de different. pulſuum c. 5.* pulſus vehemens ille eſt, qui tactum ſubuertit, id eſt, qui valde, & quodam conatu pulſat. Ad quem modum, vt idem ſcribit Galen. *capit. 1. lib. 4. de dignotione pulſuum*, ex communi hominum notione, non ſolùm quædam animalia, leones, tauri, ſed etiã quædam inanimata, fluuiorum decurſus, & magni venti, vehementia dicuntur, quod illa vehementer, ea violenter agant, adeo vt etiam ſi magna vi contendamus ire contra, prohibeamur, repellamur, atque coërceamur: contrà verò pulſus debilis ille eſt, qui ſine conatu, imbecilliter, ac vix pulſat, & percipitur, vt quandoque homo pulſu priuatus videatur.

Atque hæ quidem ſunt ſimplices pulſuum differentiæ, quæ mihi videntur eſſe maioris momenti, & ad meum inſtitutum futuræ ſatis. Etſi enim nonnulli, in primis autem Auic. alias quaſdam ſimplices pulſuum differentias commemorant, qualea ex. gr. ſunt, pulſus plenus, vacuus, craſſus, tenuis, grauis, leuis, calidus, frigidus, & fortè alij id genus, nos quinque modò expoſitis conſentiemus; quod arteriæ huiuſmodi differentiæ, vel tactu deprehendi, vel ad has facilè poſſunt referri, vel leuem, aut fortaſſe nullum vſum poſſunt afferre.

Itaque ad compoſitas pulſuum differentias veniendum eſt; quod in ſingulis tractandis rerum differentiis Ariſt. & Gal. & omnes docent, primo de ſimplic. mox de compoſitis ſermonem habendum eſſe. Quoniam verò huiuſmodi compoſitæ differentiæ plurimę ſunt, ac propemodum infinitæ, addo plurimis, & grauiſſimis difficultatibus implicatæ, quæ nullo modo breui oratione poſſunt comprehendi, & explicari, ego quidem ſtatui quædam tantummodo pauca præcepta de hac re ſummatim tradere; quæ præſenti operi ac meo inſtituto poſſunt ſeruire, quod eo libentiùs facio, quoniam compoſiti pulſus ex ſimplicibus conſtant, & qui probè ſimplices intelligit, & compoſitos quoque faciliùs intelligat, neceſſe eſt, ſiquidem vt Ariſt. docet, tunc vnuſquiſque arbitratur ſe compoſitum nouiſſe, quum nouit quibus, & quot partibus illud conſtet. Itaq; ſciendum ex Gal. *in lib. de pulſib. ad Tyr. c. 5. primo de differentiis pulſuum 10.* omnibus ſuprà propoſitis differentiis, pulſibus æqualitatem, & inæqualitatem, necnon ordinem, & ordinia perturbationem neceſſario contingere, de quibus cum eodem Gal. ita habendum eſt, atque id primum, æqualitatem & inæqualitatem, atque ordinem & ordinis perturbationem inter ſe differre, quod æqualitas & inæqualitas, tum in vno, tum in pluribus pulſibus fiunt, ordo autem, & ordinis perturbatio duntaxat in pluribus conſiſtit. Æqualitas porrò, vel inæqualitas pulſua nil aliud eſt, quam paritas & imparitas prioris pulſua, cum reliquis, qui deinceps poſt priorem pulſum ſequuntur, adeo vt ex. gr. ſi decem pulſationes fuerint pares, pulſus æquales, ſi verò fuerint impares, pulſus inæqualea dicendi ſint. Huiuſmodi autem æqualitaa, & inæqualitaa dupliciter dicitur: vno modo generaliter, & abſolutè, altero ſpeciatim, & in certo aliqua genere. Pulſus ſimpliciter æquales dicuntur, qui continuata ſerie, neque in velocitate, neque in crebritate, neque in magnitudine, neque in cæteris differentiis aliquam inæqualitatem, aut mutationem, ſed omnes eadem planè ratione, ac regula progrediuntur, iidemque perpetuò perſeuerant.

Contrà verò pulſus inæquales ſimpliciter dicũtur, qui in velocitate, crebritate, magnitudine & reliquis omnibus differentiis ſunt immutati, adeo vt eundem ſtatum cum prioribus non obtineant, neque in eodem tenore perſeuerent. Dicam rurſus pro iunioribus vno verbo cum Gal. 1. *de differentiis pulſuum c. 10.* ſi omnes pulſus, & ſecundùm omnea differentiaa omnibus modis pares maneant, vniuersè, & ſimpliciter æquales dicendi ſunt. Altera ex parte, ſi omnes pulſus, & ſecundùm omnes differentias omnibus modis fuerint impares, generaliter, & abſolutè inæquales ſunt appellandi. Cæterùm pulſus æquales, vel inæquales non generaliter, & abſolutè ſed particulatim in certo aliquo genere illi ſunt, qui non ſecundùm omnes, ſed ſecundùm vnam, vel alteram, vel plures differentias mutantur, neque congruam paritatem conſeruant. Quamobrem appoſito nomine illius differentiæ, quam retinent, æquales, vel inæquales dicuntur, ex. gr. pulſus æqualis, vel inæqualis, in magnitudine, pulſus æqualis, vel inæqualis in velocitate, & ſic de cæteris. Ac ſi plures differentiæ ſimul coniungantur; quod aliquando euenit, duo, tres, vel plures, coniunctis quoque nominibus appellabuntur. Pulſus inæqualis, vel inæqualis in magnitudine, in crebritate, in velocitate, mollitia, vehementia, &c. in vniuerſum verò inæqualitas pulſus, vt placet Gal. 1. *de differ. c. 10. & 11.* nouam duplicem diuiſionem recipit; namque altera in cumulo plurium pulſuum conſiſtit, quæ propterea *hoſoraticin* Græci, Latinis *collectiua, congeſtiua, cumulata*, dici poteſt. Altera verò in vna conſtat pulſatione, quã ſingularem licet appellare, quæ quidem priore ſecurior eſt, ac multo difficilius comprehenditur: ſed vtraque diuiſio in alias differentias diſtribuitur, ac primò quidem inæqualitas collectiua, quæ in multis pulſibus conſideratur, alia eſt æqualis, alia inæqualis, neque verò eſt, inquit Gal. vt quiſpiam miretur, quod æqualem dicamus inæqualitatem, cum id frequenter vſu veniat, non modò in pulſibus, ſed aliis in rebus prope omnibus, quæ dũ degenerant à priſtina ſua natura, vel magnitudine, vel qualitate, æqualia, vel inæqualia faciunt incrementa. Nam quatenus à propria natura diſcedunt & æqualitatem perdunt, eatenus inæqualia vocantur; quatenus autem æqualem ſemper faciunt mutationem,

tationem, eatenus æqualia appellantur. Itaque iſtud primum pulſibus quoque euenit, quod ſi priſtino ſtatu nō conſtent, nec parem mutationis rationem conſtituant, pulſus inæquales dicendi ſunt, ſi-cuti contra, ſi à priſtina quadam conditione recedunt, ſed parem, ac pari ſeruata mutatione receſſum faciunt, inæquales, æquales dici debent. Exemplores fiet manifeſtior, quod itidem à Gal. propoſitum eſt. Accipiamus differentiam pulſus magni, ac fingamus pulſum ſecundum primo eſſe paulò minorem, tertium ſecundo, quartum quarto, & cæteros deinceps, qui ſequuntur proxime, ſuperioribus tanto eſſe minores, quanto ſecundus primo minor fuerat, adeo vt ſingulis pulſationibus eadem proportio, ac menſura mutatæ, atq; imminutæ magnitudinis ſeruetur. Iam ſatis conſtat huiuſmodi pulſum magnitudine eſſe inæqualem. Siquidem pluribus pulſationibus magnitudine imparibus conſtat, ſed tum pariter videtur conſtare hanc inæqualem fieri æqualiter, quod æquè in omnibus ſuccedant. Hic autem pulſus à Græcis μύουρος dicitur à figuris quæ in acutum deſinunt, vel quod caudæ muris ſimilitudinem repræſentent, cuius craſſities magis, ac magis minuitur, quanto longius protenditur. Vel vt aliis placet μύουρος, quæ vox pulſum ſimpliciter decurtatum, aut mutilum, aut deſcreſcentem ſignificat. Ad quem modum veteres quoque genus quoddam verſuum μείουροι appellabant, quod postremo pede claudicabant, & deficiebant. Altera autem ex parte ſit in eodem pulſu magno, ſecunda, tertia, quarta, & quæ deinceps ſequuntur pulſationes, ſint quidem minores priore, ſed nullam inter ſe proportionem, ac menſuram ſeruent, adeo vt exempli gratia, quarta pulſatio ſit minor ſecunda, ſed ſimilis tertiæ, & ita reliquæ mutationes à ſeipſis diſſentiant, neque æqualiter, neque ſeruata ad inuicem æqua diſtantia fiant, huiuſmodi pulſus inæquales dicendi ſunt.

Sed ad alteram qualitatem venio, quam diximus vnica pulſatione conſtare; hæc quidem in varias differentias diſtribuitur, quandoquidem vt Galen. docet in 1. *de diff. pulſ.* 13. vna, atque eadem eſt ratio, & vniuersè in omnibus, & ſpeciatim, & ſeparatim in ſingulis generibus pulſuum. Etenim ſi huiuſmodi vnius pulſus inæqualitas accidat in omnib. generibus, tunc pulſum abſolutè inæqualem, ſi verò in vno tantum genere, tunc pulſum inæqualem, ſi vero in vno tantum genere, tunc pulſum inæqualē in eo genere nominatim dicemus. Exempli gratia in celeritate, in qua contingit inæqualitatem admitti, vt de altera collectitia inæqualitate, quæ fit in vno pulſu, ſiue fuerit abſoluta, id eſt, certi alicuius generis ſingularis, duas habet differentias principales; altera conſtat in prima particula arteriæ, ac tactu vnius digiti manus percipitur, altera conſiſtit in pluribus arteriæ partibus, ac non niſi tactu duorum, trium, aut plurium digitorum percipi poteſt.

Et quatenus ad primam pertinet, ſi quis veſtrum miretur, quomodo vna, atq; eadem particula arteriæ inæqualis fieri poſſit, ad hoc reſpondet Galen. loco citato 1. *de differ. pulſ. cap.* 3. ratione diuerſi temporis motus hanc inæqualitatem contingere, quandoquidem nihil prohibet, quin hæc ipſa particula primum tardior, deinde celerior, aut contrà primum celerior, deinde tardior moueatur, atq; ita reddatur inæqualis. Imò verò Galenus teſtatur ſummam inæqualitatem frequenter ac ſæpe in pluribus contingere, ac multa denotare, de quib. promittit ſe alio loco ſermonem eſſe habiturum.

Cæterum ſciendum eſt, inæqualitatem in vno pulſu tam in vna, quam in plurib. illis particulis in plures adhuc differentias diſtribui, de quib. quidē, & cæteris omnib. pulſuum differentiis quam plurimæ adhuc remanerent nobis tractandæ differentiæ, nobis autem de iis propoſitum eſt nihil dicere, ſed in iis acquieſcere, quæ hactenus à nobis ſunt explicatæ, partim vt ne diſcedamus ab ea breuitate, quam ipſi propoſuimus, partim, ac potiſſimum, quod cenſemus expoſitas differentias apud Medicos eſſe frequentiores, maioris momenti, vtiliores ad inſtituendas diſputationes, quod meum præcipuè eſt inſtitutum, ſatis futuras. Itaq; ad abſolutionem huius ſecundi capitis illud vnum reſtat, vt de ordine pulſuum atque ordinis perturbatione verba faciamus. De quo illud memoria repetendū, quod ſuprà dixi, ordinis perturbationem non niſi in plurib. pulſib. contingere, cum Philoſophi doceant, quod alioquin eſt manifeſtiſſimum, ordinem eſſe rationem quandam plurium rerum, ſecundum prius, & poſterius, quæ ad vnum primum principē diriguntur. Prætetea verò illud quoq; eſt ſciendum, hanc differentiam ex pulſibus duntaxat inæqualib. originem habere: qui minimè pares ſubeunt mutationes, quandoquidem pulſus, qui altera ex parte pares ſubeunt mutationes, perpetuò adiunctum eſſe. Sed tamen ita habendū eſt, in quo multi falluntur, pulſus inæquales minimè omnes prorſus, & neceſſario eſſe inordinatos, cū imò verò eorum quidam ſint ordinati, quidam inordinati, quæ differentia eſt Gal. 1. *de diff. pulſ. cap.* 10. Vt autem hæc quoq; pars, quæ ad ordinem, atq; ordinis perturbationē pertinet, fiat manifeſtior; nonnulla, quæ iam ſupra fuerunt expoſita cum Galen. modo ſunt repetenda. Namq; pulſus ſi ſecundum omnes ſimplices differentias velocitatis, tarditatis, crebritatis, raritatis & reliquorū fuerint pares, abſolutè æquales: contra vero ſi omnib. differentiis fuerint impares, abſolutè inæquales dicēdi ſunt. Quod ſi pulſus vna aliqua, vel aliquib. differētiis ſint pares, aliquibus autem differentiis ſint impares, in priorib. quidem æquales, in poſteriorib. autem inæquales ſtatuendi ſūt. Ex quo licet colligere ordinem, & ordinis perturbationem, non aliter, quam ex paritate, vel imparitate circuituum colligi poſſe. Namque ſi pulſus alioquin inæqualis plures obtineat circuitus impares, hic inordinatus dicendus eſt. Exemplo res fiet manifeſtior, quod idem proponitur à Galen. Accipiamus igitur vnum genus pulſuum in magnitudine, eſto, primus, ſecundus, & tertius ſint magnitudine pares, quartus ab huiuſmodi paritate deficiat, certum eſt hunc pulſum magnitudine eſſe inæqualem. Vtrum verò ille, vel ordinatus, vel inordinatus ſit, adhuc certum non eſt. Itaq; cæteros quatuor, qui ſequuntur pulſus attendere, & expectare oportet. Namque ſi tres proxime ſequentes, nempè quintus, ſextus, & ſeptimus priorib. nimirum primo, & ſecundo, & tertio ſint pares & eandem cum illis proportionem retineant, ſi octauus reſpondeat quarto, atq; ita deinceps cæteri circuitus eandem paritatem conſeruent, hic pulſus ordinatus eſt in magnitudine, quandoquidem circuitus ſunt pares. Si verò poſteriores circuitus priorib. nō conſentiant, ac reſpondeant, vtiq; hic pulſus eſt inordinatus: quandoquidem circuitus ſunt impares. Quod vero de magnitudine diximus, idē inquit Gal. de celeritate, cæteriſque differentiis dicendum eſt.

Cæterum, ſi eueniat (euenit autem aliquando) vt duo, vel tres primi circuitus pulſuum ſint omnino inter ſe impares, proximi qui ſequuntur non ita impares apud Galen. hic pulſus abſolutè ordinatus eſſe non poteſt: ſed tamen neq; ſtatim abſolutè inordinatus dicendus eſt, quippe hic quoque ad ſequentes circuitus oportet animaduertere, qui ſi pri-

mis non reſpondeant, pulſus abſolutè inordinatus nuncupabitur, quod nullum prorſus ordinem ſeruet. Quod ſi tres primi circuitus ſint plane impares, proximi autem qui ſequuntur, nempe quartus, quintus, & ſextus, ſint quidem pariter impares, ſed tamen alteri alteris in hac imparitate ſibi ipſis reſpondeant adeò vt quartus primo, & quintus ſecundò, & ſextus tertiò omni ex parte adæquentur, huiuſmodi pulſus ordinatus per circuitum è medus ſolet appellari, qui quidem pulſus ordinatus per circuitum inter eos medius ſtatuendus eſt qui abſolute ordinati, & inordinati vocantur, nam quoties certos quoſdam circuitus pares obtinet, ordinatus; quoties vero non omnem ordinem retinet, inordinatus iure dici poteſt. Nec verò eſt, vt in explicãdis variis circuitib. pulſuum, qui ex variis numeris colligi poſſunt, longius laboremus; quandoquidem omnium eadem eſt ratio, & qui priores ſatis intelligunt, vt poſteriores quoque probè intelligant, neceſſe eſt. Atq; hæc de differentiis pulſuum ſint ſatis.

CAPVT IV.

De cauſis pulſuum.

CAuſæ, quæ pulſum variant, etſi plurimæ poſſent afferri, tamen à Gal. in primo libro de pulſuum ad duo ſumma capita referuntur, vt aliæ ſint principes, & generationis, ex quib. pulſus proximè conficiuntur; aliæ ſint ſecundariæ, & permutationis, ex quibus pulſus varias duntaxat commutationes, & alterationes ſubeunt. Cauſæ principales alio nomine *continentes* dicũtur, quod pulſuum eſſentiam contineant, quod ab illis primò, & immediatè fiant, quod nulla earum poſſit mutari, quin pulſus quoq; mutabiles maneant, quod illis conſtantib. pulſus neceſſario fiant, illis deficientibus neceſſario deficiant, & propterea merito continentes, & principes dictæ ſunt, quæ nominis ratio cauſæ continentis tradita eſt à Gal. in libro de differentiis, quæ contra Hipp. aphoriſmos à Iuliano dictæ ſunt ad finem, quod ſimiliter ab ea aliquid fiat, & cum ea pariter ceſſet. Huiuſmodi autem cauſæ principes, & continentes apud Gal. tres ſunt. Facultas, à qua; vſus, cuius gratia; inſtrumenta, per, quæ pulſus fiunt, & diſtendũtur: quæ quidem, ſi quis animum diligenter adhibeat, ex tradita pulſus definitione præclare colligi poſſunt.

Itaque de his hoc in loco, ſed quam breuiſſimè fieri poteſt, agendum eſt; Gal. 1. *de cauſ. pulſ. cap.* 4. ſingulas cauſas principes, & duas primas differentias videtur diſtribuiſſe hunc in modum. *Facultas alia firma eſt, alia infirma.* Vſus, quem iam ſupra dixi, nil aliud eſſe, quam ad natiui caloris conſeruationem, ac ſpiritus animalis nutritionem, vel auctus eſt, vel diminutus. Inſtrumenta, nimirum tunicæ arteriarum, alia mollia, alia dura ſunt, poſtea vero in ſingulis mediocritas contingit; ſed hæc mediocritas efficit naturales pulſus, qui inter duo extrema medium locum obtinent, ſicut hæc ipſa extrema pulſum præter naturam generat. Cum igitur ex his cauſis pulſus ſuam ipſorũ originem habeant, ſciendum eſt, non omnes eandem prorſus originis rationem habere: namque alij ex vna duntaxat, certaque cauſa, ac perpetuo generantur, adeo vt neq; ea cauſa ſine ea differentia, neq; ea differentia ſine ea cauſa eſſe poſſit: exempli gr. (quod eſt Gal.) ex ſola facultate robuſta pulſus fortis, ex ſola facultate imbecilli pulſus debilis perpetuo efficitur. Quos quidem pulſus neceſſario conſequentes nonnulli ſatis aptè mihi videntur proprios, & inſeparabiles appellare. Alij verò vel ex vna, vel ex duabus vel ex tribus cauſis originem habent, neq; vt priores ad ſuas cauſas neceſſario conuertuntur. Exempli gratia ex facultate robuſta fiunt pulſus magni, celeres, ex facultate imbecilla parui, tardi. Verum (quod non eſt perpetuò verum) cum huiuſmodi pulſus ab aliis quoque principibus cauſis generentur; quos quidem propterea latinè *familiares* commode licet appellare, etiamſi nõnulli interpretes, non ſine turpi errore, eoſdem proprios, & peculiares interpretantur: cæterum huiuſmodi pulſuum familiarium plures ſunt differentiæ, quatenus illi magis, vel minus vni, vel alteri cauſæ principes familiares exiſtunt. Exempl. gr. quæ exempla mihi libet frequenter proferre, quod ea res difficiles, & obſcuras ſoleant quam maximè illuſtrare: Pulſus magni, celeres, & frequentes, ex vno cum primis aucto vſu familiariter fiunt, quod cuiq; facile eſt intelligere. Etenim finge cæteras duas cauſas, facultatem, & inſtrumenta naturaliter ſe habere, nec quicquã fuiſſe immutatum, ſolum vſum fuiſſe auctum, atq; ſtatim videbis pulſus maiores, celeriores, frequentiores fieri. Ac primò quidem maiores, deinde celeriores, poſtremo frequentiores, quandoquidem tres huiuſmodi operationes ſunt ita à natura inſtitutæ, atque inter ſe iunctæ, vt altera alterius vicem ſuppleat. Namque ſi calor ita augeatur in corpore, vt pulſus magnitudo non ſufficiat, tunc celeritas accedit; ac demum, ſi neq; celeritas fuerit ſatis, crebritas quoque adiungitur. Ad quem modum ſcribit Gal. *in prim. de cauſ. pulſ. c.* 5. eos, qui inſigniter ſitiunt non modo multũ, ſed etiam crebrò, & celeriter bibere conſueuiſſe. Quod itidem in reſpiratione euenit, in qua ſi homo maiori indigeat refrigerio, aërẽ copioſum ſimul, & celeriter, & crebro ſolet attrahere. Quod autem de pulſus magnitudine, & celeritate dicimus, idem quoque de cæteris differentiis dicendum eſt. Hæc de pulſibus, tum propriis, tum familiaribus, qui ex tribus principibus cauſis proueniunt ſint ſatis. Cuius quidem differentiæ ſummam propter nouitios non grauabor duobus verbis repetere. Cauſæ pulſus principes ſunt tres, facultas, inſtrumentum, vſus. Pulſus ab illis orientes alii ſunt proprij, alij familiares. Pulſus proprij ab vna certa, & determinata cauſa perpetuo proueniunt, atq; ad eam conuertuntur: Pulſus familiares nunc ab vna, nunc à duabus, nunc à tribus cauſis, ſed non certò, neq; perpetuò generantur, neq; ad eas conuertuntur. Pulſus familiares inter ſe differunt, quod vni, vel alteri principi cauſæ magis, vel minus familiariter ſuccedunt. Exempla ſingularum cauſarum. Facultatis firmæ pulſus proprios, ac neceſſario conſequens, vehemens: pulſus familiaris, magnus, celer, rarus. Facultatis infirmæ pulſus proprius, ac neceſſariò conſequens, imbecillus: pulſus familiaris, paruus, tardus, creber. Vſus ſiue auctus, ſiue imminutus nullum proprium, ac continentem neceſſario pulſum efficit, ſed ſolũmodo familiares, Vſus auctus magnum, celerem, crebrum; imminutus rarum, tardum, paruum. Inſtrumẽta mollia pulſum proprium, & neceſſariò conſequentem efficiũt mollem: Pulſus familiares magnum, celerẽ, rarum. Inſtrumenta dura, pulſum proprium, & neceſſario conſequentem efficiunt durum: Pulſus familiares, paruũ, tardum, crebrum. Hęc tota doctrina eſt Gal. primo de cauſis pulſuum vſq; ad caput ſeptimum. Iam verò, vt hanc partẽ de principibus cauſis perſequamur Gal. exemplo atq; imitatione id reſtat, vt videamus, qualeſnam pulſus generentur, ſi huiuſmodi cauſæ non ſint ſolæ, & ſimplices, ſed ſibi ipſis inter ſe commixtæ & complicatæ fuerint, De qua quidem cauſarũ principum implicatione Gal. ſermonem facit cap. 8. & ſequentibus libri primi de

Cauſis pulſuum. Itaq; principes pulſuũ cauſæ inter ſe implicantur, aut omnes ſimul aut duæ tantum, nimirum commiſtis, vel facultate, & vſu, vel facultate, & inſtrumento; de quib. ſigillatim breuiſſime dicendum eſt. Si igitur non ſolum vſus, ſed etiam facultas mutatur, vt ambo à naturali mediocritate recedãt, tũc quatuor in vniuerſum contingũt variæ pulſuũ differentiæ, in quarum ſingulis arteriæ moueri in hunc modum credentur. Namque primo ſi facultas robuſta fuerit, vſuſque auctus, ſi moderatus ſit exceſſus, tunc pulſus fiunt magni, celeres, crebri, vehementes. Si vero exceſſus maior fuerit, tunc pulſus fiunt maximi, celerrimi. Propterea quod pulſus ſimpliciter magni, celeres, vehementes, tanti caloris neceſſitati non faciunt. Si ſecundò facultas ſit infirma, vſuſque imminutus, tunc pulſus gignuntur parui, tardi, rari, imbecilles. Quod ſi facultas ad ſummam infirmitatem deducatur, aut omnino proſtrata ſit, tunc plane pulſus erit minimus, intermittetque, ac deficiet frequenter. Si tertio facultas fuerit infirma, vſus verò auctus, ſi malum ab vtraque cauſa vincatur, adeo vt ex vna parte magnopere facultas ſit imbecilla, ex altera calor ſit inſignis & igneus, tunc fiunt pulſus parui, tardi, creberrimi, debiles. Sin modica ſit noxa, tunc pulſus æque crebri magnitudine, & celeritate moderati, debiles efficiuntur.

Si poſtremò facultas robuſta, vſuſq; imminutus ſimul conueniant, tunc ſequuntur pulſus magnitudine moderati, ſed tardiores, ac bene rari (maximè autem vbi præpolleat refrigeratio) ac demum robuſti qui quidem pulſus ſumma cum ratione tales eueniunt, quod moderata magnitudo ex duobus reſultet contrariis, id eſt nimia magnitudine, quæ facultati robuſtæ, & paruitate, quæ imminuto vſui ſunt familiares. Sic fiunt tardiores, quod tarditas vſui imminuto magis quam celeritas firmæ facultati familiaris exiſtit. Sic manifeſta, inſigniſq; eſt raritas, quod ea imminuto vſui poſſit exactè ſatisfacere. Sic iam ſatis ſuprà diximus, pulſus robuſtos à facultate robuſta ſẽper fieri conſueuiſſe. Sed ad alteram implicationem venio, in qua facultas, & inſtrumentum ſimul conueniunt, & implicantur; de qua Gal. *lib. de cauſ. pulſ. c.* 10 Quando igitur hæ duæ principes cauſæ ſimul conueniunt, in huiuſmodi implicatione, ſicut in priore, quatuor efficiunt vſuum differentias. Namq, primo, ſi facultas fuerit, inſtrumentum molle, pulſus manifeſtè maiores, aliquando tardiores, rarioreſque fiunt, quod tunc magnitudo vſui ſit ſatis, vt neque celeritatis, neque crebritatis vlla neceſſitas vrgeat.

Secundò, ſi contrà facultas fuerit infirma, inſtrumẽtũ durum, pulſus parui, tardi, crebri efficiũtur. Magis autẽ, vel minus, pro maiori vel minori cauſarũ vitio.

Tertiò ſi facultas ſit firma, inſtrumentum durum, pulſus generantur parui, & crebri, non itẽ tardi, imò verò interim iuſto celeriores. Etſi autem facultas valida eſt, quæ magnos pulſus ſolet efficere, tamen duris redditis inſtrumentis, fieri non poteſt, vt illa materialiter diſtendantur. Itaque parui neceſſariò pulſus euadunt. Sed hic quoque cauſarum noxam perpendere oportet. Namque ſi durities inſtrumentorum exigua fuerit, robur facultatis maximum iam pulſus non ita parui reddentur. Imo etiam ſi vſus id requirat, iuſto celeriores fient Si quidem durities non adeo eſt inepta ad motus celeritatem, ſicuti inepta eſt ad quantitatem diſtenſionis. Quod ſi contra durities excedat, robur facultatis paulo deficiat, pulſus generantur parui, celeriores, crebriores. Quod ſi demum moderatus fuerit, & æqualis vtriuſque cauſæ receſſus à natura, altera alterius vim remittente, pulſus in omnibus generibus propemodum moderati euadunt, præterquam quod ſunt duriores. Poſtremò ſi facultas imbecilla cũ inſtrumento molli fuerit complicata, ſiq; vtriuſque æqualis, ſimulque modica fuerit à natura declinatio, pulſus moderati, ac planè naturales producuntur, prætterquam quod molles fuerint, Sin autem exceſſus vtriuſq; ſit valde immoderatus, pulſus parui, tardi, crebri oriuntur; qui itidem parui, tardi, crebri oriuntur, ſi facultatis imbecillitati malum præpolleat. At verò ſi inſtrumentorũ mollities ſit ſuperior, pulſus accedũt ad moderatos, quod facultas, cum paulo ſit debilior, quam naturæ inſtitutum poſtulat, nihil impediatur, quin retineat congruam quantitatem diſtenſionis, & qualitatem motus, ſicuti impeditur, cum incurrit in duritiem inſtrumentorum. Sin vero durities vincat, vt tunc diſtenſio impediatur, pulſuſq; fiant crebriores, neceſſe eſt, propterea quia paruitas diſtẽſionis vſui ſatis eſſe nequit. Sed ad tertiam implicationem progrediamur, quę ex inſtrumento & vſu ſimul commixtis reſultat, de qua Gal. 1. *de cauſ. pulſ. c.* 10. Itaq; ſi hæ duæ cauſæ, vſus & inſtrumentum à naturali ſuo ſtatu mutantur, incolumi permanente facultate, tunc quoque quatuor diuerſæ pulſuum coniugationes fiant. Ac primò ſi vſus fuerit auctus, inſtrumentum molle generantur pulſus magni, celeres, molles. Quod ſi exceſſus vtriuſq; cauſæ fuerit magnus, fiunt etiã crebri. Etenim dum magnitudo, & celeritas non poſſunt ſatisfacere vſui, & calori aucto, crebritas quoque accedit, quæ id ſupplet, ac præſtat, quod magnitudo, & celeritas ſupplere, & præſtare nequit. Secũdo, ſi vſus fuerit imminutus, inſtrumentum durum, vincẽte duritie inſtrumenti pulſus fiunt minores quam tardiores, & crebriores, propterea, quia inſtrumẽta dura ſunt minus accõmodata ad magnitudinem, quam ad celeritatem. Vincente autem vſus diminutione, & refrigeratione, pulſus contra fiunt tardiores, quam minores, & tardiores, quod certum ſit deficiente calore, primo tarditatem, deinde paruitatem ſuccedere. Tertiò, ſi vſus fuerit auctus, inſtrumentum fuit durum (quandoquidem iam ſæpe diximus aucto vſui, magnitudinem duritiei, inſtrumenti paruitatem familiarem eſſe) rationi conuenit, vincente calore, pulſum magnum, vincente autem duritie, pulſuum paruum fieri. Quod ſi vtraque cauſa præter modum excedat, cum pulſus nequeant fieri tam magni, quam vſus auctus & caloris abundantia requirit, imò verò propter duritiem inſtrumenti ſint iuſto minores, vt propterea celerrimi quoque, & creberrimi illi fiant, neceſſe eſt, vt celeritas deficientis magnitudinis vicem ſupplere poſſint. Poſtremò ſi vſus imminutus frigiditaſque, & mollities concurrunt, cum hic quoque magnus pulſus mollitiei, paruus frigiditati ſit familiaris, pulſus ad alteram cauſarum accedet, quæ magis à natura deflectat. Itaque præpollente mollitie inſtrumenti pulſus magni, præpollente frigiditate, pulſus parui generabuntur, Quod ſi vtriuſque æqualis fiat acceſſus, pulſus neq; magni, neque parui, ſed inter vtrumque medij, & moderati fiunt Si quidem quantum pulſus à mollitie in magnitudinem perducuntur, tantummodo à frigiditate in paruitatem retrahuntur. Namque ita vniuersè habendum eſt, pulſus non ſolum ex iis cauſis, ſed etiam ex cæteris omnib. præter naturam fieri moderatos, cum ambæ ſibi ipſis aduerſentur, atque eos diſtrahunt in contrarias partes, quantumcunque vim parem habuerint. In qua tamen Galen. arguit vulgus medicorum, qui huiuſmodi pulſus putant naturaliter eſſe comparatos, qui docet ex vna parte omnes quidem pulſus naturales inter vtrumque exceſſum medios, moderatoſque eſſe, ex vna parte omnes quicunque ſunt moderati, neceſſario eſſe naturales. Ad quem modum ille ſcriptum reliquit in 3. *de Praeſ. ex pulſ. c.* 3. ſi accidat quandoque, vt arteriæ contra, ac cor fuerint affectæ, adeo vt arteriæ ſint frigidiores, cor verò calidius reddatur; tunc pulſum fieri non paruũ,

qualis

qualis congruens eſt frigiditati, non magnum, qualis conuenit calori, ſed inter vtrumq; medium, qui temperatus eſt. Atque hactenus de cauſis principib. pulſuum, tum ſolis, & ſimplicib. tum ſingulibus duobus inter ſe commixtis, & complicatis. Itaque id teſtar, vt poſtremò implicationem omnium trium cauſarum perſequamur, de qua Gal. *1. de cauſ. pulſ. c.* 11. Hac quidem ratione octo huiuſmodi conſurgunt cauſarum coniugationes, quæ quidem etſi ex iis ſimpliciotibus coniugationibus, de quibus hactenus diximus, facile videntur poſſe colligi, tamen non grauabimur ſingulas ſummarim recenſere, & explicare. Prima igitur omnium prin pum cauſarum coniugatio eſt facultas infirma, vſus imminutus, inſtrumenta dura. Pulſus tardi, & rari, non tamen neceſſario crebri, vel rari. Sed iis contingit alterutrum, vel crebitas, vel taritas. Sed differẽtia inſtumentorum, necnon pro quantitate offenſionis ſingularum cauſarum. Nam ſi parua fuerit offenſio facultatis, neque nimia inſtumentorum durities, pulſus in crebritate variant. Si quidem certum omnibus eſſe dicit, non modo pulſus, ſed omnes plane actiones noſtri corporis fieri crebriores ex defectu qui ſingulis accidit. Iam verò ſatis diximus defectum in præſentia vſu cum primis æſtimari. Quare ſi vſus fuerit remiſſus, paruaque læſio facultatis, niſi accedat præterea nimia inſtrumentorum durities, pulſus nihil variat in crebritate. Contra autem ſi facultas magnopere ſit læſa, vſus modicè remiſſus, inſtrumenta beue dura euaſerint, tunc aliter fieri non poteſt, quin pulſus fiant minores, quã vſus poſtulat. Ex quo imperfecta ſimul eorum fiet operatio, ac quanto fiet imperfectior, tanto etiam crebrior. Præterea verò neque paruitas, tarditaſque huiuſmodi pulſuum perpetuò vna, atque eadem eſſe poteſt. Nam quatenus facultatis, vel vſus maior eſt offenſio, eatenus pulſus neceſſatio eſt plus, vel minus paruitatem, & tarditatem tranſiens. Sed pro intelligentia huius primæ, ac cæterarum omnium coniugationum minimè eſt prætermittenda quædam Gal. regula digna maxima notatione. Illa verò eſt, ex vna parte ad gignendos pulſus, ad vltimam alterationẽ reductas cauſas, vel omnes, vel duas, vel vnam ſatis eſſe. Proſtrata enim facultas ſola æque minimũ efficiet pulſum, ac ſi omnes cauſæ in idem conſpirent, ſiquidem, etſi plura vno valentius agunt, nihilominus, quod ſummè paruũ eſt, nihil eo minus poteſt habere. Ex altera autem, non æque ſolam facultatem robuſtiſſimam poſſe maximum pulſum efficere, ac ſi cum aliis cauſis fuerit coniuncta, quæ idem præſtare poſſint. Propterea quia ad magnitudinem efficere, ac ſi cum aliis cauſis fuerit coniũcta, quæ idem præſtare poſſint. Propterea quia ad magnitudinem efficiendam omnes cauſæ requiruntur, adeo vt, vel vna ex eis deficiente fieri non poſſit. Quare in ſumma imbecillitate facultatis pulſus fient minimi, non item maximi in ſummo facultatis robore, niſi ſimul auctus vſus, & inſtumenta ad motus magnitudinem accommodatè ſe habent. Sed quæ reſtant perſequamur. Secunda coniugatio eſt facultas infirma, vſus imminutus, inſtrumenta mollia, pulſus parui, tardi, rari. Quod ſi facultas magnopere, & pluſquam reliquæ duæ cauſæ fuerit, adhuc paruiores, crebriores, tardiores pulſus fient, vt in proximis coniugationibus diximus.

Tertia coniugatio eſt facultas infirma, vſus auctus, inſtrumenta dura. In qua Galen. inquit primum ad crebritatem deinde ad paruitatem, poſtea ad tarditatem pulſum videbis vergere. Sed tamen ita, vt nec neceſſario, nec perpetuo, nec in vnoquoque eorum, nec ſimul hæc omnia concurrant. Si quidem vbi omnes cauſæ fuerint inſigniter læſæ, minimi, & creberrimi, & tardi pulſus fiunt partim ob duritiem inſtrumentorum. Ex quo fit deinceps, vt ſidem ſint creberrimi, propterea quod vſus ſit auctus, atque ad huiuſmodi crebritatem impellat; Imò vero etiam ſine aucto vſu imbecillitas facultatis ac durities inſtrumẽtorum ſimul cõiunctæ pulſus minimos, creberrimoſque poſſunt reddere. Quod ſi auctus quoque vſus propterea accedat, ille quidem ad hanc rem nõ paruum afferret momentum, nihilo tamen minus pulſus crebriores efficiet, cũ etiã ſine ipſo ſint frequẽtiſſimi.

At verò ex altera parte ſi læſio facultatis, & inſtrumentorum parua fuerit, vſus autem inſigniter auctus, tunc fiunt pulſus, nec minores, nec tardiores, quam conueniat. Imò interdum fiunt manifeſtè celeriores, maiores autem ſi non apertè perſpicui, certè pares fiunt pulſibus moderatis. Quotieſcunq; enim vſus multum vrget, tametſi facultas imbecillior, pulſus mouetur celeriter, ac pariter mouetur in magnitudine, niſi inſtrumenti durities eſſet impedimento.

Itaque celeritas magnitudine apertior, euadit, quod inſtrumenti duritiei quidem repugnet, celeritati autem nullum impedimentum afferat. Dicam ſemel cum Gal. in huiuſmodi coniugatione facienda perpetuo eſt comparatio inter quantitatem vſus, & actionem, quã per inſtrumentum facultatis perficit. Quantum enim actio eſt inferior vſui, tantum pulſus vertit in crebritatem. Contra vero pulſus tantum fiunt minores & tardiores, quantum facultas, vel inſtrumentum naturalem modum relinquunt. Quarta coniugatio eſt facultas ſumma, vſus auctus, inſtrumenta mollia, in qua ſimiliter diſtinctione opus eſt. Namq; ſi vſus multum augeatur, facultas autem, & inſtrumenta non multum à natura diſcedant, pulſus longè magis ad magnitudinem, quam ad celeritatem declinabunt. Si quidem in proxima ſuperiore coniugatione durities inſtrumentorum magnitudinis diſtenſioni reſiſtebat. In hac vero tantum abeſt, vt mollities reſiſtat, vt etiam quam maximè diſtenſionem adiouet. Quod ſi vſus, & facultas paulum à naturali ſtatu declinent, inſtumenta non multum ad diſtenſionem deflectant, pulſus tum qualitate diſtenſionis, tum qualitate motus, cum demum tempore quietis ad quantam mediocritatem accedat. Itaq; propter vnam mollitiem excedet ſtatum naturalem. Quod ſi vſus, & inſtrumenta non ita multum laborent, facultas autem ſit vniuerſaliter malè affecta, pulſus erunt bene parui, crebri, & modicè tardi. De primis quatuor cõiugationibus hactenus. Iis porrò duæ proximæ ſuccedunt coniugationes, quæ commune habent robur facultatis, vtrumque pulſuum remiſſum, ſed diſtant inſtrumenta. Itaque altera, in qua inſtrumentum eſt durum, facultas valida, vſus minor, pulſus planè minores procreat, non tamen neceſſario tardiores, nec crebriores. Verum ſi vſus fuerit admodum remiſſus, inſtumenta autem modicè dura, pulſus non ſolum minores, ſed etiam perſpicuè tardiores, rarioreſque fient. Altera autem, in qua inſtrumentum eſt molle, facultas valida, vſus minor, pulſum efficit non minorem naturali, quatenus deprehendi poteſt, niſi vſus fuerit inſigniter imminutus. Omnino autem pulſus tanto tarior euadet, quanto vſus fuerit remiſſior. Sic demum pulſus etiam tardus aperte quidem in vehementibus mutationibus, non aperte in minoribus apparebit. Reſtant duæ poſtremæ coniugationes, in quibus aucto vſu, facultate valente, inſtrumenta nunc dura ſunt. Ac primo quidem ſi inſtrumẽta mollia ſint, pulſus prorſus magni, celereſque euadunt, crebri, non ſemper, ſed ſolummodo, vbi vſus fuerit inſigniter, atque immoderatè auctus. Siquidem tunc nec magnitudo diſtenſionis arteriæ, nec celeritas motus complendo vſui poteſt ſatis eſſe. Vbi autem vſus paruum habeat exceſſum, tunc vel ſola magnitudo aliunde vſui ſatisfacit.

Quod

Quod ſi demum cum aucto vſu, valente facultate, inſtrumenta ſint dura, pro varia cauſarum mutatione pulſus quoque variè mutantur. Namque ſi durities ſit parua, vſus mutatio inſignis, pulſus maiores, celeriores, crebrioreſque euadent, quam conueniat. Sin autem vtraque huiuſmodi cauſa æquo interuallo, ſed tamen longo declinauerit à natura, adeo vt inſtrumenti durities, vſuſque auctio parua ſit pulſus magnitudine partis naturales, ac moderati, ſed celeriores, ac crebriores fiant. Quod ſi demum inſignis vtriuſque cauſæ offenſio fuerit, vt inſtrumenta ſint reddita duriora, vſus nimirum vrgeat, pulſus adhuc erunt celeriores moderatis, ac naturalibus, ſed minores, ac crebriores. Atque hæc de cauſis pulſuum principibus, & continentibus, ac multiplici earum complicatione pro inſtituti noſtri ratione ſint ſatis. At ſi quis obijciat, ad integritatem huius partis multa adhuc ſupereſſe, quæ tum ab alijs, tum maxime à Galeno tradita ſunt, ego id quidem libenter fateor, ſed is memoria teneat, quod initio tractatus diximus, nobis fuiſſe propoſitum ſummatim in hoc argumento verſari, neque omnia accuratè, & exquiſitè explicare. Quo conſtito, vt Galeni verbis vtamur 3. *lib. de Cauſis pulſuum in principio.* quædam prorſus reliquimus, quædam tantummodo indicauimus, atque attigimus: omnia tamen prætermittimus, quæcunq; nouitiis magnam obſcuritatem afferre poſſunt. Sed illud addo, forte nos ea ſemina ieciſſe, ac præcepta tradidiſſe, ex quibus, ni fallor, ſtudioſi quoque ac ingenioſi ſolidiorem omnino huius doctrinæ inſtitutionem ſibi poſſint comparare. Itaq; de alteris cauſis quod nimirum reſtat, quæ ſecundariæ ac permutationis dicuntur, paucis verbis dicendum eſt. Galenus in principio de Cauſis pulſuum generaliter docet, cauſas pulſuum eſſe triplices. Alteras præcipuas, ac principes, quæ continentes dicuntur, quod eorum generationem, & eſſentiam contineant, de quibus ſatis diximus. Alteras externas, quæcunque nimirum extra corpus poſitæ, quandoque in corpore alterant. Tertias præcedentes, ſiue antecedentes, quæ in corpore animalis conſiſtunt, atque in eo varios morbos generant, fouent, & conſeruant. Hæc duo poſteriora cauſarum genera, inquit Galenus, vt fiant pulſus in cauſa non ſunt, ſed ſunt cauſæ illorum mutationis. Namque exempli gratia balneum frigidum, vel calidum, hyems, æſtas, &c. quæ cauſæ ſunt externæ alterandorum pulſuum, non generandorum cauſæ ſunt. Sic humorum craſſitudo, abundantia, lentor, acrimonia, &c. quæ cauſæ ſunt præcedentes, pulſus efficere non valent, alterare valent. Itaque ſic habendum eſt. Nullas cauſas, neque externas, neque internas primò, ac per ſe poſſe pulſum mutare, niſi prius alteratio continentes, ac principes cauſas attingat. Exemplo, quod eſt Galeni, res fiet manifeſtior. *Si*, inquit ille, *ob occurſum externi frigoris cutis denſitas naturaliter habitus digeſtionem reprimat, repreſſus halitus coaceruetur, ac tandem febrem accendat, propter quam vſus pulſuum mutetur. ex qua ipſi quoque pulſus mutantur. Hic occurſus externi frigoris cauſa externa eſt, externa omnes vſque ad vſum pulſuum præcedentes.*

Cauſa ſecũdaria, ac permutationis.

Cauſa igitur externa intercedentibus cauſis præcedentibus, quia variat vſum pulſuum, quæ vna eſt ex cauſis continentibus, ipſos etiam pulſus immutat. Siquidem fieri non poteſt, vt mutata aliqua cauſa principe, & continente, illius effectus immutabilis maneat. Sed priuſquam continentes cauſæ alterentur, pulſus nequeunt mutari. Quamobrem ſumma eum ratione præcipuæ, principeſque cauſæ dicuntur, cæteræ autem omnes ſunt harum gratia. Siquidem hac ſola ratione cauſæ pulſuum dicuntur, propterea, quia externa illa alteratio ad cauſas continentes penetrauit, cum alioqui ſua ſponte, ac per ſe pulſus alterari nequaquam poſſint. Cæterum præter hæc duo cauſarum genera tradita à Galeno, atque ab omnibus propemodum medicis recepta, Valerius *Compendio ſuo de pulſibus capite quinto*, necnon *libro tertio, Controu. nona.* tertium quoddam cauſarum genus excogitauit, quod inquit ad motiones, ſeu perturbationes animi pertinere, & in medio duorum ſuperiorum generum ſitum eſſe. Quandoquidem huiuſmodi cauſæ neque ſunt continentes, neque intercedente mutatione cauſarum continentium, ſed per ſe in pulſibus alterationem, ac mutationem efficiunt.

Quæ ſane cogitatio præterquã quod omnem Gal. diſciplinam euertit, mihi quidem, vt videtur, prorſus vana eſt, atque ab omni ratione aliena: Non tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, quantumuis homo timeat, iraſcatur, vel vniuerſaliter animo laboret, pulſus nullo modo poſſe alterari, ac mutari, quin prius aliqua ex continentibus cauſis alteretur, & mutetur. Ex quo velim vos capere documentum, vt ne tam facilè, & inconſideratè, à Veterum diſciplina diſcedere velitis, ſicuti multi hoc tempore faciunt. Etſi autem huiuſmodi cauſæ ſecundariæ plurimæ ſint, ac propemodum infinitæ, tamen à Gal. 3. *de cauſ. pulſ. in princ.* præclarè ad tria ſumma capita referuntur, nimirum ad res naturales, non naturales, & præter naturam. Res naturales ſunt ſexus, temperamenta, habitus corporis, ætates, &c. Non naturales, tempora anni, cœli conſtitutiones, regiones, alimenta, potiones, ſomni, vigiliæ, &c. de quibus vtriſque ſimul diffusè, & ſigillatim Galenus tract. *lib. 3. de cauſis pulſ.* Res præter naturam ſunt morbi, cauſæ morborum, ſymptomata, de quibus itidem Gal. prolixè loquitur. *lib. de cauſ. pulſ.* ex quibus id licet colligere, Galen. hanc diuiſionem rerum naturalium, non naturalium, ac præter naturam in præſentia vniuerſaliter accepiſſe, quæ communiter medici accipere ſolent, qui itidem totam Artem medicam in hos ipſos tres communes locos, & ordines diſtribuunt. Namque illi exempli gratia res naturales vocant, ex quibus humanum corpus conſtituitur, quæ quidem ſi ad cauſas pulſuum referantur, potius cauſæ principes ſecundariæ dicendæ ſunt. Sed fortè de Cauſis pulſuum nimis digreſſi ad poſtremum caput, de Præſagitione ex pulſibus veniamus.

CAPVT IV.

De Præſagitione ex Pulſibus.

SI quis, inquit Galenus in principio libri de Præſagitio ex pulſibus, velit ea probè intelligere, quæ ad præſagia pulſuum pertinent, vt is primum eorum dignotionem, differentias, & cauſas intelligat neceſſe eſt. Quod quidem rationi plane conuenit. Etenim gratia exempli, ſi dicamus pulſum magnum, & vehementem, quid vel præteritum, vel præſens, vel futurum ſignificare, quomodo iſtud poterit intelligere, qui prius dignotionem, differentias, & cauſas magni, & vehementis pulſus non intelligat? Quoniam autem, vt idem inquit Galenus, huiuſmodi pulſuum diſciplina, ac prouidentia eſt duplex; altera quæ generaliter vim, & potentiam pulſuum conſiderat, altera quæ ſpeciatim pulſus ſingulorum affectuum præter naturam perpendit, quod itidem remediis vſu venit, quorum facultates examinantur, vel generaliter, vel particulariter, quatenus ad varios affectus ſunt accommodatæ; mihi libet in priore tantum ratione verſari, quam cenſeo meo inſtituto ſatisfacturam, cum altera non niſi longiore oratione poſſit explicari, atque à Galeno diffusè, & perſpicuè tradita ſit, vt ſupervacaneum videatur eam repetere, & tranſcribere, quæ licet cuique apud illum legiſſe, præterquam

quòd

quod tractantes, quod publicè facimus in præſentia; morbos particulares, neque hanc particularem pulſuum exercitationem in ſingulis morbis prætermiſimus.

Cæterum in hac quoque parte explicanda ſicuti in cæteris fecimus, nobis propoſitum eſt Galeni methodum, atque ordinem imitari, & quæ ab illo prolixè explicata ſunt, quam breuiſſime fieri poteſt in ſummam, & compendium referre. Itaque incipiamus à primis generibus pulſuum, quæ vt puto nos meminiſſe ex ipſa pulſus definitione collegimus, ac fuerũt pulſus velox, tardus, creber, rarus, magnus, paruus, de quibus ad mentem Gal. ita habendum eſt. Atque vt de priore primum agamus, ante omnia ſciendum eſt, celerẽ pulſum dici dupliciter, vno modo in comparatione cum pulſu moderato & naturali; altero in comparatione cum quolibet alio pulſu. Rurſum verò pulſum quoque moderatum dici dupliciter: vno modo abſolutè; quem in optima natura conſpicimus: altero de vnoquoque homine, qui inculpata fruatur ſanitate. Itaque pulſus celer ex comparatione pulſus moderati abſolutè docet quodnam ſit hominis temperamentum. Si quidem pulſus celerior calidius, pulſus tardior frigidius temperamentum ſignificat. Verum propius accedentes ad rem memoria repetamus quod ſupra tractantes cauſas diximus, nimirum celerem pulſum vel in augmentum vſus, vel in robur facultatis, vel in mollitiem inſtrumenti referendũ eſſe. Hac enim ratione facile eſt intelligere verum celeritatem ab vna, vel duabus, vel omnibus tribus huiuſmodi cauſis liceat præſagire. Nã cũ ſola pulſus mutatio in celeritatem, & tarditatem, neq; in ſanis, neq; in male affectis corporibus poſſit inueniri, cæteræ quoque mutationes & alterationes ſunt animaduertendæ. Quamobrem pulſus celer, ſi à mollitie inſtrumenti ortum ducat celer ſimul, & mollis euadit.

Si pulſus fiat celer à robore facultatis, fit ſimul celer, & vehemens. Si vero nec mollities, nec facultatis robur adſit, vt pulſus fiat celer propter vſum auctũ vſum neceſſe eſt. Quod, ſi quis adhuc velit intelligere, quantus vſus auctus fuerit, id ex magnitudine, vel paruitate auctionis manifeſtum fiet hunc in modum. Namque in magno vſus augmento ſola pulſus magnitudo ſufficit, in maiori autem augmento, magnitudo ſimul cum celeritate, in maximo magnitudo cum celeritate, & crebritate coniungitur. Ita igitur ex celeri pulſu, vel vſus auctus, vel mollities inſtrumenti, vel robur facultatis poteſt præſagiri. Quod ſi demum non propter vnam, ſed propter duas, vel omnes tres cauſas continentes pulſus celer fiat, tunc ſingularum cauſarum propria indicia, & quæ cæteris plus ponderis habeant perpẽdẽda ſunt. Finge propter auctum vſum, robuſtam facultatem, inſtrumentum molle, celerem pulſum fuiſſe redditum, mollitiem vel cæteris duabus cauſis ſuperiorem eſſe, celeritatem quidem pulſus licet tribus cauſis tribuiſſe, ſed tamen ita, vt exiſtimandum ſit in hac efficienda celeritate mollitiem inſtrumenti principem locum obtinere.

Id quod pariter de aucto vſu, & robuſta facultate dicendum eſt. Porrò quod de celeri pulſu diximus, idem quoque ex lege contrariorum de pulſu tardo dicendum eſt. Cum enim ille contra, vel ex facultate imbecilla, vel ex duro inſtrumento, vel ex diminuto vſu generetur, hoc pacto licet de ſingulis iudicium facere. Etenim ſi tarditas ex facultate imbecilla ortum habeat, pulſus non ſolum tardus, ſed etiam languidus apparebit. Si propter inſtrumenti duritiem id fiat pulſus non ſolum languidus, ſed etiam durus euadet: ſi vero propter diminutum vſum id contingat, pulſus tantummodo tardus fuerit. Quantum autem vſus fuerit coniunctus ex magna, vel maiori, vel maxima illius diminutione, colligendum eſt vt de celeri pulſu ſuprà diximus. Secundo loco ſuccedit pulſus crebritas, & raritas, quæ vtraque apud Gal. 2. *de præſagio ex pulſ. cap.* 1. eſt duplex, quod in duplici pulſus quiete, de quibus iam ſatis, ſuprà diximus liceat & crebritatem, & raritatem obſeruare. Illud verò ſciendum eſt, in crebritate, & raritate, quid commune, & quid proprium ineſſe. Commune quod ambo tam crebritas, quam raritas propter duas cauſas fiant breuiores: alterà quod prior arteriæ motio ſit longius producta: alterà quod poſterior anticipet. Proprium quod vtraque ſolet ſignificare, illud vero eſt, quod vel ex priore motu producto, vel ex poſteriore anticipante, aut contra ex altero abbreuiato, vel poſtponente, ſolet oriri. Sed referentes hanc quoque pulſuum differentiam in cauſas principes, dicamus cum Gal. celerẽ pulſum, vel vſum auctum, vel facultatem imbecillam, vel inſtrumentũ durum ſignificare. Quamobrẽ ratione vſus in corpore ſano eiuſmodi pulſus calidam temperiem, aut res non naturales calefacientes in corpore autem ægroto calidos morbos ſignificat, ſic pulſus creber facultatis imbecillæ indicium eſt. Cum enim in ea pulſus magni, & celeres fieri non poſſint, iure efficiuntur. Sic inſtrumentum durum ſignificat, quod durities ad diſtenſionem, & magnitudinem ſit inepta, vt ſuprà diximus: ex quo pulſus ad crebritatem declinat.

Pulſus autem rarus, vel vſum imminutum, vel facultatem robuſtam, vel molle inſtrumentum, & vno verbo contraria ratione omnia indicabit quæcunque de celeri pulſu dicta ſunt. Ratio pariter diſcernendi, vtrum huiuſmodi pulſus ab vna, vel altera, vel omnibus cauſis proueniat, eadem eſt, quam paulo ſupra de veloci, & tardo pulſu explicauimus, vt ſuperuacaneum ſit idem repetere. Tertio ſequitur pulſus magnus, & paruus, de quibus Galenus ſcribit diffusè in primo de præſagio ex pulſibus, capite primo, ſecundo, tertio, & quarto. Illi verò nihil aliud poſſunt indicare, quam illud ex quo originem duxerunt. Itaque pulſus magnus vel vſus augmentum, vel facultatis robur, vel inſtrumenti mollitiem. Contra pulſus paruus, vel vſus diminutionem, vel facultatis debilitationem, vel inſtrumenti duritiem ſignificat. Sed hoc loco duo ſunt notanda cum Galeno. Alterum pulſus magnus, & paruos, aut re vera tales eſſe, aut magnitudinis ſolummodo, & paruitatis ſpeciem quandam referre. Quam quidem Græci φαινομένην, Latini ſatis commodè apperentem magnitudinem, & paruitatem interpretantur. Ex quibus licet in primis corporis craſſitiem, & gracilitatem denotare. Quandoquidem in corpore gracili pulſus magni, & tardi magis apparent, in corpore autem craſſo magis obſcurantur, & deliteſcunt. Ex quo factum eſt, vt Galenus tribus generibus cauſarum alterantium pulſus rerum naturalium, non naturalium, & præter naturam, de quibus ſupra diximus, hoc quartum apparentiæ genus addiderit, 1. *de Præſagio ex pulſibus capite primo.* qui inquit, huic turbationi de præſagio proprium eſſe, cum ex eo quod talis, vel talis quiſque appareat pulſus, medici præſagiendi initium faciant; ſæpè autem eueniat, vt pulſus tales non appareant, quales re vera ſunt. Itaque pulſus re vera magnus omnium maximus, vſus augmentum, atque illud quidem ſolum ſignificat, ſi duntaxat magnus fuerit. Si enim ſimul magnus ſit, & vehemens, vel magnus, & mollis, non ſolum auctionem vſus, ſed etiam robur facultatis, & mollitiem inſtrumenti ſignificat. Sicuti ſi pulſus magnus, vehemens, & mollis fuerit, iſthæc omnia ſimul, & vſus auctionem, & robur facultatis, & inſtrumenti mollitiem indicant. Alterum eſt notandum (eodem capit. prim.) magnum pulſum dici dupliciter; Vno modo in comparatione cum pulſu moderato, & naturali, altero, in comparatione

tione

ſione cum pulſu, qui generaliter moderato maior, vel minor fuerit, vt ſuprà de celeri pulſu dictum eſt. Iam verò, quæ ex vtriſque pronuntiantur, partim ad ambos pulſus communiter pertinent, partim vtrique ſunt propria. Communiter quidem pulſus magnus vſu incrementum ſignificat, ſpeciatim verò pulſus magnus in comparatione cum pulſu maiore, vel minore, qui ſit pulſus moderatus non ſolùm magnitudine, ſed etiam celeritate, interdum etiam crebritate excedit. Neque verò difficile eſt huiuſmodi pulſuum differentiam, & præſagitiones intelligere. Namque pulſus in comparatione cũ moderato magnũ, ex paruo vſus augmento originem habet. Quare nihil opus eſt huic magnitudini celeritatem, ac multo minus crebritatem accedere. Magnus autem pulſus in comparatione cum pulſu maiore qui ſit pulſus moderatus, ex immodico vſus augmento talis redditur. Quare non ſolùm magnitudine, ſed etiam celeritate excedit, quandoque etiam crebritate, quando ſcilicet nec celeritas tanto augmento poteſt ſatis eſſe, ſic pulſus magnus in comparatione cum pulſu maiore, qui ſit pulſus moderatus, ex minore vſus augmento gignitur. Quare huic magnitudini nec celeritas, nec crebritas, immò verò quandoque tarditas, & raritas ſolet accedere. Iam verò ſi velimus explicare quidnam ex magno liceat præſagire in corporibus ſimpliciter ſanis, mox in iis, quibus aſcititius aliquis motus adiunctus eſt, poſtea in corporibus, quæ ægrotabant, poſtremò in iis quibus alteratio quædam externa adeſt, neceſſe foret, nos præter noſtrum inſtitutum eſſe longiores. Itaque de magno pulſu hæc nobis ſint ſatis, cum præſertim Gal. loco proximè citato *cap.* 1. *lib.* 1. *de præſagio ex pulſu*, hæc omnia tractet luculentiſſimè, apud quem licet cuique intelligere quæcunque ſtudio breuitatis à nobis prætermittuntur. De pulſu paruo non eſt vt longiùs agamus. Videatis primum de præſagio ex pulſ. cap. 2. ſiquidem quæcunque de pulſu magno diximus, contraria ratione eadem de pulſu paruo dici poſſunt.

Itaque pulſus quoque paruus bifariam dicitur: vel in comparatione cum pulſu moderato, vel in comparatione cum quolibet pulſu; qui in vniuerſum moderato maior, vel minor fuerit. Omnes autem huiuſmodi pulſus parui generaliter vſus diminutionem ſignificãt. Præterea nihil ſi modò ſimul, neque imbecilli, neque duri exiſtunt: ſpeciatim autem pulſus parui in comparatione, vel cum pulſu moderato, vel cum pulſu minore, quando ſit moderatus, neceſſariò tum raritatem, tum tarditatem adiunctam habent. Namque ita comparatum eſt quotieſcunque homines ſuum naturaliter ſtatum retinent, vt arteriæ pariter moderatè diſtendantur, ac moderatam pulſationem efficiant.

Contrà verò ſi homines à ſuo naturali ſtatu receſſerint, vt fiant calidiores, vel frigidiores, quàm eorum naturæ conueniat, vt pulſus quoque gignãtur immoderati, quod tamen diuerſa ratione fieri contingit: namque ex nimio calore pulſus primò quidẽ magni, deinde celeres, poſtremò crebri redduntur. Contrà ex nimio frigore, primùm quidem rari, deinde tardi, poſtremò parui efficiuntur. Pulſus autem parui in comparatione cum pulſu maiore, quando ſit moderatus, vel nihil variant celeritate, & crebritate, vel æquè eorum magnitudo, celeritas, & crebritas auferuntur. Etenim ſi pulſus fuerit paulo maior pulſu moderato, adeo vt ſola excedat magnitudine, & paruo nimirum vſus augmento, ſi hoc eſſet, vtrique ſola magnitudo aufertur. Sin autem pulſus fuerit multo maior, adeo vt non ſolùm magnitudine, ſed etiam celeritate, atque interdum etiam crebritate excedat, quatenus contingit vſum vel magis, vel minus augeri, iam non ſola magnitudo, ſed etiam celeritas & quandoque etiam crebritas auferuntur. Cæterùm præter hæc ſunt aliæ multæ differentiæ pulſus magni, quæ ex variis arteriæ diſtenſionibus, longitudine, altitudine, latitudine colliguntur, ex quibus licet plura præſagire: quas omnes perſequi & longum, & fortè ſuperuacaneum foret, de quibus videatis Gal. 1. *de præſag. ex pulſ. cap.* 3. *&* 4.

Poſtremò ex quinque primis generibus pulſuum duo reſtant genera, pulſus nimirum mollis, & durus, necnon vehemens, & debilis, de quibus mihi libet ſimul, & paucis verbis ſermonem habere, quòd ſicuti ſuperiora tria genera magnas continẽt difficultates, vt vidiſtis, cum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, quòd à tribus diuerſis cauſis poſſunt oriri. Ita hæc duo poſteriora nullam ferè continent difficultatem, cum à propriis & certis quibuſdam cauſis originem habeant: atque ex conſecutione faciliores omnino præſagitiones aſſerant. *Pulſus vehemens*, inquit Gal. in 1. de Præſag. ex pulſ. c. 7. *à facultatis robore ſemper fit, & quo ille vehementior fuerit, eo maius robur facultatis ſignificat. Sic pulſus debilis ex facultatis imbecillitate gignitur, & quo ille debilior fuerit, eo facultatem quoque imbecilliorem demonſtrat. Non aliter pulſus durus à dura tunica arteriæ, mollis à molli efficitur.*

Præterea quantitas pulſus duritiei & mollitiei, quantitatem mollitiei, & duritiei arteriarum declarat. Verùm de huiuſmodi pulſibus, molli, & duro, vehementi, & debili nos monet Galen. pulſus quoſdam inter vtroſque medios reperiri, ſed non eadem ratione. Namque inter pulſum mollem, & durum medius eſt, qui vtriuſque mollis, ac duri eſt particeps, qui propterea moderatus, & naturalis dicitur.

At verò inter pulſum vehementem, & debilem nullus pulſus hac ratione medius eſt, quòd vtriuſque roboris, ac imbecillitatis ſit particeps, propterea ſæpe à Gal. traditum eſt, & eſt certum pulſum debilem ex facultate imbecilla & à natura deficiente, vehementem autem ex firma, ac bene valente facultate originem habere. Sed aliter contingit iſtud fieri moduſque dignoſcendi huiuſmodi medium pulſum, totus ex ipſo tactu pendet. Si quando enim tactus patitur, euertitur à pulſu, hunc pulſum vehementem vocemus. Contrà verò ſi pulſus patitur, atque euertitur à tactu, hunc debilem pulſum dicimus, ſin autem neutrum accidat, vt neque tactus euertatur à pulſu, neque pulſus à tactu, ſuperetur, hunc pulſum dicimus inter vehementem, ac debilem medium locum ſortitum eſſe. Quod ſi quis demum id quoque cupit intelligere, quænam cauſæ facultatem, vel robuſtam, vel debilem efficiant, nec non quæ arteriam molliorem, vel duriorem reddant, huic ſatisfacit Galen. 1. *de Præſag. ex pulſib. poſtremis capi[illegible]*, & non, qui primùm docet, cauſas præcedentes, quæ robur facultatis augent, eſſe duplices, nonnullas, quæ in ipſo ſunt corpore, nonnullas, quæ extrinſecus adueniunt. Priores internæ ſunt, gratia exempli, humores quidã ſemicocti, & crudi, qui cũ cõcoquuntur, naturæ impetu ad Criſim .... ita, & ſimilia. Poſteriores externæ ſunt; vt vinum, alimenta, moderatæ exercitationes, necnon quæcunque intemperiem cordis, arteriarum, & corporis corrigunt, ſiue alimenta, ſiue potiones, ſiue medicamenta fuerint. Contrà verò facultatem diſſoluunt, inædiæ, vigiliæ, ſolicitudines, mœrores, immodicæ vacuationes per aluum, vel per vrinas, vel vomitum, vel per vterum vel profluuium ſanguinis, vehementes dolores, vel ſingulares, vt quæ medici ſtomachicum affectum vocant, quæ ſyncopem ſolent inducere.

Quibus pariter licet adiungere omnia quæcunque cordis, vel arteriarum intemperiem efficiunt ſiue illæ in corpore contineantur, vt ſunt ſucci, & partes ſolidæ; ſiue foris adueniant: quippe hæc omnia robur facultatis diſſoluunt, immodicè humectando, deſiccando, calefaciendo, refrigerando, digerendo. Cæterum, cauſæ præcedentes, & externæ, quæ pulſum duriorem efficiunt, ſæpe explicantur à Galeno, ſed loco notabili 1. de differentiis Febrium cap. 7. ad finem, qui in ſumma ita ſtatuit, pulſus fieri duros propter tres cauſas, aut congelationem, aut tenſionem, aut ſiccitatem. Congelationem ex inſigni frigiditate ortum habere. Tenſionem fieri ex inflammationibus, & tumoribus duris, & neruorum diſpoſitionibus, quæ inflãmationibus reſpondeant. Siccitatem oriri ex iis omnibus, quæcunque ſolidas animalis partes vniuerſaliter exſiccant, qualia ſunt diuturnæ vacuationes, quæ vel ex ventris profluuio, vel inteſtinorum leuitate, vel dyſenteria, vel diuturnis vomitionibus, vel tali aliqua alia cauſa proueniant. Præterea fames longi temporis, Febres ardentes diuturnæ, Febres Hecticæ, & cætera omnia, quæ habent eandem rationem. Ex quibus quidem tribus cauſis congelatione, tenſione, ſiccitate, idem Galen. docet, non ſolùm pulſus, ſed etiam in vniuerſum omnem duritiem prouenire in quinto de ſimplicibus med. 4. Altera autem parte mollem arteriam reddunt alimenta humida, balnea frequentiora, ſomni multi, ac diuturni, vitæ ratio mollior & voluptuuſa, quæ naturæ terminos non egrediuntur. Præter naturam verò mollitiem afferunt contrà, lethargus, aqua inter cutem, & ſi quæ alia ſunt, quæ tunicas arteriarum imbuant longa humiditate, ac præſertim pituitoſa, de quibus Galenus copioſè verba facit toto *4. lib. de præſag. ex pulſ.* Atque hæc de præſagio ex quinque primis generibus pulſuum pro inſtituti ratione in præſentia ſint ſatis.

Exercitationis pulſuum modus.

ABſoluta tractatione de pulſibus ſtatui denuum paucis verbis quædam colligere & verbis explicare, quo deinceps poſſitis in tangendis, & dignoſcendis pulſibus ipſi vos exercere, & ad vſum reuocare, quæcunque hactenus à nobis tradita ſunt. Siquidem certiſſimum eſt, ſine huiuſmodi exercitatione ex ſola librorum, aut præceptorum inſtitutione, neminem poſſe hanc non minùs præclaram, quàm difficilem diſciplinam ſibi comparare. In qua quidem exercitatione non paucos dies, menſes, & annos, ſed toto vitæ tempore oportet vos diligenter verſari, ſi modò velitis in veros, & præclaros medicos euadere. Nam ſi figuli, & pictores (quæ ſunt Gal. exempla principiu libri de dignoſcendis pulſibus) tametſi artis materiam in promptu habeant, plurimos annos laborant, vt accurate artem ſuam calleant, quantum temporis & laboris medicum impendere neceſſe eſt, cui non ſicuti figulo ſola figura, aut ſicut pictori ſoli colores, ſed vno tempore tot arteriæ affectus attendendi, & obſeruandi ſunt, quot iam ſunt expoſiti? Sed eſt, vt vnuſquiſque ſeipſum conſoletur exemplo Galeni, qui etſi quam primum cœpit medicis operam dare, ſine intermiſſione huic arti de pulſibus omne ſtudium adhibuit, tamen teſtatur ſe non niſi poſt plurimos, ſummoſque labores, ac ſenem, exactam, atque abſolutam pulſuum cognitionem conſequi potuiſſe; qui propterea concludit ſe libros ſuos de pulſibus non illis ſcripſiſſe, qui ſtolido ſunt ingenio, vel immenſa diuitiarum, & voluptatum ſiti premuntur, ſed ingenioſis, & ſtudioſis, qui non aliud, quàm veritatis cognitionem, ac veram ſapientiam appetunt, & inquirunt.

Cæterùm, etſi pluribus ſenſibus pulſuum notitia poteſt haberi: ſiquidem vt refert Galen. ex Archigene *5. de dignoſcendis pulſib. cap. 2.* nemo eſt, qui in corporibus gracilibus, & partibus minimè carnoſis non poſſit apertiſſimè oculis videre arterias moueri, diſtendi, & contrahi, nihilominus propter plurimas euidentiſſimas rationes tam certum, quã certiſſimum eſſe debet, totam huiuſmodi cognitionem vni potiſſimùm ſenſui tactus tribuendam eſſe. Quamobrem prætermiſſa viſione, de iis tantummodo noſtrum propoſitum eſt apud vos ſermonẽ habere, quæ maiore notatione, & obſeruatione digna videntur, quo poſſitis cum ratione in pulſuum tactu verſari. Hanc porrò totam tractationem cõmodè mihi videor in duas partes poſſe diſtribuere, alteram, quæ ad arterias tangendas, alteram quæ ad medicum tangentem pertinet.

Ac primò quidem ſciendum eſt, motum arteriarum minimè æqualiter in omnibus corporis partibus, ſed in iis quæ carne priuatæ ſunt, manifeſtiùs, in carnoſis autem obſcuriùs perſentiri. Quare, prætermiſſis prioribus, vt quæ nullũ vſum poſſunt afferre, inter eas, quæ faciliùs, & clariùs tangi, atque obſeruari poſſunt, primo loco numerantur arteriæ temporum, ac pedum ſecundùm plantas, & manuum in carpo, quæ omnes illuſtres planè motus habent.

Secundò autẽ loco ſunt arteriæ capitis poſt aures, & quæ internam brachij regionem occupent, quæ quidem etſi minus quàm priores, tamen non obſcurè pulſant. At verò inter omnes arterias humani corporis ita habendum eſt, eas, quæ in carpo manuum ſitæ ſunt, principem certè locum obtinere: adeo vt nulla alia arteria, nulla in parte, neque promptiùs, neque honeſtiùs, neque commodiùs tangi à medico poſſit. Siquidem huiuſmodi arteriæ primùm nobis ſeſe offerunt aperriſſimè, quòd locus omni propemodum carne vacat.

Deinde honeſtati conueniunt, quod earum gratia nullam corporis partem detegere neceſſe ſit. Poſtremò inſignem præ cæteris commoditatem, & vtilitatem afferunt, quòd illæ in rectum ductæ ſint, minimè obliquæ, id quod non parum ad exactam pulſuum notitiam confert. Etenim ſi arteriæ obliquæ fuerint, hac ipſa ratione, quod inæqualem ſedem obtineant, pulſum quoque inæqualem reddere poſſunt. Hæc à Gal. tradita ſunt in principio libri de Pulſib. ad Tyrones. Itaque arteriæ in carpo maximè omnium medico tangendæ ſunt. Quod ſi æger vobis ſeſe offerat, qui vel deficiente, vel aliter laborante manu, vel quod ita comparatum ſit, vt hoc loco nullus arteriarum pulſus ſentiatur, (quod nonnunquam contingit) vel temporibus, vel poſt aures: vel quæ in primis videtur Gal. ſententia tertio de adminiſtrationibus Anatomicis, cap. vltim. in tarſo vobis licebit arteriam tangere; ſic enim ille ſcribit; *Carnoſis nuſquam in crure pulſus apparet, niſi in tarſo directè ac ſecundum digitum poſt maximum. Tangimus itaque ſubinde arteriam inibi ſitam, cum eam, quæ brachiali ſubeſt, attingere non poſſumus.* Quatenus autem ad alterum caput, nempe ad medicum pertinet, primum, vt illius manus ſit temperata, mollis, minimè dura, & calloſa, vno verbo vt eximio, atque optimo ſenſu prædita ſit neceſſe, eſt. Deinde tribus ſummis digitis arteria attingenda & contrectanda eſt, non quidem extrema digitorum parte, quæ vnguibus proxima eſt, ſed ipſa poſtrema digitorum pulpa, cui quidem parti inter cæteras omnes humani corporis partes ſenſus exquiſitiſſimus à natura tributus eſt.

Præterea minus ægroti nec ſublata, nec depreſſa, nec prona in volã, nec reſupina, ſed omni motu

voluntariu

voluntario libera ſit, & ſoluta, atque naturalem ſitum retineat, qui quidem talis eſt, vt digiti manus, neque in vnum nimis contrahantur, neque in palmam nimis diſtendantur, ſed modicè maneant inflexi, & quo ſitu credimus homines ſanos dormientes manum, & digitos continere. Cæterum appoſitiones, vel applicationes manus medicæ ad tangendos pulſus, quas ἐπιβολὰς χειρὸς vocant, ſunt in triplici differentia 3. primo de dignoſcendis pulſibus cap. 7. *Comprimens, ſuſpenſa, media.* Applicatio manus comprimens quam nonnulli violentam nominant, fit, cum digitis noſtris arteria premitur. Suſpenſa ea dicitur, cum ſuperficiem tantum arteriæ veluti ſuſpenſis digitis, ac leuiter tangimus, nihil deprimimus. Media verò ea eſt, quæ quomodo arteriam deprimit, ſed non ita validè, vt in prima fieri diximus. Quæ quidem tres differentiæ, ac variationes tangendi arteriam in tota hac disciplina de pulſibus varios, & vtiliſſimos præſtant vſus, de quibus nos quidem ſuprà nonnulla diximus, ſed multo plura à Galeno tradita ſunt, de quibus non licet in præſentia longiùs agere. Poſtremò autem loco mihi libet id repetere, quod in principio diximus, neminem poſſe exactam pulſuum cognitionem conſequi, niſi diligenter, ac longiſſimo tempore in eorum contrectatione, atque obſeruatione ſe exerceat. Qua quidem exercitatione vtendum eſt in tangendis arteriis non ſolum ægrorum hominum, ſed etiam ſanorum, quæ vt diximus tanquam norma & regula ad cognoſcendos pulſus præter naturam conſtitutæ ſunt. Quandoquidem ſi ex vna parte memoria teneatis quæcunque de hoc argumento nobis ſummatim, à Galen. diffusè tradita ſunt, ex altera ſi vos ipſos commodè velitis exercere, nihil dubito, quin ſicuti Gal. de ſeipſo teſtatur, vos quoque tandem veſtrorum laborum ampliſſimum fructum ſitis percepturi.

ALEXANDRI
MASSARIÆ
VICENTINI,

Tractatvs IV.
De Vrinis.

INTER omnes Medicinæ Tractatus, eũ, qui de Vrina agit, eſſe nobiliſſimum, & præſtantiſſimum, vel ex eo colligere licet, quòd nemo propemodum ſit vel ex veteribus, vel ex recentioribus Medicis, qui non voluerit in hoc argumento verſari. Propoſitum autem meum eſt cõficere huiuſmodi tractationem non accuratè, & integrè, quia non niſi longiſſimo tempore fieri poſſet, ſed ſummatim & quam breuiſſimè, qui in tanto Auctorum numero id ſaltem contendam, vt ipſa res tractata quantum per me fieri poteſt, facilior, clarior, atque illuſtrior reddatur, & vos accedentes ad praxim, poſſitis quandam vrinarum cognitionem habere, atque ad medicos vſus de quibus poſteriùs ſermonem habebimus, accommodare, donec prouectiores in arte facti, poſſitis demum veſtro Marte omnia exactiùs intelligere. Itaque non longè recedentes ab ea methodo, quam publicè in explicandis ſingulis morbis conſueuimus obſeruare, hanc totam tractationem diuidamus in quatuor partes, in quarum prima de generatione, & eſſentia vrinæ, in ſecunda de illius differentiis, in tertia de cauſis ſingularum differentiarum, in poſtrema de prædictionibus ſermonem habebimus.

Capvt I.
De generatione, & eſſentia Vrinæ.

AT quantum attinet ad primam, etſi de natura, & generatione vrinæ variæ ſint Medicorum opiniones, tamen videntur omnes in eo conuenire, vrinam inter excrementa reponendam eſſe. Id quod eo potiſſimùm argumento fit manifeſtum, quòd tanquam res inutilis, & inepta ad nutritionem ex noſtro corpore quotidie, & frequenter excernatur. At verò cuiuſnam partis, & coctionis ſit excrementum, non itidem conſtat inter omnes. Quam rem vt iuniores faciliùs & meliùs intelligant; mihi liceat nonnulla paulo altiùs repetere. Cum hominibus propter innatum eorum calorem quædam ſubſtantiæ portio aſſiduè, & quotidie effluat, ad eorum ſuſtentationem neceſſe fuit naturæ huiuſmodi iacturam reparare, quod alia nulla ratione fieri potuit, quàm opera cibi, & potionis, vt eleganter ſcribit Galenus lib. de tuenda valetudine in primo. Cæterum, quod à ſingulis particulis noſtri corporis defluit, tale natura eſt qualis ipſa particula, nihil autem eorum, quæ comeduntur, & quæ bibuntur illi prorſus eſt ſimile, hinc neceſſarium fuit naturæ ſingula alimenta, & potiones, alterare, mutare, & quàm maximè fieri poteſt corpori nutriendo, & reſtituendo ſimilia reddere. Huiuſmodi autem cibi, & potus alteratio, & commutatio, quam variam, & multiplicem eſſe oportuit, a medicis concoctio dicitur, ita definiente Galeno 3. *de nat. fac. cap.* 4. & 7. concoctionem eſſe alterationem alterantium in propriam, & conuenientem qualitatem eius quod nutritur. Sed quia neque id fieri potuit, vt alimenta & potiones omni ex parte coquerentur, & corpori aſſimilarentur, hinc neceſſariò excrementorum generatio ſecuta eſt, quæ quidem excrementa, tanquam inutilia, & ſuperuacanea, ne crearent in corpore aliquam moleſtiam, vel periculum afferrent, natura quædam inſtrumenta inſtituit, illiſque facultates quaſdam inſeruit, quibus incitata, quædam ad ſe traherent, quædam aliis tranſmitterent, & quædam demum expellerent. Res autem ita ſe habet. Alimenta poſtquam in ventriculum ingeſta ſunt, à proprio illius calore alterantur, & mutantur in quandam ſubſtantiam liquidam, & candidam, cremori ptiſanæ hordeaceæ quodammodo ſimilem, quàm χυλὸν appellant, quæ prima eſt concoctio. Facta hac alteratione, ventriculus congruam huius ſucci partem retinet, ſibiipſi apponit, & aſſimilat, atque eo verè nutritur, vt apertiſſimè docet Galenus 3. *de nat. fac. cap.* 7. & 13. Etſi nonnulli aliter ſentiant, quos in præſentia nil moror: Reliquam tanquam onus inutile, ac nullius vſus ſibi futuram ad inteſtina deponit. In quo quidem loco cum omnia adhuc ſint confuſa, pars inutilis, & quæ nullam concoctionem poteſt recipere, diſcernitur, & ſegregatur, quæ ſunt in primis craſſiora excrementa, quæ quotidie per aluum deiiciuntur. Altera autem pars vtilis per quaſdam venulas, quæ meſeraicæ dicuntur, ad ipſum iecur deferuntur, in quo tanquam propria ſede facultatis naturalis illa poſtremum quendam ornatum ad formam ſanguinis aſſequitur, quæ ſecunda concoctio dicitur. Hic porrò ſanguis in iecore elaboratus, ad gibboſas illius partes aſcendit, ac per venam longè maximam, quam *Cauam* vocant, veluti per quendam aquæ ductum in dextrum, ac ſiniſtrum cordis ventriculum

deficiunt. Ac poſtremò per venas propemodum infinitas ad ſingulas corporis partes diſtribuitur, & quod in ipſo ſingulis partibus ſamiliare, & accommodatum eſt, illud ſibi attrahunt, aſſimilant, apponunt, quæ tertia concoctio dicitur. Quoniam verò neque alimenta in ventriculo, neque ſanguis in ſingulis partibus ita poſſunt à natura concoqui, & ſuperari, quin aliqua ſemper remaneant, quæ ad huiuſmodi concoctionem inepta ſunt; hinc fit, vt ſingulæ coctiones variis non careant excrementis, de quibus quidem, atque inſtrumentis ad illa accommodatis ſi quis plura cupit intelligere, is videat Galen. in omnibus libris *de fac. nat. 1. de tuen. val. ca. 12. 4. de vſu partium à primo cap. vſque ad ſep.* & toto lib. 5. in quibus tractantur accuratiſſimè quæcunque ad omnem coctionem, & ad omnia corporis excrementa pertinent. Quo loco obiter Actuarius notandus eſt inconſtantiæ, & erroris, qui lib. *de different. Vrin. cap. 5.* docet quatuor eſſe generales concoctiones; prima in ventriculo, ſecunda in venis meſeraicis, & iecoris parte cava; tertia in gibba parte hepatis, & venis quæ hinc proficiſcuntur; quarta in poſtremis corporis partibus. In primo autem lib. *de cauſis Vrinarum cap.* 2. tres tantum commemorat; prima ventriculi, ſecunda in cauis hepatis partibus, tertia, quæ in venarum genere perficitur, in qua se ille recedit à doctrina Galeni, qui apertiſſimè tres tantum coctiones agnoſcit, ſi quidem certum eſt, quam præterea Actuarius excogitauit coctionem venarum, ad communem iecoris coctionem planè referendam eſſe. Cum igitur apud Galenum tres tantummodo generales coctiones ſint, atque in ſingulis varia generentur excrementa, vrina à conſenſu omnium quoddam ſit noſtri corporis excrementum, dubium eſt, quomodo illud fiat, & cuiuſnam coctionis excrementum ſtatuendum ſit. Montanus Veronenſis *lib. 1. de vrinis cap.* 1 cenſuit vrinam renum excrementum eſſe, qui ſcribit renes ſubtiliorem partem ſanguinis, quam ſuccoſitatem vocat, attrahere, concoquere, ac demum, quod ſupereſt, ad veſicam deponere. In qua eadem opinione Galenus 2. *de nat. fac. cap.* 17. 5. *de vſu partium* 5. ſcribit fuiſſe Lycum Macedonem veterem medicum. Quæ quidem opinio eſt perſpicuè falſa, & refutata, immò irridetur à Galeno. Etſi verò id veriſimile eſt, omnes particulares noſtri corporis, quæ nutriuntur, aliquod excrementum creare; tamen ſolos renes, corpora tam exigua tantam excrementi copiam habere, nec confeſſum eſt, nec rationi conſentaneum. Quod quidem Galen. explicat exemplo pulmonum, atque aliorum maiorum viſcerum, quæ longè minorem excrementi copiam gignunt, aliiſque euidentibus rationibus ita aperte confirmat, vt ſupervacaneum ſit ea longius referre. Mercurialis *lib.* 1. *cap.* 2. *de excrementis*, docet vrinam nihil aliud eſſe, quàm materiam potulentam, quæ in iecore aut vaſis à calore naturali aut præternaturali alteratur, à renibus attrahitur, demumque in veſicam reponitur. Quam ſententiam iis propemodum rationibus conatur confirmare, quod animalia quæcunque vel nihil, vel parum bibant, careant veſica. Secundò, quod animalia, quæ multum bibunt, multam quoque vrinam reddant. Tertiò, quod ex præceptis medicorum, quantitas vrinæ potioni aſſumptæ debeat reſpondere. Quartò, quod in ſuppreſſione vrinæ Medici potum interdicunt, idque ne vrinæ quantitas augeatur. Quintò, quod aquæ thermales tales mingantur, quales aſſumuntur, quod argumento eſſe poteſt, huiuſmodi potum in iecore, & renis nullam mutationem ſuſcipere. Sextò, quibus demum nonnullas auctoritates attingit Hippocrat. Galen. Platonis; in quibus referendis nolo tempus perdere, cum liceat omni apud ipſum videre. Cæterùm quia mihi non eſt propoſitum multas aliorum hac de re opiniones referre, & conſutare, illud vnum dico, rationes & auctoritates Mercurialis id planè demonſtrare, vrinam magna ex parte ex materia potulenta ſuppeditari, eas verò, vt ſentio, non item concludere ex ſola atque vnica materia potulenta vrinas conſtare. Namque fœtus in vtero nihil potat, mingit tamen per vrachum. 2. Nonnulla animalia nihil bibunt, nihilominus mingunt, vt cuniculi. 3. Sic homines multo copioſius mingunt hieme, quàm æſtate, cum tamen tunc minus ſoleant potare. 4. Celabre ac certum eſt iam circiter annos 30. in hac Academia fuiſſe Tullium Chryſogonum Dalmatam, Iuris ſtudioſum, qui nihil prorſus bibebat, neque vini neque aquæ, neque alicuius rei humidioris, nihilominus mingebat, & ſatis copioſè. 5. Sic altera ex parte multa ſunt animalia, exempli gratia aues, quæ bibunt, & nihil mingunt. Quamobrem hac in re ego ſentio ita habendum eſſe, vrinam non ſolùm ex materia potulenta, ſed etiam in vniuerſum ex omni materia fieri, quæcunque poteſt liqueſcere, atque vrinæ formam recipere. Ea verò multiplex eſſe poteſt. Ac primò ſerum quatuor humorum, qui continentur in venis, adeo vt Galenus dixerit 4. *Aphor.* a. vrinas purgare totius corporis ſeroſam humiditatem. Immò verò 3. *Epidem. ſect.* 1. *ægroto* 2. definierit de ſententia Hippoc. vrinam nihil aliud eſſe quàm ſerum humorum in venis contentorum. Secundò, ſunt ſinguli humores, quos medici docent, & exempla confirmant, & ſeparatim, & coniunctim per vrinas purgari ſæpenumero. Poſtremò eſt caro, adeps, & ſi quæ ſunt aliæ noſtri corporis partes, quæ poſſunt liquari, & in vrinam conuerti. Vnde ſunt vrinæ melancholicæ, pituitoſæ, bilioſæ, ſanguineæ, oleoſæ, pingues, purulantæ, vt poſteriùs videbitis, pro varia materia, quæ illis permiſcetur, & per hanc viam purgatur. Cum igitur vrina ex varia, & multiplici conſtet materia, id reſtat, vt paucis verbis intelligatis illius generationem, quæ apud Hippocrat. & Galen. eſt eiuſmodi. Nam quod attinet ad potionem, ex qua certum eſt maiori ex parte fieri vrinam, cum ſicuti eleganter ſcribit Galenus 4. *de vſu part. cap.* 5. vel difficile, vel nulla ratione fieri potuiſſet, vt chylus ex alimento in ventriculo factus commodè deduceretur, & penetraret ad venas iecoris, quæ & copioſa humiditas, tanquam vehiculum illi fuiſſet permixta. Porro hunc tam præclarum, & neceſſarium vſum præſtat, vt propterea Hippocrat. poſtremis verbis libri de alimentis huiuſmodi humidum vocauerit *ocaria trophis*, id eſt, *vehiculum nutrimenti*, qui ita ſimul cum appellatione vſum quoque illius voluit oſtendere. At verò poſtquam hæc humiditas, & aquea materia ſuo officio perfuncta eſt, vt chylus ad iecur, & vſque ad venam cauam penetrauerit, nec præterea alium vſum poſſit præſtare, tanquam onus inutile venis futura, non debuit amplius manere in corpore, quandoquidem chylus in iecore elaboratus beneficio veſiculæ fellis, ac lienis duplici bile expurgatus, atque in vena caua formam ſanguinis conſecutus non amplius huiuſmodi vehiculo indiget, partim quòd per ampliores vias deinceps deducendus ſit, partim quod à calore primo iecoris. Deinde cordis, qui multo eſt vehementior, magis fluxilis naturâ ſit redditus.

Quamobrem renes à natura ſunt inſtituti vtrique ipſi venæ cauæ adiacentes, quæ quidem per quaſdam venas, quas *emulgentes* vocant, illud aqueum, & ſeroſum excrementum attraherent, ac demum per alia vaſa, quæ *vreteres* dicuntur, in veſicam vrinariam deponerent. Quatenus autem ad

reliquas

Digitized by Google

reliquas vrinæ materias pertinet, de quibus paulò antè diximus: equidem puto ex iis quoque vrinam fieri, & augeri, quotieſcunque, vel vna, vel altera, vel omnes poſſunt in corpore liqueſcere, & ſeroſam naturam acquirere, quæ deinceps ea ſeparatione à renibus attrahuntur, & in veſicam deiiciuntur. Atque hæc de materia, & generatione vrinæ pro inſtituto noſtro nobis in præſentia ſint ſatis.

CAPVT II.

De differentiis vrinarum.

HÆ cum propemodum infinitæ ſoleant à variis Auctoribus adferri, nobis ſtatutum eſt nonnullas tantùm colligere, quæ videntur maioris momenti, ac magis ad inſtitutum noſtrum accommodatæ. Cum igitur differentiæ rerum maximè propriæ à ſubſtantia rei diuiſæ accipiantur, aliæ verò ab accidenti aliquo, quam methodum Auctores paſſim, & inter cæteros Hipp. & Gal. diligenter ſecuti ſunt in colligendis differẽtiis febriũ, & rerum omniũ, quæ ad vſum artis Medicæ pertinent, mihi libet hac ipſa methodo vrinarum differentias inquirere. Itaque circa eas differentias potiſſimùm verſabimur hoc tempore, quæ primò ex ſubſtantia, deinde ex accidẽtibus poſſunt haberi.

Et quoniam differentiæ ſumptæ ab accidentibus ſunt propemodum innumerabiles; quatenus nonnulla ſunt ſubſtantiæ proximiora, & magis propria, nonnulla verò magis remota, atque extranea, nos paucis quibuſdam volumus eſſe contenti, quæ ex accidentibus ſubſtantiæ proximioribus, & magis propriis accipiuntur, & omnino vtiliores videntur. Huiuſmodi autem differentiæ mea ſententia partim ex colore, partim ex contentis colligi poſſunt, cum cæteræ omnes longiùs à ſubſtantia videantur abeſſe, neque ad materiam inſtitutam tractandam pertinere. Quamobrem nos circa illas differentias vrinæ præcipuè verſabimur, quæ ab his tribus veluti fontibus eliciuntur. Quod quidem eo libentius facimus, quoniam Galenus in huiuſmodi contemplatione hæc ipſa tria capita ſibiipſi cum primis videtur propoſuiſſe, qui hæc habet 4. *de tuen. va. c. 4. Æſtimare præterea vrinæ tum conſiſtentiã, tum colorem oportebit; ſed nec ea, quæ in ea pendent, aut reſident, prætermittere conuenit, ſed omnia perpendere.* Quod igitur ad vrinæ ſubſtantiam pertinet, hinc tres principales accipiuntur differentiæ, vt colligitur ex Gal. 1. *de Criſibus c. 12. circa principium.* Namque aliæ ſunt tenues, aliæ craſſæ, aliæ inter vtrunque extremum mediæ, & moderatæ. Tenues quidem ſunt vrinæ, quæ è medioeri recedunt craſſitudine, ac nondum liquoris, hoc eſt concoctæ, & abſolutæ vrinæ ſubſtantiam ſunt adeptæ. Craſſæ autem ſunt iuſto craſſiores, & quæ ſupra modum in liquorem, & congruam vrinæ ſubſtantiam conuerſæ, & ſemper ſunt perturbatæ. Mediæ verò, ac moderatæ ſunt, quæ neque craſſæ, neque tenues mediocrem quandam, & conuenientem vrinæ formam, & ſubſtantiam ſunt aſſecutæ, ac ſecundùm naturam ſe habent. Quo loco notandum eſt, ad hanc differentiam tenuitatis, ac craſſitudinis alteram differentiam poſſe referri, quæ apud complurimos ad perſpicuas, & perturbatas vrinas pertinet. Nam quæ ſunt vrinæ tenues, hæ ſunt neceſſariò perſpicuæ; quæ autem ſunt craſſæ, hæ neceſſariò ſunt perturbatæ, vt manifeſtè colligitur ex Galeno loco proximè citato 1. *de Criſib.* 12. quæ quidem vrinæ perturbatæ apud Galeno ſunt duplices 4. *aph. comm.* 70. quippe nonnullæ redduntur perturbatæ, & tales longiore tempore manent, nonnullæ verò deinceps ſedimen craſſum deponunt, & clareſcunt. Etſi enim tres aliquando turbidarum vrinarum differentiæ ab eodem Galeno traditæ ſint, ſciendum eſt illum tunc tenues quoque vrinis, quæ puræ minguntur, quadam conſecutione doctrinæ ſimul, & perturbatis confudiſſe, quæ re vera ad perturbatas non videntur pertinere. Atque hactenus de differentiis vrinarum, quæ à primo fonte nempe ſubſtantia earum generaliter conſtitui poſſunt. His ſecundo loco ſuccedunt differentiæ, quæ ſumuntur ex colore. Quæ quidem etſi apud Actuarium, & cæteros auctores plurimæ ſunt, & propemodum infinitæ, mihi videntur ſatis commodè ad certum quendam ordinem, & numerum poſſe referri. Ne quis putet me in præſentia naturã coloris eſſe exacte tractaturum, quod à meo inſtituto longiſſimè abeſt, ſiquidem mihi ſtatutum eſt nullam colorum hiſtoriam, & quædam ſummatim vobis referre, quatenus poſſitis huiuſmodi vrinarum differentias intelligere.

Itaque ſciendum eſt, quod alioqui Ariſtoteli, & omnibus Philoſophis in confeſſo eſt, inter omnes colores duos, albũ, & nigrum præcipuum obtinere locum, atque ex iis tanquã duob. extremis inter ſe commixtis cæteras omnes colorum differentias originem habere. Quæ quidem tot, & tam variæ exiſtunt, vt Plato dixerit in Timæo, ſolum Deum illas exquiſitè cognoſcere, & diſtinguere poſſe. Ceterum ex tot, & tam variis colorum differentiis, nos Galeni exemplo, atque imitatione, 1. *de Criſib.* 12. paucis quibuſdam cõtenti erimus, vt omnem confuſionem fugiamus, quas quidem putamus inſtituto noſtro ſatisfacere poſſe. Illæ verò ſunt ſex numero, quas totidem præcipui colores conſtituunt, albus, nimirum, pallidus, rufus, flauus, ruber, & niger, de quibus ſigillatim quidem, ſed breuiſſimè dicendum eſt. Sed ante omnia illud eſt ſciendum, huiuſmodi colores magis, aut minus, vel, vt vulgo dicitur, intensè, aut remiſsè tales eſſe. Quos quidem ex Galeni obſeruatione, ac ſententia ita licet diſtinguere, vt qui intensè tales ſunt, ſimpliciter proferantur, vrina alba, vrina pallida; qui remiſsè autem non ſimpliciter ſed adiecta particula ſeu præpoſitione, quæ nonnunquam imminuendi vim habet, quæ Græcis ὑπὸ, Latinis *ſub*, dicitur, vrina ſubalba, ſubpallida. Itaque vrina alba illa eſt, quæ aquæ, cryſtallo, niui, vel alteri id genus albo coloris ſimilis eſt. Vnde apud Actuarium, & alios ſcriptores huiuſmodi vrinæ aqueæ, niueæ, atque cryſtallinæ dicuntur. Vrina autem ſubalba eſt, quæ ab hac intenſa, & exquiſita albedine parum recedit, quales vrinas idem Actuarius lacteas, glaucas, & caropas vocat. Quæ quidem nomina ego nihil moror, modò rem intelligamus, nempe vrinas ſubalbas dici, quæ ad neſcio quem pallorem declinant, de quibus, & eorum natura, & differentiis Galenus diffusè ſermonem habet 3. *Epidem. ſect.* 3. *comment.* 70. Galenus vrinæ ſubalbæ colorem vna, vel altera ſimilitudine nobis demonſtrat, qui inquit huiuſmodi colorem ſimilem eſſe, vel vinis abundè tenuibus, & albis, vel æquæ, in quam parum oui, terræ cuiuſdam luteæ, vel bilis iniiciatur. Siquidem talia vina tenuia, & alba, & aqua ea ratione permixta, ab intenſa, & exquiſita albedine nihil diſcedunt, & leuiſſimum quendam colorem pallidum præſeferunt. Si pauca grana hordei decoquantur, & parum bulliant in aqua, illa admodum aptè eiuſmodi album colorem videtur repræſentare. Secundò, ſequitur vrina pallida cuius imaginem refert aqua, in qua terra aliqua lutea, vel bilis copioſiùs permiſceatur: ſubpallida autem remiſſe talis eſt, magiſque ad album colorem vergit, qualem colorem palea, triticúmque quodammodo ad album declinans,

videntur referre, vnde nonnulli hanc vrinam palearem vocant. Tertiò, ſuccedit vrina rufa, quam Græci *pyrrhi* vocant, fortaſſe, quòd ignis flammam repræſentet, quam nonnulli auream appellant, quæ auri colorem præſeferat. Subrufa autem eundem fere colorem, ſed remiſſiorem obtinet. Vnde quidem inter vtramque hæc differentia eſt, quod vrina rufa colorem auri puri, ſubrufa autem colorem auri non puri videatur repræſentare. Quartò, ſuccedit vrina flaua, quem colorem aqua præ cæteris videtur indicare, in qua flores croci ſunt diſſoluti, vnde à nonnullis crocea dicitur. Sic vrina ſubflaua, & ſubcrocea eſt, quæ non ita intenſe hunc eundem colorem ſortita eſt; neque verò velim hic aliquem veſtrum perturbari, quia difficilè aut non niſi longiore tempore, & obſeruatione, aut potius nulla ratione huiuſmodi vrinarum differentiæ à coloribus ſumptæ ita exactè cognoſci, & diſtingui poſſint. Quod ſanè veriſſimum eſt, ſiquidem illud vobis ſatis eſſe debet, ſi à colore albo ad alios progrediamur, pro maiori ab ipſo, ſed minori acceſſu, aut receſſu, reliquos colores, pallidum, inquam, rufum, & flauum, necnon ſubpallidum, ſubrufum, & ſubflauum poſſe conſtitui. Quandoquidem cuique licet, hac veluti catena à colore albo ad pallidum, & ſubpallidum, à ſubpallido ad rufum, & ſubrufum, à ſubrufo ad flauum, & ſubflauum colorem peruenire. In qua quidem vrinarum cognitione, tametſi non ita exquiſita, & omnibus numeris abſoluta, vnuſquiſque veſtrum iure debet in præſentia acquieſcere, donec longiore vſu, ac bonorum Auctorum lectione pleniorem de iis quoque cognitionem conſequi poſſitis. Sed ſecundò, quæ reſtant, colorum differentias perſequamur. Vrina rufa, quàm Græci *pyrrhon*, vocant, illa eſt, quæ colorem rubeum præ ſe fert, qualis in malis quibuſdã craſſis, & aliis id genus fructibus reperitur. Qui quidem color, cum ſit multiplex, varias quoque huiuſmodi vrinarum differentias conſtituit. Auicenna hunc colorem triplicem facit; primò, rubeum clarum, qualis eſt color roſarum vulgarium, quibus aromatarij vtuntur in conficiendo oleo roſaceo; ſecundò, rubeum vnidum, qualis corallorum eſſe videtur; tertiò, rubeum obſcurum, qualis eſt color roſarum, quæ Damaſcenæ dicuntur, ex quibus Zaccharum Roſatum fieri conſueuit. Quam fortaſſe diſtinctionem Auicenna accepit à Gal. *Comment.* 2. *in* 1. *prorret. Comment.* 25. qui tres itidem vrinarum rubearum differentias ponit, rubras, impensè rubras, & ſubrubras; quæ quidem ita ab illo diſponũtur, vt vrinæ impensè rubræ, ſubrubræ ſint veluti duo extrema, rubræ autem inter illa medium locum obtineant. De quibus longius agendum non eſt, quod exempla indicantia priores differentias rubri coloris apud Auicennam, poſteriores quoque apud Galen. ſatis poſſint indicare.

Poſtremò reſtat color niger, qui à nonnullis colore extincti carbonis ſolet circumſcribi. Sed equidem puto hunc quoque colorem pro maiori, vel minori nigritie varias quoque differentias continere, ſicuti de prioribus coloribus diximus. Hactenus de differentiis Vrinarum, quæ à ſecundo fonte; nimirum à colore deſumuntur. Itaque remanent differentiæ, quæ accipiuntur à tertio fonte, nimirum, Contentis, quæ *peryſis amena* Græcia dicuntur, quo quidem nomine comprehendimus omnia quæcunque vrinis permiſcentur, atque in illis conſpiciuntur. De huiuſmodi contentis, ac potiſſimùm de ea parte, quæ reſidet in fundo vaſis, & *hypoſtaſis*, ſeu ſedimentum dicitur, medici cum alia multa, tũ in primis duo diſputant. Alterum vtrùm hypoſtaſis in vrinis ſanorum eadem ſit, quæ in vrinis ægrotorum. De quibus plerique præcipuè, vt Turiſanus olim, & proximo hoc tempore Altimarus peculiares, & longiſſimas diſputationes fecerunt, quas vnuſquiſque ſuo arbitratu videre poteſt. Ego verò cũ nolim, vel iſtas, vel alias id genus quæſtiones agitare, quæ à propoſito noſtro ſunt alienæ, illud vnum dico, quatenus ad primam partem, me ſentire cum Galeno, hypoſtaſium, quæ re vera ſit hypoſtaſis, non in qua crudi humores deponantur, cuius pſeudo-hypoſtaſis meminit Galenus primo *de Elementis, capitulo* 2. primo *de Criſibus, cap.* 2. excrementum eſſe tertiæ coctionis ex illa ſanguinis parte genitam, quæ in ſubſtantiam & nutritionem membrorum conuerti non potuit. Quæ doctrina manifeſtè colligitur ex Galeno 1. *progno*ſ*t. Comment. vlt.* 1. *de different. Febr. cap.* 6. 3. *de Praſag. ex pulſib. cap.* 7.

Quatenus autem pertinet ad alteram (quicquid alij ſentiant) equidem puto vtramque hypoſtaſim tam in ſanis, quam in ægris vnam, & eandem eſſe, eoque tantum differre inter ſe, quòd hypoſtaſis ſanorum ex puriore, & probiore ſanguine generetur, qualis maximè ad nutrienda ſana membra neceſſariò requiritur, hypoſtaſes verò ægrotorum ex impuriore, & improbiore ſanguine originem habeant, qualem veriſimile eſt, vel magis neceſſarium in ægrotis reperiri. Quæ doctrina colligitur ex Galeno 3. *Progno*ſ*t. Comment.* 37. primo *de different. feb. cap.* 6. vbi de ſedimento in vrinis generato multa docet. Atque illud potiſſimùm varium eſſe, quod ex humoribus ſecundùm naturam, vel præter naturam decidat, vel originem habeat. Sed ad contentorum differentias accedamus, quæ quidem, etſi à plurimis variæ plurimæque adferuntur, illæ noſtro inſtituto erunt ſatis quæ creduntur maioris momenti, & ſunt huiuſmodi. Primò à loco, ſeu ſitu, in quo contenta continentur, quæ potiſſimùm triplex eſt, vt docet Gal. 2. *Progno*ſ*t. Comment.* 29. Nam quæcunque in vrina continentur, vel in ſuperiore, vel in inferiore, vel in media vaſis parte conſiſtunt, quæ etiam varia nomina ſortita ſunt. Quæ verò in ſuperficie eſt Græcis *enaoſtia*. Lat. *ſuſpenſum*, quæ in fundo Græc. *hypoſtaſis*. Lat. *Sedimentũ*: dicitur. Tametſi Hip. quod notat Gal. 2. *Progn. Comment.* 29. & 36. 3. *Ep. Sect.* 1. *Comment.* 4 nubeculæ nomen non ſolum ad contentum ſuperioris partis, ſed etiam ad ſuſpenſum partis mediæ accommodare conſueuit. Secundò, ſunt differentiæ à ſubſtantia, ſeu materia, quæ in vrina continetur, ſiquidem non ſolùm nubecula, ſuſpenſio, & hypoſtaſis, ſed & alia multa nonnunquam in vrinis ſolent apparere capillamenta, furfuracea, capilli, arenulæ, pus, ſanies, grumi, ſanguis, lumbrici, & forte id genus alia. Tertiò, à quantitate ſeu modo, quæcunque enim continentur in vrina, vel ſunt magna, & copioſa, vel parua, & modica. Quartò, ſunt differentiæ à forma, ſeu figura, quam contenta obtinent. Namque nubecula, ſuſpenſio, hypoſtaſis, ſunt craſſæ, vel tenues, diuulſæ, vel vnitæ, rotundæ, oblongæ, pyramidales, vel alia forma præditæ, demum æquales, vel inæquales, quod quidem æqualitatis nomen, vel inæqualitatis ego interpretor (quidquid alij velint) non ratione temporis, quod hodie, cras, & perpetuò eadem ſint, vel diuerſa, ſed ratione ipſorum contentorum, quæ inter ſe plena ſint, & æqualia, ſicuti viam dicimus æqualem, vel inæqualem, minimè habita ratione temporis, ſed ſuarum partium. Quando enim via tota plana eſt, tunc æqualis dicitur; quando autem habet alias partes aſcendentes, alias deſcendentes, inæqualis, vt ſcribit Gal. in 3. *Com. de offic. Medici, cap.* 12. Vnde contenta in vrinis dicuntur æqualia, quando plana ſunt, nec variarum partium ſitum, aut continuationem obtinent; ſicuti

contra,

contrà, inæqualia, quando plana non ſunt, ſed variæ eorum partes vario ſitu continentur. Quintò ſunt differentiæ à colore, qui quidem, mea ſententia, poteſt eſſe multiplex, immo verò quilibet ex iis, de quibus ſuprà diximus, tametſi experientia demonſtret, tres præcipuè, album, rubrum & nigrum, modò alium, modò vnum in contentis apparere, adeo vt cæteri omnes facilè ad iſtos poſſint referri.

Poſtremò ſunt differentiæ à tempore: Contenta enim quædam citò, quædam tarde apparent, quædam ſingulis diebus, & omni tempore ſibi ipſis ſimilia ſunt, quædam in dies aliquot mutationes faciunt. Actuarius, & alij quidam, alia inter contenta commemorant, quæ ab illis coronæ, bullæ, ſpumæ, & forte aliis nominibus donantur, de quibus non pertinet ad meum inſtitutum longius agere, quod iſta omnia, ſi diligenter conſiderentur, ex dictis facilè poſſint intelligi. Hæc de Vrinarum differentiis ſatis.

CAPVT III.

De cauſis differentiarum Vrinarum.

TErtium ſequitur caput de cauſis vrinarum, de quibus cum multa dici poſſint, nos circa illa tantummodo verſabimur, quæ nobis videbuntur vtiliora, ac magis ad noſtrum inſtitutum pertinere, ſicuti hactenus de duobus prioribus capitibus factum eſt. Quoniam verò Medici Vrinas contemplatur, atque earum cauſas inquirunt, vt poſſint affectus præter naturam intelligere, & curare, ex doctrina Galeni 3. *Symptom. cauſis.* ſi quis primum intelligat, ex quibus cauſis vrinæ per ſanitatem efficiuntur, is facile quoque morboſarum vrinarum cauſas poterit intelligere. Itaque tres videntur præcipuæ cauſæ generationis Vrinæ. Prima materia, quam ſtatuimus eſſe potiones, & humores, & carnem, & adipem, & ſi quod aliud eſt quod poſſit liqueſcere, & in vrinam conuerti. Secunda efficiens, quæ non alia eſt, quam facultas naturalis, atque ea potiſſimùm, quæ concoctioni, & generationi ſanguinis dicata eſt. Tertia inſtrumentaria, omnes ſunt illæ partes, venæ in primis, renes, vrinarij meatus, & veſica, quæ ad efficiendum, & purgandum huiuſmodi excrementa, ſunt à natura inſtituta. Hinc facilè eſt vrinarum cauſas præter naturam colligere. Nam quemadmodum, ſi tres propoſitæ cauſæ conueniunt, ac ſecundùm naturam ſe habent, naturalis atque optima redditur vrina, ita ſi vrina declinat à ſtatu naturali, vt id fiat, vel propter vnam, vel propter plures ex prædictis cauſis, quæ propriam naturam non ſeruant, neceſſarium eſt. Sed nos ſingulas differentias conſideremus, ac primùm cauſas tenuium, ac craſſarum vrinarum inquiramus, quæ à ſubſtantia accipiuntur, & primum locum ſibi vendicant. Prætermiſſis verò opinionibus ego quidem puto ad mentem Galeni vrinas tenues reddi propter vnam vel alteram, vel omnes cauſas, ex quibus modò diximus naturalium vrinarum generationem conſtare. Ac primò vitio facultatis alteratricis, quotieſcumque illa à congrua coctione deficit. Cum enim coctione ſemper craſſiora reddantur (quod in publ. lect. cum Ariſtotele, & Galeno ſatis demonſtrauimus) facile eſt intelligere, quomodo ex debili, & imperfecta coctione vrinæ tenues reddantur. Quamobrem, & quas ob cauſas facultas alteratrix potiſſimùm in iecore, & venis à proba concoctione deficiat, alio loco declaratum eſt. Secundò, vrinæ tenues fiunt vitio materiæ, vt ſi quis exempli gratia, copioſiorem aquam potauit, quod manifeſtè videmus iis vſu euenire, qui aquas thermales accipiunt, in quibus vrinæ, plane tenues, & omni ex parte aqueæ ſimiliter reddi conſueuerunt, quod propter celerem tranſitum minimè poſſunt alterari. Tertiò vrinæ quoque tenues redduntur vitio inſtrumentorum, ſi illa fuerint vel obſtructa, vel aliter malè affecta, adeo vt non niſi quod tenue eſt, per ea permeare poſſit.

Ad quem modum ſcribit Galenus *6. de locis aff. cap. 2.* in nephriticis ab initio aquoſas admodum, puraſque vrinas reddi, quod tunc renes à lapide ſint obſtructi; ſequentibus autem diebus, poſtquam obſtructio aliqua ex parte ablata eſt, vrinæ craſſiores fiunt, quotieſcumque huic aquoſo excremento alij, ac præcipuè crudi humores permiſcentur. Quod quidem multis rationibus fieri poteſt, de quibus longiùs agendum non eſt. Quoniam verò diximus ad has differentias tenuitatis, & craſſitudinis alteram . . . manifeſtum (turbationis) obſcuritas, & perſpicuitas, poſſe referri: ſciendum eſt, ex Galeno 4. *Aphor. Comment.* 70. vrinas perturbatas reddi, quod multi craſſi humores in venis à calore agitantur: ſiquidem hinc fit multi ſucci, & craſſi humores, per vrinæ ſubſtantiam miſceantur; & diſpergantur, ex quo illa perturbata redditur.

Quod quidem nulli mirum debet videri, cum huiuſmodi humorum agitatio, & poſtquam vrinæ mictæ ſunt, etiam perſeueret, ſicuti ipſa quoque vrina ex noſtro corpore exiens, quandam caliditatem per aliquod temporis ſpatium ſeruare conſueuit. Si quis autem cupiat magis apertè intelligere, quidnam Galenus per huiuſmodi humorum agitationem intelligat, is ſciat, illum nihil aliud, quam concoctionem intelligere, quod manifeſtè declarat *4. de tuen. valet.* 3. vbi hæc habet. *Quod ſi perturbata ſit vrina, qualis iumentorum viſitur crudis humoribus. indicat venas refertas eſſe, non tamen ceſſare naturam, ſed eos valenter concoquere ſtuder.* Quam eandem ſententiam licet colligere in 1. *Pror. Comment.* 28. necnon 3. in 1. *Prior. Comment.* 20. quo loco notandus eſt error vulgarium medicorum, qui vbicunque vident vrinas perturbatas, ſtatim pronuntiant febrem, vel morbum eſſe malignum, cum tamen Galenus id tantum apertè nos doceat, huiuſmodi vrinarum turbationem non aliter fieri, neque aliud quàm craſſorum, & viſcidorum humorum agitationem, & concoctionem prætendere: Cauſæ autem propter quas vrinæ vel turbatæ minguntur, ſed paulo poſt reſident, vel turbatæ longo tempore, aut ſemper manent, quæ duæ turbatarum vrinarū differentiæ à nobis ſunt conſtitutæ præclarè explicatur à Galen. 1. *de Criſib. cap.* 12. qui docet pro maiore, vel minore humorum agitatione, ac materiæ concoctione alterutrum contingere. Namque ſi pugna inter naturam, & humores eſt propemodum par, vt neque natura ab humoribus, neque humores, à natura ſuperentur, adeo, vt partes vrinæ craſſiores à tenuibus nequeant ſuperari, tunc perſeuerante adhuc, & vigente in humoribus huiuſmodi agitatione, & perturbatione, vrinæ non ſolùm perturbatæ minguntur, etiam ſed turbatæ neceſſariò remanent. At verò, ſi natura ita cum humoribus pugnet, vt illos incipiat expugnare, adeo, vt craſſorum à tenuibus, bonorum à malis ſecretionem; ac manifeſtam coctionem incipiat moliri, tunc mitis iam remanente agitatione, vrinæ turbatæ quidem minguntur, ſed paulo poſt reſident. Verba Galeni ſunt huiuſmodi: *Quæ vrinæ non ſtatim ſubſident, parum adhuc inæqualis perturbationis remanſiſſe ſignificant. Quæ verò ſemper ſimiles manent, vigere adhuc perturbationem in ſanguine demonſtrant.* Ex quo idem docet alteram vrinam, quæ turbata mingitur, confeſtim, verò ſubſiſtentiam oſtendit cæteris eſſe meliorem

ac indicare morbu- non multò pòſt concoctum iri. Alteram autemquæ turbata mingitur,& turbata permanet,eſſeminus bonam,quippe quæ longiore tempore,&virtute robuſta ad concoctionem indigeat. Atque hactenus de cauſia differentiarum, quæ à ſubſtantia vrinarum accipiuntur, poſt quas illæ duæ ſequuntur, quæ ſumuntur à coloribus, de quibus quidem cauſis variorum colorum, qui in vrinis apparent,cum plurimæ ac maximæ ſint difficultates, variæque Philoſophorum, ac Medicorum opiniones, mihi ſtatutum eſt, prætermiſſa omni diſputatione, illas tantùm cauſas vobis explicare, quas equidem puto veriores eſſe, ac potiſſimùm doctrinæ Ariſtotelis, & Galeni magis conſentire. Itaque duæ præcipuæ videntur eſſe cauſæ, propter quas vrinæ varios colores acquirunt, alteram propter diuerſam concoctionis rationem, alteram propter varios humores, qui illis permiſcentur. Ad quas duas cauſas cæteræ omnes, ſi quæ ſint, facilè mihi videntur poſſe referri. Cæterum vtranque huiuſmodi cauſam præclarè mihi videntur tradidiſſe Hippocrat. & Galen. Hippocrates quidem lo eo ſingulari Epid. *ſect.* *textu* 25. qui hæc habet. *Vrina eiuſdem cum cibo, & potu coloris eſt, ac veluti humorum in corpore colliquatio exiſtit.* Galenus verò, *Vrina nonnunquam ei, quod potum eſt, in colore ſimilis apparet*, &c. Sed cauſas ſingulas in Vrinis breuiter perpendamus. Primò, ſi Vrinæ nihil alterentur, & concoquantur, (quod multis de cauſis fieri poteſt) albæ remanent, quales diximus appellari aqueas cryſtallinas, niueas. Si verò debiliter, atque vtcunque alterentur, tunc proximi generantur colores, albus, ſubalbus, pallidus, ſubpallidus, & qui deinceps generantur colores. Altera autem ex parte ſi alteratio, & concoctio tantum præcedat, & vt ſupra modum, atque naturæ, inſtinctum ſit, pro vario gradu alterationis, cæteri tantùm generantur intenſiores colores ad nigrum vſque, quandoquidem ita generaliter habendum eſt, à proba & naturali coctione iecoris potiſſimùm, ac venarum, colores quoque vrinarum probos, & naturales fieri, qualis ſubrufus eſt, & ſubflauus. Ex debiliori autem coctione, & calore naturali reddito debiliore, remiſſiores colores, album, ſubalbum, pallidum, ſubpallidum, generari, ac demùm ab eximio calore, & nimia coctione, colores intenſiores originem habere. Quæ doctrina eſt Galen. 5. *de Criſibus cap.* 12. Sed tamen ſciendum eſt, ex eodem Galeno loco citato, necnon 1. *Progn. Comment.* 29. nigram Vrinam fieri, non ſolùm ex immoderato calore, qui calorem natiuum extinguens, primum liuidum, deinde nigrum colorem induerit, ſed etiam ex refrigeratione vehementi,ſicut in partibus externis noſtri corporis contingit ſæpenumero, quæ non minùs ex immodico calore, quàm ex vehementi frigore, huiuſmodi nigro colore afficiuntur. Etſi Argentetius, Mercurialis, & alij nonnulli, hanc Galeni ſententiam non omni ex parte recipiant, qui contendunt nullo modo fieri poſſe, vt viuente homine, talis ac tanta frigiditas in partibus internis poſſit excitari, quæ valeat nigras Vrinas efficere. De quibus non multum laboro in præſentia, quia ad tuendam Galeni ſententiam puto id ſatis eſſe, in partibus internis calorem natiuum vſque adeo remitti aliquando,& refrigerati, vt proximè extinguatur, adeo vt ſumma cum ratione dixerit Galenus, ſe nullum vnquam ſeruatum vidiſſe, qui huiuſmodi nigras Vrinas minxerit, de qua re aliàs.

Secunda cauſa colorum in Vrinis fuerat variarum humorum permixtio, pro quo ſciendum eſt, quod Galenus docet 5. *de vſu partium, cap.* 6. *ad finem*, nimirum, partes noſtri corporis, quæ per amplas vias accommodatum ſuccum ad ſe trahunt, non poſſe ipſum ſuccum purum, ſyncerumque trahere, ſed alterius cuiuſdam diuerſi permixtione adulteratum. Si verò eiuſmodi attractio per anguſtas vias, ac per tenuia, ac obſcura trahentium inſtrumentorum officia fiat, tum familiarem ſuccum ſyncerum, ac ſine vllius alterius permixtione trahere. Ex quo factum eſt, vt veſica fellis ſuccum, quem natura ſibi trahendum præſcripſerat, ſolum ſyncerum, ac omnis alienæ qualitatis expertem ad ſe trahat, cum anguſtis quibuſdam, & inuiſibilibus finibus vaſorum, quæ à ſe ipſa in iecur inſeruntur, contingat eiuſmodi attractionem fieri. Cum altera ex parte neque lien, neque renes, quod vtrumque membrum ampliora trahentia vaſa ſortitum eſt, accommodatum tantummodo ſibi ſuccum eliciant, quandoquidem lien non ſolùm proprium ſuccum melancholicum, quo nutriatur, ſed etiam ſimul aliquid, antequam ad ipſum perueniat, ſanguinis attrahit, quem venæ, quæ ſunt in omento, trahere ad ſe ipſas occupant. Sic renes præter Vrinam, multum quidem flauæ bilis, multumque tenuioris, & humidioris ſanguinis, & omnes propemodum humores,quicunque in venis, & arterijs continentur, ſuapte natura trahunt.

Ex quibus illi quidem ſanguine nutriuntur, bilis autem, ac cæteri humores ſimul cum Vrinis, ad veſicam tranſmittuntur. Itaque renibus, & propter amplitudinem trahentium meatuum, & propter ſui nutritionem, & propter alios vſus natura tributum eſt, vt non ſolum vrinam, ſed ſimul quoque ſanguinem, flauam bilem, & alios humores attrahant, ex quorum mixtione fit, vt in Vrinis varij colores appareant. Ad quem modum in febri quotidiana, in hydrope anaſarca permixta pituita, in febre tertiana,& ictero permixta flaua bile, in febri ſynocha, & in fluxione iecoris permixto ſanguine: In febri quartana, & ictero nigro permixta melancholia, liuida alba,flaua,rubra,nigra conſpiciuntur. Et quando ſinguli humores ex varijs differentijs, necnon colorum gradibus conſtant, præterquam quod à rebus quoque externis; exempli grat. alimentis, medicamentis, exercitationibus, alterantur, ac varios colores acquirunt.

Præterea verò, quoniam non vnica menſura, ſed modò parcius, modò copioſius Vrinæ permiſcentur, hinc facilè eſt intelligere cauſas tot variorum colorum, quos iam ſuprà diximus in Vrinis apparere: Id quod exemplo vnius flauæ bilis, quæ maiori ex parte Vrinis permiſcetur, duobus verbis mihi liceat illuſtrare. Cum itaque variæ ſint ſpecies bilis, tam naturalis, quàm præternaturalis quæ varijs quoque nominibus appellantur, de quibus non pertinet longiùs ad meum inſtitutum in præſentia agere, ſi accipiamus bilem naturalem, quæ generaliter calore, quem ſuapte natura obtinuit, apud Græcos tum flaua, tum pallida dicitur. Huiuſmodi bilis ſi moderatè cum vrinis permiſceatur,colorem pallidum, & ſubpallidum, ſi verò permixtio fuerit largior, colorem rufum, & ſubrufum efficit. Si verò accipiamus bilem præternaturalem, vitellinam, praſſinam, æruginoſam, ex iis etiam pro vario illius colore, & calore, necnon pro maiore, & minore illius permixtione flauus, ſubflauus, & deinceps cæteri vrinarum intenſiores colores generabuntur. Ex quo exemplo idem de cæteris humoribus ſtatuiſſe licet.

Itaque ad cauſas differentiarum,quæ ex contentis accipiuntur,ac ſolæ reſtant,veniendum eſt. Cum autem differentiæ hæ plurimæ ſint, omnes (ni fallor) ad duas præcipuas cauſas mihi videntur poſſe referri. Altera ad varietatem concoctionis, altera ad varietatem materiæ, quæ concoctioni ſubiicitur,

ſubiicitur. Sed ſingulas differentias, atque earundem cauſas breuiter perpendamus. Prima differentia fuerat à loco, in quo, vel inferiore, vel ſuperiore, vel medio contenta reſident; Vnde varia quoque nomina ſortita ſunt. Ergo ſi ex vna parte concoctio exigua fuerit, vel nulla, ex altera ſi materia fuerit tenuis, contentum in ſuperiore loco, Nebula erit. Si verò concoctio præcedat, & materia quodammodo craſſeſcit, contentum, medium locum occupabit, & ſuſpenſionem monſtrabit: ſi demum concoctio ſit abſoluta, materia adhuc craſſior, contentum infimum locum petet, & hypoſtaſim efficiet. Ita enim in ſumma habendum eſt, contenta quo ſunt crudiora, eo magis aſcendere; quo magis ſunt cocta, eo magis deſcendere, vt ordine quodam in morbo crudo fiat Nubecula, præcedente coctione, ex Nubecula Suſpenſio, ac demum coctione abſoluta, ex Suſpenſione Sedimentum generetur. Pariter contenta quo ſunt tenuiora, eo magis aſcendere; quo ſunt craſſiora, eo magis deſcendere.

Quod tamen naturæ maximè conuenit, adeo, vt ſi quod coquitur admodum tenue fuerit, nulla vnquam in Vrinis contenta reſideant, ſed perpetuò ſuperiorem locum retineant. Ad quem modum ſcribit Galen. 1. *de Criſibus capit.* 12. in illis corporibus, quæ vel tenui victu vtuntur, & iis afficiuntur febribus, quæ ex tenuibus humoribus (qualis eſt flaua bilis) generationem habeant, ſedimentum nunquam in Vrinis apparere. Secunda eſt differentia à varia materia, quæ præter nebulam, ſuſpenſionem, & ſedimentum quandoque in Vrinis continetur arenulis, lapillis, capillamentis, furfuraceis, ſanguine, pure, & reliquis, de quorum cauſis non eſt hic locus, vt longiùs agamus, quia fauente Deo, id cumulatè ſumus facturi in peculiari tractatu de affectibus renum, & veſicæ, ad quem hæc omnia pertinent. Cauſa iſtius differentiæ manifeſtiſſima eſt. Sunt autem multa, & copioſa, quando materia concoquenda plurima eſt, ſicuti in pueris euenit, & iis, qui ſunt voraces, plurimáque alimenta aſſumunt. Contrà verò fiunt pauca, quando eadem materia deficit, ſicuti iis contingit, qui tenui victus ratione vtuntur, in quibus contenta nimia quandoque nulla conſpiciuntur. Quarta eſt differentia à qualitate, ſeu forma contentorum, quæ craſſa, tenuia, oblonga, æqualia, vel inæqualia euadunt, idque ex eiſdem duobus ſuperioribus cauſis fieri certum eſt. Contenta enim craſſa, vel tenuia fiunt, quando materia adhuc cruda eſt, neque à natura medis, & congrua qualitate inter vtrunque extremum potuit domari. Sic æqualia ſunt, vel inæqualia, ac variam figuram obtinent, prout materia vnica, & ſimilis, vel non vnica, & diſſimilis exiſtit, necnon prout natura, vel pro parte, vel ex toto illam coquit, ſuperat, & ad naturalem formam illam deducit. De coloribus contentorum, atque eorum cauſis nolo quicquam dicere, quæ quinta fuerat differentia, quia puto & contenta, & totas vrinas ab eiſdem cauſis varios colores acquirere, de quibus iam ſuo loco ſatis diximus.

Poſtremò cauſæ propter quas contenta ſingulis diebus, & omni tempore ſibi ipſis ſimilia ſint, vel diſſimilia, non aliæ ſunt, quàm firmitas, & infirmitas, mobilitas, & conſtantia cauſæ agentis, necnon ſimilitudo, vel diſſimilitudo materiæ, in quam cauſa agit, ſicuti in rebus prope omnibus vſu videmus euenire. Nam ſi ex vna parte materia noxia, ex altera vis naturæ eadem ſit ſemper, contenta, ſeu bona, ſeu mala, ſemper in eodem ſtatu permanebunt; Si verò materia fuerit multiplex, ac varia, natura item nec ex toto dominetur, nec ex toto domata ſit, vt contenta infirma, atque inconſtantia ſint, neceſſarium eſt. Ex quo Galenus colligebat 1. *de Criſibus* 12. morbum ſemicoctum eſſe. Atque hæc de tertio nobis propoſito capite, & cauſis Vrinarum, pro inſtituti noſtri ratione ſint ſatis.

CAPVT IV.

De prædictionibus ex Vrinis.

QVæcumque de Vrinis hactenus diximus, ad hoc poſtremum caput de prædictionibus tanquam ad principalem ſcopum referenda ſunt. Porrò autem ſicuti ex vna parte omnes fatentur, Medicos ex vrinis poſſe in multarum rerum cognitionem, & prædictionem venire: ita ex altera parte non conuenit inter omnes, quantum huiuſmodi cognitio & prædictio debeat dilatari, vel contrahi: quandoquidem nonnulli ſunt, qui profiteantur omnes morbos omnium partium, ſingula ſymptomata, ſingulas cauſas, non ſolùm internas, ſed etiam externas, omnia denique ſe ex vrinis poſſe intelligere, ac vaticinari. Alij verò cenſent hoc iudicium multò anguſtioribus terminis definiendum eſſe.

Nos verò id primùm conabimur explicare, quidnam generaliter ex vrinis liceat præcognoſcere; Deinde quodnam indicium, vel quam ſignificationem ſingulæ vrinarum differentiæ poſſint adferre, in quibus quidem explicandis nobis ſtatutum eſt, more noſtro, vnius Galeni diſciplinam imitari. Cum iam demonſtratum eſt vrinam, ſerum, atque excrementum eſſe humorum, qui continentur in venis, quod à Galeno quoque traditum eſt. 3. *Epidem. Sect. Comment.* 44. ſingula excrementa, & in ſanis, & in morboſis corporibus ſingularum partium, quarumcunque excrementa coctionem, & conditionem demonſtrant, alui excrementa, ventris, ſputa thoracis excreta per venas cerebri, ac demum Vrinæ eorum, quæ in venis continentur. De qua re audiaris rurſus Galenum 4. de tuen. val. 4. *De iis, quæ intra venas ſunt, nullum planè, nec manifeſtum, nec euidens ſignum habemus præter ſolam vrinam.*

Cæterum dubium eſt, vtrùm cerebro, thorace, vel alia corporis parte laborante, vrinæ contemplatio poſſit medicis aliquem vſum afferre; in qua quidem re apud plures controuerſia eſt. Ego ita ſentio cum Galeno, Medicos in Vrinis primùm, ac per ſe de iecore, renibus, veſica, iudicium facere; ſecundò autem, & per accidens, neque cæteris partibus laborantibus; earum contemplationem prorſus eſſe reiiciendam, quod vel ex eo poteſt ſatis confirmari, quod in omnibus morbis, quicunque tandem illi fuerint, ad præſagiendum maximum momentum habet, ſi naturalis facultas, vel benè vel malè ſe habeat, quod ex vrinis licèt potiſſimum intelligere; ſed iis præterea Galeni teſtimonium accedat, qui Hippocrat. hiſtoriam recenſens de muliere laborante volulo admiratus, quam ob rem ille vrinarum mentionem fecerit, quamuis affectus non in humoribus, & venis, ſed inteſtinis contineretur. 2. *Epidem. ſect.* 2. *ægroto* 9. reſpondet, ac nos docet, laborantibus non ſolùm iecore, & venis, ſed etiam ventre, thorace, pulmone, neruis, atque, vt ego interpretor, cæteris partibus noſtri corporis, vrinas perpetuo fore inſpiciendas, qui ita ſtatuit aliis laborantibus partibus à iecore, & venis vrinas quidem bonas, haud magnum momentum adferre ad ſalutem, prauas verò ſemper ægri periculum amplificare, quòd huic vrinæ ſint argumento præter malum principale, inſtrumenta quoque nutritionis malè ſe habere; verba Galeni ſunt huiuſmodi: *Sic Hippocrates conſueuit, vbi aliquod ſpirans,*

ſpiritus inſtrumentum læſum fuerit, vrinas inſpicere, quæ ſi ſecundum naturam ſe habeant, in ſolis inſtrumentis ſpiritus verſatur periculum; ſi hæ quoque praua appareant, ita ſignificant nutritionis quoque inſtrumentum laborare, itaque vrinas ſemper memineris, vt ſimul inſpicias in affectibus ventris, thoracis, pulmonis, neruorum: nam ſi bonæ appareant, haud magnum præbent momentum ad ſalutem, contrà ſi praua, amplificatur ſimul ægri periculum.

Hæc Galenus. Quam ferè ſententiam licet colligere ex tertio de Criſibus, Quocirca præter rationem hanc Galeni diligentiam nonnulli recentiores arguunt medici, quicumque non ſolùm malè affectis humoribus, ſed etiam laborantibus capite, thorace, ventriculo, inteſtinis, atque in morbis prope omnibus vrinas negligunt. Etſi enim in pluribus morbis non licet ex iis primùm, & per ſe aliquam ſignificationem accipere, nihilominus earum contemplatio multis nominibus multos vſus poteſt medicis afferre, ſicut diximus, quod quidem multa ex Galeno, & Hippocrate exempla illuſtria ſatis poſſunt confirmare, quæ à nemine poſſunt ignorari. Eſt celebris, & iam diu agitata quæſtio, vtrùm ad præſagiendum ſalutem, vel mortem hominis pulſus, an vrina certiora indicia valeat adferre.

Cum autem ratio noſtri inſtituti ab omni longiore diſputatione abhorreat, vt ne tamen illud quoque prætermittatur, mihi libet quàm breuiſſimè, & ſummatim eam reſponſionem adferre, quam equidem cenſeo ad mentem Hippocrat. & Galeni, ac planè veriorem eſſe. Galenus ſententiam ſuam totius præſagitionis ſalutis, aut mortis ad duo capita refert: quæ quidem, etſi vno tantum verbo poſſunt explicari, tamen reipſa longè maximum habent momentum; ea verò ſunt quantitas morbi, ac virium. 1. *ad Glauc. cap.* 8. *ad finem*: nam ſi vires adeo validæ fuerint, vt poſſint morbum ſuperare, neceſſe eſt ægrotum euadere; ſi verò contrà, omnino moritur. Si quis autem quærat vtrùm pulſus, an vrina firmiore ratione huiuſmodi quantitatem poſſit explicare, ego reſponderem cum Galeno, multo certiora indicia ex vrina, quàm ex pulſu haberi poſſe; Galenus namque hanc ipſam rem ferè ex propoſito tractans 1. *de criſibus*, 13. inquit ad præſagiendum ſalutem, vel mortem omnia ſigna fore diligenter perpendenda, quænam ſint firmiora, vel infirmiora. Deinde capit. 14. docet huiuſmodi ſigna eſſe triplicia, cruditatis, & coctionis, mortis, & ſalutis, iudicatoria, quorum omnium naturam, ac vim accuratè exponit, Tandem capit. 15. concludit neceſſariò aliquod ſignum extare, quod certam de hoc iudicio fidem nobis facere poſſit, alioqui temere ab Hippocrate ſcriptum fuiſſe 2. Aphor. 27. *iis quæ non ex ratione cedant, haud temere fidere oportet.* Denique de iudiciis tractationem fruſtra à ſe fuiſſe inſtitutam, niſi enim extet aliquod ſignum certum, ac minime dubium, quod nos doceat, qualianam cum ratione ſubleuent ægrotos, & qualia præter rationem eueniant, vt vniuerſa huiuſmodi tam apud Hippocratem, quàm apud Galenum ſit deficiens, & ſuperuacanea fateamur neceſſe eſt. Quod verò, inquit Galenus, ſit hoc ſignum, ego libenter audirem ab illis, qui veterem medicinam contemnunt. Nos enim credimus id quod ab Hippocrate dictum eſt, verum omnino eſſe, *concoctio celeritatem iudicij & ſalutis ſecuritatem partam docet.* Quod ſi ex Galeni doctrina ſola ſigna concoctionis, & cruditatis, inter cætera omnia firma ſunt, ac ſtabilia, hæc autem ex vrina, minimè ex pulſu colliguntur, vtique huiuſmodi ratio meam ſententiam demonſtrat, longè certius videtur indicium ſalutis, vel mortis ex vrina, quàm ex pulſu colligi poſſe; namque finge Socratem laborantem, qui ſimpliciter pulſus robuſtos habet, an hinc liceat præſagire Socratem eſſe conualiturum? id verò minimè, ſiquidem fieri poteſt vt morbus viribus longè maior, ac ſuperior exiſtat. Quamobrem, oportet non ſimpliciter, ſed facta comparatione cum morbo ad facultatis vitalis animum attendere, quod eleganti ſimilitudine duorum athletarum demonſtrat Galenus 3. *Prognoſt. Comment.* 6. Nam ſicut non licet præſagire vter eorum ſit victurus, niſi vtriuſque vires, & pugnæ progreſſionem animaduertamus: ita Medicus non poteſt de ſalute, vel interitu hominis iudicium facere, niſi vires vtriuſque, naturæ inquam, & morbi tanquam duorum hoſtium inter ſe comparentur: ſi quidem certum eſt, natura morbum ſuperante, ſalutem, ſuperata autem interitum ſuccedere, quod à Galeno quoque traditum eſt 2. *Prognoſt.* 7. 3. *de Criſibus* 3. 4. *de Præſagit. ex pulſ. cap.* 11. Sola autem coctio poteſt huiuſmodi comparationem declinare, & explicare, quandoquidem hac ſola ratione liceat intelligere naturam morbo ſuperiorem eſſe, ac de illo victoriam eſſe reportaturam, definiente Galeno 3. *de Criſibus* 5. coctionem nihil aliud eſſe, niſi vbi natura ſuperior euaſit, & reſiſtit vehementiori conatui morbi, & expugnauit. Sed hac de re ſatis ſit, & ad prædictiones, & ad ſingulas vrinæ differentias deueniamus. Ex prima vrinarum differentia ſecundùm ſubſtantiam diximus alias eſſe tenues, alias craſſas, alias moderatas quæ omnium conſenſu, & coctionem, & cruditatem ſignificant, quandoquidem vrinæ, quæ mediam quandam ſubſtantiam obtinent, probam coctionem oſtendunt; quæ autem ab huiuſmodi moderatione, & medietate recedunt, tum tenues, tum craſſæ, concoctionis vitium indicant. Quod quidem poteſt eſſe multiplex, & quomodo vrinæ ſunt magis, & minus tenues, aut craſſæ, magiſque, vel minus à priore naturali mediocritate recedunt. Tenues quidem vrinæ, etſi aliquando ab immoderato calore tales redduntur, tamen maiori ex parte caloris imbecillitatem oſtendunt, quod ſi tenues diutius perſeuerant, vel morbi longitudinem, vel mortem, vel ſolutionem per abſceſſum præſagiunt, vt diffusè docuit Hippocrates, & Galenus 2. *prognoſtic. Comment.* 31. *& ſeq.* Præterea verò, tenues vrinæ debent manifeſtè, vel cum ipſis excerni, quandoque etiam non leues ſubeſſe obſtructiones, ex quibus fit, vt retentis partibus craſſioribus, tenuiores tantum fluere, & permeare poſſint. Vrinæ autem craſſæ, etſi illæ quoque humorum cruditatem ſignificent, tamen perpetuò debilem, minimè excedentem coctionem oſtendunt, atque illæ potiſſimùm, quæ craſſæ minguntur, neque ſubſident, quandoquidem alteræ ſimul ſubſidentes, principium cuiuſdam concoctionis ſignificant, ac maximè, vbi citò ſubſident. Quod à Galeno traditum eſt. 3. *Epidem. Sect.* 1. *ægroto ſecundo*, de *Hermocrate*, de quo Hippoc. *vrina, & rubentes, depoſitaque non ſubſidebant, & rurſum ſub iſto die reddidit vrinam tenuem. ſuſpenſiones habebat, nec ſubſidebat.* Speciatim craſſæ vrinæ in crudis, & craſſis humoribus magnam flatuoſam agitationem indicant, vt notat Galen. 4. *Aphor. Comment.* 70. 3. *Epidem. Comment.* 5. & nos quoque ſuprà diximus.

Ex quo deinceps præterquam quod generaliter morbi longitudinem, coctionis difficultatem, & alia pericula indicant, flatibus vnà cum calidioribus ſuccis ad ſuperiora eleuatis, ſpeciatim capitis dolores, aliosque affectus ſolent demonſtrare. Quod eſt Hippocrat. & Galen. *Aphor.* 20. Quod ſi Galen. ſcripſit aliquando 2. *Prorrет. Comment.* 2. nullam in vrinis ſignum eſſe, quod delirium, dolorem capitis, vel alias capitis affectiones portendat, quæ

aliis

Digitized by Google

aliis tum ſignis, tum ſymptomãtis indicantur, iam ſuperiùs reſponſio tradita eſt; vrinas non primum, & per ſe, ſed ſecundariò, & per accidens elenatis vaporibus iſtud ſignificare. Quæ reſponſio ad verbum eſt Galeni, 3 *Epidem. Sect. 3. ægroto* xxo. Quid porrò ſingulæ turbidatum vrinarum differentiæ ſignificent, apertiſſimè traditum eſt à Galeno 1. *de Criſibus cap.* 1x. qui inquit vrinas. quæ tenues, ac puræ minguntur, paulò autem pòſt perturbantur, leue quidem concoctionis præludium indicare, quandoquidem perturbatio quædam flatuoſi ſpiritus illis permixta eſt, qualis in vinis nouis adhuc fermentibus apparet: has verò, quæ perturbatæ, ſemper ſimiles manent, ingentem adhuc in ſanguine turbationem indicare, & coctionem longiùs abeſſe. Poſtremò autem de turbatis vrinis illud non eſt prætermittendum, illas non perpetuo morbi cruditatem, diuturnitatem, difficilem coctionem, & alia mala, ſed potius ſalutem, quandoque etiam morbi liberationem ſignificare, dummodo natura hac ratione, & per hanc partem valeat noxios humores expurgare. Quod eſt Galen. 4. *Aphoriſ. Comment.* 74. 6. *Epidem. Sect.* 4. *Comment.* 2. 3. *Epidem. Sect.* 3. *Comment.* 41. quam quidem vtilem turbidarum vrinarum purgationem licet intelligere ex præcedentibus ſignis coctionis, ex inſigni earum copia, & facili tolerantia, & aliis id genus, quæ morbi declinationem ſolent demonſtrare. Sed ad præſagitionem vrinarum ex colore veniendum eſt, ex quibus non minus quàm ex ſubſtantia, de proba, & improba coctione, licet ante omnia præſagire. Nam color quidem naturalis, itemque optimus, nempe ſubrufus, vel ſubflauus, qualis in iis conſpicitur, qui integra fruuntur ſanitate, probæ concoctionis nota eſt, ita cæteri omnes colores improbam concoctionem, vel deficientem, vel excedentem ſignificant. Sic igitur vrina alba ſummam cruditatem demonſtrat. Quæ apud Galenum exquiſitæ cruditati ventriculi proportione reſpondet, cæteri autem albo proximè ſuccedunt colores, ſubalbus, pallidus, ſubpallidus, & cæteri, de quibus ſatis diximus. Ex quibus quidem vrinæ coloribus (vt vno verbo dicam) vel maiorem, vel minorem cruditatem, maiorem, vel minorem coctionem prædicere, quatenus illi proximiùs accedunt, vel colori albo, qui ſummam cruditatem oſtendit, vel colori ſubflauo, qui integram coctionem ſignificat. Sed antequam ad reliquos colores venio, nolo id ſilentio præterire, albas vrinas quandoque morbos capitis, ſpeciatim phrenitim demonſtrare, non quidem primò, & per ſe, ſed ſecundò & per accidens. Namque (exempli gratia) in febri ardente ſi vrinæ albæ conſpiciuntur, veriſimile, vel potius neceſſarium eſt, ſuccos bilioſos, qui in vaſis continentur, ad ſuperiores partes conuerti, & cerebri inflammationem excitare. De qua etiam Aphor. Hippoc. 4. *Aphor.* 72. *Quibus vrina alba ſunt, & perſpicua, mala; maximè verò ſi in phreniticis apparuerint*, adeo vt Galenus in Com. affirmet ſe nullum phreniticum ſaluatum vidiſſe, in quo talis vrina apparuiſſet. Ad quem modum ſcribunt Hipp. & Galenus albas quoque deiectiones per aluum in phreniticis malas eſſe, primo in primum Pror. 13. quod tunc bilis non amplius in ventrem confluat, ſed vnà cum ſanguine, qui per vniuerſum corpus diſtribuitur, ſurſum feratur. Cæteri demum colores, qui à coloribus naturalibus ad alterum extremum, nempe colorem nigrum accedunt, non aliunde, quàm ex nimio calore originem habent, ita quidem, vt ex maiore, vel minore, magiſque, vel minus exurente caliditate varij omnino vrinarum colores naſcantur, vt tandem color niger à ſummo calore, & qui penitus vrendi facultatem obtinet, originem habeat. Etſi ille à ſummo quoque frigore fieri poteſt, vt ſuprà diximus cum Galeno. De quibus vrinis nigris, nec illud ſilendum eſt, neque illas ſicuti diximus de vrinis perturbatis, perpetuò exitioſas éſſe, ac mortem portendere, immò verò ſi poſt coctionem excernantur, futuram ſalutem præſagire, quod Hippocrat. & Galen. docent, qui in muliere moroſa 3. *Epid. Sect.* 3. *ægro.* 11. necnon in vxore Epicratis, 1. *Epid. Sect.* 3. *ægro.* 5. quæ ambæ nigras minxerunt vrinas, nos monet, ex illis nullum periculum potuiſſe imminere, quòd in vtroque melancholici humores vtiliter purgarentur. Sed ad poſtremam prædictionem ex contentis vrinarum progrediamur. Cæteris autem omnibus contentis prætermiſſis, quæ aliàs tractabimus, nunc de ſolis contentis nubecula, ſuſpenſione, ſedimento, breuiter dicamus. Ac primò, non licet ſolùm mirari, ſed & ridere Actuarium, qui 1. *libro de prauidentia ex vrinis, cap.* 15. ſcribit, huiuſmodi contenta pro vario ſitu, quem in vaſe continent, quadam proportione varias corporis partes malè ſanas indicare, adeo, vt quæ medium locum obtinent demonſtrent, medias corporis partes, thoracem, hypochondria, viſcera laborare; quæ vt nubes ſuperiorem locum tenent, ſignificare, caput eſſe malè affectum. Ex quo forte illa ſtoliditas apud multos ortum habet, qui profitentur ſe ex vrinis poſſe intelligere, & prædicere, caput, pedes. vterum, & ſingulas corporis partes laborare, quæ mihi videntur tam à ratione eſſe aliena, atque abſurda, quàm quæ alieniſſima, atque abſurdiſſima, vt neque vlla refutatione indigeant. Certiſſimum eſt illud, omnia contenta tum in ægrotis, tum in ſanis potiſſimùm, coctionem, vel cruditatem præſagire. Ac primò quidem hypoſtaſis, ſi vera, ac proba fuerit, hoc eſt, definitore Hippocrate 2. *Progn.* x6. quæ ſit candida, leuis, & æqualis, optimæ concoctionis nota eſt, adeóque ſecuritatem, & ac morbum fore breuem ſignificat. Suſpenſio verò, ac multo magis nubecula, coctionem debilem ac deficientem, adeóque morbum non carere periculo, ac fore longiorem perpetuò indicant, quandoquidem quæ ſunt omni ex parte cocta, nullos flatus retinent, & ad imum locum feruntur. Sed tamen memoria tenendum eſt, quod ſuprà diximus cum Galeno, in corporibus, quæ tenui victu viuntur, atque ex tenuibus ſuccis laborant, nullum quandoque ſedimentum apparere, ſed ſolùm ſuſpenſionem, ac nubeculam ad morbi ſolutionem ſatis eſſe; immò verò, ſi morbus celeriter moueat, & vt idem notat Gal. 4 *Aphor. Comment.* 71. ſine ſuſpenſione, & nubecula nonnunquam ſolæ vrinæ mutationem in colore, & ſubſtantia ad morbi iudicationem, & ſalutem ſufficere: ſicuti contrà contenta, ac præcipuè ſedimentum, ſolet eſſe copioſum, quoties morbus ex craſſis, & crudis humoribus originem habeat. De coloribus, & reliquis differentiis contentorum, atque eorum prædictionibus nolo quicquam dicere, cum hæc omnia accuratè tradita ſint à Galeno tum aliis in locis, tum maximè 1. *de Criſib.* 12. 2. *Prognoſt.* 26. præterquam quod ex dictis facilè omnia poſſunt intelligi. Quare tractationi de vrinis finem imponamus, quæ ſicuti in principio diximus, vobis in præſentia ad propoſitum ſatis ſint, breui contenta oratione per compendium vobis explicata. Quæ omnia fortaſſe in maiore otio conabimur meliora, auctiora, & illuſtriora reddere.

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI,

CONSILIVM IN FEBRE Catharrali, totius macie, ventriculi imbecillitate, meſenterij, obſtructione, mœſtitia, & vigiliis pro quodam Illuſtriſſimo Antiſtite.

Conſtitutio naturalis.

TOTIVS corporis gracilitas, ae macilenria habitum vniuerſum ſicciorem fuiſſe tempetato ſatis declarant: quemadmodum etiam facilitas, ac promptitudo ad caloris augmentum, calidiorem fuiſſe docent. Cum autem vniuerſi habitus temperamentum membrorum principalium naturam ſequi ſolitum ſit, ac præſertim hepatis, hoc etiam, & calidius, & ſiecius iuſto fuiſſe, rationi eſt conſemaneum. Illud etiam conſtat, magnanimum illum ſemper fuiſſe, nec vnquam medioeria, ſed ſumma cogitaſſe: magnaque alacritare, fiducia, animi robore, fortitudine, atque conſtantia ad maxima negoria tractanda acceſſiſſe, iam inde ab ipſa penè adoleſcentia publicè prælegendo, concionando, diſputando, & eum maximis Principibus, ac Monarchis ſerias, ac grauiſſimas res agitando, quæ frigidi cordis minimè ſunt indicia: potiùs verò illud à mediocri per calidum, & ſiccum declinare. Viuidum porrò ingenium, & ad grauiſſimas diſciplinas perdiſcendas promptitudo cum pertinaci memoria coniuncta, ſenſus vegeti, ac vigiliarum tolerantia, cerebrum eodem temperamento præditum fuiſſe manifeſto ſunt documento, fidemque certiſſimam faciunt. Tenuiſſimus verò eſſe eius ſpiritus, ac habitum corporis laxiorem, ex eo facile apparet, quòd leui de cauſa, ac promptiſſimè inualeſcit, ac refrigeratur, diſſoluitur, macilentior, ac imbecillior redditur, ac facilè viuidum calorem amittit. Magis tamen per ſiccum, quàm per calidum à temperamento recedere ideo iudicamus, quòd nec cutis rubicundior vnquam fuerit, neque pilorum, aut copia, aut nigredo adfuerit.

Gal. ſaperepetit Heracleti dictũ. Spiritus ſicut anima ſapientiſſima.

Ventriculum verò natura frigidiorem, ac forte etiam ſicciorem fuiſſe veriſimile eſt communi ratione eorum, qui hepate calido, ac ſicco laborant, ac propterea omento, ac abdomine graciliore: quo craſſiore, ac pinguiore exiſtente, ceu puluinari ventriculus foueri ſolet.

Ætas iam eſt declinans: annum enim agit 45. ac in primo ſenio verſatur. Ex quo etiam apparet, ſiccitatem auctam fuiſſe, calorem verò imminutum. Vitæ genus negotiis, curis, ac cogitationibus plenum, cum in propria diœceſi gubernanda, tum in vniuerſum catholicæ Eccleſiæ conuerſatione, adiumento, ac ſalute promouenda.

Conſtitutio præter naturam, & accerſita.

Cum in primo ſenio ſit conſtitutus, à quo corpora frigidiora, ac ſicciora reddi ſolent, certum eſt natiuum calorem fuiſſe imminutum, auctam verò ſiccitatem: cum enim Galenus ſcribat, in declinante ætate melancholicum ſuccum ſolere abundare, qui frigidior eſt, ac ſiccior, & ex eo membra nutriuntur, mirum non eſt, ſi, & frigidius & ſiccius corpus euaſit, & ad melancholicum ſtatum ſit immutatum. Nullum autem Galeno auctore, eſt temperamentum ad nutritionem ineptius, quàm frigidum, & ſiccum, præſertim cum humor melancholicus ſua acerbitate, ac inſuaui qualitate partibus ſit ingratus, & aut non trahatur, aut minimè aſſimiletur: Vnde illa ſolito maior gracilitas, ac macilentia acceſſit. Ad ætatis damna adiungenda ſunt ea incommoda, quæ ex diæta minimè conuenienti, ex vigiliis diuturnis, ex aſſiduis, ac grauibus literarum ſtudiis, ex negotiis maximis, ex curis, cogitationibus ſeriis, atque meditationibus ſequi ſolent. Ex ipſis enim continuis actionibus perpetuò exhauſtis ſpiritibus, illiſque denuo è flore, ac tenuiore ſanguinis parte regeneratis, factum eſt, vt ſanguis craſſior, ac fæculentior euaſerit; atque ita ex eo nutrimento vniuerſum corpus frigidius, ſiccius, ac macilentius effectum ſit. Maior igitur, quàm pro ætate ſiccitas corporis facta eſt, caliditas verò minor.

Vnde infelix nutritio, minimè viuidus color, ac macilentia, & actionum omnium imbecillitas, In huiuſmodi autem corporis ſtatu, niſi accedat quotidiana corporis exercitatio, ferè fieri ſolet. vt magnus excrementorum prouentus cumuletur; vt in ſenibus fieri videmus, qui licet partes habeant aridas in ſua ſubſtantia: ob copiam tamen excrementitij humoris, imperitis hominibus, humidi iudicantur. Etſi autem veriſimile eſt, ſuperioribus etiam annis dictis incommodis fuiſſe affectum, florens tamen ætas potuit ea diſcutere, vt non grauiora aliqua ſymptomata præſentiret. At annus iam agitur, ex quo cœpit magis vexari: idque poſt ſuſceptum iter ingens in patriam. Nam præterquam, quod in itinere incommoda multa ſuſtinuit, illic etiam in tenuiſſimo illo, ac ſicciſſimo cœlo, grauiſſimis curis, ac negotiis fuit præpeditus, ac ita affectus, vt per incerta interualla ſex, octo, aut decem dierum, leui quodam frigore in dorſo, brachiis ac toto corpore primùm vexaretur, cui ſuccedebat calor non admodam vehemens ille quidem, ſed qui in ſudorem deſineret, & laſſitudinem quandam, ac membrorum confractionem relinqueret. Diſcutiebatur quidem calor ille ſudore prodeunte, ac tandem diſſoluebatur: per duos tamen ſequentes dies non obſcura ſui veſtigia in corpore relinquebat, vt nonnullis habitudinalis febris ſpeciem exhiberit. Sed cum ab ea penitus ille Antiſtes liberetur, ad illud genus febris nullo modo reuocari poteſt; ephemeram non eſſe illud docet, quod Incipit cum leui quodam frigore, & in vrina apparent manifeſta putredinis veſtigia, quemadmodum in pulſu quoque. Nec verò hæc febris periodica dici poteſt, nec ad certum humoris genus referri debet, cum ſtatas periodos non habeat: & tamen febris eſt humoralis, ac putrida. Quare neceſſariò ad illud genus videtur reuocanda, quam recentiores febrem ex deſtillatione vocant. Id verò ex eius ortu, progreſſu, ac fine apparet, primùm enim In collo, ſpatulis, dorſo, ac brachiis frigus percipitur, quod tandem occupat vniuerſum corpus. Eodem etiam tempore oculi humore quodam infeſtantur. Conſentaneum autem eſt, eundem eſſe fontem humoris, qui deſcendit ad dorſum, & eius, qui ad oculos, Sed caput certo certius huius origo: ergo etiam illius, qui febrem creat, Id verò iactis ſuperius fundamentis etiam conſentit. Cum enim ob dictas rationes corpus vniuerſum plurimis ſcateat excrementis, & ex calidiore hepate, ac ventriculo imbecillo, ac malè cōcoquente multi ad caput ferantur vapores, qui illic in humorem poſtea concreſcunt: cum etiam caput ob vigilias, curas, negotia aſſidua, atq; cogitationes,

multa

multa ex propria eruditate colligat excrementa: nemini dubium eſſe debet cerebrum ſeriùs, aut citiùs per incerta interualla tam copioſum excrementum aceruare, vt, cum non poſſit ex caloris imbecillitate illud diſcutere, tandem à natura relictum ſua grauitate deſcendat. In aliis ad nares, ad fauces, ad oculos, ad aures, ad dentes, ad colli glandulas deſcendit, prout in aliis aliæ partes, aliis ſunt imbecilliores. In hoc autem Illuſtriſſimo Antiſtite non anteriorem, ſed poſteriorem capitis partem arripuit deſtillatio, quæ per dictas iam partes deſcendens, ac putreſcens putridum vaporem ad cor mittit, ac ita febrem accendit humoralem, vt putridam non periodicam, ſed à deſtillatione ortam. Extenuatus deinde à calore febrili humor ſoluitur in ſudorem, qui febrem finit, relicta corporis imbecillitate, ac membrorum grauitate cum fractione quadam, ob multorum ſpirituum, ac calidi innati diſſipationem, quo deſtituta membra ingraueſcunt, ac ægrè moueri poſſunt: quæ ſanè reliquarum etiam putridarum febrium ſymptomata eſſe ſolent. Sitis etiam, & cibi inappetentia, quæ ſequantur, communia ſunt putridarum febrium accidentia, & eaſdem etiam cauſas habent.

Si cerebro humido ſicca ſunt nares, deſtillationes capitiſq; morbi ingruunt: quique foris ſplendet, intus ſæpe ſordes.

Laborat etiam Illuſtriſſimus Antiſtes inſomniis, atque vigiliis, ac meliorem noctis partem inſomnem ducit: quod etiam poſitis iam fundamentis eſt conſentaneum, Cum enim ſomnus naturalis ab humiditate, quemadmodum præter naturam fit à frigiditate: dictum iam eſt humorem aceruatum in cerebro per interualla ad dorſum deſcendere: quare cum cerebrum ſua ſubſtantia ſit ſiccum, humida verò excrementa iam deſcenderent, reliquum eſt, vt cerebro carente humore, & dominante ſiccitate, non ſomnus ſed vigiliæ oriantur.

Quoniam autem in dextro hypochondrio aliqua tenſio, ac durities percipitur & multa ſæpe flatuum copia erumpit, ac vagatur ſub ipſis præcordiis: adeſt etiam ventriculi, ac hepatis diuerſa, ac contraria intemperies, hoc calido, illo autem frigido exiſtente: quo quidem in ſtatu viſcerum fieri ſolet, vt ventriculo tardè concoquente, hepate autem rapaciſſimo ob nimium calorem cibus crudior, craſſior, ac viſcidior rapiatur ad meſenterij venas: in quibus, obortis obſtructionibus, ac prohibita euentatione, creatur putredo, & exuſtio: vnde fumidæ, atque atræ exhalationes in cerebrum mentis ſedem obrepunt, quæ mixtæ cum ſpiritibus animalibus tenebras menti obducunt: vnde metus, ac mœſtitia inuadunt, vita moleſta eſt, ac licet foris deliria non appareant, intus tamen deliteſcunt.

Quare, cum Illuſtriſſ. Antiſt. valde proclinis ſit ad huiuſmodi affectum, de eius etiam cauſis, ac origine iam dictis ſolicitum eſſe Medicum oportet.

De ventriculo non mediocris habenda eſt ſolicitudo: nam, & ægrè, ac tardè, & malè concoquit, læditur à frigidis, ac craſſioribus cibis, multos gignit flatus, ac plurimas exhalationes mittit ad caput.

Cum autem talis ferè fuerit ab ortu ob recitatas tamen ſuperiùs cauſas, longè factus eſt imbecillior, frigidior, ſiccior. Nullam autem temperaturam infelicius concoquere, quàm frigidam, & ſiccam Gal. dixit: hæc verò cum baſis ſit totius vitæ, non mediocrem requirit Medici diligentiam. Nam, vt Ariſtot. dixit, *non quod ingeritur, ſed quod concoquitur, nutrit.*

Scopi curati.

Cum ſanitas non alia ratione ab homine expetatur, quàm vt ſine dolore viuat, ac ſuas actiones integras, ac robuſtas perficiat: actiones autem è facultatibus prodeant, facultates verò in partium commoda temperie conſiſtant; certum eſt ad bonam valetudinem, idoneas partium temperaturas in primis requiri: nec alia ratione reſtitui collapſam valetudinem, niſi temperaturæ ad iuſtum naturæ ſtatum reuocentur. Omnes igitur malæ intemperies quas ſuprà diximus in corpore Illuſtriſſimi Antiſtitis multa ſymptomata generare, neceſſariò tollendæ. Siccitas in primis immoderata, quæ corpus ferè vniuerſum videtur occupare: quæ cum ſit præter naturam, ſui indicat ablationem per contraria. Corpus igitur eſt ſubſtantificè humectandum. Partes etiam principes, ac ſecundariæ, præſertim ventriculus, cum à iuſto temperamento lapſæ ſint per frigidum, ſui calefactionem poſtulant, laxitas, ac imbecillitas vnionem, ac robur petunt, vt partes ſua validius obire munia poſſint: obſtructiones verò iam dictæ ſunt aperiendæ. At verò remedia, quæ dictos iam ſcopos præſtare debent, niſi ad partes accedant, & illas tangant, agere non poſſunt. Actiones enim naturales tactum requirunt, nec in paſſum agunt niſi tangendo. Quod ſi meatus ac viæ ſint obſtructæ, & partes viſcidis, ac craſſis excrementis oblitæ, ac oppreſſæ, remedia nec penetrare, nec in ipſam partium ſubſtantiam agere poſſunt. Quare nouus oritur ſcopus, & meatus reſerandi, & partes ab excrementis liberandi. Euacuatio igitur neceſſaria: ſed craſſi, ac lenti humores educi non poſſunt, niſi attenuati, inciſi, à partibus ſeparati ac abſterſi ſint, vt fluxiles facti per apertos iam meatus medicamentorum peculiari vi trahi, atque educi poſſint. Igitur & viarum apertio, & humorum præparatio omnino prætermittenda. Hiſce ſcopis ſi medicus poteſt ſatisfacere, de recta valetudine recuperanda certum erit præſagium; ſin minus, contrà.

Omnem intemperiem curari poſſe, Galen. ferè vbique profitetur: at cum ſeriò res eſt agenda, ſiccitatem minimè curari poſſe affirmat: quinimo illud ſtatuit, ſi ſiccitas partium curari poſſet, hominem fieri poſſe immortalem. Cum enim naſcamur humidiſſimi, moriamur autem ſicciſſimi, ſi poſſet natiuus, ac radicalis humor inſtaurari, ac ſenex, veluti à calce ad carceres reuocari, adhibita diligentia nunquam deſineret, ſed perpetuò ſeruaretur. Quod itaque ſæpe repetit, intemperiem omnem tolli poſſe, atque ita etiam ſiccitatem, ſic ipſe interpretatur, vt cum de natiua humiditate, & quæ pars eſt temperaturæ, eſt ſermo, intelligat non ipſam temperaturam ſiccam fieri humidam, quaſi gradus aliquis latitudinis ſiccitatis inductæ tollatur, pari humiditatis gradu reuocato (hoc enim nullo modo fieri poteſt) ſed inania ſpatia, quæ in membris reperiuntur, per humectantem victum, per balnea humida, aliamque remediorum ſupellectilem humore quodam repleri poſſunt: quo præſente, partium ſiccitas retardatur, nec tam citò obrepit, vt fieret, ſi ſpatia illa exhauſta eſſent. Qua igitur ratione ſicca intemperies tolli poſſit, iam patet. De reliqua intemperie nemini dubium eſt, Medico ſuppetere auxilia, quibus & curare malam, & nouam, contrariamque inducere poſſit. Roborantia etiam medicamenta, aperientia, abſtergentia, incidentia, attenuantia, euacuantiaq; non deſunt, quibus propoſiti iam ſcopi à nobis præſtari poſſunt: quare de Illuſtr. Antiſt. recta valetudine recuperanda lætum à nobis præſagium eſt pronunciandum.

In lib. de tabe.

Curatio per indicationes, ac ſcopos iam inuentos.

In omni conſultatione, ac reſolutione Ariſtot. ſtatuit illud eſſe veriſſimum, vt, quod primum eſt in intentione, vltimum ſit in executione, & contrà, quod vltimum fuit per reſolutionem inuentum,

illud in opere primum locum obtinere. Cum itaque noſtra conſultatio eò fuerit perducta, vt omnia corporia excrementa è corpore exturbentur, ſed primò præparata, ac per meatus apertos, & per cathartica accommodata, vt ita poſtea ad alterantia, ac roborantia accederemus, iuxta iam ſtatuta, ordine inſtituto curationem aggrediemur.

Initio prima corporis regio, quæ ferè partium reliquarum eſt ſentina à communibus excrementis expurgetur. Id quod fiet commodiſſimè ſi ſequens potio calida bibatur tribus ante prandium horis.

℞. Mellis roſati ſolutiui ℥. iij.
Mannæ electæ ℥. ij.

Diſſoluatur Manna in iuſculo calido & addito Melle roſato, fiat potio.

Sequentibus quatuor, aut quinque diebus, ſingulo mane, tribus ante cibum horis, ſumantur tria plena cochlearia ſequentis ſyrupi frigidi.

℞. Mellis roſati,
Oxymellis ſ.
Syrupi de corticibus Citri. ana ℥. ij. Miſce.

Aut eius loco bibatur iuſculum pulli, in quo cocta ſit meliſſa, petroſelinum, agrimonia, cichorea, endiuia, bugloſſa.

Quod ſi eadem hora priùs ſumatur ſyrupus, ac ſtatim bibatur iuſculum incoctis herbis calidum; longè citiùs, ac efficacius, corpus ad euacuationem præparabit.

Facta hac præparatione, ſumatur medicamentum ſequens.

℞. Infuſionis ſyrupi de polypodio ſiue mirobalanis ℥. iij.
Mellis roſati ſolutiui ℥. j.
Miſce & fiat potio.

Huius ſyrupi vtriuſque deſcriptio exhibita eſt.

Aut huius loco ſumantur ſyrupi de polypodio cum myrobalanis niſi ſueſſani ʒ. iiij. calidè.

Facta hunc in modum vniuerſali corporis euacuatione ad capitis particularem mundificationem eſt accedendum.

Igitur per tres aut quatuor dies, manè ieiunus ſumat in os granum maſtiches puræ, magnitudine fabæ, ac vbi fuerit calefactum, illud dentibus terat per horam, expuendo ſubinde pituitam in os fluentem.

Poſtea verò per nares trahet è palma manus, liquorem ſequentem, diligenter deinde nares abſtergendo.

℞. Succi betæ albæ ℥ ij.
℞. Succi Anagallidis ℥. ij.
Aut, quod facile eſt parabile,
℞. Aquæ Maioranæ deſtillatæ ℥. iij.
Ireos puluerati ℥. j. Miſce.

Facta particulari capitis euacuatione & à poſterioribus ad anteriora materiæ diuerſione per maſtichem, & errhinum, id quod poſtea etiam erit aliquando repetendum, exteriùs etiam caput ab excrementitio humore exſiccari, ac roborari debet adhibito lixiuio dulci, in quo ſenæ folia, roſæ rubræ, chamomillæ florea, ſaluia, ac betonica ſint cocta, addito etiam ſapone medicato, ita parato.

℞. Saponis Veneti ℥. iiij.
Agarici albi ʒ. ij.
Iridis caryophyllorum,
Ligni aloës ana ℈. ij.
Macis, Camphoræ ana ʒ. j.

Puluerentur puluerandа, & omnibus ſimul mixtis, cum aqua maioranæ, ſecundum artem fiat ſapo.

Theriacæ deinde vſum ſuademus, quæ ſumenda eſt manè, poſt quam horis duabus dormiendum. Sumatur bis, aut ter in ſeptimana, Doſis ʒ. j. addita dupla potione conſeruæ borraginis: pane azymo madefacto inuoluatur, ac in boli forma deuoretur. Myrobolani etiam chebuli pro capite roborando mirum in modum à nobis commendantur; ſi minus dimidia ante ſomnum in nocte ſumantur.

Frictiones quoque vniuerſo corpori ſæpe adhibeantur manè, primùm cruribus, deinde brachiis, poſtremùm dorſo cum linteis mollibus. Et lotiones, ac balnea pedum bis in ſeptima adminiſtrentur. Atque hæc ad vaporum à capite ad inferna diuerſionem faciendam.

Semper autem à cibo, & poſt omnem potum ſumatur, aut panis cruſtula, aut coriandrorum ſaccharo obductorum cochlearium, aut diacidonij fruſtum, aut puluis è ſaccharo, & coriandria cum cochleari ſumptus ad exhalationes à ventriculo ad caput inhibendas. Quidam etiam frigidæ hauſtum magno commodo bibunt.

Ventriculi verò magna habenda eſt prouidentia; nam & calefaciendus eſt, & roborandus. Id quod præſtat zingiber conditum viride, manè ſumptum, quantitate mediæ caſtaneæ: quod etiam capiti magnum addere robur ſolet. Sumatur autem vacuo ſtomacho manè. Aquæ etiam cinnamomi hauſtus, idem præſtatur paratur etiam paſta è Maſtiche puluerata, & ſucco Abſinthij; cuius ſi vacuo ſtomacho ſumatur quantitas auellanæ, ventriculum moderatè calefacit, ac illi robur conciliat.

Sed ſi per noctem viginti piſtachia à ſuis corticibus mundata, aromatico vino tanto, vt tegantur, ſint infuſa, ac manè cum cochleari vnà cum vino ſumantur, ventriculo ſunt ſalubertima. Idem faciunt cortices arãciorum in ſaccharo conditi.

Sed ad ſtomachum roborandum, nihil præſtantius vino abſynthite, quod paratur ſola infuſione abſynthij Romani in vino albo aromatico, ſine decoctione, aut inſolatione: pugillus eius comæ inciſæ, in vini phiala eſt ſatis. Vſus verò, vt primus hauſtus in menſa ex eo ſumatur, aut manè cruſtula panis ſimplicis, aut piperati comedatur, & ſtatim eius vini hauſtus bibatur.

Quoniam autem hypochondriacæ Melancholiæ non leuis eſt ſuſpicio, aliqua etiam auxilia ad meſenterij obſtructiones adhibenda ſunt: licet & vinum abſynthites, & piſtachia in vino infuſa eo, quo ſupra dictum eſt modo, ad hoc etiam plurimum faciant; rhabarbari tamen vſus optimus eſt, ſiue manè maſticatum, ac deuoratum ſit mediæ drachmæ pondere, colluto deinde ore cum tantillo Maluatico; ſiue pulueratum, & cum præmaturis paſſullis vino elotis mixtum, vt ſit vncia vna paſſularum, rhabarbari verò drachma media.

Serum etiam lactis caprini probe paratum, & à caſeo ſeparatum incocta deinde radice petroſelini, aut fœniculi, ſingulare eſt remedium ad tollendas meſſenterij obſtructiones, ſi decem, aut duodecim vnciæ manè bibantur, addita vncia vna ſyrupi de pomis ſabor.

Quod ſi mœſtitia, aut triſtes aliquando cogitationes infeſtarent, & Theriaca mœrorem omnem diſcutiet, & confectio Alchermes pondere vnius dragmæ erit ſalutaris.

Vinum meliſſatum, cortices citri conditi.

Parantur etiam duo ſyrupi ad triſtes cogitationes vtiliſſimi, qui cum ſint etiam & guſtui, ac palato, & ventriculo gratiſſimi, eorum vſum ſummopere commendamus, ſi duo, aut tria cochlearia ſumantur.

Ad melancholiam quoque abſtergendam, ſequentis electuarij vſus erit optimus & ad ventriculum ac cerebrum roborandum.

℞. Conſeruæ roſarum, bugloſſæ, roris marini flor. ana ℥. iiij.
Myrobalanorum chebulorum conditorum.
Zingiberis conditi, ana ℥. ij.
Specierum aromatici roſati vnc. ß.
Syrupi de pomis ſimplicis.
Syrupi de corticibus citri ana vnc. M.

Cæterùm

Cæterùm, cum ſupradictum ſit, Illuſtriſſ. Antiſtitis corpus valdè ſiccum eſſe, & exhauſtum, & pauco ſanguine, eóque frigidiore prædirum, conſultum iudicamus, vt duo potiſſima auxilia adhibeantur, Lactis ſ. ac Balnei aqoæ dulcis moderatè calidæ vſus. Quæ duo ad proximè futurum ver videntur differenda, licet balneum etiam nunc commodum ſit futurum, modò in loco calido adminiſtretur.

Diximus, balneum illi ſaluberrimum fore multis de cauſis; nunc verò illud etiam addimus, ad ſomnum conciliandum eſſe admodum neceſſarium: cum ipſe vigiliis admodum vexetur, & balneum ſit ſomniferum; præſertim ſi ea cautio adhibeatur, ne ſit nimis calidum. Diacodij etiam vſus ad hoc erit commodus, ſi eius rectè confecti rotula vna, linguæ impoſita palato applicetur. Semina etiam papaueris albi in puluerem redacta, & cum cibis ſumpta, cochlearis menſura, dulcem ſomnum accerſent. Galen. ad tollendas vigilias ſenectutis lactuca vtebatur; quam etiam Illuſtriſſ. Antiſtiti commodiſſimam putamus: eo tamen adhibito temperamento, vt acetum, aut ſaccharo, aut paſſulis dulceſcat, eiuſqoe acrimonia mitigetur.

Quoniam autem ad capitis, ac ventriculi ſalutem, & inhibendas, quæ ad caput feruntur, exhalationes, plurimum refert, vt aluus quotidie ſit mollis: de hoc etiam præcipua cura eſt habenda. Multa ex bis quæ ſuprà ſunt poſita ad hoc præſtandum idonea ſunt, vt rhabarbarum exigua doſi, balneom aquæ dulcis, ſerum lactis; aliqua tamen etiam addemus, vt libera ſit optio eius quod magis libet.

Enema ex oleo, ac butyro æquis portionibus mixto: paſſulæ ante cibum, oleo amydalarum dulci aſperſæ.

Ius pulli cum pauco melle:

Ius Braſſicæ cum oleo communi:

Decem grana Zibibo Damaſceni, eiectis acinia:

Quinque, aut ſex caricæ, initio menſæ:

Olei Amygdalarum dulciom duo cochlearia cum iuſculo:

Media vncia zuccbari eroſis zobedinis:

Mannæ vncia vna initio menſæ.

Poteſt etiam parari balanus è ſale gemmeo cum filo, qui impoſitus aluum irritat, ac idem balanus anom durat.

Sed vna quoque, aut altera è pilulis angelicis initio cœnæ ſumpta aluum mouet.

Sperandum quidem eſt hiſce auxiliis quæ hactenus numerata ſunt, ſymptomata omnia, aut omnino tolli, aot ſaltem mitigari ita poſſe, vt Illuſtriſſ. Antiſtes, & commodiùs, & iocundiùs viuat. Sed ſi optata illa ſalus non ſequeretur, Cauteria certè duo in brachiis eſſent inurenda: nullo autem pacto in cruribus, quooiam non eſt ſimplex ſcopus diuerſionis, aut reuulſionis, ſed deriuationis, ac euacuationis à capite.

Diæta.

Nullum tamen efficax remedium habet Medicina, quod ſolitum auxilium adferre queat, ſi ei victus ratio aut reſiſtat, aut oon adimat. Hæc Gal. *in lib. de Theriaca ad Pamphilianum.*

Videtur ferè ſuperuacaneum apod ſapientiſſimum Antiſtitem de diæta verba facere, cum ex longo rerum vſu, ac obſeruatiooe earum rerum, quæ proſunt, aut obſuot, ipſe iam factus ſit peritiſſimus. Rectam tamen diætæ rationem paucis aliquot præceptis complectemur.

Regulæ ſalutares.

Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores.

Motus, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocriter.

Cibus nouus ne vnquam ſumatur, niſi priore probè concocto.

Menſæ ne ſint æquales, ſed ſemper cœna leuior.

Prioris meoſæ error, ſequentis parſimonia corrigatur.

Cibus ne prius ingeratur, quàm in ore fuerit exactè maſticatus.

Potus ne vnquam põdere ſuperet alimenta ſicca.

Potus ne ſumatur, priuſquam bene cibi portio ſit ingeſta.

Varietas ciborum in eadẽ menſa ne adhibeatur;

Semel in ſeptimana, voa menſa omittatur, cum ſi corpus minus videbitur alimento indigere.

Semel in die corpus ita exerceatur, vt naturalis calor excitetur.

Is ordo in cibis ingerendis ſeruetor, vt liquida, ac mollia ſolidis, ac ſiccis præmittantur.

Inter vnam, & alteram menſam, ne quid cibi, aut potus ingeratur.

Aluus quotide ſit mollis, aut natura, aut arte.

Extremè calida in cibo, potu ac aëre vitentur, itidem frigida.

Somnus, nec breuior ſit ſex horis, ne octo prolixior.

A cibo ſtatim, ac pleno ventriculo, legere, ſcribere, ac grauioribus cogitationibus operam dare perniciofum eſt.

Violentus motus à cibo ſtatim omnino fugiendus.

Manè erecto corpore; membra omnia fortiter extendantur.

In menſa cum cibis omnibus adhibeatur puluis, è ſaccbari partibus quatuor, vna autem cinnamomi, aut caryophyllorum:

Ex dicto puluere cum aceto mixto paretur ſalſa cum cibis omnibus miſcenda.

E ſucco citoniorum, aceto, & ſaccharo, aut melle, addito cinnamomo, aut cariophyllis, fiat Diacitonium liqoidum, coctionem admodum iuuans.

Panis ſit optimus, ac mollis, cum paoco ſale mixtus.

Vinum ſit album, aut flauum, maturum, mediocriter potens, minimè nigrum.

Ex oleribos lactuca, buglоſſa, borrago, origanum ſaluia, mentha, petroſelinum, fœniculum, beta, meliſſa expetantur, reliqua vitentur.

Fructus molles (niſi probè maturi, ac dulces, & parcè, ac initio menſæ) ne aſſumantur.

Fructus duriores, qoi diu durant, vt amygdalæ, pineæ, piſtachia, paſſulæ, oliuæ, cappares, caricæ, pyra, poma Appia, aut alia odorata adhibeantur.

Caſeus, ac lacticinia omnia vitanda, lac integrum vtile eſt in æſtate cum ſaccharo, aut ſale.

Piſcium rarus ſit vſus, ſoli friabiles admittantur adhibito aceto, atque aromatis, aut ſalſa ſuperiùs dicta.

Aromata omnino vitentur, niſi, vt ſuprà, temperata, & cum aliis mixta.

Oua recentia optima, ſorbilia, tremula, ſuffocata.

Caro ex macello, ſola hœdina, vitulina, veruecina probè cocta aſſumatur.

Caro auium aquaticarum omnium fugiatur, vt anatis, anſeris.

Caro auium cohortalium, nemoralium, ac montanarom, & campeſtrium in quotidiano ſint vſo.

Caro ſit elixa, ac probè cocta, non autem toſta.

Viſcera & extremæ, ac neruoſæ partes animalium vitandæ.

Legumina omnia, bulbi, fungi, ac radices eſculentæ, quod ægrè concoquantur; craſſi ſucci ſint, ac flatulenta prorſus fugienda.

Salſamenta quoque, tam carnes, quàm piſces, garum onataticha, ne attingantur quidem, quod nimium exſiccent, ac praui ſint ſucci.

Conchylia, oſtrea, ac teſtacea omnia, quod frigidum, lentum, ac hærens alimentum gignant, declinanda.

Etſi autem à nobis minimè præciperetur, illud ex dictis notiſſimum eſt, dies illos, in quibus à Catholica Eccleſia, Patribus ac Conciliis mandatur fidelibus, vt à carnibus ac lacticiniis omnino abſtineant, ab illuſtr. Antiſtite, ſine ſummo valetudinis ſuæ incommodo, ac detrimento, ſeruari non poſſe: cum enim piſcium, olerum, leguminum, radicum, fructuum, atque conchyliorum eſus ſit interdictus, cum noſtris præceptis eorum dierum obſeruatio prorſus pugnat: donec autem diæta ſublata, vt antea ex Gal. diximus, inutilis, ac fruſtraneus eſſet aliorum remediorum vſus.

Faciat Deus Opt. Maximus, vt noſtra hæc qualiſcunque diligentia, ac ſtudium in promouenda Antiſtitis Illuſtriſſimi ſalute, & ad reſtitutionem in integrum, & ad vitam in multos annos prorogandam, quàm maximo illi ſit adiumento; vt & ſuæ, & vniuerſali Eccleſiæ ſanctiſſimo exemplo, doctrina, ac vigilantia prælucere, & eius ſaluti poſſit conſulere: ab eo enim ſolo omnium parente, & animi, & corporis ſalus eſt expectanda.

ALEXANDRI MASSARIÆ VICENTINI, MEDICI ÆTATIS NOSTRÆ CLARISSIMI, LIBER Reſponſorum, & Conſultationum Medicinalium.

Consilivm I.

De aqua inter cutem.

Sententia Galeni ex ſexto libr. Accident. oportere Medicum non ſolùm inueſtigare morbos & accidentia, ſed etiam modum, quo generantur, perquirere; qui modus in cauſis eoſdem morbos generantibus collocatur. Cùm ergo nobilis mulier, pro cuius ſanitate recuperanda conſulimus, laboret morbo non contemnendo impræſentiarum, illa ſpecie, ſcilicet Hydropis, quæ Hypoſſarcha nominatur, vt accepi à Doctiſſimo Viro, qui eandem mulierem habuit in cura: credendum exiſtimaui eius relationi, quia non potui in vnica viſitatione ſigna perquirere, quæ mihi id quod ab altero fuerat relatum, confirmarent: facies tamen decolorata, & ad albedinem tendens, & tumor totius corporis non ſolùm ventris, & pedum, ex quorum tactu foueæ relinquuntur, quæ ad priſtinum ſtatum ſtatim redeunt, mihi indicabant morbum potius eſſe Hypoſſarcham, quàm Hydropis ſpeciem, vel Aſcitem, vel Tympanitem: in his enim duabus Hydropis ſpeciebus non tumet totum corpus, ſed venter tantummodo, & pedes, quod eſt commune ſignum omnibus ſpeciebus Hydropis, vt inquit Galenus *comm.* 1. *lib.* 2. *Progn.* Idem teſtatur. Paul. *lib. ſuo de med.* 3. Hypoſſarcham ſcilicet in eo differre à reliquis duabus ſpeciebus, quia in aliis duabus venter tantùm tumefactus eſt, & pedes inflati, vel ſpiritu flatuoſo, vt in Tympanite, vel humore aquoſo, & phlegmatico, quemadmodum in Aſcite: Vult tamen idem Autor, & in Aſcite aliquid ventuſitatis contineri, ſicuti in Tympanite aliquid aquoſitatis: Vnamquamque tamen à materia ſuperabundanti denominari: Ideirco illa ſpecies Hydropis, in qua ſuperabundat humiditas aquoſa, Aſcites, ſiue Aſcites nominatur, quoniam *Aſcos* in lingua Græcorum vtrem ſignificat: in hac ſpecie autem humiditas aquoſa in ventre, ſicuti in vtre aqua continetur. Omnium autem iſtarum trium ſpecierum cauſa eſt mala complexio frigida, & humida hepatis, ſed præcipuè frigida. Verùm hæc complexio diſtemperata plurimum dominatur in Hypoſſarcha, veluti Galenus teſtatur, *lib. 6. de cauſis accidentium*, vbi declarat quomodo differant morbi calidi, & ſicci, à frigidis, & humidis quantum pertinet ad operationes validiores, vel debiliores: Inquit enim phrenesim morbum calidum, & ſiccum cauſam eſſe, vt operationes actiuæ, ſcilicet motiuæ ſint robuſtiſſimæ: contrà autem lethargia morbus frigidus, & humidus, quæ humiditate ſuperabundanti frigidas partes madefacit, & eaſdem operationes imperficit: Tale autem eſſe genus Hydropum, frigidum, & humidum, idem Galenus libro allegato ſubiungit, ſed præcipuè illam ſpeciem, quæ Hypoſſarcha nominatur. Eſt autem Galeni & omnium Græcorum Medicorum probatiſſimorum ſententia, omnes Hydropis ſpecies à ſola hepatis frigiditate, & humiditate fieri, nunquam autem à caliditate, quamuis Auicenna & Serapio, pluresque alij Medici, qui Arabica lingua de medicina ſcripſerunt, contrarium ſentiant: nam hoc eſſe dogma Galeni probat locus ſtatim antea allegatus. Paulus etiam hoc idem teſtatur lib. ſuo 3. ſuperiùs allegato, *cap. de Hydrope*, inquiens hepate vehementer frigefacto, ſiue per ſe, ſiue per communitatem aliorum membrorum, cauſari tres Hydropis ſpecies ſuprà commemoratas. Oribaſius quoque qui omnes Galeni opiniones aggregauit, inquit Hydropem fieri, vel propter excedentem hepatis frigiditatem, vel propter frigidi ſanguinis in toto corpore ſuperabundantiam, vel quia aliquæ aliæ partes exceſſiuè frigefactæ eamdem frigiditatem communicant hepati, quoniam nunquam fieret Hydrops, niſi hepar frigefieret: Partes autem, quæ poſſunt frigiditatem hepati communicare, ſunt ſplen, ſtomachus, & inteſtina, ex inteſtinis autem ieiunium præcipuè, nec non pulmo, renes, & diaphragma; fit etiam vt inquit, propter immoderatum fluxum hæmorrhoidarum, & menſtruorum in mulieribus, & propter eorumdem retentionem. Hæ ſunt cauſæ præcipuæ generationis Hydropum in corpore humano: Auicenna tamen, licet eaſdem cauſas aſſignet generationi Hydropum, vult tamen eaſdem

aliquando

Digitized by Google

aliquando fieri à cauſa calida, ſed præcipuè Hypoſſarcham, & etiam Aſcitem; Et non obſtante quod Galenus vt ſuprà diximus, ſentiat omnea ſpecies hydropis eſſe morbos frigidos & humidos, licet hypoſſarcha excedat in frigiditate, & humiditate, propriam tamen opinionem Galeno tribuit, quod videlicet hydrops fiat tam à calida cauſa, quàm à frigida. Et quamuis omnia remedia, quibus vtitur Galenus *lib. 9. de decem Tract.* qui *Miamir* apud Arabes inſcribitur, ſint calida, & ſicca, Auicenna tamen in cura Aſcitis, quæ fit ſecundùm ipſum aliquando à cauſa calida, vtitur frigidis, & reprehendit illos, qui exiſtimabant talem hydropum curam ſemper fieri per calida, & ſicca; & quod plus eſt, adducit contra eos auctoritatem Galeni, qui aliquando curauit quemdam virum patientem hydropem calidam, cum frigidis. Verùm ingenuè fateor me talem curam nunquam vidiſſe in aliquam librorum Galeni & hoc idem de ſe ipſo teſtatur Nicolus Flor. vir doctrinæ Galeni præcipuè ſtudioſus: Argumentum autem maximum eſſe poteſt, quòd hæc cura falsò Galeno aſcribatur, quoniam in tali cura Galeuo ab Auicenna aſcripta, nominantur ſandali, de quibus Galenus nullam videtur habuiſſe cognitionem; ſiquidem in lib. *de Medicina ſimpl. & de comp. pharm.* nuſquam eos nominat, ſicuti neque camphoram alteram medicinam frigidam, quæ duæ medicinæ fuerunt in vſu apud Arabes, Medici autem Latini recentiores videntur conſentire aliquando Auicennæ quod aliqua ſpecies hydropis fieri poſſit à cauſa calida: nam & Tympanitem talem eſſe putant, quæ fiat ex cauſis calidioribus, ſicuti Aſcites ex cauſis frigidioribus. Huic errori cauſam afferunt, malæ Galeni quæ in vſu ſunt, traductiones; nam 4 *part. Aph. com.* xj. leguntur hæc verba. *Hydropiſis autem ſcilicet Aſcites naſcitur ex cauſis frigidioribus: Hac autem. ſ. Tympanites à calidioribus, impoſſibile enim eſt ſine calore in groſſum acrem mutari illos humores.* Verùm in cod. Græc. aliter ſcribuntur, hoc modo videlicet; *videtur autem a maiori frigiditate generari hydrops aquoſa, quam Aſcitem vocant, à minori autem Tympanites, quoniam tranſmutari humiditas non poteſt, ſine aliqua caliditate.* In quibus verbis nihil aliud videtur Galenus docere, niſi quod vtraque ſpecies hydropis, Aſcites & Tympanites fiunt à cauſis frigidis, veruntamen à minus frigidis Tympanites, quam Aſcites, quoniam in Tympanite eſt aliqua caliditas diminuta, quæ tamen ſi calori naturali temperato comparetur, frigiditas poteſt nominari. Galenus idem teſtatur in 6. *lib. de accid. & morb.* humores frigidos atque phlegmaticos generari à diminuta caliditate; per caliditatem autem imminutam intelligit frigiditatem remiſſam, quia ſtatim ſubiungit, *frigiditas autem intenſa nullo modo generat vapores*; in ſecundo etiam lib. *progn. com.* I. Galenus videtur eamdem ſeruare ſententiam in hydrope facta ex morbo acuto, cum apoſtemate calido hepatis, nam eſt ſignum hydropia manifeſtum, quod eſt tumor apparens in toto corpore veluti in hypoſſarcha, in quo ſi caro prematur digito, relinquitur fouea, quæ ſtatim poſtea ad priſtinum ſtatum reuertitur, ait non apparere ſtatim ceſſante acutie morbi, ſed primum pedes inflantur, quoniam longè diſtant à membris calidioribus, poſtmodum hoc accidens aſcendit ad totum ventrem, & eamdem facit diſpoſitionem, ita quod ſi quis tumorem illum digito premat, foueam quamdam derelinquit, quæ ſtatim poſtea ad primum ſtatum reuertitur. Vnde concludi poteſt ſecundum Autorum Græcorum; quos ſuprà citaui, ſententiam, in hydrope ſimplici ſemper adbibenda eſſe remedia calida; voco autem hydropem ſimplicem, illam, quæ cum nullo alio morbo complicatur, veluti ſi idem homo vna cum febre, hydropem pateretur; tunc enim cura duplex eſſet neceſſaria, & duæ intentiones contratiæ Medic. habendæ eſſent: altera ad febrem, quæ exigit frigida, & humida, altera ad hydropem, quæ requirit calida, & ſicca: in quo caſu iubet Galenus ita alterum morbum curari, vt alter omnino non negligatur, plus tamen ſtudij adhibendum ad illum qui maior ſit, & periculoſior. Quantum autem ego potui in vnica viſitatione comprehendere, & à doctiſſimo Medico, qui hanc nobilem mulierem habuit in cura, intelligere, hydrops, quam patitur, Hypoſſarcha, ſcilicet eſt morbus ſimplex, nulli alteri complicatus, qui vnica tantum indiget remediorum intentione, calidorum licet & ſiccorum, quæ tanto intenſiora repetiuntur in Hypoſſarcha, quanto hæc ſpecies hydropis inter omnes alias frigidior eſt, & humidior, vt ſuprà diximus ex Galen. *lib. 6. de acc. & morb.* cuius Galeni opinioni videtur etiam Paul. adhærere; Auicenna quoque 14. 3. *cap. de cura Hypoſſarchæ*, quæ fit à frigiditate, non videtur ſententia diſcrepare, inquiens, *& trochiſci de Sabram, & potatio eorum, ſecundum quod declarauimus in cap. Aſcitis, vehementius ſunt conuenientes Hypoſſarcha, quam reliquis ſpeciebus Hydropiſis valde, non ergo oportet vt retentio fiat, imò oportet, vt ſoluatur ſemper, & ſi non cum alio, ſaltem cum medicina temperata.* Rationabiliter autem in Hypoſſarcha plus de humiditate, quàm in reliquis duabus hydropis ſpeciebus; quia in ea peccat non ſolùm digeſtio ſecunda hepatis, & venarum, ſed etiam tertia, quæ eſt in carne, & membris ſolidis, vt Galenus teſtatur *lib. 1. de pot. nat.* & lib. 6. *de accid. & morb.* quod etiam confirmat Auicenn. 14. 3. *cap. de cauſa Hypoſſarcha*, inquiens: *Cauſa autem antecedens in ea, eſt corruptio in digeſtione tertia declini ad cruditatem, & aquoſitatem, & phlegmaticitatem, & ſanguinis non adhærens corpori, adhærentia naturali; hac autem adhærentia naturalis, quæ peccat in Hypoſſarcha fit reſpectu carnis, & membrorum ſolidorum quibus ſanguis, vel humiditas, quæ vocatur glutin non poteſt inuiſcari, ſeu agglutinari membris propter aquoſitatem ſuam.* Quomodo autem poſſit accidere Hypoſſarcha cauſa caliditatis liquefacientis & humores, vt videtur ſentire Auicenna eodem capite de cauſa Hypoſſarchæ, non parua dubiratio oriri poteſt: Et quomodo talis Hypoſſarcba medicanda eſſet; fit enim talis liquefactio corporis & humorum à febribus incenſiuis perducentibus ad maraſmum, & cura earum fit per infrigidantia, & humectantia, ita quòd potus aquæ frigidæ eſt maximè illis conueniens, neque aliquo modo dandum eſt aliquid calefaciens, vnde Galenus lib. 10. *meth.* circa finem, reprehendit ſuæ ætatis Medicos, qui aquam mellia in eis exhibebant, quæ eſſet inimiciſſima in tali diſpoſitione. Sed huius dubitationis ſolutio ad alium locum reſeruetur, quia in hac diſpoſitione quam ſanare intendimus, non eſt neceſſaria, quam ſupponimus à mala diſpoſitione frigida & humida hepatis, & totius corporis habitus ortum habuiſſe: cui volentes medicari, dicimus regimen ſex rerum non naturalium declinans ad calidum, & ſiccum eſſe conuenientiſſimum quia eſt contrarium cauſæ facienti Hypoſſarcham, humori videlicet phlegmatico aquoſo. Habitet igitur in aëre, elato, declinante ad caliditatem, expoſito ventis orientalibus, & meridionalibus; & ſi tempus ſit hyemale, camera in qua habitat, calefiat continuè ex lignis calidis, & ſiccis, veluti ex abiete, lauro, & iunipero, cuius fructus habet proprietatem contra hunc morbum teſte Auicen. xiiij. 3.

Ei præterea fiat in eodem aëre cameræ ſuffumigium ex aromatibus, veluti thure, myrrha, ladano, & ſtorace calam. Caueat autem ab aëre frigido, ventoſo, & aquoſo: in cibo & potu fugiat repletionem, quæ plurimum nocet in hac diſpoſitione Hypoſſarctica. Sit ergo vterque pauciſſimus, tanta tamen parcitate, vt virtus conſeruetur, nam cum Hypoſſarcha ſit de genere morborum, qui longitudine temporis ſolent perdurare, dieta abſolutè tenuis ſolet eſſe periculoſa. Indicatio igitur ſumpta à virtute, debet præponderare ei, quæ ſumitur à repletione: quo circa in tali diſpoſitione habenti indicationes contrarias, opus eſt Medico ſolerti, & exercitato, qualem non dubitamus eſſe illum qui quotidie viſit hanc nobilem mulierem. Nos tamen qui abſentes ſumus, vt aliqua in parte ſatisfaciamus marito, & affinibus, à quibus fuimus rogati, vt pro eius ſalute recuperanda conſulamus, ea quæ nobis videtur facienda circa hanc partem, non grauabimur ſcribere; quorum hoc vnum præcipuè obſeruandum, vt nunquam aſſumat cibum, & potum, niſi celebrata priùs prima concoctione, & ſecunda; Et quanto magis famem tolerare poteſt, (conſtante tamen virtute) tanto eſt illi magis proficuum: Sitim etiam toleret quantum poteſt, & ſurgat à menſa cum reliquiis famis, & non ſatiet appetitum in comedendo, quoniam *ſtomachus frigidus* Autore Gal. 2. techn. *eſt bonus appetere, malus digerere: cibus etiam quem ſumit, ſit digeſtibilis, & ſimplex potius, quàm multiplex, potus autem aqua, tāquam inimicus interficiens, fugiatur:* nam Auic. autore xiiij. 3. *& vſus aquæ Hydropico fugiendus eſt:* Vinum ſit clarum, album, odoriferum, antiquum potius, quàm nouum, & iudicio meo vinum maluaticum aliquando huic nobili mulieri, modò febris non adeſſet plurimum conferret: quod quidem iudicium confirmat auctoritas Nicoli Flor. qui Serm. v. *cap. de cura Hydrop.* teſtatur ex Alberti auctoritate, quod quidam Hydropicus ab omnibus deſperatus, ſolùm cum vino de Maluaſia, ipſum continuè bibendo, & in ipſo carnes, & ſua cibaria decoquendo, liberatus fuit. Panis ſit ea farina tritici bene munda, vel parum furfuris habente, qui ſit conuenienter fermentatus, & ſalitus; Azimus, & omnia edulia & paſta dimittantur; Carnes ſint ex auibus potius ſylueſtribus, quàm domeſticis, quales ſunt quæ vulgo coturnices nominantur, merulæ, turdi, alaudæ, perdices, faſiani: Ex quadrupedibus caro vitulina, hædina, leporina, capreolorum, & inter cæteras, caro herinaceorum terreſtrium à Medicis commendatur: Piſces omnis generis caueantur, præter piſces paruos in petris habitantes, quales ſunt qui marſones vulgo vocantur: Lac, & omnia lacticinia mala ſunt: de lacte camelarum, quod Auic. ſummopere commendat in Hydrope xiiij. 3. nihil dico, quia in regione noſtra habetur, neque eſt in vſu: Ex oleribus dimittantur lactucæ atriplices, ſpinachia, & reliqua ſimilia frigida, & humida, conceduntur apium, petroſelinum, fæniculus, aſparagus, betonice, nepita, marrubium, capares; Et oleæ conditæ ad excitandum appetitum, conceduntur. Aromata, quæ laudantur ad Hydropicos, ſunt cardamomum, cinnamomum, galanga, crocus: puluis vehementer commendatus pro condimento in Hypoſſarcha talis eſt. *R. Aniſi, fæniculi, cuſcutæ, ſquinanti ana. p.* I. *Cinnamomi, piperis, ſpicæ ana. p. ij.* qui puluis aſpergi poteſt ſuper cibaria, quibus vtitur, & maximè iuſcula, & inter cætera ius cicerum, in Hydropicis ab auctoribus collaudatur: cætera legumina tanquàm ventoſa blaſphemantur: Ex fructibus paſſulæ, piſtachia, & auellanæ torrefactæ Hydropicis exhibentur. Somnus, atque vigiliæ moderatè conueniunt: ſomnus autem ſit potius nocturnus, quàm diurnus, non excedens ſpatium ſeptem horarum: Exercitium ſi vires patiuntur, præcedat ſemper aſſumptionem cibi: Ex accidentibus animi, ira aliquando conuenit ad excitandum calorem naturalem, ſed timor, & triſtitia, & quæcumque animi paſſiones poſſunt impedire digeſtiones naturales, caueantur. Et hæc quidem, quantum pertinet ad regimen ſex rerum non naturalium dicta ſufficiant. Quantum verò ad regimen curatiuum in Hypoſſarcha, hoc quatuor impletur intentionibus; prima matr. digerit, ſecunda euacuat, tertia malam complexionem frigidam, & humidam tollit, quarta corrigit accidentia; pro prima intentione exequenda conueniunt, ſyrupus de abſinthio, de calamento, de eupatorio; Aquæ autem eiſdem commiſcendæ ſunt aqua cuſcutæ, capil. Veneris, agrimoniæ. Secunda autem intentio completur cum medicinis temperatis, quia medicinæ fortes, quæ in Hydropiſi à Doctoribus maximè commendantur, quales ſunt mæzereon, elephorbium, ſuccus cucumeris aſinini, laureola, oliuella, colocyntida in hac nobis. Mulieri mihi ſuſpectæ ſunt, quia neſcio quomodo virtus ſe habeat, nam ſi ſit aliquantulum debilitata, frequens vſus medicinarum temperatarum etiam teſte Auicen. xiiij. *3. cap. de cura Hypoſſarchæ.* eſt magis proficuus, & præcipuè rhabarbari, & hieræ pigræ; nam de rhabarbaro inquit Rhaſis vij. *Continentis, in laborantibus Hydrope carnoſa, melior medicina eſt rhabarbarum;* de hiera autem Galenus, Serapio, Auic. pariter teſtantur quod euacuat à corpore malos humores, & relinquit bonos; Et Gulielmus Plac. in practica ſua tantum commendat vſum rhabarbari, vt de hac medicina talia verba proferat. (*Indubitanter credat omnis homo, quod ſolùm, cum exhibitione rhabarbari elect. pulu. pondere duarum drachmarum, cum vnc. ij. oxymellis comp. diſtemperati cum decoct. lactucæ, ſcariolæ, & Rad. fæniculi, multos curaui, exhibendo hoc medicamentum illis in aurora de tertio in tertium, vel de quarto in quartum; Et ſi hydropicus erat debilis, dabam ſolùm dragm. vnam rhabarbari*) Hæc quidem Gulielm. Si verò virtus eſſet aliquantulum robuſta, poſſemus dare pilulas ex ſubſtantia rhabarbari reformatas cum ſucco ireos, de cuius radice, vel eius ſucco, ſcribit Gordonius, *quod ſi aliqua medicina poteſt curare hydropem, hoc eſt.* Hoc idem confirmat Nicolus Flor. & ſubiungit: *Ego autem dico, quòd expertus ſum eum, & inueni validum, & expertus ſum ſuccum rad. palmæ Chriſt, & inueni ipſum virtuoſum, ſicuti ſuccum ireos, & ita non vris meri in deſcenſu eius ad ſtomachum, ſicuti ſuccum ireos.* Si igitur præceſſit vſus plurimus rhabarbari, & hæc nob. Mulier non ſit integrè ſanata, vel notabiliter melius ſic habens, poſſumus ad fortiora tranſire, virtute tamen conſentiente; Et poſſumus dare ſuccum ireos à drachmis duabus vſque ad quatuor in aqua mellis: Pilulæ etiam de Agarico Mel. in hypoſſarcha conueniunt, & ſi pilulas abhorret, propter frequentem vſum, poſſumus dare electuarij diaphæniconis, aut electuarij. Indi à drach. duabus, vſque ad quatuor, quæ diſſoluantur cum aqua Agrimoniæ, vnà cum vncia Caſſiæ fiſtulæ. Quia autem in hypoſſarcha phlegma aquoſum ſuperabundat, ſiue ſanguis aquoſus, hæc enim eſt cauſa propter quam non poteſt nutrimentum adhærere, ſeu inuiſcari membris, ſicuti ſuprà tactum eſt; idcirco pro hac intentione euacuatiua multum conueniunt medicinæ ſimplices atque compoſitæ, quæ vim habent expurgandi ſanguinem à ſuperfluitate seroſa per vias vrinales, qualis ex ſimplicibus eſt Sampſucus, id eſt Maiorana, cuius decoctio competit autore Dioſcoride in principio hydropis, & non potentibus vrinare:

Tuto exhibetur huiuſmodi ſuccus vſque ad Vnc. ij.

ad

ad idem valet decoctio camedrios, & ſimiliter, camepitheos, id eſt iuæ, quæ herba Dioſcor. prodeſt hepaticis, & non potentibus mingere; Radix etiam calamenthi decocta in aqua, vel vino diuretico Aut. Eraſiſtrato prouocat vrinam; Puluis etiam Betonicæ cum vino ſumptus, euacuat per vrinam, & per aluum, vt refert Dioſcor. Nicolus verò Flor. deſcribit medicam. compoſ. euacuans per vias vrinarias, hoc modo. *R. Seri caprini vnc. iiij ſpicæ Nardi drac. ij. bulliant vſque ad conſumptionem tertiæ partis, & bibantur*; Radix etiam Rubiæ tinctorum bibita cum aqua mellis educit multitudinem vrinæ, & vrinam craſſiorem, quemadmodum de Marrubio ſcribit Dioſcor. quod prodeſt renibus, & veſicæ. Gerardus autem de Solo teſtatur ſuper 9. Almanſ. quod quidam faciunt miracula cum ſucco Praſſij, id eſt Marrubij. Non eſt autem hoc loco prætereundum, quod huic nobili mulieri, ſi nondum propter ætatem defecerunt naturaliter Menſtrua, ſed eſſent præter naturam retenta, neceſſarium foret illa prouocare; retentio enim menſtruorum cauſa eſt aliquando generationis Hydropiſis, in quo caſu Medici concedunt etiam, aquam in Hydrope ab aliis cauſis ortum habente, quàm ex retentione menſtruorum, & in vitiis ea retentione ſanguinis hæmorrhoidalis, omnino fugiendam cenſent: Fluxus etiam menſtruorum ſuperfluus eſt cauſa refrigerandi totum corpus, & præcipuè hepar, vnde ſequi poteſt Hypoſſarcha, quæ contraria indiget curatione; quas omnes cauſas puto ab initio curæ diligenter fuiſſe obſeruatas, & remediis conuenientibus correctas à Medico, qui eam habuit in cura. Pro tertia verò intentione, quæ malam complexionem frigidam, & humidam, ſanguinem plegmaticum generantem, qui eſt cauſa Hypoſſarchæ, emendat, ex ſententia Clariſſimorum Medicorum, ſunt Electuaria, quæ hepar, & ſtomachum confortant; inter quæ laudatur Mithridatum cum aqua Agrimoniæ, vel decoct. ſpodij, ſi quis magis humiditati ſuperfluæ vellet obuiare: quantitatis autem doſis eſt drach. 1. Quæ datur in aurora.

Secundo loco laudatur Theriaca Andromachi, quæ exhibetur vt prius.

Tertio loco Diacyminum eſt conuenientiſſimum, vbi cum materia phlegmatica ſuperabundarent ventoſitates.

Quarto loco conuenit Dialaca, ſimiliter Troc. Dialaca; de Eupatorio, de Abſinthio, de Rhabarbaro in tali diſpoſitione frigida, & humida. ſunt conuenientiſſimi: Ex iis autem, quæ à tota ſubſtantia, ſiue à forma ſpecifica conferunt hepati, eſt ſecundùm Auicennam, & Galenum viii. de x, Tract. Hepar. Lupi exſiccatum & datum ad bibendum cum vino pond. duarum drachm. Ex carne etiam hericij terreſtris fit puluis ſimiliter, qui datur in potu, de quo etiam ſuperius diximus in regim. ſex rerum non naturalium. Pro quarta intentione, quæ corrigit accidentia. Autores ſpecialiter mentionem faciunt de fluxu ventris, qui eſt valde periculoſus in ſpeciebus Hydropis, quæ contingunt in morbis acutis, vt teſtatur Galenus in *comment. primo Secundi libri progn.* Nicolaus autem in Serm. v. *cap. de Hydrope*, inquit Aſcitem coniunctam cum fluxu ventris, virtute exiſtente debili, eſſe mortalem: Auicenna autem xiiii. 3. cap. de ſignis Hypoſſarchæ in hoc contradicit Galeno, qui in lib. *quinto de interrog.* reprobat opinionem illorum, qui in aliqua ſpecie Hydropis. ſiue Hypoſſarcha, ſiue Aſcite, ſiue Tympanita, tale accidens poſuerunt: verba Galen. libro allegato, ſunt hæc: *Verum in omnibus corporis partibus tam ſupernis, quàm inferioribus, pituitoſus ſanguis contineri conſpicitur in morbis quos Græci Anaſſarchas nominant, Per aluum autem nihil ſanguinolentum, neque in iis, neque in Aſcite, neque in Tympanite ſecerni conſueuit, ſed ſpatium quod inter Peritonæum, & partes ei ſubiectas eſt, aquoſo humore impletur.* Hæc quidem Galenus qualiſcunque tamen fluxus ſit, ſiue ſimplex Diaria, ſiue ſanguinolentus, ei obuiandum eſt, ſi ſuperfluat, & ea ꝯ venter non detumeſcat, debili virtute exiſtente. Et hæc quidem dicta ſufficiant; quæ potui abſens pro ſalute huius nobilis mulieris recuperanda colligere ex variis medicinæ autoribus, tam Græcis, quàm Latinis, antiquis, & recentioribus. Reliqua Medici præſentes, qui eam habent in cura, melius poterunt, vt erit opportunum, ſecundum occurrentia prouidere.

CONSILIVM II.

De malè affecto Ventriculo.

ILluſtris Diuus Leonardus Aymo, qui iam pluribus annis vexatur mala ſtomachi diſpoſitione, ſuperioribus diebus laborauit febre Tertiana notha ſatis moleſta; nunc verò adeò malè diſponitur ſecundum ſtomachum, vt accepta etiam modica cibi, & potus conuenienti quantitate, poſt horam, vel circa, incurrat in vtroque pulſu magnam diuerſitatem, magnitudinem, velocitatem, & frequentiam, & cordis pulſum ſentiat, in temporibus manifeſtam pulſationem, & in aure ſiniſtra ſibilum, & multoties in coxa ſiniſtra frigiditatem, mentemque adeo indiſpoſitam, & occupatam, vt non poſſit bene ſuas operationes perficere, & plures tunc faciat eructationes, quarum aliquæ interdum ſaporem cibi referunt, interdum ſaporem extraneum, interdum etiam ſunt acetoſæ, interdum verò amaritudine oris ſitim incurrit, ſicuti etiam interdum eo tempore, multum capiti, quæ accidentia per duas horas, ſatis intenſa perſeuerant, deinde paulatim remittuntur, vt hora quinta vel ſexta poſt aſſumptum cibum, in totum ſint remota, & etiam cum notabili totius corporis extenuatione, quæ incipit à quatuor annis citra. Horum omnium cauſas inueſtigaturus præſuppono Diuus S. in naturali ſua diſpoſitione, eſſe cordis, & hepatis manifeſtè calidi, vnde in hac ſua ætate annorum 50. aut circa, colera nigra multa generatur per aduſtionem; id quod ex egeſtionibus etiam ſuis, quas aſſidue nigras eſſe retulit Doctiſſ. Medicus ſuus, & ex ſanguinis hæmorrhoidalis conſueti fluxu, manifeſte comprehendi poteſt iuxta ſententiam Galen. 3. inter. Et cum nunc longum tempus ſit, quod talem non habuit ſanguinis eductionem, hæc colera nigra multiplicata, ſtomacho communicat, quod oſtendunt egeſtiones nigræ, & ex conſequenti in ſplene etiam abundat, & veriſimile eſt, quod & in meſenterio; quare ſtomachus ex hac colera nigra ſibi communicata, & ex vaporibus, vel ventoſitate eleuata ab ea colera nigra, quæ eſt in regione ſplenis, & meſenterij, læditur, & in cibi digeſtione impeditur. Cumque ſtomachus agit in cibum, cum vaporibus eleuatis à cibo permiſcentur mali vapores coleræ nigræ, qui arteriis, & cerebro communes fiunt; quare faciunt motum cordis, in pulſu diuerſitatem, mentis occupationem, & temporum pulſationem: Hinc etiam fiunt eructuationes diuerſæ, & ventoſitas toti ventri communicatur; & cum interdum ſentiat oris amaritudinem, aliqua fortaſſis portio coleræ, quæ nondum in coleram nigram tranſiit, & ſtomacho communicatur; Et quia cum ſtomachus malè digerit, phlegmata ſemper multi-

plieantur, ideo in eius ſtomacho abundant etiam phlegmata. Sed dubitabit forte aliquis cum humor melancholicus etiam per aduſtionem factus, ſecundum communem, opinionem, ſit frigidæ cõplexionis quamuis fiat à cauſa calida, quomodo vapores ab ipſo eleuati permixti cũ vaporibus cibi, poſſunt totum corpus calefacere, velocitetem, & frequentiam in pulſu facere, & ſitim aliquando, debetent, n. potius effectus frigiditatis inducere, Dicendum eſt, quod licet humor melancholicus per aduſtionem factus, apod aliquos ſit frigidæ complexionis, facillimè tamen à quacunque leui cauſa calefaciente inflammatur, vt colligi poteſt ex ſolutione illius problem. pp. quod viri Excellentes, vt plurimum ſint melancholici. Dictum eſt etiam portionem coleræ non nigræ ſtomacho communicari, Rationabiliter autem maior in hoc caſu contingit dubitatio, an hæc calefactio totius per horam vel eirea, poſt aſſumptum cibum, & pulſus magnitudo, velocitas, arguant becticam febrem, dicente Galeno prope finem primi de Differ. febr. Cuilibet feb. becticæ, proprium, & inſeparabile id eſſe, vt ingeſto cibo, calor accendatur, pulſuſque in magnitudinem, ac veloeitatem increeat vt, æqualis eſſe videatur aeeenſio. Æqualem autem accenſionem intelligi volo, in qua nec horror exiſtit, nec frigus extremitatum: Et certè ſi D.S. à febre noo mundificantur, magna proculdubio apud me eſſet ſuſpicio febris hecticæ: ſed quia Excell. D. A. V. Medicus ſuus, qui pulſum ſuum naturalem in ſanitate bene cognouit, aſſeuerat D.S. aliquando omninò non febrite, quinimò io ſanitate, eius pulſum maiorem velocitatem habere, & frequentiorem, quàm nunc interdum habeat, ceſſat hecticæ febr. dubitatio conſulo tamen, quantum in me eſt, vt Medici, quantum ad hanc diſpoſitionem, aduertant, oculiſque ſtent apertis, ne contingat fortaſſis D. S. in hanc malam labi diſpoſitionem. His habitis, cum de mente Galeni in de *Conſt. Art. Med. cap.* 13. & 14. in omni ægritudine remouenda primò ſint ponendæ intentiones curatiuæ, ſecundò videndum an poſſibile ſit intentionibus curatiuis ſatisfacere, ne tentaret quod eſſet impoſſibile, & tertiò ſint inuenienda ingenia, & inſtromenta, quibus mediantibus intentionibus curatiuis ſatisfiat, eorum conuenienti vſu, & ratione temporis, & ratione quantitatis, vt voluit Galenus 7. *meth. c.* 3. Quantum ad primum, conſtat prohibendam eſſe multiplicationem coleræ nigræ, quæ maxima videtur eſſe cauſa harum diſpoſitioonum; prohibetur autem ipſius multiplicatio, digerendo, & euacuando illam, quæ iam facta eſt, & proſpiciendo ne alia gignatur, remittendo hepatis caliditatem, & euitaodo quodcumque nutrimentum melancholicom, ac facilè in coleram nigram tranſmutabile: conſtat etiam ſtomochum eſſe mundificandom, & à phlegmatibus in eo multiplicatis per indigeſtionem, & ab ea coleræ portiuncula, quæ ſibi interdum communicat; poſtmodum ſtomachus io digiſtiua eſt confortandus; cor, & cerebrum ſimiliter confortari debent, ne malos vapores ſuſcipiat: Et quia triſtitia debilitat virtutem, & facit ad multiplicationem humoris melancholici, & ad augmentum ipſius triſtitiæ; vt voluit Auic. in 1. *Tract. de Vir. Cord. cap.* 9. hæc eſt, quantum poſſibile eſt, remouenda. Intentiones autem habendæ in remouenda triſtitia ſunt multiplicare ſpiritus, facere ipſos elaros, & ſubtiles, vt voluit Auicenna in 1. *Tract. de Vir. Cor. cap.* 4. Quantùm ad ſecundum, clarum eſt, quamcunque intemperiem permutari poſſe, niſi ſit hectica tertiæ ſpeciei, aut maraſmus, ſeu ſiccitas, in ſubſtantia membrorum inducta, quæ remoueri non poteſt, aliter poſſet ſenectus prohiberi, & ſpaſmus de ſiccitate curari: patet hoc à Galeno in 1. *Tract. de Tabe c.* 4. & 5. ex conſequenti clarum eſt malam complexionem in hoc illuſtriſſimo Domino, & hepatis, & ſtomacbi poſſe curari, cum non ſit aliqua ex ſupradictis incurabilibus; Humores autem peccantes, qui euacuari debeant, nullam habent dubitationem; Et ita quantum ad prognoſticum, certiſſimè credo D. S. curari poſſe. Verùm niſi diligenter curetur, poſſet facilè in melancholiam Myrachiam incurrere; Et propterea debet omnioo, dimiſſis publicis, & priuatis negotiis, ac laboribus, ſoli ſanitati vacare, donec eam D.S. plenè conſequatur; laboris enim, & corporis, & mentis cauſam ſuæ ægritudinis proculdubio augmentant.

Quantum ad tertium primò de ſex rebus non naturalibus, ſecundò de medicinalibus dicam. Et incipiendo ab aëre, eligendus aër temperatus, vel temperamento propinquus; & quia difficile eſt, ſemper talem habere, fugiendæ ſaltem ſuot extremæ qualitates, & ideo vitandus aër ventoſus, pluuloſos, & exceſſiuè calidus, aut frigidus. Quantum ad cibos & potus, cibi omnes debent eſſe non melancholici, non groſſi, neque viſcoſi: volt enim Galenus in 5. *de tuend. ſan.* quod nutrimentum groſſum, & viſcoſum, ſenibus etiam ſanis, ſit valde nociuum, ſed debent eſſe generantes humores ſubtiles, vel mediocres io ſubtilitate, & groſſitie, facilis digeſtionis, & boni nutrimenti, & incipiendo à pane, Panis ſit factus ex frumento illius anoi, bene mundo, ſitque bene fermentatus, parum ſalitus, benè malaxatus, mundus à cortice exteriori, recens duorum dierum ad plus, non actu calidus; factus in micis ex farina de proximo molita, & bene in clibano decoctus. Carnes eligendæ ſunt perdices, faſiani, ſtarnæ, turtures, turdi, merulæ, generaliter aues omnes paruæ, non aquaticæ, columbi in turrib. nidificantes, pulli gallinacei, gallinæ, & capones annum vnum noo excedeotes, intelligendo de iis omnibus, quæ non ſiot in careeribus detenta, vel impinguata: Aues in aquis degentes, tam ſilueſtres, quàm domeſticæ, vt anates, & anſeres ſunt euitandæ, licet earum alas Galenus voluerit eſſe boni ſanguinis, & bonorum humorum generatiuas: Et quia Galenus *in tract. de ſubtil. Diæt. cap.* 8. circa finem de turture, & perdice dicebat, quòd earum durities faciliter remouetur, & fiunt fragiles, & inculpatæ omnino, ſi die vna mortuæ fuerint ante earum comeſtionem, colligitur idem obſeruandum eſſe in aliis carnibus, vt quæ duriores ſunt, longiori tempore debeant eſſe mortuæ, & quæ minùs duræ, breuiori; tempore tamen æſtatis minus tempus ſuffieit, vt vult Galenus 8. *metho. med.* in cura malæ complexionis ſiccæ ſtomachi. Et quoniam 3. *de Alim. c.* 2. dicebat Galenus, exiſtente in carnibus differentia non parua intèr ſeniora animalia, & iuniora, & extenuata ac pinguia, optimæ quidem ſunt iuuenum, & quæ bene ſunt enutrita peſſimæ autem ſenidrum, & quæ ſunt extenuata, ex ſupraſcriptis carnibus laudantur iuuenes, & pingues, non tamen artificialiter factæ tales, ſicuti qoæ in carceribus detinentur, vt ſuprà, dictum eſt. Coturnices, ſiue qualleæ à Rhaſi 22. *cont. cap. prop.* ab Auic. 2. *can. cap. prop.* & à Concil. *differ.* 68. vituperantur, & propterea plures medici ſunt, qui eas in regimine ſanitatis conſeruatiuo non concedunt; quia tamen in partibus meis nunquam vidi, nec intellexi aliquem ex earum comeſtione ſpaſmum incurriſſe, de quo prædicti auctores timent, & quia ſunt ex auibus bonum, & ſubtile nutrimentum generantibus, apud me earum vſus non damma-

tur

tur,& præcipuè alarum ſuatum, modo ſint in regionibus in quibus non inueniatur helleborus, quod ex eo cognoſcitur quia in ventribus earum helleborus nunquam inuenitur, neque obſtat autoritas Plinij *lib.* 10. *nat. hiſt. capit.* 23. in fine dicentis *coturnicibus* &c. vſque ibi, *bonum, & ſubtile nutrimentum.* Ex carnibus quadrupedum, parcè conceduntur omnes, præter hœdinam, quæ à Gal. *in tract. de ſubt. Diet. capit.* 8. commendatur, cum dicit; Aliorum verò terreſtrium animalium, hirci, & arietes, & vniuerſum ouium, & caprarum genos, non eſt cibus inculpatus, ſulis autem hœdis, quis intriſtaorer victur. Caro vitulina licet ſit euchima, à Galen. tamen in tract. *de Diſol. Cont. capit.* 5. *in fine*, inter cibos bonum ſed groſſum chimum generantes enumeratur. Idem voluit Auicenna quarta primi capitulo 1. Quare in hoc regimine mediocris ſubtilitatis Diætæ, concedi non debet: vbi tamen contingeret D. S. forti exercitio vti, tunc concedi poſſet, quia Diæta aliquantulum groſſa, ex calore per exercitium acquiſito, ſubtiliatur, vt colligitur à Galeno in de ſubtil. *Diat. capitulo* 8. & in tract. *de Euch. & cacochym. capitulo* 3. Agninam carnem, tanquam ſuperfluè humidam, & viſcoſam, vituperat Galenus 3. de Alim. *capit.* 1. *in de ſub. Diet. cap.* 8. in Tract. *de Euch. capit.* 4. & in 5. de ſanit. tuend. Auet. tamen 4. *coll. capit.* 32. & Rhaſis, 3. *ad Almanſ. capit.* 9. aliter ſentire videntur: credo ego quod agnus ſi ſit caſtratus, & annualis, in locis montanis degens, herbas bonas comedens, concedi poſſet; raiò tamen, & eo præſertim tempore, quo D.S. exercitabitur; & hæc caro aſſata, melior erit, quàm elixa. Leporina caro damnatur, quia eſt groſſi, & melancholici ſanguinis generatiua, vt à Galeno colligitur 3. *inter. capit.* 7. & à Rhaſi 3. *ad Almanſ. capit.* 9. & à Galeno *in de ſubtil. Diat. capit.* 8. De cuniculis, idem quod de lepore dicendum eſt, cum parum inter ſe differre videantur, vt clarè Galenus 3. *de alim. capit.* 1. Ceruina caro omnino eſt dimittenda, quæ à Galeno *in de ſubtil. Diat. capit.* 8. & à Rhaſi 3. *ad Almanſ. capit.* 9. & 23. *contin. capit. de carne*, valdè vituperatur. Capreolina caro inter cæteras quadrupedes ſylueſtres eſt magis approbata, dicente Rhaſi 3. *ad Almanſ. capit.* 9. *Caro Gazil*; id eſt *capreoli, inter ſylueſtres carnes melior habetur*, Sanguis quoque ex ea generatus, paucas efficit ſuperfluitates: Dixit etiam Rhaſis in 4. ſuorum Anhor. *Melior ex carnibus montanis abſque nocumento, & abſque ventoſitate, caro capreoli exiſtit, parum tamen eſt ſicca, cuius ſiccitas cum oleis humidis remouetur, & in comeſtione eius virtus accedit mirabilis, & prodeſt paralſi frigida:* Auicen. quoque ſecundo Canon. ſic de ea inquit, *Caro ſylueſtris melior eſt, caro Gazil cum declinatione ſua ad melancholiam.* Ex quibus colligitur, quod licet caro capreoli inter ſylueſtres ſit magis approbata, quia tamen ad melancholiam declinat, non eſt in caſu noſtro concedenda. Interiora omnium prædictorum euitentur, ſicut cerebrum, pulmo, cor, hepar, ſtomachus, ſplen, renes, & inteſtina, quia vel mali aut groſſi chymi, vel multarum ſuperfluitatum ſunt generatiua, vt colligitur à Galeno 3. *de alim. capit.* 2. *in de Euchym. cap.* 3. *in de diſſol. cont. capit.* 4. Hepar tamen pullorum, anſerum, & anatum concedi poteſt, vt colligitur à Galeoo *in de diſſol. cont. capit.* 3. & ab Auic. 2. canon. capit. de hepate. Piſces eligendi ſunt, qui molles habeant carnes, non viſcoſi, boni odoris, & ſaporis, non degeneres in ſtagnis nec in parte fluminis ciuitati propinqua, in qua mundificantur latrinæ, nec in lacu, ſed ſint ex fluuiis petroſis, & arenoſis, vel ex mari, ſicut ſunt Lucij, piſces perſici, auolatiles, temeri, ſtrigli, vaitones, & ſimiles; qui autem inter marinos ſint meliores iudicandum relinquo Medico mari proximo: quod autē & maritimi piſces & fluuiales, conueniant in regimine huius noſtræ Euchymiæ, & ſubtiliantis diætæ colligitur à Galeno 3. de alim. cap. 45. cùm dicit: *alimentum verò, & ex hoc, & aliis piſcibus eſt ſanguinis generatiuum ſubtilioris conſiſtentiæ*, & in fine eiuſdem capit. vbi nutrimentum ex marinis piſcibus pelagalibus, quaſi æquiparat nutrimento habito ex perdice; & pane bene præparato, cum dicit: *prope autem iſta ſunt & marinorum piſcium, qui pelagales, &c.* per piſces pelagales intelligendo, qui in profundum deſcendunt. Dicebat etiam Galenus eodem *lib. capit.* 27. loquendo de piſcibus petroſis; *alimentum autem ex ipſis, non ſolùm bene digeſtibile, ſed & ſaniſſimum, eſt corporibus hominum, generantibus ſanguinem conſiſtentia medium*, &c. Dicebat etiam Galenus *in de ſubt. diat. capit.* 8. in primis verbis: *Ex piſcibus petroſis, montaniſque auibus paruis, poteſt multum, & copioſum alimentum ad rationem ſubtiliantis diæta accommodare*: & parum infra ſubiungebat; *quocirca & de aſellis, & de mulis, & aliis piſcibus pelagalibus licet offerre, non præſentibus petronis*: in tract. *verò de Euchym. capit.* 3. enumerando cibos inculpabiles, enumeratis plurium auium carnibus ſubiungit, *adhuc autem piſcium petroſorum, marinorum, & pelagalium, &c. & ſimpliciter omnium piſcium, quicumque nec viſcoſitatem aliquam, nec saporis fœtorem, nec inſuauitatem habent.* In eodem etiam Tract. dixit Galenus cap. 7. *Aues autem, & piſces, paulominus omnes ſunt Euchymi præter conuerſantes, &c.* & parum poſt ſubiungit. *Idcirco enim eorum qui in puro mari diatantur, inculpabiles ferè omnes ſunt piſces*, &c. Ex quibus apparet quod piſces viſcoſi, & non habentes prædictas bonas conditiones, ſunt fugiendi, ſicuti tinchæ, lampredæ, & anguillæ præcipuè, de quibus in eodem capit. dicebat Galenus: *Anguilla verò omnino non eſt euchymum cibarium, etiam ſi ex aqua fuerit munda, nedum ex ea quæ ciuitatem expurgat*, vt dictum eſt. Dicebat etiam Galenus *in de ſubtil. diat. capit.* 8. *Anguilla enim, & plurima malachiorum, licet mollem habeant carnem, tamen propter viſcoſum, & phlegmaticum; quod eſt in eis ſufficienter ſunt nociua his, qui ſubtiliante diata vti volunt.* Et licet Auicenna 2. *can. capit. de piſcibus*, dicat piſces recentes phlegma aquoſum generare, neruoſque mollificare, & Rhaſis 3. *ad Almanſ. capit.* 16. piſces multum vituperet, & 22. *contin.* dixerit; *Piſces recentes generant phlegma & illi in quorum corpore dominantur phlegmata, nec non & in neruis eſt laſſitudo, ipſos euitare debent, & propriè in hyeme, & ciuitatibus frigidis*, quia tamen Rhaſis vbi ſuprà dixit piſces conferre perſonis calidis, & M. S. eſt calidæ complexionis, nec etiam dubitatur de ea neruorum mollificatione, vſus ſuprà ſcriptorum piſcium laudatorum commendatur, cum maximè plurimis Galeni authoritatibus, declaratum ſit eos eſſe euchymos, & ſubtilis nutrimenti. Verùm marinos piſces commendo magis, quàm fluuiales; iuxta ſententiam Auer. *in* 2. *part. cant. comm.* 228. dicentis, quòd *tres ſunt piſcium ſpecies; Marinus, fluuialis, & habitans in ambabus aquis ſimul, & melior ex eis eſt marinus ſecundum Galenum, & poſt illum qui, ſimul in ambabus aquis viuit, & demum qui viuit in aquis dulcibus; cuius oratio eſt, quoniam humiditatis excedit, & dominatur in piſcibus, & omnes illi qui in aquis ſalſis nutriuntur, minus habent humiditatis*

ditatis, qui verò in aquis dulcibus, plus habent humiditatis: qui autem viuunt in ambabus aquis, medij ſunt inter eos. Poteſt hæc Auer. ſententia aliquo modo colligi à Galeno 3. *de Alim. capit.* 24. Aduertantur tamen ne aſſati piſcea, & infrigidati comedantur, præcipuè ſi in hoc loco ſteterint limmotoſo, dicente Rhaſi 7. *ad Almanſ. capit.* 28. *Cum piſces aſſantur, & in loco ſteterint humeroſo, & ſequenti die comeſti fuerint, ſaua accidentia, quæ ex malorum fungorum comeſtione ſolent euenire, accidunt.* Nec comedantur piſces aſſati, & poſt per coopercuram ſuffocati, quia inde ſequuntur ſæua accidentia, vt clarè Rhaſis vbi ſuprà *capit.* 27. Nec comendendi ſunt piſces cum lacticiniis in eadam menſa, dicente Auicenna 3. *fen. primi can. Doct. ſecunda cap.* 7. circa finem; *Experimentatores namque Indi, & alij dixerunt, quod lac cum rebus acetoſis comedendum non eſt, neque piſces cum lacte, quoniam inde ad ægritudines peruenitur pernecantes, ſicuti lepra.* Et propterea non laudo piſces cum butyro decoctos; placet etiam vt omnino euitentur oua Barbulorum, in menſe præſertim Maij, quia in ipſis per experimentum, multa ſunt inuenta nocumenta. Præparandi autem ſunt piſces iuxta ſententiam Galeni 3. *de Alim. capit.* 29. vel elixando in aqua multa cum oleo, ſale, anetho, & portis, vel frixando cum maiore quantitate vini, quàm olei, & parum ſalis: verùm in elixatione loco porri, & anethi, vinum poſſet adminiſtrari. Canceri ſiue marini, ſiue fluuiales, oſtrea & omnia habentia teſtam duram, ſunt omnino fugienda, quia difficilis ſunt digeſtionis, & groſſi nutrimenti, vt colligitur à Galen. 3. *de Alim. capit.* 32. 33. *& in Tract. de euchym. capit.* 3. cum dixit: *Sufficienter autem cacochyma.* ī, groſſi chymi ſunt oſtrea & omnia ſimiliter, vocata ab Ariſtot. Oſtracoderma, *&* parum infrà ſubiungebat; *omnium verò oſtreorum ſcire oportet, ius quidem ſubductiuum eſſe ventris, ſicut & lactis ſerum, ipſum vero ſolidum corpus tardi tranſitus, cacochymum, multi humoris, & groſſi generatiuum:* Secundo etiam de ſanitat. tuend. enumerando cibos groſſi nutrimenti, & difficilis digeſtionis, enumerauit oſtrea, & anguillas: limaces etiam in ſuprà ſcripto genere habentium teſtam duram, continentur, de quibus dicebat Galenus 3. *de alim. capit.* 2. quod habent carnem duram, & indigeſtibilem; in eodem genere continentur quæ vulgariter dicuntur arcellæ. Salſa omnia ex carnibus, & piſcibus, licet fortaſſis in regimine ſubtiliantis diætæ, concedi poſſent, quia ratione ſalis, humores groſſos, & viſcoſos poſſunt attenuare iuxta Galeni ſententiam *in de diſſol. cont. capit.* 2. *& 5. de tuend. ſanitat.* vbi ordinat ſubtilem diætam ſenibus conuenientem, ea tamen in caſu noſtro dicimus non concedenda exceptis quibuſdam paucis, de quibus infrà, tum quia ſunt duræ digeſtionis, vt teſtatur Galen. 2. *part. Aphor. comm.* illius Aphor. *Eorum, quæ nutriunt copioſè, & velociter, &c. & 3. de alim. capit.* 40. tum quia cacochyma ſunt, & humorem melancholicum generantia, vt clarè dixit Galen. 3. *de locis affect. capit.* 6. qui in numerando cibos humorem melancholicum multiplicantes, poſt plurium enumerationem ſubiungit præterea omnes terrenorum animalium carnes ſale conditas, aquatilium quoque carnes, vt thunni, balenæ, vituli marini, delphini, canis, atque citaceorum omnium; aliqui tamen ſont piſces ſaliti, qui humores ſubtiles generant, & non humorem melancholicum, vt colligi poteſt ex Galeno *in lib. de ſubt. diæt. capit. penult. & in de diſſol. cont. capit.* 2. qui enumerando cibos generantes humorem ſubtilem, & groſſum ſubtiliantes dixit, *& piſces cum ſunt ſaliti, lenis carnis & pauca pinguedinis*, tales autem piſces ſalitos Galen. 3. *de alim. cap. penultim.* appellat ſardos, cum dixit; *optima autem eorum, quæ ad meam experientiam deuenerunt, ſunt quæ à prioribus Medicis ſardica ſalſamenta nuncupantur, hodie ſardas vocant*; & parum poſt ſubiungebat, *ſecundum autem poſt hæc habent ordinem, corracini, & pelamides, & quæ ſaxitiua appellant.* Piſces item ſalitos, qui vulgari ſermone appellantur Anchioæ, credo eſſe eiuſdem ſubtiliantis virtutis, ſine humoris melancholici generatione; & licet eos, & ſimiles non commendem in frequenti nec continuo vſu, quia nimis exſiccatent, & extenuarent, aliquando tamen eorum vſum ante cibum, cum oleo, & modico aceti, concedo, ad expurgationem ſtomachi à phlegmatibus, & ventris ſubductionem, iuxta ſententiam Galeni 5. *de vtilitat. part. cap.* 4. vbi in conſeruanda ſanitate laudabat interdum vſum conſimilium rerum. Oua eligantur ex gallinis iuuenibus mediocriter pinguibus, & gallum habentibus, ſintque recentia, & in aqua elixata, vel cum cortice, vel ſine cortice, & ſint mediocriter decocta, non dura, ſed tremula, quæ ferè omnes conditiones habentur à Galen. 3. *de alim. capic.* 21. oua ex gallinis gallum habentibus, aliis magis ſunt commendata, quia quamdam caliditatem à galli ſemine ſuſcipiunt, cuius ratione fiunt digeſtibiliora, vt teſtatur Iſaac in ſuis part. diæt. Oua indurata damnantur à Galen *in 2. part. Aphor. comm. illius Aph Eorum quæ copioſè, & velociter nutriunt.* & in tract. *de euchym. capit.* 3. Oua frixa ſimiliter vituperantur à Galeno *in de diſſol. cont. capit. 6. & 3. de alim. cap.* 21. ex ouis autem bene præparatis, vt dictum eſt, vitellum magis commendo, quàm albumen, quod dixit Galen. eſſe difficilis digeſtionis 12. *method. med.* vbi loquitur de cura ſyncopalis minutæ, quando dixit: *dabit verò aliquando & iis oua, ac præcipuè eorum vitellos, album enim eorum ægrè concoquitur*; quod idem dixit *in de articul. curat ad Glauconem capit. de cura tert.* cum dixit, *ſed & oua ad ſorbendum ſunt offerenda; & præcipuè vitelli eorum, nam hi facilius, quàm pars alba concoquuntur.* Olera ferè omnia ſunt fugienda, quia cacochyma ſunt, dicente Galeno in tractat. de diſſolut. cont. *Olera omnia ſunt mali chymi propter multitudinem ſuperfluitatum in eis, & paucitatem nutrimenti, & in 2. de aliment. capit.* 39. dixit; *Noſſe autem oportet olera omnia, & paucum, & cacochymum ſanguinem generare*; & Auicenna etiam 3. *fen. primi à doct. 2. capit.* 7. dixit, *Oportet vt ſanitatis conſeruator ſtudeat, ne cibi ipſius ſubſtantia ſit aliquid nutrientium medicinalium, ſicuti olera, & fructus, &c.* Radices magis oleribus ſunt fugiendæ, & quia cacochymæ, & quia duræ ſunt digeſtionis, dicente Galeno 2. *de aliment. capit.* 28. *Primo quidem omnes radices indigeſtibiles ſunt, & turbatiua &c.* in tractat. verò *de ſubt. diæt. capit.* 9. dixit. *Olerum omnium radices, vt ita dicatur, excrementitia ſunt, & concoctu difficiles, & propterea dimittenda ſunt, ſola autem acres, & calida guſtanda, vt ſunt allij, cepe, & radicula, eaque pro medicamentis potius, quàm pro alimentis haberi debent.* Napi autem; & Rapæ licet non multum ſint cacochyma, vt vult Galenus in tract. *de euch. cap.* 6. tamen non conceduntor, quod ſint groſſi, & crudi ſucci, vt vult Galenus 2. *de aliment. capit.* 59. *&* 60. & in tract. *de ſubt. diæt. capit.* 9. ſimiliter non conceduntur, paſtinaca, & daucus, & quæ vulgariter dicitur Carotta. De lactucis dicebat

cebat Galenus in tract. *de euchym. capit.* 6. *Olerum vero nullum quidem eſt euchymum, in medio verò euchymorũ, & cacochymerum, eſt vocata lactuca,* & in capit. vltimo dixit lactucam eſſe innocuum & infrigidariuum olus, *& in* 2. *aliment. capit.* 39. dixit, ex lactuca non multum, neque cacochymum, non tamen euchymum perfectè ſanguinem generari. Cum itaque lactuca ſit mediocriter boni chymi, & non groſſi, ſitque complexioni calidæ contraria, ea cocta interdum vti poterit S. M. cum ſale, oleo, & aceto paſſulato, vel decocta in brodio carnium, & pullorum, & præcipuè tempore æſtatis: iuuabit etiam ad ſomni prouocationem; non tamen valde frequentem eius vſum commendo. Et ſimiliter de endiuia, ſiue ſcariola dicendum eſt, quæ à lactuca non valdè diſtat, vt vult Galenus 2. *de alimen. capit.* 40. de ea etiam dicebat in tract. *de diff. cont. capit.* 3. quòd eſt temperati ſanguinis generatiua. Reliqua omnia oleta damno, & præcipuè caules, cum humorem generant melancholicum. Gal. 3. *de locis affect.* arcichiocbi, quia ſunt mali, & pauci nutrimenti iuxta ſententiam Galeni 2. *de aliment. capit.* 38. vbi de omnibus ſpinoſis plantis loquitur, generaliter ſunt euitandi. Aſparagi ſimiliter ſunt pauci, & non boni chymi iuxta ſententiam eiuſdem Galeni 2. *de aliment. capit.* 56. & propterea non conceduntur; quia tamen illis ineſt virtus vrinæ prouocatiua, & & oppilationum aperitiua, eorum vſus interdum, rarò tamen, ante cibum concedi poteſt, & madefiant cum modico aceti, & ſalis. Idem dicendum eſt de lupulis. Fungi omnino dimittantur, tum quia ſi naſcantur apud cauernas animalium venenatorum, aut apud res putridas, aut apud ferrum rubiginoſum, ſunt de genere veneni, tum quia ſunt groſſi valdè, & mali nutrimenti, vt voluit Auicenna 2. *can. capit. prop.* & de eorum meliore ſpecie dixit, *neminem enim interficit, ſed aduenit ex ea colerica paſſio*; idem latius, & clarius poteſt videri apud Galenum 2. *de alim. capit.* 66. & in tract. *de euchym. cap.* 3. cum dicit; *omnium autem edulioru mfungi habent frigidiſſimum & viſcoſum ſimul, & groſſum chymũ, atque inter hos ex ſolis boletis nullus fertur interiiſſe, qui tamen ipſi choleram etiam nonnullis attulerunt inconcocti. Ab aliorum verò fungorum eſu quidam mortui ſunt, quidam autem venerunt prope mortem, diarrhæis correpti, aut choleris, aut ſtrangulatu periclitantes*, &c. tubera, quæ vulgariter tartufolæ nominantur, licet longè minoris ſint malitiæ, quàm fungi, vt voluit Galenus in tract. *de ſubt. diat. capit.* 9. & in tract. *de euchym. capit.* 3. tamen quia ſunt chymi, & de eis dixit Rhaſis 13. *cont. cap. proprio.* quod mala ſunt ſtomacho, tardæ digeſtionis, & quod de eorum proprietate faciant colicam, apopleaiam, & paralyſim, & etiam Auicenna de ipſis dixit. 2. *can. capit. prop. Sunt groſſa valde, & præbent nutrimentum groſſum, melancholicum, & non appropinquant eis in hoc aliquid, & timetur ex eis paralyſis, & apoplexia, & ſunt tarda digeſtionis, impedientia & grauantia ſtomachum, groſſi chymi, &c.* ab ipſis abſtinendum eſſe proculdubio cenſeo. Cappares licet ſint pauci nutrimenti, cum virides ſunt, & longè minoris. quando ſunt ſalitò, & propterea pro nutrimento illis vti non debeamus, quia tamen ineſt illis virtus ſubtiliatiua, appetitus excitatiua, phlegmatis ventriculi expurgatiua, ventriſque ſubductiua, ſplenis, ac hepatis oppilationum aperitiua, quæ omnia colliguntur à Galen. *de alim. cap.* 33. *&* 7. *de ſimp. cap.* 7. eius vſum ante alios cibos, loco medicinæ quandoque concedo, non tamen eius vſum continuum, aut valde frequentem commendo, ſed ſolùm bis in hebdomada; laudo etiam quòd aliqualiter decoquantur iuxta ſententiam Dioſc. *in cap. proprio*, dicentis illos decoctos ſtomacho vtiliores eſſe quàm crudos; condianturque cum oxymelle, i. aceto & melle, vel zuccharo; ſiue cũ oxeleo, i. aceto, & oleo. vt dicebat Galenus 2. *de alim.* vbi ſuprà. Oliuæ quantum ad ſubtiliantem diætam, nec laudandæ, nec vituperandæ ſunt, dicente Galeno in tract. *de ſubtil. diat.* Oliuæ autem medium quodammodo ſunt cibarium, vnde nec laudare eas habeo, nec vituperare; quia tamen pauci ſunt, & mali nutrimenti, vt voluit Galenus 2. *de alim. cap.* 26. & in tract. *de euchym. cap.* 5. quantum ad nutrimentum eas damno, loco tamen medicinæ ad ventris ſubductionem, earum vſum, quæ cum aqua, & ſale, conditæ ſint, ante cibum aliquando, rarò tamen concedo; & ad ſtomachum roborandum ſimiliter, rarò earum non complerè maturarum vſum concedo, quæ cum aceto ſint repoſitæ iuxta ſententiam Galeni 2. *de alim.* vbi ſuprà. Fercula conueniunt, panatella ex pane electo decocto in iure carnium, aut in aqua cum butyro, aut oleo, & ſale, addendo in fine decoctionis vitellum oui. Conueniunt etiam oua præparata, vt ſuprà dictum eſt, atque etiam conquaſſata & & ad mediocrem conſiſtentiam decocta, ita vt tremula ſint. Voluit autem Galenus 3 *de alim. cap.* 21. vt conquaſſentur oua cum vino albo; & oleo optimo, & ſale, deinde in aqua decoquantur, & qui oleum abhorrent butyro vti poſſunt. Far, ex quo apud nos fercula fiunt quandoque, à Dioſc. *lib.* 2. *de Met. Medic.* Halica, & à Galeno 1. *de alim. cap.* 3. *&* 8. *de ſim. med. cap.* 174. & in plurimis aliis locis condrus appellatur; & licet inter cibos euchymos connumeretur in tract. *de euchym. cap.* 2. ibidẽ tamen, & in tract. *de ſubt. diat. cap.* 6. & in aliis plurimis locis, dicuntur eſſe nutrimenti groſſi, & viſcoſi, quare in caſu noſtro concedi non debent, niſi fortaſſis dubium eſſet, ne cibi in ſtomacho à calido corrumperentur. Legumina omnia, quia ſunt groſſi chimi, & mali, vel ſunt ventoſa, ſunt dimittenda. Riſum inter legumina ponitur à Galeno 2. *de alim. cap.* 13. vbi dixit, quod eſt ventris conſtrictiuum, & difficilis digeſtionis, ideo ab eo ſimiliter abſtinendum eſſe iudico. Piſtum, quod ex milio & panico fracto fieri ſolet, quia in regimine ſubtiliantis diætæ non conuenit iuxta ſententiam Gal. in tract. *de ſubtil. diat. cap.* 7. & quia 1. *de alim. cap.* 2. ponitur pauci & ſicci nutrimenti, ventris conſtrictiuum, & difficilis digeſtionis; illud in caſu noſtro non cõmendo. Fercula ex paſta ſeu ex frumenti farina facta, ſunt omnia dimittenda, quia licet boni ſint nutrimenti, ſunt tamen groſſi chimi, & oppilatiui vt voluit Galenus 1. *de alim. cap.* 2. & in tract. *de euchym. cap.* 3. & Rhaſis 3. *de alim. cap.* 3. nec panem ex frumenti farina factũ conceſſimus, niſi cum omnibus conditionibus, cũ de pane loqueremur, ſuprascriptis, quæ in ferculis ex paſta obſeruari non poſſunt. Caſei omnes, recocta, & pari modò lac coagulatum, vel ſunt groſſi, vel ſunt mali nutrimenti, dicente Galeno in tract. *de euchym. cap.* 3. *Caſei verò groſſorum humorum ſunt omnes, antiqui etiam cacochymi*: & parum infrà. *Quod verò ex eis coagulatis deſinit ſerum, ſufficienter quidem ventrẽ ſubducit; cacochymum tamen edulium eſt; idcirco eos, qui ſecundum hepar obſtruentes exitus, &c.* quare in hoc regimine ſubtiliantis, aut mediocris diætæ, non commendatur. De lacte dicebat Auicenna 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 36. & hac etiam nociuum eſt ſtomacho: lac etiam quantumcunque electum, & perfectum habentibus ſtomachum non mundum à malis humoribus à Medicis vituperatur, & propterea in caſu noſtro non conuenit. Oleum, & pari modo butyrum ad diæ-

tam

tam ſobtiliantem non facere dicebat Galenus in tract. *de ſubtil. diat. cap.* 5. & propterea eorum vſus pro condimento, nō pro nutrimento concedītur. Mellis, & cōſimiliter zucchari vſus cōmendatur, niſi contigeret illam poſt aſſumptum cibum calefactionē perſeuerare, vel augeri, quia tunc paruos vel nullus deberet eſſe eorum vſus. Aromata, ſicut cinnamomum, piper, gingiber, gariofili, crocus in parua quantitate, & tempore frigido, vel cū aliis rebus frigidis permixta conceduntur, niſi diu perſeueraret illa totius corporis poſt cibum calefactio, quia tunc ab eis abſtinendum eſſet. Fructus omnes horarij, ſiue humidi, ſiue ad reponendum non idonei, quibus omnes ferè homines ſummè delectari conſueuerunt, neſcientes quàm parū, & quàm prauum ſit eorum nutrimentū, iudicio meo, in via cibi, ſeu nutrimenti ſunt euitandi, quia ferè omnes mali ſunt, & pauci nutrimenti, nonnulli etiam craſſi, dicente Galeno in tract. *de euchym. c.* 8. de fructibus autem conſequenter dicendum: ſunt autē ex iis, quos arbores ferunt, paulominus omnes cacochymi, mali nutrimenti, præter caſtaneas; hæ namq; bene digeſtæ in ventriculo, nutritiuæ ſunt, & groſſi nutrimenti, mali autē nequaquā. Aliorum verò, horarij quidem vocati fructus cacochymi omnes ſunt; ſi verò corrumpantur in ventriculo, non longè diſtant à venenata materia, quemadmodum mora &c. in ſecundo etiam tract. *de alim. c.* 7. loquendo de fructibus humidis dixit, *Omnia igitur eiuſmodi cibaria rectè dicuntur à medicis eſſe pauci nutrimenti.* & in *c.* 8. in primo dixit, *commune quidem non ſolùm autumnalibus, ſed horariis fructibus habent & ficus, non potentes fugere cacochymiam, neque ipſi quamuis omnibus aliis horariis minus ipſa participantes* Dixit etiam ibidem *c.* 6. *Hominibus igitur propter hoc abſtinere conſulo cacochymis edulijs, etſi facilè digeſtibilia aliquibus ſint; latet enim tempore multo prauus in venis chymus, ex ipſis congregatus, qui cum occaſione modica, ad putrefactionem deuenerit, febres mali moris operatur.* & deinde Galenus de ſe ipſo narrat in tract. *de euchymia*, primò quod vſq; ad ætatem pubertatis ſanus permanſit a patre ſuo diætatus, & poſtea cum ſtudio adhæreret, nec amplius ſub patris eſſet cuſtodia, multos fructus horarios, ſimul cū ſuis coætaneis comedit, acutaq; ægritudine, vt phlebotomia indigeret, laborauit reprehenſuſq; à Patre, & eius timore fructus dimittens aliquo tempore ſanus permanſit. Sed mortuo patre rediit ad priorē fructuum vſum, vnde ſingulo ferè anno ægrotauit vſq; ad annum ætatis ſuæ 28. quo anno periclitans habere apoſtema in ea parte, qua hepar diaphragmati iungitur, à fructibus horariis de cætero abſtinere decreuit, prætetquam à maturis certitudinaliter ficubus, & vuis, neq; de iis immoderatè vtente, & ſic de exercitiis curā habens, & vt nunquā indigeſtio naſceretur, abſq; ægritudine permanſit. Rhaſis verò ad Almans. *cap.* 2. dixit, *Olera verò atque fructus nullo modo accipiat; hæc enim ventrem abſque magno replent nutrimento, & in corpore humores crudos generant, & malos.* In 55. cont. etiam dixit, quòd maior pars fructuum eſt medicinalis, vnde frequens eorum ſumptio corrumpit ſanguinem. Ex dictis clarum eſt, quod fructibus pro nutrimēto nō eſt vtendum, exceptis ficubus, & vuis certitudinaliter maturis; de quibus dicebat Galenus in tract. *de euchym. capit.* 8. *maturæ enim ficus prope innocuæ ſunt, & poſtea matura vua; quæ porrò ſuſpenſa flatuoſitatem omnem deponit, & fit perfectè inculpata;* & in 2. *de alimentis capit.* 9. dicebat. *Ficus & vua, ſicut inter fructus Autumnales principatum obtinent, ita omnibus horariis magis nutriunt, & minimè ſunt cacochyma, & maximè quando fuerint bene matura.* Eadem ſententia colligitur ab Auicenna 2. *cant. capit. de ficu, & vua*, vbi vult ficus albas cæteris eſſe meliores. Vua etiam non ſit eadem hora collecta, ſed ſit in aëre per ſex, vel octo dies ſuſpenſa, ſintque omnia bene matura, mediocriter dulcia, & in locis Soli expoſitis nata, de iiſque moderatè omnino ſumat S. M. & non niſi quod reducta erit ad priſtinam ſanitatem, qua ante præſentem ægritudinem fruebatur; loco autē medicamenti frequenter S. Magnif. fructus conceduntur ad infrigidandum, vel humectandum, vel aliter corpus alterandum. Et ideo dicebat Galenus in tract. *de euchym. capit.* 5. *Pomis autem, pyris, & meſpilis, non vt cibis, ſed vt pharmacis indigemus ad robur ſtomachi, & ventris:* quare citroniorum cum zucchato confectorum vſum poſt ciborum laudo ad corroborandum os ſtomachi, & ad prohibendum læſionem cordis, & aſcenſum vaporum ad caput, ad eamdem intentionem interdum vti poterit S. M. poſt cibum granatis non dulcibus, nec acetoſis, ſed medij ſaporis. Ficus ſiccæ per ſe ſumptæ, nec nuces per ſe commendantur, commendo tamen quod ficus ſiccæ ſimul cum nucibus comedantur ante alios cibos, præſertim tempore non calido, & quando S. M. reducta erit ad priſtinam ſanitatem, vt ſup. poſſunt etiam ficus ſiccæ cum amygdalis comeſtæ concedi, ſed meliores ſunt cum nucibus, iuxta ſententiam Galen. in tract. *de euchym. capit.* 8. & iuxta ſententiam Auicen. 2. *can. capit. de ficu*, ſint verò nuces infuſæ in aqua, & à corticib. poſt admodum mundatæ, iuxta ſententiam Galeni 2. *de aliment. capit.* 27. amygdalæ à corticibus mundatæ, quia duræ ſunt digeſtionis, non conceduntur, verùm ſi perfectè contundantur, & cum zucchato conficiantur, fiunt minus duræ digeſtionis, & ſic aliquando concedi poſſunt. Citri carnem non laudo, quia groſſi, & phlegmatici eſt nutrimenti, vt voluit Galenus in tract. *de ſubt. diæt. capit.* 10. in vlt. verbis, cum dixit carnem eius phlegmaticam eſſe, mali ſucci, Corticem ſimiliter pro nutrimento non commendo, quia duræ digeſtionis exiſtit, dicente Galeno in tract. *de diff. cont. capit.* 12. *Cortex citri; quando accipitur de eo parum, confortat ſtomachū, & quādo accipitur de eo multum, grauat, quoniam ſubſtantia eius eſt dura digeſtionis.* Citri ſuccus frigidæ valde, ſiccæque complexionis exiſtēns, & acetoſus, non conceditur, niſi in longè minore quantitate, quàm concedatur acetum vel agreſta, & ad eandem cum ipſis vtilitatem. Semen quod veneris multum conferre dicitur, omitto, tanquàm propoſito noſtro non deſeruiens, niſi ad aliqualem cordis confortationem: de limonibus, & citrangulis, vel aranciis, etſi ab antiquis pauciſſima ſcripta ſunt, de eorum tamen cortice, carne, & ſucco, idem dicendum arbitror, quod de citro.

Vini vſum laudo, quod ſit medij coloris, vel album, & mediæ potentiæ, modo de illo, in moderata quantitate ſumatur; dixit. n. Galen. 2. *de accid. & morb. capit.* 3. *Si vinum temperatè ſumatur, calorem naturalem augmentat, quoniam ei ſimile & conueniens eſt.* & in tract. *de virt. nat. capit.* 3. dicebat; *verè enim ſi moderatè bibatur, digeſtioni, diſtributioni, ſanguificationi, & nutritioni multum confert, & cum hoc animam noſtram manſuetiorem, & audaciorem efficit*; temperetur autem plus vel minus cum aqua decocta, ſicut augebitur, vel minuetur illa poſt cibum aſſumptum calefactio; euitetúrque vinum nouum, turbidum, groſſum, & dulce. Somnus ſit nocturnus, non interruptus, duretque ſi fieri poteſt, ſpatio ſeptem horarum, vel circa; quod ſi non poterit ſomnus

vna

Digitized by Google

vna vice per ſeptem horas continuari, ſit in pluribus vicibus ſeptem horarum vel circa, nec illico poſt aſſumptum cibum eſt dormiendum, ſed tardandus eſt ſomnus, donec illa ſupercalefactio, poſt cibum euenire conſueuit, remota fuerit.

Neque etiam ſuper vacuitatem dormiendum eſt; nam dixit Auic. 3. *primi Doct. 2. Super vacuitatem dormire malum eſt, virtutem deijciens; ſomnus diurnus, quantum fieri poteſt, eſt euitandus*: de quo dicebat Auic. vbi ſupra; *in die quoque dormire eſt malum*, generat enim ægritudines humectantes, & reumatiſmos, corrumpit colorem & generat ſplenem, & laxat neruos, & efficit pigritiem, & debilitat deſiderium, & generat apoſtemata; & febres frequentes; vbi tamen contingeret in nocte non bene dormire, tunc ſomnus diurnus conceditur; vbi etiam S. M. longam haberet conſuetudinem in die dormiendi; non eſſet hæc conſuetudo, niſi paulatim dimittenda. Motus, & exercitium ſint moderata, & in mane ante prandium quando verò S. M. vti non poterit exercitio, tempore dicti exercitij vtatur frictionibus totius corporis. Repletio multa etiam ex bonis nutrimentis eſt euitanda; dixit. n. Auicen. 13. *Tert. Tract. 1. cap. 36. & ex rebus magis inimicis ſtomacho, eſt repletio; & propter illud non augetur corpus guloſi*: & Galen. in lib. *de Phlebot.* dixit: *intemperatos vini potatores & gulaſos, nullo iuuabis magiſt. pharmacans, aut Phlebotomans*: aceruant. n. cito humorum multitudinem intemperatè diætati: & ſicut repletio nimia, ita ieiunium damnatur, quia iuxta ſententiam Auicenn. *tolerare famem, ſtomachum malis replet humoribus*, & plus aliis dicit S. M. tolerantiam famis euitare, quia in ea humores mali communicantur ſtomacho: ſumantur itaque cibus, & potus bis in die, & cibi ſit ea quantitas, quæ neque grauitatem, neque tenſionem faciat in ſtomacho. Potus autem ſit ea quantitas, quæ in ſtomacho non natet, nec fluctuationis illius ſenſum faciat: Has menſuras cibi, & potus, ponebat Galen. 7. *meth. med.* vbi malæ complexionis ſiccæ ſtomachi ſine materia curam aſſignabat. Animi accidentia ſicut ira; furor, timor, mœſtitia, quantum fieri poteſt, ſunt fugienda, nam dixit Auicenn. in cap. de regim. eius quod comeditur, & bibitur, *accidentia animi horribilia digeſtionem fieri prohibent.* & 13. 3. Tract. 3. cap. 3. dixit: *Et ex cauſis corruptionis digeſtionis & deſtructionis eius, eſt mœſtitia, ſicut ex cauſis bonitatis digeſtionis eſt gaudium.* Galen. etiam 3. *Tech.* dicit: *Manifeſtum verò eſt, ab ipſis caueri oportere, omnes animi immodicas paſſiones, ira, triſtitia, furoris, timoris, inuidia ac ſolicitudinis: determinant enim hæc atque à naturali ſtatu corpora auertunt.* Coïtus quod ex toto ſit dimittendus, plures Medicorum hinc inde ſuadent authoritates, quia tamen Galen. 3. *Tech.* coïtum in regimine ſanitatis commendat, cum dicit: *venereorum verò iuxta Epicuri ſententiam nullus eſt vſus ſalubris, vt vero autem confert ſi tantum interualli in eorum vſu adhibeatur, vt neque reſolutio aliqua ſentiatur, & ipſe quodammodo leniter factus, ac melius ſpirare videatur*: & idem Gal. 6. *epid.* c. 4. multa ſæua accidentia fieri dixit ob nimiam coitus abſtinentiam, & in his præcipuè qui coïtu vti conſueuerunt, 7. etiam de *ſanit. tuend. prope finem*, volens declarare, qui ſint illi, qui coïtu vti poſſunt, dixit: *pari modo, & de Venere obſeruent, num noxia, innoxiave ſit, tum ex quanto interuallo vtentibus noxia ſit, aut innoxia.* & ita iuxta Gal. determinationem laudo, quod S. M. quoniam extra præſentem malam diſpoſitionem fuerit, experiatur ſi in aliquo temporis interuallo in vtendo coïtu nullum percipiat nocumentũ; & ſe leuiorem, meliuſque diſpoſitũ ſentiat; & in tanto tẽporis interuallo ſecurè Venere vti poterit; quod ſi aliquod ſenſerit nocumentum, longius ſpatium interponat, & tantum, vt in coïtu nullum ſentiat nocumentum. Quod de coïtu dictum eſt, idem de nocturnis pollutionibus dico; ſi enim tam frequentes fuerint, vt aliquod nocumentum inferant, aliquo ingenio minorandæ erunt, & magis tardandæ: fiat autem coïtus, ſi contigerit, corpore nec multum pleno, nec vacuo exiſtente, nec ſupercalefacto, nec infrigidato, nec nimis exſiccato, aut humectato. Quod ſi aberrare contigerit, paruus ſit error; melius autem eſt corpus calefactum eſſe, quàm infrigidatum, plenum quàm vacuum, humectatum quàm exſiccatum. Deſcendendo autem ad medicinalia in primis pro digeſtione humorum peccantium ſumatur per aliquot dies infraſcriptus ſyrupus.

℞. *Mellis roſ. col.*
Syr. de lupulis,
De S. borraginis ana ℥ *S.*
Aquarum fumiterræ,
Borraginis ana ℥ *j.*
Abſinthij,
Miſc.

Si tamen ſyrupus diſpliceat, loco eius ſumatur brodium pulli cum infuſione florum borraginis, & modico zucchari. Pro euacuatione humori melancholici fiat ius galli antiqui, ſecundùm artem decocti, in cuius ventre ponantur in decoctione polypodium in bona quantitate, ſal. paſſulæ, & fol. ſenæ, in fine autem decoctionis addatur epithimum etiam in bona quantit. dicebat n. Auic. cap. de carn. *ius de galli decrepiti eſt bonum colica, & ægritudinibus melancholicis*, & Meſue in c. proprio de iure galli, dicebat, quod cum polypodio, & epithymo educit melancholiam, de quo quidem iure ſumatur ad minus lib. j. obſeruando quæ obſeruari ſolent in medicinalium aſſumptione; poterit etiam in dicto iure galli infundi aliquid rhabarbari, vel agarici, vel addi poterunt ſpecies hieræ ſ. cum opus fuerit alios humores præter melancholicum, educere: poterit etiam prædictarum rerum in ventre galli expoſitarum decoctio fieri in aqua lactis, & eodem modo exhiberi, ſicut de iure galli dictum eſt. Placent ſatis hæ leues euacuationes iuxta ſententiam Meſ. *in cap. de ſoda*, ob humorem melancholicum; quod ſ. humoris melancholici euacuatio non ſemel, nec ſubita fiat; neque recedant medicinæ à gradu medicinarum incolumium; ſi tamen videbitur neceſſitas fortioris medicinæ pro humoris melancholici euacuatione, lapis armenus, vel lapis hoc modo corrigantur; primo lauetur trigeſies in aqua fontis, poſtea decies in aqua roſata, & iterum decies in aqua decoctionis florum, & rad. Borraginis; modus autem exhibendi prædictos lapides ſit talis, primo,

℞. *Aquæ lactis lib. j. S.*
Succi pomorum dulc. lib. S.
Paſſularum ℥. j. *S.*
Liquiritiæ rec. ʒ. *ij.*
Florum Borraginis ʒ j. *S.*

omnia bulliant vſque ad conſumptionem tertiæ partis, decoctione tamen facta ſecundùm artem, deinde fiat colatura in qua ponatur lapidis armeni, vel lapidis lazuli, loti vt ſupra drach. j. & fiat potio, quæ non exhibeatur niſi præcedentibus digeſtiuis.

Laudo inſuper quantum poſſum vſum clyſteriorum, & conſueti ſanguinis hæmorrhoïdarum prouocationem, vel ſaltem aliquando ſanguiſugarum applicatione, ſi aliter prouocari non poſſint, Pro contemperanda hepatis caliditate, laudatur inunctio in regione hepatis cum vnguento Galen, vel cum vnguento ſandalino, vel fiat epithema cum aqua endiuiæ, ſandalis, & modico aceti; ad

eandem intentionem valebit etiam ſcariola, vel cucurbita aliquando in cibo ſumpta. Pro ſtomachi autem conformatione laudatur vnguentum Galen. emendans vitia ſtomachi, inunctum, cui addi poterunt gariofili, ſi videatur indigentia maioris caliditatis: poterunt ad eandem intentionem fieri epithemata cum rebus ſtomachicis omnibus nota: aduertendo tamen ne ſtomachus calefiat, niſi prius ceſſauerit illa totius corporis poſt cibum per horam calefactio: ad eandem intentionem poterunt grana maſticis deglutiri ieiuno ventre; confectio etiam Diarrhodon Abbas commendatur pro ſtomachi, & ſui hepatis diſitione. Quantùm poſtremò ad generationem lætitiæ, & cordis confortationem, quod ſemper in hac cura fiendum eſſe arbitror, ſunt ſpecies mundificandi, à fumis, ſeu vaporibus melancholicis, clarificandi, & multiplicandi. Hoc verò fiet cum rebus boni, & multi nutrimenti, ea iis quę ſupra ſcripſimus in regimine ſex rerum non naturalium: pro ſpirituum clarificatione, laudo vt continuè vtatur pulu. ſetæ, margaritarum & hiachynthi, & vt ſeta bene poſſit puluerizari, aliqualiter aduratur, vt præcipit Meſue in deſcript. diamuſci dulc. pro mundificatione laudo, vt aſſiduè vtatur borragine, borrago enim eſt id quod antiqui bugloſſam appellant, cuius proprietas eſt cor confortare, & lætitiam facere mundificando ſpiritus à vaporibus melancholicis, vt voluit Auic. in Tract. *de virt. cord.* Et quia pulueres quandoque non ſine difficultate capiuntur, poſſemus ex puluere margaritarum, ſetæ, & hyachinthi conficere pilulas, vel electuarium addendo modicum ſyr. de pomis, ſ. & ea exhibere vel ante ſyrupum, vel ante cibum. Valent etiam ad hanc intentionem Theriaca, Mithridatum, Diamuſc. dulc. & amat. & electuarium Conſil. lætificans, electuarium de gemmis. Et quoniam hæc ſunt ſatis intenſè calida, docuit Auicenna caliditatem corrigere in 2. *Tract. de virib. cord. cap. 4.* faciendo decoctionem eorum in ſufficienti quantitate ſucci pomorum dulc. vel granatorum dulc. vſque ad ſpiſſitudinem, vbi tamen videatur neceſſitas maioris refrigerationis, poterit eis addi puluis coralliorum vel quid ſimile. Ad hanc etiam intentionem valet vſus diaborraginati, cum fragmentis cordialibus: valent etiam rad. borraginis conditæ cum zucharo, valent etiam ſacculi, & epithemata, quæ taliter fiant, vt ſint temperata, & ad frigidum declinantia. Diacitoniten ſumptum poſt cibum, & corroborando os ſtomachi impediret læſionem in S. M. ſolitam fieri in corde, & cerebro: pro cerebri etiam confortatione, facient gariofili teneri in ore, & ſimiliter galla muſcata retenta in ore. Pro ſomni prouocatione, vtatur ingeniis excellent. Medico ſuo dictis.

Hæc ſunt, quæ pro temp. opportunitate mihi conceſſa, pro ſanitate M. V. recuperanda, & poſtmodum conſeruanda, ſcribenda indicaui, cui me plur. commendo, & offero.

De aquis thermarum, quod reliquum erat, & vtrùm M. V. aliqua ex ipſis conueniat, dicere ſuperſedeo, quia tempus eas ſumendi nunc minimè eſt idoneum; ſed cum tempus aderit, ſi M. V. de ſua valetudine, ac diſpoſitione, tunc me certiorem faciet, quid ſentiam perſcribere non grauabor.

CONSILIVM III.

De retentione menſtruorum.

OBlata eſt nobis diſpoſitio Magnificæ Dominæ ætatis annorum xxviij, quæ diligenti indiget perſcrutatione, tum propter nobilitatem ſubiecti; tum quia plura inuicem ſunt complicata ſunt enim in ea non naturales exitus menſtruorum, ratione quantitatis, caloris, & temporis. Eſt, n. color niger, quantitate diminutus, & tempore poſtponens vt in pluribus & eſt triſtitia ferè aſſidua, & interdum animi defectio, & appetitus magna diminutio, cum aliquali ventris ſtipticitate, & totius corporis demacratio, & motus pulſus, qui continuè in regione ſtomachi tactu ſentitur, & ſcabies interdum in ambitu totius, eo ſcilicet tempore, quo menſtrua retinentur, & interdum ſanguinis exitus per venas hæmorrhoidales, & interdum curſus matricis. Quia autem in omni ægrotante, vt voluit Gal. in de *conſt. art. med. c. 13 & 14* ſunt primò intentiones curatiuæ ponendæ; ſecundò videndum, an poſſibile ſit iis ſatisfacere, ne tentaretur impoſſibile; & tertiò ſunt inuenienda inſtrumenta, quibus curatiuis intentionib. ſatisfiat, & eorum optimum vſum, ratione & temporis, & quantitatis, vt vult Gal. 7. *de ing. c. 3.* & nos hunc ordinem ſeruare conabimur. Cum igitur intentiones curatiuæ vt dixit Gal. 9. *de ing.* 14. ſumantur, vel ab ægritudinis eſſentia, vel à naturali corp. complexione, vel à cauſa ægritud. vel à tempore ſcilicet aëre, inueſtigabimus primò complexio membrorum principalium, & ex conſequenti totius corporis ex ſuis ſignis; ſecundò ægritudines, & cauſas ex ſignis & accidentibus inquiremus; tertiò intentiones omnes curatiuas eliciemus; quartò de prognoſtico dicemus, declarando an ſit poſſibile curatiuis intentionibus ſatisfacere: quintò inſtrumenta ponemus, quibus mediantibus finem intentum aſſequi poſſimus, tam ex parte ſex rerum non naturalium, quàm ex parte medicinarum.

Quantum ad complexionem, credimus cor eius eſſe frigidum, quod ex pulſu tardo, & raro, & anhelitu pulſui proportionato, & nuditate pilorum in pectore, & pectoris aliquali paruitate, & ex aſſidua triſtitia, & ex frigiditate extremorum, quam dicit ſe quaſi continè ſentire, manifeſtè concluditur: ex aliquali etiam pulſus duritie, & totius corporis ſiccitate, ſeu demacratione cor etiam ſiccum indicamus. Cerebrum, etſi ex ſenſuum, & operationum perfectione arguere poſſimus eſſe temperatum, ex colore tamen faciei ſatis rubicundo, & venis in oculis apparentibus, & colore capillorum verſus nigredinem tendente, & aliquali caliditate in partibus capitis tactu percepta, & ex eius ſuperfluitatibus per palatum & nares, aliqualiter ad calidum declinare iudicamus; quantum ad humiditatem, & ſiccitatem non apparet notabilis lapſus. Hepar ad calidum parumper declinare cenſemus, quod tum venarum quantitate, tum ex colore rubicundo, & colore rubeo poteſt ſignificari; & quia merito cordis frigidi non poteſt toti communicari, tum etiam ex ſcabie aliquando apparente, ſignificat aliquam aduſtionem quæ, cum non ſit merito cordis, quod eſt frigidum, remanet quòd ſit ratione hepatis calidi: & quoniam in ea ſanguis eſt ſpiſſus, & tota corporis habitudo eſt ſicca, hepar etiam ad ſiccum declinare indicamus; & quia cor magis eſſe frigidum quàm hepar eſſe calidum credimus, totum corpus abſolutè frigidæ & ſiccæ complexionis iudicamus; & quia multa ſigna ex dictis ſumi poſſunt, ex multitudine humoris melancholici in ea multiplicata, poſt quam ſuus curſus incæpit, qui iam x. annis, vel circa, principium habuit, arbitramur quòd ante ægritudinem complexio ſua naturalis hepatis, calida fuerit magis, & cordis frigida minus, & ambas complexiones tam hepatis, quàm cordis, quia ipſa ſatis pinguis, & carnoſa erit, minus ſiccam credimus extitiſſe, & fortaſſe ad humidum declinaſſe.

Quantum

Quantum ad ſecundum, Ægritudo huius Magnificæ Dominæ eſt in Rubrica de retentione menſtruorum audiendo nomen retentionis, pro communi ad ablationem, diminutionem, & corruptionem exitus eorum; in ea.n. diminutè exeunt, non in ſuo tempore, & in colore nigra. Cauſæ retentionis menſtruorum, vt dixit Gal. *5. par. Aph.* 58. & Auic. 2. *Tert. Tract.* 1. *c.* 25. ſunt vel ex parte matricis, vel ex parte humorum, ex parte virtutis; in hac autem non credimus hoc fieri ex debilitate virtutis expulſiuæ, cum aliquando expellat ſanguinem illum per venas hæmorrhoïdales, quod eſt difficilius, quàm ſi eum expelleret per venas à natura ordinatas ad hunc finem: & cum aliquando virtus ſufficiat illum expellere ad cutim, cum ſibi aduenit ſcabies: non etiam credimus hanc retentionem fieri vitio matricis, eo quod ſ. nimis ſe coarctet, vel nimis ſit exſiccata, quia in ea pluries talis retentio poſt partum euenit, quo tempore ſatis amplificatam matricem eſſe conſtat, vt habetur à Gal. Relinquitur ergo, quòd talis retentio ſit vitio humorum; quod quidem contingere poteſt, vel ex ſanguinis paucitate, vel ex humorib. groſſis, viſcoſis, & oppilantibus vias & orificia venarum matricis, vel ex groſſitie, & viſcoſitate humorum exiſtentium in ambitu totius, vnde tardiùs fluant, & poſtponãtur menſtrua; non credimus autem in ea retentionem fieri ex ſanguinis paucitate, tũ quia venas habet ſatis plenas, tum quia natura non expelleret ſanguinem per hemorrhoïdas, nec ad cutim, relinquitur ergo quod fiat ex groſſitie humoris melancholici in venis matricis contento, & in ambitu totius; quod clarè colligitur ex diſpoſitione venarum, & menſtrui exeuntis, & ex triſtitia, quæ eſt in ea: veriſimile etiam eſt in venis matricis eſſe oppilationem, ex humoribus groſſis viſcoſis, cum aliquando curſum matricis materiarum albarum viſcoſarum patiatur; & etiam quia dominante humore melancholico in corpore, per indigeſtionem phlegmata multiplicantur; propterea authentici medici cum medicamenta componũt pro humoris melancholici euacuatione, aliquid imponunt, quod etiam phlegma euacuet. Ex iis igitur conſtat, quod hæc ægritudo eſt oppilatio, quæ lædit operationem virtutis naturalis diminutè, & ex conſequenti eſſe ægritudinem in compoſitione; ex qua quidẽ oppilatione humor melancholicus multiplicatur in ea in ambitu totius, quod ex ſignis ſupra poſitis colligitur, vt habetur à Gal. 3 *inter. c.* 7. dicendo, quod quando retinetur ſanguis, qui per partes inferiores fluere ſolet, multiplicatur humor melancholicus in toto, & proprie cum retinentur menſtrua poſt partum, vt habetur ab eo in tract. *de col. nigr. c.* 6. quia in prægnatio fœtus nutritur ex meliore parte ſanguinis retenti, deterior autem pars reſeruatur ad partum, & tunc debet euacuari, quæ ſi retineatur, replet vt plurimũ corpus humore nigro melancholico: ideo cum mulieres in partu non debitè purgantur, ad melancholiã fiunt paratæ, & cor exſiccatũ infrigidatur, & ſpiritus tenebroſiores fiunt, & hepar ſimiliter alteratur, vnde prouenit debilitas digeſtiuæ, triſtitia, & animi defectio; nam vt dicit Auic. *in Trac. de virib. cord. c.* 4. quemadmodum multitudo ſpirituum, ſubtilitas, & claritas, ad lætitiam præparat, ita paucitas eorum, groſſities, & turbulentia præparat ad triſtitiam. Ex iis patet in hac Magnifica Domina aliam eſſe ægritudinem, ſcilicet malam complexionem frigidam, & ſiccam in corde, & ſpiritus. Demacratio corporis poteſt procedere, vel ex diminuta digeſtione, vel ex triſtitia, quia vt dicit Auic. 1. *Trac. de virib. cord. c.* 6. Sicut lætitia fortificat calorem naturalem, & facit dilatationem ſpiritus in toto corpore, vnde ſequitur attractio nutrimenti ad omnes partes corporis, ita triſtitia debilitat calorem naturalem, & facit coarctationem ſpiritus in toto corpore, vnde neque bonum fit nutrimentum, neque ad membra trãſmittitur; quare ex hoc etiam quod nutrimentum non penetret ad membra, poteſt accidere appetitus illa diminutio, quæ etiam poteſt eſſe propter phlegmata in ſtomacho multiplicata propter debilitatem digeſtiuæ, aut propter malam complexionem in ſtomacho impreſſam ex multo humore melancholico à ſplene ad ipſam tranſmiſſo, quæ aliquando deiicit appetitum, licet ſæpe eum intendat, vt vult Galen. 5. *inter. c. vlt.* Iſta etiam demacratio, & appetitus proſtratio poteſt inſequi cauſam poſitam à commentat. Alexand. de mente Galen. 3. *Epid.* 23. 5. ſuffocationem caloris innati factam ex ſanguine menſtruo retento. Curſus matricis ſequitur debilitatem digeſtiuæ, & multiplicationem phlegmatis. Quod autem multus humor melancholicus à ſplene ad ſtomachum eius expellatur, cognoſcitur manifeſtè ex regionibus, quæ ferè ſemper nigræ exiſtunt; vnde etiam elici poteſt multiplicationem humoris melancholici non fieri propter debilitatem attractiuæ ſplenis. Motus ille pulſus, qui in regione ſtomachi in ea ſentitur, credimus quòd ſit motus arteriæ aortæ in dorſo exiſtentis, iuxta ſententiam Gal. *in introduct. pulſ. c.* 1. dicentis, quod in extenuato corpore, ſi quis tangat ventrem, ſæpe percipit motum artheriæ, quæ eſt ſecundum dorſum; non enim poſſibile eſt: quòd motus ille tam continuus, & tam ordinatus à ventoſitate proueniat: poſſet tamen quis exiſtimare talem motum eſſe pulſum arteriæ ſplenis, quia ſplen eſt membrum ſatis arteriarum, habens arterias magnas, vt dicit Gal *4. de vſu part. c.* 15. ſed quia pulſus eſt maior in triplo, aut quadruplo, quàm pulſus brachij, non videtur quòd poſſit eſſe pulſus arteriæ ſplenis; tum etiam quia ſi eſſet pulſus arteriæ ſplenis, illum æqualiter percepiſſet, quando erat prægnãs, ſicut nunc, quod non faciebat. Quòd autem in ea magis percipiatur, quàm fortaſſe in altera magis extenuata, poteſt eſſe ex maiori repletione ſuæ arteriæ, vel aliqua in ipſa ſupercalefactione, ex qua arteria eius eleuetur. Scabies autem illa, quæ ſibi interdum aduenit, & ſimiliter ſanguis illæ hæmorrhoïdalis, clarum eſt quòd proueniunt à virtute expellente ſanguinem retentum, aut ſanguinis ſuperfluitates. An verò humor melancholicus in ea multiplicatus ſit naturalis, an aduſtus, credimus ipſum pro maiori parte eſſe ſine aduſtione cum iam dictum ſit ipſam eſſe à prædominio frigidæ complexionis; & quia ſi in ea eſſet multa aduſtio, non ſolùm in ea cauſaretur triſtitia, ſed & iracundia, & aliqua audacia: non negamus tamen in aliqua etiam adſit aduſtio, quæ ex longa retentione, & hepatis caliditate fieri poteſt, quod ex ſcabie ſignificatur, vt dicit Auicenna *7. quarti Tract.* 3. *c.* 6. Ex habitis manifeſtæ ſunt ægritudines, cauſæ, & accidentia, quæ ſunt in hac Magnifica Domina: neque credimus ipſam ſub Rub. melancholiæ Myrachiæ, vel alterius eſſe collocandam; quia in omni melancholia, vt dicit Auicenna, *prima tert. Tract.* 5. *cap.* 18. debet eſſe corruptio operationum virtutis ſenſitiuæ interioris, quæ in hac non exiſtit, imò perfectas videtur habere operationes ſenſitiuas; neque reperitur in ea eructatio acetoſa, nec nauſea, quæ, vt dicit Auicenna, in talibus eſt inſeparabilis.

Quantum ad tertium, cum plura ſint inuicem complicata, videndum eſt, à quo cura incipienda, & quæ debeant eſſe primæ intentiones exequendæ, pro quo dicimus iuxta ſententiam Galen,

vij. *de ingen. cap. penult.* quando plura inuicem ſunt complicata, ſi aliquod eſt, ex quo maximum imminet periculum ægrum periclitari, ab eo incipiendum eſt; Si verò nihil tale exiſtat, ab eo incipiendum, quod habet rationem cauſæ reſpectu aliorum, & ſine quo alia curari non poſſunt. Et quia dicimus quòd illa oppilatio, & humorum groſſities, quæ faciunt indebitum exitum ſanguinis menſtrui, ſunt cauſæ omnium aliarum ægritudinum, Prima intentio curatiua erit remouere oppilationem, & groſſitiem humorum, & viſcoſitatem, quod fiet cum ſubtiliantibus, & incidentibus iuxta ſententiam Galeni 3. *tech.* 94 dicentis. *Eſt verò & obſtructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis, & groſſis humoribus fit, vnam & ipſa habens intentionem morbo contrariam; dico autem apertionem. Cauſæ verò ſalubres ſunt, abſtergentia, atque incidentia medicamenta.* Secunda intentio curatiua erit, remouere malam complexionem factam in membris, & ſpiritibus, ex humore melancholico multiplicato in corpore; quæ cum frigida ſit, & ſicca, intentio erit calefacere, & humectare, & præcipuè cor ipſum. Tertia intentio curatiua erit, ſi poſt curationem oppilationis, & malæ complexionis, aliqua accidentia fuerint relicta, illa remouere; & licet cum Ægritudo eſt accidentium cauſa, plus ſit ægritudini, quàm accidentibus attendendum, tamen iuxta ſententiam Galen. 12. *meth. c.* 1. aliquando accidentibus prius, vel æquè primò eſt attendendum, ſicut ægritudini, & hoc eſt, quando accidens, vel virtutem proſternit, vel ægritudinem auget; & quia in caſu noſtro illa continua triſtitia virtutem debilitat, quia debilitat calorem naturalem, vt dictum eſt ſuprà, cauſam ægritudinis auget, faciendo ad multiplicationem humoris melancholici, & ad augmentum ſui ipſius, vt voluit Auicen. 1. *Tract. de virib. cord. cap* 6. Et ſimiliter, quia debilis digeſtio virtutem debilitat, non multiplicando ſanguinem, & ſpiritus, ſicut deberent, his duobus accidentibus æquè primò, & in omni tempore huius ægritudinis, erit attendendum. Intentiones verò habendæ in remouenda triſtitia, & lætitia cauſanda, ſunt multiplicatio ſpiritus clari, & ſubtilis, vt voluit Auicenna vbi ſuprà; ſicuti intentio in fortificando virtutem digeſtiuam præcipuè ſtomachi, erit malam complexionem in ea introductam remouere, cum rebus ſubſtantiam ſtomachi vnientibus. Erunt itaque omnes intentiones curatiuæ ab ægritudine, & eius cauſa ſumptæ, aperire orificia venarum matricis, ſubtiliare humores groſſos, incidere viſcoſos, & in omni tempore ægritudinis multiplicare ſpiritus, & facere eos claros & ſubtiles, ac demum vigorare digeſtionem. A naturali verò corporis & membrorum complexione ſumitur indicatio, ex alterationis fiendæ quantitate; in tantum enim debet membrum ſupercalefactum infrigidari, donec reducatur ad naturalem complexionem, quod fieri non poteſt, niſi naturalis complexio cognoſcatur; ideo ſoluit Galenus 9. *de ingen.* 15. 8. *de ingen. primo & vltimo*, quod quando membrum frigidum naturaliter, eſt habens ægritudinem calidam, debet amplius infrigidari, quàm ſi membrum natura calidum, habeat ægritudinem calidam: Vndè cum in caſu noſtro, cor ſit naturaliter frigidum, & habens malam complexionem frigidam, minus debet calefieri, quàm ſi naturaliter eſſet calidum. Hepar ſi ad malam complexionem frigidam deduceretur in proceſſu huius ægritudinis, cum naturaliter ſit complexionis calidæ, vt ſuprà diximus, maiori indigeret calefactione, tamen vſque nunc non videtur hepar lapſum ad frigidum reſpectu temperati, cum appareant ſigna ſuæ caliditatis, vt ſuprà diximus. Aër verò continens ſi ſit temperatus, indicat ſimilia eſſe exhibenda, ſi ſit in calido diſtemperatus, vel frigido, humido, vel ſicco, ſignificat contrariorum exhibitionem, vt dicit Gal. 8. *de ing. c.* 9. Ex his patet intentionem curatiuam ſumptam à naturali complexione eſſe, cor calefacere non multum intenſa calefactione, cum ſit lapſum ad ſimile; & intentionem curatiuam ſumptam ab aëre nos continente, vti calidioribus in hyeme, & minus calidis in æſtate.

Quantum ad quartum, clarum eſt quamcumque complexionem permutari poſſe, niſi ſit hectica tertiæ ſpeciei, aut maraſmus, ſeu ſiccitas in ſubſtantia membrorum, quæ remoueri non poteſt, aliter poteſt ſenectus prohiberi, & ſpaſmus de ſiccitate curari, vt dicit Gal. 1. *Tract. de Tabe* 4. & 5. Ex conſequenti clarum eſt malam complexionem in hac Magnifica Domina poſſe ſanari, cum non ſit aliqua de ſupradictis incurabilibus: humores verò groſſi, & viſcoſi oppilantes, quod ſubtiliari poſſint, non eſt dubium: & ita quantum ad prognoſticum, credimus ipſam certiſſimè ſanari poſſe. Taceo autem ad quas ægritudines ſit parata, propter retentionem menſtruorum, quod clarè videri poteſt ab Auic. 21. *Tert. Tract.* 1. *c.* 1.

Quantum ad quintum, primò ponemus regimen in ſex rebus non naturalibus, ſecundò, ad medicinalia deueniemus Et in primis circa cibum, & potum, quia intentio noſtra eſt facere humores fluxibiles, & prohibere multiplicationem humoris melancholici, debent euitari cibi omnes generantes humores melancholicos, vnde euitentur omnia cibaria de paſta ſiue elixa, ſiue frixa, & omnia genera leguminum, riſum, milium, panicum, & omnes carnes groſſæ, vt bouinæ, caprinæ, ceruinæ, porcinæ, agninæ, & omnia capita quadrupedum, & omnia eorum interiora, & capones impinguati, ſ. carceribus detenti, quia ſunt contrariiſſima indigeſtionibus humorum ſubtilium, multiplicatione contrariorum, vt dicit Galen. 6. *de reg. ſan.* Euitentur carnes auium degentium in aquis: lac, caſeus, & omnia quæ ex lacte fiunt, oua dura quocumque modo ſint cocta. Euitari debent piſces lacunales omnes, & non ſquamoſi, ſicut anguillæ, tenchæ, lampredæ Euitentur cancri, oſtreæ, limaciæ, piſces valde magni, licet ſint ſquamoſi: fungi, tubera, vinum coctum, vinum dulce, vinum groſſum, & nigrum, nouum, & turbidum. Euitetur omnis cuiuſcumque cibi mala repletio, & ciborum multa diuerſitas, caules, omnia ſalſa de carne animalium, quoniam eſt caro ratione ſalis, valde exſiccata. Euitentur extremitatum herbarum teneræ particulæ compoſitæ cum ſale, & aceto, & præcipuè ſi ſint merito ſalis, aut aceti exſiccatæ, cum hæc omnia humorem melancholicum multiplicent, vt voluit Gal. 3. *inter c.* 7. Panis conueniens eſt factus ex fromento mondo à rebus extraneis, de proximo molito, bene coctus in clibano, bene fermentatus, factus per tres dies, & non plurium, quàm trium, vel quatuor dierum, nulloque alio pane vtendum eſt, quia panis factus ex farina longo tempore reſeruata, poſtquam frumentum molitum eſt, generat humores groſſos, eo quod pars farinæ ſubtilior reſoluta ſit, vt habetur à Gal. in de cura lapidis. Caro conueniens eſt caro pollorum, pullarum, gallinarum iuuenum, caponum excorticatorum, & omnium auium, quæ comeduntur, non degentium in aquis, caro hœdi lactentis. Caro vituli etſi ab omnibus ferè conceditur, Galenus tamen *in Tract. de diſ. cont. capit.* 13, dicit quod generat humores groſſos, & propterea laudamus, vt de ea rarior ſit vſus. Conceditur etiam caro

caſtrati

caſtrati animalis. Piſces conuenientes ſunt patui, vel ſquamoſi, noo valde magni, marini, vel de flumine currenti pettoſo: cooceduntur oua ſorbilia tremula & fercula facta ex ouis noo valde coagulatis, vel teneris. Oleum, butyrum, & alia vnctuoſa non cooueniunt in regimine genetante ſubtiles humores, vt dicit Gal. ideo ex eis parum vtendum eſt. Larido ſæpius vtendum eſt. Ex herbis conceduntur feniculos, petroſelinum, calamentum, maiorana, ſerpillum, hyſſopus, blitis, ſpinacbia, borrago, bugloſſa, meliſſa, & interdum tempore calido, cichorea, ſcariola, teneritas lupulorum, atque aſparagorum, alcotzat, ſiue archiochi. Conceditur interdum paſtinaca domeſtica, & ſylueſtris; licet *5. colliges* Auer. quario dixerit omnes herbas naturaliter declinare ad homores melancholicos, excepta lactuca, & bugloſſa, & Gal. tamen 2. *de al m.* 49. dicit omnia oleta dare parum nutrimenti, atque id aquoſum, & ſubtile: Atomatica acuta, vt gingiber, piper, cinnamomum, ſinapis, & huiuſmodi, & acumina, ſicut allium, cepa, portum, & raphanus, & valde ſalſa, ſi multum frequententur, adurunt ſanguinem, & exſiccando ingroſſant, in choleram nigram conuertunt, ideo frequens, & multus eorum vſus eſt euitandus, tamen aliqoando in parua quaotitate licet eis vti pro humorum ſubtilatione potius, quam nutrimento; neque vtendum eſt ſalſis indutatis, aut terteſtrificatis, vt ſuprà dictum eſt, ſed ſalſis habentibus mollitiem; Et fercula fiant ex rebus ſnprà conceſſis, vel ex farre, vel ex brodio cicerum, aut faſeolorum. Ex fructibus concedontur amygdalæ, ficus receotes bene maturi, & ſicci, pineæ, paſſulæ conſeatæ, poma decocta tolerantur: Melones, pruna bene matura, tempore calido, & cetaſa ante cibum, ſed ex his parua quantitate: zuccharum, & mel conceduntur, & eis melius eſt vti non cum aliis rebus, quia tranſeunt, & faciunt hepatis oppilationem vt dicit Gal. *de ſubtil. diat. cap.* 6. Vinum debet eſſe clarom, mediocriter vinoſum, album, vel nigrum, [illegible] dulce, vel ſtipticum.

Quantum ad animi accidentia, oportet vt deoitet timorem, & triſtitiam, & ſolicitudinem toto poſſe, & ideo veſtes ſuæ, & anouli ſint delectabilis coloris, vel odoris, & aſpiciat res delectabiles, & iocoſas, & audiat cantus delectabiles, & inſtrumēta moſica delectabilia, & ſumma omni conatu euitet triſtitiam, ſed lætetur videndo res gratas, s. viridaria, poſſeſſiones, & huiuſmodi delectabilia. De motu, & quietē oportet vt alienet ſe ab otioſitate, & quiete multa, & maximè in ſolitudine; ſed competit ei exercitium temperatum, moderatū, factum poſt complementum primæ, & ſecundæ digeſtionis, & ſit exercitiom pedeſtre, vel equeſtre, per loca plana, amœna, viridia, ita vt in eo delectetur, ſicut etiam ſi venationibus delectaretur; Et oportet, vt deuitet fricationes duras aſperas, deſiccātes corpus, & omne balneum minerale, & ſiccum de ſtupha; competit enim ei fricatio mediocris, vt membra fortificentur, io attrahendo nutrimentum, ſicuti competit, & balneum humectatiuum, vel ex aqua dulci ſola, vel ex aqua decoctioois althææ, camomillæ, borraginis, meliſſæ, vel cum aqua decoctionis extremitatum, & cap. caſtrati, addendo etiam aliquid ex ſupradictis; Et poſt exitum à balneo, fiat inunctio cum oleis humectatiuis, ſicuti oleo amygdalarum dulcium; Et oportet vt coitet vigilias ſuperfluas, ſed moderatè dormiat, neq; ſit ſomnus multū prolixus, nec in ieiunio factus, & ſit in nocte aut in mane ante tertiam, & non in meridie, Aër ſuæ habitationis ſit clarus, ſubtilis, vicinus temperamento, vel parum ad calidum, & humidū declinans, & caueat ab aëre groſſo, obſcuro, & fœtido, imò ſint in eo boni odores pomorum vel florum delectabilium, & huiuſmodi.

Quantum autem ad medicinalia, in primis pro remouenda oppilatione, quæ radix eſt omnium malarum diſpoſitionum in ea, ſi volumus groſſitiem, vel viſcoſitatem ab humoribus remouere, poſſumus dupliciter hoc facere, vel humores groſſos, & viſcoſos educendo medicinis potentibus, vel eos ſubtiliando: ſed quando oppilatio fit propter humores groſſos, viſcoſos, & multos, incipere debemus ab euacuatione, ante quam fortibus ſubtiliantibus vtamur ſecundùm Gal. doctrinam xj. *de ingen.* 9. 10. & etiam quia ſtante multitudine humorum groſſorum ſi acutis medicinis, & fortiter ſubtiliantibus vteremur, potius ſanguis aduteretur, & in melancholicam naturam cōcitaretur, & multiplicarētur humores groſſi, quàm poſſet multitudo ſubtiliari, vt colligitur à Gal. *in Tract. de diſſol. cont. c.* 2. Et propterea dicit Hip. *5. part. aph.* 36. *Mulieri menſes decolores, nec per idem tempus ſemper venientes purgationem indicant eſſe neceſſariam.* & ibi Galen. dicit quod vbi humores groſſi ſunt in cauſa, duplici modo poſſumos curare, eos à corpore educendo, & eos ſubtiliando. Certum itaque habemus euacuationem eſſe fiendam; ſed cum duplex fieri poſſit euacuatio, & com phlebotomia ſanguinem groſſum educente, & cum pharmacia; contingit dubitatio, quæ harum in hoc caſu plus conueniat; Dixit enim conſtitutione 8. pract. c. xv. referens Gal. dictum in epidimia; fœmina, cui per menſes ablata erant menſtrua, & facta erat iam multum macilenta, & appetitum perdiderat, quam cum vidi, tribus diebus ſanguinem minui, in prima die, lib. vnam, & mediam, io 2. lib. vnam, & in 3. ℥. octo, & hoc facto, paulò poſt reddit ſicuti fuerat. Item omnes medici authentici in retentione menſtruorum phlebotomiam ſaphenæ maximè laudat. Sed quia Hipp. ibi dixit purgationem eſſe neceſſariam, & non dixit phlebotomiam; intelligit euacuationem cum pharmaco; & quia magis ſecuri erimus phlebotomiam ſaphenæ iuuare, & effectum intentum facere remota prius oppilatione ex humoribus groſſis euacuatis, quàm ſi primò fieret phlebotomia, ideo arbitramur ſalubrius eſſe, priùs euacuationem humorum groſſorum, & viſcoſorum facere Laudamus itaque, vt per 8. vel 10. dies præſenti meoſe, accipiat hunc ſyrupum in aurora.

℞. *Mellis roſati colati ana* ℥. *S.*
Oxymellis S.
Syr. de Pomis deſcrip. ſab. reg.
Aquarum bugloſſa.
Fumiterra ana ℥. j.
Meliſſa.

Deiode accipiat per horam ante diem, infraſcriptam medicinam procurando, & dormiat duabus horis vel circa puſt aſſumptionem medicinæ; & poſt ſex horas ab aſſumpta medicina, capiat ſex vnc. aquæ bugluſſæ calidæ cum vnc. med. zucchari.

℞ *Agarici El. & bene mundi* ʒ ij. *S*
Gingiberis pul. ℈ *S.*
Oxymellis S. ℥ *S.*

Incidatur agaricus, & priùs inuoluatur cum oxymelle, tum infundatur in hac decoct. & poſt horas x. fiat fortis expreſſio, cui addatur

Diacatholicon ij
Diaſena ana ʒ *S. & fiat potio.*

℞ *Polypody quercini,*
Epithymi ana ʒ iij.
Aſſari drach. ij.
Folicul. Sena drach. j.
Flor Cordial.
Paſſularum.

Decoquantur in lib. vna aquæ lactis vſque ad taniam conſumptionem, quòd expreſſio intret tota in diſſoluendo, & infundendo totam medicinam: quam qu dem pro euacuatione humoris melancholici & phlegmatici, in hac diſpoſitione, aliis præ eligendam eſſe diximus, quia præter hoc quòd agaricus, & lapis Lazuli, qui diaſcen. ingred. prædictos humores euacuent, proprietatem etiam habent lætificandi, & confortandi cor, vt dicit Auic. *in tract. de vir. cord. cap. propriis*, Et hanc ſuprà diximus eſſe intentionem in omni tempore huius ægritudinis exequendam: ſed quoniam vt vult Meſue in cap. *de Soda frig*, ab humore melancholico, medicina nunquam debet recedere à gradu medicinarum incolumium, neque debet ſimul, & ſemel multa euacuatio talis humoris ſubitò fieri, die ſequenti poſt aſſumptam medicinam laudamus, vt aſſumat ſyrupum hunc.

℞ *Syr. de ſucco bugloſſæ* ℥ i S.
Aquarum bugloſſæ. ℥ ij. *Meliſſæ.* ℥. j. *Miſc.*

Et immediatè ante ſyrupum accipiat drachm. duas Diamuſei dulc. vel vnc. med. zucchari bugloſſati, vel drach. vnam Mitridathi, aut Theriacæ, dummodo hæc ſint antiqua, & ad minus x. annos pertranſierint, vt opij virtus, quæ in præſentiarum non indigemus, ſit valde imminuta de quibus dicit Auicen. in Tract. *de vir. cord. cap.* 4. nulla compoſitarum medicinarum æquiparatur eis in temperando complexionem humanam, & conferendo, & lætificando cor, & auferendo triſtitiam, quibus omnibus indigemus maximè in præſenti cura. Et quia vt dicit Meſ. in loco prædicto, euacuatio humoris melancholici non debet ſubitò fieri, & ſemel, ſed pluries per interualla, ideo ſunt ponendæ medicinæ eductiuæ humoris melancholici, quibus vti poſſit. Laudamus itaque interdum, præcipuè tempore hyemali, vt capiat ſcrup iiij. pilularum indarum, aut de lap. lazoli, & immediatè poſt accipiat vnc. octo aquæ lactis, præmiſſa tamen digeſtione cum ſyr. infrà ponendis, vel ſupradictis. Laudamus etiam, vt aliqoando aſſumat de iure galli antiqui, ſecundùm artem decocti, in cuius ventre in decoct. ponantur polypodium, epithimum, paſſulæ, cum modico ſalis, quia dixit Auic 2. *can. c. de carne: Jus galli decrepiti eſt bonum colica, & ægritudinibus melancholicis*: & Meſ. dicit cap. de iure galli, quod cum polypodio, & epithymo educit melancholiam. Laudamus etiam interdum vſum pulueris ſenæ cum gingibere, cinnamomo, & tartaro, & ſolet magiſtraliter præparari, qui puluis poteſt etiam exhiberi non præcedentibus ſyrupis. Laudamus etiam euacuationem cum lapide armeno, ſi reperiatur, vel cum lapide lazoli hoc modo correcti, primò lauetur 30. in aqua fontis, poſtea x. vicibus in aqua roſata, & iterum x. in aqua decoctionis flor. & rad. cord. vt dicit Meſ. in cap. de lapide armeno: modus autem exhibendi hos lapides ſit talis, primò,

℞ *Aquæ lactis lib. j. S.*
Succi pomorum dulc. lib. S.
Paſſularum ℥ *j. S.*
Liquiritiæ rec. ℥ *ij.*
Florum borraginis,
Buglosſa ana ℥ *j.*

Bulliant omnia ad conſumptionem tertiæ partis, decoctione tamen facta ſecundùm artem, deinde fiat colatura, in qua ponatur lap. armeni loti vt ſupra, vel eo deficiente lap. lazuli ʒ j. & fiat potio, quæ non exhibeatur, niſi præcedentibus ſyrup. digeſtiuis: poteſt etiam interdum vti decoct. polypodij, vel folicul. ſenæ cum brodio carnis, vel cum aqua lactis etiam ſyrup. non præcedentibus. Et quia poſt euacuationem humoris melancholici factam, intentio eſt orificia venarum matricis aperire, ſanguinem ſubtiliare, & ipſum verſus regionem matricis prouocare, poſt ſex, vel octo dies ab aſſumpta medicina, laudamus phlebotomiam ſaphenæ, extrahendo ſanguinis ℥ iiij. vel circa, & altera die ſequenti ſimilis fiat phlebotomia de ſaphæna pedis ſiniſtri: quantum enim huiuſmodi phlebotomiæ valeant, conſtat auctoritatibus ſupradictis, & à Rhaſi. 9. *con. cap.* 6. qui vltra alias autoritates, adducit etiam autoritatem Gal. *6. Epid.* quæ adducitur etiam à Conſtant. vt ſupra dictum eſt. Per dies aliquot poſt phlebotomiam, laudamus, vt capiat ſyrupum hunc, niſi forte menſtrua ex prædictis auxiliis forent prouocata.

℞ *Syr de calamento montana, ac fluuiali.* ʒ. *j. S.*
Aqua decoctionis calamenti & pulegij ℥ *iij.*

Præparetur autem ſyrupus de calamento ex ſucco eius, eo modo, quo ſyr. de ſucco endiuiæ, vt ex aliis ſuccis fieri ſolet: calamento ſe aſſiduè vti dicit Gal. in prouocatione menſtruorum *5. de ſimp. med. diſt 6. cap. 2. & 5. part. Aph.* 36. Inter alia verò quæ magnam vim habent in prouocatione menſtruorum, ponit ſauinam, mentam, calamentum, fluuiale, quod eſt mentaſtrum, & calamentum ſylueſtre, quod eſt nepita, vel herba gatta, ponebat pulegium, aſſarum, caſſiam ligneam, & cinnamomum, quibus diuerſimodè, & in pulueribus, & in decoctionibus & in aliis modis vti poſſumus in prouocatione menſtruorum: quod ſi ex dictis ſyrupis prouocatio non fieret, per duos, vel tres dies ſimul etiam cum ſyr. poſſet accipere ſcrup. vnum, vel drach. vnam trochiſc de myrrha. deſcript. Raſis Ad iſtam, intentionem laudamus etiam: vt vtatur ſyrupo de Arthemiſia, qui præparatur ſecundùm infra ſcriptam deſcriptionem.

℞ *Arthemiſia. M ij.*
Pulegij,
Calamenti,
Mentaſtri,
Origani,
Meliſſa,
Perſicaria,
Sauina,
Maiorana ana M. j.
Capil. Vea.
Camedrios,
Perforata,
Camepithoes,
Matricaria cum.
Flor. Centaurea maior,
Ruta, Betonica
Rad. Fæniculi,
Apij,
Petroſelini,
Aſparagi,
Bruſci,
Saxifragia,
Enula,
Dictami,
Cyperi,
Rubea Tinctorum,
Jreos,
Peonia ana ʒ. *j.*
Sem. Iuniperi,
Leuiſtici,
Apij,
Anethi,
Nigella,
Carpobalſami ana ʒ. *ß.*
Coſti,
Aſſari,
Piretri,
Caſſia ligni.

Car

Cardamomi,
Calami arom,
Valerianæ,
Paſſulatum,
Liquiritia rec. & m. ana drach. ij.

Conquaſſentur, & infundantur in aqua pluuiali per diem & noctem, poſtea decoquantur ad aquæ medietatis conſumptionem, & tunc deponantur ab igne, & dimittantur, donec aqua tepuerit, & tunc cum manibus in ea aqua fricentur, poſtea colentur, & in colatura addatot mel, vel zuccharum q. ſ. & ſucci pomorum lib. vna, & fiat ſyrupus.

Item laudamus vt fiat ſyr. ſimplex de pomis ex ſucco pomorum dulcium, & zucchato, dimiſſo ſucco pomorum acetoſorum, ex quo ſimul fieri ſolet communiter, & hoc vti poterit ſimul cum oxymelle, vel cum melle roſato, pro digeſtiuo aore medicinarum ſolut. infra ſcriptarum aſſumptionem. Hoc etiam ſyr. ſolo interdum vti poſſet cum aqua meliſſæ, & bugloſſæ intentione humectandi, & cor confortandi. Ad ſuprà ſcriptam intentionem, ſcilicet prouocandi menſtrua, & ſanguinem verſus regionem matricis conueniont ventoſæ ſiccæ in parte domeſtica coxarum & in pectine, & ſimiliter ſricationes fortes, & ligaturæ in cruribus & partibus inferioribus; conuenit etiam ſedete in hoc balneo,

A. *Sauinæ*,
Iuniperi,
Saluiæ,
Rutæ,
Rub. Tinctorum,
Parietariæ,
Serpilli ana M. ij.
Flor. Roris marini,
Arthemiſiæ,
Malua,
Caprifolij,
Berbenæ,
Calamenti,
Mentaſtri,
Rad. Aſparagi &
Bruſc.

Bulliant in aqua, & ipſa ſedeat in vaſe in quo dicta aqua ſit poſita cum herbis, & attingat vſque ad partem vmbilici. Et quia quandoque ſanguis eſt fluxus ad matricem, & venæ matricis ſunt clauſæ, opus eſt tunc ponere in matrice aliquid quod aperiat orificia venarum, pro qua intentione conuenit herba mercurialis, vel contuſa, vel ſubtiliter inciſa, ligata in petia linea ſubtili, & poſita ad intra collum matricis, & deber poni cum filo ligata, vt poſſit liber extrahi. Conuenit etiam ad hoc farina Gith, quod apud vulgares dicitor *Gittone*, & ſimiliter ligetur in panno lini ſubtili, & ponatur ad intra collum matricis. Valet etiam Mitridathum cum maſticbe ſicuti Mitridathi drach j. Maſticis ſcrup. j. & ſupponatur, fiat etiam hoc naſcale. R. gentianæ, pulegij vna drach. ij. nigellæ drach. j. cootete ſubtiliter, & conſice cum pulpa caricarum pinguium, & ſucco mercurialis, donec fiat ſicut paſta, & ſupponatur, Aliud naſcale ad idem: Bombix, vel lana ſuccida, in ſucco matricariæ, & Theriaca ſimul mixtis intingatur & ſupponatur tadix etiam ireos, vel eunulæ in melle intincta, & ſuppoſita, ſicuti etiam hoc. R. Triphetæ magnæ ſine pio drach. j. farinæ otobi, nigellæ an drach. j. pulueris, rubiæ Tinctorum drach. j. ſ. ſucci Rutæ drach. j. Miſc. & ſupponatur cum bombice: Item fiat ſacculus in forma digiti, & impleatur puluere, & ſupponatur. Alia multa, & fortiora à Medicis ponuntur, ſed hæc credimus ſufficere; cum aliquando orificia venarum matricis aperiantur ſine aliquo auxilio. Et ſi iſta ſuppoſitoria facereot ardorem, madefaciat pannos in aqua roſata, albumine oui, oleo roſato, violato, aut lacte, & ſopponat.

Quantum ad generationem lætitiæ, & confortationem, ſemper in hac cura, illud quod ſuprà diximus eſſe fiendum, eſt, vt multiplicentur ſpiritus, & clarificentur, & à fuinis & à vaporibus melancholicis mundificentur. Multiplicatio ſpirituum fiet cum rebus boni, & multi nutrimenti ex his quæ ſupra diximos in regimine ſex rerum oon naturalium, & ex omnibus medicinis, quæ ſua aromaticitate cor confortant, ab Auicenna deſcriptis in ſuo Tract. de viribus cordis. Pro ſpiritum clarificatione laudamus vt continuè vtatur puluere ſetæ & margaritarum; & vt ſeta bene poſſit puluerizari, modicum aduratur, vt præcipit Meſue in deſcript. Diamoſci dulc. Pro mundificatione ſpirituum à vaporibus melancholicis laudamus, vt aſſiduè vtatur bugloſſa & meliſſa, quatum proprietas eſt cor confortare, & lætitiam facere mundificando ſpiritus à vaporibus melancholicis, vt voluit Auicenna *in Tract. de vir. cord.* Et quia pulueres aliquando cum difficultate aſſumuntur, poſſumus ex puluere margaritarum & ſetæ cum ſucco meliſſæ conficere pilulas, addendo modicum ſyr. de pomis ſimpl. & oportebit, eas exhibere, vel ante ſyr. vel ante cibum. Valent etiam ad hanc intentionem Theriaca, & Mithridatum & Diamuſcus dulc. & amat. Electuarium lætificans Concil. Electuarium de gemmis; & ſi alicuius iſtorum timeretur exceſſiua caliditas, præcipuè tempore Æſtatis, docuit Auicena in 2. *Tract. de vir. cord. cap. 4.* fiendam eſſe eorum decoctionem in ſufficienti quantitate ſucci pomorum dulc. vel granatorum dulc. vſque ad ſpiſſitudinem. Ad hanc etiam intentionem valebit vſus diabugloſſati, diaborraginati cum fragmentis cordialibus; & ſimiliter placeret meliſſa cum zucchato condita. Valent etiam radices bugloſſæ cum zucchato condita, & ſunt delectabiles. Valent etiam ſacculi, & alia huiuſmodi; ſed nobis magis placent epithemata proptet eorum ſubtilitatem, & maiorem penetrationem, & humectationem; & ideo pollet vti hoc epithem. cordiali. R. Aquarum bugloſſæ, & meliſſæ an drach. iij. ſucci pomorum dulc. drach. iiij. Beem albi, & rubei, Doronici, pulueris ſetæ combuſtæ ana drach. i. s. puluerizentur pulverizanda, flor. bugloſſæ borraginis an drach j. pol. oeris gatioſilorum ℈. ij. Vini albi ſubtilis odoriferi vnc. j. ſ. Miſc. pro epithem. cordis Pro confortatione digeſtiuæ ſtomachi, vtatur poſt euacuationem vnguento Galeni commendato ad vitia ſtomachi, addendo ei parum pulueris gatioſilorum, vti porentius ſit in caleſaciendo, & vti debet Atomatico roſato, & paſſulis, in quibus eſt proprietas confortandi hepar: Alteratio malæ complexionis, & omnes aliæ intentiones curatiuæ facilè componi poſſunt ex ingeniis ſupraſcriptis.

CONSILIVM IV.

De dolore ſtomachi, cum Ventris ſtipticitate.

Suppoſito dolore ſtomachi à ventoſitate, cum frigida eiuidem complexione præternaturaliter, & ventris ſtipticitate, in iuuene colericæ complexionis, ſecundum cor, & hepar, & cum defluxu aliquando humoris melancholici à ſplene ad ſtomachum, & cum phlegmate in ſtomacho genetato per viam indigeſtionis, vt nobis relatum fuit per Excellentiſſimum Doctorem; quæritur quid agendum videatur in actu doloris, in quo ferè patiens vſque ad lipothimiam deducitur, & quid etiao agendum videatur io reſiduo temporis ad prohibendum ne dolor redeat.

Quantum ad primum quæſitum,clarum eſt apud omnes Medicos, quòd ventoſitas cauſans dolorem à cauſa calida ſiue à cauſa frigida fuerit generata,pro ſui reſolutione indiget calefacientibus, & reſoluentibus. In actu itaque doloris,laudatur inunctio facta cum oleo infraſcripto.

℞. *Cymini,*
Dauci,
S. Apij ana drach. v.
Rutha ſicca,
Baccarum lauri,
S. fœnicali,

Contundantur,& fiat decoctio in vnc.iiij ol.chamæmelini in duplici vaſe,& facta colatura fiat inunctio cum eo ſuper ſtomacho, & ſuper loco doloris.

Ad eandem intentionem laudatur ventoſa magna cum multa flamma accenſa, ſæpe ſuper vmbilico reiterata.Fomitum etiam ſiccum cum milio,& ſale factum ſuper ſtomacho appoſitum commendatur.Decoctio etiam polij mont.ſub actuali caliditate per os aſſumpta multum commendatur in quantitate vnc. ſex; Et ſimiliter commendatur os in pede Porci, quod aſtragalus appellatur,combuſtum in puluerem redactum & cum vino bibitum ad quantitatem ʒ.j. vel circa. Eodem modo commendatur ʒ.j. ariſtologiæ rotundæ cum vino aſſumpta:& multa alia intellexi eſſe facta per illos Excellentiſſ. Medicos, quæ commendantur.

In via autem præſeruationis à tali dolore laudo vſum harum pil. bis in hebdomada immediatè ante cœnam.

℞. *Aloes Epatici,*
Meliloti ana ʒ. v.
Epithymi ſubt. pul. ℈. j.
Maſticis. ℈. v.

Cum vino maluatico fiant pil.nu.iij.vel. v.

Poterit etiam ſuper ſtomachum tenere tale ceratum.

℞. *Aloes Epatici,*
Maſticis ana ʒ. v.
Carn. dactylorum,
Gariofilorum. drach. v.

Com fera & modico reſinæ. f. ceratum in bona forma.

Ad purgationem autem phlegmatum à ſtomacho laudo, vt ante cibum interdum accipiat capares ſalitos, qui prius decoquantur, & cum aceto paſſulato, zuccharo, vino temperato, & modico oleo condiantur, qui etiam faciunt ad ventris lubricitatem. Laudo etiam ad eandem intentionem, & pro ventre lubrificando, ac etiam pro actuali dolore decoctionem infra ſcriptam per horas iv. ante cibum aſſumptam.

℞. *Polypodij Quercini. drach.* v.
S. Dauci,
S. Anethi ana drach. v.

Contundantur,& ligentur in petia linea, & prope finem decoctionis addatur Manip. j. caulium; & cum caules habuerint mediam decoctionem,capiantur de brodio illo calido vnc.x. vel xij. per quatuor horas ante cœnam,vel prandium.

Vnum addam,quod ego aliquando expertus ſum: nam licet decoctione ligni Guiaiaci Medici vtantur in cura morbi gallici tantùm, ego tamen illa aliquando vſus ſum in iis caſibus quibus humores ad ſtomachum fluunt, & in dolore ſtomachi à ventoſitate, & inueni multum eam profuiſſe, & hoc quidem rationabiliter: nam cum eius virtus ſit expellere materiam per ſudorem, & ex conſequentia à centro,ad circumferentiam,ex conſequenti facit motum contrarium motui materiarum ad ſtomachum fluentium; eſt enim in ea virtus reſolutiua, ſubtiliatiua,aperitiua,calefactiua, & ventoſitatis reſolutiua, & cum hoc habet ſtipticitatem, per quam ſtomachus, & alia membra confortantur, quod ex eius ſapore manifeſtè deprehendi poteſt atque ex dictis Autorum de eo ſcribentium. Modus autem aſſumendi talem decoctionem talis poterit eſſe quòd capiantur vnc.viij.talis decoctionis ſecundùm communem vſum eam faciendi per iv.horas, vel v. ante prandium; & poſt aſſumptionem coopetiatur patiens pannis,vt ſudor prouocetur, & dormiat, ſi poteſt. Eodem modo fiat ante cœnam per iv.horas ante. In prandio autem & cœna, non curo, quòd vtatur ea ſubtili diæta,quæ præcipitur in cura morbi Gallici: ſed vtatur diæta mediocri, omnino minus aſſumendo, quàm ſit ſolitus, & vtatur cibis facilis digeſtionis, & boni nutrimenti. Circa panem, ſit bene fermentatus, mediocriter ſalitus, bene coctus in furno,& ſit recens duorum dierum ad plus,& factus ex bono frumento de proximo molito. Non me extendo ad narrandum alios cibos,quia ſcio Doctores clariſſimos qui eum in cura habuere, regimen conuenientiſſimum ſibi ordinaſſe.

Tamen commemorabo ſolùm eos,quos Galeno 2. *Miamir* commendabat dandos eſſe iis,qui ſecundùm ſtomachum patiuntur: Et ſunt condrum,quod nos fur appellamus, riſum, bleta,caules, cichorea, endiuia; ex carnibus autem ventres, & pedes; vinum ſit non debile,ſed potens potius, ſubtilis ſubſtantiæ,ſapore tale,quale vinum eſt, quod ab omnibus libenter bibitur, quo etiam vti poterit in prandio, & cœna, quando aſſumet decoctionem ſupraſcriptam ligni Guaiaci Plura non ſcribo quia ſcio hunc patientem eſſe apud Medicos excellentiſſimos, adeo vt nec opus fuiſſet hæc ſcripſiſſe.

CONSILIVM V.

De ſputo Sanguinis.

PRo curatione diſpoſitionum Nob. adoleſcentis D.Petri de Panceriis. qui ſuperiore anno ſanguinem expuit, prima vice ſiue tuſſi poſt vehementem exercitationem in ludo pilæ,& inordinatiſſimũ regimen in cibo, & potu, præcipuè vini cretici, & vernatiæ,poſtea verò vexante tuſſi,circiter menſem, rurſus expuit vna nocte cum facilitate tamen & minorem quantitarem quàm prima vice coloris rubicundi, nec coagulatum; ita vt in hanc vſque diem non ſine tuſſi fuerit,interdùmque ſputa ſanguine tincta expuerit, ſputioque ſatis facilis extiterit, ita vt vnica tuſſi facile expuat; ſiot verò ſputa malo calore affecta, ita vt non ſine aliqua ſanie eſſe videantur, vnde coniicimus ſanguinem illum de vena pulmonis emanare,non quidem maiori, quoniam multo maior ſanguinis quantitas emanaſſet,nec de minima, ſed de mediocri aliqua,quæ diſrupa fuerit, aut ex multitudine ſanguinis ex eo regimine multiplicante ſanguinem, aut eiuſdem acuitate; ſiquidem vehementi motu,& vini caliditate accendi ſanguis potuit,ſimulque bilis acuta generari, quorum maleficio ſit vena eroſa:quo factum eſt,vt vlceris veſtigium cœperit,tuſſiſque ſubinde perpetua adoleſcentem vexarit, maciesque ſequuta fuerit non ſine febricula,quanquam tuſſiculæ cauſam, vel è cerebro peti poſſe credimus, cum ipſe diſtillationem crebertimè ſentiat, nec abs re,quandoquidem non leuet caput, cerebri autem ſit humidioris, vnde ſorditie obſtruente meatus ſuturæ coronalis,impeditur diſſlatio vaporum qui retenti in pituitam conuertuntur,deorſumque remaneant.

Pro curatione inquam, ac præſeruatione, ac rurſum ne ad ſanguinis ſputum ducatur nob adoleſcens, neve in deteriorem affectum labatur, duplex regimen

men obſeruandum cenſemus : primum quidem , quod ad medicamina, alterum verò quod ad totius vitæ inſtitutum attinet. Circa primum, multa ſeſe offerunt conſideranda, principio quidem num ſanguis ex vena aliqua mittendus ſit. Et quoniam ad præſeruandum à ſanguinis ſpuitione, quæ multitudine ſanguinis accedit, vel eiuſdem acumine, ſanguis ex vena mitti ſolet, idcirco videri poſſet vtile, vt vena incidatur : verùm cum valde extenuatus ſit patiens, nec in præſentia ſigna appareant vel multitudinis, vel acuminis ſanguinis, tutius nobis viſum eſt ab inciſione venæ tem, etate , cum potius ſanguis ad nutriendum corpus ſeruari debeat ; præſertim quod diuerſionibus ſecundùm crura, tam fricando, quàm lauando cum calida, necnon cucurbitulas admouendo, diuerti ſanguinem à partibus pectoris, & pulmonis poſſe iudicamus, ſicuti etiam victu ſanguinis acumen retundente. Quod ſi forte redundantia quæpiam ſanguinis recens appareret, deque venæ inciſione indicaret, venam pedis incidendam eſſe cenſeremus, quoniam plus diuerteret: quod ſi natura venas ſedis tumeſcentes offenderet, inde mitti poſſet, vel fricatione foliorum ficus, vel ſanguiſugarum applicatione : quoniam verò ex naribus emanare ſanguis conſueuerat , in eiuſmodi ſanguinis redundantia, vel acumine, tentare conſuetam ex naribus euacuationem non inutile fuerit; Illud verò, vel phlebotomo, vel ſanguiſuga, vel gramine aculeato intra nates impoſito , ac refricato perfici poteſt.

Circa verò corporis purgationem, quam omnino neceſſariam ducimus, ſic faciendum iudicamus, vt primo leui aliquo medicamine expurgetur ſecundùm ſtomachum, & inteſtina, venaſque proximas, ſubinde materia quæ in venis, ac potiſſimùm in pulmone continetur , expulſioni præparetur, poſtremoque euacuetur, quibus peractis confortantia, vlcuſque curantia ſubiiciemus.

In primis igitur florem caſſiæ recentem ex canna extractæ ad quant. drach.vj. accipiat , vel ante prandium, vel cœnam, ſtatimque comedat, ſequenti die clyſt. commune accipiat, in quo maior pars ſol. maluarum, & violarum ſit impoſita : ſequentibus verò diebus ſyr. aſſumat roſatum rec. myrthinum ana drach.vj. Cum aquis tuſſilaginis, hyſſopi, althææ, ana vnc j. atque illud per vj. vel vij. dies. Tum aſſumet potionem infuſionis rhabarbari agarici, quæ quidem infuſio fiat , vel in ſero caprino, vel in decoctione infraſcripta.

℞. *Liquiritiæ raſæ drach.* ij.
Gran. Myrthi drach. iij.
Paſſularum vnc. v.
Hordei M. drach. vi.
Flor. borraginis,
Bugloſſæ ana drach. j.
Violarum ,

Bulliant omnia in aquis tuſſilaginis , hyſſopi , althææ, ana q.ſ. & facta diligenti expreſſione,

℞. *Decoctionis ſupraſcriptæ vnc.* iij.
Agarici el. M. drach. j.
Rhabarbari drach. v.
Spicæ nardi gr. iij.
Vini vermiculi drach. j.

Miſce & f. infuſio tepida per horas xxiv. & facta diligenti expreſſione adde

Electuarij diacatholicon vnc. v.
Syr. Myrthini,
Roſ. rec. ana drach. iiij. *Miſce , & fiat potio ,*

quam in aurora ſumat, & per horam cum dimidia dormiat, poſt quintam autem vel ſextam horam prandeat. Die ſequenti in aurora bibat aquã hordei completæ decoctionis ad quantitatem ℥. iv. Cum ſyrup. roſati rec. & de Myrtho ana drach. vi. poſt tres vel quatuor horas clyſter. commune accipiat. Quòd ſi vlteriori purgatione indigere videbitur , iteratos ſyrup. capiat , & medicinam, cuius quantitas augeri , & minui poterit, pro vt perito Medico eam curanti viſum fuerit opportunum. Illud monemus tamen , ne fortioribus , néve frequentibus medicinis ſoluatur, ſed virtus, quantum fieri poteſt, cuſtodiatur, & corpus reaſſumatur: Quocirca victum talem obſeruabit, qui facilè reaſſumere, nec oppilare valeat. Laudantur in primis oua ſorbilia : præſertim eorum vitelli parum incocti, ne dureſcant. Laudantur teſticuli gallorum nondum coëuntium, extremitates alarum , & carnes ipſæ pullorum iuuenum , quin etiam Auiculæ nemorales, turdi, perdices, faſiani iuuenes , caro hœdi lactentis ; & aſſatæ potius , quàm elixæ ſint carnes. Laudatur magnopere lac, præſertim caprinum, aſininum, & humanum, vbi maiori opus fuerit alimento. Animalia verò, ex quibus lac ſumetur , nutrienda ſunt cibis opportunis, vt hordeo, herbiſque ſtipticis, vt ſunt ſummitates rubi, vitis, ſalicis. Pulli quoque nutriendi ſunt farina hordei , cum aqua carnes teſtudinum coctæ ſint commixtæ. Si aſina haberi poſſit , poſt quartum à partu menſem , eius lac cæteris anteferendum iudicamus , quo primum veſcatur, ſubinde ad caprinum & humanum venire poterit : illud verò matutinis horis in diluculo ſumendum erit ad quantitatem vnc.iij. nec ſupra dormiendum , quieſcendum tamen erit , poſt quatuor , vel quinque horas prandendum , tamdiu enim tardandum prandium fuerit donec lac ipſum aſſumptum , de ſtomacho deſcendiſſe veriſimile ſit; poteritque poſt aliquot dies augeri lactis quantitas, ſi bene ſtomachus eam quantitatem ferre viſus fuerit; quod ſi lactis concretio timeretur , aliquid mellis, vel ſacchari , vel pulu. mentæ in ipſo lacte imponatur : vbi verò putrida aliqua feb. accederet, à lacte interea abſtinendum. Laudatur quoque priſana hordei, præſertim cum cancris fluuialibus ablutis cum aqua cineris , quam priſanam ſemel in die , vt in cœna potiſſimùm ſumere poterit. Potus ſit vinum debile , coloris vermiculi, aut albi cũm aliqua adſtrictione, ſeu vi ſtiptica, ſubtile, non acerbum, imò ſubdulce; quod ſi tale inueniri non poterit, fiat aqua notabilis, cum modico ſyr. roſati rec. & de Myrtho, vel ſaccharo roſaceo, ita vt dulcis fiat aqua vino commiſcenda : quæ quidem aqua, ſi haberi poteſt, ſit pluuialis ex optima ciſterna, ita vt deprauata admodum ſit; ſin minùs, de fonte optimo ſumatur, neque id ſolum in potione loco vini, ſed etiam in coquendis omnibus cibis.

Nauanda verò omnis opera fuerit , vt & materia , quæ in pectore , & pulmone continetur, per ſpuitionem facilè educatur, & vlcus, de quo ſuſpicio eſt, abſtergatur, exſiccetur, & ad cicatricem ducatur. Illud autem præterea quæ ſcripta ſunt opportunè fiet vſu frequenti rerum quas hic commemorabimus , videlicet mixtum accipiendo, ex bolo armeno, terra ſigillata, diuinis ſanè medicamentis cum ſyrupo myrthino , ac roſato R. ita vt pro drach. i. boli armeni , & drach. v. terræ ſigillatæ ſit vnc. i. vtriuſque ſy. debent autem eſſe pululata ſubtiliſſimè, & optimè cum ſyr. commixta ; de quo quidem medicamento matutinis horis paulatim lambendo accipiat vſque ad drach. ij. Altiſſ. medicamentum eſt Loch ex pulmone Vulpis , ſed recens componendum eſt ex pulmone Vulpis recenti , & exſiccato, & in puluerem redacto poteſt etiã

fieri

Digitized by Google

ficri medicamentum ex ſolo ipſo pulmone Vulpis & ſyr.myrthino,ac roſaceo,quod eodem modò accipiat. Lac etiam de pino laudatur, ſed aliquid de pulmone vulpis io omnibus imponendum eſt,imò & in cibis ipſius;& ex eo pulmone & corallio lapide, & ſaechato candido roſaceo veſci aliquando poterit,ita vt ſacchatum duplum ſit ad reliqua duu:ſaccharo autem roſato antiquo frequentiſſimè vtatur,vel inter epulas cum pane, nam hoc ſolum compertum eſt ſanaſſe pectoris, & pulmonis vlcera. Theriacam verò antiquam, vel Mithridatum aliquando aſſumere poterit frigidis ac mediis temporibus,quorum etiam caliditas ſaccharo roſato, vel bolo armeno temperetur,ita vt pro parte vna Theriacæ,vel Mithridati ſint duo ſacchari roſ. & ℈. j. boli armeni. Hora autem ſomendi, vel Ther. vel Mitrid. erit poſt cœnæ digeſtionem; poſt quorum aſſumptionem prandium omnino tardandum per viij.aut ad minimum per vj. horas, neque frequenter antidota iſta ſumenda eſſe iudicamus.

Perungendum præterea totum corpus, excepto ſtomacho, cum ol. violato & amygdalino dulci ad æquas partes,cum it cubitum, & priuſquàm è lecto ſurgat, manibus eo loco madefictis, vt exſiccatio, quæ pridem incepit, tolli poſſit, & maior prohiberi: quin etiam in balneo dulcis aquæ tepidiuſculo primùm, deinde minus quàm tepido imponi poterit, in quo prima vice, minus quam ſit x pars horæ morabitur, molli linteo exſiccabitur, lectulum ingredietur, & paululum dormiet, id quod matutinis horis alui,& veſicæ excrementis depoſitis, commodè fiet. Quoniam verò ex capite nonnihil fomenti habet; idcirco procurandum eſt, ne caput pituitam generet,illa enim ad pulmonem deſcendens, tuſſim generat. Itaque lauabitur caput cum lixiuio mediocri,in quo Roſæ ſiccæ ad quant.manip. magni, & folliculi ſenæ ad quant. pugilli vnius, ac tantundem ſtœcados, & fol.myrthi imponantur;diligenter exſiccentur,amoueanturque capilli,vt ſupra commiſſuram coronalem lixiuium illud ex alto cadere poſſit. Gaſtabit quoque infulam ſericam ex armeſino, ne Aër aut ventus ingredi poſſit, cum biretum de capite tollit, quæ quidem infula per æſtatem ſit ſimplex, frigido verò tempore non item. Quin etiam ſupra commiſſuram coronalem puluis aſpergi poterit ex gariofilis,mace-foliis myrthi,roſis,ac ſandalis ad æquas partes, ita vt locus ille fricetur, & quidem validè,necnon pectine eburneo diligentiſſimè pectetur,quotidie ante prandium;lotio autem capitis ſufficiet ſingulis viij. diebus.

Danda quoque opera fuerit,vt pituita per nates trahatur, cum caputpurgiis in principio leuioribus vt cum aqua ſampſucci,& violarum,deinde valentioribus, vt adiecto ſucco, eiuſdem ſampſucei, & blitis. Quod ſi hæc non ſufficiant ſuccus ciclaminis adiungi poterit ad quantitatem drach. pro vice;Et ſi hæc non ſufficiant,grana iij. ſucci elaterij miſceri poterunt. In ore autem frequenter teneat aliquid ligni aloes electiſſimi, aut nucis moſcatę,aut gallę muſcatæ Meſ. Cum modico boli armeni: Pomum quoque odorandum ex

Scandalis citrinis ana drach. iij.
Roſis ſiccis,
Ligni aloes el. vnc. ij.
Styracis drach. j.
Muſci,
Ambra ana ſcrup j.

Nutriantur omnia præter Muſc. & Amb.in aqua roſacea, & cum ladano q. ſ. fiat pomum. Muſc. verò, & amb. circa pomum imponantur, bene manibus malaxando. Et ſic ſanari poſſe adoleſceotem auxilio Dei Opt.Max. non diffidimus.

CONSILIVM VI.

De fluxu Sanguinis narium.

OBlatus eſt nobis caſus cuiuſdam Magnificæ Dominæ ætatis annorum lx.complexionis calidæ,& non multum ſiccæ, vt ex relatis conijcimus, cui naturales purgationes circa annum xlij.defeciſſe audiuimus:& exinde aſſiduo capitis dolore,vt plurimùm laboraſſe: diſpoſitio autem præſens,cuius conſilium quæritur, eſt ſanguinis per nares fluxus immoderatus, qui cum in superiore æſtate ſuperueniſſet, adhibitis remediis conuenientibus ceſſauit. Nunc verò his ſuperioribus diebus iterum rediit,ita vt propter multam ſanguinis quantitatem quæ fuit circa lib. vi. in tribus vicibus, ſæpe in ſyncopen inciderit. Hæc habemus ex relatione Nuncij.

Quantum ad cauſam huius diſpoſitionis nulla nobis notitia tradita eſt, ideo quantum elicere poſſumus, licet ſanguinis fluxus à multis cauſis prouenire poſſit,& ex parte vaſorum & ex parte ſanguinis, tamen præſentis diſpoſitionis cauſam ex parte ipſius ſanguinis tantùm fore credimus; & præcipuam huius cauſam,ſuperfluam eiuſdem quantitatem, licet cum ea poſſibile ſit, & illud adiungi, quòd ſit acutus in modo qualitatis, & quod ſit ſubtilis in modo ſubſtantiæ.Talis autem ſubtilitas poteſt eſſe dupliciter, vel ex permixtione coleræ ſubtiliantis, vel ex permixtione aquoſitatis,quæ per indigeſtionem potuit multiplicari: veriſimile enim eſt caput in tanto tempore propter dolorem eſſe debilitatum, quia dolor eſt de maximè alterantibus: hæc tamen cauſa non eſt principalis, nec poteſt huius diſpoſitionis cauſa videri permixtio coleræ,quia ratione ætatis, temporis & regiminis cum veriſimile ſit illam poſt primam diſpoſitionem optimè vſam fuiſſe victus ratione, non eſt veriſimile tantam coleram multiplicatam fuiſſe:Ideo cauſa potiſſima erit quantitas ſang. ſuperflua, & hanc diſpoſitionem ſuperioribus annis non incurrit, licet tunc adeſſet maior ſanguinis quantitas,quia calor erat fortior, meliùs degerens, & ſuperfluitates per alias vias reſoluens, nunc verò propter dolorem eſt debilitatus, vnde ſuperfluitates aggregatæ in aliis membris, tempore fluxus ſanguinis ad ipſum caput tranſmittuntur, quoniam vt eſt ſententia Galeni 4.*de Accid.capit.6.* ſuperfluitates multiplicatas in longis temporũ periodis,membra fortia, ſemper tranſmittunt ad debiliora: Et ideo in hora fluxus,ſanguis ſuperfluus aggregatus in aliis membris, tranſmiſſus ad caput, huiuſmodi fluxus cauſa principalis eſſe poteſt, ſicuti haud negandum eſt & ſuperfluitates ſanguinem ſubtiliantes ſua aquoſitate illum iuuare poſſe.

Quantum tamen attinet ad curam,quæcunque cauſa ſit nihil refert,quia ab omnibus cauſis ſanguinem facientibus aut ſubtiliantibus,quomodocumque eſt abſtinendum, & omnibus ſanguinem ad fluxum præparantibus æqualiter eſt occurrendum.

In hac igitur cura duæ ſeſe nobis offerunt intentiones: vna ad præſeruandum ne Magnifica Domina in hanc diſpoſitionem labatur: Altera ad curandum, ſi contigerit quòd iſte fluxus redeat, quomodo regenda ſit,ne multa quantitas exeat.

Quantum ad primum, dictum eſt, quòd præſeruetur cum debita approximatione ſex rerum non naturalium, cauendo ab omnibus ſanguinem acuentibus, & ſubtiliantibus: caueat itaque ab omnibus calefacientibus caput, ſtet cum capite eleuato ſemper, & ſub capite loco puluinaris corium habear, aut aliquid ex corio non calefaciens. Aër declinet ad frigidum; quies, & ſomnus longus conueniunt. Euitet omnes motus corporeos, & animales fortes: pania ſit bene præparatus, pauci fermenti, & pauci ſalis, carnibus parcè vtatur maximè pullis, & aliis generantibus ſanguinem ſubtilem; caro vitellina minùs mala, quia ſanguinem groſſiorem generat: oua ſint non tremula ſed parum denſiora, non tamen dura, ne oppilent. Piſces non conueniunt, quia ſanguinem ſubtilem generant; olera quæ proprietatem babent in hoc caſu, ſunt endiuia & lactuca. Portulaca, & ſpinachia non conueniunt, quòd aquoſitatem generent. In æſtate aliquibus prunis, non tamen multum vtatur, ſicut & moris, quia omnes fructus in ſanguine aquoſitatem generant: de vino etſi forte conuenientius foret, tamen quia propter aſſuefactionem forte ei foret moleſtum, tanto tempore, illam abſtinere à vino conſulimos, donec vinum eligatur nigrum, leue, quod declinet ad aliqualem acredinem, nec lædat caput. quia vinum eſt de maximè percutientibus caput: de aliis euitet omnem repletionem cibi & potus, quantùm poſſibile eſt: non vtatur multum oppilantibus, ſed ingroſſantibus ſanguinem cum mediocritate, ne febres cauſarentur: iſta omnia pleniùs ab excellentiſſimis Phyſicis veſtris intelligetis.

Quantum ad primam intentionem etiam conſulimus, quòd in principio menſis Februarij fiat phlebotomia in ſaphena pedis ſiniſtri, quæ in menſe Martij reiteretur, & extrahatur quantitas ſanguinis vnc. iiii. pro vice; phlebotomia enim diuerſiua, quæ fit antequam ægritudo incipiat, fieri debeat ad longiſſimam diſtantiam, per eandem partem, per quam fluit materia, vt dicit Galenus *in com. ſup.* Hipp. *de natur. hum.* & in libro *de Phlebotomia*. Lotiones fiant quotidie in pedibus cum aqua calida cum roſis, & camomilla. Deinde fiat purgatio cum euacuantibus coleram, & aquoſitates ſanguinis, ſi vltra ſanguinis ſuperfluam quantitatem, iſtorum ſigna apparuerint: Ante verò coleræ eductionem præparentur viæ cum ſyr. de endiuia, roſato rec. & portione mellis roſacei, ſi de aquoſitátibus eſt ſuſpicio. Euacuetur colera cum rhabarbaro, aquoſitas cum troc. de violis, s.s. ſuppoſitis tamen ſemper debitis diuerſionibus, cum ligaturis doloroſis, cum ventoſis, & ſecundùm Rhaſim ligentur aures fortiter, teſticuli, coxæ, & brachia, & ſuper omnibus parcè vtatur multiplicantibus ſanguinem.

Quantum ad ſecundam intentionem, ſi fluxus euenerit, dicit Galenus 5. *de ingen.* quòd debemos venam conſtringere, priùs tamen facta diuerſione cum ventoſa ſuper hypochondrio eiuſdem lateris; tamen 13. *de ingen. diſtin. capit. 5.* dicit quòd eſt applicanda, cum incipit fluxus, quod ſi non ceſſauerit, alia in collo, vel in ceruice eſt apponenda, ad omnem differentiam poſitionis diuertendo; & ſi ventoſæ non ſufficiunt cum exiuerit quantitas ſanguinis vnc. vj. vel viij. vel x. vt expectetur operatio ventoſæ, & non amplius tardandum, ſed vena eſt aperienda. Baſilica ſiniſtri brachij ex eodem latere, ante verò fluxum ſaphena pedis ſiniſtri; & ex baſilica priùs dicta vna vnc. ſanguinis extrahenda, deinde tardandum per horam, & alia vnc. extrahatur, ſi virtus conſtat: non enim ſemel multa quantitas eſt extrahenda; cum intendimus ſolùm ad inferius declinare non euacuare. His factis, ſi fluxus non ceſſat, oportet venire ad conſtringentia, quæ ſunt aut frigida, aut conglutinatiua, aut cauſtica, aut ſtiptica, aut conſtringentia à proprietate: ponit remedium vnum ſolemne Gal. 5. *de ingen.* 6. Thus, & Aloe, ſecundùm partes æquales pulueriʒentur cum oui albumine ad mellis conſiſtentiam, & cum pilis mollibus leporis commixtum imponatur in nares.

Quantum verò ad cauſtica, & ſtiptica, Gal. laudat ſuccum arnogloſſæ ſolùm per narea attractum; vel fiat hæc decoctio.

℞. *Balauſtiorum,*
Gallarum,
Cort. Granatorum,
Camphora,
Lapidis ematbitis.

Fiat decoctio in ſucco arnogloſſæ, vel plantaginis, quæ imponatur vt ſuprà. Rhaſis quarto cont. dicit quòd eſt conueniens puluis balauſtiorum ſoluta in ſucco plantaginis attracta per nares; laudat etiam Galenos inſufflationem in nares cum ſucco, aut puluere mentæ, vel fiat puluis ex aloe, menta, &c. Quantum ad infrigidantia, extrinſecus tamen factis diuerſionibus, cum aliter plura imminerent pericula, infrigidamus cum aqua micis in aurem poſita; vltimò ſi alia non conferunt, dentur ſtupefacientia, quæ dantur in cura ſputi ſanguinis, vt habetur 2. *Myamir circa finem*, vt philonium perſicum, aut troc. de carabe opiati, ſed aliis ingeniis priùs tentatis. Inter ea autem, quæ à proprietate ſiſtunt ſanguinis fluxum, numerantur iaſpis chalcydonia, ſtercus aſininum pulueriʒatum, & immiſſum in nares; cerebra etiam gallinarum gallorum aut caponum à proprietate operantur; de cauſticis eis non vtendum cenſemus, quoniam iſtis aut omnino præſeruabitur, aut ſi contigerit, non erit in multa quantitate. Succi conuenientes quarto cont. in hoc caſu ſunt ſuccus baſiliconis cum camphora, ſuccus porri, ſuccus ſtercoris aſinini, ſuccus ocimi maximè cum camphora, ſuccus coriandri recentis, ſuccus caudæ equinæ, ſuccus cucumeris amari; laudat etiam gipſum extinctum in aqua roſata, & aceto, & fronti linitum, Item adoratum continuum camphoræ.

Quantum ad prognoſticum indubitanter hæc diſpoſitio eſt ſanabilis; debito regimine viatur, vt ſuprà dictum eſt: aliter periculum eſſet de hydrope. Hæc pauca circa intentiones vniuerſales dicta ſint, Reliqua excellentiſſimis Medicis remittentur.

CONSILIVM VII.

De ſputo ſanguinis ex ruptura venæ.

ET ſi Clariſſimi Doct. per vos, vt ex veſtris litteris apparet, ordinatiſſimè proceſſum ſit itaque diligenter, vt nihil ferè addi poſſit; tamen vt votis affinium aliqua in parte ſatisfacere videamur, paucula quædam exarabimus ex multis in ſermone inter nos habito. In primis intentionem diuertendi exequi curabitis, vt hactenus actum eſt, & ſtante virtute ſubtilem, & paucam phlebotomiam ex baſilica aut ſaluatella repetendam cenſemus: diuerſiones etiam cum ventoſis maximè in hypochondriis non prætermittetis: Et ſimiliter fricationes extremorum boris congruiſſimis & ligaturæ, & clyſteria, & alia id genus non ſunt omittenda: particularem tamen diuerſionem optaremus cum rubificantibus, aut cauteriʒantibus coronali commiſſuræ adhibitis, vt eſſet Empl. ex ſinapi, aut conſimili.

Quod verò ad medicinalia attinet, duplici habita intentione & ad venæ rupturam, & anhelitus difficultatem, vtatur frequenter huiuſmodi ſyrupo.

℞. *Rad.*

Digitized by Google

℞. *Rad. Conſolida maioris*
Burſæ paſtoris ana unc. j.
Cort. Median. Quercus unc. v.
Sem. portulacæ,
Plantaginis ana drach. S.
Gran. Myrthi.
Lapidis hemathitis ſub triti drach. ij.

Bulliant omnia ſimul in aqua calybeata, q.ſ. & Hemath. ponatur in peris rara ad bulliendum, deinde coletur, & facta colatura;

℞. *Zuccheri optimi unc. iij.*

& ſecundùm artem decoquatur ad formam conuenientem ſyrupi. Vtatur etiam infraſcripto loch.

℞. *Diadraganti cum bolo unc. j S.*
Lapidis hemathitis ſubtriti unc. ſ.
Syr. de myrtho
De portulaca ana Q. S.
Syr. ſupraſcripti.

miſc. & fiat ad formam loch.

Et vſque ad ſanguinis reſtrictionem vtatur quando vadit dormitum pilula vna facta ex ℈.j. troc. de carabe. Sequenti verò die, eadem hora degluțiat ℈.j philonij perſici, ſicque alternatim procedat. Manè autem, vbi ſanguinis coagulatio timeretur, deglutiat coaguli leporis, aut hœdi ℈.j.

Quantum ad cibos, fiant eius fercula, in aqua calybeata, decoctionis pedum vituli, ſine ſale, in quibus etiam bulliant grana myrthi, ſem. plantaginis, portulacæ. & lapidis hemathitis in petia ligatis, vt ſuprà. Sint autem ex hordeo, aut farre, aut medulla panis lota, aut riso, panico, & ſimilibus. A carnibus abſtineat, quoad vires conſenſerit; ſi tamen carne vti debet, ſit aut caro vituli, aut leporis, aut perdicum, aut ſimil. ſiccitate participantium, quæ tamen alterentur cum myrtho, portulaca, plantagine, & ſimilibus: Potus ſit decoctio ſupraſcripta cum ſyr. roſato ex roſis ſiccis, aut myrthino, aut cum zucchato. Quantum ad reliqua non naturalia ſapientiſſimo conſilio veſtro remittimus.

℞. *Diadraganti unc. S.*
Carabea,
Coralliorum Rub.
Lapidis hemath. ana drach. j.
Boli armeni,
Sanguinis Draconis,
Gummi Arab. ana ℈. S.
Sem. portulacæ.
Plantaginis ana drach. S.
Coriandorum propriorum,
Maſticis,
Olibani ana drach. iij.
Paſſularum unc. S.
Aquarum portulacæ,
Plantaginis ana unc. S.
Zucchari. Q. S.

Miſc. & ſ. Electuarium, quod frequenter aſſumat lambendo; & ſecundùm hunc modum procedat quouſque viuet.

CONSILIVM VIII.

De diſpoſitione pectorali præter naturam.

PRæſuppoſita diſpoſitione naturali nobiliſſ. huiuſce viri, inquiramus priùs, licet breuiter diſpoſitiones ſuas præter naturam, ex quibus poterimus habere modum curandi ipſum, quantum ſit poſſibile: qui diuidetur poſtea, & in adminiſtrationem medicinarum, & vltimò in ea quæ pertinent ad manualem operationem. Pro conſtanti igitur habemus nobiliſſimum virum affligi diſpoſitione pectorali præter naturam, quæ ab iſtis Aſthma appellatur: Et eſt obturatio canularum ipſius pulmonis, ita quod impeditur conueniens, & debita inſpiratio, & reſpiratio, vnde laborem ingentiſſimum patitur in emiſſione, & attractione aëris per ipſum pulmonem; quod etſi ex pluribus cauſis prouenire poſſit, inde potiſſimum euenire credimus, quòd humores groſſi, & viſcoſi, ibidem, hoc eſt in canulis ipſius pulmonis dicantur eſſe inuiſcati, & continuè inuiſcentur, ex aliis partibus ad ipſum pulmonem fluentes, ſicut paulò poſt dicemus: declarat mihi præſentiam talis diſpoſitionis in hoc viro nobiliſſimo ſua anhelandi difficultas, item & tuſſis illa qua interdum moleſtatur, & expuitio talium materiarum: ſonitus etiam, cum ſit peculiare ſymptoma iſtius ægritudinis, perceptus in pectore iſtius nobiliſſimi viri, nobis declarat præſentiam iſtius ægritudinis. Etenim Paul. Ægin. *cap. proprio de Aſthmate*, & Princ. 10.3. & Gal. etiam *4. de inter cap.* 8. per huiuſmodi ſigna deueniebant in cognitionem huius morbi, qui eſſet verum Aſthma: quamuis enim huiuſce diſpoſitio poſſit hinc inde prouenire, & merito membrorum interiorum, hoc eſt naturalium, & pectoris diſpoſitione, & huiuſmodi aliis tamen quia eſt verum Aſthma, ideo dicimus ex hac maximè cauſa prouenire. Etenim ſi cum Galen. dicamus in libro de cauſ. Reſpir. dicemus lædi ipſam reſpirationem de defectu alicuius iſtarum trium cauſarum, aut ex duabus, aut ex omnibus; videlicet, aut ex neceſſitate reſpirandi, aut ex defectu, & malitia inſtrumentorum reſpirationis, aut ex debilitate virtutis motiuæ; neque enim ſunt plures cauſæ, quæ inſpirationem faciant. Modò inquirendum eſt cum inſpiratio, & reſpiratio dicatur eſſe læſa in iſto viro nobiliſſimo, à qua iſtarum cauſarum, aut à quibus lædatur. Etenim ſi neceſſitatem inſpirandi & reſpirandi conſiderabimus, non inueniemus ipſam adeo auctam, aut permutatam, vt inde ſit neceſſarium inſpirationis, & reſpirationis formam permutare; neque enim caliditas aliqua ſuperflua percipitur, vt inde augeatur iſta neceſſitas; idem etiam de virtute dicimus, neq; enim inueniemus permutatam virtutem ab eo quod fuit priùs, vt inde talis difficultas proueniat. Superſunt ergo ſola inſtrumenta, ex quorum vitio fortaſſe hoc prouenire poſſet: conſideremus itaque inſtrumenta ipſius reſpirationis, vtrùm omnia, aut quædam dicantur eſſe læſa. Etenim inſtrumenta deſeruientia reſpirationi à Gal. hinc inde, ſed præcipuè in dicto libro ſunt hæc: In primis & ante omnia pulmo ipſe inſimul cum trachea arteria, diaphragma, & muſculi, tam pectoris, quàm aliunde orti, ad ipſum pectus deſeruientes, quæ quidem omnia inſtrumenta cum fuerint læſa, neceſſario læditur inſpiratio, & reſpiratio; ſed cum conſideremus hæc omnia, non inueniemus ipſorum aliquod læſum præter pulmonem: nam vt ab inferioris percipitur læſio aliqua, nimis in ipſo diaphragmate: Muſculi etiam ipſius pectoris ſunt immunes ab omni læſione, quantum cognoſcere poſſumus; neque etiam trachea arteria eſt affecta aliqua mala diſpoſitione, vt inde anhelandi difficultas proueniat: Pulmo ergo ſolus eſt, qui hanc paſſionem facit, & vt dixi ex ſola oppilatione facta in ramis tracheæ arteriæ, qui ad modum canularum ſparguntur in ipſo pulmone, & qui ſunt præcipuè inſtrumenta attractionis, & expulſionis aëris in ipſo pulmone: neque enim ex aliquo tuberculo in ipſo pulmone genito putamus hoc prouenire, neque ex ſiccitate, aut aliquo conſimili; ſed ſolum, vt dixi, ex inuiſcatis humoribus groſſis, & viſcoſis in illis partibus ipſius pulmonis. Sed vnde hi humores generentur, aut vitio ipſius pulmonis, aut aliunde ad ipſum pulmonem ſint tranſmiſſi, illud non indiget ampla perſcrutatione, cum vir iſte nobiliſſimus ſentiat ipſos catharros delegari ab ipſo capite ad partes inferiores, hoc eſt ad ipſum pulmonem, neq;

enim

enim pluribus rationibus indigemus, vt hoc probari poſſit. Verùm & aliqua pars licet ſubtilia delegatur ad muſculos ipſius pectoris; etenim ſentit interdum pruritum quemdam, & dolorem frequentiùs ſentiebat in partibus ipſius pectoris, quod ob aliud non credo euenire niſi quia ſubtiliores aliquæ partes, petunt huiuſmodi muſculos, licet in præſenti minus hac diſpoſitione moleſtetur. Vnde autem caput hos catharros generet, facile eſt inuenire ex debilitate genita in ipſo capite, ex permutata complexione naturali ipſius capitis. Etenim cum priùs naturalis complexio capitis iſtius viri nobiliſſimi fuerit calida, & ſicca, ſicut ferè eſt complexio totius, vt non ſolùm ſit inter colericos reponendus, ſed etiam deuenerit ad aliquam aduſtionem, poſtmodum facta debilitate virtutum naturalium ipſius capitis, vt pote ex malo regimine, & ex multis cauſis primitiuis, non eſt celebrata conueniens digeſtio in membris ipſius capitis, & indè ſunt aggregatæ multæ materiæ indigeſtæ, & frigidæ, quæ affecerunt caput, frigida aliqua accidentali qualitate, vt indè poſt quamplurimi catharri ibi generentur, & delegentur indè ad ipſum pulmonem: Et quia, vt dixi, fuit naturalis complexio calida & ſicca huius veſtigium adhuc remanens generat aliquid de colera, & multum de phlegmate ob id, quod fuit dictum priùs, & ſic generantur, ſiue ſentiuntur huiuſmodi catharri ſalſi ex admixtione humoris colerici cum aliqua portiuncula phlegmatis ſubtilis: interdum aliquid aquoſi expuitur, vtpote aliqua portio phlegmatis ſubtilis; ſoli interdum groſſi, viſcoſi & inſipidi ex ipſo phlegmate groſſo non commixto cum humore colerico ſubtili: Et ſic ſtatuimus hanc ægritudinem, eſſe ægritudinem pectoralem, Aſthma ſcilicet oppilationem canalium ipſius inſpirationis, & reſpirationis, id eſt, ramorum ipſius arteriæ, ob illas cauſas paulò antè aſſignatas, vndè etiam proueniunt aſſignata accidentia ex huiuſmodi ægritudine, & ſuis cauſis.

Verùm conquerebatur etiam de quibuſdam aliis diſpoſitionibus præter naturam, ſed quia in præſentia non moleſtatur, neque quærit ipſorum auxilia, vt ſunt hæmorrhoidarum dolores & renum alterationes, & calefactiones, ſat erit nobis ſuccurrere præparatæ priori diſpoſitioni: quam vt curemus, primò perpendamus an detur modus curationis, ne iuxta Galenum tentemus facere, quod non poſſimus. Ideò inquirendum nunquid hæc ægritudo poſſit remoueri: Etenim ſi ex vno latere perpendamus tempus, quo iam incohauit iſta ægritudo, non poſſumus dicere iam eſſe confirmatam, vt indè non ſit ſpes curationis. Item ſi ætatem laborantis conſideremus hoc etiam nobis dat bonam ſpem, cum modò ſit verſus finem conſiſtentiæ, & non ſolùm non vergat ad illud ſecundum ſenium, in quo deploratæ ſunt tales curationes, verùm neque adhuc vergat ad primum ſenium: Item ſi conſideremus adminiſtrata auxilia priùs contuliſſe ſatis notabiliter, non eſt niſi vt ſperemus valdè de curatione iſtius morbi. Verùm ſi genus morbi conſidero, & membrum ipſum mandans, & recipiens, & quomodo ſe habeant, non eſt niſi cum magna reuerentia prognoſticandum. Etenim non ſolum eſt caput mala qualitate affectum mandans ipſi pulmoni, verùm ſunt etiam membra naturalia non valde benè diſpoſita ex malo illo regimine, à quibus ſubminiſtratur continuè materia ipſi capiti, vnde poſtmodum hi catharri generantur: pulmo etiam & ipſe eſt ex continuo iſto defluxu non multum, ſeu non valde benè affectus, vndè eſt timor de morbi prolongatione, & curandi difficultate; & quando creſceret abundantia humoris colerici, & ad maiorem ſalſedinem deueniret iſte catharrus, immineret periculum ne pulmoni aliquod nocumentum inferret ratione continuitatis, & indè vlcus cauſaretur: ſed quoniam remiſſa eſt illa ſalſedo, & bono regimine & auxiliantibus ipſis etiam Medicis, illud ſperamus, vt ſi non perfectam, ſaltem aliqualem huius morbi ſanationem conſequi poſſit. Exordiamur igitur modum curandi, & in primis patientem præparemus, ad regimen ſex rerum non naturalium, & præcipuè animaduertamus ad ea quæ ſunt circa cibum, & potum, in quibus fieri conſiſtit totum regimen.

Eligat ergo panem benè fermentatum, benè coctum, conuenienter ſalitum, non antiquum nimia, nec recens valdè ex farina nuper molita factum; ex frumento ſolo non ex aliis granis, & ex frumento laudabili non alterato, debito tempore collecto & conuenienter reſeruato. Item ſi interdum vteretur pane ex ſimilagine, hoc eſt ex flore, vt aiunt, farinæ hordeaceæ, aut ex ſpelta, laudarem miro modo. Item ſi panis conficeretur ex aqua decoctionis, & aniſorum, & fœniculi, laudarem miro modo. Item vitet omnia genera panis, in quibus eſſet admixtum aut oleum, aut butyrum aut pinguedo aliqua, etenim alteratur panis ex huiuſmodi admixtionibus: & ſi interdum ad libitum admiſcerentur ſemina aniſorum, aut fœniculi cum huiuſmodi pane, iuuant mirum in modum. Vitet etiam omnia cibaria facta ex paſta tam cum oleo, quàm cum pinguedinibus, ſicuti ſunt caſeo condita, aut alio quopiam condimento: vitet etiam panem coctum ſub cineribus, & omnia genera panis, quæ confecta eſſent abſque fermento: vitet etiam omnia genera pultis præter priſanam hordeaceam factam ex hordeo, non ex farina, ſicuti dicemus paulò poſt. Carnes autem eligat laudabiles, non recentium animalium, & nuper natorum, ſicut docuit Galenus 2. *de complex.* 2. Etenim viſcoſa, & humida nimis ſunt recentia hæc animalia; Antiqua etiam non ſunt ad rem noſtram propter illud quod dicebat ibi Galenus: vitet cum hoc omnia genera granatorum præcipuè frumenti, & aliorum conſimilium, aqua, aut lacte, aut quopiam alio decocta, ſicut dicemus paulò poſt: vitet omnia genera carnis pinguia nimis, & nimis macilenta: vitet etiam omnes extremitates animalium, ſicuti pedes, caput, & alia huiuſmodi: Inteſtina autem & ſtomachum cuiuſcumque animalis vitet: Hepata omnia vitarem ego, quamuis quibuſdam placeant pullorum, & gallinarum hepata concedenda; ſic & pulmones, cor, & renes, & denique intrinſeca omnia animalium vitanda ſunt, vt pote groſſi ſucci, & difficilis digeſtionis. Teſticuli cuiuſcumque animalis, præter recentium gallorum, vitentur meo iudicio, quamuis Galenus laudet etiam teſticulos porcellorum iuuenum. Sed cum animalia ſint, aut aquatilia, aut terreſtria aut volatilia, diſcutiendum eſt à nobis quæ iſtorum animalium veniant in vſum iſtius nobiliſſimi viri, cuſtoditis priùs iis, quæ dicta ſunt de electione partium, & ætatis eorum. In primis itaque incohemus à terreſtribus, quorum frequentior, & copioſior eſt vſus, quo loco nihil eſt vt dicamus vitandas eſſe carnes, quarum vſum etiam ſpernunt communiter homines; neq; etiam noſter erit ſermo de carnibus, quibus hic non abundamus, ſed de conſuetis tantùm loquemur. In primis vitet omnia genera bouinæ carnis, quamuis quidam carnem vitulinam non ſperneret, cum ego autem inueniam Galenum proponentem illam inter eas carnes, quæ craſſum & viſcoſum humo-

rem generant, noo auderem ſaltem laudare eius frequentem vſum: & ſi comedenda eſt, ſemper condienda eſt cum ſobtiliantibus, vt pote qood decoquatur cum ſem. fœniculi, & aniſorum, aut cum radice petroſelini, aut cum aſparagis. & conſimilibus; ſi autem comedenda eſt aſſa, non multum aſſa ſit, præparetorque aut cum ſucco granatorum dulc. aut arantiorum, aut conſimilium. Carnes etiam agnorum, pecorum, caſtratorum, & iſtorum animalium omnino repudiandæ, ſicut capratom, hircorum & conſimil. Carnes autem hœdi iuuenis, oon tamen noper oati admittendæ ſunt, ſicut etiam caroes leporum iuuenom conuenirent: Sed porcorum carnes omnes diſconuenirent mirum io modum, viſcoſum enim ſuccum generant.

Sanguinem præterea, & cerebrum quorumcumque animalium repudiare debet: & hoc ferè eſt iudicium de terreſtribus animalibua. Volatilia autem talia ſunt eligenda. In primis vitet omnia volatilia degeotia in aquis, vt pote anates, aoſeres, graues, & conſimil. aliarum degentium in aquis, talia enim viſcoſum, & groſſum chymum generant. Pullorum autem carnes eligendæ ſunt hoc pacto: In primis gallorum, & gallinarum nuper natorum, non tamen ita recentium, vt aliquantiſper non adoleuerint, & magis carnes gallinarum quam gallorum iuuenum eligendæ ſunt, hoc eſt, & ipſarum gallinarum iuuenum: Item vitet carnes gallorum antiquorom niſi interdum loco medicinæ, ſicut dicemus poſt.

Gallinas etiam antiquas vitare debet: Capones admittuntur, dummodo non ſint antiqui nimis, & in primis quando non eſt ingens temporum caliditas, tunc enim conuenientius vti poſſet pullis vt ſuprà. Auium autem carnes laudantur omnes, præter earum, qoas diximus, io aqois degentium: & in primis carnes faſianorum, perdicum paruarum, auium degontium in dumis, turturum, columbarum recentium, & etiam in hyeme columbarum adultarum, ſed in primia vitet calida tempora, quando voluerit vti carnibus calidioribus, vt columbarum, aut condiantur quibuſdam infrigidantibus, vtpote agreſta, aut vino granatorum, tutius enim poterit vti his carnibus. Ex iis autem eligat elixa magis aqua, quàm aſſa, magis enim conuenientia ad ſtricturam ipſius pectoris ſunt hæc, quamuis aſſa ad exſiccandum ipſum catharrum conueniant magis. Et hæc de carnibus dicta ſint, & conſeqoenter de duobus generibos animalium, vt puta terreſtribus, & volatilibos. De aquatilibus autem dicamus.

In primis omnia oſtrearum genera vitet, item piſces carentes ſquamis, vt ſunt anguilla, & conſimil. Tinchæ etiam vitandæ ſunt, & omnia genera piſcium prooenientium ex paludoſis, aut ſtagnalibus aqois, & breuiter interdicantur omnia genera piſcium, præter ſaxatiles, & paruos, prouenientes ſcilicet in viuis aquis, & fluentibus valde: hi poſſunt concedi, & liberè conceduntur: camati etiam omnes, hoc eſt, carnes ipſorum conceduntur: Item maritimi piſces quidam, vt ſont, quos vocant, oradæ, arbores, barbones, & huiuſmodi; vitentur autem hi maritimi piſces, quales ſunt paſſares, cephali, & anguillæ omnes: animalia autem partim aquatica, & partim terreſtria concederentur, vt teſtudines, & maximè quæ in nemoribus degunt, & cogeremus iſtum hominem comedere carnes iſtorum animalium, ſicut etiam ſunt caroes limaciarum. Et hæc de carnibus ex Animalibus ipſis dicta ſint. Quæ autem ab Animalibus reſecantur, quorum vſus eſt, ſunt hæc. In primis lac, & omnia ex lacte facta, deinde oua.

De lacte aotem non concederetur eius vſus, niſi loco medicinæ, de quo in præſenti non eſt ſermo: facta ex lacte, ſuot butyrum, caſeus, & conſequentia hæc. In primis de butyro dicamus, qood eius frequens, & continuatus vſus non conueniret, ſed interdum poſſet eſſe vſus recentis butyri vaccini, moderatus tamen, aut cum pane, aot in panatella cum ipſo condita: caſei autem vſus interdicatur, niſi non ſaliti, mediocris ætatis, vaccini potius, quam alterius animalis, ſed ſtatim poſt comedat ſemina aniſorum præparata: Alia autem facta ex lacte, aut alia cibaria cum lacte condita aut facta euitanda ſunt: ouorum autem vſum laudarem, & maximè ouorum gallinarum recentium, tremulorum coctorum in aqua, aut ſuper cineribus, emiſſo albumine, & reſeruato ſolo vitello, aot cum modico albuminis. Oua autem oon recentia dura, elixa valdè, vitanda ſunt. Cibaria etiam facta ex ouis, aot per ſe ſola, aut cum lacte, & cum huiuſmodi aliis vitanda ſunt, vtpote mixta generantia chymum ſtria malum. Hæc igitur de animalibus, & de iis, quæ ex animalibus deciduotur, dicta ſint. Ex granis eligatur panis, ſicut priùs diximus, vitentur omnia genera leguminum præter ios cicerum rubeorum. Interdum autem fercula facta ex graois, ſint hæc: In primis ptiſana hordeacea facta aut cum brodio pulli, aut cum lacte amygdal. dulc. aut cum lacte pinearum. Item ſi in ferculis vtatur farre ex hordeo confecto cum huiuſmodi lactibus, ſicut de ptiſana dictum eſt, erit ad rem valdè; panatella etiam facta cum huiuſmodi lactibus conueniret, aut in brodio pulli: Item riſum, non tamen in frequenti vſu conueniret bene coctum, & conditum, ſecundùm modum ſuperiorem. Ex granis igitur hæc ſunt, quæ fieri poſſunt, quamuis ex ſpelta etiam præparata, & mundata poſſent fieri fercula. Herbarum autem talis dicatur eſſe vſus: in primis bugloſſa, borrago, & interdum lactuca noo diſconuenirent, cocta loco acetarij, ſeu ſalarutiæ: Aſparagi etiam inoarent, fercula quoque fieri poſſent, ex blite, & ſpinaciis prius elixatis, & eiecta prima aqua, & demum decoctis, & cum modico olei dulcis factis ferculis. Radices etiam raphani laudarem, niſi inſtaret capitalis diſpoſitio, & ſic de petroſelino quod Apium appello, ego illod non auderem admittere, eo quia miro modo capiti vtrumque nocet: Et hæc de eduliis à nobis dicta ſint. Potus autem dicatur eſſe vini, non potenos, non vinoſi valde, non tamen ex toto aquoſi, ſed mediocria vinoſitatis, clari, ſubtilis, rubri coloria, potius quam alterius, non nigri tamen, aut groſſi: & ſit eius mediocris vſus, & in cœna potius quàm in prandio: & omnino poſt cœnam, & poſt prandium caueat vinum bibere: ſi autem vellet interdom loco vini, vti aqua mellis, aut aqua zucchari, non eſſet niſi valde bonum, vitet, etiam potom aquæ frigidæ; & ſi intra diem quandoque ſitiat, non erit malum vti aut aqua cocta, ſola, aut cum hordeo, & conſimilibus cum modico Iulep roſacei aut violati, & hæc de potu. Fructus arborum talea ſunt admittendi. Amygdalæ dolces, pineæ, piſtachia; pruna etiam dulcia aliqua in moderato vſu laudantur; Vuæ penſiles, & bene maturæ aliquando concedi poſſunt: ficus etiam bene maturi aliquando vſos conceditur; melones interdum non valde aquoſi cum modico ſalis non denegamor: reliqoi aotem fructus repellendi ſunt. Cidonieorum autem interdum rarus vſos cum zucchato non denegatur, ita vt cocta ſint, & poſt cibum aſſumpta: de paſſulis quamuis ſit ipſarum frequens vſus, quia tamen electas habemus, conſulo, vt non ſit ipſarum

frequens

Digitized by Google

frequens vſus. Et ſi illis omnino vti debet, vtatur mundatis, lotis, & cum zucchato conditis, & ante cibum & poſt cibum: Atque hæc de cibo, & potu dicta ſint. Motos autem, & quies non ſit immoderatus, & niſi horis electis, hoc eſt quatuor horis ab aſſumptione cibi, neque ſit tantus, vt ad dolorem transſeat, & producatur ad laſſitudinem, & dolorem membrorum; Atque ita caueat ne ſtatim aſſumpto cibo vtatur exercitio forti: Item in tempore magni æſtus non deueniat ad magnam caliditatem & ingentem ſudorem: vitet etiam nimiam, & ſuperfluam quietem, ita quod diu quieſcat ab exercitio; procuret ſingula die habere ventris beneficium & conſuetas euacuationes per vrinam, ſputamina, & conſimilia: Et ſi difficulter expueret, vtatur auxiliis antedictis, & ſibi ore hactenus ordinatis, vt eſt Electuarium ſibi exhibitum, vtatur decoct. ordinata, ſyr. & aquis, conſuetis, pectoris inunctione & dorſi etiam ſicut diximus: Et ſi interdum non haberet ventris beneficium, non eſſet malum ſingulo octauo ſero poſt cœnam accipere ℥. ſex. flor. caſſiæ n. ex. aut vnam ex iſtis pilulis.

R. Pilularum de aſſaiaret cum agar. ℈. j.
Agarici preparati ℈. ß.

reformentur pilulæ duæ cum melle roſato, & accipiat ante cœnam per duas horas. De animi autem accidentibus bene ſibi ſperandum, lætandum, fugiendam omnem triſtitiam, omnem iram, omnem furorem, & tales Animi conturbationes, & vt dixi valde ſperandum eſt, & quod dimittat omnem ſollicitudinem ſui morbi. De Aëre, eligat aërem laudabilem, habitet in parte ſuperiori domus, fugiat omnem ventum, & auſtralem in primis, & borealem vitet lunares radios & aërem nocturnum, ſimul & ſolares; Aërem lacunalem, & odores malos cuiuſcumque rei fugiat; Superfluos odores & aromaticos fugiat, implent enim caput de ſomno, & vigilia, vitet ſomnum meridianum, grauat enim caput miro modo; dormiat eleuato capite, puluinaribus ſub capite poſitis non ex pluma, ſed ex linteaminibus, ita quod non calefaciant ipſum caput, & inde catharri diſtillentur ad inferiora, dormiat tecto capite, ſed non grauato tegmentis, & ſic de toto corpore: Atque hæc de ſex rebus non naturalibus dicenda erant. Medicinalia autem præſuppoſitis iis, quæ adminiſtrata ſunt, ſuperſunt aliqua adminiſtranda, quando ad meliorem diſpoſitionem non deueniſſet cum iam dictis, quod tamen ſperamus: Et hæc partim in præſenti, partim in futurum, quando tempus erit magis opportunum, adminiſtranda ſunt: In primis ſicut diximus, ad facilitandum ſputum vtatur electuario ſibi exhibito, & decoctione ſibi data; poſſet etiam vti hoc electuario, & maximè in tempore magni æſtus.

℞. *Penidiorum* ℥. j. ß.
Iulep. violati q. ſ. M. & f. electuarium.

Poſſet etiam vti hoc:

℞. *Pinearum propriarum vnc.* j. ß.

Cum aqua florum violatum extrahatur lac, & cum zucchato albiſſimo fiat electuarium. Poſſet etiam vti hoc Iulep:

R. Iuiubarum,
Gran. Sebeſten ana n. v.
Paſſularum,
Liquiritiæ raſæ ana vnc. S.
S. Melonis,
Cucurbitæ ana vnc. S.
Citruli,
Hordei m.

Aquæ Anguriæ. q. ſ. bulliant & cum zucchato albo. q. ſ. fiat Iulep longum, quo vtatur cum aqua hordei, poteſt vti etiam caſſia ſicut diximus, iuun-

ctione pro dorſo, pro pectore, ſicut fuit ordinatum; Et hæ ſunt medicinæ, quibus in præſenti poterit ſe tueri. In futurum autem niſi ceſſauerit iſta diſpoſitio, ſententia noſtra eſt, vt euacuato corpore, hoc eſt, in autumno fiat ſibi cauterium actuale circa commiſſuram coronalem, ex quo ſperamus, imò certè credimus cathatrum iſtius nobiliſſimi viri poſſe retineri, vnde ſequitur perfecta, aut ſaltem magna curatio iſtius morbi, quod concedat Deus, qui eſt trinus, & vnus.

CONSILIVM IX.

De difficultate vrinæ, & aliis ſymptomatibus.

DIfficultas vrinæ cum conamine ipſam emittendi, frequenter vrinam emittere, vrina cum calculis, aut arena; vrinæ ardor, voluntas vrinandi poſt emiſſam vrinam remanens, exitus inteſtini recti ſanguinis interdum in vrina apparens; hæc omnia ſignificant lapidem eſſe in veſica: quare cum prædicta omnia ſigna ſint in caſu Medici Iuriſconſ. D. Petri Valmarana Vicentini, ſummè vereor ne adſit lapis in veſica; quod ſi verum eſſet ad inciſionem omnino foret deueniendum, ſiquidem alia cura potius obeſſet, quàm prodeſſet: vnde omni ingenio, & diligentia inquirendum eſſet, an lapis ſit in veſica: quod ſi aliter certitudo haberi non poteſt, procedendum eſt cum ſiringa. Vbi lapis adeſſet, quemadmodum fruſtra eſſet alias curas tentare præter inciſionem, ita pro remouendo ardore vrinæ, & exitu inteſtini recti, fruſtra eſſet alia tentare præter inciſionem pro eorum curatione, cum ea à lapidis præſentia dependeant: quia tamen, vt mihi relatum eſt, multi credunt lapidem non adeſſe, pro cura exitus inteſtini recti, poterit patiens frequenter ſedere in infraſcripta decoct. actu tepida, mundato, aut abluto prius inteſtino, vel cum vino, vel cum aqua mellis, aut zucchati.

R. Roſarum rub.
Balauſtiorum ana M. ij.
Cort. granatorum.
Acaciæ ana ℥. *S.*
Hypociſtidos,
Gariofilorum ℥. *S.*
Aluminis Rochæ. vnc. j.

Decoquantur omnia ſecundùm artem in ſuffic. quantitate vini auſteri: vel ſæpe ſedeat patiens in aqua aluminoſa, quæ ſi naturalis non habeatur, fiat artificialis. Pro ardore vrinæ ſiue ſit ex eius acuitate ſiue ex vlceribus in viis, quæ ſignificari videntur, ex exitu ſanguinis aliquando ſimul cum vrina, & forte ſaniei, euitandi ſunt cibi omnes ſalſi, & aceroſi, & vehementis dulcedinis, & acuti, quales ſunt aromata, piper, S. gingiber, & huiuſmodi, & omnia acria, veluti allium, porrum, cepæ, raphanus. Conueniet ſemel in die, vti ptiſana hordei bene ſecundùm artem præparata; Et in æſtate iuuabit vti cucurbitis in ferculo; potus ſit vinum debile, potius, quàm poteus & limphatum. Et in ſumma regimen in cibo, & potu declinet ad infrigidationem, & humectationem, Si ſit aſſuetus vomere, aut non difficulter euomat, bonum erit, vel bis in menſe, vel ſemel in hebdomada prouocare vomitum poſt aſſumptum cibum, laudo etiam, vt ineunte menſe Aprili faciat infraſcriptam purgationem.

R. Syr. roſ. R.
De S. Endiuiæ ana ℥. vi.
Aquæ decoctionis ß. *c. frig. vnc.* iij.

Miſce & capiat vſque ad v. vel vij. tum capiat infraſcriptam medicinam.

℞. *Mannæ El. vnc.* j. *S.*
Syr. roſ. ſol. facti ex multiplici infuſione, vnc. iij.
*Troc. de Violis. S.S.*ʒ.j.

Diſſoluantur in decoct. fructuum, & fiat potio, quam capiat de mane, ieiuno ſtomacho, & dormiat per horam, & tardet cibum horis vj. Die verò ſequenti capiat brodium pulli cum zuccharo, & obſeruet cuſtodiam, & malos aſpectus luminarium, quæ in ſumendis medicam. ſolent obſeruari.

Facta purgatione laudo vt accipiat lac aſininum, aut caprinum per plures dies, obſeruando conditiones, quæ in aſſumptione lactis communiter obſeruari ſolent & ſecundùm iudicium Medici præſentis. Poterit etiam quando non accipiet lac, capere de manè inſraſcriptam potionem.

℞. *Sem. lini,*
S. Papaueris albi ana ʒ. ij.
S. Citruli, aut Cucumeris,
Dragacanthi,
Amili drach. iiij.

fiant Tochiſci cum aqua decoctionis liquiritiæ de quibus capiat drach. j. diſſolutam in vnc. iiij. aquæ decoctionis liquiritiæ, vel capiat eadem hora interdum infraſcriptam potionem.

℞. *Gran. pini num.* xx.
Gran. ſem. citruli,
Aut cucumeris, num. xl.
Amili drach. S.

Diſſoluantur in infraſcripta decoctione, & capiat totum in duabus vicibus.

℞. *Sem. Apij drach.* iij.
Spica nardi drach. j.

Decoquantur in vnc. xviij. Aquæ ad conſump. ʒ. par Non arbitror aſcendendum eſſe ad Troc. Alkakengi, aut ad alios opiatos, quia ſcribitur adeſſe aliquarum guttarum vrinæ inuoluntariam emiſſionem, ne adderetur in mollificationem muſculi colli veſicæ. Quod ſi nec ſanies, nec ſanguis exirent, & non adeſſet ſuſpicio de vlcere, poſſet in mane ſæpe ſumere decoctionem ſem. com. frigid. & liquiritiæ, cum pauca zucchari portione.

Non diſpliceret etiam vſus ſemel aut bis in hebdomada, hunc S. flor. Caſſiæ parum ante cœnam, vt aliàs ſibi dictum fuit. Poſſent fieri inunctiones in .... Lactis aſinini, vel caprini, vel humani, aut mucilaginis citoniorum, vel pſillij, aut albuminis oui. Sæpe fomentetur anus cum lana ſucida infuſa in oleo roſato, chamæmelino, & vino partibus æqualibus calefactis.

Et quia non modo difficile; ſed quia impoſſibile puto Medicum abſentem poſſe in caſu adeo complicato bene conſulere in omnibus, laudo, vt circa omnia quæ ſcripta ſunt, & circa omnia alia agenda habeatur conſilium Medici præſentis.

Pro eodem.

R. *Foliorum,*
Seminum
Radicum Piaſci Barbaſſi. & ana M. j.
Flor. Camomillæ.
Fol. Caulium ana M. j. *S.*
Thuris,
Colophonia ana vnc. S.

bulliant in ſuff. quant. aquæ, & recipiat fumum.

R. *Zuc. roſati vnc.* ij.
Diagalanga,
Aromatici roſati ana vnc. j.
Diarrh. abb.

Miſc. cum melle Roſ. Col. q. ſ. & capiat ad quantitatem caſtaneæ, manè & ſerò, ante cibum per duas horas.

R. *Pilularum de Benedicta,*
Specierum hiera ana drach. ij.
Aurearum drach. j.

fiant pilulæ xv. cum aqua betonicæ, & capiat tres pro vice circa mediam noctem ſemel, vel bis in menſe.

R. *Betonica ſicca,*
Calamenti ſicci,
Pulegij ſicci ana M. ij.
Rad. Acori,
Stœcados Arab.
Polypodij querc.
Flor. Camomil.
Meliloti ana M. j.
Thuris,
Myrrha ana drach. j.

bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, & vini potentis ana part. æquales, & cum ſpongiis. f. fomentatio, vt dixi.

℞. *Olei coſtini,*
De hyperico comp. ana vnc. j.
Maſticoni,
Oppoponiaci vnc. S.
Caſtorei ana vnc. iij.
Myrrha,
Thuris,
Vini maluatici vnc. vj.

bulliant ſimul vſq; ad conſumpt. totius vini, & cum modico vini fiat linimentum, cum quo inungantur loca, in quibus facta fuerit fomentatio moderatè poſt fomentationem.

Pro eodem.

R. *Rad. Ireos viridis, vnc.* j.
Contundantur, & diſſoluantur cum aqua agrimonia, capil. Veneris ana vnc. vj.

& bulliant lento igne ad conſumpt. ʒ. partis, & facta expreſſione cum ea Miſce

Lacryma abietis vnc. j.
Bdellij drach. ij.

& iterum parum ſimul ebulliant, & exprimantur per petiam madefactam vino albo calido, poſt cum ea Miſce.

Agarici El. vnc. j.
Gingiberis ſcrup. iiij.
Rhabarbari drach. ij.
Spica ſcrup. vnc. j.
Farina fænugræci vnc. S.

& lento igne in vaſe cooperiantur, & exſiccentur parumper ad formam paſtæ, de qua ſumat drach. j. ſummo manè, bis, vel ter in ſeptimana.

R. *Rad. Althea vnc.* ij.
Rad. enula vnc. j.

coquantur ſub prunis, mundentur, & cum zucchario diſſoluto in aqua betonicæ. q. ſ. fiat confectio, de qua hora ſomni poſt cœnam ſumat .... ſingulis noctibus.

R. *Succi centum nodia vnc.* vj.
Gummi prunorum, vel
Ceraſorum vnc. iij.
Ol. Sem. cucurbita vnc. iij.
Cera alba drach. ij.
Bdellij drach. j.

Miſc. ad ignem ſecundùm artem ad conſumpt. ſucci, & exprimatur, & ſeruetur pro renibus, & caliditate dorſi ſingulis noctibus inungendo.

R. *Inteſtini caſtrati vnc.* ij.

incidatur mundatum ſubtiliter & adde

Bdellij vnc. S.
Butyri vnc. ij.
Mucilag. althea vnc. j.
Zucchari vnc. j.
Aqua betonica Lib. ij.

bulliant

bulliant ad conſumptionem aquæ,& poſt ducantur in mortario bene ſimul paulatim omnia, & iterum ſimul miſce ad ignem ad vnguenti formam:cui oblato ab igne adde.

Croci ſcrup. ij.

& vtere ad Aunum.

CONSILIVM X.

De morbo Gallico.

R. *Syr. de lupulis.*
Oxymellis. S, ana drach. vj.
Aquarum lupulorum.
Fumiterræ ana vnc. j.
Miſc.

R. *Polypodij*
Epithimi,
Pollic.Sena ana ʒ. j.
Paſſularum,
Liquiritiæ Raſæ.

fiat decoctio in aqua communi ſecundum artem.

R. *Diacatholiconis drach.* vj.
Confect. hamech. drach. iij.
Trociſc. de Violis
El.de S.Roſarum, ana drach. j.

Cum ſupraſcripta decoct. Q. S. fiat potio.

R. *Theriacæ El. drach.* j.
Zucchari Roſati drach. iij.
Miſc.

R. *Syr. magiſtralis vnc.* ij.
Syrup. iſte componitur ex decoct. ligni vt infra.
Decoct. magiſtralis vnc.
Miſc. pro Syrupo.

R. *Pilularum aggregatiuarum drach.* j.
Cochiarum propriarum drach. S.

Cum vino albo fiant pilulæ n.5.

Oportet primùm accipere ligni Sancti libram vnam cum dimidia, & aquæ communis libras decē, & in infuſione per ſpatium horarum 24. collocare, deinde in olla noua optimè cooperta feruefacere donec aquæ dimidium remaneat, & hæc erit prima aqua.

Poſt vbi colata fuerit per petiam lineam,vel per ſubcemiculum , idem lignum iterum capere quod feruefactum fuit cum aqua communi eiuſdem ponderis,vt ſupra, & feruefacere vt ſupra, & hæc erit ſecunda aqua. Deinceps opus eſt accipere vncias 6. primæ aquæ,quæ facta fuit, & ſacchari de medera lib.1.& ex hoc ſyrupum conficere.

Quo ſyrupo confecto ita vtendum eſt vnc. iv. primæ aquæ accipiantur vnc. ij. ſyrupi antedicti , & vna miſceantur,denturque potui bene calidæ de mane.

Poſt verò inter prandendum, aut cœnandum bibat de prima aqua, à prandio autem, aut à cœna ex altera.

CONSILIVM XI.

De dolore humeri, tumore cruris , & aliis ſymp.

PRoponitur nobis medicus & ſtudioſſ. iuuenis patria Vicentinus , ex nobiliſſ. familia ortus ſ. ex Thienea familia ; Patre Doctiſſ.Iuriſcon. Excel. Qui iuuenis laborat quibuſdam diſpoſitionibus præter naturam , quæ diſpoſitiones aliqoando fuerunt , aliquæ ſunt : Sic in primis aiunt annis ſuperioribus laboraſſe febre maligna peſtilenti quæ terminauit ad bubonem in inguine , ex quo bubone factum eſt vlcus , quod fuit difficile, vt curaretur; tandem in crure, imminente bubone , tunc facta eſt inflammatio , & tumor, qui tumor apparuit veluti crus ſupercreſcens , ita quod videatur præter craſſitiem , & magnitudinem ipſius cruris , aliquod quod eſſet in ipſo præter naturam , neque color , neque aliquid conſimile : fuerunt adhibita quamplurima auxilia per Clariſſ. Medicos. Et tandem ab balnea Apponitana fuit perductus, vbi auxilia illarum aquarum fuerunt adhibita , & viſus eſt aliqualiter conualuiſſe ; ſed frequenter ſolet incurrere hanc , & conſimiles diſpoſitiones. Nouiſſimè incurrit in dolorem humeri , & in impotentiam mouendi ipſum. Et tandem per clariſſimum Medicum , & me fuerunt adhibita aliquot auxilia , vnde viſus eſt aliqualiter conualuiſſe , ſed non ſicut optaret , & nos optaremus. Vltimò viſus eſt aliqualiter affligi tumore illo cruris antiquo , à quibus diſpoſitionibus quærit euadere , & præſeruari , ne denuo cadat in conſimiles affectus.

In primis ſtatuo temperaturam eius eſſe temperaturam calidam , coniunctam humiditati alicui , ſed vehementior eſt caliditas ipſa humiditate ; Vnde licet in ipſo vigeat ſanguis , nihilominus non eſt , vt non dominetur aliquid choleræ omnino , vnde hepar aliqualiter generat aliquid choleræ , quo poſſem ego deducere , talem eſſe temperaturam ex multis ſignis , ſed volui hac concluſione eſſe contentus. Diſpoſitiones præter naturam in iſto iuuene ſunt enarratæ, ſed vnde eueniant , dicamus. In primis , ſicut dixi , ſuppono febrem illam , quà ſuperioribus annis fuit afflictus , fuiſſe feb. peſtilentem , quod declarat & modus febris , & accidentia , & anni tempus , & conſtitutio quæ tum erat , fuit enim in anno. M. D. LXXVIII. quo tempore viguere febres illæ peſtilentes , imò peſtis ipſa , quæ quomodo fuerit contracta, facile eſt videre ; quæ febris, ſicuti conſueuere conſimiles febres , habuit coniunctum bubonem : vnde ſignificatur membra ipſa naturalia fuiſſe affecta , & maximè ipſum hepar iuxta ſententiam Galeni & Hippocr. quarto Aph. in illo Aph. *omnes febres ex bubone , mala* , &c. Viguit enim humorum malorum ingens copia , & affecto ipſo hepare , deinde factum eſt,vt vlcus factum ſit difficile vt ſanaretur ex humorum malitia , ex loco malè affecto , ſcilicet ex peſtilentibus ipſis humoribus ; & affectione peſtilenti, ſicut docuit Galen. *art. curat.* deinde factus eſt tumor in crure, eo quia malè affecto hepate multiplicatis humoribus facile fuit , vt tranſmitterentur ad partem debiliorem humores multi , & inde locus intumeſceret : ſed ille tumor fuit talis , ſicuti dictum eſt , quia humores illi abundabant multitudine potius quàm malitia , nihilominus erant inepti pro curatione ipſius corporis , & membri : Ideo licet apponerentur , non aſſimilabantur tamen ipſi membro : & ideo increſcebat ille tumor , ſicut dictum eſt , deinde factus eſt dolor in aliis partibus , & tumores , quia multiplicantur multæ ſuperfluitates , quæ delegantur ad has partes , & inde fiunt iſti tumores. Et ratio eſt , quia ſtante tali temperatura ipſius corporis , cum affectione illa mala , venenoſa , non eſt mirum ſi multiplicentur iſti humores , & deueniant ad loca ipſa debiliora , ſcilicet ad iuncturas , ac inde fiant iſti dolores iuncturales , ſicuti dictum eſt , etiam quod illud fiat , quia membra ſunt debilitata. Sed quales ſint humores peccantes , facile eſt videre , ſunt enim admodum phlegmatici , cum aliquali quantitate choleræ admixtæ , & non priuantur penitus

ſanguine,quod declarat color loci affecti, & diſpoſitiocorporis ſanguinei,& ætas, & alia conſimilia: Item coniungitur cum iſtis humoribus malignitas quædam facta in ipſo hepate, vi illius peſtilentis morbi, vnde plerunque cauſatur dolor ex præſentia illius materiæ diſſoluentis continuum in ipſo membro,etiam interdum motus ex defluxu materiæ in illo loco; & ita ſicut dixi,apparent hi conſimilea affectus,& aliquando inflammatio,veluti eriſipelas, aut phlegmon heripelatodes in illa parte: adde tu indebitum victum ſeruatum ab iſto iuuene, & in cibo,& in potu,& quiete;& etiam in ſtudiis, cum ſuperfluè aliquando ſtudeat, & horis incongruis, ita quod tunc reſoluuntur ſpiritus, debilitatur calor naturalis,& inde ſequuntur omnia iam dicta incommoda. Et iſti ſunt affectus præter naturam in iuuene iſto nobiliſſimo, & etiam ſunt cauſæ horum affectuum. Supereſt vt deueniamus ad modum curæ, hoc modo.

In primis mundificetur corpus, quod factum eſt paulò antè,& diu antè multoties à Clariſſimis Medicis;poſtea ſi quid eſt,quod in membro reſideat,illud reſoluatur, & confortetur membrum, ita quod habeantur iſtæ intentiones: prima eſt, prohibere morbum futurum fieri, & tollere iam factum, ſicut in morbo fiente faciendum voluit ipſe Galenus,prohibetur enim morbus futurus fieri,aut tollitur cauſa,quod idem eſt,ſi prohibebimus humores generati;quod fiet ſi primo mundificemus corpus,tum alteremus ipſa membra, & diuertamus materiam fluentem ad locum. Mundificabimus corpus,ſicuti dictum eſt, immo ſicut factum eſt, phlebotomia, & pharmacia: Etenim hoc anno facta eſt phlebotomia;conſulo etiam,quod inchoante autumno denuo fiat; & ſi ſecetur baſilica dextra nullo alio ſuperueniente impedimento erit opportunum: Et ita vere, & autumno hoc fiet: præſeruabitur enim Nobiliſſ. Iuuenis ab hoc affectu: Pharmacia autem purgetur huiuſmodi corpus, & maximè inchoante vere, in autumno etiam.Etenim hoc anno & nobis vere adueniente,& ipſo quoque laborante purgatus eſt: Et quia ſumus arbitrati, neque vnam inſimul etiam cum altera ſufficere purgationem:ideo poſt primam purgationem, deuenimus iterum ad concoctionem materiæ, & decreuimus alteram purgationem facere, quod etiam fiet autumno ſuperueniente. Concoquatur materia cum iis, quæ attenuant, & quæ aduerſantur malignæ iſti materiæ, neque calefaciant nimis,ſicut verbi gratia hoc modo.

℞. *Syrupi de betonica* ℥ *j.*
Oxymellis S.
Mellis Roſ. ana. ℥ *S.*
Aquarum betonica,
Cichorei ana. ℥ *j. S.*

Miſc. Cum enim concocta fuerit materia, ita quod per vrinam integra eius appareat concoctio deueniatur ad euacuationem iſtius materiæ, cum iis quæ euacuant materiam iſtam mixtam ex materia phlegmatica, & cholerica cum certa aduſtione, vt verbi gratia cum iis pilulis:

℞ *Pilularum cochiarum cum elleb. aurearum ana.* ℈ *y.*

fiant pilulæ n.5.quas accipiat mane ſummo,dormiat per duas horas, ieiunet vſquequo pilulæ operatæ fuerint, & ita quieſcat, vel expurgetur cum iſto pharmaco.

℞ *Decoctionis Betonice,*
Fumoterræ ana. Q. S.
Cichorei,
Rhabarbari el.
Agarici præparati ana.drach. j. *S.*

nfundantur in ſupraſcripta decoct. Deinde exprimantur; cui expreſſioni adde,

Electuarij Diaphænicon ana. drach. ij. S.
Electuarij Indi,
Mellis Roſati ℥ *ij.*

Miſc. & f. potio, quam bibat mane ſummo, & dormiat per duas horas: tum vigilet, atque ieiunet vſque quo pharmacum fuerit operatum. Et hoc fiat vere, & autumno. Inſtantibus etiam intermediis temporibus, vtatur ſaltem ſingulis menſibus ℥ j. caſſiæ: Et ita mundificabitur corpus; & diuertetur materia, ne fluat vel ad illud crus, vel ad aliquam aliam partem, faciens dolorem, ſic & clyſteribus vehementioribus vtemur, vel ſi aliquando cauteria fiant: Sed ego ſum iſtius ſententiæ quod cauteria ſi fiant, hoc tempore non fiant. Sic de balneis, quod non ingrediatur balneum hoc tempore, ſed autumno ſi opus fuerit, & ingrediatur balnea & cauteria fiant. Alterabitur autem corpus, & membra ipſa malè affecta, altero iſtorum modorum,aut omnibus. In primis vtatur frequenter roborantibus ipſum ventriculum,& hepar,vnde poſt mundificationem corporis, ſi ipſe vtatur maioribus illis antidotis, quibus roborantur membra ipſa,& illa mala qualitas acquiſita tollitur, non erit malum, vt ſi vtatur Theriaca, vbi ipſa bona haberi poſſit;aut ſi ipſa Theriaca bona habeatur, quod arbitror futurum; non erit malum, ſi vtatur Mitridatho,quod hic ſatis bonum ſuperioribus annis parauimus. Modus autem vſus erit talis. Singulo mane accipiat ad quantitatem vnius drach. Et ſi caliditas ſit vehemens,admiſceat aliquid zucchari roſati, purà cum drach.vna Mitridathi admiſceat drach. duas Zuc. roſ. Et ex iſto mixto accipiat ſingulo mane drach. vnam ante cibum, per duas horas, aut quatuor. Si vtatur etiam interdum hoc Electuario,non erit malum.

℞ *Zucchari roſati* ℥ ij.
Pulueris ſcordei drach. j. *S.*
Specierum trium ſandalorum drach. j.

Cum ſyrupo roſ.f. electuarium, & exhibeantur ʒ ij. ſingulo manè:aut bibat de iſto ſyrupo mane. ℥ ij.ſyrup. de ſoncho inſimul cum aqua hordei vigente calore: & ita alterentur membra. Si interdũ vtatur,aut calamo aromatico condito in hyeme,& frigidiori tempore, aut conſerua ſaluiæ, aut roriſmarini, non erit malum,neque præter rationem,& ita vitabitur cauſa iſtius affectus. Tolletur autem morbus iam factus iſtu modo,vt reſ oluatur materia,quæ eſt in loco,deinde confortetur, & corroboretur locus. In primis vbi ſuperueniret inflammatio,ea quæ ſunt ſtiptica,& infrigidant. conuenirent, ſicut aliquando factum fuit,Oleum roſ.omphac.ſucci frigidioris,ſicut plantaginis,ſolani,lactucæ,& conſimilium;ſicut infrigidantia Gal. Sandalinum, vnguentum roſ. & conſimilia; ſicut etiam emplaſtra facta ex rebus ſtipticioribus,ſicut ex corticibus granatorum, ex balauſtiis,cum farina hordei,decoctis in vino ſtiptico & huiuſmodi,tandem ad reſoluentia deuenire,ſicut ad camomillam fabaceam, farinam & conſimilia, demum aſcendere ad ol.nardinuam,maſticinum,irinum, & conſimilia olea,quæ applicarentur, vt cum hoc quod reſoluerent, roborarent etiam ipſa membra.Vbi autem res vrgeret magis, deuenirent ad illud reſolutiuum Galeni 14.art.curat. vbi imponeretur aliquid maſticis & conſimil. Balnea vbi corpus erit mundatum,conuenirent,pro reſoluendo reſiduo ipſius materiæ,& pro confortando loco,ſicut prius fuit factum. Reſoluantur materiæ cum iſtis & corroboretur locus, ſicuti infuſione aquarum, & etiam cum foueis & ſuffumigiis; etiamſi in feruenti muſto imponantur crura, non erit malum. Cauteria autem, ſi quæ eſſent tentanda, vltimò tententur,& ſint in crure non læſo, etiam quod ego arbitror quod modicè indigebimus iſtis cauteriis, vbi

cætera

Digitized by Google

cætera rectè adminiſtrentur. De potu ligni indici non babebo ſermonem, quia vbi ſciam rem iſtam non habere ſoſpicionem morbi Gallici, parum, aut nihil confido de iſta aqua, & ita dimittatur.

Victus ſit vt abſtineat à quibuſcunque cacochymos humores generantibus, ſicut à porcina, à booina carne, vel agnina, à piſcibus, lacte, & caſeo, paſticiis quibuſcunoque, & fructibus. Vtatur ouis ſorbilibus carnibus vitulinis, pullorum, auium laudabilium, & conſimil. quieſcat à cibo per quatuor horas, aut quinque. Exerceat ſe decenti exercito, ab æſtate vitet literarum ſtudia, ſed ſpatietur, ſit ruri caueat repletiones, caueat à forti exercitio, iracundia; caueat ſolem, calidiorem aërem, & liberiorem victum: Vina poteotia & vinoſa vitet: atque iis & conſimilib. Deo ita volente, liberabitur.

CONSILIVM XII.

De frigida ventriculi intemperie, morbo Regio, &c.

NObil. Iuuenis D. Ioan. Baptiſta de Triſino Vicentinus, duplici morbo laborat, vno quidem ex intemperie frigida ventriculi pituitam congerente; altero verò in compoſitura, oppletione quidem in parte hepatis caua per quam fit in meatu, bilem citrinam ad ieiunũ deferente, obſtructio, ob quam etiam excrementa colore luteo priuata cernuntur: ad quæ ambo varia conſequi conſueuerunt accidentia: ex iis autem facile eſt diſcere qualis conueniat victus, quoniam opplentia omnia, piſces, paſtilia, lacticinia, animaliũ pedes, partes neruoſæ, ventres, capita, inteſtina, fructus dolciores, & horarij, res dulces, acuta, & inflammabilia, vina potentia, vina vinoſa, & craſſa omnia vitanda ſunt. Pro regimine vero medicinali, quoniam diebus elapſis, aquam bibit balneorum de Apano, per quam euacuatus eſt, & aquam de Calderio, vtile ei fore arbitror inſtante tempore anni calido, ſi vteretur Trochic. de roſ. min abſque ſcam. ſi etiam ſingula hebdomada ieiunus bis maſticet rhabarbari elect. drach. S. aut ipſius infuſi expreſſum bibat: Menſe autem Septembri diebus quinque continuis ſummo manè inſtaſcriptum ſumat ſyrupum.

℞. *Syr. de cic. com. Guliel. aut Nicol.*
De endiuia,
Aquarum Abſinthij ana ℥. j.
Eupatorij,
Capil. Vene.
Tichorei
M. ſc.

poſt ſyrupos accipere conuenit potionem iſtam.

℞. *Rhabarbar. el. d ach. j. S. aut duas,*
Spica gr. v.
Vini alb. Aromatici parum.
Decoctionis communis. Q. S.

fiat infuſio per diem, & facta expreſſione, adde
Electuarij diacatholicon ℥. S.
Succi roſarum puri ʒ. vi. M. ſc.

Puluis præterea illorum animal. quæ nos porcilliones appellamus: plurimum confert hepatis oppletionibus. His peractis conueniunt Troc. de rhabarbaro pluribus diebus ſumpti. Electuarium Dialaca. Electuarium etiam de vino, quod Galenus in lib. 8. 17. Tract. *Ciphoides* vocat; quod vt debitè conficiatur diligenti indiget examine; ipſius autem talis eſt compoſitio.

℞. Carniũ paſſularũ abiectis ſeminis. ʒ. 25. quo loco aduertendum eſt, quod paſſulæ apud Galenũ ſunt vua quam nos *cibibum* appellamus, cuius Galenus ingentem copiã apud Græcos exiſtere dixit. Croci drach. j. &c.

Extat & ad has diſpoſitiones electuarium hoc perutile.

℞. mellis optimi lib. iij.

ponatur in vaſe lapideo ad bulliendum, & deſpumetur, imponanturque

Saluia trita, Roriſmarini triti ana ℥. ij. — *Troc. Cyphoes apud Gal. 8 de Med. ſecundum loc.*

poſt ℞. Aëris, *ſeu Azzali fini limati drach. j.*
Gingiberis,
Nucis muſcata ana ʒ. ij.
Gariofilorum,
Cinnamomi
Miſc & cum pane trita f. Electuarium.

Cuius vſus magis conuenit tempore hyemis.

His non conferentibus, eumq; ad priſtinam valetudinem non deducentibus, vtile fore arbitror, vt aquam bibat baln. della Porreta, menſe Auguſti.

Hæc pauca ipſum ſanatura arbitror, Ideo ab aliis quàm pluribus enarrandis ſuperſedeo.

Nolo tamen prætetire remediũ ſingulare mihi à fide digno nuper relatũ, vt accipiatur herba, quæ à Galeno dicitur. *Aſplenon*, à Latinis vero *Citrach* & *Scolopendria*, & vulgo *herba d'oro*. quæ bulliat in aqua donec deueniat ad colorem aureum; de qua decoct. Patiens ſingulis diebus ſumat ℥ iiij inquit enim Dioſcor. quòd morbum regium ſedet.

CONSILIVM XIII.

De Epilepſia.

REuerendiſſimus Epiſcopus Aprutinus anno ætatis xlviij. Compl. ſanguineę, x. Auguſti Veronam petens, cum pranſus eſſet diuerſa, & varia cibaria & preter ordiné à veteribus laudatum, in fine mẽſæ tres vuarum racemos comediſſet, ſtatim iter arripuit, maximéq. calidiori tempore diei, per horam poſt meridiem. Vnde ſol propter directum ipſius ad capita noſtra aſpectum, & longiorem moram, caliditatem maiorem imprimit. Tunc circa caput calorem quendam ad partes inferiores percurrentem paſſus eſt, & ſtatim exterioribus amiſſis virtutibus ex equo cecidit, ſed breuiſſimo interuallo ſenſum motumque recuperauit, nondum tamen in totum refocillata animæ vi, ſimilem denuo ſenſit in membris conturbationem, abſque tamen animi deliquio, neque verò bis ſolùm, & ter, ſed xx. numerum attinxit; Cibum euomit & tunc capitis dolor, & præcordiorum illum infeſtare non deſtitit: quaſi conſimiles caſus paſſus eſt diuerſis temporibus vno addito, quod aliquando egeſtionem emiſit, aliquando etiam dolor capitis, dorſi, crurumque pariter, & anhelitus difficultas, per aliquod tempus poſt illum infeſtarunt, præcipuè in aſcenſu ſcalarum, & vſque nunc non dereliquit S. D. Hanc igitur diſpoſitionem ſui Excellentiſſimi Medici animi defectionem nuncuparunt: Sed quia apud priſcos Autores in multis ægritudinib. animi defectio deprehenditur, ideo operæpretium videtur inueſtigare in quo capitulo reponatur id quod S. D. affligit. Reperio in antiquorũ libris ſenſum motumque amitti in apoleplia, lethargo, ſubet, cõgelatione, præfocatione matricis, forti ſyncope, & epilepſia: inſurgit modo labor inueſtigandi, quæ iſtarum ſit affligens S. D. Primò ergo apparet nullo pacto apoplexiam eſſe poſſe, nam aut eſſet fortis, aut debilis, ſi fortis, iam interfeciſſet, ſi debilis, deſiiſſet in paralyſim, quæ ratio ſumitur ab Hipp. 2 *Aph.* 41. ſed neque plures paroxyſmos habet Apopl. hæc autem multos habet, quare &c. Neque imaginandum eſt eſſe lethargum, cum nullum adſit cerebri apoſtema, neque lenta febris,

Digitized by Google

& continuá, nulla etiam in memoratiua læſio deprehenditur, vel ante, vel poſt paroxyſmum, & ſolutionem ab eo, quare &c. Inſuper, nulla aut motus, aut ſenſus priuatio accidit, niſi poſt diuturnum ſomnum, & cum magna cerebri permutatione, quare, &c. Congelatio oculos apertos tenet, & fixa remanet, totius eorum corporis, & membrorum figura. Minùs etiam iudicamus fortem eſſe ſyncopem, cum in pulſu grandis non fiat permutatio, neque extrema fiant frigida, ſicuti neque faciei coloris, & totius corporis conuerſio apparet ſimilis colori mortuorum, Neque cordis pulſus, aut motus tremulus, &c. Reliquum igitur eſt, vt probemus diſpoſitionem hanc eſſe, vel epilepſiam, vel modum eius, cum proprium epilepſiæ ſit, ſenſum, motumque auferre, vt legitur in Autorum ſcriptis, & maximè Aui. dicentis, *Epilepſia eſt ægritudo prohibens membra animata ab omnibus operibus, ſenſus, & motus*; quod ſi nobis conceſſum fuerit hanc definitionem diſpoſitioni S. D. accommodare, veri compores facti erimus, Primò, nemini dubium eſt, ipſam eſſe ægritudinem, cum noceat operationibus, vt habetur 2. *de accid. cap.* 2. & 2. *de criſ. cap.* 12. Eſtque ægritudo complexionalis, & compoſitionalis, prohibetque membra animata ab operationibus ſenſus, & motus. Sed forſitan his aliquis perturbabitur, cum videantur expreſſe dictis Galeni contraria, & experientiæ, nam Galenus *Inter.* 3. *cap.* 7. negat in epileptico auferri ſenſum, & motum. Sed notandum epilepticos dubio procul non ſentire, nam ſi cadant in ignem, non ſentientes comburentur; ſi ergo aufertur ſenſus, neceſſariò etiam aufertur motus: cum motus ſit quędam actio, ſenſus verò paſſio, vt habetur 4. *de accid. cap.* 3. & maiorem omninò requirat ipſe motus virtutem; quod ſi aliquando epileptici mouentur, dicimus tunc illos moueri motu ſpaſmoſo, non tamen propterea ſentire, vt colligitur 4. *Inter. cap.* 2. & apparet in cadentibus in ignem; qui quidem motus eſt motus ægritudinalis, non naturalis. Erit igitur ſpaſmus proueniens non à ſiccitate, neque enim eſſet paroxyſmalis, neque tam citò veniret, vel recederet, Galenus 3. *Inter.* 7. & Auicennam *prima* 3. ſed vel à repletione, vel à cauſa contrahente, quas duas cauſas enumerauit Auicenna cum dixit; *Reſtat quidem, vt cuius cauſa ſit, aut contractio cerebri ad expellendam rem impedientem, quæ eſt, aut vapor, aut qualitas mordicatiua* &c.) Ex quibus duæ habentur cauſæ epilepſiæ; vna, à qua cerebrum contrahitur, & refugit nocumento percepto, vt apparet in S. D. & eſt ventoſitas; Altera, quæ eſt humor, vel vapor cauſans oppilationem non integram, & ſpaſmum in ventriculis cerebri, & principiis originis neruorum: Expulſio verò non completur, & perficitur, niſi contractione, & expreſſione: in caſu autem noſtro iudicamus ventoſitatem propter malam qualitatem in ea exiſtentem, cauſam eſſe, quare contrahatur cerebrū, & quia eſt ventoſitas groſſa, ideo etiam oppilat, quare, &c.

Quoniam verò huiuſmodi epilepſia poteſt habere cauſas primitiuas, antecedentes, & coniunctas; oportet primò videre cauſas primitiuas. Inter quas connumeratur ab Auicenna permutatio ad aërem excedentis qualitatis in calore, vel frigore, & maximè repente facta: Vnde forſitan aëris exceſſiua caliditas, cauſa fuit primitiua, attrahendo materia ad ipſum caput, aut faciendo, euaporare eas exiſtentes in membris inferioribus, ſicut etiam motus fortis, aut exercitium forte, ſuper repletionem, vt contigit in S. D. immediatè, cibo aſſumpto, equitante. Poteſt etiam aſſignari cauſa, vna illa poſt cibum comeſta, cum fructus dulces & cito corruptibiles inter cauſas primitiua connumerentur. Cauſam antecedentem ponunt Autores eſſe poſſe omnem humorem, tamen phlegma principatum obtinet, cum multum, groſſum, viſcoſumque ſit aptius, vt ab illo eleuetur ventoſitas groſſa, quæ vel contractionem in ipſo cerebro, vel in ventriculis eius & origine neruorum oppilationem cauſet: Et licet vel humor, vel vapor, vel ventoſitas cauſa coniuncta ponatur, iudico tamen ego in caſu S. D. vaporem vel ventoſitatem cauſam eſſe coniunctam, & non in ipſo cerebro genitam, ſed in ſtomacho, & aliis membris, & ab eis eleuatam cerebrum petere, ſuaque mala qualitate ipſum lædere, quo fit, vt cerebrū contrahatur ab illa fugiens, quæ ſua groſſitie in eo ponit oppilationem. Eſt hæc ſententia Auic. cum dixit prima tertia, *aut per ventum groſſum retentum in tranſitibus ſpiritus*, & adducit auctoritatem Ariſtot. & infrà, Cum, *epilepſia eſt in ipſo cerebro, tunc cauſa in ipſo eſt materia faciens ventoſitatem retentam in meatibus ſenſus, & motus*; ſed clarius infrà dixit in noſtro propoſito: *Epilepſia autem, cuius cauſa eſt in morbo aliquo, fit, aut quia eleuantur ab ipſo ad cerebrum vapores, & ventoſitates lædentes quantitate ſua. &c.* Quod autem ſit ventoſitas, ex hoc deducitur, quòd citò aduenit citóque recedit, & facilè reſoluitur, neque grauitatem ponit in capite, neque D. S. extra paroxyſmum aliquid nocumenti percipit, neque apparet materiarum exuberantia, neque earum effuſio. Quare ex his breuiter concludimus pati à ventoſitate per communicantiam à ſtomacho, & aliis membris. Sed aliquis dicere poſſet. Rhaſ. 9. *ad Alm.* Auer. 3. *col.* & alij, ponunt epilept. in terram cadere, cum ergo ſua Dominatio multoties in paroxyſmis minimè cadat, videretur epilepſiam non pati. Dicimus hunc morbum habere diuerſos gradus in malitia, & ita aliqui cadunt, aliqui non: & ita in propoſito, etiam S. D. patitur vehementiorem, & minus vehementem paroxyſmum ſecundùm ſuæ cauſæ fortitudinem, & debilitatem. Præterea in epileptico apparet ſpuma, vt ponunt Auic. Rhaſ. Aliab. & cæteri, ſed in eo minimè apparet, ergo &c. Dicimus nos cum Gal. *de Iuuamento anhelitus*, non in omni epileptico ſpumam generari, ſed in eo ſolùm, in quo fit motus violentus, vt etiam dixit Auicen. *cap. proprio.* Et ſi quis diceret, tu ponis materiam à qua eleuatur hæc ventoſitas, phlegma quod eſt frigidius quàm ſit in corpore noſtro, vt paſſim Galenus & cæteri, quare ergo ſentit illam caliditatem in capite? Credimus propter agitationem, vel putrefactionem illud fieri. Sed quare dum aſcendit ad caput, non percipit eum calidum? forte quia paulatim aſcendit, propterea nocumentum non infert. Vnde eſt ipſum aliquando pati vomitum, & egeſtionem? Credimus vomitum cauſari ex percepto nocumento à natura merito quantitatis, aut qualitatis materiæ, aut vtriuſque; nam cum materia virtutem ſenſitiuam offendit, tunc inſurgit regitiua totius imperans virtuti expulſiuæ, vt huiuſmodi materiam expellat per vomitum: patitur etiam quandoque egeſtionem propter virtutis contentiuæ debilitatem, vel quia materia, quæ quieta erat agitatur, & mouetur, & in tali motu læſionem infert, quod elicitur ex 5. *de Accid. ca.* 5. 4. *de tuend. ſan.* & 2. *de criſ.* & tunc inſurgit virtus expulſiua ad egeſtionem per aluum: Aut quia epilepſia eſt ſpaſmus vniuerſi

corporis,

corporis, 3. *Im. cap 7.* Ideo muſculi ani ſpaſmantur, vnde ſequitur fluxus egeſtionis. Sèd cur rediit paroxiſmus per plures vices? Dicimus id proueniſſe merito multæ quantitatis ventoſitatis, quæ non tota mouebatur ſimul, ſed per partes. Et ſicut per partes mouebatur, ita per partes, aut reſoluebatur, aut expellebatur. Remanſit aliquando dolor capitis, aut propter malam complexionem calidam accidentalem in eo genitam, aut propter extenſionem à ventoſitate cauſatam, ex qua continui ſolutio in panniculis cerebri, aut alibi inducta eſt, aut propter vtramque; nam hæ ponuntur cauſæ doloris: 2. *inter. cap. 5. de ingen. cap. 7. & alibi* quamuis alij ponunt ſolùm continuitatis ſolutionem.

Crurum doloris cauſam recitatam ab Ariſt. 5. *probl. vltimo*, aſſignamus motum violentum, & contra naturam, nam aſcendere repugnat graui. Difficultatem anhelitus prouenire credimus, quia in tali labore materia agitatur, & tunc ventoſatur, & replet partes pectoris, quare pulmo, & alia membra debitè dilatari non poſſunt, vndè frequentia pro magnitudine ſatisfacit. Patitur ſæpè incubus, vt apparet ex ſententia Princ. & Auer. 3. *Col.* nam dormiens videtur ſuffocari à pondere aliquo, & motus totius corporis auferri; & hanc ſententiam poſuit Rhaſ. 1. *cont.* dicens; *Cum aduenit hic morbus ſentit patiens rem ponderoſam ſupra ſe grauantem, & comprimentem ipſum & videtur ſtrangulare eum, & non poteſt clamare, à quo tamen citò excitatur quia, citò exoppilatio fit cum dependeat à materia vaporoſa citò reſolubili, quæ tamen eleuatur maximè à phlegmate.* Aliqui autem dixerunt hoc prouenire ex nimia repletione cibi & potus; quoniam ſtomachus nimis repletus comprimit diaphragma, quo compreſſo pulmo comprimitur, pariter & cor: aut ſit quia ventus, qui pulmonis, & cerebri anfractus inhabitare dicitur, cumulatior factus à calore vini, vel ſanguinis vel abundantia choleræ non habet exitum naturalem per os, & nares, ſed præcluſus per fiſtulas pulmonis rediens ſupra cor ipſum comprimit, vndè ex tali paſſione totum corpus comprimi videtur: Aliquando etiam fit ex indigeſtione, fumoſitas enim groſſa à crudis reſoluta cibariis aſcendens ad pulmonem, replet eum, quare cor comprimit, illud à proprio motu impedit, cuius impedimento totum corpus motu priuatur, quia radix, à qua principaliter motus procedit, grauatur, & opprimitur, vndè ab exterioribus ad interiora ad ſe ſpiritus trahit, & fumoſitas illa groſſa loco ſpirituum, neruos intrans oppilat, cuius oppilatione ſpiritus vegetabilis ad membra decurrens, retinetur, non habens tranſitum, vndè retro currit, & membra deſtituit, quare à motu ipſo deſtituuntur. Fit etiam incubus ex groſſis & indigeſtis humoribus, quorum pars tenuior & leuior in groſſam ventoſitatem à calore debili reſoluta, per corpus effuſa, neruos motiuos irrigat, & aggrauat, pars autem ad phanthaſiam aſcendens, imaginem corporum diuerſorum ſecundùm humoris diuerſitatem format, vndè aliqui opprimi videntur, & ſuffocari, vt loqui non valeant; Alij timent & clamant à Dæmonibus ſe opprimi, vel à beſtiis: materiam autem ipſius atque epilepſiæ, vnam eandemque eſſe poſuit Galenus 2. Aph. 45. Quare caueat S. D. à ſomno, ſuper repletione cibi, & potus, quia tunc aſcendunt multi vapores groſſi, & fumi ad cerebrum, vndè non poſſunt ſpiritus deſcendere ad inferiora membra, & vt plurimum antecedit epilepſiam. Accidit autem minus in vigilia, quàm in ſomno, quia in vigilia ſunt pori aperti, & vapores plus ſubtiliati, & à calore naturali reſoluti. Et hæc ſufficiant.

Regimen autem diuiditur in duas partes, prima erit circa ſex res non naturales; ſecunda circa medicinalia; vtrumque tamen erit præſeruatiuum, nam curatiuum excellentiſſimis Medicis relinquo. Dico ergo teſte Aliab *pract. cap.* 1. quòd noſtra corpora alterantur, mutanturque ſæpiùs, quod prouenit ex occurſu ſex rerum non naturalium, ſine quarum applicatione corpus humanum nec eſſe, nec perſiſtere poteſt, quæ ſunt Aër, cibus, &c. quæ omnia quàm breuiſſimè potero, tangam, principium ſumens ab ipſo Aëre, cum ſit ille, qui nos alterat, ſicut medicina 3. *de ingenio cap.* 8. quem, velimus, nolimus, inſpiramus per nares & os, imò dixit Galenus *cap.* 3. eiuſdem, quòd alias quidem materias eligere, & fugere poſſumus, illam autem quæ eſt ex continente nos aëre, fugere non poſſumus. Eligat ergo aërem mundum vergentem ad ſiccitatem, temperatum in actiuis, nam Galenus in lib. *de morb infant* à quo accepit Rhaſ. 1. *cont.* dixit, *caueat à forti frigore, & calore, & fortibus ventis.* Idem dixit Auic. & multum confert mutare aërem, dummodo ad ſiccum declinet, longè à lacubus & aquis immundis, priuatum fumo, & maximè ex carbonibus, nebula, puluere, fœtore, ac radiis lunæ, & ſolis, & odoribus aromatum, fortibus ſonis, & ſtrepitibus, fugiat aſpicere, quæ in gyrum vertuntur, loca profunda, res multùm ſplendentes, & multùm obſcura loca: Caueat iram, triſtitiam, & omnia, quæ mouentur forti motu, quia paroxiſmum ſuperuenire faciunt, & digeſtionem fieri prohibent; ſecundùm Auicennæ ſententiam, 3. *Primò Tract. Doct. cap.* 7. vbi dixit, *Accidentia animæ horribilia, & motus corporis fortes digeſtionem fieri prohibent*, quod dictum prius dixerat; Galenus 1. *de Reg. San. & 3. Tegn.* Cum dixit: *Ab ipſis abſtinere manifeſtum eſt, omnes enim animi affectus immoderati alterant, & permutant corpora ab ea quæ eſt ſecundum naturam conſiſtentia*, & paulo infra, *omnes animæ paſſiones corpus exſiccant.* Exercitio vtatur temperato ante cibum, cuius vtilitates deſcripſit Fulgentius hunc in modum; *Exercitium eſt humanæ vitæ conſeruatio, dominantis naturæ ſuperfluitatum conſumptio, virtutum roboratio, temporis lucrum, ocio inimicum, iuuentutis debitum ſenectutis gaudium*, &c. Quæ omnia enumerat Galen. in libro *de exercitio paruæ ſphær.* & in libro *de aſſuet.* Et Hippocrates in libro *de Aër. & Aq.* dixit, *Exercitium laboris tolerantiam præſtat*; quod idem confirmauit Auer. 6. *Coll.* & Auicenna 3. *primæ Doct. ſecunda cap.* 1. dixit, *Exercitium eſt id quo calor naturalis reuocatur, & corpori leuitatis confert vſum, ipſum namque dilatari ſubtilem, vel expandi facit calorem, & quod ex ſuperfluitatibus congregatur, quaque die diſſoluit.* Et Galenus libro *de Euch. & cach. cap.* 3. *Maximum eſt malum ad ſanitatis cuſtodiam quies corporis ſicut maximum bonum eſt moderata motio, neque ægrotabit debitè diætatus & exercitatus*, & 1. *reg ſan.* dixit, *Exercitium ſoluit, & euacuat per poros ſuperfluitates, quare ipſum laudo ſummopere; Et quanta iuuamenta affert exercitium, tanta nocumenta adducit quies, & ocium*: & propterea cecinit Poëta, *Ocia nullus amet, niſi ſint coniuncta labori: Nam nimia requie mortificatur Homo.* Item, *Cernis vt ignauum corrumpit inertia corpus*: Auicenna cant. libro dixit, *quiete infrigidatur calor, ſicut & flamma fumo extinguitur*; Et propter hoc dixerunt Iſaac de diæt. vniuerſ. *Nil inimicabilius regendæ ſanitati exiſtit quàm otioſitas, & quies.* Ante exercitium tamen expurgandæ ſunt ſuperfluitates communes, ſicut iubet Auic. 3. *p. Doct. ſecunda cap.* 3. ſic dicens, *Oportet vt qui exercitatur, ſuperfluitates prius ab interioribus expellat,*

De Ven eris

expellat , deinde ſe exerceat. quam ſententiam prius poſuit Galenus *ſecundo Regim. Sanit.* Hora autem exercitandi non ſit neque tempore repletionis, neque inanitionis,vt habetur ab Auicenna 3 *p.Doct.2. cap.7.* dicente, *Illico poſt comeſtionem non eſt dormiendum,& cibo natante,à forti motu, quantum plus poſſibile eſt,abſtinendum*:& reddit rationem ſui dicti, *ne cibus antequam digeratur,penetret,aut ſine digeſtione labatur,aut propter inundationem corrumpatur*; & Doct. quinta, capitulo ſecundo loquens de Equitatione dixit : *Amplius equitare non debet quis plenus, ne cibus corrumpatur*:quod clariùs declarauit Galenus *ſecundo Reg.San.& in libro de Euch.*dicens,*Cum hoc tamen intelligatur quod nemo vllo moueatur motu forti ſuper cibum,quia ſicut eſt maximum bonum ad ſanitatem exercitium ante cibum, ita nociuiſſimus omnis motus ſupra cibum.* Diſtribuitur enim ex ventre cibus antequàm digeratur, & exinde multitudo crudorum humorum aggregatur ſecundùm venas, ex quibus aſſueuerunt ægritudines omni modo fieri. Sciat tamen S.D. quòd motum leuem ſupra cibum concedunt Medici vt Auic.*3.p.Doct.2.capit.7.* Pariter neque hora inanitionis exercitandum eſt corpus,vt dixit Hippo.2. Aph.xvi. *vbi indigentia, non oportet laborare*;Et Galenus *in com.& 3.Tegn.*confirmauit. & Auicen.3. primi. Hora ergo exercitij erit poſt primam,& ſecundum celebratam digeſtionem, vt appellatur apud Auicen 3.p.oportetque vt in hora exercitij corpus ſit mundum, & cibus iam ſit digeſtus in ſtomacho, hepate, & venis, ita vt alterius cibi hora iam aduenerit, quod idem confirmauit Auer.*com.44.cant.*& Galenus 2.*Reg.San.*Et talis hora cognoſcitur ex colore vrinæ , vt benè declarauit Auic.3.*primi Doct.2. cap.3.*& Galenos vt ſuprà,dicens : *Cum vrina moderatè citrina fuerit, ſignificat, tunc factam eſſe ſecundam digeſtionem, & tunc exercitandum*:exercitium autem ſit in quo omnes partes laborant,vt dixit Galenus in libro *de exercitio parua Sphara*,& 3.*Tegn. Tex.Com.*59. Exercitij autem oportet vt eligatur ſpecies, in qua moueantur omnia membra corporis ſecundùm proportionem, & non laboret eorum aliquod plus,& aliquod minus,quod confirmauit 2.*Reg.San.*Amplius, nõ ſit immoderatum exercitium,quia Auicenna *text.Com.145.Cant.* dixit, *immoderatum exercitium propriè dicitur labor, qui quidem ſpiritum euacuat , & educit, & macerat pingues,& carnoſos,& facit corpus ſeneſcere ante etatem ſenectutis*:& ratio aſſignatur à Galeno 3.Regim. San.dum dixit,*Ex immoderato motu, nil relinquitur in corpore,niſi ſiccitas*: & in 5.dixit: *Acuta exercitia, quorum motus ſunt veloces, attenuant corpus:* ſit ergo moderatum exercitium,quod laudat Aliab.5.*Theor. cap.1.* Terminum exercitij poſuit Rhaſ.4 *ad Alm. cap.2 tamdiu nemo præſumat,donec fatigationem ſentiat, & multam grauedinem, ſed cum ex eo laxari ſe ſenſerit, ipſo dimiſſo, ſtatim antequam aliqua inde ſequatur læſio , quieſcat* , quod priùs dixit Hippo.2. Aph.48. vbi dixit : *In omni motione corporis cum cœperit quis dolere, quieſcere ſtatim remedio eſt*, quod confirmauit Galenus 3. Tegn.& in lib.*de exerc.parua ſphara.*Sciat præterea S. D. quod poſt exercitium illico non eſt aſſumendus cibus, vt dixit Ariſt.5. *Problem.*28.& caſum poſuit,*quoniam adhuc non quieuit laborans,neque ſegregatæ ſunt ſuperfluitates.* Quieſcendum igitur erit aliquantiſper poſt exercitium,vt calor naturalis paulatim ad intrinſeca retrocedat,poſtea ſecurè comedendum ac bibendum erit,dummodo poſt motum cibi boni aſſumantur, dicente Gal. 3. *Reg. San. Omnes laborioſi euchymo indigent cibo.*

Modò dicendum eſt de ſomni quantitate,& qualitate, nam moderatus multa bona producit in corpore,immoderatus autem in ſua quantitate,& qualitate multa mala ſecum adducit.Et propter hoc Aliab.5. *Theor.*35. loquens de ſomni vtilitate dixit : *Moderata ſomni quantitas cibos digerit , corpus ſpiſſat,laborem ſoluit,animam confortat,calorque augetur naturalis, humores boni ſiunt , membra creat extenſa, mentem clarificat, cogitationem emendat , & viſum,* quas eaſdem, & maiores laudes ſomno attribuit Auicenna *ſecunda pri. Doct.2. cap.13. & in Doct.3. ſumma de pulſ. ca.12. & 13.p. Doct.ca.9.* & Gal.6. *Terap.& 4.Reg.San.*Contra verò grandia nocumenta affert ſõnus immoderatus,vt benè notauit Aliab. 5.*Theor.cap* 35.dicens: *Somnus excedens in temperis quantitate multum nocet , quoniam virtutes enervat animales,ac debilitat corpus, refrigerat & humectat, atque in eo phlegma augmentat* &c. quæ omnia confirmauit Auic.2.1. *Doct.2. cap.12.* & alibi pluries. Somnus ergo ſit moderatus nõ excedens ſeptimam, aut ad plus octauam horam, capite eleuato non reſupinè,quia Rhaſ.55.Cont.cap.3.dixit.*Dormitio facta ſupinè ſuper dorſum conſeruat ſuperfluitates eius in ventriculis cerebri* : Ideò non debet ſomnus abundans ſequi dormiendo ſupinè,ſuper dórſum. Laborans apoplexia,aut ſi paratus fuerit pati epilepſiam; benè &conuenienter ſit coopertus. Neque immediatè cibo aſſumpto, ſed ad minus per duas horas poſt dormiat, imò Auicenna iuſſit , vt ſomnus incipiat poſtquam cibus deſcenderit à ſtomacho , vt appellat 3.p. cum ait : *Melior ſomnus eſt ille , qui prouenit poſtquàm cibus à ſuperiore ventre deſcenderit, & poſt quietem eius* : & infra, *ſuper replotionem dormire , malum eſt antequam à ſuperiore ventre fiat deſcenſus* , & clariùs Rhaſ ad Alm.4.cap.3.*oportet tandiu poſt comeſtionem aliquis ſe à ſomno abſtineat,donec cibus ab ore ventriculi deſcendiſſe videatur.* quod idem Galenus *de diſſol.Cont.* Obſeruandum eſt præterea, ne dormiat in meridie, niſi conſuetudo contradixerit,& propter hoc dixit Auicenna vbi ſupra *in die dormire malum eſt*, generat enim ægritudines humectantes, & reumatiſmos,& calorem corrumpit, & generat ſplenem , & laxat neruos, & efficit pigritiam & debilitat deſiderium , & generat apoſtemata & febres frequenter : verum eſt , quod ſeruanda eſt conſuetudo quare cum S.D. ſit aſſueta parum dormire , dormiat capite eleuato , & ſpatio ſatis breui. Sciat præterea S. D. non minus nocere ſuperfluam vigiliam , dicente Auicenna 2. parte Doct. ſecunda cap.13. *Cum vigiliæ ſunt multæ, complexionem corrumpunt cerebri , aliquo ſiccitatis modo, & debilitant ipſum, & commiſcent rationem, & adurunt humores , & ægritudines faciunt acutas*, & parte 3. Doct.5. cap.11. *Superfluitas vigiliarum ſpiritum debilitat, & reſoluit,& vaporibus cerebrum implet.*Et Gal.7.*Ther. & com.6.2. Reg.ac.* hoc item poſuit;& Hippocrates 2.Aph.3. *Somnus & vigilia malum vtrumque* , &c. Procuret in mane habere beneficium ventris, natura, vel arte, mundificare caput per os, nares,& aures, pectinare & fricare ipſum. Accedo autem ad alia , quemadmodum lampadis flamma continuè oleum, vel ceram, conſumit, vt diutius ſe conſeruet,& ſe reddat quamuis non poſſit, immortalem,ita & calor naturalis,qui in nobis extat,inceſſanter in membra,&, corporis humiditates operatur; Et ſicut deficiente materia ipſum licinium breui tempore ſe ipſum comburit,& conſumit, & conſequenter extinguitur, ſic & noſtra caliditas, poſtquàm humidum nutriens conſumptum fuerit,partes corporis arefacit , & ſic eſt cauſa extinguendi ſeipſum accidentaliter,propterea quod ſuam conſumit materiam, vt declarauit Auicen , *tertia parte capa.* neceſſe eſt igitur volentes hunc calorem naturalem,

&

& vitam conſeruare, vt nunquam eum ſine pabulo, aut nutrimento relinquas, quoniam ſine alimento priuato non poteſt Animal diu durare, vt deducit Ariſt. 2. *de Anima.* & Galen. 1. *de Alim. capit.* 2. cum dixit: *Sine alimento non eſt poſſibile viuere, nec ſanos, nec ægros: quare fuit neceſſarium aliquid inuenire, quod id quod diſſolutum eſt, reſtauret; Hoc autem ſunt cibus & potus*, vt probant Auic. *Doct.* 3. *ſertij Tract.* 2. *capit.* 7. cum dixit: *Neceſſitas tibi eſt, vt ſuppleat locum eius quod reſoluitur.* Antequam autem deſcribam idonea in particulari, mihi viſum eſt, primò ponere quoſdam generales canooes ex mente auctorum extractos; quorum primus eſt: Non aſſumat S D. cibum, niſi deſiderium inſurrexerit, nam Auic. 3. *prima Doct.* 2. *capit.* 7. dixit: *Hora ſumendi cibum eſt poſt deſiderium, & naturalem appetitum*: quod idem docuit Auer. vltimo cap. ſui libri. Neque in hoc tardet multum, quoniam tolerare famem ſtomachum putridis replet humoribus, vt cecinit Auicenna vbi ſuprà, & Galen. 2. *virt. natural.* & 1. *de Aliment. capit.* 2. Et Aliab. 1. *pract. capit.* 7. & 8. Quantum autem nocumentum afferat aſſumere cibum ſupra cibum, qui non ſit digeſtus, declarat Auicenna vbi ſupra cum dixit: *Quid enim deterius eſt, quam ſumere cibum ſupra cibum, qui non eſt digeſtus?* quod idem confirmauit 14. 3. *Tract.* 1. *capit.* 19. & Auer. loco citato: *Cibi autem quantitas ſit, qua non aggrauet ſtomachum*, quod ſumitur ab Aliab. 1. *pract.* 6. & 7. *de Ingen. capit.* 6. & ab Auicenna vbi ſupra cum dixit: *Nullus eſt ita replendus, vt non ſit ſibi locus*, &c. reliquiis deſiderij adhuc in anima remanentibus; Et Aliab. reddit cauſam, cum dixit, *nam ſi peccabis in hoc, generabitur in corpore ſanguis illaudabilis, & implebit venas humor iniquus.* Circa ordinem verò, maxima adhibenda eſt diligentia præponendo quæ præponenda ſunt, &c. Vnde Aliab. 1. *Pract. capit.* 6. *Oportet hominem præponere cibos facile deſcendentes de ſtomacho, illis qui morantur, vt cibus citò deſcendens moranti viam faciat, ſicuti ſunt Melones, Perſica; vua, & iis ſimilia.* Et propterea errauit S. D. comedendo vuas poſt alios, pariter, & olera ante carnes ſumi debent, vt ſenſit Galen. 2. *de Alim. capit.* 10. & 18. & *in de diſſol. Cont.* Similiter cibus groſſior præponatur ſubtiliori, quando ſumpta fuerint nutrimenta cibationis gratia, & non medicinæ; Et ita intelligitur Aliab. loco vt ſupra cum dixit. *Cibus groſſus non citò digeſtibilis præcedat citò digeſtibilem, & ſubtilem*, &c. nam in fundo ſtomachi viget digeſtio, cum ſit calidior propter multam carnem ibi exiſtentem. Fugiat, quantum poteſt cibaria diuerſa, quoniam diuerſitas, & pluralitas ciborum, non ſolùm non digeritur, ſed ſtomacho, vt in pluribus corrumpitur, & in prauos, & prænecantes humores conuerti conſueuit; corruptio autem digeſtionis eſt ægritudinum, & chronicarum infirmitatum origo, vt dixit Auicenna 13. 3. *Tract. capit.* x. quod conſiderans ſapientiſſ. Salomon Eccleſ. capit. 37. dixit, *noli auidus eſſe in omni epulatione. Et non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas*: vnde Lucanus, *ô prodiga rerum luxuries paruo nunquam gaudere paratu. Et quæſitorum terra marique ciborum, ambitioſa fames & lauta gloria menſa, diſcite quàm paruo liceat producere vitam*: quam ſententiam primo poſuit Galen. 3. *Reg. ac Com.* 37. Auicenna 3. *parte Doct. ſecunda capit.* 7. cum dixit: *Nil deterius, quam diuerſa à duabus impediunt partibus. Vna earum eſt, propter diuerſitatem eorum in digerendo, & quoniam quod ex eis eſt digeſtum, ei admiſcetur, quod non eſt digeſtum; Et ſecunda, quoniam aliquis quis poteſt plus comedere ex pluribus quàm ex vno cibario.* Cibi ergo eligendi ſunt, qui bonum, & laudabilem ſanguinem ſolent generare, & qui ſunt delectabiles, vt ſunt vinum odoriferum, ouorum vitelli, aqua carnis; & ſimilia nutrientia. Medicinalia ſunt ab hoc longinqua; vt apparet apud Auicennam vbi ſupra & Galenum in lib. de Euch. &c.

Viſis vniuerſalibus circa refectionem attendendis, nunc ad particularia deſcendere intendo, & primò de Pane dicam, quia vt habet Aueſ. 5. *Coll. cap.* 31. *eſt melior cibus homini, omnibus aliis ex terra naſcentibus*: Et Iſaac de diæt. part. cap. 1. *Panis præcipuus eſt cibus ad humani corporis nutrimentum, & eius complexioni ſimilis*: Et quamuis ex multis aliis fiat panis, nos tamen de pane tritici, tanquàm homini conuenientiori, ſcribemus: Panis ergo ſit ex frumento leui, frangibili, naro in terra mediocri, temperie medio; farina ſit mollis, & perfectè trita, & tota æqualis, non diſtans à tempore molitionis: Panis aliquid habeat furfuris, ſit bene fermentatus, mediocriter ſalitus, & coctus: non ſit calidus, antiquus, abiiciatur cortex, & ea pars maximè, quæ vſtulata eſt, quæ omnia accepta ſunt ab Auicenna 2. *Can.* & Galen. 1. *de Alim.*

Secundò dicendum eſt de carne, quæ eſt cibus corpus confortans, & propinquæ conuerſionis ad ſanguinem, 1. *Alim. cap.* 1. Melior itaque caro eſt recens, domeſtica, quamuis Iſaac excipiet capreolinam, partis dextræ maſculina, excepta hœdina, quæ melior eſt fœmina, circa oſſa media; inter pinguem & macram, exercitata, partis anterioris potius quam poſterioris, & Auium melior eſt quàm terreſtrium, præter Aquatiles. Et quamuis multæ ſint carnes laudabilem ſanguinem generantes, non tamen omnes ſcribam, ſed eas tantum, quæ noſtro propoſito ſunt appropriatæ. Eligantur itaque carnes ſturnorum, coturnicis, turturis, perdicis, faſiani, & Auium in dumetis degentium, vt turdi, merulæ, & ſimil. Ex domeſticis carnes gallinarum, caponum iuuenum, pullorum non valde paruorum, pipionum columbariæ, volare incipientium, licet dicantur ab Auic. 13. tertij, eſſe difficilis concoctionis, & longam moram trahere in ſtomacho, arbitrandum enim eſt intellexiſſe de iis, qui in domo nutriuntur, quos caſingos appellamus, cum dicat Rhaſ. 3. ad Alim. quod *pulli columbarum dantur in cibo illi, cuius corpus eſt euacuatum ſanguine.* quod non dixiſſet, ſi difficilis eſſent digeſtionis. Cuius ſententiæ videtur etiam eſſe Galenus *de ſubtil. Diæt. capit.* 8. & *lib. de Euchy.* vbi laudat pipiones columbariæ. De quadrupedibus conueniunt carnes capreoli, leporis iuuenis, hœdi, & caro ſilueſtris porci laudatur ab Auicenna *de cur. Epilepſiæ*, vituli lactentis, cuniculi, & ſimil. Oua gallinarum recentia, mollia, cocta in aqua ſunt etiam laudata. Modò de oleribus dicendum eſt, Quæ tamen non ſunt multum in vſu; cum Galenus dicat in libro de Euchy. *Olerum nullum eſt Eu:hymum.* & Auicenna connumerat multa mala, quæ proueniunt ex vſu olerum; quare via cibi non videntur conuenire, via autem medicinæ, quandoque poſſunt conuenientes eſſe, ideo aliquos deſcribam, quæ ab Autoribus laudantur in via medicinæ. Auicenna de curat. Epileſiæ. *Alienet à ſe (dixit) omnia olera vſque ad atriplicis, & Bilites*, quæ conceduntur quandoque ad ſubducendum ventrem, vt videtur etiam voluiſſe Galenum *libr. de morbo infant.* cum infra dixit, *caueas vniuerſaliter ab omnibus, oleribus, fructibus, & cibis generantibus phlegma.*

Digitized by Google

Ruta conuenit,& in cibo,& olfactu;& aliqui cum ruta comedunt anethum. Saluia, maiorana, ros marinum, betonica, origanum, pulegium,& ſimil. ab Authoribus laudantur: lactucam conceſſit Galenus quam non multum laudat Auicenna, quæ, ait, *frigida eſt, & humida ſuper omnes herbas.* Peoniam, & radicem,& ſemina decantarunt Medici, maximè ego laudo, ſi ſemper in ſuis cibis radicem peoniæ decoquat.

De Piſcibus, dicimus eos à bonitate carnium eſſe remotos,& à bono nutrimento, cum ſint frigidi,& humidi, & omnes ad digerendum duri, in ſtomacho longam moram facientes, vnde ſanguis ex illis genitus phlegmaticus eſt. Hanc eamdem ſententiam deſcripſit Auer. 6. *Coll.* Sed inter piſces Marini deteſtantur minus, quia non adeo humidi, & facilioris ſunt digeſtionis: de aquis dulcibus ſaxatiles aliquando conceduntur, carpiones, truttæ, themali, giacioroli,& marſones: & ſi neceſſitas vrgeat vt comedantur in vino, pipere, gingibere,& calamentho inſperſis: ſi verò in aqua coquantur, menta, ſerpillium, carui, piper, gingiber, aut omnia, aut ex iis plura apponantur. Elixi autem magis laudantur frixis, & aſſatis; ſed quoniam S. D. poſt piſcium comeſtionem ſæpe incidit in paroxiſmum, ideo conſulo eos fugiendos. Cancrorum autem caro eſt difficilis digeſtionis Auicen. *ſecundo can.* Sed plur. nutrimenti, Rhaſ. 22. Cont. cap. 394.

De fructibus conceduntur piſtachia, pinei, paſſolæ, ficus ſiccæ & auellanæ torrefactæ: pyra, & cotonea ad prohibendum ne vapores aſcendant ad caput, poſt cibum concedi poſſunt. Aliqui etiam concedunt coriandrum, Auicenna verò vituperat, quamuis admittat in ſanguinea,& colerica.

De cocleis, ranis teſtudinibus, conchis, ſepiis,& ſimil. quæ piſces æquiuocè nuncupantur, nil ſcriptum à Patribus eſſe inuenimus in via cibi, nam eorum nutrimentum modicum,& illaudabile exiſtit, ideo nos illud ſolum ſcribemus quod ſcripſit Galenus in libro de Euchymia, cum dixit. *ſufficienter Cacochyma ſunt oſtrea.* Cocleæ, ac breuiter omnia talia vocita ab Ariſt. oſtracoderma. De piſce ſalito cum Rhaſ. 22. cont. hoc vnum dicam, *nutrimentum eius eſt malum.*

De lacte, quamuis multum laudetur ab Authoribus, illud eſt in corpore ſano,& in aliqua particulari ægritudine, vt phtiſi ethica &c. vituperatur itaque in caſu noſtro, vt apparet 1. *Centiu.* Cum dixit, *fac eos abſtinere à lacte, caſeo & omnibus factis ex lacte.* Lac coagulatum, quod vulgariter appellamus *Zoncada*, grauitatem generat in ſtomacho, & fumoſitatem mittit capiti, vnde ſæpe generantur ſuffocatio, & angoſtia,&c.

De butyro, via nutrimenti, minimè à Medicis approbatur, immò Galenus de ipſo nullam mentionem facit, quaſi ſit in victu inutile; via autem condimenti aliqualis eius vſus eſſe poteſt, maximè apud illos, qui patiuntur in pectore, cum ſit mollificatiuum ſtomachi, vt habetur 2. *Can.* Coctum ſtomachum debilitat,& qui eo in comeſtione vſus fuerit, phlegmaticas patitur ægritudines, quanto igitur magis crudum eſt illaudabile? De recocta illud vnum dicam cum Auic. quod minus nociua eſt ſtomacho, quàm caſeus nouus; verùm quia neruis nocet, eam non laudo. De caſeo multa ſcribunt Authores, ſed ſuperflua reſecans, vtilia tantùm deſcribam. Et primò de recenti cum Iſaac dicam: Caſeus carens ſale eſt nutribilior ſalito, & humectans corpus, carneſque augmentans, ſtomacho non nocens; idem dixit Gal. 3 *de Alim.* & in libro cap. 3. Cacochymi ſunt omnes caſei, ſed recentes ſunt abſque cacochymia: caſeum vetetem, & ſalitum vituperant Medici, nocet enim ſtomacho, & ſanguinem incendit, melancholiam multiplicat, in renibus, & veſica lapidem procreat, ſitim generat, quæ aſſumuntur à Galeno 3. *de Alim.* & 2. *Can.* Aliqua tamen in ipſius eſu ſeruanda ſunt, primò non aſſumatur cum ſubtiliatiuis diureticis, vel aperientibus, quoniam ad renes ipſum deducunt, & ex eo lapis generatur. Et propter hoc vituperantur taſſoli, ex rad. petroſelini, ouis, ſpeciebus odoriferis, caſeo & ſimilibus, quoniam oppilationes generant, & lapidem; ſecundò non aſſumatur multa quantitas, quantumcunque ſit laudabilis, ſed aſſumatur in quantitate modica,& poſt cibum: nam tunc os ſtomachi corroborat, ſatietatem quoque nimiam, atque faſtidium, quæ ex dulcibus & vnctuoſis in ore ſtomachi proueniunt aufert. Et hoc illud eſt quod dixit Rhaſ. 3. ad Alm.

Quoniam verò non ſolùm nobis neceſſarium eſt edere, ſed bibere non minus oportet, ideo de potu aliqua ſcribam, cum ipſius moderatus vſus multas vtilitates afferat, vt optimè declarauit Aliab. 5. *Theor. cap.* 29. cum dixit; *Dico quod potus duarum vtilitatum cauſa neceſſarius fuit*, &c. Immoderatus autem, & non debito tempore aſſumptus multas generat ægritudines, vt habetur. *Compl. cap* 2. Nunquam igitur aſſumatur ieiuno ventriculo, quoniam talis potus valde nocious eſt, & tunc habet potentiam percutiendi neruos, & eis nocendi: Galenus etiam ſecundo. Aph. 21. dixit, *Si quis famelicus ante cibum, vinum acceperit, citò in ſpaſmum, & mentis alienationem incidit.* Et ſi D. S. quærat, cum medici vinum prohibeant ante cibum, liceat ne poſt cibum, per 2. vel 3. illud aſſumere? Ad hoc reſpondet Auicenna 3. *primi Doct.* 2. *cap.* 7. dicens *Vinum quoque poſt cibum eſt ex rebus magis impedientibus, quoniam digeritur velociter, & penetrat, & penetrare facit cibum, qui nondum ſit digeſtus, & facit hereditare oppilationes, & putrefactionem.*

De ſuperflua autem vini potatione nil ſcribo, quia ſcio S. D. in hoc non peccare. Sed qui Magnatum mos eſt in æſtate vinum valde infrigidare, ideo nocumenta vini infrigidati annotabo: nam non cognoſcentes huiuſmodi errorem in temporis proceſſu in diuerſas, ac malignas cadunt infirmitates; & propterea decreui S. D. hunc errorem detegere vt valeat ab eo cauere: Et ideo Auicennam audiat ſecunda primi ſumma de Pulſ. cap. 11. *Vinum cum in corpus penetrauerit, & fuerit calidum, non elongabitur multum à natura, & accidet velox reſolutio; quod ſi cum eſt frigidum penetrauerit cauſabit nocumentum, quod non fit ex aliis rebus frigidis, quoniam illa tardantur donec calefiant, neque earum penetratio eſt ita velox vt iſtius; Iſtud enim velocius penetrat quàm compleatur calefactio; Et eius quidem nocumentum eſt magnum, & præcipuè in corporibus quæ ſunt præparata nocumento ex frigore.* Et parum infra; *Frigidum eſt, cum naturam facit deficere, & eius virtutem extinguit antequam ad partitionem, & reſolutionem perueniat*: Et quoniam aliqui dicunt nullum ſe ſentire nocumentum, audiant Iſaac de Diæt. Vniuerſ. c. 11. dicentem: *Etſi frigida vt nix, bibita in corporibus iuuenum, lædere non appareant, nocumentum tamen paulatim ſe adunat, licet ipſi non ſentiant, ſed exeuntes à iuuentute, & ſubeuntes ſenectutem, in multos, & diuerſos morbos incidunt, qui ſunt incurabiles, & qui diu permanent in viſceribus, in articulis, & neruis quia frigiditas ſemper membra percutit debilia, & multum ſenſibilia* &c. Quoniam verò S. D. patitur circa caput, conſulo, vt quantum poteſt à vino abſtineat,& maximè à notabili ipſius

quantitate

quantitate. Nam Auic. 3. *primi c.* 8. dixit, *Maius nocumentorũ vini nõ eſt niſi in cerebro, & ex ipſo, nemo debile cerebrum habens, niſi parum, & admixtum bibat*; vnde etiam *prima tertij tract. 5. cap.* 10. dixit; *vinum purum nocumentum facit in cerebro, quia vehementer replet ipſum*. Et quoniã Magnates ſæpè ſolẽt vti vino dulci, ideo decreui etiã ſcribere nocumenta eius, vt ſciat S.D. illud fugiendum eſſe; nam cũ ſit dulce, & groſſum, & ratione dulcedinis, & ratione groſſitiei, plurimùm nocet, vt innuit Galen. 3. *Reg. Ac. Comm.* 2. Primò enim ratione groſſitiei tardè penetrat, vnde cauſat oppilationes in ſplene, & hepate. & ratione dulcedinis indigeſtum attrahitur ab hepate: Et propter hoc dixit in tract. de vinis. *Dulce vinum, neque ſubtile, neque lucidum certitudinaliter inuenies, vnde ſi dulce eſt, eſt etiam groſſum conſiſtentia, & tardi tranſitus, &c.* Applicando igitur iſta vniuerſalia ſuis particularibus conſulimus S.D. quantum poteſt, vt vinum fugiat, quia Serapio dixit, *Alienet ſe à vino, quoniam replet caput vaporibus multis*. Et ſi non vult abſtinere à vino, ſaltem minuat potum ipſius; nam Auicenna in cura epilepſiæ, non multum vtatur vino, quoniam ipſum vehementer replet caput, & deſcribens vinum conueniens, ait, vtatur vino pauco, antiquo clarificato, declinante ad paucitatem, & albo, quia minus vaporoſum eſt.

De oleo. Oleum via condimẽti perutile habetur teſte Auer. 5. *coll.* Cum dixit: *Res quæ coquitur cum oleo eſt multũ nutritiua, dũmodo oleum ſit nouum. & dulce, & oleum oliua, quia natura ipſius eſt temperata declinans parum ad calorem, & impinguat hepar, & auget ipſius ſubſtantiam, & generaliter dico quod eſt conueniens Homini multum, ſecundum totam ſui ſubſtantiam & propterea in terris noſtris non coquimus carnes niſi cum eo.* Auicenna autem ſecundo can. dixit: *Oleum ſanis eſt melius, oleum omphacinum, ſ. expreſſum ex immaturis oliuis, quod eſt frigidum, & ſiccum in primo ſicuti factum ex oliuis vltimè maturis, eſt calidum commenſuratè, & declinat ad humiditatem: vnum tamen nocumentum habet. ſi ſuperfluè quis eo vtatur, quod appetitum proſternit. & debilitat ipſum, quæ nocumenta non ſequuntur ad ol. omphacinum.* Vetus ol. malum eſt, quia in malos humores conuertibile eſt, vt coll. à Dioſcor. *cap. proprio.*

Acetum quamuis dicatur ab Auicenna ſecundo can. quod eſt compoſitum ex caliditate, & frigiditate, frigiditas tamen in illo eſt magis dominans, & propter hoc confert choleticis, & nocet melancholicis, vt dixit Hippoc. 3. *reg. ac.* Et quia nociuum eſt neruis, illud non laudo, immò Auicenn. ſecunda tertij cap. 4. dixit. *Acetum eſt de rebus, quæ neruis ſunt nocibiliores.* & Galen Sup. text. 40. 3. *reg. ac.* dixit, quòd nocet omnibus membris neruoſis propter ſubtilitatem ſubſtantiæ, propter quam habet penetrationem in profundum membrorum, & penetrat in totum membrum, ita vt non remaneat in eo pars, quamuis ſit parua, cui non noceat, verùm ſtomacho calido confert, nam prouocat appetitum.

Agreſta in pleriſque ſaporibus ponitur, & præcipuè Æſtatis tempore: nam ab habentibus calidã complexionem diligitur, cum ſit frigida; & quia ſtipticitatem habet, confortat ſtomachum & maximè calidum, frigidũ nocet. Gal. 4. de ſimpl. medic. d. 3. c. 2. dixit: *Differentia quæ eſt inter acetum, & ſuccum agreſtæ eſt, quod in aceto, cum aceto ſitate eſt acuitas, & acredo, quæ generãtur à caliditate generata à putredine.* Et infrà dixit: *Frigiditas aquæ agreſtæ eſt debilior frigiditate aceti: Et ideo magis iuuat eos qui habent ventris inflãmationem.* Sed vnum aduertendũ, quod debet comedi cum cibis calidis, & ſpeciebus, & nullo modo cum frigidis; vnde grauiter errant, qui illa vtuntur cum piſcibus; quod ſi vrget neceſſitas, aut pro appetitu vellet quandoque aliquis illa vti cum piſcibus, prius illam decoquat vaſe lapideo, aut terreo & nullo pacto Æneo, cum ſpeciebus, & ſale, vt refrangat frigiditatem ipſius. & piſcium.

Melle aliquando vti in condimentis non eſt malum, cum Auerr. 5. *coll.* dicat ipſum eſſe cibum medic. & maximè in ſenibus, cum conuertatur in bonum ſanguinem, Natura & proprietas mellis eſt abſtergere, aperire orificia venarum reſolutiua humiditatum, expellere eas ex profundo corporis; prohibere putrefactionẽ, & corruptionem carnis, & hæc maximè operatur in ſenibus, & corporibus frigidis In calidis verò nocet, quia in cholericum humorem conuertitur, & maximè in ſicco corpore. Coctum verò ad omnia melius eſt.

Zucchatum, quod aliter mel cannæ vocatur, nutrimentum maius dat, quàm mel. Haliab. 5. *Theor. c.* 27. & quando albius, tãto melius, minus abſtergit, mordicatque melle, eſt oppilationum aperitiuum, & bonum ſtomacho, in quo cholera non generatur; ſitim verò producit, ſed minus quam mel, phlegma ſtomachi abſtergit; & S.D. illo vti poteſt tempore frigido, & cum non abundat cholera, & hæc ſufficiant quantum ad cibum, & potum.

Hucuſque quàm breuiſſimè potui, ſcripſi regimen ſex rerum non naturalium Reliquum eſt, vt medicinalia aggrediar, non tamen curatiuum paroxyſmi, cum hoc excellentiſſimis Medicis præſentibus dimittam, ſed præſeruatiuum, ne in paroxyſmum labatur. Quod per quaſcunque intentiones fiet, ſ. æquare materiam, eamque coaptare cum digeſtiuis appropriatis, vt cum melle roſ. cum ſyr. de abſinthio, de ſtæcados ſ. cum aceto ſquilli tico, cum aquis hyſſopi, herbæ paralyſis; peoniæ, vel ſyrup. Tilia.

℞. *Hyſſopi,*
Calamenthi,
Saluia,
Ruta ana vnc. j.
Betonica,
Agni caſti,
Pulegij,
Meliſſa,
Rad. Acori.
Ireos,
Ariſtologia rot. ana. dr. ij,
Peonia,
Squilla, Maratri,
Siſeleos,
S. Ruta,
S. Peonia ana ℥. j. S.
Peucedana,
Bac. Lauri,
Cubebarum,
Stœcados Arab.
Flor. lauendula ana ℥. j.
Agni caſti,
Roſarum rub.
Abſinthij ana ℥. j.
Menta,
Galanga ℥. S.
Mellis roſati lib. ij.
Succi fumoterra ana lib. S.
Abſinthij,
Aceti fortiſſimi vnc. iv.

Conquaſſentur, & ponantur in aqua & aceto per diem naturalem, & cum zucchato f. Syrupus.

Facta digeſtione in materia purgetur cum aliqua iſtarum medicinarum, vt

R. Pilularum de hiera cum agarico,
Fœtidarum, aut ſtomachicarum ana. ℈ *ij.*

Cum aqua mente f. pilulæ, v. vel cum pil. Gordonij, quæ ſunt.

℞. *Turbith*,
Agarici ana dr. iij.
Aloes,
Euphorbij,
Pulp. colocynthidos ana dr. j.
Eſulæ.

Hieræ logod. Sed ipſius loco apponerem ego Hieræ Herm. cum multum laudetur ab Auic ℥. S.

Maſticis,
Bdellij,
Siſeleos ana ℈. j.
S. Rutha,
Gingiberis ana ℈. j.
Fol. Menta,
Abſinthij ana ℈. j.
Gariofilorum,
Spica.

Miſc. & fiant pilulæ cum aceto ſquillitico, & dentur tres in mane. Et ſi S. D. ſentiret aliquam grauitatem, vel dolorem in capite, illas aſſumat per horas poſt cœnam. Credo etiam, ſi ſæpe vteretur hoc electuario, quod valdè ſibi eſſet proficuū.

℞. *Agarici praparati* ʒ. ij.
Ariſtologia rot.
Siſeleos ana ʒ. j.
Succi maiorana,
Oxymellis Q. S.

Miſc. & f. electuarium, de quo accipiat cochlear vnum ante cibum per quatuor horas.

Poteſt etiam euacuari materia quæ continetur in ſtomacho, aut loco vicioo, cum vomitu, quem maximè laudo, cum quib autem, & quo tempore fieri debeat, relinquo excellētiſſimis Medicis.

Poteſt etiam fieri euacuatio per phlebotomiam, & non tantum ad curandum, ſed etiam ad præſeruandum; Et propter hoc dixit Auicen. de cura Epilepſiæ: *Etſi non fuerit quod prohibeat ipsū à minutione, phlebotometur*; & loquens de præſeruatiua dixit, *Et propriè in vere*, quod aſſumpſit Galen. in tract. de phlebotomia, dicente ſe multos ſeruaſſe à quā plurimis diſpoſitionibus ipſa phlebotomia. Et docet Auic. locum à quo fieri debeat, cum dixit, & *propriè in pedibus eſt ex eis, qua ipſis conferunt.* verùm timet infrigidationem cerebri, quod tamen nō eſt timendum in S. D. cum non appareat multa frigida abundans in ſuo cerebro; Et in tantum confidit Auicen. in ipſa phlebotomia, quod concedit ipſam quocumque humore peccante, & non tantùm concedit vnam, ſed tres, vt apparet ab ipſo, cum dixit: *Cumque eſt neceſſariū, vt fiat phlebotomia, ex quocūque humore ſit, oportet ve non ſola fiat, ſed fiat duabus cephalicis ſimul & ſequatur phlebotomia vena, qua eſt ſub lingua.* Verùm Auic. dictum intelligi debet de epilepſia cerebri propria. Cōſulo tamen ego S. D. vt omnino in vere futuro ſibi ſanguinem extrahi faciat ex ſaphena ad præſeruationem à futuro caſu, & extrahatur in ea quantitate, quæ videbitur iudicio ſui excellentiſſimi Medici.

Euacuatio etiam per hæmorrhoïdas eſt laudanda.

Euacuetur ergo materia, vel cum pharmaco, vel cum ſanguinis miſſione, non ſit contentus vnica reiteratione; Imò reiteretur ſæpè, & ſæpiùs iuxta doct. Oribaſij dicentis, *reiteretur purgatio, & vomitus*: nam ex eis prohibebitur ſuperfluitatum aggregatio; tertiò diuertatur materia per fricationes extremitatum, quæ multùm trahunt materiam à ſuperioribus ad inferiora, & incipiatur à pectore, ſicut docet Auicenna de cura epilepſiæ cum dixit: *Et ex eis qua materiam ad inferiora trahunt, eſt fricatio corporis, gradatim facta à ſuperiorib⁹ ad inferiora, incipiendo à pectore*: Et quod ſequitur, *ipſum cum pannis aſperis fricando, donec rubeſcat*, hoc incipit à Galeno *de Morb. Comit.* ſed mirum eſt, quia Gal. xij. *de Ing. cap.* 3. docet facere fricationes, & incipit ab inferioribus procedendo ad ſuperiora. Factis pluribus euacuationibus poteris pectinare, & fricare caput, lauare autem non, quia Auic. vituperat, & aquam calidam & frigidam.

De caput-purgiis non ſcribo, ex eo quia non eſt per eſſentiam in capite, ſed per communitatem à ſtomacho, vnde tota curatio vertitur ad ſtomachum; propter quod laudo maſticatoria, quia magis expurgant ſtomachum; Ex quibus autem fieri debeant, excellentiſſimis Medicis relinquo, neque enim omnia ſcribere decreui, ſuppoſitoria etiam, & clyſteria diuertunt.

Rectificatur ſtomachus cum iis, quæ materiam euacuant phlegmaticam & digeſtionem ipſius corroborant: quæ euacuant, iam dicta ſunt; quæ autem digeſtiuam ſtomachi confortent, multa ſcribuntur à doctoribus, ex quibus aliqua eligam, quæ magis proficua videbuntur. Primum itaque fiat emplaſtrum hoc, quod ſtomacho apponatur.

℞. *Roſarum rubrarum ana dr.* iij.
Spica,
Maſticis,
Cort. Thuris ana ℥. j.
Vini odoriferi. Q. S. Miſc. & f. Emplaſtrum.

Hali poſuit emplaſtrum ſatis mirabile, quod eſt,

℞. *Sumach*
Ladani dr. iij.
Roſarum,
Galla muſcata dr. ij.
Gariofilorum,
Croci ana dr. j.
Nucis muſcata,
Maſticis.

Miſc. & cum ol. de menta f. Emplaſtrum.

Poteſt etiam confortari ſtomachus cum Aromatico roſac. vel aliquo conſimili: & quia non ſolùm oportet rectificare ſtomachum, ſed etiam caput, ne recipiat propterea de iis aliquid dicendum. Et quoniam quæ confortant, aliqua agunt à proprietate, aliqua à qualitate; ideo primò deſcribam quæ conferant à proprietate. Primò ergo erit cerebrum cameli exſiccatum, cum aceto ſquillitico datum: idem facit cerebrum muſtellæ: Gal. 6. *ſimp. med.* laudat omnem adminiſtrationem peoniæ; Ideo conſulo, vt ſemper in ſuis cibatiis bulliat radix vna peoniæ. Aliqui dixerunt, quod ſi quis aſſumat ſcrup. j. ſem. peoniæ cum zuc. roſ. quotidie certiſſimè liberabitur. Laudatur cranium humanum, & recitat Galenus 10. *ſimpl. medic.* Hepar aſininum aſſatum, & comeſtum, leporis coagulum bibitum. Alexand. ſummè laudat veſicam apri cum vrina exſiccatam in furno, & date ex ea ad magnitudinem fabæ cum oxymelle ſingulis diebus Paul. laudauit vſum carnis muſtellæ, hepar lupi exſiccatum tritum, bibitum cum oxymelle; Ad idem faciunt puluis vngularum aſini combuſtarum, puluis de lap. indis, lac equinum bibitum. Aliqua etiam ſunt, quæ exteriùs applicata idem operantur, & primò peonia collo ſuſpenſa, & aliqui ponunt eam in cannulam argenteam, vt fiat fumigatio cum ſem. eius; ſmaragdus digito portata, & collo ſuſpenſa, dens caninus, lupi, ſuſpenſus, corrigia facta ex pelle lupi, ad carnem portata, ruta & caſtoreum ſuffumigata, & odorata. Auicenna laudat pomum confectum, cum ruta, &c. Oribaſius item aliud, quod eſt:

℞. *Peonia*,
Siſeleos ana part. aq.

Agarici

Digitized by Google

Agarici,
Aphodilorum,
Ariſtologia rot.
Et cum aceto pomum.

Aſſa fumigata excitat, & præſeruat epilepticum Idem operatur galla muſcata; Balſamus valet ſi lingua, os, oares, & labia vngantur ex eo: cõfortantur ſtomachus, & caput cum Aurea Alexandrina, Mithridato, Theriaca, confect. Hermetis, Diambra, Diamuſco, & maximè confortatur caput cum confect. Dianthos. Rhaſis forma voom Electuariom ſatis appropriatum, cuius habetur deſeriptio talis.

℞. *Pieretri,*
Siſeleos ana dr. x.
Stœchados,
Agarici dr. v.
Cordumeni rec.
Aſſa fatida ana ʒ. iij.
Ariſtologia rot.
Rad. Peonia.

Succi ſcillæ coctæ cum melle Q. S.

Miſc. & f. Electuarium, de quo detur manè, & ſerò drachma.

Cum oxymelle ſcillitico, aut alio ſyrupo appropriato.

Haliab. format aliud qoaſi cooſimile.

Puluis, quo vti debet ſuper cibaria, loco ſpecierom.

℞. *Origani,*
Calamenthi,
Meliſſæ ana dr. iij.
Hyſſopi,
Menta,
Pſanſuci,
Flor. Anthos,
Bethonica ana vnc. j.
Saluia,
Balſamita,
Gariofilorum,
Cinamomi,
Nucis muſcata,
Aniſi,
Marrhbria,
Cardamomi,
Galanga,
Sil. montani,
Lauendula,
Flor. Agni caſti,
Coriandri praparati,
Cymini bulliti in aceto, & exſiccati. ana ʒ. *S.*
Sem. Peonia,
Rad. Peonia ana vnc. S.
Piretri,
Piperis,
Siſeleos ana dr. j. *S.*
Sem. Rutha,
Liquiritia,
Succi eiuſdem,
Miſc. & f. Puluis.

Præceptor meus Montagnana iunior vtebatur pro ſecreto infallibili hoc polu.

℞. *Rad. Peonia ana vnc. S.*
Sem. Eius ana dr. S.

Miſce & f. pul. de quo ſingulo die dabat drach. 1. Cum oxymelle ſcillitico, in quo bullierit parum Hyſſopi. Aliqoi etiam hoc modo.

℞. *Opopriq dr.* j.
Caſtorei ℈. *S.*
Sanguinis draconis ℈. j.
Antimonij ℈. *S.*

Miſc. & accipiatur cum oxymelle ſcillitico.

Maximam autem ſpem. ego habeo io hoc Electuario aſſumpto, manè ante cibum per horas quatuor, & ſerò, ad quantitatem dr. ij. quod ita habet.

℞. *Acariconditi cum zucchаro vnc.* ij.
Pulp. Mirabolanorum citrin.
Chebulorum,
Indorum cond. ana vnc. j.
Conſ. Anthos vnc. S.
Electuarij Regum vnc. j.
Diambra dr. v.
Aromatici Roſac. dr. iv.
Auellanarum mund. ana vnc. j.
Amygdal. dulc.
Sem. Com. Mai. frigid. vnc. vj.
Phyſticorum vnc. j.
Syr. Roſ. rec dr. iij.
Zuc fini. Q. S. Miſc. & f. electuarium.

Multa alia in diuerſis voluminibus ægritudinis S.D. appropriata reperiemor, qoæ breuitatis cauſa omitto; ſed ſi plus otij nactus fuiſſem, exquiſitiore ſermone forſan explicaſſem. Accipiat ergo S. D. hilari vultu, quæ ſuus inter ſeruos minimus ex multis collegit, qoæ Deus illis ſummus rerom omnium opifex, qui ſua clementia omoes languores ſanat, ad ſuæ ægritudinis ſalutem dirigat.

CONSILIVM XIV.

De retentione menſtruorum.

AEgritudo Magnificæ D. Heliſabeth eſt in cauſa de retentione menſtruorum, audiendo oomen retentionis pro communi ad ablationem, diminutionem & corruptionem, exitus eorum. Io ea enim diminutè ſatis exeunt, vnde conſequitur triſtitia, totius corporis laſſitudo, virtutis defectus ad actiones, pigritia, & quaſi impotentia.

Cauſæ retentionis menſtruorum, vt habetur à Galeno *5. aph. 57.* & ab Auic. *xxj. Tertij tract. 3. cap. 15.* ſunt vel ex parte matricis, vel ex parte virtutis, vel ex parte humorũ. In hac Magnifica Domina non credò retentionem, ſeo diminutionem fieri ex debilitate virtutis, expulſiuæ, cũ in ea aliæ ſuperfluitates debitæ expellantur, ſed credo fieri ex læſione matricis, & humorum vitio; nam cum ſuperioribus annis conuenienter menſtruaretur, vſa eſt etiam tempore menſtruationis balneo, & lotione aqoæ frigidæ, & roſaceæ; etiam ſecundùm regionem matricis, vnde potuit matrix condenſari, & infrigidari, ae venas in eá reſtringi iuxta Hippocratis ſententiam; *Quacunque denſas, & frigidas matrices habent, non concipiunt:* Et quiá ſãguis, qui ſolet menſtruis exire, vt plurimum groſſus & melancholicus eſt, hinc eſt, quòd ad eius retentionem conſeqoitur triſtitia, & totius ſanguinis ingroſſatio, ac digeſtiuæ debilitas, ex qua phlegmata multiplicantur groſſa, & viſcoſa, ex quibus omnibus ſequatur illa laſſitudo, & pigritia, ſeu quaſi impotentia ad actiones; & ſic duæ erunt cauſæ huios diminutæ menſtruationis, ſtrictura, ſcilicet, venarum matricis, & humorum groſſities, & viſcoſitas, tum melancholicorum tum etiam phlegmaticorum, ex quibos accidentia dicta ſequuntur. Ex hac diminuta menſtruatione fit, vt non concipiat, & ad melancholiam ſit parata ob ſanguinis melancholici retentionem.

Pro cura huius malæ diſpoſitionis primò ſunt curatiuæ intentiones eliciendæ, ſecundò iouenienda remedia, quibus intẽtiooes ipſas adimplere valeamos: & quia oppilatio, & humorum groſſities, quæ faciunt indebitum menſtrui ſanguinni exitum, omnium aliarom indiſpoſitionum ſũt cauſæ;

Prima curatiua intentio erit, oppilationem, humorum groſſitiem, ac viſcoſitatem remouere. Secunda inteotio erit denſitatem matricis, aceius acquiſitam frigiditatem auferre. Tertia erit iotentio aſſiduam illam triſtitiam tollere, quæ calorem debilitat naturalem, & ad multiplicationem etiam humoris melancholici facit, vt voluit Auic. *in tr. de Vir. Cord.*

Pro quibus intentionibus exequendis primò ponam regimen io ſex rebus non naturalibus, ſecundo ad medicinalia deueniam. Et io primis circa cibom, & potum, quia intentio eſt facere humores fluidos, & multiplicationem humoris viſcoſi, & groſſi prohibere, euitari debent omnes cibi homores groſſos ac viſcidos generantes, ac melancholicum humorem multiplicantes; ea ideo infraſcripta euitanda erunt: Cibaria de paſta ſiue elixa, ſiue frixa, legumina, riſum, milium, panicum, carnes groſſæ, bouinæ, ac omnium quadropedum, & omoia eorum viſcera, ac interiora; capones non exercitati, & in carceribus, ſeu caſis detenti, aues in aquis degentes, lac, caſeus, & omnia quæ ex lacte fiunt, oua dura quomodocunque ſint cocta, piſces lacunales omnes, piſces non ſquamoſi, ſicut ſunt anguillæ, tenchæ, & lamptedæ, cancti, oſtreæ, limaces, fungi, tubera, radices omnes, exceptis paſtinachiis, vinum coctum, vioum dulce, vinum groſſum, & nigtum, vinum nouum, & turbidum. Euitetur omnis cuiuſcunque cibi magna repletio, & cibariorum multa diuerſitas. Euitentur caules, & omnia ſalita de carne animalium, quando eſt caro ratione ſalis indurata, & terreſtrificata, & ſimiliter extremitates herbarum teneræ cum ſale, & aceto conditæ; hæc enim humorem melancholicum multiplicant, vt voluit Gal. 3. *de loc. affect. 7.*

Panis eonueniens, eſt panis factus ex bono frumento, mundo à rebus extraneis, de proximo molito, benè fermentatus, mediocriter ſalitus, factus in michis, non autem in placentis, & non plurium, quàm trium dierum.

Caro conueniens eſt caro pullorum, & pullarum iuuenum, caponum exercitatorum, & omnium auium, quæ comedi conſueuerunt non degentium in aquis, caro hœdi lactentis: carne vituli rarò vtatur, & nonniſi in aliarum defectu, & pari modo conceditur caro caſtrati anniculi, cum cætera deficiunt. Piſces conuenientes ſint parui, vel ſquamoſi, non valdè magni, marioi, vel de flumine currenti; qui tamen cum cioamomo, vel pipere, vel gingibere condiantur. Oua ſorbilia tremula conceduntur. Olei, ac butyri vſus conceditur in parua tamen quantitate ſolum pro aliorum condimento; pariter lardi vſus admittatur.

Ex herbis conueniunt fęniculum, petroſelinon, calamēthum, maiorana, ſerpillum, hyſſopus, blitis, ſpinachia, borrago, bugloſſa, meliſſa, & interdum tempore calido, cichoria, endiuia, ſcariola, teneritates lupulorum, aſpatagorum, & artichiochi, conuenit & paſtinaca, tam ſilueſtris, quàm domeſtica.

Aromata, gingiber, cinamomum, piper, ſinapis, & hoioſmodi:

Acrumina, ſicuti allium, cepæ, porrum, ſi raphanum ſi in multa quantitate, & frequenter ſumantur, adurunt ſanguioem, & eum exſiccant, iogroſſant, & in choleram nigram vertunt; & ideo multus, & frequena valdè eorum vſus euitandus eſt, moderatè tameo licet eis vti pro humorum ſubtiliore.

Fercula fiant, vel ex rebus ſuprà conceſſis, pane ſcilicet, ferculis, carnibus, ouis teneris, ac herbis; vel ex brodio cicerum, faſeolorum, aut caulium.

Ex fructibus conceduntur amygdalæ, ficus recentes bene maturæ, & ſiccæ, paſſulæ enucleatæ. Poma decocta tolerantur, melones, pruna bene matura tempore calido, & ceraſa ante cibum ſumi poſſunt, ſed in parua quantitate.

Zuccharum, & mel conceduntur.

Vinum debet eſſe clarum, mediocriter vinoſum, ſeu in potentia mediocre, album, vel medij coloris nec dulce, nec acerbum.

Quantum ad animi accideoria, euitet timorem, triſtitiam, & ſolicitudinem toto poſſe. Et ideo veſtes ſuæ, & annuli ſint delectabiles, colore, vel odore; aſpiciat res delectabiles, & iocoſas, audiat cantus ſuaues, inſtrumenta muſicalia, & in ſumma omni conatu procuret, non triſtari, ſed lætari; videat dumos, viridaria ac poſſeſſiones, quæ amœna ſint & delectent.

De motu & quiete, oportet vt euitet otioſitatem, & quietem multam, & maximè in ſolitudine, ſed exercitium moderatum competit, factum poſt complementum primæ, & ſecundæ digeſtionis, hoc eſt per xij. horas vel circa poſt cœnam.

Et ſit exercitiũ vel pedeſtre, vel equeſtre per loca plana, amœna, ita quod in eo delectetur: Et euitare oportet fricationes duras, & aſperas corpus deſſiccantes, & omne balneum mioerale, & balneum ſiccum, id eſt, ſtupham, ſed competit frictio mediocris, & balneum humectatiuum, quod debet eſſe moderatè calidum, vel ex aqua dulci ſola, vel ex aqua decoctioois altheæ, camomillæ, borraginis, meliſſæ, & poſt exitum à balneo fiat inunctio cum ol. vel oliuæ, vel amygd. dulc.

Vigilias ſuperfluas euitet, ſed moderatè dormiat, nec ſit ſomnus multùm prolixus, nec in ieiunio factus, & ſit ſomous in nocte, aut in manè ante tertias, & oon in meridie.

Aër ſuæ habitatioois ſit clarus, ſubtilis, vel temperatus, vel parum ad calidum & humidum declinans; fugiat aërem groſſum, obſcurum, & fætidum, ſed ſint in eo odores pomorum, vel florum delectabilium. Ad medicinalia deſcendendo, pro remouenda oppilatione, quæ radix eſt omnium aliarum malarum diſpoſitionum, cum oporteat groſſitiem, & viſcoſitatem ab humoribus remouere, poſſumus dupliciter hoc facere, vel humores groſſos, & viſcoſos educeodo, vel medicinis potentibus eos in ſubtiles conuertendo, ſeu ſubtiliando. Sed cum oppilatio ſit propter humores viſcoſos, groſſos, & multos, incipere debemus ab euacuatione, antequam fortibus ſubtiliantibus vtamur iuxta Galeo. doct. 11. *de ingen.* à cap. 4. vſque ad 11. & etiam qui ſtante humorum multitudine, ac groſſitie, ſi acutis medicinis, ac fortiter ſubtiliantibus vteremur, potius ſanguis aduteretur, & in oaturam melancholicam conuerteretur, quam poſſet tanta multitudo ſubtiliari, vt colligitur in tract. *de diſſoluend. Cont. capit.* 21. Certum itaque habemus euacuationem fiendam eſſe: At cum duplex fieri poſſit euacuatio, & cum phlebotomia ſanguinem groſſum educente, & cum pharmaco, contingit dubitare, quænam in hoc caſu prius fieri debeat euacuatio. In qua dubitatione clarum eſt iuxta Hipp. ſententiam 4. *Reg. Ac.* 19. *eo text. inflammata præcordia*, &c. quod ſtante totius plenitudine, præmittenda ſit phlebotomia ſemper, quod etiam io menſtruorum retentione ſemper facit Galenus, vt in 4. *part. Epidem. com.* 23. in muliere in qua per multos menſes ablata erant menſtrua, & facta erat iam multum macilenta, & appetitum perdiderat, in qua tribus diebus ſanguinem eduxit, in prima die libram cum dimidia in ſecunda libram vnam, & in tertia vncias octo, clarum etiam eſt Medicos omnes authenticos in

menſtruorum,

menſtruornm retentione phlebotomiam ſaphenæ multum collaudare.

Laudo itaque vt tranſacto Ianuarij menſe, niſi tamen Februarius ſit cùm intenſo frigore, quod ſi fuerit, tempus moderatum expectetur, & per duos, vel tres dies ante ſuam dimiontam menſtruationem fiat phlebotomia primo ex dextra ſaphena, & extrahantur vnciæ ſex, vel octo ſanguinis, & ſequenti die ſiniſtra extrahantur ſimiliter. Alia die per horas 4. ante prandium capiat hieræ. S. Galeni Vnc. j.

Demum capiat infraſcriptum ſyrup. in autora.

℞. *Mellis Roſ. Col.*
Syr. de duab. radicib.
Oxymellis. S. ana ʒ *S.*
Aquarum Artemiſiæ.
Bugloſſi ana ℥ *j.*
Meliſſæ.

Miſc. & continuet per dies octo poſtquam ceſſauerit imminuta illa menſtruatio. Deinde capiat per horam vnam, vel duas ante diem, infraſcriptã medicinam, procurando quod ſtatim dormiat per horam, vel circa poſt aſſumptam medicinam.

℞. *Agarici El. & bene mundi dr. ij.*
Gingiberis pulu. ℈. *S.*
Oxymellis. S. ℥. *S.*

Minutim incidatur agaricus, & priùs inuoluatur cum oxymelle, deinde infundatur in infraſcripta decoct. Q. S. & poſt horas decem fortis fiat expreſſio, cui addatur.

Diacatolichonis ℥. *S.*
Troſc. de viol. cum
Gingiberis ana dr. j.
Electuarij Indi,
Sp. Hiera picra. ℈ *ij.*

Et fiat potio.

℞. *Polypodij quercini,*
Epithimi ana dr. iij.
Aſſari dr. ij.
Folicul. ſenæ. dr. j.
Flor. Cord.
Paſſularum ana dr. ij.
Liquiritiæ raſæ.

Decoquantur in aqua lactis Q. S. vſque ad tantam conſumptionem, quod expreſſio tota intret in diſſoluenda, & infundenda medicina, quam capiat, vt ſuprà.

Die ſequenti poſt aſſumptam medicinam, capiat drach. j. mithridati, aut theriacæ, dummodo antiqua ſint, & ad minus annos decem pertranſierint, vt virtus opij, qua nunc non indigemus, ſit diminuta valde.

Per octo dies poſt ſtet cum debito regimine, in cibo, potu, & aliis, vt ſuprà dictum eſt.

Demum per alios quinque dies vtatur frictionibus in coxis, & tibiis, & ligaturis, in ipſis doloroſis, & cum fuerit prope aliam menſtruationem, per quatuor dies, iterum capiat hieræ picræ ſimpl. Gal. voc. j per horas quatuor ante prandium, & ſingulis diebus ſequentibus capiat infraſcriptum ſyrupum.

℞. *Syr. de ſuc. calamenti mont. & fluuiat. vnc. j. S.*
Aquæ decoctiones calamenti, & pulegij vnc. iij.
Miſc.

Et præparetur ſyrupus ex ſucco calamenti eo modo, quo ſyr. de ſucco endiuiæ, & aliis ſuccis fieri ſolet; Calamento enim ſe aſſiduè vti in menſtruorum prouocatione dicebat Galen. 5. Aph. 36. & 5. *de ſimpl. med. diſtinct. 6. c. 2.* inter quæ aliaquæ magnam vim habent in menſtruorum prouocatione ponebat ſauinam, myrrham, calamentum, pulegium, aſſarum, caſſiam ligneam, & cinamomum, quibus diuerſimodè, & in pulueribus, & decoctionibus & aliis modis Medici vti poſſunt.

Ante autem immediatè prædict. ſyrup. aſſumptionem per tres dies capiat infraſcriptas tres pilulas.

R. Trociſc. de Myrrha deſcript. Rhaſis ſcrup. ij. & cum vino reformentur pilulæ iij. quas capiat. Quod ſi menſtrua non prouocentur, aliis diebus ante ſyrupum immediate capiat caſtorei el. dr. 5. cũ ſyrupo ex ſuc. calamenti ad formam electuarij, vt

℞. *Caſtorei el. dr. S.*
Syr. de Artemiſia, vel ex ſucco calamenti. Q. S.

electuarium, quod capiat per tres dies ſequentes immediatè ante ſyrupum.

Ad eandem intentionem laudo vt loco ſyr. ex ſuc. calamenti vtatur ſyr. de artemiſia præparato ſecundùm infraſcriptam deſcriptionem.

℞. *Artemiſiæ,*
Pulegij,
Calamenti,
Mentaſtri,
Origani,
Meliſſæ,
Parietariæ,
Sauinæ,
Maiorana.
Capil. Veneris,
Camedrios,
Perforata,
Camepitheos,
Matricaria cum fl.
Centuarij min.
Ruta,
Betonica ana M. j.
Rad. fœniculi,
Apij,
Petroſelini;
Aſparagi,
Bruſci,
Saxifragiæ,
Enulæ,
Dictami,
Cyperi,
Rubeæ Tinctorum;
Ireos,
Peoniæ ana vnc. j.
Sem. Iuniperi;
Leuiſtici,
Petroſelini,
Apij,
Aniſi,
Nigellæ,
Carpobalſami;
Coſti,
Aſſari,
Piretri,
Caſſiæ ligneæ,
Cordumeni,
Calami Aromatici,
Valeriana ana vnc. S.
Paſſularum,
Liquiritia munda ana vnc. ij.

Conquaſſentur & infundantur in aqua pluuiali. Q. S. per diem, & noctem, poſtea decoquantur ad medietatis aquæ conſumptionem, & tunc deponantur ab igne & dimittantur, donec, aqua tepuerit. & cum manibus in aqua fricentur, & in colatura addatur mellis, vel zucchari. Q. S. & ſucci pomorum dulc. lib. 1. & f. Syrupus.

Applicentur eo tempore in coxis ventoſæ ſiccæ in parte domeſtica, & ſimiliter in tibiis frictiones reiterentur.

Fiat item fomentatio cum ſpongia infuſa in infraſcripta Decoct. in pectine, & iliis, incipiẽdo per

quatuor

quatuor dies an menſtruationem, & continnando per plures.

℞. *Sanina*,
Inniperi,
Snluia,
Ruta,
Rnb. Tinctornm,
Pnrietaria,
Serpilli,
Fl. Roris marini,
Artemiſia,
Malua,
Cnlamenti,
Mentnſtri,
Rad. Aſparngi ann M. ij.
Bruſci,
Apij,
Fanicnli.

Decoquantur ſecundùm art. in aqua Q. S. pro dicta fomentatione fienda; facit enim hæc fomentatio ad remouendam denſitatem, & frigiditatem matricis, & ad venas dilatandas; Ad quod & ea faciunt, quæ ad intra collum matricis ponuntur, ſicut berba mercurialis vel contuſa, vel ſubtiliter inciſa io petia lini ſubtilis ligita, & poſita ad intra collum matricis, & debet imponi cum filu ligata, vt poſſit liberè extrabi: facit etiam ad id fatioa Guh, quæ imponatur, vt ſuprà.

Ad idem R. Mithridati El. dr. j.
Maſticis pulner. ℈. ij

Miſc. & ponatur ad intra collum matricis, vt ſuprà.

Item *R. Gentiana*,
Pulegij ann ʒ ij.
Nigella drach j.

Tere ſubtiliter & confice cum pulpa ficuum ſiccarũ pinguiũ, & ſucco Mercurialis, donec fiat paſta.

Ad idem cotum, ſeu bombax, vel lana ſuccida in ſucco matricariæ & theriaca ſimul mixtis, intingatur, & ſupponatur, vt ſuprà.

Ad idem *R. radices ireos, vel Enula melle innolutas, & ſuppone.*

Item fiat ſacculns in formam digiti, & impleatur pul. nigella, & inungntur cum oleo trino, qui ſupponatur, vt ſuprà.

Item ad idem *R. Caſtorei,*
Myrrha ana dr. ij.
Mnſci gr. vj.

Et f. ſimilitudines glandium cum ol. Irino, & ſupponantur.

℞. *Myrrha ann dr. S.*
Calamenthi ann dr. S.
Saninn ann vnc. j.
Ruta ſicca ann vnc. j.
Paſſularum mund. ℥ *ij.*

Conficiantur cum felle vaccino, & cum lana, vel coto ſupponantur. Etſi iſta ſuppoſitoria facerent ardorem, madefaciat pannos, lini in albumine oui, ol. violato, vel roſato, aut lacte, & ſupponat.

Alio verò menſe ſequenti, per quatuor, vel quinque dies ante ſolitam menſtruationem reiteret phlebotomiam ſaphenæ extrahendo ſanguinis vnc. v. à dextra, & vnc. v. à ſiniſtra, in reliquis omnia alia faciat, ac reiteret, vt ſuprà dictum eſt.

Quantum verò ad generationem lætitiæ, & cordis confortationem, quod ſemper in hac cura fieri dicit, ſunt ſpiritus multiplicandi, clarificandi, & à fumis, ſeu vaporibus mundificandi. Multiplicatio ſpirituum fit cum rebus boni, & multi nutrimenti ex iis quæ ſuprà diximus in regimine ſex rerum non naturalium.

Pro ſpirituum clarificatione laudo, vt quotidie vtatur pulu. ſetæ, & margaritarum; & vt ſeta bene poſſit puluerifari aliqualiter aduratur, vt præcipit Meſue, in deſcript. Diamuſci dulc.

Pro mundificatione ſpirituum à vaporibus melancbolicis laudo, vt ſæpe vtatur bugloſſa, & meliſſa, quarum proprietas eſt confortare, & lætitiam facere mundificando ſpiritus à vaporibus melancholicis, vt Auicenna voluit in tract. *de Vir. Cord.* Et quia pulueres quandoque cum difficultate capiuntur, poterit ex pulu. margaritarum, & ſetæ cum ſucco meliſſæ conficere pilulas, addendo modicum ſyr. de pomis ſimpl. ſi oportebit, & eas exhibere, vel ante ſyrupum vel ante cibum.

Valent etiam ad hanc intentionem, theriaca, mithridatum, diamuſcus dulc. & amar. Electuariũ lætificans conc. Electuarium de gemmis. Et ſi alicuius iſtorum timeretur exceſſiua caliditas, præcipuè tempore æſtiuo, docuit Auic. *in tract. de virib. Cord. cap.* 4. faciendam eſſe decoctionem eorum in ſufficienti quantitate ſucci pomorum dulc. vel granatorum dulc. vſque ad ſpiſſitudinem.

Ad hanc etiam intentionem valebit vſus diabugloſſati, diaborraginati cum fragmentis cordialibus, & placeret ſicut fit diabugloſſatum, vt ita etiam meliſſa cum zucchаro conditerur, & ea condita cum pulu. margaritarum, & ſetæ vteretur.

Valent etiam ſacculi, & epithemata in regione cordis, quæ fieri poterunt, vt infrà.

℞. *Aquarum bugloſſa.*
Meliſſa ann ℥. ij.
Succi pomornm dulc. vnc. iiij.
Been Albi, & Rubei nnn ℥. ij.
Doronici,
Pnlu. ſeta combuſtn,
Fl. bugloſſa,
Borraginis ana. dr. S.
Pulu. gariofillorum ℈. j.
Muſci gr. v.
Croci gr. iv.
Spodij.
Fl. Violarum ana. dr. S.
Vini albi odoriferi ſubtilis vnc. j. S.
Pulnerizatis pulueriZandis Miſc. pro Epithemate cordis.

Ex eiſdem verò pulueribus ſine liquoribus fieri poterunt etiam ſacculi cordis, &c.

CONSILIVM XV.

De muliere ſymptomatn patiente.

Attento animo legi, & conſideraui, quæ à nobiliſſimo, & eruditiſſimo Medico ſcripta ſunt de nobili muliere, quæ quidem mihi viſa ſunt talem, ac tantam rerum omnium difficultatem cõtinere, vt planè ſim neſcius, an totos quinque & triginta annos, quibus medicinam facio, alius caſus ſe mihi obtulerit difficilior, & maiori dignus conſideratione. Ac ſanè difficultas mihi ex eo fit maior, quòd de abſente ægrotante iudicium faciendum ſit. Quanquam enim per literas ſint omnia diligentiſſimè expoſita quæcumque ad hanc rem quouis modo pertinent, vt præterea vix quidquam poſſit deſiderari, verum tamen nulli dubium eſſe poteſt, quin præſentia medici, viſio laborantis corporis, mutuæ interrogationes, & reſponſiones magnas vires habeant ad informandum, & inſtruendum medicum, vt exquiſitius poſſit, & omnia cognoſcere, & curationem adhibere.

Vtcunque autem hæc ſe res habeat, ad illam aggredior. Atque vt aliquis in narratione alioqui longa ordo inſtituatur, mihi liceat eam in tres partes partiri, quæ præcipuè rationes variorum temporum poſſint explicare. Quorum illud

eſtu

eſto primum, totum illud temporis ſpatium, quo N. M. non nupta domi vixit, nimirum vſque ad annum ætatis ſuæ 34. Secundum, id eum in matrimonium collocata coacta eſt propriam domum deſerere, & ex aëre ſatis temperato in regionem auſtrinis flatibus, quàm maximè expoſitam migrare, quod ſexennio terminatur. Tertium verò illud ſtatuatur cum illa in propriam domum, ac patriam ſe recepit, quod vſque in præſentem diem protenditur. Itaque ex iis, quæ narrantur primo illo tempore, mihi videor poſſe colligere N. M. ſuapte natura habuiſſe temperamentum, & partium principalium, & corporis totius ſatis laudabile, & probatum; quod tamen quatenus pertinet ad cerebrum, cor, & iecur, adeoque vniuerſum, cenſeo declinaſſe ab optima temperie, ac fuiſſe calidius, ac aliqua ex parte humidius, id, quod ex inſigni copia ſanguinis, ex febribus ſynochis, & aliis id genus facilè poteſt comprobari. Quod autem attinet ad conſequens tempus ſex annorum; equidem ita ſentio, & propter cœli importunitatem, & propter vehementiſſimas animi perturbationes, denique propter ſuſceptum contagium gallicum N. M. tunc potiſſimum fuiſſe correptam iis morbis, & ſymptomatibus, quæ ſunt enarrata; ac ſimul altas radices fuiſſe progenitas poſteriorum malorum, vt nulli mirum debeat videri ſi tot deinceps, & tanta pericula fuerint conſequuta: nam præter cætera incommoda puto hoc ipſo tempore factum eſſe propter eaſdem cauſas, addo morbos varios, ac forte multos errores, vt ventriculus quoque alioquin bene valens, & qui antea nulla propè congrua ſeruata victus ratione probè conficere ſolitus fuerat omne genus alimenti fuerit admodum labefactatus, cuius quidem partis, vel ſolius infirmitatem, ac torporem, vt cum Hip. loquamur, ſummam rerum omnium confuſionem in nobis parere notius eſt, quàm vt debeat longius demonſtrari. Venio ad poſtremum temporis ſpatium, in quo referuntur varij, multiplices, & per quàm graues affectus, quorum nonnulli videntur, proximo ſuperiori tempore incepiſſe, ac deinceps perſeueraſſe, nonnulli verò primum ſuperueniſſe, in quibus quidem referendis & perpendendis referam me ad illum ordinem, quem video virum doctiſſimum tenuiſſe in ſuis litteris. Primum igitur ſe offert ſanguinis fluxio ex ſede, quam cœpit antequam N. M. domum rediiſſet primis quidem diebus ſatis parcè tamen ſecum afferens neſcio quos vertiginoſos motus, & leues quoſdam animi defectus, deinceps verò vſque adeo profusè, vt quindecim dierum ſpatio plures quàm 20. libræ ſanguinis effluxerint, atque illud ſanè ſymptoma ferè nunquam non perſeuerauit, atque etiam nunc perſeuerat, modò frequenter, & copiosè, modò rarò, & moderatè, interdumque factum eſt vt præterea acceſſerint hæmorrhoïdarum dolores vſque adeo ſæui, vt illa ſemel coacta fuerit integros ſex menſes decumbere. Succedit ſecundo alui adſtrictio, quæ poſt diuturnum annum 1577. facta eſt admodum inſignis, vt non niſi clyſteribus deiicerentur excrementa aridiſſima, ac lapideam probè duritiem repræſentantia, quæ tamen haud perpetuò durauit, cum quibus excrementis, atque interdum ſine illis vt plurimum deiici conſueuit tanta copia pituitæ, vt res videatur digna leui admiratione. Tertiò ſequitur affectus ventriculi, qui eſt duplex, alter, & ille quidem grauiſſ. ſimul dolor in media illius regione valde acerbus, à quo poſt acutiſſimum morbum iam triennium cœpit veſari, qui pluribus modis varius eſt, & valde implicatus, cum non ſolùm varias illius partes ferè omnes occupet, verùm etiam ad proximos locos non nunquam extendatur; ac præterea incerto tempore, nullaque ſeruata periodo ſoleat acerbior fieri. Alter verò eſt quidam tumor mediam, dextrámque ventriculi ſedem occupans, qui viſus eſt incipientis ſcyrrhi imaginem repræſentare, deinde aucta inſigniter febre, ac ſiti, inflammationis ſuſpicionem referre, tamen imminuta ſenſim duritie poſtremo hoc tempore quaſi ex toto euanuiſſe. Quartò numeratur febris, quæ cum ante ſex menſes cœpiſſet, ac diu fuiſſet quàm maximè inconſtans, & varia, vt nullum certum typum referret, tandem in præſentia facta eſt febris continua quæ ſingulis vt plurimum diebus non modò ſemel, ſed etiam bis manifeſtas habet acceſſiones, tum alio tempore tum præcipuè noctu; cui ferè perpetua, maximè autem tempore vigentis acceſſionis coniuncta ſunt ſymptomata, maximus æſtus, ſitis implacabilis, & quandoque linguæ ariditas. Quintò commemoratur malus quidam corporis habitus, quem præcipuè tumida facies, tumidique pedes videntur indicare. Quo quidem eodem affectu N. M. laborauit ante nonnullos annos, probáque inſtituta viuendi ratione, ac nonnullis adhibitis remediis potiſſimùm clyſteribus priſtinam recuperauit ſanitatem. Poſtremò aut ſum neſcius an debeat prætermitti lues Venerea, qua nobilis mulier polluta eſt iam multos annos, de qua quidem cum litteræ nullam in præſentia mentionem faciant, ac propterea nihil certi ſtatuere poſſim, tamen non iniuria licet ſuſpicari, illam ex toto nunquam fuiſſe liberatam, ac forte non leuem tanti mali ſobolem adhuc ſupereſſe. Sed illud hoc loco mihi libet quærere an nobiliſſima mulier præter iam numerata mala laboret etiam melancholia, namque ſi illa conſiderentur ſymptomata, quæ hunc affectum ſolent demonſtrare, ex illis nonnulla videntur adeſſe, qualia ſunt potiſſimùm lachrymæ, & plorandi deſiderium, quæ aliquam huiuſce rei ſuſpicionem facere poſſunt. Verùm cum nullam habeat deprauatam imaginationem, ſine qua nulla poteſt extare melancholia, cenſeo, illá quidem hoc tempore tanti mali immunem eſſe, ſed tamen fore vtcumque procliuem vt illud incidat, ſiquidem facilè fieri poteſt, cum multæ ſint ac validæ obſtructiones in membris naturalibus, vt oborta inflammatione, vel ſaltem aucta caliditate præter naturam venarum & partium, quæ ventriculo, & piloro ſunt contiguæ, humores exurantur, atque ibi atra bilis colligatur; vnde eiuſmodi affectio, quam *hypocondriacam* appellant, oriri ſolet. Itaque hi præcipuè cenſentur eſſe illi aff. ctus, qui conſilium, & remedium poſtulant; licet enim alij præterea non deſint, nec ſanè ſpernendi: tamen omnes mihi videntur facilè ad iſtos proximè expoſitos poſſe referri, vt de iis non ſit opus propriã, & longiorem tractationem inſtituere. Porrò ſi vellim dicere de huiuſmodi morbis, & illorum cauſis quæcunque dici poſſunt, id certè nimis longum, ac fortè non neceſſarium foret, quare in magnis anguſtiis præſentis temporis mihi liceat hanc rem ſummatim agere; qui cenſeo ſi quis memoria repetat quæ ſuperiùs poſita, & ſtatuta ſunt, hunc ſine multo labore poſſe totum iſtud negotium conficere. Nam prædicta ſymptomata, fluxio ſanguinis à ſede, mea ſententia non aliunde potiſſimùm ducit originem, quàm ex iecore calidiore, addo & contagio gallico inquinato; cum enim illud efficiat inſignem copiam ſanguinis, & quidẽ calidioris, & ſpirituoſi, vt multa quoque illius fæx adeóque ſuccus melancholicus, generetur, neceſſe eſt; qui deinceps propter varios errores in cunctis rebus non naturalibus, potiſſimùm verò quatenus pertinet ad perturbationes animi vehementer auctus, ac fortaſſe aliquam vſtionem adeptus inſtituto naturæ facile

Digitized by Google

potuit ad infernam ſedem præcipitare, docente Galeno hæmorrhoidas citari non poſſe, quin iecur in ipſa fæculentum, & melancholicum ſanguinem reiiciat. Adſtrictionem alui, & excrementa aridiſſima quæ Græcis σκύβαλα appellantur, puto fieri in primis ob eandem iecoris calidam, & depranatam conſtitutionem, ex qua non iniuria ſolent excrementa, & ſiccari, & quaſi lapideſcere, quanq iam cenſeo adſtrictionem alui ab illa quoque inſigni copia pituitæ non parum iuuari, vt potè quæ vim bilis retūdat, quominus hæc, vt ſolet, naturam poſſit ad excretionem ſtimulare; quam quidem vſque adeo largam copiam pituitæ iudico maiori ex parte, atque in primis generari in ipſo ventriculo, & inde tranſmitti facillimè ad inteſtina. Quod porrò attinet ad affectum ventriculi, ita equidem ſtatuo, illum intemperatum eſſe maximopere intemperie quidem frigidiore, quod multis argumentis euidentibus facile vnuſquiſque poteſt intelligere, fortè etiam ſicciore. Etſi enim de huiuſmodi qualitate nihil certi auſim aſſeuerare, tamen ex ingenti ſiti, ex oris ſiccitate, atque ex totius corporis extenuatione, vt interim cætera Indicia Galeni talem intemperiem demonſtrantia intermittantur, de quibus nihil afferre poſſum, ſuſpicor N. M. laborare intemperie potius ſicca, quàm humida: neque me ab hac ſuſpicione poteſt ſatis dimouere inſignis copia pituitæ, quam dixi modò generari in ipſo ventriculo, cum probè ſciam minimè ex excrementis faciendum eſſe iudicium de partium temperatura, cenſeámque ab hoc humore haud fuiſſe genitam intemperiem, ſed contra magis ex intemperie, & viriata facultate concoctrice huiuſmodi humorem fuiſſe genitum, & aſſiduè gigni. Iſtud volui dixiſſe, ſed tamen nihil ita affirmem vt V iri Doct. hanc rem poterunt cogitare accuratiùs, & de ea ſemel decernere, cum multum faciat ad vniuerſam curandi rationem. Cæterùm præter intemperiem qualiſcunque ea fuerit, vnde pro comperto habendum eſt magnam gigni copiam excrementorum, & flatuum, puto etiam ex proximis partibus potiſſimùm iecore, haud ne fortè etiam capite alios quoque humores ad ipſum ventriculum tranſmitti aſſiduè bilem, melancholiam, pituitam, ex quibus tot, & tantis hoſtibus mirum non eſt ſi tot, & tanta mala orta fuerint, & adhuc perſeuerent. Cùmque exiſtimem eſſe neminem, qui non facile ex iis poſſit colligere certam rationem, & doloris, & tumoris, & reliquorum ſymptomatum, & problematum, quæ proponuntur, non eſt vt de illis agamus longiùs. Febris qualiſcumque ea fuerit ſuperiori tempore mihi videtur in præſentia reponenda eſſe inter febres tertianas continuas, & illas quidem inſignitas notas putreſcentibus intra venas maiori ex parte bile, pro parte etiam pituita, & melancholia non iniuria factis multis, maximiſque obſtructionibus, quarum quidem obſtructionum, & humorum putreſcentium generatio nulli non poteſt eſſe manifeſta, qui memoria velit repetere conſtitutionem & ſingularum partium, & corporis totius, addo & externos errores N. M. de quibus ſatis iam dictum eſt. Poſtremo de malo itidem corporis habitu, breuibus agendum eſt, partim quòd ille videatur admodum leuis, partim quòd & ſymptoma, & morbus illius cauſa poſſint omnibus conſtare, quandoquidem non ſolùm veriſimile eſt, ſed etiam neceſſarium poſt tam multos, tam diuturnos, tam graues affectus, poſt quamplurimos errores calorem natiuum fuiſſe debilitatum, ac propterea iam diu fuiſſe genita, atque etiam nunc generari multa excrementa crudiora, quæ tumorem faciei, plerúmque adeo malum quemdam habitum non ſine ratione poſſunt efficere. His ergo hunc in modum conſtitutis ſtatim venio, quod vnum ſupereſt, ad rationem curandi, quam quidem propoſitum mihi eſt itidem breuiter perſequi, & in nonnullis tantummodò rebus verſari, quæ videntur eſſe maioris momenti, cum tempus non ſuppetat ad longiorem ſcriptionem, certoque ſciam me ſcribere ad Viros Doctiſſimos à quibus doceri, non docere decet, illoſque hactenus illa omnia remedia prudentiſſimè, & diligentiſſimè adminiſtraſſe, quæcumque, ratio, & experientia poſſunt ſuppeditare. Multi, ac varij affectus ſe nobis offerunt curandi, qui propterea multas, ac varias afferunt indicationes, neque verò ſolùm multas, & varias, ſed etiam multis modis, ac vehementer inter ſe diſſentientes. Ex qua quidem malorum, & indicationum varietate, & diſcrepantia, puto in primis factum eſſe, quantumuis medici nobiliſſimi, & exercitatiſſimi ſumma cum ratione, & prudentia multa præſidia adminiſtrauerint hactenus, vt res non ſucceſſerit congruenter illorum votis, id quod mea ſententia verendum eſt ne ſimiliter fiat in poſterum. Sunt enim morbi multi, grauiſſimi, antiquiſſimi, inter ſe admodum repugnantes, corpus laborans iam ingreditur primum ſenium, infirmum eſt, quàm maximè extenuatum, & ad recipiendam curationem multis nominibus quàm minimè aptum; quàm plurima, & ferè omnia præclara præſidia iam ſunt fruſtra adminiſtrata, adeo vt ſi diligenter omnia mecum reputo, vix mihi liceat animo concipere rationem, vnde N. M. ſuam priſtinam valetudinem poſſit recuperare. Verùm enimuero, vt ne quaque bona voluntas mihi defuiſſe videatur, quàm breuiſſimè exponam quæ mihi occurrunt, & quæ minus mihi diſplicent, quàm cætera. Ante omnia foret neceſſe, ſi modò id fieri aliqua ratione poteſt, vt ex præcepto Platonis, & Galeni N. M. aliquam reciperet medicinam morborum animi, quandoquidem ſine huiuſmodi prouidentia corpora vix probè poſſunt curari; ſed cum hæc ſint alterius inſtituti, rem meam proſequar. Itaque ſentio in hac rerum difficultate, & implicatione Galeni decretum ſeruandum eſſe, vt ſi illorum affectuum primum, ac potiſſimùm habeatur ratio, qui maius negotium, & periculum faciunt, qui cauſæ rationem obtinent, & qui demum ante alios ſanari poſſunt, ſed tamen ita, vt quatenus licet, neque cæteri prorſus negligantur. Et ſi verò iſtud quoque difficile eſt intelligere, & hanc determinationem facere, verumtamen duo mihi videntur eſſe præcipui affectus, qui cæteris omnibus magis vigent, qui cæteros omnes fouent, & qui ſunt impedimento, quo minus alteri ſanari poſſint. Alter eſt febris, alter eſt fluxio ſanguinis ex ſede. Namque febris omnem maximè facultatem lædit vniuerſum corpus regentem, & ſi illa diutius perſeueret, periculum imminet, ne vel fiat hectica, vel ipſam vitam finiat: præterea niſi illa primùm auferatur, aut ſaltem mitior reddatur, vix licet vti illis remediis, quæ ad cæteros tollendos morbos ſunt, & opportuna, & neceſſaria. Sanguinis item fluxio fortaſſe omnium malorum fons ſtatuenda eſt, cum ſine dubio non fuerit ex illis purgationibus, quæ nonnunquam maximè conferunt, ſolentque & curare, & adſeruare humores à grauiſſimis malis; nam perpetuò noxia fuit, & multa attulit incommoda. Si huiuſmodi ſanguine copioſè fluente narrant litteræ conſequutum fuiſſe morbum diuturnum, febrem, cachexiam, mala ventriculi maiora, & acerbiora fieri, abdomen aliquando intumuiſſe, & omnia labi in deterius, id quod rationi planè eſt conſentaneum, nec debet pluribus demonſtrari.

demonſtrari. Cum igitur nimia caliditas, ac depranati iecoris conditio in vtroque hoc malo ferè videatur principem locum tenere, mihi probaretur vt iſtius viſceris maxima, & peculiaris ratio haberetur. Ac primum ſi per cachexiam, & humorum crudorum copiam liceret, quod ſolet referre ad ipſas vires, laudarem vt maximè tempore veris ad hanc rem mirificè accommodato ſanguinem mitteret N. M. ex vena ſuperiori quam baſilicam vocant dextri cubiti, ſed tamen omnino parcè, ac fortaſſe non ſemel; cum enim ex maximo æſtu, tum corporis vniuerſi, tum maximè dextri hypocondrij manuum, ac pedum ex ingenti, atque aſſidua ſiti, immoderatis vigiliis, & aliis huiuſmodi argumentis conſtare ſatis poſſit iſtud membrum, adeóque totum corpus non leuiter incaluiſſe, omnis ratio colligit eiuſmodi remedium poſſe non niſi præclaram operam præſtare: neque verò illud hoc duntaxat, ſed aliis quoque nominibus cenſendum eſt poſſe prodeſſe, cum habeat præterea peculiarem vim reuellendi, fluentem ſanguinem ad partes inferiores, ac totum corpus æquabiliter vacuando iure poſſit viam facere, quæ fortaſſe alioquin foret inuia, cæteris præſidiis, quæ ad tollendas obſtructiones & ad alias proprias indicationes ſunt accommodata. Cum autem nulli dubium eſſe poſſit quin N. M. indigeat quoque purgatione, hac ſpeciatim in re mihi videntur eſſe quàm maximæ difficultates; namque ſi clyſteria ipſa vel mollia, ſi medicamenta vel leuiſſima, tot & tanta afferant incommoda & pericula, dolorem, & fluxum hæmorrhoïdarum, laborem ventriculi, lypothimias ſyncopas, quid de valentioribus ſtatuendum eſt? Hanc rem diu cogitaui, an reperiri queat aliqua ratio expurgandi corporis iſtius, quæ foret minus moleſta, & periculoſa, ac re vera nihil potui excogitare, quod omni ex parte congruens videri poſſit. Verùm tamen inter cætera omnia duo ſe mihi offerunt medicamenta, quæ libet in medium proferre Alterum eſt *mechiocham* quod appellant, quod quidem ſæpius in hac Vrbe experimur ſatis facilem purgationem efficere. Alterum eſt ſerum lactis, quod profectò eò mihi videretur accommodatius, ſi vt ſuſpicor N. M. laboraret intemperie ventriculi, & ſicca ſiquidem tale medicamentum ſatis alioqnin temperatum ſua quadam leui alterandi, abſtergendi, purgandi, facultate poſſet ad quamplurimos vſus conferre, ac ſpeciatim renes, & illorum vaſa iuuare, cum audiamus in matula inſignem copiam arenularum quaſi perpetuo reperiri. Noui equidem quæ vtrinque obiici poſſent incommoda; ſed vt dixi cum aliquid omnino afferendum eſſet, iſthæc mihi minus diſplicent, quàm cætera, vt neceſſariò fatendum ſit ſi aliàs vnquam, in hoc maximè caſu, veriſſimè ſtatuiſſe Galenum, nullum reperiri vſque adeo commodum medicamentum, quin aliqua ſecum incommoda, & pericula afferat. Cæterum in adminiſtratione omnium medicamentorum quandocumque tandem adhibeantur, cenſeo agendum eſſe cum iis potiſſimùm, quæ moderatas habent vires, vt quæ ex communi regula medicorum in intentum agere poſſint. Quàm maximè autem velim abſtinendum eſſe ab omnibus, quæ inſignem vim habent tenuandi; incidendi, & fundendi ſanguinem, ne detur anſa ad illius fluxionem, quam æſtimamus tantopere. Quamobrem nequeo ſatis probare vſum decocti, vel chynæ, vel ſaxafras, vel alterius medicamenti, quod habet eandem rationem, potiſſimùm verò ſi nulla adhuc remaneant veſtigia luis veneteæ; nam reuera ſi N. M. non eſſet hoc tempore eiuſmodi morbi immunis, cum ille ſoleat cæteros omnes morbos fouere, & reddere difficiliores, omnino foret neceſſe illius quoque propriam, & non leuem rationem habere, adeóque aliquo ex iis antidotis vti, quæ ad illum profligandum ſunt accommodata. In ampliſſima ſilua remediorum, de quibus mihi ſtatutum eſt non longiùs agere, nolo prætermiſiſſe vſum troc. cypheos; quod quidem medicamentum cum poſſit multa afferre emolumenta, illud certè fuerit peculiare atque inſigne ad corroborandum iecur, quod pro comperto habendum eſt, vehementer eſſe labefactatum, & ad compeſcendam fluxionem ſanguinis, cuius ſanè medicamenti propè ſolius longiore vſu verè teſtari poſſum clariſſimam Matronam in hac Vrbe Donatam de Caballis, quæ ex copioſiſſima ac longiſſima multorum annorum fluxione ſanguinis ex hæmorrhoïdibus in notabilem cachexiam inciderat, præter omnium opinionem iam ferè abſolutam ſanitatem recuperaſſe. Poſt hæc demum omnia neque illud poſſum ſilentio præterire cum N. M. diutius habuerit cauterium in brachio, & vehementer ſcateat omni genere excrementorum, mirum in modum mihi probari, vt illud renouetur, immò verò, vt duo efficiantur, quæ quidem cum variis in locis inuri poſſint, mihi non improbarentur ſi fierent in infima interna parte coxarum. Quo in loco præter generalem vacuationem, ac reuulſionem corporis vniuerſi, videntur neſcio quam prærogatiuam habere in iuuádo vtero, quem in noſtra ægrotante puto non carere aliquo fortaſſe etiam inſigni vitio. Et quanquam non ſine ratione poſſet quis exiſtimare huiuſmodi inferiorem ſedem non ſatis commodam propter fluxionem ſanguinis, tamen ſi attentè conſiderentur leges reuulſionis, & deriuationis, fortaſſe nec prorſus incommoda cenſenda erit.

Summis occupationibus impeditus hæc habui, quæ ſcriberem quaſi raptim de re tam difficili, tam multiplici, tam implicata, quæ cupio ſubiecta eſſe cenſuræ Doctorum hominum, atque illius potiſſimùm, qui ſcripſit de hac hiſtoria: cum enim ſingularem præ ſe ferat eruditionem, ac præſens ſit, nihil dubito quin præclarè poſſit de omnibus iudicare, & ſtatuere, cui me etiam, atque etiam commendo.

Conſilium XVII.

Caſus è ſcala mulieris iuuenis & eius accidentia.

PRoponitur curanda honeſta equidem iuuenis agens ſuæ ætatis annum xxij. frigidæ & humidæ temperaturæ exiſtens, habens cerebrum, ventriculum, cor frigidum: nam arterias, & venas paruas habet, nec valde pulſatiles, vnde arguitur cor frigidum eſſe: ventriculus etiam frigidus eſt, multa redundante humiditate, & tardè cibaria concoquens, hepar autem non multum exceſſum obtinet à temperato, quæ iuuenis in diebus elapſis dum per ſcalas non nimis altas aſcenderet, ſua mala fortuna, ex ſummitate ipſarum ſcalarum cecidit, ſed ſtatim ferè ex ſe ipſa ſurrexit, nullibi neque tumor, neque fractura, neque luxatio, neque vulnus deprehenſum fuit, niſi parua liuiditas apparuit circa ſecundam vertebram ipſius colli. Caſus fuit in hora xx. diei, & in ſequenti nocte deſipiens euaſit, & cœpit aliquo modo delirare, multa obloquendo nullo ordine, nulloque iudicio: hac de cauſa in ea nocte accerſitus fui ad ipſam curandàm, & audiens cauſam procatharticam à ſuis genitoribus, & accidentia omnia percurrens iudicaui ex impulſu & agitatione facta in cerebro

ex

ex caſu ſiue ictu ab alto effuſam eſſe aliquam materiam in cerebri ſubſtantiam, & in eius vent. cum mens ipſa in leui delirio traducebatur, vel fieri, vt inquit Hippocrates loquendo de deſipientia, quæ fit ex capitis ictu eo quia vehementiùs percuſſo, & impulſo cerebro, animalis ſpiritus, & mens ipſa perturbatur, atque confunditur; quapropter ſtatim videns ſymptomatis ſæuitiam, & timens ne fieret aliqua collectio vaporoſa, & apoſtemoſa in cerebro, ei inordinaui vt poſt ventris cum clyſterio reſpondentiam, venam cephalicam brachij ſecarent, & quinque vncias ſanguinis demerent: Et totum caput, (etſi ipſa de eo non nimis conquerebatur) cum oleo roſ. & chamæmelino ſimul cum pulueribus capitalibus inungerent, ordinaui congruam rationem victus, in omnibus prohibeo choleræ & melancholiæ generationem; vado intra 4. dies, deferbuit, & repreſſa fuit deliratio ipſa ſed ſtolida, & cum mœrore, & aliqua melancholia, & obliuioſa, quàm plurimos dies permanſit, & adhuc aliquantiſper permanet, & iam agitur huius affectionis tempus 80. dierum. Ego autem in memoria habens præceptum Galeni 3. *de locis aff.* quod multum intereſt curationem aggredi tum morbus in initio, & recens eſt; quia ſi inueteraſcit, difficilis admodum redditur, & præſertim melancholia quæ antequam confirmetur, eſt facilis curæ: Ideo ad hanc propulſandam, malam affectionem non procraſtinaui remedia, ſed continuè vſa fuit medicamentis habentibus vim roborandi præter affectas, & digerendi, & euacuandi natiuas peccantes, pituitam ſ. & melancholiam: cum enim naturalis huius iuuenis temperatura, ſit pituitoſa cum inſigni admixtione melancholiæ, pro comperto habeo huiuſmodi affectum prouenire ex opplero cerebro horum humorum, qui humores cumulari per viam congeſtionis in ventriculis cerebri, & partim etiam per conſenſum ſubiectarum partium agitari, & commoti ex aliqua externa cauſa, vel ex effumigatione facta à caliditate hepatis, & renum, alterant, & permutant complexionem ſpiritus animalis, vnde actiones interiorum ſenſuum anferuntur, vel diminuuntur, & ſic perturbatur cerebrum, & virtutes eius à ſuis operationibus, ex qua alteratione, & permutatione ſpirituum oritur aliqua ſpecies inſaniæ; quanto enim tempore quieſcit cerebrum, tanto etiam homo ſapit, nam ſicut corruptio in operationibus interiorum virtutum videlicet phantaſiæ, imaginatiuæ, & cogitatiuæ, vt plurimum fit à caliditate, & ſiccitate, ſic ablatio, & diminutio vt plurimum à frigiditate, & humiditate: ſic declarat etiam Hippoc. quòd illi qui à pituita, & melancholia naturali, vel ex ea quæ non inſigniter ſit aſſata inſaniunt; fiunt timidi, & mœſti, & quieti ſunt, & non vociferantur, neque tumultuantur, & ſic præſertim accidit in iſta honeſtiſſima iuuene; qui verò à bile inſaniunt, vociferatores, & malefici, & non quieti ſunt, ſemper aliquid intempeſtiuum facientes, furor enim eſt affectus caloris feruentis: in præſenti in iſta iuuene læſio videtur eſſe tantummodo in opere phantaſiæ, & imaginatiuæ poſſe, imaginatur enim res timorem inducentes, & timore illo concitata profert verba timoris, & in ſeipſa ſermones corruptos profert; & in operationibus memoratiuæ potentiæ videtur etiam aliqua diminutio, & tandem ſic permutatæ ſunt operationes cerebri, & etiam cordis. At accidentia melancholiæ dicere non prætermittam, quòd in primis diebus huius affectionis adfuit febris continua, ſed non inſignis: aderant etiam vigiliæ cum nonnullis ſignis maniæ, ſiue furoris, quoniam indicabant caliditatem cum deiectione appetitus, & ventris ſtipticitate, nunc verò eſt immunis à febri, ad libitum dormit, quieta permanet quæ eam ſuper frigidam atteſtantur, & ad oblationes bene ſe habet cum debita, & aſſueta ventris reſpondentia. Non prætereo etiam dicere quod antequam cecidiſſet, communiter in ſtatutis temporibus menſtruebatur, ſed in diebus elapſis, cum ſuperueniſſet tempus, in quo fluere debebant menſes, & non apparuiſſent, iuſſi vt ſerapia, & brodia exhiberet ad hoc, vt ſanguis per venas fluctuaret, & eius craſſitatem & adhærentiam, & glutinationem perderet, & venarum orificia, quæ ad vterum pertingunt deobſtruerentur, cuius gratia exhibitum fuit etiam caſtoreum decoctum, ſem. cap. ven. & matricariæ, & appoſitæ fuere cucurbitulæ in coxis cum frictionibus quæ omnia educere non potuere; tandem ordinaui, vt venam pedis ſecarent, & chirurgus propter venarum paruitatem non valuit ipſam ſecare: medicamenta autem quæ exhibita fuere in huius temporis ſpatio, breuius quàm potero enarrare non deſinam adhoc, vt vos vi & arte medica docti, & periti poſſitis de agendis vlteriùs diſcurrere, & aliquo præſentaneo remedio hanc malam, & verendam affectionem ex toto propellere: à principio præparatis humoribus peccantibus ſuis concoquentibus, exhibitum fuit medicamentum ſolutiuum cum confect. hamech. & elect. roſ. meſ. quæ euacuatio repetita ſiue reiterata fuit, & in eodem tempore vſa fuit mithridato cum conſerua dianthos pluties, & ferè continuò vſa eſt conſeruis cordialibus cum marg. & pulueribus cordialibus: ſæpe euacuata fuit cum infuſione ſenæ, epithiml, polypod. tandem exhibitum fuit elleb. nig. & etiam pilulæ de lapide lazuli: circa hæmorrhoïdas applicatæ fuere hirudines vt etiam cor poſſet bonos ſpiritus vitales condonare ipſi cerebro; ad generationem ſpirituum animalium procuraui vt corroboraretur variis epithematibus: conſtructæ etiam fuere decoctiones, vt per exterius fouerent caput, cum ſit membrum receptiuum malarum impreſſionum, ex quibus omnibus, etſi apertè iuuamentum tunc cæperit, adeo vt conualeſcens dici poſſit, nihilominus ſtolida ferre, & melanc. permanet, aliquando plorat, & triſtatur nulla præcedente cauſa, & rogata quare contriſtetur, nullum rationabile præbet reſponſum, & obliuioſa eſt. De cauterio in aliqua capitis parte nullum verbum vtique feci, quia cum ſit iuuenis adhuc non iuncta viro, ne dum ipſa, ſed etiam eius genitores omnino recuſant huiuſmodi remedium.

℞. Confect. Anacardi. vnc. j.
Diamuſci dul. vnc. ij.
Elect. de bened. vnc. iij.

CONSILIVM XVII.

De muliere pregnante vulnerata.

AGitur menſis quartus in quo mulieris annorum triginta partus ſunt ſuppreſſi menſes, cum enim tunc temporis ab eius viro fuiſſet vulnerata in facie, manumiſſa mœſtitia, & timore correpta ſibi contigit vt ſupprimerentur menſes, tranſactis verò nonnullis diebus à ſuppreſſione menſium incœpit corripi febre, quæ quotidie cum frigore, & rigore eam inuadit, nunc vergitur 15. dies, quo etiam gonorrheam, ſeu fluxum ſeminis tentat, de quibus quidem vitiis, à quibus malè afficitur mulier eſt dicendum. Loquemur itaque in primis de febre, tanquam de affectu, ad quem in præſentia dirigenda eſt curatio,

poſtea

poſtea & de aliis ſermo fiet, ſiquidem ſublata febre etiam aliæ affectiones curari poterunt.

Statuimus itaque febrem huiuſmodi mulieris eſſe putridam, & ſecundam tertianam intermittentibus proportionatam, atque eandem produci ex bile putreſcente in venis à partibus principalibus remotiſſimis; inter quas ſunt venæ habitus totius corporis huius mulieris, quo quidem demonſtratur, quod & ſcabie tentatur, qua ctiſis fieri conſueuit in febribus diuturnis dummodo putreſcant humores in venis proximis ipſi cuti, quin etiam humorem biliosum in venis vteri putreſieri exiſtimamus; quandoquidem ibi putreſieri ſolet vbi reperitur obſtructio, quia ex obſtructione caliditas fluens prohibetur, & redditur extranea, & putredinalis; adeſſe verò obſtructiones patet ex menſium ſuppreſſione, de cuius cauſis infrà dicemus. Verùm humor bilioſus putreſcens, in ſecundi loco iam propoſitorum ſimplicem ad ſecundum & tertium producit, & quando non eſt ſincerus, ſed cum aliis humoribus mixtus, ideo non ſimplicem & exquiſitam febrem producit, ſed ſpuream; permiſceri autem ego arbitror cum melancholia magis, quàm cum pituita, non laborat ſcabie ſicca, quæ ab atra bile producitur. Et quia ſumus in augmento quo tempore melancholia augere conſueuit, ideo ſtatuendum eſt, fieri hanc febrem ex bile ſpuria minus famoſa, Auicennæ enim eſt ſententia ſecundam eſſe bilem notam aliam magis aliam minus famoſam, atque hanc bilem minoris famæ fieri ex permiſtione cum melancholia, aliam verò, quæ ab ipſo nuncupatur bilis vitellina: quoniam vitellis ouorum ſimilis eſt ſecundùm conſiſtentiam, bilem ſpuriam maioris famæ appellauit, porrò producitur hic humor bilioſus & melancholicus, qui eſt cauſa præſentis febris, labefactata aliqua ex parte facultate iecoris propter intemperiem iecoris, qui bilis flauæ fons eſt: quatenus verò hic humor permiſtus eſt cum pituita, producitur ob malam rationem victus cui pauperes obnoxij ſunt. Et hæc ſunt, quæ breuibus methodò reſolutiua de febre huius paſſionis dici poſſunt.

Suppreſſio menſium eſt retentio præter naturam.

Quantum ſpectat ad ſuppreſſionem menſium, huiuſmodi ſymptoma habet rationem retenti præter naturam, ſi quidem detinentur menſes, qui detineri non deberent. Eſt autem dubium vtrùm mulier vtero gerat; quoniam dum deſinunt menſes, vtero gerere conſueuerunt.

Signa vtero gerentium.

Siquidem agitur quartus menſis, ex quo menſtrua ſibi ſunt ſuppreſſa, & nullum animaduertit tumorem ipſius vteri, nullum motum infantis, mammæ non ſunt tumefactæ, & quod magis eſt eiuſmodi ſuperſtitionibus obnoxia eſſe conſueuit, & cum paſſa ſit aliàs non longum tempus, ideo eam vtero non gerere in præſenti exiſtimamus, ſed huiuſmodi ſuppreſſionem menſium omnino eſſe præter naturam, atque fieri poſſe, deprauatam eſſe retentionem, quæ contingit fruſtrata retentrice, quæ quidem fruſtratur & immediatè & mediante fruſtratione expultricis; immediatè autem fruſtratur & propter morbum, & propter internum errorem morbi, vt arbitror eſſe intemperantiam frigidam, & ſiccam ipſius vteri, ibi enim reſidet humor melancholicus vt patet, & ſibi ſimilem intemperiem frigidam & ſiccam producit, quæ potiſſimùm producitur, quoniam humor melancholicus eſt terreſtris, viſcidus, & craſſus, & ideo diu detineri poteſt. Sed prætereà contingit fruſtrari quoque facultatem expultricem, & eius vim operantem eſſe abolitam, quoniam menſes expellere non poteſt; quod potiſſimùm euenit propter morbum in obſtructione; quandoquidem ab humoribus melancholicis, craſſis, & viſcidis,

Suppreſſio menſium à quibus cauſis fiat.

& fortè etiam induratis procedere exiſtimamus; dum enim hæc mulier obtenta eſſet ſuppreſſione menſium & ab eius viro eſſet vulnerata, ita timore, & mœſtitia, & ab aliis animi perturbationibus & vigiliis eſt correpta.

Plurimi in ea fuerunt geniti humores melancholici, quare non eſt mirum ſi ſibi fuerint menſes ſuppreſſi. Verùm quemadmodum ſuppreſſio menſium habet rationem ſymptomatis, vt dixi, ita etiam quoniam producitur ab obſtructione, habet rationem cauſæ producentis febrem.

Quantum ad aliud vitium, hoc ſine dubio deponimus eſſe gonorrheam; minimè verò fluxum muliebrem; quandoquidem aliàs paſſa eſt ſuppreſſionem menſium ſpatio quatuor annorum & nihilominus non fuit correpta hac alba fluxione ex pudendis: ſi itaque huiuſmodi fluxio eſſet fluxus muliebris, tunc temporis debuiſſet ipſum magis pati quàm nunc; accedit, quòd etſi aliquando coniungitur ſuppreſſio menſium cum fluxu muliebri, hoc tamen rarò euenire conſueuit, quia ſi ſunt obſtructæ venæ, per quas naturaliter ſingulis menſibus confluit ſanguis; obſtructiones huiuſmodi efficiunt quoque vt non fluat pituita.

Gonorrhea quid?

Statuimus itaque hanc mulierem gonorrhea detineri; quapropter in huiuſmodi ſymptomate eſſe incoctum à toto genere præter naturam; quia eſt ſemen putridum calidum habens aliquam acrimoniam, inuoluntariè egrediens, læſa retentrice vaſorum deferentium; atque valdè diminuta propter nimiam laxitatem eorum, quæ ex ſuperfluo ſemine pendent, quodque generatur labefactata facultate propter intemperiem calidam teſtium, ſiue hæc caliditas ex febre, ſiue etiam ex ſuperflua venere fuerit genita: immò exiſtimandum etiam arbitramur eſſe lue venerea infectam; atque ideo ſemen in coïtu virulentum perfeciſſe; ſiquidem hæc mulier à doloribus nonnullis vexatur, puſtulaſque habet ſiccas, quæ ſine dubio ſunt virulentiæ vulnerum, quæ habuit ab eius viro, & fortaſſe non ſine cauſa.

His itaque ſic ſtatutis de eſſentia, & cauſis affectionum præſentis mulieris, ſi de prædictionibus ſermo fiat, ſperamus ſanari poſſe; namque ex huiuſmodi affectionibus duæ exiſtunt, quæ longitudinis tantum periculum habent, nempe ſuppreſſio menſium atque gonorrhea, febris verò cum ſit proportionata intermittentibus omnium partus, & ipſa quoque periculo vacat, quamuis diuturnitatem oſtendat per humorem qui à bile ſpuria producitur; ſi tamen huiuſmodi febris augeretur & permutaretur in aliam, quæ careret proportione, aliquod in præſenti muliere vitæ diſcrimen eſſet, ſic concipiunt ſpes ſalutis, ad remedia eſt deueniendum, etſi de indicationibus ſermonem habeamus.

Itaque gratia febris eſt refrigerandum, & humectandum gratia morbum introductum eradicandi; ideo prorſus eſt euacuanda bilis & melancholia putreſcens, gratia obſtructionis non proponuntur remedia, quia remouentur, ſi non habeat remedia quæ tollunt multitudinem, craſſitiem, & viſciditatem peccantis humoris gratia, minuenda eſt bilis, & melancholia non putreſcens, & attendendum eſt attenuantibus, & adſtringentibus humorum obſtruentias; necnon refrigerantibus gratia iecoris, iuuandus eſt motus naturæ, ſiquidem per motum quēdam ſimilem fit expreſſio humorum natantium ad cutem, & genitæ febres diuturnæ ſanantur: propter hæc remedia, quæ febri occurrunt, atque etiam in menſium ſuppreſſione vtendum erit alexipharmacis gratia curationis gonorrheæ. Fuit Galeni ſententia 3. *Meth. c. vlt.* in affectibus complicatis

parti

parti vrgenti attendendum eſſe, deinde habenti rationem eam, ſine qua non, poſtremò ipſi affectui.

Quid ſit vrgens malum.

Nunc non habet locum aliquod vrgens, ſunt enim ea vrgentia, quæ cogunt nos quam primum ratione ipſorum aliquid efficere, veluti eſt immenſus dolor, conuulſio partis vulneratæ, & aliud eiuſmodi, in præſentia itaque duo ſunt affectus, & habent rationem eam, ſine qua non, quibus prius eſt occurrendum, ſunt autem hi affectus, febris, & menſium ſuppreſſio. Quæ ſi non remoueatur, lui venereæ ſuccutere non poterimus, ideo de remediis, quæ has febres dirigunt, & non menſes ſuppreſſos, prius eſt agendum, deinde verò de alexipharmacis.

Inter inſtrumenta chirurgica non improbo vt fiat venæ ſectio, & vt euacuetur ſanguis per venam baſilicam dextri lateris: nam etſi morbi patientis non ſiunt in ſanguine, ſanguis tamen in ea aliqua ex parte fouet febrem; quia eſt ſuapte natura calidus: ſi igitur detrahatur iecur, & vniuerſum corpus refrigerabitur, conſulo tamen vt in affectu hoc diuturno, paucus & per epictaſim detrahatur vel euacuetur, quod quidem eſt Galeni ſententia 9. *Meth. cap.* 10. vbi dum vires incipiunt fieri imbecilles, iubet eſſe per venæ ſectionem ſanguinem educendum per epictaſim, itaque euacuetur priùs ea gratia ſanguis ad vnc. iij. deinde tranſactis duobus, vel tribus diebus, & viribus refectis iterum ad tres vnc. vel quatuor reducatur.

Lenientia.

Ad pharmaca. Leniatur aluus cum caſſ. & tamarindis, & cum ſyrupis roſ. ſol. & man. præparentur humores cum deſt. in iure pullæ ipſius borragine maluarum, meliſſæ, hinchi, & cichoriæ; facta præparatione humorum, educantur cum aliqua portione tenax, & agarici facta infuſione, & expreſſione, addatur aliquid mellis roſati ſol. & mannæ loco purgationis.

Præparātia.

Purgantia.

Purgato itaque vniuerſo corpore, non tantùm ſemel ſed etiam pluries, quia huic mulieri admodum excrementis abundanti vnica purgatio ſufficiens non eſſe videtur.

Demum ad localia deueniendum eſt, & hæc ſunt quæ tollendo obſtructiones attenuant, & detergunt, atque etiam vim aperiendi habent; ideo probatur decoctio capillorum veneris, pulegij, matricariæ, radicis petroſelini, apij, & aliorum; circa quæ aduerte quod nos docuit. Galen. 5. *ſimpl cap. de prouocantibus menſes*, vbi etiam de diureticis ſermonem facit, & notat prouocantia menſes eſſe calida tantùm, & omni prorſus carere ſiccitate. Ratio eſt, quia quæ prouocant menſes, non debent conſumere partem aliquam ſanguinis, ſiquidem ſi conſumant ſanguinem minùs fluidum efficiunt, cuius ſanguinis partes craſſiores remanent conſomptis tenuibus, ideo vt fluat neceſſe eſt vt ſit copioſus, & ideo in mulieribus, quæ longa febre corripiuntur menſes ſupprimuntur propter defectum ſanguinis, vndè ſi medicamenta adhibeantur ſicca ſanguine conſummato minimè educunt; diuretica verò ex Gal. ſent. ſunt calida & ſicca; & ideo ſuperando partes tenues à craſſis humores efficiuntur vt tenues ad vias vrinæ moueantur, & ideo diuretica vocantur; ideo prouocant menſes..... à me propoſitum fuit, quod eſt compoſitum, & tanquam præcipuum ſimplex obtinet capill. veneris. Verum hoc medicamentum eſt parum validum, propterea quod parum calefaciat; & omnino parum aperit venas vteri, expedit igitur vt cum calidioribus permiſceatur, cuius materia, eſt radix apij, aut pulegium, ſed quoniam hæc medicamenta non mouentur ſponte ad vterum, & tamen obſtructiones vteri attenuando, & detergendo remouere debent, ideo vehiculo egent, quod eſt Arthemiſia quæ matricaria vocatur; ſed quoniam muliere præſenti non ſolùm vterus habet obſtructiones, ſed etiam habitus totius corporis; ideo ad eas remouendas adhibibis etiam ſunt medicamenta ſatis calida, radix ſ. apij, & pulegium, atque etiam petroſelinum, quæ non ſolum augent caliditatem capil. veneris; ſed etiam aperire poſſunt, & remouere obſtructiones quæ in toto corpore reperiuntur, & motum noxiæ tentantis humores impellere ad circumferentiam adiuuare. Nec mihi improbatur, ſi fuerit affectus diuturnus, decoctum Chinæ quod in propoſitis iuuaret, ſi quidem hoc pacto magis remouentur obſtructiones, & aliqua etiam ex parte poterimus incumbere lui venereæ ſublata febre; quamuis remaneant obſtructiones vteri, ad remedia, quæ diriguntur ad luem veneream eſſet deueniendum, de quibus non dico, quoniam aliàs de lue venerea dictum eſt: id ſat eſt ſcire quod ſi non liberabitur à febre hæc mulier, etiam ad proficuos erit deueniendum de Rab. de Eupatorio & alios eiuſmodi: ad hanc intentionem etiam probantur ſyrupi compoſiti melit. & ſyrupi de pomis; & ſyrupi de cichor. Nicoli cum rhabarbaro. Præter hæc conueniunt etiam attinentia ad rationem reſtrictionis, vtatur ptiſana hord. cum radice petroſelini, ouis ſorbilibus, & carne pulli, ſiquidem cõuenit reſtrictionem aliqua ex parte reficiens: à vino ſe abſtineat donec vniuerſum corpus fuerit purgatum, donec morbus ad declinationem tendat, quo tempore ad prouocandos menſes & ſudorem excitandum vino albo domi & oligoforo poterit vti, & hæc ſatis pro præſenti conſultatione.

Matricaria.

Medicamenta, quæ menſes prouocant ſunt calida, minimè verò ſicca

Diuretica ſunt calida & ſicca ex ſententia Gal. 5. ſimpl. c. de prouocantibus menſes.

Art emiſia matricaria vulgo dicitur.

CONSILIVM XVIII.

Scroti & tibiarum dolor in homine.

VIr annorum 40. ſatis carnoſus conqueritur de tumore ſcroti, & tibiarum, habet etiam faciem tumidam, & colorem pallidum ferè in toto corpore, qui ad liuidum tendit, ſi comprimantur tumores tibiarum & pedis ipſius remanent foueæ; patiatur quoque corpuſcula quædam extranea, nam aliàs vehementi lue venerea fuit detentus, quæ etiam eſt in præſentia perdiuturna.

Statuimus huiuſmodi eſſe affectionem vteri patientis cachexiam, hydrocelim, atque luem veneream, illum antè habere cachexiam ex ſupradictis ſignis eſt notum colore liuido, tumore faciei, pedũ, & tibiarum, ex motu etiam totius corporis hoc idem ſignificatur. Hydrocelis verò apparet, quia ſi accipiatur candela accenſa, & in loco obſcuro ponatur prope ſcrota, proculdubio apparet aqua, quæ etiam ex ſtrepitu eiuſdem manifeſta redditur; ipſum quoque detineri lue venerea demonſtratur, quia paſſus eſt bubones & alia ſymptomata gallica.

Quantum attinet ad cachexiam, quoniam in hac patefacienda methodo vti decreuimus compoſitiua, illud ſtatuimus, iecur patientis affectum eſſe intemperie frigida, & humida, quandoquidem ex ſupradictis ſignis demonſtratur, necnon ex cauſis procedentibus, quia refrigeranti, & humectanti aëri ſe expoſuit, multumque comedere, & bibere conſueuit: quantum autem crapulæ, & immodicæ potiones affectus frigidos prouocare valeant, teſtatur Gal. 2. *de Temp.* 3. vbi & cachexias, & hydropes, & paralyſin, & apoplexias ex huiuſmodi cauſis proficiſci exiſtimauit. Ab intemperie igitur frigida & humida iecoris labefactatur facultas ſanguificatrix; hinc contingit diminuta ſanguificatio; & loco optimi ſanguinis producitur ſanguis imperfectus magna ex parte aquoſus atque pituitoſus, qui confluens ſecundum partes aquoſiores in infernam partem abdominis in

ſcrotum

Digitized by Google

ſcrotum producit illis hydropem, quam *hydroceles* vocatur; ſecundùm verò partes craſſiores deſcendens ad tibias, & pedes efficit tumorem œdematitum. Qui quidem ſignificatur; quoniam eſt albus, mollis, & ſi comprimatur, remanent foueæ, qui ideo efficitur ex pituita appoſita tantum non autem agglutinata, quod docuit Gal. 1. *de Naturalibus facult.* c. 4 vbi diſtinguit anaſarcam & tumorem ædematoſum à leuce & vitiligine alba; in anaſarca enim & ædemate ex compreſſione fiunt foueæ, in vitiligine, & leuſe non contingunt, quoniam in his duobus poſtremis affectibus pituita eſt poſita & agglutinata, in aliis verò duntaxat appoſita; quinimo in leuſe, vitiligine etiam aliqua ex parte aſſimilatam eſſe pituitam exiſtimo; propterea quod iam conuerſa eſt in cutis, & carnis ſubſtantiam, quamuis nec cutis, nec carnis colori, aut temperamento ſimilis ſit reddita, quinimo ſibi colorem, & temperamentum earundem partium reddit ſimilem, propterea quod pituita appoſita, agglutinata, & ſecundum ſubſtantiam aſſimilata caro, & cutis redditur alba, & frigidi, & humidi temperamenti, cum naturaliter aut rubra, aut calore rubeo ſuffuſa, & calidi aut mediocris temperamenti eſſe debeat: verùm in anaſarca, & ædemate noſtri patientis pituita eſt appoſita tantùm & nullo modo agglutinata, nec etiam ſecundùm ſubſtantiam conuerſa; & hæc ſunt ea, quæ de priori affectu dici poſſunt, necnon de hydrocelia.

Quantum verò attinet ad luem veneream, qua tentatur patiens, dico breuibus, huiuſmodi vitium non eſſe morbum, ſed excrementum putridum, viſcidum, naturalibus facultatibus aduerſarium: hinc colligitur quantum decipiuntur qui exiſtimarunt hoc vitium eſſe intemperiem calidam, & ſiccam iecoris, ſi quidem patiens noſter tenetur intemperie frigida, & humida iecoris, quia cachexia efficitur; cũ tamen afficiatur quoq; lue venerea.

Eſt itaque hoc vitium excrementum putridum, ſiquidem eſt contagioſum, & nil contagioſum eſſe poteſt, niſi etiam putridum exiſtat.

Eſt viſcidum quoniam dum communicatur alicui corpori per viſciditatem adhæret. Eſt deniq; aduerſarium naturalibus facultatibus, quatenus ſunt naturales ad differentiam contagij ſcabioſi, quod aduerſatur naturalibus facultatibus cutis, ſeu partibus exterioris cutis; differt etiam à contagio lepræ, quia eiuſmodi contagium aduerſatur Æſtatis, necnon Autumni proprietatibus ſuperficiei, necnon & partibus internis cutis: inſuper quatenus aduerſatur facultati rationali quatenus talis eſt, in omni parte corporis reperiri poteſt.

Hinc colligitur falſam eorum ſententiam, qui exiſtimarunt in lue venerea ſemper iecur eſſe affectum, namque vt arbitror affectus in noſtro patiente reperitur in partibus tantum interioribus: vſus enim eſt aliàs diligens decocti guaiaci, cuius beneficio ferè ad priſtinam ſanitatem deductus erat; latuit tamen in ea aliqua lues venerea, quæ in præſentia, dum efficit cutis vlcuſcula manifeſtari incipit, hinc colligitur eorum error, qui exiſtimarunt luem veneream eſſe morbum, namque morbus nunquam latere poteſt, quandoquidem eſt morbus ſenſibiliter lædens operationes, quandoque tamen latet lues venerea per plures annos, & in noſtro præſenti latuit ſpatio 8. aut 10. menſium, nunc verò manifeſtari incipit. Cæterum cum lues venerea ſit excrementum putridum naturali facultati aduerſarium, oportet vt ex aliqua noſtri ſubſtantia ſit genitum, propterea aliquando producitur ex contentis, ſæpè ex continentibus rarò admodum ex conferentibus quotieſcunque enim facilè tranſit vel per breuem gonorrheam, aut aliud eiuſmodi ſymptoma, tunc ſpiritus tantum eſſe infectos exiſtimamus: ſed in præſenti corpore diu aliquando perdurauit affectio, nunc etiam apparet, & ſatis perdurat, quare ſtatuimus infectos eſſe vel humores vel partes ſolidas. Itaque in præſenti exiſtimamus hanc luem educi ex contentis pituitoſis; ſiquidem pituita admodum abundat patiens: non tamen etiam negamus fieri etiam ex partibus continentibus exterioribus, quia dum contingunt in patiente vlcera ſuperficialia, ea procul dubio fiunt ex excremento putrido, quod propterea aëreum, & calidum atque ſubſtantiam partium affectarum in aliud excrementum ſibi ſimile conuertit.

Porrò cum eiuſmodi affectus ortum ducit ex humoribus pituitoſis, ſine dubio eiuſmodi humores per contagium ſunt infecti, hoc autem fieri conſueuit vel in diuerſis partibus eiuſdem corporis, vel in diuerſis corporibus: itaque modò genitam eam exiſtimo in noſtro patiente, ſiquidem antequam vteretur decocto guaiaci, lue venerea magis infectus erat, quare inſignis defectio in ſuperficialem degenerauit; infectus eſt etiam per contagium patiens hic, quia mulieribus infectis eadem lue venerea frequenter vſus eſt.

Hæc ſunt ea, quæ duci poſſunt de his affectibus, de quibus conqueritur patiens, quorum conſultatio habita eſt partim methodo compoſitiua, partim reſolutiua.

Sanabitur vt arbitror patiens, ſiquidem hydroceles facilis eſt curatu; ſi enim pungatur ſcrotum, tota egreditur aqua, cachexia verò faciliùs curari ſolet quam hydrops, niſi tamen curetur vertitur in hydropem, aut anaſarcham, aut aſcitidem: ſi quidem anaſarcha non differt ab hoc affectu, niſi quia tumor ædematoſus in toto corpore: in patiente verò noſtro hic tumor circa tibias & pedes tantum reperitur poteſt etiam conuerti hic affectus in aſcitidem. Namque in eam facilè tranſit hydroceles, non eſt difficilis curatu lues venerea, quia educitur ex contentis pituitoſis & in partibus continentibus exterioribus; difficillimè enim curatur, quæ educitur ex humore melancholico, & quæ fieri conſueuit ex continentibus ſolidioribus, quando ſ. oſſa corrumpuntur; itaque curabitur etiam facilè vt arbitror, quoniam ea remedia, quæ ad luem veneream diriguntur, etiam ad cachexiam, & hydrocelem dirigi poſſunt. Itaque vti oportet calidis & ſiccis attenuantibus detergentibus & dirigentibus pituitam, necnon alexipharmacis lui venereæ contrariis, & facultatibus noſtri corporis ſimilibus, & ratio, vel cura vtenda eſt ſarcoticis, quæ ſunt ſicca in primo gradu, & detergentia à glutinantibus, quæ plus exſiccant, & parum aſtringunt, necnon ſic aſtringentibus quæ vehementer ſiccant, & aſtringunt, de quibus loquitur Gal. in 3. rat. cur.

Si de maiori certitudine ſermo fiat, non eſt in præſentia loquendũ de venæ ſectione, propterea quod non tenetur patiens illo morbo magno qui indiget venæ ſectione, hoc enim remedio indiget ille morbo magnus, qui duntaxat magnus eſt ratione multitudinis, hic enim patientis morb. magis eſt ratione cacochymiæ, quare prætermiſſa omni ſanguinis euacuatione, prætermiſſis etiam cauteriis, quæ in præſentia locũ non habẽt. quia ſi fierent in cruribus, poſſent contingere cancrenæ, in brachiis non poſſunt, cũ non deſcendat humor à capite ad ſubiectas partes: itaq; his omnib. prætermiſſis ſi ſermo fiat de pharmacia, leniatur aluus cum oph. ver & dixi lenit. præbeanturq; illa ad ʒ. iij. hæc verò ſimul miſceantur ad ʒ. x. præparantes humores ſine delatis, itaq; conuenit mel. roſ. ſyr. de betonica, de per. de ſtœcade, & cætera homini facta aliqua præparatione purgans emplaſtrum ſit elaterium ad gr. iiij. cum pilul. Alepha, permiſtũ vel in potione cũ pau-

co vino aromatico, hoc enim medicamentum ſuper omnia commendatur quotieſcunque aqua redundat, atque humor pituitoſus ſeroſus, facta priori euacuatione, iterum præparentur humores cum ſyr. cichoreæ vel cum ſyr. de beton. comp. ſyr. de abſinth. & aliis eiuſmodi, ſemper præmittendo diluta, quorum facultate poſſit cachexia, & hydrocelis id hydropem conuerti; purgetur poſtremo cum pil. fœtidis, cum agarico, cum troc. Alcendras, ſeu ex colocynth namque exiſtimandum eſt poſſe vnica vice inhibito elaterio ſecundùm partes, tenuioreſque humores ex parte purgari patientem; expedit itaque vt etiam craſſiores purgentur, id fiet ſi dentur purgantia; probebitur doſis prædictorum trochiſcorum & ſint gr. ix. ad gr. xii. & exturbentur cum iure pingui, quoniam nimium mordicant ſopradicti trochiſci, ideo opus eſt vt permiſceantur cum epiſeamiſis, inter quæ eſt ius pingue: facta itaque diligenti purgatione, conſulo vt noſtro patienti præbeatur decoctum corticis & guaiaci cum vino, tamen vt cum vino non paretur: ſic enim vinum ebulliens cum cortice, & guaiaco ſaporem nimium acidum, & acrem acquirit: itaque in fine ebullitionis corticis, & ligni cum aqua, addatur vinum generoſum, & conficiatur medicamentum pondere paucum & virtute maximum: ideo contuſo, & exſiccato per quatuor dies, ita vt ℥. vi guaiaci, ℥. ii. corticis recipiat, quæ infundantur in lib. vi. aquæ fontis, & deindè fiat ebullitio vſque ad conſumptionem totius; atque in fine addantur vini generoſi menſuræ lib. iii.

Sufficient enim patienti noſtro ſummo manè exhiberi ℥. iiii. vel v. huius decocti, & tantundem etiam veſperi: dum verò hoc decocto vtetur, ſudor excitandus erit, itaque in loco obſtructo, aut ſub inſtr. ligneo ad hunc finem detinendus erit non ſolum ſemel per horam ab aſſumpto ſyr. ſed etiam bis quotidiè; ſingulis verò 7. aut octo diebus præbeatur eidem medicamentum aliquod, quod purget pituitam. Hic aduerte quod nos docet Galen. *5 de ſimpl. fac* vbi mentionem habet de medicamentis generantibus ſimul lac, & ſanguinem, nempè medicamenta calida habere vim generandi ſanguinem, dummodo non ſint valde ſicca; eatenus enim generant ſanguinem quatenus pituitam, qui eſt ſanguis imperfectè coctus, calefaciunt, & in ſanguinem perfectè coctum conuertunt: debet autem carere ſiccitate, propterea quod eadem ſi fuerint ſicca conſumant, non autem in ſanguinem vertant; ad hanc intentionem propoſuimus decoct. Guaiaci cum vino, non ſolùm vt eſſet calidus, atque cachexiam ſanaret; ſed etiam vt careret facultate vehementer exſiccante; quandoquidem eſt in præſentia inſtitutum pituitæ quemadmodum abundat in optimum ſanguinem conuertere; & præter hoc remedium ſifoidis probatur, trochiſci de eupatorio, & alia huius generis; inter quæ eſt Theriaca, diatrionpipereon, diaphœnicon, diacalamenthum; & in iſtis calidioribus inſiſtendum eſt; à quibus quidem omnibus medicamentis ſperandum eſt etiam ſanari poſſe hydrocelem; quod ſi non contingat, actu perforandum eſt ſcrotum; experientia etiam comprobâtum eſt ſtaterem ſummopere iuuare in ſcroto non ſolùm ad curandum, ſed etiam gratia præſeruationis, atque etiam curationis arthritidis.

Si de intrinſecis ſermo fiat, generantibus nempè carnem, agglutinantibus, & cicatrizantibus, laudo inter generale omne medicamentum quod eſt ex cera, olei roſ. ſ. & fibra oris, quod commendatur à Gal. 3. *Meth.* & *2. de Comp. per* &c. & quia patiens validus eſt, conſtituatur cum magna copia floris æris. grano agglutinatis pul. citoneorum, toſtorum, nempè balauſtiorum maſticis, & aliorum aſtringentium, gratia cicatrizationis deueniendum eſt ad puluerem magis aſtring. bol. arm. ſanc. dor. & tempore agglutinationis ſupra locum exulceratum diapalma poterit applicare, quod etiam probatur ad cicatrizationem efficiendam dummodo in ſolidiori fuerit conſtitutum.

Non eſt opus, vt patiens in prandio, & cœna vtatur ſecunda decoctione; ſiquidem nimis repleretur, & concedimus ipſi aliquod vini generoſi in pauca quantitate; cibaria potiùs aſſata quàm elixa ſint & condiantur ſale & aromatis.

CONSILIVM XIX.

De partis dextra, capitis item, ac crurum doloribus, ac in teſtibus tumore.

QVòd corporis noſtri vna pars patiatur, & altera incolumis ſit, ſolet contingere ob multas cauſas, potiſſimùm autem contingere ſolet propter partis apparatum, & diſpoſitionem, quæ corporibus noſtris contingere ſolet; vel à cauſis internis, vel ab externis, atque his aut accidentariis, aut naturalibus. Videre ergo oportet eum vir clar. circa partem dextram patiatur, in capite quidem & crure dolores ingentes, in teſte vero tumorem, quæ ſit diſpoſitio, & apparatus huiuſce partis. Et cum vir clar. neſciat cauſam vllam externam malorum ſuorum afferre, neceſſe eſt cauſas internas indagare, naturales, & accidentarias. Naturalis cauſa in ipſo communis eſt, refert enim Hipp. libro de ſacro morbo, vaſa partis dextræ ſemper ampliora, & capaciora eſſe, vnde fit vt plures ſucci in ipſis contineantur, qui multorum affectuum cauſæ eſſe poſſunt; Idq; potiſſimum in præſenti viro reperitur, ob natiuam ipſius iecoris caliditatem. Cauſa verò accidentaria fuit, quòd cum circa illam partem puſtulis laborauerit, importunè ab iſtis ſanatus eſt, ex quo cuncta mala orta, aut ſaltem exacerbata ſunt, eo inſuper accedente, quod vir clar. conſueuiſſet antea ſingula hebdomada vomere, à biennio compreſſus ex toto vomitus, ita vt humores qui euacuabantur in partem dextram diſtributi effectus illos pariant, potiſſimum verò tumorem dextri teſtis, in quem iecur ratione vicinitatis humorem deponit, qui ibi concreſcens in materiam quandam carneam conuertitur, vt fit tumor eiuſmodi principium quoddam herniæ carnoſæ. Capitis verò & cruris dolores, cum adeo acerbi ſint, nec aſſidui, & nullus in ipſis tumor appareat, proculdubio à materia vaporoſa fiunt, cuius minera eſt humor melancholicus, pituitoſus & bilioſus. Neque verò dubitandum eſt quin mala hæc omnia à lue Gallica qua bis correptus fuit vir clar. foueantur & incrementum ſuſcipiant.

Quæ cum ita ſe habeant, medicationis ratio poſtulat, vt non ſolùm radix verá mali auferatur, ſed etiam morbus à quo ipſa fouentur. Quatuor hi propoſiti debent eſſe ſcopi, vt flatus dolorem facientes diſcutiantur, ipſorumque minera euacuetur, & humores ac caput, & crura ruentes reuellantur, tŭmor teſtis diſcutiatur, & aduerſus luem Gallicam congruo remedio certetur. Quæ omnia obtineri poſſe confidimus, quia etſi mala ſatis vetuſta ſunt, ſumus tamen ætatem florenti, & bono alioquin corporis habitu.

Quod igitur ad præſidiorum materias pertinet cum de ſanguinis miſſione nihil loquendum ſit, quod iam ſit adhibita, ſummopere commendamus, vt fonticulus in dextro crure fiat, neque enim ab hoc deterremur quòd crus affectum ſit, quia ipſius affectus eſt potius per communicationem à partibus ſuperioribus, quàm in ipſa parte aut in dextro brachio fiat fonticulus.

De aliis remediis laudamus vt perſiſtat in vſu decocti facti ex ligno, ſalſa & modica portione croticis; ita tamen vt conſiſtat in cubiculo calido. & ſudet manè ac veſpere, vtaturque ea tenui victus ratione qua ſolent, qui lue Gallica tenentur; cum enim corpus humidum ſit, & humoribus ſcatens, quo magis exſiccabitur eo melius erit. Intereà proſpiciendum erit partibus affectis, & quoad tumurem teſtis, poſtquam de ſupernis partibus humor ad ipſum defluit, præſtabit inguini & pectini cerata adhibere ex bolo Armena, ſanguine draconis, & ſimilibus, valebit enim hoc ad defluentes humores continendos. Deinde veniendũ ad ipſum tumorem, adhibitis primum emollientibus, deinde diſcutientibus, in quo caſu Diachilon primùs ſimplex deinde cũ gummis vtile erit, quibus Gal. præcepto præmittendum eſt aliquod fomentum tanquam præparans indutatũ corpus, ita vt manè ac veſpere teſtem detineat in decoctione facta ex ſalſa, guaiaco, radicib. cucumeris aſinini; radicib. althææ, & iridis cũ portione etiã hellebori nigri, ſed bona pars debet eſſe radicum althææ vt molliens ſit fomentum. Non diſplicet etiam medicamentum oxilæon vocatum. i. cerotum ex oleo.

Quibus ſi tumor non ceſſarit, deueniendum erit ad ſuffimigia ex lapide molari aut pyrite, adſperſa ſuper his candentibus aqua aceto, aut etiam decocto de propoſitis radicibus. De crure non admodum ſoliciti ſumus, nam cum dolor ille continuus non ſit, & alia ſequantur mala; ſperandum eſt illis ſublatis, ipſum quoque ſublatum &c.

Non eſſet præter rationem capiti quoque proſpicere; quare dum decoctum ſumet, præſtabit caput errhinis, & maſticatoriis proſpicere; & ſi hoc adeſſet, laudaremus ſtillicidium aquarum thermalium, ſed harum vice poterit caput ablui lixiuio dulci in quo ferbuerit ſalſa, lignum, roſæ, betonica, iua, ſtœchas, agaricus, & huiuſmodi alia. Deinde poſt ablutionem tempus ſiniſtrum mungi oleo roſaceo quod vapores ingruentes reprimet. Sumpto decocto laudamus & ipſi vſum ſeri caprini, illud admouentes, en diuretica facile vſurpentur, quia hæc naturam magis inuitant ad humores ad renes du ducendos.

CONSILIVM XX.

De Alui fluxu.

QVoniam Vir excell. de fluxu alui diuturno conqueritur, in quo pluries quotidie, præſertim pituitoſa vitro diſſoluto, nec nõ aquoſa colore fœcum ſimilia, atque etiam craſſiora admodum fœtida, modò ſubobſcura, modò liuida deiicit, quorum deiectione pudendorum etiam partes non rarò ardore afficiuntur, atque quærit quibus remediis ab hac affectione liberari poſſit: Idcirco vt eius voluntati pro viribus ſatisfaciamus, & ad curationem præſentis morbi remedia proponamus, non erit ab re præſupponere breuiter eiuſmodi morbum eſſe diatrhæam ex intemperie frigida, & humida ventriculi, atque inteſtinorum, & venarum meſerei obſtructione genitam; cumque referat eius Excel. Dominatio aliquando deiici polentas vino ſimiles, poſſet quis ſuſpicari eiuſmodi diarthæam cum hepatico fluxu coniungi, huncque fieri propter hepatis imbecillitatem, quod in aliqua eius intemperie calida venarumque aliquarum immodica raritate conſiſtat, quod ex ani quoque ardore poteſt demonſtrare, quamuis hoc poſtremum ſymptoma in frequentem corporis deiectionem commodius referri poſſit, atque exiſtimandum potius ſit nonnihil iecur refrigerari, quemadmodum ex tumore pedum ædematoſo ſignificari poteſt. Vtcunque autem res ſeſe habeat, præſentem affectum non niſi aliqua cum difficultate curari poſſe exiſtimamus, atque vt curetur calefacientibus & exſiccantibus ventriculum, & moderatè aperientibus atque diuertentibus ad vias vrinæ, nec non roborantibus venas iecoris, denſantibus atque nonnihil etiam ipſum iecur calefacientibus vtendum eſſe putamus. Quapropter prætermiſſa venæ ſectione, quæ ob virium imbecillitatem in præſentia, vt arbitramur, non permittitur, dimiſſiſque aliis ad hanc præſentem medicorum operationem attinentibus, inter ea quæ ad pharmaciam ſpectant, aſſumptis ter, quaterque decoctis ex mentha, cichorea, agrimonia, quinquefolio, & ſeminibus aniſorum in iure pullæ confectis purgandum breuiter vniuerſum corpus eſſe exiſtimamus, vel rhabarbaro torrefacto cum diacatholicone permixto vel infuſione rhabarbari, cui mel. roſ. ſol. in ſufficiente quantitate additum fuerit. Deinde ad aquas Tetutij deueniendum eſſe exiſtimamus, ſiquidem & calefacere, & exſiccare ventriculum, & inteſtina venaſque meſeraicas aperire, & ipſum iecur corroborare poſſent, nullam præternaturalem iecori caliditatem impartiendo, propterea quod per vias alui facilè pertranſeunt, & cum excrementis excernuntur. Quare aquæ Teturij ſex, aut ſeptem dierum ſpatio manè ſeptem, aut octo libras conſulo, vt eius Excell. Dominatio bibat. Verùm quoniam in diuturno affectu hoc vnum remedij genus ſufficere non poſſe videtur, ideo ad alia, quæ ſupradictis indicationibus ſatisfaciant, deueniendum eſſe exiſtimamus. Quare poſt prædictæ aquæ vſum, opus eſſe putaui, vt ſpatio trium, aut quatuor hebdomadarum ſumeret quotidie ſummo manè decoctum in iure pullæ, vel colun bi ex turre, quod agrimoniam, pentaphilum, capillum veneris, mentam, & abſinthium recipiat, quinimo opus eſſe exiſtimo ad huc affectum prorſus remouendum vti medicamentis, quæ à proprietate iecur ipſum reſpiciunt, atque corroborant. Quare pilulæ quæ conſtant ex puluere mentæ, quinquefolio, abſinthio, capillo veneris, & ſubſtantia hepatis lupi cum ſyr. de abſinthio poſſent confici, & quotidie ante ſyr. ſtatim ad drachmam vnam, & mediam, vel duas accipi, quinimo hoc eodem tempore parum ante prandium ſi eius Excel. Dominitio ſtillicido ex aquis apponendo ſupra ventriculum vteretur, ſibi poſſe admodum prodeſſe exiſtimarem, aut eius loco ſtillicidium ex decocto mentæ, abſinthij, ſaluiæ, rutæ ſeminum aniſorum, cimino, & aliis eiuſmodi confici poſſet, aut etiam, quod commodius foret, ex oleo abſinthite, de menta, anethi, quæ olea cum vino albo generoſo ad eius conſumptionem ebullierint, ad quorum etiam proportionem ſi ſupra ventriculi regionem vnguentum ex maſtiche oleo abſinthite, maſtichino, cera flaua, & pulueribus aromaticis diu detineret, non eſſet improbandum. Conſulo etiam, vt frequenter vtatur ſupra iecoris regionẽ oleo abſinthite, quod fuerit cum vnguento ſandalino permixtum. Neque intrinſecùs magna antidota poſſent improbari, dummodo cum conſerua ex abſinthio fuerint permixta; quinimo hoc in caſu electuarium cipheos ſupra omnia commendamus. Quibus quidem, nec non diligenti ratione victus adhibita maximè confidimus, atque ſanitatem Excell. patientis reſtitui poſſe ſperamus. Quare, vt ſibi morem geram, hæc breuiter ſcripſiſſe volui, illud circa victus rationem animaduertens, ſibi ab omnibus valde liquidis, ab omnibus valde

refrigerantibus, & humectautibus eſſe abſtinendum, & loco potus vino abſintbite, albo, maturo, modicè generoſo, & parcè vtendum eſſe.

CONSILIVM XXI.

De Fiſtula in oculo dextro producente lachrymam.

Virium de quo conqueritur nobilis Vir, eſt fiſtula in angulo oculi dextri, ex qua fiſtula lachryma prouenit & maximè eo tempore, quo domo egreditur, & hoc fit ratione aëris: lachrymam illam à duabus cauſis prouenire iudicamus, ob intemperiem cerebri humidam, & hanc teſtatur ſomnus longus, capitis habitus, & ſimilia: altera autem cauſa eſt pars illa oculi debilis reddita, quæ imbecillis facta eſt ob ſolutionem vnitatis, nec non ob materiæ defluxum, ex quo factum eſt, vt illa pars magis apta ſuſcipiendum ſit reddita, & continuè fiat illa illacbrymatio. Quibus hunc in modum conſtitutis, tentandum eſt, vt caput exſiccetur, pars debilis reddita corroboretur, vlcus vt habet ſolutionem vnitatis adimatur vniendo, carnem replendo, nec non ad cicatricem adducendo. Quos ſcopos explere arbitramur eſſe perdifficile, ſi quidem ex Hipp. ſomnia ſolent eſſe aliquæ fiſtulæ, quæ non debent curari: attamen iudicamus hanc non eſſe illius generis, quoniam Hip. intelligit de fiſtulis, quæ ſunt circiter anum, & à quibus copioſa fluit materia, nihilominus non erit facilis curatu, quoniã non eſt ita noua, cum hanc fluxionem per duos annos paſſus ſit: fiſtulæ tẽporis progreſſu fiunt calloſæ, vnde poſtea curationem non facilè admittunt. Quare cum corpus hoc ſit ſatis robuſtum, fiſtuláq; non ſit ita inueterata, volumus ſperare, quod ad ſanitatem reſtituetur. Accedentes ad præſidiorum materias, quatenus ſpectat ad fontem chirurgicum, commendamus cauterium in brachio dextro, habita prius prouidentia de toto, quoniam ratione cauterij fiet euacuatio, & deriuatio, nec non reuulſio: ſi quidem quando caput aliquando calefit, attrahuntur vapores, capútque replent. Quod ad medicamenta, adminiſtranda ſunt reſpicientia totum, & partem affectam, corpus poterit leniri cum manna, cum melle roſato ſolut. reſpiciendo ſemper ad eam humiditatem, & ad copiam pituitæ: humores lenito corpore erunt præparandi cum ſyrupis capitalibus, præſertim vt eſt ſyrupus de betonica, de mentha, de eufragia, cum decocto euſragiæ, fæniculi, chelidoniæ, nec non cum melle roſaceo, oxymelle ſimplici, & ſimilibus. Humores præparati poſtea debent purgari, & hoc præſtabunt pilulæ cochiæ, pilolæ lucis, vt vna ſit drachma pilularum cochiarum, & duo ſcrupuli de pilulis lucis, quoniam iſtæ pilulæ non ſolum totum purgant, ſed maximè caput. His peractis caput eſt gurgandum, vt materia euacuetur, atque auertatur: commendamus medicamenta per os, & per nares, vti poterit maſticatoriis, quæ conficiatur ex maſtiche, puluere fæniculi, euſragia, cum pauca cera & ſimil. Sternutatoria poterunt adminiſtrari, vt eſt ſuccus bethæ, maioranæ, cum aqua fæniculi; poſtea caput erit exſiccandum, ita vt non multum calefiat, vel frigefiat. Pars affecta, ſi fieri poterit, erit ſananda: caput exſiccabitur lotionibus quæ parabuntur ex euſragia, fæniculo, chelidonia, betonica, agarico, & ſimilibus. Quoad partem affectam, vtatur cerato de oxelio, cerato ſacro, cerato de cetine, illa pars erit exſiccanda, non adſtringenda, ne materia à fiſtula fluens irruat in alterum oculum, & viſionem vitiet: & præſertim hoc fieret, niſi adhibita eſſet diligentia, cum ipſe oculus ex ſui natura ſit debilis & parũ videat. Ideo ſolum ſiccantibus oportebit vti: poterit ſe abluere vino generoſo, & poterit vti poterit aqua fæniculi, euſragiæ, chelidoniæ, cum puluere euſragiæ, & fæniculi, tutia aloe, cornu cerui. Conferunt ad huiuſmodi mala (vt inquit Hipp.) lotiones pedum, quæ poterunt parari hunc in modum, vt in aqua bulliat fæniculum, euſragia, betonica, & poſtea pedes lauentur: hæc omnia debent præſtari hoc tempore; ſi autem tempore Autumni fluxio non erit ablata, facta agglutinatio, ſed potius augeatur, & in eodẽ ſtatu non maneat; tunc commendamus, vt fiat miſſio ſanguinis à brachio dextero ex vena cephalica: corpus iterum purgetur, decoctum ſalſæ pariglię per 15. vel 20. dies aſſumat: fiat ſedacium in occipitio, vt materia auertatur. Non erit ab re ad tollendum vlcus confugere ad ignem actualem, vt accipiatur aurum, vel argentum candens, & illa pars vratur, exſicceturque, ita vt ad ſanitatem, ſi fieri poterit, reſtituatur. Quoad victus rationem ſe abſtineat à vino generoſo: bibat vinum dilutum, & moderatum, derelinquat aromata, legumina, eaque quæ nimis calefaciunt, & incraſſant, & caput replent. Victus ratio debet eſſe attenuans, & moderata, quæ omnia poterunt præſtari à Medico præſenti, & hæc erant dicenda.

ALEXAN

ALEXANDRI

MASSARIÆ

IN SCHOLA PATAVINA

MEDICINÆ PRACTICÆ

DOCTORIS PRIMARII

DISPVTATIONES DVÆ:

Vna de ſcopis mittendi Sanguinem, Altera de purgatione in principio Morborum; cum Additamento Apologetico ad Priorem.

PARS PRIMA.

DISPVTATIONIS PRIMÆ PARS PRIMA.

De ſcopis mittendi Sanguinem Generaliter.

INTER medica remedia nullum miſſione ſanguinis eſſe nobilius, nullum præſtantius, nullum tutius, præclari omnes medici teſtantur ſæpenumerò, ipſáque experientia facile confirmant, quicumque eo familiariter vti conſueuere. Ex quo fit, vt illud apud me ſemper fuerit maxima dignum admiratione, quamobrem iamdiu, potiſſimum verò infelici hoc tempore medica ars nobiliſſima cum aliis multis, tum maximè hoc turpi errore ſit contaminata, vt adeò generoſum, ac præſentaneum vitæ hominis præſidium tot commentis obſcuretur, tot difficultatibus inuoluatur, tot demum vndique hoſtibus oppugnetur, & parum abſit quin expugnetur, atque è ſalubrium auxiliorum numero explodatur: quod antiquiores itidem nonnullos audacter, impudentérque tentaſſe legimus. Cuius quidem rei cum multæ cauſæ videantur poſſe afferri, ego illam cæteris probabiliorem ſemper exiſtimaui, quod plerique vel fortunæ iniuria, vel ſuapte potius incuria malos præceptores nanciſcantur, quorum vicem, & infelicitatem licet nobis cum Gal. vehementer dolere. Quantum enim ad veritatem capeſſendam officiat malis vti præceptoribus, planè eſt apertius, quàm vt debeat pluribus demonſtrari. Nam dum quæ iſti ſemel apprehendunt, pertinaciter retinere, atque in iis obſtinatè conſtituunt perſtare, nullis vel maximè certis rationibus, nullius vel grauiſſimi viri auctoritate de ſuſcepta ſententia deduci poſſunt.

Quamobrem cum præſenti ſæculo complures medicinam docentes, diſcentéſque haud ſcio quo iniquo fato compulſi, optimos, præſtantiſſimoſque auctores, in primis Hipp. & Gal. parui faciant, fermè negligant, & deferant, toti autem ſe dedant nouiſſimis neſcio quibus hominibus ſine vlla bona arte, ſine ingenio, ſine literis, vel potius inanibus ſuis cogitationibus paſcantur, ac delectentur, quas ſibi ipſi fingunt in dies; iam mirum alicui non debet videri, ſi antiquiſſimum, nobiliſſimúmque mittendi ſanguinis decretum (vt de aliis in præſentia nihil dicamus) ſit adeò conquaſſatum, vt vix ſuam formam, & dignitatem retineat. Itaque mihi propoſitum eſt Deo iuuante hunc locum tractare cognitione digniſſimum, vſu præſtantiſſimum, atque huiuſmodi præſidium pro viribus munire, defendere & ab omni iniuria vindicare.

Verùm enim verò cum multa ſint, quæ de hoc remedio, ſicuti de omni vacuandi ratione, medici inquirere, & conſulere ſolent, de quibus aliquando Hipp. [*Vt conuenit, & Qualia, & Qua, & Quando, & Quantum oportet*] nos hoc tempore vnum tantum- 6. *Epid. ſect.*
modo caput ſtatuimus diſputare: ſcilicet; quænam 2. 11.
illa ſint, quæ medici venam ſecturi perpetuò, & in primis debeant animaduertere, & quibus veluti certis limitibus eiuſmodi præſidium debeat definiri: adeò vt illis præſentibus venam ſecare omnino deceat, illis abſentibus eandem ſecare nunquam liceat; atque vno verbo, quinam ſint veri ac legitimi, principeſque ſcopi, qui optimam, ac tutiſſimam doceant ſecandæ venæ rationem. Alia capita ad hanc rem pertinentia nobis non libuit pertractare, cum propter alias, tum maximè propter eam cauſam quòd illa videantur meritam propè auctoritatem retinere, neque ita in controuerſia, & contentione verſari.

Sed antequam incipio cauſam agere, illud à te deprecor, atque obſecro, Lector, vt æqui iudicis perſonam induas, animumque adhibeas ad cognoſcendum & iudicandum ita comparatum, vt ab omni obtrectatione, & altercatione, ſis alienus: qua quidem mentis peruerſitate nihil eſt indagandæ veritati magis aduerſum. Non hic de quæſtione agitur logica, ac friuola, ſed de re omnium grauiſſima, & vtiliſſima: ex cuius probo, vel improbo vſu certum eſt ſalutem hominis vel interitum quàm maximè pendere. Ego verò etſi non ignoro magnum opus omnino, & arduum me conari, tamen non planè deſpero & firmis rationibus, & præclaris teſtimoniis

forté me illud etiam conficere poſſe, potiſſimùm apud eos, qui ſedato animo rem totam intelligere, ac liberum de ea iudicium ferre voluerint. Sed deſino præfari.

Nullus penè eſt ex antiquioribus, aut recentiorib. medicis, qui non de miſſione ſanguinis verba faciat: veruntamen nemo ita accuratè, & præclarè huiuſmodi argumentum pertractauit, ſicuti Hippoc. & Gal. Qui profectò, quemadmodum in tota arte medica primas obtinere, ac meritò ſanè obtinere vno omnium probatiſſimorum hominum conſenſu crediti ſunt, adeò vt nulla vnquam obliuio eorum illuſtré nomen obſcurare potuerit, nec vlla æternitas laudibus finem aliquem ſit allatura, ita hanc rem tam vtilem, ac neceſſariam vſque eò excellenter, & omni ex parte abſolutè ſunt perſequuti, vt iis præcipuè, qui eorum diſciplinam libenter amplectuntur, nullus vtique debeat, vel difficultati, vel ambiguitati locus relictus eſſe. Igitur etſi viri præclariſſimi varia ſæpe, multáque ſolent animaduertere, quæ demonſtrant ſanguinem mittendum eſſe, aut non mittendum, tamen probè ſcientes in tradendis ſalutaribus, optimiſque præceptis quàm pauciſſimis eſſe agendum, in certa quædam, ac definita capita rem totam videntur contraxiſſe, quæ Gal. ſcopos appellat; quaſi metas quaſdam, vel ſigna dicere velit, ducta ſimilitudine (vt puto) à ſagittariis: Nam ſicuti hi ſcopum ſibi ante oculos ponunt, in quem ſagittas intendant; ita medici inituri conſilium de mittendo ſanguine eiuſmodi ſcopos debent in primis reſpicere, eò intueri, & omnem conſiderationem dirigere, vt de re tanti momenti certam, ac tutam deliberationem facere poſſint. Neque enim ſimile eſt, aut rationi conſentaneum, cum cætera præſidia certis, propemodum, ac determinatis regulis ſint circumſcripta, miſſionem ſanguinis, tantum remedium quod Gal. frequenter præſtantiſſimum, admodumque inſigne, & ſummum appellat, nullis adhibitis legibus, temerè, & inconſideratè adminiſtrari. Illud autem primum te ſcire, & concedere mihi velim, quod poſterius diffusè, & perſpicuè patebit, hoſce ſcopos eſſe duplices; alteros, quos Gal. primos appellat, ac principes, propterea quòd illi ad ſanguinem mittendum perpetuò ſunt ſatis, alteros ſecundarios, & ſubditos, quoniam ex ſe non eam vim habent, vt id remedium indicent, ſed ſolum quatenus ad priores referuntur.

Porrò ſcopos principes breui, ac grauiſſima oratione Hippoc. complexus eſt, quam vniuerſæ huic tractationi præfigere mihi viſum eſt opportunum, vtpote qui ex vnà cum diuini Galen. commentariis, maximam poſſint elicere partem veritatis, & maximam dicendorum omnium iacere fundamenta.

4. de Rat. vict. Mor. Acut. 19.

In morbis (inquit) *acutis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, flornerit que ægrotanti ætas, & virium robur adfuerit.* Hipp. hac in parte agebat de febre ardente, cuius duo genera conſtituerat: & quia nihil hactenus dixerat de mittendo ſanguine, hoc in præſentia generale tradit præceptum, quod non modò vtramque febrem ardentem, ſed omnes morbos complectitur. Itaque quaſi legiſlator, qui iura mittendi ſanguinis medico præſcribere velit [*in acutis* (inquit) *morbos ſanguinem detrahes.*] Hoc præceptum nimis commune eſt, ac latè patens: propterea quæ mox ſequuntur, illud reſtringunt, & certis quibuſdam terminis circunſcribunt, ac definiunt. Sunt autem hæc tria, nec plura, nec pauciora. Primum; ſi morbus ſit vehemens. Secundum, ſi ætas vigeat. Tertium, ſi vires ſint validæ. At verò cum ea, quæ Hippoc. reliquit (vt quodam loco ſcribit Galen.) optimos deſiderent agricolas, qui illa tum ſemiuent com-

7. Met. c. 8.

modè, tum augeant, tum perficiant, num Galenus forte, ante quem (vt ipſe de ſe teſtatur) & poſt quem (vt nos credimus) nemo eſt inuentus, qui æquè illius mentem, & animum penetrauerit, hæc ipſa immutauit, aut alia multa, quæ multis hac in re videntur deeſſe, ſuppleuit? Age, illius interpretationem audiamus.

Hic ſermo (ille inquit) *Hippocrate eſt dignus, ſubitque mihi in admirationem, quòd inter Aphoriſmos eum non ſcripſerit, cum in paucis verbis vis magna contineatur, quod Aphoriſmorum eſt proprium.* En quibus laudibus ſententiam efferat: quod maximè velim ab aliis animaduerti, qui contendunt illam eſſe adulterinam, & Hipp. indignam, de quibus poſterius ſermonem habebimus. Deinde quandoquidem non omnia licet omnibus in locis accuratè perſequi, hortatur omnes, quicunque vniuerſam de ſanguinis miſſione hiſtoriam voluerint intelligere, vt propria ipſius, aliorúmque commentaria perlegant, in quibus ex propoſito huiuſmodi argumentum tractatur, cum hic totius rei ſummam duntaxat, atque in paucos relatam ſcopos ſint audituri. [*Sanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur.*] Hic primus eſt principalis ſcopus mittendi ſanguinis, morbus vehemens, Græcè eſt ἰσχυρὸς: quam vocem forte aptius vertas *validum*; alij *magnum* interpretantur; quamuis minus propriè, antiqua medicorum conſuetudine, quod ad qualitatem pertinet, quantitatis vocabulo nominantes. *Sed nihil refert* (inquit Gal.) *ſeu vehementem, ſeu magnum morbum dicere velis.*

Porrò ſi quis ad abſolutam huius ſcopi intelligentiam ſcire cupiat, quales nam ſint morbi vehementes, vel magni apud Hipp. qui deſiderant ſanguinis miſſionem, huic ſatisfacit Galen. qui docet morbum eiuſmodi magnum fieri tribus modis, vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd ille ſit cacoëthes. Quæ doctrina eſt manifeſtior, quàm vt exemplis debeat demonſtrari. 6. Met c. 7.

Scio equidem nonnullos eſſe magni nominis medicos nouitatis cum primis cupidos, vnique Gal. potiſſimùm infenſos, qui ſicuti aliis in rebus frequenter, ita in hac explicanda voce illum arguunt, tanquàm varium, & incertum, quòd variis in locis de morbi magnitudine non vno modo loquatur; maximè verò aiunt ſibi illum non conſentire, cum doceat aliàs morbi magnitudinem triplici ratione eſſe æſtimandam; aut ex læſæ actionis præſtantia; aut ex propria affectus eſſentia; aut ex facultate, quæ læſum corpus gubernat: quæ ſuperiori triplici rationi haud videntur conuenire. Etſi autem nobis in præſentia non eſt propoſitum ab huiuſmodi calumniis Gal. defendere, veruntamen cum repugnantia ſit apparens, ac pleróſque vel nobiles medicos torqueat iamdiu; addo cum pertineat quàm maximè ad rem præſentem, non grauabimur ſententiam noſtram in medium proferre. Quamobrem prætermiſſis aliis locis, in quibus Galen. communi quadam ſignificatione definit morbum magnum, aut ex receſſu à ſtatu naturali, aut reſpectu virium, aut forte aliter, qui nullum ferè negotium faceſſunt, facilè poſſunt conciliari, ſtatim venio ad principalem repugnantiam duorum locorum iam propoſitam, in qua noſtri nouatores mirum in modum ſibi placent. 7. Met. c. 12.

Iulius Alexandrinus vir doctiſſimus, cui medicæ artis ſtudioſi plurimum debent, cum propter honeſtiſſimos illius labores, tum maximè quòd ſtrenuè, conſtantérque Gal. doctrinam, ac dignitatem tueri iampridem, & ſuſtinere non deſiſtit, ſcribit hoſce locos minimè inter ſe pugnare. Etenim quam Gal. libro quarto afflictæ partis præſtantiam nomi- Ant. argent. lib. de Diff. Morb. c. 7.

nat,

nat, libro ſeptimo facultatem appellat, quæ læſum corpus gubernat: quam ibi affectus magnitudinem dixerat, hic læſæ actionis præſtantiam interpretatur: quam demum cacoëthiam ibi vocat, hic affectus eſſentiam vſurpat: adeo vt Galen. quanquam variis verbis, vtrobique eandem rem doceat, neque à ſe ipſe quicquam diſſentiat. Ego verò cenſeo iſtiuſmodi conciliationem per quam diſtortam eſſe, & à Galeni mente abhorrentem. Nam quomodo inter ſe cohærent afflictæ partis præſtantia, ac facultas, quæ læſum corpus gubernat? nonne poteſt male eſſe affecta pars præſtantiſſima, puta oculus, cuius tamen facultas non gubernat corpus læſum? Præterea morbus magnus propter præſtantiam partis indicat ſectionem venæ: alter verò propter læſionem facultatis id remedium horret, vt poſteriùs videbimus.

Nec profectò magis videtur conuenire magnitudo affectus cum læſæ actionis præſtantia: quippe res ipſa monſtrat, conſtatque inter omnes, hanc magnitudinem affectus non aliter definiri, quàm ex propria illius eſſentia: ad quem modum dicimus intemperiem magnam, quæ plurimum aucta eſt; vlcus magnum, quod ſutura indiget, vel ligatura: nemo autem non intelligit eiuſmodi affectus magnitudinem longè eſſe diuerſam à præſtantia actionis: quod vel ex eo ſatis conſtat, quoniam actio præſtans lædi poteſt à morbo ſuapte natura paruo, vt puta viſio à paruo vlcere in pupilla: qui quidem morbus ratione propria minimus eſſe poteſt, cum tamen magnus cenſeatur ratione præſtantiæ actionis læſæ. Cacoëthiam demum, ſeu malitiam, & eſſentiam affectus differre inter ſe ex eo fit manifeſtum, quod Galen. diſtinguit morborum malignitatem à magnitudine eorumdem, quæ ſine dubio intelligitur in propria eſſentia. Ac ſanè puto hæc notiora eſſe, quàm vt debeant pluribus demonſtrari.

Part.1.de Febribus c.13.

Altimarus ſerio fatetur inter huiuſmodi locos eſſe difficilem repugnantiam, ſeque multum, ac diu laboraſſe, vt illam componeret, potiſſimum quatenus pertinet ad duo poſteriora membra vtrobique poſita, nimirum cacoëthiam, & læſionem facultatis; cum alia ſuperiora non ita difficilè videantur poſſe conuenire. Qui ad ſummam id primum accipit; vlcera medicis dici cacoëthe, quæ omnibus probè factis non ſanantur, nec fiunt mitiora: deindè & illud addit tanquam manifeſtum, morbos fieri malignos ob vitium, ſiue corruptionem humorum, illoſque corrumpi vel in toto corpore, vel in vna duntaxat, vel pluribus partibus, propterea quod virtus eos haud quaquam euincere, domare, & concoquere valet, & aſſimilare. Tertiò interpretatur huiuſmodi virtutem illam eſſe, quam Gal. vocat facultatem, quæ læſum corpus gubernat, nimirum facultatem alteratricem, ſiue immutatricem, quæ quidem & omnibus partibus eſt communis, & vnicuique eſt propria. Ex iis tandem colligit idem ferè eſſe, morbos fieri magnos propter cacoëthiam, & propter vitium facultatis, quæ læſum corpus gubernat; quod ille ſibi perſuadet facilè demonſtrare. Cæterum neque iſtæc conciliatio mihi poteſt probari, præter quàm quòd nonnulla continet, quæ à Galeni doctrina videntur aliena. Quod enim pertinet ad ſecundam poſitionem, non ille ſatis videtur intelligere veram cauſam, quamobrem vlcera fiant cacoëthe: quam tamen poterat didiciſſe ex Galeno, qui ſtatuens differentiam inter vlcera dyſepulota, & cacoëthe, affirmat illa eſſe, quotieſcunque propter fluxum humorum, vel multorum, vel acrium difficulter contrahunt cicatricem: hæc autem, quando pars vlcerata malam quandam acquirit diſpoſitionem, vnde fluentes humores, etiamſi laudabiles ſint, corrumpantur: quam diſpoſitionem vocat malum quendam habitum, & alibi interpretatur non aliud eſſe, quàm vitiatum partis temperamentum. Itaque non illud ſatis eſt ad conſtituendam eſſentiam maligni vlceris; vt humores corrumpantur, neque à virtute poſſint gubernari (hoc enim dyſepulotis quoque ac difficulter ſanabilibus omnibus vlceribus commune eſt) ſed id præterea neceſſario requiritur; vt pars affecta iam talem diſpoſitionem habeat, vt fluentes humores, tametſi bonos corrumpat. Nec planè video, qua ratione poſſit Altimarus maligna vlcera à dyſepulotis diſtinguere. Nec minus à Galeni mente mihi ille recedere videtur, dum facultatem gubernantem læſum corpus, interpretatur vnam facultatem alteratricem: quippe arbitror Galenum præcipuè intelligere facultatem vitalem, quæ in primis ac verè læſa corpora gubernat: id quod res, de qua agitur, clarè demonſtrat, atque expreſsè ille declarat per hæc verba.

1. de Comp. Med. Gener. cap.18.
5. De Comp. Med. loc. de Alop.

Eſto, idem affectus morſus ſenſum faciat in ventriculo, atque ex ſe ipſo animi defectum, & ſudores quoſdam cum ſyncoptica diſſolutione accerſat, ita videlicet, vt quatenus ſupra vires eſt, reliquis ſit maior. Conſtat igitur primam eſſe adhibendam curam, vt ei, quod vires reſoluit, occurratur. Et iterum. *Vbi id mediocriter ſe habuerit, ac neque vires amplius habent,* &c. Quòd ſi Altimarus hæc falsò ponit; vt falſam quoque concluſionem ex iis colligat, neceſſarium eſt. Atque id ex eo poteſt probari manifeſtè; quoniam ſi cacoëthia, & læſio facultatis ſunt vnum, atque idem, vnoque, & eodem modo efficiunt morbum magnum, ſine dubio vtrique eædem competunt conditiones, atque illa in primis (vt cæteræ prætermittantur) vna & eadem indicatio. Verùm altera morbi magnitudo propter cacoëthiam Hippocrati, & Galeno indicat ſectionem venæ: vt patet hoc 4. *meth. cap.6.* altera autem propter læſionem facultatis, quæ læſum corpus gubernat, eiuſmodi prohibet remedium, cum deficiat vnus ex principibus ſcopis, robur virium. Quod interim peto, vt mihi concedatur, donec poſterius (vt ſpero) fuerit confirmatum.

7 Meth. cap.12.

Itaque prætermiſſis aliorum cogitationibus, ego quidem fateor Galenum in his duobus locis aliqua ſaltem ex parte & quoquo modo de morbi magnitudine variè ſentire; ſed tamen nego illum inconſtantem eſſe; atque à ſeipſo quicquam diſſidere. Quo ſanè grauiſſimo crimine tantus vir non ita facilè damnandus eſt, ſicuti multi hoc tempore nimis frequenter, ac petulanter facere ſolent. Modus, autem, quo eiuſmodi apparentem diſcrepantiam poſſimus conciliare, ac Galeni firmitatem tueri, ille eſt, mea ſententia, ſi authoris mentem & inſtitutum; quod ille non vnum, atque idem habet; ac res longè diuerſas, de quibus agit vtrobique, diligenter animaduertamus. Erat Galeno propoſitum libro quarto nos docere principalem indicationem tum ſectionis venæ; tum purgationis, illámque ſtatuit accipiendam eſſe de morbi magnitudine: vt autem intelligeremus, qualis nam ſit iſtæc morbi magnitudo, determinat illam fieri triplici ratione; aut propter laborantis partis præſtantiam; aut propter affectus magnitudinem; aut propterea quòd morbus ſit cacoëthes. Quare Hippocratis potiſſimùm exemplo, & autoritate probat in omnibus morbis, quicunque eiuſmodi ratione magni fiunt, ſectionem venæ, vel purgationem competere. At verò libro ſeptimo, in quo ventriculi exemplo intemperies curantur, docet, ſi forte eueniat, vt multi affectus

ſint inter ſe implicati, ſiue illi omnes ſint morbi, & cauſæ, ſiue qualeſcunque fuerint, & quomodocunque ſe habeant, ac permiſceantur, quem ordinem in illis curandis ſeruare oporteat. Tradit in ſumma totum huiuſmodi conſilium, ac deliberationem capiendam eſſe ex triplici habita conſideratione; prima, à quo maxime diſcrimen homini impendere videatur; ſecunda, quid ex iis cauſæ rationem obtineat; tertia, quæ ſanari ante alia poſſint & quæ non poſſint. Sed poſterioribus duobus prætermiſſis capitibus, de quibus agere non eſt præſentis inſtituti, quatenus ad primum pertinet, quod impendens, maiuſque ægroti periculum conſiderat, in eo Gal. vult affectus magnitudinem quàm maximè fore æſtimandam: atque hanc eſſe triplicem; primam, quæ ex læſæ actionis præſtantia definitur; alteram, quæ ex propria affectus eſſentia; tertiam, quæ ex facultate læſum corpus gubernante debet æſtimari. Ac ſanè equidem puto hiſce verbis eandem affectus magnitudinem deſcribi, quæ deſcripta eſt aliis quoque in locis, in quibus docemur, quomodo vnus affectus alio dicatur eſſe maior, & quomodo pugnantes inter ſe indicationes debeant ordinari.

3 de ſan. valet. c. 9. 8. Met. c. vlt. *Non eſt* (inquit Galenus) *in omnibus rebus vnius rationis, ipſius maioris natura, ſed alibi pro viribus, & quaſi dignitate rei, alibi pro ipſius propria eſſentia ſpectanda.* Et iterum. *Porrò nihil in contrariis indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum, quæ ad indicationem coierunt: quam vtique in libro de Sanitate tuenda duplicem eſſe oſtendimus: alteram, quæ indicantis dignitate cenſetur; alteram, quæ ex ipſorum (vt ſic dicam) propriis ſubſtantiis ſpectatur.* Itaque generaliter ille affectus (vt de affectibus nor tantùm loquamur) cum Galenus ſcoporum omnium magnitudinem comprehendat, à quibus in corpore noſtro ſumi indicationes poſſunt) magis vrget, maiorque eſt, qui aut dignitate, & poteſtate cæteros ſuperat, aut in propria eſſentia maior exiſtit. Nam tametſi huiuſmodi magnitudinum diſtinctio eſt bipartita; ad eam tamen ſuperior tripartita facilè poteſt accommodari: ſiquidem magnitudo ex læſæ actionis præſtantia, & magnitudo ex læſione facultatis, vi, & dignitate antecellere dicuntur. Id quod præſtantia actionis ex ſe facilè demonſtrat: nam quo actio præſtantior eſt, eo eſt dignitate ſuperior. Facultatis verò dignitatem ſatis explicat Galenus, qui ſcribit ad hunc modum:

9. Met. c. 13. *Maxima dignitas ipſarum eſt virium, quandoquidem viuere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtat; vtpote cum vitam aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones ſit neceſſe.* Cum hæc ita ſe habeant, iam nulli mirum debet videri, ſi Galenus in deſcribendis hiſce magnitudinibus quoquomodo varius eſt, ita ferente illius inſtituto, variaque rerum natura, de quibus agit. Namque alia eſt morbi magnitudo, quæ indicat ſectionem venæ, aut purgationem; alia quæ ordinem curationis præſcribit, & quæ attendenda eſt penes id, quod magis vrget, & maius periculum ſecum affert. Quippe fieri poteſt, vt morbus aliquis priore modo magnus, & qui venæ ſectionem indicat, vel purgationem, qualis exempli gratia fuerit cacoëthes, nihil pertineat ad illas indicationes, quæ priorem, aut poſteriorem locum requirunt: ſicuti contra poteſt euenire, vt morbus quiſpiam poſteriore modo magnus, & qui propter imminens periculum ante alios debet curari, neque venæ ſectionem, neque purgationem deſideret. Atque id facilè admodum poteſt demonſtrari. Etenim Galenus inquirens in complicatis affectibus, qualiſnam ſit maior, magiſque vrgeat, & ad ſe trahat conſilium medici, ſtatuit illum affectum eſſe maiorem, ac magis vrgere, qui vires labefactat: atque talis morbi magnitudo venæ ſectionem abhorret. Quòd ſi quis quæreret à Galeno, an morbus proſternens vires ſit magnus, vtique reſponderet, non modò magnum, ſed vnum omnium eſſe maximum; verum non eſſe hanc ex illis magnitudinibus, quæ venæ indicant ſectionem. Exemplo res erit manifeſtior. Finge aliquem vulnus accepiſſe in articulo; quem præterea ſyncope aggrediatur propter malè affectum ventriculum. Vtraque huiuſmodi affectio eſt magna: illa propter cacoëthiam, quare indicat ſectionem venæ, aut purgationem; hæc autem magna eſt propter læſionem facultatis; quamobrem primo quoque tempore ſui curationem poſtulat: veruntamen nec ſectionem venæ, nec purgationem requirit leuioreque auxilio, putabilis vomitu, ſanari poteſt. Cum igitur Galenus varias res tractaret, iure nemo debet mirari, ſi ille quoque ſcribendo varius vtcunque eſt, variamque morbi magnitudinis rationem tradidit: tantùmque abeſt, vt id ab optima docendi methodo ſit alienum, vt nulla doctrina ſit vtilior, & illuſtrior, quàm quæ res ſingulas diſtinctè, & accuratè explicat, vt varij loci, varia inſtituta, ac variæ docendi occaſiones poſtulant. Cæterùm quicquid tandem tibi libet ſtatuere de huiuſmodi repugnantia inter hoſce duos Galeni locos, illud mihi, ac præſenti meo inſtituto eſto ſatis, nullam reperiri morborum magnitudinem, quæ venæ ſectionem poſſit indicare, præter illam triplicem, quam Galenus explicat libro quarto Methodi, & ad propoſitum redeo.

Secundus ſanguinis detrahendi ſcopus eſt, ſi æger ætate floruerit, &c.) Ad hoc vt ſanguis opportunè mittatur, haud ſatis eſt morbum eſſe magnum, ſed vt æger præterea floreat ætate neceſſe eſt. Quamuis enim morbus magnus fuerit ſi tamen aut puerum, aut ſenem corripiat, neuter ſanguinis fert detractionem.

Tertium ſcopum non prætermiſit, &c.) Robur virium ſtatuitur ab Hippocrat. tertius princeps ſcopus mittendi ſanguinis: etenim conſtat inter omnes, neque illos, qui florent ætate, cum ægrotant, perpetuo robuſtos eſſe, ſatiſque virium habere.

Sed hoc loco eſt operæ pretium inquirere id, quod Galen. haud planè & expreſsè videtur explicare; quænam vires ad mittendum ſanguinem ſint neceſſariæ, an requirantur omnes, an vna, vel altera ſufficiat. Quam ſanè inquiſitionem, alioqui tam opportunam, video fuiſſe à multis prætermiſſam. Primum autem ex rei natura colligunt nonnulli, requiri omnium virium robur neceſſario: nam qui fabricam humani corporis memoria repetuntur, ij facilè intelligunt, tres facultates corpus noſtrum gubernantes eſſe vſque adeò inter ſe connexas, & colligatas, vt earum nulla ſine aliarum ſocietate poſſit diutius conſiſtere.

Has facultates ſeruare (inquit Gal.) *nihil planè eſt aliud, quam vitam ſeruare: Siquidem monſtratum eſt, quomodo qualibet earum amiſſa neceſſe ſit reliquas ſimul perire.* *9. Met. c. 10.* Deinde quo loco Galen. rationem docet mittendi ſanguinis iis, qui laborant plenitudine, vel in principe aliqua parte, vel in corpore vniuerſo, *De Sang. Miſſ. c. 6.* hunc ipſum ſcopum conſiderans, vt ne quis error hac in re committatur, ſcribit robur earum, & imbecillitatem ex propriis functionibus cognoſci, atque æſtimari: facultatem animalem ex actionibus voluntariis, & iis, quæ à neruis, horúmque principio pendent; vitalem ex iis, quæ pulſus, & arteriæ ſignificant; naturalem ex proba nutritione, ex bono item, vel malo colore: ſtatimque poſt hæc ita inquit.

Vbi igitur facultates robuſtæ fuerint, ſanguinem mittes, &c. Quæ quidem verba, & vniuerſa illius loci ſeries manifeſto videntur demonſtrare, ſanguinis miſſionem robur omnium virium deſiderare. *11. Met. cap. 6.* Alio item loco Galenus tradens methodum

Digitized by Google

methodum curandi febres putridas, & hanc rem ferè ex propoſito tractans, quænam vires ſint conſiderandæ, non ſolùm in ſectione venæ, ſed etiam in vſu aquæ frigidæ, & aliorum præſidiorum, tobue omnium virium maximè expetit, non ſolùm vitalium, ſed animalium quoque, & naturaliom. (2. aph. com. 29.) Atque hæc demum opinio poteſt rurſum Galeni teſtimonio confirmari, vbi ſcriptum reliquit in ſtatu morbi ſanguinis miſſionem ſuperuacaneam eſſe tum propter alia, tum quia vis animalis maxima ex parte eſt hoc tempore fatigata, licet quam maximè aliæ duæ vitalis, ac naturalis firmæ permaneant. Ex altera aotem parte, hoc ipſo in loco, quem interpretamur, quærens Galenus cur Hippocrates alteri virium ſcopo tertium quoque addiderit ætatis, id reſpondet propter vnos pueros factum fuiſſe, qui licet vitali facultate valeant, verumtamen non ſuſtinent ſanguinis miſſionem, quòd ita eorum ſubſtantia facilè diſſipetur; iis verbis demonſtrans, in hoc adminiſtrando præſidio non aliud robur, quàm facultatis vitalis eſſe animaduertendum. (De Sang. Miſſ. c. 14.) Atque hæc ſententia illo etiam Galeni præcepto poteſt robotari, quo medicos admonet, vt inciſa vena, ac fluente ſanguine, pulſuum mutationi animum diligenter attendant, & confeſtim à ſanguinis detractione quieſcant, vbi in magnitudine, vel quauis inæquabilitate illi mutati fuerint. Præterea ſi vna facultas vitalis nõ ſufficit, ſed aliarum quoque requiritur robur, in Apoplexia. gr. ex. in qua facultates animales ſunt abolitæ, haud licitum eſſe mittere ſanguinem, vt fateamur neceſſe eſt: id quod nemo non intelligit ab omni probata medicina eſſe longè alienum. Sed qoid pluribus opus eſt, quando Galenus clarè, & expreſsè videtur hanc ſententiam tueri, inquiens authorem huius libri haud prætermiſiſſe tertium ſcopum, qui conſiſtit in robore facultatis vitalis; Ita enim vertenda eſt ea particula, ſicuti præclarè vertit diſertiſſimus Raſarius, quæ perperam, atque oſcitanter fuit à Vaſſeo reddita (*facultatis robur exiſtit.*) Nam Græcè legitur (τῆς ζωτικῆς δυνάμεως ἡ ῥώμη) Sie in dolore capitis ex plaga ſcribit, niſi vitalis facultas debilis appareat, à ſectione venæ initium curationis faciendum eſſe. (2. de Comp. Med. cap. 14.) Itaque res vtrinque videtur obſcura & difficilis ad explicandum.

Ego verò ita ſentio, robur vnius facultatis vitalis ad opportunam ſanguinis miſſionem ſatis eſſe, & hanc puto fuiſſe mentem Galeni. Quòd ſi præterea ſimul adſit firmitas aliarum, naturalis animaliſque, tunc longè audacius, & copioſius aio ſanguinem eſſe mittendom: adeo vt aliæ duæ facultates ferè inter ſecundarios ſcopos debeant numerari, qui (vt poſteriùs videbimus) vices magis, & quantitatem ſanguinis, quàm ipſam detractionem ſolent indicare. Ac præter ea, quæ pro hac ſententia iam diximus, non videtur prætermittendus locus Galeni, in quo generaliter tractans indicationes, quæ à natura partis accipiuntur, ſtatuit vnius cordis potiſſimùm, atque adeò facultatis vitalis, tanquam reliquarum principis, rationem habendam eſſe. Sed præſtat illius verba proferre.

(7. Meth. cap. vlt.) *Quoniam non par eſt actionum dignitas ad ſeruandos agros ſed alia magis, alia minus vtilis ſunt, vtique ad portionem actionum dignitatis etiam cuiuſque partis proſpiciẽdum eſt robori. Maxima igitur eſt cordis actionis dignitas, atque ægrotis maximè omniũ neceſſaria: cerebri verò ad vitam quidem par eſt momentum; non tamen par robur in ægrotis requiritur, cum neceſſe omnibus non ſit neruorum, ac muſculorum opera vti: Itaque abundè fuerit, ſi tantum eius ſeruatum ſit, quo reſpirationis munus ſit obeundum. Ac verò iecinoris opus omnibus particulis perneceſſariũ eſt, non tamen adeò ſaltem perpetuam habet neceſſitatem, ſicuti ipſius cordis: ad portionem autem iecinoris etiã ventriculi opus ſe habet. Intelligens ergo omnium particularum tum functiones, tum vſus in aliis commẽtariis demonſtratos, haud difficulter inuenies, quatenus cuiuſque robur cuſtodiri oporteat.* Hactenus Gal

Itaque mea ſenteotia robur facultatis vitalis omnino ſtatuendus eſt ſcopus primarius: robur verò aliarum facultatum ſecundarius: ſi quid eoim aut ad prohibendam, aut minuendam ſanguinis detractionem faciunt eæ duæ facultates, naturalis, & animalis, non alia ratione id præſtant, niſi quòd ipſam quoque vitalem trahere in conſenſum poſſint Qua interpretatione equidem puto facilè reſponderi poſſe ad rationes poſitas pro altera opinione, vt neceſſe non ſit confutatione earum ſigillatim verſari. Veruntamen eum id negari non poſſit, quin tres facultates ſe in mutuum trahant conſenſum, raróque admodum, & vix vna ſine aliis diutius valere, & conſiſtere poſſit, medicos hortamur, vt hac in re admodum cautè, ac prudenter agant, ſedulóque attendant omoes vires, vt ſaltem de modo, & quantitate vacuationis probè ſtatuere poſſint: quæ res poſteriùs quoque tractabitur. Hip. ergo ſtatuit tertium principẽ ſcopum robur facultatis vitalis, atque ea quidem lege, vt ſperemus eam non modò præſenti tempore, ſed in futurum quoque conſtantem fore.

Quam ob cauſam quis forte hac ſola duo, &c.) Galenus quaſi argumentando aduerſus ea, quæ ab Hippocrate conſtituta ſunt obiicit, non iniuria poſſe aliquem exiſtimare, duos tantummodo ſcopos ſatis eſſe, magnitudinem morbi, roburque virium, & inconſultò ætatem fuiſſe tertio loco poſitam: & ratio argumentationis eſt talis; quòd ſenex non propterea quia ſit annoſus, per ſe, ac primùm, ſed propter vnam virium imbecillitatem non ſuſtinet ſanguinis miſſionem. (*At certè pueri, &c.*) Modo obiectam rationem diluit, ac ſibi ipſe reſpondet hunc in modum. Licet id in ſenibus concedatur eſſe verum, quòd nullus ſit in ea ætate conſtitutus, qui rubuſtas habeat vires, idem tamen in pueris veritatem non habere: namque illis, tametſi valeant facultate vitali, propter vnam ætatem interdicitur ſectio venæ; propterea quia puerorum ſubſtantia partim ob inſignem humiditatem, partim ob temperamenti caliditatem omnium facillimè digeritur, ac diſſipatur: ex quo fit, vt miſſione ſanguinis minimè indigeant qui naturalem habent ex temperamento vacuationem. Ac propterea concludit duos ſcopos, magnitudinem morbi, robúrque virium non ſatis eſſe, foréque melius, ſi tertius præterea ſcopos, ætas florens, adiiciatur. Quæ quidem doctrina eodem plaoè ſenſu, eiſdémque verbis à Galeno tradita eſt, ac ſæpius repetita; quos locos non decet longius tranſcribere. Quare non ſemel huiuſmodi præſidij terminum circumſcribit annum quartum decimum, ita vt oulli antea fas ſit venam incidere. (De Sang. Miſſ. c. 9. 9. Meth. c. vlt. 11. Meth. c. 14.)

Cæterùm ſi licet hanc Galeni ratiocinationem accuratè perpendere: illa fortè alicui videbitur non omni ex parte certa, & explorata: Etenim ſiue propter excedentem humiditatem, ſiue propter temperamenti calidatem, ſiue quouis modo poeri non perferant ſanguiois miſſionem, cum id aliũde cauſa fiat, quàm quòd earum ſubſtantia facilè diſſipatur, quamobtem hoc ipſum periculum ad ipſas demum vires non poſſumus referre? Quippe vix duplicatam natiuam ſcilicet, & artificioſam vacuationem vldentur poſſe ſuſtinere, vt poſtremò verendum ſit, ne vel in præſentia, vel deinceps ante motbi iudicium deficiant. Sed hoc idem

ipſemet

ipſemet Galenus viſus eſt nonnunquam ſentire, qui hæc habet.

Ad Hippocratis conſuetudinem conuerte animum, qui in talibus aliquando de ſola virtute mentionem facit; ſed interdum adiicit ætatem. Præcipuus ſiquidem eſt virtutis ſcopus; ſed ad notitiam eius confert etiam ætatis cognitio; cito quidem in pueris laborante propter copiam effluuij virtute, in ætate autem florentibus abunde ſufficiente. Quòd ſi ita ſe res habet, cur non duo ſufficiunt ſcopi, magnitudo morbi, ac robur virium? cur non licet & pueros, ſicut ſenes in verbo virium comprehendere? Quanquam enim hi viribus ſunt infirmi, illi robuſti, id parui intereſt, cum non modo virium præſentium, ſed etiam futurarum perpetua, & maxima ſit habenda ratio

(4 De Rat. vict. Mor. Acut. 49.)

Quam fortè rem ſeriò Galenus animaduertens ſcriptum reliquit aliàs, primos, ac maximè proprios ſanguinis mittendi ſcopos eſſe duos, magnitudinem morbi, & robur laborantis. Ac ſanè vt (ingenuè dicam) eiuſmodi Galeni interpretatio mihi quoque videtur aliquantiſper dura, & difficilis; vt nullam certam rationem potuerim inuenire hactenus, qua hunc mihi ex animo ſcrupulum prorſus euellere poſſim. Niſi fortè dicamus, Galenum ſectionem venæ pueris interdicere propter eam præcipue cauſam, quòd huiuſmodi præſidium ſit in hac ætate ſuperuacaneum quam rationem frequenter ſolet afferre.

(De Sang. Miſſ. cap. 9.)

Detractione ſanguinis (ait hoc in loco) *non egent, qui inſitam, naturalemque habent à temperamento vacuationem.* Ac rurſum: *Puerorum ſubſtantia euacuantis præſidij minus indiget cum habeat ex ſe ipſa, vnde natura vacuetur.* Et iterum; *At ſi in puerum incidat, qui quartumdecimum annum hactenus non attigit, mitti illi ſanguis non debebit, propterea quòd plurimum de ſubſtantia corporis quotidie defluit, ac digeritur, tantulis calidis, & humidis exiſtentibus. Ita quod ex vena incidenda moliendum nobis fuerat, id vltrò nobis ex corporis, quod curatur, natura præſtatur, &c.* Quod enim pertinet ad Galeni autoritatem, qua ſemel ſtatutum eſt primos, ac maximè proprios Græcè *κυριωτάτους* ſcopos eſſe duos; reſponderi poteſt, non proinde excludendum eſſe tertium, qui quidem etſi eſt minus proprius, ſeu præcipuus ex vi vocabuli Græci, tamen eſt talis, vt aliis ſit iure annumerandus, qui decernunt ſanguinem mittendum, aut non mittendum eſſe. Vel forte magis ad Galeni mentem licet reſpondere, eum diſputare aduerſus Menodotum, neque comparare tres ſcopos inter ſe, verùm illos duos cum plethorica ſyndrome, quam ille ſolam ſecandæ venæ ſcopum conſtituit. Itaque aſſeuerat magnitudinem morbi, & robur virium ſatis eſſe, & hanc primam eſſe, ac præcipuam ſyndromen, ſub qua altera plethorica continetur. Nec profectò hæc diſputatio tollit, quin addenda quoque ſit ætas pro tertio ſcopo, ſicuti præclarè addita eſt ab Autore libri quarti de *Rat. Vict. Morb. Acut.* Et quamuis loco ſuperiore Galenus vtcunque videatur ætatem redigere ad ipſas vires, licet reſpondere, ibi ſermonem haberi de ratione inſtituendi victus, cuius ſummè principalis, vel potius vnicus ſcopus ſunt vires: nam quatenus ad morbum pertinet, nihil prorſus eſt exhibendum; vt propterea nulli mirum debeat videri, ſi ætatem voluit ad illas referre. At verò in ſectione venæ maximè præcipuus ſcopus eſt morbi magnitudo propter quam mittitur perpetuò ſanguis, minimè propter vires, aut ætatem. Quare non iniuria hoſce ſcopos, ætatis (inquam) & virium, diſtinxit: id quod facit millies: cuius diſtinctionis rationem quoque aliquando affert, ita ſcribens.

(9. Met. c. vlt. 11. Met. c. 14.)

Superius cum de ſcopis miſſionis ſanguinis ageret, corporis habitum quidem omiſit ſed hoc in loco virium non meminit: verùm habitus nomen pro virtutis nomine dictum eſſe opinantur nonnulli, vna ex re duo dici perperam exiſtimantes: nempè habitum ad conſtitutionem corporis deferentes dicimus, vtpote cum quis vel mollis, vel durus fuerit: robur verò virtutis ex functionum vehementia cognoſcimus. Ex quo fit, vt duo hi ſint ſcopi, vacuandi quidem communem indicationem habentes, ſed inter ſe differentes, veluti & ab ætate. Verùm ætatem ipſam ad corporis habitum referre eſt melius, & non virtutem: pueri enim propter habitus mollitiem facilè perſpirabiles ſunt, &c.

(4. de Rat. vict. Mor. Acut. 25.)

Verum enim verò vtcumque ſe res habeat, nolim quenquam de hac quæſtione valde eſſe ſolicitum, cum ea ferè ſit logica, & nullius momenti; & vtrouis modo ſentias, pro certo habẽdum eſt, nullo pacto pueris de Galeni ſententia venæ ſectionem conuenire. Atque equidem te id ſcire quàm maximè velim, me hæc attuliſſe in primis ad excitanda, & exercenda ſtudioſorum ingenia minimè verò ad infirmandum & conuellendum Hippocratis, & Galeni decretum, quod interim ſuſcipio libenter; qui candidè fateor, niſi quæ modò diximus, ad hanc rem ſunt ſatis accommodata, me fortaſſe ad hanc diem illorum mentem exactè aſſequutum non eſſe. Etenim tanti ego facio diuinorum hominum dogmata omnia, & præcepta medica (quid alij ſentiant ipſi viderint) vt iamdiu mihi ſtatutum ſit ab eis nunquam vel tranſuerſum vnguem diſcedere. Quòd ſi contingat aliquando, vt loci quidam difficiles, & ſcopuloſi mihi occurrant (ſicuti contingit in præſentia) quorum intelligentiam non ſatis aſſequi mihi videor, Galenicum præceptum memoria repetens, mihi ipſe didici magis diffidere, ac propriam ingenij imbecillitatem agnoſcere, quàm tantos viros temere accuſare, & prodere. Atque vtinam multi noſtrorũ temporum medici in iis legendis optimis, maximiſque authoribus hãc ipſam humanitatem, modeſtiámque velint adhibere: quibus omni aſſeueratione affirmare auſim, nunquam fore, vt huius conſilij eos pœniteat: quandoquidem ſi accuratè, ac ſine ambitione eorum monumenta legantur, ſine dubio fiet, vt quæ hodie confuſa, obſcura, errata alicui videntur, eras ordinata, perſpicua, & vera appareant. Quemadmodum ego quidem certè poſſum confirmare mihi haud ſemel eueniſſe; qui poſtridie earum cognitionem ſum facilè conſequutus, quæ pridie difficiles, abſurdæque eſſe, & vix poſſe intelligi mihi viſæ fuerant, Sed redeo ad rem meam.

Quod porrò in fronte dictionis dictum eſt, &c.) Dubitationem facit Galenus (vt ipſe ait) conſideratione dignam; quamobrem Hippocrates morborum acutorum tantùm, minimè diuturnorum mentionem fecerit; cum ex iis quoque multi ſanguinis indigeant detractione, atque eiſdem legibus, tribúſque propoſitis ſcopis iure ac meritò ſubiiciantur. Reſpondet autem, id factum fuiſſe, & de ſolis morbis acutis illum ſermonem habere, quòd de iis, minimè de diuturnis hac in parte diſputationem inſtituiſſet. Itaque ſententiam amplificat, vt illa morbos non ſolum acutos, ac præſentes, ſed etiam diuturnos, ac futuros amplectatur. Neque alicui dubium eſſe debet, quin huiuſmodi amplificatio rationi, atque Hippocratis menti ſit conſentiens, & præſeruandis, curandeſque morbis longè opportuniſſima: namque multi ſunt morbi imminentes, multi

diuturni

diuturni apoplexia, epilepſia, vertigo, arthritis, ſputum ſanguinis, oſſium craſſiorum factura, elephantiaſis, qui interdum ſanguinis miſſionem deſiderant, de quibus Galenus in commento aphoriſmi, 6. Aph. 47. *Quibus ſanguinis miſſio, aut purgans medicamentum confert, iis verno tempore venam ſecare, aut medicamenta purgantia propinare oportet.* De qua re poſterius agetur. De dif. morb. cap. 7. Hinc facilè poteſt intelligi quantum hallucinatus fuerit Argenterius, qui cenſet, morbum magnum indicantem ſectionem venæ eſſe eundem cum morbo acuto, ac vehementi, nimirum qui valdè, & paruo temporis ſpatio affligit. Siquidem conſtans, & perſpicua eſt doctrina apud Hippocratem, & Galenum magnos morbos non ſolum præſentes, ſed etiam futuros, neque ſolum acutos, verùm etiam diuturnos iſtud remedium indicare.

Cæterùm cum hæc omnia rectè dicta ſint, &c.) Non ſatis eſt, agricolam ſemina optima in terram ſpargere, niſi idem lolium, tribulos & omnem zizaniam deinceps euellat. Quamobrem cum Galenus hactenus ex horteo Hippocratis mittendi ſanguinis optimam ſementem feciſſet, illi modò eſt propoſitum, neſcio quem terræ morbum, falſam opinionem extirpare. Nam præter cæteros Hippocratici dogmatis hoſtes fuerant Empirici, potiſſimùm verò Menodotus, qui minimè in tribus ſcopis ſed in vna plethorica vocata ſyndrome aſſeuerabat ſanguinis miſſionem obſeruari. Atque vtinam plurimi hodie non ſint Menodoti, qui idem cum eo ſentiant, fortè etiam deteriorem, De plen. c. 1. quàm ille fecerit, opinionem defendant. Syndromen plethoricam illi appellabant concurſum, cumulum, congeriem ſymptomatum, quæ præſentem humorum plenitudinem demonſtrant: ea verò ſunt referente Galeno vaſorum diſtentio, & rubor, & vniuerſi corporis grauitas, & pigritia ad motum, tra ducta in otio prior vita, non ſine ciborum, ac potuum larga ingeſtione, & ſolitarum excretionum retentio. Porrò aduerſus huiuſmodi hæreſim Galenus agit dupliciter: primùm, quod iis aliquando venam ſecamus, in quibus non eſt ille concurſus; ſi vehemens dolor hominem aggrediatur; ſi pars aliqua fracta fuerit; ſi vel alius quiſpiam articulus contractus, reductuſque fuerit: deinde quòd neque præſente ea ſyndrome perpetuo ſanguinem mittimus; ſed & frictione interdum, balneis multis, & abſtinentia, quæ duobus, vel tribus diebus fiat, hominem ad priſtinum ſuum naturalem ſtatum reuocamus. Vt hinc poſſimus pro Galeno tale argumentum conficere; ille eſt præcipuus ſcopus mittendi ſanguinis, quo poſito ponitur phlebotomia; quo ſublato illa quoque auffertur, ac demitur: ſyndrome plethorica non eſt huiuſmodi; ergo ſyndrome plethorica non eſt præcipuus ſcopus, &c. Qua quidem euidentiſſima ratione ſatis vnicuique poteſt conſtare, inter concurſum plethoricum, miſſionemque ſanguinis eum conſenſum non eſſe, vt alter alteri vniuerſè, ac ſemper conueniat, vt nonnulli ſomniant; & qui alioqui fuiſſet neceſſarius, ſi de vna plethorica ſyndrome elicienda foret indicatio mittendi ſanguinis. Sed de hac re ſatis in præſentia, quantùm noſtra inſtituta interpretatio poſtulat, cum poſterius hanc difficultatem accuratiùs ſimus explicaturi: quando etiam Galenus probè ſciens hic ſe Hippocratem commentari, non ex propoſito hoc argumentum tractare, lectorem legat ad libros de Plenitudine, de Miſſione ſanguinis, de Methodo Medendi, in quibus exactiſſimè ſunt omnia diſputata.

Verùm, vt nihil deſit, &c.) Galen. poſtremo hoc loco in ea opinione videtur fuiſſe, vt præceptis hactenus traditis aliquid omnino deficiat. Quare vt omni ex parte tractatio eſſet abſoluta, cenſuit quartum præterea ſcopum eſſe addendum qui deſumitur ab aëre nos ambiente, cum ille nimirum fuerit inſigniter calidus & ſiccus, ita vt cito ab eo corpus diſſipetur. Etenim tunc à ſanguinis miſſione abſtinendum eſt; quamuis adſit morbus magnus, ægerque floreat ætate: quem quidem ſcopum, cæteris præclarè poſitis, author huius libri videtur prætermiſiſſe; ſicuti etiam laborantis corporis habitum; etſi in hoc illum excuſat, quòd poſterius illius quoque mentionem fecerit. Porrò hic locus facilem dedit anſam Galeni calumniatoribus, vt illum arguerent cum inconſtantiæ, tum 4. de vict. acut. 23. falſitatis. *Quòd enim hac in re* (inquiunt) *non ſatis ille ſibi conſtet, manifeſtum eſt; quandoquidem clarè hoc loco principes ſcopos recenſet aërem ambientem:* quam eandem ferè ſententiam videtur habuiſſe libro quoque ad Glauconem, vbi teſtatur illos Lib. 1. c. 14. omnes interiiſſe, quibus medici neglecto temporum ſtatu auſi ſunt venam ſecare: aliis autem in locis, qui ignorari non poſſunt hunc ipſum ſcopum ſolet inter ſecundarios numerare, qui minimè detractionem, ſed detractionis quantitatem indicant. Ex iis vnus omni luce clarior ſatis fuerit.

Tribus (ille ait) *ſcopis mittendi ſanguinis deſtitutis, nimirum morbi magnitudine, aut præſente, aut imminente, aut incipiente, vigente ætate, ac robore virium, extra puerorum ætatem; ad alias proditas mittendi ſanguinis notas, quas non pauci medici adiecerunt, accedamus, quæ quantitatem quidem detractionis, non ipſam ſanguinis miſſionem ſimul indicant. Proinde ex morbo, ætate, ac viribus, quòd mittendus ſit ſanguis, cognoſcitur: quantitas autem vacuationis non ſolùm ex iſtis, ſed ex aliis deprehenditur. Hæc verò ſunt plethorica vocata ſyndrome; ambientis nos aëris temperatura, in tempus, & regionem diuiſa, &c.* De Sang. Miſſ. c. 9.

Quòd verò hæc res præterea ſit perſpicuè falſa, facilè item poteſt probari. Nam cum aër calidior, & ſiccior, vel frigidior non aliter ſanguinis miſſionem impediat, quàm quòd in illo improbè vacuati, ipſomet Galeno interprete, ſyncope, ac virium diſſolutione intereunt, in hoc per initia acceſſionum vehementer refrigerati non amplius releuantur; manifeſtum eſt huiuſmodi ſcopum non eſſe principem, ſed ad alterum principem, vires ſcilicet, eſſe referendum.

Doctiſſimi quidam viri ad tollendam hanc apparentem repugnantiam, ac tuendam Gal. authoritatem, eam defenſionem, conciliationemq; afferunt; ambientem nos aërem ſanguinis miſſionem prohibere, ſi iſthæc tria, regio, tempus anni, cœli conſtitutio ſimul conueniant; ſingula ſeparatim minimè detractionem, ſed detractionis quantitatem impedire. Verùm enim verò etſi certò ſcio il- 11. Med. c. 1. 1. ad Glau. cap. 14. los vera dicere, quæ doctrina eſt Gal. fortaſſe tamen ad hanc rem definiendam hæc non ſatis valent. Siue enim regio, tempus anni, cœli conſtitutio inter ſe conueniant, ſiue differant, quæro quonam modo aër ambiens venæ ſectionem impediat, an primum & per ſe, an ſecundario, & per accidens: vt ſemel dicam, an ille inter principes, an ſecundarios ſcopos ſit reponendus. Et profectò ſi veritatem, & Galen. mentem diligenter conſidero, quemadmodum planè habeo compertum non plures eſſe, quàm tres primarios mittendi ſanguinis ſcopos, morbi magnitudinem, robor virium, & ætatis; ita libenter proferam, quod mihi in mentem venerit pro defenſione Gal. ac tollendis criminibus, quæ illi obijciuntur.

Itaque memoria eſt repetendum, Galenum

multis

multis in locis ſcopos ſecandæ venæ principes, ſubditoſque inter ſe miſcere & confundere conſueuiſſe. Non longè abieris. Ille decem numerat *De Sang. Miſſ. c. 6.* nonnunquam, quos primos appellat; plenitudinis rum qualitatem, rum quantitatem; virium robur aut imbecillitatem; corporis habitum, tempus, regionem, motum ſiue exercitationem: præcedentem victus rationem, conſuetudinem, cohibitas excretiones: poſtremo corporis obeſitatem, aut *9. Met cap. vlt.* gracilitatem. Quandoque non plures octo: temperiem, conſuetudinem, ætatem, locum habitationis, anni tempus, cœli ſtatum, morboſum affectum, laborantis vires. Aliàs quatuor meminit, morbi magnitudinis, ætatis, virium, regionis. Ad ſummam ne loca ſingula recenſeam, quicunque doctrina, & lectione huius viri delectatur, is facilè hac in re illius varietatem poteſt deprehendere. Neque verò aliquem velim hoc arrogantet tanquam inſigne virium Galeno exprobrare: quippe non omnia poſſunt, aut debent omnibus in locis accuratè, diſtinctè, abſolutè doceri. Atque hoc peculiare eſt illius inſtitutum, vt iis in locis, in quibus ex propoſito aliquam rem tractat, illam cumulatè, & perfectè doceat, in aliis verò non item. Quocirca ſæpè lectorem admonet, vt illos perpetuo fontes conſideret, in quibus diligentius res explicatur: quaſi diuinaret vir diuinus, non defuturos aliquo tempore obtrectatores Fernelios, Argenterios, horumque diſcipulos, & imitatores, qui cum alia tum hoc in primis inconſtantiæ, & varietatis crimen ſibi obiicerent. Quòd ſi quis adhuc inſtet, nullum magis proprium, ac peculiarem eſſe locum, quàm ſit Liber de Sectione venæ, In quo Galenus decem recenſet ſcopos, facilis eſt reſponſio. Namque ille eius libri initio, ita ferente doctrinæ occaſione, omnes ſcopos voluit in vnum congerere, quicunque pertinet ad ſecandæ venæ conſiderationem; ſed eos deinde, primarioſque à ſecundariis præclarè diſtinxit, atque eorum vim ſatis, ſuperque declarauit. De qua re nos quoque diffuſè agemus poſteriùs. Itaque id valde mirum alicui non debet videri, ſi Galenus hoc in loco de hiſce ſcopis diſputans ſummatim, non eam exquiſitam diligentiam adhibuerit, atque ad amuſſim omnia explicauerit, ſicuti adhibuit, & explicauit aliis in locis. Cum enim Hippocratem interpretaretur, illiuſque mentem de tribus principibus ſcopis probè expoſuiſſet, & aduerſus Empiricos ratatus eſſet, poſtremùm ambientis quoque nos aëris, & habitus corporis voluit meminiſſe, quanquam illi ſunt ſecundarij; vt medicos admoneret, huiuſmodi etiam ſcopos eſſe animaduertendos, & conſulendo quamuis illa vna ratione qua ad principes referantur. Quaſi illum mihi videar ita loquentem audire; Propoſitis tribus principibus ſcopis fortaſſe aliquis præterea deſiderabit aliorum quoque ſcoporum conſiderationem: idcirco tametſi ij tres ſufficiunt, ne quid tamen poſſit deſiderari, quod ad hanc rem pertineat, non fuerit ab re addere ſcopum ſecondarium, aëris qui reducitur ad vires, & cuius aliàs mentionem fecimus. Atque iſtud fuiſſe Galeni propoſitum, ex ſerie illius loci licet colligere, quæ ita habet.

Verum, vt nihil deſit, adijciam & eum ſcopum, qui ab ambiente nos aëre deſumitur, cum fuerit abundè calidus, & ſiccus, ita vt ab eo corpus euaporetur. En quàm manifeſtè aërem ad ipſas refert vires. Sed & quæ ſequuntur hoc ipſum perſpicuè confirmant. *Nempe tunc à ſanguinis miſſione abſtinemus, etiamſi morbus magnus fuerit, florenſque ætas homo.* Virium nihil meminit, argumento planè euidenti huiuſmodi ſcopum ad illum principem eſſe referendum.

Quòd ſi demum quærat aliquis, quamobrem Gal. aliorum quoque ſcoporum non meminerit; huic reſponderem, cum nominatione vnius, aut alterius cæteros omnes voluiſſe complecti; qui mos eſt ipſi, & Hipp. familiaris, vt vna re poſita, alias præterea mente concipiant, quæ eandem habent rationem. Vt finiam; quemadmodum Gal. excuſat Hipp. qui ſcoporum multitudine obrutus inordinatè aliquando, & incompoſitè tradiderit regulas inſtituendi victus, cum fieri nequeat, vt omnia paſſim benè & accuratè ſcribantur; ita nos Galen. iure optimo defendere poſſumus, & debemus, ſi non illam perpetuo diligentem ſcribendi rationem adhibuit, quam iſti ſeuerè deſiderant.

Quòd ſi quis (ille inquit) *varios libros legere, & conferre, & huiuſmodi ſpeculationem in artis operibus exercere non grauabitur, is lumen in ordinem doctrinæ adiicere poterit, & veritatem laudabit.* *4. de Rat. vict. Mor. Acut. 36.* Quòd ſi rem hanc aut diligentius, aut æquius expendere voluerimus, fortaſſe exactiſſimam Gal. doctrinam inueniemus: qui de ſanguinis miſſione acturus debuit omnes ſcopos attingere ac recenſere, quotquot venire medico in mentem poſſunt, ſiue ij principes ſint, ſiue ſecundarij, vt modò omnes, modò aliquos reuera pro diuerſa inſtituti ratione recenſuit, ea tamen ſemper lege firmata, ea perpetuo veritate ſtabilita, eos tandem omnes ad tres illos paſſim decantatus ſcopos eſſe redigendos Verùm ſunt hæc ſatis ad huius loci interpretationem.

Et quanquam longior omnino mihi videor fuiſſe, quàm mea voluntas ferat, illud tamen fortaſſe haud importunè factum eſt: quandoquidem hic vnus locus eſt admodum notabilis, vt non ſolùm toti negotio plurimam lucem afferre, ſed illud propemodum omni ex parte conficere poſſit, Atque hinc factum eſt, cum aduerſarij quoque id ſatis intelligant, vt totis viribus conentur eum labefactare, atque euertere: quorum conatus, & rationes non ſunt prætermittendæ.

Igitur contendunt nonnulli ſententiam ſuperiùs poſitam, & expoſitam eſſe reiiciendam, tanquam ſuppoſititiam, magnoq; Hip. indignam: propterea quod ratio ſit inepta, & grauitati diuini hominis multum diſpar, & diſſimilis. Nam cum Gal. teſti- *De Comate cap. 3.* monio apud eum ne ſyllabam quidem otioſam quis facilè poſſit inuenire, quandoquidem morbi acuti ſunt itidem vehementes, quorſum addita ſunt ea verba? (*ſi vehemens morbus videatur.*) Præ- *lib. de ſang. Miſſ. c. 9.* terea Gal. quoq; aiunt huiuſmodi ſententiam redarguiſſe tanquam mancam, & imminutam: quippe quæ vigentis duntaxat ætatis negligenter meminerit; eius, quæ hanc præcedit, & alterius, quæ eandem ſequitur, adoleſcentiæ nimirum, ac primi ſenij nulla habita mentione; cum tamen nulli dubium ſit, quin bene vtraq; ſectionem venæ ferre poſſit. Addunt iis demum, quòd ea diuturnos morbos non complectatur. Alij autem, in quorum ſcripta nuper incidimus, quamuis ſententiam recipiant, tanquam Hipp. illius tamen egregiam quandam interpretationem commenti ſunt hunc in modum; eam ſcil. veritatem habere non poſſe (ita loquuntur) niſi vniuerſalibus quibuſdam theorematis præſuppoſitis, id eſt, ſanguinis miſſionem nunquam exercendam eſſe niſi morbus originem habuerit à ſanguinis multitudine, vel motu.

Verùm facilè poteſt intelligi quàm ſint hæc vana, & futilia. Quod enim pertinet ad locutionem, etſi vel vna Galeni autoritas vnicuique ſatis, ſuperque eſſe poteſt, qui huiuſmodi ſententiam non modò probat, & tanquam Hippocratis

germa

germaniſſimam agnoſcit, ſed eam quoque adeo præclaram exiſtimat, vt non ſatis miretur, quamobrem in Aphoriſmorum numero non fuerit poſita: adhuc tamen ſi rem diligenter attendas, non inuitus (puto) fateb eris illam germaniſſimam eſſe, & magno Hippocrate digniſſimam. Quippe nemo eſt in libris medicis vel mediocriter verſatus, qui neſciat vocem, ὀξὺ Latinè acutum potiſſimùm apud Hippocratem, & Galenum haud ſemper idem ſignificare; ſpeciatim verò morbos dici acutos ſæpenumerò, qui celeres ſunt citóque iudicantur, ad diuturnorum differentiam: id quod ex quamplurimis vnicus locus huic planè ſimilis perſpicuè poteſt demonſtrare. Dixerat Hipp. *Sunt autem acutiſſimi, maximi, grauiſſimi morbi, &c. Acutiſſimos* (inquit Galen.) *appellat eos, qui pauco tempore decernunt; maximos, validiſſimos, grauiſſimos, qui cum periculo ſunt coniuncti*. Sic idem Galenus ſcriptum reliquit pueris poſt annum decimumquartum, ſanguinis miſſionem conuenire, ſi vel peripneumoniæ, vel anginæ, vel alterius acuti vehementiſque morbi periculum immineat. An pleuritis ſicuti interna quælibet inflammatio, non eſt ſuaptè natura morbus acutus? Veruntamen Galenus ſemel incidit in huiuſmodi morbum minimè vehementem, adeò vt propterea noluerit illi ęgroto venam ſecare, vt paulò poſt notabimus. Quamobrem cum morbi acuti non ſint perpetuò vehementes, maximè decuit Hippocratem ſtatuentem dogma ad vitam hominis, ſi quod aliud neceſſarium, planè, perſpicuéque loqui, & omnem ambiguitatem auferre. Quod porrò aiunt Galen. quoque ſententiam redarguere tanquam imminutam; neque, ſi quis id conceſſerit, idcircò fatendum eſſet eam minorem fidem mereri: namque Hipp. (vt Galeno placet) vix potuit inueniſſe omnia, ac perfeciſſe. Quocirca minimè mirum debet videri, ſi pro antiqua breuitate plurima dixit ieiunè, & obſcurè; id quod primis rerum inuentoribus euenit, propemodum neceſſe eſt.

1. Ep. ſect. 3. cap. 3.
6. Ep. ſect. 3. 102.
De Sang. Miſſ. cap. 3
6. Ep. ſect. 3. 44.
2. de rat. vict. c. 36.
9 meth. 8.

Sed aliter arguendi ſunt, qui affirmant Galenum eiuſmodi ſententiam redarguiſſe. Etenim qui fieri poteſt, vt eam minus probet vnò in loco, quam millies comprobat, amplectitur, ac magnificè laudat? Ille (vt equidem puto) interpretis officio functus hanc partem, quæ veritus eſt ne fortè alicui videri poſſet minus accuratè fuiſſe expoſita, ad faciliorem, & exquiſitiorem doctrinam diligentius voluit excutere, & examinare, ſed tamen ita vt de illius vi, ac robore nihil detrahat libentérque illam recipiat, quamuis minus perfectè velit dignotionis, quæ ab ætate fit, mentionem factam fuiſſe. Ac ſanè Galeno facile fuerat Hippocratem ab omni calumnia vindicare, ſi dixiſſet, quod aliàs quoque dixit, illum pro ſuo more nominatione vnius, & cætera, quæ eandem habent rationem, comprehendere voluiſſe. Quòd ſi mihi liceat verba Hippocratis aliter quàm faciat Galenus, interpretari, ac defendere, equidem exiſtimo non ſolùm illa carere vitio, ſed fortè etiam magni eſſe plena artificij. Nam cum vir omnium grauiſſimus doceat accipiendam eſſe indicationem ſecandi venam à tribus principibus ſcopis, noluit in vnoquoque vti vocibus, quæ energiam quandam haberent, & aliquid abſolutum ſummúmque indicarent. Quare morbum dixit Vehementem, vires Robuſtas, ætatem Floridam; vſus verbo ἀκμάζειν, quod Græcis idem ſignificat, quod florere, vel vigere ætate: quanquam id quoque dicitur aliquando pro florere, vigere, pollere quauis re: Ad quem modum verbum ἀκμὴ non modo ſignificat integram, vel floridam ætatem, ſed etiam generaliter vſurpatur pro ſummo incremento cuiuſque rei, ſpeciatimq; ἀκμὴ dicitur in morbis, cum ſunt adulti, ac ſummam vehementiam ſunt adepti. Cum itaque Hipp. vellet indicare ætatem validam, validiſſimam delegit, hac cæteras omnes complexus, quæ validæ ſunt, vſus antiqua & aphoriſtica breuitate quam Galenus commendat ſummoperè. Tertia pariter obiectio friuola eſt, ſatiſque à Galeno refutata, vt alia non indigeat refutatione.

Reſtat modò ea præclara iſtius loci interpretatio, quæ mihi quidem videtur magis ridenda, quàm refellenda. Ac ſanè mirum eſt, quo authore, vel iure iſti huiuſmodi interpretandi licentiam ſibi arrogent. Hippoc. apertè, & liberè ſententiam proponit, concluditque ea verborum circumſcriptione, quàm res ipſa poſtulat: Galenus omni ex parte illam ſuſcipit, & admiratur: contra verò non deſunt hoc tempore homines, qui audent eam conuellere, ac perturbare. Quæſo enim quid eſt huiuſmodi gloſſemata afferre, niſi legitimum authoris ſenſum peruertere, & omnem diſciplinam contaminare? Namque ſi Hipp. ſententia veritatem non poteſt habere ſine communi eo theoremate; id eſt nunquam ſanguinem mittendum eſſe, niſi morbus originem habeat à multitudine, vel motione ſanguinis, tantum abeſt, vt ea ſit Hippocrate digna, perinde vt Aphoriſmus, atque vt paucis vim magnam contineat, ſicuti placet Galeno; vt illa magis inepta, confuſa, imminuta, ac deficiens non iniuria poſſit videri. An fortè omnes acuti, vehementéſque morbi à multitudine, aut motu ſanguinis generantur, vt hac ratione iis venæ ſectio conueniat? aut ſi id nec verum eſt, nec ab ipſis demonſtratum, non corrigenda eſt Hippoc. ſententia, imò verò explodenda tanquam falſa? Præterea iſti nonne tanquam principium aſſumunt quod eſt maximè dubium, & in controuerſia poſitum: quodque ipſum antea demonſtratum & probatum eſſe oportuit; vel, vt verius dicam, quod eſt perſpicuè falſum, ſanguinem non mitti, niſi plenitudo ſanguinis aut motus adſit? quod quàm Gal. cum aliis multis, tum hoc ipſo loco aduerſetur; quàm à bonis theorematibus, & ab omni ratione abhorreat, ſperamus non poſterius ſolidiſſimè demonſtraturos.

Noſtra igitur, vel magis Hipp. & Galeni ſententia adhuc permanet in ſuo robore & firmitate, optimóque iure debet ab omnibus recipi, magni fieri, ac diligenter obſeruari. Neque verò hic ego faciam, vt tempus conteram in colligendis omnibus locis, ſanè multis, in quibus viri præclariſſimi hoc ipſum decretum docent, & confirmant; Cum enim veritas vna ſit, nulli dubium eſſe poteſt aut debet, quin illi ipſi perpetuò conſentiant. Itaque ſufficiat vnum præterea; vel alterum Gal. teſtimonium indicare.

Si valens (ille inquit) *ſit morbus vnà cum virium robore, nemo eſt in artis operibus exercitatus, qui non ſanguinem detrahat, exceptis tamen à ſermone pueris.* Sic aliàs *Rectè admonemur in iis, quæ de Victu Morborum Acutorum propoſita ſunt, vt ſanguinem mittamus, vbi morbus ſit magnus, æger florentis ætatis, & illi robur non deſit.* Et iterum; *Tria ſunt, quæ continent dignotionem mittendi ſanguinis; morbi magnitudo, aut præſens, aut imminens; ætas vigens; & robur virium. Hæc firmiſſima ſunt, atque apertiſſima, vt nullis ſophiſtarum argutiis redargui poſſint.* Nec profectò iis ſolum præceptis, ac theorematibus, ſed etiam multis exemplis euidentibus & manifeſtis hæc facilè poſſunt intelligi. Ex quibus item vnum vel alterum proferre, atque

4. Met. c. 6.
De Sang. Miſſ. c. 9.
Ibidem.

ita nouitiorum ingenium mihi liceat exercere.

Initio 3. Ep. *Pythioni* (ſcribit Hippocrates) *qui prope Telluris ædem habitabat, cœpit primo die tremor à manibus; febris acuta, nugabatur: altero die cuncta ſunt exacerbata: tertiò eadem erant: quarto aluus deiecit pauca, merè biliosa: quinto ſunt omnia exacerbata; tremores manebant, ſomni erant tenues, aluus conſtitit: ſexto ſputa varia, ſubrubra: ſeptimo os diſtortum eſt: octauo omnia ſunt exacerbata; tremores etiamnum permanebant. Vrina à primo ad octauum vſque diem tenuis, decolor, quæ ſuſpenſiones habebat nubiloſas. Decimo ſudauit, ſputa ſubmatura, iudicatus eſt. Vrina circa iudicium ſubtenuis.*

Hinc ſecum reputent aduerſarij, an Pythioni venam fuiſſent ſecaturi. Ac profectò ſi verum ingenuè diffiteri nolunt, aut prorſus ſanguinis miſſione abſtinuiſſent, (& quantum ego ex eorum inſtituto coniicio) applicatis potius hirudinibus ad venas hæmorroidas, vel ſcarificatis cucurbitulis illum detraxiſſent: cum potiſſimùm vrina à prima ad octauam vſque diem fuerit tenuis, & decolor: aut (quod equidem potius cenſeo) protinus illi purgans medicamentum propinaſſent; cum minimè deeſſent argumenta, quæ indicarent cacochymia magis, quàm plenitudine hominem laboraſſe. Veruntamen ij Galenum audiant, qui cæteris omnibus neglectis indicationibus, & cogitationibus, vnámque morbi magnitudinem conſiderans ita loquitur.

Gal in commento. *Oportebat Hippocratem, cum hominem animaduerteret in periculo eſſe, ad ſanguinis miſſionem accedere, aut primo die, ſi nullum venter contineret cibum crudum, aut omnino altero: atque hoc magis, quòd primo die expoſito ſcripſerit, altero die cuncta fuiſſe exacerbata: videtur enim creſcere morbus, non quaſi paruus, aut à qualibet profectus affectione corporis, ſed cum ipſe ingens, tum cauſam habens non leuem. Quoniam verò non in Pythione tantum, ſed & in aliis multis ægris, qui ſanguinis miſſionem, quantum nos ex ipſius ſcriptis coniicimus, videbantur poſtulare, non inuenitur aſcribere eam, alterutrum neceſſe eſt cogitemus, aut non detractum illis hominibus ſanguinẽ, aut hoc eum auxilij in narratione omiſiſſe. Atqui nemini horum, qui id requirebant, miſſum fuiſſe, non eſt veriſimile, cum ille vir remediũ illud amaret, vt in germaniſſimis ſuis libris ſignificauit; in Aphoriſmis, in libris de Victu in Morbis Acutis; de Articulis; atque in hoc tertio de Morbis vulgaribus; vbi de quodam ægro in hunc modũ ſcripſit;* octauo die venã ſecaui: *multũ vt debebat, fluebat. Nã cum octauo die ſanguinem illi detraxeris multò ſanè prioribus diebus magis hoc vſum remedio manifeſtũ eſt. Cenſeo equidem auxilium in multis fuiſſe aſſumptum, ſed prætermiſſum in narratione vt clarum. Quò me adducit potiſſimùm, quod in iis prædictum eſt. Quibus octauo die miſſus eſt ſãguis: Etenim hoc, vt rarum, ſcripſit, & ſanguis ante diem octauum miſſionem, vt conſuetam præterijt. Siquidem ille in veris ſuis operibus, infeſtantibus magnis morbis ſemper miſſione ſanguinis vtitur, ſimul cum ea, duo hæc reſpiciens, ætatem pariter, & ægri vires.* Galenus hactenus; qui non ſolùm mentem Hippocratis, ſed etiam ſuam ipſius de hac re admodum perſpicuè, & præclarè explicat.

Ac ſanè ego hunc locum puto inter quamplurimos eſſe maxima notatione dignum. [*Oportebat* (inquit) *Hippocratem, cum animaduerteret hominem in periculo eſſe, ad ſanguinis miſſionem accedere: atque eo magis, quod primo die expoſito ſcripſerit, altero cuncta fuiſſe exacerbata.*] Non ille ſanguinis copiam, aut motionem, aut vehementiam conſiderat, non ille humorum caliditatem, frigiditatem, craſſitiem, tenuitatem perpendit: non ille tot ſcopus ſibi ante oculos ponit, quot noſtri nouatores comminiſcuntur: non ille ad ſummam, præter vnam morbi magnitudinem, quicquam affert. [*Siquidem Hippocrates in veris ſuis operibus infeſtantibus magnis morbis ſemper vtitur miſſione ſanguinis, ſimul cum ea duo hæc reſpiciens, ætatem pariter, & ægri vires*] Narrat Gal. ægrotum quendam ſe viſitaſſe aliquando pleuritide laborantem cruentáque expuentem, in cuius curatione cenſuit abſtinendum eſſe à ſectione venæ, propter vnicam illam cauſam, quòd morbus foret leuiſſimus, ac deeſſet ſcopus maximè principalis, morbi magnitudo, ſine qua nunquam licet tale remedium adminiſtrare. Sed præſtat illum loquentem audire.

Id verò mihi vlterius animaduertere contigit, cum librum de Humoribus explanarem: inter explanãdum enim quendam ægrotum intuitus ſum, qui me, vt ſanguineo ſputo vexatus, accerſiuit: ſed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego conſpiciens ipſum interrogaui, num aliquem dolorem in latere ſentiret: ipſe verò exiguum ſe dolorem percipere faſſus eſt. Talis autem erat eius habitus, atque vires, vt ſi ſanguinem expuiſſet, quoniam morbi magnitudo vrgeret: ad ſecanda vena auxilium accedere auſus eſſem; ſed cum morbus lateralis mitis admodum foret, neceſſe non eſſet: ideò neque id genus remedij adhibuimus, atque euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, & aliis huic morbo congruentibus remediis, citra venæ ſectionem, ſubleuatus eſt. Mitiſſimi enim illi ſunt morbi, in quibus cruẽta ſputa eijciuntur. *6. Epid. ſect. 4. com. 44.*

Mirabilis profectò hæc quoque eſt hiſtoria. Nam ſi qui ſunt morbi, qui præ cæteris videantur miſſionem ſanguinis indicare, illi ſunt interiores inflammationes; atque inter has vulgo neſcio quam prærogatiuam pleuritis videtur habere, eaque omnium maximè, quæ fit ex ſanguine: Nihilominus tametſi adeſt inflammatio interior, & illa quidem lateris, ortúmq; ducit ex ſanguine, ſcopo deficiente principali, intelligimus à Gal. miſſionem ſanguinis prætermitti. Hipp. & Gal. profitemur omnes, neq; ferè eſt, qui apertè audeat contra eorum diſciplinam venire: ſed tamen in perſpicuis illorum dogmatibus non acquieſcimus, atque illis volumus eſſe ſapientiores: hiſce duobus exemplis volumus eſſe contenti, quorum imitatione licet vnicuique in aliis pariter, quæ apud Hipp. & Gal. multa non deſunt, ſe exercere.

Maneat igitur id concluſum, ac firmiter ſtabilitum, apud Hippocratem, Galenum, & probatos quoſque medicos, tres duntaxat eſſe principes ſcopos, nec plures, nec pauciores; ex quibus conſilium petendum eſt, mittendus-ne an non mittendus ſit ſanguis; magnitudinem morbi, robur virium, florem ætatis: reliquos omnes, quotquot concipi animo & excogitari poſſunt, ſecundarios eſſe, qui eatenus huius præſidij indicationem afferunt, quatenus ad principes referuntur, & qui vices magis, modum, & quantitatem ſanguinis, quam illius tractationem ſolent demonſtrare. Atque vt demum exemplo medico, ſatis mea ſententia commodo, hanc rem illuſtremus, ferè idem in miſſione ſanguinis, quod in pulſibus, videtur vſu venire. Nam (vt Galenus docet) cauſæ, quæ pulſum variant, ſunt duplices, partim generationis, partim alterationis: generationis tres duntaxat; vſus, cuius gratia; facultas, abs qua; inſtrumenta, per quæ ipſi fiunt; quæ continentes appellantur: alterationis quamplurimæ, quas in externas, & in præcedentes (ita enim appellant) medici diducere ſolent; quæ minime ſunt in cauſa ſicut priores, vt pulſus fiant, ſed tantummodo vt alterentur. Veruntamen ita hæ ſe res habet; vt poſteriores omnes cauſæ nunquam modo aliquo pulsũ variare poſſint, niſi primũ illas

moueant,

moueant, atque immutent, quæ continentes dicuntur.

Denſetur (ille inquit) *cutis ab occurſu externi frigoris, cuius denſitas naturalem halitus digeſtionem* De cauſ. pulſ. c. 1. *premat: repreſſus ille coaceruetur, tandem accendat febrem, ob quam vſus pulſus mutetur, itáque etiã ipſi pulſus. Pulſuum externa quidem cauſa eſt occurſus externi frigoris, cætera vſque ad vſum pulſuum, præcedentes. Cum igitur cauſa externa per medias præcedentes alterauerit vſum pulſuum, qui vnus eſt ex cauſis continentibus, ſic immutauit, & ipſos pulſus: neque enim poteſt vlla continens cauſa mutari, vt immutabiles maneant eius effectus. Sed prius quam continentes attingat alteratio, non poſſunt mutari pulſus. Ideóque principes hæ, & præcipua ſunt cauſæ, primæque pulſuũ: cæteræ ſunt harũ gratia. Nam quòd externa illa alteratio ad continentes penetrauit, propterea pulſuũ cauſæ dicuntur; cum ſua ſponte, & per ſe alterare illos non poſſint.* Hæc Gal. qui ferè imaginem quamdam videtur repræſentare illius diſciplinæ, de qua agimus in præſentia. Nam quemadmodum tres ſunt cauſæ pulſus continentes, quibus poſitis ille ponitur, quibus ceſſantibus ille ceſſat; ita propemodum tres ſunt ſcopi principes ſectionis venæ, qui illam præſentes indicant, abſentes prohibent. Ac rurſum ſicuti alterantes cauſæ ſunt plures, ſed quæ pulſum nequeunt alterare, niſi prius alterarent cauſas continentes, ita ſecundarij ſcopi ſunt multiplices, ſed qui nullo pacto ſectionem venæ poſſunt indicare, niſi quatenus ad ſcopos principes referuntur.

Cæterùm hodie non deſunt homines, qui vniuerſa hæc vetera dogmata perturbant, & conantur labefactare, de quibus, ac de quorum cogitationibus tempus eſt iam dicere. Cum verò de hac re multi multa ſoleant diſputare, neque omnes idem ſentiant, vt noſtra diſputatio habeat aliquem ordinem, mihi videor ſatis commodè poſſe illos in duas claſſes partiri. Quippe alij ſcopos veteres
2. Met. c. 6. Hippocratis, & Galeni manifeſtè inuadunt, prorſuſque repudiant, & in eorum locum alios tentant ſubſtituere. Alij autem, etſi illos recipiunt quidèm, tamen affirmant non eſſe ſatis ac tantummodo per accidens venæ ſectionem indicare: vt omnino ſit neceſſe adhuc de aliis cogitare ſcopis, qui magis verè propriè, & per ſe valeant id remedium indicare. Cum vtriſque igitur mihi ſtatutum eſt agere; & primum cum prioribus, ducto ab iis initio, qui contendunt primum ſcopum morbi magnitudinem minimè ſanguinis miſſionem indicare.

Quamplurimi noſtrorum temporum medici nequeunt intelligere, quomodo morbi magnitudo ſuggerat indicationem mittendi ſanguinis: de qua re multa diſputant, quorum ſumma talis eſt. Morbus magnus non eſt res ſimplex; quare neque ſimplicem requirit curationem. Etenim à morbo ſeparatim propriæ ſumuntur indicationes, quæ tot ſunt, authore Galeno, quot ſunt morborum ideæ: morbi autem magnitudo videtur vnam duntaxat ſecum afferre indicationem, magni ſcilicet remedij quandoquidem magnum, & paruum ſunt in genere quantitatis. Quare ſicuti morbus calidus frigidum, frigidus calidum, humidus ſiccum, ſiccus humidum remedium poſtulat; ita morbus magnus magnam, paruus paruam, frigiditatem, caliditatem, ſiccitatem, humiditatem deſiderat. Vlcus exempli gratia indicat ſui ſiccitatem, magnum vlcus magnam ſiccationem requirit. Itaque à morbo qualitas auxilij; à magnitudine quantitas petenda eſt.

Ex multis fautoribus iſtius opinionis, à me vnus hic eſt nominandus Victor Trincauellius Venetus, vir multis nominibus omni vera laude digniſſimus, & qui olim in hac celeberrima ſchola Patauina, magna cum auditorum frequentia, & vtilitate medicinã eſt profeſſus. Nam poſtrema Epiſtola ſecunda libri ad Philippum Palatium ex propoſito hanc ipſam rem tractans, affirmat morbi magnitudinem reuera neque ſectionem venæ, neque vllam vacuationem indicare: qui ſcribit ad hunc modum.

Nam ſi velimus exquiſitè loqui, & ad viuum vſque rem reſecare, morbi magnitudo proximè, & (vt aiunt) immediatè neque venæ ſectionem indicat, neque vllam aliam vacuationem. Nam cum vnum eſt, quod indicat, illius quatenus vnum eſt, non poteſt, eſſe niſi vna indicatio. Cum autem quærimus quodnam id eſt, quod primum à magnitudine morbi indicatur, hoc in primis conſiderandum eſt, quod non vnum dicimus, quia multiplex ex hoc, quod quærimus: nimirum res ipſa, quæ indicat: atque adeò etiam ſubinde neceſſe eſt, vt ſimplex ſit indicatio, & multiplex etiam, quod indicatur: quæ cum medici illi non diſtinguant, ſed potius confundant, ideò neque rem percipiunt; & ea negant, quæ ſi diſtinguerent, negare erubeſcerent. Morbus magnus duo ſanè ſignificat; primum quidem ipſum morbum, hoc eſt eius naturam, & eſſentiam; alterum vero eius magnitudinem: quæ ſicuti diuerſa ſunt, ita & differentes indicationes habent: morbus enim qualitatem, & naturam remediorum indicat, nam quod calefaciendum ſit, quod refrigerandum, quódque aut vacuandum, aut replendum, & tandem quidquid agendum eſt, morbus primùm, & per ſe indicat. Modò explanandum, quam rationem indicandi habeat ipſa morbi magnitudo. At qui eſt tam rudis, & nuper in Hippocratica arte initiatus, qui non percipiat, quod morbi magnitudo primùm, & per ſe remediorum magnitudinem indicat? quia nunquam poterit morbus vi remediorum ſuperari, ſi vehemens fuerit, niſi remediis adeò validis, vt morbi vires poſſint ſuperare. Vnde ſi morbus per ſe indicat refrigerandum eſſe, vehemens, & magnus morbus indicat vehementer, & maximopere eſſe refrigerandum: ſi vacuandum eſſe morbus indicat, magnus morbus plurimum, & confertim vacuandum. Ita ſi morbus ex inanitione factus indicat reficiendũ eſſe, qui ex multa inanitione factus eſt, plurimum eſſe reficiendum oſtendit. Quare iam manifeſtum eſt, magnum morbum indicare magnis remediis opus eſſe. Victor hactenus.

Quam totam ſeriem non grauatè voluimus tranſcribere, & propter ſummam viri authoritatem, & propterea quia videtur illa omnia complecti, quæcunque ſunt maioris momenti, & ad hanc argumentationem maximè pertinent. Quæ equidem planè ſum neſcius, quomodo conueniant iis quæ ab illo ſcripta ſunt in ſuis Epiſt. Medic. cum enim à Dominico Fulignate per literas quæſitum eſſet, quidnam illud ſit in ſententia Hippocrat. 4. *de Rat. Vict. Morb. Acut.* quod meretur tantis laudibus extolli à Gal. illi reſpondet his verbis; *Ego verò rem hanc, vt eam intelligo, explanabo.* Epiſt. vltim. *Illud quod laudat Galenus mirum in modum, eſt ſententia ipſa per ſe, quæ dicto loco his verbis deſcripta eſt*; nempe, *quod ſanguis mittendus ſit in magnis morbis, quotiſcunque vires validæ adeò ſunt, vt eam vacuationem ferre poſſint, & ætas ea, quæ illam admittere valeat.* Quæ certè reſponſio eſt digna magna notatione, vel potius admiratione. Nam cum Galen. ex vna parte ornet huiuſmodi ſententiam tali præconio, quali fortaſſe aliam nullam apud Hippocratem legimus ab ipſo ornatam fuiſſe; ex quo Dominicus, in quo veriſimile eſt ſummã fuiſſe vim ingenij, & iudicij, iure expetebat id ſibi, tanquam myſterium ab aliquo explicari; ex altera autem Trincauellius nondũ fuiſſet aſſecutus ſummã

vim huius diſciplinæ, qui (vt vidimus) non nouerat morbi magnitudinem aliud indicare, quàm magnitudinem remedij, quæ doctrina omnibus, vel plebeis hominibus eſt manifeſtiſſima, neque vllam commendationem meretur, ingenue voluit hanc difficultatem explicare, ſicuti illam intelligebat, immò verò ſicuti illam non intelligebat. Nam reuera eiuſmodi Hippocratis ſententia illius propriis, ac nudis verbis explicata, vt explicatur à Trincauellio, continet ſummam, ac veritatem illius veteris, atque illuſtris decreti mittendi ſanguinis; quod ab vno Hippoc. fuit inuentum; quod ab vno Galeno fuit ſuſceptum, & diuinis laudibus ornatum; quod olim à Methodicis, Empiricis, & plurimis rationalibus medicis fuit prætermiſſum; quod hoc tempore maximis tenebris obſcuratur, ac propè obrutum eſt; quod poſtremò nos conamur in lucem reuocare, & in ſuam priſtinam dignitatem reſtituere. Verùm Trincauellius hanc rem nunquam cernere, & intelligere potuit: quare ſtimulis Dominici excitatus, ac neſcio quomodo vi veritatis impulſus id pronunciauit, quod ignorabat, & quod certum eſt illius opinionem labefactare, & funditus euertere.

In huiuſmodi anguſtias adductus eſt Ferdinandus Mena Hiſpanus, cuius commentaria in librum Galeni de Sang. Miſſ. huc poſtremo tempore, quũ hæ diſputationes prodeunt in lucem, Mediolano ad nos miſit Io. Paulus Caſatius, & nobiliſſimus, & doctiſſimus adoleſcens, noſterque auditor ſtudioſiſſimus. Namque ille commento c. 9. aduerſus Galeni diſciplinam, qui abſolutè & generaliter docet, ſanguinem mittendum eſſe, quotieſcunque tres principes conueniunt ſcopi: contendit, ante hanc deliberationem diſtinguendum eſſe, qualeſnam humores in corpore ſint coacervati, hac verborum ſerie. *At diligentiſſimè ſcrutandum eſt prius, quale ſit quod coaceruatum eſt humidum, vt humorum præcedente diſtinctione ſeligatur conueniens vacuatio.* &c. & iterum pauló poſt. *Qui paulo veracius, atque ſublimius rem ipſam contemplatur, inueniet pleraſq; corporum affectiones, in quibus ſanguis eſt paucus, reliquus ſuccus plurimus: quibus authore etiam Gal. nulla ratione adhibenda eſt venæ ſectio.* At verò poſteriùs commento c. 13. interpretans illum Gal. locum (*Ambobus ſcopis præſentibus, magnitudine morbi & robore virium, nulla eſt plenitudo crudorum ſuccorum, quæ ſanguinis miſſionem inhibeat*) magna veritatis vi compulſus non erubuit palinodiam facere, & quæ ſuperiùs docuerat, ingenuè retractare, qui ſcribit ad hunc modum. *Hic locus planè cogit ad ſentiendum, in omni affectu citra diſcrimen, mittendum eſſe ſanguinem, quanquam nos aliter cenſuerimus, qui faciendam eſſe diſtinctionem humorum peccantium arbitrati; plerumque euenire concedamus, vt purgatio conueniat, ſanguinis miſſio nequaquam.* Atque hos quidem ſcopulos ſæpenumero offendunt Trincauellius, Mena, & alij quicunq; Hipp. & Gal. dogmata non exquiſitè intelligunt.

Secundo loco argumentantur. Si contraria contrariis curantur, quod eſt apud medicos axioma vulgare, ac minime dubium; qualem contrarietatem licet excogitare inter magnitudinem morbi, & ſanguinis miſſionem? Stat vera, & mutua contrarietas inter ſectionem venæ, ac plenitudinem; quod vtriuſque demonſtrat definitio: quare cum vnum vni tantùm contrarium exiſtat, ſatis patet, inter illa nullam contrarietatem extare. Quòd ſi nulla eſt contrarietas, nulla quoque eſſe poteſt curandi indicatio.

Tertiò, quoniam mens Hippocratis, & Galeni, quam ſuprà vidimus, ea eſt, vt morbi magnitudo, non ſolùm quæ præſens etiamnum eſt, ſed etiam quæ futura ſit, venæ ſectionem indicet; ne quid integrum, aut inuiolatum relinquerent, iſtud etiam caput ſtuduerunt demoliri, affirmantes morbum imminentem, & qui nondum reuera ſit, neque aliud remedium poſſe indicare; propterea quòd (vt illi pro comperto habent) nihil omnino poteſt ab eo, quod non eſt, indicari.

Hæc potiora ſunt argumenta, quæ obiiciuntur in principem ſcopum; qui morbi magnitudinem amplectitur. At verò (vt opinor) ea ſunt parum firma, neque illum poſſunt quicquam labefactare. Ante verò quàm ad illa reſpondeam, mihi liceat nonnulla altiùs repetere, ac diſputare, quæ ad præſens inſtitutum maximè pertinent, & ad vniuerſam meam diſputationem ſunt vehementer accommodata.

Itaque ſciendum eſt, indicationem à morbi magnitudine orientem eſſe longè diuerſam cum à cæteris indicationibus, tum maximè ab ea, quæ ſumitur à morbo. Ac ſanè magna eſt admiratio, in hac tradenda indicationum varietate, & ſpeciatim declaranda natura, vi, ac præſtantia huiuſce indicationis ex magnitudine morbi, vſque ad hanc diem neminem fuiſſe, quem ſciam, vel ex quampluribus, qui de Methodo Medendi, ac de indicationibus tot & tanta ſcripſerunt commentaria, qui non conniuentes ſomno oculos habuerit: immò verò quin non turpiter fuerit hallucinatus. Sed aggrediamur hanc rem demonſtrare.

Inter cæteras ſummas laudes, quas Galenus tribuit Hippocrati, illa eſt admodum inſignis, quod ille omnium primus inuenerit methodum medendi per indicationes; ac præ cæteris maximè extolli præſtantiſſimum ſcopum, non modò vni, aut alteri, ſed omnibus morbis communem, quem Hippocrates primus obſeruaſſe videtur; quem medici omnes Methodici, Empirici, multi Rationales prætermiſerunt. Hic autem ille eſt, qui ab affectus magnitudine ſumitur. *4. Meth. c. 6.* *9. Met. c. 8.*

θαυμάζω γὰρ (inquit) τῆς ἀκριβείας τὸν ἄνδρα τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, οὐχ ἥκιστα δὲ κἂν τῷ μὴ παραλιπεῖν εἰς ἔνδειξιν διαφέροντα σκοπόν. hoc eſt. *Admiror enim eum virum diligentiæ nomine tum in cæteris omnibus, tum verò non minimè, quòd ſcopum ad indicationem conferentem non omiſerit.* Ac notanda eſt vox διαφέροντα, non ſine emphaſi prolata, à verbo διαφέρω, quod inter cætera id quoque frequenter ac ſpeciatim ſignificat, quod antecello, præſto, excello: vt Galenus hac voce deſignare voluerit ſcopum quemdam egregium, excellentem, & qui & cæteris omnibus præſtet multis nominibus. Sic pauló ante audiuimus Galenum teſtari, iſtud decretum mittendi ſanguinis in morbis acutis, ſi magni videantur, eſſe Hippocrate dignum, ac mirari ſe quòd inter Aphoriſmos ab eo ſcriptum non fuerit. *4. Met. c. 6.*

Sic vbicunque de hac re ſermonem habet, illius authorem non deſiſtit miris laudibus ornare, atque in cœlum efferre. Cum igitur Galenus Hippocratis diligentiam, ac diuinum ingenium admiretur tantopere, id quæro, cuinam indicationi tanta conueniat admiratio; & commendatio. An fortè alteri, quæ ſumitur à morbo? Non puto. Nam quòd morbus magnus indicet idem remedium, quod morbus, ſed valentius, cenſeo per ſe eſſe euidentiſſimum; neque aliquem fuiſſe ex omni ſecta, ac tempore, qui id neſcierit, aut negauerit: id quod ipſe quoque fatetur Trincauellius, qui affirmat eſſe neminem vſque adeò rudem, & nuper in medicina initiatum, qui non id percipiat, cum ſit veluti quoddam principium, quod ſemper debuit in communibus omnium medicorum notioni

notioribus fuiſſe impreſſum. Etenim ſi quis intelligit vlcus indicare ſiccationem, quomodo non ille ſtatim fateatur, à magno vlcere magnam indicari ſiccationem. Quamobrem inuentio, & excogitatio huiuſmodi indicationis, alioqui apertiſſimæ, & euidentiſſimæ, tanto apparatu ac labore non indiguit, neque tam illuſtri præconio
3. Met. citat. debuit celebrari: Qualis ergo fuerit ſcopus tam admirabilis? Hunc rurſum paulò poſt nobis monſtrat Galenus, qui per nos Latinè ita loquitur. Nunc illud volo docere, morbi ſiue robur, ſiue magnitudinem quis velit appellare, ſcopum nobis eſſe conſtituendum detractionis ſanguinis, vel purgationis, & Hippocratem omnium primum, quos ſcimus, talem ſcopum inueniſſe. Re etenim vera in hunc ſcopum omnia quadrant admodum accommodatè. Namque à magnitudine morbi indicari purgationem, vel ſectionem venæ, non ita facilè videbatur eſſe recipiendum, & propter rationes iam poſitas, & propterea quia multi cenſeant huiuſmodi vacuationes indicari duntaxat à malitia, vel plenitudine humorum. Quocirca iure, ac meritò inuentio iſtius indicationis indiguit longa, & accurata mentis indagatione, longáque, & aſſidua in rebus, atque operibus medicis exercitatione. Id quod priſco illo ſæculo, cum medicina rudis foret adhuc: nemo præter vnum Hippocratem præſtare potuit. Qui quidem tametſi apertè, & præclarè illam docuerit, non id tamen potuit efficere, vt medici poſteriore tempore eam voluerint intelligere, probare & admittere. Ex quo factum eſt, vt rurſum Galeno in ea confirmanda, & illuſtranda, laborandum fuerit maximopere. Qui item, quamuis apertiſſimè, & præclariſſimè Hippocratis mentem, adeóque totam rem explicauerit, veruntamen neque ipſe id aſſequi potuit, vt hæc doctrina poſt illum ſatis cognita, & recepta fuerit: ſicuti hodie quoque pauci admodum ſatis illam cognoſcunt, ac recipiunt, tametſi nihil habeant in ore frequentius. Sed agamus cominus.

Etſi hæc poſſumus haurire, & confirmare ex multis Galeni fontibus; tamen ſatis fuerit vnicum locum in medium proferre, in quo totum iſtud negotium conficitur tam planè, & apertè, quàm quod planiſſimè, & apertiſſimè. Galenus ergo libro quarto Methodi, poſtremò ſexto capite ſcribit ad hunc modum. *Nec illius oblitus, quòd aliquid interim ex iis quæ vlceribus accidunt, indicationem propriam ſuggerat, veluti & magnitudo. Dictum autem, & de ipſis vlceribus eſt in libro, qui hunc præcedit: vbi vlcerum differentias omnes, & quot, & quæ ſint, & quæ ſit vniuſcuiuſque indicatio expoſuimus: præberi autem vacuandi indicationem ab ipſa ægritudine vt in eo libro non dixi, propterea quod & longiorem demonſtrationem requirebat, & totius corporis curam in eo non coniunxi. Hic autem exequutus ſum quantum ad rem præſentem erat vtile.* Cum Galenus paulò ante generaliter docuiſſet, quod iam notauimus à magnitudine morbi accipiendam eſſe indicationem ſectionis venæ, vel purgationis; atque fuiſſet pollicitus id ſe oſtenſurum de aliis morbis in poſterioribus libris, de vlceribus verò in quarto, quem in manibus habebat; nunc illud agit, qui ſcribit eſſe memoria tenendum, interdum vſu venire, vt aliquid ex iis, quæ vlceribus accidunt, propriam ſuggerat indicationem, veluti & magnitudo. Finge vlcus, cauum, ſordidum; ab hoc naſcuntur tres propriæ, ac diſtinctæ indicationes; prima ab vlcere; ſecunda à cauitate; tertia à ſorditie; quæ ſunt omnibus notæ, neque in præſentia ad nos pertinent. Finge demum accedere illi magnitudinem: hæc quoque per Galenum propriam ſuggerit indicationem. Iam ſi quæras, qualiſnam ſit propria iſthæc indicatio magni vlceris, fortaſſe reſpondebunt quamplurimi cum Trincauellio, eſſe magnam ſiccationem. Sed aliter ſe res habet. Alioquin altera indicatio ſumpta à morbo, & altera à magnitudine morbi differrent inter ſe tantummodo ſecundùm magis, & minus: quare non eſſent reuera diſtinctæ, ac diuerſæ, vt Galeno placet. Etenim quanquam verum eſt, magnum vlcus magnam ſiccationem indicare: tamen eiuſmodi indicatio, eſt ipſamet morbi indicatio, quæ non ſolùm præſidium, ſed præſidij quoque 9. Met. c. 13
menſuram præſcribit. *Non enim* (ſcribit Galenus) *ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita fiat menſura: cum alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur: ſin modum excedas, contrarium genus morbi inducas.* Qualis itaque fuerit ea propria, & peculiaris indicatio, quam decernit Galenus ſuggerere magnitudinem vlceris? Ille reſpondet hanc non aliam eſſe quàm communem corporis vacuationem; quæ nimirum poſſit compeſcere, ac retundere magnitudinem vlceris, rationémque habere corporis vniuerſi. Tale autem remedium non aliud eſt, quàm ſectio venæ, aut purgatio.

Hæc ſanè eſt illa propria, & præclara indicatio ſumpta à magnitudine vlceris, ab Hippoc. primùm inuenta, à cæteris deinceps medicis prætermiſſa, à Galeno inſtaurata, hoc tempore à quàm plurimis ignorata. Namque vacuatio per ſectionem venæ, aut purgationem, genere diſtincta eſt ab exſiccatione; quæ ipſius morbi eſt indicatio: à ſiccatione autem magna ſiccatio non differt, niſi intenſione. Quòd ſi quis obiiciat, & ſectionem quoque venæ, & purgationem quoquo modo poſſe exſiccare, atque hinc velit colligere indicationem vlceris, & magnitudinis eandem eſſe; reſpondeo fieri poſſe, vt vnum, idemque remedium ſatisfaciat vtrique indicationi: ſed iſtud non euenit perpetuò. In magno lethargo ſecamus venam propter vnam morbi magnitudinem: atque tale remedium non ſatisfacit alteri indicationi, quæ accipitur à morbo, intemperie nimirum frigida, & humida: quanquam per accidens alia ratione poteſt vtcumque prodeſſe, minuendo pituitam, à qua eiuſmodi intemperies effici; ac foueri conſueuit.

Itaque propria indicatio, quæ ſuggeritur à magnitudine morbi, non alia eſt, quam purgatio; vel ſectio venæ. Id quod ex eo quoque fit maniſeſtiſſimum, propterea quia vbicunque viget morbi magnitudo, illicò naſcitur indicatio, aut ſecandi venam, aut dandi medicamentum: ſicuti contrà ſi amoueatur à morbo magnitudo, talis indicatio eſt prorſus ſuperuacanea; cum cæteræ indicationes propriam vim, ac dignitatem conſeruent omni tempore. Eſto vlcus magnum; protinus cogitandum eſt de communi vacuatione, aut per miſſionem ſanguinis, aut per purgationem. Summoueatur ab vlcere magnitudo, ſtatim ſummouebitur indicatio purgandi, aut ſecandi venam: cum tamen conſtans, ac perpetua vigeat indicatio morbi, nimirum ſiccandi vlceris; quæ (vt diximus) & præſidium, & præſidij menſuram ſolet definire.

Sed Galeni interpretationem perſequor. (*Dictum autem, & de ipſis vlceribus eſt libro tertio*, &c.) Cum vlcerum differentiæ, & ab iis oriundæ indicationes ſint multiplices, de illis omnibus inquit ſe diſputaſſe proximo tertio libro; atque expoſuiſſe, quot, & quæ ſint; & qualis

ſit vniuſcuiuſque indicatio: ſed tamen affirmat ſe prætermiſiſſe indicationem vacuandi, quæ ſumitur à morbi magnitudine. Ex quo id facilè adhuc poſſumus colligere, quod fortè iam ſatis confirmatum eſt; hanc ſcilicet indicationem magnitudinis morbi longè differre ab altera, quæ accipitur ab ipſo morbo. Cum enim Galenus adſeueret, libro tertio ſe expoſuiſſe omnes differentias vlcerum diffuſè & accuratè; atque inter illas non ſemel doceat, magna vlcera, iis quæ valenter, parua iis quæ moderatè ſiccant, curanda eſſe; ac ſimul fateatur, ſe eo libro ne verbum quidem feciſſe de vacuandi indicatione, quæ ſuggeritur à vi ſeu magnitudine morbi ab Hippocrate inuenta; cui poteſt dubium ſupereſſe amplius, quin illa ſit indicatio ipſiuſmet morbi; hæc autem ſolius magnitudinis, quin vtraque inter ſe vehementer diſſentiat? (*Præberi tamen vacuandi indicationem à vi morbi in eo libro non dixi, &c.*) Hoc ſcribit Gal. à ſe factum fuiſſe propter duas cauſas: alteram, propterea qui talis doctrina longiorem demonſtrationem requirebat: alteram, quoniam in eo libro cum vlceribus non coniunxit totius corporis prouiſionem. Quæ ſanè duæ cauſæ ſunt dignæ maxima obſeruatione. Nam (obſecro) quamobrem huiuſmodi indicatio longiorem inquiſitionem, & demonſtrationem poſtulabat? Non aliud (puto) reſponderi poteſt, niſi quòd illa eſſet difficilis, recondita, & aliena à multorem medicorum opinione. Sed quomodo hæc alteri indicationi in eo morbo poſſunt quadrare, quam ſuprà monſtrauimus ſatis euidentem notamque omnibus eſſe, ac nullam continere difficultatem? Altera autem cauſa Galenus demonſtrat non ſolum commodam, & diſtinctam ſcribendi methodum, ſed etiam præcipuam, & exquiſitam rationem, propter quam ſectio venæ, aut purgatio indicatur à morbi magnitudine. Quæ quidem illa eſt, vt ita habeatur prouiſio totius corporis, ac vt via, quæ alioqui foret inuia, & inepta, reddatur tuta, & accommodata ad cætera præſidia, quæ aliis nominibus ſolent indicari. Cum enim plurimæ ſint indicationes, quas Galenus docet diuidendas eſſe, quouſque ad minimas, ac planè indiuiduas deuentum ſit, incertum eſt, indicationem de morbi magnitudine principem locum obtinere; ac cæteris omnibus antecedere; cum ſine illa, vbicumque adeſt, vix liceat reliquis ſatisfacere. Atque, vt ne à propoſito exemplo diſcedamus; finge vlcus magnum in crure dextro: iſtud ſumpta indicatione à morbo indicat præſidia valenter ſiccantia: ſumpta verò indicatione à magnitudine morbi indicat ſectionem venæ, aut purgationem. Itaque ſi omnium primùm ſecetur vena dextri cubiti, hoc pacto corpori vniuerſo proſpicitur, ſimúlque retrahitur humorum fluxio à parte laborante; quæ propterea redditur libera ab inflammatione, & dolore, adeò vt cum ratione, tutóque poſſit admittere valenter ſiccantia medicamenta. Contrà verò ſi hæc indicatio, & communis totius corporis prouidentia negligatur, ſtatimque vlceri admoueantur illa eadem medicamenta, ſine vlla dubitatione vlcus irritabunt, exacuéntque, & alia multa excitabunt pericula: quod docet Galenus; qui aduerſus Theſſalum ordinem remediorum præuertentem ſcribit ad hunc modum;
4. Meth. c. 4. *Atqui ne id quidem feciſſe videtur, cum ordinem remediorum inuertat, & prius partis remediis vtatur, quàm totum corpus præparauerit. Hoc enim inſignis inſcitia eſt, cum in vno eo ferè omnibus medicis conueniat, quamuis in plurimis diſſentiant, quod totum corpus vacuum, purúmque ab excrementis ante ſit reddendum, quàm vlla pars remediis valentibus ſit ſubiicienda. Nam ſiue experientia indicare quis velit, ſiue etiam ratione (tertium enim quo indicet, neque in alia quapiam arte, neque in vlla vitæ parte quiſquam habet) maximum eſſe incommodum deprehendet; cum toto corpore ſuam curam requirente, priuſquam illi ſit proſpectum, afflictæ parti acre aliquod, & calidum medicamentum ſit admotum. Trahit enim ad ſe cucurbitulæ more, &c.* Febri ardenti, quatenus pertinet ad indicationem ſuggeſtam à morbo, intemperie calida, remedium planè contrarium, & proinde conueniens, eſt refrigeratio, quæ pro rata portione caliditati reſpondeat; exempli gratia, largior aquæ frigidæ potio. Sin autem altera conſideretur indicatio ſuggeſta à magnitudine, eſt inanitio, & prouiſio totius corporis, ſine aqua, & aqua frigida, & alia huiuſmodi accommodata remedia temerè adminiſtrarentur. Sic Galenus tractans dolorem capitis ex vulnere, vel contuſione, plures ponit ſcopos ad remediorum inuentionem; vnum ex vulnere; alterum ex contuſione; tertium ex dolore; quartum ex morbi magnitudine, ad quos omnes ſigillatim, & ſeparatim illa accommodat præſidia, quæ ab vnoquoque indicantur. *Ergo* (inquit) *ſi tota affectio ægrè curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet, optimum fuerit in his, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à ſectione venæ curationis initium facere*, &c. Sic alia multa apud Galenum ſunt exempla, quæ omnibus nota eſſe debent, vt de hac re non ſit longius agendum.

Concludo igitur indicationem à morbi magnitudine orientem eſſe longè diuerſam cum à cæteris, tum maximè ab ea, quæ ſumitur à morbo; nec non dignitate, præſtantia, & vſu reliquas omnes antecellere; Hippocratémque tam præclaræ inuentionis authorem iure ac meritò à Galeno diuinis laudibus fuiſſe elatum: nunc addo, vt tunque apud omnes poſteros perpetuam gloriam, & commendationem mereri.

Porrò hoc iacto fundamento venio ad rationes aduerſarias, quæ ſine multò labore mihi videntur poſſe refutari. Itaque ad primum argumentum reſpondeo, ac fateor, morbum magnum rem ſimplicem non eſſe; verùm duobus modis conſiderari; altero vt morbus eſt; altero vt magnus: ſed illud addo, in quo falluntur, mea ſententia; authores huius argumenti; & à morbo & à magnitudine ſeparatim certam, propriam, ac diſtinctam indicationem oriri. Quod modò firmiter & diffuſè comprobatum, rurſum non eſt fruſtrà repetendum. Hinc facilè eſt vnicuique ad totam argumentationem, & ſingulas partes reſpondere, vt alia non ſit opus refutatione. A quo labore eò libentiùs abſtineo, quòd poſteriùs iterum cogar aduerſus doctiſſimum quemdam virum, illum ſubire, & hanc ipſam rem tractare.

Ad ſecundum item reſpondeo facillimè; tametſi inter morbi magnitudinem, & ſectionem venæ non illa eſt vera, & exquiſita contrarietas, quam fortè nonnulli deſiderant in ſingulis affectibus præter naturam, id tamen ſatis eſſe, inter hæc eam contrarietatem extare, quam plerique, ac medici in primis introducunt ſæpenumerò. Neque ea certè contrarietas, qua ex vetere axiomate contraria contrariis curari dicuntur (mihi quidem vt videtur) ea ſtricta ſignificatione eſt accipienda, quam Ariſtoteles docet, 5. Metaphy.
qui contrarietatem ponit in ſolis qualitatibus, text. 16.
eámque deſcribit eſſe maximam quandam differentiam duorum ſub vno genere, quæ Ciceroni aduerſa appellantur. Namque alij ſunt, qui non modò in corporum qualitate, ſed etiam in quantitate, & loco contrarietatem, conſtituunt: quam

quam vtique ipſe Ariſtoteles non contrarietatem, ſed oppoſitionem vocat. Neque enim ille vult eſſe contraria magnum paruo, multum pauco, quod eſt ſecundùm naturam, ei quod eſt præter naturam ſummum imo, dextrum ſiniſtro, anterius poſteriori, & alia id genus, quæ omnia Hippocrati contrariorum habent appellationem; ſicuti etiam Platoni, qui generationes ex contrariis eſſe dicit. Quanquam neque forte ipſe Ariſtoteles ſuam legem in hiſce nominibus diligenter videtur obſeruaſſe; quo potiſſimùm loco principia rerum naturalium ſtatuit materiam, formam, & priuationem. Itaque nihil intereſt, mea ſententia, in medicina, dicas, Contraria contrariorum eſſe remedia, vel oppoſita ſibi inuicem eſſe remedia. Quare Galenus hanc nominum ſcrupuloſam obſeruationem ferè contemnit, rerum magis, quàm verborum perpetuò ſtudioſus. *Hæc* (ille inquit) *ad ſalutem hominum pertinet, errorîſque in ea finis eſt pernicies. Nominibus ſiue propriè ſiue impropriè vtaris, ad ægrotos id nihil pertinet. Intelligas id clarius, ſi non contrariorum contraria, ſed quemadmodum aliis placet, oppoſita ſibi inuicem eſſe remedia dicas.* Ergo nobis medicis illud eſto ſatis, inter morbi magnitudinem, ac miſſionem ſanguinis extare illam contrarietatem quę mirum in modum eſt accommodata ad conſeruandam, & recuperandam ſalutem hominis: quippe tale remedium præſentem morbi magnitudinem minuit, ac remittit, futura inhibet, atque impedit ſæpenumerò. Ad quem modum calor innatus morbo, morbúſque calori innato ſemper opponitur, & tanquam hoſtes ſeſe mutuò oppugnare, & expugnare nunquam deſinunt. Sic copiæ contraria eſt euacuatio; defectui contraria ſunt alimenta: atque (vt ſemel dicam) quod exuperat, ſanat ablatio; quod deficit, adiectio: qua vna contrarietate, vel veriùs oppoſitione, Hippocrates totam artem definiit, & complexus eſt. De contrarietate inter plenitudinem, ac miſſionem ſanguinis poſteriùs opportuniore loco ſermonem habebimus.

In Prod. can. tr. 3. c. 1. l. eod. tr. 1. c. 2. — *In Phædo.* — *1. Phyſic.* — *11. Meth. c. 12.*

Quòd autem tertiò afferunt aduerſarij de morbo imminente, quem nihil prorſus aiunt indicaſse, paulò accuratiùs explicandum eſt, quando nonnulli magni nominis viri huiuſmodi rationem (vt audio) magni faciunt, illamque tanquam certiſſimo nixam axiomate, nobis frequenter obiiciunt. *Quod non eſt* (illi inquiunt) *nihil indicat.* Quam propoſitionem ſi quis audeat negare, protinus eam Galeni teſtimonio comprobant.

4. Meth. c. 3. *Nam vt breuiter dicam* (ille ait) *à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi eius, quod ex vſu ſit, poteſt,* & iterum. *Quod adhuc non eſt, nec ſi velimus, ſubmouere id poſſumus.* Cùm ergo morbus imminens reuera non ſit, iam non poterit quicquam indicare. Vix credibile eſt medicos noſtri temporis primarios & in Galeni lectione, vt ipſi profitentur, quamdiutiſſimè, & accuratiſſimè verſatos, hæc iam futilia, inania, ac perſpicuè falſa loqui. Sed tamen plerique ſciunt multos noſtrates ita loqui, ac docere. Erat Galeno propoſitum eo in loco tractare indicationes, ac præcipuè nos docere; nullam externam cauſam poſſe aliquam indicationem curandi ſubminiſtrare cum illæ ex morbo eliciantur, ex natura partis laborantis, aëris temperie, & aliis, quæ eandem habent rationem. Sed loquentem illum audiamus. Id quod facio libenter, qui non ſolùm tanti viri diſciplinam facilè amplector, ſed etiam locutione illius, propriîſque verbis mirabiliter ſoleo delectari. Quod quidem ſemel eò dictum volumus, vt ſatisfiat nonnullis ſcrupuloſis, qui aiunt me in afferendis ſumus Galeni teſtimoniis nimium, & tanquam prodigum eſſe. Namque iſtud crimen fateri non eruheſco, immò verò ſum neſcius, an illo debeam gloriari, in quo ſciens ac volens decreui perſeuerare omni tempore. Sed ad Galenum redeo.

Loco citato. *Iam illud quoque definiri tempeſtiuum videtur, nullam præcipientem affectionis cauſam, curationis indicatricem eſſe; ſed huius indicationem ab ipſo affectu initium habere: quæ verò particulatim ſunt agenda, hæc tum ab eo, quod à primo ſcopo indicatur, tum verò ab ægræ partis natura, tum ambientis temperie quaque alia ſunt iis cognata inueniri. Nam (vt breuiter dicam) à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi eius, quod ex vſu ſit, poteſt. Sed propterea quòd ad eum affectum noſcendum, qui omnino tum rationem, tum ſenſum latet, ſæpe cogimur de externa cauſa inquirere, opinatur vulgus, hanc quoque ſanationis rationem indicare. Quod planè ſecus eſt. Apparet liquidò in iis in quibus noſci affectus exactè poteſt. Siue enim ecchymoſis, ſiue vlcus, ſiue eryſipelas, ſiue putredo, ſiue phlegmone in parte aliqua conſiſtat, ſuperuacaneum eſt cauſam, quæ horum quodlibet efficit, inquirere, niſi iam etiam faciat. Sic enim ſimul quod iam factum eſt, curabimus, ſimul quod adhuc facit, facere inhibebimus. Si verò fecit illa quidem, cæterùm iam deſiit, vtique quod factum eſt curabimus; quod adhuc non eſt, nec ſi velimus, ſubmouere poſſumus. Quippe rei præſentis eſt curatio, eius autem quod futurum eſt prouidentia. Quod verò nec nunc lædit, nec læſurum timetur, id ab vtroque artis munere, tum eo, quod curat, tum eo, quod prohibet, exceſſit. Quare nec indicatio ab hoc ad curationem vlla, nec prouidentiæ ratio ſumitur; ſed (vt dictum eſt) ad eos tantum affectus, qui noſtram notitiam fugiunt, externæ cauſæ cognitio vtilis eſt.*

Hæc Galenus; qui ſuam mentem adeò clarè, & apertè explicat, vt alia non ſit opus interpretatione. Quiuis enim facilè poteſt intelligere, illum de vnis cauſis externis ſermonem habere, quæ propterea nihil indicant, quia iam præterire, neque etiam nunc perſeuerant; minimè verò de omnibus generaliter, quæ reuera actu non ſunt. Namque illud tam eſt certum, quàm quod certiſſimum, reperiri multa præſenti tempore non exiſtentia, poſterius autem futura de quibus medici varias ſæpenumerò indicationes ſolent elicere. Exempli cauſa, an non potiſſima ratio inſtituendi victus deſumitur ex viribus ægrotantis, ac ſtatu morbi; quæ poſterius futura ſunt? Sed quid pluribus eſt opus? An non Galenus hic teſtatur manifeſtè; quæ præſenti tempore non lædunt, neque poſtea læſura timentur, ab vtroque artis medicæ officio tum curandi tum præſeruandi eſſe aliena, contra autem, ſi quid iam lædit, aut deinceps læſurum timetur, illud ſui curationem, hoc præſeruationem indicare? Etſi verò Galeni propoſitum, totáque illius loci ſeries ſatis demonſtrat, verè hanc rem ita ſe habere, tamen ſi prætereà velis propriam Galeni locutionem conſulere, adhuc magis, & certius in noſtra ſententia confirmaberis, & alteram aduerſariorum irridebis. Etenis poſteriora verba, quæ Linacer eſt interpretatus [*Quod adhuc non eſt*] Græcè leguntur [*τὸ δ᾽ οὐκ ὂν ἔτι.*] quæ quidem magis propriè, fideliter, atque ad rem accommodatè fuiſſet interpretatus [*Quod non eſt amplius*] Nam ſicuti illa interpretatio videtur aliquid ſignificare, quod nec fuerit, nec ſit in præſentia, ac neſcio quid futuri temporis nobis inſinuare; ita hæc vnius præteriti temporis modum proponit, minimè futuri. Ad quem certè modum vertenda quoque fuerant verba ſuperiora; [*τῶν οὐκ*

τῶν ὄντων, eorum quæ non ſunt amplius]tametſi hac in parte Linacri verſio[*Quæ adhuc non permanent*] tolerari poteſt, vt quæ eamdem ferè ſenſum reddat,ac ſatis exprimat ea, quæ antea fuerũt, & in præſentia non ſunt. Quare ita ſententia reſtat apertiſſima. Quod n. præterijt, neque amplius eſt, neque in præſentia lædit, neque deinceps læſurum eſt, verè nihil indicat. Qui autem futurus eſt morbus etſi iam reuera non adeſt, ſine dubio præſeruationem, ſicuti qui præſens eſt, curationem demonſtrat.

Verùm aduerſarij rurſus vrgent hunc locum, qui fortè probè ſcientes, ſe iniquam tueri cauſam, neſcio quod diuerticulum commenti ſunt. Quippe aiunt; ſi modò imminens morbi magnitudo venæ ſectionem poteſt indicare, huiuſmodi indicationem iam nõn eſſe curatoriam, ſed magis præſeruatoriam. Quinetiam generaliter (vt audio) contendunt, iſtud remedium magis ad præſeruandi, quam ad curandi rationem pertinere: propterea quia (vt opinor) plenitudinem, humoréſque minuat, quos conſtat eſſe morborum cauſas:pugna n. cum cauſa præſeruatio eſt. Porrò aduerſus hoſce homines ea reſponſio deberet eſſe ſatis,quam dedit Galenus ad egregios quoſdam ſui temporis medicos, qui de hac re, vt noſtrates faciunt, nugari conſueuerunt.

2.aph com. 22. *His addamus* (ille inquit)*aliquid propter garrulos,quales ſunt recentiores quidam medici,qui de nominibus altercantes putant ſe de rebus ipſi ſermonem habere. Hi igitur ſunt,qui aiunt cauſarum efficientium morbum ablationẽ non eſſe curationem,ſed præſeruationem. Qui primùm quidem ſunt docendi,quòd litigant de nomine:deinde quòd neque de hoc rectè.Vbi enim cauſa non adeſt,quæ morbum efficiat,hic ſola curatio factorum relinquitur:vbi verò ea,quæ ineſt corpori cauſa,nendum aliquid facit,veluti quæ plethora dicitur, huiuſmodi cauſarum deſtructio ad partem attinet artis præſeruatiuæ. Cum verò iã aliquid agit miſtum iam quodammodo eſt huiuſmodi opus ex præſeruatione,& curatione.Nam quantum factura erant cauſa illæ,prohibitum eſt fieri:at hoc attinet ad artem præſeruatiuam: quantum autem morbi iam factum eſt,propriam exigit curationem. Quapropter cũ miſta ſint talia ex præſeruatione, & curatione,proprio caremus nomine:atque idcirco aliàs alia vtuntur medici appellatione, nonnunquam præſeruari dicentes, ne morbus,qui iam incipit generari,ad complementũ perducatur; nonnunquam verò curari.* Hæc Galenus.

Verùm ſi quis velit, forte ſine multo labore poſſit ad hæc reſpondere, & probare ſectionem venæ eſſe præſidium non modò præſeruatorium, ſed etiam curatorium; cum eueniat interdum, vt ſecta vena ea ducatur materia, ex qua fit morbus, & quæ morbi eſſentiam continet: veluti in pleuritide miſſo ſanguine vſque ad mutationem coloris. Quæ fuit opinio magni Leoniceni, relata, & confirmata à Montano meo præceptore in ſuis grauiſſimis, & eruditiſſimis libris de Morbis, & in defenſione eorundem aduerſus Thomam Eraſtum. Atque iis poſſet addi Galeni authoritas, qui librum de Sectione Venæ, in quo maxime hanc ipſam proponit veritatem de tribus ſcopis, inſcribit, *περὶ φλεβοτομίας θεραπευτικόν*. Ego verò ad inſtitutionem, & exercitationem iuuenum, vt illi quoque intelligant, quomodo iſtæc ſophiſmata verè poſſint diſſolui, non grauabor hanc rem ad Galeni mentem adhuc planiùs, & diſtinctiùs declarare. Lib. 2. c. 36. defenſ. 4.

Dico igitur, à morbo magno præſenti duas ſumi indicationes; alteram tanquam à morbo quæ verè curatiua eſt;alteram à magnitudine,quæ tametſi videri poteſt miſta tã ex curatione, quàm ex præſeruatione, propriè tamen potius præſeruatiua,quàm curatiua cenſenda eſt. Indicationem de morbo præſenti orientem reuera eſſe curatoriam, puto à nemine in dubium reuocari. Alterius concluſionis veritas patebit, ſi memoria repetamus, quamobrem à magnitudine morbi oriatur indicatio ſecandi venam. Quippe (vt iam diximus & ex Galeno monſtrauimus) id fit, quia ſectio venæ rationem habendo totius corporis, & morbi cauſam minuendo, illius magnitudinem ſummouet, retundit, impedit. Quamobrem iure hoc nomine eſt præſeruatiua.Quoniam verò nonnunquam euenit, vt ſimul ipſe quoque morbus deleatur, tunc fit, vt remedium ſit curatiuum. 4. Meth. c. 6.

Quo quidem tempore ita habendum eſt, ſectionem venæ duabus indicationibus ſatisfacere; alteri acceptæ ex magnitudine, & alteri acceptæ ex morbo. Ex. gr. in ſynocho ſine putredine ſectio venæ vſque ad animi defectionem, quatenus remittit, ac ſummouet cauſam; vni ſatisfacit indicationi, quam ſuggerit morbi magnitudo, remediúmque eſt præſeruatiuum: quatenus autem refrigerat, febrémque extinguit; alteri ſatisfacit indicationi, quam ipſe affert morbus, adeóque remedium eſt curatiuum. Verùm cum illud fiat per ſe, hoc ex accidenti, idcirco diximus tale remedium magis pertinere ad præſeruationem, quàm ad curationem. Cæterum in morbo magno, in quo nulla adhuc agit cauſa, veluti in corporibus ſanis, nulla plenitudine, nullo humorum vitio laborantibus, quæ ex altò cadunt, vnice ſeſe offert indicatio mittendi ſanguinem, nimirum ſiſtendi, & inhibendi morbi magnitudinem. Etenim licet in huiuſmodi corporibus nulla adſit humorum vitioſitas: quia tamen ad partes malè affectas, tanquam debiles, ex inſtituto naturæ ſolent humores fluere inflammationes excitare; & morbum maiorem reddere; ſectio venæ minuens talem cauſam, morbi magnitudinem ſiſtit, & inhibet, tanquam remedium præſeruatiuum. Et quanquam hæc apud Galenum ſunt manifeſta; verumtamen libet vno rurſum illius teſtimonio ea confirmare. Itaque ſic ſcribit in curatione phymatum 13. Med. *Sanè euacuamus totum corpus, non modò cum in redundantia ſuccorum eſt habitu, ſed etiam mediocritatem ſuccorum continet, ſi magnitudo ſuadeat; ſi quidem dolor, & calor membri, in quo phlegmone ſedet, etiamſi purum ab excrementis totum corpus ſit, fluxionis cauſa fiunt.* Ex his docemur, phymata, dummodo ſint magna, poſtulare venæ ſectionem, vt eorum magnitudini occurramus. Occurrimus autem minuendo,ac reuellendo humores, vt ne illi fluant ad partem malè affectam. Quare venæ ſectio tunc verè eſt remedium præſeruatiuum. Ex quo apparet, in quanto errore verſetur aduerſarius, qui tanquam abſurdum, ac naturæ morbi repugnans, videtur colligere, indicationem ſumptam à magnitudine morbi imminentis, non eſſe curatiuam, ſed præſeruatiuam: qui demonſtrat, ſe parum eſſe in doctrina Galeni verſatum; quandoquidem confundit indicationem ſumptam à magnitudine morbi cum indicatione ſumpta à morbo: quas quidem ſi diſcat diſtinguere, protinus intelliget, alteram ſumptam à magnitudine eſſe præſeruatiuam: neque verò eam ſolùm, quæ ſumitur à magnitudine morbi imminentis, ſed etiam illam, quæ accipitur à magnitudine morbi præſentis, vt iam ſatis, ſupérque declarauimus. De iis hactenus, qui oppugnant primum ſcopum, cum quibus tamen ſtatutum habeo, vt dixi poſterius rurſum agere. Cap. 5.

Iam cum illis congrediamur, qui inuadunt ſecundum

ſecundum ſcopum, qui ſpectat ad robur virium, contendentes hunc pariter, tanquam ſuperuacaneum, ac minimè neceſſarium, negligendum eſſe. Primùm videntur Hippocrates, & Galenus ab his ſtare, cum ſectionem venæ probent ſæpenumerò, tametſi ægroti ſunt debiliores, & nonnunquam ad pulſus defectionem veniunt. *Lumborum tetanus* (inquit Hippocrates) *atque in melancholicis per venas ſpirituum interceptiones cum fuerint, ſanguinis detractione ſoluuntur.* Galenus in commento huiuſmodi interceptiones interpretatur priuationem pulſus, & reſpirationis, ἀσφυξίαν, & ἄπνοιαν Græci vocant: qua quidem nulla maior virium debilitas poteſt excogitari. Sic Galenus, in quibus multa vacuatione eſt opus, vires autem ſunt imbecilliores, à minuendo ſanguine minimè abſtinet, quamuis non id ſemel fiat: id quod facere potiſſimum conſueuit in iis, qui crudorum copia laborant. Quem fortè locum imitatus Auicenna, *Cum phlebotomia* (inquit) *neceſſaria fuerit cum debilitate virtutis; cauſa febris, aut aliorum morborum, partire phlebotomiam*, &c. Sic idem Galenus tradit rationem curandi per epicraſin, quam vocat, quando ſcilicet eſt præſens humorum corruptio, adeóque eſt opus vacuatione, vires autem ſunt imbecilliores. Deinde id ratione conantur confirmare. Quid enim prohibet parum ſanguinis detrahere, etſi vires non valent, quando ex parca huiuſmodi ſanguinis miſſione propemodum nullum imminet ægris periculum? quando nonnunquam in magna virium debilitate ſponte, ac natura duce nonnullæ vacuationes partim cæterorum humorum, partim ſanguinis ſalubriter prorumpunt? Præterea ſicuti in delicatis quibuſdam, & languentibus hominibus medici frequenter vtuntur medicamentis leuiſſimis, quæ benedicta appellant; cur non pariter liceat leuiſſimam quandoque ſanguinis miſſionem aggredi? Quare audent quidam vel nonnullis exanimatis, vixque viuis, vnam, aut alteram ſanguinis vnciam detrahere; quam detractionem euentatiuam appellant. Itaque his rationibus concludunt hunc quoque ſcopum nullum in miſſione ſanguinis vſum habere. Cæterum priuſquam hæc refuto, vt ne quis locus cauillatoribus relinquatur, intelligere nos oportet, quomodo vires ſint indicatrices mittendi ſanguinem: namque illæ reuera nec ſectionem venæ, nec remedium aliquod, ſed vnam ſui cuſtodiam perpetuò indicant. Quamobrem Galenus interdum negat huiuſmodi indicationem curatoriam eſſe. Magnitudo morbi verus ille eſt, ac proprius ſcopus, qui venæ ſectionem indicat; vires autem id vnum præſtant, vt indicationem de morbi magnitudinem orta, vel prohibeant, ſi ſint inualidæ, vel non prohibeant, ſi ſint validæ. *Morbi magnitudo* (ſcribit Galenus) *vnà cum virium robore, primi ſunt ſcopi mittendi ſanguinis; ille quidem, quæ facere oportet, indicans: hic verò illum haud impediens; quod nonnulli recentiorum medicorum vocant contraindicare.* De qua quidem voce (vt id obiter moneam) Fuchſius, Altimarus, ac fortè alij temere litigant varias afferentes illius ſignificationes à Galeni mente prorſus alienas. Namque verbum Græcum ἀντενδείκνυσθαι verè nihil aliud ſignificat, quàm prohibere, & impedire id quod ab alio indicatur: id quod & rei natura & Galenus perſpicuè demonſtrat tum alibi, tum hoc in loco aſſeuerans, ex duobus ſcopis propoſitis, alterum, morbi magnitudinem indicare quæ facere oporteat: alterum autem, vires haud prohibere eiuſmodi indicationem: atque id verba ſtatim ſequentia maximè confirmant, quæ ita habent. *Interdum enim affectus ipſe perſuadet ſanguinem eſſe mittendum, cæterum virium imbecillitas prohibet.* Sed redeo ad inſtitutam diſputationem.

4. de Rat. Vict. Mor. Acut. 82.

De Sang. Miſ. c. 12.

4. Primic. de Phlebotom.

9 Meth. cap. 13.

De Sang. Miſſ. c. 13.

Doctiſſimi quidam viri cenſent facilè dubitationem omnem poſſe diſſolui, ſtatuentes vires dupliciter reddi imbecillas; vno modo, ſi tanta humorum copia premantur, & grauentur, vt eam nequeant perferre; altero, ſi propter inſignem vacuationem, aut aliam cauſam laborent, ac diſſoluantur. Quocirca in illa quidem imbecillitate aiunt ſanguinem eſſe mittendum, in hac autem nullo modo. Quæ ſanè diſtinctio, & doctrina iamdiu videtur fuiſſe tradita ab Hippocrate, & Galeno; qui deſcribentes vtramque imbecillitatem, alteram ob dolorem, morbíque vehementiam; alteram propter vaſorum quouis modo factam inanitionem, docent in illa vacuationem eſſe commodiſſimam, in hac pernicioſiſſimam. Immò verò medicos irrident, quicumque huiuſmodi virium differentem debilitatem neſciunt diſtinguere.

2. De Rat. Vic. Mor. Acut. 47. & ſeq.

Ac ſanè non ſolùm probabiliter, ſed etiam verè hæc mihi videntur eſſe expoſita, qui talem ſententiam recipio libenter: ſed tamen ita interpretor, nempe vt vires ſectionem venæ ferre poſſint, ſi propter laborem, morbíque acumen grauentur, & opprimantur, modò ne præterea ſint diſſolutæ, ac diſſipatæ. Quòd ſi quis nouitius id quoque cupiat intelligere, quonam modo vtraque huiuſmodi imbecillitas deprehendi, & diſtingui poſſit, is Galenum adeat, qui ait pulſum manifeſtò hoc ipſum indicare. Siquidem in altera, grauata, & oppreſſa natura pulſus mutantur, cum in omnem inæqualitatem, tum maximè in eam, quæ eſt in vehementia, & magnitudine; in altera autem, diſſipatis, reſolutíſque ſpiritibus pulſus perpetuò ſunt parui, languidi, ac valde frequentes vt ille diffusè, & præclarè explicat. Atque ex iis puto facilè diſſolui poſſe rationes, & authoritates paulò ante poſitas, vt non ſit opus longius ad ſingulas reſpondere.

2. De Cauſ. pulſ. 4. De Præſ. ex pulſ. De pulſ. ad Tyron.

Sed tamen vnus videtur adhuc locus ſupereſſe, quia mea ſententia continet non leuem difficultatem; & ille eſt, in quo Hippocrates & Galenus in priuatione pulſus, ac reſpirationis præcipiunt ſecari venam. Quæ enim maior virium debilitas ac diſſolutio poteſt reperiri? Et quidem cogitaui diu, quomodo hic locus poſſit commodè explicari, ſi modò ille tanquam Hippocratis legitimus recipiendus eſt: nec piget proferre, quæ mihi in mentem venerint. Puto igitur per perditum pulſum, & reſpirationem Galenum, intelligere pulſum, & reſpirationem intermittentem, quam Hippocrates alibi ſpiritum offendentem appellat. Namque ipſe docet, in pulſu intermittente arteriæ motionem aboleri, ſicuti in ſpiritu offendente motum thoracis. *Pulſus intermittens* (ille ait) *in motus alteratione poſitus eſt: nam quo tempore pulſus intermittit, tunc arteria nihil mouetur.* Quare comparabat pulſum naturalem ſanitati, vitioſum morbo, intermittentem morti, cum priuatio motus quoquo modo imaginem mortis præ ſe ferat. At verò cum pulſus intermittens inter inæquales recenſeatur; pulſuumque inæqualitas nonnunquam oriatur ex magnis conſtipationibus, adeóque ex plenitudine vires opprimente, non eſt mirum, ſi in quibuſdam morbis huiuſmodi pulſus ſoleant excitari. Idem ſtatuendum eſt de ſpiritu offendente. Sed videndum reſtat, an cum tali pulſu liceat venam ſecare. Ad quod ex Galeno poteſt reſponderi, cum ſcribat intermiſſionem pulſuum fieri, vel ob facultatis imbecillitatem, vel ob obſtructionem,

2. De præſ. ex pulſ. c. 4.

2. de cau. pulſ. c. 3.

compreſſionémque inſtrumentorum. Quippe ſectio venæ in hac congruens, in illa autem incommoda cenſenda eſt. Quod omnino iis conuenit, quæ ex Hippocrate, & Galeno paulò ante ſunt expoſita. Alioqui, niſi noſtram interpretationem recipias, haud ſcio, quomodo viri grauiſſimi ſibi ipſi poſſint conuenire: qui tam frequenter, & conſtanter docent ad ſanguinem probè mittenduo robur virium nunquam non eſſe neceſſarium, vt ſuperiùs monſtrauimus. Huius

12. Meth. c. 3.

rei notabile eſt exemplum apud Galenum, qui rationem tradens curandi illos, qui propter ſummam crudorum ſuccorum copiam ſebricitantes ſyncope facilè corripiuntur, ſcribit nulli eorum ſine maximo diſpendio ſanguinem mitti, cum tamen vacuationem deſiderent, non alia de cauſa, quàm quòd vires propè confectæ eam ferre nequeant. Illud profectò minimè eſt negandum multiplices, & omnino varios eſſe terminos, gradúſque roboris, ac debilitatis virium, qui multiplicem quoque, & variam mittendi ſanguinis menſuram, & modum requirunt Quocirca Galenus, illúmque ſequutus Auicenna, & alij deinceps medici, ſi vires aliquo modo ſint imbecillæ, neque bene valeant, parciùs omnino, ac pluribus vicibus, quàm copioſè, & ſemel conſueuerunt ſanguinem mittere: vt iis curandis, qui crudorum humorum copia laborant in curatione per epicraſin, alitérque accidit ſæpenumero; ſicuti diuerſa occaſio poſtulat. Atqui non propterea colligendum eſt, tunc vires nullo pacto conſtare. Ex. gr. laboret vehementi morbo homo vigentis ætatis, temperamenti calidioris, & humidioris, optimi habitus, anni tempore, cœli conditione, regione temperatis: ad ſummam qui vndique maximam virium conſtantiam præ ſe ferat: huic ſine dubio copioſè, ac ſi ita expediat, ad defectionem vſque animi non verebimur ſanguinem mittere. Contra hoc ipſo morbo laboret homo, qui robuſtas quidem habeat vires, ſed propter vnam, aut alteram, aut omnes conditiones illi non ſit conferendus: huic nos fortaſſe audebimus venam ſecare, ſed longè cautiùs, parciùs, neque ſemel: vt ne id

12. Meth. c. 1.

nobis eueniat, quod Galenus narrat eueniſſe medico illi quinquagenario, qui propter vehementem capitis dolorem importunè ſibi ipſi vena ſecta, longo tempore tum decolor, tum viribus imbecillis, tum exilis manſit, alique eius corpus deſiit; vt vix priſtinum habitum recuperarit: aut aliis multis; qui cum incongruæ vacuationis noxam ſarcire non potuiſſent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum frigidius ſibi compararunt: vnde poſtea ex quauis occaſione læſi, alij decolorati, & cum malo corporis habitu vixerunt, alij in morbos inciderunt exitiales, aquam intercutem, orthopnœam, imbecillitatem iecoris, & ventriculi, apoplexiam, deliria: adeò vt nulli dubium ſit, quin vnicuique virium ordini propria quædam vacuationis menſura proportione debeat reſpondere. Qua in re prudentiam medici, & iudicium cum primis elucere certum eſt; cum Galeno authore quantitas in vnoquoque particulari nec dici, nec ſcribi,

3. Meth. c. 7. De vena ſe. c. 12. 1. Aph. 3.

nec percipi omnino poſſit. *Neque compreſſiones* (inquit Hippocrates) *ad extremum ducendæ: periculoſum enim: ſed qualis, fuerit natura eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.* Et Galenus; *Indicat autem quantum vacuare oporteat, non ſolum humor abundans, ſed etiam natura, id eſt vires hominis qui debet vacuari.* Et iterum.

9. Meth. c. 11. De ſang. miſſ. c. 13.

Sectio venæ ſemper poſtulat valentes vires, quæ modo vacuationis reſpondeant. Ad ſummam docet idem Galenus generaliter principes huius remedij ſcopos accuratè eſſe animaduertendos, ſcilicet illi ne aucti ſint, vel imminuti: namque ſi aucti fuerint, maiorem indicant vacuationem; ſin contrà imminuti, tantum de quantitate vacuationis detrahendum, quantò illi fuerint minores. Igitur ſi qui audent quibuſdam ſemiuiuis ſanguinem mittere, tametſi parcè, & reſtrictè; (de qua re inter cæteros medicum neſcio quem Gallum arroganter audio gloriari) ij meritò audaces, ne dicam temerarij cenſendi ſunt, qui inutiliter, ac fruſtra ſæpe illos in grauiſſima pericula coniicere conſueuerunt. Etenim potiſſima ratio, ob quam ſanguis mittitur, illa eſt, vt minuta materia, natura confirmetur, adeóque fiat robuſtior ad moderandos, coquendos, & expellendos humores, qui ſuperſunt. Sed quam materiæ minutionem præſtare poteſt detracta vnciola ſanguinis? Ex altera autem parte; ſi vires langueant valde, res ipſa demonſtrat, paruam quantamcumque vacuationem, non ſolùm ſanguinis, ſed etiam cuiuſuis excrementi, ſæpenumerò adhuc illas magis offendere, ac debilitare. Quamuis igitur donemus aduerſariis, rarò vires vſque adeò proſterni, quin ſemunciam, aut vnciam detracti ſanguinis poſſint ſuſtinere; verumtamen huiuſmodi vacuatio non ſolùm tanquam ſuperuacanea, & inutilis, ſed etiam tanquam audax, & periculoſa eſt prætermittenda, quemadmodum prætermittendam cenſuerunt Hippocrates, Galenus, & optimi quique antiquiores medici. Neque verò ſatis congruens eſt comparatio, quam proferunt inter haſce parciſſimas detractiones ſanguinis, ac leuiſſima ea medicamenta, quibus vtuntur medici frequenter. Namque hæc nullam vim inferunt naturæ, & præclaram ſæpe operam præſtant: illæ autem nullum habent vſum, ac facilè (vt modò diximus) viribus incommodant: præter quàm quòd ſi vires ſint vehementer deiectæ, neque iſthæc medicamenta, quantumuis leuia, eſſent exhibenda. Itaque concludimus ſecundum quoque iſtiuſmodi ſcopum ad miſſionem ſanguinis eſſe quam maximè neceſſarium, neque aduerſarias rationes illius vim ac dignitatem vel parum labefactare.

Iam venio ad tertium principem ſcopum, qui florentem ætatem complectitur, & quem ſcribit Galenus venæ ſectionem non impedire, vt de viribus diximus modò. Quippe neque hunc recipiunt plerique noſtrorum temporum medici non ſolum vulgares, ſed etiam nobiles, & qui Hippocratis, & Galeni dogmata ſolent libenter amplecti. Quo circa inter ſcopos ſecundarios illum reponunt, qui magis quantitatem, ac modum vacuationis, quàm ipſam vacuationem indicant. Potiſſimùm verò eiuſmodi repudiant ſcopum, quatenus ad pueros pertinet. Quanquam non deſunt, qui argutis quibuſdam ratiunculis contendunt, Galenum quoque in hac

Fernelius. Valeriola Fuchſius, & alij.

ſententia fuiſſe, illúmque pueris non ex toto miſſionem ſanguinis interdixiſſe, ſed illam duntaxat pleniorem, & veteribus vſitatam. Quaſi verò non ille perſpicuè, & expreſsè multis in locis propriam mentem ſatis explicauerit; nimirum pueris ante annum decimumquartum nullo modo ſanguinem mittendum eſſe; poſt hunc ſi ſanguis multus coaceruatus appareat, ſi tempus anni vernum fuerit, regio temperata, puerique natura ſanguinea; maximè autem ſi vel anginæ, vel peripneumoniæ, vel pleuritidis, vel alterius acuti, vehementiſque morbi periculum immineat. Quaſi vir ſolertiſſimus, qui poſt annum decimumquartum primam ſanguinis

menſuram

menſuram vt plurimum cotylam deſignauit, octo circiter vncias continentem, adhoc parciorem huius præſidij modum, ac priori ætati congruentem neſcierit, aut noluerit definire: quod quidem eſt ab omni veriſimilitudine tam alienum, quàm quod maximè. Quaſi demum florens ætas ab ipſomet Galeno inter ſcopos principes non perpetuò recenſeatur. Primùm autem qui ſunt in hac opinione, exemplum naturæ nobis obiiciunt, quæ in pueris nonnunquam fluxionem ſanguinis è naribus, vel alia parte conſueuit excitare ſine vlla virium iactura. Namque ſi medicus eſt naturæ miniſter, & imitator, cur non illi quoque liceat pueris interdum ſanguinis mittere? Deinde quotidianum afferunt experimentum, magna voce iurantes, miſſionem ſanguinis pueris fuiſſe vtiliſſimam, frequentérque illos, ac feliciter à morbis grauiſſimis liberaſſe. Sic audio, variis in locis, potiſſimum in Hiſpania pueris non ſolùm adultis, ſed etiam infantibus via annum ſecundum, aut tertium notis, ſi quis vrgeat morbus periculoſus, ſanguinem mitti frequentiſſimè. Poſtremò Arabum medicorum authoritatem adiiciunt, atque in primis Clariſſimi Auenzoar, qui, referente Auerroë, proprio filiolo agenti annum tertium venam ſecare non eſt veritus. Itaque
7.Cel.c.3. Lib. 2. c.10. maximè probant determinationem Cor. Celſi, qui ſcriptum reliquit, ex iis nullum antiquorum decretorum perpetuam veritatem obtinere; ſed alias maioris momenti obſeruationes eſſe adhibendas; aſſeuerans intereſſe, non quæ ſit ætas, ſed quæ ſint vires, adeóque firmum puerum ac robuſtum ſenem tutò ſecta vena curari.

In hac controuerſia nos ſuperiùs propriam mentem aperuimus, ac ſatis (ni fallimur) explicauimus; quamobrem pueris citra annum decimumquartum non liceat ſanguinem mittere; vt illa eadem non ſint hoc loco temere & inutiliter repetenda. Quare id nunc dixiſſe ſufficiat, eiuſmodi opinionem mihi nunquam probari potuiſſe, cum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, quòd illa Hippocratis, & Galeni diſciplinam euertit. Nam quatenus pertinet ad poſitas rationes, proferunt illi quidem naturæ exemplum, ac propria iactant opera: ſed nos omni ea parte non cogimur illorum experimentis fidem habere. Etenim vix credimus puerorum hæmorrhagias eſſe perpetuò ſalutares: immò etiam non ſemel animaduertimus (ſi nobis quoque experientiam licet in medium proferre) propter hanc vnam cauſam quandoque illos in malum corporis habitum, & hydropem incidiſſe. Ac profectò ſi ſemel, atque iterum res proſperè euenit; quod bonæ cuidam fortunæ magis, quàm rationi tribuendum puto; fortè quater, deciéſque eadem cedit infeliciter: adeò vt qui ſine huiuſmodi præſidio fortaſſe euaſiſſent, aut certè pereant, aut ſaltem curentur deteriùs, & in grauiora decidant pericula. Quid Celſus, & alij cenſeant de antiquis decretis, non laboro: quinimo equidem vnumquemque ſiue antiquum, ſiue recentem tanti ſoleo æſtimare, quantum ille Hippocrati, Galeno atque illi familiæ eſt addictus, & eorum doctrinam amplectitur. Vtcunque autem hæc ſe res habeat; præter rationem, præter Hippocratis, & Galeni mentem, atque adeò temere, nos exiſtimamus pueris venam ſecari ante annum decimumquartum, vt ſuprà diximus; neque vlla in re temeritatem eſſe laudandam.

Aduerſarij demum poſt hæc ad euertendos tres ſcopos generaliter nonnulla exempla in medium proferunt, in quibus, tametſi illi ſimul conueniunt, nullo modo aiunt ſectionem venæ poſſe adminiſtrari. Si quis (inquiunt) laboret febre continua cum fluxione alui; ſi quod venenum in corpore ſæuiat; ſi humores turgeant; hos magnos eſſe morbos conſtat inter omnes; neque tamen quantumuis ægroti habeant conſtantes vires, ætatémque florentem, quiſpiam reperitur, qui tunc audeat venam ſecare. Ego verò iſtæc pariter omnia puto eſſe inania, ac nullius momenti, qui aio non hæc ſolùm, ſed cætera omnia, quæcunque pro iſta opinione poſſunt excogitari, ſi modò verè prohibent ſectionem venæ, propterea prohibere, quia vel vnus, vel plures deficiunt ea principibus ſcopis. Sic in febre continua fluente aluo, quo tempore vnus præcipuè Galenus tradit venam minimè incidendam eſſe, quis dubitat, vel illomet interprete, vnam futuram virium debilitatem id præſidium impedire? Finge aliquem veneni effrænatam violentiam experiri: huic nos fatemur profectò haud venam incidendam eſſe, tametſi nonnulli celebres medici aliter ſentiunt. Sed quare? Si memoria repetas maximam hîc viribus inferri vim; ſpiritus præcipuum illorum fundamentum, langueſcere in primis, ac diſſolui; crudelia plerumque ſuperuenire ſymptomata, anxietatem, nauſeam, vomitum, conuulſionem, lipothymiam, ſyncopen; iam nobis conſenties propter virium reſpectum huiuſmodi remedium prætermitti. Horum imitatione quiuis per ſe ipſe facilè poterit alia id genus obiecta refutare, & antiqui dogmatis veritatem defendere. De humoribus turgentibus, in quibus ſanè eſt multum negocij, agemus poſterius, ne eandem rem cogamus repetere inutiliter, quando mihi deliberatum eſt loco magis opportuno de illis agere accuratè, idque ſpeciatim diſputare, an liceat humoribus turgentibus ſanguinem mittere.

Poſt hæc illud modò eſt reliquum, vt ſcopos ab aliis excogitatos perpendamus, ac diſputemus. Quamuis enim ſatis hucuſque Hippocratis atque Galeni ſententia confirmata eſſe videatur; tamen non leue arbitror futurum eſſe veritatis argumentum, ſi nos earum opinionum, quas alij inuehere ſunt conati, falſitatem ſimul & abſurditatem patefecerimus. Namque repudiatis (vt iſti putant) tribus veteribus, & legitimis ſcopis, alios quoſdam commenti ſunt, quos pro illis ſtudent ſupponere; cum quibus eſt nobis magnum certamen. Cæterùm cum neque inter hos conueniat ex toto, ſi velimus cunctas illorum opiniones ſigillatim proſequi, nullum finem noſtra tractatio eſſet habitura. Quare vt modum aliquem noſtræ orationi faciamus, tametſi aduerſarij admodum varia, ac propè innumerabilia ſolent afferre, ſi diligenter ea perpendantur, omnia commodè mihi videntur ad vnum quoddam commune caput poſſe referri, quod humorum conſiderationem complectitur. Namque fatendum eſt eò ſpectare omnia, vt ante deliberationem de ſectione venæ humorum præcipua ſit habenda ratio: adeò vt illi multi, ſint neque frigidiores, neque calidiores, neque craſſiores, neque tenuiores: ad ſummam vt in certa quadam moderatione ſint poſiti, quà à forma ſanguinis non multum recedant. Eſt hæc rudis quædam aduerſariæ opinionis adumbratio, quam deinceps mihi propoſitum eſt diffuſè diligentérque explicare. In qua quidem diſputatione conabor, quantum licet in re multiplici, & confuſa, ordinatè, & diſtinctè agere.

Verùm enim verò antequam illos aggredior quoniam hac in re frequens incidit menti plenitudinis,

tudinis, & cacochymiæ, quæ à medicis diuerſis nominibus appellantur, & diſtinguuntur, vt omnis tollatur ambiguitas, neque illud nobis eueniat, quod Galenus teſtatur multis eueniſſe, qui cum paſſim plenitudinem, cacochymiámque in ore habeant, notionem iis vocibus ſubiectam prorſus ignorant, operæ pretium eſſe ducimus hunc locum breuiter explicare. ita in primis adducti Galeni authoritate, qui acturus ex propoſito de ratione mittendi ſanguinis, lectorem monet, dummodo cum fructu id commentarium legere velit, vt priùs librum de Plenitu ine accuratè intelligat; cum ſine hac tractatione vix liceat huiuſmodi argumentum benè aſſequi. Atque id equidem facio eò libentius, quòd ſcio nonnullos reperiri, qui hac quoque in re (quod multorum hoc tempore eſt inſtitutum quaſi fatale) quædam noua comminiſcuntur deficiuntque à Galeno, & à veteri diſciplina.

Init. libr. de plen.

De Sang. Miſſ. c. 3.

Græci plura habent nomina, quibus id omne, quod in corpore abundat, ſolent ſignificare: ſed illa videntur eſſe præcipua, πλεονεξία, πλῆθος, πλήρωσις, πληθώρα, πλησμονή. Latini pariter multa habent, quæ opponere illis poſſint, *abundantiam, copiam, multitudinem, repletionem, ſatietatem*, & alia huiuſmodi. Ex quo factum eſt, dum ij minus accuratè iſtorum nominum proprietatem ſeruant, atque interpretes modò vnam, modò alteram vocem vſurpant ſuo arbitratu, vt lectori confuſionem afferant ſæpenumerò. Quam Græci vnico nomine κακοχυμίαν dicunt, noſtri item frequenter ſuſcipiunt; nonnunquam ſuccorum vitium interpretantur, antiqui interpretes malitiam dicunt. Etſi autem exiſtimo, admodum eſſe difficile, vt quis de hiſce nominibus perſpicuè, ac determinatè loquatur; verumtamen quid nos ſentiamus, & quid Galeni locutio nobis ſuggerat, paucis conabimur indicare. Ita ergo ſtatuimus, πλεονεξίαν eſſe vocem quandam communem, & tanquam genus, quod omnem, & qualemcumque abundantiam, vel exceſſum complectatur. Sic Galenus definiens πλῆθος πλεονεξίαν pro genere poſuit. [πλῆθος δὲ (inquit) πλεονεξία ἐστι τῶν καθ' ὅλον τὸ σῶμα τοῦ ζώου χυμῶν.] Sic aliàs caloris πλεονεξίαν, id eſt abundantiam, vel potius exceſſum nominat, vocabulo forte medicis peculiari, cum cæteri πλεονεξίαν plus habendi cupiditatem inexhauſtam, alienum vſurpandi cupiditatem ſæpe auaritiam interpretentur, atque vniuerſè accommodent ad id vitium, quo laborant quicunque in omni re volunt eſſe ſuperiores. Πλῆθος, ac πληθώρα videri alicui poſſint ſynonyma, & idem planè ſignificare, cum Galenus vtramque ſimul vocem ſoleat interdum vſurpare. *Vbi* (ille inquit) *æquabiliter inter ſe ſucci ſunt aucti, id & πλῆθος, & πληθώραν Græci vocant.* Verumtamen res mihi videtur ſe aliter habere. Nam cum duplex ſit plenitudo (vt paulò poſt monſtrabimus) quarum alterum ad vaſa medici nominant, alteram ad vires; πληθώρα, nomen de Eraſiſtrato à cunctis medicis receptum, vnam propriè plenitudinem ad vaſa apud Galenum videtur ſignificare: cui placet hanc ipſam nominari κατὰ τὸ ἔγχυμα, quod ſcilicet humorum copia in vaſis veluti infuſa ſit. Cuius equidem vocis vim idem Galenus vſque adeò obſeruauit vt aſſeuerauerit interdum, plenitudinem ad vires non eſſe verè πληθώραν, πλῆθος autem vſurpatur aliquando tanquam genus quoddam vtriuſque plenitudinis, tamen propriè loquentibus dicitur de quolibet humore ſuperabundante, ſanguine, pituita, vtráque bile: eóque differt à πληθώρᾳ, in qua omnes ſimul augentur humores: tametſi aliud quoque diſcrimen poteſt apud Galenum obſeruari, quòd nimirum maiori ex parte πλῆθος plenitudinem tum corporis vniuerſi, tum partium; & πληθώρα vnam tantum corporis totius plenitudinem complectatur, Πλησμονὴ Galeno vnam propriè repletionem ciborum videtur indicare. *Vbi plus ille* (ille ait) *quàm modo naturæ conueniat, ingeſtum eſt, πλησμονὴ nominatur.* Sic apud Hippocratem, ἐν πλησμονῇ οὐ λιμὸς, &c. Sed tamen negandum non eſt, hanc vocem quandoque generaliter plenitudinem ſignificare, vt ille monſtrat aphoriſmus; *Morbi quicunque ex repletione fiunt, vacuatione ſanantur*, &c. Πλήρωσις demum repletio eſt cuiuſlibet rei, & qualibet in parte, cibi, potionis, humorum, excrementorum, in ventriculo, venis, ac cæteris corporis partibus. Atque hæc ferè propria nobis videtur huiuſmodi nominum interpretatio: quamuis certò ſciamus, tum Galenum, tum cæteros medicos ſæpenumero conſueuiſſe aliud pro alio vſurpare; id quod longius non debet comprobari. De nomine ſatis. Rem aggredior.

de Pleni cap. vlt. init. 2. de Compo. Med. ſec. loc.

2 Meth. cap. 1.

13. Meth. cap. 6.

Adu. Iul. c. 7. de Plen. c. 6.

2. Aphor. com. 17.

2. aph. 4. 2. aph. 22.

Cum tria ſint apud Hippocratem, quæ noſtrum corpus conſtituunt, ac iam in ore omnium verſantur, contenta, continentia, & impetum facientia; conſtat ſatis, illa omnia multitudini eſſe obnoxia, ac poſſe debitos naturæ terminos tranſilire. Sed reliquis partibus omiſſis, quæ alterius ſunt inſtituti, de ſola redundantia, quæ in humoribus conſiſtit, nos agimus in præſentia. Itaque humores, quos natura quatuor conſtituit ad generandum, nutriendúmque hominem, ſanguis, pituita, bilis vtraque (quod puto omnibus eſſe perſpicuum) redundare poſſunt, & à naturali conſtitutione degenerare, vel ſimul omnes, vel ſinguli ſeorſum, vel plures: atque id vel quantitate, vel qualitate, vel vtróque modo, ac diuerſa quidem menſura. Ergo ſi omnes æquabiliter, vel æqua parte augeantur (ita enim interpretor quod ſcribit Galenus ἰσοτίμως) hæc ſuperabundantia πλῆθος, & πληθώρα dicitur. Quod quidem æquale humorum incrementum non ita eſt accipiendum, quaſi æqua ſit illorum copia, & quantitas, altérque alterum non excedat; cum id rarò admodum, aut nullo modo accidere ſoleat: ſed quòd ſecundùm naturalem ſuam proportionem ſimul omnes augeantur, & creſcant. Sin autem non ſimul omnes, ſinguli augeſcant, altera conſurgit ſpecies plenitudinis; quam non abſolutè, ſed cum additamento Galenus vocat plenitudinem ſanguinis, pituitæ, bilis, melancholiæ. Verùm inter hoſce humores illud eſt diſcrimen, quòd cæteri tres aucti nullam poſſunt efficere plenitudinem, niſi vna cum illis ſanguis quoque augeatur: vnus verò auctus ſanguis non ſolum facit plenitudinem cum additamento, ſed etiam quam Galenus abſolutè πλῆθος, & πληθώραν vocat. Quòd ſi ex altera parte humor alius à ſanguine, neque ſimul cum ſanguine creſcat, exempli gratia flaua bilis, vt regio morbo laborantibus accidit; eiuſmodi affectus non iam πλῆθος, aut πληθώρα, vel ſimpliciter, vel cum additamento; ſed κακοχυμία dicitur: quod item de atra bile, ac pituita ſtatuendum eſt. Etſi autem Galenus docet ad gignendam plenitudinem cum additamento, nec non cacochymiam, vnius duntaxat humoris exceſſum eſſe ſatis; id non ita eſt recipiendum quaſi ſemper vnicus humor debeat redundare, cum ſit conſonum rationi, non ſolùm vno, ſed pluribus quoque auctis humoribus

6. Ep. ſect. 3. 7.

tales

tales fieri affectus: quos propterea compoſito nomine tum plenitudinem, tum cacochymiam non vnius tantum humoris iure licet appellare. Sed redeo ad plenitudinem. Hæc antiqua diuiſione, & omnibus recepta, eſt duplex: alteram *πρὸς ἀγγεῖα* vocant, hoc eſt ad vaſa, quando ſcilicet humores ita creſcunt, vt vaſa ipſa diſtendantur: alteram *πρὸς τὴν δύναμιν*, quando nimirum tanta eſt eorum exuberantia, tametſi vaſa non tenduntur, vt vires grauentur, earumque actionibus noxa inferatur. Indicia verò, quæ hoſce affectus, & vnumquemque redundantem in corpore humorem monſtrare ſolent (ea potiſſimùm ſumuntur ex colore) diffuſè tradita ſunt à Galeno, neque de iis nunc agendum eſt. (*1 de Ple. c.11.*) Porrò cum humores redundare, ac naturæ limites excedere poſſint, tum quantitate, tum qualitate, tum vtroque modo, vt diximus paulò ante, quamuis id plerique accipiant, quaſi ea redundantia, quæ definitur nomine quantitatis, omnis prauæ qualitatis ſit expers; itemque altera, quæ deſignatur nomine qualitatis, nulla redundet copia; aliter mea ſententia ſtatuendum eſt. Nam quemadmodum negare nolo, vſu venire interdum, vt humorum quantitas, pariter & qualitas ſeparatim à propria eorum natura, & perfectione degeneret; ita altera ex parte neque mihi negandum eſt, fieri ſæpius vt vtraque ſimul copuletur, neque verò ſolum copuletur, verum etiam vt altera mutuum alteri ſubſidium præſtet, occaſionemque afferat, vnde ipſi humores proprios naturæ terminos adhuc magis egrediantur: vt veriſimile ſit, hoſce illorum affectus pluribus modis pro varia ploris, minoriſve ratione inter ſe miſceri interdum, & coniungi: qui tamen, ſi animum diligenter adhibeas, & Galeni diſciplinam attendas, facilè ſeparari, & diſtingui poſſunt. Hæc breuiter à me, ſtrictimque de plenitudine dicta ſunt, quantum ad meum pertinet inſtitutum: nam ſi omnia fuiſſent dicenda, quæcunque ſpectant vel ad ea confirmanda, vel ad cætera confutanda; quæ variam de hac re, & in omnem partem diffuſam diſputationem ſolent efficere, profectò nos oportuit longiſſimum conficere commentarium. Nobis ſatis fuit Galeni mentem vtcunque explicaſſe: quod ſperamus facilè intellectutos, quicumque voluerint hæc noſtra cum Galenicis conferre. Atqui inſtitutam controuerſiam perſequor.

Diximus aduerſarios, qui veteres reiiciunt, nouos neſcio quos ſcopos excogitaſſe, ac totos verſari in humorum conſideratione, quæ eſt duplex: quippe ad ſalutarem venæ ſectionem duo potiſſimùm requirunt: alterum, quòd humores copia, & quantitate negotium faciant: alterum, quòd natiuæ illorum qualitates non multum à propria conditione degenerent. Nos vtriuſque poſitionis vim excutiamos.

Qui circa plenitudinem contendunt venam minimè ſecandam eſſe, ij maximè videntur ſequi rei naturam. Nam (vt ſuperiùs quoque argumentabantur) ſi contraria contrariis tolluntur, plenitudo autem, ac phlebotomia ſunt inter ſe contrariæ, non ſine ratione videntur colligere ſectionem venæ cum primis à plenitudine indicari. Notum eſt illud Hippocratis, (*2. aph. 22.*) *Morbi quicumque ex repletione fiunt, euacuatione ſanantur; & quicumque ex vacuatione oriuntur, repletione.* Sic Galenus identidem ſcribit plenitudinem ſectione venæ commodè auferri; cuius doctrinæ quamplorima teſtimonia ſtudioſis facilè poſſunt ſuppetere. Ex quibus illud certè non eſt ſilentio prætereundum, quod omnino videtur difficile, & obſcurum; vbi docet apertè ſectionem venæ indicari non ſolùm à magnitudine morbi, ſed etiam à plenitudine ſanguinis. Sunt hæc illius verba.

Sicuti miſſio ſanguinis, vel propter ipſius plenitudinem, vel propter morbi magnitudinem; ita purgatio, & propter abundantiam alterius ſicci, & propter vim adhibetur. (*4. Meth. 6.*)

Aduerſus iſtorum opinionem diximus ſatis multa ſuperiùs ex Galeno, qui illius abſurditatem expugnauit vſque adeò copioſè, atque efficienter; vt ſuperuacaneum videri poſſit de iis hoc loco pluribus diſputare. Veruntamen cum res ſit permagni momenti, pro comperto habeam, primarios quoſdam noſtri temporis medicos in eiuſmodi ſententia permanere adhuc, eamque mordicus defendere; addo, cum ſponſionem iam fecerim de hac tractatione, rurſum mihi liceat in eodem verſari argumento, & quaſi actum agere. Etſi verò ad hanc rem conficiendam multa poſſem argumenta proferre in medium nullo labore; tamen vt ne diſcedam à Galeni methodo, & agam quàm breuiſſimè fieri poteſt, mihi iterum ſumo Galeni rationem, quam ſanè puto demonſtrare. Itaque memoria eſt repetendum, eam fuiſſe bipartitam, aduerſus Empiricos, qui volebant in vna plenitudine, ac ſyndrome plethorica venæ ſectionem obſeruandam eſſe: alteram, quòd nonnullis interdum venam ſecamus, in quibus nulla apparet huiuſmodi ſyndrome & plenitudo: alteram, quòd ea præſente ſectio venæ omittitur ſæpenumerò. Vtramque nobis liceat exponere, ſtabilire, & illuſtrare.

Et quatenus pertinet ad primam; *Videmus* (*4. Meth. c. 6.*) (inquit Galenus) *Empiricos, cum quis ſit lapſus ab alto, aut aliàs plaga aliqua contuſas vehementer corporis partes habuerit, ad ſanguinis miſſionem confugere, quanquam idem homo paulò ante ſanus fuerat, prorſuſque redundantia ſanguinis expers.* Ex quo patet, non hoc eſſe, quod mittendum ſanguinem indicet, ſed morbi magnitudinem, ac virium robur, exceptis tamen à ſermone pueris. Præterea finge aliquem vehementi morbo laborantem, in quo ſanguis nulla exuberantia, ſed vna praua qualitate negotium faciat; nonne huic licebit mittere ſanguinem, dummodo alij ſcopi non deſint? Ego quidem licere id maximè cenſeo. Et quamobrem ita cenſeam, audias rationem præclarè à Galeno explicatam, qui ex propoſito cauſas tradens; propter quas ſectio venæ adminiſtratur; *Quoniam* (inquit) *venæ ſectio ſanguinis vacuatio eſt, & vtilis natura eſt ſanguis, oportet ſanè rectè ipſam adminiſtrare, inutilem natura vacuando. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariam; vel cum propriam non ſeruat exactè qualitatem, vel nimis creſcit multitudine. Ac in iis quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt*, &c. (*9. Meth. c.11.*) Sic Auicenna, *Vnuſquiſque* (ait) *eorum phlebotomatur aut propter ſanguinis multitudinem, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque.* (*Lib.1. fen.4. c.20. initio.*) Inter cætera exempla huius diſciplinæ illud eſt apud eundem Galenum valde illuſtrare, vbi tradens rationem curandæ febris diariæ ex obſtructione ortum habentis, vt ne illa in putridam tranſeat, ſi vnà cum obſtructione ſint humores vitioſi, decernit venam ſecandam eſſe, quanquam nulla plenitudinis ſigna adſunt, dummodo principes ſcopi non deſint, virium, & ætatis. Quem locum ſatis fuerit nunc indicaſſe, (*8. Meth. c.4.*) cum nobis propoſitum ſit poſterius illum diffuſè perpendere, & examinare. Iam verò illud ego non verebor affirmare, non modò ſine vlla humorum copia, ſed illis quoque deficientibus, adeoque in quibuſdam affectibus cuilibet plenitu-

dini contrariis, optimos quoſque medicos interdum venam ſecare. Sanguine immoderatè fluente è naribus, hæmorrhoïdibus, vulnere, vel aliis partibus, an quis reperitur vſque adeò ſanguiſugus, qui prorſus nolit ſanguinem mittere? Nulla ſanè hic poteſt ſubeſſe plenitudinis imago, cum manifeſtè humores deficiant. Quòd ſi ita hæc ſe res habet, quæſo reſpondeas, ac nos doceas, qui fieri poſſit, vt ex duobus ſcopis ſibi inuicem repugnantibus, & oppoſitis vna, eademque indicatio eliciatur? *Præterea* (inquit Galenus) *quæ ſuprà de ſanguinis miſſione dicta ſunt, & hoc quoque rationem Menodoti conuincit, putantis plethoricam nominatam ſyndromen remedij nos admonere: nam affectus, qui nunc expoſitus eſt (profluuium ſanguinis) plethoricæ planè contrarius extitit, &c.* Ad hunc modum (vt iſtius quoque doctrinæ exemplum habeamus) legimus Galenum ſanguinem miſiſſe iis, qui ex vitioſi ſucci eroſione pulmonis vlcere laborabant, quanquam illi paucum ſanguinem haberent. *Cæterum* (inquit) *de mittendo his ſanguine, ſcire illud licet; quicumque parum ſanguinis habere videbantur, iis ad quendam ſuccum probiorem redactis detrahere ſanguinem poteris, tum rurſus reficere; eoſdemque rurſum purgare, ac rurſus reficere: denuoque, ſi res ſuadet ſanguinem mittere, præcipuè quibus veluti limus, vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis. At qui validi ſunt multique ſanguinis, iis ſtatim à principio eſt detrahendus.* Galenus hic duos ægrotantes nobis ante oculos ponit, Socratem: qui parum videatur habere ſanguinis, Platonem, qui multo ſanguine redundet. Veruntamen accepta indicatione à magnitudine morbi ſtatuit vtrique mittendum ſanguinem eſſe, ea tantùm adhibita obſeruatione, Socratem primò eſſe reficiendum, ſine dubio propter animaduerſionem virium, quas timet fore imbecilliores. Quòd ſi abſque ſanguinis copia nunquam licet venam ſecare, quæſo reſpondeat Aduerſarius, quamobrem, aut quomodo Socrati parum ſanguinis habenti Galenus audet ſanguinem mittere, non modò ſemel; ſed etiam bis, ter, ac ſæpius.

De Sang. Miſſ. c.12.

5. Metho. c.14.

Cæterùm cum aduerſarij nullis machinis poſſint tam perſpicuam veritatem ſubuertere; nuper (vt audio) neſcio quæ diuerticula quæſierunt. Ergo aiunt primùm, Galeni rationes aduerſus Empiricos vnam plenitudinem ſimpliciter, ac ſyndromen plethoricam oppugnare, minimè cæteros humorum exceſſus. Deinde verò cum plenitudo alia ſit præſens, alia futura, alia communis, alia propria; ita ſtatuunt, vt omnino ſectio venæ plenitudinem requirat, ſi non præſentem, ac toti corpori communem, at ſaltem futuram, & vni parti propriam. Sed iſta quoque commentitia ſunt, parumque habent roboris. Namque ſi altera plenitudo, in qua vel vnicus ſanguis, vel ſimul cuncti redundant humores & quæ totum occupat corpus, quam plethoram ſimpliciter dicimus, per ſe non poteſt venæ ſectionem indicare, quod modò (ni fallimur) ſatis monſtrauimus, an non communi loco dialectico facilè vnuſquiſque poteſt colligere, multò minùs alteram id poſſe præſtare, quæ minus verè neque ſimpliciter, ſed cum additamento dicitur plenitudo pituitæ, bilis, melancholiæ, vel quæ haud totum corpus, ſed vnam duntaxat partem occupat? Neque de iis agendum eſt longius.

Quod autem ad futuram plenitudinem pertinet, paulò accuratiùs explicandum eſt. Ac primùm quis miretur non iniuria, quamobrem Galenus nihil reliquerit ſcriptum de huiuſmodi futura plenitudine, quam mihi quidem non ſit veriſimile virum ſolertiſſimum, & diligentiſſimum, addo (quod illius calumniatoribus placet) loquaciſſimum, in tradendis ſcopis tanti præſidij, oſcitanter prætermiſiſſe, quemadmodum certè non prætermiſit rationem eſſe habendam morborum ac virium, non ſolùm præſenti tempore, ſed etiam futuro. Quæro deinde, cum Galenus conſtanter affirmat, neminem eſſe in artis operibus exercitatum, eruditumque medicum, qui tribus conſentientibus primariis ſcopis non ſanguinem detrahat, etſi nullum adeſt plenitudinis indicium; quæro (inquam) an conceperit mente huiuſmodi futuram, atque imaginariam plenitudinem: obſecro te, qualis fuiſſet vis iſtius ratiocinationis? Quæritur an de plenitudine ſit elicienda indicatio mittendi ſanguinis? ille reſpondet authoritate Hippocratis, & omnium medicorum, minimè; quandoquidem ex illis nemo eſt, dummodo vnà conueniant magnitudo morbi; robur virium, flos ætatis qui non velit omni poſthabita plenitudine ſanguinem eſſe detrahendum. Sed quid ille reſpondeat iterum, ſi qui alteram ſententiam defendunt, hanc futuram plenitudinem obieciſſent? cum parui omnino referat, ſi ne illa hodie præſens, an futura in craſtinum, cum vtrobique ſit par ratio; vt de morbis, & viribus diximus modò, quorum conditionem tam præſentem, quàm futuram, medicus venam ſecturus perpetuò debet animaduertere. Pr[illegible]ca finge hominem (quod eſt Galeni exemplum) qui exerceatur quotidie, & omnes, quantum ſatis fuerit, ſolitas habeat excretiones, qui moderatè comedat, adeoque nullius indigeat vacuationis, ex alto lapſum fuiſſe. Victus ratione, cæteriſque opportunè inſtitutis, quæſo an quis poteſt vllam futuram plenitudinem imaginari? Fluente ſanguine præter modum alicunde, an eſt aliquis adeò pertinax, qui contendat plenitudinem aliquo deinceps tempore futuram eſſe? Sed in re manifeſta nolo eſſe verboſior. De prima Galeni ratione hactenus.

4. Meth. 6.

Loco citato.

Nunc ad alteram venio; præſente nimirum plenitudine nonnunquam venæ ſectionem prætermitti: quod ſanè ille docet frequentiſſimè. *Si quis* (inquit) *etiamnum ſanus, neque adhuc quicquam læſus in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, huic non opus eſt mittere ſanguinem; ſed alij ſatisfacit inedia, alij cibi parcitas, alij ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum, alij ſola exercitatio, vel multa frictio abunde fuit.* Miſſio verò ſanguinis ne ab ipſis quidem Empiricis, iis, qui ita ſe habent, neceſſariò adhibetur.

4. Meth. c.6. De Sang. Miſſ. c.8. & de art. 62. & al.

Atque vt ne longiùs producam orationem, ita habendum eſt de Galeni ſententia, plenitudinem quocunque tandem modo eam quis velit interpretari, hac vna ratione venæ ſectionem indicare, quatenus morbos reddit magnos, atque in morborum magnitudine continetur. Quam rem etſi ille non ſemel declarat, & confirmat, nobis ſatis fuerit vnicum locum proferre, in quo ex propoſito hanc ipſam quæſtionem mouet; num homini ſolita negotia adhuc obeunti, ſi notæ plenitudinis apparuerint, mittendus ſit ſanguis, an non mittendus, niſi magni alicuius futuri morbi ſit ſuſpicio? Mihi autem libet illius propria verba tranſcribere, quòd totum negotium conficiant apertè, atque etiam ſint quoquo modo ad totam diſputationem accommodata.

In præſenti autem de vtriuſque plenitudinis notis contemplemur; an vbi ea in homine ſolita negotia obeunte apparuerint, mittendus illi omnino ſanguis ſit; an id non ſit neceſſarium, vbi nulla magni affuerit morbi expectatio? Porrò quid has de re ſentiam, vobis perſpicuũ eſt, vt qui ſæpe adfueritis mihi ſanguinis miſſionẽ ſuadenti, aut podagricis, aut arthriticis, aut comitiali morbo obnoxiis, aut melancholicis, aut

De Sang. Miſſ. c.10.

iis,

iis, qui ſanguinẽ antea expuiſſent, aut in thorace ſtructuram ad id malum idoneam ſortiti eſſent, aut vertiginoſis, aut iis, qui crebrò corripi ſolent angina, vel peripneumonia, vel pleuritide, vel hepatitide, vel vehementi ophthalmia, vel (vt ſummatim dicam) magno quopiam morbo. Quippe in iis omnibus ſanguinis miſſionem neceſſarium eſſe præſidium arbitror confeſtim adhibitam, poſt habitam virium, & ætatis rationem. Hæc ſi aliquando non dicantur, ſubaudire tamen oportet. Verùm iis, qui nihil tale antea perpeſſi ſunt, omniumque corporis partium inculpatam habent conſtitutionem, geminam me viam vacuationis proponere noſtis; per ſanguinis quidem miſſionem, ſi in victus ratione fuerint intemperantes; citra hanc, ſi temperantes. Licet enim & frictione multa, & balneis, & ambulationibus, aliiſque motibus, ad hæc vnctionibus diſcutientibus celeriter plenitudinem vacuare, niſi tibi videatur nonnunquam craſſi ſanguinis eſſe redundantia. Hæc Galenus, qui ad propoſitam quæſtionem reſpondet facilè adhibita diſtinctione, hunc in modum. Namque homines, qui vtriuſque plenitudinis habent notas, atque etiamnum ſolita obeunt negotia, vel magno alieni morbo ſunt obnoxij, vel nihil tale antea perpeſſi ſunt, omniumque corporis partium inculpatam habent conſtitutionem. In illis miſſio ſanguinis, tanquam præſidium neceſſarium nullo modo eſt omittenda: In his autem rurſus eſt opus diſtinctione. Etenim ſi idem homo in victu fuerit intemperatus, omnino miſſio ſanguinis adhuc cenſenda eſt opportuna, & neceſſaria: ſin autem fuerit temperatus, iam licet venæ ſectionem prætermittere, ac lenioribus agere præſidiis, frictione, balneis, & aliis id genus. Itaque Galeni mens eſt apertiſſima, plenitudinem eatenus miſſionem ſanguinis indicare quoad poteſt magnos morbos efficere; vt illis vſu venit, qui malam corporis conſtitutionem ſortiuntur, vel ſunt in victu parum temperati: nullo autem imminente grauiore malo, nequaquam; vt iis accidit, qui bene habent, & ſunt in victo moderatiores. Quo loco (vt id moneamus obiter) eſt notatione dignum, hic plurimos à Galeno morbos numerari, qui aliam nullam ſecum ferunt indicationis rationem ſectionis venæ, præter vnam magnitudinem: cum immò verò ſint maiori ex parte morbi frigidiores, oriunturque ab humoribus frigidis, craſſis, & quos crudos appellant: quibus aliqui multi exiſtimant id remedium non conuenire. Qoippe ait in omnibus ſectionem venæ præſidium fore neceſſarium nulla præterea vel humorum, vel aliarum rerum adhibita exceptione, præter quàm virium, & ætatis. Sic docemur, in vtraque plenitudine celeriter eſſe vacuandum, propterea quòd altera, quæ dicitur ad vires, in putredinem promptè incidat, & quandoque etiam in partes quaſdam impetu aliquo decumbat, inibique tumores præter naturam efficiat; altera item ad vaſa ſæpe in partes ingruat, ac tumores exciter; immò & apoplexias, & venarum ruptiones moliatur. Sed quid ago pluſibus? cum Galenus ipſe ita planè, & apertè vt planiùs, & apertiùs loqui non poſſit, hanc veritatem nos doceat. *In vniuerſum* (ille inquit) *ſcopi mittendi ſanguinis plenitudinem in ſe primò non complectuntur, ſed ſuſpicionem eius, quod adhuc fit, mali. Nam ſi magnum fore appareat, ſanguinem mittemus omnino, etiamſi nulla plenitudinis nota adeſt. Primi igitur, ac maximè proprij ſanguinis mittendi ſunt ſcopi, morbi magnitudo, ac robur laborantis. Et hanc primam eſſe ſyndromen dicere oportet, minimè plethoricam, in qua miſſio ſanguinis obſeruata ſit; quippe in illa & hæc comprehenditur, vt qua morbi magnitudinem augeat.* Hæc Galenus. Quod ſi demum quis velit (vt ſuprà fecimus) aliquod iſtius quoque dogmatis exemplum adiungere, neque illud deeſt præ lætiſſimum. Athleta, cuius, principale eſt vitæ inſtitutum, vt certando alios vincat, & deiiciat, ſi quis alius, in notabilem plenitudinem frequenter incurrit, cum ſedulò ſtudeat cibis multis, plurimúmque nutrientibus robur corporis, ac molem ſibi parare & cuſtodire. Adhuc tamen authoribus Hyppocrate, & Galeno pleniſſimum huiuſmodi habitum ſoluere non eſt neceſſe, niſi iam illi grauiſſima immineant pericula. Sed cum is nequeat in eodem ſtatu conſiſtere, & quieſcere, adeòque illud reliquum ſit, vt in deterius vergat, periculóſumque ſit, ne vaſa præ nimia humorum copia rumpantur, aut calor innatus extinguatur; *His de cauſis* (inquit Hippocrates) *bonum habitum ſtatim ſoluere expedit; vt corpus rurſus nutriri incipiat.* Et Galenus; *Habitum athletarum, cum ad extremum peruenerit ſoluere oportet, haud morantes, ſed anticipantes ſolutione periculum.* 1. aph. 3.

De Sang. Miſſ. c. 5.

De Sang. Miſſ. c. 4.

Hactenus Galeni rationes ſunt explicatæ, quæ quidem (niſi me omnia fallunt) perſpicue, ac ſimiliter demonſtrant; Empiricos, & cæteros omnes hallucinari, quicunque arbitrantur, plenitudinem per ſe, ac primùm venæ ſectionem indicare. Ad rationes, quæ pro illis ſunt allatæ ſuperiùs (quod vnum reſtat) non reſpondeo in præſentia; reſpondebo autem poſteriùs commodiore loco, vt ne eadem ſæpius repetantur.

Audio primarium noſtræ ætatis medicum, qui cenſuit aliquandiu, non eſſe alium ſcopum ſectionis venæ, quam plenitudinis aliquod genus, iam non permanere in hac opinione, nouáque proximo hoc tempore dogmata comminiſci; qui aſſeuerat, vehemens peccatum ſanguinis verè, ac propriè illius miſſionem indicare: atque iſtud quidem peccatum ſtatuit eſſe triplex vel ſecundùm quantitatem, vel ſecundùm formam, vel ſecundùm motionem. Quod item decretum non fuit à nobis ſilentio prætereundum, qui cumulatè, & integrè, quoad per nos fieri poteſt, conſtituimus in hoc argumento verſari. Neque eſt, vt quiſquam miretur, nos eiuſmodi cogitationes tractare; quæ fortaſſe multis, qui res noſtras ignorant, nouæ apparebunt, & inauditæ: ſiquidem illæ apud nos, ac noſtros medicæ artis ſtudioſos iam ſunt propemodum vulgares, & in ore omnium. Primùm autem ſum neſcius, quantum deceat virum cum multis nominibus, tum maximè prudentia, & circumſpectione elatum, de re per magni momenti tam frequenter, ac facilè ſententiam mutare: quem fama eſt ferme in ſingulos annos à priore opinione recedere, ac nouam excogitare. Quæſo enim iſtæc ſententiarum varietas, mutabilitas, inconſtantia, tanquam fluctuum: an non iure optimo debet omnem fidem illius dogmatibus abrogare? Plus vna veritas eſſe nequit. Quare vt ea ſemper ſibi ipſa conſtet, atque omni ex parte conſentiat, neceſſe eſt. Contra verò cum falſitas poſſit eſſe multiplex, nihil mirum, ſi vna, eadémque de re multi pluribus modis malè ſentiunt. Deinde neque illud ſatis probare poſſum, quòd vir alioqui illuſtris ingenij in explicandis hiſce cogitationibus mirabiliter delectetur vocibus nouis, inſolitis, & ambiguis; quibus illud quoque ſimile eſt quod pariter memini me audiſſe aliquando; nimirum quòd ſcopi à Galeno vocati principes connotatiuè indicent ſectionem venæ. Quantas enim tenebras offundant, ac difficultates pariant obſcura, & inuſitata nomina, & quantum illorum vſus à bonis authoribus, potiſſimùm

Atiſtotele, & Galeno reptebendatut, & vitupetetut, id planè eſt apertius, quàm vt plutibus debeat demouſtrari. Namque ſi mentis conceptiones, adeóque tes ipſas exprimunt voces, quid magis illiarum cognitionem obſcurare, diſciplinas conſundere, impedireque poteſt, quàm impropria, & inaudita vocabulorum ſignificatio? Ariſtoteles quidem principalem virtutem otationis, perſpicuitatem eſſe tradit, aitque illam maximè perſpicuam reddi à nominibus, & verbis propriis. Ex quo fit, vt Platonem, veteteſque philoſophos teptebendat intetdum, quod parum propriè loquerentur. Galenus item ſummus Ariſtotelis imitatot iſtud ipſum confirmat, & idem crimen nonnullis medicis obiicit frequentiſſimè. Qui demum probè ſciens, quaoti referat in arte tractante vitam hominis propriè, & perſpicuè loqui, nou grauatus eſt librum ſcribere de nominibus Medicis, vnde potuiſſet vnuſquiſque diſcere, quo pacto rectè nominibus vti debeat. Sed redeo ad rem. Quantum equidem colligere potui, hic vir celeberrimus propriam mentem explicat, ac loquitur ad hunc modum; Quippe ait principalem ſcopum ſectionis venæ eſſe vehemēs peccatum in ſanguine; adeò vt nullo modo poſſit, aut debeat vena ſecari, niſi ſanguis inſigne aliquod vitium concipiat: hoc autem peccatum ſtatuit fieri tripliciter, ſecundùm quantitatem, formam, motionem. Atque hanc partitionem ita accommodat, vt vehementi peccato ſecundùm quantitatem conueniat ſectio venæ, quatenus remedium minuens; ſecundùm formam, quatenus remedium eradicans; ſecundùm motum, quatenus remedium reuellens. Hæc profectò videri alicui poſſint ingenioſa, & methodicè tradita: verùm ſi ea perpendantur ad veteris diſciplinæ præcepta, fortaſſe non omni ex parte probabuntur. Et ſi autem multa de hac opinione eſſent dicenda propter ſummam viri authoritatem; tamen cum ea, quæ à nobis tradita ſunt hactenus, & quæ ſumus tradituri poſterius, ad illius confutationem poſſint ſatis eſſe, volumus paucis eſſe contenti. Quæro igitur, quidnam ſignificet vniuersè vehemens peccatum in ſanguine, quocumque modo hanc rem velimus interpretari. Namque ſit illud omni, qua fieri, aut fingi poteſt, ratione grande, & immenſum, niſi id ſimul vehementer nociturum ſit in poſterum, nunquam venæ ſectionem indicabit. Quòd ſi ita ſe res habet, quid aliud, quæſo, ſibi vult iſtud vehemens peccatum ſanguinis (qui loquendi modus à nemine eſt vſorpatus, & à communi vſu doctorum hominum eſt alienus) quàm vehementiam, vim, & magnitudinem morbi? quæ vox ab Hippocrate, Galeno, & omnibus probatis medicis Græcis, Latinis, Barbaris eſt iamdiu recepta, & vſurpata, & ad quam, vtcumque aduerſarij ſe torqueant huc, & illuc, omnemque lapidem moueant quantum poſſunt, diſpeream ni poſtremùm, velint, nolint, cogantur deuenire. Sed ſingula perpendamus.

Initio 3. Rhet.

Gal. 2. de loc. aff. 6. 3. Epid. ſect. 1. 5.

2. de San. tu. cap. 2.

3 Simpl. c. 33.

Vehemens peccatum ſanguinis ſecundùm quantitatem puto non aliud poſſe intelligi, quàm nimiam illius redundantiam, ac plenitudinem; de qua ſemel, atque iterum diximus, quod eſt ſatis. Illud autem libet addere in præſentia; nullum maius peccatum quantitatis, nullam maiorem, ac pleniorem ſanguinis exuberantiam concipi animo, aut fingi poſſe, ea plenitudine, in qua omnia coniunctim adſunt ſymptomata, & indicia poſita ab Empiricis, quæ illam demonſtrant; quando illius quantitatem, Galeno authore, aliter nobis non licet definire, quàm ex proportione ſignorum multitudine, ac numero. Veruntamen niſi ab ea graue aliquod periculum immineat, iam ſatis monſtrauimus de ſententia Hippocratis, & Galeni ſanguinem minimè detrahendum eſſe.

De Sang. Miſſ. c. 6.

Sequitur vehemens peccatum ſecundùm formam; quando nimirum, ſi probè intelligo, ſanguis vel ob conceptam putredinem, vel alienam prauam qualitatem iam propriam formam non retinet. De quo quidem multa eſſent dicenda, cum cenſeam illud alludere, & inſinuare morbos, quos noſtrates nouatores appellant morbos formæ, totius ſubſtantiæ, & aliis nominibus. Sed quoniam de hac litigioſa diſputatione nonnihil diximus* in diſputatione de Morbo Gallico, non eſt vt de ea rurſum agamus hoc tempore. Qui interea cupit intelligere ſummam iſtius controuerſiæ, is meum Montanum adeat, qui illam perſequitur, ac diſſoluit præclarè admodum, vt præterea nihil fortè poſſit deſiderari. Quod porrò ad noſtrum pertinet inſtitutum, tantum abeſt, mea ſententia, vt vehemens peccatum ſanguinis ſecundùm formam poſſit venæ ſectionem indicare, vt magis illam prorſus debeat impedire: ſiquidem humoribus ita putreſcentibus, vel aliter malè affectis, vt propriam formam amittant, vix fieri poteſt, vt vires ſint adeò validæ, vt id remedium ferre poſſint. Id quod & ratio facilè declarat, & Galenus clarè demonſtrat, noſque poſterius conabimur firmiter demonſtrare. Inſuper quid eſt, quamobrem talis humorum conditio magis ſectionem venæ, quàm purgationem deſideret; Quin imò, ſi res attentè conſideretur, ſine labore poſſet demonſtrari, longè magis purgationem, quàm ſectionem venæ hoc tempore fore congruentem.

Lib. 3. de Morbis c. 13. & ſeq.

Tertium remanet vehemens peccatum ſecundùm motum, quando ſcilicet ſanguis intra, vel extra corpus quoquomodo malè mouetur: quod itidem puto nullo pacto poſſe miſſionem ſanguinis indicare, niſi iſtiuſmodi motioni coniungatur, vel præſens, vel imminens morbi magnitudo. Quid enim ſi offeratur aliquis, cui ob criſin iamiam futuram ſanguis ad caput cum impetu feratur, vnde ſanguineæ imagines ſplendoreſque oculis offerantur, vertigo ingruat, deliriũ, hæmorrhagia? An huic ſanguinem detrahes? non arbitror, idque non alia ratione, quam quòd nullus inſtet morbus magnus, ſed qui potius adeſt, iamiam ſoluendus ſit. Nec reſpondeas, motum quidem in ſanguine adeſſe, at non vitium: quoniam idem eſt motus, qui & in ſymptomaticis affectibus huiuſmodi euenit: vt verò nomen vitij mereatur, aut non, ea tantùm ratione obtinet, quatenus morbum magnum vel facturus eſt, ſiue deſignaturus, vel contrà ſoluturus. Quare vitium ſanguinis à ſola morbi magnitudine ſpectatur, non à motu: ideò ab hac, non à vitio ſanguinis, aut motu ſumitur iodicatio ſectionis venæ. Sic Gal. vehementis ſanguinis impetus meminit aliquando, illumque præcipit eſſe reuellendum, & deriuandum, ſed hac lege, quotieſcumque aut non ſeruata propria qualitate non poteſt nutrire amplios, aut copia aucta vel premit vires, vel venas, arteriaſque diſtendit, rumpit, obſtruit, adeóque ſecum affert morbi magnitudinem. Atque hæc ſanè mihi videntur vſque adeò manifeſta, vt pluribus non debeant confirmari. Poſtrema item cogitatio, quæ triplicem fingit vſum ſectionis venæ, minuentem, eradicantem, reuellentem, ad ſuperiora tria peccata accommodatum, vt noua eſt, & inaudita, ita (mihi quidem vt videtur) multa in ſe continet abſurda & pericula. Namque vt prætermittantur cætera, atque id tantum

9. Meth. cap. 11.

mooeam

nunquam memini me legiſſe apud Galenum, vel alium probarum authorem, venæ ſectione ſanguinem eradicari: niſi fortè, vt cunctatum veterum vocum prorſus obliuiſcamur, ac nouas vbique introducamus, intelligunt illius miſſionem vſque ad animi defectionem. Sed cum huiuſmodi copioſa ſanguinis vacuatio, quomodocunque accipiatur, inſigne, ac firmum deſideret virium robur, ſatis vnicuique poteſt conſtare omnium minimè eam conuenire in vehementi iſto peccato ſecundùm formam, in quo iam diximus neceſſariò vires ita eſſe debiles, vt vix parcam venæ ſectionem poſſint tolerare.

Hæc ſummatim dicta ad hanc opinionem poſſent eſſe ſatis. Sed tamen adhuc valde cupio, vt quicunque his nouitatibus delectatur, eam comparet cum vetere opinione Hippocratis & Galeni, ac diligenter ſecum reputet, vtra ſit magis rationi conſentiens, cum primiſque accommodata ad conſeruandam ſalutem hominis; ad quem vnicum finem omnia noſtra, conſilia, & dogmata ſunt perpetuò referenda. Atque hæc quidem comparatio eò magis videtur ad rem pertinere, quòd vtraque opinio neſcio quam ſimilitudinem referat inter ſe. Altera enim vetus principem ſcopum ſectionis venæ ſtatuit morbi magnitudinem: altera noua, vehemens peccatum in ſanguine: illa docet morbum fieri magnum tripliciter; vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propter cacoëthiam; hæc tradit, vehemens peccatum ſanguinis eſſe triplex; ſecundum quantitatem, formam, motionem. At verò in eo differunt, quòd illa cum morbi magnitudine vult ſemper coniungendos eſſe alios duos ſcopos, virium, & ætatis: quibus conſentientibus medicus certè, ac definitè intelligit, alia quauis poſthabita conſideratione, venam perpetuò eſſe incidendam: hæc autem de primario ſcopo decernit admodum obſcurè; de reliquis nullum verbum facit. Ex quo puto fieri, vt quicunque in hac cauſa ab Hippocrate, & Galeno deficiunt, circa adminiſtrationem tanti remedij ſint valde ancipites, & ſoliciti, occaſionémque perdant ſæpenumerò bene agendi, & iuuandi hominis. Verùm de iſtac opinione, ac de plenitudine hactenus.

Illud igitur eſt conſequens, vt alterum modum de humorum qualitate diſſoluamus: quandoquidem ſuprà diximus placere aduerſariis, vt illi præter copiam talem quoque habeant qualitatum temperationem, vt non vehementer à naturali conſtitutione ſint alieni. In primis verò obiiciunt duas qualitates quas vulgò actiuas appellant. Namque ſi morbus proficiſcatur ab humore frigidiore, detractus ſanguis videtur illum, atque illius cauſam adhuc magis poſſe augere: pariter ſi idem originem ducat ab humore calidiore; ſecta vena, illius feruorem, morbique incrementum pertimeſcunt. Quare celebrant vulgatam ſententiam Auicennæ. *Et ſupponere tibi caue, ne deducas ægrum ad vnam duarum rerum, ſcilicet humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem.*

Lib. 1. fen. 4. c. 20.

Sed quoniam huic difficultati videtur annexa altera quæſtio, vel magis vna, atque eadem eſſe; nam liceat in cacochymia ſanguinem mittere, age vtramque ſimul coniungamus, & examinemus. Atque vt hinc faciamus initium; tanquam certiſſimum artis medicæ decretum, id recipiunt plerique omnes; miſſionem ſanguinis vni plenitudini, purgationem vni cacochymiæ congruentem eſſe. Quod quidem ratio videtur confirmare. Namque ſi miſſio ſanguinis eſt vacuatio humorum omnium; ſi purgatio eſt vacuatio non omnium ſed vnius tantum, vel alterius; facilè colligunt, illam plenitudini, in qua ſucci omnes augentur, hanc cacochymiæ, in qua duntaxat vnus redundat, præclarè eſſe accommodatam. Rationi conuenit communis propè medicorum conſenſus, quem non eſt credendum facilè mentiri: quorum teſtimonia ſunt adeò multa, vt nequeant ignorari. Nobis ſatis fuerit vnum, vel alterum afferre ex Hippocrate, & Galeno. *Quibus* (ait Hippocrates) *ſanguinis miſſio, vel purgans medicamentum conuenit, his verè ſanguinem detrahere aut medicamenta adhibere oportet.* Hunc locum interpretatus Galenus, inquit; *hos oportet vt anticipemus vacuare aduenıente verè, vel per ſectionẽ venæ, ſi plenitudinis morbis ſubiiciantur; vel per purgationem, ſi iis, qui ex corruptione proueniunt.* Quo loco longa narratione nonnullos refert ægrotantes, quos à multis grauiſſimis periculis liberauerit, vel miſſo ſanguine, vel dato medicamento, vt noxij humores alterutrum remedium videbantur poſtulare. Sic aliàs Hippocrates non hic tantum, ſed & in aliis ſuis commentariis, quando inuicem ſeruata proportione omnes augentur humores, miſſione ſanguinis auxiliatur, vbi verò aliquis ex ipſis ſuperabundat, illi purgatorium exhibet medicamentum. Hinc factum eſt ſumma cum ratione, vt ſancitum fuerit iamdiu, quod ſuperius quoque notauimus ſumendam eſſe indicationem de magnitudine morbi, non ſolùm incidendæ venæ, ſed etiam dandi medicamenti. Cuius profectò iudicij, electioniſque nulla certior regula videtur poſſe inueniri, quàm ſit diligens humorum conſideratio; qui, ſi multi fuerint, venæ ſectione, ſi vitioſi, purgationem demonſtrent. Ad quem modum in vehementiſſimis doloribus Galenus teſtatur nullum ſe magis præſentaneum remedium inueniſſe, quàm vacuare vſque ad animi defectionem, verùm adhibita priùs diſtinctione, an miſſione ſanguinis, an purgatione ſit opus. Sed ad ea, quæ ſunt magis ſingularia deſcendamus. Ac primùm de humoribus frigidis, ac de celebri illa cruditate agendum eſt, quam veluti principalem mittendi ſanguinis hoſtem plerique notant hoc tempore: nec ſanè iniuria; cum nulla res obiecta videatur eſſe maioris momenti, maioremque afferre difficultatem, ſeu rationis vim, ſeu grauiſſimorum hominum authoritatem velimus conſiderare. Verùm hæc res paulò altiùs ordienda eſt.

6. Aphor. 47.

2. Aphor. com. 8.

1. Aph. com. 23.

Ego quidem triplicem cruditatem comperio fieri, ac reperiri poſſe. Prima eſt ciborum recens ingeſtorum, qui adhuc non ſunt concocti; quæ ſanguinis miſſionẽ potius retardat, quàm impedit. *Si præcedat ciborum cruditas* (inquit Galenus) *tanto tẽpore differre venæ ſectionem debetis, quantum ſatisfacere videbitur tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa deſcendant.* Et quamuis Celſus inter cæteros, ſi morbus tã ſit immanis, & importunus, vt nullam moram patiatur, nullaſque det inducias tã, etſi æger paulò ante cibum aſſumpſerit, protinus velit ſanguinem eſſe detrahendum; ego tamen cenſeo longè magis cautam, & rationi conſentientem eſſe Galeni doctrinam, quando vix mihi videtur aliquis morbus eſſe poſſe vſque adeò præceps, vt medicus nequeat occaſionem arripere purgandi ventriculum, & inteſtina, cum aliis modis, tum potiſſimùm vomitu, & clyſtere: qua ratione facilè vitabit multa pericula, quæ non iniuria ex importuna eiuſmodi ſectione venæ videntur imminere. Altera eſt cruditas, qua Hippocrates omnium primus nos docuit morborum principia definire. *Concocta* (inquit ille) *medicari oportet, ac mouere non cruda, neque in principiis.* Quam ſanè cruditatem nos interpretamur, cum materia noxia naturæ

9 Met. c. 5.

Lib. 1. cap. 10.

1 Aph. 22.

legibus non eſt obediens, vt declarabimus poſterius. Porrò tantum abeſt, vt huiuſmodi cruditas impediat ſanguinis miſſionem, vt hoc potiſſimum tempore illa ſit opportuniſſima: neque exiſtimo ab aliquo iſtud in controuerſiam vocari, iuxta tritam ſententiam; 1. aph. 29. *In principiis morborum ſi quid videtur mouendum, moue.* Iam verò tertia reſtat cruditas, quotieſcumque plurimi humores craſſi, ac frigidi in corpore abundant: ſic enim legimus, Galenum crudos humores propriè deſcripſiſſe, quicunque citra ſanguinem ſubſiſtunt, frigidi om- 4. de Tuend. Val 4. 1. de Ali. Fac. cap. 2. nino, & craſſi. Atque hanc profectò nos putamus eſſe eam cruditatem, qua præſente, vel imminente aduerſarij contendunt periculosè venam ſecari. Itaque illos audiamus. Si tota (inquiunt) benè inſtituta curandi methodus ea maximè præceptione conſtat, vt morborum cauſæ tollantur, quî fieri poteſt, vt morbum de humore frigido oriundum miſſio ſanguinis iuuare vnquam poſſit? cum ſit fermè neceſſarium, detracto calidiore ſucco, qualis certè eſt ſanguis, vt frigidus, cruduſquè humor frigidior adhuc, & crudior reddatur, adeoque morbus vehementiùs ingraueſcat. Hinc Galenus volens docere medicos, atq; illis monſtrare quendam veluti ſcopum agendorum, rem totam redigit ad vnum caput, quod humorum notationem complectitur. Quippe ſi illi receſſerint parum à natura ſanguinis, hic audacter mittendus eſt: ſi multum, conſideratè eſt agendum, ac fortè nullum protſus licet ſanguinem mittere. Pariter ſi 4. de Tuend. Val. c. 4. bonus ſanguis exiguus fuerit; reliquus verò ſuccus plurimus; vtique in his à detractione ſanguinis eſt abſtinendum: ſin is quidem exiguus, ſanguis verò copioſus, iam vena audacter eſt incidenda. Sic laborantibus aqua inter cutem, febre ex copia crudorum humorum, aut aliis huiuſmodi morbis, nemo eſt niſi planè inſanus, qui audeat ſanguinem mittere. Deinde conſequuntur ſucci calidiores, in quibus ſimiliter aiunt miſſionem ſan- Lib. 1. fen. 4. c. 20. guinis non conuenire. Quare Auicenna inter cæteros fortaſſe author iſtius opinionis; *etſi vrina* (inquit) *fuerit ſubtilis, aut ignea, aut facies à principio ægritudinis fuerit tornatilis, caue tibi à phlebotomia*, & paulò poſt; quem locum paulò ante notauimus, *Summopere tibi caue, ne ægrum deducas ad humorum cholericorum ebullitionem.* Sic alio in loco ſcriptum reliquit, immoderate fluente ſanguine bilem ferueſcere, adeoque ſuperfluum calidum dominari. Et iterùm de curando cauſo? *Non phlebetometur: fortaſſe enim inflammabit eos: & fortaſſe iuuabit eos, ſi fuerit illic turbiditas aquæ, & rubedo.* Lib. 4. fen. 1. tra. c. 42. Quod ſi de Auicenna, vel de iis, qui illius doctrinam recipiunt, hoc tempore, iſtius decreti rationem quæras, illi hanc potiſſimùm ſolent afferre: Nempe detracto ſanguine bilem veluti effrænem fieri, inſigni ferocitate debacchari, atque omnino reddi periculoſiorem, illo (opinor) argumento ducti, quaſi ſanguis valeat propria humiditate, ac lenitate nimiam bilis ſiccitatem, & aſperitatem demulcere, ac retundere. Præterea demùm nituntur iſti authoritate, atque exemplo ſummorum medicorum; potiſſimúmque vnius Galeni, qui tradens rationem curandi eryſipelatis (vt interim cæteri morbi prætermittantur biliosi) venæ ſectionem repudiat, medicamenti adminiſtrationem probat. Quare concludunt vniuersè in nulla cacochymia, ſpeciatim in qua ſuccus redundat vel frigidior, vel calidior, venæ ſectionem competere.

Ego verò ex altera parte non verebor affirmare, in quauis cacochymia, vt maximè redundet humor frigidus, vel calidus, ſumma cum ratione, atque ex ſententia Galeni nonnunquam ſanguinem mittendum eſſe. Quòd ſi aliter fiat, id alio propter aliam cauſam non fieri quàm quòd ægri tam ſunt debiliores, quàm vt commodè tantum remedium ferre poſſint. Conabor, ac ſpero vtrumque firmiter demonſtrare. Ac primùm nequeo ſatis probare illorum ſententiam, qui fatentur quidem in cacochymia ſanguinem eſſe mittendum, ſed hac limitatione, ſi iuncta illi fuerit humorum plenitudo. In qua ſententia præter cæteros video fuiſſe Lib. 2. c. 40. Paulum, qui de dolore verba faciens, ita ſtatuit, ſi vna adſit plenitudo, ſanguinem mittendum, ſi vna adſit cacochymia, dandum medicamentum: ſi vtraque ſimul coniungatur, primùm ſanguinis miſſionem, deinde purgationem perficiendam eſſe. Etenim adhuc reuiuiſcit dogma toties iugulatum, nimirum conſilium capiendum eſſe de miſſione ſanguinis ab ipſa in primis, ac ſola plenitudine. Nec fortaſſe huiuſmodi reſponſio ad principalem difficultatem eſt prorſus accommodata. Nam quæritur generaliter, an liceat in cacochymia mittere ſanguinem, nulla plenitudinis facta mentione. At iſti ferè poſtpoſita cacochymia, vnam afferunt plenitudinem. Quod igitur cacochymia haud perpetuo à miſſione ſanguinis debeat eſſe aliena, facilè poteſt probari. Namque ſi tres ſcopi ad mittendum ſanguinem ſufficiunt, quod (ni fallimur) verè, & perſpicuè demonſtrauimus; quid eſt, quamobrem in cacochymia quandoque, imò ſæpius non liceat venam incidere? Neque enim puto eſſe aliquem, qui audeat aſſeuerare, in quouis humorum vitio vires eſſe vſque adeò debiles, vt id remedium ferre nequeant. In- Gal. 9. Metho. c. 11. Au l. 1. fen. 4. c. 20. ſuper nulli de hac re dubium poteſt ſupereſſe, qui memoria repetat, quod paulò ante diximus ex Galeno, & Auicenna, duas nempe eſſe cauſas præcipuas, propter quas expedit ſanguinem mittere, aut propter illius copiam, aut propter illius vitium: nihil enim dici poteſt manifeſtius. Præterea an non Hippocratea, & Galenus docent in cacochymia ſanguinem eſſe mittendum, cum inter magnos morbos huiuſmodi remedium poſtulantes, morbos numerent cacoethias, qui maiori ex parte, vt illis placet, à vehementi ſuccorum vitio pendera ſolent? Ad hæc puto multia conſtare febres putridas, ſi non omnes, certè maxima ex parte fieri ex cacochymia id quod poſteriùs mihi propoſitum eſt firmius confirmare: veruntamen Galenus generaliter in omnibus venæ ſectionem probat: ac ſpeciatim curando febrem ephemeram, 11. Metho. c. 15. 8. Metho. c. 4. vt ne degeneret in putridam, ſcribit apertè, ſecta vena maiorem vitioſi ſucci partem vtiliter vacuari, antequam obſtructiones tentes auferre. Demum verò quid ſibi vult illa partita vitioſi ſucci curandi ratio, quam vocant per epictaſim, cuius multa ſunt exempla in libris medicorum? quale eſt apud Galenum illuſtre, eorum ſcilicet, qui ex 5. Metho. c. 15. vitioſi ſucci eroſione ſanguinem reiiciunt; quique ſanguinem habent craſſum, vitioſum ac veluti limum; quibus ille tradit ſemel, bis, ac ſæpiua ſecandam eſſe venam, illis interea ad euchymiam hoc eſt, ad boni ſucci habitudinem, reductis. An cui 9. Epid. ſect. 3. c. 29. dubium poteſt eſſe: eam mulierem notabili admodum cacochymia laboraſſe, cui, Galeno authore cæteris fermè aduerſantibus medicis ſanguis copioſiſſimè detractus, colore, & craſſitudine liquidæ pici ſimilis apparuit? Sed quid ego loca ſingula, atque exempla commemoro, quæ certè non deſunt innumerabilia, & infinita, quibus præſente cacochymia boni medici non verentur ſanguinem mittere? Obſecro te, quotuſquiſque eſt, qui vel vnius Galeni diſciplina, atque exemplo munitus non libenter ſanguinem detrahat hominibus ictericis, melancholicis, lienoſis, elephanticis,

cis, Gallicis, & in aliis huiuſmodi morbis, quos ferè conſtat ex inſigni humorum vitio originem habere: verum de vniuerſa cacochymia ſatis. Iam de ſingularibus ſuccis agendum eſt.

1. de Nat. Hum. c. 2. 2. de Nat. Fac. c. 3. 1. de Pl. c. 11.

Atqui id primum oportet memoria repetere, quod non ſemel dicitur à Galeno, ſanguinem ſcilicet, qui in venis continetur, nequaquam ſimplicem eſſe, & vnius naturæ, ſed illum conſtare ex pituita, bile vtraque, & puro ſanguine certa quadam proportione inter ſe mixtis, vt cuique corpori expedit ad valetudinem: quam quidem quatuor humorum commixtionem, temperationemque ſanguinis nomine omnes appellant. Quamobrem & illud nulli non manifeſtum eſſe debet, aperta vena non vnicum, atque ſyncerum fluere ſanguinem, ſed omnes humores ſimul mixtos, & confuſos vt in ea reperiuntur, quod idem Galenus clarè teſtatum reliquit: tametſi (quod neque diſſimulare) apud præclariſſimum quendam medicum memini iſtud me legiſſe aliquando, ſecta vena vnicum fluere ſanguinem, reliquos humores contineri. Sunt illius propria verba. *Neque ſufficit, vt humores ſimul in venis exiſtant, ad hoc, vt ſimul euacuentur cum ſanguine, quia pituita ſuo lentore parietibus venarum adhæret, cholera ſui ſubtilitate in poroſitatibus venarum imbibitur; melancholia fixa permanet, ac ſui craſſitie fixa non mouetur.* Hæc ille, quæ ſanè magis ridenda ſunt, quàm refellenda. Quòd ſi quis tandem hac in re adeò pertinax fuerit, vt neque vlla ratione dimoueri, neque Hippocr. & Galeni teſtimonio velit fidem adhibere, is quæſo propriis oculis fidem adhibeat, quibus ſi ductum ſanguinem inſpiciat nonnunquam eo tempore, quo concreſcit, ac ſubſidet, ſingulorum humorum portionem facilè, & perſpicuè poteſt animaduertere. Cum igitur vacuatio per venæ ſectionem, propriè ſi loqui velimus, veriùs omnium humorum, quàm vnius ſanguinis vacuatio dici debeat, illique ſimul effluant non minus frigidi, quàm calidi, cur poteſt mirum videri, eiuſmodi vacuationem morbis tum calidis, tum frigidis prodeſſe? Quòd ſi quis aduerſariorum propugnator fateatur quidem ſecta vena omnes duci humores, ſed maiorem perpetuo meri ſanguinis copiam vacuari, atque hinc velit concludere, cæteros humores reddi adhuc deteriores, plurimaque incommoda poſſe afferre; ego hanc reſponſionem cenſeo parui eſſe faciendam. Nam detractis omnibus ſuccis, ſeruata inter eos proportione, quam habent in venis, vt natura deinceps vires acquirat, & quod ſupereſt, melius gubernet, neceſſe eſt. Quamuis neque id fortè ſit temere concedendum, maiorem ſemper meri, bonique ſanguinis copiam vacuari, cum ille vel Galeni teſtimonio ſit naturæ familiariſſimus, & ab ea quampertinaciſſimè contineatur: id quod præcipuè demonſtrant nimiæ purgationes, in quibus ſanguis omnium poſtremus duci conſueuit. Quatenus autem pertinet ſpeciatim ad humores frigidos, & illos morbos, qui ferè ab illis conſueuerunt ortum habere; (tales intelligo apoplexiam, epilepſiam, vertiginem, carum, lethargum, cordis palpitationem, & alios id genus) an non Hippocrates, Galenus, Auicenna, ac probati omnes medici pro illorum præſeruatione, & curatione ſanguinem detrahunt? Et quantum ſpectat ad eam famoſam eruditatem, quæ tot lites fouet iamdiu, & quam nimis frequenter audio celebrari, nonne item Galenus apertè, & expreſsè concedit, in illa interdum ſanguinem mittendum eſſe? *In quibus* (ait) *multa vacuatione eſt opus, vires autem ſunt imbecilliores, in iis vacuationem partiri conuenit, quemadmodum nimirum & me facere conſpexiſtis in iis, qui crudorum humorum copia laborant; nam pauco ſanguine detracto, protinus mulſam probè coctam exhibeo cum extenuantium medicamentorum copiam, hyſſopo, origano, &c. deinde rurſus ſanguinem aufero, interdum quidem eodem die, interdum poſtero, in quo rurſus ſimiliter prædictorum medicamentorum quodpiam exhibens, iterum ſanguinem detraho, tertio die ſimiliter bis.* Pauloque poſt. *Præſentibus duobus ſcopis, magnitudine morbi, ac robore virium, conſtat, vt ante diximus, nullam eſſe crudorum humorum tantam, talemque plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium poſſit.*

Andr. Tu. Sect. de Ven. Piſ. in Feb.

1. de Nat. Hum 30.

De Sang. Miſſ. c. 12.

Cap. 14.

Quod ſi crudorum humorum copiam miſſione ſanguinis minuere nunquam licet, quæſo reſpondeat aduerſarius quomodo hoſce locos interpretetur, & Galeni auctoritatem tueatur. Nec ſanè aliter de humoribus calidis ſtatuendum eſt, cùm ferè vtrorumque ſit par ratio. Itaque aperta vena, cunctis humoribus æquè fluentibus, vt iam diximus, nulli dubium eſſe debet, quin in iis quoque interdum liceat ſanguinem mittere.

Neque item hic deſunt plurium nobilium medicorum exempla, ac teſtimonia, quæ hoc ipſum comprobant, & confirmant. Inter quos ipſum quoque Auic. poſſem recenſere, qui in curatione prunæ, & ignis Perſici venæ ſectionem laudat, quanquam illo met auctore oriuntur ex cholera citrina adurente permixta melancholiæ: quo loco apud eum hæc ipſa leguntur verba. *Neceſſaria eſt phlebotomia, vt vacuetur ſanguis cholericus: Et quando ægritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt ipſam approximare ſyncopis.* Sed prætermiſſo Auic. (ipſi viderint illius fautores, quomodo ille ſibi ipſe conueniat, & quomodo hæc poſſint cum iis conciliari, quæ ab eo dicta in contrariam ſententiam paulo ſuprà ſunt à nobis propoſita) noſter Galen. ſit nobis inſtar omnium, qui tum alias, tum maximè in ardentiſſimis febribus non veretur ſanguinem mittere, & eum quidem vſque ad lipothymiam: etſi non ignoro multos eiuſmodi febres interpretari ſynochos, quas continentes appellant, & quarum Gal. tradit tam largam venæ ſectionem maximum eſſe remedium. Quos equidem nihil moror. Nam ſiue Gal. verba, ſiue rem ipſam conſideres, non inuitus (puto) fateberis eum loqui de febre ardente, *cauſo* Græcis dicta, & illa fortaſſis exquiſita, quam docet fieri ex putredine vorus bilis intra vaſa manentis, quam tertianam vocat continuam; & quam demùm duobus præcipuè ſymptomatibus circumſcribit, ſiti inexhauſta, & adurente caliditate. Ego quidem tibi libenter fateor ſectionem venæ vſque ad animi defectionem ſynochis conuenire: ſed nec tu negare mihi iure potes, quin eadem febribus quoque ardentiſſimis congruat. Quodque ſe ita res habeat Galen. verba, & rationem audias. *His* (inquit) *ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiam citatur aluus ac ſudores prorumpunt.* Etenim ſi memoria repetas ortum febris vtriuſque, tam continentis, ſiue cum putredine, ſiue abſque putredine, quàm ardentis, facilè intelliges iſtæc non minus imò fortè etiam longè magis huic, quàm illi conuenire. Et quanquam ſatis hæc vnicuique poſſunt eſſe hac in re, mihi tamen libet adhuc Philothei medici præſtantiſſimi interpretationem apponere, quæ perſpicuè noſtram ſententiam confirmat, & ita habet. *In quibus autem vſque ad lipothymiam ducamus, manifeſtum eſt eos eſſe, qui ardentibus febribus laborant: verùm*

Lib. 4. fen. 3. Tr. 1. c. 9. & 10.

2. de Criſ. c.

uis lib. 4. Morb. Ac.

1. Apho. com. 24.

Com. apho eiuſdem.

I i i 4 neque

neque hos omnes, ſed eos, in quibus virtus eſt robuſta. Cur autem vſque ad lipothymiam in his vacuationem ducimus? Quoniam ardentes febres ex humoribus putrefactis accenduntur: duo autem quædam putredo habet materiam putrefactam, & qualitatis malitiam. Vtrumque ad lipothymiam vſque miſſus ſanguis, & quantitatem materiæ diminuit, & extinguit qualitatem acutam, & inflammantem: defectu animi corpus refrigeratur. Quid multis agam? An non reſtantur Hippocrates, & Galenus, confirmátque experientia, hanc ipſam febrem ardentem fluxione ſanguinis è naribus ſuaprè natura interdum ſanari? Neminem latet phrenitidem cum primis ex bile procreari: nam propria illius ſymptomata clarè, & Galenus id ipſum frequenter docent: neque tamen ex omni medicorum collegio puto aliquem reperiri, qui in hoc morbo nolit venam ſecare. Sic alia non deſunt exempla huius exercitationis. Sed his volo contentus eſſe.

Hactenus probauimus in cacochymia, & copia frigidorum, calidorumque humorum nonnunquam licitum eſſe ſanguinem mittere. Iam illud addo (quod alterum eſt propoſitum caput noſtræ diſputationis) propter aliam cauſam eiuſmodi remedium non prohiberi, quotieſcunque res ita ferat, quàm propter vnam virium rationem, quæ eo tempore ſint debiliores, quàm vt benè ferre illud poſſint. Etſi verò vnuſquiſque per ſe ipſe id facilè poteſt intelligere, potiſſimum ſi memoria teneat, quæ ſuperiùs dicta ſunt: veruntamen nobis liceat rem magni momenti adhuc patefacere, & illuſtrare. Finge Socratem laborantem cacochymia, quæ omnibus modis talis ſit, ac tanta, vt illæ venæ ſectionem nequeat ſuſtinere. Quid (obſecro te) poteſt excogitari, quamobrem Socrati non liceat venam incidere, niſi hanc rem velimus referre ad ipſas vires? Ego quidem nihil aliud concipere animo, aut comprehendere poſſum. Huius diſciplinæ admirabile eſt exemplum apud Galenum, qui referens inſignem famem, quæ multos annos continuatos ſæuiit per multas regiones Romano imperio ſubditas, admodum notabilem cacochymiam nobis ante oculos ponit, qua homines maiori ex parte correpti ſunt, dum cogerentur veſci alimentis praui ſucci: quam quidem ſunt deinceps inſequuta vlcera varia, variámque faciem repræſentantia, carbunculi, phagedænæ, exanthemata, febres malignæ, & alij morbi id genus, Cum ergo medici eorum temporum vix auderent eiuſmodi ægrotantibus ſanguinem mittere, illorum iudicium probat Galenus Sed quamobrem? *Siquidem* (inquit) *non iniuria huiuſce remedij vſum formidabant, propter virium iam tum antea imbecillitatem.* Ac ſanè dici aliter non poteſt. Verùm ſingulares quoque humores breuiter cum Galeno conſideremus. *Sufficiunt* (ipſe ait) *hi ſoli ſcopi* (tres principes intelligit) *ad mittendum ſanguinem: neque enim vbi copia crudorum humorũ tanta eſt coacervata, vt miſſionem ſanguinis prohibeat, ſermo redarguitur, quippe robur virium iſtis non adeſt.* En quomodo ille nihil cogitat præter vnas vires. Cumque vir diuino ingenio præuidiſſet, futuros aliquando homines, ac fortè neque deerant illo tempore, ſicuti hodie fit, qui tanti remedij hoſtes multis modis illud conarentur impedire, afferentes potiſſimùm, ac frequenter hanc ipſam humorum cruditatem; ad retegendam eorum inſaniam, atque vt ne aliquis hac in re poſſit error contingere, indicia quædam tum manifeſtiſſima, tum certiſſima voluit recenſere illius cruditatis, in qua vires non conſtent in præſentia, aut

Lib. de Suc. bon. & vit. cap. 1.

De Sang. M. ſ. c. 9.

non ſint conſtitutæ deinceps, adeò vt non liceat ſanguinem mittere, qui ſic ſcribit. *Eſtque hæc ipſa nota, quòd illi ſanguinis miſſionẽ perferre non queunt, quando vnà cum colore totius corporis ab indiciis ſanguinis redundantis decedente, pulſus fuerint in magnitudine, & vehementia inæquales per eorum inæqualitatem ſuperantibus debilibus, & paruis.* Sic in plenitudine degrauante, quæ aliter dicitur ad vires, ſi accidat, vt crudus ſuccus per corpus fuerit collectus, idem iubet Galenus conſiderandum eſſe, quantum ſit robuſta virtus, & quantum ſit humor refrigeratus, ne virtus à tali affectu exoluta à ſanguinis miſſione in extremum recidat malum. Neque verò vlli dubium eſſe debet, quin Galenus idem ſentiat, & loquatur de humoribus etiam calidis: quandoquidem rationi eſt conſentaneum eiuſmodi corpora, quæ talibus redundant ſuccis, vel quouis modo ſunt inſigniter calida, & ſicca, admodum facilè diſſolui, ac debiliora eſſe, quàm vt poſſint venæ ſectionem perferre. Ad hunc modum memini apud Galenum me legiſſe aliquando, hominem maximè, ac præcipuè calidum, neque athletam, neque meſſorem, aratorem, aut denique ad ruſtica vrbanáve opera ſatis fortem eſſe: Alio item loco calidas, & ſiccas naturas, ſiue ex proprio ortu, ſiue ex victus ratione, ſiue aliter tales fuerint inediam non tolerare, & neceſſariò vires habere imbecillas, quo potiſſimùm tempore febricitant. Quòd ſi quis non libenter hanc noſtram poſitionem recipit, is quæſo, aliam rationem proferat, quamobrem in cacochymia venæ ſectio prætermittatur. Neque enim in communi illa reſponſione quieſcendum eſt; nimirum id fieri, propterea quia periculum imminet, ne humor frigidior, & crudior reddatur, nec non feruens, furioſus adhuc feruentior fiat, & furioſior, & vterque grauiora mala ſecum afferat. Nam eſto: concedantur omnia. Quæro tandem, qualia futura ſint iſtæc grauiora mala, & pericula. Se aduerſarij quocunque modo torqueant, quò ſe vertant, non habebunt, denuíque vt ad ipſas confugiant vires neceſſarium fuerit. Hæc ad veritatem, & ad noſtram firmandam opinionem deberent eſſe ſatis. At iis accedat prætereà apertum Galeni teſtimonium, quod puto nullo artificio poſſe infirmari. Erat ſententia Hippocratis. Sunt quibus ſanguinem auferre conueniat opportunè in talibus: in aliis verò, quemadmodum in iis non conuenit. Prohibitio à ſputo ſanguineo, ab anni tempore, à pleuritide, à bile. Galenus in commento; *Expedit aliquibus ex his ſanguinem detrahere, quibus videlicet copioſior eſt, & nondum effatu dignam in alium ſuccum mutationem effecit: minimè verò auferre, quibus iam mutatus eſt, prætereo eo, qui à viribus eſt, ſcopo, licet id omittatur aliquando in ſermonibus, in quibus eas, quæ ex affectibus ſolis proueniunt, indicationes recenſemus.* Quem locum prorſus notabilem à Iun. Paulo Craſſo, & cæteris interpretibus obſcurè conuerſum nos voluimus planiùs interpretari. Concludo igitur, ac repeto, nullum ſucci vitium, quale tandem, & quantumcumque id fuerit, poſſe venæ ſectionem impedire, dummodo robur virium non deſiderent. De qua re ſatis.

Cap. 6.

5. de Tuen. Val. c. vlt.

10. Meth. cap. 5.

6. Epid. ſect. 343.

Idem 3. d. Hum. co. 32. 35.

Iam verò illud reſtat, vt ad ea reſpondeamus, quæ pro aduerſariis ſunt poſita ſuperiùs, quæ videntur habere non nihil difficultatis & laboris. Atqui ſi memoria repetamus, quæ iam diximus, ac potiſſimùm de varietate indicationum, non difficilis eſt ad omnia reſponſio. Itaque pro comperto habendum eſt, duas indicationes, alteram ex morbo, atque illius cauſa, alteram ex magni-

tudine

tudine morbi eſſe inter ſe diuerſas, & ſeparatas. Quod quidem earum diſſidium præter ea, quæ ſunt dicta hactenus, planè expreſſit Gal. qui agens de humorum purgatione, reuulſione, deriuatione ſic ſcribit.

4. Metho. cap. 5. *Hanc vero rationem ad aliam quoque artis partem ſpectare, nempe qua de humorum indicatione præcipit, neminem, latere arbitror: proindeque in ſequentibus etiam repetere eam erit neceſſe, ac totam* Initio c. 7. *abſoluere.* Et paulo poſt. *Abſolutus ſermo de hoc genere indicationis, quam à magnitudine morbi ſumi diximus, etiam in ſequentibus habendus reſtat: pari modo de indicatione, quæ ab ætate ſumitur; præterea de ea quæ ab humoribus ſanandis accipitur, &c.* Ergo cum ſint ſeparatæ; ſi quæras qualiſnam ſit propria indicatio, quam ſuggerit humorum redundantia, id primùm facilè poteſt intelligi ex ipſa rerum natura. Cum enim maximè conueniant rationi, vt redundans, moleſtuſque humor ſemper vacuetur; ſi redundat ſanguis, quandoquidem nulla ratione commodiore poteſt educi, quàm ſectione venæ, quatenus ad hanc pertinet indicationem, maximè videtur venæ indicare ſectionem. Si pariter alius à ſanguine redundet ſuccus, cum hic vix commodiùs poſſit auferri, quàm purgatione, idcirco purgationem indicabit. Deinde tibi licet iſtud ipſum diſcere ex Galeno, qui huiuſmodi indicationem explicat apertiſſimè ad mentem Hippocratis cum aliis multis, tum eo poriſſimùm

4. Metho. cap. 6. loco, vbi hæc habet. *Si iis, quæ iam dixi, illud quoque adiicias, nempe quod ipſum, qui redundat, ſuccum vacuandum eſſe Hippocrates ſuadet, aliàs ſanguinis detractionem adhibebis; cum videlicet is vincit; aliàs pharmacum, quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitam ducendam vim habet, dabis.* Ex his puto multos generale præceptum ſibi confecisse: exiſtimantes ſolam copiam ſanguinis venæ ſectionem, ſolam cacochymiam purgationem ſemper indicare. Quod quidem, ſi vnam ſpectemus indicationem, quæ ſumitur à morbo, & illius cauſa, adeoque ab humoribus noxiis, fatendum eſt eſſe veriſſimum. Quoniam verò in omni vacuandi ratione non hanc ſolùm indicationem orientem ex morbo, & illius cauſa docet obſeruare, ſed alias multas, & eam præcipuè, quæ ſumitur à morbi magnitudine, quæ cæteras omnes poteſtate, & dignitate longè ſuperat; hinc fit ſæpenumero, vt in vehementi morbo, nulla propemodum ratione habita aliarum indicationum, liceat ex vna parte venam ſecare & in redundantia, & in paucitate ſanguinis, & ex altera purgationem inſtituere non modò in abundantia ſucci vitioſi, verùm etiam ſine vllo humorum vitio. Quæ quidem doctrina, etſi forte alicui videbitur contra communem opinionem, tamen eſt Galeni, qui perſpicuè ſcriptum reliquit, & miſſionem ſanguinis vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem; & purgationem vel propter abundantiam alterius cuiuſquam ſucci, vel propter vim morbi adminiſtrari. Id quod & res ipſa confirmat in his, qui cadunt de alto, vel vulnerantur, in quibus vnica accepta indicatione à magnitudine morbi, nemo eſt, qui non vtatur ſectione venæ, & purgatione tametſi omnis plenitudinis & cacochymiæ ſunt immunes. Quare decipiuntur qui exiſtimant plenitudinem, & ſectionem venæ, cacochymiamque & purgationem eſſe inter ſe omni tempore contrarias, adeò vt altera alteri, ſoli, omni, & ſemper opponatur: ſiquidem aliter euenit frequenter; quod nos ſperamus iam ſatis, ſuperque demonſtraſſe, vt non ſit opus longiore confirmatione, & repetitione. Ergo cum hæc ita ſe habeant, ſtatim venio ad aduerſarios.

Et quod attinet ad teſtimonia Hippocratis, & Galeni, quæ probant plenitudinem miſſione ſanguinis, cacochymiam purgatione curari opportunè, nemo eſt, qui id non æquo animo, ac libenter fateatur. Sed ita habendum eſt, illos tunc ſibi ante oculos poſuiſſe vnam tantum modo indicationem, quæ ſumitur ab humoribus noxiis. Ad quem modum non ſolùm cæteri omnes, ſed ille etiam Galeni locus mihi videtur com modam, veramque interpretationem, & reſponſionem recipere, qui docet ſectionem venæ indicari aut à magnitudine morbi, aut à ſanguinis copia: qui reliquis videbatur difficilior, & cuius reſponſionem diſtulimus in hunc locum. Namque ibi Galenus voluit ſimul iungere duas indicationes alioqui ſeparatas; alteram à magnitudine morbi; alteram à redundantia ſuccorum; aſſeuerans ab vtraque indicari ſectionem venæ: quod profectò, ſi conſiderentur ſingulæ ſeparatim, veriſſimum eſt, & à nemine debet in controuerſiam reuocari. Atqui illud addo amplius, alteram indicationem, quam ſuggerit humorum redundantia, in deliberatione mittendi ſanguinis non infimū locum tenere, & nunquam eſſe prætermittendam; vt ſaltem medici poſſint de quantitate vacuationis ſalutarius conſilium capere. Namque ſi illa conueniat 4. Meth. 6. com altera, quam ſuggerit morbi magnitudo, ſanguis mittitur hilarè, & copioſè; ſin autē diſſentiat, ſanguis mittitur reſtrictè, & timidè. Exempli gratia Socrates, & Plato habentes eandem ætatem, idemque virium robur, vno tempore incidant in morbum æquè magnum: In Socrate appareat ſanguinis redundantia, in Platone flauæ, aut atræ bilis. Vtrique ſine dubio ſecanda eſt vena, quoniam ſunt in vtroque tres principes ſcopi, qui id remedium demonſtrant. Verùm docet Socrati copioſiorem ſanguinem mittere, quoniam ille habet ſanguinis redundantiam; ex quo fit, vt duæ concurrant indicationes, altera à magnitudine morbi, altera à redundantia ſanguinis: Platoni autem expedit quidem ſanguinem mittere, ſed magis cautè, propterea quia vna tantummodo adeſt indicatio, magnitudo morbi; ſiquidem redundantia bilis, adeoque cacochymia nihil ad huius remedij confert indicationem, quam conſtat quatenus attinet ad propriam indicationem, purgationem expoſcere. Hæc ſi probè intelligantur, quæ equidem neſcio an fuerint à me probè explicata, ſpero ſatis futura ad refutandas, & generaliter & ſpeciatim rationes aduerſariorum antea poſitas: ſed ad iuuandos, & exercendos nouitios non grauabimur ex iis adhuc nonnullas examinare. Et quoniam illi cum primis nobis obiiciunt locum Galeni ex libro *de tuenda valetudine*, in quo mitum Lib. 4. c. 4. ſo modum ſibi placent, nobis quoque liceat accuratè, ſed tamen quàm breuiſſimè in eo verſari. Galenus humorum differentias explicaturus, & accommodatam mittendi ſanguinis adminiſtrationem, ſanguinem tanquam temperatiſſimum omnium, medium quoddam conſtituit, ad quod cæteri omnes referantur. Sic ergo recedunt humores à natura ſanguinis; bilis flaua, quia nimis eſt calens, ac feruida; pituita, quia frigidior, & humidior; melancholia, quia frigidior, & ſiccior. Neque verò huiuſmodi humorum receſſus à ſanguine vnam perpetuo rationem habent, imò ſunt varij, & multiplices, cum vnuſquiſque parum, & multum magis, ac minus ab hoc, tanquam à medio recedere poſſit. Sed & ſanguis conſueuit à ſe ipſo recedere, aliquando, atque in alterius ſucci naturam degenerare: cuius pariter mutationis, &

conueſ

conuerſionis varios, ac multiplex modus conſtitui poteſt. Hoc iacto fundamento, Galenus ſanguinis miſſionem libenter ſuſcipit, ſi ille ſit copioſus, neque ad alterius humoris naturam conuerſus, ſique reliqui humores ab eo non valde recedant: quòd ſi contra ſe res habeat, placet illi à mittendo ſanguine abſtinendum eſſe. Hæc ſummatim eſt aperta ſententia iſtius loci, quam diffusè explicatam facilè vnuſquiſque in fonte legere poteſt, vt ne in ea longius tranſcribenda tempus conteramos. Primùm afferre illud poſſem, quod alioqui magni intereſt, nempe hunc locum reuera pertinere ad conſeruationem ſanitatis, multoſque temere præcepta ſalubria, & curandorum corporum ſcopos ſæpius permiſcere, & confundere: ſiquidem huiuſmodi primæ, ac maximæ duæ partes artis medicæ, authore Galeno, ſibi officia vendicant non ſolùm inter ſe diuerſa, verùm etiam contraria; cum alteri ſit propoſitum, ſtatum corporis immutare, alteri illum tueri. *Init. lib. de Tuend. Val.* Deinde & id non minus verè poſſem addere, Galenum ſcilicet hoc locò de ea ſola indicatione ſermonem habere, quæ accipitur à copia, & qualitate humorum, de qua iam diximus, quod eſt ſatis. Sed nunc iſta prætermittantur. Quippe ad illa rediens, quæ ſuperiori loco ſunt expoſita, quæro quonam pacto certa aliqua norma, & regula conſtitui poſſit, qua in propoſita ſanguinis, omniumque humorum coniunctione, varietate, & confuſione medici tandem intelligant diſtinctè, & perſpicuè, quando humores eam moderatam formam ſint aſſequuti, vt ſanguis non ſit ad alterius ſucci naturam conuerſus, neque ij ſint calidiores, frigidiores, ſicciores, humidiores, quàm vt poſſint venæ ſectionem perferre. Ac ſanè haud ſcio, quale reſponſum daturi ſint, quicunque Hippocratis, & Galeni diſciplinam contemnunt. Nobis autem, qui omnia noſtra ad eorum dogmata referimus lubentiſſimè promptè licet reſpondere, hac in re vnas vires perpetuo animaduertendas, & ante oculos habendas eſſe. Namque (vt proximè diximus ex Hippocrate, & Galeno, quibus ipſa res planè fauet) cuncti humores à propria natura degenerantes nulla ratione poſſunt miſſionem ſanguinis impedire, quicquid vis tibi fingas animo, & cogitatione, niſi quatenus periculum imminet, ne vires tantam faciant iacturam, vt deinceps nequeant durare vſque ad criſin, vel ad aliam morbi diſſolutionem. Quòd ſi velimus præterea ſingulares quoque humores, morbóſque ex eis prouenientes conſiderare, adhuc res fiet clarior, & certior. Sic igitur in hydrope non idcirco minus conuenit miſſio ſanguinis, quòd morbus ſit frigidior, & pendeat à ſucco frigidiore; quando iam monſtratum eſt, in aliis morbis æquè frigidis id remedium conuenire: ſed illud euenit, propterea quia fieri non poteſt, quin vires alioquin infirmæ, adhuc magis infirmentur, vt nequeant deinceps conſtare ad ſtatum vſque ſuapte natura longiorem. Sic in febre ex copia crudorum humorum, & ſi quem alium morbum concipere mente licet, in quo propter abundantiam humorum frigidiorum non audeas venam ſecare, obſecro te, quamobrem id facere non audes? *De Sang. Miſſ. c. 9.* Non puto aliam cauſam te poſſe comminiſci, aut proferre, niſi quam ponit Galenus: quoniam ſcilicet virtus priùs exoluta ab eiuſmodi affectibus, per miſſionem ſanguinis in extremum malum ſolet recidere, vt ipſa poſtea nequaquam poſſit reparari. Neque aliter certè de humoribus calidis ſtatuendum eſt. *14. Meth. cap. 3.* At Galenus in curando eryſipelate venæ ſectionem damnat, medicamentum probat. Reſpondeo tunc illum non alium ſcopum ſibi ante oculos poſuiſſe, quàm ſucci noxij redundantiam, quæ illius eſt cauſa morbi: quem fortè etiam cogitabat quam maximè redundare in corpore vniuerſo: ad quam explendam indicationem certum eſt purgationem eſſe accommodatiorem ſectione venæ. Alteram indicationem, quam ſuggerit morbi magnitudo, prætermittit & hic, & alibi frequentiſſimè: neque enim fuerat neceſſe de ea verba facere, & idem repetere in cuiuſque morbi curatione; cum ſatis habuerit loco proprio, & opportuno de ea præcepiſſe, idque ſpeciatim docuiſſe, huiuſmodi indicationem generalem eſſe, neque ſolùm in vno, aut duobus, ſed in omni planè morbo ſpectandam. Sic aliàs quærens Galenus, quamobrem Hippocrates in libris Epidem. curando multos ægros, qui venæ ſectionem iure videbantur poſtulare, nullam talis remedij mentionem faciat, reſpondet illud tanquam manifeſtum fuiſſe prætermiſſum. *3. Epid. ſect. 2. comment. 3.* *Quare* (inquit) *de ſanguinis miſſione, quia oratio ad ægros ſpectat omnes, ſimel dixiſſe ſufficiat, vt & cætera, quæ ſunt communia.* Itaque ſi priori indicationi acceptæ ex morbo, & illius cauſa, accedat etiam poſterior, magnumque vrgeat eryſipelas, nemini dubium eſſe debet, quin ſit neceſſe authoribus Hippocrate, & Galeno iſtius quoque potiſſimum rationem habere. Quare dummodo reliqui duo non deſint ſcopi principes, ſectio venæ cenſenda eſt non modò opportuna, ſed etiam neceſſaria. Ad quem certè modum legimus, Paulum, tantum Galeni æmulatorem, ſi eryſipelas caput inuadat, & cerebrum, adeóque magnum fiat propter præſtantiam partis, hoc ipſum remedium probare.

Lib. 3. c. 8. lib. 4. c. 21. *Id verò* (ille inquit) *ignorandum non eſt difficiliora eſſe eryſipelata, quæ caput inuadunt: proinde niſi efficaciore ſubueniatur adminiculo, languentes interdum ſuffocant: quamobrem ab initio confeſtim, ſimulatque apparuerint, venam in cubito, præſertim humeralem aperire oportet.* Veruntamen decet illud meminiſſe, quod modò notauimus, in magno quidem eryſipelate ſectionem venæ congruentem eſſe, verùm illa in perpetuum adhibita cautione, vt ſanguis mittatur omnino parcius, quàm in phlegmone; cum in illo duntaxat vna ſit indicatio, morbi magnitudo, altera autem ex redundantia bilis id remedium non poſtulet; in hac verò duplex concurrat indicatio, altera ex magnitudine morbi, altera ex copia ſanguinis. In quo quidem conſilio mittendi ſanguinem in magno eryſipelate, iam prætermiſſis rationibus planè firmis, & perſpicuis, quæ hoc ipſum demonſtrant, longiore quoque experientia, ex quo cœpi medicinam facere, qui ſextus, & trigeſimus eſt annus, ſum adeò confirmatus, vt iureiurando affirmare auſim neminem propè, quem ſciam, periiſſe, cui tempeſtiuè, & cum ratione ſecta fuerit vena; contrà autem innumerabiles neglecta indicatione ex morbi magnitudine, adeóque huiuſmodi præſidio, miſerè diem obire. Ad Auincennam quod attinet, non equidem ſatis poſſum diuinare, quid illi venerit in mentem, quando ſcriptum reliquit, importunè ſecta vena, vel aliter fluente ſanguine immoderatè, humores cholericos ebullire, ac furere, ſuperfluum calidum dominari, ægrotóſque accendi, & inflammari. Quandoquidem præter rei naturam, præter ſummorum medicorum teſtimonia, experientia planè confirmat tantum abeſſe, vt poſt ſectionem venæ, vel nimium profuſum ſanguinem, bilis ebullitio, ac totius corporis calor conſequatur, vt altera ex parte certum ſit, ægrotos magis,

ac

magis refrigerari, ſæpeque numero nonnullos in malum corporis habitum, hydropem, & alios huiuſmodi morbos propter eam præcipuè cauſam incidiſſe.

Hactenus egimus cum iis, qui tres veteres ſcopos prorſus repudiant, ac pro illis ſtudent alios ſupponere: quorum conatus nobis videmur ſatis demonſtraſſe vndique irritos eſſe. Nunc ex inſtituto noſtro ordine agendum eſt cum alteris; qui tametſi illos accipiunt, tamen contendunt per accidens venæ ſectionem indicare, neque eos ad remedij determinationem fore ſatis. Inter hos locum facilè principem obtinet Franciſcus Valleſius Hiſpanus; quem virum, Philoſophum, ac medicum noſtrorum temporum præclariſſimum, cum propter ſummam eruditionem, & ſcribendi grauitatem, tam maximè propter ſtudium, & obſeruantiam, qua ſingulariter colit, & veneratur Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum, cæteroſque priſcos illos viros optimos, maximos, ego quidem vnicè diligo, ac libenter fateor omni vera laude eſſe digniſſimum. Verùm (vt liberè dicam) qui pleriſque in rebus veritatem, & Galenum ipſum ab erroribus vindicauit, in hoc problemate videtur mihi à recta via declinare, ac multo ſe ipſo inferior eſſe. Cuius quidem falſæ opinionis puto præcipuam radicem extare, quòd ille quoque ad mentem Hippocratis, & Galeni haud intelligat naturam, ac vim indicationis acceptæ à morbi magnitudine, neſciatque eam diſtinguere à cæteris indicationibus. Valleſius ergo in libro Controuerſiarum, loco proprio de ſcopis mittendi ſanguinem; ita cenſet, venæ ſectionem vnicum remedium non eſſe, cum modò reuulſionis gratia fiat, modò vacuationis, &c. propterea non eſſe vnicum ſcopum, à quo per ſe indicetur; ſed reuera plurimos eſſe affectus, qui eam poſtulent, quos non liceat ad vnum commune genus redigere per ſe indicans; ex accidenti tamen fieri, vt illi omnes affectus conueniant in magnitudine; & hac ratione ab ipſa morbi magnitudine indicari ſectionem venæ ex accidenti. Ac fortaſſe cum hac opinione conuenit opinio apud nos celebris, cuius ſupra mentionem fecimus, quòd nimirum morbi magnitudo indicet ſectionẽ venæ connotatiuè, quatenus (vt puto) illa connotat, vel ſignificat illos affectus, qui verè & per
Lib. 5. c. 1. ſe tale indicant remedium. Demonſtratio Valleſij (nam profitetur ſe demonſtrationibus agere) ſummatim illa eſt; quoniam indicatio ſumitur à contrario: morbo magno contrarium eſt remedium magnum, ergo à magno morbo indicatur remedium magnum, non ſectio venæ. Probatque minorem propoſitionem; quia ſectio venæ eſt ſpecies remedij, magnitudo autem eſt quantitas: atqui ratio contrarij poſtulat, vt ſpecies ſpeciem, quantitas quantitatem indicet; non quantitas ſpeciem. In quo quidem modo argumentationis ferè ille conuenit cum Trincauellio. Poſt hæc autem ſeriò perquirens; quidnam verè ſit illud, à quo per ſe indicatur ſectio venæ, reſpondet eſſe illum affectum, cui miſſio ſanguinis contraria eſt; ſicuti cum propter plenitudinem ille mittitur, ipſa eſt plenitudo. Ego verò illud primum non abs re poſſem reſpondere, his omnibus conceſſis, mihi ſatis eſſe, meamque ſententiam ſatis confirmari, vel eiuſdem Valleſij teſtimonio, qui poſtquam collegit ſe demonſtraſſe hunc eſſe ſcopum ex accidenti, fatetur ita ex accidenti eſſe, vt tamen ſit proprius, & conuertibilis; quo poſito ponatur ſectio venæ, ac tollatur ſublato. Nam ſcribit ad hunc modum. *Dices, cur miſſis indicationibus per ſe, Hippocrates, & Galenus ad indicationes ex accidenti confugerunt? quia quanquam magnitudo morbi cum robore virtutis ex accidenti indicant, tamen indicant perpetuò: nunquam enim mittimus ſanguinem, quin hæc ſint; nec aliquando adſunt; quin debeat mitti: & quòd ad artem medicam attinet, quod perpetuo indicat, perinde eſt ac ſi per ſe indicaret.* Et in Comment. de Vict. Morb. Acut. ait Vall. *Hos vocat ſcopos mittendi ſanguinem Galenus, de quibus à me etiam eſt fuſius ſcriptum lib. vij. Controuerſ. verè, atque vtiliter admodum dicit hos ſcopos, non ſolum quòd ſine his miſſio ſanguinis agi nunquam debeat, ſed etiam quòd his præſentibus agi ſemper debeat, &c.* Medico enim ſatis eſt (vt ipſemet fatetur Valleſius) ſi ſcopum inuenerit breui methodo certum, & perpetuum ſiue per ſe fuerit, ſiue ex accidenti, quo præ oculis conſtituto poſſit ritè remedium adhibere; aut prætermittere. Verùm enim verò quia puto hanc rem ſe aliter habere, qui cenſeo tres poſitos ſcopos verè, ac per ſe venæ ſectionem indicare; etſi fortè eiuſmodi inquiſitionem logicam, & à fine artis alienam potuiſſem, ac debuiſſem prætermittere, mihi liceat quaſi ludendo paulum digredi; & hanc quoque opinionem aduerſus maximum logicum, & Philoſophum paucis tutari. Poſſet quidem, ac deberet vnicuique ſatis eſſe vnius Galeni authoritas, qui hoſce ſcopos excellenti nomine appellat κυριωτάτους, nimirum præcipuos; principales, & maximè proprios. Quæſo enim quomodo iſtud verè dicitur; ſi connotatiuè, ſi ex accidenti ſolent indicare? ſed cominus agendum eſt. Illud primum nemini dubium eſt, à conditione, quam Ariſtoteles vocat ᾗ αὐτό, *Quatenus* 1. poſt. tex. 4.
ipſum, Latini *reduplicatiuam*, valere conſecutionem ad id, quod per ſe eſt: nam & ratio ipſa, & methodus Ariſtotelis hoc ſatis declarat. At omnes affectus, quotquot fingere ſibi aliquis voluerit, in hoc vno conueniunt, vt non propria ratione, ſed cum hac reduplicatiua, ſanguinis exigant miſſionem, nimirum quatenus magni ſunt, afferuntque indicationem, quam priuatim, & propriè ſuggerit morbi magnitudo. In plenitudine; niſi magnum efficiat, aut minetur morbum; in acutis, niſi magni ſint; in futuris, niſi magni expectentur, non licet venam ſecare: ſi tales fuerint, & quatenus tales ſunt, iam vena ſecanda eſt; Ergo magnitudo morbi per ſe indicat. Negabit fortaſſe Valleſius hoſce affectus venæ ſectionem indicare, quatenus ſunt magni. Sed iſtud primum aduerſatur Galeno, & illius diſciplinam corrumpit, quem vidimus huiuſmodi indicationem ab Hippocrate inuentam, à cæteris propè omnibus prætermiſſam, ex tenebris in lucem euocaſſe, atque ita ſtabiliuiſſe, vt vix infirmari, & conuelli poſſit. Deinde ille ipſe id videtur fateri, qui ait, conuenire omnes in eo, vt magni ſint: tum illud facilè ego probauero ex eodem Ariſtotele; qui declarans conditionem, *quatenus ipſum*, oſtendit tunc prædicationem dici talem, quando prædicatum dicitur de ſubiecto primo; & adæquato. Habere tres angulos æquales duobus rectis non conuenit figuræ, quatenus figura eſt, quia non adæquatè, ſcilicet non omni: non conuenit æquicruri, vt eſt æquicrus, quia triangulo prius: ergo conuenit triangulo, vt triangulus eſt, quoniam omnis triangulus habet tres, & primò. Pariter ſectio venæ indicatur à morbo, ſed non omni; à plenitudine, ſed non omni: ergo non vt morbus eſt, non vt eſt plenitudo: indicatur à phrenitide, à febre ſynocha, ſed non primò; quia prius à morbo magno: ergo non à phrenitide, vt phre-

nitis

nitis eſt, non à ſynocha, vt ſynocha eſt, ſed à morbo magno, vt magnus eſt. Igitur ſectio venæ indicatur à morbo magno, quatenus ipſum, & per ſe, minimè ex accidenti. Equidem puto hæc demonſtrare. Nec video qua ratione vir doctiſſimus hac in re ſit lapſus; niſi fortè putauit, cum affectus, quos innuit, ex accidenti habeant vt ſint magni, non poſſe magnitudinem, quæ morbis eſt accidentalis, per ſe remedium

3. Meth. cap. vlt. de diff. feb. 2. indicare. Hic ſi velim argutè, ſed tamen verè, & medicè loqui, id poſſem negare, morbos habere ex accidenti, vt ſint magni; ſiquidem Galenus magnitudinem, & paruitatem collocat inter eas differentias, quæ morbis accidunt neceſſario: id quod & rei natura ſatis demonſtrat, nam quem morbum vel cogitatione licet fingere, qui magnus, aut paruus non fuerit? Itaque poſſem reſpondere, cum tales differentiæ per ſe, & neceſſario morbis accidant, magnitudinem morbi per ſe etiam, & neceſſario remedia indicare: quam vidimus eſſe expreſſam Galeni ſententiam. Sed eſto. Cum tenera magnitudo poſſit morbis adeſſe,& abeſſe,concedatur morbos fieri magnos ex accidenti. Atqui ſic habendum eſt, poſſe eandem rem ratione ſubiecti eſſe accidentalem, ratione attributi alicuius eſſe per ſe Exempli gratia terræ interpoſitio collata ad Lunam eſt per accidens, collata ad Eclipſim eſt per ſe: ita magnitudo reſpectu febris, vel vlceris ſit per accidens; at reſpectu ſectionis venæ eſt per ſe: accidit enim, vt terra interponatur, ſed quotieſcunque interponitur, per ſe facit Eclipſim. Accidat vt febris ſit morbus magnus; ſed quotieſcunque eſt magnus, indicat venæ ſectionem per ſe. Clariora (ni fallor) hæc ſunt, quàm vt pluribus ſit agendum. Veruntamen neque id eſt prætermittendum; quod ipſe videtur magni facere: nimirum venæ ſectionem vnicum remedium non eſſe: ideo non dari vnum affectum, à quo per ſe indicetur; ac rentera plures eſſe affectus, qui eam indicent, at ratione diuerſa, vt vacuantem, reuellentem, refrigerantem, &c. Quippe etſi libenter fateor venæ ſectionem vicem habere multorum remediorum, plurimis propoſitis aptari, variiſque indicationibus ſatisfacere; illud tamen neque mihi negandum eſt, illam ſingulare quoddam, vnumque ſpecie eſſe remedium: ſicuti idem iure poteſt affirmari de omni propemodum medicamento, ſiue ſimplici, ſiue compoſito; quod quidem, tametſi vnum eſt, varias tamen habet facultates: ad quem modum exempli gratia aloe poteſt purgare, roborare ventriculum, cruenta vlcera glutinare, &c. Quamobrem licet iſtud remedium pro variis viribus poſſit etiam varias explere indicationes, nihilominus ſeu vacuando, ſeu reuellendo, ſeu deriuando, ſeu quomodocunque tandem agendo, vnam perpetuo vim habet tollendi morbi magnitudinem: cuius quidem rei iſtud eſt certiſſimum indicium, ne dicam certiſſima demonſtratio; quoniam ſectio venæ poſita morbi magnitudine ponitur; ſublata morbi magnitudine tollitur, vt ipſi quoque placet Vallesio, & nos antea diximus. Quòd ſi quis etiam in rebus medicis requirat propoſitionum demonſtratiuarum neceſſitatem, peratque, cum quatuor ſint modi dicendi per ſe ex Ariſtotele 1.

Text. 9. *Poſt.* ad quem ex iis referantur ſcopi propoſiti collati ad miſſionem ſanguinis, non erit difficilis reſponſio, referri eos ad ſecundum modum dicendi per ſe, in quo nimirum ſubiectum ponitur in definitione prædicati: nam de morbo magno cum virium ætatiſque conſtantia prædicatur venæ ſectio: in cuius definitione neceſſario ponitur morbus magnus, cum ea ſit remedium quod propter morbi magnitudinem adhibetur. Sed hæc attigiſſe ſit ſatis.

Erat porro præcipuum Valleſij argumentum ſumptum ab ipſa indicationis natura, quæ ſemper *4. Meth. cap. 6.* eſt contrarij: quare morbus magnus non indicat niſi remedium magnum: remedij autem ſpecies à morbi ſpecie indicatur. De quo genere argumentationis, atque illius confutatione iam diximus diffusè; quæ ſi memoria repetantur, & ad hunc locum transferantur, aut ſatis ſunt ad reſpondendum & Valleſio,& omnibus,aut ego non video quid ſatis eſſe poſſit. Repeto igitur vnu verbo, morbum magnum duas habere indicationes; alteram morbi, quam ſuggerit illius potiſſimùm natura, atque eſſentia; alteram magnitudinis, quæ indicat ſectionem venæ,aut purgationem: neque abſurdum, aut mirum eſt, magnitudinem morbi indicare ſpeciem remedij, propterea quia indicatur, tanquam remedium magnum, & ad omnes magnos morbos accommodatum. Vt ne illud interea prætermittatur,quod alioqui eſt veriſſimum; nempe huiuſmodi magnitudinem non eſſe propriam quantitatis,ſed magis ad qualitatem pertinere:ea ratione, qua dixit Ariſtoteles proprium qualitatis eſſe, vt recipiat magis, & minus; vt eſt maior,& minor albedo,maior,& minor caliditas. Ac fortaſſe magnum & paruum non eſt proprium *In Prædic. de Qualitate, c. de Quant. 6. aph. commen. 5. 1. de diff. feb. 2.* quantitatis, vt idem innuit Ariſtoteles in Prædicamentis;aut ſi proprium eſt quantitatis, vt viſus eſt Galenus exiſtimare, transfertur etiam ad qualitatem, fortéque dicitur æquiuocè. Nam cum dicimus magnam apoplexiam, non ſignificamus quantitatem;& extenſionem,ſed qualitatem,eiuſque vim, & intenſionem: Et hoc pacto dicitur etiam remedi magnum. Quamobrem & hac ratione morbi magnitudo, nimirum qualitas qualitatem, & ſpeciem remedij iure poteſt indicare.

Erat deinceps aliud Valleſij argumentum, vel potius ſophiſma,quod poterat,ac fortaſſe debebat à me prætermitti, niſi viri authoritas imponere alicui poſſet. Sumit verba Galeni in libro *de Sang.* *Cap. 9.* *Miſſ.* afferentis dubitationem aduerſus tres principes ſcopos, quoniam licet ij adſint, tamen non ſecatur vena, nimirum ſi adſit copia crudorum humorum; quod videtur docere, huiuſmodi ſcopos non eſſe neceſſarios,atque perpetuos. Reſpondet autem Galenus, conſectionem eſſe nullam, propterea quia quotieſcunque tanta crudorum humorum copia eſt coaceruata, vt venæ ſectionem prohibeat, fieri tunc non poteſt, vt ſeruentur ij tres ſcopi: quandoquidem tertius deeſt, ſcilicet virtus valida, quæ conſtare cum cruditate magna humorum non poteſt: cuius quidem tam inſignis cruditatis indicia ab eo ponuntur, vniuerſi corporis color plumbeus, pulſuum inæqualitas, &c. Itaque argumentatur Valleſius ex impoſſibili poſito hunc in modum. *Ego vlterius argumentum producens ex impoſſibili hypotheſi argumentor. Num ſi adeſſet morbus magnus ex cruditatibus cum virtutis robore ſanguis mitteretur? Conſtat quod nequaquam. Ergo ex accidenti fit, vt cum magnitudine morbi, & robore virium ſanguis mittatur.* Vix perſuadere mihi poſſum hæc ex ore tanti viri excidiſſe. Sed quandoque bonus dormitat Homerus. Primùm argumentari ex impoſſibili, vnum eſt ex iis,quæ ſoleo irridere: quid enim mirum ſit,ſi ex vna poſita re impoſſibili ſexcenta ſequantur abſurda,& impoſſibilia? Si quis ponat cum vitium robore ſubeſſe poſſe inſignem copiam crudorum humorum,deducat ille,per me licet,quantum

rum libet, & venam ſecari, quando non adſunt ij ſcopi, & non ſecari quando adſunt: pariter enim ſunt hæc omnia falſa, abſurda, & impoſſibilia, ſed quæ ex falſa, & impoſſibili eueniunt poſitione. Neque de eo nunc laboro, an huiuſmodi hypotheſis ſit reuera impoſſibilis, nec ne, cum fortaſſe & fieri poſſit, ſi Galeno credimus, & fiat frequenter, vt vnà cum crudis humoribus ſint quoque robuſtæ vires, dummodo non ſit ſumma illa cruditatis exuperantia, de qua Galenus ſpeciatim ſermonem habet. Deinde ſupponit Valleſius, atque accipit tanquam manifeſtum, & conceſſum id, quod neque per ſe eſt notum, neque vlla ratione comprobatum; nimirum ſi cum robore virtutis ſint humores crudi, ſecandam non eſſe venam. Imò ſententia oppoſita mihi videtur non ſolùm probabiliter, ſed etiam verè poſſe affirmari, ac planè eſſe ad mentem Galeni: qui eo loco propoſitam ſoluit dubitationem, in crudis humoribus venam ſecandam non eſſe propter vnam virium imbecillitatem; quaſi velit, ſi conſtare poſſint, venæ ſectionem iam non prohiberi: qui paulò poſt in copia crudorum humorum à ſectione venæ minimè abſtinet, ſed cauet id ſolùm ne illa totum, & confertim, ſed per vices euacuet: vt videantur humores crudi ſanguinis miſſionem haud prohibere omnino; ſed ſolùm eiuſdem quantitatem aut confertim, ac ſemel factam vacuationem: qui demum planè, & expreſsè ſcriptum reliquit, ſi duo principes conueniant ſcopi, magnitudo morbi & robur virium, nullam plenitudinem crudorum humorum tantam talémque eſſe, vt id remedium impedire queat. Quòd ſi Valleſio licuit ex falſa hypotheſi falſam colligere conclusionem, cur nobis non liceat ex vera poſitione veram concludere rationem, & noſtram ſententiam confirmare? Namque ſi per illum, propterea quia in morbo magno ex cruditatibus cum robore virium non eſt ſecanda vena, ſequitur ex accidenti fieri, vt cum ſanguis ſemper mittatur; an non ex lege contrariorum licebit nobis ſic argumentari; propterea quia in morbo magno ex cruditatibus cum robore virium ſecanda eſt vena, per ſe fieri vt in morbo magno cum robore virium ſanguis perpetuò mittatur? Hinc facilè vnuſquiſque poteſt intelligere quàm ſint infirmæ rationes Valleſij, neque verò ſolùm ad euertendam noſtram opinionem, ſed etiam ad ſuam propriam ſtabiliendam; cum velit ſcopum principem, à quo per ſe indicatur ſectio venæ, eſſe illum affectum, cui miſſio ſanguinis contraria eſt. Talis enim determinatio videtur admodum incerta & neſcio quam nugationem continere. Quæritur ſcopus per ſe indicans ſectionem venæ: ille reſpondet eſſe illum affectum, cui ſectio venæ contraria eſt. Sed ſtatim quæro adhuc, qualis ſit iſtiuſmodi affectus, cui ſectio venæ ſit contraria. Reſpondet exem. gr. eſſe plenitudinem, quotieſcumque propter illam mittitur ſanguis. Sed quæro iterum, quando miſſio ſanguinis ſit contraria plenitudini, & quando propter illam ſanguis mittatur. Quippe niſi iſtud quoque intelligam, iam nihil intelligo, nullúmque prorſus habeo ſcopum, nec per ſe, nec per accidens, qui me dirigat, ac doceat, quod vnum expeto cum primis, quando mihi liceat venam incidere. Reſponderi autem ad veritatem, atque ad mentem Galeni aliter non poteſt, niſi iſtud fieri, quotieſcumque plenitudo efficit in præſentia, aut poteſt efficere in poſterum morbum magnum. Quod item de cæteris omnibus exemplis, quæcumque afferri poſſunt, licet intelligere. Quamobrem ſi quis accuratè hanc Valleſij cogitationem conſideret, is fortaſſe non inuitos in noſtram deue-

Cap. 12.

Cap. 13.

niet ſententiam, ac ſemel fatebitur præter vnam morbi magnitudinem, nullum poſſe reperiri ſcopum, qui venæ ſectionem verè ac primùm poſſit indicare.

Poſtremò eſt alia Valleſij ratio, quam ſuperiùs quoque commemorauimus, fundata Hippocratis, & Galeni authoritate, qui docent morbi magnitudinem indicare non ſolùm venæ ſectionem, ſed etiam purgationem: cuius quidem doctrinæ locos adeò multos apud vtrumque licet inuenire, vt à nemine poſſint ignorari. Quippe ſi morbi magnitudo eſt ſcopus communis tam ſectioni venæ quàm purgationi, quomodo poteſt alteram propriè, & ſemper indicare? Itaque tandem concludit neceſſe eſſe ad varios affectus deuenire, qui hanc determinationem faciant, quique alterum ab altero præſidium definiant. *Viderentur ergo* (ille ait) *eſſe iidem omnino ſcopi purgationis, & mittendi ſanguinis, ſi non affectus, qui hanc aut illam expoſcunt expectarentur, ſed ſola magnitudo.* Porrò hic locus (vt ingenuè dicam) mihi videtur talem, ac tantam, continere difficultatem, vt quamuis ego diu, multúmque in eo laborauerim, doctiſſimorúmque hominum ſententiam ſtudioſè exquiſierim, quorum iudicium præ cæteris hoc tempore ſoleo perquam magni æſtimare, nihil tamen potuerim aut ipſe excogitare, aut ab aliis intelligere adhuc, in quo planè acquieſcam. Igitur primùm referam vnam, & alteram aliorum opinionem: deinde & illa proferam, quæ mihi in mentem venerunt: qui cupio ſtudioſos ſuum ipſorum iudicium interponere, noſtrúmque ſtudium, & induſtriam in partem accipere.

Præſertim 4. Meth. c. 6.

Doctiſſimi quidam viri hunc difficilem nodum conati ſunt diſſoluere hunc in modum. Non fatentur quidem morbi magnitudinem indicare non ſolùm venæ ſectionem, ſed etiam purgationem: verùm id addunt aduerſa prorſus ratione fieri, aſſeuerántque minimè vnos, & eoſdem eſſe ſcopos vtriuſque præſidij. Ex quibus honoris gratia mihi nominandus eſt Ioan. Nicolaus Rogerius Salernitanus, meus olim in hac Academia condiſcipulus, qui iam annos xvii. doctiſſima edidit commentaria in librum Galeni *de Rat. Cur. per Sang. Miſſ.* Itaque aiunt maiorem prorſus morbi magnitudinem requiri in ſectione venæ, quàm in purgatione, cum illud remedium huic pluribus nominibus longè præſtet, ac ſit maioris momenti, vel vnius Galeni teſtimonio, qui multis in locis, quos referre ſingulos nihil opus eſt, tanquam leuius præſidium ſolet venæ ſectioni medicamentum ſubſtituere. Quamobrem eſt quoque admodum veriſimile, neque tantas vires, neque tantam ætatem in purgatione deſiderari, quàntum vtræque deſiderantur in miſſione ſanguinis: per hanc enim maximè, & proximè vacuatur ſanguis, ſpiritúſque præcipuum virium inſtrumentum: per illam autem ducuntur excrementa, modò vnum, modò plura, quæ vires aut nullo modo, aut vix ſuſtentare, ac tueri poſſunt. Ex quo fit, vt Galenus venæ ſectionem pueris interdicat, minimè purgationem, quam docet de Hippocratis ſententia vel lactentibus nonnunquam conuenire. Atque hæc opinio ex eo demum poteſt confirmari, quòd Galenus agens de ſcopis vtriuſque præſidij tres poſuit ex vna parte, qui indicarent ſectionem venæ; altera autem ſermonem habens de purgatione, vnius morbi magnitudinis meminit; quaſi verò alteri ſcopi virium, & ætatis, vel parum, vel non perinde in hac, ſicuti in illa forent neceſſarij. Itaque hoc iacto fundamento, hanc dirimunt controuerſiam,

comparando, ac diſtinguendo vim, dignitatémque ſcoporum principum hunc in modum. Quippe ſi morbus ſit valde magnus, ſi vires benè conſtent, ſi ætas planè vigeat, iam fatentur venæ ſectionem conuenire. Contra verò, ſi morbus non eſt tam magnus, vires haud tantum valent, ætas, non ita floret, ad medicamenti vſum confugiunt.

Verum enim verò quanquam ſcio viros præclariſſimos, ac meos quondam præceptores ac præceſſores ita ſentire, ac fortè multa verè, & ad Galeni mentem loqui, nihilominus vndique nequeo huiuſmodi opinionem probare. Neque illud ago in præſentia, vtrùm ſectio venæ maius ſit præſidium, quàm purgatio; & an illa maiorem hac morbi magnitudinem, virium conſtantiam, ætatis florem deſideret; de qua re audio nonnullos digladiari acriter. Namque omnia licet his donemus, de quibus ſanè quamplurima forent dicenda, id mihi eſto ſatis, de quo puto conuenire inter omnes; nempe magnitudinem morbi Hippocrati, & Galeno indicare cum ſectionem venæ, tum purgationem. Quòd autem alterutra ſit deligenda ex ipſis principibus ſcopis auctis, vel imminutis, id ſanè arbitror eſſe à Galeni doctrina alienum: qui vt ſupra quoque diximus, perſpicuè, & expreſsè ſcriptum reliquit huiuſmodi auctionem, vel imminutionem minimè diuerſa præſidia, ſed vnam duntaxat vacuationis quantitatem indicare. *Primùm quidem* (ille inquit) *ante omnia ſcire oportet, dum ſcopi mittendi ſanguinis augentur, maiorem indicari vacuationem: imminutis verò tantum de quantitate vacuationis detrahendum, quantum illi fuerint imminuti.* Nec de iis ago longiùs.

De ſang. Miſſ. c.13.

Porrò alij præclari item noſtræ ætatis medici à priore ſententia non multum recedentes ita ſentiunt; Hippocratem, & Galenum præcipientes ſanguinem eſſe mittendum, cum morbus eſt magnus cum vires valent, ætáſque floret, tradidiſſe quidem ſcopos, quos ſibi ante oculos ponere debent medici venam ſecturi; ſed tamen huiuſmodi præceptum non impedire, quin illi iidem ſcopi alia quoque remediorum genera, & in primis purgationem poſſint indicare. Quare per hos nunquam licet venæ ſectionem aggredi, niſi morbus fuerit magnus, niſi vires ſint robuſtæ, niſi ætas floreat: at verò contrà non item ſe res habet, vt iis tribus conſentientibus ſcopis vena ſecari debeat in perpetuum; cum pariter liceat hoc ipſo tempore & purgationem adhibere, & alia remedia adminiſtrare. Etſi autem hæc opinio videri poteſt ingenioſa, veruntamen ſi animum diligenter adhibeas, dices fortè eam neque Valleſij rationem diſſoluere, neque eſſe ad Hippocratis, & Galeni mentem ſatis accommodatam. Nam ſi tres principes ſcopi indicant non ſolùm ſectionem venæ, ſed etiam purgationem, adhuc ſub iudice lis eſt, atque etiam nunc eſt opus certa aliqua norma, & regula, quæ tutam, & opportunam iſtius remedij adminiſtrationem doceat. Socrates cum robuſtis viribus, ac florente ætate laboret phrenitide. Hic ego quidem clarè intelligo tres adeſſe ſcopos principes: verùm, ſi illi minimè indicant vnam ſectionem venæ, neque valet iſtæc argumentatio; Morbus eſt magnus; vires valent; ætas floret, ergo Socrati eſt ſecanda vena; implicatus hæreo adhuc, & quò me vertam non habeo, ſimúlque neſcius, an ſectio venæ, an medicamentum ſit futurum magis vtile, & congruens. Ad ſummam vrget Valleſij ratio. Quippe ſi tres principes ſcopi ſunt iidem prorſus purgationis, & ſectionis venæ, quomodo illi verè, propriè, ac per ſe vnam venæ indicant ſectionem, vt nos putamus demonſtraſſe? Sed huiuſmodi quoque interpretatio videtur aliena à méte Hippocratis, & Galeni: qui minimè ſcriptum reliquerunt, haud ſecandam eſſe venam, niſi præſtò ſint tres ſcopi: verùm decernunt apertè, iubéntque affirmatè, ſanguinē eſſe detrahendum, quotieſcunque morbus fuerit vehemens, vires ſint robuſtæ, & ætas floreat. Sic Hippocrates; *In morbis acutis ſanguinem detrahes*, &c. Sic Galenus; *Rectè admonemur in iis, quæ de victu acutorum morborum propoſita, & diſputata ſunt, vt ſanguinem mittamus ſi morbus fuerit magnus, &c.* Qui planè ſenſus eſt manifeſtior, quàm vt pluribus debeat exponi, & confirmari.

4. de vict. acut. 19.

De ſang. Miſſ. c.9.

His mihi libet addere opinionem doctiſſimi cuiuſdam viri, quæ talis eſt; Magnitudinem morbi indicare & ſectionem venæ, & purgationem: verùm non vno tempore: ſed primùm ſectionem venæ, deinceps purgationem. Quare ſi tres conueniant ſcopi, vtróque remedio licebit vti; prius quidem ſanguinis miſſione, poſterius purgatione. Atque iſtud videtur conſentire cum doctrina Hippocratis, qui ſcribit in recentibus vulneribus ante omnia ſanguinem eſſe mittendum, ac paulò pòſt purgationem quoque commemorat. Præterea & ipſis artis operibus, quotidianóque vſu poteſt comprobari. Quandoquidem in huiuſmodi morbis boni medici omnium primùm venam incidunt; deinde ſi ita ferat opportunitas, aluum leniunt; tum humores, ac vias præparant; demúmque purgans exhibent medicamentum. Ego verò neque hunc ſenſum probare vndique poſſum. Nam tametſi negare nolim, quam maximè opportunè dari purgantia medicamenta poſt principia morborum; quam rem poſteriore diſputatione tractabimus diffusè: veruntamen neque id poteſt, aut debet negari, quin liceat illis quoque vti nonnunquam in principio, & illo ipſo tempore, quo potiſſimùm ſectio venæ cenſetur eſſe congruens. Adeò vt tandem neceſſe ſit aliquam rationem excogitare, quæ doceat vtrum præſidium nos deceat eligere, medicamentum ne, an ſectionem venæ. Atque hanc fuiſſe Galeni mentem ex eo ſatis probari poteſt, quod illa disiunctionem faciat, ſcribátque morbi magnitudinem indicare vel ſectionem venæ, vel purgationem: id quod eſt intelligendum mea ſententia de vno, minimè de vario temporis momento. Ad quem certè modum ſcriptum reliquit, circa initia illorum morborum, in quibus ſalutis ægri ſit ſpes aliqua, maiora eſſe adhibenda remedia, maximè quidem phlebotomiam, nonnunquam verò & purgationem. Ad quem modum in vehementiſſimis doloribus (vt interim alios multos huius diſciplinæ locos prætermittamus) teſtatur nullum ſe magis præſentaneum remedium inueniſſe, quàm vacuare vſque ad animi defectionem, verùm adhibita prius diſtinctione, an miſſione ſanguinis, an purgatione ſit opus.

Lib. de Al. corr.

2. Aph. 19.

1. Aph. 23.

Cæterùm cum iſtæ non placeant, iam reſtat vt illa proferam, quæ ad hanc cauſam explicandam mihi occurrunt; Primùm igitur mihi videor pro comperto habere, tres ſcopos principes ſemel, ac ſæpius repetitos, vere, propriè, & per ſe venæ ſectionem indicare: quod quidem decretum puto me iam ſatis probaſſe, & confirmaſſe. Deinde & illud recipio alterum, veriſſimúmque eſſe fateor, quod Valleſius, & alij nobis obiiciunt, nimirum morbi magnitudinem partim venæ ſectionem, partim purgationem indicare. Addo autem, duo hæc dogmata, quæ alioqui inter ſe videntur diſſentire, probè ſimul fortaſſe cohærēre, nec poſſe quicquam excogitari, quod vllam abſurditatem, aut repugnantiam demonſtret. Porrò hanc rem vt planiùs intelligas, illud ante omnia eſt

memoria

Google

memoria repetendum, morbi magnitudinem ſanè indicare vel ſectionem venæ, vel purgationem; ac non ſimpliciter, & proximè, ſed aliis præterea adhibitis legibus, & animaduerſionibus, quæ ad vtramque ſint accommodatæ, & alteram ab altera poſſint ſeparare. Præcepta, quæ probam decernunt purgationem, multa ſunt, ac de iis agetur alio tempore; quæ verò determinant ſectionem venæ, tria ſunt, nec plura, nec pauciora; morbi magnitudo, conſtantia virium, flos ætatis; Ergo rurſum ponatur quiſpiam morbus magnus: hunc certum eſt per Hippocratem, & Galenum indicare vel ſectionem venæ, vel purgationem. Ego autem ita ſentio ſi cum morbi magnitudine conueniant reliqui duo ſcopi, venam perpetuò ſecandam eſſe. Quod ſi quis nobis obiiciat protinus in purgatione quoque robur virium deſiderari; vt interim conſideratio ætatis prætermittatur, illud ego libenter fateor: quod quidem etſi aliàs dictum eſt, iterum, ac tertio eſt repetendum, maximum, ſcilicet, ac neceſſarium præceptum eſſet, vt medicus habiturus conſilium de qualibet vacuatione, præter conſiderationem morbi, atque illius cauſæ, ægri temperamenti, corporis habitus, anni, temporis, regionis, & rerum aliarum, quæ ſunt eandem rationem ſortitæ, potiſſimùm vires ægroti ſibi ante oculos ponat; neque verò ſolum præſentem earum conditionem ſed etiam futuram: adeò vt exquiſitè ſecum reputet non modò tolerantiam præſentis temporis, ſed etiam longè præuideat, ac diligenter perpendat illa omnia, quæcunque probabiliter ſunt deinceps ſubſequutura. Quippe fieri poteſt, vt ægroti vires valeant quidem, ſed tamen ita valeant, vt ſectionem venæ, minimè purgationem; vel contrà purgationem, minimè ſectionem venæ ferre poſſint: adeò vt ſit veriſimile, vtrumque remedium propriam, ac peculiarem virium firmitatem, & modum poſtulare. Exemplis res fiet manifeſtior. Socrates agens annum quinquageſimum, temperamenti frigidioris, & humidioris hyeme laboret hydrope aſcite, ac præſenti tempore habeat robuſtas vires. Iam ſi medicus dato huic medicamento educat ſeroſos humores, illum probabile eſt huiuſmodi vacuationem facilè eſſe toleraturum, vireſque ſuum robur fore conſeruaturas. Ex Altera autem parte ſi quis audeat Socrati ſanguinem mittere, vix aut ne vix quidem fieri poteſt, quin talis vacuatio ſit futura inutilis, & periculoſa, ipſiſque viribus vehementer incommoda. Plato contrà habens annum trigeſimum, temperamenti calidioris, & humidioris, vere laboret febre ſynocho, itémque habeat conſtantes vires. Nemo (vt puto) mihi audeat negare ſectionem venæ futuram illi ſalutarem, purgationem inutilem, forte etiam pernicioſam. Et quanquam ſcio non defuturos, qui ſtatim reſpondeant, Socrati ſectionem venæ haud conuenire, Platoni autem congruere; quoniam illi deficit, huic redundat copia ſanguinis; quod ego quidem negare nolim; ſed illud addo, in hac primis ratione Socrati purgationem, minimè ſectionem venæ; Platoni ſectionem venæ, minimè purgationem eſſe congruentem; propterea quia veriſimile eſt, vel potius neceſſarium, vtrumque eiuſmodi vacuationis modum feliciter laturum eſſe, & deinceps vires conſtantes fore, quæ aliter periclitari facilè potuiſſent. Siquidem ita habendum eſt (quod exiſtimo fuiſſe euidenter probatum) humores propter eam maximè cauſam venæ ſectionem prohibere, ſi quando prohibent, quòd ægri vires vel ſint in præſentia, vel ſint futuræ in poſterum debiles, adeò vt remedium nequeant perferre. Socrates demum, & Plato ætate, viribúſque ſint pares, ac lethargo ambo laborent eodem tempore: nihilominus vna habita rerum præteritarum, præſentium, ac poſteriorum conſideratione non equidem verebor affirmare, Socratem miſſionem ſanguinis probè eſſe toleraturum, nimirum ſi intelligam illum ſuperiore tempore in rebus conctis non naturalibus aut nullos, aut leues commiſiſſe errores, ſi nunc malorum ſymptomatum ſit immunis; ſi demum ſpes ſit illum poſterius non fore indigentem aliorum præſidiorum, præcipuè verò purgationis; ac rediturum breui ad ſanitatem; Platonem contra idem remedium non item fuiſſe laturum, ſi perſpectum mihi fuerit eum ante hoc tempus in rebus omnibus multum, & grauiter deliquiſſe; ſi vel in præſentia laboret, vel coniiciam poſteriùs eum eſſe laboraturum dolore aliquo, improba appetentia, fluxione alui, vel aliis ſymptomatibus, quæ poſſunt, ac ſolent viribus non leue detrimentum, & periculum afferre: ſi tandem ſit in periculo, ne morbus in longiores dies protrahatur, adeóque opus habeat cum aliis remediis, tum maximè purgatione; id quod coniecturis haud leuibus licet proſpicere ex temperie & omnium, & ſingularium partium, ex habitu corporis, ex conſuetudine, ex vario humorum modo, qualitate, quantitate, & aliis huiuſmodi rebus, quæ aſſiduè debent verſari in mentibus, & conſiliis medicorum. Quamobrem legimus Galenum curantem hunc ipſum morbum, hanc in primis animaduerſionem, & prouiſionem adhibuiſſe, vt ægroti vires conſiderentur ſedulò, neque ſolùm præſentis temporis, ſed etiam poſteri, & quomodo illæ deinceps remedium ſint toleraturæ. Itaque (ille ait) *incidenda in talibus affectibus vena eſt ſtatim ab initio,* 13. Meth. 6. 21. *dummodo tam valens virtus fuerit, vt ſine noxa miſſionem ſanguinis tolerare poſſit.* Sic alio in loco medicos prudenter admonet, vt diligenter 9. Meth. c. 5. attendant cum ea, quæ præcedunt, tum ea, quæ excipiunt venæ ſectionem; qualia ſunt præcedens ciborum cruditas, neceſſariò ſequens vacuatio, cœli ſtatus, corporis habitus, ætas, conditio oris ventriculi, & alia huiuſmodi, ex quibus licet intelligere, an expediat venam incidere, & quis poſſit talem vacuandi rationem benè ferre. Quicunque mulieri vtero gerenti non audent venam incidere, id ſine dubio non audent, etſi illa habet vires benè valentes, tantummodo propter eam cauſam, quia timent ne illæ ad ſtatutum tempus ſufficere poſſint, vt conſeruatio & parentis, & fœtus videtur poſtulare: cui tamen ſi materia turgeat, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum, non eſt medicamentis interdictum. Quoniam verò, vt placet Galeno, cum 4. aph. 5. vniuerſè quantitas ſingulorum neque ſcribi, neque omnino verbis poteſt doceri, cum potiſſimum certa quædam virium menſura vix poteſt definiri: ac ſi qua in re, in hoc firmando iudicio, ac delectu, an ſcilicet ægrotus vnam vel alteram vacuandi rationem tolerabilius ſit laturus, & an vires vno, vel altero modo ſint magis ſuum robur conſeruaturæ, ſingulari opus eſt ingenio, eruditione, prudentia, exercitatione; hinc fit, vt non perpetuò conueniat inter medicos, quod in operibus artis experimur quotidie, aliis ſectionem venæ, aliis purgationem decernentibus: cum talis deliberatio fere pendeat ex artificioſa magis, probabilique coniectura, quàm phyſica, certáque ratione; ſæpe etiam vſu veniat propter ſanguinis, & humorum quantitatem, qualitatémque ancipitem,

vel motionem,vel propter alias cauſas, vt pariter vtraque vacuatio videri poſſit opportuna. Huius rei illuſtre exemplum extat apud Hippocratem,& Galenum, inter quos in curanda pleuritide haud prorſus conuenit; illo vel nigro veratro,vel peplio purgationem conſulente;hoc venæ ſectionem magis comprobante. Sic aliàs in curanda ſupputatione,quæ fracto calce ex ruptis venis in partibus colligitur adiacentibus, humoris malignitatem, & multitudinem,tanquam ſupputationi impedimentum Hipp. per medicamenta, Gal. per ſectionem venæ ſolet emendare. Sic Galenus in illo ægrotante, cui linguam viderat adeò tumefactam, vt ore hominis contineri non poſſet, videtur fuiſſe anceps de alterutro remedio; qui veſpere medicamentum propinauit, cum venam ſecare non fuiſſet auſus, propterea quia & ſexagenarius erat; & illi nunquam fuerat ſecta vena, ac decima fermè hora ad eum primùm acceſſerat: quaſi verò ſi non fuiſſet ætas tam prouecta, ſi prius fuiſſet illi vena inciſa, ſi illum maturius viſitaſſet,fortaſſe venam fuiſſet ſecturus. Sic alia paſſim huiuſmodi occurrunt exempla. Itaque (vt concludam) etſi vtrumque præſidium indicatur à magnitudine morbi, ac poſtulat valentes vires, non id propterea vetus decretum perturbat de tribus ſcopis, quin ad ſanguinis miſſionem ſint ſatis, cum non eadem prorſus requiratur vtrobique ratio virium,& conſtantia; ac præterea neque alia deſint, humorum præparatio,tempora morbi,varia ſymptomata,quę alteram ab altera diſtinguere poſſint. Hæc habui quæ dicerem ad hanc ſanè arduam difficultatem, & quæ minus mihi diſplicent, quàm cætera, de quibus (quod repeto iterum) aliorum quoque iudicium peto, & expeto lubentiſſimè.

2. de vict. acut. 11.

1. De Frac. cap. 71.

14 Met. c. 8.

Hactenus id nos arbitramur præſtitiſſe, quod noſtrum fuerat principale inſtitutum,illud nempe eſſe Hippocratis, Galeni,adeóque veriſſimum decretum, plurimos quidem recenſeri,ac numerari ſcopos mittendi ſanguinem; ſed ex iis tres duntaxat eſſe verè proprios,ac principes,magnitudinem morbi, robur virium,florem ætatis:quippe qui in vnum conſentientes id perpetuò remedium indicant,deficientes perpetuò prohibent:cæteros omnes aut prorſus vanos eſſe,nouos,& commentitios; aut ſubditos, ſecundarios, & qui ea ſolùm ratione quidquam præſtant, quatenus ad illos principes attinet, ac referuntur.

Itaque hæc de prima parte prioris diſputationis ſint ſatis. Etenim quanquam ſcio nonnulla fortaſſe adhuc ſupereſſe, quæ ad integritatem huius argumenti poſſint deſiderari, tamen ex iis quæ hactenus poſita ſunt, mihi videor ex vna parte Hipp. & Galeni mentem ſatis declaraſſe, & confirmaſſe; ex altera aduerſarias ſententias confutaſſe, vel ſaltem firma ieciſſe fundamenta, quibus per ſe ipſe poſſit vnuſquiſque alia, ſi quæ reſtant, eorum tela repellere, & antiqui dogmatis veritatem tueri.

DISPVTATIONIS PRIMÆ PARS SECVNDA.

DE SCOPIS MITTENDI ſanguinem in febribus putridis.

HActenus diximus generaliter de ſcopis mittendi ſanguinem. Modò alteram partem noſtræ diſputationis aggredimur, quæ ad Febres pertinet. Et quanquam illa ſub priore tractatione iure optimo comprehendi poteſt, quandoquidem febres quoque vnà cum cæteris morbis, principibus ſcopis ſine dubio ſubiiciuntur; verumtamen nos ſtatuimus eam ſeparatim perſequi, tum quia ſectio venæ ad curandum huiuſmodi morbum eſt mea quidem ſententia valde commoda, ac neceſſaria; tum quòd propria quædam & peculiaria ad febres pertinentia, ſunt explicanda, quæ prioris tractationis non ſunt ita propria; tum verò quòd proximo anno ex inſtituto munere impendet nobis onus explicandi publicè, quæ pertinent ad febres; quarum curationem ſperamus ex præſenti diſputatione nonnihil luminis eſſe conſecututam: tum denique propter controuerſias, quas de hac re quamplurimi inter ſe habent hoc tempore. Namque Venetiis (vt alia loca prætercam) in qua vrbe exterarum omnium facilè principe nouem totos annos medicinam feci, medici non modò indigenæ, ſed etiam externi, qui medendi gratia interdum eò conuocantur, viri ſanè doctiſſimi, exercitatiſſimi, ac celeberrimi nominis, de nulla re frequentius, & acrius litigant, quàm de ſanguinis miſſione in febribus putridis. Quippe alij venæ ſectionem probant ac tuentur: contrà alij contendunt, id præſidium eſſe periculoſum, & nonnunquam perniciosum: qui idcirco familiariter ſanguinem detrahunt vel applicatis hirudinibus venis hæmorrhoïdibus, vel appoſitis ſcarificatis cucurbitulis tum dorſo, tum aliis corporis partibus, vel demum quauis poſthabita ſanguinis detractione ſolis agunt purgantibus medicamentis. De quibus atque eorum rationibus mihi propoſitum eſt diligenter, ſed quàm breuiſſimè potero, diſputare.

Itaque titulus noſtræ quæſtionis eſto huiuſmodi; *Vtrùm conueniat in omnibus febribus ex humorum putredine oriundis venam incidere, dummodo vires, & ætas ferre id remedium poſſint.* De qua re multi viri celebres ante nos (vt id tempeſtiuè lectorem moneam) ex propoſito diſputarunt: ex quibus mihi duo potiſſimum ſunt nominandi: alter Andreas Thurinus Piſcienſis Clement. VI. I. & Pauli II. I. SS. PP. medicus celeberrimus, alter Nicolaus Maſſa Venetus, medicus item præclariſſimus, & exercitatiſſimus. Quorum diſputationes præ cæteris examinandas ſelegimus, quod inſtar aliarum omnium eſſe videantur,cum ea ferè omnia contineant, quæ afferri in medium hac in re poſſunt: & eorum voluimus

nomi

nominatim mentionem facere, vt quiuis eas diſputationes legere poſſit, & eaſdem cum noſtra conferre, quod maximè cupimus, vt ille de rota recertius iudicium faciat, veritatémque facilius conſequatur.

Quoniam verò celebris Galeni ſententia libro vndecimo Method. Med. principem hac in re locum obtinet, quippe quæ non ſolùm dedit occaſionem diſputationi, ſed etiam videtur totum negotium poſſe decernere, ante omnia nos ſtatuimus in illius interpretatione verſari. Verborum ſeries illa eſt, *κάλλιςον μὲν ὄυν ὡς εἴρηται, φλέβα τέμνειν οὐ μόνον ἐν τοῖς συνέχοις πυρετοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς ἐπὶ σήψει χυμοῖς, ὅταν γε ἤτοι τὰ τῆς ἡλικίας ἢ τὰ τῆς δυνάμεως μὴ κωλύῃ.* Quæ quidem conſultò Græcè voluimus afferre propter duas cauſas; vnam, quòd ea non fuerint vndique bene verſa; alteram, quòd ſuſpicionem habeam neſcio quod vitium in illis contineri. Vulgata Linacri interpretatio eſt. *Saluberrimum autem (vt prædiximus) eſt in febribus venam incidere non continentibus modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat; vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent.* Ille igitur malè putreſcentem humorem poſuit loco humorum putreſcentium, cum Græcè legatur, *χυμοῖς*, quod magni intereſt, vt poſterius videbimus. Deinde licenter, ac temere potiſſimùm venam ſecandam eſſe, quando ætas, & vires conſentiunt; quæ ſententia eſt perſpicuè falſa, & à Galeni mente aliena; quod ſuperiori diſputatione ſatis monſtrauimus. Si quis velit ad verbum interpretationem facere, illa erit huiuſmodi. *Optimum quidem igitur (vt dictum eſt) venam incidere non ſolùm in ſynochis febribus, ſed & aliis omnibus, qui ob putredinem ſuccis, quando vel quæ ætatis vel quæ virium non prohibent.* Cum autem ea verba [*ſed & aliis omnibus, qui ob putredinem ſuccis*] vix congruentem ſenſum habeant, ego puto mendum ſubeſſe in Græca litera, ac legendum *τοῖς ἐπὶ σήψει χυμῶν*; *ſed & aliis omnibus*, ſcilicet febribus, *ex putredine humorum.* Quam quidem lectionem amplectitur Iulius Alexandrinus, etſi quod æquum fuerat, neque erroris meminit, neque vllius codicis fidem profert. Hæc autem correctione adhibita ſenſus erit apertiſſimus ad hunc modum; *Optimum igitur eſt venam incidere non ſolùm in ſynochis febribus, ſed & aliis omnibus, quæ fiunt ex putredine humorum, quando quæ ad vires ſpectant, & ætatem remedium non prohibent.* Eſt porrò multiplex huiuſmodi ſententiæ explicatio.

Primùm nonnulli Arabes aiunt, eam veritatem continere in iis febribus, in quibus non vnicus putreſcit humor, ſed multiplex, ita vt putreſcat etiam ſanguis. Quare iſti concedunt venæ ſectionem conuenire omnibus febribus putridis, quæcunque pluribus humoribus inter ſe mixtis generantur; minimè verò iis, quæ ex vno duntaxat humore originem ducunt, quales potiſſimùm ſunt exquiſitæ quartanæ, quotidianæ, tertianæ. Cum iis ferè ex toto conuenit Nicolaus Maſſa, qui ita ſcribit.

Dico Galeni authoritatem dicentis ſaluberrimum eſſe in omnibus febribus, non ſolùm continuis, verùm etiam in omnibus aliis, quas putreſcens humor cõcitat; venam incidere, veram vndequaque eſſe, ſi cum ſuis authoritatibus, & rationibus ex quamplurimis locis exceptis eam exponere, atque intelligere voluerimus. Erit igitur ipſius authoritas hunc in modum interpretanda. Veram eſſe diximus Galeni authoritatem, & valere ſemper, quando humores putreſcentes non ſunt ſynceri, vel puri, ſed permixti cum aliis, vincente tamen in permixtione ſanguine ipſo. Siquidem in tertiana exquiſita, vel quotidiana, aut quartana ex ſuperiùs toties adductis Galeni rationibus nullo modo ſanguinis vacuatio per ſectionem venæ ex vſu eſſe poterit. Ille hactenus.

Alij præterea cenſent Galenum in præſenti loco ſermonem habere de cacochymia, à qua febres putridæ ferè omnem originem ducunt, vt ſenſus ſit, ſecandam eſſe in putridis febribus venam ratione cacochymiæ, vt euacuata magna humoris praui ac putreſcentis portione, quod reliquum eſt, facilius à natura ſuperetur. Cuius interpretationis authores fuere Leonardus Iacchinus, atque illum ſecutus deinceps Marcus Anthonius Montiſianus, vterque Florentinus, vterque doctiſſimus, ac nobiliſſimus medicus. Quam quidem opinionem potiſſimùm confirmant verbis Galeni qui ait. *Itaque natura proprij muneris non oblita & coquet, quod concoqui eſt habile, & excernet, quod poteſt excerni.* Quandoquidem homines non ſolùm plenitudine, ſed etiam cacochymia ſe grauari facilè ſentiunt: ad quem modum vulgo diximus illa omnia nos onerare, & grauare quæcunque vniuersè, & quouis modo ſunt nobis moleſta, & noxia. Coctio verò, cuius fit mentio, & propter quam ſectio venæ cum primis videtur ſalutaris, ad cacochymiam propriè videtur eſſe accommodata, cum illa coctione, & purgatione re vera debeat curari.

Thurinus aliam ponit reſponſionem, & interpretationem, qui affirmat Galenum non ex prima intentione (ſic ille loquitur) illiuſmodi præceptum tradidiſſe; ſed cum illo capite tractatur indicatio modi curandi febrem per cataplaſmata, ac præcordiorum perfuſiones, iure optimo eos medicos reprehendiſſe, qui non mittebant ſanguinem, antequam apponerent cataplaſmata, & alia id genus præſidia.

Alij demum atque ij quidem celebriores medici ferè omnes ſententiam interpretantur, ac docent ſectionem venæ curandis febribus putridis ſalutarem eſſe, hac adhibita conditione, ſi vrgeat humorum plenitudo, præterea nunquam. In qua ſententia præter cæteros fuere, quantum licet colligere ex eorum lectionibus manu ſcriptis Matthæus Curtius, ac Franciſcus Caſſanus, viri planè illuſtres, & omni laude cumulati; ex recentioribus Chriſtophorus à Vega, necnon Ludouicus Lemoſius, vterque Hiſpanus, vterque præclariſſimus medicus. Sed hanc ipſam fuiſſe quoque Galeni mentem, manifeſtò illa verba videntur demonſtrare; [*Leuata quæ corpus noſtrum regit natura, exoneratáque eo, quo veluti ſarcina premitur, &c.*] quæ quidem, vt apparet, indicant plenitudinem, ac manifeſta illius ſymptomata. Inſuper verò aliam coniecturam profert Vega, nimirum quòd Galenus ex propoſito ſermonem habeat de iis febribus, quæ cum multitudine humorum excitantur. *Propoſuerat* (ille ait) *doctrina quadam reſolutiua febres putridas curare, prædixerat febrem, quæ febris eſt, curari potu aquæ frigidæ, non tamen ſemper, quantum ad alia attinet; veluti ſi adiuncta ſit obſtructio à craſſis, & glutinoſis humoribus.* Ac ſubiungit: [*Ponatur verò & cum hoc redundantiam in toto eſſe corpore, tum virtutem non imbecillam.*] De hac febre in toto orationis proceſſu loquitur Galenus. Conſtat autem in omnibus febribus putridis, ſiue continuis ſiue intermittentibus, quæ cum redundantia in toto corpore fiunt, ſiue illa ſit plethora quod ad vires, ſiue quod ad vaſa, ſanguinis miſſionem conuenire viribus conſtantibus. Et in citata ſentẽtia inquit; [*Saluberrimum autem eſt, vt prædiximus, & quæ ſeq.*] Atque hæc demũ interpretatio ratione

Lib. 2. de Art. Med. c. 2.

poteſt confirmari Namque ſi attentè omnia conſideres, quæcumque febres putridas conſtituunt, quæ plurima Galeno numerantur, partim facta, partim facienda, de quibus poſterius ſermonem habebimus nihil fortè inuenies, vnde poſſis indicationem mittendi ſanguinis elicere præter vnam humorum plenitudinem.

Atque his licet adiungere eorum opinionem, qui cenſent Galeni ſententiam veritatem obtinere, hac ſpeciatim poſita limitatione, dummodo febris pendeat ea obſtructione, quæ minimè à qualitate, ſed ab vna ſuccorum multitudine originem ducat. Nam cum Galeno authore obſtructiones ſint duûm generum, alteræ quæ ex abundantia, alteræ quæ ea qualitate humorum oriuntur, qui nimirum lenti, aut craſſi fuerint; in illis aiunt ſectionem venæ, in his attenuantia medicamenta eſſe potiſſimùm accommodata. Quamobrem per iſtos accuratè animaduertenda eſt ac diſtinguenda obſtructionis cauſa. Quippe ſi illa ex humorum multitudine ortum ducat, tuto, vtilitérque in huiuſmodi febribus licet venam ſecare; ſin autem magis ex eorumdem qualitate proficiſcatur, iam ſectio venæ inutilis, fortè etiam periculoſa cenſenda eſt.

Tot ſunt interpretationes ſententiæ Galenicæ, ex quibus equidem nullam poſſum ea omni parte probare. Nam quod attinet ad primam, quæ vult putreſcentes humores eſſe multiplices, & inter ſe miſtos, vincente tamen, vt Maſſæ placet, in miſtione ſanguinis, illa mihi videtur voluntaria eſſe, ac legitimam noſtræ ſententiæ intelligentiam perturbare: etenim Galenus de hac re ne verbum quidem facit; quam profectò notationem tanti, vt iſti prædicant, momenti, tamque neceſſarium, vir diſertiſſimus, & ſi quis alius, verborum proprietate, perſpicuitate, energia præſtantiſſimus, ſine inſigni oſcitantiæ crimine nunquam fuiſſet prætermiſſurus. Immò verò ille contra clarè, & expreſſè venæ ſectionem probat in omnibus febribus, nulla excepta, quæcumque ea putreſcentibus humoribus originem habent. Cuius præcepti eam rationem ponit certiſſimam; quòd natura exonerata, faciliùs, quod reliquum eſt, vincere poſſit, quæ ſine dubio ad omnes æquè humores pertinet, cum generaliter omnis humor, quicumque tandem putreſcit, ſiue vnus, ſiue multiplex, ſiue ſeparatus, ſiue miſtus, ſit oneri naturæ, atque illam grauet, tanquam ſarcina, quam propterea neceſſe eſt deponere. Quod ſi authore Maſſa, neceſſarium eſt perpetuò vnius ſanguinis dominium, cui dubium eſſe poteſt Galenicam ſententiam perquam raró veram eſſe, ac ſectionem venæ minimè omnibus, ſed admodum paucis conuenire, cum febres putridæ maiori ea parte fiant ex humoribus, qui à ſanguine copia non ſuperantur? Itaque iſti hanc adhibent exceptionem, tanquam principium, quæ in primis eſt in controuerſia poſita, quæ maximè debuit probari, & demonſtrari, quæ (vt puto) à Galeni principiis, ac dogmatibus longiſſimè abeſt.

Quòd porrò neque Florentini ſecundo loco omni ea parte ad veritatem loquantur, qui affirmant Galenum poſitis verbis vnam cacochymiam concepiſſe animo, & adumbraſſe; inde vnicuique poteſt conſtare, quòd manifeſtum ſit, tametſi illis concedamus febres putridas vtplurimum ea cacochymia originem habere, nonnullas quoque ea ſola humorum plenitudine interdum eſſe oriundas, quales ſpeciatim ſunt ipſæ febres ſynochi, quæ ita à Galeni methodo fuiſſent excluſæ.

Ad Thurini reſponſionem quod attinet, planè fateor me non intelligere, quid ille ſibi velit. Galenus non ex prima intentione loquitur de ſectione venæ in omnibus febribus putridis. Quid tum? Primùm poſſem veréque, ac iure poſſem affirmare, iſtud falsò dici, cum res ipſa demonſtret, Galenum ſeriò loqui, & commune præceptum ea profeſſo tradidiſſe. Verùm eſto: concedatur hæc quoque illius interpretatio: an propterea ſententia falſa eſt, ac repudianda? an forte illius dogmata, quæ non principali propoſito ab eo nonnunquam in varios locos inſeruntur, minùs vera, & legitima cenſenda ſunt? Nemo id puto audeat aſſeuerare. Etenim quicunque huius viri doctrina, ac lectione delectatur, nonnullas ſæpenumerò digreſſiones poteſt obſeruare, in quas præter rem, & caſu ille videtur incidiſſe, quæ grauiſſima continent præcepta, ac veluti gemmæ quædam clariſſimæ, vniuerſa illius monumenta ſolent illuſtrare. Namque parui omnino intereſt, author quiſpiam an ea propoſito, an præter propoſitum loquatur, dummodo ille certa cum ratione loquatur, aliiſque probatis authoribus, ac ſibi ipſe conſentiat. Quare iſtæc Thurini ratio in propoſito nixa mihi videtur ab omni propoſito declinare.

Poſtrema item opinio, quæ communem requirit plenitudinem, mihi non videtur poſſe conſiſtere. Nam præter quàm quòd ea propemodum ſuſcitat veterem controuerſiam iam ſatis (ni fallimur) expugnatam, ſi veritatem contineret, cum ſine dubio febre putrida ſoleant laborare quæuis corpora, & cuiſlibet habitus, tam ſine, quàm cum plenitudine, Galenus præceptum tradidiſſet partim deficiens, partim ineptum: deficiens quidem, cum liceat protinus quærere adhuc, an ſectio venæ ſit ſalutaris cæteris curandis febribus, quibus nulla eſt adiuncta plenitudo: ineptum verò, quoniam magis verè ſtatuendum fuerat in febribus non modò putridis, ſed omnibus, & hecticis, & ephemeris, vel potius in cunctis morbis, quicunque illi fuerint, præſente plenitudine miſſionem ſanguinis fore ſaluberrimam. Nec ſanè coniectura, quam Vega affert ad iſtius rei confirmationem, quicquam valet: & qui eam totam partem legere non grauabitur, is facilè fatebitur, huiuſmodi interpretationem eſſe non ſolùm à Galeno, & à veritate alienam, ſed etiam prorſus diſtortam, ac violentam. Galenus libro 11. *Method. Medendi* traditurus rationem curandi febres putridas, vt illius ferebat inſtitutum, fortè lectoris exercendi cauſa capite nono peruenerat ad eam partem, quæ amplectitur medicamenta mouentia aluum, lotium, ſudorem, balnea, inunctiones, potus, atque inciderat in aquæ frigidæ mentionem, cuius potiſſimum ſolet eſſe duplex vſus in febribus, balneo, & potione. Itaque de huiuſmodi præſidio ſermonem habens docet, quatenus ad febrem pertinet, illud perpetuò eſſe commodum, ſed propter alias multas cauſas eſſe plerunque periculoſum [*Veluti* (ille inquit) *ſi ex obſtructione glutinoſorum, & craſſorum humorum putredo oriatur; ponatur verò & cum iis redundantiam in toto eſſe corpore.*] Vt poſtrema iſtæc verba minimè ad vniuerſalem tractationem, vt Vega putat, ſed ad particularem de aqua frigida ſermonem ſine dubio ſint referenda. Id quod planiùs adhuc, & apertiùs intelliget, quicunque non modò priorem, ſed etiam poſteriorem Galeni ſeriem voluerit animaduertere. Namque inter hanc partem noni, & alteram decimiquinti capitis, vſque adeò multa, variáque ſunt interpoſita, vt nullo modo inter ſe cohærere poſſint. Quare ea Galeni verba [*vt prædiximus*] minimè ad nonum caput, in quo fit mentio plenitudinis, ſed ad proximum decimumquartum ſunt

referen

referenda, in quo de febribus ſynochis ſermonem habens venæ ſectionis meminit, de qua ne verbom quidem antea fecerat. Nec ſanè alia ratio, quòd plenitudo aut ſola ſit, aut præcipua, à qua poſſit in febribus ſumi indicatio ſanguinis mittendi, quicquam habet momenti; cum certum ſit neque deeſſe alios à plenitudine ſcopos, ex quibus medici conſilium mittendi ſanguinis capere poſſint, de quibus poſteriùs diffusè & accuratè diſputabitor.

Sed quoniam erant, qui rem totam deferebant ad cauſas obſtructionis ſtatuentes in iis ſolis; quæ pendent ex humorum plenitudine, ſanguinis miſſionem competere, liceat nobis hanc rem longiùs examinare cum illa habeat multum difficultatis, neque ſolùm ad rem præſentem, ſed etiam ad totam diſputationem plurimam lucem, & vtilitatem poſſit afferre. Opportunè autem ſunt nonnulla paulò altiùs repetenda.

Itaque Galenus traditurus exactam rationem curandi febres putridas, elegantiſſima inſtituta methodo hæc habet.

11. Meth. c.10. *Ergo qui febrem curare volet, neceſſe eſt putredinem inhibeat. Ita duo ſcopi ſe exhibent; alter à febre, alter à putredine: atque à febre rurſus, duo ſcilicet vt portio febris, quæ iam facta eſt, curetur, quæ verò in generatione, inhibeatur: aliique duo rurſum à putredine erunt ſcopi; vt & quod putredinis iam factum eſt, ſanet, & quod in generatione adhuc eſt, ſiſtat. Porrò quod in generatione eſt, id perſpiratio impedita facit: Ita ab hac quoque alij duo ſcopi naſcentur; tum vt quod retentum eſt, vacuetur, tum quod retinendum eſt, prohibeatur: ſanè prohibebitur iis præſidiis, quæ obſtructioni medentur: cuius rurſum ipſius; quod iam factum eſt; ſanandum eſt; quod eſt futurum, inhibendum. At curabitur quidem quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant: inhibebitur quod eſt futurum, ſi affluxum obſtruentium ſuccorum compeſcas. Ergo quod vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt inuentum, id omnium primum in curatione eſt peragendum. Oſtenſum enim in prioribus libris eſt, ſi iis auxiliis quæ obſtructiones eximant, vti velimus, non vacuata prius abundantia, fore, vt non modò nihil proficiamus, ſed etiam affectum reddamus maiorem, pugnantibus inter ſe indicationibus.*
Galenus hactenus: Qui propoſitis quatuor ſcopis, vnde ſumuntur indicationes, febre, putredine prohibita tranſpiratione, obſtructione, docet vniuſcuiuſque rationem eſſe habendam, non ſolùm quod attinet ad id, quod factum eſt, ſed etiam ad illud, quod eſt futurum: adeò vt iam facta mala

11. Meth. c.13. curentur, futura prohibentur. Cæterùm quoniam eodem Galeno auctore medicum decet omnes ſcopos diligenter inſpicere, vt ille probè intelligat, quònam primùm, ac magis, quònam ſecundò, & minus; quònam adhuc tertiò, atque deinceps quo poſt quod præſidio ſit vtendum; hanc rem Galenus ita determinat, & ſumma cum ratione, vt ante omnia perpetuò ſit habenda ratio fluxionis ſuccorum obſtruentium. Etenim cum febris non poſſit auferri perſeuerante putredine illius cauſa, neque putredo præſente prohibita tranſpiratione, neque hæc præſente obſtructione, omnis ratio colligit, omnium primùm obſtructioni eſſe proſpiciendum. Cùm autem obſtructio rurſum ſit partim facta, partim futura, certum eſt factam nullo modo poſſe auferri, niſi antea, quæ futura eſt, inhibeatur. Nam cum illa non aliter curetur, quam reſeratione, quæ impactos, & obſtruentes humores ſemouet, quam Galenus vocat ἐμφράξιν, id minimè licet conſequi, ſi alij continenter humores accedant, & obſtructionem foueant. Quamobrem quicunque ante vniuerſi corporis vacuationem ad tollendas obſtructiones aggrediuntur, quod multi hoc tempore facere ſolent, tantum abeſt, vt propoſitum aſſequantur, vt contra magis obſtructiones augeant, ac reddant difficiliores. Igitur cum hæc ita ſe habeant, ſi Galeno, & rationi credimus, in curandis febribus putridis expedit omnium primùm fluentes humores vacuare. Neque verò id ſolum agendum eſt in iis, in quibus ſunt obſtructiones ex nimia ſuccorum copia, ſed etiam in cæteris omnibus, quanquam fiunt obſtructiones ex mala humorum qualitate: ſiquidem hæ quoque ſunt partim factæ, & partim quæ fiunt, adeóque negotium faciunt humores, non ſolùm qui reuera obſtruunt, ſed etiam qui aſſiduè fluunt ad partem obſtructam: quos propterea opportunum eſt, vel magis neceſſarium, ante omnia repellere, & vacuare.

Verùm enim verò quoniam aduerſarij hunc locum maximè vrgent, pertinaciter contendentes, Galeni ſententiam hunc ſenſum habere, videlicet nuſquam ſanguinem mittendum eſſe, niſi febris, atque obſtructio febrem efficiens pendeat ex humorum multitudine, mihi liceat alterum Galeni locum maxima dignum notatione in medium proferre, & examinare, in quo ille docet apertiſſimè, huiuſmodi opinionem prorſus falſam eſſe, qui præclarè demonſtrat ſine vlla humorum multitudine propter multas cauſas nonnunquam ſanguinem eſſe mittendum. Locus eſt 8. *lib. de Meth. Med. cap* 4. Iſque ille eſt, cuius ſuperiùs mentionem fecimus, & accuratam interpretationem promiſimus. Itaque erat ibi Galeni propoſitum docere methodum curandæ febris diariæ pendentis ex obſtructione, vt ne illa tranſeat in putridam. Ad cuius intelligentiam illud in primis eſt annotandum eo loco ſermonem eſſe Galeno inſtitutum de febre diaria in corporibus naturæ πικρόχολοι, biliosæ, calidæ & ſiccæ, quæ proinde eſt κακόχυμος, ſeu vitioſo ſucco prædita. Nam propoſitis variis corporis intemperiebus, tùm febrium differentiis, eáque præſertim, vt cauſam habent præſentem, vel non habent, in capite primo; mox capite ſecundo ſe transfert ad conſiderandam febris cauſam in corporibus picrocholis in quibus tranſpiratio acris eſt, ac fuliginoſa, qua retenta febres facilè excitantur. Ac de iis in progreſſu perpetuò profitetur ſe loqui ad differentiam aliarum intemperierum. Quòd ſi quis hac in re alioqui manifeſta nobiſcum non conuenit, is Galeni orationem perlegat, ac ſpeciatim vnum vel alterum locum obſeruet, quos hic nos tranſcribere non grauabimur. In ſecundo capite hæc habentur: *Si itaque eiuſmodi naturas à conuenientibus ſibi lauationibus prohibeas, protinus febricitant.* Mox; *Homo ipſe circiter quinque, & triginta annos colore nigello, habitu corporis gracili, atque hirto; tum qui tangentibus etiam cum valeret, manifeſtè calorem exhiberet mordentem, vrinasque quoque habebat abundè flauas, ac ſi pluſculum cibo abſtineret, etiam mordentes; aluus aſſiduè ſicca erat, & quæ excernebat, exigua, acriàque & ſicca; mores animi ad iram, & cogitationem propenſi; ſomni pauci.* Paulò infrà; *cum enim memoratæ naturæ vbi ſub tali victu reguntur, grauiſſimis occupentur febribus, qui hunc iniungunt medici, nihil mihi à carnificibus differre videtur: non enim veluti qui humidi, ac boni ſucci ſunt, vbi in febre diaria tranſmittere mirificam diatriton coguntur, vnum id tantū patiuntur incommodum, quòd fruſtra crucientur, ſic etiam naturæ iam comprehenſa, immò ex lōgiore inedia acerrimis, accutiſſimiſque corripiuntur febribus, à quibus promptus eſt in hecticas tranſitus, atque ab his in maraſmum.* Initio capitis tertij; *Veluti iam dictarum*

maximè naturarum, & cum valent, & cum de ſe queruntur, illud commune conſilium eſt, vt fluxile, & tranſpirabile vndique corpus reddatur, ita illud quoque, vt tum vigilias, tum iram, tum triſtitiam, tum curam, tum vſtionem, tum frigus, tum laſsitudinem fugiant, cum promptiſsimè poſt hac eiuſmodi temperamenta febre corripiantur. Ad finem; *ſi quis aliter cibet, excipient neceſſariò iam dictas naturas ardentiſsimæ febres. Sunt enim aliæ naturæ, quibus aut nihil, aut non magnopere incommodet tot dierum inedia.* Verùm de cæteris naturis pòſt decernam: propoſitum verò nobis ab initio temperamentum inediæ in ſummum ducunt diſcrimen, in quacunque febre iniungantur, non ſolùm iis, quas modò commemoraui, diariis, Poſtremò autem, vt ne ſim longior, decernit rem totam initium capitis ſeptimi, vbi Galenus nimis apertè colligit, ſe hactenus loquutum eſſe de febre diaria in corpote calido, ſiccóque, & tale corpus eſſe vitioſo ſucco præditum. Nos hunc locum ab interprete non ſatis accommodatè redditum ita vertimus.

Iam verò perfecto à nobis de diariis febribus ſermone in naturis picrocholis, in quibus à calido elemento frigidum, ab humido verò ſiccum ſuperatur, modò transſeamus ad alteram temperiem corporum, quæ hac nihilo minus eſt cacochyma, in qua calidum præualet frigido, & humidum ſicco, &c.

Hac igitur poſita veriſſima animaduerſione, eo nimirum capite quarto Galenum loqui de vna intemperie calida, & ſicca, atque adeò de natura cacochyma, vniuerſæ iſtius doctrinæ ſumma eſt; obſtructionis modum, ac magnitudinem ante omnia conſiderandam eſſe: etenim ſi illa parua, leuíſque fuerit, nullum alterius acceſſionis imminere periculum: ſin autem ea ſit maioris momenti, maiori in periculo rem eſſe: quòd ſi præterea corpus abundet multis, craſſis, ac glutinoſis impactis ſuccis, fieri non poſſe, vt quæ ſequitur febris, intra fines, & terminos febrium diariarum conſiſtat. Namque in temperamentis, & naturis mali ſucci, qualis ea eſt, de qua agitur, vt febris putrida ſuccedat neceſſe eſt: in aliis autem excitari facilè poteſt ſpecies aliqua febris continentis citra putredinem. *Quippe* (inquit Galenus) *niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt putrefiat. Ergo vt tranſpiret, maiori iam auxilio eſt opus. Ac ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit, non licet ſanguinem detrahere: inter has ætates vbi robur ægro non deeſt: ſecanda eſt vena, etiamſi plenitudinis ſigna non adſunt. Præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere; cum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priùs quàm vacuaueris ſtudeas, ne ipſas magis impingas.* Nos ſingula diligentius conſideremus. [*Quippe niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, &c.*] Non hic longius proſequor eam controuerſiam, quam medici potiſſimùm Latini, & qui Auicennam interpretantur, diffuſiſſimè tractant; an poſſit fieri putredo ſine prohibita tranſpiratione, & obſtructionibus, vnde illa in primis generatur: nam libenter acquieſco in determinatione vnius Galeni, qui variis in locis ſtatuit ab iis cauſis omnem putredinem, adeóque omnes febres putridas ortum ducere. Ex quo fit, vbicunque docet rationem curandarum febrium putridarum, vt ſemper illarum meminerit indicationum, quæ ab huiuſmodi ſcopis ſunt eliciendæ. Itaque ſi quis propter cauſas modò poſitas malè tranſpiret, vt timendum ſit, ne febris diaria in putridam degeneret, amplius non decet cunctari, ſed maius aliquod atque inſigne remedium protinus aggrediendum eſt: quale autem illud eſſe debeat, Galenus explicat; [*Ac ſiquidem vel puer &c.*] Id nequeo ſilentio diſſimulare Galenum ſtatuentem de ſectione venæ alios nullos ſcopos ſibi ante oculos poſuiſſe, quàm tres principes, de quibus iam ſatis, ſuperque diximus. Etenim quamuis morbus non ſit hoc tempore magnus, febris diaria; tamen magnus imminet, febris putrida. Quo poſito ſcopo nihil expetit præterea, quàm robur virium, & florem ætatis. At verò quoniam aliquis fortè ex iis, qui exiſtimant miſſionem ſanguinis minimè indicari à morbi magnitudine, ſed ab vna humorum plenitudine, hæſitare adhuc facile potuiſſet, illíque obiicere; Sermo tibi eſt ô Galene de corpore picrocholo, ac de natura calida & ſicca, atque adeò cacochyma, in qua nulla plenitudinis ſigna adſunt, cur igitur ſanguinem mittere audes? Huic Galenus quaſi tacitæ interpellationi reſpondet, omnino ſecandam eſſe venam, quanquam non adſunt ſigna plenitudinis. Cuius rei eam perſpicuam reddit rationem, quoniam melius eſt vacuata magna parte vitioſi ſucci, *τῆς κακοχυμίας*, ad reſerandas obſtructiones accedere: cum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priùs quàm vacuaueris ſtudeas, ne ipſas magis augeas, & reddas difficiliores. [*Ac ſoluunt quidem obſtructiones.*] Propriam ſententiam demonſtrat Galenus, ac veluti ſe ipſe interpretatur. Namque omnibus in confeſſo eſt, quod in libris *de Simpl. Medic. Facultat.* iamdiu traditum eſt, ea nimirum medicamenta ad ſoluendas obſtructiones eſſe accommodata, quæcunque aperiendi obtinent facultatem, ſiue intra corpus ſuſcipiantur, ſiue extra cuti adhibeantur. Veruntamen ſiue hoc, ſiue illo modo illis vtare, ſiquidem maiori ex parte ſunt calida, periculum imminet, ne pluribus adhuc tractis humoribus obſtructiones duplicentur, ſiue illi ſint craſſi, & viſcidi, ſiue multitudine incommodum afferant. rs. *Meth.* *cap.* 10. *Quò igitur* (concludit Galenus) *& his iter liberum, & iis, quæ foras aduocentur, attractio tuta ſit, vtiliſſimum eſt corpus inaniſſe. Quin etiam fumoſa, fuliginoſáque ſuccorum excrementa, quæ tranſpirant, ſuccis ipſis imminutis pauciora reſtabunt. Quare inde quoque minor redditur febrilis calor, ſic vt foras tranſpirare, ſi exigua obſtructiones ſint, queat.* Quæ quidem concluſio cum ſit apertiſſima, non indiget longiore explicatione.

Cæterùm cum hic locus ſit planè illuſtris ad refutandam opinionem eorum qui contendunt cum in aliis morbis, tum maximè in febribus, & obſtructionibus ad commodam ſanguinis miſſionem plenitudinem eſſe neceſſariam, ſunt qui totis viribus conantur eum labefactare. Itaque nonnulli aiunt codicem, vulgatámque lectionem eſſe falſam: qui alteram magis probant Latini interpretis antiqui, qui Græcè videtur legiſſe *εἰσ*, adſint, vbi nos legimus *ἀπεῖσι*, abſint. *Igitur* (ille habet) *ſiquidem aut puer, aut ſenex fuerit, phlebotomare non adhuc licet: in medio verè ætatum harum, robore exiſtente venam incidendam, etſi multitudinis adſint ſigna.* Verùm hæc lectio perſpicuè falſa eſt, tum quia Galenus, (vt oſtendimus) loquitur de natura cacochyma, tum quia ex illa particula aduerſatiua [*εἰ καὶ, etſi*] liceret colligere ſigna multitudinis prohibere potius, quàm indicare venæ ſectionem. Nam planè talis foret Galeni ſententia, ſecandam eſſe venam, etſi adſint quæ illius ſectionem prohibeant. Quare hac lectione aduerſarij ſe ipſos quoque confodiunt.

Fabius Pacius meus ex coniuge nepos, vtriuſque linguæ ſcientiſſimus, idemque philoſophus, ac medicus longè doctiſſimus, olim mihi narrauit, ſe iſtius loci aliam lectionem vidiſſe manu adſcriptam margini in codice, quem in mirifica, atque

incom

incompſtabili ſua bibliotheca habet Ioannes Vincentius Pinellus, vt antiqua nobilitate, linguarum, & ſcientiarum cognitione, vitæ & grauitate & integritate verè illuſtris; quæ ita habet. *εἰ καὶ τὰ τοῦ πλήθους ἀπῇ σημεῖα, καὶ εἰ τὰ τοῦ πλήθους ὦν σημεῖα. Etſi plenitudinis abſunt ſigna, tum ſi plenitudinis adſunt ſigna.* Sed hanc partem ſine dubio falſam eſſe arbitror, quod tum modus loquendi ſatis à Galenica locutione alienus, tum res ipſa manifeſtè docet: probabiléque eſt, meo iudicio, quod ſæpe accidit, ab aliquo Empirico illa verba fuiſſe adiecta, qui locum tam apertum, ac ſuo dogmati repugnantem æquo animo ferre non potuit: Vt pro certo habendum ſit vulgatam lectionem eſſe optimam, qualis in vtroque habetur codice Aldino, ac Ba-
9. Epid. ſect. 1. 40. ſilienſi, quæ eſt talis [*εἰ καὶ τὰ τοῦ πλήθους ἀπῇ σημεῖα. Quamuis plenitudinis abſint ſigna*] Alioqui (vt Galeni verbis vtar) ſi affirmatè dictis liceat negationes addere, hoc modo quiuis omnia placita deprauabit, nullámque veterum ſententiam ſtabilem conſeruabit.

Sunt alij porrò, qui non verentur aſſeuerare, Galenum hac in re vſque adeò à ſeipſo diſſentire, vt nullo modo à manifeſtæ contradictionis
10. Met. c. 2. crimine poſſit vindicari. Cum enim clarè, & expreſsè aliàs doceat in illa obſtructione, quæ conſtat ex humorum qualitate, conuenire attenuantia medicamenta, minimè ſectionem venæ, ac rurſum repetat obſtructionem, hanc ipſam intelligens ſine dubio, haud tolli per ſanguinis miſſionem, qui fieri poteſt, vt hoc loco ſuimet oblitus in obſtructione facta à viſcidis humori-
11. Meth. c. 14. bus, ſine indiciis plenitudinis, iſtud ipſum probet remedium? Ita enim ſtatuendum eſſet, venæ ſectionem fore congruentem ad tollendam vtramque obſtructionem, neque eam ſolùm, quæ ex plenitudine, ſed etiam alteram, quæ ex qualitate ſuccorum fieri ſolet. Sed iſti nimis promptè, & facilè, vel potius temere de homine tanto, ac tali iſtæc pronunciant. Et quamuis ex iis, quæ paulò antè diximus, quiuis ſatis poſſit eorum leuitatem intelligere, tamen non fuerit inutile hanc rem declarare adhuc, & omnem ambiguitatem auferre. Ac primùm illud poſſem verè & ad Galeni mentem annotare, diuerſam eſſe obſtructionis rationem in diariis febribus, de qua in lib. VIII. Method. & in X. loco citato, & in putridis, de qua lib. XI. cum hæc ad venas, vaſaque pertineat, & ad viſcera præcipua, ſi qua humorum contingit putredinis locum obtinere; illa verò ad cutim duntaxat, cum à Galeno referatur inter cauſas ſtipationis cutis, vt facilè animaduertere poteſt, quicunque Galeni locos diligenter expenderit. Verùm quidquid de hac re ſit, quamuis aduerſariis concedamus de eadem obſtructione ſermonem eſſe, tamen facilè ſoluo propoſita ab ipſis argumenta. Ad primum enim reſpondeo, Galenum haud prorſus interdicere ſectionem venæ in obſtructione, quæ ortum habeat ex ſuccorum qualitate, ſed illi tantùm præferre attenuantia medicamenta; ſicuti in altera, quæ fit ex plenitudine, præfert miſſionem ſanguinis. Non enim ſimpliciter ſcriptum reliquit, ſectionem venæ haud conuenire, ſed comparatè. *Præferetur* (inquit) *inter remedia, in ea, quam copia fecit, ſanguinis miſſio; in ea, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, attenuantium vſus.* Illa autem, quæ inter ſe habent comparationem (quod Ariſtoteles, & Auerroes do-
4 Phyſic. 17. cent) vt in eadem natura conueniant, neceſſe eſt. Quare cum iſtæc remedia, ſectio (inquam) venæ, ac medicamenta attenuantia inuicem comparentur, licet in altera obſtructione ſectio venæ, in altera medicamenta ſint præferenda, iam negandum non eſt, quin vtrumque præſidium in vtraque poſſit nonnunquam, & quodammodo conuenire. Sed illud addo, ac repeto, quod alterum quoque Galeni locum ab aduerſario poſitum poteſt declarare, iſtæc nimirum duo genera præſidiorum, miſſionem ſanguinis, medicamentáque tenuantia, in curandis obſtructionibus bifariam poſſe conſiderari; vno modo, quatenus illæ ſunt factæ; quo tempore fatendum eſt, ſeruata regula contrarietatis, miſſionem ſanguinis in ea tantùm conuenire, quæ pendet ex plenitudine; altero autem quatenus fiunt, & ſunt futuræ: tuncque nulli debet eſſe dubium, quin ad vacuandos, & reuellendos humores adhuc fluentes hoc idem remedium ſit in vtraque optimum, ac neceſſarium. Immò verò equidem puto conſultò Galenum ſuam mentem, atque iſtud præceptum declarare hic voluiſſe, vt ne fortè ex ſuperiore diſciplina quis colligeret generaliter in curanda obſtructione nunquam ſecandam eſſe venam, niſi illa fiat ex plenitudine, de qua re non eſt longiùs agendum.

Demum verò non deſunt viri celebres, qui nouis quibuſdam cogitationibus totam iſtius loci ex 4. *cap. lib.* 8 *Method.* doctrinam conantur inuoluere, ac ſubuertere. Itaque docent Galenum hoc loco duo ſibi præſupponere (ita loquuntur:) alterum quidem, febrem diariam propter obſtructionem ab humoribus viſcidis genitam fuiſſe: alterum autem, tali febre hominem laborantem eſſe plethoricum. Quare affirmant de Galeni ſententia venam ſecandam eſſe non propter humores viſcidos, ſed propter multitudinem. Quoniam verò ille ſtatuit clarè & expreſsè venam ſecandam eſſe, quanquam abſunt ſigna plenitudinis, illi huiuſmodi verba ita interpretantur, vt ea referant ad particularem plenitudinem obſtructionis, minimè vniuerſi corporis; adeò vt ſenſum eliciant; propoſita febre ſecandam eſſe venam, quamuis deſint ſigna plenitudinis efficientis obſtructionem, dummodo adſit plenitudo corporis vniuerſi. Sed neque hac reſponſione contenti, aliam præterea commenti ſunt, Galenum ſcilicet huiuſmodi ſententiam pronunciaſſe contra Menodotum, & Empiricos, qui affirmabant nunquam miſſionem ſanguinis adminiſtrandam, niſi præſens fuiſſet famoſa illa plethorica ſyndrome; ex quo illi plenitudinem quantum ad vires à ſectione venæ excludere conſueuerant. Quare per hoſce interpretes Galenus ſtatuit ſanguinem mittendum eſſe in obſtructione à viſcidis humoribus facta, ſi adfuerit plenitudo virium, etiamſi non adſint ſigna plenitudinis vaſorum. Thurinus generaliter affirmat in hoc homine eſſe multitudinem ſanguinis; qui ita ſcribit. *Sed is homo, cuius mentionem facit Galenus octauo Methodi, erat plurimi ſanguinis, & febris erat ephemera ex oppilatione à multitudine ſanguinis, non ab humoribus craſſis, aut crudis,* &c. In Defen. contra M. Ant. Montuſ.

Mihi videor videre, Lector, hæc tibi vſque adeò leuia, & inania videri, vt neque in illis referendis, nedum refellendis oporteat tempus perdere. At ſanè Galenus aliquando nos admonet, huiuſmodi rationum confutatione eſſe abſtinendum. Veruntamen propter nouitios, quibus omnia ſæpenumerò ſolent tenebras offundere, neque iſtæc fuerant à nobis prætermittenda. Primùm autem ſi iſti Galenum legiſſent attentè, atque obſeruaſſent illum habere ſermonem de ſolis corporibus picrocholis, atque adeò cacochymis, vt nos monſtrauimus, profectò ad has ineptias non abiiſſent. Hoc enim iacto fundamento vniuerſa iſtæc tractatio, & ſeries orationis redditur adeò perſpi- 3. Epid. ſect. 1. c. 4.

cua,

cia,& certa, vt ſolum poſthac difficultatem, vel dubitationem poſſit habere. Sed quid? iis donemus Galenum loqui de quouis temperamento: quæſo reſpondeant; vnde coniecturam faciunt, aut quis illis reuelauit, eum ſibi præſupponere hominem plethoricum? Neque enim vel leuiſſimum huiuſce rei argumentum apparet, aut concipi animo poteſt. Immò verò ita planè, & expreſsè, vt nihil planius, & expreſſius dici poſſit, contrarium prorſus decernit, nimirum venam ſecandam eſſe; quanquam nulla adſunt plenitudinis indicia. At verò (inquiunt) Galenus haud loquitur de plenitudine communi toti corpori, ſed vnius obſtructionis. Ego autem non verebor affirmare huiuſmodi nouam interpretationem, ac diſtinctionem plenitudinis eſſe alienam non ſolùm à Galeni mente, ſed etiam ab omni ratione. Siquidem puto vix, aut ne vix quidem fieri poſſe, quin ſimul cum plenitudine totius corporis altera quoque adſit plenitudo, ex qua obſtructio fieri poſſit. Ac planè Galeni ſententia videtur potius oppoſito modo ſe habere: cum paulò ſuperiùs proponens agendum de diaria ex obſtructione, excludat à præſenti tractatione obſtructionem illam, quæ fit ab humoribus multis, lentis, & craſſis, quoniam (inquit) ab his generatur potius febris continens, quàm diaria: propterea ſubdit agendum ſibi eſſe de obſtructione mediocri, & parua, quæ ſcilicet fit ab humoribus non adeò copioſis, aut craſſis, à qua fieri poteſt febris, quæ intra diariæ limites conſiſtat, & iure addit, ſecandam eſſe venam, quamuis non adſint ſigna plenitudinis, quaſi dicat, ſicut ſupponimus non adeſſe. Quod ſi huius loci legitimum ſenſum, & inſtitutum velimus animaduertere, admodum veriſimile eſt Galenum de poſteriore potius plenitudine ſermonem habere; cum tractet febrem diariam factam ex obſtructione à craſſis, & viſcidis humoribus, in qua ſtatuit ſanguinem eſſe mittendum, tametſi nulla ſint indicia plenitudinis, quæ altera eſt cauſa, vnde quælibet obſtructio ſolet generari. Quanquam nihil prohibet, mea ſententia, quin ea verba omnem plenitudinem excludant, cum verè & apertè Galenus loquatur de ſola cacochymia. Id quod ſi quis adhuc non ſatis intelligit, atque vnà illius nouæ interpretationis abſurditatem non cognoſcit, is memoria repetat poſitam ab eo rationem, propter quam tale probat remedium: quam quidem cenſeo demonſtrare, cum minimè plenitudinis, ſed vnius vitioſi ſucci vacuationem commemorat.

Quod porrò ad alteram pertinet reſponſionem; non eſt vt hìc ea repetantur quæ ſupra de ſyndrome plethorica, de Empiricis, atque eorum ſententia copioſè diximus. Neque verò ſatis intelligo, quid iſti hac reſponſione ſibi velint. Etſi enim aliud erat Galeno propoſitum hoc in loco, quàm de plenitudine diſputare aduerſus Menodotum, & Empiricos, non tamen laboro, quin voluerit hanc ſententiam referre, & accommodare ad conuellendam inſanam eorum opinionem. Quæſo autem propterea ne hæc minus vera eſt illius doctrina, vt paulò ante aduerſus Thurinum dicebamus? Præterea ſi hæ duæ reſponſiones accuratè conſiderentur, comparenturque inter ſe, vix altera videtur ab altera differre. Namque prior plenitudinem ſimpliciter, poſterior plenitudinem ad vires affirmat eſſe neceſſariam. Quæro igitur qualémnam iſti intelligant plenitudinem ſimpliciter: etenim vt alterutram intelligant, vel vaſorum, vel virium neceſſe eſt. Cum autem plenitudinem vaſorum nequeant intelligere, quandoquidem illa prorſus excluditur poſteriore reſpõſione, neceſſariò concludendum eſt, eos vtrobique vnam virium plenitudinem intelligere, adeóque vtramque reſponſionem vnam, & eandem eſſe. Sed vtcunque ſe res habeat, nulli dubium eſſe debet, quin hæc quoque reſponſio, & interpretatio ſit voluntaria, & omni ex parte à Gal. mente aliena; qui ſermonem habens de ſola cacochymia, qualemcunque excludit plenitudinem, ac fortè magis plenitudinem virium, quàm vaſorum: ſiquidem illa, vel ipſo Galeno authore, non ita obſtruit ora venarum, vt caloris refrigerationem prohibeat, ſicuti altera vaſorum, multóque minus vel carnis, vel cutis tranſpirationem moratur. Cum Thorino, qui audet non ſine inſigni impudentia perſpicuam falſitatem aſſeuerare; non decet longius agere. Itaque iam ad id, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. *6. Meth. c. 5.*

Repudiatis ergo ſuperioribus ſententiæ Galenicæ initio propoſitæ interpretationibus, illud reſtat, vt nos propriam interpretationem afferamus, quæ talis eſt; Galeni præceptum generale eſſe, & omnes febres putridas amplecti dummodo ſimul conueniant tres principes ſcopi: itaque ſaluberrimum eſſe venam incidere non ſolùm in ſynochis, quas conſtat fieri, vbi in omnibus vaſis, ac præcipuè maximis æquabiliter ſucci putreſcunt, ſed etiam in cæteris omnibus, quæ generantur ex putredine humorum, quicunque, & quanticunque illi fuerint, & quouis modo contingat eos putreſcere. Namque primùm generaliter miſſo ſanguine vniuerſum corpus vacuatur, ipſáque natura leuatur, & exoneratur ab iis humoribus, à quibus tanquam ſarcina premitur: quamobrem quæ priùs afflicta, atque oppreſſa illos coquere, & excernere non poterat, mox recreata, & ſubleuata longè magis redditur idonea, promptáque ad coquendum, & excernendum, quod reliquum ſupereſt: deinde verò ſpeciatim reuelluntur, & vacuantur illi humores; qui continenter fluunt, ac fouent factam obſtructionem, prohibitam tranſpirationem; putredinem, & febrem: quare illa via adminiſtrandi ea remedia, quæ poſſint hærentes ſuccos exobſtruere, lentos detergere, meatus aperire, ac febrem remittere, quæ ante eiuſmodi vacuationem inuia eſt, & periculoſa, ita redditur peruia, ac tuta. Quibus ſanè præcipuis, ac maximis vtilitatibus alia quoque non ſpernendo emolumenta licet nobis adiungere, de quibus poſteriùs diſputabitur opportunè.

Cæterùm hanc noſtram interpretationem, & ſententiam, quam credimus optimis quibuſque authoribus, Hippocrati in primis, Galenóque, & veritati eſſe conſentientem aduerſarij aggrediuntur pluribus modis, quos æquum eſt examinare, ac perpendere. Plerique omnes, qui in hoc argumento verſati ſunt, totius rei ſummam ſolent referre ad vnam humorum conſiderationem, & illa propè eadem proferre in medium, quæ ſuperiore diſputatione ſunt propoſita. Quocirca ſi humores vel ſint multi, vel non longè abſint à forma ſanguinis, venæ ſectionem libenter ſuſcipiunt, tanquam vtilem, & ſalutarem: contrà autem, ſi illi quantitate non excedant, & qualitate à ſanguine ſint valde alieni, huiuſmodi remedium reformidant, tanquam inutile, & pernicioſum. Ergo omnium primùm afferunt ſententiam Galeni libro quarto *de tuenda valet.* cuius ſeries illa eſt, *4. de Tuend. Val. 4.* [*Siquidem ſanguis in medio eſt bilioſorum*, & quæ ſequuntur.] Quam quidem affirmant ſatis eſſe ad confutandas falſas opiniones, ad explicandam Galeni mentem, & ac diſſoluendam totam huiuſmodi quæſtionem. Quapropter ad hanc Galeni diſciplinam adhærentes, ſi quiſpiam febre laboret ex

putreſ

Digitized by Google

putreſcēte humore, vel crudo, qualis eſt pituita, vel percocto, qualis eſt flauabilis, qui plurimum à ſanguinis forma receſſerit, contendunt huic nullo modo ſanguinem mittendum eſſe. At è contrario putreſcente humore, qui paululùm, vel citra, vel ſupra ſanguinem ſit conſtitutus, neq; ab illius forma vehementer degeneret, tunc nō inuiti ſanguinis miſſionem recipiūt. Hoc porrò de humorib. iudicium, crudi ne ſint, an cocti; multùm, an parum diſtent à forma ſanguinis, tum ex vno potiſſimùm lotio petere conſueuerunt, quod euidentiſſimū eſt indiciū eorū, quæ continentur in venis: Ex quo fit, vt celebrent, ac paſſim in ore habeant ſententiam Auic. ſi fuerit vrina rubea, groſſa, non citrina, non ignea, fidenter venam ſecandā eſſe Deinde alterū Gal. teſtimoniū nobis obiiciunt, qui lib. Adu. Eraſiſt. ſuorum tēporum medicos grauiter arguit, qui ferè idē ſentientes, quod nos videmur ſentire, nimirum omnes febres venæ ſectionē deſiderare, in grauiſſima pericula ægros ducebāt. Tum proferunt authoritatem omniū penè medicorum, ac potiſſimùm vnius Gal. qui ex propoſito docentes rationem curandi febrem tertianam, quotidianam, quartanam, miſſionem ſanguinis ferè prætermittunt, tanquam remedium, vt verisimile eſt, inutile, forte etiam exitioſum. Quòd ſi venæ ſectio non conuenit præcipuis febrium differentiis, quomodo licet vniuerſim ſtatuiſſe illam ſalubertimam eiſe in omnibus, quæcumque lex humorum putredine originem habent: Poſtremò iis quoque nonnulli rationem adiungunt, argutè argumentantes hunc in modum. Febris putrida non eſt vnica, & ſimplex affectio, ſed quæ partim febrem, partim putredinem continet: Itaque ſi miſſio ſanguinis eſt accommodata ad curandum huiuſmodi morbum, vt id fiat, vel ratione febris, vel ratione putredinis neceſſe eſt. Non illud profecto fit propter febrem; quandoquidem febris, quatenus eſt febris. & intemperies calida, proprium remedium refrigeratio eſt: præter quàm quòd eadem ſuſcepta curandi indicatione tale præſidium conueniret non modo putridis, ſed cæteris omnibus, cum ephemeris, tum hecticis; quod nimis abſurdum, & ridiculum eſt. Sed neque id fit propter putredinem, cum illa diuerſa prorſus remedia poſtulet, Galenúſque expreſsè doceat, putredinem minimè curari ſanguinis miſſione. Ergo iſtud remedium neutra ratione conuenit, iam nulla ratione videtur conuenire.

4. de Tuen. Val. 4. 1. de Criſ. 7. & alibi l. 1. ſrn. 4. ca. 10. Cap. 6.

11. Met. 14

Hæc partim ex Thurino, ac Maſſa, partim ex aliis ſtudioſè collegi, quæ in hac lite mihi viſa ſunt maioris ponderis, ac principalia. Quæ pariter omnia conabor diſſoluere, ac refutare, ad illum me ordinem referens, quo ſingula ſunt deſignata. De loco Galeni ex libro quarto *de Tuen. Valet* ſatis multa mihi videor ſuperiùs dixiſſe, quæ inte poſſunt ad hanc partem accommodari. Nunc verò illud vnum mihi eſto ſatis: qui libenter omnia dono, quæcumque illi volunt, de iſtius loci interpretatione, ac ſemel quæro; quamobrem humoribus longè a ſanguine degenerantibus Galenus haud recipit ſanguinis miſſionem? Quippe mihi liceat paulùm cum Thurino agere, propriiſque telis illum confodere, ac repellere. Namque aduerſus nōnullos, qui contendebant, hanc ipſam Galeni diſciplinam duntaxat veram eſſe in conſeruanda ſanitatē, minimè curandis morbis (quod nos quoque ſupra notauimus) ille ex altera parte ait, vtrobique veram eſſe, & vtrobique vnam, & eandem rationem valere. *Cauſa* (ille inquit) *cur in ſanis in humore crudo citra ſanguinem non ſit mittēdus ſanguis, nec in bilioſo ſuprà ſanguinem, multùm, ac plurimùm recedentibus à forma ſanguinis, eſt, quia ab his humoribus, vt dixit Galenus in libro de incidend. Ven. virtus multū exoluitur, & miſſo ſanguine in extremum malum decidere ſolet, vt nequaquam poſtea reparari poſſit. Ergo ſi febris adſit cum putredine humorum, quos diximus, multò magis virtus exoluetur miſſo ſanguine.* Hæc Thurini reſponſio; ſanguine miſſo in his corporibus, quorum humores propter excedentem vel frigiditatem, vel caliditatem pluimùm diſtant à forma ſanguinis, vires in ſanis quidem debiles, in febricantibus autem longè debiliores reddi neceſſariò. Quam reſponſionem nos recipimus, & illi concedimus lubentiſſimè. Verùm quid hoc tempore quæſo agimus: An non Galenus perſpicuè, & expreſse ait ſalutariter ſanguinem mitti in febribus putridis, hac vna adhibita conditione, & ſancita lege, dummodo ætas, & vires huiuſmodi remedium non prohibeant: An non inter principes ſcopos mittendi ſanguinis locum tenet virium firmitas, vt illis vel debilibus in præſentia, vel debilitatem minantibus in poſterum, nunquam liceat ſanguinem mittere? Quare ſi alicui febre putrida laboranti, propterea quia humores ſint nimiùm vel crudi, vel alia de cauſa vires non conſtent, huic neque Galenus, neque alius probatus medicus vult ſanguinem eſſe mittendum. Vtrùm autem ſucco redundante vel frigido & crudo, vel calido & cocto vires perpetuò langueant, vt nequeant venæ ſectionem perferre, id nos ſatis, ſupèrque ſuperiore loco iam tractauimus: quæ eadem res temere hic non eſt repetenda. Porrò quod ad lotium pertinet, quod plerique ante miſſionem ſanguinis diligenter animaduertunt, non ego de illius vi, ac dignitate quicquam derogo, qui probè intelligo, ac fateor illud efficax indicium eorum eſſe quæ continentur in venis: Sed tamen id quoque certo ſcio Galenum vni virium robori præcipuè, & ante omnia intentum eſſe; nec inter tot indicia vel in proprio commentario, vel aliis locis explicata, iſtius ex lotio petiti vnquam meminiſſe: qui colorem totius corporis plumbeum, pallidum magis quàm lotium rubeum, citrinum, groſſum conſueuit animaduertere. Atqui cætera perſequor. Locus aduerſus Eraſiſtratæos mea quidem ſententia ad rem de qua agitur; minimè omnium eſt accommodatus. At primùm Galenum præſtat loquentem audire. *Cæterum ſint adoleſcentes, qui neque de venæ ſectionis menſura, neque de venis quæ ſunt ſecandæ, quicquam audierint, ad hoc præſidium ſeſe accingant, id (vt ſtatim inter ipſa initia dixi) maximum afferet nocumentum. Præſtiterit igitur illos neque penitùs venæ ſectionem aggredi, quàm citra diſtinctionem ergaiam dicta auxilio manus admouere. Plures enim hac ratione perierunt, quàm quibus non fuerat ſecta vena. Nam qui tunc erant antiqui medici venas nunquam ſecantes, aliis euacuatoriis præſidiis vtebantur, quæ idem quod ſectio venæ, ſed longiore tempore efficere poterant, niſi ob partis affectæ principatum, vel plenitudinis exceſſum mors ægrotum præoccuparet. Si qui noſtra tempeſtate cunctas febres in principio venæ ſectione indigere putant, non mediocri ſanè noxa ægros afficiunt.* Galenus hactenus; qui (niſi me omnia fallunt) tantùm illud agit, vt reprehendat iuniores quoſdam, Eraſiſtrati ſectatores, qui non intelligentes neque ſanguinis mittendi menſuram, neque multiplicem venarum ſecandarum rationem neque alia multa huiuſce rei præcepta tum opportuna, tum neceſſaria, inconſideratè, nec ſine inſigni hominis periculo huiuſmodi remedium aggrediebantur. Atque vtinam præſenti etiam tempore id plerique non audeant. Hoc autem fuiſſe Galeni propoſitum, non modò poſita ſeries, ſed etiam quæ ſtatim ſequitur, tanquam totius orationis concluſio manifeſtò de

Gal. 4. de San. tu. 4. 1. de criſ. 7.

Cap. 8.

demonſtrat. *Hac enim ratione*(ait)*inhibendum cenſeo illis, qui hactenus venas temere ſecuerunt, ne eas in poſterum penitus ſecent. Nam (vt Plato ait) minus aberrare eos conſentaneum eſt, qui ea non aggrediuntur, quæ norunt, quàm qui illa tractant, quæ nunquam didicerunt. Nam hoc idem & iſti faciunt*, &c. At verò quid iſtæc pertinent obſecro ad rem noſtram? An quòd imprudentes nonnulli, atque ignari aggredientes ea quæ norunt, importunè ſæpius, & periculosè venam ſecare non verentur, nuſquam, & nunquam licet venam ſecare? An propterea quia furioſi quidam, ac mente capti ferro malè vtuntur, illud vniuersè de manu hominis eripiendum eſt? An fortè nos ii ſumus, qui præcepta de hac re ab vno in primis Galeno præclarè tradita negligamus, velimúsque, in cunctis febribus ſine illo iudicio venam perpetuò ſecandam eſſe? Immò verò affirmamus accuratè omnia, & conſideratè eſſe perpendenda: quæuis præcepta illuſtrium medicorum amplectimur libentiſſimè: præ cæteris autem prædicamus vniuerſum Galeni librum de hoc argumento ex inſtituto compoſitum, verè aureum, nocturna diuturnáque manu verſandum, atque ad verbum ſi fieri poteſt, omnibus medicis eſſe perdiſcendum. Atqui Galenus teſtatur explicatè eos medicos non leui noxa ægrotos afficere, quicumque putant principio omnium febrium venæ ſectionem competere. *[margin: 11. Meth. cap. 15.]* Quid tum? An ille propterea ſibi ipſe repugnat, qui aliàs ſcriptum reliquit, optimum eſſe in omnib. febrib. de humorum putredine oriundis venam incidere, dummodo ætas viréſq; ægroti valeant? Mihi ſanè compertum eſt, vtrobiq; Galenum, vel magis vbiq; ſibi conuenire, vnúmq; perpetuò, & eundem eſſe. Huiuſmodi autem ſententias inter ſe conſentire facilè vnuſquiſque fatebitur, qui ad illas animum vel parum velit adbibere. Namque nemo eſt niſi planè fatuus, qui omni delectu, & conſilio remoto cenſeat omnibus febribus venæ ſectionem congruentem eſſe; cum plurima non deſint exempla ægrotorum hominum, qui *[margin: 1. ad Glau. cap. 14.]* huiuſmodi remedium nequeunt perferre. Si quis ex.gr. laboret febre putrida vnà cum mala ventriculi affectione, vel fluxione alui, huic Gal. omnem ſanguinis miſſionem interdicit, multos ſe vidiſſe teſtatus, qui ita eſſent affecti, aut interiiſſe, aut ad extremum periculum fuiſſe deductos, cum medici temere eos vacuare tentaſſent. Sic multa alia paſſim occurrunt, quæ diligenti indigent conſideratione, & examine, antequam venam incidas: ſed tamen ita vt omnia ad principes ſcopos ſint perpetuò referenda: Ad quem certè modum referenda quoque ſunt modò poſita ſymptomata, vt iam ſuprà diximus. Itaq; iure mihi videor dixiſſe, hunc Gal. locum nihil ad rem propoſitam facere.

Sequitur authoritas medicorum, ac præcipuè Galen. qui curantes febrem tertianam, quotidianam, quartanam ſanguinis miſſionis vix meminere: quos profectò eſt veriſimile tantum remedium nullo modo fuiſſe prætermiſſuros, niſi illud importunum, & inutile exiſtimaſſent. Ante verò quàm ad hunc locum reſpondeo, magna eſt dignum animaduerſione, & admiratione, quamobrem iſti Galenum hac in re tantopere velint imitari, vt iam cæteri prætermittantur, quem in aliis rebus propè omnibus parui æſtimare, vel magis negligere non verentur. An fortè quia venæ ſectionis non meminit, mentionem habet ſoluentis medicamenti, quo illi præter omnem modum delectantur? Cur non ſolertiſſimi Galeni imitatores ſicuti in illo, ita in hoc præſidio illius authoritatem ſequuntur? Sed eſto; curanda febre tertiana exquiſita Galenus mittendi ſanguinis nullam facit mentionem. An quòd aliàs communia quædam tradiderit *[margin: 1. ad Glau. c. 9.]* præcepta, quæ hoc ipſum, & alia multa particularia complectuntur? An quòd ille cenſeat febrem intermittentem morbum magnum non eſſe? An demum quòd liber ad Glauconem, quemadmodum illius initio profitetur, quaſi per figuram, & quoddam compendium ſcriptus fuerit, vt accuratè omnia tractari non potuerint? An quæſo gr ex. pariter mihi liceat hunc in modum argumentari; Gal. in eo Commentario febres hecticas prætermittit, ergo febres hecticæ nullæ ſunt, ac nullam poſtulant curationem? Memoriâ iſtos decet repetere Galeni inſtitutum, cuius frequenter meminit, ſe nimirum in gratiam amicorum plurima ſcripſiſſe, & illa quidem nonnunquam minus accuratè, quàm ſi publica futura eſſent. Id quod facere in primis ſolitus fuerat, quotieſcunque ad eruditum aliquem virum ſcribebat, & cum quo de eodem fortè argumento alio tempore fuiſſet colloquutus, vt tam exquiſita, & cumulata tractatione non eſſet opus. Quare cum Glauco maximus fuerit philoſophus, fortaſſe etiam medicus non vulgaris, adeóque ipſi Galeno familiaris, nulli mirum debet videri, ſi non diffusè, adhibitóque omni ſtudio ſingula fuerint explicata. Quod autem pertinet ad alios medicos, cum multi ex hoc numero, Paulum intelligo, Aëtium, cæteróſque Galeni imitatores, ferè ſemper non modò ſenſum, verùm etiam ſingula verba ſoleant de ipſo tranſcribere, fit veriſimile eos hac quoque in re illius authoritatem ſequutos eſſe, ac propterea eiuſmodi remedium prætermiſiſſe: quanquam neque altera ex parte deſunt Auicenna, & alij vulgares medici, qui in febre tertiana exquiſita à venæ ſectione haud prorſus abhorrent. Porrò de tertiana notha hæc apud Galenum leguntur. *[margin: 1. ad Glau. c. 10.]* *Si ſanguinem mittere oporteat, neque hoc quoque eſt prætermittendum; ſed ab initio ſtatim, adhibita earum rerum, quas ſcis, diſtinctione, tantum mittendum, quantum præſens exigit ſtatus.* *[margin: 2. epid. c. 11]* *Sic in quartana; Et ſi vena inciſa is qui fluit ſanguis, niger videatur, & craſſus, audacius mittendus eſt; quòd ſi flauus, aut tenuis apparuerit, ſtatim ſupprimendus. Venam autem ſecare oportet, vel interiorem, vel eam, quæ eſt in ſiniſtro cubito, mediam.* Itaque ſi iſtæc loquitur Gal. vt verè, & perſpicuè loquitur, mirum ſanè eſt, quomodo nonnulli audeant affirmare ex Gal. diſciplina in hiſce febribus ſectionem venæ eſſe perpetuò inutilem, pernicioſam. Curanda febre quotidiana (quam rem breuiſſimè abſoluit) ve- *[margin: Lib. eod. c. 12.]* næ ſectio eſt prætermiſſa, vel his omnibus, vel certè aliquibus cauſis, quæ de tertiana exquiſita ſunt modò à nobis expoſitæ: cum enim febris hæc intermittens ſit, & ſuaprè natura cum ventriculi affectione coniungatur, nihil habet propria ratione, quod ſanguinem perſuadeat mittendum eſſe: idcirco Galenus nihil de venæ ſectione dixit, ratus debere nos præceptis vniuerſalibus eſſe contentos. Quamobrem tametſi Gal. & alij curandis huiuſmodi febribus non ita apertè ſectionis venæ mentionem faciunt, nemo hinc iure poteſt colligere, illam minimè eis conuenire. Quin immò ſi rem ipſam, verámque methodum illarum curandarum, & communia iſtius remedij præcepta velis conſiderare, de quibus iam ſatis mihi videor dixiſſe, non inuitus (puto) fateberis illud eſſe admodum ſalutare, ac ferre neceſſarium.

Poſt hæc demum reſtat acuta aduerſariorum argumentatio demonſtrans venæ ſectionem putridis febrib. non conuenire, quòd illa nequeat, vel febrē, vel putredinem iuuare. Ac ſanè turpe eſt in re tanti momenti haſce argutias, ac mera ſophiſmata in medium proferri. Neq; tantum abeſt, vt venæ ſectio nequeat prodeſſe & febri, & putredini, vt ego

contra

contra nō vereat affirmare ad vtramque tale remedium eſſe quàm maximè congruens, & accommodatum: quanquam non id fortè ſit primùm, ac per ſe: quam nihil dubio fuiſſe Galeni mentem, ſi quando iſtud ipſum videtur affirmaſſe. Etenim febrem iuuat, tanquam præſidium refrigerans, calorem corporis, quæ ipſa eſt febris, remittendo: quam profectò refrigerationem, quocum- 1.aph.23. que modo perficiantur, Galenus docet proprium febrium remedium eſſe. Quare nonnunquam ſcriptum reliquit, in ardentiſſimis febribus ſanguine miſſo vſque ad animi defectionem, totius corporis habitum ſtatim refrigerari, ac febrem extingui; & in iuuene palæſtræ perito laborante febre ſynocho ſine putredine, corpus in contrarium ſtatum fuiſſe deductum, adeòque celerrimè refrigeratum: id quod vel ſenſus teſtimonio planè 9.Meth.4. manifeſtum, non debet longiùs confirmari. Neque verò ſectio venæ iuuanda putredine minus efficax cenſenda eſt: cum enim ſit communis omnium conſenſio cum primis illam iuuari præſidiis refrigerantibus, & ſiccantibus nulli dubium eſſe debet, quin ea ſit congruentiſſima, quæ tum refrigerare, vt modò diximus, tum ſiccare etiam Lib.3. mod. Gen. c.1. poſſit. Quod quidem res ipſa demonſtrat, atque inter cæteros Auicenna præclarè teſtatur: quandoquidem febris peſtilentis curationem inſtituens, *Summa* (inquit) *curationis earum eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris.* Lib.4.fe.5. cr.4 c.4. Art. med. c.59. Sed quid? An non ſecta vena verè ac facilè ducuntur humores putridi? Id ſi quis audeat negare, is Galenum audiat; *Eſto* (ille ait) *in humoribus putreſcentibus accendi febrem: indicatio in huiuſmodi eſt vacuatio, atque alteratio: hac quidem, qua putredinem finias, manenti adhuc ſubſtantia: vacuatio verò qua totam ex corpore ſubſtantiam educat. Hac autem fit ſecta vena*, &c. Demum verò ſectio venæ putredinem iuuat, ac ſtrenue ſanè; ſiquidem cuncta remedia, ſine quibus vix illa poteſt ſuperari, reddit longè efficaciſſima, & tutiſſima, vt ſuprà diximus. Ad argumentum igitur dicimus, ſectionem venæ ratione putredinis duplici ratione conuenire, tum vt id, quod iam computruit, euacuemus, tum verò vt toto corpore euacuato, poſſimus tutò iis vti præſidiis, quæ putredinem, & putredinis cauſas poſſunt amouere.

Itaque optimum eſt in omni febre putrida ſanguinem mittere, cum propter febrem, tum propter putredinem; addo propter tranſpirationem prohibitam, & obſtructiones: ex quibus tanquam præcipuis, & propriis ſcopis, memoria tenendum eſt, Galeno authore, accipiendas omnes indicationes, quæcumque ad hanc rem pertinent. Atque hic ſtatuimus noſtræ diſputationi finem imponere: qui (ni fallimur) quantum ſatis eſt, ſententiam Galeni verè & apertè ſumus interpretati, veritatem dogmatis demonſtrauimus, confirmauimúſque, & ab aduerſatiis defendimus: quod noſtrum fuerat principale inſtitutum.

Ioannes Argenterius medicus hoc proximo tempore celebris hanc vniuerſam difficultatē propemodum explicans, hæc habet. *Sanguinis miſſio, quæ fit ſecta vena humore, & vapore vacante, maximo eſt auxilio ad tranſpirationem iuuandā: propterea rectè ſcribit Galenus, vtile eſſe ſanguinem mittere in omni febre putrida, quæ ſcilicet alicuius ſit momenti: omnes enim quæ tales ſunt, egent liberiore perflatione, quam ſanguinis miſſio omnium feliciſſimè præſtat. Nec ſudor, qui ſequi ſolet acceſſiones febrium intermittētium, ſufficit, quippe cum ebullitio, quæ fit in corde, venis, & arteriis, multos gignat vapores, quorum tranſpirationem nihil tam iuuat, quam ſectio venæ. Nam denſa vaſorum tunica non præbent tranſitum iis illis humoribus, & vaporibus. Quare per ſectionem viam patentiorem parare oportet, facto veluti camino in corpore, per quem igneus, fuliginoſuſque ille vapor expirare poſſit. Vnde miſſiones ſanguinis, quæ adhibentur in iis febribus, parum proſunt, niſi fuerit amplum factum foramen per ſectionem venæ. Ergo ſanguinis miſſio omnibus putridis paulò grauioribus conuenit, communi hac ratione, quòd potentiſſimum ſit ad perſpirationem iuuandam auxilium; quo vniuerſæ huiuſmodi febres maximè opus habent. Nec in hoc ſpectare debemus, aut ſanguinis multitudinem, aut aliud quidpiam: nam ſi in omni habitu huiuſmodi febres naſcuntur, & communem hæ habent cauſam ex impedita tranſpiratione, quod commune eſt remedium in nullis debet prætermitti. Nec contra id facit, quod multi liberentur ex putridis febribus, quibus ſanguis non fuerit miſſus; nam in nulla re temeritas laudanda eſt, nec probandum quod perperam eſt factum. Etenim ut multi pereunt, qui euaſiſſent, cum hoc remedio, ita qui liberantur, grauiùs, & diutiùs affliguntur, atq; hoc modo temeritatis ſuæ, aut ignorantiæ medicorum pœnas in ſe ipſis luunt. Porrò vt ſanguinis extractio omnibus febricitantibus ad tranſpirationem eſt neceſſaria, ita aliquibus etiā prodeſt ad multitudinem humoris tollendam, quæ obeſt eò, quòd vaporibus vberem materiam ſuppeditat, & quia naturam grauat, ne poſſit concoquere quod iam vitiatum eſt, & expellere quod expelli poteſt; & quia vſum aperientium, & penetrantium in interna vaſorum orificia remediorum impedit, ſymptomatáque omnia, & quidquid timeri poteſt mali, excitat.* Hactenus Argenterius. Quam ſeriem, tanquam parergon, hoc poſtremo loco voluimus adiicere, quòd illa ad totam noſtram diſputationem ſit valdè accommodata. Quanquam hunc hominem alioqui ingenioſum, & ſcriptorem egregium, Galeni oppugnatorem, & nouandæ artis medicæ nimis cupidum, nos admodum parui facimus, illiúſque authoritati minimum tribuimus. Sed cum ille iam apud multos maximam exiſtimationē ſit conſequutus, & hac in parte Galeno conſentiat, ac vera doceat, neque iſtud teſtimonium libuit prætermittere, vt hoc tanti momenti decretum, & ad vitam hominis tam neceſſarium, omni, quantum mihi licet, ratione omnibus confirmarem.

Iam verò, quod vnum ſupereſt, ad eum locum venio, qui pertinet ad vulgatem, ac præſenti tempore vſitatam vacuandi rationem principio febrium putridarum, de qua ſuperiùs me diſputaturum promiſi. Diximus illam triplicem eſſe; vt leuiores quidam modi interea prætermittantur. Primò, ſunt purgantia medicamenta: Secundò, hirudines adhibitæ venis hæmorrhoïdibus: tertiò, ſunt ſcarificatæ cucurbitulæ ad varias corporis partes applicatæ. Quod igitur pertinet ad medicamenta, cum propria ſequente Diſputatione ex propoſito, ac diffusè illa omnia ſimus examinaturi, quæcumque ſpectant ad opportunum, vel importunum illorum vſum, illud mihi ſufficiat in præſentia, curandis febribus putridis nullum claſſicum authorem talium medicamentorum meminiſſe, non dixerim vllo tempore, quod nonnulli conſtanter aſſeuerant, ſed certè ab initio. Namque, vt nunc cæteros prætermittamus, legantur libri, & commentarij de Morbis Vulgaribus; legatur totus liber vndecimus de Methodo Medendi, cuius peculiare eſt propoſitum earum curationem docere; legatur Ars Medica; legantur loci omnes, qui hanc rem tractant, Galenus quidem frequenter meminit venæ ſectionis, clyſteris, vomitus, medicamenti, quod tum internas, tum cutis obſtructiones auferre, lotium, & ſudo-

rem prouocare poſſit,medicamenti autem purgantis nuſquam legimos illum mentionem feciſſe. Quamobrem quanta eum ratione, & illius exemplo pletique iis vrantur hodie, vel qui ipſius imitatores volunt haberi, & Galenum ſemper in ore habent,ipſi viderint. Nos ſanè arbitramur præter omnem rationem, præter Galeni diſciplinam, ac temerè illos agere: id quod ſuo loco ſperamus firmiter demonſtrare.

DE HIRVDINIBVS ad hæmorrhoïdas.

QVod autem ſecundò pertinet ad hirudines hæmorrhoïdibus applicandas quarum adminiſtratio iam multis annis cœpit eſſe in pleriſque locis admodum frequens, & celebris, ego quidem prorſus ignoro, quamobrem huiuſmodi remedium tantam exiſtimationem fuerit conſequutum; neque omni, quanquam diligenti adhibita obſeruatione, & inueſtigatione, inuenire adhuc potui, aut de aliquo intelligere, quiſnam primùm illius inuentor fuerit, ac miniſter. Nam ſi quando Galenus, & cum eo Græci omnes, Arabes, & Latini medici antiquiores ſtatuiſſent hæmorrhoïdas prouocare, id cum aliis modis, tum maximè ſecta vena inferiori perficere conſueuerunt. Ex quo haud
10. de Me. Cur. c. 4. ineptam coniecturam mea quidem ſententia faciebar doctiſſimus Trincauellius, non ſatis priſcos illos eiuſmodi venarum apertionem, hirudinúmque operam probaſſe. Nos ex omnibus vnum legimus Actuarium; quem non iniuria poſſumus inter recentes numerare, iſtius vacuandi rationis
3 Meth. med. c. 5. aliquando meminiſſe. *Hirudines* (ille inquit) *in omnibus membris applicantur, in quauis capitis parte, & facie, renibus item, & ipſo interdum recto inteſtino, cum iampridem ora venarum fuerit occæcata,*
4. Met. med. c. 6. *atque ea propter negotium faceſſunt.* & iterum. *Quod ſi obfirmata fluxio neque cedit reuulſionibus, neque leniter epithematis, metuſque eſt, ne tẽporis ſpatio in abſceſſum abeat, hominémq; in aliud morbi genus deducat, hirudines cæcis hæmorrhoidibus admouenda. Vbi enim ita ſufficiens ierit sãguis, æger melius degет.* Hæc Actuarios. Neque verò is ego ſum, qui contendã, hirodines venis hæmorrhoidibus nunquam eſſe adhibendas, velimque huic remedio omoem authoritatem eleuare: qui probè intelligo, ac libenter fateor, illud præclaram quandoque operã præſtare, dummodo cum ratione, & iudicio illis vtare. Itaque mibi propoſitum eſt minimè hirudinum vſum generaliter, ſed illarum abuſum, ac ſpeciatim in febribus indicare, & pro viribus corrigere.

Venarom hæmorrhoïdum fabricam, originémque nos in tractatione de melancholia ſatis perſequuti ſumos, neque in præſentia ſont illa eadem temerè huc tranſcribenda. Igitur quanquam hæmorrhoïdes vel ex vena porta, vel ex vena caua oriuntur (de qua re inter Anatomicos omni ex parte non conuenit) adeò vt illæ tandẽ, ſicuti reliquæ omnes venæ de ipſo iecore prodeant, illud tamen debet omnibus cõſtare, haſce venas ſingulari quodam inſtituto naturæ propter eã potiſſimùm cauſam fuiſſe genitas, vt ad ſuſcipiendum, purgaodúmque ſuccum melancholicum ſint cum primis ac-
6. Aphor. comm. 11. commodatæ. *Hæmorrhoïdas* (inquit Galeous) *fieri eſt impoſſibile, quin propter ſanguinis multitudinem, & craſſitudinem venarum ora quadam aperiantur, iecinore in ipſas fæculentum, & melancholicũ ſanguinem reiiciente.* & rurſum. *Non ſolùm ratione vacuationis hæmorrhoides ſanant huiuſmodi paſſionee, ſed ipſa quoq; vacuati humoris qualitate. Hæ enim ſanguinẽ craſſum conſueuerunt vacuare humore plenum melancholico ſimilẽ habente in ſanguine facultatem, qualis eſt in vinis fæx. Quare nihil nimirũ ſi melancholia, ac renũ paſſionibus conferunt hæmorrhoïdes, vt quæ humorem faci ſimilẽ vacuare natura apta ſunt.* Hæc Galenus, apud quem aliis quoqoe in locis licet hoc ipſum identidem obſeruare. Illud addo, fluẽtes hæmorrhoidas vnos præcipuè iuuare morbos qui ex humore fiunt melancholico; minimùm autẽ cæteros, qui ab aliis homoribus originem ducunt. Quod quidem, etſi multis modis poteſt demonſtrari, tamen puto ſatis futurum eſſe vnicum Galeni locum prorſus norabilem: in quo mihi liber paulùm verſari, eò libentiùs, quòd ille hactenus fortè à nemine fuerit ſatis explicatus. Itaque Galenus interpretans Aphoriſmum Hippocratis; *6. Aphor. 21.*
Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio; veram intelligit melancholiam, quæ fit ab humore melaocholico, ſeriò aſſeuerans, ſi propter bilis, aut alterius humoris copiam æger inſaniat, illi neque hæmorrhoïdas aliquam opem fuiſſe allaturas. Iſtud verò vt planiùs intelligatur, ſciendum eſt Hippocratem vti verbo *τοῖσι μαινομένοισι*, & iterũ, *τῆς μανίης λύσις*; quod Theodorus, Hermolaus in Dioſcoridem, ac Leonicenus generaliter ad inſaniam referunt. Namque ſcribit Galenus omnes homioes vti verbo *μαίνεσθαι* de iis, *2. de Sympt. cauſ. c. 7. init.*
qui ſine febre inſaniunt: & alio loco ex propoſito tractans omoes deprauatos motus principiis facultatis docet phrenitidas appellari deliria, qoæ cum *Prorrh.*
febre ſunt, manias verò, quæ citra hanc fiunt: adeò vt mania ſit quoddam veluti genus omnis inſaniæ ſine febre. Verùm neque illud oportet ignorare, duas eſſe præcipuas ſpecies delirij ſine febre, quas diſtinguunt partim diuerſa ſymptomata, partim ac potiſſimùm cauſæ, à quibus oriuntur: alteram melancholiam, alteram maniam nomine generis appellant: quod non debet alicui mirum videri, cũ non ſolùm medici; ſed etiam philoſophi ab huiuſmodi nominum ratione quandoque non abhorreant. Quod facit Ariſtoteles tom in aliis locis, *Lib. 5. c. 2.*
tum maximè in Ethicis, vbi docet iuſtitiam eſſe duplicem, alterámque nominat commune genus, alteram propriam ſpeciem. Sed inſuper & illud eſt memoria repetendum, quod Galenus de humore melancholico ſcribit frequenter, nempe illum duplicem eſſe; alterum, quem nuncupat atram bilem, traditque fieri dupliciter, nimirum ex vſtione vel flauæ bilis, vel ſucci melancholici; quarum illa eſt omnium peſſima, hæc autem craſſiore qoidem, quam altera, conſtat ſubſtantia, ſed tamen multum ab ipſios malignitate recedit. Demùm verò illud quoqoe oportet intelligere, alteram delirij ſpeciem ſine febre, quam melancholiam dicimus, verè fieri ex ſucco melancholico, quem ſi propriè loqui velimus, non licet atram bilem appellare: alteram, quam maniam nominamus, gigni ex mordacibus, & calidis humoribus, qualis maximè eſt flaua bilis.

Deliria (inquit Galenus) *& omnes deprauati motus principis facultatis à prauis humoribus, aut* *2. de Sympt. cauſ. c. vlt.*
cerebri intẽperie ortũ habent. Nominantur verò phrenitides, quæ cũ febre ſunt: maniæ verò, quæ citra hanc fiunt. Hæ interim mordaces, & calidos ſequuntur humores, qualis maximè flaua bilis eſt: ſæpè etiam à calidiore cerebri intẽperie naſcuntur. Sola verò melancholica vocata deliria frigidiorem humorem pro cauſa habent. Cum igitur hæc ita ſe habeant, iure Galenus interpretatur hũc aphoriſmũ, & affirmat Hippocratem minimè intelligere quoduis delirium ſine febre, ſed vnam duntaxar melancholiam, qui ſcribit ad hunc modum. *Hic inſaniam illam vocat, quæ propria melancholia dicitur, minimè illam, quæ fit ex bile.* Quare illum mihi videor

ita

Digitized by Google

ita loquentem audire. Hippoc. vſus quidem eſt in hoc aphoriſmo illa voce, quæ vulgò apud cunctos homines ſolet ſignificare quoduis deliriū ſine febre; veruntamen ſi res accuratè conſideretur, verè ille vnam intelligit inſaniam, quæ propriè melancholia dicitur, & quæ prouenit ex fæce ſanguinis, quam ſuccum melancholicum appellamus: minimè verò potuit intellexiſſe alteram ſpeciem delirij ſine febre, quam maniam dicimus, & quæ prouenit ex flaua bile exuſta. Cum enim varices, & hæmorrhoïdes ſint cum primis aptæ ad recipiendos humores melancholicos & craſſos, qui melancholiam efficiunt; hinc iure fit, vt pellente eos, ac deturbante natura ad huiuſmodi partes ignobiliores, homines à melancholia liberentur. Altera autem ex parte cum natura non ſoleat per eoſdem locos purgare humores bilioſos & exuſtos, pro comperto habendum eſt, quantumuis ſuperueniant & hæmorrhoïdes, & varices, talem naturæ conatum importunum eſſe, nec prodeſſe quicquā alteri delirio, quod ab huiuſmodi ſit humoribus, & mania dicitur: ſiquidem id iamdiu ſtatutum, receptúmque eſt omnes medicos, ſi mouente natura talia purgentur per commoda, & idonea loca, qualia purgari oportuit (ea verò ſunt quæ corpus infeſtant) huiuſmodi vacuationem prodeſſe, quippe quæ morbum tollit, aut leuat; cúmque ægrotos bene ferre, quod ita à vitioſis ſuccis liberentur, fiántque leuiores: ſin autem contrà eueniat, adeóque vitioſi humores non vacuentur, talem vacuationem eſſe importunam, vtpote quæ morbum neque auferat, neque minuat; nec bene ferri ab ægrotante, cum non id quod infeſtat, ſed aliod quidpiam educatur. Atque hinc maximè velim medicos, quos decet in artis operibus ea, quæ à natura probè fiunt, ſtudioſè imitari, id præceptum diligenter tenere, vt in ſingulis morbis tales humores tentent vacuare, quales cum iis, quæ ſpōtè fiunt, vacuationibus excernuntur, prodeſſe conſtat. Itaque ſi pituita redundet, hanc modis omnibus vacuare oportet: ſi alterutra bilis infeſtet, abſtinendum à pituita, & infeſtans bilis vacuanda: ſic & humor ſanguineus in corpore ſi modum excesſerit, ſanguinē vacuare oportet; quemadmodum & illius ſerum, ſi in corpore abundauerit. Sed redeo ad rem meam. Cum igitur doceant Hippocrates, & Galenus, réſque ipſa confirmet, hæmorrhoïdas cum primis recipere, & purgare ſuccum melancholicum, adeóque illarum purgationem ex vna parte quàm maximè eſſe accommodatam ad illos curandos morbos, qui à tali humore oriuntur; ex altera autem vel parum, vel nihil cæteris prodeſſe, qui ab aliis humoribus generantur; profectò non ſatis intelligo, quam exquiſitam rationem poſſint afferre noſtrates medici hirudinarij, quamobrem in cunctis curandis febribus, delectu omni, & diſcrimine remoto tam frequenter, & facilè huiuſmodi venarum apertionem probent; niſi fortè velint omnes febres putridas ab vna melancholia ortum ducere: quam rem ipſi viderint.

1. aphor. 2. & 23.

Cæterùm egi hactenus cum aduerſario, perinde ac ſi hirudines ad hæmorrhoïdas applicare perpetuò poſſint melancholicum ſanguinem detrahere, eandémque præſtare operam, quam præſtare ſolent hæmorrhoïdes ſponte, ac natura fluentes. At verò puto hanc quoque rem longè aliter ſe habere: nam ſicuti vniuersè via fieri poteſt, vt vlla vnquam induſtria, vlla ars naturæ prouidentiam, ac ſolertiam exactè poſſit imitari, ita hac potiſſimùm in re credo equidem huiuſmodi artis conatum à naturæ vi, & præſtantia multum deficere. Quare illud ante omnia cenſeo ſtudioſè eſſe conſiderandum, magníque omnino intereſſe, hæmorrhoïdeſne ſua ſponte, & inſtituto naturæ tumeant, & pateant, an magis ſine vllo naturæ propoſito ſint artificioſè aperiendæ. Quocirca legimus apud Hippocratem, hanc ipſam purgationem nonnullis morbis conferre, dummodo hæmorrhoïdes ſponte ſuperueniant, ac natura mouente ſanguinem profundant: Galenúſque huiuſce rei cauſam perpetuò refert in naturæ operam, & ſedulitatem, quæ conſueuit craſſos, & melancholicos ſuccos ad partes ignobiles pellere, & hac ratione morbos ex illis oriundos ſanare, inhibere, vt ſuprà diximus. Quòd ſi noſtri quoque hirudinarij hanc diſtinctionem, & moderationem adhiberent, vt ſuis hirudinibus vterentur, hæmorrhoidáſque aperirent illo tempore duntaxat, cum ſuaptè natura tumeſcunt, aut præterea conſuetam vacuationem retinent, maiore vtique excuſatione digni forent; quando hoc modo viderentur naturæ propenſionem imitari, & adiuuare. Quam profectò medendi methodum legimus Galenum docuiſſe, qui tradit hæmorrhoïdas nunquam prouocandas eſſe, niſi antea ſanguinem quandoque fundentes præſenti tempore ſupprimantur, eadem propemodum ratione, quam in eliciendis quoque imminutis, aut retentis menſibus ſolet obſeruare; vtramque vacuationem ferè perpetuò coniungens, eodémque præcepto complectens. *Aut vena* (ille inquit) *incidenda eſt, aut aliquid, quod tantundem valet, agendum. Sanè tantundem poſſint hæc; quibus hæmorrhoïdes ſunt retentæ, ſi has aperueris: ſi mēſtrua conſuetudo ceſſauit, hanc prouoces.* Cum igitur medici omnes, quicunque hirudinum hæmorrhoïdas aperire, atque hoc modo ſanguinem mittere conſueuerunt, quotieſcumque vel à ſe ipſæ tumeſcunt, vel antea fluentes mox ſunt retentæ, ac potiſſimùm ſi morbus fiat ex humore melancholico, habeant aliquid excuſationis, ſatiſque probabili conſilio nitantur; alteri certè, qui promiſcuè hirudinibus vtuntur, quanquam hæmorrhoïdes in præſentia non tument, quanquam nullo tempore tumuerint, aut ſanguinem profuderint, quanquam alius à melancholico ſuccus redundat, mihi quidem vt videntur, nullam excuſationem neque iuſtam, neque probabilem habent, neque alicuius probati viri authoritate, aut certa ratione ſe tueri poſſunt.

Valent. c. 4.

Sed par eſt audire, quæ ipſi contra pro ſua opinione ſolent in medium proferre. Primùm igitur aiunt, hæmorrhoïdas eſſe vaſa aptiſſima ad corporis vniuerſi vacuationem: cum enim ſit rationi conſentaneum, ſanguinem, ex quouis loco ducatur, de toto corpore duci, vix dubium videtur, quin huiuſmodi venæ ampliſſimæ, & in medio corporis poſitæ communem illius vacuationem perficere poſſint. Hanc fuiſſe affirmant mentem Galeni, qui identidem numerat hæmorrhoïdas inter eas partes, quæ generaliter poſſunt corpus vacuare. Non longè abieris; *Conuenit* (ille inquit) *aliquando redundantes humores ſenſibiliter vacuare, aut vomitionibus aut clyſteribus, aut purgatoriis medicamentis, aut per lotia, aut per ſudores, aut per ſectionem venæ, aut per hæmorrhoidem, aut per vterum, aut ſcarificando*, &c. Immò verò Galenus videtur tanti hanc facere vacuationem, vt illam conſtituat nonnunquam tanquam vicariam ſectionis venæ, quod paulò ante indicauimus. Et quoniam facilè id quis potuiſſet obiicere, quod nos quoque iam monſtrauimus, hæmorrhoïdas ſcilicet vni purgando humori melancholico potiſſimùm fuiſſe deſtinatas, aduerſarij hanc obiectionem conantur diluere, affirmantes illas præterea totius corporis multitudinem, & omnes humores generaliter poſſe auferre. Ergo duos præcipuè profe

6. Epid. ſect. 2. com. 2.

4. de Tuen. Val. 4.

3. Epid. ſect. 3. 57.

proferunt locos Hippocratis,& Galeni : alterum, qui numerat nonnullos morbos, dolorem lateris, inflammationem pulmonis, & pleroſque alios, à quibus non corripiuntur, qui hæmorrhoïdas habent moderatè ac decenter fluentes, quos quidem conſtat inter omnes ab vno humore melancholico non perpetuò generari : alterum, in quo Galenus expreſsè ſcriptum reliquit, hæmorrhoïdas non propter vnã duntaxat cauſam fieri, modò ipſa natura melancholicum ſuccum purgante, modò multitudinẽ vacuante. Demum verò cum hanc ipſam mittendi ſanguinis rationem multis efferant laudibus hanc inter principales illi tribuunt, quod leuiter, ſenſim, atque (vt ipſi loquuntur) furtim ſan-
6. Epid ſect. 3. com. 25. guinem ſurripiat, ſine vlla virium iactura: qui teſtatum; cõpertúmque habent nonnullos, vel ſummopere debiles, ac ferè exanimatos à tali præſidio ſæpenumerò inſignem vtilitatem percepiſſe. Quare omni quidem tempore, tunc autem maximè, cũ quis habet vires debiliores, prædicant vſum hirudinum eſſe cum primis accommodatum, & neceſ-
Com. 3. in art. Med. ſarium. *Ac tanto maior* (inquit Argenterius) *agnoſcitur eſſe hirudinum vſus, quòd non ſolùm in validis corporibus, ſed etiam in debilioribus ac propemodum exolutis à febribus, etiam tutiſſimus eſt: quod ego ſæpe expertus ſum, & didici ab Hetruria medicis, dum Piſis medicinam profiterer.* Hæc aduerſarij, quantum intelligo, ad ſuam confirmandam opinionem ſolent afferre : ex quibus colligunt, hirudines ad venas hæmorrhoïdas applicatas vniuerſum corpus purgare, adeóque eſſe remedium ad curandos morbos, ac maximè febres à quouis putreſcente humore oriundas, præclarè accommodatum.

Veruntamen neque hæ rationes mihi quidem tales videntur, quæ apud viros doctos quicquam ponderis debeant habere. Quinetiam (vt liberè dicam) equidem cenſeo noſtros hirudinarios magis leui quadam prudentia motos, quàm vlla ratione adductos huiuſmodi medendi inſtitutum probare, ac defendere. Nam cum viri ſolertiſſimi ſatis intelligant, venæ ſectionem neſcio qua præſentis temporis iniuria ita malè audire, vt plerique ægroti, adſtantes, atque in primis mulierculæ eam libẽter declinent, ſæpiùs vel præſidij nomen horreſcant, vt illi quoque iſtud periculum declinent, & propriæ famæ conſulant, ad alios mittendi ſanguinis modos cõfugiunt, quos plerique omnes inuiti ſuſcipiunt, & qui omni vacant infamia, nec medici exiſtimationem offendere poſſunt. Sed ij memoria repetant, Deum Optimum Maximum noſtrarum cogitationum eſſe cognitorem, ac vindicem; neque ſolùm turpe eſſe, verùm etiam deteſtabile, ſi quis inanis gloriæ, aut triſtis auaritiæ ſtimulis excitatus ſimulandi, & diſſimulandi artem exerceat, neque eam fidem, & ingenuitatem ſemper adhibeat, quæ hominem philoſophum, & Chriſtianum decet. Itaque infelices medici, qui tum aliis multis incommodis aſſiduè torquemur, tum rei capitalis ingratè impiéque frequenter accuſamur, ac ferè cogimur culpam interius ægrotantium ſuſtinere, debémus contrà proprij officij conſcientia noſmet ipſos ſuſtentare, & conſolari, neque vllo vnquam tempore ab iis diſcedere, quæ ratione, ac ſummorum virorum authoritate nobis iamdiu præſcripta ſunt. Sed redeo ad rationes aduerſariorum. Id negari nec poteſt, nec debet, de quo inter omnes conuenit, miſſionem ſanguinis, ex quauis parte ille mittatur, ad vniuerſi corporis vacuationem pertinere : ſed ait Galenus id non fieri ſimiliter, ac celeriter ex omni vena. Quare alio loco lau-
1. de Vict. ac. 30. dat Hippocratis diligentiam, qui docet in morbis
4. de vict. ac. 21. acutiſſimis, internam dextri cubiti venam ſecandam eſſe, vt quæ omnium velociſſimè, & plurimùm principes partes euacuet. Et quicunque nihil putant intereſſe, hanc vel illam venam quis incidat, opinantes vndique fieri æquè efficacem totius corporis vacuationem, quorum Galenus mentionem facit aliquando, ij turpiter falluntur, & communem doctorum hominum conſenſum per-
Adu. Eraſiſtrateos c. 4. turbant. Quandoque Galenus, & cum eo probati omnes medici volunt, vt variæ corporis partes laborent, ac res ipſa poſtulat, modò vnam, modò alteram venam ſecari, idque non minimi intereſſe. Quanquam igitur & nos fatemur non inuiti, venas hæmorrhoïdas vtcunque vniuerſum corpus poſſe vacuare, veruntamen ſi memoria repetantur, quæ ſunt de hac re tradita ſuperiùs, nemo item mihi poteſt negare, illas nec celeriter, nec tutò, nec probè talem, & tantã vacuationem perficere, qualis, & quanta plerúnque eſt opportuna, & perficitur ſectione venæ. Nec certè Hippocratis & Galeni teſtimonia ſunt ab huiuſmodi ſenſu aliena.
6. Epid. ſect. 2. com. 2. Primo loco numerantur ferè omnes corporis partes, per quas redundantes humores conuenit vacuare : ex quibus medicus ſeligit modò vnam, modò alteram, modò plures, vt fert opportunitas morbi, ætatis, habitus, conſuetudinis, & rerum aliarum, quæ eandem habent rationem, in primis autem vt ducenda excrementa poſtulant. Quamobrem ſicuti nonnunquam vtitur vomitu, ſi laboret ventriculus; clyſtere, ſi excrementa contineantur in inteſtinis; quod pariter de cæteris partibus ſtatuendum eſt: ita etiam fieri poteſt, vt ex vſu futura ſit vacuatio per hæmorrhoïdas, nimirùm ſi illæ antea fuiſſent retentæ, ſi forè morbus fuit melancholicus, atque atram præcipuè bilem ducere expediat. Alioqui niſi hanc interpretationem recipias, vt fatearis neceſſe eſt, & vomitu, & clyſteris cunctos duci humores, & cõmunem fieri corporis vacuationem. Quare equidem non ſatis intelligo, quomodo hic locus ſit ab aduerſariis. Porrò hæmorrhoïdes authore Galeno tantundem valent, ſi aperiantur, ac ſectio venæ, hæc ſpeciatim adhibita conditione, ſi antea ſanguinem profundere conſueuiſſent, & nunc ſint reſtrictæ; quod rationi maximè conuenit. Etenim ſi accidat, vt propter retardatum, aut reſtrictum fluxum huiuſmodi venarum aliquis laboret laſſitudine ex cacochymia, cui ſit adiuncta ſanguinis plenitudo, de qua agitur loco ab aduerſariis citato; vel alius præterea adſit morbus, vel affuturus timeatur, nulli dubium eſſe debet, quin illarum apertio futura ſit opportuniſſima, & valitura
4. de Tuen. Val. 4. tantundem, ac ſectio venæ: vtpote quæ proximam cauſam morbi reſpiciat, & auferat. Quid enim tũc aliud agendum fuerat? Quippe eſt neceſſarium naturam pondere inſolito oppreſſam, & afflictam, illo depoſito recreari, & reſtitui. Hoc item ſtatuit Galenus de menſibus mulierum, qui eadem ratione, niſi retineantur, non debent prouocari. Verùm quid (obſecro) iſtud conuenit cum aduerſariis, qui ſiue hæmorrhoides quodam tempore, ſiue nunquam fuerint apertæ; ſiue iam tumeant, ſiue non tumeant, ferè ſemper, nullóque adhibito iudicio conſueuerunt ſuas hirudines adminiſtrare? Sanè mens Galeni à mente iſtorum mihi videtur eſſe longè aliena. Scio nonnullos doctos viros aliter ad hunc locum reſpondere, qui prorſus negant hæmorrhoidum apertionem, eandem præſtare operam, quam præſtat ſectio venæ. Quare arguunt Linacrum, quaſi parum accommodatè Græcam vocem, *ἰσάζουσι, tantundem valent*, fuerit interpretatus. Verùm mea ſententia res eſt parui, fortè etiam nullius momenti. Non nego equidem, Linacrum fideliùs eam vocem vertere, illiuſque vim magis explicare potuiſſe

potuiſſe, ſi πρὸ, tantondem valet, proportione reſpondet, aut quid tale fuiſſet interpretatus: ſed quouis modo eam vertas, eadem prorſè mihi videtur eſſe ſignificatio. Namque Euclydes, & Ariſtoteles exponunt analogiam, vt nomen ſonat, æqualitatem rationis: ac ſi verè attendis, vnumquodque eorum, inter quæ cadit proportio, eandem fatebris in proprio genere vim habere. Sic apud ipſum Ariſtotelem in libris de Animalibus, ſpinæ piſciū proportionem habent ad oſſa terreſtrium animalium: ſic ſquamæ pennis auium proportione reſpondent: ſic alia paſſim non deſunt exempla. Quocirca noſtra nos reſponſione erimus contenti, quam credimus cum veritate, & Galeni mente prorſus conſentire. Immò verò mihi videor poſſe hinc colligere certam regulam ex Galeni diſciplina, venas ſcilicet hæmorrhoïdas minimè proportionem habere ad ſectionem venæ, nec eſſe aperiendas, niſi fuerint retentæ; namque Galen. illud ſcribit apertè, & adhuc apertiùs ſe ipſe declarat inquiens, ſi non illæ fuerint reſtrictæ, haud eſſe aperiendas, ſed illarum vice faciendam eſſe malleolorum ſcarificationem. At verò duo loci Epidemiorum videntur maiorem continere difficultatem: ſed tamen cum certum ſit viros grauiſſimos ſibi omni ex parte, ac perpetuò conuenire, nō eſt dubium, quin illi quoque poſſint commode ad veritatem referri, & explicari. Puto igitur Hippocratem priore loco ſermonem habere de pleuritide, peripneumonia, cæteriſque morbis, haud generaliter, ſed iis tantùm, qui ab vno potiſſimùm humore melancholico originem habent. Namque (vt Galeno placet) ſi hæmorrhoïdes fieri nullo modo poſſunt, præter quàm vno in primis coaceruato humore melancholico; ſi eædem ſuperuenientes nequeunt iuuare delirium ex flaua bile ortundum, quî fieri poteſt, vt pleuritidem, peripneumoniam & alios morbos ex hoc ipſo humore ortos poſſint præcauere? Galenus inſuper hanc interpretationem manifeſtè confirmat, qui interpretans hunc locum, nonnullos arguens, qui vocem *phagedana*, ad ventriculi vitium referebant, nimirum quando ille vehementer cibum aſſumit immodicè, nec ſatiari vorando poteſt; hæc habet.

5. Elem. def. 4. Ethic. cap. 5.

6. Epid. ſect. 1. 37. *Porrò nonnulli phagedenas multorum ciborū eſum eſſe voluerunt: quos ipſos à vitiatis humoribus immodicos edēdi appetitum excitantibus prouenire, & à nobis cōceditur. Non tamē huic malorum ſuccorum copia, ſed melancholia potius hæmorrhoïdas mederi ſtatuimus. Quippe huiuſmodi ſuccorum frigidus acor talē ciborum appetitum excitans & in nonnullis hæmorrhoïdas habentibus interdum inuentus eſt.* Cum ergo Galen. confirmet expreſsè, venas hæmorrhoïdas purgare minimè copiam malorum ſuccorum generaliter, ſed potius melancholicorū, quæſo quomodo pleuritis, peripneumonia, ac cæteri morbi, niſi ab his ipſis humoribus melancholicis oriantur, poſſunt illorum opera declinari? Ac ſanè res mihi videtur manifeſtior, quàm vt indigeat longiore explicatione. Venio ad poſteriorē locum cuius ſeries vniuerſa per nos Latinè reddita ita habet. *Plurimi autem circumſcribentes ipſam per ſeipſam propoſitā dictionē, principium ſequentis fecerunt, videlicet, nigra*

6. Epid. ſect. 3. 25. *bilis, vt ſimile hæmorrhoïdi. Quod quidē igitur melancholia ab hæmorrhoïdibus iuuētur ex iis eſt quæ manifeſtè apparent: & multos vidimus ex eius ſuppreſſione melācholia correptos; aliquos verò non ſolū ſemel, vel bis, ſed ter, & quater in melancholiā incidiſſe, ſimul ac conſtitit hæmorrhois: aliquos verò ſingulis annis in paſſionē incurriſſe, niſi anticipaſſent iuuari vel per hæmorrhoïdem, vel per purgationem nigræ bilis. Plurimi quidem igitur ex his ſanguinem nigrum euacuant per hæmorrhoïdem; non tamen omnes. Fit igitur non vna de cauſa hæmorrhois, ſed aliquando quidē ipſa natura purgante melancholicū ſuccū, aliquando verò multitudinē vacuante. ſicut in illis quoque, quibus ſanguis per nares effluit: eſt verò quū vena ob vim eius, quod in ipſam decumbit, adaperta abſque eo vt natura cōſultò hoc faciat; propterea, & quod euacuatur, interdū nigrum non eſt, quàuis natura, vt nigrum euacuet apertionem faciat: contingit verò aliquando euacuata prauo ſuccedere id quod vtile eſt, quādo vas non prius ſit occluſum ſed amplius adapertum manſerit. Iuxta propoſitā igitur dictionē non hoc dicere ipſum exiſtimandum eſt, quod omnis hæmorrhois nigram bilē euacuet, & propter hoc melancholicos iuuet quidē facta, lædat verò cohibita. & quod aperiēda ſit, ſi claudatur.* Hactenus Galenus; quem conſtat ſermonem habere de fluentibus hæmorrhoïdibus. Itaque primùm generaliter accipit, tanquam manifeſtum, & ab omnibus conceſſum, hæmorrhoïdas iuuare melancholiam; qui affirmat multos huiuſmodi purgationi ante aſſuetos, illa deinceps ſuppreſſa, fuiſſe melancholia correptos, & ſemel, & bis, & ter, & ſæpius; nonnullos incidiſſe in morbum quotannis, niſi tempore opportuno prius ſibi cauiſſent, aut aperta hæmorrhoïde, aut expurgata nigra bile. Cuius quidem rei ſcribit aliàs elegantem hiſtoriam de L. Martio viro illuſtri, qui cum ſingulis annis in melancholiam incurrere conſueuiſſet, ac medici illo tempore vulgo habiti principes, ſed reuera ignorantes, & ſtolidi pituitoſum, & bilioſum humorem purgarent, nec propterea proficerent quicquam, tandem conuocato Galeno, & illo authore, purgato humore melancholico, ſtatim eſt à melancholia liberatus: neque verò ſolum à præſenti morbo liber euaſit, ſed etiam facta deinceps purgatione, & vere, & nonnunquam autumno, nunquam poſtea, ſumma cum Galeni laude, eiuſmodi malo correptus eſt. Quoniam verò aliquis potuiſſet exiſtimare generaliter, ac perpetuò per hæmorrhoïdas purgari ſanguinem melancholicum, ex quo multa abſurda potuiſſent contingere, idcirco hanc rem declarat diligentiùs, atque, plurimos quidem homines per haſce venas purgare nigrum ſanguinem, ſed tamen non id in omnibus, ac ſemper fieri. Quippe fit, vt hæmorrhoïs ſanguinem fundat propter duplicem cauſam; alteram natura purgante melancholicum ſuccum; alteram, vacuāte communem humorum multitudinem ſicuti iis accidit, quibus ſanguis per nares effunditur.

de Humoribus 26.

Quod ad priorem attinet, ſatis docuerat in aphoriſmis propter multitudinem, & craſſitudinem ſanguinis ora venarum aperiri iecinore in ipſas fæculentum, & melancholicum ſanguinem reiiciente, nec de ea longiùs agendum eſt. Quod verò pertinet ad cauſam poſteriorem, placet Galeno ſanguinem per hæmorrhoïdas emitti adeo profusè, quotieſcunque ſanguis violenter, & facto impetu præcipiat ad eas venas, vt propterea facilè aperiantur. Id quod vſu venit præter propoſitum, & inſtitutum naturæ, cuius rei illud certiſſimum eſt argumentum, quod ſanguis, qui educitur hoc tempore, interdum niger non eſt, cum tamen conſueuerit natura propter eam maximè cauſam eiuſmodi venarum apertionem facere, vt nigrum ſanguinem vacuet. Sed aliquando etiam contingit, purgante natura, & vtiliter quidem ſanguinem prauum, vt probus quoque deinceps ſequatur, & profluat, quando ſcilicet, non in tempore vaſa fuerint intercluſa, ſed tardiùs, quàm deceat, aperta permanſerint.

Porrò quæ hîc ſcribuntur à Galeno, præter quàm quòd maximè congruunt cum ratione, quotidiana experientia poſſunt confirma-

ri; nec puto eſſe aliquem in artis operibus vel leuiter exercitatum, qui non haſce varias fundendi ſanguinis cauſas, & rationes animaduerterit ſæpenumerò. Ex iis tandem colligit Galenus, in propoſita dictione Hippoctatem non id voluiſſe, & docuiſſe, quòd quælibet bæmorthoïs, & quouis modo apetta nigram bilem vacuet, & pet conſequentiam facta quidem iuuet, cohibita autem lædat melancholicos, ac proptetea ſi contingat eam claudi, reſeruandam eſſe: cum reuera hæmorrhoïdes tatummodo illo tempore, cum purgant ſanguinem melancholicum, ſint accommodatæ ad curandos, & præcauendos morbos, qui ab ſuccis melancholicis oriuntur. Quæ ſanè couclufio, & doctrina admodum conuenit cum iis, quæ ab eo tradita ſunt, tum aliis locis, tum maximè commentatiis Aphoriſmorum, quæ temerè hic non ſunt repeteuda. De hoc loco mihi libuit paulò plura dicere, quòd ſciam, hirudinarios in hoc potiſſimùm Gal. teſtimonio ſuam fundate opinionem; ſed quanta cum ratione id faciant, alij viderint. Nam ſicuti conſtat omnes venas totos continete quatuor humores, & qualibet eatum aperta communem vtcunque fieri corporis vacuationem; de qua re ſatis diximus ſuperiore diſputatione; ita altera ex parte puto manifeſtum eſſe in Galeni diſciplina, & hic, & vbique venas hæmorthoïdas habete peculiatem prætogatiuam recipiendi, & purgandi eum primis humoris melancholici, ac propterea iuuandi motbos, qui ab illo oriuntut: illud non addo, ſi hæmorrhoïdes interdum cæteros humores à melancholico deiiciant, eiuſmodi vacuationem eſſe præter inſtitutum naturæ, inutilem, ac periculoſam, miniméque illi aſſueſcendum.

3. de humoribus 26.

Scire conuenit (inquit Galenus) *non ſemper boni conſulendum eſſe vt ſanguis per infernas partes & hamorrhoïdas effluat: ſed tum denique cum nigra excernuntur, & cum hominis natura multum huiuſmodi humoris accumulat; alioqui natura non eſt tali vacuationi aſſuefacienda. Quippe quæ vtrũque exceſſum periculoſum habeat; & cum ſangnis vltrà modum excernitur, & cum ex toto cohibetur.*

4. Aphor. 25.

Sic Hippoctates generalitet pronunciat, ſanguinem qualiſcumque ſit supernè ferri, malum eſſe; infernè autem bonum dummodo ille niger deiiciatur, hoc eſt Galeno interprete, quando huminis natura multum huiuſmodi accumulauerit ſanguinem, &c. Quod ſi hæc naturæ lex ita ſe habet, iam ſatis debet conſtate, neque artem illius imitatricem debere, aut poſſe per hæmorrhoidas communem corporis vacuationem adeò frequentet tentare, vt fieri hoc tempore videmus.

Demum venio ad eam principalem rationem, cui nitens aduerſarius hitudinum vſum tantopere probat, atque extollit, nimitum quòd talis vacuatio careat omni periculo, neque vllum viribus, quantumuis labefactatis detrimentum poſſit afferre: quo præcipuè tempore, ac morbi progreſſione affirmat illatum vſum eſſe quam maximè commodum. Ta.netſi neque hac in re ſatis ille ſibi ipſi conſtat, qui viribus etiam bene valentibus, ſtatimque in principio morbi hitudinibus frequentiſſimè vti ſolet. Sed huiuſmodi quoque tatio non ita magni ponderis apud me eſſe poteſt. Nam ſi quælibet miſſio ſanguinis (quod antea iam ſatis confirmauimus) perpetuò tobur virium deſiderat, quamobrem hitudines detrahentes ſanguinem habent hāc prærogatiuam, vt viribus etiam vehementer debilibus tutò poſſint adminiſtrari: Neque ſcio equidem, dummodo eandem ſanguinis menſuram ducas, cur vites magis altero, quam iſto modo reddātut infirmiores. Fieri ſanè poteſt aperta vena principali, fortè etiam facto amplo foramine, adeóque

4. de Praſag. pulſ. c. 12.

proximè educto ſanguine, veluti ex proprio fonte, vt vnà cum illo ſpiritus magis largiter, & copioſè effluat, quàm apertis hæmotthoïdibus. At verò eiuſmodi virium debilitas, ſi Gal. credimus, leuiſſima cenſenda eſt, ac nullo negotio poteſt reparari. Immò etiam ſi quis ſeriò velit hanc ipſam rationem virium, ac tutelam conſiderare, is fortaſſe non verebitur ſectionem venæ hirudinibus anteponere. Siquidem in ſectione venæ maximum id bonum eſt quod tuo arbitratu vacuationem poteſ ſiſtere, ac rurſum quo tibi placuerit tempore, iterū vt fluat permittete, ſicuti tes poſtulat. Cōtrà autem vix puto fieri poſſe, vt hirudines congruam, determinatámque ſanguinis quantitatem eliciant, quæ ad vires habeat proportionem; quando non ſolùm præſenti tempore illis proximè ablatis, ſed etiam poſt vnam, aut alterā diem, non ſatis obducta vulneri cicatrice, aut propter alui deiectionem, aut propter aliam cauſam vulnera quandoque refricantur, & aperiuntur, adeóque tantam ſanguinis copiam profundunt vt nullis medicamentis non ſine inſigni virium iactura poſſit cohiberi. Age verò, finge quempiam febre, aut alio morbo laborantem, qui vires habeat imbecillas, ſimulque vacuationis indigeat. Quidnam docet Galenus per id tēporis faciendum eſſe? An fortè vſum hitudinum, & bæmorrhoïdum apertionem commemorāt? An magis inſtitura ea ratione curandi quam vocat per epicraſim, bis, ter, & ſæpiùs iubet venam ſecandam eſſe? de qua re diximus antea, quod eſt ſatis. Prætetea verò cū hæmorrhoïdes naturæ ductu, ac per ſe fluentes melancholicum ſanguine plerúnque deiiciant, mihi protſus non conſtat, an illæ apettæ hirudinibus poſſint hunc ipſum humorem emittere; eandémque operam præſtare. Namque verè ego non verebor affirmare totos ſex & ttiginta annos, quibus ſine intermiſſione medicinā facio, quamuis diuturna adbibita obſeruatione, me nunquam vidiſſe hirudinum opera craſſum, & atrum ſanguinem fuiſſe ductum, vno in perpetuum fluēte ſanguine flauo, ac propemodum rubro, quem puto eſſe partem illius tenuiorem. Id quod fortaſſe propter eam maximè cauſam fieri ſolet, quod hitudinem vulnera ſint anguſtiora; quàm vt craſſior ille ſanguis poſſit pertranſite. Ac ſanè cum ſtatutum ſit Gal. ac cæteris bonis medicis, ad mittendū ſanguinem melancholicum illam eſſe adhibendam cautionem, vt foramen venæ lateat, vix licet cogitare, quomodo anguſtiſſima iſthæc foramina ad hanc ipſam rem ſint accommodata. Ex quo factum eſt, vt non defuerint medici illuſtres partim antiquiores, partim recentiores, atque intet cæteros proximo ſuperiore tempore Franciſcus Frizimelica, meus præceptor, vir nunquam ſatis dignè laudatus, qui cenſent in apetiendis hæmorrhoïdibus ferrum longè hirudinibus eſſe anteponendū: cum ita liceat noſtro arbitratu grandiuſculum vulnus infligere, vnde craſſus humor libetiùs & faciliùs poſſit exire. De quorum ſententia aliàs diximus Audio equidem induſtrios quoſdam medicos ante hirudinum adminiſtrationem calente aqua locum fouere conſueuiſſe, qui hac præparatione aſſeuerant ſanguinem craſſiorem facilè deduci. Sed & huiuſmodi inuentum re ipſa deprehendet vanum eſſe, ac ſuperſtitioſum, ſi quis id voluerit perpendete, & experiri. Namque ſi hæmorrhoïdes non tument, nullúſque à natura ſanguis in illas demittitur; quam tenuitatem licet expectare ſucci craſſioris, qui nullus adeſt? Deinde tametſi illæ ſunt tumidæ, & ſanguis eſt craſſus; qualem præparationem poteſt afferre aquæ fomentū in extremis partibus poſitū, & quod altius nequit penertare: Gal. quidem atque illum deinceps imitatus Auicenna

docere

docent eam partem, cui ſunt adhibēdæ hirudines, antea nitro, vel (vt aliis placet) ſanguine alicuius animalis fricandam, aut vnguibus ſcalpendam eſſe: quamobrem? nimirum vt illæ faciliùs, & auidius adhæreſcant: poſt item quàm hirudines exciderint, cucurbitula, vel ſi id non licet, fotu per ſpongiam adhibito vtendum eſſe: vt ſcilicet locus, qui ab hirudine natura frigidiore, necnon ab aëris iniuria eſt refrigeratus, incaleſcat, & quod ab ea venenatum relinquitur, omni ex parte ducatur. Quamobrem neque iſtæc fortaſſe cogitatio vlla vel ratione, vel experientia poteſt confirmari. Verùm vt hæc ſe res habeat, mihi profe-ćto mirum videtur, quamobrem qui huiuſmodi hæmorrhoïdum purgatione tantopere gaudent, non illas prouocare malint ſectione venarum inferiorum, ſcarificatione crurum ac poſtremo externis poſitis medicamentis: qui multiplex illarum aperiendarum modus ſicuti antiquioribus medicis fuit valde frequens, ac familiaris, ita fortè cenſendus eſt ad eam rem vehementer accommodatus. Sed nobis, qui nouitate mirandum in modum delectamur, iam vetera omnia ſordent.

Ex iis quæ diſputaui hactenus, ſatis vnicuique poteſt conſtare miſſionem ſanguinis ex venis hæmorrhoïdibus per hirudines curandis febribus putridis non eſſe adeò commodam, & congruentem, vt tam frequenter, quàm vulgo fieri ſolet, debeat adminiſtrari. Potiſſimum verò id poteſt, ac debet certo conſtare, ſi tale remedium cum altero inſigni & ſummo remedio, cum ſectione venæ comparetur. Quod quidem etſi porro non indigere longiori confirmatione, ac præcipuè apud illos, qui memoria velint repetere indicationes curandi huius morbi à Galeno poſitas, iamque à nobis diffusè explicatas, tamen ad informandos, & confirmandos animos nouitiorum, rurſum mihi liceat vnum, aut alterum ſcopum exempli gratia in medium proferre, ac perpendere. An vlli dubium poteſt eſſe, quin prohibita tranſpiratio, vnde proximè generatur putredo, multo celeriùs, faciliùs & feliciùs adiuuetur ſecta vena cubiti, ampióque (quod boni omnes medici imperant) facto foramine, per quod igneus, fuliginoſúſque vapor expirare probè poteſt, quàm adhibitis hirudinibus venis hæmorrhoïdibus, quæ (vt modò diximus) paruo ſuo, & anguſto morſu vix vllam hac in re operam poſſunt præſtare? Præterea ſcribit Galenus febres putridas raro fieri, quin ex parte aliqua determinata, quaſi quodam foco oriantur: quotidiana ex ventriculo; quartana ex liene, tertiana ex iecinore. Quod ſi in febre bilioſa, quæ maiori ex parte ſolet contingere, rationem iecoris oportet habere, vt ſanè, ac præcipuè oportet, ſecum cogitet hirudinarios, ſectáne vena applicata maiorem vtilitatem ſit allatura? In reliquis ſe facilè vnuſquiſque poteſt exercere. Ad hæc licet addere & alia quædam non ſpernenda pericula, quæ nonnunquam ex vſu hirudinum ſolent originem habere. Namque fit non raro, vt hinc natura aſſueſcat, & diſcat tranſmittere ad eas partes tanquam ad ſententiam totius corporis, cunctos humores vſque adeò violenter, & immoderatè, vt huiuſmodi fluxio vix cohiberi poſſit: ex quo & iecinoris, & ventriculi, & totius corporis vires diſſoluuntur ſæpenumero, mali fiunt habitus; ac ſpeciatim progreſſione temporis ſequuntur vlcera putrida, cacoethe, & quas fiſtulas appellant, eaque prorſus difficilia, & periculoſa. Sed & hæc, & alia fortaſſe id genus, nolo exaggerare longiùs, & amplificare, ne videar nimis auidè iſtud remedij genus inſectari, qui non ignoro, vt dixi

1. ad Glau. cap. 5.

initio, illud quandoque haud leues vtilitates attuliſſe, ac propterea cupio illius abuſum duntaxat corrigi, minimè vſum ex toto infirmari, atque deleri.

Sed hanc partem finio. Cum authoribus Hippocrate, & Galeno venæ hæmorrhoïdes præcipuè fuerint à natura deſtinatæ purgationi humoris melancholici; cum nunquam liceat eas prouocare, niſi antea fuerint retentæ; cum illæ, ſi quando expedit, ſecta vena inferiore, ſcarificato crure, ac variis medicamentis opportunè, & facilè aperiantur; cum hirudines anguſto ſuo foramine hauriant partem ſanguinis ſubtiliorem; cum membri ſpeciatim laborantis ferè nullam rationem habeant; cum tranſpirationi prohibitæ, vel anguſtam, vel nullam viam faciant; cum plerunque incertam ſanguinis menſuram ducant; cum poſtremo non leuia pericula nonnunquam ſecum afferant; concludendum puto, ac ſumma cum ratione, huiuſmodi remedium, venæ præſertim ſectioni comparatum, curandis febribus putridis minimè tam commodum, opportunum, ac tutum, quàm vulgò creditur, illúdque raro admodum, & non ſine delectu, ac iudicio à medico vtente ratione adminiſtrandum eſſe. Cæterum poſtremo hoc loco, tanquam additamentum, mihi libet ſeriem quandam apponere, quam memini apud Arabem quendam medicum me legiſſe aliquando, quæ fortaſſe à præſenti inſtituto non videbitur aliena, illi potiſſimum, qui his hominibus plurimum tribuit, eorúmque doctrina delectatur. Itaque Rabbi Moyſes in conſilio ad Soldanum Babyloniæ melancholia laborantem ex propria lingua, vel magis interpretis hæc habet: *Qui verò medicorum dixit, quod ſi flueret ſanguis ex venarum orificiis nunc, ſicuti alio tempore fluxus, quod recederent iſta accidentia, hoc verum eſt, in quo non eſt dubium: quoniam ſanguis iſte, qui procedit, non eſt niſi fax ſanguinis; & eius ſuperfluitates, quas natura expellet propter malitiam eius per aliquam viarum criſis. Qui verò dixit, apertionem orificiorum venarum fieri per ſeſſionem in aquis, qui hoc faciunt, error eſt, nec ſeruus concedit hoc modo aliquo propter multas cauſas, quas oſtendit. Prima eſt, quòd illa medicina, quas faceret, vel aqua, in quibus ſederet, calida ſunt, & neceſſario calefacerent complexionem, & inflammarent humores. Secunda eſt, quia natura, quando aperit has venas, competenti modo aperit eas, ſecundum quod oportet; ſed cum medicinis, vltra quàm oportet, aperiuntur, & multiplicatur fluxus ſanguinis, qui difficilis erit conſtrictionis; quod non accedit, quando per ſe fluit, quamuis fluat multoties, & non valeat conſtringi. Tertia eſt, quoniam iſta vena quando aperiuntur per ſe, exit ex eis, quod exire oportet: natura enim expellit ad extremitates, & virtus expulſiua excitata eſt ad expellendum; ſed quando aperiuntur per has, tunc fluit quod non debet fluere. Sed dico vniuerſaliter quòd non oportet nos accedere ad hoc artificium, niſi loca ſint apoſtemata, & augmentetur earum dolor valde: tunc enim oportet eas aperire cum medicina, donec exeat ex eis, quod immiſſum eſt illud de ſanguine, qui locum apoſtemauit; & erit actio noſtra tunc quaſi ex imitatione natura. Sicuti inconueniens eſt ante tempus aperire apoſtema, & educere quod in eo eſt, ſic non conuenit, quòd faciat Dominus noſter modo aliquo. Quòd ſi ſponte contingat fluere, ſicuti multoties facere conſueuit, non intendat illud aliquo modo, niſi res grauaret multum, & vltra menſuram reſtringeret.* Hæc Moyſes. Ex qua quidem narratione alioqui impolita, & barbara, multa colligi poſſunt de re, quam agimus, præcepta ſalutaria, & quæ ſententiam noſtram non parum poſſunt confirmare. Hactenus de hirudinibus.

DE CVCVRBITVLIS

Scarificatis.

IAm tertio loco ſequuntur ſcarificatæ cucurbitulæ, quæ pariter magnos habent propugnatores, ac patronos, atque hoc tempore cum in aliis morbis, tum maximè in febribus adminiſtrantur frequentiſſimè. De his diximus noſtro libello de Peſte; ſed quambreuiſſimè, vt locus ille poſtulabat: nunc vero nobis liceat in eodem argumento rurſum verſari paulo accnratiùs.

De hoc remedio plerique loquuntur admodum confusè & variè: nam cum veteres medici frequenter mentionem faciant ſcarificationis malleorum, quam ſummis efferunt laudibus; aiuntque proximè accedere ad ſectionem venæ, multi non ſolùm plebeij, ſed etiam nobiliores medici putant inciſas cucurbitulas & ſcarificationem malleolorũ vnam, & eandem rem eſſe. Inter quos ipſum quoque Auic. poſſumus numerare, qui identidem ſcribit cucurbitulas eſſe vicarias ſectionis venæ; ac ſpeciatim locum Gal. qui manifeſtè pertinet ad ſcarificatos malleolos, explicat, & accommodat ad
Lib. 2. ſer 4. cap. 31. ipſas cucurbitulas, quaſi nihil inter ſe differant. *Et ventoſæ* (ille inquit) *quæ cruribus ſuperponuntur, ſunt minuitioni propinquæ, & mundificant ſanguinem, & prouocant menſtrua. Et ei quidem, quæ ex mulieribus alba exiſtit, & rara ſanguinem habens ſubtilem, ventoſæ in cruribus poſitæ ſunt meliores, quàm phlebotomia, quæ fit in ſaphena.* Sic Hieronymus Cardanus (cuius vel inſcitiam, vel malitiam nequeo diſſimulare) non ſolùm quoſdam Galen. locos de malleolorum ſcarificatione malè interpretatur, ac refert ad inciſas cucurbitulas, ſed etiam nimis licenter, ac temere ſcripturam peruertit ſuo arbitra-
Lib. 2. contr. Med. Tra. 3. cap. 16. tu, qui ſcribit ad hunc modum. *Si ſanguis plurimum abundat, vena ſecanda eſt, vel aliquid ei æquiualens meliùs oportet. Sunt autem quæ æquiualent ſectioni venæ, retentarum hæmorrhoidum apertio, vel menſium ſuppreſſorum, vel in quibus nihil eſt tale, malleolorum cum cucurbitula ſcarificatio*, inquit Gal. in 4. de Tuen. Valetud. Quippe certum eſt ibi Gal. cucurbitulæ nullam prorſus mentionem feciſſe. Sic alij paſſim occurrunt, de quibus non eſt,
Cap 4. vt longiorem mentionem faciamus. Ac fortaſſe ex communi huiuſmodi perſuaſione præcipuè factum eſt, vt hoc tempore ſit adeò frequens cucurbitularum adminiſtratio. Etenim cum præ cæteris Gal. apertè conſtituat ſcarificationem malleolorum, tanquam vicariam ſectionis venæ, quicunque cenſent vulgatam ſcarificationem per cucurbitulas nihil ab ea ſcarificatione differre, ij non ſine ratione videntur huiuſmodi remedium poſſe tueri. Et ſanè in conſultationibus de mittendo ſanguine, frequenter licet audire medicos abhorrentes à ſectione venæ, atque in locum illius ſubſtituentes ſcarificatas cucurbitulas, qui hoc potiſſimùm argumento nituntur, quòd Gal. ſcriptum reliquerit ſcarificatas cucurbitolas tantumdem poſſe, eandémque operam præſtare, quam præſtat ſectio venæ.

At verò ſi quis voluerit diligenter animum adhibere; id (puto) non inuitus fatebitur, rem ſe aliter habere, atque iſtæc duo præſidia, ſcarificationem (inquam) malleolorum, & quæ vulgo fit cum cucurbitulis, non parum à ſe inuicem diſſidere; id quod etſi ex variis vtriuſque vſibus, & ſcopis, ex vario item modo adminiſtrationis, & aliis argumentis debet ſatis vnicuique eſſe perſpicuum, ex eo tandem poteſt intelligi manifeſtiſſimè, quod Gal. Oribaſius, cæterique omnes de vno, & altero præſidio agunt ſeparatim. Imò verò ſi velimus rem ad vnius Gal. diſciplinam referre, vſque adeò certum eſt iſtæc duo præſidia eſſe diuerſa ac diſſimilia, vt contendant nonnulli, nuſquam illum ſcarificatarum cucurbitolarum mentionem feciſſe: ego quidem (niſi me fallit memoria) id ſemel tantùm, aut bis memini apud ipſum me obſeruaſſe: quando nimirum ſcriptum reliquit incipientibus, & vigentibus capitis grauitatibus, ac dolori-
bus reuulſionem per cucurbitulam in occipite poſitam interdum ſolam, interdum etiam cum ſcari- *De Sang. Miſſ. c. 19.*
ficationibus prodeſſe: & iterum, cum ex Archigene ſcarificatarum cucurbitularum mentionem facit, quas efficaciores appellabat. Sed non abs re *3 de Loc. Aff. c. 4.*
fuerit de ſcarificatione quoqoe nonnulla altius repetere, & accuratiùs exquirere, cum res ſit admodum difficilis, longè maximi momenti, & à nemine, quem ſciam, adhuc ſatis explicata.

De ſcarificatione ſcribit Gal. & ad ſummam tres præcipuos vſus docet iſtius remedij; vnum, qui pertinet ad propriam vacuationem partis, ſi quando inflammatione, duritie, tenſione, aut alia affectione laborat, quæ humoris in ea contenti, & impacti vacuationem poſtulet: ad quem modum ſcribit in alopecia, carbunculis, abſceſſibus, & aliis morbis huiuſmodi auxilium vtiliter adhiberi: in quo quidem modo ſcarificationis illud perpetuo debet obſeruari, vt corpus iam fuerit expurgatum, nec humores fluant adhuc; alioqui imminente periculo, ne malum magis irritetur, & duplicetur: alterum, qui ſpectat ad reuulſionem, quotieſcumque materiam ex aliis partibus in alias traducere volumus. Sic manu laborante ſcarificamus crura; *13 Meth. c. 56. Epid. ſect. 5. 21.*
cruribus fluxione tentatis ſcarificamus brachia, vel (vt placet Hipp.) venas aurium poſteriores: ſub quo genere deriuatio quoque comprehendi poteſt: iis tertium addit, cum materiam in corpore redundantem minuere nobis conſilium eſt: quod affirmat fieri potiſſimum vnis cruribus ſcarificatis; atque iſtud maximè videtur probare, vbi redundantia prouenit à materia, quæ vacuari antea conſueuerat, veluti ſi hæmorrhoides ſupprimantur: qui non cenſet expedire ſæpius in anno venam incidere. Hic porro tertius vſus præ cæteris omnibus fuit valde familiaris ipſi Gal. qui ſcribit non ſemel, plenitudinem commodè auferri, aut ſecta vena, aut infernis partibus ſcarificatis, & loco prorſus notabili hæc habet; *Euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem: proxima autem huic eſt, quæ per malleolorum fit ſcarificationem, vt nos facere conſueuimus.* Galen. ſubſcribunt Aëtius, cæterique omnes, quicumque de hac re diſputant, vt nihil præterea notatione dignum afferant. Sed neque illud eſt prætermittendum, quod idem Galen. nos docet, ipſam nempe ſcarificationem, cum multas habere poſſit differentias, in tres tamen commodè poſſe referri. Quippe huiuſmodi cutis; & ſubiectæ etiam carnis diuiſio, ac vulneratio multiplex, vel tenuis eſt, ac ſuperficiaria, vel contra maior, ac profundior, vel inter duas longitudine, & profunditate medium locum obtinet. Quibus omnibus Galenus teſtatur ſe vſum fuiſſe in abſceſſuum curatione. Quæ ſcarificationes in ſuperficie fiunt, non trahunt è longinquo, vix quicquam reuellunt, aut deriuant, ſed in ſumma tantum cute hærentem humorem educunt: quæ longæ ſunt, & profundæ plurimum ſanguinis exhauriunt, adeò vt animi deliquium aliquando inducant, reuellunt è partibus etiam remotiſſimis, deriuantque validiſſimè: quæ ambarum ſunt mediæ, earum pariter incommoda declinant, ideóque aliis debent præferri, quotieſcumque ſcarificationis vſus inciderit.

Verùm

Verùm cæteris prætermiſſis modis,& vſibus ſcarificationis, de quibus agere non eſt præſentis inſtituti, ad illam ſcarificandi rationem redeo, quæ pertinet ad communem corporis vacuationem, de qua præcipuè nunc agimus.

Centu. prima. Cur. med. 19. Recenti memoria ſcripſit de huiuſmodi præſidio Amatus Luſitanus, qui arguens omnes medicos, præter Hiſpanos, qui illud prorſus negligant, veteribus medicis, ac potiſſimum Galeno tantopere probatum, valde affirmat ſcarificationem brachiorum,& tibiarum in puerulis præclaclariſſimam operam præſtare, ac proinde rationem docet iſtiuſmodi operationis, quam profitetur ſe primùm docuiſſe chirurgos Ferrarienſes, ac Germanos inferiores, cum illa antea nunquam vſi fuiſſent. Scribit enim ad hunc modum; *Iubeo protinus crura ſcarificare, prius ea per ſpongiam fouentes aqua calida, & ad poplites ligata, ac ad ſuras euocato ſanguine eas ſæpe harundine ſiſſa percutiendo, &c.* De malleolorum ſcarificatione itidem proximis diebus libellum ſcripſit Ioan. Iacobus Mannus medicus eruditus, qui moratus quampluriinos annos in Ægypto, ac Syria, in quibus locis iſtud remedium adminiſtratur frequentiſſimè, primùm deplorat negligentiam, & inſcitiam noſtratium medicorum, qui prætermiſerint iamdiu, ac neglexerint præſidium tam vtile, & ad vitam hominis neceſſarium, quod prætermitti, ſine maximo Reipub. detrimento non poteſt: deinde inter cætera, quæ agit nititur probare, ſcarificationem malleolorum eſſe longè diuerſam ab ea ſcarificatione, quæ poſitis cucurbitulis vulgo fieri ſolet. Ac poſtremo demonſtrat barbaræ illi genti vſitatam adminiſtrandi remedij rationem, quæ in ſumma talis eſt; vt nimirum pars ſcarificanda calente aqua lauetur diutius, ac foueatur, paulò infra genu ligetur arctè, eo modo, quo inciſuri venam ligamus brachium, demúmque incidatur, ea ſeruata inciſionum ratione, quam ex Antyllo refert Oribaſius, & cuius nos quoque olim mentionem fecimus. Qua quidem forma ſcarificationis affirmat Mannus ſumma cum dexteritate, citiſſimè, & citra dolorem ſanguinem mitti largè noſtro arbitratu. Ad quem modum teſtatur celebrem quendam medicum Turcam ægroto cuidam ſanguinem miſiſſe ad libras tres, prorſúſque, maiorem illius copiam demere adhuc potuiſſe. Cum ego iſtæc intelligerem, vixque animo concipere poſſem, tam grandes, ac multas inciſiones, quadragenas circiter, vt audio, nullum prope afferre dolorem, cupiebam rem denuo cognoſcere exquiſitiùs, ac de ea certior fieri. Cum igitur, dum hæc ſcriberem, ad nos proximè rediiſſet ex Ægypto Proſper Alpinus excellens medicus, qui Alexandriæ cum Veneto Conſule nonnullos annos moratus eſt, nihil habui antiquius, quàm vt illum conuenirem, ac de tota re ſtudioſè percunctarer. Alpinus idem propemodum affirmat, quod Mannus: ad illud autem, quod me potiſſimum malè habet, vix nimirum credi poſſe talia, ac tanta vulnera vel nullum, vel admodum leuem efficere dolorem, reſpondet eam partem, quæ debet ſcarificari vſque adeò contundi antea, & vapulare, vt omnem ferè ſenſum amittat: qui pariter verè teſtatur omnes homines, vel ipſas mulieres, ac puerulos magna cum tolerantia, & facilitate huiuſmodi rem: dium perferre. Egò verò (vt liberè dicam) in iis nequeo planè acquieſcere: nam (vt interim cætera prætermittantur) in loco ſcarificando adhuc implicatus hæreo non parum: ſiquidem certum eſt & Luſitanum, & Barbaros eam cruris partem ſcarificare, quæ ſura nobis appellatur, eam ſcilicet pulpam muſculorum, quæ poſteriorem tibiæ ſedem obtinet, & quam Græci, quia veluti tibiæ venter eſt, γαστροκνημίαν nuncupant: contra verò Galenus ferè perpetuo videtur commemorare vnam ſcarificationem malleolorum, quos conſtat in infima ſede tibiæ contineri; vt pro comperto habendum ſit, haſce duas partes varias eſſe, & non parum inter ſe diſſidere. Scio equidem nonnullos interpretes accommodare hanc vocem, σφυρά, ad ſuram, vel tibiam, ſed quàm benè id faciant, alij iudicium ferant. Neque item ignoro, Galenum quoque ipſum aliquando vſurpare nomen σκελῶν id eſt, crurum; ſed fortè qui cæteris omnibus locis frequenter, & expreſsè mentionem facit ſcarificationis malleolorum, tunc quoque voluit intelligere hanc ipſam poſtremam cruris partem; cum alioqui Græci veteres medici, vt idem teſtatur Galenus, de huiuſmodi nominibus eſſent parum ſolliciti, neque illorum proprietatem exquiſite ſeruarent. Quòd ſi quis velit per malleolum eſſe intelligendam ſuram propter vicinitatem, quam hæc cum illo habet, is ſciat eam ſuræ partem, quam iſti conſueuerunt ſcarificare, eſſe longè viciniorem popliti, quàm ipſi malleolo, vt propterea magis accommodatè ſcarificatio poplitis, quàm malleoli dici deberet: imò verò non defuerunt nonnulli interpretes, vt Valla apud Homerum Iliad. N. qui poplitem ſuram interpretatur. Hæc non iniuria mihi videtur neſcio quam ſuſpicionem facere, hanc ſuræ ſcarificationem non eam eſſe, quæ priſcis temporibus fieri conſueuerat, & quam malleolorum ſcarificationem appellabant. De qua tamen controuerſia non auſim quicquam certi aſſeuerare: namque altera ex parte, ſi velimus hanc rem ſeuerè æſtimare, & ipſos malleolos ſcarificare, eam ſcilicet partem, quæ (ni fallor) proxima eſt malleolis, cum illa ſit ferè tota ex neruis, atque (vt docent Anatomici) tum aliis multis neruis, tum vno potiſſimùm inſignis magnitudinis diſſeminata, qui ex neruis vltimarum vertebrarum lumborum, & ex primis ſacri oſſis conſtitus eſt, vix concipi animo poteſt, quomodo tot, & tantæ inciſiones in eiuſmodi partem poſſint infligi, quin dolorem inſignem, nonnunquam conuulſionem, & alia pericula pariant. Illud addo, ex parte arida, & exangui aut vix, aut ne vix quidem ſanguinem mitti poſſe adeò largè, vt veteres affirmant, & præcipuè Galenus, qui ſcribit, *Com. 2. de Fract. 64.* (vt paulò ante notauimus) hanc mittendi ſanguinis rationem proximè accedere ad eam, quæ fit ſectione venæ. Quamobrem illud repeto, quod aliàs quoque teſtatus ſum, mihi pergratum fore, ſi quis ad veterum, ac præcipuè Gal. mentem huiuſce remedij adminiſtrationem probè doceat, & reipſa demonſtret: quemadmodum pariter magnopere expeto iamdiu, vt ſectio venæ poplitis renouetur, ac priſtino vſui reſtituatur: cum ſanè dolendum ſit vehementer, hoſce duos modos mittendi ſanguinem tanti momenti (quæcumque fuerit cauſa) iam multos annos obſoleſcere, neque hodie reperiri aliquem, qui vel ſectionem venæ poplitis, vel ſcarificationem malleolorum verè poſſit demonſtrare. Cæterùm vtcumque hæ ſe res habeat, de qua vnuſquiſque vt volet, ſtatuat, ſentiátque, illud addo poſtremùm, hanc ipſam malleolorum ſcarificationem, quantumuis benè adminiſtretur, mea quidem ſententia non ita generaliter, ac ſine diſtinctione valere ad omnia, ſicuti iſti prædicant. Namque ſi Galen. præcepta de hac re tradita diligenter animaduertimus, ille eſt præcipuus vſus iſtius remedij, quotieſcumque redundantia prouenit à materia, quæ antea per hæmorrhoïdas, vterum, aut alium locum vacuari conſueuerat: deinde non illud quemlibet corporis habitum, non

quam

quamlibet humorum copiam, non denique omues partes laborantes æquè iuuat, ſed omninò iudicio, ac delectu opus eſt: quippe Gal. ſermonem habens de iis vacuandis mulietibus, quæ retentas habent menſtruas purgationes, ita ſtatuit, in candidioribus malleolorum ſcarificationem, io nigrioribus venæ ſectionem magis congruentem eſſe. Vtriuſque autem modi rationem reddens, *Quoniam* (ille inquit)

De Sang. Miſſ. c. 14.

priores ſanguinem magis tenuem ſolent euacuare; poſteriores craſſiorem, & magis melancholicum congregant. Atque id fortè veluti exemplum quoddam ab eo poſitum eſt, quod ille facere ſolet ſæpenumero: quaſi doceat vniuersè ſcarificationem malleolorum non poſſe craſſum, & melancholicum ſanguinem detrahere, ſed tenuem duntaxat, adeóque in iis corporibus conuenire, quæ his, minimè illis abundant humoribus. Ac fortaſſe eandem cogitationem habuit Auic. vbi ſcriptum reliquit ventoſas plus extrahere ſanguinem ſubtilem, quàm groſſum; & ipſarum iuuamentum in corporibus groſſia habentibus ſanguinem groſſum, & paruum eſſe, quoniam ex iſtis non extrahunt ſanguinem, ſicuti oportet, imò qui ex eo vehementer eſt ſubtilis, & cum difficultate. Sic Gal. alio loco tradens rationem curandæ iſchiadis genitæ propter copiam ſanguinis, qui in venia coxæ continetur, affirmat ſic affectis ſectionem venæ poplitis eſſe commodiorem, quàm malleoli, neque iſtos à malleolorum ſcarificatione manifeſtè iuuari. Sic alia multa exempla ex hac diſciplina poſſent proferri; ſed iis volo eſſe contentus: de quibus, ac generaliter de iſto præſidio cupio lectorem paulum cogitare, ac ſi libet, propriam ſententiam dicere, vt hac etiam in re veritas eruatur, & ars medica hoc quoque faciat incrementum.

Lib. 3. fen. 4. de prep.

De Sang. Miſſ. c. 22.

Sed venio ad principalem inſtitutam controuerſiam, nimirum ad vſum cucurbitularum in febribus. Cæterùm videmur nihil certi ſtatuere poſſe, niſi primùm intelligamus ex vna parte, quamobrem cucurbitulæ fuerint inuentæ; quas vires habeant, & qualis debeat eſſe modus illarum vtendarum, ex altera autem memoria repetamus indicationes curandi febres putridas, & quid illarum principio, facto opus ſit: namque ex huiuſmodi collatione tota iſtæc diſceptatio videtur nullo negocio poſſe definiri. Quod igitur pertinet ad inuentionem cucurbitularum; *Hac ratione* (inquit Gal.) *& cucurbitula, ſtrenuum planè auxilium, eſt inuenta, tum vt foras euocentur, quæ ſunt in alto, tum vt eximantur atque eruantur, quæ iam in ſcirrhum abeunt*, Vires item cucurbitularum idem Gal. explicat copioſè hiſce verbis. *Cucurbitula exhaurire materiam, dolores ſoluere, phlegmonem minuere, inflationes diſcutere, appetentiam cibi excitare, ventriculo imbecillo vires reſtituere, animi deliquia leuare, ſi quæ profundas partes fluxiones infeſtent, eas transferre, ac ſiccare, ſanguinis eruptiones prohibere, & quicquid menſtruum vitiauerit attrahere, iiſque alleuationem præſtare poteſt*. Ac demum commodum, tutúmque modum vtendi cucurbitulis ille idem explicat hac ſerie. *Cucurbitulæ purgatis prius corporibus vtiles quidem, ſed in plethoricis prætermittendæ ſunt: idemque initio phlegmones, ſi ea vel cerebrum, vel cerebri membranas, vel alias corporis partes occupauerit, ſeruandum eſt, eiſque abſtinendum. Sed cum nihil amplius adfluxerit, totúmque exinanitum corpus, & vſus vel inflammantis, vel mouendæ, vel emoliendæ, vel extrorſum abſtrahendæ tulerit, illas adhibebimus. In his quoque affectionibus, dum gignuntur, non quidem membris ipſis, quæ cœperint laborare, ſed eis, quæ laborantibus coniuncta ſunt, reuulſionis gratia cucurbitula ſunt imponenda*. Hactenus Gal. cui conſentiunt Aëtius, Paulus, Oribaſius, ac cæteri, quos facilè vnicuique licet conſuleſe, & ad hunc locum transferre. Ex his conſtat in ſumma, præcipuam cucurbitularum facultatem, & actionem eſſe trahendi ad partem, cui imponuntur, adeóque in corporibus plethoricis, neque antea purgatis illarum vſum eſſe omnino inutilem, fortè etiam pernicioſum. Ac profectò ſi rei naturam velimus conſiderare, nulli dubium eſſe poteſt, quin huiuſmodi præcepta ſint veracia, & vndique rationi conſentientia, vt neque indigeant longiore confirmatione. Quod autem pertinet ad indicationes curandi febres putridas, de quibus iam ſatis ſuperque diximus, illud tantum ſatis fuerit nunc in memoriam reuocare, eam ſcilicet indicationem principem locum inter cæteras obtinere, quæ demonſtrat corpus eſſe ante omnia vacuandum, fluxum obſtruentium ſuccorum compeſcendum, omniáque transpirabilia eſſe reddenda: adeò vt niſi iſta præcedat, vix liceat reliquis ſatisfacere, quæ deinceps ſequuntur. Ex iis nemo eſt qui non poſſit certam colligere concluſionem; cucurbitulas in febribus id præſtare, quod non expedit; neque id præſtare quod expedit; ac propterea non ſolùm non conuenire, ſed nonnunquam vehementer obeſſe. Atqui mihi videor audire aduerſarium reſpondentem; cum planè ſit notum, duplici ratione cucurbitulas adminiſtrari; alteram quando citra ſcarificationem, curéque integra ad corpus admouentur, quas plerique cucurbitulas leues, vulgus ſiccas appellat; alteram quando præterea accedit ſcarificatio: quæcumque de cucurbitulis tradita ſunt à Gal. ac reliquis, omnia pertinere ad cucurbitulas ſine ſcarificatione, quas conſtat inter omnes non poſſe plenitudinem minuere, neque conuenire, niſi corpora antea fuerint inanita, neque ad febres curandas quicquam valere: at verò longè aliter ſtatuendum eſſe de cucurbitulis cum ſcarificatione; quæ quidem cum manifeſtè ſanguinem detrahant, & interdum copioſè, non ſine ratione videntur poſſe totum corpus vacuare, fluentes humores reuellere, atque id agere, quod agit ſectio venæ. In qua ſententia videtur inter *Lib. 2. c. 11.* cæteros fuiſſe Celſus, qui huiuſmodi cucurbitularum adminiſtrationem probat, quotieſcumque ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur. Atque iſtud confirmat vſus medicorum propè omnium quotidianus, qui cucurbitulas cum ſcarificatione pro ſectione venæ vti conſueuerũt frequentiſſimè.

13. Meth. Med. c. 19. Lib. de Hirud. Reu. &c.

Veruntamen etſi non ignoro periculoſum eſſe diſcedere à communi, & præiudicata opinione, fortaſſe hæc reſponſio non videbitur alicui admodum magni eſſe facienda. Etenim ſi corpus refertum ſit multis humoribus, negari non poteſt, quin cucurbitula cum ſcarificatione trahere valeat ad partem, ad quam apponitur, & cætera incommoda ſecum afferre, quæ afferre ſolet cucurbitula ſine ſcarificatione. Imò etiam fit veriſimile maiorem tractationem fieri, & maiora imminere mala de cucurbitula inciſa, quàm de altera ſine inciſione. Quocirca Galen. vtroque modo interdicit illarum adminiſtrationem ante vniuerſi corporis vacuationem; qui loco ſuperiùs indicato hæc habet; *Incipientes autem, & vigentes capitis grauitates, ac dolores à plenitudine reuulſio per cucurbitulam in occipite poſitam, vel ſolam, vel cum ſcarificationibus iuuat: verùm totum corpus antea vacuatum eſſe oportet*. Ex quo factum eſt, vt nullibi curandis febribus, vel aliis morbis principio huiuſmodi rationis mittendi ſanguinem mentionem faciat. Nam quantum equidem potui obſeruare hactenus cenſeo ita habendum eſſe; cucurbitulas applicatas ad partes ſuperiores propriæ magis, quam communis vacuationis gratia fuiſſe inſtitutas; ac

nullo

nullo modo veteres medicos prope omnes, potiſſimúmq; Gal. conſueuiſſe ad generalem vacuationem ſanguinem mittere, niſi ſectione venæ, & malleolorum ſcarificatione. De Corn. Celſo, & communi medicorum vſu non habeo quid dicam, qui permitto libenter de hac re vnumquemque ſentire, ac iudicium ferre ſuo arbitratu.

De hac re diſputationem inſtituit Hieronymus Mercurialis, quem virum celeberrimi nominis, tum propter ſingularem humanitatem, ſuauiſſimóſq; mores, tum propter præclariſſimam eruditionem iamdiu diligo, ac ſumma proſequor beneuolentia. Et quoniam cum illo de huiuſmodi controuerſia mihi non omni ex parte conuenit, libet rurſum cum viro amiciſſimo amicè, & beneuolè quaſi actum agendo diſputare. Conſ.95. Itaque Mercurialis in conſult. Medicis nuperrime editis theſim proponit; De cucurbitulis dorſo non cruribus in febribus applicandis: mox quædam præfatus rem aggreditur. Ego verò tranſcribam quoſdam præcipuos locos, qui illius mentem declarant, & ad rem meam quam maximè pertinent: deinde meas quaſdam veluti notationes apponam illarum rerum, de quibus cogor ab illo diſſentire. Poſt proœmium, hæc ſcripta ſunt. [*Quorſum hæc? inquies: vt intelligas enim in omnibus propè febribus, & præſertim quas peſtiferas ſuſpicatur, adhibendi cucurbitulas cruribus, & ſcarifi candi à nonnullis (vt audio) etiam Venetiis obſeruatum, licet priſcis medicinæ authoribus minimè ignotum fuiſſe conſtet, haud quaquam tamen in huiuſmodi morbis ita adhibitũ inuenio.*] Ariſt. & Auer. nos monent, quæſtionẽ mul- 1. de Cal. t. 10. 7. Mat. 46. tiplicem non eſſe proponendam perinde, ac ſi vna eſſet, ſed ante omnia adhibendam eſſe diſtinctionẽ, vt ne diutius verſemur in nominum & rerum ambiguitate. Cum igitur ſatis apertè (ni fallor) ex iis, quæ hactenus ſunt à nobis expoſita, conſtare vnicuique poſſit, vulgatam rationem mittendi ſanguinis per cucurbitulas longè eſſe diuerſam à ſcarificatione antiquorum, id quod ipſe quoq; Merc. poſterius animaduertit; maximè opportunum videbatur omnium primùm huiuſmodi ambiguitatem auferre, & explicatè declaret, vtrùm hunc vel illum mittendi ſanguinis modum intelligeret: id quod eo magis faciendum fuerat quòd non deſint hodie, potiſſimùm Venetiis, qui ſine cucurbitulis audent crura ſcarificare, inſignem copiam ſanguinis detrahere, ac veterem ſcarificationem malleolorum æmulari. Videtur ille quidem ſermonem habere de vulgari duntaxat ſcarificatione per cucurbitulas; ſed tamen altera ex parte ſum neſcius, quomodo aſſeueret iſtiuſmodi vſum priſcis medicinæ authoribus minimè ignotum fuiſſe, cum fortè neminem antiquum, & probatum authorem poſſit proferre, ſi vnum excipias Auic. qui poſitis ad crura cucurbitulis, mox ea ſcarificauerit, ſicuti volgò noſtrates medici facere conſueuerunt. [*Dicunt iſti (quemadmodum mihi relatum eſt) vt ſua iis omnia aliquibus imaginibus ornent; vbi ſuſpicio eſt febris praua, aut peſtifera, nullum præſidium vtilius, ac præſtantius eſſe, quam crura ſcarificare, rurſúmque valde pernicioſum eſſe ſcapulis, atque dorſo eaſdem adhibere; id quod probare ſe putant, & ratione, & authoritate: ratione, quia ſi ſcapulis adhibeantur, attrahunt ad cordis regionem à toto corpore; nec non magis vitales ſpiritus exhauriendo, vires, quarum in peſtiferis maxima cura gerenda eſt, deprimunt: ex aduerſo cruribus ſi adhibeantur, à corde vehementius omnem veneni vim trahere, vires non admodum labefactare, & plenitudinem tollere. Quòd plenitudinem tollant, Galen. ſententia 4. de Tuen. Val. 2. & Oribaſij lib. de Cucurb. & ſcarif. probant, &c.*] Quid alij ſentiant, non multum laboro; Ego quidem, vt meam ſententiam repetam, ita habendum cenſeo, & in febre maligna, & in omni morbo, ſi quando non licet venam ſecare ex vna parte commodè crura ſcarificari, ex altera autem perniciosè ſcapulis, & dorſo cucurbitulas adhiberi. Et quamuis de vtráque concluſione plura ſint à me dicta hactenus, quæ fortè ſatis eſſe deberent, nihilominus de re valde vtili mihi liceat iterum breui ſermonem habere. Primùm itaque dicamus de crurum ſcarificatione. Mercurialis tres ponit aduerſariorum rationes; primam, huiuſmodi præſidium vehementius à corde omnem veneni vim trahere; ſecundam, vires non admodum labefactare; tertiam, plenitudinem tollere: quarum deinde confutationem aggreditur: Atque illud ante omnia generaliter præfatur, ſe non poſſe hunc medendi modum probare, cum neque Gal. neque alios illuſtres authores reperiat ita obſeruaſſe, & ſit admodum veriſimile, ſi rationi conſentaneus, aut experientia comprobatus fuiſſet, Gal. inter cæteros nunquam fuiſſe illum ſilentio prætermiſſurum; atque eo magis, quòd totum ſanguinis mittendi negocium ita perfectè abſoluit, vt poſteris quicquam amplius deſiderandi occaſionem omnem eripuerit. Verùm ſi huiuſmodi valeret argumentatio ad conuellendam crurum ſcarificationem, illa itidem faceret ad redarguendas cucurbitulas in dorſo poſitas: quandoquidem nullus illuſtris medicus, omnium minimè Galen. huiuſmodi præſidij mentionem facit; quod ſanè iam ſatis monſtrauimus. Sed facilè deprehendet hanc rem ſe aliter habere, quicumque voluerit vel parum animum adhibere, & ea memoria repetere, quæ paulò ante ex eo nobis tradita ſunt.

Verùm ſingulas rationes perpendamus ordinem ſeruantes Mercuriali. [*Quod enim ad plenitudinem pertinet, fateor Galenum nonnunquam innuiſſe plenitudinem cruribus ſcarificatis exinaniri, idque à magno Rhaſe 7. Cont. apertè confirmatum inuenire: at potiſſimùm vbi illa plenitudo ex materia euacuari ſolita, ſicuti in menſibus, aut hæmorrhoïdibus ſuppreſſis orta ſit, quemadmodum ait Antyllus.*] Nos iam ſatis demonſtrauimus Galenum non ſolùm nutu, ſed verbis expreſſis, & perſpicuis aſſeuerare plenitudinem minui per crura ſcarificata. Quòd autem huiuſmodi præſidium illam tantummodo plenitudinem minuat, quæ facta ſit ex materia vacuari ſolita, ſicuti euenit in ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoïdibus, vt placuit Antyllo, id equidem puto eſſe longè alienum à mente, & doctrina Galeni. Inficias profectò eundum non eſt, quin crurum ſcarificatio in primis ſit valde accommodata ad prouocandum menſes, & hæmorrhoïdas, adeóque ad minuendam plenitudinem, quæ propter huiuſmodi ſanguinis retentionem orta fuerit, vt nos quoque iam declarauimus: ſed nec debet negari, quin ea generaliter poſſit qualemcunque plenitudinem minuere, non modò ex materia euacuari ſolita, ſed quomodocunque oriundam; ſicuti item de ſectione venæ dici poteſt, quæ plenitudinem ex retenta aliqua vacuatione, & cæteris omnibus modis ortam præclarè poteſt vacuare. Ad quem modum ſcribit Galenus ſi corpus plethoricum fuerit: 13. Meth. cap. 5. ſanguinem mittendum eſſe aut vena inciſa, aut cruribus ſcarificatis. Cuius doctrinæ illuſtre exemplum dedit Apollonius, qui teſtatur ſibi ipſi crura ſcarificaſſe, duáſque ferè ſanguinis libras detraxiſſe. Nam in loco illo 4. *de Tuen. Val.* cum dicat ſolùm ſe probaſſe antea crurum ſcarificationem plenitudinem ſoluere, cúmque ab ipſo diſiunctiuè pronunciatum ſit, coniecturam non exiguam facit, ita intelligendum eſſe vt ſanguinis

redun

redundantia primò ſoluatur venæ ſectione,& loco eius crurum ſcarificatio ſupplcat, quando ipſa impeditur. Mercur. ſolet vbique eſſe perſpicuus: verùm hoc in loco tam perplexe loquitur, vt certè ego illum non ſatis intelligam,adeò vt mihi fecerit ſuſpicionem, librarios in his deſcribendis aliquem errorem commiſiſſe. Fuerat illi propoſitum probare ad mentem Gal. crurum ſcarificationem eſſe tantummodo accommodatam ad minuendam plenitudinem coacernatam ex retentis menſibus,vel hæmorrhoïdibus.

Quoniam verò hic locus videbatur huiuſmodi ſententiam refellere, illum conatur interpretari, de qua interpretatione alij iudicium faciant. Ego quidem(niſi me omnia fallunt)puto Gal.tam planè,& apertè loqui,vt non indigeat longiore explicatione.Et cum alias ego quoque diffusè hunc locum tractauerim, quem puto eſſe cap.4.non 2. in quo nulla ſcarificationis, aut ſectionis venæ fit mentio,mihi in præſentia ſatis fuerit illa in memoriam reuocare, quæ ad rem præſentem pertinent. Curabat Gal. laſſitudinem vlcerosam, ac poſt varia de hac re tradita præcepta, inciderat in ſermonem mittendi ſanguinis;qui loquitur ad hunc modum, *Si laſsitudo adhuc infeſtat cum ſanguinis copia,aut vena incidenda,aut aliquid,quod tantumdem valet,agendum. Sanè tantumdem poſſunt hæc; quibus hæmorrhoides ſunt retentæ,ſi has aperueris: ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſauit,hanc prouoces:ſi quibus horum nihil eſt, malleolos ſcapello incidas.* Itaque in hoc affectu docet Gal. ſanguinem mittendum eſſe, vel ſecta vena, vel alio præſidio, quod tantumdem poſſit,aut ſit analogum(vt ille Græcè loquitur) ſectioni venæ. Atque vt ne aliquis hæſitaret, qualianam ſint iſtæc præſidia, quæ tantumdem poſſint, aut quando expediat vel illud, vel hæc aggredi, ſe ipſum interpretatur,& vtrumque docet:qui ſcribit eſſe tria,quæ ſectioni venæ poſſunt reſpondere; primum, ſi retentæ hæmorrhoïdes aperiantur: ſecundum, ſi ſuppreſſa menſtrua prouocentur: tertium,vbi nulla hæmorrhoïdum, vel menſium ſit facta retentio,ſi malleoli ſcapello incidantur. Quæ quidem doctrina tantum abeſt, vt Mercur. ſententiam confirmet, vt potius illam penitus euertat. Quomodo enim crurum ſcarificatio potiſſimùm deſtinata eſt ad tollendam plenitudinem ex retentis hæmorrhoïdibus vel menſibus ortam, quod ille contendit; cum hoc tempore non liceat illam adminiſtrare, imò verò illius vſus ſit certus,ac definitus, quando nec menſes, nec hæmorrhoïdes retentæ fuerint? Quæ ſequuntur deinceps,ac probant crurum ſcarificationem multis modis ſectioni venæ eſſe inferiorem, ego recipio lubentiſſimè. Sed an colligere hinc licet crurum ſcarificationem non eſſe remedium præſtantiſſimum,ac proximè accedere ad vim, & dignitatem ſectionis venæ? [*Nunc vide an ratio vlla cucurbitulas dorſo applicari diſſuadeat, an potius cruribus conueniant (loquor de febribus,vbi nec hæmorrhoïdes prouocandæ ſint, nec menſes, quia in his caſibus ego quoque non ipſis, ſed Gal. conſentio, frequentiſſiméque vti ſoleo.) Nam ſi à corde trahendum eſt venenum (vt dicunt) certè cucurbitulæ potius regioni cordis,& dorſo apponi debebunt, quandoquidem Gal.3.de Loc. Aff.aduerſus Archigenem diſputans dicebat, propterea in affectibus ſiccis cordis huiuſmodi remedium non conuenire, quia cum à profundis partibus trahant, cordis humores magis conſumunt, atque exſiccant; vt hæc ſola ratio ſatis perſuadere poſſit,cucurbitulas ibidem affixas magis peſtem à corde alio deflectere.*] Ego verò video rationem,quæ mihi perſuadet,& cæteris omnibus debet perſuadere, cucurbitulas nullo modo ad dorſum apponendas eſſe:& illa eſt,quam docet Galenus, nimirum quòd nunquam licet vel dorſo, vel vlli parti illas adhibere, niſi priùs totum corpus vacuatum fuerit: quam quidem iam ſatis à nobis demonſtratam,nolumus in præſentia pluribus exaggerare.

Sed redeo ad Mercur. Ille hactenus conatus eſt probare ſcarificatas cucurbitulas non eſſe cruribus adhibendas: nunc probare intendit illas commodiùs dorſo adhibendas eſſe: & ſumma probationis potiſſimùm nititur authoritate Galeni; quem locum mihi liceat parumper examinare. *3 de Loc. Aff. c.4.* Diſputabat Galenus aduerſus Archigenem, qui in quadam epiſtola ad Marſum, qua illi conſulebat, vt patri memoria reſtitueretur, voluit capiti adhibenda eſſe remedia, cum tamen ipſe de ſuæ ſectæ ſententia principem animæ facultatem non in cerebro, ſed potius in corde ſedem habere dixerit. Et cum inter cætera præſidia ſcripſerit cucurbitularum appoſitione vtendum eſſe, hoc ſpeciatim remedium arguit, quòd cucurbitula capiti admota nulla ratione poſſit memoriam reuocare. Sed illud addit; neque etiamſi thoraci adhibita fuiſſet, ſe rationem inuenire potuiſſe, cor Marſi patrem iuuaſſet. Et cum Archigenes minimè explicaſſet, vtrùm cum ſcarificationibus, an citra has cucurbitulam thoraci admouere voluerit, Galenus demonſtrat illam vtroque modo appoſitam fore importunam. Cum enim affectus (inquit Galenus) poſſit eſſe frigidus,& ſiccus, ſanguinis quidem detractio ad extremum ducit periculum: ſolis autem cucurbitulis, atque integra cute calefaciendi gratia vtendum eſt: ſiquidem attrahunt ad ſeſe humorem ex imo; id quod ſicco affectui maximè contrarium eſt. Hæc (ni fallor) aperta eſt explicatio huius loci, quæ quidem mihi videtur parum fauere ſententiæ Mercur. Cum enim Galen. manifeſtè confirmet, quod aliàs ſæpenumero teſtatus eſt, cucurbitulas non alio nomine, quàm caloris excitandi gratia vtiles eſſe, illaſque ab imis corporis partibus ad ſeſe humores trahere, ac propterea in ſicco affectu cordis illas thoraci admotas non probet, ego quidem non ſatis intelligo, quomodo cucurbitulæ ad thoracem, & dorſum appoſitæ poſſint in febre, morbo calido & ſicco, aliquam vtilitatem afferre. [*Ad hæc Auicenna commendat ſcapulis adhibitas cucurbitulas, tanquam baſilicæ ſectionis vicem gerant: ſimiliter in ſputo,& fluxu ſanguinis ad pulmones, eo quòd ſanguinem ad partes ſpiritales excurrentem auertant; vt ob id etiam putandum ſit conuenire, vbi periculum imminet, ne ad cor putridus ſanguis confluat.*] Quid ſentiat Auicenna non ego multum laboro, qui hac ipſa diſputatione demonſtraui, illum hac in re non benè Galeni mentem aſſequutum fuiſſe, ac malè ſentire, imò verò authorem fuiſſe, vnde cæteri prope omnes illo poſteriores malè ſentiant. Itaque illius decreta vbicumque diſſentiunt à Galeno, & ratione, apud me nullius ſunt authoritatis. [*Neque me illud mouet, cucurbitulas à toto corporis ambitu trahentes poſſe ad cor quoque trahere, & idcirco forſan Auicennam ſcripſiſſe cordis tremorem efficere, quia cucurbitulæ vndecumque ponantur, nunquam ad profunda; ſed à profundis ſemper ad extimas partes trahunt, vt Celſ. Galen & Auicenna dicunt, ipſaque ratio oſtendit,&c.*] Cucurbitulas trahere à profundis ad partes externas,quibus adhibentur,conſtat inter omnes: vtrùm verò ex omnibus partibus internis,ac præcipuè cordi proximis, minimè ad illas trahere poſſint, non ita videtur conſtare. Ac sanè, ſi res ipſa conſideretur,ego vix,aut ne vix quidem puto

fieri

fieri poſſe, vt cucurbitula regioni cordis adhibita à profundis partibus, & à toto corpore ita humores ad cutem trahat, quin ſimul ad ipſum cor tracti humores perueniant, & maiorem in id fluxionem concitent: quod à Galeno traditum eſt, qui ſermonem habens de externis medicamentis accommodatis ad cor, pulmonem, & thoracem, hæc habet;
11.Met.c.17. *Quippe foras trahere potius, quàm reprimere in eo debemus: Itaque etiam cucurbitula vtiliter iis, qui ſic laborant, ſi priùs ſint vacuati, applicabitur. Si verò abundantia ſuccorum, quam vocant plethoram, in his ſit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transfert, quam ex toto corpore attrahet in vtrumque.*

Alioqui liceret in inflammatione cerebri, & eius membranarum iecoris, & reliquarum internarum partium ſtatim cucurbitulas ad illas apponere; quod eſt tam alienum ab omni ratione, vt pro comperto habeam ne ipſum quidem Mercurialem virum in medicina cum docenda, tum facienda nemini ſecundum, iſtud aliquo tempore ſuos auditores docuiſſe, aut curandis ægris opere comprobaſſe. Cum potiſſimùm Galenus variis in locis, qui nequeunt ignorari, huiuſmodi medendi abuſum grauiter, & perſpicuè reprehendat: nam libello de Cucurbitul. hæc habet. *Cucurbitulæ iis, qui antea vacuati ſunt, vtilitatem afferunt: ſi enim plethorici fuerint, illis non vtimur.* Eadem verò ratione, & in cerebri, & eius membranarum phlegmonis, in principio malorum cucurbitulis non vtimur, quemadmodum nec vlla alia in parte phlegmone obſeſſa. Verùm vbi nihil iam influit, vniuerſúmque corpus antea vacuatum eſt, opuſque eſt, aut mouere, aut moliri quod in laborante phlegmone particula exiſtit, aut foras trahere. Quòd ſi non licet ante corporis totius vacuationem aliqua in parte vti validis frictionibus, lotionibus, ſinapiſmatis, vſtionibus, vllóque medicamento, quod valeat rarefacere, mollire, trahere, diſſipare, quod certiſſimum eſt Galeni decretum, qua ratione alij cucurbitulas primùm in febribus imponant ſupernis partibus, ego haud planè intelligo. [*Porro* (ait Mercur.) *ſi cruribus cucurbitula affigantur, manifeſtum eſt vel nullo modo, vel multo minùs, quàm ſuperiori regioni affixas, poſſe à corde, à quo longius diſtant, diuertere præterea dolorifica, & grauis eſt operatio, vt Rhaſes, & Albucaſis, quorum authoritatem Apollonij fide minorem non duco, verè dixerint ſyncopem facere, ac multum corpus debilitare: quod præſertim euenit, ſi in magna copia ſanguis mittatur, vt commendauit Apol. alioquin ſi paucus ſanguis ducatur, vt facere iſtos audio, quid aliud eſt, quàm ægros miſerè, & ſine fructu torquere? nec non authorum, quos ſequuntur, dogmata, vel non intelligere, vel deprauare?*] Redit Mercur. ad crurum ſcarificationem: & quatenus pertinet ad primam rationem, propter quam cenſet illam importunè adminiſtrari, ſi memoria repetantur leges reuulſionis à Galeno traditæ, vtique fatendum erit crurum ſcarificationem, propter hanc ipſam cauſam, quòd illa diſtant longius à corde, longè maiorem ab ipſo reuulſionem poſſe perficere, quàm ſi ſcarificentur partes illis proximæ; ſiquidem iſtæ magis ad deriuationem, ſicuti illæ ad reuulſionem ſunt perperuò magis accommodatæ. De altera autem ratione, mea ſententia, non authoritate Rhaſis, & Albucaſis, ſed ſenſu, & experientia iudicium faciendum eſt. Ego quidem verè poſſum teſtari, cum millies crura iuſſerim ſcarificari, & cum cucurbitulis, & ſine cucurbitulis, quamplurimos ægrotos tam patienti animo, & placidè eiuſmodi perferre dolorem, vt nullis lamentationibus commoueantur; in nullo autem ſyncopem, vel inſignem corporis debilitatem ſequutam fuiſſe; quod planè eſt conſentaneum rationi, ac ſatis poſſet demonſtrari, ſi quàm facile, tam neceſſarium foret. Nec quicquam dubito, quin alij quoque idem ſint confirmaturi, quicunque id remedium ſolent adminiſtrare. Poſt hæc Mercurialis refutat opinionem illorum, qui exiſtimant ſcarificationes, & cucurbitulas ſcarificatas eaſdem fuiſſe apud medicos antiquos; cui equidem omni ex parte conſentio; qui meo commentario de Peſte hunc ipſum errorem iam pridem animaduerti, & hac diſputatione rurſum indicaui, vt ſuperuacaneum videatur de hac re longius agere.

Ego igitur cum cenſeam ſcarificatas cucurbitulas ſupernis partibus impoſitas nullum planè officium in curatione febrium, ſæpius maleficium facere, altera ex parte puto illos maiore nixi ratione qui eas apponunt ad partes inferiores, & potiſſimùm crura, dummodo multa, inſigniáque infligant vulnera, & veterem malleolorum ſcarificationem æmulentur: namque ſum in hac opinione, quotieſcunque vel per ætatem, vel per aliud impedimentum non licet venam ſecare, eatenus vulgarem iſtiuſmodi ſcarificationem poſſe tolerari, quoad aliquis præſtò ſit, qui legitimam malleolorum ſcarificationem nos doceat, & ad vſum ſciat reuocare. Etenim quanquam pro comperto habendum eſt, nullam ſcarificationem, ne ipſam quidem malleolorum, eas vtilitates poſſe afferre, quæ in febribus tantopere expetuntur, de quibus iam diximus non ſemel; tamen non auſim negare, hanc quoque mittendi ſanguinis rationem poſſe tum aliquam operam præſtare, tum certè nullum incommodum efficere. Atque hic ſanè modus mittendi ſanguinem, cum videri poſſit ad quamplurimos ſatis accommodatus, tamen videtur mihi longè accommodatiſſimus ad infantes, & pueros, quibus accedente naturali quadam ſubſtantiæ diſſipatione ſatis eſſe poteſt quælibet ſanguinis vacuatio. Præterea verò nos cucurbitulis multum tribuimus, illarúmque vſum maximè probamus, ſi quis ad mentem Galeni, ſcilicet poſt totius corporis vacuationem illis vtatur, ac diuerſis in partibus, ad mitiganda cum primis ea ſymptomata, quæ fluentibus multis & humoribus, & vaporibus non leue faceſſunt negocium ſæpenumerò, qualia ſunt capitis dolor, delirium, vigiliæ, & alia huiuſmodi: nam facta inſigni reuulſione, & deriuatione humoris adhuc fluentis, vel fluxi, teſtantur medici, & longa experientia confirmatum eſt, illas præclariſſimam operam præſtare. Finem facio; dummodo meritus ſectioni venæ locus relinquatur, me iſtud remedium prudenter, & commodè adminiſtratum non damnare, ſed eorum duntaxat abuſum reprehendere, qui neglecta propemodum ſectione venas generaliter, nullóque adhibito delectu perperuò cucurbitulis delectantur.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE PVRGATIONE in principio Morborum.

2. aph. cō. 29. DVO relata ſunt à Galeno maxima omnium, & præſtantiſſima remedia, quæ in morbis vehementibus ſolent à Medicis adminiſtrari, ſanguinis miſſio per venam ſectam, & purgatio per medicamenta. Cum autem de priore actum ſit ſuperiore diſputatione, accuratè quoad fieri per nos licuit, ratio omnis expoſcere videtur, vt de altero quoque in præſentia diſſeratur: cum illud pariter & vſu ſit maximè vtile, immò verò neceſſarium, & doctrina abſtruſum atque difficultatibus longè maximis inuolutum. Quo fit, vt in dies videre liceat, medicos tum docentes, tum medicinam facientes, hac ipſa in re, quæ ad purgandi rationem pertinet, magnopere diſſentire. Quamobrem eſt mihi propoſitum in præſentia, ſecunda hac Diſputatione quæſtionem hanc tractare, ac pro viribus abſoluere, vtrùm in principio morborum liceat exhibere purgantia medicamenta. Sed ante omnia nonnullæ voces, ac termini diſtinguendi ſunt, & explicandi, vt res dilucidè pertractetur, & planè intelligatur, quid illud ſit, quod in quæſtione verſatur.

1. Aph. Com. 12. 1. De Cri. c. 19. 1. in Prorrh. cō. 1. Itaque principium morborum tripliciter legimus apud Galenum vſurpari: vno modo, pro prima eorum aggreſſione; quod quidem ſimplex eſt, nullámque habet latitudinem: altero, pro eo ſpatio, quod vſque ad tertiam, vel quartam diem extenditur: tertio, pro parte morbi totius, cum ſcilicet in principium, augmentum, ſtatum, & declinationem fit diuiſio; quod ſigna manifeſtæ coctionis definiunt. Nos autem in præſentia principiũ morbi accipimus iuxta tertium ſignificatum; quod quidem cum ita circunſcribatur, vt nulla in eo manifeſta ſigna concoctionis appareant, quid per concoctionem intelligamus, explicandum eſt.

Porrò de concoctione quamplurima ſcripta extant non ſolùm à veteribus, ſed etiam à recentioribus, quos adire poteſt, quicunque huius argumenti pleniorem tractationem deſiderat. Nunc illud mihi ſufficiat ex diſciplina Ariſtotelis, & Galeni, concoctionem nihil aliud eſſe, quàm mutationem, ſiue alterationem quandam, quæ ab innato corporis calore perficitur, quæ vna eſt perpetuò, & in qua vnicus finis proponitur, nempe rei coquendæ aſſimilatio. Verùm ſicuti vna ſemper, atque eadem eſt concoctionis ratio, vnus, atque idem illius author calor natiuus, ita ſi quis illa attendat, in quæ ille agit, duæ præcipuæ coctionum differentiæ ſtatui poſſunt. Namque ſi coctioni res ſubijciantur, naturæ familiares, vt verti poſſunt in ſubſtantiam nutriti, qualia ſunt alimenta, vna hæc eſt principalis, vera, ac propria concoctio, quam Galenus definit eſſe alterationem ciborum in propriam, & conuenientem *3. de Na. Fac. 4. & 7. l. de Sym. diff. 4. & al.* qualitatem eius, quod nutritur. Contrà verò ſi calor agat in materiam, quæ minimè, vt altera, ſit benigna, & animanti familiaris, quales ſunt humores morbum efficientes, tunc altera conſurgit *1. Epid. ſe. 2. com. 44.* coctionis differentia minùs vera, ac propria, in qua (vt ſcribit Galenus) quod aſſimilatur, paucum eſt; quod autem ſemicoctum, & ſuperuacaneum relinquitur, multum. Etenim licet ab vno, atque eodem calore, & ad vnum, eundémque finem vtraque fiat, tamen propter varietatem ſubiectæ materiæ, vnde accidit plerunque vt natura propoſitum ſibi finem non aſſequatur, iurè debent diuerſam appellationem ſortiri. Illam propriè Hippocrates, & Galenus πέψιν hanc πέπανσιν ſiue πεπασμὸν vocant: quanquam non ſum neſcius Ariſtotelem, Galenúmque ſæpius non ſolùm priorem alimentorum, ſed etiam poſteriorem prauorum ſuccorum vnico nomine πέψιν indifferenter appellare conſueuiſſe. *1. Epid. ſe. 2. com. 44. 41. 4. Meth. & 3. de triſ. Art. Medic. & al.* Vna igitur natura vnicam rei coquendæ aſſimilationem proſpiciens, illius coctionem perpetuò molitur. Quòd ſi materia ita ſequens, facilis, ac familiaris fuerit, vt ſimilis reſtituendæ ſubſtantiæ fieri poſſit, optima tunc perficitur concoctio, in qua plurimum aſſimilatur, minimum excernitur. Ex altera autem parte ſi materia adeò fuerit aliena à noſtra ſubſtantia, vt illa ad hunc modum nequeat aſſimilari, natura tamen eam ſuperans, & expugnans, aliquam illius aſſimilationem, qualemcunque tandem ſtudet aſſequi: id quod fit, quando aſſimilari non potuit, dum redditur ſaltem naturæ aliòqui ita obediens, ac ſubdita, vt formam, & ornatum quendam recipiat, vnde corpus quàm minimè lædat, tum verò vt faciliùs, & accommodatiùs. Porrò ſicuti duo ponuntur genera coctionis, ita & duo genera cruditatis ſtatui debent: altera, quæ opponitur πέψει, coctioni alimentorum: altera, quæ opponitur πεπασμῷ, coctioni excrementorum. Illa eſt in humoribus ſe habentibus ſecundùm naturam, qui in coctione alimenti citra naturam ſanguinis ſubſiſtunt, perfectamque elaborationem non ſunt adepti: atque hi quidem propriè ſunt humores frigidi, & craſſi, qui poſſunt in alimentum conuerti, vt dulcis pituita. Hæc autem eſt in humoribus, habentibus præter naturam, morbúmque facientibus, qui nondum à natura ſuperantur, nec prorſus benigni ſunt, & animanti familiares, neque etiam omnino alieni. Sanè iſtæc, & in primis quæ pertinent ad poſteriorem coctionis differentiam, Galenus multis in locis, ſed vno admodum notabili dilucidè explicat, & confirmat; quem, propterea quòd inſtituti mei propoſitum maximè tuetur, mihi licet ad verbum tranſcribere. *2. de Rat. Vict. in Acut. 44.* *Nempe Hippocrates bilioſa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem appellat, quanquam mutata nutrire non poſſint, vt bilis vtraque, & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur: veruntamen quoniam & talia vincit natura, cocta quidem Hippocrates vocare conſueuit huiuſmodi excrementa, quæ à natura ipſa euicta ſunt; cruda autem quæ non ſunt euicta. Ob id & pus in inflammationibus, quæ concoquuntur, fieri ait, quanquam nulla pars ex pure alimentum accipiat veluti accipit ex crudis appellatis, & pituita, quæ reliquum perfectionis aſſequuta, & prorſus cocta, corpus nutrire poſſunt. Sic igitur bilioſorum humorum coctio exiſtit vt ſanguinis, qui in inflammatione eſt, in pus migrantis, intelligentibus nobis coctionis nomen in ſuo vniuerſaliori ſignificato.*

Eſt autem vniuerſalius, cum natura cauſis fortior fuerit, permutaueritque eas pro ſuo robore. Quæ igitur veluti in corpore inanimato putreſcunt, nihil ad alterationem conferente natiuo calore, à coctionis ratione degenerant: hoc ſanè aliquando accidit etiam iis aquoſis humiditatibus, quæ per vrinas excernuntur, atque ob id crudas vrinas concoqui dicimus quanquam corpus ex coctis vrinis ali nõ poteſt. Generali præterea hoc ſignificato coctionis vtimur, cum vel catarrhum, vel coryzam, vel fluentes ex vlceribus humiditates (puto enim legendum non ἐκ τούτων, ſed ἐξ ἑλκῶν

ve-

vt admonet codex Baſilienſis) vel eas, quæ in inflammationibus oculorum apparent, aut crudas, aut coctas eſſe dicimus. Ad hunc modum & bilem, vel crudam, vel coctam eſſe pronunciamus: cruda quidem enim flaua admodum eſt, & acris, & malè olens: cocta autem & pallidior, & minimùm malè olens.

6. Epi. ſec. 2. com. 9. ſec. 1. a. 9. 4. Primi cap. 5. 4 met. c. 3. Hæc Galenus. Sic aliàs frequentiſſimè apud Hippocratem, & omnes medicos fit mentio huiuſmodi coctionis humorum morbum efficientium, quam Galenus appellat mutationem in optimam qualitatem, & mediocre quoddam temperamentum: Auicenna eſſentiam temperatam. Sic apud Ariſtotelem & alui excrementa, & vrinæ, & catarrhi crudi appellantur, quando à proprio animantis calore non vincuntur.

Nos ergo intelligimus concoctionem, quando materia noxia, morbúmque efficiens iam domita eſt, ac ſuperata, talémque moderationem, & formam eſt aſſequuta, qualem natura ei præſtare poteſt; & cum demum per vias conuenientes ad exeundum & præparata: cruditatem item quotieſcunque illa eadem materia indomita eſt, & à natura non ſuperatur.

5. de Simpl. Medic. Fac. cap. 20. Medicamenti purgantis nomen Galeno bifariam ſolet vſurpari. Namque vno modo communiter de iis dicitur, quæcunque animalis excrementa quauis ratione purgant, quæ varia ſunt, & multiplicia; altero autem magis propriè, ac per excellentiam illa tantummodo medicamenta dicuntur purgantia, quæ aut per vomitum purgant, aut per ventris deiectionem. Verùm de iis, quæ vomitum prouocant, nos hoc tempore non agimus, tum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, quòd huiuſmodi medicamenta ferè apud nos iam ſint obſoleta, & inuſitata: ſed de poſterioribus duntaxat eſt noſtra inſtituta diſputatio, quæ ore aſſumuntur, atque ex aluo excrementa deiiciunt. Rurſus verò cum medicamenta aluum cientia non ſint vnius generis, ac naturæ, de quibus cum alij, tum potiſſimum Arabes accuratè loquuntur, nos tota quæſtione accipimus purgantia medicamenta, quæ neque comprimendo, neque aliter, quàm propria quadam, vel forma, vel ſimilitudine, vel ſubſtantia (neque enim iſtæc nomina iam quicquam moramur) ſuccos ex corpore ducere ſolent, quorum naturam Galenus explicat multis in locis.

3. de Simpl. Med. 1. de Nat. Fac. De purg. Med. Fac. His igitur hunc in modum breuiter explicatis, noſtra quæſtio magis diſtincta, ac definita eſto huiuſmodi, *Virùm in principio morborum, quo tempore humores noxij crudi ſunt, neque naturæ obedientes, liceat exhibere medicamentum, quod peculiari quadam vi illos elicere, ac purgare poſſit.*

Porrò quanquam (Lector) tot de hac re, & tanta ſcripta extant partim veterum, partim recentiorum, vt quicunque ab aliis labor in hoc argumento tractando ſuſcipiatur, varius, ac ſuperuacaneus videri poſſit, equidem neque volui, neque potui abſtinere, quin meam quoque ſententiam explicarem, non cum certè me eſſe reputans nec tantum mihi arrogans, qui de me humiliter, demiſſéque ſentio, vt ea credam ſapere, ac videre poſſe, quæ alij oculatiſſimi, & doctiſſimi homines neque ſapere, neque videre potuerint; ſed (vt liberè dicam) cum magna ex parte noſtrorum temporum medici non ſolùm vulgares, ſed etiam celebriores, mihi quidem malè ſentire, & malè agere videantur, magno cum periculo vitæ hominum, huiuſmodi tractationem, tametſi diu, multumque agitatam putaui adhuc vtilem fore, ac neceſſariam: qui mihi videbor minimè oleum, & operam perdidiſſe, ſi illud vnum intelligas, tibique certò perſuades, me vnius veritatis inueſtigandæ gratia in hanc palæſtram deſcendiſſe, atque eo eſſe contentum, quando aſſequi illam mihi non liceat, ſi meo labore, & opera aliis admoueantur ſtimuli, & offeratur occaſio illius inueniendæ, & iuuandæ Reipubl. Verùm tempus eſt, vt ad id, quod inſtituimus accedamus.

Quemadmodum varij, ac multi homines hoc argumentum tractarunt, ita variæ, multiplices, ac ferè innumeræ opiniones originem habuere; quas ſi velim diffusè, ſigillatímque perſequi, & examinare, planè vereor, id quod pleriſque ſolet vſu venire, ne prolixior huiuſmodi tractatio legentibus ſatietatem, ac faſtidium ſit allatura.

Quare breuitatis, quantum fieri poteſt, rationem habens, duas tantummodo opiniones ſtatui ſeligere, quæ propterea quia ſunt communiores, & inter ſe oppoſitæ, videntur cæteras omnes amplecti, ac noſtro propoſito ſatisfacere poſſe. Earum altera docet vniuersè in principio morborum purgantia medicamenta ratò admodum eſſe exhibenda. Altera contrà ſtatuit, hoc ipſo tempore eadem medicamenta frequentiſſimè ac ferè in perpetuum eſſe propinanda; quanquam inter ſectatores huiuſce poſterioris opinionis omni ex parte non conuenit; de quorum varietate, & diſcrepantia poſteriùs diſſeretur.

Primùm itaque prioris vim, ac robur experiamur, quam exiſtimamus & rationi, & veritati magis conuenire. Etenim veritate poſita, & ſtabilita cætera omnia facilè corruunt, & euaneſcunt. Quoniam verò ego ita ſentio, dogmata medica eatenus vera eſſe, ac recipienda, quatenus Hippocratis, & Galeni doctrinæ conſentiunt, mihi propoſitum eſt omnium primùm eorum opinionem perquirere, & inueſtigare.

Ex multis autem locis duo præcipuè mihi occurrunt Aphoriſmi ad hanc rem quam maximè accommodati: alter vigeſimus ſecundus, alter vigeſimus quartus primi libri; in quorum explicatione mihi liceat verſari aliquandiu.

Concocta medicari atque mouere oportet, non cruda, neque per initia, niſi turgeant; vt plurimum verò non turgent. Hippocrates hoc loco tria præcepta tradit: primum, concoctos humores medicamentis eſſe ducendos, & alia ratione mouendos: alterum, crudos neque medicamentis ducendos, neque aliter mouendos: tertium, turgentibus perinde, atque concoctis medicamenta conuenire. [*Concocta medicari, atque mouere oportet.*] Quippe quæ naturæ imperio obediunt, adeóque ſunt idonea, & præparata ad expulſionem. Hoc enim tempore habemus naturam vacuationis adiutricem, quæ pariter non niſi poſt coctiones videtur humores ſecernere, & quod ſuperuacaneum eſt, expellere.

Quare medicamento trahente, natura idem pellente, vt facilis, felixque ſequatur purgatio neceſſarium eſt. Sed notandum puto Hippocratem, quem ſcribit Galenus nihil fruſtra, ne ſyllabam quidem effari, non ſine magno conſilio, & artificio hic poſuiſſe duo verba, [*medicari, & mouere.*] Illud teſtimonio Galeni Hippocrates ſolet vſurpare pro eo, quod eſt medicamento purgante vti; hoc autem propter varias potiſſimùm, ac differentes multorum interpretationes videtur neſcio quam difficultatem habere.

Nos aliorum cogitationibus prætermiſſis, vnius Galeni interpretationem recipimus, qui videtur omnem ſuccorum motionem interpretari, quæ perficitur aliis remediis quàm medicatione. Cúmque tria ſint genera motus, alteratio, auctio, & delatio, equidem puto hic motum præcipuè localem ſignificari, atque Hippocratem more ſuo, particulari motui, medicationi, communem

motionis modum addere voluiſſe. Itaque mouere generalius eſt, ac non ſolùm purgantia medicamenta amplectitur, ſed cætera omnia remedia, quæ humores vel intra, vel extra corpus mouere de ſuo loco poſſunt.

Talia ſunt, expoſitore Galeno, balnea, exercitationes, & generaliter omnis motio, qualia ſunt fomenta calida, vehementes frictiones; cucurbitulæ, medicamenta veſiculas excitatoria, quæ hoc tempore ſunt admodum celebria, paſſimque ſine vllo penè delectu ſolent à multis adminiſtrari, & alia id genus, quæ crudos ſuccos mouere, & ad varias corporis partes ducere poſſunt; quæ omnia non niſi poſt concoctionem tutò licet adminiſtrare.

1. de Hu. c. 4. Sic Hippocrates ſcriptum reliquit aliàs facta concoctione humores aut intro, aut foras vergere, aut aliam in partem, in quam oporteat. Hinc poteſt conſtare illos non bene ſentire, qui verbum [*mouere*] accommodant ad omnia genera motionis: ſiquidem tantum abeſt, vt motus alterationis ſit importunus ante concoctionem, vt ille magis ad eam perficiendam ſit quàm maximè neceſſarius.

4. de Tu. Val. c. 5. 11. Met. cap. 19. 1. ad Gla. 10. Sic Galenus in vera cruditate exhibet dioſpoliticon, diatrion pipereon: in minùs vera cupit omnes meatus reſerari, & fluxiles reddi ad excipiendos humores febrium authores. Sin in febre tertiana ſpuria dat cum aqua mulſa hyſſopum, origanum, ſpicam nardi, oxymel, quæ poſſint attenuare, incidere, abſtergere, meatus apetire, ac tandem coctionem comparare.

Nec verò minùs mihi videntur errare, quicunque exiſtimant Hippocratem hoc ipſo verbo [*mouere*] interdixiſſe medicamenta non ſolùm verè purgantia, ſed etiam lenientia, de quibus poſteriùs ſermonem habebimus. [*Non cruda.*] Hæc opponuntur concoctis. Itaque ſicuti ea licet medicari, & mouere ita hæc non expedit, nec medicari, nec mouere: propterea quia crudus, & imparatus humor trahenti medicamento non eſt obediens. Quare præter quàm quòd ſuccedit vacuatio plerunque parca, & imminuta, illa ſæua admodum, ac difficilia ſequuntur ſymptomata, vertigines, mali pulſus, defectiones animi, conuulſiones, tormina, cruciatus varij, quæ miſeri ægrotantes ſuo cum magno malo nimis frequenter experiuntur. Namque medicamentum ita importunè exhibitum vires fatigat, ac diſſoluit, ſanas corporis partes conſumit, bonáque malis, ſua déque commiſcet, ac poſtremò coctionem, & omnem futuram criſim perturbat.

Cæterùm nonnulli arbitrantur hanc partem repetitionem quandam eſſe non neceſſariam, ſed qua Hippocrates vti conſueuit aliquando, vt Galenus admonet, in iis ſcilicet explicandis præceptis, in quibus magnum aliquod periculum imminet, ſi illa negligentiùs intelligantur. Veruntamen ego cenſeo vtramque particulam eſſe quàm maximè neceſſariam, & artificioſam. Etenim qui docet concocta purganda eſſe, non propterea excludit alia, quæ non ſunt concocta, quin pariter poſſint purgari: quemadmodum ſi dixero venam ſecandam eſſe iuuenibus, non idcirco excluduntur alij, qui non ſunt iuuenes, quin liceat illis quoque venam ſecare. Atqui ſi dixero venam ſecandam eſſe iuuenibus, minimè pueris, aut ſenibus, iam præceptum diſtinctum, certúmque eſt, ſolis iuuenibus venam ſecandam eſſe.

Cum ergo Hippocrates doceat concocta eſſe purganda, neque ex eo cruda excludantur, iure optimo, & artificioſè poſteriorem addidit particulam, quæ penitus crudorum purgationem prohibeat. Quanquam neceſſitas demum iſtius vocis facilè etiam inde patet, quoniam ſi ea deleatur, quæ poſtea ſequuntur, verba, non cohærebunt cum præcedentibus. [*Neque in principiis.*] Hippocrates erat ſcripturus poſteriùs; *Cum morbi inchoant, mouendum eſſe:* itaque vt ne aliquis hac ſententia motus exiſtimaret, purgantia quoque medicamenta poſſe hoc tempore frequenter adminiſtrari, non iniuria hanc particulam ſpeciatim adiunxit, qua adhuc planiùs, & apertiùs propriæ mentis ſenſum declaret; nullo ſcilicet tempore, neque etiam in principio morborum, quamuis illud præ cæteris ſit ad vacuationes accommodatum, cruda medicamentis purganda eſſe. 2. aph. 29.

Niſi turgeant.] Turgere, Græcè ὀργᾷν, vox Hippocratica generaliùs non aliud ſignificat, quàm ardenter, & impatienter appetere, ac de diuerſarum rerum dicitur cupiditate. Sic terra, & plantæ dicuntur turgere, cum illa ſemina appetit; hæ germina, & flores protrudere cupiunt: ad quem modum legimus apud Virgil. *Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*

Turgent in palmite gemmæ. Theophraſtus item ſæpe vtitur hac voce, dum vult exprimere naturalem plantarum appetitum, ac propenſionem producendi fructus, quos fermè conceperunt hyeme. Sic ipſum quoque humanum corpus turgere dicitur apud Plutarchum, quotieſcunque quiduis appetit præter modum. Sic apud Poëtas dicuntur lumina turgentia, in quibus lacrymæ ferè erumpentes, iamiámque profluentes deprehenduntur.

Sed aliis prætermiſſis ſignificationibus, atque exemplis quæ plurima poſſent afferri, ὀργᾷν propriè, vt Galeno placet, de animantibus dicitur, quæ effrænato quodam libidinis impetu concitantur, adeò vt ſtare loco neſciant; cuius vocis proprietatem fortaſſe ille didicit ab Ariſtotele, qui pariter conſueuit illa vti quando ſermonem habet de fœminis quadrupedum cum rabie libidinis agitatæ concubitum quærunt. Itaque verbum, turgere, ab hiſce animantibus concitatis in Venerem, tranſlatum eſt ad humores. Nam ſicuti animalia ab eiuſmodi mirabili affectu impulſa, ac ſtimulata, propemodumque furentia nullum conſiſtendi locum reperiunt, ſic humores dum motu ſæpenumerò impetuoſiore feruntur, & de vna parte in aliam fluunt, hominem laceſſunt, irritant, nec permittunt quieſcere. 6. de Hiſt. Anim. c. 18.

Ex quo poteſt conſtare, Galenum circumſcribere in primis, ac definire turgentes humores propria inconſtantia, & mobilitate, tametſi non vnicum perpetuò inconſtantiæ, ac mobilitatis modum commemorat: aliquando enim meminit vnius ſimplicis motus; nonnunquam deſcribit motum communem toti corpori: interdum partibus tantùm principibus; quandoque addit motum ſine ordine, modò ad vnam, modò ad aliam partem: adeo vt contendant nonnulli varias quoque eſſe apud Galenum iſtius vocis ſignificationes. Immò verò eſt cum ille ὀργᾷν interpretari videtur ſolam quandam appetentiam, & inclinationem humorum exeundi ex corpore, ſine vlla propè eorum motione. *Si oſſium receſſio* (ait Hippocrates) *in hoc curationis modo futura eſt, nota hæc erit; pus copioſum ex vlcere manat, turgeréque vlcus videtur. Si igitur* (addit Galenus) *& turgere vlcus videatur, quod ὀργᾷν vocat, id eſt ad excretionem feſtinare, atque incitari pars, qua laborat, tunc pro certo id habere iam potes. Sed quo pacto incitari ad excretionem locum deprehendimus? primum quidem cum labra vlceris coire inter ſe nequeunt, ſed diſſident, atque* 3. de Frac. 18.

inuertunt

inuertuntur; deinde cum æger in intima parte membri motionem quandam ſubobſcuram ſentire videtur, ſi auocata ab alijs rebus mente, & ſenſibus, huic ſoli membro, quod hæc patitur, diligenter attenderit.

6. Epid. ſect. 2. com 29. Sic alio loco tubercula in acutum gracilaſcentia, ac veluti turgentia teſtatur originem habere à calidis ſuccis, docétque illorum turgentiam facilè deprehendi ex pruritu, & dolore; quamuis fortaſſe neque his locis putandum eſt motum eſſe à turgendi ratione alienum; namque incitari ac feſtinare ad excretionem, quod priore loco dictum eſt, & ſentire quandam ſubobſcuram motionem membri, quod poſteriore loco habetur, non ſine motu eſt, immò verò inſigni, ac vehementia, quod ſignificant verba, *feſtinare, incitari*? quod verò ait ſentiri motum ſubobſcurum, non ſic audiendum eſt, quaſi leuis ſit motus, ſed quòd leuis eſt eius ſenſus, cum tamen motus vehemens ſit, & talis vt ſentiatur: nam minor ne ſentiretur quidem omnino.

De hac voce mihi libitum eſt paulò plura dicere, quòd ea poſteriùs commoda futura ſint ad enodandam neſcio quam arduam difficultatem. Sed redeo ad inſtitutam interpretationem. Hippocrates ergo ſtatuit humores crudos neque medicandos, neque alio remedio mouendos eſſe, niſi turgeant: tunc enim etiamſi crudi ſint, medicamento vti purgante licebit: ſiquidem in talibus differre malum eſt, propterea quòd periculum imminet, ne illi parum ſtabiles, atque errantes ad principem aliquam partem decumbant.

Vt plurimum verò non turgent.] Præuiderat ſingulari vir ingenio futuros aliquando homines vſque adeò inſolentes, & ineptos, qui affirmarent humores turgere magna ex parte, ac ſæpenumerò, vt hac ſaltem ratione ad frequentem medicamentorum vſum facilem ſibi aditum compararent. Atque vtinam iam non inciderint huiuſmodi tempora. Quocirca vt occurreret tantæ vanitati, raro inquit humores eſſe turgentes: id quod potiſſimum licet experientia diſcere, cum frequentiſſimè fiat, vt illi quieſcant, & parte quapiam firmati maneant vſque ad eorum coctionem. De aphoriſmo vigeſimo ſecundo hactenus.

Modò ad vigeſimum quartum venio: qui duo aphoriſmi expoſitore Galeno inter ſe cohærent quàm aptiſſimè. Cum enim Hippocrates ſtatuiſſet concocta medicanda eſſe, ac mouenda, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant, id quod rarò fieri ſolet, nunc docet per initia duntaxat morborum acutorum non poſſe aliquando purgationem moliri vtiliter. Namque fortaſſe illo tempore non deerant homines medicamentorum amantiſſimi, ſicuti neque deſunt hodie, qui iniquo animo ferentes minus frequentem illorum vſum, exiſtimarent de generali præcepto excipiendos eſſe morbos acutos: neque id ſanè præter omnem rationem. Etenim quemadmodum pleriqua non inuiti concedunt Hippocratis, ac Galeni decretum veritatem obtinere in morbis diuturnis, qui non cogunt homines ad importunas, & intempeſtiuas purgationes, ita contrà alij non deſunt, qui contendunt eſſe aliter ſtatuendum de morbis acutis: quandoquidem propter motum celerem, ac diſcrimen vitæ maximum omnis procraſtinatio eſt periculoſa, ne dum inconſultò (vt aiunt) fruſtráque expectatur concoctio, interim æger moriatur, Tales fuerunt priſci illi medici Gnidij, quos Hippocrates ſcribit paucis medicamentis in morbis non acutis, multis verò in acutis vſos fuiſſe. Tales fuere Auerroes, ac fortè alij, quos non decet longius referre.

1. de Rat. vi. Mor. Ac. 4. 7. Coll. c. 9.

Sed Hippocratem audiamus. *In acutis morbis rarò, & per initia medicamento purgante vbi oportet; & hoc ipſum cum præmeditatione faciendum.* Aphoriſmus duo potiſſimum continet præcepta; alterum, principio morborum acutorum rarò purgantia medicamenta conuenire; alterum, neque iſtud faciendum eſſe ſine diligenti examine, & conſideratione. Quod attinet ad primum, cum aphoriſmo vigeſimoſecundo fuerit decretum, cruda hac ſola conditione poſſe purgari, ſi turgeant; conſtet autem humores in morbis longis poſſe haudquam turgere, ſed tantummodo in acutis, hinc neceſſariò colligendum eſt, in morbis longis nunquam in principio danda eſſe medicamenta; quando in his oportet ſemper expectare concoctionem; ſed illa in ſolis acutis eſſe congruentia, nimirum quotieſcunque materia turget: quod cum rarò fiat, certum eſt in iis quoque rarò medicamenta eſſe exhibenda. Quoniam verò purgantia medicamenta non leuia pericula, quæ meritò timenda ſunt, plures etiam noxas ſæpè inferre conſueuerunt, quantumuis turgeant humores, non illa expedit adminiſtrare ſine multa præmeditatione: quod alterum aphoriſmi præceptum eſt.

Primùm enim morbi ferè omnes acuti, & illi potiſſimùm, quibus eſt adiuncta febris, quam neceſſe eſt eſſe continuam, ſunt calidi; quare illos purgantia medicamenta, quæ item conſtat facultate eſſe calida, vel nihil iuuant, vel magis lædunt magnopere.

Deinde poteſt vſuuenire, vt ægrotus malè ſe habeat ad huiuſmodi purgationem: nam quicunque ex multis, aut lentis, aut craſſis eduliis cruditate laborant; qui item habet inflata & diſtenta hypochondria, aut ſuprà modum calida & ignea, aut in aliquo viſcere inflammationem (malo enim ita legere cum veteri interprete, ac Leoniceno, quàm [*lœta calida & ignea*] cum codicibus impreſſis) hi profectò omnes cenſendi ſunt ad purgationes inepti: ſiquidem propter occaſionem præcipitem dandi medicamenti, quod turgente materia ſtatim in principio, vel circa primam, vel non vltra ſecũdam diem dare oportet, vix poteſt eſſe locus exhibendi, quæ poſſint humores extenuare, meatus apertos reddere, & omnia præſtare, quæ hac in re ſunt neceſſaria. Quocirca in deliberatione admodum incerta, & difficili ipſi quoque Galenus eſt anxio, & ſollcito animo, qui, ſi fieri poteſt, hoc etiam tempore cupit medicos arripere occaſionem propinandi mulſam, in quo decoctum ſit aliquid hyſſopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, ſiue aliquid huiuſmodi, quod humores poſſit extenuare: vel ſi iſtud non liceat, non vetetur purgationi miſſionem ſanguinis ſubſtituere, quanquam periculum eſt, ne minor ex hac vtilitas ſit ſequutura.

Quippe ſi Galenus turgentium quoque humorum aliquo modo præparationem, & coctionem expetit, quos ſine dubio neceſſe eſt, & expedit quamprimum purgare, ac ſine eiuſmodi prouiſione vix medicamenti vſum amplectitur, quid putamus eum de cæteris ſentire, qui ſtabiles ſunt, & pigri ad motum, quique propter multas cauſas longè difficiliùs, & periculoſiùs purgari ſolent? Ad hæc alia docet animaduertere, quæ pertinent non ſolùm ad præparationem corporis, ſed etiam ad communius quoddam examen, & expectationem indicij, de quibus ſæpe agit Galenus, & à nobis quoque procedente diſputatione agetur.

Itaque hæc Hippocratis eſt doctrina, qua quidem, Galeno authore, tota purgationis ratio, omnéſque animaduerſiones ad eam pertinentes præclarè explicantur: id quod manifeſtiſſimè illo potiſſimùm argumẽto nobis licet colligere, & cõfirmare, quòd Galenus, vbicunque de vſu purgantium medicamentorũ ſermonẽ habet, lectorẽ perpetuò legare ſolet ad hunc vnum locum, tanquam ad eum fontẽ,

in quo ex propoſito, & cumulatè omnia continentur, quæcunque ad hanc rem pertinent.

Ex iis porro, quæ hactenus diximus, facilè (vt puto) vnuſquiſque poteſt intelligere, qualis de propoſita quæſtione fuerit Hippocratis, & Galeni ſententia; qui docent apertiſſimè, tantummodo concocta purganda eſſe, ac mouenda, cruda nunquam, niſi turgeant: ac propterea in ſolis morbis acutis per initia admodum rarò, & non ſine multa præmeditatione purgantia medicamenta conuenire.

Quod quidem eorum decretum rationi, artiſque operibus quàm maximè conſentiens, etſi hiſce duobus aphoriſmis luculenter, & perſpicuè docetur, tamen neque alia deſunt quàm plurima vtriúſque teſtimonia, quæ illud non ſolùm confirmare, ſed etiam perſuadere poſſint: ex quibus ſat nobis fuerit ad informandos nouitios vnum, atque alte-

4. Rat. vi. Morb. Ac. 43 rum in medium proferre. *Quibus in principio* (ſcribit Hippocrates) *vrinæ nebuloſæ, aut etiam craſſæ exiſtunt, hos ſubpurgare oportet, ſi cætera quoque conueniant. Quibus verò per initia vrinæ tenues fuerint, tales ne purgato: at ſi videatur clyſterem imponere, hos ſic curare conuenit*, &c. *Siue* (inquit Galenus) *coniungantur hæc in propoſita dictione cum prædictis, ſiue non, id quod ex ipſis vtile habere quis poſſit commune, quòd purgationem corporis planè vitare oportet cruditate in humoribus exiſtente, manifeſtauit, cum dixit*, vrinæ tenues, &c. Rurſus Hippocrates; *Corpus quieti permittere, vngere, & aquæ contegere oportet. Ventrem ab initio clyſtere ducito. Sed medicamenta purgantia ne dato. Si quid enim per ventrem moueris, vrina non maturabitur, febriſque citra tum ſudorem, tum criſim in longum tempus protrahetur.* Quam ſententiam Galenus interpretans præclarè, & diffusè docet, quamobrem ſumpto medicamento vrina non coquatur, febriſque ſine ſudore, & criſi longius perſeueret.

3. Epi ſect. 2. com. 37. Sic aliàs Hippocrates. *Quodcunque horum acceſſiſſet violenter, interficiebat celeriter, vel præter quam quòd non proderat quicquam, iterum redibat.* Et Galenus; *Qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum: dixit enim multas violentas confeſtim vires deiicere: at quæ tales non ſunt, nihil iuuare. Quæcunque etiam duplices ſint, nihil proficient, quæ coctionem non habent adiunctam; quandoquidem etiamſi multa ſint, nihil quicquam proderit abſque concoctione. Quos quidem locos minus perſpicuè ac benè ab interprete Latinè redditos nobis libuit reſtituere vtcunque, & facere planiores.*

4. Apho. 22. Demùm verò. *Morbis incipientibus, ſi atra bilis vel ſuprà, vel infra exierit, lethale. Cauſam quidem* (inquit Galenus) *quamobrem morborum initia ſi comparuerint huiuſmodi humores, ſint pernicioſi, poſterius verò ſi ſe prodiderint, criſimi ſint, & decretorij, & abundè ſuperius explicauimus. Verùm, quoniam de iis, quæ ad artem ſunt in primis neceſſaria, ſæpius ſuſcepta diſputatio eſt vtilis, ideò etiam hoc loco eadem repetere non grauabimur.*

Cum morbus aliquis incipit, ſi quid excernitur, id tunc naturæ ratione, & lege non excernitur, ſed ſunt omnia eorum, quæ præter naturam ſunt in corpore diſpoſitionum ſymptomata. Quandiu enim à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & humorum adeſt cruditas, tunc vt aliquid rectè vacuetur, fieri omnino non poteſt. Siquidem vt bona criſis fiat, coctionem præceſſiſſe oportet, & ſeparationem ſequutam fuiſſe, tandémque vacuationem.

Hæc enim docuit nos Hippocrates iis verbis; Coctiones criſis celeritatē, ſalutis ſecuritatem ſignificāt: cruda verò, & incocta, & in malos abſceſſus conuerſa, vel iudicij fruſtrationem, vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortē, vel eorūdem malorum reditum denunciant. Quibus igitur poſt morbi coctionem vitioſus aliquis humor excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et proinde atra etiā bilis, & quiuis alius eiuſmodi humor, ſiquidem coctionis apparuerint ſigna, in morbi progreſſu bonam vacuationem ſignificant: aliter ſi excernūtur ſine ſignis coctionis, exitioſum eſt ſymptoma.

Quare cum morbi initio ſint ſemper indicia cruditatis, omnino vt tum mala non ſit huiuſmodi humorum vacuatio, fieri prorſus non poteſt. Hactenus Gal. cuius interpretationis ſeriem vniuerſam opportunè tranſcribendam exiſtimauimus, quòd illa non ſolùm toti diſputationi maximam lucem afferre, ſed etiam vicem locorum omnium ad hanc rem pertinentium supplere poſſit. Veruntamen nequeo ſilentio præterire adhoc locum ſingularem, in quo idem Galenus ſcribit nō modò cæteros naturæ conatus, ſed ipſa quoque profluuia ſanguinis, quod valde mirum non iniuria poteſt videri, ſine coctione minus prodeſſe, *Neque igitur ſudores* (ille inquit) 1. de Criſ. cap. 8.
neque vomitus, & deiectiones, alui, neque parotides, neq; profluuia ſanguinis narium, ſi hoc tempore apparuerint, morbum vnquam indicauerunt. De qua quidem ſententia contra opinionem omnium, & ferè ipſiuſmet Galeni, aliàs habebo ſermonem.

Demùm verò mihi libet illud addere, bonos illis temporibus medicos vſque adeò medicamenta horruiſſe in principio morborum, & ante humorum coctionem, vt vel lenientibus rarò admodum vterentur: quorum tamen vſum & opportunum, & tutum eſſe, puto conſtare inter omnes, & nos poſteriùs demonſtrabimus: ſi quidem pro illis frequentiſſimè clyſteria conſueuerunt adminiſtrare: id quod præ cæteris Auicenna præclarè notauit, vbi de vſu medicamentorum à phlebotomia, hæc habet: *Deinde fac ſequi phlebotomiam ſolutionem ven-* Lib. 4. fen. 1. ſ. tr. 2. c. 7.
tris ſubtilem, propriè ſi fuerit illic ſiccitas, cum eis quæ ſunt; ſicuti aqua hordei, & alſiracoſt parum, & aqua hordei, cum ſyrupo acetoſo. Et ſi natura non fuerit lenis, adde in eo quod eſt ſicuti ſiracoſt, quod eſt ſicut ſyrupus violatus. Et ſit vltimitas lenificatio, non fluxus ventris & non ſolutio laborioſa. Et magis dilectum apud me eſt adminiſtratio clyſteriorum, ſecundum vltimitatem, qua indigetur in virtute. Sic legimus Galenum in curatione febrium, & aliorum morborum crebèrrimè clyſteria commemorare: rarò autem medicamentorum lenientium meminiſſe. Sic in curanda febre tertiana ad expurgandam bilem, nequaquam probat vſum abſinthij, niſi poſtquam ſigna coctionis appareant. Sic idem moderatur tempus commodum vtendi hiera Themiſonis in curanda inflammatione, quando hæc fuerit concocta, & declinauerit. Sic alia quamplurima apud eum non deſunt exempla iſtius doctrinæ, ac methodi medendi, quæ vnuſquiſque ſibi facilè poteſt comparare. Quippe ſi viri grauiſſimi, & experientiſſimi à lenientibus, & leuibus medicamentis libenter abſtinebant in principio morborum, quid de aliis quæ purgantia, ac valentia ſunt, eos ſenſiſſe putandum eſt? Hactenus de priore ſententia.

Iam de poſteriore agendum eſt, quæ contendit in principio morbi ſæpenumerò ac ferè in perpetuū purgantia medicamēta eſſe exhibenda. Huius ſectæ princeps fuit proximo ſuperiore tēpore Manardus Ferrarienſis, ex quo alij deinceps, quicūque ſunt in eadem opinione, argumēta penè omnia, & omnem diſputationem turpiter mutuati ſunt. Hic audacter, ne impudenter dicam, Hippocrati, & Galen. apertū propè bellum indicere non eſt veritus: at profectò non ego ſatis poſſum illius ingenium admirari, qui diuinorū hominū dogmata ferè omnia ſtudioſiſſimè alioqui ſequutus, ac renaſcentis artis medicæ inſtaurator ſingularis in hac fortè vna re ab illis deſciſſere, ac perduellionis reus eſſe voluerit.

Quoniam

Quoniam verò (ſicuti diximus) huiuſmodi opinio varia eſt & multiplex, hinc nos ordine progrediemur. Primùm ſtatuimus cum Manardo tanquam Imperatore, pedem conferre: deinde ſi quæ præterea ab aliis excogitata atque inuenta fuerint, ſiue ad illius ſententiam ſtabiliendam, ſiue ad noſtram confutandam, neque illa ſilentio diſſimulabimus: poſtremò quaſdam opiniones conabimur examinare magis reſtrictas, ac ſingulares, quæ ferè ex hac Manardi opinione pullulant, vt vniuerſa iſtæc tractatio, quoad nobis licet, ſit accurata, perſpicua, & abſoluta.

Ante omnia Manardus medicamentorum diſtinctionem affert; quorum altera, veteribus medicis vſitata, ſunt calida, vehementia, violenta, qualia ſunt elaterium, helleborum, peplium: altera poſteriùs inuenta, apud nos iam peruulgata, ac ſolemnia, ſunt frigida, vel moderatè calida, mitia, & benedicta quæ vocant; qualia ſunt caſſia, thamarindi, manna: inter quæ ille etiam collocat ea medicamenta, quæ ex fructibus quibuſdam compoſita, melle vel zaccharo nonnihil, exiguum tamen id, recipiunt ſcammunij, vel alterius cuiuſpiam vehementis medicamenti. Ille igitur cenſet Hippocratem, & Galenum prohibere initio morborum vetera duntaxat vehementia medicamenta, minimè noſtratia leuiora; quæ quidem veriſimile eſt nullo modo perinde vt illa, fuiſſe prohibita, partim quia tunc temporis erant incognita, partim quia carent iis terribilibus qualitatibus, propter quas altera priſcis temporibus non iniuria fuerant ſuſpecta. Secundò in medio ponit experientiam, iureiurando aſſeuerans, ſe octo ſupra quadraginta annos quo tempore variis in locis medicinam profeſſus eſt, in principio febrium putridarum, niſi aliud fuiſſet impedimento, caſſia vnà cum tertia parte Diaphœnicon, vel Diaprunis innoxiè, ac feliciter vſum fuiſſe. Tertiò Manardus confirmat
2. Aph. 29. ſuam ſententiam vulgato aphoriſmo; *Inchoantibus morbis, ſi quid videtur mouendum, moue*: & Galeni interpretatione, qui clarè ſcriptum reliquit initio morborum ſalubrem purgationem faciendam eſſe, vt minorem redditam eo modo materiam natura facilius coquere poſſit. Ex quibus verbis recentiores videntur ſumpſiſſe & nomen, & ipſam rem minorationis, quam in principio morborum facere ſolent. Quem ſanè locum longiore oratione illuſtrat, affirmando quod Gal. ſcribit interdum faciendum id noſtris temporibus crebriùs, immo ferè ſemper faciendum eſſe: ſiquidem in præſenti ſæculo homines longè magis, quàm tempore Hippocratis, repleti in morbos incurrunt: vt qui magis copioſa, & lauta viuendi ratione, vel magis aſſiduis crapulis, & comeſſationibus ſe impleant, atque obruant. Quartò profert authoritatem Hippocratis, qui in principio pleuritidis dolore deſcendente ad hypochondria decernit purgationem per peplium, & helleborum: nec non teſtimonium Galeni, qui in hoc ipſo morbo fatetur ſe prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & quinta, medicamenta exhibuiſſe. Inſuper ita addit Manardus Hippocratem, Galenum non ſolùm in pleuritide, ſed etiam in dolore capitis, inflammatione oculorum vulneribus, fracturis, & aliis morbis ſine vlla humorum coctione medicamentis vti frequenter conſueuiſſe. Ac tandem quoddam Galeni decretum nobis opponit, quo vniuersè docemur, ſi æger venæ ſectionem detrectat, illi vicariam ſubſtituendam eſſe copioſiorem purgationem. Poſt hæc autem longiore facta digreſſione de vario modo coctionis, déque illius diuerſa ratione, maximè verò de lite inter Auicennam, & Rhazem de coquendis humoribus tenuibus, de quibus nos quoque poſteriùs ſermonem habebimus, rurſum Manardus quibuſdam rationibus rem ſuam tuetur: Qui ad ſummam tria capita ponit; primum, quantitatem; alterum, qualitatem humorum; tertium, locum. Etenim (quod attinet ad primum) ſi tanta in corpore abundet materia, vt natura eam nequeat perferre, ac ferè opprimatur, quis hoc tempore velit coctionem expectare, hoc eſt, vt ille interpretatur, naturæ victoriam, quæ in tanta copia vix poteſt ſperari, & non aliquam illius partem ſtatim vacuare, vt natura iſto modo à tanto pondere ſubleuata, quod reliquum eſt, aggredi, & vincere poſſit? Prætèrea ſi bonus habitus athletarum, teſte Hippocrate, protinus eſt ſoluendus, cur non pariter malus ægrotantium habitus continuò purgandus eſt, qui non ſolùm copia, ſed etiam malignitate vires obruit? Ille poſtremò argumentatur hunc in modum. Turgentes humores ſine dubio licet purgare ante eorum coctionem: atqui, ſi rem diligenter conſideres, eadem pericula vrgent in multa, quæ in turgente materia, forte etiam maiora; cum huic ſine purgatione aliquod remedium poſſimus afferre; illi prorſus nullum; ergo illæ eædem rationes, quæ perſuadent in principio morborum purgandos eſſe turgentes, pariter demonſtrant purgandos eſſe multos. Quòd porrò ſecundo loco propter malam ſuccorum qualitatem nos item cogamur nonnunquam medicamentum propinare, id omnes fateantur, neceſſe eſt, qui humorum turgentium purgationem concedunt: quandoquidem id non alia fit ratione, quàm quòd iſti prauam quandam ſunt aſſequuti qualitatem, quæ vniuerſum corpus laceſſit, illique inſignem motionem, ac perturbationem parit. Sed præter manifeſtas qualitates vult Manardus aliam quandam qualitatem in humoribus reperiri interdum, quæ facit eos purgare, ac ſine mora nos cogit ad illorum purgationem; occultam (inquam) & peſtilentem malignitatem, qua infecti humores, niſi purgentur protinus, & cor petunt vel aliud membrum principale, vltimamque perniciem afferunt. Quo loco ſui temporis medicos grauiter arguit, qui ſæuiente peſtilentia annis potiſſimum quinto, & vigeſimo octauo ſupra milleſimum quingenteſimum, quæ per vniuerſam ferè Italiam vagata eſt, abſtinebant à medicamentis ante humorum coctionem.

Si qui enim (ille ait) *morbi inueniuntur, qui eiuſmodi purgationem ita deſiderent, vt aliquantiſper tardare malum ſit, hoc maximè peſtilentes hæ febres requirunt, velociſſimam mortem, niſi ea fiant, inferentes.* Demum verò præter humorum quantitatem, & qualitatem, locum quoque ait facilè demonſtrare, quandoque eos purgandos eſſe. quando nimirum ad principem locum deferuntur, vt de laterali morbo antea dixerat.

Hæc nos collegimus ex Manardo breuiter & ſummatim, quibus ille conatur ſuam ſententiam docere, ac firmare. Qui cum eo ſentiunt varia & multa deinceps argumenta excogitarunt, partim ad iuuandam illius opinionem, partim ad refutandas noſtras rationes. Quæ quidem variis in locis ſparſa, non certè omnia, ſed tantummodo præcipua & potiora quædam, ad maioris momenti nos ſtatuimus colligere, & in medium proferre. Primùm igitur nonnulli ſtatuunt duplicem purgandi rationem, quam Manardus quoque innuit: alteram, quæ totam noxiam materiam ducit, eradicatiuam; alteram, quæ illius partem minuit, minoratiuam appellant. De priore, Deo iuuante, diſputabimus poſteriùs: nunc de poſteriore agamus, quæ pertinet quàm

maximè ad noſtrum inſtitutum. Eam nemo hactenus mihi viſus eſt meliùs deſcripſiſſe, quàm fecerit Ludouicus Mercatus Hiſpanus in Valleſoletana Academia primarius medicinæ profeſſor, qui ſcribit ad hunc modum.

[Lib. 1. de eſſ. & Peru. Præſ. Indicatione c. 6.] *Minoratiua purgatio ea eſt, quæ materia morbi minor redditur circa ipſius principia, molitúrque ſeligenti medicamento, ac debetur humoribus in ſecunda corporis regione exiſtentibus, quorum tanta eſt quantitas, ſiue putreſcant, aut ſecus, vt timor ſit ne natura ſuccumbat, atque ante integram eorum coctionem deficiat, aut hebeteſcat: quo fit, vt minori iam facta materia natura reddatur potentior ſupra reſiduum, illique ſecuriùs dominetur, ac imperet.* Hæc ille.

[1. aph. 22. 1. aph. 29.] Hanc ipſam purgandi tationem contendunt Hippocratem inſinuaſſe tum aliis in locis, tum maximè duobus aphoriſmis, in quibus vtitur verbo, *monere*, quod quidem videtur vix aliam, quàm parcam vacuationem ſignificare. De hac loquitur [1. aph. cit.] Galenus expreſsè, qui ſcriptum reliquit, Vt coctiones citius fiant, melius eſſe per initia vacuare, vt minorem redditam eo modo materiam facilius [Li. 4. fen. 1. tr. 2. c. 7.] natura concoquat. De hac demum aiunt Auicennam cogitaſſe, qui docet poſt adminiſtrationem qnorundam canonum in principio accidentium febris, opus eſſe vt medici occupentur in vacuatione, quæ non eſt ſecundùm ſemitam deſiccationis, & minorationis, &c. Itaque aduerſarij poſita hac diſtinctione ita Hippocratis decretum interpretantur, vt nunquam liceat exhibere medicamentum, quod vacuationem perficiat eradicatiuam, niſi humores antea fuerint concocti: contra verò commodè alterum poſſe exhiberi, quod purgationem moderatam, adeóque minoratiuam efficiat, etſi humores ab omni coctione ſunt alieni. In qua quidem ſententia multi videntur eſſe noſtrorum temporum medici non ſolùm vulgares, & imperiti, ſed etiam celebriores, & qui Galeni diſciplinam profitentur: quippe Manardi morem, & inſtitutum tenentes leuioribus medicamentis vtuntur familiariter, quibus addunt perpetuò neſcio quod ex valentioribus, quæ ſtimulum [Lib. de Curand. Feb.] naturæ, atque (vt aiunt) calcaria poſſint admonere; vnde liceat copioſiorem omnino purgationem ſperare. Sic Curtius initio febris tertianæ, vel cauſi dat caſſiam, vel mannam cum drachma vna el. roſati Meſ. in tertiana notha caſſiam cum drachma vna el. Indi maioris, vel agarici præparati: in quotidiana caſſiam cum el. Indo, & agarico in quartana caſſiam cum el. Hamech. Sic Rondeletius medicus Gallus in curandis febribus, medicamentis lenientibus frequenter commiſcet el. Indum, Diaprunis ſolut. Diaphænicon, de ſucco roſarum, & [Lect. 73. in Prisr. Gal. li. ad Glauc.] alia huiuſmodi. Sic Trincauellius curando febrem tertianam notham, medicos tuetur, atque excuſat, qui exhibent aliquando elect. Diaphænicon, confect. Hamech, & id genus alia. Sic Altimarus (quos homines valde celebres nominaſſe ſufficit) & plerique omnes practici, quos vocant, hanc medendi rationem ſequuntur, & imitantur. Quanquam inter hos ſunt nonnulli, qui contendunt ſimplicia, nec non compoſita medicamenta, de quibus diximus modò, eſſe admodum lenia, ac prorſus lenientia, dummodo lenientibus admiſceantur, vel parcius adhibeantur; vt hac interpretatione demonſtrent eorum vſum congruentem eſſe, atque id tandem conſequantur, quod fortaſſe aliter ſciunt ſe conſequi non poſſe.

Alij duplicem quoque curandi rationem conſtituunt: alteram vocant ordinariam, ac methodo fundatam; alteram extraordinariam, & à methodo abhorrentem; aliquando etiam coactam dicunt. Itaque per hos, ordinaria curandi ratione duntaxat concocta medicamenta, & mouenda ſunt; extraordinaria, cruda etiam liceat medicari, ac mouere. Quoniam verò principale noſtræ opinionis fundamentum nititur authoritate, & exemplo naturæ, quam affirmamus in principio morborum noxios humores nunquam vacuare vtiliter, nonnulli recentiores illud ſtudent demoliri, qui contendunt, naturam ſine vlla humorum coctione quandoque vacuationem commodè moliri; nonnullóſque ægros ſine coctione à morbis fuiſſe liberatos. Ex quibus eſt Ludouicus Lemoſius philoſophiæ, ac medicinæ Salmantiæ profeſſor celebris, cuius nuperrimè exierunt commentaria in XII. libros Galeni de Methodo Medendi. Namque propoſita quæſtione, atque ex vna parte his poſitis rationibus, quæ demonſtrant purgantia medicamenta non conuenire, niſi purgandi humores ſint concocti, vel turgeant, mox pro altera ſententia ſcribit ad hunc modum; [Lib. 7. diſp. 4.] *Sed iam videmur incidere in Scyllam, cupientes vitare Charybdin: ſi impoſſibile eſt, vt in principio vtilis, ac bona ſit excretio, propterea quòd ſine coctionis notis eueniat, qui fit vt medicus, qui naturæ eſt imitator in principio purgationibus vtatur abſque materiæ concoctione? Cur etiam multi fuerint liberati abſque concoctione vrinarum? veluti Meton l. 1. de Morb. Vulg. ſect. 3. text. 24. qui per ſudores & ſanguinis profluuia abſque vrinarum coctione fuit liberatus. Et iuuenis ille cap. 13. lib. de Præcogn. ad Poſth. per narium ſanguinem, cum adhuc morbus crudus eſſet. Quòd ſi aphoriſmo 21. lib. 4. dicat Galenus ſemper eſſe caſum exitialem, ſi ſine coctionis ſignis aliqua fiat excretio, intelligenda illi verba ſunt, ſi illam excretionem nulla ſequitur commoditas; veluti aduertit Galenus lib. 1. de Morb. Vulgar. ſect. 2. 47. Aliàs quam ſæpe videmus huiuſmodi excretiones exitiales eſſe. Sic etiam vrinas eſſe malas pronunciauit Hippocrates Prorrh. 24. lib. 2. quæ ſcilicet morbum non ſoluunt. Vnde illud libro 2. de Morb. Vulg. optimè dictum; Indicatoria, quæ non indicant, partim difficulter indicant, partim verò lethalia ſunt.* Hæc Lemoſius. Ac facilè poſſumus hiſce [1. Ep. ſect. 3. Ægrot. 3.] exemplis alia adiungere conſimilia. Herophon in principio morbi deiecit plurima tenuia biliosa: [3. Ep. ſect. 2. ægr. 5.] octaua die apparuerunt indicia concoctionis: nona cum ſudore iudicatus eſt, ac demum decima ſeptima integrè fuit liberatus. Qui in horto Dealcis decumbebat ſine coctione habuit multa genera excretionum per vomitum, nares, aluum, lotium, ſudorem: die vndecima ſemel; ac tandem quadrageſima deiectione ex aluo, & copioſo ſudore perfectè iudicatus eſt. Sed quid ego vetera exempla quæro? nonne & nobis huiuſmodi ægroti occurrunt quotidie, in quibus natura initio morbi varias molitur vacuationes, ac potiſſimùm per aluum, quæ tantùm abeſt, vt ſint pernicioſæ, vt inſignem vtilitatem, bonamque valetudinem afferre ſæpenumero videantur? Hæc ſanè permagni ſunt momenti: Etenim ſi naturalis purgatio in principio morbi poteſt eſſe ſalutaris; quid eſt, quamobrem medicus naturæ miniſter, & imitator velit huiuſmodi coctionem tanti facere, vt ſine ea nolit hoc ipſo tempore medicamentum exhibere? Non ignoro equidem noſtros aduerſarios multa alia nobis obiicere, ſed (vt liberè dicam) ita inania, ac futilia, vt me tædeat, pudeatque longius illa perſequi. A quo quidem labore eò libentius abſtineo, propterea quia ſpero ex iis, quæ iam ſum diſputaturus, nihil ſuperfuturum, quod ad totius tractationis integritatem poſſit deſiderari. Quare ſtatim Manardum aggredior, ad illum ordinem diſpoſitionémque argumento-

rum

rum me referens, ſicuti illa ſuperiùs ſunt propoſita.

Medicamentorum diſtinctionem medici omnes facilè recipiunt; aliiſque interea prætermiſſis differentiis, conſtat inter omnes eſſe alia purgantia, quæ habent vim peculiarem trahendi proprij, & determinati humoris; alia lenientia, quæ non alia ducere ſolent excrementa, præter ea, quæ continentur in ventriculo, inteſtinis, ac fortè in venis, quæ his partibus proximæ ſunt. Itaque ſi Manardus contendit, in principio morborum lenientia medicamenta conuenire, inter nos conuenit, qui huiuſmodi medicamenta, quod memoria eſt repetendum, ſeiunximus, ac ſeiungimus à noſtra diſputatione: quæ non ſolum in principio morbi, ſed etiam quouis tempore, addo, qualibet ætate, ſexu, adeóque mulieribus vterum gerentibus, quouis cœli ſtatu, ad ſummam cunctis propemodum morbis, & ægrotantibus facilè concedere & imperare ſolemus. Neque obſtat, quò minus ea conueniant, decretum Hippocratis, & Galeni, qui prohibent non ſolùm medicamenta purgantia, ſed etiam quomodocumque mouentia; quoniam lenientia non mouent humores crudos morbi authores, in venis, aut in ambitu vniuerſi corporis contentos: ſed eos tantummodo, qui (vt diximus) in primis, & communibus ductibus continentur: alioqui neque vſus clyſteriorum in principio morbi foret opportunus, quæ tamen eſſe opportuniſſima fatentur omnes. Etenim ſi hanc rem tecum accuratè reputas, vtraque iſtæc præſidia, lenientia (inquam) medicamenta, molliáque clyſteria eandem ferè præſtant operam; neque aliter differunt inter ſe, quàm quòd hæc non ita, vt illa, ventriculum, ac partes ſuperiores poſſunt expurgare: vt neſcio quis haud ineptè eiuſmodi lenientia medicamenta, clyſteria ventriculi ſoleat appellare. Neque ſanè inficias eundum eſt, quin Hippocrates, Galenus, & veteres medici medicamentis lenientibus vſi fuerint nonnunquam; id quod puto eſſe manifeſtius, quàm vt pluribus debeat demonſtrari, qualia tunc temporis erant familiaria, lac aſinæ, vel capræ, aloe, abſinthium, mercurialis, beta, malua, cartamum, & alia huiuſmodi: quanquam res ipſa monſtrat, poſteritatem non ſine laude, ac ſingulari hominum beneficio, magna naturæ fertilitate, vel magis incomparabili DEI OPT. prouidentia, multa in dies addidiſſe, caſſiam, tamarindos, mannam, & alia, quæ iam vulgata ſunt: multa etiam addere quotidie: quod ea præcipuè demonſtrant medicamenta, quæ proximo hoc tempore ex India, & aliis remotiſſimis regionibus iam ferri ad nos cœperunt. Sed hac demum in re neque illud eſt ſilentio prætereundum, quod medici potiſſimùm Arabes nos docent, & confirmat experientia; iſtiuſmodi nimirum leniora medicamenta, ſi copioſiùs exhibeantur, quàm deceat iam propriam naturam, ac facultatem non ſeruare, ſed fieri vehementiora, & quodam modo ſoluentia: vt iure arguendi ſint multi noſtrorum temporum medici, qui etſi veritate coacti fatentur purgantia medicamenta ante humorum coctionem eſſe incommoda, & importuna, ſoliſque vtuntur lenientibus, tamen frequenter ita illorum menſuram augent, vt quam copioſam purgationem maxime expetunt, hac tolerabili ratione conſequantur: qui interea non ſatis animaduertunt, opere decretum illud ſe negligere, quòd verbis amplectuntur. De vtilitatibus, quas colligit, & experimentis, quæ iactat Manardus poſteriùs agentes cum Lemoſio commodiùs differemus.

Venio ad tertium locum, aphoriſmum ſcilicet 29. libri ſecundi, in quo Aduerſarius tanquam arce munitiſſima, & inexpugnabili præſidia defenſionis ſuæ potiſſimum conſtituit *Incipientibus morbis* (ait Hippocrates) *ſi quid videtur mouendum, moue: cum verò illi conſiſtunt, ac vigent, quieſcere melius eſt.* Hac ſententia duo continentur præcepta: alterum, in principiis morborum, ſi modò quid mouendum videtur, mouendum eſſe: in ſtatu melius eſſe quietem habere. Morbi principium, ſtatuſque ſine dubio intelligenda ſunt ea communia tempora, quæ coctionis ſignis definiuntur, atque adeò latitudinem continent; motionem verò Galenus interpretatur eam potiſſimùm vacuandi rationem, quæ per magna fit remedia, nimirum miſſionem ſanguinis, ac purgationem. Hæc igitur in principiis morborum, in quibus expedit mouere, quando ſcilicet ſperatur ægrum conualiturum, maximè ſunt opportuna, maiori quidem ex parte venæ ſectio, nonnunquam purgatio; vt minorem eo modo redditam materiam natura faciliùs coquere poſſit, in ſtatu autem minus illa videntur conuenire, propterea quia tunc in morbi coctionem natura vehementer incumbit; quo tempore importunum, ac ſuperuacaneum eſt aliis vacuationibus aggredi illam, & laceſſere, tum aliis de cauſis, tum præcipuè quoniam vis animalis omnino defatigata laborat. Hæc Hippocratis eſt ſententia, Galenique interpretatio ſatis manifeſta. Ac fortè hactenus conuenit nobis cum aduerſariis, ſed eſt alia deinceps inter nos controuerſia. Etenim quod Galen. aſſirmat, principio morborum conuenire aliquando purgationem, nos iſtud *aliquando* interpretamur, & in anguſtum deducimus, quotieſcunque materia turget; illi contra id exponunt, & amplificant, quotieſcumque humores vel quantitate, vel aliis modis homini periculum faceſſunt. Vtri autem magis verè, & ad Hippocratis, Galenique mentem loquantur, is facilè iudicium feret, qui totam rem diligenter voluerit æſtimare, & ad eorum dogmata referre. Primùm igitur cum Hippocrates & Galenus apertè, & frequenter decretum fecerint, humores crudos, neque in principiis purgandos eſſe, hac vna excepta conditione, id quæro, an aliud ab illo decretum fieri hoc loco potuerit? non arbitror. Siquidem tam certum eſt quàm quod certiſſimum, viros omnium grauiſſimos ſibi ipſos perpetuò, & conſtanter conuenire, omnibuſque in locis vnum, atque idem prorſus docere. Deinde quid eſt, quamobrem Galenus velit purgantia medicamenta principio morborum tantummodo nonnunquam conuenire? Ego quidem puto aliam nullam rationem poſſe excogitari, aut concipi animo, niſi quoniam humores minus ſæpe turgere ſolent: Quòd ſi illa iam forent congruentia, quoties humores ſunt vel multi, vel vitioſi, vel in parte principe, vel aliter infenſi, vt iſti interpretantur, vtique non aliquando, ſed ſæpe, ac ſæpius, immò etiam ferè nunquam non forent exhibenda. Hunc verò eſſe legitimum ſenſum iſtius loci, facilè, & euidenter demonſtrat modus loquendi, quo Hippocrates, & Galenus vtuntur, quotieſcumque ſermo incidit de purgatione humorum turgentium: aphoriſmo enim 22. [*Plurima non turgent*] aphoriſmo 24. [*In morbis acutis raro*, &c.] *Quoniam rarò* (inquit Galenus) *humores turgent*. Qui quidem ſenſus planè videtur conuenire, vnuſque, & idem eſſe cum hac Galeni locutione, qui ſcribit, incipientibus morbis purgationem competere aliquando, nonnunquam interdum, Græcè *ἐνίοτε*. Adhæc, ſi placet, Philotheum quoque vetuſtiſſimum, eundemque

demq; optimum interpretem licet adiungere, qui in explicatione iſtius ſententiæ planè eſt à nobis, ſcribens cum primis eſſe conſiderandum, an materia turgeat, & tunc purgatione vtendum: ſi verò non turgeat, à purgatione eſſe abſtinendum.

Cæterùm aduerſarij huiuſmodi interpretationem non recipiunt, illamque duplici potiſſimùm ratione conantur conuellere: altera, quòd humores turgentes licet purgare non ſolùm in principio, ſed etiam in ſtatu, & omni tempore: quare Hippocrates temere ſolius principij mentionem feciſſet: altera, quòd turgentibus humoribus competit purgatio non quidem parca, & minoratiua, ſed integra, & eradicatiua: quare prorſus vana, ac futilis eſſet cenſenda ratio à Galeno poſita, nempe dari medicamentum, vt hoc modo materia reddita minor facilius concoquatur: namque ſi turgentes humores ſemel toti vacuantur, vt nulli deinceps coquendi ſuperſint ampliùs, neceſſarium eſt. Itaque concludunt aphoriſmum non pertinere ad humores turgentes, ſed ad alios, qui non abſolutam purgationem, ſed tantummodo minuentem, & reliquiarum coctionem expoſcunt.

Etſi autem videntur iſtæc acuta, & ingenioſa, tamen fortaſſe longè abſunt ab Hippocratis, & Galeni mente; neque deeſt commoda ratio, qua poſſimus ad illa reſpondere. Ergo quod aiunt humores turgentes non ſolùm in principio, ſed etiam in ſtatu purgandos eſſe, illud quamuis concedatur, cum Hippocrates hoc tempore non videatur purgationem prorſus prohibere, ſed tantummodo conſulere quietem eſſe meliorem; verumtamen illud addimus, vix fieri poſſe, vt in ſtatu morbi ſalutaris humores turgeant, quando illi tunc temporis iam propemodum cocti ſunt, & à natura ſuperati; cuius gubernatione recti huc, & illuc nequeunt vagari, ac tantam moleſtiam, vel periculum afferre. Quod verò affirmant, humoribus turgentibus conuenire purgationem completam, quæ omni ex parte illos educat, ego quidem neſcio an id verè affirment: namque ſi Hippocrates & Galenus generaliter, ac perpetuò abhorrent ab huiuſmodi ſummis, & extremis vacuationibus; de qua re poſterius diſſeretur; rationi conuenit, multo minus eam conuenire turgentibus humoribus; qui incitata natura ad eorum expulſionem, impetuoſiore motu correpti, non admodum difficilè videntur poſſe deduci: quocirca (vt ſcribit Galenus) tantummodo aliquo indigent, qui veluti manum porrigat, illóſque ad aluum dirigat, atque deducat. In quam ſententiam eò libentius venio, quòd Hippocrates huiuſmodi purgationem concedit mulieribus vtero gerentibus, quibus alioqui interdicit ſectionem venæ, & quæ propter multas cauſas nequeunt tantam ferre purgationem, quæ nimirum ad extremum deueniat, & quam iſti eradicatiuam appellant. Sed eſto: concedatur hic quoque ſummus modus purgationis. Memoria eſt repetendum, Galenum in principio morborum probare materiæ diminutionem, non ſolùm per purgationem, ſed etiam per phlebotomiam: quinetiam eundem aſſeuerare, hanc maiori ex parte, illam non niſi aliquando congruentem eſſe. Quamobrem cum verè propriè, atque vt plurimum talis humorum diminutio fiat ſectione venæ, in qua ſine dubio pro parte reſidui ſunt, qui poſterius debent concoqui; tametſi turgentes humores toti ducuntur, adeo vt ne minima quidem eorum pars relinquatur, cui concoctio poſſit competere in poſterum; poſſet quis putare Galenum ad illud potiſſimùm reſpexiſſe, quod communius eſt, & fit frequentiſſimè; illud autem neglexiſſe, quod rariùs euenit. *Siquidem* (quod ille docet) *omnis doctrina ex vniuerſalibus recipit incrementum, quæ ſi perpetua fuerint, primam habent vtilitatem; ſi verò magna ex parte, ſecundam: quod ſi anceps quippiam, vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile cenſendum eſt.* *4. de Rat. Vic. Mor. Acut. 67.* Quare non ſine ratione talem fortè ſententiæ Galeni ſenſum poſſet aliquis elicere; principio morborum tum phlebotomiam, tum purgationem congruentem eſſe, vt ita minorata materia, ſi quæ reſtat, facilius concoquatur: quandoquidem certum eſt non ſolùm poſt purgationem, ſed etiam poſt ſectionem venæ nihil prorſus noxij humoris reliquum fieri nonnunquam, ſtatimque hominem ad bonam valetudinem redire: vt contigit palæſtritæ perito laboranti febre ſynocha ſine putredine ac teſtari omnes poſſumus idem pleriſque aliis euenire ſæpenumerò. Verùm poſtremò id non verebor aſſeuerare, dato medicamento, turgentes humores diminui, & quaſdam reliquias adhuc ſupereſſe, quæ deinceps concoctionem deſiderant. Quod vt demonſtretur, duo humorum genera mihi videntur poſſe conſiderari: alterum eorum, qui mouentur; alterum illorum, qui firmati ſunt: ex quibus cum ſine vlla dubitatione fatendum ſit poſteriores, ſaltem pro parte, remanere poſt purgationem, & concoctionem expoſcere, vtique ego puto fieri poſſe, vt priorum quoque aliqua portio ſuperſit adhuc, quæ ſcilicet ex tunc maiori portione haud moueatur amplius, & in parte aliqua firmetur. Id quod eò magis videtur veriſimile, quòd Gal. iſtorum quoque humorum, tanquam non prorſus ad purgationem præparatorum, dummodo fieri id poſſit, aliquam præparationem deſiderat. Atque iſtæc fortè, etſi aliena videri poſſunt voluntaria, & ficta noſtro arbitratu, à Gal. mente non abhorrent; qui (vt vidimus paulò ante) ſcriptum reliquit, non niſi cum multa præmeditatione danda eſſe purgantia medicamenta, quantumuis turgeant humores; partim quia poteſt eſſe, vt illi non ex toto ſint apti ad eam recipiendam, neque tempus ſuppetat ad eorum præparationem; partim quoniam fieri poteſt, tametſi ij forent quam maximè præparati, vt alij præterea adſint humores tenaces, craſſi, & crudi, quibus nullo modo purgatio poteſt competere. Demum *2. aph. 24.* verò mihi videor huiuſmodi ſententiam poſſe confirmare authoritate Gal. qui de purgatione humorum turgentium verba faciens, inter cæteras cautiones, vt ne illa temere fiat, recti futuri iudicij expectationem commemorat. Quòd ſi turgentes humores toti purgantur, nullæque amplius reliquiæ ſuperſunt, quæ coctione, ac tandem criſi debeant expugnari, an non quælibet iudicij expectatio inanis, ac temeraria cenſenda eſt?

Hunc locum tractaui longius, quòd ille reuera ſit difficilis, & hactenus à nemine, quem ſciam, fuerit ſatis explicatus. Vtcunque autem hæc ſe res habeat, quæſo, attendamus parumper, quomodo iſti, & quantum iſtius aphoriſmi obſeruent præcepta, de quo tantopere digladiantur. Docent Hippocrates, & Galenus, incipientibus morbis, ſi quid mouendum videtur, hoc eſt in morbis ſalutaribus, mouendum eſſe, maioraque aggredienda præſidia, ſæpius quidem ſectionem venæ, quandoque purgationem: in ſtatu verò quieſcendum. Atqui iſti tam ſeueri (ſi Diis placet) veterum dogmatum propugnatores perpetuò mouent, in morbis ſalutaribus, mortiferis acutis, diuturnis; cum febre, ſine febre; in omnibus mouent: mouent in principio, augmento, ſtatu, declinatione; illi ad ſummam nuſquam, & nunquam

nunquam requieſcunt. Præterea cum frequentior eſſe debeat, immò verò frequentiſſimus vſus phlebotomiæ; rarior, immò rariſſimus purgationis, illam rariſſimè adminiſtrant, hac frequentiſſimè, vel veriùs perpetuò vtuntur. Vt interea neque illud prætermittamus, quod alioqui magni intereſt, complures ferè nunquam venæ ſectionem aggredi, niſi antea ſemel, fortè etiam bis, ac ſæpius purgante medicamento vſi fuerint; quod ſine dubio commodam remedij occaſionem perturbat, prorsúſque à Gal. diſciplina eſt alienum, qui docet in principio morborum alterutram, vel ſectionem venæ, vel purgationem, minimè vtramq; eſſe opportunam: adeò vt, ſi quis diligenter hanc medendi rationem animaduertat, quæ hodie iam communis ferè eſt, ac vulgaris, nihil illa turpius, nihil ab Hipp. & Galeni decretis alienius poſſit excogitari. Porrò quum Manardus contendit, propter inſignem crapulam, & omnino corruptum noſtrorum temporum viuendi modum, longè crebriùs, immò etiam ſemper adminiſtranda eſſe medicamenta: non ego in eo multum laboro, an præterito tempore homines magis parcè & ſobriè viuerent, quam præſenti, qui alioqui memini apud
6. aphor. 28. Gal. me legiſſe nonnunquam (vt interim Seneca, & alij quamplurimi prætermittantur hanc ſuperioris ſæculi calamitatem, & intemperantiam deplorantes) vſque adeò ſuo tempore auctam eſſe, atque ad ſummum deueniſſe victus incontinentiam, & omnem luxum, vt nihil addi præterea poſſit: ob quam præcipuè cauſam, & mulieres, & eunuchi iam podagræ non erant immunes. Sed eſto; noſtri homines magis, quàm cæteri omnes intemperatè, ac diſſolutè viuant; ego quidem hãc rem in contrariam partem interpretor; atq; hac in primis ratione moueor, vt credam quò magis aucta eſt omnis viuendi licentia, eò magis abſtinendum eſſe à medicamentis: ſiquidem fieri aliter nõ poteſt, quin iſtæc delitioſa, & diſſoluta viuendi ratio, & multos, & vitioſos, & crudos humores gignat, multáſque obſtructiones efficiat, & alia multa incommoda ſecum afferat, quæ ſolent difficiles, importunáſque purgationes reddere.

2. aph. cõ. 9. *Nobis* (inquit Gal.) *qui extenuante victu vtimur, de quo integrum ſcripſimus librum, nihil tale accidit, ſed omnium, quæ in corpore ſunt præter naturam, purgationes ſine vlla moleſtia, ac celerrimè peraguntur.*
1. de Fra. 27. Rurſumq; de exhibendo albo veratro ſermonem habens, *fortaſſe* (ait) *tunc illud tutò dabat Hipp. ob victum, quo homines, qui ab eo curabantur, vti conſueuerant; non voluptuoſum, & mollem, ſed & multis laboribus occupatum, & cibis contentum pauciſſimis, ita vt craſſitudo humorum colligi minimè poſſet, quam otia, & repletiones procreare certum eſt.* Nam ſi qui moderatè, & cum ratione viuunt, facilè, ac feliciter purgari conſueuerunt, vt ij contra, qui immoderatè, & omnino malè viuunt, difficilè, infeliciterq; purgentur, neceſſe eſt. Inſuper quid ita propter victus incontinentiam magis commoda cẽſenda eſt purgatio, quam phlebotomia? *Vbi cibus* (inquit Hipp.)
2. aph. 17. *præter naturam copioſior ingeſtus eſt, hic morbũ facit. Oſtendit autem ſanatio.* Quam ſententiam Gal. interpretatus hæc habet. *His quæ prius dicta ſunt, ita ſe habentibus, hoc eſt vbi copioſior præter naturam in corpore cibus cõtineatur, ſi adhibita vacuatione ægrotus leuabitur, argumento erit morbum aduenisse ex cibi multitudine. Quòd autem vacuationem ſimpliciter dicere Hipp. conſueuerit, quando humores omnes æqualiter vacuantur, purgationem verò cum ſua qualitate peccantes educuntur, meminiſſe oportet; & quòd præſens ſanatio non a purgatione ſit facta, ſed vacuatione, id opinionem de plenitudine confirmat: Euacuatio autem æquabiliter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, ſit per venæ ſectionem &c.* Huiuſce rei, ſi quis id velit, apud Hipp. atque Galen. illuſtre eſt exemplum Athletarum, qui ſtudebant cibis multis, plurimumque nutrientibus repleri, & hac ratione robur, & molem corporis ſibi comparare: quorum tamen habitum illi iubent protinus ſoluendum eſſe, minimè purgatione, ſed vna potiſſimum ſanguinis detractione. Tametſi enim Hipp. ait abſolutè talem habitum ſoluendum eſſe, Gal. ſanè docet id fieri vacuatione, nimirum ſecta vena. Quæſo enim quomodo bonus habitus ſine vllo humorum vitio, atque adeò inſignis admodum plenitudo, à qua imminet periculum, ne vaſa rumpantur vel calor natiuus extinguatur, commodè ſolui aliter poteſt, quàm communi vacuatione? ſiquidem certum eſt, purgationem minimè omnes humores, ſed vnum tantummodo, aut alterum, & eos quidem vitioſos ducere poſſe. Ac profectò propter hanc ipſam præcipuè cauſam Galenus interdum ſcriptum reliquit, 11. Meth. c. 15.
longè deteriùs curari diuites, quàm pauperes. *Quoniam* (inquit) *maior eorum pars ſanguinis miſſionem propter mollitiem non admittit, tametſi magis, quàm pauperes redundantiæ ſanguinis affectibus ſunt obiecti, vt qui magis cibis ſe impleant, atque in otio viuant.* Et alio loco docet, ſi homines fuerint in De ſect. Venæ c. 10.
victu intemperantes, plenitudinem haud medicamentis, ſed miſſione ſanguinis fore tollendam. Cum igitur doceant Hipp. & Gal. athletis, diuitibus, ac generaliter omnibus, quicumque copioſiora ſumunt alimenta, adeoque maiorem ſanguinis copiam coaceruant, ſectionem venæ, minimè purgationem conuenire, id quod planè rationi eſt conſentaneum, non ego ſatis intelligo, quomodo contrarium colligat Manardus, velitque hoc fundamento frequentem medicamentorum adminiſtrationem comprobare. Sed hac de re ſatis.

Deinde Manard. opinionem ſuam tuetur exemplo, authoritatéque Hippocratis, & Galeni, quos 2. de vict. acut. 11.
ait pluribus in locis in principio morborum purgantia medicamenta dediſſe, atque ea quidem validiſſima. Itaque primùm in medium profert Hipp. locum, vbi curando pleuritidem iubet dolore deſcendente ad hypochondria dandum eſſe veratrum, ac peplium: qui profectò non ſolùm communi dogmati manifeſtè aduerſatur, quo docemur humores crudos haud eſſe purgandos, ſed alteri quoque eiuſdem Hippocratis, ac libri ſententiæ videtur eſſe oppoſitus, quæ per initia inflammationum prohibet quælibet purgantia medicamenta. Atque equidem nequeo negare, quin locus ſit valde obſcurus, atque difficilis; quod aliàs quoque 4. de vict. acut. 22.
ſum confeſſus: idque in primis arguit perplexa & ab Hippocrate quoquo modo diſſentiens Galeni interpretatio: quare nobis liceat (quod olim ſumus polliciti) in explicatione illius verſari aliquandiu.

Nonnulli igitur hunc locum interpretantur, quaſi Hipp. velit dandum eſſe medicamentum poſt prætergreſſum principium morbi: quandoquidem adhibitis antea fomentis, veriſimile eſt dolorem iam longiore tempore duraſſe, totumque principium prætereiiſſe. Ac ſanè videtur Galenus huiuſmodi interpretationem confirmare. Cum enim Lib. 1. c. 33.
Hippocrates ſcriptum reliquiſſet paulò ante, quibus lateris dolor eſt aſſiduus, calidiſque fomentis non remittitur, ac ſputum non procedit, hos in mortem duci præcipites, ſi quis eis ptiſanam dederit, neque prius dolorem vel ſecta vena, vel purgatione ſoluerit; eiuſmodi ſententiam Galenus explicat, quaſi ille de morbi vigore loquatur, his verbis; Si quis igitur ptiſanam dederit ἀκμαζούσης τῆς φλεγμονῆς, hoc eſt *vigeſcente inflammatione*:

ac ſtatim tradidit indicia quibus appareat inflammationem ἀκμάζειν. Scimus autem vulgatum eſſe apud Hippocratem, & Galenum ἀκμάζω vſurpati de ſummo vigore, ſtatu morbi; vnde etiam dicitur ἀκμὴ, ſicuti aliàs diximus. Quare concludunt fuiſſe eo tempore ſtatum, minimè principium inflammationis.

Sed expoſitio voluntaria eſt, & hos fefellit homonymia: neque enim ἀκμάζω eo in loco ſtatum ſignificat, ſed magnitudinem, intenſionem & vehementiam inflammationis, licet ſit adhuc in principio: id quod ex eo fit manifeſtiſſimum, propterea quia inter ſigna, quæ tradita ſunt à Gal. recenſetur ſumma ſputorum cruditas, quæ neceſſario demonſtrat morbum adhuc fuiſſe in principio. Verùm ille ſe ipſum planè interpretatur, cum ait. *Eſt autem orationi additum aliud pleuritidis ſignum eiuſque non ſolùm magna, ſed etiam maligna, &c.*

Quæ verba docent iſtorum expoſitionem eſſe perſpicuè falſam, cum per ἀκμάζουσαν pleuritidem affirmet apertè ſe magnam, & malignam intelligere. Neque verò ſolum iſtæc interpretatio repugnat illi loco, ſed ab aliis etiam Hipp. & Galeni decretis eſt aliena, qui ſine dubio præcipiunt & ſectionem venæ, & purgationem in principio morbi, veteris præcepti memores, Cum ille incipit, eſſe
1 aph. 29.
mouendum. Alioqui fatendum eſſet eos contra ſuam ipſorum diſciplinam in augmento, vel ſtatu vtrumque præſidium inſtituiſſe. Et quanquam ſunt iam adhibita fomenta, attamen dolore perſeuerante, Hippocrates decernit non eſſe longiore tempore calefaciendum.
1. de Criſ. c. 28.
Quare protinus ad venæ ſectionem, vel purgationem aggreditur. Neque eſt, vt quis miretur, principium pleuritidis longius produci potuiſſe, ducente Galeno illud vſque eò perdurare, quoad æger pauca, & cocta incipit expuere: quod celebri pleuritico Anaxioni euenit non ante diem decimum ſeptimũ. Poſtremò ſi Hip. non præcipit morbo incipiente dandum eſſe medicamentum, temere, ac præter omnem rem illi Gal. oppoſuiſſet aphoriſmum 24. primi libri, qui ſine controuerſia de morborum principio loquitur. Itaque iſti prorſus malè ſentiunt.

Alij deinceps cenſent, Hippocratem mediocrem quandam purgationem, minimè veram, & integram ac ferè alui lenitionem inſtituiſſe: idque eo potiſſimum probant argumento, quòd ille non vtitur verbis φαρμακεύειν, aut καθαίρειν, quæ apud eum propriè ſignificant purgare, aut purgante medicamento vacuare, vtens verbo μαλθάσσειν, quod Græcis ſignificat lenire, vel mollire: vnde μαλθακὰ φάρμακα ab eodem Hippocrate vocantur medicamenta genesis oleo ſi, vt quæ adipibus conſtant, œſypo, reſinis, butyro, cera, quæ mollire poſſunt. Præterea hanc opinionem confirmant quòd veratrum non ſit adeò terribile medicamentum, vt vulgò creditur; namque experientia docet illud purgationem facere abſque moleſtia: cui
2. de Art. com. 52.
poſtremùm videtur conſentire Galeni teſtimonium, qui non eſt veritus eam purgationem, quæ fit per veratrum in raphanos infixum, inter mediocres enumerare.

Verùm neque huiuſmodi cogitatio mihi probari vllo modo poteſt. Etenim res ipſa, ac methodus curandæ inflammationis apertè demonſtrat, Hippocrati vnum, atque idem propoſitum fuiſſe, tam ſecando venam, quàm dando medicamentum, nimirum vt corpus vniuerſum vacuetur, humoreſque partim reuellantur, partim deriuentur, ac partim demum ducantur de ipſa parte laborante: quod moderata purgatio inſtar lenitionis nequit perficere. Sic paſſim vbicumque traditur ratio curandi doloris, inter cætera præſidia fit mentio purgantium medicamentorum. *In doloribus* (ait Hippocrates) *proximum ventrem purgare*, & iterum; *Quicumque dolor circa ſedem thoracis non deſinit, ſectione venæ, purgante medicamento*, &c. Galenuſque in maximis doloribus nullum maius nouit remedium, quàm vel mittere ſanguinem vſque ad animi defectionem, vel purgare:
6. Epid. ſect. 6. 5. 2. Progn. 52. 1. aphor. 24.
quibus in locis illis vtuntur perpetuò verbis φαρμακεύειν, aut καθαίρειν. Sed quid? an non Hippoc. inchoantibus morbis ſi quid videtur mouendum, conſulit vt moueamus, ſcilicet interprete Galeno, aut ſectione venæ, aut purgatione? nonne alibi
2. aph. 29.
idem Hippocrates inſtituit purgationem, vt citiùs, ac faciliùs fiat criſis, qui ſcribit elleborum nigrum magis quàm peplium ventrem ſoluere, & criſim iuuare? an non Galenus hanc totam partem interpretatur, quaſi Hippocrates de purgante medicamento, integráque purgatione loquatur, qui decies meminit purgantis medicamenti, & qui poſtremò ait pro elleboro, & peplio poſſe dari hieram diacolocynthidos? Igitur quanquam in præſentia Hippocrates vtitur verbo μαλθάσσειν, nulli dubium eſſe debet; quin illud vſurpet pro φαρμακεύειν, ſicuti aliis quoque in locis ſolet interdum vſurpare.
2. de Diſſ. Acut. 11.
Atque hanc fuiſſe Hippocratis, & Galeni mentem, ex eo demum poteſt confirmari apertiſſimè, quod illi poſterius hac ipſa de re diſputantes, nimirum de purgando pleuritico, ſi dolor fuerit ſub thorace, vtuntur verbis φαρμακεύειν, & καθαίρειν: ita vt neceſſariò fatendum ſit illos vtrobique idem ſentire, etſi non eiſdem verbis vtuntur. Nec ſi quis hunc locum tanquam legitimum Hipp. ſuſcipere nolit, is Galeni interpretationem debet, aut poteſt repudiare, qui hunc ipſum locum profe-
2. de Rat. vic. Mor. Acut. 76.
tens, & exponens hæc habet; Pleuriticum nominauit, id quod ab Hippocrate in legitima huius libri parte eſt dictum; vbi ita habentes pleuriticos purgat, vtens verbo καθαίρειν. Quod autem pertinet ad elleborum, quanquam Meſuæ potiſſimum, atque Ætij teſtimonio, addo, & longiore experientia, probè ſcio illud ſine labore vtramque bilem, ac pituitam purgare; veruntamen negandum non eſt, medicamentum, ſi quod aliud, eſſe potens, ac validum, adeò vt plerique non ſolùm recentiores, ſed etiam veteres velint ab eo, tanquam medicamento ancipiti, & periculoſo eſſe abſtinendum. Ac ſanè Galenus, qui id nonnunquam violentiſſimum purgans medicamentum appellat (ni fallor) nullibi eiuſmodi purgationem numerat inter moderatas. Nam locus poſitus 2. de Artic. minimè omnium pertinet ad hanc rem:
6. Ep. ſect. 3. 29.
Com. 52.
quandoquidem Galenus ibi loquitur de elleboro albo, ac de purgatione per vomitum, minimè per aluum, ſcribitque haud exhibendum eſſe veratrum, ſed raphanos, in quos antea veratri ſurculi fuerint infixi: quod etiam præſidium teſtatur cæteris omnibus medicamentis vomitoriis maiorem vim habere. Neque verò illud ego nunc diſputo an elleborum, vel alia medicamenta id genus parcè exhibita moderatam purgationem poſſint efficere; quod videtur fuiſſe præceptum Auicennæ: nam etiamſi id concedatur, pro comperto habendum eſt, humores ad hunc etiam modum moueri importunè; quod poſterius diffusè ſumus confirmaturi.

Sunt alij, qui velint, Hipp. ſermonem habere non de vera, & exquiſita pleuritide, ſed de omni dolore, quicumque, & quouis modo latus occupat. Quod tametſi item, tanquam verum concedatur, cum ſit mea ſententia falſum, ego prorſus nequeo excogitare, aut concipere animo, quàm prærogatiuam habeant iſtiuſmodi humores crudi, qualemcumque tandem lateris dolorem

efficiant

efficiant, vt cũ ratione, ac tutò purgari poſſint, neq; eiſdem legibus ſubiiciãtur, quibus ſubiiciuntur exterri humores, qui exquiſitam efficiunt pleuritidem.

Poſt hæc audio, celebrem quendam virum, ſubtilem neſcio quam rationem excogitaſſe, quòd nimirum dolore ſuprà aſcendente ſignum ſit redundare ſuccos tenues, & calidos, qui perpetuò ſuperas partes petere ſolent; & quibus miſſio ſanguinis benè conuenit: dolore autem deſcendente veriſimile ſit magis redundare craſſos, & frigidos, qui ſuapte natura feruntur ad inferas; & quibus contrà purgatio ſolet eſſe accommodatior. Verùm ea quoque ratio mihi videtur admodum vana, ac futilis. Quod enim pertinet ad aſcenſum, deſcenſúmque humorum, id quiuis non inuitus fatebitur eſſe falſum, qui memoria repetat partes inferiores eryſipelate, ſuperiores œdemate frequenter laborare. Sed eſto dolore deſcendente ſint humores craſſi, & frigidi, tales ne in principio morbi pugnantia medicamenta bene ferunt? Ego quidem id tantum puto abeſſe, vt propter hanc ipſam rationem maximè cenſeam quamlibet eo tempore medicamenti adminiſtrationem ſemper fore inutilem, ac pernicioſam.

Ludouicus Mercatus, cuius ſuperiùs eſt facta mentio, cenſet Hippocratem dare medicamenta in pleuritide præcautionis gratia; qui ſcribit ad
Lib. 1 de cõ & Pven pro-ſſd. ind.c.6. hunc modum. *Sic profectò in pleuritide præcautionis gratia prima, ſecunda, quarta die, & interdum quinta licet purgante medicamento vti: poſtea verò, aut cum fluxio iam ceſſauerit, nequaquam, ſed cum ad maturitatem peruenit humor. Hæc ille: de cuius opinione continuò diſputabimus.*

Franciſcus demum Valleriola vir celeberrimi nominis ad explicandum hunc locum, & ad diſſoluendam huiuſmodi controuerſiam, potiſſimúmque ad conciliãda ea duo loca ſecundi, & quarti libri, quæ tam valde inter ſe videntur diſſentire, propria inſtituta Enarratione multum laborat, tandémque ita ſtatuit, Hippocratem permittere vtrobique vſum medicamenti in principio inflammationum; altero autem loco, libro ſcilicet quarto, malam duntaxat eorum opinionem redarguere, qui dato medicamento exiſtimant humorem vacuari inflammationis authorem, & qui inflammatam partem occupat, quique iam extra vaſa in vacua ſpatia delapſus ſuccingentem coſtas membranam diſtendit: adeò vt per Hip-
Lib. 1. Enarrat. 3. pocratem, Valleriola interprete, initio pleuritidis, & cæterarum inflammationum liceat medico exhibere ſoluentia medicamenta, dummodo ille non exiſtimet hac ratione humorem, qui inflammatum locum occupat, vacuari? quandoquidem crudo adhuc exiſtente morbo, nihil ex parte affecta vtiliter poteſt educi, ſed illi tantum humores purgantur, qui in proximis inflammato loco venis atque locum implentibus, phlegmonémque irritantibus (ita loquitur Valleriola) tum & qui in maiuſculis, & remotioribus continentur: vt ferè hac in re videatur conuenire cum opinione Mercati. Verùm enimverò quàm iſta conciliatio ſit abſurda, vnicuique ſatis conſtabit, quicunque eam ſeriem vniuerſam, ac rem ipſam vel parum voluerit animaduertere. Namque vt interea prætermittantur cæteri humores in toto corpore contenti, & circa inflammationem vagantes, quos ille ait certa ratione purgari, de quibus loquemur poſteriùs; quatenus ad alios pertinet morbum efficientes, mihi ab eo reſponderi velim; an fortè Hippocrates curando pleuritidem, in qua principalis eſt indicatio reuellendi, deriuandi, vacuandique à parte laborante: dato peplio, & helleboro nihil de ipſamet inflammatione duci arbitratus eſt? an validiſſima iſtæc medicamenta ſunt adeò ſolertia, & intelligentia, vt alteros humores ducendo, qui aliis in partibus continentur, alteros, qui continentur in inflammatione, nolint irritare, & intactos relinquant? Venæ ſectio, quæ hic ſine dubio eandem præſtat operam, quam medicamentum, non ne ducto ſanguine vſque ad mutationem coloris, à parte affecta, & ipſa inflammatione quicquam detrahit? Ego quidem nihil dubito, quin illa non ſolùm de aliis partibus, ſed de ipſa quoque parte inflammata valeat detrahere: vt non ſatis mirari poſſim quomodo Valleriola audeat hoc ipſum negare: ita enim ſcribit; *Etſi eò vſque mittatur ſanguis, vt mutatione coloris vacuationis ſufficientia indicetur, non tamen ab ipſomet loco affecto ſanguis is educitur; ſed à proximis loco affecto venis.* Etenim præter quàm quòd methodus curandæ inflammationis hanc rem nobis facilè poteſt perſuadere. Galenus teſtatur apertiſſimè ex parte laborante ſanguinem detrahi. *Venam* (ille ait) *in cubito ſecare oportet, qua ſanguinem ab affecta parte & magis, & velocius tum reuellere, tum vacuare poſſis.* Et iterum: *Quicquid ſanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur: reliquum autem in partibus omnibus ſimile manet eam ob cauſam ſanguine, qui in totum ſpargitur corpus, pituitoſiore exiſtente, rubicundior ſanè is erit, qui in eo quod phlegmone obſideretur, latere continetur. Quod ſi ſanguis in totum corpus diffuſus rubidus fuerit, is procul dubio, quia ad phlegmonem eſt, aduſtus, aſſatúſque in nigrum permutabitur: liuidus autem in ea, quæ fit è rubido ad nigrum tranſmutatione, medium obtinet. Coloris igitur mutatio, ſanguinis in particula inflammata tranſlationem ſufficienter demonſtrat.* Hactenus Gal. qui Valleriolæ ſententiam demonſtrat eſſe perſpicuè falſam, vſque adeò planè, & apertè affirmans ſectione venæ ea non ſolùm, quæ circunſtant inflammationem, ſed etiam quæ in ea continentur vacuari, vt nihil poſſit planius, & apertius affirmari. Sic aliàs ille docet, mutationem ſanguinis haud eſſe expectandam propter inflammationis prauitatem, quando is interdum ita eſt loco impactus, vt ab eo nihil poſſit emitti.

Ad hæc ſi verè Hippocrates libro quarto medicamentum non prohibet, ſed eorum duntaxat opinionem refellit, qui illud opinantur detrahere de parte inflammata, quamobrem Galenus docens generaliter crudos humores aliqua in parte ſitnatos non eſſe mouendos, quaſi huiuſmodi præcepti teſtimonium hanc ipſam ſententiam in medium profert? quamobrem (vt ſuprà diximus) ſtatuit hieram Themiſonis, tametſi leuiſſimum id eſt medicamentum, non ante coctionem, declinationémque internarum inflammationum exhibendam eſſe? quamobrem inflammato cerebro, pulmone, iecore, & aliis principibus partibus non ſtatim licet medicamenta propinare? quamobrem demum Hippocrates non ſolùm medicos arguit, qui audent medicamenta exhibere, ſed prætetea multa quoque enumerat incommoda & pericula, quæ ad eorum exhibitionem ſequi deinceps conſueuerunt? *ij à diſtenta* (ait) *inflammatáque parte non ſolum nihil adimunt, cum non cedat, quæ adhuc cruda eſt affectio, verùm etiam ea, quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt, abſumunt, colliquefaciuntque, ac ducto ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.* Hæc ille. Turpe quidem, ac riſu dignum videtur, Hippocratem diuinum hominem arguere ſententiam alicuius animo inſitam, quæ nulla damna poteſt afferre, cum permittere, vt ille idem malè agat, vnde homini

multa, eaque grauiſſima pericula poſſunt imminere: ſiquidem parum intereſt omnino, vtrùm dato medicamento medicus exiſtimet duci humorem, qui inflammationem efficit, an magis alios, qui in reliquis partibus continentur, dummodo illud tutò liceat exhibere.

Vt ſemel dicam, bibita medicamenta de inflammationibus aut detrahunt, aut non detrahunt: ſi id affirmes, iam neque per ſe ſunt exhibenda, quid concocta medicari, oportet ſin? illud neges, quid refert, an falſam hac in re medicus habeat opinionem, cenſeátque duci humores in inflammatione contentos, cum illi reipſa non ducantur, neque duci vllo modo poſſint? Sententiam noſtram, vel potius Hippocratis confirmat interpretatio Galeni qui poſito aphoriſmo [*concocta medicari, &c.*] docet in principio inflammationum medicamenta eſſe prorſus periculoſa, & importuna; contrà miſſionem ſanguinis maximè tutam, & accommodatam. Ac poſtremò ſi velis proximè ſuperioris, atque iſtius ſententiæ colligationem animaduertere, adhuc res tibi fiet certior, & manifeſtior: cum enim Hippoc. feciſſet quendam veluti catalogum morborum acutorum, quos dixerat ſolui non poſſe, ſi quis in principio, & ante miſſionem ſanguinis, principale eorum auxilium, voluerit ægros purgare, nunc propemodum reddens rationem, iure optimo notat medicos, quicunque incipientes inflammationes medicamento ſoluere conantur. Quare (vt concludam) nulli dubium eſſe debet, quin Hippocrates memor ſui dogmatis, ſibique ipſe perpetuò conſentiens, quemlibet eo loco medicamentorum vſum prohibeat: cuius quidem præcepti rationes adeò validas, & omni luce clariores adiungit, vt pluribus non ſit opus. Cum igitur ex tot interpretationibus nulla videatur Hippocratis, & Galeni menti conſentire; cum vetus decretum ſatis habeat roboris, non ſolùm generale, crudos humores nequaquam purgandos, & mouendos, niſi turgeant, ſed etiam proprium, in principio inflammationum haud conuenire purgantia medicamenta, quid de propoſita ſententia tandem ſentiendum eſt, quæ initio pleuritidis, deſcendente dolore ad hypochondria, manifeſtè probat adminiſtrationem medicamenti?

Ego verò ad expediendum difficilem hunc nodum verè mihi videor affirmare poſſe, humores hoc tempore eſſe turgentes. Quod quidem multo labore ſperamus poſſe iis confirmare, forte etiam perſuadere, qui memoria velint repetere, quæ de ſignificatione iſtius vocis diximus ſuperius. Cum enim certum ſit in diſciplina Galeni, verè humores turgentes dici, non ſolùm quando veluti errabundi modò huc, modò illuc transferuntur, ſed etiam quotieſcunque abſolutè non ſunt firmati, ac vel in toto corpore, vel in parte aliqua mouentur, addo etiam cum vix mobiles exeundi appetentiam, & inclinationem habent, quid eſt cur dolore deſcendente, ſuccos haud ſtabiles, quique mouentur in partibus infetis, ad partes inferas, adeóque exitum ſibi quærunt, nollimus eſſe turgentes? Sed prætetea audiamus interpretem Galenum, qui manifeſtè videtur hanc ſententiam confirmare. [*Conſiderare igitur* (inquit) *atque in memoria tenere nos oportet*, &c.] Hippocrati placet vſus hellebori, vel peplij: Galenus contra quaſi animaduerſionem, & limitationem iſtius determinationis profert aphoriſmum 24. primi libri, qui (vt ſuprà vidimus) in morbis acutis non niſi ratò permittit vſum medicamenti; neque verò id ſine multa præmeditatione. Quippe ita mihi videtur medicos reddere cautos voluiſſe, vt ne frequenter purgantibus medicamentis vtantur: Etenim tametſi Hippocrates probat adminiſtrationem medicamentorum, veruntamen cum pleuritis ſit morbus acutus, cautè omnino agendum eſt. Sed quamnam cautionem hac in re decet adhibere? eam profectò, quæ in cunctis morbis acutis eſt quàm maximè neceſſaria, & ante omnia, vt à medicamentis purgantibus abſtinere oporteat perpetuò, niſi humores turgeant. Quòd ſi Galenus hunc aphoriſmum ita olim eſt interpretatus, vt vere, & clarè eſt interpretatus, iam nulli dubium poteſt eſſe, quin vtrobique vnum, atque eundem ſenſum habuerit, vnámque & eandem interpretationem fecerit. Quin etiam ſi hoſce duos locos inter ſe conferas, eandem ſententiam, vel magis eadem propemodum verba reperies in vtroque fuiſſe poſita: nam quemadmodum Galenus ibi docet; purgationem conuenire principio morborum acutorum, ſi humores turgeant, neque id tamen perpetuò eſſe faciendum, ita hoc loco ſcribit medicamentum quidem conuenire, verùm non illud perpetuò probat, eaſdem ferè noxas, ac pericula hic commemorans, quæ ibi poſita fuerant: adeò vt ſatis poſſit conſtare, illud fuiſſe decretum quoddam generale, hoc autem veluti exemplum quoddam particulare; vnde medici intelligant probam rationem miniſtrandi medicamenta in principio morborum acutorum. Etſi autem poſſunt hæc vnicuique demonſtrare, hanc legitimam, verámque eſſe iſtius loci intelligentiam, mihi libet alium prætetea Hippocratis, & Galeni locum proferre, qui hanc ipſam rem tractat, ſenſúmque noſtrum perſpicuè confirmat. Hippocrates libro quarto de Rat. Vict. Mor. Acut. hæc Text. 76.
habet. *Si dolor ſub thorace fuerit, valdéque infeſtauerit, pleuritico ventrem ſubpurgabis, nihilque dum purgabitur, dabis: à purgatione autem oxymel: veruntamen purgans medicamentum quarto die miniſtrabis*, Galenus, *quarto die*, inquit, *medicamentum indiſtinctè pronunciauit: neque enim inter initia aliquod huiuſmodi remediorum ægrotanti iniungere oportet, ſumpto à numero dierum ſcopo; ſed quod Hippocrates recenſuit, eſt exequendum: nam vel ſtatim ab initio prius quàm in partem aliquam confirmentur humores, medicandum, vel poſteà, cum ad maturitatem perducti fuerint.* Quæſo enim quid reputare poſſumus, aut concipere animo ſibi voluiſſe Galenum iis verbis? [*prius quàm in partem aliquam confirmentur humores*] vel verius, vt ille Græcè loquitur, [*πρὶν συστῆναι τοὺς χυμούς, prius quam humores ſint ſtabiliti.*] Ego ſanè puto illum non alios, quàm turgentes deſignare voluiſſe: ac ſpero fore neminem, qui non idem velit libenter ſentire: quandoquidem variis in locis, vt antè docuimus, non aliter ſolet Galenus explicare naturam ſuccorum turgentium, quàm motu, ac lotione. Cur ergo tam hac, quàm ſuperiore ſententia, de vna eadémque re fuerit ſermo inſtitutus, nimirum de vſu medicamenti in pleuritide, cum dolor deſcendit ad hypochondria; nunc verò Galenus decernat illud eſſe exhibendum, non niſi vno è duobus modis, vel initio morbi, ſi humores non ſint firmati, atque adeò turgeant, vel deinceps poſt eorum coctionem: an non iure cenſendum eſt, ſuperiore quoque loco hanc eandem congruere interpretationem, prorſúſque humores, qui mouentur, & deſcendunt ad hypochondria verè turgentes eſſe? Ex quo quidem loco mihi videor poſtremò communem rationem, ac ſanè validam colligere poſſe hunc in modum. Ex diſciplina Hippocratis, & Galeni licet exhibere medicamenta alterutro

dunta

duntaxat modo, vel in principio morbi, ſi humores turgeant, vel poſt eorum coctionem: per illos dolore deſcendente in pleuritide expedit dare helleborum, & peplium; ergo vel humores turgent, vel ſunt concocti: Atqui fatuum eſt dicere, tunc humores eſſe concoctos: itaque verè concludendum eſt, illos eſſe turgentes.

Cæterùm multi ſunt viri doctiſſimi, ac celeberrimi, qui hanc noſtram interpretationem minimè accipiunt, contráque eam multis veniunt argumentis. Primùm negant humores eſſe turgentes, quicumque in determinata parte, & ad certum locum mouentur, vt verè fit, quando illi deſcendunt ad hypochondria, cum vera humorum turgentium ea ſit definitio, vt illi huc, atque illuc inordinato, & incerto motu ferantur, ac nullam certam ſedem habeant: alioqui in multis naturæ motionibus, ex gr. in qualibet fluxione alui, humoribus ad inteſtina delatis, in qualibet inflammatione, vt illi turgeant fateamũr neceſſe eſt; quod ab omni ratione abhorret, & à nemine vnquam traditum eſt. Deinde ſi dolore deſcendente humores turgent, cur (inquiunt) non iidem pariter dolore aſcendente cenſendi erunt turgentes? quando illi æquè mouentur, ac feruntur ad partes ſuperiores, per quas fortè longè aptius, & cõmodius, quàm per inferiores poſſunt educi: quippe videtur eſſe longè maior conſenſio inter coſtas ſuperiores, & os, quàm inter inferiores, & inteſtina. At verò ſi ij quoque turgent, quamobrem Hippocrates non item purgatione vtitur? Tertiò nobis obiiciunt Galenum, qui (vt vidimus modò) quaſi Hippocratis ſententiam limitans, ad memoriam reuocat aphoriſmum, [*In acutis morbis raro*, &c.] cuius alioqui perperam, longéque à re propoſita meminiſſet: namque ſi dolore deſcendente humores de illius ſententia turgent, quid eſt, quod hoc tempore purgationem prohibeat? Nónne illo met authore, quotieſcunque illi turgent, in acutis quoque morbis licet purgantibus vti medicamentis? Poſtremò cum Galenus dolore etiam deſcendente longè magis probet ſectionem venæ, quàm purgationem, id iam ſequitur neceſſariò, ac fateri coacti erimus turgentibus humoribus venæ ſectionem conuenire nonnunquam; quod quidem à communi doctorum hominum conſenſu videtur alienum. Quamobrem concludunt noſtram interpretationem voluntariam, & abſurdam eſſe. Ego verò mihi perſuadeo veriſſimam illam eſſe, neque iis machinis quicquam poſſe labefactari. Quod enim pertinet ad vocem, propriámque turgendi ſignificationem, concedo equidem ſuccos tunc eſſe quam maximè, ac verè turgentes, quoties per plures partes vagantur, neque definitam habent motionem; ſed tamen pariter nemo iure mihi poteſt negare, quin illi quoque verè, ac propriè turgentes dici poſſint, tametſi vna duntaxat, aut altera parte mouentur, certúmque petunt locum, & ad expulſionem ſunt concitati. Quid etenim prohibet, quamobrem eiuſmodi quoque motus, & naturæ conatus, vt in cæteris motibus ferme euenit, non ſit vnus, atque idem perpetuò, ſed alter altero ſit magis vehemens, varius, continuatus? Ac vulgare eſt apud philoſophos, magis, & minus non variare ſpeciem rei alicuius. Sed iſtud præterea declarat ratio nominis, & rei natura apertiſſimè: ſiquidem, vt ſuprà diximus, ὀργᾶν non aliud ſignificat variis in rebus, quàm ardenter aliquid appetere, & impatienter ad exitum incitari. Iámque cæteris omnibus prætermiſſis exemplis, illud vnicum mihi ſufficiat, animalium in Venerem ruentium, vnde potiſſimum ducta eſt nominatio, quo Galenus tam libenter, ac frequenter vtitur, ad explicandam turgentis materiæ notionem. Namque ſicuti ſemen per id temporis in determinatis vaſis titillans, ac veluti furens, pérque certum locum à natura inſtitutum impatienter exitum ſibi quærens, turgere dicitur; non ego video, quomodo humores à natura certis quibuſdam locis moti, & ad excretionem impulſi non æquè turgentes dici poſſint. Immò verò ſi rationem conſideremus, quam præcipuè ponit Galenus, cur humores turgentes liceat purgare, nempe ob facilem modum expulſionis, quam natura tunc iuuat quàm maximè; veriſimile eſt hoſce humores, qui ſponte feruntur ad locum vacuationi deſtinatum, fortè faciliùs, ac felicius trahenti medicamento obedituros, atque ex corpore exituros eſſe, quàm illos, qui ad varias partes, huc & illuc errantes ad nullum certum excretionis locum feruntur. Nec ſanè par eſt ratio de motibus humorum, quos aduerſarij in medium proferunt: namque humores ad inteſtina præcipitati verè excernuntur, itémque alteri in inflammationibus mouentur quidem, ac fortè vehementius ad inflammationes trahuntur; ſed tantum abeſt, vt aliquam appetant expulſionem, vt magis cogantur certam, ac ſtabilem ſedem petere, atque in ea ſemel firmari. Humores autem deſcendentes ad hypochondria haudquaquam excernuntur, cum longè diſtent ab inteſtinis, ſed tantummodò naturæ conatu mobiles, deorſúmque incitati ſibi exitum quærunt: quare iure, ac meritò medicum excitant ad dandum medicamentum, quod eos trahere ad aluum, & veluti manu ducere poſſit. Quæ autem de huiuſmodi interpretatione, in primíſque de hac lata turgendi ratione diximus, eò magis mihi probantur, quòd ſcio præclariſſimos quoſdam, ac celeberrimos viros nobiſcum idem ſentire, Curtium, Frizimelicam, Fracantianum, Montanum Vicentinum, meos præceptores, quos homines honoris cauſa nominatos volo: Quibus prætereà mihi libet alios duos ampliſſimos viros adiungere, qui item videntur hanc doctrinam ſuſcipere, eúmque amplum turgendi modum agnoſcere.

Alter eſt Antonius Muſa Braſauolus Ferrarienſis, quem virum nobiliſſimum multis illuſtribus laudibus digniſſimum, ex eo potiſſimum ſoleo magni facere, ac ſuſcipere, quòd iure eum poſſumus inter paucos numerare, qui triſtiſſimo hoc tempore, quo cateruæ veniunt contradicentium, Hippocratis, & Galeni dogmata conſtanter tueri, & ſuſtinere conantur. Ille itaque ſic habet. *Nonnulli putant etiam materiam illã turgere, quæ etſi abſq; ordine de loco ad locum non mouetur, ſaltem ad vias expulſionis aptas mouetur, vt facilè educi poſſit: A quibus non multum diſſentio: nam materia, quæ in via eſt, etſi verè turgida non ſit, tamẽ non eſt opus coctionẽ aliquam expectare, ſed medicamento facilè educitur. Nec obſtat quod Galenus. 8. de Comp. Medic. Sec. Loc. dixerit materiam turgentẽ eſſe, quæ nondũ vllã habeat ad vnam partẽ inclinationem firmam: at materia, quæ ad vias exitus mouetur, ad vnam partem inclinationem habet, ergo turgida non eſt. Nos verò dicimus vias exitus in hoc Galeni loco non dici partes ſtatutas; ſed ſunt canales, per quos hæc materia debet exire: quam nos ideo turgidam vocamus, non quia ad membrum nobile moueri poſſit, ſed quia ſibi ipſi opem, & manum porrigit, vt facilè expellatur.* Alter eſt Franciſcus Valleſius, cui ſanè ego tribuo plurimum, ac faueo maximè, qui ſcribit ad hunc modum. *Ex iis illud licet intelligere Hippocratem nomine turgentiæ non ſolùm intelligere eam reciprocam à partibus in partes motitationem quam Galenus interpretatur, ſed etiam vergentiam humorum in euacuationis vias, præcipuè in aluum, qualis in quibuſdam ſignificatur hypochondriorum*

Comm. in 1. Aph. 22.

Com. in lib. 7. Epi. Æg. 106.

murmure. Et iterum. *Hoc ad curationem omnium acutorum morborum mihi videtur pertinere: nihil enim eſt aliud, quàm quod in aphoriſmis generatim dicitur. Nam quod illic dixit, Inchoantibus morbis, ſi quid videtur mouendum, hoc hic, hos ſi ab initio purgare volueris. Nimirum voles purgare, cum videtur, atque tunc inchoantibus morbis facies. Videri autem debet, cum materia turget: neque ſolùm, cum verè, ac propriiſſimè turget, hac, & illac reciprocè acta, ſed vtcunque ſucci quieti non ſunt, & ex parte in partē feruntur, præcipuè cum feruntur verſus ventrem,* &c.

Comm. in lib. 4. de Rat. Vict. Mor. Ac. 65.

Iam venio ad ſecundam obiectionem. Primùm verò te illud ſcire velim, cur & quomodo in pleuritide aſcendat dolor, vel deſcendat. Id Galenus declarat in quibuſdam locis, ſed præclarè in libro de Conſt. Art. Medic. cap. 15. Diffunditur itaque hic dolor, quia membrana ſuccingens coſtas laborat inflammatione, corpus nimirum, quod habet inſignem ſenſum, & eſt continuum, adeò vt & ad clauiculas, & ad ſeptum tranſuerſum perueniat. Quare ſi partes ſupernæ laborent, dolor aſcendit, ac trahi deorſum clauicola videtur; ſi infernæ, dolor deſcendit, erumpitque in hypochondrium. Quòd ſi eueniat, vt dolor ad neutram partem feratur, neceſſe eſt, vt inflammatio mediam tantummodo partem coſtarum occupet, & ſit admodum parua, quandoquidem quæ magna eſt, ad vtramque, aut certè ad alteram partem ſolet deuenire. Cum igitur ob inflammationis magnitudinem dolor ita latè patet, vt clauiculam, aut diaphragma, & hypochondrium attingat, quod ad hoc pertinet, humores mea ſententia turgere non dicuntur: quia aut non fluunt, impetúque mouentur, aut ſi fluunt, ad certam partem decumbunt, quæ inflammatione laborat: quod videtur clarè Hippocrates ſenſiſſe, dum ait, ſecandam eſſe venam, non ſolùm ſi dolor ad clauiculam & brachium pertigerit, ſed etiam ſi ad mammas, & ad partes diaphragmate ſuperiores, quæ nimirum omnes pleura vocata membrana obducuntur, & ex inflammationis magnitudine dolent. Quod quidem diligenter animaduerti velim; cum enim eadem membrana contegatur etiam ſuperior diaphragmatis ſuperficies, veriſimile eſt in magna inflammatione ipſum quoque diaphragma conſentire, ac dolere ea parte, qua thoracem reſpicit: quo tamen caſu Hippocrates non purgationem, ſed venæ ſectionem putat eſſe conuenientem. Si verò humores non ſolùm inflammata parte contineantur, ſed etiam aliò transfluant, nimirum ad ventrem inferiorem, & ad partes diaphragmati ſubditas, arbitror eos tunc propriè dici poſſe turgentes, cum in parte non firmentur, ſed ad membra proxima repant, & exitum moliantur. Quæ quidem vt ne quis putet à me ficta fuiſſe, videre licet ab ipſo Hippocrate planè expreſſa, qui inquit, [*ſi verò partes ſub diaphragmate poſitas dolor infeſtat, & nullum ad clauiculam ſignum fecerit.*] Quo loco duo mihi liber obſeruare, quæ meam opinionem maximè confirmant: alterum, quod ait, *partes, quæ ſub diaphragmate ſunt*, indicans humorum congeriem nō totam intra thoracis limites contineri, ſed magna ex parte confluere ad ventrem inferiorem, & ad membra, quæ non pleura, ſed peritonæo inuoluuntur, & diaphragmate interſtinguuntur; & vno verbo à loco ad locum concitari, alterum eſt, quod ait [*nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit.*] quod quidem ea ratione dictum puto, vt oſtenderet, dolorem ad hypochondria peruenientem non illum eſſe intelligendum, qui fiat ex magnitudine inflammationis, cui partes eæ proximæ conſentiant, ſed ex humoribus à thorace ad hypochondria confluentibus, ita vt ipſa clauicula ſit omnino doloris expers, & (vt ait Hippocrates) ne ſignum quidem in ea doloris appareat. Quod ſi rem diligentiùs conſideremus, fortaſſe ratio clarè apparebit, cur dolore ad inferna vergente dicantur humores turgere: nam ferri ad hypochondria, vel (vt cum Hippocrate loquamur) ad partes quæ ſub diaphragmate poſitæ ſunt, non eſt ferri ad determinatum locum, cum hypochondria, & regio illa ſub diaphragmate latè pateat, & multa membra contineat, & multas vias, per quas exitus humoribus parari poteſt; puta ventriculum, hepar, inteſtina, lienem, meſaræon, & fortè alia: inter quæ cum alia commodior nulla via ſit, quàm quæ per aluum, iure Hippocrates videtur humores in eas partes vergentes ad aluum trahere, ac veluti manu ducere. Quod perpetuò turgentibus humoribus & Hippocrates & Galen. facere ſolent. De ſectione venæ turgentibus humoribus ſtatim verba faciemus.

2. de Lo. Aff. c. 7. 5. de Lo. aff. cap. 7.

Ad tertiam rationem nullo labore poſſum reſpondere. Nam (ſicuti ſupra diximus) aphoriſmus 24. primi libri duo continet præcepta; alterum, in morbis acutis tarò conuenire medicamenta, id eſt, tantummodo quando humores turgent; alterum, etiamſi illi turgeant, neque ea perpetuò eſſe tuta, & opportuna. Quamobrem Galenus illum protulit, quatenus pertinet ad ſecundum, minimè ad primum præceptum. Etenim quamuis in pleuritide dolore deſcendente, perinde vt in cæteris morbis acutis, in quibus turgent humores, medicamenta ſint congruentia; veruntamen propter alias cauſas longè maximi momenti non illa perpetuò tuta, & commoda cenſenda ſunt. Immò verò niſi noſtram interpretationem recipias, quam probabilem rationem potes excogitare, & Galenum tueri, quin perperam, longéque à re propoſita eiuſmodi aphoriſmum afferat, qui nullo modo medicamenti vſum permittit, niſi humores turgentes fuerint?

Verùm poſtrema ratio videtur ſanè difficilis. Namque ſi dolore deſcendente humores turgent, atque hoc tempore Galenus venæ ſectionem probat, cui poteſt eſſe dubium, quin de Galeni ſententia turgentibus ſuccis liceat aliquando venam incidere? Ex altera autem parte ſi Hippocratis, & Galeni doctrina animaduertatur, qui turgentibus humoribus nullam ſectionis venæ mentionem habent, ſed vnius medicamenti perpetuò meminerunt, ſtatuendum videtur, miſſionem ſanguinis eo tempore vix conuenire. Sed & ratione hoc ipſum poteſt confirmari: nam motis, & exagitatis humoribus, exitúmque appetentibus, veriſimile eſt eos longè duci facilius dato medicamento, quod trahere ipſos, ac veluti manu ducere ad aluum poſſit, quàm ſecta vena, quæ fortaſſe naturam impedire, atque auertere ab officio poteſt. Ego verò etſi id ſcio ferè omnes eſſe exiſtimaturos monſtroſum paradoxum, nihilominus in ea ſum opinione, ſi res paulò diligentiùs conſideretur, non ſine ratione turgentibus humoribus venam ſecari poſſe aliquando: id quod ex iis, quæ modò poſita ſunt, ſatis poteſt comprobari. Nam ſi per Hippocratem, & Galenum non modò in pleuritide, ſed in cunctis morbis acutis, quantumcumque humores turgent, non ſine multa cautione ſunt danda medicamenta propter dubia, & pericula, quæ ea ſæpenumerò ſolent afferre, adeò vt venæ ſectio nonnunquam cenſeatur eſſe tutior, tametſi minori cum vtilitate; neceſſariò concludendum eſt, turgentibus quoque humoribus ſectionem venæ interdum fore commodam. Et quanquam de huiuſmodi ſententia vnicui-

que

Digitized by Google

que poteſt conſtare, qui iam ſupra notatos aphoriſmos vigeſimum quartum primum libri, & vndecimum ſecundi de Rat. Vict. diligenter velit animaduertere, alium prætereà Galeni locum non grauabimur hic transſcribere, qui expreſsè pariter, & perſpicuè poteſt hoc ipſum definire; *Quod addit Hippocrates, rarò in acutis multa ducenda eſſe, rectè cenſuit: eſt enim explicata ſententia, in morbis acutis ſolùm in principiis adhiberi poſſe purgationem: ſicuti in morbis longis ſemper eſt expectanda concoctio: in acutis verò etiam in principio medicamento purgante vti poſſumus, ſi humores turgeant: idque erit magna animaduerſione faciendum: ſiquidem non mediocre periculum impendet, ſi quis in morbo acute male medicetur: debet enim medicus hoc attendere, vt æger maiorem fructum ex noxiorum humorum vacuatione ferat, quàm noxam, qua corpora medicamentis purgantibus neceſſario afficiuntur. Cum itaque morbus non ſolùm acutus fuerit, ſed etiam vehementiſſimam febrem adiunctam habeat, tunc multo magis, ne purgans medicamentum exhibeatur, vitandum erit, ac potius per venæ ſectionem facienda vacuatio; ex qua minor quidem, quàm ex purgatione ſuccedet vtilitas, ſed quæ tamen futura ſecurior, cum maximum à purgatione periculum immineat, præſertim verò ſi quis naturam ægroti non ſatis perſpectam habuerit.* Hæc Gal. Ac ſanè ſi præter Hipp. & Galeni authoritatem, quæ apud nos debet eſſe ampliſſima velimus hanc rem ad vim rationis referre, quid poteſt eſſe impedimento, quominus vena etiam quandoque debeat ſecari, quantumuis licet humores turgeant? Si principes ſcopi mittendi ſanguinis ſunt tres, vt diximus præcedente diſputatione, quamobrem ſi illi conueniant ſuccis turgentibus, non licebit venam ſecare? Nónne aperta vena hac quoque ratione patet via, per quam moti humores ſibi aditum facere, & exire queant? ſi ſanguis turgeat, an quis poteſt commodiùs illum vacuare, quàm per ſectionem venæ? Temere enim mihi videntur quidam exiſtimare hunc humorem non poſſe turgere: cum ſit conſentaneum rationi, primùm bilem, deinde ſanguinem principem hac in re locum tenere: ſicuti certum quoque eſſe debet, ex hiſce humoribus magna ex parte morbos fieri acutos, atque ex illorum irruptione in partes principes frequentia, & maxima pericula hominibus imminere. Purgatio quidem ad turgentes humores videtur magis accommodata, atque hinc (puto) fit, vt illa in primis proponatur, & probetur propter eas cauſas, quæ ſuperiùs ſunt commemoratæ. Veruntàmen quoniam præterea multa ſunt animaduertenda, vehementia febris, caliditas medicamentorum, præparatio humorum, conſtitutio corporum planè varia, & inconſtans, atque (vt ſemel dicam) proptereà quia graue Hipp. præceptum alta eſt memoria tenendum; *Morbis vt proſis, aut ne quid noceas*; nemo iam debet mirari, ac tantum cenſere paradoxum, ſi purgationi, tanquam multis modis periculoſæ, ſectionem venæ, tanquam tutiorem, licet minus vtilem, quandoque expediat anteponere. Sed hac de re diximus nimis multa.

Comm. 2. de Humoribus

1. Epid ſect. 2. 60.

Nos pro noſtro ingenio ita hoſce difficiles Hipp. & Galeni locos interpretamur. Si quis verò aliter doceat ſummos medicos neque rationi, neque experientiæ, neque ſibi ipſis repugnantia ſcripſiſſe, illud nobis iam gratum fuerit, quàm quod gratiſſimum, qui id potiſſimum ſemper agimus, vt veritas eluceat, in cuius inueſtigatione libenter abs quouis beneficium accipimus. Cætera exempla, quæ nobis obiiciunt Minardus, & aduerſarij, in quibus aiunt Hippocratem & Galenum purgantibus medicamentis vſos fuiſſe in principio morborum, ferè ſunt duorum generum: altera ſine febre quales morbi ſunt alopecia, dolor capitis, fractura, vulnus, & id genus: altera cum febre: ex quibus nominant ſpeciatim ardentem febrem, atque anginam. Quæ omnia diligenter ſunt à nobis animaduertenda & examinanda.

Itaque initio morborum, quibus non eſt adiuncta febris, quicunque proponuntur ab aduerſariis, vel concipi animo poſſunt, nos fatemur Hippocratem, Galenum, & optimos quoſque medicos purgantia medicamenta adminiſtraſſe nonnunquam, ac ſumma cum ratione adminiſtraſſe, cum ſit veriſimile, vel magis neceſſarium, humores contentos in toto corpore per id temporis fuiſſe concoctos, & ſatis ad purgationem præparatos, Fingas Socratem, bene alioqui ſe habentem, graue aliquod vulnus accipere in capite, aut in articulis; an non putas humores vniuerſi corporis naturæ legibus obedire, meatus apertos eſſe, illúmque ſatis fore aptum ad purgationem? Si lotia inſpiciantur, an non abſolutam coctionem fuiſſent monſtratura? Quòd ſi ita ſe res habet, quid eſt, cur Socrati non liceat medicamentum quamprimùm propinare? Sin autem contrà ille multis, craſſis, viſcidis, crudiſque ſcateat humoribus, obſtructionum non ſit immunis ac meatus non ſint aperti, ad ſummam niſi corpus fuerit ad purgationem præparatum, equidem puto neque Hip. neq; Gal. neque vllum probatum medicum Socrati medicamentum fuiſſe propinaturos. Ac fortaſſe hinc orta eſt illorum opinio qui exiſtimant, in cunctis morbis ſine febre purgantia medicamenta eſſe in principio ſalutaria, de quibus diſputabitur poſterius. Atque iſtud nobis ſufficiat exemplum, quod facile vnicuique rationem poteſt ſuppeditare, vnde reſpondere ad cætera poſſit.

Quod autem pertinet ad febres, eóſque morbos, quibus illæ coniunguntur neceſſariò, illud ego non verebor conſtanter aſſeuerare, in iis principio neque Hippocratem, neque Gal. purgantibus medicamentis vti conſueuiſſe. At verò (inquiunt) vterque in febre ardente, atque angina medicamentorum adminiſtrationem probat: illud nos negamus. Vtri æquiorem cauſam defendant, manifeſtum erit, ſi rem totam & iſtæc potiſſimùm loca diligenter perpendamus. Quæ quidem non omni ex parte fideliter in Latinam linguam conuerſa non grauabimur aliquo modo reſtituere, & illuſtrare. Hippocrates ergo curando febrem ardentem ſcribit ad hunc modum. *Si os amarum fuerit, vomere oportet, ac ventrem ſubluere. Verùm ſi adhuc non ſoluatur, lacte aſinæ cocto purgabis.* Gal. hanc partem interpretatus inquit; *Bilis amaritudo amarum os reddit: nempe communem, vnámque efficiunt tunicam, & quæ ventriculo interna eſt, & omnis ea, quæ os circundat.* Non ergo ſine ratione hic author bilem tum per vomitum, tum per clyſterem euacuat; *quoniam omnino vacuare vult bilem, quæ in ventre eſt: cauet autem purgantia medicamenta, quòd & acria, & calida prorſus exiſtant: Ob id ad lac aſinæ diuertit, vtpote, quod nullam, vt non aliud vllum, habeat acrimoniam, ſed præ omnibus vnum humiditate exuperat, atq; ob id ſolùm per inferna excernitur. Decoquit autem ipſum propter flatus. Tu verò ſolo vti ſero poteris per oxymel ipſum, vbi lac ante coxeris, ſeparans.* Hæc illi. Quæ quidem ſeries vniuerſa (ni prorſus fallor) tantum abeſt vt ſit ab aduerſariis, eorúmque ſententiam confirmet, vt ea perſpicuè ſit à nobis, noſtrámque opinionem magis corroboret. Ad ducendam bilem, quæ continetur in ventriculo, & inteſtinis, & Hippoc. & Galenus laudant vomitum, & clyſteria: ſique hæc non

4. de Rat. vic. Mor. Ac. 6.

ſufficiant, Hippocrati lac aſinæ coctum probatur; quod item remedium Galenus amplectitur; qui prætetea lacti æquiparat, ac ſubſtituit illius ſerum oxymelite, & frigida aqua præparatum: quippe meritò, ac ſumma cum ratione purgantia medicamenta actiora, & calidiora ſunt pertimiſcenda. An hic vlla purgantis medicamenti fit mentio? Annon contrà Galenus grauiter nos admonet, ea perpetuò timenda eſſe, ac fugienda, propterea quia facilè poſſunt & febrem augere, & alia pericula ſecum afferre? An forte eſt quiſpiam, qui lac aſinæ coctum, aut illius ſerum inter purgantia medicamenta velit enumerare, quæ Galenus teſtatur, & res ipſa confirmat omni acrimonia libera eſſe, ſolúmque ventrem ſubire, minimè ſuccos è venis trahere poſſe? Quòd ſi hæc demum omni luce clariora aduerſario non ſunt ſatis, is ſurſum Hippocratem, ac Galenum hac ipſa de re poſterius loquentes audiat. *At ſi* (ait Hipp.) *liqui-*
4. de Rat. vi. Mor. Ac. 58. *dam aluum habenti cauſus superuenerit, ſi tibi purgatio idonea videatur, eam non tribus primis diebus adhibetis, ſed quarto.* Hunc locum ita Gal. exponit: *Quòd intempeſtinè hic de cauſo egerit, iam poſitis in principio tum differentiis, tum curationibus, nemo eſt qui ignoret. Nempe & dictiones ſunt ex mente aphoriſmi illius; Concocta medicari &c. Expedit igitur non omnino tertio medicari die, ſed vt aphoriſmus canit; in acutis morbis rarò, & in principiis medicamento purgante vti. Rem itaque ſecundùm aphoriſmorum mentem definire oportet, & ſcrutari cum in principiis purgatione vtendum ſit, & cum morbi coctio expectanda. Qui autem vel in principio ſimpliciter dixerit, vel non diſtinxerit, in vtroque errat.* Hæc Galenus. Atque hic profectò locus non ſolùm ad hanc rem, ſed ad totam diſputationem eſt adeò ſolidus, & apertus, vt vix alius ſolidior, & apertior eſſe poſſit: Qui nos docet rationem certam, & nihil habentem dubitationis, qua omnes controuerſias diſſoluere poſſimus, nimirum ſi eas, tanquam ad Lydium lapidem, perpetuò referamus ad doctrinam aphoriſmorum, qui (vt initio diximus) ex principali inſtituto, verè, ac ſatis ſupérque totum iſtud negotium conficiunt.

4. de Rat. Vic. Mor. Ac. 30. Venio ad anginam, de qua Hippocrates hæc habet. *Sanguinem ex brachiis detrahes, & venas, quæ ſub lingua ſunt, ſecabis, & medicamentis quibuſdam attractoriis vteris, calida exhibetis gargariſmata, &c.* Sic Gal. *corpus* (inquit) *vacare excrementis debet, & non eſſe plethoricum duplicem ob cauſã: nempe tum ob eam, quæ à vacuatione fit reuulſionem, tum quòd vacuato corpore, cum à parte affecta, quod influit, expellimus, id facilius conſentit, nihilque ſi calide aliquo volueris euaporare, à corpore ipſo parti calefactæ mittetur. Corpus igitur totum ſecta vena vacuare oportet, & purgatione, & clyſteribus.* Hæc illi. Itaque ſi in curanda angina medicamenta attractoria ſunt exhibenda, partim ad reuellendum, partim vt repellentibus medicamentis fluentes humores magis conſentiant; hæc autem principio facienda ſunt, hinc aduerſarij colligunt ante humorum coctionem purgantia medicamenta, vel in febribus aliquando conuenire. Braſauolus exponens hunc locum dubitat, quidnam ſibi velint ea verba [*medicamenta attractoria*] illáque bifariam interpretatur; vno modo medicamenta externa, qualia ſunt linimenta, cataplaſmata, vt materia trahatur extra; altero medicamenta purgantia. Et quanquam probat vtramque expoſitionem, tamen putat eam veriorem, quæ externa intelligit medicamenta. Ego verò nihil dubito, quin Braſauolus, ac cæteri interpretes fuerint hallucinati, quicunque verrunt medicamenta attractoria, aut quid ſimile. Raſarius qui nouiſſimè hunc librum eſt interpretatus, adhuc ſignificantius vertit [*medicamento, quod trahendi vim habeat, purgabis.*] Namque Hippocrates vtitur voce [ἐκλεικτῶν] quæ non aliud ſignificat, quàm *eligmata*, vel *eclegmata* à verbo ἐκλείχω, quod *lingere* ſignificat: ad quem modum paulò ante dixerat, Text. 20. Lib. de Cõp. Med.
ἐκλεικτῷ ἀνακαθαρθῇ, *eclegmate purgato*, atque Galenus frequenter illa appellabat ἐκλεικτὰ, quæ nimirum ſenſim, & leniter ſumuntur ad leniendas, & purgandas partes faucium, & pectoris: & quæ (vt idem ſcribit Galenus) nonnulli veteres *arteriaca* vocabant, quod ad iuuandas affectiones aſperæ arteriæ eſſent quam maximè commoda: alij eclecta, non apponentes pharmaca, &c. Init. lib. 7. de Comp. Med. Lo. Verè enim ac familiariter medici vti in agina ſolent huiuſmodi eligmatis, & gargariſmatis, quorum ſimul fit mentio: quippe quæ facilè poſſunt laborantes partes attingere & multas afferre vtilitates. Quæſo autem quid conuenit inter hæc, & medicamenta attractoria, ſiue medicamenta externa, ſiue purgantia, ſiue quouis modo ea velis interpretari? Porrò ſuſpicor ego noſtros interpretes fuiſſe deceptos ob ſimilitudinem alterius vocis: cum enim vulgati codices habeant [ἑλκτικῶν] cuius dictionis nullus planè eſt ſenſus, aut etymologia, ipſi diuinantes arbitrati ſunt legendum eſſe, ἑλκτικοῖς, attractoriis: cum tamen legendum ſit, vt dixi, ἐκλεικτῶν, eclegmatis. Ex quo vno loco poteſt intelligi, quanta cum religione, & attentione deceat nos verſari in legendis authoribus, qui graues, ſeriáſque artes nos docent. Veruntamen, vt ne quis merita laude priuetur, quod nolo ſilentio præterire, ex hoc numero malorum interpretum eximendi ſunt Ianus Cornarius, ac Franciſcus Valleſius, qui fideliter hunc locum ſunt interpretati. Valleſij interpretatio talis eſt. *Sectionem venæ* (ait Hippocrates) *à brachiis faciens, & eas, quæ ſub lingua ſunt, ſecans, & curans eligmatis, & gargarizare calidis iubens, & caput radens, & ceratum capiti, & collo circumponẽs, & lanis eboluens, &c. Breuiſſimè* (ait Valleſ.) *perinde ac optimè tradit Hippocrates rationem curandi dictam affectionem, & per capita, omnia, quæ agẽda ſunt. Ea ſunt venæ ſectio, eligma, gargariſmus, fomentum capitis, & ceruicis, & cibus. Nihil quicquam omiſit, niſi forte alui ſolutionem, quam etiam in acutiſſima, & quæ quatuor dierum ſit, ſcimus aliquando vtilem eſſe ſolere, præcipuè cum pituitoſa eſt affectio, qualem nunc Hippocrates deſcripſit. Conſtat verè ex dictis expurgationem poſt miſſionem ſanguinis faciendam eſſe, cuius Hippocrates primò, vt principiis in hoc morbo auxilij, mentionem facit, dicens, Sectionem venæ à brachiis faciens, &c.* Cum igitur hic locus Hipp. à re noſtra ſit prorſus alienus, non eſt, vt de eo agamus longius. Quòd ſi quis adhuc nobis obiiciat interpretationem Galeni, qui probat vacuationem totius corporis, & ſecta vena, & purgatione, & clyſteribus, neque illa aduerſus nos quicquam valet. Namque ille probat quidem medicamentum, ſed poſterius (vt Valleſio placet) minimè in principio morbi id quod ex eo maximè poteſt fieri manifeſtùm, quòd ſimul iungit phlebotomiam, & purgationem; quæ ſine dubio vno, & eodem tempore non conueniunt: quandoquidem iamdiu ſancitum eſt, incipientibus morbis, ſi quid videtur mouendum, mouendum eſſe, aut ſectione venæ, aut purgatione, altervtro ſcilicet, minimè vtroq; præſidio: vt aliàs declarauimus quod eſt ſatis. Demum Galenus miſſioni ſanguinis, tanquam vicariam, ſupponit purgationem; ergo hæc nullam deſiderat coctionem? Nemo, ut arbitror, cum ratione ita colligat. Ac primùm illud poſſem reſpondere, ibi Galenum ſermonem habere de tuenda ſanitate, & præſeruandis, mi-

nimè

nimè curandis hominibus: quas duas præcipuas partes medicinæ iam monuimus inter ſe non parum diſtare, ac diuerſa præcepta continere. Sed cum reuera nullo modo poſſit negari, quin de magnitudine morbi, vel imminentis, vel præſentis, vel præſeruando, vel curando oriatur indicatio, aut mittendi ſanguinis, aut dandi medicamenti, ac ſæpè fiat, vt alterum pro altero præſidium ſubſtitui poſſit, quod ſuperiori diſputatione monſtrauimus diffusè, à me ipſo non diſcedens reſpondeo, ſi cui vel per ætatem, vel aliud impedimentum non licet venam ſecare, per Galenum ſubſtituendam eſſe purgationem, dummodo cæteræ non deſint conditiones, quæ in primis requiruntur, vt illa probè, & feliciter fiat: inter quas pro comperto habendum eſt illas obtinere principatum, quòd ſcilicet humores noxij, vel ſint aliter ad expulſionem præparati. Quippe ſi res alio modo ſe habeat, ego quidem in ea ſum opinione, poſſe neminem ſine euidenti periculo pro ſectione venæ purgans medicamentum propinare. Quod non ſemel comprobatum hactenus, non decet amplius repetere.

Atque hoc demum loco non id mihi videtur ſilentio prætereundum, vſu venire interdum, vt ipſo ſtatim morbi principio, compareat non ſolum manifeſta, ſed etiam perfecta ſuccorum concoctio. Quo tempore nulli poteſt eſſe dubium, quin inte optimo conueniant purgantia medicamenta. Verùm ſi exactè loqui velimus, huiuſmodi tempus potius ſtatus, quàm principium debet nominari. Quod quidem non ideò fit, propterea quia morbus aliquis careat principio, & augmento, ſed quoniam talia tempora vſque adeò celeriter euaneſcunt, vt comprehendi vllo modo nequeant. Quare ita habendum eſt huiuſmodi principium non id certè eſſe, quod diximus definiri manifeſtis ſignis concoctionis; ſed in ea potius ſumi ſignificatione, quæ tres quatuorve primos morbi dies comprehendit.

Deinceps Manardus tria capita in medio ponit, quæ medicos hortantur, & cogunt ad crudas purgationes; quæ pariter ſigillatim ſunt à nobis conſideranda. Primùm nimiam ſuccorum quantitatem, adeoque (ni fallor) plenitudinem ſiue eam quæ ad vires, ſiue vtramque amplectitur, de qua aliàs ſatis diximus. At verò cum medicorum penè omnium conſenſu deceat miſſo in primis ſanguine hanc minuere, & tollere, equidem neſcio, quid in mentem venerit Manardo, qui contendit medicamentis illam demendam eſſe. Athletarum ſimilitudinem, quam ille affert, non ſatis aſſequor: etenim ſi putat bonum eorum habitum ſoluendum eſſe purgante medicamento, atque hinc colligit, illud item, fortè etiam longè magis conuenire in cacochymia, ſanè ratio quadrat. Verùm ille aſſumit, quod eſt maximè dubium, & in controuerſia poſitum, immò etiam mea ſententia falſiſſimum; plenitudinem ſcilicet purgantibus medicamentis eſſe minuendam. Sin autem cenſet, eiuſmodi habitum ſoluendum eſſe potiſſimùm ſectione venæ, vt profectò cenſendum eſt, noſque ſatis monſtrauimus, ac per ſimilitudinem vult malum habitum purgandum eſſe, longè ille fallitur, neque vlla inter hæc eſſe poteſt ſimilitudo, & conuenientia. Nam ſicuti plenitudo ſalutariter detrahitur miſſione ſanguinis ſine vlla humorum coctione, ita contra cacochymia vix ferre poteſt medicamentum, niſi humores antea concoquantur, meatus aperiantur, ac totum corpus præparetur: quod iam ſatis diſputauimus.

Neque verò eſt magis probabilis altera argumentatio de turgente materia. Quamuis enim concedatur, eadem pericula imminere de multis, quæ impendent de turgentibus humoribus, quod tamen ſumma cum ratione poteſt negari, vt vno verbo reſpondeam, licet humores turgentes vacuare, quoniam ſponte illi mouentur, naturamque habemus purgationis adiutricem: alteri autem non turgentes, etſi multi, medicamentis neque purgandi, neque mouendi ſunt, propter eas rationes, quæ alioqui manifeſtè, ac multis in locis poſitæ hîc temere non ſunt repetendæ. Pericula verò, quæ ab humorum copia impendere fingit Manardus, aut ea nulla ſunt, aut tantùm ratione fingi poſſunt, qua copioſè humores impetu ferri ac turgere poſſunt. Quo caſu nos facilè purgationem admittimus cum Hippocrate & Galeno, humoribus turgentibus.

Secundum caput malam ſuccorum qualitatem continet, atque eam quidem duplicem: alteram manifeſtam, alteram latentem, ac peſtilentem malignitatem, quam appellat. Verùm & hæc leuiora ſunt, quàm vt longiorem confutationem deſiderent. Nam propter eam maximè cauſam, propter quam Manardus ait purgandum eſſe, nos dicimus à medicamentis eſſe abſtinendum, quæcumque tandem fuerit humorum qualitas, ſiue patens, ſiue occulta, quæ eos à naturæ inſtituto alienos, atque adeò crudos reddat. Cúmque ille nullam ſuæ ſententiæ rationem, vel teſtimonium proferat, nobis contrà promptum eſt noſtram opinionem pluribus tum rationibus, tum authoritatibus confirmare. Ex gr. finge aliquem febre laborantem, putreſcentibus ſuccis qui ſint frigidiores, craſſioreſque, an putas fieri poſſe, vt illi ſine maximo labore, ac perturbatione trahendi obediant medicamento? an magis pro certo habendum eſt, huiuſmodi purgationem ſequuuta eſſe multa pericula, de quibus ſæpe diximus? Teſtimonia ſimiliter, quibus Hippocrates, & Galenus, cæteris iam prætermiſſis, hoc ipſum comprobant, ſunt adeò multa, ac frequentia, vt à nemine poſſint ignorari.

De latente autem, ac peſtilente illa qualitate, ſeu malignitate, quæ apud Manardum, multoſque noſtrorum têporum medicos, ſi quid aliud, ſtatim purgationẽ deſiderat, nihil à nobis hoc loco agendum eſt, qui libello noſtro de Peſte hac de re ſatis iam ſententiam noſtram publicauimus, vt ſuperuacaneum ſit illa eadem repetere. Illud vnum addo in præſentia, ſi humores ij praui vel ob manifeſtã, vel ob latentem qualitatem ſint vſque adeò naturæ moleſti, vt illuc delati metum afferant, ne in principale aliquod membrum irruant, hos iam reuera turgentes eſſe, cum turgentis materiæ conditiones ijs tribuantur, atque facilè concedam, his deberi purgationem. Quòd ſi velit etiam ſine hoc motu periculum imminere, & omninò humores non turgere, ego contendo nullo modo conuenire purgationem, ſed alia quauis ratione conſulendum eſſe; quo loco fortaſſe præcipuum remedium fuerit ipſa venæ ſectio, quam in cacochymia poſſe adhiberi, propria diſputatione ſatis monſtrauimus.

Tertium caput demum principalem noſtri corporis locum comprehẽdit; quod quidem tametſi Manardus leuiter attingit, nonnulli amplificant, & illuſtrãt: neque verò ſolum qui ſunt à Manardo, ſed alteri etiam, qui ab illo diſſentiunt, atque Galenis dogmatibus ſtudioſè delectantur. Ex quibus eſt Fochſius, qui etſi variis in locis hanc ipſam Manardi, & ſectatorum opinionem ſeriò oppugnat, aliquando tamen in huiuſmodi incidens ſcopulũ, ab antiquo receptóque dogmate, neſcio quomodo, & à ſe ipſe diſſentit. Namque Hippocratis aphoriſmum interpretatus; *Præterea* (inquit) *monet iis verbis Hippocrates nunquã ante perfectã coctionẽ* *Comm. in Prim. Gal. lib. de Criſ. c. 19.*

Se 7. 5. c. 11. lib. de Med. Meth. c. 26.

in morbus eã admittentibus purgandũ eſſe, niſi quãdo humores turgeant. Non temere autem adiectum eſt, in morbis eã admittentibus, quia in apoplexia, cũ acutiſſimus ſit morbus, ridiculum planè foret expectare coctionem. Hæc Fuchſius, qui eandem ſententiam ſcriptam reliquit in ſuis Inſtit. Med. de quo equidem non ſatis poſſum mirari, ac neſcio quo mentis propoſito, hoc loco medicamentum probet, qui aliàs propria tractatione de illo ne verbum quidem fecerit: niſi fortè id propterea factum eſt, quòd morborum curationem inſtituens, non alia ſcripta ſibi ante oculos poneret quam Galeni, Aëtij, Pauli, vt perpetuò facere conſueuit, apud quos nulla medicamenti fit mentio: nunc autem hanc ipſam doctrinam, vel obliuiſcendo, vel negligendo ſententiam mutauerit. Sed Manardus, Fuchſius, & alij huiuſce opiniunis ſectatores inquiunt decumbente materia ad principem locum temere coctionem expectari, quãdo certum imminet periculum, ne æger interea moriatur: quanquam Fuchſius generalem rationem potius affert morbi acutiſſimi, quàm propriam loci principalis; quaſi verò in quouis morbo acuto, vel acutiſſimo nulla vnquam ſit expectanda concoctio: de qua re poſteriùs ſermonem habebimus. Primùm autem monemus, iſtud decretum à quamplurimis vel ex noſtris aduerſariis repudiari, qui negant humores in partibus contentos, ac firmatos ſine coctione poſſe vtiliter purgari. Atqui rem conſideremus, & in propoſito exemplo perſiſtamus. Socrates corripiatur apoplexia: niſi illi protinus exhibeatur medicamentum, quod obſtruentes humores auferat, aut certe minuat, per ſe nulla poteſt homini ſupereſſe ſpes ſalutis. Ego item quæro ex parte altera, an Socrates aſſumpto medicamento ſit euaſurus? iſtud non arbitror audeas affirmare. Vtrobique igitur manifeſtum eſt periculum. Veruntamen ſi totam rem ſtudioſe velimus animaduertere, non inuiti fatebimur, longè maiora, ac manifeſtiora imminere pericula dato quã non dato medicamento: quando illud humores cerebri vẽtriculis impactos non detrahit, & ſecum plurima affert incommoda, de quibus ſatis dictum eſt. Si enim ſupereſt ſpes vlla ſalutis in morbo planè capitali, ea profectò hoc vno nititur fundamento, nimirum coctionis; ſine qua ſcribit Galenus fieri non poſſe vt quis morbus diſſoluatur. Quam quidem coctionem probabiliter vix licet ſperare aliter, quàm iis adhibitis præſidiis, quæ ratio, ac præſtantiſſimi quique medici nos docent. Illa verò ſunt, vt ſecta vena, facta ſcarificatione, poſitis cucurbitulis, iniectis clyſteribus, glandibus, concitato vomitu, frictionibus, ligaturis, embrochis, lotionibus, inunctionibus, ſternutamentis, ſynapiſmis, & aliis huiuſmodi remediis, tenuiſſima præſertim victus ratione, quatenus licet, ſtudeamus totum corpus vacuare, humores fluentes reuellere; fluxos deriuare, ac diſſoluere, vnóque verbo naturam iuuare, vt illa morbum coquere, ac ſuperare queat. Adeò vt facientes medicinam doceat illud alta mente reponere, vt nuſquam, & nunquam ab iis diſcedant, quæ ſummorum virorum authoritati, & rationi ſunt conſentientia, etſi res ſecundum rationem videatur minus ſuccedere.

de Conſt. Ar. Med. c. 18.

Hactenus vidimus quæ Manardus attulit pro ſua ipſius ſententia ſtabilienda, & noſtra quantum potuit, oppugnanda: modò reſtat conſiderandum, qua ratione ille effugere conetur, ac ſoluere argumenta quæ pro noſtra opiniune adduci, & eius ſententiam labefactare, & euertere videntur: quam rem paucis omnino abſoluit. Hanc ſeriem nobis liceat ad verbum tranſcribere: quæ ita habet. *Præſertim cum nihil habeant, quod nobis obiiciant aduerſarij, niſi vulgatum illum aphoriſmum.* Concocta medicamentis purganda, &c. *quem tamen in multis exemplaribus non legi ait Galenus, licet in libro de Humoribus paſſim legatur. Et vt eum inter aphoriſmos recipiamus, habemus tamen, cui opponamus aphoriſmum ſecundi libri vigeſimũ nonum, qui procul dubio Hippocratis eſt, iubentem in principio mouendum, ſi quid mouendum eſt. Quem aphoriſmum non ſolùm ſcribit Hippocrates ſed etiam per alium ſequentem probat. quia videlicet circa principia omnia ſunt imbecilliora. In his enim duobus aphoriſmis indulget medico Hippocrates, vt quando ei videtur, euacuatione in principio vtatur: quod & in penultimo primi libri permittit: Et licet dicat hoc rarò faciendum, nos rationibus ſuperius adductis moti, crebriùs id facere & poſſumus, & debemus in materia præſertim ſeroſa, & tenui, qualis eſt bilis pallida, quæ à recentioribus citrina vocatur, quam noſtro ſæculo videmus abundare.* Hæc ille. Vix credi poteſt hominem tam grauem, & eruditum tam leuia, & puerilia effutire. Sed homines ſumus, & nihil ex omni parte beatum. Quicumque hæc noſtra legis, vel magis Hippoc. atque Galeni ſcriptis delectaris, facile potes intelligere, an nobis alia deſint, quæ Manardo, & aduerſariis obiicere poſſimus, præter vulgatum aphoriſmum, atque illa vſque adeò multa, ac ſolida, vt nulla fortè ratione diſſolui poſſint. Sed eſto: præterea nihil habeamus An non ſatis vnicuique eſſe poteſt, ac debet ſententia tam perſpicua, tam abſoluta, tam rationi conſentanea: Vt Manardus hunc ſcopulum deuitaret, dupliciter ſe tuetur: vno modo vix patitur aphoriſmum eſſe Hippocratis legitimum, quando Galeni teſtimonio non legitur in multis exemplaribus: altero, illi opponit duos aphoriſmos, vigeſimum nonum ſecundi, ac penultimum primi libri. Atqui illud cauillum ridendum eſt magis, quàm refellendum: etenim quanquam non ille in omnibus, in aliquibus certè legitur, præter quàm quod in libro de Humoribus paſſim reperitur; illúmque Gal. vſque adeò recipit, repetit, magni facit, vt quãdoque oraculũ appellet. Neque altera ſanè reſponſio eſt maioris momenti; quaſi verò huiuſmodi ſentẽtiæ inter ſe diſſentiant, Hippocratéſque ſit vnus, atque idem ſibi ipſe non perpetuò cõſentiens Quod quidem diutius ferendum non eſt, cum ſit tam certum, quàm quod certiſſimum, in hoc diuino viro non modò res, ſed ipſa quoque verba ſic eſſe diſpoſita, ſic priora poſterioribus conuenire, ſic ſuperioribus ſequentia reſpondere, vt nihil magis concinnum, coniunctum, & congruens poſſit excogitari. Neque certè eſt, vt nos hoc loco in explicandis, conciliandiſque huiuſmodi aphoriſmis longiùs laboremus, qui id ſuperius fecimus (ni fallimur) quam maximè ad veritatem accommodatè. *Et licet Hippocrates dicat hoc rarò faciendum, nos rationibus ſuperius adductis crebriùs id facere poſſumus & debemus.* Hæc inſignis oppidò eſt licentia, vt ne quid peius dicam. Ac ferè iſtud crimen pleriſque noſtrorum temporum medicis iam eſt familiare: qui primùm ſolent probatos authores oſcitanter legere, deinde peruersè interpretari, tum negligere, demúmque ab illis prorſus deficere. Hippocrates vir tantus, quem Galenus magnum, doctorem optimum, omnium bonorum inuentorem, medicorum principem, diuinum, cuius dictionem DEI vocem appellare, & aliis illuſtriſſimis titulis honeſtare conſueuit: quem Soranus ducem hominis, omniúmque cauſarum, & quæſtionum iudicem cõpellat; quem Suidas ſidus, & lumen vtiliſſimæ medicinæ extitiſſe ait: quem Plato, Ariſtoteles, ac præſtantiſſimi quique tum philoſophi tum medici venerari, colere, & imitari non erubeſcunt: quem certum eſt doctrina, & acri

4. de Tu. Val. 4.

iudicio

iudicio omnes ex omni memoria homines longè ſuperaſſe: hic (inquam) Hippoc. docet tardè in morbis acutis medicamenta eſſe adminiſtranda. Contra non deſunt hodie Manardus, & alij, tanti (ſi Diis placet) heroës, qui audent aſſeuerare illa iam crebrius, immò etiam ſemper adminiſtranda eſſe. Tuum eſt proprium hac in re iudicium interponere, ac decernere, illine, an iſtis ſit maior adhibenda fides.

De Manardo hactenus. Nunc & ad alios accedamus: & ad eos primùm, qui tradita diſtinctione purgationis minoratiuæ, & eradicatiuæ, cenſent in principio morborum minoratiuam fore adhibendam, eradicatiuam nequaquam. Etſi enim ſcio de iſtac diuiſione multa à multis diſputari, non grauabor ego quoque meam ſententiam in medium proferre. *[11. meth. 15.]* Hippocrates quidem, & Galenus alterius vacuationis frequenter meminere, quæ humores minuere, ac pro parte ducere poteſt; ſiue id phlebotomia, ſiue purgatione, ſiue aliter fiat: ad quem modum ſcriptum eſt, ſaluberrimum eſſe in febribus ſanguinem mittere, vt ſubleuata natura partem humorum, quæ ſupereſt, poſſit faciliùs coquere, & *[8. meth. c.4. 11. meth. c.11.]* expellere: pariter minimè aggrediendas obſtructiones, niſi prius vitioſi ſucci maiori ex parte detrahantur: atque vniuersè in principio morborum mouendum eſſe, vt minori reddita materia, natu- *[1. aph. 12.]* ra melius ſuo muneri ſatisfaciat. Quod verò ad alteram pertinet vacuandi rationem, ſi iſti intelligunt, quando toti ducuntur humores noxij, non multum laboro, an eradicatiuam, an alio appellent nomine: qui non ignoro talia medicamenta dari à medicis ſæpenumerò, illáque ægros bene tolerare: immò etiam quæ relinquuntur, recidiuas facere conſueuiſſe. Et hanc puto fuiſſe de huiuſmodi nominibus mentem Hippocratis, Galeni, & Anicen- *[1. aph. 22.]* næ. At verò ſi quis vacuationem eradicatiuam interpretatur illum ſummum, atque extremum vacuandi modum, quo ægri ducuntur ad animi defectionem; in qua ſententia eſſe audio celeberrimum quendam virum, hunc equidem cenſeo malè, & perniciosè ſentire. Et quamuis hic locus ferè ad meum inſtitutum non pertineat, veruntamen cum ille ſit maximi momenti, ac mea ſententia perquam difficilis, nec fortè adhuc ſatis ab aliquo explicatus, mihi liceat quaſi facta digreſſione, pauliſper in eo verſari.

Ergo præcipuum huiuſce opinionis fundamentum videtur niti aphoriſmo 23. primi, & Galenica eiuſdem interpretatione. *Atque vbi* (inquit Hippocrates) *ad animi defectionem vſque ducendum eſt, hoc quidem faciendum, ſi æger durare poſſit.* Galenus item; *In maximis doloribus nullum maius noui remedium, quàm vſque ad animi defectionem vacuare; adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat vſque ad animi defectionem.* Sed preterea addunt experientiam, multáque exempla, quæ confirmant quamplurimos purgantibus medicamentis ad animi deliquium deduci ſæpenumerò. Dum olim cum docto quodam viro conferrem huiuſmodi locum, ille exiſtimabat nullam ſubeſſe in eo difficultatem; propterea quia Hippocrates, & Galenus videntur ſtatuiſſe vacuationem generaliter, minimè purgationem faciendam eſſe vſque ad animi deliquium, ac diſtinctionem adhibendam, vtrùm per venæ ſectionem, an per purgationem tali vacuatione vti conueniat. Cúmque diſtinctio tradita fuerit libro de Sect. Ven. quæ totum iſtud negotium conficit, vtique hæc res illi videbatur nullam continere difficultatem, nec longiorem explicationem expoſcere. Ego verò, etſi nihil dubito, quin hæc verè dicta ſint, & ad mentem Hippocratis, & Galeni, tamen ſi attendamus verba paulò ante poſita, adhuc cenſeo locum eſſe difficillimum, & maxima dignum conſideratione. Promiſcuè docet Hippocrates ægrotos eſſe ducendos ad animi defectionem, ſi ita res ferat, illique tantam vacuationem ferre poſſint. Inquit Galenus, in maximis doloribus ſe non inueniſſe præſtantius remedium vacuatione vſque ad animi deliquium: diſtinguendum tamen eſſe, an id præſtandum ſit purgatione, an phlebotomia. Vtroque igitur modo licet ægros deducere ad eam ſummam vacuationem: alioqui ſi vna ſectio venæ locum haberet, nunquam purgatio, iam nulla opus fuiſſet diſtinctione. Quid enim diſtinguendum eſt? Quomodo vacuatio ad animi deliquium facienda ſit. Quare opus eſt, vt membra diſtinguentia ſub communi diſtincto contineantur. Vanum foret diſtinguere animal in ſentiens, & ſenſus expers, quoniam alterum membrum ſub animali non comprehenditur. Itaque ſi ſuperiorem verborum ſeriem, vt apparent, ac ſonant, audiamus, vt liceat ægros nonnunquam deducere ad animi deliquium vſque & phlebotomia, & purgatione fateamur, neceſſe eſt: quod quàm abſonum ſit, poſtea videbimus. In maxima turba eorum, qui aphoriſmos ſunt interpretati, mihi neminem contigit videre hactenus, qui hunc ſcopulum ſuperarit. Quamplurimi conniuentibus oculis eum prætereunt: nonnulli verò non ſolùm difficilem nodum non expediunt, ſed fortè etiam nouis difficultatibus implicantur.

Franciſcus Caſſanus, qui in hac ſchola Patauina olim ſumma cum laude profeſſus eſt, magnus artis medicæ illuſtrator, & inſtaurator, maximus futurus, ſi longiorem vitam, qua erat digniſſimus, vixiſſet, ad euellendum hunc ſcrupulum putat poſtrema illa verba, *vſque ad animi defectionem*, ſeparatim eſſe legenda, ac referenda ad vnam ſanguinis miſſionem, minimè ad purgationem hac ſerie. [*In maximis doloribus nullum praſentius inueni remedium ea vacuatione, qua fit vſque ad animi deliquium: diſtinctione tamen adhibita, an ſanguinem mittere oporteat vſque ad animi deliquium, an magis purgare.*] Nonnulli ea cenſent temere ab aliquo fuiſſe interiecta, neque illa recipiunt tanquam Galeni. In quam ſententiam maximè veniunt, propterea quòd illa non ſint in tranſlatione veteri, neque in Oribaſio, qui hunc ipſum locum ponit, ac tranſcribit. Quamobrem in codice Latino impreſſo apud Iuntas, hæc eſt in margine huius loci notatio, doctiſſimorum hominum, puto, Iul. Mart. Rotæ, & Auguſtini Gadaldini. *Hæc verba*, vſque ad animi defectionem, *non ſunt in tranſlatione veteri, nec in Oribaſio, qui libro ſeptimo Collect. Med. hunc locum ponit. Nec etiam in libris de Phlebotomia hoc dixit Galenus, quod ſcilicet purgandum aliquando ſit vſque ad animi defectionem. Nec fortè quiſquam eſt antiquus author, qui hoc ſcripſerit. Delenda ergo videntur hæc verba.* Quorum iudicium Raſarius quoque deinceps eſt ſequutus in codice impreſſo apud Valgriſ. anno M. D. LXVI. Si quis antiquæ verſionis fidem deſiderat, illa eſt talis. [*In maximo ergo dolore nulla medicina perfectior hac defectione: oportet autem diſcernere vbi dare pharmacum oporteat, quod diximus in libro de Phlebotomia.*] Sed reuera vtcumque illa verba, *vſque ad animi deliquium*, vltimo loco poſita vel tranſponantur, vel deleantur, non propterea minor mihi videtur fieri difficultas; cum eadem remaneat in verbis præcedentibus, quæ ſunt ab omnibus recepta, vt iam ſatis monſtrauimus.

Sclauus quidam medicus Neapolitanus, qui nuperrimè poſt omnes prolixa edidit commenta-

ria

tia in primum librum Aphoriſmorum, breui hanc rem conatur extricare. *Quemadmodum* (ille ait) *in affectibus maximis, qui fiunt ex plenitudine, eſt neceſſaria miſſio ſanguinis vſque ad animi defectum, ita etiam in affectibus maximis, qui fiunt ex cacochymia multoties eſſet neceſſaria purgatio vſque ad animi defectum: ſed veluti in miſſione ſanguinis, etiã quòd affectus requirat hanc vacuationem, non facimus, niſi iuxta Hippocratis ſententiam virtus poſſit tolerare: eodem etiam pacto non eſt facienda ad extremum purgatio, niſi virtus conſentiat. Et quoniam medicus non poteſt à purgatione ceſſare, quando vult, & cum remediorum quantitas ſit coniecturalis, & ſic medicamenta poſſent, plus quàm oportet euacuare, ideò cum non ſimus certi, quòd virtus poterit talem, & tantam vacuationem ſufferre, nunquam vſque ad animi defectum debemus purgare. Hoc enim licet facere in ſanguinis miſſione, quia incipiente in pulſu defectu, quando libuerit, poſſumus ab euacuatione abſtinere.* Atqui fortaſſe eiuſmodi explicationem verius implicationem licet appellare; nam præter quàm quòd multa in ea continentur abſurda, & à bonis dogmatibus abhorrentia; ſi Galenus ſtatuit purgationem quoque efficiendam eſſe vſque ad animi defectionem, dummodo vires ægroti tantam vacuationem ferre poſſint; nullo autem modo poteſt medicus id ſatis intelligere, ac tale iudicium facere, neceſſariò fatendum erit, Galeni præceptionem, ac diſtinctionem fuiſſe prorſus importunam, atque inutilem; vtpote quæ nullum vſum habere vnquam poteſt: quod de eo ſentire eſt nefas, qui omnia dogmata, & præcepta ad artis opera perpetuò referre conſueuit.

Montanus Veronenſis vir celeberrimi nominis diffusè hunc locum tractat. Primùm autem homo, ſi quis alius, methodi medendi, ac docendi, multorum fama, obſeruator, propemodumque inſtaurator ſingularis à nominis notione ordiens, tria inquit eſſe nomina apud medicos vſitata, λειποθυμίαν, ἔκλυσιν, συγκοπήν; quæ eadem planè ſignificatione animi defectionem declarant: atque hanc definit eſſe defectum ſpiritus, & caloris innati. Deinde longius inquirens, quomodo ſpiritus, & calor deficiant, concludenſque id non aliter fieri, quàm ſuffocatione, & reſolutione, ſtatuit Hippocratem ſine dubio illum defectum intellexiſſe, qui fit per reſolutionem. Tum perquirens, qualiſnam ea ſit vacuandi ratio, qua de Hippocratis ſententia ægri nonnunquam ducuntur ad animi defectionem, decernit illam triplicem eſſe: vnam, quæ fit per pharmacum electiuè trahens: alteram, quæ fit per medicamentum leniens, ſiue quod euacuet per viam vrinæ, vel ſudoris: tertiam per ſanguinis miſſionem: atque ex his colligit, Hippocratis mentem fuiſſe, ægrotos non aliter ad lipothymiam ducendos eſſe, quàm miſſione ſanguinis. Poſt hæc tres caſus examinans à Galeno propoſitos, febres ardentiſſimas, inflammationes maximas, dolores vehementiſſimos, in quibus tantopere expedit venam ſecare; quibus addit præterea quartum, febrem ſynochum; deque iſtiuſmodi remedio acriter diſputans contra Auerroëm, qui illud conatus eſt omnino demoliri, tandem peruenit ad Galeni locum, vbi ait diſtinguendum eſſe, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat vſque ad animi defectionem: pro cuius enodatione, inquit Hippocratem, & Galenum duobus vti nominibus, [φαρμακεύειν, & καθαίρειν] quorum illud ſignificat *purgante medicamento vacuare*, hoc autem *ſimpliciter purgare*; affirmatque Galenum hic vſum fuiſſe voce [καθαίρειν] ac ſimplicem purgationem intellexiſſe. Statim verò explicat, qualiſnã ſit iſtæc ſimplex purgatio, quando nimirum purgatur humor quiſpiam à ſanguine diſtinctus non per medicamentum electiuè trahens. Itaque concludit, in vehementiſſimis doloribus fas eſſe purgationem aggredi vſque ad ſyncopen per quædam purgantia: at non per medicamenta verè purgantia, remque adhuc planiùs declarans, duo proponit exempla, in quibus licet tantam vacuationem moliri. Alterum eſt vehementiſſimi doloris colici, in quo expedit ægrum ducere ad ſyncopen dato medicamento haud ſanè purgante, ſed vomitum prouocante, quale eſt raphanus, oxymel, ac ſimilia. Alterum eſt doloris, quem iſchiadicum vocant, in quo item vtile eſt vſque ad eum terminum purgare clyſtere acriore, exempli cauſa, ex minore centaurio. Demum generaliter concludit, in vehementiſſimis doloribus, qui nimirum pendent ex materia frigida, & craſſa, commodè ægros purgari poſſe vſque ad ſyncopen iis medicamentis, quæ cient vomitũ, lotium, clyſteribus ac ſimilibus; id enim ait ſignificare apud Hippocratem, & Galenum καθαίρειν, eoſque vnam eiuſmodi purgationẽ intellexiſſe. Hactenus Montani ſententiam quam ille fusè explicauit, nos ſtrictè collegimus, ſed tamen verè ac fideliter, quod facilè intelliget quicumque eam totam partem legere apud ipſum non grauabitur.

Ceterùm quam vanæ, futiles & à Galeni mente alienæ ſint vniuerſæ illius cogitationes, puto omnibus conſtare, qui voluerint vel parum animum adhibere. Neque eſt mihi propoſitum perſequi ſingula, qui nimis à principali inſtituto digrederer; ſed nonnulla tantùm liber annotare, quæ maioris ſunt momenti, & ad hunc locum pertinent. Atque, vt à nomine ipſe quoque incipiam, quatuor ſunt Græca nomina, λειποθυμία, λειποψυχία, ἔκλυσις, συγκοπή; quorum tria prima vnam eandémque rem ſignificant, nempe animi defectionem, vel deliquium, vel exanimationem, vel vtcumque aliter appellare velis. Scio nonnullos inter ea quoque diſcrimen id poſuiſſe ex ipſa nominum etymologia, quod λειποθυμία propriè defectionem ſignificet animoſæ facultatis, atque adeò cordis affectionem, cum illa in corde ſedem habeat: λειποψυχία verò defectum facultatis animalis, adeóque laborem cerebri, cum hæc reſideat in cerebro: ἔκλυσις autem generalem quandam, ac fortè leuiorem animi, viriúmque defectionem, quę potiſſimùm fiat à diſſipatione ſpiritus vitalis propter immoderatam excretionem. Sed Gal. ſuperſtitioſam hanc diſtinctionem ferè negligit, qui haſce tres voces, tanquam vnam rem ſignificantes, ſolet indifferenter vſurpare. περὶ τῆς λειποθυμίας (inquit) καὶ ἐκλύσεως, εἰώθασι γὰρ οἱ ἰατροὶ καθ' ἑνὸς πράγματος ἄμφω ταῦτα τὰ ὀνόματα φέρειν, αὐτὸ μὲν ἓν τὸ πρᾶγμά ἐστιν. Sunt enim pro vna, eademque re ambo hæc nomina à medicis vſitata. Quippe ipſa res vna eſt. Sic Hippoc. ἐπὶ φύματος (ait) αἵματος ῥήξιος, ἔκλυσις, καὶ λειποψυχίη γίνεται. Sic ambo vbicumque de animi defectu verba faciunt, modò λειποθυμίαν, modò, λειποψυχίαν, modò, ἔκλυσιν vocant: quos locos non eſt vt longius repetamus. Sed prætermiſſa hac animaduerſione minoris momẽti, in eo certè periculosè errat Montanus, cum affirmat ſyncopen non differre lipothymia. Quorum nominum, ac ſymptomatum diſcrimen alioqui debet eſſe notius, quàm vt debeat demonſtrari. Namque ſyncope eſt præceps virium omnium lapſus, vt Gal. prodidit ante ſe à veteribus medicis fuiſſe definitum; quatũ eſſentia cum partim in ſpirituũ, partim in ſolidorũ corporũ natiuali qualitate, & quãtitate cõſiſtat, palã eſt nihil horum per ſyncopen manere integrum, ſed cuncta collabi, ac diſſipari, tandémque ægrum in ſummum vitæ periculum venire. Sed ille præterea hoc ipſum diſcrimẽ notauit pluribus

1. ad Glau. c. 14.

2. aph. 8.

12. Meth. c. 5.

12. Meth. cit. ribus in locis, quorum ille eſt apertiſſimus, vbi ſcribit humores crudos, ſi & copia ſua vires premant, & propter tum multitudinem, tum craſſitudinem exiguos animalis meatus obſtruant, iam multis nominibus exitialem affectum inducere, ac ſyncopæ opportunos reddere: Quòd ſi nec obſtruant, nec onerent, ſyncopem eos quidem non afferre, ſed quas vocant lipopſychias. Atque id ex eo quoque nobis licet intelligere, quod idem Gal.

De Sang. Miſſ. c.12. feriò nos admonet, vt in omni ſectione venæ, potiſſimum verò in ea, quæ fit ad defectum vſque animi, pulſuum imminutioni diligenter attendamus, ne aliquando nobis nihil tale opinantibus, pro animi deliquio, ſyncope, & mors ſuccedat; quod ſuo tempore teſtatur nonnullis medicis eueniſſe. Quanquam igitur negandum non eſt, vtrumque malum ab eiſdem cauſis oriri poſſe, vtique pro comperto habendum eſt, habere lipothymiam & mitiores cauſas, & minora ſymptomata, quàm ſyncope; illamque omnino leuiorem eſſe affectionem, ac facilè reparabilem; hanc prorſus lethalem, propeque modum ſine vllo remedio; adeò vt non ſine nefario ſcelere, ac certo periculo liceat vnquam ægrum pro animi deliquio ad ſyncopen deduxiſſe. Quamobrem mirum certè eſt, quomodo Montanus audeat aſſeuerare vel ex Galeni ſententia ſyncopen à lipothymia nihil differre. Ita enim ſcribit. *Quod autem ſyncope idem ſit quod lipothymia, apparet duodecimo Methodi, vbi Galenus definiens ſyncopen, dixit eam eſſe animi ſubitam interceptionem: dicitur autem lipothymia, quia deficit animus. eclyſis verò, id eſt diſſolutio virtutis.* Sed ad reliqua pergamus. Triplicem rationem ſtatuit Montanus vacuandi hominis vſque ad animi defectionem: prætermiſſa autem prima, ac tertia, de quibus mox dicam, profectò neſcio cogitatione ſatis aſſequi; quomodo illi in mentem venerit, poſſe quemquam vacuari vſque ad animi deliquium medicamentis lenientibus: neque aliud occurrit mihi animo quod dicam, niſi huiuſmodi excogitatam inuentionem fuiſſe in omni memoria prorſus inauditam, & quæ ſtare vllo modo nequit. Quæſo enim qui poteſt fieri, vt hiſce medicamentis leuiſſimis, & quæ benedicta appellant, deduci quiſpiam poſſit ad illam defectionem animi, quæ accidit propter ſummam vacuationem, & quam intellexere Hippocrates & Galenus? De febre ſynocho quam docet fieri ex ichoribus ſanguinis, & quam propterea tribus capitibus à Galeno propoſitis addendam cenſuit, plurima eſſent dicenda: ſed cum hæc longè abſint à noſtro inſtituto & cum publicè de his dicturi ſimus proprio loco de febre à ſanguine, ſtatim venio ad ſummam, atque enodationem totius principalis controuerſiæ. Fundamentum autem, quod à Montano præcipuè iactum eſt, vſque adeò eſt infirmum, vt totam corruere fabricam ſit neceſſe. Nemo etenim eſt, Græcam linguam vel mediocriter intelligens, & in ſcriptis Hippocratis, atque Galeni vel parum verſatus, qui neſciat duas voces φαρμακεύειν, & καθαίρειν vnam, eandemque rem prorſus ſignificare, id nimirum quod eſt medicamento purgante vti. Atque vt ne fruſtra quamplurimos colligam locos, quibus poſſem hoc ipſum nullo negotio confirmare, ſat fuerit vnicum proferre ex Galeno, qui expreſsè Montani commentum prodit. *Quæ ergo* (ille inquit) *in hac dictione dicuntur, catalogum habent*

4. de Rat. vic. Mor. Acut. 115. *eorum, qui vt medicationem recipiant, idonei non ſunt: καθαίρεσθαι autem & φαρμακεύεσθαι idem ſignificant, vt φαρμακεύειν, & καθαίρειν.* Quæ cum ita ſint, quis hunc viium non videt inconſideratè, ac ſua tantùm authoritate eam nominum differentiam ſibi finxiſſe, & ad ſuam cogitationem accommodaſſe? præterquàm quòd ille hac in re ſibi apertè contradicit: nam qoi paulò ante quamlibet euacuationem vſque ad animi defectionem multis nominibus improbauit, præter ſanguinis miſſionem, iam ſuimet oblitus docet eam fieri poſſe, ac debere eum medicamentis lenientibus, clyſteribus, iis quæ prouocant vomitum, ſudorem, lotium. Alia omitta errata, ex hoc vno loco facilè poſſent in medium proferri. quale eſt illud capitale de purgatione vſque ad ſyncopen in vehementiſſimis doloribus, colico, iſchiadico, & aliis id genus, qui pendent à materia frigida, & craſſa. Sed de his ſatis. Quæ quidem annotaſſe volui nullo morbo animi, ſed vnius veritatis ſtudio impulſus, ac propter eam præcipuè cauſam, vt quamplurimi, qui iſtum hominem methodi inuentorem, medicorum principem, alterum Gal. eſſe prædicant, atque illius placita, tanquam Delphica oracula, ſuſcipiunt, & admirantur, ſi fieri poteſt, aliquando reſipiſcant diſcántque veteribus bonis authoribus, in primis autem Hippocrati, & Galeno totos ſe dedere; neque alios præterea medicæ artis doctores ſibi quærant, niſi quatenus horum dogmata declarant, illuſtrant, & amplectuntur. Equidem non ignoro, quid Montani fautores, ac patroni protuenda, & amplificanda illius exiſtimatione profiteantur: nempe ab illo nihil fuiſſe conſultò editum, ſed omnia fuiſſe ab auditoribus excepta, & publicata. Quocirca aiunt vix fieri potuiſſe, quin multa in eius opera irrepſerint inchoata, impolita, adulterina, & à propriis ſuis dogmatibus aliena. Etſi autem negare nolo, Montani commentatios multò magis elaboratos, ac perfectos legi potuiſſe, ſi ſtudio fuiſſent ab eo caſtigati, & editi, nemo tamen iure mihi poteſt negare, quin doctrina, & dogmata ſint ipſius propria, ac legitima: quod planè teſtatur ſeries orationis, & ipſa res; teſtari quoque multi poſſunt, qui adhuc DEI beneficio ſuperſtites illius vocem audierunt. Sed quomodocumque ille huiuſmodi culpam ſuſtineat, de qua re nihil laboro, id mihi eſto ſatis, Montani opera eſſe referta non modò næuis quibuſdam, quæ pertinent ad ornamentum, diſpoſitionémque verborum, quod ad ſalutem hominis minimùm intereſt, ſedetiam multis præceptis, ac dogmatibus, quæ ſine magno Reipu. periculo in artem medicam nequeunt introduci. Atqui redeo ad rem. Ego quidem in ea ſum opinione, vt nullo pacto expediat, aut liceat tanto vti medicamento, quod hominem poſſit ad exanimationem deducere, cenſeóque talem vacuationis modum longè abſurdum eſſe, & ab omni ſana doctrina diſſentire. Quæ enim qua artificioſa coniectura, quo acri iudicio, qua tandem conſcientia audeat vel ſcientiſſimus, & exercitatiſſimus, & medicus propinare alicui medicamentum, quod animi defectionem afferat, quódque hoſce limites non excedat, atque vnà etiam animam ipſam non eiiciat? Quamobrem neque apud vllum probatum medicum puto aliquod extare præceptum, vel exemplum, quod tantam purgationem poſſit confirmare. Quod verò pertinet ad Hippocratem, & Galenum, ſentio, & loco ſuperiùs poſito, & vbicumque fit mentio de vacuatione vſque ad animi deliquium, illam duntaxat eos intelligere, quæ perficitur ſectione venæ. Verùm quid ad aduerſarios dicendum eſt: Generaliter Hip. docet ægros quandoque eſſe ducendos ad animi defectionem. Reſpondeo aphoriſmum duas partes continere, quarum prior verè generalis eſt, & omnia cõprehendit, quæcumque ex corpore pro-

ceduut

cedunt, quauis via, & quouis euacuationis genere procedant: altera autem eſt propria, & vnam complectitur ſanguinis miſſionem. Ac ſanè huiuſmodi ſenſum videtur confirmare Galeni interpretatio, quæ ita habet. *Quod poſtea ſubiungitur; atque vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, rectè quidem ab ipſo dictum eſt: ſed adiici oportuit vſus ſigna: quia verò ipſe prætermiſit, quandoquidem nos experientia, & ratione videmur inueniſſe diſpoſitiones, in quibus conuenit vſque ad animi defectionem vacuare, dicemus.* Ille ad ſummam tres affectus in medium profert, vt ſuprà vidimus, in quibus vtile eſt tantam moliri ſanguinis detractionem. Quippe ſi Galenus exiſtimaſſet de mente Hippocratis non ſola phlebotomia, ſed etiam purgatione huiuſmodi ſummam vacuationem fieri poſſe, vt ille prætermittens alteram partem, hunc aphoriſmum ieiunè, atque exiliter, vel potiùs perperam ſit interpretatus, fateamur neceſſe eſt. Philotheus quoque eiuſmodi expoſitionem confirmat iis verbis. *Deinde infert: atque vbi vſque ad animi defectum expedit ducere: Nunc tranſit à purgatione ad euacuationem, id eſt ſanguinis miſſionem.* His addo, Hippocratem nominatim docuiſſe ægrum ducendum eſſe ad animi deliquium ſectione venæ: nuſquam verò (ni fallor) id affirmaſſe de purgatione. Verùm difficilior ſcrupulus reſtat adhuc, qui me malè habet: verba nimirum Galeni, quæ liquidò videntur demonſtrare, nonnunquam ægrotos non ſolùm phlebotomia, ſed etiam purgatione ad animi defectionem ducendos eſſe. Cum ego diu, multúmque hanc rem cogitaſſem, cœpi ſuſpicari totum hunc locum fuiſſe deprauatum: ad quem modum frequenter legimus Galenum quoque verba Hipp. interpretari, ſi quando illa abſurditatem, & mendacium videntur continere: qui ſcribit multa reperiri in multis, & Hipp. & aliorum libris partim errata, partim addita partímque omiſſa præter authoris opinionem. Id quod facilè fieri poteſt, ac ſolet propter multas occaſiones, quæ ab eo referuntur cum aliis in locis, tum præcipuè 2. *comm. de iis, quæ in medic.* Nec ſanè ſine euidentibus coniecturis, & rationibus mihi videor duci ad id ſuſpicandum. Primùm iſtud decretum de purgatione vſque ad animi deliquium abhorret à decretis Hipp. & Gal. qui tantum abeſt, vt tam periculoſam vacuationem probent, vt illam maximè videantur deteſtari: quod mox videbimus. Deinde Galenus ſupplens, in quo defecerat Hipp. ſcribit ſe inueniſſe & ratione, & experientia affectus, in quibus expedit vacuare vſque ad animi defectionem, & tres enumerat, febres, inflammationes, dolores: atque id fortaſſe poterat ſatis eſſe: attamen quaſi noua adhuc explicatione opus foret, de febribus, & doloribus rurſum agit, prætermittit inflammationes; quod vix ſit veriſimile hominem diligentiſſimum fuiſſe facturum. Tum docet in doloribus diſtinguendum eſſe, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat. Sed cur non item docet in aliis duobus affectibus hunc ipſum delectum habere, ac potiſſimum in inflammationibus, quæ videntur cumprimis talem diſtinctionem expoſcere? Ad hæc lectio varia eſt apud veteres, & nouos interpretes, & apud eos, qui multa ex Galeno ad verbum ſolent transſcribere, vt iam notauimus. Demùm verò Galenus profitetur ſe demonſtraſſe in libro de Sectione venæ rationem diſtinguendi, quando ſanguinem mittere, & quando purgare oporteat vſque ad animi deliquium. Verùm ſi toti illi commentarij accuratè conſiderentur, ille de huiuſmodi re ne verbum quidem facit.

4. de Rat. vic. Mor. Ac. 74.

4. Ep. ſect. 1. 11 ſect. 283. 3. Ep. ſect. 2. apr. 19. & al. com. 23.

Quod vt planiùs fiat, operæ pretium fuerit, eos locos parumper conſiderare, in quibus pleríque aiunt huiuſmodi terminationem contineri. Sunt autem duo præcipui: alter in libro *de Rat. Cur. per Sang. Miſſ.* alter in libro *de Sect. Ven. Adu. Eraſiſtratum*, Itaque in priore erat Galeno propoſitum, tractare menſuram miſſionis ſanguinis, ac docere, quando ea fieri debeat partitè, & parcè, quando ſemel, & copioſè, vel vſque ad animi deliquium. Primùm autem ſtatuit illud vniuerſè, propter cuiuſque remedij quantitatem opera medica reddi coniecturalia, potiſſimùm verò id affirmat vſuuenire in medicamentis. *Nam quod laboranti* (inquit) *dandum ſit medicamentum aut bilem, tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut ſeroſum excrementum euacuans, exactè cognoſcimus aliquando: cæterùm quantum dari debeat, neſcimus. Atqui talis exhibito corrigi nullo modo poteſt: nam quod ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quominus omne deuoratum ſit, fieri non poteſt, neque poſſibile eſt, vbi plus quàm conuenit, purgetur homo, partem oblati auferre.* Hæc Galenus. Tum ſcribit in miſſione ſanguinis id ſummum eſſe commodum, quod eam poſſimus firmare, vel ſincere vt fluat, noſtro arbitratu. Deinceps quærens, ſi fortè eueniat, vt multa vacuatione ſit opus, vires autem ſint imbecilliores, quidnam facere expediat, reſpondet, vacuationem partiendam eſſe: quod ipſe in copia crudorum humorum ſpeciatim facere conſueuit: monſtratque modum, quo id commodè fieri poſſit. Poſt hæc docet miſſionem ſanguinis quandoque ſubitò, ac ſimul, vel vſque ad animi defectionem congruentem eſſe: poſitiſque nonnullis exemplis oſtendit, quando & quomodo ea fieri debeat aſſeuerans tale remedium plurima, ac maxima commoda ſecum afferre. Poſtremò in copioſa iſtiuſmodi miſſione ſanguinis, illóque etiamnum fluente admonet vtile admodum eſſe pulſuum diminutionibus animum aduertere, ne fortè pro animi defectione mors ſequatur: quod infortunium teſtatur ſuo tempore tribus medicis miſerè eueniſſe. Hæc ſumma eſt illius loci. In poſteriore erat item Galeno propoſitum aduerſùs illos diſputare, qui miſſionem ſanguinis oppugnabant hac in primis ratione, quòd illius mittendi certa quantitas ignoretur. Ergo illud primum fatetur, aut difficulter, aut nullo modo rerum omnium adeò certam, & exquiſitam menſuram teneri poſſe, vt ea nihil excedat, aut deficiat. Quamobrem ſi talis quidem valeret ratio, abſtinendum eſſet ab vſu omnium præſidiorum, immò etiam potuum, & ciborum: cum neque horum definitus, & omni ex parte accommodatus modus haberi vnquam poſſit. Deinde iis conſentiens, quæ alteri ſuperiori loco tradita fuerant, omni aſſeueratione affirmat, menſuram in ſectione venæ multò faciliùs, & certiùs reperiri, quàm in cæteris quibuslibet auxiliis: cum multa ſint, color partim fluentis ſanguinis, partim ægroti, impetus fluentis ſanguinis, mutatio pulſuum, nonnunquam animi defectio, & id genus alia, quæ ſatis illud poſſunt demonſtrare. Iis addit, medicum huius ſolius vacuationis ſiſtendæ, quandocumque illi placuerit, integram habere poteſtatem: ſiquidem prima adminiſtratio reliquorum præſidiorum in tua poteſtate eſt poſita; cætera autem fortuna adminiſtratrice contingunt: id quod vſu venit cum primis medicamentis purgantibus. *Et magnum* (inquit) *periculum eſt in purgantium medicamentorum menſura, vt vel non moueatur purgatio, vel non facilè excernatur, quod in aluum confluit, vel cum laboribus, morſibus, & tor-*

Cap. 7.

minibus

Digitized by Google

minibus, & refrigeratione, & pulſus priuatione, & animi defectu excernatur: vel ne totum corpus vehementer perturbetur, parum verò, aut præter modum excernatur. Hoc enim ipſum tanquam omnium malorum extremum, in parte frequenter contingere ſolet. Neque enim vt vena inciſa fluxum, quem ſuperimpoſito digito mox ſiſtes, ſic profluuium alui tibi ſiſtere licebit. Hactenus Galenus, ex noſtra interpretatione nonnihil teſtificatus. Ex his locis facilè vnuſquiſq; poteſt rei veritatem colligere, quam paulò ante nos indicauimus: namq; ex vna parte ſi miſſio ſanguinis quandocunque poteſt prohiberi, & produci noſtra voluntate: ſi facta vſque ad animi defectionem, multa, grandia, & certa beneficia ſolet ægrotantibus afferre; ſi multis modis, maximè autem pulſuum obſeruatione, licet opportunam ſanguinis mittendi quantitatem intelligere, & quoduis imminens periculum deuitare: contra verò ſi medicamenta purgantia inter cætera omnia vacuantia præſidia ſunt cumprimis incerta, adeò vt nulla eorum definita menſura haberi poſſit: ſi purgante medicamento ſemel exhibito, quæ ſequuntur deinceps ſunt valde coniecturalia, & fortuna dominatrice contingunt: ſi purgatio modum excedens, cúmque animi defectione eſt vehementer periculoſa: ſi demum nobis non licet ſupervacaneam purgationem ſiſtere, atque adeò multa, & ea grauiſſima diſcrimina declinare; iam ſatis poteſt cõſtare eam inſignem, & extremam vacuationem vſque ad animi deliquium, vna ſanguinis miſſione, minimè purgantibus medicamentis perficiendam eſſe. Verùm quid hæc pertinent ad docendam diſtinctionem, vt intelligatur, phlebotomia ne an purgatione ad defectum vſque animi vti conueniat? Qui generaliter docet purgantia medicamenta eſſe incerta, coniecturalia, periculoſa, omnémque extremam purgationem abhorret, quomodo poteſt diſtinctionem tradere, qua nonnunquam liceat dare medicamentum, quod ægrum deducat vſque ad animi defectionem? Res mihi videtur clarior, quàm vt indigeat longiori explicatione. Porrò ad experientiam, quæ obiicitur, demonſtrantem non ſolùm ſectione venæ, ſed etiam purgantibus medicamentis ægros incurrere in animi deliquium ſæpenumero, facilè poſſum reſpondere: nam tametſi id concedatur, quod alioquin eſt veriſſimum, ac multis exemplis confirmatur quotidie, iſtud nihil ad rem facit: neque enim quæritur, an dato medicamento ægri aliquando incidant in deliquium animi, cum talis exanimatio eueniat præter propoſitum medici, ac forte propter alias cauſas, quàm propter eam ſummam vacuationem, quam ſpeciatim intelligunt Hippocrates, & Galenus. Sed quæſtio eſt, num liceat conſulto dare medicamentum, quod extremam efficiat purgationem, & hominem deducat ad defectionem animi, quemadmodum licet conſulto id facere ſectione venæ. Ad iſtius loci difficilis explicationem, hæc qualiacunquè ſint, afferre volui, etſi longius, quàm mea voluntas ferat: non certè quòd ea mihi omni ex parte ſatisfaciant, ſed quòd nihil hactenus in mentem venerit, quod magis probare poſſim. Interea dum meliora occurrunt, libenter fatebor me eum non intelligere, ipſiuſmet Galeni præceptum grauiſſimum ſequutus, qui manifeſta etiam mendacia in libro viri ſapientis deprehenſa hac propemodum ratione ſolet excuſare.

6. Aph. com. 14. Cæterùm vt redeam tandem ad duas propoſitas vacuandi rationes, minoratiuam, atque eradicatiuam, vnicuique poteſt eſſe perſpicuum, temere aduerſarios talem diſtinctionem proferre: namque ſi res accuratè perpendatur parui omnino intereſſe putandum eſt, vtrùm integre, an parcè dentur purgantia medicamenta cum vtroque modo ex propria forma determinatos humores trahere poſſunt: Id quod vna Ariſtotelis ratione licet planè demonſtrare: Namque ille docet poten- *7. Phy. text. 36.* tiam dimidiam mouere pondus dimidium in eodem tempore, & per idem ſpatium, quo pondus duplum mouebatur à potentia dupla. Quocirca exempli gratia ſi rharbarbari drachmæ duæ purgant libram bilis, & rharbarbari drachma vna in eodem tempore purget ſelibram bilis, neceſſe eſt. Itaque nulli dubium eſſe debet, quin purgantia medicamenta, vel ſimplicia, vel compoſita ſemper trahant humorem peculiarem, dummodo tanta ſit eorum quantitas, quanta certè requiritur in quouis agente naturali, vt propriam formam, ac vim trahendi à tota ſubſtantia certi humoris conſeruare poſſit. Ac licet cumulatè nequeant purgare, non eſt tamen, quin humores moueant, permiſceant, perturbent, atque (vt ſemel dicam) quin eadem ferè incommoda, & pericula plerumque ſecum afferant, quæ data copioſius afferre conſueuerunt. Aduersùs illos, qui aſſeuerare non verentur, rhabarbarum, agaricum, ſcammonium, atque ex iis compoſita medicamenta leuiora eſſe, ac propemodum lenientia, dummodo lenientibus miſceantur, & parcè exhibeantur, ſatis demonſtrat Ariſtotelis ratio modo poſita; neque pluribus cum iis agendum eſt: quandoquidem iſtæc inanis opinio à communi omnium conſenſu ferè diſſentit, ſenſibúſque omnem fidem, & authoritatem detogat. Iam cætera proſequor. Qui rationem curandi conſtituunt duplicem, alteram ordinariam, ac liberam, alteram extraordinariam, & coactam; ſi illam intelligunt, quotieſcunque indicationes conueniunt inter ſe, vt nullo labore ſatisfacere eis poſſis; hanc contra, quando illæ ipſæ indicationes vehementer diſſentiunt, adeò, vt vni ſine repugnantia alterum ſatisfacere nequeas, rectè illi quidem, & ad Galeni mentem exempli gratia conſtat inter omnes, paulo ante acceſſionem, & in acceſſione febricitantes importunè, ac periculosè cibos aſſumere: veruntamen quandoque accidit, vt nonnullis vel in ipſo principio horroris non ſolùm ſine periculo, ſed maxima etiam cum vtilitate cogamur alimenta præbere propter eas cauſas, quæ præclarè à Galeno, & aliis medicis ſunt expoſitæ. Hanc nutriendi ægroti occaſionem coactam appellare cuilibet per me licet; *10 Meth. cap. 4.* quanquam nomen eſt inſolens, & à Gal. loquendi more alienum; neque illud futtaſſe eſt ſatis congruens. Namque huiuſmodi etiam præcepta, atque exempla ſingularia propriis legibus non ſunt deſtituta, quas communis methodus medendi nos docet. Quandoquidem Gal. iamdiu ſcriptum reliquit, vt ſuperiori diſputatione diximus, diſſentientibus inter ſe indicationibus, tunc perpendendam eſſe magnitudinem, dignitatémque ſcopotum indicantium, vt perpetuo illæ eligantur indicationes, quas ſcopi maiores, & digniores præſcribunt, cæteris non prorſus neglectis. Itaque hæc memoria repetens non inuitus fateberis non ſine ratione, ac methodo febricitantes nonnunquam paulo ante acceſſionem, & in ipſa acceſſione cibos aſſumere. Quod item de aliis repugnantibus indicationibus ſtatuendum eſt. At verò equidem puto iſtos homines longè aliter ſentire, & aliã rẽ cõminiſci: qui docent eiuſmodi curandi modum nulli ordini, ac methodo ſubiiciendum eſſe. Et quanquã illi quoque grauius aliquod periculum in medium proferunt, illud tamen ſibi fingunt eorũ arbitratu, & in multo grauiora, certioraque mala incurrunt ſæpenumero: præter quam quòd ea difficultas,

diſſenſióque indicationum non eſt perpetua, ac ſempiterna. Iſti autem propter humorum quantitatem, qualitatem, malignitatem, locum principem, aliáſque proprias imaginationes, ita frequenter purgantibus medicamentis coactè vtuntur, vt ſerui ſint in perpetuum, neque vnquam liberè agant. Qua quidem ratione ij profitentur, omnem ſe medendi methodum ignorare, cum adeò frequenter ſine methodo artem exerceant. Vtri autem maiora ſubeant diſcrimina, illíne, qui purgantia adminiſtrant medicamenta, an qui ab illis abſtinent in principio morborum, id iam ſatis monſtratum eſt, vt eandem in præſentia telam retexere non deceat.

Venio ad eos qui affirmant, naturam ſæpenumero non ſine vtilitate copioſas excretiones facere in principio morborum, multóſque ſine coctione à morbis fuiſſe liberatos. Ego verò, quod pertinet ad priorem partem, ita ſentio; tametſi vacuationes ſine coctione, vel ſua ſponte, vel ex arte factæ videantur, nonnunquam vtiles eſſe, illas tamen non eſſe dignas imitatione; cum maxima ex parte noxiæ, & periculoſæ eſſe ſoleant. Nam etſi quis contendat, ægros interdum iſtiuſmodi importunis vacuationibus liberari, non propterea ſtatuendum, eas commodas fuiſſe, & quas medicus debeat imitari: licet enim mortem non afferant, alia tamen incommoda inuehunt, quæ profectò non inueherent, ſi cum ſignis bonæ concoctionis factæ fuiſſent. Huiuſmodi autem incommoda præclarè deſcribuntur ab Hipp. quippe excretiones ante coctionem vel nullam afferunt criſim, vel malam vel dolores, & labores (quorum nomine mala omnia ſymptomata comprehendi poſſunt) aut morbi diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. *1. Epid. ſe. 2. 46.* Iſtud facilè demonſtrant ægri, quorum ſuperiùs facta eſt mentio. In Metone criſis intempeſtiua etiamſi non fuerit pernicioſa, grauia tamen ſymptomata intulit, vigilias, ac delirium, intuliſſétque adhuc recidiuam teſtimonio Hipp. & Gal. niſi crebro ſanguis poſt iudicium profluxiſſet. Herophon in tot periculoſa incurrit ſymptomata, vt Gal. ſcribat præter expectationem eum ſuperſtitem fuiſſe; præter quàm quòd die quartadecima recidiuam non potuit deuitare. Qui in Dealcis horto decumbebat omnia ſubiit incommoda, & pericula, præter interitum, ex quo etiam euaſit teſte Galen. propterea quia maximas habuit vires, quæ tot & tanta mala ſuſtinere potuerunt. Iſtud ipſum intelligere, & obſeruare facilè potuiſſet Manardus, & hoc tempore facilè poteſt ſi quis voluerit animum adhibere vel iis, quæ paſſim nos docent ſummi medici, vel iis, quæ experientia quotidiana confirmat vſu venire cunctis ægrotis, quicunque vel ſua ſponte, vel medicamentis habent excretiones ante humorum coctionem; Atque hinc, puto, licet nullo negotio reſpondere ad poſteriorem quoque opinionem aduerſarij, nempe ægrotos conualeſcere aliquando, ac ſanari ſine ſorij concoctione. Namque ſi nulla vacuatio cruda eſt ſalutaris; ſi coctio non eſt aliud, quàm naturæ victoria, ac dominatio in noxios humores, quod (ni fallor) ſatis probatum eſt, & à nemine poteſt negari, quî fieri poteſt, vt natura ſine victoria vincat, & ſine coctione morbum depellat? Hoc item præclarè nos docet Hipp. illo oraculo. *1. Epid. ſe. 2. 45. & 46.* *Concoctiones celeritatem iudicij, & ſecuritatem ſalubrem ſignificant.* Igitur quicunque affirmat, hominem ſine morbi coctione ſanari poſſe, hunc ego puto inducere notabilem repugnantiam. Sed eſt operæpretium verſari in iis parumper, quæ ex Lemoſin de hac re paulo ante obiecta ſunt. Præter exemplum Metonis, de quo non eſt vt longiùs agatur, alterum eſt exemplum, quod continet mirabilem præcognitionem imminentis criſis, in quo nihil pertinet ad rem noſtram, præter id, quod ſcribit Gal. vehementem ſanguinis fluxum expectandum fuiſſe, propterea quòd & naturæ impetus vehemens, & morbus crudus eſſet adhuc. Etenim cum ille nihil de genere morbi, nihil de illius exitu, ac termino ſcribat, qui aliam rem agebat, non ſatis intelligo, quomodo hinc Lemoſius colligat eum iuuenem, crudo etiam nunc perſeuerante morbo, ſanum repentè factum fuiſſe. Imò verò cum Gal. hoc ipſum prætermiſerit, hinc fit veriſimile, ad plures fortaſſe dies morbum fuiſſe productum: ſicuti euenit ſeruo laborante febre continente cum putredine, qui non ante diem ſeptimam integram habuit vrinæ coctionem, ſanitatemque eſt adeptus, tametſi illi protinus initio morbi ſanguis eſſet detractus vſque ad animi defectionem. Quòd ſi ille confeſtim morbi immunis factus fuiſſet, probabile eſt Gal. appetentem alioqui laudis, hanc ipſam quoque artis præſtantiam non fuiſſe prætermiſſurum, ſicuti eam non prætermiſit in altero libero adoleſcente palæſtræ perito, continuo ſecta vena à morbo liberato. Verùm concedatur hæc quoque ſubita morbi liberatio. Quid tum? Nonne conſtat apud Gal. ſalutarem nullum morbum eſſe, qui non principium, incrementum, ſtatum, ac declinationem percurrat? *De Tot. Mor. temp. c. 3. & al.* An fieri nequit, vt vno propemodum tempore poſt tam inſignem omnium humorum depoſitionem, natura cæteros moderetur, ſuperet, & concoquat? An fortè inauditum, nouúmque eſt, & ipſa experientia non ſæpe confirmat, vno interdum momento priora morbi tempora pertranſire, ac ſtatum ipſum quàm celerrimè aduentare? Mihi quidem vt videtur iſtud non ſolùm fieri poteſt, ſed vt ita fiat, eſt prorſus veriſimile, vel magis neceſſarium; quandoquidem (quod rurſum repeto) ſine coctione, integra, ac vera ſanitas eſſe non poteſt. Sed ad reliqua pergamus, Galen. *lib. 4. Aphoriſ. com. 22.* apertiſſimè, & planiſſimè de tota hac re propriam mentem explicauit, vt nihil planius, & apertius dici poſſit. Quam ſeriem ſuperiore loco poſitam ſuperuacaneum eſt in præſentia rurſum deſcribere. Atqui (inquit Lemoſius) ea verba decet intelligere, atque interpretari, ſi factam in principio morbi excretionem nulla ſequitur commoditas. Age verò, ſi quandiu (quæ ſunt ipſamet verba Gal.) à cauſis morbum facientibus grauatur natura, & humorum adeſt cruditas, fieri non poteſt omnino, tunc vt aliquid vacuetur vtiliter, quonam modo, te obſecro, talis vacuatio ſecum poteſt aliquam commoditatem afferre? Præterea huiuſmodi interpretatio mihi videtur meram continere nugationem, ac petitionem principij: nam quæritur an excretio ſine coctione ſit vtilis; ille reſpondet eſſe vtilem, ſi quod afferat emolumentum; inutilem, imò etiam quàm ſæpe exitialem, ſi non conferat. Itaque ille ſumit pro certis, atque conceſſis, quæ ſunt maximè dubia, & in controuerſia poſita: addo, quæ ſunt perſpicuè falſa. Sed iſtud aduertit Galenus. Contra verò ego certo ſcio, tantum abeſſe, vt Galenus hoc loco affirmet ex crudorum humorum vacuatione vel leuem commoditatem oriri, vt hoc ipſum pernegat conſtantiſſimè: id quod illa verborum ſeries ſatis demonſtrat, quæ eſt huiuſmodi: Qui procedunt morbi à concoctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum. Dixit enim multas violentas confeſtim vires deiicere: at quæ tales non ſunt, nihil iuuare. Nóſque hunc ipſum locum, tanquam maximè illuſtrem in principio

diſputationis poſuimus ad confirmandam veritatem veteris dogmatis, quod tuemur. Verùm quod ſupereſt perſequamur.

• *Sic etiam* (ille inquit) *vrinas coctas eſſe malas pronunciauit Hippocrates, quæ ſcilicet morbum non ſoluunt.* Hæc verba talem (puto) cogitationem explicant; ſicuti vacuatio per aluum ſine ſignis coctionis teſtimonio Galeni eſt inutilis, quotieſcunque eam non conſequitur aliquod commodum, ita vrinas concoctas, authore Hippocrate eſſe malas, ſi quando morbum non ſoluunt. Atqui facilè item poteſt probari neque vrinas coctas poſſe vllo vnquam tempore malas eſſe; neque hac in parte Lemoſium Hippocratis mentem fuiſſe aſſequutum; neque ſatis dogmata artis intellegere. Quod vt commodius fiat, mihi liceat iſtiuſmodi locum examinare, qui id facio eo libentius, quòd ille interpretis culpa videatur nonnihil obſcurus, ac facilè poſſit infirmioribus imponere, ſicuti impoſuit Lemoſio. Dictio Hippocratis eſt huiuſmodi. *Et vrina cocta mala.* Galenus in commento primum duplicem loci iſtius lectionem affert: alteram *οὖρα πέπονα, vrina cocta*, quam in multis exemplaribus ait inueniri: alteram *οὖρα ἐπίπονα, vrina laborioſa*, vel (ſi libet) *quæ cum dolore exeunt*, quam Rufos Epheſius veteres ſcripturas obſeruare conatus aduerſus Zeuxim exiſtimat veriorem. Deinde vtramque examinat, ac perpendit. Qui priorem lectionem recipiebant, nonnulla quidem abſurda pronunciabant, ſed tamen probabili quodam argumento niti videbantur. Cum enim Hippocrates doceat ſigna decretoria non decernentia aut lethalia eſſe, aut difficile facere iudicium, hinc colligebant vrinas coctas malas eſſe, quando morbum non ſoluunt, quippe quæ tunc ſint iudicatoria non iudicantia. Sed Galenus probabile iſtud argumentum ſtatim confutat, propterea quia ſigna coctionis ſunt longè diuerſa à ſignis iudicatoriis; arguítque illos medicos, qui ignorant apud Hippocratem ſigna indicatoria illa eſſe, quæ iudicium vel indicant, vel etiam faciunt; qualia multa ab eo numerantur: quæ quidem minimè firmam, ſtabilémque habent poteſtatem, ſed contraria nonnunquam & ſignificant, & faciunt pro diuerſis morborum temporibus: ſigna autem coctionis eſſe diuerſa à ſignis iudicatoriis: atque hæc perpetuo bona eſſe, ac celerem, certámque ſanitatem portendere. Hic porro ſenſus alioqui planus, & perſpicuus ab interprete obſcuratus, corruptúſque eſt, qui Græca verba, *τῶν δὲ ἄλλα τὰ τῆς πέψιος σημεῖα*, tranſtulit ad hunc modum: *Quorum alia coctionis ſigna exiſtunt.* Qua quidem interpretatione videtur ſignificare nonnulla ſigna decretoria eſſe ſigna coctionis. Cum verè ſic eſſent transferenda: *Ab his autem diuerſa coctionis ſigna exiſtunt.* Iure igitur Galenus poſteriorem lectionem amplectitur; quod etiam confirmat proximo ſequenti commentario. Et quanquam iſtæc ſatis debent eſſe ad hanc rem, tamen adhuc mihi libet aliud Galeni teſtimonium adiungere, quod hanc lectionem, & doctrinam poteſt confirmare:
3. Prorrh. 10. Cum enim author huiuſce libri rurſum poſterius quorumdam lethalium ſymptomatum mentionem faciat cum vrinis coctis, Galenus talem ſententiam non recipit, qui affirmat prorſus falſum eſſe, ac fieri non poſſe, vt eiuſmodi vrinæ al quod malum portendant. Itaque concludit, aut legendum eſſe pro vrinis coctis, vrinas laborioſas, vt in præſenti loco, aut hunc authorem vrinas verè coctas non ſatis cognouiſſe. Opportuniùs ſanè Lemoſius ad ſuam ſtabiliendam opinionem afferre potuiſſet Galeni authoritatem, qui ſcriptum reliquit in febre peſtilenti vrinam colore, & ſedimento ſimilem eſſe naturali. Sed fortè intellexit, eo loco Galenum minimè de omnibus peſtilentibus, verùm de vna febre hectica peſtilente ſermonem habere: in qua corpore cordis putredine infecto, 3. de præſ. ex pulſib. c. 4.
non ſine ratione lotia fuerant veluti ſanorum, cum illa ſint iudicium humorum in venis contentorum, quos certum eſt non fuiſſe tunc putredine infectos. Sed ad hanc rem plus quàm ſatis.
Colligo igitur aduersùs Lemoſium, cæteróſque Cap. 5.
omnes, qui coctiones negligunt, & cruditatibus fauent, nullam vacuationem ſine coctione eſſe vtilem, & imitatione dignam: nullum ægrotum ſine coctione conualuiſſe: generaliter ſigna coctionis inſigni hac prærogatiua eſſe prædita, vt quandocunque appareant, in perpetuum bona ſint, ſtabilia, fidelia, nec fallere vnquam poſſint. Quòd ſi tandem quis nouitius de hac re plura cupit intelligere, ac potiſſimùm quantum differant ſigna decretoria, & ſigna coctionis, & cruditatis, is adeat Galenum, qui tum aliis in locis, tum maximè libro primo de Criſibus de huiuſmodi ſignis pleniſſimam facit diſputationem.

De Manardo hactenus, atque iis, qui vniuersè falſo opinantur ante humorum coctionem danda eſſe medicamenta. Nunc reſtat ex inſtituto noſtro ordine, vt ſingulares quaſdam aliorum opiniones proferamus, quæ certis quibuſdam terminis aſtringuntur, ac ferè (vt diximus) ex communi ſuperiori opinione originem habent. Primùm ſunt in ea ſententia medici quidem præclariſſimi, vt in principio morborum liceat vti medicamentis, ſolis exceptis febribus, quibus curandis aiunt coctionem ſemper expectandam, adeóque decretum Hippocratis religioſè cuſtodiendum eſſe. Hanc opinionem multis argumentis conantur confirmare: quorum ſumma illa eſt Quòd febribus quaſi perpetuo coniunguntur obſtructiones; propter quas febrientes homines multo minus, quàm cæteri ſunt ad purgationem præparati: quod purgantia medicamenta ſuapte natura calidiora febrem adhuc magis augere, atque accendere poſſunt: quòd cuncta incommoda, & pericula, quæ medicamenta ſolent afferre, non ita facilè in iis, qui febricitant, ſicuti in cæteris emendari, & corrigi poſſunt. Vnde affirmant Galenum initio quorundam morborum purgantibus medicamentis vti nonnunquam, initio febrium nunquam: quinetiam, vt nonnullis placet, neque deinceps apparente coctione, vna excepta febre quartana. Namque vir grauiſſimus ſingulari quadam, ac diſtincta prærogatiua ex omnibus morbis videtur ſolas febres excepiſſe, exiſtimaſséque in illis medicamentorum vſum ſemper eſſe incommodum, & periculoſum. *Vbi igitur* (inquit) *non ſolùm acutus mor-* 2. de Rat. vi. Mor. Ac. 11.
bus fuerit, ſed etiam cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, à quo magna ægro impendent pericula, quæ non facilè, vt in iis, qui non febricitant, emendantur. Et iterum. *Quemadmodum ſi magna bilis copia in* adu. Iulian. cap. 7.
corpore continetur, ſæpius facile eſt, dummodo febris abſit, eam vacuare, ſic cum homo acuta febre correptus fuerit, difficillimum id redditur. Neque enim licuerit abſque periculo tunc vti purgante medicamento. Ad eundem modum de pituita, & ſeroſis excrementis ſtatuendum. Sic Hippocratis. *Quicunque* (ait) *à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare oportet, donec remiſerit febris: ſin minus ſaltem non intra quatuordecim dies. Carnes enim ipſorum & ventres, cum calidi ſint, medicamentum abſumunt & nihil purgantur & febris maior fit, &c.* Sic Celſus, & alij inſignes medici in morbis ſine febre videntur quoquomodo medicamenti vſum probare, contrà in febribus

illius adminiſtrationem deteſtari. Verùm enimuero etſi non ignoramus hæc magna ex parte verè, & ad Galen. mentem dici, nihilominus huiuſmodi opinionem recipere non poſſumus: cum methodus ac doctrina ab Hippoc. Galenoque tradita ſit generalis, omnéſque morbos complectatur: Itaq; argumenta hac de re poſita non ſolùm ad febres, ſed ad alios quoque morbos ſine dubio pertinent: quanquam inficias eundum non eſt, nobíſque hac in parte conuenit cum authoribus iſtius ſententiæ, longè minus initio febrium, quàm cæterorum morborum medicamenta conuenire.

Deinde ſunt alij, qui diuidentes humores in duo genera; in quorum altero ponunt craſſos, & frigidos, in altero tenues, & calidos, cenſent illos nunquam ſine coctione, hos contra, etſi illa abeſt, purgandos eſſe. Namque ſi humores tunc præcipuè præparantur, & concoquuntur, ex diſciplina Hipp. & Gal. quando corpora fiunt fluida, atque id maximè cum meatus anguſti aperiuntur, craſſi humores extenuantur, & inciduntur, iam palam poteſt eſſe, humores, quicunque ſuapte natura ſunt tenues, nulla amplius indigere præparatione: ſatiſque eſſe aptos ad purgationem, quòd ita facillimè trahenti obediant medicamento, atque è corpore ducantur. Quocirca Gal. in ſolis fermè humoribus craſſis videtur concoctionem deſiderare

Cap 5.

libro 4 *de Tuend. Valet.* Quo loco ita Hipp. aphoriſmum exponit, quaſi ille ſolos humores craſſos, minimè tenues complectatur. *Deiectio* (inquit) *in talibus tormina, & roſiones creat, animique deliquia, cum eo, quod nec notatu quippiam dignum educit, quando crudi omnes ſucci pigri, atque ad motum inepti propter craſſitudinem, frigiditatémque ſunt: quo fit, vt etiam omnes anguſtas vias obſtruant, per quas id, quod medicamentum deiicit, ferri ad aluum debeat. Itaque nec ipſi educuntur, & aliis ſunt impedimento. Id quod ſanè Hipp. illo oraculo præcauit, quo breuiſsimè præcipit, concocta purganda eſſe, non cruda.* Ille hactenus, qui hanc eandem ſententiam, imò eadem planè habet verba 2. *de Humoribus com.* 15. Eadem fortaſſe ratione de nimiis purgationibus ſermonem habens, ſibi ipſe conſentiens teſtatur ducto primùm humore, qui medicamento eſt maximè congruens, mox alios, aut citius, aut tardius purgari, vt ſunt illi vel craſſiores, vel tenuiores. His addunt nonnulli, tenues humores propter hanc ipſam mobilitatis facilitatem, & procliuitatem non iniuria turgentes dici poſſe, affirmantes hanc fuiſſe quoque mentem Galeni, qui ſcriptum reliquit, in febre tertiana putreſcentes humores ſine dubio tenuiores diuerſas partes petere, adeóque per vomitum, ſudorem, lotium, & aluum purgari ſæpenumero. Atque hanc quidem opinionem videtur inter cæteros habuiſſe Auerroës, cui placet propter hanc præcipuam cauſam in principio morborum acutorum purgandum eſſe, quoniam ferè illi pendent ex humoribus tenuibus, quaſi turgeant, ac ſecum ipſi eadem pericula ferant, quæ ſolent de turgentibus imminere. Sed Galenum poſtremo adhuc afferunt hoc ipſum planè aſſeuerantem. *Inter initia* (ille inquit) *tenues, & ſeroſos humores euacuabis; vbi craſsi, & tenaces fuerint, quales ſuapte natura ſunt pituita, & nigra bilis, concoctionem expectabis.* Et iterum; *Sæpe iam diximus, vt humores corporis calidiores, tenuioréſque paratiſsimi ſint ad excretionem: crudis verò, & craſsis aut per abſceſſum, aut per coctionem natura medeatur.* Sic frequenter apud eum legimus vacuationem flauæ bilis facilem, pituitæ, atque illius potiſſimùm, quæ craſſior eſt, itémque nigræ bilis eſſe difficiliorem. At verò quanquam ſcio viros doctiſſimos eſſe in hac opinione, vel

3. de Simpl. Med. Facult. c. 27. & 28.

2. de Cri. cap. 3.

2. coll. c. 9.

lib. Quos, Quando, &c.

3. Progn. com. 23.

qui Galeni doctrinam libenti animo profitentur, mihi quidem non conuenit cum illis, qui exiſtimo noſtrum vel potius Hippocratis, & Galeni decretum generale eſſe, omnéſque humores, ſicuti omnes morbos amplecti. Quæſo enim reſpondeat aduerſarius; quando viri prudentiſſimi ſtatuunt concocta purganda eſſe, non cruda, an excipiunt humores tenues? minimè: ſed vnos excludunt humores turgentes, qui fortè minori cum periculo prætermitti potuiſſent, cum frequentiſſimè ex tenuibus oriantur morbi acuti, & periculoſi; rarò autem fiat, vt alteri turgeant. An huiuſmodi morbi ex humoribus tenuibus oriundi carent principio? An criſim in iis ſalubrem licet ſperare, quam non præceſſerint ſigna coctionis? An non tradit Galenus in eryſipelate, febre tertiana, morbo regio, & aliis morbis ex bile oriundis perpetuo coctionem expectandam eſſe? Ex multis vnus locus prorſus notabilis mihi ſufficiat. *Ducat ad me aliquis* (ille inquit) *quempiam ſine febre, cui in vniuerſum corpus amara bile redundarit, ſpectéſque poſt aliquot dies, cum hominem præparauero, mihique iam tempus inſtare viſum fuerit exhibendi medicamenti alicuius, quod bilem expurget, quo naturalem corporis habitum reſtituam, &c.* Superiùs quoque locum attulimus *ex lib. 4. de Rat. Vict.* vbi ille author ſcriptum reliquit, in febre ardente dandum eſſe quarta die medicamentum; vidimúſque eam determinationem non probari Galeno, qui apertè docet huiuſmodi iudicium eſſe faciendum ſecundùm mentem Aphoriſmorum, adróque humores eſſe purgandos non die quarta, ſed in principio morbi ſi turgeant, vel deinceps expectata coctione, ſi quieſcant. Quippe niſi licet in febre ardente, ſine controuerſia morbo acuto, & periculoſo, ante coctionem purgante medicamento humores vacuare, quos conſtar eſſe tenues, dummodo non turgeant, iure eſt concludendum ex vetere diſciplina illos nunquam poſſe opportunè, & vtiliter purgari. Poſtremo ſi cuncti humores ſunt crudi, vt ſuperiùs monſtrauimus, quicunque à natura non ſunt euicti, ac domiti, cur non bilem quoque appellemus crudam, quæ ſæpenumero, vt Galeni verbis vtar, male olens, & acris eſt, hominémque exurit, ac magnum naturæ negocium faceſſit? Si quæ præterea nobile aliquod teſtimonium deſideras, en Galenus, qui vniuerſè tenues humores perſpicuè confirmat eſſe crudos. *Dicimus* (ille ait) *de humoribus, qui tenues conſiſtentia ſunt, omnes eſſe crudos, ac vt coquantur, robuſtam naturam deſiderare.* Itaque (vt ſemel dicam) ſi quidem humores non ſolùm craſſi, verùm etiam tenues crudi ſunt initio morborum, non iniuria mihi videor poſſe affirmare, vtroſque non ante eorum coctionem purgandos eſſe. Non hic longiùs perſequor eam diſputationem, de qua nonnulli acriter digladiantur: an tenues humores, ac generaliter omnia, dum coquuntur, craſſiora euadant, cum vix ad noſtrum inſtitutum pertineat; ſed ad alia quæ reſtant, progredior. Reſtat autem, vt ea diluamus, quæ ab aduerſariis obiiciuntur.

De Purg. Med. fac. cap. 2.

2. de Vict. Rat. Mor. Acut. 44.

8. de Comp. Med. loc. 7.

1. Epi. ſe. 1. com. 25.

Primùm verò omnium illud non inuiti fatemur, tenuitatem humorum magnopere eſſe aptam, craſſitiem contra eſſe ineptam ad purgationes. Hoc exiſtimamus Galenum docuiſſe locis omnibus, qui ſuprà ſunt poſiti, vel aliis, qui id genus multi apud eum reperiuntur. Hoc ipſum demonſtrat ratio, & confirmat experientia. Quare ſi humores tenues fuerint, non illos contendimus ea ratione coquendos eſſe, ſed aliis nominibus, nimirum vt omni ex parte ſubacti, ac domiti naturæ magis obſequentes reddantur. Id quod fiet Galeni

exemplo,

exemplo, ſi bilis, quæ cruda admodum, flaua, acris, & malè olens exiſtit, pallidior, placidior, ac minimùm malè olens reddatur. Quòd ſi qui fuerint humores tenues, cum quibus nulla ſit in corpore obſtructio, vel adſtrictio, & qui aliis prætetea modis à naturæ gubernatione non ſint alieni, hos ego quidem non crudos, ſed coctos iam non verebor appellare, neque ibo inficias, quin protinus purgari poſſint, Gal. ergo *lib. 4. de Tuen. Valet.* interpretatur aphoriſmum [*Concocta medicari,*] de humoribus tantùm craſſis, quoniam de iis eo loco ſermonem inſtituerat. An non igitur ille pertinet ad humores tenues? An non Gal. aliis in locis, quos ſuprà notauimus, interpretatur, & accommodat hunc ipſum aphoriſmum ad humores etiam tenues? An pariter quoniam Gal. alicubi aphoriſmum refert ad ſolos humores tenues, ille non eſt referendus ad craſſos? non arbitror. Nam quemadmodum ferebat occaſio, ille eiuſmodi aphoriſmum interpretari, ac referre ſolitus fuerat, modò ad craſſos, modò ad tenues humores, modò ad acutos, modò ad diuturnos morbos; vt aſſeuerandum ſit omnino hanc methodum purgandorum corporum generalem eſſe, omnéſque humores, & omnes morbos amplecti.

Eorum opinio, qui exiſtimant, humores tenues eſſe turgentes, adeo mihi videtur abſurda, vt vix confutationis indigeat, Ac profectò non ſatis mirari poſſum quomodo viri quidam celeberrimi nominis huiuſmodi opinionem ſequantur ex quibus eſt Valleriola, qui poſt longam diſputationis ſeriem, tandem concludit humores tenues in principio morborum purgandos eſſe, tum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, quòd illi turgeant. Hæc illius ſunt verba. *Conſtat hic de mente Galeni, quinam ante coctionem purgandi humores ſint & qui expectata prius coctione. Quod ſi quis obiiciat tenues omnes humores crudos eſſe, vt ſuprà ex Galeno de mente Hippocratis id affirmantis attulimus, cruda autem non eſſe mouenda, vt Hippocrates iuſsit, bilis autem ſuapte natura tenuis eſt, ſequitur ipſam ante coctionem nunquam mouendam. Cui obiectioni ſic reſponſum volumus, vt dicamus, cruda quidem ex Hippocratis decreto non ante coctionem purganda, niſi tamen turgeant, Ac verum quoniam bilis tum, quum valde tenuis eſt, malè olens, acris, & mordax, tum turgere maximè ſolet (vt in ardentibus febribus, exquiſitis tertianis, phrenitide biliosa, & huiuſmodi affectibus accidere conſueuit) etiamſi cruda ſit, ob id profectò vacuandam confeſtim eſſe.* Valleriola hactenus. Quòd ſi ita ſe res habet, quomodo Hippoc. & Gal. prædicant tarò humores eſſe turgentes? Quomodo in morbis acutis, qui maiori ex parte de tenuibus humoribus oriũtur; tradunt raro medicamentis purgantibus vtendum eſſe? Quomodo bilem, quam Valleriola turgentem appellat, cum flaua eſt, acris, mordax, & malè olens, Gal. crudam nominat, contenditque ad purgationem eſſe ineptam? Quòd ſi in febribus ardentibus, tertianis exquiſitis, phrenitide bilis turget, quamobrem Galen. in hiſce morbis non ſtatim docet medicamenta eſſe exhibenda? Qui ait in cauſo minimè die quarta purgandum eſſe, ſed iuxta Aphoriſmorum determinationem, vel ſtatim in principio ſi humores turgeant, vel deinceps, quando illi fuerint concocti? Qui iubet in tertiana exquiſita ne abſinthium quidem ante illius coctionem eſſe exhibendum? Qui in phrenitide verbum prorſus nullum faciens de purgatione protinus aggreditur ſanguinis miſſionem? Iſtæc dogmata (Lector) ſunt non modò abſurda, ſed etiam pernicioſa, vt ſi quis fidem illis adhibeat, plurimos certè homines temerè ſit interfecturus.

Com. in lib. de Conſt. Art. Med.

Errata in omnibus artibus, ac diſciplinis turpia ſunt; ſed in cæteris omnibus, & in aliis quoque artis medicæ partibus licuit aliquando ludere, atque ingenium exercere. Verùm illa in parte, quæ in actione verſatur, vnde hominis ſalus, vel interitus maximè pendet, piaculum nos arbitramur non illa grauiter, ac perpetuo tractare, amplecti, docere, quæ præclarè à veteribus, Hipp. in primis, & Galeno iamdiu poſita, & conſtituta ſunt. Sed ad me redeo.

Quod ad Auerroëm pertinet, qui docet in principio morborum acutorum nunquam non exhibenda eſſe medicamenta, propterea quia illi pendeant ex humoribus tenuibus, ego longè maiorem adhibeo fidem vnis Hippocrati, & Galeno docentibus, in morbis acutis raro, & in principiis medicamentis purgantibus vtendum eſſe, quàm Auerroi, vel aliis mille. Neque enim huiuſmodi ſententiæ ſimul cohærere, & conuenire poſſunt. Hic ſemper initiò morborum acutorum purgationem probat: illi raro, atque id cum multa prouidentia. Sed raro, ac ſemper ſimul ſtare nequeunt. Si quis velit Auerroëm imitari, ab Hippocrate, & Galeno deſciſcere, ipſe viderit.

Venio ad locum Gal. ex libro petitum, *Quot, quando, &c.* Qui quidem videtur non leuem difficultatem continere, ac præ cæteris aduerſariam ſententiam confirmare. Non ignoro eſſe hodie viros doctiſſimos, qui cum propter alias coniecturas, tum maximè propter huiuſmodi ſententiam hunc libellum inter Galeni commentarios non recipiunt. Atque hanc ſuſpicionem illud quoque videtur, efficere, quòd ille in veteri interpretatione ferè ex dimidia parte ſit mutilus, ac peculiariter in eo ſententia iſtæc controuerſia deſideretur. Itaque exiſtimant libellum eſſe Oribaſij nempe cap. 23. & 24. collect. Medic. ad Iulian. Imperat. apud quem inſuper hæc ipſa legitur ſententia penè ad verbum libro primo Synops. cap. 16. Veruntamen vtcunque hæc ſe res habeat, ſiue liber ſit mancus, ſiue integer, ſiue Galen. ſiue Oribaſij ex Gal. tranſcribentis, de quo alij iudicium faciant, puto ego huiuſmodi ſententiam commodam interpretationem habere: quæ quidem, vt ne id ſilentio prætermittatur, eiſdem planè verbis habetur apud Galen. 1. *de Humoribus com.* 2. Franciſcus Caſſanus, cuius paulo ſupra mentionem fecimus, hunc locum exiſtimat eſſe depravatum: qui pro verbis *inter initia,* legendum putat *ante initia*, vt talis ſit ſenſus, *Ante initia morbi.* Quando homo adhuc non laborat, adeóque ad illius præſeruationem, tenues humores purgandos eſſe, minimè craſſos, qui non ita facilè deducuntur. Atque hanc cogitationem videntur confirmare partim Græcus contextus, qui habet ἐν ἀρχῇ, *in principio*, prætermiſſa voce νοσήματος *morbi*, quæ temere addita eſt ab interprete; partim quæ ſtatim vix quatuor interpoſitis lineis ſubiiciuntur ad hunc modum *In iis autem, qui iam ægrotant, ſi diuturnus futurus eſt morbus, expectanda ſemper erit concoctio; ſin breui ſoluendus, inter initia, ſi modò à concitatis pendeat humoribus, purgare licet: quanquam & iſtud magna cum animaduerſione faciendum, &c.* Etenim ſi vtrobique Gal. de ægrotante corpore loquitur, vix ille ſibi ipſe videtur conuenire: qui prius docet, humores tenues promiſcuè eſſe purgandos in principio morbi: mox tradit humores generaliter hoc ipſo tempore non aliter educendos, ſi turgeant: quippe hæc inter ſe cohærere nequeunt. Verum enim verò cum Græcè legatur ἐν ἀρχῇ *in principio*, atque hæc eadem lectio, vt modò notauimus eiſdem verbis quatuor

locis habeatur, bis apud Gal. bis apud Oribaſium, addo & apud Aëtium, neque ita licenter codices debeant mutari, nos vndiq; huiuſmodi ſententiam Lib. 3. c. 24. non poſſumus probare. Sed neque id fortè ſatis conſtat, Gal haud loqui de corpore ægrotante, qui ſtatim, ſimúlque interſerit multa, paroxyſmos, vacuationes ſpontaneas, dies criticos, & alia quæ præſentem morbum manifeſtè demonſtrant. Ac poſtremo, quamuis iſtud quoque concedatur, memoria eſt repetendum, Gal. quandoque interpretatum fuiſſe aphoriſmum, *Concocta medicari*, & ac- 4. de Tuen. Val. 4. commodaſſe iſtud decretum de purgandis humoribus duntaxat concoctis ad corpora non ſolùm ægrota, ſed etiam ſana: id quod ratione quoque confirmat, & ex iis, quæ iam diximus, vnicuique ſatis manifeſtum eſſe poteſt.

Reſpondent quamplurimi, humores tenues ſtatim purgandos eſſe, quotieſcunque turgent, & ita Gal. ſentire, quoniam tales ſæpe turgent. Sed reuera ſolutio eſt voluntaria, & inepta; ſiquidem Gal. ibi nullam turgentis ſucci mentionem facit: præter quàm quòd, cum loquatur de humoribus tenuibus, & aqueis, veriſimile eſt, tardò admodum eos turgere, cum frigidi ſint, & ad illam furioſam motionem inepti. Alij putant humores tenues in principio morbi ducendos eſſe, non iis medicamentis, quæ aluum deiiciunt, ſed iis, quæ lotium prouocant, quorum adminiſtratio tunc non videtur importuna. Verùm huiuſmodi quoque interpretatio cenſenda eſt longè à Galen. mente aliena: cui toto hoc commentatiolo præcipuum fuerat propoſitum, quod maximè titulus oſtendit, agere de medicamentis purgantibus, de quibus & hoc in loco loquitur ſine dubio: præter quàm quod neque iſtud fortaſſe omni ex parte eſt congruens cæteris Gal. dogmatibus, quæ in principio morborum non ita videntur diuretica medicamenta indifferenter probare.

Antonius demum Francanzanus Vicentinus meus præceptor, vir præclara eruditione, ac ſingulari iudicio, qui & in hac eadem Schola, & Bononiæ multos annos artem medicam profeſſus eſt honorificentiſſimè, itémque alij nonnulli viri docti hunc modum expediunt, diſtinguentes humores tenues bifariam: quorum alteri ſint tenues ſimpliciter, qualis præcipuè eſt flaua bilis: alteri tenues ſimul, ac ſeroſi, quales reperiuntur in hydrope aſcite. Ergo aiunt in principio morborum purgandos eſſe humores, minimè tenues ſimpliciter, qui crudi ſunt, coctionémque deſiderant; ſed te- 5. de Vſ. par. c. 6. nues vnà, & ſeroſos, qui (vt Gal. eſt author) cæteris omnibus ſunt tenuiores, & qui eam ferè coctioné iam videntur eſſe conſequuti, quam conſequi, vel arte, vel natura poſſunt, vt nullam præterea nobis liceat illorum coctionem expectare; ſicuti ſero euenit, quod ſeparatum ab aliis partibus lactis, non poteſt amplius concreſcere; vel potius aquæ, cui tales humores propemodum aſſimilantur, quam conſtat coctione aliam formam ſuſcipere non poſſe. Ac ſanè ego in hanc ſententiam venio libenter: qui ſoleo mirari, fuiſſe viros doctos, qui cenſuerint eum locum tam inſignem difficultatem continere, vt tot commentis opus fuerit. Scribit Gal. in principio tenues, ac ſeroſos humores euacuandos eſſe. Quæro nunc vtrùm de vno humorum genere loquatur, an de pluribus. Cæteri omnes putant eum ſermonem habere de pluribus, ac potiſſimum de duobus, nempè bilioſis, & ſeroſis. De ſeroſis non eſt dubium, cum nominatim proferantur; bilioſos itaque vt per tenues intelligat, neceſſe eſt. Verùm ſi ita ſe res habet, & bilioſi humores à ſeroſis diuerſi ſunt, vtique & ſeroſi à tenuibus erunt diuerſi, quod abſurdiſſimum eſt. Præterea ſi tam ſeroſi, quàm bilioſi tenues ſunt, quamobrem ſeroſos nominat expreſsè, bilioſos ſignificat per accidens commune vtriſque? An fortaſſe tales dicuntur per excellentiam, quod reliquos tenuitate ſuperent? Atqui hoc falſum eſt teſtimonio & ſenſuum, & Galen. qui affirmat, vt modò notauimus, excrementum ſeroſum eſſe omnium tenuiſſimum, melancholicum, craſſiſſimum, conſtituítque bilioſum mediũ inter vtrumq; De- 5. de Vſu. Part. c. 6. mum ſi Gal. per tenues humores bilioſos intelligit iam ille ſibi ipſe repugnat neceſſario, qui paſſim teſtatur, quod puto ſatis comprobaſſe, bilioſos humores nunquam ſine coctione purgandos eſſe. Sed illud addo, haud ſemel Gal. bilioſos humores à tenuibus, & ſeroſis diſtinguere, & ſeparare: quod locus ille demonſtrat apertiſſimè, in quo ſcribit, ſciendum eſſe, nunquid aquoſa, & tenuia, vacuare melius ſit, an ſuccum pituitoſum, an bi- 6. Epi. ſe 2. 32. lioſum, an melancholicum, &c. Quamobrem habendum eſt pro comperto, mea quidem ſententia, Gal. hoc loco de vno tantùm genere humorum ſermonem habere, hoc eſt de ſeroſis, ac docere tenues humores in principio vacuandos eſſe, dummodo fuerint ſeroſi: ſin verò tales non fuerint, nequaquam. Quòd ſi quis rurſum quærat, an ſine coctione liceat ſeroſos humores ſtatim purgare, quæ certè æquior dubitatio poteſt videri, puto ad hunc pariter ſine multo negotio reſponderi poſſe. Nam cum opportuna purgatio duo potiſſimùm requirat, authoribus Hipp. & Gal. meatus apertos, & humores inciſos, atque extenuatos, ſi qui ſunt craſſi & glutinoſi, cum ſeroſi humores nec craſſi, nec glutinoſi ſint, ſed tenues, ac fluidi, ſatis patere poteſt, eos nullius præparationis indigere, ac per conſequentiam poſſe, imò debere protinus euacuari. Sed ille ſtatim obſiciat, hoſce humores vnam tantùm habere conditionem, nempe tenuitatem; alteram deeſſe, apertionem viarum: itaque illos eſſe adhuc ineptos ad purgationem. Licet autem facilè reſpondere, ſi iſtud eueniat, ſine dubio ita eſſe ſtatuendum, obſtructóſque meatus antea reſerandos, quàm ſeroſi humores vacuentur. Verùm tunc non ſoli aderunt humores ſeroſi, ſed fortè etiam craſſi, qui obſtruunt. At verò ponendum eſt vnos ſeroſos humores redundare, nullúmque eſſe præterea impedimentum, quo minus purgari poſſint: ſiquidem Gal. hoc loco vniuerſales tantùm quaſdam regulas deſcribit ad humorum vacuationem accommodatas; quibus aliæ deinceps multæ coniungendæ ſunt diſtinctiones, quæ totum iſtud negotium bene conficiunt: quas quidem vnuſquiſque ex variis Gal. locis, ac præſertim ex libro de Conſt. Art. Med. ſibi facilè poteſt comparare. Colligo igitur, ſeroſos humores, quatenus ad eos pertinet, nulla egere præparatione, ac ſine mora in principio vacuandos eſſe: contra craſſorum, & tenacium, quales ſuapte natura ſunt pituita, & nigra bilis, coctionem perpetuo expectandam eſſe. Atque hinc fit, vt credam eiuſmodi locum non eſſe adeò difficilem, vt multi opinantur. Si qua ſuperſunt pro hac opinione, ex iis, quæ diximus hactenus, non difficile eſt ad omnia reſpondere, vt ſuperuacaneum ſit nos in ea refellenda longius commorari.

Tertio loco ſuccedit eorum opinio, qui recipiunt vſum medicamentorum in principio morbi, quotieſcunque illi propoſitum habent reuellere, non vacuare duntaxat. Namque ij ſtatuunt, duplicem eſſe purgandorum corporum præcipuam rationem: alteram, vt ducatur humor noxius, quíque laborantem locum occupat: alteram vt reuellatur humor fluens, quíque morbum facturus eſt. Huiuſmodi ſententiæ ſunt authores,

ac

ac fautores viri quidam celeberrimi: inter quos Trincauellius obtinet principatum, qui tũ aliis in locis ſuorum commentariorum, tum in peculiari Quæſtione hæc habet, *Id in primis animaduertendum eſt, duplicem eſſe ſcopum, quem ſibi medicus in purgando proponit: aliquando enim vt humorem, qui iam moleſtus, & morbum facit, euacuet: aliquando verò vt eum, qui ad morboſum locum, aut ad aliquod principale membrum defluent, morbum ipſum auget, vel etiam eum, quem timet ne defluat, euacuando reuellat. Quatenus ad primum ſcopum attinet, medicus nunquam poteſt initiis morborum ante coctionem humoris, qui purgandus eſt, aliquam moliri inſignem vacuationem. Hoc apertiſſimè docet Galenus Hippocratem ſequutus tum alibi, tum maximè in commen. ſecundi libri Aphoriſmorum, vbi hæc protulit;* Humores autem, qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouendi ſunt, nec medicamentis ante concoctionem. *Et huc ſpectare videtur locus à nobis citatus ex 4. de Vict. Morb. Acut. vbi ſi craſſiores fuerint vrinæ, & nebuloſæ, purgandũ eſſe cenſuit: ſed ſi tenues, omnina purgationi interdicit: alioquin enim (ait ipſe) vrina nequaquam maturabitur, & febris ſine criſi protrahetur in longum, & corpus frangetur, addit Galenus: & hac eadem ratione paulò ſuperius dixerat, omnem in morbis definitionem accipiendam eſſe ab vrina cruditate, vel concoctione. Quòd ſi ſit medico propoſitum, vt euacuet quidem, ſed eo potiſſimum fine, vt euacuando reuellat, magiſque reuulſionem, quam vacuationem ſequatur, tunc ſemper purgandum eſt in principio, nulla expectata aliòqui concoctione.* Ille hactenus: qui mox poſitis nonnullis Galeni locis, qui docent initium morborum eſſe congruens reuulſioni (qua in re mihi cum illo conuenit, vt propterea non deceat eos hic tranſcribere) poſtremò hæc adiungit; *Hac ratione Hippocrates pleuriticos dolore ad præcordia deſcendente acrioribus ab initio morbi medicamentis expurgat, nimirum vt inſignis, & valida fiat reuulſio, magis quàm vt fluxum humorum, & exceptum in inflammatione euacuet. quemadmodum etiam cum dolor ad claniculam pertingit, eadem de cauſa, vt Galenus teſtatur, venam in cubito ſecat: ita quoque angina laborantes in initiis ante concoctam materiam purgat: & in libro de Articul. & Fract. morbo incipiente euacuat etiam veratro, nempe vt fluẽtes humores reuellat, ac alio, quàm ad affectum locum eorum impetum conuertat, qui præ dolore, ac loci imbecillitate poſſit ingentem excitare inflammationem: quod Galenus loco paulò ante citato ex 4. Methodi veſtigia Hippocratis ſequutus docuit; à quo exempla etiam ex libro de Vulneribus petita mutuatus eſt.* Hæc Trincauellius. Sic Nicolaus Bieſius Louanij medicinæ profeſſor in ſua Meth. in quam dum hæc ſcribo, fortè incidi, melancholiam tractans inquit; *An purgantia medicamenta ſtatim conueniant, quæri poteſt, cum in aliis multis capitis morbis, præſertim frigidis, in apoplexiis, in comitialibus, in lethargis iis quamprimum vtamur. Hoc autem facimus reuulſionis, aut deriuationis gratia, què vergentem in aliquam partem humorem dimoueamus in aliam, in qua minus eſt futurus pernicioſus. Tunc igitur cauſis antecedentibus, quatenus ad partem affectam properant, à motu potius, quam à quantitate ſumpta indicatione medicamenta purgantia deſtinamus, quamuis interim accidat vt partem aliquam cauſæ continentis etiã amoueamus.* Hæc ille, qui libro etiam ſexto ſuæ Theoreticæ medicinæ hoc ipsũ diffusè tractat, & eiuſmodi purgationẽ reuellentem appellat. Sic Auget. quidã Ferterius; *Ne Gal.* (ait) *ſcrupulũ moueat qui toties in inflãmationibus, & omniũ morborũ collectionibus purgationes interdixit, & tamen ipſe in pleuritide purgauit primo & ſecundo, & quarto dictitandum firmatis in parte aliqua humoribus purgationem non deberi, ſed ſi partim firmati ſiat, partim etiam adhuc aliunde ad partem fluant (quod per initia in pleuritide, & omni inflammatione accidit) fluentibus adhuc humoribus purgationẽ vtiliter adhibemus, quæ firmatis, & in parte collectis inutilis dici poteſt.* Neque ergo firmatorum, & in parte hærentium humorum gratia, ſed aliunde ad partem fluentium cauſa purgatio in inflãmationibus, cæteriſq; morborum collectionibus exhibetur: nam vbi nihil amplius influit, neque influxurum ſperatur, temere adhibetur. Sic alij quamplurimi (vt ne longiorem iſtorum hominum catalogum faciam) idem ſentiunt hoc tempore. Ac fortaſſe iſtæc opinio eadem eſt cum opinione Manardi, quem vidimus propter loci dignitatem, ac periculum, in principio morborum purgationem probare.

Cæterùm ego quidem, (vt ſyncerè dicam) puto hanc opinionem eſſe nõ ſolùm ab Hippocratis, & Galeni mente alienam, ſed fortè etiam prioribus longè deteriorem, ac pernicioſiorem. Et quanquã hoc ipſum poteſt ſatis eſſe manifeſtum ex iis, quæ iam ſuperius ſunt à nobis diſputata, nihilominus quod res ſit maximi momẽti, atque à viris ampliſſimæ authoritatis acriter propugnetur, non grauabor ferè eadem repetere, & actum agere Primùm itaque certum eſt Hippocratem, & Galenũ iſtiuſmodi reuellentis purgationis nuſquam meminiſſe: quã mihi quidẽ non ſit veriſimile eos fuiſſe prætermiſſuros, ſi modò illam cenſuiſſent rationi conſentientem, ac ſalutarem. Quæſo enim viri omniũ perſpicaciſſimi, qui millies de generali præcepto purgandi humoris concocti ſolos excipiunt humores turgentes, quamobrem ſemel fluentium quoque pariter non meminere? Deinde ſi hæc ſuſcipiatur doctrina, vt nimirum purgandum ſit nulla expectata concoctione (quæ ſunt ipſamet verba Trincauellij) quoties medico propoſitum eſt euacuando reuellere, vt in multis, & propemodum omnibus morbis crudæ purgationes conueniant, fateamur neceſſe eſt. Illud (puto) non inuitus fatebitur vnuſquiſque de morbis acutis, quos conſtat maiori ex parte originem trahere ex humoribus violenter fluentibus ad partes corporis nobiliores. Sed neque deſunt morbi quamplurimi diuturni, qui generantur, ac fouentur à variis humorum fluxionibus, adeóque reuulſionem poſtulant, apoplexia, epilepſia, paralyſis, arthritis, & alij id genus, qui à nemine poſſunt ignorari. Quòd ſi verè ita hæc ſe res habet, quomodo iamdiu ſancitum eſt, in principio morborum acutorum raró admodum miniſtranda eſſe purgantia medicamenta: itemque in diuturnis perpetuò coctionem expectandam eſſe? Iam verò ipſam rem pauliſper conſideremus, ac de multis morbis, ex. gr. accipiamus internam inflammationem. Hic duplex aduerſario ſe offert purgandi ſcopus; alter, vt ducantur humores verè morbum efficientes, iamque firmati: alter, vt illi duntaxat purgentur, qui fluxuri ſunt vel etiamnum fluentes morbum poſſunt augere, & amplificare. Illos non expedit, neque licet, de qua re inter nos conuenit, ante concoctionem purgare: hi contra poſſunt, ac debent principio morbi ſine concoctione protinus educi. Quod attinet ad priores, non id ago in præſentia, vt demonſtrem vix fieri poſſe, quin data hoc tempore medicamenta aut certè detrahant, aut ſaltem perturbent firmatos quoque humores, & in inflammatione contentos; quod probauimus aduersùs Valeriolam. Quatenus verò ſpectat ad poſteriores, quos iſti putant commodè purgari poſſe, cum illi crudi ſint, nec ſanè turgeant,

quæ duplex tantummodo eſt legitima ratio purgandi hominis, nõ ego video, quàm probè purgari poſſint? qui neque excogitare, quamobrem tales humores talem habeant prærogatiuam. Nã ſi Galenus (quod notauimus principio Diſputationis) turgentibus quoque humoribus, quos conſtat ſatis aptos eſſe ad purgationẽ, & in quibus tardare malum eſt, medicos hortatur, vt fieri poteſt, arripiant occaſionẽ propinandi alicuius medicamenti quod quoquo modo extenuare eos, ac præparare poſſit: quantò magis cenſenda eſt neceſſaria cõcoctio, & præparatio iſtiuſmodi humorũ, quos probabile eſt multis nominibus eſſe quam minimùm naturæ obedientes, prorſúſque ad purgationem ineptos? Prætermitto, internis inflammationibus, & aliis pleriſque morbis, qui principio reuulſione opus habent, neceſſariò adiungi febrem, quæ per ſe purgantium medicamentorũ adminiſtrationem reddit admodum ſuſpectam, & periculoſam. Ad hæc ſi memoria repetamus, quod Galenus millies inculcat, id nimirum eſſe à nobis diligenter animaduertendum, vt quælibet præcepta cum artis operibus perpetuò conſentiant, libenter de aduerſario ſcire velim, an Socrati phrenitide laboranti fluentibus impetuosè humoribus in caput, ſerió purgans medicamentum continuò ſit propinaturus? Vix enim poſſum adduci, vt credam, reperiri aliquem, qui vtcumque verbis hanc doctrinam tueatur, tantum audeat facinus, quod profectò propter multas cauſas certã homini perniciem fuiſſet allaturum. Sed quid laboro vehementius? Nonne Hippocrat. & Gal. quos in perpetuum volumus eſſe nobis inſtar omnium, perſpicuè, & expreſsè docent, principio inflammationum, etſi humores ad certam partem concurrunt, ac reuulſione opus eſt, dari purgantia medicamenta non ſolùm ſine vtilitate, ſed etiam perniciosè? Ex multis locis vno mihi liceat hanc extremam partem concludere, etſi illius ſuperiùs quoque fortè non ſemel mentionem fecimus. *Quicunque* (ſcribit Hippoc.) *inflammatas partes in principio morborum ſtatim conantur ſoluere purgatione, iy non ſolùm ab interna inflammatáque parte nihil adimunt, cum non cedat quæ adhuc eſt cruda affectio, ſed etiam quæ repugnant morbo, ac ſanitatem faciunt, colliquant: corpore autem facto debili, morbus vincit. Cum autem morbus corpus vicerit, remedium non habet.* Gal. interpres hæc habet. *Huc exposuimus aphoriſmum, cum illum exponeremus;* Concocta medicari, & mouere: *atque in eiſdem, quibus & nunc, ſymptomatis rectè ad ſanguinis miſſionem proprius deueniendum præcipit, vbi vitioſi aliqui humores in partem aliquam confluunt, atque in ea aceruantur; quod, vt dixi,* ὀργᾶν *dicitur.* An ignorabant viri ſcientiſſimi in principiis inflammationum humores partim fluxos, partim fluentes eſſe: neque ſolùm communi vacuatione, ſed etiam reuulſione opus fore? attamen vterque purgantia medicamenta grauiter reprobat, ac talis decreti rationes ponit vſque adeò validas, & euidentes, vt à nemine poſſint conuelli. An fortè Gal. qui profitetur hanc ſententiam ſe expoſuiſſe exponendo aphoriſmum 22. primi libri, eo loco dedit eiuſmodi exceptionem, vt concocta medicari oporteat, niſi humores turgeant; itémque niſi fluant, fluxuri ſint? Ad ſummam nos huiuſmodi opinionem probare non poſſumus, cum propter eas rationes, quæ & hoc, & aliis locis ſunt à nobis propoſitæ, tum maximè propterea quia dato medicamento illa eadem incommoda, & pericula vrgent, quotieſcumque humores ſunt crudi, ſiue illi (vt aiunt) ſunt reuellendi, ſiue abſolutè vacuandi. Neque apparentem aliquam rationem iſti vnquam poterunt excogitare, quæ eiuſmodi rerum diuerſitatem poſſit demonſtrare.

Sed illud reſtat adhuc, vt ad ea reſpondeamus, quæ ab aduerſariis obiiciuntur. Trincauellius primò affert pleuritidem, in qua dolor deſcendat ad hypochondria; deinde anginam, de quibus iam diximus plus quàm ſatis; neque eſt, vt eadem repetantur. Tertiò ponit duos locos, alterum ex libro de Fracturis, alterum ex libro de Articulis, in quibus Hipp. & Gal. incipiẽte morbo vtuntur purgatione cum helleboro, eo nimirum conſilio, vt fluẽtes humores reuellantur, & locus affectus præſeruetur ab inflammatione. Etſi autẽ (vt ſpero) poteſt facilè vnuſquiſq; ad hæc reſpondere, qui memoria repetat, quæ generaliter diximus principio diſputationis tamen nobis liceat hos locos nonnihil examinare. Atque id eò libentius facio, quòd ſcio doctiſſimos quoſdam viros qui hoc argumentum tractant, hiſce locis niti magnopere, tanquam maximi momenti ad confirmandam aduerſariorũ opinionem. Prior locus habetur 2. *de Fracturis* a 7. in quo Hipp. ſermonem habens de iis, quibus os calcis ſideratum, & vitiatum fuerit, ita ſcribit. *Melius autem eſt, vt veratri potionem, aut eodẽ die, aut poſtero exhibeamus: ac tertio poſt die ſoluamus, & rurſum deligemus.* Itaque Hippocrates gratia reuulſionis ante humorum coctionem adminiſtrat purgantia medicamenta. Hinc poſſem me extricare vno verbo, reſpondens Hippocratem loqui de veratro albo, adeóque de purgatione per vomitum minimè, quod confirmat Galeni interpretatio. Quoniam verò neque alia deſunt exẽpla tum ex aliis libris, tum præſertim ex libro de Vlceribus petita, quorum Trincauellius quoque meminit, quæ demonſtrant Hippocratem in pleriſque huiuſmodi morbis in principio non abhorruiſſe à purgantibus medicamentis, iis conſentiens, quæ olim dicta à me ſunt, reſpondeo in morbis potiſſimum ſine febre, in quibus non ſint multi, craſſi, viſcidi, crudi, humores, nullæ obſtructiones, nulli impediti meatus, non iniuria ſtatim dari purgantia medicamenta: quippe humores hoc tempore ſunt ſatis ad purgationem præparati. Atque hanc fuiſſe Hippocratis, & Galeni mentem, præter ea, quæ aliàs diximus de hac re, mirum in modum confirmat Galenus hunc ipſum locum interpretatus; cuius ſeriem mihi libet ad verbum tranſcribere. *In iis, qui ita ſunt affecti, ſicuti & vacuare ſuperuacua, & in contraria à laborantibus locis humores auertere quam maxime prodeſt, ita an id veratro albo faciendum ſit, non conſtat: quippe cum ſtrangulare interdum ſoleat, cum in corpore multi, & craſſi, & lenti humores continentur. Idcirco priùs diſſoluendi hi ſunt attenuante victu, de quo integrum noſtrum habes cõmentarium.* Com. 27. *Exhibere enim veratrum priùs quam victu corpus præparatis periculoſum eſt.* & iterum; *Iuſsit nunc eodẽ die, aut poſtero dari veratrum, priùs quàm aut partes affecta inflammari, aut homo febricitare incepiſſet: quinetiam ſi febris anteuertiſſet modò leniter afficeret, eodẽ modo exhibendũ eſſe cenſuit: Nos verò ne febre quidem vacuo dare veratrum audeamus.* Com. 29. *Si febris autem vehementer infeſtet, ipſi etiam non dat, ſed vehementiſſimè in inedia detinet,* &c. Ac rurſum, *Non ſuppurat autem ſanguis, cum inflammatio magna ſuperuenit, aut ex prauitate deligationis, aut ex humorum malignitate & multitudine: quam ipſe quidem exinanitione per medicamenta, nos ſanguinis miſſione emendamus: quæ quidem vel ſola miror cur contentus non ſit, cum & eam agnoſcere, & in talibus affectionibus adhibere videatur. Inquit enim in libro de Artic. cum contuſiones coſtis accidentes curat, præter alia quæ facienda cenſet, etiam hoc; Tum vena ad cubitum ſecanda eſt.* Com. 31. Hæc Galenus. Bieſius, ac Perterius

nihil

nihil afferunt noui, aut quod habeat quicquam ponderis. Ille accipit pro certo, quod eſt maxime dubium, aut verius quod eſt planè falſum, nimirum quòd in pleriſque morbis capitis, præſertim frigidis liceat protinus vti purgantibus medicamentis. Præterea affirmat iſtud fieri gratia non ſolũ reuulſionis, ſed etiam deriuationis. Hic petulanter in Galenum inſultat, & nihil docet. Vterque ignoratis veris dogmatibus, propriis cogitationibus delectatur, neque aliud agit, quàm vt lectori tenebras offundat. Vt hinc ſtudioſi documentum capere poſſint, quod me non tædet ſæpius inculcare, nempe artem medicam, quæ hominem diuinum animal tractat, à probatis auctoribus, potiſſimum Hippocrate, & Galeno perdiſcendam eſſe, cæteroſque omnes vel ſcriptores, vel doctores quicumque illorum dogmata, vel non recipiunt, vel oppugnant, eſſe prorſus reiiciendos.

Sed rurſum ad Trincauellium redeo, qui cũ multas hac in re animaduerſiones, & diſtinctiones afferat, quas ferè omnes accepit à Manardo; de quibus non eſt vt iterum agamus, propriam demum quandam cogitationem proponit, quã non memini apud alium me legiſſe, vt illa meritò non fuerit ſilentio prætereunda. Ille ergo cũ ex vetere decreto probè intelligeret, humores turgentes ante coctionem purgandos eſſe, illud inſuper addendum exiſtimauit, vt eos quoq; nobis liceat purgare, non modò quando actu, & verè turgent, ſed etiã quando futurum eſt vt turgeant: quemadmodum Hippocrates pariter, & Galenus docent, venã ſecandã eſſe, non ſolum quando morbus eſt præſens, ſed etiam quotieſcunque futurus eſt. Cuius tamen ſubtilis cogitationis non eſt recordatus in peculiari quæſtione, quam ante neſcio quot annos ediderat. Atque ille quidem huius opinionis principale fũdamentum conſtituit quandam ſententiam Auicẽnæ, quæ eam maximè videtur confirmare. *Et similiter* (ille inquit) *quando times quòd ſit ægritudo furioſa, & facis illud, erit illud, quod accidit de errore, ſi accidit, minus quam aliud.* Hæc Auicenna. Quanquam verò iſtæc opinio alicui fortè videri poteſt acuta, & ingenioſa, veruntamen ego illã puto falſam eſſe, nec non ab Hippocrate, Galenoque, addo & ab ipſo Auicenna longè diſſentire. Primùm autem quæri poteſt, quanam coniectura, quibus indiciis, quo tandẽ modo huiuſmodi humores futuri turgentes deprehendi poſſint. Illud enim equidẽ cenſeo, aut difficilè admodum, aut nullo pacto poſſe animaduerti. Apud Hippocratem certè, Galenum, vel aliũ probatum medicum, quem ſciam, quod ad hanc ſubtilem inueſtigationem pertinet, nihil recordor me hactenus obſeruaſſe. Sed hoc illi concedatur. Ego verò permagni puto intereſſe, humoréſne in præſentia, ac reuera turgeant, an poſteriùs, ac fictè ſint futuri turgentes: quod vnicuique poteſt conſtare, qui voluerit humorum turgentium naturam æſtimare, memoriaque repetere, quamobrem deceat primo quoque tempore illos purgare: nam conſtat eos eſſe mobiles, errabundos, neque vlla in parte firmatos: vt propter hanc ipſam mobilitatem duabus potiſſimùm de cauſis protinus ſint educendi: altera, quia facilè admodum à natura pelluntur, trahunturque à medicamento; altera, quia periculum imminet, ne illi in principem aliquam partem decumbant. Verùm ſi humores non turgent, neque ipſa non mouentur, quod ſine dubio ſtatuendum eſt de hiſce humoribus turgentibus in potentia, ac noſtra duntaxat cogitatione; ſatis perſpicuum eſſe poteſt, de iis nullius decubitus ad principale aliquod membrum periculum imminere; neque hos ſicuti illos ſine vllo labore purgari poſſe, quemadmodũ Hippocrates & Galenus affirmant, vel Trincauellij teſtimonio, de cunctis humoribus quieſcentibus, & aliqua in parte firmatis. Nec ſanè poſita comparatio eſt ſatis congruens: namque tam præſente, quàm impendente magno morbo, iure optimo expedit venam ſecare propter eas rationes, quas altera Diſputatione diffusè monſtrauimus. Contrà autem iſti humores imaginariè nullam cõmodam purgationem ferre poſſunt ob eas cauſas, quas modò diximus. Atque iſtud ex eo confirmari etiam poteſt, quòd Hippocrati nunquam, aut Galeno huiuſmodi turgendi modus ne per ſomnium quidem in mentem venerit; qui ſine dubio rem tanti momenti, vitæque hominis tam neceſſariam minimè fuiſſent prætermiſſuri, ſicuti non prætermiſerunt morbum futurum, & impendentem. Quare non iniuria mihi videor ſuperiùs dixiſſe, hanc Trincauellij opinionem eſſe falſam, atque ab Hippocratis, Galeni & Auicennæ mente alienam. Quod enim ſpeciatim pertinet ad Auicennæ authoritatem, equidem ſatis nequeo mirari, quomodo vir alioqui grauis, & conſideratus tam abſurdam, & ineptam illius loci interpretationem commentus fuerit. Etenim certo certius eſt, ibi Auicennam ſermonem habere de miſſione ſanguinis, nequaquam de purgatione. Id quod non inuitus (puto) fatebitur, quicumque eam totam ſeriem non grauabitur legere, & animaduertere, quæ ita habet. *Et quando eſt poſſibile, vt phlebotomes, vſque ad tres periodos fac: Et ſimiliter quando times, quòd ſit ægritudo furioſa, & facis illud, erit illud quod accidit de errore, ſi accidit, minus quàm aliud.* Hæc Auicenna. Non id ago, neque in eo nunc laboro, an in febre intermittente humores turgere poſſint, de qua re audio Trincauellium cũ Romanis quibuſdam medicis egiſſe. Illud mihi eſto ſatis in præſentia, hunc Auicennæ locum ad purgationem, quæ fit medicamentis, adeóque ad Trincauellij commentum nulla ratione poſſe accommodari: quanquam, vt hoc illi etiam concedamus, niſi huiuſmodi verba extorquere, ac voluntariè velimus interpretari, vnicuique palàm eſſe poteſt, Auicennam loqui de materia turgente præſenti tempore, non futuro, adeo vt iſtæc cogitatio omni ex parte abſurda cenſeri debeat. Quòd ſi demum quis ſcire cupiat, quidnam hoc in loco, atque iis verbis ſibi voluerit Auicenna; quam profectò ſententiam ipſe quoque Trincauellius putat eſſe valde obſcuram, ac difficilem; ego quidem exiſtimo, eum loqui de ratione mittendi ſanguinis, quanquam humores turgent, de qua ſuperiore loco nos etiam nonnihil diximus. Et fortè quæ verba habet Auicenna, *& erit illud, quod accidit de errore, ſi accidat, minus quàm aliud*, ille mutuatus eſt à Galeno, vbi ſcriptum reliquit; etſi minus quidem auxilium per ſectionem venæ, quàm per purgationem ſequatur, illud tamen eſſe multò ſecurius. Quam rem obiter à nobis annotatam alij viderint, qui magis, quàm ego faciam, huius viri lectione delectantur.

Franciſcus Valleſius, de quo alias honorificam mentionem fecimus, peculiari inſtituta controuerſia; ſit ne concoctio ad expurgationem neceſſaria, ſi ſuccus non turget; poſitis vtriuſque ſententiæ fundamentis, ac rationibus tandem in eorum ſententiam veniens, qui opinantur expurgationem poſſe aliquando hominem iuuare; tametſi humores non ſunt concocti, neque turgentes, certas quaſdam exceptiones proponit, quas noluimus prætermittere, licet in iis ferè contineantur, quæ ſuprà ſunt à nobis diſputata. Quandoquidem ab illo propriæ nonnullæ rationes ſuſcitantur, quæ propter hominis celebritatem, ac præſtantiam

Com. in 1. Gal. lib. Ad Gla lec. 68.

Poſtrema Epiſ 2. li.

1. Quarti de Cura Feb. Tertiana.

2. de Ra. vict. Mor. Acut. 12.

Lib. 7. Contr. 13.

purgori. Etenim in morbis acutis tẽpus perfecta purgationi accommodatiſſimum eſt ſtatus, aut veriùs declinationis initium quo & perfecta exiſtit concoctio, & vacuationes ſponte procedunt. Vniuerſa igitur morbi materia non niſi, concocta, & poſt ſtatum, cum iam ſymptomata præter rationem miteſcunt, radicitus extirpari poteſt. Id ipſum eſt, quod præcepit Hippocrates, Concocta medicari, atque mouere non cruda. *At nihilominus morbi incremento, cum nondum perfectè ſed manifeſtè ſolum, & in fine principij, cum obſcurè concocta eſt materia, hanc etiã quodammodo euacuare licet. Quod enim iuſſit Hippoc.* Concocta medicari, *non ſolùm perfectè, ſed & quouis modo cocta amplectitur, mox ea duntaxat à medicatione excipiens, quæ vt in morborum principijs abſolutè cruda ſunt,* &c. Hæc Fernelius de primis capitibus, ſpecie, & ſitu humoris. Poſttemò tertium aggrediens, morbi vehementiam, ſequitur. Cæterùm in ancipiti, atque graui morbo, cuius ſemper & ſymptomata ſæua ſunt, & minimè tutus exitus, ſtatim per initia non ſolùm, ſed etiam neceſſariò vtendum medicamento: neque prudentis ſit medici coctionem expectare, quæ fortaſſe futura non eſt: cum enim anceps is ſit, ac vehemens, ſemperque metus impendeat, ne aut deterior euadat, aut laborantem ante ſtatum iugulet, crudæ etiamnum materiæ non nihil purgatione demendum ante concoctionem. Quò autem acutior eſt morbus, hoc magis accelerandа, validiórque decernenda purgatio, vt tandẽ extremis morbis extrema diligentiſſimè, adhibeãtur remedia. Eſt & alia ratione ante concoctionẽ purgandi neceſſitas, ſi præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in viſceribus, aut in ambitu eſt corporis, & cuius expectatur concoctio, alia quædam vitioſa in ventriculo aut inteſtinis, aut circum præcordia obhæret, dolore, æſtu, nauſea, amarore, aliiſque ſignis manifeſta. Hæc enim omni tempore, etiam nondum vlla morbi apparente coctione vtiliter poteſt adhibita purgatione medicamẽto trahi. Hæc præclara eſt (ſi Dijs placet) Fernelij diſciplina de tempore vtendi purgatione: quam nobis liceat aliqua ex parte, quaſi auctario quodam breuiter examinare, ac nouitiorum ingenium exercere. Etenim ſi velimus perſequi ſingula, nimis à propoſito digrederemur, vnaque hæc pars diſputationis longior fieret vniuerſa tractatione. [*Purgationis* (ille inquit) *tempus opportunum præſcribetur ex humoris ſpecie & ſitu, atque etiam ex morbi vehementia.*] Summa cum ratione hic vir ſuo libro titulum inſcripſit; *Fernelij Medicina.* Namque ſi totam illius inſtitutionẽ, omniaque dogmata diligenter animaduertis, ea maiori ex parte ſunt ita eius propria & peculiaria, vt prope ſint nullius alterius. Id quod ille maximè, ac ſtudioſe videtur affectaſſe, dum ambitioſa admodum ſcribendi ratione, frequenter Solonis, aut Lycurgi perſonam ſumens, non niſi grandiora, & tonantia verba ad imperandum, nouaſque ſanciendas leges accommodata proferre conſueuit: vt certiſſimum illi fuerit præpoſitum, abolita, aut certe ſpreta vetere diſciplina, nouas traditiones, & nouam artem conſtituere; quale certe huiuſmodi eſt præceptum, quod tempus aptum purgationibus præſcribit. Quæſo enim quis vnquam, præter Fernelium, ſtatuit ſpeciem, ſitumque humoris, nec non morbi magnitudinem opportunum purgationis tempus definire? Quod quidem vt nouum, & inſolens, eſt quoque adeò vanum, & abſurdũ, vt nihil vanius, & abſurdius poſſit excogitari. Legi ego millies apud optimos medicos, vnũque præcipue Galenum de morbi magnitudine ſumi indicationem vel mittendi ſanguinis, vel adhibendæ purgationis: ſpeciem verò, ac ſitum humoris vnam indicare qualitatem, locumque vacuationis. Iſtud ratio plane demonſtrat; ac ſi lubet Galenum ſemel de hac re loquentem audiamus: qui Hippoc. ſententiam explicans, hæc ſcribit: *Iſtud,* vt conuenit, *modum ſignificat, quo euacuationes facimus; vt in his, quæ in ventre ſunt, per clyſterem, per glandulam, per ſubducens medicamentum, & in horum ſingulis per quædam certa. Nam iſtæc omnia multiformiter componuntur. Hæc verò,* qualia, *euacuandorum innuit qualitatem, hoc eſt, numquid aquoſa, & tenuia euacuare melius ſit, an pituitoſum ſuccum, an bilioſum, an melancholicum, & horũ num aliquos, an ſimul omnes* Hæc Galenus, qui perſpicuè docet ſpeciem, ſeu qualitatem humoris, atque illius ſitũ indicare purgationis qualitatem, modum, & partem corporis, per quam illa eſt perficienda. Quòd ſi Fernelius in dogmatibus Galeni cognoſcendis maius ſtudium collocaſſet, eique maiorem fidem adhibuiſſet, non iſtæc ſolùm facilè intellexiſſet, ſed illud etiam, quidnam verè tẽpus idoneum ad purgationem demonſtrare: *Ea vox,* quando, (hoc ipſo in loco ille inquit) *euidenter tẽpus, quo ſit euacuandum, declarat: vtrum ſcilicet ab initio ante morbi coctionem, quando, vt ipſe ait, materia turget, an poſt vexantium humorum concoctionẽ.* Hæc Fernelij norma eſt, hæc regula, hæc præſcriptio naturæ de purgandis corporibus; hoc decretum eſt artis æmulæ atq; imitatricis naturæ de exhibendis medicamentis. Cũ itaque iſtud totius Fernelianæ inſtitutionis iactum fundamentũ adeò ſit infirmum, ac futile, vt omnis ſupra illud fundata fabrica corruat, neceſſe eſt. Sed cætera perſequor. Quod attinet ad duo prima propoſita capitis, nimirum ad ſpeciem, ac ſitum humoris, Fernelius triplicem regulam, & diſtinctionem affert. Prima eſt talis: *Si corruptus, vitioſuſque humor fuerit, aut in ventriculo, aut circum illũ quicũque ille fuerit, protinus expurgandus eſt; præſertim ſi ſponte moueatur, neque altius partibus, in quibus reſidet, adhæreſcat.* Studioſus Lector in hoc præcepto deſiderabit magis accuratã, ac diſtinctam ſcribẽdi rationem. Etenim cuicumq; propoſitũ eſt contentos in ventriculo humores vacuare, is debet nouiſſe ante omnia, quales illi ſint, tenuẽ ne, an craſſi; bilioſi, an pituitoſi; deinde an contineantur in cauitate ventriculi, an magis tunicis adhæreant: tum an in ventriculo generentur, an aliunde in eum deferantur, poſtremò an febris, vel alius quiſpiam morbus vrgeat. Quæ omnia docet Galenus diligẽter eſſe animaduertenda libro 7. Methodi Medendi. Quandoquidem iſtæc ſingula propriam, & diſtinctam curandi rationem poſtulant. Sed vt iſtud crimen Fernelio condonemus, alioquin illi peculiare, quomodocumque hæc ſe res habeat, non verebimur aſſeuerare, hoc ipſum decretum eſſe imprudens ac pernicioſum, prorſus à Galeni dogmatibus alienum. Quæſo enim quis nõ intelligit imprudenter, pernicioſe, ac præter Galeni diſciplinam ad vacuandos humores in ventriculo, aut circum illum contentos, non ſolùm morbi initio, ſed etiam quouis tempore exhiberi purgantia medicamenta? Namque ſi modò aliqua eſt habenda ratio illius indicationis, quã ſuggerit natura partis laborantis, nulli dubiũ eſſe poteſt, quin illi debeant purgari aut vomitu, aut certè leuioribus medicamentis; qualia præcipua ſunt apud Galenum quæ ex aloë componuntur, quorum vis ſuper ventriculi, & inteſtinorum loca non aſcendit, aut ſi quid vltra vaſa tantum in meſenterio contingit. Quippe ſi quis Fernelianum decretum recipiens, corruptum, vitioſúmque humorem, quem vocat, in ventriculo, aut circum illum contentum, purgante medicamento quomodocumque audeat vacuare, manifeſtum imminet periculum,

6. Epid. ſe. 2. com. 31.

ne

ne alij præterea humores ad eas trahantur partes, atque adeò ſequatur purgatio non ſine labore, & incommodo, cum ventriculi, tum corporis totius *Præſertim ſi impetu quodam ſponte mouentur.* Fernelium puto his verbis animo concepiſſe turgentem materiam, quæ an turgere poſſit in ventriculo, ac proximis illi partibus, alij viderint. Neque verò eſt, vt quis putet hunc virum loqui de medicamentis lenientibus: quandoquidem haud mentionem faceret de concoctione, & turgentia humorum; cum illa, quod ſatis monſtratum eſt ſuperiùs, & in principio morbi, & quouis tempore poſſint dari, tametſi humores non ſunt concocti, neque turgent. Verùm & verba quibus vtitur, nimirum expurgare, trahere, ac ſeries totius orationis manifeſtè demonſtrant eum loqui de medicamentis verè purgantibus. Secunda regula eſt huiuſmodi: *Si vitioſus humor inſideat altiùs in liene, aut meſenterio, aut circum pancreas, atque iecur, ſiue lentam febrem, ſiue intermittentem, ſiue melancholiam, ſiue diarrhœam, ſiue cachexiam, ſiue ingentem obſtructionem ſecum afferat, protinus detrahi poteſt, niſi aut admodum lentus, craſſúſque ſit, aut ventriculi impuritas obſiſtat.* Præter vim propriæ authoritatis Fernelius nullam ſui præcepti rationem affert, aut poteſt afferre: Namque (vt ſuperiùs diximus) ab Hippoc. & Galeno iamdiu ſancita eſt lex ferè ſuſcepta ab omnibus, vel his qui ſunt medicamentorum amantiſſimi, humores ſcilicet, quicunque aliqua in parte ſunt firmati, ante coctionem purgandos non eſſe. Neque equidem poſſum cogitatione ſatis aſſequi, vnde inter cæteras corporis partes hanc prærogatiuam habeant lien, pancreas, iecur, meſenterium, vt vitioſi humores alibi contenti coctionem deſiderent, iis vel aliis inſidentibus nulla prorſus concoctio debeatur. De morbis, qui nominatim proferuntur, plura poſſent diſputari: ſed id ſatis fuerit, quod ad noſtrum pertinet inſtitutum, totum iſtud præceptum, maximè verò, ac ſpeciatim de diarrhœa, ingentique obſtructione, apud omnes claſſicos medicos ita eſſe ob omni ratione abhorrens, & capitale, vt certè haud ſciam, illud ne magis ſit reprehendendum, an execrandum. Tertia regula ita habet. *Si vitioſus humor putreſcit in maioribus vaſis, vt in febre cõtinua, aut circum hæc, vt in pleriſque morbis acutis euenit, haud ille rectè poteſt ante concoctionem exquiſitè purgari, quanquam corporis adeſt præparatio, & ventriculus, viæque omnes libera, atque expedita ſunt.* Conuenit inter omnes, aut maiorem eorum partem qui in hoc argumento verſati ſunt, medicamenta diuturnis morbis non conuenire ante illorum declinationem; quæ expreſſa eſt ſententia Galeni: ſecus autem multi contendunt rem ſe habere in acutis, qui propter motus celeritatem, & periculi magnitudinem omnem reſpuunt procraſtinationem. Contrà Fernelius in illis ferè purgationem concedit: in iis negat, etſi corporis adeſt præparatio, viæque omnes ſunt expeditæ, in quibus ait non ante ſtatum, aut veriùs initium declinationis, quo tempore perfecta eſt concoctio, opportunam fore purgationem. Neque illud ago in præſentia, vt hac in parte illius opinionem conuellam, qui eam recipio libenter; ſed hæc eò ſpectant, vt hominis inconſtantiam, & doctrinæ peruerſitatem demonſtrent. [*Vniuerſa igitur morbi materia non niſi concocta, & poſt ſtatum, cum iam ſymptomata præter rationem miteſcunt, radicitus extirpari poteſt.* Vacuationem eradicatiuam quam vocant, exiſtimo Fernelium intelligere, quam paulò quoque ante innuit, inquiens, humorem aut partitè, aut vniuersè vacuandum eſſe: de qua ſuperiùs 2. aph. 30. diffusè diximus. Quid ille autem ſibi velit iis verbis, *cum ſymptomata præter rationem miteſcunt*, equidem prorſus neſcio. Hippocrates certè, & Galenus docent circa initia, & fines morborum cuncta ſymptomata eſſe leuiora; id quod rationi eſt valde conſentaneum. Quare vnicuique poteſt conſtare illa in declinatione ſumma cum ratione miteſcere ac deliniri: Verùm ſæpe accidit, vt iſti elegantes, ac politi ſcriptores, verborum magis, quàm rerum ſoliciti, parum animaduertant quam verè, & ad rem loquantur, dummodo numeroſè, ac magnificè ſcribant. Poſt hæc Fernelius alia quadam conſtituta regula docet, humores quocunque tempore commodè purgari poſſe, tametſi illi non ſunt perfectè concocti: atque hanc affirmat fuiſſe mentem Hippocratis, qui ſcribit ad hunc modum. [*Quod enim iuſſit Hippocrates*, Concocta medicari, *non ſolùm perfectè, ſed & quouis modo cocta complectitur, mox ea duntaxat à medicatione excipiens, quæ vt in principiis morborum abſolutè cruda ſunt.*] Quam opinionem examinabo paulò poſt. [*Et hæc de morbo quidem acuto, ſed ſalutari, prorſúſque tuto præcepta ſint.*] Quicumque huiuſmodi ineptias, & diſcrepantias proferat, is meritò irrideatur ab omnibus. Sed omnia licent Fernelio. Si morbus acutus habet perpetuò coniunctam celeritatem, magnitudinem, & periculum, quomodo ille, obſecro te, omni prorſus careat periculo? Quomodo ſcriptum eſt ab Hippocrate, in morbis acutis non omnino certas eſſe 2. aph. 19. prædictiones neque ſalutis, neque mortis?

Expeditis duobus primis capitibus, quæ pertinent ad ſpeciem, ſitúmque humoris, Fernelius tertium deinceps aggreditur, quod morbi magnitudinem continet; præceptúmque hac de re traditum in ſumma tale eſt, ſi morbus ſit grauis, anceps, & periculoſus, ſtatim per initia non modò vtilem, ſed etiam neceſſariam fore medicamentorum adminiſtrationem: immò quò acutior eſt morbus, hoc magis accelerandam, validiorémque decernendam purgationem. In quam ſententiam ille venit libentiùs, quòd crudi humores in pleriſque huiuſmodi morbis turgere ſoleant, nequeadmodum ægrè medicamento coërceri videantur. Primùm autem quæro, quomodo iſtæc traditio ſuperiori conſentiat, qua ſtatutum eſt, vitioſum humorem in vaſis maioribus concluſum, aut circum hæc aliqua ſede coërcitum nulla ratione coctionem purgari poſſe, etſi meatus ſunt aperti, & corpus eſt præparatum: hæc enim videntur nullo modo inter ſe cohærere. Nam ſi pro Fernelio quis velit ſuperiore loco eum fuiſſe loquutum de morbo quidem acuto, ſed tamen ex toto ſalutari; poſteriore de ancipiti, & periculoſo, iam diximus iſtud vaniſſimum commentum eſſe: id quod vel poſitum ab illo exemplum manifeſtè demonſtrat. Quippe ne ipſum quidem Fernelium cenſeo negaturum, quin febris continua ex humore in maioribus vaſis concluſo ſit morbus grauiſſimus, & periculoſiſſimus. Deinde ſi generaliter in morbo acuto, ancipiti, & periculoſo ſine vlla coctione purgatio eſt congruens, eóque magis illa eſt accelerenda, & validior decernenda, quò morbus eſt acutior, quamobrem iubet Hipp. in morbis acutis raró, ac non niſi multa cum cautione danda eſſe 1. aph. 24. medicamenta. Verùm de re vehementer abſurda, plenáque erroris, & quam ſuperius quoque diſputauimus, ſuperuacaneum eſt longius agere. Pariter quæ Fernelius affirmat de turgente materia in pleriſque morbis acutis, ſunt valde leuia, ſatiſque à nobis iam refutata, vt illa eadem non ſint rurſum repetenda. Sed ad finem properemus.

Poſt hæc omnia Fetnelius eam ponit purgandi neceſſitatem, nimitum ſi præter acuti morbi materiam, quam continentem vocat, alia quædam prætetea contineatur in ventriculo, inteſtinis, aut circum præcordia: namque hanc omni tempore nulla etiam apparente coctione licet vtiliter purgare. Atqui hanc regulam, & purgandi neceſſitatem antea quoque poſitam, temeréque, vt mihi videtut, hic tepetitam, iam diximus & vanam, & perniciosam eſſe. Etenim quantumcunque illi concedamus, humores in hiſce pattibus contentos ſine vlla coctione purgari poſſe, an medicamenta hoc ipſo tempore exhibita nullam vim, ac perturbationem alteris humoribus ſunt allatura, quotum coctionem alioqui ille ait eſſe expectandam? Ad ſummam multi, ac propè innumeti huiuſmodi argumentum tractarunt, ſed mea ſententia nemo ambitioſiùs, nemo turpiùs, quàm fecerit Fernel. Namque ſi hanc totam tractationem diligenter conſideras, cum pleraque ſcribantur confusè, obſcurè, indefinitè, adeò vt vix quicquam certi ſtatuere poſſis, illud profectò certiſſimum tibi fiet, nullum penè eſſe morbum, quicumque, & qualiſcumque ille fuerit, in quo per Fetnelium non liceat ſine vlla humorum coctione protinus purgantibus vti medicamentis. Quod quidem quantum conueniat & rationi, & menti Hipp & Gal. ex his quę hactenus diximus, puto eſſe manifeſtius, quàm vt pluribus debeat demonſtrari. Quamobrem vel ex hoc vno crimine æquus lector facilè poteſt deprehendere, dummodo Fernelianis delicijs, atque orationis lepore non adeò ſit inebriatus, vt nihil cernat, qualis, & quantus ſit Fernelius, & quàm immeritò apud quamplurimos tantam exiſtimationem fuerit conſequutus.

Sed ille adhuc reſtat locus, quem proximè tecedi me tractatutum, de inchoata nimirum, & imperfecta coctione, quem huc adduxi ſtudio, vt magis ordinatè, & diſtinctè res agatur, cum talis opinio præter Fernelium, magnos habeat propugnatores, multiſq; nitatur apparentibus rationibus, vt iure videatur propriam diſceptationem deſiderare. Itaq; nonnulli exiſtimant quamlibet humorum coctionem, licet debilem, rudem, ſemélq; apparentem ſatis eſſe ad ſalutarem purgationem: ac propterea quamprimùm lotia ſpeciem neſcio quam præ ſe ferunt coctionis, protinus ſua propinant medicamenta, illáque repetunt poſt ſingulus quatuor, fortè etiam pauciores dies: de quibus licet audire frequentiſſimè in iis morbis, qui indigeant vacuationis, potiſſimùm verò in febribus, eam longè eſſe optimam curandi rationem, vt medici quadam ſeruata viciſſitudine, partim coctioni ſtudeant, partim purgationes adminiſtrent. Quæ iam praxis vulgatiſſima eſt, ac ferè ſuſcepta ab omnibus. Fundamenta autem, quibus iſta nititur opinio, variè collecta, ſunt huiuſmodi. Primùm certum eſt totos humores ſecundùm omnes partes ſimul, vnóque tempore haud coqui; nam propter eorum differentiam, & varietatem, admodum probabile eſt vnam partem faciliùs, & citiùs, alteram difficiliùs, & tardiùs à natura ſuperari: quod ipſa quoque res manifeſtè demonſtrat. Ergo ſi accidat, vt humorum portio iam cocta fuerit, quid eſt, quamobrem ſtatim illos non deceat vacuare? Cum enim iam cocti ſint, ac proinde ad purgationem idonei, non ſolùm fruſtra ſed etiam non ſine periculo videntur poſſe diutius in corpore detineri. Deinde niſi eiuſmodi purgationem pro cocti humoris portione recipiamus, ante exquiſitam, perfectamq; omnium coctionē, vt nullus vnquam purgantibus medicamentis opportunus ſit locus, fateamur neceſſe eſt. Neque enim id licet in principio, aut augmento: ſiquidem conſtat inter omnes, integram coctionem non ante fieri quàm in morbi vigore. Sed hoc quoq; tempore Hipp. & Gal. præcipiunt quieſcendum eſſe, cum propter alias rationes, tum maximè propter laborem virtutis animalis. In declinatione item, quod vnum tempus cōmodum medicamentis videtur ſupereſſe, quiuis illorum vſus cenſendus eſt inutilis, & ſuperuacaneus, propterea qui iam natura morbum ſuperauit, ægérq; eſt immunis omnis periculi. Inſuper Hipp. & Gal. videtur ab iis ſtare. Ille enim iubet medicari quouis modo concocta, excipitq; ea duntaxat, quæ abſolutè cruda ſunt: præterea purgationem laudat, ſi lotia nebuloſa fuerint, & craſſa; quæ profectò craſſities, ac nebula minimè exquiſitam coctionē demonſtrant. Hic pariter medicamenti adminiſtrationem improbat haud vniuerſè, verùm cum ſumma adeſt cruditas. Sic enim ſcribit; *Cur autem eos expurgare haud velit, in quibus ſumma ineſt cruditas, cauſam recenſuit epilogiſticam*, &c. Ad hæc poſtremò Galen. exemplum adiungunt, qui in febre quartana, & aliis morbis ſe teſtatur non modò ſemel, ſed bis, ac ſæpiùs purgationibus vſum fuiſſe: Id quod vix alia ratione videtur fieri potuiſſe, quàm ſeruata iſtac alterna humorum coctione. Itaque per iſtos licebit, qualiſcumque tandem in morbis appareat concoctio, & in principio, & augmento, & omni tempore purgantibus vti medicamentis. Cæterùm neque equidem poſſum hanc opinionem probare: qui cenſeo perfectam, & abſolutam ſuccorum coctionem perpetuò eſſe expectandam ante eorum purgationem. Atque vt ne fruſtra ſim longior, & ea repetam, quæ ſunt poſita ſuperiùs, illæ ipſæ rationes, quæcumque monſtrant, expectandam eſſe coctionem, pariter vnicuique debent perſuadere, illam perfectè, & ex toto expectandam eſſe: quæ quidem facilè poſſunt huc afferri, & ad rem præſentem accommodari. Namque ſi præcepta hac de re ab Hipp. in primis, & Gal. tradita, ipſe tecum accuratè velis repetere, illa omnia iubent coctionem expectandam, non quadam ex parte, non momentaneam, non deficientem, ſed vniuerſam, permanentem, integram: ſi damna conſideras, & pericula, quæ ante coctionem data medicamenta afferunt, illa eadem fateberis impendere quouis tempore, antequam ſint humores à natura prorſus domiti, & concocti: ſi demum naturæ exemplum tibi ante oculos ponis, quod te perpetuò decet imitari, atque amplecti, clarè illam perſpicies expectare non ſolùm coctionem aliquo modo, ſed perfectam coctionem, quotieſcumque bene, & laudatè agit; docente Gal. optimam criſim fieri cocto morbo, cæteras omnes ante vigorem eſſe tantò deteriores, quantùm illæ coguntur vigorem anteuertere: ad quem pariter modum, cum ſcribit Hipp. ex coctionibus celeritatem iudicij, & ſecuram ſanitatem oſtendi, id vtique de vera, continua, & integra materiæ morbificæ coctione accipiendum eſt. Siquidem vt alio loco ille idem ſcriptum reliquit, & Galenus confirmat, in quouis morbo vrina celeriter, & exiguè cocta, deinde verò ceſſans ſemper vitioſum aliquid portendit; cuiuſmodi ſunt vel nulla criſis, vel mala, morbi diuturnitas, reditus, & alia id genus, de quibus iam diximus, quod eſt ſatis. Verùm quid ago pluribus? Nónne Hippocrates, & Galenus hanc litem dirimunt apertiſſimè, decernentes in ſtatu morbi eſſe quieſcendum? Etenim ſi quo tempore concoctio modis propè omnibus eſt abſoluta, non licet dare purgantia medicamenta, iam pro comperto habendum eſt, id multò minus licere

alio

1. aph. 22. 4 de Rat. vict. Mor. Acut. 43.

Com. 44.

3. de Cr. c. 6.

3. Prorr. 61.

allo tempore, quando illa eſt vix inchoata, valdéque imperfecta, ſed tantummodo in principio, & declinatione, cum ſymptomata omnia ſunt remiſſiora, id quod paulò poſt latiùs confirmabitur. Portò vt ad illa veniam, quæ contrà obiecta ſunt, vtique negandum non eſt, fieri aliquando poſſe, vt vna pars humorum aptior, faciliúſque, & citiùs, altera autem ſit ineptior, difficiliúſque, & tardiùs concoquatur. Sed quæro qualis tunc morbi conſtitutio ſtatuenda ſit. Putreſcentibus in febre humoribus, ex. gr. decem, ſi tres duntaxat coctionem ſubeant, cæteræ minimè, lotia, quæ principem locum obtinent in demonſtranda coctione eorum, quæ continentur in venis, qualiánam futura ſunt, qualéve morbi tempus ſunt indicatura? Summi medici id nos præclarè docent. Hippocrates enim de Cleonactide ſermonem faciens hæc habet. *Ad diem xl. ſubrubra minxit cum rubro ſedimento multo: melius habuit: poſt variarunt vrinæ: interim ſedimentum habebant, interim non: lx. multum habebant vrinæ ſedimentum, album, & lene: omnia ſunt remiſſa: febres intermiſerant: vrinæ iterum tenues quidem, ſed boni coloris: die lxx. febris intermiſit decem dies: lxxx. riguit: acuta febris inuaſit; multum ſudauit: vrinæ ſedimentum rubrum, lene habuerunt: prorſus iudicatus eſt.* Galenus verò eam partem interpretatus hæc ſcribit. *Poſt diem autem xl. ſcripſit Hippocrates variè fuiſſe vrinam eius affectam, vt ſedimentum interdum haberet, interdum non haberet: quod conſentit errantibus acceſſionibus: ſiquidem illa ab humorum diuerſitate, qui morbos pariunt, concitantur: & vrinæ & cruditas, & concoctio alternantes, aliquos iudicabant illorum concoqui, aliquos permanere crudos. At die verò lx. multũ dicit, & lene, albúmque ſedimentũ extitiſſe: ideóque ſubdit,* Omnia ſunt remiſſa, febres intermiſerunt. *Verùm quia poſt ea ſcripſit;* Vrinæ iterũ tenues, ſed boni coloris, *reſiduos quoſdam fuiſſe crudos humores innuit, quibus paulatim coctis, dies lxxx. abſolutũ iudicium attulit.* Illic hactenus. Ex qua ſerie conſtat huiuſmodi lotia fuiſſe diuerſa, inconſtantia, & ab integra coctione deficientia, donec omnibus tandem coctis humoribus, veriſimile eſt illa quoque fuiſſe perfectè cocta, vt poſtremò incolume iudicium ſequutum fuerit. Immò verò ex hac vna hiſtoria mihi videtur iſtiuſmodi opinio ſatis poſſe confutari, cum ea fidem faciat, perfectum iudicium non ante factum fuiſſe, quàm omni ex parte humores fuerint concocti. Quippe ſi ante abſolutam coctionem natura nequit integrè iudicare, quomodo poſſunt hoc ipſo tempore medicamenta prodeſſe, ac naturæ inſtitutum iuuare? Atqui humores ex aliqua parte ſunt concocti. Eſto: An fortè putat aduerſarius duci eos poſſe medicamentis (quæ naturæ non eſt conceſſa poteſtas) adeò prudenter, & temperatè, vt cæteris, qui adhuc ſuperſunt crudi, nulla confuſio, nulla vis inferatur? Ego ſanè illud exiſtimo non ſolùm difficile eſſe, ſed nullo etiam modo fieri poſſe. Quin etiam cum inter cætera purgantium medicamentorum pericula, id non poſtremum Hippocrates recenſeat, quòd ea coctionem perturbent, & impediant, rationi conſentaneum eſt, importunè data medicamenta, cum præſentem coctionem qualiſcumque ea fuerit, confundere, ac peruertere, tum futuram remorari, & reddere difficiliorem. Tempus commodum purgationibus duplex tantum ſtatuitur ab Hippocrate, & Galeno; quod antea quoque ſemel, atque iterum diximus: alterum principium, alterum declinatio morbi; illud, ſi humores turgeant: hoc ſi illi fuerint concocti. Neque hinc propterea colligendum eſt, vnam prorſus fore purgationem, quo tempore iam natura morbum ſuperauit. Nam præterea eſt neceſſe, vt noxij humores è corpore ducantur: quod ſi natura negligat, vel nequeat perficere, à medico ſupplendum eſt: alioqui recidiuas facere, aliáque incommoda, ac nonnunquam mortem afferre conſueuerunt. Etenim quemadmodum ſcribit Galenus, experientia quidem teſtatur, & confirmat ratio, neminem vnquam vi morbi in declinatione periiſſe; verùm ea conditione, vt æger nullum committat errorem, & recta curatio à medicis adhibeatur: id quod potiſſimum fiet, ſi quæ imbecillior natura vacuare non potuit, ipſi vacuent, & corpus ab excrementis liberent. Namque natura facta coctione vel iudicat integrè, vel deficit in iudicio, ſi illud eueniat, iam quieſcendum eſt: ſin verò iſtud fiat, medicum tunc decet noxios humores ducere per conuenientes regiones, quò maximè vergere videntur: quæ eſt Hippocratis, & Galeni doctrina, & libro primo Aphoriſmorum tradita, & pleriſque locis repetita, quos nolo numerare longiùs. Quibus Auicenna conſentiens, illud ſcriptum reliquit: *Apud ſtatum non moueas aliquid, donec natura vincat, & digerat: & ſi ipſa non mouet, moue ea hora motu eius: & ſi ipſa mouet, aut mouit, tunc dimitte eam, & operationem eius.* Quod portò attinet ad Hippocratem, ille docet apertè medicanda eſſe concocta, talia autem ſunt, non quæ coquuntur adhuc, ſed quæ integram coctionem ſunt conſequuta, quemadmodum cætera quoque omnia cocta dicimus, cum ad illum coctionis terminum peruenerunt, qui rerum naturæ conuenit: & apertiùs propriam mentem declarat ſubdens, *non cruda,* ſicut exponentes hunc aphoriſmum diximus. At verò humores ante ſtatum nequeunt ex toto eſſe concocti, ac verè interim crudi poſſunt nominari. Quare interpretatio Fernelij mihi videtur admodum violenta, & à dogmate Hippocratis aliena. Locus item ex *4. de rat. victus* fruſtra obiectus eſt. Nam tametſi non ignoro, craſſam vrinam Galeno obſcuram concoctionem; nebulam manifeſtam, ac nondum perfectam indicare: tamen pariter certo ſcio, hic Hippocrati nebuloſam, & craſſam vrinam integram demonſtrare coctionem: quod quidem ex eo fit manifeſtum, cum illis opponat vrinas tenues, quas conſtat eſſe crudas: præter quàm quod habemus Galenum huius interpretationis adſtipulatorem, qui verbis conceptis planiſſimè, & apertiſſimè hoc ipſum confirmat; adeò vt mirum ſit, quomodo celebres quidam viri hanc ſententiam non vereantur aliter interpretari: ad quos non aliam volumus reſponſionem dare quàm notatione verborum ipſius Galeni: quæ libet eò libentius ſcribere, quod illa contineant egregium quoddam præceptum ad legendos, & intelligendos veteres medicos non parum accommodatum. Illa ergo ſunt huiuſmodi. *Hippocrates inquit,* Vrinæ tenues; *tanquam craſſæ coctionis notas habeant. Iam hoc ipſum ſubſtantiam indicat, & verbum hoc* νεφελώδεα *vrinas ſignificat nebulas habentes. Nempe nigras adieciſſet, ſi non eas audire voluiſſet. Multa ſiquidem nomina communia citra diſtinctionem dicere conſueuerunt, cum id quod in ſignificantiis rerum melius eſt, declarare voluerint. Sic ſanè cum iudicationes ad ſalutem fuerint, ſimpliciter dicunt:* Indicatus eſt *defuncto vero indicato, non ſimpliciter efferunt, ſed hoc totum,* Iudicatus obiit. *Præterea cum quis excretam bilem ſimpliciter dixerit, pallidam, & non nigram intelligimus. Sic certè & impræſentiarum vrinas nebuloſas audire oportet eas, quæ albas habent nebulas, quæ coctionis notæ exiſtant. Quoniam igitur cocta medicantur, ob id & nunc ita ſcripſit libri huius auth.* Hæc Gal. qui itidem aliis in locis vrinam craſſam exponit, quæ mediocris eſt conſiſtentiæ, & ſecundùm naturã ſe habet.

5. Epid. ſt. 5. ægro. 6.

3. de Criſ. cap. 5.

Ad Eraſ. de Sectio. Ven. c. 4.

Prima Quarti c. 7. tr. 2.

1. de criſ. 17.

4. de Vict. Acut. 44.

Ad Galenum, qui medicamenti vſum prohibet, quando ſumma adeſt cruditas, facilè poſſum reſpondere, ab ipſo alibi interdici purgationem generaliter quotieſcumque humores ſunt crudi. Neque longius abeas, proximo ſuperiore commento, *Corporis* (inquit) *purgationem prorſus vitare oportet, cum in humoribus adeſt cruditas.* Sed eſto. Summa cruditas purgationem prohibet, an propterea media cruditas, vel infima illam permittit? Imò verò magna cum ratione eſt colligendum, omnem cruditatem, qualiſcumque ea fuerit, purgationibus aduerſari: quandoquidem, vti diximus, quæ rationes demonſtrant, cruditatem ſummam non ferre medicamenta, illæ ipſæ probant, leuiorem quoque ad illa ineptam eſſe: quanquam negandum non eſt, cruditatem, quò maior fuerit, hoc magis purgationibus obſiſtere. Nec poſtremò poſita Galeni authoritas, atque exemplum febris quartanæ quicquam valet: namque ille nihil aliud planè docet, niſi facta morbi coctione ſuccum melancholicum purgandum eſſe, non tantùm ſemel, ſed ſæpius, ſi ita ferat opportunitas; vbi nimirum tot adſint vitioſi humores, vt vno medicamento duci nequeant. Quod ſcimus in aliis quoque morbis illum, probatóſque omnes medicos facere interdum conſueuiſſe. Quæſo autem cur non iſti magis memoria repetunt eundem Gal. reprehendentem illos medicos, qui in hac ipſa febre quartana ante illius vigorem audent medicamenta propinare; quo tempore pro comperto habendum eſt humores aliqua ex parte, & aliquo modo coctos eſſe?

Sed hac de re, ac de vniuerſa noſtra diſputatione ſatis. Etenim tametſi poſt hæc omnia aliæ medicorum cogitationes adhuc potuiſſent in medium proferri, puto, quæ ſunt allatæ hactenus, ſatis ſuperque eſſe: quippe quæ (ni fallor) cæteras omnes cæteraque omnia continent, quæcumque ad totius diſputationis integritatem poſſunt deſiderari. Itaque finem facio, vbi admonuero lectorem de duobus: altero, cum probè ſciam, me in difficili argumento verſatum eſſe, ac pleraque in hiſce meis diſputationibus tractaſſe, quæ fortaſſe non omni ex parte probabuntur; ſi quid minus rectè ſentio, me nolle pertinaciter mea defendere, ſed bonos, ac doctos viros benignè eſſe auditurum, quod aliàs quoque ſum profeſſus, dummodo illi humaniter, & certa ratione, atque in primis ex diſciplina Hippoc. & Galen. nobiſcum agere voluerint: altero, cum occaſio mihi oblata fuerit diſputandi aduerſus quam plurimos, & eos quidem primarios philoſophos, & medicos partim proximè ſuperioris, partim præſentis temporis, me id ſtuduiſſe in primis, vt ne vllius exiſtimationem offenderem: à quo procacitatis morbo, ſi quis alius, abhorreo quàm maximè. Quippe etſi ſpero futurum, vt vnuſquiſque meam in ſcribendo moderationem, modeſtiámque cognoſcat; veruntamen cum neſcio quis impetus animi in hiſce litibus vix reprimi, ac reſtingui poſſit, quin aliquod litigioſum, & acerbius verbum è calamo nonnunquam excidat, fateor ex animo, id præter meam voluntatem excidiſſe. Qui idcirco facilè patiar deleri omnia, tanquam inuitè dicta, quæcumque, & quouis modo poſſunt alicui iniuriam facere. Siquidem ita ſentio cum in omnibus vitæ officiis perſequendis, tum potiſſimum in controuerſiis, quæ habentur de communibus ſtudiis, magis ingenuè, & rationibus, quàm aſperè & conuitiis agendum eſſe.

ALEXAN

ALEXANDRI

MASSARIÆ

IN SCHOLA PATAVINA

MEDICINÆ PRACTICÆ

DOCTORIS PRIMARII

AD DISPVTATIONEM DE ſcopis mittendi Sanguinem,

ADDITAMENTVM APOLOGETICVM continens Libros XI. Diſputationes XI.

PARS SECVNDA.

LIBER PRIMVS.

Diſputatio prima.

PRÆFATIO.

ANTE annum xxx. quo tempore medicinam faciendo, atque in ſtudia cognoſcendi ſemper aliquid, & diſceodi gratia incumbendo in mea patria ſatis tranquillè acquieſcebã, cœpi diligentius cogitare de Scopis Mittendi ſanguinem; nec non de tempore accommodato ad purgationem; quòd hæc duo præſidia medica inter cætera omnia mihi viderentur ad vitam hominis maximè neceſſaria, multáſque arduas in eorumdem vſu difficultates continere. Diu, multúmque in huiuſmodi cogitatione verſatus, tandem duas de vtroque argumento Diſputationes cõpoſui, & apud me habui: in quibus fateor, ac profiteor me multũ operæ, ac laboris, omneſque animi, atque ingenij mei vires poſuiſſe. Ab eo tempore eadem mea Commentaria frequenter, ac ſtudioſè legi, relegíque, & attentè cõſideraui. Nec verò ſolùm in meo iudicio acquieui, ſed præſtantes quoſque medicos in conſilium adhibui, quicumque ſingulari eruditione, acri iudicio, in primis autem veteris ſolidioris diſciplinæ ſtudio cæteris excellere videbãtur. Ex quibus Antonium Fracantianum, Comitem Montanum, Vicentinos, meos præceptores, ac Bernardinum Paternum honoris gratia nominatos volo; qui in Schola Patauina fuerunt rei medicæ interpretes præcellẽtiſſimi. Interea abhinc annis xx. cœpi cõſilium me conferendi Venetias, in qua Ciuitate planè Regia totos ix. annos non ſine magna conſolatione, & quiete viuere mihi datum eſt. Quo tempore, cum apud primarios ampliſſimæ Vrbis medicos, tum maximè apud Cæſarem Pendaſium, magni Frederici fratrem, virum omnium magnarum artium, in primis verò medicæ ſingulari ſcientia, & vſu clariſſimum, omniúmque medicorum ſui temporis facilè principem, de meis Diſputationibus diſputationem habere, eorúmque conſilium, & iudicium exquirere numquam deſiſtebam. Iam decennium illuſtriſ. PP. CC. pro ſingulari eorum gratia, ac liberaliter publicum medicinæ practicæ interpretandæ munus in Gymnaſio Patauino honorificentiſſima conditione mihi deferre voluerunt. Cum igitur in hoc celeberrimum orbis terrarum theatrum veniſſem, ac pro officio perſonæ, quam ſuſtineo, frequenter occaſio ferret, vt in publicis lectionibus, conſultationibus, & viſitationibus ægrorum, de miſſione ſanguinis, & purgatione cogerer ſermonem habere, equidem ſtatui meas Diſputationes edere, & publicare: partim vt noſtris auditoribus id flagitantibus morem gererem; partim vt vnuſquiſque noſtram de huiuſmodi controuerſiis ſententiam intelligeret: partim verò, ac maximè, vt ego quoque palàm quodnam viri docti de illis iudicium facerent, compertum haberem. Editas meas Diſputationes ad plurimos amicos, & viros quoſque doctos varia in loca miſi, rogauíque ingenuè ſingulos, vt ſuam hac io te ſententiam nobis ſignificarent: quorum plurimi præter gratiarum, & humanitatis officia, quibus nos ornare voluerunt, nihil præterea noſtros conatus iuuerunt. Duo tantummodo viri omnium artium, potiſſimùm verò medicinæ ſcientia præclariſſimi, ſingulari mecum amicitia, ac beneuolentia coniuncti, amicè, & erudirè quædam per litteras aduerſum meam ſententiam diſputarunt: quibus, pro ſingulari eorum humanitate, ac ſummo beneficio immortales eo tempore gratias egimus, ac reſponſum dedimus: qui id maximè ſtuduimus, vt noſtra in illos beneuolentia eorum erga nos beneuolentiæ pariter, æqualitérque reſponderet. Quas quidem mutuas Diſputationes ſeparatim poſtremò editas ſpetamus ſtudioſis neque iniucundas, neque inutiles futuras. Ego verò interea non ſolùm diligenter obſeruaui, quid ſtudioſi de noſtris lucubrationibus

Digitized by Google

bus ſentirent,ſed etiam nonnullos ex noſtris auditoribus, & amicis quaſi ſpeculatores adhibui, qui quaſcunque aliorum ſententias à noſtra ſententia alienas ſedulò perquirerent, ac liberè ad nos deferrent. Itaque his rationibus tum aliundè, tum maximè ex hac celebri ſchola vario tẽpore nonnulla collegimus, quæcuoque à doctiſſimis viris, vel lectionibua publicis, vel conſultatiooibus medicis, vel quomodocuoque colligi, & ad noſtram notitlam deuenire potuerũt. Hoc toto decem annorum ſpatio, nemo hactenus, qui ſciam, aduerſua ooſtras Diſputationes publicà diſputationem inſtituit. Quod enim ad vnum, vel alterum pertinet, qui hoc ipſum argumentum tractantes de me, ac meis Diſputationibus mentionem faciunt, hos equidem cenſeo in nullo numero habendos eſſe: cum ſint minutuli quidam literatorum ſimij, quos morari nos noo decet, niſi eruditiorea facti meliora aliquando proferre incipiant. Adeò vt mihi ſtatutum ſit inanes eorum, ac pueriles cogitationes non ſolùm non refellere, ſed neque referre. Stultum. n. eſt, vt ait Ariſt. attendere quid quiſque dicat: & quidam lepidè, inquit, ſapientes viros ambigere; vter ſtultior ſit, iane, qui ſtultè dicit, an qui ſtultè dicentem ſeriò cõtendit refutare. Ac ſanè equidẽ neſcio, mirandum oe magis, ac dolendum, an execrandum ſit, plurimos homunciones hoc tempore tali, tantaque ſcribendi ſcabie, & libidine laborare, vt qui ne prima quidem lingnarum rudimeota tenent, ac vix ignaui diſcipuli, & milites dici debent, iam ſe optimos Doctores, & Imperatores eſſe exiſtiment. Ex quo fit, vt de omni propemodum re tam inſipienter, tam abſurdè, tam ſtultè, tam monſtroſè quotidie ſcribatur, quàm vix concipi animo poteſt.

Cæterùm non poſſum, nec debeo ſilentio præterire virum celeberrimi nominis, qui publicum docendi munus iam plures annos egregiè ſuſtinet: qui cum olim de Ratione mittendi ſanguinis accuratiſſimos, & longiſſimoa commentarios ſcripſiſſet, antequam noſtræ Diſputationes de hoc ipſo argumento ederentur poſtremo hoc tempore vetera recognouit, reuiſit, illuſtrauit, nouas Diſpotationes addidit, omniáque in ampliſſimum volumen retulit: in quo profitetur, [*Extirpatis erroneis opinionibus paſſim hodiè apud nouatores medicos vigentibus omnia ad hoc argumentum pertinẽtia ſecundum Gal. doctrinã explanari.*] Et rurſum in poſteriore parte hæc habet [*Nouatorum medicorum noſtri temporis dubitationibus reſpõdetur, atque omnia alio in opere, vel obſcurius, ac breuius tradita, vel prætermiſſa, diligentius, dilucidiúſque tractatur.*] Et ſi ego, niſi mea me fallit Grammatica, putarem dicendum eſſe, *tractantur*. Quoniam vero de principali argumẽto, quòd vtrique tractamos, inter noa non conueoit, ille fatetur, ſe ooſtram Diſputationem ſemel, atque iterum atteoto animo legiſſe, [*& planè inueniſſe nihil eam continere, quod ſuam opinionem ſolidis, firmiſque inhæreſcentem fundamentis, non modò labefactaret, euerteretque, ſed nec etiam aliqua ex parte debilitaret: immò rebus ſuis multò maius addi robur, ex iis ipſis, quæ aduerſus eum afferuntur, oſtendiſſe.*] Equidem verum fateor, de tam præclaro opere & mihi, & Reip. gratulatus ſom; quòd ſperarẽ virum clariſſimum longiſſimo ſtudio xxx. propemodum anoorum, accuratè, & exquiſitè ea omnia cogitaſſe, inueniſſe, abſoluiſſe, quæcunque de dogmate tot difficultatibus inuoluto, & tanta vtilitate præſtante poſſent & mihi omnem ſcrupulum, errorémque euellere, & medicos præclarè docere, & inſtituere: vt omnes tandem in poſterum diſcamua probè, & certa ratione hoc ſummum remediom adminiſtrare, quod ad morbos depellendoa, & vitam hominis conſeruandam tantopere neceſſarium eſt.

Id quidem certè nequeo diſſimulare, & æquo animo ferre, me ab hoc viro clariſſimo inter nouatores noſtri temporis medicos numerari: qui non modò oon nouator, ſed etiam nouatorũ acerrimua hoſtis, ab illorum inſtituto, atque inſania vſque adeò abhorreo, vt omoea huiuſmodi homines Reip. literariæ corruptores, plagiarios, peſtiferus appellare nunquam deſinam; cum quibus iam quinque, & quadraginta annos, quibua philoſophiæ, & medicinæ ſacris initiati fuimus, inexpiabile bellum ſuſcepimus, ſtatutúmque habemus ſempiternas inimicitias exercere, quandiu D.O.M. longiore vita, & bona valetudine nos dignabitur. Id quod noſtræ in primis Inſtitutiones, & Diſputationes, quas pro noſtro munere, & publicè, & priuatim io dies cum ſtudioſis communicamus, ſatis cuique poſſunt perſuadere: in quibus illud voum mihi propoſitum eſt, ex vna parte omnem nouatorum diſciplinam, vel potiua delirationes, quantum io me eſt, inſectari, diſſipare, ac funditus euertere, ex altera ſummorum virorum, Hip. potiſſimùm, Ariſt. & Gal. veterem diſciplinam tueri, illuſtrare, atque ab omni iniuria vindicare: adeo vt id mihi crimini aliquando datum fuerit: me nimium io verba Magiſtrorum iuraſſe, nimiúmque pertinaciter eorum dogmatibus deditum, addictum, & conſecratum eſſe. Ac ſanè ſuperat omnem admirationem, hunc hominem, qui nouatoribua mirabiliter fauet; qui de eorum Coryphæis, Fernelio, & Argẽterio prædicat, illum poſt Hip. Gal. & Auic. omnium medicorum facilè principem; huic maximas gratias eſſe habẽdaa, qui contra Galenum de morbia, ſymptomatia, horum cauſis, ſignis, & de medici officio diſertiſſimè diſputat: qui nulla re eſt inferior, quàm illi fuerint; qui non niſi noua cogitat, noua ſcribit, noua docet, hanc nefariæ turpitudinis inſignem ignominiam Maſſ. quo nemo nouatoribus eſt inimicior, inurere voluiſſe. Verùm illud quoque doleo, & acerbè fero, huoc celebrem virum parum modeſtè, humaniter, & honorificè mecum agere, ſicuti communi profeſſioni, & amicitiæ noſtræ conuenire videbatur. Qui præter cæteroa acerbitatis aculeos, & morboſi animi ſignificationẽ, me aliquando bonis fœminis aſſimilare non eſt veritus, quæ, quod earũ proprium eſt aliis vitio vertere ſolent. Quanquam ne in eo quidem ſatis prudenter ſe geſſit, qui ad ſe ipſum conuerſus non vidit, quàm facile iuréque, ac meritò hæc poſſint in authorem ſuum retorqueri. Quòd ſi ille (vt audio) hoc turpe conſilium ſequutus eſt, iniquo animo ferens, me illius quãdam Galenici loci explicationem paulò acerbius in meis Diſputatiooibua tractaſſe, equidem liberè, & ingenuè dicam, vt res eſt: cum eo tempore nullam huius hominis notitiam haberem; cúmque ea interpretatiooia ratio mihi videretur omni ex parte abſurda, ac legitimum verborũ Galeni ſenſum prorſus euertere, non potuiſſe me continere, quin paulò acriùs illam refutarem: in qua tamen refutatione nihil eſt (ni fallor) quod viro ingenuo ſit indignũ, calumniæque, & contumeliæ nomen mereatur. Poſt verò quàm ille in hanc ſcholam accitus eſt, in quam mea in primis opera, atque honorifica de illo teſtificatione conductus eſt, quod ipſum quoque non puto eſſe inficiaturum, atque ad amicitiam ſe meam contulit, omnea norunt, neque ipſe itidem (vt puto) diffitebitur, me honorificè admodum & priuatim, & publicè de illo ſenſiſſe, omniáque humanitatis, ac beneuolentiæ officia à me illi fuiſſe tributa, quæcũque à vero amico deſiderari, & tribui poſſunt. Ac ſanè equidẽ nequeo ſatis mirari, hunc talem, ac tantum virum, Theologũ Philoſophum, & Medicum præſtantiſſimum, qualem, & quantum ſe ipſum pingendum curauit, tam

acerbè,

acerbè,& aſperè, quàm res ipſa loquitur, mecum agere voluiſſe : cum potiſſimum ille fateatur, ac profiteatur, ſe nō obtrectandi ſtudio, ſed vnius veritatis inueſtigandæ, atque eruendæ deſiderio adductum in hoc argumento verſari voluiſſe. Qui tandem hæc habet. [*Miror enim quoſdam, alioquin viros grauiſſimos, & clariſſimos, haud non intelligere, haud non animaduertere, quod prudentiſſimè ſcripſit M. Tullius, diſſentientium quidem inter ſe veritatis cauſa reprehenſiones non eſſe vituperandas, maledicta verò, contumelias, iracundias, concertationéſque in diſputando pertinaces indignas ſapientis ſtudio videri ſolere.*] Etſi hic quoque, niſi iratos velit habere manes Priſciani, putarem vnicam dictionem negatiuam ſatis habuiſſe.

Sed illud quoque alienati, atque offenſi animi argumentum accedit, quod ille ſcribat, Decretum de tribus principibus ſcopis, quod quidem conor tueri, illuſtrare, & in veterem dignitatē vendicare, non eſſe meum peculiare, & proprium, ſed antea à Franciſco Valleſio fuiſſe explicatum : reliqua autem, quæ in meis Diſputationibus pertractantur, cum Curtio, & Iachino prorſus eſſe communia. Quaſi id noſtræ laudi voluerit inuidere, quòd hāc diſciplinam tanti momenti, tot, & tantis tenebris occultatam, & circumfuſam, omnium primus hoc ſæculo ſim aggreſſus ſuſcitare, atque in lucem vocare. At verò certè huic viro melius eueniſſet, ſi hanc rem, quæ nihil ad rem pertinet, ſilentio præteriiſſet. Etenim cum ille fateatur meas Diſputationes conſentire Diſputationibus Valleſij, Curtij, Iachini, qui omnium cōſenſu, quicumque ſano, ac libero ſunt iudicio, inter cæteros omnes proximæ ſuperioris ætatis medicos principes Hippocraticę, & Galenicæ diſciplinæ interpretes, & vindices habiti ſunt, vel hoc vno præclaro teſtimonio equidē mihi videor, & meis Diſputationibus, & mihi ipſi ſingularem laudem comparaſſe. Verum quid nunc dicam? Curtios, quod equidem ſciam, de hoc dogmate nihil ex principali inſtituto ſcriptum reliquit : neque aliud huius viri præclariſſimi de hoc argumento mihi videre cōtigit, quàm pauca quædam, & quidem admodum imperfecta, & rudia, in quibuſdam illius lectionibus, quomodo aiunt, manu ſcriptis, quæ in multorum manibus verſantur. Quod verò ad Valleſium, & Iachinum pertinet, tantum abeſt, vt meæ Diſputationes cum illorum cogitationibus aliquam habeant commotionem, & conſenſionem, vt aduerſus vtrumque diſputare, & quidem accuratè & diffusè diſputare non ſim veritus. Quid igitur nunc dicam? Dicam, & quam poſſum clariſſima voce dicam; hunc hominem meas Diſputationes aut non legiſſe, aut oſcitantem, dormitantémque legiſſe, aut ſcientem, & volentem huiuſmodi iniuriam mihi inferre voluiſſe. Sed ita illi placitum eſt. Fateor ego quidem hoc decretum non eſſe meum, ſed fuiſſe magni Hippocratis inuentum : quod Galenus deinceps ſuſcepit, probauit, ſummiſque laudibus ad cœlum extulit; quod plerique omnes veteres Empirici, Methodici, plurimi Dogmatici prætermiſerunt; quod aliquot ſæculis in hominum ignoratione verſatum eſt, quod ſophiſtæ, & Nouatores hoc tempore non ſolùm prætermittunt, ſed etiam inuertunt, peruertunt, corrumpunt, omnibus machinis oppugnant; quod tandem Maſſaria omnium primus (rumpantur licet ilia Codro) conatur ab inferis excitare, tueri, illuſtrare, atque in priſtinum dignitatis gradum reducere.

Ego quidem certè hoc ipſo crimine Aduerſariū notare potuiſſem; qui nullum argumentum, nullam rationem, nullam cogitationem affert, quam ab aliis, potiſſimùm verò Trincauellio, & Valleſio mutuatus non fuerit: id quod veriſſimum eſſe omnes facilè intelligent, & fatebuntur, quicumque eorum clariſſimorum, & doctiſſimorum hominum, atque illius de hoc argumento Diſputationes legere, & inter ſe conferre non grauabitur. Sed nolo inter illos recenſeri, qui fricantem refricare, & par pari referre conſueuerunt. Etſi verò mihi licitum, atque integrum eſſe deberet, vt æquo iure aduerſus hominem parum amicè agerem : nihilominus mihi ſtaturum eſt ab omni contumelia, ac verborum turpitudine perpetuò abſtinere; vt nemo in me modeſtiam, & honeſtatem orationis poſſit deſiderare : omnéſque intelligant, me aduerſus rem, de qua agitur, minimè aduerſus hominem diſputare voluiſſe : qui conabor non minus exquiſitis rationibus, & argumentis, quàm facilitate, modeſtia, & humanitate illi præſtare. Illud quidem certè mihi libet, & quæſo, vt liceat experiri, & declarare; vter noſtrum, ille ne, an ego in arte medica Nouator exiſtat. Hac tamen conditione, & lege, niſi aperiſſimis rationibus demonſtrauero hunc ipſum Nouatorum hoſtem acerrimum, ita omnia nouare, omnémque veterem, in primis autem Galeni diſciplinam corrumpere, atque euertere, vt ille inter nouatores huius ſæculi iure, ac meritò principem locum mereatur, vt equidem mea ſponte, ac libenter velim ſententiam accipere, ac fateri, me prorſus tota cauſa cecidiſſe, rerumque omnium inſcium, & rudem eſſe.

Porrò cum clariſſimus hic vir profiteatur in ſuis Diſputationibus ſe nobiſcum in duobus principiis conuenire : altero, omnes controuerſias ad vnius Galeni doctrinam, cæteris authoribus prætermiſſis, referendas, ac definiendas eſſe; qui promittit ſe nihil affirmaturū, quod ab illius ſententia ſit alienum : altero, adhibendas eſſe rationes, pro inuentione eius, quod quæritur, neceſſarias, equidem conditionem libenter accipio. Atque vtinam ille æquè nobis promiſſa feciſſet, & ſeruaſſet: qui hac ratione in ſola Galeni doctrina, & cæteris rationibus acquieſcens, & ſeipſum, & cæteros melius inſtituiſſet, nec tot lites excitaſſet, nec in eas difficultates fuiſſet delatus, ex quibus fortè nunquam ſe poterit explicare. Sed quidem timeo, ne hic vir inter eos poſſit recenſeri, qui multo largiores ſunt promittendo quàm ſoluendo. Id quod progreſſione Diſputationis, facilè (vt ſpero) poterit cuique palam fieri. Verum vt ne ab eo, quod mihi propoſitum eſt, longius aberret oratio, ad me redeo.

Cùm noſtræ Diſputationes, cunctis exemplis iamdiu diſtractis, eſſent rurſum imprimendæ; cumque ergo maximè cuperem illas locupletiores reddere, & à tot, tantiſque in eas collatis iniuriis, ac machinis vindicare, vt propterea neceſſe fuerit ad illas aliquam acceſſionem facere, diu anceps fui, vtram ſcribendi rationem tenerem: an videlicet eas vbicumque res ita ferat, latè explicarem, argumentis & rationibus noſtra confirmarem, aduerſaria refutarem, & vnicam tractationem conficerem; an verò permitterem Diſputationes ſeparatim imprimi, vt primo factum eſt: deinde Appendicem ſeorſum adiungerem qua illa omnia diſponerem quæcumque ad perfectionem, & abſolutionē principalis argumenti, & ad vnius veritatis tutelam ſpectare viderentur. Tandem mihi libitum eſt poſteriorem rationem amplecti, tum propter alias, tum maximè propter eam cauſam, vt ne quis cauilletur, nos malitioſè plurima immutaſſe, inuertiſſe, detraxiſſe addidiſſe & ad noſtras cogitationes accommodaſſe.

Itaque, lector, habebis primū duas noſtras Diſput. ſecundò editas, nihil auctas, nihil imminutas, nihil mutatas, ſed quales primum editæ fuerunt.

Deinde ad priorem de Scopis Mittendi ſanguinis habebis Additamentum, in quod illa omnia conati ſumus conferre, quæcumque ad rem, de qua agitur, magis facere videbantur. In quo quidem itidem fateor me tantum laboraſſe, tantumque operæ, ac ſtudij poſuiſſe, plurima addendo, latiùs explicando, confirmando, illuſtrando, quæ fortè in priore Diſputatione deſiderari potuiſſent, vt ſperem neque hunc poſtremum laborem ſtudioſis inutilem, & ſuperuacaneum futurum. Qua quidem ratione ſpero fore, vt facile tibi liceat priora cum poſterioribus conferre, ſingula argumenta, cum noſtra, tum aduerſaria intelligere, ac de tota cauſa iudicium facere. Illud certè doleo, me non potuiſſe eum ſcribendi modum, atque ordinem tenere, quo alioqui ſoleo quàm maximè delectari. Cum enim mihi neceſſe fuerit ad varias rationes, variáque argumenta ſemel, & iterum reſpondere, pariter neceſſe habui eadem ſæpius repetere, & actum agere. vt nullo modo potuerim certam rerum ſeriem, & continuationem obſeruare. Veruntamen id maximè ſtudui, vt omne lectoris faſtidium orationis breuitate, & perſpicuitate leuaretur. Quod autem ad alteram noſtram diſputationem pertinet, cum nihil hactenus potuerim explicari, quod aliquod mihi negotium faciat, in præſentia hac vna Appendice contenti erimus: qui fortaſſe alio tempore, ſi id res ferat, ac plus otij nacti fuerimus, quod nobis perexiguum omnino conceditur, de purgatione quoque rurſum diſputare non grauabimur. Cæterùm cum aliis editis meis libris aduerſus celebres quoſdam philoſophos, & medicos nominatim diſputauerim, mihi propoſitum eſt hoc libello aduerſariorum nomini parcere, vt ne in maiorem inuidiam adducar, & ſtudioſi intelligant, quod aliàs non ſemel ſum profeſſus, & in præſentia confirmo, Deúmque noſtrorum cordium ſcrutatorem appello; me nulla tuendæ meæ ſententiæ cupiditate, nullóque morbo animi, ſed vnius veritatis patrocinio, & publicæ vtilitatis ſtudio impulſum hæc ſcribere voluiſſe. Itaque communi vtemur nomine aduerſarij, à quo nemo iure debet abhorrere. Quandoquidem licet cuique in diſputando, alterum alteri aduerſari; inimicitias exercere, & retinere non licet: vt tandem aduerſarij quidem, ſed ſalua, atque integra amicitia, mutuis officiis, & diſputationibus de communibus ſtudiis aliquid poſſimus ad communem fructum afferre. Quale illuſtre exemplum ſuggerent poſtremò editæ duæ epiſtolæ ad nos ſcriptæ, & noſtræ ad illas reſponſiones, in quibus facilè vnuſquiſque poterit intelligere, nos quidem ſententiis inuicem diſſentire, ſed ſumma charitate, & amore inter nos mirabiliter conſentire; ſicuti viros nobili genere natos, philoſophos, & chriſtianos perpetuò facere æquum eſt. Quæri ſolet à nonnullis, cuinam inter omnes homines ex omni memoria, perſpicuitate ingenij; grauitate iudicij, magnarum artium inuentione, & ſcientia principem locum tribuere meritò debeamus. In quo quidem difficili iudicio, cum alij Homerum, alij Platonem, alij Ariſtotelem, alij fortè alios cæteris omnibus anteponant, equidem cenſeo hanc palmam vni in primis Hippocrati deferendam eſſe. Namque ſi ingenuè, ſine vllo animi affectu, neque ad voluntatem, ſed ad veritatem loqui velimus, facilè fatebimur neminem, poſt homines natos, tot, & tanta inueniſſe, nouiſſe, docuiſſe, quot, & quanta vnus Hippocrates, quæcumque vel ad excolendum, ornandúmque animum, vel ad tuendum, conſeruandúmque corpus hominis neceſſaria fuerant. Quandoquidem ex vna parte ſi philoſophiæ ſemina, ac principia conſiderentur, facile eſt intelligere ab vno primùm Hippocrate excellenti, ac ſingulari methodo omnia propemodum fuiſſe inuenta, ac poſteris tradita, quæcumque non ſolùm ad illius adumbrationem, ſed etiam abſolutionem, perfectionémque potuerunt ſatis eſſe. Id quod Plato inter cæteros luculenter fateri, profiteri, extollere non eſt veritus. Ex altera autem, ſi memoria repetamus non ſolùm initia, ſed etiam progreſſiones, & incrementa Artis Medicæ, quæ ad bonam hominis valetudinem conſeruandam, morbóſque depellendos tantopere eſt neceſſaria, quis non fatebitur admirabilem hunc hominem non ſolùm prima iecíſſe principia, & fundamenta, ſed etiam omnia fuiſſe diligentiſſimè perſecutum, quæcumque ad fabricam tanti operis momentum, aliquod habere viderentur? Qui primum generaliter eorum omnium, quæ generantur, & corrumpuntur, principia, cauſas, & elementa; ſpeciatim verò humani corporis naturam, & compoſitionem aduerſus veteres philoſophos, & medicos mirabiliter inueſtigauit, explicauit, ſtabiliuit. Quid de hominis temperie, ætate, conſuetudine, ſomno, vigilia, exercitatione, aëre, aquis, locis, anni temporibus, de morbis acutis, diuturnis, virorum, mulierum, de mittendo ſanguine, de purgantibus medicamentis, de victus ratione, de diebus criticis, & cætera id genus præcipua artis capita ita exquiſitè diſſeruit, vt ex vna Hippocratis diſciplina, & inſtitutione facilè vnuſquiſque poſſit colligere quæcumque vel ad conſeruandam præſentem valetudinem, vel ad cognoſcendos, curandóſque morbos pertinere videntur.

Hic igitur Hippocrates omnium literatorum, & ſapientium ex omnium ſæculorum memoria facilè princeps, inter cætera præclara inuenta, quibus philoſophiam, & artem medicam ornauit, & locupletauit, omnium primus ſcopum medicum ex morbi magnitudine ſumptum excogitauit, & nobis expoſuit. Quam quidem prouinciam Galenus cenſet habuiſſe tantum difficultatis, negocij, & laboris, tantum etiam præſtantiæ, ac dignitatis, vt non potuerit ſe continere, quin hoc in primis nomine ſingularem Hippocratis diligentiam, virtutem ſuſpiceret, admiraretur, ſummíſque laudibus in cœlum efferret; quod aliàs nunquam tanto verborum apparatu eum feciſſe legimus. Cæterùm pro vetere veritatis conditione, quæ vbique odium, & inuidiam parit, non defuerunt olim, neque deſunt in præſentia, qui Hippocratis doctrinam hac in parte labefactare, atque euertere conantur. Qui quidem etſi varias omnino ſententias habent, ſicuti varia ſunt falſitatis diuerticula, tamen videntur omnes in eo conuenire; indicationes vacuandi humani corporis, cum aliis rationibus, tum præſertim per venæ ſectionem non ex aliis ſcopis, quàm copia, qualitate, & motione humorum hauriri poſſe. Itaque nonnulli decretum Hippocratis interpretantur de morbis, vt vocant, materialibus; alij de morbis, in quibus opus eſt vacuatione; alij de morbis, in quibus eſt vehemens peccatum ſanguinis, vel ſecundùm quantitatem, vel ſecundùm formam, vel ſecundùm motionem; alij fortè aliter cogitant, & ſentiunt: quorum ſententias non eſt, vt in præſentia ſigillatim referamus.

At verò quoniam mihi ſuperuacaneum videtur cum ſingulis rurſum diſputare, mihi libet peculiariter diſputationem inſtituere cum Aduerſario, qui proximo tempore ſeptem Diſputationum libros hac de re promulgauit; in quibus ſe mihi antagoniſtam proclamauit, & priorem meam Diſputationem ſuo arbitratu ſibi exagitandam, arrodendam,

Digitized by Google

arrodendam, lacerandam ſuſcepit. Quod eò libentius facio, quoniam ex hac vna diſceptatione ſpem habeo fore, vt facilè vnuſquiſque poſſit Hippocratici dogmatis veritatem intelligere, omniúmque aduerſariarum opinionum vanitatem, abſurditatem, & falſitatem deprehendere.

Illud certè me maximè angit, ac ſolicitum habet, quòd dubius ſim; quonam conſilio, ac diſputandi ratione vti debeam. Nam præter quam quòd Aduerſarius ſtylo vtitur admodum ſcabro; perplexo, vt frequenter non facilè intelligam, quid ille ſibi velit, tam eſt multus, profuſus, prodigus in ſuis cogitationibus, & rationibus aſſerendis, repetendis, inculcandis, vt eæ non ſine maxima moleſtia, & confuſione legi poſſint. Diſpeream, ne in decem paginas omnia præclarè potuiſſent congeri, quæcunque ille totis ſeptemdecim libris conſarcinauit. Itaque mihi propoſitum eſt ſingulas illius Diſputationes examinare, méque hac in parte ad eum ordinem referre, quem video ipſum tenuiſſe. Dicam vt res eſt. Equidem cum ſperem me parum operæ, ac laboris eſſe conſumpturum in explicando, & confirmando, quam puro Hippocratis, & Galeni ſententiam, & in refutando aduerſarium, certè in diſponendo noſtram Diſputationem video non mediocriter mihi eſſe laborandum: cum ferè ſit neceſſe alterutrum; vel vt ſummatim agendo, Aduerſarius criminetur, & clamet, me ad omnia ſigillatim non reſpondiſſe; vel ad ſingula reſpondendo, idem cum ipſo crimen ſæpius repetiræ, ac faſtidioſæ orationis cogar ſubire. In qua quidem animi hæſitatione dabo enixè operam quantum potero, vt nec prætermittam quicquam, quod ſit notatione, & reſponſione dignum, nec longiore oratione aliquod lectori faſtidium afferam. Id quod ſpero me fore conſecuturum, tractando ſummas tantummodo rerum, & ſententias, quæcunque ad rem pertinent nonnulla duntaxat indicando, innuendo, plura prætermittendo, quæcunque vel fruſtra ab illo repetita, vel à noſtro inſtituto ſunt prorſus aliena. Quod fauente Deo Opt. Maximo ſtatim aggredior.

Quicumque ſunt inter ſe diſputaturi (quod à Themiſtio traditum eſt) cum inter ſe diſſentiant, vel aliqua etiam ex parte conueniant, neceſſe eſt. Etenim ſi vndique inuicem conueniant, vel diſſentiant, iam nullus controuerſiæ locus videtur ſupereſſe. Mihi conuenit cum aduerſario, certa quædam eſſe capita, quaſi certos fontes, quos medici ſcopos appellant; ex quibus licet de mittendo, vel non mittendo ſanguine conſilium, ac deliberationem inire. Quot verò huiuſmodi ſcopi, qualéſue ſint, quótque, & quomodo medicis indicationes afferant, inter me, & illum diſſenſio eſt. Quàm maximè autem de ſcopo magnitudinis morbi videmur diſſentire, quoniam ille hanc morbi magnitudinem quibuſdam cancellis contrahit, & in anguſtum adducit, vt morbus ex copia, vel motione ſanguinis originem habeat: ego contrà, morbi magnitudinem interpretor generaliter, minimè anguſtatam, ac ſine vlla exceptione conceptam, vt poſteriùs videbimus. Itaque hæc non ſolùm præcipua, ſed ferè tota eſt ſumma, conteſtatióque noſtræ litis, & controuerſiæ.

In qua, vt breuiter, ordinatè, & perſpicuè, quantum fieri poteſt, procedamus, hanc vniuerſam Diſputationem placet in duas potiſſimùm partes diſtribuere: in quarum altera mihi propoſitum eſt, Hippocratis, & Galeni de hac re diſciplinam explicare, atque exquiſitis inde rationibus confirmare: in altera, contraria refutare, & ad omnia reſpondere, quæcunque ab Aduerſario, vel contra noſtram ſententiam, vel pro ſua ipſius opinione afferuntur. Quæ tamen duo ſumma capita, veniam peto, vt mihi liceat nonnunquam ſimul permiſcere, & confundere, ſicuti continuatio, ſeriéſque rerum videbitur poſtulare, ne cogamur eadem ſæpius repetere, & quæ acta ſunt agere. Conſultò igitur prætermiſſis tot quæſtionibus, tot poſitionibus, tot diſtinctionibus, tot commentis, quot ab Aduerſario, tanquam futuræ diſputationis προλεγόμενα, & fundamenta præponuntur, prætéreque omnem modum iterum, ac ſæpius repetuntur; quæ certè tanquam logica, ſuperuacanea, ac præter rem potuiſſet prætermittere, ſtatim ad primum caput aggredior.

AD CAPVT I.

De cauſis variarum opinionum de miſſione ſanguinis.

ETſi omnia, quæcunque hoc primo longiſſimo capite continentur, iure potuiſſent prætermitti, quæ nihil ad noſtrum inſtitutum pertinent, tamen quæſtionem quandam nequeo ſilentio præterire, quæ mihi quidem egregia videtur, & cognitione digniſſima. Ea verò eſt; cum Gal. pluribus locis præter propoſitum, quatuor autem peculiaribus libris conſultò, accuratiſſimè, & præclariſſimè locum tractauerit de miſſione ſanguinis, [*tum vt malas extirparet hæreſes, quæ ſua tempeſtate plurimum vigebant, tum vt methodum curandi per ſanguinis miſſionem doceret; quid in cauſa fuerit, quòd de venæ ſectionem indicante natura tot opiniones extiterint, quot ſigillatim explicaui lib. primo tractationis meæ de ratione curandi per emiſſionem ſanguinis: ac vnde maximus, deteſtabiliſque abuſus duxerit originem, quem apud nouatores quoſdam hac tempeſtate vigere ſcimus, in omnibus morbis, cuiuſcunque ſint naturæ modò vires valeant, mittendi ſanguinem.*] Duæ verò ad hoc prodigium afferuntur reſponſiones, & cauſæ. [Harum vna eſt, *quòd rerum medicarum ſcriptores in duas potiſſimum diſtributi ſunt ſectas; quorum quidem Galeni doctrinam contempſerunt; inter quos recenſere placet Leonardum Botallum, & Ioannem Argenterium, vt puto, qui à Gal. volentes inſigniter deniarunt, hoc potiſſimum habentes in animo (mihi quidem vt videtur) eius doctrinã funditus euertere. Alia cauſa fuit, quòd qui Gal. doctrinam profitentur, vt Mattheus Curtius præclarus ſua ætate medicus, & Leonardus Giachinus eiuſdem diſcipulus, ac imitator, denique Franciſcus Valleſius, qui in libro Controuerſiarum, & in ſuis Commentariis de hoc argumento poſtremus omnium diligentiùs ſenſiſſe viſus eſt, Gal. verbis ſolum maximè addicti, ſenſum ipſorum omnino contemnunt, atque veras cauſas, & rationes prætermittere videntur, quæ antecedunt, & ſubſequuntur, non conſiderant, neque integras eius ſententias, neque cum fide afferunt, ita vt mirum non fuerit, ſi tum ſibi ipſis, tum aliis aberrandi occaſionem dederint.*] Egregiæ reſponſiones & cauſæ. Nos vtramque perpendamus. Primùm verò de aduerſario ſcire libenter velim; cum medicinæ ſcriptores in duas diſtributi ſint ſectas? quorum alteri prorſus à Galeno deſciuerunt, atque alienati ſunt, Botallus, Argenterius: alteri paulo minore culpa, & reprehenſione digni, perperam, deprauatè, infideliter, planè in Galeni lectione, atq; interpretatione verſantur, Curtius, Iachinus, Valleſius, libenter inquã ſcire velim, an præterea, vel hoc præſenti, vel proximo ſuperiore tempore, vel totis mille, & quingentis annis poſt felicia illa, atque erudita Galeni tẽpora vſque

ad

ad hanc diem, alicui contigerit adire Corinthum: qui potuerit ad Gal. ſenſum, mentémque penetrare, atque illius doctrinam probè intelligere, & interpretari: an verò huiuſmodi inſignis prærogatiua, ac palma vni aduerſario ſit reſeruata; qui ſolus legitimus Galeni interpretes, explanator, internunciuſque hoc fortunato tempore ortus poſſit omnem caliginem diſcutere, omnes difficultates diſſoluere, omnéſque controuerſias medicas in veritatis lucem proferre? Ac ſanè, vt interea infinita propemodum multitudo eorum prætermittatur, qui ex omni natione, ac tempore, cum ſumma ſua ipſorum laude, poſterorumque vtilitate in Galeni lectione, & ſtudio verſati ſunt, quales certè ex mea Vicentia olim fuerunt Leonicenus, Fracantianus, Montanus, nunc eſt Fabius Pacius, qui poſtremo hoc tempore in ſex priores Galeni libros Methodi Medendi præclariſſima & omni vera laude digniſſima edidit commentaria, quos equidem natiuo quodam patriæ amore adductus nequeo me continere quin nominem, ſi Curtius, Iachinus, Valleſius, qui hoc tempore, ſingulari quodam bonorum, & doctorum omnium conſenſu Galenicæ diſciplinæ ſtudioſi, atque interpretes ſcientiſſimi præ cæteris omnibus habiti ſunt, vt paulò ſupra diximus, non ſolum ab illius intelligentia non longè ſunt alieni, ſed etiam tam miſerabiliter illum contaminant, atque euertunt, quàm aduerſario placet, vtique neceſſariò fatendum eſt neminem vllo vnquam tempore, vel loco, tot annorum ſpatio Galeni ſcripta intellexiſſe, vniuerſamque illius doctrinam craſſis occultatam, & circumfuſam tenebris hactenus latuiſſe; omnémque lucem, & veritatem ab vno Aduerſario ſperandam, & expectandam eſſe. Quod ſi altera ex parte Curtius, Iachinus, Valleſius in Galeni doctrina bene ſunt inſtituti, adeóque ad veram illius intelligentiam proximè accedunt, nec talis, tantuſque hominum conſenſus poteſt mentiri; Aduerſarius autem de illorum ſententia, ac doctrina tam malè ſentit, maximum, mea ſententia, periculum eſt, ne poſthac homines verè eruditi hinc argumentum colligant, audeántque aſſeuerare hunc hominem à Galenica diſciplina longiſſimè eſſe alienum, in quam ſententiam fortaſſe eò magis venient, quòd ille non ſolùm Galeni hoſtibus, ac nouatoribus mirabiliter faueat, ſed ipſum etiam Galenum frequentiſſime prodere, accuſare, criminari, impugnare, ac multorum criminum reum facere non vereatur. Cum igitur nulli dubium eſſe debeat, quin præter eos, qui ad libidinem à Galeno deſciuerunt, nec non qui infeliciter in Galeni lectione, atque interpretatione verſati ſunt, nonnulli quoque fuerint, qui Galenum probè interpretati, ſequuti, imitati, tutati ſint; ſicuti Aduerſarius opinatur, propter priores factum eſſe, vt prauæ opiniones de venæ ſectione ſint exortæ, ita equidem cenſeo propter poſteriores fieri, vt veritas plurimorum patrociniis defendatur. Inter quos me ipſum quoque non verebor recenſere. Etſi enim ex vna parte libenter fateor ac profiteor me ingenio, doctrina, auctoritate facile à cæteris ſuperari, tamen ſtudio, bona voluntate, ac veritatis amore nunquam diffitebor me eſſe non cæteris inferiorem: qui totos quinquaginta annos non ſine inſigni diurno, ac nocturno labore Galeni ſcripta non tantùm domi, & inter priuatos parietes, Græcè, & Latinè ſedulò, & diligenter lego, verùm etiam iam decennium publicè interpretor, & pro mea virili conor intelligere, atque omnibus modis illuſtrare; in primis autem, & quam maximè à ſophiſmatibus, & iniuriis fallacium nouatorum tueri, & in veterem dignitatem vindicare. Quantum porrò profecerim, edita hactenus, & quæ fortaſſe poſterius edentur noſtra literarum monumenta declarabunt. Poſteriora autem tempora, quæ ſine amore, ſine cupiditate, ſine odio, ſine inuidia de hominum ſtudiis, & lucubrationibus ſolent cognoſcere, ſtatuere, iudicare; grauiore, & firmiore teſtimonio, luculenter cognoſcent, ſtatuent, & iudicabunt.

Sed fortè, neſcio quomodo longiùs, quàm mea voluntas fuerat, digreſſus, ad propoſitam ab Aduerſario Quæſtionem, duáſque illius reſponſiones, & cauſas redeo. Et quod ad primam pertinet, quam veriſſimam, & ſolidiſſimam eſſe libenti animo confitemur, id certè quàm maximè notandum, & mirum, ne dicam ridiculum; quomodo Aduerſarius in præſentia Argenterium inter illos recenſeat, qui ſcientes, & volentes à Galeno deſciſcere voluerunt, vt ſua doctrina funditus euerteretur; quod ille inſigne flagitium, præcipuámque errorum cauſam fuiſſe exiſtimat: aliàs verò hunc ipſum Argenterium clariſſimum, doctiſſimum, aliiſque id genus illuſtribus titulis compellare, & honeſtare ſoleat; necnon fateatur illi maximas habendas eſſe gratias, quòd contra Galenum de morbis, ſymptomatis, horum cauſis, ſignis & de medici officio, ac propemodum de vniuerſa arte medica diſertiſſimè diſputauerit. Si Argenterius eſt nouator, ſophiſta, propoſitúmque habet Galeni doctrinam funditus euertere; ſi illius ſcripta prauis opinionibus, atque erroribus cauſam attulerunt; quæ (malum) eſt confidentia, vt Aduerſarius illum clariſſimum, doctiſſimum, principem medicorum audeat appellare, ac prædicet, maximas illi habendas eſſe gratias, quòd egregiè contrà Galenum diſputauerit: Contrà verò ſi Argenterius fuit vir clariſſimus, doctiſſimus, princeps medicorum, ſi tam præclarè aduerſus Gal. diſputat, vt ſtudioſi artis medicæ maximas illi gratias debeant habere; quæ (malum) eſt iſta ſimulatio, vt Aduerſarius Gal. vbique admirabilem nominet, omni illuſtriore præconio ornet, teſtetúrque ſe nihil eſſe aſſecuturum, quod ab illius opinione, & doctrina ſit alienum? Ex quo fortè vno loco, in hoc diſputationis limine licet argumentum ſumere, quàm conſtans, & tum ſibi, tum Gal. conſentanea tota hæc de miſſione ſanguinis doctrina futura ſit.

Verum mihi videor videre hunc hominem fortè gloriæ cupidiorem, quàm veritatis, vtriuſque partis gratiam aucupari voluiſſe: cum tamen magnum (vt puto) periculum immineat, ne contrà eueniat, quam ille ſperauerit, adeóque amborum gratiam, ac beneuolentiam amittat: quandoquidem ex Diuino Oraculo, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: & qui non ſolùm diſſentientes, ſed etiam planè contrarias habent opiniones, ſicuti Galenicæ diſciplinæ ſectatores, ac nouatores habent, nulla vnquam ratione videntur cohærere, & concordes fieri poſſe. Quòd verò ad alteram cauſam, ſiue reſponſionem ſpectet, ſi qui ſunt, qui in lectione librorum Galeni ſolis verbis ſint intenti, ipſorum ſenſus omninò negligant, veráſque cauſas & rationes prætermittant, nec ſcribendo integras illius ſententias, nec fideliter afferant, hos quidem cenſeo eſſe inertes, & ineptos, nec ad bonam frugem, vt dicitur, ſe vnquam poſſe recipere. Vtrum autem Curtius, Iachinus, Valleſius in hoc numero debeant reponi, boni omnes, & docti viri iudicium faciant. Ego quidem cenſeo neminem tam rudem, tam rerum omnium ignarum, tam omnis conſilij, & ingenij expertem, quàm illi ſunt, qui deprauato adeo iudicio in Galeni lectione verſantur, ad ſummum illum honoris gradum potuiſſe aſcendere, ad quem videmus eiuſmodi præſtantiſſimos, & omni vera

laude

laude digniſſimos viros aſcendiſſe.

Sed iis duabus ab Aduerſario poſitis reſponſionibus,& cauſis,mihi quoque liceat aliam prætetea rationem fortè priotibus potiorem adiungere: qui cenſeo non ſolùm de miſſione ſanguinis, ſed etiam de vniuerſa atre medica, tot nouas, à vetere diſciplina abhortentes, ac planè monſtroſas opiniones qootidie exaudiri; quòd pletique omnes,vel improbè educati,vel laboris impatientes,vel noo niſi aurum ſitientes, vel propter alias id genus cauſas bteui admodum tempore ad medicinæ ſtudium ſe conferunt,vel potius eelerrimè currunt nou ſolùm dialectices, & omnis philoſophiæ,ſed etiam grammatices imperiti, hac re veteribus, quibuſdam medicis planè ſimiles; quos aliquando ſetibit Galenus, tantam vel dialecticæ, vel grammaticæ, vel thetoricæ cognitionem habuiſſe, quantaio aſinus lytæ. Vt proptetea nulli mirum debeat videti,eum plurimi neſciant, ſi nequeant Galenum intelligete,ſi ab illo deficiant,in illius lectione imperitè,ac deptauatè verſentur, ſi nouas quotidie opiniones,eogitationes,chymetas comminiſcantur. Cum igitur propter tres cauſas,ſi modò noſtra non eſt protſus reiicienda,fiat,vt tot petuetſæ opiniones de ſectione venæ originem habuerint,vtinam in Aduerſario,qui fortè opinionem cæteris omnibus petuerſiorem commentus eſt,non omnes conuenetint:id quod ſtudioſi progreſſione diſputationis poterunt apertiùs intelligere, & iudicare.

AD CAPVT II.

Quæſtionis propoſitio.

DVo potiſſimum hoc capite videotur contineri: alterum,quidnam Aduerſario propoſitum ſit hoc primo libro tractare.[*Docebo*(ille inquit)*an vnus duntaxat ſit ſcopus verè indicans ſanguinis miſſionem,vt ego ſentio,& quis ille ſit:an duo, indicantes remedij executionem, & vſum:an tres,an quatuor,an plures tum indicantes remedium, vſúmque,tum ſignificantes principales, primóſque ſcopos: in his enim primus hic liber abſoluetur.*]n quo ſummum illius artificium, ſingularémqoe methodum licet animaduertere.Qui primum admodum ineptè quærit; *An vnus ſcopus, an duo, an plures*, &c. Quid ni & an mille,an bis mille:Nonne ſati fuetat quæſiiſſe, quinam ſint veri, præcipui, ac legitimi ſcopi,quibus poſitis liceat ſanguinem mittere, vel deficientibus temedium prætermittere opotteat? Deinde quid ſibi vult, *Docebo, au vnus ſit ſcopus, an plures ſignificantes principales,primoſque ſcopos?* Quæruntur ſcopi principales, & docentur ſcopi, qui principales ſignificant?Quæ iſtæc eſt confuſio? Potuiſſet vno vetbo diſtinctè dicere; declarandum qui ſint principales ſcopi,qui ſecus,quod nos fecimus noſtra Diſputatione. Præterea, quid ſibi vult; *An duo ſint ſcopi indicantes remedij executionem, & vſum*? Quæ ſcrupuloſa diſtinctio? Quæ inſolentes voces? Nonne ſcopi verè indicantes miſſionem ſanguinis,illius executionem, & vſum indicant? Quid aliud Galeoo eſt iodicare, quod poſterius cumulatè declarabitur, quàm cum ratione,atque ex tei natura inuenire quid agendum ſit? executionem, & vſum temediorum? Quod ſi principalis quæſtio tam implicita, & confuſa proponitur, quid de vniuetſa tractatione ſperandum eſt?

2 Meth. cap.7. 3. Meth.c.1.

Altera porrò hoius capitis pars eſt,in qua Aduerſarius Galeni inconſtantiam, & varietatem proponit:qui deſcribendis ſcopis mittendi ſanguinis,afferens modò plures, modò pauciores, quandoque vnum, nonnunquam duos, aliquando tres, alias quatuor, interdum octo,vel decem, parum ſibi ipſe videtur conſtare. De qua re quoniam ille poſteriùs non ſemel, & diffusè ſermonem eſt habiturus, non eſt io præſeotia loogios agendum.

AD CAPVT III.

De ſcopis mittendi ſanguinis ex Galeno.

ADuerſarius inquirens quid generaliter de ſcopis ſtatuendum ſit ex Galeni ſententia, reſpondet illum pro varietate conſiderationis varios ſcopos conſtituiſſe.[*Aut.n.*(inquit)*inquirimus ſcopum verè indicantem detractionem ſanguinis,aut tum indicantem, tum contraindicantem ſimul; qui duo inuicem conſpirantes, ſtatim accedendum ad opus inſinuant: diſſentientibus omnibus, aut alterutro, omnino abſtinendum: aut tandem tum hiſce ipſos ſcopos quærimus, tum etiam ſignificantes ſtatum, atque naturam indicantium, contraindicantiúmque, eſt ſcopus vnus duntaxat propriè indicans ſanguinis miſſionem, nec certè plures eſſe poſſunt. Quoniam verò indicationes propter operationem conſiderantur, neque habito indicante ſtatim ad opus accedimus,pro ipſo abſoluendo conſenſus deſideratur contra indicantis. Propterea duo ſunt primarij ſcopi pro executione huiuſce remedij animaduertendi: nempe vnus indicans, alter admittens, vel non prohibens, aut idem remedium indicans modo tamen contrario: atque hæc profectò eſt Galeni ſyndromes,quam ille imitatione Menodoti propoſuit.*] Hactenus Aduerſarius,qui deinceps ex hac diſtinctione, & doctrina rationem colligit, quamobrem modò plures,modò pauciores ſcopi à Galeno fuerint inſtituti. Ego verò,qui ſæpe experior, ac ſentio, quàm tardo, & hebeti ſim ingenio, libenter fateor me neque verba, neque verborum ſenſum ſatis intelligere. Quin immò, ita D. O. M. mihi velim propitium, vt loquor ex animo, in ea opinione ſum, paucos, fortè neminem, fortè neque ipſummet Aduerſarium, fortè ne Apollinem quidem hos Platonicos numeros poſſe comprehendere. Quod (puto) facile vnuſquiſque mecum fatebitur, quicunque ad huiuſmodi & rerum, & verborum ſeriem paulò attentius voluerit animum adhibere. Quocumque autem modo res ſe habeat, mihi liceat nonnulla breuiter annotare, & perpendere. Ac primum quidem, qood Aduerſarius inquit, nos inquirere vel ſcopum verè indicantem, vel tum indicantem,tum contraindicantem; quæro, iſti duo poſteriores ſcopi, tum indicans, tum contraindicans verè ne indicabunt, an falsò? Si verè, quid fuerat, vt hæc particula in vno membro,minimè in altero poneretur? Si falsò, quid abſurdius dici, aut concipi animo poteſt? Deinde verò cum ait, ſcopum indicantem, & contraindicantem ſimul conſpirantes,ſtatim accedendum ad opus inſinuare; diſſentientibus omnibus, aot alterutro abſtinendum: ſunt omnia noua, falſa, abſurda, & ab omni ſana doctrina aliena. Quæſo enim quomodo ſcopos indicans, & contraindicans, duo contraria poſſunt ſimul conuenire, & conſpirare? Alter affirmat, alter negat:alter permittit, alter prohibet:alter indicat,alter contraindicat. Quid à rerum natura alienius dici, aut exiſtimari poteſt? Verum eſto,ambo conſentiant:falſum id quoque, & abſurdum eſt,illos inuicem conſpirantes ſtatim ad

ad opus accedendum inſinuare: falſum id quoque diſſentientibus omnibus, aut alterutro, à miſſione ſanguinis fore abſtinendum: quandoquidem etiamſi alteruter diſſentiat, licet aliquando ad venæ ſectionem accedere. Ex. gr. Hæmorrhagia, quatenus eſt ſanguinis fluxio, indicat ſanguinem ſupprimendum eſſe; adeóque maximè venæ ſectionem contraindicat; (quid enim magis vacuationem per miſſionem ſanguinis poteſt contraindicare, quàm ſanguinis effluuium?) nihilominus etiamſi vterque huiuſmodi ſcopi ſimul non conueniunt, neque conſpirant; etiamſi alteruter deficiat, ac vehementer diſſentit, plus pollente indicatione à magnitudine morbi, quandóque licet venam incidere.

Præterea nec minus abſurdum videtur, quod ſcribitur, nos quærere tum ſcopos verè indicantes, & contraindicantes, tum etiam ſignificantes ſtatum, atque naturam indicantium, & contraindicantium: qua enim ratione ſcopos verè indicantes, & contraindicantes quis poteſt intelligere; niſi eorum ſtatum, & naturam intelligat? Hoc à bona philoſophia nimis alienum eſt. Equidem certè nunquam memini me huiuſmodi tam ſubtilem, & argutam diſtinctionem, doctrinámque apud Galenum legiſſe.

Adhæc neque illud ſua caret abſurditate, quod aduerſarius inquit, ſcopos indicare idem remedium, modo tamen contrario: quod qui fieri poſſit, ne fingere quidem animo poſſum. Poſtremò, vt ne ſingula perſequar, id quoque notandum eſt, quod Aduerſarius demum ſcribit; hanc profectò Galeni ſyndromen fuiſſe, quam ille Menodoti imitatione propoſuit. Namque ſi quis veram Galeni ſyndromen memoria repetat, quæ ab illo *De Miſſ. Sang. c. 9.*
hiſce verbis exponitur, *Primi, ac maximè proprij ſanguinis mittendi ſcopi ſunt morbi magnitudo, & robur laborantis; & hanc primam eſſe ſyndromen dicere oportet, haud plethoricam, in qua ſanguinis miſſio obſeruata ſit*, &c. is facile intelliget, quàm mens Galeni à mente Aduerſarij ſit aliena; Galenúmque ſibi Hippocratem, Platonem, Ariſtotelem, non Menodotum imitandos propoſuiſſe. Nos porrò ex tanta obſcuritate conati ſumus aliquam lucem elicere. Sed cum ille polliceatur ſe deinceps hæc omnia ſigillatim, ac diligentius eſſe explicaturum, poſt tenebras expectabimus lucem. Quo quidem opportuniore loco nos quoque rurſum hanc ipſam rem tractare non grauabimur. Verùm quæ reſtant perſequamur.

Aduerſarius itaque ad ſuam texendam telam, tanquam fundamentum ponit Galeni axioma lib. 9. de Meth. Med. cap 11. ac libro de Rat. Cur. per ſanguinis miſſ. cap. 8. & 12 ac frequenter alibi. *Sanguinis miſſionem tum in ſanis, tum in ægrotis duplici de cauſa exerceri: quarum vna eſt vacuatio ipſius ſanguinis, cum ita multitudine creuit, vt vaſa diſtendat, in tumorem adducat, aut ſaltem vires aggrauet. Alia verò vehementer fluentis reuulſio, ad contrariam partem ducendo, ac poſtea ad proximas, vicináſque deriuando: cui aliud etiam addamus ex ex eodem authore, quod cauſa in vniuerſum ob quam venæ ſectio petitur, eſt, vt vacuetur ſanguis*, Hæc ille. Quoniam verò ſi velimus accuratè, & exquiſitè hæc ſigillatim examinare, in quibus tota ferè ſumma noſtræ diſputationis videtur conſiſtere, foret neceſſe huc multa afferre, atque in hunc locum congerere, quæ certè poſterius magis opportunè, ordinate, ac diſtinctè tractari poſſunt, ac debent, operæ pretium facturi videmur, ſi nos quoque in præſentia hanc rem ſummatim agamus. Quod quidem fiet, ſi duntaxat Galeni locos qui ab Aduerſario proponuntur, parumper perpendamus, quibus vniuerſa illius fabrica nititur: aliàs cum ipſo diffusè, ac diligenter in hoc eodem argumento verſaturi. Primus itaque locus eſt huiuſmodi.
Quoniam ſectio venæ ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur; ſanguis autem natura vtilis eſt, vt vtique probè hanc adminiſtrari cōueniet, vt quod inutile natura ſit, emittat. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariam, vel cum propriā qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicuti prius cum vtilis eſſet, poteſt: vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tam arterias vel diſtēdat, vel rumpat, vel obſtruat, &c. Hic vir clariſſimus ſolet nonnullos arguere, quòd verba duntaxat Galeni attendant: ille fortè arguendus, quòd Galeni verba non attendat. Namque ille ita planè, & apertè, vt planiùs, & apertiùs non poſſit, nos hoc loco docet, ſanguinem generaliter gratia vacuandi ſanguinis naturæ inutilis adhiberi: ſanguinem autem dupliciter, vel propter alienam acquiſitam qualitatem, vel propter nimiam copiam inutilem reddi. *9. Meth. c. 11.*

Itaque per Galenum duæ ſunt cauſæ, altera improba qualitas, altera nimia copia ſanguinis, propter quas nobis licet ad illius vacuationem accedere. Si quis autem duas huiuſmodi Galeni cauſas cum duabus Aduerſarij cauſis conferat, is facile intelliget has illis minimum & nullo prorſus modo quadrare. Quandoquidem Galenus de poſteriore illius cauſa, gratia reuulſionis, vel deriuationis, nec meminit, nec potuit meminiſſe: cum reuera conſilium mittendi, aut non mittendi ſanguinis; ſuſcipiatur ex malitia vel multitudine ſanguinis; conſilium autem reuellendi, vel deriuandi non ex malitia, vel multitudine ſuſcipiatur, ſed ex motione, & ſitu humorum, qui negocium faciunt. Quæ quidem doctrina cum aliàs frequenter, tum maximè hoc ipſo loco aperiiſſimè à Galeno tradita eſt: vbi poſitis cauſis, propter quas ſanguinem mittere oportet, variam deinceps rationem, variúmque modum nos docet, quo huiuſmodi remedium ſolet à medicis adminiſtrari. Qui ſcribit miſſionem ſanguinis vtilem eſſe, in nonnullis, tanquam vnam vacuantium præſidiorum, in aliis, tanquam præſidium, quod vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel ad latera detinet: atque hinc fieri, vt medici ſanguinem detrahant, aliàs ſemel, aliàs bis, vel ter, vel ſæpiùs, vt vna, vel altera vacuationis ratio poſtulat. Vtcunque autem Galenus docet propter malitiam, & copiam ſanguinis ad ſectionem venæ accedendum eſſe, equidem cenſeo huiuſmodi determinationem minimè generaliter eſſe recipiendam; immò verò ita cum Galeno habendum eſſe, nullum quantumcumque inſigne vitium, nullam quantumcumque ampliſſimam, ac ſummam copiam ſanguinis, neque vacuationem, neque reuulſionem, neque deriuationem, vno verbo miſſionem ſanguinis indicare; niſi hinc morbi magnitudo, vel fiat, vel immineat. Quod quidem poſterius accuratè, diffusè, efficaciter confirmaturi, nolumus in præſentia longius agitare. Quod verò ad alios duos Galeni locos pertinet id lector, à te maximopere peto, & quæſo, vt vtrumque legere non graueris. Etenim cum ego ſemel, bis, & iterum attento animo eos legerim, nihil prorſus mihi videor inueniſſe: quod aduerſariæ cogitationi fauere poſſit. Siquidem Gal. priore non aliud agit, & docet, quàm ſanguinem quandoque, etiamſi nulla vrgeat plenitudo mittendum eſſe: nec non rationem & ortum eorum affectuum, qui ex fluxione originem habēt. Poſteriore autem quando ſemel, quando ſæpius, quādo parcè, quādo copioſè, vel vſque ad animi deliquiū ſanguinem mittere oporteat: qui poſtremis verbis id ſolū *De Sang. Miſſ. c. 8.*

ſcribit,

ſcribit reuulſionem, quantò maiorem in numerum detractiones augeantur, tantò efficaciorem reddi. Itaque, vt finiam, axioma Galeni; in ſophiſma aduerſarium mihi videtur degeneraſſe. Quod ſi hæc principia, & fundamenta ſunt non ſolum tam infirma, ſed etiam planè ruinoſa, quid de vniuerſa fabrica ſpetandum eſt.

AD CAPVT IV.

Notantur ſex Aduerſarij errores.

CVm de indicatione ex rei natura, de opinione Menoduti Empirici, de Galenica illius refutatione, & aliis eiuſmodi locis, qui hoc potiſſimum capite tractantur, poſteriùs opportuniore loco ſermonem, & quidem accuratè habituri ſimus ſtatuimus ex præſenti capite nonnullos duntaxat errores ſeligere: quos certè, & multos, & magnos non debuimus ſilentio præterire. Primus itaque error eſt; [*Ab vno vnum perpetuo indicari, & non plura, ſimplex, aut compoſitum, provt fuerit natura eius, quod indicat*,] &c. Hanc etenim propoſitionem, quam principium appellat, malè intelligit, qui illud etiam ad materiam remediorum accommodat.: cum tamen certo certiùs ſit, multa remedia hoc modo poſſe ab vno indicari, ſi modo addiţimus remediorum materiam indicari. Exempli gratia quis ignorat vnicæ calefaciendi indicationi exercitationem, piper, ignem ſatisfacere poſſe? Ex quo fit, vt vana etiam ſit conſequentia, quam colligit; *alij ſatisfacit inedia, alij frictio, alij balneum*, &c. ergo venæ ſectio non indicatur. Siquidem plurima poſſunt (hoc inquam modo) indicari. Non longè abieris. Quid prohibet, quin aliquando in vno, & eodem homine inedia, frictione, balneo, vel ſingulis ſeorſum, vel ſimul plurimis, aut omnibus poſſimus vti.

Secundus error eſt, cum ſcribit; [*Sanguinis emiſſionem vnum quoddam eſſe præſidium, non tergens, non incidens, non alterans, non attrahens, &c. non aliquid aliud faciens per ſe, quàm vacuationem.*] Namque, vt cætera prætermittantur, nulli dubium eſſe poteſt, aut debet, quin ſectio venæ per ſe attrahat, per ſe refrigeret. Quod enim lege naturæ atque ex naturalibus, ac propriis principiis aliquid facit, per ſe facit. Venæ ſectio neceſſariò, & ſuaptè natura fit cum ſanguinis motu ad exteriora: hanc lege naturæ neceſſariò ſequitur attractio ſanguinis ad locum euacuatum, ergo venæ ſectio per ſe trahit. Præterea ſuaptè natura ſubtrahit materiam calidam, in qua fundatur calor; ergò per ſe refrigerat.

Tertius error iis verbis continetur. [*Inquiramus diligenter quid ſit, illud vnũ, quod pro ſui natura ſanguinis miſſionem indicet. Menodotus empiricus dicebat eſſe ſolam plenitudinem quæ vaſa reſpicit, quam ſyndromes illa plethorica ſignificabat.*] Quandoquidem Empirici, nec rei naturam conſiderant, nec indicationes admittunt, ſed in ſola experientia, & obſeruatione acquieſcunt. *Inuenitur quidẽ* (inquit Galenus) *& ab ipſa experientia id quod conſequens, faciendúmve ſit. Cæterum non ita, quaſi in præcedenti aliquo deſignatum; proindéque nemo Empiricorum dicit id iſto indicari. Denique omnem artem horum obſeruationem memoriámque eſſe dicunt.* &c. De qua re poſteriùs bene longum ſermonem habebimus.

Quartus eſt error, quòd minùs congruentem fecerit diuiſionem huiuſmodi. [*Duobus modis fieri poteſt vacuatio ſanguinis vel inſenſibiliter, in aerem digerendo ipſum, vt fit à balneo ſoto, inunctione digerente, multa frictione, vt fomento vel ſenſibiliter, ac etiam violenter aperta ſcapello vena, in qua confirmabatur.*] Namque poſterior particula ſenſibilis vacuatio, ſicuti de priore factum eſt, debuit ſubdiuidi in multos, quibus illa fieri poteſt: inter quos eſt venæ ſectio.

Quintus error, *Vacuandi ratio, quæ ſenſim fit, nõ eſt plane accommodata, neque ſufficiens in ægrotis; nec in ſanis ægrotaturis, ſi magnus immineat.*) Quæſo an non Galen. febrem diariam balneo curat? an non quotidie morbos plurimos ſola inedia, frictione; exercitatione curamus? An non iiſdem Galen. ſcribit, ſanos homines ſi in victus ratione temperantes fuerint, & frictione multa, & balneis, & ambulationibus, aliíſque motibus, nec non diſcutientibus vnctionibus celeriter plenitudinẽ exhaurire, adeóque à pluribus, & grauiſſimis morbis ſibi cauere.

Cæterum, vt ne ſingula odioſè longius perſequar, poſtremus Aduerſarij eſt error, ſed adeò turpis & craſſus, vt equidem neſciam, admirationem ne maiorem, an ſtomachum mouere poſſit. Illius verba hæc ſunt. [*Dico Galenum duobus duntaxat in locis, apertè admodum, quantum ex eius lectione obſeruare potui dixiſſe ſanguinis miſſionem indicari à magnitudine morbi. Primus locus eſt libro quarto de Methodo Medendi cap. ſexto. Alter locus non minus dilucidus continetur libro de Ratione Curandi per ſanguinis miſſionem, capite decimotertio*, &c.) Vbi Aduerſarius ſeriò loquitur, nec reuerà alios præterea Galeni locos hanc ipſam rem docentes, tot iam per annos potuit obſeruare, vtique fatendum eſt hunc hominem admodum ieiunè, & negligenter in Galeni lectione verſatum eſſe: cum ille tot locis, quot certè à nemine poſſunt ignorari, tam apertè, & euidenter, quàm quod apertiſſimè, & euidentiſſimè non grauatus fuerit, docere, affirmare, confirmare, repetere, inculcare, tanquam rem longè maximi momenti, tres eſſe principes ſcopos mittendi ſanguinis; In primis verò, proximè, verè, perpetuò à magnitudine morbi huiuſmodi remedium indicari. Ex quibus quidẽ propemodum infinitis Galeni locis mihi liceat vnum vel alterum in medium afferre. Itaque libro de ſanguinis miſſione ſic ſcriptum eſt. *Rectè in iis, quæ de victu acutorum morborum propoſita, & diſputata ſunt, admonemur, vt ſanguinem mittamus, vbi magnus fuerit morbus, & æger florentis ætatis, illíque robur aderit.* Et iterum. *Primi autem, ac maximè proprij ſanguinis mittendi ſcopi ſunt, morbi magnitudo, & robur laborantis.* Et rurſum. *Tria igitur ſunt, quæ dignotionem mittendi ſanguinis continent, morbi magnitudo, aut præſens, aut imminens, ætas vigens, & virium robur.* Denuò. *Sanguinem itaque mittemus, vbi magnum fore morbum ſuſpicabimur, aut præſentem iam intuebimur, aut incipientem, robur virium conſiderantes pueris tantùm ex oratione exemptis. Sufficiunt enim ad mittendum ſanguinem hi ſoli ſcopi.* Demum. *Tribus ſcopis mittendi ſanguinis definitis, magnitudine nimirum morbi, aut præſenti, aut imminente, aut incipiente, vigente ætate, & robore virium extra puerorum ætatem. ad alias prædictas mittendi ſanguinis notas, quas non pauci medicorum adiecerunt, accedamus, qui quantitatem quidem detractionis, non ipſam ſanguinis miſſionem ſimul indicarunt. Proinde è morbo, ætate, & viribus quòd mittendus ſit ſanguis cognoſcitur, quantitas autem vacuationis*, &c. Vno capite, & quidem paucis lineis hęc omnia continentur. *In podagricis, arthriticis, comitiali morbo obnoxiis, melancholicis, vertiginoſis, &c. vel, vt ſummatim dicam, in omnibus magno quopiam morbo laborantibus ſanguinis miſſionem neceſſarium eſſe præſidium arbitror, poſthabitam virium, & ætatis rationem. Quocumque die mittendi ſanguinis ſcopos, in ægrotante inueneris, in eo*

præſidium hoc adhibito. Quinam verò fuerunt hi ſcopi? Magnus morbus, virium robur, excepta ætate pueriliS, & ambiente nos aere admodum calido. Oportebat Hippocratem, cum hominem animaduerteret in periculo eſſe, ad ſanguinis miſsionem accedere, aut prima die, &c. ruſum. *Si in veris operibus Hippocratis magnis infeſtantibus morbis, ſemper ille ſanguinis miſsione vtitur, ſimul cum ea duo hæc reſpiciens, ætatem pariter, & ægri vires, & his ipſis in libris,* &c. ſed iis paucis teſtibus volo eſſe contentus, qui (ni fallor) inſtar omnium eſſe poſſunt, & Aduerſarij inſignem negligentiam ſatis demonſtrant. Ac ſanè cum huiuſmodi crimen ab omni ingenuo, & veridico homine, potiſſimum verò doctore, & ſcriptore celeberrimo debuiſſet eſſe alienum, certè in eo, qui viros, vel præclariſſimos acriter ſolet arguere, quòd parum attentè & fideliter in Galeni lectione verſentur, vix, aut ne vix quidem videtur poſſe perferri.

AD CAPVT V.

De indicatione à magnitudine morbi, in qua Aduerſarius ſecum pugnat.

QVæ hoc capite continentur titulo conſentientia, morbi magnitudinem, præſentem, imminentem, atque incipientem indicare ſanguinis miſſionem, doctrinæ Hipp. & Gal. conſentiunt. Atque vtinam pariter doctrinæ Aduerſarij perpetuò conſentirent. Nam fortaſſe inter nos quoque aliqua tandem conſenſio fieri poſſet. Etenim ſi morbi magnitudo præſens, imminens, incipiens ſanguinis miſſionem indicat, nonne ſequitur neceſſariò morbi magnitudinem principem huius remedij ſcopum ſtatuendum eſſe? Quam conſtat totius noſtræ controuerſiæ ſummam extare. Verùm enim verò progreſſione diſputationis (vt ſpero) palam fiet, Aduerſarium non ſolùm à Galen. ferè ſemper diſſentire, ſed etiam in tota oratione ſecum pugnare, ac maximè inter ſe diſiuncta, & contraria loqui, vt fortè non tanta mecum, quanta ſecum videatur eſſe contentio. Id quod in præſentia quoque facile mihi videor poſſe demonſtrare. Namq; ille hic probandum ſuſcipit, vt diximus, magnitudinem morbi præſentem, imminentem, atque incipientem indicare ſanguinis miſſionem: quod quidem optimè demonſtrat ex Galeno, quem primum omnium, etſi falsò, huiuſmodi indicationis inuentorem appellat. Nihilominus hæc ſtatim adiungit, quæ Galeni doctrinam, ac veritatem contaminant, atq; euertunt, nec ſibiipſi cōſentiont. [*Magnitudo igitur morbi præſentis requiritur in iis, qui actu ægrotant, & qui potiſſimū afficiuntur morbis ex vtraq; plenitudine, quales potiſſimū ſunt inter febres, quæ ſynochæ nūcupantur: immò verò omnes putridæ in corporibus plethoricis aduenientes, obſtructione à plenitudine generata,* &c.] Animū hic (lector) parumper adhibe quæſo. Aduerſarius comprobat magnitudinem morbi eſſe indicatricem venæ ſectionis, per hæc verba Galen. *Itaque ſi magnum fore morbū expectamus, aut iam præſentē inſpicimus, aut incipientem, venam tundemus, virium habita ratione, tantum ex oratione exceptis pueris.* Et iterū, *Definitis itaque tribus mittendi ſanguinis ſcopis, nempe morbi magnitudine, aut præſente, aut imminente, ætate florente, & virium robore, extra puerorū ætatem.* &c. Ex iis (obſecro te) quid aliud ſequitur, aut ſequi poteſt, quàm magnitudinem cuiuſlibet morbi venæ ſectionem indicare, ſi vires, & ætas conſentiant? Quomodo igitur ille deducit ſolum de morbis ex vtraque plenitudine? Quænam iſta eſt ratio argumentationis, aut conſecutionis? Quid verò cum ait, [*qui actu ægrotant, qui potiſſimùm afficiuntur morbis ex vtraque plenitudine.*] hoc mea quidem ſententia, non eſt reddere viam planam, dilucidam, ac ab omnibus tribulis, ac ſpinis liberam, vt ille in gratiam ſuorum auditorum, & iuniorum medicorum profitetur ſe eſſe facturum, ſed eam inæqualem, tenebricoſam, inuiam efficere. Adhuc n. dubium relinquitur, quidnam de alteris morbis, qui non fiunt ex plenitudine, ſtatuendum ſit. Namque vt interea concedamus morbos ex plenitudine potiſſimùm venæ ſectionem indicare, non tamen id certè ſequitur indicare ſolos. Idem quoq; eſt loquēdi modus perplexus, & implicatus. [*Quales potiſſimùm ſunt febres ſynochæ, immò verò omnes putridæ in corporibus plethoricis aduenientes,*] Quid de aliis febribus ſine plenitudine oriundis, quid de aliis morbis oportet decernere? [*In hoc ordine recenſetur etiam omnes tumores præter naturā à ſanguinis copia proficiſcentes,* &c.] De Eryſipelate, & ceteris tumoribus quid deliberandum eſt? [*Eſt igitur cū Gal. concludendum, non ſolùm vbi adſit morbus grauis, ſed etiam vbi futurum ſuſpicamur, ſæpius eſſe detrahendi ſanguinem.*] Egregiè, ac verè, ſed quid cum Aduerſario conficiendum eſt? Si concluſio continetur in præmiſſis, vt logici Loquuntur, aliud certè colligi non poteſt, quàm magnitudinē morbi tum præſentis, tum imminentis, ex vtraque plenitudine venæ ſectionem indicare. Ex quibus ſtudioſi facilè poterunt intelligere, quid inter doctrinam, & mentem Galen. doctrinámque & mentem Aduerſarij interſit: necnon iudicium ferre, vtri maior ſit adhibēda fides. Sed quæ reſtant perſequamur. [*Atque hæc profectò vera cauſa eſt ob quam ſanguis mittitur imminente morbo, metus videlicet magnitudinis futuræ, qui motus ad agendum impellit. Perperámque Menodotus in ſola ſyndrome plethorica ſeruari venæ ſectionē inquit. Quia ſcopi ſanguinis detrahendi non cōplectūtur in ſe primò, ac principaliter ſolā plenitudinem, ſed fientis* (inquit Galen.) *paſſionis ſuſpicionem.*] Hiſce paucis verbis multi errores, multáque abſurda mihi videntur contineri. Primum, ſi morbi magnitudo eſt vera cauſa, quamobrem ſanguis mittatur, quæ eſt cauſa inuenta ab Hippoc. ſuſcepta à Galen. vt altera cauſa plenitudo, vel motus humorum, quæ eſt cauſa allata ab Aduerſario, non ſit vera cauſa, fateamur neceſſe eſt. Deinde libenter de Aduerſario ſcire velim, quoſnam ille ſanguinis detrahendi ſcopos intelligat, qui in ſe primò non complectuntur plenitudinem. Ac ſanè equidem neſcio quid poſſit reſpondere. Namque ex vna parte, ſi magnitudo morbi à ſanguinis plenitudine, aut motu procreati, verè, ac ſequenti capite, immò verò hoc toto opere conatur demonſtrare, quomodo fieri poteſt, vt huiuſmodi ſcopus in ſe primò plenitudinem haud complectantur? Ex altera autem ſi intelligat ſcopos ab Hippocrate & Galeno propoſitos, magnitudinem morbi, vel ſine vlla plenitudine, ætatem, ac vires, quod veriſimile eſt, cum ipſamet Galeni verba tranſcribat, quid magis inconſtanter, quid magis confuſè, quid magis abſurdè, quid magis ſibiipſi, ac ſuæ doctrinæ contrariè, dici, aut excogitari potuit.

Sed illud quoq; notatione, & admiratione dignum eſt, hunc hominem, qui aliis infidelitatis crimen ſolet exprobrare, ſincerámque fidē tantopere profiteri, tam frequenter Galen. ſententias falsò afferre, omnémq; eorum legitimum ſenſum peruertere, ſicuti euenit in præſentia, cum ſcribat ſcopos ſanguinis detrahendi non complecti in ſe primò, ac principaliter ſolam plenitudinem, ſed fientis paſſionis ſuſpicionem. Verba autem Galeni ſunt huiuſmodi. *Perperam Menodotus in ſola ſyndrome plethorica vocata venæ ſectionē obſeruari tradit.*

De ſang. miſ. c. 9.

De ſang. miſ. c. 9.

dit. Contrà enim in vniuerſam ſanguinis mittendi ſcopi plenitudinem in ſe primò haud complectantur; ſed ſuſpicionem eius, quod adhuc ſit mali. Quantum autem hæc differant, ſcopos in re primò non complecti ſolam plenitudinem, & ſcopos in ſe primo non complecti plenitudinem, id verò puto vel cæco eſſe perſpicuum, & ſuperuacaneum vt pluribus exaggeretur.

Ante verò quàm me ex hoc capite expediam, quandam Aduerſarij ſententiam nequeo ſilentio præterire ſingulari notatione & obſeruatione digniſſimam. Ea verò eſt. [*Quantumuis plenitudo eſſet multa, niſi immineret ex ea periculum vita, quod ſignificarunt veteres nomine magnitudinis futura, nunquam ſanè ad ſanguinis miſſionem accederemus.*] Nulla maior inter me, & Aduerſarium eſt controuerſia, quàm de ſcopo plenitudinis, quod vniuerſa diſputatione palam fiet: ille enim contendit mordicus illum pro miſſione ſanguinis eſſe cum primis neceſſarium; adeo vt ſine plenitudine re præſente, vel futura nũqnam liceat ad huiuſmodi remedium accedere. Ego contra conſtanter aſſeuero, plenitudinem nuſquam, & nunquam venæ ſectionem indicare, niſi quatenus morbi magnitudinem, vel afferat in præſentia, vel in poſterũ ſit allatura. Quæ quidem doctrina eſt Galeni eáque tam euidens, & certa, vt mea ſententia, nullus homo prudens de ea ambigere poſſit, iſtud porrò ipſum Aduerſarius quoque nunc euidentiſſimè fatetur, & profitetur, quod maximè cupio lectorem bene memoria tenere, qui nunquam deſinat mirari, qua fronte ille deinceps aduerſus ſuam ipſius confeſſionem hanc ipſam rem audeat negare, & impugnare. Ac ſanè ſi Aduerſarius hanc ſententiam perpetuò, & conſtanter tenuiſſet, fortè de cæteris controuerſiis facilè inter nos potuiſſet conuenire.

AD CAPVT VI.

Collatio doctrinæ Hipp. & Aduerſarij.

ADuerſarius in præſentia propiùs accedit, ſuamque aperit opinionem, quæ in ſumma [*Magnitudinem morbi à ſanguinis plenitudine, aut mala procreatis, verè, ac propriè indicare ipſius ſanguinis detractionem.*] Antè verò quàm nos quoque agamus cominus, id mihi libet ſemel præfari. Quoniam ille tam frequenter, & præter omnem modum, quàm facilè quiſque poteſt animaduertere, repetit plures huiuſmodi rationes. Indicationes à rei natura ſumi; pro illius varietate variari; à natura rei ſimplicis, indicationem ſimplicem; à natura rei compoſitæ, indicationem compoſitam exhauriri, auſpicandum à primis indicationibus, atque hinc ad eas, quæ deinceps ſunt, rurſúmque ab iis ad proximas tranſeundum, vſque ad remediorum inuentionem plenitudinem miſſione ſanguinis, cacochymiam purgatione; intemperiem ſine materiæ alteratione; intemperiem cum materia vacuatione ſanari; reuulſionem ad contraria, deriuationem ad proxima efficiendam eſſe; & aliàs id genus; quas ille theſes, axiomata, principia & fundamenta ſuæ diſputationis appellat, quæ inquit rationi, principiis medicinæ, Galeni doctrinæ conſentire: vt amicum huiuſmodi anxietate, ac labore liberem, omnibus, & ſingulis apertè, palámque facio, fateor, ac profateor, & ſi opus fuerit, publicas de hac re tabulas conficiam, me hac in parte, manibus, pedibúſque, ac toto corpore in ſuam ipſius ſententiam diſcedere, omniaque libenter ſuſcipere, amplecti, probare, quæcunque indicationibus ex Galeni ſententia ab illo proferuntur.

Tametſi hic quoque multa ſunt, quæ Galenicã doctrinam non ſapiunt. Exempli gratia, cum ille inquit, [*Duplicem eſſe intemperiem, quarum vnam ſine materia conſiſtere, aliam verò cum materia: illi ſuccurrere alterationẽ, huic autem vacuationem, quẽadmodum docet Galenus in Arte Medica c. 89.*] Neque enim ſententia vera eſt, neque fideliter adducta authoritas: ſiquidem falſum eſt intemperiei cum materia ſuccurrere vacuationem, ad differentiam alterius, quæ alteratione ſanatur: cum illa quoque præter euacuationem, alterationis indigeat. Quod ipſa rei natura docet. Nec certè aliter ſentit Galenus libro Art. Med. qui in febribus ex putredine humorum, vacuandi, & alterandi indicationem conſtituit, qui in intemperie cum cauſa, inquit, priùs cauſam, deinde intemperiem tollendam eſſe: intemperiem cum materia tolli vacuatione, certè quidem nunquam dixit, & iure optimo; propterea quia ſicuti duplex eſt affectus, intẽperies, & materia, ita duplex neceſſariò requiritur indicatio, & alterandi, & euacuandi. Sic alia non deſunt eiuſdem notæ. Sed aliud agimus in præſentia. Ac ſanè ſi velim ſingula perſequi, nunquam ſcribendi finem faciam. Cum igitur Aduerſario omnia propemodum largè concedam, & donem, quæcunque illi placent, ipſe quæſo pariter æquo animo ferat, & intelligat, præter cæteros ſcopos, ex quibus indicationes eliciuntur, vnum, & quidem principem, & regium ἡγεμονικὸν, morbi magnitudinem extare, ex quo indicatio miſſionis ſanguinis, & purgationis ſuggeritur. Quod ſi ille non poteſt huiuſmodi ſcopum æquo animo ferre & intelligere, immò verò ſtatuit in illum mortales inimicitias exercere, iſtud agat, in eo verſetur; potiſſimùm verò ad ea reſpondeat, ſi poteſt, quæ de illo tam præclarè, tam perſpicuè, tam magnificè ab Hippocrate, & Galeno tradita ſunt.

Sed ad rem. Quandoquidem tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, & ab omnibus cõceſſum, inter plurimos ſcopos, qui ab Hippocrate, & Galeno, in methodo medendi præclariſſimè ſunt inſtituti, vnum extare, qui ſuggeritur à morbi magnitudine; ſi quis Galenum interroget; à quonam ille primum fuerit inuentus; quiſnam ille ſit, quótque & quales indicationes medicis afferat, ille ad hunc reſpondebit per hæc verba. *Hippocratem ſanè diligentia nomine admiror: cum in aliis omnibus, tum verò, quod ſcopum, qui medica ad indicationem, non in vno, alterove; ſed prorſus omni morbo ſit ſpectandus, non omiſerit. Eſt porrò is, qui ab affectus magnitudine ſumitur.* Et rurſum. *Nunc illud docere volo, tum ipſam morbi, ſiue vim ſiue magnitudinem appellare velis, pro indicatrice quadam ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ ſtatuendum eſſe. Tum verò Hippocrat. omnium primum, quos nouimus hanc indicationẽ adinueniſſe.* Hæc Galen. Ex quibus mihi quidem conſtat idémque puto conſtare omnibus, quicumque ſanæ mentis, & rationis ſunt participes; Hippocratem omnium primum huiuſmodi ſcopi authorem, & inuentorem fuiſſe. Hunc ſcopum non modò in vno, aut altero, ſed prorſus omni morbo eſſe animaduertendum. Hunc ſcopũ non ſolum detrahendi ſanguinis, ſed etiam adhibendæ purgationis indicationem afferre. At verò ſi quis Aduerſarium interroget, ille ad hunc modum reſpondebit, [*Quæſtio eſt; an indicatio de mittendo ſanguine ſumatur à magnitudine morbi generatim, an autem ſpeciatim conſiderata: quod eſt, an morbus magnus, qua ratione eſt magnus, circũſcripta omni alia differentia, ſed ſolum in communi conſideratus, an autem aliquis morbus determinata magnitudinis, & conditionis generoſum hoc indicet remediũ. Recentiores putant ab omni morbo magno abſolutè petendam eſſe hanc indicationem. Ego verò puto morbum*

magnum determinata ſpeciei hanc habere facultatē. Voce determinata ſpeciei morbum indicantem ſectionem venæ eum duntaxat, qui vel à plenitudine ſanguinis, vel ab eiuſdem fluxione, vel ab vtroque, aut fit, aut factus eſt, aut imminet. Omnem prorſus alium, quamuis magnum excludo morbum. Et rurſum. *Quēadmodum morbus generatim remedium, atque ſui ablationem indicat, ſic paruum morbum ad magnum paruum, magnúmque pro ſui natura dicimus remedium.*] Sic aliæ paſſim huioſmodi occurrunt ſententiæ tam frequenter repetitæ, vt ſuperuacaneum ſit in pluribus referendis tempus perdere. Ex quibus mihi quidem conſtat; idémque puto conſtare omnibus de ſententia Aduerſarij; magnitudinem morbi non aliud, quàm magnum præſidium indicare: hanc propriam legitimámque eſſe indignationem, quam natura morbi de ſe proferi; vt aliam nullam poſſis inuenire: ſpeciatim verò miſſionem ſanguinis, ac purgationem minimè ex morbi magnitudine, ſed ex copia, qualitate, & motione humorum indicari.

Lib. 1. diſp. cap 3.

Cæterùm, etſi equidem puto eſſe neminem, qui non hac ſimplici paucorum verborum lectione, & comparatione facilè & apertè intelligat, quantum reſponſio Aduerſarij ſit aliena à doctrina Hippo. & Galeni, immò verò quantum egregiam eorum medendi methodum peruertat, & corrumpat; tamen mihi libet illius rationes audire, totámque hanc rem accuratiùs examinare. Illud autem primum notatione & admiratione dignum videtur, Aduerſarius diſputantem aduerſus illum, qui vniuersè loquitur de omnibus morbis, ſiue materialibus, ſiue immaterialibus, ſtatuere de morbis duntaxat materialibus ſibi agendum eſſe: qua certè diſputandi rationem planè abſurdam, neſcio quis illum docuerit. Sed ipſum loquentem audiamus. [*Primùm* (ille inquit) *doceo, nouatores omnino ſubuertere methodum à Galeno inſtitutam, cum inquit,* libro de Sang. Miſſ. in princip. *Qui de miſſione ſanguinis ſpeculantur, vnum ſibi primúmque proponunt, vt qua corporis affectione vacuatione indigeant, conſiderent. Ac deinde alterum, quanam ea, qua ſanguinis fit detractione. Tertiò qui innoxiè hanc ferre vacuationem poſſint.* Hæc Galenus, *quæ ſi vera ſunt, duo nobis de hoc argumento,* &c.] Egregia conſequentia. Equidem libenter ab Aduerſario quæſierim, quo argumentandi genere, qua forma hæc deducat. Niſi enim credat eum mulierculis ſe diſputare, neſcio qua ratione adductus ſit, vt ſperet hæc ſibi impunè efferri potuiſſe. Qui de venæ ſectione ſpeculantur vnum ſibi primum, &c. ergò ſanguinis miſſio non indicatur à morbo magno, quatenus magnus eſt. Quæſo quid prohibet, quominus ego pariter deducam, Qui de venæ ſectione ſpeculantur, primum inquirunt, &c. ergò indicatio ſectionis venæ ſumitur a morbo magno, vt magnus eſt? Quid illius conſequentiæ magis, quàm noſtræ poteſt fauere? De qua re poſteriùs in tractatione de ſcopis opportuniore loco verba faciemus.

Aduerſarius porrò ad ſuam veterem cantilenam rediens indicationis ex rei natura, inquit, magnos morbos ſine materia exempli gratia magnam intemperiem ſola alteratione curari: eum nemo ſit tam obtuſo ingenio ac in artis operibus tam parum exercitatus, qui in ſimplici intemperie cerebri, cordis, iecoris audeat ſanguinem mittere. Ego verò vnico verbo ad hoc dupliciter reſpondeo: Primùm, neminem eſſe tam obtuſo ingenio, atque in artis operibus tam parum exercitatum, qui in curandis magnis intēperaturis cerebri, cordis, hepatis non frequentiſſimè ſanguinis miſſionem adhibeat. Quod quidem vſque adeò tritum eſt, Platoniſque, Galeni, & omnium rationalium medicorum teſtimonio confirmatum, qui docent ſine generali totius corporis prouidentia, nunquam ad ſingularis membri ſanationem accedendum eſſe, vt mirum ſit, quomodo ille audeat affirmare, nullam magis deteſtandam, & humano generi pernicioſiorem opinionem poſſe inueniri; quàm in huiuſmodi morbis ſanguinem mittere. Fingamus Socratem inſigni calida iecoris intemperie laborantem, vt ad aliquod inſigne præſidium, exempli gratia potionem, ac balneum aquæ Calderianæ oporteat deuenire; an quis eſt tam obtuſo ingenio, tam parum in operibus artis exercitatus, tam ſanguiſugus, qui ante omnia nolit Socrati ſanguinem mittere? Secundò autem reſpondeo, niſi liceat ſanguinem mittere, id alia nulla ratione fieri poſſe, quàm quòd vires eiuſmodi remedium nequeant perferre. Id quod nobis in præſentia ſatis ſit innuiſſe, qui poſteriùs accuratè, & diffusè iſtud ipſum ſumus demonſtraturi, & confirmaturi.

Quid verò, cum Aduerſarius addit; (*iam dogma illud a Galeno, dum contra Eriſiſtrateos diſputaret, non ſemel reprobatum, quòd ſcilicet in omnibus febribus deteſtanda eſt venæ ſectio, reuiuiſcit ex peruerſo horum dogmate,* &c. Quid verò inquam hæc ſibi volunt? Ille reprehendit aduerſarios, quòd in omni intemperie, in omni febre, nō vereantur venam incidere, & ait reuiuiſcere dogma Eraſiſtrateorū, deteſtandā eſſe in omnibus febribus venæ ſectionem? Conſecutio, & ſententia inepta ac planè deteſtanda; ſiquidem tantum abeſt, vt aduerſarij teneant, ſectionem venæ in omni febre eſſe deteſtādam, vt potius contendant illam eſſe amplectendam, ſi modo per vires, & ætatem id liceat. Sed neſcio quomodo noſtri inſtituti ferè oblitus mihi videor curioſiùs ſingula conquirere, & perſequi. Itaque, vt modum aliquem, & finem orationi noſtræ faciamus, nobis ſtatutum eſt cætera omnia ſilentio præterire, quæcunque hoc loco ab Aduerſario dicuntur de ſanguinis miſſione in febribus, de variis ſpeciebus plenitudinis, cacochymiæ: de morbis, qui ex vtriſque proueniunt, & alia quædam huius argumenti, de quibus poſteriùs diſſerendum eſt. Ac ſanè cum peculiares Diſputationes fuerint ab illo inſtitutæ, Octaua de miſſione ſanguinis in febribus putridis generaliter, Nona de miſſione ſanguinis in febribus putridis ſpeciatim, Decima de miſſione ſanguinis in febre diaria ex obſtructione genita à craſſis, viſcidiſque humoribus, Poſtrema de miſſione ſanguinis in cacochymia; equidem neſcio, quamobrem ille voluerit in præſentia hæc interponere, quæ ſunt extra rem de qua agitur; & de quibus ex propoſito alias fuerat longiſſimè diſputaturus: niſi fortè ille propoſitum habet, hac ratione grandia conficere commentaria, ac ſibi inſignem laudem, atque exiſtimationes comparare.

Itaque prætermiſſis rebus omnibus, quæcunque hoc longiſſimo capite continentur, vnicus videretur ſupereſſe locus Hippocratis, & Galeni, de pleuritide, in quo Aduerſarius mirum in modum ſibi placet, triumphat & gaudet. Ille verò duas præcipuas aduerſus nos continet obiectas rationes: alteram quòd de eorum ſententia in pleuritide dolore occupante partes ſuperiores thoracis, ſectio venæ, dolore autem deſcendente ad hypochondria purgatio conueniat. Ex quo ille colligit, non perpetuò in morbo magno, conſtantibus viribus venam eſſe incidendam; cum certum ſit vtrobique, dolore tam aſcendēte, quàm deſcendente morbū eſſe magnū, ac vires conſtare. Altera autem ratione arguimur, quòd auſi ſimus affirmare, in pleuritide dolore deſcēdente ad partes infernas humores turgere. Cæterū quatenus ad priorē pertinet, cū Aduerſarius pe-

In. rat. vict. com. 2. & 3.

Diſp 1

culia

culiatem deinceps diſputationem ſit inſtituturus: en morbus magnus vna cum virium robore, exceptis ab ótatione pueris, venæ ſectionem verè indicet, vt ne cum illo cogamur millies eadem repetere, nobis liceat hanc quoque obiectam rationem ad eum principem, & accommodatiorem locum referre. De altera autem ratione: quæ turgentes ſpectat humores, de qua fortè poſterius nonnihil dicemus, quoniam ſi velimus in præſentia difficilis eiuſmodi loci interpretationem tractare, cogeremur longiſſimam diſputationem conficere, quæ à noſtro principali inſtituto foret prorſus aliena, illud vnum mihi liceat dixiſſe: me alias diffuſè hoc ipſum argumentum tractaſſe, hac tamen præfatione, vt de re maximè ardua, ac difficili nihil certi voluerim aſſeuerare, ſed tantùm noſtras cogitationes in medium proferre, ac doctorũ iudicio ſubiicere. Quæ quidem ſi conferantur cum iis, quæ ab Aduerſario ſcripta ſunt, tum hoc, tum maximè alio loco. cuius ille meminit, facilè, vt ſpero, vnuſquiſque poterit intelligere, vter noſtrum magis ad veritatem, Hippocratiſque, & Galeni doctrinam locutus fuerit: etſi ille aperta fronte à Gal. deſciſcere non eſt veritus. Itaque ad alia progrediamur.

AD CAPVT VII. VIII. IX. X.

Loci Gal. & Auicenn. de ſanguinis vitio. Aduerſarij inconſtantia.

EQuidem cogor id repetere; me in diſputando cum Aduerſario, nullum maiorem laborem ſuſtinere, quàm circa ordinem, & modum diſputationis. Quandoquidem ille perpetua ferè omnia reperit, nec quicquam ſuis locis opportunè diſponit. Id quod iis quatuor capitibus egregiè facit: in quibus non aliud ferè agit, quàm de miſſione ſanguinis in cacochymia: quæ certè omnia ad peculiarem Diſputationem, quàm diximus poſtremò fuiſſe inſtitutam, referenda videbantur. Itaque nos ſtatuimus vniuerſum huiuſmodi argumentum ad eum locum reſeruare; & in præſentia nonnullos duntaxat aduerſarios locos, in primis verò quaſdam Galeni interpretationes, noſtro more, breuiter animaduertere, quæ certè prætermitti nec poſſunt, nec debent. Quam quidem noſtram dilationem ille quæſo patienti animo ferat, ac certò ſciat, nos nihil prorſus eſſe prætermiſſuros, quod aliquod momentum habere videatur: quod vel nunc vel poſterius non diligenter examinemus.

Primus itaque occurrit locus Galeni, de quo Aduerſarius ſic ſcribit. [*Illius verba hic afferenda ſunt, quæ vt referunt ij, quibus cum diſputamus, hoc modo habent. Quoniam venæ ſectio ſanguinis vacuatio eſt, & vtilis natura eſt ſanguis, oportet ſanè rectè ipſam adminiſtrare, inutilem natura vacuando. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariam, vel cum propriam exactè non ſeruat qualitatem; vel cum nimis creſcit multitudine: ac in iis quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt,* &c. Hæc ille 7. c. 8. autem grauiſſimè nos accuſat, per hæc verba.] *Quia verò explicanda ſunt Galeni verba, præſtat pro theſi diſputationis noſtræ, ea hic adſcribere omnium Græcorum codicum fide confirmata, longè ſecus, quàm ab illis proponatur. Series igitur verborũ Galen. ſic habet. Memineris verò mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, quorum cauſa venæ ſectio petitur: nam quoniã hæc ſanguinis vacuãdi cauſa adhibetur, ſanguis autem vtilis natura eſt, vtique probè hanc adminiſtrari cõueniet: vt quod inutile natura ſit emittat. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguẽ non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicuti prius, cum vtilis eſſet, poteſt: vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat. Ac in iis quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna: in aliis ceu quod humorũ vehementiorem impetũ ad diuerſam partẽ euocet, vel per propinqua deriuet.*] Hæc ille capite demum 9. multiplici accuſatione nos onerat.] *Primo loco* (inquit) *illud approbare non poſſum, quòd hanc Galeni ſententiam, tanti alioquin momenti quanti ferè non eſt alia, non afferant in mediũ, eadem ſerie, ac ordine, quo diſpoſita ab illo fuerunt;*] Præpoſtera Grammatica: etenim, niſi hic quoque impoſuit mihi Grammatica mea, equidem putarem legendum; *diſpoſita fuit*, vel *fuerat*; neque vnquam plurali pro ſingulari abutar. [*Multa prætermittens, quæ alioquin manifeſtè illorum opinionem arguunt: ac in primis omittunt cauſam, ob quam venæ ſectio exercetur: quæ cauſa eſt, vt ſanguis vacuetur. Secundò diſplicẽt, quod hæc prætermittunt verba: nec amplius nutrire, ſicuti prius, cũ vtilis eſſet, poteſt. Tertio prætermittunt etiã multa, vbi de ſpeciebus multitudinis agit Galenus. Poſtremò admiror, cum hæc ipſa Galeni verba trãſcribere noluerint, hac ſerie: ceu vacuantium præſidiorum vna: in aliis ceu quod humorũ vehementiorem impetũ ad diuerſam partẽ euocet, vel per propinqua deriuet.*] Terribiles accuſationes: ad quas quis tota mente, atque omnibus artubus non contremiſcat? Equidem cum hæc primùm legebam, putaui me inſigne aliquod flagitium commiſiſſe. Sed protinus, & mente, & toto corpore mihi viſus ſum reſici, & recreari; quòd huiuſmodi accuſationes reuera magis ad Aduerſarium, quàm ad me ipſum pertinerent. Diſputationi aduerſus fautores Empiricorum, atque eorum decantatum ſcopum plenitudinis; qui inter cæteras hanc rationem afferebam, quòd, tametſi ſanguis nulla plenitudine, ſed vna praua qualitate negotium faciat, liceat aliquando venam incidere, dummodo alij ſcopi non deſint. Ad quam confirmandam allatus eſt Galeni locus, quem ſatis habui ob eam tantummodo rem afferre; vt demonſtrarem ſine plenitudine ſanguinis, atque in vno humorum vitio venæ ſectionem conuenire; cætera prætermittens, quod ſemper facere ſoleo, quæcumque à principali inſtituto ſunt aliena. Quocirca præter omnem rem, fortéque omnem rationem Aduerſario placuit de eo nos arguere, quòd multa à nobis fuerint prætermiſſa de ſpeciebus multitudinis, de vacuatione, reuulſione, deriuatione, & alia id genus, quæ planè ad rem, quam tunc agebam, nihil faciunt: Quoniam verò ille queritur, ac nobis exprobrat, quod verborum Galeni ſeries longè ſecus, quàm ab illo fuerit diſpoſita, contrà omnium Græcorum codicum fidem à nobis allata fuerit. Age experiamur iſtud quoque, quantam veritatem obtineat. Aduerſarius non ſine emphaſi omnium Græcorum codicum fidem commendat: Ego vero fateor non alios Græcos codices, quàm Aldinum, & Baſilienſem me hactenus videre potuiſſe. Itaque verba vtriuſque hac in parte conſentientia hæc ſunt. Μέμνησο δέ μοι πρὸς τὰ μέλλοντα καὶ τοὺς τῆς φλεβοτομίας σκοπούς· ἐπειδὴ γὰρ αἵματός ἐστι κένωσις ἡ φλεβοτομία, καὶ χρηστὸν τῇ φύσει τὸ αἷμα, χρὴ δήπου καλῶς αὐτὴν γίνεσθαι τὸ ἄχρηστον τῇ φύσει κενοῦσαν· ἄχρηστον δὲ γίγνεται τῇ φύσει τὸ αἷμα διττῶς, ἢ τὸ μὴ φυλάττον ἀκριβῶς τὴν ἑαυτοῦ ποιότητα μηδὲ τρέφειν ἔτι δυνάμενον εἰς πρόσθεν χρηστόν, ἢ τὸ πλῆθος τοσοῦτον γενόμενον, ὡς ἤτοι βαρύνειν τὴν δύναμιν, ἢ τείνειν, ἢ ῥηγνύειν, ἢ ἐμφράττειν τάς τε ἀρτηρίας καὶ τὰς φλέβας, ἐν τούτοις μὲν ἡ φλεβοτομία χρήσιμος, ὡς ἕν τι καὶ αὐτὴ τῶν κενωτικῶν βοηθημάτων, ἐν ἑτέροις δ' ὡς ἀντισπαστικὸν, ἢ παροχετευτικὸν, ὅταν ὁρμὴν χυμῶν σφοδροτέραν ἤτοι εἰς τοὐναντίον ἀντισπάσωμεν δι' αὐτῆς, ἢ παρο-

χετίνσημῶν ὡς τὸ πλάγμα. Quæ quidem ferè ad verbū Latinè verſa;& expreſſa,ita ſonant. *Memineris verò mihi ad ea,quę dicenda ſunt, & ipſorū vena ſecādæ ſcoporum.Cū n.ſectio vera ſanguinis ſit vacuatio,& vtilis natura ſanguis ſit planè oportet eam rectè fieri,quæ illū,qui natura inutilis eſt,euacuet.Inutilis verò ſit,natura ſanguinis biſariā, vel quod ſuam ipſius qualitatem exquiſitè non ſeruat , nec nutrire amplius poteſt , vt priùs, cum vtilis erat : vel quòd multitudine tantus euaſit , vt vel grauet facultatem, vel tendat , aut rumpat ,aut obſtruat arterias, ac venas. In his quidem vena ſectio vtilis eſt , tanquam vnum ipſa quoque ex iis remediis quæ vacuant : in aliis verò tanquam reuulſorium , aut deriuatorium: quando vehementiorem ſuccorum impetum per eam, aut ad contraria reuulſuri ſumus, aut ad latera deriuaturi,* &c. Verum ad Aduerſarium redeo.

Eqnidem ctedidi aliquando hunc hominem Græce ſcite, quē videbam ſæpè in ſua ſcripta, *κατὰ τὸ ἔγχυμα, πρὸς δύναμιν*,&alias id genus Græcas voces inſerete;Græcorū codicū fidem appellare,Latinorumq; interpretum nonnunquam ſe correctorē,& cenſorem profiteri. Sed in his libris,cū aliàs, tū maximè hoc loco mihi videor apertè cōprebendiſſe,eū literas Græcas ne primoribus quidem labris attigiſſe. Quod eruditus quidā vir, cui haſce diſputationes corrigendas tradidit , ſatis, vt audio,cōfirmat:qui vni,& alteri illius amico teſtatus eſt,prętet innumerabiles ſolœciſmos,& barbariſmos,quibus vniuerſa Latina ſcriptura ſcatet, ne vnum quidem verbum Græcum bene diſpoſitum ſe potuiſſe reperire.Vtcunq; autem hæc ſe res habeat,ego quidem certè non verebor affirmare, ſi Aduerſarius potuiſſet,aut vuluiſſet Galen.hoc loco Græcè loquentem conſulere, & audire , illum minimè tot accuſationibus nos fuiſſe oneraturum, atque illa in primis,quam purat omnium grauiſſimam,ac mirum in modum exaggerat, quòd omiſerimus cauſam , ob quam venæ ſectio exercetur, vt nimitum ſanguis vacuetur ; quam ſententiam tanquam axioma,& Achillis clypeum nobis obiicit : cum ille iam poſſit, ſi modo velit,intelligere Galen. de huiuſmodi cauſa nullam planè mentionem feciſſe. Verùm de hoc primo loco ſatis.

Hoc eodem capite hæc ſcripta ſunt.[*Cauſa propter quā ſuſpecta eſt vacuatio per ſanguinis miſſionē, vbi ſunt humores corrupti,eſt,quòd virtus ipſa nō fert plerúmque eiuſcemodi vacuationem.*] Quæ quidem non dubito, quin ſcripta ſint ad Gal. mentem, & veritatem.Rectenim vera quotieſcumq; humores frigidiores ,calidiores,crudiores, putridi, vel alio vitio malè affecti , ſunt impedimento quo minùs ſanguis poſſit detrahi,id alia nulla ratione fieri poteſt,quàm quòd vires nequeunt remedium perferre. Quod aliàs diffusè , ac firmiter ſumus demonſtraturi. Nihilominus hic quoque locus notatione eſt dignns,quòd Aduerſarius poſterius non ſemel hanc ipſam ſententiam ſit oppugnaturus. De alteratione ſanguinis,atque illius inutilitate ad nutriendum hominem, hæc habentur. [*Sanguinem amittere propriam qualitatē bifariam contingit : vel cum in primis qualitatibus mutationē ſuſcepit ,caliditate,frigiditate,humore,ſiccitate,aut in compoſitis ex his,aut etiā cum ſecunda qualitates,vt tenuitas,craſſities,lentor, in eo inferuntur præter natura inſtitutū, conſeruata tamen natura,& forma ſanguinis;vel contingit eiuſcemodi tranſmutatio in qualitatibus,vt ſemul in ſubſtātia ſanguinis,& in propria illius forma: quā & ſpeciem,& qualitatem appellare conſueuerunt antiquiores.Galen. hic non intelligit priorē mutationē ſanguinis,qua propriè alteratio eſt,quia ſanguis eo modo affectus nutrire quidē poteſt:agit autem de mutatione,quia munus nutritionis impeditur:certúmque exiſtit ſanguinem nutrire non poſſe,cum in ſua ſubſtātia mutatus eſt : ac idcirco dicit , nec amplius nutrire,ſicuti prius, cum vtilis eſſe poteſt.*] Hæc Aduerſarius , quæ quidem mihi videntur tot , & tantos errores,tot & tanta prodigia continere, vt ſi quis ſigillatim velit ea perſequi, longiſſimam diſputationem faciat,neceſſe ſit.Nobis itaque liceat nonnullos floſculos deliberare.Galenus docet ſanguinem dupliciter naturæ inutilem reddi , vel cum ſuam ipſius qualitatem exquiſitè non ſeruat , nec nutrire amplius poteſt,ſicuti priùs,cum vtilis fuerat ; vel quòd multitudine, &c. Aduerſarius docet,ſanguinem primo modo propriam qualitatem amittere bifariam ; vel ſecundùm vnam, aut alteram primam qualitatem,caliditatem,frigiditatem, &c. ſimplicem , aut compoſitam ; vel ſecundùm vnam, aut alteram ſecundam qualitatem,tenuitatem,craſſitatem,&c. vel quòd ſimul cum qualitatibus ſubſtantia quoque,& forma ſanguinis tranſmutetur. Ex quibus inquit Galenum in præſentia non intelligere priorem mutationem ſecundùm qualitates , quòd huiuſmodi ſanguis poſſit nutrire, ſed poſteriorem ſecundùm ſubſtantiam,& formam , qua munus nutritionis impeditur. Miſerum Galenum, qui ſua perſpicua, & Aſiatica oratione , quàm plerique illi exprobrant , nunquam poteſt tam apertè & integrè aliquid effari , quin Aduerſarius aliquid prætetea,atque adeo multum velit addere,atque afferre de ſuo. Galenns de vna ſimplici, ac ſola ſanguinis alteratione verba facit; *cum ſanguis* (inquit) *ſuam ipſius qualitatem exquiſitè non ſeruat.* Aduerſarius primum illud negat;deinde ſanguinis tranſmutationem ſecundùm ſubſtantiam,& formam adiungit,cuius Galenus non meminit. Sed obſecro te, an ſanguis vna, vel altera, prima,aut ſecunda qualitate alteratus, poteſt,non dixerim nutrire, vt loquitur Aduerſarius,ſed nutrire,ſicuti prius, cum vtilis eſſet, vt loquitur Galenus ? Equidem neminem puto eſſe tam rerum omnium inſcium , & communi ſenſu naturæ carentem,qui non libenter fateatur , ſanguinem, vel calidiorem, vel frigidiorem , vel tenuiorem , vel craſſiorem redditum , quàm naturæ inſtituto conueniat , aut non poſſe , aut certè non æquè bene poſſe hominem nutrire , ſicuti priùs nutriebat , cum ſecundùm naturam , & vtilis fuerat. Galenus certè ad conſeruandam ſanitatem hominis maximè cupiebat humores eſſe neq; lentos, neque craſſos , neque aquoſos , neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos , & cætera. Ex quo certius nihil eſt , quam huiuſmodi humores , vel ſolis qualitatibus à natura degenerantes eſſe improbos , neque hominem poſſe nutrire , illiúſque ſanitatem conſeruare , ſicuti naturales, & nutriunt, & conſeruant. Sed quid laboro amplius ? Quid apud medicos magis tritum,quid magis experientia confirmatum, quàm humores nimiùm calidos, frigidos , tenues , craſſos multorum, & quidem grauiſſimorum morborum præcipuam cauſam extare ? Vt certè mirum ſit , quomodo Aduerſarius in tam abſurdam , à Galeni mente, & rei natura abhorrentem opinionem deuenerit. Præterea libenter quæſierim de Aduerſario , quidnam ille per naturam , ſubſtantiam , & formam ſanguinis intelligat ; quæ tria nomina (ni fallor) ac fortè alia id genus , Galeno vnum ferè,atque idem ſignificant.De qua quidem re , cum multa ex philoſophis , & medicis, præcipuè verò Ariſtotele & Galeno, dici poſſint, nunc illud vnum mihi liceat dixiſſe:naturam,ſubſtantiam , & formam ſanguinis ſingulatum partiū,& corporis vniuerſi in Galenica diſciplina,vel eſſe temperamentum, vel certè in temperamento

Art. Med. cap. 99.

eſſen

eſſentiam obtinere: quod ſine labore pluribus confirmare poſſem, ſi id quàm facilè, tam foret neceſſarium. Itaque vnicum Galeni locum, inſtar omnium, mihi ſufficit attuliſſe.

De ple. c. 2. *In opere* (ille inquit) *de elementis ſecundum Hippocratem demonſtraui, ſubſtantiam generationi, interneciónique obnoxiam, per totam ipſam pro quatuor qualitatibus alterari, humiditate, & ſiccitate, caliditate, & frigiditate: corporiſque cuiuslibet propriam ſubſtantiam in tali quadam eſſe temperie.* Ex quo facile eſt intelligere, quanta connexione, primæ qualitatès, naturáque, & forma hominis ſint inter ſe coniunctæ, vt vix, aut ne vix quidem diuelli, & diſtrahi poſſint. Aduerſarios de reuulſione, & deriuatione, poſitis nonnullis Galeni verbis, ſic ſcribit. [*Quibus verbis docet, cur conueniat aliquando venam incidere ratione reuulſionis. Cauſa autem eſt, vt vehementiorem impetum ſanguinis ad contrariam partem attrahamus, vel per propinquas deriuemus: duplex enim ſpecies reuulſionis eſt, quarum vna dicitur reuulſio abſoluto quodam nomine, quæ fit in parte longinqua, alia localis appellata à Palladio, & Alexandrino, explanatoribus libri Epidemiorum; à nobis Gal. imitatione dicitur deriuatio: vtraque indicatur à particula affecta motu ſanguinis.*] Hæc quoq; noua, & à Gal. doctrina aliena videntur mihi: tantum enim abeſt, vt deriuatio propter eam cauſam ſit inſtituta, vt vehementiorem impetum ſanguinis per propinquas partes deriuemus, aut illa indicetur à particula affecta motu ſanguinis, vt potius ad humores iam fluxos, & in parte firmatos ſit cum primis accommodata. Id quod vel ipſum nomen manifeſtè declarat. Nam ſicuti reuulſio, quæ Græcis *ἀντίσπασις* dicitur, ad partes ſit contrarias, & longiſſimè parte affecta diſtantes; ita deriuatio Græcis *παροχέτευσις*, per partes propinquas, & ad latera perficitur, ducta ſimilitudine ab iis, qui ex flumine per proximos canales, & riuos aquam deducunt. Etenim *παροχετεύειν*, à ſimplici *ὀχετεύειν* dicitur, quod eſt, *ὀχετοὺς*, i. canales, & riuos duco; *παροχετεύω*, iuxta per alios canales duco, per proxima deriuo; vnde *παροχέτευσις*, deriuatio. Quod præclarè explicat meus Fabius Pacius in ſuis grauiſſimis, & eruditiſſimis Comment. in libros Galeni Methodi Medendi, quæ hoc primum tempore, dum hæc ſcriberem, in lucem prodierunt. Deriuationem porro longè magis ad humores fluxos, & in parte aliqua firmatos, quàm ad fluentes, inſtabiléſque pertinere, Galenus frequenter, ſed loco ſingulari nos docet apertiſſimè; qui ſcribit ad hunc modum.

4. Meth. Med. c. 6. *Si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus: at ſi iam fluxio reſtitit, atque in membro inhæſit, deriuare, per vicina magis expedit.*

Sed propero ad finem. Poſtremo capite Aduerſarius contendens, Galenum docentem ſanguinem quandoque eſſe mittendum ſine plenitudine, ſemper de ſectione venæ locutum eſſe, vt præſidio reuulſiuo, hæc ſcribit. [*Reuulſio potiſſimùm inſtituitur, vel cum incipit morbus, vel cum ſuſpicio eſt, ne incipiat: quod animaduertens Galen. in libro de Venæ ſectione capite nono dicebat. Rectè ergò admonemur in iis, quæ adiecta ſunt libro de Ratione Victus acutorum, ſanguinem mittere, ſi magnus ſit morbus, & æger florenti ſit ætate, robúrque adſit. Perperámque Menodotus in ſola ſyndrome plethorica ſeruari venæ ſectionem inquit. Contrà enim prorſus ſanguinis mittendi ſcopi primùm in ſe plenitudinem non comprehendunt, ſed fientis paſſionis ſuſpicionem.*] Quæ quidem verba tantùm mihi videntur abeſſe, vt id confirment, quod ille probandum ſuſceperat, vt omne illius conſilium deſtruant. Etenim ſi Hip. rectè docet ſanguinem mittendum, vbicumque morbus fuerit magnus &c. Si perperam Menodotus inquit in ſola ſyndrome plethotica venæ ſectionem ſeruari. Si ſcopi mittendi ſanguinis in ſe primùm plenitudinem non comprehendunt, niſi quatenus illa morbi magnitudinem poteſt efficere. Si demum nulla hic reuulſionis fit mentio; quid Aduerſarius quæſo hinc poteſt colligere, vt probet ſectionem venæ ſine plenitudine ſanguinis perpetuo reuulſiuum eſſe remedium? Altera autem ex parte, ſicuti hæc ipſa verba Aduerſario nihil fauent, fortè etiam præter rem ſunt adducta, ita mihi libet in illis acquieſcere, & cum illis huic capiti finem imponere: quippè quæ vel ſola, ſi rectè intelligantur, & perpendantur, mea quidem ſententia facile poſſunt omnem de hac re controuerſiam dirimere.

Ex capite nono, præter ea, quæ iam notata ſunt, mihi libet vnicum locum, ſed egregium, & magna notatione dignum ſeligere, ille verò eſt Hipp. & Gal. de quo Aduerſarius ſcribit ad hunc modum. [*Poſtremo difficultatem faciunt magnam, tum Hipp. tum Gal. verba; qui dicebat:* Sunt quibus ſanguinem auferre conuenit opportunè in talibus: in aliis verò, quemadmodum in his non conuenit. Prohibitio à ſputo ſanguineo, à bile, ab anni tempore, à pleuritide. *Galenus in commentario:* Expedit aliquibus ex iis ſanguinem detrahere, quibus videlicet copioſior eſt, nondum effatu dignam mutationem in alium ſuccum effecit: minimè verò auferre quibus iam mutatus eſt, præeunte eo, qui à viribus eſt, ſcopo, licet id omittatur aliquando in ſermonibus, &c. *Hæc ſi vera ſunt* (ille inquit) *iam manifeſtiſſimam fidem faciunt, humore ita mutato, vt amplius nutrire non poſſit, vt prius, inſignem adeo factam, à natura propria mutationem in alium humorem, vt omnino venæ ſectione non indigeat* Et iterum: *Cum Gal. eo capite vndecimo noni de Methodo Medendi mutationis à propria natura ſanguinis mentionem feciſſet, & ſecundum noſtram explanationem huic affectui non conueniat venæ ſectio, &c.*] Hæc ſi vera ſunt (inquiet quiſpiam) iam manifeſtiſſimam fidem faciunt, hæc nulla ratione poſſe cum iis cohærere, & conuenire, quæ proximo ſuperiore capite Aduerſarius docet; qui exponens ſententiam Gal. de duplici inutilitate ſanguinis, in qua liceat venam incidere, affirmat illum intelligere non de alteratione ſanguinis, ſecundùm primas, aut ſecundas qualitates, ſed de mutatione ſecundùm propriam illius ſubſtantiam, & formam, ſicuti diximus. Hic autem non veretur aſſeuerare, illi affectui, in quo ſanguis à propria natura mutatus eſt, venæ ſectionem non conuenire. Quàm conſentientia iſtæc ſint, ipſe viderit. Secundò diceret quiſpiam, quod Gal. ſententia 6. Epid. ſect. 3. com. 45. non eſt intelligenda, niſi propter vires imbecillas, quæ ſemper adſunt cum humorum corruptela, atque ob has ipſas non conuenire venæ ſectionem; quod facilè confirmari poſſet ex verbis Galen. qui dicit, *Præeunte eo, qui à viribus eſt, ſcopo*; quæ verba indicant ob virium imbecillitatem non eſſe tutum venam incidere: hanc explanationem ad hunc locum ſcio viris quibuſdam noſtræ ætatis eruditis non mediocriter ſatisfacere.

Nonne, lector, memoria tenes, nos paulò ſuprà te monuiſſe, Aduerſarium ſuam ipſius ſententiam fuiſſe oppugnaturum; cauſam propter quam ſuſpecta eſt vacuatio per ſanguinis miſſionem, vbi ſunt humores corrupti, eſſe, quòd virtus ipſa non bene fert huiuſmodi vacuationem? Hic vnus locus eſt, in quo ille à ſe ipſo diſſentiens, aliam neſcio quam cauſam comminiſcitur, propter quam in corruptela humorum non licet ſanguinem mittere.

Quoniam verò Galeni verba ſunt nimis aperta,& omni luce clariora, quæ docent quibus ſanguis inſigniter mutatus eſt, propter vnam virium rationem ſectionem venæ haud conuenire, quæſo illius reſponſionem ſodias,quæ talis eſt.[*Gal. verba in eo com.45.qua habent;* præeunte eo,qui à viribus eſt ſcopo,*intelliguntur de executione remedij, quandoquidem in inuentione illius primas partes habet morbus, vt conſtat, & Gal.etiam eodem loco innuere videtur: in executione autem contrario modo ſeſe res habet; quia virium conſideratio præcedit, maximè vbi remedio vtentes, ne vires diſſoluente vtendum.*] Quid autem hæc reſponſio, & verba ſibi velint, equidem fateor me hactenus comprehendere non potuiſſe,etſi diu multúmque ſum in eorum ſtudio,& conſideratione verſatus:imo verò arbitror neminem,fortè neque ipſummet Aduerſarium,tam reconditum eorum ſenſum,& tenebroſa verba intelligere. Id quod ſpero vnumquemque facilè nobiſcum eſſe confeſſurum, quicumque in hoc ſphyngis ænigmate diſſoluendo ſui ingenij vires voluerit experiri. Mihi venit in mentem, quod memini aliquando me apud Gal. legiſſe. Eorum, qui nihil docent duplex eſſe inſtitutum: quoſdam ad proprietatem, quæ exprimi nequeat,confugere; alios nomina quidem proferre,tamen nec quæ ſignificant,obſeruare,nec quam illis ſignificationem attribuant interpretari.Quod quidem præcipuum ſophiſtarum eſt inſtitutum, qui aliter neſciunt, & nequeunt ſibi ipſis aliquod nomen,atque ornamentum comparare.

Prof. en pulſ. 3.

Capite decimo explicantur verba Auic. *His omnibus, vel propter ſanguinis exuperantiam, vel eius vitium,vel vtrumque ſanguis detrahitur.* In quorum quidem explicatione mihi liceat parumper verſari, ac nonnulla breuiter animaduertere, ex quibus ſtudioſi facile intelligent, Aduerſarium nihilominus Auic. quàm Gal. ſententias, & doctrinam miſerandum in modum corrumpere,& deprauare. *Ex quibus verbis*(ille inquit)*omnino conſiciunt venæ ſectionem non ſemper indicari à ſanguinis multitudine, aut motu, ſed aliquando à vitio ipſius hanc indicationem ſuggeri,& c. Hunc locum præſtantiſſimi quidam noſtræ ætatis medici aliquando conſiderantes, ſententiam eius auctoris non omnino approbarunt:ego verò aliquid me habere profiteor, quod non modo probabiliter,ſed etiam verè dici poſſe putem.*] Magnus Aduerſarij animus;cui vtinam vires auſibus ſint pares. Reſponſio eſt huiuſmodi.[*Nomine plenitudinis ſeu exuperantiam ſanguinis Auic. intelligit optimi ſanguinis copiam in toto corpore ſecundùm eam explanationem, quam nos ex Gal. placitis in libro de plenitudine dedimus;de qua tum lib.2. Aphoriſmorum, &c. Per malitiam ſanguinis multa poteſt intelligere; ac primò ſanguinem in aliquopiam loco conculcatum,qualis eſt,qui in phlegmone continetur, hic enim certè vitioſus eſt,quia cum tranſpirare non poſſit,neceſſario putredinem ſubit,cuius cauſa febris fit. Deinde eius nomine intelligere poteſt ſanguinem fluentem:nam in omni phlegmone adeſt etiam fluxio, quam concitat dolor, & calor affecta particula: eſt autem ad fluxionem aptus ſanguis, qui vitioſus eſt, nempe calidiſſimus, acerrimus, tenuiſſimus, &c.*] Si medicæ artis ſtudioſi totum Auic tam ſubtiliter, præclarè expoſitum haberent, optimè cum illis ageretur: qui tandem reconditos huius authoris ſenſus, quos nemo hactenus penetrauit, feliciter poſſent intelligere. Verùm nos præclaram huiuſmodi interpretationem paucis perpendamus. Et primum,quod ille inquit,ex verbis Auic. nonnullos colligere: venæ ſectionem conuenire non ſolùm in ſanguinis plenitudine, & motu, ſed etiam in cacochymia, quæſo quis non id facile, & euidenter colligat? An poteſt quid magis perſpicuè, & expreſsè dici? Vel propter ſanguinis exuperantiam, vel eius vitium, vel vtrumque ſanguis detrahitur. Speciatim verò equidem neſcio,quamobrem Aduerſarius, præter plenitudinem, & vitium ſanguinis, motus quoque voluerit meminiſſe, quem Auic. in præſentia ne ſomniauit quidem.[*Nomine plenitudinis, ſeu exuperantia ſanguinis,&c.*]Cum certum ſit Auic.totam hanc ſententiam à Gal. mutuatum fuiſſe, alicui fortè mirum videbitur,cur neuter optimi ſanguinis plenitudinem addiderit. Quid verò ſi fuerit plenitudo non optimi, ſed boni ſanguinis? non in toto corpore, ſed in certis partibus? Verum eſto, concedatur iſtud quoque: Auic. plenitudinem optimi ſanguinis, & quidem in toto corpore intelligat.[*Per malitiam ſanguinis multa poteſt intelligere.*] Hæc ſtudioſos quæſo, vt attento animo excipiant. Namque ſi licet vitioſum ſanguinem interpretari, qui in aliquo loco conculcatus eſt; & qui præterea fluit, quod vtrumque in phlegmone contingit, iam Gal.diſciplina de vitio ſanguinis, & cacochymia, cui ne per ſomnium quidem hæc in mentem venerunt, tota corruit. Præterea ſi ſanguis vitioſus ad fluxionem aptus,eſt calidiſſimus,acerrimus, tenuiſſimus, quid de ſanguine frigidiore, hebetiore,craſſiore ſtatuendum eſt? An fortè huiuſmodi vitio caret? An fortè præter conculcationem, & fluxionem ſanguinis aliud nullum illius vitium reperitur? Scribit Auicen.venæ ſectionem conuenire vel propter copiam,vel propter vitium ſanguinis, vel propter vtrumque. Reſpondet Aduerſarius venæ ſectionem conuenire in plegmone [*duplici de cauſa, tum ob vacuationem ſanguinis in phlegmone contenti,tum ob reuulſionem fluentis. Hoc tamen*(ille inquit)*non tollit decretum noſtrum,quia adeſt plenitudo particula affecta,quæ intumeſcit,diſtenditúrque, cuius cauſa phlegmon omnis vacuationem ſanguinis exigit,&c.*] Itaque non iam propter vitium,ſed propter vnam plenitudinem ſanguinis licebit ſanguinem mittere. Aduerſarius demum ſuam Auicennici huius loci interpretationem per ipſummet Auicennam confirmat, qui paulò poſt hæc habet. *Sed & inflammatione aliqua laboranti,vbi veremur, ne antea quàm reſoluatur, ad ſuppurationem deueniat, vena ſecanda eſt: quamuis vena ſectione non indigeat, nec vlla adſit plenitudo.* [*Ecce* (ille inquit) *quomodo Auicenna ſeipſum interpretatus vitioſum ſanguinem intelligit.*] Ego quidem intelligo Auicennam hic nullam prorſus vitioſi ſanguinis mentionem facere. Quod ſi ille intelligit quemcumque ſanguinem efficientem inflammationem generaliter vitioſum eſſe, quòd ille homini noxius ſit, iam vana redditur & Galeni, & Auicennæ diſciplina, ſanguinem reddi inutilem, ac propterea mittendum eſſe, vel propter illius copiam, vel propter vitium: ſiquidem nullus eſt ſanguis, nullus eſt humor, qui non hac ratione vitioſus dici poſſit.

Sed omnia donemus Aduerſario. Homini inflammatione aliqua laboranti, vbi vereamur, ne antea quàm reſoluatur, ad ſuppurationem deueniat, vena ſecanda eſt; ergo ſanguis vel propter illius copiam, vel propter vitium, vel propter vtrumque non detrahitur.Prodigioſa conſequentia. Imò verò contrà, propterea quia in inflammatione ſanguinis, vel copia,vel vitio, vel vtroq; modo noxius eſſe poteſt,licet ſanguinem mittere. Sed finio. [*Verum quid ſibi volunt hæc verba? Quamuis venæ ſectione non indigeat? Cur non indigent hoc remedio, qui patiuntur inflammationem, cum nullum magis exiſtat & neceſſarium,& propriũ?*

In

In prompta reſponſio eſt conſideranti, qua parum antea dixerat. Non indigeat vena ſectione, quemadmodum ſani quia iſti iam ægrotant; illi verò ægrotaturi ſunt, &c. Ego verò fateor me huiuſmodi promptam reſponſionem non intelligere. Siquidem Auicenna inquit hominem laborantem inflammatione haud indigere ſectione venæ non comparatè ad ſanos, ſed ſimpliciter. Vera autem (ni fallor) iſtius loci interpretatio eſt, in inflammatione ſecandam eſſe venam, etſi æger omnis plenitudinis eſt immunis, & hac ratione ſectione venæ non indiget. Quod ſtatim ſequentia poſtrema verba maniſeſtiſſime declarant, *Nec vlla adſit plenitudo*: quem ſanè locum equidem puto Auic. ad verbum accepiſſe ex Gal. qui ſcribit. *Non ſolum autem vbi adeſt plenitudo, vel ad vaſorum humores continentium capacitatem miſſio ſanguinis plurimum iuuat; ſed & citra plenitudinem incipiente phlegmone aut propter ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatem.* Quippe dolor ipſe ſanguinem ad inflammationis locum trahit; & multoties partium imbecillitas inflammationem citra totius corporis plenitudinem excitat. Quo quidem ſingulari loco mihi liceat his quatuor capitibus finem imponere.

AD CAPVT XI.

Hiſtoria Pythionis.

Hiſtoria apud Hipp. & Galen. illuſtris, interpretatione illuſtris Aduerſarij multo illuſtrior redditur. Nos verò experiamur tenebras, ſi quæ ſunt, & caligines delere, quæcunque eam obſcurant, vt ſi fieri poteſt, illa ex omni parte euadat illuſtriſſima. Poſita ſerie verborum Hipp. Aduerſarius hæc habet. [*Hunc ego dum conſidero caſum, inuenio eo in ipſo ſanguinis miſſionem duplici nomine fuiſſe neceſſariam, tum propter vacuationem plenitudinis, tum ob reuulſionem à ſanguinis fluxione indicatam; atque propterea falſiſſimum eſſe cenſeo, Gal. in ea Hiſtoria, cæteris omnibus neglectis indicationibus, & cogitationibus (quemadmodum arbitrantur medici recentiores) vnam duntaxat morbi magnitudinem perſpexiſſe. Imò verò dico, & affirmo, Galen. tum alibi, tum præcipuè in explanatione propoſita, ſemper duos illos ſcopos conſideraſſe, & nunquam ſiue illo aut alio, aut ambobus ſanguinis detractionem conſueuiſſe.*] Ego verò dum hunc conſidero caſum, dico, & affirmo alium nullum ſcopum me potuiſſe inuenire, ex quo Galen. indicationem mittendi ſanguinis elicuerit, quàm morbi magnitudinem. *Oportebat* (ille inquit) *Hippocratem, cum hominem animaduerteret in periculo eſſe, ad ſanguinis miſſionem accedere. aut primo die, ſi nullum venter contineret cibum crudum, aut omnino altero.* An quid apertius dici poteſt? An fortè ille ſcribit, oportuiſſe Hippoc. Pythioni ſanguinem mittere; quòd ille copia, vel fluxione noxius eſſet? An Gal. in re tanti momenti potuit ſcopos veros, & legitimos prætermittere, alterum autem imaginarium, ac prorſus nullum commemorare? Imò verò equidem non verebor iterum, ac ſæpius dicere, & affirmare, Gal. neque in explanatione propoſita, neque vllo vnquam loco, ad decernendum de miſſione ſanguinis, alios ſcopos, quàm morbi magnitudinem conſideraſſe.

Sed præclaras Aduerſarij rationes audiamus.
7. Meth. cap. 11. *Hoc certè (ille inquit) non eſt ſufficiens huius rei argumentum: primum, quia periculoſum eſſe affectum non indicat neceſſario morbi magnitudinem, & acutiem: cum ſint periculoſi quamplures morbi diuturni, vt elephas, & cancer, & hydrops, & phthiſis, & hectica, &c. Adde quod neque in omni acuto morbo, & periculoſo venæ ſectio conuenit.*] Quid vis vir præclariſſime, periculoſum affectum non eſſe neceſſario magnum? Equidem timeo lectorem vix riſum poſſe tenere. Galen. certè ex vna in primis periculi magnitudine, morbi magnitudinem, ac vehementiam definire non eſt veritus. Qui de complicatis indicationibus, earúmque ordine ſermonem faciens hæc habet. *Primum in eiuſmodi complexu æſtimabis, à quo maximè diſcrimen ægro impendere videatur. Namque vbi à quodam affectuum non leue periculum inſtat, ad id quod vrget dirigi primum curantis conſilium debet.* Atque in eo quidem curationis conſilio, quod ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendenda eſt. 1. Criſ. c. 3. Ea eſt triplex, alia, quæ ex læſæ actionis præſtantia ſpectatur; alia, quæ ex propria affectus eſſentia; & tertia præter has, quæ ex facultate, quæ læſum corpus gubernat, æſtimatur. Et quanquam idem Gal. doceat, magnitudinem morbi ex propria morbi ſpecie, ac ſuperuenientibus ſymptomatis cognoſci ac percipi. tamen nulli dubium eſſe debet, quin hæc tandem ad ægri periculum debeant referri: adeo vt ex Galeni diſciplina, ac rei natura, morbus cum ægri periculo, magnus, ſine periculo, paruus iure debeat æſtimari. Quod autem Aduerſarius à morbi magnitudine ad morbi acutiem tranſeat, illud equidem puto malè, præterque omnem rem factum fuiſſe. Lis eſt, vtrùm Hipp. ex periculo Pythionis iure morbi magnitudinem collegerit; quod ego affirmo, ille negat. Itaque illi probandum fuerat, morbum periculoſum non neceſſario eſſe acutum; de quo nulla eſt lis, & conuenit inter omnes; cum nulli dubium ſit, quin morbi quoque diuturni poſſint eſſe periculoſi.

Verùm, poſtquam illi placet omnia perpetuo miſcere, & confundere, ego itidem affirmo omnes morbos, tam diuturnos, quàm acutos, cum ægri periculo coniunctos, quicunque tandem, & qualeſcunque illi fuerint, eſſe neceſſario magnos; atque iis omnibus venæ ſectionem conuenire, dummodo per vires, & ætatem liceat. Quod poſterius magis diſtinctè, & certè demonſtrabitur. Quæ Aduerſarius deinde affert eum Gal. de natura morbi, ac præcipuè de cauſis, propter quas Pythion laborauit, iam de hac re inter nos conuenit, qui illi concedimus omnia ſine vlla recuſatione: nec certè fuerat, vt ille hanc eandem cantilenam millies repeteret, & inculcaret: cum facilè, & libenter fateamur huiuſmodi ſingulares ſcopos, ſingulares quoque indicationes afferre; minimè verò indicationem ſectionis venæ; quam Hipp. Galen. & nos cum illis docemus ex ſcopo communi, & quidem eminentiſſimo, morbi magnitudine perpetuo eliciendam eſſe. Id quod ex Gal. interpretatione fit certiſſimum, & euidentiſſimum. Etſi enim Pythion laborabat, & copia, & fluxione ſanguinis, non tamen ille inquit, Hippoc. propterea debuiſſe illi ſanguinem mittere, ſed quod ipſe eſſet in periculo conſtitutus. Ac ſumma cum ratione. Etenim quanquam homo immoderata, ſumma, immenſa, infinita ſanguinis plenitudine, & fluxione laborat, niſi hinc magnum aliquod periculum immineat, nunquam ad ſectionem venæ accedendum eſt.

Ac ſanè hoc ipſum quod ab Aduerſario pro ſuæ poſitionis confirmatione aſſumitur, & tantopere exaggeratur, maximè illum debuit à ſomno excitare, atque ad veritatis lumen reuocare: Vbi enim tot ſoni, ac tanti ſcopi, quot & quantos ille effingere conatur, Gal. tamen cæteris omnibus prætermiſſis, vnicum ægrotantis periculum refert, quo de venæ ſectione facienda decernat, quodnam maius, clariuſque argumentum poteſt adduci, illos

alias

Digitized by Google

alias indicationes, ſuam quemque præſtare, venam ſecandam nullo pacto indicare; hanc à ſolo morbi periculo, ac vehementia eſſe deſumendam?

Sed rationes Aduerſarij perſequamur; qui poſterius hæc habet. [*Quòd porro Gal. dicat, ſiquidem ille in veris ſuis operibus, infeſtantibus magnis morbis ſemper miſſione ſanguinis vtitur, eo pertinet, vt doceat non conuenire generoſum præſidium exercere, niſi magnus ſit morbus, quia in paruis nunquam expedit. Quis enim hac de re dubitat? Vulgatiſſimum enim illud eſt, Magnum remedium non conuenire, niſi magno morbo actu, aut potentia.*] Reſponſio egregia, quàm maximè cupio ſtudioſos diligenter attendere. Ac primum quidem id poſſem animaduertere, Aduerſarium Gal. verba, nec integrè, nec fideliter afferre, quòd fortè ille viderit, vel vnicum hunc Gal. locum totam illius diſciplinam funditus euertere: quod certè crimen in eo turpius videtur, qui, vt ſupra vidimus, illud ipſum plurimis præclariſſimis viris inurere non eſt veritus. Sed ad ea venio, quæ maioris ſunt ponderis, & momenti. Verba Gal. ſunt huiuſmodi *εἰ γὰρ ἔν γε τοῖς γνησίοις συγγράμμασιν ἐπὶ τῶν μεγάλων νοσημάτων ἀεὶ χρῆται τῇ φλεβοτομίᾳ συνεπιβλέπων αὐτῇ δύο ταῦτα μόνα, τήν θ' ἡλικίαν καὶ τὴν δύναμιν τοῦ κάμνοντος, ἔν τε τούτοις αὐτοῖς τῶν ἐπιδημιῶν ὀγδόῃ τινὰ φλεβοτομηθῆναι φησὶ, οὐδὲν ἄλλο δυνατὸν ἐννοεῖν ἐστιν ἢ ὅτι παραλείφθη μὲν ἐπὶ τῶν καμνόντων τὸ βοήθημα παραλείφθη δὲ εἰς σαφῆ, ἐν τῇ διηγήσει.* Quod ſi in veris ſuis operibus, magnis infeſtantibus morbis ſemper miſſione ſanguinis vtitur, ſimul cum ea duo hæc ſola reſpiciens, ætatem pariter, atque ægri vires, & in his ipſis libris de Vulgaribus morbis octauo die cuidam ait miſſum fuiſſe ſanguinem, nihil aliud excogitare poſſumus, quàm quòd in ægris quidem non præteritum fuerit hoc remedium, in narratione verò præteritum, vt clarum. Hæc porrò interprete Aduerſario eo pertinent, vt doceant, generoſum ſectionis venæ præſidium non conuenire, niſi morbus fuerit magnus. Interprete autem Maſſaria eo pertinent, vt doceant, in magnis morbis ſemper miſſione ſanguinis eſſe vtendum, quotieſcumque ægroti ætas, & vires ſimul cum morbi magnitudine conueniunt. Iam illud videamus, vtra magis rationi, & Galenicæ menti conſentiant. Gal. hanc pulcherrimam Pythionis hiſtoriam explanaturus, cum ille primo die cum febre acuta in duo ſymptomata manuum tremorem, & delirium incurriſſet, omnium primum huiuſmodi affectuum cauſas inquirit, & rationem reddit. Ex quibus colligit variis laborantibus principibus partibus, maximiſque vrgentibus internis cauſis, ægrum in magno vitæ diſcrimine fuiſſe conſtitutum. Hinc deueniens ad curationem, probè ſciens, quod aliàs docuerat, in morbis periculoſis eſſe alieniſſimum à ratione ad minora præſidia primum aggredi, protinus de inſigni remedio cogitans, oportebat (inquit) Hippocratem, cum animaduerteret hominem in periculo eſſe, ad ſanguinis miſſionem accedere, aut primo die, ſi nullum contineret venter cibum crudum, aut omnino altero: hocque magis, quod primo die expoſito, ſcripſerit. Altero die omnia ſunt exacerbata. Videtur enim increſcere morbus, non quaſi paruus, aut à qualibet profectus affectione corporis, ſed cum ipſe ingens, tum cauſam habens non leuem. Quoniam verò Hipp. neque in Pythione, neque aliis multis ægrotis, qui miſſionem ſanguinis requirere videbantur, huius remedij mentionem facit; quærit Galenus, quamobrem id factum fuerit; qui reſpondet, neceſſe eſſe alterutrum; vel illis ſanguinem detractum non fuiſſe vel Hipp. remedium in narratione prætermiſiſſe. Cum autem ab omni probabilitate, & ratione ſit alienum, ſanguinem & Pythioni, & cæteris ægrotis non fuiſſe detractum, quicumq; huiuſmodi remedium requirebant, cum vir eſſet huius remedij amantiſſimus, & ſcribat aliquando, ſe cuidam ægroto octaua die ſanguinem miſiſſe, concludit remedium ab Hippoc. ſcribendo, fuiſſe prætermiſſum. Quam quidem rem demum, ea, conſtanti, & demonſtratiua ratione confirmat per hæc verba. *Si in veris ſuis operibus, magnis infeſtantibus morbis, &c.* Hæc ſummatim (niſi omnia me fallunt) eſt veriſſima, atque euidentiſſima huius Gal. loci interpretatio. Ex qua facile eſt intelligere, quam miſerabiliter ille aduerſaria interpretatione fuerit corruptus. Gal. propoſitum habet docere, & confirmare, Hippoc. Pythioni ſanguinem miſiſſe: quod hac potiſſimum ratione probat, quoniam ille in germanis ſuis operibus, magnis infeſtantibus morbis, conſtantibus ægri viribus, atque ætate, ſemper ſanguinis miſſione vtitur. Quòd ſi hæc Galen. verba non alio tendunt (vt Aduerſario placet) quàm hoc inſigne remedium, niſi in magno morbo adminiſtrandum non eſſe, quæſo hæc doctrina, & confirmatio, quàm vana, quàm futilis, quam præter rem, quàm nulla eſt? Quis non intelligit quanto interuallo duæ huiuſmodi propoſitiones inter ſe diſtent? Prima Galen. Hippoc. in magnis morbis, ſimul ad hæc duo ſola reſpiciens, ægri ætatem, & vires, ſemper miſſione ſanguinis vtitur. Altera Aduerſarij, Hipp. & Gal. docent, non conuenire generoſũ remediũ exercere, niſi morbus ſit magnus: quia in paruis nunquam expedit. Prima Gal. verè, ſapienter, efficienter, & perſpicuè probat, quod ille probandum ſuſceperat. Altera aduerſarij nihil prorſus ad rem loquitur. Præterea, ſi per aduerſarium Gal. poſita ſententia non aliud nos docet, quàm miſſionem ſanguinis in morbis tantummodo magnis conuenire, obſecro te quamobrem ille ad magnitudinem morbi conſiderationem ætatis, ac virium voluit adiungere? Sed fortè res eſt manifeſtior, quàm vt indigeat maiore exaggeratione, & amplificatione.

Veruntamen neque me continere, quin poſtremo loco illud quoque addam, Aduerſarium ſumma veritatis vi adductum incautè id fateri, quod omnibus modis conatur oppugnare. Etenim miſſio ſanguinis ſine morbi magnitudine nunquam debet exerceri, an non ille fatetur ad miſſionem ſanguinis morbi magnitudinem neceſſario requirit? Quod autem ſemper neceſſario requiritur, vt inter principes ſcopos reponatur, neceſſe eſt.

AD CAPVT XII. XIII. XIV. XV.

De actu & vſu remediorum collatio doctrinæ Aduerſarij & Galeni.

ADuerſarius poſtrema parte cap. xij. & toto cap. xiij. agit aduerſus ſcopum principem, qui pertinet ad ætatem: quæ quidem importunè, ac præter rem videntur in hunc locum fuiſſe inſerta; cum ille deinceps de hac ipſa re peculiarem Diſputationem inſtituat; in quam certè opportuniùs hæc omnia potuiſſent, ac debuiſſent referri. *Diſput. 4.* Sed mihi ſtudenti, quàm maximè fieri poteſt, breuitati, ſtatutum eſt totam huiuſmodi diſputationem ſilentio præterire, quod illa propemodum mihi videatur minoris momenti, neque aliud in præſentia propoſitum habeam, quàm de principe ſcopo, magnitudinis morbi potiſſimùm ſermonem habere; de quo inter me, & Aduerſarium non ſolum principalis, ſed ferè ſola controuerſia conſtituta eſt. Itaque primam partem cap. xij. perpendamus,

damus,in qua in principio nonnulla ſunt Gal.doctrinæ conſentientia; quæ niſi poſterius fuiſſent ab illo contaminata, fortè omnem litem, & controuerſiam derimere potuiſſent. Illius verba hæc ſunt. [*Quamobrem duo erant primi, ac principes ſcopi, magnitudo morbi, ac virium robur, ille tanquam indicans remedium, hic verè non prohibens illud: ita vt ex amborum præſentia ſtatim ad mittendum ſanguinem, & ex abſentia, aut amborum, aut alterutrius nunquam ſanguis mitti poſſit.*]Quæ quidem vt maiorem fidem acquirant, Galen.teſtimoniis confirmantur,quæ ſunt huiuſmodi. [*De duobus hiſce ſcopis locutus eſt Gal.cum ait. Quando ſi valens fuerit morbus cum virium robore, nemo eſt vtique,qui ſanguinem non mittat. Idem ſcribit libro de Miſſione ſanguinis,&c.Vbi horum duntaxat ſcoporum meminit, quaſi totius operis concluſionem, & epilogum faciens ad ſcopos pertinentem, de quibus multa ſuprà dixerat. Ac apertiſſimè eodem lib.c.9. quo loco eos ipſos ſcopos,tum primos,tum etiam principes appellauit,quia ad eos alij propemodum omnes referuntur:eius verba afferre placet,quia contra nouatores medicos magni momenti videntur mihi. Cæterum primi* (inquit) *principeſque mittendi ſanguinis ſcopi ſunt, magnitudo morbi, & laborantis robur, &c.*] *O magna vis veritatis, quod Cicero aliquando exclamauit, quæ contra hominum ingenia, calliditatem,ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facile ſe per ipſa defendat.* Hæc quidem Gal.doctrinæ, & veritati conſentientia ſunt. Hæc nos fatemur,profitemur, docemus, prædicamus, defendimus,quæcunque aduerſarius in præſentia perſpicuè,& palam de Gal.ſententia ſcribit, & confitetur,Duos eſſe primos,ac principes ſcopos mittendi ſanguinis (Tertium, qui pertinet ad ætatem nihil miror in præſentia, de quo poſterius litigabimus) Alterum magnitudinem morbi, tanquam indicantem : alterum virium robur, tanquam haud impedientem remedium : Hiſce duobus ſcopis conſentientibus,licere; vno vel altero, vel vtroq; deficientibus,licere ſanguinem mittere : Gal. vbicunque ſerio, & ex principali propoſito , vel vt aduerſarius loquitur ; quaſi totius operis concluſionem, & epilogum facit , horum duntaxat ſcoporum meminiſſe : Ad huiuſmodi ſcopos , quos Gal. verè primos, principéſque appellat, cæteros omnes, qui ſecundarij ſunt facilè referri. Quod ſi Aduerſatius, ſicuti æquum fuerat, in iis voluiſſet acquieſcere,ad Gal.mentem ſine dubio, & ad veritatem locutus fuiſſet , præclaréque potuiſſet totam rem definire,& omnibus controuerſiis finem imponere. Verùm ad bonam frugem addita zizania,ad veritatem addito mendacio,omnia inquinata,corrupta contaminata ſunt. Etenim afferens locum Gal. *Quando ſi valens fuerit morbus cum virium robore,nemo eſt vtique,qui ſanguinem non mittat.Conſideranda*(inquit) *ſunt hæc verba. Nemo eſt vtique , qui ſanguinem non mittat. Si quidem in iis ipſis nemo non videt Gal. agere de actu,& executione huius remedij,non autem de eo,quod ipſum primò indicat;quia quod indicat , non eſt protinus executioni demandandum.*

Ego verò cum hanc totam verborum ſeriem , tam Gal. quàm aduerſarij diligenter , & attento animo conſiderauerim ; ſicuti ex vna parte mihi videor,& quidem apertiſſimè Gal.verba,eorúmq; ſenſum intelligere ; ita ex altera ingenuè fateor , cum nemo non id videat , me cæteris cæciorem eſſe, prorſúſque ignorare , quidnam aduerſarius hac ſua acutiſſima,& ſubtiliſſima ratione ſibi velit : qui non ſatis capio,quod effugium ille capiat ex ea diſtinctione,de actu,& executione remedij : vt certè ille potius ſe occultare , quàm pugnare videatur. Quæſo enim nonne indicationes ad vſum, & operationem, ſiue executionem diriguntur?imò verò,quid aliud Gal. nomine indicationis intelligit, quam ſequentis,ſiue agendi inſinuationem ? Dele actum,& executionem remediorum , iam conſideratio indicationum inutilis , & nulla eſt. Nec certè interpretatio & excuſatio,quam aduerſarius adhibet,quicquam valet. [*Quia, quod indicat , non eſt protinus executioni demandandum , ſicuti prædiximus.*]Namq; ille principio capitis docuerat,& verè docuerat,magnitudinem morbi indicare quidem miſſionem ſanguinis,ſed ſine robore vitium remedium non eſſe adhibendum. At verò , ſi ambo huiuſmodi ſcopi conueniant , ſicuti profecto in præſentia apud Galen. conueniunt. [*Quando ſi valens fuerit morbus cum robore virium*] mihi quidem certè & remedium , & remedij executionem videntur indicare. Itaque noua hæc, & commentitia aduerſaria cogitatio , iis verbis Gal. agere de actu , & executione huius remedij ; non autem de eo,quod ipſum primò indicat,mihi videtur ſubtilior, quàm vt à tardo ingenio, quale non inuitus fateor me habere , intelligi poſſit. Sed ad alterum locũ progrediamur,qui nõ minore notatione , fortè etiam admiratione eſt dignus, quàm prior fuerit. Gal.pluribus locis ſuam ipſius,necnon Hippoc.ſententiam de ſcopis mittendi ſanguinem apertè declarauit ; ſed hic vnus locus, præ cæteris omnibus vſque adeo illuſtris , efficax , & ſolidius ſemper mihi viſus eſt,vt equidem ſatis mirari non poſſim, quamobrem non omnes in eo facilè & libenter acquieſcant. Verùm noua cogor admiratione obſtupeſcere , ac ſimul dolore affici ; virum inuentum eſſe hominem , & equidem celeberrimi nominis,qui tantum abeſt, vt voluerit in ipſo acquieſcere, vt non ſit veritus illum mirabiliter corrumpere,& ad ſuæ opinionis patrocinium aſciſcere. Verba Galenica hæc ſunt.

Primi autem,ac maximè proprij ſanguinis mittendi ſcopi ſunt morbi magnitudo,& robur laborantis. Et hanc primam eſſe ſyndromen dicere oportet, haud plethoricam , in qua miſſio ſanguinis obſeruata ſit. Quippe in illa & hæc comprehenditur , vt quæ morbi magnitudinem adaugeat. Si mihi,lector,optio detur,vt quibuſcunq; verbis,& modis poſſim,vetus decretum exponam,& confirmem,Duos principes eſſe ſcopos mittendi ſanguinem,magnitudinem morbi,ac robur virium, conſiderationemque plenitudinis prorſus nullam eſſe,niſi quatenus illa morbi magnitudinem affert,equidem neſcirem nec magis propriis, perſpicuiſq; verbis,nec magis exquiſita ratione id efficere. Ac ſanè aduerſarius quoque,dum Gal. conſentit , probè mihi viſus eſt hunc ipſum locũ explicare,per hæc verba. [*Quaſi dicere voluerit Gal. ſyndromen,ideſt concurſus omniũ omnium ſignorum indicantium ſanguinem eſſe mittendum,non eſt plethorica illa Menodoti,a nobis toties reprobata, ſed ſolum ſatisfacit ad obeundum hoc opus morbi magnitudo, & robur virium,*] Egregiè. Verùm quæ ſequuntur, dum à Gal. deficit, vetere illius more,omnia deformant,& peruertunt. [*Quia cum morbi magnitudine* (ille inquit) *cõprehendimus etiã plenitudinẽ.cuius cauſa morbi magnitudo adaugetur. Conſiderẽt quæſo hunc locũ nouatores,ad pauca certè (vt liberè dicã) reſpicientes, vt cũ Ariſt.loquar;nã ſi ſyndromen ſecundũ ſuũ,& executionẽ huius remedij eſt morbi magnitudo,& robur viriũ,& ſub ipſa magnitudine cõtinetur plenitudo,vtiq; Gal.ſignificauit morbi magnitudinẽ à plenitudine,dũ ibi loquebatur de phlebotomia,quatenus vacuatiuũ erat præſidiũ. Menodoti cõſuetudine ſyndromẽ proponẽt.Ergò ſẽper quãdo gratia vacuationis,nos ipſi morbi magnitudinẽ indicare dicimus detractionẽ ſãguinis,cõplectim. plenitudinẽ.*]

Equidem,

Equidem, etſi inuitus hoc turpe nouatoris nomen recipio, tam graui admonitione, & rogatione excitatus, etiam, atque etiam hunc locum conſideraui, & quantum mens mea potuit, ad multa reſpexi. Atque (vt liberè dicam) ſicuti ex vna parte ſententia Galeni ſummam perſpicuitatem, & veritatem mihi videtur continere, ita ex altera, ſententia Aduerſarij mihi videtur vehementer abſurda, falſa, à Galeni doctrina, & omni ratione aliena, in primis verò iis non conſentire, quæ illum ipſum audiuimus paulò ſuprà ſcripſiſſe, & docuiſſe. Age porro vtramque breuiter perpendamus, qui iterum cogemur poſteriùs has ſordes mouere.

Cùm Galenus proximo ſuperiore octauo capite docuiſſet ſanguinem mittendum eſſe, non ſolùm vbi adeſt plenitudo, vel ad vires, vel ad vaſa, ſed etiam citra plenitudinem, incipiente phlegmone, aut propter ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatem: ſiquidem ipſe dolor ſanguinem ad inflammationis locum trahit; & multoties partium imbecillitas inflammationem citra totius corporis plenitudinem excitat; atque id longiore oratione confirmaſſet, mox initio præſentis capitis hanc ſententiam concludit, atque Hippocratis teſtimonio confirmat per hæc verba. *Rectè igitur in iis, quæ de Victu Acutorum morborum propoſita, & diſputata ſunt, admonemur, vt ſanguinem mittamus, vbi morbus fuerit magnus, & ætas florentis ætatis, illique robur aderit. Perperam quoque Menodotus in ſola ſyndrome plethorica vocata venæ ſectionem obſeruari tradit. Contra enim in vniuerſum ſcopi mittendi ſanguinis plenitudinem in ſe primò haud complectuntur, ſed ſuſpicionem eius, quod adhuc ſit mali. Nam ſi magnum fore appareat, ſanguinem mittemus, etiamſi nulla plenitudinis nota adeſt, &c.* Hæc Galenus. Quæ quidem etſi cuique ſatis eſſe potuiſſent, tamen rem longè maximi momenti voluit adhuc magis comprobare & illuſtrare. Qui ſtatim hæc habet. *Primi autem, & maximè proprij ſanguinis mittendi ſcopi ſunt, morbi magnitudo, & robur laborantis; & hanc primam eſſe ſyndromen dicere oportet, haud plethoricam, in qua ſanguinis miſſio obſeruata ſit: quippe in illa, & hæc comprehenditur, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat, &c.* Ego verò puto eſſe neminem, qui ex hac ſimplici verborum ſerie non facile intelligat, qualis fuerit ſententia Galeni. Tres nimirum eſſe proprios, primos, ac principes ſcopos mittendi ſanguinis, Morbi magnitudinem, robur virium, vigentem ætatem, Plenitudinémque primò & per ſe hoc remedium non indicare, ſed hac tantummodo vna ratione, ſi ea morbi magnitudinem afferat, vel allatura ſit. Quæ quidem mihi videtur adeò planè, palámque fuiſſe expoſita, vt ſuperuacaneum putem in ea explicanda longius laborare. Sententia autem Aduerſarij eſt (ni fallor) in morbi magnitudine plenitudinem prorſus contineri: adeo vt nulla morbi magnitudo ſine plenitudine valeat miſſionem ſanguinis indicare. Quæ quidem mihi videtur duplicem ſenſum poſſe afferre. Alterum, omnem plenitudinem morbi magnitudinem efficere. Alterum, morbi magnitudinem ſine plenitudine non poſſe conſiſtere. At verò vtrumque à Galeni ſententia eſſe alieniſſimum, vnico illius teſtimonio mihi videor euidentiſſimè poſſe demonſtrare. Qui ſcribit ad hunc modum. *Cum omnia hæc rectè dicta ſint (nimirum ab Hippocrate) in morbis magnis ſanguinem mittendum, &c. tamen quoſdam non rectè vſos fuiſſe putandum eſt: quo quidem numero Menodotus Empiricus eſt, qui in ſola plethorica vocata ſyndrome ſanguinis miſſionem obſeruari affirmat. Nos autem & ea haud exiſtentem ſanguinem mittimus, vbi vehemens dolor repente hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os è ſuo articulo motum ſit. Non autem ſemper ſanguinem mittimus, etiamſi plethorica ſyndrome facta eſt, ſed frictione, & balneis multis, & abſtinentia bidui, aut tridui, ad id quod naturale eſt, reducimus.* Quam eandem ſententiam Galen. imò verò eadem verba commemorat lib. 4. Meth. cap. 6. In quibus Aduerſarium ferè Menodoti perſonam ſuſtinentem præclarè, & grauiter mihi videtur arguiſſe, diſertè docens, quoſdam morbos eſſe magnos ſine plenitudine in quibus ille ſanguinem mittere conſueuit; necnon plenitudinem, vel inſignem, in qua ſcilicet plethorica ſyndrome facta eſt, morbi magnitudinem haud efficere, ac propterea miſſione ſanguinis non indigere, ſed frictionibus, ac leuioribus præſidiis minui, atque ad naturalem habitum reduci. Verùm quid ago pluribus? Si per Aduerſarium de ſententia Galeni plenitudo ſemper in morbi magnitudine comprehenditur, quamobrem ille ipſe paulò ſuprà dixit, ſcopos mittendi ſanguinis plenitudinem in ſe primò non complecti? Hæc nunquam inter ſe cohærebunt: neque Aduerſarius quocunque ſe vertat, quomodocunque, & quantumcunque laboret, & ſe torqueat vnquam, poterit apud Galenum inuenire, miſſionem ſanguinis à plenitudine indicari; niſi vnica ea ratione, ſi illa morbi magnitudinem vel afferat, vel augeat, ſicuti Galeni verba facilè, & expeditè explicant. Quod ſi tandem vir acutiſſimus ſolertiſſimus, ingenioſiſſimus id ſemel verè poſſit inuenire, & demonſtrare, parati ſumus voluntariam conditionem accipere, ac fateri, nos tota cauſa cecidiſſe, illúmque glorioſam victoriam reportaſſe. Sed (lector mihi crede) annum magnum Platonis oportebit nos expectare.

Quoniam verò, ſicuti diximus, de hoc ipſo ſcopo plenitudinis, poſterius quoque rurſum coacti erimus diſputare, hæc de præſenti capite, ac toto primo libro ſint ſatis. Quod enim ſpectat ad duo poſtrema capita xiv. & xv. in quibus Aduerſarius illud vnum agit, quomodo ſcopi mittendi ſanguinis modò tres, modò quatuor, quinque, & plures à Galeno ſtatuantur; quod itidem fecit ſuperioribus capitibus, ſecundo, & tertio, nos huiuſmodi tractationem ad locum accommodatiorem, nempe Diſputationem tertiam ſtatuimus reſeruare. Vt ita, & breuitatis, & ordinis, & quibus maximè ſtudemus, quantum fieri poteſt, rationem habeamus.

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO II.

AD CAPVT I.

Hippocratis & Galeni ſententiam cæteris præferendam.

SECVNDA hæc ſecundi libri Diſputatio, an indicatio ſumpta à magnitudine morbi ſit diſtincta ab indicatione petita ab ipſo morbo, eiúſve cauſa, maximè ad rem pertinet: ſiquidem hæc potiſſimùm in controuerſia, & contentione verſatur: addo vt fortaſſe hac vnica diſputatione totalis; & cauſa præclarè videatur poſſe definiri. Itaque nos quoque diligenter hunc locum tractabimus, eóque magis, quòd Aduerſarius

neceſſarius ſcribat [*Quoddam hac noſtra ætate, iam primum de hoc argumento emerſiſſe paradoxum, immò verius cacodoxum, humano generi quam maxime periculoſum, contra Hipp. Gal. Auicen. omniumq; medicorum ſententiam excogitatum; in quo conuenire, & aſſentiri maximè impium, atque deteſtandum duxit.*] Querela grauiſſima: Quæ vtinam non ad ſeipſum, ſuámq; ipſius opinionem veriſſimè pertineat. Quod etſi ſpero progreſſione diſputationis, me apertè palámq; eſſe demonſtraturum, tamen nequeo me continere; quin in hoc quoq; primò diſputationis veſtibulo liberè dicam, quid de huiuſmodi tam deteſtanda opinione ſentiam. In quam profectò ſententiam teſtor Deum Opt. Max. non ſolùm ſumma Hipp. & Gal. authoritate, & ratione, ſed etiam quinquaginta propemodum annorum diligenti obſeruatione me adductum fuiſſe. Ea verò eſt; illos medicos, quicumque Hipp. & Galen. doctrinam de tribus principibus ſcopis mittendi ſanguinis amplectuntur, & intelligunt, probéq; ſciunt eiuſmodi remedium adhibere, quod conſtat inter omnes ad vitam hominis eſſe quàm maximè neceſſarium, omnes de genere humano bene mereri, & vbicumq; medicinam faciunt, magna cum ſua ipſorum laude, & vtilitate inter cæteros eminere, ac principem locum obtinere. Contrà verò alteros, qui ab Hipp. & Galeni doctrina deficientes, pluribus, ac ferè infinitis huius remedij ſcopis inquirendis perperoò ancipites, & ſoliciti neſciunt, & nequeunt ſe explicare, præcipitémque occaſionem probè tanti adminiſtrandi remedij perdunt ſæpenumero, omnes de humano genere male mereri; in primis autem de parentibus, fratribus, filiis, amicis; qui præ cæteris illorum fidei, & curæ ſeipſos ſolent committere, & commendare; demúmque inter rudes, & ignauos plebeióſque medicaſtros, non ſine magno eorum dedecore & damno perpetuò ab omnibus haberi. Sed ad rem. Quoniam Aduerſarius hoc deinceps capite non aliud agit, quàm vt nonnullas repetat ſibi obiectas rationes, quæ ex noſtra Diſputatione ad verbum petitæ ſunt, ſtatim ad ſecundum caput aggredior.

AD CAPVT II.

De abſtracto & concreto: de indicatione ſecandæ venæ in morbis.

ADuerſarius poſito, atque expoſito titulo Diſputationis, ad ſuam redit cantilenam ad quam poſterius quoque redibit millies, Indicationes ſumi à natura morbi, & cætera id genus: quæ vt ne nos quoque eodem crimine cum illo polluamur, non ſunt rurſum ineptè referenda: atque eò minùs, quòd nos illi omnia libenter donamus, & concedimus, quæcumque de huiuſmodi indicationum argumento ab illo ex Galeno tradita ſunt. Quod ſuprà non ſemel diximus. Verùm neque hic lepidi quidam ſales deſunt [*Secundo loco ponamus magnitudinē à magno inuicem non aliter diſtingui, quàm abſtractum a concreto, vt albedo, & album. Abſtractum quidem ſignificat formam in communi, quatenus determinatum ſubiectum non denotat, concretum verò ſubiectum ea forma præditum,* &c.] Quæ confuſa, tenebricoſa, inuoluta, implicata iſta poſitio eſt? In bona philoſophia abſtractum non ſignificat formam in communi, quatenus determinatum ſubiectum, &c. propterea quia abſtractum non denotat ſubiectum, nec determinatum, nec indeterminatum: & concretum non neceſſariò denotat ſubiectum determinatum, ſed plerúmque indeterminatum. Præterea diſtinctio male ad rem applicatur: quoniam magnitudo eſt abſtractum: at verò morbi magnitudo non eſt abſtractum. Peccat demum Aduerſarius, qui morbum magnum facit, modò concretum ad differentiam magnitudinis, modò abſtractum ad differentiam corporis magno morbo laborantis. Diſperеam, ſi intelligit quid ſit abſtractum, & concretum. [*Rurſus aliud etiam ponamus veriſſimum principium: omnem indicationem, quæcumque ipſa ſit, ab aliquo primo exordiri, ac progredi poſtea ab eo per intermedias differentias ad alias minus communes,* &c.] Error, & contradictio mirabilis.

Omnis indicatio quæcumq; ſit, orditur à primo, & ab eo per intermedias differentias ad minus communes, & proprias progreditur: at verò hæ differentiæ propriæ ſuas habent indicationes, ergo hæ quoque indicationes à primo ordiuntur, & ad proprias differentias progrediuntur: atque ita res abibit in infinitum. Sed ad vtiliora pergamus. Hæc igitur toties repetita, & inculcata doctrina de indicationibus nihil ad rem pertinet. Siquidē, quod ego quoque ſæpiùs cogor repetere, præter omnes ſingulares indicationes, vna eſt generalis, ac principalis à morbi magnitudine; quā Hip. omnium primus inuenit, & Gal. ſummis laudibus tantopere extulit: quam Aduerſarius nequit æquo animo perferre. Id quod exempla ab illo poſita demonſtrant, & confirmant euidentiſſimè. [*Statuito* (ille inquit) *luxationem adeſſe crurum; huius contrarium determinatum non eſt alteratio, quæ calido fit, frigido, humido, ſicco; ſed repoſitio, & recta conſtitutio, in loco ſuo: nec poteſt quiſquam ſanare illam particulam alterando: immo verò ſi quiſpiam ita tentaret, dubio omni procul ludibrio foret omnibus. Statuito ſummam plenitudinem qualem in bono Athletarum habitu ſibi proponit Hipp. Huius contrarium erit ſumma inanitio. Quis ad tantam veniat dementiam, vt huic aut ſummam caliditatem, aut frigiditatem opponat? aut vſtionem, aut membri amputationem, aut aliud eiuſdem generis quidpiam?*] Hæc ille, Egregiè ſubtilis, & elegans ſcriptor, ſed κρυπτοχυτρολόγος, qui libenter in rebus nullius momenti, atque euidentiſſimis oleum, & operam perdit.

Cæterùm cum ille proprias, & ſingulas res, apertiſſimáſque indicationes proponat, experiamur nos quoque, an præter eas, aliam communem, & quidem inſignem, ſed Aduerſario, & quampluribus ignotam, morbi magnitudinem poſſimus inuenire. Age, Socrati ſint luxata crura. Nouimus omnes, præter communem indicationem, cuilibet è plebe notam, vt membrum luxatum reponatur, ſuas quoque eſſe indicationes, vt membrum indirectum primum retrahatur, deinde ad proprium ſitum adducatur. Sed præter huiuſmodi indicationes à ſingulari morbi natura ſumptas, an eſt quis tam rei medicæ imperitus, & infans, tam ſanguiſugus, qui antequam oſſa in proprium locum reponantur Socrati ex brachio, fortaſſe vtriſque brachiis nolit ſanguinem mittere? Quod ſi Aduerſarius clamet, remedium non indicari ex rei natura, neque illud huic morbo contrarium eſſe determinatum, ſed repoſitionem, ille Galen. cuius doctrinam (verène, an fictè neſcio) tantopere profitetur, & admiratur, audiat, Qui hæc habet. *Nos autem & ſine plethorica ſyndrome venam ſecamus, cum* 4 Rat.Vict. c.19.
dolor vehemens hominem ſtatim prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulſum ſit, vel alius quiſpiam articulus contractus, reductúſque fuerit. An Galenus vſque adeò ſtupidus fuit, & bardus; qui proprias, ſingulares, peculiares, & determinatas indicationes non intelligeret, altámque ſectionis venæ indicationem afferret,

quæ per Aduerſarium, & à natura huiuſmodi morborum, & ab omni medendi methodo eſt aliena? Alterum eſt exemplum ſummæ plenitudinis, qualem in bono Athletarum habitu ſibi proponit Hip. de quo multa mihi veniunt in mentem dicenda. Ac primùm quòd Aduerſarius inquit [*Huius contrarium erit ſumma inanitio.*] δἰς διὰ πασῶν mihi videtur diſtare à doctrina Hipp. & Gal Ille hæc habet. *Neq; euacuationes ad extremum ducendæ: periculoſum. n. ſed qualis fuerit natura eius, qui habet perferre, ad hoc ducere conuenit.* Hic verò, *vt corpori ſit nutricationi locus, bonum habitū ſine mora ſoluere oportet. Eius antē ſolutæ eſt euacuatio.* Et hanc quoq; oportet nō vltra modum facere; cum ſit immodica vacuatio non minus immoderata repletione periculoſa. Deinde id mihi liceat addere, huiuſmodi bonum habitum, ac ſummam plenitudinem non alio præſidio, quàm ſectione venæ ſolui poſſe, & debere. Id quod res ipſa plenè demonſtrat, omnéſque interpretes, & veteres, & recentes docent apertiſſimè Poſtremò id non verebor affirmare, & repetere, talem, ac tantam plenitudinem, qualis fortaſſe, & quanta vix reperiri, aut concipi animo poteſt, neque ſummā vacuationē, neque ſectionē venæ poſſe indicare, niſi illi præterea generalis princépſque indicatio morbi magnitudinis accedat. *Habitus Athletarum* (inquit Hipp.) *qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint. Neque, n. poſſunt in eodem permanere, & quieſcere. Cum verò non quieſcant, nec poſſint in melius proficere, reliquum eſt, vt in deterius decidant. His de cauſis bonum habitum ſtatim ſoluere expedit.* Sic Galen. *Neceſſarium eſt hanc diſpoſitionem eſſe periculoſam. Cum. n. vaſa cibis, & potibus fuerint ſuprà modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſtranguletur, aut extinguatur. Itaque hunc habitum ſoluere oportet, haud quaquam morantes, ſed anticipantes ſolutione periculum.* Ex quo loco, & exemplo aduerſus Aduerſarium, & Menodoticos mihi videor non ſolùm probabilem ſed fortè etiam neceſſariam rationem poſſe colligere. Namque ſi ſumma, atque omnibus numeris abſoluta plenitudo ſine præſenti, vel imminenti periculo non indicat ſectionem venæ, multò minùs quæcumque leuior fuerit plenitudo, poterit hoc remediū indicare. Sed antequam finio, id nequeo ſilētio prætetire. Aduerſarius poſtremo capite, poſt multa ſummam colligit ſuæ diſputationis per hæc verba. [*Quæſtio eſt, an indicatio ſumpta à magnitudine morbi in eo, quod magis, ac minus duntaxat, an autem eſſentialiter differat ab indicatione, quam ſuggerit magnus morbus, &c.*] Quæſtio ad nos non pertinet. Neque enim quæritur, an differat indicatio à magnitudine morbi, & à morbo magno; cum ſit prorſus eadem; ſed an indicatio, quæ à morbi magnitudine ſumitur, differat à propria ipſius morbi indicatione: dicam vno verbo. An morbus magnus indicet venæ ſectionem: immò verò, an tres ſint præcipui, & adæquati, vt aiunt, ſcopi mittendi ſanguinem, magnitudo morbi, robur virium, ætas. Ita quærendum fuerat, nec res ad cauillos, & elenchos ſophiſticos deducenda.

AD CAPVT III. IV. V. VI.

SI diligenter quatuor hæc capita conſiderentur, ea fortè nihil aliud continent, quàm toties decantatam, & decantandam fabellam. Indicationes ſumi ex natura morbi. Morbos ſine materia minimè vacuationem, ſed ſolam alterationem, morbos cum materia minimè alterationem, ſed vacuationem indicare, & alia id genus. Quæ quidem cum pudeat me, ac tædeat tam frequenter commemorare, & repetere, in poſterum mihi ſtatutum eſt perpetuo ſilentio prætermittere. Verùm ſi quæ ſunt notatione digna, ea ſigillatim, quàm breuiſſimè fieri poteſt, perpendantur.

AD CAPVT III.

Morbi magnitudo duplex: Aduerſarij error, & contradictio.

ILlud primum notandum eſt, Aduerſarium hoc tertio capite, ſicuti aliàs frequenter, loqui ſolùm de propria, ſingulari, & ſpecifica, vt aiunt, magnitudine morbi: quo ſenſu, aut nunquam, aut raro admodum oritur indicatio ſecandi venam. Namq; ex. gr. maximus tumor, quatenus differt à paruo, qui paruum indicat remedium, non indicat ſectionem venæ, ſed magnam euacuationem, aut diaphoreticis, aut ipſa partis inciſione faciendam. Sin autem debet oriri indicatio ſecandæ venæ, iam verò ad alium communiorem ſcopum, ad aliud magnitudinis genus confugiendum eſt, quæ vehementia potius dicitur, quod ad totius corporis prouidentiam pertinet. De quo poſterius diffusè & accuratè ſermonem habebimus. Quæ igitur afferuntur de indicatione à morbo magno vel paruo de pluribus magnis præſidiis, vſtione, amputatione membri, &c. quod ipſemet Aduerſarius fatetur ad propoſitum ſuæ Diſputationis non pertinent. Itaque prudenter ſe confert ad principalem conſiderationem; quinam morbi venæ ſectionem, aut purgationem deſiderent. Quandoquidem hæc duo magna remedia ſunt in vacuationum genere, venæ ſectio ſemper, purgatio nonnunquam, vt dicebat Gal. 2. Aph. com. 29. Hic quoque locus falsò adductus eſt, cum Gal. minimè ſcribat, ſectionem venæ ſemper conuenire, ſed maxime, in primis, præcipuè. ἔστι δὲ ταῦτα (inquit) μάλιστα μὲν φλεβοτομία. *Sunt autem hæc, maximè quidem vena ſectio.* Quòd ſi venæ ſectio ſemper conuenit, quomodo purgatio nonnunquam poteſt conuenire? Verum vt vt ſit, mirū ſanè eſt, quotieſcumque Aduerſarius non diſcedit à Gal. quomodo, etſi fortè inuitus, ad veritatem loquatur: ſicuti in præſentia loquitur. Etenim cum ille fateatur, in communi vacuatione duo tantummodo eſſe magna præſidia, ſectionem venæ, & purgationem, neque hæc liceat ſine morbi magnitudine adminiſtrare, quod ille non diffitetur; nonne hinc licet colligere, vtrumque magnum huiuſmodi præſidium à morbi magnitudine indicari? Siquidem nos quoque non inuiti fatemur hæc ipſa duo remedia indicari tanquam remedia magna, & ad omnes magnos morbos accommodata. [*At inuento ſcopo vacuationis non protinus, aut purgandum, aut ſanguis mittendus eſt: ſed interdum ſufficit purgatio, interdum vena ſectio, interdum adminiſtrari debet vtrumque. Interdum etiam leniora vacuationum genera ſufficiunt, vel quod virtus validiora non ferat, vel quod ipſius non poſtulet morbi natura, &c.*] Præclarè omnia. Cum enim ſcopus magnitudinis morbi communem afferat indicationem tam mittendi ſanguinis, quàm adhibendæ purgationis, vtique omnium primum diſtinguendum eſt; vtrum præſidium debeat adminiſtrari. De quo quidem difficili iudicio in noſtra Diſputatione diffusè diximus: poſteriùs quoque dicemus accuratiſſimè.

AD CAPVT IV.

Triplex morbi magnitudo an indicet ſectionem venæ.

PRimùm quidem *ſi morborum magnitudo generatim ſumpta per ſe indicat ſectionem venæ: omnis magnitudo aut vtrumque aut alterutrum indicaret. Atqui hoc omnino falſum eſſe ipſa oſtendit inductio,* &c. Aduerſarius diſputandi rationem non videtur rectè callere. Nam vt deſtruat hanc vniuerſalem propoſitionem: quòd morbi magnitudo generatim ſumpta per ſe indicet purgationem, aut ſectionem venæ, quoſdam ſingulares magnos morbos obiicit, qui non videntur huiuſmodi indicationem afferre. Ridiculum certè eſt hanc appellare inductionem, quæ ex particularib. probat, & colligit vniuerſale. Sed quod ipſe aſſumit, falſiſſimum eſt: dari morbos magnos cerebri, cordis, &c. qui non poſtulent ſectioné venę, modò alij duo adſint ſcopi. Ego enim, ſicuti ex vna parte fateor cum Gal. ſcopum magnitudinis morbi, & ſectionis venæ, & purgationis indicationem afferre, ita ex altera hoc in tribus magni morbi generibus ab eodem Gal. poſitis falſum eſſe, diffiteor. Qui conſtanter affirmo hoc nobile decretum in omni magno morbo ſinceram, atque æternam veritatem continere. Quod quidem cum Aduerſario mihi liceat ſigillatim perpendere. Accipiamus primum morbum magnum propter præſtantiam partis laborantis, de quo Aduerſarius hæc habet. [*Si magnus morbus ratione præſtantiæ partis; vt in cerebro, corde, iecinore, omnis harum partium morbus quicumque ſit ſanabitur aut purgatione, aut ſectione venæ: vt infiniti propemodum ſunt, qui neutrum exigunt. Omnem ſuperat abſurditatem, dicere, cerebri morbos omnes cordis & iecinoris omnes alterutrum ex hiſce remediis, aut vtrũque poſtulare.*] Hęc quidem grandia, & terribilia videntur: ſed timendum, ne murem pro leone pariant. Etſi morbi cerebri, cordis, iecoris miſſione ſanguinis vel purgatione propriè non ſanantur, tamen magni morbi cerebri, cordis, iecoris ſine miſſione ſanguinis, vel purgatione ſanari non poſſunt, cum ſine huiuſmodi generali prouidentia non liceat ad propria, & ad vnumquemque morbum accommodata præſidia deuenire. Itaque equidem non verebor affirmare, cerebro, corde, iecore, quolibet magni morbi genere laborantibus, vel in intemperie, vel in mala compoſitione, vel in ſolutione continui, miſſionem ſanguinis, vel purgationem conuenire, dummodo id per vires, & ætatem liceat, ægérque vel vnum, vel alterum præſidium bene poſſit perferre. Sed Aduerſarij obiectam rationem audiamus. [*Deinde* (ille inquit) *vrget, quod nobilitas, & præſtantia partis, quantum ſit merito ſui, nihil aliud ex propria indicare poteſt natura, quàm conſeruationẽ propria ſubſtantia, cum maximè ſint vtiles vita,* &c. *Porrò pugnat è diametro hæc indicatio, cũ ea, quæ vacuationis eſt; nã quæ vacuãt per ſe, ac propria ratione imbecillas reddunt facultates, vt Gal. dicebat,* &c.] Itaque per Aduerſarium laborantibus partibus nobilibus, & principibus nunquam licebit, vel mittere ſanguinem, vel dare medicamentum, vel tenuem victus rationem adhibere, quæ omnia propriam earum ſubſtantiam nequeunt conſeruare, immò verò poſſunt multis modis labefactare, & diſſoluere. Verùm homo lynceus nonne videt, quanto inter ſe diſtent interuallo, indicatio à natura partis, & indicatio à morbo magno ratione partis? Illa eſt indicatio ſimilis, vt pars conſeruetur: hæc autem eſt indicatio contrarij, venæ inquam ſectionis, aut purgationis. Hæc mihi quidem certè videntur omnem abſurditatem ſuperare.

Secundò ſuccedit morbi magnitudo ſecundùm propriam eſſentiam; de qua itidem Aduerſarius hæc habet. [*Amplius morbum conſiderans in ſua eſſentia magnum, affirmare audeo non adeſſe indicationem venæ ſectionis, aut purgationis. Nam inter ipſas intemperies calidas nulla maior febre: at qui aliquando tam peruerſo erit iudicio præditus, quis audeat in omni febre mittere ſanguinem?*] Magna audet Aduerſarius; ſi magnum eſt diſcedere ab Hipp. & Gal. qui tam planè, & apertè, quàm quod planiſſimè, & apertiſſimè docent: ſcopum magnitudinis morbi ſecundùm propriam eſſentiam, & ſectionis venæ & purgationis indicationem afferre. Quod verò ad febris exemplum pertinet, ego quidem audeo cum Gal. affirmare, optimum eſſe in febribus ſanguinem mittere, non ſolum ſynochis, ſed etiam aliis omnibus, quæ ex humorum putredine fiunt, quando quæ ad vires ſpectant & ætatem, remedium non prohibent. Quod ſi hæc ſententia tam abſurda, ac peruerſa eſt, quàm ſcribit Aduerſarius, ego quidem libenter patiar, ac fatebor, me tam peruerſo iudicio præditum eſſe, dummodo meæ ſententiæ propugnatorem, & patronum habeam Gal. cum quo, ſicuti aliàs quoq; ſum profeſſus, malo errare, quàm cum nouatoribus, atque illius hoſtibus vera ſentire; cum poſterius propriis Diſputationibus viij. ix. x. hanc ipſam rem diffuſè, & accuratè ſimus diſputaturi.

Tertiò ſequitur morbi magnitudo ſecundùm malignitatem, de qua Aduerſarius. [*Quid dicam de magnitudine morbi ratione cacoëthiæ? an concedendũ in hac adeſſe indicationẽ de alterutra vacuatione? minimè verò concedã, quia quòd vnum ſemper ſuapte natura indicat, id alterutrum indicare non poteſt. Cacoëthia propriè oppoſitam illi, ac determinatam bonitatem indicat. Vt verò cum cacochymia interdum confunditur, ſolam purgationem, ſanguinis autem miſſionem, quod ad ſuam pertinet naturam, nunquam indicat.*] Etiamſi Aduerſarius in magno morbo maligno nolit concedere ſectionis venæ, & purgationis indicationem adeſſe, id verò nihil intereſt, modò Galenus illud concedat, & doceat, ſicuti ipſum concedere, & docere certiſſimum eſt. Sed quid ille ſibi vult, dum inquit, Cacoëthiam propriè oppoſitam, ac determinatam bonitatem indicare? Recondita, atque à nemine hactenus excogitata indicatio. Ego verò, ſi Aduerſarius id mihi conceſſerit, dicam, vtrumque præſidium, & ſectionis venæ, & purgationis in magno morbo maligno bonum eſſe, atque hinc colligam in magno morbo maligno & ſectionem venæ, & purgationem conuenire. Sed vide quæſo, vt poſtremò Aduerſarius nec opinatò incidit in retia; Cacochymia, quod ad ſuam pertinet naturam, ſolam purgationem indicat. Eſto, verùm hoc ſit, at quid ſibi id vult, quod ad ſuam pertinet naturam? nihil aliud ſanè, quàm fortaſſe, alia ratione aliud indicare. Namq; gratia exempli, vt cacochymia facit, aut factura eſt morbum magnum, venæ ſectionem poteſt indicare. Sua natura eſt natura propria, ad differentiam communis naturæ magni morbi, à qua ſumitur indicatio ſecandi venam. Ad ſummam, cum Aduerſarius omnia neget, quæcumq; Gal. de indicatione magnitudinis morbi apertiſſimè affirmat, qui contendit ſexcentos reperiri magnos morbos; & ſecundùm præſtantiam partis, & ſecundùm propriam eſſentiam, & ſecundùm malignitatem, qui nec ſectionem venæ, nec purgationem requirunt, quæſo ex hac infinitate vnicum duntaxat magnum morbum proferat, in quo cæteris conſentientibus principibus ſcopis, non liceat ſanguinem mittere, & tunc nos haſtam abiicere, atque illi victoriam vltrò concedere non recuſabimus.

Cæterum Aduerſarius tandem fortè ad ſeipſum conuerſus, ac animaduertens, quæcunq; hactenus dixerat, à Gal. doctrina eſſe prorſus aliena, hanc ſibi ipſi rationem obiicit. [*Dicet fortaſſe quiſpiã, Gal. dixiſſe propriam ſuggeri indicationem à magnitudine morbi: hanc verò ſolam eſſe de vacuando corpore, aut per ſectionem venæ, aut purgationem. Huic dubitationi occurrens dico, rectè Galen. dixiſſe propriam à magnitudine ſumi indicationem. Sed docebo poſtea, quomodo hic locus debeat interpretari*] ad Calendas Græcas. Aduerſarius huc, atque illuc noctéſque, diéſque ſe torqueat, & laboret, ſolidam nullam doctrinam, & reſponſionem ad tam apertam Gal. doctrinam poterit afferre. Mihique crede, lector, ſi quid ille habuiſſet, quod vel probabiliter exponeret, nullæ catenæ hominem ſcribendo, & infinitè eadem repetendo tam profuſum detinere potuiſſent, quin ad huiuſmodi locum aliquam reſponſionem afferret. Sed de hoc ille viderit. [*Omnis indicatio ſumitur à natura indicante. Hæc propria indicatio eſt. Naturam igitur habebis propriè indicantem. Tunc interrogemus, quæ ſit propria hæc natura indicans alterutrum remedium? Et ne morbus, vt morbus; vel morbus, vt magnus, vel morbus ſpecificè ſumptus, &c.*] Primum neſcio an membra interrogata ſatis commodè ſint enumerata. Deinde reſpondeo mor-
2. Aph. com. 29. bum indicare vt magnum. Ad argumentum: [*Quia hic ſolum magnum aliquodpiam remedium, non hoc, aut illud ſpecificè indicare poteſt.*] Reſpondeo dupliciter: primùm, remedium magnum non eſſe niſi duplex, venæ ſectionem, & purgationem, quod à Gal. traditum eſt, & ab Aduerſario confirmatum: idcirco iure dictum eſſe, indicari alterutrum. Secundò reſpondeo, magnitudinem morbi eſſe duplicem, quod priùs diximus, poſteriúſque ſumus dicturi, & confirmaturi. Vnam indicare proprium remedium magnum, vſtionem, inciſionem, magnam exſiccationem, &c. Alteram generaliter venæ ſectionem, aut purgationem. Qua ratione fit, vt vnum ratione diuerſorum plura poſſit indicare.

AD CAPVT V.

De loco ex Gal. 4. Meth. cap. cap. 6.

QVæſo mihi liceat omnia prætermittere, quæcumque in præſentia de indicatione à magnitudine morbi, atque illius differentia ab Aduerſario ſcripta ſunt: de quibus poſterius longè opportuniore loco agendum eſt: ac tantummodo in cuiuſdam Galen. loci interpretatione verſari, quem ille profitetur in gratiam iuniorum, quos potiſſi-
4. Meth. c. 6. ad fin. mùm inſtituere deſiderat, paulò diligentius ſe eſſe explicaturum. Verba Gal. hæc ſunt. *Illius interim in omnibus his non immemor; non eſſe vlceris, quà vlcus eſt, vllam id genus curationem, ſed vel vitioſi ſucci, qui coniunctus eſt, vel redundantia, vel phlegmones, vel herpetis, vel eius generis alterius. Sed nec illius oblitus, quod aliquid interim ex iis, quæ vlceribus accidunt, indicationem propriam ſuggerat, veluti, & magnitudo.* Locus eſt ſingularis, & longè maxima dignus animaduerſione. Sed antequam iſtud ago, mihi libet de ſubtili quadam Aduerſarij argumentatione breuiter verba facere, quæ (vt ſpero) iis quæ poſteriùs dicenda ſunt; poſſunt aliquã lucem afferre. Itaq; aduerſaria ratio talis eſt [*Viderint illi, quàm bona ſit eiuſcemodi conſecutio: magnitudo morbi addita vlceri, vt quidpiam ab eius natura diſtans, interdum communem cum vlcere, interdum propriam habet indicationem. Ergò omnis indicatio magnitudinis morbi ſpecie diuerſa eſt ab indicatione morbi magni, &c.*] Nos quidem non ad arbitrium Aduerſarij, ſed ad mentem Gal. talem facimus conſecutionem: magnitudo vlceri addita interdum communem, interdum propriam habet indicationem, ergò duæ ſunt indicationes magnitudinis morbi: vna communis, altera propria: namq; illa ſunt diuerſa, quorum vnum ſine altero eſſe poteſt: at per Gal. indicatio communis morbi magni poteſt eſſe ſine indicatione propria; qui dicit interdum eſſe vnam, interdum alteram: ergò illæ ſunt inter ſe diuerſæ. Quæ ſit indicatio propria magni vlceris, nos docuit Gal. quòd ſcilicet valenter exſiccandum. *Ma-* 7. Meth. ad fin.
gna quidem vlcera (ille inquit) *ſi rectè ea, quæ priùs dicta ſunt meminiſti, iis, quæ valentius ſiccent, medicamentis curabis: parua verò, vel quæ moderatè ſiccent, abundè ſanauerint.* At quænam eſt indicatio communis, diuerſa à propria? Quænam eſt alia, vel eſſe poteſt, quæſo vir optime, quam quæ ab Hipp. primùm inuenta, à Gal. decantata tot locis apertè proponitur, quot certè nequeunt ignorari, morbi inquam vehementia, quæ & magnitudo dicitur? Hæc noſtra eſt conſecutio, immò verò Hipp. & Gal. quam quidem ſperamus omnes facile intellecturos, & probaturos, quicumque ſine affectu poſſunt iudicium ferre; qui tam eſt inutilis ad rectè iudicandum, vt non ſolum omne iudicium funditus tollere ſoleat, verum etiam noſtros ſenſus non tarò nobis eripere. Sed ad Galenicum locum, atque illius interpretationem redeo.

Cum Galenus ſuperioribus capitibus demonſtraſſet Hippocratem fuiſſe inuentorem vniuerſæ methodi curandi vlcera, ac propterea diligenter expoſuiſſet omnium vlcerum curationem, tum ſimplicium, tum complicatorum, vel cum cauſa, vel cum aliis morbis ab illo traditam, illius hoc ſexto capite adiungit, eundem Hippocratem neque prætermiſiſſe egregium ſcopum magnitudinis morbi, quatenus ille, & ſectioni venæ, & purgationi communis eſt. Quoniam verò tempore Galeni (vt puto) ſicuti etiam hodierno nihil Hippocratico inuento maius negotium faceſſit, quàm humorum copia, & virium, à quibus minimè à morbi magnitudine, plerique omnes cum Aduerſario conuentunt, & miſſionis ſanguinis, & purgationis indicationem oriri; Galenus omnium primùm hanc communem arcem aggreditur, atque inexpugnabili ratione demolitur: quòd medici aliquando ſine humorum copia ſanguinem mittere; ſine humorum vitio medicamentum dare; aliquando cum humorum copia haud ſanguinem mittere, cum humorum vitio haud medicamentum dare conſueuerint. Cum enim morbi omnes triplici ratione graues, magníque reddantur, vel propter partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propter malignitatem, ille pluribus exemplis confirmat, Hippocratem omnium meminiſſe, ac docuiſſe in ſingulis huiuſmodi morbis magnis, & miſſionem ſanguinis, & purgationem conuenire: qui tandem concludit, Morbi magnitudinem ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ indicatricem ſtatuendam eſſe: Hippocratémque omnium primum huiuſmodi excellentem indicationem inueniſſe. Verùm quoniam morbi magnitudine indicante cum ſectionem venæ, tum purgationem, dubium videbatur ſupereſſe adhuc, quando hoc vel illo præſidio vtendum eſſet, Galenus iſtud quoque declarat, inquiens de ſententia Hippocratis, euacuationem pro ratione humoris noxij eſſe efficiendam. Quandoquidem, vt ille docet. *ſi ducantur qualia oportet, confert, ægrique facile ferunt. Sin minus, contrà, neque confert, ægrique grauiter ferunt.*

Cæterùm, quia proximo ſuperiore libro tertio

variorum

variorum affectuum mentio facta fuerat, qui frequenter vlceribus coniunguntur, illáque vel efficiunt, vel fouent, vel eorum curationem impediũt, exempli cauſa phlegmonis, herpetis: ex quo facilè quis potuiſſet illorum quoque curationem deſiderare; ad hunc Galenus reſpondet, huiuſmodi tractationem ad hunc locum non pertinere, in quo de vno tantummodo vlcere, quatenus vlcus eſt, atque illius curatione agendum fuerat, ſed magis ad proprios locos ſpectare, in quibus de ſingulis hiſce affectibus agitur. Poſtremò autem Galenus id nobis in memoriam reuocat: nonnulla, quæ vlceribus accidunt, propriam aliquando indicationem, id eſt, ab ipſo vlcere diuerſam afferre, veluti morbi magnitudo. Et quoniam ille probè intelligebat hanc morbi magnitudinem eſſe duplicem, alteram propriam cuiuſque vlceris, de qua cæteriſque omnibus vlcerum differentiis, atque earum indicationibus proximo tertio libro ſermonem habuerat; alteram generalem, & omnibus morbis cõmunem, inquit, de huiuſmodi magnitudine, atque illius indicatione, quæ morbi magnitudinis propria eſt, & ab vlceris indicatione diſtincta, vnamque vacuationem reſpicit, ſe nihil quicquam in eo libro dixiſſe, propterea quia hæc doctrina longiorem demonſtrationem requirebat, neque in eo totius corporis prouidentiam cum vlceribus voluit coniungere. Hæc (ni fallor) vera eſt, & perſpicua huius Galenici loci, adeóque vniuerſi huius capitis interpretatio. Ex qua facile eſt intelligere, quam conniuenter Aduerſarius in eo verſatus fuerit. Qui ſcribit falſiſſima omnino eſſe, & Galeni doctrina indigniſſima, quæ nos tanto applauſu, ac verborum apparatu afferimus. Nempe indicationem magnitudinis morbi differre ab indicatione ſumpta à morbo magno: ſiquidem eadem eſt indicatio, ſecundùm ſpeciem vtriuſque, euarians in eo quod magis, & minus, &c. Ac primùm quidem eum ille quod duplicem morbi magnitudinem videatur agnoſcere, ac fateri, id quæro, qualiſnam vtraque ſit, & in quo altera ab altera differat. Etſi enim ſcribit eandem eſſe indicationem ſecundùm ſpeciem vtriuſque, quæ tantummodo ſecundùm magis, & minùs euariat, equidem fateor me non ſatis intelligere, quid hæc verba ſibi velint. Immò verò cum ille doceat, vnam tantummodo eſſe indicationem, quæ accipitur à natura morbi, quæ ſecundùm maiorem, vel minorem illius extenſionem euariat, apertiſſimè hanc vnam morbi magnitudinem mihi videtur conſtituiſſe. Galenus certè, cum aliàs, tum maximè hoc ipſo loco duplicem morbi magnitudinem agnoſcit: alteram particularem, & propriam vlceris, quæ in ſola quantitate continua ſpectatur; qualia profunda multum, longaque vlcera ſunt; de qua propria magnitudine inquit ſe in tertio libro ſermonem habuiſſe: alteram generalem, & communem, quæ potiùs in qualitate conſiſtit quatenus morbus magnam actionibus noxam, magnum vitæ incommodum, & periculum affert, & ad corporis vniuerſi prouidentiam pertinet: cuius tractationem inquit, ſe in eo tertio libro prætermiſiſſe, in præſẽtia abſoluiſſe. Quæ quidem (niſi me omnia fallunt) omnes aduerſarias cogitationes ſatis refellunt. Verùm quoniam præter ea, quæ ſuprà attigimus, Aduerſarius proximo poſteriore capite nono rurſum hanc rem tractat, nos quoque hanc totam diſputationem in eum locum differemus: vbi duplicis huiuſmodi morbi magnitudinis variam naturam, varia nomina, variaſque indicationes ſolidè, atque apertè demonſtrabimus: vt facilè vnuſquiſque, præter Aduerſarium poſſit intelligere alteram ab altera longiſſimè diſtare, neque alteram ſub altera aliquo modo comprehendi poſſe. Qui ſatis habuimus in præſentia demonſtrare, Aduerſarium hunc Gal. locum, quem tanta pollicitatione interpretandum ſuſcepit, non ſolum non intelligere, ſed mirabiliter perturbare, atque euertere.

Veruntamen antequam ad alia progrediamur, quæſo nonnulla exempla duobus verbis perpendamus, quibus ille nititur probare, indicationem magnitudinis morbi non aliam eſſe, quàm morbi ipſius, in eo (vt ipſe loquitur) quod magis, & minus. [*Fluxio* (inquit) *addita vlceri, poſtulat reuulſionem: magna fluxio, magnam reuulſionem: humor acris refrigerationem, maximè acris ſummã refrigerationẽ: magna plenitudo magnam vacuationem: cacochymia mali ſucci vacuationem; at magnam purgationẽ pharmaco purgãte faciendã.*] Hæc Aduerſarius, quæ mea ſententia, minùs certa & diſtincta, fortè etiam abſurda, & à Galeni doctrina aliena videri poſſunt. Namque, vt interea prætermittamus, quod apud Galenum certo certius eſt, nóſque iam diximus, & rurſum progreſſione Diſputationis ſumus cumulatiſſimè confirmaturi: neque fluxionem, neque plenitudinem, neque cacochymiam, quantumuis maximas, ſectionem venæ, aut purgationem indicare, niſi hæ magnitudinem morbi efficiant, vel effecturæ ſint, notatione dignum eſt, quàm iſtæc doctrina ſit inconſtans, & lubrica quàm parum poſteriora ſuperioribus reſpondeant. Nam ſicuti magna fluxio, per Aduerſarium magnã reuulſionem: magna plenitudo magnam vacuationem indicat; ita magna cacochymia magnam purgationem debuiſſet indicare. Atqui ille non eſt auſus id pronunciare, qui ſcribit, cacochymiam mali ſucci vacuationem indicare: at magnam cacochymiam pharmaco purgante faciendam. De qua re aliàs.

AD CAPVT VI.

Morbi magni ſcopus princeps ex Aduerſario.

HOc vi. cap. Aduerſarius id agit, quod millies egit, & millies actorus eſt: *Indicationes ſumi à natura morbi*, &c. Qui ſcribit Gal. tractautem curationem vlceris cum aliis affectibus complicati, qui à copia, aut vitio humorum originem habent, ſermonem habere de morbis materialibus, atque eam tantummodo morbi magnitudinem conſiderara, quæ ex plenitudine, vel cacochymia pendet. A quo labore planè ſuperuacaneo, vt ſemel, & iterum diximus, ille iure debuiſſet ac potuiſſet, abſtinere. Verùm ego quoque etſi inuitus, propè erubeſcens, id cogor repetere, & addere: præter huiuſmodi indicationes, quæ ſunt ſingulares, & propriæ morbi, aliam generalem, & omnibus morbis communem, vacuandi vniuerſi corporis fuiſſe ab Hipp. inuentam, quæ accipitur ex morbi magnitudine; non quatenus illa ex humorum copia, vel vitio gignitur: ſed quatenus homini magnum incommodum, magnũmq; periculum affert, vel allatura eſt. Quoniam verò nimia eſt vis veritatis, neq; ipſe Aduerſarius, etſi inuitus, eam potuit diſſimulare, qui in fine capitis apertè fatetur, ſine morbi magnitudine nunquam ad miſſionem ſanguinis, vel purgationem deueniendum eſſe. Illius verba hæc ſunt. [*Porrò maxima neceſſitate coactus fuit Gal. docere hoc loco magnitudinem huius morbi indicare vacuationem: quia licet omnis morbus, materialis poſtulet vacuationẽ, non tamen omnino poſtulat vacuationem per miſſionem ſanguinis, aut expurgãte pharmaco: ſi malorum ſuccorũ copia non fuerit, ſi non admodũ pernicioſi, ſi morbus nõ vrgeat, ſanari facilè poſſit, cibo exiguo in contrariũ diſpoſitionẽ inſtituto, clyſteriiſq; aut leniter digerentib. pharm. Neq; enim*

omnis cacochymia ſtatim exigit pharmaca expurgantia. Sic etiam nec ſtatim ſanguinem mitti neceſſe eſt, ſi plenitudinis affuerit affectus: immò alij ſatisfacit inedia, alij cibi parcitas, alij ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum, alij ſola exercitatio, vel multa ſrictio abundè fuit] Quæ omnia ſunt Gal. Et quanquam Aduerſarius nunquã obliuiſcitur, cum morbi magnitudine humorum copiam, vitium, fluxionem copulare, tamen fruſtrà laborat. Namque ſiue morbus fiat à materia fluente, ſiue à materia non fluente, ſiue à plenitudine, ſiue à cacochymia, Galenus ex vna parte docet, de huiuſmodi ſcopis nunquam indicationem miſſionis ſanguinis, aut purgationis hauriendam eſſe, niſi alter principalis ſcopus, magnitudo morbi præterea accedat. Ex altera autem hoc præſente inſigni ſcopo, ſtatim ad miſſionem ſanguinis, vel purgationem eſſe accedendum, tametſi reliqui omnes ſcopi plenitudinis, vitij, fluxionis humorum deficiant. Quod omnino ſemel, atque iterum, ac ſæpiùs repetendum eſt.

AD CAPVT VII.

De argumento ſumpto ex curatione lethargi.

INter omnes locos, qui hoc toto opere tractantur ab Aduerſario, hic certè de lethargo multis nominibus eſt maxima notatione dignus. Cum enim, quod vniuerſæ illius diſciplinæ præcipuum eſt fundamentum, omnis indicatio accipiatur ex natura morbi; natura autem lethargi, ſiue morbum, ſiue cauſam, ſiue ſymptomata conſideres, nullo modo poſſit miſſionem ſanguinis indicare, quæ nihilominus à Galeno; & omnibus rationalibus medicis probatur; mirum eſt, quàm ille ſe torqueat huc, atque illuc ſe vertat, vt ſe ab huiuſmodi periculo liberet. Itaque mihi quoque liceat in hoc eodem loco, & argumento paulò diligentiùs, & longiùs verſari. Illud verò primum ſciendum eſt; commentaria Aduerſarij de Ratione Curandi per ſanguinis miſſionem ter fuiſſe èdita. Quartam. n. editionem, cuius ille in poſtrema meminit, mihi hactenus non contigit videre. Cum autem ille in præſentia non videatur eaſdem rationes afferre, ac planè iis conſentire, quæ olim ſemel ſcripta, deinde iterum, ac tertiò ſunt ab ipſo confirmata, mihi libet primùm veterem, mox & recentem ſcriptionem breuiter perpendere, atque examinare. Antiqua ſcriptura habetur prima editione Veneta 1570. lib. 3. cap. 3. ſecunda Taurinenſi 1584. ac poſtrema Veneta 1597. lib. 4. cap. 8. eſt huiuſmodi. [*Perquiramus hoc loco cauſam, propter quam in lethargo mittere ſanguinem conueniat, quoniam ex huiuſce affectus curatione non leue argumentum deſumi videtur contra opinionem noſtram. Fit enim lethargus à pituita in cerebri ſubſtantia putrefacta, qua medicamento purgante educenda eſt, non autem ſectione venæ cum nec adſit plenitudo, nec ſanguinis impetus: ita quidem ſecundum noſtra principia dicendum videtur. Omnes tamen medici, vno excepto Meſue ſanguinis miſſionem præceperunt.*] Argumentatio ſi id mihi facere licet, duabus rationibus videtur hunc in modum poſſe formari. Prima Niſi ſanguis vel copia vel fluxione noxius ſit, haud conuenit venam incidere. In lethargo nulla adeſt ſanguinis copia, aut fluxio, ergo in lethargo non conuenit venam incidere. Altera. Si alij humores à ſanguine redundent, medicamentis purgantibus vti oportet. In lethargo pituita redundat in cerebri ſubſtantia putrefacta, ergo in lethargo oportet purgationem adhibere. Iam verò videamus quid Aduerſarius ad hæc reſpondeat; qui ſcribit ad hunc modum. [*Sciendum in lethargo nulla ratione ſanguinem mitti indicatione habita ad morbum iam ineptum fieri, ſcilicet ab ipſo lethargo; quoniam cum fiat a phlegmate, non debet educi ſectione venæ, ſed purgatione, verum indicatione habita ad morbum futurum, ſemper, niſi aliquid ſit, quod prohibeat, ſanguinem mittere debemus. Cauſa eſt, quoniam propter caliditatem in cerebru exiſtentem, & dolorem, atque ipſius imbecillitatem, recipitur in cerebrum, attrahiturque ab eodem multus ſanguis, potiſſimum verò tenuis, qui primus omnium ſemper confluit. Quamobrem ne hîc confluat in cerebrum ad quod ſponte paratus eſt, neve membra tranſmittant opus eſt diminuere ſanguinem: ita. n. compeſcemus fluxionem, & membra in retinendo reliquo ſanguine auara fient.*] Reſponſio elegans, illuſtris, admirabilis. De qua plurima mihi in mentẽ veniunt dicenda. Ac primum quidem mirum eſt; virum in dialecticam peccare, cuius ſcientiam in primis profitetur. Etenim, ſi præmiſſæ, vt loquumur, ſtabiles, & firmę permaneant: vt concluſio ſequatur neceſſe eſt. Ille autem vtramque, maiorem, & minorem, vt logicè loquamur, concedit, cõcluſionem non recipit. Deinde ſi indicatio mittendi ſanguinis ex præſenti morbo non elicitur, quomodo iſtud præcipuo illius fundamento, ac toties repetito conuenit, indicationem ex natura morbi perpetuò hauriendã eſſe? Cauſa autem, quam Aduerſarius commentus eſt, vt noua, & inaudita, & planè abſurda, & ab omni ratione videtur aliena. Quæſo, n. quis vnquam futuri, atque imminentis huius periculi in lethargo mentionem fecit? Qualis in cerebro iſtæc eſt caliditas? Qualis dolor? Qualis imbecillitas? Qualis multi ſanguinis, ac potiſſimum tenuis fluxio? Qualia ſunt membra tranſmittentia? Qualia demum in retinendo reliquo ſanguine membra auara fieri debent? Quæ figmenta? Quis hæc vnquam ſomniauit? An hæc in illo viro ferri poſſunt, qui profitetur ſe erroneas opiniones extirpaturum; artem medicam à vepribus & ſpinis vindicaturum, nihilque allaturum, quod à Gal. ſententia ſit alienum? In lethargo, de qua re conuenit inter omnes, ſiue morbum ſpectes, & cerebri frigidam, & humidam intemperiem; ſiue cauſam morbi; frigidiorem, & humidiorem pituitam cerebrum madefacientem; ſiue ſymptomata, febrem lẽtam, obliuionem, marcorem, ſtuporem, inexpugnabilem penè dormiendi neceſſitatem, & ſi qua alia ſunt id genus, hæc certè omnia frigiditatem atque inſignem frigiditatem ſignificant. Et quanquam pituita putreſcit, & hac ratione aliquam caliditatem acquirit, tamen cum humor ſua natura ſit frigidus, & in parte frigida putreſcat, illa admodum exigua eſt, vt nullum propemodum illius veſtigium appareat. Immò verò, ſi alius præterea tenuior, & calidior humor accederet, qualem Aduerſarius comminiſcitur, iam non lethargus, ſed κατοχὴ ſiue ανϊάκαψις medius inter lethargum, & phrenitidem affectus excitaretur. Lib. 3 Morb. part. ſect. 25. Itaq; iure mihi videor dixiſſe, huiuſmodi cogitationem eſſe inauditam, abſurdam, & ab omni ratione alienam. Trincauellius certè multò magis cautè, & prudenter conatus eſt hunc ſcopulum declinare: qui ſcribit in lethargo ſanguinem mittendum eſſe, ſi ſimul cum pituita contenta in cerebro, ex qua lethargus ortum, & fomentum habet, reliquum corpus multo ſanguine refertum fuerit. Etſi equidem puto hanc quoque cogitationem à Gal. mente longè abeſſe, atque illius præclaram medendi methodum peruertere.

Sed ad reſponſionem Aduerſarij redeo, qui cum ex ſuis principiis duplicem ſibi ipſi rationem obieciſſet; alteram, deficiente plenitudine, & ſanguinis impetu venam ſecandam non eſſe, alteram, redundante pituita in cerebro purgationem eſſe adhibendam: atque ad priorem quidem reſponſum dederit;

dederit; quæro quamobrem poſteriorem ſine reſponſione reliquerit? Etenim cum ille fateatur pituitam redundare in cerebro, atque hanc non ſectione venæ, ſed purgante medicamento educendam eſſe, omnino aliqua afferenda ratio, & reſponſio videbatur, propter quam Galenus purgationem prætermittat, ſectionis tantummodo venæ mentionem faciat. Id quod eò maiorem dubitationem videtur afferre, quia ſiue pituitam, quæ cerebrum occupat, ſiue tenuiorem, & calidiorem ſuccum; qui paratus eſt in cerebrum ferri, velimus euacuare, per aduerſarii principia id multò & tutius per medicamentum purgans quàm per ſectionem venæ videtur fieri poſſe. Sed quæ reſtant perſequamur. Aduerſarius aduerſus ea, quæ dixerat de ſectione venæ, accuratè, & ſubtiliter agit duplici ratione: altera, miſſionem ſanguinis futuram potius detrimento, quàm iuuamento; quia vacuando ſanguinem, totum corpus magis refrigeratur, ideoque humoris pituitoſi copia magis augebitur: altera, quoniam confluens in cerebrum ſanguis, incommodi nihil affert, primùm quia ſua caliditate pituitæ frigiditatem temperabit; ſecundò quoniam tenuitate viſcidam pituitam incidet. Clariſſimus hic vir, & ad ſuas, & ad obiectas aliorum rationes tam facilè, & argutè mihi videtur perpetuò reſpondere, vt tragicos, comicoſque poëtas æmuletur, qui nodos vindice dignos conantur ſine machina diſſoluere. Itaque ad hæc reſpondet, neutrum vſuuenire. [*Non primum, quoniam ſtultum equidem id medici indicium, ſi conſiderata corporis qualitate, non metietur quantitatem detrahendi ſanguinis: tantum videlicet ſanguinis demendo, quantum pro ſuo propoſito conueniat, ita vt vniuerſum corpus minimè refrigeretur: non enim quælibet ſanguinis miſſio refrigerat, ſed ea duntaxat, quæ copioſiſſima eſt. Verum quantum ad alterum pertinet, id notabimus, quòd confluens ſanguis, quamuis fortaſſe frigiditatem pituitæ temperabit, obeſſe tamen quantitate multò magis aptus eſt, quàm prodeſſe qualitate. At verò nos ſanguinem detrahimus, non propter qualitatem, ſed quãtitatem: atque idcircò dicimus multitudinem in hoc affectu indicare miſſionem ſanguinis, in ipſo ſcilicet cerebro ad futuram, niſi ars præuiderit. Adde etiam, quòd cum in cerebro ſit ignea caliditas, confluẽtem ſanguinem magis inflammare, periculúmque minari maximum, ne fiat mixtus quidã affectus ex phrenitide, & lethargo.*] Ego verò, ſi liceat mihi Aduerſarij perſonam ſuſcipere, atque obiectas ab illo aduerſus ſe ipſum rationes, qualeſcumque ſint, tutari; non verebor affirmare, illius reſponſiones eſſe futiles, nec quicquam momenti, & ponderis in ſe obtinere. Etenim primum, quod ille affert de quantitate mittendi ſanguinis, nihil ad rem pertinet. Si quidẽ lis eſt, vtrùm liceat in lethargo ſanguinem mittere, nec verò minimè verò, vtrum copioſè, an parcè liceat ſanguinem mittere. Quæ quidem varia determinatio ex variis

De Sang. Miſſ. c. 5.

quoque ſcopis petenda eſt, de quibus Galenus hæc habet: *Definitis tribus mittendi ſanguinis ſcopis, &c. ad alia accedamus indicia, quæ non pauci medici adiicienda cenſuerunt. Indicant autem detractionis quãtitatem, non ipſam ſanguinis detractionem.* Quod ſi hæc valeret ratio, ſi non omnis ſanguinis miſſio, ſed ſolùm quæ copioſiſſima eſt, refrigerat, iam in hydrope, & cæteris morbis frigidioribus licebit perpetuò ſanguinem mittere, modo id parcè fiat: quod neminem, neque ipſum Aduerſarium puto eſſe affirmaturum. Neque verò ſecunda reſponſio maius fundamentum, & robur habere cenſenda eſt. Namque, ſi ſanguis calidior, & tenuior confluat in cerebrum, nulli dubium eſſe debet, quin pituitæ frigiditatem, & craſſitiem iuuare poſſit. Ad quem modum ſcribit Galenus exquiſitas febres quotidianas, & quartanas eſſe longiores, quàm non exquiſitas; quòd mixtio humoris tenuioris, & calidioris pituitam, & melancholiam poſſit calefacere, & extenuare, adeóque febres breuiores efficere. Sed humor poteſt magis obeſſe quantitate, quàm prodeſſe qualitate. Egregiè. Verùm quid ſi ego dixero humorem poſſe magis qualitate prodeſſe, quàm obeſſe quantitate? Vtri noſtrum magis credendum fuerit? De ignea cerebri caliditate iam ſatis diximus. Atqui non animaduerto, lector, & obiectas rationes, & reſponſiones, & hæc omnia nihil ad verſum; immò verò tam eſſe inania, ac futilia, vt certè non deceat in illis referendis, ne dum refellendis maiorem temporis iacturam facere. Itaque de vetere ſcriptura ſatis, & ad recentem progrediamur.

Cæterùm, vt ne ego quoque cogar ſæpius eadem repetere, ex hoc ſeptimo capite, cæteris prætermiſſis, duo mihi libet ſeligere, quæ nullo modo ſunt prætermittenda. Alterum pertinet ad cauſam, quamobrem conuenit in lethargo ſanguinem mittere; quæ priori, & veteri cauſæ minimè videtur conuenire. Alterum eſt examen noſtræ cuiuſdam rationis, qua olim contendebamus Galenum in lethargo ſumpta indicatione ab vna morbi magnitudine ſanguinis miſſionem probare. Quod ad primum ſpectat, Aduerſarius ſic ſcribit. [*Cauſa eſt, quòd humor ad cerebrum fluens, ſiue ſit bilioſus, ſiue pituitoſus, ſiue mixtus, repellendus eſt*, vt Galenus ait 13. Meth. c. 21. *Atque vt repelli debet, ſic etiã reuulſione indiget, fluente ſanguine ad cerebrum pituitoſo, aut bilioſo, aut mixto, maximè accommodata eſt venæ ſectio: præſertim, quòd excalefacta particula ad ſe traheret ſanguinem aereum, & tenuiſſimum.*] Quicumque vera, & ſolida dogmata non intelligit, atque in vetere diſciplina non acquieſcit, cum aliis modis, tum maximè opinionum, rationúmq; varietate, & inconſtantia facilè ſe ipſum prodit; in quem congruit illud Homericum.

Ἀλλὰ μεταλλάζει, καὶ ἐπὶ ἀμφοτέρους πόδας ἴζει.
Claudicat inceſſu, pedibúſque vacillat vtriſque.

Nemo autem eſt, qui non facilè poſſit intelligere, hoc ipſum in præſentia Aduerſario contigiſſe. Etenim, qui prius dixerat, ſanguinem mitti in lethargo, minimè indicatione habita ad morbum iam inceptum fieri, ſcilicet ab ipſo lethargo, ſed indicatione habita ad morbum futurum, poſterius aſſeuerat propter præſentem humoris fluxionem ad cerebrum ſanguinem mittendum eſſe. Qui antea dixerat ſanguinem mitti in lethargo propter fluxionem multi ſanguinis, potiſſimùm verò tenuioris, nunc docet propter fluxionem humoris, pituitoſi, ſiue bilioſi, ſiue mixti ſanguinem mittendum eſſe. Ac ſanè equidem puto hominem prioris rationis abſurditatem tandem animaduertiſſe, ac propterea poſteriorem excogitaſſe. Quæ quidem etſi fortè eſt altera minus improbabilis, tamen æquè inanis mihi videtur. Siquidem ſiue pituitoſus, ſiue bilioſus, ſiue ex vtriſque mixtus humor in cerebrum confluat, per principia Aduerſarij multò magis conuenit medicamentum adhibere, quàm ſanguinem mittere. Sed venio ad alterum locum, qui eſt huiuſmodi. [*Quando dicunt in lethargo mitti ſanguinem ſolum ob magnitudinem morbi, poteſt ſanè recipi à nobis; rectè etiam poteſt negari. Recipiendum eſt omnino ſanguinem mitti ob magnitudinem futuram, ac imminentem, vel etiam fieri incipiẽtem, ratione fluxionis ipſorum humorum: tunc enim etiãſi nulla in toto corpore ſubſit plenitudo, nulla etiam cacochymia, vrgente plurimum particula fluxione tẽtata, venam incidimus, & aliquãdo purgamus, & interdum vtrũque adminiſtramus præſidium. At verò negari omnino debet ſentẽtia, ſi dicere velint,*

 ſanguinis

ſanguinis miſſionem adhiberi ob ſolam magnitudinem in vniuerſale conſideratã, nullo ſcilicet habito reſpectu ad humorem fluentem, vel non fluentem. Hoc enim ego in ipſius Galeni doctrina conſiſtere non poſſe minimè ambigo.] Summa eſt (ni fallor.) Aduerſarium nobis conſentire: ob morbi magnitudinem incipientem, imminentem, futuram, in lethargo ſanguinem mitti nobiſcum diſſentire: iſtud non eſſe licitum, niſi ſimul cum magnitudine morbi, humorum fluentium, vel non fluentium ratio habeatur. Itaque per Aduerſarium, humorum conſideratio eſt omnino neceſſaria. Humores autem vel mouentur, vel quieſcunt: ſi mouentur, etiamſi nulla adſit plenitudo, nulla cacochymia, licet venam incidere, aliquando purgationem adhibere, & interdum vtrumque præſidium adminiſtrare. In lethargo humores mouentur, & fluunt ad cerebrum, ergo in lethargo ſine humorum copia, ſine humorum vitio licet venam incidere; quandoque purgationem adhibere, interdum & venam incidere, & purgationem adhibere. At verò altera ex parte, ſi curandi indicatio perpetuò ſumitur à natura morbi; quomodo hic ſine ſanguinis copia ſanguis mittitur? ſine humorum vitio medicamentum adhibetur? Verum eſtò, Aduerſario concedatur humorum fluxionem, vel ad ſectionem venæ, vel ad purgationem eſſe neceſſariam. Quæſo ille ſemel, ac ſeriò reſpondeat. An huiuſmodi humorum fluxio, ſimpliciter, primùm, ac per ſe, vel alterutrum, vel vtrumque præſidium indicet? An quatenus illa morbi magnitudinem efficit, vel effectura eſt? Equidem non puto illum reſponſurum ex vna humorum fluxione, hæc tam inſignia præſidia poſſe indicari; qui non ſemel perſpicuè fatetur, præterea morbi magnitudinem neceſſariò requiri. Quod ſi humorum fluxio, aut fortè verius humorum conſideratio illa vna ratione venæ ſectionem, aut purgationem indicat, quatenus illi morbi magnitudinem faciunt, vel facere poſſunt, quid aliud vel pertinax ſophiſta colligere hinc poteſt, quàm morbi magnitudinem principem, ac proximum eſſe ſcopum, qui ſimpliciter, primùm, ac per ſe ſectionem venæ aut purgationem indicat? Quandoquidem poſita morbi magnitudine, hæc duo præſidia vel ſine humorum copia, vitio, fluxione ponũtur. Sublata morbi magnitudine, quantumuis humores ſint copioſi, vitioſi, fluentes, eadem tolluntur: quod aliàs cumulatiſſimè, & ſolidiſſimè demonſtrauimus, rurſúmque exquiſitius conabimur demonſtrare. Hoc enim ego in ipſius Galeni doctrina conſiſtere poſſe minimè ambigo. Cæterum ſi humores non fluant, quidnam agendum eſt? Licet ne ſiue humorum copia ſanguinem mittere? ſiue humorum vitio purgationem aggredi? Cùm Aduerſarius de huiuſmodi quæſito nihil afferat, quod definitum ſit, ac certum, expectabimus donec ille ſuam mentem, ſuáque principia nobis aperiat.

Quoniam verò aduerſarius fortè ad ſeipſum conuerſus animaduertit, quæcumque hactenus dixerat, omnia eſſe inania; ſéque nullo modo poſſe omnes ſcopulos effugere, ſi fateatur lethargum frigidum eſſe morbum, tandem exporrecta fronte legem promulgat, Lethargum minimè frigidum eſſe morbum per hæc verba. [*Poſtremò non admitto lethargum eſſe morbum frigidum: nam ſi febrem continuam cõſideramus, calidus eſt. Si putredinem, non erit frigidus. At materia pituita eſt: hæc frigida fateor, ſed iſta, vt frigida, non facit lethargum, ſed vt calida putrefacta ſcilicet, vel in tumore inexiſtens, ſi tumorem ſtatuamus exiſtere lethargum, vel cerebri ſubſtantiam irrigans.*] Bone Deus, quò inſana contradicendi libido, quò effrænata propriæ tuendæ ſeuteutiæ cupiditas homines adducit! Qui ea non vereantur affirmare, quæ à communi omnium conſenſu, quæ ab omni ratione, quæ à ſenſibus abhorrentia ſunt? Quis enim ex omni memoria hoc extraordinarium paradoxum excogitauit? Me pudet vel Gal. vel alterius de hac re teſtimonium proferre: cum omnes, nemine penitus, ac millies penitus diſſentiente, Græci, Latini, Arabes fateantur, ac doceant lethargum frigidam, & humidam cerebri eſſe intemperiem; à frigida, & humida pituita cerebrum madefaciente, originem habere; obliuionem, inexpugnabilem dormiendi cupiditatem, & alia id genus ſymptomata illum comitari. Ex quibus, ſi quis non intelligit lethargum eſſe morbum frigidum, & quidem inſigniter frigidum; pendere ex cauſa frigida, & quidem inſigniter frigida; in primis verò illius ſymptomata, quæcumque ſunt pathognomonica, ac morbi ſubſtantiam conſtituunt, ex frigiditate fieri, quàm benè is intelligat, aliorũ eſto iudicium. 3. Meth. cap. 1. *Lethargus* (inquit Gal.) *gignitur cerebro patiente, in quo princeps animi pars reſidet. Ergò cum humor, qui in cerebro redundat, frigidus eſt, inſenſibilitas, immobilitaſque hominem opprimunt. Cum verò calidus eſt perpetuus potius motus, vna cum rationis noxa. Accedit enim ex frigore ſegnitia, ex calore immodicus motus, &c.* Itaque, ſi Aduerſario credendum eſt, poſt hac naribus lethargici oportebit admouere non decoctum thymi, pulegij, ongaoi, caſtoreum, vt Galenus docet, ſed perfuſionem ex capitibus papaueris, odorem ex roſis, violis; &c. id genus, quæ calidius cerebrum poſſint refrigerare. Verùm de hoc capite ſatis.

AD CAPVT VIII.

Galeni locus 2. Medic. per genera de dolore capitis ex vulnere, &c.

PRima pars huius capitis maximè eſt notabilis. Et certè neſcio, quamobrem ex ore Aduerſarij exciderit; quæ (ni fallor) totam illius opinionem funditus euertit. Ille enim apertè fatetur à morbi magnitudine ſumi indicationem vacuandi corporis per ſectionem venæ, aut per pharmacum; ſublatáque morbi magnitudine huiuſmodi indicationem prorſus ſuperuacaneam eſſe. Qui ſcribit ad hunc modum. [*Concedamus omnino. ſi amoueatur à morbo magnitudo, indicationem, aut ſecandi venã, aut dandi medicamentum purgans eſſe prorſus ſuperuacaneum. In omni vlcere magno protinus aut ſanguis mittẽdus eſt, aut purgandum. Summoueatur ab vlcere magnitudo, talis indicatio euaneſcit. Et enim poteſt vlcus eſſe paruum, vt in carbunculo contingit; in punctura alicuius nerui à telo aliquopiam acutiſſimo, vt etiam ab acu; tamen neceſſaria eſt vena ſectio, aut purgatio, non ob præſentem magnitudinẽ illius vlceris, conſiderãdo ipſum, vt vlcus eſt; ſed ratione fluxionis imminentis, aut iam incipientis; ſolúmque hic reſpicimus magnitudinem morbi futuram, at illi ſolam præſentem contemplari videntur.*] Ille hactenus. Nos verò cogimur id repetere in præſentia, quod aliàs diximus, ac recepimus nos eſſe diligentius explicaturos, quòdque apud Gal. tam eſt certum, & manifeſtum, quam quod certiſſimum, & manifeſtiſſimũ, Magnitudinem morbi eſſe duplicem: alteram propriam, & ſingularem cuiuſque morbi, exempli gratia, magnã intemperiem, magnã ſolutionem continui, magnã inflammationem, quæ in quãtitate continua, atque extenſione ſpectatur, & in primis cõſiſtit in magno receſſu à conſtitutione ſecundùm naturã: alteram communem omnibus morbis, quæ potius ad qualitatem,

Digitized by Google

tatem, & intentionem quàm ad quantitatem, & extenſionem pertinet; atque ex periculi magnitudine, quod ægro impendet, definienda eſt. Quæ quidem duæ magnitudines, ſicuti reuera inter ſe differunt, ita etiã varia nomina ſortitæ ſunt. Siquidem altera ſingularis Græcè *μέγεθος νόσου*, Latinè Magnitudo morbi dicitur. Alteram autem communem, Galen. *ἰσχὺν*, aliquando *σφοδρότητα*, nos vim, robur, vehementiam poſſumus interpretari. Etſi negandum non eſt hanc quoque poſteriorem magnitudinem morbi, & vehementiam à Galeno aliquando nomine magnitudinis, *τοῦ* ſcilicet *μεγέθους* donari: qui ſcri-

1. Criſ. c. 3. 3. Criſ. c. 4. 1. Aph. c. 5. 6. Aph. 5. 1. Diff. feb. cap. 1.

bit, nihil intereſſe, ſiue quis vehementiam, ſiue magnitudinem morbi nominet. Græcè, *εἰ ὄντι σφοδρότητά τις μέγεθος ὀνομάζειν νενόμικεν*. Quandoquidem, vt idem ſcribit Galen. conſuetudo eſt apud medicos, vt verbo abeuntes, omne vehementius maius nominent, quamuis ad qualitatem, minimè ad quantitatem id pertineat. Sed vtriuſque diſcrimen multò certius, & euidentius demõſtrant variæ indicationes; quæ ex varia earum natura eliciuntur. Namque altera magnitudo morbi ſingularis indicationem perpetuò ſuggerit per contraria. Exempli gratia, Intemperies frigida alterationem per calida: plenitudo vacuationem; cacochymia purgationem. Altera autẽ morbi magnitudo communis indicat prouidentiam vniuerſi corporis per venæ ſectionem, aut purgationem. Quod quidem etſi multis modis poteſt demonſtrari, tamen mihi libet non diſcedere ab exemplo Aduerſarij. Ex quo mihi videor apertiſſimè id poſſe cuique non ſolùm confirmare, ſed fortè etiam perſuadere. Itaque accipiamus vlcus acu in neruo excitatum ſua natura perparuum, & perexiguum. Hic duplex vlceris magnitudo poteſt conſiderari: altera ipſius morbi propria: altera periculi. Prima nihil aliud poteſt indicare, quàm medicamenta ſiccantia, & accommodata ad partem laborantem, quæ illius magnitudini proportione reſpondeant. De qua vlceris differentia Galen. accuratè ſermonem habet. Altera Hippoc. & Gal. prouidentiam vniuerſi corporis per ſectionem venæ, aut pharmacum perpetuò indicat. De qua idem Gal. *lib. 4. Meth. Med.* Sed Aduerſarij

1. Meth. Med. lib. de Comp. Med. ſec. genera.

reſponſionem, atque effugium perpendamus. [*Neceſſaria* (ille inquit) *eſt venæ ſectio, aut purgatio non ob præſentem magnitudinẽ illius vlceris, conſiderando ipſum, vt vlcus eſt, ſed ratione fluxionis imminentis, aut iam incipientis.*] Si per Aduerſarium ſublata vlceris magnitudine, indicatio mittendi ſanguinis, aut dandi medicamenti euaneſcit, quod ille modò palàm confeſſus eſt: Si hic neceſſaria eſt venæ ſectio, aut purgatio, quod itidem ille confirmat, vt huiuſmodi indicatio ex aliqua vlceris magnitudine eliciatur, neceſſarium eſt. Hæc Aduerſarij confeſſione, ex magnitudine vlceris, quatenus vlcus eſt, elici non poteſt, cum illud ſit minimum; itaque ex altera vlceris magnitudine, quæ ægroto inſigne periculum minatur, elicienda eſt. Ex quo facile eſt intelligere, quàm hic vir extra ſcopum iaculetur. Namque ſi venæ ſectio, & purgatio neceſſariæ ſunt, non propter magnitudinem vlceris, vt vlcus eſt, neceſſaria (niſi me omnia fallunt) conſecutio eſt; hæc præſidia non propter fluxionem, aut præſentem, aut imminentem, de qua non loquimur in præſentia; ſed propter alteram vlceris magnitudinem eſſe neceſſaria. Præter quàm quòd, vt iam diximus, nulla fluxio, etiamſi fuerit torrentis fluminis, niſi morbi magnitudinem afferat, vel allatura ſit, vllo vnquam modo poterit ſectionem venæ, aut purgationem indicare. Ac ſanè aut equidem neſcio vim huius argumentationis explicare, aut Aduerſarius non habet, quid ad hæc reſpondere, aut omnino hiſcere poſſit. Sed alterum Galeni locum ſimul cum Aduerſario examinemus: ille verò eſt lib. 2. *Comp. Med. ſec. Loc. De dolore capitis ex plaga*, &c. & dictio eſt huiuſmodi. *Si plaga vulneris, aut contuſionis cauſa extiterit, plures ſcopi erunt ad remediorum inuentionem. Vnus quidem in vulnere, ad quod conglutinantibus, & inflammationem arcentibus pharmacis vti oportet. Alter verò in cõtuſione: & tertius in doloribus. Quòd ſi per communionem membranæ caluam ambientis, quam duram cerebri membranam circa ſuturas habet, etiam inter caluariam inflammatio ipſa diſtribuatur, non abſque periculo eiuſmodi capitis dolor exiſtit. Contingit autem non parum ſæpe, in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam circa cerebrum, aut membranas ipſas partes abrumpantur: quod vbi contingit, et ã amplius capitis dolor inualeſcit; ipſáque tota affectio ægrè curabilis redditur, ac periculum ingens, ac præceps imminet. Optimũ igitur fuerit in iis, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium facere.* Locus planè eſt egregius & maxima animaduerſione dignus. Quandoquidem Gal. primum ponit ſcopos ex natura morbi, vulneris, contuſionis, doloris; qui ſigillatim proprias afferunt indicationes: in quibus recenſendis certum eſt, indicationis communis, vacuandi corporis, ne verbum quidem fieri. Poſtremò autem accedente morbi magnitudine, ingenti, ac præcipiti periculo, *Optimum* (inquit) *fuerit, in iis, niſi ætas prohibeat, & niſi facultas vitalis debilis appareat, à ſectione venæ curationis initium facere.* Ex quo quidem vel vnico loco ſatis cuique poteſt conſtare, Galenum in tribus principibus ſcopis, magnitudine morbi, robore virium, vigore ætatis perpetuò acquieſcere, nec præterea quicquam attendere, vbicumque de mittendo, vel non mittendo ſanguine conſilium capiendum eſt. Sed Aduerſarij egregium commentum audiamus: qui poſita tota ſerie dictionis Galenicæ, hæc habet. [*In iis ego non video hunc auctorem aliquam feciſſe mentionem quarti ſcopi, nempe magnitudinis morbi. Sed ſolum poſita prius hypotheſi de natura morbi, quem ſtatuit inflammationem exiſtere, tribus ſcopis contentus fuit; vnus ab ipſa ſoluta continuitate ſumebatur*, &c.] Qui vno verbo contendit non aliunde Gal. indicationem mittendi ſanguinis elicere in præſentia, quàm ex natura inflammationis ab humorum fluxione cauſatæ, ratione vulneris, aut contuſionis. [*Ita vt mirum* (ille inquit) *videatur mihi quod prætermiſſo eo, quod nullam difficultatem habet, recentiores obſcuram facere doctrinam voluerint, & Galeno, quod nunquam ſomniauit, imponere.*] Altera autem ex parte (en humani ingenij imbecillitatem) valdè mirum videtur mihi, Aduerſarium voluiſſe, & negare quæ ſunt apertiſſima, & rebus clariſſimis craſſas tenebras offundere. Vter verò noſtrum, iuſtiorem admirationis cauſam habuerit, quicumque amoris, odij, cupiditatis, inuidiæ ſunt immunes, facilè iudicabunt. Quid (obſecro te) apertius à Galeno dici potuit, quàm, non abſque periculo huiuſmodi capitis dolor exiſtit? & rurſum, dolor capitis amplius inualeſcit, ac periculum ingens, & præceps imminet? Quæ obſcuriores tenebræ verti, & optimæ medendi methodo obduci poſſunt, quàm indicationes proprias cum communibus miſcere, & confundere, in primis verò ſcopum omnibus morbis communem, *διαφέροντα* egregium, excellentem, cæterorúmque omnium præſtantiſſimum prætermittere, atque euertere? Verum, cum Aduerſarius (vt puto) omnino animaduertiſſet, Galenum nimis apertè alterius quoque ſcopi, magnitudinis morbi meminiſſe, neque illud vllo modo negari poſſe, ad aliam cautionem confugit [*Quamuis* (ille inquit) *hunc*

affectum

affectum magnum eſſe cenſeam, tamen profiteor Galenum non acceſſiſſe ad ſanguinis miſſionem ob magnitudinem morbi generatim ſumptam, vt illi contendere videntur, ſed ob magnitudinem in ſpecie, &c.] Qui deinceps longa oratione conatur confirmare methodum curandæ inflammationis conſiſtere in reuulſione, deriuatione, &c. Quæ omnia nos illi non inuiti iamdiu donauimus, & conceſſimus, donamúſque, & concedimus in præſentia. Quod quidem certè ineptè, & odioſè millies cum illo repetendum non eſt. Sed ad rem. Aduerſarius profitetur Galenum non acceſſiſſe ad ſanguinis miſſionem ob magnitudinem morbi generatim ſumptam, ſed ob magnitudinem in ſpecie. Ego verò primum profiteor Aduerſarium hîc duplicem morbi magnitudinem palam agnoſcere, & fateri, quam alibi non percipere ſe tradit. Deinde profiteor Galenum varias hîc ſingulares indicationes poſuiſſe, ex natura vulneris, doloris, inflammationis, &c. Sed neque alteram magnitudinis morbi prætermiſiſſe: Priores ſingularia contraria præſidia præſcribunt, neque vnquam ſectionem venæ aut purgationem indicabunt, niſi illis poſterior communis ſcopus, & magnitudo morbi coniungatur. Id quod ex Galenica ſerie fit apertiſſimum. Siquidem poſitis ſingularibus indicationibus, ponuntur ſingularia præſidia ad illas accommodata. Poſita communi indicatione, magnitudine morbi; ſtatim (inquit) à venæ ſectione principium curationis faciendum eſt. Sed Aduerſarius rurſum, miſerum hunc ſcopum, cum quo inexpiabile bellum ſuſcepit, aggreditur. Qui aſſeuerans minimè illum ad ſectionem venæ neceſſarium eſſe, ſic nos interrogat. *Dicant quæſo mihi, an venæ ſectio ob ſolam hanc adminiſtrabitur magnitudinem? Excludenda igitur eſt ſanguinis miſſio in inflammatione pericranei, quæ quoniam ſanabilis eſt, neque præceps aliquod, ingénſque periculum imminet, magna, illorum ſententia, dici non debet, ſi verbis ſupradictis magnitudinem intelligit morbi. At hoc rêuera maximè abſurdum eſt. Siquidem in omnibus inflammationibus, imminentibus, aut incipientibus citiſſimè ab affecta particula reuellere oportet: atque ſi leniora non ſatisfaciunt remedia, ad venæ ſectionem protinus accedendum, etiamſi affectio ſit facilè curabilis, nullúmque ingens, ac præceps immineat vitæ periculum.*] Ille hactenus. Si quis mihi narraſſet, Aduerſarium, virum apud plurimos magnæ exiſtimationis, & qui tam Galenicum (ſi Diis placet) ſe iactat, vt profiteatur ſe nihil alleturum, quod ab huius viri doctrina ſit alienum, hæc tam inania, & à veteri diſciplina aliena ſcripſiſſe, equidem nulli, vel iurato id facilè credidiſſem. Quæſo enim quid inanius, quid à Galeni à doctrina alienius dici potuit, quàm ſine magnitudine morbi ad ſectionem venæ eſſe deueniendum? Quæſo quid ille ad Galenum reſpondeat, qui toties, & tam apertè ſcribit, vnam magnitudinem morbi, aut mittendi ſanguinis, aut dandi medicamenti indicationem perpetuò ſubminiſtrare? Qui aliquando cuidam ægroto laboranti pleuritide, interna inflammatione ex fluxione, & copia ſanguinis, deficiente principe ſcopo, magnitudine morbi, noluit ſanguinem mittere? Sed quæſo, quid tandem Aduerſarius ad ſe ipſum reſpondeat, quem ſuprà audiuimus aſſeuerantem; vbicumque morbi vigeat magnitudo, illic ſtatim naſci indicationem, aut ſecandi venam, aut dandi medicamentum purgans; ſicuti è contra, omnino ſi amoueatur à morbo magnitudo, talem indicationem euaneſcere, & prorſus ſuperuacaneam eſſe? Nos verò ad amicam interrogationem amicè reſpondeamus cum Galeno, Magnitudinem morbi pro indicatione quadam ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ ſtatuendam eſſe. Adeò ex vna parte, magnitudine morbi vel præſente, vel imminente, ſi cætera conſentiant, de quibus aliàs, perpetuò ad ſectionem venæ, aut purgationem oporteat deuenire: ex altera autem, deficiente magnitudine morbi, vtrumque remedium in perpetuum prætermittatur. Itaque in inflammatione non ſolum pericranei, ſed etiam membranarum, & cerebri, ſi modò membranæ, & cerebrum ſine ægri periculo poſſunt inflammatione laborare; immò verò in quouis alio morbo, quicumque omnis periculi eſt immunis, equidem cenſeo non ſolùm non eſſe maximè abſurdum, ſed etiam rationi, ac doctrinæ Galeni quàm maximè conſentaneum, ſanguinis miſſionem perpetuò excludendam eſſe: ſicuti modò in parua pleuritide Galenum feciſſe diximus: ſicuti ipſemet Aduerſarius non obſcurè confeſſus eſt. Quæ deinceps in gratiam iuniorum medicorum ab Aduerſario proponuntur ex Galeno, de miſſione ſanguinis in febribus putridis, & cephalæa, ex iis, quæ hactenus diſputauimus, per ſe ipſa facilè corruunt: præter quàm quòd opportunioribus locis poſterius cogemur hoc idem ſaxum voluere. Ac ſanè ſi vbique velim ad ſingula reſpondere, ſcribendi finem nunquam faciam.

4. Meth. Med. c. 6.

Initio capitis.

AD CAPVT IX.

De duplici vlceris magnitudine.

ETſi non ſemel, proximè autem ſuperiore capite de duplici morbi magnitudine, variáque vtriuſque indicatione diximus, quæ fortaſſe cuique deberent ſatis eſſe, tamen rurſum cogimur huiuſmodi cramben recoctam denotare: quanquam, ſi Galeno credimus, quod per ſe præclarum, & vtile eſt, id vel decies repetitum placere ſolet. Verba ex noſtra diſputatione petita hæc ſunt. Finge vlcus magnum in crure dextro: illud ſumpta indicatione à morbo indicat præſidia vehementer exſiccantia. Sumpta autem indicatione à morbi magnitudine indicat ſectionem venæ, aut purgationem. Itaque ſi omnium primum incidatur vena dextri cubiti, hoc pacto corpori vniuerſo proſpicitur, ſimúlque retrahitur humorum fluxio à parte laborante, quæ propterea redditur libera ab inflammatione, & dolore, adeò vt cum ratione, tutóque poſſit admittere valenter ſiccantia medicamenta. Aduerſarius. [*Hæc & obſcurè dicta videntur, & non bene diſtincta: obſcurum eſt, quod dicunt, indicatione ſumpta à morbo vlcus ipſum indicare valdè exſiccantia, quia ſi per morbum intelligunt vlcus, vt vlcus eſt, hoc non indicat propria natura, niſi exſiccantia, non valenter, vt illi dicunt, ſiccantia. Si verò magnum vlcus audiant, ita vt ſit morbus magnus diſtinctus ab ipſo vlcere, cum velint magni morbi indicationem differre ab indicatione magnitudinis morbi, adeò obſcurè loqui videtur mihi, vt ferè credam ipſos propriam ignorare vocem. Et egò ſanè (ita ſum hebeti ingenio) non planè aſſequor quid animo concipiant.*] Qui deinceps de duplici morbi magnitudine, atque illius indicatione multa repetit, quæ certè planè inania ſunt, ac prætermitti omnino potuiſſent, ſi modo ille voluiſſet attendere, & intelligere, quæcumque hac de re Galenus apertè, & nos cum illo fortè apertius non ſemel diximus. Verùm cum illi omnia videantur adeò obſcurè, & non benè diſtinctè fuiſſe tradita, vt ferè credat nos propriam magnitudinis vocem ignorare, ac fateatur ſe non planè aſſequi, quid

animo

animo concipiamus, rurſum conabimur magis apertè, & diſtinctè hanc ipſam rem explicare, vt, ſi fieri poteſt, ille tandem intelligat, nos propriam magnitudinis vocem non ignorare, & quid animo concipiamus. Id quod equidem puto hactenus fieri non potuiſſe, non quòd ille iam hebeti ſit ingenio, quod de viro Theologo, Philoſopho, Medico præſtantiſſimo dici non poteſt, nec debet; ſed quòd illius animus aliquo affectu laboret. Cui quidem ſi voluerit accommodatam curationem adhibere, ego me illi ſponſorem conſtituo, ac ſine vlla dubitatione confirmo, fore, vt deinceps apertè, & diſtinctè intelligat, quæcumque hactenus obſcura, & non bene diſtincta illi viſa ſunt.

Sed ad rem. Iam ſæpius diximus apud Hippocratem & Galenum magnitudinem morbi eſſe duplicem, quæ variis quoque nominibus ſignificatur. Altera eſt ſingularis, cuiuſque morbi, quæ in quantitate, ac receſſu à conſtitutione naturali conſiſtit; ac propriè morbi magnitudo dicitur. Altera eſt communis omnibus morbis, quæ in qualitate, & periculi magnitudine, quod ægro impendet continetur; ac propriè morbi vis, violentia, vehementia, minus propriè magnitudo nuncupatur. Quæ quidem duæ magnitudines, cum frequenter apud Galenum planè, & apertè commemorentur, & diſtinguantur, mihi liceat rurſum vnum, vel alterum illius locum afferre, in quibus id planiſſimè, & apertiſſimè conficitur. Itaque Galenus poſtquam libro tertio Methodi Medendi nos docuerat rationem curandi vlceris per indicationes, quæ à priore magnitudine deſumuntur, volens pariter nos docere methodum curandi, non ſolùm vlcera, ſed etiam omnes morbos per indicationem, quæ ab affectus vehementia ſuggeritur, omnium primum miris laudibus extollit Hippocratem, quòd ſcopum, qui medico ad indicationem non in vno alteróve, ſed prorſus omni morbo ſit ſpectandus, non omiſerit. *ἔστι δ' ἄλλος ὁ ἀπὸ τῆς ἰσχύος, τῆς διαθέσεως λαμβανόμενος. Eſt porrò is, qui ab affectus vehementia ſumitur.* Deinde verò volens nobis explicare, quot modis morbus ſit vehemens, vt poſſit ſectionem venæ, aut purgationem indicare, ſic ſcribit. *τριχῶς γὰρ ἑκάστου νοσήματος ἰσχυροῦ γινομένου, διὰ τὸ κύριον τοῦ πεπονθότος μορίου, διὰ τὸ μέγεθος τῆς διαθέσεως, καὶ τρίτον τὴν κακοήθειαν αὐτῆς,* &c. Ad verbum Latine. *Cum enim morbus vnuſquiſque trifariam vehemens reddatur, vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd ſi cacoëthes, &c.* Sic ne fruſtra hac in re ſim longior, Gal. cum alibi, tum hoc ipſo capite iterum, ac ſæpius duas huiuſmodi morbi magnitudines variis nominibus diſtinguit. Qui indicationem generalem perpetuò *ἰσχὺν*, vel *σφοδρότητα*; alteram ſpecialem *μέγεθος* appellat: qui tamen non repugnat, quin vehementia quoque magnitudinis nomine poſſit appellari. *τὴν ἰσχὺν τοῦ νοσήματος ἣν εἰ καὶ μέγεθός τις ὀνομάζειν ἐθέλει. Vehementiam morbi, quam ſi & magnitudinem appellare quis velit,* &c.

Verùm ad Aduerſarium redeamus. Ac primum quidem, quod ille queratur, hæc obſcurè fuiſſe dicta, & non bene diſtincta, etſi mihi videor adeò clarè, & diſtinctè hanc rem explicaſſe, vt fortè qui ipſam rei naturam conſiderat, & Gal. diſciplinam attendit, maiorem claritatem, & diſtinctionem nequeat deſiderare, tamen ingenuè fateor me magis apertè, & clarè loqui potuiſſe, ſi huiuſmodi nominum proprietatem diligentiùs obſeruaſſem, ac perpetuò alteram magnitudinem morbi ſingularem, in quantitate, *μέγεθος*, magnitudinem; alteram communem, in qualitate, *ἰσχὺν* vehementiam nominaſſem. Verùm qui olim putaui Gal. exemplo, & permiſſione id mihi licitum eſſe, poſthac mihi ſtatutum eſt, horum nominum proprietatem religiosè & obſeruare, & vtramque magnitudinem proprio nomine ſignare; vt Aduerſarius neque hanc obſcuritatis, & confuſionis notam mihi inurere poſſit. Quomodo autem cúmque hæc ſe res habeat, Aduerſarius præclaram hanc Hip. & Gal. doctrinam, illius repugnantem principiis non potuit hactenus intelligere, qui vnam tantummodo morbi magnitudinem videtur agnoſcere in quantitate continua, quam inquit alia nulla ratione, quàm ſecundum magis, & minus inter ſe differre. Quæ ſanè magnitudinis differentiæ poſſunt eſſe multiplices. Etenim, cum morbus ſit diſpoſitio præter naturam lædens operationes, hæc verò nihil aliud ſit, quàm receſſus à ſtatu naturali, qui in mediocritate quadam conſiſtit; quatenus huiuſmodi receſſus eſt, vel exiguus, vel maior, vel maximus, vt infinitæ propemodum morbi magnitudines conſurgant, neceſſe eſt; prout morbus ad alterum extremum, vel ad medium magis, aut minus accedit, vel recedit. Ex iis porrò, quæ hactenus diximus, facile eſt intelligere, quàm fruſtra, præter rem, fortè etiam ineptè Aduerſarius noſtrum vlceris exemplum arguat. Neque enim ſcriptum eſt; indicatione ſumpta à morbo, vlcus ipſum valde exiccantia indicare, ſed vlcus, magnum. Finge vlcus magnum, &c. Et ne ſingula faſtidiosè referam, & refellam ſenſus noſtri exempli apertiſſimus, & Galenicæ doctrinæ maximè cōſentiens eſt huiuſmodi. Finge vlcus magnum in crure dextro, &c. Hic triplex poteſt offerri indicatio: vna à morbo, quæ ſiccantia requirit: quam nos prætermiſimus, quod à præſenti noſtro inſtituto eſſet aliena. Altera à magnitudine vlceris, quæ valde ſiccantia poſtulat, ſic docente Galeno, magna vlcera iis, quæ valentiùs ſiccent, medicamentis eſſe curanda; parua iis, quæ moderatè. Tertia à vehementia vlceris, quæ ſectionem venæ, aut purgationem indicat. 3. Meth. Med. Nec verò quicquam habet momenti, quod Aduerſarius poſtremò inquit. [*Magna profectò eſt vis veritatis; nam illi methodum hanc dilucidare conantes, de indicatione magnitudinis vlceris ita dicunt.* Itaque ſi omnium primum ſecetur vena dextri cubiti, &c. *Dum enim ita ſcribunt, non amplius quidem conſiderant magnitudinem abſolutè, & in communi; ſed ſolùm magnitudinem vlceris doloroſi propter inflammationem à fluxione concitatam, &c.*] Nam libenter fatemur, ac ſæpenumerò cum Galeno docuimus, ſectionem venæ ſingularibus quibuſdam ſcopis commodè ſatisfacere; quandoquidem & euacuat, & reuellit, & detinat, & refrigerat, & alia poteſt præſtare; quæ tamen aliis quoque remedia communia ſunt. Proprius verò, præcipuus, ac primus ſcopus, qui venæ ſectionem indicet, non alius eſt, quàm morbi magnitudo, dicam cautiùs, vehementia. Itaque exemplum optimè quadrat: nec certè fuerat, vt Aduerſarius tam prolixè, tam perplexè, & inaniter illud exagitaret.

AD CAPVT X.

De indicationibus in febre ardente.

ADuerſarius aliud noſtrum exemplum febris ardentis aggreditur; de quo hæc à nobis ſcripta ſunt. Febri ardenti, quatenus pertinet ad indicationem ſuggeſtam à morbo, intemperie calida, remedium planè contrarium, ac proinde conueniens eſt refrigeratio, quæ pro rata portione caliditati reſpondeat, exempli gratia largè fri-

gidæ potio. Si verò altera conſideretur indicatio ſuggeſta à vehementia, eſt inanitio, & prouiſio totius corporis, ſine qua, & aqua frigida, & alia huiuſmodi accommodata remedia temere adminiſtrantur. Aduerſatius. [*In hoc exemplo non magis mihi ſatisfaciunt, quàm in ſuperiori. In primis cum febrem ardentem afferant, arbitror ipſos hoc nomine vti propriè, ideòque ſupponere febrem acutam, magnā, & continentem, ac vt vno verbo dicam, febrium omnium maximam. Quæ cum ita ſint, non eſt alia inquirenda magnitudo in hac febre, ab ea, quam ex propria poſſidet natura. Ideòque mirum videtur, quod iſti aliā magnitudinem admittant. Porrò febris ardentis natura duo continet: vnum eſt caloris ſumma efferueſcentia, à qua ardens nuncupatur Latinis, καῦσος Græcis ab incendio perpetuo: aliud verò humorum copia in venis omnibus, aut ſaltem maximis. &c.*] Qui deinceps ſuo more, ex natura morbi, & cauſarum ſingulas indicationes colligit, ac tandem concludit, nullam præterea febris ardentis magnitudinem poſſe excogitari, per hæc verba. [*Illud mirum videtur, ne falſum dicam, à magnitudine ſuggeri indicationem, &c.*] Etſi verò in iis ego quoque multa Aduerſario poſſem obiicere, quæ mihi pariter non magis, quàm ſuperiora ſatisfaciunt, eum proximo ſequenti capite nonnulla de febre ardente rogar dicere, mihi libet in præſentia prætermittere omnia, quæcumque illi placent; atque illud vnum adiungere, omnes ab Aduerſatio propoſitas indicationes à natura morbi, copia, qualitate, fluxione humorum, inſigni incendio, etiamſi illud Aeti æo iura us fuerit, nulla vnquam ratione ſectionem venæ, aut purgationem poſſe indicare. Hanc verò prærogatiuam vni morbi vehementiæ conuenire. Quandoquidem ſi nullum ægroto periculum impendet, prorſus eiuſmodi indicatio nulla eſt. Quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius. Vt certè non ſatis mirari poſſimus, quomodo Aduerſario mirum, & falſum videatur, à morbi magnitudine ſuggeri indicationem vacuationis; cum id Galenus tam planè, & apertè, quàm quod planiſſimè & apertiſſimè doceat. Sed quid Galenum dico? cum ipſe quoque Aduerſarius id non ſemel confeſſus fuerit, & ſine vlla dubitatione eo fit auget? Quod iam ſatis, ſupérque demonſtratum eſt. Sed nequeo me continere, quin ad rationem quandam paucis verbis reſpondeam, cum Aduerſarius obiicit, largiorem frigidæ potum non eſſe materiam indicationis à morbo petitæ, duplici ratione: quarum vna eſt (ni fallor) quia febris ardens eſt morbus cum materia; quare non indicat ſolum refrigerandum: altera eſt, quia largior frigidæ potus non differt à potu frigidæ, niſi per magis, & minus: idcirco eſt ad magnitudinem referenda. Sophiſmata: quorum prius facilè ſolui tur bifariam; tum quia falſum eſt, febrem ardentem eſſe morbum cum materia, licet ſit morbus cum cauſa; de qua te hic non di puto: tum quia, etiamſi concedatur febrem ardentem eſſe morbum cum materia, nimis apertum eſt, duas hic indicationes conuenire: indicationem propriam à morbo, & indicationem propriam à materia. Quid igitur etat, vt obiiceret, quòd refrigeratio per frigidam non ſit indicatio à morbo? Altera pariter ratio ſine labore refellitur: quia cum dixi frigidam à morbo indicari, intellexi (vt quilibet ſanæ mentis facilè poteſt animaduertere) à tali morbo, qui eſt magnus, qui eſt febris ardens. Verùm friuola magis ſunt hæc ſunt, quàm quæ à bucinis à tanto viro expectati.

AD CAPVT XI.

De quatuor exemplis febris ardentis, vehementiſſimorum dolorum, inflammationis, hydropis.

NOnnulla hoc capite ab Aduerſatio proponuntur morborum exempla, in quibus ille contendit, etiamſi morbi magni ſiot, ac vites valeant, haud licitum eſſe ſanguinem mittere. Sunt autem quatuor: febris ardentis; dolorum vehementiſſimorum; inflammationis; hydropis. Qui de primo exemplo ſic ſcribit. [*Duorum eſſe generum ardentem febrem, conſtat ex iis, quæ docuit ex Galeni libris de Febribus. Nam quædam ardens eſt, vnicam acceſſionem habens; quædam ſuos circuitus continet tertianarios: illa fit ex efferueſcentia putredini iuncta ſanguinis bilioſiſſimi, aut flaua bilis excrementitia, mixta ſanguini, in venis maioribus conſiſtentis: ideoque nulla eſt corporis pars, quæ non ſit læſa. Hæc autem accedit ex flaua bilis excrementitia putredine in aliqua determinata corporis parte,*] & quæ ſequuntur. Niſi, lector, hæc diſputatio à noſtro principali inſtituto eſſet prorſus aliena, equidem ſine multo ſudore, ac labore nimis apertè demonſtratem, quæcumque Aduerſarius hoc loco de febre ardente commentus eſt, omnia verè eſſe commenta, & à Galeni diſciplina tam eſſe. Verùm cum non liceat, neque deceat vbique omnia perſequi, mihi libet, & quæſo, vt liceat, ſummam de hac re Galenicæ diſciplinæ paucis verbis hue afferre. Ex quibus quicumque libero ſunt iudicio, & omnis affectus immunes, facilè poterunt diſcernere, quid diſtent æra lupinis. Febris ardens, Græcè καῦσος non καῦσος, vt Aduerſarius loquitur, qui identidem ne prima quidem Græcæ linguæ rudimenta noſſe videtur, eſt febris continua, quam Græci συνεχῆ, non quam σύνοχον, Latini *continentem* appellant. Siquidem ò καῦσος eſt ſpecies febris τῆ συνεχὴς, vt quæ tertio quoque die habeat exacerbationes, quas nullus σύνοχος habet, ab initio ad finem vnica acceſſione conſtans. Febri tertianæ exquiſitæ genere conuenit, quod vtraque ab eiſdem cauſis, eodem humore, flaua bile, eodem anni tempore, atque iiſdem corporibus prouenit; illúdque vnicum inter ipſas diſcrimen extat, quod ardens ſine rigore inuadit, neque in quietem febre vacantem deſinit. In tertiana autem intermittente primùm rigor, deinde ἀπυρεξία eſt. Quemadmodum autem febris tertianæ intermittentis duplex eſt differentia, ſic & febris ardentis: namque alia exquiſita eſt, vehemens, ex flaua putreſcente bile ortum habens; in qua omnia illius propria, ac perpetua ſigna caliditas vrens, ſitis inexplebilis conueniunt. Alia eſt notha, mitior, ex falſa putreſcente pituita oriunda, in qua non omnia conueniunt ſymptomata. Etſi verò quicumque vel leuiter in Galeni lectione verſatus, hanc illius doctrinam de febre ardente facilè poteſt agnoſcere, tamen in gratiam nouitiorum neque grauabimur quoſdam principes locos apponere; ex quibus hæc omnia poſſunt in memoriam reuocari, & accuratiùs intelligi. Cæterùm Aduerſarius ex ſua diſciplina tandem colligit vtramque febrem ardentem magnum eſſe morbum ratione præſtantiæ partis, nec non ratione propriæ eſſentiæ, nec tamen in vtraque ſectionis venæ indicationem ſemper oriri. Siquidem in febre tertiana, ſiue continua, ſiue intermittente, cum plerumque huiuſmodi febris fiat ſine multitudine ſanguinis, ex bile excrementitia, vel ex falſa putreſcente pituita.

1. Criſ. ca. 1. & 6.
2. Diff. febr. 1. & 3.
3. Aph. com. 59.
6. Aph. com. 26.
1. Epid ſe 1. com 3.
3. Epid ſe 3. com 34.
4. Rat. vit. com. t. 4. 13.

pituita, ille ſaluberrimum ducit abſtinere à ſectione venæ, & vti medicamentis, quæ humorem noxium valeant expurgare. Ad quæ, vno verbo reſpondeo cum Gal. in febre ardente, & notha, imò verò in omnibus putridis febribus, ex quocumq; tandem humore originem habeant, ſaluberrimum eſſe venam incidere, dummodo vehementia adſit morbi, & quæ ad vires, ætatemque ſpectant, remedium non prohibeant. Sed quoniam Aduerſarius promittit in vltimo Diſputationum libro ſe rurſum in hoc argumento eſſe verſaturum, nobis quoque liceat hanc totam diſputationem in eum opportuniorem locum differre.

Alia duo exempla ad vehementiſſimos dolores, & inflammationes pertinent: in quibus Aduerſarius itidem nititur probare non perpetuo venæ ſectionem, ſed modò ſectionem venæ conuenire. Sed ille fruſtra laborat: quandoquidem tantum abeſt vt iſtud nos negemus, vt nihil aliud doceamus, omneſque neruos in eo contendamus, vt demonſtremus, vehementiam morbi minimè vnam ſectionem venæ, ſed vel purgationem, vel miſſionem ſanguinis indicare. Vtrum autem præſidium ſit eligendum, id verò alterius eſt negotij: quod aliàs egimus, ac (ni fallimur) confecimus, rurſumque poſteriùs conabimur agere, & conficere. Sed tamen nequeo me continere, quin ex locis Galen. qui in præſentia afferuntur ab Aduerſatio, atque, vt ille ſcribit, funditus noſtram opinionem deſtruunt, ego quoque ſaltem vnicum repetam; & tranſcribam, qui eſt huiuſmodi. *Quibus pars aliqua grauiter icta eſt, ſiue aliter quomodocumque incipientem obtinet phlegmonem, vbi magnam ipſam fore ſuſpicamur, curationem à vacuatione ordimur aut purgantes, aut venam incidentes, &c.* Cum enim liceat hinc apertiſſimè colligere vehementiam morbi communem corporis inanitionem indicare, quomodo hæc doctrina cum illius doctrina conueniat, quæ mordicus contendit, abſurdum eſſe, & à Gal. doctrina alienum, à magnitudine morbi vacuationis indicationem oriri, ipſe viderit.

Poſtremum exemplum eſt hydropis, de quo ſic ſcribitur. [*Proponebamus hydropem, morbum equidem magnum, tum ratione partis affectæ, tum ob propriam eſſentiam; deberet ſemper vena incidi in hoc affectu, ſi nihil aliud, quàm magnitudo debeat ſpectari, &c. Sed nemo vnquam curare eſt auſus venæ ſectione, niſi fortè hypoſarcidem, &c. Fortaſſe dicent phlebotomiam non eſſe in hoc affectu conuenientem, quia vires validæ non ſunt, &c. Sed hanc reſponſionem non admittit Galen. qui dicebat virium robur, magnitudinemq; morbi deſiderari in omni vacuatione, tam per ſanguinis miſſionem, quàm per pharmacum expurgans. Porrò nullum eſſe conſtat morbum, in quo vehementiora pharmaca exerceantur à medicis, quàm hydrops, vt antimonium præparatum, pilulæ ex elaterio, ex euphorbio, & alia eius generis ſexcenta*] Sic Trincauellius hunc ipſum locum maximè vrget, ac veluti argumentum Achilleum, prorſus inſuperabile, & inſolubile obijcit in illos, qui ſentiunt in vniuerſum id theorema verum, & ſeruandum eſſe; quod ſi vires, & ætas conſentiunt, in magno morbo ſit mittendus ſanguis: quodque ſola magnitudo morbi indicet mittendum eſſe ſanguinem. Qui longiore deinceps oratione exaggerat, hydropem magnum morbum eſſe; vireſque in eo ſatis conſtare, cum ægroti perforationem; & alia vehementiſſima præſidia poſſint perferre: nec tamen Gal. teſtimonio quenquam vllo tempore fuiſſe auſum hoſce homines per venæ ſectionem ſanare. Antè verò quàm ad hæc reſpondeo, id neque ſilentio diſſimulare; Aduerſarium hoc quoq; loco apertè fateri, vel teſtimonio Gal. ad omnem vacuationem, per ſectionem venæ, & purgationem morbi magnitudinem perpetuo requiri: quod aliàs tam pertinaciter.... Porro ad Aduerſarium, ad Trinc. & ad omnes vnico verbo reſpondeo: In hydrope ſectionem venæ propter reſpectum virium non conuenire. Etſi enim ægroti habent vires validas, quæ medicamenta purgantia, perforationem, & alia id genus vehementiſſima remedia poſſunt perferre, tamen non æquè ſanguinis miſſioni poſſunt ſatis eſſe: ſiquidem illa, ex gr. aquam ducunt, quam purgationem vires bene ferunt: hæc autem duceret humores, qui longè diſtant à natura ſanguinis, nec ſine inſigni virium detrimento duci poſſent. Quandoquidem ex vulgari oraculo, *ſi qualia oportet vacuari, vacuantur, conferi, atque ægri facilè ferunt; ſin minus, difficulter.* Reſponſio eſt Gal. Etenim cum nec ſuo tempore, vt puto, deeſſent ſophiſtæ, qui tres principes venæ ſectionis ſcopos conabantur demoliri, ac præ cæteris, hoc potiſſimum argumentum iactarent, quod Aduerſarius & nouatores propè omnes nunc iactare ſolent, nimirum copiam crudorum humorum, qui, etſi tres conueniunt ſcopi, prohibent ſectionem venæ; ille reſpondet argumentum nullum eſſe: propterea quia, quotieſcumque tanta crudorum humorum copia eſt coaceruata, vt id remedium prohibeat, tunc fieri non poteſt, vt ſeruentur tres ſcopi: quippe tertius deeſt, virtus valida, quæ conſtare cum cruditate magna humorum non poteſt. Verba Galen. ſunt huiuſmodi. *Ἀρκοῦσι γὰρ οὗτοι μόνοι σκοποὶ πρὸς φλεβοτομίαν*, &c. *Sufficiunt enim ad mittendum ſanguinem hi ſoli ſcopi, &c.* Quæ quidem ſiue intelligantur de robore virium hoc præſenti tempore, ſiue in poſterum, mihi videntur vſque adeo perſpicua, & omni luce clariora, vt certè apud illos, qui incorruptum iudicium, hoc eſt rationem poſſunt adhibere, nullus planè difficultati, vel ambiguitati locus hac in re poſſit ſupereſſe. Quod ſi hæc Gal. ratio, & reſpectus virium Aduerſario non placet, aliam quæſo ipſe afferat, propter quam in hydrope, & cæteris morbis, quibus magna aquæ, humorúmque frigidorum, & crudorum copia coniungitur, non liceat ſanguinem mittere. Etſi enim ille quaſdam ratiunculas ſibi ipſe fingere poteſt, tamen, vt ad virium conſiderationem cum Gal. & nobiſcum tandem deueniat, neceſſe eſt. Verùm de hac re, atque hoc capite ſatis.

AD CAPVT XII.

Indicationes à magnitudine morbi, præſtantia, atque natura.

Magnum opus, & arduum Aduerſarius aggreditur. Cum enim Gal. vbicumq; de ſcopo vehementiæ morbi ſermonem habet, qui omnibus morbis communis eſt, & cæteris omnibus, multis præſtat nominibus, Hipp. tanquam primum illius inuentorem, atque illius ingenium ſoleat admirari, ſummis laudibus ornare, atque in cœlum efferre, ille hoc præſenti capite profitetur ſe explicaturum; quidnam ad talem, & tantam Gal. admirationem, ad tale, & tantum Hipp. encomium, ad talem, & tantam eiuſmodi excellentis ſcopi commendationem reſpondere oporteat. Quæſo ſtudioſi perpurgatas aures adhibeant. [*Cum igitur* (ille inquit) *Gal. Hipp. diligentiam, ac diuinum ingenium tantopere admiretur, ac præ cæteris inuentionem ſcopi a morbi magnitudine ſumpti, ipſum fuiſſe inuentorem dicunt*, (etſi equidem hæc verba, & hanc

grammaticam non ſatis intelligo) *quærunt nonnulli: vtinam tanta conueniat admiratio, & commendatio. Reſpondent, certè non conuenire indicationi, quæ ſumitur à morbo: nam quòd morbus magnus indicet idem remedium, quod morbus, ſed valentius, cenſet per ſe eſſe euidentiſſimum; neque aliquem fuiſſe ex omni ſecta, ac tempore, qui id neſcierit, aut negauerit. Etenim ſi quis intelligit vlcus indicare ſiccationem, quomodo ille ſtatim fateatur à magno vlcera magnam indicari ſiccationem? Quamobrem inuentio, atque excogitatio huius indicationis, alioqui apertiſſima, & euidentiſſima tanto apparatu, & labore non indiguit, neque tam illuſtri præconia debuit celebrari. Qualis ergò (interrogant) fuerit ſcopus tam admirabilis? Eſt, qui proponitur à Gal. hiſce verbis. Nunc illud volo docere, in vbi ſiue robur, ſiue magnitudinem quis velit appellare, ſcopum nobis eſſe conſtituendum detractionis ſanguinis ſeu purgationis. Et Hippoc. omnium primum, quos ſcimus, talem ſcopum inueniſſe. Reuera in hunc ſcopum omnia quadrant accommodatè. Nam à magnitudine morbi indicari purgationem, vel ſectionem venæ, non ita facilè videbatur recipiendum. & propter rationes iam poſitas, & propterea quia multi cenſeant huiuſmodi vacuationes indicari duntaxat à malitia, vel plenitudine humorum. Quocirca iure, ac meritò inuentio iſtius indicationis indiguit longa, & accurata mentis indagatione, longa, & aſſidua in rebus, atque operibus medicis exercitatione. Id quod priſca illo ſeculo, in quo medicina adhuc rudis erat, nemo præter vnum Hipp. potuit præſtare. Hæc quidem de inuentione indicationis huius recentiores ſcripſerunt medici:*] quæ ad verbum ex noſtra Diſputatione tranſcripta ſunt. [*Ego verò* (ille concludit) *in iis, quæ ab illis dicta ſunt de indicationis huius inuentione, omnium maximè diſſentio.*] Qui nos primum de eo crimine arguit, quod ſcripſerimus indicationem huiuſce ſcopi iure, ac merito longa, & accuratæ mentis indagatione opus habuiſſe. Quandoquidem natura indicationum eſt, vt cum iis, quæ ſenſibus noſtris, communibuſque animi notionibus perſpecta, & perſpicua ſunt, magnam affinitatem habeant: adeo vt ſine analogiſmo, ſiue ratione, ſine experientia cuique ſtatim ſe offerant. Quod Gal. teſtimonio confirmat; qui ſcribit apertiſſimè, indicationem nullius cogitationis ope indigere: quod verò eas brutis animantibus communes facit; quæ ſine vlla ratione à rebus noxiis ſibi cauent, innoxias amplectuntur. Quod quidem argumentum mirum eſt, quantum exaggerat, & amplificat: qui eloquenter facta comparatione noſtræ dictionis cum verbis Gal. tandem colligit indicationem ſcopi à magnitudine morbi, tanta mentis contentione, tantaque in rebus, & operationibus medicis exercitatione non indiguiſſe.

Lib. de opt. ſect. ad. Thraſ.

Ego autem, ſicuti iis, quæ à Galen. tradita ſunt, omni ex parte conſentio; ita ab iis, quæ ab Aduerſario obiiciuntur, omnium maximè diſſentio. Ac primum quidem ille ſciat ſe non minore crimine Gal. quàm nos arguere: qui Hipp. ſit admiratus de re, quæ nullam admirationem meretur. Etenim ſi indicationes omnibus, non ſolum hominibus, ſed etiam brutis patent, ac notiſſimæ ſunt, certè non fuerat vt Gal. de inuentione rei nullius momenti, ac manifeſtiſſimæ Hipp. admiraretur, & tot laudibus ornaret. Verum enimuero Gal. qui probè intelligebat notitiam cum cæterarum indicationum, tum verò maximè illius, quæ ſuggeritur à vehementia morbi difficillimam eſſe, ac longè maximi momenti, iure, ac merito Hipp. admiratur, ſummiſque laudibus extollit: quòd ille omnium primus rem in magno labore poſitam, humanæque vitæ maximè vtilem inuenerit, atque intelligentia, cognitionique rerum cæteris præſtiterit. Quas duas præcipuas admirationis cauſas, ille fortè didicit ab Ariſtotele qui, veriſimile (inquit) quidem eſt, eum qui primus, præter communem ſenſum, quamlibet artem inuenit, admirationi hominibus fuiſſe; non ſolum quia id vtile eſſet, quod inueniſſet, ſed quia ſapiens eſſet, cæteriſque antecelleret.

Princ. Metaphyſ.

Sed demonſtremus naturam indicationum non eſſe tam facilem, euidentemque, tamque omnibus, ſiue vlla ratiocinatione protinus obuiam venire, quàm Aduerſarius docet. Scribit Gal. duo nobis à natura fuiſſe tributa inſtrumenta apta ad faciendam fidem ad rerum omnium inuentionem, & cognitionem: nec præterea in aliqua arte, aut vitæ parte tertium dari potuiſſe. Ea verò ſunt, ratio, & experientia. Quod quidem Ariſtotelis doctrinæ mihi videtur quam minimè conuenire: qui pariter docet duo tantummodo in vniuerſum eſſe inſtrumenta faciendæ fidei, ſyllogiſmum, & inductionem: cum certum cuique, & apertum ſit rationem à ſyllogiſmo nihil differre: experientiam verò ad inductionem commodè poſſe referri. Quod ſi ita hæc ſe res habet, obſecro te, remedia, quæ ſunt ignota, & ab indicationibus ſubminiſtrantur, quomodo ſine ſyllogiſmo, ſine ratione, ſine inductione, ſine experientia poſſunt inueniri? Vt tertium aliquod inſtrumentum Aduerſarius comminiſcatur neceſſe eſt. Fingamus Socratem febre laborantem frigidam bibiſſe, quod eſt Gal. exemplum. Si quis de hoc remedio quærat, duplex reſponſio poteſt afferri: altera, quæ ortum, naturamq; febris docet, ac de morborum temporibus diſſerit; tum ad eundem modum frigidæ naturam explanat. Poſt hæc conatur docere huic morbo, atq; hoc tempore aquam frigidam congruum remedium eſſe. Altera de horum nullius natura ſollicita, ad experientiam confugit; nempe quod in tali morbo, ac tempore ſæpe obſeruatum eſt, frigidam profeciſſe. Sed preſſius indicationis naturam conſideremus: de qua Gal. hæc habet. *Ergò ex ipſa rei natura ordiri, atque ab ipſa, quod ſequens ſit, citra experientiam inuenire, id eſt, indicatione inuenire:* & rurſum. *Quicquid ob experientia ſeiunctum eſt, id tantum indicatio nominatur.* At verò ſi quis eſt tam infelici ingenio, qui non ex iis duobus Gal. verbis ſatis intelligat ſummam indicationis in ratione conſiſtere, hic ſecum ipſe reputet, quidnam ſit ex rei natura ad remediorum inuentionem procedere. In parte curatrice artis medicæ ille præcipuus eſt finis, vt inueniantur remedia ad corporum ſanationem. Si quis igitur hæc velit ex rei natura inuenire: vt is conſtitutionem humani corporis: primum quidem naturalem, deinde verò præter naturam intelligat, neceſſe eſt. Si quidem illud vnum agimus, vt receſſum à natura deleamus hominemq; ad naturalem habitum reuocemus. Itaq; medicus Socratem curaturus, ex vna parte, & temperiem, & cætera omnia debet nouiſſe, ex quibus illius natura conſtat; ex altera autem & ſymptomata, & morbos, & morborum cauſas debet intelligere: quam equidem rei naturam interpretor: ex qua iam licet ad remediorum notitiam peruenire, & per indicationes medicinam facere. Quod ſi ex rei natura cognoſcere, præſidia medica inuenire, non eſt inductio, vt ſit ſyllogiſmus, ſi non eſt experientia, vt ſit ratio fateamur, neceſſe eſt. Cæterum quantum huiuſmodi inquiſitio non ſolum rationis indigeat, ſed etiam ſit vehementer difficilis, & operoſa, res ipſa confirmat. Quandoquidem rationales medici de nulla re frequentius, & acrius diſputant, & controuerſantur, quàm de eſſentia, differentiis, cauſis, ſignis rerum tam naturalium, quàm præter naturam, ex quibus demum conatur

1. Metho. Med. c. 3
7. Med. ſe. loc c. 2. & ſeq.
1. Meth. c. 1.
2. Meth c. 7

Digitized by Google

conatur indicationes elicere. Quamobrem Galen. non ſemel, ſcriptum reliquit; oportere medicum natura prudentem eſſe, in diſciplinis exercitatum, omnique præclara eruditione præditum; vt de indicationum inuentione, differentia, comparatione, vſu probè poſſit iudicium facere, ac meritò rationalis medici nomine dignus videri. Hæc quidem planè apertiſſima & omni luce clariora fortaſſe iis potuiſſent ſatis eſſe, quicumque omni depoſito animi affectu propoſitū habent in veritate acquieſcere. Sed rurſum Gal. audiamus, quem Aduerſarius verbo, vtinam reipſa, tantopere commendat: qui apertiſſimè, & planiſſimè ſcribit, indicationem non ſolū perfici cum ratione, ſed eam nihil

3. Progn. aom. 39. aliud eſſe, quàm rationem. Etenim iis conſentiens, quæ de duplici inſtrumento faciendæ fidei in rebus omnibus, ratione, & experientia aliàs dixerat, duplicem ſtatuit differentiam rerum, quibus medici incerta, ac dubia ſolent intelligere, & confirmare, quarum alteram inquit eſſe, ex empirica obſeruatione; alteram, ex rationali conſequentia, quod indicatio eſt: ὅπερ ἐστὶν ἔνδειξις cum reuera conſequentia rationalis nimirum ex rei natura, ipſaque indicatio nihil aliud ſit, quàm rationalis conſequantia ex rei natura, qua ducimur ad rerum intelligentiam, & remediorum inuentionem. Sic, *iam verò* (inquit) *qualis res ſit rationalis indicatio, ἔνδειξις λογικὴ & quanto ditior, quàm nuda expe-*

3. Med gen. 32. *rientia, vel hinc diſces, &c.* Atque hæc quidem mihi videntur vſque adeo certa, nota, aperta, vt nulla certiora, apertiora eſſe poſſint: quæ ſi Aduerſario non ſunt ſatis, equidem puto nihil illi futurum ſatis. Verùm quid tandem ad doctrinam libri de Opt. ſecta dicendum eſt, in quo Aduerſarius tantopere exultat? Quid aliud quæſo dici poteſt, quàm vel vnicum hunc locum nimis apertè demonſtrare, neque eam doctrinam Galen. doctrinæ conſentire, neq; hunc librum inter legitimos Gal. libros eſſe referendum? Quo etenim modo hæc poſſunt conuenire; vel magis, quomodo non hæc ex diametro diſſentiunt? indicationem ex rei natura procedere, rationalemq; eſſe conſequentiam? Indicationem non ex rei natura procedere, ſine experientia, omnibus vel brutis patere, atque in promptu eſſe? Vt certè mirum ſit, plurimos vel nobiliſſimos medicos, & in Galen. lectione verſatiſſimos hunc librum, tanquam Gal. legitimum agnoſcere, ac tueri. Aduerſus quos Comes Montanus, necnon Fabius Pacius, ambo Vicentini, ambo Gal. diſciplinæ vindices acerrimi diſputant ſolidiſſimè; & nos quoque fortaſſe aliàs pluribus non grauabi-

Li. de Morbis Defenſ. Eraſi Com. in Metho. Gal. mur diſputare. Non perſequor rationem, quam Aduerſarius demonſtratiuam appellat; & quæ de indicationibus hoc loco diſputat. Cum enim fundamento nitantur non ſolùm caduco, & infirmo, ſed etiā planè ruinoſo, ſponte ſua facilè corruunt.

Sed ſtatim ad eum locum venio, in quo ille rationem reddit, cur Gal. tantopere admiratur Hipp. ingenium, atque illius diligentiam extollit in hoc inueniendo ſcopo, ſi ipſius inuentio non habet difficultatem. Reſponſio aureola, & Aduerſario digna. *Dico*, ille inquit, *eius diligentiam mereri laudem, quia ſcopum inuenit non in vno morbi genere duntaxat, vt in vlceribus, ſed propemodum in omnibus morbis materialibus obſeruandum. Isest, vacuandum, aut per ſanguinis miſſionem, aut pharmaco purgante in omnibus morbis magnis a materia proficiſcentibus: ideoq; magnitudo materialis morbi indicat alterutrum ex iis præſidiis: vnum verò ex iis neceſſario, ac ſemper, minimè: quia indicans ſumitur generatim, non ſpecificè. Ignorarunt hoc Empirici, qui in plethorica ſyndrome contineri vacuationis indicationem dixerunt. Ignorarunt omnes Methodici qui hanc indicationem ſumpſerunt à morbo clauſo, & adſtricto. Ignorarunt ex rationalibus plurimi, vt Eraſiſtratus, Ariſtogenes, Medius, Chryſipus, & Eraſiſtrati ſectatores propemodum omnes, qui ſuſtulerunt è medio ſectionem venæ.* Miſera verba, atq; homine Philoſopho indigna. Ego verò contra non verebor affirmare, indicationem de ſpecifica cuiuſq; morbi magnitudine ſumptam, ſicuti Aduerſario placet, non ſolùm tam inſignem laudem, & admirationem non mereri, quam Gal. alteri noſtræ generali tribuit indicationi, ſed nulla prorſus laude, nullaq; prorſum admiratione eſſe dignā: eamq; à nullis medicis, cuiuſcumq; tandem ſectæ illi fuerint, fuiſſe prætermiſſam; omnibuſq; vel idiotis & plebeiis hominibus notiſſimam, atque euidentiſſimam eſſe. Quæſo enim (mihi liceat alterius ad- *Trincau.* uerſarij, & quidem viri celeberrimi, verbis rurſum vti) quis eſt adeo rudis, & Hipp. arte initiatus, qui non facile intelligat, ac fateatur, à morbo indicari præſidium, quod magnitudine illi proportione reſpondeat? Cum hoc ſit veluti quoddam principiū, quod ſemper debuit in communibus omnium medicorum notionibus fuiſſe impreſſum. Nemo vnquam fuit ex omni memoria, ſiue Empiricus, ſiue Rationalis medicus, qui ſciens vlceri medicamenta ſiccantia conuenire, non pariter ſtatim intelligat magno vlceri magnam ſiccationem, paruo vlceri, paruam ſiccationem eſſe congruentem. Quod item de intemperaturis. & omnibus morbis tot locis à Gal. traditum eſt, quot certè nequeunt ignorari. In quibus id quoq; notatione eſt dignum, nunquam Gal. huiuſmodi ſingularis ſcopi Hipp. primum authorem feciſſe; nec laudatè, & honorificè de illo ſermonem habere. Qui ſatis intelligebat hanc rem eſſe leuiorem, & notiorem, quàm vt ſingulari Hip. diligentia, ac penè diuino ingenio opus fuerit, & aliqua laude ornari debuerit: ſicuti alterum ſcopum generalem perpetuo vni tribuit Hipp. ſingulariter admiratur ſummiſq; laudibus extollit. Ex quibus ſi quis non intelligit duos huiuſmodi ſcopos à morbi magnitudine ſumptos longè inter ſe differre, hunc equidem cenſeo nihil intelligere.

Verùm, quæſo mihi liceat ſigillatim verba Aduerſarij paulo diligentius examinare. [*Dico*, ille inquit, *eius diligentiam mereri laudem, quia ſcopum inuenit, &c.*] Ego autem dico, hæc omnia eſſe falſa, plenaque erroris, & à Gal. doctrina longiſſimè aliena. Ac primùm quidem memoria eſt repetenda doctrina Aduerſarij toties repetita, indicationem ſumptam ex magnitudine morbi non aliter cum altera, quæ ab ipſo morbo ſuggeritur, quàm ſecundùm magis, & minus diſſimilitudinem habere. Quo enim modo hæc iis conueniunt, quæ in præſentia ſcripta ſunt? Quomodo ſcopus vehementiæ morbi, qui ſine vlla dubitatione communis eſt omnib. morbis, intemperiei, malæ compoſitionis, ſolutæ vnitatis, cū materia, ſine materia, quomodo inquam ad vnos morbos materiales contrahitur? Quomodo ſcopus ab huiuſmodi ſingulari magnitudine morbi, indicationem generalem vacuandi, aut per ſectionem venæ, aut per purgationem poteſt afferre? Finge Socratem laborantem febre putrida cum cacochymia. Hic per Aduerſarium duplex ſeſe offert ſcopus; alter à morbo, atque illius cauſa; nimirum refrigerandum, & purgandum; alter à magnitudine morbi. Quòd ſi hic poſterior ſcopus non differt à priore, niſi ſecundùm magis, & minus, ergo ex magna febre non alia oritur indicatio, quàm magnæ refrigerationis: ex magna cacochymia non aliud, quàm magnæ purgationis. Miſera doctrina. Sed eſto. Hipp. laudem meretur, quòd ſcopum omnibus propemodum morbis materialibus communem inuenerit;

rit;nimirum vacuandi aut per ſectionem venæ, aut per purgationem. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis Hipp. Galen. Rem omnibus apertiſſimam, & notiſſimam repetere! Quid enim hoc aliud eſt, quàm vna ea iis communibus ſententiis, quas Græci *axiomata*, Latini *dignitates* vocant, quæ apud Ariſt. & Mathematicos non tantùm veræ ſunt, ſed etiam veræ omnibus videntur? Id quod vel ipſe aduerſarius fatetur. [*Statuimus* (ille inquit) *morbum materialem, ſic nuncupo affectum concitatum ab ipſa cacochymia, & à plenitudine: quis ſtatim cognoſcet eam materiam fore vacuandam?*] Dum Gal. huic ſimilem Hipp. ſententiam interpretaretur; *quicumque à plenitudine morbi fiunt vacuatione curantur, &c.* tantum abeſt, vt de ea cum laude loquatur, vt magis cenſeat ipſam, tanquam rem continentem apertiſſimam, ſilentio eſſe prætereundam. Quod quidem (ille inquit) plenitudo morbum efficiat, antea dictum eſt. Quòd autem euacuatio ſit ipſius curatio, id quidem certè ſuperuacaneum eſt, ſicuti de cæteris quoque omnibus cauſis, quæ morbos committunt, quòd per contraria curentur. *Medicina* ab Hipp. definita eſt; *adiectio deficientium, & ſubtractio eorum, quæ in corporibus hominum redundant.* Sic illud traditum eſt, *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.* Sic aliæ paſſim occurrunt ſententiæ; quæ à Gal. recipiuntur quidem, cùm ſint veriſſimæ, ſed tamen nulla commendatione ornantur, quòd omni propemodum careant artificio, & omnibus notiſſimæ ſint. Qualis certè eſt ſententia aduerſarij, In morbo materiali materiam noxiam fore vacuandam. Sed in re apertiſſima non decet operam & tempus perdere. Cum igitur, mea quidem ſententia, tam certum ſit, & apertum, quàm quod certiſſimum, & apertiſſimum; ſcopum de ſpecifica magnitudine morbi omnibus, vel idiotis patere, nullámque laudem meruiſſe niſi me omnia fallunt vt illa tanta laus, & admiratio alteri generali ſcopo vehementiæ morbi, atque Hipp. primo illius inuentori à Gal. tribuatur, neceſſe eſt. Cæterum Aduerſarium diſſentire à ſe ipſo, quod tam facilè, & frequenter facit, nihil intereſt. Atqui illum diſſentire ab Hippoc. & Gal. quos tantopere profitetur ſe colere, & admirari, pactúſque eſt ſe nihil ab eorum doctrina alienum eſſe aſſerturum, id verò permagni intereſt. Aduerſarius hæc habet. *Dico Hipp. diligentiam mereri laudem quia ſcopum inuenit, non in vno morbi genere duntaxat, vt in vlceribus, ſed propemodum in omnibus morbis materialibus obſeruandum, &c.* Gal. hæc Θαυμάζω γὰρ τῆς ἀκριβείας τὸν ἄνδρα, κἀν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν οὐχ ἥκιστα δὲ κἀν τῷ μὴ παραλιπεῖν εἰς ἔνδειξιν διαφέροντα σκοπὸν ἐφ' ἑνὸς μόνον ἢ δυοῖν, ἀλλ' ἐπὶ πάντων ἁπλῶς τῶν νοσημάτων, hoc eſt. *Admiror enim eum virum diligentiæ nomine, & in aliis omnibus, non minimum verò & quòd non prætermiſerit ſcopum, qui ad indicationem conferat, non in vno tantum, vel duobus, ſed in omnibus ſimpliciter morbis.* Aduerſarius inquit, ſcopum eſſe communem omnibus propemodum morbis materialibus. Gal. omnibus morbis, ἁπλῶς, *ſimpliciter, prorſus.* Quomodo hæc inter ſe conueniant, alij iudicent.

Cætera proſequor. Aduerſ. [*Ignorarunt hoc Empirici, &c.*] Cùm duo ſint ſcopi ex magnitudine morbi, alter a ſpecifica, alter a generali, quæro; vtrum medici Empirici, Methodici, Rationales prætermiſerint? Si reſpondeas prætermiſiſſe priorem ex morbi magnitudine ſpecifica, id primum neque verum, neque veriſimile videtur. Siquidem Empirici ſua ipſorum experientia niti, Methodicique, & Rationales, qui methodum profitebantur, non potuerunt eſſe tam ſtupidi, ac ſtolidi, vt non intelligerent quod omnes intelligunt, Magno morbo magnum remedium conuenire, quod illi proportione reſpondeat. Deinde iſtud Aduerſarius Galen. qui ea vna parte non ſemel tractans hunc locum de magnitudine morbi ſpecifica, hanc illis negligentiam, & inſcitiam nunquam exprobrauit: ea altera autem, & hoc loco, & vbicunque de altero ſcopo generali ſermonem habet, hoc illis crimen obiicit: qui præterea docet, quomodo, & quamobrem ille ab ipſis fuerit prætermiſſus. *Admiror* (ille inquit) *Hipp. &c. Eſt porro is, qui ab affectus magnitudine ſumitur, quem non modo Methodici prætermiſerunt (non enim eſt id mirum) ſed etiam Rationalium plurimi, atque etiam Empirici (quanquam alio modo) omnes, &c.* Ac primum quidem notandum eſt, Gal. qui aliàs meminit differentiarum vlceris, quæ à priore illius magnitudine deſumitur, quæ in quantitate continua conſiſtit, κατὰ τὸ μέγεθος ἢ τὸ πηλίκον, ἢ τὸ ποσόν, in præſentia magnitudinem vocare ἰσχύν, quod nomen, vt antea diximus, vim, robur, violentiam, vehementiam ſignificat, ac potius ad qualitatem, quàm ad quantitatem pertinet. Ac ſanè vel hæc ſola euidens coniectura, aut potius certiſſima ratio poteſt cuiquè ſatis perſuadere, Gal. veterum medicorum negligentiam, & inſcitiam arguiſſe, minimè de prætermiſſione ſcopi ſingularis, ſed communis magnitudinis, & vehementiæ morbi, de qua Hipp. tantopere commendauit. Sed quæ ſequuntur, id confirmant apertiſſimè. *Quem alij* (Galen. inquit) *prætermiſerunt, tum Methodici, atque Empirici omnes, tum Rationales plurimi.* Methodicos non miratur Galen. huiuſmodi ſcopum prætermiſiſſe; qui cum in ſuis illis communitatibus acquieſcerent, aliam nullam morbi differentiam, aut indicationem, quàm fluxum, & adſtrictum agnoſcebant. Itaque magnitudinem, & vehementiam morbi ne cogitatione quidem comprehendere potuerunt. Rationales autem dicit non omnes, ſed pluſimos hunc ſcopum prætermiſiſſe; quicunque (vt puto) Hipp. diſciplina minimè inſtituti, in rebus plurimis ad Empiricos declinabant. Ea quo fit veriſimile ipſos hac quoque in re eorum veſtigia ſecutos, & imitatos fuiſſe: quos Gal. *Semidogmaticos* appellat, quòd inſtrumentarios morbos agnoſcerent, & cum ratione curarent: in curandis autẽ ſimilarium partium morbis ſolam experientiam adhiberent. Atque vtinam non hoc tempore ſint quamplurimi qui nomine quidem Rationalium mirabiliter exultant, & geſtiunt, verbiſque Hipp. & Gal. diſciplinam magno ſupercilio profitentur, ac prædicant; re autem vera ipſiſſimi ſunt Empirici; cum vt cætera omnia prætermittantur, hunc ſcopum tam inſignem, vitæque hominis tam neceſſarium, ab Hipp. primum inuentum, à Gal. ſuſceptum, illuſtratum, tanta commendatione ornatum, à nobis vtcunq; explicatum, & amplificatũ, ſimul cum Empiricis non vereantur non ſolùm prætermittere, ſed etiam lacerare, peruertere, delere. Empiricos porrò ſcribit Gal. hunc ipſum ſcopum, vehementiam morbi, omnes prætermiſiſſe, ſed alio modo, quàm Methodicos, & Rationales. Cùm enim vtriq; methodum, atque indicationum inquiſitionem vtcumq; profiterentur, in ſua ipſorum profeſſione delinquebant, huiuſmodi indicationem prætermittentes, quam diſcere potuiſſent ex magnitudine, & vehementia morbi nobis ſubminiſtrari. At verò Empirici, qui in ſola experientia acquieſcebant, omnemque methodi, & indicationis conſiderationem prorſus auerſabantur, hoc certè nomine accuſandi non fuerant, quòd hunc ſcopum, indicationemq; ex eo oriẽtẽ prætermiſiſſent, ſed alio modo: hoc eſt, vt quidẽ interpretor,

3. Meth. Med. c. 3.
5. Meth. Med. c. 2.

propterea

propterea quia neque ipſa experientia docti aliquam ſignorum ſyndromen potuerint obſeruare, quæ huiuſmodi Hipp. ſcopo proportione reſponderet. Adeò vt, ſicuti ex doctrina Hippoc. ex vna morbi vehementia, vel præſente, vel abſente oritur, vel petit indicatio, aut mittendi ſanguinis, aut dandi medicamenti, ita etiam longiore experientia ſyndrome aliqua excogitata fuiſſet, qua præſente, vel abſente licitum eſſet de huiuſmodi communi vacuatione deliberationem capere. Hæc Galenus veteres arguens medicos de prætermiſſione principis ſcopi, vehementiæ morbi.

Iam verò aduerſarium de hac ipſa re loquentem audiamus. [*Ignorarunt hoc empirici, qui in plethorica ſyndrome contineri vacuationis indicationem dixerunt.*] Equidem ſcio Empiricos omnem prorſus indicationis conſiderationem abhorruiſſe; ſed ſola experientia ductos, in ea fuiſſe opinione; propter aliam nullam cauſam, quàm propter ſyndromen plethoricam vacuationem faciendam eſſe: Galenúmque ipſum hac potiſſimùm ratione illos refutare, quòd ſine humorum copia, aut vitio, propter vnam morbi vehementiam liceat aliquando ſanguinem mittere, vel purgationem adhibere. Verùm quid hæc ad rem? cum aduerſarius hac in parte cum Empiricis videatur conuenire. Etenim ſi quis de me quærat, quamobrem ille hunc litigioſum ſcopum non ſolùm prætermittat, ſed etiam tam acriter oppugnet, id profectò propter hanc ipſam vnam cauſam puto fieri, quòd ille pariter velit, ſine humorum copia, vitio, fluxione, nunquam ad ſectionem venæ, aut purgationem veniendum eſſe. [*Ignorarunt omnes methodici, qui hanc indicationem ſumpſerunt à morbo clauſo, & adſtricto.*] Quandoquidem Methodici ſuis communitatibus addicti, ſolam adſtrictionem, hoc eſt meatuum denſitatem, ac neceſſariorum excrementorum ſuppreſſionem; necnon fluxionem, hoc eſt, meatuum rarefactionem, atque eorum, quæ retineri non debuerunt, excretionem ſibi ante oculos ponebant; ex iiſque indicationes vtcunque eliciebant, iam nulli mirum debet videri, ſi hunc communem ſcopum vacuationis prætermiſerunt; quemadmodum certum eſt, illos cæteras quoque temperamenti, ætatis, habitus corporis, conſuetudinis, regionis, & alias id genus indicationes prætermiſiſſe. Quibus fortè aduerſarius itidem cõſentit: qui contendit, ad communem ſcopum vacuationis, humorum, atque excrementorum copiam, qualitatem, retentionem, expulſionem, adſtrictionem, fluxionem perpetuo eſſe animaduertendas. [*Ignorarunt ex rationalibus plurimi, vt Eraſiſtratus, Ariſtogenes, &c.*] Quis hic riſum teneat? Etenim cum aduerſarius nihil haberet in præſentia, quod alicuius eſſet momenti, vt videretur omnino aliquid ſcripſiſſe, ad neſcio quos Ariſtogenes, Medios, Chryſippos confugit, quos inquit venæ ſectionem è medio ſuſtuliſſe. Quod nihil prorſus ad rem pertinet. Quandoquidem Gal. plurimos arguit medicos rationales, non quòd ſectionem venæ de medio ſuſtulerint, ſed quòd inſignem ſcopum communis vacuationis prætermiſerint. Verùm ad grauiora, & vtiliora progrediamur. Galen. ſingularem Hipp. diligentiam, ac diuinum ingenium admiratur, quòd ſcopum inuenerit principem, morbiſque omnibus communem; ex quo medici indicationem vel mittendi ſanguinis, vel dandi medicamenti debeant elicere. Ille verò eſt, qui ab affectus vehementia ſumitur. Hactenus (vt puto) inter me, & aduerſarium conuenit. Præcipua, fortè etiam ſola inter nos diſſenſio eſt, quòd ille hanc magnitudinem ſingularem, & propriam cuiuſque morbi interpretatur. Ego autem magnitudinem, vel potius vehementiam omnium morborum intelligo, vt ſuprà non ſemel diximus. Itaque per aduerſarium ſcopus mittendi ſanguinis, vel dandi medicamenti, idem eſt, qui accipitur ex morbo, ſed maiore, & auctiore: per nos, ſcopus communis vacuationis ab hoc priore ſcopo ſeiunctus eſt, atque ab vna morbi vehementia ſuggeretur.

Etſi verò quæ hactenus diſputauimus, fortè ad hanc terminandam litem potuiſſent ſatis eſſe, tamen ex eodem Gal. loco, in quo iamdiu cœpimus verſari, mihi libet rurſum hanc eandem rem agere, & demonſtrare, indicationem, quæ ſumitur à morbo, Magno, Maiore, Maximo, minimè illam eſſe indicationem quæ primum ab Hipp. inuenta eſt, & communem corporis vacuationem indicat. Quod equidem ſpero ita ſolidè, planè, & perſpicuè me adhuc eſſe confirmaturum, vt præter aduerſarium, qui ſuis cogitationibus mancipatus, ſuo iure, & libertate non poteſt vti, nemo fortè in poſtremum hæſitare hac de re poſſit. Gal. itaque ſic ſcribit. *Dictum & de ipſis vlceribus eſt in libro, qui hunc præcedit: vbi omnes vlcerum differentias, & quot, & quæ ſint, & quæ ſit vniuſcuiuſque indicatio expoſuimus.* Quaſi diuinaret vir ſingulari iudicio naſcituros aliquando homines, qui vtramque morbi magnitudinem, variaſque vtriuſque indicationes confunderent, & perturbarent, omnem de hac re ſcrupulum, & dubitationem conatus eſt euellere. Qui tamen ſua admirabili eloquentia, & perſpicuitate non potuit conſequi, quin & Aduerſarius, & plurimi hoc tempore laborent, quemadmodum hæc omnia permiſceant, confundant, & modis omnibus oppugnent. Cum igitur Gal. fateatur palam, ac profiteatur proximo ſuperiore libro omnes differentias vlceris, atque vniuſcuiuſque indicationes expoſuiſſe, quatenus ad vlceris eſſentiam ſpectat; ſpeciatim verò differentiæ magni vlceris, atque illius indicationis mentionem feciſſe: qui docuit, à magno vlcere magnam ſiccationem indicari, nimis apertum eſt, hanc eſſe non poſſe indicationem, quæ primum ab Hipp. inuenta eſt, & ſectionem venæ, aut purgationem indicat. Sed quid laboro amplius? cum Gal. conceptis verbis iſtud confirmet apertiſſimè; qui hæc ſtatim ſubiungit. *Præberi tamen vacuandi indicationem ab ipſa magnitudinis vi in eo libro non dixi.* Quòd ſi Gal. ex vna parte ſuperiore libro tractat magnitudinem vlceris in quantitate continua, atque extenſione, propriámque illius indicationem exponit: ex altera autem magnitudinem vlceris, vel potius vehementiam, in qualitate, atque intenſione, propriámque illius indicationem prætermittit; an quid apertius, & certius poteſt afferri, ad demonſtrandum ſpecificam morbi magnitudinem ab altera generali longè diuerſam eſſe, longéque diuerſam curandi indicationem ſubminiſtrare: Sed rurſum Gal. audiamus, qui duplicem reddit rationem, quamobrẽ hanc poſteriorem indicationem vehementiæ morbi ſuperiori loco non expoſuerit. Alteram, propterea quòd ea longam demonſtrationem requirebat, de qua iam ſatis diximus. Alteram, & totius corporis curam cum vlceribus in eo non coniunxi; hic verò executus ſum quantum ad rem propoſitam erat vtile. Quæ quidem duæ rationes, aut veriùs, quæ quidem tota ſeries Gal. orationis tam apertè, & dilucidè naturam indicationis vehementiæ morbi, & quid inter hanc, & alteram interſit, mihi videtur explicare, vt cogar fateri, aut me nihil prorſus intelligere, aut nullum hac in re ambiguitati, vel difficultati locum ſupereſſe. Summa eſt, Galenum ſuperiore tertio libro huiuſmodi indicationem omnibus morbis cõmunem non attigiſſe, propte-

rea quia propoſitum illi fuerat in eo loco ſolam vlcerum curationem tradere; procurationem totius corporis prorſus negligere, quæ longiorem omninò orationem requirebat. Nam ſicuti ex vna parte indicatio ex magnitudine vlceris, quatenus vlcus eſt, facilè, & paucis verbis poteſt explicari, quod capite decimo factum eſt; ita ex altera indicatio magnitudinis, quæ vehementiam notat, longiorem demõſtrationem deſiderabat: quali in præſentia Galenus vſus eſt, vt demonſtraret, ex vehementia morbi, aut ſectionis venæ, aut purgationis indicationem oriri; cum hæc præſidia non videantur morbo contraria; multique inueniantur medici aduerſario conſentientes, qui contendunt, ſolis morbis ex plenitudine ſectionem venæ; ſolis morbis ex cacochymia purgationem conuenire. Itaque Galen. quarto hoc libro de hac re ſermonem diffusè habuiſſe; in quo ille propoſitum habuit, non ſolùm de vlcerum curatione, ſed etiam de totius corporis procuratione verba facere, atque vtriuſque magnitudinis indicationem cum ſingularem tum generalem explicare. Dicam, & repetam vno verbo. Si quis ex Gal. diſciplina non intelligit, à magnitudine vlceris duas indicationes inter ſe genere diſtinctas originem habere: alteram, à magnitudine vlceris, quatenus vlcus eſt, quæ ipſius morbi, adeóque magnæ ſiccationis indicatio eſt: alteram à magnitudine vlceris; quatenus vehemens eſt morbus, quæ non vlceris, ſed vehementiæ vlceris eſt indicatio, adeóque ad totius corporis procurationem pertinet, hic, mea quidem ſententia, nihil intelligit.

Cæterùm, etſi quæ de duplici morbi magnitudine, duplicique indicatione hactenus dicta ſunt, ſatis, ſuperque eſſe poſſunt, ac debent, vt ſi præterea velim plura addere, nimius & tanquam prodigus videri poſſim, tamen nequeo me continere, quin ex hoc ipſo Gal. loco, in quo iam diu verſamur, poſtremo rationem colligam, quæ veritatem alioqui apertam & perſpicuam, cuique facile poteſt non ſolùm confirmare, ſed etiam perſuadere. Illa verò eſt huiuſmodi. Cum Gal. Hipp. primum authorem feciſſet principis ſcopi, communis omnibus morbis, à morbi magnitudine, ſeu vehementia, vt omnem ſtudioſis amphibologiam tolleret, id quoque voluit deinceps declarare, quot modis morbi magni, ſeu vehementes euadant: quod inquit fieri tripliciter: aut propter afflictæ partis præſtantiam; ad quem modum morbus cerebri, cordis, quamuis minimus, magnus eſt, ac vehemens: aut propter affectus magnitudinem, quam μέγεθος appellat, vt hanc ſpecificam magnitudinem ab altera generica diſtingueret; vt magna febris, magna inflammatio: aut propterea quod ſunt cacoëtheis, vt cancer, & phagedæna. Qui tandem concludit, variiſque rationibus atque exemplis demonſtrat, Hipp. ſecundùm ſingulas huiuſmodi magni morbi differentias principis illius ſcopi primum authorem, & inuentorem fuiſſe. Cum itaque per Hipp. & Galen. indicatio magnitudinis, ſeu vehementiæ morbi in hac triplici magnitudinis differentia locum obtineat, hinc mihi videor poſſe euidentiſſimè demonſtrare, huiuſmodi communem indicationem, ab altera, quæ accipitur à natura morbi, longè diuerſam eſſe. Quandoquidem hæc ſingularis indicatio in vnica magnitudinis differentia ſecundum propriam eſſentiam poſſit vſurpari: in reliquis duabus ſecundùm præſtantiam partis, & malignitatem nullum planè vſum poteſt afferre. Quæſo enim qualis indicatio à magnitudine morbi ratione præſtantiæ partis, vel ratione malignitatis poteſt animo concipi, vel excogitari? Aduerſarius quidem, cum aliquando incautè in hunc ſcopulum incidiſſet, ſubtiliſſimam quandam, atque in omni memoria omnino inauditam indicationem, bonitatem ſcilicet, oriri commentus eſt. Sic fortaſſe à præſtantia partis, exilitatis, tenuitatis, ignobilitatis indicationem poterit comminiſci. Quæ quidem tanquam figmenta & dogmata nulli rationi innixa non merentur, vt in iis refellendis tempus diutius conteramus. Verùm de hac re ſatis; de qua neſcio quomodo video me longiùs, quàm voluntas fuerit, digreſſum fuiſſe.

AD CAPVT XIII.

De natura morbi magni, & eius contrarietate.

ETſi quicunque memoria tenet, quæ hactenus, maximéque proximo ſuperiore capite diximus, facilè nobis concedet, omnia poſſe prætermitti, quæcumq; præſenti hoc longiore capite aduerſarius tractauit; nihilominus cum ille profiteatur nos illius rationibus non bene ſatisfacere, mihi libet neque hanc partem prorſus intactam relinquere. Ille itaque duas ponit, atque examinat ſuas rationes. Altera fundatur trito illo, ac toties repetito principio: indicationes ſumi à rei natura, de quo turpe eſt plura dicere. [*Quæro*, inquit, *ex illis, vt dicant mihi, quænam ſit illa natura, qua vbi hanc ignorauerimus, etiam opus eſt ignorari indicationem eiuſdem: ignoratis autem iis, etiam ignorabitur remedium. Velint igitur, nolint, eſt neceſſarium, vt oſtendant naturam propriam magni morbi, quatenus magnus. At mihi conſideranti qua ſit hæc natura, aliam ſanè minimè inuenio, quàm receſſum magnum à ſtatu naturali in vnoquoq; morbi genere, circa quod magnitudo viſitur: nam vt receſſus à naturali conſtitutione ſenſibiliter lædens morbi naturam complet, ſic paruus receſſus parui, magnus verò magni morbi naturam complectitur.*] Hic noſter Aduerſarius natura eſt nimium vehemens, ac ferox, qui vult de nobis, velimus, nolimus, per vim extorquere, quod illi vltrò, ac promptè ſumus conceſſuri. Natura morbi magni, ac vehementis, eſt illius magnitudo, ac vehementia. Ex hac natura oritur indicatio communis vacuationis. Hæc perficitur ſectione venæ, aut purgatione. En quam facilè, & breuiter non ignoratur natura morbi magni? non ignoratur indicatio ex illa oriunda, non ignoratur remedium? Ac ſanè mihi conſideranti, quomodo Aduerſario conſideranti, quænam ſit natura morbi magni, non alia potuerit in mentem venire, quàm receſſus à ſtatu naturali, &c. magna ſubit admiratio, hominem Philoſophum, & medicum præſtantiſſimum non potuiſſe inuenire, quæ vel ipſi tyrones facile poſſunt intelligere. Magnus etenim receſſus à ſtatu naturali magnũ efficit morbum in quantitate continua: At verò magnus receſſus a ſtatu naturali non efficit neceſſario morbum magnum in qualitate, id eſt, vehementem, & periculoſum, ex. gr. Magna cuticulæ excoriatio, vel diſciſſio, magnum quidem efficit morbum, magnam ſolutionem continui; ſed cum ſit in parte vili, & abiecta minimè vehementem, ſed leuem, ac nullius momenti morbum efficiet. Cæterum Aduerſarium rurſum audiamus. [*Dicunt morbum magnum conſiderari dupliciter, tum vt morbus, tum vt magnus: fateor id ego quoque: ſed hæ duæ conſiderationes non faciunt aliud, ſed alterutrum duntaxat: idem eſt homo Socrates adoleſcens, & iunenis: idem ſpecie morbus eſt magnus, qui antea erat paruus: quamobrem eadem indicationes vigent in vno, & eodem morbo, duntaxat diuerſa ſola intenſione in eo, quod magis, & minus. Nam ſi refrigerationẽ poſtulat morbus exiſtens par-*

uus

nus, vt duo, vbi magnus euaſerit, vi quator ex. gr. adauctis gradibus fiet neceſſarium augere ipſum, vſque ad quartum gradum refrigerationem. Hæc ita cōſona ſunt r. tioni, principiis medicinæ, Gal. doctrinæ, vt plurimum admirer, viros hac noſtra ætate præſtantes non animaduertiſſe: præſertim, cum ſcribant omnes authores huius argumenti falli primum, & conniuentes ſomno habuiſſe oculos, vt qui ignorauerint à morbo, & a magnitudine, ſeparatam, certam, propriā, ac diſtinctam indicationem oriri. Sed qui in hoc negotio tanti momēti aberrauerint, indicabunt alij.] Certè quidem, lector, me pudet, aotędet, inſtar Siſyphi coactum eſſe nimis diu hoc ſaxum voluere. Non ſolùm fateor, ſed etiam profiteor ac prædico indicationem, quæ ſumitur à natura cuiuſque morbi, vnam atque eandem ſemper eſſe, neque aliter differre inter ſe, quàm ſecundum maius, & minus, prout morbus vel maior, vel minor euadit, adeo vt præſidia hac ratione inuenta, magnitudini cuiuſque morbi proportione perpetuò reſpondeant. Hæc fateor, profiteor, prædico eſſe conſentiena rationi, principiis medicinæ, Galeni doctrinæ; vt equidem ſatis mirari nū poſſim, vnde Aduerſarius hanc mihi notam inurere nunquam deſinat: quaſi hæc dogmata vel plebeiis medicis notiſſima, à me fuerint ignorata. Quod fateor, quod profiteor, quod prædico, quod quātum poſſum, exaggero, & amplifico, illud eſt, præter indicationem ſingularē, ac propriam cuiuſque morbi, aliam generalem, & omnibus morbis communem ab Hippocrate primùm fuiſſe inuentam, vehementiam morbi, ex qua procuratio vniuerſi corporis originem habet. Hanc, vir clariſſime, hanc indicationem, ὀχὺν, non propriè μέγεθος, miratus ſum, miror, ac mirari nūquam deſinam, à pleriſque omnibus fuiſſe prætermiſſam, qui de indicationibus vel lōgiſſima ſcripſerunt commentaria; quos iure mihi videor dixiſſe, plurimùm falſos fuiſſe, conniuentes ſomno habuiſſe oculos, fortè etiam veterno fuiſſe occupatos: qui ignorauerint ab eſſentia cuiuſque morbi, & a vehementia certam, propriam, ac planè diſtinctam indicationem oriri. Qui autem in hac negocio tanti momenti aberrauerint, iudicabunt alij. Hinc facile eſt intelligere, quanti aduerſarium argumentum æſtimandum ſit, quod ille aduerſus Curtianam, & Iachinam hæreſim cenſet eſſe ἄπορον, & indiſſolubile; vt fortaſſe nodus Gordianus, aut Vulc. vincula facilius diſſolui poſſint. [*Quodcunque* (ille inquit) *indifferenter, & alternatim ſe ſe habet ad duo diuerſa præſidia, id ipſum vnū propriè, at certò, per ſe ac ſemper ex duobus indicare non poteſt: atqui magnitudo morbi à materia proficiſcentis ſe ſe habet indifferenter, & alternatim ad duo diuerſa præſidia; ergo magnitudo morbi propriè certo, ac per ſe, & ſemper ſolam ſectionē venæ indicare non poteſt. Et quidem tanti momenti eſt hoc argumentum, vt quamuis pro diſſolutione à medicis recentioribus excogitentur multa, nihil tamen inueniri hactenus ab illis potuit, quod planè ſatisfaceret, vt ego ſomio.*] Fauete linguis. Ego verò cum multa de hoc terribili, tonante, ac fulminante argumento dicere poſſim, illud vnum dicam; nec Curtium, nec Iachinum; quibus plurimi hoc tempore indigni ſunt, qui matellam portigaor, docuiſſe, aut ſomoiaſſe vnquam à magnitudine morbi ſolam venæ ſectionem, ſine vlla diſtinctione, ac ſemper indicari; qui iamdiu didicerunt apud Hippocratem, & Galenum, magnitudinem morbi pro indicatrice quadam ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ inſtitutam fuiſſe; quod nos quoque ſæpe diximus. Vt certè pluribus non ſit opus ad demonſtrandum ſine tot medicorum cogitationibus, & machinis, indiſſolubilem hunc nodum in diſſolutas ſcopas conuerti.

Sed ad alteram rationem, & ad finem progrediamur. Porrò ſi quis velit in vnum colligere, quæcumque Aduerſarius iam prolixè, ne dicam faſtidioſe de hac ratione diſputat, quæ ad contrarietatem pertinet, ſumma omnium iis paucis verbis mihi videtur colligi, & comprehendi poſſe. Vnuſquiſque morbus curatur à proprio, & determinato contrario. Morbi magnitudinis certum, ac determinatum remedium non eſt ſectio venæ, aut purgatio. Morbi magnitudini materiali proprium, ac determinatum contrarium eſt vacuatio. Humores vel fluunt, vel fluxuri ſunt, vel quieſcunt. Humores vel copia, vel vitio negotium faciunt. Ex iis colligit vacuationem indicari à morbi magnitudine materiali: inter plenitudinem, & ſectionem venæ: inter cacochymiam, & purgationem veram contrarietatem extare. Qui demum concludit; in magno morbo cum plenitudine ſectionem venæ: in magno morbo cum cacochymia, aut ratione vacuationis, aut ratione reuulſioois purgationem perpetuò conuenire. Quæ eadem non ſemel antea dixit, poſterius infinitè dicturus eſt. Poſt hæc Aduerſarius noſtram de contrarietate reſponſionem, ac ſententiam refert, etſi id nec bona fide, nec perfectè facit: quod facilè poterit animaduertere quicumque ſeriem noſtræ Diſputationis cum hac illius relatione voluerit conferre. Qui deinceps ſeueri philoſophi perſonam induens, ac de contrariorum natura diſputans, ſuo more omnia noſtra conatur conuellere, & lacerare. *Diſput. de ſcop. p. 548.* Cæterum, quoniā, ſi velim omnia perſequi, & examinare quæcumque Aduerſarius de huiuſmodi contrarietatis ratione percrepat, & repetit, neceſſe haberem longiſſimam, ſed ad meum inſtitutum non neceſſariam diſputationem conficere; mihi libet in vnica reſponſione acquieſcere, quæ fortè principale illius fundamentum funditus poteſt euertere. Itaque ſi morbus magnus, & paruus, vt placet Aduerſario, non differunt niſi ſecundùm magis, & minus; magnúſque morbus in hoc ſenſu accipitur, quando venæ ſectionem, & purgationem dicitur indicare, nimirum (vt aiunt) materialis: ergo, & remedium magnum illi contrarium debet eandem ſumere differentiam ſecundùm magis, & minus Ex quo ſequitur (ni fallor) ſi in magno morbo materiali, oriundo ex ſanguine oportet ſanguinē mittere, vt in morbo materiali ex ſanguine, ſed paruo, minus ſanguinis oporteat mittere: ſi in magno morbo materiali ex cacochymia purgandum eſt, vt in morbo paruo ex cacochymia minorem purgationem oporteat adhibere: quia determinato morbo determinatum contrarium eſſe debet. Quæſo igitur, quid eſt, quòd in paruo vulnere nō faciunt parcam ſanguinis miſſionem? Quid eſt, quòd in parua cacochymia non faciunt exiguam purgationem? Dicent fortaſſe, venæ ſectionem, & purgationē ſemper eſſe remedium magnum, quod eſt Gal. At verò primùm nequeunt negare, magnam, & paruam dari ſanguinis miſſionem, & purgationem. *1. Aph. com. 29.* Deinde argumenti vim non effugiunt: quoniam ſi morbus recipit magis, & minus, vtique remedium quoque ab iis excogitatum, magis, & minus debet recipere. Itaque non eſt vera cōtrarietas inter eam morbi naturam, quæ aliquando magna eſt, aliquando parua, & illud remedium, cuius natura eſt, vt ſit perpetuò magnum. Sed fortaſſe hæc omnia ſunt meræ nugæ, nec quicquam ad rem faciunt; vt in illis longius referendis, aut refellendis debeamus inutiliter tempus perdere, & Galenicæ doctrinæ puritatem contaminare. Summa eſt verbo, vt nos tandem modum aliquem, & finem orationi noſtræ

faciamus, inter morbi magnitudinem, ſeu vehementiam ſectionémque venæ, & purgationem eam contrarietatem, ſeu verius oppoſitionem extare, quæ ad medicorum conſilia, & opera, ad conſeruandam, & recuperandam ſalutem hominis eſt cum primis accommodata. Qualia propemodum infinita apud medicos ſunt exempla, qui rerum contrarietatem tam anguſtis terminis, quam philoſophi faciunt, minimè ſolent circumſcribere, & definire, vt peculiari loco diffuſè diximus. Itaque ad tertium librum progrediamur.

LIBER TERTIVS.

DISPVTATIO III.

AD CAPVT I. II. III.

Authoris excuſatio, atque propoſitum.

SI Aduerſario placuiſſet, breuiter, grauiter, & perſpicuè, ſicuti hominem philoſophum decet hanc mihi litem intendere, ille certè in hac vna diſputatione potuiſſet acquieſcere, ac ſine tot ambagibus vniuerſum hoc negotium conficere: ſiquidem controuerſia inter nos duntaxat in illo eſt: *vtrum ad capiundum conſilium de mittendo an non mittendo ſanguine, tres tantummodo principes ſcopi, magnitudo morbi, robur virium, conſtantia ætatis ſufficiant*: quod nos affirmamus: ille negat. Verùm illi placitum eſt, aliud conſilium amplecti: quod quidem neceſſitate quadam adducti, aliter facere non potuimus, quin nos quoque ſequuti, & amplexati ſimus, vt aliàs diximus. Quoniam verò nihil magis mihi propoſitum, & cordi eſt, quàm ſumma breuitate, quantum fieri poteſt, perpetuò vti: cum Aduerſarius primo capite, non aliud, ſuo more, quàm prooemium complectatur: ſecundo noſtras rationes pro tribus ſcopis vtcumque referat: tertio demonſtret, quomodo Methodici, Empirici, Rationales plerique ignorauerint ſcopum indicantem vacuationem: quod nos ſuperiùs, ſatis, ſupérque iam explicauimus; mihi libet iis tribus capitibus prætermiſſis, ſtatim ad quartum caput aggredi; in quo ille profitetur Galeni verba eſſe explicaturum.

AD CAPVT IV.

Galenici loci interpretatio, 4. Meth. Med. c. p. 6.

ETſi de interpretatione huius quoque Galenici loci multa à nobis ſuperiùs dicta ſunt, nihilominus putaui me rem ſtudioſis, neque inutilem, neque ingratam facturum, ſi neque huiuſmodi aduerſarias interpretationes prætermitterem. Ex quibus ſpero me demonſtraturum hunc hominem Galeni diſciplinam perpetuò contaminare, atque euertere. [*Ac primum omnium* (ille inquit) *conſideranda ſunt verba hæc. Non in vno alterove, ſed prorſus omni morbo ſit ſpectandus, non omiſerit. Statim non contemnendam videntur habere difficultatem. Nam ſi ſcopus ab Hippocrate inuentus, in omni morbo ſpectandus eſt, hic autem eſt magnitudinis morbi, conſequens eſt, magnitudinem vniuſcuiuſque morbi ſtatuendam eſſe indicatricem, aut ſectionis venæ, aut purgationis. Sanè arguta, & ſubtilis dubitatio: quam miror alios prætermiſiſſe.*] Egregiè, Aduerſarius argutam, & ſubtilem obiectam rationem vocat, eámque miratur alios prætermiſiſſe, quæ ipſa per ſeſe notiſſima eſt, & à nobis frequenter explicata, & reperita. Sed videamus, quid ad hanc argutam, & ſubtilem rationem ille argutè, & ſubtiliter reſpondeat. [*Dico* (inquit) *intelligi debere hæc verba, ſecundum propoſitam Galeni mentem, minimè verò abſolutè in omnibus morbis.*] Qui deinceps longiore oratione, vt ſolet ad nugas theatri redit, ac ſtatim concludit, verba Galeni eſſe intelligenda in omni morbo materiali. [*Quod vacuatio repletionis, & pleonexiæ humorum remedium eſt, vt ſenex verecundus docebat in 2. Aphor. aſſerens morbos factos ab ipſa multitudine ſanari vacuatione,* &c.] Galen. ſcribit Hippocratem inueniſſe ſcopum conferentem ad indicationem ſectionis venæ, aut purgationis; qui non in vno, aut altero, ſed prorſus omni morbo ſpectandus ſit. Aduerſarius docet hunc ſcopum ſpectandum eſſe, minimè abſolutè in omnibus morbis, ſed reſtrictè in omni morbo materiali. An hæc inter ſe conueniant, an potius contradictoria ſint, ipſe viderit. Quod ſi Aduerſarius morbum materialem intelligit, in quo humores, vel vitio, vel fluxione, vel aliter negocium faciunt, vt equidem puto illum intelligere, quæſo, quid aliud hoc eſt, quàm veterem Empiricorum opinionem, & inſcitiam ſuſcitare? Nam ſicuti illi propter aliam nullam cauſam, quàm humorum copiam ad vacuationem accedebant; ita Aduerſarius, niſi morbus ſit materialis, hoc eſt, niſi humores quomodocumque noxij fuerint, contendit nunquam ad ſectionem venæ, aut purgationem veniendum eſſe. Immò verò forte Aduerſarius deteriorem opinionem Empiricorum opinione alicui videbitur tenere. Nam ſicuti Empirici, cum lapſus ab alto quis fuiſſet, aut aliàs plaga aliqua contuſas vehementer corporis partes habuiſſet, Gal. teſtimonio ad ſanguinis miſſionem confugiebant, quanquam idem homo paulò ante ſanus fuiſſet prorsúſque redundantiæ ſanguinis expers: ita Aduerſarius, ſi illi eiuſmodi quiſpiam æger ſeſe offerat, vt puto, nunquam audeat ad ſectionem venæ, aut purgationem aggredi, niſi ille humorum plenitudine, vitio, fluxione, vel præſente, vel imminente ſimul laboret. Sed cætera proſequor. [*Nam vbi in redundantis ſanguinis* (vt illi loquuntur) *ſyndrome vacuationem à ſe obſeruatam dicunt, manifeſtè fatentur ob nullius alterius eorum, quæ in ægro viſuntur, reſpectum ad vacuationem accedere,* &c.] Cum Empirici ſua ipſorum obſeruatione nixi docerent, in ſola ſydrome plethorica deliberationem vacuationis conſiſtere, Galenus huiuſmodi opinionem non minùs efficienter, quàm perſpicuè redarguit. Qui demõſtrat, ac verè demonſtrat, cum duæ ſint præcipuæ ſpecies vacuationis, ſectio venæ, & purgatio; hanc quidem minimè à redundantis ſanguinis concurſu, ſed magis ab humorum vitio indicari: illam verò etiam ſine redundantis ſanguinis concurſu interdum adhiberi. Quando ſi valens morbus ſit cum virium robore, nemo eſt, qui ſanguinem non mittat, qui vtique in artis operibus ſit exercitatus. [*Hæc verba* (inquit Aduerſarius) *ſunt quæ tantas ingeſſerunt difficultates; quæ tamē iuxta eam explanationem, quam nos ipſi huc uſque poſuimus atq; nunc etiã dabimus, & quam veriſſimã eſſe profitemur, maximéque Galen. conſonam, omni prorſus carebunt difficultate. Aggredior ad rē. τὸ δ' ἐπὶ τοῖσι βελτίοσιν.*

Alta

Alta tu mente recondito, dicam. Aduerſarios primùm Galenicam rationem aduerſus Empiricos interpretatur, ac planè fatetur, præſentibus duobus ſcopis, morbi magnitudine, ac robore virium, ſine plenitudine, licitum eſſe ad ſanguinis miſſionem deuenire; quod ipſi quoque Empirici faciunt. Deinde verò admirabile antidotum adhibet [*Cum ſcilicet* (ille inquit) *magna vigeat ſuſpicio de futura inflammatione, aut etiam de magno aliquo ſiam virtutis caſu.*] Sed obſecro te, quid hæc ad rem? Quis negat ſectionem venæ, & purgationem gratia vacuationis, reuulſionis, deriuationis adhiberi? Quid aliud nos pugnamos ex doctrina Hippocratis, & Galeni, quàm magnitudinem morbi, ſectionem venæ, & purgationem ad vniuerſi corporis procurationem indicare? Lis eſt, vtrùm ad capiendum conſilium de mittendo, an non mittendo ſanguine tres ſufficiant principes ſcopi; adeo vt quoties ſcilicet illi ſimul conueniunt, perpetuò liceat ſanguinem mittere? Empirici id negabant, qui docebant ſine plethorica ſyndrome ad genus aliquod inſignis vacuationis non eſſe veniendum. Galen. hanc eorum opinionem hac ratione vrget, Neminem eſſe in artis operibus exercitatum, vel ex ipſorum Empiricorum familia, ſi valens fuerit morbus cum virium robore, qui ſanguinem non mittat. Aduerſarius reſpondet, iſtud fieri propter imminens periculum inflammationis, aut diſſolutionis virium. Eſto. Quæſo huiuſmodi periculum ex antecedente humorum copia, vel vitio cenſes imminere? Si id affirmes, apertiſſimè contradicis Galeno, quanquam idem homo paulò ante ſanus fuerat, prorſúſque redundantiæ ſanguinis expers. Si id neges, an non hinc neceſſariò ſequitur, tres tantummodo ſcopos ſatis eſſe, ac ſine vlla plenitudine, & cacochymia propter vnam magnitudinem morbi & ſectionem venæ, & purgationem quandoque poſſe adhiberi? Si Empirici ad rationem Galeni reſpondiſſent. Fatemur ô Galene in magno vulnere, in magna contuſione neceſſariò ſanguinem mittendum eſſe, tametſi nullum ſyndromes plethoricæ veſtigium appareat. Sed te monitum volumus, nos quidem hoc remedium adminiſtrare propter imminens periculum inflammationis, aut diſſolutionis virium: atque hoc ſtuduiſſent colligere, ſyndromen plethoricam ad vacuationem perpetuò eſſe neceſſariam; quid, amabo te, putas Galenum fuiſſe ad hæc reſponſurum? Ego verò cenſeo illum lepidè, atque effusè riſurum fuiſſe. Itaque nos quoque lepidè, atque effusè rideamus. Galenus. *Ex quo patet non hoc eſſe, quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinē morbi, ac virium robur, exceptis tamen à ſermone pueris.* Cùm Aduerſario ſtatutum ſit magnitudinem morbi ex plenitudine, aut fluxione ſanguinis orientem venæ ſectionem indicare: cúmque ille viderit, ac fateatur, Galenum nimis apertè omnem plenitudinis conſiderationem refutare, ad ſe ipſum conuerſus inquit. [*Eſt hoc loco animaduertendum, quod ego hic per morbi magnitudinem ex Galeno non intelligo quamcumque magnitudinem ſiue à plenitudine, ſiue à fluxione cauſatam; quia hac ſecunda ratio excludit plenitudinis affectum, probans Galen ſine plenitudine mitti debere ſanguinem, &c.*] Hic igitur accipio morbi magnitudinem preſſiùs, omnem ſcilicet à fluxione, aut imminentem, aut incipientem, non cuiuſcunque humoris, ſed duntaxat ſanguinis, &c. Itaque per Galenum, interprete, & conſentiente Aduerſario, indicatio mittendi ſanguinis, minimè ex ſyndrome plethorica, ſed ex vna magnitudine morbi ex fluxione ſanguinis, vel præſente, vel imminente accipienda eſt. Cæterùm quam huiuſmodi cogitatio ſit non ſolùm à Galeni mente, ſed etiam à ratione aliena, ac planè abſurda, equidem puto eſſe notius, quàm vt debeat longiùs demonſtrari. Quæſo enim, quis ex omni memoria tam inſigne commentum excogitauit, vt ſcopum ab Hippocrate primùm inuentum, à Galeno tot diuinis laudibus ornatum, omnibus morbis communem; tam vitæ hominis neceſſarium, anguſtis adeò terminis circunſcriberet, & definiret? Atque, vt ne ab exemplo Galenico diſcedamus; vno verbo, fingamus Socratem annum agentem xxx. integrè ſanum omniſque redundantiæ ſanguinis prorſus expertem, hodie grauiſſimum vulnus accepiſſe. Inter omnes (vt puto) conuenit, Socrati quamprimum ſanguinem mittendum eſſe: per Galenum, quòd tres conueniant principes ſcopi: per Aduerſarium, quòd adſit morbi magnitudo ex fluxione ſanguinis, qui & nunc, & poſteriùs fluere poteſt. Itaque magnitudo morbi gratia vnius reuulſionis venæ ſectionem indicat. Quod ſi iſtud verum eſt, quomodo Galenus ſcriptum reliquit, vehementiam morbi ſectionis venæ, & procurationis vniuerſi corporis indicationem afferre? Præterea ſi ſanguis in Socrate ad partem vulneratam hodie non fluit, quem primis diebus non fluere certum eſt; quomodo itidem Galenus ſcriptum reliquit; reuulſionem fluentis ſanguinis remedium eſſe? Hic nulla eſt ſanguinis fluxio; nullus ergò reuulſionis ſit vſus, neceſſe eſt. At verò periculum imminet, ſanguis fluat in poſterum, atque inflammationem efficiat. Eſto. Equidem poſſem reſpondere, & ſumma cum ratione reſpondere; in homine ſano, omnis redundantiæ ſanguinis immuni, inſtituta congrua victus ratione, adhibitis leuioribus reuulſionibus, nullum fortè huiuſmodi periculum imminere. Sed reſpondeò ſemel fluxionem ſanguinis, vel præſentem, vel imminentem, ſcopum eſſe proprium & ſingularem: nos autem quærere in præſentia ſcopum omnibus morbis communem, atq; vt loquuntur, adæquatum: quo præſente liceat, quo abſente non liceat venam incidere. Ille autem non alius, quàm morbi magnitudo ſtatui poteſt. Etenim fluxio ſanguinis reuulſionem quidem, ſed quam, & nunquam venæ ſectionem indicabit, niſi morbi magnitudinem afferat in præſentia, aut poſteriùs poſſit afferre, vt ſæpe diximus.

Verùm fortè ipſe quoque Aduerſarius abſurditatem, & inanitatem huius reſponſionis animaduertit. Qui poſtremo alteram excogitauit, inquiēs. [*Poſſunt etiā alio modo explanari hac verba de magnitudine morbi materialis in genere, tā à plenitudine, quàm à ſanguinis fluxione: quas duas differentias parū poſtea explicabit: quia in ſanis mittitur ſanguis ob plenitudinē, futuram magnitudinē minitantem. In ægrotis ob præſentem magnitudinem*] Quam quidem explanationem, quæ quidem verba ſeriò, ac libenter fateor me non intelligere quid ſibi velint, nec fortè ipſemet Aduerſarius intelligit. In quas profectò anguſtias, & difficultates ſæpiſſimè adducuntur, quicumque malas cauſas agunt, & tuentur.

Tertia ratio aduerſus Menodotum Empiricum hiſce verbis continetur. *Nam & alia ratione, ſi quis etiamnum ſanus, neque adhuc quicquam læſus in ſanguinis redundantiæ concurſu ſit poſitus, nō ſtatim huic ſanguinē mitti neceſſe eſt: immò alijs ſatisfacit inedia* &c. Galen. aduerſus ſyndromen plethoricam Empiricorum duplici inexpugnabili ratione agit. Altera, quod ſine illa medici, vel ipſi Empirici non vereantur ſanguinē mittere, de qua iam ſatis diximus. Quoniā verò quis facilè potuiſſet in hac prima ratione acquieſcere; ſed tamen credere adhuc, præſente ſyndrome plethorica ſanguinem perpetuò, ac neceſſario mittendum eſſe Galen. alteram voluit

rationem

rationem afferre, inquiens, hanc quoque ſententiam falſam eſſe, atque illius oppoſitam, veritatem continere. Nempe aliquam plenitudinem ſine ſectione venæ curari.

Quod itidem teſtimonio, atque authoritate Empiricorum confirmat: qui huiuſmodi hominibus plenitudine laborantibus non neceſſariò venam incidere conſueuerunt. Etſi autem aduerſarius primo aſpectu ſatis ad Galeni mentem, & ad veritatem loqui videtur, tamen ſi paulò diligentius animum adhibeas, facilè intelliges, hanc quoque poſteriorem rationem ab illo contaminari, ac peruerti. Illius verba hæc ſunt. [*Atqui non ſemper affectis plenitudine mittitur ſanguis: quippe quia, ſi fuerit exigua, nec aliquod periculum minetur, leuioribus ſanabitur præſidiis. At ſi magna fuerit, certè indicabit ſanguinis extractionem, antequam magnum aliquod malum in corpore committat.*] In quibus duæ mihi videntur concluſiones contineri. Prima. Si plenitudo fuerit exigua, nec aliquod periculum minetur, venæ ſectionem eſſe prætermittendam. Altera autem huic oppoſita certè eſſe debuit. Si plenitudo magna fuerit, & aliquod periculum minetur, ſectionem venæ eſſe adhibendam. At verò quoniam ille vidit, ſe ita loquentem affirmare, plenitudinem hac vna ratione venæ ſectionem indicare, ſi illa morbi magnitudinem afferat, vel allatura ſit, quanquam hoc aliàs perſpicuè confeſſus eſt, immò expreſſa eſt Galeni doctrina, quæ omnem eius diſciplinam penitus euertit, cautius tamen inquit. *At ſi magna fuerit, certè* &c. Quaſi verò ex magna plenitudine etiam ſi nullum ex ea periculum immineat, liceat indicationem venæ ſectionis colligere. Quod quidem aliàs diximus, & nunc cogimur repetere à Galeni doctrina tam eſſe alienum, quàm quod alieniſſimum. Quæſo enim, vt cætera omnia prætermittantur, quæ ſine labore de hac redici poſſent, ſi magna plenitudo generaliter venæ ſectionem indicaret, an non iſtæc Galeni argumentatio aduerſus Empiricos inepta, ac prorſus nulla fuiſſet? Namque illi facilè potuiſſent ad illum reſpondere, vt reſpondet Aduerſarius. Nos quidem fatemur, ô Galene, ſi plenitudo fuerit exigua, nullúmque periculum minetur, ſectionem venæ haud forè neceſſariam: quæ quidem reſponſio Empiricorum doctrinæ eſt apprimè conſentanea, qui non quamlibet plenitudinem, ſtatuebant ſcopum mittendi ſanguinis, ſed eam tantummodo, in qua eſſet ſyndrome multorum ſignorum, quæ certè magnam plenitudinem videntur indicare. At verò longè alia mens Galeno fuerat. Cùm enim ille principale propoſitum habuiſſet, demonſtrare, ſcopum generalis vacuationis, omnibus morbis communem, non alium quàm magnitudinem morbi ab Hippocrate conſtitutum fuiſſe, voluit ante omnia ſcopum Empiricorum in ſyndrome plethorica obſeruatum confutare: qui fortaſſe eo tempore, ſicuti in præſentia quoque euenit, in ore plurimorum verſabatur, magiſque rationi conſentaneus, & ſcopo Hippocratico aduerſarius videbatur. Itaque Galenus generaliter Aduerſus huiuſmodi ſcopum diſputat: qui minimè id conſiderat; vtrùm plenitudo magna ſit, an exigua: ſed vtrùm morbi magnitudinem afferat, nec ne. Namque ſi plenitudo, quantumuis licet perparua, & puſilla morbi magnitudinem afferat in præſentia, vel poſterius ſit allatura, iam ſuggerit indicationem mittendi ſanguinis: cõtra verò ſi plenitudo fuerit quantũuis licet concipere animo, ingens, vaſta, pleno modio, infinita, niſi morbi magnitudinem afferat, vel ſit allatura, vtique nullam ſectionis venæ indicationem præbebit. Hæc præclara, perſpicua, ac frequenter repetita eſt doctrina Hippocrat. & Galeni. Hoc exempla ab Aduerſario poſita luculenter confirmant: in vtraque plenitudine, & vaſorum, & virium, quoniam ambæ putredines, tumores, apoplexias, ruptiones venarum, & alia id genus magna pericula ſolent afferre, venam celeriter incidere oportet. In bono Athletarum habitu, ac ſumma plenitudine, propterea quia periculum imminet, ne vaſa rumpantur, aut calor natiuus ſtranguletur; his de cauſis (inquit Hippocrates) bonum habitum, ac plenitudinem ſtatim ſoluere oportet. Sic alia multa huius diſciplinæ illuſtria exempla non deſunt, ſi quàm facilè, tam neceſſarium foret illa in medium proferre. Sed hæc ſatis.

AD CAPVT V. VI. VII.

Duplex indicatio miſſionis ſanguinis, & purgationis. Verba Galeni, ac noſtræ rationes examinantur.

ADuerſarios capite quinto probandum aſſumit, Ex duobus miſſionem ſanguinis, & purgationem indicari, nixus potiſſimùm verbis Galeni. *Sed ſicuti miſſio ſanguinis, vel propter ipſius abundantiam, vel magnitudinem morbi, ita purgatio*, &c. Quem locum ſequenti capite ſeptimo ſimul cum illo mihi propoſitum eſt accuratè, & diligenter explicare. Eadem porrò hic quoque repetuntur, quæ iam millies repetita ſunt. Vtramque plenitudinem, cum ea magna fuerit, ſanguinis detractionem indicare, tanquam præſidium vacuatiuum. Magnitudinem morbi imminentis, aut incipientis à defluxione ſanguinis idem remedium ſignificare, tamquam auxilium reuulſiuum; & alia id genus, de quibus iam ſatis, ſupérque diximus. Atque vtinam poſterius quoque rurſum non cogamur aliquid dicere.

Capite ſexto ex noſtra diſputatione rationes quædam afferuntur, quæ probant, ſectionem venæ minimè à plenitudine, ſed à morbi magnitudine indicari: quas vnuſquiſque ſuo arbitratu facilè poteſt intelligere.

Quare ſtatim ad ſeptimum caput me confero; in quo ille profitetur, ſe omnia noſtra eſſe impugnaturum, atque euerſurum. Ille igitur hæc habet. [*Porrò in hac explanatione multa quidem egregiè, & eleganter dicunt. Quædam verò nec ad propoſitum contextus Galeni, nec admodum verè dicta videntur mihi.*] Quæ egregiè elegantérque diximus, & quibus ille conſentit, illud vnum eſt, Magnitudinem ipſam ſanguinis miſſionem non indicare, ſiue pro vacuatione, ſiue pro reuulſione, niſi morbus cum illa extiterit magnus, aut immineat, aut incipiat. De qua conſenſione, & confeſſione ſtudioſos compello, & rogo, vt ne illius obliuiſcantur, ſed memoriter reputent, quomodo in quibus ille nobis in præſentia conſentit, in iiſdem aliàs, tum à nobis, tum à ſe ipſo longiſſimè diſſentiat. Quod ſuperius quoque indicauimus. Quæ autem minus egregiè, ac verè dicta videntur ſibi, longè plurima ſunt. Ac primum quidem illud eſt: nos morbi magnitudinem indicatricem ſectionis venæ generaliter accipere: quam ille copia, aut fluxione ſanguinis circumſcribere conſueuit. Aduerſus quam noſtram, vel potius Galeni ſententiam. [*Nunc* (ille inquit) *vrgeo ſic ex Galeni verbis. Cùm hic dicit, ſanguinis miſſionem indicari vel à plenitudine, vel à magnitudine morbi*

aut

aut proponit duo indicantia, aut vnum duntaxat: certum ac indubitatum eſt, duo proponere indicantia, inter ſe plurimum diſtincta: ergò ſola magnitudo non indicat. Hinc indiſſolubilis eſt nodus. Mox, quando Gal. in hoc ipſo contextu mentionem facit magnitudinis contradiſtinctæ à plenitudine, vel eandem intelligit magnitudinem, quam efficit plenitudo, aut diuerſam: ſi eandem intelligit, præter quàm quod non ſunt duo indicantia, ſed vnum, ineptus eſſet loquendi modus, ridiculus, nugatoriúſque; quod admitti nulla ratione poteſt. Ac ſi diuerſam intelligamus, iam quidem, vt duo ſunt indicantia, duæ erunt naturæ indicantes, duo indicata.] Hactenus Aduerſarius.

Cæterùm cum hic Galeni locus, qui eſt lib. 4. *Method. cap.* 6. reuera non leuem obſcuritatem, difficultatem, ac neſcio quàm in Galenica doctrina repugnantiam videatur continere, mihi libet, quod iam recepi me eſſe facturum, paulò diligentius in illius explicatione verſari, atque experiri, an poſſimus omnem obſcuritatem, & difficultatem delere, Galenum ſibi ipſi conciliare, indiſſolubilem hunc nodum diſſoluere, veritatémque adhuc magis illuſtrare, & confirmare. Cum Galenus aduerſus Empiricos apertiſſimis, & firmiſſimis rationibus initio capitis demonſtraſſet ſcopum principem, & proprium mittendi ſanguinis, non eſſe plethoricam eorum ſyndromen, ſed vehementiam morbi ab Hippocrate primùm inuentam: cúmque hic idem ſcopus non ſolùm ſectionis venæ, ſed etiam purgationis indicationem poſſit afferre, illud vtique reliquum fuerat vt ille de purgatione quoque idem nobis demonſtraret. Itaque ſic ſcribit. *Ad eundem modum nec purgatio in ſola vitioſi ſucci abundantia conuenienter ſuſcipitur: ſed ſicuti miſſio ſanguinis, vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem, ita purgatio & propter abundantiam alterius cuiuſquam ſucci, & propter vim morbi adhibetur. Ac de miſſione ſanguinis.* &c. Difficultas, & diſcrepantia in Galeno perſpicua eſt. Etenim ſi res de ſanguinis miſſione, & de purgatione eodem modo ſe habet; ſicuti ex vna parte ſtatutum eſt, miſſionem ſanguinis non propter plenitudinem, ſed propter morbi magnitudinem eſſe adminiſtrandam, ita ex altera ſtatuendum videatur, purgationem quoque non propter abundantiam praui ſucci, ſed propter magnitudinem morbi fore adminiſtrandam: cum tamen Galenus doceat purgationem, & propter abundantiam humoris à ſanguine alieni & propter magnitudinem conuenire. Immò verò; qui paulò ante diſputauit, ac verè demonſtrauit, ſcopum principem ſectionis venæ, minimè redundantiam ſanguinis, ſed morbi vehementiam cum virium robore coniunctam, ſtatuendum eſſe, nunc videtur apertè docere, ac fateri, non ſolùm propter morbi vehementiam, ſed propter redundantiam ſanguinis ſectionem venæ eſſe adhibendam.

Sed nos ſingula diligenter perpendamus. *Ad eundem modum nec purgatio in ſola vitioſi ſucci abundantia conuenienter ſuſcipitur.* Si velimus Galenicæ orationis, & Diſputationis continuationem obſeruare, ac poſteriora prioribus connectere, ſenſus huiuſmodi propoſitionis mihi apertiſſimus videtur. Cum enim aduerſus Empiricos iam ſtatutum fuerit plenitudinem non eſſe ſcopum ſectionis venæ: nunc autem Galenus doceat, ad eundem modum de purgatione rem ſe habere, omnis ratio colligit, cacochymiam pariter ſcopum purgationis non eſſe ſtatuendum. Quam quidem interpretationem ratio adhuc magis confirmat; Ratio inquam aduerſus plenitudinem paulò ante à Galeno adducta: quam certum eſt aduerſus cacochymiam itidem valere. Quandoquidem ex vna parte præſente cacochymia nulla ſæpenumero purgatio adhibetur; & ex altera ſine cacochymia nihilominus purgatio nonnunquam poteſt, ac debet adhiberi. Quare ſi de ſectione venæ, & purgatione res ad eundē modum ſe habet; nec plenitudo ſectionis venæ nec cacochymia ſcopus purgationis ſtatuendus eſt. Itaque iure mihi videor dixiſſe, hanc Galeni ſententiam perſpicuam reddi: In ſola cacochymia, cum qua ſcilicet morbi magnitudo coniuncta non fuerit purgationem conuenienter ſuſcipiendam non eſſe. Verùm altera eſt multò difficilior propoſitio. *Miſſio ſanguinis, vel propter ipſius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem adhibetur.* Quo primum loco ſciat Aduerſarius, particulam disiunctiuam (*vel*) omnino eſſe delendam, quæ in Græcis codicibus Aldino, & Baſilienſi nulla eſt, ſententiamque non ſeparatim, ſed coniunctim legendam eſſe: & propter abundantiam ſanguinis, & propter vehementiam morbi. Græcè, *διὰ τὸ πλῆθος ϗ ἰσχυρὰν νόσον*. Ex quo, vel vnico loco, fortè licet nos permanere in ſententia, hunc hominem Græcè neſcire. Siquidem veriſimile, vel potius neceſſarium videtur, illum facere aliter non potuiſſe, quin difficilem hunc locum in fonte videret: quod omnes (vt puto) eruditi, ac diligentes ſcriptores facere ſolent, ac debent. Qua quidem ratione, ac legitima eiuſmodi verborum lectione legitimum quoque ſententiæ Galenicæ ſenſum eruere potuiſſet, vanitatem ſuæ argumentationis, in qua tantopere ſibi placet, deprehendere, ac ſeipſum inutili hoc labore subleuare. Sed nos rem ſtudioſè perpendamus. *Miſſio ſanguinis* (inquit Galenus) *& propter ipſius abundantiam, & propter morbi magnitudinem adhibetur.* Si Aduerſarij interpretationem audiamus, ſenſus huiuſmodi propoſitionis talis eſt; & in plenitudine, & in magnitudine morbi ſeparatim venam ſecari: adeo vt duo ſcopi, vel vt ille loquitur, duo indicantia ſectionem venæ, alterum plenitudo, alterum magnitudo morbi à Galeno in præſentia ſtatuta fuerint. Qua quidem interpretatione vniuerſa illius argumentatio, & nodus indiſſolubilis, tanquam firmiſſima baſi nititur, & firmatur. Quantum autem hæc doctrina ſit à Galeni mente aliena, eruditi indicanto. Quomodo enim, te magnopere quæſo, hæc ſimul poſſunt conuenire; immò verò, quomodo non hæc *δὶς διὰ πασῶν* inter ſe diſcrepant: plenitudinem ſectionis venæ ſcopum eſſe; quod hic Aduerſarius affirmat: & præſente plenitudine venam non ſecari, abſente plenitudine venam ſecari: quod à Galeno tam apertè, & ſolidè paulò ante demonſtratum eſt? Qualis igitur ſententiæ Galeni verus, & legitimus ſenſus fuerit? Ille certè; quem verba perſpicuè declarant, vniuerſáque eius doctrina confirmat, ac verè demonſtrat; In plethoria nimirum, & in morbi magnitudine ſanguinem eſſe mittendum, hoc eſt quotieſcumque plenitudo cum morbi magnitudine coniuncta eſt. Ad quem eundem modum Galenus quoque docuit; in ſola cacochymia purgationem conuenienter non ſuſcipi; ſed tantummodo quando cum cacochymia morbi magnitudo copulatur.

Qui quidem ſenſus mihi videtur perſpicuus, Galenicæ doctrinę conſentiens, & nullam difficultatem continere. Quod ſi quis quærat adhuc, & miretur, quamobrem Galenus, qui iam certa lege ſanciuit, ſanguinem ſine plenitudine mitti, & cum plenitudine non mitti aliquando, nunc voluerit plenitudinis mentionem facere, ac docere, in illa ſanguinem mittendum eſſe, ia ſciat

Galenum

Galen. hactenus de ſcopo ſectionis venæ ex propria ſententia non egiſſe: quòd ille ſtatim declarat, inquiens. *De ſanguinis miſſione tum in alio libro egimus, tū verò in ſequentibus agemus.* Et rurſum. *Nunc illud volo docere, tum ipſam morbi, ſiue vim, ſiue magnitudinē appellare velis, pro indicatrice quadā ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ ſtatuendam eſſe: tum verò Hippocratem hanc, omnium quos nouimus primùm indicationem inueniſſe.* Cùm igitur Gal. aduerſus Empiricos diſputationem potiſſimū inſtituiſſet, celebrémque eorum plethoricam ſyndromē inexpugnabili ea ratione capugnaſſet, quòd ea præſente Medici, vel ipſi Empirici venam nón incidant, & abſente incidant ſæpenumero: quoniā facilè quis id potuiſſet obiicere, & contendere, ſaltem cum plenitudine interdum venam ſecandam eſſe; huic quaſi tacitæ obiectæ rationi voluit reſpondere, inquiens, in plenitudine quidem venam ſecari aliquando; minimè verò cum ea ſola fuerit, ſed tunc demum ac ſolùm, quotieſcumque cum morbi magnitudine coniungitur Ex hac porrò veriſſima (ni fallimur) ſententiæ Galenicæ interpretatione facile eſt intelligere, quàm tota Aduerſarij argumentatio ſua ſponte corruat: quippe quæ ruinoſo, ac præcipitante, aut veriùs nullo prorſus fundamento nitatur. Cùm igitur quærit, vtrùm vnum, an duo indicantia proponantur à Galeno; reſpondétque certum, & indubitatum eſſe illum duo proponere inter ſe plurimum diſtincta, Galenus huiuſmodi interrogationem, & reſponſionem irridet: quem certum, & indubitatum eſt, duo quidem proponere indicantia, ſed ſimul coniuncta: quorum alterum, ad plenitudinem, alterum ad morbi magnitudinem referendum eſt. Sed nolo de iis longiùs laborare. Qui cenſeo totum iſtud caput, & quæcumque eo continentur, tanquam abſurdiſſima, & à Galeni mente alieniſſima, vna litura emendanda & delenda eſſe.

AD CAPVT VIII.

Galenici loci interpretatio lib. de Sang. Miſſ. cap. IX.

ETſi verò nihil hoc præſenti capite continetur, quod non ſuperiùs quoque, nec ſemel ab Aduerſario traditum, & à nobis refutatum fuerit, nihilominus nonnulla occurrunt maxima notatione digna, à quorum noua repetitione nequeo me continere. Qui ſtudioſos quæſo, & rogo, vt mecum huiuſmodi moleſtiam deuorent: quæ tamen confido nec iucunda, nec inutilia futura. Siquidem pulchrum aiunt (inquit Plato) ea, quæ pulchra ſunt iterum, ac tertiò, tum dicere, tum conſiderare. Aduerſarius explicat vrus locum inſignem Galeni hæc habet. [*Magnam habere vim illa ad veritatis explicationē oſtendam, quæ à Galeno dicuntur ibi, ſummúmq; complecti artificium, quod ab aliis, qui ſe ſe oculatiſſimos profitentur, non fuit adnimaduerſum. Quale id ſit tyrones docere aggredior. Statim Galenus in capitis eius ingreſſu ſcoporum ſummam affert, dum hoc modo loquitur. Rectè ergo admonemur in iis, quæ adiecta ſunt libro de Rat. Vict. Acut. ſanguinem mittere, ſi morbus ſit magnus, & æger florenti ſit ætate, ac robur adſit.*] O fortunatos tyrones, quibus magiſtrum tam Lynceum contingit habere, qui ea videat, quæ oculatiſſimi homines nequeunt videre. Sed nos recondita hæc inuenta perpendamus. Primùm quidem Aduerſarius eiuſmodi ſententiam lib. 4. de Ratione Vict. calumniatur, tanquam ſpuriam, & magno Hipp. indignam. De quo Lynceo inuento, cui duæ integræ Diſputationes proximo poſteriore quarto libro dicatæ ſunt, nos quoque eo opportuniore loco ſermonem habebimus: vt nos pariter non cogamur cum illo toties repetitæ Diſputationis crimen ſubire. Deinde poſitis Galeni verbis, perperámque Menodotus in ſola ſyndrome pletorica ſeruari venæ ſectionem inquit. Sic ſcribit. [*Si Menodotus Empiricus dixiſſet venæ ſectionem interdum indicari ab ipſa plenitudine, rectè dixiſſet, nec habuiſſet Galenus occaſionem aliquampiam reprehendi, &c.*] Hoc ſecundum Aduerſarium eſt Lynceum inuentum; ad quod nulla iridem acies ingenij potuit hactenus penetrare. Ac ſanè ego meam cæcitatem non inuitus fateor, qui neque hanc tantam oblatam lucem aſpicere poſſim; cum altera ex parte cenſeam, ac mihi videar videre Aduerſarium claræ alioqui luci maximas tenebras offundere. Etenim Galenus, neque hic, neque alio loco Menodotum arguit, quòd ille voluerit ſemper in ſyndrome plethorica ſanguinem mittendum eſſe: quin immò apertè fatetur ipſos quoque Empiricos illius diſcipulos quandoque in plenitudine ſanguinis miſſionem prætermittere. Sed Galenus Menodotum, & hic, & frequenter arguit, quod in ſola ſyndrome plethorica voluerit venæ ſectionem ſeruari. Itaque ſi Menodotus dixiſſet non in ſola plenitudine, ſed in ea, quæ morbi magnitudinem, aut facere poteſt, venæ ſectionem obſeruari, ille vtique vera dixiſſet, neque Galenus illius arguendi aliquam occaſionem habuiſſet. Id quod ipſe quoque Aduerſarius apertiſſimè fatetur, inquiens. [*Plenitudo, vt plenitudo eſt, non indicat vacuationem per miſſionem ſanguinis, ſed euacuationem in genere, vt dicebamus ex Hippocrate, atque ex ipſius rei natura in ſuperioribus diſcurſibus. At ſolum indicat quatenus magna; quatenus eius cauſa morbus ſit, aut imminet magnus.* In qua quidem veriſſima, & Galenica doctrina ſi ille tandem velit acquieſcere, iam nulla inter nos de hac re controuerſia amplius ſuperſit. Verùm Aduerſarius duabus ſellis ſedere libenter conſueuit Quod ſtatim palam fiet. [*Proſequamur* (ille inquit) *explanationem.*] Contra enim prorſus ſanguinis mittendi ſcopi primum in ſe plenitudinem non comprehendunt, ſed ficnetis (vt ſic dicam) paſſionis ſuſpicionem: nam ſi eam magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus: Si lector, ipſe velim vim plenitudinis ad indicandam venæ ſectionem explicare, etiamſi mihi liceat multa vti oratione, equidem nec magis perſpicuè, nec magis efficienter conſiderem me id poſſe præſtare, quàm iis paucis verbis præſtiterit Galenus; Scopos, nimirum mittendi ſanguinis plenitudinem in ſe primò non complecti, ſed ſuſpicionem eius mali, quod adhuc fit. Quandoquidem ſi ſuſpicemur morbum fore magnum, vtique iam licet ſanguinem mittere, etiamſi nulla plenitudinis nota adeſt. Quòd ſi contra, plenitudo morbum magnum nec facit, nec factura eſt, iam nullam ſectionis venæ indicationem poteſt afferre. Sed tertium Aduerſarij Lynceum inuentum, & quidem purgatis auribus audiamus. Sed fictitis, vt ſic dicam paſſionis ſuſpicionem: nam ſi eam magnam fore apparet, omnem ſanguinem mittemus. [*En igitur* (ille inquit) *magnam plenitudinem omnino indicare ſanguinis miſſionem.*] Magnum, & memorabile inuentum, quod certe neque ipſe Argus poſſit introſpicere.

Galenus de magnitudine morbi verba facit. Aduerſarius hæc verba de magna plenitudine interpretatur? Dij boni, ſiccine licet authores interpretari, res perſpicuè falſas tyrones docere, omnem

ſanam

ſanam doctrinam contaminare, atque euertere? Ac ſanè ſenſus eiuſmodi verborum Galeni eſt apertior, quàm vt indigeat aliqua explicatione. Cùm enim Galenus in præſentia duo potiſſimum probanda ſuſcepiſſet: alterum, tres tantummodo eſſe ſcopos principes ſectionis venæ: alterum, Menodotum cum ſua ſyndrome plethorica malè ſentire; aduerſus hunc docet, tres illos ſcopos plenitudinem in ſe primò non complecti, ſed ſuſpicionem morbi, qui adhuc fit, & imminet. Nam ſi magnum (inquit) morbum, ſiue malum fore appareat, ſanguinem mittemus, etiamſi nulla plenitudinis nota adſit; ætatem, regionem, & vires conſiderantes; quæ ſola etiam in iis, quæ de Victu Acut. diſputantur, dicta eſſe conſpiciuntur. Alioqui ſi verba ad magnam plenitudinem cum Aduerſario referantur, nimis apertum eſt, quàm ſententia inepta, & à ſe ipſa diſſentiens euadat; ac legitimus totius diſputationis ſenſus corrumpatur. Quæſo enim, vt cætera prætermittantur, quomodo non hæc inepta, abſurda, & contradictoria cenſenda ſunt: ſi magnam plenitudinem fore appareat, ſanguinem mittemus, etiamſi nulla plenitudinis nota eſt? Dictio Græca fortè apertius, quàm Latina hanc apertiſſimam veritatem confirmat, quæ talis eſt. τοὐναντίον γὰρ ἅπαν οἱ σκοποὶ τῆς φλεβοτομίας οὐ περιλαμβάνουσι πρῶτον ἐν αὐτοῖς τὸ πλῆθος, ἀλλὰ τὴν ὑποψίαν τοῦ γενησομένου πάθους: εἰ γὰρ ἰσχυρὸν φαίνοιτο μέγα φλεβοτομήσομεν πάντως, κἂν μηδὲν ᾖ τῶν τοῦ πλήθους γνωρισμάτων, ἡλικίαν σκοποῦντες καὶ χώραν, καὶ δύναμιν; ἃ μόνα φαίνεται κἀν τοῖς προγεγραμμένοις τῶν περὶ διαίτης εἰρημένα. Quæ ad verbum Latinè ſunt huiuſmodi. *E contrario namque omnino ſcopi venæ ſectionis non comprehendunt primum in ſe plenitudinem, ſed ſuſpicionem paſſionis e qua fiat: etenim ſi hæc videatur magna eſſe futura, venam ſecabimus omnino, quamuis nulla adſint plenitudinis notæ, inſpicientes ætatem & regionem, & facultatem: quæ ſola videntur in propoſitis verbis libri de Victus ratione enarrata.* Sed ad poſtremum myſterium accedamus, quod nihilo minus quàm priora ſingulari animaduerſione dignum eſt. Galenus. *Cæterum primi, principéſque mittendi ſanguinis ſcopi ſunt, morbi magnitudo, & laborantis robur: & hanc primam dicendum eſt ſyndromen, non plethoricam, in qua ſeruata ſit ſanguinis miſſio: illa enim, & hæc comprehenditur, vt pote quæ morbi magnitudinem augeat.* Aduerſarius. [*Dilucidiſſima dubio omni procul doctrina eſt, conuenienſque totius diſputationis concluſio. Duo ſunt inquit primi; principéſque ſcopi hoc indicantes remedium, magnitudo morbi, & virium robur. Verùm quia poſſet dubitare quiſpiam, quam intelligat ille magnitudinem morbi, noluit id explicare diligenter, cum ait. In illa enim & hæc comprehenditur. Eam inquit audio magnitudinem morbi, quæ ſub ſe ipſam complectitur plenitudinem.*] Id verò prodigium eſt admirandum, Aduerſarium ex vna parte tam eſſe lynceum, vt ea videat, quæ nec oculatiſſimi poſſunt videre: ex altera autem tam eſſe omni lumine orbatum, vt ea nequeat videre, quæ vel cæci poſſunt perſpicere. Itaque etſi ille fatetur, hanc Galeni doctrinam eſſe dilucidiſſimam, ea nihilominus tam dilucida, & perſpicua eſſe non potuit, vt ab ipſo potuerit intelligi. Sed ad rem. Cum Galenus propoſitum haberet, ſicuti diximus, docendi, ac ſtabiliendi doctrinam de tribus principibus ſcopis, ac potiſſimum de morbi magnitudine, ſciretque eam non ſine ſingulari ſolertia, ac mentis indagatione ab Hipp primùm fuiſſe inuentam, poſteriores autem medicos propè omnes illam negligere, prætermittere, impugnare; quod Aduerſarius quoque, & multi cum Aduerſario hoc tempore faciunt, non grauatus eſt, nec rurſum paulò poſt grauabitur eandem ſententiam, immò verò eadem verba repetere, illius nimirum præcepti memor, quod aliàs nobis tradidit, Quæ in arte vtilia ſunt, iterum, tertiò, ac ſæpius eſſe repetenda. Itaque inquit. *Primi autem, ac maximè proprij ſanguinis mittendi ſcopi ſunt, morbi magnitudo, & robur laborantis.* Inter me, & aduerſarius conuenit, magnitudinem morbi vnum eſſe principem ſcopum ſectionis venæ. Qualis autem iſtæc ſit morbi magnitudo, inter nos diſſenſio eſt. Quæſo autem hic eſtò lector. Ego (inquit Galenus Aduerſario interprete) eam audio magnitudinem morbi, quæ ſub ſe ipſam complectitur plenitudinem. Egregiè. Ego verò (inquit Galenus ſe ipſo interprete, & explicatore) aio, & conſtanter affirmo, primos, ac maximè proprios mittendi ſanguinis ſcopos eſſe, magnitudinem morbi, & robur laborantis. Hanc primam eſſe ſyndromen, minimè plethoricam, in qua ſanguinis miſſio obſeruata ſit. In priore ſyndrome magnitudinis morbi, & roboris virium, poſteriorem quoque plenitudinis contineri, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat. Quid Aduerſarius potuit ſententiæ Galenicæ, magis contrarium, magiſque diſſentaneum adducere? Galenus ſyndromen plethoricam tam frequenter, tam apertè, tam efficienter oppugnat, & expugnat; verámque ſyndromen, magnitudinem morbi, robúrque ægroti nos docet, atque inquit in hac plenitudinem contineri, non ſimpliciter, non generaliter, non abſolutè, vt aiunt, ſed hac certiſſima adhibita conditione, & exceptione, vt morbi magnitudinem in præſentia faciat aut poſterius facere poſſit: quod ſequentia verba adhuc manifeſtiſſimè confirmant, quæ ſunt huiuſmodi. Non ſolùm, n. vbi iam adſit morbus magnus, ſanguinis mittendi occaſio eſt, ſed & vbi futurum eſſe ſuſcipio eſt. Contra autem Aduerſarius ſimpliciter, generaliter, abſolutè, vult ſyndromen plethoricam Empiricorum in Galenica ſyndrome contineri. Qui cum viderit poſtrema Gal. verba nimis apertè vniuerſum illius commentum euertere, conſultò illa diſſimulauit, inquiens. *In illa enim & hæc comprehenditur:* cætera ſilentio inuoluens: vt quæ morbi magnitudinem adaugeat: quibus nullam ſuæ ſententiæ congruentem interpretationem potuit comminiſci. Adeo vt fortè ex hoc vno loco ſtudioſi ſatis poſſint intelligere, quam Aduerſario fidem in explicatione Galeni, ac rebus medicis oporteat adhibere.

Cæterum etſi mihi ſtatutũ fuerat in iis acquieſcere, quæ hactenus dicta ſunt, tamen poſtremò capite nõnulla occurrunt, quæ nullo modo videntur prætermittenda. Ea verò ſunt. [*Quando autẽ Gal. in poſtrema eius capitis parte dicit*; Tria ſunt quæ continent dignotionem mittendi ſanguinis, morbi magnitudo, aut præſens, aut imminens, ætas vigẽs, & virium robur; *non intelligit tres exiſtere ſcopos verè primos, ac principes, vt ſuprà dixerat: ſed quòd tria ſunt, ex quibus medicus in cognitionẽ venit mittendũ eſſe ſanguinem; in quorũ numero, &c.*] Ego autẽ quid dicã neſcio: qui libenter fateor meam inſcitiã, nec me potuiſſe huiuſmodi verborum myſteriũ, nobúmq; lynceũ inuentum penetrare. Quandoquidẽ ego putabam hæc ſingula: Tria ſunt, quæ cõtinent dignotionem mittendi ſanguinis. Tres ſunt ſcopi primi, ac principes mittendi ſanguinis. Tria ſunt, ex quibus medicus in cognitionem venit mittendum eſſe ſanguinem, vnam, atque eandem rem ſignificare. Quid enim quæſo aliud quærimus, quam vt certò ſciamus, & intelligamus, quando liceat aut non liceat ſanguinem mittere? Nimis eſt notum, quàm Plato, Gal. & præclariſſimi omnes viri ſuper vacaneam nominum inquiſitionem

& diſputationem abhorreant. Mihi igitur, ac meo hebetiori ingenio id eſto ſatis: Quotieſcumque hæc tria ſimul conueniunt, morbi magnitudo, ætas vigens, robur virium, ex doctrina Hippoc. & Gal. venam perpetuò eſſe incidendam. Aduerſarius autem, cui excellentis cuiuſdam ingenij vis ſingularis à natura tributa eſt, nouas comminiſcatur loquendi formas, tempúſque, rem adeo caram, in hiſce cogitationibus, propè dixi futilibus nugis conterat ſuo arbitratu. Quod ſi nobis quoque liceat Galeni verba interpretari, ille certè non ſine artificio ita locutus videtur: ὅτι τρία τὰ συνέχοντα τὴν διάγνωσιν. Latinè, *vt tria ſint dignotionem continentia*, vt indicaret has eſſe conditiones continentes, eo modo, quo cauſas continentes medici appellare conſueuerunt, quibus dignotio, ac determinatio mittendi ſanguinis poſſit haberi. Sicuti enim continentes cauſæ id habent, vt iis omnibus poſitis res effecta ponatur, vna ſublata tollatur, quod tum in aliis, tum præcipuè in pulſu Galenus declarauit; ita hæ tres conditiones, ſi præſentes fuerint omnes, neceſſariò inferunt venam ſecandam eſſe, ſi vna ex iis deficiat, venæ ſecandæ occaſio tollitur. Hæc igitur Galenus iure vocauit συνέχοντα, quaſi hoc vno verbo voluerit totam Aduerſarij ſententiam demoliri. Nec mirum ſit, has non dici cauſas continentes, αἴτια συνέχοντα; quia reuera in his vera cauſæ ratio non apparet: immò verò, ſi vna concurrit, vt indicans, altera ſuccedit, vt permittens, ac non prohibens, & potius eius, ſine quo non, vt loquuntur, quam veræ cauſæ rationem habet. Quæ res alibi à nobis declarata non eſt hic fuſiùs enarranda: qui ſatis habuimus demonſtrare has, ſiue conditiones, ſiue indicationes, ſiue ſcopos, ſiue aliter velimus nominare; continentium rationem habere. Et hanc fuiſſe mentem Galeni id etiam in primis docet; quòd ſi hanc rem ſecus intelligas, inepta admodum locutio eſt. Quid enim hoc ſibi vult, continere dignotionem: συνέχειν τὴν διάγνωσιν? Quomodo huiuſmodi ſcopi continent dignotionem? Sed ad Aduerſarium redeo. Quid ille in eo laborat, vt probet, Gal. non intelligere, [*tres exiſtere ſcopos verè primos, ac principes?*] An non Gal. tot locis, quot certè à nemine poſſunt ignorari, ſcriptum reliquit, Tres eſſe primos, ac principes mittendi ſanguinis ſcopos: Magnitudinem morbi, Vigentem ætatem, Robur virium: Quod ego quoque cogor cum illo millies repetere. Certè, vt cæteri omnes prætermittantur, hoc ipſo 9. capite quater, & quinquies id pronunciare non eſt veritus: quòd vnuſquiſque ſua ſponte, ſine inutili noſtra repetitione, facilè poteſt animaduertere. Vt certè nequeam ſatis mirari quomodo Aduerſarius tam lynceus, ſaltem huiuſmodi locus ante illius oculos poſitos, non potuerit videre niſi forte eorum natura eſt, vt à ſolis cæcis videantur.

AD CAPVT IX.

An venæ ſectio remedium ſit præſeruatiuum; an curatiuum.

EQuidem iure potuiſſem totum hoc caput ſilentio præterire, partim quòd illud quæſtionem tractet ex iis, quas Galenus logicas appellat, quæ nihil ad artem conferunt; partim quòd in noſtra Diſputatione de ea plura diximus cum Galeno, quæ ſatis cuique eſſe poſſent; nec certè hic inutiliter ſunt repetenda. Verùm cum Aduerſarius in mentionem Montani Vincentini inciderit, illúmque non ſolùm ſine aliquo honore nominet; ſed etiam iniuria afficiat, equidem nequiui me continere, quin hominis omnium magnarum artium, præſertim rei medicæ peritiſſimi, ac præceptoris amātiſſimi exiſtimationem defenderem, & calumniam vindicarem. Aduerſarij verba hæc ſunt. [*Dico ferè nullam venæ ſectionem in quocūque morbo ſolùm eſſe curatiuam, ſed quandam verè præſeruatiuam, quandā verè mixtam. Id perſuadeo hac ratione vſus. Venæ ſectio in ſynocho putrida ex Gal. eſt dumtaxat præſeruatiua, vt colligitur ex eius verbis* lib. XI. de Meth. Med. cap. 14. *Etenim exercetur illa ſolum propter plenitudinem, non propter febrem, quia febris, vt febris, non poſtulat vacuantia, ſed in contrarium ſtatum alterantia. Dicet hic fortaſſe Montanus Vicentinus adhiberi ipſam pro ſanatione morbi: nam febrē putridam dicet exiſtere morbum à materia; & ideo materiam illam putrefactam eſſe morbum, putridámque febrem. Ego nolo nunc diſputare contra hunc hominem; an materia putrida ſit febris putrida, vt ille ſentit lib. 2. &c. ſed in præſentia volo admittere, &c.*] Nos pauca quædam, ſed quàm breuiſſimè fieri poteſt, perpendamus. Namque omnia & hic, & vbique perſequi, neque otij noſtri, neque patientiæ fuit. Cum equidem ſemel, iterum, ac tertiò totum illud cap. 14. diligenter legiſſem, fateor me non potuiſſe intelligere; vnde colligi ex Galeno poſſit, ſectionem venæ in ſynocho putrida eſſe duntaxat præſeruatiuam. Quod autem in hac febre ſanguis mittatur ſolùm propter plenitudinem, minimè propter febrem, id puto tam eſſe falſum, & à Gal. doctrina alienum, quam quod falſiſſimum & alieniſſimum. Immò verò ſi plenitudo hoc remedium indicat, id alia nulla ratione poteſt efficere, quàm propter febrem. Quandoquidem niſi plenitudo febrem, & quidem inſignem, adeóque magnum morbum excitaſſet, nullo modo ſectionē venæ potuiſſet indicare. Quid verò? Indicationes curandi, an non conſentientibus omnibus rationibus medicis ex morbo cum primis accipiuntur? An non Gal. tradens rationem curandi febres putridas, varióſque fontes proponens, ex quibus indicationes eliciuntur, ante cæteros omnes, fontem, & indicationem febris nobis ante oculos ponit? Nec profectò aduerſaria ratio quicquam valet. Etſi enim febris, quatenus febris, apud Gal. proprium remedium refrigeratio eſt; ſi quis audeat negare, ſectionem venæ poſſe quoque febricitantia corpora refrigerare, in contrarium ſtatum deducere, & febrem iuuare, is Galenum audiat aſſeuerantem in febribus ſynochis, & ardentiſſimis, ſanguine miſſo vſque ad animi deliquium totius corporis habitum ſtatim refrigerari, corpora in contrarium ſtatum deduci, & quædam integrè ſanitati prorſus reſtitui. Niſi fortè quis ſciolus id velit obiicere, ſectionem quidem venæ calorem præter naturam remittere, ac febrem iuuare; ſed iſtud fieri per accidens. Quam obiectam rationem Galenus irridet, inquiens, *Vulgo medicorum eſſe ignotum, & quòd febrium omnium, quatenus febres ſunt, proprium remedium, refrigeratio ſit, ſiue ea talis actu ſit, ſiue poteſtate; & quod alia multa ex accidenti refrigerantia febrium ſint remedia.* Multa enim ſunt, quæ phyſicè conſiderata, per accidens aliquid facere, aut pati ſolent; quæ tamen apud artificem, qualis eſt medicus, per ſe conſiderantur, cum ad eius finem conſequendum conferant. Illud verò demum mihi liceat addere; ſectionem venæ præter remiſſionem, & moderationem caloris febrilis, alia quoque ſingularia afferre beneficia; in primis autem cæteris præſidiis ad tollendas obſtructiones, & curandam febrem accommodatis viam parare, quæ Galenus docet ante huiuſmodi generalem vacuationem importunè, ac perniciosè adhiberi. Sed ad meum Montanum venio: Qui fatebitur quidem

9. Meth. c. 5.

1. Aph. c. 23.

10. Meth. c. 10.

quidem ſectionem venæ in ſynocho putrida adhiberi pro curatione morbi : qui probè nouit, ex morbo non modo indicationem ſectionis venæ, ſed etiam multa alias ſuppeditari. Sed ille nunquam dixit, nec cogitauit, nec ſomniauit, febrem putridam eſſe morbum à materia, licet morbus ſit cum cauſa, adeóque illam materiam putrefactam morbum, putridámque febrem exiſtere. Vt certè nequeam ſatis mirari, quomodo Aduerſarius huic tanto viro, hanc tantam maculam inurere voluerit. Montanus diſputabat eo loci, vtrùm humores in tumoribus præter naturam contenti, ſint de eſſentia, & pars morbi, an morbi continens cauſa ſtatuendi ſint. Quam diſputationem ſingulari modeſtia proponit iis verbis. *Ac res valde eſt ambigua, & controuerſa, cum præclaros habeat vtriuſque ſententiæ defenſores, & validiſſima argumenta, quæ in vtramque partem animum meum impellunt; ita vt certè nihil audeam conſtituere. Dicam tamen quod ſentiam, excitaturus potius meliora ingenia ad veritatem patefaciendam.* &c. Vtrinque igitur propoſitis argumentis, magiſque cum ſummo medico Leoniceno ad eorum opinionem inclinans, qui cenſent humores in tumoribus contentos non morbi cauſam, ſed ipſum morbum ſtatuendos eſſe, ac tandem poſtremo capite 37. in febris mentionem incidens, hæc ſcribit. *Si quæras, an febris ſit intemperies, cum materia, an ſine materia, procul dubio dicendum eſt, eſſe intemperiem ſine materia: propterea reprehendimus Arabas, & alios, qui febrem putridam pro exemplo adducebant intemperaturæ cum materia: nam quando intemperies eſt cum materia, ita inhæret illi materia, vt ſine illa eſſe non poſſit. At febris etiam putrida ſine materia eſſe poteſt.* Ex quibus paucis verbis facile eſt intelligere, Aduerſarium ſcripta Montani aut non legiſſe, aut oſcitantem, forte ſtertentem legiſſe, aut, quod nullo modo poſſum adduci, vt credam, ſcientem, & volentem illi huiuſmodi iniuriam impoſuiſſe. Verùm Montani gloria apud omnes verè eruditos, verior, grauior, & ſolidior eſt, quàm vt ab aliquo poſſit aliquo modo minui, vel obſcurari. Moriar, ni ſtudioſi plus emolumenti, & vtilitatis ex vna, vel altera Montani pagina ſint percepturi, quàm ex totis vaſtiſſimis commentariis; quorum ſcriptione, atque editione ſophiſtæ, & nouatores hoc tempore nunquam ſatiantur.

AD CAPVT X.

De futura, & particulari plenitudine : locus Hipp. 2. Acut. 10. & 11.

CVm Aduerſarij trium principum ſcoporum miſſionis ſanguinis, in primis verò magnitudinis morbi, fortè animaduertiſſent Gal. nimis apertè aduerſus ſcopum plenitudinis pugnare, ac nimis efficienter illum expugnare, neſcio quod effugium futuræ, & particularis plenitudinis commenti ſunt; De quibus cum aliàs à nobis diſputatum ſit; Aduerſariúſque profiteatur ſingulas noſtras rationes ſe eſſe refutaturum, atque euerſurum, cogimur etiam nunc ſermonem habere illáſque confirmare, & illuſtrare. Equidem aduerſus futuram plenitudinem id primum obiiciebam quòd nunquam Galen. illius meminiſſet : quod à ſingulari tanti viri diligentia, ac ſolertia alieniſſimum videtur : quem certum eſt, non ſolùm vtilia, ac neceſſaria, ſed etiam, in quo multi illum calumniantur, inutilia, & ſuperuacanea ſæpenumerò non prætermiſiſſe. Quæ quidem obiecta ratio eò redditur validior quòd ille non ſolùm præſentis magnitudinis morbi, ſed etiam futuri; neque ſolùm roboris vitium hoc præſenti tempore, ſed etiam futuro mentionem fecerit. Qui ſeriò voluit nos admonere, nec ſemel repetere, morbum non ſolùm hodie magnum, ſed etiam poſteriore die futurum magnum venæ ſectionem indicare; itidémque roboris virium non ſolùm nunc; ſed etiam in poſterum rationem ſedulò habendam eſſe. Aduerſarius ad hæc, [*Primum* (inquit) *admiror, cum ita interrogant; quis non iniuria miretur, cur Gal. nihil omnino de huiuſmodi futura plenitudine ſcriptum reliquerit? Quaſi id verum eſſe nequeat, quod non ſit expreſſis verbis à Gal. dictum. Quænam cauſa tantæ admirationis? Dicent fortaſſis oportuiſſe hominem diligentiſſimum illius meminiſſe. Sed quid ſi hac in re paulò negligentiorem fuiſſe diceremus? Eritne id eiuſcemodi, vt non contigerit etiam aliquando aliis grauiſſimis auctoribus?*] Vide, lector, quàm Aduerſarius faueat noſtro Galeno, quem alioqui interdum ita commendat, atque extollit, vt profiteatur ſe nihil eſſe aſſerturum quod ab illius ſententia ſit alienum. Qui nunc hominem negligentiæ crimine notare non eſt veritus, aliàs inconſtantiæ, abſurditatis, diſcrepantiæ, falſitatiſque, aliáque id genus turpia crimina illi inurere, atque apertum bellum indicere non verebitur. Verùm hoc & Aduerſarij, & omnium Nouatorum inſtitutum, qui tam facilè, tam libenter, tam promptè ab Ariſtotele, Galeno, cæteriſque veteribus optimis ac maximis ducibus deſciſcere non erubeſcunt, nolo in præſentia longius inſectari. Qui id ſatis habeo, cum mea ſit ſententia, futuram plenitudinem nullum hic locum habere; Galenum eius nullibi mentionem feciſſe; non potuiſſe Aduerſarium commodè reſpondere, niſi id cum Gal. contemptu faceret, niſi eius authoritati derogaret. Aduerſ. [*At verò, ſi ita illi cenſent, cur quæſo ſcribunt humores turgentes ſanguinis miſſionem poſtulare; quod nedum à Galeno non eſt dictum, ſed neque à nemine conceſſum, immò verò, vt liberè dicam, neque ſomniatum? Cur pariter dixerunt magnitudinem morbi ſpecie, aut genere diuerſam præbere indicationem à morbo, ab eius cauſa, ab eius natura?*] Accuſatio acris, & acerba. Cum equidem doceo, magnitudinem morbi longè diuerſam à morbo, atque illius cauſa indicationem afferre; verùm doctrina ſit ad veritatem, ac mentem Hippocratis, & Galeni, progreſſione vniuerſæ Diſputationis declarabitur. Quod autem Aduerſarius de miſſione ſanguinis turgentibus humoribus tam aſperè nos criminatur, mihi liceat paulò diligentiùs examinare. Cum in mea Diſputatione, de Purgat. Princ. Morborum in quendam Hippocratis, & Galeni locum incidiſſem, qui præ cæteris omnibus multum difficultatis, ac laboris in ſe continere mihi perpetuò viſus eſt, neque aliter ſcirem à pluribus, ac maximis nodis, anguſtiiſque me explicare, veni in eam opinionem; Turgentibus humoribus venam ſecari poſſe aliquando, aſſeuerans nihilominus cum Galeno, remedium quidem eſſe minùs vtile, ſed multò ſecurius purgatione. Quod profectò cum non ignorarem prima fronte pleróſque omnes ſingulare paradoxum eſſe exiſtimaturos, modeſtè admodum, atque ingenuè volui diſputare : qui demum ſic ſcribo. Nos pro noſtro ingenio ita hoſce difficiles Hippoc. & Galeni locos interpretamur. Si quis verò aliter doceat, ſummos medicos, neque rationi, neque experientiæ, neque ſibi ipſis repugnantia ſcripſiſſe, illud nobis tam gratum fuerit quam quod gratiſſimum : qui id potiſſimum ſemper agimus, vt veritas eluceſcat; in cuius inueſtigatione libenter abs quouis beneficium accipimus. Quoniã verò in eo loco iam diximus quæcunque pro noſtra ſententia nobis in mentem venerunt, neque

propoſitum habemus, more aduerſario ſimiliter actum agere, atque hac ratione chartas implere, ſtudioſi poterunt ſuo arbitratu noſtras de hac re *Tom. 1. Epiſt. lib. 1. princ.* cogitationes intelligere, ac iudicium facere, an Aduerſarius iure tam acriter nos criminatus fuerit.

Cæterum cum ille peculiari quadam Epiſtola id agat cum medico quodam Romano, vt hunc ipſum Hipp. & Gal. locum diffuſè interpretetur, ac profiteatur contra Gal. & aliorum ferè omnium medicorum ſententiam, ſe veram illius intelligentiam, atque explicationem inueniſſe, quæſo à te, lector, vt mihi liceat à principali inſtituto parumper digredi, atque huiuſmodi illius ſubtiles cogitationes perpendere, vt ſi fieri poteſt, nos quoque tam reconditam diſciplinam poſſimus aſſequi. Illud verò primum non ſolùm notatione, ſed etiam admiratione dignum videtur; quomodo Aduerſarius, qui Gal. tot, & quidem magnificentiſſimis titulis compellare, & honeſtare nunquam deſinit: qui profitetur ſe nihil velle docere, quod ab illius doctrina ſit alienum: qui omnium nouatorum, & qui à Gal. deficiunt, ſe hoſtem acerrimum facit; nihilominus in præſentia ſui ipſius obligatus non vereatur à Gal. deficere, ad nouatores, & Gal. hoſtes confugere, eáque docere, quæ non modo à Gal. mente ſunt aliena, ſed etiá quæ planè illi aduerſantur, atque æter- *Cap. 2.* nas maculas inurere poſſunt. Sed ad rem. Controuerſus locus eſt text. Hipp. x. & xj. lib. 2. de Rat. Vict. In cuius explanatione Aduerſarius primùm Gal. interpretationem colligit, & explicat: quàm licet cuique apud ipſum legiſſe. Mox illam aggreditur, conatúrque, & quidem multis machinis im- *Cap. 3.* pugnare, atque euertere. Qui hæc habet. [*Verum ne facilè Galeni explanationem admittam, multa quidem in cauſa ſunt. Primum illud facit apud me dubitationem maximam, quod verba Hippocratis eius contrarium ſignificare videntur mihi, quod à Galeno, & paſſim ab omnibus medicis ponitur: nempe in omni pleuritidine ſanguinem mitti debere, ſiue ſupernas, ſiue infernas coſtas inuaſerit. Rationem ex eius verbis in hunc modum propono. Sanguis quidem tunc mittendus eſt, quando ſignificationem præbeat dolor ad clauiculam, aut grauitas in brachio, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſuerſum. Atqui omnis pleuritis ſignificationem eiuſcemodi præbet, ergò, &c.*] Ille hactenus, qui deinceps more boni logici, & maiorem, & minorem præmiſſas, vt aiunt, ex Hippocrate nititur confirmare. Secundò Aduerſarius ſupponit, nullam pleuritidem eſſe affectum infra ſeptum tranſuerſum: quandoquidem infra ſeptum nulla adeſt membrana ſuccingens coſtas; ex qua ſuppoſitione huiuſmodi conficit argumentum. [*Hippocrates iubet purgandum in affectu conſiſtente infra ſeptum tranſuerſum: at hic affectus certè quidem non eſt pleuritis, ergò, &c.*] Quæ ſanè ratio adeo efficax videtur ſibi, & certa, vt non habeat quid reſpondeat. Qui demum colligit, Hipp. ea parte, qua de purgatione loquitur, non amplius loqui de pleuritide, aut dolore afficiente ſeptum ipſum, vel partes ſupra ſeptum; ſed ſolum de affectu partium infra ſeptum tranſuerſum. Tertiò Aduerſarius argumentatur. [*Inflammatione exiſtente in ſepto tranſuerſo, aut in partibus ſupra ſeptum, aut in iecinore, aut liene, à principio conuenit ſectio venæ, non purgatio de ſententia Hippocratis, ergò illius verba de purgatione, dolore deſcendente ad hypochondria nequeunt de inflammatione ſepti, vel membranæ ſuccingentis oſſa* *4. Rat. Vict. 21.* *coſtas inferiores accommodari.*] Qui maiorem probat ex verbis Hippocratis. *Inflammata hypochondria*, &c. quæ quidem videntur illi tam apertè ſignificare, in pleuritide inferiores coſtas occupante venæ ſectionem prius conuenire, & hanc aliquando ſolam adminiſtrandam, aliquando verò ſimul cum purgatione, vt plurimum admiretur, quomodo Gal. aliam explanationem excogitauerit. Quartò arguit hunc in modum. [*In principio* *Text. 22.* *inflammationum pro vacuatione humoris in phlegmone contenti non conuenit medicamentum purgans, quod per Hippocratem probat; ſed pleuritis occupans coſtas inferiores eſt inflammatio, ergò, &c.*] Quintò [*Remedium purgationis ab Hippocrate proponitur, vt ſtatim dolorem ſoluat. Atqui dolorem pleuritidis ſtatim ſanare non poteſt purgatio, ergò, &c.*] Sextò. [*Dolor pleuriticus mitigatur ſtatim in principio, vel quando ſpatio trium dierum expurgari incipit materia phlegmonis per ſputum, vel quando impeditur fluxio. At neutrum fieri poteſt ex purgatione per veratrum, peplium, ergo, &c.*] Septimò, ac poſtremò. [*Purgantia pharmaca cibis, ac ſorbitionibus mixta nunquam ſedare poſſunt dolorem pleuritidis; ergò non exhibentur ab Hippocrate huius rei cauſa, &c.*] Tot validiſſimis arietibus Aduerſarius miſerum Galenum oppugnat, vt nullus ei defenſionis locus reliquus eſſe videatur. Etſi ille fortè hac quoque in re nimius eſt. Quandoquidem (ni fallor) omnia iſtæc argumenta multò paucioribus verbis, & vnica propemodum ratione concludi potuiſſent. Illa verò eſt, Hippocratem dolore deſcendente ad hypochondria, de alio affectu, quàm de pleuritide ſermonem habere: ex qua certum eſt omnia pendere, quæcunque tanto apparatu propoſita, & diſpoſita ſunt. Sed ad verum Hippocratis verborum ſenſum ex propria Aduerſarij ſententia progrediamur. Qui hæc habet. [*Reliquum eſt modo, vt explicemus verum ſenſum verborum Hippocratis.* Lux adfulſit: at- *Cap. 4.* tende, lector. [*Dico igitur Hippocratem diuiſionem eiuſcemodi feciſſe. Dolorum, qui morbos acutos inſequuntur, quidam ſunt ſupra ſeptum tranſuerſum, quidam infra conſiſtunt: & quæ ſequuntur.* Summa verò eſt, vt ne in tranſcribenda longiore illius oratione longius faciam, Hippocratem propoſito loco minimè de pleuritide, ſed de doloribus in vniuerſum, qui ſequuntur morbos acutos, ſermonem habere: quos inquit eſſe duplices, alteros ſupra alteros infra ſeptum tranſuerſum. Priores quidem, quicunque fomentis non ſanantur, venæ ſectionem poſtulare, in quacunque thoracis parte conſiſtant. Poſteriores noua indigere conſideratione; num aliquam ſignificationem ſui præbeant ad iugulum, an nullam. Namque ſi dolor vſque ad clauiculam extendatur, maximam ait eſſe ſuſpicionem inflammationis iecoris, aut lienis, & tunc venæ ſectionis conuenire. Sin autem nullam ſui præbeant ſignificationem ad clauiculam, ſuſpicionem eſſe, materiam, à qua fit dolor, in inteſtinis cóntineri, eſſéque aut flatuoſam, aut pituitoſam, aut mixtam; ac tunc purgationem opportunè adhiberi. Mox verò Aduerſar. multa ſcribit de helleboro, Peplio, de vtriuſque differentia, facultate, mixtione, præparatione, vſu: quæ cum ſint præter rem, iure debent prætermitti. Itaque inſtitutam diſputationem perſequamur. Aduerſarius poſt hæc ea proponit, quæ pro Gal. defenſione poſſunt afferri; vt quæ manus vulnera inflixerat, eadem ſi fieri potuiſſet, ſanitatem afferret. Sed morbus (vt puto) grauior fuerat, quàm vt potuerit à tanto medico ſanari: itaque illa demum refutat, & Galenum ſaucium, atque obiecti criminis condemnatum reliquit. Nos ergò experiamur, an poſſimus noſtro Galeno ſubſidio venire, iniuſtas maculas eluere, inflicta vulnera ſanare, illúmque obiectis criminibus abſoluere, & priſtinæ dignitati reddere. Et quoniam, ſicuti diximus, omnes aduerſariæ rationes, eo principali, vel potius vnico fundamento nituntur, Hippocratem loquentem de purgatione

text.

inflicta vulnera ſanare, illúmque obiectis criminibus text xi. de alio affectu, quàm de pleuritide verba feciſſe; Age, illud, totámque eo nitentem fabricam demoliamur: etſi reuera me tædet, ac pudet in iis verſari, quæ non ſolum ab Hippocratis, & Galeni ſententia, ſed etiam à communi omnium, & veterum, & recentium rationalium medicorum conſenſu ita abhorrent, vt equidem credam, neminem vllo tempore concepiſſe animo, hominem naſciturum, qui de illis potuerit hæſitare, nouáſque huiuſmodi cogitationes in artem medicam introducere. Sed non minùs verum, quàm ſcitum eſt, quod Cicero aliquando ſcriptum reliquit, Nihil tam abſordè poſſe dici, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Cum Hippocrates propoſitum habuiſſet docendi rationem curandi morbos acutos, præcipuè verò per congruam victus rationem in qua priores medici multifariam defecerant, præ cæteris, pleuritidem, tanquam exemplum ſuſcepit; in quo ſuo more plurima generalia præcepta comprehenderet. Cum igitur primo libro de huiuſmodi argumento multa ſcripſiſſet; ſecundo ſtatim pleuritidis exemplum aggreditur. *Lateris* (ille inquit) *dolorem, ſiue is per initia fuerit, &c.* ὀδύνη, ἢ πλευροῦ, &c. Dolor autem membranæ ſuccingentis coſtas. Ac primum quidem docet rationem curandi huius doloris per fomenta: de quibus, variíſque eorum generibus, & vſu, cum multa ſcripſiſſet, ſi dolor fomentis non ſoluatur, ad alia deinceps maiora præſidia ſe conuertit. Hæc autem cum duo præcipua ſint, ſectio venæ, & porgatio, vtriuſque congruentem adminiſtrationem
1. docet. Nimirum, ſi dolor ad clauiculam peruenerit, aut moleſta ſit; vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus grauitas, internam cubiti venam ſecandam eſſe, ſanguinémque copioſè detrahendum. Si verò eas, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt, partes, dolor infeſtat, nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit, ventrem, vel nigro veratro, vel peplio eſſe molliendũ. Ex qua ſimplici, & ſola ferie orationis facile eſt intelligere Hippocrat. de vno dolore lateris perpetuò loqui, ſuperioráque poſterioribus coniungere, nec potuiſſe vllo modo alios præterea dolores ſimul cum illo confundere Id quod Aduerſarius quoq; apud Ariſtotelem diſcere potuiſſet; qui primam puræ, atque emendatæ locutionis conditionem inquit eſſe ἐν τοῖς συνδέσμοις; vt nimirum ſeries coniunctionum, ordóque cuſtodiatur; quæque eam naturam habent, vt priores collocati debeant, ibi collocentur, reſpondeántque ipſis, quæ ex illis veluti pendent, ac poſteriorem ſedem requirunt. Qui hanc ipſam Hippocratis ſententiam, atque exemplum mihi videtur propoſuiſſe, quaſi diuinaret, naſciturum aliquando hominem, qui probam quoque loquendi, & docendi formam ſtuderet euertere.
3. Rhe. c. 5 ὥσπερ (inquit Philoſophus) ὁ μὲν: καὶ ὁ ἐγὼ μέν, ἀπαιτεῖ τὸν δὲ, καὶ τὸν, ὁ δὲ. Quemadmodum coniuncto μὲν & coniuctio ἐγὼ μὲν, requirit, δὲ, & ὁ δὲ. Sic enim Hippocrates text. x. ἀλλ' εἰ μὲν συμβαίνει ὀδύνη tex. xi. ἢν δὲ ὑπὸ τὰς φρένας ᾖ τὸ ἄλγημα,
Cap. 5. &c. Sed qui Galeni doctrinam oppugnat, fortè neque Ariſtotelis præcepta magnifacit. Cæterum, quoniam Aduerſarius quoque pro Galeni interpretatione aliam Hippocratis ſententiã profert, in qua ille clariſſimè oſtendit, ſe hoc loco de pleuritide locutum fuiſſe, illámque deinceps redarguit, etſi ea reuera nullum effugium poteſt habere, videamus, quid ille, ſuo more, præclarum,
4 Rat. vi. Morb. Acut. 72. & ſeq. & rarum afferat. Sententia Hippocratis eſt. *In pleuritide, & peripnenmonia conſiderare oportet. ſi dolor ſurſum penetrauerit, vel clauiculam, vel mammã, vel brachium venam brachij internã ſecare oportet, qua parte dolor afficit; &c. ſi dolor ſub thorace fuerit. valdéque infeſtauerit,* τοῦ πλευριτικοῦ τὴν κοιλίην ὑποκαθαίρειν: *Pleuritico ventrem ſubpurgabis.* Vt certè nihil apertius dici poſſit. Aduerſarius porrò ad hæc, [*Pleuritidis nomen* (inquit) *ambiguam ſignificationem habet.*] Summa verò eſt; hoc nomine ſignificari aliquando inflammationem membranæ ſuccingentis coſtas: interdum quemlibet dolorem à quibuſcunq; humoribus, ſiue flatibus prouenientem, qui in thorace conſiſtat; quandóque inflammationem muſculorum intercoſtalium, tum internorum, tum externorum: quæ mihi liber in præſentia illi remittere & concedere. Qui demum hæc habet. [*Adde iis communiſſimam quandam ſignificationem pro omni dolore, à quacũque materia contingat, lateris autem nomine intelligendũ non ſolùm thoracẽ, ſed etiam partem dextram, aut ſiniſtram, & thoracis, & hypochondriorum: qua notione vſus eſt Hippocrates ſtatim in principio ſecunda ſectionis libri de Rat. Vict. in Morb. Acutis, dum agit de fomentis. Vocatur autem nomine pleuritidis hypochondriorum affectus, quia dolorem infert per quam ſimilem pleuritidi: & quia vulgò ita putãt; medicique aliquando decipiuntur, arbitrantes ægrotum pati pleuritidem, cum inflammationem iecoris habeãt, vt Galenus in hiſtoria Siculi medici declarauit. Hac poſtrema ratione vſus eſt Hippocrates in eo loco, cum dicit,* Pleuritico ventrem ſubpurgabis, &c.] Ego verò puto hanc poſtremam pleuritidis, atque huius nominis ſignificationem non ſolùm eſſe nouam, & commentitiam, ſed etiam ab Hippocratis, & Galeni mente, moréque loquendi longiſſimè alienam. Quæſo enim, vbinam gentium Hippocrates, & Galenus, aut quicunque tandem ex omni memoria affectus iecoris, lienis, hypochondriorum, nomine pleuritidis ſignificarunt? Et cum Aduerſarius inquit Hippocratem huiuſmodi nomen cõmuni hac notione vſurpaſſe ſtatim in principio 2. libri de Rat. Vict. id certè magis ridendum, quàm refellendum eſt. Quandoquidem, vt ſuprà diximus, ille eo loco de alio dolore, quàm pleuritico non loquitur, & quem interpretes vertunt dolorem lateris, Hippocrates ſua lingua dolorẽ pleuræ membranæ ſuccingẽtis coſtas perpetuò vocare ſolet. Nec profectò pluris æſtimandæ ſunt rationes, quibus ille huiuſmodi communem ſignificationẽ conatur confirmare: quòd affectus hypochondriorum dolorem per quàm ſimilem pleuritidi inferant; quod medici decipiantur aliquando exiſtimantes ægrum pati pleuritidem, cum iecoris inflammatione laboret, vt ſcribit Galenus medico Siculo euenisse. Etenim ſi diligenter conſiderentur omnes affectus, & muſculorum, & iecoris, & lienis, & omnium partium, quæcunque nomine hypochondriorum ab Hippocrate, & medicis cõprehenduntur, nulla ſanè pars, vno excepto iecore, quod nec tamen perperuò id facit, dolorem 2 Morb c. k
pleuritidis repræſentat. Quòd autem pertinet ad opinionem vulgi, atque errores medicorum in dignoſcendis morbis, certè Galenus plurimas afferens rationes de varia morborum nominatione, & particula læſa, & ſymptomate, & aliis id genus reconditas huiuſmodi cauſas ex vulgari opinione, atque erroribus medicorum nunquam potuit excogitare. Sed res ipſa loquitur, & ſuperuacaneum eſt plura addidiſſe. Cæterùm vt ſtudioſi intelligant, quod Aduerſarius nequiuit, aut noluit intelligere, quonam modo in pleuritide dolor vel aſcendat ad partes ſuperiores, vel deſcendat ad inferiores, & hypochondrium laboret, Galenum audiant, qui cum aliis locis, tum maximè

libr. de Conſt. Art.Med.hanc ipſam rem declarat præclariſſimè per hæc verba. *Et quidem vt dolor aliis ad hypochondrium pertineat, nonnullis ad clauiculam,facit tum natura læſa particula,tum phlegmones ſymptoma, quod eſt doloris extenſio. Etiam quoniam ſuccingens membrana vſque ad clauiculas peruenit,ac per omne ſeptum tranſuerſum ſi illius ſuperna partes inflammatione laborent, trahi deorſum clauicula videtur : ſi verò inferna malè afficiantur, dolor in hypochondrium erumpit. Inflammationem igitur ad mediam coſtarum partem paruam admodum fieri opus eſt,vt ad neutram partem efferatur: quandoquidem magna ad vtramque peruenit.* Duo igitur ſunt in cauſa, quamobtem dolor in pleuritide, vel ad ſupetiora aſcendat, vel ad infetiora deſcendat : altetum, natura membtanæ ſuccingentis coſtas, quæ exquiſito admodum ſenſu eſt ptædita, & ptæterea continua;adeò vt & ad clauiculas, & ad ſeptum tranſuerſum perueniat:alterum eſt proprium, & peculiare ſymptoma inflammationis;& dolotis ninitum extenſio,& amplificatio. Itaque ſi partes membtanæ ſupetiores laborent, dolor aſcendit, ac trahi deorſum clauicula videtur : ſi inferiores, iam dolor deſcendit, erumpitque in hypochondrium. Quòd ſi demum dolor ad neuttam partem, neque ſuperiotem, neque inferiotem declinet vt inflammatio mediam membranæ partem occupet, & parua ſit neceſſatium eſt. Etſi verò puto eſſe neminem, qui ex iis non facilè ſua ſponte poſſit ad omnia reſpondere, quæcunque ab Aduetſerio pro ſua opinione, & contta Galenum poſita ſunt,tamen mihi liceat, pancis verbis ſaltem nonnulla perpendete, atque eotum vanitatem demonſtrare. Aduerſatius. [*Verba Hippocratis eius contrarium ſignificare videntur mihi, quod à Galeno,& paſſim ab omnibus medicis ponitur: nempe in omni pleuritide ſanguinem mitti debere. ſiue ſupernas, ſiue infernas coſtas inuaſerit.*] Maſſar. verba Hippoctatis. & Galeni eius contratium ſignificare videntur mihi, quod Aduerſarius affirmat. Namque Hippoctates ita planè,& apertè vt planius,& apertius non poſſit, dolore deſcendente præcipit purgationem eſſe adhibendam : quod Galenus quoque probat; etſi putat magis tutò adminiſtrari ſectionem venæ. Aduerſarius. [*Ex verbis Hippocratis rationem colligo in hunc modum : Sanguis quidem tunc mittendus eſt, quando ſignificationem orab·as dolor ad clauiculam.*] Maſſar. Egregiè. Aduerſat. [*Atqui pleuritis omnis ſignificationem einſcemodi prabet.* Maſſar. iſtud quidem certè non inquit Hippocrates, qui verbis conceptis ſcribit ; dolorem quandóque nullum ad clauiculam ſignum facere. Aduerſ. [*Omnis pleuritis eſt inflammatio membrana ſuccingentis coſtas: ſi pars ſuperior affecta fuerit, extenditur dolor ad ingulum &c Si verò in media parte conſiſtat morbus, dolor exercet ægrotum in medio thorace: at inferiori membrana parte inflammationem habente, tunc quidem grauitas apparet in partibus ſupra ſeptum tranſuerſum : partes autem ſupra ſeptum hoc conſtituta, ſunt octo coſta inferiores, vt omnibus conſtat.*] Maſſaria. Inferiote membranæ parte inflammatione laborante, graui, certo, incorrupto Hippocratis, & Galeni teſtimonio dolor cum partibus, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt communicatur, & producitur. Aduerſ.[*Secundò ſuppono, nullam pleuritidem eſſe affectum infra ſeptum tranſuerſum: nam infra ſeptum non eſt membrana ſuccingens coſtas, ſed ſupra. Hoc ita conſtituto, ſic inſtemus. Hippocrates iubet purgandum in affectu conſiſtente infra ſeptum tranſuerſum: at hic affectus certe quidem non eſt pleuritis, ergo Hippocrates non iubet purgandum in pleuritide. Adeo efficax videtur mihi hæc ratio, & certa, vt non habeam quid reſpondeam.*] Maſſar. Hippo. iubet purgationem eſſe adhibendam in pleuritide, ſi dolor cum partibus ſepto inferioribus, communicetur, nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit. Ergò Hippocrates in pleuritide iubet quandóque purgandum eſſe. Atque hæc quidem ratio vſque adeo firma, ſtabilis, conſtans,& nihil habere difficultatis videtur mihi, vt compertum habeam neque Aduerſarium, neque mille aduerſarios poſſe ad illam quicquam reſpondere. Quæ poſthac ab Aduerſatio argumenta afferuntur, præter quàm quod vnico nituntur fundamento, ſicuti diximus, ſunt adeo leuia, ac futilia, vt vel puer facilè poſſit illa refutare. Quare non eſt, vt in illis teferendis, aut refellendis maiorem temporis iacturam faciamus. Itaque ad veram verborum Hippocratis interpretationem ex ſententia Aduerſarij progrediamur : quam mihi videor vna vel altera concluſione, vt aiunt, ſummatim poſſe colligere.

Prima eſt. [*Dolorum, qui morbos acutos inſequuntur, quidam ſunt ſupra ſeptum: quidam infra conſiſtunt. Priores equidem omnes, ſi fomentis non ſanantur, vena ſectionem poſtulant, in quacunque thoracis parte reſideant.*] Quid verò, inquam, ſi dolores ex crudis, craſſis, frigidíſque humoribus, aut flatibus originem habeant, qui aliquando in vacuum thoracis locum, aut in ipſum etiam pulmonem ſe ingerunt, ac veræ inflammationis imaginem præ ſe ferunt; de quibus ſcribit Aëtius quoſdam medicos errore ſeductos, vena cubiti inciſa, multóque ſanguine vacuato mortis cauſam ægris præbuiſſe?

Secunda concluſio eſto. [*Si dolor exercuerit ægrotum infra ſeptum, conſiderandum eſt, an aliquam ſignificationem ſui prabeat ad ingulum, vel nullam. Si condolentia extendatur vſque ad clauiculam, maxima ſuſpicio ſeſe offert inflammationis, aut iecoris, aut lienis &c. tunc vena ſectionem adhibere oportet.*] Mihi autem maxima ſuſpicio ſeſe offert, hanc Aduerſarij ſuſpicionem vanam & inanem alicui videri poſſe. Quandoquidem conſenſus inflammationis iecoris cum membrana ſuccingente coſtas & clauicula, minimè conſtans, & perpetuus eſt : etſi enim illud quod Galenus docet, quibuſdam membranoſis,& exiguis vinculis, nothis coſtis connexum eſt, tamen iſtud non perpetuò euenit, propterea quia eodem Galeno authore, iecur aliis coniunctum apparet, aliis minimè; id quod non ſolùm in ſimiis, verùm etiam in aliis animantidus licet videre. Ex quo factum eſt, vt neque Galenus medico Siculo inflammatione iecoris laborantі, auſus ſit de clauicula, quòd in inferiora trahi videretur ; aliquid dicere, qui probè ſciret id non perpetuò eſſe verum, Quod autem ad lienem pertinet, neque apud Galenum, neque apud aliquem memini me vnquam legiſſe, inflammato hoc viſcere, malum cum membrana ſuccingente coſtas, & iugulo communicari: quòd, vt res monſtrat, illud nullis vinculis coſtis ſpuriis coniungantur, ſicuti iecori aliquando diximus euenire.

Tertia concluſio. [*Si dolor nullam ſignificationem ſui prabeat ad clauiculam, ſuſpicari oportebit materiam à qua fit dolor, in inteſtinis contineri, eſſeque aut flatuoſam, aut pituitoſam, aut mixtam : remedium verò eſt purgatio, quam inſtituemus ad imitationem natura.*] Aduerſarius nimiùm videtur ſuſpicioſus, qui de iis ſuſpicatur, quæ incerta, inconſtantiáque ſunt, & omnino aliter ſe poſſunt habere. Quæſo enim, quid prohibet, quin dolentibus partibus infra ſeptum, quæ plurimæ ſunt, aliæ, præter inteſtina laborent? Præterea cum dolores fieri poſſint ab omni non ſolùm materia,

ſed

Cap. 15.

Lib. 8. c. 6.

4 Vſ part. c. 14.

Lib. 2. & c. de loc. Aff. vtrobique c. vlt.

Digitized by Google

ſed etiam intemperie, quæcumque poteſt continuum ſoluere, quid obſtat, quominus huiuſmodi dolores, præter flatus, materiam pituitoſam aut mixtam aliter quoque poſſint oriri? Verum, quid inquit, Remedium eſſe purgationem ad imitationem naturæ? An dolentibus partibus infra ſeptum, ventriculo, iecore, liene, inteſtinis, renibus, veſica cum febre, ſine febre, cum inflammatione, ſine inflammatione, cum coctione humorum, ſine cuctione, aut elleborum, aut peplium perpetuò oportet adhibere? An natura dolentibus huiuſmodi partibus infernis, per vnicam alui fluxionem ſanare eas conſueuit? An harum partium inflammationes non venæ ſectione potius, quàm purgatione curari & ſolent, & debent? Hæc ſanè præcepta incerta admodum, & inconſtantia, ne quid grauius dicam, videntur mihi: quibus ſi tyrones, quos Aduerſarius tam diligenter instituit, in vniuerſum fidem adhibeant, fa-
Cap. 6. & 7. cilè poſſint plurimos homines iugulare. Sed propero ad finem. Aduerſarius poſtremò tria potiſſimùm diſputat. Primum, pleuritidem inferiores coſtas occupantem non fieri à materia turgente. Alterum, ſanguinem non turgere. Tertium, materiæ turgenti, ex doctrina Hippocratis, & Galeni venæ ſectionem non conuenire. Quæ omnia
De purg. mihi propoſitum eſt prætermittere, cum hæc
princ. Morb. diſputatio omnino longior euaſerit, quàm mea
pag. 29. voluntas fuerit: quandoquidem priora duo ferè nihil ad nos pertinent; de quibus ille agit cum medico Romano. De miſſione autem ſanguinis turgente materia, quòd ſuprà diximus, in præſentia quoque libet repetere: nos in noſtra diſputatione de hoc difficillimo loco noſtras cogitationes explicaſſe: de quibus non ſolum cupimus, ſed etiam rogamus, vt viri eruditi liberè iudicium faciant.

Itaque ad principalem noſtram diſputationem reuertamur. Ea verò de futura, & particulari plenitudine fuerat inſtituta. Aduerſus futuram plenitudinem, primum quidem Galenum obiiciebamus, qui nunquam illius videtur aliquam mentionem feciſſe. Quid autem ad hanc obiectam rationem Aduerſarius reſpondeat, iam diximus, neque iterum eſt repetendum, Verum cætera illius reſponſa perpendamus. [*Audiant* (ille inquit) *aliam cauſam. Non meminit, quia non oportuit meminiſſe. Quod enim & ſuapte natura erat notiſſimum, & quod virtute in aliis continebatur, potuit ſine auctoris vitio prætermitti: quis enim non cognoſcit in corpore nullam hodie plenitudinem habente generari poſſe poſt vnum, aliumque menſem, ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, aut menſtruis plenitudinem totius corporis?*] Cauſa egregia, præclara, admirabilis, Quæſo autem quid hoc eſt? An fortè Maſſaria, an fortè quiſpiam omnium mortalium, qui rationis ſit particeps tam eſt infans, tam ſtolidus, qui non facilè fateatur, in quouis homine, & propter retentionem alicuius conſuetæ vacuationis, & propter pleniorem victus rationem, ocium, & plurimas id genus euidentes cauſas plenitudinem poſteriore tempore fieri poſſe? Sed vir clariſſime, quid agimus in præſentia? de futura inquam plenitudine in iis corporibus, quæ alioqui ſana, & omnis plenitudinis expertia, ex alto cadunt, plaga vel contuſione malè afficiuntur, in quibus, doctore Galeno, nemo eſt in artis operibus exercitatus, vel ipſe Empiricus, qui non ad ſanguinis miſſionem confugiat. Huius, huius inquam commentitiæ futuræ plenitudinis nuſquam meminit Galenus, minimè verò futuræ plenitudinis generaliter, quam vel pueri intelligunt omnibus hominibus ſuccedere

poſſe. Id quod ipſe quoque Aduerſarius proxima poſteriore reſponſione videtur animaduertiſſe, qui hæc ſcribit. [*Cum illi rurſus interrogant. An Galenus mente conceperit plenitudinem hanc futuram? Reſpondeo, quod ſiue conceperit, ſiue non conceperit, id quidem parum debet æſtimari; modo tamen verum ſit in primis quod dicitur: deinde illius doctrinæ conſentaneum. At certè quidem hanc animaduertiſſe concedamus, & quid hinc ſequitur conſideremus. Putant Galenum non rectè concludere, contra Menodotum, &c.*] Cæterum vt ſtudioſi vim noſtræ argumentationis intelligant, mihi liceat verba ex noſtra diſputatione tranſcribere, quæ ſunt huiuſmodi. Quæritur, an de plenitudine ſit elicienda indicatio mittendi ſanguinis? Gal. reſpondet authoritate Hipp. & omnium medicorum, minimè. Quandoquidem ex illis nemo eſt, dummodo vnà conueniant magnitudo morbi, robur virium, flos ætatis qui non velit, omni poſthabita plenitudine, ſanguinem eſſe detrahendum. Sed quid ille reſpondeat, iterum, ſi qui alteram ſententiam defendunt, hanc futuram plenitudinem obieciſſent? Cum parui omnino referat, ſit ne illa hodie præſens, an futura in craſtinum; cum vtrobique ſit par ratio, vt de morbis, & viribus diximus modò, quorum conditionem, tam præſentem, quàm futuram medicus venam ſecturus perpetuò debet animaduertere. Itaque Aduerſarius ad hæc, *Egregia certe* (inquit) *fuit horum virorum imaginatio quæ ſolos nouitios, ac eos, qui in Gal. libris verſati non ſunt, facilè poſſet decipere. Etenim Menodoti opinio hæc erat, vt vacuatio omnis indicaretur à concurſu ſignorum plethoricorum, nempe à plenitudine præſenti: atque ne quis putaret aliud fortaſſe excogitaſſe illum à plenitudine addidit ſolam ſyndromen. Eſt autem hæc ſyndrome, robur, tenſio,* &c. Ego verò aio, hanc Aduerſarij reſponſionem ita egregiam mihi videri, vt neque nouitios, neque eos, qui in Galeni libris verſati non ſunt, neque alienum poſſit decipere. Quandoquidem puto eſſe neminem, qui non facilè, ac ſtatim illius vanitatem deprehendat. Quæſo enim quid prohibet, quin aliquis Empiricorum patronus hanc futuram plenitudinem Galeno poſſit obiicere? Sed quid dico, quid prohibet? cui dubium hac de re eſſe poteſt cum ipſemet Aduerſarius Empiricorum hoſtis illam excogitauerit, & aduerſus Hipp. & Galeni doctrinam conetur introducere? Empirici quidem, in ſola ſyndromes plethoricæ obſeruatione, minimè verò in indicatione, quam prorſus negligebant, ad vacuationem accedebant. Quos (vt vidimus) Galenus cum aliis rationibus, tum illa potiſſimùm redarguebat, quod omnes medici in artis operibus exercitati, vel ipſimet Empirici iis, qui cadunt ab alto, ac vehementer laborant, ad ſanguinis miſſionem confugiunt, quamuis illi ſani alioqui, & omnis redundantiæ ſanguinis ſint immunes. Quod ſi fieri potuiſſet, vt hæc ipſa corpora poſterius in plenitudinem inciderent, quis non videt Galeni argumentum nihil momenti fuiſſe habiturum? Quippe facilè Empiricis fuiſſet, ſe ab huiuſmodi argumento explicare, confitentes quidem nullam hoc tempore ſyndromen plethoricam adeſſe, ſed tamen paulò poſt affuturam. At verò quoniam rei naturæ, ac ſenſibus repugnat, in corpore ſaniſque redundantiæ immuni, vllam vel plenitudinem, vel ſuſpicionem plenitudinis eſſe, hinc fit, vt Galeni argumentum ſit neceſſariè demonſtrans, inuictum, & inexpugnabile. Sed ad poſtremum noſtrum argumentum contra futuram plenitudinem venio: *De quo* (Aduerſarius inquit) *nihil eſt quod reſpondeamus, vtpote quod ineptum admodum eſt,*

atque iam à nobis hac Diſputatione frequenter explicatum.] Vt autem, Lector, tecum ipſe commodius poſſis noſtras ineptias reputare, mihi libet illius ſeriem huc apponere, quæ talis eſt. Finge hominem (quod eſt Gal. exemplum) qui exerceatur quotidiè, & omnes quantum ſatisfuerit, ſolitas habeat excretiones, qui moderatè comedat, adeóq; nullius indigeat vacuationis, ex alto lapſum fuiſſe: victus ratione, cæteriſque opportunè inſtitutis, quæſo an quis poteſt vllam futuram plenitudinem imaginari? fluente ſanguine præter modum alicundè, an eſt aliquis adeò pertinax, qui contendat plenitudinem aliquo deinceps tempore futuram eſſe: Sed vide quàm maximo inter ſeſe diſcrimine diſtent noſtræ cogitationes. Argumentum, quod Aduerſario admodum ineptum eſt, mihi adeo ponderoſum, & ſolidum videtur, vt putem illud tanquam Herculeum nodum nulla ratione poſſe diſſolui. Ac ſanè, mihi credas, ſi quid illi in mentem venire potuiſſet, quod reſponderet, hominem, ſi quis alius, dicendo profuſum, & qui eundem lapidem fruſtra mouere nunquam deſinit, nullis catenis potuiſſe detineri, quin haſce noſtras ineptias detegeret, ac refelleret. De plenitudine futura hactenus; iam de altera particulari dicendum eſt.

Aduerſarius de particulari plenitudine ſermonem habiturus, paulò altius orditur, repetitque nonnulla ex ſuis lucubrationibus, quibus conatur ſuam ipſius opinionem, ac dignitatem tueri aduerſus quoſdam inſignes medicos, qui illum criminari ſolent, quòd opinionem Empirici prorſus imitetur. Ac ſanè crimen videtur euidentiſſimè conſtare. Quandoquidem Aduerſarius quoque, quaſi alter Empiricus, ad miſſionem ſanguinis plenitudinem perpetuò requirit; ſiue ea præſens fuerit, ſiue futura, ſiue generalis, ſiue particularis, ſiue quomodocumque aliter cogitatione depingi, aut fingi poſſit: vno verbo, vt ſine plenitudine nunquam liceat ſanguinem mittere. Itaque omnium primum ille declarat, in quibus, & quomodo ſua opinio ab Empirici opinione diſſentiat. Qui ſic ſcribit. [*Meritò Empirici refelluntur, quia in mittendo ſanguine fuerunt temerarij: non enim ſufficit, vt commodè ſanguis mittatur, plenitudinem adeſſe: ſed amplius venit diſtinguendum: an maioribus, an minoribus auxiliis vtendum: quæ innoteſcit nobis ex varia plenitudinis differentia.*] Itaque Empirici, & Aduerſarius in eo conueniunt; ad miſſionem ſanguinis plenitudinem requiri neceſſariò: in eo differunt, quòd illi non diſtinguunt, vtrùm plenitudo maioribus, an minoribus auxiliis curari poſſit: Aduerſarius autem diſtinguit. Primùm verò mihi videor audire aliquem Empiricum, vel Empiricorum patronum clamantem, ſibi ab Aduerſario iniuriam fieri; qui illis falsò obiicit, quaſi velint in plenitudine perpetuò venam ſecare, neque de minoribus præſidiis diſtinctionem efficiant. Quandoquidem ſi Galeno credimus, quem veriſimile eſt eorum diſciplinam probè renuiſſe: ſi quis etiamnum ſanus, nec adhuc quicquam læſus, in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe, immò alij ſatisfacit inedia, &c. Miſſio verò ſanguinis ne ab ipſis quidem Empiricis iis, qui ita ſe habent, neceſſariò adhibetur. Quod quidem Galeni teſtimonium demonſtrat apertiſſimè ipſos quoque Empiricos hac in re diſtinctionem adhibuiſſe, plenitudinemque haud ſemper ſectione venæ, ſed aliquando etiam leuioribus præſidiis curare conſueuiſſe. Quod porrò Aduerſarius deinde inquit, hanc diſtinctionem, vtrùm in plenitudine liceat venam incidere, an leuiora præſidia adhibere, ex varia plenitudinis differentia nobis innoteſcere, id quidem certè à Galeni doctrina alieniſſimum eſt: qui nos docet, vt non ſemel iam diximus, de vna morbi magnitudine vel præſente, vel imminente huiuſmodi iudicium faciendum eſſe. qui verbis conceptis ſcriptum reliquit, principes ſcopos mittendi ſanguinis plenitudinem in ſe primò haud complecti: hanc verò in illis contineri, quatenus ea morbi magnitudinem, vel facit vel facere deinceps poteſt. Præterea, dum Aduerſarius docet, non ſufficere vt commodè ſanguis mittatur plenitudinem adeſſe, ſed amplius diſtinguendum, an maioribus, vel minoribus præſidiis vtẽdum ſit, quæſo, quid aliud, etſi inuitus, docet, quam ad morbi magnitudinem confugiendum eſſe? ſiquidem plenitudo eatenus minora, vel maiora, præſidia requirit, quatenus morbum vel leuem, vel magnum efficit, aut poteſt efficere. Si plenitudo leuiorem morbum efficiat, ieiunium, congruens exercitatio, & alia id genus leuiora præſidia ſatis fuerint: ſin autem morbi magnitudinem faciat, aut facere poſſit, iam cæteris duobus conſentientibus ſcopis neceſſarium eſt venam incidere. Itaque vir excellentiſſime hæc norma eſt, hæc regula, hæc doctrina Hipp. & Gal. diſtinctionem, & iudicium de mittendo vel non mittendo ſanguine in plenitudine, non ex varia illius differentia, ſed ex vna morbi magnitudine eſſe definiendum. Aduerſar. [*Deinde verò Empirici, quia ſcopum non attigerunt, reprehendendi ſunt?*] Maſſar. Quonam modo homines, qui ſolam experientiam profitebantur, ſcopos, indicationes, rationem, methodum auerſabantur, ac propterea, τηρητικοὶ, alio nomine, quaſi obſeruatores appellati ſunt, quomodo, inquam, huiuſmodi homines ſcopum mittendi ſanguinis, & indicationem ab illo orientem poterunt attigiſſe? Aduerſar. [*Nos verò, qui plenitudinem eſſe verum ſcopum ſignificamus; longè diuerſi ſumus ab horum hominum ſententia.*] Maſſar. Quî fieri poteſt, ſi plenitudo eſt verus ſcopus mittendi ſanguinis, vt nunquam Galenus de re tanti momenti nos docuerit? Sed quid dico, nos docuerit? Quî fieri poteſt, vt hunc ipſum plenitudinis ſcopum, tam frequenter, tam apertè, tam efficienter, tam ardenter impugnauerit, & expugnauerit? Hoc ſane mihi videtur omnem ſuperare admirationem. Cæterum cum Empiricus, & Aduerſarius in ſcopo plenitudinis conueniant, videamus tandem, quodnam inter vtrumque diſcrimen ſit. Aduerſar. [*Empirici in ſola plenitudine quoad vaſa mittendum eſſe ſanguinem conſuluerunt: nos verò non ſolùm in hac, ſed etiam in altera, quæ vires reſpicit.*] Maſſar. Etſi Aduerſarius hac in parte ab Empirico diſſentit, tamen ille, mea ſententia, longè maiore, quàm Empiricus, eſt dignus reprehenſione. Cùm enim multitudo, ſeu plenitudo, Græce πλῆθος, apud Galenum ſit duplex; altera ad vaſa, quæ eorum capacitatem nimium replet: altera ad vires, quæ ab ipſis commodè regi, & in congruentem vſum conuerti non poteſt, magis rationi conſentaneum videtur, alteram ad vaſa, quæ poteſt illa rumpere, aliaſque euidentiſſima, & grauiſſima particula ſecum afferre, venæ ſectionem indicare, quàm alteram ad vires, quæ nequit vaſa rumpere, totque, & tanta mala inferre. Quòd ſi altera plenitudo ad vaſa, quæ propriè, verè, ſimpliciter plenitudinis nomen meretur, nullo modo apud Galenum ſcopus miſſionis ſanguinis eſſe poteſt; certo certius cuique eſſe debet, alteram ad vires, quæ minùs verè, propriè, nec ſimpliciter plenitudo dicitur

De Sang. Miſſ. cap. 9.

4 Meth. c. 4.

dicitur, hanc prærogatiuam non potuiſſe obtinere: Nec non Empiricum, qui in ſola ſyndrome plethorica vacuationem à ſe obſeruatam dicit, maiori excuſatione eſſe dignum, quàm Aduerſarium, qui alterum præterea ſcopum alterius plenitudinis voluit adiungere. Poſtremò autem, vt omnia donemus Aduerſario, quæcumque ille velit, idem cogimur cum Galeno repetere, quod ſæpe diximus: neutram plenitudinem, neque ad vaſa, neque ad vires venæ ſectionem poſſe indicare, niſi podagram, arthritidem, epilepſiam, melancholiam, vertiginem, anginam, peripneumoniam, pleuritidem, hepatitidem, vno verbo, niſi magnum morbum poſſit efficere. Aduerſ. [*Empirici in omni plenitudinis differentia quo ad vaſa generoſum hoc admiſerunt præſidium: nos verò in ſanis, ægrotiſue vtimur cum magna eſt plenitudo, quæ ſcilicet facilioribus nequeat ſanari præſidiis.*] Maſſar. Iam diximus iſtud crimen falsò Empiricis imponi: quandoquidem illi in magna tantùm, immò verò in maxima plenitudine generoſum hoc admittebant præſidium. Id quod eo grauiſſimo, & firmiſſimo argumento poteſt confirmari, quòd non niſi in ſyndrome plethorica ad miſſionem ſanguinis confugiebant. Quid autem ſit plethorica ſyndrome, aut plethoricus concurſus, Gal. multis in locis, nullibi accuratiùs docet, quàm lib. de plenitudine vbi ſic ſcriptum reliquit: *Quin & tertius quidam cœtus alius eſt, qui nec ſit, an non ſit, aliqua facultas nouit, nec ſe inquirere fatetur; verum ex nonnullis, quæ euidenter apparent, notis circa ægrotantem, vacuationem per longum vſum ſibi inuentam ait. Hic ſi deinceps, quænam notæ hæ ſint, rogetur, vaſorum inquit, diſtentio, & robur, & vniuerſi corporis grauitas, & pigritia ad motum, traducta in otio prior vita, non ſine ciborum, & potuum larga ingeſtione, & ſolitarum excretionum retentio. Et hæc igitur ſyndrome (ſic enim ſymptomatum congeriem appellat) venæ ſecandæ vtilitatem obſeruatam eſſe dicit.* Hæc ille. Ex quibus cuique (ni fallor) vno excepto Aduerſario, manifeſtum fieri poteſt, Empiricos minimè in omni plenitudinis differentia, ſed in ea tantum, quæ ampliſſima eſt, & in qua omnia ſumma ſunt, venæ ſectionem amplecti. Etenim ſi illi vnam perpetuò plethoricam ſyndromen neceſſariò requirebant: hæc verò omnia complectitur ſymptomata, quæ ſingularem, maximam, & omnibus numeris ſummam plenitudinem ſignificant, vt illi in vna tantùm magna, & qua fortè nulla maior eſſe poteſt, plenitudinis ſpecie venæ ſectionis adminiſtrationem reponerent, fateamur neceſſe eſt. Itaque cum Empiricus fateatur ſe duntaxat in ſyndrome plethorica, adeóque in magna plenitudine ad venæ ſectionem aggredi, Aduerſarius itidem profiteatur, ſe in ſanis, ægrotiſve eiuſmodi vti remedio, cum magna eſt plenitudo, quæ ſcilicet facilioribus nequeat ſanari præſidiis, mihi quidem certè tantum videtur abeſſe, vt aliqua inter eos ſit diſſenſio, vt vtrique omni ex parte inter ſe mirabiliter conſentiant. Aduerſar. [*Empirici citra plenitudinem nunquàm ſanguinem mittunt: nos verò in plenitudine quidem admittimus gratia vacuationis, citra plenitudinem autem, reuulſionis ergò.*] Maſs. Quomodo hæc poſtrema verba cum ſuperioribus, fortè etiam poſterioribus conueniant, plenitudinem eſſe verum ſcopum miſſionis ſanguinis in omni miſſione ſanguinis plenitudinē, vel præſentem, vel futuram, vel vniuerſalem, vel particularem neceſſariò requirit, ipſe viderit. Aduerſ. [*Empirici ſolam plenitudinem in actu conſiderandum duxerunt: nos verò eam etiam, quæ futura eſt.*] Maſs. De futura plenitudine iam diximus quod eſt ſatis; neque eadem ſunt rurſum ineptè repetenda. Aduerſ. [*Tandem Empirici ſolam admittunt vniuerſalem plenitudinem. Nos verò vniuerſalem, & particularem, neceſſariā eſſe tradimus.*] En (ſtudioſe Lector) quam apertè Aduerſarius fateatur, ac profiteatur, quod modo dicebamus; In miſſione ſanguinis plenitudinem cum præſentem, tum futuram, cum vniuerſalem, tum particularem eſſe neceſſariam: vno verbo, ſine plenitudine ad huiuſmodi præſidium nunquam eſſe deueniendum. De particulari plenitudine ſtatim ſermonem habebimus. Sed hac quoque in parte Aduerſarius deteriorem, quàm Empiricus opinionem tuetur. Etenim ſi vniuerſalis plenitudo, quæ multò magis indicatrix ſectionis venæ ſtatuenda videtur, nihilominus à Galeno prorſus reiicitur, omnis ratio colligit plenitudinem particularem; quæ multò minus videtur id remedium poſſe indicare, longè magis eſſe reiiciendam. Aduerſar. [*Rurſus autem, quemadmodum morbus magnus, tum apud Galenum tū apud alios auctores dupliciter dicitur, vel actu, vel potentia: actu, cum partes omnes corporis ſanguinis redundantia turgent: potentia verò, cum vniuerſum corpus, aut eius determinata particula recipere multitudinem debet; vt puta cum retento ſanguine, qui è mariſcis, aut ab vtero fluere conſueuit, veremur ne totum corpus plenitudine laboret, &c.*] Maſſar. Verba aut manca, & imperfecta, aut mirabiliter implicata. Quemadmodum morbus magnus dupliciter dicitur, vel actu, vel potentia, &c. quid ſequitur? quid huic reſpondet, fortè ſupplendū, ita duplex eſt plenitudo, tum actu, tū potentia: actu, cum omnes corporis partes, &c. ſed cum hæc vate, magis quàm lectore egeant, ad ea quæ apertè ſcripta ſunt, veniens, quæſo quid audio? An morbus magnus actu ille eſt, cum omnes partes corporis ſanguinis abundantia turgent: Potentia, cum vniuerſum corpus, aut eius determinata particula recipere multitudinem debet? Certè eſt, vt gratulemur humano generi, quòd magni morbi deinceps ex vna plenitudine, adeoque multo rariores, forte etiam multò leuiores debeant oriri. An hoc eſt, nihil præter Galeni diſciplinam aſſeuerare? Qui morbum magnum, cui conuenit venæ ſectio, tam præſentem, quàm futurum docet fieri tripliciter, aut *4. Meth. c. 6.* propter affectæ partis præſtantiam, aut propter affectus magnitudinem, aut propter cacoëthiam? Verum de re perſpicuè falſa, abſurda, & à vetere Hippocratica, & Galenica diſciplinæ aliena, ſuperuacaneum eſt pluribus agere. Aduerſar. poſt hæc. [*Nunc* (inquit) *ad diſputationem de plenitudine particulari cum noſtro antagoniſta reuertor. Primum doceo Galenum hanc ipſam admiſiſſe admodum euidenter: mox meam non redarguere opinionem, quæ ab illis dicuntur.*] Oleum, & operam libenter perdit noſter antagoniſta. An ego vnquam negaui, apud Galenum, apud naturam partem aliquam noſtri corporis poſſe aliqua humorum fluxione tentari, aliquo tumore præter naturam male affici, ampliorem fieri? Verum illud addo in præſentia, nunquam Galenum huiuſmodi affectus nomine particularis plenitudinis donare conſueuiſſe. Qui *De Sang. Miſſ. c. 4.* ſcribit, interdum in partibus quibuſdam corporis non in vniuerſa eius mole, ſigna conſpici illis in partibus conſiſtentium affectuum, ſimilium iis, quales vtique in toto corpore ſolent conſiſtere. Ac ſanè vbicumque ille plenitudinem, vniúſque illius differentias tractat, nunquam memini aliquā huiuſmodi particularis plenitudinis mentionem ab eo factam fuiſſe. Sed huic miſero ſæculo fatale eſt homines non ſolum cogitationibus, ſed etiam nominibus nouis mirabiliter delectari, ac triumphare. De quorum inſcitia aliàs diximus. Nos

porrò

De Sang. Miſſ. cap. 10.

portò aduerſus huiuſmodi ſomnia futuræ, & particularis plenitudinis ſic argumentabamur. Si altera plenitudo, in qua vel vnicus ſanguis, vel ſimul cuncti redundant humores, & quæ totum occupat corpus, quam plethoram ſimpliciter diximus, per ſe non poteſt venæ ſectionem indicare, an non communi loco dialectico facile vnuſquiſque poteſt colligere, multò minus alteram id poſſe præſtare, quæ minus verè, neque ſimpliciter, ſed cum additamento dicitur plenitudo pituitæ, bilis, melancholiæ; vel quæ haud totum corpus, ſed vnam duntaxat partem occupat? Aduerſarius autem ad hæc. [*In primis*, inquit, *non admitto antecedens illud tanquam vniuerſale, vt illi, ſed tanquam indefinitum. Deinde non loquor de illa plenitudine notha, quæ magis eſt quædam cacochymia, vt ex Galeno explanauimus, quàm exquiſita plenitudo. Mox verò tandem concedo quidem ſanguinem interdum mitti debere ſine plenitudine vniuerſali, ſine plenitudine particulari, vt cum reuulſioni intendimus, & indicationem ſumptam à particula fluxione tentata explemus.*] Quod itaque ad primam Aduerſarij reſponſionis partem, qui noſtrum antecedens non admittit, niſi tanquam indefinitum, reſpondeo, id parui omnino intereſſe; quid, & quomodo ille admittat, vel non admittat. Mihi eſto ſatis, Galenum, quem pluris facio, quàm ſexcenta millia aduerſariorum, illud admittere, probare, docere, tanquam vniuerſale, primum, per ſe, de omni, neceſſarium, neceſſariò demonſtrans, tanquam vetuſtiſſimum, & certiſſimum Hippocratis decretum; quod nullis nouatorum argutiis, nullis ſophiſtarum fallaciis, nullis hoſtium machinis euerti, aut labefactari vnquam potuit, neque (vt ſpero) vnquam poterit. De propoſitione indefinita, quam Aduerſarius vocat, poſterius loco opportuniore ſermonem habebimus. Quod verò ſpectat ad alteram partem, equidem fateor me non intelligere, quid ille ſibi velit. [*Non loquor* (inquit) *de plenitudine notha, quæ magis eſt quædam cacochymia, quàm exquiſita plenitudo.*] Ad defendendum, & illuſtrandum vetus Hippocratis, & Galeni decretum aduerſus fautores plenitudinis, equidem ipſe mihi triplicem plenitudinem obiiciebam: futuram, cum additamento particularem: quas potiſſimùm audiebam illos comminiſci: ſtatimque de futura plenitudine ſermonem habiturus, aduerſus alias duas, ex vulgari loco dialectico à maiori ad minus argumentationem conficiebam, qualis iam poſita eſt. Ad quam certè ille debuit reſpondere. Quid enim obſecro te, ad nos pertinet, vtrùm ille de notha, an legitima plenitudine loquatur? Id populus curat ſcilicet. Verùm neque id poſſum diſſimulare; iſtæc nomina exquiſitæ, & nothæ, plenitudinis fuiſſe nouatorum inuentum, Galenóque inſolita; qui plenitudinem ſimpliciter πλῆθος, & πληθώραν vocat; quotieſcumque vel vnicus ſanguis, vel omnes æqua parte humores creſcunt: plenitudinem cum additamento ſanguinis, pituitæ, bilis, melancholiæ, cum ſinguli humores ſimul cum ſanguine augentur. Quod ille cum aliis locis, tum maximè proprio libello de Plenitudine luculenter demonſtrat. Sed nobis hoc tempore omnia vetera ſordent, nec niſi noua nos delectant. Illud certè non poſſumus non magnopere mirari, non in præſentia repetere; qui venerit illi in mentem, vt, dum ſcopum principem, proprium, & veriſſimum quærimus ipſius venæ ſectionis, ipſe talem proponat, qualis plenitudo eſt, ſine qua tum vniuerſali, tum particulari, ille ipſe fatetur interdum venæ ſectionem conſtare. De vltima parte reſponſionis non eſt, vt plura dicamus: de qua ro ſemel, atque iterum, ſatis, ſuperque diximus. Itaque ad poſtremum caput progrediamur.

AD CAPVT XI.

De plenitudine ex Aduerſario, de optimis authoribus eligendis.

HOc poſtremo capite Aduerſarius ſe explicaturum profitetur, quidnam de plenitudine ex ſua ipſius opinione ſentiendum ſit. Ego verò, cui nihil curæ eſt, quid ille, vel alij nouatores ſentiant, & qui ſatis habeo Galeni ſententiam intelligere, ſicuti ex vna parte vnica litura ſtatui ad illud reſpondere, ita ex altera non poſſum ſtudioſos non monere, immò etiam rogare, obſecrare, pérque omnia ſacra obteſtari, vt ab huiuſmodi doctrinis, nouis, præter, & contra Gal. diſciplinam, tanquam à peſte ſibi caueant: toti autem ſummis viris, Hipp. in primis, Ariſtoteli, & Galeno ſe dedant; qui certè, ſi rectè intelligantur, nunquam falli, nec fallere poſſunt; ſempérque, & præclarè docent: ſicuti alteri homunciones, quotieſcumque ab illis defectionem faciunt, perpetuò falluntur, ac fallunt; neque aliud, quàm nugas, ambagéſque docent, & quæ omnino tandem oporteat dediſcere. Cæterùm cum equidem nihil magis ſtudeam, quàm ſumma breuitate quantum fieri poteſt, perpetuò vti; quoniam mihi videor Galeni doctrinam de plenitudine in noſtra Diſputatione ſatis breuiter, & perſpicuè explicaſſe; ſuperuacaneum exiſtimaui in præſentia quoque eadem repetere, & actum agere. Quare mihi ſtatutum eſt hanc partem prætermittere, ſtudioſóſque ad eum locum legare; qui quidem ſi Galeni doctrinam cum doctrina Aduerſarij voluerint comparare, facile intelligent, quid diſtent æra lupinis. Quandoquidem Gal. perſpicua quadam breuitate, hanc totam rem ita explicat, vt ſine labore eam poſſis intelligere, ac memoriæ mandare. Aduerſarius autem, cæterique nouatores, adeò perplexè, confusè, prolixè: in hoc argumento verſantur, iórque in primis noua nomina introducunt, plenitudinem exquiſitam, plenitudinem non exquiſitam; plenitudinem cacochymicam, cacochymiam plethoricam, & alia id genus, quæ illi quotidie ſibi fingere, & comminiſci nunquam deſinunt, vt diſpeream, ſi quis eſt tam excellentis ingenij, tàmque tenacis memoriæ, qui poſſit huiuſmodi chaos intelligere, & recordari. Itaque maximè velim, homines diſcant (quod me iuuat millies repetere) bonas artes, & diſciplinas à bonis authoribus ſibi comparare. Quo autem præcepto mihi liceat huic tertio libro finem imponere.

LIBER QVARTVS.

DISPVTATIO IV.

An pueris ante annum decimumquartum tutò ſanguis mitti poſſit ſecta vena.

QVARTVS hic liber continet quatuor Diſputationes. Primam, an pueris ante annum xiiij. liceat ſanguinem mittere Secundam, an cum virtute imbecilla ſanguinem mittere oporteat: Tertiam, an auctor quarti libri de Rat. Victus, accuratè, præclarè, & grauiſſima oratione ſcopos ad miſſionem ſanguinis requiſitos propoſuerit. Poſtremam, an Aduerſ. rectè explanauerit

contextum

contextum xix. lib. 4. de Rat. Victus, &c. Duæ, poſteriores, quæ nihilominus, ſicuti in vno, atque eodem argumento verſantur, ita vnica Diſputatione mihi videntur commodè potuiſſe abſolui, quàm maximè ad noſtrum principale inſtitutum pertinent: cum ea ſententia, de qua agitur, ſit propemodum totius noſtræ Diſputationis fundamentum: ex cuius firmitate & conſtantia, vel infirmitate & inconſtantia certum ferè de vniuerſa cauſa iudicium, ac definitiuam ſententiam licet pronunciare. Itaque neceſſe habebimus omnes de hac duplici diſputatione Aduerſarij cogitationes, & rationes ſigillatim, & accuratè examinare, quæcumque ab illo, vel pro ſua ipſius opinione, vel aduerſus Hip. & Gal. ſententiam afferuntur. Quod porrò ad duas priores pertinet, etſi mihi videbar iure, ac meritò poſſe vtramque prætermittere, idque ferè ſtatutum haberem, cum ambæ à principali noſtra controuerſia, de Scopo Vehementiæ morbi, ſint alienæ, tamen cogor neque eas prorſus negligere, cum propter alios, tum maximè propter eam cauſam, vt ſtudioſi intelligant, Aduerſarium non ſatis habuiſſe vnum miſſionis ſanguinis principem ſcopum oppugnare, ſed alios quoque duos voluiſſe labefactare, & corrumpere; illumque omni ex parte à Gal. deficere, atque eo quidem Gal. quem tantopere colit, & admiratur, vt profeſſus, & pollicitus fuerit, ſe nihil aſſerturum, quod illius ſententiæ, & doctrinæ non conſentiat. Itaque mihi ſtatutum eſt duas quoque priores Diſputationes, atque earum pondera examinare; veruntamen ſic, vt breuiter, quantum fieri poteſt, liceat mihi ab huiuſmodi moleſtia me explicare.

AD CAPVT I.

Aduerſarij, ac noſtrum iudicium de vniuerſa Diſputatione.

ADuerſarius ante omnia ſuam de propoſita Diſputatione ſententiam pronunciat, inquiens [*ita quidem ſentio. Pueris ante annum decimumquartum aliquando ſanguinem tutò mitti poſſe ſecundum Gal. principia.*] Quæſtio, vtrum pueris ante annum 14 liceat ſanguinem mittere, nec ne, mea ſententia, poteſt dupliciter agitari: vno modo generaliter, ac ſimpliciter: altero ſingulariter, & reſtrictè, quid ſentiendum ſit ex Gal. ſententia. Aduerſarius porrò poſteriorem modum videtur amplecti: qui ſtatuit eiuſmodi pueris, ſecundum Gal. principia ſanguinem tutò mitti poſſe. [*Duplex* (ille inquit) *eſt aſſertionis huius fundamentum: primum ſtabile, & valde firmum, quod ratio ipſa cum experientia coniuncta omnino ſic fieri debere ſuadeat. Deinde verò, quòd inter cæteros authores profiteatur hanc medendi rationem non eſſe à Galeni doctrina alienam.*] Quod ſi hæc lis tantummodo ex Galen. principiis, ac diſciplina fuit definienda, fruſtra Aduerſarius ratione, & experientia videtur agere: ſiquidem fieri poteſt, vt ratio, & experientia omnino ſic fieri debere ſuadeat, nihilominus Gal. aliter ſentiat. Itaque ille iure potuit, ac debuit in poſteriore fundamento acquieſcere, & probare Gal. fuiſſe in ea opinione, pueris ante annum decimumquartum tutò ſanguinem mitti poſſe: aut ſi voluit quæſtionem rationis, atque experientiæ arbitrio tractare, debuit eandem quoque generaliter afferre; ratione, experientia, & omnibus modis ſuam aſſertionem comprobare, ac tueri, demúmque Gal. teſtimonio, & doctrina confirmare. Sed omnes illius propoſitiones, vt ſunt magnificæ, ita non ſatis diſtinctè, & ordinatè videntur eſſe diſpoſitæ. Nos autem, vt ad ordinem ab illo inſtitutum, noſtram quoque Diſputationem referamus, neceſſarium eſt.

Cæterum antequam incipio, mihi libet breuiter ea repetere, quæ olim de hac ipſa controuerſia diximus. *Diſp. de ſcop.* Summa verò eſt, Hip. & Gal. in numero ſcoporum principum ætatem repoſuiſſe: Gal. huic decreto eam interpretationem adhibuiſſe, vt illud ad ſolos pueros pertineat: qui etſi valent facultate vitali, tamen quòd eorum ſubſtantia partim ob inſignem humiditatem, partim ob temperamenti caliditatem, omnium facillimè digeratur, & diſſipetur, miſſionem ſanguinis non bene ferant: cum altera ex parte ſenex, non propterea quia ſit annoſus, ſed propter vnam virium imbecillitatem eiuſmodi remedium nequeat ſuſtinere: hanc Gal. interpretationem non omni ex parte certam, atque exploratam videri: quod ſiue propter excedentem humiditatẽ, ſiue propter calidius temperamentum, ſiue quomodocumque pueri non perferant ſanguinis miſſionem, tandem ad rationem virium oporteat deuenire: Galen. fortè propter aliam cauſam ſectionem venæ pueris interdixiſſe; quòd remedium ſit in hac ætate ſupervacaneum, illique inſitam, ac naturalem à temperamento vacuationem habeant; vt alterius non indigeant. Quo demum loco hæc à nobis ſcripta ſunt. Verum enimuero, vtcumque ſe res habeant, nolim quanquam de hac quæſtione valde eſſe ſolicitum; cum ea ferè ſit logica, & nullius momenti; & vtrouis modo ſentias, pro certo habendum eſt, nullo pacto pueris de Gal. ſententia venæ ſectionem conuenire. Atque quidem te id ſcire quam maximè velim, me hæc attuliſſe in primis ad excitanda, & exercenda ſtudioſorum ingenia; minimè verò ad infirmandum, & conuellendum Hippoc. & Gal. decretum; quod interim ſuſcipio libenter: qui candidè fateor, niſi quæ modò diximus ad hanc rem ſunt ſatis accommodata, me fortaſſe ad hanc diem illorum mentem exactè aſſequutum non eſſe. Sed rurſum hæc quoque à nobis addita ſunt: Plurimos eſſe hoc tempore, vel nobiles, & eruditos medicos, qui hunc ætatis ſcopum inter principes non recipiunt, ſed potius inter ſecundarios reponunt, qui magis quantitatem, & modum vacuationis, quàm ipſam vacuationem indicant: Non deeſſe, qui argutis quibuſdam ratiunculis contendunt Gal. quoque in hanc ſententiam adducere: illumque pueris non ex toto, ſed pleniore duntaxat, ac vberibus vſitata miſſione ſanguinis interdicere: Nonnullos naturæ exemplum obiicere, quæ in pueris fluxionem ſanguinis è naribus, vel alia parte conſueuit excitare ſine vlla virium iactura: Alios quotidianum afferre experimentum, aſſeuerantes quamplurimos pueros miſſione ſanguinis frequenter, & feliciter à grauiſſimis morbis liberari: Omnes demum exemplum, atque authoritatem Auenzoar medici Arabis afferre, qui, referente Auerroë, proprio filio agenti annum tertium venam ſecare non eſt veritus. Quibus omnibus pro viribus ſatisfacere conati ſumus. Quo itidem loco hæc ſcribimus: Vtcumque autem hæc ſe res habeat, præter rationem, præter Hippocratis, & Galeni mentem, atque adeo temerè nos exiſtimamus pueris venam ſecari ante annum decimumquartum vt ſuprà diximus; neque vllam te temeritatem eſſe laudandam. Hæc de ætate, tertio principe ſcopo mittendi ſanguinis in noſtra Diſputatione à nobis ſcripta ſunt: quæ (ni fallimur) perſpicuè, ac breuiter omnia complectuntur, quæcumque Aduerſarius tota peculiari longiſſima Diſputatione voluit complecti, & amplificare, Quam tempus eſt vt proſequamur.

AD

AD. CAPVT II.

Rationes Aduerſarij, ante decimumquartum annum ſanguinem mitti poſſe.

SIT ergò (ille inquit) *hypotheſis noſtra Diſputationis. Ætatem indicare propter vires, vel quatenus refertur ad corporis habitum vel ad humidum, calidumque temperamentum; atque admittere, vel non admittere generoſum hoc remedium, quod vires ferre, aut non ferre poſſunt.*] Cum Aduerſ. ſuæ hypotheſi conſentiens varias hoc capite rationes afferat, quibus nititur probare aduerſus Galenum, in deliberatione mittendi, aut non mittendi ſanguinis, eatenus conſiderationem ætatis id remedium vel permittere, vel prohibere, quatenus ex ea licet virium firmitatem, vel infirmitatem colligere, equidem iure potuiſſem huiuſmodi rationes, totamque hanc partem omittere; qui alias ingenuè confeſſus ſum, Galeni interpretationem mihi quoque nonnihil duram, & difficilem videri; nullamque certam rationem me hactenus potuiſſe inuenire, quæ hunc mihi ex animo ſcrupulum protſus euellere poſſit. Veruntamen nequiui eas planè ſilentio diſſimulare, quòd ſperem neque tractationem huius loci ſtudioſis vel iniucundam, vel inutilem futuram. Itaque ad rem aggrediamur.

Prima aduerſaria ratio eſt huiuſmodi. [*Primi atque principes ſcopi indicant mittendum eſſe aut non mittendum ſanguinem: ſed ipſa ætas non eſt primus, principaliſve ſcopus: ætas igitur ipſa non indicat mittendum, aut non mittendum ſanguinem.*] Ratio gratioſa. Primùm verò ſciant tyrones, qui tanta Aduerſarij diligentia inſtituuntur, huiuſmodi argumentum nullius eſſe momenti, cum ſit ex minore negatiua in prima figura: qui eſt modus inutilis, vt Ariſt. in lib. *Priorum.* & ratio docent. Inquit enim. Primi, ac principes ſcopi indicant mittendum ſanguinem; aut non mittendum: ætas non eſt primus, principaliſve ſcopus; ætas igitur non indicat, &c. Quod quidem non ſequitur. Id quod vel ex eò licet intelligere, quoniã ætas non eſt princeps ſcopus, tamen aliquando indicat non mittendum, &c. Deinde quæro quinam ſint primi ſcopi, ac principes, qui indicant ſanguinem mittendum eſſe aut non mittendum? Ac ſi reſpondeat, eſſe magnitudinem morbi, ac robur virium, quid aliud quæſo reſpondet, affirmat, & fatetur, quàm quod millies negauit, millieſque negaturus eſt? Præterea Aduerſarius tanquam manifeſtum, & certum aſſumit, quod maximè dubium, & incertum eſt, quodque eſt in primis in controuerſia poſitum: neq; ætatem non eſſe primum principaléve ſcopum. Nec ſanè illius comprobatio aliquod momentum habet. Etſi enim Gal. vno, vel altero loco ſcribit, duos tantummodo eſſe ſcopos, magnitudinem morbi, & robur virium, nihilominus centies inſuper tertium, vigorem ætatis apertiſſimè illis adiungit. Quod iam ſuperiùs demonſtrauimus; fortè poſterius quoque ſumus demonſtraturi.

Secunda ratio talis eſt. [*Deinde verò aliud etiã conſtat, idem fieri debere iudicium de ætate, quod de temperamento fit, ac de habitu corporis, quæ non indicant primò, ac principaliter; verùm mediantibus ipſis viribus, & ſecundo quodam loco.*] Ac deinceps longiore oratione, de habitu corporis, & temperamento ſuo more multa diſputans concludit ætatem, ſicuti habitum corporis ac temperamentum, minimè ſectionem venæ, ſed ſectionis venæ modum, & quantitatem indicare. Cæterum facile eſt huius quoq; rationis fallaciam animaduertere; quæ procerto aſſumit, omnibus pueris poſt xiiij. annum venam ſecari poſſe etiamſi molles fuerint, &c. Namque ita argumentum valeret: ſed pueri ante xiv. annum ſi fuerint habitus denſi, &c. non facile difflantur; ergò aut æquè, aut fortè etiam meliùs, quam molles poſt xiv. ſectionem venæ poſſunt ſuſtinere. Verùm ſecus res ſe habet: ſiquidem Galenus etiam poſt annum xiv. ſi pueri ſint habitus mollioris, coloris albi, &c. iubet aut ſanguinem non eſſe mittendum, aut parcè mittendum. Quare comparatio habitus denſi, vel rari, vnius corporis ad alterum fieri non debet, ſed vnius in vna ætate ad ſeipſum in altera: qua collatione verum eſt, ac certum corpus puerile, quamuis denſum ratione alterius, tamen ante annum xiv. ſeipſo eſſe rarius, ac facilius difflati, maiorémq; habere vacuationem, quam illud ipſum poſt xiv. annum ſit habiturum. Quamobrem Socrati, cui poſt xiv. annum licet ſanguinem mittere, ſi denſi habitus fuerit, ſine quo, ne tum quidem id liceret, ante annum xiv. nullo modo licet. Sed hæc tranſeant: cumque nolim, nec debeam ad ſingula reſpondere, vnica reſponſione ſtatui me ab huiuſmodi ratione explicare. Reſponſio autem eſt Galeni: qui ſeriò volens medicos docere, quinam ſint ſcopi principes miſſionem ſanguinis verè indicantes; & quinam ſint ſecundarij, qui non miſſionem ſanguinis, ſed quantitatem vacuationis deſignant, ætatem inter priores, minimè inter poſteriores recenſet, ita inquiens. *De Sang. Miſſ. cap. 9.* *Tribus itaque ſcopis mittendi ſanguinis definitis, magnitudine nimirum morbi, aut præſente, aut imminente, aut incipiente, vigente ætate, & robore virium extra puerorum ætatem ad alias mittendi ſanguinis notas, quas non pauci medici adiecerunt, accedamus; qui quantitatem quidem detractionis, non ipſam miſſionem ſanguinis ſimul indicarunt. Proinde è morbo, ætate, & viribus, quòd mittendus ſit ſanguis cognoſcitur. Quantitas autem vacuationis non ſolum ex illis, ſed & aliis deprehenditur. Hæc verò ſunt plethorica vocata ſyndrome, ambientis nos aëris temperatura, in tempus, & regionem diuiſa, quæ in antè acta vita circa ciborum tum qualitatem, tum quantitatem acciderunt: excretiones item, ac motiones aut factas, aut non factas.* Hæc Galenus. Quæ certo tertius confirmant, de illius ſententia, ſcopum ætatis minimè modum, & quantitatem vacuationis, vt placet Aduerſario, ſed ipſam venæ ſectionem indicare. Ex quibus facile eſt intelligere quàm iſtæc ratio inani fundamento nitatur, quamque ſit infirma, & ſine ratione.

Itaque ad tertiam progrediamur, de qua aduerſarius ſcribit ad hunc modum. [*Id remedium cæteris præponendum eſt, quod tutiùs, citiùs & iocundiùs ſanare poteſt ægrotum: atqui venæ ſectionis, præſente indicatione, hac ipſa tutiùs, ac citiùs, & iocundiùs ſanare poteſt, quam alia vacuantia præſidia: ergò venæ ſectio cæteris omnibus in pueris tanquam ſecurior præponi debet.*] Ratio recondita Argumentatio artificioſa. Quæſo n. quis æger eſt adeo ſtolidus, niſi ſimul corpore, & animo ægrotet; qui, ſi illi duo offerantur præſidia; quorum altero tutò, citò iocundè, altero periculoſiùs, tardiùs, iniucundiùs poſſit ſanari, non illud facile, ac libenter præponat, amplectatur? Præterea quæ prodigioſa hæc eſt argumentandi ratio? Vtraque maior, & minor propoſitio, vt dicitur, communis eſt, & ad omnes ægrotos pertinet: concluſio ſingularis eſt, & vnos pueros complectitur. Sed non ſolum notatione, ſed etiam admiratione eſt dignum, Aduerſarium frequenter pro certis, & confeſſis accipere, quæ omnium maximè dubia ſunt, & controuerſia;

trouerſa, ſicuti ille in præſentia facit: qui aſſumit tutios in iis pueris, citiùs, iucundiùs, &c. venæ ſectionem conoenire: quod tamen eſt dubium, in controuerſia poſitum, immo verò falſum. Nec ſanè allata ratio quicquam facit, quoniam venæ ſectio propter eam præcipuè cauſam tutior eſt, quia medicus ſolius huiuſmodi vacuationis liberam habet ſiſtendi poteſtatem, quandocunqoe illi placuerit, aliorum autem nullius, vt Galenus docet. At verò ſi alia conſiderentor, fieri poteſt, vt ſit minus tuta, veluti ratione ætatis, quæ innatam habet euacuationem. Imminò hæc potiſſima eſt ratio, propter quam hoc remedium in pueris ante annum decimumquartum tutum non ſit, quam certè Aduerſarius debuit ſoluere.

De ſang. miſſ. cap. 11.

Sed reliqua perſequamur. [*Pro dilucidatione rationis huius ſciri quidem velim ſupponere me puerum, octauo ætatis anno, aut paulò grandiorem, aut minorem, eius temperamenti, & habitus, cuius in ſuperioribus memini, pati febrem ardentem ex putredine ſanguinis biliosi, in venis maioribus procreatam: huic certiſſimum eſt conuenire venæ ſectionem, & etiam purgationem: ponamus non poſſe fieri vtramque, ſed oportere alterutram eligere; quis dubitabit eligendum eſſe ex duobus, quod citiùs, tutius, & iocundius ſanet?*] Maſſat. Magna, & multa meſſis nobis proponitur. Quot iis paucis verbis notatione, fortè etiam admiratione digna ſe nobis offetunt? Ex quibus liceat nobis quædam tantummodo fragmenta colligete, ne peteant. Ac primùm quidem ille ſupponit puerum, octauo ætatis anno, aut paulò grandiorem, aut minotem, eius tempetamenti, & habitus cotporis, cuios ſuprà mentionem fecetat. Sed quid, ſi puer fuerit quadrimus, quinquennis, ſexênis, hoc ipſo temperamento, & corporis habitu præditos? Quid ſi puer ſeptem, octo, nouem annos natus, ſed alium corporis habitum, aliod temperamentum nactus fuerit? Quid (inquam) de iis ſtatuendum eſt? Quòd ſi teſpondeat ſe valde pueros à ſectione venæ excludete, vt aliquando teſpondet. [*eos ſolum, qui infantes nuncupantur, ſuntque admodum proximi ortui, quales rectè nuncupabimus anno natos primo, vſque ad quintum, aut fortaſſis parum vltra*] ille ſciat ſuas rationes pro infantibus quoque poſſe afferri: quibus vix annum ſecundum, aut tertium natis, plurimi, potiſſimum (vt audio) in Hiſpania, ratione itidem, atque experientia nixi, ſi quis vrgeat morbus periculoſus, non verentut ſanguinem mittere. Namque ſi Aduerſarij principia, argumenta & rationes ſequamnr, paritet ad nuper natos ratio ſoretica nos ducere videtur. Quia ſicuti qui habitus ſunt denſiotis, octauo inquam anno, paulò poſt, aut paulo ante miſſionem ſanguinis ad decem, vel vndecim vncias, pet duas vices bene poſſunt perferre; ita ſi quis adhuc denſioris ſit habitus, ante ſeptimum, ſexto, & quinto, & quarto venæ ſectionem ad ſex, vel ſeptem vncias ſanguinis, ſi non vna, aut duabus, ſaltem tribus vicibus optimè feret: ac poſtremò qui denſiſſimi habitus fuerit etiam ſecundo, & primo anno, fortè & primo die venæ ſectionem poterit perferre, ad tres vncias, ad duas, ad vnam, tribus, quatuot, quinque vicibus, vt libet. Hoc ſoreticum eſt argumentum, ſophiſtis familiare, à quo Gal. monet eſſe abſtinendum. Id verò potiſſimum fit, ſiſtendo gradum in aliquo primo, quale eſt in præſentia, ex Galen. & præſtantiſſimorum medicorum ſententia, vt decimumquartum annum terminum ſtatuamus, ante quem non liceat, poſt quem liceat ſanguinem mittere. Non qoidem quòd ætates certis quibuſdam annis, aut diebus incipiant, vel finiant, cum magna omnino ſit earum latitudo, ſicuti rerum ferè omnium, quæ ad corpus humanum ſpectant; ſed quoniam in his, in quibus hic proceſſus per gradus in infinitum fugiẽdus eſt, vt qui nos facilè in errores deducere poſſit, certus quidam terminus ſtatuendus eſt, qui medicæ coniecturæ, quam Gal. ſcribit propè ad veritatem accedere, terminus ſit, regula, ac veluti lex, quam ſine periculo præterire non liceat. Puer itaque octauum circiter annum agens, &c. laboret febre ardente ex putredine ſanguinis bilioſi, &c. [*Huic certiſſimum eſt conuenire venæ ſectionem, ac etiam purgationem.*] Quid audio? certiſſimum eſt in febre ardente ex putredine ſanguinis bilioſi venæ ſectionem conuenire? Quæſo, lector, quomodo hæc iis conueniunt, quæ alias ab Aduerſario diſputata ſunt? Non ſemper mittendum eſſe ſanguinem in ardenti febre, etiamſi vires valeant, & magnus fuerit morbus? In hac febre ſaluberrimum eſſe abſtinere à venæ ſectione? [*Ac etiam purgationem.*] Certè quidem ſi Aduerſ. velit ſuorum principiorum meminiſſe, atque illius potiſſimùm; indicationes ſumi à natura morbi, in quo tantopere ſolet triumphare, iure, ac meritò in præſentia docet febri ardenti, in qua nulla ſanguinis copia, ſed vnus redundat humor bilioſus, purgationem conuenire. Quomodo autem altera ex parte iſtud quoque doctrinæ Hipp. & Gal. conſentiat, qui cum aliis in morbis, tum maximè in febribus, ſine humorum coctione, purgantia deteſtãtur medicamenta, ipſe viderit. Ac ſanè mirum eſt, hunc hominem, qui ſectioni venæ vſque adeò infenſus eſſe conſueuit, qui generaliter in morbis, illius vſum rarum, ſpeciatim in febribus, vel in genere, vel in ſpecie, vt ipſe loquitur, rariſſimum, ac proprè nullum eſſe contendit, quòd peculiari diſputatione de ſanguinis miſſione in febribus palam fiet; qui purgantia medicamenta ferè ſemper illi non veretur anteponere, nunc tales, & tantas ſecuritatis, & vtilitatis laudes huic remedio tribuere; contra autem purgantia medicamenta tot, & tantis incommodis, periculiſque onerare, vt hæc certè vix, aut ne vix qoidem videantur vlla ratione poſſe inter ſe componi, & conoenire. Sed ad poſtremam rationem venio. [*Pueritia ita ſeſe habere videtur mihi ad vacuationem artificialem, quemadmodum ad inediam, tenuémque victum. Etenim inediam ipſam vacuare multitudinem corporis conſtat, & à Galeno, &c. At verò pueri non ferunt inediam Qui creſcunt (dicebat Hipp.) plurimum habent calidi innati; quo fit, vt plurimo egeant alimento, &c. Hæc licet veriſſima ſint, nihilominus tamen accidere non rarò conſpicimus citra damnum pueros & inediam, & victum tenuem ferre, &c.*] Turpe eſt Aduerſariom, qui ſpeciatim excellentem Dialecticum ſe profitetur, tam frequenter, ac leuiter in Dialectica peccare: quod in præſentia quoque illi euenit. Siquidem vno verbo facile eſt intelligere, poſtremum hoc argumentum eſſe à minore ad minus affirmatiuè; quod nullam vim habet: namque longè minus eſt ferre inediam, quàm ferre venæ ſectionem. Quare hæc non valet conſequentia. Pueri ferunt inediam, ergo & phlebotomiam. Minus autem eſſe inediam, quàm venæ ſectionem ferre, tum res ipſa docet, tam Galeni authoritas confirmat apertiſſimè; qui ſcribit, magna hæc duo auxilia, venæ ſectionem; & purgationem non ſemper neceſſariò adhiberi: cum aliquando ſatis ſit minoribus vel præſidiis, inedia, frictione, &c.

Lib. 1. c. 14. prox. c. 4.

1. Loc. Affect. c. 1. 2. Dig. feb. cap. 8. De Marc. cap. 4 & alibi.

Lib. 2. diſp. cap. 11.

Sed rurſum quæſo hanc rationem parumper expendamus Si in pueris ætas, & inedia, quod ad corporis vacuationem pertinet, eiuſdem ſunt rationis: ſi pueri per Hipp. & Galen. inedia n ferre non poſſunt, quòd eorum ſubſtantia facillimè digeratur, & diſſipetur, equidem nequeo ſatis intelligere, quomodo hinc Aduerſ. colligat pueros poſſe venæ ſectionem ſuſtinere: cum potius hac ipſa

ratione liceat colligere, Puetos, neque inediam, neque ſectionem venæ, neque vllam inſignem vacuationem poſſe perferre. [*At verò licet hæc veriſſima ſint, nihilominus tamen accidere non rarò cõſpicimus citra damnum pueros, & inediam, & victũ tenuem ferre.*] Quomodo ex vna parte, quæ ab Hippocrate, & Gal. tradita ſunt? Pueros plurimo indigere alimento, inediam ferre non poſſe; alioqui eorum corpora conſumi; quomodo inquam hæc veriſſima ſint: altera autem ex parte non raro eueniat, vt pueri citra aliquod damnum inediam ferant; equidem fateor me id non ſatis adhuc potuiſſe conſpicere. Siquidem hæc nullo modo mihi videntur ſimul poſſe conſtare. Itaque, vt vel Hipp. & Galenus, vel Aduerſarius decipiatur neceſſarium eſt. De qua re alij ſententiam ferant.

AD CAPVT III.

An pueris venam ſecandam experientia comprobet?

DE experientia quam Aduerſarius hoc tertio capite iactat, qui affirmat pueros fluxionem ſanguinis, & quidem copioſam, vel à natura excitatam, vel ab arte inſtitutam bene, & feliciter perferre, aliàs diximus. Quàm quidem verborum ſeriem mihi libet iterum huc afferre, quod ita non ſolùm ad hunc locum, ſed etiam ad omnes Empiricorum iactationes, quas tam frequenter nobis obiiciunt, facilè poſſimus reſpondere. Ea verò ſunt eiuſmodi. De experientia quam plerique ſæpenumero iactant, paucis agendum eſt, qui mihi videntur huiuſcemodi argumento nimis licenter abuti, & planè quid experientia ſit ignorare. Etenim ſi experientia, teſte Philoſopho, quædam eſt particularium cognitio ex memoria reſultans, ab artis facultate parum omnino deficiens; non eſt credendum omnem euenientium rerum memoriam, experientiam eſſe, atque expertum hominem reddere, niſi ratio iudiciumque adhibeatur, quo ſit rationabilis ad ſimilia tranſitus, & ars quædam (vt ita dicam) particularis conſtituitur. Quamobrem iure Græcus Ariſtot. interpres, qui ſub Alexandri nomine circumfertur, primum librum Diuinorum exponens dixit; experientiam eſſe cognitionem rationabilem à memoria proficiſcentem. Atque hoc eſt, quod voluit Galenus, apud quem paſſim legere eſt experientiam non eſſe à ratione diuellendam; alioqui errorum, & periculi plenam eſſe, eique non eſſe omnino fidendum. Quod ſi tandem experientia quoque agendum eſt, nec certè nobis deſunt experimenta, quæ Aduerſario opponere poſſimus. Qui verè teſtari poſſumus nos aliquando nonnullos pueros, & puellas vidiſſe, & viſitaſſe, qui ex multa ſanguinis profuſione vel natura, vel arte facta fuerunt inſigniter refrigerati, & diſſoluti, vt ad malum corporis habitum, ad hydropem, & ad interitum deuenerit. Quibus fortè maior eſt adhibenda fides quòd illa cum Hippoc. & Galeni doctrinæ, tam rationi, ac rei naturæ planè conſentiant.

Lib. 1. de Poſt. pag. 14. init. 1 Met.

Sed iis præterea Trincauellij noſtri Anteceſſoris, viri doctiſſimi, & in Galeni diſciplina mirabiliter verſati, mihi libet ſententiam quandam adiungere, quæ itidem ad rem, de qua agitur, & ad confirmandam veritatem, quàm maximè eſt accommodata. Ea verò eſt huiuſmodi. *Quantum ad puerilem ætatem attinet, Græci quidem nulli, neque eorum princeps Galenus (quod ego meminerim) auſi ſunt pueris ante xiiij annum ſecare venam, quantumlibet magnus morbus vrgeret. Quod idem Gal. monet, cum poſt xiiij. ætatis annum, ſi magni morbi periculum immineat, illis ſanguinem mittendum eſſe, permittit, qui multo ſanguine pleni ſint; huicque nec tempus, nec regio, nec alia repugnent. Arabes verò alioqui in hac re audaciores fuerunt. Auenzoar enim auſus eſt filio ſuo ſeptenni ſanguinem mittere: quem deinde multi noſtrorum Latinorum, qui dum iuuenis eſſem, Venetiis, & Pataui medicinam exercebant, & ſenes erant, imitati ſunt, & valde teneris infantibus venam pertundebant. Quod tamen à me nunquam fuit probatum: videbatur enim id mihi fieri præter omnem rationem. Quod ſi aliquando bene res ſuccederet, ſæpe enim & malus ſequebatur illius rei euentus, id potius bonæ eorum fortunæ, quam rationi attribuendum putabam.* Hactenus Trincauellius. Atque hæc ad experientiam in qua Aduerſarius tantopere triumphat, & hoc tertium caput ſint ſatis, vbi duo verba dixero de exemplo Auenzoar, de quo ille ſic ſcribit.

Ad hæc memorabile accedit exemplum Auenzoaris magni medici. Auerrois teſtimonio, qui filio ſuo ſeptennali (non autem vt quidam dicunt trimo) pleuritide laboranti ſanguinem miſit; videturque Auerroes ab illo non diſſentire. Dixi ſeptennali puero non trimo (quamuis primo libro de Miſſ. Sang. trimum appellauerim puerum) quia certè nemo in ea ætate ſanguinem mittere fuiſſet auſus in tenello puero, ob eas cauſas, quas explanabo poſtea. Id vero notandum eſt, Aduerſarium parum diligenter ac fideliter huiuſmodi exemplum referre, Quod vt puto conſultò ab illo factum eſt, vt hunc ſcopulum deuitaret, cum ſit in ea opinione, Pueris ante ſextum, vel ſeptimum annum minimè ſanguinem eſſe mittendum. Itaque ſcribit, Primùm Auenzoarem filio ſuo ſeptennali ſanguinem miſiſſe, ac ſe excuſat, quòd aliàs trimum ſcripſerit, quoſdámque accuſat, forte meipſum, qui hunc puerum dixerim trimum fuiſſe. Deinde hunc puerum laboraſſe pleuritide. Demum Auerroëm ab illo Arabe medico non diſſentire. Quæ omnia, ſi ipſi Auerroi relatori credimus, falſa ſunt. Qui ſic ſcribit. *Non debemus minuere vſque ad duas annorum ſeptimanas ſecundum Galenum, quamuis natura ægritudinis hoc requirat manifeſtè: Et dixit Abumeron Auenzoar, Ego minui vnum meum filium trium annorum, & euaſit à morte.* Hæc Auerroës, qui apertiſſimè Galeni ſententiam probat; pueris ante annum xiiij. ſanguinem mittendum non eſſe: qui ſcribit filium Auenzoar fuiſſe trimum: qui demum pleuritidis nullam mentionem facit. Quod idcirco mihi libitum eſt animaduertere, vt ſtudioſi intelligant Aduerſario neque in referendis aliorum verbis, & ſententiis vndique fidem eſſe adhibendam.

Diſp. de ſep. pag. 56.

7. Coll. c. 3.

AD CAPVT IV.

An pueris conueniat ſanguinis miſſio ex Galeno.

ADuerſarius probaturus Galenum fuiſſe in ea ſententia, vt pueris ante annum xiv. liceat ſanguinem mittere, præuidit ſe magnũ opus omnino, & arduum conari: qui hunc in modum præfatur. [*Magis fortaſſis videbitur operoſum perſuadere ex verbis Galeni idem remedium conuenire, quòd extent quàm plures illius loci contrariam ſententiam approbantes: quódque communis ſit omnium ferè medicorum ſententia, qui in illius doctrina verſati ſunt, noluiſſe illum ante annum xiv. mitti ſanguinẽ poſſe. Ego ſane quicquid alij ſentiant de Gal. parũ curo. Quid ex eo authore ſentiã, dicã liberè. Aliorum poſtea ſit iudicium.*] At verò, vt præclarè dixit Ariſtot. περὶ τὸ χαλεπώτερον ἀεὶ καὶ τέχνη καὶ ἀρετή. *Et ars,*

Digitized by Google

Lib. 2. Moral. Nico. mach. *ars, & virtus circa id verſatur, quod eſt difficilius.* Aduerſarius parum curat, quid alij ſentiant de Galeno. Alij fortè nihil curabunt, quid ille de Galeno ſentiat, quid ille in vniuersū ſcribat, & doceat. Sed iſtos reconditos Gal. locos perpendamus. Primus ſit ex libro de Sectis, præclarus quidē, & verè dilucidus, in quo pueros, &c. Verba in c. 8. ſic habēt. *Cum experientia didicerint, nec ſenectute confectis, nec item admodum pueris, etiam ſi laborent plenitudine, venam ſecandam eſſe.* Hunc præclarum quidē, ac verè dilucidum locum Aduerſarius luculenter interpretatur. Neque verò in ſua interpretatione acquieſcens, longiorem quoque diſputationē commemorat, quam de hoc ipſo loco ille inquit cum duobus clariſſimis Romanis medicis ſe habuiſſe. Quæ equidem nihil curo, compertúmque habeo ſtudioſos nihil eſſe curaturos, quòd omnia prorſus inania ſint, & nihil habeant momenti. Ego verò primum reſpondere poſſem, multos doctiſſimos viros fuiſſe in ea opinione; hunc librum de Sectis, in legitimis Galeni libris non eſſe reponendum; quòd neq; illius doctrina, neque ſtylus ſingulare Galen. ingenium, & iudicium ſapiant. Quibus ego planè conſentio: qui aliquando ſuſpicatus ſum illius authorem fuiſſe Menodotum Empiricū, quem Gal. ſcribit aduerſus Aſclepiadem diſputaſſe. Sed
1. Nat. fa. cap. 14. aliud agimus in præſentia Eſtò. Sit Galeni. Quæſo locum parumper perpendamus: de quo id primū notandum eſt; Aduerſarium ſuo more aliter illum proferre, quàm apud authorem legatur. Etenim cum non liceat Græcum codicem conſulere, qui deſideratur, in Codice Latino, interprete Raſario, ſic ſcriptum eſt. *Ego enim pleriſque pleuriticis, qui florentem ætatem agerent, validis viribus eſſent, miſſum eſſe etiam à nobis ſanguinem ſæpè conſpexi: at in extrema ſenectute conſtitutum, aut paruulum admodum puerum, nec nos, nec quiſquam alius vnquam auſus eſt ſanguinis miſſione vacuare.* Interprete autem Linacro ita legitur. *Namq; pleriſque pleuriticis in conſiſtenti ætate conſtitutis, valentibuſque vidi ego ſæpè à nobis etiam ipſis ſanguinem mitti. Sed neque nos, aut in vltima ſenectute cuiq; aut puero nato admodum paruo, neq; quiſquam alter vnquam mittere eſt auſus.* Deinde eſt diligenter animaduertendum, quidnam hoc loco Galenus ageret, ac ſibi vellet. Qui hoc ipſo capite 8. introducit Empiricos quaſi loquentes, & contra Methodicos diſputantes, qui à ſolis affectibus curandi indicationes ſumebant, cōtendebántq; euidentia, ſiue apparentia conferens indicare, occulta autem nullam vtilitatem afferre. Itaque volens eorum inſcitiam redarguere, ſic inquit. *Cùm iidem ex omni parte affectus non eandem tamen omnino curationem poſtulent, ſed quandoque tam variam in diuerſis ætatibus, vt non ſola medicina menſura, atque modo, ſed etiam toto genere differant. Ego enim pleriſq; pleuriticis,* &c. Ex quibus manifeſtum eſt, Galen. propoſitum habuiſſe Methodicos refutare, qui omni prætermiſſa cōſideratione partium, naturæ ægrotam, temperamenti, ætatis, conſuetudinis, cauſarum morbi, & ſimilium, ſolis affectibus, atque euidentibus curandi indicationem accipiebāt. Quare præter cæteras obiectas rationes, conſiderationē quoq; ætatis voluit afferre, & demonſtrare, quod vni conuenit ætati, alteri non cōuenire; cum florentem ætatem gerentibus liceat, valde ſenibus, & valde pueris non liceat ſanguinē mittere. Quo igitur modo iſtæc Galeni ſententia aduerſariæ opinioni poteſt fauere? Galen. colligit non licere admodū pueris ſanguinem mittere: ergò admodū pueris licet ſanguinem mittere? Monſtruoſa conſequentia. An fortè pueri vj. vij. viij. annos nati admodū pueri non ſunt? Sed Galen. intelligit infantes, qui ortui ſunt proximi. Si quis iſtud neget, quomodo iſtud liceat cōprobare? Sed eſtò. Id quoque Aduerſario concedatur. Galenus pueros infantes intelligat. An propterea quòd non liceat infantibus ſanguinem mittere, hinc eſt colligendum in pueris aliquot annis natu maioribus poſſe huiuſmodi remedium adminiſtrari. Ego quidem certè hanc reconditam ratiocinandi vim non intelligo. Nónne vidit Aduerſarius hoc à Galeno fuiſſe aſſumptum de puellis admodum teneris, tanquam notiſſimum, & omnibus confeſſum; vt ne quis illi in controuerſiam id verteret; quod in præſentia facit Aduerſarius; non fuiſſe aſſumptum de pueris grandiuſculis, quod non erat neceſſariū, quod fortaſſe poterat ab aliquo negari, qui noſtri Aduerſarij ſimilis eſſet? Adeo vt iure doctiſſimi illi Romani medici dixerint, ex eo loco nihil certi pro Aduerſarij opinione colligi poſſe. Itaq; locus De ſang. miſſ. cap. 14. tam præclarus, & dilucidus omni ex parte, ac ratione in tenebroſum, ac vile ſophiſma mihi videtur degeneraſſe. De quo ſatis.

Aduerſarius deinde alterum Galeni locum profert, qui eſt huiuſmodi. [*Proinde minus detrahimus, quàm plenitudo ſuadeat; quod ad ætates quidem pertinet, in pueris; quod ad corporis habitum, in candidis, & quibus mollis, teneráque caro eſt, quales Galli ſunt; quod ad tempus, ſub Cane; ſimiliter etiam in regionibus* &c. *Quæ verba, licet videantur mihi dilucidare, quod quærimus, nihilominus non deſunt hac tempeſtate obſtinati quidam longè ſecus, quàm nos hunc locum interpretantes: fatentur enim eum locum fore intelligendum, non de ſanguine mittendo, aut non mittendo, ſed ſolum de quantitate: verùm diſſident in verbo, Pueris.*] Ego verò etſi hoc turpe obſtinationis nomen abhorreo, tamen nequeo negare, quin ipſe quoque ex huiuſmodi obſtinatis ſim vnus; qui puto Galeni loci non de mittendo aut non mittendo ſanguine, ſed de maiore, vel minore illius copia, nec de pueris infra, ſed ſupra xiiij. annum ſermonē habere. Vter porrò noſtrū, Aduerſarius, an ego ſit obſtinatior, res ipſa declarabit. Galen. autem loqui de vna quantitate mittendi ſanguinis facilè intelliget, quicunq; hoc totum caput legere non grauabitur, in quo ille multos colligit locos. ſanguinis fluentis impetum, mutationem in colore, & conſiſtentia, inæqualitatem pulſus, naturam & temperamētum ægri, conſtitutionem aëris ambientis, & alios id genus: ex quibus ſtatuit modò maiorem, modò minorem ſanguinis copiā eſſe detrahendam. Qui demum reſtatur, quibuſdam ſex libras ſanguinis commodè, nonnullis ſeſquilibram non ſine leui aliquo virium detrimento detractam fuiſſe. Itaque ſententia Galeni ab aduerſario poſita eſt huius doctrinæ veluti concluſio & epilogus. Quocirca minus detrahimus, quàm plenitudo ſuadeat, per ætates quidem in pueris; per corporis habitum; & quæ ſequuntur. Ac ſanè res eſt manifeſtior, quam vt pluribus ſit opus. Quod autem pertinet ad verbū (*Pueros*) quos Aduerſarius, interpretatur vij. vel viij. annos natos; ego verò, qui annū decimūquartū exceſſerunt, cum iniquum ſit vni vel alteri ſine probatione fidē adhibere, Age rationes Aduerſarij primùm audiamus, qui poſtquam noſtrā interpretationem grauiter arguit, tanquā nimis duram, & Galen. indignam, qua nulla abſurdior poſſit excogitari, ſic ſcribit. [*Volo hic in gratiam tyronū docere quid animo concipiam. Conſiderandum eſt quam ob cauſam Galenus in capite 13. egerit de menſura ſanguinis mittendi in pueris poſt annum decimumquartum, dicens, primo die cotylam vſque vnam,* &c. *Rurſumque age e voluerit de eadem quantitate in eiſdem etiam pueris poſt annum decimumquartum,* &c. Summa eſt, (vt ne in transcribenda vniuerſa illius oratione longius faciam) Galenum fruſtra ac te-

merè paucis lineis quaſi continuata oratione de quantitate mittendi ſanguims in pueris poſt annum decimumquartum agere voluiſſe. Qui demum ſuam explanationem, ac Galeni defenſionem docet; de qua poſterius ſtatim ſermonem faciemus. Cæterum liceat mihi quoque meas rationes afferre. Ac primùm quidem volo hîc in gratiam ſtudioſorum, ac fautorum veritatis docere, quid animo concipiam. Illud verò eſt. Cum Aduerſarius, qui probandum ſuſceperat, pueris vij. vel viiij. annos natis ex verbis Galeni miſſionem ſanguinis conuenire; ex vna parte intelligeret, ſe non solùm duriſſimam, ſed etiam deſperatiſſimam prouinciam ſuſcepiſſe; faciliúſque eſſe probaturum terram volare, & æthetem conſcendere; ex altera autem vellet omnino videri aliquid dixiſſe, atque integrum caput conficere, ipſum calidos oratores fuiſſe imitatom, qui, vt Philoſophus inquit, cum habeant nihil, quod dicant, argumentiſque, & aliis rebus, quibus cauſam adiouent, deſtituantur, videri autem omnino velint aliquid dicere, ſtudioſè, ac dedita opera pluribus, & quidem ambi- 3. Rhet. guis, inanibúſque verbis agunt: qua ratione auditores decipiunt, qui exiſtimant tot verbis res quoque ipſis ſignificari, & aliquid, quod ad rem pertineat, dici; non temporis terendi cauſa verba inaniter fundi.

Itaque ille tres Galeni locos commentus eſt, qui vſque adeo ſunt præter rem, atque illius propoſitum, vt neque cœlum (vt aiunt) neque terram attingant. Quos tandem vſque adeo malè tractauit, & deformauit, vt nemo deinceps Galenicam eorum formam poſſit agnoſcere. De primo ſatis diximus. Nunc alterum paulò diligentius perpen- De ſang. miſſ. c. 13 damus. Cùm Galenus docuiſſet pueris vſque ad xiiij. ætatis ſuæ annum ſanguinem mittendum nõ eſſe: poſt hunc verò, ſi ſanguis multus coacetuatus appareat, tempúſque anni vernum fuerit, &c. Id fore licitum, ſi anginæ, pleuritidis, vel alterius magni morbi periculum imminet; nec non ſanguinis menſuram definiſſet, primum vt plurimum vnius Cap 14. cotylæ: Rurſum autem ſcribat, Minus ſanguinis eſſe detrahendum, per ætates quidem in pueris; per corporis habitus, &c. vt iam diximus: Aduerſarius conſiderat, quamobrem Galen. voluerit hanc eandem rem ſemel, atque iterũ ſtatim repetere. [*Fruſtra enim* (ille inquit) *videtur mihi tam breui linearum ſpatio einſcemodi repetitio.*] Conſideratio inepta. Quid enim ſi dixero Galenum, more, & inſtituto Hippocratico rem admodũ vtilem, & lõgè maximi momenti ſemel, atqoe iterum voluiſſe repetere: Cuius frequentis repetitionis illuſtre exẽplum apud eundem Galenum licet obſeruare: qui vno proximo ſuperiore, & quidẽ breuiſſimo c. 9. ſepties non erubuit pronunciare, tres eſſe principes ſcopos mittendi ſanguinis, vehementiam morbi, robur virium, conſtantiam ætatis. Quid ſi dixero, quod (vt puto) facilè vnuſquiſque fatebitur eſſe veriſſimum, Galen. iis duobus locis minimè vnam, atque eandem rem, ſed duas præceptiones inter ſe maximè diuerſas tradidiſſe? Siquidem c. 13. de vnis agit pueris, quibus decernit vſq; ad annum xiiij. minimè ſanguinem mittendum eſſe. Et quoniam potuiſſet quis id quærere, an tranſacto, præteritóque hoc termino liceat pueris ſanguinem mittere, ad huiuſmodi quaſi tacitam obiectam rationem reſpondet; id quidem eſſe licitum, Pueris poſt annum xiiij. ſanguinem mittere, ſi ſanguis multus coaceruatus appareat, tempúſque anni vernum fuerit, & regio natura temperata, puerique natura ſanguinea, ſi vel peripneumoniæ, vel anginæ, pleuritidis, vel alterius acuti, ac vehementis morbi periculum immineat. Quaſi verò niſi tot conditiones ſimol conueniant, pueris, vel poſt annum xiiij. ſanguis caurè admodum mitti, fortè etiam prætermitti omnino debeat. Qui præterea demum, vt ne in re maximi ponderis, ac momenti aliquis error committatur, ſanguinia quoque menſuram non grauatus eſt adiungere, inquiens. *Primum autem, vt plurimum cotylam auferes. Quod ſi poſtea tibi vires expendenti valida permanere videantur, dimidium eius iterata detractione adiicies.* Galen. autem c. 14. aliam planè rem agit. Qui non de vois pueris, nec de opportuna mittendi ſanguinis ratione, & quantitate; ſed in vniuerſum propoſitum habet medicos inſtituere, vt intelligant, quando in detractione ſanguinis ſit interquieſcendum. Qui tria potiſſimum proponit ſigna, nempe mutationem pulſuum, ex quibus licet cognoſcere ſanguinis fluxionem eſſe cohibendam. Qui præterea docet duo eſſe, quæ maximè coniecturalem in hoc præſidio vacuationis quantitatem efficiunt. Nempè quòd qualis ſit laborantis natura nobis exquiſitè cognoſcere non liceat; & ambientis temperamentum, quale ſit à miſſione ſanguinis furueum. Siquidem partim ob ægrotantis temperamentum, ſi calidum & humidum exiſtat, quale eſt puerorom; partim propter ambientem, ſi regio calida, & hora æſtiua fuerit, virtus exoluitur. *Itaque* (concludit Galenus) *minus detrahimus, quàm plenitudo ſuadeat, per ætates quidem in pueris; per corporis habitus, in iis, quibus mollis, teneráque eſt caro, & candidus; per tempus autem ſub Cane,* &c. Qui demum contraria ratione docet, in frigidis quoque temporibus, & regionibus largam ſanguinis vacuationem eſſe vitandam, nimirum propter ſequentem refrigerationem. Ex quibus, & vniuerſa huius loci lectione, qui non intelligit, Galenum iis duobus locis, minimè vnam, atque eandem rem agere, ac repetere, ſed duo, & quidem maximè diuerſa præcepta tradidiſſe, in hoc equidem cenſeo infirmam admodum intelligentiam ineſſe. Aduerſarius poſt hæc, cum Galenus illi videretur omnino eandem rem fruſtra repetiiſſe; petit, ad quod verbum illud (*minus*) an ad menſuram cotylæ, an ad plenitudinem debeat referri? Qui nondum in ſcripto quærit. Quid enim magis apertè, clarè, explicatè dici potuit? *Minus detrahimus, quam plenitudo imperet, per ætates quidem in pueris,* &c. Id quod ipſe quoque Aduerſarius deinceps non potuit diffiteri. [*Sed hoc* (ille inquit) *non tollit dubium, quia cotyla vnius cum dimidia, vacuatio eſt in pueris minor, quàm poſtulat plenitudo. Quamobrem non eſt poſſibile, tantam inconſtantiam in Galeno inueniri poſſe.*] Mirum non eſt Aduerſarium videre, quæ oculatiſſimi non vident, huiuſmodi in Galeno inconſtantiam vidiſſe, quam vel cæci (vt puto) poſſunt videre prorſus nullam eſſe. Cùm enim ille ſcribat medicos in pueris minus ſanguinis detrahere, quàm plenitudo imperet, quæ inconſtantia fingi poteſt, ſi ipſe pueris primum ſanguinis cotylam detrahit, quæ interprete Aduerſario, menſura eſt minor, quàm plenitudo requirat? An non Galenus ſuum præceptum ſeruat, qui pueris minorem aufert ſanguinis copiam, quàm plenitudo poſtulat? Inconſtantia foret, ſi ille aliud doceret, aliud ageret, nec ſuis decretis omni ex parte conſentiret. Sed nos tandem ad veram huios Galenici loci interpretationem de Aduerſarij ſententia veniamus: qui ſic loquitur. [*Qua igitur ratione debeat hic locus interpretari, nunc doceo.*] Fauete linguis. [*Tranſacto decimoquarto anno, cum iam incipiunt pueri ingredi pubertatem, magna vrgente neceſſitate* (*qua ſemper intelligi debet cum ſermo ſit de hoc generoſo præſidio*)

præſidio) viribuſque validis exiſtentibus mitti ſanguis debet vſque ad vncias tredecim, aut quatuordecim in duabus vicibus. Verum, quia aliquando contingit in pueris ante annum decimumquartum vehemens morbus cum virium robore, quod cognoſces, &c. tunc quidem accedendum eſt ad executionem huius remedij, ſed diminuere quantitatem oportet: ideo minus ſanguinis extrahendus in pueris, quàm in puberibus, & adultis.] Etſi niſi mea me Grammatica ſæpius fallit, *extrahendum*, ſcribere oportuit. [*Hanc puto veram huius loci interpretationem, quicquid alij dicant.*] Ante verò quàm præclarā hanc interpretationem perpendamus, cū nihil Aduerſarius curet, quicquid alij dicant, libēter ſcire velim, an in hoc aliorum numero ipſum quoque reponat Galenum; vt ne ſuam ſententiam & interpretationē afferens, ille rurſum reſpondeat ſe non curare quid alij, quid Galen. ſentiant. Sed quoniam nequeo in eam adduci opinionem, vt talis, ac tantus Galeni patronus, & interpres, Galeni iudicium declinet, age primùm ſtudeamus illius mentem, ac doctrinam inquirere; & explicare. De qua tamen non eſt, vt vehemētius laboremus: partim quòd Galenus ſemel, atque iterum, & ſæpius, tam planè, & apertè vt planiùs, & apertiùs non poſſit, ſuam nobis mentem aperuit, Pueris ante annum decimumquartum nullo modo ſanguinem eſſe mittendum: poſt hunc terminum, ſi præterea nonnullæ accedant conditiones, de quibus ſuprà diximus, ſanguinem, ſed tamen parcè mitti poſſe: partim quòd proximo ſequenti capite, ſimul cum Aduerſario de hac ipſa Gal. ſententia ſumus ſermonem habituri. Itaque nobis liceat aduerſariā interpretationem parumper perpendere, atq; examinare. [*Tranſacto 14. anno magna vrgente neceſſitate, &c.*] Primum certè illud nolim mihi excidiſſe, Aduerſariū hoc loco apertiſſimè fateri, quod aliàs mordicus negauit, & oppugnauit; poſterius quoque mordicus eſt negaturus, & oppugnaturus: quotieſcumque de generoſo miſſionis ſanguinis præſidio ſermo habetur, magnitudinē morbi ſemper eſſe intelligendam; pueriſque vltra annum decimumquartum magna vrgente neceſſitate viribúſque validis exiſtentibus ſanguinem mittendum eſſe. Quæſo enim ſi vigente morbi magnitudine, vel (vt ille loquitur) magna neceſſitate viribúſq; conſtantibus vltra annum decimumquartū oportet ſanguinē mittere, quod hoc aliud eſt, quàm tres eſſe principes ſcopos, vehementiam morbi, robur virium, vigorem ætatis: ex quibus conſilium mittendi, aut non mittendi ſanguinis perpetuò capiondum eſt? Quod quidem conſtat non ſolum præcipuum, ſed etiam vnicum noſtrarum controuerſiarum caput exiſtere. [*Mitti ſanguis debet vſque ad vnc. tredecim, aut quatuordecim in duabus vicibus.*] Galenus certè magis cautè, & prudenter, non ſimpliciter, & abſolutè (vt aiunt) poſt annum xiiij. pueris venæ ſectionem permittit; ſed ſi eorum natura ſanguinea fuerit, ſi ſanguis multus coaceruatus appareat, aliæque id genus conditiones concurrant, de quibus iam diximus. Sic in mēſura ſanguinis detrahendi, non ita definitè, ſed primùm cotylam, vt plurimum; deinde verò ſi vires validæ videantur permanere, illius dimidium ſtatuit poſſe detrahi. Quid enim Aduerſarius cēſoria notatione generaliter docet ſanguinem vſque ad vnc. 13. aut 14. in duabus vicibus eſſe mittendum; An non fortè licitum eſſe poteſt ſanguinis tantūmodo vnc. xij. aut xv. aliquando miſiſſe? An perpetuò ſine vlla exceptione ſanguinis detractio iteranda eſt? An hoc eſt Galenum amplecti, & imitari, nihilque affirmare, quod ab illius doctrina ſit alienum? [*Verum quia aliquando contingit in pueris ante annum xiiij. vehemens morbus cum virium robore, quod cognoſces ex temperamento ſicciore, ex habitu corporis denſo, ex carne nigra, tunc quidem accedendum eſt ad executionem huius remedij, ſed diminuere quantitatem oportet.*] Quæcunque Aduerſarius ſcribit de ſanguine mittendo pueris ante annū xiiij. omnia voluntaria ſunt, præter, immò verò contra Gal. doctrinam; qui verbis conceptis docet, & iubet ante eiuſmodi terminum pueris nullo modo ſanguinem eſſe mittendum. Qui probè ſciuiſſet, ac potuiſſet puerorum, non xiiij. ſed vij. duntaxat, vel viij. vt placet Aduerſario annos natorum, temperamentum, corporis habitum, carnē, & cæteras id genus animaduerſiones nō prætermittere, quib. licitum foret in ea ætate ſanguinem mittere: quemadmodū hæc ipſa poſt annum xiiij. non prætermiſit, & ad commodam hoc tempore ſanguinis miſſionem requirit. Ac ſanè mirū eſt, hunc hominem, qui nunc propoſitum habuit probare ex verbis, & ſententiis Gal. Pueris ante annum xiiij. ſanguinis miſſionem conuenire; non verba, non ſententias Gal. ſed propria verba, proprias ſententias, propè dixi propria ſomnia afferre voluiſſe; quæ illius doctrinæ non ſolùm nō conſentiunt, ſed etiā omni ex parte aduerſantur, & contraria ſunt. Verùm neſcio quomodo lōgius, quàm voluntas fuit, de hoc ſecundo Galeni loco digreſſus ſum.

Itaque ad poſtremum venio. Quoniam verò hic locus, ſi quis alius, eſt ſingulari notatione digniſſimus, vt ille inſtar omnium Aduerſarij ingenium, eruditionem, iudicium, præſtantiam poſſit demonſtrare, à ſtudioſis maximopere peto, & quæſo, vt mentes auréſque erigant, ac totám huiuſmodi interpretationem diligenter attendant. Itaque Aduerſarius ſic loquitur. [*Poſtremum affero locum adeo perſpicuum, quam qui maximè: habet Galenus hæc verba libro nono de Methodo Medendi capite vltimo, in quo indicationes curandi proſequitur petitas ab ætate, & viribus. Ergo* (inquit) *puerorum ſubſtantia omnium facillimè digeritur, ac diſſipatur, propterea quòd eſt omnium humidiſſima, nulla vero frigidior. Quo minus vacuantis præſidij eget, cum habeat ex ſe ipſa vnde naturaliter vacuetur. Fit autem & propter calidam, ſiccámve regionem, & tempus æſtiuum, & ſtatum cœli impenſè calidum, & ſic cum notabilis per cutem vacuatio: itaque etiam huius cauſa iis, qui ſanguinis detractione egent, aut prorſus venam non ſecabimus, aut parum detrahemus. Egregius hic locus docet in pueris interdum mitti poſſe exiguum ſanguinis; quia dicis, Quo minus; quaſi dicere velis: licet pueri inſitam habeant à natura vacuationem, ac, vt plurimum in illos non conueniat ſanguinis detractio, aliquando tamen minorem vacuationem admittunt. Pueri igitur indigent minus vacuantis præſidij, quàm ætates ſubſequentes. Ergò prorſus verum non eſt, illos nunquam indigere vacuatione.*] Hæc eſt huius perſpicui, atque egregij Galenici loci perſpicua, atque egregia Aduerſarij interpretatio; quæ tota eo verbo *quo minus* nititur: ex quo ille colligit, Pueris interdum ſanguinem parcè detrahi poſſe, idque adeò luculenter, & apertè, vt ſuperuacaneum ſit ad pleniorem illius explicationem plura addiſſe. Cæterum, etſi puto eſſe neminem Latinè ſcientem qui non ſtatim, & facilè intelligat, quantum huiuſmodi cogitatio, & interpretatio ſit vana, futilis, puerilis, tantóq; philoſopho, medico, Theologo indigna; tamen nequeo me continere, quin in gratiam tyronum, quorum vtilitati ille inquit ſe fauere atque eſſe fauturum, donec vixerit, ego quoque ſtudeam adhuc magis illius myſterium explicare, & aperire. Et quoniā ſumma huius interpretationis, ſicuti diximus, pendet ex eo verbo, *Quo minus*,

in primis illius vim, ac ſignificationem potuiſſet animaduertere. Quam quidem Aduerſarius facilè apud Calepinos, Theſauróſq; Latinæ linguæ potuiſſet intelligere; in quibus poſtquam ad hæc puerilia cogimur diuertere, ſic legitur. *Quo minus*, id eſt, quo ſecius, vt non. Sic Cicero, *nullus vt terminus circumſcribat ius ſuum, quo minus liceat vagari qua velit. Illud non perficies, quo minus tua cauſa velim.* Sic Terentius, *ſi poterit fieri, vt ne pater per me ſtetiſſe credat, quo minus hæ fierent nuptiæ, volo.* Sic infinita huiuſmodi vocis exempla, vel ipſis pueris notiſſima vbique non deſunt: Sed quid vocis ſignificationem moror? Nonne res ipſa, nonne ſyntaxis Galenicæ orationis id confirmat apertiſſimè? Etenim cum ille hoc loco propoſitum habuiſſet tradere indicationem ætatis, præfatúſque eſſet, ſubſtantias frigidas, & ſiccas, firmas, atque immobiles permanere; contra autem calidas, & humidas celerrimè in ambientem diſſipari; atque hinc colligiſſet, puerorum ſubſtantiam omnium facillimè digeri, ac diſſipari, propterea quod eſt omnium humidiſſima, nulla verò frigidior; ac tandem concludat, illos vacuantis præſidij non egere, cum habeat ex ſe ipſa, vnde naturaliter vacuetur, quis non videt huiuſmodi conſecutionem, & concluſionem prorſus vanam, irritam, ac nullam fore, ſi, vt Aduerſarius commentus eſt, pueri minus, & pro parte indigerent alicuius vacuationis? Verùm de re ſupra modum perſpicua, vel puero iuncta ſatis. Græca verba hæc ſunt. *εἰ γοῦν χρήζει κενωτικοῦ βοηθήματος*, & quæ ſequuntur. Quæ ad verbum Latinè reddita ita ſonant. *Quamobrem non illi eſt opus remedio vacuante, quæ habet ex ſe ipſa, vt naturaliter vacuetur. Porro fit etiam, & propter regionem, &c.* Quibus ſanè verbis Galenus voluit ſuæ ſententiæ concluſionem afferre, ſicuti diximus.

AD CAPVT V.

Loci Galenici, qui Aduerſarij opinionem deſtruunt.

PRoximo ſuperiore capite diximus, Aduerſarium probaturum ex Galeni ſententia, pueris ante annum xiv. miſſionem ſanguinis conuenire, præuidiſſe magnum opus omnino, & arduum ſe conari. Quod (ni fallimur) eſſe veriſſimum ſatis res ipſa demonſtrauit. Cum autem ille in præſentia profiteatur ad Galeni locos, qui aliter docent, ſe eſſe reſponſurum, omnémque de hac re dubitationem ſublaturum; equidem cenſeo hoc opus vſque adeo magnum, vt non verear affirmare, de omnibus illius operibus id longè maximum futurum. Quandoquidē Galen. vſque adeo perſpicuè, exploratè, expreſsè, explicatè, ſine vlla dubitatione, idque tam frequenter, & conſtanter docet: Pueris ante annum decimumquartum nullo modo ſanguinem eſſe mittendum, vt ſi Aduerſarius illud probet, quod pollicetur, equidem cenſeam nihil deinceps fore, quantumuis difficile, arduum, & quod fieri nulla ratione poſſit quod non ille probare valeat, & demonſtrare. Sed ad rem. Quoniam verò Aduerſarius hoc capite non aliud agit, quàm vt Galeni locos afferat, qui illius opinioni aduerſantur, duos autem præ cæteris; alterum ex libro Metho. Med. alterum ex libro de Sang. Miſſ. nos quoque ſumus contenti in illis acquieſcere: poſtquam ille ingenuè nonnullos præterea locos indicarit [4. *Meth. Med. c.* 6. 8. *Meth. cap.* 4. 11. *Meth. c.* 14. *libro de Sang. Miſſ. c.* 6. 9. *atque alibi paſſim, in quibus lectoe offendet Galen. deſiderare ad miſſionem ſanguinis, morbi magnitudinem, ac virium robur, ſemper ab oratione exceptis pueris.*] Ante verò quam hoſce Galen. locos examinemus, vt ne id nobis accidat, hic quoque ſtudioſos appello vt poſtrema hæc verba bene memoria teneant, in quibus Aduerſarius fatetur Galenum poſitis locis, atque alibi paſſim deſiderare ad ſanguinis miſſionem magnitudinem morbi, robur virium, ſemper ab oratione exceptis pueris. Quod ſi Galenus paſſim ad miſſionem ſanguinis hæc tantummodo tria deſiderat, & requirit, quid aliud quæſo ſtatui, aut concipi animo poteſt, quàm tres eſſe principes huius remedij ſcopos, de quibus nimium ſæpè diximus? Sed locos Galeni perpendamus.

Primus locus eſt huiuſmodi 11. Metho. c. 14. *At ſi in pueros incidat, qui xiiij. ætatis annum hactenus nō attigerunt, mitti illis ſanguis non debebit, propterea quod tantillis, cum præſertim calidi, & humidi ſint, plurimum corporis ſubſtantiæ quotidie digeritur, ac diffluit: ita vt quod ex incidenda vena maliendum nobis fuerat, id vltro nobis ex curandi corporibus natura præſtatur.* [*Hiſce verbis* (inquit Aduerſarius) *Galen. concluſionem affert negatiuam, & ſimul einſdem affert rationem maximè efficacem.* Addit parum poſtea. *Quod ſi corpus decimumquartum ætatis annum exceſſerit, æſtimandum eſt, qualiſnam ſit eius natura: num gracilis, & ſpiſſa, & dura, & copioſi ſanguinis: an contra. Atque ita in priore miſſionem ſanguinis adhibebis: in ſecunda nequaquam, &c.*] Tractabat hoc loco Galen. rationem curandæ febris ſynochi per venæ ſectionem: qui accipiens indicationem vehementiæ morbi; ſic inquit. *Si vires eius, qui ex putredine febricitat, valentes ſint, mittendus ſtatim ſanguis eſt, ſi cruditas ventris non ſit, ſtatim morbo incipiente. Sin vires infirmæ ſint, aut ætas diſſuadeat, incidenda vena non eſt.* Vrgente itaque morbo magno, Galenus ad principes duos ſcopos, virium, atque ætatis ſe conuertit. Quibus conſentientibus ſine vlla dilatione iubet ſanguinem eſſe mittendum, niſi cruditas ventris affuerit: ſiquidem ſi hæc præcedat, vt ille ſeipſum interpretatur, tanto tempore decet venæ ſectionē differre, quantum ad concoctionem, & excrementorum purgationem ſatis eſſe videatur. At verò, ſi aut vires fuerint infirmæ, aut ætas diſſuadeat, à ſectione venæ abſtinendum eſt. Ex quo, vel vnico Galeni loco facile eſt intelligere, quam conſtanter, & religioſè Galen. ſua dogmata obſeruet, ac ſibi ipſe perpetuò conſentiat. Qui in febre ſynocho, morbo ſine dubitatione magno, conſentientibus aliis duobus ſcopis, ſtatim decernit ſanguinem eſſe mittendum: alterutro autem deficiente, iubet à miſſione ſanguinis abſtinendum. Cum igitur duo ſint, quæ hoc remedium poſſunt prohibere: infirmæ vires atque importuna ætas; quod ad vires pertinet, iam ſupra diximus (inquit Galenus) eiuſmodi febrem ſynochum in virtutem imbecillam non incidere: quippe ſynochos benè habiti corporis, & vigentis ætatis propria eſt. Quod autem ad ætatem ſpeciatim attinet, ſi febris in puerum incidat, qui decimumquartum annum hactenus non attigerit, & quæ ſequuntur. Etſi nimis apertè ſcribit Galenus, quidnam de ætate ſentiat, vt certè illi iniuriam faciat, qui ſtudeat hiſce verbis nouam interpretationem adiungere; nihilominus cum Aduerſarius, & fortè alius quiſpiam illius doctrina, atque authoritate ſeductus, hæc nequeant intelligere, nobis liceat experiri, an poſſimus huic veteri decreto aliquam adhuc lucem afferre. Cum tres ſint principes ſcopi mittendi ſanguinis, ſi primus adſit, vehementia morbi, qui verè quid faciendum ſit, indicat: ſi ſecundò vires valeant, ſicuti euenit in febre ſynocho, quæ in virtutem imbecillam non incidit: ſi tertiò morbus in puerum incidat, qui annum decimumquartum non attigerit; ſi quis quærat, liceat ne huic ſanguinem mittere? ad hunc reſpondet

9. Meth. c. 5. De Sang. Miſſ. c. 20.

det Galenus. Mitti illi ſanguis non debet; rationemque addit teſtimonio Aduerſarij maximè efficacem; quod nimirum pueri ſint calidi, & humidi, plurimumque eorum ſubſtantiæ digeratur, &c. Cæterum ſi corpus decimumquartum annum exceſſerit; quia rurſum quis potuiſſet quærere; num ſtatim liceat illi ſanguinem mittere? Ad hunc pariter reſpondet Galenus; id minimè generatim licere, ſed noua animaduerſione, & conſideratione fore opus: qualis nempe ægri habitudo fuerit, an gracilis, an ſpiſſa, & dura, an copioſi ſanguinis, an contra: qui concludit in priore ſanguinis miſſionem eſſe adhibendam; in poſteriore nequaquam. Ac ſanè huiuſmodi Galeni præceptio, & doctrina mihi videtur vſque adeo clara, & euidens, vt ſi quis velit eam nouis argumentationibus probare, & illuſtrare, is ſtudeat Soli humanum lumen inferre.

De Sang. Miſſ. c. 13. Alter eſt locus. *Hac de cauſa neque pueris ſanguinem mittes vſque ad decimumquartum ætatis ſuæ annum*, & quæ ſequuntur. De quo equidem, qui ardeo ſtudio breuitatis, ſtatui prorſus ſilere: partim quòd eandem propemodum ſententiam, & doctrinam eum ſuperiore contineat; partim, quòd ſuprà iam ſatis fuerit à nobis explicatus.

AD CAPVT VI.

Galeni ratio examinatur.

ADuerſarius examinaturus rationem Galeni, propter quam non licet pueris ante annum decimumquartum ſanguinem mittere, hunc in modum orditur. [*Examinanda eſt in primis Galeni ratio, quam ſi validam, & demonſtrantem inuenerimus, illi prorſus acquieſcendum erit. Sin minus, equidem à nobis interpretanda, & dilucidanda; atque ita veritatem docentes, Galenum ab omni repugnantia vindicabimus.*] Qui deinceps more boni logici rationem in ſyllogiſmi formam deducit, propoſitiones probat, tandemque ita concludit. [*Ego autem dum hanc rationem conſidero, vt maximè efficacem cognoſco, ſic etiam profiteor non eſſe omnino demonſtratiuam.*] Primum verò, ſicuti in principio quoque diximus, cum Aduerſarius ſummam huiuſmodi ſuæ Diſputationis eſſe voluerit. Pueris ante annum decimumquartum interdum tutè ſecari poſſe venam ex Galeni decreto; equidem neſcio, quid illi in mentem venerit, vt in præſentia Galeni rationem examinaret, & argueret, ſiquidem hoc non eſt ex Galeni decreto, ſed præter, imò etiam contra Galeni decretum diſputare. Deinde libenter fateor me eorum verborum ſenſum non ſatis intelligere; ſi ratio Galeni valida, & demonſtrans inuenta fuerit, in illa prorſus eſſe acquieſcendum: Sin minus, hoc eſt, (ni fallor) ſi neque valida, neque demonſtrans inuenta fuerit, interpretandam, & dilucidandam, atque ita veritatem docendo, Galenum ab omni repugnantia vindicandum. Quemadmodum enim ex vna parte in valida, & demonſtrante ratione prorſus acquieſcendum eſt, ita ex altera videbatur colligendum, in ratione inualida, nec demonſtrante non eſſe prorſus acquieſcendum. Quomodo autem rationem inualidam, nec demonſtrantem, quam vanam, inanem, irritam, nullam poſſumus dicere, liceat interpretari, & dilucidare, atque ita veritatem docere, Galenumque ab omni diſſenſione vindicare, id verò vnum eſt quod equidem fateor me ignorare, quomodo fieri poſſit. Sed illius interpretationem, & dilucidationem audiamus. Quæ in ſumma eſt Sententiam Galeni eſſe quidem maximè efficacem, ſed non omnino demonſtratiuam, veritatemque continere, vt in pluribus, non autem vt in omnibus. Quando quidem in corpore nigro, in habitu corporis moderate gracili, cuius venæ ſint latæ, ſanguine turgentes, in carne dura, ſicciori, denſa, nec admodum calido, humidoque temperamento, puerorum ſubſtantia pro multitudinis ratione non defluit, & diſſipatur. Quam quidem interpretationem poſtremo hac ratione confirmat. Quòd ſi pueris ex Galeni præcepto ſupra libram ſanguinis, vbi annum decimumquartum exceſſerint; educere liceat; maximè conſonum rationi eſt, licere nobis à x. vſque ad xiv. educere ſex vnc. à vij. vſque ad x conuenire adhuc minorem vacuationem, vt puta ad vnc. quatuor aut quinque. Atque hæc eſt Scitica ratio, quam antea diximus; ex qua ſequitur etiam nuper natis, & annuis, & bimis tantillum ſanguinis proportione extrahi poſſe. Hæc quidem aduerſarius concepit animo ſuo; ego autem cum molta conceptam animo meo, illud vnum in præſentia ſatis habeo dixiſſe: huiuſmodi interpretationem eſſe voluntariam, ac Galeni ſententiam funditus euertere. Etenim cum Galenus doceat, ac iubeat, pueris ante annum decimumquartum generaliter, ac ſine vlla exceptione, ſectione venæ eſſe interdictum, quis non intelligit, tot aduerſarij exceptiones eſſe voluntarias, & à Galeni mente alienas? Quæſo enim an fortè Galenus fuit adeò obliuioſus, & ſtupidus, vt vel oblitus ſit, vel neſcierit eiuſmodi animaduerſiones ante annum decimumquartum adhibere, quas poſt hunc terminum tam diligenter adhibuit? An fortè Galenus, qui poſt annum decimumquartum mittendi ſanguinis menſuram tam accuratè voluit definire, vel oblitus eſt, vel neſciuit minorem, & priori quoque ætati congruentem ſanguinis copiam decernere? Ac ſanè, ſi licet iis rationibus authores interpretari, dilucidare, veritatem docere; equidem non inuitus fateor, me veram, ſinceramq; interpretandi, dilucidandi, ac veritatis docendæ rationem prorſus ignorare.

AD CAPVT VII.

Cur Galenus ſcribat ante annum xiiij non eſſe mittendum ſanguinem.

ADuerſarius ſuo more fruſtra quærit, quod planè euidens, & perſpicuum eſt: quodque tanquam in ſpeculo potuit ad Gal. videre: qui verbis conceptis ſcribit. Pueris ante annum xiiij ſanguinem non eſſe mittendum, quòd eorum ſubſtantia omnium facillimè diſcutiatur, & diſſipetur, propterea quia omnium eſt humidiſſima; vt vacuantis præſidij non egeat, cum habeat ex ſe ipſa, vnde naturaliter vacuetur; vt ſuprà non ſemel diximus. Quod autem ad rationem pertinet, quam ille inquit non mediocriter vrgere contra Gal. doctrinam, & cuius ſolutionem fateatur apud præſtantiſſimos medicos, quotum iudicium de hac re perſæpè inquiſiuit, ſe haſtenus inuenire non potuiſſe: quæ eſt huiuſmodi; [*Vt ſenectus annorum numeris limitari non debet, cum quidam 70. ætatis anno, ac etiam 80. ferant ſanguinis detractionem: quidam 60. Imò vero 50. ac etiam 40. non ferant; ſed conſiderandus eſt corporis habitus, & ex eo limitatio petenda eſt: ſic neque pueritia certis annorum numeris limitanda, ſed ex varietate corporis decernendum, &c.*] Quod inquam ad hanc rationem pertinet; certè non fuerat, vt ille apud tot præſtantiſſimos medicos tantopere laboraret, vt quis eorum hunc nodum

9 Meth. c. vlt. 11. Meth. c. 14. De Sang. Miſſ. c. 13. 4 Rat. Vict. 18.

nodum de puerili, ac ſenili ætate, & vtriuſque varietate diſſolueret: Cum apud medicum, omnium, quotquot fuerunt, quotquot ſunt, quotquot erunt, præſtantiſſimum, Gal. facilè illius ſolutionem potuerit intelligere. Qui ſcribit, cum vterq; & puer, & ſenex ſanguinis non ferant detractionem, etiam ſi morbus, quo ipſi laborauerint, magnus fuerit, id certū inter vtrumq; diſcrimen extare, quòd ſenum ætas in verbo vitium comprehendi poteſt; quandoquidem nulli in ea ætate conſtituto robur ineſt: contra autem pueri viribus quidem validis ſunt præditi, etſi non defuerint medici, qui malè rem intelligentes aliter ſentiant, nihilominus propter aliam rationem, paulo ſuprà poſitam, & ſatis expoſitam miſſionem ſanguinis nequeunt perferre. Ex qua quidem breui, perſpicua, & ſolida Gal. reſponſione, & doctrina facile eſt intelligere quàm fruſtra, & ſine cauſa aduerſarius laboret, & tempus conterat, vt aliam reſponſionem, quæ nihil ad rem pertinet, comminiſcatur. In qua tamen id, vno verbo, notatione dignum videtur, quod ipſe quoque aduerſarius animaduertit, hinc ſequi neceſſario, vt ante annum decimum quartum nunquam liceat venam incidere (nunquam dico, non raro) illamque dubium propoſitum non diſſoluere. De qua non eſt pluribus agendum.

LIBER QVINTVS.

DISPVTATIO V.

An cum virtute imbecilla ſanguinem mittere oporteat?

ADVERSVS tres principes mittēdi ſanguinis ſcopos quidam è medicis, & veteribus, & recentibus vnum, vel alterum aggreſi ſunt diſputare. Aduerſarius autem & ſingulos ſeparatim, & omnes coniunctim oppugnare non eſt veritus: vt nihil inuiolatum, & incorruptum relinqueret, totaque hæc diſciplina iret perditum. Cum igitur ille hactenus duos priores, magnitudinem morbi, & vigentem ætatem conatus fuerit labefactare, nunc tertium aggreditur. Quam quidem Diſputationem etſi iure poſſem ſilentio præterire; partim quòd illa à noſtro principali inſtituto, de ſcopo magnitudinis morbi ſit quodammodo aliena, partim quòd mihi videor in noſtra Diſputatione Hipp. & Galen. mentem ſatis explicaſſe; ex quibus facile cuique eſt, & Aduerſarij, & omnium Nouatorū ſophiſmata refutare; tamen ſtatutum mihi eſt, neque hanc prorſus intactam relinquere, vt quemadmodum ille omnia conatur impugnare, atque euertere, ita nos ſtudeamus omnia tueri, & confirmare. Atque eò magis, quòd ſperamus neque hunc noſtrum laborem ſtudioſis iniucundum, & inutilem futurum.

Pag. 49. & ſeq.

AD CAPVT I.

Quæ aduerſus ſcopum roboris virium dubitationem afferant?

ADuerſarius ſuo more inordinatè, & perplexè ea proponit, de quibus agendum eſt. Et hæc quoque adeo profuſè tractat, repetit, confundit, vt quæ decem lineis confici poſſunt, ille malit decem paginis conſarcinare. Nos contra, noſtro more, perſpicuè, ordinatè, & breuiter, quantum in diſputando fieri poteſt, hanc quoque Diſputationem conabimur abſoluere. Ille igitur hoc primo capite aduerſum hunc tertium principem ſcopum quatuor obijcit rationes, quæ in ſumma ſunt huiuſmodi. *Prima* Pulſu deficiente, qua nulla maior imbecillitas videtur poſſe inueniri, Hipp. & Gal. non ſunt veriti ſanguinem mittere. *Secunda.* Cum multa vacuatione eſt opus, vires autem ſunt imbecilliores, per Galen. licet ſanguinem auferre, ſed parcè, partitè, & per epicraſim, vt vocant. *Tertia:* quæ mihi eadem videtur cum proxima ſuperiore. Cauſa, propter quam medici repetunt ſanguinis miſſionem, eſt, vt ea copia ſanguinis vacuetur, quā morbus requirit: virtute exiſtente imbecilla, non licet confeſtim, non ſemel, ſed paulatim multiplicatiſque vicibus ſanguinem detrahere. *Poſtrema.* Nulla videtur virium eſſe tanta imbecillitas, quæ parcam ſanguinis vacuationem ad duas, vel tres vncias nequeat perferre. Hæc primo capite continentur: ex quibus Aduerſarius colligit ſcopum virium eſſe ſuperuacaneum, ac ſine earum conſtantia aliquando ſanguinem mitti poſſe. Sed quid poſtrema verba ſibi volunt. [*Hæc igitur contra ſcopum contra indicantem facere difficultatem videntur?*] Illa enim facere difficultatem videntur mihi, qui neſcio, cur ſcopum à robore virium contra indicantem appellet: cum potius ſit coindicans, vel (vt melius dicam) conſentiens, & non prohibens. At contraindicare, & conſentire ſunt oppoſita. Quod ſi Aduerſarius reſpondeat, vires debiles contraindicare, meminiſſe debuit, ſcopum ſectionis venæ non eſſe vires debiles, ſed vires validas: nec allata argumenta contra vires debiles procedunt, ſed ſunt pro ipſis, quaſi etiam viribus debilibus exiſtentibus liceat venam incidere.

AD CAPVT II.

An ſit abſtinendum à ſanguinis detractione in omni imbecillitate virium?

ADuerſarius: qui fortè cenſuit modò poſitas rationes eſſe demonſtratiuas, vt ipſe loquitur, ſtatim ſuam ſententiam pronunciat, per hæc verba. [*Pro dilucidatione propoſitarum dubitationum primo loco ſtatuendum eſt, non fore prorſus abſtinendum à ſanguinis detractione, vbi vires quomodocumque ſeſe offerant imbecilla: ſiquidem vires duobus modis poſſunt dici imbecille: vno ſanè; cum nihil adhuc patiuntur in propria eſſentia; alio autem, cum ipſarum ſubſtantia compatitur. At rurſum patitur ſubſtantia, vel diſſoluta, vel oppreſſa. Vbi ergo duntaxat opprimuntur, vnicum illarum eſt remedium, vacuatio: niſi tamen ad extremum venerit imbecillitas. Grauata vires ex vacuatione recreantur; ita vt pulſus ex paruo fiat magnus, aut ex non apparente manifeſtè apparere incipiat. Atque tunc ſufficientem factam fuiſſe vacuationem alio in opere explicatum fuit.*] Ille hactenus. Quorum verborum ſeriem conſulto hoc loco volui tranſcribere, partim quòd quædam (ita Deus mihi faueat, vt loquor ex animo) nequeam intelligere; partim, quòd ea, quæ mihi videor intelligere, mihi videantur inſignes abſurditates, & repugnantias continere. Ac primum quidem fateor me non intelligere ambiguitatem huius poſitionis, quæ in titulo ſic habet. *Non eſſe prorſus abſtinendum à ſanguinis detractione in omni imbecillitate virium:* in ſerie orationis ſic. *Non fore prorſus abſtinendum à ſanguinis detractione, vbi vires quomodocumque ſeſe offerant, imbecille.* Namque; ſi rectè memini, quæ ab Ariſt. dicimus in logica; in libro περὶ ἑρμηνείας, ſenſus huius-

modi

modi verborum poteſt eſſe duplex; vel vniuerſalis negatiuus; vel particularis negatiuus. Vniuerſalis negatiuus eſt, quem verba videntur referte. In omni imbecillitate virlom non eſt abſtinendom à ſectione venæ: quæ æquipollet huic, in nulla virium imbecillitate abſtinendum eſt, &c. Quæ eſt falſiſſima. Senſus autem particularis negatiuus, quem puto aduerſarium concepiſſe animo, eſt, non in omni imbecilliate abſtinendum eſt, &c. Qui tamen ſenſus per hæc verba non aptè exptimitur. Sed hie eſt mos adnetſarij, vt propoſitiones proſetat ambiguas, confuſas, fortè optimè tenens doctrinam ſophiſticam, & caoillandi artem. Deinde vero id quoque fateor me non intelligere, quòd ille inquit: vires duobus modis poſſe dici imbecillas: vno, cum nihil adhue patiuntur in propria eſſentia: altero autem, cum ipſarum ſubſtantia compatitur. Imò verò ſum in ea opinione, neminem, quantumuis acutiſſimi ingenij, vno excepto aduerſario, qui ſuis lynceis oculis ea videt, quæ oculatiſſimi homines nequeunt videre, huiuſmodi verborum ſenſum poſſe panetrare. Sed quoniam in re tanta debemus experiri, an nouum aliquid, & admitabile poſſimus ex lucidiſſimis eius ſcriptis addiſcere, iſtæc breoiter conſideremus. Duo ptoponuntur modi imbecillitatis virium: alter, cum nihil patiuntut in ptopria eſſentia: alter, cum ipſarum ſubſtantia compatitut. De quibus ſcite libentet velim. Primùm quomodo vires fiant imbecillæ, nec quicquam patiantur in propria eſſentia: Deinde, quid ille intelligat per ſubſtantiam, an diuetſam, an eandem tem cum eſſentia: Prætetea qoid ſignificet verbum (*compatitur*) quod apud Gtammaticos (ni fallor) non aliud eſt, quàm miſerari. Ac ſi (vt puto) aduetſatius illo vſus eſt, pro (*ſimul pati*) adhuc dubiom eſt, an vetbum, *Patitur*, & *Compatitur*, eandem, an diuetſam tem ſignificent. Sed nec quæ ſequuntut videntut minus obſcura. [*Rurſum patitur ſubſtantia, vel diſſoluta, vel oppreſſa.*] De quibus itidem quæri poteſt, an ad priorem modum, an ad poſteriorem, an ad vtrumqoe pertineant. Verum illud certè obſcurius, maioremque affert difficultatem, quòd ex iis duobus modis diſſolutionis, & oppreſſionis virium, id tantummodo tytones docet; virium oppreſſarum vnicum eſſe temedium, vacuationem: alterum modum, & remedium virium diſſolutarum prorſus prætermitrit. Prætetea quid eſt illud [*Niſi tamen ad extremum deuenerit imbecillitas?*] Quæ enim maior imbecillitas, quam ἀσφυξία poteſt excogitari? in qua tamen concedit venæ ſectionem. Hæc ſi quis me doceat, hic erit mihi magnus Apollo. quæ autem mihi videot intelligere, & mihi videntur planè abſurda, atque inter ſe repognantia, illa ſunt. Aduerſarius duplicem imbecillitatis virium tationem docet ex Hip. & Gal. qui eorum quoque orationem producit; alteram, ob dolotem, laborem, morbique acumen; alteram, ob vaſorum quomodocumque factam vacuationem. qui ſcribit, in priore vnicum eſſe temedium vacuationem, ſicuti diximos. Gal. autem minimè inquit, vnicum eſſe temedium vacuationem, ſed aliquando, ſiquidem in imbecilitate ex acumine morbi, aut ex dolote, fieri plerumque poteſt, vt vacuatio non conueniat: exempli cauſa, ſi morbus acutus diſſoluat ſpiritus, ſi fuetit, qualem tefert Gal. ſi dolor ægrum ad ſyncopen deducat, in quo iubet Auic vt antequam venam ſecemus, ſedemus dolorem. Prætetea qua lege ſancit, ſi pulſus ex non apparente apparere incipiat, ſufficientem factam eſſe vacuationem? Quid ſi cum ptimum pulſus incipit apparere, debilis adhuc ſit, & maiore vacuatione indigeat? Verum, vt ne longius ſingula

1. Rat. Vict. 47.

Initio lib. de ſuc. bon. & vitio.

perſequar, illud equidem nequeo ſatis mitari, quomodo aduerſarius alioqui tam lynceus, tam breui decem linearum ſpacio non potuerit animaduertere ſuam de doplici virium imbecillitate cogitationem; cum vires nihil adhuc patiuntur in propria eſſentia: & cum ipſarum ſubſtantia compatitur, à duplici Hipp. & Gal. ratione, propter morbi acumen, necnon propter corporis, qualiſcumque ea fuerit, vacuationem, eſſe quàm maximè alienam. Quod quidem mea ſententia tam certum, & manifeſtum eſt, quàm quod certiſſimum, & manifeſtiſſimum, vt pluribus non ſit opus.

AD CAPVT III.

Indicia virtutis imbecillæ per oppreſſionem, & per diſſolutionem.

ADuerſarius, qui verbis Gal. doctrinam videatur vbique ſuſcipere, probare, ſummiſque laudibus efferre; qui ſe Gal. interpretem, imitatorem, ſectatorem tam ambitioſè iactat, reuera oon aliud agit, quàm vt Gal. doctrinam negligat, contaminet, peruertat: quod hoc quoque præſenti capite videmus illum feciſſe. In cuius explicatione, etſi inuitus, cogot parumper verſari. Ille itaque explicaturus, quomodo vtraque tatio imbecillitatis virium ttadita ab Hipp. & Gal. pet pulſum cognoſci, & diſtingui poſſit, ſcribit ad hunc modum. [*Putant doctiſſimi quidem viri, oppreſſas à languidis, & diſſolutis cognoſci poſſe facultates ex ſolo pulſu, ſi bene illorum ſententiam percipio, cum aliis prætermiſſis indiciis ſolius pulſus meminerint.*] Doctiſſimi iſti viti, vir doctiſſime, ſi bene eorum ſententiam percipio, non putant vires oppreſſas, & diſſolutas ex ſolo pulſu poſſe cognoſci. Quis enim vel indoctiſſimus id putet? Quis non facilè, ac libenter fateatur, præter pulſum, ex natura morbi cauſarum, ſymptomatum, ex victus ratione, habitu corporis, & aliis id genus indiciis huiuſmodi cognitionem haberi poſſe? Qui ſolius pulſus meminerunt, propterea quia Gal. cuios teſtimonium, & doctrinam afferebant, vnius tantummodo pulſus mentionem facit. Eorum verba hæc ſunt: *Quòd ſi quis nouitius id quoq; cupit intelligere, quenam modo vtraque huiuſmodi imbecillitas deprehendi, & diſtingui poſſit, is Galen. adeat, qui ait pulſum manifeſte hoc ipſum indicare. Siquidem in altera oppreſſa, & grauata natura pulſus mutantur cum in omnem inæqualitatem, tum maxime in eam, quæ eſt in vehementia, & magnitudine: in altera autem, diſſipatis, reſolutiſque ſpiritibus pulſus perpetuo ſunt parui, languidi, ac valde frequentes vt ille diffusè, & præclarè explicat.* [*Verum*, ſequitur Aduerſarius, *licet hæc Galeni verba vera ſint, adhuc tamen aliquam explanationem, atque diſtinctionem poſtulant.*] Certè quidem, quod aliàs quoque diximus, noſtri Gal. licet vicem dolere, ac miſerari; qui nunquam tam perſpicue, accuratè, diffusè poteſt loqui, quin Aduerſarius ſuas nouas explanationes, diſtinctiones, commenta illius ſermoni velit perpetuo addidiſſe. [*Primum, quod pulſus paruus, & languidus eſſe poteſt ex aggrauata virtute: cuius rei argumentum eſt, quòd ſi pulſus reddi poteſt intermittens ob eandem cauſam, multo magis poterit languidus, & paruus fieri: maiorem enim ipſa intermiſſio indicat cauſam: parui, & languidi pulſus poſſunt quidem eſſe æquales: at verò ipſi intermittentes æqualitate carentes.*] Hic (lector) ſi velim hunc tantum, tamque immenſum campum ingre-

Diſp. de feb. pag. 51.

di,

di, & omnia eaaminate quæcumque Aduerſarius de pulſibus in præſentia diſputat, vt hac vna de te longiſſimum commentarium conficiam, neceſſe eſt. Itaque ſtatui nonnulla duntaaat eacerpere, quæ ad hunc locum, & noſtrum inſtitutum magis videntur pertinere.

Ad primum quidem, quòd aduerſarius Gal. doctrinam non ſuſcipit, quin pulſus paruus, & languidus ob grauatam quoque virtutem fieri poſſit. Quid audio? An iſtud negat Gal. Si ille fatetor, ac docet, virtute grauata, & oppreſſa pulſus murati, cum in omnem inæqualitatem, tum maximè in eam, quæ eſt in vehementia, & magnitudine, quæſo, quid hoc aliud eſt, quam pulſus modo magnos, & vehementes, modo paruos, & languidos fieri? Adeò vt inter vtramque huiuſmodi virium imbecillitatem, non aliud ſit diſcrimen, quàm quòd in altera pulſus perpetuo ſint parui, languidi, frequentes; in altera non perpetuo, neque æqualiter ſed modo parui, modo magni, modo vehementes, modo languidi percipiantur: ſicuti homini grauius onus ferenti, quàm ſuæ vires ferre poſſint, ſolet euenire; quem videmus aliquando fatiſcere, aliquando ſubleuari, modo maiorem, modo minorem vim præ ſe ferte. Cùm igirut grauata, & oppreſſa natura pulſus, vel Gal. teſtimonio ac ſine vlla dubitatione parui, debileſque fieri poſſint, certè non fuerat, vr Aduerſatius longius laboraret, totque rationes afferret; quæ hoc ipſum confirmarent. Sed ille & verba, & tempus libenter perdere conſueuit. Etſi verò hæc tota pars reuera eſt adeò inuoluta, & implicata, vt non facilè intelligas, quid ille ſibi velit, tamen ſtatutum mihi eſt, vnum, vel alterum locum ad Galeni diſciplinam perpendere, qui nullo modo poſſunt, aut debent ſilentio prætermitti.

Ac primùm quidem ſunt, quæ doceant aduerſarium pulſus naturam ignorare. Siquidem ea non valet conſeqoentia: Virtus aggrauata pulſum intermittentem facit, ergo multo magis languidum, & paruum efficiet. Quoniam virtute etiam valida pulſus intermittens poteſt euenire vt ille confitetur, & verè quidem, in quibuſdam & ſanis, & alioquin non debilibus corporibus pulſus intermittentes apparere: quos tamen magnos, & vehementes eſſe conſentaneum eſt. Id quod Gal. ratione confirmat, poſito eaemplo duorum, qui eodem tempore iter faciunt, ſed alter pondere grauatus inæquali quodam, & intermittente motu: alter autem huiuſmodi quidem, ſed languido, & tardo. Ea verò eſt, quoniam debilitas pulſus non ſolùm à cauſa præter naturam grauante, ſed etiam à facultate, labefactata fieri poteſt: cauſa autem virtuti onerosa, & grauis, non ſtatim illam deiicit; quare poteſt inæqualem, & intermittentem pulſum facere, qui tamen languidus non ſit, aut certè non perpetuo talis. Quamobrem quamuis concedamus intermittentem pulſum à maiore cauſa fieri, non tamen ſequitur, ergo eſt languidus, quia pulſus languidus à minore cauſa tum demum fit, quando etiam facultatis imbecillitas accedit. Alioquin eadem cauſa prius inæqualem, & intermittentem, deinde etiam languidum, & paruum efficit. Verùm de hoc ſatis; & ad alterum locum maximè notabilem venio.

4 Rat. vict. 25 & 15 — Quoniam nos in noſtra Diſputatione aduerſus ſcopum virium, & noſtram determinationem dubitauimus ea Hipp. & Galen. qui in ἀσφυξίᾳ, quæ omni ea parte eſt pulſus amiſſio, venam ſecandam iubent, dubitationemque ſoluentes diximus fortaſſe nomine τῆς ἀσφυξίας, intelligendum eſſe eum pulſum, qui dicitur intermittens, quem Galen. aliquando abolitum eſſe dixit, priuationiq; & morti comparauit; Aduerſarius occaſionem ſumit, vt noſtram hanc interpretationem, & ſententiam conuellat, & confutet, ſi poſſit, & inquit. [*Amplius non videtur mihi hanc explanationem conuenire poſſe contextui Galen. &c.*] Quæ locutio, vt mihi videtur Latinitati non conuenire, ita neque aduerſus nos quicquam facit, nec dubitationem à nobis allatam planè ſoluit. Namque (vt hinc incipiam) ſi ἀσφυξία, eſt cuiuſque modi pulſus defectio, qua nulla maior imbecillitas poteſt excogitari, cum ſit actio prorſus amiſſa, libenter de Aduerſario ſcitem, quî fieri poſſit, vt in ea ſectio venæ conueniat. Quamuis enim illa fiat aliquando ea oppreſſione propter copiam humorum, tamen vel ipſo Aduerſario teſte, hæc ipſa humorum copia non ſtatim vires deiicit: ſed conſonum eſt (inquit) pulſum in principio maximè reddi inæqualem in vehementia, & magnitudine, ſed poſtea murati ad paruitatem, & intermiſſionem aliquam; denique vero ad maiorem intermiſſionem venite, ita vt tandem appareat aboleri. Atqui vbi oppreſſio eo deuenit, vt pulſum deſtruat, aut languidum paruumque reddat, equidem via credo aliquem futurum, qui ad venæ ſectionem deuenire audeat. Quare ſi fieri poteſt, vt pulſum intelligamus non omni ea parte abolitum, ſed ſolum aliqua ex parte, qualis eſt intermittens, vt docebimus, multo tutiorem ſententiam elegerimus, vel ipſius aduerſarij teſtimonio, qui per gradus notat pulſus fieri, primum inæquales in vehementia, & magnitudine, deinde paruos; & intermittentes poſtremo aboleri. Sed rationem aduerſarij videamus, quæ talis eſt. [*Etenim longè abeſt abolitio pulſus à pulſu deficiente, ac intermittente, vt Gal. ait. 2. Cauſ. Pulſ. capit. 3. illa enim ſignificat priuationem pulſationum: at pulſus intermiſſi dimidiatam quandam amiſſionem pulſationum indicat.* Verba Gal. hæc ſunt. [πολὺ γὰρ οἶμαι διαφέρειν ἀσφυξίαν ἐκλείποντος σφυγμοῦ, ἡ μὲν γὰρ οἷον στέρησίς ἐστι ἁπάσης τῆς ἐνεργείας πρὸς γοῦν τὴν αἴσθησιν, ὁ δ᾽ ἐξ ἡμισείας ἀπώλεια, hoc eſt. Etenim longè differre arbitror aſphyxiam à pulſu deficiente, illa enim tanquam priuatio eſt vniuerſæ actionis, vt ad ſenſum, hic vero amiſſio ex dimidio. Quo loco manifeſtum eſt Gal. loqui de pulſu deficiente, non intermittente. Definit autem pulſum deficientem quando iniectis digitis motus apparet; appoſitos verò detinenti paulatim exolutus ex toto ceſſat. Qui quidem pulſus deficiens in multis conſideratur pulſationibus, quando ſcilicet illæ eo pacto paulatim deficiunt: quod equidem credo Gal. obſeruaſſe, quia loquebatur de pulſu inæquali collectiuè, vt aiunt; quæ inæqualitas minimè in vna pulſatione, ſed in pluribus conſiſtit. Atque in hoc ſanè pulſu reuera eſt amiſſio ex parte dimidia, quia ad finem pulſationis paulatim deficit atque perditur. Secus autem ſe res habet in pulſu intermittente, in quo propriè vel vnica, vel duæ pulſationes deficiunt non dimidia tantum parte; quod de pulſu deficiente Gal. dixit, de intermittente nec dixit nec dicere potuit, cum verum non ſit. Quamobrem ratione numeri pulſationum dici poteſt pulſus deficiens: at ratione motus & pulſationis eſt potius abolitus, & priuatio motus: quod manifeſtè à Galen. traditum eſt. Ex quo ſatis patet, quanto cum errore aduerſarius pulſum intermittentem cum deficiente confuderit; quos tamen Gal. clarè diſtinguit, inquiens. — a. de praſ ex pulſ. c. 4.

Quinta his addatur diſpoſitio intermittentium, quæ præcedit eam, quæ deficientium eſt: quod enim in vno, vel duobus, vel omnino in numero aliquo pulſuum eueniebat, hoc ipſum diſpoſitio deficientium in omnib. efficit. Nã intermittens cõſideratur in certo numero pulſuum; inter quos vnus eſt, qui aboletur: at pulſus — 2. de cauſ. pulſ.

pulſus deficientes conſiderantur in pluribus ſucceſſiuè; qui omnes hoc habent, vt dimidia pulſatio aboleatur; idcirco non dicitur intermittens, ſed deficiens, ac ſi mutilum dicas. Porrò intermittentes pulſus bifariam conſiderantur, vel ſecundum collectionem mulrorum, atque ita dici poſſunt aliquo modo deficientes, vti diximus, & intermittentes; vel ratione vnius pulſationis amiſſæ, quomodo dicuntur priuatio pulſus, & abolitio, & *ἀσφυξία* quod Gal. ait. Qoare ipſa quoque *ἀσφυξία* vel eſt in pluribus, ſiue omnibus, atque ita ſimpliciter, & ex toto aſphyxia dicitur, Græcè *παντελῶς* vel in vnico pulſu, qualis eſt in intermittente; quo pacto dicitur illius priuatio quædam, & abolitio, non ſimpliciter. Hoc verò & res ipſa docet & verba Gal. clarè demonſtrant. *Nam quo tempore* (ille inquit) *pulſus intermittit, tunc arteria nihil prorſus mouetur, οὐδ᾽ὅλως*: at ſi quod prius mouebatur, dein moueri prorſus ceſſat, priuati motu non dicitur, quænam erit abolitio motus? quæ priuatio? Imò verò expreſſe ait Gal. illam pulſus inæqualitatem, quæ intermittendo fit, in priuatione motus conſiſtere; *ἐν στερήσει κινήσεως γίνεται*: quæ verba Latinus interpres reddidit, *at intermittens in motus poſitus eſt abolitione.* Quæ quidem, cum ego referre vellem, neſcio qua ſcribentis, aut imprimentis culpa factum eſt, vt loco abolitionis legatur alterationis: quæ dictio nec ad rem pertinet, nec certe mihi in mentem venit. Mirum tamen, quòd Aduerſarius propriæ opinionis amore adductus, atque occæcatus, errorem non viderit, neq; ad Latinum, neq; ad Græcum codicem confugerit, ſed verba Gal. eodem cum errore, quo in mea Diſputatione ſunt edita, retulerit, cuius negligentiæ excuſare Aduerſarium ego quidem neſcio: cum tamen nullius putem me excuſationis indigere; qui errorem ſemel admiſſum, in ſecunda hac editione conſultò nolui corrigere, vt pactum ſeruarem, quod in principio ſtipulatus ſum, me in ea nihil addere, nihil detrahere, nihil immutare voluiſſe. Id tamen me conſolatur, quòd certò ſcio, neminem fore, qui eum locum perlegens non facile intelligat, ac ſateatur, me abolitionem, & legiſſe, & dicere voluiſſe, atq; in hac ipſa voce vim, ac neruum totius argumentationis conſtituiſſe. Hæc de huius loci expoſitione, ac difficilis dubitationis ſolutione dicere volui: qui quidem non ita profiteor me omne punctum tuliſſe, quin alterius cuiuſpiam ſententiam probare, ac ſequi ſim paratus, qui fortaſſe meliùs, & accuratiùs hanc ipſam rem ſit explicaturus: quemadmodum certè in iis, quæ ab Aduerſatio ſunt in mediũ allata, tanquam à veritate & à Gal. doctrina longè alienis, acquieſcere non poſſum.

1. pra. ex puls.

Aduerſarius volens probare adhuc *ἀσφυξίαν* non eſſe pulſum intermittentem & abolitum, inter cætera, quæ me tædet ſigillatim longius perſequi, apoplexiam profert, de qua ſic ſcribit [*Alter affectus ex eadem ſpiritus interceptione contingens, eſt apoplexia, in qua animal omni reſpiratione, omni pulſu priuari. adeo notum eſt omnibus, quàm quod notiſſimum.*] Ego quidem certè cum in hunc locum, atq; hæc verba incidiſſem, vt verum fatear, ſuſpicatus ſum ſcripturam fuiſſe deprauatam, ac pro *omni Reſpiratione*, & *omni Pulſu*, legendum eſſe, *Senſu*, & *Motu*: quæ ambo tam notum eſt omnibus, quàm quod notiſſimũ in apoplexia deficere. Qui contrà non poſſum concipere animo, virum in ſtudio & vſu artis medicæ tot annos tam diligenter verſatum, aut non legiſſe apud Gal. & omnes medicos, aut non frequenter in artis operibus vidiſſe, homines apoplexia laborantes omni reſpiratione, omniq; pulſu minimè priuati, niſi cum morti iam proximi ſunt. Quod ſi tandem nulla eſt ſcripturæ deprauatio, equidem cogor fateri, me potius illius ſenſum non potuiſſe intelligere, quàm vt adduci poſſim, vt credam tantum heroem, in re tantilla, tam turpiter fuiſſe hallucinatum. Quæſo enim, quis non apud Gal. centies legit, in apoplexia totum corpus priuari ſenſu, & moto, ſolam reſpirationem ſupereſſe? Immò verò illum mirari, & quærere, quî fiat, vt cæteris omnibus muſculis motu carentibus, tantummodo illi, qui thoracem attollunt, nihilominus moueantur? Immò verò illum apoplexiæ magnitudinem, vel paruitatem, ex vna in primis maiore, vel minore læſione reſpirationis definire conſueuiſſe: Immò verò illum aſſeuerare, apoplexia laborantes, ſi nequeant reſpirare; protinus diem obire? quandoquidem certum eſt nec vitam ſine reſpiratione, nec reſpirationem ſine vita poſſe conſiſtere. Nam de pulſu quid attinet dicere? Quo ſi priuantur apoplectici, quid erat, vt Gal. eorum pulſus recenſeret, aut cauſas tam diligenter inquireret? Qui affectionis leuioris refert pulſus ſine vlla mutatione in magnitudine, vehementia, claritate, frequentia, duritie: grauioris autem, inæquales, tenſos, minores, languidiores, rariores: grauiſſimæ tandem, & quæ vires deiiciat, etiam languidos, frequentes, celereſque, non item abolitos. Sed de re Solis luce clariore quid vehementius laborandum eſt. Cum nemo ſit in artis operibus, vel leuiter exercitatus, ne ipſi quidem lippi, & tonſores; qui non facilè intelligant, propriiſque oculis viderint ſæpenumero, in homine laborante apoplexia reſpirationem nequaquam deficere; pulſuſque non ſolùm non aboleri, ſed etiam quandoque ita ſtabiles, & robuſtos conſtare, vt miſſionem ſanguinis, & quidem copioſè poſſint perferre.

2. Aphor. com. 22. 3 de loc. Aff. c. 10.

Aduerſarius demum de pulſu intermittente rationem, ac teſtimonium Gal. ſibi ipſe obiicit; qui huiuſmodi pulſum abolitum interpretatur, ac morti comparat, vt nos in noſtra Diſputatione & paulo ante diximus. Quam ſententiam, & doctrinam ille deinceps conuellere non veretur. Sed mihi ſtatutum eſt iſtæc omnia ſilentio prætereire; partim quòd mihi videar de hoc ipſo loco dixiſſe quod eſt ſatis; partim quòd proximo hoc tempore in peculiari opuſculo, breuiter, & perſpicuè, quantum fieri potuit, omnia noſtris auditoribus conatus ſum explicare, quæcumque Gal. de eſſentia, differentiis, cauſis, & prognoſticis pulſuum pluribus libris complexus eſt; quod in manibus multorum verſatur. Itaque ad alia progrediamur.

AD CAPVT IV.

Vires varia ratione validæ, & imbecillæ.

QVæ Aduerſarios hoc præſenti capite diſputat de viribus robuſtis, & infirmis, etſi fortè non ſunt omnino falſa, tamen certè quidem ſunt noua, inſolita, & à communi veterum medicorum præcipuè Gal. loquendi more aliena. Quod ſi res ipſa conſideretur, equidem non inuitus fateor, quod aliàs quoque confeſſus ſum, varios omnino, ac multiplices roboris, ac debilitatis virium gradus, ordines, ac terminos reperiri, qui varia quoq; & multiplicem mittendi ſanguinis menſuram, & modum definiunt. Et quo fit, vt nonnullis ſemel, & copioſè, nonnullis partitè, & parcè oporteat ſanguinem mittere. *Quamobrem* (inquit Gal.) *non licet in omnibus vnum vacuationis modum definire. Noui enim quibuſdam ſex libras ſanguinis detractas abundè fuiſſe, vt febris confeſtim extingueretur, neque vlla virium ſequeretur afflictio: nonnullis verò*

De Sang. Miſs. c. 14

ſiſqui

ſeſquilibram, haud citra leue ſaltem aliquod virium detrimentum. Quibus ſi quis duas vacuaſſet, ſummè vtique læſiſſet. Proinde noui etiam quibus vnam vtiliter detraxi libram, & hac nonnunquam etiam minus. Et iterum generale tradit præceptum; Sectionem venæ ſemper valentes vires poſtulare, quæ modo, ac menſuræ vacuationis reſpondeant. Atque hæc quidem Galen. vocibus vſitatis verè, & perſpicuè docet, in quibus maximè cuperē omnes acquieſcere. At verò Aduerſ. ſuis nouis cogitationibus, nominibus, doctrinis quibus tantopere delectatur, ita ſuos tyrones inſtituit, vt illi fortaſſe nullo vnquam tempore poſſint hæc intelligere, vel quod longè maioris momenti eſt, hoc tantum præſidium congruenter adminiſtrare. Sed loquentem Aduerſarium audiamus. *[Vires validæ admittūt remedium, quatenus non prohibent, vt Gal. ait lib. de Sang. Miſ. cap. 13. (vocant enim hoc ipſum nonnulli recentiorum contraindicare.) Quæ vox ſignificat duo, vt id obiter dicam ſcilicet non prohibere, & indicare idem remedium, quod ab alio primò indicante poſtulabatur, modo tamen contrario, vt Gal. verba teſtantur, l. 2 Acut. comm. 45. Quem locum cum aliis multis, quod ſtudio breuitatis prætermitto, miror non animaduertiſſe illos, qui Altimarum, Fuchſium, & alios temeritatis nomine in eius voculæ ſignificatione accuſant.]* Aduerſarius, qui incredibili ardet libidine noſtros oppugnandi labores, hanc quoque illius voculæ, quæ nihil ad illum pertinet, nos carpendi occaſionem arripuit: quam bene, & feliciter videamus. Nos de huiuſmodi vocula in noſtra Diſputatione ſic ſcripſimus. Fuchſius Altimarus, ac fortè alij de hac voce temerè litigant, varias afferentes illius ſignificationes à Gal. mente prorſus alienas Nam verbum Græcum ἀντενδείκνυσθαι, verè nihil aliud ſignificat, quàm prohibere, & impedire id, quod ab alio indicatur: id quod, & rei natura, & Gal perſpicuè demonſtrat, tum alibi, tum hoc in loco affirmans ex duobus ſcopis propoſitis, alterum, vehementiam morbi indicare, quæ facere oporteat; alterum autem, vires prohibere eiuſmodi indicationem. Atque id verba ſtatim ſequentia maximè confirmant, quæ ita habent. *Interdum enim affectus ipſe perſuadet ſanguinem eſſe mittendum; cæterum virium imbecillitas prohibet.* Atq; hæc quidem (ni fallor) apertiſſimè noſtram ſententiam confirmant; ad quæ æquum fuerat Aduerſarium reſpondere. *Sed* (ille inquit) *hæc vox duo ſignificat, ſcilicet non prohibere, & indicare idem remedium, &c. vt Gal. verba teſtantur*, &c. Equidem cum hunc Gal. locum ſemel, atque iterum diligenter legiſſem, fateor me nihil potuiſſe expiſcari, quod iſtud doceat; immò verò quod iſtud tractet, atque ad indicandi vel contraindicandi rationem vtcumque pertineat. Verùm fortè Aduerſarius notare voluit librum primum Acut. com. 45. vbi Gal. verba Latina hæc ſunt. *Rurſum, & hoc in loco remediorum indicationem ab affectu corporis accepit, ſimúlq; virtutem conſiderauit; neq; tanquam remediorum vſum aliquando indicantem, ſed tãquam contrario indicantem modo, interdum autem & prohibentem* &c. quæ licet Græcè clariora ſint, tamen ita quoque rectum ſenſum poſſunt habere, niſi quis priſcis dogmatibus aſſuetus illa in ſiniſtram partem detorqueat. Ego quidem illa ita puto audiēda, indicationem remedij ſumi à morbo: Hipp. verò vires addidiſſe, non vt quæ remedium indicent, cum potius aduerſentur, & contraindicent: ſiquidem illæ ad remedij indicationem concurrūt ſolùm vt non prohibent non vt verè indicāt. Proprium namque virium munus eſt contraindicare: quæ indicatio interdum tanti momenti eſt, vt prohibendi prorſus vim habeat. Quare quod ait interpres, contrario indicantem modò, minimè eſt audiendum cum Aduerſario, id eſt, idem indicantem, ſed contrario modo. qui ſenſus eſt, non dico falſus, ſed planè abſurdus, & quem vix percipere quiſpiam poſſit; ſed omnino contrario modo indicantem, id eſt contraindicantem. Etſi enim negandum nun eſt, hoc aduerbium ἀντὶ, nō ſolum ſeorſum poſitum, ſed etiam cum aliis verbis copulatum, planè eſſe multiplex, neque vnico modo à ſcriptoribus vſurpari: quod Budæus, Victorius & plurimi Græcæ linguæ interpretes, præclarè animaduertunt, tamen equidem non verebor affirmare, illud nunquam ſimul vt Fuchſius contendit, ſed frequentiſſimè idem ſignificare quod contrà, ex aduerſo, ex aduerſa parte, vel quid ſimile. Quod quidem, ſi quàm facilè eſt, tam foret neceſſarium multis exemplis poſſet confirmari. Verùm quid in re clara vehementius laboro: quicquid ſomniauerit Aduerſ. quid Galenus ait? συνεπεσκέψατο τὴν δύναμιν οὐχ᾽ ὡς ἐνδεικνυμένην ποτὲ τὴν χρῆσιν τοῦ βοηθήματος, ἀλλ᾽ ὡς ἀντενδεικνυμένην, ἐνίοτε δὲ καὶ κωλύουσαν. Id eſt, *ſimul vires conſiderauit, non vt quæ vſum remedij vnquam indicent, ſed vt quæ contraindicent, interdum verò & prohibeant.* Quid igitur erat, vt me Aduerſarius corriperet, quòd hunc locum, alióſque multos à ſe breuitatis gratia prætermiſſos non animaduerterim? Qui dum illum accuratiùs, & æquiore animo leget, non poterit (arbitror) non erubeſcere, ac pœnitentia duci, quòd hæc ſcripſerit: ſicuti confido fore, vt ſi alios habet locos, quos in medium proferat, illos nihilo meliore cum intelligentia lectos à ſe fuiſſe cognoſcat. Ac ſanè mirum eſt, quomodo hic vir, qui breuitatem tantopere abhorret, in præſentia breuitatis ſe adeò ſtudioſum profiteatur, vt ex multis Gal. loci, quos iactat, ne vnum quidem voluerit proferre, ac indicare, vnde huiuſmodi errorem deponere potuerim. Sed propero ad finem. *[Vires voco ſimpliciter validas, cum ſpiritnoſam, carnoſam & verè ſolidam ſubſtantiam quantitate, qualitate, temperamento ſeſe habere ſecundum naturam contigerit: ſecundum quid autem, cum non omnes ſimul, ſed duæ ex iis ipſis bene habeant.]* Petiiſſet Aduerſarius, niſi hic quoq; aliquid de ſuo, præter, aut veriùs contra Gal. doctrinam addidiſſet. Siquidem Galenus ſingulari breuitate, & perſpicuitate, ſine tot ambagibus ſcribit eſſentiam virium, quibus regitur corpus, tum in ſpiritu, tum in ſolidorum corporum temperamento conſiſtere. Sed ille ſemel, & iterum confeſſus, eſt, ſemel, & iterum confitebitur, ſe non curare quid Gal. ſcribat, quid Gal. doceat. Itaq; nemo debet mirari, ſi ille nominum, rerúmque propè omnium nouitate tam libenter, & frequenter delectarut. Qui cum potuerit ex Gal. diſciplina, duobus verbis, eſſentiam virium, variósq; eorum gradus, atque hinc varios quoque mittendi ſanguinis modos, variáſque menſuras colligere, ſuiſque tyronibus exponere, vt nos ſuprà diximus, maluit longiore oratione, inſolentibúſque verbis tot diſtinctiones, tot cautiones afferre, quot fortè à nemine, ne dum à tyronibus intelligi poſſint. Ad quæ propterea, non aliter, quàm vnica litera mihi libet reſpondere.

9 Meth. cap 11.

12. Meth. cap. 5.

AD CAPVT V.

De repetita ſanguinis miſſione.

PLures cauſæ repetitæ ſanguinis miſſionis de ſententia veterum medicorum ab Aduerſario in præſenti capite proponūtur: quæ certè ad principalem illius Diſputationem nihil videntur pertinere. Vtcumq; autem ſit, hanc quoq; partem breui

ui percurramus. Prima igitur eſt cauſa, quando multa vacuatione eſt opus, vires autem ſunt imbecilliores, quàm vt eam poſſint perferre. Secunda eſt propter reuulſionem, quæ ſæpius facta, quanto maiorem in numerum ſingulæ ſanguinis detractiones auctæ fuerint, tantò efficacior redditur. Quæ vtraque verbis conceptis à Gal. tradita eſt. Tertia eſt huiuſmodi. [*Fit etiam ad vacuandum ſanguinem in phlegmone contentum, cum liceat, aut ob magnitudinem inflammationis, aut eiuſdem prauitatem, prima vice totum vacuare ſanguinem.*] Aduerſ. fortè cenſuit, ſe hanc quoque cauſam à Galeno accepiſſe; ſed iſtud malè cenſuit. Galeni verba hæc ſunt. *In quibus prope ſectam venam, ingens quadam phlegmone eſt, optimum fuerit ſanguinis, & in calore, & in conſiſtentia mutationem expectare; quemadmodum etiam Hippocrates de pleuritide verba faciens ſignificauit. Non tamen omni ex parte hanc expectare oportet: verum accidit interdum, vt antequam hæc fiat, ceſſandum ſit, duabus de cauſis: quod videlicet imbecilla ſit virtus, & phlegmone maligna: nonnunquam enim nihil concedit, ſed vehementer impactus eſt ſanguis*, Hæc Gal. Ex quibus certum eſt illum minimè loqui de repetita ſanguinis miſſione, ſed de illius mutatione in magna inflammatione: qui ſcribit expectandam eſſe mutationem in calore, & conſiſtentia, quòd huiuſmodi mutatio ſanguinis ex particula phlegmone obſeſſa tranſlationem ſatis commodè ſignificet: non tamen hanc perpetuò eſſe expectandam; ſed interdum antequam hæc appareat, à ſanguinis detractione deſiſtendum. Idque duplici de cauſa: altera quòd virtus ſit imbecilla, nec tam copioſam vacuationem ferre queat: altera quòd phlegmone maligna ſit, nec quicquam de ſe ſanguinis concedat, vtpotè qui vehementer ſit impactus. Qoare per Gal. in magna inflammatione, præcepto, & imitatione Hipp. ſanguinis mutationem oportet expectare, niſi virea fuerint imbecilliores, quàm vt tantam vacuationem ferre poſſint, phlegmonéque ſit maligna: in quibus duobus caſibus, ſicuti Gal. ex vna parte docet, ante ſanguinis mutationem à vacuatione eſſe deſiſtendum ita ex altera, de repetenda ſanguinis miſſione nullum verbum facit. Poſtrema eſt cauſa. [*Vt qui ſanguis ad venas attractus eſt, ſeminalis exiſtens, è venis ipſis quoad eius fieri poteſt, citiſſimè vacuetur. Hancque vacuationem Galenus vſque ad animi deliquium maximè laudat lib. 6. de. San. Tue.*] Equidem cum hunc Galeni locum diligenter à me quæſitum non potuerim inuenire, puto Aduerſarium notare voluiſſe librum de Tuend. Valet. 4. cap. 20. Ex qoo præcipoè loco huiuſmodi ſententia videtor poſſe colligi. Etſi neque hic locus ad rem, quam tractat Aduerſ. mea ſententia quicquam pertinet: ſiquidem Gal. de vna laſſitudine phlegmonode, atque illius curatione verba facit: in qua ſanguine calidiore congeſto in vniuerſo corpore iure colligit illum eſſe mittendum, cum ſit ex dimidio corruptus nec ſine magno incommodo poſſit diutius in venis morari. Cum altera ex parte Aduerſarius de repetita ſanguinis miſſione generaliter verba faciat: ex qoo licet quærere adhuc, qui nam, aot qualis iſte ſit ſanguinis attractus; ad quas venas, quomodo, à qoo trahatur, & alia id genus, quæ certè magis accuratam explanationem videntur deſiderare. Neque verò minus obſcurum, dubium, ne falſum dicam, eſt, quod ille ſcribit de miſſione ſanguinis vſque ad animi deliquium ex Galeni ſententia. Qui illud vnum docet, in hac eadem laſſitudine phlegmonode, in qua calidiſſimus redundat ſanguis, ac frequenter vehementiſſima febris accenditur, miſſionem ſanguinis eſſe quammaximè neceſſariam; vel (ſi id licet) vſque ad animi deliquium: adeo vt ſi quis hoc prætermiſſo præſidio nullum ſubeat periculum, is fortunæ beneficio id poſſit acceptum ferre. Qui demum illam adhibet cautionem, vt ſanguis bis eodem die, ſi fieri poteſt, detrahatur, vt interim ſanguis vitioſus in corporis mole contentus in venas demigrare poſſit: ita tamen, vt primum homo animi deliquium non incurrat: ſecundò autem neque illud formidemus. Siquidem accedente animi deliquio in prima detractione, homo ſecundam ferre non poſſet: ſicuti altera ex parte ſi ſecundò animi deliquium accedat, homo facile poteſt ſubleuari. Ex hac (ni fallor) vera, & perſpicua ſententia Galeni, addo ex rei natura, ac ratione facile eſt intelligere, Gal. minimè id voluiſſe, & docuiſſe, quod Aduerſ. contendit: qui aliàs ſcribit apertè: ſanguinem mittendum eſſe; interim quidem eodem die, quando ſic facere expedit, interim poſtridie, niſi vbi vſq; ad animi deliquium vacuare conemur. In quo certè caſu, non partita, & repetita ſanguinis miſſione, ſed confertim, ac ſemel vniuerſum ſanguinem mittere neceſſe eſt. Cæterum præter cauſas ab Aduerſ. allatas, Gal. aliam quoque videtur poſuiſſe, quæ fortè inter cæteras omnes principem locum meretur: de qua ille ſcribit hunc in modum: *Conari verò in omnibus malis præſtat, vt poſt mediocrem ſanguinis miſſionem factam, iteratò ſanguis auferatur, interim quidem eodem die ſi ita expedire videatur; interim poſtridie*, &c. Quam quidem cauſam puto, neque ad infirmitatem virium, neque ad reuulſionem eſſe referendam. Cum enim ea ſit omnibus morbis communis, non eſt veriſimile homines ſemper habere vires imbecilliores, quàm vt congruam ſanguinis miſſionem ferre poſſint; aut perpetuò reuulſionis indigere. Itaque cenſeo Gal. huiuſmodi iteratam ſanguinis miſſionem generaliter probare; quod ita homines magis commodè, atque exquiſitè vacuentur, quàm ſi ſemel remedium adhibeatur.

De Sang. miſſ. c. 12.

De Sang. miſſ. c. 14.

AD CAPVT VI.

Sanguinis detractionem vtilem nunquam fieri, viribus exiſtentibus imbecillis.

HIc (lector) eogor repetere, quod paulò ſuprà dixi: me non ſatis intelligere, quomodo hic titulus, quin in vniuerſum ſanguinis miſſionem, tanquam inutilem improbat cum virium imbecillitate, iis conueniat, quæ Aduerſ. tota hac Diſpotatione conatus eſt probare; non omnem virium imbecillitatem eiuſmodi remedium prohibere. Vtcumque autem ſit, hoc poſtremo capite ille refutat eorum opinionem; qui in qualibet virium infirmitate, non verentur parciſſimam ſanguinis detractionem moliri, quam euentatiuam vocant. De qua re, etſi equidem puto illum bene ſentire, vt nos quoque alias diffusè diximus; nihilominus, ſi Aduerſ. ſuis principiis, & rationibus ſtare velit, neſcio quanti hæc refutatio facienda ſit. Etenim, quemadmodum ex eo quòd pueri xiiij. annos nati per Galenum cotylam ſanguinis ferunt; ille colligebat puero ſeptenni quatuor vncias ſanguinis poſſe detrahi: pariter iſti Bottalici ex eo, quòd vires minus imbecillæ largiorem ſanguinis copiam ferre poſſunt, videntur poſſe colligere; vires magis imbecillas, minorem, demúmque imbecillimas, minimam ſanguinis detractionem ferre, & quidem vtiliter ferre poſſe. De qua Soretica ratione ſupra diximus. Sed finem facio, & ad Sextam Diſputationem aggredior.

Diſp. de ſebr. pag. 54.

LIBER SEXTVS.

DISPVTATIO VI.

An Auctor Quarti Libri de Rat. Vict. in morbis acutis rectè ſcopos ad ſanguinis miſſionem requiſitos propoſuerit.

PRINCIPIO diximus haſce duas aduerſarias Diſputationes eſſe longè maximi momenti, multíſque nominibus maxima notatione dignas: ac propterea me ſtatuiſſe ſumma cum cura, & diligentia in illis verſari: qui à ſtudioſis peto, & quæſo, vt ſe mihi viciſſim attentos præbeant, totamque huiuſmodi controuerſiam diligenter attendant: quam equidem ſpero cæteris neque iniucundiorem, neque inutiliorem futuram. Cæterum antequam incipio, mihi liceat id repetere, quod antea quoque memini me dixiſſe; libros Aduerſarij de Rat. Cur. per Sang. Miſſ. ter fuiſſe editos. Primò Veneriis an. 1570. Secundò Taurini an. 1584. Tertiò Venetiis hoc præſenti anno. 1597. In quibus ille conſtanter, & perpetuò, in prima quidem editione, aduerſus Dominicum Butium; in cæteris autem aduerſus recentiores quoſdam medicos, vna, atque eadem verborum ſerie acriter diſputat, qui auſi ſunt affirmare, hanc ſententiam auctoris libri Quarti de Rat. Vict. Hippocrate non eſſe dignam. Qui ſcribit ad hunc modum. [*Recentiores quidam medici contendunt eam ſententiam Hippocrate dignam non eſſe; quia non vtitur propria dicendi grauitate, & quia impropriò admodum loquitur: ſi enim omnis acutus morbus eſt magnus, vt paſſim Galen. teſtatur, cur auctor eius libri inquit*, In acutis morbis ſanguinem mittes, ſi vehemens morbus videatur? *Sed leuiſſima eſt horum hominum opinio. Primùm, quia Gal. in eius loci commentario ſententiam admittit tanquam Hippocrate dignam, admiratúrque cur eam inter Aphoriſticas ſententias non repoſuerit: deinde falſum eſt, quòd omnis acutus morbus ſit magnus, aut vehemens, quoniam varia ſunt apud omnes antiquos acuti morbi ſignificationes: nam aliquando idem quod breuis affectus denotat; aliquando verò idem cum magno morbo eſt. Quamobrem optimè quidem ab ipſo Polipo, aut ab altero cum maximi hominis diſcipulo factum eſt, cum admonet mittendum eſſe ſanguinem in acutis morbis, ſi vehementes fuerint; quaſi quod dicat, in ſolis magnis id genus auxilij neceſſariò adhibendum eſſe. Nos igitur, qui admittimus hanc tanquam dignam maximo Hippocrate ſententiam, quid dicemus, aut quomodo interpretabimur, vt noſtris principiis minimè videatur oppoſita?*] Aduerſarius hactenus. In præſenti autem Diſputatione non ſolum eorum ſententiam probat, qui hanc ipſam ſententiam cenſent Hippocr. indignam, ſed etiam eiſdemmet rationibus, & argumentis, aduerſus nos,, immò verò aduerſus eandem ſententiam acerrimè agit, quibus & Butius, & reliqui nouatores illam calumniari, & repudiare non ſunt veriti. Quod ſanè mihi videtur omnem ſuperare admirationem. Cum enim hæc ſimul ſtare, & cohærere nullo modo poſſint, ac neceſſariò fatendum ſit, Aduerſarium, vel ſuperiore, vel præſenti tempore malè ſentire; quod ille ante annos prope modum 30. & rurſum abhinc annos 14. vnam tenuerit opinionem, in qua deinceps hoc poſtremo tempore noluerit permanere, id verò humanum eſt. Nam ſicuti humana vita ſuas habet ætates, quæ multis modis inter ſe differunt, variáſque actiones in vna, quàm in altera perfectiores edunt; ita ſtudia literarum ſuas videntur habere progreſſiones; vt non rarò à nobis ipſis diſſentire, adeóque illa, quæ prioribus annis effudimus, vix agnoſcere, ſæpe etiam παλινῳδεῖν, & prorſus abiicere cogamur. Notum illud Euripidis, αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Quod Cicero quoque aliquando vſurpauit, inquiens poſteriores cogitationes eſſe ſapientiores. Quod autem quis hodie, vnóque, & eodem temporis momento, modo palliatus, togatus, aiat, ac neget, & planè contraria proferat, id verò eſt hominis, qui ſuarum chimærarum magis, quàm veritatis ſit ſtudioſus: cuius doctrina, quàm ſuſpecta ſit, inconſtans, & cui vix vlla fides poſſit adhiberi, nemo eſt, qui non videat. Quod quidem cum in omnibus graue, & reprehenſione dignum videatur, in iis certè, qui ſua, quamuis falſiſſima dogmata mordicus tenere, alios corrigere profitentur, grauiſſimum, reprehenſione digniſſimum, ac vix tolerandum eſt. Sed poſtquam ita illi placitum eſt, ſinamus quemque ſibi ſcribere ſuam cuique ſponſam, ſuum cuique amorem placere, & ad inſtitutam Diſputationem redeamus.

AD CAPVT I.

Propoſitum Diſputationis.

CVm Aduerſar. hoc primo capite ea tantummodo proponat, de quibus ille propoſitum habet verba facere; etſi id ſuo more parum appoſitè facit; qui (ni fallor) vnica ratione, vtrùm ſententia ſit Hippocratis, necne, hanc totam Diſputationem potuiſſet agitare, & abſoluere, non eſt, vt nos in eo diutius moremur.

AD CAPVT II.

An ſententia libri Quarti Acut. xix. ſit Hippocrate digna.

QVanquam non id ago, neque in eo nunc laboro, vtrum lib. 4. de ratio. Vict. in Morb. Acut. ſit Hippocratis, necne, quod ad noſtrum inſtitutum non pertinet, tamen nequeo egregiam quandam rationem, & orationem diſſimulare, qua Aduerſarius nititur probare, Quartum hunc librum, tanquam ſpurium, tribus prioribus additum fuiſſe. Ea verò eſt huiuſmodi. [*Et enim iudicare nemo poteſt in hoc quarto eam non adeſſe theorematum integritatem, verborum, ſententiarúmque grauitatem, perſpicuitatémque orationis*, &c. *qua ſenex ille venerandus, in legitimis operibus adhibere ſolet.*] Etenim neminem poſſe iudicare *eam non adeſſe theorematum integritatem*, &c. non alium habet apud me ſenſum, quem negari non poſſe, quin adſit in eo libro ea theorematum integritas, &c. Ex quo colligitur, Hippocrat. libri authorem eſſe exiſtimandum: cuius oppoſitum Aduerſarius voluit demonſtrare: qui, cum hac in re, vt in pleriſque omnibus ſibi manifeſtè, & muliebriter contradicat non eſt mirum, ſi neque in verborum ſtrue, atque ſyntaxi quid ſibi velit, ſæpenumero non intelligat. Verum ad rem. Cum teſtimonio Aduerſarij in eo libro quædam contineatur, quæ Hippocraticam doctrinam referunt, ſtatim ad principalem quæſtionem me confero; vtrum ſententia controuerſa ſit Hippocrate digna, nec ne, de qua Aduerſarius ſic ſcribit. [*Cum eorum, quæ hoc libro ſcripta ſunt, quatuor*

enor, vt quiſpiam dixerit, ſpecies reperiantur: quarum vna, & dictione, & ſententia ſeſe prabet dignam Hippocrate: altera, qua ſola dictione; tertia, qua ſola ſententia; poſtrema, eorum, qua neque dictione, neque ſententia illo digna ſunt, inueſtigandum mihi eſt, in quo numero debeat reponi ſermo propoſitus: quem ſanè, vt Galenus dignum ſtatuit Hippocrate: ſic non docet, quo ex illis modis cenſeatur dignus, quod ſi feciſſet ille, nobis id explicãdi non incumbuiſſet negocium.] Elegans, egregia, recondita ſcribendi, ac docendi methodus. Ac ſanè malè actum eſt cum Galeno, cui non contigerit ſuo tempore Aduerſarium naſci, qui ab ipſo hac præclara inſtitutione eruditus potuerit Hippocratem felicius interpretari, ac nos docere; quoniam modo plurimæ ſententiæ illo dignæ cenſendæ ſint. Qua ratione ipſi Aduerſario huiuſmodi loci interpretandi negocium non incubuiſſet, niſi fortè ille & eo me arguat, quòd cum eo non ſcripſerim, *incumbuiſſet.* Quoniam verò Galenus, neque ſua ſponte, neque alterius inſtitutione potuit hac præclara imbui diſciplina, ſatis habuit, pingui Minerua (vt aiunt) affirmare, ſermonem eſſe Hippocrate dignum, ſéque mirari, quòd inter Aphoriſmos eum non ſcripſerit, cum in paucis verbis vis magna comperiatur, quod in aphoriſmis ſolet vſu venire. Quod ſi Galenus orationem tot vitijs fœdatã, quod Aduerſarius illi obijcit, potuiſſet deprehendere, tantum abeſt mea ſententia, vt illam tam illuſtri præconio fuiſſet ornaturus, vt fortè etiam non foret veritus illa detegere, amplificare, eorúmque authorẽ arguere; quemadmodum paſſim facere ſolitus eſt; cum ipſum quoq; Hippocratem aliquando ſermonis minus proprij, exquiſiti, ordinati, perſpicui, veri, & aliorum id genus crimine inſimulare non dubitauerit, Qui ſemel ita ſcriptum reliquit. *Ego non eo conſilio, vt nemo Hippocratis libros legat ad hoc opus ſcribendum acceſſi: Verum quoniam is mihi primus idoneus vſus eſſe via videtur, nec tamen eam totam compleuiſſe, cum quadam minimè limitata, quadam imperfecta, obſcuráque ab eo prodita liceat inuenire; idcircò ipſe tum omnia ea dilucidè explicare, tum qua parum diſcreta ſunt, diſtinguere, tum qua deficiunt, ſupplere ſtudui* Quòd ſi Galenus ipſi Hippocrati, quem veluti Deum quendam veneratur, aliquando non pepercit, quid illum putandum eſt fuiſſe facturum, aduerſus alienum authorem, in quo explicando illud in primis conatur, & ſtudet, vt quæ bene, vel malè ſcripta ſint, vera dogmata à falſis, frumentum à lolio diſtinguat, & ſecernat? Cæterum, quoniam Aduerſarius in iuniorum medicorum, ſtudioſorúmque gratiam omnino vult hoc ſibi negocium incubuiſſe, age nos quoque illum audiamus.

6 Meth. Med.

AD CAPVT III.

An ſententia dictione ſit indigna Hippocrate, ac de morbi vehementia, & magnitudine.

ADuerſarius probaturus, litigioſam ſententiam dictione Hippocrate eſſe indignam, non ſine artificio, ac methodo, ſic orditur. [*Circa dictionem Hippocraticam ſolent à Galeno, atque aliis conſiderari tria: Vocum proprietas: deinde perſpicuitas; tertio breuitas, grauitáſque. Omnis ſermo hiſce conditionibus inſignitus, erit Hippocrate verè dignus*, &c.] Ego verò, etſi fateor Galenum non solùm ex ijs tribus locis, ſed etiam ex phraſi, ſeu locutione, ordine, diligentia, aliiſque id genus notationibus, de operibus, ſententiiſque Hippocratis iudicium facere conſueuiſſe, tamen puto hæc omnia eſſe leuiora, ac minoris momenti; aliúmque præterea quendam locum ab Aduerſario prætermiſſum adhuc ſupereſſe, qui hoc ferendo iudicio longè eſt maximi momenti, atque inter omnes principatum facile ſibi vendicat. Ille verò ad præſtantiam, veritatem, conſenſionémque ſententiarum, dogmatum, rerúmque in primis videtur pertinere. Namque ſi ſententiæ, ſi dogmata, ſi res ipſæ, quæ traduntur, præſtantes fuerint, ſi veritatem contineant, ſi principiis, ſi toti Hippocraticæ diſciplinæ conſentiant, vtique pro comperto habendum eſt, nullo certiore, ſolidiore, illuſtriore argumento de ſententiis, atque operibus Hippocratis iudicium fieri poſſe. Quod quidem inſtitutum Galenũ perpetuò tenere facile fatebitur, quicumque illius lectione delectatur; ſpeciatim verò ad illius interpretationes in libros, qui falsò Hippocrati aſcripti ſunt, voluerit animum adhibere; in quibus illud vnum præcipuè ſtudet, & conatur; vt bona à malis, vera à falſis, Hippocratica à non Hippocraticis internoſcat, & ſecernat. Sed terribilem Aduerſarii argumentationem perſequamur. [*Author ſtatim improprius incipit vti vocibus, cum dicat*, In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur. *Nam quæſierim, an propriè acuti morbi nomine vſus ſit, an impropriè. Si dixeris propriè vſum fuiſſe, fruſtra additur in oratione, ſi vehemens morbus videatur. Si verò impropriè locutus eſt, oratio improprijs vocibus conſtituta Hippocrate digna nequit cenſeri* Egregia, planè Ariſtotelica demonſtratio. Sed poſt quam nos quoque cogimur ineptire, vt ne Aduerſarius ſe nimis argutum putet, reſpondeo authorem propriè morbi acuti nomine vſum fuiſſe. Ergo fruſtra additur in oratione, ſi vehemens morbus videatur. Negatur conſequentia, quam æquum fuerat illum probare. Ego verò illius abſurditatem demonſtro: quia non omnis morbus acutus eſt vehemens. Quamobrẽ cum author Hippocratica diſciplina inſtitutus probè ſciret de vna morbi vehementia mittendi ſanguinis indicationem oriri, vt huiuſmodi præceptum tanti momenti, diſtinctè, & certè explicaret, ſumma cum ratione neque ea verba prætermiſit, *ſi vehemens morbus videatur.*

Quod porrò non omnis morbus acutus ſit vehemens, etſi multis modis probari poteſt, aliis fortè vnicum Galeni teſtimonium foret ſatis, qui, vt aliàs quoque diximus, ſcribit ſe aliquando ægrotũ viſitaſſe pleuritide laborantem, morbo ſine vlla dubitatione acuto: in quo deficiente illius vehementia noluit ſanguinem mittere. Verum, quoniam ſæpe Aduerſarium audimus nihil curare quid Galenus ſentiat, & doceat, mihi liceat ipſiuſmet Aduerſarii teſtimonium addidiſſe, cui (ni fallor) non poterit fidem non adhibere; qui ſic ſcribit [*Deinde falsũ eſt, quòd omnis acutus morbus ſit magnus, aut vehemens*, &c. Sed alios aduerſarios arietes ad euertendam hanc dictionem aggrediamur.] *Deinde*, inquit, *indicatio de mittendo ſanguine non modò locum habet in morbis vehemẽtibus, ſed etiam aliquando in diuturnis, vt in quartana, elephantiaſi, aliiſque diuturnis accidit, in quibus aliquando mitti ſanguinem conſpicuum eſt.*] Quaſi verò vehementes morbi, ac diuturni inter ſe opponantur, & ſi diuturnus eſt morbus, vehemens eſſe non poſſit; cum tamen nemo ſit, qui non libenter fateatur, plurimos diuturnos morbos vehementes, ac vehementiſſimos eſſe. Ex quo factum eſt, & iure quidem, vt Galenus voluerit hanc ſententiam amplificare, vt illa non ſolùm morbos acutos, ſed etiam diuturnos cõplectatur ſicuti in noſtra Diſputatione diximus. Sed Aduerſarius vbique ſui ſimilis eſt, vbique cer-

Lib 4 de miſſ. ſang cap. 16.

Diſp. de ſce- pis pap. 18.

tas, & illuſtres afferꝛ demõſtrationes. Quod porrò ille inquit de quartana, elephantiaſi, alijſque morbis diuturnis, in quibus aliquando ſanguinem mitti conſpicuum eſt, mea quidem ſententia conſpicuum eſt illius diſciplinæ, ac principijs non conſentire. Qui id perpetuò docet, repetit, inculcat, peterepat, indicationes ex rei natura eſſe accipiendas; humorum plenitudini ſanguinis miſſionem; humorum vitio purgationem competere. Quamobrem poſterius licebit illum audire contendentem in quartana, elephãtiaſi, & alijs id genus morbis, qui ex vno humore melancolico originem habent, miſſionem ſanguinis haud conuenire, niſi ſimul redundet copia ſanguinis. De qua re peculiari Diſputatione ſumus ſermonem habituri. Subdit. [*Adde quòd Galenus interpretatur in comment. xix. per acutum. & vehementem morbum magnum.*) Iſtud quoque falſum, & à Galeni mente alienum eſt. Primum enim morbus acutus, & vehemens, quem Aduerſarius vnum, atque eundem eſſe putat, longè ſunt diuerſi: cum multi ſint morbi acuti, qui non ſunt vehementes; & multi ſint vehementes, qui non ſunt acuti, vt paulò ſuprà diximus. Deinde nec Galenus morbum vel acutum; vel vehementem interpretatur magnum; ſed contrà morbum magnum interpretatur vehementem. *φλεβοτομήσεις γὰρ πρῶτον, εἴ σοι φαίνοιτο μέγα τὸ νόσημα φανερῶς ἀπὸ τῶν νομίμων πολὺ τῷ βοηθήματι χρῶνται διὰ τὰ ἰσχυρὰ πάθη, οὐ διαφέρει γε μὴν ἰσχυρὸν ἢ μέγα νόσημα φάναι.* Quæ ad verbum Latinè ſonant. *Sanguinem enim in primis detrahes, ſi morbus tibi magnus eſſe videatur. Manifeſtè à mẽte concepta quantitate hoc remedio vtitur propter vehementes affectus, neque tamen refert, vehementem, an magnum dicas.* Ex quo quidem loco id quoque conſtat apertiſſimè, apud Hippocratem, & Galenum, duplicem eſſe morbi magnitudinem; alterã in quantitate; alteram in qualitate, quam propriè *ἰσχύν* vehementiam appellant. De qua re aliàs diffusè diximus. Itaque Galenus hanc ipſam duplicem morbi magnitudinem memoria repetens, vt omnem tolleret amphibologiam, neque iſtud voluit prætermittere: vehementiam, morbi in qualitate, minimè verò magnitudinem in quantitate ſcopum mittendi ſanguinis ad Hippocrate inſtitutum fuiſſe.

[*Amplius* (inquit Aduerſarius) *ſi propriè loquendum eſt: vehemens morbus omnis reipſa magnus eſt: at non reciprocatur, vt omnis magnus exiſtat validúſque ſit. Cum enim tribus modis morbus dicatur magnus, certiſſimum eſt quodcunque genus non comprehendere vehementiam: quam rem inductione in ſingulis probarem, ſi dubitationem habere iudicarẽ.*] Quantum equidem coniunctura conſequi poſſum, Aduerſarius nondum potuit intelligere, quid ſit vehementia, *ἰσχύς*, quid ſit magnitudo, *μέγεθος*, morbi; & quid inter vnam, & alteram interſit; ſiquidem, poſtquam id cogimur rurſum repetere, quod iam antea non ſemel diximus, neque omnis morbus vehemens, ex. gr. puſillum vulnus nerui, magnus eſt: neque omnis morbus magnus, ex. gr. inſignis cuticulæ diſciſſio, eſt vehemens. Quam profectò vtriuſque differentiam qui non intelligit, equidem hunc puto ſummam, ac veritatem totius controuerſiæ, in qua verſamur, de Scopis Mittendi ſanguinem nullo vnquam modo intelligere poſſe. Sic quæ ſequuntur verba planè falſa abſurdáque ſunt, & Galeni doctrinæ ex diametro aduerſantur. Qui exponens triplicem morbi magnitudinem, ex qua indicatio mittendi ſanguinis originem habet, non magnitudinem in quantitate, *μέγεθος*, ſed magnitudinem in qualitate, vehemẽtiam, *ἰσχύν*, intelligit: vt certo certius ſit apud Galenum ſingulos tres eiuſmodi modos ad vehementiam pertinere: adeo vt certè nequeam ſatis mirari, quomodo Aduerſarius profiteatur ſe potuiſſe probare, quodcunque genus non comprehendere vehementiam: niſi fortè ille magnitudinem in quantitate intelligit; quam libenter fatemur in vnica ſpecie morbi magni ſecundùm propriam eſſentiam, minimè in cæteris contineri. Immò verò ex hoc ipſo loco aliàs confecimus ſcopum miſſionis ſanguinis nullo modo magnitudinem ſingularem cuiuſque morbi ſtatuendum eſſe. Etenim ſi per Galenum morbus triplici ratione magnus, ſanguinis miſſionem indicat? vnus autem ex ijs tantummodo, ſecundum propriam eſſentiam, ſingularem magnitudinẽ poteſt obtinere; an quid apertius poteſt demonſtrari, quàm Hippocratem, & Galenum aliam magnitudinem, tribus eiuſmodi morbis communem, vehementiam, mittendi ſanguinis indicationem ſtatuiſſe? Præter quàm quòd Galenus enumerans tres paſſim decãtatos magnitudinis morbi modos, non diſtinguit morbum magnum, *μέγαν*, ſed vehementem, *ἰσχυρόν*. Qui inquit, *τεχθὲν δ' οὐ μόνον τούτων ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων παθῶν ἑκάστου ἰσχυρῶν γιγνομένων.*

[*Præterea, quia Galenus ait, morbum magnum, tum præſentem, tum futurum in ea oratione audiendum, falſum eſt, ac ab omni alienũ ratione ſolum conuenire morbis magnis vehementibus futuris venæ ſectionem. Quia imminẽtes morbi & futuri ſunt quàm plures venæ ſectionem poſtulantes, qui non habent vehementiam, ſi proprie loqui velimus, vt quartana, elephas, interdum reiectatio ſanguinis, hydrops, & alij eiuſdem generis.*]

Immutabili continuatione Aduerſarius agit contra Hippocratem, contra Galenũ, omnémque eorum doctrinam ſtudet euertere. Cum enim hactenus dictionem Hippocratis impugnauerit, poſtrema hac parte quandam Galeni ſententiam aggreditur, in qua ille docet, decretum Hippocratis de tribus principibus ſcopis mittendi ſanguinis ad omnes vehementes morbos non ſolùm præſentes, ſed etiam futuros referendum, & accommodandũ eſſe. Qui imminentes aliquot, & futuros profert morbos, qui etſi non habent vehemẽtiam, nihilominus venæ ſectionẽ poſtulant. Ego verò vnico verbo reſpondeo, ac repeto, Aduerſarium prorſus ignorare, quid Hippocrates, & Galen. per morbi vehementiam intelligant: quam certũ eſt non alia ratione, quàm ex periculo, vi, ac violentia homini, eiuſque actionibus illata ab illis æſtimari, & definiri. Quod quidem niſi ille ignoraret, nunquã puto dixiſſet, quartanam, elephantiaſim, ſputum ſanguinis, hydropem vehementiam non habere. Mihi autem poſtremò id liceat addidiſſe, ſi quando eueniat, vt huiuſmodi morbi non ſint vehementes, & periculoſi, illos tunc miſſionem ſanguinis minimè eſſe indicaturos.

AD CAPVT IV.

Rationes pro ſententia Hippocratis.

Hoc quarto capite ex noſtra Diſputatione ab Aduerſario nonnullæ colligũtur rationes: etſi id ſuo more, nec bona fide, nec plenè facit; quibus ſingularem quandam excellentẽ præſtantiam litigioſæ ſentẽtiæ, ſatis (ni fallimur) demonſtrauimus, & confirmamus: ad quas ille deinceps conatur reſpondere. Qui deſcripta ſerie noſtræ orationis hæc habet. [*Hæc illi acutè, & ingenioſè reſpõdẽt, in quibus adſunt multa, quæ mihi minimè ſatisfaciũt.*) Ego autem gaudeo, vehementérq; lætor noſtra Aduerſario

Diſp. de ſcop. p. 629. 638. & ſeq.

ſario

ſatio minimè ſatisfacere, quandoquidem ſi ab illo probarentur, timerem ne planè falſa, abſurda, inepta forent. Qui memini me aliquādo legiſſe, ſapiẽtiſſimum quemdam virum, apud populum oraſſem, videtémq; illum magno applauſu, ac fauore quamdam illius rationem excepiſſe, mirabiliter fuiſſe cõmotum, ac proximos aud tores anxiè interrogaſſe, quidnam ſibi turpiter, inſulsè, ſtultè dictũ ſibi excidiſſet. Verùm ſingulas illius reſponſiones perpendamus.

[*Atque certè in primis illud eſt, quòd ſi concedimus quæcunque dicunt, adhuc non oſtendunt illi, vſum non fuiſſe auctorem nominibus impropriis: etenim ſi vena ſectio conuenit acuto morbo, quatenus eſt vehemens, fruſtra in oratione addi... In morbis acutis*, &c.]

Nobis propoſitum fuerat demonſtrare ſententiam fuiſſe inſignem, notabilem, præclarám, vno verbo Hip. dignam. Quid verò nos oportuit oſtendere authorem vocibus minus proprijs vſum non fuiſſe? Verum quid aio? Nónne iſtud quoque ſatis confecimus? verba in noſtra Diſputatione hæc ſunt. Contendunt nonnulli ſententiam ſuperiùs poſitam, & expoſitam eſſe reijciendam, tanquam ſuppoſititiam, magnóq; Hippo. indignam propterea quod oratio ſit inepta, & grauitati diuini hominis multum diſpar, & diſſimilis. Nam cum Galeni teſtimonio, apud eum ne ſyllabā quidem otioſam quis facilè poſſit inuenire, quandoquidem morbi acuti ſunt itidem vehementes, quorſum addita ſunt ea verba; *Si vehemens morbus fuerit?* Quam quidem obiectam rationem, quæ ipſamet eſt obiecta ratio Aduerſarij, ſtatim ſolidè refutauimus, oſtendimúſq; eſſe leuiſſimam.

[*Deinde* (inquit) *neſcio videre, quomodo aſſeuerent Galenum hanc recepiſſe tãquam germaniſſimam, quia neq; admittere poteſt, vt germanam, ſpurio exiſtente eo libro, ſi auctor eius libri extitiſſet Hippocrates, vtique germana illius dici poſſit ſententia*.]

Aduerſarius tandem nos in manifeſto, & magno facinore deprehendit: qui auſi ſimus ſententiam Hippocratis germaniſſimā appellare, quæ nec germana dici poteſt. Quod equidem fateri non erubeſco. Sed mihi libet omnem culpam in Galenum transferre: qui illam pronuntians Hipp. dignam, támque illuſtri præconio ornans, cauſam mihi dedit, vt illam parum cautè germaniſſimam appellarem. At verò hæc fortè alicui leuiora & inaniora videbuntur, quàm vt à tanto viro de re tanti momenti debuerint expectari. [*Admiratur Galenus; cur eam inter Aphoriſmos non repoſuerit, cum in paucis verbis magna vis reperiatur: quia ſignificatio, & ſententia fermenis huius digna eſt Hippocrate; ſed ipſa dictio* &c.]

Prodigium hoc mihi videtur: cum lis noſtra ſit, an hæc ſententia veritatē obtineat; an in artis operibus exercendis ſit admittenda; an cõſentientibus tribus in ea poſitis ſcopis liceat perpetuò ſāguinem mittere, Aduerſariū, qui nititur probare eam à veritate eſſe abhorrentem, ita de dictione id monſtrare, vt fateatur ſententiam eſſe veram, Hip. dignam, & inter Aphoriſmos reponendam. Quare nos, qui non de verborum proprietate, atque eloeutionis vi contendimus, ſed de ipſa dogmatum veritate, facilè poſſumus omni prætermiſſa de verbis, & dictionibus controuerſia, rem ipſam ex Aduerſarij confeſſione recipere, eiúſque repugnantiam illi peculiarem, & frequentiſſimam hac quoque in re manifeſtam annotare.

[*Hanc rem facilè confirmo & Gal. commentario; nam dum explanat hunc locum, ne verbum quidem facit horum verborum*, In morbis acutis: *ſed ſolum dicit, per vehementes, magnos morbos intellexiſſe. Au-*

dienda ſunt eius verba. Sanguinem etenim primum detrahes, ſi magnus tibi videatur morbus: *tali enim remedio vtitur propter vehementes affectus, quod à qualitate deſumitur. Neque refert, ſi aut vehementem, aut magnum morbum dixeris.*] Hæc ille. Si liceret percunctari Gal. cur verba priora ſine aliqua explanatione prætermiſerit, quid (quæſo) reſponderet, aliud, quàm quòd ea vox impropria eſt, atque ibi ſuperflua?

Illud mihi quidem videtur omnem ſuperare admirationem, Aduerſarium non vereri ea negare, quæ omni luce clariora ſunt. Ac ſanè quid hac de re dicam neſcio. Siquidem alterutrum neceſſe eſt; aut illum non vidiſſe, quod & puero potuit eſſe perſpicuum; quod de homine planè lynceo, qui ea profitetur ſe videre, quæ cæteri, vel oculatiſſimi homines nequeunt videre, nullo modo licet affirmare: aut eum volentem, & ſcientem lectori imponere voluiſſe; quod de homine integerrimo, Theologo ſingulari ne concipi quidem animo poteſt. Itaque meo more fatebor, me illius ſenſum non ſatis intelligere. Quod autem Gal neque ea verba; [*In morbis acutis*,] ſine interpretatione reliquerit; id equidem nulla ratione melius mihi videor poſſe demonſtrare, quàm ſi illius propria verba profe... ram, quæ ſunt huiuſmodi. Quod porrò in fronte dictionis ſcriptum eſt *In acutis morbis ſanguinem detrahes*, vt conſideretur dignum eſt. Sed quomodo longorum morborum non meminit? Quoniam ſanè de acutis nunc docet: atque ob id ſolos eos memorauit; neq; è, & ex longis multi ſunt, qui ſanguinis egent detractis, cum & hi dictis tribus ſubiaceant ſcopis. Quamobrem ſi liceret Gal. ad Aduerſariam interrogationem reſpondere, ille vtique tale, mea ſententia, reſponſum dediſſet, ſe ab huiuſmodi negligentiæ crimine eſſe alieniſſimum; qui eam quoque partem fuerit diligenter interpretatus, nec quicquam prætermiſerit, quod vt cumque ad rem præſentem videatur pertinere. Fortè autem Aduerſarius dictionem in fronte ſententiæ Hip: poſitam putauit etiam à Galeno in fronte commentarij fuiſſe exponendam: quare cum expoſitionem initio non inueniſſet, nec totum commentarium legere ſuſtinuiſſet, ne extare quidem illam exiſtimauit, & inconſultò dixit.

AD CAPVT V.

Nomen florentis ætatis an proprium?

CVm Aduerſarius hoc præſenti, ac proximo ſequenti capite non aliud agat, quàm de ſcopo ætatis, ambientis aëris, habitus corporis, necnon de vario ſcoporum numero; qui eadem repetit, quæ ſuperioribus Diſputationibus ex principali inſtituto ſemel, iterum, ac ſæpius ſine fine, tradita, & inculcata ſunt, mihi libet ea ſummatim percurrere ac nonnulla duntaxat annotare. Poſtquam igitur Aduerſat. aduerſus ſcopum ætatis pluribus egit, hæc deinceps habet. [*Hæc ſi verā ſunt, quomodo noſtra ætatis medici tantum agnoſcunt in ea ſententia ſplendoris?*] Si mihi liceat pro medicis noſtræ ætatis reſpondere, equidem non aliud reſponſum redderem quàm omnes Galeni in primis teſtimonio, atque interpretatione in eam ſententiam fuiſſe adductos, tantúmque ſplendoris in ea ſententia agnoſcere, quantum Galenus ipſe agnoſcere non eſt veritus; cum quo fortè malunt errare, quàm cum Aduerſario, & cæteris Galeni hoſtibus benè ſentire. Aduerſ. [*Me quidem non fugit, quid ali*, *vt oſtenderent hunc auctorem non fuiſſe in errore, hac de re ſcribant, qua admitto ſi*

gillatim omnia : neque enim ego in hoc potiſſimum laboro, contendóque habere non poſſe bonum ſenſum illorum verba, &c.] Si Aduerſarius omnia ſigillatim admittit, quæcunque alij pro hac ſententia ſolent afferre, quid pluribus eſt opus? Nos illi viciſſim docemus ſententiam fuiſſe inſufficientẽ, diminutam, impropriam, ſuperuacaneam, quicquid ille vult (ſi modo ſententia, quam Galenus, qui, vt Aduerſ. inquit, in iudicandis Hippocr. tractationibus iudicioſiſſimus fuit, affirmat eſſe Hippocrate dignam, & miratur, cur inter Aphoriſmos non fuerit repoſita, tot vitijs referta eſſe poteſt) dummodo ille ex altera parte fateatur, & admittat, atque in ſententia permaneat: ſententiam eſſe veram, recipiendam, Hippocrate dignam: vno verbo, In morbis acutis ſanguinem eſſe mittendum, ſi vehemens morbus videatur, floruerítque ægrotanti ætas, & virium robur affuerit. Aduerſ. [*Ceterum nondum finem attigimus : alia enim adhuc ſuperſunt explicanda non minoris momenti Galeni teſtimonio euiuſcemodi ſententia deficiens eſt, vtpote qua non complectitur omnia ad hanc indicationem neceſſaria.*] Qui deinceps ponit verba Gal. quæ tribus Hippocraticis ſcopis alios duos, ambientem aërem, & habitum corporis adiungunt. De qua quidem obiecta ratione, varióque ſcoporum numero, quandoquidem ſuprà non ſemel diximus, rurſúmque proximo capite nonnihil dicturi ſumus, in præſentia dicere ſuperſedeo.

AD CAPVT VI.

Scopos varios eſſe, & vario modo à Galeno tractari.

DE ſcopo ambientis aëris, habitus corporis, & alijs id genus, quos Galenus aliquando tribus principibus ſcopis videtur addidiſſe; de qua varietate, & inconſtantia Aduerſarius nunquam deſinit illum arguere; nos in noſtra Diſputat. diffuſè diximus. (Pag. 20. & ſeq.) Summa autem eſt, ſcopos mittendi ſanguinis eſſe duplices: quoſdam κυριωτάτους, præcipuos, principales, primos, ac maximè proprios, qui vere primum ex ſe remedium indicant: quoſdam minus principales, ac ſecundarios, qui non ipſam miſſionem ſanguinis, ſed modum, & quantitatem indicant detractionis: Galenum ſæpius vtroſque permiſcere & confundere conſueuiſſe: vbicunque autẽ ſerio, atque ex principali inſtituto iſtud agit & apertè, & diſtinctè alteros ab alteros ſecernere, ac ſingulorum propriam vim, & indicationem definire. Qui tandem ſic ſcribo: Neque verò aliquem velim hoc arroganter, tanquam inſigne virium Galeno exprobrare: quippe non omnia poſſunt, aut debent omnibus in locis, accuratè, diſtinctè, abſolutè doceri. Atque hoc peculiare eſt illius inſtitutum, vt ijs in locis in quibus ex propoſito de aliqua re tractat; illam cumulatè, & perfectè doceat. In alijs verò non item. Quocirca ſæpe lectorem admonet, vt illos perpetuò fontes conſular, in quibus diligentiùs res explicatur. Quaſi diuinaret non defuturos aliquo tempore obtrectatores, Fernelios, Argenterios, horúmque diſcipulos, & imitatores, qui tum alia, tum hoc in primis inconſtantiæ, ac varietatis crimen ſibi obiicerent. Ac ſanè equidem cenſeo ineptum, & iniquum eſſe, quod vno, & alieno loco, quod obiter, quod exempli tantùm cauſa, quod præter principale inſtitutum nonnunquam dicitur à Gal. velle id, tanquam magnum aliquod argumentum valere contra ea, que idem Galenus alijs permultis locis, ex profeſſo, propriè, diſtinctè, affirmatè, aſſeueranter, & copioſè docuit, & determinauit. Alioqui niſi in legendis bonis authoribus, hæc non modò prudens, ſed etiam neceſſaria cautio, & moderatio adhibeatur, iam nihil tam certũ, exploratum, firmum, ratum, conſtitutum licebit inuenire, quod non pluribus dubitationibus, difficultatibus, controuerſijs ſubijci poſſit. Galenum porrò tam planè, apertè, & certè, vt planiùs, apertiùs, & certiùs non poſſit, docuiſſe, & ſtatuiſſe tres tantummodo eſſe principes ſcopos mittẽdi ſanguinis: ambientem verò aërem, habitum corporis, & cæteros omnes, quotquot excogitari, & concipi animo poſſunt, ſecundarios eſſe, iam ſatis, ſupérque demonſtratum eſt: neque eadem perpetuò ſunt ineptè repetenda. Quod Aduerſarius inquit, ætatem nunquam in Galeni doctrina fuiſſe ſcopum principalem, ſed loco ſecundo indicantem, quatenus refertur ad vires, manifeſtè aduerſatur Galeno, ſicuti aliàs quoque diximus. (4. Rat. vict. com. 14.) Nam Galenus, præter quam quòd tot locis, quot certè nequeunt ignorari, ætatem in principibus ſcopis reponit, ex profeſſo hanc ipſam dubitationem afferens, reſpõdet, ac decernit, ætatem minimè ad vires eſſe referendam; cum pueris etiam robuſtis non liceat ſanguinem mittere, quod in ijs, non vires, ſed innatam corporis euacuationẽ oporteat animaduertere. Et quoniam quæ toto hoc deinceps capite aſſeruntur, de ſcoporum varietate, ac differentia, ſunt illa eadem, quæ iam millies repetita ſunt, nolo in ijs referendis, aut refellẽdis maiorem temporis iacturam facere.

AD CAPVT VII.

An ſententia Aut. lib. 4. de Rat. Vict. ſignificatione dumtaxat ſit digna Hippocrate.

ADuerſarius ſtatim in principio capitis declarat, quod equidem fateor me hactenus non ſatis intellexiſſe: quidnam ſibi velint ea verba; ſententiam Hippocrate eſſe dignam duntaxat ſignificatione, qui ita ſeipſum interpretatur. [*Si perpendere voluerimus rem ipſam, equidem ſtatuemus, quod pertinet ad ſententiam, intelligentiámque Hippocrate verè dignam. Sententia enim huiuſmodi eſt: In morbis magnis ſanguinem mitto, ſi virium adfuerit robur, ætáſque non prohibuerit.*] Vtinam Aduerſarius diſcat aliquando in eadem ſententia permanere, neque à ſe ipſo tam frequenter diſſentire. Namque ſi ille ſemel hæc velit perpetuò fateri, ſentire, docere, quæ ijs paucis verbis apertè fatetur, ſentit, docet; iam noſtra lis ad exitum perducta eſt. Iam inter nos conuenit. Si quidem ego quoque cum Hippocrate, & Galeno non aliud fateor, ſentio, doceo, quàm in morbis magnis ſanguinem eſſe mittendum, ſi virium robur affuerit, neque ætas remedium prohibeat. Sed ille vnus, atque idem durabit tempore certo. Nam ſicuti iam ſæpè vidimus, ita deinceps illum videbimus Protei in morem ſeſe in omnem ſpeciem vertere, atque eodem in tempore ſubitò ſentẽtiam mutare. Quæſo enim quomodo hæc ijs conueniunt, quæ ab illo hactenus tam frequenter, & cõſtanter tradita ſunt? In morbis tantummodo materialibus, in morbis duntaxat magnis ex plenitudine, aut fluxione ſanguinis ſanguinem eſſe mittendum? Non eſſe prorſus abſtinendum à ſanguinis detractione in omni imbecillitate virium? Ætatem minimè inter ſcopos principes, ſed ſecundarios, qui ad ſcopum principem virium referuntur, eſſe recenſendam? Quomodo hæc ijs conuenient, quæ poſterius ſumus audituri: hanc ſententiam veritatem habere non

poſſe

poſſe niſi vniuerſalibus quibuſdam theorematis præſuppoſitis: hæc verò vniuerſalia theoremata eſſe: ſanguinis miſſionem nunquam exercendam eſſe, ſi morbus originem non habuerit à ſanguinis multitudine, vel motu? Hanc ſententiam pro indefinita propoſitione, minimè pro vniuerſali eſſe accipiendam? Verum quid dico, quomodo hæc iis conueniunt, quæ ſuperiore, & poſteriore tempore tradita ſunt? Quomodo hæc iis poſſunt conuenire, quæ hoc eodem temporis momento, hac eadem orationis continuatione ſcribuntur? [*Admonemur* (inquit Aduerſarius) *hac ſententia non eſſe ad hoc generoſum remedium temerè accedendum, quemadmodum faciebant Empirici, Methodici, & plerique Rationales. Etenim in primis nunquam venæ ſectionem exercebimus, niſi morbus extiterit magnus, ſiue quod actu, ſiue quod facultate talis reuera ſit. Et hoc quidem decretum eſt Hippocraticum.*] Aduerſarius paulò ſuprà dicebat ſententiam, & intelligentiam litigioſæ huius ſententiæ eſſe talem. *In morbis magnis ſanguinem mittito, ſi virium adfuerit robur, ætáſque non prohibuerit.* Nunc verò illam interpretatur. Nunquam ad miſſionem ſanguinis eſſe accedendum, niſi morbus vel actu, vel potentia magnus fuerit. Videamus quæſo, an altera àd alterã quadret, & ambæ inter ſe conueniant. Sententia legem imponit, & præſcribit, ſecundùm quam medici probè intelligant, ac debeant ſanguinem mittere. Ea verò eſt. Si morbus fuerit vehemens: Si ægroti vires valeant valeant: Si ætas floreat, ſanguinem eſſe mittendum. Interpretatio autem hanc ſententiam, & legem ita contrahit, & in anguſtũ adducit, vt medicos illud vnum moneat, vt ne vnquam ſine morbi magnitudine ad generoſum hoc remedium accedant. At verò, an quis, eſt, & dialecticæ, & rerum omnium tam rudis, & ignarus, qui non ſtatim intelligat, quantum duæ huiuſmodi propoſitiones inter ſe diſtent? vt certè ſuperuacaneus, & Ineptus videri poſſit, quicunque longius hęc velit exaggerare, & amplificare. Quòd ſi hæc ſententia, vt Aduerſarius contendit, non aliud agit, quàm vt demonſtret, morbi magnitudinem ad miſſionem ſanguinis fore neceſſariam, an non iſtud duobus verbis commodè potuit explicari? Quid, obſecro te, opus fuerat præterea conſiderationem virium atq; ætatis adhibere, quæ nihil prorſus ad huiuſmodi præceptum pertinet? Quicquid autem hac de re ſit, (vt finiam) illud certè ex Aduerſarij ſententia colligi poteſt, Hoſce ſcopos eſſe præcipuos, principes, conuertibiles, atque (vt aiunt) adęquatos. Quoniam ſi vera eſt hypotheſis affirmatiua huius authoris, quam Aduerſarius recipit: Si morbus magnus, vires conſtant, & ætas, ſecanda eſt vena: & rurſus vera eſt hypotheſis à deſtructione antecedentis ad deſtructionem conſequentis, ſi non eſt morbus magnus, ſi vires, aut ætas non conſtant, non eſt ſecanda vena; hinc certo certius licet colligere, terminos eſſe conuertibiles; & conſequentiam, tam affirmatiuè, quàm negatiuè, valere: quod non niſi in talibus terminis poteſt vſu venire. Sed (ni fallor) res ipſa loquitur, ac manifeſtior eſt, quàm vt pluribus ſit opus. Quæ deinceps ex Hippocr. & Gal. ab Aduerſario afferuntur, ad probandum magnitudinem morbi ad miſſionem ſanguinis requiri neceſſariò, equidem non inuitus omnia recipio. Sed illud cogor repetere, Hippocratem, & Galenum non iſtud ſolum, ſed aliud longè maioris momenti nos docuiſſe: Nimirum in morbis magnis ſanguinem ſemper eſſe mittendum, quotieſcumque per vires, & ætatem licèt. Id quod ſuprà (ni fallimur) ſemel, atque iterum cumulatiſſimè demonſtrauimus, vt plura addere planè ſuperuacaneum videatur.

Præterea (inquit) *eſt maximè digna Hippocrate ſententia, quod non modò ſit doctrina Aphoriſtica ſimilis, ſed in ipſa virtute contineatur. Scribit enim in prima ſectione.* Extremis morbis extrema remedia optima ſunt. *Sententia huius quarti libri A. ut. ab illo duntaxat differt, quod particularis exiſtat, illa vniuerſali exiſtente. Ac fortaſſis ſi de me quæſierit, cur inter Aphoriſmos Hippocrates hanc non ſcripſit dictionem, reſponderem, ſatis conuenienter id factum fuiſſe, quod virtute contineretur ſub eo Aphoriſmo: Omnis enim generalis regula ſpecialem cõplectitur.*]

Ego verò mihi videor ſatis conuenienter poſſe reſpondere, hæc voluntaria eſſe, atque à doctrina Hippocratis, & Galeni longiſſimè aliena. Quomodo enim hæc ſententia, quæ per Aduerſarium tot flagitiis eſt contaminata, ſpeciatim verò, & diminuta eſt; & ſuperuacanea, poteſt eſſe Hippocratè digna, Aphoriſticæ doctrinæ ſimilis, ac virtute in ipſa contineri, cuius præcipus eſt proprietas, vt paucis verbis res magnas, magnáque præcepta complectatur? Qui fieri poteſt, vt hæc ſententia in altera Aphoriſtica contineatur, cum ambæ planè inter ſe diſſentiant, nec quicquam commune habeant? Quandoquidem Hipocrates in Aphoriſmo de vnis duntaxat morbis peracutis, qui vltra diem quartam non producuntur, ac potiſſimùm de tenuiſſima victus ratione ſermonem habet; quod Galeni interpretatione fit manifeſtiſſimum: qui proptereà proximè ſequentem Aphoriſmum cum hoc priore connectit. Vbi morbus peracutus eſt; ſtatim ſummos labores obtinet, & ſummè tenuiſſimo victu vti neceſſe eſt. In ſententia autem longè alia res agitur: quæ veros, & proprios ſcopos docet, ex quibus medici indicationem mittendi ſanguinis probè elicere poſſint: ſicuti diffuſe, & accuratè ſatis ſupérque iam diximus. Verùm; quoniam Aduerſarius, qui affirmat ſententiam litigioſam ab Hippocrate in Aphoriſmis fuiſſe repoſitam, recordatus eſt Galenum mirari quamobrem id factum non fuerit, ad hanc tacitam obiectam rationem reſpondet, ita inquiens. [*Neque conturbet nos quòd Galenus dicat, inter Aphoriſticas ſententias hanc non fuiſſe conſtitutam: quia ſic debet intelligi, in Aphoriſmis inquam diſtinctè non contineri, aut eiſdem verbis, quibus eſt vſus auctor Quarti Acutorum.*] Egregiè. Sed quid rurſum Galenus reſpondeat; ſi quis vterum illi obiiciat; temerè ipſum admiratione fuiſſe affectum, cum certum ſit eiuſmodi ſententiam, etſi non diſtinctè, neque eiſdem verbis, tamen vtcumque in ſententiis Aphoriſticis omnino contineri: nihil autem referre, vtrùm diſtinctè, atque eiſdem verbis an quomodocumque aliter contineatur, modo re vera contineatur: equidem neſcio quid verè Galenus poſſit reſpondere. Itaque ab Aduerſário, qui tam facilè & promptè ad omnia reſpondet, omnéſque nodos diſſoluit, huiuſmodi reſponſionem, & Galeni tutelam expectabimus. Verùm eſto. Sententia in Aphoriſmis non contineatur diſtinctè, atque eiſdem verbis. Contineatur in virtute: omnia concedantur Aduerſario, quæcumque tandem ille velit. Quid hæc ad rem? Id verò in controuerſia poſitum eſt. Vtrum ſententia, quæ tam apertè de tribus principibus ſcopis mittendi ſanguinis ſtatuit, ſit digna Hippocrate, atque à medicis recipienda, vt toties diximus? an fortè huiuſmodi iudicium: & determinatio ex eo pendet, quod illa in Aphoriſmis repoſita, vel non repoſita fuerit: Gal. illam ſuſcipit, probat, miris laudibus extollit, etiã ſi in Aphoriſmis ſcripta non fuerit. Quod ſi, vt Aduerſario placet, illa in Aphor. quoq; eſt conſtituta, hinc equidem putarem multo magis eſſe colligendum illam eſſe Hipp. dignam veritatem con-

tinere;trihúſque eiuſmodi conſentientibus ſcopis perpetuò ſanguinem eſſe mittendum:vno vel pluribus deficientibus, à tali remedio abſtinendum.

Quod porrò Aduerſarius poſtremo capite inquit, ſententiam eſſe Hippocrate dignam, quòd meminerit indicationis ſumptæ à magnitudine morbi,quæ medico non in vno,alteróve,ſed prorſus in omni morbo ſpectanda eſt,& quam omnes medici prætermiſerint,non Methodici modò, atque Empirici,ſed etiam Rationalium plurimi:cum hæc omnia ſuperioribus diſputationibus abundè fuerint explicata, non eſt, vt in præſentia quoque inutiliter,& faſtidioſè denuò repetantur.

AD CAPVT VIII.

An Hippocrates in legitimis ſuis operibus præcepti de tribus principibus ſcopis meminerit.

EQuidem non ſatis intelligo, quid in mentem venerit Aduerſario, vt probaret Hippocratem in ſuis legitimis operibus præcepti de tribus principibus ſcopis mittendi ſanguinis meminiſſe. Cùm enim modis omnibus, quoſcumque potuit excogitare conatus ſit hoc ipſum præceptum infirmare,ac demoliri,vtiq;ſi Hippocrates in legitimis ſuis operibus illius meminit, quis non hinc facilè, & verè colligat,Aduerſarium oleum, & operá perdidiſſe:immò verò aduerſus ſeipſum, ſuámq;opinionem hactenus diſputaſſe:atque eiuſmodi præceptum optimè conſtitutum, præclarũ, certum,verum,ſtabile,vno verè Hippocraticum, & ab omnibus medicis ſuſcipiendum eſſe? Cæterùm etſi Aduerſarius mala (vt ſolet) ratione hanc quoque poſtremam partem agit, qui ineptè rediens ad ſua principia:affectus,qui ex humoribus fiunt,& vacuatione indigent,duos exiſtere,plenitudinem, & cacochymiam:illi miſſionem ſanguinis,huic purgationem conuenire;& alia id genus, quæ ſine vllo modo,ac fine ab ipſo hactenus propoſita, & repetita ſunt: partim quòd tota huiuſmodi probatio eſt à me, qui non aliud affirmo, doceo,prædico,quàm hoc ipſum præceptum eſſe grauiſſimum,præſtantiſſimum,magno Hippocrate digniſſimum:partim quòd neque otij mei, neque patientiæ fuit omnia perſequi; mihi ſtatutum eſt iſtæc omnia ſilentio præterire, & huic ſextæ Diſputationi finem imponere.

DISPVTATIO VII.

LIBER SEPTIMVS.

An Aduerſarius rectè explanauerit contextum xix. Quarti Libri Acutorum.

ETsi hæc Diſputatio planè eſt ſuperuacanea, ac iure potuit prætermittit, cum eandem cum proxima ſuperiore Diſputatione rem, & cauſam tractet, vt in principio libri diximus, tamen quæſo, vt mihi liceat hanc quoque paucis verbis examinare,& perpendere, quòd neque in ea ſui deſint ſales, & lepores, & quæ omnino nec poſſunt, nec debent prætermitti.

AD CAPVT I.

Explanatio Aduerſarij.

HOc primo capite Aduerſarius ſuam duntaxat refert explanationem, quæ in ſumma eſt huiuſmodi. Sententiam xix.lib.4.de Rat.Vict. eſſe per quàm dignam Hippocrate:Veritatem habere nõ poſſe,niſi vniuerſalibus quibuſdam theorematis præſuppoſitis;hoc eſt, Sanguinis miſſionem nunquam exercendam eſſe, ſi morbus originem non habuerit à ſanguinis multitudine, vel motu, vehementiámque habuerit,ac vires fuerint validæ: demúmque eſſe indefinitam. Ex quibus ille eorum colligit errorem, qui ex propoſitione indefinita vniuerſalem faciunt,ac ſine vlla diſtinctione docent; in morbis acutis ſanguinem eſſe mittendum, ſi vehementes fuerint, &c. Veruntamen notatione eſt dignum;hunc hominem, qui cæteris omnibus indiligentiæ, & infidelitatis crimen tam facilè ſolet exprobrare,hunc quoque locum, quem profitetur ex ſua vetere Diſputatione ſe eſſe relaturum, indiligenter, & infideliter referre voluiſſe: qui hæc prætermittit. [*Vehementia morbi neceſſaria eſt, quoniam plenitudo non ſemper poſtulat miſſionem ſanguinis, neque etiam qualiſcunque ſanguinis motus idem exigit: ſed tunc ſanè id fieri præſtat, cum illa, & hic fuerint affatu digna. Leuis enim plenitudo, iis, quæ leniter euacuant, corrigitur: leuis autem motus, iis, quæ leniter auertunt, ac deriuant.*] Ego autem cum nolim hominem Philoſophum, & Theologum præſtantiſſimum huiuſmodi turpium criminum reum facere, equidem puto illum ad ſe tandem conuerſum pœnituiſſe, quòd hæc incautè ipſi olim exciderint, quæ totam ſuam Diſputationem, & diſciplinam funditus poſſunt euertere:ac propterea conſultò illa in præſentia voluiſſe prætermittere. Namque ſi ad miſſionem ſanguinis vehementia morbi eſt neceſſaria, ſi plenitudo, ſi motio ſanguinis non ſemper venæ ſectionem indicant, ſed tunc duntaxat,atque hac adhibita conditione, cum vtraque morbi vehementiam affert,obſecro te, quid hoc aliud eſt,quam fateri,vehementiam morbi verum eſſe, proprium, & principem mittendi ſanguinis ſcopum; quod Hippocrates & Galenus docent; quod nos in primis contendimus,ac tuemur? Ac ſanè ſi Aduerſarius in ijs paucis verbis non minus verè, quàm perſpicuè prolatis ſeriò velit acquieſcere,atque in hac ſententia,in qua ſæpius notauimos illum fuiſſe.perpetuò manere, iam tota cauſa definita eſt;iam inter nos conuenit,páxque conciliata,& confirmata eſt. Verùm quod ille ſæpius ait, idem ſemel,iterum, ac ſæpius negat. Neque (vt puto) ipſi tam proprium eſt ridere,quàm à ſe ipſo diſſentire. Cuius quidem inconſtantiæ,& mutabilitatis plurima hactenus exempla non defuerunt. Plurima in poſterum non ſunt defutura. *Lib. 4. de Miſſ. Sang. c. 16.*

AD CAPVT II. & III.

Aduerſarij defenſio pro ſua explanatione.

POſthabito ſecundo capite, in quo Aduerſarius non aliud agit, quàm vt aduerſus ſuam explanationem noſtras obiectas rationes afferat,quas non eſt,vt hic fruſtra repetamus,cum eas vnuſquiſque poſſit ſuo arbitratu in noſtra Diſputatione videre, & intelligere, & in poſtremo hoc capite cogamur aliqua ex parte repetere, in hac Diſputat. duo tantummodo capita ſuperſunt; hoc tertiũ,in quo Aduerſarius profitetur veritatẽ *Pag. 26. 27.*

ſua

ſuæ explanationis contra recentiores medicos, hoc eſt contra Maſſar. ſe eſſe defenſurum, atque ex Galeni verbis euidentiſſimè confirmaturum. Et alterum poſtremo loco poſitum, in quo ille pollicetur ſe ad noſtra argumenta ſigillatim eſſe reſponſurũ. Quæ quidem nec volo, nec debeo ſilentio prætermittere. In quibus cum plurima cogar repetere, venia neceſſitati erit concedenda. Aduerſarius quatuor rationibus, ſi bene computo, conatur ſuam explanationem tueri. Prima eſt huiuſmodi. [*Cognitio de ſcopis in ſanguinis miſſione obſeruandis ſupponit notitiam affectus, qui per ipſam venæ ſectionem ſanari ſolet. Atqui omnium conſenſu, ſententia illa eſt de ſcopis, ergo ſupponit notitiam affectuum, qui curatur* (aut Latinè qui curantur) *per ſanguinis miſſionem.*] Maiorem ille probat ex Galeno, qui ſpeculatores miſſionis ſanguinis monet, vt omnium primum conſiderent, quænam corporis affectiones vacuatione indigeant. Qui præterea ſcriptum reliquit, venæ ſectione curari eos affectus, qui ex plenitudine fiunt ratione vacuationis; & à ſanguinis motu, ratione reuulſionis. [*Ex quibus* (ille inquit) *ſatis profectò euidenter demonſtratum videri poteſt, ſententiam illam de ſcopis audiendam vniuerſalibus theorematis antea ſuppoſitis.*] Ratio vana, futilis. Comprobatio nulla, falſa. Etenim ratio, etiamſi concedatur, ſicuti reuera cum Galeno concedi poteſt ac debet, nihil habet momenti. Quandoquidem ſententia controuerſa illud maximè, atque in primis nos docet qualeſnam ſint affectus, qui per miſſionem ſanguinis debent curari. Sunt autem morbi acuti, quicumque vehementes fuerint, vt pluribus ad huius rei intelligentiam theorematis non indigeamus. Sic prior confirmatio planè eſt ſuperuacanea, cum nemo ſit qui non libenter fateatur, ante deliberationem mittendi ſanguinis diligenter conſiderandum, & intelligendum, primum quidem, quænam corporis affectiones vacuatione indigeant: deinde verò, quæ venæ ſectionem requirant. In primis autem obſeruandum, vt Aduerſarius aliud aſſumit, aliud probat Galeni authoritate. Namque aſſumpſerat: [*Cognitio de ſcopis in ſanguinis miſſione obſeruandis ſupponit notitiam affectus, qui per ipſam venæ ſectionem ſanari ſolet.*] Probatio autem non eſt de affectu qui venæ ſectione indiget, ſed ſimpliciter euacuatione. Inquit enim ex Galen. [*Qui de ſanguinis miſſione ſpeculatur, vnum ſibi, primúmque proponunt; nempe, vt quæ corporis affectiones vacuatione indigeant, conſiderent* &c.] Porrò maior illa ambigua eſt, quales ſolent eſſe ſophiſtarum propoſitiones. Nam vnus eius eſt ſenſus; In deliberatione de miſſione ſanguinis prius noſcendam eſſe naturam affectus, ex qua ſcopi educendi ſanguinis oriuntur: qui veriſſimus eſt, ſed aduerſus nos nihil facit, qui id libentiſſimè fatemur: ſed profitemur hanc naturam eſſe morbi magnitudinẽ, ex qua vnà cum virium robore, & ætate indicatio mittendi ſanguinis originem habet. Alter ſenſus eſt falſus, & nugatorius, cognitionẽ de ſcopis mittendi ſanguinẽ ſupponere notitiam affectus, qui debeat per venæ ſectionẽ curari; vt ſcilicet prius cognoſceremus illum affectum venæ ſectione indigere. Falſus eſt, quia huiuſmodi cognitio, an affectus indigeat venæ ſectione, non niſi per cognitionem ſcoporum poteſt haberi. Immò eadem eſt cognitio de ſcopis mittendi ſanguinem, & cognitio affectus, qui venæ ſectionem poſtulat. Sed hoc præterea nihil ad rem facit: quandoquidem hæc ipſa Hippocratica ſententia iſtud quoque ſuggerit, quæ omnia continet, quæ omnia docet quæcumque ad congruentem miſſionem ſanguinis opportuna, & neceſſaria ſunt. Quotieſcumque enim nobis ſeſe offerunt morbi vehementes, dummodo cæteri conſentiant principes ſcopi, iam ſatis intelligimus, prouidentia totius corporis, vacuatione, ſectione venæ opus fore. Quod quidem iam ſatis demonſtratum, & confirmatum nolumus in præſentia longius repetere. Poſterior autem comprobatio de plenitudine ad miſſionem ſanguinis neceſſaria, perſpicuè falſa eſt: de qua pariter diffusè, & accuratè diximus.

Secunda eſt ratio. [*Vrgeo præterea maximè hoſce homines. Indefinitæ propoſitiones æquipollent particularibus. Propoſitio auctoris eſt indefinita; ergo particularibus æquipollet.*] Ego verò non id ago in præſentia, vt demonſtrem propoſitionem indefinitam aliquando idem valere, atque vniuerſalem, cum ex materia conſtat neceſſaria, vel impoſſibili, quæ logica eſt diſputatio. Sed ſemel reſpondeo. Aduerſarium affirmantem propoſitionem Hippocraticam eſſe indefinitam, fortè non ſatis intellexiſſe quid, & qualis ſit propoſitio indefinita. Cum enim in huiuſmodi propoſitione ſubiiciatur terminus communis, nullo ſigno vniuerſali, vel particulari determinatus (Homo currit,) in noſtra autem propoſitione ſubiiciantur termini proprij, & peculiares, certis quibuſdam ſignis, & præſcriptionibus determinati, ac definiti; equidem non verebor affirmare, hanc propoſitionem non ſolùm non eſſe indefinitam, ſed vniuerſalem, immò verò neceſſariam primùm, per ſe, demonſtrantium, ſi modo in rebus medicis licet huiuſmodi propoſitiones inuenire. Quod quidem nos alibi docuimus, & reſipſa monſtrat apertiſſimè. Quotieſcumque *Diſp de ſcopis ſup 673.* enim morbus eſt vehemens, vires valent, ætas floret, ſtatim licet venam ſecare. Et quotieſcumque licet venam ſecare, ſtatim, colligendum eſt morbũ eſſe vehementem, &c. Verum enimuero, poſtquam logicis eſſe placet, debuit certè Aduerſarius conſiderare, hanc tenera non eſſe propoſitionem cathegoricam, quam vocant; in morbis vehementibus detrahendus eſt ſanguis; ſed potius hypotheticam; ſi morbus vehemens videatur, ſanguis detrahendus eſt. Nemo autem eſt, qui neſciat, hypotheticam coniunctam habere vim vniuerſalis, cum à poſitione antecedentis, valeat conſequentia ad poſitionem conſequentis. Igitur valebit. Sed eſt morbus vehemens, ergo ſecanda eſt vena, poſitis ſcilicet viribus, & ætate: itaque hæc hypothetica æquipollet categoricæ vniuerſali affirmatiuæ: In omni morbo vehementi ſanguinem detrahes, ſi vires, &c. Nec verò demum illud poſſum ſilentio præterire; Aphoriſmos ab Aduerſario citatos, immò pleroſque omnes ſententias, & dogmata Galeni, ſapientiſſimorúmque hominum, plerunque ſine vniuerſali nota eſſe prolata: vt qui Aduerſarij doctrinam recipiat, iã de omnibus ambigat, omnia pro definitis; & particularibus ſumat, neceſſe ſit. Sed hæc nimia logicæ affectatio gladius eſt in manu furioſi. Quàm bene igitur Aduerſarius hinc colligat, propoſitionẽ Hippocratis, *In acutis morbis ſanguinem mittes, ſi vehemens*, &c. tantundem valere, ac ſi ille ſcripſiſſet, in quibuſdam acutis morbis ſanguinem mittes, &c. ipſe viderit.

Tertia ratio, vel potius prioris rationis confirmatio eſt ex Galen. [*Qui licet locis ſexcẽtis agat de huiuſmodi ſcopis, nunquã vniuerſale ſignum appoſuiſſe obſeruaui; quæ res indicium præbet manifeſtiſſimum, eam orationem accepiſſe illum ſemper vt indefinitã.*] Galenus non appoſuit ſignum vniuerſale. Eſtò. Sed an fortè ſignum particulare ab illo vel ſemel poſitum eſt? Neque iſtud, puto, vir obſeruantiſſimus potuit obſeruare. Et quidem cum vulgare ſit, propoſitiones vniuerſales apud logicos variè accipi, cenſeo hanc Hippocratis propoſitionem eſſe vniuerſalem, atque excellẽti ratione; quod nimirũ

ea

ea ſit de omni, per ſe, & quatenus ipſum: ſicuti modo dicebamus nos diffuſè, & accuratè demonſtraſſe in noſtra Diſput.

Vltima ratio. (*Poſtremò Galenus eo commento xix. noſtram apertiſſimè confirmat ſententiam, dum dicit, ſeſe in libro de Rat. Cur. per Sang. Miſſ. omnia explicaſſe, quæ neceſſaria iudicari poſſent, atque lectorem relegat ad eum librum. Cum igitur à c. 4. vſque ad 9. de hiſce vniuerſalibus agat theorematis, meritò diximus, &c.*) Ratio efficax, vt propterea in poſtrema acie iure poſita fuerit. Galen. in libro de Sang. Miſſ. omnia docuit, quæcumque ad tractationem huiuſmodi argumenti, neceſſaria fuerat, ergò ſententia xix. li. 4. Acut. vniuerſalibus theorematis præſuppoſitis intelligenda eſt. Conſecutio mirabilis. Sed tamẽ valde mirum videtur mihi, Galenum, virum alioqui tam diligentem, perſpicacem, tam ſcribendo perfuſum neque in peculiari illo libro, neque in expoſitione huius ſentẽtiæ, neque vllo in loco, tam opportunæ, & neceſſariæ explicationis, & animaduerſionis, vel ſemel tamen meminiſſe. Niſi fortè hæc maxima gloria noſtra Aduerſario reſeruata eſt, vt ſolus poſt mille annos potuerit hoc tanti momenti decretum illuſtrare, ac toti humano generi hoc ſingulare beneficium afferre.

AD CAPVT VI.

An Aduerſarius rectè ſoluat noſtra argumenta.

Diſp. de ſco. pis p. 636

NOſtra prima obiecta ratio aduerſus Aduerſarij explicationem fuerat: Autorem lib. 4. Acutorum eam proponere ſententiam apertè, liberè, atque ea verborum circumſcriptione, quam res ipſa poſtulat: Gal. omni ex parte illam ſuſcipere, & admirari. Ex quo facile eſt colligere, nullis aliis theorematis, & commentis fore opus. Aduerſarius reſpondet. (*Fateor Hippocratem aperte, & liberè ſententiam ſuam propoſuiſſe libro primo Aphoriſmorum, tertio, ac libro de Vlceribus. At falſiſſimum 4. Acutorum id effeciſſe.*

Nolo in præſentia id agere: vtrum Hippocrates ſententiæ cõtrouerſæ author fuerit, necne. Vtrùm ille ſcripſerit de ſcopis mittendi ſanguinẽ in libris Aphoriſmorum, & de vlceribus: quod vtrumque iam ſupra diffusè actum eſt. Sed ad ea ſtatim venio, quæ ſunt maioris momenti [*At eſtò* (inquit Aduerſarius) *quid poſtea? Proponit apertè, & liberè; non erit propterea audienda vniuerſalibus cognitis theorematis? Quid facit aperta, & libera pronunciatio ad argumentum propoſitum? Sed quid ſibi volunt hæc, cõcluditque ea verborum circumſcriptione quam res ipſa poſtulat? An fortaſſis ea verborum circumſcriptio falſam reddit explanationem? Quæ verba? impropria, obſcura, falſa, ſuperuacanea, deficientia?*[Huic quam rapida, veluti torrens oratio? Sed quæ fortaſſe abſque labore, & periculo poſſit coërceri. aduerſarij interpretatio eſt; ſententiam veritatem non habere ſine præſuppoſitis vniuerſalibus theorematis. Ego contra huiuſmodi interpretationẽ id obiicio, Sentẽtiam fuiſſe propoſitam apertè, liberè atque ea verborum circumſcriptione, quæ ad tradendum huiuſmodi præceptũ neceſſaria fuerunt. Qui id volui ſignificare aliis præterea theorematis, & additamentis non eſſe opus: quæ alioqui in decreto tanti momenti ab authore non fuiſſent prætermiſſa. Qua quidem ratione (ni fallor) explanatio Aduerſarij conuincitur eſſe falſa atque ab Hippocrate & Gal. diſciplina prorſus aliena. D. verbis impropriis, obſcuris, falſis, &c. ſatis diximus. Itaque cætera perſequamur.

[*Neque id verum, quod de Galeno dicunt, omni ex parte illam ſuſcipere; quia non ſuſcipit illam dictione, & ſententia ſimul aut ſola dictione dignam Hippocrate, cum ſit ſolum digna ſignificatione, & ſenſu: propterea nouatores iſti medici eam conuellunt, atque perturbant.*] De hac pariter ſcopuloſa, & ſcrupuloſa diſtinctione, & diſciplina iam ſatis ſuperque diximus. Id verò certo certius eſt, Galenum eiuſmodi ſententiam tanquam Hippocrate dignam probare, ſuſcipere, ſummis laudibus efferre, ac mirari quamobrem in Aphoriſmis non fuerit repoſita, quicquid tandem Aduerſarius comminiſcatur, & ſibi fingat, qui ſuo more frequenter, vel quæ certiſſima, & apertiſſima ſunt, in dubium reuocare, & negare non veretur. Sed quid ea poſtrema verba ſibi volunt, Quos ille medicos nouatores intelligit? Me certè (vt puto) non poteſt intelligere, qui omnibus modis ſtudeo veterem ſententiam tueri, cuſtodire, & illuſtrare. Quare, vt vel ſe ipſum, vel alium ſui ſimilem intelligat, neceſſe eſt, quicumque omni conatu eam conuellere, & perturbare nunquam deſinunt.

[*Addunt, ſi mea explanatio vera ſit, illa non erit Hippocrate digna ſententia, perinde vt Aphoriſmus, qui paucis verbis rem magnam contineat. Deſidero hic illorum iudicium. Si diceremus ſecundùm explanationem Galeni.* In morbis acutis ſãguinem mittito, ſi vires valeant, ætáſque non diſſuadeat; *cur non erit Hippocrate digna ſententia? cur non poſſet facile reponi inter Aphoriſmos? Cur non magnum complecteretur artificium, quo & Methodici, & Empirici, & Rationalium plerique apertiſſimè redarguuntur?*]

Equidem cum hæc primùm legerem, ſuſpicatus ſum Aduerſarium ſomniantem hæc ſcripſiſſe, quæ mihi videntur vniuerſam illius opinionem, & Diſputationem euertere. Lis inter nos eſt, vtrùm ſententia libri 4. Acutorum ſimpliciter, ac ſine additamento debeat intelligi, ſicuti iacet; quod ego doceo. An contra ſine vniuerſalibus quibuſdam theorematis nequeat veritatem obtinere; quod Aduerſarius concedit. Nos pro noſtra ſententia id primum aſſerimus; ſi ad illius veritatem noua theoremata neceſſariò requirunt, ſentẽtiam non eſſe Hippocrate dignam. Aduerſarius autem prætermiſſis hoc tẽpore omnibus theorematis, & additamentis; hæc ſcribit: Si diceremus ſecundum planationem Galeni. *in morbis acutis*, &c. quæ ipſamet eſt ſententia, quam nos affirmamus eſſe Hip. & dignam, vt in Aphoriſmis reponatur. Itaque ſi hæc ſententia ſolis, & ſimpliciſſimis Hipp. & Gal. verbis prolata, per Aduerſarium eſt digna Hipp. & dignitate Aphoriſtica; ſi ita Empiricos, Methodicos, plurimos Rationales apertiſſimè redarguit, quæſo quid nos theorematis, nouis additamentis, nouis figmentis opus eſt?

[*Somnium mihi narrant, cum dicunt meam explanationem reddere illam ineptam, confuſam, imminutam, ac deficientem*, &c.] Cum Aduerſarius cupiat illud à nobis probari, age illi obtemperemus. Sententia cõtrouerſa, interprete Aduerſario, ita intelligenda, & accipienda eſt. In acutis morbis ſanguinem mittas, ſi morbus vehemens fuerit, ducàrque originem à plenitudine, vel motu ſanguinis, conſtent vires, &c. Sed quis non ſtatim intelligit, huiuſmodi ſententiam eſſe non modò ineptam, confuſam, imminutam, deficientem, ſed etiam perſpicuè falſam; vno verbo Hipp. & Gal. grauitate prorſus indignam? Id facile (vt puto) intelliget, & fatebitur, quicunque voluerit in memoriam reuocare, quæ de huiuſmodi ſcopis, in primis autem de ſcopo plenitudinis, tam diffusè, & accuratè diximus. Namque, vt cætera prætermittamus,

quomodo

quomodo plenitudo, & motio ſanguinis ad ſectionem venæ ſunt neceſſariæ ſi Galenus tam frequenter, tam efficienter decernit, ſi ipſemet Aduerſarius non ſemel confeſſus eſt, rurſumque eſt confeſſurus, ſine vlla ſanguinis plenitudine, & motione ſanguinem eſſe mittendum? Verum ſi velim omnia cum Aduerſario repetere, nunquam ſcribendi finem faciam.

[Cum interrogant, an omnes acuti morbi fiant à plenitudine, aut motu ſanguinis, interrogant extra rem: quia quoſdam fieri, & quoſdam non fieri aſſerimus, &c.] Accipiamus Socratem laborantem morbo acuto, vehementi, ſine plenitudine, & motione ſanguinis, quod Aduerſarius concedit poſſe fieri: quæro, ac (ni fallor) quam maximè ad rem, ſi vires conſtent, ætáſque floreat, an liceat Socrati ſanguinem mittere? Iſtud, puto Aduerſarius negabit; ſed quàm bene, & ad Hippocratis, & Galeni mentem, ipſe viderit.

(Sed quid reſpondebo ad eam partem, qua dicunt, meam hanc explanationem magis ridendam, quàm refellendam? Nihil quidem reſpondebo aliud, quam quod Galenus de hoc argumento dicit hiſce verbis. Neque enim idem eſt falſum aliquod & ridiculum affirmare: ac addit. Non enim omne quod falſum eſt, continuò etiam deridendum. Ac parum poſtea. Cum enim, ait, incerta ſint dogmata, & rationum argumẽtis probabilia aliis abſurda videamur, ſicuti ſuccenſendum non eſt, quòd veras eſſe opiniones ſuas defendant ita concedere, vt alij nobis ipſis contradicant, debemus. At carpere mordaciter, atque irridere, quaſi ſtultum aliquid quod dogmaticè in controuerſiam venerit, illud quidem eſt procacis hominis, ac petulantis. Hæc Gal.] Quam quidem totam ſeriem conſultò hoc loco volui tranſcribere, quòd intelligam Aduerſarium hiſce noſtris quatuor verbis magna animi perturbatione fuiſſe commotum, atque hoc in primis aculeo excitatum voluiſſe noſtram Diſputationem laceſſere, ac nobiſcum tam odioſum bellum ſuſcipere: vt ipſe ab eo crimine cauere non potuerit, quo me arguere in primis ſtudet. Etſi verò de hac diximus in præfatione, quod fortè eſt ſatis, tamen in præſentia quoque cogimur de huiuſmodi criminatione apud ſtudioſos nos purgare. Quantum equidem modeſtè, & ingenuè cum iis agere ſoleam, qui de communibus ſtudiis à nobis diſſentiunt; quantumque à morbo procacitatis, & ſtyli amarore, quo multi hodie delectantur, abhorream, noſtri auditores, noſtræ editæ Diſputationes, reſponſionéſque per Epiſtolas ſatis poſſunt teſtari. Verùm ſi aliorum errata ſunt aperienda, refutanda, corrigenda, vix, aut ne vix quidem videtur fieri poſſe, quin amarius aliquod verbum aliquando excidat; errorem eſſe turpem, temerarium, deteſtabilem. Si quis audeat ea conuellere, & negare, quæ tot ſæculorum, & gentium authoritate recepta, & comprobata ſunt; quis poteſt ſe continere, quin hunc nouatorem, audacem impudentem nominet? ſi quis apertiſſimè, & ſæpiſſimè demonſtret, ſe nec Græcè, nec Latinè, ſcire, quo veriore, & congruentiore titulo, quàm pueri, & infãtis poteſt honeſtari? Si quis ne prima quidem elementa teneat, Dialecticæ, Philoſophiæ, Artis medicæ, omnium bonarum artium, cur non liceat hunc ignorantiæ, atque inſcitiæ nomine adornare? Si quis ſcribendo nullum ordinem ſeruet, omnia permiſceat, eadem millies repetat, à ſe ipſo diſſentiat, equidem puto neminem aliter, quàm inordinatum, confuſum, ſuperuacaneum, inconſtantem poſſe hunc appellare. Si quis demum ea comminiſcatur, & doceat, quæ à ſenſu, & ratione ſunt abhorrentia; an facinus adeo nefarium committat, qui reſpondeat hæc magis ridenda, quàm refellenda? Homines ſumus, neque noſtræ imbecillitatis eſt verborum contentionem, ac vim ita moderari, ac temperare, vt ne quid acriùs excidat: quod hactenus equidem puto eſſe ferendum, dum ipſos ſolum diſputandi fines ne excedat: atque vt opiniones quædam longiùs, aut propiùs ad veritatem accedunt, ita vel grauioribus vel mollioribus verbis inceſſantur. Sed quid? Nonne Ariſtoteles, Anaxagoram, Parmenidem, Meliſſum, Thaletem, Democritum, & alios veteres philoſophos, cum quibus diſputat, aliquando ſtupidos, ſomniantes, ebrios vocat? Nonne idem ſui præceptoris Platonis ideas monſtra nominat? Nonne Galenus aduerſus Theſſalum, modis, verbiſque planè ſcurrilibus agit? Eraſiſtratum, Herophilum, Praxagoram, Athenæum, Archigenem, alióſque egregios ſcriptores acerbiùs inſectatur? Sic multa paſſim, vel præſtantiſſimorũ; & ſanctiſſimorum hominum exempla non deſunt. Sed rediens ad Aduerſarium, equidem libenter fateor cum Galeno non omnia falſa eſſe ridicula: ſed forte neque idem negaret, quædam falſa riſu eſſe digniſſima. Vtrum autem explanatio Aduerſarij ſit tantummodo falſa, minimè deridenda, alij iudicium faciant.

LIBER QVARTVS.

DISPVTATIO VII.

AD CAPVT I.

TITVLVS QVÆSTIONIS.

An in febribus putridis mittendus ſit ſanguis.

QVANQVAM ex iis, quæ ſunt à nobis hactenus diſputata, ſine magno labore poſſit vnuſquiſque intelligere; quidnam ſentiendum ſit de miſſione ſanguinis tum in febribus, tum in cacochymia: quæ trium ſequẽtium librorum ſunt ſumma, ac principalia capita; cum omnia ad generales regulas, & præcepta antea tradita debeam referre: cum præterea in noſtra priore Diſput. nihil prætermiſiſſe nos arbitremur, quod ad huiuſmodi argumentum faciat: Tamen quia febrium conſideratio maximi eſt in medicina momenti, quia Aduerſar. non ceſſat hac quoque in parte & Gal. doctrinam, & ipſam rei veritatem inuertere, ac perturbare, noſtri muneris atque inſtituti eſt, hæc quoque quam maxima fieri poterit breuitate examinare. Cæterũ cum duplex de febribus putridis oriatur quæſtio, altera, quæ ad communem earum naturam, altera, quæ ad ſingulas earundem ſpecies pertinet, nos de priore cũ Aduerſ. in hoc libro diſſeremus. Atque in primis à perplexo quæſtionis titulo quem vocant, nobis cauendum eſt, qualis ab illo proponitur. [*An in omnibus putridis ſaluberrimum ſit mittere ſanguinem in genere.*] In quo multiplex eſt error. Primum quia notare videtur ſanguinem eſſe mittendum in genere, quod neſcio quid ſibi velit. Deinde quia non eſt præceptum, mittendum eſſe ſanguinem in febribus putridis in genere cum ideò mittẽdus ſit, quia in ſingulis eſt mittendus. Accedit, ſi hæc omnia permittamus, neque conuenienter, & aptè dici, in omnibus putridis febribus in genere; quia dictio, omnis, vt logici aiũt, diſtributiua eſt, quæ nomẽ generis per omnes ſpecies diſtribuit: quare qui dicit, in omnibus febrib. perinde eſt, ac ſi dixiſſet,

in ſanguinis eius ſpeciebus. Verum his prætermiſſis, nos poſthabita quæſtione eius, qui cæteros corrigere, ac docere instituit, ita rem proponamus: *Vtrum ſimpliciter in febribus putridis ſaluberrimum ſit mittere ſanguinem.* Quæ quidem quæſtio rurſum duo capita continet ex Aduerſario: alterum, quod ad ipſam febrem, alterum, quod ad obſtructionem pertinet. Quoniam verò obſtructio fit ab humoribus vel quantitate, vel qualitate peccantibus, de qualitate quidem manifeſtè quæritur. [*Secundum an in omnibus obſtructionũ cauſis, nempe in craſſitie, & in viſciditate humorum conueniat remedium.*] Ad de quantitate, quid ille ſibi velit, non planè intelligo: addit enim. [*Ipſam enim obſtruere plenitudinem nulla dubitatio eſt.*] Aliud credo voluit: aliud ſcripſit. Equidem expectabam, cum quæſtio propoſita eſſet de qualitate, mox de quantitate dicendum, & de eadem vel itidem quærendum, vel cur non quæreretur, rationem reddendam; ipſam enim plenitudinem, quæ altera eſt obſtructionis cauſa, venæ ſectione tolli nulla dubitatio eſt quaſi diceret: in hoc mihi cum Aduerſ. conuenit, quando adeſt obſtructio à plenitudine, & copia humorum facta ſaluberrimum eſſe venam ſecare. Verum ſi quod ſcripſit, ſcripſiſſe ſe vult, libenter ſcirem, an vlla dubitatio ſit, humores lentos, & craſſos obſtruere: quod ſi æquè certum, & perſpicuum eſt, cur de his quæſtionem propoſuit, de plenitudine prætermiſit, quia nulla dubitatio eſt illam obſtruere: Adeſte iuniores, in quorũ gratiam Adu. profitetur ſe pleráque ſcripſiſſe; & mirabilem dicendi claritatem animaduertite. Quod quidem primo capite annotaſſe ſit ſatis.

AD CAPVT II. & III.

Solutio trium Aduerſarij rationum.

QVod illis vſu venit, qui in ſpeculis cauis propriam imaginem intuentur, vt illam inuerſam, & vſque adeo deformem inueniant, vt vix illam agnoſcant, id mihi accidit in præſentia; qui argumenta ad meam opinionem confirmandam accommodata hoc ſecundo capite reperi tam peruersè, confusè, perplexè, ſine vllo ordine, ſiue recta (vt aiunt) forma relata, vt facilè intelligas ab illo authore eſſe profecta, qui eadem, aut explicare neſcierit, aut illorum vim dedita opera diſſimulare, ac lectorem, ſi poſſet, fallere voluerit. Sed quoniam illa erunt ſigillatim expendenda, non eſt, vt hic ea longiùs commemorem, ac vim omnem, rationúmque momenta conſiderem, vt à nobis afferuntur, vt ab Aduerſario referuntur: id in ſingulis ex ordine poſtmodùm facturus.

Itaque ad tertium caput propero, quod maximam continet huius diſputationis partem, nimirũ impugnationem noſtræ opinionis. Papæ (lector) hic nobis ſudandum eſt, vt arcem noſtram ab Aduerſarij telis, tormentis cuniculis tueamur: veriùs glorioſum militem exibilemus. Hic enim eſt, qui noſtram opinionem paulò diligentius ſeſe excuſſurum, & veritatem aliis incognitam inuenturum pollicetur. Vtri igitur aptius Nouatoris nomen quadrabit? an mihi, qui veterem doctrinam poſtliminiò ſtudio reuocare, qui Curtij Iachini, Valleſij dicor veſtigia ſectari: an Aduerſario, qui res inauditas, aureos montes promittit, qui veritatem ab orbe cõdito aliis incognitam eſt patefacturus? Sed mirum eſt, vt iſta veritas falſiſſimis nititur principiis, infirmiſſimis hæret fundamentis. Ea ſunt, primum, ſanguinis miſſionem inſtitutam eſſe, vt ſanguis euacuetur, propterea eſſe materiam remedij ſanguinem euacuãtis. Conſideremus hoc primum. Si illa particula [*vt ſanguis euacuetur*] ſcopum, finémque medici ſanguinem mittentis ſignificat, falſiſſima eſt propoſitio: cum aliquando econtrariò ſcopus ſit ſanguinem ſupprimere, vt in hæmorrhagia. Si verò ſenſus ſit, ſanguinis miſſione ex neceſſitate fieri, vt ſanguis euacuetur, quamuis nugatorius ille ſit, tamen admitti debet: quis enim neſciat, ſi ſanguinem mittimus, ſi venam ſecamus, ſanguinem vacuari? Atqui meminerit Aduerſarius, ſi hæc ſit huius fundamenti ſententia illam nihil prorſus aduerſus nos facere. Alterum fundamentum ab Aduerſario ſuppoſitum, æquè ruinoſum, atque omnino falſum eſt. [*Porrò omne remedium, & omnis materia ex aliqua natura indicante ex neceſſitate deducitur.*] Hoc nos antea oſtendimus eſſe quàm maximè falſum: idque vnicuique ſatis patere poteſt. Quis enim neſciat iuxta naturam, ac differentias morborum, etiam remediorum naturam, ac ſpeciéſque oriri, atque indicari? At remediorum materiam à morbis indicari, nemo vnquam dixit, aut animo concepit, ne ipſe quidem Aduerſarius fortaſſe, cui ſtudio contradicendi ex ore & calamo excidit. Namque aliquando vnum indicans per plurima, ac penè infinita materierum genera abſoluitur: interdum vnica remedij materia pluribus indicationibus ſatisfacit: Sed rem facilem, & omnibus notam ſatis eſt indicaſſe, illudque ſimul obſeruaſſe, à tam acri oppugnatore non eſſe nobis perinde metuendum, atque ille ſibi perſuadet. Sed argumenta perpendamus.

[*Stante igitur hoc ſuppoſito,* &c. Primum argumentum eſt, non eſſe in febribus omnibus putridis naturam communem indicantem ſanguinem eſſe mittendum; ergo falſum, in omnibus putridis ſaluberrimum eſſe mittere ſanguinem. Et quia facilis erat reſponſio; hanc naturam eſſe, ſcilicet morbi magnitudinem, qua præſente vnà cum virium robore, ſtatim ſecanda eſt vena, iam hoc negat, ac nititur demoliri: quod tamen manifeſtè conceſſit. Id quod facilè vnuſquiſque intelliget, ac fatebitur, quicumque huiuſmodi loca inter ſe conferre non grauabitur. Hic inquit, [*Qui ſolam magnitudinem morbi ad huiuſmodi indicationem deſiderant, reſpõdebunt eſſe magnitudinem ipſam, qua præſente ſemper, abſente verò nunquam ſanguis mittendus, conſentientibus viribus. Verum ego id non facilè admiſerim.*] At ſuperiore loco dixerat. [*Huic igitur ſcopo addidit Galenus alium, quo poſito ponitur, & quo remoto remouetur vena ſectio; ita vt ex amborum præſentia, ſtatim ad mittendum ſanguinem, & ex abſentia aut amborum, aut alterius nunquam ſanguis mitti poſſit.*] Admittit, & non admittit. Ait, negat. Verum nihil hoc ſit. Argumentum eſt: ſi hac ratione in febribus putridis mittitur ſanguis, quia eſt morbus magnus, ergo in omni febre, etiam ephemera, & hectica erit mittendus, cum omnes ſint morbi magni. Primum noto argumentum à febribus ad omnem magnum morbum traduci: quod magis quadrabat ad vniuerſalem diſputationẽ aduerſus morbi magnitudinem. Deinde ad ſolutionẽ accedo, quæ facilis eſt, atque ipſi quoque Aduerſario ſub nube perſpecta. Non mittitur ſanguis in aliis febribus, quia deeſt altera conditio, alter ſcopus, vel magnitudinis morbi, vel viriũ. In ephemera ſcopus magnitudinis: in hectica ſcopus virium. Porrò aduerſus ſcopũ ex viribus Aduerſ. argumẽtatur; propterea quia quærimus ſcopum indicantem, nõ qui prohibeat, aut admittat, Optimè Sed ſi hoc tantũmodo collegiſſet, ergò in omnibus febr. adeſt indicãs, quod ad hoc ſpectat, id fortaſſe illi conceſſũ eſſet: ſed intulit: ergò in omnib. febr. mittendus eſſet ſãguis. At verò, quò mittẽdus eſt ſanguis, non ſolum ſcopus indicans, ſed etiam admittẽs, aut prohibens

hibens conſulendus eſt. Re autem vera nos ſtatuimus, in ephemera deeſſe ſcopum à magnitudine morbi: de qua re paucis dicendum. Quandoquidem hæc febris magnus eſſe morbus videtur Aduerſario, cum ſit calor cordis mutatus in igneum. Quare ſiue morbi eſſentiam, ſiue partem affectam ſpectes, morbus certè magnus eſſe videtur. Verùm ego id non facilè admiſerim: qui cenſeo ephemeram neutro modo morbum eſſe magnum: non ratione caloris, qui dicitur quidem mutatus in igneū, quia ſpirituū alteratio ſit in caliditate, & ſiccitate, quæ ſunt ignis propriæ qualitates: atqui hoc modo quælibet, vel leuiſſima in his qualitatibus alteratio in igneam mutatio dici poteſt: ſatis autem patet huiuſmodi calorem admodum eſſe leuem, cum ſolos ſpiritus apprehendat, cum teſtimonio Gale. [1. de Criſ. cap. 13.] nullum magnum ſymptoma ſecum afferat; cum ſpatio 24. horarū ſponte fere ad naturalem ſtatum reuertatur: quod verò cor patiatur, neque id morbum magnum facit neceſſariò: primùm, quia læſio in ſpiritibus conſiſtit, non in ſubſtantia cordis: deinde, quia ne ipſius quidem cordis quæuis læſio morbum magnum facere apta eſt. Nam veluti interuallum ſanitatis eſt ſatis amplum, vt etiam eos comprehendat, qui non omni prorſus culpa, & noxa carent; ita latitudo morbi eſt longè ampliſſima, etiam quæ partes principes attingit: nam ſi cor leuiter incaleſcat, vt non ſenſus nondum lædantur operationes, dices illud eſſe intemperatum, morbo affectum nondum dices, niſi rem deducere velis ad dogma τῆς ἀνωμαλίας. Cùm autem calor eò peruenit, vt iam lædantur actiones, id quoque certum eſt per gradus fieri, vt vel leniùs lædantur, quo tempore leuis eſt morbus; vel grauiùs, & tunc fatendum morbum eſſe magnum. Propterea ſententia, Galeni, Morbum magnum dici ratione partis præſtantis, mea quidem ſententia, non ita eſt audienda, vt quilibet morbus, in parte nobili ſit magnus; ſed quòd idem morbus, qui in alia parte foret leuis, in parte nobili grauis eſt interdum, vehemens, & cum periculo. Idque eſt communi loquendi modo quem ſectari ſolet Galenus, maximè conſentaneum. Etenim qui diaria febre laborauit, dicit ſe leni quodam morbo, exigua quadam febre fuiſſe affectum. Niſi fortè accedat obſtructio ab humoribus craſſis, & lentis, quæ morbum ſuapte natura leuem maiorem faciat, atque in aliud morbi, febriſque genus conuertat: quo caſu & morbus eſt magnus, & venæ ſectio indicatur, & conuenienter adhibetur; de qua re poſterius diffusè ſermonem habebimus. De febre hectica ſolutio eſt in promptu, Vires non conſtare, ac ſi in primo hecticæ gradu videntur conſtare, non præſentes tantum eſſe ſpectandas, ſed quæ toto etiam morbi progreſſu debeant, ac poſſint conſtare. Quod ſi in putridis, in quibus manifeſta erat indicatio, & vſus ſecandi venam, Galenus docuit aliquando non tantum ſanguinis eſſe educendum, quantum affectus poſtulat, ſed reponi eius aliquid debere ad reliquum curationis ſpatium, quantò magis in hecticis, licet vires in præſentia conſtent, à miſſione ſanguinis cauendum eſt, vt illæ ad morbi diuturnitatem ferendam ſeruentur. Sed Aduerſarius hoc loco dubitationem ſoluit. [*In hectica febre primi gradus virtus eſt valida ad proprium opus indicatum ab eius natura nempe ad refrigerationem, ad humectationē corporis: at non eſt valida virtus ad purgationem, ad miſſionem ſanguinis, &c.*] In qua equidem Aduerſarij ſolutione prorſus acquieſco.

Non maioris indiget laboris ſecunda ratio, quæ erat ſanguinem mitti, vel ratione euacuationis, vel ratione reuulſionis: neutram verò indicationem in putridis febribus ſemper vigere: non priorem, quæ ſolum viget in plenitudine: at febres putridæ eueniunt etiam in corporibus nulla plenitudine affectis: non alteram, quia reuulſio non debetur niſi febribus ex inflammatione vnius particulæ. Vno verbo Aduerſarius id petit, quod in principio, nam probaturus ſanguinē non euacuari, niſi adſit plenitudo, ſupponit non eſſe vacuandum ſanguinem, neque oriri indicationem eiuſmodi euacuationis, niſi adſit plenitudo. Ego verò dico, & omni aſſeueratione confirmo, etiamſi nullum ſit plenitudinis veſtigium, oriri tamen indicationem euacuandi, educendi, extrahendi ſanguinem quia febres putridæ ſunt cum cauſa coniunctæ: cauſæ verò ſunt humores praui, & putreſcentes, quia febris putrida non ſine his fieri poteſt: ſectione autem venæ magna eorum pars (vt dicebat Galenus) educitur: reliquum à natura facilius ſuperatur. Præterea corporis habitus eſt refrigerandus: hoc autem præſtat ſanguinis vacuatio: itaque oritur indicatio ſanguinis mittendi. Adde etiam obſtructiones eſſe tollendas: ad hoc vtendum aperientibus, & diureticis: quorum quidem vſus corpore non priùs euacuato ſuſpectus eſt. Primùm igitur expedit totum corpus euacuare. Verùm de his aliàs cum Aduerſario, vbi pollicetur ſe demonſtraturum has duas tantūmodo eſſe mittendi ſanguinis indicationes: quod nihil ad nos pertinet in præſentia; quibus ſat eſt, ab aliis etiā ſcopis euacuandi indicationem originem ducere.

Tertia ratio priorum ſimilis, ac leuiſſima eſt. Vt ſe res habet in continuis febribus, ita ſeſe debet habere in intermittentibus: at in continuis non mittimus ſanguinem niſi ob plenitudinem, vel magnitudinem morbi, ex Galen. primo ad Glauconem, ergo in omnibus. [*Pone igitur putridas febres interdum conſiſtere ſine plenitudine, vel ſine periculo futuræ magnitudinis, vtique ſanguinis miſſio non conueniet.*] Primum noto citatum Galeni locum eſſe mendis refertum: quod indicant variæ lectiones, quaſi diuinando excogitatæ, & ſolœciſmi plures, qui tamen ab Attica Galeni eloquentia ſunt maxime alieni. Inquit primum, τὰς δὲ συνεχεῖς πυρετὰς, & quæ ſequuntur. Latinè Sanguinis eductio vel eductiones, & propter magnitudinem, & c. horum educere, vel ab his educere. Quis locutionem abſurdam non videat? Sed hoc nihil ad me: qui verborum ſententiam, vt illa iacent, non inuitus recipio, Mitti ſanguinem & propter magnitudinem morbi, & propter plenitudinem: ſed illam vt præcipuam, & idcirco à Galeno primo loco poſitam: hanc verò vt ſecundariam, & quæ potius doceat liberaliùs euacuandum, quàm ſimpliciter ſanguinem mittendum. At vero non ait Galenus miſſionem ſanguinis indicari à plenitudine, quod aliquando dixit de morbi magnitudine; ſed inquit, etiam propter plenitudinem ſanguinē mittendum eſſe: ſed tamen ita, vt plenitudo tanquam ſcopus particularis, & ſecundarius concurrat, vt alibi diffusè docuimus, & hac fortaſſe de cauſa hic ſecundo loco relatus ſit. Confirmatur hæc ſententia, quoniam Gal. non ſimpliciter plenitudinem dixit, ſed maximæ plenitudinis notas appoſuit, cum tamen in minore etiam liceat venam ſecare: qui inquit, *& quibus rubor eſt multò maior, quam ſecundum naturam, & tumor quidam inſolitus totius corporis, & venæ eminentes, atque extenſæ: quæ magnæ plenitudinis plethoræque indicia ſunt.* At verò, quid ſi rubor ſit minor, tumor non totius corporis, nec vſque adeo inſolitus, venæ non ita turgidæ; An à venæ ſectione deſiſtemus? Non arbitror. At Galenus ſummam voluit indicare plenitudinem, tanquam regulam, ac normam, qua copioſſimā ſanguinis extractionem facere debeamus, illud (arbitror) innuere volens, quantum plenitudo à ſummo

illo gradu recedit, tantundem nobis de quantitate ſanguinis eſſe detrahendum. Nono hic omittam (quicquid exclamaturus ſit Aduerſarius) quod mihi in mentem venit, fortaſſe locum leui correctione poſſe, & conuenientiorem phraſim aſſumere, & ſententiam noſtram clariùs explicare; vt legamus: *αἷμα δ' ἀφαιρεῖν* (ſupple *ποιούμενον*,) quod dudum dixerat: *διὰ τὸ μέγεθος τοῦ νοσήματος*, &c. Hoc eſt; *ſanguinis autem extractionem* (ſupple *facies*) *propter morbi magnitudinem*; & quibus multò plus roboris eſt, quàm ſecundùm naturam, & tumor aliquis inſuetus totius corporis, eminentéſq; ac tenſæ venæ, copioſiùs educere oportet. Videtur autem Galenus Aphoriſmi ſententiam innuere voluiſſe; & quibus vſque ad animi defectum ducere expedit, faciendum, ſi æger poſſit tolerare: quod declarauit, inquiens, niſi vires, aut ætas, aut aliquid eorum, quæ ſuprà commemorauimus, prohibuerit. Ex quo fortè eiuſdem libri Aphoriſmorum recordatus ſubdit, *quod verò humidus victus*, &c. Verùm de hac noſtra, quæcunque ea ſit coniectura ſatis.

Reſtat poſtremò quarta in hoc capite allata ratio, quam quoniam Aduerſarius proximo capite eſt examinaturus, & quidem prolixa oratione, nos ad illud iam pedem conferamus.

Ad Caput IV.

Solutio quartæ rationis, de indicatione quæ à febre, & quæ à putredine.

Ratio quarta hæc fuerat. Sanguinis miſſio in putridis febribus indicatur vel à febre vt febris eſt, vel vt eſt putrida. Neutro modo. Ergò. Probationem videbimus accuratè. Sed quoniam in hoc argumento Aduerſarius tantam putat eſſe vim, quantam vix in alio, cum tamen leuiſſimum ſit, atque omni ex parte peccet, ille ſciat in primis, ſi diſputandi ſolum gratia hoc negotium fuiſſet inſtitutum, me facilè potuiſſe vno ictu ipſum cum ſuo admirabili argumento confodere: negando & antecedens, vt aiunt, & antecedente conceſſo conſequentiam. Quid enim ſi dicam miſſionem ſanguinis indicari & à febre, & à putredine? tum verò hoc admiſſo, quòd neque à febre indicetur, neque à putredine, non ſequi, ergo nullo modo indicari? Sed quoniam mens eſt in ſtudioſorũ gratiam hæc in medium afferre quorum vtilitati potiſſimùm ſtudemus, ſigillatim ad argumẽtum reſpondeamus, atque ita rem declaremus, vt facilè omnes intelligant, in quo eius fallacia conſiſtat. Miſſio ſanguinis in febribus putridis appellatis indicatur potiſſimùm, primùm, ac per ſe morbi magnitudine; propterea ſi vires ferant, ætáſque cõſentiat, in omnibus eſt adhibenda. Cum hoc tamen illud quoque veriſſimum eſt, illam multis aliis indicationibus ſatisfacere; quæ quidem ſuapte natura non tantam vim habebant, vt venam ſecandam eſſe docerent: verùm tamen ab hoc præſidio nihilò minus explentur. Propterea huiuſmodi conſequentia, non indicatur à febre, non à putredine, ergo à nullo indicatur, prorſus vana eſt, ac nullius momenti. Atque, vt ne fruſtra tempus conterã, teſtis eſto ipſemet Aduerſarius; qui poſtquam per multas ambages deduxit, non indicari à febre, non à putredine, non ab obſtructione, non ab huius cauſa, tandẽ colligit. [*Ergo ſolùm indicatio de mittendo ſanguine in putridis febribus indicabitur à multitudine.*] Nugatorius loquendi modus concedatur Aduerſario. Tranſeat. Verùm cum ipſe proprium argumentũ refutauerit; & quamuis venæ ſectio non indicetur nec à febre, nec à putredine; tamen deduxit, indicari à multitudine; quæſo cur ego ſim deterioris conditionis, vt deducere non poſſim, ergo à magnitudine? Quod quidem non dico ſequi, ſed æquè ſequi, atque id, quod ex aduerſario, à multitudine, & æquè facere ad argumenti refutationem. Cæterùm, quoniam aſſumptum falſiſſimum eſt, & poſitio noſtra veriſſima (vt à nobis profertur) miſſionem ſanguinis & febri, & putredini conuenire; videamus iam quomodo illud ab Aduerſario comprobetur. Quo loco attentionem, & ingenium tuum appello, lector optime, vt in homine tam graui, tam grandia pollicenti obſerues, ac mirari nunquam deſinas doctrinam nouam, inauditam, ſententias falſas, abſurdas, non ſibi cohærentes, nihil denique conficientes. Eis. [*Ego verò illud conſtare non poſſe arbitror, quod dicunt, ſanguinis miſſionem conferre febri, quatenus febris eſt, licet non primum, & per ſe. Si quidem quod morbo conuenit ex accidenti* (*hic attentione eſt opus*) *duorum eſt generum: aliud, quod primum, ac per ſe obeſt cauſæ, & affectui: aliud quod cauſæ neque prodeſt, neque obeſt per ſe, etiamſi illi prodeſſe per ſe appareat.*] Sententia vſque adeò perturbata & obſcura, vt equidem putem præter Sybillam, legere, & interpretari poſſe neminem. Pulcherrima diſtinctio. Quod morbo conuenit ex accidenti, vel primum, ac per ſe obeſt cauſæ, & effectui. Quid ſi effectus non habeat cauſam? Quid ſi noceat cauſæ, idque aut per ſe, aut ex accidenti? Sed quo pacto id conſtat, vt quod morbo conuenit ex accidenti, per ſe noceat effectui? aut quis vtatur remedio, quod per ſe noceat, ex accidenti proſit? Secundum membrum. Vel cauſæ neque prodeſt, neque obeſt per ſe, etiamſi prodeſſe illi per ſe appareat. Illi, cui? cauſæ, an effectui? ſi cauſæ, quid ſi non appareat prodeſſe per ſe: quid ſi nec proſit, nec obſit ex accidenti, etiamſi prodeſſe appareat? quid ſi obeſſe appareat? Et hoc vel per ſe, vel ex accidenti? Si effectui nonne pariter apparere poteſt, quod noceat? Cur in altero quoque membro non eſt addita hæc particula, quòd appareat, vel non appareat? Sed quî fit, vt diuidatur id quod conuenit ex accidenti in duo membra, quorum nullum ſub diuiſo continetur? Neutrum enim video ex accidenti remedium complecti, quod conueniat ex accidenti. O doctrinam admirabilem, ſed quam alia ſequitur admirabilior!] *Nunquam in artis operibus exerceri debet remedium, quod cauſæ effectus contrarium eſt.*] Mihi videor odorari, vnde Aduerſarius hoc ſumpſerit axioma, ſed perperam intellectum. Docebat Galenus, in pugnantibus indicationibus, quæ à febre, & quæ à cauſa ſumuntur, deliberationem in hoſce tres ſcopos eſſe referendam: febris ne ſola curanda ſit non ſolicito de cauſa; an cauſa oppugnanda, minimè curanti de febre; an plurimum quidem remediorum ad alteram earum adhibendum, non tamen altera neglecta. Vbi quod ad primum attinet, nullo modo permitti, vt remedijs febri conuenientibus vtamur, quæ cauſam augeant. Verum quoniam falſiſſimum eſt, nunquam licere contrarijs cauſæ remediis vti, Galeni mentem, methodúmque rationi conſentaneam breuiter declaremus, & quantum ab ea diſtet Aduerſarius, indicemus. Tria ſunt membra poſita à Galeno, quæ omnia ad pugnantes, & contrarias indicationes pertinent: namque ſi indicationes conſentiant, & in idem conſpirent, facile præceptum eſt, vt hilariores in propoſitam indicationem incumbamus. Primum membrum eſt, Febri ſoli attendendum eſſe, cauſam omnino contemnendam: vt ſi febris indicet refrigerandum, cauſa frigida, puta humor frigidus, qualis pituita, calefaciendum, ſolis refrigerantibus agamus. Quod quidem membrum iure optimo

refu

refutatur, ac reiicitur à Gal. quia cum vniuerſè in contrariis indicationibus, ita præſtantiori danda ſit opera, vt alias non prorſus negligamus, id potiſſimum in cauſis locum habet: quæ ſi remediis contrariis foueantur, ipſum quoque effectum augent, vt conſiderabat Gal. Secundum membrum eſt; ſolam cauſam eſſe oppugnandam, contempta indicatione à febre: quod à Galeno diſtinguitur: Nam ſi febris ſit intolerabilis, maximè decet illius rationem habere: ſi verò ea tanta non ſit quæ dum cauſam tantum oppugnamus, vires deiiciat, tam remediis ad ſolam cauſam accommodatis licet vti. Sed tertium membrum erat ab Aduerſario perpendendum. Non contemnendus autem (inquit Galenus) nec tertius eſt, qui contra id, cuius maius momentum eſt, inſtare iubet, nec tamen alterius omnino negligentem eſſe. Ergo ſi maius fuerit momentum indicationis, quæ à febre quàm quæ à cauſa ſumitur, tunc febri magis inſtandum erit; ergo remediis vtendum cauſæ contrariis, quia ponimus indicationes eſſe contrarias: ſed vt ne in primum membrum incidamus, cauſa non eſt contemnenda. Quare ſi febris, exempli gratia, indicat refrigerandum vt tria, & cauſa calefaciendum vt vnum, vtemur quidem refrigerantibus, ſed tantò remiſſioribus quantum obſtat indicatio à cauſa, iis ſcilicet, quæ refrigerent vt duo. Eadem ſententia fuit Gal. *7. Meth. cap 12. & 3. Meth. cap. 9.* vbi complicatas inter ſe indicationes comparans, illas ad tria capita redegit: ad id, quod magis vrget; ad id, quod habet rationem cauſæ, ad id, ſine quo non: qui docuit in id prius eſſe incumbendum, quod magis vrget: deinde prius habendam rationem cauſæ, quàm effectus, qui ab ea dependet. Qui fortaſſe locus Aduerſario ſcrupulum iniecit. Quippe Galenus ait; *Vbi aliud efficiens eſt, aliud quod ab eo efficitur, ipſa cauſa ſpectanda.* Et rurſum. *Nimirum ad cauſam accedes, illud pro comperto habens non poſſe ad perfectionem vllum effectum ſanari, manente adhuc ipſa, vnde natus eſt cauſa.* Sed Aduerſarius debuit conſiderare, quod Galenus ait intelligendum eſſe ratione cauſæ: nam cauſa, vt cauſa, ſine dubio indicat ſe prius tollendam, quàm effectum. At verò altera ex parte fieri poteſt, vt prius, aut magis effectui attendamus, quàm cauſæ; nimirum ratione vrgentis. Id quod ex Galeni methodo manifeſtum eſt, qui ex tribus illis ſcopis, eum, qui ab vrgente ſumitur, cæteris anteponit, ac præmittit: immò verò clarè ait. Vbi prius mediocriter ſe habuerit effectus ſuccorum, qui in tunicis ventriculi continentur, tanquam vrgens, tum nimirum ad cauſam eſſe accedendum. Illud habendo pro comperto; non poſſe effectum tolli, niſi prius cauſa ſublata. Et paulò antè Galenus præceptum tradiderat; vbi alterum efficiens eſt, alterum effectum, prius cauſæ obſiſtendum: ſed poſtquam dixerat, ad id, quod magis vrget, dirigi

10. Meth. primum curantis conſilium debere. Qui itidem docuit, fieri poſſe aliquando, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem niſi occurras, afferat: quo caſu fore opus, vt hæc prius ſummota, deinde ad cauſam ſubmouendam accedamus. Submouetur autem febris remediis cauſæ contrariis; quia de his loquitur Galenus, & in contrarietate indicationum tota eius loci conſideratio conſiſtit. Hæc ex plurimis, quæ hac de re dici poſſent, in præſentia ſint ſatis; quæ nos neceſſaria eſſe duximus ad diruendum Aduerſarij fundamentum; qui altercationis ſtudio, & impetu τ̃ φιλονεικίας, adductus non veretur ea proferre, quæ Gal. aduerſantur quæ à communi, & vera omnium opinione ſunt aliena, quæ ſi in vſum reuocarentur, exitialia forent, & humano generi pernicioſiſſima: quæ ratione à nobis ſine animaduerſione relinqui nullo pacto debuerunt. Venio ad exempla, quib. Aduerſ. hanc rem illuſtrare, penè dixi obſcurare, ſe profitetur. *Declarandum eſt quomodo vtendum ſit remediis, quæ cauſæ præſint, aut obſint, aut neutrum faciant; & morborum exempla accipiuntur, qui cauſa carent, ephemera, atque hectica febris.* Optimè: ingenioſiſſimè. Non omittenda eſt calumnia, qua nos acerrimè conuellit; quòd adeò peruerſam; adeò abſurdam ſequamur medendi rationem vt abſurdiorem inueniri non poſſe putet. Id verò docet conſequutione quadam, tanta cum efficacitate, tanta cum amplificatione deducta vt nullum nobis locum inter medicos relinquere videatur. [*Alioquin* (inquit) *ſi quod refrigerat, quomodocumq; id faciat, debet pro ſanandis febrib. adminiſtrari; omnibus quidem, nulla amplius adhibita diſtinctione conuenient refrigerantia, cuiuſcumq; generis per ſe aut per accidens. Sic profectò in omnibus oportebit febribus vacuare bilem,* &c. *Omnibus frigidam dabimus, omnes lauabimus,* &c. *Natationē in frigida nulli ægroto negabimus,* &c. *Indiſcriminatim ſanguinem mittemus ex venis, ex cute,* &c.] Quis ad hæc non totò corpore contremiſcat. Ego verò celeberrimum virum cui hæc exciderunt, libenter interrogarim; an putat vnam in quolibet ægrotante eſſe indicationem; an febrium putridarum vna ſit indicatio; an plures, & hæ quidem valde inter ſe diſſentientes, & quandoq; prorſus contrariæ? An putet vni vſque adeò dandam eſſe operam, vt ceteræ omnes indic. negligantur? At ſi plures eſſe confiteatur longè inter ſe diſſidentes, quid prohibet, vt quod ab vno indicante præſcribitur, ab aliis indicationibus varietur, corrigatur, prohibeatur? Quòd ſi Aduerſarius hanc apertiſſimam veritatem negare audeat, ſciat me pariter eſſe negaturum, quin poſſimus omnia propoſita remedia in vno, atque eodem ægroto vſurpare: qui ab eo, qui contendit id eſſe vſq; adeò abſurdum, & peruerſum, quæram qua ratione id fiat cur non liceat omnibus dare frigidam cum illa calorem febrilem nata ſit extinguere? Reſpondebit; arbitror, aut propter obſtructiones, aut propter crudorum humorum copiam. aut ob anni tempus frigidum; aut ob ventriculi imbecillitatem, aut tale aliquid non licere. Verùm quid hoc aliud eſt, quàm aduerſas obiicere indicationes? quid eſt aliud, quàm propriam deſtruere conſequentiam; in qua licet facilè fallaciam animaduertere? Cùm enim aſſumptum ſimpliciter propoſuiſſet, [*ſi quod refrigerat, quomodocumq; id faciat, debet pro ſanandis febribus adminiſtrar.*] conſequens cum additione affert. [*Omnibus quidē nulla amplius adhibita diſtinctione,* &c.] Immò verò hoc eſt, in quo diſſentio, qui fateor in omnibus febribus refrigerantia conuenire; ſed illud addo, adhibendam eſſe diſtinctionem ab aliis ſcopis, & indicationibus aſſumptam, à putredine, ab obſtructione, à prohibita tranſpiratione, à corporis temperamento, ac viribus, à regione, à conſuetudine, & aliis, quæ hic non ſunt longius recenſenda. An igitur putat Aduerſarius, ſi quid ab aliquo indicatur, iam neceſſariò, ac præcisè illud ad vſum eſſe reuocandum? aut ſi quid eſt, quod impediat, ac prohibeat, primam deſtrui, ac prorſus tolli indicationem? Ego non arbitror. Quoniam indicatio ſumitur à natura morbi: hæc autem vnum idemque, ac ſemper indicat. Munus noſtrum eſt, diſſidentes, & contrarias inter ſe indicationes conferre, & vni magis, quàm aliis, ac ſoli interdum inſeruire. Dicet fortaſſe nos non de ſolo indicante ſcopo verba facere; ſed ſimpliciter pronunciare, ſaluberrimum eſſe in febrib. omnib. putridis ſanguinem mittere. Pronunciamus quidam, at nō ſimpliciter, ſed ſi nihil prohibeat. Quæ verò prohibere

poſſunt,cum plurima ſint, ad duo ſuprema capita, ad duos principes ſcopos referuntur, ætatem, ac vires.Quocirca iure Galen.ſcriptum reliquit,ſaluberrimum eſſe mittere ſanguinem in febribus, ſi vires, ætaſque conſentiant. Nos hæc docemus; ita medemur: nec putamus tam peruerſam, tam abſurdam eſſe medendi rationem quàm ille prædicat. Non deerunt fortaſſe, qui eius, & medendi, & docendi rationem adeò peruerſam, adeò abſurdam eſſe cenſeant, vt nulla peruerſior, nulla abſurdior inueniri poſſit.

Aliam deinceps Aduerſarius rationem ſubiicit; in qua ſuo more, quædam ſibi principia, & axiomata effingit, quæ ſi attentiùs expendantur, in ampullas abeunt. [*Amplius quando duo remedia ſunt, quorum alterum contrarium eſt per ſe morbo, aliud contrarium ex accidenti, methodus medendi poſtulat, vt nunquam prætermittatur, quod primum, ac per ſe*, &c.]

Si velim ſingulos errores annotare,integra Iliada ſcribam:Quæſo vnde ille hoc principium accepit, hoc tanquam axioma propoſuit? Quod ſi putet perpetuam veritatem habere, eſt in primis falſum, præferendum eſſe inter remedia,id quod per ſe, ei, quod per accidens aliquid facit. Namq; ſæpenumero, ne plerumque dicam, oppoſitum euenit, vt quod ex accidenti facit, præferendum ſit. Pituitam in ventriculo contentam euacuat per ſe medicamentum; inedia per accidens. Quis inediam medicamento non præferat, ſi per eam ſperet fine ſuo ſe potiturum? Inflammatio poteſt ſanari, & per inſenſibilem tranſpirationem,ac digeſtionem humoris fluxi, & per concoctionem, qua pus generatur,aperta cute euacuandum. Cùm autem ratio prior, authore Galeno, & nemine diſſentiente ſit magis optanda, quis non tepidis fomentis potiùs vtatur, quæ diaphoreſim iuuant, & per accidens euacuant, quàm ad coctionem ducat, vt ferro, aut igne puri exitum paret, quibus per ſe eiuſdem vacuatio perficitur? In ſcientiis fortaſſe quod per ſe eſt,præfertur ei,quod per accidens;eius ne haberi quidem ſcientia poteſt: at in artibus res ſecus ſe habet, præſertim in medecina: in qua non id nobis curæ eſt, an per ſe, an per accidens remedium aliquid operetur,ſed illud in primis ſpectamus, quod ab illo expectamus, & requirimus, aut nulla, aut certè minima corporis cum læſione fiat. Qui ſecus ſentit, non eſt mirum, ſi in abſurdas, falsáſque poſitiones deuoluatur. Qualis certè illa eſt. [*Nunquam prætermittatur, quod per ſe, ac primum id facit*, &c.]Quæritur ex duobus remedi s, per ſe, & per accidens, vtrum ſit eligendum. De remedio per ſe,abſolute ſancit,nunquam prætermittendum.Remedium per accidens diſtinguit. ſi lædit, omittendum; ſi non lædit, aut parum lædit,non omittendum. Atqui remedium per ſe, nonne & ipſum, ſi vehementer lædit,omittendum? Et cum neutrum lædit, qui ſciam an alterum, an vtrumque eligendum ſit? Quid hæc ratio facit aduerſus venæ ſectionem, quæ ex accidenti refrigerat? Verùm quoniam huiuſmodi ratio Aduerſarium æquè, ac nos vrget; Si enim ſectio venæ in febribus putridis non conuenit, cur paſſim vſurpatur à Galeno, & cæteris omnibus præſcribitur? Reſpondet. [*Hanc euacuationem indicari à cauſa vna putridam febrem efficiente, fouente*, &c.] Nec videt eandem nobis ad reſpondendum anſam parere; Hanc euacuationem per ſe, indicari à morbi magnitudine.Quod quidem tanto veriſimilius, veriuſque eſt,quod cauſa indicans apud illum non eſt quælibet, ſed determinata, quemadmodum ait ſe dicturum paulum poſtea; nimirum quæ morbum magnum facit, aut factura eſt. Verum quod apud

De inæq. intemp. c. 3.

me indicat, princeps eſt ſcopus, ac perpetuò ſine vlla contradictione indicat. Quòd ſi dicat, id ſaltem ſe demonſtraſſe, à febre, vt febris eſt, non indicari venæ ſectionem, eo conceſſo, quod alioqui perſpicuè falſum eſſe oſtendimus, dico illum ſimul proprium argumentum ſoluiſſe,cum docuerit indicationem ſectionis venæ ab alio ſumi,quàm aut à febre aut à putredine:ille dicat à cauſa:nos dicamos à magnitudine morbi.Hæc magni momenti ſunt,in quibus Aduerſ.leuitas animaduertenda eſt, non ſolùm quia nos fruſtrà oppugnare dicitur,ſed etiam ſanam medendi methodum penè radicitus conuellit, certè vniuerſam deprauat, & inuertit.

Nec verò ille ſui diſſimilis eſt in iis,quæ ad putredinem ſpectant: in quibus noſtram primùm rationem adducens, [*In hunc quidem modum*(inquit) *argumentari videntur mihi: iuuatur putredo refrigerantibus, & exſiccantibus: miſſio ſanguinis exſiccat, ſanguinis igitur miſſio iuuat putredinem.*] Deinde confirmationem afferens, inquit, [*Maiorem propoſitionem ſupponunt illi ex communi omnium conſenſione veriſſimam.*] Quæ verba ex me referuntur, qui ſcripſi, communem eſſe omnium conſenſionem, cum primis putredinem iuuari præſidiis refrigerantibus,& ſiccantibus. Quod quidem vſque adeo certum,notúmque eſſe exiſtimaui, vt non libuerit id longiore oratione confirmare:qui animo non concipiebam aliquem futurum,qui hoc in dubium vertere eſſet auſurus: propterea contentus fui vnum Galeni locum margini adſcribere,in quo verbis conceptis hanc ipſam ſententiam profert 3. *Med. Gen. cap.* 2. quamuis, aut ſcribentis, aut imprimentis errore notatum ſit c. 1. Quod ſi venit in mentem viro clariſſimo,vt id mihi negaret, oppoſitúmque demonſtrare contenderet,quid mihi ſperandum eſt, tam certum, atque exploratum, tam firmum, & ratum à me poſſe in medium proferri, quin ſtatim occurrant, qui idem negent, perſtringant, cauillentur?Sed bene mecum agitur, quòd Galenus eam ſententiam non ſolùm ad verbum profert,ſed etiam clarè demonſtrat. Qui inquit: *Quoniam verò putreſcentia omnia ab humiditate,& caliditate id pati prænoſcebam, curationem per exſiccantia, & refrigerantia moliendam eſſe deprehendi.* Qua ſola authoritate poſſem eſſe contentus;qua vniuerſa Aduerſarij machina,conatus omnis poſſunt durur, ac ruit. Veruntamen quia in re tanta, vel ex ipſo Aduerſario conuenire non licet, rationes eius audiamus,qui Gal. affert,vt Gal. oppugnet: à cuius methodo inquit nos non mediocriter diſcedere. [*Putredo* (inquit Gal.) *aut cauſam habet, aut cauſa caret. Prior putredinis differentia indicat ablationem ſua cauſa. Poſterior indicat euacuationem.*]ſciat in primis nos de putredine loqui, vt putredo eſt,non de cauſa;nec reuera propriè loquendo, differentia putredinis illa eſt,quæ ſumitur à cauſa,prohibita inquam tranſpiratione,ſi vera eſt Gal. regula, qua dignoſcimus, quænam veræ, ac propriæ ſint morbi differentiæ, & quæ non item. Si tamen Aduerſarius cauſam propterea velit addere, nos libenti animo concedimus ab ea quoque propriam ſumi indicationem;immò verò plures ab illo optimè enarratas ex Galeno. In eo tamen peccat mirificè,dum illam conſecutionem facit.[*Quod ſi ita eſt, nulla adeſt neceſſitas venæ ſectionis: immò nec etiã alterius vacuationis huius indicationis cauſa.*] Ego contrà. Quod ſi ita eſt, ergo ſi morbus ſit magnus, neceſſarium eſt venam ſecare, vt vniuerſo corpore exinanito,tutò & facilè poſſimus ad eiuſmodi indicationes explendas accedere, tranſpirationem moliendam, detergendam, attenuandam,&c. Sed cautè,ne dicam callidè fortaſſe addidit.[*cuius indicationis cauſa.*]Verum dicat apertius, quid

3. Meth. cap. 10.

quid hoc ſtbi velit. Si intelligat cauſa indicationis huius quæ ſumitur à cauſa; hoc falſum eſt, quia ratione cauſæ oritur indicatio etiam ſecandi venam; cum magna cauſa magnum cenchans morbum venæ ſection:m poſtulet: ſi verũ ſignificet hanc indicationem, id eſt ſumptam à tranſpiratione prohibita, ab humoribus craſſis, lentis, &c. libẽter do, quod libet: at ratione alterius oriri, poteſt, ac tenera oritur indicatio ſecandi venam. Atque hæc ſanè particula totam argumenti vim labefactat, & deſtruit. Sed Aduerſarius nihilò præſtantius ſe gerit in altero membro de indicatione à putredine, quæ cauſam non habet. Vbi primum animaduertat, putredinis, vt putredo eſt, eandem eſſe indicationem ſiue cauſam habeat, ſiue non habeat: nam quòd putredo habeat, cauſam, hoc ſolum facit, vt ad proprias illius indicationes illæ quoque accedant, quæ à cauſis ſuggeruntur. Deinde cum ipſe etiam duplicem putredinem agnoſcat, alteram factam, atque perfectam, qua res in naturalem ſtatum redire amplius non poteſt; alteram, quæ nondum completa eſt, ſed adhuc fit, vt res ſtatum naturalem poſſit recuperare, tamen in priore tantum argumentum deducit; cum nihilominus indicatio refrigerandi, & exſiccãdi potiſſimùm polleat in poſteriore; propterea quia putredo, quæ fit, refrigerantibus, & ſiccantibus inhibetur. Sed in iſthac doctrina nihil eſt ſani. Putredini factæ inquit nullo modo venæ ſectionem conuenire, qua reprobat, & damnat prorſus, tanquam inutilem, & humano generi pernicioſiſſimam: qui vtitur argumento ex authoritate

11. Met.c.8. Galeni, ex iis locis petita, vbi venæ ſectionem probat. Nam poſtquam ille poſuit indicationes ab Aduerſario relatas mox ait. *Sanè totum corpus, priusquam id vacuaris, rarefacere non expedit, vbi vacuatum fuerit, vtique licebit*, &c. Fateor equidem, quis enim id negare audeat? à particularibus effectibus, & cauſis, particulares oriri indicationes, à tranſpiratione prohibita, vt illa prouocetur; ab obſtructione, vt exobſtruatur; ab humoribus craſſis, vt attenuentur; à lentis, vt incidantur; à multis, vt vacuentur; & hi quidem per vrinas, ſudores, &c. Immò verò hæc meam ſententiam confirmat: ſolùm de particularibus indicationibus, & vacuationibus ſermonem à Galeno fuiſſe inſtitutum. Cæterùm in his omnibus in methodo illa ſuccedit indicatio, quæ in executione prima eſt, & principaliſſima, Vacuatio per ſectionem venæ; quam Galenus communi appellatione Indicauit in præſenti c. 9. clarè autem, & particulatim in 14. & 15. Namque vbi *cap.* 13. repetens illa ſeptem enumerauit, quæ in propoſitis febribus, nobis indicationes præſtant, tandem colligit huiuſmodi omnes indicationes à medico ſpectandas eſſe, quò ſcilicet intelligat, quonam primum, ac magis, quonam minus, & ſecundò, quonam adhuc & tertiò, ac deinceps quo poſt quod præſidio vtendum ſit. Deinde *cap.* 14. ſubdit, *Quippe ſi vires eius, qui ex putredine humorum (vt poſitum eſt) febricitat, valentes fuerint, mittendus ſtatim eſt ſanguis*, &c. Quòd ſi Galenus cum methodo, ac per indicationes profitetur ſe febrium curationem tradere, dicat quæſo, dicat Aduerſarius, vnde ille mittendi ſanguinis indicationem acceperit? Vnde hic ordo elucear, vt primùm à ſectione venæ ſit auſpicandum? Certè ex iis, quæ antea tradita ſunt, particulares haſce indicationes non poſſe expleri, niſi prius totum corpus euacuatum fuerit. Quam quidẽ rem tam apertè repetit, & quaſi epilogo colligit cap. 15. vt nihil apertius dici poſſit. Saluberrimum igitur (vt prædiximus) eſt in febribus venam incidere, non in ſynochis modò, ſed etiam in aliis omnibus, quæ fiunt ex humorum putredine, &c. Et paulò poſt; *Eorum enim qua in medio ſunt corpore (vt iſti vocant) prouidentia, maximum planè eſt in iis, quibus ſecta non eſt vena; non maximum in quibus ſecta.*

Sed quod Coronidis loco addit Aduerſarius, eſt diligenter animaduertendum. [*Memineris* (inquit) *putredinem in iis, quæ non viuunt, remoueri, totum, quod putrefactum eſt, amputando; reliquum verò aeri frigido, & ſicco, qualis potiſſimum eſt ſtante Aquilone, exponendo. At verò quæ in viuis putredo eſt iam incipiens, non ita ſanari poteſt; quòd obſtructio, aut meatuum denſitas, & adſtrictio illam procreantes inciſionem, ac deterſionem, in vniuerſúmque recluſionem poſtulent.*] Vbi propè infiniti ſunt errores. Credo illum æmulatum eſſe duos Galeni locos libri 11. *Meth.* ſcilicet *cap.* 8. & *cap.* 9. Qui in priore hæc habet. *Tanquam igitur in iis corporibus, quæ non viuunt, ac putreſcunt, primum quantum eorum iam computruit, ſeparant; deinde ei, quod reliquum eſt, in frigidum aërem ſublato, perſpirationem refrigerantem moliuntur*, &c. Poſteriore inquit. *Siquidem quod putreſcit, ſi veſtis eſſet, aliúdve inanime corpus, vtique ex iis dumtaxat, quæ prædicta ſunt, indicationem caperemus. Nunc cum in viuente corpore putredo conſpitur, quod tum alterare poteſt, tum concoquere*. &c. Vidit, puto, Aduerſarius hos locos ſibi eſſe maximè aduerſos: namque in priore ſubdit Galenus. *Ita vtique & putredinem, quæ in animalibus eſt, ſanabimus, id quod iam corruptum eſt, omni ratione vacuantes: quod reliquum eſt moderatis motibus*, &c. Ideo tacuit quod ad vacuationem pertinebat: atque eò magis, quòd vidit Galenum, pollicentem, quemadmodum horum vnumquodque rectè adminiſtrãdum ſit, paulò poſt ſe eſſe æſtimaturum. Paulò autem poſt, indicationea traditas ex ordine abſoluens *cap.* 9. inquit. *Sanè totum corpus, prius quàm vacuaueris, rarefacere non expedit*, &c. Poſteriore demum loco indicationibus, quæ à putredine, eas addit, quæ à viuente corpore, atque eius facultatibus oriuntur. Itaque Aduerſarius vtrunque peruertere, & corrumpere ſtatuit: qui inquit. putredinem, quæ in viuis eſt iam incipiens, non ita ſanari poſſe: & quod Gal. tanquam ſimile attulit, ipſe tanquam oppoſitum refert. *Similitudo eſt, tandem eſſe & in rebus inanimatis, & in animalibus putredinis ſummouendæ rationem: ſed in animalibus adduntur indicationes à vi alterandi, coquendi*, &c. Aduerſarius oppoſitum docet. Putredinem in inanimatis ruſlh moderatis motibus, perſpiratione: in viuentibus hac ratione ſanari non poſſe. Quid ais vir doctiſſime? At Gal. dicebat. *Ita vtique, & putredinem, quæ in viuis eſt, (ſiue animalibus Græcè τοῖς ζῴοις, orta ſanabimus*, &c. Tu inquis non ita in viuis putredinem ſanari poſſe: Galenus ait, non his duntaxat ſanari poſſe: ſed præter. hæc ab ipſo quoque viuente corpore indicationes eſſe accipiendas. Verum forte ſophiſma latet in iis verbis. [*Non ita ſanari poteſt*] quoniam illud ſanari dicitur, cui nihil ad ſanitatem deeſt: ſed præter indicationes à putredine, quales in rebus inanimatis, requiruntur etiam indicationes, quæ à corpore animato accipiuntur. Ergo ſine his putredo ſanari non poteſt. Optimè. Atqui non erat ita ſimpliciter negandum, ita contrariè pronuntiandum, ita aſperè aduerſus non obiiciendum: qui vtrumque genus indicationum æquo, & libenti animo concedimus, fatemur, ac profitemur. Quod ſi vera hæc ſunt, certo certius eſt, per Galenum, per Aduerſarium putredinem tolli refrigerantibus, & exſiccantibus, cum id quod putridum eſt, ſit euacuandum quidem, ſed reliquum aëri frigido, & ſicco exponendum, qualis eſt ſtante Aquilone. Quam aliam ob cauſam, quæſo, quam. vt refrigeretur, & exſiccetur? Hoc

Digitized by Google

autem fuerat, quod ille tam pertinenter negabat.

Hæc de maiore noſtra propoſitione. Minorem fortaſſe validius oppugnabit: Abſit. [*Præterea quando aiunt venæ ſectionem exſiccare, affirmare videntur mihi adhibere illam pro exſiccatione*, &c.] Aduerſarios ſtatuit confutare non ſolùm quæ dicimus, ſed etiam quæ dicturos ſuſpicatur. Quid igitur ſi dicam me hoc dicere noluiſſe? Sed tranſeat. Per me ſectio venæ pro exſiccatione adhibeatur. [*At Galenus 9 Meth. cap. 11. aſſerit ſanguinem mitti pro vacuatione ſanguinis*.] Quid tum? De huius loci expoſitione antea diximus, quod eſt ſatis. Nunc ſatis eſt, ſi fateamur adhiberi pro vacuatione ſanguinis, non tamen hinc fieri, quin & pro exſiccatione adhiberi poſſit. Ipſemet Aduerſarius ſuam iſtam conſecutionem deſtruat: qui duplicem ponit ſcopum venæ ſectionis; plenitudinem, quæ docet euacuandum: & motum, qui reuellendum. Itaque non ſolùm pro vacuatione, ſed etiam pro reuulſione ſanguinis, venam ſecamus. Demum veritate coactus inquit. [*Me non fugit omnes euacuationes exſiccare*, &c.] Siccine igitur tot verbis, tot argumentis debuit hæc veritas impugnari, quam ille mox clariſſimè, & apertiſſimè fateatur? [*Verùm* (inquit) *hæc non eſt illa ſiccitas*, &c.] Hæc nihil ad me: qui non dixi hoc eſſe contrarium adæquatum, & primum putredini oppoſitum: ſed hoc tantum, putredinem venæ ſectione iuuari, quia exſiccandi vim habet: contrarium putredini oppoſitum eſt refrigeratio, & exſiccatio. Inter exſiccantia venæ ſectio numeratur: quare illa (quæ mea fuit ſententia) ſtrenuè poteſt putredinem iuuare. Sed Aduerſarius non ceſſat. [*Deinde venæ ſectio refrigerat, calefacit, ſiccat, hum ctat*, &c.] Quæſo quid hinc ſequitur? Ergo venæ ſectio plurimos in medicina vſus præſtat, & ſi apte, rectáque cum ratione adhibeatur, poteſt plurimas indicationes explere, pluribus morbis opem ferre: inter cætera exſiccando poteſt putredini obſiſtere. Quid igitur ex his tandem aduerſus meam ſententiam colligi poteſt? [*Ex hoc autem non debebant illi colligere, venæ ſectionem indicari à putredine, aut facta, aut incipiente, cum nullius verum, ac proprium indicatum ſit*.] Hoc eſt indignum illud facinus, quod perpetrauimus: hæc erat noſtra importunitas, cui ſatisfacere ita debuit Aduerſarius, vt tandem in confeſſionem omnium, quæcumque à nobis hac de re dicta ſunt, deduceretur: nihil contra nos haberet, niſi falſum aliquod crimen confingeret. Nam quis inter noſtra ſcripta legit vnquam, de nobis audiuit vnquam, venæ ſectionem indicari ab vlla putredine aut facta, aut incipiente, vel illam eſſe eius verũ, & propriũ indicatum? Cum ſemper ſcripſerimus, dictúmque voluerimus, illã à morbi magnitudine ſeu vehementia indicari: reliquos omnes ſcopos ad hũc vnũ, tanquam verum, proprium, & adæquatum eſſe referendos. Vident igitur omnes, quam egregiè, & efficaciter minor illa noſtri argumẽti confutata fuerit, venæ ſectionẽ exſiccandi vim obtinere. Nam quod attinet ad locum Auic. in quo ſtatuit in materia ſanguinea ſecandam eſſe venam; in copia aliorum humorum eſſe purgandũ, nihil eſt, cum hæc ad particulares indicationes pertineant, quibus diſtinguitur, vtro remedio vtendum ſit: quæ omnes tandẽ ad tres præcipuos ſcopos rediguntur, quos toties diximus, morbi magnitudinem, vires, ætatem. Quare inanis eſt conſequentia. Sectio venæ in aliqua febre non conuenit, ergo illa non indicatur: quia ſæpe fit, vt remedium, ipſa præſertim venæ ſectio indicetur, ſed ratione aliorum, ſcilicet virium, & ætatis non conueniat.

Poſtremo loco Aduerſarius contradicendi ſpiritu adductus duas noſtras ſententias conuellit: alteram, humores putridos verè, & facilè educi venæ ſectione: alteram, venæ ſectionem iuuare ſtrenuè putredinem, quòd reddat efficaciſſima, & tutiſſima reliqua remedia, ſine quibus vix illa ſanari poteſt. Veruntamen vtraque eſt Galeni. Sed Aduerſarius modò nos oppugnet, non veretur neque Galeno, neque Hippocrati aduerſari; ac planè ſimilis illius mihi eſſe videtur, qui aduerſus æmuli ſui cuiuſdam ſententiam ſurrexit, quam nondum audierat. Porrò quanquam ille ſcribit, vtrúmne rectè dictum non videri ſibi, tamen quid contra ſecundam ſententiam afferat, equidem non percipio. Illa verò eſt Galeni, ſicuti diximus, qui locis citatis, vbi indicationes recenſuit à putredine humorum acceptas, addit. *Sanè totum corpus, prius quam id vacuaris, rarefacere non expedit; vbi vacuatum eſt, vtique licebit*, &c. Deinde rurſum omnes indicationes enumerans à febre, & à putredine, earúmque cauſis, tanquam ſuperius oſtenſum repetit; obſtructionem, quam putredinis cauſam ſtatuit, tolli non poſſe, niſi prius totius corporis vacuatio facta fuerit, cum alioqui periculum ſit, ne obſtructio, ac deinceps putredo maior fiat. Sed qui de hac re dubitat, de lumine ſolis poteſt dubitare. *11. Meth. cap. 8.* *Cap. 9.*

Cæterum Aduerſarius dum alteram noſtram ſententiam impugnat, mirificè exultat, & gloriatur. [*Si humor* (inquit) *putrefactus verè, & facile venæ ſectione curatur, cur Galen. eius ſanationem ex propoſito tractans, non ſolùm illius mentionem non fecit aliquam, ſed etiam docuit apertiſſimè, quali vacuatione ſit opus, per aluum ſcilicet*, &c.] Iam diximus ſingularibus his indicationibus Galenum vniuerſalem totius corporis vacuationem adiungere; quare falſum eſt, illum huius non feciſſe mentionem; quam certè fecit, atque eo modo fecit, quo debuit. Sed eſtò. Illud quoque Aduerſario concedatur, vt videamus, quàm probè regulas legéſque argumentandi teneat: demus Galenum venæ ſectionis mentionem non feciſſe. [*Qui ergo ſic ait, humores putridos verè, ac facile educi venæ ſectione, apertè contradicit Galeno, qui non vult hoc modo vacuari*.] Quid ais vir Doctiſſime? Contradictio eſt inter eos, quorum vnus affirmat, alter negat: at ſi vnus affirmet, alter taceat, & mentionem eius rei non faciat, inauditum eſt, hunc alteri contradicere: tu tamen ais, apertiſſimè contradicere. Sed prudentiſſimus Aduerſarius hoc vidit, qui ſecum ipſe conſtituens nos omnino aduerſus Galenum in contradictionem adducere, Galenicam, noſtrámque affert ſententiam his verbis. [*Cur in veſtris lucubrationibus non explanaſtis hæc Galeni verba:* Putredo ſanari non poteſt venæ ſectione? *vos noſtis contradictorias enuntiationes eſſe iſtas*, &c.] Ego quidem arbitror eam certiſſimam eſſe contradictionis legem, vt de eodem affirmetur, ac negetur: at ſi aliud negat Galenus, aliud nos affirmamus, iniuria certè contradictionis crimen nobis obiicitur. Verba Galeni ſunt. *Quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſſionem poteſt, vt quæ alia remedia (cen prius eſt monſtratum) deſiderent, reponi ſanguinis ad curationis ſpatium debebit, quo minus intempeſtinè nutrire neceſſitate aliqua cogamur.* Aduerſarius hæc verba ſimpliciter videtur interpretari, vt putredo nequeat venæ ſectione curari: alioqui non poſſet nos in contradictionem adducere. At verò nos hanc Galeni ſententiam interpretamur; curationem putredinis ſola ſanguinis miſſione perfici, & abſolui non poſſe: cum illa aliis remediis iam propoſitis opus habeat, præſertim refrigerantibus, & ſiccantibus, quicquid dicat Aduerſarius. Id Galeni verba clarè docent: vt quæ alia remedia deſiderent. Atqui hæc probant, non quidem ſectionem venæ eſſe inutilem,

&

& nihil ad curationem conferre, ſed ad perficiendam curationem non ſolam ſatis eſſe, cum aliis remediis opus ſit. Probant etiam ſequentia verba, quibus infert, reponi ſanguinis aliquid ad curationis ſpatium debere, &c. Nam ſi antecedentis hic ſenſus foret, venæ ſectionem non curare putredinem, aut obſtructionem, qualem putat Aduerſarius, vtiq; hinc ſequeretur, illam omnino eſſe prætermittendam. Verùm Gal. colligit, ergò ſanguis quidem mittendus eſt, ſed cum hac limitatione, vt aliquid eius reponatur, quò vires conſeruentur, dum reliqua adhibentur remedia, quæ præter venæ ſectionem, ad integram putredinis, & obſtructionis curationem neceſſaria ſunt. Et Aduerſarios antequam id aliis vitio verteret, debuit in primis dare operam, vt authoritatea integrè, ac legitimè afferret: Putredo (inquit Gal.) non curatur venæ ſectione, vt quæ alia remedia poſtular: cum alia poſtulet remedia, non igitur ſola curatur venæ ſectione. Atque hæc quidem vera eſt, ac germana eius loci expoſitio; quam nos in lucubrationibus noſtris impreſſis non attulimus quod ad rem præſentem non neceſſariò facere videretur? ſed in lectionibus noſtris attulimus, noſtriſque auditoribus ſtudioſè explicauimus, vbi illam è re eſſe iudicauimus. Sententia noſtra fuerat, humores putridos verè. & facilè ſectione venæ euacuari, putredinem venæ ſectione iuuari. Quod etiamnum conſtanter aſſeueramus. Aduerſarius porrò, vt nobis imponeret, noſtra verba fideliter non refert, ſed hunc in modum, [*Putredo verè, & facilè ſanatur vena ſectione.*] Fallacia in eo conſiſtit, quòd nos diximus humores putridos, ille putredinem: nos diximus euacuari, ille ſanari: nos diximus putredinem iuuari, ille ſanari: quæ non parum inter ſe differunt. Ille igitur diſcat noſtra planè, ac fideliter recitare; ac tum demum doceat nos Gal. aduerſari: quod ſi fecerit, libenter fatebimur nos tota cauſa cecidiſſe, atque illum victorem coronabimus. Sed hoc non faciet, arbitror, nec facere vnquam poterit, quia ſententia noſtra veriſſima eſt, rationi, & Galeni authoritatibus innixa, quas ille nondum ſoluit.

Cæterum Aduerſarius his non contentus, aduerſus eam poſitionem, quàm mihi imponit, fusè argumentatur: quam quidem Diſputationem iure potuiſſem prætermittere, vt quæ ad me nihil faciat; ſed quoniam ille vniuerſaliter agit, vt noſtram quoque ſententiam complectatur, atque hæc res ad ipſam methodum medendi pertinet, quæ ſi diligenter examinetur, poteſt lectoribus non paruam vtilitatem afferre, mihi liber, & quæſo vt liceat hac de re nonnulla dicere. Quæ enim ad litigia noſtra pertinent, debuerunt fortaſſe breuiſſima oratione comprehendi; ſed quæ artis dogmata, & præcepta continent, non ſine crimine videntur poſſe prætermitti. [*Quod remedium eſt* (inquit) *periculoſum, id neque facile, neque verum dici debet: atqui vena ſectio aliquando periculoſum eſt in putridis febribus remedium, vena igitur*, &c.] Minor eſt animaduertenda: idque primum obſeruandum eſt, etiamſi ea concedatur, id ſolum ſequi, venæ ſectionem interdum verum non eſſe, ac facile remedium: ſimul autem poſſe conſiſtere, vt plerumque veriſſimum ſit, & facillimum remedium. Deinde cum diximus venæ ſectionem verè, & facilè humores putridos euacuare, aut putredinem iuuare, hæc facilitas intelligenda eſt per comparationem ad Aduerſarium facta; qui negat vllo modo putredinem iuuari. Qui ergo ſtatuit iuuari, iure dicet eam facile iuuare: quia facilitas, & difficultas dicuntur ad aliquid; & quod fieri poteſt, dicitur facile ad id collatum, quod nequit vllo modo fieri. Præterea venæ ſectio facilè eos humores euacuat, ſcilicet ſine iis incommodis, quæ purgatio ſolet afferre, ſine illa præparatione, quam illa poſtulat. Illud poſtremò eſt maximè obſeruandum, aliquod remedium ſuapte natura, indicatione à morbo, & à diſpoſitione aliqua ſumpta, eſſe facile, optimum, præſentaneum, quod ratione alterius annexi ſit difficile, periculoſum, lethale.

Nunc examino probationes Aduerſarij, quæ in certis quibuſdam exemplis conſiſtunt. Debiliſſima argumentandi ratio, quæ tamen plurimos, & quidem maximos viros decipere frequenter ſolet. [*Ponito febrem putridam fuiſſe excitatam ex putredine humorum, qui in habitu corporis continentur, ſi hanc vacuare per venæ ſectionem in animo habueris, oportebit attrahere humorem putridum ex ipſo habitu ad venas*, &c.] Huiuſmodi humoribus ita in habitu corporis putreſcentibus (fortaſſe dicere voluit in ambitu, & extra venas) quæro an putridæ fuligines ad cor ferantur, necne? Niſi ferantur, aut nulla fiet febris, aut ephemera tantùm, aut rigor ſine febre, aut alius quiſpiam leuior affectus. Quare ne opus quidem illi fuerit venæ ſectione. Si autem putridæ fuligines ad cor ferantur, nónne in venis, & arteriis miſcentur ſanguini, & ſanguine miſſo euacuantur? Et quod magis refert, nonne humores putridi in ambitu corporis putrefacti, aut per ſudorem, aut per inſenſibilem tranſpirationem educendi ſunt? Hoc autem præſtant diaphoretica, aperientia, rarefacientia: quæ quanto cum periculo adminiſtrentur, toto corpore non prius diligenter euacuato, præſertim per venæ ſectionem, Galenus locis citatis docuit apertiſſimè. Verùm hoc tandem Aduerſarius fatetur. [*Adhibita prius de toto prouidentia ex medicamento purgante.*] Cur non ſectione venæ? Nonne ratio, quam ille contra venæ ſectionem adducit, eadem viget etiam aduerſus purgationem? Ratio fuerat [*Oportebit attrahere humorem putridum ex ipſo habitu ad venas.*] At nos doceat, quomodo humor putridus in habitu contentus purgari poſſit, niſi primum ad venas, & à venis ad ventriculum ducatur. Vbi facile videre licet, quanto difficilior, quantò longior, quantò periculoſior ſit euacuatio per purgationem, quam Aduerſ. præcipit, quàm per venæ ſectionem, quam nos ſtatuimus, & probamus. Dicet fortè ſe non purgare humorem putridum in habitu exiſtentem, ſed plenitudinem (*Hoc eius dogmatibus conſentaneum eſt*) quæ eſt in venis. Sed cur mihi itidem non liceat de venæ ſectione reſpondere. [*Hoc autem maximè difficile eſt*, &c.] Ex plurimis, quæ obiicere poſſem, vnum ſufficiat, vno verbo; Si difficile eſt per venæ ſectionem, certè erit longè difficillimum per purgationem. [*Verùm ne hoc erit remedium, quod à partibus ignobilibus ad partes nobiliores pernicioſum humorem ducit?*] At purgatio; quid, vnde, & quò ducet? [*Cur in tranſitu non coinquinabit*, &c.] Ille ſibi, & ſuæ purgationi cuncta hæc obiiciat, & quam ſolutionem pro ſe afferet, eandem pro nobis ſe putet attuliſſe. Nos tamen quid ſentiendum ſit, paulò ante declarauimus. Alterum exemplum. [*Rurſum ponito alienum hunc humorem contineri in ventriculo*, &c.] Ego rurſum quæro an fuligines ad cor tranſmittantur: eadémque hîc erit ratio. Quæro adhuc an grauis ſit affectus, vt vomitum faciat, cardiogmon, ſubuerſionem, diarrhœam: tunc enim ob virium rationem, non erit de venæ ſectione cogitandum: an leuis ſit qui nullum ægrotanti periculum afferat; & tunc leuioribus præſidiis erit agendum. Tertium exemplum eſt putredinis humorum in venis, quæ inter alas, & inguina continentur: in qua ſi recuſat ſanguinem mittere, putandum certè eſt illum inter *αἱμοφόβους* principem locum obtinere. Rationea adductæ,

8. Meth. 4.
11. Meth. 9. 10.
6 Ep ſect. 4. cap. 30.

ctæ, & Galeni authoritates, quia hic ab aduerſario leuiter attinguntur, quia non ſemel fuerunt ſuperius examinatæ, non eſt vt hic longiùs referantur, aut refellantur. Illud vnum tanquam epilogo dictum ſufficiat; putredinem, quæcunque tandem ea fuerit, cuiuſuis humoris, quocumque in loco, non poſſe venæ ſectionem impedire, ac prohibere, niſi ad vnum ex principibus ſcopis referatur: aut quia ſi leuis ſit, venæ ſectionem non mereatur, deficiente ſcopo magnitudinis morbi: aut ſi grauis ſit, vel ratione affectus, vel ratione partis, eam ne ita quidem venæ ſectioni aduerſari, niſi aut vitium, aut ætatis ratione.

Vltima pars capitis quatuor verbis abſolui poteſt. Cum enim Aduerſarius doceat ſingulares indicationes à febre, ab obſtructione, à putredine, nos fateamur, & ad ſatietatem repetamus, ab iis non indicari venæ ſectionem; vt quæ potiſſimùm, per ſe, ac propriè à morbi magnitudine indicatur. Sed & febris & obſtructio, & putredo venæ ſectione iuuatur: & (quod magni refert) nulla ex iis tolli poteſt, niſi priùs adhibita venæ ſectione. Qua ſolidiſſima, & nullis machinis concuſſa doctrina, omnia Aduerſarij argumenta, dogmata noua, & abſurda ruunt, & concidunt.

AD CAPVT V. & VI.

De loco Gal. libro aduerſus Eraſiſtrataos.

ARgumentum ex opinione Eraſiſtratæorum à Galeno confutata, vſque adeo leue eſt, vt primum mihi venerit in mentem nullam illius mentionem facere. Sed vt ne Aduerſarius in re tam leui clamet, & magnas turbas excitet, dicam breuibus, mentem Galeni eam fuiſſe duntaxat vt doceret, Eraſiſtratæorum præceptum fallax eſſe, ac periculoſum, niſi diſtinctionem adhibeamus. Quod quidem eo, tanquam ſigno demonſtrat; quoniam ſi aliquis adoleſcens nuperrimè ad medicinam faciendam aggreſſus, alioqui in artis operibus non ſatis expertus, velit Eraſiſtratæis auſcultare, & vbicumque Eraſiſtratus inediam præcipit initio morborum, ſemper ægrotantibus venam ſecare, neque diſtinctionem adhibere, quantum ſanguinis, & ex qua vena ſit detrahendum, ille poterit plurimos interficere. Quam rem fusè à Gal. enarratam, non eſt, vt longius repetamus. Hinc licet à contrario ſenſu argumentum elicere: Si quis peritus, & in artis operibus exercitatus, ita ex horum Eraſiſtratæorum præſcripto procedatur, aliis ſcilicet adhibitis diſtinctionibus, quas optimi medici in ſectione venæ ſolent adhibere, hunc ritè, ac ſine ægrotantium periculo facere, & venam morborum initio ſecare, in quibus Eraſiſtratus inediam imperat. Immò verò Galenus hoc ipſum affirmat ſatis apertè, qui inquit, εἰ γὰρ διὰ τοῦτο φλεβοτομήσουσιν οἱ μαθόντες τὴν τέχνην, διότι καθάπερ ἐν ταῖς ἀσιτίαις αἱ φλέβες κενούμεναι λύουσι τὰς φλεγμονὰς, οὕτω καὶ αἱ φλεβοτομίαι, πάντως ἑξῆς φλεβοτομήσουσιν, ὅσοις Ἐρασίστρατος ἀσιτεῖν κελεύει. καὶ τοῦτο μὲν ἔτι μικρόν. Hoc eſt. *Si enim qui artem norunt, propterea venam ſecabunt, quia veluti per inedias venæ euacuatæ ſoluunt inflammationes, ita & venæ ſectio omnibus deinceps venam ſecabunt, quibuſcunque Eraſiſtratus inediam imperat; & hoc quidem leue adhuc eſt.* His opponatur, quæ deinceps ſequuntur. *Quod verò iuuenes, qui neque demenſa-ra venæ ſectionis, nec de venis ſecandis quicquam audiuerunt, ad remedium accedant*, &c. Quippe indicat Galenus, ſi hoc præceptum de ſecanda vena initio eorum omnium morborum, quibus ex Eraſiſtrato inedia conuenit, illis tradatur, qui ſunt in arte periti, atque exercitati, leue illud eſſe, Græcè, σμικρὸν, & per conſequentiam nullum periculum afferre, ac tolerari poſſe, alioqui non eſſet exiguum, & leue; ſed eo tantum caſu eſſe graue, ac magni momenti, quando ad iuuenes perueniat artis imperitos, qui nulla adhibita diſtinctione illi obtemperantes poſſunt in maxima pericula ægros adducere. Non eſt igitur tam graue facinus Galeno, quàm Aduerſarius putat, incidere venam initio omnium morborum, quibus inedia conuenit, modò congruentes, & debitæ diſtinctiones adhibeantur, præſertim verò quæ ad vires, ætatémque ſpectauit, de quibus ſatis dictum eſt. Nec fuerat, vt Aduerſarius conſideraret, an medici eius temporis vires perpenderent, an ſecus: ſiquidem Galenus medicos eorum temporum non arguit, ſed ſolùm periculum oſtendit præcepti Eraſiſtratæorum, ſi in medicos iuniores, ac tyrones incidat. Et locus ab eo adductus manifeſtè illius opinionem demolitur, ac deſtruit. Nam Galenus damnabat eos medicos, qui de inſtituenda victus ratione malè ſentientes, eam breuiſſimis præceptis comprehendebant, quæ vnius horulæ ſpatio addiſci poſſunt. *Qui ſcilicet febricitant, ſi valentes viribus ſint*, &c. Quem locum integrum lector quæſo relegat, & animaduertat, tota enim illa ſerie orationis Galenus ſententiam de miſſione ſanguinis collaudat; cuius vſu pauperes, quamuis plenitudini affectui minus expoſiti, tutius tamen, & facilius ſanantur, diuites ea prætermiſſa, periculo, & morti exponuntur. Ex quo demum colligit, ſaluberrimum eſſe in omnibus ſanguinem mittere, ſi ætas, & vires conſentiant. Quod maximum eſt illud abſurdum, quò Aduerſarius conatur nos deducere: quàm nos Galeni ſanctionem eſſe exiſtimamus. Ac ſanè multò magis illi cauendum eſt, ne ipſi eadem opinio iure adſcribatur, quæ Chryſippi, Eraſiſtrati, atque eorum id genus hominum fuit, qui pro curandis morbis putabant nunquam venam eſſe incidendam. Cùm enim, per Aduerſarium, ſectio venæ non conueniat febri, vt febris eſt, non putredini, non eius cauſæ, qua ratione putauit nos omnino refutaſſe, quaſi verò ſi hac ratione non conuenit, alia nulla ratione poſſit conuenire; ſi non conuenit morbo magno, vt talis eſt; quod potiſſimum aduerſus nos diſputat: ſi non conuenit plenitudini, quatenus eſt plenitudo, cum illam ſæpe aliis remediis oppugnari doceat cum Gal. ſi demum nullus eſt ſcopus, quem non ille à venæ ſecandæ indicatione reiiciat (quamuis hac in re millies ſibi ipſe aduerſetur, & contradicat) egomet mihi videor illum inter ſectatores Eraſiſtrati, Chryſippi, Stratonis, Ariſtogenis, Medij, inter ἀιμοφόβους, poſſe iure optimo numerari: Inter Hipp. & Galen. nullo prorſus modo. Sed hac de re ſatis.

In fin. c. 5.

11. Meth. cap. 15.

AD CAPVT VII. & VIII.

De venæ ſectione in humoribus à ſanguine alienis: De præceptis tuendæ ſanitatis.

MAioris momenti eſt, quod hiſce proximis duobus capitibus agitur: An miſſio ſanguinis conueniat humoribus à natura ſanguinis degenerantibus, & ſeparatis. Quæ res libro vltimo potiſſimùm diſcutienda videtur, vbi de miſſione ſanguinis in cacochymia ſumus cum Aduerſario diſputaturi. Quocirca eam hic breuiter tranſigamus. Aduerſarius aduerſus nos hunc in modum argumentatur. [*Venæ ſectio nunquam debet exerceri pro vacuandis humoribus, qui à ſanguinis natura omnino*

omnino ſeparati ſunt. Atqui huiuſmodi humores aliquando concitant putridas febres. Igitur in putridis febribus aliquando à ſanguinis miſſione abſtinendũ.] Primòm reſpondere facilè poſſumus, non libenter concluſionem concedere : in putridis aliquando ſanguinis miſſione eſſe abſtinendum, ſi deſit aliqua conditio, aliquis ſcopus, ex iis qui neceſſariò requiruntur, præſertim ætas, & vires. Deinde argumentum peccat, & in forma, & in materia. In forma quidem, quia præmiſſis conceſſis concluſio non ſequitur : & paralogiſmus potiùs, quàm ſyllogiſmus. Concedo maiorem, venæ ſectionem non exerceri pro vacuandis humoribus diuerſis à natura ſanguinis : quibus propriè purgatio, interdum & alia euacuatio debetur : Et conceſſa minore, febres putridas ab huiuſmodi humoribus nonnunquam fieri, nil aliud ſequitur, quàm in hoc caſu pro vacuandis hiſce humoribus non ſecari venam : at ſimpliciter venam ſecandam non eſſe, non ſequitur. Quòd ſi Aduerſarius voluit hanc communem concluſionem deducere, opus fuerat maiorem eamdẽ communem ſententiam obtinere : vbicumque abſunt humores alieni à natura ſãguinis (credo enim, cum *ſeparatos* dixit, *alienos* dicere voluiſſe) nullo modo ſecanda eſt vena. Verùm ſi ita eam pronunciaſſet, facilè videre poterat, eam nos fuiſſe negaturos : quia venæ ſectio ratione alterius morbi magni, ratione prouidentiæ de toto corpore ; ratione tandem (quod ille ait) reuulſionis poteſt conuenire. Atque hæc noſtra fuit ſententia in ſecunda reſponſione.

Cæterùm quoniam Aduerſarius primam noſtram reſponſionem vrgere, atque irridere videtur, paucis de hac quoque dicamus. Ea verò fuerat : Eum locum pertinere ad conſeruationem ſanitatis, multóſque temerè præcepta ſalubria, & curandorum corporum ſcopos ſæpius permiſcere, & confundere : ſiquidem hæ duæ primæ, ac maximæ artis medicæ partes, authore Galeno, ſibi officia vindicant non ſolùm inter ſe diuerſa, verum etiam contraria. Ille inſtat. [*Quæ corpora præſeruant à futura magnitudine morbi, cuius imminentis euidentia ſigna apparent ea certò non dicuntur conſeruare ſanitatem, ſed præſeruare, & præcauere. Atqui venæ ſectio, & purgatio adhibita à Galeno in curatione laſſitudinis vlceroſæ præſeruant à futuro morbo. Non igitur conſeruant ſanitatem.*] Et antea dixerat. [*Quæ pertinent præcepta ad exactam conſeruationem ſanitatis, ea quidem non docent vacuanda eſſe corpora*, &c. Aduerſarius dum contradicendi prurito, ac libidine vexatur, in plurimos errores, & cõtradictiones adducitur. Namque videtur ipſum Galenum carpere voluiſſe, qui inter præcepta ſalubria, quæ ad tuendam ſanitatem pertinent, illa quoque tradiderit ; quæ ad præſeruationem ſpectant : quod verò vnus ex iis ſit, quos Galenus refert, qui fuerunt in ea opinione, partem, quæ morboſa tractat ſymptomata, non eſſe propriam tuendæ ſanitatis ; ſed vel therapeuticæ, vel mediæ cuiuſdam : quos quidem Galenus iure optimo contemnendos eſſe cenſuit ; cum propoſitũ in iis libris ſit eam omnem tradere prouidentiam, quæ corporibus debetur, quæcumque intra ſanitatis terminos conſiſtunt. Tota autẽ hæc facultas in tuenda ſanitate verſatur : quoniam ſanitatem capimus, non illa arctata, & anguſta ſignificatione, quæ omnis vitij expers ſit ; ſed in qua ſatis eſt, vt nec doloribus cruciemur, nec in vitæ actionibus impediamur. Nam ſi quis non conceſſerit, ſanitatem habere latitudinem pro maioris, minoriſque ratione, vt is alterum duorum fateatur, (vt Galenus ait) neceſſarium eſt : vel omnes perpetuò ægrotare, quod eſt dogma τ͂ ἀειπαθείας, perpetuæ paſſionis ; vel vnam eſſe omnium temperaturam, virorum, mulierum, &c. Idcirco eiuſdem eſt facultatis, ſanitatem conſeruare, & morboſos affectus præcauere. Quoniam (vt dicebat Galenus) in ſanis corporibus duplex eſt ſcopus ; vel corpus ſanum in priſtina ſua temperie tueri ; vel etiam hanc meliorem reddere. Errauit igitur Aduerſarius, cum putauit præcepta de miſſione ſãguinis aut purgatione in laſſitudine tradita, non pertinere ad ſanitatem : aut ſi id licere ſibi voluit, vt hæc duo tuendæ ſanitatis munera diſiungeret, errauit ſaltẽ, qui nos ea cum Galeno iungentes reprehendere non eſt veritus. Nam ſicuti præſeruatio, quæ præſente morbo fit, ad therapeuticam artis partem pertinet Galeno authore, ita eadem prophylactica, dum in corpore etiamnum ſano verſatur, ad partem artis de Tuenda Valetudine referenda eſt. Id manifeſtè docuit Galenus, tum alibi, tum in Thraſybulo : vbi quatuor artis, quæ ſanitatem conſeruat partes cõſtituit ; inter quas & eam, quæ à morbis præſeruat, enumerauit. Quam quidẽ rem Pacius in Cõmentariis ad libros Methodi, accuratè, & eruditè declarauit. Sed Aduerſarius mihi videtur non diſſimilis eorũ iuniorum, quorum meminit Galenus, qui de hiſce nominibus litigabant. Qui monendus amicè eſt, vt animaduertat ſe de nominum vſu contendere : tum ſi ipſe velit nomina ad proprium vſum trahere ; ſaltem nobis permittat iiſdem ex Galeni, & communi ferè omnium conſuetudine vti : quo modo totam illam præſeruationis, προφυλακτικὴν, partem ; quæ corporibus debetur nondũ morbo oppreſſis, dicimus ad tuendam valetudinem pertinere. Ex quo illius ruit argumentum, quod ea propoſitione apud nos, & Galen. perſpicuè falſa nitebatur : Quæ præſeruant à morbis futuris, non conſeruare ſanitatem. Falſum quin etiam eſt, quod ait ; præcepta, quæ ad exactam ſanitatis conſeruationem pertinent, non docere, vacuanda eſſe corpora. Namq; primi ac præcipui ſanitatis tuendæ, & quidẽ exactè tuendæ ſcopi duo à Gal. numerantur, immò verò ex natura humani corporis demonſtrantur ; quorũ alter eſt, eius, quod exhauſtum, exinanitúmque eſt, reficiendi : alter autem excrementa expellendi.

4. de Tu. Val. initio.

1. de ſang. tuen. c. 2. De conſt. Art c. 10. 2. de ſan. tuen. c. 5.

8. Meth.

11. Meth. cap. 2. cap. 9. cap. 10.

Lib. 1 c. lib. 4. cap. 3.

2. Aphor. com. 22.

Si omnes eius errores perſequi velim, id certè non niſi prolixè admodum, ac faſtidioſè facere liceret. Quocirca cæteris prætermiſſis, non eſt illa ſentẽtia ſilentio prætereunda ; pro curatione, & præſeruatione eadem remedia conuenire : ex quo videtur velle deducere ; ſicuti in præſeruatione ſcopi mittendi ſanguinem accipiuntur à plenitudine, pariter in curandi ratione de eiſdem ſtatuẽdum eſſe. Quod in primis aduerſus nos facit, qui diximus harum duarum artis medicæ partiũ præcepta diuerſa eſſe, ac plerunque contraria, neque vllo modo inter ſe confundenda. Quamuis doctrina Hippocratis (vt Galenus ait) anteuertat, qua nos docet quæcunque morbis iam præſentibus perageremus meliora eſſe, vt ipſa morbis incipientibus, aut imminentibus anteuertendo faciamus, id tamen proportione quadam, mea ſententia, intelligendum eſt. Nanque ſi id ſimpliciter intelligitur plerunque falſum eſt, cum multa pro præſeruatione remedia conueniant, quæ in curatione locum non habent : & è contrario, dum curamus, multis interdum remediis vtamur, quæ in præſeruatione minimè vſurpanda ſunt. Præceptum etiã Hipp. Cum morbi inchoant, mouendum eſſe, ſi mouendum videatur : mouendum autem, Galeno interprete, aut venæ ſectione, aut purgatione : præterea in morbis acutis eadem die medicandum, quia tardare ſit malũ. Quis tamen pro præſeruatione confeſtim ad validiſſima remedia properet ? Quis in muliere grauida pro præſeruatione purgantibus medicamentis vtatur, nec leuioribus potius agere ſit contentus ?

1. de San. Tuen. cap. 3.

De Sang. Miſſ. cap. 9.

cum

cum tamen in morbis acutis eam purgare interdũ, & poſſimus, & debeamus. Econtrariò etiam multa remedia ſunt, quæ pro tuenda valetudine vſurpamus, frictiones, balnea, exercitationes, quæ morbo iam præſente importuna forent, & omnino fugienda. Atque hæc de hiſce duobus capitibus dicta ſint ſatis. Nam ſi quid forte videamur prætermiſiſſe, non niſi aliquid ex iis eſt, quæ opportuniore loco deinceps non ſemel tractaturi ſumus.

CAPVT XI

Summa ſententiæ Aduerſarij.

CAput aureum eſt, in quo ſumma Hippocraticæ, atque Galenicæ doctrinæ de miſſione ſanguinis in febribus breuiter; vtinam æquè verè, ac perſpicuè, continetur. Hoc igitur ſedulò animaduertendum, diſcutiendum, memoriæ mandandũ eſt, quandoquidem in eo, tanquam epilogo facile vnuſquiſque poterit intueri, ac planè intelligere, quid de vniuerſa ſeptendecim librorũ doctrina ab Aduerſario tradita ſentiendum ſit. In primis autẽ proponit tres febrium putridarum differentias: vt aliæ ſint continentes, aliæ ex putredine vitio partis; & hoc bifariam, vel cum inflammatione, vel ſine inflammatione. Mirum cur etiam continentes non diſtinxerit in factas cum putredine, & ſine putredine; vbi hoc etiam in vniuerſum inquirendum videbatur, an non ſolum in putridis, ſed etiam in ſynochis ſine putredine venæ ſectio conueniat. Mirum etiam cur periodicas à poſterioris ſeiunxerit, quas accidentales vocat, ea inflammatione partis oriundas, cum hæ quoq; periodicæ ſint, ac per circuitus inuadant. Vtitur præterea ea febriũ diſtin-

4. Aphor. com. 73. & ad Gla. c. 5 De diff morb. c. 5. ctione, quæ Galeno non admodum probatur: vt aliæ ſint morbi per ſe, aliæ verò ſymptomaticæ; quam ille antiquioribus medicis adſcribit: & quãuis ipſe quoq; aliquando eadem vſus fuiſſe videatur, tamen neque ex propria opinione id aſſeueraſſe putandum eſt, neque febres ſymptomaticas, aut ſymptomata nuncupauit; ſed quaſi ſymptomata quædam alios morbos ſequi dixit. Alibi autem, vbi propriam opinionem ex profeſſo docuit, manifeſtè hanc ipſam diſtinctionem improbauit, tum in conuulſionis, tum in hoc ipſo febrium exemplo; quæ ſi alium ſenſibilẽ affectum ſequantur, ſymptomata, ſin minus, morbi, ac pathemata dicantur: cum econtrariò ſtatuẽdum cenſeat, illas perpetuò morbos eſſe dicendas, cum proximè actiones lædant, nunquam ſymptomata; quæ in tria illa notiſſima genera diſtinguuntur, quorum nullum febribus conuenire poteſt. Quam rem hoc proximo ſuperiore tempore in publicis lectionibus diligenter, & diffuſè noſtris auditoribus explicauimus. Verùm qui à Galeno deficere nequaquam vitio ſibi vertendum putauit, illi, vel in laudis quoque partem, ſi placet, hoc ipſum cedat.

Cætera perſequamur. Aduerſarius in ſynochis febribus ait venæ ſectionem adminiſtrari ob multitudinem, Galeni teſtimonio; qui hoc remedium non ob aliam cauſam fieri adeo luculenter declarauerit, vt omnino nihil arbitretur hic eſſe controuerſum. Cum tamen Galenus manifeſtè aliam cau-

11. Meth. cap. 12. ſam afferat; vt nimirum vſus eorum, quæ aperiunt, & obſtructiones tollunt, tutior ſit: de qua re antea diximus quod eſt ſatis, vt non ſit opus hic eadem repetere. Quod ad periodicas febres attinet, multa ſunt notatione, & obſeruatione digna, quæ doctrinam huiuſce hominis ambiguam, inconſtantem, confuſam, magna ex parte falſam coarguunt, ac refellunt. Inquit, in his febribus [*quatenus fiunt ab humoribus excrementitiis, à ſanguinis natura maximè diſtantibus, ſuopte natura ſanguinis detractione non indigent.*] Ex quo videtur concedere, in corporibus cacochymis huiuſmodi febres euenire, in quibus redundãt humores à natura ſanguinis alieni. At in his docuit Galenus ſanguinem eſſe mittendum, vt ſatis ſupérque docuimus. Nec verò fuga Aduerſ. locum habere poteſt, cum addit. [*At verò propter aliud quidpiam, quod cum huiuſmodi febribus coniungi poteſt, mittere ſanguinem oportet, nempe ſi plethora quiſpiam affectus incidat in eiuſmodi febres: id autem admodum frequenter contingere concedunt omnes*, &c.] Ego autem arbitror tantum abeſſe, vt ne fieri quidem omnino poſſit; & Aduerſarius, qui hoc dixit, in manifeſtam contradictionem inciderit. Etenim ſi febres periodicæ fiunt ab humoribus diſtantibus à natura ſanguinis; hoc non niſi in corporibus cacochymis fieri poteſt: at hæc dicere eſſe plethorica, repugnantia eſt. Quia cacochymia, & redundantia humorum diſtantium à ſanguine minorem ſanguinis quantitatem proportione quadam eſſe ſignificat: plethora autem eſt, quando vel ſolus ſanguis, vel vnà cum alijs congruente ſeruata proportione redundat. Verùm hæc, redundare, & non redundare, eſſe maioris, & minoris quantitatis contradictoria ſunt, quæ ſimul eodem tempore in eodem accidere nequeunt. Quare in his febribus, ſi ſanguis mittitur, quod Aduerſarius concedit, id non fit ratione plenitudinis, neque hic præcipuus eſt ſcopus ſectionis venæ. Sed addit, exonerandum eſſe corpus à multitudine, ne illius præſentia morbum augeat. Mirum eſt, & maximè mirum, cum velit ſecari venam, ne morbus augeatur, cur ſi morbus in præſentia adauctus ſit, & magnus, & maximus, nolit magnitudinis iam exiſtentis gratia ſecandã eſſe. Quod in ſequenti parte attentè obſeruandum eſt. Inquit enim. [*Accidit quoque ſine plenitudinis affectu, venam in eiſdem eſſe incidendam; cum ſæuum aliquodpiam adeſt ſymptoma* &c.] At quid, ſi ſæuum aliquodpiam nunc adſit ſymptoma, non futuram inflammationem indicans, ſed præſentem maximum morbum declarans? propter futurum morbum venam ſecabimus? propter præſentem vrgentem à venæ ſectione abſtinebimus? Et ſanguiſugos iſtos morabimur? qui plenitudinis ſigna inueſtigent, Methodicã doctrinam ſuſcitent, & ægrorum potius mori permittant, quàm ſemel admiſſam ſententiam deponant; aut forte de vena ſecanda conſentiant, ne cõmuni omnium opinioni aduerſentur, ne ægri ſalutem prodere videantur, manifeſtè conuincantur, aliud litteris mandare, aliud re ipſa facere deprehenſi? [*Eadem eſt ratio* (ſubdit) *in febribus, quæ inflammationis ſoboles ſunt, in quibus omnibus, ſi vehementes extiterint (quodam enim parua ſunt, & mitiſſima) protinus ob futurum, aut præſens, aut incipiens periculum ſanguinẽ mittere conuenit.*] In febribus ſine inflammatione mittitur ſanguis ob multitudinem, quæ plerunq; adeſt: in febribus ex inflammatione mittitur ſanguis ob periculum præſens, imminens, incipiens. Verùm ſi in febribus citra inflammationem periculum adſit, vel affuturum ſit, erit ne ſecanda vena? non arbitror, niſi adſit plenitudo. Quid igitur? Hic ſcopus periculi nunc vrgentis in inflammatione venæ ſectionem indicandi vim habet; in ijs alteris febribus non habet? Quid ita? quæ varietas? quæ ratio? Dicet fortaſſe in febribus ſine inflammatione, ſi periculum adſit, quando ſcilicet adeſt ſymptoma indicans futuram inflammationem, ſecandam eſſe venam; ergo ſecatur vena ratione periculi. Cur igitur in primo etiam membro, quando adeſt plenitudo, non eſt dicendum propter periculum venam ſecari?

Nonne æquale, aut certè maius periculum eſt in febrib. cum plenitudine, quàm in febribus ſine plenitudine? Sed in his ſecat venam ob periculum, in illis ob plenitudinem. Quilibet (ni fallor) videre poteſt, quàm abſurda hæc ſint, & tantum à veritate, & omni probabilitate aliena, quantum à Galeni decretis abhorrent. Illud quoque addo, in inflammatione ob periculum futurum, præſens, incipiens ſanguinem mitti: atqui inflammatio, ſi quis alius affectus, potiſſimum fit ex plenitudine: certéque probabilius eſt in febrib. cum inflammatione, quàm in periodicis citra inflammationem plenitudinem adeſſe. Sed in his Aduerſarius non à febre, non à periculo, ſed à plenitudine indicationem aſſumit; cur igitur non multò magis in inflammationibus debuit eundem ſcopum ſtatuere? Profectò ſi omnia perſequi velim abſurda, quæ opinionem iſtam ſequuntur, vix finem dicendi faciam.

Illud tantummodo licet poſtremò obſeruare, Aduerſarium, licet detrectantem, nolentem, inuitum, tamen haud obſcurè venire in confeſſionem ſcopi præcipui, magnitudinis, ac vehementiæ morbi, cum & hic, & ſæpe liceat illum audire proponentem periculum præſens, aut imminens, plenitudinem effatu dignam, quæ leuioribus remediis ſanari non poſſit, vehementem ſanguinis impetum, magnitudinem morbi à vehementi motu ſanguinis procreatam. Quos omnes ſcopos tergiuerſandi ſtudio confictos, ſi quis velit ad vnum ſummum communiſſimum ſcopum redigere, quæſo quid aliud comminiſci, excogitare, animo concipere poteſt, quàm morbi vehementiam, quam vnam cum Hipp. & Gal. nos ponimus, atque tuemur?

Ad Capvt X.

Authoritas Galeni xi. Meth. cap. xv.

Cvm hæc Galeni ſententia ſingularis ſit, ac præcipua, quæ maximum aduerſariis negotium faceſſit, immò verò omnes eorum cogitationes, & commenta funditus demolitur, non eſt mirum, ſi ij vehementer laborant, ac ſudant, vt ſi fieri poſſet, ab ea ſeſe tueantur, atque illius vim ſubterfugiant; ſi nos quoq; firmam, & ſtabilem illius veritatem ſeruare nitimur: quod tum alibi à nobis factum eſt, tum ne hoc quidem capite eſt prætermittendum, in quo Aduerſarius ex profeſſo hanc rem agit. Cum verò nos alibi diffusè Gal. mentem, ac methodum in ea parte declarauerimus, non eſt, vt hic eadem repetamus. Itaque ſimplex huiuſmodi loci ſententia explicanda eſt, & conſiderandum, quàm bene Aduerſarius illum exponat, atq; argumentum effugiat, quod hinc à nobis ſumitur aduerſus illius opinionem. Illud certè in primis non eſt prætermittendum, hanc ſententiam non hic primùm proferri, ſed per modum repetitæ conſecutionis ex ſuperioribus afferri. *Saluberrimum igitur, vt prædiximus*, &c. Quæ quidem res magni intereſt. Etenim ſi Gal. hanc ſententiam ex hoc deduxit, quòd in corpore febre affecto aliqua ſit plenitudo, iam Aduerſ. opinio quam probabilitatem haberet. At ſi quæ ille hactenus dixit de vena ſecanda in his febrib. hypotheſi plenitudinis minimè nitebantur, ſed quoniam ex multis indicationibus, quæ in huiuſmodi febribus occurrunt, nullis ſatisfacere poſſumus, niſi prius per ſectionem venæ totius corporis vacuationem moliamur, hinc fit, vt ſententia nullo pacto ſit ad ſolam plenitudinem contrahenda. Ratio enim communiſſima fuerat, nec ſolum ſynochos à quauis cauſa, & in quolibet corpore ortas, ſed etiam alias omnes febres putridas amplectebatur, vt patet, ex Galeno, in fine antecedentis cap. 13. & initio 14. Qui idcirco iure in vniuerſum colligit, ſaluberrimum eſſe in omnibus putridis ſanguinem mittere. Quam quidem ſententiam vſq; adeò expreſsè, efficienter, & manifeſtè exprimit, vt certè nullus ſit ſubterfugio locus. Saluberrimum eſt non ſolum in febribus ſynochis, ſed etiam in aliis putridis omnibus, nulla excepta, ſanguinem mittere, ſi per vires, atque ætatem liceat. Quòd ſi quis ex Gal. rationem quærat, ille ad hunc reſpondet: Quoniam eorum, quæ in medio ſunt corpore, prouidentia, vbi detractus ſanguis non eſt, maximum eſt malum: vbi detractus eſt, non maximum: quam eandem rationem innuit in fine c. 13. cum ait, ex pluribus indicationibus medicum debere in primis intelligere, cui primum, ac magis, cui ſecundò, & minus, cui tertio, & deinceps ſit incumbendum. Ex quo colligit, ac ſtatuit, ſta- *Capit* 10.
tim ſecandam eſſe venam: vt antea quoq; dixerat, vſum eorum, quæ tollunt obſtructiones, tutum non eſſe, niſi prius totum corpus vacuatum fuerit. Id quod ita firmum, ratum, perpetuum eſt, vt in qualibet febre, in quolibet corpore locum habeat, vt ſimpliciter quoque, & in vniuerſum fuit à Gal. pronunciatum. Verùm ratio rationis (vt quis diceret) affertur à Gal. in præſenti loco. Si quis enim de eo quærat, cur prouidentia eorum, quæ ſunt in medio corpore, tuta non eſt, reſpondet: Leuata namque ea, quæ corpus noſtrum regit natura, &c. Quaſi dixerit, Si obſtructionibus liberandis incumbas, antequam venam ſeces, febrem augebis, obſtructiones magis infarcies, naturæ (quæ alioqui eſt morborum medicatrix) impedimento eris, quo minus coquendo, & expellendo ſanitatem comparare poſſit. At ſi prius venam ſecueris, eadem natura onere leuata, vota tua ſecundabit, & coquet, & expellet, adiuta ſcilicet medicamentis, quæ hoc tempore opportuna, & ſalutaria euadunt. Hæc quoq; generalia ſunt. Quo fit, vt Aduerſarius hanc doctrinam contrahens ad vna corpora plethorica, ad vnas obſtructiones ex copia humorum factas, eandem reddat manicam, diminutam, & Gal. methodo planè indignam. Quamobrem facile eſt videre, quàm vana ſint Aduerſarij profugia; de quibus hoc ſpeciatim dicendum, & annotandum videtur, cum ille hanc totius corporis vacuationem contendat poſſe fieri, non ſolùm ſectione venæ, ſed etiam purgatione, Gal. tamen nuſquam purgationis, ſemper venæ ſectionis meminiſſe.

De qua re cum ſcribat quædam ſe dixiſſe ſecundo ſuo Tomo. Ep. Medic. Epiſtola ad Lobettum, quæ prima eſt, non potui non ad eam legendam me conferre, vt omnes illius rationes exploratas haberem. Verùm in ea non rationem aliquam nouam inueni, ſed errores plurimos, & craſſiſſimos deprehendi: inter quos duo non ſunt prætermittendi, qui ad rem præſentem ſummopere faciant; ſi abſque animaduerſione dimitterentur, non leuem fortè ſcrupulum animis iuuenum iniicere poſſent.

Inquit Galen. communiter locutum eſſe de va- 11. *Meth.*
cuatione corporis totius, tum ratione ſcopi indi- *cap.* 11.
cantis, quem dixit eſſe πλεονεξίαν, redundantiam Latinè, quæ communis eſt, & plethoræ, & cacochymiæ; tum ratione remedij, quod dixit eſſe vacuationem. Atqui quod ad euacuationem attinet, Gal. ſuam mentem ſatis aperuit, qui ſemel, atque iterum docuit, & replicauit, venam ſecandam eſſe, cùm de purgatione nihil dixerit. De redundantia porrò quod ait, riſum planè mouet, cum tale ſit, vt clarè oſtendat, illum Galeni librum, veriùs libri corticem vidiſſe quidem, verba, & ſententias nequaquam legiſſe. Ille enim fortè animo concipiens

piens πλεονεξίαν,commune vocabulum eſſe,& tanquam genus,quod omnem,& qualemcunq, abundantiam, atque exceſſum complectatur,audienſq; interpretem dicentem ; Oſtenſum enim in prioribus libris eſt,ſi iis auxiliis, quæ obſtructionea exiſtimant , vti , non vacuata prius abundantia velimus, fore, &c. Credidit abundantiam eſſe Græcè πλεονεξίαν, (nec rides lector?) cum tamen legatur, πλῆθος , vt quilibet ſuo arbitratu videre poteſt; ἄνευ τοῦ προεκκενῶσαι τὸ πλῆθος; niſi prius euacuauerimus plenitudinem. Verùm Aduerſarius illud in præſentia ſecum ipſe animo repetere debebat,non eſſe litem noſtram, vtro remedio , ſectione venæ, an purgatione vtendum ſit : quam quidem rem ſi nunc agerem , facilè oſtenderem aut nullum, aut rariſſimum eſſe purgationi locum:ſed ſimpliciter, an ſine omni plenitudinis conſideratione poſſimus, ac debeamus initio quarumcumque febrium putridarum venam incidere : quod ille negauit , non quia potius purgationem eligendam voluerit, ſed quia venæ ſectio,nec febri conuenit, nec putredini : quia nulla eſt indicatio, quæ venam ſecandam eſſe doceat,niſi plenitudo; cui reuulſionem quoque addidit aliquando. Quare non eſt ; vt hic nos à propoſito ſtudeat auertere , & quæſtionem fruſtra reuocare ad collationem , quæ inter hæc duo magna præſidia ſolet vſu venire. Namque id mihi eſto ſatis in præſentia ; illum manifeſtè fateri; in principio omnium febrium putridarum vno ex his duobus magis remediis vtendum eſſe.Quo ſtatuto, cum Gal.manifeſtè venæ ſectionem nominauerit, nullam purgationis mentionem faceret, cum illa, ſi ætas ac vires conſentiant , cum primia conueniens ſit, & opportuna , hæc verò longe maximas difficultates contineat, ſatis poteſt vnuſquiſq; intelligere, ac decernere, quid propoſito nobis problemate ſentiendum ſit , & quomodo ipſe quoque Aduerſarius nec opinatò in caſſes incidit,quos ſibi ipſe parauit.

Conſultò hic prætermitto illam quæſtionem : An in principio febrium liceat vti purgatione; de qua vniuersè peculiarem diſputationem confecimus,atq;edidimus:ac fortaſſe iterum diſputandum erit,ſi modo in nos,& in noſtrum caput parantur, quæ Aduerſarius de purgandi ratione à ſe dicenda eſſe pollicetur. Atque huic præſenti capiti finem imponam,vbi me prius à calumnia quadam vindicauero,quam ille mihi adhibere conatur, cum ait.

[Sed, ò viri doctiſſimi, Galen. neque potuit,neque debuit ita ſcribere:non potuit,quia ſuppoſitus falſum, hecticam febrem in corpore plethorico aduenire , vtpote quæ in ſicco , in gracili , ſanguinéve deſtituto contingat. Ephemerarum, &c.] Redarguere hominem poſſem , quia licet aliquando falſum ſupponere, quod tamen non ſit impoſſibile. Vt ſi quis ſupponeret iecur in ſiniſtra abdominis parte eſſe locatum , ex quo deduceret , etiam renum ſitum proportione fore talé,vt ſiniſter altior eſſet, quàm dexter : hoc enim optimè,& cum ratione ſequeretur. Verùm quoniam dum Aduerſarius falſum dixit,credo illum impoſſibile dicere voluiſſe, oſtendamusne ita quidem illud quicquam conficere:tū quia illud neq; falſum eſt aut impoſſibile;tum etiā quia falſum, aut impoſſibile quamuis ſit , nihilominus ad refutandam illius opinionem valet. Febrem porrò hecticam in corpore plethorico poſſe aduenire oſtendo , ea tamen lege , vt corpus plethoricum non intelligamus,in quo ſanguis, aut ſolus, aut cum cæteris humoribus proportione redundat,vt placet Gal. ſed communiter,in quo quilibet humor abundat , etiam à ſanguine diuerſus, vt nomen commune ſit omni plenitudini;quæ eſt peculiaris erronea Aduerſarij poſitio;& quo ſenſu ille non negabit ſe hoc in loco plethoricum dixiſſe:ſed hectica febris cum plurimis febrium putridarum differentiis complicari poteſt ; quas ex redundantia bilis,aut pituitæ,aut humoris melāncholici fieri notum eſt.Ergo hectica febris cum plenitudine iungi poteſt.Quòd ſi Aduerſar.reſpondeat, id ſaltem verum eſſe,hecticam per ſe,& ſuapte natura hoc habere , vt corpus ſi omnis plenitudinis immune,quanquam id ſit negem,haud planè ſcio, quomodo ille ſit probaturus , certè ad me nihil pertinet, qui non poſui in hectica plenitudinē per ſe iunctam,ſed vtcunq;tandem,& quomodocunq; iungi poteſt. Verum demus quicquid libet.Eſtò,ſit impoſſibile hecticam aduenire in corpore plenitudine affecto : tamen nihilo minus valet ratio ad detegendam abſurdam Aduerſarij expoſitionem:in febrib. putridis ſanguinem eſſe mittendum, ſi adſit plenitudo: quoniam ſi ita licet Gal. interpretari, pariter in quolibet morbo ſtatuendum erit,in ephemera, in hectica,ſi plenitudo adſit,ſecandam eſſe venam;quod Gal. non fecit,non quia hectica, vel ephemera ſine plenitudine eſſe nequeant, ſed quia proprias cuiuſq; affectus indicationes, & remedia monſtrauit , etſi affectum effectui iunxit, illóſq; expreſſit,& proprias vniuſcuiuſque indicationes explicauit. Perinde igitur fuit,ac ſi dixiſſem, abſurdam eſſe expoſitionem:æquè enim dici poſſet, ſi eclipſis, aut centaurus, aut ſcindapſus fieret cum plenitūdine ſecandam eſſe venam. Quid verò,quod ille, cum probandum ſumpſiſſet, me ſupponere falſum,meam ſuppoſitionem in quibuſdam ephemeris conceſſit eſſe veram ? Quare in iis argumentum valebit. Sed neſcio quomodo præter voluntatem, atque inſtitutum noſtrum ad hæc leuia ſumus deuoluti; quare prætermittantur.

AD CAPVT XI.

Quem locum Galenus citet de miſſione ſanguinis in febribus.

SI doctrina inſtabilis,confuſa, falſa, poteſt Galeni locos,& authoritates dilucidare,vtique fatendum eſt Aduerſarium ſummam lucem huic xj. cap.Meth. Med. attuliſſe. Cum Gal. dixiſſet, ſaluberrimum eſſe , ὡς ἔφαμεν , vt dictum eſt , venam incidere non in continentibus tantùm febribus,ſed etiam in aliis omnibus, quæ ex humorum putredine fiunt,& quæſtione dignum eſſet, quo loco antea Galenus id pronuntiaſſet. Aduerſarius confutata,& Vegæ,& noſtra opinione,duas ipſe reſponſiones affert, ſuo more hæſitans, & vtrinque claudicans.Vbi animaduertēda eſt illius excuſatio,cur hanc dubitationem in ſua tractatione de miſſione ſanguinis prætermiſerit,quia non putabat futuros, qui de hac re hæſitarent , cum tamen hæſitaſſet prius vir doctiſſimus Chriſtophor.à Vega,& ipſemet hæſitabundus, & anceps eam ſoluere conatus ſit. De Vegæ expoſitione non eſt, vt dicam, cum eam ſatis Aduerſarius, noſtro (quamuis ſuppreſſo) nomine confutauerit. Hunc ego dignari hoc honore ſtatui , vt prius illius opinionem , quàm noſtram examinemus ; cum præſertim in ea glorietur , ſe veram medendi methodum ſuos auditores eſſe docturum. Vtinam. Prior expoſitio eſt,Galenum hic loqui de ſolis ſynochis febribus, non de aliis putridis : quo conſtituto ille putat locum citari , quo in ſynochis venæ ſectionem imperauit ; qui non alius eſſe videtur,quàm caput potiſſimùm quintum libri 9.& ſententia erit huiuſmodi.*[Saluberrimum eſt, vt prædiximus* (eo ſcilicet loco) *non in ſynochis modò ſine putredine mittere ſanguinem, ſed*

ſed etiam in omnibus alijs ſynochis, quæ ex humorum putredine concitantur.] An futilior, violentior, abſurdior expoſitio poſſit excogitari, certè neſcio. Galenus oqpoſitionem facit inter ſynochos, & non ſynochos: Aduerſarius inter ſynochos non putridas, & putridas. Galenus duo membra fecit, vnum ſynochorum, alterum cæterarum omnino, quæ ex putredine fiunt: Aduerſarius vtrumque membrum ſynochis attribuit. Quo pacto ſi licet authorum verba interpretari, licebit quoque ex Homero Achillem ab Hectore interfectum, Spartam à Troianis dirutam pronuntiare. Probat Aduerſarius ſermonem eſſe de ſolis ſynochis, quoniam [*à principio cap. 15. vſque ad eum locum, ſaluberrimum igitur, &c. ſemper mentionem facit febrium cum ſanguinis abundantia, quæ neceſſariò ſolas comitatur ſynochos.*] Dij boni, quid hoc eſt confidentiæ, ea proferre, quæ falſitatem ante oculos omnium manifeſtam habeot, nec timere, quin hæc cæteris deprehenſa, grauitati hominis, atque exiſtimationi plurimum derogent? Primum quidem licet obſeruare Galenum de vſu cataplaſmatum generaliter aduerſus Methodicos diſputare, rémque ad communia præcepta redigere: qui inquit illos perfundere omnes oleo, ac poſt tertium diem nutrire: atque iis authoribus artem ordinandi victus vna hora diſci poſſe, & artem quidem vniuerſalem, *Qui febricitant, ſi valentes viribus ſint, omnibus ſanguinem ab initio mittes, perfuſóſque oleo*, &c. Et omnino qui totam eam partem legere non grauabitur, facilè intelliget, Galenum ſermonem de febribus ſynochis ad communem omnium febrium tractationem traduxiſſe. Deinde facile id quoque videre eſt, illum non de ſola, ſanguinis abundantia, ſed etiam de aliis humoribus, atque excrementis verba facere. Qui hæc habet. *Calefacere præcordia cataplaſmatis, aut perfuſionibus non eſt perpetuo tutum, ſed in iis tantùm ægris, in quibus in toto corpore nullum errat, vel relinquitur ſuperfluum; Græcè περιττὸν, quod excrementum quoduis, & vitioſum humorem ſignificat.* Clariùs. *Nam ſiue redundantia vtrauis ſit, vel quæ ad vires, vel quæ ad vaſorum continentiam comparatur; ſiue etiam in vna parte, pluribúſve vitioſa excrementa ſunt*, &c. An hic dices ſolam ſanguinis redundantiam contineri? Non arbitror, ſed cuiuſuis humoris. Et redundantia hic Græcè eſt πλῆθος, nomen omni plenitudini commune, etiam ad vires, quæ Galeno plethora non dicitur. Addit prætérea excrementa vitioſa, quæ in vna, vel pluribus partibus contineantur: vt planè liceat colligere Galeni mentem prorſus contrariam eſſe ei, quam Aduerſarius illi tribuit; qui ſemper cum abundantia ſanguinis, aliorum quoque humorum, atque excrementorum copiam copulat. Sic paulò poſt. *Ipſo quantopere aberret, qui plethorica, & quæ parum pura ſunt corpora*, &c. (τά τε πληθωρικὰ, καὶ τὰ μὴ καθαρὰ σώματα) vbi apertè plethorica ab impuris contradiſtinguit. Impura autem cui veniet in mentem interpretari, quæ ſanguine abundant? Galenus ſemel tantùm ſolam plethoram nominauit in diuitibus quos dixit eſſe plethoricis affectibus obnoxios magis quàm pauperes, vt abſurdum amplificaret. Namque abſurdum eſt, venam ſecandam prætermittere, in omnibus: abſurdius in iis, qui plenitudine aliqua laborant; in iis, qui plethorici ſunt, abſurdiſſimum. Præceptum autem Galeni generale eſſe, docent quæ ſequuntur. *At diuites, qui & ſanguinis copiam, & excrementorum plus, quàm pauperes, & ſerui habent, eum ſanguinis mittendi prætermiſere remedium*, &c. vbi non amplius plethoram vocat, ſed communi τοῦ πλήθους vocabulo vtitur: vt malè Linacer ſanguinis copiam dixerit, cum ſimpliciter plenitudinem vertere debuerit, τὸ πλῆθος. Deinde rurſum Galenus περιττὰ vocat, ſuperflua, & excrementa, non abundantiam ſanguinis: vt certè mirum ſit, quid Aduerſario in mentem venerit, vt tam aperto mendacio ſe obſtringeret. Qui alterum deinceps argumentum affert, vt oſtendat Galenum de ſynochis verba facere.

[*Quòd poſtea etiam ſynochorum meminerit, docens in ſynochis ipſis, etiam ſi prouidentia ſit adhibita, eorum, quæ in medio ſit corpore* (fortaſſe ſunt) *vt illi dicebant, adhuc periculoſum eſſe cataplaſmatis*, &c.] Heus ſtrenue. Nónne hæc exceptio eſt præcepti vniuerſalis? Dixerat Galenus, prouidentiam eorum, quæ in medio ſunt corpore, ſi non detractus ſit ſanguis, maximum eſſe malum: ſi detractus ſit ſanguis, non eſſe maximum: excipit ſynochos, in quibus detracto etiam ſanguine, eiuſmodi prouidentia poteſt ingens eſſe malum, propter rationem à Gal. allatam. Hinc manifeſtè ſequitur, illud præceptum generale fuiſſe, & alias quoque febres præter ſynochos comprehendiſſe.

Verùm enimvero Aduerſarius fortaſſe videns ſe hac pugna ſuccumbere coactum, alteram reſponſionem in ſubſidium vocat. [*Poſtremo loco admittentes in illorum gratiam eum ſermonem maximè vniuerſalem, vt dicunt, complecti omnes putridas febres, dicimus intelligendum de febribus, quæ in plethoricis*, &c. Quo ſuppoſito (neque enim libet id rurſum in dubium reuocare) quærens, [*Vbi ergo* (inquies) *id prædixit.*] Reſpondet. [*Prædixit* (inquam) *in omnibus propemodum locis, in quibus indicatione ſumpta à cauſa faciente*. &c.] loci ſunt cap. 4. 9. 10. 12. & 14. vt ſuprà docuimus. Tandem igitur fatetur Aduerſarius noſtram opinionem eſſe veram quæ tamen illi non admodum probatur: proximum caput 14. indicari. De cæteris id tantùm dicam, illum oblitum eſſe argumenti contra Vegam adducti; quòd in iis Galenus venæ ſectionis non meminerit: fortaſſe quòd illud ex me antea recitatum, nunc illi in mentem non venerit: quod pariter eiuſdem ſententiam deſtruit. De qua ſatis hactenus.

Sententia noſtra fuerat 14. proximum caput indicari. In quam licet ipſemet tandem incidat, tamen non eſt veritus pluribus argumentari. Equidem vim totius diſputationis in duo capita redigo: alterum, Galenum loqui de ſolis ſynochis, non de aliis putridis: quare conſiderationem in iis locum non habere: alterum, nos rectè non aſſeueraſſe. [*Galenum in xj. libro de Meth. Med. nullibi feciſſe mentionem ſectionis venæ in putridis febribus, quam in eo cap. 14. fuiſſeque id remedium repetitum cap. 15.*] Prioris capitis conſideratio opportuna, & vtilis eſt; cum ſpectet ad artificium, ac methodum Galeni hac in parte, quam equidem neſcio an Aduerſarius ritè perceperit. Siquidem videtur ſentire, Galenum de ſolis febribus ſynochis ſermonem habere: quod tamen perſpicuè eſſe falſum ſatis demonſtratum eſt: id verò euidentius patebit, ſi vniuerſam Galeni methodum in præſenti libro xj. percurramus: in quo cum propoſuiſſet dicendum de febribus ex humorum putredine oriundis, primum de communi earum natura, & curatione diſſerit primis tribus capitibus: in quibus ſumuntur indicationes, tum à communi febris natura, quæ per contraria abſoluuntur; tum ex viribus; ex quibus ſimilium ratio deſumitur. Deinde in cap. 4. ad differentias tranſit harum febrium, à putredine ſumptas, vt illa vel in maximis eſt vaſis, & cordi proximis, vel in minoribus, & in reliquis partibus, in quibus eſt locus putredinis, vel cum inflammatione, vel ſine inflammatione. Quam quidem totam curandi rationem Galenus tribus capitibus 4. 5. 6. præclarè abſoluit. In quibus communia curatiua methodus omnium febrium putridarum, tum quæ ſynochi dicuntur,

tum cæterarum continetur: adeo vt, quod ad morbum, atque eius differentias ſpectat, nihil prӕterea videatur deſiderari. Cæterum quia hæc pulcherrima eſt doctrina, & Galeno familiaris: vt prius de morbo ſolo, ac ſimplici, dein verò de eodem cum aliis complicato verba faciat, pariter in febribus putridis cap. 7. ad febres putridas cum alio affectu complicatas ſe confert. Triplex autem hæc differentia eſt quæ aſſumitur, vel à cauſa, vel à parte, vel à morbo adiuncto, præſertim inflammatione. Hactenus nouimus quæ ſit methodus curandarum febrium generaliter ſine cauſa, ſine conſideratione effectus; totius, vel partis, ſine inflammatione. Nunc febri ratio cauſæ loci affecti, & morbi connexi iungenda eſt: de quibus eo 7. cap. dicendum proponit, addita nimirum indicatione à viribus, quæ cæteras moderatur. Methodus porrò vniuerſa curandarum febrium putridarum, atque earundem cauſarum tribus capitibus 8.9. ac 10. à Galeno abſoluitur: repetita initio capitis 12. Quæ deinceps ad propoſitas differentias febrium ſcilicet ſynochsrum, & non ſynocharum applicanda eſt. Id quod Galenus facit cap. 13. ad finem: ante quem locum à cap. 7. per totum 11. & initium 13. Galenus nihil ſolius ſynochæ febris peculiare dixerat. De qua, vt cum cauſa iuncta eſt, eo cap. 13. (ſicuti dicebam) agere cœpit iis verbis. *Itaque quoniam in continentibus ex propoſita ſtipatione*, &c. Ex quibus patet quantopere Aduerſarius deceptus ſit, cum inquit Galenum cap. 7. proponere ſe ſynochum putridã tractaturum, cum id ſolum faciat in fine 13. Quod etiam falsò ſit reperi in ſequentibus capitibus: falsò etiam putat Galenum in tota ea parte de ſynochis egiſſe, de quibus ne verbum quidem ſpeciatim fecit. Immò verò in præſenti parte, qua ſynochum nominat, ita putandum eſt de illa ſermonem haberi, vt dum Galenus indicationes tradit omnium febrium cum cauſa coniunctarum, ſimul etiam notet, quid proprium, & peculiare ſynochi ipſæ febres obtineant. Quod quidem Galeni verba facile cuique poſſunt confirmare: qui initio cap. 14. primum de omnibus putridis vniuerſè loquens ait. *Quippe ſi vires eius, qui ex putredine humorum*, &c. id eſt, ſiue ſynochi ſint, ſiue non ſynochi: & quod ait (*vt poſitum eſt*) minimè ad febrem ſynochum, ſed ad virium conſtantiam referendum eſt. Quod verba Græca clarius ſignificant. *ὡς ὑπόκειται*, *vt ſupponitur*, vires ſcilicet eſſe validas; non *ὡς ὑπέκειτο*, *vt ſuppoſitum eſt*. Idémque ſequentia verba teſtantur. *Sin vires infirmæ ſint*. Quoniam ſi ſermo ſit de febribus putridis in vniuerſum, vires, & firmæ, & infirmæ eſſe poſſunt. At verò in ſynochis id fruſtra additum fuiſſet, ſi vires ſint infirmæ, cum tales in huiuſmodi febre eæ nunquam ſint, vt mox notat Galenus. Quæ toto hoc capite à Galeno traduntur, omnia ſunt omnibus putridis febribus communia, de ætate, de corporis habitu, de aëris conſtitutione, de putredinis, & obſtructionis curatione, de venæ ſectione parciore, quàm morbus poſtulet, & cæteris. Porrò dum Galenus ad caput 15. aggreditur, manifeſtè ad communiſſimam omnium putridarum methodum accedit, quæ ad cataplaſmata, & perfuſionem hypochondriorum pertinet; quam medici illi non in ſolis ſynochis vſurpabant. De qua præcepta generalia, & vniuerſaliſſima tradit, veteréſque medicos carpit, non quòd ſolius febris continentis curationem mancam tradiderint, ſed quòd totam artem tam breuibus, facilibúſque præceptis concluſerint, vt minore, quàm horæ ſpatio addiſci poſſit. Quibus refutatis, ipſe demum ex propria ſententia inquit. *Calefacere præcordia cataplaſmatis, aut perfuſionibus non eſt perpetuò tutum, ſed in iis tantum ægris*, &c. Quam totam ſeriem, ſi quis attentè legat, ac putet de ſolis ſynochis prolatam, libenter fatebor me vniuerſa cauſa cecidiſſe. Quid igitur mirum, ſi Galenus, poſtquam de omnibus febribus putridis ſermonem habuit; de quolibet genere plenitudinis, de quauis excrementorum redundantia, de quolibet corpore, ſiue plethorico, quale diuites, ſiue ſeccus quale pauperes, & ſerui habent, quid inquam mirum, ſi tandem colligit, ſaluberrimum eſſe non ſolùm in ſynochis, in quibus res erat clarior, ſed in aliis quoque omnibus putridis, ad quas non tam apertè præceptum extendi videbatur, venam incidere, &c. Qui demum cauſam, rationémque omnibus putridis febribus communem addidit. *Leuata enim, quæ corpus noſtrum regit natura*, &c. In ſynochis verò illud vnum annotauit, tanquam exceptionem quandam ſententiæ vniuerſalis; etiam poſt venæ ſectionem vſum cataplaſmatum, ac perfuſionum ſuſpectum eſſe. Quòd autem tota reliqua pars huius libri vndecimi, communis ſit, adeò, vt febres amplectatur, quæ ex putredine, vel inflammatione ortum ducant, quæ in aliqua parte contineantur, credo neminem inficias eſſe iturum. Quod & recta methodus in primis poſtulabat. Etenim ſi hunc locum excipias, nullus alius occurrit, in quo Galenus de iis febrium differentiis egerit, in quibus putredo partem aliquam corporis occupauerit, aut quæ cum inflammatione quadam coniunctæ ſint: de quibus dicendum propoſuit c. 7. ſed hæc forte plus quàm ſatis.

Illud porrò ad me preſſiùs pertinet, quod Aduerſarius inquit. [*Admiratione dignum videri, quod à recentioribus medicis ſcriptum fuit Galenum in 9. lib. de Meth. Med. nullibi mentionem feciſſe ſectionis venæ, quàm in cap. 14. fuiſséque id remedium repetitum in 15.*] Aduerſarius tanto laborat prurit, quò mea carpat, & arrodat, vt ſententias quaſdam effingere, & mihi adſcribere non vereatur, in quas ille deinceps pro ſua libidine debacchetur. Verba mea hæc ſunt. Quare ea Galeni verba (vt prædiximus) *Diſſ. de ſerpis.* minimè ad nonum caput, in quo ſit mentio plenitudinis, ſed ad proximum 14. ſunt referenda, in quo de febribus ſynochis ſermonem habens, venæ ſectionis meminit, de qua ne verbum quidem antea fecerat. Quis hæc verba legens non ſtatim intelligat, ac fateatur, *antea* id eſt, à Vega citato, c. inquam 9. in quo nulla ſectionis venæ ſit mentio? quod ipſe quoque Aduerſarius Vegæ obiicere non eſt veritus, ſumpto à nobis argumento; licet ſummè oblitus nunc mihi hunc ipſum locum obiiciat, quaſi Galenus in eo de venæ ſectione verba fecerit. Quilibet igitur videre poteſt, quam iuſtè Aduerſarius recentioribus medicis tribuat, quod ſcripſerint. [*Galenum in 9. lib. de Meth. Med. nullibi*. &c.] Nouimus enim Gelenum eo cap. 4. venæ ſectionem in febribus omnibus putridis imperaſſe: ſed longè probabilius exiſtimauimus, illum hunc poſtremum, & proximum locum deſignare voluiſſe. Quòd ſi quis tandem pertinacius contendat etiam ad 4. illud caput alluſiſſe, non valde repugnabo, cum leuis hæc ſit conſideratio, quam eo loco penè obiter attigimus, ea ſolum mente, vt Vegæ argumentum refutaremus, qui locum præſentem de plenitudine interpretatus, ad eius confirmationem nonum illud caput adduxit; quod nos ad hunc locum non pertinere exiſtimauimus.

AD CAPVT XII.

An humores putridi educantur vena ſectione ex cap. 89. Art. Medica.

HAc in parte, vt Aduerſarius ſtrenuus eſt, Hercule maior, non veretur aduerſus duos pugnsre,

pugnare. Nam capta occaſione ex loco Galeni, & aduerſos me diſputat de euacuatione humoris putridi per venæ ſectionem; & aduerſus alios neſcio quos, qui ex eodem eradicatiuam euacuationem per ſanguinis miſſionem colligebant. Quod porrò ad illos attinet, nihil à me dicendum eſt, vt ne videar ſpinas colligere voluiſſe: quod fortaſſe fecit Aduerſarius; qui cum ſeptem hoſce libros in meum, & in meam Diſputationem intorſiſſet, quod in principio eorum palam profeſſus eſt, nunc neſcio qua ductus litigandi cupiditate, ſermonem in alios detorquet. Quorum ego patrocinium multis de cauſis ſtatui ac debui vitare; tum ne illos contemnere videret; quaſi ſe, & ſua ipſi dogmata meri non valerent: tum ne ego eorum opinioni ſubſcriberem, tum denique vt proprio vtens curtu aliena curare deſiſterem. Hæc tamen volui præfari, vt ne quis diſputationem illam, de eradicatiua euacuandi ratione putet ad me pertinere: quod ex eo perſuadere ſibi aliquis poſſet, quoniam continuata quadã orationis ſerie contra nonnullos agit eo modo, quo aduerſus me ipſum in his ipſis libris perpetuò facit. Quam rem ſi debita opera admiſit, vt hoc quoque nomine me in maiorem inuidiam vocaret, qui de eius doctrina, & dogmatum veritate pro mea ipſius, ac rerum mearom defenſione dicere decreui, quid de ingenuitate dicendum foret, malo cæteris iudicandum relinquere, quàm liberè pronuntiare. Sed ad rem.

Pro ſectione venæ in omnibus febribus putridis, illud non leue apud me fuit argumentum, quoniã illa humores putridos poteſt euacuare. Quod ſi quis negare auderet, probandum ſuſcepi ex Galeno libro Art. Med. cap. 89. Cuius verba neceſſarium eſt hic repetere. *Eſto* (inquit) *in humoribus putreſcentibus accendi febrem: indicatio in huiuſmodi eſt euacuatio, atque alteratio: hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc ſubſtantia. Euacuatio verò, quæ totam ex corpore ſubſtantiam educat,* &c. *Euacuationes verò fiunt, & per ſanguinis miſſionem,* &c. In quibus cum Galenus duo propoſuiſſet indicantia, humores putreſcentes, & febrem; duáſque ex iis duxiſſet indicationes, euacuandi, & alterandi omnia ratio poſtulat, vt eandem alterationem declararet, quam in poſito exemplo propoſuit, eandem quoque euacuationem, nimirum humorum putreſcentium, quam ait fieri venæ ſectione, clyſteribus, &c. Vt in re clara mihi viſum non fuerit vehementius laborare. Verùm Aduerſarius, cuius perpetuum eſt inſtitutum, clariſſimũ quemque, ac limpidiſſimum doctrinæ fontem perturbare, in quo ſepiæ ritu ſeſe abſcondat, & deliteſcat, huic quoque loco nixus eſt tenebras offundere. Ac primum, vt effugiat venæ ſectionem adhiberi, vt humores putridi euacuentur, ait. [*Vacuationem quidem indicant multa, primum humor omnino putridus, qui per aluum per vomitum, per vrinas, per ſudorem vacuandus eſt.*] Habent hæc vim euacuandi humorem omnino putridum, & venæ ſectio non habebit? Quamobrem? Nónne ille aut ſemper, aut plerunque in venis continetur? Quid ſi etiam rarò? nónne educi poterit venæ ſectione? *Secundò vacuationem poſtulat quicquid in tranſpiratione impedita, & in obſtructione continetur,* &c.] Sed meminerit obſtructionem, & prohibitá tranſpirationem non efficere febrem, niſi per putredinem: humores enim obſtructione prohibiti, vt ne tranſpirent, facile putreſcunt; ac ſi debent putridam febrem facere, vt putreſcant, neceſſarium eſt. Ergo hæc quoq; vacuatio eorum, quæ in tranſpiratione impedita, & obſtructione continentur, nihil aliud erit, quàm vacuatio humorum putreſcentium, [*Tertiò quicquid impeditam tranſpirationem,* &c.] Huiuſmodi cauſa, tranſpirationis impedimentum, & obſtructiones augens in his febribus non ſemper adeſt; neque illius in præſenti parte Gal. meminit, ſed ſolùm duorum, putreſcentiũ humorum, & febris. Quare Aduerſarius iure optimo aduerſus ſemetipſum inſtantiam facit. [*Dicent Galenum docuiſſe modum vacuandi putredinem, ex quo inferant ſanguinem putrefactum venæ ſectione euacuari.*] Id res ipſa docet, id Galeni authoritas confirmat. [*Sed hoc non cogit. Siquidem Galenus docet in iis verbis modum vacuationũ omnium,* &c.] Aduerſarij mos hic eſt, vt aduerſus claram authoritatem mentem ipſe aliquod figmentum comminiſcatur; ſibi credendum iubeat, nulla ratione, nulla vel leui παραμυθίᾳ adhibita. Propoſuerat Gal breuibus, & per capita tradendam methodum curandorum morborum: curationem verò ſtatuit eſſe amotionem eius diſpoſitionis, quæ naturalem operationem lædit. Ex hac primùm communiſſimam duxit indicationem, quæ contrarietatis eſt. Deinde à propriis, & ſingulis morbis, proprias, & ſingulas docuit ſumendas eſſe indicationes; per propriam ſcilicet, & peculiarem contrarietatem. In qua vbi quædam annotauit de contrarietate, quæ eſt ſecundùm imaginationem, vel ſecundùm potentiam, mox hoc exemplum affert febris putridæ, tanquã morbi inſignis frequentiſſimi, & in quo hanc ipſam contrarietatis vim voluit explicare: qui inquit, *Eſto humoribus putreſcentibus accendi febrem,* &c. Doctrina compendioſa, facilis, iam cepta, & monſtrata quid requirebat? nimirum vt doceret huic affectui ex febre, humoribus putridis complicato eſſe occurrendum per ſuam, propriam, peculiarem contrarietatem; vt humores putridi euacuarentur, vt febris alteraretur. Quænam hæc ſit alteratio, paucis declarat. Deinde declaraturus, quænam hæc ſit euacuatio, ſubdit. *Euacuationes autem fiunt, & per venæ ſectionem,* &c. Aduerſarius autem inquit Galenum docere [*modum vacuationum omnium,* &c.] Quod certè fieri non poteſt, quoniam loquitur de illa vacuatione, quæ ab affectu propoſito, febre ex humoribus putreſcentibus indicabatur. Nec profectò leue eſt argumentum, quod primo loco venæ ſectionẽ numerat, quaſi illa ſit, quæ hac in re inſignem prærogatiuam obtineat, primæque, ac præcipuæ vacuationis indicationi in primis ſatisfacere poſſit. Quod ſi Aduerſ. ſententia vera eſſet, euacuandum eſſe humorem putridum per vrinam, ſudorem, &c. plenitudinem verò, quæ obſtructiones fouet, per venæ ſectionem, vtique oportuiſſet ab homine ordinis amantiſſimo, contrarium ordinem ſeruari, & ſectionem venæ in vltimum locum referri. Qua eadem ratione factum eſt, vt Galenus poſtremò reuulſionis, & deriuationis meminerit: quia, nimirum, hæ pertinent ad febrem cõplicatam cum ſingulari affectu alicuius partis, aut putredine, aut inflammatione, iuxta ordinem, quem diximus à Gal. lib. 11. Meth. ſeruatum fuiſſe. Namque ita in febre putrida indicatio vel reuellendi, vel deriuandi originem habet. Nec Aduerſ. excuſatio, cur Gal. purgationẽ non expreſſerit, alicuius momenti eſt. Quamuis enim ille non neceſſariò debuerit, omnia euacuationis genera recenſere tamen qui leuiora tetigit, non debuit certè maiora prætermittere. Neq; credendum eſt, eam ſub reuulſionis, aut deriuationis nomine comprehendi: quia eadem ratio fuerat de venæ ſectione, frictione, & cæteris; enim præterea, ſi Aduerſ. credimus, præcipua purgandi ratio, atque indicatio non ſumatur ab humorum fluxione, ſed à qualitate, & vitio: vno verbo ab ipſa cacochymia. Quod vel ex eo liceret nobis confirmare, quod Aduerſarius exempla quæ iſ affert reuulſionis per purgationẽ factæ ſatis inepta,

& ad rem præſentem non admodum accommodata, prolixitatis tædium, ad quod ille ſæpe nos inuitos trahit, vitare conaremur. Qua quidem ratione hic pariter prætermittimus declarandum, quo pacto venæ ſectio putredinem dicatur non iuuare ex 2. Meth. c. 4. quem locum antea (ni fallor) ab omni dubitatione liberabimus.

Ad Capvt XIII.

De venæ ſectione eradicatiua.

Decreueram equidem hoc totum caput, tanquam ad me non ſpectans protſus ſilentio prætetire. Sed quoniam in eius lectione multa mihi oblata ſunt, non ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, ac deteſtanda, nolui committere vt illa intacta relinquerem, ne iis videar aſſentiri, quæ in hominum perniciem conuerti poſſunt ab iis, quibus fortè vel viri authoritas, vel captioſæ rationes poſſent imponere: quamuis illos omnino paucos fututos eſſe confidam. Aduerſus illos, qui ponunt euacuationem eradicatiuam ſanguinis miſſione factam, ſuppoſito illam eſſe, quæ totam materiam euacuandam ducit, qualis eſt quæ ad lipothymiam, vel in inflammatione ad ſanguinis mutationem perficitur, Aduerſ. argumentatur, primùm, quia fruſtra hanc venæ ſectionem introducunt: qui fruſtra Ariſtotelis authoritatem adducit; *Fruſtra fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora.* Nam facilis eſt reſponſio; Vacuationem per ſanguinis miſſionem, tanquam genus, diſtingui in eradicatiuam, & minoratiuam (ſic enim loquuntur) & diſtinctionem eſſe maximè vtilem; & Aduerſarium quam maximè errare, qui putat venæ ſectionem ſemper eſſe eradicatiuam. Secundò errat, dum argumentatur, ſuppoſito omnem venæ ſectionem, vt vacuatiuum auxilium, eradicatiuã protſus eſſe. Hoc enim affirmabunt eſſe falſiſſimum: & hac probationem, quia natura indicans vacuationem, tantum indicat vacuandum, quantus fuerit exceſſus, reſpondebunt aliud eſſe, loqui de indicatione, aliud de remedio ad indicationẽ accommodato. Morbus indicat tantum euacuandum, quantus eſt exceſſus, venæ ſectio interdum id ſemel, & ἀϑρόως, facit, interdum per vices, interdum & ſolùm ex parte. Præterea Aduerſarius ſuis aduerſarijs abſurda imponit, quæ nemo ſanæ mentis vnquam dixerit, vt (qui eius mos eſt) occaſionem reprehendendi, & litigandi arripiat. Quis enim tam eſt fatuus, qui eradicatiuam venæ ſectionem neget eſſe vacuationem? Cum facile ſit videre, hanc eſſe tanquam genus, cuius duæ ſint veluti ſpecies, eradicatiua, & minoratiua. Quare ratio ex Galeno petita de euacuatione, & reuulſione nulla eſt. Non diſputo de ſanguine putreſcente, aut corrupto, nec de eiuſdẽ alteratione, aut ſecundùm qualitates tantùm, aut etiam ſecundùm formam, & ſpeciem. Iam enim eſt nota (arbitror) mea ſententia; In quali bet ſanguinis alteratione, & corruptione, ſi morbus vehemens excitetur, miſſionem ſanguinis conuenire, modo vires conſtent, ætáſque conſentiat. Verùm nouimus, ac fatemur cum ſanguine admodum vitiato, & à propria natura alieno, vix fieri poſſe, vt vires ſubſiſtant. Ex quo ſententia noſtra ne hilum quidem labefactatur. Id ſolum noto, cum Aduerſarius eradicatiuæ euacuationis notionem ſtatuerit, qualem audiuimus, fruſtra illum laborare; vt oſtendat eam à Galeno eſſe alienam: cum vel ipſo authore Aduerſario Galenus cum Hippocrate eam ſæpenumero doceat, & vſurpet. Quanquam, id quod aliàs dixi, nunc quoque me iuuat repetere, nouas huiuſmodi voces, & à bonorum authorum conſuetudine alienas, pro virili vitandas eſſe, ac fugiendas, vt quæ prauè intellectæ plurimis poſſunt errandi occaſionem afferre. Etenim, qui optimè Galeni ſententiam teneat, optimè poteſt, ſine eradicantis, aut minorantis, remedij mentione, ritè decernere, an in quolibet affectu ſit euacuandum, & quo remedio, & quouſque vacuationem, & illius quantitatem ducere expediat.

Ad Capvt XIV.

De venæ ſectione in gratiam reuulſionis in febribus putridis.

In præſenti capite ea ſolùm breuiter attingere mihi in animo eſt, quæ ad me pertinent: cuiuſmodi illud in primis eſt, quod nos ſtatuimus, pro vacuatione, & reuulſione humorum, qui facturi ſunt, ac fouere poſſunt obſtructionem, venæ ſectionem conuenire. Id verò manifeſtè elicitur ex Ga- *11. Meth. cap. 10.*
leno, qui poſt multas febrium putridarum indicationes, ad ipſam tandem obſtructionem deuenit. *In qua curabitur* (inquit) *quòd obſtructionis iam factum eſt per ea, quæ exobſtruunt: prohibebitur quod eſt futurum iis, quæ affluxum humorum affluentium inhibent, ſiu prohibent, Græcè ἀπείργει.* Ex quo colligit. *Ergo quod vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt inuentum, id omnium primum in curatione eſt peragendum. Oſtenſum enim in prioribus libris eſt, ſi exobſtruentibus vti velimus, antequam plenitudinem euacuauerimus, fore, vt non modo, &c.* Vltimum inuentum fuerat, affluxum humorum obſtruentium inhibere: hoc autem inquit præſtari, per plenitudinis, totius ſcilicet corporis euacuationem, quam alibi docet venæ ſectione fieri: ergo venæ ſectio humoribus fluentibus ad obſtructiones faciendas, ac fouendas remedium erit accommodatum. An verò illa verè dicenda reuulſio ſit, non ſum in præſentia ſolicitus. Cùm enim reuulſio non ea tantùm ſit, qua maximè ad longinqua retrahimus, quæ propriè, & exquiſitè nomen reuulſionis meretur, ſed etiam quæ licet à propinquioribus aliquantò partibus fiat, tamen inter ſuperiora, & inferiora, inter dextram, & ſiniſtram, inter anteriorem, & poſteriorem partem oppoſitionem ſeruat, quæ minùs propriè & exactè reuulſio dicitur, certum eſt quamlibet humorum affluentium euacuationem, atque ex corpore eductionem, reuulſionis quodammodo nomen mereri. Quo pacto nos diximus, opportunum eſſe, vel magis neceſſarium, ante omnia reuellere, & euacuare: quod potiſſimum venæ ſectione perficitur. Quam quidem rationem ordinè primam dum Aduerſarius ſoluere nititur, manifeſtè fallitur (reliquas ad me non pertinentes prætermitto.) Inquit enim. (*Ob hanc rem nunquã Galenus dixit hunc affluxum venæ ſectione remoueri: ſed ſolum vacuationem fore neceſſariam, antequam ad detergendas obſtructiones veniamus.*) Id ſcilicet Aduerſarius contendebat, non ſolum venæ ſectione id præſtari, ſed aliquan- *11. Meth. cap. 11.*
do etiam purgatione; nimirum pro humoris redundantis ratione. At quidem illi optimè, ac iure poſſum obiicere, nuſquam Gal. purgationis meminiſſe; venæ autem ſectionis ſemel, quod antea ſatis monſtrauimus. Nunc ſatis ſit vnum, vel alterum locum innuere. In huiuſmodi autem cauſarum complexu, ſi rectè quæ prius comprehenſa ſunt, meminimus, cœpiſſe à ſanguinis miſſione conueniet; ac plenitudine euacuatum ad extenuandos humores venire; deinde ad laxanda, quæ ſunt conſtricta, & rarefacienda, quæ denſata, Præte- *Cap. 14.*
reà, poſtquam omnes febrium indicationes ordine iam propoſito, & ab Aduerſario conceſſo,

vt

vt antequam ad obſtructiones auferendas accedamus, corpus ipſum inaniamus, vt eas ipſas indicationes exequatur, ait. *Quippe ſi vires, &c. mittendus ſtatim ſanguis eſt*, &c. Quid igitur dicet Aduerſarius, quando inuenimus Galenum docentem, & affirmantem, quod ille negabat, venæ ſectionem illud remedium eſſe, quo totum corpus euacuatur, vt tutò ad tollendas obſtructiones accedere poſſimus? Sed ille quæſo nobis hanc gratiam referat, vt locum doceat, in quo Galenus, quantacumque ſit cacochymia, quantumcumque humores à natura ſanguinis alieni redundent, doceat hanc euacuationem pro compeſcendo motu humorum fluentium ad obſtructiones, pro facili reddenda via ex obſtruentibus, purgatione eſſe faciendam. Ac veluti certus ſum, nonquam Galenum huiuſcemodi præceptum tradidiſſe, ita poſſem multis agere ad confutandam purgationem initio febrium, quam Aduerſarius tueri, & probare videtur: niſi hæc pertinerent ad alteram Diſputationem à nobis editam de purgatione in principio morborum: in qua nobis acquieſcendum putamus, donec Aduerſarius fœtum pariat, quem parturire ſe aliquando ſignificauit.

AD CAPVT XV.

Venæ ſectio an refrigerandi cauſa fiat?

HOc vltimum quinti libri caput partim ad nos propriè pertinet, partim nobis neſcio quos Argenterij ſectatores adiungit; quos equidem in præſentia nihil moror; qui id ſolum in animo habeo, veritatem à me aliàs explicatam, nunc tueri, ac ſi opus fuerit, clariorem, & illuſtriorem reddere. Primum autem animaduerto titulum capitis generaliter ſine vlla exceptione pronunciatum, miſſionem ſanguinis euentatiuam, & refrigeratoriam non eſſe admittendam. Quàm ſi hoc ipſo capite Aduerſarius admittet manifeſtè, quid nobis de illo dicendum ſupereſt, niſi quod ſæpè diximus: largiorem illum eſſe promittendo, quàm ſoluendo; ac dummodo aliis ſit infeſtus, non dubitare in apertiſſimas incidere contradictiones? Quæſtionem porrò, vt ſolet, ſatis abſurdam proponit, [*An in putridis febribus vena incidenda ſit, ſolum vt obſtructiones tollamus, vel etiam totum corporis habitum refrigeremus.*] At quis dixit incidendam eſſe venam ſolum vt obſtructiones tollamus? Quid de illis, qui ſolum ob vehementiam morbi venam putant eſſe incidendam? Verum meminerit etiam, quæſtionem proponi, an vena incidenda non ſolùm propter alium ſcopum, ſed etiam propter hunc additum, vt corpus refrigeretur. Cùm enim ille profiteatur, refrigeratoriam venæ ſectionem non eſſe admittendam, tamen incautus committet, vt fateatur non ſolùm propter alia, ſed etiam propter refrigerationem corporis venæ ſectionem eſſe adminiſtrandam. Ita Aduerſarius ſolet, quicquid ſuppetit, effundere, inſtituto, ac ritu eorum, qui nihil certi, nihil explorati habent, quod teneant, ac tueantur. Aliorum ſententiam refert. [*Omnes febres putridæ alicuius momenti indigent venæ ſectione, quod omnes liberiorem poſtulent perflationem, quam ſola præſtat ſanguinis miſſio.*] Equidem vix credo aliquem reperiri, qui cenſeat ſolam ſanguinis miſſionem ad perflationem liberam reddendam facere. Sed quicquid alij ſentiant, noſtra ſententia eſt, cum venæ ſectio in febribus putridis, adeóque omnibus morbis vehementiam morbi potiſſimum inſtituatur, tamen habere etiam vim, qua pluribus ſingularibus indicationibus ſatisfacit; inter quas illa quoque non eſt contemnenda, quòd corporis habitum mirabiliter refrigerat, liberámque natiui caloris perſpirationem reddit. Quam quidem opinionem dum Aduerſarius nititur confutare, longiſſimè à ſcopo iaculatur: qui inquit [*humorem ſeminalem, & ſemiputridum moderatam indicare motionem, refrigerationem, concoctionem. Hæc autem quæ partim à natura fiunt, partim ab arte, non habere locum, niſi prius impeditam tranſpirationem liberam, expeditámque reddiderimus.*, &c.] Ego verò ita cenſeo, impeditam perſpirationem putredinis quidem cauſam eſſe; verùm ſecundùm ſe vnum ſymptoma eſſe ex excretis mutatis. Quare ſi propriam habet indicationem, ſcilicet tranſpirabilium excretionem, illam ſequi naturam aliorum ſymptomatum, vt ad cauſæ amotionem tollantur. Cauſa autem in primis obſtructio eſt; quæ partim eſt facta, partim fit. Et quæ facta quidem eſt, tollitur ſanè ex obſtruentibus, ſed non niſi prius corpore per venæ ſectionem inanito: quæ verò fit, corporis totius euacuatione prohibetur per eandem venæ ſectionem: quo pacto dicimus hanc maximè facere ad reddendam liberam perflationem totius corporis. Hic aduerſarij errorem licet animaduertere, qui ait, indicationem euacuationis à ſola plenitudine oriri: cum tamen Galeno teſte, ipſomet Aduerſario recitante, euacuationis indicatio à putredine quoque, ab obſtructione, & prohibita tranſpiratione ſumatur. Sed ſophyſma Aduerſarij audiamus. [*Quod communem habet naturam, id ſolum communem indicationem præbet*] optimè, Galenicè [*tranſpiratio impedimenta communem habet naturam*] concedi, & hoc poteſt: vndè optimè ſequitur. [*Iuuantum igitur, ac vtile pro ſui natura commune duntaxat habebit.*] Quòd ſi Aduerſarius putat hinc ſequi, ergo venæ ſectio non iuuat prohibitam tranſpirationem, longè fallitur: quia multa remedia particularia communibus indicationibus, & quidem aliquando pluribus ſatisfaciunt. Sed quæſo retorqueat argumentum. Plenitudo habet naturam communem, cui teſte Hippocrate, vna communis contraria natura reſpondet, tanquam indicatum, ipſa ſcilicet euacuatio. Quid igitur? ſequetur ne, plenitudinem haud tolli venæ ſectione? Nec ſanè Aduerſarius negare poteſt, plenitudinem habere naturam communiorem venæ ſectione, cum ipſemet fateatur, illam tolli ſæpenumero aliis remediis, frictione, balneo, inedia, &c. Quid igitur dicendum eſt? Aliud eſſe loqui de propria, & adæquata vniuſcuiuſque affectus indicatione, quæ pro vnitate affectus, vna ſemper eſt; aliud de cuiuſque remedij viribus & facultatibus; quæ ſæpenumero ſunt multiplices, ac tot aliquando, vt vnum remedium pluribus indicationibus ſatisfaciat. Id quod in ipſa cum primis venæ ſectione licet obſeruare. Non ſunt in præſentia ſollicitus de illorum poſitione, qui in febribus intermittentibus vaporum generationem aſtruunt, qui venæ ſectione educantur, & euaporent. Illud ſolum Aduerſarij exemplum perpendendum eſt, quo vtitur, vt probet venæ ſectionem ſanguinem vtilem euacuare perflationem caloris facere non poſſe; cum ait. [*Ego quidem dum horum opinionem conſidero, ferè ſimiles induco iis, qui in dolio vinum generoſum continente, magnum efficientes foramen, ſinant illud totum profundi, vt aërem ſimul incluſum vacuent: ſic qui aliud non habent in febribus intermittentibus conſilium, quàm prohibitam tranſpirationem, temerè profundentes ſanguinem, hominem vel è medio tollunt, fundentes cum ſanguine vinum, vel ex intermittentibus continuas efficiunt.*] In quo exemplo multis modis peccat: quia nullum ſupponit in vino vitium eſſe: quia magnum inquit fieri foramen, quo totum vinum effundatur: quia ſcopum proponit euacuandi aërem incluſū: quia ſupponit iſtos nō habere

aliud conſilium, ſibi propoſitum, quàm prohibitam tranſpirationem. Cùm tamen in caſu verſemur valdè diſſimili: ſcilicet vt vinum quantitate, aut qualitate peccet: vt foramen fiat tantillum, quo minima pars ſanguinis euacuetur: quia ſcopus eſt ſanguinem ipſum, vnà cum putridis vaporibus euacuare: quia venam ſecantes, alios quoque ſcopos ante oculos habemus, vt materia minuatur, vt aliis remediis facilior, tutiórque vſus reddatur, vno verbo, vt morbi vehementię conſulatur. Quantò igitur aptius exemplum formaſſet hunc in modum? Qui inter initia febrium putridarum putant venæ ſectione ſe earum feruorem eſſe ſedaturos, ac liberam tranſpirationem reddituros, ſimiles mihi videntur eſſe iis, qui dolium vini plenum, videntes vel ob muſti feruorem, vel ob putredinis diſcrimen periclitari, ne vel importuna ebullitione vas ipſum infringatur, vel putredine vinum ipſum corrumpatur, paruo facto foramine liberam vino perſpirationem reddunt; vt tum eius feruor inhibeatur, cum à putredine præſeruetur. Quod quidem exemplum & facilè, & ſæpè vſu veniens, & rerum naturæ conſentaneum facilè poterat Aduerſarium à concepto errore reuocare. Sed ille quidem videtur mihi ſimilis dolij ſitum redolentis, quod optimum quoque vinum iniectum vitiat, & prauo inficit odore. Verum finiamus. Tandem aduerſus nos, qui putamus venæ ſectionem refrigerandi vim habere, atque hac etiam ratione in febribus conuenire, Aduerſarius inquit. [*Ego verò non ita puto ſtatuendum.*] Quid verò ſtatuit obſecro? Id inquam. [*Venæ ſectio multitudinem vacuat ſuaptè natura, obſtructiones etiam tollit, & affluxum prohibet ſanguinis. Quia verò totum corpus ex eius feruore incaleſcebat, eius euacuatione refrigeratio ſequitur.*] Gratias habeo ingentes. Qui tanto conatu aduerſus me contendit venæ ſectionem non curare obſtructionem; nunc clarè, expreſſè, ad verbum ait, *obſtructiones etiam tollit*: qui nolebat refrigerationis gratia venam ſecari; nunc fatetur, quia ex feruore ſanguinis corpus incaleſcebat, eius euacuatione refrigerationem ſequi. At quid ego volui? Venæ ſectionem in febribus putridis tum alia commoda præſtare, tum ad alios vſus adhiberi, tum verò & propter hanc ipſam refrigerationem. Quod

1. Meth. c. 10. à Galeno traditum eſt, qui inquit, quædam remedia complicatam quodammodo, duplicémque facultatem habere, ita vt & prima ratione proficiant, & ex accidenti. Nec profectò vnquam dixi, quod Aduerſarius mihi tribuere videtur; ſanguinem mitti ſolùm ob refrigerationem, quanquam non dubito aduerſus ipſius ſententiam tueri potiſſimùm, ac præcipuè in gratiam refrigerationis venam ſecari.

1. Amph. com 23. Id quod ex vno Galeni loco ab Aduerſario perperam conſiderato mihi videor poſſe demonſtrare. Dicebat Galenus in ardentiſſimis febribus, *ἀνενδοιάστως*, ſe nullum maius inueniſſe remedium, quàm venæ ſectionem ad animi deliquium. Experiamur cum argutulo Aduerſario, an hinc argumentum inexpugnabile colligere poſſimus. Illud maximum eſt remedium, quo maius, non reperitur, quod indicationi maximæ, ac maximè vrgenti ſatisfacit. Sed venæ ſectio tale febris ardentis remedium eſt, ergo illam præcipuæ, & vrgentiſſimæ febris ardentis indicationi ſatisfacere, vt fateamur, neceſſarium eſt. At verò hæc in primis refrigeratio eſt; quoniam affectus, qui maximè vrget, & qui maximum periculum minatur, aut mortis, aut tranſitus putridæ febris ad hecticam, calor ipſe inſignis exiſtit. Quare ſectionem venæ refrigerationis gratia potiſſimum adhiberi putandum, & pro comperto habendum eſt. Sed quid in re clara vehementius laboro? Cum Galenus manifeſtè affirmet, ex venæ ſectione ad animi deliquium totius corporis habitum refrigerari, ac febrem extingui? planè indicans propter hanc ipſam cauſam talem venæ ſectionem adhibitam fuiſſe. Verum quicquid hac de re ſit, illa certè Aduerſarij argumentatio ridenda eſt. [*Quid ſi hoc verum foret, intemperies omnis non indicaret alterationem ex contraria intemperie, ſed vacuationem.*] Quam quidem conſecutionem quo pacto deduxerit, quo magis conſidero, eò minus intelligo, neque alius fortaſſe intelliget, qui non æquè ac Aduerſarius ſingulari ingenio, atque intelligentia polleat.

LIBER NONVS.

DISPVTATIO IX.

De venæ ſectione in febribus putridis particularibus.

AD CAPVT I.

Propoſitum authoris.

QVÆ hactenus diximus de miſſione ſanguinis in febribus putridis, multis nominibus ſatis eſſe videntur, quæ Galenicam veritatem vnicuique perſuadeant, vt non ſit opus idem in ſingulis demonſtrare. Etenim communem doctrinam coacti fuimus multis ſingularibus exemplis illuſtrare. Præterea quod communiter probatum eſt, idcirco veritatem habet, quia itidem ad omnia particularia aptari poteſt: & quod vniuersè de homine dixit Galenus, id nos de febribus ſtatuere poſſumus, non curari febres putridas in communi, ſed ſpeciatim, intermittentem, continuam, tertianam, quotidianam, &c. Huc accedit copioſa (nec quid grauius dicam) Aduerſarij ratio, qui omnia vbique inculcat, ac repetit: vt, quanquam duos poſtremos libros addere voluit, vix tamen quicquam noui in his tractandum ſeruauerit, quod non antea millies ad ſatietatem dictauerit. Sed quando inſtitutum habemus nihil pretermittere, quod ad tutelam veritatis, noſtrorúmque Diſputationum, & ad ſtudioſorum eruditionem facere poſſit, hic quoque labor exhauriendus eſt: in quo quàm breuiſſimè poterimus, dabimus operam, vt doctrinam antea traditam, vel noua aliqua acceſſione illuſtremus, vel exercitatione in particularibus facta, quæ Galeni methodus eſſe ſolet, clariorem reddamus. 3. Meth. c. 7.

AD CAPVT II.

Cur venæ ſectio prætermiſſa in tertiana exquiſita ex Aduerſario.

QVoniam Galenus febris tertianæ exquiſitæ curationem inſtituens, nihil de venæ ſectione meminit. Lib. 1. ad Glauc. Aduerſarius in præſenti capite huiuſce rei cauſam affert, atque eam quidem vnam deſumptam à natura humoris peccantis: alteram à loco, in quo ille putreſcit, ac mouetur. Humor peccans eſt flaua bilis, omnium humorum calidiſſima, & ſicciſſima ac maximè diſtans à natura ſanguinis, quocirca nullo modo venæ ſectionem, ſed [*purgationem* (inquit Aduerſarius) *poſtulat pro natura cu-*

iuſque

iuſque cacochymiæ.] In qua ratione illud primum obſeruari cupio, cum Galenus in morbis ex cacochymia venæ ſectionem præſcribit, Aduerſarium ſtatim, de ſuo, plenitudinem addere. Quæſo autem cur nos quoque hic dicere non poſſimus ex Aduerſario, ſimul cum bile copioſa plenitudinem coniunctam eſſe, atque ea ratione venæ ſectionem conuenire? Quod ſi dicat eſſe à Galeni mente alienum, id quidem non inuiti nos fatebimur, modò ille eandem perpetuò legem ſeruet, nec velit alijs plenitudinem eſſe addendam, in quibus eam Galenus ne quidem ſomniauit. Deinde ſi humoris natura facit, vt à venæ ſectione abſtineamus, qui à natura ſanguinis ſit alienus, quid de tertiana notha dicendum erit? In qua humores à natura ſanguinis magis videntur abhorrere: cum in ea redundet non ſolum flaua bilis, quæ per ſiccitatem, ſed etiam pituita, quæ per frigiditatem à natura ſanguinis recedit: adeo vt ſi ipſos humores ſpectes, liceat affirmare, maiorem in tertiana notha, quàm exquiſita cacochymiam eſſe. Veruntamen in hac, Aduerſario conſentiente, vena ſecanda eſt. Ex quo argumentum duci poteſt validiſſimum, conſilium ſecandæ aut non ſecandæ venæ ex natura humoris minimè eſſe capiendum. Eadem ratio à febre ardente ſumi poteſt, in qua bilis & copioſior, & feruentior eſt, quàm in tertiana, in qua tamen ſanguinem mitti oportere, ſatis docuimus cum Galeno. Quare non eſt, vt Aduerſarius in hoc argumento vehementer glorietur. Alterum conſideremus à loco, quod ipſemet prodit inquiens. [*Namque per ſenſitiuas corporis partes excurrit (bilioſus, ſcilicet humor) per quas etiam expurgari deberi illum rationi conſonum eſt.*] Qui nihilominus triplicem curationem inſtituit. Vnam [*per corporis habitum bile inſenſibiliter vacuata ex balneo aquæ dulcis*] in qua deficit, cum euacuatio conueniat, non ſolum inſenſibilis, vt ille loquitur, ſed etiam ſenſibilis per ſudorem. Alteram, [*vel per vrinarios meatus ex decoctione apij, & anethi.*] Tertiam, [*vel per inferiorem aluum ex abſinthij comate*, &c.] Comam fortaſſe dicere voluit, niſi comatoſus fuit. At verò euacuatio per vrinam, nónne ijs debetur, quæ in venis continetur? Quæſo enim qui fieri poteſt vt materia extra venas contenta per vrinas educatur, niſi à venis exilibus ad maiores, vſque ad venam cauam traducatur, atque ab hac ad emulgentes, ad renes, ad veſicam feratur? Quod itidem proportione quadam & de arterijs dixiſſe licet. Rurſus purgatio per aluum quo pacto bilem educet extra vaſa putreſcentem, ac in totum corporis habitum cum impetu delatam, vt rigorem efficiat, niſi illa ab habitu ad venas, à venis ad ventriculum, & inteſtina recurrat? Nec verò eſt, vt Aduerſarius ad portionem aliquam bilis confugiat, quæ in ventriculo, primíſque venis contineatur, quæ antecedens ſit materia (vt loquuntur) & tanquam cauſa proximam ipſius febris materiam foueat. Namque hoc quantumuis concedatur, illius ratio aliò ſpectabat, qui putabat bilem purgatione eſſe vacuandam, propterea quod febris ex ea fieret per ſenſitiuas corporis partes delata. Quare per Aduerſarium hæc ipſa bilis extra venas putreſcens ex coma abſinthij per aluum educitur. Ille igitur difficiliorem euacuadi rationem amplectitur, quæ duplici eget itinere, ab habitu corporis ad venas, & à venis ad meatus vrinæ, vel ad ventrem: & faciliorem ab habitu in venas, à quibus facilè venæ ſectione euacuatio fit, improbat, atque vituperat. Verùm autem reuera, conueniat miſſio ſanguinis, in proximo capite diſputabimus: quando hic ſolùm rationes Adnerſarij conſiderare voluimus.

AD CAPVT III.

Cur Galenus venæ ſectionem prætermiſerit in tertiana ex propria ſententia.

CVr Galenus in curatione febris tertianæ venæ ſectionis mentionem prætermiſerit: nos triplicem cauſam afferebamus. Primam, quòd illa communia quædam præcepta aliàs tradiderit, quæ hoc ipſum, & alia multa ſingularia complectuntur. Secundam, quòd cenſeat febrem intermittentem morbum magnum non eſſe. Tertiam, quòd liber ad Glauconem, quemadmodum initio profitetur quaſi per figuram, & quoddam compendium ſcriptus fuerit, vt accuratè omnia tractari non potuerint. Aduerſarius porrò, vt nos oppugnet, mihi videtur ſapientiſſimi illius Ducis exemplum ſecutus, qui bacillos plurimos ſimul iunctos docuit non facilè, vel à robuſtiſſimo quoque frangi poſſe; qui ſinguli à quouis facillimè dirumpantur. Cùm enim tres illæ rationes ſimul iunctæ, mea quidem ſententia, ſatisfacere cuique poſſint, ac debeant, cur Galenus venæ ſectionis haud meminerit in febre tertiana, ille ſingulas aggreditur, ac fortaſſe non leui negotio illas ita diſtractas arguit, & ſupplantat: quas tamen nos dicimus ita ſimul conſpirare, vt ſimul ſumptæ, omnem Aduerſarij impetum effugiant, omne illius argumentum contemnant, atque eludant. Quod vt demonſtremus, illud in primis doceamus, quo pacto è ſententia noſtra illæ coïre debeant, ſic ferè, Galeni inſtitutum aliquando fuit artem vniuerſam ſuis integrè problematibus, ac præceptis conſtantem à principio ad finem exactè pertractare; quemadmodum in libris Methodi therapeuticæ fecit. Aliàs verò ſumma quædam eius capita per compendium tradere voluit; ſicuti in Arte Medica, in libris ad Glauconem. Galenus autem hanc diuerſam ſcribendi rationem pro varia illius mente ſeruare voluit: vt pote qui modò totam artem perfectam tradere, omnéſque docere inſtituit; modò ad aures alicuius, ingeniúmque voluit ſe accommodare. Quod libro in primis ad Glauconem fecit: in quo ſcribens ad philoſophum, ac medicum fortaſſe non vulgarem, id ſatis habuit, vt præcepta quædam breuia, & ſummis quibuſdam capitibus contracta traderet. Quòd quidem duplex ſcribendi genus ipſi quoque Ariſtoteli fuiſſe familiare inter cæteros teſtatur Euſtratius; qui illius opera ita diſtribuit, vt alia ad diſcipulos ſcripta ſint, qui ad eum audiendum ſimul conueniebant; quæ ipſe in publicis ſcholis coram diſſerebat, & exponebat: alia verò priuatim ad aliquos extrinſecos illi argumento accommodata, quod vnuſquiſque requiſierat: Illa (inquit) ἀκροαματικὰ, hoc eſt. *auditoria*, vel *auſcultatoria* appellantur; quippe quæ ad eos, qui eum publicè audiebant, fuerint conſcripta. Hæc autem ἐξωτερικὰ, vocantur, quaſi dixeris *extranea*, quia vnumquodque ex ipſis ad priuatum aliquem extra publicum auditorium conſcriptum fuerit. Itaque pro vario Galeni conſilio, ſcribendi prima noſtra ratio fuerat inſtituta: quæ ſola non eſt talis, in qua animus acquieſcat. Quoniam rurſum quærendum relinquitur, quod Aduerſarius facit, cur hoc prætermiſerit, in alijs non item. Idcircò alia eſt adiungenda ratio, Galenum ſcilicet in eo libro communia quædam præcepta, alibi fusè, & accurate, tradita ſupponere, & tanquam Glauconi optimè, nota, ſilentio inuoluere voluiſſe. Inter hæc autem illud præcipuum fuerat, in quali bet febre, ſi vehemens illa fuerit, initio ſanguinem eſſe mittendum; dummodo vires, ætáſque permittant. Quare id quamuis in omni febre nnn apertè profetat, nihilominus eſt à nobis intelligendum, atque ſupplendum. Verùm hæc quoque ratio defi-

1. Ethic. ad fin.

cere videtur; quoniam adhuc dubium eſt, cur Galenus in tertiana exquiſita huiuſmodi remedij mentionem prætermiſerit, in alijs illud expreſſerit. Igitur tertia tandem ratio addenda eſt, quoniam ille hanc febrem exiſtimauit non neceſſariò inter morbos magnos, ac vehementes eſſe reponendam. Quod rationi conſonum eſt. Cùm enim febres, quæ quouis modo intermiſerint, iudice Hippocrate, periculo vacent, hoc in primis tertianæ febri videtur conuenire, quæ ex 48. horarum ſpatio, duodecim tantùm ad ſummum horas hominem occupat, triginta ſex & amplius horas febris immunem relinquit. Diximus autem magnitudinem, ac vehementiam morbi ex vno periculo eſſe definiendam. Ex quo ſatis eſt dubitationi factum, cur Galenus in hac febre venæ ſectionem prætermiſerit; quod in alijs nonfecit, quæ longiores ſunt, plerunque continuæ, maioribúſque & grauioribus cum ſymptomatibus coniunctæ. Id vnum curioſior quiſpiam quærere poſſet, cur hoc ipſum Galenus non animaduerterit: cui ſatisfaciat quod antea diximus; Galenum artem in pauca contrahentem non debuiſſe ita accuratè, & ſigillatim omnia perſequi, ac docere non ſolum quid ſit, ſed etiam quid non ſit faciendum. Id quod in alijs quoque febribus eundem feciſſe conſtat. Nam in tertiana notha, cum dixerit venam ſecandam eſſe, ſi oporteat, tamen nulla nobis præcepta tradit, quibus dignoſcamus, quando mittere, aut non mittere ſanguinem oporteat. Quod in alijs quoque licet obſeruare. Niſi & illud addamus tandem, Galenum fortè ne hoc quidem commune præceptum omnino prætērijſſe, cum doceat conferendas eſſe vires cum morbi magnitudine, vt ad ea, quæ maius remedium expoſcunt, reſpiciamus: quod quidem præceptum vt à Galeno ad victus rationem cum primis accommodatur, ita ad reliqua omnia valentiora præſidia, præſertim ad venæ ſectionem poteſt accommodari. Atque hæc profectò mihi videntur omnem difficultatem tollere, omnéſque dubitationes ab Aduerſario adductas ſoluere. Verùm vt ille moleſtus eſſe deſinat, ad ſingula quædam reſpondeo. Venæ ſectio non niſi in magnis morbis adhibetur: per nos autem in omnibus febribus putridis adhibetur, ergò omnes febres putridæ magni morbi ſunt. Ergò & tertiana exquiſita. Qui igitur diximus eam non eſſe magnam? Primum dictum hoc noſtrum ita intelligendum volumus; febrem tertianam magnum morbum non eſſe neceſſariò: nam quod in tertiana notha Galenus docuit, & in alijs quoque morbis obſeruandum eſſe præcepit, id pariter in ipſa tertiana exquiſita eſt animaduertendum; vt ſcilicet prouideamus, ne morbus augeatur, & conſideremus ad quantam magnitudinem debeat peruenire: nempe, verùm ſponte, ac natura duce poſſit amoueri, an verendum ſit, niſi ad maius aliquod præſidium confugiamus, ne in continuam, & perincioſam febrem euadat. Præterea cum tertiana exquiſita ex propria natura non habeat, vt magna ſit, ac vehemens, ſatis fuit eam communibus regulis ſubieciſſe: quod in alijs facere non debuit, ſicut diximus. Quòd ſi Galenus aliquando ait, ſaluberrimum eſſe in omnibus putridis mittere ſanguinem, quo nomine ipſæ quoque tertianæ comprehenduntur, ſic habendum eſt, vbi aderit ratio, qua liceat ſanguinem mittere, in his quoque ſalubetrimum fore. Id quod (mirum) ipſemet Aduerſarius confitetur, qui contendit febrem tertianam exquiſitam in eo ſenſu acutam eſſe. [*Quod ſi actu acutus morbus non eſt, facilè poteſt in valde acutum tranſmutari, nempe in congenerem, continuam, ardentémque.*] Verùm quo pacto morbus poſſit non eſſe magnus, licet cor occupet, licet mutatio ſit natiui caloris in igneum, quod ille nobis nunc objicit, ſatis docuimus, dum de ephemera loqueremur: quo exemplo facile vnuſquiſque poteſt intelligere non omnes cordis læſiones, non omne caloris incrementum, & ad igneam qualitatem mutationem magnum morbum conſtituere. Sed huic capiti finem imponamus, vbi euidentem Aduerſarij contradictionem hîc quoque innuerimus. Capite proximo ſumma vi nixus eſt docere, quòd tertiana exquiſita [*venæ ſectionem ex Galeni opinione admittere non poteſt.*] Hic tamen concedit in eadem conuenire ſectionem venæ, non quidem ſemper [*aut certè rariſſimè.*] Quod vitium eſt illi familiariſſimum. Sed Aduerſarius poſtremò videat, vt quod nobis crimen objicit, eodem ipſe damnandus ſit. Etenim quia diximus Galenum hoc præceptum prætermiſiſſe, quia non accuratè omnia perſecutus eſt, inſtat, Galenum diligentiſſimum fuiſſe, [*vt hac in re aliquid amplius non videntur poſſe deſiderari.*] At verò ſi venæ ſectio plerúmque non conuenit in tertiana exquiſita, conuenit autem rariſſimè, cur hoc ipſum Galenus prætermiſit, quem profiteris adeo accuratum, & diligentem fuiſſe, vt nihil deſiderari hac in re poſſit? Credo equidem Galenum huic homini huiuſmodi animaduerſionem faciendam reliquiſſe, vt qui omnem diligentiam ſuperaret, eáque doceret, quæ ne deſiderari quidem poſſint.

4. Aph. 43.

Init 9 c. 10.

AD CAPVT IV.

De miſſione ſanguinis in tertiana notha, & quartana.

QVæ aduerſ. affert de miſſione ſanguinis in tertiana notha, & quartana, in quibus tantam vim facit, ſunt adeo leuia, vt vix commemorari mereantur, cum quiſquis medicinam vel primoribus quidem labijs attigerit, poſſit eius argumenta faciliimè, & planiſſimè ſoluere. In tertiana notha inquit Galenus mittendum eſſe initio ſanguinem, ſi ſanguinem mittere oporteat. Quid hoc ſibi vult? ſi præcipui mittendi ſanguinis ſcopi conſentiant, ſi vires omnium ferant, ætáſque permittat. Quamuis enim morbus ſua vehementia venam ſecandam indicet, tamen alijs ſcopis non conſentientibus ſecare non oportet. Verùm Aduerſarius hanc reſponſionem nititur impugnare, quia Galenus conſilium, an mittendus ſit ſanguis, non capit in his verbis, ſi oporteat, vel ſi indigeant, ſed in ſequentibus, adhibita eorum, quæ ſcis diſtinctione. Sed Aduerſarius longè fallitur; quia hæc diſtinctio non pertinet ad conſilium de mittendo, aut non mittendo ſanguine, ſed de quantitate ſanguinis educendi. Quod quidem Galenus vſque adeo manifeſtè affirmat, vt mirum ſit Aduerſarium id non animaduertiſſe. Inquit enim; *ſed ab initio ſtatim, adhibita earum rerum, quas ſcis, diſtinctione, tantum mittendum, quantum præſens exigit ſtatus.* Quæ verò ſint indicationes, quibus de ſanguinis mittendi quantitate decernitur, non eſt, vt hic nitamur declarare. Id certè patet, cum hæc verba ad ſanguinis menſuram neceſſariò referantur, alicta priora, ſi venæ ſectionis indigeant, ad ſcopos principes eſſe referenda, à quibus deliberatio pendet, vtrùm vena ſecanda ſit, necne. Quæ autem afferuntur è Stephano Athenienſi, ipſa quoque ad quantitatem mittendi ſanguinis pertinent; cuius iudicium eſt, quia inter cætera Vernum tempus enumerat, quod certè ad perſuadendam miſſionem ſanguinis non facit, ſed ad quantitatem eius liberalius educendam.

Ad quartanam quod attinet, quæ de tertiana diximus, commodè huc transferri poſſunt. Cum enim illa ſimplex, & exquiſita ſoleat omni periculo vacare,

Digitized by Google

care, & homines à conſuetis operationibus non admodum reuocare, mirum non eſt, ſi non ſolùm ſine venæ ſectione, ſed etiam ſine aliis remediis, immò verò ſine vlla medici ope ſoleat plerunque dimitti. In ea tamen Gal. præceptum obſeruandum eſt, quod inquit omnibus morbis eſſe commune: vt inſpiciamos, an maiore aliquo remedio ſit opus; quod ex eo indicatur, quatenus periculum eſt, vt ne morbus augeatur, & è ſimplici duplex aut triplex quartana fiat; vel ex quartana in aliud febris genus conuertatur. Quod quidem fateor, cū ex aliis, tum maxime ex copia ſanguinis craſſioris poſſet dignoſci; ſed tamen ita, vt non ipſe ſanguis, ſed periculum creſcentis, aut imminentis morbi doceat ſanguinem mittendum eſſe. Sed cur ſanguis, ſi craſſus fuerit, venæ ſectione ducitur, ſi tenuis à venæ ſectione eſt deſiſtendum? Hoc prima fronte aduerſus nos facere videtur, cum deliberatio de mittendo ſanguine ab eius qualitate ſumi videatur. Verùm aduerſos Aduerſarium magis facit, qui iure dubitat, [*cur hic euacuari non debet, ſi multitudine facit negotium?*] Quod argumentum illi eſt inexplicabile, qui conſilium mittendi ſanguinis perpetuò capit à plenitudine. Itaq; ſi illud ſoluere debuit, coactus eſt in noſtram opinionem venire, cur ſcilicet mittendus, aut non mittendus ſit ſanguis, cōſilium non à multitudine, ſed à viribus capiendum eſſe, quia [*ſanguinis tenuis, & biliosi abundantia, ſi euacuaretur, virtus redderetur imbecillior, quemadmodum etiam idem Stephanus Athenienſis dicit, dum ea interpretatur verba.*] In qua ſolutione, tanquam à nobis ſæpenumero allata libentèr acquieſcimus: Quomodo tamen illa iis cohæreat, quæ de plenitudine ab Aduerſario dicta ſunt, certè quidem non videmus. Illud etiam pòſtremò conſideratione dignum videtur, quod cōtra Aduerſarium facit, cum quartana fiat ab humore melancholico, cæteri autem humores à ſanguine, vna in primis purgatione, vel ipſius Aduerſarij teſtimonio debeant expurgari, cur Gal. non ſolùm initio huiuſmodi humorem non doceat eſſe purgandum, ſed etiam grauiter, & elatè iubet, vt nullum forte medicamentum, aut euacuationem adhibeamus.

AD CAPVT V.

De venæ ſectione in febribus continuis.

QVia nihil in præſenti capite continetur, quod non antea diligenter à nobis examinatum fuerit, placet, illud præterire his tantummodo paucis annotatis. Primom, iniuriam ab Aduerſario nobis impoſui; quòd ob ſolam euentationem ſanguis mittatur, cum alios prætereà illius vſus, & quidem præcipuos ne tyrunculi quidem ignorent. Deinde hic reperi argumentum illud leuiſſimum, quod libro antecedente confutauimus [*ſi propter ſolam refrigerationem, &c.*] De qua re non eſt, vt rurſum dicamus. Tum verò cum duas afferat mittendi ſanguinis indicationes, vacuationem, & reuulſionem, errare illum, vel ſuis ipſius fundamentis oppugnatum: vnius remedij vnicam eſſe indicationem. Quare duæ huiuſmodi indicationes ad vnum communem ſcopum velit, nolit, redigendæ ſunt: quem comminiſci, ac fingere alium non poteſt, quàm morbi magnitudinem. Quod quidem ex hoc loco patet, cum inquit. [*Quarum vna eſt multitudinis euacuatio, alia verò vt morbi magnitudinem tollamus.*] Verùm ipſa quoq; euacuatio multitudinis nunquam docet ſanguinem mittendum, niſi talis fuerit, quæ morbum magnum efficiat. Morbus igitur magnus communis ille eſt vnicus ſcopus, qui venæ ſectionem indicat, Sed de his aliàs. Tandem ex hoc loco apertiſſimè colligitur ex Aduerſario duplicem eſſe morbi magnitudinem. [*De morbi magnitudine* (inquit) *diximus de Gal. ſententia; nempe alio modo ſumi, quando ipſam contra diſtinguit à plenitudine; alio quando ſolam affert magnitudinem.*] in quibus non ſolùm deſidero doctrinæ claritatē, locutioniſq; ἐνέργειαν, ſed etiam opinionum conſtātiam; cum illemet ex profeſſo aduersùs nos diſputauerit, vt probaret vnicam eſſe morbi magnitudinem ſola maioris, aut minoris varietate differentem.

LIBER DECIMVS.

DISPVTATIO X.

CAPVT I.

De venæ ſectione in diaria ex obſtructione.

HOc primum caput eſt vniuerſæ futuræ Diſputationis fundamentum. Quare ſi illud ſua ſponte ruit, vt oſtendemus, facilè patebit quàm erronea, & inanis tota etiam Diſputatio futura ſit. Aduerſarius primùm ipſam Gal. opinionem proponit, immò verò ipſa Gal. verba recitat; quorum ſententia ad ſummam eſt huiuſmodi: Ab humorum multitudine vacuationem indicari, à lentore deterſionem à craſſitie attenuationem: quæ vſq; adeo certa ſunt ac manifeſta, vt vel tacente Gal. ſint omnibus nota, & tanquam axiomata quædam planè confeſſa habenda ſunt. Ex his tamen quam Aduerſarius dubitationem quærat, paucis videamus. [*Igitur hæc ſi vera ſunt, cum a plenitudine non ſit obſtructio, à venæ ſectione abſtinendum.*] Conſequentia mirabilis: in qua libenter illum monitum, ac rogatum velim, quo medio, qua vi, quo rationis genere ita ſibi locum eſſe putet argumentari: cum ego quoque itidem deducere poſſim. Igitur hæc ſi vera ſunt, quanquam à plenitudine non ſit obſtructio, non eſt à venæ ſectione abſtinendum. Ac fortaſſe noſtra conſequentia longè magis ad Gal. mentem, ad rationem, ad veritatem foret. Etenim ſi obſtruentes humores non poſſunt aperientibus euacuari, calidioribus aliquanto medicamentis inçidi, & attenuari, niſi prius totū corpus fuerit inanitum, quod aut ratò admodum, aut nunquam purgatione præſtari poteſt, omnis ratio colligit, vt primū venæ ſectione totum corpus euacuetur. Quid igitur admiratione magis dignum offerri poteſt quàm quòd iſtæ nulla, & inanis conſequentia ab Aduerſ. vocetur methodus ſtabiliſſima? Propterea quæ idem affert ex Gal. de vena ſecanda nihil cum præcedentibus pugnant, quin potius mirabiliter conſentiūt, vt docuimus: quo fit, vt nullus ſit dubitationi, ac tam longæ Diſputationi locus. Sed videtur rationem dubitationis afferre voluiſſe, cum ait. [*Videtur ſanè maximè controuerſum, quomodo hæc cum ſuprà dictis cohærere poſſint.*] quæ nos putamus optimè conuenire, in quibus ille nihil repugnans potuit inuenire. [*Abſurdum enim eſt, ac citra omnem rationem ſanguinis miſſionem in eiuſcemodi febre exercendum, ſi nullum adſit indicans.*] Noua quædam hæc eſt conſequentia, & optima: in qua tamē antecedens probandum eſt. Sed quid probandum

dixit

dixi? Cum Galen. manifeſtè oppoſitum ſupponat. Nam caſus, in quo ille venam ſecandam iubet, non alius eſt, quàm ſi mortentanea ſit obſtructio, id eſt, inſigni, & effatu digna, Græcè, ἀξιόλογοι quod ne ipſe quidem Aduerſarius alibi potuit diſſimulare: ſi febris intra fines diariarum conſiſtere non poſſit: ſi protracta inclinatione febris ſuſpecta reddatur: in qua cum vitioſus ſuccus non tranſpiret, neceſſariò putreſcat. quæ etant ipſa Gal. verba; quibus ſupponit indicans adeſſe: quibus docet magnum morbum imminere: quæ ſunt ab Aduerſario prætermiſſa, qua ratione, quo ſpiritu, equidem certè neſcio. Verùm addit fortius. [*Adde quod adeſſe videtur quod contraindicat, obſtructio ſcilicet ab humoribus viſcidis, craſſiſq; procreata, quæ detergentia, & attenuantia poſtulans, ex ipſa ſanguinis miſſione multum refrigerato corpore, & vacuatis ſpiritibus adaugeri non mediocriter poſſet. Quis enim neſcit humores crudos à calore naturali concoqui? Quis neſcit calorem naturalem à ſanguine conſeruari ac foueri?*] Hic quoque poſſem peculiarem, ac perpetuam Aduerſarij inconſtãtiam, & mutabilitatem obſeruare, qui nũc ſcribit, ex miſſione ſanguinis corpus multum refrigerari: quem aliàs audiuimus aduerſus miſſionem ſanguinis refrigeratoriam acerrimè diſputare. Sed ad rem. Quæ audio? Hæccine ex ore Theol. Philoſophi, ac Medici præſtantiſſimi exciderunt? Quæ monſtra ſi in medicina recipiantur, iam vale venæ ſectioni, & optimis quibúſq; remediis dicendum erit. Ego verò tam longè abſum ab opinione hominis, vt prorſus oppoſito modo affirmare auſim. Adde, quod adeſſe videtur, quod coindicat, obſtructio ſcilicet ab humoribus viſcidis, craſſiſque procreata; quæ detergentia, & attenuantia poſtulans, ex ipſa miſſione ſanguinis refrigerato, & ad mediocritatem redacto corpore, & ſpirituum ventilatione libera reddita, iuuari non mediocriter poſſet. Quis enim neſcit, humores crudos à calore quidem naturali concoqui, ſed à calore præter naturam putrefieri, & corrumpi? quis neſcit calorem naturalem à ſanguine optimè in qualitate ſe habente conſeruari, ac foueri? atque eundem ſæpenumerò per venæ ſectionem ad debitam mediocritatem reuocari? Hæc veriſſima ſunt, & optimorum quorumcunq; medicorum dogmatis conſentientia: quæ ſi quis ignorat, non eſt mirum, ſi in rebus manifeſtiſſimis dubium ſe præbet, ſi in clariſſima luce cæcutit, atque caligat.

AD CAPVT II. & III.

Locus Galeni 8. Meth. cap. 4. Aduerſarij argumenta confutata.

ADuerſarius in his duobus capitibus recenſet, & confutat aliorum opiniones: ex quibus primam ex nobis affert: quam ego ſolam, cæteris prætermiſſis, vti veram, defendere decreui: quod eò mihi facilius erit, quoniam quæ aduerſus nos afferuntur, vſque adeo futilia ſunt, ac puerilia, vt, niſi inſtituta diſputandi ratio mihi aliter perſuaderet, potuerim illa ſilentio inuoluere. Breuibus tamen hanc totam rem percurramus. Noſtra ſententia, non ſatis fideliter ab Aduerſario recitata, vt videre eſt in noſtra Diſputatione, fuerat huiuſmodi. Cum Gal. inſtitutum ſit loqui de febre ephemera ex obſtructione, in corporib. picrocholis, obſtructio autem vel parua ſit, vel magna, vel mediocris, in magna quidem febrem intra diariarum terminos conſiſtere non poſſe: in aliis verò ſi propter cauſas à Gal. poſitas tranſpiratio prohibeatur, periculum eſſe, ne febris diaria in putridam degeneret. Quo caſu propter imminentem morbi magnitudinem non eſſe cunctandum, ſed magnum remedium protinus aggrediendum, venæ inquam ſectionem: idque licet verſemur in natura cacochyma, ac plenitudinis experte. Contra quam ſententiam Aduerſarius multifariam argumentatur, ſi argumenti nomine dignanda ſunt, quæ nullam aut vim, aut formam argumenti habent. Primum illud ſit. [*Nullus extat huius authoris locus, in quo ſignificauerit humores viſcidos, & craſſos indicare venæ ſectionem.*] Hoc equidem libenter do, fateor, ac profiteor. Quid tum? At Gal. decretum eſt, humores, quamuis craſſos, quamuis viſcidos, venę ſectionem nequaquam prohibere, ſi principes adſint eiuſdem remedij ſcopi, quod millies docuimus. Non ea lis inter nos agitur, an tales humores venæ ſectionem indicent, quod nunquam nos diximus, aut animo concepimus; ſed quicquid de ipſis humoribus, & eorundem quantitate, vel qualitate tandem ſtatuatur, an communes illi, ac principes ſcopi, morbus vehemens, vires, ætas; ſatis ſint, quibus de vena ſecanda iudicium fiat. Ad ſecundum argumentum idem reſponſum eſto. [*Nec aliquis etiam extat, in omni obſtructione, quatenus obſtructio eſt, venæ ſectionem fore neceſſariam demonſtrãs, &c.*] An verò nos ij ſumus, qui putemus, aut obſtructionem, aut plenitudinem, aut aliquid tale ſcopum eſſe, qui venæ ſectionem indicet: qui illud conſtanter affirmamus, ſi obſtructio talis fuerit, quæ morbum vehementem minetur, ſtatim ſecandæ venæ indicationem oriri, eámque omnino incidendam eſſe, ſi alij duo ſcopi conſentiant. Argumentum, quod ex hoc loco nos ſumimus, tanquam planè illuſtri, ille refellit, quoniam locus eſt & obſcuriſſimus, & maximè controuerſus. Cum autem id probandum incumberet, iam ſubterfugit; immò verò docet illum, & maximè illuſtrem, & minimè controuerſum eſſe. [*Hoc enim commune axioma eſt in Gal. doctrina ſanguinem mittendum interdum eſſe, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint, niſi vires repugnent, aut ætas.*] At vero quid illuſtrius, quid minus controuerſum dici, aut excogitari poteſt, quàm quod axiomatis vim, ac ſenſum habet? Sed equidem puto eiuſmodi locum Aduerſario videri obſcuriſſimum, & maximè controuerſum in ſua ipſius doctrina, in ſuis ipſius principiis, & axiomatis: quibus tantum reuera abeſt, vt ille poſſit conuenire, vt omnem illius doctrinam, omnia illius principia, & axiomata deſtruat, ac funditus euertat. Quod porrò obiicit. [*Neque conuenit commune decretum tanquam proprium accipere*] nihil eſt, quia conuenit ſaltem communia decreta ad ſingularia applicare, & communem methodum, in ſingularibus, & propriis exercere. Verum quid illud ſibi vult? [*Nemo eſt profectò qui neſciat quantum inuicem diſtent duo hæc pronunciata, Sanguis mittendus eſt interdum ſine plenitudine, & hoc, Obſtructio à craſſis & viſcidis humoribus genita venæ ſectionem indicat.*] ſi prius dictum, & axioma fatetur, iam concordes ſumus; de altero nihil ſolliciti, qui non putamus, obſtructionem ſolùm à craſſis, & viſcidis, ſed ne à multis quidem venæ ſectionem indicare, niſi fortè morbum vehemẽtem patiat, aut parituꝛa timeatur.

Tertium argumentum id petit, quod probandum eſt. [*Amplius omnis magnitudo morbi venæ ſectionem indicans fit vel à ſanguinis copia, vel ab eiuſdem fluore, &c.*] Eam ſcilicet morbi magnitudinem, quæ venæ ſectionem indicat, non aliam eſſe, quàm quæ ex plenitudine, aut motu fit: quod tamen falſiſſimum eſt, vt alibi à nobis diffuſè & diſputatum, & demonſtratum fuit.

Quod Aduerſarius quarto loco argumentatur. (*Præterea ex iis principiis, &c.*) certe neſcio quid ſibi

De ſecp. mitt. ſang. in febribus pag. 662.

ſibi velit. Namque vbi propriam ſententiam prodidit, ac planè confeſſus eſt, [*fieri non poſſe, venæ ſectionem aliquando adminiſtrandam, niſi morbus aliquis adſit, vel immineat magnus.*] deinde nos carpit. *At illi in hoc non benè ſentiunt, quòd debebant cognoſcere de qua magnitudine obſtructionis Galenus loquatur.*] At quid certius cognoſcere, quid clarius dicere potuimus, quàm Galenum de ea obſtructione loqui, ex qua magnus morbus immineat? Quod enim Aduerſarius addit, de triplici obſtructione, magna, parua, mediocri ex Galeno, in ſequentibus capitibus erit diſcutiendum. Quòd ſi hoc illi videtur maximum contra noſtram opinionem argumentum, quod ne argumentum quidem eſt, quid erit de aliis ſentiendum, quæ ille minora exiſtimauit?

Tandem quia nos ad eruendum Galeni artificium oſtendimus illum per longam orationis ſeriem loqui de corporibus, quæ cacochyma ſunt, & naturæ bilioſæ, ac πικρόχολα, vt hinc deduceremus, illum iure addidiſſe venam eſſe incidendam, quamuis non extent ſigna plenitudinis, quæ in propoſito corpore certum eſt non extare, Aduerſarius nititur effugere, quia Gal. quamuis de tali corpore loquatur, tamen obiter, & ἐν παρέργῳ nonnulla interſerit de corporibus plenitudine laborantibus. [*Nam adeo hoc proprium* (inquit) *videtur mihi huius authoris, vt nullum inueniri librum profitear, in quo quædam parergon, & obiter dicta non ſint*] ſed quanquam hoc veriſſimum eſt, haud tamen eſt ſatis affirmare, aliquam ſententiam παρέργων, ad arbitrium eſſe, niſi id ex verbis, ac mente ipſius authoris comprobemus. Alioquin periculum eſt, ne omnia obiter eſſe dicta contendere poſſint, quicumque pertinaciter de qualibet re diſputationem inſtituunt. Namque argumentum, ſignúmve, quod Aduerſarius adducit, Galenum hoc eodem in loco aliquid obiter interſeruiſſe, maximè illius opinionem deſtruit. Quod enim obiter, & ἐν παρέργῳ ſolet afferri, tanquam præcipuum, & ex profeſſo tradi non debet, ſed cum præfatione, & cautione quadam: cuiuſmodi illud eſt, quod Aduerſarius affert. [*Declarat degenerationem in ſynochum, cum inquit: Nam aliis ſaltem temperamentis, quæ in ſequentibus exponam, ex tali cauſa poteſt citra humorum putredinem excitari aliqua continentis febris ſpecies.*] At quis non videat, tanquam ad locum accommodatiorem hoc referri, cum dicat de tali temperamento, in quo hæc febris in continentem degenerare poteſt, ſe poſterius eſſe dicturum? Verùm in controuerſo loco nihil tale eſt; ſed Galenus continuata orationis ſerie, de iis naturis ex profeſſo loquens, de quibus ſermonem inſtituerat, ſic colligit. *Ergo vt tranſpiret, maiore auxilio*, &c. Qui rationem quoque affert; *præſtat enim vitioſi ſucci maiore parte*, &c. Quæ quidem, ſi quis obiter dicta eſſe contendat, is æquè poteſt contendere, omnia obiter fuiſſe dicta, quæcumque in totis XIV. his libris ſcripta ſunt. Sed verba iam relata ſilentium Aduerſario imponunt, aut certè imponere debuiſſent, cum Galenus ait. *Præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa*, βέλτιον γὰρ ἐκκενώσαντα τὸ πλέον τῆς κακοχυμίας: *præſtat enim euacuata maiore parte cacochymiæ*, ad detergendas obſtructiones accedere: ergo ſectione venæ Galenus putat, ſe ipſius cacochymiæ maiorem partem euacuaſſe. Quid clarius? Sed propero ad præclaram huiuſce capitis Aduerſarij explanationem, qui ita in ſuam ſententiam Galenum inuitum trahere conatur, vt totam eius ſententiam peruertere, verba corrumpere, propria ipſe addere non dubitauerit. Quod quidem ſi publicis profeſſoribus facere licuerit, iam nihil inuiolatum, incorruptum, ad poſterorum oculos, auréſque feretur; ſed vt ſua quemque trahet voluptas, ac voluntas, omnia contaminata, diruta, corrupta, in aliorum manus venient. Quo nihil perniciosius, nihil peſtilentius rei literariæ poteſt accidere.

AD CAPVT IV. & V.

Expoſitio cap. 4. lib. 8. Method. Med.

ADuerſarius in præſenti cap. 4. & 5. proximo hunc Galeni locum nititur explanare; in eo ſaltem non improbandus, quòd vidit, quantum illud poſitioni ac doctrinæ aduerſaretur. Sed in huiuſmodi explanatione vſque adeo perplexus eſt, varius, à Galeni verbis, à mente, à veritate alienus, vt qui diligenter hanc ſolam partem perlegerit, facile poſſit intelligere, quid de vniuerſa illius doctrina ſentiendum ſit. Ego verò, vt planè, ac lucidè tum Galeni ſententiam declarem, tum aduerſariæ expoſitionis abſurditatem refutem, decreui prius paraphraſtico more ita Galeni verba interpretari, vt eorum ſenſum planum, verbis, & dogmatis Galeni apprimè conſentientem referam, deinde eum cum iis conferam, quæ ab Aduerſario afferuntur: vt ex comparatione faciliùs poſſimus de vtriſque iudicium ferre.

Propoſitum nobis fuerat (vt Galeni perſonam induamus) curandæ febris diariæ methodum tradere: & quoniam indicatio ſumitur tum ab ipſo affectu, tum à corpore, quod affectui ſubiicitur, ſtatuimus hoc febrium genus in corpore temperamenti calidioris, & ſiccioris conſiſtere: atque in hoc oſtendimus methodum curandarum huiuſmodi febrium, quæ fiant à cauſis externis antea narratis, refrigeratione, aduſtione, ira, & cæteris. Conſequens modò eſt, vt in hoc eodem corpore conſideremus eiuſmodi febrem ortam ex obſtructione: ex qua quidem interdum fit, vt fumoſi illius, & fuliginoſi excrementi libera tranſpiratio prohibeatur, quod in huiuſmodi naturis generari diximus. Nec mirum alicui videatur, quòd diximus febrem diariam ex obſtructione fieri, cum illa aliud genus febris, aut continentis ſine putredine, aut putridæ potius videatur excitare. Namque prout obſtructio varia eſt, maiórque, aut minor, ita poteſt aliud, & aliud febris genus efficere. Quod enim ſpectat ad rem præſentem, triplex obſtructio poteſt conſiderari: vna quidem leuis, & parui momenti: alia verò mediocris, & alicuius momenti: reliqua autem maxima, quæ fit ex humoribus copioſis, craſſis, & glutinoſis. Inter quas equidem fateor hanc poſtremam, febrem diariam non efficere, ſed in propoſitis naturis genus aliquod febris putridæ: dixi autem in propoſitis naturis, quoniam in aliis, puta calidis, & humidis febrem continentem, ſynochum dictam poteſt excitare. Idcircò de hac tertia obſtructionis ſpecie, febribúſque ab ea genitis, non eſt in præſentia dicendum: cum hæc tractatio ad præſentem locum non pertineat, ſed ad ſequentes libros in quibus de ſynochis, & putridis dicturi ſumus. Redeamus igitur ad relatos duos modos obſtructionis, ex quibus in corporibus propoſitis ſupponimus febrē diariam fieri; ij verò ſunt. Prior quidem, in quo obſtructio parua eſt, & leuis, & febris ex ea genita, niſi error inciderit, ſed commodè tractetur, ſpatio 24. horarum euaneſcit. Poſterior autem, in quo obſtructio eſt aliquanto maior, etiam febris medio modo ſe habet: nam primis diebus cum putridarum ſigna non appareant, ſpes eſt illam intra diariarum terminos conſiſtere: quòd ſi paroxyſmus diutius protrogetur, metus eſt ne obſtructio illa valentior, & iam magis confirmata, putredinem, & putridam febrem efficiat. In his igitur duobus febris diariæ generibus, quid agendum eſt? nimirum ſi febris ex

leuis

leui obſtructione, vel quia ab ægroto; vel medico non bene tractata fuerit, vel ob quamlibet aliam cauſam diutius protogetur, & metus ſit, ne putrida fiat: item in altera, quæ ex maiore pendet obſtructione, cum ex ipſa obſtructionis natura, & poſthabitis remediis euenire poſſit, vt idem multò facilius periculum incidat; in vtriſque (inquam) danda eſt opera, vt fuliginoſa excrementa tranſpiratione euacuentur. Vt autem commoda hæc tranſpiratio fiat, non ſatis eſt leuibus remediis agere, cum grauioris morbi periculum immineat: ſed maiore aliquo remedio vtendum eſt; qualis ipſa eſt in primis ſectio venæ. A qua illud minimè debet nos deterrere, quòd propoſita corpora cacochyma ſint, neque admodum ſanguine redundantia. Quoniam per venæ ſectionem, magnam ipſius cacochymiæ partem euacuamus: qua facta euacuatione vſus eorum, quæ obſtructiones detergere poſſunt; reliquáſque prauorum, & obſtruentium humorum euacuare, longè tutior euadit; propterea quia, ſi venæ ſectionem prætermittas, periculum eſt, ne quæ detergendi vim habent, initio adhibita ipſa potius obſtructiones augeant, ac difficiliores reddant. Secanda igitur eſt vena, cum propter hæc, tum etiam quia humores imminuti minorem excrementorum fumoſorum & fuliginum copiam excitabunt. Ex quo certum eſt, perſpirationem caloris magis liberam reddi, ipsúmque præter naturam calorem minui. Porrò in cognitione ipſius obſtructionis duplex occurrit conſideratio: altera, vt ſimpliciter, an febris ex ipſa obſtructione fiat, cognoſcamus: altera, vt eo perſpecto, obſtructionem adeſſe, quoniam duplicem illam ſtatuimus, leuiorem ſcilicet, & paulò maiorem, id quoque intelligamus, vtra ex hiſce duabus, & quanta illa ſit: vt pro modo ipſius obſtructionis etiam remediorum vim, ac poteſtatem moderari poſſimus. Nam de maiore illa obſtructione non eſt, vt aliquis à nobis in præſentia dicendum eſſe arbitretur: quoniam ſi magna obſtructio facta ſit, ea febris (ſicuti diximus) ex diariarum genere non erit: quare huiuſmodi conſideratio in proximum librum differatur, cum in hoc de diariis tantum agere ſtatuerimus.

Hæc eſt (ni fallor) continuata, & germana Galeni ſententia; quam nos nihil immutantes, nihil à verbis, dogmatibúſque Galeni recedentes recitauimus; iis tantum prætermiſſis, quæ ad remediorum, victúſque rationem particulatim ſpectant; quæ ad rem præſentem non pertinent, & apud Galenum ab vnoquoque ſuo arbitratu legi poſſunt. Aduerſarius porrò in multis à nobis, immò à Galeno differt, atque diſſentit. Nos autem primum de iis dicemus, quæ ad caut 4. & 5. pertinent: quandoquidem vel inuiti ſæpe cogimur illius ordinem ſeruare. Primùm igitur Aduerſarius putat de prima illa leui obſtructione ſermonem non eſſe, neque in ea miſſionem ſanguinis conuenire: quamuis ne hac quoque in re ſibi ſatis conſentire videatur. Deinde arbitratur ſermonem eſſe de tertia obſtructione, quæ maxima eſt, vt quæ omnes obſtructionis cauſas coniunctas habeat, humorum plenitudinem, craſſitiem, lentorem, in qua Galenus docuerit ſanguinem mittendum eſſe. In quo & tertiò errat, quòd hanc cenſeat ex plenitudine euenire. Quartò errorem in codice fingit, vt loco leuis obſtructionis, & paruæ, magnam legamus, Græcè, μακρὰν. In quibus omnibus quantopere decipiatur, conabimur in ſequentibus capitibus monſtrare. Qui nunc in eo tantum laborantibus, vt fundamenta, quibus in prauam iſtam expoſitionem eſt adductus, diruamus. Quòd prima obſtructio leuiſſima non poſtulet venæ ſectionem, ideóque Galenus, hanc in iis verbis, quibus venam ſecandam docet, non comprehenderit, falſiſſimum eſt: quamuis enim eiuſmodi febris rectè tractata ſponte euaneſcat, tamen debuit etiam ratio tradi, qua curanda ſit, cum propter aliquem errorem poſſit augeri, & aliud febris genus euadere. Id autem patet fieri poſſe; quia ſi rectè tractatam inquit diariæ terminos non excedere, ſignum eſt, niſi ritè tractetur, eam facilè eos terminos eſſe exceſſuram. Et Galeni verba ſubſcribunt, qui de parua obſtructione loquitur, vt dicemus. Obſtructionem maximam hac in parte tractari, ac methodo curari, falſum quoque eſt. Cùm enim Galenus ſtatuerit, & Aduerſarius fateatur, febrem ab ea genitam non eſſe diariam, non erat hic locus, quo eius curationem inſtitueret: id quod manifeſtè idem annotat Gal. tum initio capitis, tum apertiſſimè, & planiſſimè in fine, quando inquit. *At ſi magna obſtructio facta ſit, ea febris ex diariarum genere non erit: quare in proximum differatur librum, cum in hoc de diariis tantum agere ſtatuerimus.* Quod verò hæc obſtructio fiat ex plenitudine, id quoque non ſine errore dictum eſt; cum Galenus (vt dicebam) loquatur de corporibus picrocholis, in quibus bilis abundat: quamuis in naturis calidis, & humidis ex plenitudine fieri poſſit; de quibus tamen Galenus ait ſe in præſentia non loqui, argumentum autem Aduerſarij, quo id probet, friuolum eſt, quoniam hæc obſtructio fit ex humoribus non ſolùm craſſis, & lentis, ſed etiam multis: ſiquidem ipſa quoque cacochymia eſt redundantia humorum, qui à natura ſanguinea ſunt alieni: quare ſi craſſi, & lenti cum ſint etiam multi, tantum abeſt, vt cacochymia non ſit, vt potius maior, & exactior cacochymia cenſenda fuerit. Quod quidem ſi opus eſſet, plurimis Galeni locis ſine labore demonſtrarem. Id verò res ipſa docet. Nam ſi minor bilis, aut pituitæ copia, quæ alios humores ſuperat, cacochymia dicitur, non plenitudo, quantò magis cacochymia erit dicenda, in qua maxima ſit huiuſcemodi humoris copia, & redundantia: Quamobrem cum Galenus ait obſtructionem fieri ab humoribus multis, lentis, & craſſis, cacochymia potius, quàm plenitudo intelligenda eſt, cum verſemur in corpore cacochymo, vt non ſemel annotauimus. De eleganti illa codicis correctione, qua loco, μακρᾶς putat legendum eſſe, μακρὰν, quid aliud dicendum eſt, quàm eam tantum abeſſe à mente Galeni, à ſermonis proprietate, vt potius è contrariò ſtatuendum ſit, ſi fortè, μακρὰν, ſcriptum inueniſſemus, μακρὰν, corrigendum, ac legendum fuiſſe? Nam Galenum de parua obſtructione loqui, de magna loqui non potuiſſe, ſatis monſtrauimus. Quòd porrò, μακρὰν, propriè longum ſignificet, ne ipſe quidem Aduerſarius negat, negaríque non poteſt cum paſſim in hac ſignificatione occurrat, & à nomine, μῆκος, ſeu μᾶκος, deductum ſit, quod longitudinem notat. Quod verò aliquando ſignificet, μέγα, id eſt *magnum*, non planè auſim negare: ſed tamen illud annotandum eſt, falſiſſimum eſſe, quod Aduerſarius inquit, ſignificare, μέγα, [*apud omnes ſcriptores Græcos*] cum pauciſſima, & apud pauciſſimos ſcriptores omnino liceat huiuſmodi ſignificationis exempla inuenire, & quidem poëtas potius, quàm proſæ authores, qui prætereà eam quoque magnitudinem ſignificare videntur, quæ dimenſionem quandam, & longitudinem habet: veluti cum dicunt, *γόους μακροὺς, luctus diuturnos, & μακρὰ βιβῶν, magnis, ac prolongis paſſibus incedere.* Verum quicquid ſit, Galenus certa proprietatis dictionum obſeruantiſſimus, μακρὰν ἐμφράξιν, non appellaſſet, longam obſtructionem, quam certè alibi nunquam ita nuncupauit. Sed ſoluamus argumenta, quæ hominem in hunc errorem adduxerunt. Primum, quia, [*falſum eſt febrem parua obſtructione ſimilem eſſe diariæ*[

cum

cum diaria verè ſit,non ſimilis.[*Secundò non video* (inquit) *vt poſſit conſtare hoc verbum,vt dictum eſt: nulsibi enim prædixit hanc febrem non eſſe diariam. Tertiò cum dicat ſimilem eſſe diariæ ſaltem inter initia videtur parum ſibi ipſi conſtare*,&c.] Poſtremum argumentum ſumitur ex ea voce , Maiore auxilio. [*Paruus enim morbus non poſtulat maius aliquod auxilium. Deinde petierim ad quid fiat comparatio*, &c.] Quos inquit nodos eſſe inextricabiles,ac miratur etiam , atque etiam. [*Neminem hactenus,qui Methodum Galeni illuſtrare conati ſunt, animaduertiſſe.* Quomodo igitur eos animaduertit, qui rudes iſtos ſolœciſmos non potuit animaduertere:Nobis autem longè magis licet mirari , cum Aduerſarius non viderit facilem horum nodorum explicationem ſine vlla contextus mutatione.

Nam quod primùm obiicit febrem , quæ verè diaria eſt , non dici diariæ ſimilem,facilè ſoluitur, non ſolùm vt ipſe ſoluit , quia eſt ſimilis diariæ de qua prius locutus eſt , quæ fit ex cauſis procatarcticis,nullámque in corpore cauſam continet , ſed etiam quoniam de illa diaria loquitur , quæ in putridam tranſitura eſt , immò verò propter aliquem errorem iam tranſiuit. Cùm hæc tanquam vnica febris ſupputetur,meritò quærendi occaſionem præbet,an diaria perpetuò ſit an potius putrida. Galenus vt ab hoc nodo ſe liberet, inquit illam in principio ſimilem eſſe diariæ:quare à ſe iure optime inter diariarum tractationem recenſeri. Præter quàm quod illud quoque poſtremò licet addidiſſe , figuram eſſe loquendi,qua ſimilia multa dicimus , quæ planè eadem , & ipſamet ſunt. Ad quem modum Virgilius dixit,equum laborantem laboranti ſimilem : & Mercurium omnia Mercurio ſimilem , & metallum ſimile. i. idem;& Plin. dixit ſimilem mœrenti. i. mœrentem;vt aliis locis parcam Etſi neque apud Græcos ſua deſunt exempla. Plutarchus enim *ὅμοιον πάσχοντι,qui patitur*:& Syneſius, *ὅμοιον ἔχοντι, qui habet.*

Quod ſecundò ad parentheſim attinet(vt dictum eſt)ſenſus,quem Aduerſarius fingit,omnino falſus, & abſurdus eſt;dictum eſſe hanc,non eſſe diariam, quem ne ſomniauit quidem Galenus ; cum ſenſus aptiſſimus hic ſit. Si morata ſit tranſpiratio , vt dictum eſt. Tertiò dicebat Aduerſarius Galenum ſibi non conſtare , cum ſecunda non fiat acceſſio, ſi quis rectè terſerit : ergo ſemper eſt diaria non ſolum inter initia. At quid ſi non rectè quis deterſerit ſi alius error occurrerit?nonne alius paroxyſmus fieri poteſt?nonne de hac quoq; dicendum eſt?

Poſtremò paruus morbus maiore indiget auxilio,non propria ratione,ſed ſi maior immineat. Et maius dicitur auxiliũ , non ſolùm quia cõparatiua ſæpiſſime pro poſitiuis ſumi ſolent, ſed etiam quia reuera fit comparatio venæ ſectionis cum remediis, quæ in aliis febribus diariis antea poſita fuerant. Verùm hæc vſque adeo leuia ſunt vt me pudeat in iis immorari : pudeat etiam,ſi quis putet illa apud me aliquod momentum habuiſſe.

AD CAPVT VI. VII. & VIII.

Venam ſecandam etiamſi plenitudinis ſigna non adſint ex Galeno 8. Meth. 4.

Mihi libuit hæc tria capita vnica tractatione complecti , cum in iis de illorum verborum expoſitione agatur , quæ habentur apud Galenum 8. Meth. eodem cap. 4. ſcilicet, *ſecanda vena eſt, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint.* Nam aduerſarios in cap 6. ſuam affert expoſitionem:In 7. noſtram confutationem : In 8. ſuam reſponſionem.

Hoc igitur poſito,& conſtituto,in præſentia Galenum loqui de febre diaria,quæ à magna fit obſtructione , nimirum ab humoribus multis , craſſis,& lentis , quia Galenus inquit ſecandam eſſe venam, quamuis plenitudinis indicia non adſint, maximus hic plenitudinis patronus,vt vidit,vt petiit,vt cum malus abſtulit error , facile agnoſcens , quis enim non agnoſcat?totam eius de plenitudine poſitionem labefactari,atque euerti:neque auſus Galeno in loco ab omnibus recepto aduerſari, nihil omiſit quò effugere hinc poſſet,& ab irreparabili telo ſeſe tueri. Hic duas affert reſponſiones , duo veriùs diuerticula : deinde ad codicis correctionem confugiens aliis quoque duas expoſitiones confinget,nil inauſum, nil intentatum relinquet. Primum effugium hoc eſt,[*vt ſtatuamus hæc non eſſe referenda ad febrem , ſed ad vniuerſale decretum huius authoris*, &c.] Quid audio:Galenus de febre diaria loquitur continuata oratione,& rationem reddit,*quia præſtat vitioſi ſucci maiore parte emiſſa , &c.* Et dicemus hæc ad vniuerſale decretum eſſe referenda ? Sed eſto:hæc ad vniuerſale decretum referantur. Quodnam , obſecro te , illud erit ? venam ſecandam eſſe, quamuis nulla ſit plenitudo : ergo in hac etiam febre nihilominus erit quamuis nulla adſit plenitudo. Altera expoſitio [*neque minus vera explanatio eſt,vt ſcilicet dicamus, verba de febre ephemera intelligenda , quæ licet ab humoribus craſſis, & viſcidis obſtruentibus ſolum fuerit concitata , tamen accidat in corpore plethorico,&c.*] Et ad Galenum , qui ait, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint , reſpondet. [*Intelligi debet de plenitudine obſtructionem faciente, non de factura.*] Perbellè egregiè , magnificè, Quis non videat expoſitionis abſurditatem ? Galenus per ſe loquitur de corpore plethorico , in quo adeſt plenitudo morbum factura , non tamen plenitudo adeſt faciens obſtructionem , & ait, *ſi non adſint ſigna plenitudinis*, ſcilicet , quæ facit obſtructionem:Quæ ſomnia?immò verò quæ delirantium ſomnia ? Nónne tu ipſe ſtuduiſti hanc febrem fieri à concurſu omnium cauſarum obſtruentium, ab humoribus multis , craſſis , lentis : ac multos ipſam plenitudinem es interpretatus? Nunc ais obſtructionem non fieri à plenitudine ? Sed doleo meas vices , qui à mentione rerum tam leuium, quæ omnem ſuperant abſurditatem , nequeam me continere.

Certè noſtras rationes ab Aduerſario capit. 7. commemoratas, & c. 8. refutatas, vt conſideremus, neceſſarium eſt : de quibus nos vnico capite , & labore dicendum eſſe putauimus. Prima igitur noſtra ratio hæc eſt. Si quis Galenum attente legat, facilè intelligere eum loqui de corporibus picrocholis : quo iacto fundamento tractationem totam,ac ſeriem orationis maximè perſpicuam reddit: quia ſcilicet facile eſt videre, à Galeno iure addi, quamuis non adſint ſigna plenitudinis , quæ certè in corpore cacochymo non adſunt. In qua ſoluenda ratione Aduerſarius,vt aliàs diximus, me ſimilem facit bonis fœminis,dicam certè,meretricibus, quæ aliis vitio vertunt , quod earum peculiare eſt:ita namque aut me quoq; aliis vitio vertere (credo quòd non attentè Galenum legant) quod mei proprium eſſe norunt omnes. Equidem ſpero noſtras Diſputationes facilè declaraturas, vter noſtrũ attentiùs in Gal. lectione verſetur. Sed præſens hic locus vnus eſt præcipuus , in quo mihi videor ſola attentione,& accurata Galenicæ menti animaduerſione tãtum profeciſſe vt facilè Aduerſarij,cæterorumque omnium eius ſectæ hominum poſitionem refellere poſſim. Ex quo equidem longè aptius poſſum eundẽ iis ſcortillis cõparare,quæ ſi illud vitium ſibi obiectũ eſſe intelligãt,quo manifeſtè deſinẽtur,

illud vice verſa accuſantibus petulantiſſimè exprobrare non erubeſcunt. Ego ne minus attente Galenum legi, qui longa orationis ſerie, multorum verborum facta collatione, continuato ſermonis filo animaduerſo, mente Galeni perpetuò conſiderata obſeruaui ſemper ab illo tota hac parte verba fieri de corpore calido, & ſicco, picrocholo, cacochymo; de plenitudine nil niſi obiter dici, atque ad alium locum de ea dicendum referri. Aduerſarius verò diligentiſſimè, & attentiſſimè Galenum perlegit, qui modò ſi brem ex multis, crudis, lentis humoribus obſtruentibus factam in corpore vitioſi ſucci affirmat, illámque neceſſariò in putridam degenerare: modò inquit eam ſine plenitudine fieri non poſſe, Galenum ibi de plenitudine agere, vbi dicit plenitudinis ſigna non adeſſe; contra Menodotum loqui, vbi febrem diariam ex profeſſo curat; vbi Menodoticæ opinionis conſideratio nullum congruentem locum habet: O tempora, ô mores! Sed aliarum rationum examen eiuſdem attentionem clariùs nos docebit.

Noſtra ſecunda ratio fuerat, qua, eo conceſſo Galenum loqui de quouis temperamento, interrogauimus, vnde coniecturam faciunt, aut quis illi reuelauit, eum ſibi præ ſupponere hominem plethoricum, cum huiuſmodi rei nullum ſit argumentum, & Galenus contrarium decernat apertiſſimè, Aduerſarius hanc irridet, tanquam eius, qui grauioribus fortaſſe rebus occupatus, veritatem non viderim: & aduerſus nos duplici axiomate ac duplici demonſtratione inſurgit. Primum axioma. [*tot ſu artis, obſtructionem fieri à tribus cauſis, ab humorum viſciditate, & à craſſitie eorundem, atque à plenitudine.*] Secundum axioma. [*Plethoricum eſſe corpus, quod à plenitudine obſtructionem patitur.*] Prima demonſtratio [*obſtructio facta eſt ex omnium cauſarum obſtruentium concurſu, igitur neceſſariè corpus plethoricum eſt.*] Secunda [*periculum eſt, ne generetur ſynochus febris; ergo neceſſariò corpus plenitudine afficitur.*] Atque hi lector ſunt nodi, quos Aduerſarius iubet nos explicare, ſi poſſimus. Ego verò ſpero me nodos ita eſſe ſoluturum, vt ſimul ipſum nodis indiſſolubilibus ſim implicaturus. Conſideremus antecedens prioris demonſtrationis: obſtructionem eſſe factam ex concurſu omnium cauſarum. Quod prorſus falſum eſt. Video probationem, quia fit à tribus cauſis, lentore, craſſitie, plenitudine humorum. Primum Aduerſarius contra codicis fidem, contra Galeni artificium iam ſatis demonſtratum, contra expoſitionem ab aliis receptam, ſupponit Galenum loqui de magna obſtructione, quæ à tribus illis cauſis fit: quam tamen Galenus ad tractationem febrium putridarum reiicit, & quam paulò poſt manifeſtè teſtatur modò maiorem, modò minorem eſſe, quando ait. *Haudquaquam igitur differendum ſanguinem ita laborantium mittere, ſcilicet tum ad virtutis, tum ad obſtructionis modi portionem.* Diſcernetur autem obſtructionis magnitudo ex ipſa magnitudine febris, vt quæ ex maiore obſtructione maior, ex minore minor inciderit. Maiorem Galenus appellauit obſtructionem, quæ mediocris eſt, ſiue ἀξιόλογος, effatu digna, nimirum ſi conferatur ad paruam, de qua iam dixerat. Sed eſto, concedatur hoc quoque. Quæro obſtructio illa, quæ à tribus fit cauſis, multitudine, craſſitie, & lentore humorum, quomodo ab omnibus cauſis fieri dicatur: id enim planiùs explicari velim. Eſt ne obſtructio ab vnico Humore, an ab omnibus. Ab omnibus eſſe non poteſt: primùm, quia vel tardò, vel nunquam fit, vt omnia ſimul humorum genera, ſanguis, vtraque bilis, pituita, ſerum, obſtructionem efficiant: deinde Galenus hoc non docet, qui ait illam fieri ab humoribus lentis, & craſſis: at bilis flaua ſyncera, ſerum humores lenti, & craſſi non ſunt: ergo obſtructio ab vno tantum fit humorum genere, vel certè à paucioribus: ergo hoc modo non fit ab omnibus cauſis: verùm quomodo Galenus ait fieri à multitudine, lentore, craſſitie? Vna eſt cauſa tribus prædita conditionibus: quæ idcirco triplici ratione lædit tum multitudine, tum lentore, tum craſſitie. Quæ quidem ſunt omnes cauſæ, quia aliquis humor non poteſt, niſi tribus conditionibus obſtructionem facere. Sed videat Aduerſarius, vt ſuus nodus facillimè ſit explicaturus: quoniam non valet: Obſtructio ab his tribus fit cauſis, ergo ab omnibus. Quia alij quoque humores, qui non ſint lenti, aut craſſi, obſtruere poſſunt. Quare altera quoque conſecutio nulla eſt, Ergo adeſt plenitudo, vel, vt ille ait, plethora, quia Galenus ponit adeſſe plenitudinem, id eſt, redundantiam humoris lenti, & craſſi: itaque minimè adeſt plethora, quæ ſi Galeno credimus, eſt plenitudo ſanguinis, vel ſolius, vel ſimul cum aliis humoribus æqualiter auctis. Secundam demonſtrationem iam ſatis refutauimus; quia febris ſynochi periculum non eſt in his corporibus cacochymis, de quibus Galenus agit in præſentia, ſed in aliis, nempe calidis, & humidis, & ſanguineis: quæ Galenus in alium locum reiecit, vt annotauimus. Iure igitur à me quæſitum eſt, quis reuelauit, Galenum loqui de corpore plethorico, cum manifeſtè loquatur de cacochymo, ac ne verbum quidem ſit, quod indicet eum de plethorico ſermonem habere?

Tertiam meam rationem inde conie ctu ram facio alicuius momenti eſſe, quoniam Aduerſarius non potuit illam ſoluere, quin in manifeſtam incideret contradictionem: Etenim de eius ſententia deduxi duplicem eſſe plenitudinem [*vnam ſcilicet totius corporis non facientem obſtructionem, alteram verò facientem*] quam verbis conceptis ipſe antea confeſſus eſt, inquiens [*quamobrem cum Galenus dicit, etiamſi non adſint ſigna plenitudinis intelligi debet de plenitudine obſtructionem facente, non de facturа.*] Quid clarius? Eſt ne igitur apud Aduerſarium plenitudo duplex, altera, quæ obſtructionem facit, altera, quæ factura eſt? Ac ſanè, niſi me ſomnium prorſus fallit, quod ille mihi obiicit, dici aliter non poteſt. Cùm enim velit ſecandam eſſe venam, ſi corpus ſit plethoricum, ſupponit igitur in toto plenitudinem eſſe: ſoluens autem obiectam rationem ex Galeno, qui ait non adeſſe indicia plenitudinis, reſpondet eum loqui de plenitudine obſtructionem faciente. Duplex igitur ſtatuenda eſt plenitudo, quam hic manifeſtè negat. Sed geminatur contradictio; quia hic negat obſtructionem fieri à plenitudine, quam inquit fieri ab humoribus lentis, & craſſis; cum tamen Galenus dicat fieri à multis, & ipſe multos, non ſemel plenitudinem ſit interpretatus. & eam quidem, tum quoad vires, tum quoad vaſa. Satis ſit vnicum apertiſſimum locum indicaſſe. Antea dixit cap. 4. [*Iam verò inquit* (ſub. Galen.) *Quòd ſi & multi, & craſſi, & glutinoſi impacti ſunt ſucci, trium cauſarum obſtructionem efficientium concurſum indicat, multitudinem, ſeu plenitudinem ipſam vtramque, quoad vaſa, & quoad vires, cùm ait, & multi, humores deinde craſſos,* &c.] Ex multis, quæ de hac tertia ratione obiicere poſſem, volo iis eſſe contentus. Nam quod Aduerſarius addit de quartana, nihil ad nos facit. Quod verò ait magnam obſtructionem ab omnibus iis cauſis factam poſſe ephemeram conciliare, Aduerſus Galenum eſt, qui initio capitis apertè loquit. *Quòd ſi multi craſſi, & glutinoſi impacti ſucci ſint, qua hos excipit febris fieri non poteſt, vt intra fines diariarum cõſiſtat.* Et in fine cap. repetit apertiſſimè.

At

At ſi obſtructio magna facta ſit, ea febris ex diariarum genere non erit, &c.

Poſtrema ratio fuerat, ducta ex iis verbis. *Praſtat enim vitioſi ſucci maiore parte emiſſa*, &c. quæ tam manifeſtè & planè, quàm quod apertiſſimè, & planiſſimè indicant Galen. vnius vitioſi ſucci, minimè plenitudinis vacuationem moliri. Fortè aliquis exiſtimabit, me dedita opera feciſſe, quod nec opinanti accidit, vt prætermitterem conſiderationem Græcæ vocis, τῆς κακοχυμίας, vt Aduerſarium incautum in errorem inducerem. Reſpondet enim, & putat facilem eſſe explanationem. [*Nam vitioſus humor dicitur qualitate, & quantitate, tum etiam qualitate, & quantitate ſimul.*] At cacochymia eſtne vitium humoris quantitate tantum? non credo illum hoc eſſe dicturum, quamuis fugæ gratia, atq; vt ſua commenta tueatur, non vereatur ad abſurdiſſima quæq; confugere. Sed Gal. ô vir, ἐκκενωθέντος, inquit, ἐκκενώσαντα τὸ πλεῖον τῆς κακοχυμίας, *vacuata maiore parte ipſius cacochymiæ.* Vbi igitur plenitudo? Vbi plethora? Sed finio, ne videar lætari, quòd tantum philoſophum, medicum, theologum in tam craſſo errore deprehenderim: quod certè nonniſi inuitus facio.

AD CAPVT IX. & X.

Altera Aduerſarij explanatio examinatur.

HÆc duo capita verſantur in altera expoſitione huius loci Galen. qui quidem cum nullis machinis oppugnari poſſit, nihil mirum ſi Aduerſario tantas affert difficultates, vt non contentus has duas expoſitiones attuliſſe, alias quoque duas commentus ſit, de quibus ſuo loco dicemus. Sed varia huc illuc fuga ſatis cuique poteſt indicare, quàm eius ſententia infirmo loco hæreat. Primum verò licet animaduertere Aduerſ. aut ſuam poſitionem non intelligere, aut ſibi non conſtare. Cùm enim duas huiuſmodi expoſitiones olim attulerit *lib. 4. de Rat. Cur. per Sang. miſſ. cap.* 11. nunc repetens, priorem inquit eſſe per conceſſionem, poſteriorem per inſtantiam: quod ego planè non video. Nam prior expoſitio fuit eo cap. 11. [*Ex iis colligo explanationem loci huius, & difficultatis dilucidationem. Nam Gal. propoſitum non eſt curare febrem diariam ex quacumque obſtructione ortam, ſed ex magna obſtructione, atque ex omnium cauſarum obſtruentium complexu: idcircò venæ ſectionem propoſuit, tanquam remedium magnum, proportione reſpondens omnibus cauſis, illarúmque magnitudini.*] Deinde occurrens dubitationi ex verbis Gal. propoſitis, etiamſi non adſint ſigna plenitudinis, hæc adiungit. *Dico, & aſſeuero maximè erroneum eſſe in hac materia putare Galenum in febre diaria ex obſtructione ſanguinis miſſionem conſuluiſſe, citra affectum multitudinis*, &c.] Poſtea verò. [*Quid igitur ſibi vult in iis verbis Gal. vult inquam proponere, quod etiam paſſim alibi docuit, multitudinem non eſſe ſcopum indicantem ſanguinis miſſionem*, &c.] Quæ ſententia eſt iſta per conceſſionem? & cuius conceſſionem? Cùm profiteatur Gal. loqui de obſtructione ex plenitudine, & corpore plenitudine laborante. Vbi illud quoque diſſimulandum non eſt, nihil hic de plenitudine faciente, aut facturà obſtructionem eum dixiſſe: quam conſiderationem deinceps his libris diſputationum, ſuperiore ſcilicet proximo cap. 6. addere voluit. Equidem credo hunc hominem graui morbo laborare, quòd perpetuò agitatus, & fluctuans in eodem ſitu nequit conſiſtere. Nam & in eo non ſibi conſtat, quòd in *lib. de Rat. Cur. per Sang.*

Miſſ. in prima expoſitione ſcribit obſtructionem fieri ab omnibus cauſis, multitudine, craſſitie, lentore, hic autem ait. [*Iuxta primam explanationem audiebatur de obſtruente multitudine, hoc ſenſu, licèt plethoricum ſit corpus, obſtructionem tamen à ſolis craſſis, & viſcidis humoribus in habitu corporis, & carnibus*] Quam quidem inconſtantiam notare volui, vt indicarem, quò tenderet impugnatio à me tradita aduerſus huius hominis interpretationem, quam olim attulerat, nihilò minus eam facilè confutaturus, quam nunc effingit. Secundam expoſitionem inquit eſſe per inſtantiam: cum autem inſtantia ſit propoſitio propoſitioni contraria, libenter ſcire velim, quæ ſit iſta propoſitio, & cui contraria? Nam quod ait conceſſionem eſſe, quia conceditur Aduerſario Galen. loqui de craſſis, & lentis humoribus, non video, quid ſibi velit; quandoquidem in hoc omnes conſentimus neque ille diffiteri poteſt, aut vnquam negauit, Gal. de huiuſmodi humoribus loqui. Quæ igitur inſtantia eſt, quæ neget, quod prior conceſſerat? [*ſiquidem obſtructionem à multis, & craſſis, & lentis humoribus genitam intelligebamus.*] Hoc ne igitur negas? an fateris? Certè, vt finiam, hæc diſputandi ratio ſubtilior eſt, quàm vt à me percipi poſſit.

AD CAPVT XI.

De variis lectionibus loci Galenici 8. Methodi, cap. 4.

MEns Aduerſarij eſt, mihi quidem vt videtur, Galeni contextum corrigere, & nouam ei lectionem ſubſtituere: quod quidem munus ad illum minimè omnium pertinere videtur, qui Gal. dogmata inuertere, & ab eo deficere ſæpiſſimè nõ veretur, quique literas Græcas tam bene calleat, quàm nos aliquando obſeruauimus, & ex eius monumentis colligere licet. Sed quoniam hoc indignum eſt facinus, quod ſi impunè factum permittatur, nimis amplam viam aperiret qua vnuſquiſq; in optimos quoſq; authores irruens, eóſq; licenter corrigens, inuertens, deprauans, rem totam literariam, diſciplináſq; omnes labefactet, atque corrumpat, committere non debemus, quin doceamus, quàm incommodè, immò verò infeliciter Aduerſarius in hoc argumento verſetur: vt hinc omnes intelligant receptas authorum dictiones religiosè ſeruandas, atq; incorruptè cuſtodiendas: & ſi quam fortè inuenerint, obſcuritatis, ac dubitationis plenam, fruſtráq; illius ſanum, & integrum ſenſum quæſierint, omnem potius rationem, culpámq; in ſui ipſorum imbecillitatem, atq; ingenij hebetudinem referant, quod aliquando nos monuit Gal. quàm vt de codicum mutatione tam facilè, & promptè cogitent. Exemplo erit Aduerſarius, qui putat ſe maximè probabilibus coniecturis adductum, vt huius contextus lectionem immutet, & corrigat: cum tamen nihil dignum afferat, cui vel minimam fidem adhibeamus.

Aduerſarius ex variis lectionibus primum ſumit argumentum; quarum vna eſt, quæ paſſim Græcè, & Latinè legitur, quam nos optimam eſſe cenſemus: altera, quæ margini verba quædam adſcripta habet. Secunda hæc lectio eſt: εἰ καὶ τὰ τοῦ πλήθους ἀπῇν σημεῖα, καὶ εἰ τὰ τοῦ πλήθους ἦν σημεῖα: quorum quidem verborum prima membrum in omnib. habetur; poſterius verò (non autem omnia verba, vt perperam cenſet Aduerſ.) margini adſcriptum reperitur. Atq; hanc lectionem Aduerſ. probat quia [*Dictio hac, ſiue cõiunctim legatur, ſiue diſiunctim pro alternatra parte*, &c.] Quomodo autem hæc verba

& coniunctim, & ſeparatim legi, & accipi poſſint, aliquis me oculatior videat: namq; equidem non niſi vnicam ſententiam capio, & quidem ſeparatim, ſiue adſint ſigna plenitudinis, ſiue non adſint, ſecandam eſſe venam. Adeſſe autem, & abeſſe eadem ſigna ſimul, & coniunctim non poſſunt. Dilucidam porrò, & facilem eſſe locutionem concedere poſſum, licet verba ita reperta eam nimis facilem, & abiectam, Galenóque inſuetam faciant: propria verò eſt, quia nullam impropriam vocem habet: ſed ipſa locutio, & phraſis nec propria eſt: nec vſitata, cum ne quiuis quidem è vulgo, ne dum Gal. ita loquatur; *ſi adſint ſigna plenitudinis*, & *ſi abſint ſigna plenitudinis*; cum oratione continuata dici ſoleat, *ſiue adſint ſigna plenitudinis, ſiue abſint*. τὰ μὲν τῦ πλήθους σημεῖα εἴ τι ἐνῇ, ἄν τε ἀπῇ. Hinc mihi data eſt occaſio, vt ſuſpicarer verba illa fuiſſe ab aliquo margini addita, vel quòd tanquam Empiricus, indignatus fuerit quòd citra plenitudinem tantùm Gal. venam ſecandam dixerit: vel quòd ex legentis animo dubium euellere voluerit; quid ſi abſint ſigna plenitudinis? erit ne venæ ſectio prætermittenda? minimè, inquit: ſed ſic habendum eſt, etiam quando adſunt ſigna plenitudinis venam ſecandam eſſe. Quòd autem ſententia Galenicis principiis, atque decretis reſpondeat, nihil eſt: non enim vbique eſt inſerendum, quod verum, quod noſtris principiis conſentaneum eſt, ſed quod ad rem facit, de qua agitur, & ſententiæ propoſitæ aptum, & opportunum eſt. Cum igitur Galenus de febre diaria ſermonem haberet in corpore cacochymo, quid erat, vt adderet, *ſi adſint ſigna plenitudinis*? cum tale corpus ſigna habeat non plenitudinis, ſed cacochymiæ, ſuperiùs tradita, corpus nigricans, gracile, hirtum, &c. Propterea vel Empiricus, vel certè impudens fuit quicumque addidit, *& ſi plenitudinis adſint ſigna*; quia ſententia dogmatica non eſt, à plenitudine ſumi indicationem mittendi ſanguinem. Nec ſanè Empirici à ſola plenitudine obſeruationem faciebant, vt mitteretur ſanguis, quemadmodum antea docuimus, contra Aduerſarium. Iure igitur Galeni ſententiam obiicere viſus ſum, ſi affirmatè dictis liceat negationem addere, omnia veterum ſcripta facilè depravari, nullámque eorum ſententiam ſtabilem conſeruari. Verum Aduerſarius reſpondet, ſe non mutare ſenſum; quod licet non ſit omni ex parte verũ, tamen ſi concedatur, equidem neſcio qua ratione illius faueat opinioni: cum noſtra potius ſententia ſit, ſiue adſit plenitudo, ſiue non adſit, nihilò minus venam ſecandam eſſe, dummodo alij ſcopi non deſint. Illud poſtremò obiter licet annotare, quàm Aduerſarius ſe præſtantem dialecticum exhibeat, in vltimis verbis capitis. [*Relinquens vtramque partem ſine aliqua alteratione: priorem negatiuam, poſteriorem autem affirmatiuam: quæ vtraque* (corrigat Grammaticus) *vera ſunt, cum præcisè non ſupponant pro eiſdem, vt boni norunt dialectici*] ſi hæc bonum dialectic. redolent, non hæc eſt dialectica. Duæ partes, vna affirmatiua, altera negatiua (ni fallor) ſunt duæ illæ hypotheſes, *ſi non adſint ſigna plenitudinis: ſi adſint ſigna plenitudinis*: quarum dicit vtramque eſſe veram: cum tamen illæ per ſe nec verum, nec falſum dicant: hoc enim orationis enumeratiuæ propriũ eſt. Et rationem reddit, quia non ſupponunt pro eiſdem: quod falſiſſimum eſt; quia omnes termini (poſtquam placet ad logicas argutias confugere) ſupponunt pro eiſdem: nam ly *ſigna*, & ly *plenitudinis* ſupponunt pro eodem, tam in affirmatiua hypotheſi, quàm in negatiua. Niſi dicat non ſupponere pro eiſdem, quia vna eſt affirmatiua, altera negatiua. Atqui ſic nulla erit oppoſitio, quæ non ſupponat pro diuerſis: ac reuera ſuppoſitio apud logicos ſcholaſticos ſumitur in terminis propoſitionum, non in copula, & in affirmatione, & negatione. Aduerſarius (credo) voluit aliquid proferre ex logica Pauli Veneti, quam vel non benè didicit, vel dedidicit, & tamen ſe bonum dialecticum profitetur.

AD CAPVT XII.

Ad authoritates ab Aduerſario poſitas.

ADuerſarius in præſenti cap. argumento ſumpto ab authoritate veritatem, & conuenientiam propoſitæ lectionis nititur comprobare. Ac mirum eſt, cum eam lectionem attulerit, qua vtraq; legitur hypotheſis, *ſi adſint ſigna plenitudinis, ſi non adſint ſigna plenitudinis*, quam probare inſtituit eſſe antiquam, & à probatiſſimis, illuſtribúſq; authoribus conceſſam, eum tamen de vna tantùm parte id probare, quæ vnicum membrum continet, affirmatiuum, *ſi adſint ſigna plenitudinis*. Ita plerunq; neſcire videtur, quid ſibi probandum, aut improbandum ſuſceperit. Nos certè, qui in Gal. lectione, atque authoritate potiſſimùm verſamur, non admodum ſumus ſoliciti, quid alij ſentiant, aut de illo iudicium faciant, aut ex illo mutuati ſint: cum videamus nunquam defuiſſe, nec deeſſe in præſentia homines, qui verbis Galenum profitentes, toto cælo à Galenica diſciplina ſunt alieni. Quòd igitur verus interpres affirmatiuè legat, *etſi multitudinis aderunt ſigna*, Aduerſarij opinionem non comprobat, qui putauit vtrumque membrum eſſe legendum; nec ſanè perſuadere quicquam debet, cum longè veriſſimilius ſit, errorem, ſi quis eſt præſumendus, in verſione, quàm in Græcis codicibus irrepſiſſe; cum præſertim vnicæ literæ facili mutatione is potuerit euenire. Verùm quis neſcit quot, & quantis mendis antiqua tranſlatio ſcateat, vt, ſi quis illi fidem velit adhibere, neceſſariò in plurimos, ac maximos errores incidere cogatur? id quod ipſe quoque Aduerſarius fatebitur proximo cap. 13. dum ex Iacobo de Partibus hæc Gal. verba recitat ex veteri tranſlatione. Quod porrò ad Auicennam pertinet, quanquam ego illi non ſum admodum addictus, neque eius authoritas tanti apud me eſt, vt ab iis, quæ Galenus docet, ipſáque ratio dictat, abducere nos debeat, neque ille Aduerſario videtur magnopere fauere: quia ſi adſit multitudo humorum, ſecat venam; ſi illa non adſit, ſed ſolùm craſſities, & lentor, cautè agit, qui inquit, fortaſſe abſtinendum à venæ ſectione, & quidem ſuperflua. Dicit fortè abſtinendum, niſi ſcilicet maior morbus immineat; dicit à phlebotomia ſuperflua, id eſt, vt pleriqne exponunt, vſque ad animi deliquium. Ergo ſi metus ſit maioris morbi, venæ ſectionem probat, atque eam, quæ non ſit vſque ad animi defectum. Sed cum primis id eſt animaduertendum, tum apud Auicen. tum apud alios Practicos, vt vocant, eos longè abeſſe ab artificio Galen. qui vt ſumat indicationes non ſolùm ab affectu, ſed etiam à corpore affecto, febrem eph. cum corpore calido, & ſicco, atque cacochymo voluit complicare, cum cæteri communiter de ephemera loquantur, nulla habitu corporis ratione. Quod verò præter rem Aduerſarius addit, ſolere nos etiam ex Argenterio noſtram ſententiam confirmare, nihil eſt, morbúmque animi egregiè prodit; quoniam talia argumenta tanquam topica, aliquando addere conſueui, ad doctrinæ, vt aiunt, abundantiam, vt vim veritatis doceam, quam ij quoq; nonnunquam confitentur, qui alioquin à

veritate,

veritate,& à veritatis propugnatoribus ſunt alieni. Quemadmodum & in his meis Diſputationibus plurima teſtimonio,& authoritate Aduerſarij confirmare non deſtiti ; quem tamen exiſtimo Argenteriis omnibus, atque Fernelijs moltò magis à veritate, & Galeni dogmatibus abhorrere.

Eadem mihi & de Tralliano dicantur; cuius ſententia poteſt admitti: vbi propter plenitudinẽ periculum eſt,ne febris putrida fiat, ſecandam eſſe venam; citra pleoitudinem, ſi febris ex lentore tantùm, & craſſitie humorum fiat, quod ad hos ſpectat, ſecandam non eſſe. Namque ab his quoque ſi tanta obſtructio fiat, quæ poſſit maiorem morbum efficere, equidem non credo Trallianum eſſe iturum inficias, quin liceat venam incidere. Quod ſi negauerit, ille Aduerſarióque ſciant, me Galeni ſententiã multò libentius eſſe amplexutũ. Non eſt, vt eadem ad Aetii aothoritatem reſpondeam: id tantummodo mihi liceat addidiſſe. Cum ille (ſicuti antea diximus) non ſtatuat diſcrimen aliquod corporum ephemera laborantium, quod Galenus facit, non potuit, nec debuit illa verba addere, *etiamſi plenitudinis ſigna non adſint*; quia ſiue adſint, ſiue non adſint, communem tradit curationem: Galenus verò, qui de corpore cacochymo loquebatur, iure tacitam ſuſtulit dubitationem, ſecandam eſſe venam, quamuis in propoſito corpore ſigna plenitudinis non adſint. Dixit autem Aetius, *ſiquidem plenitudinis in corpore adſint ſigna*, εἰ γὰρ καὶ τὰ τῆς πλήθους ἐν τῷ σώματι παρείη σημεῖα: quaſi dicat, & longè audacius confugiendum eſt ad venæ ſectionem,ſi pleoitudo quoque abſit: hæc enim eſt ſcopus ſingularis, quæ non ſimpliciter docet, an vna ſit ſecanda, ſed certè ſanguinem liberaliùs eſſe detrahendum. Sed qui ex verbis Aëtii argumentum aſſumit, non videtur eum Græcè legiſſe: qui tot erratis refertus eſt, vt diuinare potius frequenter oporteat, aut ex aliis authoribus, Galeno præſertim, coniecturam facere, quid ſibi voluerit. tantum abeſt, vt ex eius codice de aliis iudicium ferre debeamus. Verumenimuero, qui tam enixè ab aliis flagitare ſolet,vt integros authorum locos perlegere, ac referre velint.cur non ipſe totam præſentis Gal. loci ſeriem perlegit,ac retulit?Nam Galenus paulò poſt.vniuerſam hanc doctrinã in ſumma quædam capita contractam, paucis exequitur; & quaſi vellet omnia Aduerſ. figmenta confutare, ſolius venæ ſectionis meminit, cum ait: *Ergo cum ſuſpicio erit*, &c. *Haudquaquam igitur differendum eſt, ſanguinem ita laborantium mittere, ſcilicet tum ad virtutis, tum ad obſtructionis modi portionem.* An Galenus hic purgationis meminit? an obſtructionem, quæ à craſſis, & lentis humoribus fit, putauit purgationis indigere? An non potius venæ ſectionem pro ipſius obſtructionis modo, ſeu magnitudine, Græcè μεγέθει moderandam eſſe dixit: manifeſtè indicans ſe non pro corporis plenitudine,ſeu plethora, ſed pro ratione ipſius obſtructionis ad miſſionem ſanguinis acceſſiſſe. Qui demum, vbi ſigna docuit, quibus maiorem obſtructionem à minore diſcernamus, ad victus rationem ſeſe conferens; vbi verò (inquit) modicè vacuaueris Græcè σύμμετρον per venæ ſcilicet ſectionem, quam dixit pro magnitudine obſtructionis eſſe faciendam. An fortè hic purgationem addidit? Quam certe neceſſarium fuit addere, ſi Aduerſarii expoſitionem ſequamur; cum ratione obſtructionis quæ ab humorum lentore, & craſſitie fit, & proinde à cacochymia, purgandum, minimè vena ſecanda fuerit.

AD CAPVT XIII.

An codex Galeni Aduerſario corrigendus.

ADuerſarius in præſenti capite noſtram opinionem refutaturus præclarè demonſtrat ſe eſſe ignarum Græcarum literarum. Nam Græcos authores legere, atque explicare non niſi eius eſt, qui Græcam calleat literaturam: at verò Græcos codices corrigere, receptas ab omnibus opiniones refellere, nouas ſubſtituere, quod Aduerſarius in præſentia facit, eximiam quamdam, atque præcellentem eius linguæ cognitionem poſtulare, ac referre videtur. Quod ſi ille aptè præſtiterit, vtique fatendum erit,nos perperam,& inuidioſè,ac planè immeritò illi hanc notam, quòd Græcè neſciat, inuſſiſſe. Iam experiamur. Aduerſarius oſtendit codicem de Galeni ſententia hoc eodem loco eſſe deprauatum, & bifariam quidem: partim ex ipſa mente ac ſenſu Galeni: partim ex ipſa dictione ac vi verborum. Quod autem ad priorem attinet rationem ex Galeni mente petitam, ille facile ex iis refellitur,quæ antea diximus,cum Galeni ſententiã explicauimus, Aduerſarij refutauimus. Quo loco eiuſdem conſtantia elucet. Qui enim antea, quò noſtrum argumentum vitaret,vitioſum ſuccum interpretatus eſt quantitate peccantem, hic oppoſitum fatetur. [*Suppoſuit ratio venæ ſectionem eſſe accommodatum remedium cacochymiæ,huiuſque copiã vacuari vena ſectione,*] Quæ noſtra expoſitio eſt ab Aduerſario non admiſſa. Ac certè falſiſſimis vtitur fundamẽtis, cacochymiam aliqua ſaltem ex parte venæ ſectione non euacuari, de qua re tum dictum eſt, tum proximo vltimo libro diffusè dicendum erit. Nec verò eſt,vt in præſentia rationes Aduerſarij iam victas,& iacentes rurſum examinemus, quas nunc præter omnem rem adducit, ac repetit; quod venæ ſectio fit ob eam cauſam, vt ſanguis vacuetur,qui Galeni ſenſus non fuit eo lib. 6. Meth. 11.vt docuimus: & quamuis concedatur, non tamen facit, quin eadem aliquando poſſit & cacochymiam euacuare: cuius quidem rei, vel apud ipſum Aduerſarium in manifeſto fit argumẽto, quòd quamuis Galenus dixerit (demus hoc in præſentia)venam euacuandi ſanguinis cauſa ſecari, tamen paulò poſt addit, & reuulſionis interdum gratia ſanguinem mitti. Soluat Aduerſarius: nam æquè nobis licebit ſoluere, & prauorũ humorum euacuandorum gratia aliquando venam ſecare. Verum ne aliò digrediamur,neque figmenta illa conſideremus,de cacochymia notha, vel legitima: hæc ſuis authoribus relinquantur, in quibus ad ſuam gloriam, ad tyronum eruditionem, quantumlibet ſeſe iactent, ac triumphent; iam ad ipſam dictionem accedamus: in qua ad leuia quædam cogimur cum Aduerſario deſcendere: in quibus ſi ille grauiter peccat, quid ſperandum, eum in iis eſſe facturum, quæ maiora ſunt, & digna altiore indagatione? [*Deinde* (inquit) *conſideranda eſt ipſa dictio*; etiam ſi, *quam pro* εἰ καὶ *Græca ſubſtituit Thomas Linacer.*] Quam traductionem dicit ſibi non parum eſſe ſuſpectam, & rationem affert [*idem enim eſt dicere* εἰ καὶ, quod καὶ εἰ, *nempe* &, ſi, *duobus* (duabus inquam) *dictionibus diſtinctis*] & interpretatur, εἰ καὶ *ſi verò*. Quod tamen falſum eſt: cum enim particula εἰ καὶ plerunque ſumatur pro Latina *etſi*, id eſt, *quamuis,quanquã*, nihilominus non negauerim illam pro duabus dictionibus diſiunctis interdũ ſumi poſſe, *ſi & ſi etiam, ſi quoq;*: vt ſi dicam, *veniam ad te,& ſi frater veneris*: ἐλεύσομαι πρὸς σὲ εἰ καὶ ὁ ἀδελφὸς ἔλθοι. Illud quoq; non inuitus concedam εἰ καὶ, ſumi pro καὶ εἰ,quando καὶ εἰ ponitur pro *quamuis*: ſiquidẽ

hæc quoque eſt ſignificatio particulæ καὶ εἰ. At verò quod Aduerſarius aſſumit puto eſſe falſiſſimũ εἰ καὶ ſtare pro καὶ εἰ, quod ſignificet καὶ δὲ; membrum enim hoc, εἰ καὶ τὰ τῦ πλήθȣς ἀπείη σημεῖα, facit initium alterius orationis: ſi verò ſigna plenitudinis abſint, purgandum eſt: namque dicendum procul dubio fuit, εἰ δὲ τὰ τῦ πλήθȣς, &c. vel ſaltem, vt Galen. loquitur, καὶ μὴν δὴ καὶ εἰ τὰ τῦ πλήθȣς, &c. Falſa etiam ſunt, quæ ſubiungit, [*Quarum vna disiunctiua eſt, εἰ, Latinè, ſi, alia coniunctina καὶ, Latinè* &c.] quis enim audiuit vnquam particularem, εἰ, nobis, *ſi*, eſſe disiunctiuã? Si conſulas Grãmaticos dicent eſſe cõiunctionem *συναπτικὴν*, *continnatiuã*, ſi Logicos, dicent hanc *hypotheſin*, ſi abſint ſigna faciendum eſt aliquid, eſſe per connexionem, ad differentiã hypotheticæ disiunctiuæ, quæ fit per verbum *aut, vel*. Ex his patet, quàm vana ſit coniectura, quòd locutio imperfecta ſit, cui aliquid addere oporteat, Cum enim hypothetica illa particula, tum præmitti poſſit, hoc modo, ſi plenitudinis abſint ſigna, ſecanda tamen eſt vena; tum poſtponi, ſecanda eſt vena, ſi plenitudinis abſint ſigna, vel (vt Linacer rectè vertit) etiamſi non abſint, oratio vtroque modo perfecta eſt, in qua nihil deſideratur. Neque eſt, vt quis Linacro ſuccenſeat, aut medicæ artis imperitiam obiiciat, qui vnica dictione expreſſerit, *et amſi*, non duabus, *& ſi*, vel, *ſed ſi*, quod Aduerſarius faciat, cum ita & propriam, atque vſitatam vocis ſignificationem expreſſerit, & Galeni contextum temere corrigere, & corrumpere noluerit, ſed eam ſententiam ſeruare, quam optimi quique & doctiſſimi medici recipiunt, & amplectuntur: quos longè præſtat imitari, quàm nouatores iſtos audire, qui, vt errores ſemel admiſſos tueantur, nihil ſibi non licere putant. Cuiuſmodi illud quoque eſt, quod in fine capitis inquit [*Coniecturæ huius meæ confirmationem affero multiplicem, primam ex Auicenna, Alex. Tra'. & Aetij verbis, quæ in superioribus citauimus.*] Mirum, Aduerſ. anteà his authoribus vſus eſt, (quàm bene iam diximus) vt probaret legendum eſſe, *ſi plenitudinis adſint ſigna*: nunc eadem ratione vtitur, vt probet, à contraria eſſe legendum. *ſi plenitudinis abſint ſigna*, purgandum. Et quia nonnulli verba Gal. referentes, quibus rationem reddens, cur ſanguinem mittat, ait, *præſtat enim vitioſi ſucci maiore parte omiſſa*, mentionem faciunt purgationis, colligit antea quoque addendam fuiſſe purgationem, cum tamen illi ipſi controuerſum locum legerint, vt iacet, vt Aduerſ. cuneat. *Si tamen* (inquit Galenus apud Iacobum de Partibus) *media ætatis, & virtus fortis, incidimus venas, licet nulla ſignificatio plenitudinis in venis ſignificetur.* Quis igitur non videat, hic ab antiquo interprete purgationem dici, quæ Græcè eſt ἐκκένωσις? qui transfert ea Galeni verba βέλτιον γὰρ ἐκκενώσαντα τὸ πλεῖον τῆς κακοχυμίας: *melius eſt enim corpus purgari ex illa mala materia.* Nouimus enim antiquos illos barbaros homines, & non ſolùm Græcæ, ſed etiam Latinæ linguæ ignaros, non ita religioſos nominum obſeruatores fuiſſe, quin & quamlibet euacuationem purgationis nomine nuncupauerint. Ex quorum monomentis huiuſmodi argumenta conquirere, nihil aliud eſt, niſi medicinam è Barbarorum iniuriis vindicatam, & ad priſtinum nitorem iam penè reſtitutam, & quaſi in portum adductam, nunc demum ad eoſdem ſcopulos barbariéſque ſyrtes impellere, atque ad eandem falſorum dogmatum pericula reuocare; ſed ſimiles habent labra lactucas.

AD CAPVT XIV.

Refutatio rationum Aduerſarij.

CVm veritatis hæc ſit vis, vt illi omnia conſentiant, ex his, quæ hactenus diximus, facile eſt omnia diſſoluere, quæcumque Aduerſarius ad confirmandam ſuam inanem coniecturam in præſenti capite attulit, aut afferre, vel ſomniare poteſt. Nam quod primum ait, Galenum loqui de magna obſtructione, in qua [*conſtituenda duo affectus concurrunt; plenitudo, & cacochymia*] quantum à veritate abhorreat, iam docuimus; immò ipſemet Aduerſarius confeſſus eſt. Primum enim falſum eſt, Galen. loqui de magna obſtuctione, cum hæc febrẽ diariam non efficiat, ſicuti aliàs diximus: deinde & eo conceſſo, de magna obſtructione ſermonem eſſe, ea tamen non fit ex plenitudine, cum craſſi, & lenti humores, ſi multi ſint, cacochymiã faciant, non plenitudinem. In quo licet Aduerſ. cauillum animaduertere: qui, quod Gal. ait, *ſi multi, & craſſi, & lenti ſucci impacti ſint*, exponit [*nam craſſities, & viſciditas cacochymiam conſtituunt ſanguinis multitudo plethoram.*] At Galenus eoſdem humores multos appellauit, quos & lentos, & craſſos dixit; qui quidem lenti, & craſſi humores, vel ipſo teſte Aduerſ. cacochymiã conſtituunt: quare etiam multi dicuntur; qui ad cacochymiam ſpectant. Hoc igitur fundamento diruto, tota ruit fabrica, qua fingit, in plenitudine ſanguinem mittendum, in cacochymia purgandum eſſe: ſiquidem purgatio in principio huiuſmodi febrium nunquã conuenit, propter alias rationes, quæ non ſunt in præſentia conſiderandæ, cum verſemur tantummodo in explicanda mente, ac ſententia Galeni in præſenti loco. Quod verò Aduerſ. affert ex Gal. a. in 6. Epid. 30. nihil aduerſus nos facit: neque enim nos ij ſumus, qui negemus, cum ante localium medicamentorũ præſertim calidiorum adhibitionem, totum corpus ſit euacuandum, quin id non ſolùm venæ ſectione, ſed etiam purgatione interdum fieri poſſit. Verùm quod in præſentia agimus, & contendimus, illud eſt, Gal. in febre ephemera ex obſtructione, ex humoribus craſſis, & lentis, venæ ſectionem, minimè purgationem imperare, quamuis plenitudo non ſit in corpore. Quod porrò Aduerſarios quærit, quo loco Galenus inter libros Methodi Medendi hoc præceptum tradat, de duplici corporis inanitione, quaſi præſentem locum innuerit, & per conſequentiã indicet, ſe hic vtriuſque remedii mentionem feciſſe primùm reſpondeo, Galenum hoſce libros recitare, non ratione ſingulariũ euacuationum, ſed ſolùm ratione communis præcepti, diſcutientia medicamenta non eſſe ad totum corpus applicanda, priùs, quàm illud vacuatum fuerit: quod ipſe Gal. non rarò docuit, præſertim 11. illo Meth. c. 10. vel ipſo teſte Aduerſ. præſenti etiam cap. quod negandum non eſt. In quo quidem cum locus non eſſet purgationi, ſolius venæ ſectionis meminit: ſicuti eo loco 6. Epid. voluit etiam purgationis meminiſſe, quia ratio curandorum exanthematũ ita poſtulabat. Deinde poſſum alios locos indicare, quibus præceptum purgationi etiam commune à Galeno traditum eſt; præſertim verò 4. *Meth. cap.* 4. & 6. vbi idem & demonſtrat, & longiore oratione confirmat, quod hic breuiter attingit: vt qui hoſce locos inter ſe contulerit, facile intelligat illos magis præcipuos eſſe, quos probabile ſit Galenũ indicare voluiſſe.

Quod Aduerſ. obiicit. [*Poſtremò adeo inordinata, adeo parum continuata*, &c.] ex iis, quæ dicta ſunt, facile refellitur: namque ex triplici modo obſtructionis, primum, vt ad ephemeras non pertinentẽ prætermittit, magnã ſcilicet obſtuctionem: ſecundum,

dum, ac tertium, in quibus obſtructio parua eſt, aut mediocris, in præſentia tractat. Etenim in parua etiam obſtructione, niſi ea rectè tractetur, febris in potridam tranſire poteſt. Cum autem Aduerſarius ait. [*Aliud quod cum Gal. explicauerit venæ ſectionē fieri ob magnitudinem obſtructionis, ſupponit autem cognouiſſe, quæ pro ratione cognoſcendi neceſſaria iudicari poſſent*] ſi diuinare poſſum, quid ille tandem ſibi velit, facile eidem licet ſatisfacere ex Galeno: qui apertè dixit, mitti ſanguinem oportere, quia præſtat vitioſi ſucci maiore parte emiſſa ad obſtructiones detergendas accedere, &c. & quo humoribus obſtruentibus iter liberum pateat, & iis, quæ extrinſecus admouentur, attractio tuta ſit, vtiliſſimum fore corpus inaniſſe. Quæ quidem Galenus pluribus explicat, atque declarat: ex quibus ſi Aduerſ. cognoſcere non potuit, quæ pro præſenti ratione cognitu neceſſaria iudicari poſſunt, ne ex me quidem cognoſcet. Quæ de repetitione affert, non repero. Nam in mediocri obſtructione dixit, ſi febris poſt diem non ſoluatur, ſuſpectam eſſe, reperit in parua obſtructione, in qua id difficilius, & rarius euenit, cum ſcilicet illa non rectè tractatur. Tandem cum Aduerſarius ait. [*Scio certè ad hunc locum maximè difficilem me non dediſſe explanationem aliam, quàm quæ proximè electa eſt ſed profiteor non eſſe dilucidam, & certò mihi ipſi videtur durior*] credo illum ſummo cum artificio eſſe locutum: qui cum explanationem obſcuram, & duram ſignificare vellet, vſus eſt oratione, vſque adeo obſcura, ac dura, vt equidem illam pro mea ruditate percipere non poſſim. Id tamen facile intelligo, quicunque à recto veritatis tramite recedunt, & ſcrupuloſas authorum interpretationes conquirunt, ſæpe ad huiuſmodi anfractus imprudenter adduci; vt multa falſa, repugnantia, incongruentia proferant; quæ neque ab ipſis ſatis explicari, neque ab aliis intelligi poſſunt. Atque hic præſentis capitis, & diſputationis, & libri finis eſto.

LIBER VNDECIMVS.

DISPVTATIO XI.

AD CAPVT I.

An in cacochymia conueniat ſectio venæ?

Si promiſſis ſtandum eſſet, vt quæ ſemel, iterumque ſunt abundè tradita, & diſputata, non amplius fruſtra repetantur, aut totus hic liber, aut certè magna eius pars eſſet à nobis ſilentio prætereunda. Verùm ſi Aduerſario placuit eadem ſexcenties, agere, ac repetere, quæ potuit ſuo arbitratu ſemel proprio loco examinare, fortaſſe vt librorum mole, ac multitudine, nos obruiſſe, ac peſſundediſſe videretur, multò magis nobis licitum erit, qui apologiam ſcribimus, & iure noſtro ab eius telis, & argumentis nos defendere, ac tueri debemus, eius ordinem, quamuis ordine carentem, ſeruare, atque ad eum, qualiſcumque ſit, hanc noſtram Diſputationem referre. Dabimus tamen operam, vt quæ antea dicta ſunt, breuiter tanquam epilogo repetantur, vt memoriam traditæ veritatis firmare poſſint: ſi quid verò dubium ſupereſt, nec ſatis diſcuſſum, id ex iactis fundamentis quàm pauciſſimis abſoluatur.

Aduerſarius duo potiſſimum tractat in præſenti capite. Alterum, an in qualibet cacochymia ſanguis mittendus ſit, dūmodo principes huiuſmodi remedii adſint ſcopi, morbi vehemētia, vires, ætas: quod nos veriſſimum, ille falſiſſimum eſſe arbitratur. Alterum, an in cacochymia tum demum liceat ſanguinem mittere, ſi humorum plenitudo illi iuncta fuerit, quod Paulus ſenſiſſe videtur, & Aduerſ. veriſſimum putat, ego falſiſſimum. Quæ quidem duo capita, ſi diligenter examinentur, totum huiuſce libri argumentum complectuntur. Non ego huc omnia congerā, quæ priùs longa oratione tractata ſunt: Illud certè ſine obſeruatione relinquere non poſſum, Aduerſ. vi veritatis adactum, non ita ſe ab his nodis explicare potuiſſe, quin in noſtram denique ſententiam veniret. Hanc ille proponit his verbis. [*ſic illi ſentiunt de tota re; in omni cacochymia, vt maximè redundet humor frigidus, vel calidus, ſumma cum ratione, atque ex Galeni ſententia nonnunquam ſanguinem mittendum eſſe.*] Id quod intelligendum eſt, ſi morbus ſit vehemens, &c. Huius porrò ſententiæ duplicem affert interpretationem: alteram, vt [*intelligatur de indicatione, quam propriè ſuggerit cacochymia*] quam ducit dubio omni procul falſiſſimum eſſe: alteram, quam ab illo perplexè, ambiguè, ac per plura capita confusè traditam, nos in pauca contrahimus, ſi præcipui mittendi ſanguinis ſcopi concurrant. Hanc verò quo pacto ille intelligat, vix planè percipio: cum plurima miſceat, inculcet, cacochymiam notham, indicationem ſumptam ab affectu complicato, cum cacochymia, aut complicando: ſanguinem mittere licere cum affectu plenitudinis, & ſine plenitudine, vt vacuemus, vt reuellamus: corpus eſſe ſine plenitudine, tum quod cacochymia laborat, tum quod ſine cacochymia, vbi inflammatio futura ſuſpicatur: venæ ſectionem vt Indicatur non à cacochymia, neque à ſano corpore, ſic ſolum pendere à magnitudine morbi futuri ratione fluxionis, &c. quorum quidem verborum alij conuenientem ſenſum fortè aſſequentur. Ego Dauus ſum, non Oedipus. Illud certè intelligo, in cacochymia ob futuri morbi magnitudinem ſanguinē mitti: quid verò ſi morbus magnus ſit præſens? Futurus ne morbus magnus venæ ſectionem indicabit præſens indicare non poterit? *At* (inquit) *quoniam iſti hunc non audiant ſenſum* (noua, ac polita locutio) (*nos priorem falſum eſſe oſtendamus*). Quem priorem? [*ſi intelligatur de indicatione, quā propriè ſuggerit cacochymia.*] Quaſi verò ego vnquam tale aliquid ſomniauerim, effutiuerim, cacochymiam ſuggerere indicationē mittendi ſanguinis: qui non obiter, non ſemel, ſed ex principali propoſito, ſemper id pugnaui neque cacochymiā, neque plenitudinē, neque plethoram, neque alium quemuis affectum, indicandæ ſectionis venæ vim habere, ſed ſolam, potiſſimam, præcipuam morbi vehementiam tanquam ſcilicet indicantem, cui virium, ætatiſque ſcopi accedunt, tanquam non prohibēntes: quæ manifeſtiſſima fuit Galeni ſententia. Pariter, dum noſtram ſententiam nititur confutare, quæ eſt, in cacochymia, ſi fortè oblatur indicatio mittendi ſanguinis, non alia ratione fieri, vt huiuſmodi remedio ſuperſedeamus, niſi ratione virium imbecillium, videtur in noſtram opinionem deſcendere. Cum enim difficillimum illum locum tractaremus, qua ratione diſtinguendum ſit, virum remediū ſectionem venæ, an purgationem eligere oporteat, cum vtrumq; à morbi magnitudine indicetur, diximus conſiliū à viribus ſumptum capiendū eſſe, quæ cum hoc, vel cum illo remedio conſtare debeant. Ille autem conſiderans in purgatione quoq; vires validas poſtulari, inquit. [*Atqui*

vires valent pro hoc munere exercendo.]Et poſterius ita[*velim ſtudioſos memoriæ commendare quæ docuimus lib. primo de Rat.Cur.per San.Miſſ. vires ipſas validas, ac imbecillas dici etiam in ratione ad opus, quod poſtulat morbus.*] Dum igitur fatetur vires eſſe validas pro ferenda purgatione, mens eſt, eas non eſſe validas pro ferenda venæ ſectione. Alioqui ſi velis eſſe validas, iam & venam ſecandam eſſe contendam. Facilis igitur eſt ſolutio, in cacochymia prætermittitur venæ ſectio ratione virium, id fieri, quia licet validæ ſint pro purgatione, non tamen validæ ſunt pro ſectione venæ, ſicuti olim declarauimus, poſteriúſque rurſum ſumus declaraturi.

Diſp. de ſcopis perx. c. 4.

Rationes autem, quæ afferuntur ab Aduerſario, omnes noſtram opinionem fouent, ac ſtabiliunt. Dixit enim Hippocrates, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: quare è contrario ſi non talia purgentur, qualia oportet, neque confert, neque facilè ferunt. Itaque in hydrope vt deliberemus, an vena ſecanda, an purgandum, conſilium inde capiendum eſt, an cum venæ ſectione, an cum purgatione vires ſint conſtitutæ; quod & de cæteris omnibus ſtatuendum eſt. Quæ cum Aduerſ. fateatur, tum hîc, dum ait [*in morbo magno à cacochymia genito non conuenire ſanguinis miſſionem, non quod vires ſint (vt illi dicunt) imbecillæ, ſed quod morbus non indicet:*] tum lib. 1 cap. 8. iis verbis. [*cauſa igitur, propter quam ſuſpecta eſt euacuatio per ſanguinis miſſionem, vbi ſunt humores corrupti, eſt, quod virtus ipſa non fert plerunque huiuſmodi euacuationem:*] potius contraria ratione colligere debuit, ergo in morbo magno à cacochymia genito, ſectionem venæ interdum non conuenire, quia quamuis vires videantur conſtare, tamen cum eo remedio in poſterum non cõſtabunt. Satis enim oſtenſum eſt, vires, non ſolum quæ præſenti tempore habẽtur, ſed etiam quæ in futuro, eſſe perpendendas. Ex quibus facile eſt videre, quàm vana ſit diſtinctio Aduerſ. de cacochymia notha, vel legitima: quandoquidem in præſentia quæſtio eſt, non de plenitudine, aut ſola, aut cum cacochymia coniuncta, ſed de ipſa ſimpliciter, & verè cacochymia. In qua ſi fortè vſuueniret, vt quiſpiam medicus venæ ſectionem imperaret, quæſo Aduerſarius reſpondeat, ac me doceat, qua alia ratione tandem eius opinionem refellere ſtuderet, quàm ſi monſtraret, fore, vt ægrotus ex venæ ſectione inſignem virium iacturam eſſet facturus. Hæc enim eſſet quaſi demonſtratio per veram cauſam, in qua animus acquieſcit, cum cæteræ omnes ad hanc vnam tandem, tanquam præcipuam, vt referantur, neceſſe ſit, quæcumque de humorum qualitate, de loco, aut aliis id genus ab Aduerſario, cæteriſque nouatoribus afferri poſſunt.

Quod ad Paulum attinet, quamuis eius verba ad conuenientẽ ſenſum redigi poſſint, vt ſcilicet procuratione doloris, ſi plenitudo adſit, ſecemus venam, ſi cacochymia, purgemus, non quia indicatio ex humorũ qualitate, aut quantitate ſumatur, ſed vt ex eiſdem coniecturam capiamus, vtrùm cum illo remedio vires ſint conſeruandæ; tamen, quia huiuſmodi ſententia, vt verba ſonant, abſurda eſt, nec recipienda, non eſt vt Aduerſarius ad Galeni authoritatem confugiat 4. de Sanit. Tuen. c. 4. Quem locum antea ſatis examinauimus; in quo certum eſt, Galenum loqui de præſeruatione, ac ſanitatis tutela, cum Paulus de præſenti morbo loquatur.

AD CAPVT II & III.

Rationes noſtræ vnà cum Aduerſarij ſolutionibus conſiderandæ.

ADuerſarius in capite 2. & 3. nihil aliud facit, quàm noſtras recitat rationes, quibus probare nixi ſumus, interdum in cacochymia ſanguinem eſſe mittendum. Sed quoniam ille capite quarto interpoſito, mox capite 5. & cæteris eas ſibi examinandas, atque ſoluendas proponit, equidem decreui eas referendas, & quàm breuiſſime cõfirmandas ad ſuum quemque locum differre: pleræque omnes ex iis locis ſumuntur, quos magna ex parte perpendimus, & ad ſatietatem examinauimus.

AD CAPVT IV.

Rationes Aduerſarij.

SI nihil aliud noſtram confirmaret opinionem, illud certè maximè poteſt eius veritatem ſtudioſis perſuadere, quòd rationes aduerſariæ afferũtur vſq; adeò friuolæ, & inanes, longéque petitæ, vt facilè dignoſcere liceat, illas potius cõtradicendi ſtudio fuiſſe confictas, quàm veritatis eruendæ gratia ex ipſa rerum natura deductas. Prima ratio eſt, quæ ex ea ſumitur dubitatione, quam nos aliàs diximus in Galeni doctrina eſſe maximã: cum morbus magnus non ſolùm venæ ſectionem, ſed etiam purgationem indicet ex *4. Meth. cap. 9.* non videri vnum ex iis remediis illud propriè eſſe, quod à morbi magnitudine indicatur. Quam quidem inſignem difficultatem, cum olim promiſerim, fidémque meam obligauerim me eſſe tractaturũ, id mihi libet in præſentia præſtare, ac meam fidem liberare. Id quod eo libentiùs facio, cum locus reuera ſit difficillimus, quòd Aduerſarij illum: tanquam nodum Herculeum nunquam deſinant nobis obiicere. Sic Trincauellius, in quem locum, dum hæc ſcribo, fortè incidi, his aduerſus nos agit. *Qui abſolutè innixi ſententiæ Galeni* 4. de Rat. Vict. in Morb. Acut. & 4. Meth. & in lib. de Rat. per venæ ſect. *proferunt ſemper venam ſecandam, ſi fuerit magnus morbus, ſine alia diffinitione, obaudiunt quæ ab eodem Gal. plerunque in hac re tradita ſunt: vtpote qui* 4. Meth. *dixerit, nempe quod robur morbi, ſiue magnitudinem dicas, pro ſcopo nobis conſtituere oportet, tum in mittendo ſanguine, tum in purgando. Si ergo indicatio à magnitudine morbi accepta vel ſecandam venam nobis præſcribit, vel purgandum, liquidò omnibus patere poteſt (quod tamen latet multos, qui medicinam hoc tempore profitentur) rationẽ hanc non valere, Morbus eſt magnus, vires, & ætas conſentiunt, ergo mittendus ſanguis, ſed oportet inferre. Ergo vel miſſione ſanguinis, vel purgatione eget. Quodnam autem iſtorum potius digendum ſit, aliunde petendum eſt: nimirum vel à natura vacuandi humoris, vel ab eius motu, vel à natura laborantis corporis.* Hactenus Trincal. Cæterùm cum nos in noſtra Diſputatione, aduerſus Valleſium, qui itidem hoc potiſſimum argumento cum tribus principibus venæ ſectionis ſcopis pugnabat, longa & accurata oratione in hoc eodem argumento verſati ſimus, nobis liceat in præſentia hanc ipſam rem breuiùs agere, ac nonnulla tantùm afferre, quæ poſſint priorem Diſputationem adhuc magis illuſtrare, & confirmare. Conſultò igitur prætermitto quæcumque hac de re ex aliorum ſententia aliàs diximus, & ad meas rationes ſtatim venio.

De feb. lect. 82.

Perdifficilis,& perobſcura quæſtio eſt, cum ſcopus magnitudinis morbi tam ſanguinis mittendi, quàm purgationis adhibendæ communem afferat indicationem; vndenam oporteat huiuſmodi iudicium, ac diſtinctionem facere, vtrùm remedium debeat adminiſtrari. In primis verò illud equidem non verebor affirmare, niſi ex ſolis tribus principibus ſcopis licet de venæ ſectione decernere, ſed præterea neceſſe eſt, vel naturam, aut modum vacuandi humoris, vel naturam laborantis corporis, vel alios id genus ſcopos addidiſſe, diſciplinam Hipp.& Gal. tam præclarè, tam apertè, tam efficiéter traditam, quàm nos demonſtrauimus, corruere vniuerſam. *In acutis morbis* (inquit Hipp.) *ſanguinem detrahes ſi vehemens morbus videatur, florueritque ægrotanti ætas, & virium robur adfuerit. Si valens* (inquit Galen.) *ſit morbus cum virium robore, nemo eſt in artis operibus exercitatus, qui non ſanguinem detrahet.* Sed obſecro te, quomodo hæc poſſunt conſiſtere, ſi præter magnitudinem morbi, ſi præter robur virium, medici adhuc ſunt obligati & copiam, & qualitatem, & motum humoris, & naturam ægrotantis, & alia id genus propemodum infinita conſiderare, & animaduertere? Hæc quidem (lector optime) ſunt diligenter conſideranda, atq; animaduertenda. (Quis enim iſtud audeat negare?) Sed tamen ita ſunt conſideranda, atq; animaduertenda (mihi quidem vt videtur) vt omnia ad principes ſcopos perpetuò referantur. Quod enim pertinet ad humores, quorum conſideratio in ſectione venæ aduerſariis eam primis videtur neceſſaria, equidem puto omnium rationalium medicorum eſſe neminem, qui venam ſecturus non antea libenter, ac diligenter eorum naturam, & ſingulas conditiones inquirat, atque examinet? Sed quamobrem? An fortè vt illi quartum ſcopum efficiant, ex quo deliberationem, atque indicationem mittendi, aut non mittendi ſanguinis capere oporteat? Non arbitror. Illud enim, expreſsè Hipp & Gal. doctrinæ aduerſaretur, quos certum eſt, non quatuor, ſed tres tantummodo ſcopos conſtituiſſe, atque in iis omnem humorum conſiderationem præteriiſſe. Quorſum igitur hæc ſpectat conſideratio? At illud verum, vt opinio mea fert, quod ex copia, qualitate, motione, & qualibet humorum conditione medici poſſunt de principibus ſcopis verius, & certius iudicium facere. Ex. gr. ſi humores non extra modum ſuperfluunt, ſi nulla improba qualitate ſunt malè affecti, ſi ad aliquam externam, minuſque nobilem partem fluunt; hinc licet colligere nullam neque adeſſe, neque fortè ad futuram morbi magnitudinem. Contrà autem, ex inſigni humorum exuperantia, ac vitio, ex violenta aliqua in partem principem irruptione, facilè eſt intelligere magnitudinem morbi, vel adeſſe, vel certè impendere. Similiter ſi humores à ſua naturali menſura, & conditione non multum recedant; ſi homo probum corporis habitum, & temperamentum nactus eſt; ſi ægrotat in tempore anni, cœli conſtitutione, regione temperata; ſi morbus ſuapte natura non eſt diuturnus; omnis ratio colligit vires planè fore conſtantes, poſſéque venæ ſectionem benè perferre. Contra verò ſi humores vel copia, vel qualitate, vel quomodocumq; præter naturam ſint affecti longéque diſtent à natura ſanguinis; ſi homo vitioſum corporis habitum, ac temperamentum ſortitus eſt; ſi laborat in tempore anni, cœli conſtitutione, regione inſigniter calida, vel frigida; ſi morbus natura longior eſt; hinc licet ſuſpicari in hoc homine vires fore imbecilliores, quàm vt venę ſectionem tutò, & commodè ferre poſſint. Atque hæc tanquam exempla ſint ſatis, cum ſtudioſi ſimili ratione facile poſſint in aliis ſeipſos exercere. Porrò hanc ipſam humorum conſiderationem, quatenus ad illos pertinet, ego iidem cenſeo id quoque in primis præſtare, vt medici intelligant, ſciantque hoc difficile iudicium adhibere, ac diſtinguere, vrgente morbi magnitudine, vtrùm ſectionem venæ, an purgationem eligere oporteat. Adeò vt huiuſmodi inquiſitio alioqui neceſſaria ad principem virium ſcopum perpetuò debeat referri. Quo quidem loco non eſt, quod Aduerſarij tantopere laborent, vt probent, tam in ſectione venæ, quàm in purgatione robur virium neceſſariò requiri, quod nos illis non inuiti concedimus. Sed illud nobis liceat repetere: minimè vnas, atque eaſdem vires ad vtrumque remedium æquè eſſe accommodatas: immò verò, & ſectionem venæ, & purgatione proprium quendam, & peculiarem virium modum, ac firmitatem deſiderare. Adeo vt quæ robuſtæ vires valent phlebotomiam benè perferre, purgationi minimè poſſint ſatis eſſe: & quæ robuſtæ vires poſſunt benè purgationem tolerare, nullo modo poſſint venæ ſectionem ſuſtinere. Quod firmiſſimis rationibus, atque exemplis in noſtra Diſputatione demonſtrauimus, quæ in præſentia non decet rurſum recordari: quo quidem labore eò magis mihi libet ſuperſedere, quod ipſe quoque Aduerſarius, vt paulo ſuprà vidimus, hanc ipſam veritatem non potuit diffiteri. Quòd ſi quis quærat adhuc, quonam modo liceat hanc diſtinctionem adhibere, atque intelligere, quando vires hoc, vel illud remedium poſſint, aut non poſſint perferre: ad hunc primum reſponderem, cum hæc deliberatio potius ex artificioſa quadam, ac probabili coniectura, quàm perſpicua, & certa ratione pendeat, huiuſmodi iudicium eſſe perquàm difficile, ſummáque prudentia, eruditione, atque in artis operibus exercitatione fore opus, quod quidem ex eo fit euidentiſſimum, quòd inter medicos de hac re frequenter non conueniat; aliis venæ ſectionem, aliis purgationem magis probantibus, & decernentibus. Deinde verò eam quoq; reſponſionem afferre, morbum, cauſáſque morbi, ſymptomata, temperiem, corporis habitum, & alios id genus ſcopos ad hanc rem multum conferre: ſed conſiderationem humorum principem locum, ac veluti prærogatiuam quandam obtinere. Quæ tamen omnia equidem ita cenſeo ad hoc ferendum iudicium eſſe accommodata, vt minimè primum, & per ſe, & tanquam ſcopi principes, ſed tanquam ſcopi ſecundarij, atque hac vna tantùm ratione, quatenus ad principem ſcopum referuntur, viréſque vel firmas, vel infirmas demonſtrant, poſſint huiuſmodi ſignificationem, & diſtinctionem afferre. Sed illud quoque demum mihi liceat addidiſſe; neque alia deeſſe argumenta, & quidem longè maximi momenti, quæ medicos circa hanc deliberationem optimè poſſunt informare. Cum
enim Hipp. & Gal. doceant; concocta medicanda, ac mouenda non cruda: In morbis acutis pur- 1. *Aph.*23. 24
gantia medicamenta rato adhibenda: Cum morbi 1. *Aph* 29. 4. *Rat. Vict.* 51. 52.
inchoant, mouendum, vt plurimum venæ ſectione, nonnunquam purgatione: Omnes propemodum morbos acutos, primùm dato purgante medicamento ſolui non poſſe ſectionémq; venæ perferendam: Medicos, quicumq; inflammationes in principio purgante medicamento ſoluere conātur, non ſolum ab inflammatione quicquam non adimere, ſed etiam ægros ad maxima pericula, atq; ad interitum adducere; & alia id genus, quæ à nemine poſſunt ignorari. Hæc quidem ſi proximè ſuperioribus notationibus coniungantur, mihi videntur ad hanc rem plurimum lucis afferre: vt medici tandem fortaſſe non ita difficulter poſſint internoſcere,

cere, vtro remedio, ſectione venæ, an purgatione vtēdum ſit. Atq; hæc mihi in mentem venerūt, quæ de huiuſmodi loco rurſum in medium proferrem: quem quidē ſicuti aliàs confeſſus, & profeſſus sū, ita nunc libenter fateor, ac profiteor ſingularē difficultatē cōtinere. De qua doctiores maximopere quæſo, vt ipſi pariter ſuas cogitationes velint nobiſcum cōmunicare, in quorum iudicio, & cenſura, æquo, & libēti animo omni tēpore acquieſcemus.

Sed redeo ad Aduerſarium, & ad ſuam rationem reſpondeo, Morbi magnitudinem, ſeu vehementiam (vt ne cauilletur in verbo) ſanguinis miſſionem indicare, ſed ſolam non eſſe aptam, quæ venam ſecandam eſſe demonſtret, niſi præterea altera virium accedat indicatio; quę ſi remedio à morbi vehementia indicato ſufficiant, addita ætatis conſideratione, iam non eſt, vt dubitemus, quin vena ſecanda ſit; quemadmodum ſi vires huic remedio non conſentiant, ſed purgationi potius auſcultent, purgatio adhibenda eſt. Sed mirum profectò eſt de hoc homine, qui tantopere vrget, vnā vnius eſſe indicationem; verumtamen ſi interrogetur, quid tandem hoc vnum ſit, quod vnum remedium, venę inquam ſectionem indicat, equidem neſcio quid ſit reſponſurus. Legantur toti ſeptemdecim libri de Curat. per Sang. Miſſ. Si quis hoc vnum indicans, in quo ille ſibi conſtet, inuenerit, hunc ſpero quicquid maximè ſit difficile, & recōditum eſſe inuenturum. Legi indicationem ſumi à plenitudine, quæ leuibus remediis non cedat, quæ morbum magnum factura ſit; à motu ſanguinis, à quo itidem magni morbi periculum immineat, & ſimilia. Sed vnicum ſcopum nondum legi.

Secunda ratio ſumpta à communibus animi notionibus multis modis peccat. Primum enim falsū eſſe oſtendimus, omnem indicationem à cōmunibus ſumi animi notionibus; qui non recepimus ſētentiam Authoris libri de Opt. Sect. ad Thraſyb. De qua re hic non eſt repetenda Diſputatio. Illud ſatis Aduerſarij ſententiam poteſt confutare, quoniam Gal. proponens ſcopum à morbi vehementia, tanquam ab Hipp. inuentum, inquit illum cæteros omnes medicos latuiſſe. Sed quid cæteros illos priſcos medicos dico? cum poſt Hippocratem, poſt Gal. poſt tot ſæcula, poſt doctrinam tam clarè, tam diffusè traditam, nihilominus pleráque medicorum pars huiuſmodi ſcopum etiamnum intelligere, & admittere non poſſit; qui ſolum in cōmunibus notionibus conſiſtentes, quicquid altius latet; quicquid maioris indiget ſpeculationis, illud aſpernantur, reiiciunt, & confutare conantur. Nouimus Domine initium methodi ab iis communibus ſumi notionibus, quod redundat vacuandum, ſi bilis, bilem, ſi pituita, pituitam, intemperiem contrariis eſſe tollendam, &c. Verùm hæc indicatio, quæ à morbis ſumitur, (ita inquam communiter ſumpta, vt ab Aduerſario ſumitur) principium tantum eſt, & (vt ſi dicam) carcer, vnde medendi ratio promanat, nulla prorſus ipſius medicæ artis adhuc portio, aut certè nec magna, nec propria, &c. Quò verò ipſaquoque morbi vehementia propriam habeat indicationem, & hanc ad totius corporis procurationem pertinere: qua prætermiſſa, rectè non poſſis neque intemperies curare, neque obſtructiones tollere, neque ſingularibus ſcopis, & remediis inſiſtere, hoc ſanè eſt vſque adeò à communibus notionibus remotum, vt id pauciſſimi hactenus potuerint intelligere. Quare non eſt, vt Aduerſ. obiiciat authorem lib. de Purg. Med. Facult. ſi bilis purganda ſit, non eſſe mittendum ſanguinem; ſi pituita, hanc ipſam ducendam eſſe, non alium humorem. Quis enim hoc neget? Verùm præter indicationem à bile, à pituita, à ſingularibus morbis, & cauſis, adeſt etiam quæ à morbi vehementia ſumitur, quæ cæteras omnes tempore, dignitate, atque τῷ κύρει, antecellit.

Ex quibus tertia quoque ratio refellitur, cum ait. [*Ex hac opinione vſus tollitur medicamentorū purgantium, &c.*] Cuius rationis vis in eo tandem cōſiſtit. [*Ergo ſi humores mali cum sāguine miſti pharmaco attrahente educi debēt, vt ſanguis purus in venis remaneat, nónne totus hic vſus omnino ſubuertitur, vbi quiſpiam ſanguinem mittat?*] Aduerſarius idem per idem demonſtrat. An fortè negare quiſquam poteſt, ſi humores mali pharmaco attrahente educi debent, non eſſe mittendum ſanguinem? Non id negamus inquam, Bone Deus, ſed hoc diximus, interdum etiam in humoribus prauis ſanguinem mittendum eſſe; vt in febribus, & quidem in principio, vbi totum corpus vacuare oportet; quod, cum morbus, & humores morborum excitantes crudi ſint, purgatione fieri non poteſt: venæ autem ſectio ſi non prorſus ſanguinem à prauis humoribus expurgat, magnam ſaltem eorum partem, ſi Gal. credimus, educit; & præter quàm quòd alia multa commoda poteſt afferre, illud certè habet ſingulariter, vt non ſit tot nominibus ſuſpecta, quot purgatio in principiis huiuſmodi morborum apud Hipp. & Gal. malè audit. Purgationi igitur ſuus locus ſeruetur, dummodo ne ipſam venæ ſectionem de ſua ſede ac dignitate deiiciamus.

His tollitur facillimè & quarta ratio. Si ſanguis redundat, ille educendus ex Gal. ſententia: ſi cacochymia eſt, humor exuberans expurgandus. Quid ni? At verò ſi morbus ſit magnus, vires conſtent, ætaſque conſentiat, vena in primis ſecanda, mox de aliis remediis cogitandum. Nónne hæc eſt ipſius Galeni propria ſententia? qui traditis præceptis ab Aduerſario productis de euacuando humore peccante, mox indicationem conſiderans, quæ à vehementia morbi ſumitur inquit, tres propoſitos ſcopos eſſe vſq; adeo principes, præcipuos, ac cæteris præferendos, vt poſiti ponant, ſublati auferant venæ ſectionem. Qua doctrina nihil præclarius, nihil efficacius poteſt excogitari; quamuis Aduerſarius eam prorſus diſſimulauerit, quod minimè facere debuit, vbi argumentum ex eo Gal. libello de Curat. per Sang. Miſſ. deſumebat.

AD CAPVT V.

Primæ, & ſecundæ noſtræ rationis examen: de virium conſtantia in cacochymia, de ſanguine vitioſo.

ADuerſarius mihi videtur equos generoſos imitari, qui quum primùm ſtabulis, & clauſtris educuntur, tanta rapiditate, tantoque impetu feruntur, vt incertis gradibus, ſaltibuſque eſtatt & ſeſſores ſuccutiant, atque agitent, & ipſi motu, ac labore fatigati, ſudore, & laſſitudine domentur, tandémque longiore itineris confecto ſpatio victi commodiùs incedant, ac planè gradarij ad viæ finem perueniant. Ille enim pariter initio diſputandi, ac vincendi ſtimulis agitatus, vix ſibi temperare, ſtatumque ordinem ſeruare potuit. Nunc vbi ad finem tot Diſputationum peruenit, incipit ordinatè noſtras rationes examinare, & ſigillatim confutare. Vtinam id in principio ſibi faciendum propoſuiſſet: nam & pauciora nobis legenda dediſſet, & nos ab inani eorundem repetitione libaſſet: à qua etſi cauere perpetuò ſtuduerimus, non tamen omnino potuimus.

Quod ad primum attinet argumentum, in quo præcipuus huius diſputat. cardo vertitur, non eſt,

vt

vt huc omnis conferam, quæcunque antes multis ſunt diſputata: quibus oſtendimus, in quocumque tandem corpore, in quocumque affectu, in quocumque humorum vitio, ſemper ſecandam eſſe venam, dummodo tres præcipui ſcopi iam ſæpe numerati præſentes ſint. Quòd verò etiam purgatio vires valentes poſtulet, id quidem negandum non eſt: verum iſtud non facit, quin interdum, & venæ ſectio poſſit, ac debeat adhiberi, non ratione humoris peccantis, ſed ratione morbi vehementis: ac ſi quandóque hoc remedium prætermittimus, non alia ratione id fiat, quàm virium ipſarum, quæ cum alio potiùs, quàm cum hoc remedio conſtare debeat. De qua re iam ſatis.

De ſanguine itidem vitioſo, qui affertur in ſecundo argumento, iam plura diximus: ac notauimus, vt Aduerſarius hac in re ſibi non conſtet; cum modo ipſam cacochymiam, malámque humorum qualitatem intelligat: modò etiam quantitatem præter naturam audiendam putet: ſicuti in præſentia facit; quod tamen eſſe à Galeni mente, ab vſitata forma dicendi alienum ſatis oſtendimus. Quæ autem Aduerſarios adducit, vt probet ſanguinem quantitate peccantem dici vitioſum, longè abſunt, vt eius intentioni, ac voto ſatiſfaciant. Inutilem fortaſſe, & præter naturam redundantem quoque ſanguinem, illum dicemus, at prauum, vitioſum, malum κακόχυμον, κακὸν, μοχθηρὸν, nunquam dicemus, Quis enim non videat hæc qualitatis eſſe nomina, non quantitatis? Errauit fortaſſe Aduerſarius, quòd corpora quædam vitioſa, ac malè affecta dicantur, quæ ſanguinis redundantia laborant; vt qui ſynocho febre, vel ſine vlla prorſus putredine laborat, nemo non fatebitur malè affectum eſſe, κακῶς ἔχειν: ſed illum prauo aut vitioſo ſucco laborare, τῇ κακοχυμίᾳ, & κακῷ μοχθηρῷ, vel κακόχυμον, eſſe, neminem arbitror ſanæ mentis eſſe dicturum; ac depoſito pignore contendam nunquam à Galeno, aut priſcis illis optimis medicis dictum fuiſſe. Non eſt vt in præſentia rurſum examini ſubiiciam Gal. verba l. 9. Meth. cap. 11. de quibus diximus lib. 2. cap. 8. Quantum enim aduerſaria expoſitio ſit è verbis, ac mente Gal. aliena, quilibet facilè poteſt intelligere; cum Gal. dicat venæ ſectionem Græcè, φλεβοτομίαν, eſſe ſanguinis euacuationem: ille autem vacuandi ſanguinis gratia adhiberi, & hanc eſſe cauſam mittendi ſanguinis: cum Galenus dicat, mitti ſanguinem debere, cum eſt naturæ inutilis, inutilem autem eſſe tum qualitate, tum quantitate: Aduerſarius verò ſola quantitate peccantem putet eſſe ducendum. Namque demonſtratio Galeni eſt; ſãguinem naturæ inutilem venæ ſectione (in propoſito ſcilicet affectu) eſſe euacuandum: duobus autem modis illum naturæ eſſe inutilem, tum qualitate, tum quantitate: ex quo ſequitur, illum, vtrouis modo naturæ inutilis ſit, venæ ſectione ducendum eſſe. Ac de authoritate Auicennæ antea quoque ſatis diximus.

Ad Capvt VI.

Tertia, & quarta ratio de morbo magno.

TErtiam noſtram rationem Aduerſarius his verbis expoſuit. [*Omnis magnus morbus ex Galeni ſententia, &c. exigit.*] Nos aliis verbis. *Præterea an non Hippocrates, & Gal. &c. ſolent?* Rationem qui velit ad formam ſyllogiſticam redigere, ita conſtruere poterit in tertia figura. In morbis malignis venæ ſectio conuenit: morbi maligni fiunt ex cacochymia: ergo in quadam cacochymia venæ ſectio conuenit. Placuit autem ſic argumentum formare, vt quiuis intelligat, quàm vana ſit Aduerſarij conſideratio de vlcere maligno: cum ratio non magis ad vlcera, quàm ad alios morbos pertineat, qui malignitate præditi ſunt, atque in eo conſiſtat, quod maligni morbi non ſine cacochymia ſunt, in iis tamen vena ſecanda eſt, vtpote magnis, ac vehementibus authore Galeno, ergo in cacochymiis quandóque venam ſecamus contra Aduerſarium. Ille quid ad hæc: Fatetur in morbis malignis venam ſecari: eoſdem è cacochymia fieri tantum abeſt, vt neget, vt potius probet. Hinc ſequitur quod volumus. Sed (inquit) [*non rectè concludunt viri doctiſſimi morbo exiſtẽte magno ex ſuccis vitioſis ſanguinis miſſionem neceſſariò adhiberi, cum vires validæ fuerint: quia debet illa interdum prætermitti, ſolam purgationem adhibentes.*] Aduerſar. errat nõ ſolùm in Grammatica, ſed etiam in Logica: quia noſtrum argumentum minimè hanc neceſſitatem, & vniuerſalem propoſitionem, ſed ſolũ particularem probat in tertia figura. Namque in præſentia, quò illius poſitio deſtrueretur, nunquam in cacochymia ſanguinem eſſe mittendum, ſatis fuit probaſſe, interdum eſſe mittendum. Et hac de cauſa argumentum noſtris verbis retulimus ex Diſputatione de Scopis. vt conferri poſſet cum iis, quæ ab Aduerſario obiiciuntur. Itaque ſuperuacaneus eſt Aduerſarij labor, quo de vlceribus malignis, eorúmque cauſis diſputat: in quo ſi velim eiuſdem errores recenſere, ac naturam maligni morbi, qui Græcè dicitur, κακοήθης, lógius perſequi, nimis à propoſito digrediar neceſſe eſt. Id ſolũ velim ſtudioſos animaduertere ne errent, ſi vera ſit maligni vlceris deſcriptio ab Aduerſario tradita, hinc ſequi, vt pleraque, immò verò omnia vlcera, quæ cauſam coniunctam habent, neceſſariò malignorum nomine donanda ſint. Quod eſt à mente Gal. & optimorum medicinæ authorum longè alienum. Quid quod ait [*intemperiem partis à materia, quæ in loco vlcerato, vel fluxerit, vel paulatim congeſta ſit, aut etiamnum fluat, difficilem curationem reddere*] Materia paulatim congeſta gignitur ne in parte, an aliunde fluit? Si aliunde fluit, quo hoc membrum à reliquis duobus differt? Si gignitur in parte, nónne ab intemperie? Intemperies igitur erit cauſa, non effectus. Præterea quænam erit huius curatio? quæ hic certè non habetur, quamuis dicat aliam non inueniri methodum apud Galenum. Deteſtandum quoque eſt quod ait [*ſi verò fluxerint humores, ipſi tantum, quæ recipit, particulæ ſuccurrendum eſt,* &c.] Deſtruit enim maximum, & conſtantiſſimum Galeni decretum, non eſſe partem aliquam propriis remediis, quæ localia vocant, ſubiiciendam, niſi prius totum corpus inanitum fuerit. Sed iam promiſeram hæc me prætermiſſurum. Quare de hoc tertio argumento ſatis dictum ſit.

Quartum vt Aduerſarius prætermittit, tanquam libro quarto pertractatum, ita nos quoque ſilentio prætereamus. Illud ſumebatur ex curatione febriũ putridarum, quæ maiori ex parte fiunt ex cacochymia: quibus conuenire venæ ſectionem proprio loco ſatis docuimus.

AD CAPVT VII.

De vena ſecanda per epicraſin, & in vlcere pulmonum ex cacochymia.

QVoniam morbi quidam ſunt ex cacochymia ortum ducentes, qui ſubita, & ſemel facta euacuatione curari non poſſunt, ſed per epicraſin qua prauorum humorum paulatim, & per vices fit euacuatio, rurſúmq; paulatim, & per vices interponitur nutritio,

nutritio, ac vitium inſtauratio: hanc autem epicraſin, & curationem per epicraſin Gal. dicebat abſolui per venæ ſectionem, iure mihi videor collegiſſe in cacochymia nonnunquam ſanguinem mitti oportere. Quod quidem argumentum vt Aduerſarius effugiat, primùm repetit cauſas repetitæ vacuationis per ſectionem venæ, de quibus aliter egit ſuo quinto libro, de Sang. Miſſ. aliter libro quarto harum diſputationem Diſp. 5. cap. 5. Quo loco nos coacti fuimus noſtrã & illius ſententiam afferre, quæ non eſt hîc repetenda cum ad rem non faciat. Deinde explicata vacuatione per epicraſin ex Galeno *lib. 9. Meth.* c. 10. vt propiùs ad argumenti ſolutionem accedat, id ſupponere non eſt veritus, quod Galen. ſupponere non eſt auſus; corpus plethoricum incidere in febrem ſynochum putridam, cum viribus non admodum validis. Imbecillas dicere noluit, vt aditum ſibi ad fugam ſeruaret. At verò Galenus corpus ſuppoſuit non plethoricum, ſed corruptela humorum laborans. Quo fit, cum Aduerſarius à Galen. diſcrepet in ſuppoſito, & natura morbi, cauſarúmque, vt mirum non ſit, ſi Galenum ſequi volens in hauriendis indicationibus in abſurda, & repugnantia inciderit. Nam ſi corpus plethoricum eſt, locum non habent indicationes ab Aduerſario, immò à Gal. propoſitæ, vt paulatim quod vitioſum eſt vacuetur, &c. Galenus Græcè dixit ἐκκενῶν τὸ μοχθηρόν. Verùm Aduerſ. id fecit cum artificio. Etenim cum Gal. dixerit in prauitate humorum venæ ſectionem conuenire, ipſe ad corpus plethoricum id voluit referre: quod manifeſtè aduerſatur Galeno, qui corpore plethorico, & febre ſynocho prætermiſſa, ſtatuit ſibi dicendum de humorum corruptela, & viribus imbecillis. Quare facile erat Aduerſarium refellere, cum Galenus apertè dicat, humores corruptos euacuari non ſolùm purgatione, ſed etiam venæ ſectione. Quam quidẽ rationem Aduerſarius ſoluere nititur, quoniam corruptela eſt duplex ea 2. Aph. 17. altera, qua humores poſſunt ad priſtinum ſtatum redire; altera qua non poſſunt; quaſi Galenus de priore loquatur, quam inquit plenitudinem adhuc dici, non cacochymiam. Sed conſiderare debuit ſententiam Galeni eo Aphoriſmo, leuem illam corruptelam, in qua parte humoris euacuata, reliquum poteſt in priſtinam redire naturam, nomine corruptelæ non donari, ſed plenitudinis tantum: illam verò tantummodo corruptelam dici, in qua tantus eſt acceſſus ad ſtatum præter naturam, vt facultas concoctrix iam non poſſit humorem corruptum naturali ſtatui reſtituere. Si igitur Galenus, in præſenti cap. 10. *lib.* 9. *Meth.* humores corruptos ſupponit, nonne ex ſua ipſius lege illos audire oportet, qui ad naturalem ſtatum redire nequeunt? Nonne à Galeni mente longè recedit, qui corruptelam humorum eam interpretatur, quæ plenitudo eſt, & appellatur? Verùm liceat Aduerſario contra expreſſam Galeni animaduerſionem, leuem illam corruptelam intelligere & comprehendere, quæ minus propriè talis dicitur: cur nobis non licebit ſub communi, ac generico nomine corruptelæ, τὴν διαφθορὰν alteram quoque audire, & interpretari, quæ magis, ac veriùs corruptela eſt, atque hoc potiſſimùm nomine vocitari conſueuit? Quod ſi nobis licitum eſt, iam ſatis noſtrum viget argumentum, in corruptela humorum, quæ aut cacochymia eſt, aut non ſine cacochymia, venæ ſectionem de Gal. ſententia conuenire. Etenim afferebam exemplum verè illuſtre eorum, qui ex vitioſi ſucci eroſione ſanguinem reiiciunt, aut certè reiicere periclitantur: de quibus
5 *Meth.* c. 14. Gal. Quamuis enim iſti cacochymia manifeſtè laborent, tamen à Gal. curantur per venæ ſectionem ſæpius factam, illis interim ad euchymiam reductis.

Aduerſ. verò vt hinc ductum argumentum ſoluat, multa ſupponit, quæ magna ex parte ſunt à veritate aliena. Summa eius opinionis huiuſmodi eſſe mihi videtur: affectum eſſe ſanguinis reiectionem ex pulmonum eroſione: ſummam remediorum in tribus conſiſtere, purgatione, medicamento diaſpermaton, capitis prouiſione: venæ ſectionem non conuenire in principio, niſi in corporibus plethoricis; in aliis conuenire, cum plerunque debiles habeat vires, & parũ ſanguinis. Tranſacto autem principio, & ſedata reiectione ſanguinis, cõuenire poſſe venæ ſectionem per Epicraſin, non ratione cacochymiæ, ſed ratione præſeruationis. Egregia diſciplina. Ego verò id primum noto, quod optimè doctiſſimus animaduertit Pacius in ſuis Commentariis ad eum locum Gal. non loqui de iis, qui ex cacochymia, & eroſione iam ſanguinem reiiciunt, quos initio capitis dixerat eſſe inſanabiles; ſed de iis, qui ex cacochymia, & catarrho ſalſo iam tuſſim excitante, in diſcrimen adducti ſunt, ne vena in pulmonibus, & pectore eroſa ſanguinem reiiciant. Deinde cum Galenus loquitur de principio, aut progreſſu remediorum, non indicare principium morbi, qui adhuc non eſt, ſed principium inſtitutæ curationis. Id quod ex eo patet, quoniam inquit. *Atque hæc quidem in principio peragenda ſunt. Poſt verò reficiendus æger,* &c. Hæc tamen, quæ peragenda ſunt, numerauit primùm purgationem, ſecundò diaſpermaton, tertiò medicamentum capitis &c. quæ non indicãt ordinem in tempore vſus remediorum, ſed potius in inuentione, ac dignitate. Præterea in hæc, quæ ſunt in principio peragenda, purgatio quoque atræ bilis numeratur, de qua tamen dixerat, *poſtea verò ſi res poſtulabit, etiam iis, quæ nigram bilem expurgant,* &c. Quomodo igitur his in principio vtitur? Huc accedit quòd Gal. ordinem ſtatuit inter hæc, quæ in principio peragenda ſunt, & victus rationem, cum inquit. *Poſt verò reficiendus æger ſalubriter eſt,* &c. Atqui hæc victûs ratio nonne ipſis primis diebus inſtruenda eſt? Itaque iure mihi videor dixiſſe, has dictiones, *in principio*, & *deinceps*, vel *poſtea*, non indicare ordinem in remediorum vſu ac tempore, ſed potius in eorundem inuentione ac dignitate. Nec verò dubium faciat aduerſus id quod diximus, hos nondum ſanguinem reieciſſe, *quoniam* inquit, *reficiendus eſt æger*, quaſi ſupponat morbum adeſſe. Nam reſpondeo dupliciter: primùm, iſtos aliquo modo ægros dici poſſe, quia laborant cacochymia, & catarrho ſalſo & tuſſi, vt Galenus dixerat initio capitis. Deinde verbum illud, *æger*, non eſſe Galeni ſed interpretis. Galenus ſimpliciter dixit ἑξῆς δ' ἀναλήψειν: *deinceps autem reficere*, ſeu *renutrire*, ſupple, iſtos oportet, non dixit *ægros*. Quod ergo dixit Galenus hæc in principio eſſe facienda, tanquam in principio per methodum inuenta, non tollit, quin venæ ſectio, quam vltimo loco propoſuit, nihilominus ipſa quoque ſit initio facienda. Præterea fateor, ac profiteor venam ſecari gratia præſeruationis, cum tota illa remediorum diſpoſitio eundem habeat ſcopum: æquè tamen fateor, ac profiteor in cacochymia venam ſecari, quod Aduerſarius negabat. Quamuis enim curatio per Epicraſin fiat, vt paulatim corpus ad euchymiam reducatur, reductum venæ ſectione vacuetur tamen adhuc dico in cacochymia venam ſecari. Etenim cum alternatim, ac per vices vena incidatur, quæro in prima ſanguinis miſſione, an aliqua reliqua ſit cacochymia? ſi dicas non eſſe, fruſtra renutritio illa, & epicraſis repetebatur; ſi concedas cacochymiam adeſſe, iam concedit illa præſente venam ſecari. Neque in præſentia quæſtio eſt, an in cacochymia ſemel, an per vices ſanguis ſit mittendus, ſed an ſimpliciter mittendus.

dus. Quod verò tandem adducitur ex lib. *de Sect. Ven. c. 7.* de venæ ſectione in gratiam præſeruationis à ſputo ſanguinis vniuerſale eſt præceptum omnia corpora complectens, & omnes cauſas ſanguinis reiiciendi: & eum manifeſte noſtræ faueat poſitioni, non eſt, vt hac de re orationem longiùs protrahamus.

Ad Capvt VIII.

In muliere cacochyma Galenum ſanguinem miſiſſe.

QVod in inueſtiganda Galeni mente, de plurimis rebus, quæ non ipſe accuratè, cogitatéque propoſuit, & explicauit, ſed ex eius verbis elicere, & conſecutione quadam deducere oportet, diſcordes ſæpenumero ſint, qui eius lectione, ac doctrina delectantur, mirum certè non fuerit. Verùm vbi Galenus expreſsè rem ipſam docet, ſuámque mentem perſpicuè aperit, inter me, atque Aduerſarium tantam eſſe diſcordiam; quanta eſt totius diametri diſtantia, ſcio multis maximæ fore admirationi. Galenus hiſtoriam refert cuiuſdam mulieris extenuatiſſimæ, inappetentia laboranti, venis ſanguine tumentibus, liuidis, cui menſtrua purgatio iam octo menſibus deſierat; & ſanguis à Galeno miſſus fuit ad libras tres, paulò minus, tribus vicibus, & ille quidem colore, & craſſitudine liquidæ pici ſimilis. Hanc mulierem Aduerſarius contendit plenitudine, & copia ſanguinis, non cacochymia laboraſſe: ego contrà non plenitudine, ſed cacochymia. Vter ad veritatem propius accedat videamus. 6. Ep. ſe. 3. tex. 29.

Mulierem plenitudine laboraſſe, Aduerſarius his potiſſimùm, vt mihi quidem videtur, rationibus probat. Prima, ex curatione: quoniam miſſione ſanguinis ad priſtinum ſtatum eſt reſtituta. Secunda, quia venas habebat extentas, ac ſanguine tumentes: liuidas autem [*ob naturam ſanguinis in illis contenti, qui erat liuidus & niger.*] Tertia, quia vena ſecta ſanguis exiit craſſus, & melancholicus: in talibus autem conſueuit Galenus venam ſecare, vt in ſanguine præditis tenuiore cruta ſcarificare: in iis ſcilicet, quibus ex ſuppreſſis menſibus ſanguis redundat. Poſtrema, [*quod octo iam exactis menſibus deſtiterit purgatio ex vtero: ex qua ſuppreſſione non modò probabile, ſed neceſſarium omnino fuit plenitudinis affectum generari.*] Ex quo Aduerſarius tandem colligit. [*Quoniam eorum, quæ à Galeno in commentario dicuntur, nihil prorſus cacochymiam adfuiſſe indicat, ſed omnia in vnum plenitudinis affectum conſpirant, rectè videor mirari, cur illi in eam opinionem venerint.*

Ego verò contra cenſeo, in eadem hiſtoria nihil eſſe à Galeno relatum, quod non magnam, atque vnam cacochymiam referat. Primòm quidem corporis extenuatio, ac macies id ſatis docet: quamuis enim mulieres ſuaptè natura, & à primordiis generationis graciles, & minimè pingues abundare ſanguine & poſſint, & ſoleant: tamen quæ prius, aut obeſæ, aut mediocris habitus fuerant, ſi non ſolùm pinguedine, ſed etiam carnis mole priuentur, id neceſſariò ex prauis humoribus obtinent, id quod neminem arbitror eſſe negaturum, ne ipſum quidem Aduerſarium, qui conceptis verbis id fatetur. Poſtquam enim dixit, non videri ſibi rationi conſonum, ex eo, quod exiguam carnem habuiſſet, colligere, eam notabili cacochymia laboraſſe, hæc habet. [*cum enim affectum non faciat inopia carnis, ſed excrementorum, & humorum à ſanguinis natura diſtantium tum copia, tum mala qualitas.*] At verò huiuſmodi copia, & mala qualitas excrementorum, & humorum à ſanguinis natura diſtantium, quid, obſecro te, aliud eſt, quàm ipſiſſima cacochymia? Verùm autem Galenus horum mentionem fecerit in commentario, mox videbimus. Secundò conſideranda eſt mulieris inappetentia, cuius cauſam referre equidem aliam non poſſum, quàm exiguam, aut nullam alimenti ſuctionem, propterea quòd venæ humorum copia laborant; nec non humores prauos ad os ventriculi delatos, qui ſenſum leuis alicuius ſuctionis obtunderent: quod quidem non niſi ex cacochymia ortum ducit; cum alioqui videamus corpora plethorica, qualia ipſorum quoque athletarum ſunt, commodam, & naturalem appetentiam obtinere. Tertiò venarum tumor, cum ex qualibet materia contenta poſſit euenire, certè liuido colore, ſatis docebat ſanguinem in venis contentum non fuiſſe qualitate mediocrem, ſed vitioſum; & non ſolum melancholicum, vt cenſet Aduerſarius, ſed etiam crudum, & debito calore deſtitutum: in qua maſſa, ſanguis probus minimus eſſet, & pauciſſimus, alij humores plurimi: id quod ex aliis quoque palam fiet. Quarto enim loco de cauſa dicendum eſt: nimirum octimeſtri menſtruorum ſuppreſſione: quæ planè demonſtrat inſignem cacochymiam adfuiſſe. Nouimus enim menſtruam purgationem in fœminis fuiſſe à natura inſtitutam, vt corpus earumdem à ſuperuacaneo, & vitiato ſanguine expurgaretur, qualem propter frigidam, & humidam intemperiem, vtramque deſidem in iis generari neceſſarium fuit: quocirca, & iure optimo illam veteres purgationem appellarunt authore Galeno: immò ipſemet dixit aliquando illam non ſolum euacuationem eſſe, verùm etiam purgationem, vtpote in qua multitudo vitioſorum humorum, quæ menſis ſpatio coaceruatur, expurgari ſolet, licet non tanta; neque adeo vitioſa, qualis, & quanta coaceruatur, dum menſes in prægnantibus ſupprimuntur; quod alibi in eam cauſam relatum eſt, quoniam fœtus meliore ſanguinis portione nutriri conſueuit. Quicquid ſit, certum eſt retentionem menſium complurium morborum cauſam eſſe qui nonniſi à prauis humoribus fiunt: quos enumerat Hippocrat. & Galenus, neque eſt, vt nos referre in præſentia velimus. Quid igitur mirum ſi hæc mulier ex cohibitis menſibus octo menſium ſpatio, in cacochymiam, atrophiam, & maciem incidit? cum praui humores nec aptè ad nutrienda membra diſtribuantur, nec diſtributi, ſaltem aliqua ex parte poſſint perfectè coqui, & aſſimilari: quod ſi illa ſanguinis fuiſſet redundantia, cum humor ad nutriendũ ſit maximè aptus, oportuiſſet, & nutritionem optimè cedere, & membra, & carnes ipſas probè nutriri, augeri, & adoleſcere, potius quàm deficere, & macie contabeſcere. Verùm quid de ſanguinis qualitate diſputamus, ſi Galenus eam nobis ante oculos proponit, quod (inquam) eſſet colore, & craſſitudine pici liquidæ ſimilis? Atqui huiuſmodi ſanguinem intra probi ſanguinis fines conſiſtere quis audeat affirmare? aut eius redundantiam plethoræ nomine dignabitur? vnico excepto Aduerſario, qui vt ſua tueatur paradoxa, non veretur abſurdiſſima quæque pronuntiare? Sanguis probus, & naturaliter conſtitutus eſt rubri coloris ex Galeno *lib. de Atra Bile cap.* 2. hic autem erat picei coloris, & nigri, vel ipſo Aduerſario teſte. Sanguis optimus eſt qualitate, & ſubſtantia mediocris, bilioſorum que humorum & pituitoſorum medius 4. *Tuend. Val. cap.* 4. Hic autem erat craſ- 3 Ep. ſe. 3. c. 37.

ſus & ex ipſu Aduerſatio melancholicus. Sanguis ſuaptè natura, dum extra vaſa conſiſtit, concreſcit, atque in grumos vertitur: hic autem dici liquidæ ſimilis fuerat. Quid igitur deſiderari amplius poteſt, quo probemus eam mulierem laboraſſe ſanguine vitioſo, veriſſima, ac maxima cacochymia?

Iam verò aduerſariæ rationes ſua ſponte concidunt, ac ruunt. Etenim ſi Galenus venæ ſectione mulierem curauit, non hinc ſequitur eam plethoricam fuiſſe cum venæ ſectio in cacochymia quoque adhiberi poſſit: & qui contrarium ſupponit, id petit, quod in principio. Tumor porrò venarum arguit quidem copiam ſanguinis, non tamen neceſſariò probi, & qui plethoram efficit, ſed fortè etiam vitioſi, atque ipſius cacochymiæ, qualis certè erat in hoc corpore. De plet. c. 10. *Subſtantia* (inquit Galenus) *copioſior priore neceſſariò eſt ea, quæ tumorem venis comparauit: nondum tamen qualis plenitudo ſit, iam patet; quippe ſubſtantia omnis multa cõmunis præter naturam eſt tumor, ſeu purus ſanguis, ſeu bilioſus, ſeu ſeroſus, ſeu pituitoſus, ſeu flatulentus exiſtat.* Quòd ſanguis eſſet craſſus, & melancholicus, id verò potius cacochymiam ſignificat: ſi enim humor melancholicus ita in ſanguine redundat, vt proportione cæteros humores ſuperet, ipſum præſertim ſanguinem, quid hoc aliud eſt, quàm cacochymia? De menſtrua purgatione diximus, quæ cum impurum, vitioſum, lutulentum ſanguinem ſoleat educere, ſi ſupprimatur, vt impurum quoque vitioſum, lutulentum ſanguinem reddat, neceſſe eſt: in quo ſi quis non intelligit ſummam cacochymiæ rationem conſiſtere, is nihil intelligit. Verùm de hac re atque hoc exemplo in præſentia ſatis.

Quod ad morbos attinet, qui plerique occurrunt ea cacochymia ſine dubitatione ortum ducentes, in quibus nemo eſt ex probatis medicis, qui non libenter ſanguinem mittat, reſponſio Aduerſarij [*in illis ſanguinis miſſionem interdum conuenire; ſi adſuerit plenitudinis affectus, aut ſanguinis fluor: ac citra alterutram cauſam omnino abſtinendum*] hæc inquam reſponſio ſatis indicat illum, aut ex libro tantum medicum eſſe taléſque morbos nunquam in praxi, vt aiunt, tractaſſe, & curaſſe, aut alia ſcripſiſſe, & alia vſu ipſo confirmaſſe. Cum enim nullus in medicina facienda, quantum equidem Vicentiæ, Venetiis, Patauij ſpatio 50. propemodum annorum, quibus medicinam exerceo, potui obſeruare, in propoſitis morbis, ictero, elephante, ſplenetico, Gallico, venæ ſectionem prætermittat quamuis corpora ſint omnis plenitudinis expertia, dummodo vires non prohibeant, ætáſque conſentiat, vix adduci poſſum, vt credam, ſolum Aduerſarium eandem prætermiſiſſe. Immò verò mihi videor certus eſſe, quotquot illi hactenus oblati ſunt Gallico morbo laborantes, (vt alios interea omittam) in nemine penitus, atque iterum, ac ſæpius penitus venæ ſectionem ab eo prætermiſſam fuiſſe, ni vires, aut aliquod ſymptoma vires proſternens obſiſteret. Ætatem prætereo, quòd ille ne in pueris quidem venam incidere vereatur.

AD CAPVT IX.

De natura ſanguinis.

EQuidem non ignoro, quæ in ſequenti parte continentur, ab Aduerſario ſcripta, & à me rurſum conſideranda, talia eſſe, quæ vel initio totius Diſputationis fuerint examinanda, vel opportuniore loco tractanda, vel tanquam antea non ſemel tradita, prætermittenda. Tamen apologiæ ratio me cogit, vt hic de iis dicam, quæ olim tractari debuerant: nam quæ nunc habentur repetita, & inculcata, animus eſt, vel prorſus præterire, vel paucis attingere. Porrò in præſenti capite nobis conſiderandum proponitur, quomodo ſanguis ſit in venis conſtitutus, aut potius quæ ſit natura ſanguinis, qui in venis continetur. Qua in re Aduerſarius, id quod omnibus manifeſtiſſimum eſt, & ad ſolutionem quæſtionis non facit, pluribus declarare contendit: quod ambiguum eſt, atque in eius doctrina inconſtans, inuolutúmque, ſilentio prætermittit. Quis neſciat ſanguinem in venis contentum, ex quo noſtrum corpus nutritur, ex quatuor humoribus conſtare, quæ corporis noſtri ſecunda quædam elementa cenſentur? illos eſſe pituitam, bilem flauam, humorem melancholicum, & quartam ſubſtantiam, quæ ſanguis propriè dicitur? ex iis omnibus nutriri corpus iuxta Hippocratis, atque Galeni doctrinam? Alios præterea humores eſſe iis tribus proportione reſpondentes, qui nutriendo apti non ſint? Hos, ſi valde in corpore abundent, cacochymiam conſtituere? Sed quod erat diligentiùs examinandum, atque explicandum ad ipſum ſanguinem pertinet, ex quo corpus alimentum ſumit. Cum enim ille ex quatuor humoribus conſtet certa quadam proportione, quæ latitudinem quidem habeat, ſed talem, ac tantam, vt ſi eius fines, ac terminos tranſiliat, vt etiam ſanitatis limites egrediatur, neceſſe ſit, ſi talis humorum proportio non ſeruetur, ſed vnus aliquis humor inter cæteros excellat; ſiquidem exiguus ſit exceſſus, affectus plenitudinis nomen meretur, ſed cum additione, ac denominatione ab exuperante humore facta, puta plenitudinis pituitoſæ, bilioſæ &c. Sin autem longo interuallo excedat vnúſque humor alios valde ſuperet, ſi ſanguis ille fuerit, iam non ſolùm plenitudo, ſed & peculiari nomine plethora dicitur: ſin verò alius quiſpiam à ſanguine humor exuperet, nec plethora, nec plenitudo, ſed cacochymia dicitur. Quæ doctrina Galeni eſt multis in locis, præſertim libro *de plenitud. capite vltimo, &* 13. *Meth. cap* 6. Ex quibus illud noſtræ Diſputationis ſolidiſſimum fundamentum conſtitui poteſt, cacochymiam dici, & eſſe, non ſolùm cum humores excrementitij, & ad nutriendum inepti in corpore abundant, vt Aduerſarius cenſet, ſed etiam quando humores ipſi alimentales (vt vocant) & cum ſanguine ad membrorum nutritionem permiſti, à debita proportione, ac ſymmetria recedunt eo modo, quo diximus; de quo quid Aduerſarios ſentiat, non ſatis mihi perſpicuum eſt. Veruntamen ſi conſidero quæ ille ſcripſit non ſolum *lib* 4. *de Ven. Sect. cap.* 4. ſed etiam hoc libro *Diſputat. cap.* 3 *vlt.* mihi ita ſentire videtur, quolibet humore, & quantumlibet in ſanguinea maſſa redundante plenitudinem dici, non cacochymiam. Pòſt enim quàm dixit ſanguinem ex quatuor humoribus conſtantem illum eſſe, ex quo humanum corpus fit & à principio genitum, & poſtea nutritum, humores eſſe ſanguinem propriè dictum, & reliquos tres, qui non ſunt appellandi propriè pituita, vel bilis, ſed ſanguis pituitoſus, vel bilioſus, plenitudinem non conſtare ex incremento bilis, melancholiæ, aut pituitæ excrementitiæ, plethoram eſſe affectum eorum ſuccorum, qui ſanguinis nomen habent; demúmque poſtquam multa effinxit de plenitudine, cacochymia, & cacochymia plethorica, tandem ait [*Quod attinet ad ſanguinis partes ita ſtatuendum eſt, ſi*] *vna cum*

temperatiſſima

temperatiſſima partis augmento contingat biliosum ſanguinem duntaxat, aut pituitoſum, aut melancholicum increſcere, plenitudo etiam dicitur. ſic etiam ſi duo augentur: at verò ſi citra ſanguinem moderatum, ſolus vnus augeatur humor, etiam plenitudinem vocabo, ſed non ita exacto ſermone, verum cum additamento ſanguinis biliosi, aut pituitoſi, aut melancholici: atque ſi aliquando ex veteri conſuetudine dicere voluerimus, plenitudinem bilis, pituitæ, melancholiæ, non reclamabimus, modò rerum natura, vt iam mihi expoſita fuit, teneatur, neque enim de nominibus litigandum eſt.] Sic in præſenti cap. ait [*ex horum*] ſcilicet excrementitiorum humorum miſtione; & confuſione fit in venis cacochymia, cum ſotia magnum incrementum eſt, aut magna illorum malitia (neque enim leuis miſcella hunc affectum facit (vtrumque enim ad illius conſtitutionem interdum concurrit, atque interdum alterutrum. Quare cum Aduerſarius ſimpliciter quodlibet alicuius talis humoris incrementum plenitudinem vocet, nec diſtinguat, vtrùm exiguum intelligat, an maximum & effatu dignum, videtur illam quoque plenitudinem appellare, quam Galenus cacochymiam vocauit: eam verò duntaxat cacochymiam noncupare, qua humores excrementitii exuperant, quod eſt à Galeni mente alienum. Nam *lib. de Plenit, cap. vlt.* bilioſam, pituitoſam, melancholicam plenitudinem deſcripſit, addit in iis, ſimul cum vno ex hiſce humoribus ſanguinem etiam augeri: alioqui ſi ſola bilis pallida exuperauerit, iam huiuſmodi affectus non amplius plethora, aut plenitudo, ſed cacochymia dici meretur. Qui de iiſdem loquitur humoribus, qui ſi augeantur ſimul cum ſanguine, plenitudinem, ſi ſoli ſine ſanguine, cacochymiam efficiunt. Ac paulò poſt. *Et ſanè in plethoricis conſtitutionibus poteſt ſanguis alios omnes longo excedere interuallo, verùm non ita aliorum humorum quiſpiam: id namque in cacochymiam tranſit, neque amplius plenitudo, neque plethora erit vocitanda. Iidem igitur humores, qui plenitudinem faciunt, ſi magis augeantur, cacochymiam gignunt.* Quæ ſententia aperte etiam colligitur 13. Meth. cap. 6. & aliis locis, vt in re clara non ſit opus longiùs orationem producere. Galenus autem hanc ſententiam videtur ex Hippocrate didiciſſe, qui primo lib. *de Nat. Hum.* text. 18. dixit corpus humanum in ſe continere ſanguinem, pituitam, & vtramque bilem: & hanc eſſe eiuſdem naturam: vt certum ſit eum loqui de maſſa ſanguinea, quæ corpori alimentum præbet. Quæ quidem ſi mediocriter habeat, inquit hominem ſanum degere; ſi à mediocritate recedat, dolere, ac nimium ægrotare. Quo loco licet obiter inter Hippocratem, & Aduerſarium repugnantiam obſeruare. Namque ille de humoribus loquens, ex quibus humanum corpus conflatum eſt, ac nutritur, inquit. *Affirmo*

1. De Nat. hum text 15 *igitur ex ſanguine, pituita, & bile tum flaua, tũ atra, hominem conſtare: & primum quidem horum nomina communi hominum iudicio diſterminata eſſe: neque cuiquam eorum idem eſſe nomen dico. Deinde formas ſingulorum quoque natura eſſe diſtinctas: & neque pituitam vlla ex parte ſimilem eſſe ſanguini: neque ſanguinem bili; neque bilem pituitæ. Quo enim pacto ea inter ſe eſſent ſimilia; quorum neque colores ſimiles apparent, cum aſpiciuntur: neque manu attrectanti ſimilia eſſe videntur? Neque enim calida*

Lib. 3. c. 11. *pariter, neque frigida, neq; humida, neque ſicca ſunt.* Aduerſarius verò è contrariò inquit. [*hæ partes* (quas deinde exponit humores in maſſa ſanguinea contentos, ex quibus nutritur animal) *propriè naturam ſanguinis, ac etiam fibras, colorem, odorem, ſaporem, aliáſque proprietates exacta ratione contivent*, &c.] Et in præſenti capite [*ideóque* (ait) *non diſtant colore*, &c.] Et paulò poſt [*licet omnes partes rubræ ſint, omnéſque & forma, & temperie participent ſanguinis,*] Equidem credo Aduerſarium Nouatoris nomen affectare, & enixè aucupari; cum antiquiſſimi authoris, & optimi illius ſenis vetera, & iampridem recepta ab omnibus decreta reſpuat, atque contemnat, noua in audita, incredibilia ſuggerat, ac docere nunquam deſiſtat. Ac ſanè ſpero equidem fore, vt hic homo qui humores ſpecie, qualitatibus, conſiſtentia, virtute. modis omnibus inter ſe diſſidentes, auſus eſt affirmare, propriè naturam eandem ſanguinis, fibras, colorem, odorem, ſaporem, aliáſque proprietates exacta ratione continere, totum naturæ ordinem aliquando inuertat, & contendat album &, nigrum, lucem, & tenebras, aquam, & ignem & quæcumque ſunt contraria, non eſſe diuerſa, ſed vnum, & idem, & quod philoſophi quidam dixerunt, ens vnum eſſe.

AD CAPVT X. & XI.

Rationes Aduerſarij refutatæ: Noſtræ confirmatæ.

DVorum capitum x. & xj. quæ nos in vnicum redegimus, illa eſt apud Aduerſarium ordinis ratio, vt priore, ſcilicet x. reliquas noſtras affectat rationes: in altero xi. prius multis argumentis ſuam poſitionem nitatur confirmare, deinde eaſdem noſtras rationes diſſoluere. Ego verò mihi videor conuenientiorem ordinem ſeruaturus, ſi ſemel in primis vniuerſam Aduerſarij argumentationem examinauero, & quantum vnaquæque illius ratio momenti habeat, expendero: deinde & argumenta noſtra in remedium allata ab eiuſdem Aduerſarii conatibus, & oppugnationibus vindicauero. Primum autem in cap. xj. velim ſtudioſi animaduertant, (quod equidem non ſine maxima admiratione obſeruaui) Aduerſarium in ipſo capitis limine ſine vlla difficultate fateri, [*Interdum, etiamſi nulla plenitudo adſit, immò vero ſi corpus cacochymia inſigni laborauerit, magno imminente morbo à ſanguinis fluxione concitando mittendum eſſe ſanguinem*] ac parum abeſt, quin fateatur, in quouis morbo magno, licet adſit cacochymia, mittendum eſſe. Tamen longiſſima Diſputatione, ac multis argumentis ita probat venæ ſectionem in cacochymia non conuenire, ac ſi illa perpetuò exitialis eſſet, ac pernicioſa, nullúmque vllo, vel loco, vel tempore, locum habere poſſet. Iam argumenta ipſa perpendamus: quorum duo capita ſunt: alterum de cacochymia extra venas: alterum de cacochymia in venis.

De priore quatuor affert argumenta. Primum, quia malus humor non debet trahi in venas, ne ſanguis miſtus illum labefactet. Secundum, quia axioma eſt, non eſſe ducendum humorem per partes nobiles. Tertium, quia non eſt tentanda via longa, & difficilis, cum breuiorem habeas, & faciliorem. Quartum, quia non ſumus certi prauos humores ſecta vena educi: ac retenti plurimum nocere poſſunt. Ego verò his omnibus illud primum obiicio, quod dicebam, argumenta eò tendere, vt doceant, nunquam in tali cacochymia ſanguinem mittendum eſſe; quod tamen Aduerſarius concеſſerat [*magno imminente morbo à fluxione ſanguinis concitando*] Quod ſi ille contendat, hæc ſimul poſſe conſiſtere, vt cacochymia

venæ ſectione non euacuatur, ſed illa reuulſionis tantùm gratia adhibeatur, cur non vidit nos eodem clypeo tegi poſſe, ac pariter reſpondere, ſi cacochymia extra venas contineatur, puta in eryſipelate, non propterea nos venam ſecare, vt prauum illum ſuccum euacuemus, ſed vt morbi vehementiæ proſpiciamus, vt totius corporis rationem habeamus, vt materiam, quæ morbum fouere poteſt, educamus, vt tutum ſingularium remediorũ vſum faciamus. Qua vnica reſponſione argumenta omnis iam relata planè concidunt. Fruſtra igitur Aduerſarius obiicit praui ſucci reuerſionem in venas, eius permiſtionem cum ſanguine, euacuationem per partes nobiles, viam difficilem; incertum exitum cum præter propriam huiuſmodi humoris euacuationem, totius primum corporis ſit habenda ratio, materiáque in primis magno remedio pro morbi magnitudine ſit minuenda. Speciatim verò quæ pars corporis per quem locum, & quomodo euacuari commodè poſſit, iampridem ex Galeno diximus, cum paſſim in libris Meth. tum præſertim 2. *ad Gla. capit.* 2. Sicuti enim ſtudemus conuenientem venæ ſecandæ vſum confirmare, eiuſdem dignitatem tueri, ita ij non ſumus, qui credamus per eam omnes morbos prorſus aboleri, omnibus indicationibus ſatisfieri poſſe.

Deinde Aduerſarius ad cacochymiam ſe confert, quæ in venis continetur, in qua multis argumentis contendit omnino eſſe à venæ ſectione abſtinendum. Quam quidem totam Diſputationem iure poſſem prætermittere, quoniam vnaquaque ſcientia, & facultate diſputare aduerſus eos, qui principia negant, & manifeſtiſſima quæque, & certiſſima eiuſdem axiomata in dubium vertunt, tanquam lege quadam vetitum eſt: & qui hoc facere inſtituat, omnia vbique tractet, atque confundat, infinitam diſputandi rationem perſequatur, neceſſe eſt. Aduerſarium verò certiſſima quæque artis dogmata impugnare, ipſa medicinæ principia in dubium reuocare, facilè intelliget, quicumque attentius eius argumenta examinare, eorúmque vim conſiderare voluerit. Igitur id nos paucis obſeruemus, non quidem, vt dubitationes extra artem poſitas audiamus, ſed vt aliis viam monſtremus, qua ſe ab huiuſmodi tricis, & captiunculis facilè expediant.

Primum eſt argumentum. [*Venarum cacochymia ſanguinẽ coinquinans emendatur pharmaco purgante, non igitur venæ ſectione indiget.*] Argomentum regium, quod non niſi duobus deficit; antecedente, & conſequentia. Namque antecedens ſi ſpeciatim intelligatur, cacochymiam nonnunquam purgatione emendari, id concedi vt veriſſimum poteſt: at verò generatim prolatum id cum primis falſum eſt: cum alia non deſint remedia, venæ ſectio, victus ratio, malleolorum ſcarificatio, diureticorum, ſudorificorum vſus, alexipharmaca, & alia fortaſſe, quibus venarum cacochymia modò purgatione, modò ſectione venæ, interdum & vtraque corrigatur: fieri etiam poſſit, quod iam docuimus, vt non pro ipſa cacochymia, ſed pro morbi magnitudine ſanguis mittatur, ſi cætera conſentiant.

Deinde Aduerſarius ex iis, quæ communia ſunt, argumentatur. [*Amplius propoſitum medici eſt, tutò, citò, & iucundè ſanare: at verò qui mittit ſanguinẽ in eiuſcemodi affectu, neque tutò, neque citò, neque iucundè ſanat.*] Quod quidem argumentum tam diffuſè explicat, amplificat, exaggerat, vt nullum nedum ſectioni venæ, ſed ne alij quidem vlli propè remedio locum concedat. Si enim commune illud præceptum vſque adeò ſeuerè, & reſtrictè audiendum eſt, vt ab Aduerſario accipitur, quis erit quæſo in medicina locus vſtioni, inciſioni, membri amputationi, ligaturis, cucurbitulis, purgationi, clyſteribus ipſis? At verò quis non videat ſenſum eſſe, vt tutò, citò, & iucundè agamus, quàm maximè fieri poteſt, quantum occaſio, réſque ipſa patitur, & finis conſequendi vſus permittit? De ſecuritate dicamus. [*Tuta* (inquit) *non eſt medicatio, qua vacuat eum humorem, qui non debet euacuari, &c.*] Primo dico illum aſſumere, quod probandum eſt, non debere ſanguinem euacuari. Deinde contrà aio tutam non eſſe medicationem qua vel principio, non turgente materia, purgamus, vel ſine inſigni remedio principiũ morbi tranſigimus, in quo mouere oportet, ſi quid mouendum videtur, vel ſingularis praui humoris eductionem molimur, non prius corpore per venæ ſectionem inanito. Hæc enim perſpicua fuit ſententia Galeni, de qua multa diximus. Aduerſarius addit. [*Et qui magnam toto corpori* (toti inquam) *facit vtilitatem, & qui vtilis eſt ad ſuperandum morbum, & in quo naturalis calor conſeruatur.*] Cur non laruam exuit, & apertè profitetur nunquam ſanguinem eſſe mittendum? Cùm ipſe reuulſionis gratia ſanguinem mittebat, ſi ego illi obiiciam, Tu ne ſanguinem detrahis? qui magnam toti corpori affert vtilitatem, qui vtilis eſt ad ſuperandum morbum, & in quo naturalis calor conſeruatur quid reſpondeat? Non aliud credo, quàm & alia remedia, & ipſam in primis venæ ſectionem hoc habere, vt non ſine aliquo ægrotantis incommodo fiant: ſed medici partes eſſe, vt illa eligat, quæ quàm minimo cum detrimento plurimum afferant vtilitatis: talem eſſe venæ ſectionem pro reuulſione, vbi metus eſt vehementioris morbi: talem & nos eandem eſſe dicemus, vbi iam præſens eſt morbus vehemens. [*Denique* (inquit) *ex cuius euacuatione, vires non mediocrem conſequi debilitatem poſſunt*] Galenus certè oppoſitum doceat, Vires venæ ſectione leuatas facilius ſuperare quod reliquũ eſt. Quid, hoc aliud eſt, quam firmiores euadere, ac robuſtiores? Sed eſtò, concedatur hoc quoque, eas conſequi iſtam debilitatem non mediocrem: nónne ſemper hæc ratio viget? Cur igitur ille venam ſecandam, aut docuit, aut iuſſit vnquam? Aut hic volens, ac ſciens falſa ſcribit: aut aliàs impius fuit, qui vena ſecta tantum homini detrimentum, tantam perniciem afferri aſſenſit, ſuaſit, iuſſit. *Iam* (inquit) *ſi nullam ſanguis patitur putredinem, ſi quantitate non facit negotium cur vacuandus*? Quid igitur ſi ſanguis putreſcat, ſi quantitate lædat, concedes ne vt illum mittamus? At dicebas ſectionem venæ ratione putredinis non conuenire. Sed nónne ſæpe ex Galeno diximus, cur ſanguis, licet non patiatur putredinem, licet quantitate non faciat negotium, nihilominus interdum ſit educendus, quia ſcilicet morbus vehemens ſine huiuſmodi remedio ritè curari nequit? Ideircò vana eſt obiecta ratio, non conuenire, vt pro vncia bilis ducatur libra probi ſanguinis. Quanta enim commoda afferat venæ ſectio, præter eductionem praui humoris, millies dictum eſt. Addit Aduerſ. *Sed cur ſi alia via id fieri poteſt, qua ſolùm noxius purgetur humor, conſeruato ſanguine, id fieri non debet?*] Ludit an ſeriò loquitur? Quis neſcit aliis multis modis prauos humores educi, ac minui? Balneo, frictionibus, cibi parcitate, inedia purgatione ipſa? Sed quærendũ eſt, an æquè bene id fieri poſſit. Credis ne victum tenuẽ, aut inediã fore ſatis pro magni morbi curatione, pro mali humoris euacuatione? Ne ipſi quidẽ diætetici, hoc cenſent. Nunc in principio

magni

magni, & acuti morbi veteris balneo, & frictionibus ac ſperabis te iis cacochymiam eſſe euacuaturum; Demum initio morbi, cruda, & non turgente materia purgationẽ adhibebis? Quid credã neſcio. At verò ſectio venæ tua eſt, materiam minuit, viã cæteris præſidiis totam parat, præparationis non indiget, vno verbo morbi magnitudinem retũdit. Speciatim verò quid attinet de purgatione dicere? Quæ quantò & ſecuritate, & facilitate, & medici moderatione, & quantitatis coniectura, & omnibus modis ſit inferior, quam ſectio venæ, id Galenus & manifeſto, & ex profeſſo non ſemel docuit.

Eadem ſit reſponſio ad ea, quæ ſatis confusè accumulat. [*Cur ſi ſemiputrido, ac ſimul multo exiſtente ſanguine Gal. non vult tantum illius vacuari, quantum poſtulat morbus, ſed aliquid vult reponi ad corporis nutritionem, cur (inquam) bonum exiſtentem, quo nutriuntur omnes corporis partes, educemus?*] At Gal. tamen educebat. Ne lis, an educendus ſit ſanguis, ad quantitatem trahenda eſt, de qua nos itidẽ Gal. conſentimus. Sed mirum, fortè ridiculum eſt, cum loqui de cacochymia in venis, & tamen conqueri, quòd bonum ſanguinem educamos. [*Sanguis deinde tanquam amicus, & familiaris naturæ, tum quatenus conſeruat vires, & ſpiritus, tum quatenus calidum innatum auget*, &c.] Quæſo lector, nónne meritò, ac iure tibi videor dixiſſe, Aduerſ. in eorum opinionem incidere, Eraſiſtrati, Medij, & cæterorum, qui à venæ ſectione prorſus abhorrebant? Quò enim hæc ſpectant, ſanguinem eſſe naturæ amicum, & familiariſſimum, conſeruare vires, & ſpiritus, calidum innatum augere, morbi propulſationem iuuare non mediocriter, quàm vt nullo tempore debeat educi? Cur igitur ſi humorum plenitudo, fluxúſque adſit, illum euacuari, & permiſit, & voluit; & ex conſecutione, ſi hanc eius rationem audias, ſuccum naturæ familiariſſimum ſubtraxit, vires labefactauit, ſpiritus exhauſit, calidum innatum extinxit, morbum fouit? Hæc, hæc inquam ſunt, quæ dicebam cum principiis, & axiomatis medicis pugnare; & quæ paradoxa ſunt, vt ne ab ipſo quidem Paracelſo ſint expectanda. Quorſum præterea ipſas vires reddere imbe-
4. De Rat. Vict. 22. cillas ex ſanguinis euacuatione tentabimus? At nonne purgatio, quam ſcribit Hippoc. non conuenire principio inflammationis, quòd quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt, abſumit, colliquátque, & corpus ad imbecillitatem ducit; quam dixit Gal. ideo euctionibus aduerſari, quia corpus vehementer mouendo frangit; nónne victus tenuis, nónne longè magis inedia vires imbecillas
Com. 44. reddit? Oblitine ſumus Galenici præcepti, ſtudium medici eſſe, vt in morbis longis magna ex parte vires conſeruet, in acutis verò moderatè debilitatas cuſtodia? Pudet me profectò, ac piget,
1. Aph. 4. hæc tam abſurda, tam à recta, viſitata, & ab omnibus recepta rerum medicarum intelligentia aliena perſequi: Vereor enim, ne quis hæc noſtra legens ſuſpicetur, me iſtas ratiuneulas maioris æſtimaſſe, quàm mereantur. Verumtamen is ſciat hæc me non eò ſcribere, quò ſtudioſos ad veram medendi ſemitam, methodúmque traducam, qui arbitror vix aliquem in Ariſtotelis, Galenique doctrina inſtitutum reperiri, tam prauo iudicio, & tam imperito, tam perditæ ſpei, qui huiuſmodi luſibus, verius, quàm argumentis, patiatur ſe capi, atque irretiri: ſed vt Aduerſarium ipſum excitem, renocem, ingenuè, amicè, obſecrem, vt ne ſtudio litigandi vſque adeò tranſuerſum agi ſe permittat, vt hæc tandem ſcribat, quæ equidem puto non illi ex animo fluxiſſe, ſed pro ingenij acumine, ac Diſputationis impetu potius excidiſſe.

Aduerſarius probauit hactenus, tutam non eſſe curationem per venæ ſectionem: mox intendit probare non eſſe citam, ac breuem; qui ita ludit. [*Sic (fortè ſit) cacochymia in venis pulmonum*, &c. *Quomodo eam ſectione venæ vacuare poterunt?*] Ego verò ita deduco Quomodo eam ſine ſectione venæ vacuare poterunt? Hæc ferè ſunt, quibus ille credit ſe probaſſe, nec citam, nec iucundam eſſe curationem per ſanguinis miſſionem: cum tamen de iucunditate nihil planè dixerit, ipſe fortaſſe ſibi conſcius, quàm iniucunda ſit, ægrotantibúſq; inuiſa, & odioſa curatio per medicamẽta purgantia.

Tertia Aduerſ. ratio, & à communibus eſt, & videtur omnem venæ ſectionis vſum prorſus oppugnare. [*Natura venarum cacochymiam ſegregatam à ſanguine vacuat: ergo eandem ſegregatam à ſanguine vacuare debet artifex: conſecutio neceſſaria eſt, quia medici munus eſt, naturam bene operantem imitari*, &c.] Diſputare ad vtramq; partem atque eandem poſitionem modò probare, modò refellere, & improbare, Dialectico fortaſſe, Oratori, & ei, qui exercitationis gratia Diſputationem inſtituit, licitum fuerit: at in homine ſerio, & eo, qui cæteros facultatem maximè humanam vtilitatem ſpectantem docere profitetur; in medicina ipſa id facere; argumentum aliquod, vt vanum, & irritũ improbare, mox eodem ad confutandam veritatem abuti, id verò mihi indignum, & nullo pacto ferendum videtur. Vtebatur Auerroës eodem argumento, eodem inquam medio, aduerſus Galenum, vt probaret euacuationem à medico ad lypothymiam, aut ſyncopem non eſſe ducendam, quia natura nunquam id facit, medicus autem eſt imitator naturæ. Contra Auerroëm diſputat Aduerſarius, atque eius argumentum ſoluit lib. *de Vena Sect. capite 5.* Quod quidem ſtudioſos rogo, vt ſemel relegere non grauentur, vt intelligant Aduerſarium noſtrum Veſpertilionis Æſopici partim ſimilem eſſe, partim diſſimilem. Ille enim modo auem, modo quadrupedem ſe profitebatur, ſed hoc fine ſibi propoſito, vt pacatè degeret, & cum auibus, tanquam auis victitaret, inter quadrupedes etiam vti quadrupes exciperetur. Hic autem è contrariò nonniſi pugnam, & litigium meditatur, inter aues abet eſſe quadrupes, inter quadrupedes auis. Aduersùs Auer. cenſet, medicũ non ſemper, non omnibus non æquè naturam imitari: Aduersùs Maſſar. ſtatuit, medicum ſemper naturam imitari debere, vt nihil moliatur, nihil cogitet, quod non naturæ imitatione fiat: nam ſi aliquid à medico fieri concedat, quo naturam non imitetur, iam ruit argumentum, nulla eſt conſequentia. [*Bilem in venis exiſtentẽ natura expurgat per diarrhœam, per dyſenteriam, per vrinas, per ſudorem non vacuato ſanguine*, &c.] ergo artifex non debet venam ſecare. Sed quæſo ex multis, quæ Aduerſarius eo loco adducit contra Auerroëm, liceat hæc pauca referre. [*Ars equidem* (inquit) *aliquando naturam operantem imitatur: aliquando naturam imbecillam adiuuat, aliquando ipſa per ſe operatur tanquam architectonica, in qua re euadit longe ſuperior natura*.] Et paulò poſt. [*Porrò in illis etiam, quæ nunquam facit natura, eam imitatur medicus in hunc ſenſum, quia eo modo res facit, procuratque, quo modo natura faceret ſi opus illud efficeret.*] In has anguſtias, in has contradictiones incidere plerunque ij ſolent, qui ſolida artis fundamenta, & vera methodi principia ignorantes topicis quibuſdam rationibus vtentes, incerti hæſitant, & modo hoc, modo illud aiunt, aut negant, & in ma-

nifeſtis mendaciis, abſurdiſſimiſque poſitionibus deprehenſi ſubterfugere, & cauillari nunquam deſiſtunt, & quiduis aliud ſibi committendum putant, quam vt ſe victos fateantur, cognitam veritatem ſuſcipiant, loco ne tantillum quidem cedant. Et cum hoc præcipuè ſenum ſit proptium, fruſtrà fortaſſe illud vſurpauero γέρον γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ. Veruntamen dum ſtudioſi rem ipſam cognoſcant, ac veritatis vim ideamque ex ipſa in primis poſitionum, & rationum conſtantia, tanquam certiſſimo indicio intelligant, non videbor mibi fruſtra omnino laboraſſe.

Eiuſdem farinæ eſt, quod Aduerſarius addit. [*Proptrea cum natura à cauſis morbum facientibus aggrauatur, & humorum adeſt cruditas, aliquid bene euacuari eſt impoſſibile, &c.*] Quid ais vir præſtantiſſime? Nonne vides vt nos impugnes, quantam vniuerſæ medicinæ cladem inferas? quantam tuis dogmatis repugnantiam afferas? Inſignis hæc eſt, & peculiatis prærogatiua ſectionis venæ; vt poſſit, ac debeat, tum demum, cum morbi inchoant, adhiberi; apud nos, ſi morbus ſit magnus, vires, ætaſque conſentiant: apud te, ſi plenitudo adſit, vel fluxio humorum: nunc doces illam nonniſi concocta materia vſurpandam eſſe? Et alios Nouatores appellabis? aliis ſuccenſebis, quòd noua, peruerſa, & pernicioſa in medica facultate dogmata introducant, ſectentur, doceant? ô lepidum caput,

Reſtat altera pars capitis, in qua Aduerſarius nititur noſtras rationes ſoluere, aut veriùs noſtras dubitationum ſolutiones refutare. Quoniam concedentibus nobis in cacochymia venæ ſectionem, obiiceret aliquis id poterat, quod ille paſſim ſolet obiicere, non eſſe conueniens, vt vno humore exuperante, euacuemus alterum, bile abundante ſanguinem, reſponſionem afferebamus, per venæ ſectionem ſanguinem minimè ſyncerum, ſed confuſum, & cum aliis humoribus permiſtum educi; vt doceremus per eam Ipſum quoque humorem vitioſum euacuari: contra inquit Aduerſarius, [*Hanc hypotheſim concedo illis libenter, quia ex hac ipſa non video quomodo inſequatur, in cacochymia venarum (nam de alia nulla eſt controuerſia) ſanguinem fore emittendum.*] Norandum eſt ingenium hominis, qui vt affirmet, vel neget, non ab ipſa veritate adducitur, ſed ex eo, ſi ſequatur aliquid contra ſe, vel non ſequatur. Verùm hoc conceſſo, quid ille reſpondet, quid habet contra nos? Planè nihil [*non debet ſpectari quod vacuetur humor morbum efficiens, ſed an rectè vacuetur*; &c.] Ego enim aio, rectè, immò optimè euacuari, tutò, & modo conuenienti, & conferre euacuationem, & facilè fieri. Argumentatur ille contra, & repetit, quæ nos iam abundè examinauimus: vt certè ſuperuacaneum ſit eadem toties repetere. Vno verbo, ſanguis in cacochymia vtiliter, tutò, & conuenienter educitur, ſi principes eius mittendi ſcopi conueniant, quia ſimul prauus humor euacuatur, quia natura onere leuatur, quia quod reliquum eſt, facilius ſuperat, quia medicus tutiùs poteſt reliquis remediis vti, quia vnicum eſt remedium magnum, quod initio morborum vehementium poſſit adhiberi; cum illi ipſo initio, curationem, & remedium aliquod magnum requirant. Quo tempore venæ ſectio præfertur purgationi, licet alioqui purgatio proprium ſit remedium cacochymiæ, magnum inquam morbum excitantis. Falſum porrò eſt quod Aduerſarius ait in cacochymia per venæ ſectionem, vacuari magnam ſanguinis portionem, parum bilis, aut alterius humoris vitioſi: namque humor, qui copioſus eſt in venis, copioſiot etiam educitur, vt quotidie experimur, vt docet hiſtoria mulieris, de qua c. 8. diximus. in qua ſecta vena ſanguis pici liquidæ ſimilis eductus eſt. Quare humorum proportio vel non mutatur, vel ſi mutatur, ad naturalem ſtatum magis accedit, cum redundantis humoris portio maior educatur. Fruſtra igitur laborat Aduerſarius, ac mirificè ſibi repugnat, dum corpus cacochymum ſupponit, ſimulque contēdit fieri poſſe, vt ſanguis nec quantitate, nec qualitate præter naturam ſit affectus. Quid enim aliud eſt cacochymia, quàm ſanguinis vitium, & mutatio in qualitate? Etenim cum ille certa quadam naturali quatuor humorum proportione, atque eorum propria temperatura præditorum conſtet, ſi multò calidior, & ſiccior fiat, quàm naturæ conueniat, hac ipſa qualitatis mutatione billoſus fit; qui quidem exceſſus ſi magnus fuerit, teſte Galeno ipſam cacochymiam conſtituit. Quid igitur eſt, quod ait, ſanguinem pati tantum inquinamentum ex miſcela mali humoris? cum dicatur cacochymia, non ſolum quando prauus humor ſanguini admiſcetur, ſed etiam cum in ſanguinea maſſa vnus aliquis humor à ſanguine diuerſus, cæteros, atque ipſum in primis ſanguinem magna, ac præter naturam ſuperat proportione. Sed hac data mali humoris miſcela, quid tandem Aduerſarius putat accidere ex venæ ſectione? An fortè ſolus ſanguis exibit purus, ac ſyncerus, humor autem ille permiſtus cohibebitur, ac veluti fræno, vel obice quodam detentus exire non poterit? Quæ fictiones hæ ſunt? Quæ ſomnia?

Quoniam verò ſtatuta noſtræ poſitionis veritate, ex eadem colligebam ſolutionem dubitationis maximi momenti; cur fiat, vt venæ ſectio morbis non ſolùm calidis, ſed etiam frigidis conferat, quoniam praui humores, quicumq; tandem ſint, miſſione ſanguinis euacuantur, qui ſcilicet in venis ſunt, & cacochymiam conſtituunt, Aduerſarius hanc noſtram ſententiam, quam, conſequentiam vocat, mirificè derideo, immò verò tanquam pernicioſiſſimam deteſtatur, qui multis vtitur argumentis: quibus antequam reſpondeo, libenter ab eo quæſierim, an reuera putet multos frigidos morbos venæ ſectione iuuari: nam ſi id neget, tot poſſum in medium proferre, quot ille fortaſſe calidos adducet, apoplexiam, epilepſiam, lethargum, hydropem anaſarcam, tremorem, humorum crudorum copiam. Si verò concedat, ille priùs debuit meliorem rationem afferre, quàm noſtræ illuderet. Sed cum ipſe quid ſentiat, non explicet, conſequentiam noſtram, vel potius à ſe confictam redarguit, [*Ex eo* (inquit) *quod aperta vena ſanguis vacuetur vitioſus, melancholicus, pituitoſus, & verò temperatus, atque mediocris, non poteſt deduci venæ ſectionem vtilitatem afferre frigidis morbis, & probat oppoſitum ſequi. Siquidem cum ſanguis ſecundum ſe totus calidiſſimus ſit excepto corde, ac ſpiritibus, omnium, quæ in humano corpore inſunt, huius ipſius vacuatio ſimul cum ſpiritibus qui cum eo ſemper inſunt, vberrimi, magis refrigerando & corpus, & humores frigidis affectibus ſummum inferret detrimentum, ac illius præſentia vtilitatem maxima.*] In quo quidē argumento, & falſa aſſumit, ſibi contradicit. Sanguinem, qui vena ſecta euacuatur, ſumptum pro tota maſſa ex quatuor humoribus conſtante, calidiſſimum eſſe omnium, quæ ſunt in corpore, falſiſſimum eſt, ſiue rationem ſpectes, ſiue Galeni authoritatem. Ratio in promptu eſt. Cum enim ſanguis ex quatuor conſtet humoribus, contrario præditis temperamento, atque elementis ipſis proportione reſpondentibus quorum humorum duo calidi ſunt, duo frigidi, quod ex horum miſtione reſultat,

Digitized by Google

reſultat, temperatum ſit oportet, tantum à mediocritate recedens, quantum vnus aliquis humor redundat, atque in temperie totius dominatur, quod quidem Galenus docet ſine cacochymia fieri non poſſe. At verò idem Galenus hoc ipſum manifeſtè teſtatur, qui ſanguinem inquit non calidum, & humidum, ſed temperatum dici debere, quemadmodum & ver: quod quidem intelligendum eſt, non de ſanguine, vt quartus eſt humor, ſed vt ex quatuor conflatus eſt. Idem enim dicebat Galen. ſanguinem temperatiſſimum aliorum humorum non fore expertem, cum caliditate, frigore, humiditate, ſiccitate participet. Aduerſarium ſibimet contradicere, cuilibet animaduertenti patere poteſt: quia ſupponit [*quòd aperta vena ſanguis vacuetur bilioſus, melancholicus, pituitoſus, & verè temperatus, atque mediocris.*] Neque in eo vim facio, quòd ſanguinem pro quarto humore temperatum, & mediocrem appellet; ſed quia cum hunc talem ſtatuerit, mox additis tribus humorib. quorum duo ſunt frigidi, & vnus tantum calidus, putat quod redundat calidiſſimum cenſendum eſſe. Deinde nos conatur ad maximum inconueniens, deducere. [*Sanat venæ ſectio frigidos morbos, ergò calefaciendo prodeſt; cur igitur vbi de febribus diſputabatis; contendiſtis omnem venæ ſectionem refrigerare?*] Aduerſarius primum iniuria nobis imponit, quod refrigerare venæ ſectionem diximus omnem, quod ſupra, vbi hac de re diſputabat ex profeſſo, dicere non eſt auſus. Præterea id videtur ignorare, quod vel ipſis Gymnaſij patientibus notum eſt, idem ratione diuerſorum poſſe, & calefacere, & refrigerare. Rhabarbarum (dicet tyro) per ſe calefacit, per accidens, euacuando humorem calidum refrigerat. Pariter venæ ſectio ventilando calorem, & euacuando humores calidos poteſt refrigerare, frigidorum euacuatione poteſt calefacere. Verùm eſtò, iſtud quoque concedatur, venæ ſectionem non calefacere, nónne morbis frigidis ea quoque poſſunt prodeſſe, quæ non calefaciunt, vtpote quæ ſine calore cauſam tollunt? O efficaciſſima argumenta, quæ vel ſoluere non poſſumus, vel ſi ſoluere nitamur, ſtatim ab Aduerſario opprimimur. Addit enim [*Dicent, conſtat ſanguis ex pituita, conſtat ex melancholia, qui humores frigidi ſunt, & à quibus frigidi morbi fiunt, quamobrem vacuatio eorum ſanare poterit morbos frigidos.*] Et equidem crediderim me hac ratione omnem illius argumentationem ſoluiſſe, niſi me perterruiſſet, inquiens. [*Indignum eſt hoc argumentum iis, qui veram profitemur medicinam.*] Me miſerum! Quid reſpondeam? Primùm hic nullum agnoſco argumentum, ſed ſolutionem argumenti. Deinde ſi licet ita argumentari, & aliorum argumenta ſoluere, deponantur libri Ariſt. Priorum, Poſteriorum, Topicorum; ſatis enim deinceps fuerit dixiſſe, argumenta eſſe indigna, &c. Sed vereor ne ſtudioſi ſolidiores reſponſiones requirant. Quid igitur objicis ſubtiliſſime Aduerſarie? In ſanguinea maſſa ſunt humores non ſolum calidi, ſed etiam frigidi, qui venæ ſectione euacuantur. [*Dixi cùm de conſtitutione naturali ſanguinis loquebar, pituitam, & melancholiam in ſanguinea maſſa exiſtentes ſanè excrementitios non eſſe humores, ſed ſanguinis habere formam, & vſum: impoſitum verò fuiſſe id nomen ab antiquis à ſimilitudine.*] Quid tum? Ego verò non id conſiderabam, an eſſent excrementitij, an naturales, ſed hoc tantum, eſſe partim calidos, partim frigidos. Ais, an negas? Si negas, totam doctrinam de elementis, de temperamentis, vno verbo de natura humana in dubium vertis: ſi affirmas, vt fatearis, & concedas venæ ſectione duci humores etiam frigidos, & eos quidem copioſiores, ſi ij forte in ſanguinea maſſa exuperent, neceſſarium eſt. Non poſſum omnia perſequi, atque inter cætera monſtrare, id falſum eſſe, quod aliàs dixit, & nunc repetit; nomen humorum naturalium impoſitum fuiſſe per ſimilitudinem ſumptam ab excrementitiis; cum è contrariò potius ſe res habeat. vt excrementitiorum nomina ſint à naturalibus deſumpta. Tranſeat. Conſideremus quod ſequitur. [*Præterea ſi omnes morbi frigidi in venis conſiſterent, fortaſſis haberet opinio probabilitatem.*] Ergo in iis morbis, qui fiunt ex cacochymia in venis exiſtente opinio probabilis eſt. Cur igitur dixit; opinionem eſſe indignam iis, qui veram profitentur medicinam, & qua nulla magis humano generi pernicioſa poſſit inueniri? [*At maior eorum pars ex humore fit extra venas, &c.*] Quid ſi hoc negem, nec ſine ratione negem? Cùm cacochymia contenta in venis plurimorum morborum cauſa exiſtat: quod de febribus putridis ſatis conſpicuum eſt, & nos alibi docuimus. Sed illud mihi libet addidiſſe in ipſa quoque cacochymia extra venas poſſe venæ ſectionem conuenire, non vt prauus humor educatur, ſed vt totum corpus euacuetur, vt remedia ſingularia tutò poſſint adhiberi. vno verbo, vt morbi vehementia remittatur. Neque abſurdum eſt, vt aliquando crudi humores extra venas exiſtentes, per venæ ſectionem primum trahantur in venas, mox per eandem repetitam educantur. Quam Galeni doctrinam eſſe diximus, *4. de Tuen. Val. c.* 10.

Quod Aduerſarius poſtremò addit [*quod omnium medicorum illuſtrium ſententia de morborum frigidorum curatione omnis ſubuertitur, vt ex eorum lucubrationibus conſtat*, &c.] Ià nobis multò ante animaduerſum, & refutatum eſt, qui oppoſitum ſcripſimus; quatenus autem pertinet ſpeciatim ad humores frigidos & illos morbos, qui ferè ab illis conſueuerunt ortum habere (tales intelligo apoplexiam, epilepſiam, vertiginem, carum, lethargum, cordis palpitationem; & alios id genus) an non Hippocrates, Auicenna, & probati omnes medici pro illorum præſeruatione, & curatione ſanguinem detrahunt? Quare lis inter me, & Aduerſarium eſt facti potius, quàm iuris. Memoria repetant ſtudioſi, ac ſi comperiant authores omnes tam veteres, quàm recentiores in huiuſcemodi morbis frigidis, & à cauſa frigida oriundis venam ſecare, dicant nos non omnino abſurdam, atque indignam iis, qui veram medicinam profitentur, opinionem ſectari: ſin autem verum ſit, quod Aduerſarius ait, nos rerum omnium curationem, & doctrinam ſubuertere, ille vicerit.

Hic diſſimulare non poſſum, quæ pro confutatione cuiuſdam noſtræ reſponſionis ab Aduerſario referuntur, digniſſima viro, qui veram deſtruere medicinam profiteatur. Reſponſio noſtra fuerat, ſine ſolœciſmo, vt arbitror, (vereor enim ne & hanc erroris notam mihi inurere voluerit.) Detractis omnibus ſuccis, ſeruata inter eos proportione, quam habent in venis, vt natura deinceps vires acquirat, & quod ſupereſt melius gubernet, neceſſe eſt. Hæc ex Galeno accepimus cum alibi, tum præſertim 11. Meth. ſcribente, *leuata namque qua corpus noſtrum regit natura, exonerátaque eo, quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris non oblita, & coquet quod concoqui eſt habile, & excernet, quod poteſt excerni.* Aduerſarius non iam contra me, ſed contra Gal. (*Sed à via longiſſimè aberrant. Quia cum naturæ proportio conſiſtat, & in qualitate, & in quantitate: naturali quantitate remo-* *Diſp. de ſeqq. pag.* 666.

ta, qua cum illas ſuas exercebat operationes, non poteſt niſi maximè reddi imbecilla, præſertim cum vacuetur ea ſubſtantia, qua non debebat vacuari: ideóque quod ſupereſt, putreſiat à natura non gubernante vt conueniebat.] Quî clariùs potnit contradictoria Gal. ſcribere? Æquum verò eſt, vt illum, quem ſequuti ſumus, etiam tueamor. Primùm libenter ab eo ſcire velim, quomodo intelligat naturæ proportionem conſiſtere in qoalitate, & quannitate: propottio inter pluta conſiſtit: in qualitate, aut quantitate ſanguinis nulla eſt propottio; ſad inter qualitatem ſanguiois cum aliis humoribus collati: itidémque inter quantitarem ſanguinis, & aliorum. Deinde cum natuta in cerra quadam mediocritate conſiſtat, non ſolùm in qualitate, ac temperamanto, ſed etiam in mole, & quantitate, conſiderandum eſt, ſicuti receſſus à naturali ſtatu in qualitatibus fit non ſolum per defectum, ſed etiam per exceſſum, pariter in quantitate naturam vitiari, ac labefactari, non ſolùm ſi debita quantitas ſanguinis, aliorúmque humorum minuatur, ſed etiam ſi augeatnr. At io præſentia de cacochymia loqoimur, in qua vnus aliquis humor redundat; ac reliquos proportione ſuperat. Quare vitium eſt in qnantitate aucta; immò verò, & in qualitate, quæ cum humore illo redundare dicimr, cuius eſt propria. Si igitur venæ ſectione humor, aliqua ſaltem ex parte vacuetur, tantum abeſt, vt naturalis qoantitas remoueatur, vt potius reſtituatur, & recuperatur: & cum natura ſuas operationes probè exerceat, non ſub maiore humorum copia, non ſub cacochymia, ſed cum mediocri quantitate, & qualitate, hinc fit, vt diminutione humorum facta, vegetior potiùs, ac validior euadat, pristina, & propria recuparata mediocritate, & proportione: ex quo & propria moneta melius, & faciliùs perficiet, coctionem præſertim atque expulſionem: quæ Galeni potius, quàm noſtra ſententia fuit, ſicuti diximus.

Tandem cum Aduerſarius leuiſſima quæque perſequatur, vt ferè nihil è noſtris intactum illæsúmque prætermittat, ipſi oobis deeſſe non debemus, ſed illud quoque examinare, an rectè à nobis dictum ſit, an perperam ab illo reprehenſum, minorem ſanguinis, quàm aliorum humorum portionem venæ ſactione vacuari. Poriò mens noſtra illa fuit, vt illos refutaremus, qui contendunt venæ ſectione maiorem ſaoguinis portionem educi: aduerſus quos hæc ſcripſi. Quamnis neque id fortè ſit temere concedendum, maiorem ſemper meri, boníque ſanguinis copiam vacuari, cum ille vel Galeni teſtimonio ſit naturæ familiariſſimus, & ab ea quam pertinaciſſimè contineatur. Scilicet hoc volui, ſi qua differentia eſt inter quatuor humores, vt faciliùs, an difficiliùs, copioſiùs, an parciùs exeant, rationem docere, ſanguinem potiùs hanc prærogatiuam obtinere, qui parcius exeat, à natura quàm tenaciſſimè retineatur: non quia prorſus retineatur, ac ſupprimatur, vt mihi Aduerſarius imponit, ſed vt natura quàm maximè poſſit, det operam, vt ne ſanguine priuetur: cum hoc tamen non negamus humores commiſtos, & confuſos euacnari, immò verò æqualiter, & ἰσοτίμως, vt dicebat Gal. noo quia æqualiter exeant æqualitate Arithmetica, ſed Geometrica ſecundùm proportionem, qua io venis reperiuntur, aut certè parum diſcrepante, eo ſcilicet, quod ſangnis fortaſſe aliquanto parciùs exeat. Pergat Aduerſarius adhuc, cum vrget, quaſi dixerim [*cacochymia exiſtente in venis ſolam illam vacuari retento ſanguine*] qood nunqoam ſomniaui: & nos irridet, ridiculo argumento. [*Quis enim vidit hoc miraculum, rupto dolio, non effundi vinum, inciſis venis non effluere ſanguinem?*] Hic ſi velim callidè, & argutè cauillari, reſpondere poſſem, pertuſo dolio vinum ſæpenumero non exire, niſi alia ex parte dolium perſpirat, & vas angnſti oris inuerſum aquam non effundere. Sed hæc ſingulari Aduerſarij ſubtilitati permittantur. Aptius reſpondeo, cum negari non poſſit, vena ſecta omnes humores exire, tamen hac in re diſcrimen aliquod ſtatui poſſe: quandoquidem dolium non habet vim attractricem, retentricem, expultricem, qualem habet animal: ideò in dolio rupto, & ſecta vena poteſt alio modo ſeſe res habere. Cùm verò ait, [*Sed quis quæſo eſt ſanguis hic malus, cum ſuppouamus totum ſanguinem, & quantitate, & qualitate bonum, permixtione duntaxat flaua bilis, aut alterius excrementi malum: ſola hac permiſtio remouenda, vt diximus.*] videtur ſtatuere cacochymiam ab humoribus ſolùm excrementitiis fieri; quod falſiſſimum eſt, ſicuti docuimus. Hic illud tantummodo quæram, vbi ex quatuor humoribus in ſanguinea maſſa contentis, vnos alios magnopere ſuperet, quiſnam ſit affectus: namqoe ſi argumentum valet à definitiooe ad definitum, equidem non alium eſſe dixerim, quàm cacochymiam.

Verùm planè nos atterit, atque expugoat, cum ait, [*non ſunt quæ ſenſibus, experientiaque apparent euidentia ſine valida ratione pronuntianda*] Axioma oounm, mirabile, inauditum, quod me attonitum reddit, vt neſciam, vtrùm me an Aduerſarium magis impugnet. Sed iam reſipiſcere mihi videor, & oppoſitum poſſe cum Ariſtotele ſtatuiſſe: in iis quæ ſenſibus nota ſunt, hebetis eſſe ingenij, ſenſu prætermiſſo, rationem quærere. Ac certè, ſi quid eſt, quod liberè ſine ratione adhibita pronuntiari poſſit, non aliud erit, quàm qood per ſenſum, & experientiam notum eſt.

Tandem argumentom noſtrum deſuper purgationibus dicit malè cum iſtis conuenire. Rationem, aut non ipſe addidit, aut additam ego non percipio. [*ſi dederis mihi purgationem fieri ſecta vena, dabis etiam velis, nolis, omnem ſanguinem in venis exiſtentem ex eo orificio educi.*] Bona verba quæſo. Equidem hæc iure poſſem ſtatuere cum propoſitis oon conuenire. Siquidem nec purgationem dixi fieri ſecta vena, neque negaui omnem ſanguinem in venis exiſtentem ex eo orificio educi. Nam mea ſententia fuit, prauos quoque humores, & cacochymiam ipſam venæ ſectione vacuari: tum verò ſanguinem ipſum, tanquam magis naturæ familiarem non æquè facile exire, ac cæteros humores. Quod quidem ad hominem potius, atqoe ex abundanti (vt aiunt) dictum volui, quàm vt magnam in hoc vim facerem. Quocirca de hac re omnis multa fortaſſe dicta ſunt.

AD CAPVT XII.

Morbis ex cacochymia pituitoſa conuenire venæ ſectionem.

DVm hoc caput apud Aduerſarium legerem, ac mecum ipſe animo repeterem, quot, & quanta contineat abſurda, falſa, & manifeſtè, tum veritati, ac veræ medendi methodo, tum planè omnium, ac certè inſignium medicorum authoritati repugnantia, paradoxa, atque in ipſo artis vſu pernicioſa, ac deteſtanda, cœpi quaſi pœnitentia quadam adduci, quòd hunc laborem aduerſom hunc hominem fruſtra inſumpſerim; cuius doctrinę falſitatem, ac peruerſitatem nemo eſt, qui vel me tacente noo facile intelligere poſſit. Veruntamen

cum

eum tantum itineris iam confecerim, enm etiam in re tanta, ſi vel vni ex tyrunculis perſuadeat, periculum ſit maximum: cum tales in medicina errores monſtrare maximè ſit operæ pretium; illúdq; id eos præſertim pertinere videatur, qui tum publico docendi munere contendunt, tū verò immeritò laceſſiti veritatem à ſe defenſam oppugnari cum videant, non abſq; inertiæ, atq; impietatis crimine ſilere poſſunt; iam inſtitutam Diſputationē perſequi, atq; extremā manum tandē illi imponere decreui.

Aduerſarius, vt oſtendat in ſimplici cacochymia pituitoſa non eſſe mittendum ſanguinem, ſigillatim eos morbos percurrit, qui ab huiuſmodi humore, & cacochymia fiunt: in quibus duo primùm vniuerſe digna ſunt annotatione, alterum quidem, quod pertinet ad Aduerſarium, qui hos ipſos morbos proponit, tanquam eos, qui à ſimplici cacochymia pituitoſa fiunt: deinde vt ſubterfugiat, diſtinctiones quaſdam adhibet, vt interdum à pituita, interdum ab aliis humoribus efficiantur; de qua re non eſt, vt in præſentia diſputemus, ne videamur noſtra oratione velle vniuerſam medicinam complecti. Illud profectò ille debuit monſtrare, morbos, qui à pituita fiunt, venæ ſectionis non indigere: quod falſum eſſe partim monſtrauimus, partim etiam monſtraturi ſumus. Alterum ſpectat ad authores; qui de hiſce morbis, atque eorum curatione ſermonem habuerunt: quos ille, neſcio qua fronte, pro ſe adducit; eum tamen plerique omnes, & præſtantiſſimi quidem in apoplexia, epilepſia, vertigine, lethargo, caro, & aliis id genus, à quocumque tandem humore fiant, vno ore, venæ ſectionem manifeſtè, ac ſine vlla exceptione, qualem Aduerſarius fingit, nominent, imperent, vſurpent. De Apoplexia loquens Aëtius inquit. *Hu peractu præfato diſcrimine ſanguis à dextra manu auferendus eſt*. Et mox. *Nam ſi nihil prius ſucceſſerit, repetitio facienda*. Paulus. *Qui igitur quoquo modo curationem recipiunt, iis ſtatim ſanguis ex vena detrahendus; & ſi remiſſionem quandam habuerit, detrahere conuenit eadem die, aut ſequenti*. De Epilepſia Aëtius. *Oportet igitur ægros intra longam aquæ potionem coerceri, atque initio medicationis, niſi quid prohibeat, venam ſecare*. Paulus. *Poſt acceſſiones, ſi nihil prohibet, ſanguis mittendus eſt*. De vertigine Aëtius. *Virium igitur robore atteſtante, ſi nihil aliud obſtiterit, vena ſecanda eſt, ſiue principium morbi fuerit, ſiue etiam proceſſerit*, &c. Paulus. *Vbi morbus conquieuerit, eius diſcutiendi gratia ſanguis primum mittendus eſt*. In lethargo cautior videtur fuiſſe Aëtius, atque timidior: qui inquit. *Quòd ſi multitudo affuerit, & ſanguis ſit, qui redundet, ſecunda die vena ſecanda eſt, & pro virium ratione ſanguis detrahendus*. Paulus audacior. *Vires ſi permittunt, etiam hic vena ſecari debet*. Caro vterque ait eodem modo tractandum eſſe, quo, & lethargum. Si verò conſulamus & præcipuos ex recentioribus, qui ſingularium morborum curationes deſcripſerunt, idem planè aſſeuerant, vt non ſit opus omnes recenſere. Altimarus de Apoplexia, *Statim quoque prædictis taliter ægrotantibus, ſanguis ex vena detrahendus erit, prædicto tamen eorum periculo, vt ait Aetius, quoniam ſanguinis (vt ipſe refert) ſi non redit & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſt. Detractio autem ſanguinis à dextra manu fiat, humerali, aut media inciſa vena, vbi vires, ætas, & alia non dehortantur: affectus namque magnitudo id præcipit, tanquam princeps ſcopus venæ ſectionis Hipp. & Gal. decretis*. Idem de Epilepſia. *Quibus etiam, ſi nihil impedierit, venam ſecare confert*, &c. Et de vertigine. *Vbi verò conquieuerint, & vires robuſta fuerint, nihilque aduerſetur, vena ſecanda erit, ſiue principium affectionis fuerit, ſiue tempus iam progreſſum fecerit. (Aetij præcepto, & Pauli) humeralis videlicet, ſeu externa, aut media*, &c. De lethargo. *Statim autem ab initio, ſi nihil prohibeat, in ta.i affectione incidenda vena eſt: quod licet præceptum ſit Galeni 13. Meth. cum eo itidem conueniunt Paulus, Aetius, Trallianus*. De Caro. *Et vt breues ſimus, curandi ſunt taliter affecti, ſimiliter vt lethargici*, &c. Inter præcipuos ex recentioribus & Hollerium Gallum ſoleo referre, qui cap. de Apoplexia ſic habet. *In phlebotomia, quæ vel hominem libe et, vel occidit ita te gerito. Si nihil repugnat, præparato prius corpore, & in tempore venam cephalicam incidito, parùm detrahito: poſt aliquot horas, ſi perſeueret malum, alteram cephalicam vulnerato*, &c. De epilepſia. *Nec omittenda phlebot. ſi omnia conſentiant*. De vertigine Scholiaſtes. *Curatio perficitur ſublatis cauſis per contraria, ſanguinis miſſione, ſi conuenier, è cephalica, vel mediana, vel baſilica*. In lethargo timidior eſt; qui *ſtatim* (inquit) *initio, ſi corpus ſanguineum eſt, & tolerant vires, è cephalica ſanguis detrahendus eſt in lethargo*. Nam aut ſatis fuit dicere, ſi vires tolerant, aut ſi addere velimus, corpus ſanguineum, in eum finem dictum intelligatur, vt cognoſcamus, an vires remedium laturæ ſint. Hæc referre volui fortaſſe longius, quàm opus fuerit, vt omnes intelligant præſtantiſſimos iſtos authores, non eas diſtinctiones adhibere, quas Aduerſarius putat, ſed ſolùm dixiſſe, venam in iis affectibus ſecandam eſſe, non ſimpliciter quidem fateor, ſed ſi cætera, in primis vires conſentiant. Atqui, ſi Aduerſarij poſitio vera eſſet, vt, cum ij morbi fiunt à pituita, & humore frigido, & craſſo, quod plerunque fit, ne ſemper dicam, non oriatur indicatio mittendi ſanguinis, iam nullo modo vena ſecanda eſſet; & fruſtra conſilium caperemus, an reliqua cōſentiant: etenim quod nullo modo eſt faciendum, fruſtra in deliberationem ducitur an cætera conſentiant, vt fiat. Nunc ſingula breuiter examino.

Apoplexia (inquit Aduerſarius) *duplicem ortum habet, tum à pituita admodum viſcida, tum à ſanguinis multitudine*. Stulti propè omnes, qui in deliberatione facienda de venæ ſectione, huiuſmodi tanti momenti diſtinctionem prætermiſerunt. *Non conuenit ſanguinis miſſio in priore, ſed duntaxat in poſteriore, Hippocratis, & Galeni teſtimonio lib. 4. de Rat. Vict. in Morb. Acu. com 25. & lib. de Cur. per Sang. Miſſ. c. 6*. Credidit fortaſſe nos eſſe vel cæcos, vel mente captos, qui hæc loca aut non viderimus, aut non repetenda cenſuerimus, aut repetita non intellexerimus. Quod ad Hippocratem, & Galenum attinet. 4. Acut. mihi videor non poſſe meliùs Aduerſarium confutare, quàm ipſa verborum lectione, quam vnicuique ſuo arbitratu proſequi licet, & quæſo vt libeat. Quandoquidem hic eſt locus apud Galenum, qui maximè noſtram ſententiam confirmat, eum totum mittendi ſanguinis negotium, atque conſilium ad tres principes ſcopos referat. Hippocrates enim in textu 24. nulla adhibita Aduerſarij noſtri diſtinctione, venam igitur brachij dextri internam ſecare oportet: deinde in textu 25. quantitatem docet mittendi ſanguinis: vbi Galenus dubitat, cur hic vitium non meminerit, cur ſuperius ſolas vires recenſuerit, habitu corporis prætermiſſo: de qua controuerſia aliàs diximus, nec laboramus in præſentia: qui tandem docet omnes ſcopos ad tres præcipuos eſſe redigendos, inquiens. Satis eſſe tres detrahendi ſanguinis ſcopos quiſpiam dicere poteſt: indicationem accipientibus nobis, & à morbi, qui curatur, magnitudine, & habitu, & virtute. Atque hinc Aduerſarius colligit, in apoplexia, quæ fit ex humore

frigido

frigido non eſſe mittendum ſanguinem. O doctrinam admirabilem!

Quid de cap. 6. lib. de Sang. Miſſione? Galenus eo loco loquens de euacuatione eorum, qui laſſitudine laborant, iis conſentiens, quæ docuerat in libris de Tuen. Valet. Inquit, in plenitudine præſertim ſi magna fuerit, venam ſecandam eſſe, aliis ſcilicet ſcopis non prætermiſſis. At in copia crudorum humorum non probibet venæ ſectionem, ſed conſiderandum in primis, ait, quantum valeat, robuſtáque ſit virtus, & quantum ipſe humor ſit refrigeratus: namque ſi vel affectus ſit talis, vel corpus ſit ita diſpoſitum, vt periculum ſit, ne vires collabantur, his nullo modo vena ſecanda eſt: quæ ad ſummam tota eſt Galeni ſententia. Ex qua à contrario ſenſu facile colligere poſſumus, quod aliàs ex eodem Galeno docuimus, niſi huiuſmodi adſit periculum, poſſe, immò debere ſanguinem mitti. Fruſtra enim Galenus eas conditiones adhibuiſſet, ſi illis etiam abſentibus à ſectione abſtinendum eſſet. Illud quod licet colligere, quod itidem aliàs diximus, vtrùm ſecanda ſit vena, vel non ſecanda, non ſumi ex qualitate vel quantitate humoris, ſed ex vna virium conſtantia.

Quoniam verò de epilepſia (vt fatetur Aduerſarius) eadem eſt ratio, eadémque doctrina, illa prætermiſſa, ad vertiginem venio, in qua ille nouam quandam, & mirabilem doctrinam, maximéque abſtruſam, & reconditam Galenici loci interpretationem excogitauit: vt ſi quando nos in admirationem, & ſtuporem adduxit, nunc ferè attonitos, ac planè ſcotomaticos ſit redditurus. Vertiginis naturam, & cauſas inueſtigabat Galenus ex *3. de Loc. Aff. c.* 8. Qui cum docuiſſet, eam fieri ex inæquali, turbulento, & inordinato motu humorum, & ſpirituum, qui in cerebro continentur, huiuſce rei ſignum tradidit ex curatione; quoniã nonnulli adiuti ſunt ex ſectione arteriarum, quæ ſunt poſt aures: quod quidem indicio eſt, illum ſpiritum, ſeu ſanguinem ſpiritoſum per eam partem deferri iis conſueuiſſe, à quo in cerebro agitatio, & motus ille præter naturam fieri ſolebat. Sed quoniam arteriæ à corde ad cerebrum aſcendentes, duplices vtrinque ſunt; aliæ quidem externæ, quæ ſecari poſſunt, aliæ verò internæ, ad quas ſectio per artem facta peruenire non poteſt, Galenus docet ex rei natura, ſi cauſa proueniat à ſoporariis internis appellatis, conſequens eſſe, vt iſti, qui vertiginem patiuntur, ex ſectione exteriorum arteriarum non ſint vtilitatem percepturi. Neque Gal. ait, neque veriſimile eſt, eum ſupponere aliquando ſectionem illam inutiler factam fuiſſe: quoniam medici munus eſt internoſſe, vtrum ab externis an ab internis arteriis fiat: ſiquidem externarum arteriarum affectio, cum oculis, tum tactui manifeſta eſt, vtpote quæ manifeſtè turgent, pulſúmque magnum, ac vehementem habent: quod tum alias ſæpenumero vidimus, tum in mulieribus quibuſdam hyſtericis ex menſium ſuppreſſione laborantibus. Quæ quidem indicia niſi appareant, non eſt, vt ad huiuſmodi arteriarum inciſionem deueniamus. Equidem in hac re multa obſeruo, quæ nos docere poſſunt, quantopere Aduerſarius, à Galeni mente abhorreat. Primum, Galenum non loqui de curatione vertiginis, cum hoc non ſit illius conſilium in ea parte, ſed ſolùm de indiciis, quæ cauſas vertiginis docent, propterea non ipſam curationem tradere, ſed referre euentum, qui ex aliorum curatione apparuit. Præterea Galenus in hac Hiſtoria non integram curationis progreſſionem enarrauit, ſed hoc tantum, quod ad ſectionem arteriarum pertinet. Credendùm tamen eſt eam non fuiſſe factam, aut certè fieri non debuiſſe, niſi prius vniuerſum corpus, aut venæ ſectione, aut alia ratione, ſi placet, inanitum fuiſſet. Addo etiam, quod magni momenti eſt, eam arteriarum inciſionem non fuiſſe factam, vt vel totum corpus, vel caput vacuaretur, vt ab ipſo capite fieret reuulſio, vt perperam cenſet Aduerſarius, vel deriuatio, vt quis rationabilius poſſet exiſtimare, ſed vt interciperetur, præcluderetúrque via ſpiritibus ad caput impetu quodam aſcendenti, atque humores, ac ſpiritus ipſius cerebri, perturbanti, & agitanti. Namque vt dicebat Galenus. *Aliquando vaſorum ipſorum vitium eſt, cum vena, vel arteria* 13. *Meth. c. vlt.* *imbecilliores ſunt ſic, vt aliorum vaſorum ſupernacua recipiant. Quo caſu aliqua earum parte exciſa, aut etiam totis benè alte præciſis, dura cicatrice, quod intereſt, intercipimus, qua diſiuncta inciſi vaſis partes continua præterea non ſint, nec ex altera in alteram confluere aliquid poſſit.* Ac paulò poſt. *Eſt & quando calidus ſanguis, ac vaporum plenus ad caput aſcendit, & maximè in arteriis redundat. Cui vitio excogitatum ſaluberrimũ remedium à medicis eſt, vt ipſa incidatur arteria quæ Græcè eſt ἀρτηριοτομία.* Ex quibus patet non illud fuiſſe Galeni conſilium vt euacuationem efficeret, ſed vt motum ſpirituoſi ſanguinis inhiberet. Nouimus enim inciſione vaſorum ſanguinis euacuationem potius ſupprimi, quàm excitari: quod hæmorrhagiæ remedium à Galen. traditum eſt. Errat igitur Aduerſarius, cum putat *arteriomatiã* (vt ipſe loquitur) *arteriotomia* (vt loqui debuit) fieri cauſa reuulſionis, niſi nouo vocabulo reuulſionem velit eam interceptionem *Lib. 5. Meth. c. 3.* appellare, qua ſanguis ab inferioribus ad ſuperiorem eiuſdem arteriæ partem fluere prohibetur per cicatricem, quæ inter vaſis inciſi partes interponitur: namq; ita ſanguis effluere ad ſuperiora conſuetus, ex arteriæ inciſæ orificio occluſo prohibitus retrocedit, & quaſi repellitur potius, quam reuellitur.

Errat etiam ſummopere, & perniciosè, cum ait [*Præterea ſi quiſpiam hoc in caſu relictis arteriis venas incideret, aut nihil prorſus, aut parum iuuabit: quippe quia morbus ipſe non fit per venas, nec ab omni ſanguine, ſed ſolùm ab arterioſo, & per arterias fluente.*] Inter tot morborum myriadas, quibus omnes, excepto prorſus nemine, venam ſecandam iubent, quales ſunt, apoplexia, phrenitidis, cephalalgia, angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, vteri inflammatio; menſium aut profluuium, aut ſuppreſſio, ſexcenti alii morbi, nemo vnquam ex omni memoria obſeruauit, annotauit, innuit, excogitauit, ſi malum fiat per arterias, ſi fiat à ſpirituoſo ſanguine, & per arterias fluente, non conuenire venæ ſectionem. Sola hæc noua, admirabilis, aurea doctrina ab Aduerſ. noſtro eſt excogitata, illi vni accepta ferenda: cuius in decem ſuis libris de venæ ſectione non meminit, in ſuis Conſiliis, Epiſtolis, aliiſve operibus, ſi quæ extant, mentionem non fecit: ſed quam nuperrimè, iam ſenior, aduerſus me diſputans in lucem edidit, & promulgauit. Nec videt ſe hoc nouo dogmate veteres omnes, Hippocratem ipſum, atque Galenum, recentiores omnes, ſe ipſum, in iis, quæ hactenus ſcripſit, docuit, exercuit, negligentiæ, ſoporis, ignorantiæ crimine arguere, & condemnare: nec videt ſe vnitatem, conſenſum, & confluxum vniuerſi corporis deſtruere, atque negare: quem Hippocrates primum docuit, dein Galenus explicauit, tandem optimorum omnium philoſophorum, & medicorum conſenſus confirmate. Venas enim, & arterias, tum mutuis oſculorum congreſſibus, & *ουταν ασ-μώσιν*,

ἐσφμένον, tum meatibus, ac foraminibus ſenſum fugientibus inter ſe communicare, ſanguinémque, & natiuum calorem ſibi mutuò impartiri, ac viciſſim dare, & accipere, dogma eſt tum à Galeno demonſtratum, tum ipſis rerum euentibus maximè conſentaneum: cum videamus ex venarum inciſione, ipſas quoque arterias exinaniri, & è contrario: vt certè non ſit opus hac de re longiorem ſermonem habere; niſi velimus ipſa medicinæ principia in controuerſiam reuocare: quod eſt à præſenti occaſione magnopere alienum. Quod ſi Aduerſarius dedita opera huiuſcemodi nouas, & paradoxas ſententias voluit pronuntiare, vt nos Pyrrhonico veluti more in rerum omnium dubitationem adduceret, ſciat nos non ignorare, vbi de quaque re diſputandum ſit, ac diſſerendum; neque hic, vbi de ſcopis venæ ſectionis ex Galeni ſententia diſputamus, velle omnia intermiſcere, artíſque principia, ac fundamenta à Galeno iacta, & firmata nunc diſquirere, & in dubium reuocare. Quod ſi res ita ferat, id nos in alio quidem agone eſſe facturos non ſubterfugimus.

Ad rem igitur, atque 8. illud caput lib. 3. de Loc. aff. redeo: ex quo Aduerſarius videtur deducere; quoniam nonnulli per ſectionem arteriarum poſt aures à vertigine curati non ſunt, per conſequentiam nec venæ ſectione curandos fuiſſe. Ego vero primùm obſeruo, non dixiſſe Galenum eos non fuiſſe ea ſectione curatos, ſed non curari, *διεγρίνονται*, non *διεγρίνθησαν*: non enim caſum proponit, in quo ſectio illarum arteriarum fruſtra facta fuerit, ſed eum quidam adiuti ſint eo remedio, qui ex huiuſmodi arteriis occaſionem vertiginis habuerunt docet illud iis futurum inutile, qui alia ratione in eundem affectum inciderent. Præterea vana eſt conſequentia; non ſunt adiuti ſectione arteriarum poſt aures; ergò brachij venæ ſecandæ non ſunt: tum quia ſectio arteriarum, vt diximus, non fit gratia euacuationis, aut reuulſionis; ſed vt tranſitus, impetúſque ſanguinis ad cerebrum per eas delati impediatur: tum etiam, quoniam illud ſingulare eſt remedium, & locale (vt aiunt) quod ad ipſum caput malè affectum ſpectat, adeóque euacuationem totius corporis prius faciendam per venæ ſectionem poſtulat: quæ quidem adhibenda eſt, ſiue ſecandæ ſint arteriæ externæ, in earum affectu, ſiue non ſint ſecandæ affectis ſcilicet internis arteriis, vel ſpirituoſa materia ex inæquali cerebri intemperie genita. Quamobrem iure optimis quibúſque authoribus in ipſa vertigine proponitur ſectio venæ ſimpliciter, & in vniuerſum, ſine diſtinctione, quam Aduerſarius tradidit. Hæc de vertigine. Quoniam verò de caro antea diximus: de letbargo, & crudis humoribus proprio loco verba fecimus, mihi videor poſſe optimè præſenti capiti finem imponere.

Ad Capvt XIII.

An in cacochymia ex bile liceat ſanguinem mittere.

SI quando licuit, Aduerſarium obſeruare fallacem diſputandi rationem ſecutum, falſis propoſitionibus nixum, rectas argumentandi regulas aſpernatum, nihil aduerſus nos confeciſſe, & longiſſimè à vera, Galenicáque doctrina receſſiſſe, nunc certè maximè videre licet, in hoc fine Diſputationum, ad quas tanto cum feruore, atque animi impetu eſt aggreſſus, veluti pugnando fatigatum, vſque adeo hæſitare, nutare, ac de contentionis vi, vehementiáque amiſiſſe, vt non pro ſe contra nos, ſed pro nobis contra ſe ſtare videatur: atque illi optimè quadrare, quod ait Pöëta:

——*Non lingua valeat: non corpore notæ*
Sufficiunt vires: nec vox, aut verba ſequuntur.

Id quæſo nobis liceat paucis declarare. Oſtendimus multis argumentis, in cacochymia bilioſa venæ ſectionem conuenire. Hoc primum ſtatuatur, quoniam Auicenna in curatione prunæ, & ignis perſici venæ ſectionem laudat, quanquam illomet authore oriuntur ex cholera citrina adurente permixta melancholiæ: vbi & verba Auicennæ aſcripſi. Aduerſarius tergiuerſatur, Auicennam prunã, & ignem Perſicum intelligere carbunculum [*quod illos* (nos ſcilicet) *ignoraſſe videtur*] ita enim ſua Grammatica loquitur: qui deinceps ſcribit carbunculum fieri ex fluxione ſanguinis maximè efferueſcentis, atque ſimul craſſitudinem habentis ex Galeno: hinc primùm oriri indicationem reuellendi ſanguinis, vt in omni inflammatione; & quia fluxio multum vrget, tandem per multa colligit, hac ratione venæ ſectionem conuenire. Bone Deus! Num argumentum hac reſponſione ſolutum eſt? inquit Auicenna de pruna, & igne Perſico loquẽs, & vnumquodque amborum eſt de cholera citrina adurente, permixta melancholiæ. Hanc cacochymiam eſſe Aduerſarius non negat, nec negare aliquis poteſt. In hac tamen neceſſaria eſt phlebotomia. Negabis ne ſequi, ergo in aliqua cacochymia vena ſecanda eſt? Obiicis Galenum, obiicis me ignorare, hos affectus ipſummet Galeni carbunculum eſſe: quid tum? ſoluiſtine argumentum? Quid verò Galenus ait? 14. *Meth.* carbunculum fieri ex humore craſſo, ac feruẽte 2. *ad Glauc.* nec non *de Tum. præter naturam*, fieri ex ſanguine craſſo, nigro, fæculento, feruente. At ſanguis craſſus, niger, fæculentus plethoram conſtituere non poteſt, cum maximè ſecundùm has qualitates à natura optimi ſanguinis recedat; ſed cacochymiam, in qua ſanguis propriæ naturæ, & qualitatum plurimum amittit: ille enim (vt Galenus docet) inter bilioſos, & pituitoſos humores medius vtpote qui à mediocri fit calore, ſicuti alij humores ab immoderato: in quo ſi parua fiat mutatio, ſanguis etiamnum dicitur, & plenitudinem conſtituit, ſed cum additamento, aut pituitoſam, aut bilioſam, aut melancholicam: at verò ſi magna fiat ſanguinis mutatio, non ampliùs ſimpliciter ſanguis dicitur, ſed vel crudus, vel bilioſus, vel fœculentus, & melancholicus, neque plenitudinem, ſed cacochymiam conſtituit De qua re antea quoque fortè non ſemel diximus. Sed magnum eſſe in ſanguine exceſſum, ſatis feruor ipſe docet; quia ſanguis præter modum aſſatus, authore Galeno, partim in flauam, partim in atram bilem conuertitur. Quamobrem ſanguis præter modum exuſtus, aut ad alterius humoris naturam conuerſus citra cacochymiam eſſe non poteſt.

Venio ad argumentum ſumptum à febre ardente, in qua Galenus ſanguinem mittere non veretur; hanc verò certum eſt fieri à putredine flauæ bilis, cum ingenti feruore, ac ſiti inexplebili, vt neceſſarium ſit fateri in eadem inſignem eſſe cacochymiam. Dixi aliàs nonnullos reſpondere ſolitos eſſe, Galenum loqui de febribus ſynochis, quas ardentis nomine donari ſolent. Quæ reſponſio eſt Aduerſarij in præſenti loco: quam tamen ita deprauat, vt facile noſtræ poſitionis veritatem indicet. [*Duplex porrò* (inquit) *ſynochus eſt, quarum vna fit à ſanguine, alia verò à bile, vt Galenus ait 2.* de Febr. Diff. cap. 2 & lib. 2. de Criſ. *ſententia Galeni de ſynocho bilioſa intelligi debent*] ſeu *debet*: Solutio

Lib. 4. fo. 3. c. 9. & 10.

4. de Tu. Vã. c. 4.
2. de Fac. Nat. c. 8.
2. de Diſ. feb. c. 9

lutio mihi videtur in eo coonſiſtere, cum Galenus in febre ardente venam ſecat, eum oon intelligere ardentem exquiſitam ex bile ortam, ſed ardentem ſynochum, quæ fit ex ſanguine bilioſo; neque cacochymiam, ſed plenitudinem eiuſmodi ſanguinis coniunctam habet. Ego verò contra demonſtrare contendo; Galenum de febre ardente exquiſita, quæ fit à ſola bile, ſermonem habere: quod duplici conſtat argumento. Alterum eſt, quoniam eo conceſſo, duo eſſe febrium ſynochorum genera, vnius à ſanguine, alterius à bile ortum ducentis, oſtendo hanc ex ſola bile ortum ducere: alioqui ſequeretur eam ab altero membro, & à priore non differre, quæ fit ex ſanguine. Etenim ſententia Galeni fuit ſanguinem putreſcentem, partim in flauam bilem, partim in atram conuerti: cum autem atra bilis fortaſſe ob ſui paucitatem febrem ſynochum non ſoleat concitare, hinc ſequitur, vt ſynochus putrida ex ſanguine eadem ſit, quæ & ex ſanguine

a. de criſ. c. 12.

bilioſo. Quæ manifeſta fuit Galeni ſententia his verbis. *Liquet autem, quod cum hic* (ſup. *ſanguis*) *putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet, ſed iam ad atra bilis naturam tranſit: atque in hoc illud ſeruatur, triplex eſſe genus vniuerſum ſimplicium febrium: quæ enim ex ſanguine putreſcente fit, iam quodam modo bilioſa eſt. Ex quo fit, vt febris ſynochus, quæ fit, à ſanguine, eadem ſit, quæ à ſanguine bilioſo. Illa igitur quæ ex bile fieri dicitur, non erit à ſan-*

a. de diff. feb. c. 9.

guine bilioſo, ſed a bile ipſa ſola, & exquiſito. Alterum argumentum eſt, quoniam Galenus inquit, febres, quæ à ſanguine putreſcente fiunt, ſimpliciores eſſe, tum in reliquis, tum in caloris qualitate mi-

1. Aphe. com. 3.

tiori: ergo cum ſanguinem mittit in febribus, ſiue καυσώδεσι, ardentiſſimis, ſiue θερμοτάτοις, calidiſſimis, neceſſariò eas intelligit, quæ moleſtæ ſunt, rodentes, atque mordaces, quales dixit ex vtraque bile fieri: & quia ſynochi ab atra bile non fiunt, certè quidem vt à flaua fiant, fateamur neceſſe eſt. Et quod Galenus ait, adhibendam eſſe diſtinctionem, an purgare, an venam ſecare oporteat, partim intelligendum eſt, vt generaliter dictum eo in loco, in quo non fuerat illi propoſitum de ſingularium morborum curatione dicere; partim obſeruandum eſt, id non dici de febribus in quibus ſolius meminit venæ ſectionis, ſed de ſolis doloribus: quod ſtudioſi velim animaduertant. Nam quod Aduerſarius obiicit Leoniceno, & Plantio quòd malè interpretati ſint, τῶν πυρετῶν διακαεστάτων (ſcribere debuit, διακαεστάτοις) quaſi vertere debuerint, in febribus maximè inflammantibus, non

3. Epid. ſect. 534.

ſine errore eſt: nam, διακαίω, eſt *vro, flagro*: διακαής, *vrens, ardens*, & διακαέστατος, *ardentiſſimus*, quare Galenus ipſam febrem verè, & exquiſitè ardentem his duobus ſymptomatis definiuit, ſiti inexplebili, & τῷ διακαεῖ τῆς θερμασίας, eamque appellauit, διακαέστατον πυρετόν; vt nemini dubium eſſe debeat, quod

4. de Rat. Vict. c. 13.

in Aphoriſmis Gal. ait, διακαέστατον, epitheton eſſe febribus verè ardentibus maximè proprium: quæ & καῦσοι, Græcè dicuntur, & καυσώδεες πυρετοί, καυσώδεστατοι: vt hac de re plura in medium afferre non ſit opus.

Addebamus argumentum, quo confirmabamus Galenum loqui de febre verè ardente, quoniam ſi memoria repetas ortum febris vtriuſque, tam ſynochi, quàm ardentis, facilè intelliges verba Galeni non minus, immò fortè magis ardenti, quàm ſynocho conuenire. Verba Galeni erant. *His ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiam citatur aluus, ac ſudores prorumpunt.* Quam rem vix putaui ab aliquo in dubium vertendam eſſe, cum enim febris ardens fiat ex bile, quæ inter omnes humores oſtri corporis calidiſſima eſt, immò & ſicciſſima, & ea quidem putreſcente, adeò vt ex putredine maiorem adhuc ca-

De inæq. intemp. c. 4. Ad Gla. c. 4.

lorem acquirat, & putreſcente in vaſis magnis, & cordi proximis; vnde promptiùs, ac faciliùs calor, & cordi, & toti corpori communicatur, quis negare audeat in ea maximum eſſe incendium, ac propterea indicationem in primis oriri, vt corporis habitus refrigeretur, & febris incendium extinguatur; & multò quidem magis in hac, quàm in ſynocho à ſanguine genita, ſiue ea cum putredine ſit (de qua non eſt, vt hîc litigemus) ſiue ſine putredine: ſanguis enim temperatus eſt, atque ex calore fit mediocri, & moderato: quocirca & febres ex eo

1. de Nat. hum. 36. 2. de nat. fac. c. 8. 2. diff. fe. c. 9.

genitæ ſimpliciores ſunt, quàm quæ ex aliis fiunt humoribus, ſimpliciores autē, τῇ πρᾳότητι τῆς θερμασίας lenitate caloris, & (vt vertit interpres) qualitate caloris mitiori. Quare minorem refrigerandi indicationem habent. Præterea cum bilis euacuatio potiſſimùm ſit à natura inſtituta à veſica fellis per inteſtina, tum verò eadem bilis, ſi natura ſuperante, & à venis magnis ad minores, & extra venas pro-

4. Aph. 58.

pulſante per ambitum corporis impetu feratur, rigores primùm excitet, deinde per ſudorem euacuari criticè ſoleat, hinc fit, vt euacuatio vel per aluum, vel per ſudores maximè huic febri familiaris ſit, & accommodata, non minus, vel & fortè magis quam ſynocho à ſanguine ortum ducenti.

Quæ omnia docent, verba Galeni præcipuè de febre ardente eſſe intelligenda. Et Aduerſarius id contendens impugnare longè aberrat à via. Qui inquit. [*Nam ſi non loquontur de febre ardente pro ſynocho bilioſa, falſum indicè non differre inuicem generatione haſce febres.*] Quoniam neque nos de differentia generationis harum febrium diximus, neque ea poſita differentia, quam iſte ſtatuit, facit quin argumentum oostrum valeat. Etenim ſi differunt, quia vna fit à ſanguine humore temperato, ac certè minus calido, altera à bile, quæ calidior eſt, hinc potius ſequitur indicationem refrigerandi longè magis in ardente, quàm in ſynocho locum habere. Ac ſanè mirum eſt, vt Aduerſarius de ardente febre loquens eam tantummodo adducat; quæ fit, quòd venulæ arefactæ trahunt ad ſe acres humiditates ex authore lib. 4. *Acut. sex. primo*, cum ex Galeno ibidem, & alibi ſæpenumerò, atque omnium conſenſu ardentes exquiſitæ febres fieri ſoleant ex putredine bilis in magnis vaſis, quæ & ſynochi aliquando appellantur, quod de tertio, in tertium leuem, & obſcuram faciam annotationem. Quid igitur tandem reſpondet Aduerſarius? [*Ex quibus pariter conſtat etiam non mediocriter diſtare inter ſe, quod eadem curandi ratio non conueniat, cum illam neceſſariò vacuari pro humoris, & loci affecti diuerſitate oporteat. Videant igitur quomodo magis conuenire poſſit vena ſectio ad animi deliquium vſque inſtituta magis in ardente febre, quam in ſynocho.*] Cæterum hæc ita vniuerſim prolata tantum abeſt, vt argumentum oostrum oppugnent, vt potius confirment. Namque ex eo quòd diſtant humoris natura, & loco affecto mihi videor, & verè quidem poſſe colligere venæ ſectionem à Galeno propoſitam longè magis ardenti, quàm ſynocho conuenire.

Verum certè admirabile eſt quod addit. [*Verba Galeni quibus inhærere illi videntur non indicant cauſam, ob quam mittitur ſanguis: Docui enim, &c. nunquam mitti ſanguinem ratione refrigerationis, &c. ſed illa verba ſolùm ſignificant affectum communem, qui eſt refrigeratio facta ex vacuatione ſanguinis calidiſſimi, & efferueſcentis.*] Diſpeream, ſi nouit, quid affectus, aut cauſæ nomine ſibi velit, & in quo ſolutio conſiſtat. Fatetur refrigerationem factam ex vacuatione ſaoguinis calidiſſimi, & feruentiſſimi

eſſe

eſſe effectum venæ ſectionis ad animi deliquium; ſed negat hanc eſſe cauſam, cur ſanguis mittatur. At quando remedium aliquem parit effectum à medico intentum, atque exoptatum, nónne idem quod ratione remedij eſt affectus, ratione artificis eſt cauſa finalis, quia ille ad remedij vſum mouetur? Immò verò penè in omnibus ita ſe res habet, vt quod ab eo fit, dicatur effectus in genere cauſæ efficientis, dicatur cauſa in genere cauſæ finalis. Propterea ſi refrigeratio eſt effectus venæ ſectionis, ſequitur, vt eadem ſit cauſa, cur venam ſecemus. Quod ſi mihi non credit quæſo Galenum audiat, qui ſcribit venæ ſectionem in febrib. ſynochis faciendam eſſe, quò flamma ex meatuum clauſura in continentib. febrib, extingueretur; Græcè clarius, χάειν τῦ σβέννυσθαι τὴν φλόγα τῶν ἐπὶ συγκρίσει πυρετῶν. Huius gratia vt extinguatur flamma earum continentium quæ ab adſtrictione fiunt. Aduerſarius eadem eum felicitate ſubterfugit argumentum ex verbis Philoſophi, qui ait, ſanguinis miſſionem hæc omnia præſtare; imminuit enim materiam putrefactam, & extinguit qualitatem acutam, & inflammantem, & animi defectu corpus refrigerat. Inquit enim vno verbo, coacuare, per ſe, refrigerare per accidens. At, qui iam diximus, quantumlibet per accidens refrigeret, tamen præcipuo medici ſcopo facere ſatis, qui eſt, vt refrigeret: de qua re ſatis. Eadem facilitate in eo quoque refellitur, quod ait febrem ardentem iudicari quidem à natura quandoque per hæmorrhagiam è naribus, quandoque euacuatione bilis per aluum, vrinas, ſudorem: ſed in artis operibus diſtinguendum, vtrum purgandum, an vena ſecanda. Nam Hippocrates, & Galenus aiunt hæmorrhagia iudicari febrem verè ardentem, non quæ propriè ſynochus dicitur: quod ſi Aduerſarius concedit, vt certè negare non videtur, iam ſatis à nobis probatum, & confirmatum eſt, ſectionem venæ interdum in cacochymia locum habere: atque eo magis, quod cum nos multos locos docere poſſimus, quibus Hippocrates, & Galenus in huiuſmodi febre venam incidunt, ill nullum monſtrare nobis poterit, quo illi purgationem adhibeant. Huc accedit nec naturam, iuxta præceptum Hippocrat. & Galen. vtiliter aliquid per vrinas, aut ſudores euacuare, antequam ſigna coctionis appareant: neque iidem poſſe medicum priùs diureticis, ac ſudorificis vti, quàm totum corpus inanitum fuerit. Quare, vt natura coctionem perficere poſſit, & criſin ſuo tempore celebrare, & medicus poſſit commodè illi opem ferre, atque eius conatum adiuuare, in primis totum corpus venæ ſectione euacuare neceſſe eſt: id quod in principio purgatione fieri non poteſt ex præſcripto Hippo. niſi materia turgeat, quod rarum eſt. Quod verum eſt, tùm in febre ardente, tum in quouis alio morbo, ſiue à bile, & exquiſita cacochymia, ſiue ab alia quauis cauſa fiat, modò cæteri principes ſcopi conſentiant.

Eadem eſt ratio & de phrenitide, quam Aduerſarius inquit eſſe inflammationem membranarum cerebri: ego autem dico non ſolùm eſſe inflammationem propriè dictam à ſanguine factam, ſed plerumque eryſipelas referre, ac fieri à flaua bile cerebri membranis impacta; quæ fuit ſententia Galeni pluribus in locis. Quo fit, vt plerunque tertianas habeat acceſſiones ex 1. *Aphor. com.* 12. Idem autem Gal. vbi phrenitidis curationem ex profeſſo instituit, non eam diſtinctionem adhibet ab Aduerſario confictam, ſed generaliter, ac ſimpliciter, in quouis corpore, & à quacumque cauſa fiat, venæ ſectionem ſtatim ab initio imperat, dummodo cæteri ſcopi non reſiſtant, & repugnent. Sed videbor alicui fortaſſe pluribus hæc fruſtrà perſequi: cum ex medicis nullus ſit vt equidem puto, ne ipſe quidem fortè Aduerſarius, qui ſi illi ægrotus occurrat, aut febre ardente, aut phrenitide laborans, quamuis à ſyncera bile morbus fiat, non ſtatim ad venæ ſectionem confugiat: quam ſi in talibus prætermittat, non ſine inſigni ſuo dedecore, ſine ſummo ægrotantis periculo id faciat; niſi fortè tenerior ætas, aut virium imbecillitas diſſuadeat. De qua re cap. proximo.

AD CAPVT XIV.

Cacochymiam non prohibere venæ ſectionem niſi virium ratione.

HÆc ſi vera ſunt, facile id quoque videre eſt, non aliam eſſe cauſam, cur in cacochymia abſtineamus interdum venæ ſectione, quàm virium imbecillitatem: quæ noſtra eſt opinio. Aduerſus quam Aduerſarius inſurgit, eóque in primis nititur fundamento, cacochymiam non habere vim indicandi venæ ſectionem: quod quidem nos libenter confitemur. Verùm dum ille hinc deducit in cacochymia non adeſſe indicans venæ ſectionem, fallitur, qui contra ea diſputat, quæ poſita, & conſtituta ſunt: quandoquidem nos ſupponimus hominem cacochymia laborantem morbo aliquo magno, ac vehementi, vel in præſentia teneri, vel in poſterum corripiẽdum eſſe. Ex quo facile eſt intelligere præſentem eſſe ſcopum, morbi ſcilicet vehementiam, qui venam indicet ſecandam eſſe. De hoc igitur quæſtio eſt, an venæ ſectio conueniat: quam Aduerſarius negat conuenire: ego affirmo, ita quidẽ, vt quantumuis ſit cacochymia, indicatione ſumpta à morbi magnitudine, vena ſecanda ſit: aut ſi quis contendat ſecandã non eſſe, id non eſſe, id non alia ratione fiat, quàm propter virium imbecillitatem. Quando igitur Aduerſarius ait [*cacochymiam per ſe nunquam indicare ſãguinis miſſionẽ, ideóque non exerceri, etiã ſi virtus valida ſit, quod non adſit natura indicans remedium ſanguinis euacuandi.*] Reſpondeo, ſi cacochymia facit, aut factura eſt morbum vehementem, ratione huius venæ ſectionis indicationem oriri, venámque omnino ſecandam eſſe, dummodo vires præſidium ferant. Atque hoc modo intelligimus, in cacochymia venæ ſectionem eſſe vtilem: qui alioqui probè nouimus, fatemur, ac profitemur, ipſam per ſe cacochymiam, niſi ad morbi magnitudinem referatur, tantam vim non habere, vt venam ſecandam poſſit indicare.

Ex his conſtat quàm malè, ac licenter Aduerſarius ſolutionem quorundam problematum Galeno tribuat, quam ille ne per ſomnium quidem cogitauit vnquam. [*Tu verò ita fingito, Socratem laborantẽ cacochymia extra venas, citra plenitudinis affectum, validas habentem vires, cur hic non ſuſtinebit venæ ſectionem?*] Suppoſitum falſiſſimum, abſurdiſſimum: nam qui vires habent validas, quoduis remedij genus ferre poſſunt, ipſam quoque phlebotomiam. Quod ſi morbus adſit vehemens, non ſolùm perferunt, ſed etiam poſtulant, atque efflagitant. Quamobrem illa reſponſio non eſt Galeni, ſed ab Aduerſario conficta, & conſtructa eſt. [*Reſpondebit Galenus, quia maximè periculoſum eſt humorem malum attrahere ad venas*, &c.] Qui reſpondere ita poteſt Gal. qui docuit aliquando venæ ſectionem partiendam eſſe, vt humor crudus prius ab ambitu corporis trahatur in venas, deinde à venis euacuetur: Pariter ille [*reſpondebit etiam non expedire, quod non adſit indicans vacuationem ſanguinis.*] *4 de Tu. Val. cap. 10.*

Non eſt Galeni reſponſio, qui ſæpe dixit, millies inculcauit, quotieſcumque tres principes ſcopi adſunt, ſanguinem mittendum eſſe; morbi quidem vehementia, vt indicans, reliqui duo, vt conſentientes: alterum problema. [*Fingite præterea Socratem laborantem cacochymia venarum permiſtione coinquinante ſanguinem, qui ſit robuſtis viribus*, &c. In quo Aduerſarius pariter falſò ſupponit ſanguinem non eſſe mittendum. Deinde cauſam quærit, vt mirum non ſit, ſi falſæ poſitionis cauſam falſam adducit. [*Reſpondet Galenus hoc pacto, quòd humores vitiati ſunt ſegregandi à ſanguine*, &c.] Nouus iſte Galenus fortaſſe ita reſpondebit; non priſcus ille medicus, philoſophus præſtantiſſimus, qui quidem ita reſpondebit? Humores ſanè vitiatos eſſe à ſanguine ſegregandos, immò à corpore expellendos, ſed hoc non ſolùm purgatione fieri, ſed etiam aliis euacuationibus, per ſudores, vrinas, inſenſibilem ttanſpirationem: at ſæpenumero euenire, vt præſtari hæc non poſſint, niſi in ptimis materia per venæ ſectionem ſit imminuta, & totom corpus inanitum. [*Finge poſtremò eundem tali, ac tanta cacochymia laborare, vires imbecilla ſint, huic neque purgans*, &c.] Aduerſarios huic ſoli problemati veram attulit reſponſionem: cum certum ſit in virium imbecillitate, neque purgandum, neque venam ſecandam eſſe: ſed eam contaminauit, dum purgationem per epicraſin induxit: tum quia etiam hæc euacuatio per epicraſin vires remedio proportione reſpondentes, & conſtantes poſtulat: tum etiam quia afferens Galeni locum de Epicraſi, ſolius meminit purgationis; cum tamen Galenus præceptum ipſi quoque phlebotomiæ commune tradiderit, eiúſque pariter mentionem fecerit.

Aduerſarius ex his colligit tum errorem noſtrum, tum erroris cauſam: cauſa verò duplex eſt, duo ſcilicet errores: alter, [*Quòd non diſtinxerint indicationes ipſas, ſed in ſolis communitatibus Methodicorum more inhæſerim*:] alter, [*Quod non videntur noviſſe ſimul cum cacochymia, & plenitudine conſiſtere poſſe virtutem validam, & imbecillam.*] Si quid vnquam immeritò, hæc ſine ratione in nos effudit Aduerſarius, hæc certè ſunt, quæ iniquè, & præter omnem rationem, & probabilitatem mihi obiicit in præſentia. Quoniam indicationes ab illo poſitas, ex Galeno ſumptas libenter fateor, atque concedo, quæ ſcilicet à plenitudine; à cacochymia ſumuntur: illis addo, etiam quæ ex morbi vehementia deſumuntur, quod Hippocratis fuit inuentum, dicor Methodicus: Aduerſarius, qui ſolis vtitur indicationibus vulgò notis, plenitudinem euacuandam, cacochymiam purgandam, quid erit? quo nomine vocitabitur? Non Rationalis, quia indicationes ab optimis rationalibus medicis propoſitas prætermittit: non Empiricus, cum per indicationes remedia inueſtiget; ergo vel Methodicus, vel idiota. Sed quæſo cur mihi imponit, quòd non cognouerim, cum cacochymia virtutem poſſe conſiſtere validam, & imbecillam: cum id manifeſtiſſimè confeſſus fuerim, & explicauerim: Verba mea hæc fuerunt. Neque enim puto eſſe aliquem, qui audeat aſſeuerare in quouis humorum vitio vires eſſe vſque adeo debiles, vt id remedium ferre nequeant. Cum verò diſputaui, cur in cacochymia venæ ſectio prætermittatur, ex ſuppoſitione (vt aiunt) loquutus ſum, quaſi quando id fieri poſſit; & tunc eueniat ratione virium; quæ in poſito caſu (non dico ſemper) ſint imbecilliores, quàm vt remedium ferre queant. Vnde licet genium atque ingenium hominis obſeruare, qui contra omnem, & amicitiæ legem, & ingenuitatis officium, & diſputantis fidem me criminibus onerare non eſt veritus, & falſis, & tum me reo, tum ipſo accuſatore indigniſſimis.

Porrò exemplum ſumptum ex Galeno lib. *de Bon. & Mal. Suc.* & argumentum à me inde poſitum, conſtantiſſimum eſſe, atque inexpugnabile, illud ſatis docet quod à viro acutiſſimo ſolui non potuit, niſi & ſibi, & Galeno contradiceret [*Magna quidem* (inquit) *admiratione afficior viros alioqui doctos eiuſmodi proferre dubitationem.*] Quam tamen non ſoluit: Qui inquit. *Quis enim eſt, qui non videat carbunculos, phagedænas, febres peſtilentes, exanthemata, ac alia eiuſdem generis poſtulare miſſionem ſanguinis?*] Ego quidem video. Sed quomodo hæc cum poſitione Aduerſarij conſiſtant, non video. Etenim carbunculi, phagedenæ, febres peſtilentes, ac plurima exanthematum genera, procul omni dubio, fiunt à cacochymia, & (vt inquit Adoerſarius, à fluxione ſanguinis, ſed praui, & in quo aliquis humor proportione cæteros ſuperat; quæ nihil aliud eſt, quàm veriſſima cacochymia: quanquam de febre peſtilente quid attinet dicere? quam ſomnium eſt fingere à fluxione ſanguinis fieri, quod neque Aduerſarius auſus eſt affirmare: propterea in hac argumentum reliquit inſolutum. Ille igitur interrogat. [*Quid ex hoc quæſo habent, quod noſtris principiis repugnet?*] An leue hoc videtur (reſpondebo) quod mittitur ſanguis in cacochymia, aut ſi non mittitur, id ratione virium fit; Ego verò interrogabo, quòd ij morbi à fluxione ſanguinis fiant, quid facit, quin prætermittatur venæ ſectio propter virium imbecillitatem? Quid de febre peſtilente, de qua Galenus eo loco potiſſimum loquebatur? Sed quod longe maximum eſt, & ſolui non poteſt, ruſum quæro, cur Galenus illos medicos laudat, qui venæ ſectionem prætermiſerunt? fortè quòd adeſſet cacochymia: At illa ex Aduerſario non aderat, quia morbi illi fiebant ex fluxione ſanguinis, non ex cacochymia. Quod ſi verum eſſet, increpare illos potius debuerat, qui in fluxione ſanguinis venæ ſectione non vterentur, quæ motum ſanguinis reuelleret cum Aduerſario. Galenus non aliam ob cauſam medicos laudat, niſi quòd non iniuria remedij vſum reformidabant, ob virium iam tum antea imbecillitatem. Quid reſpondet Aduerſarius? [*Neque verò ita imbecilla erant in omnibus, vt aliquando ad miſſionem ſanguinis non accederent medici, vt Gal. ait.*] Quid hæc obſecro re ad rem? fuerint imbecillæ in decem, in vno: ſatis habeo, prætermiſſam in illis, in illo fuiſſe venæ ſectionem, ob hanc vnam cauſam, virium imbecillitatem. In quibus autem non fuerant imbecillæ fuit ſecta vena, manifeſtiſſimo argumento, quamuis adeſſet inſignis cacochymia, tamen ſectionem venæ à magnitudine morbi indicatam fuiſſe: Vt autem illa fieret, vel non fieret, deliberationem à medicis initam fuiſſe ratione ſumpta à ſcopo conſentiente, vel prohibente, à viribus ipſis. Quòd porrò Adoertarius videtur velle, (nam hoc manifeſtè affirmare non audet) morbos illos non fuiſſe ab inſigni cacochymia oriundos, ſed à fluxione ſanguinis tam craſſus eſt error, vt quicunque Galenum Græcè, aut ſaltem Latinè loquentem intelligat, ſola eius loci lectione deprehendere illum poſſit. Galeni mens fuerat in ea parte docere, quantam vim habeant vitioſi ſucci, Græce, *ἡ κακοχυμία*, ad morbos generandos, & exemplo famis, quæ regiones Romano imperio ſubditas corripuit, demonſtrat, qui cibis praui ſucci, *κακοχύμοις*, inquam, vſi ſunt, in morbos incidiſſe, qui ex cacochymia oriri ſolent: Tales antea morbos enumerat quamplurimos, ac primùm cutaneos, quos inquit

quit

quit vitioſum ſuccum, τὴν κακοχυμίαν, è viſceribus, & profundo corpore euacuaſſe: deinde febres malignas, dyſenterias, vrinas acres, fœtidas, & alia id genus, quæ inſignem iudicant cacochymiam; atque in hunc finem ſunt à Galeno in medium allata: vt qui de hac re dubitat, poſſit de ipſa Solis clariſſima luce dubitare. In huiuſmodi morbis Galenus ait nonnullos medicos auſus fuiſſe venam ſecare, vt oſtenderet ſanguinem ſectione eductum cacochymum fuiſſe, & longè à natura optimi ſanguinis alienum. Quam quidem veritatem, vt Aduerſarius occultaret, inquit. [*In quibus ſanguis non admodum probatæ bonitatis ſpectabatur.*] vt quoquo modo tueretur, credo, in iis corporis cacochymiam non fuiſſe, cuius oppoſitum Galeni nitebatur demonſtrare: qui nemini dixit ſanguinem probum effluxiſſe, ſed nigriorem, flauiorem, &c. atque omnino talem, vt venam inter exeundum mordicaret, vulnúſque ægrè ad cicatricem duceretur: vt certè ſi quis ſuo arbitratu velit maximam, & exquiſitam cacochymiam imaginari, atque ante oculos ponere, hanc non credam maiora, & euidentiora illius indicia afferre poſſe. Sed nolo in re apertiſſima eſſe longior.

Sect. 3. com. 43. Erat locus Galeni 6. Epid. in quo dicebat ſanguinem eſſe mittendum, vbi copioſus eſt, & nondum mutationem inſignem fecit in alium humorem non eſſe verò mittendum, vbi iam mutatus eſt: quod quidem videretur Aduerſarij poſitionem comprobare, niſi Gal. quaſi hoc ſtudiò animaduertens addidiſſet; *præcedente eo ſcopo, qui à viribus ſumitur; etſi nonnunquam in ſermonibus omittatur, in quibus ſolas ab affectibus indicationes recenſemus;* ac ſi dixiſſet, cum venæ ſecandæ rationem ſumpſimus ex mutatione ſanguinis non eſt exiſtimandum ſanguinem ipſum ſuaprè natura, vt ſyncerus eſt, vel in aliam humoris naturam mutatus, huiuſmodi remedij indicandi, aut prohibendi vim habere; cum id præcipuè ipſis viribus acceptum ſit referendum, quarum ſcopus præcedit, ac princeps eſt, cum alij, qui aut ab humoris natura, aut aliqua alia re id genus ſumuntur, ſecundarij ſint, omnémque eorum vim à primario illo ſcopo accipiant, ac mutuentur. Hæc noſtra eſt expoſitio: & *hoc* (inquit Aduerſarius) *non eſt explanare, ſed peruertere contextum.* Volo illi fidem adhibeamus, dummodo ipſe non peruertat, ſed explanet contextum. Ait igitur. [*Sed quod vult dicere; talem ſenſum habet. In omni vacuatione, præſertim verò ſanguinis, duos ſcopos conſiderandos eſſe: quorum vnus ab affectu ſumitur, alter verò à virtute: qui ſcopus in executione remedij vacuantis debet præcedere alium, qui à morbo ſumebatur: cuius contrarium accidit in ipſa remedij inuentione, in qua morbi indicatio præcedit Ideò dicit.* Præeunte eo, qui à viribus eſt, ſcopo. *Quando igitur mittendus eſt ſanguis, debemus contemplari virtutem, an ſit ferendo huiuſcemodi euacuationem.*] O Nouatorem eximium, Nouatorem omnium præſtantiſſimum: cuius verba voluimus conſultò omnia deſcribere: ex quorum ſola lectione vnuſquiſque doctrinæ nouitatem, & abſurditatem percipere poteſt. Sententia verborum (ni fallor) hæc eſt. In euacuatione per ſanguinis miſſionem duos eſſe ſcopos; vnum à morbo: alterum à viribus: ſi quæratur, vter ſcopus præcedat alterum, diſtinguendum eſſe: nam ſi loquamur de inuentione remedij, præcedit ſcopus à morbo: ſi loquamur de executione remedij, præcedit ſcopus à viribus: Galeni verba, *præeunte eo*, &c. intelligenda eſſe in executione, non in inuentione. Primùm quis eſt tam cæcus, qui non videat illum inuitis dentibus in noſtram opinionem venire? Nos enim non aliud agimus, non aliud pugnamus, quàm vt monſtremus in executione huius remedij, vno verbo in vena ſecanda virium hunc eſſe principem ſcopum, qui cæteris præeſt, qui à viribus ſumitur. Si hoc ipſe concedit, quid eſt, vt litigemus amplius? Dum igitur ad venæ ſectionem accedimus, poſthabitis aliis omnibus ſcopis, ſiue ſanguis in alium humorem mutatus, ſiue non mutatus fuerit, in primis [*debemus contemplari virtutem, an ſit ferendo eiuſcemodi euacuationem.*] Addidi, *in primis*, licet verbum non ſit ab Aduerſario expreſſum, quia cum exponat verba illa, *præeunte ſcopo*, &c. affirmétque ſcopum virium in executione præcedere, vt nos id in primis contemplari debeamus, fateatur neceſſarium eſt. Præterea Aduerſ. meam irridet expoſitionem, ac ſi illa talis eſſet. [*Non eſt mittendus ſanguis, vbi iam ipſe mutatus eſt in alium humorem, præeunte eo, qui à viribus ſumitur, ſcopo, id eſt, quia vires non poſſunt ferre.*] Qua in re, & falsò huiuſmodi expoſitionem mihi adſcribit, & eandem perperam, atque immeritò impugnat. Namque mea ſententia eſt, illa verba, *præeunte*: &c ad vtrumque membrum eſſe communia, tum ſi ſanguis non ſit mutatus & ſecanda ſit vena, tum ſi mutatus ſit, & non ſecanda: ſiquidem in priore vires conſentiunt, in poſteriore prohibent: quare in vtroque virium ſcopum præire certum eſt, Nihilominus ſententia, quàm nobis tribuit Aduerſarius, veriſſima eſt: vbi ſanguis in alium humorem mutatus eſt, non eſt mittendus *præeunte*, &c. Id eſt: quia vires non poſſunt ferre. Neque in alio eſt error, quàm quod ſenſus communis eſt, ſicuti diximus: quia ſi ſanguis non ſit mutatus, mittendus eſt, præeunte eo, qui à viribus eſt, ſcopo, id eſt, quia vires conſentiunt, ac ferre poſſunt.

Sed illa etiam pulcherrima diſtinctio conſideranda eſt: ſcopum virium præcedere, vel in inuentione, vel in executione. Atque equidem facilè intelligo, quando plures ſunt indicationes, inuicem ſubordinatæ, vel quia morbi ſint multiplices, vel quia implicati cum cauſis, aut cum ſymptomatis, ſæpenumero euenire, vt alius ſit ordo inuentionis, alius executionis: cum ſcopis iam inuentis, atque elicitis indicationibus, illæ inter ſe comparandæ ſint, ac præferendæ quæ magis vigent, quæ habent rationem eius, ſine quo non, aut cauſæ, vt Galenus docuit, Verùm quomodo comparatio hæc fiat inter morbum, & vires, ſiue inter ſcopum à morbo, & ſcopum à viribus, hoc eſt, quod capere tenuitas ingenij mei non poteſt. Hoc autem, vt planiùs intelligam, ab Aduerſario libenter quæſierim, quis nam hic ſit ordo prioris, & poſterioris, vt ſcopus aliquis alterum præcedat, aut ſequatur: an tempore, an dignitate. Si tempore optimè nouimus morbum in ea medicinæ parte, quæ curatiua dicitur, ſemper præcedere, primámque præbere indicationem: nam (vt Galenus ait) *ſtultum eſt dicere aliud eſſe quod indicet, & aliud, quod curetur*: ſed hoc modo indicatio à viribus ſemper ſecunda eſt, & poſterior, ſiue in inuentione, ſiue in executione: in inuentione quidem, vt patet; in executione verò, quia remedia ad morbum applicantur, ac pro virium robore temperantur. Sin autem intelligat dignitate, vix comparatio fieri poteſt, quia ſcopus virium ſemper præcedit: morbus verò non præcedit, nec in inuentione, nec in executione. Verùm addo, quod antea monui, quando vires dicimus principem eſſe ſcopum, non de inuentione nos loqui, ſed de dignitate, ac de vi, quam hic ſcopus habet ad vſum remedij præſeribendum,

bendum, inhibendum, moderandum. Ex quibus patet Aduerſarium noſtrum argumentum inſolutum relinqnere, in noſtram opinionem tandem venire, atque vbi eandem vel impugnat, vel derelinquit, ea proferre, quæ tanquam falſa non debent admitti tanquam oppoſita inter ſe non conſtant, tanqnam abſurda vix, aut ne vix quidem percipi poſſunt.

AD CAPVT XV.

An argumenta oppoſita ſint ritè ſoluta.

SI velim diligenter hoc vltimum caput examinare, vniuerſam hanc telam retexam, & quæ ad ſaturitatem dicta, ac reperita ſunt, adbuc repetam, neceſſe eſt. A quo tædio, vt caueam, quantum poſſum decreui, paucis vim noſtrarum ſolutionum attingere, ac monſtrare illas ſtabiles, & ab omni Aduerſarii impugnatione liberas manere. Indicationes omnes & vniuerſales, & ſingulares vſque ad minimas & indiuiduas à morbis, à cauſis, à ſymptomatis, à loco affecto, à viribus ab humorum redundantia, ab aliis, qui plurimi ſcopi ſunt, concedimus, confitemur, & methodo à Gal. tradita proſequendas, ac diligenter animaduertendas eſſe cenſemus. Sed inter cæteros non eſſe ſpernendam, immò verò inter primas, ac principes eſſe reponendam dicimus eam, quæ à morbi vehementia; ac periculo, quod ſaluti ſubiecti corporis ille affert, ſumi ſolet, atque in primis debet: huiuſmodi indicationem à cæteris omnibus ratione, ac natura eſſe diſtinctā: ab earum ſecandæ venæ, tum purgationis conſilium capiendum eſſe. Quo autem pacto diſtinguendum ſit, vtrum remedium ſit eligendum, diffusè antea docuimus, vt ea repetere hic non ſit opus. Cæterum quoniam Aduerſarius hic tres affert regulas, quibus credit ſe nobis perpetuū ſilentium impoſuiſſe, age illarum leuitatem breuibus perpendamus.

Prima eſt. [*Cacochymiam, quæ leuioribus ſanari non poſſit præſidiis ſola purgatione emendari.*] Cùm facilè concedam cacochymiā purgatione euacuari, hoc præceptum mihi ridiculum videtur cacochymiam illam ſola purgatione emendari, quæ leuioribus ſanari non poſſit præſidiis. Namq; ita nemo eſt tam ſtolidus, tam infans qui de vnoquoque remedio ſibi præceptum confingere non poſſit. Quid ſi dicam, morbi magnitudinem, quæ lenioribus remediis tolli non poſſit, purgatione indigere? Sed vnde habet Aduerſarius ſolam purgationem cacochymiam emendare? Equidem credo me demonſtraſſe, cacochymiam, aut ſaltem magnam eius partem (quod Gal. ad verbum dixit) interdum venæ ſectione euacuari.

Elegantior eſt ſecunda regula.] *Plenitudinem, quæ aliter ſanari facilius nequeat, ſola ſanguinis miſſione emendari*) Iam dicit tandem tales ſententias proferre, quæ à nemine poſſint negari. Stultus ſim, ſi negem, ſi plenitudo nequeat aliter faciliùs ſanari, nimirum ſola ſanguinis miſſione emendari. Sed neque (credo) ipſe negabit morbi vehementiam, quæ aliis remediis ſanari faciliùs nequeat, ſola ſanguinis miſſione emendari. Ridicula fortè hæc ſunt, & primario medico planè indigna.

Tertia regula præſtantior an ſit neſcio.] *vacuandum eſſe eum duntaxat humorem, à quo ſit morbus, ac perpetuò abſtinendum ab alterius vacuatione.*] Optimè, ſi fieri poſſet, idcirco iure additū eſt. [*Quantum conſequi artis beneficio poſſumus.*] Sed hæc verba ſummam rei continent, & ſoluendi totam aduerſ. argumentationem vim habent. Vno exemplo res fiet apertiſſima. Obſtructio fit ab humoribus multis, lentis, & craſſis: vnde prohibita tranſpiratio, putredo, febris. Inter indicationes præcipua eſt, quæ à cauſa, ab iis humoribus, qui euacuandi ſunt per vrinam, ſudorem; & ſoli (ſibi placet) euacuandi. Verum ſi diureticis, aut ſudorificis, & omnino aperientibus vtamur: periculum eſt, ne eiuſmodi humores magis impingamus, obſtructiones augeamus: propterea prius totum corpus euacuandum, & vena ſecanda eſt: atque in hoc conſiſtit illa exceptio ab Aduerſario propoſita, ſed, vt mihi quidem videtur, non bene intellecta: quantum conſequi artis beneficio poſſumus. Hinc varietas indicationum, hinc difficultas, hinc illa methodus ab Hippocrate tradita, cæteris incognita, à Gal. in lucem reuocata, à noſtris pleriſque medicis contempta, obſcurata, ignorata.

Prætermittendum hic certè non eſt, quod afferunt contra dignitatem, ac poteſtatem eius indicationis, quæ à morbi magnitudine, & vehementia ſumitur. Nam video cum hoc homine mihi neceſſarium de iis quoque rebus altercari, quæ ſunt alioqui manifeſtiſſimæ, & omnibus conſpicuæ. Cum eius medicinæ partis, quæ therapeutica dicitur, præcipuus finis ſit morbum depellere, vt qui ſanitati contrarius eſt, & operationes humani corporis, quæ illis ſecundum naturam debentur, lædit, & labefactat, ac propterea prima indicatio à morbo accipiatur, hinc ſatis conſpicuum eſſe videtur, quantò maior eſt morbus, quantò maius affert operationibus, ac vitæ, quæ in operationibus conſiſtit, nocumentum, tantò efficaciorem, maiorem, præſtantiorem, digniorem præbere indicationem. Nam ſicuti videmus leniores quoſdam morbos à nonnullis contemni, ac ſine vllo remedio relinqui, ita qui maximè vrgent, maximùm afferunt vitæ diſcrimen, ſolent magni fieri, omnémque tum ægrotantis, tum medici cogitationem ad ſe conuertere. Morbum enim vehementem illum eſſe, qui magnum nocumentum, ac periculum afferat, nemo eſt, qui neſciat. Immò verò quicquid in corpore eſt, atque indicationem præbet, vt auferatur; humorum qualitas, quantitas fluxio, & ſi quid aliud tale eſt, idcirco nobis proponitur tanquam ſcopus, quia morbum vel facit, vel fouet, vel ſine quo morbum tollere non poſſumus. Quare hæc quoque ſi præſtantiam, ac dignitatem aliquam in indicando habent, eam omnem à morbi vehementia poſſident, ad quam referuntur. Quare peſſimè ab Aduerſariò dictum eſt. [*In vacuationis indicationibus nulla dignior, nulla præſtantior, quàm quæ exhauritur ab humore euacuando.*] Namque humor tantam indicando vim, ac dignitatem habet, quantum ad morbi magnitudinem refertur. Nota verò eſt regula, *Propter quod vnumquoque tale eſt, id eſſe magis tale.* Sed Aduerſarius dum laborat, vt id probet, noſtræ potius ſententiæ, fauet: cum enim probare debuiſſet præſtantiam indicationis ab Humore Vacuando, de Vehementi Sanguinis Fluore id declarat: vbi non ſolus humor vacuandus eſt, ſed tria, humor, ſanguis: conditio eius, fluor, intentio, magnitudo. Indicatio à ſanguine hanc dignitatem non habet: indicatio à fluore non habet: at indicatio à vehementia forraſſe habet, nimirum ſi intelligatur vehementia morbi præſentis, aut futuri. Idem cenſendum cum ait. [*Summum einſdem* (id eſt ſanguinis) *incrementum.*] vbi humori incrementum addidit, & quidem ſummum, alludens, velit, nollit, ad veritatem, dignitatem indicationis ex morbi vehementia, & periculo æſtimari.

exiſtimari. Cum inquit. [*Quod poſtremò dicunt, admittantur*, &c.] Si rectè quod ſcribit intelligo, iam ſolutum eſt, nec pluribus eget.

Simile ſecundum eſt argumentum, quod ex Hippoc. & Galeno ſumitur: qui in morbis ex plenitudine docent venam ſecandam, ex humorum corruptione purgandum. Iam diximus haſce indicationes ſingulares eſſe, quæ ad præcipuas illas, ac principes referendæ ſunt. Verùm Aduerſarius inſtat. [*Cum indicatio ſumpta à morbi magnitudine ſuperet omnes dignitate, quam ob cauſam Galenus eam prætermiſerit, non hic modò, ſed alibi.*] Primum noto hunc hominem contra hunc ſcopum argumentari, ac ſi ille nullus omninò foret, nulliuſque vſus in medicina facienda: cum tamen illum ſæpenumero admiſerit ex Galeno. Nam quicumque tandem ille ſit, ſi aliquando vllam præbet indicationem, ſtatim quærendum venit cum Aduerſario, cur fuerit hic, vel alibi ab Hippocrate, & Galeno prætermiſſus. Verùm dicet ſaltem non debuiſſe prætermitti, ſi princeps fuiſſet. Sed vbi didicit ſcopos principes vbique proponendos, repetendos, inculcandos: Si Galenus huiuſmodi ſcopum prætermiſiſſet, vbi communem medendi methodum perſequitur, fortè Aduerſarij argumentum ſpernendum non eſſet. At cum in libris Methodi minimè illum prætermiſerit, quid mirum, ſi ſingulares proſequens indicationes cum Hippocrate nullam eius mentionem fecit? Niſi fortiora ſuppetant argumenta, nihil eſt, quod me à concepta ſententia deterreat. Quæ Aduerſarius hac in re deinceps addit, omnia ad illam dubitationem pertinent; cur in morbo vehementi aliquando purgandum, aliquando vena ſecanda: de qua ſatis antea diximus.

Pariter quod pertinet ad locum ex Gal. 4. *Met. cap.* 6. Illud vſque adeò frequenter, & luculenter eſt examinatum, vt hic eadem repetere non ſit opus. Solum reſpondeo ad argumentationem, qua contra me inſtat. Quoniam Gal. videtur eo loco indicationi à morbi vehementia illam quoque addere, quæ ſumitur à plenitudine: atque nos diximus ſi illæ conſiderentur ſeparatæ, veriſſimum eſſe, ab vtraque ſanguinem mittendum indicari. Inſtat. [*Primum ſequetur ſcopos præcipuos non eſſe tres, vt conati ſunt demonſtrare in tota diſputatione: ſiquidem quatuor ſunt, &c.*] Quaſi verò ipſe quoq; Gal. conceptis verbis non ſæpiſſimè dixerit ſcopos principes eſſe tres. Sed ait. [*Aliquod habere nequeunt ſubterfugium concedendo hoſce duos ſcopos ſeparatos eſſe inter ſe, & vtrumque indicari* (forte) *indicare.*] Immò verò hæc ipſa meæ ſolutionis ratio eſt: nam plenitudo non eſt quartus ſcopus, cum ipſa per ſe tantummodo euacuandum, aut quantitatem euacuandi ſanguinis indicet. Itaque non vt quartus princeps ſcopus, & qui per ſe indicandi vim habeat, proponitur à Gal. ſed venæ ſectionem indicat non niſi ſecundariò, ſcilicet vel ratione generis, nimirum euacuationis, vel ratione quantitatis, nempe aut parciùs, aut liberaliùs euacuandum. [*Secundò* (inquit Aduerſarius) *plenitudo aut indicat miſſionem ſanguinis, quatenus plenitudo, aut quatenus talis plenitudo, &c.*] Reſpondeo, plenitudinem miſſionem ſanguinis indicare, quatenus magnum morbum facit, vel factura eſt: nec per ſe indicare, ſed vna ratione morbi magni, qui per ſe indicat, & ſecundùm quod ipſum. Et Aduerſarius veritate coactus iam penè in meã incidit opinionem; qui deinceps hæc addit. [*Tertiò magnitudo morbi, quam opponunt plenitudini, aut indicat, vt magnitudo eſt, aut vt determinata magnitudo. Si primum dederint, omnis morbi magnitudo indicabit: quod abſurdiſſimum eſſe demonſtratum in ſuperioribus abundè fuit: ergo huiuſmodi indicatio tribuitur magnitudini determinatæ: hæc verò alia non eſt, quàm magnitudo morbi, aut incipientis, aut imminentis, aut præſentis à ſanguinis plenitudine, vel motu.*] Repero magnitudinem ſumi duobus modis; vno, pro quantitate, quæ ſpeciatim ad vnumquemque morbum ſecundum propriam eſſentiam ſpectat, quæ non indicat venæ ſectionem, niſi conueniat cum altera: altero autem, pro qualitate, quæ propriè vehementia dicitur. Quando dicimus magnitudinem morbi venæ ſectionem indicare, ſecundum intelligimus, vt ſæpè diximus. Quare dico hanc indicare, vt magnitudo eſt, atque ita omnem magnitudinem indicare, omnem nempe vehementiam. Cum ergo Aduerſarius tanquam abſurdum deducit. Ergo omnis magnitudo indicabit venæ ſectionem, ſi magnitudinem in communi etiam ad alteram intelligit, laborat æquiuocatione (vt aiunt) manifeſta, neque alterius indiget refutationis. Si verò de altera tantum magnitudine loquitur, tam verum eſt, quàm quod veriſſimum. Nam vt dicebat Galen. ex tribus mittendi ſanguinis ſcopis vnus eſt, qui indicat, morbi vehementia: reliqui autem aut conſentiunt, aut prohibent vires (inquam) & ætas.

Quarto loco in exemplo à me propoſito, tanquam maximum abſurdum deducit, vt cum redundat bilis, ſanguis ſit vacuandus. Iam docui non ratione bilis, ſed ratione communis euacuationis optimè conuenire, vt in morbo, & corpore bilioſo vena incidatur, ratione generalis indicationis. Et vanum eſt, quod obiicit, indicationem eſſe, vt bilis ſegregetur à ſanguine. Namque ſæpenumero ſegregari non poteſt, niſi totius corporis euacuatio præcedat per venæ ſectionem. Dixi autem ſæpenumero, quia non equidem is ſum, qui negem bilis redundantiam purgatione vacuari, ac ſanè ſola interdum. Illud certè contendo plerunque euenire, vt ipſa bilis (quod item de cæteris humoribus intelligendum eſt) nec purgatione excerni, nec à ſanguine ſegregari, nec alia ratione euacuari poſſit, niſi venæ ſectio præcedat, quæ reliquas, & alterationes, & vacuationes faciliores, tutioréſque reddat. Quæ Aduerſarius deinde opponit de attractione ad venas, aut ad partes principes, iam ſatis confutata ſunt: nam vel nulla talis fit attractio, vel ſi fit, commodè eius noxæ conſulitur, facta eiuſdem humoris euacuatione per iteratam ſanguinis miſſionem, quemadmodum Galenus docuit. Verùm quid eadem toties repeto? De argumento ſumpto ex Galen. 4. *de Tuen. Val. c.* 4. vbi ille videtur ſecandæ venæ indicationem accipere ab humoris natura, quæ à ſanguine recedit, vel non recedit, præterea quæ abundè à me dicta ſunt in priore Diſputat. *de Scopis Mittendi Sanguinem*, & in præſente Apologia *lib.* 8. *Diſput.* 8. *ad cap.* 7. *&* 8. hic illud tantummodo mihi libet addidiſſe; Galenum docentem pro varietate humorum venam ſecandam, vel non ſecandam eſſe, non aliud quàm vires ipſas animaduertiſſe. Quod quidem ſatis ex eo confirmatur: quoniam ſi humores paullulum recedunt à natura ſanguinis, in vtramuis partem vergant, audacter inquit venæ ſectione vtendum eſſe: ſi magis recedant, *πλεῖον ἀπέχωσι*, vtendum quidem adhuc, ſed cautius: ſi verò plurimum, ne omnino quidem eſſe vtendum. Etenim ſi ex ſola natura humoris indicatio ſumitur, quid eſt; cum humores maiorem, atque effatu dignam habent à natura ſanguinis mutationem, vt ſanguinem mittere non vereamur, atque in iis tantum à venæ ſectione abſtineamus, qui maximum à natura ſanguinis receſſum habent?

cum in iis mittendi ſanguinis indicatio nulla ſit, ſi Aduetſatio credimus. Pottò facile eſt videre, humorum naturam, à ſanguine quantumnis alienam, ptohibendæ venæ ſectionis vim non habere, niſi talis, ac tanta ſit, qua cum vires conſiſtere non poſſint. Nam quod ait, etiam in purgatione vires requiri validas, nihil ad rem præſentem facit, ſatiſque à nobis antea declaratum eſt.

Poſtremò tandem hoc noſtrarum Diſputationum loco non contemnendos videtur morbus, qui nobis impendet, Eryſipelas: in cuius curatione Galenus, vt Aduerſarius inquit. [*damnat venæ ſectionem, medicamenta purganda ſolum commendat.*] Quo loco ille magnopere laborat, vt probet, ſi quando venæ ſectionis vſus foret non potuiſſe nec debuiſſe Galenum illam prætermittere Sed vellem in eo quoque laboraſſet, vt oſtenderet Paulum ſe malè geſſiſſe, qui in Eryſipelate capitis venam ſecandam iuſſit, cum potius purgationem indicere debuiſſet: malè etiam pleróſque omnes medicinam exercentes in magnis, & præſtantiorem aliquam partem occupantibus Eryſipelatis, ſtatim ad venæ ſectionem confugere: quam ſi quis prætermiſerit, vix ignauiæ, atque imperitiæ crimen vitare poſſit. Sed reſponſio ex his, quæ cumulatè à nobis dicta ſunt, facilis eſt. Galenum reſpicere præſertim humorem peccantem; ſupponere autem generalia præcepta aliàs tradita, vt ſi morbus ſit magnus, vel quia ſecundum propriam eſſentiam Eryſipelas magnum ſit, vel quia nobilem partem inuadat, vel malignitatem præ ſe ferat, nec venæ ſectio prætermittatur. Quod fortaſſe ex ipſis Galeni verbis colligi poteſt: qui non illud vniuersè dixit venam non eſſe ſecandam, ſed hoc tantùm non eſſe neceſſarium, vt venam ſecemus. Nouimus autem ex logica has duas propoſitiones ſimul conſiſtere, ac veritatem obtinere poſſe. *Non neceſſarium eſt eſſe, & poſſibile eſt eſſe.* Quare quamuis non ſit neceſſarium venam ſecare: tamen fieri etiam poteſt, vt aliquando venam ſecare debeamus: neque hæc ſibi mutuo aduerſantur: veluti neque id nobis aduerſatur, quod purgandum eſſe docuerit: quia etſi venæ ſectio præmittatur, pro totius corporis euacuatione, pro reuulſione, non tamen altera perit indicatio, vt bilioſus humor expurgetur.

Atque hic & præſentis Diſputationis, & vniuerſæ Apologiæ ad Diſputationem noſtram, de Scopis mittendi ſanguinem, finis eſto. In qua non me latet futuros eſſe complures, qui non pauca deſiderent, plurima etiam obiiciant: quos etiam, atque etiam rogatos volo, vt occaſionis, vt perſonæ, vt temporis, vt occupationum noſtrarum rationem habeant: & qui fortaſſe putant, debuiſſe nos ab hoc diſputandi, altercandíque ſtudio cauere, conſiderent, & ſecum ipſi reputent, quàm ineptum, quàm iniquum, ac penè impium facinus fuiſſet, ſi veritatis in re maxima, ſi dignitatis, & exiſtimationis meæ patrocinium deſeruiſſem. Si quis verò multa obiiciat, aut fuſius diſputata, aut ſæpius repetita, quod quanquam enixè vitare ſtudui, non tamen omnino cauere potui, is quæſo relegat, ac ſecum ipſe recolat, quæ ab Aduerſario ſunt toties implicata, repetita, inculcata, vt ſæpius animum, calamúmque reſpondentis trahere ad ſe potuerint. Erunt fortaſſe qui nonnulla preſſiùs tractata exiſtimabunt, quàm rerum difficultas, & magnitudo poſtulet: quos quidem æquum eſt animaduertere, non ſolùm quid in hoc publico docendi munere, aliiſque plurimis occupationibus tam breui temporis ſpatio ſcribere potuerim, ſed etiam quid Apologetica hæc ſcribendi ratio requirat: in qua ſi quis velit omnia ad examinis diligentiam reuocare, vix finem aliquem orationi ſit impoſiturus. Nec demum fortè aliquis deerit, qui me eo quoque nomine incuſet, quòd non dubitauerim huiuſce Apologiæ ſcriptionem, editionémque tanta cum feſtinatione præcipitare, vt pauciores in ea menſes conſumpſerim, quàm annos Aduerſarius in ſuis Diſputationibus: vtpote quibus ſcribendis annorum quinque ſpatium habuerit, edendis verò quatuor: vt hoc toto nouennij curriculo probabile ſit illum maximopere ſudaſſe, in nonum annum preſſas, ſumma tandem manu auctas, atque expolitas eſſe voluiſſe: cum tamen reſponſio noſtra ab earum Diſputationum editione non plus ſex menſibus ſit prorogata. Verùm ea eſt vis veritatis, vt ſemel rectè percepta maximam quoque dicendi facilitatem ſimul & claritatem ſecum afferat; ea dignitas, vt diutius ſupprimi, & ſophiſtarum iniuriis exponi non mereatur. Equidem credo Aduerſarium, & magnum aliquod opus mouere de purgandi ratione, quod ſtudioſis traditurum ſe pollicetur. Illud nos auidè, atque ea quidem mente expectamus, vt ſi quid tanto dignum ferat hic promiſſor hiatu, atque ad Hippocraticam, Galenicámque doctrinam aliquod momentum afferat, illi & ſubſcribere, & gratias agere debeamus, ac polliceamur: vt ſi contrà eueniat, pro vetere doctrina, pro vero dogmate pugnare nec vereamur, nec recuſemus.

Hunc toti præſenti noſtræ Diſputationi, & contentioni finem impoſueram, quom venit in mentem, vt iis ſatisfacerem, qui noſtra hæc audientes, & cum Galenica, & Hippocratica doctrina conferentes, mirati ſunt, & ex me quæſierunt aliquando, cum decretum de tribus principibus ſcopis mittendi ſanguinis à magno Hippocrate glorioſiſſimè inuentum à Galeno præclariſſimè corroboratum, & confirmatum, à doctiſſimis viris luculenter expoſitum, & illuſtratum, nullam propemodum difficultatem amplius videatur continere; qui fiat, vt plerique omnes hoc tempore, illud non ſolum non recipiant, ſed etiam inimicè inſectentur, impugnent, abhorreant. Cui dubitationi reſponſio ex ipſo Galeno petenda eſt: cuius in re ſimili hæc verba ſunt: *Apud me nonnulli clam confeſſi ſunt manifeſtò ſe quidem cernere contendendi aduerſus Hippocratem cupiditatem, eorum qui exiſtimant, nihil eſſe in ſuccis ad ſanitatem, aut morborum vſus aut detrimenti: pudore tamen affici, ſi poſt quinquaginta ætatis annos ad Hipp. deficiant. Sic enim videbimur (dicebant) non ſolum diſcipulis, ſed etiam iis, qui præterito toto tempore nobis vſi ſunt obfuiſſe. Quin etiam ſe in honore quoque apud vulgus hominum eſſe aiebant, tanquam vera ſequi dogmata crederentur. Quod ſi & hæc falſa eſſe faterentur, ipſos habitum iri cæteris indoctiores, neque quenquam, qui ipſis anteà vſus eſſet, in poſterum eſſe vſurum.* Pariter enim nonnullos ego quoque noui, qui medicis illis longè ſimillimi libarè confeſſi ſunt ſeſe intelligere quantò præſtantius, tutius, & ad veritatem magis accommodatum, ſit Hippoc. & Galenum ſequi, priſca ab optimis omnibus recepta dogmata amplexari, quàm nouis iſtis, & paradoxis poſitionibus inhærere; non poſſe tamen ſe in prouecta iam, & ſenili ætate conſtituros palinodiam canere, & veluti defectionem admittere: id enim ſi facerent, & nunc tandem reſipiſcere ſe velle viderentur, periculum fore, ne dignitatem omnem, & exiſtimationem omni ſtudio conquiſitam, & partam amitterent, in pretio eſſe,

De ſuc. bo. & vit. c.1.

&

& conſueta in dies præmia obtinere deſinerent. Quo videntur exiſtimare nihil ſibi calamitoſius poſſe accidere. In horum fortè numero noſter quoque Aduerſarius reponendus eſt: Quos tamen par eſt cogitare, atque alta mente reuoluere, vt in aliis omnibus, ita maximè in ea facultate, quæ ad vitam ſalutémque hominis ſpectat, vnam in primis veritatem ſectandam, amplectendam, tuendam eſſe, eámque propriis noſtris & commodis & honoribus anteferendam: præ cæteris autem omnibus Dei Optimi Maximi maieſtatem, ac iudicium ob oculos habendum; qui tanquam ſcrutator cordium, & cogitationum noſtrarum vindex ineuitabilis neque malum aliquod impunitum, neque bonum relinquit irremuneratum: qui ita rerum noſtrarum in vtraque vita fautor ſit, & adiutor, vt ex animo loquimur, & medicinam priſtinæ integritati qua maximè humano generi proficere poſſit, reſtitutam ſeriò deſideramus.

EPISTOLÆ DVORVM CLARISSIMORVM VIRORVM DE SCOPIS MITTENDI SANGVINEM, *AD ALEXANDRVM MASSARIAM*;

Cum eiuſdem Maſſariæ reſponſionibus.

ALEXANDRO MASSARIÆ V. C. S. D.

VIR excellentiſſime, perarduas ſanè, vetuſtiſſimas, ſed vtiliſſimas quæſtiones ſummo ingenio, doctrina, & arte à te tractatas, multa attentione & mei iucunditate bis terque legi, qui nempè ſint ſcopi mittendi ſanguinem in morbis generaliter: ſpecialiter autem in febribus putridis, tum quando liceat purgare in principio morborum; vtrumque autem ſecundum antiquorum, Hippocratis ſcilicet, & Gal. ſententiam, quam & veritati conſonam eſſe credendum eſt. Quia autem quid in his rebus ego ſentiam vt libere proferam, petis, non poſſum facere, quin tuæ voluntati, quæ apud me locum mandati tenet, ſatisfaciam.

Et primum, quantum ad primam quæſtionem attinet, loca à te doctiſſimè citata Hippocratis & Galeni videntur clarè demonſtrare, tria illa aut ſi malimus duo principaliora, magnitudinem nempè morbi, robur virium, & ætatem, ſcopos eſſe proprios, & conuertibiles miſſionis ſanguinis: quod ſanè & rationi videtur aſſentire; namque ſi magno morbo magnum auxilium adhibendum ratio dictat, quodnam maius auxilium, ſecurius, aut aptius excogitari poteſt ſectione venæ?

Verùm ſi itidem, & Hippocratis, & Galeni ſententias variis in locis ſcriptas perpendamus, tum rationem ipſam intimiùs examinemus, fieri non poteſt, quin adhuc res in controuerſiam reuocetur, neceſſariúmque ſit ad tres illos principes ſcopos limitationem primum dein & diſtinctionem addere: limitationem quidē, conſiderando, an morbi ex repletione fiant: diſtinctionem verò, an ſectione venæ, vel purgatione potius vtendū ſit, cum vtrumque horum æquè conuerti videatur cum ſupradictis ſcopis. Limitationem autem comprobare videntur morbi ſimilares ab intemperie ſola ſine materiæ concurſu nati, ſiue ſint totius corporis, ſiue alicuius partis, in quibus nulla indicatio euacuandi ſumi poteſt, ſed tantummodo alterandi, quod optimè præſtat Gl. in curandis hecticis, tum in intemperiebus ventriculi remouendis in libris Meth. Med. Nec dici poteſt, in his non conſtare virtutem cum in earum principio valida poſſit eſſe virtus, etſi non illud robur haberet, quod expetit plena venæ ſectio, eam tamen habebit, quam moderata aut parca requirit, & quam Galenus in curatione per Epicraſin in corruptela humorum cum virium debilitate concedit. Accedunt ad hoc morbi multi in figura, & in formatione facti, in quibus magnitudinem licet excogitare cum robore virium, qui tamen ſectionem venæ non requirunt. Non immeritò ergo dicendum videtur, addendam eſſe limitationem, incidendam quippè venam, ſi morbus ſit magnus, & vires conſtent, ſitque morbus ex repletione factus, aut fiendus. Neque hic incidimus in antiquorum opinionem de ſyndrome vocata plethorica, quam Gal meritò oppugnat, tum quia hæc ſola apud nos non indicat, tum quia ſola ſufficit alicuius partis repletio facta, aut fienda.

Sed neque diſtinctionem præfatam alienam à ratione, & Gal. mente dicendum videtur: ſi namque morbi ex repletione curantur euacuatione, ergo & morbi magni magna euacuatione curari debent, ſic namque ſcriptum reliquit Hippocrates, *Extremis morbis extrema remedia optima.* Cum autem multa genera euacuationum ſint apud medicos vſitata, ſectio venæ, & purgatio maiora ſemper aliis habita fuere. Dicendum eſt ergo non magis ſectionem venæ, quàm purgationem magnitudini morbi conuenire, ſed alteram alteri magis, prout humor, quem hi euacuandi morbi reſpiciūt, abundat, ſic ſcriptum reliquiſſe videtur Gal. 1. Apho. 23. *In maximis,* inquiens, *inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus nullum maius noui remedium quam vſque ad animi defectionem euacuare adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem an purgare oporteat.* Iſtud idem repetit 4. *Meth.* 6. his verbis: *Sed ſicut miſſio ſanguinis, vel propter ipſius abūdantiam, vel propter morbi magnitudinē adhibetur, ita & purgatio & propter abundantiam alterius cuiuſdā ſucci, & propter vim morbi adhibetur.* Et paulò infrà. *Atq; ob eam rem Hipp. tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo quod de vlceribus tradidit, etiam morbi magnitudinem ad purgationis inductionem conſiderat.* Et infrà. *Nunc illud docere volo tum ipſam morbi ſiue vim, ſiue magnitudinē appellare velis, pro indicatrice quadam ſanguinis detrahendi, vel purgationis adhibenda ſtatuendum eſſe. Tum verò Hipp. hanc omnium quos nouimus primū adinueniſſe.*

Neque hic dici poſſe videtur, alteram indicationem, robur nempe virium in purgatione deficere poſſe, cum & rationi conſentaneum ſit purgationem nonniſi viribus valentibus, propinandam ob agitationem & vim in corpore factam. Propterea prægnantibus interdicitur, niſi materia turgeat, conceſſa tamen in initio, ſectione venæ: tum idem non confirmatur ab Hipp. & Gal. multis in locis, ſpeciatim vero Prorrheth. 2. *Aphor.* 38. his verbis: *Præter hæc quoque ſatius erat in vniuerſum quod Medicis omnibus eſt conceſſum, & non minimè idiotis notum dixiſſe, imbecillas habenti vires medicare non oportere.* His ſatis conſtare videtur Hipp. & Gal. mentē fuiſſe duos illos principales ſcopos, magnitudinem nempe morbi, & robur virium indicationes eſſe conuertibiles non ſolius ſectionis venæ, ſed & purgationis: neceſſariam propterea

fore

fore diſtinctionem , quando hac vel illa vtendum ſit.

Verùm quærere quiſpiam poſſit, à quonam hæc diſtinctio ſuſcipienda ſit? Quæſitum ſanè magni momenti , & maioris quouis alio conſiderationis, quod in medicina dici aut excogitari poſſit, cuique Gal. non videtur omni ex parte ſatisfeciſſe In primis autem , quòd ſciam , huius rei ſermonem habuit 4. *de Tue. Val.* cap. 4. & ſequentibus, quæ doctrina ad hæc capita reduci poſſe videtur. Namque aut ſanguis ex æquo cum cæteris humoribus continetur, iſque aut moderatè , aut abundanter. In vtroque horum nulli dubium, venam ſecandam eſſe, in illo quidem, cum humorum impetus timetur ex plaga aut dolore , aut alio quopiam , à quo fluxus moueri poſſit , in hoc, tum huiuſce rei cauſa, tum vt multitudo euacuetur: atque in illo quidem moderatè in hoc copioſè, & vſque ad animi deliquium , ſi res exigat ſanguis hauriendus. Inſuper aut vitioſus ſuccus, quo nomine, & crudum vocatum intelligo , abundat in corpore , à quo ortum trahit cacochymia, iſque aut miſtus ex ſanguine in venis, aut ab eo ſeparatus ; ſi miſtus, aut ſuperat ſanguinem , aut ab eo ſuperatur , illúdque aut multum, aut parum , aut medio modo. Si ergo à ſanguine ſuperatur , ſanguis educendus inciſa vena : ſi ſuperet , & multum , purgatio , ſi tamen virtus conſtat , propinanda , cum vt plurimum ab hoc vitio collabatur : ſi ſuperat , & parum, vena incidenda ; ſi medio modo, vena potius incidenda , potiſſimum ſi morbi calidi , febriléſque potiſſimum infeſtent , ac moderatè ex repetita ſectione , vt per epicraſim morbus ad ſanitatem reducatur.

Hæc pauca volui notaſſe, vt locum. Gal citatum innuerem potius , quàm vt aliquid omni ex parte abſolutum perſcriberem. Quibus ſatis conſtare videtur , duos illos principes ſcopos , magnitudinem nempe morbi , & robur virium non magis ſectionem venæ, quàm purgationem indicare, ſed ex æquo vtrumque propterea neceſſariam fore diſtinctionem, quando hac magis , vel illa vtendum ſit, quàm ſanè ſi non abſoluiſſe , ſaltem innuiſſe Gal. 4. *de San. Tuen.* Hinc fieri puto , cum hæc diſtinctio ſit valdè difficilis , artificioſáque egeat coniectura , ac Medicum prudentiſſimum , & in arte exercitatiſſimum requirat, habeátque in ſingulo membro latitudinem quandam , vt magna ex parte Medici in curandis ægris diſſentiant. Sed quid mirum? cum & Hipp. & Gal. videamus in iſtud vitium incidiſſe in curanda pleuritide: quinimo & multi noſtris temporibus ſurrexerint Medici adeò huic nobiliſſimo remedio infenſi , qui ferè iſtud è medio tollere conentur , paucique apud eos dentur ægri quibus tuto ſecari poſſit vena. Sed agendæ ſunt Deo O. M. gratiæ , qui tuam excellentiam illuminauerit ad hoc verè aureum, & diuinum opuſculum excudendum, quo nitor & dignitas huic tanto auxilio reſtituitur. Et hæc paucula ſufficiant : nonnulla etiam dicemus, ſi otium dabitur de alio auxilio. Suſcipe igitur animum meum tibi obtemperantiſſimum, tuóque nomini deditiſſimum. Vale, & me , vt opto, ama.

Data Idibus Nouembris M. D. LXXXVIII.

ALEXANDER

MASSARIA

V. C. S. D.

NVNC primùm , vir Excellentiſſime, ſum adductus , vt crederem meas Diſputationes publicè editas aliqua forſan eſſe dignas exiſtimatione , quando ex doctiſſimis tuis literis percepi abs te illas non omnino contemni , cuius eruditionem tum iampridem, tum ex hac ipſa epiſtola noui ſingularem. Neque id tantum me mouet, quòd eas honeſtiſſimis laudibus ornare volueris , cum pro tua humanitate nonniſi honeſtè de amico & ſentire , & dicere noris , verùm etiam quòd eaſdem & accuratè perlegeris, & in quæſtionem doctiſſimis argumentis reuocaueris, quibus debeo multis de cauſis reſpondare , potiſſimùm , vt viro amiciſſimo , & doctiſſimo ſatisfaciam, tum verò & illud planè doceam , me ad has Diſputationes edendas non ita præcipitem fuiſſe , quin pleráſque huiuſmodi rationes accurate penſitauerim , & pro viribus ſcilicet enitauerim.

Video aduerſus vtrámque Diſputationem extare apud te non leues dubitationes : quas aduersùs priorem in præſentia proponis , aduerſua alteram polliceris , gratiſſimum mihi facturus , quum illas quoque exponere placebit. Et quoniam in priore de Scopis Mittendi Sanguinem ea breuiter mea ſententia fuit , tres ſcopos ab Hippocrate propoſitos , à Galeno ſæpenumero expoſitos vſque adeò veros eſſe , ac legitimos proprios , & conuertibiles, vt iis poſitis ponenda ſit venæ ſectio , & ablatis auferenda, bifariam id euertere conaris , ſtatuens , eandem ſententiam ſimpliciter non eſſe veram , ſed indigere , tum limitatione , tum diſtinctione. Atque cum propoſita à me concluſio duas habeat partes , alteram hypotheticam , ſi morbus ſit magnus, vires validæ, florens ætas : alteram categoricam, ſecanda eſt vena, limitationem adhibes priori dicto , diſtinctionem poſteriori. Tractemus vtrámque ſeorſum.

Non ſatis eſt (inquit) morbum eſſe magnum, ſed addendum eſt, ſi ortum ducat à repletione. Limitationem comprobas duobus potiſſimum argumentis, altero ſumpto à morbis ex intemperie ſine materia , altero à morbis in figura & formatione. Primum illud aduerſus hoc argumentandi genus vniuersè notare libet , quamuis omnia concedam, non tamen aſſertionem tuam ſatis eſſe probaram: Do enim oſtenſum eſſe , dari morbos magnos cum virium robore , & ætate , in quibus non ſecanda ſit vena , an verò ob id ſequitur addendum eſſe ſcopum à repletione? Alius enim dicet addendum eſſe ſcopum à motu humorum , alius alium. Sed hoc tranſeat , conſideremus argumenta. Dantur morbi ſimilares (inquis) ab intemperie ſola ſine materiæ concurſu (credo te innuere magnos) in quibus nulla eſt indicatio euacuandi, ſed alterandi, ergo, &c. Quæſo primùm quid intelligis per intemperiem ſine materia, an eam, quæ non eſt coniuncta vllo modo cum materia, neq; vt parte morbi vt in tumoribus , neque vt cauſa fouente ; an eam ſolum , quæ non habet materiam , quæ ſit pars morbi? Si primum , difficile admodum eſt , ne dicam impoſſibile , dari huiuſmodi intemperiem , ſaltem diutius permanentem,

quæ

quæ non adſciſcat ſibi materiam, quod vel ea ratione patet, quoniam omnia intemperies labefactat cognitionem: vnde neceſſarium eſt gigni copiam excrementorum. Si ſecundum, falſum eſt non extare indicationem euacuandi ſ. materiam, quæ fouet intemperiem. Deinde quæro, intemperies hæc ſit ne magna an parua: magnam te dicturum puto, quia non loquimur de morbis paruis. Magna verò eſt vel totius, vel partis. Intemperies magna totius, vel fouetur à materia, vel non fouetur: ſi fouetur, adeſt indicatio euacuandi, & ſecandi venam; ſi non fouetur, id non fit, niſi in hecticis, & tabidis, quorum intemperies non fouentur à cauſa, ſed ſunt ἐν ἕξει ad differentiam aliarum, quæ fouentur à cauſa, & dicuntur eſſe ἐν σχέσει. At in iis vires conſiſtere non poſſunt, quoniam Galeni teſtimonio, magnæ intemperies omnea virtutem deiiciunt. Quare ſuppoſitio abs te propoſita videtur eſſe impoſſibilis: quod intelligentes Hipp. & Gal. vniuersè affirmarunt in omnibus morbis magnis modò adſint alij duo ſcopi, venam ſecandam eſſe, certi ſ. in caſibus abs te propoſitis aliquem ex tribus ſcopis eſſe defuturum. Quæ ratio itidem deducenda eſt de intemperie partis: nam vel eſt pars nobilis, vel ignobilis; ſi ignobilis, non poteſt dici morbus magnus; ſi nobilis, vires neceſſariò labefactat. Sed his omnibus prætermiſſis, adhuc argumentum eſt inualidum, dantur morbi magni, in quibus non eſt indicatio euacuandi, ergo non ſecanda vena: nam optimè noſtri venæ ſectionem adhiberi, non ſolùm vt euacuet, ſed etiam vt detineat, vel vt reuellat. Quo circa etiamſi magna ſit intemperies partis alicuius ſine indicatione euacuandi, dicam, & iure dicam, adeſſe indicationem aut deriuandi, aut reuellendi, & omnino mittendi ſanguinem, quoniam non ſolùm pars malè temperata præ imbecillitate gignit excrementa, ſed etiam fluxionibus fit obnoxia, & quia aliunde tranſmiſſa propellere non poteſt, & quia vel calore, vel dolore ipſa quoque attrahere ſolet. Vidiſti, vir acutiſſime, noſtram reſponſionē, in iis morbis ex intemperie ſine materia conſtare vires non poſſe, & ruſſum iſtas fieri non poſſe, quin in principio ſaltem intemperiei propoſitæ vires conſtent, puta in hectica, aut intemperie ventriculi. At illud meminiſſe oportebat, non præſentem ſolum virtutem eſſe attendendam, ſed etiam quæ poſterius ſit duratura, quæ fortaſſe ratio eſt, cur in iis, qui abundant humoribus crudis, non ſemel, ſed per vices & per epictaſim fiat euacuatio. At quis dixerit in hectica febre vires conſtare in poſterum poſſe; cum veriſimile ſit ne primis quidem diebus eas ſatis conſtare, cum cor laboret intemperie iam facta, & quidem ſecundùm ſolidas eius partes, in quibus maximè conſiſtere virium ſubſtantia videtur.

5. *Meth.* 5. 3. *de ſymp.* c. 2. 4 *Meth.* 2. 4. *præſag.* *pol.* 2.

Secundò ſumis argumentum à morbis in figura & formatione, qui poſſunt eſſe magni cum robore virium, nec tamen requirere venæ ſectionem. Vide vt in re tanta, tam controuerſa ſuppoſitiones tuo tibi arbitrio effingas. Quid ſi negem id fieri poſſe? Quid ſi dicam morbos à te magnos dictos non eſſe ſimpliciter magnos, neque eos, qui ab Hippocrate inter ſcopos mittendi ſanguinis numerentur; Sit magna quædam luxatio, qua membrum maximè ſit diſtortum: hæc quia in parte ignobili verſatur, quia parua inuehit accidentia, quia facilè reparatur, quamuis vulgi oculis maxima appareat, reuera tamen, & ſimpliciter morbus magnus non eſt: ſicuti econtrario morbi quidam primo intuitu leuiſſimi, à medicis rerum naturam altiùs indagantibus grauiſſimi indicantur. Magnitudinis nomen inter ea numeratur, quæ ad aliquid dicuntur, quo fit, mons paruus dici poſſit, formica magna; propterea certa quadam ratione ſtatuendum eſt, quinam ſint ij morbi magni, qui venæ ſectionem indicent, & quænam ea dicatur magnitudo. Magnus Hippocrates certos nobis terminos præſcribens vlcera magna vocauit, non quæ magnam cutis partem occupent, non quæ oculis magna videantur, ſed quæ ſuturis, aut deligatione indigeant, quæ oſſis corruptionem minentur, quæ excedantur. In morbis talem habentibus magnitudinem, quicumque tandem & qualeſcumque ij ſint, contendo authore Hipp. atque Gal. præſentibus aliis duobus ſcopis venam ſecandam eſſe: & nullo modo addendum eſſe ſcopum à repletione. Quod quidem arbitror me ſatis ex Galeno demonſtraſſe, quoniam, ſæpenumero præſente plenitudine non ſecamus venam, & ſine vlla plenitudine ſecamus. Cuius quidem rationis vim facilè putas euadere te poſſe, inquiens eam valere aduerſus ſyndromen plethoricam Empiricorum, non aduerſus nos, tum quia ſola plenitudo apud nos non indicat, tum quia ſola ſufficit alicuius partis repletio facta, aut fienda. Hæc tua ſunt verba, quibus id mihi videris velle, vt bimembre fuit Gal. argumentum, ita bimembrem eſſe reſponſionem: quum n. dicimus, præſente plenitudine non ſecari venam, reſpondes, id fieri, quia non ſola plenitudo indicare poteſt, ſed tum demum ſi iungatur cum aliis tribus ſcopis, quum dicimus abſente plenitudine ſecari, reſpondes, id falſum eſſe, quia neceſſarium eſt, vt adſit repletio ſi non totius corporis, ſaltem alicuius partis, ſi non præſens, ſaltem futura. Poſteriorem hanc partem ſatis nos confutauimus, quia ſunt affectus quidam in quibus nullam ſomniare poſſumus plenitudinem, puta hæmorrhagia, in qua ſolius reuulſionis gratia, niſi & refrigerationis dicas, mittere ſang. ſolemus: imò confutauit Gal. qui repletionis ſcopum prætermittendum putauit, non eo quod ſola plenitudo indicare non poſſit, ſed quia ſimpliciter ſine vlla plenitudine, imò in affectibus plenitudini contrariis venam ſecamus. Sed non repeto quæ copioſè in diſputatione dicta ſunt. Priorem partem reſponſionis ſatis leuē eſſe vel ex eo conjicere licet, quoniā ſi hac ratione licet addere nouū ſcopum tribus Hippocratis, iam ſexcentos poſſumus comminiſci, putà humorum impetum, inflammationem, ſcabiem, chymæram. Dicam enim vnumquodque horum indicare venæ ſectionem, non ſolùm, ſed ſi iungatur cum morbi magnitudine, viribus, ætate. Vidit hæc ſubterfugia Galenus, & ea præcludere nixus eſt demonſtratiua vt ſolet ratione: quoniam ſi præſente plenitudine ſecamus venam, non id facimus ratione plenitudinis, ſed ratione morbi magni aut præſentis, aut imminentis; quaſi ratio ita ſit erigenda. Illi ſunt præcipui ſcopi mittendi ſanguinem, qui indicant per ſe & propria ratione, non ratione alterius, at plenitudo non indicat per ſe, & quatenus plenitudo eſt, ſed ratione qua morbum magnum aut facit aut factura eſt: ergo illa inter præcipuos mittendi ſanguinis ſcopos non eſt recenſenda. De his nos latiùs diximus in prima parte prioris noſtræ Diſputationis, nonnulla etiam in ſecunda parte de Febribus attingimus: quæ non ſunt hic deſeribenda, ne aures tuas longius fatigem, qui hæc dictis locis clarè potuiſti obſeruare.

Venio ad alteram Epiſtolæ partem, qua diſtinguendū putas, ſecanda ne ſit vena, an purgatione vtendum. Quod quidem tum ratione comprobas, tum authoritate. Ratio eſt, quoniam morbis magnis conueniunt remedia magna: hæc autem duo ſunt, venæ ſectio, & purgatio: quo fit, vt morbi

magnitudo

magnitudo non tantùm venæ ſactionem requirat, ſed etiam purgationem. Authoritas ſumitur à Gal. 1. *Aph.* 23. & 4. *Meth.* 6. locis vulgatis. In quibus non immoror, quia clariora ſunt, quàm vt ambigi de iis poſſit. Porrò difficultatem hanc alij alio modo conati ſunt effugere, quorum opiniones nos in noſtra Diſputatione attulimus in medium, & quia non ſatis arridebant, confutauimus: nos quoque id quod maximè probabile viſum eſt, aperuimus, illud præfati, me nihil hactenus reuera inueniſſe, quod mihi omni ex parte ſatisfaciat, optare certè, vt aliquis emergat, qui nodum omnem diſſoluat. Vtinam id ipſe præſtiteris. Sed ne allici me hoc deſiderio ſinam, paucis expendēda ſunt quæ affers; & quia noſtræ reſponſionis nihil meminiſti, ea breuibus in memoriam reuocanda. Videris igitur mihi ſtatuere, ex humorum quantitate & qualitate ſumendam eſſe diſtinctionem: quod primum ita vniuersè prolatum maximam mihi facit difficultatem, cum omnem Hippocr. & Galen. doctrinam labefactare videatur, qui clarè ſanxerunt, in morbis acutis ſi morbus magnus videatur, vires conſtent, & ætas floreat, ſecandam eſſe venam, neminémque eſſe in artis operibus exercitatum, qui præſentibus iis tribus ſcopis non venam ſecet, & hoc eſſe proprios, ac principes ſcopos, quibus præſentibus tutò, ac perpetuò ſecamus venam. Si quis igitur grauiſſimis iis viris occurriſſet inquiens, non ſatis eſſe tres illos ſcopos, ſed adiiciendam eſſe humorum conſiderationem, quid putas illos fuiſſe dicturos? an ſilentio propriam ignorantiam faſſuros? an potius reſponſuros, verum eſſe præceptum, ſed errare nos, qui præcepti vim, & ſuam ipſorum ſententiam non probè teneamus. Diſtinguis autem humores ex 4. de Sang. Miſſ. 4. hunc ferè in modum,

4, Acu. 9.

4. Meth. 6.

De vena ſect. c. 9. vs 13. & 10.

vel

- Sanguis continetur in corpore ex æquo cum aliis humoribus, & hoc vel
  - moderatè
  - abundanter
    - & ſecanda vena
      - moderatè
      - copiosè vel
        - multum — purgandum ſi vire ferunt.
        - parum — vena incidenda
        - medio modo — vena potius incidenda præſertim ſi morbus ſit calidus. { moderatè, & per vices, & per Epicraſin
- viſcoſus & crudus ſuccus abundat in corpore, & is vel
  - miſtus ex ſanguine in venis & vel
    - ſuperat ſanguinem vel
    - ſuperatur à ſanguine — vena incidenda
  - ſeparatus

Primùm quæro quænam hæc ſit diuidendi ratio, quam Galenus non videtur agnouiſſe, qui loco citato comprehendit etiam abundantiam aliorum humorum, purà bilis & humoris melancholici: quæ hic non habetur; quo fit, vt in ea nihil à te habeamus de venæ ſectione. Præterea ſi prius huius præcepti dictum limitaſti, vt ſi dicamus, ſi morbus ſit magnus, vires conſtent, ætas floreat, & adſit plenitudo, quid rurſum opus eſt nouas comminiſci de humorum plenitudine diſtinctiones? Præterea ſi humor crudus ſeparatus eſt à ſanguine quid ſentiendum? Videor mihi videre nihil horum eſſe tribus ſcopis ex Gal. addendum, ſed eos ſatis eſſe, ad venæ ſectionem iniungendam.

Quòd ſi repetendum hic eſt id quod potui hac in re, & in hoc difficillimo modo excogitare, breuiter mea ſententia hæc eſt, diſtinctionem hanc, vtrùm ſecanda vena, an purgandum, non eſſe aliunde petendam, neque noui quidpiam prædictis ſcopis eſſe addendum, ſed illam ex ipſiſmet ſcopis eſſe hauriendam, nimirum ex virium robore non tam præſenti, quàm futuro, non quidem ea ratione, quòd venæ ſectio maiores requirat vires, quàm purgatio, vt nonnulli expoſuerunt, quorum ſententiam non ſumus amplexi, vel fortè è contrario, maiores purgatio, quàm venæ ſectio, vt aliquis ſuſpicari non iniuria poſſet, ſed quia non hoc vel illo remedio adhibendo cogitandum eſt, vtrum vires illud commodè laturæ ſint; nam ſi qualia oportet, educantur, conferr, & leuiter ferunt; ſin minus, contrà. Quid igitur eſt, quod in hydrope aſcite venam non ſecamus? quia licet vires in præſentia validæ ſint (hoc in præſentia ſupponamus) tamen vena ſecta per totum morbi curriculum non perſtabunt: quod itidem de aliis huiuſmodi dictum velim. Latius hanc ſolutionem in calce Diſputationis de ſcopis mittendi ſanguinem generaliter tractaui, monuíque quod in præſentia quoque monere liber, meliorem hac me neque hactenus ab aliquo audiuiſſe, neque ipſum excogitare potuiſſe. Tu perge tum hac ipſa in re, tum in aliis medicinæ partibus pro tuo ingenio & eruditione lucem arti, & opem eius ſtudioſis afferre: ita namque non ſolùm mihi rem gratam feceris, ſed & aliis vtilitatem, & honorem tibi comparaueris: quod præſtare vt poſſis, viue diu felix.

Patauij Pridie Cal. Decembris 1588.

ALEXANDRO

MASSARIÆ

H. C. S. D.

MAXIMA mea cum voluptate, & animi fructu eruditiſſimum opus tuum perlegi; tibique gratias ago, quòd mihi faueris, & dignum me iudicaueris, quem ſolidæ, ac germanæ doctrinæ tuæ participē feceris;

ſecuris; quam ego ſentio prorſus Hippocrati, Galeno, ipſique rationi reſpondere. Vtinam autem cæteri omnes ad horum duorum, qui antiquitatem illuſtrabunt, ſtudia incumberent, vt nouitatibus ſtudent: ſic enim tot abſurdæ opiniones non audirentur, quot nunc perſonant omnia.

Poſteà verò quàm pro tua benignitate me cohortaris, vt ſi quam habeam dubitationem, ad te perſcribam, de eo primum dubitabo, quòd non ſemper magnitudo morbi indicat ſanguinem ſecta vena hauriendum, nec purgandum: quandoquidem febris hectica primi gradus, qua cum vires ſunt, non indicat mittendum ſanguinem, licet magna ſit: quoniam partem magis præcipuam corporis noſtri occupat. Si verò dicatur, id intelligi de morbis materialibus, inde colligam non eſſe præcipuum & communem ſcopum mittendi ſanguinem morbi magnitudinem.

Præterea ſcribit Gal. lib. 3. de Criſib. c. 4. *Debiles quidem, & paruæ febres quandoque valde malignæ ſunt, & aliæ calidæ & incendentes, vt aliquando ſtomacho anguſtiam, & calorem, & ſitim intolerabilem afferant: nihil tamen habent nonnunquam periculoſum.* Itaque ſunt duo genera febrium, vnum paruum per eſſentiam, ſed magnum propter malignitatem: alterum magnum per eſſentiam, ſed paruum propter malignitatem. Et in magno per eſſentiam non eſt adhibenda phlebotomia: quia Galenus ait, *quandoque nihil habent periculoſum*: in magno propter malignitatem ſimiliter non eſt adhibenda ex communi Medicorum opinione, qui in febribus malignis vetant phlebotomiam: propterea quòd cum eæ noceant facultati corpus gubernanti, vires debilitant, ſine quibus vſus phlebotomiæ locum non habet. Alioquin dicendum ſit recentiores Medicos in errore verſari. Quamobrem non ſemper à morbi magnitudine ſumetur phlebotomiæ indicatio.

Præterea verò in ea contradictione, aut potius verborum diuerſitate Galeni lib. 4. *Methodi, cap. 6. & lib. 7. cap.* 12. dicerem ſententiam non eſſe diuerſam: quandoquidem læſio præſtantis facultatis effectus exiſtit læſæ præſtantis partis, idémque eſt, ſi dicant morbum eſſe grauem propter ipſam partem affectam præſtantem, ac ſi dicant, propter læſam virtutem præſtantem, quæ in ea parte ſpectatur. Iam verò magnitudinem affectus, & propriam eſſentiam affectus eſſe idem, non eget probatione. Reliquum igitur eſt, vt demonſtretur, malignitatem morbi idem eſſe cum facultate corporis noſtri gubernatrice. Quod difficile non erit, ſi ponamus morbos iudicari malignos iuxta Galeni doctrinam *lib. 3. de Criſibus cap.* 4 ex accidentibus malis ſuperuenientibus, quæ mala accidentia lædunt facultatem, & virtutem corporis noſtri gubernatricem, & ſunt tria. Verbi gratia, deliria in continuis ſunt maligna: quia lædunt facultatem animalem. Pulſus valdè inæquales, interſecti, debiles, ſunt maligni, quia lædunt facultatem vitalem. Sudores frigidi ſunt maligni, quia læſam indicant virtutem naturalem. Itaque hac verborum diuerſitate ſententia elicitur plena.

Quod ad eos attinet, qui credunt indicationem non deſumi à magnitudine, dicerem, morbum indicare ſui ablationem; & morbum magnum indicare remedium magnum, quod eſt miſſio ſanguinis, purgatio, & diæta tenuiſſima. Vnde illud *extremis morbis extrema remedia.* Quare indicatio apertiſſimè perſpicitur: & præſeruatio indicatur ab eo quod eſt, videlicet à cauſa. Nec mihi perſuadere poſſum, Galeuum in veris febribus ardentibus mittere ſanguinem vſque ad animi deliquium, ſed ſolum in ſynochis: quoniam lib. 11. *Meth. cap.* 14. vbi eſt putredo, ei placet, tantum ſanguinis relinqui, vt natura eum poſſit concoquere. Imò in Galeno *lib. 9. Method. cap.* 4 reperitur contradictio non parui momenti. Quòd in libero laborante ſynochu ſine putredine miſit ſanguinem; quo ad animum linqueretur. Idémque fecit in ſeruo, quamuis febris eſſet ſynocha cum putredine, & non eſt ſine ratione: quia ſectio venæ non curat putredinem. Hinc eſt, quod Hippocrates in 2. *Aphoriſmorum* 36. dixit, *Qui carno vtuntur cibo, per medicamenta euacuati cito exſoluuntur.* Quare Galenus eos Medicos laudant, qui in febribus malignis ortis ex penuria, & neceſſitate comedendi cibos mali ſucci, abſtinent à ſanguinis miſſione.

Præterea dicerem, magnitudinem morbi indicare phlebotomiam, & purgationem, & vt modò dicebam, diætam tenuem, ſed magis hanc, quàm illam, & adiungendas eſſe alias indicationes. Idcircóque Galenum *lib. 4. Method. cap.* 6. ad miſſionem ſanguinis præter magnitudinem morbi adiunxiſſe multitudinem ſanguinis, propterea quòd hæc indicat phlebotomiam, & dominium ſanguinis ſupra alios humores: & è conuerſo purgationem. Et verò phlebotomia non conuenit in puris intermittentibus febribus: quandoquidem in his ſuperabundans ſanguis eſſe non poteſt. Tertiana pura omnes conditiones poſtulat à Galeno poſitas; quæ generant puram bilem, id eſt, naturam, & ætatem calidam, & ſiccam, victum, & exercitationem eandem, cum regione, & anni tempore calido & ſicco. Iam vt ad ſingularia veniamus, in noſtra frigida regione tertianæ puræ non exiſtent: nec aliæ propter genus viuendi, quod ſequimur, & propter tempora dinerſa, ætatem, temperamentum, multáſque alias conditiones modò dictas. Et in nothis Gal. lib. 1. *ad Glauc. c.* 10. non vult ſemper phlebotomiam adhiberi: quoniam nō ſemper morbus ſit grauis. Et ſermonem habens de diæta ait; ſed & id quoque noſcere opus eſt, ad quātam magnitudinē perueniat morbus: & poſt, quod ſi ſanguinem mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum, id eſt, ſi febris minatur periculum ne fiat continua, & periculoſa, aut propter ipſam ne morbus ſit longus, aut propter ægrotum, qui humorum ſit plenus, aut propter alias cauſas. Ac perſpicere licet, quòd quando phlebotomia vtitur in quartana, intelligit de notha in qua ſuperat ſanguis alios humores: nam in pura homo eſt ſiccus, & frigidus, plenúſque melancholiæ.

Hæc pauca notare volui non ſtudio contradicendi, ſed vt tibi obedirem; & in ſignum meæ erga ſingularem doctrinam tuam obſeruantiæ; præterea verò etiam, vt cognoſceres me opus tuū perlegiſſe. Te rogo, vt me ames, meáque opera, ſi qua occaſio tibi oblata fuerit, vtaris, tibíque à Deo Opt. Max. annos precor Neſtoreos, vt generi humano, quemadmodum facere inſtituiſti, prodeſſe poſſis. Vale.

Data iij. Cal. Decembris. M.D. LXXXVIII.

ALEXANDER

MASSARIA

H. C. S. D.

AMABAM te iamdiu, & magnifaciebam, vir clariſſime, antequam aliquod humanitatis, & beneuolentiæ officium inter nos intercederet, tuarum ſingularium virtutum & laudum famæ

fama impulſus. Poſt verò quàm non ſolùm ex aliis, ſed etiam ex tuis humaniſſimis literis intellexi, quàm honoratum, & illuſtre de me, meiſque lucubrationibus iudicium, ac teſtimuniū facias, quantóque amore me proſequaris, ita tui ſtudio ſum inceſſus, vt nullam amoris acceſſionem fieri poſſe putarem. Hoc autem demum tempore, accepta tua epiſtola, in qua non ſolum me, téſque meas non ceſſas ſummis laudibus ornare, ſed etiam, quod ex animo à te petieram, & rogaueram, non minore humanitate, quàm eruditione aduerſus noſtras Diſputationes diſputare non grauaris: quo equidem nullum maius beneficium aut certius amoris in me tui argumentum accipere potui, fatear, neceſſe eſt, ad ſummum priorem meum in te amorē tantam acceſſionem factam fuiſſe, quantam fieri iam non poſſe arbitrabar; vt nunc tandem mihi videar te amare, antea dilexiſſe. Itaque pro tanto in me amore, & collato beneficio immortales tibi gratias ago, agámque dum viuam; quandoquidem me relaturum ſperare non poſſum, & ad res noſtras venio.

Equidem iampridem in eam ſententiam adductus ſum, vt credam, tres eſſe principes ſcopos mittendi ſanguinis, nec plures nec pauciores. Magnitudinem morbi, Robur virium, Florem ætatis: atque hoc decretum fuiſſe Hippocratis, & Galeni: partim quòd illi id apertiſſima, & certiſſima ratione doceant: partim quòd noua quotidie mihi ſuperant argumenta, quæ hoc ipſum poſſint confirmare: partim demum (ni valdè fallor) quòd aduerſaria argumenta nihil habeant momenti, ac facilè diſſolui poſſint. Quales obiectæ quoque à te rationes mihi videntur: quas equidem cenſeo exercendi magis ingenij cauſa, ac liberali quadam mihi gratificandi voluntate, quàm quòd reuera ita ſentias te in medium afferre voluiſſe. Vtcunque autem ſit, ad tuas rationes, quàm breuiſſimè potero, conabor reſpondere, ad eum ordinem me referens, quem te video tenuiſſe.

Primum igitur argumentum eſt, magnitudinem morbi non ſemper venæ ſectionem indicare; propterea quia febris hectica primi gradus, cum qua vires conſtant, huiuſmodi remedium non indicat, etſi illa eſt magnus morbus, cum partem noſtri
3. præſ. ex puls. cap. 4. corporis maximè principem occupet. Ego autem primùm poſſem reſpondere, nullam febrem hecticam eſſe magnam, quod Galenus conceptis verbis docet. Ex quo fit, vt ægri eam non perſentiant, affirméntque ſe omnis febris eſſe immunes; multi itidem medici eam non percipiant, & cognoſcant. Sed quoniam mihi videor te protinus reſpondentem audire, febrem quidem minimè ex propria eſſentia, & quantitate, ſed ex magno momento, ac periculo eſſe magnam, de qua reſponſione proximo ſequenti argumento ſermonem habebimus, verè aliter reſpondeo; In nulla febre hectica vires conſtare, cum membrum inter cætera omnia principale inſigni intemperie calida, & ſicca, & quidem æquali laboret, in qua vt virtus reddatur imbecillior, neceſſarium eſt. Id quod Galenus apertè nos docet; commemorans plurimos affectus, ex quibus vitalis facultas labefactari, & proſterni ſo-
4. præſ. ex puls. cap. 11. let, hæc habet. *Qui proſternunt facultatem, & ſtomachicis, quos vocant, affectibus, vnde ſyncope corripiuntur: ex iecinoris etiam, &c. ad hæc ex omnibus hecticis febribus: breuiter ex corporis & cordis ingenti intemperie, quoquomodo, &c. deiicit vitalem facultatem.* Vt propterea iure idem ſcriptum reli-
1. diff. febr. cap. 9. querit, hecticos pulſus debiles, & duros, ſtatim verò etiam paruos, & frequentes fieri. Quòd ſi contendas in hectica ſaltem primi gradus, vires poſſe conſiſtere, etiamſi id conceſſero, memoria velim repetas, quod itidem à Galeno traditum eſt, medicum obligatum eſſe non ſolum virium præſentium, ſed etiam futurarum firmitatem, aut infirmitatem animaduertere. Itaque in febre hectica nulla oritur indicatio mittēdi ſanguinis, quod vnus princeps ſcopus, robur virium, aut præſentium, aut futurarum deficiat.

Secundum eſt argumentum ex Galeno, qui ſcri- *3. criſ. c. 4.*
bit debiles, atque exiguas febres interdum eſſe valde malignas: alias calidas, ac deurentes, vt inquietudinem ſimul, & æſtum, & ſitim intolerabilem afferant, tamen nihil habere periculi. Ex quo colligis duas eſſe ſpecies febris: alteram ſua eſſentia paruam, ſed malignitate magnam: alteram ſua eſſentia magnam, ſed malignitate paruam: in neutra autem venæ ſectionem conuenire: non in priore, ex communi omnium medicorum conſenſu, qui in febribus malignis cenſent à miſſione ſanguinis eſſe abſtinendum: non in poſteriore, quoniam nihil habet periculi. Porrò huiuſmodi argumentum ſine multo labore poteſt refutari, ſi intelligamus apud Hippocratem, & Galen. duplicem eſſe morbi magnitudinem: alteram in quantitate continua, ac receſſu à conſtitutione naturali, quæ eſt ſingularis cuiúſque morbi: alteram in quantitate, quæ ex vi homini, ſuiſque actionibus illata, vno verbo, ex periculo, vel præſenti, vel imminenti ſolet æſtimari; quæ communis eſt, & ad omnes morbos pertinet. Quæ quidem duæ morbi magnitudines, ſicuti inter ſe reuera diſtinctæ ſunt, ita apud Galenum diuerſis nominibus appellantur, qui priorem, ſingularem, μέγεθος, poſteriorem generalem, ἰσχὺν, vel σφοδρότητα, nominare ſolet; illam magnitudinem, hanc vehementiam Latinè licet interpretari: etſi negandum non eſt, quin vehementia quoque magnitudinis nomine interdum poſſit appellari. De qua re, ſi fuerit occaſio, aliàs fortè longiorem ſermonem habebimus. Hoc igitur iacto fundamento, de quo (niſi omnia me fallunt) nulla poteſt ſupereſſe difficultas, reſpondeo indicationē phlebotomiæ, & purgationis ex doctrina Hippocratis, & Galeni, minimè ex magnitudine, quæ cuiuſque morbi propria eſt, atque in quantitate, ſed ex vehementia, quæ omnibus morbis eſt communis, atque ex periculo ſignificatur, originem habere. Ex quo facile eſt intelligere febres inſignes, deurentes, in quantitate magnas, nullam miſſionis ſanguinis indicationem afferre: contrà verò alteras, quantitate paruas, ſed magnitudine, & periculo vehementes, venæ ſectionem indicare: medióſque recentiores turpiter falli, quicumque in morbis malignis, modo vires, & ætas conſentiant, à tam ſalutari, ac tuto remedio abhorrent. Id quod vel ex eo licet confirmare, quod ex tribus rationibus morbi magni, qui apud Galenum venæ ſectionem indicat, vna eſt quæ morbi malignitatem complectitur.

De apparente repugnantia, aut ſaltem varietate inter duos Gal. locos 4. *Meth. cap. 6. & lib. 7. cap. 12* nolo hîc longiùs agere, qui in mea Diſputatione id feci cumulatiſſimè, vt ne cogar eadem repetere. Quare illud vnum dicam, nulla ratione mea quidem ſententia fieri potuiſſe, vt Galenus vtrobique idem voluerit, & docuerit. Quandoquidem priore loco illud vnum agens, vt illos ſcopos, in primis verò morbi magnitudinem inquireret, qui ad ſectionem venæ, & purgationem faciunt, illas tantum magnitudinis, aut vehementiæ ſpecies voluit enumerare, quæ ad rem præſentem fuerant accommodatæ: in poſteriore autem generaliter ſermonem faciens de ratione, atque ordine diſponendarum, & proſequendarum indicationū, minimè autem de vſu alicuius ſingularis præſidij,

aliud, etſi non omni ex parte diuerſum conſiliom ſequutus eſt: qui eum primum attuliſſet ſcopum ab eo, quod magis vrget, eui perpetuò incumbendum eſt, eas quoque morbi magnitudines voluit recenſete, quæ ad huiuſmodi ſcopum indicandum magis facerent. Id quod, vt cætera prætetmittantur, (ni fallor) illa vnica ratione ſatis poteſt demonſtrari, quòd motbi magnitudo propter læſionem ſaculiatis, quæ totum cotpos gubernat, quæ omnium maximè vrget, tantum abeſt, vt venæ ſectionis, vel purgationis indicationem afferat, vt remedium vttumque planè conttaindicet, & ptobibeat. Vteumque autem hæc ſe res habeat, illud nos velim fateri, ac memoriæ tenere, de quo puto eonſtare inter omnes, motbi magnitudinem, quam Hipp. & Gal. ſtatuunt principem ſeopum, & ſectionis venæ, & purgationis, eſſe triplicē, vel propter afflictæ patis præſtantiam, vel ptopter affectus magnitudinem, vel propietea quòd ille ſit eacoëthes, de quibus in hac Diſputatione de ſeopis perpetuò agendum eſt.

Tua reſponſio ad illos, qui contendunt indicationem miſſionis ſanguinis, vel purgationis à morbi magnitudine non aſſumi: nempe morbum ſui ablationem, magnum morbum magnum remedium indieare: magnum autem remedium non eſſe niſi triplex, venæ ſectionem, purgationem, diætam tenuiſſimam, ſortaſſe alieui videbitur multa peccare. Namque primùm puto eſſe neminem, qui audeat negare, morbum ſui ablationem, magnum morbum, magnum, paruum morbum paruum remedium indicare. Siquidem vt quodam in loeo inquit elariſſ. Trincauel. nemo eſt adeo rudis, & Hippocratica arte initiatus, qui non facile intelligat, ae fateatur, à morbo indicari præſidium, quod illi magnitodini proportione reſpondeat: eum hoc ſit veluti quoddam prineipium, quod ſemper debuit in communibus omnium medicorum notionibus fuiſſe impreſſum. Immò verò pleriqne omnes noſtrorum temporum medici, qui motbi magnitudinem, ſectionis venæ, & purgationis ſcopum prineipem, motbiſque omnibus communem non recipiunt, nullo efficaciore argnmento, quàm hac tua reſponſione ſe tuentur, ac triumphant nobis idemtidem obiicientes, morbum magnum minimè ſingulare aliquod præſidium, quale eſt ſectio venæ, vel putgatio, neque aliud, quàm generaliter magnum remedium indieate. Quod quidem tecum affirmant ab Hippocrate illo Aphor. traditum fuiſſe: *extremis morbis extrema remedia* &c. Itaque eam potius rationem decet ad illos reſpondere, quæ in primis à Galeno poſita, à nobis expoſita eſt. Præter indicationes ſingulares, quæ ad vnumcumque motbum ſunt accommodatæ, vnum ſeopum omnibus motbis communem inſignem, prineipem, ab Hippocrate longa, atque accurata mentis indagatione excogitatum, atque inuentum fuiſſe: morbi magnitudinem, aut verius vehementiam, ex qua & ſectionis venæ, & purgationis, vt ſemel dicam, communis totius corporis prouidentiæ indicatio ſuppeditatur. De tua re, tanquam ſumma vniuerſæ noſtræ Diſputationis, quia ſatis diximus, nolumus in præſentia longius agere.

Nec verò minus dubium, ne falſum dicam, eſt, quod deinceps ſcribis, remedia magna eſſe tria, phlebotomiam, purgationem, diætam tenuiſſimam. Etenim ſi intelligas de remediis ſingularibus, atque ad ſingulos moibos aecommodatis, & congruentibus, ea ſine dubio multò plura ſunt. Quis enim, gratia exempli, negate audeat membri amputationem, vſtionem, magna eſſe remedia? docente Hippocrate, quod non ſanatur medieamentis ſanari ferro, quod non ſanatur ferro, igne curari, tanquam ſummo, & extremo remedio, quod ſummis, & extremis motbis conueniens eſt. Sin autem intelligas de remediis magnis, quæ à principe, & omnibus morbis communi ſeopo, morbi magnitudine ſuggeruntur, & quæ vniuerſo corpori poſſint proſpicere, hæc authore Galeno non niſi duo ſunt, ſectio venæ frequenter; purgatio nonnunquam. Quandoquidem aliod nullum 2. Aphor. 29.
concipi animo poteſt remedium, quòd tutò celeriter, vt opportunitas fert, iſtud præſtare poſſit. Quamobrem ſumma eum ratione Hippocrates, & Galenus doeent, vehementem morbum, aut venæ ſectionem, aut purgationem indicare.

Venio ad ſebrem ardentem, in qua tibi non potes perſuadere, Galenum ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium: quem putas id ſolum feciſſe in ſynochis: ſiquidem vbieumque eſt humorum puttedo, ille velit portionem ſanguinis eſſe relinquendam, quanta ad coctionem puttidorum humorum, qui ſuperſunt adhuc ſatis eſſe poſſit. De qua quidem tua opinione pariter eogor à te diſſentire: Atque, vt ipſum Galenum prætermittamus qui apertiſſimè, & planiſſimè in febribus ardentiſſimis, Græcè, ἐπὶ πυρετῶν διακαεστάτων tantam vacuationem probat, quæſo illius rationem, ac rei natutam parumper eonſideremns. *In febribus ardentiſſimis*, ille inquit *ſi vſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & ſudares emanant, & quidam eorum ſanitati ſunt prorſus reſtituti, alij adiuti plurimùm vehementiam ægritudinis remiſerunt*. Quæ quidem ſebri ardenti mihi videntur vſque adeo quadrare: vt non Arehimedes melius potuerit hæc deſcribere. Cum enim huiuſmodi febris ex flaua bile intra vaſa putreſeente originem habeat, & per conſequentiam cæterarum omnium calidiſſima ſit; id quod tum nomen καῦσος à ſummo incendio illi impoſitum, tum maximè duo illius ſymptomata pathognomonica, inexplebilis ſitis & exuperantia caliditatis ſatis demonſtrant, vtique facile eſt intelligere, & refrigetationem, & bilis purgationem, partim pet vomitum, partim per aluum, nec non per ſudores illi præ cæteris omnibus conuenire. Quod itidem Galenus planè expreſſit inquiens. Si ardens fuerit febris, vel ſanguinem è 3. de criſ. c. 3.
naribus fundat, vel poſt vehementem rigorem, multum, & calidum è toto corpore ſudorem excernat, aut vomat, aut deiiciat biliosa neceſſe eſt. Altera autem ex parte, cum ſynochus ex putredine ſanguinis ortum ducat quem ſuccum, calidum, & humidum, ac planè benignum eſſe conſtat, iure à Galeno ſancitum eſt, huiuſmodi febrem, cum in cæteris, tum maximè in calotis qualitate reliquis febribus ſimpliciorem, & mitiorem 1. De diff.
eſſe. Ex quo omnis ratio colligit illi tantam refri- febr. c. 9.
gerationem minimè conuenire, quanta febri ardenti conuenit: adeo vt proximè ſuperiora Gal. verba de miſſione ſanguinis vſque ad animi deliquium, haud quaquam de ſynocho, neque de alia, quàm de febre ardente intelligi poſſint. In quibus ſi quis non acquieſcit, is quæſo parumper ſecum reputet, quomodo febris ſynochus per purgationem bilis, quæ nulla propemodum eſt, aut per vomitum aut per aluum iudicari poſſit.

Tandem verò Hippocratem, & Galenum ita loquentes audiat. Hipp. *Febribus ardentibus hac accidebant. Quibus ritè, & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maximè ſernabantur: neque vllum noui, ſi rectè ei profluxiſſet ſanguis, mortuum fuiſſe. Nam Philiſcus quidem, Epamenon, & Silenus, quibus parum quarto die, aut quinto, è naribus ſtillauit,*

mortem

mortem obierunt. Gal. *cum alioqui ex ardentibus febribus peculiare, per narium profluuia ferè indicari,* &c. Quòd ſi febres ardentes à natura per fluxionem ſanguinis e naribus tam frequenter, familiariter, feliciter iudicari ſolent, ſi huiuſmodi iudicium illi peculiare eſt, qui negari poteſt, hoc idem remedium à medico naturæ imitatore, ac miniſtro etiam poſſe adhiberi, Hippocratémque, & Gal. in febribus ardentibus ſanguinem miſiſſe?

Conſultò prætereo generale Gal. decretum, ſalubertimum eſſe in febribus putridis, ſine vlla exceptione ſanguinem mittere, dummodo per vires, atque ætatem id liceat. Sic alia multa prætereo, quæ ad hanc rem poſſunt afferri, de quibus ſatis in mea Diſputatione mihi videor dixiſſe. Illud tamen nequeo præterire, quin te rogem, ſi forte eueniat, vt Socrates annum agens 30. nec ſine robore virium, febre ardente, & quidem exquiſita laborans, à te opem, auxiliumque petat, vt liberè, atque ingenuè fatearis, ac me doceas, quodnam conſilium de Socratis ſalute ſis capturus. Qui pro comperto habeo, ac meo periculo iurarem, te quem plerique omnes in facienda medicina omnium medicorum ducem, & principem hoc tempore prædicant, nullo modo eſſe commiſſurum, quin Socrati ſanguinem mitteres, & quidem copioſiſſimè, forte vſque ad animi defectionem.

Nec verò tua allata ratio videtur aliquod momentum habere. Etſi enim ſanguis mittitur vſque ad lipothymiam, minimè autem vſque ad syncopen, vt multi imperiti opinantur, nemo iure poteſt dubitare, quin ſanguis adhuc relinquatur in corpore quantus ad coquendam, & ſuperandam reſiduam materiam noxiam ſatis eſſe poſſit. Alioqui ſi totus exhauriatur ſanguis, ægri huiuſmodi vacuationem non poſſent perferre: quod inter cæteros Auerroës pugnare viſus eſt.

Ex quo id quoque licet colligere, contradictionem, quæ tibi non parui momenti eſſe videtur, de duobus adoleſcentibus libero, & ſeruo febre ſynocho laborantibus, quibus vtriſque Galenus ad animi defectum ſanguinem mittere non eſt veritus, etſi alter febre ſine putredine, alter febre non ſine putredine laboraret, nullam prorſus eſſe. Cũ enim Galenus doceat, putredinem haud curari ſectione venæ, id, mea ſententia, intelligendum eſt, putredinem non ſola ſectione venæ, ſed aliis præterea congruentibus præſidiis eſſe corrigendam. Siquidem altera ex parte certum cuique eſſe debet, putredinem ſine ſectione venæ vix poſſe curari, cum apud Galenum ſine huiuſmodi præſidio non liceat ad ea remedia deuenire, quæ ad tollendas obſtructiones, prohibitam tranſpirationem, & per conſequentiam, putredinem ſunt accommodata. De qua re itidem in noſtra Diſputatione diffusè diximus. Immò verò ex hac illuſtri hiſtoria pro principe ſcopo magnitudinis morbi, mihi videor illuſtre argumentum poſſe colligere. Siquidem videmus, Gal. non à copia vel qualitate humorum, non à probo, & non putreſcente, aut improbo, ac putreſcente ſanguine, ſed ab vna morbi magnitudine mittendi ſanguinis indicationem accipere. Quod ſi quis vtriuſque ægri plenitudinem obiiciat, facile eſt reſpondere, ex plenitudie remedium indicari non per ſe, non ſimpliciter, non abſolutè, vt loquuntur, ſed ſi morbi magnitudinem afferat: qualem in vtroque adoleſcente illam attuliſſe, ex Gal. verbis certum & compertum eſt, quæ ſunt huiuſmodi. *Erat autem æſtus ipſe laboranti intolerabilis, vrgebatque eum tenſio totius corporis, vtpote repleti, etiam capitis pulſatio, atque ob hac grauis vigilia, eunte in aliam alias ſe figuram iactante. Quæ quidem ſymptomata, & præſentem, & imminentem morbi magnitudinem ſignificant.*

Quod porrò ad Galenum pertinet, qui eorum medicorum ſententiam probat, quicumque in illa inſigni fame, atque alimentorum penuria à ſectione venæ abſtinebant; vno verbo reſpondeo, illum perſpicuè ſic loqui, Siquidem non iniuria remedij huiuſce vſum reformidabant, ob virium iam tum antea imbecillitatem: Nos autem libenter fateri, ac profiteri ſcopum virium ex principibus vnum eſſe, ſine quo nunquam liceat venæ ſectionem aggredi.

Verum ad aliam tuam reſponſionem accedo, quæ eſt huiuſmodi: Magnitudinem morbi, & ſectionem venæ, & purgationem, & diætam tenuem indicare: quodnam verò ex hiſce tribus remediis eligendum ſit, aliis indicationibus fore opus. Ex quo factum eſt, vt Galenus ad miſſionem ſanguinis non ſolam morbi magnitudinem; ſed etiam plenitudinem voluerit adiungere: quandoquidem quod venæ ſectionem indicat, eſt dominatus ſanguinis ſupra alios humores, ſicuti contra dominatus cæterorum humorum ſupra ſanguinem indicat purgationem. De qua quidem cum plurima dici poſſint, equidem ſtatui nonnulla tantum, & quidem ſummatim attingere; quòd (ni fallor) in noſtra Diſputatione omnia videantur ſatis fuiſſe expoſita. Iam diximus magnitudinem cuiuſque morbi ſingularem, & propriam non ſolùm ſectionem venæ, & purgationem, ſed etiam tenuem victus rationem, potionem aquæ frigidæ, amputationem, vſtionémque membri, & alia id genus magna remedia indicare. Magnitudinem autem, aut veriùs vehementiam omnibus morbis communem, non niſi ſectionis venæ, & purgationis indicationem afferre, quòd hæc duo ſola præſidia procurationem vniuerſi corporis opportune præſtare poſſint. Vtrum autem præſidium, hoc, an illud eligendum ſit, id verò libenter fateor eſſe iudicium longè difficillimum. De quo, cum nihil hoc tempore, præterea, quæ iam diximus, mihi ſe oſtendat, & occurrat, nolo eadem repetere, & actum agere. Illud tamen nequeo diſſimulare, quod poſtremo ais, exuperantiam ſanguinis ſectionem venæ, exuperantiam aliorum humorum purgationem indicare. Quod quidem decretum, ſi generaliter accipiatur, equidem puto à Galeni doctrina eſſe longiſſimè alienum. Id quod vel eo vnico Galenico, & quidem inexpugnabili argumento cuique ſatis confirmari, forte etiam perſuaderi poteſt, quòd etſi ſanguis alios humores excedat; etſi reliqui humores ſanguinem ſuperent, nihilominus neque ad ſectionem venæ, neque ad purgationem liceat deuenire, niſi iſtæc vel ſanguinis, vel humorum exuperantia morbi magnitudinem afferat, vel allatura ſit: ſicuti altera ex parte, ſi morbi magnitudo, vel præſens, vel imminens vrgeat, ſine vlla ſanguinis copia; ſine vlla humorum redundantia, & ad venæ ſectionem, & ad purgationem nonnunquam deueniendum eſt. Quod autem Galenus ſcribat, & propter redundantiam ſanguinis, & propter vehementiam morbi ſectionem venæ eſſe adhibendam (ſententia enim ita coniunctim, vt Græcè legitur, non ſeparatim, vt Latinus interpres vertit, legenda eſt.) Ego quidem puto verum, & legitimum huiuſmodi verborum ſenſum eſſe: & in plenitudine, & in morbi magnitudine ſanguinem eſſe mittendum, quotieſcumque plenitudo cum morbi magnitudine coniuncta eſt. Alioqui niſi huiuſmodi interpretationem adhibeas, veliſque hinc colligere, Galenum duos remedij ſcopos, alterum plenitudinem, alterum morbi magnitudinem ſtatuiſſe; ego certè nequeo videre, quomodo hæc alteri Galeni decreto conſentiant, quod ille aduerſus Empiricos tam apertè, & efficienter demonſtrauit: præſente

nimirum plenitudine venam non ſecari: abſente plenitudine ſecari. Hæc enim tantum abeſt, vt ſimul poſſint conuenire, vt toto diametro inter ſe diſſentiant. De qua f[…]tè te aliàs pluribus.

Poſtrema tuæ Epiſtolæ pars tota eſt de miſſione ſanguinis in febribus. Ex qua liceat nonnullas concluſiones (quomodo aiunt) ſeligere, de quibus mihi tecum non omni ex parte conuenit. *Prima eſt*, Phlebotomiam in putris intermittentibus febribus non conuenire: quandoquidem in his ſuperabundans ſanguis eſſe non poteſt. Ego verò neque concluſionem, neque illius rationem probo. Quæſo enim quomodo phlebotomia in febribus intermittentibus non conuenit, ſi contra vniuersè à Galeno ſancitum eſt, illam in omnibus putridis conuenire? An febres intermittentes putridæ non ſunt? Verùm eſto. Concedatur iſtud quoque: ſi phlebotomia in febribus intermittentibus non conuenit, reſpondeo id neceſſariò fieri, quòd vnus, vel plures principes ſcopi deficiant. Plerunque autem, ne ſemper dicam, deeſt vehementia morbi, atteſtantibus Hipp. & Gal. febres quoquo modo intermiſerint, omnis periculi eſſe immunes. Quod enim ad ſuperabundantem ſanguinem pertinet, certo certius eſt, niſi omnia me fallunt) ex vna parte huiuſmodi ſcopum nuſquam, & nunquam in principibus ſcopis ab Hip. & Gal. fuiſſe repoſitum, niſi quatenus morbi magnitudinem affert! ex altera autem ſine vlla ſanguinis exuperantia, vbicumque principes conueniunt ſcopi, ſanguinem perpetuò eſſe mittendum.

Secunda eſt concluſio, In febribus nothis Galenum non velle ſemper phlebotomiam adhiberi: quoniam non ſemper morbus ſit grauis: quod ſi ſanguinem mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum, i. ſi febris minatur periculum, ne fiat continua, & periculoſa, aut propter ipſam ne morbus ſit longus, aut propter ægrotum, qui humorum ſit plenus, aut propter alias cauſas. Ego verò in tuam ſententiam manibus, pedibúſque ac toto corpore diſcedo. Quam quidem cenſeo, fateor, ac profiteor Hippocratis, ac Galeni doctrinæ quàm maximè conſentientem, & veriſſimam eſſe. Immò etiam ex hac poſteriore concluſione mihi videor prioris falſitatem poſſe demonſtrare. Namque ſi in febre notha, quæ ſine vlla dubitatione longior, & difficilior eſt, Galen. non vult ſemper phlebotomiam adhiberi niſi periculum immineat, vt ne illa continua, & periculoſa fiat, an non multò magis de febre intermittente id ſtatuendum eſt, quam conſtat inter omnes, & breuiorem, & tutiorē eſſe?

Tertia, & vltima concluſio eſt, Galenum probantem miſſionem ſanguinis in febre quartana, notham intelligere, in qua ſanguis reliquos humores ſuperat: quandoquidem in exquiſita homo ſiccus, frigidúſque eſt, ac plenus melancholiæ. Equidem nolo id agere in præſentia; vtrùm febris quartana, in qua ſanguis inter cæteros humores excellit, notha ſit, an exquiſita: qui puto Galenum hoc loco vnius quartanæ exquiſitæ curationem tradidiſſe. ſed illud vnum mihi libet reſpondere, Gal. ſibi, ac ſuæ doctrinæ conſentientem, non generaliter in quartana, redundante ſanguine, phlebotomiam amplecti; ſed ſi periculum ſit, ne propter huiuſmodi cauſam, illa duplex, triplex, continua, omnino longior, & periculoſior euadat, ſicuti dixerat de tertiana notha. Id quod ex eo ſatis videtur poſſe confirmari, quòd ſi ſanguis niger, & craſſus fuerit, qualis in lienoſis eſſe conſueuit, illius emiſſionem permittit: quaſi verò hic ſanguis poſſit longiorem, difficiliorem, periculoſiorem morbum efficere: ſin autem ille ſit flauus, aut tenuis, iubet illum ſupprimendum eſſe: quaſi verò ab huiuſmodi ſanguine nullum poſſit periculum impendere: fortè etiam, quod emiſſo ſanguine innoxio, nec qoalem decet emiſiſſe, vires incommodè hanc vacuationem perferrent; neque in morbo diuturno vſque ad ſtatum conſiſtere poſſent.

Hæc habui (vir. clariſſ.) quæ ad tuam Epiſtolam reſponderem, quæ quidem à te magnopere quæſo & peto, vt in bonam partem accipias, idque tibi perſuadeas, me non meæ ſententiæ defendendæ, ſed vnius tantùm inquitendæ veritatis gratia, iſta ſcripſiſſe. Quæ ſi tu digna cenſeas, vt à te viro optimo, ac præſtantiſſimo legantur, & approbentur, erit, quòd immortaliter gaudeam: ſin autem ſecus eueniat, ac meliora me doceas, erit, quòd hoc ſummum beneficium tibi debeam. Quod ſanctè promitto, ac ſpondeo, me in perpetuum ex animo eſſe facturum. Vale.

INDEX

A01 1461062

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quæ toto hoc volumine continentur.

Prior numerus Paginam, Litteræ ſequentes, ſcilicet a. Priorem Columnam, b. verò poſteriorem indicant.

A

ABORTVS an ex vteri paruitate fieri queat. 292
Abortus ſigna. 293. præſeruatio, 294. quid ſit 290. Cauſæ. ibid.
Abortum præcauentia. 295
Abortus faciles peſtem præſagientes. 501.a
Abſceſſus in faucibus quomodo rumpendus. 99
Abſinthij ſuccus lædit ventriculum. 3. vſus in febribus. 382
Abſinthium in tertiana. 88. b
Abſinthium poſt ſigna coctionis. ibid.
Abſtergentia medicamenta non ſemper calida. 171
Abſtinentia à potu hydropicis ſalutaris. 201
Abſtracti, & concreti conſideratio. 537.a
Acceſſio vel petiodus morbi quid. 325
Acceſſiones epilepticæ quomodo ſoluendæ. 60
Acceſſiones anticipantes ſignificant augmẽtũ. 628
Aceti faculras. 8
Aceto præparata cur non putreſcant. 497.b
Acetoſæ vſus. 311. b
Achores quid ſint. 8. differentiæ, cauſæ & ſigna. ib.
Anchores ſanantia medicamenta quas debeant habere conditiones. ibid.
Ἀκμάζειν. 629. a
Ἀκμαί. 630.b
Acor perpetuò à frigore fit. 192
Actio corporis ad inſtrumenta pertinet. 314
Actiones perficiuntur propter partium temperiem. 30
Actiones voluntariæ quæ. 102
Actiones omnes tripliciter læduntur. 156
an in febribus lædantur. 309
Acroamatica Ariſt. opera 881.b
Acutus morbus non omnis vehemens eſt. 788. a
Acuti morbi ex bile & ſanguine. 199.a
Acuti morbi qui. 629. a. duplices ſunt. 322. leuiorum præſidiorum vſum non permittunt. 97
in Acutis morbis rarò, & per initia purgandum. 681. a
Acutorum morborum diuiſio. 322
Acutis morbis omnibus febris neceſſariò coniungitur. 493.b. quod ab auctore & à Galeno improbatur. 494. a. tenuis victus ratio eis competit. 530.a
Acutorum morborum febres quæ. 493.b
Adenæ quid. 534.a
Admirationis cauſæ ex Gal. & Ariſt. 750. a.b
Adſtringentia in febribus putridis vitanda. 355
in princ. fluxus muliebris vitanda. 266
Adſtringentium multus vſus in ſputo ſanguinis vitandus. 121
Aduerſarius (*intelligit eum contra quem in additamento apologetico diſputat*) manifeſtè falſa pronuntiat. 809. a
Aduerſarius de Fernelio, & Argentio. 718. b. an Gal. locos dilucidet. 808. b. rationem ex Gal. inſolutam relinquit. 339.b
Aduerſarij expoſitio in Gal. refellitur. 777.b
Aduerſarius conniuenter Gal. legit 789. a. vt Gal. legat. 808. a
Aduerſar. in Gal. 722. b. Gal. inconſtantiæ accuſat. 776. b
Aduerſarius in Gal. de pulſu. 782. a. Gal. authoritate abutitur. 736. a. infidè Gal. citat. 726. b. Galeni codicem corrigit. 772. a
Aduerſarius Græcè neſcit. 730. a. Gal. nec Græcè, nec Latinè legit. 783. a. Hipp. & Gal. repugnat. 752. a
Aduerſar. ignorat quid abſtractum, & concretum. 737. b. ignorat, quid cauſa, & effectus. 844.b
ignorat, quid ſit inductio. 739. a
Aduerſarij inconſtantia. 743.b
Aduerſarius de indicantibus venæ ſectionem confutatur. 755.a
Aduerſarij ingenium qui falſa obiicit. 846. a
Aduerſarij inſtitutum. 621
Aduerſarius Latinè neſcit. 777.b
Aduerſarius de lethargo. 742. a
Aduerſarij librorum editiones plures. 786.a
Aduerſarij locus 2. Ep. l. 2. 764. a. peccat in logica. 742.b
Aduerſarius Lyncæus. 748. a. malè exponit Gal. de ſanguinis alteratione. 730. a. in quorum medicorum numero. 752.b
Aduerſarius Menodoti aſſecla. 736. a. methodum medendi corrumpit 800.b. Methodicis conſentit. 832. b
Aduerſarius vel Methodicus, vel idiota. 852. a. vel nouator. 718
Aduerſarius de miſſione ſanguinis. 718. a
Aduerſarij modeſtia. 718. b. mens 745. b. mos. 811. b
Aduerſarius in Montanum. 762. a
Aduerſarius ſiniſtrè de nominibus litigat. 805. b
Aduerſarij nugacitas. 721. a. oblectiones. 729. b
oratio obſcura. 820. a. paralogiſmus. 805. a. poſitiones perniciosiſſimæ. 797. b
Aduerſarius petit quod in principio. 797. b. plenitudinem confundit cum cacochymia. 835. b

Aduerſarius principia medicinæ in dubium vertit. 836. a. Protei ſimilis. 790. b
Aduerſarij ſuppoſitio de pueris.765. a. pulſus naturam ignorat. 782
Aduerſarius de purgandi ratione. 258.a
Aduerſarij ratio vana. 782.a
Aduerſatio rectè dicta non placent. 789.a
Aduerſarius eadem repetit. 814.b
Aduerſarij repugnantia 730.b
Aduerſarius ſcortillis comparatus. 821.d
Aduerſarij ſententia obſcura. 768. b. ſententiæ ſumma. 806.a
Aduerſarij ſophiſmata de febre ardente. 748.b
Aduerſarius de venæ ſect.in pueris. 772. a. inuitus veritatem ſatetur. 893.a
Aduerſarius contra axioma medicum.782.b.Chryſippi & Eraſiſtrati ſectaror. 804. b
Aduerſarij comment.de ſanguin.miſſ. 742.a
Aduerſatius conſuſus, 780.a
Aduerſa ij conſequentia vana.728.a. contradictio. 726.a. contradictio de cacochymia.838.a. ſpiritus contradicendi. 806.b
Aduerſatius demonſtrat idem per idem 830.b
Aduerſarius diminutus.781. a. diſputando ſatigatus. 843.a
Aduerſarij mora in edendis diſputationibus.852.a praua diuiſio. 831.b. doctrina carpitur. 746.a cum Empiricis conſentit.752.b. Empiricis peius ſentit. 769.a
Aduerſarij Epiſt ad Lobertum.807.b.error de lib. xi.method.809.error. in Grammatica. 776.b
Aduerſatius errore imprimentis deceptus. 783.a error de inciſione arteriarum. 793. a. error de ſcopis mitt.ſanguin. 76.b
ad Aduerſatium admonitio. 839.b
Aduerſatius [illegible]. 804. b. aliud voluit, aliud ſcripſit. 796.a
Aduerſarij error de apoplexia. 783.b
Aduerſarius de Argenterio.722.b. Argenterio & Fernelio detector. 827.b
Aduerſarij argumentum à communibus. 836.a argumentum fallax. 771. a.argumentum reliquit inſolutum. 742. b.non fideliter aliena recitat. 803.a
Aduerſarius contra Auetr. 837.b
Aduerſatius authoris argumenta inuertit. 796.a
Aduerſ. de authore.718. a. non fideliter authores citat.774. b. authorem bonis fœminis comparauit. 821.b
Aduerſarius in authorem. 784.b
Aduerſarius in authorem de venæ ſect.ad lipothymiam. 837.b
Aduerſatij axioma paradoxum. 840.a
Alteratio aëris vnde procedat. 498.a
Alteratio ante coctionem. 680 a
Alteratio temporis quando morbos efficiat.507.b
Altimarus. 637.a
Altimarus de morbi magnitudine. 615.a
Altimarus inter minorantes. 684.a
Altimari error in Cephalalgia. 51.b
Altimari error de oxyrrhodini applicatione. 18.a
Altimari error de ſitl. 63.b
Altimari error. 156.b
Altimarus de venæ ſectione in morbis ſrig. 841 a
Alui fluxus in peſtilentia frequens. 528.a
Aluus non cienda in peſtilentia. ibid.
Alui fluxus aliquando peſte correptis profuit. ibid.
Aluus quomodo fiat mollis. 571.b
Alui ſemper ratio babenda in ægris. 368 b
Aluo fluente à ſanguinis miſſione abſtinendum 232.a
Aluus moniali 22.diebus occluſa. 218.a
Aluum emollentia. ibid.
Amatus Luſitanus. 673.a
Amauroſis quid. 82.a
Amuleta parui penduntur à Gal. 25.a
Analogia. 569.a
Anaſarca facilioris eſt curationis quàm aſcites 195.b
Anaſarcæ ſigna. 194.b
Anaxion pleuriticus. 688.a
Andreas Thurinus.656.b. Vide *Thurinus.*
Andromachus primus de viperis theriacæ iniiciendis author. 520.a
Andromachus auctor hieræ. 147. a
Angina quid 93.b
Anginæ differentiæ. ibid.
Anginæ ſigna. 96.a
Anginæ curatio. ibid.b
Angina lethalis quæ. 97.a
Anginæ ſuppuratio quomodo curaods. 99.a
Angina ſuppurata maximè periculoſa. ibid.
Anginæ curatio Hippocrati. 754
Anima quid, apud philoſophos. 502.a
Animalia fabrorum exiguos habent lienes. 205.a
Animalia quædam menſtruas purgationes habentia referente Ariſt. 247.b
Animalia quædam non potant,& tamen mingunt. 560.a
quædam proprios ictus ſuperimpoſita curant. 520. b. quomodo id fiat. ibid.
Animantibus non omnibus, ſed alicui eorum generi cur peſtilentes morbi accidant. 499.b
Animi deliquium quomodo inducendum. 440.b
Animi deliquium quomodo auertendum. 162 a
Animi deliquium ſanguinis fluxum ſiſtit. 90.a
ad Animi defectum euacuare an liceat. 697. b
Animi defectum non induci lenientibus. 699. b
Animi defectus loco, mors 701.a
Animi defectus purgatione non inducendus. 706. a
Annonæ caritas peſtis quandoque præſagium. 501. a.
Anni tempora eundem ſemper ordinem ſeruant. 529. b
Anno biſſextili quam vim quidam tribuant.504.b Cæſaris decreto conſtitutus. ibid.
Annus totus calidus & humidus quàm periculoſus. 497. b
Anodynum in ophthalmia. 79.b
Anodyna in colico dolore vſurpanda. 212.a
Anodyna medicamenta. 535.a
Anodynorum qualitas & natura. 251.a
Anonymus coctionis aſſertor. 696. a
Antecedentia ſigna morborum quæ. 504. a b ſigna leuia & incerta. ibid.
Anthrax an neceſſarius peſtilentiæ. 500.b
Arn. 784. b
Antidota in febre peſtil. ante ſtatum non adminiſtranda. 426. b
Antidoti aduerſus bubones carbunculos, &c. 524. b
ab authore improbantur. ibid.
non temere pueris adhibendæ. ibid.
Antidotis conficiendis à veneno abſtinendum. 520
Antidotus ſeu Theriaca Hippocratis. 527.a
Antidotus Ruphi. ibid.b
[illegible] ibid.
[illegible] 637. a
Antipater Cidunius ſemel ſingulis annis febre correptus. 404. b
Antipatri medici Siculi hiſtoria. 503. b
Antiquiores nullam contagij quod ad peſtem intelligentiam habuerunt. 495. a

[illegible]

ἀντίσπασις quid Hippocrati. 631. 527
Aduſta pars. 506. b.
Ædes peſte graſſante purgandæ. 5;6. a
Æger in declinatione mori an poſſit. 320.
Ægri ab officio deficientes. 502. a
Ægritudo cum eſt accidentiũ cauſa plus eſt ægritudini quam accidentibus incumbendum. 584. a
Ægroti complexio ex quibus ſignis cognoſci addiſcatur; & ſingulæ eius partes. 582. b
In Ægroti pluribus affectibus ab eo incipiendum, à quo magis æger periclitari videtur. 584. a. vel ab eo quod habet rationẽ cauſæ aliorum. ibid.
in Æno leguminibus veſci pernicioſum. 496.
Ἀείπαθεια. 805
Æquinoctia duo. 386
Aër, qualis venæ ſecandæ ſcopus. 627. b
Aër phthiſicorum qualis. 126.
Aëria conſtitutio cal. & hum. putredines facit. 333
Aër in febribus quomodo alterandus. 375.
Aër an corrumpi & putreſcere queat. 497. a. quæ mala aliquando afferat. ibid. a. quomodo alteretur ſecundùm Galenum. 500. a. peſtem generaturus cor primùm aggreditur. 508. a
Aër corpus continuum & fuſum. 509. b
Aëris putrida conſtitutio peſtilentiam non excitat. 498. a
Aëris vitium non ſemper peſtis cauſa. 506. b
Aër ambiens ſcopus ſecundarius. 790. b
Æſtate an magis nutriendum quàm hyeme. 370.
Ætatum diuiſio variorum auctorum. 371
Ætas variat morbos. 346.
Ætas an princeps ſcopus venæ ſect. 626. a. 7?1. b
Ætatis florentis nomen an proprium. 789. b
Ætas in curatione animaduertenda. 526. b. aliquando ſanguinem mitti non patitur. 528. a
Ætatis damna. 568. a
Æthiopes bibunt aquas calidas. 359
Æthiopiæ putrida quædam contagia. 500. a
Ætius venam ſecat in apoplexia. 94. b
Agaricus quid. 468. b. 469. a præparatio. ibid.
Agarici facultas & doſis. ibid. colico dolori & inteſtinis noxius. 215. b
Allegrantiæ cuiuſdam morbus. 506. b
Affectio indicat auxilia. 23. b
Affectus corporis præter naturam triplices. 311. a
Affectus iudicium, ſenſumque eripit. 740. b
Affectus medius inter lethargum, & phren. 742. b
Agricolæ opinio de febre peſtilenti. 493. b
Alarum rumores. 506. b
Alarum bubones quid indicent. 534 b
Alauda ad colicos dolores commendatur. 218. a
Alcola Arabibus quid. 94. b
Alex. Tralliani error de ſignis alopeciæ 2. a ſuperſtitioſa remedia. 219. a. error de melanch. 67. b. malè reprehendit Gal. 122. a
Alexandrinus de morbi magnitudine. 622. b
Alica quid. 329. a
Alimenta in febribus actu frigida exhiberi an debeant. 367. a
Alimentorum quantitas vnde deſumenda. ibid. b
Alimenta cito nutrientia. 162. b
Alimenta coctiones impediunt. 353. b. 710. a. quomodo ventriculo ingeſta alterentur. 559. a
Alimenta mali ſucci morbos procreant. 503. b
Alimenta non dantur gratia morbi. 71?. a
Alimenta vt obſint coctioni. 711. a
Alimenta propter vires. 710. b
Allium theriaca ruſticorum. 219. b
Aloe hæmorrhoïdes aperit. 262. b. 241. b. correctione indiget. 3. a. ſtercorarium medicamentum. 218. a. in paralyſi conueniens. 48. a
Aloe lota quid differat ab illota. 147. a
Aloes qualitas. 461. b. vſus quotidianus improbatur. 472. a. ſenſibus inutilis. ibid.
Alopeciæ & Ophiaſis differentia. 1. a
Alopecia quis ſit affectus. ibid. differentia & curatio. 4. & 5.
Alopecia an facilis vel difficilis curatu, quomodo cognoſcatur. . a. b
Alopeciæ cura in quibus conſiſtat. 5. b
Alopeciæ remedia qualia eſſe debeant. 4. & 5.
Alterantia melancholicum humorem. 71. b
Antonius Fracanzanus 706. a. 717. a. vide *Fracanzanus.*
Anus Athenienſis cicutam potãtis hiſtoria. 522. b
Antiquorum barbarorum autoritas. 829. a
Apertio venarum triplex. 89. a. 117. a
Apertio vaſorum vnde fiat. 118. b
Aphoriſmi nonnulli tanquam ſpurij reiiciuntur. 148. b
Aphoriſmorum proprium quid ſit. 622. b
Aphthæ quid. 94 b
Aphthis pueri cur facilè corripiantur. 95. a
Apnœa quid. 102. a
Ἀορτὴ. 33. in qua vena ſecatur. 637. a. 638. a
Apollonius quid de ſeipſo, de peſte loquens, ſcripſerit. 527. b.
Apologiæ peroratio. 257. b
Apophlemariſmi morbis frigidioribus conueniunt. 4. a
Apophlematiſmus pituitæ redundantis eſt remedium. 25. a
Apoplectici ante horam 72. non ſepeliendi ſecundùm Auic. 41. b
Apoplexia ſine priuatione reſpirationis, & pulſus. 783. b
Apoplexiæ diſtinctio ex Aduerſ. 841. b
Apoplexiæ venæ ſectio ex Aëtio, Paulo. ibid.
Apoplexia an morbus acutus. 494. a. remedia. 696. a
Apoplexia vnde dicta. 39. a definitio. ibid b. non ſemper repente inuadit. 40. a. cauſa 40. a. differentiæ. 40. b
Apoplexia an periodica. 41. a frequenter in paralyſin deſinit. 46. a. quomodo & morb. & ſympt. dici queat. 40. b. & acutus morbus & longus dicitur. ibid.
Apoplexiæ fortis tres ſunt gradus. 40. b
Apparentia peſtilentiæ anceps & incognita. 500. b
Appetentia immoderata quid. 159. a. cur ponatur à Gal. inter actiones deprauatas. 157. a
Appetentiæ abolitæ cauſæ 157. b. Curatio 159. a
Appetitus quomodo per conſenſum perdatus. 158. a
Appetitus deprauatus duplex. 159. b. an ſimilia appetat an diſſimilia vitioſo humori. 162. b
Appetitus duplex. 156. b
ad Appetitum quinque concurrunt. ibid.
Appetitus canini curatio. 161. a
Appetitus cuius partis ſit. 156. a
Aquæ fomentum in hæmorrhoidibus. 670. b
Aquæ frigidæ vſus in febribus. 658. a
Aqua carnis quomodo paranda. 431. b
Aqua cochlearum. 174. a
Aqua ceraſorum diſtill. epilepſiam ſoluit. 60. b
Aq. frigida duplici ratione in febribus exhibetur. 360. a
Aq. frigidam exhibendi circunſtantiæ. ibid.
Aq. frig. an in die critica exhibenda. 362
Aqua optima quæ. ibid. b
Aquæ frigidæ intempeſtiua potio hydropem aliquando efficit. 189. b
Aq. frig. inſeſſus menſes ſiſtit. 262. 6
Aquæ frigidæ potum quæ prohibeant. 359. b
Aqua frig. continentium febrium remediũ. 397. b

Aquæ hordei vſus antiquiſſimus. 372.373
Aqua in aſcite quomodo in abdomen deueniat 193. b
Aqua medicata dyſenteriam tollit. 233.b
Aq. thermales menſes euocant 256. b
Aq. thermales frigidiores in intemp. calida hepatis laudantur. 171.a
Aquarũ thermaliũ potio in epilepſia laudata.61.b
Aquæ potus hydropicis aduerſiſſimus. 201.a
Aquoſi humores in omni hydrope ducendi.197.b
Aquilonia conſtitutio Vicentiæ. 507. a
Arabes ferè omnes ſanguinis miſſionem approbant. 525.b
Arabum medicorum ſanguinis miſſio. ibid. a
Archangeli Piccolominei error. 13.a
Archigenes vſus eſt cucurbitula. 676. b
Arculani error. 51.b
Ardens febris quæ, ex authore.748.b.non eſt morbus cum materia. ibid. a
Ardens febris duplex : ex Adu. ibid.
Ardentis febris indicationes.253.a.exemplum. ib. in Ardente febre purgatio. 705. a
Argentum viuum an venenum. 520. b
Argenterius. 665. b.b. 721.error. 627.a
Argenterius de hirudinibus. 668. a
Argenterij conſideratio de læſis actionibus.157.a
Argenterius perſtringitur. 139.b
Argumentum ex impoſſibili poſito. 653. a irridetur. ibid.
Ariſtotelis opinio an peſtis ſit contagioſa. 495.a
Ariſtoteles de nominum vſu. 594. a. de oratione perſpicua. ibid. de proba locutione. 765.a
Ariſtoteles in antiquos. 795.b
Ariſtoteli duplex ſcribendi genus.875.b.dæmones non credit. 70. a
Ariſt. ſententia de cauſis humani fœtus. 269.a
Armena bolus in peſtilentia præſtantiſſimum medicamentum. 493.a
Armeni lapidis vis. 617.b. quomodo vſus ſit Gal. 493. a
Aromata quæ vitanda. 571. b.quando capitis grauitatem efficiant. 21.b
Arteriæ poſt aures.558. b.in carpo manuum. ibid.
Arteriæ dimenſio. 549. a
Arteriarum dolor qualis. 55.b
Arteriarum ſectio quomodo inſtituenda. 28.b
Arteriarum ſoporiferarum inciſio in vertigine ex Gal. 842 a
Arteriaca veteribus dicta quæ. 103.a
Arteriaca. 694. b
Arteriotomia. 842. b
Artes vt conſiderent quod per ſe, & per accidens. 800. a
Artis de ſanitate tuenda partes quatuor. 805. b
Aſarum & menſes & lotium prouocat. 267.b
Ασευξία venæ ſectio. 785. b.782.b
Ασευξία in qua vena ſecatur. 637. a.639.a
Aſcites difficiliùs curatur quàm reliquæ hydropis ſpecies. 195.b
Aſcitis ſigna. 194. b. vide *Hydrops*.
Aſperæ arteriæ vſus. 103.a
Aſſidentes ægrotis ab officio ſæpe deficiunt.502.a
Aſter Atticus bubones ſanans. 535.a
Aſthma & orthopnœa idem affectus. 102.a
Aſthmatis deſcriptio. ibid. differentiæ. ibid. b. An ſit morbus acutus. 104. a
Aſthmatis ſigna. ibid. curatio. ibid.
Aſthmatis duas tantùm cauſas ſtatuit Gal. 503. b
Aſtrologi peſtilentiæ cauſam quam afferant. 496. b
Athenis peſtilentia graſſante quid actum. 512.b
Athletarum euacuatio. 695.a
Athletarum habitus cur ſoluatur 638. b. ſoluitur venæ ſectione, non purgatione. 686.b
Attractio fit quatuor modis. 57.b
Attrahentia medicamenta quando locum habeant in parotidibus. 88.b
Attractoria medicamenta in angina. 694.a
Auditus inſtrumentum principale quod. 87.a
Auditus læditur tripliciter. 86.b
Auenzoar.639.a.puello venam ſecat. 771.b
Auerroes. 659. a
Auerr. de Auenzoare ſecante venam infanti. 774. b
Auerroes de venæ ſectione ad lipothymiam.838.b
Auerrhois opinio de mœſtitia. 66. a
Augerius Ferrerius. 706.a
Augmentum morbi quid. 317. b
Augmentum particulare duas habet partes. 324.b
Auicennæ autoritas. ibid.
Auic. locus lib.3. fen.4. cap.9. & 10. 843.a
Auic. de ſanguinis miſſione ob quantitatem, vel qualitatem. 731. b. locus explicatus.711.b.contradictio. 647.b
Auicennæ de cucurbitulis error.676. b.venam ſecat in morbis bilioſis. 647. b. reprehenditur. 212. a. 214. b
Auicennæ error de ſitu cordis. 506. b
Auicennæ, Meſuæ, &c. error. 16.a
Auicennæ error de melancholia. 67. b
Auicennæ error de differentia alopeciæ & Tyriæ. 1. a. reprehenditur de cauſis apoplexiæ. 41.a
Auium defectus tempore peſtis. 707. b
Aures excrementa cerebri facile recipiunt. 88.a
Aurium partes duplices. 83.b
Aurium dolor quid, differentiæ, cauſæ, ſigna.ibid. & 84.
Aurium bubones quid denotent. 534.a
Auſtrina conſtitutio Venetiis.506. b.507.a.eadem Patauij. ibid.
Auſtrinæ tempeſtates quando putredinem inducant. 507. a
Autoris documentum. 705. b. excuſatio. 679. a. perotatio. 716.a
Autor prælecturus publicè Febres. 656. b. propoſitum.621. a. ſententia de venæ ſectione in febribus. 662.b
Autor ſcripſit de Melancholia. 665. b. ſcripſit de Peſte. 672.a
Autor tractaturus de Febre à ſanguine. 699.a
Authoris in aduerſarium officia. 719. a. Aduerſarium non intelligit. 781. a
Authoris argumenta ab Adu.deformata.796.a.celeritas in edenda Apologia. 852.a
Authoris diſputationum occaſio. 717. editio. ibid. noua impreſſio. 719.b
Authoris excuſatio ad totam apologiam. 852.b
Author à Gal. perſuaſus. 856.b
Author pro Galeno. 360.b
Authoris decretum Hippocraticum. 719.a
Author nihil de eradicatiua euacuatione. 815
Authoris inſtitutum. 719. a. b. modeſtia. 795.a
Author medicos monet. 852. b.nouatoris nomen abhorret.718.b. Patauium vocatur.717. b. pro aliis pugnam recuſat. 811. a. non omnibus reſpondere debet. 718.a
Author febre tertiana laborat.506. a. Galenum in omnibus imitatur.556.a.dubius de ſcarificatione malleolorum.673.b.Galeni loca ſæpe affert. 635
Auxilium admirandum ad aluum ducendam.218.a
Auxilium anceps experiri ſatius quàm nullum. 294. a
Axillæ cordis excrementa recipiunt. 88.a

B

BAlnea ſicca in paralyſi laudantur. 49. a
Balnea ex oleo colicis conferunt. 213. a
Balnea aquæ dulcis melancholiam ſanant. 71. a
Balneorum conſtructio apud veteres. 415
Balnei aquæ dulcis vſus noſtro tempore. ibid.
Balneorum vſus in ſicca corporis intẽperie. 144. a
Balneum aquæ dulc. maniacis vtiliſſimum. 77.
Balneum in tertiana exquiſita confert. 383. b
Balneum pro calefaciendo vtero. 281. a
Balneationes multæ periculoſæ. 313. b
Benigna & leuia in peſte horrenda & maligna fiunt. 501. a
Baſilica in inflammatione iecoris ſecanda. 181. a
Benedicta medicamenta. 683. a
Bezoar lapis. 426. a
Bieſius. 707. a
Bilis calidiſſima, & ſicciſſima. 250. b
Bilis euacuatio ex Aduerſ. 813. a
Bilis euacuatio. 844. a
Bile redundante, vt ſanguis mittendus. 851.
Bilis concoctio. 111. a
Bilis cruda & cocta 678. b. media inter ſerum, & humorem melancholicum. 706. a
Bilis atræ duplex generatio. 403. a
Bilis æruginoſa an febrim poſſit generare. 380. a
Bilis ſincera an poſſit putreſcere. 376.
Bilis differentiæ. ibid.
Bilis flaua cur per tertium diem coaceruetur. 340. a
Bilis nomine cæteros omnes humores intellexit Hip. 337. b
Bilem flauam concoquentia. 14. b. purgantia. 4. a. in morbo Gal. præparantia & purgantia. 447. a
Bilem præparans ſyrupus. 20. a
Bilem purgans potio. ibid.
Boccacij ſæuiſſima peſtilentia. 505. b
Bolus euacuans bilem in ventriculo. 151. a
Bolum armenam etiam ſanis propinat. Gal. 493. a
Bolus Armena peſti aduerſatur. 498. b. eiuſdem excellentia. 731. b
Botallus. 523. b
Branchos quid. 74. a
Braſauolus. 691. a
Braſſicæ folia ebrietati reſiſtunt. 23. a
Bronchij medicis qui dicantur. 103. a
Bubo cauſa ephemeræ. 326. b. 327. a
Bubo gallicus quomodo diſcernendus à non gallico. 456. a b
Bubonum curatio. ibid.
Bubones ſuppurantia. ibid. contumaces quomodo tractandi. ibid. b
Bubo an ſemper peſtilentiam comitetur. 600. b
Bubon quid ſignificet. 534. a. quibus corporis partibus adhæreat. ibid. duæ differentiæ. ibid.
Bubone apparente quid agendum. ibid. b. peſtilentem à non peſtilenti quæ diſtinguant. ibid. a. b
Bubone erumpante an ſanguis mittendus. 324. b
Bulimos quid. 159. a. 161. b
Bulimi natura plurimis incognita. 161. b
Bulimos famem non habet adiunctam. ibid.
Bulimi cauſæ, ſigna, curatio. ibid. & 162. a

C

CAchexia an ſemper hydropem præcedat. 190. b
Cacochymia quid. 15. b. 612. b. 637. b. 835. a. 838. a an admittat venæ ſectionem. 645. a. indicat purgationem. 649. a. prohibet venæ ſectionem ratione virium. 648. a. 845. b
Cacochymiæ indicia ex auctore in muliere extenuatiſſima. 833. a
Cacochymia & plethora incompatibiles. 806. b. 845. b.
Cacochymia magna quid indicet. 743. b
Cacochymia cum morbo magno futuro. 827. b
Cacochymiæ an conueniat venæ ſectio. 827. b non indicat venæ ſect. ibid. b. vacuatur venæ ſect. 819. a
Cacochymiæ venæ ſectio interdum conuenit. 831. a
Cacochymiæ bilioſæ an conueniat venæ ſect. 843. a
Cacochymiæ pituitoſæ cõuenire venæ ſect. 840. b
Cacochymiæ extra venas an conueniat venæ ſectio. 835. b
Cacochymiæ in venis an conueniat venæ ſectio. 836. a
Cacochymia ex menſium ſuppreſſione. 834. a
Cacoëthe morbi ex cacochymia. 646. b
Cacoëthia quid indicet. 739. b
Cadauera inhumata morboſos vapores emittunt 498. a
Calculus retinens lotium quomodo curandus. 535. a
Calculi excreti per anum. 206. a
Calida & humida neceſſariò putreſcunt. 497. b
Calidiore tempore quid cordi applicandum. 519. a
Calidiora in colico dolore nocent. 212. b
Calidum innatum quid. 432. b
Calida intemperies appetitum deiicit. 137. b
Callo lotium ſupprimenti remedium. 542. a
Calor ambientis quid. 332. a
Calor à calore quomodo perimatur. ibid.
Calor extraneus quis dicatur. 306
Caloris cauſæ. 334. a
Calor naturalis & vita conſeruatur in cibo. 602. b
Calor duo ſignificat. 304. b
Calor febrilis an totum corpus occupet. 308. b. quomodo diſtinguatur à cæteris. 309. a
Calor & frigus dolorem efficiunt per ſe. 12. a
Calor natiuus an ſubiectum febris. 309. a
Calor in ephemera qualis. 327. a
Calore vincente pulſus durus fit. 553. b
Caloris exceſſus peſtis cauſa. 497. a
Caluaria aſini epilepſiam ſanat. 61. a
Caluities vitium eſt inſanabile. 2. a
Cancro nullum remedium. 521. a
Canctorum initia non agnoſcentes Galenus irridet. 303. a
Canini appetitus differentiæ & cauſæ. 160. a
Cãtharis ſola exhibita veſicã exulcerat. 521. b. aliis rebus admixta eiuſdem remedium euadit. ibid.
Cantharides ad retentionem lotij quomodo adhibendæ. 543. b. veſicã nihil offendunt. 544. a. non ſolæ propinandæ. ibid. ægroto cuidam quinquageſimum annum agenti contra lotij retentionem perutiles. ibid.
Capillorum defluuium vnde proueniat. 5. b
Caput roborantia. 20. 21
Caputpurgia duplicia. 21. a
Caput quot modis vacuetur. 25. a. quomodo refrigerandum. 378
Capitis dolor ex vino meraciori, quomodo curandus. 23. b. 24. a. ex ventriculo quomodo item curandus. 24. a
Capitis affectiones inueteratæ quomodo curandæ 23. a
Capitis vulnera periculoſa. 23. b
Capitis doloris ex vulnere indicationes. 634. b
Capitis dolores vehementes peſtẽ præcedũt. 505. a
Caput totum peſte glabreſcens. 496. b
Carbunculus vnde fiat ex Gal. 893. b

Carbun

Carbunculi notæ. 538 b. quomodo ſanandi. 523.b
Carbunculo erúpente an ſanguis mittendus. 524.b
Carbunculorũ graſſatorũ ſumma putredo. 525.b
Carbunculus quid & quomodo fiat. 532. b. circa puſtulam aliquando naſcitur. ibid. in vniuerſum cruſtoſum vlcus fit. ibid.
Cardani error. 672. a
Carnes quæ aſſumendæ & quæ vitandæ. 571. b. ſale præparatæ cur non putreſcant. 497. b
Caro elixa toſta ſalubrior. 571. b
Caro venæ ſectio. 841. a
Caros Græcis quid. 43. b. Illius definitio & differentiæ. ibid.
Caſeos vitaodus. 571. b
Caſſanus. 597.b
Caſſanus, de venæ ſectione in febribus. ibid.
Caſſia veteribus incognita. 459. b
Caſſia Græcorum & Arabum differunt. ibid.
Caſſiæ qualitates & vſus. ibid. a
Caſſia condita. ibid.
Caſſia in paralyſi vitanda. 47. b
Caſtaneæ licet groſſi humoris & nutrimenti, tamen ſunt bonæ. 580. a
Caſtoreum neruis gratum 48. b. in palpit. cord. Gal. probatur. 529. b
Caſus complicatorum affectuum. 548. b
Caſus imbecillitatis ventriculi. ibid.
Caſus curandi doloris ventriculi ex flatibus. 152.a
Caſus in dyſenteria propoſitus. 237
Caſus obſtructionis iecoris. 278. a
Caſ. s vuulæ barbaris quis morbus. 93.b
Caſus mulieris emaciatæ, cui Ga. venã ſecuit. 828.a καθ' αἷμα. 688. b
Catalepſeos definitio, cauſæ, ſigna & curatio. 44 45.
Cataplaſma dolorem ſedans. 88. b
Catarrhus an morbus capitis ſit vel thoracis 75. a
Catarrhi quomodo generentur. 75. a
Catarrhi cauſam vnicam conſtituit Ariſt. 75. b
Catarrhi ex cauſa calida curatio 76. b. & ex frig. intemperie curatio. 77. a
Catarrhi vox equiuoca. 74.a
Catellus vel puer ventriculo frigido & ſicco applicandus. 145. b
Catochus & catalepſis nihil differunt. 44. a
Cauſa morbi quid. 311.a
Cauſa corpus non afficit, niſi diſpoſitum. 317.b
Cauſa procatarctica vnde dicta. 328. a
Cauſæ peſtilentiæ. 495. b. abditę & remotæ oon inueſtigandæ. 498. b. plures fruſtra inquiruntur vbi pauciores ſuot ſatis. ibid.
Cauſæ morborum peſtilentiũ duæ cõmunes. 497.a
Cauſæ peſtilẽtiæ aliæ internæ, aliæ externæ. 503.b morbificæ diligenter animaduertendæ. 535.b
Cauſonis differentiæ, ſigna, curatio. 395. 396
Cauſos febris. 647.b. ſaoatur hæmorrhagia nariũ. 648. a
Cautela io hydropis curatione. 599. a
Cauterium in occipitio epilepticos iuuat. 62. b
Cauterium actuale lethargicos excitat. 38. b
Cauteria in calidis morbis non abhibenda. 25.a
Cauteria in aſthmate inueterato quomodo inurenda. 105. a
Cauteria in ſuffuſione commeodantur. 82. b. melancholicis non ſẽper proſunt. 73.a. infra genu poſita menſes reuocant Mercuriali. 255. 256
Cauteriorum facultas. 29.b
Celſus. 703.b
Cephalalgia dupliciter accipitur, & quomodo differat à Cephalæa. 11.a.b
Cephalæa quid ſit. 11. b. 24. eius differentiæ & ſigna. 24. b
Ceratum pro ventriculo. 149. a
Cerebri calidam intemperiem alterantia. 77.a
Cerebrum ipſum in epilepſia etiam laborat. 57.a
Cerebrum leporis aſſatum neruos corroborat quibuſdam. 48. b
Cerebrũ cũ vẽtriculo magnũ habet cõſẽſũ. 158. a
Cerebrũ inflammari poteſt. 30.a. Sitne ſenſus expers. 12. 13. qoomodo dicatur dolere Galeno. ibid. quomodo lædatur in melancholia. 65.b
Cerebri excrementũ ſua grauitate deſcendit. 569.a
Cerebro humido ſiccæ nares qoid ionuant. ibid.
Chalybis præparatio & præſtantia in ſcirrho lienis 205. b
Charta antiquorum diuerſa fuit à noſtra. 8. b
Charta præſtaotiſſimum ad arbores remediũ. ibid.
χήμωσις. quid. 78. a
Chirurgorum quorũdam reprehẽſio. 508. b. 532.b
Cholera morbus vnde nomen acquiſierit. 132. 133
Choleræ definitio, & qualis affectus. 133.a. ſitne morbus ſemper acutus. 134. a
Choleræ ſigna, indicationes. ibid. humidæ curatio, 134. b. ſiccæ curatio. 136
Cholerici curandi exemplum. 138. a
Cholerici famen non perferunt. 571. b
Chordapſus quid. 220.a
Chorion quid 599. a
Chriſtophorus à Vega. 657.a. vide *Vega*.
Cibationis tempus quomodo inueſtigandũ. 354. b
Cibi quantitas in morbo gallico. 554.a
Ciborum quantitas vnde deſumatur. 529. b
Cibi morbos communes non efficiunt. 497. a
Cibi inappetentia qoid portendat. 569. a
Cibi potuſqoe ratio peſtilentia. 514. a. tribus capitibus comprehenditur. ibid.
Ciborum copioſa quantitas quando bona. 529. b
Cibum faſtidientes ægroti. 530. b
Cibus quare exhibeatur. 529. b. niſi exactè maſticatus non ingerendus. 571. nouus priore incocto non ſumendus. ibid.
Cicadæ ſilentes tempore peſtil. 507. b
Cicadarum cantus ratus qoid portendat. 506. a
Cicero. 765. a
Cichoracea omnia iecori conueniunt. 169. b
Cichoracea non magnopere lædunt intemperiem hepatis frigidam. 173. a
Cinis hirundinum vt præparandus ad anginã. 99.a
Circuitus morbi quid. 324.a
Circuitus febrium cauſæ quæ Galeno. 339.b
Cleonactidis hiſtoria. 715. a
Clyſteres priſcis accepti. 682.b
Clyſter ad dolorem colicum. 252. ad colicam flatuoſam 216.a
Clyſter flatus diſcutiens. 129. b. refrigerans. 72. lenis. 125. a
Clyſter in principio inflammationis iecoris. 181.b. narcoticus. 213. b
Clyſteris acris formula. 57. b
Clyſteres in lethargo. 37. b
Clyſteres ex vinis generoſis in apoplexia improbantur. 42. b
Clyſteres refrigerantes. 376. a
Clyſterum vſus varius. 357.a
Clyſter communis. ibid.
Clyſter acris reuellens. ibid.
Clyſteres nutrientes. 358. a
Clyſterum materia ad dyſenteriam. 235. b
Clyſterum vſus loco ſectionis venæ probatur. 33.b
Clyſt. retẽtioni lotij apta quomodo parãda. 543. a
Coacta curatio. 701. b
Coagulum vim habet acrem & exſiccantẽ. 171. b
Cochlearum caro phthiſicis noxia. 126. b. hepati prodeſſe dicitur. 147.a. vſus in hydrope. 200. b

Cochleare

Cochleare magnũ & paruum quæ menſura. 147.b
Coctione diſtinguuntur rempora morborũ. 321.a
Coctionis celeritas quid portendat. 525.b
Coctio criſis celeritarem, &c. 682. a
Coctio humorum morbum facientium. 678. b
Coctionis ſignificatum vniuerſalius. 679. a
Cœlum ſtellæque ad quid à Deo creatæ. 596. a. ſemper idem quod erat ante mille annos. 345.b contrarietarem non capit. 499
Cœna quando parcè rtanſigenda. 515.b
Colchium herba, ephemetum cur dicatur. 325. b
Coitus quibus non interdicendus. 516.b
Colica ægritudo Pauli tempore inſtar peſtiferæ contagionis. 492. b
Colica quis morbus 208.a
Colici doloris differentiæ. ibid. Cauſæ. ibid.
Colica peſti lens & epidemica. ibid.
Colicus dolor per conſenſum improbarur. 209.a
Colica ex humoribus bilioſis quomodo curanda. 216. b
Colici doloris ex flatibus curatio. 216. a
Colici doloris ſigna. 209.a
Colicus dolor quomodo diſcernentibua à renum dolore. 211.a
Colicæ ex dolore craſſo curatio. 214.a
Colli bubones, quid indicent. 534. b
Colliquatio quid. 492. a
Collyrium reſoluens. 80. a. abſtergens & exſiccans modicè ibid. b. ſarcoticum. 81. a
Collyria antiquorum acerrima fuerunt. 82.b
Colocynthidis faculras & vſus 472 b. incommoda. ibid.
Colorum variorum vrinæ cauſæ. 590. b. 564. a
Coloris mutatio ſanguinis, qui extrahitur. 640. a
Columbæ diſſectæ phreneticorum capiti quando applicandæ. 35. a
Columellæ vſus, cauſæ, curatio, incõmoda. 93. 94.
Comes Monranus. Vide *Montanus.*
Comitantia morborum ſigna, quæ. 504. b
Comparata conueniunt in eadem natura. 661. a
Compari apud Aduerſ. 781. a
Complexi quælibet remoueri poteſt, & permutari niſi ſit hectica tertiæ ſpeciei, aut maraſmus, vel ſiccitas in ſubſtantia membrorum. 584.b. ex morbo & eius affectibus concludit bonus medicus Complexionem & temperiem ægrotantis licet abſentis. 597 b. & è conuerſo à temperatura dignoſcit cauſas morbi. ibid.
Complicati affectus quid ſibi poſtulent. 148. a
Compoſitæ pulſuum differentiæ. 549. b
Commune febrium genus, quale. 493. b
Cnmmune multis morbis cauſam communem habet. 496. b
Conarus & expulſionis naturæ incommoda. 525.b plerumque interitum ſecum affert. ibid. quando probè aut improbè fiat. ibid.
Conceptio quomodo fiat. 268. b
Conceptus in balneo factus Auerrhoï. 272. a
Conceptus tripliciter læditur. 274.a. fieri maximè ſolet menſibus ceſſantibus. 270. a
Conuocta medicari. 679. b
Concoctio quid. 139.a. 678.a. ventriculi ſimilis eſt elixationi. 161. b. triplex. 398.a
Concoctio craſſitudinem ſemper an pariat. 351.a. quid Galeno & Ariſt. ibid. in febre vnde cognoſcatur. 346 a
Concoctionis ſigna vniuerſalia morborum tempore demõſtrant. 323.b. læſæ quæ cauſæ. 140.a
Concoctiones generales quatuor, & quæ 559. b
Concoctio imperfecta an admittat purgationem. 714. a
Concoctio neceſſaria ad morbi ſolutionem. 696.a
Concoctionis differentiæ. 678. a
Concoctio perfecta ad purgationem. 715. b
Cõcoctio propria & minùs propria. 678.a vna. ib.
Concretum ſanguinem diſſoluentia. 120. a
Condylomata quid. 240. b
Condylomatum curatio. 241. a
Concubitus immoderatus animalibus pernicioſus. 275. a
Confectio Cyphoides ad imbecillitatem hepatis confert. 173. b. hamech. 479. b
Congelationem medici vulgares Catalepſin vocant. 44. a
Cõiunctionũ collocatio in oratione ex Ariſt. 765.a
Connotatiua indicatio. 651. a
Conſenſus duplex Auicennæ. 14. a
Conſolidæ maioris vſus, & vires. 533. b
Conſolidantia vlcera pulmonum. 120. a.
Conſtitutio præſentis aëris in curatione animaduertenda. 526. b. aëris calida & humida peſtilentiam cauſat. 497.a
Conſtitutiones duæ, & quæ. 568. a. b
Conſuetudo ſubitò mutata periculoſa. 366. a. b
Conſuetudinis vires. 522. b
Conſuetudo magis rata quàm natura 515. b. quædam naturalia reddit. 522. b. plurimum poteſt. ibid. in curatione animaduertenda. 526.b
Conſuetũ bonũ, inconſuetum verò malũ eſt. 515.a
à Contagio quæ res liberæ plerũq; eſſe ſolcãt. 536.b
Contagioſi veneni rationes latentes. 506. b
Contagium quibus rebus communicetur. 536.b
Contagium quid. 494.b. qua ratione cõtingat. ibid. externas partes occupans leuius ibid. internas penetrans periculoſum valde. ibid. vnde illud eueniat. ibid.
Contagij differentiæ & cauſæ. ibid.
nil Contagioſum eſſe poteſt niſi putridum exiſtat. 617. a. ſcabioſum aduerſatur naturalibus facultatibus cutis. ibid.
Continentes cauſæ. 761 b
Continentia dignotionem mittendi ſang. ibid.
Continuum ſoluitur duobus modis. 51. a
Continuæ febres ſunt deteriores intermittentib. 341. a
Continuarũ febriũ diuiſio. 485. differentiæ. 317.a
Continuæ febres acutorum morborum. 493. b
Contradictio Gal. conciliatur. 108.b
Contradictionis leges Aduerſ. ignotæ. 802.b
Contraindicare. 637.a. 784. b
Contraria in eodẽ ſubiecto non ſubſiſtunt. 141. a
Contrarietas Ariſtoteli. 635. a. Platoni. ibid
Contrarietas in curando quæ. 635. a
Contrarietatis ratio. 786.b
Contuſa pars. 506. b
Conuolutus quid. 219. b
Conuulſio quid. 51. a. quomodo dicatur motus. ibid. quomodo dicatur ſolutio continui. ibid. an fiat natura quoque operante. ibid. b. muſculis tantum accidit. 154. a. ex inflammatione quomodo curanda. 55. a. quomodo fiat. 53. a
Conuulſionis futuræ ſigna. ibid. b
Conuulſio canina quid. 50. a. ex ſiccitate nullam recipit curationem. 55. a. & morbus acutus, & diuturnus eſt. 322.a
Conuulſioni ex plenitud. eadem curatio debetur quæ paralyſi. 53. b
Conuulſiuus affectus quis dicatur. Gal. 53.a
Cor quibus affectibus laborare poſſit. 127. a
Cor nullum patitur virium graue Ariſt. ibid.
Corde laborante baſilica ſecanda. 129.a
Corroborantia medicamẽta. ibid. b. eſt ſubiectũ febris. 307.b. omniũ citiſſimè calefieri poteſt. 309.a
Cordis ſitus. 106. b. læſio non quælibet morbus magnus. 797.a. ratio venæ ſectione. 625. a
Cordialia medicamenta. 426. a

Cordis regioni quæ applicanda. 519. a
Coriandri qualitas. 377
Cotoclius Ceiſus. Vide *Celſus.*
Cornu monocerotis. 426. a
Cornu cerui vſtum ad colicam facit. x19. a
Corona ex rad. pæoniæ rec. geſtata epilepticis confert 63. b
Corpus à corpore differt. 499. b
Corpora malis humoribus refecta. 506. b
Corpus malè affectum qualem ſpiritum emittat. 5.0. a
Corpus nutritur ex quatuor humoribus. 834. b
Corpus nõ eſt rarefaciẽdũ ante vacuationẽ 802. b
Corpora cacochyma, & bilioſa. 819. a
Corpus tripliciter non vacuatur. 158
Corpora ad melãcholiã accõmodata quę. 69.b70.a
Corpora ad febrim præparata quæ. 317
Corpus peſte laborans à macula aliquando prorſus alienum 500. b
Corpora ſolidiora aërem non excipiunt ibid.
Corporum affectus diſſimiles & multiformes. 525. b. 524. a
Corpus noſtrum ex tribus compoſitoms. 640. b
Corpora calida & ſicca facile diſſoluuntur. 648.b non ſatis fortia ad opera ruſtica, vel vrbana. ibid.
Corruptela humorum duplex. 832. a
Corruptela humorum aut cacochymia eſt, aut non ſine cacochymia. ibid.
Corruptela non eſt plenitudo. ibid.
Cortex caſſiæ fiſt. ad partum promouendum inutilis. 298. a
Coryza quid. 75. a
Cranium humanum contra epilepſiam eſt. 61.a
Cranonis ciuitatis aëris conſtitutio peſtem præſagiens qualis. 501. a
Cranonis carbones, 507.b. carbunculi qui, & vnde. 513. b
Criſis optima. 220. b
Criſis quomodo cognoſcatur. 346. a
Criſis bonæ tres conditiones. 134. a
Criſis in acceſſionibus cur fiat. 355. a. b
Criſis inflammationis iecoris quæ. 181. a
Criſes imperfectæ an debeant iuuari. 428. b
Criſta quis affectus. x40. b
Criticus menſium fluxus non cohibendus. 262. a
Crocus caput offendit. 19. a
Crudi humores phlebotomiam. 749. b
Cruda & inconcocta quid portendant 525. a. b
Cruda cur non medicanda aut mouenda. 630. b
Crudi humores an impediãt venæ ſectionẽ. 645.b
Cruditas ciborum tardat venæ ſectionem. 645. b
Cruditas duplex. 578. b. triplex. 645. b
Cruditas humorum an cum viribus validis. 653.a non impedit venæ ſectionem. 651. a. purgationi obſiſtit. 716.a. quomodo cauſa ephemeræ. 3x6.b
Cruditates quomodo generentur. 334. b
Cruentarum deiectionũ quatuor differentiæ. 216
Cruſtula panis à cibo ſumenda. 570. b
Cruſtæ oris quid ſint. & quomodo curãdæ. 93.a.b
Cruſta ſub erodentibus medicamentis ſequens quomodo extirpanda. 533. b
Cryſtallinus humor præcipuum viſionis inſtrumentum. 81. b
Cucurbitula ſcarificata occipiti appoſita lippitudinem ſanat. 79. a
Cucurbitula magna ventriculo appoſita, flatus eius diſſoluit. 153. a
Cucurbitulæ ſcarificatæ quãdo locũ habeant. 16.b
Cucurbitulæ in pleuritide deteſtandæ. 111. a
Cucurbitularum vſus laudatus in hæmorrhagia narium. 90. a
Cucurbitularum dotes. 424. b Vſus. 674. a
Cucurbitulæ calorem excitant. 676. b. cur inuentæ. ibid. ſcarificatæ. 672. apud Galenum. ibid. b. Siccæ. 674. b
Cucurbitulas non eſſe dorſo apponendas. 676. a
Cucurbitularum ad crura cum ſcarificatione vſus. 677. a. ſcarificatarum improbatio. 674. b
Cucurbitularum vſus in febribus. ibid.
Cura pro frigida vẽtriculi intẽperie, morbo regio, &c. à victus ratione, & à medicinalibus. 599. a
Cura præſeruatiua ab epilepſia circa ſex res non naturales & primũ ab aëre fit initiũ. 601. b. 601. a qui affectus requiruntur in corpore humano pro præſeruatione ab epilepſia, qui motus, cibi, quæ ſomni quantitas, &c. ibid.
Cura pro muliere iuuene quæ cadens à ſcala cœpit delirare per medicamenta lenientia, præparantia, purgantia. 613. b. 614
Cura medicinalis pro præſeruatione à paroxyſmo epilepſiæ. 605. 606. a
Cura pro retentione menſtruorum primo circa intentiones ex quibus præcauendus eſt morbus à ſex rebus non naturalibus, ſecundo circa medicinalia quibus intentiones iam in actu exiſtentes remouere poſſimus. 607. 608.
Cura pro ſputo ſanguinis & medicinalia. 588.a
In Cura plurium morborum ſimul, plus ſtudij, adhibendum ad illum qui maior ſit & periculoſior. 573. b
Cura in Hypposarcha ſimplici mulieris; & quæ medicamenta, & qui cibi boni & mali. ibid.
Cura in Hypposarcha habet quatuor intentiones, vel ad quatuor reſpicit curanda, vel introducenda in corpore ægrotantis. Et quomodo pro vnaquaque adipiſcenda cura dirigenda ſit. 574. b
Cura male affecti ventriculi, & qui cibi boni, & mali, accuratè diſſeritur. 47x.
Cura remouendæ triſtitiæ quas intentiones conſideret. ibid.
Cura pro relaxandis menſtruis. 584. quot eius intentiones curandæ. ibid.
Cura pro dolore ſtomachi, & medicinalia. 588.a
Ad expurgationem phlegmatum ſtomachi medicinalia. ibid. De lenitionibus, fomentis & euacuationibus faciendis pro ſtomachi doloribus. 590. b
Cura pro dolore humeri, tumore cruris, & aliis ſymptom. à medic. 597.
Cura eiuſdem morbi à victus ratione, & ciborum 598. b
Cura præſeruatiua à fluxu ſanguinis & expulſiua huiuſmodi affectus à victus ratione. ibid. Quantum ad Chirurgica & Medicinalia. 591. a
Cura de ſputo ſanguinis in ruptura. 591. 592
Cura ægritudinis pectoralis per victus rationem & qui cibi boni vel mali. 592. 593. 594
Curatio fortuita, & ab omni methodo abhorrens non inſtituenda. 523. b
Curationis officio fungentes occidunt. 505. b
Curatio morborum eſt medici finis. 348. a tripliciter vſurpatur. 253. b
Curandi ratio duplex. 684. a
Curatio cum præſeruatione. 636. a
Curatio legitima Valleſio. 716. a
Curatio ordinaria, & extraordinaria. 701. b
Curtius. 719. 691. b. defenditur. 755. a. inter minorantes habetur. 670. a
Cutis raritas vnde. 434. 435
Cutis denſitas quomodo tollenda. 159. a
Cutim fœdo in icteto corrigentia. 190. a
Cyathi ex iunipero, lauro, &c. parati. 514. b
Κυρωτατοι ſcopi. 624. a

D

DAuidi optio data famis, belli, aut peſtis. 501. b
Declinatio morbi quid. 320. a. vera quomodo

quomodo diſcernenda à ſpuria. 321.a
Declinatio febris optimum eſt tempus nutriendi 354.b
Declinatio morbi quomodo ex vrinis cognoſcatur. 566.b.567.a
Decoctum florum & fructuum. 383.a
Decoctum chamæmeli vel anethi colicum dolorem ſedat pòtatum. 213.a
Decubitus an vſum afferat ægrotis. 525.b
Decubitus tempeſtiuus fauſtus. ibid.
Definitiones medici Galenum auctorem non habent. 133.a
Definitiones in principio quando non ponendæ. 304.a
Definitionis bonæ tres conditiones. ibid.
Defluuij capillorum cauſæ. 5.b.
Deiectio animi ægrotantibus quàm noxia. 505.b
Deiectiones nigræ quæ, & quid portendant. 528.b
Deliquium animi quomodo inducatur. 262.a
Delirium ſine febre duplex. 666.b
Delirium in ſtatu febrium vt contingat. 348.b. non eſt in lethargo. 36.b
Deliria varia vnde proueniant. 68.a
Demacratio corporis ex quibus. 583
Demænetus in lupum verſus. 74.b
Dentes omni morbo poſſunt laborare. 91.a
an ſentiant. ibid.
Dentes eroſi euellendi. 92.a
Dentes ſtabiliens linimentum. ibid.
Dentium dolores cur difficulter curentur. ibid.
Dentium dolores occulta vi tollentia. ibid.
Dentium nigredinis cauſæ. ibid.
Dentifriciorum exempla. 92.b
Depulſio ad partes externas vtilis. 525.b
nunquam impedienda. ibid.
Deriuatio conuenit humoribus fluxis. 731.a
Deriuatio quid 437. fit ad loca vicina. 261.b
Deriuatione an ſit opus nec ne ſedulo medicus animaduertere debet. 525.b
Deſperatio ægrotantibus quantum noceat. 505.b
Deſtillatio cerebro non affecto, nunquam fit. 75.a
Dextrum latus ſiniſtro illæſo cur paralyticum euadat. 45.b. 46.a
Determinato morbo peſtis non concluditur. 492.b
Deus peſtilentiam, famem, bellum, & alia mala propter ſcelera & flagitia hominum aliquando permittit. 495.b. ad quid cœlum & ſtellas creauerit. 496.a. miniſtros ſuos facit flammam ignis. 504.b
Diabetes qui. 538.a
Διαφέρειν. 632.b
Diagridium quid. 476.a
Διακὶς ἢ διακριτόν. 844.a
Diamoron Gal. in anginis commendat. 98.a
Diamoron commendatur in vitiis oris. 93.a
Dianucum in principio anginæ à Gal. adhibitum. 98.b
Diaria. Vide *Ephem.*
Diarrhœa quid ſit. 221.a
Diarrhœa cerebralis ſigna. 222.b
Diarrhœæ ſtomachalis ſigna. ibid.
Diarrhœa critica à ſymptomatica quomodo diſtinguenda. 223.a
in Diarrhœa purgatio pernicioſa. 715.a
Diateſſaron quid. 517.b
Differentiæ vrinarum. 561.a. ſunt prope innumerabiles. ibid.
Differentiarum vrinarum cauſæ. 563.a
Differentiæ febrium à materia maximè propriæ. 312.b
Difficultas inteſtinorum. 226.a. de ileo. 220.b. ſpiraodi ſemper comitatur pleuritidem. 208.a
Dilatatio quomodo fiat. 549.a

Diocles librum de hypochondria compoſuit. 69.a
Dionyſius Tyrannus à deliciis abſtinens tale laborauit. 666.b
Diſpnœa quid. 101.a
Diſputantium conſuetudo. 795.b
Diſputandi ratio. 227.b
Diſputationis capita. ibid.
Diſputandum non eſt contra negantes principia. 836.a
Diſſenſio inter medicos de particularibus præſidiis. 529.a.b
Diſſenſio coniugum ſterilitatis cauſa. 278.a
Diſuria quid. 538.a
Diuiſio vaſorum quadruplex. 98.b. 119.a
Diuiſio vaſorum ex quibus cauſis fiat. 118.b
Diuites peius curantur, quàm pauperes. 687.b
Diuortium fit propter ſterilitatem. 278.a
Diureticum decoctum. 185.b
Diuretica. 302.a. 199.b
Diuretica an menſes etiam moueant. 267.b. cautè in dyſenteria adhibenda. 233.b. in principio febrium an conueniant. 363.a. in ſuppuratione non conueniunt. 316.a
Doctrinæ nouæ cauendæ. 276.b
Doctrina ex vniuerſalibus, qualiter intelligende. 686.b
Dolia ex iunipero, lauro, &c. comparata. 514.b
Dolij exemplum ex Auerr. 813.b
Dolor pleuritidem æmulatus ex Aëtio. 766.b
Dolor in pleuritide cur aſcẽdat, vel deſcẽdat. 692.a
Dolor acutus ad mẽbranas pertinet. 13.a. extenſiuus à flatibus generatur. ibid. pulſatiuus pertinet ad inflammationes. ibid. antiquus frigiditatem ſignificat. ibid. capitis ſemper in pleuritide adeſt. 108.b. non in ſolo tactu, ſed in quolibet ſenſu repetitur. 10.a. capitis futurus quomodo cognoſcatur. 14.b lateris perpetuum pleuritidis ſignũ. 108.a. aurium ex flatibus & craſſis humoribus. 85.b. quid ſit. ibid. & quomodo fiat. ibid.
Dolore deſcendente in pleuritide humores turgere. 690.a
Dolorem in angina lenientia. 98.b
Dolores tripliciter auferuntur. 16.a
Dolores omnes triplici ratione curantur 84.b
Dolori an conueniat curatio. 16.a
Doloribus vehementiſſimis venæ ſectio. 645.b
Doloris capitis ex vulnere indicationes. 634.b
Doloris præſidium purgatio. 689.b. vna tantùm proxima cauſa eſt: ibid. nomen dupliciter accipitur. ibid & 9 b. capitis cauſæ, & differentiæ. 11.b. capitis ex bile ſigna. 19.a. dentium cauſæ, & curatio. 91.b
Domorum penuria quid cauſauerit. 497.a
Domus vacuæ redditæ ob medentis defectũ. 511.a
infectæ quomodo purgandæ. 536.a. purgatæ 20. aut 25. die ab omni periculo immunes. 536 537.
Duritie vincente pulſus paruus fit. 553.b
Durities & mollities motus arteriæ. 549.b
Durities tribus ex cauſis prouenit. 139.b
Duritiei in membris cauſæ. 183.b
Dyni & Gentilis Senis contentio. 502.b
Dyſenteria quis affectus. 216.a. peſtilens inter Hebræos. 227.a. non eſt alui profluuium dicendum. 232.a
Dyſenteriæ cauſæ. ibid. ſigna. ibid. b. curatio 229.a

E

Ebrioſi ad conuulſionem parati. 53.b
Ebrioſi infœcundi. 275.b
Ebuli cortex & radix aquam hydropicorum ducit 199.b
Eclegmata. 694.a
Ἐκλείγματα à verbo ἐκλείχειν. ibid.
Ἔκλυσις. 778.b

Ἔκκρισις 659.a
Elaterium quid. 471.a.b
Elaterij facultas & doſis.ibid. Vſus. 198.b.471.b
Electuarium epilepticum. 61.b
Electuarium ſangoinem ſiſtens. 120.a.b
Electuariam conſolidans vlcera pulm. 122.b
Electuarium expectotans. 513.a
Electuarinm pus ex pectore edueens. 116.a
Electuarium lenitiuum in febribus non conuenit. 464.a
Elect. Diacathol.non eſt leniens. ibid.b
Elect. Diaſebeſten duplex. ibid.
Elect.Diaprunum ſimplex lenit aluum. ibid.
Elect.conſolidans exulcerata inteſtina. 225.b
Elect. deobſtruens hepar. 177.b
Electuarij diaprunis doſis. 476.b
Elect.diaſebeſten doſis. ibid.
Elect.roſsti & elect.de ſucco roſ.doſis. 477.a
Elect.de hermodactylis. 474.a
Elect Diacatholicon. 479.a
Elect Diaſena. ibid.
Elect. bened. laxat. 478. a
Elect. Indum. ibid.
Elect. Diaturbith. ibid.
Elect. Eleſcoph. ibid.
Elect. Diaphænicon. ibid. b
Elementa ſecundùm totum incorruptibilia. 246.b
Elementa omoes mixtionis conditiones habent. 735. a
Elementariæ facultates quæ, & quid portendant. 504. b
Elemento ſimplici nulli propriè putredo tribuenda. 496. b
Elephas qoid. 52.a
Elephantiaſis an contagioſa. 495.b
Elephantiaſis curata, & quomodo. 521. a
eiuſdem morbi ſigna. ibid.
Elleborus, vide *Veratrum*.
Emiſſio lotij tripliciter læditur. 538.a
Empirici non admittunt indicationes. 725.a
Empiriei indicariones auerſabantur. 768. a
Empirici de ſectione venæ. 625.a
Empiricorum ſyndrome plethorica.ibid.& 756.b
Emplaſtrum ad fœcunditatem. 281. a
Emplaſtrom ſpleneticum. 206. a
Emplaſtrum ſcirrhum emolliens. 186.a
Emplaſtrum diaphænicon confirmat alui defloxionem. 136. a
Emplaſtrum ad hydropem. 200.b
Emproſthotonos quid. 52.a
Empyematis duplex ſignificatio. 115.a
Empyema quid. ibid.
Empyamatis differentiæ, cauſæ & ſigna. ibid.
Emulſio ſemp. papau. albi contra vigilias. 34.b
Emunctoria corporis humani tria. 88.a
Endemij morbi vnde. 504
Entia omnia duplicia. 246.b
Epar refrigerantia. 378. a
Ephemera an magnus morbus. 797. a
Ephemera non fit à magna obſtructione. 829.b
Ephemera cur non mittitur ſanguis. 831. a
Ephemerum animal quodpiam. 325. b
Ephemeræ febris definitio, differentiæ, cauſæ. 326
Ephemeræ febris forma quæ. 327.b
Ephemera peſtilens an detur ibid.
Ephemera ſemper incipit à cauſa externa. 328.a
Ephemeræ febris curatio. ibid.b
Ephialtes quid. 63.b
Epiala quæ febris. 599. b
Epialæ febris curatio. 404.a
Epicraſis. 635.a
Epicraſis in corruptela humorum. 853. b
Epicraſis tum venæ ſect. tum purgatione. 846.a
Epilepſiæ cauſæ & diuiſio. 600.b
Epilepſiæ venæ ſectio. 841.a
Epilepſia variè appellatur. 55.a
Epilepſia an morbus acutus. 322 b
Epilepſia vel propriè fit, vel per conſenſum. 58.b
Epilepſia an ſit morbus acutus. 58. b
Epilepſia an ſanabilis. 59. b
Epilepſiæ definitio. 55. b. differentiæ. 56. a. ſigna. 59. a
Epilepſia nunquam ex ſiccitate prouenire poteſt. 55.a
Epilepſiæ per conſenſum ventriculi factæ curatio. 60. a
Epilepticus nemo eſt ſine conuulſione. 55.b
Epilepticorum remediorum catalogus. 61.a.63.a
Epileptici quomodo intelliguntur moueri, cum propriè ab ægritudine careant motu. 600.b
Epilogus doctrinæ de ſcopis mittir.ſang. 735.b
Epiſtola prima ad Authorem.852.a.reſponſio.ib.b
Epithema an ſemper neceſſarium peſtilẽtiæ. 500.b
Epithema cordiale. 130.a
Epithema iecoris frigidum. 172.b
Epithema iecori repelleos. 582. a
Epithymi facultas & vſus. 470.b
Eradicatio per venæ ſectionem. 635.a
Eradicatiua euacuatio. 713. a
Eradicatiua euacuatio ab authore aliena. 811.b
Eraſiſtrati opinio de hydropis generatione. 191.a
Eroſio vaſorum quomodo cognoſcatur. 118. b
Eroſio omnis difficulter curatur. 122.b
Errhinum in Epilepſia. 63. b
Errhini exemplum. 21. b
Errhina triplicia. 4.a
Errhina morbis frigidioribus conueniunt. 4.a
Errhina ex quibus conficiantur. 190.b
Error in ſyruporum adminiſtratione. 390.a
Errores varij in alimentis committuntur. 133 b
Errores in medicamentis. 134 a
Eryſipelas in capite. 650.b
Eryſipelate an ſecanda vena. 649.b
Eryſipelati venæ ſectio, aut purgatio. 852.b
Eſſentia & generatio vrinæ. 559.b
Euacuatio quę & quorum.515.quomodo fiat.527 a. quænam exquiſitiſſima. ibid
Euacuatio pertinet etiam ad ſanitatem tuendam 805. b
Euacuatio ad animi defectum. 697.b
Euacuatio ad animi defectum Montano. ibid.
coofutatio. ibid.
Euacuatio ante coctionem. 710. b
Euacuatio, minoratiua & eradicatiua. 697.a
Euacuationes principio morborũ an vtiles. 703.b
Euacuationes ſymptomaticæ an iuuandæ 710.b
Euacuatio omnis principio morbi ſymptomatica. 682. b
Euacuatio ſine coctione an commoda. 684.b
Eueotatiua euacuatio, 637. b
Euphorbij præparatio. 447.a
Eurypides. 786. b
Euſtratius de Ariſtotele. 785
Excrementa cor non ſecernantur. 180.b
Excrementa in venarum coctione triplicia. 187.a
Excrementa profuſa ſpiritus ſecum ducunt 298.b
Excrementa in corporibus quot modis coaceruentur. 265. a
Excrementa talia ſunt ſpecie, quale id quod redundat in corpore. ibid.b
Excrementa in omni fiunt concoctione. 397.b
Exanthemata frequentia peſtem præſagiunt. 501.a
Exemplum ſputi cruenti ex deſtillatione capitis. 119.a
Exemplum ſputi cruenti ex eroſione vaſis pulmonum. ibid.

Exem

Exempla diſcentibus vtilia. 388.b
Exercitatio omiſſa febres generat. 335.a
Exercitatio ſanitaris conſeruandæ caput. 515.a
Exercitatio corporis ad quid proſit. 568.b
Exercitationis pulſuum modus. 558 a
Exiccatio ſumma curationis. 514.b
quomodo ea bibenda. ibid.
Exoterica Ariſt. opera.
Experienria quid. 774.a
Experientiæ vis. ibid.
Experientiæ vt fidendum. ibid
Experientia an pueris venā ſecandam doceat. ibid.
Experientia à pleriſque iactata. 494. a. b. quid ſit apud Ariſtotelem. ibid. quid ſit apud Alexandrum. ibid. item apud Galenum. ibid. quando magni facienda. 522.b
Experientiæ fides adhibenda. 597.a
Expoſitio Aph. Hip. 62. 41. pag. 188.a
Exſufflatio in tuſſi quomodo fiat 99.b
Externa mala aliquando internas partes occupāt. 500.b
Externo ab aëre, quō cauendum. 515.b
Extraordinaria curatio. 702.b
Extremis morbis extrema remedia. 791.b
Extremè calida aut frigida vitanda. 571.b
Extremæ partes animalium vitandæ. ibid.

F

FAbius Montia vir nobiliſſ. mulierem quandam ægrotantem cum auctore viſitat. 526.a
Fabius Pacius, 660.b. Vide Pacius.
Fabula Abbatis deiecta appetentia laborantis. 159.a
Facies Hippocratica ex quibus cauſis fiat. 348.a
Facies tornatilis Auic. quæ ſit. 322.b
Facilioribus vbi agi poteſt, difficilia non ſunt quærenda. 512.b
Facultates principes tres. 30.a.b
Facultates principes in cerebro ſedibus non diſtinguuntur. 66.b
Facultates naturales quatuor. 258.b
Facultate intercepta fit morbus per conſenſū. 14.b
Facultas infirma in pulſu. 554.a
Facultas infirma, viſus imminutus. ibid. viſus auctus ibid. ſumma. ibid.
Facultate infirmat pulſus qui. 553.a
quid eadem firma. ibid.
Falſitas multiplex, veritas vna. 554.a
Falſum & ridiculum non idem. 795.a
Fames Galeni tempore. 648.a
Famis nomen bifariam accipitur. 156.a
Fames quomodo generetur. 156.b
Fames canina quid. 159.b
Fames & ſitis quomodo cauſæ febris eph. 33.a
Fames noxia in affectibue biliosis 24.b
Fame vrgente cibis prauis veſcentibus qui acciderit. 496.b
Fatuitas terræ fructuum quid portendat. 506.
Febris vnde dicta Græcis. 304.a
Febris vt fiat duo neceſſariò requiruntur. 96 a
Febris ex pura bile fieri an poſſit. 337.b
Febris genus quomodo cognoſcatur. 346.a
Febris continua dupliciter dicitur. 336.a
Febris non eſt niſi in corde accendatur calor. 306 b
Febris vtrùm apoplexiæ iungi poſſit. 40.a
Febris diurna eſt deterior nocturna. 316.b
Febris continua quæ. 317.a
Febres in adenum tumoribus ortæ, malæ. 534.a
in acutis morbis inſeparabiles. 493.b
Febris diuiſio. ibid. aliqua peſtis, aliqua non. ibid. ex maligna humorum putredine intermiſſionem aut quietem non haber. ibid.
Febrium duo genera apud Hippocratem. ibid.
Febre intermittente humores turgete an poſſint. 709.b
Febres ardentiſſimæ curantur ſectione venæ ad lipothymiam. 647.b
Febres in quibus, non ſecetur vena. 662.b
in Febribus cur non purgandum principio. 703.b
in Febribus purgatio. 693.b
in febribus putridis omnibus an ſecanda vena. 656.b
Febrium foci. 671.b
Febrium putridarum indicationes ex Galeno 674.b
Febrium differentiæ ex Aduerſ. 806.a
Febres vel morbi, vel ſympromata. ibid.
Febribus vt conueniat venæ ſectio. 762.a
Febres à ſanguine ſimpliciores quàm ex bile. 844.b
Febris ardens ex Aduerſ. ibid.
Febris ardens indicatur hæmorrhagia. 845.a
Febris ardentis indicationes. 844.a
de Febribus an ſecanda vena dubitatio. 858.a
Febri ardenti an conueniat venæ ſectio. ibid.b
Febribus ardentiſſimis venæ ſectio ad refrigerationem. 814.a
Febres καυσώδεστατοι καὶ θερμόταται. 844.a
Febribus omnibus putridis venæ ſectio. 748.b
Febribus intermittentibus an conueniat venæ ſectio. 858.b
Febribus nothis an conueniat venæ ſect. 345.a
Febrium intermittentium tres ſpecies. 317.a
Febris eſt intemperies calida ſine ſiccitate. 305
Febris hectica cur cum phthiſi coniūgatur. 124.b
Febris continua ſemper comitatur pleuritidem, 107.a.b
Febris temperamento reſpondens minus periculoſa. 317.b
Febris an ſimplex morbus an compoſitus. 305.a
Febris acutæ conditiones. 108.a
Febris ephemera in alios morbos degenerat. 325.b.
Febris in conuulſione an excitanda. 54.b
Febris tertiana ſpuria dicitur duobus modis. 379.b
periculoſa eſt. 380.a
Febris ſyncopalis ſigna & curatio. 403.a
Febris ardens an ſit eadem cum tertiana continua. 390.b
Febris ſanguinis quænam ſit. 394.a
Febres ſibi inuicem ſuccedere poſſunt. 313.a
Febrium prima genera tria. 313.b
Febris ſubiectum quod. 314.a
Febres ſingultuoſæ. 155.b
Febrium diuiſio antiqua. 311.a.b
Febrium putridarum ſigna ſec. Auic. 342.b
Febrium melancholicarum differentiæ. 404.b
Febrium putridarum curādarum ſcopi qui. 349.b
Febrium doctrina medico perneceſſaria. 303.b
Febrium bilioſarum ſigna. 380.b
Febris tertianæ ſigna, ibid. indicationes curatiuæ. 381.a
Febrium bilioſarum diuiſio. 378.b
Febrium omnium proprium remedium refrigeratio. 397.b
Febrium continuarum ſigna. 343.a
Febris in muliere prægnante à marito vulnerata exquiſita conſideratio. 613.b.614.a
cuiuſlibet Febris hecticæ proprium, & naturale eſt, vt ingeſto cibo calor accendatur pulſuſque in magnitudinem, ac velocitatē increſcat. 576.a
Æqualis accenſio quomodo intelligenda. ibid.
Fel bouinum ſumptum molam deiicit. 286.b
Fel omnium animalium in doloribus aurium prodeſt. 85.b
Fel perdicis & luc. piſcis in ſuffuſione vſitarū. 82 b
Fel terræ. 472.b

Femoris bubones quid indicent. 534.b
Fercula ex paſta vel ex frumenti farina facta mali humoris & nociua ventriculo. 579.b
Ferdinandus Mena. 636. ſcripſit commentarium in Gal.de venæ ſect.ibid.de venæ ſectione quid ſentiant.ibid.palinodiam canit. ibid.
Fernelius perſtringitur. 139.b
Fernelius non concedit apoplexiam ex ſanguine vel melancholia fieri. 41.a
Fernelius opinatur vterum moueri. 276.b
Fernelij error. 307.b
Fernelij error de incubo 64.b
Fernelij rationes de cauſa epilepſiæ refutãtur. 56.b
Fernelius quas peſtilentiæ cauſas afferat. 596.b cius opinio refellitur. ibid.
Fernelij ſigna corruptæ iecoris ſubſtantiæ extenuantur. 166.b
Fernelij inconſtantia. 284.b
Fernelij ratio aquæ in aſcite collectæ reprehenditur. 194.a
Fernelij medicina.712.authoritas. 713.b
Fernelius de purgandi ratione.711.b.cum examinatione autoris. 712.a
Ferrerius. 707.b
Ferrum curat quæ medicamenta non curant. 533.b
Ficus quis affectus. 240.b
Filij ſtolidi cur à parentibus ſapientibus gignantur. 282.a
Filicis ſuccus hepati aperiendo conueniens. 170.a
Fiſtulæ in oculo dextro lachrymam producentis curatio, & cauſa ſuæ generationis. 620.a
Flatuoſus lateris dolor quomodo diſcernatur à vera pleuritide. 108.b
Flatus ex debili calore generantur. 215.216.
Flatus ab intenſo frigore non generantur. 286.b
Flatus quomodo in corde generari poſſint. 128.b
Flatus nunquam in colica deſunt. 212.b
Flatus in vtero contentos diſſoluentia. 287.b
Flatus diſſoluentia. 216.a
Flatus diſcutientia. 552.a
de Flatibus liber falsò Hippoc.attributus. 493.b
Flaua bilis eryſipelas facta. 500.a
Fluxio ſuccorum obſtruentium. 659.a
Fluxionis motus in contrarium ſemper trahendus. 526.527.a
Fluxio vt venæ ſectionem indicet. 744.b
Fluxionis omnis duæ cauſæ. 335.b.336.a
Fluxio humorum quomodo cohibenda. 335.b
Fluxio ſanguinis narium qualis ſit affectus. 89.a
Fluxus ſanguinis tres modi. ibid.
Fluxus muliebris difficilis curatu. 266.a
Fluxus muliebris ex bilioſo humore curatio. ibid.b
Fluxus hepatici ſigna. 222.a
Fluxus ſplenetici ſigna. ibid.
Fluxus hepatici curatio. 228.b
Fluxus ventris non ſtatim cohibendi. ibid.
Fluxus muliebris differt à ſuperfluo menſium fluxu. 258.a.263.b
Fluxum alui ſiſtentia medicamenta. 224
Fœcunditatem præſtantia. 291.b
Fœmina nequiquam monſtrum. 246.b.247.a
Fœminæ cur celeriùs vitis pubeſcant. 277.a
Fœmina poſt annum 50.ad conceptionem inepta. ibid.
Fœmina cur tardius formetur in vtero quàm mas. 299.a.b
Fœtor anhelitus ſignum putredinis. 418.a
Fœtus in vtero cùm non poteſt,mingit. 560.b
Fœtus ex vtero prodeuntis forma naturalis quæ 296. b
Fœtus viginti quatuor partubus editi. ibid.
Fœtus fœmina difficiliùs naſcitur. ibid.
Fœtus trimeſtris, & quadrimeſtris iniuriis reſiſtit. 291.a
Fœtus moritur in partu 4.diebus difficili. 297.a
Fomentum pro ventriculo imbecilli. 149.b
Fomentorum in pleuritide ſex ſpecies. 110.a
Fomentum vulgare in pleuritide. ibid.
Fõtes quærẽtes in viis ſemianimes volutãtur. 505.b
Foris ſplendens intus ſæpe ſordet. 569.a
Formæ & totus ſubſtantiæ morbi. 644.a
Fracantianus. 691.b.722.a
Franciſcus Caſſanus.657. vide *Caſſanus.*
Franciſcus Frizimelica. 670.a
Franciſcus Valleriola. 195.a
Franciſcus Valleſius. 651.a vide *Valleſius.*
Franciſcus Biſſarius vir nobiliſſ. mulierem quandam ægrotantem cum auctore viſitat. 526.a
Fr. Friſimelica lapidem deiecit. 209.a
Frigidæ potus vt indicetur à morbo. 778.a
Frictiones quando & quib.partib.adhibẽdæ. 570.a
Frictiones febribus ſyncopal.conueniunt. 403.a
Frigida intemperies appetitum quomodo proſternat. 157.b
Frigidæ, ſiccæ, & humidæ iecoris intemperiei ſigna. 168.b
Frigidis medicamentis cautè vtendum. 90.a
Frigidæ potio non niſi poſt coctionem. 703.a
Frigidæ vſus in febribus. 638.b
Frigidi humores an impediãt venæ ſectionẽ. 646.a
Frigiditas incenſa nullo modo generat vapores. 753.a
Frigidam in aquam peſte laborantes ſe coniiciunt. 505.a
Frigidiore tempore quid cordi applicandum. 519.a
Frigidum nihil putrefieri aptum. 497.b
Fructus omnes febricitantibus nocent. 351.a
Fructus terræ quando fatui, & iniucundi. 507.b.qui boni & quando ſumendi. 571.b
Fuchſij error. 261.a
Fuchſius.694.à ſe diſſentit. ibidem.
Furfures cutis quid ſint. 6
Furfurum cauſa.ibid. Furfurum capitis cauſa. 7.a
Furor quid 73.a
Futuram peſtem quid portendat. 501.a

G

GAlbula auis. 186.b
Galenus reprehenditur à quibuſdam. 3.a
Galen.auctor hieræ non eſt. 547.a
Galen. quadringentos aureos, ob vxorem Boëthi curatam, dono accepit. 246.a
Galeni repugnantia. 11.a
Gal. inconſtantia in cauſis doloris excuſatur. 51.a
Gal.ſententia de fœtus generatione. 269.a
Galeni defenſio contra Argenterium. 44.a
Galenum principes facultates ſedibus non diſtinxiſſe probatur. 66.b.Gal. commendatio. 148.b
Galeni de ſanguinis miſſione ſententiæ. 526.a.cius opinio.de temperamento aëris calido & humido. 597.b.quomodo ſe geſſerit in præcauendo, & curando homines à peſte. 496.a. aliquando ſuperſtitioſus in obſeruatione corporum cœleſtium.ibid.proprij,perſpicui & exquiſiti ſermonis obſeruantiſſimus. 493.a. aduerſus peſtem nullum remedium excogitare potuit. 523.b.cur pauca de peſtilenti contagio tradiderit. 495.a de qua peſte loquatur. 525.a
Galenus nomina propriè ſumenda cenſet. 644.b
Gal. ſcripſit de nominibus medicis. ibid.
Gal.turgentes humores præparat. 682.a
Gal. contradictio de Aëre.627. de morbo magno. 623.a. digreſſiones pulcherrimæ. 622.b
Gal.& Hipp.ſcribendi ratio.628.& in iis legendis conſilium. 627.b. Galeni laus. 621.b
Galeni liber de venæ ſectione. 664.a

Galeni liber, quos, quādo purgare oporteat. 705.b
Gal. locus explicatus. 8. meth. 649. b. Galen. locus vindicatus. 629.a. Gal. ſcribendi ratio. 664.b
Galenus ab Hipp. diſcrepat. in curanda pleuritide. 656.a. & in ſupputatione calcis fracti. ibid.
Galenus anceps an venam ſecet, an purget. ibid.
Galenus anxius in purgatione. 681.b
Galenus Ariſtotelis imitator. 644.b
Galenus authori familiariter citatus. 635.a
Galenus de nominum vſu medicos carpit. 644.b
Gal. de Purgatione principio morborum. 681.b
Galenus de venæ ſectione in febribus. 677.a
Galeni Methodus. 11. lib. Meth. 809.b
Galenus res vtiles repetit. 776.b
Gal. de indicatione putredinis. 801.b
Galeni ratio, cur pueris non ſecanda vena. 769.b
Galenus de ſanguinis alteratione. 730.b
Gal. de ſcopis mittendi ſang. vbi locus ſit. 725.b
Gal. cur venæ ſectionem omiſit in tertiana. 815.b
Galenus ſanguinem mittit in muliere cacochyma. 833.a.
Galeni locus lib. art. med. 250 b
Gal. locus lib. de ſect. cap. 8. 775 b
Gal. locus 3. de Loc. aff. c. 8 842.a
Galeni locus 3. in 6. Ep. 29. ibid.
Galeni locus 3. in. 6. Ep. 43. 846.b
Galeni locus 3. in 6. Ep. 45. 731 b
Galeni locus de ſucc. bonit. & vit. 846.b
Gal. locus 4. de Tu. Val. cap. 10. 723 a
Gal. locus 1. Acut. 45. 783.a
Gal. locus 4. Acut. 25. 707.b
Galeni locus 4. meth 6. 740.a
Gal. locus 4. meth. 6. 751. b. expoſitus ab Adu. 752.a
Gal. locus 5. meth. 14. 832.a
Gal. locus 8. meth. c. 4. 818.a
Galeni locus 9. meth. 11. 729.b
Galeni locus 9. meth. vlt. 777.b
Galeni locus 10. meth. c. 1. 798.b
Gal. locus 11. meth. 14. 778.a
Gal. locus 11, meth. c 15. 807.a
Gal. locus 2. Medic. Loc. 744.b
Gal. locus 1. ad Glau. c. c. 10. & 11. 816.b
Galeni locus 1. ad Glauc. 1. 798.b
Gal. locus de venæ ſect. adu. Eraſiſtrateos. c. 6. 804.a
Gal. locus de ſang. miſſ. c. 6. 832 a
Gal. locus de ſang. miſſ cap. 9. 759.b
Galeni locus de venæ ſectione c. 13. 776.a
Gal. locus de venæ ſectione cap. 14. 780.a
Galeniei loci correctio. 798.a
Galeni excuſatio. 791.a
Galenus an inconſtans. ibid.
Galenus Hippocrati non parcit. 787.a
Galenus in priſcos medicos. 818.b
Galenus in Menodotum. 757.b
Gallicus dolor cur veſperi exacerbetur. 151.b.a
Gargariſma in epilepſia. 63.b
Gargariſma repellens & diſcutiens in angina. 98.b
Gargariſma repellens, ad prolongationem columellæ. 94.a
Gargariſma emolliens columellam laxatam. ibid.
Gargariſmata pituitam ex capite deducentia. 4.a
Gargariſmus ad pituitam eliciendam ex cap. 21.a
Γαργαρισμία. 673.b
Gaudium quomodo ephemeram generet. 326.b
Generatio naturæ operum naturaliſſimum. 538.
Generatio & eſſentia vrinæ. 549.b
Genu humore confluens, quomodo curandum 517.b
Glandulæ quomodo fiant. 534. a. quibus corporis partibus adhæreant. ibid. febres diarias excitant, ibid.
Glandis acrioris exemplum. 17.b
Glaucoma quid. 82 a

Gonorrhæa mulieres an laborent. 265.b
Gonorrhœa à fluxu muliebri quomodo diſtinguatur. 265.b
Græci ſanguinis miſſionem ferè omnes approbant. 526.b
Grando erui magnitudinem tuſſi rejecta. 100.b
Grauidæ otioſæ & deſides ne ſint. 293.b
Grauidis venam ſecare an liceat. ibid.
Grauidæ purgantur. 655.b
Grauidis cur venæ ſectio timeatur. ibid.
Grauida mediis menſibus medicamenta facilius ferunt. 295. b
Grauidas ab bortu præſeruantia remedia. 255.b
Grauidis Hippocr. purgantibus interdixit. 291 a
Grumus ſanguinis ſi vrinam impediat, quia agendum. 542.b
Guaiacum an vino decoquendum. 450.b
Guaiaci boni notæ. ibid. Decoctionis exempla. 451 a
Guidez Arabibus quid. 59.b

H.

HAbitus in curatione animaduertendus. 526.b
Habitus Athletarum cur ſoluatur. 643.b
Hæmorrhagia in ardenti febre. 667.a. b
Hæmorrhagiæ venæ ſectio. 724.a
Hæmorrhagiæ narium cauſæ. 436. b. indicationes. 437. a. Curatio. 440.
Hæmorrhagiæ narium curatio. 89.b
Hæmorrhagia in pueris. 638.b
Hæmorrhagia ſalutaris in morbo crudo. 684.b
Hæmorrhois ſerpens. 239.b
Hæmorrhoides qualis affectus. ibid.
Hæmorrhoidum differentiæ & cauſæ. ibid & 240.
Hæmorrhoides etiam alios humores præter melancholicum profundunt. ibid.
Hæmorrhoidum dolorem lenientia. 241.b
Hæmorrhoides in quibus affectibus aperiēda. 19.b
Hæmorrhoides puerperis an aperiendæ. 212.b
Hæmorrhoidum vtilitas. 243.a
Hæmorrhoides quando cohibendæ. ibid.b
Hæmorrhoides nimium fluentes quomodo curandæ. 244.a
Hæmorrhoidum apertio menſ. s non mouet. 255.b
Hæmorrhoidum ſiccarum curatio. 242.a
Hæmorrhoides calidas demulcentia. ibid.
Hæmorrhoides cæcas aperientia. ibid.b
Hæmorrhoides in phrenitide improbantur. 33.b
Hæmorrhoides in ſcirrho iecoris quando aperiendæ. 185.a
Hæmorrhoides ſuppreſſæ cauſa hydropis. 194.b
Hæmorrhoides quomodo conſuendæ & vrendæ, 245.a. Hæmorrhoides, 666.a
Hæmorrhoides an totum vacuent. 667.a
Hæmorrhoides ferro aperiendæ. 670.b
Hæmorrhoides aut ſponte, aut arte fluunt. 667.a
Hæmorrhoides fluunt duplici de cauſa. 669.a
Hæmorrhoides iuuant morbos melancholicos. 656.b
Hæmorrhoides præſeruant à pleuritide & peripneumonia. 667. b
Hæmorrhoides purgant ſuccum melancholicum. 666.a
Hæmorrhoides quod delirium iuuent. 667.a
Hæmorrhoides ſuppreſſæ aperiendæ. ibid.
Hæmorrhoides venæ ſectione inferiores. 568.b aliquando tantundem valent. ibid.
Hæmorrhoidibus non aſſueſcendum. 670.a
Hæmorrhoidū apertio in viribus debilibus. ibid.
Hæmorrhoidum prouocatio. 666.b
Hæmorrhoidum tractationis epilogus. 671.b
Hauſtus frigidæ à cibo ſumendus. 570.a

Hectica peſtilens. 702.b
Hecticæ febris curatio. 412. b
Hectici noſtro tempore malè curantur. 415.a
Hecticæ vocis ſignificatio. 408. b
Hectica febris quid 808. eius differentiæ. 409.a
Hectica an primis diebus fiat. 410.b
Hecticæ febris ſigna ibid. 411.
Hectica an cum plenitudine. 798.a
Hecticæ an vires conſtent. 797.a
Hecticæ vires non conſtant. 855.a
Hecticæ ſectio venæ non conuenit. 858.a
Hecticæ cur non mittitur ſanguis. 797.a
Hectici cur poſt aſſumptum alimentum incaleſcant. 412.a
Hellius Bellus medicus doctiſſimus. 522.a
Helleborus albus robuſtis præbendus. 474.a
Hellebori nigri vſus. ibid.a
Hellebori nigri doſis. ibid.b
Hellebori nigri ſuccus & eius doſis. 475.a
Hemicrania quid ſit. 11.b
Hemicrania à Cephalæa parum differt. 25.b
Hepar aperientia medicámenta. 197.b
Hepati frigiditatem cómunicat, ſplen, ſtomachus, inteſtina, pulmo, renes, & diaphragma. 572.b
Hepar cur obſtructionibus obnoxium. 174.173.
Hepar obſtruentia quæ ſint. ibid.
Hepatis gibba parte laborante per lotium vacuandum. 176.b
Hepatis intemperici calidæ ſigna. 168.a
Hepatici qui. 169.a
Herculis fœcunditas fabuloſa. 275.a
Hermodactylorum vſus hoc tempore an admittendus. 473.b
Hermodactylorum facultas & vſus. ibid.
Hermolaus. 666.b
Herophontis hiſtoria. 684.b
Hiera cõmodum ventriculo medicamentum, 60.a
Hiera diacolocynth. 48.b
Hiera Logadij. ibid.b
Hiera pro clyſteribus. 478.a
Hieræ auctor quis. 462.b
Hieræ facultas & vſus. 463.a
Hieræ doſis. 24.a.147.b.463.b
Hieræ vſus. 147.a Modus vtendi. ibid.b
Hieræ compoſitio Romæ Galeni tempore. 147.a
Hiera Themiſonis inflammatione cõcocta. 676.a
Hieronymus Cardanus. 672.a
Hieronymi de Ponte Doct. chirurgi de quadam muliere ægrotante iudicium. 526.a
Hieronym. Fornareri Veneti morbus. ibid. defertur ad Magiſtrum ibid. quomodo ſanatus. ibid.
Hippocratis remedium in conuulſione à quibuſdam malè reprehenſum. 34.b
Hippocratis conſuetudo quæ. 323.a
Hipp. locus interpretatus. 98.a
Hipp. vulgaria & omnibus nota prętermiſit. 368.a
Hippocrates cur nihil de peſte poſteris tradiderit. 495.a.b. proprij & perſpicui ſermonis obſeruantiſſimus. 493.a. nihil ex manifeſtis ſcribit 495.a eius de ſanguinis miſſione ſententia. 525.b
Hippocrates in Epid. omiſit venæ ſectionem. 630.b.& cur. ibid.
Hipp. inuenit ſcopum à magnitudine morbi. 651.b
Hippocrates non potuit inuenire omnia, & perficere. 629.a
Hippocrati ne ſyllaba quidem ocioſa. 16
Hippocratis & Galeni ſcribendi ratio. 628.b
& in iis legendis conſilium. 626 b
Hippocratis laus. 625.b
Hippocratis locus reſtitutus. 694 b
Hippocratis ſementis eget agricols. 622.a
Hippocratis præſtantia. 720.a.& doctrina. ibid.
Hipp.& Gal. ſententia cæteris præferenda. 737.a
Hipp. & Gal. diſſentientes in cuſsanda pleuritide. 854.a
Hipp. inuentor ſcopi à magnitudine morbi. 833.b
Hipp. de ſcopo magnitudinis morbi. 751.b.
Hipp. an meminerit trium ſcoporum ſectionis venæ. 591.b
Hipp. de anteuertendis morbis. 805.b
Hipp. de pleuritide. 765.a
Hipp. ſententiarum cenſura. 787.a
Hippocratis locus de Pythione. 733.a b
Hipp. locus 3. in 3. Epid. 48. 731.a.b
Hipp. locus 2. Acut. 10.& 11. 764.a
Hipp. locos 4. acut. 19. 792.b
Hipp. de purgatione principio morborum. 187.b
Hirudinariorum cautio. 568.b
Hirudines ad Hæmorrhoidas. 666.a
Hirudines qualem ſanguinem ducant. 670.b
Hirudinum ad hæmorrhoidas pericula. 671.a
Hirudinum vſus in hæmorrhoidibus, earum vis & prærogatiua. 528.a
Hiſpani pueris venam ſecant. 638.b.573.a
Hiſtoria colicæ bilioſæ. 217.a.b cuiuſdam tertiana notha laborátis. 388.b. Galeni de Romana muliere ex catartho ſanguinem ſpuente. ibid.
Hiſtoria Romanæ mulieris profluuio menſium laborantis. 266.b
Hiſtoria de hydropico. 197.a
Hiſtoria hydropici maluatico reſtituti. 201.a
Hiſtoria de ruſtico ab hydrope liberato. 200.b
Hiſtoria mulieris grauidæ. 289.a
Hiſtoria de verme deiecto. 290.a
Hiſtoria Anaxionis Metonis. 684. b. Herophonis. ibid. eius qui in Dealcis horto. ibid. L. Marij. 175.b. Cleonactidis. 715.a
Hiſtoria cuiuſdam herbæ ab agricolis peſte graſſante inuentæ. 535.a
Hollerius de venæ ſectione in morbis frig. 841.a
Homo ſolus varium pariendi tempus habet. 290.a
Homo qua ratione immortalis. 436.b
Homo temperatus cur faciliùs febre corripiatur quam intemperatus. 318.a
Homo quatenus animal rationale. 502.b
Homines cur potius quã alia animantia peſte corripiantur ratio nulla reddi poteſt. 498 a. 599.a
Hominem conſtare ex quatuor humoribus ex Hippoc. 855.a
Hora acceſſionis humorem prodit. 15.b
Hordei vſus varij. 372. b. 373.a. Qualitas. ibid.
Horrenda fiunt omnia in peſte. 501.a
Horror quid. 413.a
Humida corpora peſtilentiæ obnoxia. 515.b
Humidæ intemperici iecoris vtilia. 174.a
Humoris ſpecies ac ſitus quid indicet. 680.a
Humor omnis putreſcens naturam grauat. 658 a
Humor peccans euacuandus. 576 a
Humorum abundantiæ indicatio. 649 a
Humorum conſideratio in venæ ſectione. 674.a
Humorum duo genera. 686.b
Humorum obſtruentium fluxus. 659
Humorum qualitas an purgandum cogat. 695.b
Humorum qualitas in vena ſecanda. 645 a
Humorum tenuitas aut craſſities ad purgationem. 704.b. tenuium diſtinctio. 706.a
Humores confuſi quomodo curandi. 352.a
Humoris exceſſus peſtis cauſa. 497.a
Humores pituitoſi quomodo præparandi. 266.b
Humores putreſcentes extra venas efficiunt febrem intermittentem. 248.b
Humores in corpore quomodo generentur. 333.a
Humores bilioſi iecoris vitio maximè generantur. 265. b
Humores in tunicis ventriculi impacti, nauſeabundos faciunt. 142.b

Humores ſecundi qui dicantur. 409.a
Humores in morbi Gallici curatione ſæpe omnes reſpiciendi. 447.b
Humores omnes purgantia. 484.b
Humores per locum affectum non ducendi. 231.a
Humorum motus ad horas diei diſtinctus. 356.a
Humorum coctio in hydrope nō attendenda. 197.b
Humorum copia in pleuritide quomodo deprehendatur. 210.a
Humor melancholicus per aduſtionem factus eſt frigidæ complexionis. 575.b. 576 a. tamen à quacunque leui cauſa calefaciente facillime inflammatur. ibid.
Humoris melancholici multiplicatio, non fit ob debilitatem attractiuæ ſplenis. 585.b
Humores fluentes an purgandi. 707.b
Humores frigidi & crudi an impediant venæ ſectionem. 645.b
Humores non turgentes principio non purgandi. 686.a
Humores quando purgandi. 710.a
Humores quo morbi tempore turgeant. 686.a
Humores rarò turgent. 681.b
Humores tenues an principio purgandi. 505.a
Humores tenues an ſurſum vergant, craſſi deorſum. 889.a
Humores peccant vel qualitate, vel quantitate, vel vtraque. 640.b
Humores tenues crudi ſont. 704.a
Humores turgentes futuri. 709.a
Humores turgentes qui. 690.a
Humores turgere. ibid.
Humores turgere an poſſint in febre intermittente. 677.b
Humoribus craſſis an ſolis coctio debeatur. 705.a
Humores naturales & excrementitij. 839.a
Humores quatuor inter ſe diſtincti. 835. b. contra Aduerſ. ibid.
Humores lenti, craſſi, multi ſunt ipſa cacochymia. 820. b
Humores ſecundum naturam qualitate, & quantitate. 839.b. & 840.a
Humorum conſideratio in venæ ſectione. 744.a
Humores an diſtinguant, an purgandum, an ſcanda vena. 855.b
Humores ad venæ ſectionem faciunt ratione vitium. 831.b
Humores crudi extra venas vt ſectione venæ euacuentur. 830.b
Humorum corruptela duplex. 832.b
Humores corrupti prohibent venæ ſectionem ratione virium. 730.a
Humores putridi an venæ ſect. euacuentur. 810.a
Humores frigidi & phlegmatici fiunt à diminuta caliditate. 573.a
Humorum ſumma putredo in peſtilentia. 525.a
Humorum agitatio quid Galeno. 553.b
Hydatis quid. 128.b
Hydrops quid ſit. 190.b
Hydrops thoracis. 215.a
Hydrops per conſenſum. 191.b
Hydrops veri quid 388.a cauſæ & ſigna. ibid. b. à vero hydrope quomodo diſtinguatur. 289.a curatio. ibid. & b
Hydropis generatio quæ 191.b. iecore non affecto fieri an poſſit. ibid. ex cauſis calidis an fiat. ibid.
Hydropis differentiæ. 192.b. ſpecies quot ſint. 193.a cauſæ. ibid.
Hydropis tres differentiæ ſæpe inter ſe miſcentur. 195.a
Hydropici quomodo vacuandi. 196.a
Hydropicos purgantia remedia. 198.a
De Hydropis ſpeciebus.
In aſcite vel tympanite non tumet totum corpus ſed venter tantum. 572. b. Illa ſpecies hydropis in qua ſuperabundat humiditas, Aſcites appellatur. ibid.
In Hypoſarcha tumet totum corpus. Ibid. Complexio frigida & humida hepatis & præſertim frigida cauſa Aſcitis, Tympanitis & Hypoſarchæ. ibid. b. Sicut lethargia ſimiliter, quæ imperficit operationes motiuas. ibid. In morbo Hypo archæ ſimiliter operationes motiuæ imperficiuntur. ibid.
Hydrops fit vel propter excedentem hepatis frigiditatem, vel propter frigidi ſanguinis ſuperabundantiam. ibid.
Hydrops fit in mulieribus etiam propter immoderatum fluxum hæmorrhoidarum & menſtruorum ibid. Auicennæ ſententia quod Hypoſarcha fit etiam à cauſa calida & quod falsò eam aſcribit Galeno. ibid. & 573.a
In Hydrope ſimplici ſemper adhibenda ſunt remedia calida. ibid.
Hydrops ſimplex quomodo intelligatur. ibid.
Hydropis cum alio morbo coniunctæ habenda cura duplex. ibid.
Hypoſarca ſpecies hydropis omnium aliarum ſpecierum humidiſſima, & frigidiſſ. ibid.
Hypoſarcha de genere morborum qui longitudine temporis ſolent perdurare. 574.a
In Hypoſarcha phlegma aquoſū ſuperabūdat. ibid.
Hydropis exemplum. 769.a
Hydropi cur non conueniat venæ ſectio. ibid
Hydrope cur non ſecanda vena. 649.a
Hyeme difficilius pariunt mulieres. 297.a
Hypochōdriaci melāchòlia & delirio laborāt. 68.b
Hypoſtaſis quid. 559. a. eadem tam in ſanis quam in ægris. ibid.
Hypothetica non dicit verum aut falſum. 824.a

I.

Iacchinus de venæ ſectione in febribus. 657.b
Iachinus. 729.a
Iachini defenſio. 755
Ἰδέαι, Ariſtoteli. 651.b
Ichores differunt ſecundùm naturam humorū. 7.a
Icterus vnde dictus. 186.a.b. cauſæ ibid.
Icteri definitiones & differentiæ ſigna. 187.a.b
Icterus mixtus fit laborante iecore & liene. ibid.
Icteri nigri curatio. 190.a
Icteros ex venenis quomodo curandus. ibid.
Ictimos anis. 186.b
Idem vnī per accidens, alteri per ſe. 652.b
Idem poteſt facere contraria. 839.a
Iecur coſtis nothis connexum. 766.b
Iecur vniuerſo corpori frigiditatē cōmunicat. 308 b
Iecur roborantia medicamenta flagitat. 169.a
Iecur corroborantia in hydrope. 200 b
Iecor lupinum an hepati humano ſubueniat 174.a
Iecoris officium. 165.b
Iecoris ſitus, forma, ibid.
Iecoris ligamenta. ibid.
Iecoris morbi. 166.a
Iecur in ſiniſtra parte repertum eſſe, nugæ. 165.a
Iecur an ſentiat. 167.a
Iecoris ſubſtantia ſcirrhis opportuna. 183.a
Iecoris calida intemperies qualia poſtulet medicamenta. 170.a
Iecoris intemperiem frigidam tollentia. 173.a
Iecoris frigidi curatio. 172.b
Ignem factum efficiens humor. 492.b
Ignes accenſi cum olentibus cotonis & floribus aërem putum faciunt. 510.b
Ignis perſicus quid. 532.b

Ignis curat quæ ferro non curantur. 517.b
Ignis vltimum remedium. ibid.
Ileos quid 219.b. familiaris pueris. 221.a
Ileos poteſt & in tenuibus & craſſis inteſtinis conſiſtere. 220.a.b
Ilei cauſæ & ſigna. ibid.
Imaginatione attentiſſima an quis fieri poſſit melancholicus. 67.b
Imbecillitas nomen eſt commune. 169 a
Imbecillum quid. 139
Imbecillitas cauſæ. ibid.
Imbecillitatis partium cauſæ. 336.a
Imbecillitas facultatis duplex. 334.b
Imbecillitatis ventriculi cauſæ. 140 b
Imminuta curatio communium morborum. 500.a
Immoderatum exercitium eſt labor. 602.a
Imperfectionis mulierum cauſa. 248.a
Imperforatæ quæ. 276.a
Impetus graſſantium morborum ſemper conſiderandus. 501.a
Impura corpora quo plus nutriuntur eo magis læduntur. 530.b
Inappetentia ex cacochymia. 727.a
Inchoantibus morbis ſi quid mouendum, moue. 685.b
Inclinatio naturæ à medico obſeruanda. 525.a
Incubus quid. 63.b
Incubi & Succubi creduntur Auguſtino. 64.a
Incubi differentiæ. ibid.b
Incubus per conſenſum quomodo curandus. 65.a
Indicatio à partis poſitu quid doceat. 526.b
Indicationibus ac ſcopis curatio. 369.a.b
Indicatoria ſigna non protinus apparent. 528.b
Indicantium magnitudo duplex. 624.a
Indicatio ab eo quod non eſt an detur, & quomodo. 635.b
Indicatio ab humorum abundantia. 649.b
Indicatio à magnitudine morbi præcipua eſt. 632.b
Indicatio à morbi magnitudine eſt præſeruatiua. 636.b
Indicatio à morbo futuro. 628.b
Indicatio à morbo futuro an præſeruatoria. 636.a
Indicatio curandi inter contraria. 632.a
Indicationes à morbo magno duæ. 636.a
Indicationes doloris capitis ex vulnere. 634.b
Indicationes febrium putridarum. 674.b
Indicationis natura quæ. 749 b
Indicationis natura non euidens. ibid.
Indicatio eſt ratio. 750.b
Indicatio quæ eſt methodi principium. 830.a
Indicationes an per ſe notæ. 750.b
Indicationes communes omnibus notæ. 94
Indicationes an biuis communes 749.b
Indicatio non ſumitur à communibus notionibus. 830.a
Indicationes omnes expendendæ. 849.b
Indicationes ad remedia actu vſurpanda. 739.b
Indicatio prima à morbo. 850.a
Indicatio vnius vna. 755.a
Indicatio vrgentis cæteris præfertur. 709.b
Indicationes diſſentientes. 167. vt conferendæ inter ſe. ibid.
Indicate modo contrario. 724.a
Indicatio communis aduerſario ignota. 738.b
Indicatio particularis & propria. ibid.a
Indicatio propria magni morbi. 740.a.b
Indicatio magnitudinis morbi an præſtans. 749.b
Indicationis à magnitudine morbi prꝑſtãtia. 830.b
Indicatio venæ ſectionem ex Aduerſ. 755.a
Indicationis dignitas ex morbi vehementia. 850.b
Indicatio communis magni morbi. 457.b
Indicatio à parte, & à morbo magno ratione partis differunt. 739.b
Indicationes inuenire quid ſit. 467. 478
Indicationes vnde deſumendæ. ibid.
Indicationum neceſſitas. 149.a
Indicationes curandi vnde deſumantur. 2. a. 149.a 319.a
Indicationes morborum omnium, qui ex fluxione humorum oriuntur. 110.a
Indicationes curandi febres putridas quæ. 349.b
Indicationes curatiuæ à tribus deſumuntur. ibid.a
Indicationes vnde deſumantur. 149.a
Indicatio ab intemperie cum materia, & ſiue materia. 727.b
Indicationes contrariæ in febribus. 798.b
Indicans venæ ſectionem in febribus. 856.b
Indicatio & à febre & à putredine an doceat mittendum ſanguinem. 798
Inflammationi venæ ſectio. 733.a
Inſtantia quid. 822.b
Inſtrumenta fidei faciendæ. 750.b
Intemperies magna vires deficit. 261.a
in Intemperie an ſecanda vena, ibid.
ὄγκος. 745.a
Inedia appetitum reſtituit. 159.a.b
Inedia maxime confert ad coctionem morbi. 345.b
Ineddiæ viribus officiunt. 355.b
Infantes lactentes quandoque purgantur. 653.b
Inferiora ſuo contrario non carent. 499.b
Inferiores venæ quando non ſecandæ. 527.a
Inferioribus partibus laborãtibus quid agendũ. ib.
Inflammationis internæ curandæ ſcopi. 708.a
Inflammationis principio non purgandum. ibid.
Inflammationis acceptio multiplex. 106.a
Inflammatio ex calidi ſanguinis fluxione fit. 93.a
Inflammatio quomodo fiat. 178. 179.a
Inflammationis iecoris differentiæ, Signa. ibid.
Inflammationes quomodo fiant. 77. 78.a
Inflãmatio incipiens quomodo prohibẽda. 92. 93.a
Inflammatio iecoris quomodo à pleuritide diſtinguenda. 109.a
Inflammatio pulmonum periculoſa. 120.a
Inflammationes omnes membrorum principalium morbi ſunt acuti & periculoſi. 180.b
Inflammatio gibbæ iecoris partis magis periculoſa. ibid.
Inflammatione ceſſante ſuperſtes vlcus quomodo curandum. 333.b
Inflationis vterinæ cauſæ 286.b. ſigna 287 a
Inflationis vteri curatio. ibid.
Influxus bonos & malos quinã acceptauerint. 496.a
Infrigidans Gal. quomodo adhibendum. 376.b
Inguina iecoris excrementa facile recipiunt. 88 a
Inguinum tumores. 506. b
Inguinum bubones quomodo curandi. 527. a
Inguinum bubones quid indicent. 534. a
Initia peſtis non ſunt peſtis. 502.b. 503.a
Initia morborum cognitu difficilia. ibid.
Inſania lupina quid. 74. a
Inſenſibiliter vacuantia hydropicos. 200.a
Inſeparabiles febres in acutis morbis. 493.b. 494.a
Inſpiratio, quid efficiat. 515. b
Inſpiratio peſtilentiæ potiſſimùm cauſa. 497.a
Inſtrumenta reſpirationis plura. 103.a
Intemperies duplex. 100.b
Intemperies calida & humida putredinis morbi expoſita. 358.b
Intemperies curatu faciles quæ. 141.b
Intemperies ſicca in ægris idem eſt quod ſenium in ſanis. ibid.
Intemperies ſine materia & cum materia quæ dicantur. 146.a
Intemperies nulla tollitur ſine totius corporis prouidentia. 168.b
Intemperies ventriculi ſexdecim. 140.b

Intemperies inæqualis probatur à Gal. 141.a
Intemperies contraria in eodem ſubiecto eſſe nequit. 141.a
Intẽperies ſola non poteſt melãcholiã efficere.67.b
Intemperies ventriculi calida non poteſt eſſe cauſa immodici appetitus. 160.b
Intentio ſumpta curatiua à naturali complexione eſt cor calefacere non multum intenſa calefactione. 584.b
Intentio pro remouenda triſtitia,& lætitia cauſanda. ibid.
Interitum celerem qui portendat. 501.a
Intermittẽte febre an humores turgere poſſint.709
Interpretibus non temere fides adhibenda. 520.b
Inteſtinum lupi ad colicam. 218.b
Inteſtinorum diuiſio & vſus. 207.a
Inteſtinorum ſubſtantia, & morbi. ibid.b
Inunctiones Gallici morbi cauſa. 521.b
Inunctiones in morbo Gallico quomodo inſtituendæ. 448.b
Io.Baptiſta Raſarius interpres diſertiſſimus.520.b
Ioannes Nicolaus Rogerius. 653.b
Ioannes Paulus Caſatius. 632.a
Ioannes Vincentius Pinellus. 661.a
Ioannes Fernelius vide *Fernelius.*
Ioannes Iacobus Magnus 673.a. ſcripſit de Malleolorum ſcarificatione. ibid.
Ioſephi Canati Vicentini hiſtoria. 562.a
Iris naturales ſuas cauſas habet. 504.b
Iridis rad. facultas. 470.b
Iridis ſuccus. ibid.
Iſchæmum certiſſimum. 91.a
Iſchuria Græcis quid. 538.a
Iudicatoria non iudicantia, &c. 684.b
Iugulares venæ & arteriæ. 41.b
Iulius Alexandrinus. 622.b
Iun. Paulus Craſſus. 648.b
Ius galli veteris in aſthmate commendatur. 105.b
Ius galli antiqui quomodo parandum. 552.b

K.

Κακοχυμίας vis ad morbos generandos. 846.b
Κατοχὴ, κατάληψις, 742.b
Καθ' ἕξιν quid ſignificet. 112.a
Καῦσος nomen quid ſignificet. 391.a.748
Kermes abortum præcauet. 295.b
Kiſch hordei quid. 370.a
Κίττα quid. 161.b

L.

LAbores cibos præcedere debent. 514.b
Lac aſiuæ. 707.b
Lac dyſenteriæ optimum remedium. 234.a
Lac in dyſenteria cautè exhibendum. ibid.
Lac hecticis alimentum & medicamentum. 414.b
Lac optimum quod. 415.b
Lac humanum & aſininũ in melãcholia vtile.71.b
Lactis facultates. 125.b
Lac humanum phthiſicis vtiliſſimum. 126.a
Lac aſininum tenuiſſimum eſt. ibid.
Lac quibus noceat. ibid.
Lactis vſus in ſicca corporis intemperie. 144.a
Ladanum ex oleo lentiſſ. celeberrimum ad capillorum defluuium. 6.a
Lætitia quid. 583.a.b
Lambitiua quæ dicantur. 101.b
Lambitiuorum vſus. 112.b.113.b
Lapis tuſſi reiectus. 100.b
Lapilli ex vtero monialis reiecti. 209.a
Latini interpretes confuſionem pariunt. 640.a
Latini ferè omnes ſanguinis miſſionem approbant. 525.b
Lazareti veſpillones. 533.b
Legere ſtatim à cibo pernicioſum. 572.b
Legumina flatulenta fugienda. 571.b
Λειποθυμία 698.b
Λειποψυχία. ibid.
Lemni peſtilentia. 504.a
Lemnia terra. 517.b
Lemoſius. 658.b
Lemoſius de venæ ſect.in febribus. ibid.
Lemoſius ſcripſit commentaria in 11.libros Methodi. 684.b
Lenientia aluum modico ante prandium tempore ſumenda. 547.b
Lenientium ſimplicium catalogus. 662.b
Lenienti ante coctionem. 713.a
Lenientia copioſa tranſeunt in ſoluentia. 685.a
Lenientia dicta ſunt clyſteria ventriculi. ibid.
Lenientia non mouent. 680.a
Lenientia non purgare ad animi defectum. 799.a
Lenientia omni morbi tempore. 685.a
Lenientia poſteriorum. ibid.
Lenientia priſcis vſitata. ibid.
Lentium facultas. 19.a
Lentium decoctum in periculis. 433.b
Leonardus Iacchinus.74. Vide *Iacchinus.*
Leonicenus. 636.a.722.a
Leoniceni, & Plantij defenſio. 844.a
Leonicenus Galeni interpres. 495.b
Lepræ curatio. 519.b
Lethargi natura ex Aduerſ. 712.a
Lethargus affectus frigidus.758.a.calidus ex Aduerſ. 744.b
Lethargi curatio. 742.a
Lethargo an vena ſecanda. ibid.b
Lethargo venæ ſectio.. 841.b
Lethargo cur vena ſecetur ex Aduerſ. 742.b
Lethargi ſigna. 36.b
Lethargus an inflammatio. 36.a
Lethargi eſſentia, differentiæ, cauſæ. 36.a.b.37.a
Leuiora remedia præcedere debent. 726.b
Liber de Opt. ſecta ad Thraſib.non eſt Gal.751.a
Lien membranæ ſuccingenti nõ cõmunicari. 766
Lienis vſus. 201.a
Lienis compoſitio 201.b. Morbi. 202.a
Lienoſi qui veteribus dicti. 202
Lienoſi magnam vtilitatem ex venæ ſectione percipiunt. 202.b
Lienis ſcirrhum diſſoluentia. 205.a.b
Lienteria vnde dicta. 224.a
Lienteriæ definitio. ibid.
Lienteriæ differentiæ & curatio. 225.a.b
Lignum guaiacum an occulta proprietate gallicos ſanet. 449.b
Ligni guaiaci vſus in ſubſtantia. 453.b
Ligni guaiaci decoctum morbum gallicum non curat. 445.b
Ligni decocto purgantia non commiſcenda.450.a
Ligni tetros vapores emittentas abiiciendi. 536.b
quinam ſint illi. ibid.
Λιμὸς quid. 507.b
Linacri verſio correcta.642.a.defenſio. 826.a
Linguæ vſus, & morbi varij. 95.a.b
Linimentũ ad auriũ dolorẽ ex frig.intemperie.85.a
Linimentum ſiſtens ſanguinem. 90.b
Linimentum ad ſcirrhum lienis. 206.a
Linimentum reſoluens. 183.a
Linimentum pro vtero corroborando. 281.a
Linimentum ſtupefaciens in doloribus auriũ.186.
Linimentum pro ſcirrho. 186.a
Linimentum cordiale. 130.a
Linimentum reſoluens materiam pleuriticam.110.b
Lipothymia differt à ſyncope. 130.a.131.b
Lipothymia & ſyncope differunt. 396.b.699.a
Lippitudo quid. 77.78
Lixiuio lauari quæ non poſſunt, quomodo purganda. 536.b

Localia

Localia ante vacuationes totius nõ adhibẽda. 831.b
Localia medicamenta neutiquam adhibenda ſine totius corporis purgatione. 93.a
Lotio capitis in paralyſi. 49.a
Lotio capitis ad conciliandum ſomnum. 34.a
Lotij retentionis cauſæ. 540. 546.b
Lotium hominis interdum peſti aduerſatur. 498.b
Lotia nebuloſa, & craſſa Hippocrati. 715.b
Lotij obſeruatio pro venæ ſectione. 603.b
Lotij vis. ibid.
Lotium prouocantia. 182.b.183.a
Lotiones crurũ ad menſes euocandos faciũt. 257.a
Ludouicus Lemoſius. Vide *Lemoſius*. 257.a
Ludouicus Mercatus. 684.a
Lues venerea quid & qoomodo generetur. 617.a falſum eſt aſſerere in ea iecur eſſe affectum. ibid.
Lumbrici ad præciſos neruos glutinaodos faciuot. 49.a
Luna omniũ fere circuituum inferiorũ caoſa. 439.a
Lunæ & aſtrorum conſideratio noo pertinet ad medicum. 340.b
Lunaticus morbus vnde dictus. 55.b
Lupulus auctori ſuſpectus. 177.b
Lutum thermarum hydropicis vtile. 200.b
Luxus noſtrorũ temporũ quæ mala adferãt. 529.b
Lycanthropia quid 74. b. eius curatio. ibid.
Lycanthropicis ſanguis ad animi vſque deliquium mittendus. 74.b
Lyſimachia pelliboſſa ſeu peſtifuga à ruſticis quibuſdam appellata. 535.a
Lyſimachia bubonibus conducit. ibid.

M.

MAcies ex cacochymia. 833
Μακρὰ ἔμφραξις. 820.b
Μακρὸν vnde dictum & an ſignificet magnum. ib.
Maculas in cadaueribus quid cauſet. 506.b
Magnitudo dicitur ad aliquid. 86.b
Magnitudo de qualitate. 745.a
Magnitudini morbi an addenda plenitudo. 86.b
Magni morbi ſcopus princeps. 742.a
Magnitudinis morbi indicatio duplex. 840.a
Magnitudini morbi indicatio ab indicatiooe morbi diſtincta. 632.a
Magnitudinis vlceris indicatio. 633.a
Magnitudo morbi an per accidens indicet venæ ſectionem. 651.b
Magnitudo an per ſe accidat morbis. 653.b
Magnitudo morbi an quantitas. 652. b. ao indicet primùm ſectionem venæ, deinde purgationem. 661. a. an indicet venæ ſectionem. 631.a
Magnitudo morbi indicat per ſe. 652.a
Magnitudo morbi quomodo indicet venæ ſectionem & purgationem. 654.a
Magnitodo morbi triplex. 622.b
Magnus morbus ponitur io defioitione ſectionis venæ. 652.b
Magni morbi indicationes duæ. 636.a
Magni morbi notio duplex. 634.b
Μαίνεσθαι. 667.b
Maiora remedia vltimis morbis adhibenda. 524.b
Maioris natura duplex. 624.a
Malacia grauidarum Plinio quid. 162.b
Maleficium ſterilitatis cauſa. 278.b
Maligna qualitas. 695.b
Malignitas peſtilens. 693.b
Maligoum & peſtilens an idem. 416.b
Magni morbi qui. 740.a
Malignis febribus an ſecanda vena. 859. ſebribus vena oon ſecanda, dubitatio. 453.a
Malleolorum ſcarificatio. 569.a
Malleolorum ſcarificatio Ægyptiis, & Syris. 673.a
Malleolorum ſcarificatio educit ſanguinem tenuem. 674.a
Malleolorum ſcarificatioois vſus. ibid.
Malleolorum ſcarificatio totum euacuat. 672.b
Malleolus qoæ pars cruris. 673.b
Μαλθακώδη φάρμακα. 688.a
Μαλθαίνειν. ibid.
Malum vrgens quid. 616.a
Mammarum & vteri cooſenſus. 251.a
Mammæ extenuatæ cur abortum prænuncieot. 293.a
Manardi modi duo præbendi decoctum ligoi guaiaci. 454.a
Manardus. 682.b
Manardi rationes pro minoratione. 693.a
Manardi antidotus. 518.a
Mane membra omnia fortiter extendenda. 571.b
Mania. 666.b
Maniæ defioitio, cauſæ & ſigna. 73.74.
Maniaci ioordinata corporis motione mouentur. 73.b.74.a
Manna Græcorum & Arabum differuot. 460.a.b
Mannæ qualitates & differentiæ. ibid.
Manna quibus morbis conueniat. ibid.
Mannæ doſis & vſus. ibid.
Manna vitanda in bilioſis affectibus. 19.b
Manus quomodo medico exhibenda. 498. b. eiuſdem applicationis differentiæ. ibid.
Marcus Aotonius Montiſianus. 657.b
Margaritarum vis. 426.a
Mariſcæ quid. 240.b
Martiani errores refutati. 520.b
Mas & fœmina quomodo inter ſe differant. 246.b. 247.a
Mas omnes operationes habet robuſtiores fœmina. 248.a
Maſſa de venæ ſectione in febribus. ibid. a
Maſticatoria ex quibus componantur. 4.b
Maſticatorium 21.a
Materialis indicatio. 651.b
Materia peccans in pleuritide qoomodo cognoſcatur. 109.b
Materia ooxia tranſmiſſa fit morbus per conſenſum. 14.a
Materia intercepta fit marbus per conſenſum. 14.a
Matricaria quæ. 616.a
Matthæi Villani peſtilentia quanta. 505.b
Meatus vrinarius quomodo obſtruatur. 539.b
Medicamenta attractoria in angina. 694.b
Medicamenta coctioni inimica. 711.a
Medicamenta diuretica. 706.a
Medicamenta in India. 685.a
Medicameota purgantia ouoquam ſunt lenientia 774.a
Medicameotorum diſtinctio ex Manardo. 682.b
Medicamenta cito & tarde ſoluẽtia nõ iũgẽda. 3.a
Medicamenta turpia vitanda ingenuis. 9.b
Medicamentorum gradus diuerſi. 22.b
Medicamenta phthiſicorum interna. 126.b
Medicamenta quæ menſes prouocant ſunt calida, minimè verò ſicca. 616. a. diuretica ſuot calida & ſicca ex ſent. Gal. ibid.
Medicamentum porgaos quotuplex. 679. a. Vide *Purgans*.
Medica opera conjecturalia. 701.a
Medicinæ partes duæ præcipuæ. 649. a. & diuerſa earum officia. ibid.
Medici primarij ſententia. 644. inconſtantia. 161. a. confutatio. ibid. b
Medicorum recentiorum mos. 697.a
Medicus naturã quãdo imitetur, quãdo nõ. 710.b
Medicus naturæ hoſtis qois. ibid.
Medicus quinquagenarius Galeni. 638.b

Medicus debet non ſolum morbum & cauſas inueſtigare, ſed etiam modum quo generatur. 581. b. Ad tria debet reſpicere, ex intentione Gal.in omni ægritudine remouenda, & quæ ſint iſta. 576.a
Medicus naturæ bene operantis, non male, miniſter eſt. 231.a
Medicus facit, quod natura nequit efficere. 397.a
Medicus naturam imitari quando debeat. 356.a
Medici ſolertia requiritur. 79.b
Medici rationales in quo à cæteris differant. 349.a
Medici pneumatici. 100 a
Medici non tenentur vnam ſemper compoſitionem ſeruare 3.b
Medici quos morbos conſiderent. 64.a
Medici rationales indicationibus diſtinguuntur ab Empiricis. 149.a
Medicorum vnicus finis curatio. 10.a
Medici & Oratoris ac Dialectici differentia. 837
Medici munus. 750.b
Medicus naturæ imitator. 637.b
Medicus tutò, citò, iucundè ſanare debet. 836.a
Medicorum error. 858.b
Medicorum diſſidium de vena ſecanda. 829.b
Medici falſas poſitiones ſectati. 857 b
Medicus poſitiones contrarias ſequi non debet. 857.a
Medici Hippocratici & Galenici ab aliis vt diſſideant. 727.a
Medici ab officio deficientes. 502.a
Medici nomina ſæpenumero confundunt. 524 a
Medicorum munus quale. 523.a
Medicus miniſter & imitator naturæ. 525.a. quæ tamen conditione. ibid.
Medicus quid ſedulò animaduertere debeat. 526.a
Medicus quidam ignarus canthatidibus de alieno corio miſere lupit. 544.a
Mediocritas in omnibus ſeruata vtilis. 571.a
Medulla ſpinalis non habet manifeſtam diuiſionem. 46.a
M[illegible]. 745.a
Mel frigido corpori vtile. 145.a
Mel violatum ſolutiuum. 464.a
Melancholia num putreſcere poſſit. 336.b
Melancholia. 666.b
de Melancholia ſcripſit Author. ibid.
Melancholicus humor duplex. ibid.
Melancholiam abſtergens eiectuarium. 570 b
in omni Melancholia datur corruptio operationum virtutis ſenſitiuæ interioris. 583.b
Melancholia cur quarta die conceruetur. 340.a
Melancholia à dæmone fieri an poſſit. 67.b
Melancholia hypochondriaca quid. 68.b
Melancholia acida famem producit. 160.b
Melancholia eſt ſpecies delirij. 67.b
Melancholiæ definitio 65.a. Differentiæ. 67.b
Melancholiæ ex conſenſu totius corporis curatio 72.a
Melancholiæ ſigna triplicia. 69.b
Melancholiæ hypochondriacæ ſigna. 70. b. Curatio. 71.b
Melancholiam purgantia. 4.a
Melancholiam in morbo gallico concoquentia & euacuantia. 447.a
Melancholiam concoquentia. 22.a.205.a
Melancholiam purgans potio. 190.a
Melancholici magna ex parte epileptici. 56.a
Melancholici præbendis medicamẽtis fallendi. 73.a
Melancholicorum ex dæmone ſigna. 69.b
Melancholicum humorem præparantia. 72.b
Melancholicus humor non eſt cauſa lethargi. 37.a
Melancholicus ex vulnere in capite accepto bene habuit. 73.b
Melca cibus Romanorum. 143.a
Mellita in febribus vitanda. 376.b
Membrana ſuccingẽs coſtas an diuidi poſſit. 107.a
Membranarum dolor qualis. 15.b
Memoria quid Ariſtoteli. 67.a
Menodorus 641.b
Menodotus de venæ ſectione. 738 a
Menſæ inæquales eſſe debent. 571. a. prioris error ſequentis parſimonia corrigitur. ibid.
Menſes euocantia remedia. 256.a
Menſes ſuppreſſi, itemque immoderate fluentes cauſa hydropis. 193.b
Menſium fluxus ordinatos mulieres à multis morbis præſeruat. 437.a
Menſium ſuppreſſio multa pericula affert. 249.b
Menſium ſuppreſſionis cauſæ. 150.a
Menſium ſuppreſſio à quibus cauſis fiat. 615.a
Menſibus ſex menſes ſuppreſſis, malum ſit incurabile. 252.a
Menſium profluuij ex ſanguine acriori, curatio. 516
Menſium immoderati fluxus cauſæ. 255.a
Menſiũ retẽtio perpetuo offendit puerperas. 299.a
Menſtrua quid. 437.b
Menſtrua quando incipiant mulierib. 248.b
Menſtrua quot dies fluant. ibid.
Menſtrua an ſingulis menſibus fluant. 249 a
Menſtrua immodica ſiſtentia. 262.b
Menſtrua alba quæ dicantur. 264.a
in Mẽſtruis albis varia sũt excremẽta. 264.b.265.a
Menſtruæ purgationes mulierum vnde. 339.b
Menſtrui fluxus immo dicicuratio. 260.b
Menſtrui ſanguinis quantitas quæ. 258.a
Menſtrua cur dicta Purgatio. 833.b
Mentha an ventrem ſtimulet. 292 a
Mentum & oſſa peſte denudata. 495.b
Mercatus. 684.b
Mercurialis de cucurbitulis dorſo applicandi. 856
Mercurialis taxatur. 265.a
Mercurialis opinio, in omni peſte orbem vniuerſum neceſſariò laboraturum 519 b
Mercurialis doctiſſimus & humaniſſimus. 503.b. eius commentaria de peſtilentia authori dono miſſa. ibid.
Mercurialis opinio de aëris qualitate. 507
Mercurialis opinio de febre peſtilenti. 494.a
Meretrices cur rarò concipiant. 277.b
Meſue & Auicen. arguuntur. 112.a
Μεταϲύγκριϲιϲ quæ dicantur. 23.a
Metonis hiſtoria. 702.a
Meton liberatus ſine coctione vrinarum. 683.b
Methodus Gal. curãdi omnes inflãmationes. 180.b
Methodus curandi inflammationes. 93.a
Methodus inquirendi locum affectum in ſputo ſanguinis. 119.a
Method⁹ ſeruãda in quolibet morbo ex fluxu. 16.b
Methodus curãdi omnes morbos perſpicua. 149.a
Methodus curandi omnes morbos. 350.a
Metrenchyta. 262.b
Minorantiom error. 686.a
Minorario recẽtiorum. 683.a. ſectione venæ. 686.a
Minoratiua euacuatio. 697.a
Minoratiua purgatio. 683.b
Miracula efficere non eſt medicorum munus. 523.a
Miſtio medicamentorum cur fiat. 521
Mithridatium vbi optimum. 517.a.b. eiuſdem vires & facultas. ibid.
Mittere ſanguinem in genere ea Adu. 795 b.
Modum excedens omne malum. 515.a
Mola quid. 283.a
Molæ differentiæ ibid. cauſæ. 284.a
Mola ſine viri ſemine fieri non poteſt. ibid
Mola à calore fieri non poteſt. 283
Mola cur ad plures annos in vtero hæteat. ibid.

Molæ plures facilè, vna ægrè deiiciũtur. 285.a
Mola cur adeo obdureſcat. ibid.
Molæ ſigna. ibid.
Molæ curatio difficilis. ibid.b
Mola ſuperueniente dyſenteria excluſa. 286.a
Molæ in Mulierib. ſine viro concipiuntur ſec. Valeſium. 273.a
Molle quid. 140.a
Mollities eſt ſymptoma tactilium qualitatum. ibid.
Mollitie inſtrumentorum ſuperiore exiſteore, pulſus qui? 553.b
Mollities & duricies motus arteriæ. 549.b
Monoemera ad ophthalmiam. 79.b
Montanus perſtringitur. 111.b
Montanus de materia tumorum. 763.a
Montanus de lib. de Opt. ſecta. 751.a
Montanus authoris præceptor. 636.a. ſcripſit de Morbis, & in Eraſtum. ibid.
Montanus de morbis formæ. 644.b
Montanus Veronenſis. 698.b. opera. ibid.
Montanus Vicentinus. 762.a. 691.b
Monſtrum quid. 283.a
Monſtrorum cauſa. ibid.
Morbus quid. 311.a
Morbus ex morbo ſæpè habet originem. 312.a
Morbus acutus duas habet conditiones. 316.a
Morborum acutorum diuiſio. ibid.
Morbus omnis ex fluxione quatuor habet indicationes. 28.a
Morbus manente cauſa, curari nequit. 219.b
Morbus per ſe inediam indicat. 570.b
Morbus eſt res facta. 307.a
Morbus coſtalis ſeu lateralis. 106.a
Morbus herculeus vnde dictus. 55.a
Morbus Comitialis vnde dictus. ibid.b
Morbus ſacer vnde dictus. ibid.b
Morbus magnus magnis eget præſidiis. 97.a
Morbus proprius & per conſenſum quomodo dignoſcatur. 13.b
Morbus per conſenſum fit tripliciter. 14.a
Morborum diuiſio. 415.a
Morborum tempora cur producantur. 324.b
Morborum tria prima genera. 46.b
Morborum muliebrium tractatio difficilis. 146.a
Morbi ſalutaris omnes quatuor tempora continent. 630
Morbi Gallici ſedes 444.a. eſſentia. ibid.
Morbus gallicus eſt intemperies cal. & ſic. 444.b
Morbi Gallici definitio, differentiæ, ſigna. 445.a
Morbus Gallicus an methodo curari poſſit. 446.b
Morbi Gallici indicationes curatiuæ. ibid.
Morbus Gall. an integrè curari poſſit. ibid.
Morbi communes qui dicantur. 416.a
Morbi vulgares vel populares qui. ibid.
Morbi magnitudo triplex. 148.a
Morbi inſtrumentales & officiales qui. 50.a
Morbi in materia Fernelio plerunque ſunt ſymptomata. 138.b
Morbi acuti an ſemper febrem habeant coniunctam. 110.a
Morbi variis temporibus varia conueniunt medicamenta. 102.a
Morbi frigidi ſemper diuturni. 20.a
Morbus diureticus quibus ſignis cognoſcatur habere lapidem. 595.b
Morbus epilepſiæ accurata methodo inueſtigatur ab autore, & ab eius conſimilibus morbis diſtinguitur. 599.600
Morbi acuti partim ſine febre, partim cum febre. 493.b
Morbi peſtilentes frequentius ab aëre quàm à victu. 496.b
Morbi authoris tempore graſſantes, qui. 34
Morbi quidam incurabiles. 323.a
Morborum ex vitioſo aëre non vna curandi ratio. 500.a
Morbus quomodo definiatur. 502.b
Morbus nullus abſque indiciis coctionis diſſolui poteſt. 529.a.b
Morbi acuti & vehementiis collatio. 733.b
Morbis ex cacochymia bilioſa venæ ſectio. 843.a
Morbis ex cacochymia pituitoſa venæ ſectio. 841.a
Morbus cacoethes. 831.b
Morbo crudo venæ ſectio an purgatio. 728.a
Morborum frigidorum curatio. 839.b
Morbis frigidis conueniunt etiam quæ non calefaciunt. 245.a
Morbi futuri indicatio. 773.b
Morbo maligno venæ ſectio. 831.a
Morbi & virium ſcopi comparatio. 849.a
Morbis curandis vt vires attendendæ. 838.a
Morbi initio non purgandum. 816.b
Morbi magni qui. 855.a
Morbi magnitudo in abſtracto, & cõcreto. 737.a.b
Morbi magnitudo triplex. 739.a
Morbi curationẽ aggredi intereſt dũ recẽs eſt. 614.a
Morbi cacoethe fiunt ex cacochymia. 646.b
Morbi declinatione mors an fiat. 715.a
Morbi mulieribus frigidis. 646.b
Morbi formæ, & totius ſubſtantiæ. 644.b
Morbi futuri indicatio an præſeruatoria. 636.a
Morbi magni indicationes duæ. ibid.
Morbi magni notio duplex. 634.b
Morbi magni quomodo dicuntur. 652.b
Morbi non ſoluuntur ſine coctione. 696.a
Morbus magnus ratione partis qui. 798.a
Morbus magnitudinis ſcopus. 720.b
Morbo magno an addenda repletio. 854.b
Morbi magnitudo ſecundum malignitatem an indicet venæ ſectionem. 740.a
Morbi vehementis indicatio quàm præſtans. 850.a
Morbus vehemẽs nõ curatur ſine venæ ſect. 838.b
Morbus patientis ſcroti & tibiarum dolorem quomodo inueſtigetur per cachexiam partium principalium corporis. 616.b. 617.a
Morbi diuturni purgantur in declinatione. 713.a
Morbis diuturnis quandoque vena ſecanda. 627.a
Morbis ſine febre an principio conueniat purgatio, 704.a
Morbi ſtatu cur non mouendum. 685.b
Morborum diuturnorum principio nunquam purgandum. 681.a
Morborum principio euacuationes vtiles. 702.b
Morbus futurus an indicet. 632.a
Morbus magnus ponitur in definitione ſectionis venæ. 652.b
Morbus magnus tripliciter. 623.a
Mors in tribus temporibus accidit. 321.a
Morſus canini cũ morbo Gallico cõparatio. 446.a
Mos morbi quid, & vnde cognoſcatur. 109.b
Motio an vſum afferat ægrotis. 525.b
Motio tempeſtiua fauſta & felix. ibid.
Motionem naturæ ſanguinis miſſio non impedit. ibid.
Motum nemo præſumat donec fatigationem ſentit. 602.a
Motus & quies corpora mirũ in modũ afficiũt. 514
Motus ratio quæ habenda. ibid.b
Motus naturæ à medico obſeruandus. 525.a
Motus eſt actio, ſenſus paſſio. 600.a
Motus ſunt duplices. 45.b
Motus voluntarij in Paralyſi tantum amittuntur. ibid.
Motus conuulſorij diſtinguuntur à cõuulſione. 6.a
Motus deprauati triplices. 154.a
Motus naturales qui ſint. 102.b.

Motus deprauati triplices. 51. a
Mouere ex Galeno 685.b
Mouere quid Hipp. 699.b
Mulier ſine viro an concipere poſſit. 273. a
Mulieres vtero à Maſculis differunt. 245.b
Mulieres cur laborent menſtruis. 437. a
Mulieres quæ faciliùs cæteris conciplant. 275.b
Mulieres cur menſtruis maximè abundent. 248.a
Mulieres an viris calidiores. ibid.
Mulieres etiam pollutionem patiuntur. 272. b
Mulieres mendaces. 273. b
Mulieres fluxu laborantes, ſteriles ſunt. 166.b
Mulieres ſemine non carent. 264. a
Mundus à principio ad noſtra vſque tempora ſibi conſtans eſt. 369. a
Mundus ex igne & terra tanquam viro & fœmina conſtat Piatoni. 247.a
Muria præparata cur non putreſcant. 293. b
Murium, erucarum, & id genus multitudo peſtem præſagiens. 501. a
Mutatio temporum præter naturam peſtem portendit. ibid.
Mutationum in morbis differentiæ. 432. b
Myrobalanorum quinque ſunt genera. 461.b
Myrobalanorum in febribus nullus vſus. ibid.

N.

NAppello nutricæ puellæ, & ad quid. 522.b
Narcoticorum vſus Galeno familiaris. 213. a. & b
Natura à natura differt. 499. b
Natura veluti in ſentinam totum contagium deponere recrat. 587.a
Naturæ munus quale. ibid.
Naturæ motus iuuandus. 536.b
Naturā benè operantē impedire non oportet. 527.a
Natura an vtiliter euacuet principio morbi. 702.a
Natura expectat perfectam coctionem. 714.b
Naturam quando imitari debemus. 711. a
Natura non eſt aſſueſacienda euacuationi per hæmorrhoidas. 670.b
Natura, ſubſtantia, & forma apud Gal. 730.b
Natura non euacuat vtiliter ante coctionē. 845.a
Natura hominem pluribus modis à reliquis animantibus ſeparauit. 271. b
Natura in omnibus dextram partem à ſiniſtra ſolerter diſtinxit. 46. a
Neruoſæ partes animalium vitandæ. 571.b
Nerui perforati quibuſdam crediti ſunt. 46.b
Nerui riuuli ſunt deducentes animalem facultatem ad corporis partes. ibid.
Neruorum dolor qualis. 25. b
Neruos corroborantia medicamenta. 48. b
Nicolaus Bieſius. 707. a
Nicolaus Maſſa 656. b. Vide *Maſſa*.
Nigra bilis in carbunculum & cancrum mutata. 500. b
Nitrum verum ad nos non defertur. 85. b
Nomæ ſunt vlcera depaſcentia. 44. b
Nomen generis tractum ad ſpeciem. 666.b
Nominum vſus qualis. 644.b
Nominum ſuperuacanea inquiſitio reprehenditur à Gal. 95. b
Notitia pulſuum quomodo habeatur. 758. b
Nouator vter Author, an Aduerſarius. 796. a
Nouatores medici. 794.a
Nutrices regendæ in affectibus puerorum. 62. a
Nutrimentum à nutrimento differt. 499.b vide *Alimentum*.

O.

OBliuio quorundam qui amicos & ſeipſos ignorabant. 505. a
Obſtetrices quales eſſe velit Ariſt. 297.a

Obſtructio duplex ex Gal. 658. a
Obſtructiones non liberantur, niſi toto prius euacuato. 660 b
Obſtructiones non curandæ non ante vacuationem totius. 659.b
Obſtructio varia in diaria & putrida. 661 a
Obſtructio à diuerſis humoribus. 821. a. b
Obſtructio varia variam febrem facit. 820.a
Obſtructio momentanea, id eſt inſignis. 818. a
Obſtructio magna non facit diariam. 826.b
Obſtructio maior Galeno. 822. a
Obſtructionis indicationes. 812. b
Obſtructio an venæ ſectionem indicet. 818. b
Obſtructio & putredo non curantur venæ ſectione. 802
Obſtructioni ſanguinis miſſio. 796.a
Obſtructio ab humoribus viſcidis & craſſis an contra indicet venæ ſectionem. 818. a
Obſtructio cutis tripliciter fit. 333.b. 334.a
Obſtructio ventriculorum cerebri omnium ſymptomatum apoplecticorum cauſa eſt. 40.a
Obſtructio iecoris quid ſit. 174.b
Obſtructionis iecoris cauſæ & ſigna. 175.a
Obſtructionis iecoris incommoda. 176.b
Obſtructiones inteſtinorum vnde fiant. 209.a
Obſtructionem lienis aperientia. 204.b
Ocularia medicamenta magnas promiſſiones faciunt, ſed parum præſtant. 82.b
Oculorum morbi fere infiniti. 77. b
Oculorum rubores peſtem præſagientes. 505.a eorundem inflammationes. ibid.
Oculis laborantibus à ſternutamentis cauendum. 129. a
Odoratus præcipuum inſtrumentum quod. 89.a
Odorata phthiſicis conueniunt. 126. b
Odorata an refrigerent. 577. b
Odores cibo regenerant ſpiritus. 131. b
Oedemate an laboret iecur. 166.a
Olera quæ bona. 571.b
Oleum Caranitæ. 427.a. 519.a
Oleum reſolutiuum ad aurium dolorem. 85. a
Ol. de ſcorpionibus. 426. b
Ol. Lumbricorum ad roborandos neruos inutile. 49. b
Ol. Amygdal. confert colicis. 217.a
Ol. Amygdal. dulciū quando potatum proſit. 152.b
Ol. roſ. vel cidonior. in cal. intemp. iecoris improbatur. 170. b
Olei maturi vſus in melancholia. 71. b
Olei vtilitas in cholera. 137. a
Oleorum abuſus. ibid.
Omentum Caſtrati dolorem in dyſenteria ſedat. 235.a
Omnia tandem corruunt & ad nihilum reducuntur. 529. a. b
Omnis morbus putredinis ſoboles. 497. b
Omnopagia quid. 11. b
Opem quod fert vni, officit alteri. 505. b
Ophthalmiæ definitio. 77.b. generatio. 78. a. differentiæ. ibid. ſigna & curatio. 78.b
Ophthalmiæ principium quæ requirat medicamenta. 79. b
Ophthalmia laborantes ſola quandoque purgatione ſanati. 79.a
Opinio eorum qui de vno aëre peſtilentiam ortum ducere putant. 501.b
Opiniones variæ de peſtilentiæ cauſa. 495. 496
Opiſthotonos quid. 52. a
Opio in dolore capitis non vtendum. 16.a. 24.a
Opio quomodo vtēdum in doloribus aurium. 86.a
Optima quæ ſunt, natura mouente fiunt. 534.b
Oratorum vitium. 776.a
Orbem terrarum vniuerſum an vnquam peſtes

peragrauerit eodem tempore incertum. 499.a
Ordinis perturbatio quomodo dignoſcatur. 551.b
Ordo quid Philoſophis. 552.b
Ordinaria curatio. 702.b
Ὀργᾶν. 680.b
Ore quæ medicamenta ſumenda. 516. b
Origo peſtis Vicentinæ. 502. a. peſtis an ex aëre. 596. an verò ex victus ratione. ibid.
Orthopnœa quis affectus. 102.a
Oſcitatio eſt motus deprauatus à natura factus. 51.a
Oſſa humana combuſta epilepſiam iuuant. 65.b
Oua frixa colicum dolorem ſedant applicata. 212.b
Oua an facilè corrumpantur. 137. b
Oxycratum quid. 165.a
Oxymel an calidum ſit. 173. a. in paralyſi an conueniat 47. b. & ſyrupus acetoſus quomodo differant. 769. b
Oxymellis variæ ſpecies. ibid. vſus. 352.a
Oxyrhodinum frigidum in phrenitide applicandum. 33. b
Oxyrhodinum quomodo conficiatur. 17. b
Oxyrhodinum repellens & diſcutiens. 39. a
Ozænæ quid. 89. a
Ὀξύ. 629 a

P.

PAcius. 721. a
Pacius de partibus tuendæ valetudinis. 805.b
Pacij expoſitio in Gal. 832.b
Palpitatio cordis quid. 127.b
Palpitationis differentiæ & cauſa. ibid.
Palpitatio à frigidiore cauſa perpetuo ortum habet. 128.b
Palpitationis cordis ſigna. 129. a
Palpitatio qualis motus. 51. a
Palmulæ dolorem capitis faciunt. 23.b
Palmulæ ventriculum corroborant. ibid.
Paludes quidam morboſos vapores emittũt. 496.a quo tempore id fiat. ibid.
Panis mollis bonus cum pauco ſale. 771.b
Papulæ febre propriæ peſtilentis febris. 420. b
Paracenteſis periculoſa. 197.b
Paralyſis Epilepſiæ ſuperuenit Auic. 46.b
Paralyſis cur vnam partem magis quam cæteras infeſtet. 45. a
Paralyſis colicum dolorem inſecuta. 46. b
Paralyſis cauſa torturæ oris. 50. a
Paralyſis melancholia. 49.b
Paralyſeos definitio. 47. differentiæ 45.b
Paralyſeos cauſæ. 47. ſigna. ibid.
Paralyſis ferè ſemper morbus curabilis eſt. 47.b
Paraphrenitis. 31. b
Paraplegia quid. 46.a
Pareſis. ibid.b
Παρέγχυμα quid. 165.b
Πάρεργον quæ tractata dicantur. 819. a
Παροξύνοντ. 371. a
Parotides repellentia reſpuunt. 85.b. 88.b
Parotidum differentiæ 88. a. ſigna. ibid.
Paroxyſmi die nihil mouendum. 356. a
Paroxyſmorum febrilium cauſæ. 339. a
Paroxyſmi febriles cur ſint longiores vel breuiores. 340. b. 341. a
Paroxyſmorum principio ab omni potu & cibo abſtinendum. 354.a.b
Pars affecta quæ ſit in tortura oris. 50. b. affecta in melancholia hypochondriaca quænam ſit. 68 b
Partes omnes quæ ſunt in viro, in fœmina quoque reperiri affirmat Gal. 247.a
Partes corporis noſtri præcipuæ tres. 354.a
Partes ſolidæ & radicales ex qua materia gignantur. 271.b
Partium proximarum laboranti habenda ratio. 534.a
Pars artis medicæ agens de ſignis, plane incerta & coniecturalis eſt. 500.b
Partes thorace inferiores ſectis venis inferioribus plurimum iuuantur. 526. b. quid hac in re animaduertendum. ibid.
Particulari morbo peſtis non concluditur. 491.b
Particularis cōtagio hominũ & rerum, quæ. 500.b
Particulatim quod euenit in vniuerſum non ſtatuendum. 530. b
Partus naturalis quomodo fiat. 296.
Partus difficilis cauſa. ibid.
Partus difficilis præſeruatio. 297.a
Partum difficilem reddentia. ibid.b
Partum difficilem quæ poſſint prædicere. ibid.a
Parua remedia quando præcedere debeant, & quando non. 524.b
Paryſis ameoæ quid. 562 b
Paſcua animalium à quib. lac pro phthiſicis emulgetur, qualia. 126. a
Pathognomonica indicia quæ. 500.b
Paulus de venæ ſectione in cacochym. 646.b
Paulus Galeni æmulator. 650.b
Pauli authoritas. 828. a
Paulus in apoplexia venam ſecat. 841. a
Pauſanias ſophiſta à Gal. quomodo curatus. 49.a
Peccantes humores correctionem nullam à natura, nec concoctionem recipere poſſunt. 528.a
Peccatum ſanguinis ſecundùm formam. 644. b. ſecundùm motum. 645. a. ſecundùm quantitatem. 644.b. an indicet venæ ſectionem. 644.a
Pectus mundificantia à pure. 153.b
Pediculorum cauſæ. 7. b
Pediculorum duo genera. ibid.
Pelles ſabulo coopertæ purgantur. 536. b
Pelliboſſa ruſticorum quorumdam. 535. a
Pendaſius. 717.b
Penis longus an infœcundus. 274.b
Πίτανσις ἢ πτασμὸς 678.b
Πέψις. ibid.
Per accidens quæ remedia ſunt. 761.b
Per ſe ac per accidens vt conſiderentur in ſcientiis & artibus. 800.a
Perforatio abdominis in hydrope. 197.a
Perforatio thoracis in ſuppuratione. 116.b
Perfuſiones thure, myrrha, & aliis magna ex parte fœtidis medicamentis à doctis receptæ. 535.b
Pericardium an humorē naturaliter cōtineat. 118.b
Periculi magnitudine morborum acutorum forma comprehenditur. 494. a
Periodorum cauſæ Auer. & Gentili quæ. 339.a
Peripneumonia quid. 113. b
Peripneumoniæ differentiæ. ibid. ſigna. 114. a
Peripneumonia à pleuritide quomodo diſtinguenda. 109.a
Permiſcenda an ſint medicamenta. 555. b. 516.a
Perſea arbor. 25. a
Perturbata vrina quid indicet. 563.b
Perturbationes animi grauidis vitandæ. 294. b
Peſſarium aquas ex vtero ducens. 289.b
Peſſarium menſes ſiſtens. 261. b
Peſſaria ad menſes euocandos. 257.a
Peſtifuga herba à ruſticis inuenta qua feliciter vſi ſunt. 535.a
Peſtilens qualitas. 692. a
Peſtilentium vrinæ ſimiles ſanis. 703. a
Peſtilentis febris definitio. 415. b. eſſentia. 416.b
Peſtilentis febris differentiæ. 416. b. cauſæ & ſigna. 420 b
Peſtilentis hecticæ ſigna. 422. a
Peſtilens febris an methodicè curari poſſit. 373. a

Peſtilentis febris curationis exemplum. 430.b
Peſtilens febris non à fluxione ſanguinis. 846.b
Peſtilens febris aliquando ſine peſte. 492.a.b
Peſtilentia ſine febre, de qua febre intelligatur. 495.a
Peſtilentia nullo particulatim morbo concluditur. 495.b. 492. b. ſingulas corporis partes amplectitur. 490.a.b
Peſtilentiæ differentiæ, & cauſæ. 495.b
Peſtilentia anni 1418 505.b
Peſtilentia anni 1528 506.a
Peſtilentia vnde oriatur. 532.a
Peſtilentia nulla quibuſdam. 501.b
Peſtilentes morbi an contagioſi. 494.b.
Peſtilentes morbi an omnes in putredine conueniunt. 524.a
Peſtilentia Vincentina vnde orta. 502.a
Peſtilentia ſecundùm quoſdam omni tempore graſſatur. 498.a
Peſtilentiæ obnoxia quæ. 536.a
Peſtilẽtiæ an ſanguinis miſſio conueniat. 524.b 525.a
Peſtilentiæ noſtri temporis an ab antiquioribus diuerſæ. 495.a
Peſtilentis morbi definitio. 502.b
Peſtis authoris tempore. 492.a.b
Peſtis dyſenteriacs Ioſephi tempore. ibid.b
Peſtis ſæua Galeni tempore quæ in ſummos pedes graſſabatur. ibid.a.b
Peſtis celebris Thucydidis tempore. ibid.
Peſtis Galeni tempore quæ: 525.a.b
Peſtis quomodo præcaueri aut auferri poſſit. 496.a
Peſtis ſemper contagioſa. 495.a
Peſtis cùm ſit morbus vulgaris & communis, à cauſa communi originem habeat neceſſe eſt. 496.b 492 b
Peſtis aliquando ſine febre. 492 b
Peſtis veræ cauſæ apud Mercurialem. 503.b
Peſtis morbus communiſſ. ab aere communi cauſam habet. 504 a
Peſtis anni. 1505. & 1528. 683.b
Peſte laborans nunquam à febre liber. 492.a
de Peſte Authoris libellus: 671.b
Petechiæ. 420 a
Petechiæ an veteribus cognitæ. 427.a.b
Periculatum curatio. ibid.
Phænomena in aere peſtis præſagia. 501.a
Phagedæna. 669,a
φαρμακεύειν 688.a
Pharmacopœorum dolus. 463.a
Philippi regis medicamentum ad Carolum IX. Galliæ Regem miſſum. 518.a
Philonium ſemel exhibitum calidam iecoris intemperiem ſoluit. 167.a
Philonium Rom laudatur in colico dolore 213.b
Philoſophus res conſiderat ſecundùm naturam tantum. 332.b
Philotheus. 647.b
Phlebotomia. Vide *venæ ſectio.*
Phlegmaticæ febris differentiæ. 399.a
Phlegmone venæ ſectio. 650 a
Phrenes quid veteribus Medicis. 30.a
Phreneſis morbus calidus & ſiccus eſt. cauſa vt operationes motiuæ ſint robuſtiſſimæ. 572.b
Phrenitis fit ex bile 648.a. in ea venæ ſect. ibid.
Phrenitis vnde fiat. 845.a
Phrenitis quid. 31.a
Phrenitidis differentiæ. ibid.a
Phrenitidis cauſæ. ibid.
Phrenitis ex ſanguine an ſit a ibid.a
Phrenitidem futuram indicantia ſigna 32 a.
Phrenitidis curatio. idid.b
Phthiſis nomen dupliciter accipitur. 123.b
Phthiſici qui antiquis dicti ibid.d
Phthiſis an contagioſa. 495. curationem nullam recipit. 523.a
Phthiſis cauſæ. 124.a
Phthiſis futuræ ſigna. ibid.a
Phthiſeos indicationes curatiuæ. 125.b
Phthiſici nunquam curantur. 125.a
Phthiſis eſt contagioſa. 127.a
Phthiſici cur hectici. 410.a
Phthiſicorum victus quis. 126.a
Phymata magna. 637.a
Pica quo tempore mulieres inuadat. 163. a. morbus etiam eſt virilis. ibid. a. morbus qualis. 162.b.
Picatio extenuatis partibus confert. 245.b
Πιαρίχλαι natura. 659.b
Pilæ pro phthiſi. 126.b
Pilæ ex auro aut argento vſurpari ſolitæ in peſtilentia. 515.b
Pilæ Ioannis Damaſceni. 518.a
Pilulæ bilem purgantes. 481.a
Pilulæ in paralyſi optimæ. 48.a
Pilulæ purgantes pituitam. 492.b
Pilulæ de hermodactylis. 473.b 474.a
Pilulæ fætidæ Rhaſis diuerſæ à noſtris. 49.b
Pilulæ purgantes melancholiam. 479.b.
Pilulæ ad ſitim. 165.b
Pilulæ ſcirrhum hepatis emollientes. 575.b
Pil. ſine quibus & lucis in affectibus oculorum commendantur. 79.a
Piper cur ſingultum faciat. 154.a
Piſces in febribus concesſi, qui. 329.b
Piſces & inſecta mares vim ſolam fœminis conferunt. 271.b
Piſcibus quando & quibus vtendum. 571.b
Piſtaciorum facultas. 173.a
Pituita vbi generetur 398.a
Pituitæ duplex acceptio ibid.
Pituitæ quatuor ſpecies. 390.a.b
Pituita cur quotidie moueatur. 340.a
Pituitam in morbo gallico concoquentia & educentia. 440.b
Pituita vt coquenda. 124.b
Pituita poteſt nutrire. 403.b
Pituitam ducens potio. 198.b
Pituitam concoquentia. 20.b
Pituitam purgans potus. ibid.
à Pituita & melancholia naturali inſanientes, ſiunt tumidi, & mœſti, & quieti, &c. Sed qui a bile inſaniunt vociferatores, & malefici, & non quieti ſunt. 614.a
Plantago in fluxu ſanguinis cohibendo probatur. 128.a.b
Plantæ pedum ſale & aceto fricatæ, reuellunt à capite materiam. 38.b
Plantinus Galeni interpres. 594 a
Platonis tria capita ſeruandæ ſanitatis. 526.b
Platonis remedia contra ſingultum. 155.b
Plato. 6 4:a
Plenitudine abſente ſecamus venam. 641.a
Plenitudine præſente non ſecamus venam. 642.a
Plenitudo. 640. a. aliorum humorum à ſanguine. 641. an neceſſaria ad venæ ſectionem. ib. an neceſſaria in febribus, ſi debeat ſecari vena. 659.b
Plenitudo aut motus ſanguinis non ſunt ſcopi venę ſectionis. 619.b
Plenitudo duplex. 641.a
Plenitudo futura. 738.a. an indicet venæ ſect. ib.
Plenitudo ſanguinis. 640.b
Plenitudo quæ. 834.b
Plenitudo ſimpliciter: 770.a
Plenitudo ad vaſa, ad vires. 768.a
Plenitudo nota & exquiſita. 770.a
Plenitudo futura an Galeno cognita, 763. cur Gal. non meminit ex Adu. 767.a

Plenitudo non per ſe indicat. 845.b
Plenitudo futura non indicat venæ ſect. 767.a
Plenitudo ad miſſ ſang.noo neceſſaria. 474.b
Plenitudinis ſummæ indicatio. 737.b.
Plenitudo quæ aliter ſanari nequeat, ſola venæ ſect.emendatur ex Adu. 849.a
Plenitudinis indicia ex Adu. in muliere exteouatiſſima. 852
plenitudinis ſignis præſentibus, aut abſentibus ſecanda vena. 784.a
plenitudo particularis. 768.a
plenitudo in corporequid. 15.b.22.b
Πλεονεξία 640.a
Πλήρωσις. ibid & 799.b
Πλησμονή. 640.a
Πλῆθος, καὶ πληθώρα. ibid. & 770.a. 768.b
plethora Galeno. 823.b
plethora,& cacochymia in conſiſtentes. 806.b
pleuræ pars interna vel externa an laboret, quomodo dignoſcendum. 109.b
pleuritis quid ſit.105.b.ſigna. 107.a
pleuritis à quocunque humore fieri poteſt. 107.a
pleuritis ſpuria & exquiſita quomodo fiat. 106.a
pleuritis deatra an periculoſior ſiniſtra: ibid.
pleuritis quomodo diſceroeoda ab inflammatione iecoris. 179.b
pleuritis opportunius ſectione veoæ, quàm purgantibus vacuatur. 111.a
pleuriticos lateote proprietate iuuantia: 103.b
pleuritis ex Adu.764.a.nomen ex eodem. 765.b
Pleuritis morbus vehemens. 784.b
Pleuritide dolore deſcendente humores turgere. 690.b
in Pleuritide dolore deſcendeote purgatio: 683.a
Pleuritidis curandæ diſcrepantia inter Hippoc. & Gal. 656.a
Pleoritidis dolor cur aſcendat vel deſcendat. 692.a. 765.b
Pleuritidis principium longius productum. 688a
Pleuritis mitis in qua non ſecanda vena. 629. a
pleuritis morbus acutus. ibid.
plumbi & ſtibij ſimilitudo. 218. b
Pluuiæ calidæ abſque veotis peſtem præſagiunt. 501. a
Pluuioſis temporibus qui morbi fiant. 507.a
podagrici ex cubito vacuandi. 28. a
pæoniæ ſemen & radix commendatur in epilep. 61. b
polypodij facultas,vſus & doſis. 470.b
polypus quid. 89. a
Pompholyx præparata in vlceribus oculroum commendatur. 80.b
Pomplolyx vera quæ. ibid
Pori dilatati peſtileotiæ obnoxij. 515.b
Porrifigi quid. 240.b
Poſca quid. 165.a
Poſca ſanguinem concretum diſſoluit. 120.a
Potentiæ duplæ ac dimidiæ virea Ariſt. 701.b
Potio purgans bilem. 86.a
Potio contra ſitim. 165.a
potio frigida cur ſingultum faciat. 154.b
potio vſus varij. 163.b
potus multi incommoda. 164.b
potus io morbo Gallico quis conueniat. 453.b
potus io ephemera. 329.b
potus ante cibum noo ſumendus. 571.b.
Potus pro præſeruatione ab epilepſia deſcribitur 605.a.b
potus ſicca alimenta pondere ſuperare debet. 571.b
Practicantium error io ſang.miſſione 112.a
Practicantium error. 97.b.715.b
Præcautio quaotitate remediorum, non qualitate, differt à ſanatione. 525.b
Præceptum Galeni ad pulmonis vlcera. 120.b
Præcepta ad curandos ictericos. 189.b
Præceptum vtile io morbis chronicis. 49.b
Præcepta ad melancholiam curandam. 73.b
Præcepta ad ſuppurationem pertinentia. 116.b
Præcepta in iecoris imflammatione curanda. 181.b
præcepta in athmatis curatione notanda. 105.a
Præcepta Gal.ad reuulſionem ſpectantia. 261.b
Præcepta ad autium curantiouem pertinentia.84.b
Præcepta communia ſingularibus applicantur. 816.b
Prædictiooes euentuom morborum magnam medico auctoritatem conciliant. 235.a
Prægnantis, vel vtero gerentis ſignà. 615.a.b
Prægoantium purgatio. 686a.
Præparant pituitam. 149.b
Præparaotibus purgantia oon admiſcenda. 447.b
præſeruatio à ſanguinis ſputo. 122.b
præſagia peſtis. 501.b
præſagitiu ex pulſibus. 555.b
præſeruatio miſta cum curatione. 636.b
principio medicinæ noo reuocanda in dubium 793.a
principio morbi euacuatio an vtilis. 702.b
principio morbi euacuatio ſympromatica. 682.b
principio morbotum an purgandum. 679.b
principio morbotum diuturnotum nunquam purgandum. 681.b
principium morbi quotuplex. 678.a
principium morbi quid. 319. b. triplex ibidem.
principium morbi an morbus diceodum. a.b
principium particulare acceſſionis quid. 324.b
principia qui oegāt, noo eſt cum iis diſputandum: 836.a
priuatum febriom geous,quale. 493.b
profluuium muliebre noo tantum à frigidis humoribus oritur. 267.a
profluuium vteri quid.263.b. differentiæ. ibid. cauſæ. 264.a
prognoſticum vnde deſumendum. 176.a
prognoſtica deſumuntur ex morbi & virium quantitate. 349.b
proportio. Arithmetica & Geometrica. 840 a
proportio naturæ ex Aduer. 839.b
propoſitiones æquiualentes de poſſibili, & neceſſario: 851.b
propoſitio hypothetica habet vim vniuerſalis categoricæ. 793.b
proprietas temperamenti: 499.a
prouidentiæ medici operam dare debent: 498.a
proſper Alpinos: 673.a
pruuæ & igni qerſico venæ ſectio ex Auic. 843.a
pſilij qualitates. 377.a
ptiſana quomodo conficiatur. 373.b
ptiſana duplex. 374.a
ptiſana quando conueniat. 374. & quibus. ibidem.
ptiſana omnibus febribus conuenit. 401.a
ptiſanæ laus. 370.a
pudenda & ſummas manus ac pedes inuadens lues. 505.a
puella veneno vſa ac nutrita eoa qui ſecum rē habebaot interficciebat. 522.b
puellæ alegatiores napello nutritæ, & ad quam rem. ibid. b
pueri quid apud Gal. 775.b
pueris venæ ſectio. 778.b
pueri vt ſe habeant ad inediam &venæ ſectionem. 774.a
pueris venæ ſectio ante 14. ex Aduer. 777.a.b
pueris poſt 14. annum quibuſdam non ſecatur vena. ibid. a
pueris cur vena non ſecanda ante14. 779.b

pueris

Pueris an vena ſecánda. 638 b
Pueris cur non ſecatur vena. 779 a 638 b
Puerorum hæmorrhagiæ. 639 a
Puer ex theriaca aſſumpta mortuus. 365.a
Pueros purgare an liceat. ibid.
Pueri bifatiam epileptici fiunt. 59 b
Pueri plurimi ante diem ſeptimam epilepſia intereunt. 51 a
Puerorum epilepticorum cura. 61.a
Pueri quomodo purgandi. ibid.b
Pueri conuulſioni obnoxij. 53 b
Puerpuera morbo acuto laborante, quando dierum criticorum computatio incipienda. 300.a
Puerperæ vt conualeſcentes tractandæ. 298.a
Puerperæ primis diebus à vino abſtineant. ibid.
Puerperis vena ſecari an debeat. 302 a
Pugna inter naturam & humores. 563.b
Pulmo exiguum ſenſum ſortitus eſt. 118.b
Pulmo vulpis exſiccatus aſthmiticos iuuat. 105.b
Pulmones roborantia. ibid.
Pulmonum ſtructura. 103.a
Pulmones conferentia medicamenta. 105.a
Pulmones agnini recentes in phrenitide adhibentur. 35.a
Pulmonum vlcus incurabile. 523.a
Pulſatio vnica. 551.a
Pulſatio inæqualis. ibid.
Pulſus in omnibus febribus inæqualis. 308 b
Pulſus paralyticorum languidus in parte morboſa, in ſana robuſtus. 47.b
Pulſus continuarum febr. qualis. 343.a
Pulſus ordinati qui. ibid.
Pulſus qualis in pleuritide. 108 b
Pulſus demonſtrat morbum acutum & diuturnum. 323. a
Pulſus in ephemera qualis. 327.a
Pulſus conuulſorum qui. 53.b
Pulſus in febribus putridis qualis. 342.a
Pulſus rarus quid denotet. 549. a. quid mediocris. ibid.
Pulſus quid & quotuplex. ibid.b
Pulſus paruus 557. a. bifariam dicitur. ibid.
Pulſuum permutatio quid præſignificet. 503.a
Pulſuum cauſæ. 552.a
Pulſuum ſimplices differentiæ. 549.b
Pulſus attendendus in venæ ſectione. 615.b
Pulſus exemplum. 630.b
Pulſus inæqualis, vnde. 637 b
Pulſus intermittens. ibid.
Pulſuum cauſæ. 640.b
Pulſus abolitio. 189 a
Pulſus deficiens differt ab intermittente. 782 b
Pulſus inæqualitas collectiua. ibid.
Pulſus intermittens in vno & in pluribus. 783.a
Pulſus intermittentis cauſæ. 782.a
Pulüis ex carbunculorum peſtilentium materia. 518. b
Purgantia à partu quot dies durent. 309. a. ſecundum Gal. ibid.
Purgamentorum poſt partum quantitas. 300.a
Purgans abdomen in hydrope. 193.a
Purgantia vehementiora in paralyſi vſurpanda. 48.a
Purgantia prohibentur in principio inflammationum. 98.b
Purgandi ratio duplex aliis: 683.b
Purgans medicamentum quotuplex. 679.a
Purgantia in Febribus non vſui eſſe. 665.b
purgantia parcè data non fieri lienteria. 702 a
purgantia per aluum, quæ. 679.a
purgantia per excellentiam. ibid.
purgantium incommoda in morbis acutis. 681.b
purgantium vis. 689.a
purgantia melancholiam. 72.b
purgantia in hydrope. 198 a
purgantia in ileo vitanda. 221.b
purgantia in initio doloris colici non vſurpanda 214.b
purgantia valentiora vitanda in melancholia hypochondriaca. 72.a
purgantia quæ conueniant in pleuritide. 112.b
purgantia alimentis quomodo admiſceantur. 182.a
purgantia in dyſenteria cur vitanda. 229.b
Purgantiatia pituitam. 4.a
purgantia quomodo aſthmati conueniant 104. b
purgantia medicamenta grauidæ ſemper noxia. 294 a
Purgantia in febre peſtilenti non conueniunt. 424.b
purgantia puerperis non conueniunt. 303.a
purgantia in principio Apoplexiæ conueniunt. 42.b
purgantibus valentiſſimis in morbo gallico vtendum. 447.b
purgatio etiam pueris conuenit: 62.b
purgatio in iecoris inflammatione pernicioſa. 181 a
purgationes abortum faciunt. 291.a
purgatio minoratiua. 683 b
à purgatione humores reliqui. 686.b
purgationis crudæ pericula Hippocrati. 690.a
purgationis loco venæ ſectio. 709.a
purgationis pericula. 701.b
purgationis tempus. 712.a
purgatio prægnantium. 686.a
purgatio prælecuationis gratia. 688.a
purgatio pro tenuitate & craſſitie humorum. 704.b
purgatio quales vires requirat. 553.b
purgatio requirit coctionem perfectam. 714.b
purgatio reperita in Quartana. 716 a
purgatio reuellens. 707.a
purgatio ſine humorum vitio. 649.a
purgatio vicaria venæ ſectionis. 694.b
purgatio ad animi defectum. 697.b
purgatio ad animi defectum fugienda. 700.a
purgatio cognitione imperfecta. 715.b
purgatio eradicatiua & minoratiua. 697.a
purgatio & venæ ſectio eodem tempore non conueniunt. 694.a
purgatio in febribus: ibid.a
purgatio indicatur à cacochymia: 649.a
purgatio in morbis diuturnis declinantibus. 713.a
purgatio in morbis ſine febre. 693.a
purgatio in morbo grauiſſimo. 713.b
purgatio in pleuritide 4. die Hipp. 789.b
purgatio in pleuritide quo tempore morbi apud Hippocratem. 688.a
purgatio antiquo Interpreti quæ. 829 a
purgandum an vena ſecanda, vnde ſumatur: 853.b
purgatio & propter morbi magnitudinem, & propter vitioſi ſucci abundantiam. 761.b
purgare initio vbi non licet, vena ſecanda: 830.b
purgatio venæ ſectione inferior. 836.b
purgatio viribus aduerſa. 837.a
pus in inflammationibus. 678.b
pus à pituita quomodo diſcernendum: 124.b
pus euocantia. 116. a. generantia. 99.a
puſtulæ gallicæ quomodo curandæ. 457.a
putei Athenienſium à Peloponnenſibus veneno contaminati. 500.b
putredo quid. 496.b
putredo peſtilentiam comitatur: 524.a
putredo inſignis, peſtis cauſa. 495.b
putredo minor generat morbos mites. ibid.
putredo quælibet peſtilentiam non cauſat. 499.a
putridi humores imminuendi. 5.4.a. aut coquendi & præparandi. ibid.
putridi humores varij. 532.a
putredo an ſine prohibita tranſpiratione, & obſtructione: 660.b

Putredo an tollatur venæ ſectione. 684. b
Putredo opponitur generationi mixti. 331. b
Putredo augetur quiete. 333.b
Putredo ex frigiditate, & ſiccitate quomodo fieri poſſit. ibid.
Putredinis cauſæ ſecundariæ. ibid. b
Putredinis defin tio Ariſtotelica. 431. b
Putredinis defini io Galenica. 332. a
Putredinis immediatæ cauſæ quæ. 333. a
Putredinis differentia. ibid.
Putredinis ſeptem cauſas Auic. ſtatuit. 335. b
Putrida febris duplex. 336. b
Putridarum febrium calor qualis. 342. b
Putredo an requirat venæ ſectionem. 800.b
Putredo an curetur venæ ſectione. ibid. b. 802. b
Putredo vt venæ ſectionem impediat. 835. a
Putredo duplex perfecta, & imperfecta. 801.a
Putredo excitandi caloris cauſa. 494 a
Putredo peſtilens plerunque ipſum cor petit. ibid. non tamen ſemper ibid.
Pythionis hiſtoria. 733.a
Pythioni ſecanda vena. 630.a. 734.b
Pythagoræ ſententia de venere. 516.a

Q

QVæſtio propoſita ex Aduer. 723.a
Qualitas ciborum quæ eligenda. 514.a
Qualitatibus temperatis vbi agi poteſt, intemperatis non agendum. 520.a
Qualitas humorum an faciat ad venæ ſectionis indicationem. 644.a
Qualitas humorum an purgandum cogat. 696.b
Qualitas occulta, & peſtilens. ibid.
Qualitates ſunt variæ. 304.b
Quantitas ciborum & vtendi modus. 514.b
Quantitas in multitudinem innumerabilem ſecatur. 549.a
Quantitatis nomen de qualitate. 622 b
Quantitas particularis inexplicabilis. 638.b
Quantitas remediorum & virium coniecturalis. 655. b
Quantitas remediorum, incerta. 700.a
Quartana febris longiſſima 406. b. ſecuriſſima. ibid.
Quartanæ continuæ curatio. 408.b
Quartanæ febris differentiæ. 404. a. Signa, forma, cauſæ, curatio. 406 a.b
Quartanæ febris duratio. 549.a
Quartanæ venæ ſectio. 664. b
Quartanæ purgatio repetita. 716.a
Quies duplex. 549.a
Quartana, ſextana, &c. febris an detur. 435.b
Quintana, ſeptena, nonana febris, fit ex melancholia. 338.a
Quotidiana febris cur ſingulis diebus exaſperetur. 340. b
Quotidianæ febris ſigna, cauſæ, curatio. 400.a.b
Quotidianæ continuæ curatio. 403.a

R

RAbbi Moyſes. 671 b
Radicula ſeu raphanus vrinæ retentioni conducit. 547. b. quomodo paranda. ibid.
Radicis chinæ decoctũ in paralyſi commend. 48.b
Radicis chinæ præparatio & vſus. 455.b
Ranarum caro phthiſicis inſalubris. 126.b
Raſarius. 700.a
Ratio & memoria in lethargo abolentur. 36.b
Ratio vera à peſte ſibi cauendi. 523.a
Ratio præcauendi & curandi homines à peſte ſecundùm Galenum. 496.a
Rationes apparentes potiùs quàm veræ. 519. b
Rationales ab Hipp. deficientes. 752 b. & 746.a
Rationales noſtrorum temporum. ibid.
Recidiua. 715.b
Reduplicatiuã Latinis. 651.b
Refrigerantia iecur. 169.b.170.a.171.b
Refrigerata pars nigra. 506.b
Regio in curatione animaduertenda. 526.b
Remedia ad lotij retentionem. 541.b.542 a
Remediis quibus vtendum in peſtilentia. 523.b
Remedium aduerſus peſtem nullum certum apud medicos, & quare. 523.a
Remedia per ſe, per accidens, ratione affectus, ratione cauſæ, ex Aduerſ. 798.b
Remedium per ſe ac per accidens vtrum præferendum. 800.a
Remedia poſſunt pluribus indicationibus ſatisfacere. 813.a
Remedio cauſæ contrario an vti liceat. 799.b
Remedium Alex. Trall ex plumbo ad aluum ducendam. 218.a
Remedium quod citra vllam noxam magnificè profit difficulter inuenitur. 121.a
Remedium vulgare ad aurium dolorem. 85.a
Remedium vulgare ad ſcirrhum lienis 206 b
Remedium temerarium monachorum. 207.a
Remedia morborum inueniuntur vel ratione, vel experientia. 349.a
Remedij qualitas vt inueſtiganda. 4. b
Renes refrigerantia. 378. a
Renum dolor quomodo diſcernendus à colico dolore. 211.a
Renes duo, & qui. 538.a
Renibus & veſica laborantibus an diuretica medicamenta adminiſtrare liceat. 544. a. b
Renum & veſicæ affectus. 537. b. ad quid à natura inſtituta. 538.b
Repellentia in pleuritide fugienda. 210. a
Repellentia omni humori competunt. 21. a
Repellentia in inflammationibus aurium vtrum conueniunt. 86.a
Repellentia an conueniant in lethargo. 38.b
Repellentia in apoplexia an conueniant. 42.a
Repellentium medicamentorũ in angina vſus. 58.b
Repletio & inanitio duæ cauſæ conuulſionis. 52.b
Res naturales an perpetuo ſimilia ſignificent 367.a
Res omnes eædem quæ milleſimo ante anno fuerunt. 529.b
Res per quos actus definiri ſoleant. 501.b
Rerum omnium viciſſitudo, declinatio, diminutio. 529.b
Reſpiratio à quibus cauſis læditur. 593.a
Reſpiratio quis motus. 102. b
Reſpiratio ſeruatur in apoplexia. 39. b
Reſpiratio à vita non ſeparatur. ibid.
Reſpirationis cauſæ. 302.b
Reſpiratio intermittens. 607 b
Reſpiratio ambientis aëris peſtilentiæ cauſa. 497.a
Reuellentia in apoplexia vtilia. 42.b
Reuellentia in morborum principio tantum conueniunt. 48.a
Reuulſio per cucurbitulas cruribus. 677.a
Rondeletius inter minorantes. 684.a
Reuulſio à partibus laborantibus ſemper fieri debet, non contra. 544.b.545.a
Reuulſione an ſit opus ſedulò cogitandum. 516.b
Reuulſionis gratia in principio purgandum. 707.a
Reuulſio quid 447. b. quando inſtituenda. 842.a
Reuulſio quomodo inſtituenda. 135.b
Reuulſio in nimio menſium fluore, quomodo inſtituenda. 260. b
Reuulſio tanto eſt efficacior, quanto pluribus vicibus ſanguis detrahitur. 110.b.120.b
Rhabarbarum venenis reſiſtit. 417.a
Rhabarbarum antiquis medicis ignotum. 467.a
Rhabarbari laus. ibid.
Rhabarbari facultas, vſus, correctio & doſis. ib.b

Rhabarbari aſſatum noxium. 468.a
Rhabarbari vſus in febri terriana. 383.a
Rhabarbarum antiquorum à noſtro differt. 230 b
Rhabarbari vſus in hydrope importunus. 199.a
Rhagades quid. 240.b
Rigor quid. 432.b
Rigor breuis breuem monſtrat morbum. 323.a
Rigoris cauſa interdum calida. 433.2
Rigoris curatio. ibid.& b
Roborantia caput 29.2
Roborantia caput & pituitam reſoluentia. 42.b
Robur ægrotantis in curatione animaduertendum. 526.b
Romanæ mulieres cur abſtemiæ. 278 a
Rondeletius de cauſa Epilepſiæ refutatur. 56.b
Rotulæ ex rhabarb. 468.a
Rubedo maxillarum propriũ ſignum peripneumoniæ. 114.2
Ruptio vaſorum vnde contingat. 118.b

S.

SAccharum roſaceum præſtantiſſimum in phthiſi. 126 b
Sacculi ex arſenico, ſigillo,&c. 519 a
Sacculi cordiales quomodo parandi. 521.a
Sacculi ex arſenico ab authore non probantur. 522.a
Sacculos geſtantes à peſte immunes. ibid.
Sacer ignis vnde oriatur. 501.b
Sal theriacalis mitè penetrat corpus. 20.a
Sale præparatæ carnes cur non putreſcant. 497. b
Salacia animalia citiſſime ſeneſcunt. 275. a
Salſæ pariglia qualitates. 454.b
Salſa pariglia an morbum gallicum verè oppugnet. ibid.
Salſæ pariglia decoctum laudatur in paralyſi.48.a
Salſamenta praui ſucci. 571.b
Salutares quædam regulæ. ibid.a
Saluatella vena quæ. 189 b
Saluatellæ ſectio in ſiniſtra manu, lienis morbis vtilis eſt. 204.a
Saluatellæ ſectio Galeno etiam nota. 203.b
Saluberrimum, in febribus ſanguinem mittere, &c. 807. a
Salutis & mortis ſigna in febribus vnde deſumantur. 346.a
Sanguificatio in omni hydrope læditur. 192.a
Sanguis mulierum quomodo calidior dici poſſit virorum ſanguine. 248. b. frigidior quomodo reddatur. 244 b
Sanguinem ſiſtens medicamentum Galeni. 245. a
Sanguis & in venis & extra venas putreſcere poteſt. 338.a
Sanguinis ſputi ex deſtillatione curatio. 121.b
Sanguinis quantitas in homine. 439.b
Sanguineæ febris ſigna. 344 b
Sanguinis miſſio in paralyſi an conueniat. 47.b fluxus compeſcẽdi ratio.259. b.miſſio in lethargo conuenit.38.a.ex capite profluentis indicia. 117.a.ab arteria fluentis ſigna.118.a. à thorace. prouenientis ſigna.ibid.ſeroſi generatio multiplex.265.a.ſputi ex capite fluentis curatio.ibid.
Sanguinem ex pulmone prodire periculoſiſſimum. 118.a
Sanguinis ſputi ex vaſe pulmonis rupto cura.120.a mutatio in venæ ſectione nõ ſemper attendenda.112. a. miſſio in dyſenteria neceſſaria.231.a. miſſio quaſdam mulieres ab abortu præſeruat. 293.b.detractio ex locis laborantibus incongrua in principio 97.b.miſſione dolor ventriculi curatus 151.b.nomen quot modis vſurpetur.393.a
Sanguis ad animi deliquium nõ mittendus.396.b.

teſtudinis ſuperſtitioſum remedium. 9.b
Sanguinem mundificans medicamentum. 19.b
Sanguis malè affectus quis dicendus. 258.b
Sanguinis fluxum ex naribus inhibentia. 9.b. miſſio abortum facit 291.a. copia quomodo indicat venæ ſectionem. 649.a.
Sanguinis peccatum ſecundum formam. 644.b ſecundùm motum. 645. a. ſecundùm quantitatem. 644. b. an venæ ſectionem indicet. ibid.a
Sanguinis Plenitudo.640.b. plenitudo aut motus non ſunt ſcopi mittendi ſanguinis. 629.b reiectio ex vitioſi ſucci eroſione. 646.b
Sanguis medius calidorum & frigidorum. 649.a
Sanguis naturæ familiariſſimus. 647.a
Sanguis per hirudines æqualis educatur. 670.b
Sanguis turgens. 693.a
Sanguis venarum non ſimplex. 647.a
Sanguinis natura. 834.a
Sanguis medius inter bilem & pituitam. 843.b
Sanguis an calidiſſimus. 839 a
Sanguinis probi conditiones ex Adu. 805.b
Sanguinis probi conditiones. 833.b
Sanguis ſi craſſus ſecanda vena,ſi tenuis, non , & cur. 817.a
Sanguis vitioſus. 731 b
Sanguine vitiato venæ ſectio. 812.a
Sanguinis alteratio ex Aueroſtio,& Gal. 730.a
Sanguis pici liquidæ ſimilis. 833.b
Sanguinis detrahendi quantitas ex Gal. 776.b
Sanguinis euacuandi quantitas in pueris ex Adu. 779.b
Sanguinis reiectio ex eroſione. 783.b
Sanguinis miſſio ex contraria parte obeſt magis quam iuuat. 78.b
Sanguinis detractio in cruribus mulierum ſuppreſſione menſium laborantium in plures vices partienda. 255.a. b
Sanguinis miſſio ad animi deliquium ſynochis conuenit. 396.a
Sanguinis mittendi tres ſcopi impugnantur.196.b
Sanguinem purgans medicamentũ an detur.398.a
Sanguinis copia non ſufficit ad ſanguinis miſſionem.239. fluxum ſiſtentia. 440.b
Sanguinem vbi mittere non licet quid agendum. 512.a
Sanguinis miſſionis commoda. 525.a.b
Sanguinis miſſionis vice quibus rebus quidam vtantur. 527.b.528.a
Sanguinis copia quæ extrahenda in peſte. 527.a
Sanguinis miſſionem erumpente bubone quidam improbant. 524.b
Sanguis in tempore miſſus à peſte præſeruat.512.a
Sanguis an mittendus in peſtilentia. 524.b
Sanitas duplex.349.a. finis medici. 458.b
Sanitatis definitio. 502.b. latitudo. 805.a
Sanitatis tuendæ partes quatuor. ibid.b
Sartaginem candentem in apoplexia Rhaſes probat. 43.a
Saſſafras ad ſterilitatem auferendam facit. 280.b
Satyriaſis quid. 52 a
Scabioſæ miranda vis. 534.a
Scammonium quid. 471.b
Scammonij facultas & nocumenta. 472.a
Scammonij vſus & doſis. ibid.b
Scammoneata iecori imbecilli nocent. 177.a
Scarificatio.672.a.brachiorum & crurum in pueris. 673.a
Scarificatio crurum an totum euacuet. 675.a
Scarificatio crurum ſine cucurbitulis. ibid.
Scarificatio malleolorum & cucurbitularum an ſit idem. 672.a
Scarificationis crurum vſus. 677.a

Scarifi

Scarificationis in cruribus locus. 673.a
Scarificationis triplex vſus. 672.b
Scarificatio triplex. 673.a
Scarificatio quomodo fieri debeat. 527.b
Scarificatione cruris peſtis ſanata. 527.528.
Scarificatio crurum quibus mulieribus conueniat in ſuppreſſione menſium. 255.b
Scarificatio ſcroti in hydrope laudatur. 197.b
Scarificatio crurum in hydrope reiicitur. 46.a
Scarificatio loci affecti in pleuritide quo tempore probetur. 512.a
Scientiæ vt conſiderent quod per ſe & per accidens. 800.a
Scilla aſthmaticis confert. 105.a
Scirrhus quid. 183.b
Scirrhus lienis quomodo generetur. 202.a
Scirrhi lienis cauſæ.ibid. Signa. ibid.
Scirrhi lienis curatio. 203.b
Scirrhus iecoris quis morbus. 183.a
Scirrhi iecoris differentiæ & ſigna. ibid.
Scirrhi generatio duplex. ibid.
Scirrhus exquiſitus incurabilis. 184.a
Scirrhis curandis qualia medicamenta requirantur. 185.a
Scirrhum hepatis emollientia. ibid.
Scirrho curando ea conueniunt quæ lapidem frangunt. 186.b
Scopi ſanguinis mittendi tres. 196.a
Scopi tres ad ſanguinis miſſioné an ſufficiant. 71.a
Scoporum venæ ſectionis examinatio. 853.a
Scopi mittendi ſanguinis ex Gal. 723.a.b
Scopi ſectionis venæ duplices. 789.790.a.b
Scopi mittendi ſanguinis principes. 857.b
Scopus præcedens tempore aut dignitate. 849.b
Scopus præcedens qui à viribus. 848.b
Scopus à magnitudine morbi ex authore. 727.b ex Aduerſario. 728.a
Scopi mittendi ſang. ex Aduerſario. 726.a
Scopus venæ ſectionis in febribus. 800.a
Scopi 4.in febre putrida. 659.a
de Scopis mittendi ſanguinis epilogus. 656.a
Scopi venæ ſectionis duplices. 622.a
Scopi venæ ſectionis præcipui. 630.b
Scopi curatiui. 569.a.b
Scopis ac indicationibus curatio. ibid.
Scopus primus medici, vt corpus vacet excrementis. 523.b.524.a
Scopi venæ ſectionis rediguntur ad duos. 627.b
Scoporum indicantium methodus. 701.b
Scoporum venæ ſectionis numerus varius. 628.a
Scopus ætatis an præcipuus. 616.a. an ad vires redigatur. ibid.
Scopus à magnitudine morbi præcipuus. 632.a
Scopus primus venæ ſectionis. 622.b. ſecundus & tertius. 624.b
Scopus vnde dictus. 622.a
Scriptores elegantes. 713.a
Scribere ſtatim à cibo pernicioſum. 571.b
Scrotum in hydrope quomodo perforãdum. 197.b
Sectio venæ humorum coctionem non poſtulat. 963.a
Sectio venæ poſt principium febris an ſit inſtituenda. ibid.b
Sectio venæ ad malleolos difficulter patientibus inſtituenda 298.a
Sectio venæ in omni menſium ſuppreſſione neceſſaria. 253.b
Sectio venæ ſiſtit ſanguinis fluxum. 90.a
Secundinarum retentio admodũ periculoſa. 301.b
Secundinarũ extractio violenta eſſe non debet. ib.
Secundinas propellentia remedia. 302.a
Sedis vitia omnia difficulter curantur. 201.a
Semeiotica à iunioribus medicis diligenter exercenda. 108.b
Semen caſſiæ purgat. 459.b
Semen in vtero contineatur oportet, ſi conceptus fieri debet. 270.b
Semen & agendĩ & patiendi vires habet. 271.b
Semen virile materiã etiã fœtui cõmunicat. 770.a
Semen viri materiæ rationem non habere probatur. 269.b. quibus parcè gignatur. 275.a
Semen retentum etiam fœminis noxam infert. 273.a. fœminæ an fœcundum. 272.a
Seminis fœcunditas quomodo probanda. 278.a
Senæ facultas. 469.b
Senæ vſus. ibid.
Sena decoctionem non ſuſtinet. 470.a
Senæ puluis. ibid.
Senes & pueri famem non perferunt. 371.b
Senibus non accidunt febres acutæ. 341.b
Senſus in apoplexia non ex toto aboletur. 39.b
Sententia Liuij. 130.a
Sententiarum mutatio. 786.b
Sentina partium reliquarum prima corporis regio. 570
Septi tranſuerſi inflammati ſigna. 32.b
Septẽtrioni expoſita domicilia in peſtilentia 512.b
Sericum & alia eiuſmodi infecta qua ratione curentur. 536.b
Serum lactis quam habeat facultatem. 171.a
Serum lactis in febribus an conueniat. 376.a
Seri lactis vſus & quantitas. 171.a
Seri recta præparatio. 172.a
Sero lactis vtendi modus auctoris. ibid.
Seroſum humorem purgantia. 480.b
Seroſitas humorum ex frigiditate iecoris potiſſimum generatur. 265.b
Seroſum excrementorum tenuiſſimum. 705
Serpens quidã apud Turcas à milite occiſus, occulta quadam vi militem & equum interimit. 512.a.
Sexus diſtinctio neceſſaria. 247.a
Sibyllæ & Bacchides vi melancholici humoris diuinant, ſec. Ariſt. 70.a
Sicca corporis intemperies quomodo corrigenda. 144.a
Siccæ intemperiei hepatis conuenientia. 174.a
Siccitas non eſt de eſſentia febris. 506.a
Siccitatis quatuor differentiæ. 409.a
Siccum non putreſcit. 333.b
Siccitas ſumma peſtiferum humorẽ abſumit. 520.a
Siccum nihil putrefieri aptum. 497.b
Siculi medici caſus Gal. 772.b
Sief albi facultas. 79.b
Signa peſtilentiæ, quæ. 500.b
Signis peſtilentiam definientes ridendi. ibid.
Signa coctionis diuerſa à iudicatoriis. 703.a
Signa morbos indicantia ſunt triplicia. 14.b.15.a
Signorum doctrina indefinita & incerta. 107.b
Signa plenitudinis etſi non adſint vena ſecanda. 821.a
Simile interdum dicitur quod eſt idem. ibid.
Similitudinis filiorum cum parentibus cauſa. 273.a
Simpliciter aliquid prolatum ſignificat præſtantiſſimum in genere. 716.a
Singula vnde propriam formam aſſequatur. 502.b
Singultus definitio. 153.a. cur ſternutamento ſedari poſſit. ibid. motus fortior eſt vomitu. 154.b. differentiæ & cauſæ.ibid. eſt motus deprauatus à natura factus. 51.a. per conſenſum. 155.a.b
Sirſen calidum quid. 58
Sirſen frigidum quid. 56.a
Sitire nihil vel parum an res præter naturam. ib.
Sitis amiſſæ cauſæ. ibid.
Siti inexſolubili mortui. 164.a
Sitis per conſenſum. ibid.
Sitim quæ extinguant. 164.b.165.a

Sitim

Sitim lenientia. 392.b
Sitis quid. 563.b
Siti inexhauſta vexati in puteos ſe dedunt. 505.a
Smartella quæ planta. 518.b
Sol ſemper eoſdem circuitus percurrit. 529.b
Soldanellæ vſus. 198.a
Soluentibus medicamentis quando vtendum, & quando non. 528.b
Solutio continui dupliciter fit. 11.a
Solutio vnitatis immediata cauſa doloris. 167.a
Somno & vigiliæ quid accidat. 515. a. quomodo concilietur. 571.a
Somnus ſex horis breuior, aut octo prolixior eſſe non debet. ibid.
Somnus internas partes calidiores, externas frigidiores reddit. 515.a
Somnus mauiscis conciliandus. 74.a. in acceſſionũ principio prohibetur. 359. b. quomodo cauſa ephemeræ. 326.b. profundus in febrium principio vnde. 348.b
Somnifera antidota. 34.b
Somnus excedens in temporis quantitate multum nocet. 602.b. non excedat 7. vel 8. horas. ibid
Sophiſtarum inſtitutum. 752.a
Sophiſtarum propoſitiones ambiguæ. 793.b
Sopor quid. 43.b
Sordidi, ac ex infima plebecula peſti obnoxij. 502.a
Soreticum argumentum, eiúſque ſolutio. 773.a
Soretica ratio de viribus debilibus. 785.b
σπασμα & σπασμὸς differunt. 51.b
Spaſmus non proportionatus ad materiam. 52.b
Spaſmus Cynicus quid. 50.a. differentiæ & cauſæ. ibid.
Species morbi quid. 322.a
Species morbi vnde cognoſcatur. 109.b
Species morbi in curatione animaduertenda. 526.b
Σφυρά. 673.b
Spirationis facilitas quam vim habeat in morbis acutis. 489.b
Spiritus offendens apud Hippocratem. 637.b
Spiritus difficilis & fœtens peſtis præſagium. 505.a
Spiritus animales lucidiſſimi & puriſſimi ſunt. 66. a. b. quotuplex. 130. a. b. quot modis alterentur. ibid. quomodo imminuantur. ibid. in bulimo minuuntur. 132.a
Spiritus animalis à vitali regeneratur & conſeruatur 41.a
Sputum quid. 117. a. ſanguine idefinitio & differentiæ. ibid. ſanguinis ex venæ eroſione curationem non recipit. 122.a
Sputi cruēti ex erodēte deſtillatione, curatio. 12a.b
Sputa prouocantia & pectus expurgantia. 513.a
Sputa in pleuritide idem quod in febrib. lotia præſtant. 509.b
Squama æris pro purgatione improbatur. 598.b
Squinantia barbaris quid. 95.b
Status morbi quid. 319.b
Status particularis quid. 325.a
Stephanus Athenienſis. 816.b
Stercus caninum ad anginam vtile. 99. a. ad magnam tonſillarum inflammationem valet. ibid. humanum aliquando à Gal. vſurpatum in angina. 9. caninam dyſenteriam ſanat. 235. a. lupi colicam perſanat. 258.b
Sterilitas quid. 274.a cauſæ. ibid.
Sterilitatis cauſa Stoïcorum quæ. 278.a
Sternutatio cur ſoluat ſingultum. 153. b. 555. b. quid ſit. 55.a.
Stillicidiũ ex aq. therm. in paralyſi cōmodum. 49.a
Stomacho lac nociuum. 579.b.
Strabiſmus quid. 52.a
Stragulum vel tenuiſſimum peſte correpti ferre non poſſunt. 605.a
Stranguria quid. 538.a
Cum Stomachus agit cibum, cum vaporibus eleuatis à cibo permiſcentur mali vapores coleræ nigræ qui arteriis, & cerebro communes fiunt, & reliqua. 575.b. Cum malè digerit, phlegmata ſemper multiplicantur. ibid.
Stupefacientia locum habent in dyſenteris. 457.a
Stupefaciētia, vitāda in virib. imbecillis. 34.b. 136.a
Stupefacientium enumeratio ibid. & 213.b. In calidis affectibus vſurpanda ſunt. 214 a. Viribus proſtratis non adhibenda. ibid. In tuſſi vehementi conceſſa. 120 b. Purgantibus neutiquã miſcenda. 151.b. recentia non vſurpanda. 213. b. locum habent in dyſenteria. 236 a
Stupor à paralyſi magnitudine differt. 46.a
Suberh quid. 43.b
Sublimes dolores qui dicantur Hippocrati. 210.b
Subſidentes vrinæ quid præſignificent. 566.b quid craſſæ. ibid.
Subſtantia noſtri corporis quadruplex. 142.a
Subſtantia cuiuſque corporis tēperie cōſiſtit. 333.a
Succus papaueris lethalis, ſi ſolus bibatur. 521.b
Succus ireos quomodo adminiſtrandus. 109.b
Succi denſati ad dyſenteriam vtiles. 233.a
Suctio in ventriculo propter quas cauſas non fit. 558.a.b
Sudor Angelicus. 459.a
Sudor cruentus vnde Ariſtoteli. 89.b
Sudor in morbo gallico violenter non prouocandus. 472 a
Sudoris nimij cauſæ, & curatio. 436.a.b
Sudorem mouentia in hydrope. 200.a
Suffitus ad menſes prouocandos. 257.a
Suffitus ad indagandam ſterilitatem vel fæcunditatem fœminarum. 278.b
Suffumigium in declinatione phrenitidis. 34.b
Suffimigia ad morbum gallicum. 448.a
Suffumigiis quando & quomodo vtendum. ibid.
Suffumigia pro phthiſi. 126.b
Suffumigia certa epilepſiam detegunt 59.a
Suffuſio quid 81.a. quis morbus. ibid.b. Signa, differentiæ & curatio. 82.a
Suffuſionis antiquæ curatio. 83.a. maturitas. ibid.
Suffuſio recens medicamentis tolli poteſt. 82.b
Suffuſionis detrahendæ tempus. 83.a
Sulphuris facultates. 590.a
Superſtitioſa remedia damnantur. 219.a
Suppellectilis vna inquinata totam vrbem inficere poteſt. 502.b
Suppoſitio pro eodem vel diuerſis. 824.b
Suppoſitoriorum vſus. 358.b
Suppoſitoriorum materia. ibid.
Suppoſitorium pro flatibus. 216.a
Suppoſitorium narcoticum. 213.b
Suppreſſio menſium eſt retentio præter naturam. 615.a
Suppuratio an ex deſtillatione fieri poſſit. 513.a
Suppuratio pectoris quę requirat medicamēta. 113 a
Suppurati an euaſuri ſint quomodo cognoſcatur. 516. a
Sura. 673.b
Surditas quid. 86.b. differentiæ & cauſę. ibid. Signa. 87.a
Surditas quot modis fiat. 87.a
Surditatis curatio. 87.b
Suſtentorium. 165.a
Sydera eandē ſēper ſtatus rationē obtinent. 589.b
Syderatos quoſdam ægrotos antiqui exiſtimabant. 506.b
Syllogiſmi probantes omnem febrem eſſe peſtem, falſi. 480.b
Συγκοπή. 698.b
Syncopæ ac lypothymiæ differentia. 699.a

Syncope quid ſignificet. 396.b
Syncope quid. t30.b
Syncope ratione partium ſolidarum quomodo fiat. t30.a
Syncope ſolidorum membrorum vitio fieri an poſſit. t31.a
Syncopes ſigna & curatio. t31.b
Syncopes curatio. 443.a
Syncopales febres quæ & quotuplices. 399.b
Syndrome plethorica. 769.a
Syndrome ad mittendum ſanguinem. t4t.a b
Syndrome plethorica Empiricorum. 625.a
Syndrome plethorica non indicat ſectionem venæ. ibid.
Symptoma quid. 3tt.a
Symptoma ſymptomatis ſæpe eſt cauſa. 233.b
Symptoma quando expoſcat curationem. 499.b
Symptomata quænam in peſtilentia 532.a
Symptomata quando miteſcunt. 715.a
Symptoma quando curam expoſtulet. 150.a
Symptomata ab operibus naturæ diligenter diſtinguenda. 223.a
Symptomata ſunt trium generum. 431.b.432 a
Synapiſmi tantum frigidis & humidis affectibus conueniunt. 25.a
Synocha febris. 647.b
Synochus quomodo fiat. 394.b
Synochi duplices ſunt. 395.b
Synochi ſigna. ibid.
Synochi curatio. 396.a
Syrupus hellebori nigri. 474.a.b
Syrupus guaiacinus auctoris. 454.a
Syrupus pro ſcirrho hepatis. t85.b
Syrupus de filice. t70.a
Syrupus præparans pituitam. 159.a
Syrupus roſ.facultas & doſis. 463 a.b
Syrupi purgantes melancholiam. 480.a
Syrupi à recentioribus non ſunt inuenti. 465.a
Syrupi bilem coquentes. ibid.
Syrupi coquentes pituitam. 466.a
Syrupi melancholiam coquentes. ibid.
Syruporum rectus vſus quis. ibid.
Syrupi compoſiti coctionem iuuant. 204.a
Syrupus acetoſus duplex. 372. b febribus optime conuenit. ibid.
Syrupi deobſtruentes. 193
Syrupi compoſiti coctionem non iuuant. 72 b
Syrupi ſuſpecti in dyſenteria. 233.a
Syrupi compoſiti non leniunt, ſed purgant. 464.a
Syrupi viol.ſolutiui facultas. 463. b.Incommoda. ibid.Doſis. 464 a
Syrupi longi ad ſitim. 392 b
Syr.ex floribus perſicorum. ibid.

T

TAbia. t26.b
Tactus per excellentiam ſenſus dicitur. 45 a
Τάραξις quid. 78.a
Temperamentum aëris calidum & humidum quàm malum. 499.b
Temperie vitiatæ operationes læduntur. ibid.a
Temperamentum frigidum & ſiccum ad nutritionem ineptum. 568.a.b.
Templa cadauerum plena. 505.b
Temporis conſtitutio medico animaduertenda. 50t. a
Tempus mittendo ſanguini accommodatum, quale. 527.a
Tempus in curatione animaduertendum. 526.b
Tempus concubitus. 28t.b
Tempus morbi quid. 319.a
Tempora morborum duplicia. ibid.
Tempora morb.vniuerſalia quot modis cognoſcantur. 322.a
Tempora morborum quandoque breuiſſima. 702.b
Tenebræ quibus d.phreniticis aduerſæ. 35 a
Teneſmi definitio & an differat à dyſenteria. 238 b. qui crebrò eo corripiuntur dyſenteria tentantur.ibid.illius, cauſæ. ibid. Signa & curatio. 239.a
Tenues humores an & turgentes. 704.b
Tenues humores an pricipio purgandi. 705.b
Tenues humores ſunt crudi. 704.a
Tenuium humorum diſtinctio. 112.b
Tenuis victus ratio an probanda. 529.a
Tenuis victus ratio cur diuitibus neceſſaria. ibid.b
Tepidorum vſus in vomitu fugiendus t37.a
Terebynthina Cypria obſtructiones aperit. 177.a
Terra ſemper in eodem loco ſtat. 529.b
Terra mater. 246.b
Terra Lemnia. 426.a
Terror infantibus exitialis. 62.b
Tertiana febris an morbus magnus. 876.a
Tertianæ exquiſitæ venæ ſectio. 814.b
Tertianæ febris cum ardente collatio. 749 a
Tertiana continua. 652.b
Tertianæ an conueniat venæ ſectio. 664.b
Tertianæ proportionatæ quæ febres dicantur. 317.a
Tertianæ febris differentiæ. 344.a
Tertiana exquiſita ſeptem periodis abſoluitur plerumque. ibid.
Tertianæ continuæ curatio. 385.a
Tertianæ nothæ curatio. ibid.b
Tertianæ nothæ ex melancholia curatio. 387.a
Teſtium vſus. 274.b
Teſtium equi puluis ſecundinas pellit. 302.a
Teſtudinum caro phthiſicis noxia. 126.b
Tetanos quid. 52.a
Thamarindi Arabum inuentum. 46t.a
Thamarindorum incommoda & vſus. ibid.
Thamarindi refrigerant & adſtringunt. 169.a
Theodorus. 666.b
Theriaca hodierna antiquæ diſſimilis. 516.b
Theriaca olim ſine viperis. 520. a
Theriaca antidotum peſtis. 498.b
Theriacæ vſus. 570.b
Theriaca fermentata calefacit. 3.b
Theriacæ vſus in ventriculi intemperie frigid. & humida. t49.b
Theriacæ & mitht.vſus. 426.a
Thermarum potus in palpitatione cordis laudatur à Gal. 229.b
Thermarum vſus antiquis etiam notus. ibid. & 130.a
Thermarum potus in hydrope reiicitur. t99.a
Thermæ in melancholia reiiciuntur. 71.b
Thermæ hydropicos iuuant. 200.b
Thermarum potus fluxum muliebrem pituitoſum perſanat. 267.a
Thermarum aqua ad vertiginem vtilis. 29.a
Thermarum frigidarum vſus. t43.a
Thermæ paralyticis ſalutares. 48.b
Thucydides etiam idiotis nota ſcripſit. 495.a
Thucydidis opinio an peſtis ſit contagioſa. ibid.
Thucydidis conſilium. 364.b
Thymus quid. 240.b
Thurinus. 656.
Thurinus de humoribus eductis per venæ ſectionem. 647.a
Thurinus de venæ ſectione in febribus. 657.b
Timor ſoluit ſingultum. t55.b
Timor & mœſtitia cur melancholiam perpetuo comitentur. 66.a
Tireſiæ iudicium de voluptate fœminarum in coïtu.

coitu. 273.b
Tormina quid. 266.a
Torturæ oris deſcriptio. 59.a
Tragæa epileptica. 61.b
Tranſcolatio ſanguinis quomodo accidat. 89.b
Tralliani authoritas. 825.a
Tranſlatio vetus Galeni. 824.b
Tranſcolationis ſanguinis ſigna. 118.b
Tranſpiratio prohibita putredinem facit. 333.b
Tranſpirationis impeditæ notio. 813.b
Tremor quid. 127.b
Trincauellius inter minorantes, 684.a
Trincauellius. 631.a
Trincauellij contradictio. ibid.
Trincauellius carpitur. 198.b
Trincauellius notatur. 230.b. Illius error de liti. 163.a
Trincauellius de hydrope aduerſus ſcopum magnitudinis morbi. 749.a
Trincauellius de indicatione morbo proportione reſpondente. 287
Trincauellius de ſectione venæ in lethargo. 742.b
Trincauellius de venæ ſect. in pueris. 773.b
Θρισμὸς quid. 52.a
Troch. de myrrha menſes prouocant. 256.b
Trochiſci ad ſcirrhum lienis. 206.a
Trochiſci Aſclep. ad ſingultum. 156.a
Trochiſci a handal & doſis eorum. 473
Tubercula turgentia. 681.a
Tuberculi in pulmonibus cōtenti curatio. 105.a.b
Tullius quidam Chryſogonus Dalmata iuris ſtudioſus in Academia Vicentina nihil bibens neque vini, neque aquæ, neque alicuius rei humidioris, nihilominus ſatis copioſè mingebat, 560.b
Tumor ſi circa colli regionem ſit, quæ vena ſecanda. 532.b. ſi aliu in loco quæ itidem aperienda vena. ibid.
Tumorum in peſtilentia nomina varia. 532.a
Tumores exquiſiti qui 166.a. mixti qui. ibid.
Turbatæ vrinæ cauſæ. 503.b.564.a
Turcæ quo remedio aduerſus peſtem vtantur. 519.a
Turgentes humores cur purgentur. 695.b
Turgentes humores qui. 690.a
Turgentes humores præparantur Galeno. 681.b
Turgentes in futurum humores. 709.a
Turgentibus humoribus an ſecanda vena. 695.a
Turgentibus purgatio qualis debeatur. ibid.
Turgentis materiæ quis motus. 681.a
Turgentibus humoribus an vena ſecanda. 763.b
Turgere, apud Galenum & Hippocratem quomodo intelligatur. 528.b
Turgere Ariſtoteli quid ſignificet. 680.b
Turgere. ibid. apud Virgilium, apud Theophraſtum, apud Plutarchum. ibid.
Turgere dicuntur humores ratione motos. 691.a
Turgere humores an poſſint in febre intermittente. 729.b
Turpethi facultas, vſus & doſis. 473.a
Tuſſis definitio. 99.b
Tuſſis quomodo fiat. 100.a
Tuſſis quandoque fit ſine vllo pulmonis vitio. ibid.b
Tuſſis differentiæ & cauſæ. ibid.
Tuſſis inſeparabilis pleuritidis omnes. 108.a
Tuſſis eſt motus deprauatus à natura factus. 51.a
Tuſſis per conſenſum. 100.b
Tuſſes aridæ vnde fiant. 101.a
Tuſſis ſigna & curatio. ibid.b
Tympanitis ſigna. 194.b

Tympanites omnium facillima curatu. 195.b

V.

VAcuatio quomodo cauſa febris. 322.b
Vacuatio alia remedia præcedat. 802.b
Vacuatio principium curandæ peſtilentiæ. 524.a.b
Vacuatio quomodo fieri debeat. 526.b
Vacuatio mixta quando neceſſaria. ibid.b
Vacuationis genus vtrumque per quæ loca fieri debeat. ibid.
Vacuationes quomodo adminiſtrandæ. 555.b 516.a
Valleriola. 705.a
Valleſius. 651.a.719.a
Valleſij confutatio. 651.b
Valleſius de venæ ſectione à quo indicetur ibid.
Valleſius de pulſibus ſcripſit. 549.a
Vapores morboſi vnde eleuentur. 498.a
Vapores praui qui eleuantur ex aquis, ſpecubus, aut aliis rebus putrefactis non manifeſta qualitate, ſed proprietate ſubſtantiæ obſunt. 499.b
Varices. 569.b
Varietas ciborum in eadem menſa nunquam adhibenda 571.b
Vaſſei error. 626.a
Vehementia morbi, 859.a.b
Vega. 79?.b
Vega de venæ ſectione in febribus. 657.b
Vena vmbilicalis ligamenti hepatis vicem ſupplet 365.b
Vena interna brachij dextri velociſſimè corpus vacuat. 42.a
Vena ſecanda in ophthalmia. 78.b
Vena in febre peſtilenti an ſecanda. 425.a
Vena in morbis lienis quæ ſecanda. 203.a
Venæ poſt aures inciſæ ſterilitatem afferunt. 275.b
Venæ principales duæ. 165.b
Venæ iugulares hodie non ſecantur. 42.a
Venæ apoplecticæ. 41.a.b
Venæ ſectione non conceſſa quid agendum, 17.a
Venæ naſi & frontis quando ſecandæ. ibid.a
Venæ minores primo non incidendæ. ibid.
Venæ in cubito pernicioſe puerperis inciduntur. 301.a
Venæ ſectio in ſcirrho an conueniat. 184.b
Vena lateris affecti in omnibus inflammationibus internis ſecanda. 111.b
Venæ ſub lingua quando ſecandæ. 79.b
Venæ ſectio in principio febris tertianæ inſtituenda. 384.b
Venæ ſectio educit omnes humores. 645.b. aduerſus Thurinum. ibid.
Venæ ſectio Empiricorum. 615.a
Venæ ſectio eradicatiua. 645.a
Venæ ſectio & purgatio eodem tempore non conueniunt. 695.a
Venæ ſectio euacuat à parte affecta. 689.a
Venæ ſectio euerſatiua. 637.b
Venæ ſectio in cacochymia. 645.a
Venæ ſectio in debilitate virium. 638.b
Venæ ſectio in cruditate. 645.b
Venæ ſectio in doloribus. ibid.b
Venæ ſectio in eryſipelate. 650.b.
Venæ ſectio in febribus an requirat plenitudinem 649.b
Venæ ſectio in febribus an ratione plenitudinis. ibid.a
Venæ ſectio in febribus ardentiſſimis. 647.b

Venæ ſectio in grauidis cur timeatur. 655 b
Venæ ſectio in humoribus frigidis & crudis. ibid. b
Venæ ſectio in morbis frigidioribus. ibid. b
Venæ ſectio in obſtructione. 664. b
Venæ ſectio in phlegmone. [illegible]0. b
Venæ ſectio in phrenitide. 648. a
Venæ ſectio in pueris 638. b
Venæ ſectio in quibus morbis nõ conuenit. 639. b
Venæ ſectio interdum duabus indicationibus ſatisfacit. 636. b
Venæ ſectio in veneno. 639. b
Venæ ſectio loco purgationis. 708. b
in Venæ ſectione pulſus aduertendus. 626. a
Venæ ſectioni quæ ſint analoga. 676. a
Venæ ſectionis hoſtes. 648 a
Venæ ſectionis loco purgatio. 695. a
Venæ ſectionis noxæ. 638 b
Venæ ſectionis præſtantia. 621. a
Venæ ſectionis ſcopi præcipui. 630 b
Venæ ſectionis ſecuritas. 707. b
Venæ ſectionis ſcopi duplices. 622. a. & qui ibid.
Venæ ſectio non Indicatur à ſyndrome plethorica. 625. a
Venæ ſectio ab Hippocrate in Epid. prætermiſſa. 650. b
Venæ ſectio à magnitudine morbi indicatur per ſe. 652. a
Venæ ſectio an à magnitudine morbi Indicetur per accidens. 651. a
Venæ ſectio an quid vnum. 652. a
Venæ ſectio an tollat obſtructionem & putredinem. 665. a
Venæ ſectio à ſanguinis copia indicatur. 649. a
Venæ ſectio à ſolis viribus prohibetur. 648. a
Venæ ſectio an indicetur à morbi magnitudine. 631. a
Venæ ſectio cum virium imbecillitate. 637. a
Venæ ſectio definitur per morbum magnum 652. b
Venæ ſectio in phrenitide. 845. a
Venæ ſectio in quartana. 858. b
Venæ ſectio cur repetenda. 785. b
Venæ ſectio vt ſanguis euacuetur. 326. b
Venæ ſectio prætermiſſa ob virium Imbecillitatem. 846. b
Venæ ſectionis ſcopi. 802. a
Venæ ſectionis vſus in ſynochis. 806. a
Venæ ſectio in ſynocho ex Gal. 778. b
Venæ ſectio vires iuuat. 836. b
Venæ ſectio in virtute debili. 780. b
Venæ ſectionis cum purgatione comparatio. 853. b
Venæ ſectio cur tutior. 773. a
Vena ſecanda, an purgatione, vtendum. 855. b
Venæ ſectio frigidos morbos ſanat. 839. a
de Venæ ſectione opiniones variæ. 721. a. b
Venæ ſectionis dogma cur impugnatum à multis. 852. a
Venæ ſectionis commoda. 836. b
Venæ ſectio non ſemper, ſed præcipuè. 738. b
Venæ ſectio an curatiuum, an præſeruatiuum remed. 793. a
Venæ ſectionis ſcopi duplices. 790 a
Venæ ſectio in aſphyxia. 782. b
Venæ ſectio purgatione ſecurior. 709. b
Venæ ſectio quo purgationi præſtet. ibid. a
Venæ ſectio remedium curatiuum. 636. a
Venæ ſectio ſine plenitudine. 642. a
Venæ ſectio turgentibus humoribus an conueniat. 627. b
Vena poplitis. ibid.
Vena quæ ſecetur, multum refert. 568. b
Venæ ſectio cacochymiam vacuat. 817. a. b
Venæ ſectio in cacochymia ex Auic. 732. a
Venæ ſectio in cacochymia prohibetur ratione virium. 845. a. b.
Venæ ſectio in cacochymia extra venas. ibid
Venæ ſectio in cacochymia biliosa. 843. a
Venæ ſectio in cacochymia pituitoſa. 840. b
Venæ ſectio eradicatiua. 812. a
Venæ ſectio ſine humorum fluxu. 732. a
Venæ ſectionem quid indicet in febribus. 796. b
Venæ ſectionis vſus initio febrium. 807. b
Venæ ſectio in diaria ex obſtructione. 786. b
Vena cur ſecetur in febribus putridis. 797. b
Venæ ſectio in febribus continuis. 817. a
Venæ ſectio in tertiana. 814. b
Venæ ſectio in tertiana notha. 855. b. in quartana. ibid.
Venæ ſectio in hectica cur non conueniat. 285.
Venæ ſectio refrigerandi gratia. 813. a
Venæ ſectio refrigerat. ibid. b
Venæ ſectio per ſe trahit & refrigerat. 725. a
Venæ ſectio in morbis frigidis. 839. b
Venæ ſectio in hum. craſſis & viſcidis. 818. b
Venæ ſecandæ conſilium non ex natura humoris. 815. a
Venæ ſecandæ conſilium non ex humoribus. 252
Venæ ſectio euacuat humores vitioſos. 838. b
Venæ ſectio in humoribus à ſanguine alienis. 805. a
Vena an ſecanda in temperie. 854. 855.
Venæ ſectio ad lipothymiam non ſyncopem. 859. a. b
Venæ ſectio & ob morbi magnitudinem, & ob plenitudinem quomodo intelligendum. 797. b
Venæ ſectio ratione obſtructionum. 812. b
Venæ ſectio in pueris. 779. a
Venæ ſectio in pueris ante 14. ex Adu. 777. a. b
Venæ ſectio ex periculo. 734. a. b
Vena ſecatur ob periculum. 806. b
Venæ ſectio ſine plenitudine. 855. b
Venæ ſectio ſine ſignis plenitudinis. 820. b
Venæ ſectio an educat humores putridos. 810. b
Venæ ſectio an ratione putredinis. 800. b
Vena ſectio an curet putredinem. 859. 860
Venæ ſectio humoribus turgentibus. 763. b
Venæ inferiores quando non ſecandæ. 526. b
Venenatis non ſecanda vena, & cur. 640. a
Venenum quomodo educatur ex corpore. 132. a
Venena an medicamentis admiſcenda. 521. a
Venena ab animalibus iaculata. 902. b
Venenum extrinſecus nunquam applicandum. 521. b
Venenatum habitus grauidis inutilis. 295. b
Venetiis lis de miſſione ſanguinis in febribus. 626. b
Venetiis homines diutiſſimè viuunt. 507. b. ibi aër ex omni fere natione homines facillimè alit. ib.
Ventriculus quomodo calefaciendus & roborandus. 570. b
Ventriculus diuerſis modis mouetur. 153. b. 154. a
Ventriculus & vterus ſæpè cauſant vertiginẽ. 27. a
Ventriculi actio tribus modis læditur. 140. b
Ventriculi intemperies calida & ſicca quomodo corrigenda. 144. b
Ventriculus calidus & humidus quomodo curandus. ibid.
Ventriculi frigida & ſicca intemperies quomodo curanda. 145. a
Ventriculi frigidæ & humidæ conſtitutionis ſigna & curatio. 145. b. 146 a

Ventriculo laborante à valentioribus purgantibus abſtinendum. 60. a
Ventriculi calidi ſigna, & curatio. 142.b
Ventriculus omni genere morborum laborare poteſt. 132.b
Ventriculi pars ſuperior ad appetentiam, inferior ad coctionem pertinet. ibid.
Ventriculi doloris differentiæ. 150. a. Indicationes curatiuæ. 151.a
Ventriculi cerebri in epilepſia obſtruuntur. 57.a
Ventriculum refrigerantia & roborantia. 136.a
Ventriculum corroborantia. 151.b
Ventriculus & vterus maximè cerebro conſentiunt. 14.b
Ventriculo laborante à validè purgantibus omnino abſtinendum. 149.a
Ventriculi frigidi ſigna & curatio. 143.a
Ventriculi euacuandi ratio. 712 b
Ventriculi humidioris ſigna & curatio. 143.b
Ventriculi ſicca intẽperies quomodo curãda. 144.a
Ventriculum purgans bolus. 149.b
Venus quàm moleſta. 516.a
Venerem cohibentia remedia. 328.a
Ver pluuium & Auſtrinum quid portendat. 498.b
Veratri potio 2. de Fract. 676.b
Veratri purgatio qualis. 688. b
Veratrum raphanis infixum. ibid.
Veritas ſibi conſentiens. 529.b
Veritas vna: falſitas multiplex. 644. a
Veritati officium praui præceptores. 621. b
Vermes an dolorem capitis faciant. 12. a
Vermes ſunt cauſa appetitus immodici. 160. b
Vermes per tuſſim eiecti. 100.b
Vertigo quid. 25.b
Vertiginis differentiæ. 26.b
Vertiginis cauſæ ibid. b. Signa. 27. a
Vertigo epilepſiam & apoplexiam præcedit. 28.a
Vertiginis curatio ex Gal. 842. a
Vertiginis natura & cauſæ ſecundum Gal. ibid.a
Vertiginoſi adiuti ſunt ſectione arteriarum, quæ ſunt poſt aures. ibid.
Vertiginoſi ex cruribus vacuandi. ibid.a
Veſalij error in nomine vuæ. 93.b
Veſicæ & inteſtinorum duplex eſt motus. 45.b
Veſicæ ceruice obſtructa quid agendum. 542.b
Veſicantia in hydrope 197.a. improbantur. ibid.b
Veſicatoria in lethargo conueniunt. 38. b
Veſicatoria quando adhibenda. 430.a
Veſica multis laboribus obnoxia. 538. a. eiuſdem morbi varij. ibid. quomodo vrinam emittat. ib.b
Veſicatoria quando exhibenda. 516.a
Veſicatoria vbi frequenter vſurpentur. 528.a. damna quædam afferre poſſunt. ibid.
Veſpillonum quatuor millia Venetiis breui tempore intereunt. 509. a
Veſpillonum reprehenſio. ibid.
Veſtimenta vel tenuia peſte laborantes ſuſtinere nequeunt. 492.b
Veſti exiguę cõtactu homines morbo correpti. 52 a
Veternus quid. 36. a
Vibices in dorſo mortuorum vnde. 506. b
Vicẽtia circiter triginta millia hominũ alẽs. 502.a
Vicentiæ cœli ſalubritas. 507.b. 508.a
Vicentina peſtis vnde ortum habuerit. 502. a
Victor Trincauellius. 631. b. vide *Trincauellius.*
Victus ratio. 516.b
Victus in morbis peſtilentibus qualis eſſe debeat. 529.b
Victus ratio quid efficiat. 497.a
Victus ratio an peſtis cauſa. 503. b
Victus differentiæ. 529. b
Victus ratio in peſtilentia. 512.b
Victus incontinentia aduerſatur purgationi. 687.a
Victus incontinentia noſtro tempore. 683.a
Victus incontinentia requirit phlebotomiã. 687.b
Victus incontinentia tempore Gal. ibid. a
Victus rationis indicatio à viribus. 627.b
Victus rationis ſcopus ſunt vires. ibid.
Victus triplex diuiſio Auic. 772.b
Victus plenus quid. ibid.
Victus tenuiſſimus an noſtro tempore inſtituendus. ibid.
Victus ratio in hydrope. 201.a
Victus ratio in dyſenteria. 232.b
Victus ratio in ephemera quæ. 329.a
Victus pro morborum temporibus variè inſtituendus. 319.a
Vigiliæ internas partes frigidiores, externas calidiores reddunt. 515. a
Vigiliis quibus modis occurrendum. 34. a
Vigilantibus an incubus contingere poſſit. 64.a
Vigor morbi quid. 319.b. varius eſt. ibid.
Vina generoſa nutricibus vitanda 62. a
Vina medicata. 150. a
Vina medicata hydropicis conuenientia. 201. a
Vini auſteri vſus. 137.b
Vini maluatici vſu hydropicus reſtitutus. 201.a
Vinorum differentiæ. 9.b
Vinum eſt anodynum. 212. b
Vinũ meracius præbẽdũ in canino appetitu. 161.a
Vinum in quartana an conueniat. 407.b
Vinum quale bonum. 571. b
Violentus motus ſtatim à cibo fugiendus. ibid.b
Viragines quæ. 276 b
Vires pari in propria eſſentia. 781. a
Vires varia ratione validæ & debiles. 783. b
Vires debiles quot modis ex Aduerſ. 780.b
Virium ſcopus qualis. ibid.
Vires diſtingunt an purgãdũ, an vena ſecãda. 858.a
Vires vt contra indicent.
Vires debiles non ferunt venæ ſect. 281.b
Vires validæ quid ex Gal. 784.b
Venę ſectio prohibetur à viriũ imbecillitate. 845.b
Vires propriæ venæ ſect. aut purgationis. 730.a
Vires præſentes & futuræ. 825. a
Vires præſentes & futuræ attendendæ. 855.a
Vires validæ in purgatione poſtulantur. 827. b
Vires validæ ex ratione remedij. ibid.
Virium eſſentia. 781. a
Virium ratio habenda in mittendo ſanguine. 527.a
Virium indicatio propria. 637. a
Virium roboris gradus. ibid.b
Virium inſtauratio. 441. b
Virium robur in internis inflammationibus vnica ſpes ſalutis. 33. a
Virium eſſentia in quibus conſiſtat. 130.b
Virium gratia homines nutriuntur. 370. b
Vires an conſtent cum humorum cruditate. 653.a
Vires an neceſſariæ ad ſectionem venæ. 637.a
Vires debiles an ferant hæmorrhoidum apertionem. 670.a
Vires futuræ attendendæ in venæ ſectione. 655. a
Vires, præcipuus ſcopus rationis victus. 627. a
Vires pro vena ſecanda quæ. 625. a
Vires requiſitæ in venæ ſectione & purg. 654.a
Vires ſolæ prohibent venæ ſectionem. 648. a
Virium conſenſus. 625
Virium debilitas duplex. 638.a. ſigna. ibid. venæ ſectio. ibid.b
Virium dignitas. 624 b
Virium gratia dantur alimenta. 706.a
Virgilij locus de peſte loquens. 497.b. 498.a
Virtutis cuſtodia alimoniam indicat. 353.b
Virtutis imbecillæ ſigna. 782. a
Virtute debili an sãguis mittẽdus, ex Aduerſ. 781.a
Virtus sãguinis miſſione quomodo retineatur. 525.a

Viſcera animalium vitanda. 667.b
Viſcerum obſtuctiones aperiendæ. 524.a
Vita à reſpiratione non ſeparatur. 39.b
Vlceris differentiæ ex Gal. 753.b
Vlcer s magni differentiæ. ibid.
Vlceris maligni deſcriptio. 782.b
Vlcera cacoëthe 625.b. quo differãt à dyſepulotis. 626.a
Vlceris magni indicatio. ibid.a
Vlcerum indicationes. 633.a
Vlcus rurgens Hippocrati. 680.b
Vlcera in dyſenteria quomodo curanda. 237.a
Vlcera pudendi. quomodo curanda. 456.b
Vlcera infantibus in capite erumpentia non prohibenda. 62.b
Vlcera pulmonum cur difficulter curentur. 124.b
Vlceris ſanatio eſt moderata exſiccatio. 229.a
Vlcerum oculorum differentiæ & ſigna. 80.a
Vlcus ſimplex oculorum quomodo tractandum. 80.b
Vlcus oculorum ſordidum quæ requirat. ibid.b
Vlcus pulmonum difficillimæ eſt curationis. 120.a. b
Vlceribus ſcatentes peſtem euadunt. 516.a
Vltimis morbis vltima remedia conueniunt. 524.b
Vmbilicalia medicamenta. 73.a
Vnguentum paralyſin. 49.a
Vnguentum pro ſomno conciliando. 138.a
Vnguenti roſ. Meſ. vſu. 376 b
Vngula Aleis ad epilepſiam ſanandam facit. 61.a
Vnitas quot modis ſoluatur. 167.b
Voluntati diuinæ acquieſcendum. 332.a
Voluntariis motibus per ſomnum multi mouentur. 64.a
Voluptas rei venereæ à natura cur addita. 287.a
Vomitoria leuia. 282.a
Vomitus in colica vtilis. 215.a
Vomitus in paralyſeos curatione conueniens. 48.a
Vomitus tollit ſingultum. 155.b
Vomitus in cholera quando conueniat. 335.a
Vomitum prouocantia. ibid.
Vomitus nimius qoomodo compeſcendus. 441.b
Vomitus quando in febribus ciendus. 387.a
Vomitus cauſæ. 441.a
Vomitus criticus non ſiſtendus. ibid.
Vomitus cur quartanariis vtilis. 345.b
Vomitus in quartana cur conueniat. 408.a
Vomitus quando vtilis. 523.b
Vox *diuinum*, apud Hipp. quomodo intelligenda. 438.b
Vrina in ephemera qualis. 317.b
Vrinam prouocantia. 39.a
Vrinarum diuinatores reprehenduntur. 565.b
Vrinæ crudæ ſunt in febribus putridis. 342.a
Vrinæ albæ in phrenitide lethales. 33.a
Vrinæ generationis cauſæ. 565.a
Vrinæ tenues qoomodo fiant. ibid.b
Vrina celeriter, & exiguè cocta non perſeuerans, praua. 566.567
Vrinæ coctæ an malæ. 703.a
Vrinæ craſſæ. 682.a
Vrinæ in peſtilentibus ſimiles ſanis. 566.a
Vrinæ nebuloſæ, craſſæ. 715.b
Vrinæ tenues. 681.b
Vrina eſt excrementum. 559.b
Vrina quid apud Mercurialem. 560.a
Vrina ex qua materia fiat. ibid. b. multiplex eſſe poteſt. ibid. ex multiplici materia conſtat. ibid.
Vrinæ quando morbi liberationem ſignificent. 567.a
Vrinæ craſſæ quid ſignificent. 566 b
Vrinæ non ſtatim ſubſidentes quid indicent. 563.b
Vrinæ colores. 157. nomina. ibid.
Vrinæ nullum ſignum capitis affectionum portendunt. 566.b
Vrinæ humanæ potus, turpis. 518.b
Vrſulæ cuiuſdã ann. 20. natæ morbus qualis. 526.a quomodo ſanitati reſtituta. ibid.
Vteri dextera parte laborante qoid agẽdum. 527.a quid verò læua itidem laborãt. ibid. ex qua parte ſanguis mittendus. ibid.
Vterus maximè cerebro conſentit. 14.a
Vterus an moueatur loco. 276.a
Vterus in menſtruis albis an laboret. 264.a. 267.b
Vterus eſt tanquam ager. 276.a
Vterum calefacientia & roborantia. 295.a
Vteri vitio quomodo menſes ſupprimantur. 250.b
Vteri os poſt conceptum arctè clauditur. 270.a
Vteri prolapſus cauſæ. 270.b
Vteri ſine periculo vitæ mulieribus exciſi. 277.a
Vteri calidioris ſigna. 279.a
Vteri huiuſmodi & ſicci ſigna. ibid.
Vteri frigidi & humidi curatio. 280.a
Vterum calefacientia & exſiccantia. ibid.b
Vteri frigidioris ſigna. 279.a. 251.b
Vteri frigida intemperies quomodo curãda. 252.b
Vteri dolor quomodo diſtinguatur à dolore colico. 211.a
Vua morbus qualis. 93.b

FINIS.

A01 1461062

Digitized by Google

VIN. LOFFREDO

Digitized by Google